1606

Fol

8
4 M
28

Digitized by Google







DIVI LAVRENTII IVSTINIANI PROTOPATRIARCHAE VENETI.

OPERA OMNIA

quæ hactenus excuſa ſunt.

Nunc recèns poſt omnes alias impreſſiones, & numero marginum multò quam prius locupletata, & innumeris penè locis vigilantiori cura, & diligentia recognita, atque emendata.

Quorum lectio ſtudioſis omnibus, præſertim concionatoribus quàm ſit vtilis, & neceſſaria, tertia pagina indicabit.

His acceſſit eiuſdem Authoris Tractatus de Incendio Diuini Amoris, nunquam antea in lucem editus, opus ſane aureum mira deuotione, ſoliloquijsque refertum, ad emoliendа obdurata corda præſentiſſimum pharmacum, vt quiſque in legendo facile in ſeipſo experiri poterit.

CVM DVPLICI INDICE RERVM, ac locorum Sacræ Scripturæ, locupletiſſimo.

Auctoris vita in principio præmiſſa.

Cum Licentia Superiorum, & Priuilegijs.



VENETIIS, Apud Bartholomæum de Albertis. M. D C VI.

Ad Signum Spei.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

ILLVSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO D. D. IOANNI DELPHINO EPISCOPO VICENTINO, AC S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO.

D. Cletus Artuſius Canonicorum Sancti Georgij in Alga Venetiarum, Rector Generalis S. P. D.

IAm multis ampliſſima celeberrimaque ea Religio eminet ornamentis, cui me ego vel à pueris, Deo. D. Georgio, & Beato Laurentio Iuſtiniano Ducibus, voui, vt ſi qua inter ſacras huiuſmodi Societates, niſi de Chriſto laudando, & colendo poſſet eſſe concertatio: ne antiquioribus quidem locum daret, aut ijs, quæ auctoritate plurimum videntur cæteris præſtare. Non paucior, fateor, habuit Summo, Illuſtriſſimoque genere natos parentes, ac filios, qui doctrina, pietate, dignitate, virtutibus omnibus floruerunt, Venetos, Mediolanenſes, Cremonenſes, Ticinenſes, Romanos: ſed præcipue Beatum Ludouicum Barbum Taurisij Epiſcopum, qui D. Iuſtinæ Congregationem Patauij inſtaurauit; Antonium Corrarium Oſtienſem Cardinalem, Eugenium IV. & Marcum Condulmerium, alliciente Gregorio XII. & quammaxime, vt pie credendum, ad pulcherrimum illud facinus cohortante Polyxena Condulmeria fæmina. Fæminarum omnium, vna Maria Chriſti Matre excepta, Nobiliſſima, præſtantiſſima, quæ fuit Ludouici proneptis, Gregorij neptis, Eugenij ſoror, Pauli II. mater, Marci agnata, Antonij conſobrina, Franciſci Condulmerij Cardinalis amita, & Ioannis Baptiſta Zeni Cardinalitia purpura, & pietate erga Patriam clariſſimi, auia. Quid fideliſſimis his auſpicijs, atque auſpicibus auguſtius? Splendet vbique iucunda, vbique grata lectiſſima hæc Dei Familia numero, bonis artibus, probitate, exemplo non ſolum in florentioribus Italiæ Ciuitatibus: verum in tota etiam Luſitania; quamquam nobis D. Georgij in Alga, vbi primum fuit inſtituta: Luſitanis autem D. Ioannis Euangeliſtæ Congregatio dicitur. Quid hoc ſplendore clarius? Fulget grauiſſimus, religioſiſſimusque hic innocentiſſimorum hominum coetus innumerabilibus prope commodis, priuilegijs, dignitatibus cum humana, tum diuina etiam iura ſpectantibus, quibus eſt benignitate Pontificum omnium à Bonifacio IX. ad Paulum V. vſque locupletatus. Quid his muneribus illuſtrius? Quod ſi non tot, ac tantis præclarum hoc collegium excelleret ornamentis: hoc vno tamen mirabilem in modum excelleret: quod cumulatiſſime Beatus Laurentius Iuſtinianus inchoatum iam opus perfecit. Hic enim ille eſt Laurentius, qui Bernardo patre mortuo, non plane aſſentiente Quirina matre, repugnante Marco, & Leonardo fratribus; inuitis propinquis, amicisque omnibus; renuente ætate tanto ſe ſtudio vndeuiginti annos natus à mirabili hac Vrbe ad ruinoſam D. Georgij Aediculam, à regio cultu ad Algas, à Reipubl. honoribus ad Religionis onera, ab humanis

delitijs, & voluptatibus ad ſolitudinem, ad paupertatem, ad inediam, ad cilicia, ad verbera, ad lacrimas tranſtulit, vt perbreui temporis curriculo veram pie, religioſeque viuendi rationem non modo iuniores, verum ſeniores quoque fratres noſtros vel tacens docuerit. Quod cum Eugenius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſtudioſiſſimus animaduertiſſet, Caſtellanenſem eum Epiſcopum delegit. Nec multo poſt Nicolaus V. Eugenij exemplo adductus, primum Venetiarum Patriarcham declarauit. Inuitus quidem vtranque Laurentius ſubijt dignitatem: quia ſe à ſe ad alios diſtrahi non ignorabat. Subijt tamen; vt, & diuino operi, & duobus Pontificibus, & Patriæ, & ſuæ Congregationi ſatisfaceret; & præterea, vt quidquid eſſet oneris, ipſe patientiſſime perferret; quidquid honoris; D. Georgij ſectatores potirentur, quidquid commodi, pauperes conſequerentur. Tanta Laurentij Sanctitate incenſus Maphæus Contarenus, ea ſe animi contentione ſaluberrimis illius inſtitutionibus, ac mandatis tradidit, vt in Canonicos noſtros relatus alter plane Laurentius videretur; & Laurentio mortalitate functo in eius locum ſufficeretur. Quoniam verò probitas eſt vberrimum probitatis Semen, quemadmodum ſibi Nicolao V. Pontifice Laurentium; Maphæus: ſic Pontifice Iulio II. Matthæum Ludouicus Contarenus imitandum ſuſcepit; itaque ſuſcepit, vt à D. Georgij Clauſtris ad nouum ſit Venetiarum Patriarchatum euectus. Taceo hic ego, quæ Beatus Iuſtinianus tyro, quæ ſacris initiatus, quæ Epiſcopus, quæ Patriarcha fecerit, dixerit, cogitarit: id tantum tacere non queo, ſexcenta eum feciſſe, dixiſſe; cogitaſſe; quæ Catholica Reſpubl. vniuerſa miraculorum nomine digna confitetur: ſiquidem nubibus imperauit, Satanam fugauit, afflictiſſimos erexit, futura præſenſit; facinoroſos, diſperatosque homines ad Deum reuocauit; ægrotos, ac prope extinctos in priſtinam valetudinem reſtituit; mortuum Lauri ramuſculum excitauit; à templo, & ab ara, vbi palam filium Patri offerebat, ſacram quandam virginem ardentiſſime exoptantem adijt eique revera Sanctiſſimum Chriſti Corpus impartiuit eo ipſo temporis puncto Sanctiſſimum Chriſti Corpus: & ne plura, cadauer, quod Iuſtinianus noſter naturæ & corruptioni reddiderat, per longo ſeptem, & ſexaginta dierum ſpatio, quamdiu totius Italiæ rogatu iacuit inſepultus, ab omni corruptione, ac fœditate eſt Deo iuuante, & paudente conſeruatum. Maxima profecto ſunt hæc: ſed illud certe, quod ſequitur, maius: nam, licet primorum etiam rudimentorum ignarus ad Religionem fecerit gradum: ea tamen ſcripſit, quæ vno tantum dictante Deo ſcribi potuerunt. De ligno vitæ, quod plantauit Deus ab initio in Paradiſo; hoc eſt de Diuina ſapientia. De diſciplina Monaſticæ conuerſationis, eiusque perfectione. De ſpirituali, & caſto connubio Dei, & animæ. De Humilitate. De ſpirituali animæ interitu. De triumphali agone Mediatoris Chriſti. De interiori conflictu De complanctu cordis. De Corpore, & Sanguine Chriſti. De vita ſolitaria. De contemptu Mundi. De officio Paſtorali. De obedientia. De Gradibus Perfectionis. Faſciculum Amoris in Cœna Domini. Sermones quadraginta. Quæ quidem omnia tam copioſe, & grauiter; tam ornate, & eleganter perſcripſit, vt, non Hetruſcam, aut Italicam; non Romanam, aut Atticam: ſed diuinam tantummodo eloquentiam redolere videantur. Qui mirum igitur, ſi æque boni omnes cupiunt, vt iam tandem æternum hoc Venetiarum, & Georgiani Concilij lumen in Sanctorum numerum aſcribatur. Sed magnopere ſane ſperandum: nam, quod Sixtus IV. quod Leo X. quod Adrianus VI. & quod Clemens VII. quaſi vno ore, vnoque animo probarunt: idem cæteros etiam Pontifices probaturos ſperandum, & quod aliàs Nicolaus Tronus, Leonardus Lauredanus, Antonius Grimanus, & Andreas Grittus ſummo ſtudio, ſummaque pietate curarunt: idem ſemper Religioſiſſimam hanc Rempubl.

elabora-

elaboraturam confidendum. Præſertim vero, cum Clementis VII. Clementis VIII & Pauli etiam V. permiſſu, liceat Beatum Laurentium, tamquam Sanctum cum intra domeſticos parietes, tum in ſacris ædibus pingere; diem eius feſtum celebrare; diuiniſque precibus, & matutinis ſacrificijs nominatim laudare, colere, obſeruare. Quid igitur noſtræ huic deeſt Congregationi? Hoc vnum, vt quæ Beatus Iuſtinianus diuerſis temporibus, diuerſiſque locis Chriſtiani cultus illuſtrandi, augendique cauſſa edidit, quæque Typographorum incuria innumerabilibus erroribus inquinata exierunt: ea tum in vnum collata, tum etiam, quantum fieri poteſt caſtigata, in lucem prodeant. Hoc autem officium à quo præſtandum, ſi non ab Italo, à Veneto, à Celeſtino Canonico, à Beati Laurentij amantiſſimo, ab eo, cui totus hic Celeſtinorum Conuentus, ac prope etiam ipſe Beatus Laurentius eſt commendatus, commiſſus, & creditus, præſtandum? Verum, vt, quod Patribus, fratribus, filijſque meis me debere profiteor, cumulatius perſoluam, non ſolum Georgianam concionem vniuerſam ijs ſcriptis, quæ iam ſunt edita; & præterea nouo quodam tanti Patris Doctoriſque noſtri libello, qui Diuini Amoris Incendium inſcribitur, exornabo: ſed etiam ſcripta hæc omnia tam clari Veneti Viri, Veneto illo fulciam, tuebor, illuſtrabo fautore, qui virtutum, ac meritorum omnium gradibus ad eam aſcendit amplitudinem, qua vna dumtaxat in terris illuſtrior. De te loquor, Delphine Illuſtriſſime, teque ego fautorem veris D. Georgij, & Beati Laurentij Hæredibus polliceor, quem Patria ordinum, vt aiunt Sapientem, caducarium; Profuſi ſumptus Moderatorem, Damaſceno vectigali exigendo Societatis Præfectum, continentis oræ Quinque Virum, Maiorem Sapientem, Conſiliarium, D. Marci Procuratorem, Patauinæ Academiæ Præſidem creauit; quem Veneta Reſpubl. ad Henricum III. ad Rodulphum II. bis ad Henricum IIII. ad Philippum II. ad Clementem VIII. Legauit, & niſi iuſta, idoneaq; vſus fuiſſes excuſatione ad Poloniæ Regem, & ad Turcarum Imperatorem abegaſſet; quem Henricus IIII. equeſtri Laurea honeſtauit; quemque Clemens VIII. Vicentino Epiſcopatu, & Cardinalitia purpura decorauit. Nec vereor ampliſſime, benigniſſimeque Vir, ne non, quod mihi ipſe, tua comitate fretus, ſumpſi, beneuolo, amico, libentique animo perferas; itaque Sanctiſſimas haſce Beati Laurentij tui lucubrationes, & Congregationem noſtram totam tuendam ſuſcipias, vt tota vna mecum abs te ſummis precibus contendit: ita enim eſt Illuſtriſſimi tui generis ſuauiſſimorum tuorum morum, admirabilium tuarum virtutum, incredibilis tuæ religionis, ac venerandæ illius purpuræ, proprium humane, benigneque agere, vt eſt humanitatis proprium diſplicere nemini, placere omnibus. Vale; eoque ſtudio Patriæ, Chriſtianæ Reipubl. & Congregationis noſtræ etiam cauſa in valetudinem tuam incumbe, quò te ego & fratres mei omnes precibus, votis, ſacrificijs valentem, ac felicem à D: Opt. Max. exorabimus.

F. LIVIVS

Digitized by Google

F. LIVIVS A LEGE VENETVS AVGVSTINIANVS Doctor Theologus, Candido Lectori S.

EN (Lector humaniſſime) præclariſſima D. Laurentij Iuſtiniani iamdiu expectata, atque expetita opera præ cæteris omnibus ad hanc vſque diem impreſſis longè diligentius emendata, atque elaborata, coque ſtudio, curaque expolita, atque locupletata, vt nihil amplius deſiderari queat. Sed & inſuper quingentas ſupra mille & eo amplius ſacræ Scripturæ authoritates, quæ paſſim in operibus abſque vlla nec capitis, nec libri citatione ſimpliciter ſolummodo, & quodammodo confuſe in alijs editionibus tangebantur, non ſine maxima difficultate, atque labore in ipſis marginibus aptè, diſtinctèque citari omnino curauimus, vt efficeretur abſolutiſſimum opus, quod etiam Dei ope, atque auxilio factum eſt. Adiunctus eſt etiam eiuſdem Authoris libellus, de incendio diuini Amoris, nunquàm aliàs impreſſus, opus ſanè aureum, mira eruditione, atque deuotione refertum, quod nimirum filijs hominum, graui corde, pro valentiſſima medicina accommodabitur.

Te igitur (Lector optime) etiam, atque etiam hortamur, ac (ſi fas eſt) etiam monemus, vt tantum Authorem die, noctuque legas, in eo verſere, in eo meditere, quando & ad animum formandum, & vitam inſtruendam (ſi quis alius) ſit accommodatiſſimus. Quod ne gratis autumare videamur, præter incredibilem fructum, atque vtilitatem, quam in ipſo perlegendo, dum eius emendationi multorum rogatu quoad fieri poſſet, inſiſteremus, maximè percepimus, quæ abundè glorioſi huius Patris eruditionem, atque doctrinam tibi conteſtatur, locupletiſſimum huiuſce veritatis teſtem virum apprimè eruditum, concionatoremque egregium tibi adducimus, admodum R. P. F. Thomam de Trugillo almi Ordinis Prædicatorum, qui in ſuo Concionatorum Theſauro par. 1. cap. 3. circa finem, illuſtre de huius Authoris Operibus ad perpetuam rei memoriam protulit iudicium, in hæc verba.

Laurentius item Iuſtinianus Sanctiſſimus, ac doctiſſimus Patriarcha Venetus ad concionandum adeo noſtro adriſit ingenio, vt quibus cum verbis pro dignitate, quoue laudationis proſequar genere, planè non inueniam, niſi iam illud aſſeram, & Beatiſſimi Auguſtini facundiam, & D. Hieronymi elegantiam, & mirabilem D. Cipriani ſtilum in hoc vno Doctore ſplendere. Pius præterea, Sanctus, eloquens, benignus, charitatis incendio inflammatus, ad concionandum accommodatus adeo eſt, vt nil præterea deſiderandum eſſe videatur. Quid enim (obſecro) boni à Chriſtiano poteſt ſcriptore exoptari, quod non in vno Laurentio Iuſtiniano mirè refulgeat? Vehementer igitur etiam, atque etiam hortor, & moneo, vt quodcunque pro eo pretium poſtuletur, illum tibi deeſſe non patiare: quocunque enim D. Laurentium Iuſtinianum emeris, paruo pro eius dignitate emeris. Quamquàm enim Methodo, ac ordine Commentariorum diuinam ſcripturam explicantium non procedat, tot tamen pertractat, ſcribitque materias, & argumenta concionatorio apta muneri, totque nobis ſcripturæ ſacræ authoritates explanat, vt & in tuum honorem quàm maximè ceſſerit, & auditoribus tuis magno fuerit adiumento, ſi hunc ſedulò euolueris, eodemque in concionando frequentiſſime vtare. Hæc ibi.

Age igitur (optime Lector) qui tibi & alijs prodeſſe cupis, D. Laur. Iuſtin. ſtrenuè legito, ac lectitato, aſſidua enim eius lectione doctrina fiet cumulatior, mens ſanctior, vita melior, & qui de virtutibus, ac vitijs Anatomen habere velis, nocturna hunc verſato manu, pariterque diurna: non enim multorum modò voluminum, ſed iuſtæ propemodum Bibliothecæ vicem tibi præſtabit vnus hic Laurentius Iuſtinianus, vt eo tandem ad laudem Omnip. Dei, aliorumque vtilitatem vtens mercedem æternæ fœlicitatis conſequi valeas, quam modo obtinet glorioſis meritis, & doctrinis D. Laurentius Iuſtinianus, Dilectus Deo, & hominibus, cuius memoria in benedictione eſt. Vale.

C O P I A:

Gli Eccellentiſſimi Signori Capi dell'Eccelſo Conſiglio di X. Infraſcritti hauuta fede dalli Signori Riformatori del Studio di Padoua per relation delli doi à ciò deputati, cioè del Reuerendo Padre Inquiſitor, & del Circ. Secretario del Senato Zuane Marauegia, con giuramento, che nell'Opere tutte del Beato Lorenzo Giuſtiniano Primo Patriarca di Venetia, Stampate in foglio in Lione; nella Vita dell'iſteſſo Beato Lorenzo; & nel Trattato del medeſimo Patriarca, ſcritto à mano de Incendio diuini amoris non ſi troua coſa contra le leggi, & ſono degni di Stampa, concedono licenza, che poſſino eſſer Stampati in queſta Città.

Dat. die 27. Octobris 1605.

D. Santo Balbi
D. Z. Giac. Zane } *Capi dell'Eccelſo Conſiglio di X.*
D. Piero Barbarigo

Excelſi Conſ. Decem Secret.
Leonardus Otthobonus.

1605. à 31. Ottobre Regiſtrato nell'Officio Contra la Biaſtema à car. 134. ter.
Gio. Franceſco Pinardo Segretario.

DIVI LAVRENTII IVSTINIANI ELOGIA.

PAMPHILVS SAXVS MVTINENSIS.

Quæ nobis laurus dat munera, roſtra, triumphos,
  Arcus, pyramides, ſceptra, theatra, duces:
Quæ quoque iuſtitiæ ius pacem, fœdera, leges,
  Ocia, diuitias, dogmata, ſacra, deos:
Laurus amica deis, ſcriptis Laurentius iſtis
  Dat tibi diuina Iuſtinianus ope.
Naſcitur hic natura ſuo cum ſemine, cælum
  Fulget, agunt ſuperi dona beata Iouis.
Firmat, alit, forma, docet, improbat, allicit, auget,
  Pontificem generat, iuraque pontificis.
Re patrum princeps, Venetorum clarus in vrbe
  Patricius, ſummi clarior vrbe Dei.
Hæc eme: donantur dederis ſi mille talenta:
  Sumit enim dono ſydera, quiſquis emit.

IO. ANDREAS RVFVS CALEPIVS.

Qui pia veridici vis noſcere dogmata Chriſti,
  Hoc lege purgato pectore ſemper opus.
Quod ſacer & ſacro ſtruxit Laurentius ore,
  Aliger in Venetis quà Leo regnat aquis.
Is patrijs florens opibus, Patriarchaque tantæ
  Vrbis, in anguſta relligione fuit.
Totaque dum ſophiæ ſua tempora commodat almæ,
  Hæc monumenta ſui non peritura dedit.
Quæ quicunque leget, terris ſciet ille relictis
  Ire per ætherei regna beata poli.

BAL-

BALTHASAR HELMERICVS FRANCVS.

Si tibi iuſtitiæ fontes cognoſcere curæ eſt,
Aſpectuque Dei tempus in omne frui,
Si quo ſyncero pietatis amore teneris,
Atque pijs ſtudijs haud inimicus ades.
Si cupis in ſuperam Chriſti traducier aulam,
Hæres æterni conſtituique boni,
Si ſitis ac optas gelidos haurire liquores,
Languida vt oblato corpora fonte leues,
Si Phlegethontæam ſperas vitare Charybdim,
Cùm mors ſub legem te vocatura ſuam.
Hoc, rogo, ſume pium flagranti pectore ſcriptum,
Atque ſacra hæc niuea dogmata fronte lege:
Quæ tibi ſuauiloquo Laurentius ore recenſet,
Syderea adiutus Iuſtinianus ope.
Qui ueluti cuiuis affabilis atque benignus,
Et cui cor placidum, mens moderata fuit.
Cuique impollutus ſermo, caſtiſſima vita,
Cui non liuor edax, bilis amara fuit.
Vtque inter Venetos re princeps, ſtemmate clarus
Inſigni, patrijs diuitijſque potens:
Sic quoque diſtribuit nocturnas atque diurnas.
Impiger in vera religione vices.
Sic horis certis myſteria ſacra peregit,
Almiferum cecinit peruigil ipſe Deum.
Ergo hoc veridicum fuluo precioſius auro,
Accipe opus, rutili ditia dona poli:
Cumque aurora polo cæcam dimouerit vmbram,
Voluito ſollicita terque quaterque manu.
Non etenim nugas narrat, quas Græcia ſolers.
Audet commentis commemorare ſuis.
Hectora magnanimum, non ſæua incendia Troiæ,
Non Agamemnonias iactitat hocce rates.
Continet ac leges, caſtæque exordia vitæ,
Quid ve Deo placeat diſpliceatque, Vale.

FINIS.

BERNARDI IVSTINIANI,
ORATORIS EXPOLITISSIMI,
IN BEATI LAVRENTII IVSTINIANI,
VENETIARVM PROTOPATRIARCHAE, VITAM,
AD MONACHOS CARTHVSIENSES.

PRAEFATIO.

ET SI NON dubito, venerandi patres, quin Patriarcha Laurentius ſicuti viuens ſolebat, ita etiam vita functus excipietur à vobis omni pietatis officio: iucundiorem tamen eius aduentum eſſe exiſtimaui, ſi rationem, qua ſuauiſſimus gratiſſimuſque hoſpes ad vos veniat, cognoueritis. Nam quam eum à teneris annis. 5. dilexiſſem, plus etiam quam parẽtem, atque illius diſceſſu mœrens deſiderarem aliquid ſolatij, optabam (vt amantium mos eſt) aliquam illius imaginem, nõ Lyſippi quidem manibus, aut Apellis, ſed quæ potius exprimeret & mores illius, & actiones, & verba: quæ niſi literarum viua (vt ita dixerim) pictura fideliter atq; perfecte repræſentari non poſſent. Illud igitur vnum cupiebã, illud optabam: ſingulares illius cæleſteſque virtutes, & cuius pontificum veterum merito non impares, præſtantis alicuius ingenij literis illuſtrari. Quod quum ipſe mecum ſæpius agerem, ſæpe etiã cum his venerabilibus patribus veſtris, qui apud nos ſunt, & præſertim cum angelici ſpiritus viro Franciſco Taruiſano, præfecto veſtri cœnobij, accidit inter nos officij quædam & pietatis plena cõtentio. Quũ orarem ego illum, & ille contra me, vt aliquid de vita noſtri pontificis, ſcriberem, dicebam eſſe illi authoritatem, eſſe doctrinam, conſueuiſſe per multos annos cum Laurentio, multa vidiſſe, multa cognouiſſe, ſingulari charitate ac reuerentia ei fuiſſe deuinctum. Vereri me præterea dicebam, ne ſi ego ſcriberem, ſanguinis propinquitas obeſſet fortaſſe Laurentij cauſæ, & (velut in foro ſolet) teſtimonium nepotis in cauſa patrui ſuſpectius haberetur. At ille eiſdem cõtra me rationibus vrgebat enixius, & facultatis, & cõſuetudinis, & amoris, atque (vt eſt præſtanti doctrina & vſu rerum) intueri iubebat. D. Ambroſium, qui Satyri fratris laudes duobus libris complexus eſt; aſpicere. D. Bernardum, qui Gerardo fratri inter cæteras nobiliſſimas ſuper Cantica homilias locũ præcipuum eius laudibus inſeruit. Neque Latinos ſolum memorabat, ſed Græcos etiam. Nam & S. Chryſoſtomus parentis, & Baſilius ſororis vitas & laudes quemadmodum. S. noſter Aurelius. D. Monicæ matris, lib. 5. 6. & 9. confeſ. proſecuti ſunt. An (præterea dicebat) ſi quotidie vides alienos, & externi generis homines concurrere ad illius ſepulchrum, qui aut ſtatuas, aut flores cereoſve in teſtimonium venerationis apportẽt, quid tandem tibi neceſſitudine nepoti, pietate filio, tantis illius beneficiis obſtricto agendũ eſt? Te certe audiui, quum diceres illum tibi ſæpe magnis in laboribus præſenti affuiſſe numine, quemadmodum promiſit ipſe tibi dum migraret é vita. Nonne igitur, ad illius honorem & gloriam (niſi ingratiſſimus eſſe vis, & haberi) quicquid in te eſt, aut facultatis & ingenij, aut deniq; ſtudij & diligentiæ, conferendum? Hæc igitur ille quum diceret non minus prudenter quam amice, certe in memoriam redigebat, idipſum vſu accidiſſe fere per omnes ætates. Omitto enim priſcos illos gentiles, vt Catonem, vt Cęſarem, vt Thucydidem, & Xenophonta, quorum hi Gręcis, illi Latinis literis res illuſtrauere ſuas, adeo nõ de amicis, aut propinquis, ſed de ſeipſis ſcribere non dubitarunt. Dicam de noſtris. Certe hi ſancti viri, Athanaſius Antonij. Martini, Seuerus, Bernardus Malachiæ, Gregorius Baſilij, Gregorij Chryſoſtomus ſcripſere vitas, aut diſcipuli omnes, aut amiciſſimi. Itaque refragari iam non poteram ſummę autoritatis exemplis. Sed illa præcipue ratione non poteram, quum de illius erga me memorauerat beneficijs. Abijt enim optimus pater ea maxime tẽpeſtate, quum me familiamque meam turbulentiſſimi fluctus & procellæ varijs modis impeterent, vt mergi penitus neceſſe fuerit (tu ſcis bone Deus) niſi inuocatus ſemper a me benigniſſimus pater in tantis malis atque periculis opem tuam impetrauiſſet. Vt extaret igitur aliquod grati animi officiũ, quod profecto ab nepote erga patruũ ſine ſcelere omitti non potuit appuli animum ad ſcribẽdum. Quæ autem narrabimus, vere poſſumus dicere cũ Apoſtolo, quia non ſolum a fideliſſimis teſtibus audiuimus ſed pleraque ipſi vidimus oculis noſtris, & manus noſtræ contrectauerũt, præſertim quum ab initio pontificatus ad vltimum vſque vitę diem ab illius (vt aiunt) latere nunquam fere diſceſſerimus. Placuit autem vobis potiſſimum inſcribere, clariſſimi athletæ Chriſti. Nam quum Leonardi parentis cineres atque oſſa mei apud vos habeam pignus eximię erga vos familię noſtræ obſeruantię & pietatis, cur germanos optimos atque dulciſſimos, qui ſe incredibili pietate dilexerunt, quãtum in me eſt, pari quoque contubernio non donem? Venit igitur ad vos Laurentius, pater & vita ſanctus, & doctrina inſtructus, & miraculis coruſcans, quibus quidem ornamentis quid accedere poſſit, non video. Sunt autem ſumma omnia hæc: & habitant adhuc in oculis omnium, ex quibus & voluptatem in legendo, & fructum in imitando percipere poſſitis.

Monumẽtũ de fide rate amite imaginem.

Extat illius ſunere oratio eius luculẽta.

1. Io. 1.

QVO GENERE, QVIBVS PARENTIBVS SIT ORTVS: *& quo pacto adoleſcens ad diſciplinam monaſticam ſit profectus.*

Cap. I.

NATVS eſt igitur Laurentius Venetijs Bernardo Iuſtiniano patre, matre verò Quirina. De vtriuſq; familiæ nobilitate neq; multa dicere, neque omnino ſilere licet ſine illius iniuria. Nam ſicut his fortunæ donis gloriari ſuperbæ leuitatis eſt: ita fortiter contempſiſſe, quod Laurentius fecit, ſummæ grauitatis. Celebre igitur eſt, & in antiquis Venetorum monumentis extat, Iuſtinianam familiam à Iuſtiniani poſteris defluxiſſe, tres fratres Conſtantinopoli pulſos per ſeditionem veniſſe in Italiam, atque Venetijs conſediſſe. Huius familiæ virtus cum multis in bellis tum in eo maxime claruit, quod a Vitali Michaele duce Veneto, aduerſus Emmanuelem Imperatorem Coſtantinopolitanum fœliciori initio quàm euentu geſtum eſt. Claſſem nobiliſſimam centum triremium, & viginti nauium dux Venetus centum diebus confecit, & in altum deduxit: quæ quum omnem oram Illyrici maris, portus deinde Epiri, atque Achaiæ, & deinde maris Aegæi inſulas penè omnes recepiſſet, captaque deniq; ac ſpoliata Chio ad inſulam, quæ nunc dicitur ſancta Panagiæ, diuertiſſet, & deſcendiſſet aquarum (ſeu peſtis) illa fuit corrupto cœli tractu, ſeu (quod magis creditum eſt,) infectæ ab hoſtibus veneno aquæ) ſane incredibili labe vaſtata eſt. Iuſtiniani quicunque per ætatem potuerant capere arma, claſſem eam conſcenderant, quaſi patrias ſedes bello repetentes, ſed tantum conatum infelix exitus excepit. Nam ad vnum omnes, ſic volenie Deo, aut ferro aut morbo extincti ſunt, donic præter aliquot ſenes ſuſficiendi ſoboli frigidiores. Fortè euenit, vt vnus tantum ſupereſſet adoleſcens NICOLAVS nomine, apud monachos ſancti Nicolai. Vitalis dux laceram, & tam milite quam remige vacuam claſſem trahēs in patriam reuerſus: & cum præter alia publica incommoda, tum etiā quaſi excidij illius familiæ cauſa fuiſſet, quæ toti ciuitati fuerat chariſſima, incidit in populi odiū. Et vt quoquo modo poſſet, reconciliaret, ſtatuit non ſolum reſtituere illam in lucem, ſed copulare etiā ſibi ſanguine. Impetrat ab Alexandro III. Pontifice maximo, vt liceat adoleſcenti monacho ſoluere vinculum religionis ad reparandam ſobolem ſuę gentis, eique vnicam filiam deſpōdet Annam nomine. Fauſtæ fuere nuptiæ, donauit illos dominus maribus ſex, & tribus gemellis. Lætus tam proſpera ſobole Nicolaus, & Deo gratias agens voti veteris religionisque non immemor, ad monaſterium reuerſus eſt, ædificato prius apud Amianum cœnobio virginū ſub nomine ſancti Adriani, in quo Anna vxor ipſa quoque monaſticā cępit vitam. Multis miraculis ambo claruerunt, atque eorum imagines apud ædem ſancti Nicolai ad litus in teſtimonium ſanctitatis ad noſtram vſque ætatem videntur. Quod ne cui fortè mirum uideatur, iiſdem temporibus idem Alexander pontifex Conſtantiam Gulielmi Siciliæ regis filiam & monacham, & plus quàm quadragenariam Henrico Imperatori. Federici Barbaroſſæ filio nuptui conceſſit ad ſobolem Gulielmi patris, qui Siculis fuerat chariſſimus, ſuſcitandam. Ex hac igitur ſanctitatis propagine LAVRENTIVS ortus. Bernardus pater iuuenili ætate è medio magnorum honorū curſu ſurripitur. Quirina mater & ipſa clariſſimo genere anno ætatis quarto ſupra vigeſimum amiſſo viro & quinque ſuſceptis liberis reliquam ætatem cælibem duxit, domum ſuam regēs (vt Apoſtoli verbis vtar) & filios in timore Dei, & mandatis inſtituens, inſtans orationibus die ac nocte: & 1. Tim. 5. ne in delicijs viuens mortua eſſet, cilicium & catenam æream, quoad vixit, circa lumbos geſtauit, ieiuniis & vigiliis florentem ętatem caſtigans, pręcipue autem in pauperes miſericors & benefica, & quæ ad eleemoſynas filios ſemper & verbo inſtrueret & exemplo. Acceſſit ad eximium Laurentij ornamentum germanorum fratrum per memorabile Marcus & Leonardus, quorum neceſſaria mentio me diu tenuit ancipitem, ſcriberem ne hic aliquid de illorum vita moribuſque. Sed quum magni res operis videretur, malui nunc ſoli Laurētio dare operam. Vnum tamen illud non ſilebo cū bona venia legentium, tres eiuſmodi fratres tanta virtute, ſanctimonia, & omnium bonarum artium ſcientia præditos (quod quidem ſcriptorum monumentis extet) vix vlla vnquam ſecula tuliſſe. Nec falli me amore, neque fallere prorſus ſcio. Natus eſt Laurentius ſub finem belli Genuenſis illius maximi & periculoſiſſimi, & natus quo die pro inſigni apud Clodiam victoria, vniuerſa ciuitas ſupplicationibus & omni lętitiæ genere redundabat. Dicere ſolebat Quirina mater, dum in ea lætitia pareret, gaudio quodam animi perfuſa Deo primum gratias egiſſe, quòd eum partum quem tantis in laboribus periculiſque geſtaſſet, in lucem ederet cum tanta ciuitatis lætitia: deinde Deum ſuppliciter oraſſe, vt hoſtibus aliquando formidini eſſet & ſaluti ciuibus, quòd certe vidimus eueniſſe bello Mediolanenſi, ſicuti ſuo loco dicemus. Statim autem primæua ętate declarauit morum elegantiam ſingularem. Nihil illo venuſtius, aut amabilius cum maioribus natu libenter eſſe, cum ęqualibus facilis, minores amplecti. Cęterum excellenti videbatur animi magnitudine, & ad ſummas res ſemper intenta. Nihil illum ludicri delectabat, vt ſolet cęteros iuuenes, ſed ad magnas res diuina ſapientia rapiebat, vt aliquando Quirina mater metuens ne aliorſum erumperet ille ardor animi, & mundi horrores amplecteretur pluſquam par eſſet, quin tu (inquit) hanc mihi, fili inſaniam mittis? Infernum ſapit iſta ſuperbia. Cui ſubridens Laurentius veluti per iocum: Noli timere mater, magnum me Dei ſeruum adhuc videbis. Hoc de ſeipſo puerile pręſagiū haud multo poſt dominus impleuit. Annum erat natus vndeuigeſimum, eius ſcilicet ętatis, in qua carnis illecebræ ancipitem facere ſolent humanę vitę viam. Dominus autem Ieſus manum illi adhibere volens apparuit illi, ſicut ipſe in eo libello, qui Faſciculus amoris inſcribitur, meminit. Ipſius verba ſubijciemus: Eram veſtri ſimilis quęrens cap. 16 ęſtuanti deſiderio pacem in rebus extrinſecis, nec

inue-

inueniebam. Tandem quædam virgo ſole ſplendidior mihi apparuit, cuius nomen ignorabam. Hæc propius accedens venuſto vultu placidoque affatu, ô iuuenis (ait) dilecte cur effundis cor tuū? & pacem ſectando per multa variaris? quod quæris, penès me eſt, quod concupiſcis tibi polliceor, ſi tamen in ſponſam me habere volueris. Quum verò nomen ipſius, & genus, & dignitatem ſcire peroptarem, ſe ait ſapientiam Dei eſſe, quæ propter hominum reformationem humanam formam ſuſcepit. Aſſenſi igitur, & dato pacis oſculo læta diſceſſit. Hac igitur viſione perculſus, rem detulit ad Marinum Quirinæ matris conſobrinum, qui fuit tam vita quàm doctrina ſanctiſſimus. Is, quanquam magnum aliquid portenderet, & ardentem iuuenem ad omnem altiſſimæ vitæ rationem intelligeret, perſpicere tamē penitus illius animum, & corporis firmitatem experiri maluit. De veſtitu nihil mutauit, ne cultus ſordidior proderet animi propoſitum, ſed matri nimiū amanti ſecretum eſſe non potuit: quæ quum præter ſuſpiciones alias ligna quædam rudia ſuper lectum ſternere, ſuperque his lignis cubitare filium deprehendiſſet (vt eſt matrum natura mollior) metuens ne filius non ſatis difficultates religionis intelligeret, induxit in animum tentare illius propoſitum, & nuptias apparare, & quidem virgo offerebatur forma, nobilitate, & amplis diuitijs præſtans, quam ego ſenem cognoui. Id quum animaduertiſſet filius, & fratres cum matre coniuraſſe perſpiceret, fugam maturauit, atque ad Marinum auunculum ſe contulit in congregationem Canonicorum collegiatorum, qui ſancti Georgij in Alga nuncupantur. Dicebat autem, initio conuerſionis conſtituiſſe animo, hinc omnia bona fortunæ, nobilitatem, magiſtratus, honores, vxorem, liberos, pecuniam, & omnes præterea generis voluptates, illinc inedias, vigilias, æſtus, algorem, ſeruitutem, ſediſſe deinde quaſi iudicem inter iſta, & ab ſeſe ita exegiſſe. Conſidera nunc etiam atque etiam Laurenti, quid agas. Putaſne hæc perferre poteris, aut illa contemnere? Tum ſeſe ad crucem Domini conuertiſſe: Tu es Dominus ſpes mea, ibi poſuiſti certiſſimum refugium tuum. Sic confirmatus animo relicta matre, fratribuſque, calcatis prærerea opibus, & honoribus, & florentis ætatis illecebris, ad cœleſtem militiam profectus eſt.

De ſiti, fame, vigilijs, & omni corporis attritione: de dolorum tolerantia per omnem ætatem declarata.
Cap. II.

PRimum igitur ſibi certamen inſtituit cū corporeis illecebris, cuius viam breuiſſimā iudicauit, ſi nihil illis molle cōcederet, ſed bellū gereret quaſi cū hoſte capitali. Nihil dicā de cibi parcitate, quem nunquā ſaturitate, ſed vix vltima neceſſitate definiret: nihil de ſitis tolerantia, qua nunquā ſic torreri viſus eſt, vt vel per ieiuniū, vel manuū operationē, vel peregrinationē, vel valetudinē adduci potuerit vt potū depoſceret, qui ſi inuitaretur à fratribus, dicebat: Quo igitur pacto feremus purgatorij calores, ſi paruā hanc ſitim ferre nō poſſumus? Vigilias à patribus inſtitutas non ſolū ita ſeruauit, vt ad matutinū primus veniret, vltimus diſcederet: ſed quum multorū monachorū mos ſit, poſt matutinū ad ſomnū redire, donec ſol illuceſcat, Laurentius per omnē vitā nunquā de eccleſia diſceſſit, donec ad primā fratres conuenirent. Rigente hyeme accedere ad ignem nūquā viſus eſt, quod fuit admirabilius propter corporis imbecillitatem. Accidit aūt, vt pater quidam ad ignē inuitaret, recuſante illo palpauit pater illius manū, quum que obrigentē frigore ſenſiſſet, admirans inquit: O fili magnus calor eſt, quo intus ardes, ſi frigora iſta non ſentis, quibus obriguiſti. Quid illud, vt ne in hortū quidem remittendi animi cauſa vnquam acceſſerit? quod vnum ſolet eſſe monachorum ſolatiū. Stabat gradu nixus, dum diuina canerentur officia, non dextra, nō læua ſedilibus hærens, quem ſtatum ſemper in pſallendo ſeruauit. Videntur hæc fortaſſe minus admirabilia ijs, qui nunquā experiuntur, vos aūt nobiles Chriſti athletæ, qui quotidie facitis harū rerum periculum, ſcio factu difficiliora, quàm dictu iudicatis. Huius propoſiti atque conſtantiæ perſeuerauit ad vltimā ſenectutem, vt in ipſis ægritudinibus vix vlla corpus remiſſiori ratione foueret. Nā quum medicus eū laborantem iam fermè ſeptuagenarium ad edendas carnes inuitaret. Quadrageſimæ tempore, & quo facilius ſuaderet, afferret exemplū ſancti cuiuſdam ex ijs recentioribus, qui ob ægritudinem haud maiorē die Dominicæ paſſionis pulpam phaſiani comediſſet, petiuit primum Laurentius, an abſtinere poſſet ſine vitæ periculo. Quum ille non negaſſet, vnuſquiſque, inquit, abundet in ſenſu ſuo Sed vt verū fatear, valde me delectāt veterū exempla ſanctorum. Video aūt confeſſores p̄ carnis macerationē, martyres autē per ſanguinis effuſionem ad cœleſtem patriam contēdiſſe. Itaq; vt ad priores annos redeam, quum factus eſſet ætate vergente debilior cogebant eum patres ex Capituli decreto, vt cibo, & ſomno, & veſte moderatius vteretur. Quod ille ęgrè ferens, quaſi ad delicias compelleretur: iubete, dicebat, vt lubet, parebo iuſſis, ſcire tamē vos velim, ei qui pro Chriſto pati decreuerit, panēdi viam non defuturam. Quærebam ab eo patre, qui hæc narrabat, quid his verbis ſignificare voluiſſet. Diſciplinas credebat, ideſt verbera, & plagas, quibus ſolebat affligi vehementius. Notas quippe & ſanguinis maculas ſæpiſſime apparuiſſe. Non ſolū aūt euicit has cōmunes naturæ neceſſitates, ſed dolorum patientiā admirabilē vbiq; præſtitit. Incidit initio religionis in morbū fiſtularū, quas medici appellare ſcrophulas ſolēt, ijs omne collū repletū eſt. Deſperabāt medici de iuuenis ſalute. Vnū remediū dabant, ſi ſetis equinis per tranſuerſum collum ſæpe deductis corrupti humores educerentur, adurerentur deinde ferro candenti: verum timebant ne dolorem ferre non poſſet. At Laurentius vultu, quo ſemper erat æquali, Quid dubitatis fratres? ſecet & vrat medicus vt lubet, an nō poterit dñs mihi dare fortitudinē, qui tribus pueris dedit in fornace cādēti? Traiectus itaq;, & ſectus, & aduſtus eſt. Vbi illud admiratione dignum, ꝙ pręter vnā vocē Ieſu ſemel emiſſam, ne minimū quidē gemitū edere deinceps auditus eſt.

Cæterum hoc nobis incredibile fuiſſet, niſi oculis noſtris vidiſſemus. In vltima ætate quum pontifex eſſet, eandem animi firmitatem, & quum guttur intumuiſſet maiorem in modum, ac ſolutio tardior appareret, eademque difficilis, angeretur antem animi patientiſſimus pater domi atque in cubiculo incluſum vacare non poſſe omnibus ſuis, adictum ferri ſtetiſſe penitus immobilem, quum timētu me dico diceret: Incide audacter, neque enim nouacula tua laminas martyrum ſuperabit.

De humilitate & manſuetudine, de contemptu ignominiæ, de paupertatis amore, de dono orationis & conſtantiæ.

Cap. III.

HAec de corporis attritione, & quidē pauca de multis: ſed veniamus ad animū, vbi plus negocij videtur. Incipiemus autem ab humilitate, quam ipſe cæterarum virtutum reginam appellabat. Si rector erat monaſterij, velut ſibi muneris contemptui potius eſſet quam honori, infima quæque miniſteria diligere, quæ relatu ſunt etiam indigna. Nihil niſi de peccatis ſuis loqui, ſua deteſtari, contemni, ac deſpici cupere. Semper de humilitate Domini Ieſu, aut beatiſſimæ virginis loqui. Sed omiſſis quotidianis iſtis videte patres, quomodo contumelias tulit. Quum de monaſterij negocijs aliquando in Capitulo gereretur, frater quidam ſimplicioris ingenij accuſauit neſcio quid à Laurētio factū. Laurentius autem quamuis intelligeret hominis ingenium, & purgare facile poſſet quod obiecerat, ſiluit primum, quaſi non audiret, tandē leni gradu in medium procedens genibus flexis, Ignoſcite (inquit) patres: peccaui in cælum, & coram vobis: ecce pœnitentiam, quam dederitis, agam. Tactus pœnitētia frater ille ad Laurentium accurrit, & veniam petens eius pedibus aduolutus eſt. Iterū autem quum ſimile quippiam falſo obijceretur, compreſſa Laurētius mordicus lingua, nihil reſpōdit: ſcilicet ne aut mendax cōfeſſio malum exemplum proderet, aut negatio contentionem gigneret, loquendi & tacendi tempora prudenter diſcriminans. Mundi verò faſtus atque ſuperbiā quā magnifice perdomuit: Non, dico vt opes reliquerit & honores. Neque enim tantæ virtutis eſt honorem contemnere, quam contemptum appetere. Plus eſt enim vt male affici negligas, quam vt bene affici non cupias. Cæterum illud ſummæ perfectionis, vt male affici deſideres. Itaque non ſilebo, quod Maphæus Patriarcha, qui illi ſucceſſit, & fuerat eius diſcipulus, mihi narrauit. Nam quum de more exiſſent ad petendum panem, fortè accidit, vt frequentiora vrbis loca penetrarent. Senſit eum Laurentius motum loci celebritate, & declinare homines cupientem: Maphæe (inquit) quid moueris? vadamus conſtanti gradu, nihil enim profecimus, ſi reliquimus verbo mundum, niſi etiam opere declaremus. Eamus cum ſaccis iſtis quaſi crucibus, & glorioſum hodie de ſeculo triumphū referamus. De paupertatis autem amore quid dicam? Accidit fortè vt tectum monaſterij igni conflagraret, vbi fratres omne penu in ſpem anni repo ſuerant. Aberat eo die Laurentius. Aduenienti verò mœſti fratres triſte nuncium cum attuliſſent, hilari vultu Laurentius, Eia filij, quid mali actū eſt nobis? nonne paupertatem vouimus? Benedictus Deus, qui nos voti compotes facit. Ipſe qui dat temen ſerenti, panem etiam ad manducandum præſtabit, tantum ne amittamus confidentiam noſtrā filij, quæ (vt inquit Apoſtolus) magnam habet remunerationē. Sicut igitur omnes & carnis & mundi illecebræ viluerant: ita vna illi voluptas erat, ex eccleſia aut cella non diſcedere. Et orationis quidē & contemplationis gratia eum nemo ſuperauit. Qualis enim veneratio ſubibat animum, cum illū ad altare conſpiceres? quæ corporis immobilitas? quæ vultus intentio? quæ lachrymæ? Ex fratre quodam audiui illius in primis familiari, dum celebraret miſſam nocte dominicæ natiuitatis, poſt conſecrationem Euchariſtiæ ſolutum in mentis exceſſum, cumque diutius perſeueraret, acceſſit diaconus ſemel atque iterū. Ille perſiſtit immobilis. Tandem caſula tractus à fratre, velut à ſomno euigilans, ecce proſequor (inquit) frater. Sed quid de infantulo iſto tam pulchro faciemus? quomodo ſolum & nudum in tanto frigore relinquemus? Cōſtantia autem fuit admirabili. Poſtquam Deum ſecutus eſt, maternam aut fraternam domū ingreſſus non eſt. Memini puer adhuc cum eſſem, videre eum ad domus noſtræ ianuam pulſantem panes petere, domum tamen aut ianuæ limen non ingredi, ſed foris ſtantē panes operiri. Mater autem filiū ægre ferens tanto onere grauem diutius per vrbē vagari, iubebat, miniſtris, vt ſaccum illi panibus implerent. Recuſare ſemper Laurentius, & panibus duobus contentus diſcedebat, vt opera in nauaret humilis mēdicationis, & non domeſticæ quæſtus. Matris dormitioni intereſſe pietatis eſſe putauit: ibique noctem egit, vt matri cum amoris præceptum adimpleret. Dignum illud memoria, quod matrem quam vnice dilexit, morientem videre potuit ſine lachrymis, & plorantibus alijs ipſe ſiccis oculis vltimum perſoluit officium. Idem vbique erat, nunquam eum quicquam aut lætitia exhilaratum, aut ira cōmotiorem, aut ſolutiorem remiſſione animi videre potuiſti: non vllum denique veſtigium metus, cupiditatis, doloris vel voluptatis.

1.Cor. 9.

Heb. 10.

De dono & efficacia verbi, quo pacto fratrum tentationibus ſubueniret, de ſpiritu prophetia, & de vocatione illius ad pontificatum. Cap. IIII.

ERat autem illius conſtantia (quod raro ſolet accidere) mira ſimul & humanitate, & veneratione condita. Sermone fuit ſuaui, breui, & pondere pleno, & (vt ſcriptū eſt) verbum quod ex illius ore egrediebatur, vacuū non redibat. Fuit illi præcipuus in adoleſcentia ſocius, tam genere quam diuitijs clarus, is fortè aberat, & in Oriente negocia gerebat, quando Laurentius dominum Ieſum ſecutus eſt. Hoc cum accepiſſet & iuuenis, & ignarus qd eſſet animus diuino ſpiritu afflatus, pergit ad monaſteriū cum cantoribus, & citharœdis, & cū aliquibus armatis plane nō dubitās ſocium Eſaie 55.

Digitized by Google

ad reditum pellicere, etſi fratres forte negarent. Tum vi & armis viſurus acceſſit Laurentium: quē cum vidiſſet non tam habitu veſtis mutatū quam oris & geſtus & inceſſus, obſtupuit. Laurentius benigne ſalutatum incipit illius animum blādo prius ſermone tractare, tum paulatim a mundi rebus ad cæleſtia deducere. Quid multa? Impleuit iuuenem, & qui laqueum ad amicum capiendum tetenderat, in rete improuiſus incidit. Reſpondens autem Laurentio inquit, Frater, verba ęternæ vitæ habes: & quoniam fruſtrata mea ſpes, teque ex hoc loco educere non poſſum, tu ſanè ex hoc ſeculo me ad te deducere poteris: ſtatutum eſt tecum viuere, tecumque mori. Prædicationis ad populum facultas ei defuit, quia nec ſpiritu, nec lateribus eſſet bene firmis. Sed nihil fuit ſuauius, quam ſedentem inter fratres audire. Cuius quidem rei vos in primis, venerandi patres, optimi teſtes eſtis, a quibus vocari ſæpe ſolebat. Vbi aliquando audiui a fratribus veſtris, cum ſediſſent ad vmbram patulæ fagi, & dicere aliquid pareret, extemplo nimbis & tonitruis incredibili cum fragore miſceri cœlum viſum eſſe. Cum vero fratres hinc pluuiam grandinemque metuerent, hinc ægrè ferrent concupita prædicatione fraudari, ſubridere cœpit Laurentius, & manu monere. Quieſcite, inquiens, fratres, hæc ſunt Satanæ ludibria, qui mendax fuit ab initio, & in veritate non ſtetit, nunquid verbum Dei alligare poterit? Vix igitur ſermonem inſtituit, & ecce cœlum viſum eſt aperiri, dieſque lætiſſimus pio fratrum deſiderio obſequentiſſimum præbuit officium. Non minori præterea cura fratribus aderat mœſtos conſolari, curare infirmos, laborantibus ſubuenire, cogitationes & diabolicas inſidias exquirere. Vexabatur frater (vt mihi narrauit) ſpiritu ad ſeculum redeundi, & aliquoties a Laurentio confirmatum non ceſſabat diabolus inſtigare. Ferre ille amplius tentationem non poterat, ad Laurentium autem ſe conferens, ſuccumbo pater, ait, fer opem. Ecce niſi adiuueris, ad ſeculum redeo. Tum Laurentius, ſine modo mi frater, & tantum hodie ne abeas. Cras, vt libuerit, deliberato. Nox vna in orationibus & lachrymis abſumpta ſic diabolum fugauit, vt nunquam deinceps eum ſit auſus impugnare. Sed quod ſequitur, admirabilius, quod quidem narrare dubitarem, niſi accepiſſem a patre venerandæ fidei & autoritatis. Quum frater quidam ſimili inſtigatione premeretur, & ad certiſſimam Laurentij opem recurriſſet, accepit Laurentius lauri ramuſculum, qui decoctus aqua relictus erat in vaſculo. Ad fratrem autem conuerſus, accipe (inquit) frater, & in horto planta, & ſi quidem reuireſcet, ſecurus ēſto de perſeuerantia tua. Abiit ille, & plantauit, & reuiruit, & de miraculo gaudens memoriam virgæ Aaron, & palmæ Macarij reuocauit. Cæterum prophetiæ ſpiritu vberrima quadam menſura dominus eum donauit, & hoc ita celebre & diuulgatum fuit, vt non aliter ad eum, quam ad oraculum concurreretur. Innumerabilia dicere poſſum, & aliqua dicemus ſparſim, vbi res poſtulabit. Interea vnum eligemus è multis, vel homine in quo cadit, vel multiplici varietate, vel certitudine rei præſtantiſſimū. Fantinum Dandalum ſcio cognouiſtis genere, dignitate, vita, & doctrina clariſſimum, qui fuit nuper epiſcopus Patauinus: hic dum ſecularis eſſent adhuc, & primarium in noſtra repub. locum teneret, primo die Quadrageſimæ ad ſuſcipiendum de more cinerē accedit. Suſcepto cinere & benedictione Laurētius ait: Memēto frater, quia futuro anno tu aliis horum cinerum officiū impendes. Quod vt audiuit homo ſecularis, & plus quam quinquagenarius, ſurrexit admirans, neque aliud tamen ibi percunctatus eſt propter loci maieſtatem, ſed in clauſtro prætereuntem expectat. Factus autem ad illum propior rogat, quid illis verbis ſignificare voluerit. Laurentius ſubſtitit aliquantulum cogitabundo ſimilis, deinde ſubiecit: Dico tibi frater, quod cinerem quidem non impones, ſed certe populo deſtribues ramos oliuarum. Fantinus quamuis maiori adhuc admiratione teneretur, quonam modo hoc poſſet accidere, tamen aliud ſub ij verbis latere dubitans diſceſſit. Ecce autem haud multo poſt Martino defuncto, Eugenius Venetus pontifex eligitur. Ad eum Fantinus legatus ab ſenatu noſtro deſtinatur. Suſcepit eū Eugenius maximo cum honore, & inter ſacros ordines initiat. Denique ante vertentem annum legatum apoſtolicū Bononiam mittit, quo cum veniſſet, & primo die Quadrageſimæ imponere cinerem populo neceſſe eſſet, inuitatur legatus ad id muneris: ille recuſat, quod ab alio quam ſacerdote fieri non liceret. Inſtant enixius illi dicentes, id muneris a legatis ſemper exerceri conſueuiſſe. Fantinus in propoſito permanet, atque id officii non paruo tandem labore deprecatur, nihil adhuc de Laurentij verbis aduertens. Die verò Palmarum cum ſimilis contentio oriretur, & Canonici peterent vt oliuæ ramos populi diſtribueret, ille autem ex humilitate eadem ſacerdotij excuſatione vteretur: tandem Canonici ſummis precibus poſtulant, vt ſi in cineribus legatum ſe ſe gerere noluerit, ſaltem non recuſet oliuarum officium. Quid multa? Victus Fantinus illud officium (vt prędixerat Laurentius) propriis manibus abſoluit. Has autem ſancti viri virtutes Eugenius pontifex cum audiret, animum induxit Venetis epiſcopum dare. Quo animo acceperit, iudicate, ſi poteſtis. Bis fugiendi cœpit impetum, & in abdita aliqua loca ſecedendi, bis reſtitit & ſtare demum in patrum ſuorum ſententijs deliberauit. Erant autem ex ijs qui ſuaderent non eſſe ſummo pontifici obluctandum, ſed parendum Chriſti vicario. Nonnulli vero, vt nullo modo ſuſciperet, ſuadebant, mundi faſtus, inſueta onera, & corporis imbecillitatem memorantes. Fuere etiam qui ſuaderent vt fugeret, & afferebant ſinguli exempla ſanctorum, qui vel ſuſcepiſſent, vel renuiſſent, vel incogniti profugiſſent. Indicto tamen ieiunio, & oratione ſolenni decreuerunt patres conari apud Eugenium & literis & nunciis, ne ſibi patrem, ducemque ſuum auferret, ſine quo ſocietas illa planè periclitaretur. Bis miſere, bis reſcripſit Eugenius, & extant duæ illius epiſtolæ, quibus dulciſſimis verbis patres illos conſolatur. Rationibus præterea grauiſſimis, & ſanctorum patrum exemplis admonet, ne diuinæ voluntati aduerſentur. Non parere igitur non potuit pontifici ter iubenti.

De aſſumptione pontificatus, familia, ueſte, uictu, & pecuniæ contemptu. Cap. V.

ANno ætatis quinquageſimo primo iniit epiſcopatum, & quidem nulla pompa, aut comitatu, vt fratres etiam germanos adeſſe noluerit, & adueniſſe prius nouum præſulem omnis vicina cognoſceret, quàm penè intelligeret aduenturum. Eam noctem duxit inſomnem, Deum precatus orationibus & lachrymis, vt ſi id muneris ad ipſius honorẽ ſuſcepiſſet, nolens alioquin & inuitus, ne ſe deſeret: ſcire ſe quantum negocij ſuſciperet, noſſe populi multitudinem, ordinum varietatem, amplitudinem principatus ſecularis, quales & quàm crebras diſcordias habuiſſent cum ſuperioribus epiſcopis: contrà verò vires ſibi tenues & imbecilles, quippe nuſquam niſi in monaſticis cellulis exercitatas. Quum hęc & pleraq; alia cum lachrymis effunderet, dicebat ſe tanta animi luce repletum, vt non aliter deinceps illius epiſcopatus, quàm alicuius monaſterij munera obierit. Familiam ſic inſtituit: Elegit duos de ſuo cœtu fratres, quorum altero vtebatur ad officia diuina, cum altero participabatur curas maiores. Quinque præterea miniſtros habuit per tres & viginti annos, quibus fuit in eo pontificatu, quanquam per liberalem locum dicere ſolebat, familiam ſibi grandem eſſe, cuius cura premeretur, pauperes Chriſti ſignificans. Veſte vſus eſt colore, quem dicunt cæleſtino, iuſta longitudine. Tapetas & aulæa, & cætera ornamenta ædium omnino ſpreuit. Menſã non ſordida, ſed ſumma munditie, ad quam de more monaſtico legebatur. Nihil omnino argenti: veſcebatur in vitreis & fictilibus, cibo vulgari ſemper vſus, amauit oua, quod & ſtomacho amica eſſent, & voluptatem non irritarent. Nihil appetere, aut damnare, quicquid apponeres, ſumere. Accidit ſemel, vt pincerna deceptus colore, acetum pro vino apponeret, cum Laurentius admouiſſet ori, & acetum eſſe ſenſiſſet, nihil vltra queſtus prandium exigebat ſine potu. Pincerna vt aduertit, veniã ſupplex errori deprecatur. Cui Laurentius placido vultu: Eia, inquit, curato deinceps officium tuum diligentius. Cubile habuit vix ſex pedes protenſum, tomento paleari, & opertorio quod veteres centonem, noſtri ſclauinam vocant: excluſis ſemper de thalamo omnibus, vt liberius vacaret lachrymis & orationi. Statim autem operam dedit, vt pontificalis eccleſia ſuperiorum epiſcoporum aut incuria aut auaritia neglecta, pro dignitate ſedis excoleretur. Canonicorum ordinem ad nihilum redactum reſtituit, addidit ſacerdotes, cantores inſtituit. Eandem adhibuit curam circa alias eccleſias, vt plurimæ in quibus vix miſſa dicebatur, nunc videantur eſſe pontificales. Mores deinde cleri caſtigare adortus, deque iis edidit pulcherrimas conſtitutiones. Sed nihil erat quod non facile impetraret liberalitate & bonitate naturæ. Erat enim alioquin non grauis. Frui clerum ſuis fructibus patiebatur, vt nihil illi oneris impoſuerit vnquam. Pari cura proſequebatur monaſteria, præcipue ſacrarum virginum ob ſexus infirmitatem, quibus nihil deeſſe pateretur vel ad corporis neceſſitates, vel ad regulares etiam diſciplinas: collapſa reſtituit, noua conſtruxit. Pulchrum huius rei teſtimonium, quod cum initio X X. aut circiter obſeruantia ſuſcepiſſet, moriens reliquit quinque ſupra X X X. Non minori ſtudio aliarum etiam ouium curam gerebat. Non fuit credibile, quantus quotidie concurſus fieret mœſtorum & laborantium, qui conſolari cuperent, qui iuuari ope, oratione, conſilio, ad eum omnes confluere. Plebanos quoſdam ſedulo monere, reddituros aliquando proprij officij rationẽ. Cæterum pecuniam contempſit, vt neminem vnquam magis contempſiſſe crediderim. Domus erat aperta omnibus, omne penu pauperibus patebat. Si procurator rationes afferret, nihil accepti vel expenſi videbat amplius, quàm quid deeſſet, aut ſupereſſet; indignum omnino ratus, vt qui animarum quæſtui præfectus eſſet, ſederet ad calculos. Primũ illi de pecunia inſtitutũ fuit, vt nullum penitus ſibi cum fratribus eſſet commercium, quia nihil exiſtimauit ad amorẽ ſuę plebis conciliandum, fidèmque comparãdam efficacius, quàm ſi tolleret prorſus omnem ex animis omnium de hac re ſuſpicionem, à qua vt longius abeſſet, cum Leonardus frater aliquando pauperem eleemoſynam petentẽ Laurentio commendaſſet, vade (inquit ille) & reſponde Leonardo meis verbis, vt ibi ipſe ſubueniat: poſtquam à domino habet vt de ſuo dare poſſit. Illud in amoris fratrem ſignum retinuit, vt in paſchate, & in natiuitate Domini, & in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli eos donaret duobus panibus ex farinæ flore confectis. Poſt mortem autem fratrum idem tributum mihi ſemper pendit, quin potius & à fratribus adiutus ipſe eſt pecunia grandi in bullis apoſtolicis epiſcopatus, & a me deinceps non minori præſertim cum ad Patriarchatum euectus eſt. In cognoſcendis autem penuriis hominum adhibere ſolebat viduas aliquot ſpectatæ virtutis & fidei. Quod & ille ſexus eſſet ad huiuſmodi miſericordiæ opera ferUentior, aptior etiam ad indagandas paupertates occultas, eorum præcipue qui ex opibus in inopiam decidiſſent quorum generi hominum maxime miſerabatur. Malpebat autẽ aliquãdo decipi, quàm nimius eſſe in examinando, vt ſi in alterutro eſſet offendendum: mallet cui non oporteret dare, quàm non dare cui oporteret. Libentius dabat res humano vſui neceſſarias, quàm pecuniam, & plures libentius ſummas quàm maiores, vt eſſet communior in tanto populo beneficentia. Orauit aliquando Laurentium conſanguineus eius, non ita pauper, vt pecunia eum iuuaret in filiæ dotem. Reſpondit Laurentius, Conſidera, quæſo frater ſi parum dedero, non eſt quo opus habes, ſi multum, defraudabo multos, vt vni ſatisfaciam: & præterea quicquid illud eſt, quod eſt ad cibos potius pauperum, quam ad intortos crines, aut margaritas, ab eccleſia traditum eſt. Igitur ignoſce ſi dare non poſſum. Sed nihil fuit ciuitati gratius, quam lignorum naues onuſtæ, quas ſæuiente hyeme diſtribuebat pauperibus. Pecuniæ ad eum quotidie confluebant, vnde non crederes. Vidi aliquãdo, quum ab eo eleemoſyna peteretur, quod pecunia non poſſet, promiſſione ſatisfacere, ſæpe quum domi nihil reliquiſſet, æs alienum contrahere. Et quum procurator rogaret eum qua ſpe faceret, domini mei, dicebat, qui pro me diſſoluere facile poterit.

terit. Nec ſpes illum fallebat. Nam continuo ſubmittebat illi Dominus pecuniam inſperato multis de locis. His moribus diſciplina incredibile eſt, quantum beneuolentiæ & authoritatis apud omnes ordines comparauerit.

De gratia uerbi, conſilio, ſapientia, prudentia, iuſtitia, conſcientia, & infuſa ſcientia, tum ſcriptis eius. Cap. VI.

HAbuit autē hoc donum diuinitus collatum, vt omnes cum quibus eſſet, lætos ſemper placidoſque dimitteret, omnibus ſatisfaceret. Boni iuxta malique. modeſti, facinoroſi, ſine vllo pene diſcrimine illum colebant. Sic verba, & oculi, & motus, & omnia quæcunque aut diceret, aut faceret (tanta erat virtutis & gratiæ vis) rapiebant animos omnium in amorem. Initio quidem pontificatus quum de mulierum ornatu decretum edidiſſet, vxorum quarundam maritis ingratum, Dux noſter illorum querelis deceptus quaſi libertati ſeculari metuens accerſiri eum iubet. Queritur ea de re acrioribus, vt fuit natura vehementior. Tum Laurentius pater manſuete ſimul grauiterque reſpondens, ſic illius animum demolliuit, vt Dux conuerſus ad aſtantes neque lachrymas cōtinens: Angelus, inquit, non homo locutus eſt, vade pater, & fungere officio tuo. Illum deinceps velut apoſtolum veneratus eſt vt aliquando per iocum dicere ſoleret, præter Laurentium neminem eſſe mortalium, cum quo animam commutaret. Conſulebatur autem dubiis in rebus, & quanquam irent quaſi ad hominem diuino potius quam humano ſpiritu reſpondentem res tamen humanas tam publicas quam priuatas, quas nondum illi experiri contigerat (ſi quidem ante vigeſimum annum confugit ad ſolitudinē, primo & quinquageſimo rediit) ſic callere videbatur, perinde ac ſemper tractauiſſet: vt dicere non verear, nihilo mihi minus prudentiorem eſſe viſum quam meliorem, ſi tamen prudentia bonitatis pars non ſit. Iam vero in iure dicundo ſapientiam illi dicant, qui viderūt, & præſertim curia Romana, quæ nihil vnquam ab eo iudicatum reſcindi paſſa eſt. Sententiæ illius inappellabiles habebantur, & quāquam in irrogandis pœnis clementior eſt habitus, iuſtitia tamen fuit, quæ neque precibus neque lachrymis frangi poſſet. Nulli illius cœnaculum vel cubile non patuit. Non cauſarum multitudine potuit, non proteruitate litigantium defatigari. Stabat veluti rupes immobilis ad turbines cauſarum, quibus nulla fere (vt opinor) in orbe eccleſia magis agitatur, propter amplitudinem ciuitatis & cleri. Gratiſſima in primis fuit breuitas reſpondendi, qua & paucis abſoluebat, & cæteris adeo omnibus ſatisfaciebat facilius, ſed qua iuſtitia luce afflatus ad iudicādum veniret, præſertim maioribus in cauſis erit ſatis apertum teſtimonium, quod referemus. Matrimonij lis orta Paduæ eſt inter haud vulgares familias. Ad Fantinum epiſcopum, de quo dixi, defertur. Ille cauſa cognita quum leges fauere mulieri, quę virgo aſſerebatur, pro muliere pronuntiat. Iuuenis, qui ſponſionem factam pernegabat, innocentiæ conſcius aduerſus tantæ authoritatis iudicem, Laurentium pro ſecundo impetrat. Laurentius autem quum videret a ſapientiſſimo & optimo alioquin iudice ſecundum mulierem iudicatum, tamen lachrymis iuuenis permotus, opē implorantis cauſam non ſuſcipere non poteſt. Ad orationem autem ſe confert, quam grauioribus in cauſis habebat pro fideliſſimo conſiliario. Hac diligentius facta, iudicat ſecundum virum. Propinqui mulieris nihilo ſegnius tertium iudicem petunt, & impetrant epiſcopum Taruiſinum. Is quoque pro muliere pronunciat. In diſcrimine videbatur Laurentij ſententia duabus aduerſis, & expectabant omnes attentius tantæ contentionis exitum. Quū iudex æquiſſimus Deus ipſe ſe pro quarto gerere voluit, & litem omnem dirimere, in lucem producit inceſtum mulieris, quæ ex conſobrino, & eodem clerico grauida quum partum amplius differre non poſſet, amiſſo pudore, & patefacto flagitio, diuinam fuiſſe non humanam Laurentij ſententiam confeſſa eſt. Conſcientia autem fuit explicata, pura, integra, quæ omnia dirigeret æquitate, ſciētia verò potius diuinitus infuſa, quam humanitus acquiſita videri poſſet. Vix enim elementa prima didicit a præceptore, & tamen nihil eſt in ſacra ſcriptura diſputatum, de quo non poſſet grauiſſime reſpondere. Dicam quod accidiſſe memini. Venit ad eum theologus qui audierat de illius doctrina, & præſertim quod didiciſſet ſine doctores: audire voluit, & periculum facere, mouet illi quæſtionem de diuinis relationibus. Reſpōdet Laurantius. Ille reſponſum laudans repetit adhuc, velut cum circulatore ſophiſta ſibi res eſſet. Tum Laurentius Scriptum eſt frater, contentiones & pugnas legis deuita, ſunt enim inutiles & vanæ, dixi quid ſentirem, ſi ſatisfeci, placet, ſin minus quære, qui tibi reſpondeat ſapientius. Compunctus ille, & gratias agens petita benedictione diſceſſit. Scripſit autē volumina XV. & ſermones quadraginta. Crebra illius ſcripturarum vſurpatio deuota traditio, ſtylus redundans & copioſus, qui ſi gentilium literis dediſſet operam, potuit inter ſcriptores elegantes annumerari. Voluminum tituli hi ſunt: Lignum vitæ, De diſciplina monaſticæ profeſſionis, De ſpirituali & caſto connubio verbi & animæ, De humilitate, De ſpirituali interitu animæ, De triumphali agone mediatoris Chriſti, De interiori conflictu, De complanctu eccleſiæ, De corpore Chriſti & ſanguine. De vita ſolitaria De contemptu mundi, De ſermone Domini in cœna, De officio paſtorali, De obediētia, De gradibus perfectionis. Sermonum autem titulos apponere operæprecium non iudicaui.

De manſuetudine & dono lacrymarum, & corporis figura. Cap. VII.

QVanto autem magis authoritate & gloria creſcebat, eo indies fiebat humilior. Audite manſuetudinē. Nam quum prælatus magnæ plus ob pecuniam quam vitam, authoritatis, ductus inuidia variis eū quotidie calumniis laceraret, vt expleret animi malitiam,

ſitiam, indicit conuentum plurimorum præſtantium & doctrina & dignitate virorum, quaſi de theologica aliqua quæſtione diſputaturus. At concluſiones quaſdam proponit decretis illis contrarias, quæ Laurentius ediderat de ſumptu & ornatu mulierum. Ridere partim qui aderant, partim mirari quam ad rem eſſent conuocati, qui verò grauius ſentiebant, indignè admodum pati, quòd illud ſpectaculum non honor Dei, ſed maledicendi cupiditas coegiſſet. Tandem bonus paſtor manu ſilentio indicto, longam pro muneribus orationem habet, cuius epilogo quum miſericordiam & lachrymas mouere vellet, pluribus ſimul locis excitatus riſus eſt. Gratiæ iis qui venerant, actæ. Diſputatores ad cœnã vocati, atque ita diſceſſum. Aſfuit quidam patris noſtri dilectus in ſpiritu filius qui huiuſmodi re mirificè commotus, quod homo petulans ſanctiſſimum virum huiuſmodi contumeliis inceſſiſſet, accurrit ad Laurẽtium. Aderam tum ego fortè, quum hic & ita & via feſſus. Et quid, inquit, pater? Pateris ne honorem tuum ab iis improbis lacerari? Tum Laurentius. Quid eſt fili? Ille rem omnem vt ſe habet, narrat, non verbis ſolum, ſed & ore, & oculis, & manibus ſic indignantibus, vt non eum ſolum, in quem eſſent illa iactata, ſed quemuis alium immunem ab iniuria, facile commoueret. Quid tum Laurentius? Putatiſne aliquod irati animi ſignum protuliſſe? Teſtor dominum Ieſum, quum intentos in eum ad id vnum coniecisſem oculos, nihil mutationis in eo vultu perſpicere potuiſſe. Nihil indoluit, aut queſtus eſt, imo noluit ſcire, quis fuit, quis dixit, non ſermone aut vultu ſignum aliquando vel minimum edidit animi commotionis. Vt autem mœrentem filium ſolaretur, placido vultu, noli, inquit, te affligere fili, dominus Ieſus, cuius negocium eſt, ipſe aderit honori ſuo. Neque ſanè in eo falſus eſt. Nam paucis pòſt menſibus dux ipſe cum ſatellitibus ſuis partim exilio, partim vinculis, morte nonnulli affecti ſunt. Quanquam autem nihil videtur addi poſſe ad hanc manſuetudinem, neſcio tamen an id quod accidit iterum in ſimili genere, ſit admirabilius. Nam quum ſolenni pompa Euchariſtiæ ſacramẽtum feſto corporis Chriſti circumferretur, comitatu (vt ſolet) totius populi frequentiſſimo, heluo quidam, qui eſſet ſcelera ab epiſcopo damnata impudentius defenderat, ante oſtium propriæ domus conſiſtens, cum inde Laurentius tranſit, Deum nihil veritus, qui ante eius oculos incedebat, En, inquit, qui pro ſancto colitur? O inani, qui talem hominem adoratis. Audit Laurentius. Sed quid arbitramini? Gradu quo vadebat, perſeuerat, non vultum, non oculos deflectit ab ſacramẽto. Et quum aliquot pij homines commoti rei indignitate cum facibus ad illius domum vellent concurrere, vix à me qui tunc aderam, repreſſi ſunt. Quod tamen facinus vindicauit paulo pòſt ſenatus maiori Laurentij gloria: illa præter cæteras inflicta pœna, vt periurus ille frequentiori populo in eccleſia pontificali in ſuper pulpito publice mendacium fateretur: Cenauit autem dominus cum ſenatu noſtro in pœna ſupplicioque miſeri. Nam paulo pòſt pulſus inde eſt, profuguſque nunc errat procul à domo, liberiſque inops atque mendicus. Sed pene infinita ſunt talis manſuetudinis teſtimonia. Erat autem verborum actionumque tanta menſura, vt ſi inferiora hæc cæleſtibus conferri fas eſt (cæleſtis enim certe animus eſſet) vix ego motus cœlorũ, & reuolutiones & gyros agi maiori ordine atque menſura crediderim. Ipſe cuidam diſcipulo reuelauit, ſibi à Deo datum fuiſſe, vt quouis loco aut tẽpore ſe colligere vellet, & in cœlum mentem erigere, ſemper poſſet. Quod ſi fortè aliquibus, vt ſolet, imaginibus turbaretur, non aliter abigere ſe diceret phantaſias illas, quàm ſi muſcas oberrantes pelleret ab oculis. Erat in illis cauſarum actionum que turbinibus ſemper quietus & immobilis. Nihil audire diceres, quaſi in cœlo eſſet animus, corpus in terris. Rurſus autem ſi ſtylo aut orationi ſeſe dediſſet, & interpellaretur (vt ſæpe fit ab aliquo eum adeũti) videres ſine vlla moleſtia, cœpto opere intermiſſo, quaſi ociofum iucundo vultu venientem excipere, quod vellet audire. Tanta profecto animi pace, vt angelica interdum videretur potius quàm humana. Hanc tam admirabilem conſtantiam ſola diuinæ bonitatis meditatio poterat emollire. Dixi ſuperius, quum de matris dormitione loquerer, in illius funere lachrymam non emiſiſſe. Videte (patres) vbi lachrymæ profluerent. Donum enim habuit lachrymarum, vt nemo ferè alius, quum poſt prandium aliquando ſederet, & de diuinis (vt ſolebat) ſermonem haberet familiarem, conuerſus ad eos, qui aderant feruentiori quodam mẽtis affectu, quid (inquit) agam fratres, quid agam, quum ad iudicem deducar? Quid egi miſer, in quo ſperare poſsim? Nihil habeo, niſi quod ad illius ſanctiſsimi ligni radicem prouoluar, & plangam. Hæc quum dixiſſet, totus ſolutus in lachrymas eſt, quas cum profuſius emiſiſſet, & erectus vidiſſet, nos qui aderamus compungi, & illas lachrymas admirari, virtus ne quid ex his laudis humanæ ſurriperet, videris ne, inquit, has lachrymas? affectus cuiuſdam ſenſualitatis fuerunt, non veræ deuotionis, a qua abſum longiſsime: at quam pulchre diuina bonitas conuenientem illi animo ſedem tradiderat. Omittite virtutes, aut ſanctitatis nomen, facite vos tunc primum eum videre angelum, non hominem credideritis. Fuit proceritate corporis altiore quam iuſta, gracilioribus membris, colore candido, ſtatu erectus & celſus, omni facie admodum decora. Oculis vero vniuerſum corpus ita moderantibus, vt venerationem & ſanctitatem vndique ſpirare viderentur.

De amore fraterno, de prophetia, de eiectione dæmoniorum, de miſericordia, de moniali, cui per ſpiritum euchariſtiam communicauit. Cap. VIII.

SED quia de Marco & Leonardo fratribus nihil hactenus dixi, nolim aliquis exiſtimet illos vnquam ſeſe maiori charitate dilexiſſe. Viſebatur ab his quotidie, quum publica omnia & priuata deferebant, ſed omnes ferè illorum ſermones erant de æterna vita. Cæterum quam diuino ſpiritu omnibus in actionibus ſuis ageretur, vltimis illorum horis apparuit. Laborauerat Marcus valetudine diuturna, do

mo

mo per annum non exierat, cupiebat fratrem videre, quo nihil in terris charius haberet. Recuſabat Laurẽtius venire. Domo enim fraterna, ſicuti materna antea diximus, ſemper abſtinuit. At ille orare enixius & obſecrare per fraternæ iura pietatis, vt mori eum non vellet ſine ſua benedictione. Solabatur eum, & promittebat venire Laurentius, ſed tamen differebat. Ibat ad eum Leonardus pater, ibam ego, orantes vt veniret, ſi quidem viuum reperire vellet. Dicebat, bono animo eſſemus, venturum ſeſe, quum tempus exigeret, & certe aliquoties videbatur melius habere. Quum autem apparuit hora quam expectauit, fallere chariſſimũ fratrem noluit. Ecce venit ad eum, quum minime expectaremus. Iam propinquus erat emiſſioni ſpiritus. Ingreſſus, & ſuper lectulum fratris incumbens, ſalutat eum dulciſſimis verbis, quaſi promiſſum perſolutum veniſſet. Marcus hilariori vultu cõuerſus ſignificato gaudio de illius aduentu inter eius amplexus lætus & voti compos in domino requieuit. Ne tamen aut ſorte aut caſu hoc accidiſſe aliquis exiſtimet idem penitus nono poſt anno in Leonardo fecit, quintum ferè menſem domo exire, & Laurentium videre non potuit. Ibam aut mittebam, qui diceret fratrem extremum ſpiritũ agere. At ille reſpondebat horam adhuc non eſſe. Sic per multos dies rem duximus, ego eundo aut mittendo, ille differendo. Hora ea qua promiſerat, venit. Quumque ſumma eum lætitia eum pater excepiſſet, veſper eius diei inter illius brachia ſpiritũ feliciter emiſit. Addam illud etiam ad eius gloriã, & ſolatium meum. Orauit pro fratre illis diebus precibus ardentiſſimis, & quum aliquot dies ad eũ veniſſem afflictus mœrore adhuc recenti poſt prima verba ſalutationis, Gaude, inquit, Bernarde fili, Leonardus pater tuus ſaluus eſt. Hoc ego cũ ingenti gaudio excepiſſem, & quomodo, inquam, ſcis pater? Saluus, inquit, eſt, & aliud ne cures. O lachrymas dulces plenas lætitiæ & pietatis, quas ibi fudi ante pedes illius, quum tantæ lætitię nuncium nuncius tam fidelis attuliſſet. Quid autem alia innumerabilia conſecter de ſpiritu prophetiæ? vitam ſanctiſſimæ abbatiſſæ a medicis derelictam, dilatam a domino dixit, & paucis diebus liberata eſt. In eodem monaſterio ſororem miræ ſanctitatis comploratam, & iam pene exanimem lugentibus aliis bono animo eſſe iuſſit, & illo triduo omnino libera euaſit. Propinquum ſuum, qui triremem conduxerat ad conuehendas ex ponto merces, cauere iuſſit, ne triremem in ponto dimitteret. Ille vero non ſolum triremem dimiſit, ſed maximo etiam fortunarum naufragio eſt affectus. Cæterum & filiorum orbitates, & lucra, & damna, & honores, repulſaque, ægritudines & incolumitates, aliaque tum proſpera tum aduerſa, quæ quotidie accidunt, innumerabilia ante dicebat. Filium meum deſperatum a medicis extremũ ſpirituum agentem ad eum detuli, vt conſulerem de loco ſepulturæ. Ille ſuſpenſo aliquantulum & vultu & ſermone, reſpondet, tempus adhuc non eſſe talis conſilij. Ego, quia ex peſte familia extra ciuitatem aberat, admiratus huiuſmodi reſponſum, quonam modo, inquam, potero pater tempeſtiue deliberare, quem iam expiraſſe exiſtimo? Rurſus ille: Redi bono animo, tempus adhuc non eſt. Reuerſus igitur domum, reperi puerum præter omnem ſpem melius habere. Neque tempus illud benignitate Dei ad hunc vſque diem apparuit: & ſpero filium potius de mea quam me de filij ſepultura cogitaturum. Sane ipſe ſuum obitum prædixit virginibus ſanctæ Crucis per dies aliquot ante quam accideret. Neque minor in eo fuit dæmoniorum pellendorum, & diſcernendorum gratia ſpirituũ. Qui affuit & vidit, mihi mulierem ad eum deductam retulit, ſpumantem ore, & dentibus frendentem, quod ille videns, attuliſtisne, inquit, mihi hũc dæmonem tanquam ad Apoſtolum? Ite fratres, & quærite, qui ſit me ſanctior: ſum enim homo peccator. Enimuero illi magis orabant genibus prouoluti. Age, inquit, valeat veſtra fides, quæ Cananeæ profuit, & Centurioni. Impoſita arreptitio capiti manu, quid, inquit, male dęmon veniſti pauperculam hanc vexare? Vbi nunc ſuperbia tua, quum de cælo decidiſti? non te pudet depugnare cum muliercula? Age dimitte illam, dominus Ieſus te præcipitem agit. Signaculo ſuo inſignita eſt. Videres inter hæc verba illam contumaciam, atque oris diſtorti prauitatem explanari, illum tremorem, palloremque in naturalem verti faciem. Admirantibus omnibus & omnipotenti Deo gloriam reddentibus liberata eſt. Spiritus vero, cogitationumque diſcretio vbi nam maior apparuit? Decreuerat monaſterium monialiũ reformare, quod vt facilius aſſequeretur, aſſignare volebat illis in confeſſorem virum fidelem & ſanctum. Is autem vt erat bonus & ſimplex recuſabat, timens cũ mulieribus implicari. Poſtquam negauit, tactus penitentia eſt, deliberat redire. Hunc autem quũ Laurentius procul venientem conſpexiſſet, priuſquam verbum presbyter ille faceret, aut diceret ad quid veniret, dextra cingulum tenens, bene facis, inquit frater: noui ad quid venias. Velim autem ſcias, velut cingulum iſtud (manu ſiquidem ſingulum ſuũ tenebat) ſic a Deo te nulli eſſe permiſſum. Admirans ille, & magis corde compunctus, accipe pro ſeruulo me, inquit, nunquam mandata tua relinquam. De plebano non tacebo adulterio, ſimonia, furto, & omnibus probris infami, qui ad vltimam inopiam redactus, vt omnino neque ſe, nec filios poſſet alere (quos occultos alebat) impias ſibi ipſi manus afferre ſtatuerat. Hoc quum cognouiſſet in ſpiritu Laurentius, accerſit illum, dicit quid cognouerit. Solatur eum verbis charitate plenis. Tũ declarat, accidiſſe hoc permittente domino propter eius flagitia, & niſi reſipiſcat, maiora minitatur: mi ſereri tamen illius inopiæ. Dat illi deinde aliquot aureos. Quum eximiam charitatem miſer ille vidiſſet, quippe qui vitæ male actæ conſcius pœnas potius aliquas quam eleemoſynam expectaret, procidit ad pedes illius, & totus liquefactus in lachrymas non poterat diuelli, promittens, & iureiurando conteſtans vitam reformare, & comprobare quidem opere, quod promiſit. Vixit autem poſtea aliquot annos timens dominum, & in mandatis illius incedens magna cum admiratione hominum, qui eum ante cognouerant. Statueram, optimi patres, delibare potius miracula, quam narrare. Maiores etenim & angelicam in terris conuerſationem deſcribendam præcipue ſuſceperam: ſed veluti incurrens in hæc, ſilere non potui.

Digitized by Google

potui. Poſtea vero quam ſic neceſſe fuit, non omittam hoc, quod eſt genere præclarum, & magnitudine rarum, & fama notiſſimum. Sacra quædam virgo erat magnæ ſãctitatis, hæc per multos anno abſtinentia, vigiliis orationibus ſteterat ante dominum. Accidit autem, vt ſolennitate Corporis Chriſti neque ſorores aliæ, neque ipſa cõmunicare diuinis myſteriis poſsent, & quum ægrę ferrẽt, & illa in primis ſanctiſſima mulier, oratum Laurentium mittunt, quia prope eſset monaſterium, vt ſi gratiam communicandi eo die habere non poſſent, ipſe ſaltem dignaretur, dum celebraret, pro ancillis ſuis orare. Promittit Laurentius. Quum autem celebraret, ad populum poſt eleuatum ſacramentum factus extra ſe ipſum eſt, detulitque eum ſpiritus ad illam mulierem in cella clauſam & contemplationi vacantem, quæ fortè tunc miro quodam deſiderio communicandi teneretur, & ſacra illi myſteria communicauit, ſiue in corpore, ſeu extra corpus, Deus ſcit. Ab oculis quidem totius populi non diſceſſit, donec ad ſeipſum reuerſus ab illo pietatis officio reliquũ miſſæ peregit. Quum autem virgo illa quod acciderat, ſacerdoti nunciaſſet, ſacerdos patriarchæ, iuſſit ille, vt gratias omnipotenti Deo agerent, non ſibi, & vt nunquam donec viueret manifeſtarent. Hæc ego, patres, & huiuſmodi alia multa à Laurẽtio fieri optimum Deũ crediderim voluiſſe, ſiue vt ſuam bonitatem atque potentiã nec temporum edacitate conſumi, nec immutari malignitate morum, nec fidei noſtræ tepiditate imminui crederemus, ſiue vt ea etiam, quæ ſacris literarum monumentis edita ſunt, & alioquin videri ſolent impoſſibilia facilius crederentur à nobis. Quippe cum legerimus D. Ambroſium cũ eſſet Mediolani D. Martini exequiis interfuiſſe apud vltimas Gallias. D. Seuerinum item Rauennatem epiſcopum ad S. Geminiani exequias Mutinam in ſpiritu conceſſiſſe. Increbreſcere tanti viri fama quotidie & latius atque latius diffundi cœpit. Habere eum ſæpius apud ſe Eugenius pontifex voluit, ſemper excuſauit, metuens nequid ei noceret curia Romana. Cum autem Eugenius vrbe pulſus Bononiam veniſſet, efflagitatus ab eo refragari nõ potuit, quod amplius neque alpes neque itineris longitudinẽ, ſicut antea fecerat, cauſari poſſet. Exceptus eſt a ſummo pontifice frequentibus Cardinalibus his verbis: Salue decus & gloria præſulum. Ab vniuerſa autem curia maxima veneratione habitus. Voluit eum Eugenius apud ſe retinere, ſed imbecillitatem corporis excuſans, paucos ibi moratus dies rediit inde lætior, quam ierat. Reliquit ibi maximum odorẽ ſanctitatis. Pari amore ſeu maiore etiam Nicolaus quintus, pontifex nobiliſſimus eum dilexit vt in illo ornando certauerit cum Eugenio. Nam ſicut ille epiſcopum, cum primum potuit fecit, ita hic patriarcham, cum primum oblata occaſio eſt, creauit. Gradenſi ſiquidem patriarcha mortuo, patriarchatum à Grado nobili quondam vrbe tranſtulit Venetias, idque nec cognita nec poſtulata ſenatus noſtri voluntate, quippe qui non minus hominem quam ciuitatem eo facto exornare cuperet. Allata res haud ſatis ſenatui placebat, verenti, ne ſpiritualis & eccleſiaſtica dignitas aucta opibus & autoritate, veteres, quas cum ſuperioribus epiſcopis diſcordias habuerant, renouaret: beatiſſimi tamen patris manſuetudo diremit facile dubitationem. Adiit enim continuo Ducem & collegium; ſeſe dixit abhinc duodeuiginti annos inuitum epiſcopum factum, & à quiete ſua in hos turbines ſeculares iniectum: deſiderare nunc quietem, & minui magis pondus præſulatus, quam augeri, ſibi eſſe in animo hoc oneris, quibuſcunque poſſet modis deprecari, niſi ipſe Dux, ad quem ciuitatis ſuæ dignitas pertineret, forte ſentiret aliud, pro cuius honore, quoniam ita de ſe merita ciuitas eſſet, nullum laborem recuſare deberet. Excitauit omnium lachrymas ſanctiſſimi patris mixta charitati humilitas. Dux, qui rem hanc ægerrime ante tulerat, & ab Eugenio tentatam ſemper impugnauerat, ſtatim ex ſua totiuſque collegii ſententia enixe eum rogare cœpit, vt libenti animo id muneris ſuſciperet. Sic quod inuidioſum fuerat in dignitate, ex manſuetiſſimis ſancti viri moribus gratiſſimum factum eſt.

De dictis ab eo memoratu dignis, & ſumma nominis eius celebritate. Cap. IX.

SEd quia mores & actiones illius hactenus proſecuti ſumus, ſubiiciemus etiã de dictis aliqua memoratu digna, quantum meminiſſe ex domeſtica conſuetudine potuimus. Dicebat, ſerui Dei non eſſe à magnis peccatis cauere, id enim eſſe ſecularis hominis, ſed parua vitare, ne charitas refrigeſceret. Non ſimul ac corpus extenuatum fuerit, de abſtinentia remittendum, propterea enim abſtinendum. Tribus monacho opus eſſe: deſiderio, moderatione, & gratia. Nam vbi horum aliquod deſit, ibi perſeuerantiam eſſe non poſſe. Humilitatem eſſe torrenti ſimilem, qui æſtate tenuior quaſi ſerperet, hyeme vero atque vere inundaret: ſic humilitas in proſperis quidem exigua, in aduerſis magnanima eſſe debet. Minime ſibi placebant in monaſteriis ampla ædificia, & cum videret latiora cœnacula, cellasve ampliores, caput quaſſans dicebat: Non ſic patres noſtri, non ſic. Dormitorium ipſe fecit apud Leonicum ex ſepe & creta, cum tamen latericium facere facile poſſet propter monaſterii facultates. Dicebat enim, nullam rem monachum aſpicere debere in hoc ſeculo, quæ deſiderium illius teneret. Maxime penſitanda eſſe eorum propoſita, qui ſe conferrent ad religionem, ne dum ineptus ſuſcipitur, aptus ab eo corrumpatur. Dicebatque cum augeretur nimium numerus, rigiditatem vitæ atque monaſticum vigorem diutius non poſſe conſiſtere. Raram ſi quidem eſſe perfectionem. Memini adoleſcentem nobilem ad monaſterium confugiſſe, quem cum intellexiſſet fratrum nimiis ſuaſionibus pellectum, & patri flagitãti reddidit, dicens: Accipe filium tuum, religionis propoſitum à ſancto ſpiritu eſt, non ab humana ſua dela, & eſt longe deterius, ab religionis vita deficere, quàm eam nunquam ſuſcepiſſe. Ex quo die factus eſt ſacerdos, quotidie miſſam celebrauit, niſi valetudine impediretur. Dicebatque, qui cum poſſet domino ſuo frui, non frueretur, facile ſe declarare, domini ſui curam non habere. Pudicitiam cum carnalibus blandimẽtus nihil aliud eſſe, quàm ignẽ

extinguere velle,& lignaliſperiniicere. Paupertatis donum quantum eſſet,neminem noſſe,niſi qui ſe ſecreto cubiculo & contemplatione delectaretur. Conſultò Deum gratiam religionis hominibus occultaſſe, nam ſi cognoſceretur illius felicitas, omnes ad eam concurrerent. Neminem bene ſcire,quid eſſet humilitas, niſi qui à Deo accepiſſet vt eſſet humilis. In nullo enim tam falli homines, quam in vera humilitate conoſcenda. Verã ſcientiam eſſe,ſcire hæc duo: Deum eſſe omnia, & ſe nihil. Sæpe monebat nunquam amittendam de Deo fiduciam illam eſſe, in qua animæ vita conſiſteret. Diuitem dicebat nõ poſſe ſaluari, niſi per eleemoſynam. Tanto facilius eſſe munus impera toris aut ducis quam epiſcopi: quanto difficilius eſſet,quæ non videes regere,quàm quæ videas. In ter labores publicos bellorum,quæ eius ætate plurima fuere, dicebat Senatoribus noſtris: Si vultis dominũ veſtri miſereri,nihil vox ex vobis aut eſſe aut poſſe iudicetis. Bonum principẽ aſſimilabat capiti, quia ſicut caput & lingua implorat auxilium pro reliquo corpore ſe non mouente: ita principis oratio poteſt placare dominum,quamuis populus alius intendat. Vitanda monebat, quæ multis obſtaculis impedirentur,quia opera ſpiritus ſancti facilia eſſent & æquabilia:diaboli vero aſpera & plena ſentibus. Et cum de rectoribus ciuitatum ſecularibus loqueretur, quaſi illorum laboribus condolens,non ſine clementia Dei fieri putabat, vt virtutis comes eſſet gloria, & quaſi laborum curarumque delinimentum aliquod: tantiſper autem gloriæ cupiditati ignoſcendum, dum virtutem velut ancillam ſequeretur,non autem quaſi domina præcederet. Innumerabilia alia ſapienter & dixit & ſenſit,quæ quidem referre infinitum eſt. Cæterum iam plenus erat dierum, nomenque illius & fama latius quotidie fundebatur. Nemo veniebat ad hanc vrbem,qui nõ vel in primis ſpectaculis appeteret hunc patrem videre. Taceo vulgus & turbam ſine nomine, qui quacunque incederet, ad eum viſcendum veluti ad angelum de cælo demiſſum per vias & compita concurrebant. Cardinales omnes,duces,& principes domi eum viſere, vitam inueſtigare, thalamum,cubile,cœnaculum, omnia luſtrare oculis,& venerari. Franciſcus Sfortia Mediolani dux,& Blanca vxor Galeatium maiorem natu, & magnæ ſpei filium adhuc impubẽ Venetias cum miſiſſent,illud in primis mandauere,vt puerum ad ſanctum virum deducerẽt,vt imponeret illi manum,& eius orationibus commendarent. Bartholomæus Collionus clariſſimus hac ætate dux magnam ad eum vim auri detulit, quã in pauperes diſpertiret. Quod fuit & in militari viro propter deuotionem, & in patre noſtro propter opinionem rarum & ſingulare. Iam aduenæ & peregrini omnis ordinis & generis, Pannones, Germani, Galli, Hiſpani,vel qui Romã ad limina Apoſtolorum, vel qui in Orientem ad Dominicum ſepulchrũ pergerent, tum felices auras ſperabant, ſi benedictione huius patris accepta diſcederent. In maximis vero patriæ periculis Dux noſter atq; Senatus non aliter ad illius orationem confugere, quàm ad oraculum quoddam. Quantum autem illius oratio proficeret, vnum aliquid prius, quàm partem hãc claudam, in teſtimonium referemus. Eſt prope Corcyram locus aſper & incultus, vbi vir habitauerat Eremita triginta & amplius annos, vitæ abſtinentia & orationibus, & quod primum ferebatur,prophetiæ ſpiritu inſignis. Gerebat forte Corcyræ negocium vir quidam de noſtris tam genere quam moribus præſtans,qui cum arderet bellum quod cum Philippo Mediolanidu ce gerebamus,& afflictiores viderentur eſſe res noſtræ,adiit virum Dei, rogat eum, nunquid Veneta reſpublica,vt ferebatur,deplorata eſſet. Ad quem Eremita:Commotus eſt,inquit,furor domini con tra vos, quia verbum Domini proieciſtis, & niſi pontificis veſtri lachrymæ interpellarent pro vobis,iam dudum quaſi Sodoma periiſſetis. Tale de Laurentio teſtimonium retulit Eremita in mediis Corcyræ rupibus & ſpeluncis. Cui non ſolum Laurentius, ſed omnes ferè mortales incogniti erant & inauditi. Porrò charitas illa,qua ſuas oues proſequebatur,vix animo concipi poſſet, nedum verbis explicari. Totus illi pontificatus intergrauiſſimorum temporum maximorumque bellorum turbines conſumptus eſt. Non erat contentus propria oratione,animabat hortando,monendo, obſecrando, iubendo, vt profecto tanto charitatis & ardoris vel minima pars vim cœlo inferre potuerit. Et hoc(ſi mihi liceat)proculdubio dixerim fuiſſe Quirinæ matris præſagium.quod filio naſcenti precata eſt, iis præcipue temporibus, quibus ter,quaterve in præcipitũ fuit Venetum imperium.

De vltima ipſius valetudine, & quæ in ipſa dixit,aut fecit. Cap. X.

AGebat annum quartum ſupra ſeptuageſimum, corpore quidem imbecillo & tenui, ſenſibus autem integris & ſine vllo vitio valetudinis, niſi quod ingrauiſcens ætas additis inediæ, vigiliæ, algoriſque ab ipſa adoleſcentia ſuſceptis incommodis, totũ corpus pariter attriuerat. Nos autem de eius vita plus quàm de noſtra ſoliciti hortabamur, vt audiendi onera deponeret,quibus ille; Vultis ne locum, qui mihi commiſſus eſt,deſeram? Nam quod ad ieiunia, vigilia, & caſtigationem carnis attineret ſeneſcere corpus,ſpiritus iuueneſcere videbatur, & aut D.Paulum referebat, qui nonagenarius veſcebatur palmulis, aut D. Hilarionem, qui centenarius farinula, aut alium de patribus antiquis. Vt autem nihil ad cumulatam gloriam deeſſet, perſeuerauit ſcribere vſque ad eam diem. Forte tunc librum De gradibus perfectionis abſoluit. Dum autem poſt cibum mecum de more ambularet, quam libenter abirem, inquit, ſi domino placeret. Neque enim melior ſum, quàm patres mei: ſed tu bone Ieſu obſequi non debes voluntati meæ,ſed vtilitati populi tui. Voluit autẽ dominus preces eius audire. Fabri poſt paucos dies acerrima corripitur. Lectum paramus,ille commotior & indignanti ſimilis,mihine plumã para tis? Qui mollibus ſternuntur, in domibus regum ſunt,nõ in pluma dominus meus, ſed induriſſimo ligno cubucauit. An non meminiſtis, quid beatus Martinus in re ſimili reſponderit? non decere Chriſtianum hominem mori niſi in cinere & cilicio?

Nihil

Nihil igitur tunc profecimus, victique ad eius matrem detulimus inter brachia. Cum autem neque medicis neque pecuniæ parceretur, & miniſtrantium circa ſe ſtudium videret, compũgebatur animo. En quanta, dicebat, ob huius ſacci vilis ſanitatem parantur, quanta perduntur, cum interea pauperes Chriſti non panem, non ſtratum, non ignem habeant vbi calefiant. Intellexit autem vir ſanctus migrationis diẽ aduenisse. Hactenus filij per iocũ res acta eſt, ſerio nunc agitur. Prope eſt ſponſus, eũdum illi obuiam, & ſublatis oculis in cœlum, venio (inquit) ad te bone Ieſu. Obſeruatum eſt antẽ ab iis qui miniſtrabant ei, quod aliquando plenus animi ardore quodam ſpiritus in cœlum ferri geſtiebat: interdum verò in profundum ſeſe humilitatis abiiciens, pertimeſcere videbatur diuinum iudicium. Nam dum ego ad eum non ſine lachrymis dicerem, quam læto animo migrare debes ò pater, cui palma cœlorum parata eſt. Decerni, inquit, fili fortibus ſolet hæc palma, non ignauis, meique ſimilibus. Hæc humilitatis, illa vero quam ꝑ lena fiduciæ? Nam cum nos lachrymari videret, abite, ait hinc cũ veſtris lachrymis, tempus lætitiæ eſt, non lachrymarum: ſic in fiducia Macarium, in timore Arſenium referens, inter vtrumque medius incedens, vt cum fiducia metueret, nec ſine timore confideret. In campum igitur eum morte deicẽſurus armari ſacramentis eccleſiæ, & ad ſacellum inter manus deferri poſtulauit. Et cum è ſtrato ſublevatus innixus humero meo labentia membra regere non poſſet, paulum reſedit. Effundebat totus in lacrymas. Quod ille animaduertens, quid ploras inquit, Bernarde fili? da mihi dexteram, quã quum ambabus ſuis tenuiſſet, confide, inquit, & bono animo eſto, nunquam enim te deſeram. O vocem dulcem pariter & acerbam. Neſcio quomodo nõ eliguit cor meum, niſi quod temperata fuit tam certa ꝓmiſſione mœſtitia. Certe illius diei, illius loci, patres clariſſimi, debeo nimis crebro meminiſſe. Legatum quod à dulciſſimo patre mihi relictum eſt, omni fide & ſpe veluti brachiis amplexabor, quaſi obſignatum ab angelis, ſubſcriptum à beatis ſpiritibus, quorum glorioſam & innumerabilem multitudinem ad ſuſcipiendam fidelis conſerui animam cubiculum illud cõpleuiſſe non dubito. Quam verò ſupellectilem creditis fuiſſe, compertam in his ædibus? Putatisne aurũ aliquod aut argentum? Illud admirabilius, quòd nullum omnino librum poſſederit. cum quotidie legeret aut ſcriberet, librum tamen vllum poſſidere noluit. Teſtamentum omne quod fecit, efferri ſeſe iuſſit nulla pompa ad monaſterium ſuum, quod abeſt duo millia paſſuum extra ciuitatem, ibique in ſepulchris fratrum reponi. Neque ſemel præcepiſſe contentus, quaſi diuinaret, quid contentionis de illius ſepultura eſſet futurum, vocari nos iterum iubet. Scitis, inquit, quæ de ſepultura mandaui? facite quod iubeo, nolite pompam parare. Neque enim is ſum quem forte exiſtimatis. D. D. Antonium imitatus & Hilarionem, qui in locis obſcuris ſepeliri voluerunt, ne colerentur a vicinis.

De oratione, quam habuit, antequam migraret è uita: & de duobus miraculis.

Cap. XI.

SVſcepta vero paulo ante diem ſacri olei vnctione, ſermonem habuit de mortis vtilitate ac de cœleſti vita miro quodã ſenſu ac grauitate verborum. Nam vt erat ſupinus, aliquandiu tenuit in cęlum oculos. Tum denuo ſemiclauſis in hanc ſententiam fari cœpit (verba etiam quantum potuimus tenere, ſubiicientur) Videtis o filij horam meam aduenisse, benedictus Deus, qui eam tandem aduenire voluit, cum nulla ſit alia via, quæ ducat in cęlum. Ille enim venit nobis via, veritas, & vita, vt electis de paradiſo miſeris exulibus viam ſignaret in patriam redeundi. Si enim in hac vita tantum ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. Sed abſit à nobis tam ſtulta cogitatio. Quid enim vita hæc, niſi lanugo quædam (vt ille inquit) & veluti memoria hoſpitis vnius diei prætereuntis? Chriſtus pro nobis mortuus eſt primitiæ dormientium. Pudeat nos mortem timere, cum dominus noſter propter nos mori voluerit. Hunc diem ſemper ante oculos habui. Tu ſcis domine, quanquam dum vitam meam conſidero, confuſio ſit mihi potius appellanda, quam vita. Sed in ſpiritu humilitatis ſuſcipe me bone Ieſus, vita & ſalus animæ meæ: Dan. 9
Neque enim in iuſtificationibus meis proſterno preces meas ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis. Illa ego ouis amiſſa ad te paſtorem redeo. Vocem tuam noui, non alienorum: peto domine vt ad ouile me reducas. Poteſne ſpernere vocem clamantis & confugientis ad te? Nonne tu es ille qui dixiſti: Clamabit ad me, & ego exaudiã Pſ. 90.
eum, cum ipſo ſum in tribulatione? Ecce clamo plus corde, quam ore domine, ecce tribulatio proxima eſt, & non eſt qui eripiat, niſi tu bone Ieſu: ſed neque fęlicium ſpirituum ſedes affectare auPſ. 21.
ſim, qui ſpeciem intuentur ſanctiſſimæ trinitatis. Portio tamen aliqua creaturæ tuæ poſtulat micas ſuauiſſimæ menſę tuæ. Nimium mihi fuerit, & heu quam nimium, ſi ſubtus calceos infimi electi tui loculum aliquem huic puſillo tuo ſeruulo nõ negaueris. Conuerſus deinde paululum ad aſtantes: Vos interea fratres ſeruate domini præcepta. Om- Eſa. 40.
nis enim caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni. Contemplamini me. Ecce aruit fœnum, & flos eius cecidit. Horum hanc quis poterit euadere? Sed mihi credite filij, nihil eſt præſtantius, quam ſeruire domino. Hæc cum dixiſſet, ſublato paulisper brachio, quod denudatum tenebat, caligantibus oculis vt Iſaac illum antiquum videre te diceres, aſtantibus crucis ſigno, benedicat, inquit, vobis dominus Ieſus fratres, & viſcera mea, & benedicat filiis meis qui abſunt, quos in domino parturij: det vobis cor, vt colatis eum, aperiat animum in lege ſua, neque vos deſerat in tempore malo: benedicat principi noſtro, & vniuerſo ſenatui, vt ſortem commiſſæ ſibi principatus ad ho 2. Ma. 1
norem Dei & commune omnium ordinum bonum ſibi traditam recordentur. Benedicat denique populo meo, cuius amorem, pacem, concor-

diam

Digitized by Google

dium dominus in dies magis atque magis conſeruare & augere dignetur. Dilucêſcere cœperat, & iam antea percrebuerat viuere diutius eum non poſſe, Mota igitur vniuerſa ciuitas eſt. Canonici quidem primo diluculo ſunt ingreſſi, quos dulciſſime recognoſcens, ab his veniam petebat, ſi muneri ſuo non ſatisfeciſſet. Diuinum honorem commendabat & eccleſiæ cultum, tum vt mutuam inter ſe charitatem ſeruarent. Poſtremo rogabat, vt in diuinis officiis ſui meminiſſent. Quid ibi tunc lachrymarum, bone Deus! Quid clamorum edebatur! illum patrem, illum dominum, præceptorē, ducem. Paulo pòſt Procuratores ſancti Marci ingreſſi ſunt, & alij principes ciuitatis, ſacerdotes & religioſi viri. Nullus denique ciuitatis ordo arceri foribus potuit. Loquebatur vnicuique aliquid ad ſalutem. Procuratoribus & principibus pauperes & iuſtitiam, ſacerdotibus honorem Dei, negociatoribus charitatem, aduocatis pauperum cauſas, ſingulis denique officiorum ſuorum munera commendabat, vt admirabile fuerit artus illos penè exanimes intento ſemper ſpiritu laborem loquendi benedicendique per totum biduum (tantum enim ſuperuixit) perferre potuiſſe. Nuſquam magis emicuit illa puritas & altitudo animi. Neminē reſpuit omnes pari fronte ſuſcepit, vt neque pauperis, neque diuitis, neque ſecularis vlla apud eum videretur eſſe diſtinctio. Plura interea tum prædixit, tum fecit digna memoratu, quorum duo tantum ſubijciemus, vt appareat omnem huius ſanctiſſimæ vitæ partem ſignis atque portentis ſicut cæteris claruiſſe virtutibus. Erat ei chariſſimus in Chriſto filius Marcellus nomine, clarus genere, ſed vita clarior, vir bonus & iuſtus. Laurentium autem ſic diligebat, vt palàm diceret, ſiquid de eo accideret, ſe nullo modo ſuperuicturum. Cum audiſſet igitur de illius valetudine, continuo accurrit, introducitur ad eum, cui ad eius oſculum inclinato Laurentius ſubmiſſa voce, Marcelle, inquit, quid de diſceſſu meo cruciaris? ego quidem præcedo, ſed tu me propediem ſequeris. Sic domino placitum eſt, vt hoc paſcate nos iterum mutuo amplexemur. Lætior ille huiuſmodi verbo quàm triſtior, initio Quadrageſimæ acri valetudine corripitur, & in paſchate (vt prædixerat) ad ſepulturam elatus eſt. Dilectiſſimo autem filio Hieronymo, grauiter laborāti ſalutem & prædixit & reddidit, Nam cum deſtitutus à medicis pro mortuo haberetur, mater autem & ſorores nihil iam ſpei niſi in patris huius orationibus haberent, miſit ad eas ſanctus hic pater, qui diceret, bono animo eſſent, neque enim illa ægritudine moriturum. Quod ſicut dixit, ita factum eſt. Paulo enim poſt reliquit eū febris, & priſtinę valetudini reſtituitur.

Deuota ſpiritus emiſſio, & inhumati corporis diuturna permanſio. Cap. XII.

Sed iam diſſoluebantur ſanctiſſima illa vincula carnis & ſpiritus, & quæ indiſſolubili pace per tot annos atque concordia vixerant, iubente Deo illa terræ, ſpiritus cælo reddendus erat. Claudere paulatim cœpit oculos, facie quadam hilariori, & membra omnia explicare, quaſi de labore ad requiem tranſiturus. Quas ibi cateruas angelorum aduenisse vidiſſemus, ſi corporeis oculis potuiſſet videri illa ſocietas? Tali igitur comitatu inter eorum cæleſtes voces, & cantus feliciſſimus ille ſpiritus velut igniculus in cœlum emicuit. Hic finis ſanctiſſimi patris vere felix, vere beatus. O ſi mihi nunc liceat laxare habenas lachrymis, & liberius lamentari. Vim facio mihi patres. Erumpunt lachrymæ, nec cohibere me poſſum: ſed non eſt huius loci, ſecretum cubiculum aptius eſt, ibi promiſſa tua, optime pater, quū neceſſe fuerit, repetam: ibi dexteram tuā teſtabor, præſertim quum ſæpe aliàs in maximis periculis inuocatus me miris modis adiuueris. Orta altera luce effuſa incredibili concurſu tota ciuitas eſt, vi pene fores effractæ, vt in eccleſiam ſubito deferri neceſſe fuerit ad oculos populi depaſcendos. Tanta autē continuo circumſtetit feretrum multitudo, vt a gradibus chori vbi poſitus fuerat, raptus deinde ſit non hominum manibus, ſed ſola ſeſe comprimentiſ atque impellentium turba vſq; ad valuas eccleſiæ. Diceſſæ veſtes ſublati calcei, omnia ad venerationem direpta. Cæterum vt primitiæ aliquæ ſanctificationis & publicum iam apparere teſtimoniū inciperet, ſcholæ illæ quatuor celeberrimæ (ſic enim eas appellamus) non quaſi ad mortuum, ſed ad viuentem & ſanctum, & viris frequentiſſimæ & ornatu ac pompa, non quidem lugubri aut funebri, vt ſolent in mortuorum elationibus, ſed vt in proceſſionibus ac ſupplicationibus, quum gratię publicæ Deo redduntur: ſic nullo publice aut priuatim iubente ſuadenteve, ſed ipſe per ſeſe, ſic inſtructæ auratis cereis & omni honoris ac lætitiæ ſignificatione accurrere. Quale illud etiam teſtimonium, quod bini ex veſtris fratribus quum ad illud officium, vt cæteri, adijſſent, audire ſibi viſi ſunt ſuauiſſimos quoſdam cantus & inauditas modulationes. Redeuntibus autem ad monaſterium, & illius non ceſſantibus, tum alter ad alterum, Audiſne frater has melodias? Quid ni audiam? inquit alter, angelicus, plane mihi videtur iſte concentus, nō humanus. Idem affirmare alius cœpit. Vtriuſque igitur admirantibus nunquam illi cantus, quoadusque ad monaſterium peruenerunt, conticuere. Expletis officijs quum offerendi tempus aduenisset, ecce quo pacto præcipuo quodam Dei iudicio, tunc quidem occulto, ſed paulo poſt aperiendo omnibus, lis oriri cœpta inter patriarchales canonicos & fratres ſancti Georgij. Hi quum ex præcepto patris noſtri repeterent, quod mandauerat de loco ſepulturæ, illi ſacros canones afferrent, vt prælati in proprijs eccleſijs ſepelirentur, neque ſemper defunctorum ordinationibus parendum ex Marcellini pontificis exemplo, qui quamquam corpus ſuum inhumatum ſub anathemate permanere iuſsiſſet, viſum eſſet tamen ſanctis patribus non tam hominis, quam pontificis habere rationē. Interim autem ſacrum illud corpus in eccleſiæ ſacrario reponitur, quaſi litis euentum expectaturū. Accidit autem res omnibus retro ſecularis admirabilis, ac ſemper memoranda per æuum Nam ibi corpus illud dū reponitur, altero ac tertio die nec corruptionis aliquid nec fœtoris apparet: itemque & quinto & ſexto, nihilominus integrum perſeuerat. Tantæ rei miraculo excitata accurit vniuerſa ciuitas, vident & exquirunt diligentius, nunquid ſit

delibutum vnguentis,omnia membra contrectãt, nihil pigmenti aut artis, nihil rigoris in membris, fœtoris longe minus, quin potius odorem ſuauiſſimum membra illa ſpirare videbantur. Additur miraculum miraculo. Nam poſt biduum rubeſcere genæ, & viuus per membra ſanguis conſpici cœpit. Et iam capere non poterat ſacrarium illud concurrentem turbam & ſeſe inuicem comprimẽtem, vt octauo tandem die neceſſe fuerit in eccleſiam publice deferri ad oculos populi exatiandos. Tum verò & admiratio, & ſtupor, & clamores. Igitur qui litigant, & hi inſtantius poſtulant, & hi cuſtodiunt diligẽtius. Reponitur iterũ in ſacrariũ, vbi per dies quadraginta perſeuerauit incorruptus & integer. Omnibus illis diebus nunquam non viſitatus eſt, nunquam ſacrarium illud non apertum omnibus fuit videre & venerari volentibus, donec ſeptimo ſupra ſexageſimum die, quum alioquin ſatis commode ſeruari poſſe non videretur, ſepulturæ traditus eſt officiis & honoribus, non quibus cæteri ſolent, de quorum virtute & meritis ambigatur, ſed quaſi ſancti cuiuſdam reliquiæ, ſic cum omni honore collocata: decimo ſexto, videlicet, calendas Aprilis, quum ſexto idus Ianuarias migraſſet ad Dominum. Multi non ſolum ex Italia, ſed Illyrico etiam atque Epiro ad id oſtentum domo profecti. Medici omnes, & præſertim Gerardus Veroncuſis, medicus ætate noſtra omnium nobiliſſimus qui eum in hac ægritudine viſitauit, natura nulla vi fieri poſſe teſtati ſunt, præſertim cum putrida febri laboraſſet. Diffuſus enim per venas putridus & corruptus humor eum corruperit, neceſſe erat reliquum corpus corrumpi vt impoſſibile penitus, exuerit, abſente calore naturali vel parum aliquid temporis integrum incorruptumque manere. Quantum igitur quàmque admirabile ſpectaculum fuerit, aliorum ſit iudicium. Nam ſi beatiſſimo Bernardo honori datum eſt (vt dãdum erat quod corpus eius triduo in humatum ſubſtiterit, quid Laurentio noſtro tribuendum, qui tot pene menſes integer & incorruptus euaſit? Mota ciuitas tantæ rei miraculo dare operam voluit, ne eiuſmodi ornamento vel primi, ſcilicet, vel ſanctiſſimi patriarchæ reliquiis, patriarchalis eccleſia ſpoliaretur. Hoc facto relatum in memoriam illud beatiſſimi Martini Turonenſis epiſcopi, qui quum apud Cõdatẽſem Pictauorum vrbem diem obiiſſet, & Pictaui, apud quos obiiſet, retinere vellent, Turonenſes autem repeterent proprium antiſtitẽ, tamdiu in contentione res illa verſata eſt, donec à Turonenſibus furto ſublatus propriçeeccleſiæ reſtitueretur. Quæ autem miracula deinceps acciderint, quæque accidant quotidie ad ſepulchrum illud diuinam opem poſcentibus, ea non aggredi ſatius exiſtimaui: quippe quæ innumerabilia ſunt. Inquirentur fortaſſis aliquando diligentius ab iis, quorum ſicut autoritas maior eſt, & officium ſolennius, ita uix crediderim fieri poſſe, ut tanti luminis ſplendorẽ Deus iacere diutius in tenebris patiatur.

Beati Laurentij Iuſtiniani, vita, finis.

EPISTOLARVM LIBER.

EVGENIVS PAPA QVARTVS LAVRENTIO IVSTINIANO.

DIlecte fili ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Quum primum audiuimus vacationem eccleſiæ Vicentinæ, ex obitu bonæ memoriæ P. epiſcopi Vicentini, perſpeximus aduenisse tempus, quo deſiderio cordis noſtri ſatisfieri poterit. Hodie ſiquidẽ venerabilem fratrem noſtrum. F. epiſcopum Caſtellanenſem a vinculo, quo eccleſiæ Caſtellanenſi tenebatur, abſoluimus, & ad pręfatam eccleſiam Vicentinam tranſtulimus. Te vero in epiſcopum & paſtorem præfatæ eccleſiæ Caſtellanenſis de cõſilio fratrum noſtrorum præfecimus. Hortamur itaq; veluti a Deo vocatus tanquã Aaron huic or- Heb, 5
dinationi, conſentire velis, ac pro honore Dei, ac animarum ſalute, & aïæ tuæ merito hoc onus aſſumere Nõ.n. ignoramus, quantũ verbo autoritate, & exemplo illi ciuitati valiturus ſis: & præſertim ſanctę congregationi tuæ, prout de hac re alias tibi particularius ſcribemus. Nos vero, q onera noſtra tecum libenter partiti ſumus, cũ opera & induſtria curabimus tibi fauori & auxilio eſſe. Propterea velutl obedientię filius, quod tibi Dei volũtate iniunctum eſt, parato aïo ſuſcipe. Nam (vt inquit B. Gregorius) ſicut non licet talia appetere, ita nec vocatũ ad ipſa pertinaciter recuſare. Ex his.n. conſequeris benedictionem a domino, & gratiã a Deo ſalutari Ps. 13
tuo. Dat. Romæ apud S. Petrum ſub anulo capitum principium Apoſtolorum, die xj. Maij, pontificatus noſtri anno tertio.

Laurentius Iuſtinianus ad Eugenium Papam quartum.

SAnctiſſime ac beatiſſime pater, ouium Chriſti Ieſu Domini noſtri vniuerſalis paſtor. Quanto mœrore ſit oppreſſum cor meum, quot ſingultus, quotve obortæ ſint lachrymæ, ex hoc quod vilitatem meam eccleſiæ Caſtellanenſi præficere intendunt ſanctitas veſtra, nouit ille teſtis & iudex, cui notiſſima abſque ambiguitate ſunt omnia. Ad quod quidẽ onus portandum, quum prorſus me ſciam impotentem & indignum, coram ſanctitatis veſtræ proſtratus pedibus tanq̃ filius (licet immeritus) a clementiſſimo patre poſtulo quatenus parumper cæteris a corde ſepolitis euris dignetur ſanctitas veſtra patienter audire, reuoluere animo, ſynceraque examinatione rationibus mei, quas ſub compendio dicturus ſum, accommodare cõſenſum: ſiqua erga viliſſimum filium ineſt paternalis affectio, ſiqua ad vlceroſum compaſſio, ſiqua erga oneribus conſcientiæ grauatum pia miſerandi intentio. Horrent namque omnia interiora animæ meæ, cum materiam hanc diſcutio, nec vllo modo patitur tanto ſe ingerere periculo, quum notiſſimum ſit me ſecundum interiorem hominem priuatum eſſe ſcientia, à virtutibus prælatis congruentibus

bus alienum, atque à tali experientia extraneum. Secundum verò exteriorem cõmuis pene languoribus laborantem, in ſeniumque vergentem. Quę vniuerſa paſtoribus eccleſiæ nullatenus congruũt: imo ſupra modum aduerſantur. Quanti autem põderis ſit regimen huius diœceſis, in qua plurimũ deordinatus eſt clerus, vitia innumerabilia adulta, crebertima ſucta, & quotidiana contradictio nobilium ac potentum, optime conſiderare valet ſanctitas veſtra. Hinc animus diffidit, aliquam vtilitatem poſſe perficere. Conſideratis etiã perſecutionibus, laboribus continuis, & modicis profectibus ſanctorum præſulum, qui in domino quieuerunt: quorũ vtinam dignus eſſem deoſculari veſtigia. Præterea quis non merito ſcandalizetur, cum viderit, ſeu audierit Laurentium poſt annos triginta in monaſterio ſub obedientia conuerſatum cum parcitate victus ac veſtitus ſedula ſemper intentione, hominum conſortia declinaſſe, nunc expoſitum eſſe turbis, audire cauſas ſecularium, cõuerſationem habere cum ipſis, quibus mea conuerſatio omnino nõ conuenit, & coloquia facere, quæ ſeruis Chriſti nõ competunt? His aliiſque rationibus vereor maius detrimentum debere inſurgere in ſubditos per promotionem hanc, quàm commodum. Poſtremo cum attendo diligẽter fratrum noſtrorum in me amorem, coniunctionem, & ſynceram charitatẽ, ipſoſque cordis tentationes ſuperaſſe, me præſtantiores eos eſſe conſpicio. Ideoque ſanctitas veſtra dignetur hoc opus iniungere alteri, qui magis quã vilitas mea dominico gregi prodeſſe valeat. Sunt enim in conſortio noſtro quam plurimi, quibus cum propter vitæ meritum, ac ſcientiæ ornamentum, tum propter abundantiam cœleſtis gratiæ iſtam conferre poterit dignitatem ſanctitas veſtra, quàm dominus ad ſui gloriam incolumen in vtroque homine cuſtodire dignetur, Amen. Datum Venetijs ex cęnobio ſancti Gregorij in Alga.

Eugenius papa quartus ad conſortium Canonicorum ſancti Georgij in Alga.

Dilecti filij ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Tum ex literis veſtris receptis, tũ ex ijs, quæ dilectus filius Georgius eremita nobis retulit, ĩtelleximus vos ſatis contriſtari, quòd dilectum filium Laurentium Iuſtinianum in paſtorem & patrem dederimus eccleſiæ Caſtellanenſi, quum tamen expectaremus, vt quemadmodum exhortati fuimus, congauderetis nobiſcum. Si conſideremus conſortij neceſſitudinem, communem perſeuerantiam in opus Dei, mœrori veſtro ſatis ignoſcimus. Si amorem proximi, rempublicam, & commune bonũ, ab his omnibus męror excluditur. Neque magnifacimus eius corporis conditionem ad paratos labores, quoniam non robuſto corpore, ſed forti & feruenti animo opus eſt. Aderunt multi præterea, qui communicatos labores libenter excipient, ipſique in omne officium & in omne tempus auxilio erunt, ita vt nonnunquam in contemplationis bonum ſe recipiat. Sæpe verò ad Moſi exemplum deſcendat ad caſtra, vt proximorum neceſſitati conſulat. Sic apoſtolos, ſic paſtores eccleſiæ, ſic dominum noſtrum Ieſum Chriſtum feciſſe legimus. Quis ex hac aſſumpta dignitate calumniam faciet, præſertim quum viderit Pontificem ſine auro, ſine diuitiis, ſine pompis, nihilque quod ſuum ſit quærere, ſed quod Ieſu Chriſti? Hoc iure non euacuabitur gloria in Chriſto ſed amplior reddetur. Huius rei plura ante oculos habetis exempla. Ex his non ambigimus, quin vberrimus fructus ſecuturus ſit. Multa ſiquidem commoda in conditione perſonæ ipſius, inter quæ fauor ſedis apoſtolicæ, impræſentiarum ſe offerunt, quæ non habuerunt ante prædeceſſores eius. Itaque ſiccate iam lacrymas, conſiderate quantum bonum ſit apud epiſcopum pro multis offerre ſe Deo, & date illi gloriam & honorem. Datum, &c.

Eugenius Papa quartus ad Laurentium Iuſtinianum.

Dilecte fili ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Receptis literis charitatis tuę & intellectis iis, quæ per dilectum filiũ Georgium eremitam nobis dici mandaſti, nihil noui de propoſito tuo ſuſcepimus. Arbitramur enim id præcipuum eſſe menti tuæ, vt ſoli ocio vacares. Sed quoniam te in meliorem ſortem dari poſſe conſpeximus, ex multorum conſilio eccleſiæ Caſtellanenſi te in patrem dedimus. Conſuluimus ſaluti patriæ, ex qua originem duximus: conſuluimus & tibi in maius meritum animæ tuæ. Quum igitur ad hoc amplius bonum à Deo vocatus ſis, non ſatis conſpicimus quomodo cum Deo diſſentire geſtias. Neque ad hoc ſatisfaciunt, quæ pro te inducis. Primum te nouimus, quantum ſecundum vtrunque hominem per annos triginta profeceris, & idcirco in hanc rempublicam paſtorem te induximus. Neque æſtimauimus, quòd in ſenium tendas, quoniam non corpore, ſed animo laborandum eſt. Sed & multos habebis, præſertim conſeruos tuos, qui in omni officio, fauori, & auxilio tibi erunt. Habebis & noſipſos, & apoſtolicam ſedem, quorum nihil aut parum habuerunt prædeceſſores tui. Simulque conſidera quòd non regnum ſuſcipis, ſed miniſterium Chriſti, non honorem, ſed onus: non diuitias, ſed diſpenſationem multiformis gratiæ Dei. Neque id exiſtimes, quod nonnulli (vt ſcribis) hoc fortaſſe refugerint, quoniam varia ſunt dona diſcipulorum Chriſti. Multos enim virgines dedit, multos in ſolitudinem contulit, te verò quum vtriuſque vitæ participem fecerit, iure ad hoc ſubeundum onus te aſtrictum eſſe intelligis. Ita enim pene omnium Caſtellanenſis eccleſiæ ſumma expectatio eſt, vt te in patrem ac paſtorem habeant. Qua de re vocationem tuam amodo cognoſce, nec velis ex humilitate bonum humilitatis, & obedientiæ perdere: quoniam ſicut non licet te hanc rem appetere, ita non licet pertinaciter recuſare. Et ſic te hortamur iterum, atque iniungimus Leua in circuitu oculos tuos, & vide. Omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi. Super te enim orietur dominus, & gloria eius in te videbitur, quoniam (vti indubie ſperamus) propitio Deo in hos veluti in terram bonam ſemina ſparges, & afferes fructum centuplum in patientia. Datum, &c.

D.Gregor. Iſa.60

Luc.8.

Laurentius Iuſtinianus egregio legum doctori Madio de Madys Veronenſi.
S. P. D.

EGregie & in Chriſto honorande maior Meminiſſe debet dilectio veſtra fere elapſo biēnio inſtanter vos flagitaſſe, vt paruitas mea, quicquam ſuper pſalmos qui pœnitentiales dicuntur, vellet ſcribere ad animæ veſtrę profectum. Cui tunc poſtulationi quid reſponderim, enarrare ſuperfluum arbitror. Fateor autem, quòd abinde citra ſemper reuerētiæ veſtræ debitorem me tenui, mecum ſępe conferens, quid agere debeam, vt charitati veſtræ ſatisfacerem. Nā ad ea, quæ popoſceratis, manum apponere minime audebam pluribus retractus rationibus. Tandem concluſi, vt opuſculum, quod diuina opitulā te gratia nuper edidi. De contemptu mundi, veſtrę deberem dirigere humanitati. Hoc per præſentem latorem mitto, ſupplicoque reuerentiæ veſtrę, quatenus opportunum dignetur captare tempus, & illud corrigere atque emendare, quicquid repererit emendatione dignum. Non enim magnum eſt, ſi corrigenda in illud exarata ſint, conſiderata vilitatis meæ imperitia. Nam correctioni veſtræ humiliter ſubiacebo. Non renuat ergo prudentia veſtra ob charitatis vinculum hoc onus aſſumere, ſepoſitis interdum aliquantiſper temporalium curis. Verum ſiquid competenter in ipſo inuenietis dictum, humanitas veſtra minus noſtri agnoſcat eſſe autoris, qui æque per imperitos ſicut per doctos vera fatur.

Reuerentiæ veſtræ ſeruus per Chriſtum
Laurentius ſe totum, qualis eſt.

Madius de Madÿs claro viro, & in primis reuerendo in Chriſto patri domino Laurentio Iuſtiniano.
S. P. D.

TIbi magnas & ingentes habeo gratias pro incredibili dono, quo proximis diebus me donare dignatus es. Ille verò cumulatiſſimas reddere dignetur: abſque cuius nutu nec folium arboris deſluit, nec vnus paſſer ad terram cadit, & qui retribuit ſecundum opera. Mihi credas Laurenti vir reuerende: Non ego modo, qui & mea & mei ipſum tibi debeo pro tuis immortali bus in me beneficiis, verum totus terrarum orbis. & Imprimis orthodoxa fides tuæ humanitati, charitati, induſtriæ, liberalitati induſſolubili deuinctus eſt vinculo. Eius excellentiam muneris ſi explicare voluero, potius me tempus quàm copia deſeret. Illud attingam, quod prætermittere nefas cenſeo. Si enim tota philoſophorum vita meditatio mortis eſt, vt doctiſſimi viri cenſuerūt, veram ſapientiæ ſummā in his tuis codicillis merito dixerim cōtineri. Qui illud Socraticum mortales docent, noſce teipſum, qui à corpore, id eſt peſtiferis carnis titillationibus, & nefandis voluptatis illecebris nos animum ſecernere monent, qui denique humanas animulas ad veram, infallibilemque ex his vinculis & hoc carcere liberationem inſtruunt. Et ita inſtruunt, vt dum in mundo diuerſamur, nō in mundo, ſed mūdi illi cęleſti vitæ ſimilem viuamus vitā. Et cū ad illam beatam, ęternāq; feremur, minus noſtrorum animorū curſus tardetur. Quid huic dignitati per Deum immortalem comparandum dixerim? Alij ſibi nō dico habeāt, ſed habeantur à ſtatuis, tabulis ictis, pateris, cęlato auro & argēto, quo donati ſunt, quo premantur, cuius cupiditate ardeant, & perdēdi metu crucientur: quo denique non ſibi, id eſt rationi cōſulant, non proximo ſuccurrant, ſed vel locum expleant, vel vētri forte inſeruiant, vt ſic illud vulgatiſſimum audire mereantur: Pecunia tua tecum ſit in perditionem. Nos verò ad ſalutem vera pergamus ſemita. Semita illa, inquā, quā tum ſacrę docent literæ, tū tui confirmant codicilli, Proinde magna te manet merces, & illa ineſtimabilis quidem. Eos propterea à nobis abdicemus, repudiemus, redargutionibus inſectemur, abominemur, q gloriā inanem nominis ſui quæſierūt, qui Hectorē pugnantē, aut Socratē philoſophantē ſcribēdo omnem cōſumpſerunt ętatem. Amen amē dico illis, mercedem ſuā receperunt. Quippe humanā vitā ex prǫſenti tantū iudicātes ſpes ſuas fabulis, animas ſepulchris dederunt. Tu aūt in Chriſto Ieſu nobis amandus, colēdus, & toto (ut aiunt) pectore amplectendus es, qui hiſce cōmentarijs, hiſce laboribus ſummis Chriſtiana quadā charitate nos pie, ſancte, religioſecq; viuere docuiſti. Perge igitur, vt cœpiſti, vir doctiſſime, & tuam, id eſt, cęleſtem in terris vitam viue. Pro his enim omnibus (vt ſuperiore loco dixi) parata eſt merces ampliſſima, quam totis ſemper quæſiſti viribus, id eſt, Chriſtus Ieſus.

Hieronymus Caballus Brixianus D. Philippo Stanchario. *S. P. D.*

BEatus Laurentius Patriarcha noſter, qui in omni morum ſanctitate, quandiu vixit, verſatus eſt, multa (vt ſcis volumina non minus eleganter, quàm ſapienter conſcripta moriens nobis reliquit: quæ cum omni ex parte res ſanctiſſimas, memoratuque dignas contineant, exiſtimauimus cum pro noſtra in eum deuotione. tum mirabili eius ſanctitate ac ſingulari doctrina nos operæpretium eſſe facturos, ſi curemus, vt ea, quæ hactenus in bibliothecis noſtris recondita pene latuerant, nunc tandem in lucem prodirent ac publicarentur, vt quæ perpauci antea noſſent, plerique nunc ſe tenere gauderent. Impreſſoribus igitur tradita ſunt, & propemodum omnia abſoluta. Sed cum in his nonnullæ exiſtant authoritates primo aſpectu quandam inter ſe repugnantiam prætendentes circa materiam conceptionis beatæ Virginis, te rogo obteſtorque, atque etiam (ſi tua, mi Philippe lepidiſſime, patitur, charitas) iubeo, & aſtringo, vt commemorata volumina eo, quo ſoles omnia, ſtudio inſpicias atque conſideres: & quid ſuper ijs, quæ ab eo de conceptione tractata ſunt, ſentias, nos per literas tuas edoceas, ne tanti autoritates viri aliorſum fortaſſe, accipiantur, quàm ab eo dictæ ſunt. Verum quod onus tibi imponimus, id nobis profectò, gratòque animo vendicaſſemus, niſi variæ, multiagæque occupationes, quibus noſtræ congregationis (vt noſti) vniuerſalis

ſalis ſeruitutis iugum ferentes impedimur(quod conſcientiæ ſemita rectitudine postponere nequimus,) ita nos circumuallaſſent, vt ad huiuſmodi ſpeculationis contemplationem nullus ſit nobis omnino locus relictus. Quare, Philippe mi ſuauiſſime, cum amore Domini noſtri Ieſu Chriſti, tũ cauſa noſtra, qui te ſemper magni fecimus, non grauaberis, quod à te petimus, ſumma diligentia, ſummoque ſtudio efficere. Neque enim quicquam nobis gratius facere poteris. Vale & me(vt facis) ama plurimum, teque à me vehementer amari tibi perſuade. Vale iterum. Datum Brixiæ ex diui Petri Oliueti clauſtro pridie nonas Octobres anno à natali Chriſtiano, M.D.V.

Philippi Stancharij de monticellis Brixiani ad reuerendum in Chriſto patrem Diuum Hieronymum Caballum congregationis ſancti Gregorij in Alga, Rectorem generalem riſponſiua epiſtola.

QVoniam, reuerende pater, illa tua ſolerti cura, qua in cunctis negocijs tuis vti ſoles, beati Laurentij Iuſtiniani patriarchæ noſtri codices ad Chriſti Ieſu gloriam & ſpiritualem eccleſiæ ſuæ ſanctæ conſolationem imprimi iuſſiſti, tuis me literis, oras, hortaris, iubes, cogis, vt quid ipſe prænominatus, patriarcha de conceptione illa benedicta matris Dei ſenſerit, arundineo tibi ſignificare ſtylo non differam. Licet enim, optime pater, eam in me ſcientiam non eſſe clariſſime nouerim, qua ſententiarum vel apparentem diſſonantiam ad concordiam ſine omni calumnia reducere valeam, tamen quia tu mihi & congregationis noſtræ vniuerſitati præſides, tuis conſilijs, hortationibus ſimul & præceptis non obtemperare quaſi peccatum habendum putaretur, ad id, quod à me tantopere flagitas, reſponſurus accedo. Veruntamen ſiquid emendandum forſitan recitabo, tu ſtudioſa caſtigatione ad rectitudinis normam pro ingenij tui dexteritate dirigere poteris. Qui enim beatam virginem Dei genitricem cum originalis peccati macula putant fuiſſe conceptam, quaſdam ipſius beati patriarchæ ſententias ad ipſorum corroborandam opinionem forſitan aſſumere geſtient. Primo namque in libro, qui Faſciculus amoris inſcribitur capite duodecimo, ita exaratum eſt. Nullus plane ab ipſo mundi initio fuit, quamuis ſanctus, quamuis ſanctificatus in vtero, qui ſine colluuione peccati, & abſque virili ſemine conciperetur, & de intemerata virgine naſceretur. Item in libro De obedientia circa medium vigeſimi quarti capitis. Ab huiuſmodi neceſſitatis improperio, & ab hac pœna peccati ſolus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus cognoſcitur fuiſſe liberrimus. Item in libro De humilitate haud lõge a ſeptimi capitis initio. Ipſe vtique ſicut ab omni peccato fuit immunis, ita in omni opere ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & cælis excelſior, atque mũdior factus: cæteri verò coinquinati, tranſgreſſores, infirmi, & gemebundi. Sed his non obſtantibus adhuc teneo, & dico beatum Laurentium abſque dubitatione ſenſiſſe, ac eius mentem fuiſſe, quòd beata virgo Maria mater Dei & redemptoris noſtri Ieſu Chriſti fuerit concepta ſine originali peccato, quod quidem clariſſimis ipſius beati patriarchæ autoritatibus oſtenditur. Et primo in ſermone De annunciatione ipſius immaculatæ virginis ita dicit: Ab ipſa namque ſui conceptione in benedictionibus eſt præuenta dulcedinis, atque à damnationis aliena chirographo. Et poſt pauca ſubiungit: Erat plane ſicut à carnis colluuione immunis: ita & ab omni peccati labe extranea. Præterea in libro De caſto conubio verbi & animæ circa medium ſeptimi capitis beatus patriarcha ſcribit: Hæc eſt originalis pœna delicti, à qua nemo, quamuis eximia polleat ſanctitate, liber exiſtit. Quotquot enim ex ipſa nati ſunt propagine(exceptis duntaxat mediatore Dei & hominum homine Chriſto Ieſu & ipſius matre) ſub hac peccati lege ſunt conditi, vnde Propheta voce omnium gemens ait: Ecce in iniquitatibus conceptus ſum. Item in libro, qui Faſciculus amoris dicitur, non longe à fine ſeptimi capitis: Nemo ab ipſo mundi initio vſque ad temporis plenitudinem(duntaxat mediatore eiuſque genitrice exceptis) iugum damnationis eius euaſit. Vlterius in libro De gradibus perfectionis capite primo inquit: Ab hoc quippe originali peccato nullus excipitur, præter illam, quæ genuit mundi ſaluatorem. Ecce quomodo beatus patriarcha aperto ſermone loquitur, & ita clare mentem ſuam exprimit, vt ipſius verba neque gloſſari, neque in oppoſitum ſenſum retorqueri valeant. Tres vero autoritates primæ huic ſenſui minime contradicunt, quoniam loquuntur de lege communi, & de eo, quod ſecundum naturalem conceptionem hominis naturaliter ſolet euenire. Et per conſequens non præiudicant virginis glorioſæ ſpeciali priuilegio, quo filius Dei in matre ſua prælecta hanc maculam diſpenſatiue præuenit quam tota natura humana in cæteris puris hominibus incurrit. Dicunt etiam quidam ſub ſignis diſtributiuis poſitis in primis autoritatibus ſufficere, quod fiat diſtributio pro omnibus viris naturaliter conceptis, & non oportere diſtributionem fieri pro mulieribus. Poſſet etiam dici ad primam accipiẽdo eam, ſicut iacet, quod nõ ſit contra vltimo deductas autoritates, quoniam eſt vna hypothetica copulatiua, à qua non excipimus beatam virginem, quum ipſa non ſit de intemerata virgine nata, ſed de parentum ſemine concepta. Siquis autem de oppoſita opinione prædictis reſpõſionibus non acquieſceret, poſſet alia reſponſio dari, quæ eſt hæc. Dato quod beatus Laurentius in tribus primis autoritatibus aliquando tenuerit partem affirmatiuam, id eſt quod fuerit in originali peccato concepta, licet in nulla ipſarum nominatim exprimatur beata virgo, tamen in cæteris ſuis operibus oppoſitum tenuit, & ſcripſit, maxime in illo De gradibus perfectionis, qui fuit vltimus liber ab ipſo beato patriarcha compoſitus circa finem tẽporis, quo in hoc mundo vixit. In quo quidem libro nominatim excipit beatam virginẽ ab ipſo originali peccato. Nec mirum quidẽ. Nam & beatus Auguſtinus doctor egregius poſt multorũ librorum editionem, librum retractationũ compoſuit, & ideo magis vltimis determinationibus ſtandum eſt, quam primis, ſi aliquam inter ſe diſconuenientiam habere videantur. Sed neq; propter hoc

beata virgo quantum ad immunitatem peccati fuit æqualis gradus humanitati Chriſti: quia Chriſtus per ſuam propriam poteſtatem, quum fuerit Deus & homo, peccatum originale non contraxit neque contrahere potuit, ſicut nec damnari. Virgo autem glorioſa quamuis Dei miſericordia præuenta originale peccatum non contraxerit, quantum tamen de ſe fuit, ex propagatione ſuç originis contrahere potuit. Cæteri verò huiuſmodi peccatum contrahere potuerunt, & de facto contraxerũt. Et ſic beata virgo infra dignitatem ſolius filij conſtituta, omnes homines magnifice præcellebat. Quæ ſi de ſpiritu ſancto concepta fuiſſet, nulla fortaſſe inſurgeret quæſtio. Nunc autem quia per concupitum viri, & mulieris concepta eſt; ſicut cæteri homines quòd ab originalis peccati macula dicatur immunis, apud quoſdam inconueniens reputatur. Sed hoc non videtur obſtare, ſi conſideretur quòd talis præſeruatio fuit à ſupernaturali cauſa, habente potentiam infinitam. Poſita namq; cauſa naturali, etiam ſufficienti poterit Deus virtutes omnipotentiæ ſuæ ſuſpendere effectum, ne eueniat, ſicut pueri non ſunt combuſti in fornace Babylonis, nec occiſus Daniel à leonibus. Et tota ratio huius eſt, quia prima cauſa, cuius virtute & influxu agunt ſecundæ cauſæ, ſuſpenderat hanc virtutem & influxum. Ita in propoſito dicimus, quòd licet ex viri & mulieris ſemine concipi videatur eſſe ſufficiens cauſa, quòd quis cum originali peccato concipiatur: poterit tamen Deus ſua infinita potẽtia illam præuenire maculam, ne eueniat ita, quod fœtus ſit purus & immaculatus. Neque hoc negarent, qui oppoſitã partem ſequuntur, tamẽ dicerent, quòd nõ fuiſſet conueniens. Sed hoc etiam non obſtat, quoniam conceſſa poſſibilitate, concedi videtur & cõueniẽtia, quia minimum inconueniens (vt Anſelmus dicit) in Deo eſt impoſſibile. Et hæc dicta ſint abſque temeraria aſſertione, & cum omnimoda reuerentia doctorum, qui oppoſitum tenere videntur. Optime in longum valeat reuerenda paternitas tua, quam Deus omnipotens per ſuam infinitam caritatem in vtroque homine: id eſt anima & corpore incolumen cuſtodire dignetur. Bononiæ anno, M. D. V. quarto nonas Decembris.

D. LAVRENTII IVSTINIANI OPERVM FINIS.

VENE

VENERABILI FRATRI ANTONIO PATRIARCHAE VENETIARVM.

CLEMENS PAPA VII.

VEnerabilis Frater Salutē, & Apoſtolicā benedictionem. Illius, qui ſemper in Sanctis ſuis mirabilis eſt uices licet immeriti gerentes in terris pijs fidelium præſertim Ducum, & Nobilium Votis, quæ ad Dei laudem & gloriam, ac Sanctorum venerationem cedere dignoſcuntur libenter annuimus, eaq; fauoribus proſequimur opportunis. Expoſuit nobis nuper dilectus Filius Marcus Foſcarus Dominij Venetorū rator ad nos deſtinatus, pro parte dilecti Filij Nob. Viri Andreæ Gritti Ducis & Dominij Venetorū huiuſmodi quod licet ex proceſſu ſuper Canonizationi Beati LAVRENTII Iuſtiniani de mandato fel. rec. Sixti Papæ IIII. prædeceſſoris noſtris ad tunc Ducis & Dominij Venetorum inſtantiſſimas preces habito, & ad Romanam Curiam tranſmiſſo veriſimiliter credi poſſet, omnia quæ ad ipſius B. Laurentij canonizationem neceſſaria erant, tunc plene, ac ſufficienter probata fuiſſe: tamen cum proceſſus ipſe caſu quodā igne crematus fuiſſet, pie mem. Leo Papæ X. etiam prædeceſſor noſter ad tunc Ducis, & Dominij Venetorū huiuſmodi ſupplicationem eius tunc Nuncio, & bo. me. Epiſcopo Cremonen. tunc in humanis agenti in Ciuitate Venetiarum commorantibus de Venerab. Fratrū ſuorum, de quorum numero tunc eramus conſilio, per ſuas in forma Breuis literas commiſit, vt ad inquiſitionem negotij canonizationis huiuſmodi procederent, qui cum ad inquiſitionem negotij canonizationis huiuſmodi procederent, qui cum ad inquiſitionem huiuſmodi procedere cœpiſſent, ac prædictus Leo prædeceſſor, ſicut Domino placuit fuiſſet vita functus, recolendæ memoriæ Adrianus VI. Similiter prædeceſſor noſter ad ſupplicationem oratorū prædicti Dominij Venetorum qui ad ſedem Apoſtolicam pro præſtanda ſibi obedentia deſtinati fuerant, tibi (Frater Patriarcha) & Venerabilibus Fratribus Thomæ Feltrenſi Nuntio Apoſtolico, & Paulo Nemoſien. Epiſcopus per ſuas in forma Breuis literas mandauit, vt proceſſum Canonizationis aliàs inchoatum proſequi de beretis, ac ſi dicti Leonis PP literæ ſup. directæ fuiſſent: Cum autem præfatus Adrianus prędeceſſor noſter dicto proceſſo minime abſoluto fuerit vita functus, & proceſſus huiuſmodi, non ita de facili valeat expediri, ac idem Marcus Orator pro parte Ducis, & Dominij prædictorum nobis humiliter ſupplicauerit, vt pro æterni Regis laude, & gloria, ac ipſius B. LAVRENTII Epiſcopi Confeſſoris reuerentia, nec non Eccleſiæ decore, ac Catolicæ fidei ſplendore, & populorum dicti Dominij deuotione liceat ſingulis annis in die, qua dictus B. LAVRENTIVS migrauit ad Dominum, Feſtum, & Officium de vno Patriarcha Confeſſore cum oratione vnius Epiſcopi Confeſſoris ſub nomine eiuſdem B. LAVRENTII Patriarchæ in tua, & alijs Eccleſijs dicti Dominij Venetorum ab omnibus celebrari, Nos qui fideles quoſcunque ad Sanctorum Dei Venerationem, ac iugem erga eos deuotionē (prout poſſumus) libenter excitamur, cum ad præſens alijs granibus prædiamur impedimenti negotijs, canonizationis quo huiuſmodi negotio intendere non valeamus, ipſorum Ducis, & Dominij deuotis ſupplicationibus inclinati, vt tam in tua Patriarchali, cuius ipſe B. Laurentius Patriarcha fuit, quam in quibuſuis alijs cathedralibus etiam Metropolitanis, ac collegiatis, ac Parochialibus quorumcunque locorum, etiam Religioſorum Eccleſijs totius Dominij Venetorum officium in memoriam eiuſdem Beati Laurentij Patriarchæ de vno Epiſcopo confeſſore ſub nomine eiuſdem B. Laurentij annis ſingulis die, qua migrauit ad Dominum, celebrari, ac in eorum Miſſis, & Matutinis, ac Veſperis commemoratio ſub nomine Beati Laurētij Patriarchæ recitari poſſit ab omnibus, qui illud celebrare, & recitare voluerint, & eius imago in Eccleſiis, ſiue Chriſti fidelium perſonarum domibus depingi (ſine tamen diademate, & non tanquam canonizati, ſed tanquam Beati) libere, & licite valeat; authoritate Apoſtolica tenore præſentium licentiam, & facultatem concedimus, non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; contrarijs, quibuſcunq;. Volumus autem, quod præter præmiſſa dictus B. Laurentius cathalogo Sanctorum aſcriptus minime cenſeatur. Datum Romæ, apud Sanctum Petrū, ſub anulo Piſcatoris. Die XVIII. M.D.XXIIII. Pontif. Noſtri, Anno Primo.

Ioannes Franciſcus Puteolanus Reuerendiſſ. D. Patriarchæ Venetiarum Cancellarius in fidem ſupraſcripti exempli ſe ſubſcripſit manu propria.

CLEMENS PAPA VIII.

AD perpetuam rei memoriam. Noſtræ auctoritatis partes in his rebus libenter interponimus, quæ ad Religioſorum pietatem, & deuotionem, quam erga ſuę Religionis fundatores Viros beatos gerunt, magis declarandam pertinent, prout in Domino ſalubriter conſpicimus expedire. Sanè pro parte dilectorum filiorum Rectorum Generalium, & Vniuerſarum Congregationum Sancti Georgij in Alga, & Sancti Ioannis Euangeliſtæ, Regni Portugallici, quæ ſub eiſdem habitu, & Regula ſub ſuaui Religionis iugo Altiſſimo famulantur, nobis nuper

nuper expoſitum fuit, quod cum pro eo, quem erga B. LAVRENTIVM Iuſtinianum Primũ Patriarcham Venetiarum, earundẽ Congregationum Fundatorem gerunt deuotionis effectus officium de eodem B. Laurentio, quod ex Apoſtolicę Sedis indulto de communi Pontificis Confeſſoris in eiſdem Congregationibus recitatur, cum lectionibus propriis, & Miſſam vt infra deinceps recitare, & celebrare poſſe deſiderent, lectiones huiuſmodi cum antiphonis ac rationibus ad præſcriptum Romani Breuiarij Feſto ipſius Beati Laurentij accommodatis compilari curarunt ac ad Nos, & Apoſtolicam Sedem examinandas, & approbãdas humiliter remiſerunt, nobiſque humiliter ſupplicari fecerunt, vt eorum pio deſiderio in præmiſſis de Benignitate Apoſtolica annuere dignaremur. Nos igitur Rectorum, & Congregationum prædictarum pijs votis, quantum cum Domino poſſumus ſatisfacere cupientes, Lectiones, Antiphonas, & preces, ac Miſſam prædictas dilecto filio noſtro Cæſari Tit. SS. Nerei, & Archieli Presbytero Cardinali Baronio nuncupato examinandas, & reformandas commiſimus, qui Cęſar Cardinalis retulit, diligenter ſe illas examinaſſe, vidiſſe cognouiſſe, atque probaſſe. Quare prædictos Rectores, & Congregationes eorumque Canonicos ſpecialibus fauoribus & gratijs proſequi volentes, & eorum ſingulos à quibuſuis excommunicationis, &c. cenſentes ſupplicationibus eorum nomine nobis ſuper hoc (vt præfertur) humiliter porrectis inclinati, Lectiones, Antiphonas, Preces, & Miſſam huiuſmodi (vt præfertur) à dicto Ceſare Cardinale viſas, cognitas, examinatas, atq; probatas, ac inferius ac inſertas Apoſtolica autoritate pręſentiũ tenore perpetuo confirmamus & approbamus, ac eiſdem Rectoribus & Canonicis vniuerſis, vt tam publicè in choro quam priuatim illas in Officio, quod in Feſto, & Octaua B. Laurentij ab eis recitatur, pariter reſpectiue recitare, & illas recitando obligationi recitationis diuini Officij ſatisfacere poſſint, auctoritate & tenore prædictis concedimus, & indulgemus. Ordo autem, & tenor illarũ eſt, qui ſequitur. Omnia vt in impreſſorio. Non obſtante, quod Feſtus Dies Beati Laurentij prædicti non ſit in Calendario Romano adſcriptus, ac noua Breuiarij editione, nec non conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrarijs quibuſcunque. Datum Ferrariæ die XXII. Septembris 1598. Pontif. noſtri anno VII.

PAVLVS PAPA V.

AD perpetuam rei memoriam. Quum, ſicut accepimus fel. rec. Clemens Papa VIII. Prædeceſſor noſter, alias, Dilectis filiis Canonicis, Congregationis Sancti Georgij in Alga Venet. indulſerit, vt in eorum Eccleſijs feſtum Beati Laurentij Iuſtiniani, dictæ Congregationis Fundatoris ſolemniter celebrare ac Officium & Miſſam, cum Lectionibus proprijs de eodem Beato Laurentio recitare licite poſſent, prout in eiſdem Prædeceſſoris literis in forma Breuis deſuper expeditis plenius continetur. Cumq; poſtea iidem Canonici in Capitulo Generali eiuſdem Congreg. ordinauerint, vt ab eiuſdem Cõgreg. Canonicis, & Religioſis prædictum de B. Laurentio, feria v. cuiuſcunque hebdomadæ alio feſto non impedita recitaretur. Nunc vt Officium ipſum dicta feria v. maiori cum veneratione recitetur cupiunt huiuſmodi ordinationem per nos comprobari, ac aliquam illis, & alijs intereſſentibus, indulgentiã benigne concedi. Quare nobis ſupplicatũ fuit, vt in præmiſſis opportune prouidere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur eorũ pijs votis quantum cum Domino poſſumus annuere cupientes, ac ipſos Canonicos ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & eorum quemlibet à quibuſuis excommunicationis ſuſpẽſionis, & interdicti aliiſq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie, abſoluentes & abſolutos fore cenſentes, nec non literarum Clemẽtis Prædeceſſoris prædictarum tenorem pręſentibus pro expreſſis habentes; huiuſmodi ſupplicationibus inclinati ordinationem prædictam de recitando Officium de B. Laurentio feria v. cuiuſcunque hebdomadæ alio feſto non impedita confirmantes & approbantes omnibus, & ſingulis eiuſdem Congregationis Canonicis, qui Officium huiuſmodi ſiue in Choro, ſiue extra Chorum, deuote recitauerint, vt pręfertur, nec non alijs vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus Officio huiuſmodi, ſeu Miſſę de B. Laurentio deuotè intereſſentibus; tres annos de iniunctis eis, ſeu alias quomodolibet debitis pęnitentijs in forma Eccleſię conſueta qualibet vice id egerint relaxamus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Volumus autem & pręſentium tranſumptis, etiam impreſſis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonę dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem prorſus fides habeatur vbique, quæ ipſis pręſentibus haberetur. Datum Romæ, apud Sanctum Marcũ, ſub anulo Piſcatoris. Die XXIX. Iulij. 1605. Pont. noſtri Anno primo.

Illuſtr. Admodum ac Reu. Rectori S. Saluatoris de Lauro Michael Spiritus ſancti totius congregationis D. Io. Euang. in hoc Luſitaniæ Regno, Rector Generalis, S. P. D.

SI adhuc religioſiſſime Pater ac Rector eminentiſſime noſtrum erga te, ac reliquos Fratres noſtros chariſſimos; amorem, ac pene incredibilem beneuolentiam teſtatam ſępe numero non oſtendimus nihil aliud fuiſſe cauſam, niſi maximam locorum diſtantiam, quæ nos omnes à nobis tantopere diuidit, vere affirmare poſſum. Et quamuis Monaſteria veſtra à noſtra iuriſdictione, & noſtra à veſtra etiã ſint exempta; nihilominus eorundem patrum noſtræq; religionis conditorum nos omnes non eſſe filios minime negare poſſumus: qui quidem fuerunt ſanctiſſimi illi viri nempe Eugenius Quartus Pontifex Maximus, & Sapientiſſimus Cardinalis Antonius Corarius, excellentiſſimuſque ille Venetiarum Patriarcha Diuus Laurentius Iuſtinianus,

& alij

& alii quamplurimi viri Sanctiſſimi, qui nobis, & vobis tam Sanctum inſtitutum, ac diuinam recte viuendi normam reliquerunt. Et cum hanc cognitionem in cordibus noſtris impreſſam habeamus, totis viribus toto animo tam præclariſſimorũ beneficiorum ab illis in nos collatorum in perpetuum memores eſſe contendimus. Et cum etiam ex operibus ſanctiſſimis, quę nobis omnibus Pater noſter Laurentius Iuſtinianus reliquit eum ſanctiſſimum, iudicemus noſtris in Generalibus Capitulis conſtituimus, ac decreuimus de te ſapientiſſime Pater diligenter inquirere Vtrum Venetiis (vbi iure optimo creatus fuit Patriarcha) à Sancta Sede Apoſtolica in ſanctorum numero eſſet relatus: & ſi de illo diuinum aliquod officium celebraretur: & denique ſi illius imago in Altaribus depingeretur; vt nos etiam eum, eiusque admirabilem vitam ab omnibus cognitam eadem veneratione coleremus. Quamobrem ego & omnes fratres noſtri chariſſimi te (amantiſſime Pater) ſummis precibus exoramus, vt nos certiores facias de omnibus iſtis, quæ de hoc ſanctiſſimo viro noſtræ Religionis conditore tantopere poſtulamus. Et tandem de profeſſione, quam aliqui veſtrum religioſi, motu proprio Pii Quinti fęlicis recordationis Pontificis Maximi fecerunt qui quidem notus nullum adhuc in hoc regno ſortitus eſt effectum. Gaudeat amantiſſimus Pater hoc fratribus iſtis ſuis chariſſimis per Epiſtolam ſuam concedere, & promittimus nos omnibus in rebus, in quibus à te iuſſi fuerimus idem libentiſſime facturos.

Dat. Olyſippinę in Monaſterio Diui Eligii, Idibus Iulii Anni milleſimi quingenteſimi nonageſimi tertii.

Inutilis ſeruus, & pro te perpetuus orator Michael Spiritus ſancti Rector Generalis.

REVER.^MO PATRI D.D. MICHAELI Spiritus ſancti Rectori Generali Congregationis. S. Ioan. Euangeliſtæ in Regno Luſitaniæ.

Daniel Roſa Venetus Rector Generalis totius Congregationis S. Georgÿ in Alga Venetiarum tanquam Fratri. S. P. D.

Literæ tuæ ad me, Olyſſiponę ſub die xv. Iulij, datæ Idibus Auguſti fuerũt quibus charitatẽ tuã, tuæq; Congregationis erga nos fratres omnes oſtendere contendis; Dignum & Illuſtrum deuotiſſimorum (Luſytanorum Genere) & Religioſorum cõfratrum memoria quam quidem, neque locorum diſtantia, neque erumnarum temporum calamitas, & longitudo auferre poteſt, Nos enim omnes ſanctiſſimi illius Eugenij Pont. Max. ac Beatiſſimi Patris Laurentii Iuſtiniani Venetiarum Proto Patriarchæ Gẽnus ſumus à quibus, & ortum, & Inſtitutionem ſanctiſſimam trahimus, & habemus. Ea ergo, vti filii non degeneres, non ingrati vnanimiter conſeruare debemus. Quarè patres noſtri, & ſecularium Nobilium plures, Deuotiſſima Veneratione (vt par eſt) Altaria plurima in Eccleſijs ad honorem Dei, & prædicti Beatiſſimi Patris Noſtri Laurentii multis in Ciuitatibus & locis, magnifice erexerunt; atque a Sanctiſſima Sede, vt eiuſdem dies Feſtus, ſexto Idus Ianuarij, quotanis in Eccleſijs ſub Ditione, DD. Venetorum poſitis, celebretur, cum Officio Confeſſoris Pontificis pro Indulto habuerunt. Quod & deuotiſſime & perficitur Adeſt Altare ei dicatum in Eccleſia Patriarchali: adſunt & in omnibus Eccleſijs noſtris, & in alijs plurimis altaria cum eius effigie ſancta marmoribus, picturiſvè elegantiſſime ſculpta, pictaq;. Imprimitur Romæ, & alibi, ſicut alligato folio eſt videre, quod charitati tuæ mittimus, vt ad illius deuotionem in hoc Chriſtianiſſimo Regno quemlibet magis excitare valeas. Profeſſionem iuxta ordinem Sanctiſſimi D. D. Noſtri Pij V. ſanctæ memoriæ ſub Regula S. Auguſtini ab Anno 1569 emittimus. Conſtitutiones pro temporum, hominumque opportunitate, & Congregatione conſeruanda collegimus, quas, Deo dante, Venetiis ad te mittam. Nunc enim, ad Viſitationes agendas in dies, adſum Romæ. Has vt expleuero, Venetias pergam, vbi in Monaſterio S. Georgij in Alga Reſidentiæ noſtrę de te, tuiſque Confratribus; & locis, intelligere bene eſſe (quodrogo) expectabo: quod vt libẽtius facias, te de noſtris commonefacere dignum duxi. Treſdecim Monaſteria collegiata habemus, quorum Tria in ſtatu fęliciſſimo Sanctiſſimi D.D. Noſtri Papę Romæ dignius extat ſub nomine S. Saluatoris de Lauro, cuius Eccleſia Anno 1591. igne pœnitus eſt conſumpta, cauſa omnino ignota. A fundamentis autem modo in ampliori, & pulchriori forma cõſtruitur. Arimini aliud Sancti Iuliani, Tertium Sancti Gregorij Bononiæ. Reliqua decem in ditione DD. Venetorum. Primum S. Gregorij in Alga extra Venetias, a quo, & principium, & titulum ſumimus, Alterum in ea Vrbæ Sanctę Mariæ ab Horto dictũ. Patauij, S. Mariæ in loco dicto Vantio. S. Iacobi in Monte Silice eiuſdem Diœceſis. S. Rochi, Vincentię. Alterum extra, S. Auguſtini. Sanctorum Firmi, & Ruſtici in Leonico Vincentinæ Diœceſis. Veronę duo, S. Georgii in loco dicto Braida, alterum, quod eſt pulcherrimum; Alterũ S. Angeli in Monte. Brixię vnum, S. Petri. Hiis plurima ſunt connexa beneficia pro Menſis, quibus, Cõgregatio potitur, & gaudet, atq; Introitus non impares, ad trecẽtos, & decem confratres (in circa) coalendos ex eis ſumuntur. Modũ, tandẽ, & ordinem tum ſacraſaciẽdi, in electionibus procedẽdi; tum etiam in Fratrũ neceſſitatibus prouidendi, ex Cõſtitutionibus colligere poteris. Hæc ſunt, quæ tibi humiliter poſcenti, Illuſtri admodũ deuotiſſimo Viro, & Fratri colendiſſimo, communia ſemper nobiſcum damus. Benigno igitur animo ea conſerues, quæ tibi, tuiſque omnibus libentiſſime ſunt oblata, Illuſtribus, ac Religioſiſſimis Confratribus D.D. Frãciſco, & Ignatio, meo nomine ſalutem dicere quæſo: meique ac noſtrorum omnium, vt ſint in orationibus memores, rogo, veluti, ac nos tui, tuorumq; in ſacris memoriam facimus, vt iugiter Deo famulemur. Qui noſtri tandem miſeratus, oẽm pellat languorem, tribuat ſalutem, donetque nobis pietate Patris Regna polorum. Vale. In Monaſterio S. Saluatoris de Lauro, Romæ xv. Kal. Septẽb.

REV.

REVERENDISS. PATRI D.D. DANIELI Roſæ Veneto Rectori Generali Congregationis Sancti Georgij in Alga Venetiarum.

Michael a Spiritu ſancto Rector Generalis Congregationis S. Ioan. Euang. in Luſitaniæ Regno ſalutem, & æternam felicitatem. D.

SAnctiſſimi Patris noſtri Laurentij
Iuſtiniani Protopatriarchę. Vene-
tiarũ effigiem cum tuis literis ac-
cepi. Imago, corporis ipſius formã
repreſentat, literæ vero tuæ ipſius
præclariſſimi Patris ſanctitatẽ ad
viuum exprimunt, taliter quod non ſit opus quæ-
rere cuius ipſę literæ ſint, per ſe nanq; ferũt omnia,
quæ tanti patris tam dignũ filiũ, ipſiuſq; Congrega-
tionis digniſſimũ præſulẽ decebant. Poſtulat n. na-
turalis conditio, vt verus filius parentis mores ha-
beat, atq; immitetur. Ea propter nõ miror charita-
tẽ, humanitatemq; erga me tuam, & cetera, quæ in
admirationẽ poſſunt adducere oẽs, qui ignorauе-
rint, cuius capitis ſis membrũ: immo literas ipſas
non agnoſcerẽ, ſi minus tuos amore plenos conce
ptus ſignificarent. Quãuis igitur Romanorũ & Ve
netorum Illuſtriũ celebre nomen, ob eximias vir-
tutes, ob generis ſplendorem, ſapientiam, & pru-
dentiam non eſſet ab omnibus non ſolum cogni-
tum, ſed vſque ad cœlum penes ſummis laudibus
elatu, hæc vna cauſa ſufficeret, vt oĩa regna, Vene-
tiarum Dominationem, inclitam, illuſtriſſimam,
ac felicẽ prædicarent, quòd videlicet habeat, pręcla
riſſimi LAVRENTII non ſolũ corpus, ſed ẽt ip-
ſomet quaſi viuo in te tanquam in capite, in reli
quis vero fratribus noſtris chariſſimis, & illuſtriſ-
ſimis ſicut in membris perfruatur. Feciſti item co
lendiſſime Pater ſicut tuæ digniſſimæ perſonę, &
tuo muneri erat cõueniens in eo quod præter ea
q̃ de beatiſſimo patre noſtro Laurentio humiliter
poſtulauimus, & de profeſſione emittenda à te ſf-
flagitauimus, de veſtris (imo etiam noſtris) colle-
giatis Monaſterijs nos commonefacere duxiſti di-
gnum. Flãma vero quæ Eccleſiam noſtrã S. Salua
toris de Lauro dictam penitus conſumpſit, lachry-
mas in nobis excitauit, ſed qui conſolator ſuos
Deus, conſolatus eſt nos in verbo quod dixiſti ip-
ſam noſtram Eccleſiam à fundamẽtis in ampliori
ac venuſtiori forma eſſe conſtruendam: imo credo
iam eſſe conſtructam, ita vt poſſimus dicere cum
c.2. Aggæo. Magna erit gloria domus iſtius nouiſſime
pluſquam primæ. De noſtra congregatione vt ali-
quid dicam iam tempus & ratio poſtulat. Elapſis
temporibus non paucæ calamitates Monachis, ac
Fratribus aliarum Religionum acciderunt, quia
(vt ferebatur) non bene de legitima ſucceſſione hu
ius Luſitaniæ Regni ſentiebant. At noſtri non de
hoc litigantes, à Deo precibus, ieiunijs, & lachry-
mis petebant, vt quod ei bene placitum eſſet om-
2.Reg. nibus oſtenderet, diceretq; Angelo percutienti,
24. ceſſet iam manus tua, ne deſſoletur Regnũ quod
ſtigmatibus meis decoraui. Miſericordia Domi-
ni factum eſt, ex illo temporis puncto, quod non ſo
lum inuictiſſimus Rex noſter Philippus, & Do.
Albertus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis di
gniſſimus nos non mediocriter ament, ſed omnes
Regni proceres laudent, & venerẽtur. Auget erga
noſtram Congregationem populi amorem, & de-
uotionem, continua, & maxima concionatorum
frequentia, vigilantia, atque diligentia; audientium
confeſſiones, aſſidua cura, & ſcientia, nec non & ap
probata vita, modus etiam accuratiſſimus in horis
Canonicis recitandis iuxta Eccleſiæ Romanæ ri-
tum, & conſuetudinem, populi imo & clericorum
erga nos parit amorem. Conimbricæ habemus
collegiũ in quo duodecim ad minus ſacræ Theo-
logiæ dant operam ſub doctrina ſapientum Docto
rum qui in inclita Conimbricenſi Academia pu-
blice docẽt Ibidem etiam gubernant noſtri de mã
dato Inuictiſſimorum Luſitaniæ Regum hoſpi-
tale quoddã, in quo ex varijs morbis infirmi paupe
res curantur, & Prouiſor Regius eſt Rector noſtri
Collegij, quem non Rex, ſed congregatio eligit
ſiue aliqua Regia confirmatione. Caput totius Cõ
gregationis eſt hoc Monaſterium S. Ioan. Euang.
vnde ipſa ſumpſit nomen, ſic n. nuncupatur noſtra
Congregatio S. Ioan. Euang. ad inſtar Congrega-
tionis S. Georgij in Alga Venetiarum. Rector Ge-
neralis (quod munus duobus iam ab hinc retro an
nis humeris meis ſatis imparibus fuit impoſitum)
huic Monaſterio præeſt ſicut particularis Rector.
Eſt ſitum extra muros Vlyſiponenſis ciuitatis Me-
tropolis iuxta Tagy ripam. Deuotionis cauſa quã
auget loci amenitas quotidie veniunt ſacris inte-
reſſe non pauci heroes, & plębei. Aedificatum fuit
hoc Monaſterium iuſſu, & expenſis Reginæ Eliſa
bet vxoris. Alfonſi V. huius nominis glorioſæ me-
moriæ Luſitaniæ Regis. Ex noſtris redditibus qua
draginta Canonici aluntur, inſuper & magna ex
parte Cęnobium reædificatur in præſentiarum. Se
cundũ locũ obtinet aliud quod appellatur. S. Salua
tor de Villar de Sxades, in diœceſi Bracharenſi, in-
ditione vero Ducis Bargantię, eſtque celeberri-
mum omnium Monaſteriorum, quæ in illa Regni
parte nuncupata inter Durium, & Minium, (hi
ſunt duo fluuij ſatis celebres) ſunt cõſtructa. Habet
quinquaginta Canonicos ibi reſidentes. Petenti-
bus ſacellum Diui Iacobi quotidie charitatis gra-
tia neceſſaria ad victum, & aliquando ad iter con-
ficiendum ipſi largiuntur. Publice linguam latinã
noſtri edocent quamuis propter ciuitatis, & opido
rum confinium diſtantiam non multi grãmaticæ
dent operam. Quod etiam in cauſa fuit, vt à lectio-
nibus Theologiæ moralis (qua Luſitane caſus cõ-
ſcientiæ appellatur) ſuperſedendum eſſe iudicare-
mus: vnde iam nõ in aula publica, ſed in priuata no
ſtros noſtri doceãt: quod in omnibus Congregatio
nis Monaſterijs obſeruatur. Tertium Cęnobiũ eſt
Vlyſipponæ S. Eligii quod in teſtamẽto quaſi pro
phetico noſtris donauit Do. Dominicus Iardus E-
piſcopus Eborenſis, & poſtea Vlyſipponẽſis (nodũ
enim tunc tẽporis Archiepiſcopatus titulo inſigni
ta erat Vlyſippo.) Hęc enim fere ſũt ipſius antiſtitis
verba: Cũ autẽ venerint, & apparuerint aliqui viri
boni quorũ exemplũ, & inſtitutum ſit laudabile, &
Reip. gratũ, & vtile viuantque in cõmuni, hi totam
hanc hæreditatẽ poſſideant. Mortuo aũt illo venera
bili Epiſcopo, placuit altiſſimo lucernam ſancti Pa
tris noſtri Laurentii ſub modio non abſcondi, imo
potius ipſi⁹, & Eugenij Quarti felicis recordationis
lumen

lumen huic Luſitano Regno fecit lucere. Et veniẽti D. Ioãni, qui poſtea Eccleſię Lamacẽſi, & vltimo Viſienſi (vbi ſepultus eſt, & in maxima veneratione habetur eius corpus) afferentiq; ritum, & modũ viuẽdi veſtrum, à noſtro ſanctiſſimo Patre Laurẽtio erectũ, vt Deo vnanimiter ſeruiretis tota hæreditas fuit oblata tanquam vero illius patrimonij hæredi. Vnde noſtri ſemper conſueuerũt fateri, immo gratulabundo animo prædicare, nos à ſanctiſſimo noſtro Iuſtiniano, & normam viuendi, & Monaſterij celebris hæreditatẽ accepiſſe. Prouentus ſubſtentãt quadragintaquinque Canonicos, eſtq; ſitũ in arce Regia, in eminentiori ciuitatis parte. Quartũ habemus intra muros Portuenſis ciuitatis nobiliſſimæ, & antiquiſſimæ, à qua hoc Regnũ Portugaliæ nomen accepit, vbi trigintaduo (parũ, minusve) Fratres noſtri vitam degunt. Quod Monaſteriũ appellatur ſancta Maria de Conſolatione. Quintũ ſitũ eſt Eboræ, quæ quidẽ ciuitas (vt fertur) à Sertorio Romano Duce fuit expugnata, & capta, eſtq; Cenobiũ dicatũ dilecto Diſcipulo ſanctiſſi. Ioanni Patri noſtro. Habet triginta Canonicos reſidẽtes. Aliud quod nominatur ſancta Maria de Aſſumptione eſt in Villa de Arraiolos, Diœceſis Eborenſis, ditionis vero Ducis Bargãtiæ. Redditus ſubſtentare valent quindecim vſque ad viginti. Alterũ nominatur S. Georgius de Raciano extra muros ciuitatis Lamacẽſis: allũtur ex redditibus Monaſterij viginti quorũ maxima pars Logicæ, & Philoſophię ſtudet. Publice.n. in dicto Monaſterio Philoſophia legitur à noſtris. Alterum modo conſtruitur noſtris expẽſis in villa quæ vocatur da Feira. Ditionis Comitis illuſtriſſimi eiuſdẽ tituli, Epiſcopatus verò Portuẽſis ciuitatis. In villa Balneorum Reginæ eſt famoſum hoſpitale ſatis abũdans diuitijs quod cõſtruxit pręclariſſima Lianor vxor Secũdi huius nominis Ioãnis Portugaliæ Regis inuictiſſimi, ac Regaliſſimi, qui adhuc appellatur Pater Luſitanæ patriæ. Quod hoſpitale noſtrę ſubiacet adminiſtrationi. Prouiſor habet magnã iuriſdictionẽ, & ab omnibus maximo habetur honore, & quanuis non ſit Rector intereſt Generali capitulo, eiuſq; electio a diffinitores tantũ pertinet. Quingenti ægroti vltra mille quotãnis ibi ſucceſſiue recipiuntur, quorũ infirmitatibus medentur periti Medici, & Chirurgi, ſed & mortuis datur ſepultura conueniẽs, pro eis ſacrificia & oblationes offeruntur, ac defunctorũ Officiũ recitatur. Pauperibus etiã & Religioſis in domos redeũtibus neceſſaria ad iter conficiendũ ſuppeditant miniſtri Reginæ, nunquã ſatis laudatæ, prout prouiſori Fratri noſtro, & Confratri tuo viſum eſt neceſſe eſſe. Habet ipſa Eccleſia presbyteros, qui ſubdũtur etiã Prouiſori noſtro, & eius Comiti, recitãtq; quotidie horas Canonicas in Choro, & pro ipſa Regina, ſuisq; omnibus ſacra faciunt quotidie. Vicarius eorundem clericorum qui ſemper à noſtris Theologus eligitur ſecularis, tenetur in Aduẽtu, & Quadrageſima ad populũ habere conciones. Aedificia ſunt magnifica, & ordo qui à noſtris in oĩbus obſeruatur talis eſt: vt omnes ex diuerſis mũdi partibus illuc conueniẽtes cognoſcãt B. LAVRENTIVM Iuſtinianũ, Deũq; laudent in ſuis humilibus filiis cõfratribusq; veſtris & ſi indignis. Hoc vnũ præter alia eſſe tibi poterit cauſa ingentis lætitiæ videre ſcilicet multorũ capita in Congregatione albeſcere, & ſi redeundi ad ſęculum ſit oĩbus facultas libera Hoc anno & duobus elapſis ſepulti ſunt cum fratribus ſuis vltra duodecim confratres veſtri, qui in ſancta conuerſatione a noſtro ſanctiſſ. Laurentio inſtituta ſeptuaginta annis oĩpotenti Deo laudabiliter ſeruierunt. Quanuis aũt aliqui ex nobis prodierint qui non erant ex noſtris, tamen quã plurimi in ſancto propoſito perſeuerant, ſeneſcunt, atq; moriuntur in domino. Et inde cognoſcũt oẽs, vt plurimũ libertatem nobis cõceſſam eo tendere, vt verificetur in nobis, quod dicitur: ſumma libertas eſt, in qua ſeruitus Chriſti cõprobatur. Hæc ſunt, quæ cõpendio, & quaſi in ſumma tibi (Pater colendiſſ.) ſcribere poſſumus, nec timeo, quod hæc prolixa narratio tædio afficiat beneuolas aures tuas, non.n. me præterit Dionyſium Athenienſem dixiſſe, diuinum amorẽ ſocietatis legum eſſe neſciũ. Quod nobis promiſiſti, ſperamus, petimus pręterea, vt tu, tuiq; oẽs tanquã filios eiuſdẽ eximij Patris nõ degeneres nos habeant, Inſuper, & quotieſcunq; per tempus licuerit, rogamus, vt noſtri memoriam habeatis ſicut decet meminiſſe fratrũ: nos aũt ſemp pro vobis orãtes exiſtimus, imo & ſemper fuimus tanquã pro fratrib. digniſſimis, a quibus ſeu a quorũ patre ducimus originẽ. Scintilla ſalutationis tuæ magnũ amoris incendiũ in cordibus meorũ Fratrum, ſeruorumq; tuorũ humiliũ incitauit. Ipſi nominatim te humiliter ſalutant, oẽsq; coram Deo canimus, Quæſita iã primum fides radicet altis ſenſibus: fęcunda ſpes congaudeat, quo maior extat charitas. Os ad os tuo nomine ſalutabo Do. Franciſcum Epiſcopum Feſienſem, qui Bracharæ incolat. Gratia Dei ſit tecum (Pater amantiſſime) & benedictio S. Protopatriarchæ Laurentij veniat ſuper te filium ſuum digniſſimum, & in nos filios ſuos humiles, & ſeruos indignos. Dat. in hoc Monaſterio ſancti Ioannis de Enxobregas Decimo Kalen. Ian. Ann. ſalutis humanæ 1593.

1. Io. 2 Apoc. 14.



Forma ſigilli eiuſdẽ Congregationis iiſdẽ literis impreſſi.

Venetijs in Templo D. Petri Caſtelli, aræ marmoreæ impoſita eſt imago B. Laurentij Iuſtiniani ad viuum expreſſa, cum tali ſubſcriptione.

B. LAVRENTIVS IVSTINIANVS, PRIMVS VENETIARVM PATRIARCHA DIE VIII. IAN. M. CCCCLV.

OPERVM D. LAVRENTII IVSTINIANI, PROTOPATRIARCHAE VENETI, CATALOGVS,

CVM SVPPVTATIONE ANNORVM AC LOCORVM, quibus edita & emiſſa ſunt, & qua ſerie impreſſa.

Lignum vitæ. ſol. 1
De Timore 2
De Fide 5
De Continentia 9
De Prudentia 12
De Iuſtitia 14
De Charitate 16
De patientia 23
De Obedientia 26
De Spe 28
De Perſeuerantia 32
De Paupertate 34
De Sobrietate 37
De Humilitate 40
De Oratione 44

Anno M. CCCCXIX. In congregatione.

De diſciplina & ſpirituali perfectione. 50

Anno, M. CCCCXXV. In eadem.

De caſto connubio verbi, & animæ 89

Anno, M. CCCCXXV. In eadem.

Faſciculus amoris 138

Anno, M. CCCCXXVI. in eadem.

De triumphali agone Chriſti 177

Anno eodem in eadem.

De interiori conflictu 232

Anno, M. CCCCXXIX. in eadem.

De complanctu Chriſtianæ perfectionis 247

Anno eodem in eadem.

Sermones de ſanctis: quorum index peculiaris mox ſubſequetur 258

Anno, M. CCCCXXXI. in eadem.

De vita ſolitaria opus 312

Anno eodem in eadem.

De contemptu mundi 330

Anno, M. CCCCXXXII. in eadem.

Opera ab ipſo iam ſene in epiſcopatu edita.

De ſpirituali interitu animæ lib. 1. 349
De eiuſdem reſurrectione ſpirituali lib. 2. 356
De regimine & inſtitutione prælatorum 365
De obedientia 402
De humilitate 43[illegible]
De gradibus perfectionis 46[illegible]
De incendio Diuini Amoris Tractatus nuper 483
Epiſtolæ eius ad diuerſos, & diuerſorum ad ipſum.

SERMONES.

Sermo in Natali domini 258
De S. Stephano protomartyre 259
De S. Ioanne Apoſtolo & Euangeliſta 260
De S. Innocentibus. 261
De circunciſione Domini 262
De Epiphania domini 263
De conuerſione S. Pauli Apoſtoli 264
De purificatione B. Mariæ Virg. 266
De S. Matthia Apoſtolo 267
De Annunciatione B. Mariæ 268
De Paſſione domini 269
De Reſurrectione domini 271
De S. Georgio martyre 272
De S. Marco euangeliſta 273
De S. Philippo & Iacobo Apoſtolis 274
De Aſcenſione domini 276
De Sancta Pentecoſte 277
De Natali B. Ioan. Baptiſtæ 278
De S. Apoſtolis Petro & Paulo 279
De S. Maria Magdalene 281
De S. Iacobo Apoſtolo 282
De S. Laurentio martyre 283
De Aſſumptione B. Mariæ Virg. 284
De S. Bartholomæo Apoſtolo 285
De Natali B. Mariæ Virg. 286
De exaltatione crucis dominicæ 288
De S. Mattheo Apoſtolo & Euangeliſta 289
De S. Michaele Archangelo 290
De S. Hieronymo doctore 291
De S. Luca euangeliſta 292
De S. Simone & Iuda Apoſtolis 293
De Omnibus ſanctis 294
De S. Martino epiſcopo 295
De S. Andrea Apoſtolo 296
De S. Thoma Apoſtolo 298
De S. Hugone, epiſcopo Lincolnienſi 300
De Dominica in Ramiſpalmarum. 301
Sermo exhortatorius ad conuerſionem, & ad emolliendą obdurata corda. 303
De Corpore Dominico ſiue euchariſtia 304

DIVI LAVRENTII IVSTINIANI PROTOPATRIARCHAE VENETI

LIGNVM VITAE.

PRAEFATIO.

Gen. 2.

Plantauerat dominus Deus paradiſum voluptatis à principio, in quo poſuit hominem, quem formauerat. Ipſe verò decretum Domini paruipendens: mulieriq; conſentiens, factus eſt mandatorum Dei præuaricator: ex quo multarum effectus eſt particeps ærumnarum. Inſuper de eodem deliciarum loco: in quo honorificè fuerat collocatus, cum dedecore maximo eiectus eſt, vitaque priuatus eſt inuitus, quam pro voluntate poſsidebat; lumen quoque mentis, quod perſpicuè perceperat (per quod Dei, ſuiipſius, naturæque notitiam habebat) pro magna parte amiſit, & præeminentiam obedientiæ, qua cuncta ei animantia ſubiecta erant, perdidit. Sicque miſer varijs circundatus calamitatibus, vnde obtemperando potuit angelicis ſpiritibus aſſociari: indè tranſgrediendo corruit in brutorũ opera; & qui vt Deus fieri voluit, iumento peius proſtratus eſt. Sic nimirùm, ſic debuit mulctari humana præſumptio. Sic iuſtum fuit, vt puniretur vana elatio, quæ dũ metas naturæ ſuæ tranſcendere voluit, amiſit conceſſa; & dum diuinis noluit ſubdi legibus, aſtricta eſt carnis paſsionibus. O cæca elatio, ò vana præſumptio, nunquid conditori æquabitur creatura, aut proprio arbitrio deificabitur homo? An non præuidit ratio, cognouit intellectus, hoc non eſſe æquum? Quare poſteritatis damna non conſideraſti? cur beneficiorum munera perdere non es veritus? Tuo crimine progenies tua vulnerata eſt, ò Adã, tuo ſcelere humana eſt deteriorata conditio, & hominum genus diri per te tyranni ſeruitio mancipatum eſt. Indè infirmitates, hinc lacrimæ, gemitus, dolores, labores, ſeruitus, rixæ, contentiones, auaritiæ, luxuriæ, & quicquid Deo aduerſatur, effluxum eſt. Breuis fuit conſenſus, ſed calamitas diuturna. Et quis poteſt fari multifarias preſſuras, quæ mortalibus irrogatæ ſunt, per te, ò protoparens noſter? Multum tibi debemus, quòd occaſione tui conditi ſumus, ſed (prohdolor) plus eſt, quod per te perditi ſumus. Nihil naſci profuiſſet, niſi ab æterno liberaremur exitio. Gratias agamus igitur Deo & domino Ieſu, qui per carnem, quam de tuo aſſumpſit ſemine, in priſtinam nos reparauit gloriam, imò longe ſublimiorem. Nam in ipſo nobilitata eſt natura noſtra, & ſupra angelicam euecta eſt ad dignitatem. Nunquàm ad thronum perueniſſet dignitatis, niſi per verbi incarnationem. Per ſe nequaquàm reſtauraretur, nec ad cœli perueniret gloriam. Ipſe verò vnigenitus Dei filius noſtra accipiens, munificè largitus eſt ſua. Ipſe humilitate ſua immaniſsimi à nobis iugum excuſsit exactoris. Idem Dominus ſpiritualem plantauit Paradiſum, ſanctam videlicet Eccleſiam, vt illìc perditum hominem collocaret: quam vt plantaret, mundaret, ſanctificaret, & perficeret, (Sap. 11.) deſcendit à regalibus ſedibus tradens ſemetipſum & effundens pro dilectione ipſius proprium cruorem. Struem lapidum compoſuit ad eius cuſtodiam, choros ſcilicet Angelorum. Inſeruit in ea arbores & ligna, id eſt cœleſtia ſacramenta, quorum alimento nutriantur, qui illic collocãdi ſunt. Lignum etiam ſcientiæ boni & mali ibi poſuit, videlicet ſacra eloquia. Egreditur (Gen. 2.) quoque de loco voluptatis fluuius, ſcilicet gratia Spiritusſancti ad irrigandam hanc paradiſum, in cuius fluminis medio poſitum eſt lignum vitæ. Hoc eſt ſanctum donum timoris Dei permanentis in ſæculum ſæculi, & afferen- (Pſal. 1.) tis fructus duodecim; de quo legitur ſic Apocalypſis vlt. Et oſtendit mihi fluuium aquę viuæ, ſplendidum tanquam cryſtallum, procedentem de ſede Dei viui & agni; & ex vtraq;

parte fluminis lignum vitæ afferens fructus duodecim per ſingulos menſes, reddens fructum ſuum & folia ligni ad ſanitatem gentium. O precioſum lignum, ô lignum ſalutiferum, quod de medio fluminis oriri dicitur,
Pſal.45. illius vtique de quo canit Propheta: Flumi-
Eſa.11. nis impetus lætificat ciuitatem Dei. Nemo enim ſanè intelligentium ambigit, donum timoris ſpeciale eſſe donum Spiritusſancti, ſicut Eſaias teſtatur: Et repleuit illum (inquit) ſcilicet dominum Ieſum ſpiritus timoris domini. Vnde rectè tanquam à ſpiritu viuificante procedente timore ſortitur nomen ligni vitæ idem timor, cuius radix ſancta eſt; quia in fide vnius & veri Dei fundatum eſt. Cuius fructus memorantur eſſe duodecim; quia licet omnes virtutes in ipſo permaneant, & ſine ipſo eſſe non poſſint; duodecim tamen ſpecialiter ſunt virtutes, quę in ipſo viuificantur & creſcunt, ſcilicet continentia, prudentia, iuſtitia, charitas, patientia, obedientia, ſpes, perſeuerantia, paupertas, ſobrietas, humilitas, & oratio, ſiue contemplatio. Quæ virtutes tribus ordinibus diſtinctæ ſunt, quia triplici ſtatui conueniunt, & per ipſas quilibet illorum ad perfectionem perducitur. Tria
Matt.11. nanque militantium genera, vique regna cœlorum diripientium in hac militanti Eccleſia (& in hac ſpirituali paradiſo eſſe perſpicuum eſt) præſidentium ſcilicet, certantium in ſtadio ſubiectionis, & quieſcentium: quorum ſicut diſtincti ſunt ſtatus, ita & eorum ſtatuum virtutes, quibus ad perfectionem glorioſè perueniunt. Vnicuique nempè ipſorum quatuor virtutum exercitijs pollere neceſſarium eſt, vt perfecti ſint, & ex ipſis velut quibuſdam fructibus ſaginari & creſcere; vt ad virilem ſpiritus valeant tranſcendere plenitudinem. Quia enim in hac vita nil laborioſius ſit præſidentium officio, & apud Deum nihil beatius (ſi eo modo militent, quo noſter iubet Imperator Chriſtus) ſtudeant qui in illo gradu poſiti ſunt, prius ſui animi, nec non & corporis non rectos appetitus ſub iugo continentię reſtringere; vt ſubiectorum vitia valeant ſine rubore perſtringere, & corrigere, & per experientiam ſanare. Deindè vt prudentia & diſcretione decorentur, indigent, quatenùs ſciant, quid, quando, & quomodo cuncta debeant diſponere. Tertiò ſtudeant poſſidere iuſtitiam, per quam abſque perſonarum acceptione vnicuique tribuant quod ſuum eſt. Poſtremò vt charitate Dei & proximi ardeant, neceſſarium eſt; vt nec pro dulcedine contemplationis proximo miniſtrare negligant, nec pro vtilitate proximi Deo per contemplationem vacare poſtponant. His fructibus, hiſque virtutum laboribus referti præſidentes pertingunt ad perfectionem. Alijs verò quatuor virtutibus ornari debent certantes in ſubiectionis ſtadio, ſi ad culmen perfectionis ſatagunt peruenire. Nam ante omnia diſcant per patientię virtutem immiſſas tentationes, illata conuitia, & proximorum errata æquanimiter tolerare. Deindè voluntatem propriam & ſenſum poteſtatiuè per obedientiam retundere. Subſequenter contendant mentem & affectum virtute ſpei ad cœleſtia erigere. Vltimò hoc non ignorent, abſque dubietate illos adepturos eſſe hic perfectionem, & in cœlis æternam gloriam, ſi ſtrenuè per virtutem perſeuerantiæ omnes labores & cunctos contrarios euentus gaudenter tulerint. Hæc eſt ſubiectorum regula ſub compendio. Quieſcentes autem, quorum ſtudia ſemper debent vnioni diuinæ bonitatis per interuam exercitationem intendere (ſi & ipſi cõcupiſcunt ad perfectionem ſui ſtatus attingere) vt nutriantur neceſſe eſt reliquis quatuor virtutum fructibus. Primò nanque vt abrenuncient per paupertatem voluntariam omnibus temporalibus vſu & affectu. Subſequenter gulæ appetitum per virtutem ſobrietatis reſtinguant. Poſtea vtroque compoſito homine in profunda Dei & ſui cognitione per humilitatem ſe collocent; vt opificis æterni munera abſque ſui pręiudicio recipere queant. De quo gradu fiducialiter, & iucunda mente ad virtutum matrem, ſanctam videlicet orationem, alacri feſtinatione tranſcendunt, in qua tantò vehementius proficiunt, quantò in peragendis & conſeruandis quæ Dei ſunt, ſolicitiores exiſtunt. Perueniunt hi ad contemplationem & Dei vnionem, quę omnium donorum in quieſcentibus gerit prærogatiuam. Iſti ſunt fructus ligni vitæ. Hi nempè ſunt ſub breuitate diſtincti gradus virtutum, quos in cordibus ſuis diſponunt, qui Deo placere ſtudent & deſiderant. De iſtis enim virtutibus latiùs infra dicetur. Et primò de ipſo ligno, ſcilicet de dono timoris, deindè de fide, quam radicem huius eſſe poſuimus. In fine de ipſis virtutibus ſigillatim fiet tractatus, quæ ſub appellatione fructuum ipſius ligni ſupra memoratę ſunt. Immitte ergo ô cœleſtis amor, ô indeficiens fons voluptatis æternæ, radios almæ ſapientiæ tuæ in cor ſerui tui, quem vtcunque perfudiſti intima charitate. Illuſtra (oro) domine intellectũ meũ vt valeam duce gratia tua referare ſupradictarũ præconia virtutũ, effectus, & perfectiones, quatenus detur legentibus forma profectus ſpiritualis, & laudis tuæ additamentum. Ad hoc.n. condidiſti nos Deus noſter, gaudium, & fortitudo noſtra; vt agrum cordis noſtri excolamus diligenti cura de ipſo eradicando vitia, & virtutes inſerẽdo, vt poſſit tibi factori noſtro fructũ afferre iuſtitię. Prętereà vt creſcamus in lumine tuæ veritatis, & accendamur ardore tuæ charita-

tis

Digitized by Google

tis, ac per hoc iuge, modulatumq; ſacrificiũ tibi offeramus regi ſæculorum; ſicq; actu & affectu imitemur beatorũ ſpiritus, qui ſine ceſſatione tuæ promũt maieſtati dignas laudes, de quibus Pſal.83. dicitur: Beati qui habitãt in domo tua domine, in ſæculum ſæculi laudabunt te. Sed quoniam clementiſsime domine exprobraſti & improbaſti per ſanctum Prophetam tuum peccatorẽ aſſumentem & proferentem iuſtitias tuas per os ſuum, oro dulcedinem bonitatis tuę; vt digneris mundare cor & labia mea, quatenus pura conſcientia & abſq; pudore annunciare valeam verba ſancta tua, tàm pro tuæ magnificẽtia gloriæ, quàm pro legentium vtilitate. Quia non nobis Domine, ſed tibi & tuis propter te viuere debemus, qui es omnium donorum elargitor munificus, & per ſæcula benedictus.

EXHORTATIO AD AVDIENDA *quæ dicenda ſunt de timore domini, & de ipſius timoris deſcriptionibus.* Cap. I.

Eſa.55. OMnes ſitientes venite ad aquas diuinę ſapientiæ, & qui proficiendi in virtutibus zelum habetis, aurem præbete, properate abſque cunctatione, intelligite quæ dicuntur, & opere complere ſatagite. Videte opera domini, & quanta pro mortalibus fecerit, animaduertite. Spiritualem plantauit paradiſum ſanguine ſuo, lignum vitæ plantauit in ea, viam virtutum ſtrauit ad patriam exemplo ſuo, ianuam cœli certantibus patefecit. Omnibus patet ingredi volentibus. Nulla ætas, neuter excluditur ſexus. Dominus omnium omnibus omnia commun a fecit. Neminem perire patitur accedentem ad ſe. Quis igitur ſe poterit excuſare, quis diſsimulare audebit, aut ſine tremore contradicere valebit? Donis nanque ſuis cõuincit nos, promiſſis ſuis ligat nos, ac minis ſuis terret nos. Stat ipſa incarnata ſapientia, dat in plateis latiſſimæ charitatis voces ſuas, & ait. Vſ- Prou.1. quequo paruuli diligitis infantiam, & ſtulti ea quæ ſibi noxia ſunt cupient, & imprudẽtes odibunt ſapientiam. Conuertimini ad correptionẽ meam. En proferam vobis ſpiritum meum, & oſtendam verba mea. Qui enim me audierit, abſque terrore erit, & abundantia perfruetur, malorum timore ſublato. Venite (inquit) filij, Pſal.33. venite, & audite me, quia timorem domini docebo vos. Non curſus ſiderum, non rerum naturas, neque cęlorum ſecreta, ſed domini timorem docebo vos. Horum ſciẽtia ſine timore inflat, timor autem domini abſque ſcientia illorũ ſaluat. Beatus nanque vir, non qui multa nouit, ſed qui dominum timet, & in mandatis eius vo- Pſal. 111. let nimis. Quoniam potens erit in terra nomen eius, gloria quoque & diuitiæ in domo eius, & iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi. Vtilis planè eſt timor domini, & cum ſolicitudine inquirendus. Qui enim ſine ipſo fuerit, non poterit iuſtificari. Non aliunde debuit ipſa ſapientia ſuæ doctrinæ exordium ſumere, quàm a timore domini. Nam & ipſius ſapientiæ initium Sap.1. eſt timor domini. Teſtatur quoque quodam loco ſcriptura dicens. Si enim ſapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum pruden- Prou.2. tiæ: ſi quæſieris eam quaſi pecuniam, & ſicut theſauros foderis illam, tunc intelliges timorem domini, & ſcientiam Dei inuenies. Quicunque ergo iuſtificari cupit, quicunque deſiderat ſapientiá repleri, & qui ſalutari ſpiritu munitus anhelat ad culmen pertingere virtutum, non aliunde incipiat, quàm a timore domini. Nam ipſe timor eſt robur animæ, lumen Eſa.26. intelligentiæ, & ſalutis ſpes. Hoc teſtatur Eſaias dicens: A timore tuo domine concepimus, & peperimus ſpiritum ſalutis. Alibi etiam dicit Eccl.1. ſcriptura: Corona ſapientiæ timor domini, replens pace & ſalutis dono. Magna enim ſalutis ſpes, & maxima in profectu virtutum cauſa eſt timor domini, quia ſe poſsidentem ſolicitum reddit ad peragenda, quæ Dei ſunt, ne incurrat malum pœnæ, quod peccantibus minatur, aut amittat bonum virtutis, gratiæ, & gloriæ, quod deſiderat. Sic enim diffinitur ipſe timor. Timor eſt amor fugiens quod & aduerſatur, ſcilicet pœnam. Item, timor eſt ſpecialis fuga mali, ne perdat quod amat, ſcilicet gloriam. Beati itaque timentes Deum, quoniam oculi domini ſuper eos, vt eruantur à morte, confirmentur in gratia, liberentur a malo, & defendantur in morte.

De multiplici vtilitate timoris. Cap. II.

QVemadmodum ex viſu pecuniæ auari cupiditas accenditur, ita ex narratione vtilitatis virtutum prouocatur homo ad illas poſsidendas. Propterea vt ad donum timoris promoueatur animus legentis in prima fronte narrationis ipſius, deſcribendæ ſunt illius multiplices vtilitates. Primo nanque malum culpæ expellit retrahens hominem ab illicito vſu membrorum, ſenſuumq; exteriorum, ac affectionum vitioſarum, ne anima à Deo ſeparetur, vel ab illius familiaritate al quantulum elongetur, quoniam timere Deum nil aliud eſt, quàm nulla, quæ facienda ſunt, bona prętermittere. Sicut enim ſecuritas eſt ad lapſum facilis, ita timor à lapſu protegit, quia odit vitia, virtutes cuſtodit, cor ſedula vigilantia obſeruat ab ingreſſu eius noxias cogitationes repellens claua terribili, videlicet memoria æternæ pœnæ. Ingerit nanq;, ſicut veraciter, ita frequenter, quod poſt hanc peregrinationem tunc edax flamma cõburet, quos nunc delectatio carnis polluit, illoſque infinitum ba-

fratri chaos patens deuorabit, quos ſalutaris timor ab inani elatione, & a deformitate culpæ non cuſtodit. Timor quoque virtutes excitat, ne rubigine ocij conſumantur, quia nihil in ſancto propoſito ocio deterius, quod non ſolummodo non acquirit noua, ſed etiam acquiſita conſumit. Sanctæ enim vitæ ratio proceſſu gaudet, & creſcit, ocio autem & ceſſatione torpeſcit, & deficit. Quotidianis areſcentibus virtutum incrementis, inſtauranda eſt mens timore ſaluberrimo, & viuendi hoc iter non de tranſacto, ſed de futuro metiendum eſt. A malo præſentis pœnæ reddit timor hominem ſecurum. Prou.14. Qui enim timet Deum, nihil trepidat, quia timor domini fiducia eſt fortitudinis, & qui illum poſſidet, non corruet. Abundantiam virtutum ac bonorum ſpiritualium introducit ipſe timor. Nam principium noſtræ ſalutis, radixque ſapientiæ, iuxta ſcripturarum teſtimonia, timor domini eſt. De timore autem domini compunctio naſcitur ſalutaris, de compunctione cordis nuditas & contemptus omnium facultatum, de nuditate humilitas procreatur, de humilitate mortificatio voluntatum generatur, de mortificatione voluntatum extirpantur, atque marceſcunt vitia, de expulſione vitiorum virtutes ſuccreſcunt, de virtutum pullulatione puritas acquiritur, per cordis puritatem Apoſtolicæ charitatis perfectio poſſidetur. Introducit quoque ipſe timor charitatem, Eccl.1. & eſt principium ſapientiæ. Nam priuſquam animæ Deus ſapiat, eam afficit ad timendum, & eam inſtruit ad ſciendum. Timet Dei iuſtitiam, timet Dei potentiam, & tunc ſapit ei Deus iuſtus & potens, quia timor ſapor eſt. Porrò ſapor facit ſapientem, ſicut ſcientia ſcientem. Radix enim ſapientiæ eſt Deum timere. Eccl.2. Obedientem reddit timor. Hoc teſtatur ſcriptura dicens. Qui Deum timent, præparabunt corda ſua, & in conſpectu eius ſanctificabunt animas ſuas. Cuſtodiunt enim mandata eius, et patientiam habebunt vſque ad inſpectionem illius. Igitur ò homo, quum audis, quòd Deus tuus dulcis eſt, attende quid timeas, vt amore & timore Dei excitatus legem eius cuſtodias. Hominem timor fortem facit. Nam in via Dei a timore incipitur, vt ad fortitudinem veniatur. Sicut nanque in via ſæculi audacia fortitudinem, ita in via Dei audacia debilitatem parit, & timor fortitudinem gignit, vincula cupiditatis dirumpit, ſimiliter timor Dei vitium corrigit. Nam timor hominum peccandi differt facultatem, & operationem, non autem aufert: ſed retinet voluntatem, donec habeat opportunitatem vel occaſionem, vndè & quos ſuſpendit a crimine, auidiores reddit ad crimen, & æſtuat animo, quouſque perficiat, quod malum cogitat. Solus enim Dei timor eſt qui nocentes corrigit, fugat crimina, & perpetem confert bene agēdi voluntatem. Eſt etiam fons vitæ, & virtutum cauſa, dum per iuſtitiam defert maiori: per prudentiam non credit ſe ſibi, per temperantiam refugit diſcernere: per fortitudinem ſe obedientiæ ſubdit, non ad diſcernēdum, ſed ad implendum. Nubes etiam carnaliū cogitationum & affectionum fugat. Nam ſi ad momentum à domo mentis diſcedat timor, quaſi abſente domina, cogitationum ſe clamor, velut ancillarum garrula turba multiplicat, & affectionum carnalium ignis accenditur. Vt verò ad mentem timor redierit, mox confuſio tumultuoſa compeſcitur, & more ancillarum ſe ad iniunctum opus mens ipſa tacitè reprimit; & tunc cogitationes, affectionesque protinus, ſe cauſis proprijs ad vtilitatem ſubdunt. Mentem quoque ipſe timor conſeruat. Breuis igitur & plena commonitio, qua Domino cum amabili timore quis famulatur. Nam ſicut remiſſa ſecuritas culpas admittit, ita timor deſiderabilis delicta ſemper excludit, & mentem conſeruat. Ipſe timor riuos concupiſcentiarum reſtringit, reptilia vitiorum de terra corporis humani exterminat, mare mundi huius conſolidat, vt ſuper illud ambulare quis poſſit. Quid plura? Timor domini, gloria, & gloriatio, & lætitia, et corona exaltationis eſt. Eccl.1. Delectabit nanque cor, et dabit lætitiam, et exultationem in longitudinem dierum.

De diuiſionibus timoris ſeruilis. Cap. III.

NVnc conſiderandum eſt diligenter, quàm multipliciter timor ſeruilis & afficiens animum diſtinguatur. Diuiditur enim ipſe timor in ſegnitiem, erubeſcentiam, verecundiam, admirationem, ſtuporem, et agoniam. Eſt autem ſegnities timor futuræ operationis. Infirmus etenim animus antequam operibus exerceatur, timet illa, et ante tempus cadit. Quid autem dementius, quàm angi futuris? Stultum eſt timere, quod vitari non poteſt. Tutiſsima res eſt nil timere, præter Deum. Timidum fortem non facit animum, niſi reprehenſibilis vitæ conſcientia. Erubeſcentia autem eſt timor in expectatione conuitij. Sed plena victoria, lausque vera eſt non formidare conuitia, ad clamantem tacere, et non reſpondere prouocanti. Habet enim qui huiuſmodi eſt, mercedem de ſua patientia, et de fratris medela, ſi obliuioni detur iniuria. Sicut nihil eſt deformius, quàm reſpondere furioſis, ita nil eſt vtilius, quàm tacere dum prouocamur, quia nullus eſt finis inimicitijs, niſi ad tempus obtemperetur iratis. Verecundia timor eſt in turpi facto, in adoleſcente, ac iuuenculo laus magna, et quid amabilius verecundo adoleſcente? Quàm pulchra, quàm ſplendida gemma eſt verecun-

verecundia, quàm vera et minimè dubia, quæ bonę nuntia ſpei, bonæ indolis index, omnis turpitudinis fuga eſt, ſoror eſt hæc continentiæ. Nullum eſt ita manifeſtum ſignum columbinę ſimplicitatis, et interioris teſtis innocentiæ. Eſt et lampas pudicitiæ ita iugiter lucens in mente, vt nihil in ea turpe, vel indecorum reſidere permittat. Nam ipſa ſpiritualis et commendabilis verecundia, eſt gloria conſcientię, famæ cuſtos, vitæ decus, virtutis ſedes, virtutum primitiæ, naturæ laus, et cauſa totius honeſti. Admiratio timor eſt ex magna imaginatione. Sed quid prodeſt ex admiratione timere, et mala accreſcere? Præſens tempus metu futuri perdere ſtultum eſt. Quicquid vereris ô formidoloſe, nè veniat, id eueniſſe vtique tibi propone; et quicquid illud eſt, tecum ipſe metire, ac timorem tuum taxa. Intelliges autem non magnum, aut longum eſſe, quod metuis. Stupor timor eſt ex inſueta imaginatione. Quem vt caueat homo, debet ſemper cogitare aſpera, quæ euenire poſſent, quia minùs feriunt iacula, quæ præuidentur, ac etiam cuncta futura aduerſa mitius præmunt; tolerabiliusque feruntur, ſi ſedula præuiſaque meditatione ipſorum impetus non formidetur. Agonia timor eſt per caſum ſcilicet fortuitum eueniens, ſed ex continua Dei confidentia roboranda mens eſt, alioquin in his nimis læditur. Quemadmodum pernicioſior eſt hoſtis fugientibus, ſic omne fortuitum incommodum magis inſtat timenti. In vero autem timore domini eſt fiducia fortitudinis, et habentibus eum erit pax, *Psal. 33.* quia nihil timentibus Deum, deeſt.

Ex quibus conſiderationibus humano cordi incutiatur timor, de plurimiſque diei extremi iudicij.

Cap. IIII.

PAtet clarè intelligentibus, quòd ex frequenti ſcripturarum lectione plurimùm acuitur humanus intellectus, & ex aſſidua conſideratione periculorum & *Prou. 28.* pœnalium habituatur anima, & in timore ſolidatur. Propterea; quoniam teſte ſacro eloquio, Beatus homo, qui ſemper eſt pauidus, vt in hoc ſaluberrimo timore legentis animus erudiatur, iuſtum fore exiſtimaui in hoc capitulo ſuccinctè narrare, quæ ſint illa, quæ humano cordi poſsint incutere timorē. Primò nanque conſideratio vehementiſsimæ paſsionis Chriſti. Ex qualitate remedij facilè cognoſcitur vehementia languoris. Conſpui namque Chriſtus voluit, vt nos lauaret: velari voluit, vt velamen culpæ & ignorantiæ à cordibus noſtris auferret: in capite percuti, vt caput noſtrum, ſcilicet Adam ſanitati reſtitueret; colaphis cædi & verbis derideri, vt nos labijs & operibus ipſum laudaremus: demum occidi iubetur, vt vulneribus noſtris precioſo ſanguinis illius balſamo medeatur. Fuſus eſt cruor medici, & factus eſt medicamentum phrenetici. Agnoſcamus igitur, quàm grauia ſint noſtra vulnera, pro quibus neceſſe fuit Dominum Ieſum vulnerari. Secundò, conſideratio noſtræ culpabilitatis. Si enim tantùm timet aliquis criminoſus, qui ſcit ſe reum eſſe vnius criminis, quùm eſt in conſpectu terreni principis; quantùm timere debet, qui multorum reum ſe eſſe cognoſcit delictorum, de examine regis æterni. Et ſi tanta cura pertimeſcitur iudicium pulueris, qua intentione *Iob 31.* cogitandum, & qua diligentia formidandum eſt iudicium tantæ maieſtatis. Sic nanque ipſe dominus noſter vias noſtras conſiderat, & greſſus dinumerat, vt nec minimæ cogitationes, nec verba minutiſsima, quæ apud nos viluerunt, eius iudicio indiſcuſſa permaneant. Ita ergo præſentis temporis eſt agenda lætitia, vt nunquam amaritudo & timor ſequentis iudicij recedat à memoria. Tertiò, conſideratio noſtræ infirmitatis & impatientiæ. Impatientes nanque dùm perturbationi ſuę minimè obſiſtunt; etiam ſiqua à ſe tranquilla mente fuerant benè geſta, confundunt, & improuiſo impulſu deſtituunt, quicquid forſitan laboraſſe longo tempore prouidè videbantur. Conſiderantes quidem ex hoc, quòd nos leuiſsima cauſa turbamur, noſtrum debemus formidare caſum. Plerunque etenim muſca, aut aliquid aliud leuiſsimum ad intolerantiam nos trahit; propter quod nos amittimus ſinceram benignitatem, & manſuetudinem bonorum omnium ornamentum, quæ nunquam ſola eſt quia de virtutibus cognoſcitur eſſe generata. Beatus itaque, qui timorem & manſuetudinem tenet, vt in altero diſciplina ſeruetur, in altera innocentia non opprimatur. Quartò, conſideratio miſericordiæ Dei, quam nobis exhibet in præſenti, quæ eſt indicium magnitudinis iuſtitiæ, quam exhibebit in futuro. Lento enim gradu ad vindictam ſui diuina procedit ira, *Eccl. 5.* tarditatemque ſupplicij grauitate compenſat. Altiſsimus etenim patiens eſt redditor. Patiens redditor dicitur, quia quos diù, vt conuertantur, tolerat, non conuerſos duriùs damnat: & quantò diutius expectat vt emendentur, tantò grauius iudicabit, ſi neglexerint. Quinto, conſideratio operum iuſtitiæ, quæ à

Deo facta leguntur. Si enim angelis peccantibus Deus non pepercit, ſed rudentibus inferni 2.Pet.2. detractos in tartarum tradidit cruciandos in iudicium reſeruari, & qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt domicilium, in iudicium magni Dei vinculis æternis ſub caligine reſeruauit, Iob 4. quanto magis qui habitant domos luteas, & terrenum habent fundamentum, conſumentur velut à tinea, ſi Dei mandata prætererierint? Et ſi originali 2.Pet.2. mundo non pepercit, ſed octauum Noe iuſtitiæ præconem cuſtodiuit, diluuium mundo impiorum inducens, & ciuitates Sodomorum & Gomorreorum in cinerem redigens, euerſione damnauit, exemplum eorum qui impiè acturi ſunt ponens; non terrebitur homo plurimis circunſeptus criminibus hoc conſiderans? Sextò, conſideratio facilitatis pereundi ſpiritualiter & corporaliter; quod quotidie in multis cernitur. Vnde nimium præceps eſt, qui tranſire contendit, vbi conſpexerit alium cecidiſſe; & vehementer effrenis eſt, cui non incutitur timor de alieno caſu. Amator autem ſalutis ſuæ eſt, qui alienæ mortis incurſu, & cladibus cæterorum, prouidus vitæ ſuæ factus eſt gubernator. Septimò, conſideratio omnipotentiæ Dei, cui reſiſtere nemo poteſt, & quem nullus poteſt effugere, de quo per Deut.32. Moſen dicitur: Videte, quod ego ſim ſolus, & non ſit alius præter me. Ego occidam & viuere faciam, percutiam & ego ſanabo, & non eſt qui de manu mea poſſit eruere. Leuabo ad cœlum manum meam, & di- Eſa.47. cam. Viuo ego in æternum. Et alibi legitur; Vltionem capiam, & non reſiſtet mihi homo. Octauò, conſideratio ſapientiæ Dei lucidè videntis omnia, & cui nihil poteſt Heb.4. abſcondi; vnde Apoſtolus: Viuus eſt enim ſermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus; compagum quoque & medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis. Et non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius. Omnia nanque nuda & aperta ſunt oculis eius. Magna proindè dementia eſt ſi diſſimulare volumus, & non timere. Indicta nanque nobis eſt probitatis neceſſitas, quùm agamus coram oculis iudicis cuncta cernentis. Nonò, conſideratio zeli diuinæ iuſtitiæ, qui ex hoc apparet; quòd Deus pater potius voluit, vt vnigenitus ſuus pœnam, quam debebat humanum genus, ſolueret, quàm Rom.8. ipſe eam dimitteret. Quàm ſi non pepercerit proprio filio, nunquid parcet figmento? nunquid parcet ſeruo nequam? Decimò, conſideratio extremi iudicij, circa quod multa attendenda ſunt. Nam de ipſo die ſic habetur Sophoniæ primo: Vox diei domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies illa dies iræ, dies tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris. De hoc die Paulus ait: Terribilis eſt expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt aduerſarios. Attendenda ſunt tamen aliqua, quæ antecedunt iudicium, illud cunctis creaturis horribile aliqua quæ in iudicio erunt. Antecedentia iudicium ſunt tria. Primò ſigna terribilia, ſicut legitur in Euangelio. Erunt Luc. 21. ſigna in ſole, & luna, & ſtellis, & in terris preſſura gentium præ confuſione ſonitus maris & fluctuum, areſcentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ ſuperuenient vniuerſo orbi. Nam virtutes cœlorum mouebuntur. Secundò Antichriſti fallacia. Præualebit enim per callidam ſuaſionem, Bona. li. 7. per fallacem ſanctorum ſcripturarum expoſi- Tho. ver. cap. 8. tionem, per miraculorum operationem, per donorum largitionem, & per tormentorum illationem. Tertiò ignis vehementia. Erit nanque ignis vehementia propter mundi innouationem, propter hominum purgationem, propter maiorem damnatorum cruciationem, & propter maiorem ſanctorum illuminationem. Concomitantia verò iudicium plura erunt, & primo diſceptatio iudicis. In maieſtate nanque viſuri ſunt omnes Deum, quem humiliatum videre & conſiderare noluerunt, vt tantò diſtrictius virtutem ſentiant, quantò ceruicem cordis ad pœnitentiam minus inclinarint. Secundò differentia ordinis. Nam alij non iudicabuntur, & ſaluabuntur, ſicut viri perfecti, de quibus dicitur. Vos autem ſedebitis ſuper ſedes duo- Mat. 19. decim iudicantes duodecim tribus Iſrael. Alij iudicabuntur, & ſaluabuntur, de quibus dominus ait: Eſuriui, & dediſtis mihi manducare. Alij non iudicabuntur, & damnabuntur, de his dicitur in Euangelio: Qui Ibid. 25. non credit, iam iudicatus eſt. Alij iudica- Ioan. 3. buntur, & damnabuntur, quibus dicetur in Mat. 25. iudicio: Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare. Tertiò ſigna paſſionis, prout dici- Ibid. 24. tur Matthæi 24. Tunc parebit ſignum filij hominis. Conſidera enim ò peccator, quanta ſit virtus crucis. In die nanque iudicij Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum, vt diſcas, quantum Crux Luna lucidior, & Sole ſplendidior ſit. Apparebit autem Crux, vt oſtendatur Domini Noſtri Ieſu plena & glorioſa victoria, & vt quàm miſericorditer etiam electi ſaluati ſunt, clareat. Proinde vide ò homo, quid de Deo tuo ſentias, vide

quan-

quantum de eo præſumas, vide quibus brachiis amoris amplectendus ſit, qui tanti te æſtimauit, vt pro te in cruce penderet, & pro Pſal. te moreretur. Mors etenim ipſius à morte te liberat, ſapientia ab errore, & gratia à peccato. Mors nanque per iuſtitiam ſuam peregit victoriam, quia iuſtus, quæ non rapuit, tunc exoluit. Per ſapientiam documentorum diſciplinæ adimpleuit. Pſal. Gratia verò ex illa poteſtate peccata dimiſit: quæ omnia, quæcunque voluit, fecit. Apparebit etiam crux in oſtenſione ſuæ iuſtitiæ, vt appareat quod iuſtiſsime reprobi ſint damnati, ad quos Dominus Ieſus in ſpiritu ſic loquitur. Ego propter vos homo factus ſum, propter vos alligatus, conſputus, deluſus, flagellatus, & crucifixus. Vbi eſt tantarum mearum fructus iniuriarum? Ecce precium ſanguinis mei, quem dedi pro redemptione animarum veſtrarum. Vbi eſt ſeruitus veſtra, quam pro precio ſanguinis mei mihi dediſtis? Ecce ſuper gloriam meam vos habui, quum eſſem Deus apparens homo, & viliorem me omnibus rebus veſtris habuiſtis. Nam omnem rem viliſsimam terræ amplius direxiſtis, quàm iuſtitiam meam & fidem. Et alibi in exprobationem reproborum loquitur Prou. 1. Sapientia dicens. Vocaui, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret, deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo vos, quum vobis, quod timebatis, aduenerit, quum irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit, quando venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia. Ibid. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam, mane conſurgent, & non inuenient me, eo quod exoſam habuerint diſciplinam, & timorem Domini non ſuſceperint, nec acquieuerint conſilio meo, & detraxerint vniuerſæ correptioni meæ. Quartò ſeueritas iudicantis. Non enim flectetur timore, quia po-Heſt. 13. tentiſsimus eſt, de quo legitur. Non eſt, qui tuæ poſsit reſiſtere voluntati. Tu enim feciſti cœlum, & omnia, quæ ambitu cęli continentur, quoniam dominus vniuerſorum tu es. Nec flectetur munere, quia ditiſsimus eſt. Veniet nanque, veniet dies iudicij, in qua plus valebunt pura corda quàm aſtuta verba, & conſcientia bona quàm marſupia plena. Nec flectetur amore, quia iuſtiſsimus eſt. Expectatur dies iudicij ait quis, & aderit ille æquiſsimus iudex, qui nullius potentis perſonam accipit. Nec errore falletur, quia ſapientiſsimus eſt. Iſta nempe eſt ſcientia ſummi iudicis, iſte tremendus aſpectus, cui peruium eſt omne ſolidum, & apertum omne ſecretum, cui obſcura clarent, muta reſpondent, ſilentium confitetur, & ſine voce mens loquitur. Et ideo quum eius ſapientia ſit tanta & talis, non præualebit contra eam præclariſſimum eloquium, & aſtutia verſutorum oratorum. Quintò accuſator horribilis. Tres accuſatores tunc contra peccatorem ſtabunt, primus erit diabolus. Præſtò enim tunc erit diabolus recitans verba profeſsionis noſtræ, & infuſionis gratiam. Obiiciet nanque nobis quæcunque fecerimus, & in quo loco, & in qua hora peccauimus, & quid boni tunc facere debuimus. Dicturus eſt enim ille aduerſarius. Aequiſſime iudex iudica iſtum meum eſſe ob culpam, qui tuus eſſe noluit per gratiam. Tuus eſt per naturam, meus eſt per miſeriam. A te accepit immortalitatis ſtolam, à me accepit hanc maculatam & pannoſam, qua indutus eſt, tunicam. Tuam dimiſit veſtem, & cum mea hùc venit. Heu heu poterit ne talis aperire os, qui talis inuenietur; vt iuſte cum Diabolo deputetur. Alius accuſator erit proprium ſcelus. Tunc loquentia ſimul opera noſtra dicent. Tu nos egiſti, opera tua ſumus, non te deſeremus, tecum erimus, & tecum ad iudicium pergemus. De hoc ſic Sap. 4. legitur. Venient in cogitationes peccatorum ſuorum timidi, & traducent illos ex aduerſo iniquitates ipſorum. Accuſator erit quoque mundus. Merito nanque totus mundus accuſator erit, quia offenſo creatore offenditur totus mundus. Scriptum eſt Ibid. 5. etiam. Pugnauit pro eo orbis terrarum contra inſenſatos. Sexto teſtis infallibilis. Tres enim teſtes habebimus, vnum ſupra nos, ſcilicet Deum, de quo ait Hieremias. Ego ſum iudex & teſtis dicit dominus. Alium intra nos, ſcilicet conſcientiam propriam. Hie. 29. Quiſquis es ò homo, qui futurum iudicium times, præſertim conſcientiam corrige. Sermo nanque cauſæ tuæ teſtimonium conſcientiæ tuæ. Alium iuxta nos, ſcilicet angelum cuſtodem noſtrum, de quo ait Iob. Reuelabunt cœli, id eſt angeli, iniquitatem Ibid. 20. eius. Septimo arctatio peccatoris. O quàm anguſtæ viæ tunc erunt reprobis. Superiùs erit iudex iratus, inferiùs horrendum chaos: A dextris peccata accuſantia, à ſiniſtris infinita dæmonum multitudo trahens ad ſupplicia intùs conſcientia vrens, foris mundus ardens. Miſer peccator ſic deprehenſus quo fugiet? Latere erit impoſsibile, apparere intolerabile. Octauo ſententia irreuocabilis, quam ſequetur miſertima calamitas damnatorum. Ponentur enim in inferno, vbi erit frigus intolerabile, ignis inextinguibilis, vermis immortalis, fætor importabilis, tene-

bræ

bræ palpabiles, flagella cædentium, horrenda viſio dæmonum, confuſio peccatorum, & deſperatio omnium bonorum. Erit nanque miſeris mors ſine morte, defectus ſine defectu, quia mors ibi ſemper incipit, & deficere neſcit. Quiſquis itaque ad toleranda inferni mala deſcenderit, nequaquam vlterius ad lucem redibit, quia minimè vltra miſericordia parcentis liberat, quos ſemel in locis pœnalibus iuſtitia iudicantis damnat.

De ſpeciebus timoris, atque ipſius perfectione. Cap. V.

NVnc in hoc vltimo capitulo de timore, (Deo fauente) de ſpeciebus timoris, & de ipſius perfectione dicendum eſt, vt clareat intuentibus, quo agitantur timore quum trepidant, & quando defectuosè, quandove laudabiliter pauent. Horum enim ſcientia perutilis eſt. Sciendum igitur, quòd ſeptem ſunt timoris ſpecies, quarum prima eſt naturalis. Hoc timore quilibet timet naturaliter nociuum naturæ. Hic timor non eſt meritorius, neque demeritorius, quia non ſubiacet libero arbitrio. Et dicitur naturalis, non à natura inſtituta, ſed deſtituta, quia iſte timor eſt pœna pro peccato primorum parentum inflicta. Timor iſte de futura morte neceſſario mentem concutit, & quaſi ſupra vires in terrorem adducit. Iſto enim timore Chriſtus naturaliter mori timuit. Secundus eſt timor humanus, quo quis timet pelli ſuæ. Iſte timor naſcitur ex nimio amore præſentis vitæ, & eſt quandoque mortalis actus, ſcilicet quando quis prius peccaret mortaliter, quàm amitteret vitam ſuam, quandoque eſt venialis, vt quum quis faceret prius peccatum veniale, quàm permitteret ſe occidi. Propter hunc timorem non debet homo delinquere. Nam inter eum, qui decem vixerit annos, & eum, qui mille, poſtquam idem finis aduenerit, & irreuocabilis Heb. 11. mortis neceſſitas, tranſactum omne tempus idem eſt, niſi quòd magis ſenex magis onuſtus faſce peccatorum proficiſcitur. Non eſt ergo pro hac mortis ineuitabili neceſſitate & Ioan. 11. timore à iuſtitia declinandum. Tertius eſt timor mundanus, quando aliquis nimis timet temporalia perdere. Talis timor fuit in Iudæis, qui occiderunt Chriſtum, ne temporale amitterent regnum. Iſte timor multos habet cruciatus. Diuitiæ enim plus cruciant adeptæ amiſſionis timore, quàm delectet cupiditas adeptionis amore. Non enim formidanda eſt diuitiarum amiſſio, quarum ſequela eſt luxuria, ira intemperans, furor iniuſtus, arrogantia, ſuperbia, & omnis irrationabilis motus. Facilis enim res eſt humanum cor opibus ac libertate diſſolui, ærumnis verò ac paupertate ad ſemetipſum colligi. Quartus eſt timor ſeruilis, quo quis timet peccare propter pœnam principaliter, ſed inaniter putat ſe eſſe victorem peccati, qui timore pœnæ non peccat, quia ſi non impletur negotium malæ cupiditatis, ipſa tamen mala cupiditas intus eſt hoſtis. Nam ſi adhuc à praua actione formidanda pœna prohibet, profectò formidantis animum nulla ſpiritus libertas tenet. Nam ſi pœnam non metueret, culpam proculdubio perpetraret. Ignorat itaque gratiam libertatis, quem ligat timoris ſeruitus. Quintus eſt timor initialis, quo timet quis Dei offenſam & pœnam. Vnde quaſi habet duos oculos, vnum ad pœnam, & alterum ad Dei offenſam, & hic eſt prædictus principalior. Igitur ò tu qui adhuc initiali & non filiali timore teneris, ſi te amor Dei à peccato non cohibet, ſaltem te prohibeat, terreatque timor iudicij, metus gehennæ, laquei mortis, dolores inferni, ignis vrens, vermis corrodens, & flamma tartarea. Ex talium conſideratione Deum time, & hæc non formidabis. Noueris proinde te, diſce, quæ peccantibus Deus comminetur vt eum timeas. Sed & ipſum noueris, vt ipſum diligas, in vno initians ſapientiam, in altero conſummans; quia initium ſalutis timor Domini, & plenitudo legis Charitas. Quemadmodum ex notitia tui venit in te timor Dei, atque ex Dei notitia naſcitur amor; ſic econtrariò de ignorantia tui, ſuperbia, ac de Dei ignorantia venit deſperatio. Sextus eſt timor filialis, quo quis timet offenſam Dei, quia non vult ſeparari à Deo. Perfectus hic timor in dilectione firmatus foras mittit timorem ſeruilem, & perfectam operatur iuſtitiam. Sed facilè deuiat à iuſtitia, qui in cauſis non Deum, ſed homines pertimeſcit. Hic timor peccandi facultatem auferre poteſt, voluntatem auferre non poteſt. Solus eſt timor Dei & filialis, qui mentes corrigit, fugat crimina, innocentiam ſeruat, & perpetuam tribuit felicitatem. Septimus eſt timor reuerentiæ, qui ſolus erit in patria, de quo in Pſalmo canitur. Timor Domini ſanctus permanet in ſæculum ſæculi. Reuerentia namq; eſt reſilitio à conſiderata magnitudine Dei in propriam paruitatem. Quũ. n. ſupernorum ſpiritus eſſentiam Dei ſimpliciſſimã, omnipotentem, æternam, nullius egentem, omnia replentẽ, ſcientem, continentem, & tranſcendentem conſpiciunt, præ admiratione ac veneratione tremunt, & adorant, quem tamen ſine fine laudabilem

dabilem et adorandum eſſe intelligunt: Hic eſt finis ſine fine, et terminus, quo gradatim aſcen- Pſal. 18. dit timor Domini immaculatus, et ſanctus, procedens à virtute fidei tanquàm truncus à radice. Nemo enim ſanè intelligentium ambigere debet, quin ex cognitione periculi generetur timor, & quòd nihil timet qui nihil poſſidet, aut ſperat. Et quum conſtet, quòd fides eſt de re inuiſibili, clarè lucet, quòd ex lumine fidei oritur timor. Quomodo non pauebit homo ex illuſtratione fidei edoctus, infra ſe eſſe puteum damnationis æternę, & ſupra ſe claritatem vitæ perpetuæ, ſeque in medio conſtitutū, præcipuè quum facilis ſit deſcenſus, aſcenſus autem plurimùm difficilis. Meritò nāq; qui addit ſcientiam fidei, addit timorem nè amittat bonum promiſſum, aut incurrat in pœnam propoſitam. Beatus igitur, cui eſt donatum timere Deum, & in mandatis ipſius velle nimis, quia re vera potens in terra viuentium erit ſemen Pſal. 111. eius. Gloria quippe reſurrectionis, immortalitatis & ſpeciei decorabitur tabernaculum corporis eius, & diuitiæ pacis, exultationis, & æternæ felicitatis in domo conſcientiæ ipſius erunt; ſed & iuſtitia operum illius manebit in ſęculum ſęculi. Hunc Domini timorem fratres tenete, hunc ſi ad culmen virtutum anhelatis pertingere, ſectamini. Quia in veritate comperi, nihil tam eſſe efficax ad æquirendam virtutem, ad promerendam gratiam, retinendam, recuperandamque, & ad adipiſcendam gloriam, quàm ſi inue- Rom. 11. niamur coram Deo ſemper ambulare ſimpliciter, & non altum ſapere, ſed ipſum timere, qui regnat in cœlis.

DE VIRTVTE FIDEI, QVAE VISIbilium vanitatem, ac inuiſibilium homini efficaciter oſtendit veritatem, atque de ipſius virtutis deſcriptionibus, quæ virtus hoc opuſculo Ligni vitæ eiuſdem ligni radicis effectum gerere comprobatur.

Cap. I.

Pſal. 12. ILlumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, ne quandò dicat inimicus, præualui aduerſus eum. Hanc orationem protulit Propheta in perſona omnium peregrinantium à Domino, & in hac regione vmbræ mortis laborantium, poſcentium illuminari, nè cadant in peccata, & ab inimicis ſubſannentur. Nihil planè melius, nil breuius, quàm lumen flagitare potuit, præſertim ſe in tenebris intelligens. Donec enim in corpore conſtituti ſumus, plurimis tenebrarum vinculis irretimur, quibus verum, æternumque lumen nè videamus, impedimur. Quid nanque peccatum dixerim, niſi tenebras, per quod intellectus noſter obtunditur & obumbratur; nè veritatis lumen aſpiciat? Quid carnem & corpus, niſi caliginem opaciſsimam nuncupauerim; in quo donec rationalis ſpiritus detinetur, retrahitur ab aſpectu diuinæ claritatis & gaudij, quantumcunq; polleat ſanctitate? Quidve hic mundus, & omnia quæ in mundo ſunt, appellari poſſunt rectius, quàm tenebræ? quanquàm enim aliter iudicentur ab ipſorum amatoribus, veræ tamen tenebræ ſunt, & palpabiles. Oſtendunt enim ſe eſſe, quod non ſunt, & falſis ſuis pollicitationibus inſipientium deludunt animos. Trahunt illos poſt ſe funiculis vanæ ſpei, & irrationabilis ſecuritatis. Promittunt fœlicitatem, prolixam vitam, & in extremis miſericordiam, quùm hæc nequaquàm conferre queant. O filij hominum graues Pſal. 4. corde, vt quid tanta auiditate ambitis hæc, tantaque ſedulitate hæc quæritis? O præuaricatores, reuertimini ad cor, intelligite non intelligen- Eſa. 46. tes, quia omnes mundi promiſsiones ſeductoriæ ſunt, omnes blanditiæ venena, cunctæ delectationes pocula mortalia, viæque illius ſempiterna mors. Cui nanque ſuo dilectori dedit, quod promiſit, quem diu regnare permiſit? Nonne vno eodemque tempore ſublimauit, & deiecit? Vbi (rogo) potentum gloria, vbi varia ſupelex, deaurata veſtis, clientum numeroſitas, diuitiarum multitudo, & odoramentorum diuerſa genera? Nunquid profuerunt hæc amatoribus ſæculi, aut ab exitio eripere valuerunt? Tranſierunt cuncta, & alienis reliquerunt, quæ cum magno labore congregauerunt. Dormierunt vtique ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt Pſal. 75. omnes viri diuitiarum in manibus ſuis. Quare hæc non aduertitis? cur aliorum exemplo non erudimini? vt quid pereuntium caſus non incutit vobis terrorem? An legem nouam ſeruabit in vobis, & verax eſſe poterit, qui ſemper comprobatus eſt fallax? Reſipiſcite ò inſipientes, redite ad vos, recogitate de vobis, ne fortè rapiamini, & non ſit qui eripiat. Veniet, veniet ex- Pſal. 39. trema dies, quum non putatis. Veniet & horrenda mortis hora, in qua rugient circa vos aduerſarij veſtri maligni ſpiritus, qui nunc ſeducunt blandis promiſsis; vt miſeram animam veſtram auferant, & ſecum inextinguibili igne cruciandam demergant. Circunſpicietis, nec erit qui adiuuet, clamabitis, & nullus exaudiet. Fiet ſuper vos cęlum æneum, et ſuper vos aperietur teterrimum chaos abyſsi. Peribit tunc omnis ſpes, et quoniam exoſam habuiſtis diſciplinam, Prou. 1. non poteritis liberari. Propterea nunc dum tempus eſt veniæ ò ſæculi amatores, apprehen- Pſal. 2. dite diſciplinam, erudimini, qui habitatis orbem, reſpuite hæc vana mundi huius, quæ aut concupiſcentia carnis, aut oculorum, aut vitæ 1. Ioan. 2. ambitio eſt. Contemnite viſibilia, quia laquei ſunt pedibus peccatorū. Relinquite quę in mundo ſunt, antequàm ab ipſis deferamini. Toto deſiderio ad inuiſibilia animū ſubleuate. Vociferamini, et clamate. Orate ſpiritu, orate et mente; 1. Cor. 15. et cum Propheta dicite, Illumina ò domine Ieſu Pſal. 12.

oculos

oculos noſtros lumine fidei, ne vnquã in morte peccati obdormiamus, dicatque irridendo, & cruciando inimicus noſter Diabolus, præualui ad peccatum pertrahendo aduerſus eos. Verè enim, niſi homo carnalis illuſtretur lumine fidei, non poterit ſe continere a peccato, nec Gal. 3. iuſtificari, quia iuſtus ex fide viuit. Nam ſicut in radice arboris nulla prorſus apparet pulchritudinis ſpecies, & tamen quicquid eſt in arbore pulchritudinis & decoris, ex illa procedit, ſic ex fidei humilitate, quicquid meriti, quicquid beatitudinis anima ſuſceptura eſt, ex cęterarum virtutum exercitatione procedit. Ideoque in hoc opuſculo Ligni vitæ non immeritò radicis huius ligni ſortitur nomen, tanquam neceſſarium ipſarum fundamentum virtutum, de qua Hebr. 11. neceſſitate dicitur: Sine fide impoſsibile eſt placere Deo. Ipſa nanque eſt, quæ inuiſibilium tribuit notitiam, & viſibilium efficit hominem cõtemptorem. Sic enim diffinit illam Apoſtolus, Hebr. 11. Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium. Eſt etiam fides voluntaria quædam, & certa prælibatio needum propalatæ veritatis. Eſt quoque fides perceptio veritatis rerum cum aſſertione ſine cauſarum cognitione. Ex quibus patet, quod ex lumine fidei datur inuiſibilium intellectus. Quæ quùm agnoſcuntur, facilè & liberè omnia, quæ poſsidentur, contemnuntur, & cuncta, quæ in mundo ſunt, ordinatè diliguntur. Vnde quicunque Deo placere cupit, quiſquis ad virtutum cæterarum perfectionem affectat aſcendere, quiſquis de peccatorum tenebris liberari deſiderat, non aurum, non honores, non pulchritudinem à Domino petat, ſed fidem; de qua in ſequentibus latiùs Domino donante dicetur.

De duplici cognitione, & diſtinctione informis fidei, & formatæ. Atque de commendatione ipſius fidei formatæ. Cap. II.

QVoniam in capitulo præcedenti veraciter dictum eſt, quod Propheta poſtulauerat à Domino fidem, ipſam vocando lumen, per quod poſſet veritatis & inuiſibilium notitiam habere, ne omnis cognitio fides appelletur, prius diſtinguendę ſunt cognitiones, per quas haberi poteſt notitia Dei & inuiſibilium, & poſtea de ipſa fide tractandum eſt. Igitur notandum eſt, quod duplex eſt de Deo cognitio, ſcilicet naturalis, & accidentalis. Naturalis duplex eſt, ſcilicet ante peccatum, qua homo cognoſcebat Deum aperte. Cognouit enim à quo creatus fuerat, non eo modo cognoſcendi, quo ex auditu ſolo percipitur, quomodo à credentibus abſens quæritur, ſed quadam interiori aſpiratione, qua Dei præſentiam contemplatur, non tamen ita excellenter, ſicut poſt hanc vitã ſancti viſuri ſunt, neque in ænigmate, qualiter in hac vita videmus. Alia poſt peccatum, & hęc eſt per ſpeculum in ænigmate. Cuncta enim hęc quæ videntur, ſunt quoddam ſpeculum, per quod cognoſcitur Deus. Accidentalis verò cognitio triplex eſt. Prima acquiſita eſt per rationes naturales, quam habuerunt Philoſophi, qui ex perpetuitate creaturarum intellexerunt creatorem æternum; ex magnitudine, omnipotentem; ex ordine & diſpoſitione, ſapientem, & ex gubernatione, bonum. Secunda eſt, quæ habetur ex teſtimoniis ſcripturarũ, quibus colla ſubdenda ſunt, vt ad intellectum quiſque per fidẽ veniat, & ex miraculis. Nam miracula in ſignum ſunt non fidelibus ſed infidelibus, quia ſignum fidelibus non eſt neceſſarium, qui iam crediderunt, ſed infidelibus vt conuertantur. Et hæc cognitio fidei informis dicitur. Tertia eſt, quæ habetur per infuſionem gratiæ gratum facientis, & hæc dicitur fides formata, & per eandem cognitionem aſſentit anima primæ veritati. Vnde ea adueniente pereunt omnes aliæ cognitiones accidentales, ſaltem quo ad actum. Fides igitur hæc formata per dilectionem & charitatem virtus eſt, qua non viſa creduntur. Magna vtique virtus eſt fides hæc. Primo quia eſt actus voluntatis. Vnde ille, qui intenſe amat Deum, voluntarius eſt ad credenda omnia, quæ de eo rectè prolata ſunt, & ei beneplacita. Similiter quia eſt modus difficultatis, quia conſentit Deo in iis, quæ contra rationẽ videntur eſſe. Tranſcendit enim vſum naturæ, & rationis humanæ, & experientiæ terminos. Si enim diuina operatio tota comprehenderetur, non eſſet admirabilis, nec fides habet meritum, vbi humana ratio præbet experimentum. Prætereà quia eſt exceſſus dignitatis. Nam fides eſt radius viuus procedẽs à fonte vitæ, & à Sole intelligentiæ. Vnde non ſolum lucet & calefacit, ſed etiam eſt vita mouens ad faciendum bonum, & declinandum malum. Niſi enim fides teneatur, nullatenus ad ſpiritualem amorem attingitur. Sed neq; mentis humanæ acies inualida in contemplatione æternæ lucis figitur, ſi non per iuſtitiam fidei emẽdetur. Poſtremo quia eſt opus ſtrenuitatis. Perfectorum etenim fides facit carnem vincere, propriis voluntatibus contraire, delectationem vitæ præſentis extinguere, huius mundi aſpera pro æternis amare, proſperitatis blandimenta contemnere, & aduerſitatis metum in corde ſuperare.

Quæ ſit differentia inter credere Deo, credere Deum, & credere in Deum. Cap. III.

SIcut in Metallis argẽtum plumbo eſt precioſius, & aurũ argẽto, ſic & in actu fidei, atq; diuerſitate magna eſt differẽtia. Sciẽdum igitur quod aliud eſt credere Deo, aliud credere Deum, aliud credere in Deum. Credere Deo, eſt credere vera eſſe, quę loquitur, quod

& mali

& mali faciunt: vndè credimus Paulo, ſed non in Paulum; credimus homini, ſed non in hominem. Credere autem Deum, nihil aliud eſt, quàm eum cum aſſertione cogitare. Per hanc credimus Deum eſſe, quod & homines mali faciunt; Nam & dęmones credunt, & cōtremiſcunt. (Iacob.2.) Et hæc fides eſt neceſſaria, quia ſine ipſa non poſſumus adamare Deum, nec in ipſo ſperare. Nam etſi non viſa adamare poſſumus, incognita tamen non poſſumus. (Aug. de Trin. lib. 9. to. 3.) Hæc nempe fides, qua credunt dæmones & homines mali Deum eſſe, qualitas eſt mentis, ſed informis, quia ſine charitate eſt, quam homines malos poſſe habere Apoſtolus declarat dicens. Si habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Credere verò in Deum, eſt credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adhærere, & eius membris incorporari. (1.Cor.13.) Per hanc fidem iuſtificatur impius, vt demum incipiat ipſa fides per dilectionem operari. (Gal.5.) Ea enim ſola opera benedicenda ſunt, quę fiunt per dilectionem Dei. Ipſa nanque dilectio opus fidei dicitur. Ad hanc fidem mouere nos debent diuina opera, quæ nobis oſtendunt diuinam excellentiam. Debemus autem attendere diuinorum operum vtilitatem, ſimul & pulchritudinem, vt eum cognoſcamus omni ſcientem. Debemus quoque conſiderare illius operum finem, vt ſciamus eum ſummè beneuolentem. In opere etiam reparationis humanæ eius debemus mirari charitatem, & in eo quod redemit ſeruum, diuinam meditari bonitatem. Quis ergo (niſi ſtultus) non iudicet eſſe indignum non credere in eum? Qui poteſt omnia ſine reſiſtentia, qui ſcit omnia ſine fallacia, & cui omnia bona placent abſq; maleuolentia.

De multiplici commendatione virtutis fidei. Cap. IIII.

(Heb.11.) Quoniam, dicente ſcriptura, impoſſibile eſt ſine fide Deo placere, nunc commendationi fidei inſiſtendum eſt, quatenus ex ipſius pulchritudinis inſpectione accendatur animus ad ipſam impetrandam & poſſidendam. Plurimum nanque Deo placet hæc virtus fidei, quoniam intellectum Deo ſubiicit. Percipit nanque veritatem rerum ſine cauſarum cognitione, beneficia & mirabilia à Deo impetrat. (Math.8.) Vade (inquit Ieſus Centurioni) fiat tibi ſicut credidiſti. Credidítq; Abraham Deo, & reputatū eſt illi ad iuſtitiam, & multarū gentium parer effectus eſt. (Rom.4.) Hæc virtus eſt, per quā Deus ad hominem ingreditur; quia eſt ex ſui dignitate porta aurea, per quam intrauit in mentem virginis dominus omnium, rex ſęculorum, lux & decus vniuerſæ fabricæ mundi. Beatior ſiquidem fuit glorioſa virgo Maria percipiendo fidem Chriſti, quàm concipiendo carnem Chriſti. (Aug. lib. de virg. to.6.) Nihil .n. materna propinquitas Mariæ profuiſſet, niſi fęlicius Ieſum corde quam carne geſtaſſet. Eſt etiam fides porta ferrea; quia portæ inferi non preualent aduerſus eam, ſicut Petro à Domino dictum eſt. (Mat.16.) Profectò qui intimo cordis amore fidem Chriſti percipit, quicquid ingruit extra, facilè vincit, ita vt nec ferro, nec igne ſuperari poſsit: olā tormenta propter Chriſtum contemnit, nihil præter peccatum metuit, Diaboli artibus intantum reſiſtit, quòd etiam quos ipſe iam in peccatum adduxit, de manibus eius retrahit. Eſt etiā porta ſignata, ſuperliminare cuius dicitur tinctum eſſe ſanguine Chriſti; (Exod. 2.) vt intuitu paſsionis eius mens ſuperbiam caueat. Eſt quoque porta ſacrata tabernaculi .ſ. eccleſiæ militantis, vbi hoſtia offerenda eſt. (Leuit.1.) Si .n. conſiderantur, quę Domino in eccleſia munera offeruntur, nil gratum eſſe conſpicitur, quod ſine fide offertur. Nam fide Abel plurimam hoſtiam obtulit Deo per quam conſecutus eſt eſſe iuſtum, teſtimonium perhibente eius muneribus Deo, & per illam adhuc loquitur. (Heb.11.) Et ſimiliter hæc porta theſaurariæ quia oſtendit theſaurum regni cœlorum, quem daturus eſt ſeruientibus ſibi Deus. Hęc denique beata fides conterit Philoſophiæ ſtimulum, & humanę prudentię indoctā doctrinā. Nam auferuntur argumenta, vbi fides quæritur. Piſcatoribus nanq; plùs creditur, quā dialecticis. Elegit .n. Dominus Ieſus Deus & Saluator noſter ſimplices & pauperes, ſed in fide diuites, per quos ſubiugaretur mundus. Relictis planè ſapientibus, relictis fortibus debiles, relictis diuitibus pannoſos homines elegit, & prædicatores infirmos abiectoſque; qui potentes quoſque & fideles populos colligerent, habere dignatus eſt. Ad prædicandam nanq; fidem tales venire debuerant, qui de laude propria nil haberent, vt tantò ſolidiùs diuinum cognoſceretur eſſe, quod agerent, quantò & apertius cerneretur ad hoc illos non eſſe idoneos per quos tanta fierent. O beatos piſcatores iſtos, quos Dominus Ieſus inter tot doctores legis & ſcribas, inter tot ſæculi ſapientes, ad diuinæ prædicationis officium, & ad gratiā Apoſtolatus elegit primos. (1.Cor.1.) Et digna ſanè Domino noſtro, atque conueniens prædicationi eius fuit talis electio; vt in prædicatione nominis ſui tantò maioris laudis admiratio naſceretur quantò eam hominum miſerrimi & humili ſecundum ſæculum prædicaſſent, qui non per ſapientiam verbi mundum caperent, ſed per ſimplicem fidei prædicationem de horrore mortis humanum genus liberarent. (Aug. de verb. do. to.10.) Non ergo nobiles mundi elegit, nè ſuſpecta fieret prædicatio; non ſapiētes ſęculi, qui per ſapientiā mūdi perſuaſiſſe humano generi crederentur, ſed elegit piſca-

piſcatores, illiteratos, imperitos, indoctos; vt aperta eſſet gratia Saluatoris. Humiles quidèm in ſæculo etiam ipſo artis officio, ſed præcelſos fide, ac deuotæ mentis obſequio, ignobiles ſæculo, ſed nobiles Chriſto: non ſcriptos in albo terreni ſenatus, ſed in gloria triumphantis Eccleſiæ: deſpectos terræ, ſed acceptiſſimos cœ-
Io.13. lo. Scit enim Dominus, quos elegit, qui cordis
Pſ.41. hominum occulta nouit, non qui ſapientiam ſeculi quærerent, ſed Dei gloriam deſiderarēt, nec diuitias mundi acciperent, ſed theſauros cœleſtes optarēt. Hæc beata fides tranſcendere facit humanum ſenſum. Nam ille fidelis dicitur,
Pſal.10. qui nec ſibi credit, nec in ſe ſperat, factus tāquā
Ioan.12. vas perditum, ſed ſic perdens animam ſuam, vt in vitam æternam cuſtodiat eam. Adauget quoque fides homini meritum. Nam apud Deum ille plus habet meriti, qui plus attulit, non argenti, ſed fidei. Conſidera igitur ò homo, quid à te requirat diuina bonitas, quid velit immenſa Dei pietas, vtique quod facilè implere poſſit nuda paupertas, deſpecta mediocritas, rudis ſimplicitas. Non permultas detraheris ambages, nec duris difficultatibus occupandis inuolueris. Quod à re, & pro re repoſcitur, intra te eſt, ideſt oris famulatus, & cordis affectus, ſecundum illud:
Rom.10. Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem. In anima ergo tua poſuit omnia præſidia animæ tuæ dominus Deus tuus; vt vnde peccatum egreditur, indè & peccati medicina petatur. Ipſa eſt primogenita virtutum. Beatificantur, qui non viderunt, & crediderunt.
Ioan.20. Nam tales, qui ex fide ſunt, benedicentur cum
Gen.22. fideli Abraham. Hæc cœleſtis & ſancta fides reprimit fluctus tribulationum inſurgentium in
Gen.3. hoc mari, & conterit caput ſerpentis antiqui, ipſum inimicum expellit ab homine, & ipſius
Eph.6. ignea tela extinguit. Oculum aperit, vt videatur hoſtis, qui quùm non videtur, per abrupta vitiorum ducit ad mortem, cuius figura præceſsis in
Iud.13. Sanſone. Fides ſimiliter Diabolo contumeliam infert, oſtendens ipſum non eſſe Deum; ſed totius mali auctorem, & iam iudicatū exiſtere. Nam ipſe Diabolus eſt mali auctor, nequitiæ origo, bonorum hoſtis, corruptor ſeculi, homini ſemper inimicus. Ille laqueos tendit, lapſus parat, foueas fodit, aptat ruinas, ſtimulat corpora, pungit animas, cogitationes ſuggerit, mittit iras, dat virtutes odio, vitia addit, errores ſerit, diſcordias nutrit, pacem turbat, affectus diſſipat, humana violat, & diuina contemnit. Nā quantò propinquius finem mundi videt, tantò crudelius tentationes exercet, vt qui ſe continuò damnandum conſpicit, ſocios ſibi multiplicet, cum quibus gehennæ ignibus addicatur. Poſtremò ipſa fides ingenti laude, eſſe digna comprobatur pluribus rationibus, videlicet quia excedit omnem rationem, ſicut patet de fide Abrahæ, qui Deo quòd in ſenectute decre-
pita filium haberet, pollicenti credidit, & Sarræ Gen.17. &
quæ fidei virtute in conceptione ſeminis acce- 18.
pit, & præter tempus ætatis, quoniam fidelem
credidit eſſe eum, qui repromiſerat. Quia exce- Hebr.11.
dit omnem comprehenſionem, teſtante ſcriptu-
ra, quæ ait, Vere tu es Deus abſconditus. Et Eſa.45.
alibi, Deum nemo vidit vnquam. Nam & Deo Ioan.1.
credit, qui Sanctis ſuis credit, in quibus loquitur Deus. Propterea qui de credulitate inuiſibilium ſolidus non eſt, debet proculdubio maiorum dictis fidem præbere, eiſque per ſpiritum inuiſibilium experimentum habentibus credere. Nam ſtultus eſt puer, ſi matrem de luce ideò putat mentiri; quia ipſe nihil aliud quam tenebras carceris nouit. Quia excedit omnem aliam cognitionem, dum attingit fides quod non capit intellectus. Et quid eſt, quod non inueniat fides? Attingit inacceſſa, deprehendit ignota, comprehendit immenſa, apprehendit nouiſsima, ipſamque æternitatem ſuo vaſtiſsimo ſinu complectitur. Quia docet rudem conditionem, ideſt humanam. O theſauris omnibus opulentior fides, ò virtutibus corporeis omnibus fortior, omnibus medicamentis ſalubrior, beati, qui poſsident te. Notandum autem quod duo ſunt neceſſaria ad hoc, vt firmiter credatur. Primum eſt illuſtratio veritatis animam eleuans; ſecundum eſt rectificatio auctoritatis inſtruentis animum, quorum vnū eſt per fidem, alterum per ſcripturam autenticam, & per Spiritum ſanctum editam. Auctoritas ergo præbet fulcimentū fidei, & fides aſſentit auctoritati. Vtrunque verò per Chriſtum eſt, propter quod & ſplendor, & verbum dicitur; quia mentem per fidem illuminat, & veritatem per doctrinam oſtendit.

Quanta bona homini augeantur, & quantum proficiat homo ex fidei virtute. *Cap. V.*

SIcut ex cibi ſumptione nutritur, creſcit, & roboratur corpus, ſic ex fidei abundantia & claritate coaleſcit, atque ad perfectionem aſcendit ſpiritus. Ex qua conſideratione vt interior homo concupiſcat hanc, & ea ſtudeat repleri, nūc de ipſius multis vtilitatibus fidei loquendum eſt, quia tanto auidius eſca ſumitur, quanto valetudini corporis vtilior eſſe dignoſcitur. Et quis dignè multiplices huius virtutis fari poterit vtilitates? Nam plurimæ ſunt, nec tamen ſilentio tegendæ. Fides eſt lux ſplendens in corde illam poſsidente, & eſt lux præcedens intellectum; quia intellectus eſt merces fidei. Eſt planè mentium illuminatiua, viarum Dei oſtenſiua, & dubiorum omnium manifeſtatiua. Eſt etiam viua, fida, & ſalutaris columna deducēs per deſertum mundi huius oſtendēs ipſum eſſe plenum malitia, vbi ſunt omnia vitioſa, omnia lubrica, cuncta operta tenebris, & obſeſſa laqueis; vbi periclitantur animæ, &

mæ, & affliguntur corpora, vbi omnia vanitas Eccl. 1. & afflictio ſpiritus; vbi finis dubius, & exitus eſt horribilis. Ipſa quoque fides ſicut Sol in Meridie, ita fulget in mente, tribuens ei quadruplicem proficuam cognitionem. Confert nanque homini cognitionem, à quo eſt, ne ſit ingratus de tanto beneficio. Hæc ignorantia pernicioſa eſt, adducens ſecum ingratitudinis morbum; quæ ingratitudo eſt inimica animæ, exinanitio meritorum, virtutum diſperſio, beneficiorum perditio, ventus vrens, ſiccans fontem pietatis, rorem miſericordiæ, et fluenta gratiæ. Quanto enim maiora beneficia homini conferuntur, tanto grauiora ingrato ſupplicia tribuentur, quia nihil miſerabilius eo, cui collata dona ſine gratiarum actione à memoria excidunt. Tribuit quoque fides homini cognitionem ſub quo eſt, ideſt Dei, ne ſit inutilis, et ſciat Deum glorificare, quia ipſe ſummè Pſal. 144. potens eſt, et ſummè iuſtus. Magnus (inquit Dauid) Dominus, et magna virtus eius, et magnitudinis eius non eſt finis: quam notitiã per fidem meretur homo. Donat etiam fides cognitionem, ad quid ſit homo, vt ſciat actus di- Pſal. 48. rigere. Qui enim ignorat ſe peregrinari à Domino, fide caret, et qui hanc peregrinationem pro patria diligit, profectò inter dolores dolere neſcit. Sed & fides inexercitata citò langueſcit, & crebris tentatur incommodis. Remiſſas excubias callidus inſidiator irrumpit. Aſſuetum autem bello virum heſterna virtus inſtruit, & glorioſè prouehit ad palmam victoriæ. Fidesque hominis vitam militiam eſſe ſuper terram certa diffinitione docet. Ingerit prę terea fides notitiam ſuprà quid eſt homo, vt ſciat inferiora ordinatè amare. Qui enim fide caret, omnia terrena vt propria poſſidet. Sed profectò terrenæ diuitiæ noſtræ non ſunt, ideo Pſal. 48. non in ipſis ponamus cor, quoniam (teſte ſcriptura) quum interierit homo, non ſumet omnia, neque deſcẽdet cum eo gloria domus eius. Tunc autem veraciter locuples diuitias ſuas ſecum ferret, ſi ad petentis vocem quum viueret, erogaret. Nam terrena omnia quæ ſeruando amittit, largiẽdo cuſtodit. Fides etiam eſt lucerna hominis, ſtella matutina, & corona radioſa, de qua quinque radij luminis viui fluunt ſuper intellectum, ſcilicet timoris, conſilij, prudentiæ, intellectus, & ſcientiæ. Ipſa eſt cauſa amoris, quia opus fidei amor eſt, quem fides concipit, ſpes parturit, Spiritus ſanctus format & viuificat, lactat lectio, meditatio paſcit, & oratio confortat, & illuminat. Hæc ſancta fides à triplici morte liberat ſcilicet culpæ, de qua Prou. 15. dicitur: Per miſericordiam & fidem purgantur peccata: temporali, quia tantam gratiam Deus præſtitit fidei; vt mors, quæ conſtat vitæ Heb. 11. eſſe contraria, inſtrumentum fieret, per quod tranſiretur ad vitam: & æterna, de quà dicitur: Omnis qui viuit & credit in me, non morietur Ioan. 11. in æternum. Rom. 4. Fundamentum eſt omnium bonorum fides, quoniam omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Propterea videtur ruinam quærere, qui ſine fide vult ædificare, nec ſtare poterit ædificium, quod abſque fide fuerit fundatum. Hominem quoque fides facit Dei Filium. Ioan. 1. Nemo enim ſine fide ad filiorum Dei poteſt peruenire numerum. Cuncta bona ante fidem inania ſunt, ſed & bonum opus intentio facit, intẽtionem fides dirigit. Tale quippe eſt, vt ſine fide vera quis velit Deo placere, quale ſiquis tandens ad patriam, ad quam ſcit ſe optate venturum, relinquat itineris rectitudinem, & improuidus ſectetur errorem, quo non ad beatam vitam perueniat; ſed in præcipitium cadat, vt non gaudium peruenienti detur, ſed cadenti interitus. Vincit fides mundum, & omnia quę 1. Ioan. 5. in mundo ſunt, ſ. delitias, dum oſtendit corpus noſtrum morti eſſe condemnatum. Licèt .n. demus corpus noſtrum centum annos delitijs, & alios decies centũ addamus; quæ erit ex his recompenſatio ad æternitatem? Nonne oẽ tẽpus vitæ huius, quo delicijs frui videmur, & indulgẽre libidini, quaſi noctis vnius ſomnus eſt ad ęternitatis cõparationem? Vincit diuitias, dũ æternas eis meliores oſtendit. Diuitiæ nanq; ſæculares ſi deſunt, nõ per mala opera quærantur in mundo; ſi aũt adſunt, per bona opera ſeruẽtur in cœlo. Animũ virilem & fidei virtute decoratũ nec debent, ſi accedant, extollere; nec debẽt frangere, ſi recedunt. Nam omnia bona mundi triplex interitus tollit. Aut .n. ex ipſiſmet veteraſcunt, aut luxu dominorũ ſuorum conſumũtur, aut ab extraneis dolo, vel violentia, ſeu calumnia diripiuntur. Illas verò ſolas veras eſſe diuitias fides cõprobat, quas quum habuerimus, perdere non valebimus. Vincit ſimiliter honores, dum exemplo Chriſti docet, illos eſſe tanquam lethale venenũ contemnendos. Propterea quicunque deſiderat honorem cęleſtẽ, ſequatur humilitatem terreſtrem, quia non qui maior fuerit in honore, ille maior, ſed qui iuſtior, ille maior. Abſtrahunt profectò nos diuitiæ & honores, quæ in opinione noſtra chara ſunt, precio verò ſuo vilia, nihil habent magnificum, quo mentes noſtras in ſe trahant, præter hoc, quod mirari illa conſueuimus. Non enim quia concupiſcenda ſunt, laudantur; ſed concupiſcuntur, quia laudantur. Fides etiam oſtendit ijs, qui in ſpirituali pugna ſunt ſi vicerint, eis regnum paratum eſſe æternum. Et hæc fuit cauſa efficax, propter quam Martyres glorioſiſſimi talia, & tanta paſſi ſunt, & tam varia tormentorum genera. Aſpiciebat nanque veriſſimè lumine fidei, quod non erant condignæ paſſiones, quæ à carnificibus & tyrannis

eis inferebantur, præ magnitudine gloriæ, quę eis promittebatur a Domino. Sed quid eſt,

Rom. 8.

quòd tanta nos tenet ignauia; Quid eſt, quòd nos teneat, etiam ſi per medios enſes incedere oporteat, vt tantam valeamus fugere miſeriam, & ad tam præclaram accelerare gloriã, niſi quòd mortua eſt fides noſtra? Non dormiẽtibus prouenit regnum cœlorum, nec ocio & deſidia torpentibus beatitudo æternitatis repromittitur; ſed certantibus viriliter & fideliter contra vitia & tentationes pro honore Domini. Oſtendit inſuper fides pugnantibus Chriſtum tripliciter. Primò, vt ſtrenuum ducem ſtrenuè agendi exemplum præbentem. Tota nanque vita eius, quam in terris cum hominibus geſsit, diſciplina morum fuit. Omnia enim bona mundi contempſit, quæ contemnenda docuit, & omnia mala ſuſtinuit, quæ ſuſtinenda præcepit. Validiora enim ſunt exempla quã verba, & plenius docetur opere quàm ſermone. Ideò Dominus Ieſus, quod alios docuit verbo, ipſe ſuo prius firmauit exemplo, ne ſuperbus homo doctrinam contemneret, quam non cerneret virtutibus roboratã. Secundò, vt for-

Act. 7.

tiſsimum adiutorem. Nam beato Stephano ſe Dominus Ieſus, quum lapidaretur, oſtendit, ſtantem tanquam paratum ad adiuuandũ. Plurimùm enim ſibi vnitis præſtat Dominus in tribulationibus præſidium. Vnde quiſquis in cęlum aſcendere feſtinat, vbi Chriſtum regnare oſtendit fides, & vnde validum nobis præbetur adiutorium; ipſi Domino, qui deſcendit de cœlo, & eſt in cęlo, ſe vera fidei & dilectionis vnitate coniungat, apertè firmiſsimeque intelligens, quòd nullo modo poterit adiuuari ab ipſo, niſi crediderit in ipſum, neque alio ordine, niſi per eum, qui de cęlo deſcendit, in cęlum aſcendere poterit. Tertiò, vt liberaliſsimum remuneratorem. Vtrunque mihi es (ait quidam) o Domine Ieſu, & ſpeculum

Ioan. 14.

patiendi, & meritum patienti. Vado (inquit Dominus) parare vobis locum, & ſi abiero, & parauero vobis locum, veniam & accipiam vos ad meipſum. O benigna promiſsio, o liberalis elargitio; præceſsit vt pararet, promiſit vt homo non deſperaret. Venturus quoque eſt; vt de ſuis laboribus hominem remuneret. Fides determinat nobis locum pugnæ. Nam in hoc mũdo quaſi in ſtadio certaminis poſiti ſumus, vbi Chriſtus mortuus eſt. Quiſquis ergo liuorem vel plagam pro honore cęleſtis regis hic non ſuſceperit, in futuro iudicio miles glorioſus non apparebit. Ipſa etiam fides virtus inſuperabilis eſt. Nam ſanctiſsimum humani pectoris bonum eſt, nulla neceſsitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur præmio. Vre (inquit fidelis) cæde, occide, non perdam fidem, ſed cuſtodiam; ſecreta dolor quæret, ſed fides me altiùs collocabit; malo mihi deeſſe ſucceſſum, quàm fidem. Et vt ſub compendio dicamus, hæc virtus fidei eſt ſordium ſpiritualium purgatiua, bonorum generatiua, errantium ad ſemitam reductiua, ſurſum ductiua, in periculis aſſecuratiua, ſui ſubiecti fortificatiua, in bello victoriæ collatiua, omnis malæ cupiditatis mitigatiua, hoſtium pugnantium fugatiua, omnis triſtitiæ noxiæ expulſiua, diuinæ flammæ ſuſceptiua, & intellectus perfectiua. Hæc denique regit & ordinat totam vitam pręſentem, deducens vſque ad æternam gloriam, quæ nunc per ſpeculum & fidem videtur, tunc

1.Cor. 13.

autem facialiter contemplabitur, & æternaliter perfruetur.

De commendatione vnitatis fidei; Et quod plurimis oſtendatur rationibus, ſolam fidem Chriſtianam veram eſſe. Cap. VI.

LIcet nanque diuerſis modis dicatur fides, fatendum tamen eſt vnam eſſe fidem; vnde ait Apoſtol. Vnus Deus, vna Fides. Siue enim accipiatur pro eo, quod

Epheſ. 4.

creditur, ſiue pro eo, quo creditur, vna fides dicitur. Vnitas autem veræ fidei probatur ex vnitate obiecti, de quo legitur: Audi Iſrael,

Deut. 6.

Deus tuus vnus eſt. Ex hac intelligentia fides catholica vniuerſalis dicitur, quia idem iubentur fideles credere, & vnum idemq; eſt, quod à cunctis creditur. Probatur etiam vnitas fidei ex vnitate principij, quia eſt lumen infuſum deſuper, & non eſt à probabilitate rerum, quæ creduntur; nec diuerſificatur ſecundum diuerſitatem rerum creditarum. Ex vnitate motiui, quia vna eſt ratio credendi in omnibus articulis, ſcilicet prima veritas, cui fides vna ſemper principaliter innititur. Ex vnitate ſubiecti, quia natura hominum vna eſt apud omnes. Vnde ſi intellectus debet Deo de iure naturali obſequium fidei, debet quoque vna, eademque fides eſſe apud omnes. Nam fides catholica (quam qui habent, fideles vocantur, & qui non habent, fideles eſſe non poſſunt) communis eſt omnibus fidelibus ſicut pluribus hominibus facies communis eſſe dicitur, quum tamen ſinguli ſuas habeant. Non enim fides numero eſt vna, ſed genere, quæ quum ſit in vno, eſt etiam in alijs, non ipſa, ſed ſimilis; & propter ſimilitudinem magis dicimus vnam eſſe, quàm multas, ſicut idem volentium dicitur vna voluntas, quùm cuique ſit ſua voluntas. Quibus conſideratis, & ijs quæ ſequuntur, patet clarè fidem Chriſti ſolam eſſe veram; cuius veritatem plura comprobant, & confirmant. Ipſam nanque ſolam, veramque eſſe teſtificantur, & oſtendunt miraculorum operationes. Plãtata.n. eſt fides miraculis, ſicut oſtẽdit Deus in Noe, Abraã, Moſe, & Helia, qui quũ in fide veri Dei eſſet, miracula plura fecerunt,

Gen 7.8. 15.& Exo 7.

talia miracula fecerunt, quam quùm deſeruerunt, tráſlata eſt fides & auctoritas in Chriſtianos, ſicut patet in primitiua eccleſia. Dedit enim dominus Ieſus poteſtatem apoſtolis ſuper [Luc. 9. 10. & 22.] naturam, vt eam curarent: ſuper dæmones, vt eos euerterent: ſuper elementa, vt ipſa immutarent: ſuper mortem, vt illam contemnerent ſuper Angelos, vt corpus Domini conſecrarent. Hæc etiam poteſtas data eſt eorum ſucceſſoribus iuxta illud Apocalypſis. [Apoc. 11.] Hi habent poteſtatem claudendi cœlum, & conuertendi aquam in ſanguinẽ. Exaltata eſt quoque Chriſtiana fides miraculis, quùm data eſt Apoſtolis [Act. 2. 3. 4.] omnium linguarũ notitia, & audacia in loquendo, & totum mundum per paucos ſimplices ſubiugãdo. Licet enim magna, mirabilia, & diuina fuerint, quæ dominus Ieſus geſsit in terris, tamen hoc ſuper omnia emicuit, quòd in paucis ſimplicibus totum mũdum, & eius altitudinem ſubiugauit ſibi. Comprobata eſt etiam fides miraculis, quia omnes creaturæ illam cõprobarunt, & Domini Ieſu diuinitati obediendo teſtimonium reddiderunt. [Mat. 14.] Nam mare illud Deum eſſe cognouit, & comprobauit, quando ſub plãtis eius calcabile ſe reddidit, atque voci illius quùm intumeſceret, obtemperauit. [Mat. 8. Io. 11. Pſ. 106. Apoc. 20. Luc. 7. Io. 8.] Terra comprobauit, quia ad vocẽ virtutis eius, quum clamaret, Lazare veni foras, mortuum reddidit. Declarauit Infernus, cuius ipſe portas ęreas & vectes ferreos confregit, Satanamq́; ligauit. Et qui mortuos ſuſcitauit, cæcos illuminauit, dominus omnium fuiſſe probatur, quum eadẽ manu, qua fecerat, quod defecerat, reficiebat. Cœlum quoque Chriſti diuinitatem & fidem comprobauit, quùm ipſum poſt reſurrectionẽ [Mat. 14. Act. 1.] ſuſcepit aſcendentem. Nam dominus Ieſus dũ naturam humanam ſideribus importauit, credentibus & fidei veritatem, & cęlum poſſe patere monſtrauit, & dum vincentem in cęleſtibus eleuauit, victorem mortis, quò ſequantur fideles, oſtendit. Ipſi nanque ſoli Domino Ieſu datum eſt ſingulariter ſedere à dextris patris in gloria coæquali, in eſſentia conſubſtantiali, pro generatione conſimili, maieſtate non diſpari, æternitate non poſteriori. Oſtenditur etiam veritas Chriſtianæ fidei ex teſtium dignitate. Teſtimonium enim Chriſto dedit pater dicens. [Mat. 3.] Hic eſt filius meus dilectus ſcilicet, præ cæteris, non adoptiuus ſicut cęteri, ſed naturalis, in quo mihi bene complacui. Filius dedit teſtimoniũ [Mat. 6. Luc. 9.] de ſe, in transfiguratione, oſtendendo corporis ſui claritatem, in miraculorum perpetratione, & in vita. Spiritus Sanctus teſtificatus eſt de eo [Luc. 3. Act. 2.] ſuper illum deſcendendo in ſpecie columbę, & corda diſcipulorum in ipſius nomine implendo. Angeli confirmarunt fidei veritatem in Chriſti natiuitate. Quùm autem angelus Chriſti natiuitatem paſtoribus nunciaſſet, & illi de viſis & auditis mirarentur, nè vnius teſtis auctoritas parua videretur, pro roboratione teſtimonij ſubitò facta eſt cum angelo, qui nunciauerat, multitudo militiæ cœleſtis exercitus ſcilicet [Luc. 2.] angelorum æterno regi militantium, laudãtium Deum conſona voce, atq; dicentium, Gloria in altiſsimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Ioannes Baptiſta quoq; Chriſto perhibuit teſtimonium dicens: Ecce Agnus [Ioan. 1.] Dei, ecce qui tollit peccata mũdi. Multaq; alia præclara perhibuit teſtimonia, vt in Euangelio patet. Sanctæ etiam fidei catholicæ, & Chriſto Domino magnum præbet teſtimonium triumphalis martyrum chorus, qui ferro perempti, flammis exuſti, flagris verberati, vectibus perforati, cruciati patibulo, pelagi periculo demerſi, viui decoriati, vinculis mancipati, linguis priuati, lapidibus obruti, frigore afflicti, & fame cruciati, clarum Domino Ieſu exhibuerunt teſtimonium. Veneremur igitur & nos inter tantos Chriſti martyres fidem noſtram catholicam, in qua iſti illuſtres athletæ ſubſcripſerunt ſanguine, morte iurauerunt. Mater nanq; martyrij fides Chriſti eſt. Veneremur planè in ſanctorũ martyrum gloria fidem noſtram. Quomodo fidem noſtram? Ab illis enim dùm mortis tolerantia indubitanter excipitur, ſpes immortalitatis euidenter aſſeritur. Nunquam enim hanc vitam ſic conſtanter expenderent, niſi eſſe alteram incomparabiliter beatiorem certa definitione ſentirent. In ſanctis itaq; præconibus catholicæ fidei, & paſsionis magnanimitas, & reſurrectionis declaratur auctoritas. Prompti enim pereunt in melius reparandi, quibus per anguſtias tribulationum aperitur exitus ad plenitudinem gaudiorum. Nouerimus itaq; quod non ſine magno diſcrimine de religionis Chriſtianæ veritate diſputamus, quam tantorũ ſanguine confirmatam videmus. Magni periculi, o homo, res eſt, ſi poſt prophetarũ oracula, poſt Apoſtolorum teſtimonia, poſt martyrum vulneram veterem Chriſti fidem quaſi nouellam diſcutere præſumas, & poſt tam manifeſtos duces in errore permaneas, & poſt morientiũ ſudores ocioſa diſputatione contendas. Patet quoq; veritas Chriſtianæ fidei ex reuelationibus & prophetijs, quæ de ipſa facta fuerunt ante legem. Et hoc claret in dormitione Adam, de cuius coſta formata eſt Eua: in muneribus, [Gen. 2. 4. 6. 9.] & morte Abel, in arcę fabricatione Noè diluuij tempore, cui etiam tráſacto diluuio dictum eſt: Ponam arcum meum in nubibus, & erit, &c. in promiſsione ſeminis Abrahæ, & immolatione [Gẽ. 17. 22. 27. 29. 32. 37. 39. 40. 42. Exo. 3. 14. 16. Nu. 21.] filij, pro quo arietem inter vepres cornibus hęrentem immolauit, in Iſaac benedictione, in Iacob perſeuerantia, lucta & prophetia filiorũ, in Ioſeph venditione, caſtitate, & prudẽtia ſuper alimonijs. Sub lege (et hoc in Moſe) pleniſsimè elucet, quando Rubum vidit, in tranſitu maris rubri, et ſubmerſione Pharaonis, in

manna, in ſuſpenſione ſerpentis ænei, in aquarum inundatione de petra, quod ipſe patenter prophetauit dicens, Prophetã ſuſcitabit Dominus de fratribus veſtris, & cætera. Et quis poteſt explicare ſermone reuelationes & prophetias, quæ de Deo & Domino noſtro Ieſu Chriſto continentur in ſcriptura Pſalmorum, in libris Eſaiæ, Hieremiæ, Exechielis, Danielis, cæterorumque prophetarum? Redolent nanque humiliter intelligẽtibus, & de ſe effundunt ineffabilem ſuauitatem huius ſacroſanctę fidei. Et poſt legem ſcilicet in Euangelio emicat ſoliditas catholicæ veritatis. Non ſolùm ab angelis & prophetis, ſed etiam à iuſtis generatio & fides Chriſti accepit teſtimoniũ. Omnis ætas, vterque ſexus venturorum miraculorum tempore natiuitatis Chriſti fidem aſtruxerunt. Nã virgo generauit, ſterilis peperit, mutus locutus fuit, Heliſabeth prophetauit, adorauit Magus, in vtero clauſus Ioannes exultauit, vidua confeſſa eſt, & Simeon iuſtus expectans vidit, cognouit, adorauit, prophetauit, & conſummata promiſſione in pace quieuit. (Luc. 2.) Hæc ſunt teſtimonia tua domine Ieſu, quæ præmiſiſti, inſpiraſtique; vt mentes fidelium tuorum roborares in fide. Fulget præterea, & oſtẽditur veritas Chriſtianæ fidei ex digniſsimis conceptionibus, quas ſentit de Deo. De ipſius digniſsima eſſentia ſic ſentit, & loquitur dicens. Deus vera & ſumma eſſentia, in quo, & à quo, & per quem beata ſũt omnia. (Rom. 11.) Deus, à quo auerti, cadere eſt: ad quem conuerti, reſurgere; in quo manere, conſiſtere. Deus, à quo exire, mori; in quem redire, reuiuiſcere: & in quo habitare, viuere eſt. Deus, quem nemo amittit, niſi deceptus: quem nemo quærit, niſi admonitus: quem nemo inuenit, niſi purgatus. Nã in ſe eſt principium & finis: In mundo ſicut autor & rector, in angelis ſicut ſapor & decor: in Eccleſia ſicut paterfamilias in domo: in anima ſicut ſponſus in thalamo: in iuſtis ſicut adiutor & protector: in reprobis ſicut pauor & horror. Eſt enim virtus inexplicabilis, pietas incomprehenſibilis, ſapientia ineffabilis. De Chriſti autem admiranda incarnatione confitetur, quòd Deus pater vnicum filium ſuum in vtero virginis humanæ naturæ coniungẽs Deum ante ſæcula ſibi coæternum, fieri voluit hominem in fine ſæculorum. Et quẽ ſine tempore genuit, ſaluandis hominibus ſub tempore oſtẽdit. Vndè ſalua proprietate vtriuſque ſubſtantiæ, & in vnam coeunte perſonam: ſuſcipitur à maieſtate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas. Et ad reparandum conditionis noſtræ debitum, natura inuiolabilis naturæ eſt vnita paſsibili. Deuſque verus & verus homo in vnitate perſonæ temperatur, ſicut noſtris remedijs cõgruebat; vt vnus idemque Dei & hominum mediator & poſſet mori ex vno, & reſurgere poſſet ex altero. (Gen. 1.) Euidenter inſuper percipitur veritas Chriſtianę fidei propter immenſas perfectiones, quas ſentit de homine, & de Deo. De homine aſſeuerat, quòd ſit ad Dei imaginẽ factus iuxta illud; Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. (Gen. 1.) Eſt enim anima, quę eſt potior pars hominis, ſubſtãtia inuiſibilis, incorporea, immortalis, Deo ſimillima, habens imaginem creatoris ſui, quæ cæteris omnibus occupari poteſt, repleri omnino non poteſt. Capacẽ enim Dei, quicquid Deo minus eſt, non implebit. Ipſius nanque excellentia, donec incorruptibili detinetur corpore, ad plenum non agnoſcitur, ſed quando ab ipſo liberata fuerit, tunc reuelabitur eius gloria, ſicut ſcriptum eſt. Chariſſimi filij Dei ſumus, & nondum apparuit, quid erimus; quod quum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniã videbimus eũ, ſicuti eſt. (1. Io. 3.) De Deo autem fides Chriſtiana confitetur & prædicat Dei æquitatem, iudicium futurum prædicando. Vnde Paulus ait. Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat dominus, qui et illuminabit abſcondita tenebrarum, et manifeſtabit conſilia cordium. (1. Cor. 4.) Tunc enim in extremo illo examine cùm apertis cælis, miniſtrantibus angelis, cùm ſedentibus Apoſtolis in ſede maieſtatis, ac poteſtatis iudiciariæ, Chriſtus apparuerit, omnes hunc electi pariter et reprobi videbunt; vt et iuſti de munere retributionis ſine fine gaudeant, et iniuſti de vltione ſupplicij in perpetuum gemant. (Matt. 25.) Prædicat Dei liberalitatẽ, quia filio ſuo proprio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum. (Rom. 8.) Nam ipſe Dominus Ieſus pro nobis traditur ad ſupplicium, vt nos ab æterno liberaret exitio. Ducitur et expalmatur, qui verè eſt palma victorię; ſpinis coronatur, qui peccatorum ſpinas venit confringere; ligatur, qui ſoluit compeditos; ligno ſuſpenditur, qui erigit eliſos; aceto potatur fons vitæ; diſciplina cæditur, ſalus vulneratur, vita moritur, et iuſtitiæ ſol obſcuratur, occiditque ad tempus vitam mors; vt in perpetuum occideretur à vita mors. Prædicat Dei charitatem in confeſſione beneficiorum. Minuiſti (inquit Dauid) eum paulominus ab Angelis, gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. (Pſal. 8.) Inſuper & Angelos ipſos, o Domine, in miniſterium tradidiſti homini. Quæ cuncta ſingularem erga illum tuam eſſe indicant charitatem. Confitetur Dei pietatem in receptione pœnitentium peccatorum. Quotieſcunque (ait ſcriptura) ingemuerit peccator, non recordabor amplius iniquitatum ſuarum. (Ezec. 18.) Conſidera ergo o homo peccator, qui expectaris ad agendam pœnitentiam, donum diuinæ pietatis. Vide ne ſis ingratus. Hodiernam enim habes diem, in qua corrigaris. Heri malus fuiſti, hodie bonus eſto. Cogita diligenter, quàm multi modò mo-

dò mo-

dò moriuntur, quibus ſi vna hora ad agendam pęnitentiam, quæ tibi conceſſa eſt, tribueretur, quàm feſtinanter ad Eccleſiam currerent; et ibi flexis genibus vel toto proſtrato corpore tandiu ſuſpirarent, plorarent, et orarent, donec peccatorum ſuorum veniam conſequi mererentur. Tu verò comedendo, bibendo, iocãdo, ridendo, et ocioſè viuendo tempus perdis, quod tibi Deus indulſit ad acquirendam gratiam, & gloriam promerendam. Si Dei pietas et patientia non te mulcere poteſt, terreant te ſaltem laquei mortis, timor iudicij, metus gehennæ, et quod animæ in inferno cruciantur ſine ſpe miſericordiæ. Contueri quoque poteſt veritas Chriſtianæ fidei ex hoc, quod debellat infideles. Et hoc habet ex Dei promiſsione, ex forti vigoratione, ex antiqua aſſuefactione, & ex prolata condemnatione. Et vt concludatur breuiter, nullæ maiores diuitiæ, nulli theſauri, nulli honores, nulla mundi huius maior eſt ſubſtantia, quàm fides Chriſtiana & catholica, quæ peccatores homines ſaluat, cæcos illuminat, infirmos curat, cathecuminos baptizat, fideles iuſtificat, pœnitentes reparat, iuſtos augmentat, martyres coronat, virgines, viduas & coniugales caſto pudore conſeruat, clericos ordinat, Sacerdotes conſecrat, & in hæreditatem æternã cum Sanctis feliciter collocat.

Quæ ſunt neceſſaria ad hoc, vt fides ſit perfecta, quæ ſunt ſeptem, & de felicitate beatæ vitæ ſub compendio. Cap. VII.

QVemadmodum ex pretioſorum varietate lapidum regiã decoratur, & perficitur corona, ſic ex diuerſitate actuum atq; virtutum fidei perfectio venuſtatur & cognoſcitur. Sciendum eſt, quòd ſeptem ſunt, quæ pertinent ad perfectionem fidei. Primum quòd ſit primæ veritati innixa; ſicut fides Moſis, qui ſe negauit filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, (Exod.2.) maiores diuitias exiſtimãs theſauro Aegyptiorum improperiũ Chriſti. Aſpiciebat enim in remunerationem. Secundum quòd ſit charitate formata, ſicut fides Magdalenæ, quæ ſaluam eam fecit, & cui dimiſſa ſunt peccata multa, quoniã dilexit multum. Fides enim huius ſaluam eam fecit, quia hoc, quod petijt, poſſe accipere non dubitauit, eique in pace ire præcipitur, vt in veritatis itinere perſeueret, & ab eo in viam ſcandali amplius non declinet. O verbum delectabile & ſuaue quàm libenter id Magdalena audiuit, (Luc.7.) & quàm iucundè receſsit, & perfectè ad dominum conuerſa deinceps honeſtè & ſanctè vixit, ac Domino Ieſu, & matri eius perſeueranter adhæſit, quod totum ex merito formatæ fidei recipere promeruit. Tertium quòd ſit deuotione feruida, ſicut fides illius mulieris, cui dixit dominus. O mulier magna eſt fides tua. Quod patet ex verbo, & facto ipſius, quia non (Matth.15.) fuit retardata a feruore petendi propter Chriſti taciturnitatem, nec poſtea propter negatiuam reſponſionem, nec propter illatum conuicium. Eidem Dominus in ſpiritu conuenienter ait. Iam non voco te canem, ſed mulierem fidelem, quia tanta eſt fides tua, vt me ſuperauit, & vicit. Non vidiſti mortuum ſuſcitatum, non leproſum mundatum, nec Prophetas audijſti, nec legem meditata es, neque mare ſcindi in diuiſiones vidiſti. Nihil eorum contemplata es. Inſupèr & deſpecta & cõtempta es à me, & non receſsiſti, ſed perſeueraſti petendo. Et quia magna eſt fides tua, copioſa eſt gratia effuſa. Et ſanata eſt (inquit) filia eius (Ibid.) ex illa hora. Quartum quòd ſit operibus probata, ſicut fides Cornelij, qui cùm eſſet gentilis, tamen propter fidem religioſus dictus eſt, & timens Deum cum omni familia ſua, faciens eleemoſynas multas plebi, & deprecans dominum. Propter quam angelica viſione præmonitus Petrum accerſiri fecit, & ab eo ſacrum baptiſma ſuſcipere promeruit, ſicut patet Actuum decimo. Quintum quod ſit fortitudine roborata, ſicut fides Stephani, Laurentij, & aliorũ martyrum, qui per fidem vicerunt regna, ope- (Heb.) rati ſunt iuſtitiam, & adepti ſunt repromiſsiones. Sextum quòd ſit humilitate ſubiecta, ſicut fides Beatæ Virginis, quæ ait. Ecce Ancilla (Luc.1.) Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Verè enim fides humilitate ſubiecta erat in virgine, quia illud credidit in ſe fieri debere ad verbum Angeli, quod nunquam a ſæculis fuerat auditum, nunquam repertum, nunquam viſum, aut ab aliquo cogitatum. O fides Deo accepta, o humilitas grata, o obedientia omni ſacrificio Deo iucundius oblata, o ſublimis Mater Domini, o mater humilis ancilla Domini. Quid ſublimius eſſe poſſet? Quid ſentire humilius poſſet? Ancillam ſe dicit domini, quæ mater eligitur, et repentina exaltata promiſsione nullam ſibi prærogatiuam tantæ gratiæ vendicauit, quin faceret, quod iuberetur. Septimum, quòd ſit obedientia decorata, ſicut fides Abrahæ, qui obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem, (Heb.11.) et exijt neſciens, quò iret. Demoratus eſt .n. in terra repromiſsionis, tanquam in aliena, in caſulis habitans cum Iſaac et Iacob cohæredibus repromiſsionis eiuſdem. Expectabat enim fundamenta habẽtem ciuitatem, cuius artifex et conditor Deus, ſcilicet ſupernam Hieruſalem, de qua dicitur. Acceſsiſtis ad ciuitatẽ Dei viuentis Hieruſalem cœleſtem, et multorũ milium Angelorum frequentiam, in qua Dei amatores, et veræ fidei ſectatores mira paſcuntur

tur ſuauitate, replentur gaudio, pace fruuntur, et incomprehenſibili gloria propter fidei meritum ſublimantur. Recipiunt nanque ab ipſo fidei auctore et conſummatore Ieſu, immortalitatis ſtolam, et de ipſius manibus coronantur corona gloriæ. In ipſa enim corona tanquam pretioſi lapides, fulgent duodecim genera gaudiorum, quibus decorantur, qui illuc introducuntur, videlicet ſanitas abſque infirmitate, iuuentus ſine ſenectute, ſatietas ſine faſtidio, libertas ſine impedimento, pulchritudo ſine deformitate, impaſsibilitas ſine morte, abundantia ſine indigentia, ſecuritas ſine timore, cognitio ſine ignorantia, gloria ſine ignominia, pax ſine perturbatione, et gaudium ſine triſtitia, quod procedit à beata Trinitate, à iucunda ſocietate, à loci amænitate, à corporis glorificatione, à mundi vanitate, et ab inferni ſupplicijs. Beatus, qui fidem rectam, et operibus decoratam vſque ad vitæ conſummationem ſeruauerit, quia introducetur in cęleſtis gloriam Hieruſalem, cuius portę ex ſaphiro et ſmaragdo ædificabuntur, et ipſius plateæ ex lapide candido et mundo ſternentur, et per vicos eius. Alleluya cantabitur. Cuius muri circuitus eſt de lapide pretioſo, ſuper quo conſtituti ſunt cuſtodes, qui die ac nocte, videlicet ſine intermiſsione non ceſſant laudare nomen domini, qui eſt benedictus in ſæcula.

DE VIRTVTE CONTINENTIAE, atque de ipſius diffinitionibus; qua virtus quàm optimum præbet adiutorium homini, vt in priſtinum reformetur ſtatum; vnde per peccatum ceciderat, & locum in ordine fructuum ligni vitæ poſſidet primum. Cap. I.

Pſl. 65. IVbilate Deo omnis terra, Pſalmum dicite nomini eius, date gloriam laudi eius. Exhortatio hæc, opera diuina contemplantis eſt vox, quæ tantò maiori promitur affectu, quantò clariori lumine irradiatur. Non lacrymas, non gemitus, nec ſuſpiria, ſed iubilationes, et laudes omnes prouocat eructate. Vtiq; tanquàm quæ intuetur Deum in ſe magnificum, omnia potentem, ſcientem, regentem, et conſeruantem; in creaturis verò laudabilem, et incomprehenſibilem. Planè omni dignus eſt laude Deus noſter, qui quæcunque voluit, fecit in cęlo et in terra. Terram enim repleuit arboribus, floribus, fructibus, et iumentis; aquam varijs piſcibus, aerem volucribus diuerſis, firmamentum ſideribus, cælum verò angelicis ſpiritibus. Condidit nanq; Deus angelorum ſpiritus, vt eſſent potentes. Condidit ſpiritus, glorioſos, beatos, diſtinctos in perſonis, diſpoſitos in dignitate, ab initio ſtantes in ordine ſuo, perfectos in genere ſuo, immortalitate perpetuos, mente puros, affectu benignos, religione pios, vnitate indiuiduos, fęlicitate ſecuros, futurorum præſcios, et diuinis laudibus atque obſequiis deditos. Creauit quoque hominem de limo terræ, et inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, ſcilicet animam, quam inſigniuit imagine et ſimilitudine ſua ſecundùm memoriā, intellectum, & voluntatem; cui copulauit corpus, vt eſſet obtemperans ſine rebellione, eſſet propagabile ſine libidine, eſſet vegetabile ſine mortalitate, eſſet & proportionabile quātum ad proportionem æqualem. Fuit enim illud corpus ita conditum; vt in eo nulla eſſet pugna rebellionis, nulla pronitas libidinis, nulla imminutio vigoris, nulla corruptio mortis. Quæ immortalitas fuit ab anima, ſicut ab influente, à corporis æquali proportione, ſicut à diſponente, à ligno vitæ, ſicut à vegetante, à regimine verò diuinæ potentiæ, ſicut ab interiùs conſeruante, & exteriùs protegente. Factus eſt ſine culpa & miſeria, nec ad culpam habuit fomitis incitamentum; quinimò datum eſt illi quadruplex adiutorium, primum ad rectè viuendum, quod eſt conſcientia; ſecundum ad murmurandum contra malum, & ſtimulandum ad bonum, quod eſt Syndæreſis; tertium ſcientia intellectum illuminans ad cognoſcendum Deum ſuum, ſeipſum, & mundū iſtum, qui factus fuerat propter ipſum; quartum charitas accendens affectum ad diligendum Deum ſuper omnia, & proximum ſicut ſeipſum. Fecit itaque Deus hominem ratione ſapientem, vita innocentem, & dominio potentem; quia præpoſitus eſt cunctis creaturis, cuius fęlicitati inuidens diabolus tentauit experiendo in interrogatione, impellendo in aſſertione, & alliciendo in promiſsione. Allexit enim mulierem in rationali per ſcientiam, in iraſcibili per excellentiam, in concupiſcibili per ſuauitatem ligni. Et ſic inuidit, mentitus eſt, decepit: ex quo ſuis peccatis exigentib. ſibiipſi factus eſt, & homini grauis. Multis enim oppreſſus ærumnis, variiſque miſerijs, cum nimio labore nunc indigeat homo quærere, quæ prius abundè poſsidebat. Hinc denique eſt, quòd ei in exercitatione virtutum deſudare neceſſe eſt, nè ex incuria vitiorum ſpinæ, & concupiſcentiarum tribuli germinantes in agro cordis & corruptione carnis reddant illum inutilem, & ſine fructu ante Deum. Solerti itaque cura & non modica vigilandum eſt circa virtutem continentiæ, quæ aliarum virtutum peropportuna auxiliatrix eſt, et comes indiuidua; cuius laudabilis operatio eſt, rationis in libidinem atque in alios non rectos animi appetitus firma et moderata dominatio. Continentia nanque quamuis omnibus, præcipuè tamen præſidentibus neceſſaria ſit, vt ſine ſui detrimento aliorum poſsint inſiſtere profectibus. Nam qui ad hùc impugnantium certamina

Gen. 2.

mina vitiorum per conſenſum delectationis Gen. tolerant, aliorum curam ſuſcipere non præſumant. Quum verò tentationum bella per continentiæ virtutem ſubegerint, tunc animarum abſque ſui præiudicio poterunt ſortiri cuſtodiam. Non enim poteſt, qui præeſt, ſubiectorum vitia liberè redarguere, niſi ipſe ab ipſorũ fuerit operatione alienus. Mundet ſe priùs per continentiam, qui aliorum immunditiam mundare feſtinat. Hæc enim virtus. continentiæ eſt, quæ hominem Deo ſubditum reddit, et hominibus rectè præſidentem. Sic nanque diffinitur. Continentia eſt amor Deo ſeſe integrum, incorruptumque ſeruans, vel eſt nihil appetere pœnitendum, in nullo moderationis legem excedere, & ſub iugo rationis cupiditatem domare. Eſt & per edomitas vitiorum furias munda & honeſta corporis habitudo, de qua virtute ſeriatim intrà dicetur.

Quàm luculenter ex iis, quæ inferuntur, clareat continentiæ virtus. Cap. II.

VEluti ex corporali intuitu percipiuntur viſibilia, atque ex eodem concupiſcentia generatur, æquè ex ſpirituali virtutum conſideratione apparet dignitas illarum, necnon & affectio ipſarum in corde concipitur. Temporalium amor breuis, amarus, & perniciosus eſt, ſed virtutum dilectio diuturna, delectabilis, & perutilis. Ille ſuũ extra ſe trahit poſſeſſorem, hæc autem & colligit diligentem in ſe, & eleuat ſupra ſe. Temporalium amor animæ mors eſt, virtutis verò dilectio immortalitatis radix eſt. Primus, vt exitiale venenum, fugiendus eſt. Virtus etenim totis eſt præcordijs amplectenda. Non poterit eſſe a peccato immunis, qui viſibilium voluerit paſci delicijs, & abſque iucunditate ſpirituali non erit, qui virtutum ſedulus fuerit imitator. Quoniam autem non poteſt diligi, quod nequit intueri, vt diligenter legentis animus valeat in amorem & actum virtutis continentiæ, de qua ſermo exortus eſt, accendi, cõuenienter nunc in commendatione & vtilitatẽ ipſius inſiſtendum eſt, quatenus alacrior eò reddatur ad illam obtinendam, quò fructus eius opulentior, & dignitas noſcitur eſſe ſublimior. Virtus nanque continentiæ a deo ſimilis eſt, quod hominem quodammodo ſimilem reddit naturæ angelicæ. Supergreditur nanq; continentia humanæ naturę conditionem, per quam homines vtcunq; Angelis aſsimilantur. Maior tamen in aliquo eſt victoria continentium quàm Angelorum. Angeli enim ſine carne viuunt, continentes autem in carne triumphant. Differuntque in hoc homo pudicus & Angelus, quòd Angeli virginitas fælicior, hominis verò continentia fortior eſſe cognoſcitur. Eſt continens Ieſu Chriſti domus amabilis, & pulcherrima. Pulchritudinem enim quis maiorem poteſt æſtimare decore pudici, qui amatur a rege, probatur a iudice, dedicatur domino, conſecratur Deo. Hæc virtus homini honorem ſuum cuſtodit. Honor hominis eſt libertas voluntatis, quę apprehenſa poteſt velle & non velle. Nam in brutis, & incontinentibus eſt ſeruitus appetitus huic libertati oppoſita. Apprehenſo enim delectabili accenditur concupiſcentia eorum, nec habent poteſtatẽ eam extinguendi. Meritò igitur qui poſt carnem ambulant, in ventrem & libidinem proni, quaſi irrationabilia iumenta reputantur, de quibus legitur. Homo quum in honore eſſet, Psal. 48. non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Deo etiam familiarem reddit continentia, de qua legitur. Incorruptio facit proximum Deo. Vnde Sap. 6. pudica, & continens anima de ſua, aliorumque concupiſcentia ingemiſcens ait domino. Domine per continentiam colligimur in vnum, a qua dilapſi in multa defluximus. Verè enim minùs te amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat. Ipſa virtus ad contemplationem Dei præparat. Nam continentia eſt amor ab amore inferioris pulchritudinis nos remouens, & eleuans ad ſuperiorem. Nil enim nobis volentibus ad contemplationem aſcendere penitus plus eſt fugiẽdum, quàm iſta ſenſibilia, quæ incontinentiæ maximum ſunt fomentum. Cauendumque magnopere eſt, dũ hoc tegimur corpuſculo, ne quo earum viſco pennæ noſtræ impediantur. Quibus integris, atque impollutis opus eſt, vt ad illam lucẽ inuiſibilem, quæ nobis promiſſa eſt, ab his tenebris euolemus, quam Deus nec oſtẽdere quidem dignatur in concupiſcentiarum cauea incluſis, niſi tales fuerint, vt iſta vel effracta, vel diſſoluta poſsint in auras ſuas euolare. Diabolum multum offendit continentia. Scriptum eſt enim. Poſt concupiſcentias tuas ne eas, & à voluntate tua auertere. Si autem præſtes animæ tuæ concupiſcentias eius, faciant te in gaudiũ inimicis tuis. Ipſi enim inimici continentiam nituntur auferre, concupiſcentiarum laqueos tendunt, primordia bona pulſant, captant rudimenta virtutum, ſancta deſideria in ipſo ortu feſtinant extinguere, ſcientes quòd ea ſubuertere fundata non poſſent. Vitia quoque carnalia continentia extinguit, quòd vt facilius aſſequatur, frequenter reuoluit apud ſe pudicitiæ amator: quale futurũ ſit cadauer hominis in ſepulcro. Nihil quippe ad edomandum deſideriorum carnalium appetitum tàm valet, quàm vt quiſque amore continentiæ ſedulo hoc, quod viuum diligit, mortuum penſet. Glorioſe triũphat continentia de ſuo certamine. Nam inter omnia Chriſtianorũ certamina duriſsima ſunt prælia caſtitatis. Maius proindè miraculum eſt

Digitized by Google

de propria carne fomitem eradicare luxuriæ, quàm expellere immundos ſpiritus de corporibus alienis. Vas cordis ſyncerum cuſtodit hęc virtus, de qua dicitur. Hæc eſt voluntas Dei ſanctificatio veſtra; vt ſciat vnuſquiſq; vas ſuũ poſſidere in honore. Tale nanque nos decet ſeruare Deo vas cordis, vt nulla ſorde vel cõtagione carnis polluatur, ſed vt caſtitatis continentia reſplendeat. A deceptione quoque familiaris hoſtis cuſtodit ipſa continentia. Nulla enim peſtis efficacior ad nocendum, quàm familiaris hoſtis. Præcipuè igitur hac nos continentię virtute ornatos omnes eſſe oportet. Geſtamus nanque laqueum noſtrum nobiſcum, circunferimus inimicum, hoſtem domeſticum; ſcilicet carnem noſtram de peccato natam, in peccato nutritam, corruptam nimis ipſa origine, ſed ampliùs ipſa conſuetudine vitiatã. Hinc eſt quòd tam acriter contra ſpiritum concupiſcit, quòd aſsiduè murmurat, quòd eſt impatiens diſciplinę, quòd illicita ſuggerit, quòd nec rationi obtemperat, nec vllo timore inhibetur. De qua tunc glorioſè triumphamus, quũ agnita illius fallacia amore continentiæ eam ſub diſciplina abſtinentiæ coarctamus. Seruat etiã munditiam hæc virtus. Si enim continentiam diligimus, turpia fugiemus, antequam veniãt, nec alium quenquam verebitur pluſquam nos. Omnia enim tolerabilia ſunt præter turpitudinem. Ipſa virtus decorem prouidet moribus noſtris, de qua ſic per quendam dicitur. Si continens es, animi tui & corporis motus obſerua, ne indecori ſint, nec omninò illos contemnas, quia latent. Nam nihil differt, ſi nemo videat, quum tuipſe illos videas. Eſt denique continentia ornamentum nobilium, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo viliũ, ſolamen mœrentium, augmentum omnis pulchritudinis, decus omnis regionis, minoratio criminum, multiplicatio meritorum, creatoris omnium Dei amica, ſoror Angelorum, victoria libidinum, ſchola virtutum, & poſſeſsio omnium bonorum, quam qui poſsidebit, habebit pacem in conſcientia, lumen in mente, hilaritatem in facie, gaudium in anima, ſecuritatem in morte, & partem in æternitate.

1.Theſ.4.

De conſiderationibus, quę mentem iuuant ad refrenandum amorem voluptatis. Cap. III.

QVoniam in præcedenti capitulo ſatis compendioſè dictum eſt de multiplici excellentia & vtilitate continentiæ, nunc in præſenti tractandum eſt de iis conſiderationibus, quæ iuuant mentem ad refrenandum amorem voluptatis. Superfluum quippe eſt laudare virtutẽ, & virtutis viam non propalare. Potius ſe quàm virtutem laudare conuincitur, qui ipſum finem, nec quà ad eum perueniatur, oſtendere nititur. Ad contundendam igitur elatam curioſitatem, quæ plus alta quàm vtilia profert, & quę erubeſcit plana & humilia, ne hæc ſola ſcire videatur; dicantur perſpicuè & ſimpliciter, quæ ſunt illa, quæ compeſcunt amorem voluptatis; & hoc ad vtilitatem, eruditionemque legentiũ. Primò nanque conſideratio loci, in quo ſumus plurimũ iuuat. In valle enim miſeriarum poſiti ſumus, vbi eò magis flendum eſt, quò minùs flemus. Vndique ſunt pericula, circũquaque diſcurrunt hoſtes, rapiũt, expoliant, vulnerãt, interimunt. Quoniam verò ignoramus, vtrum euademus, ſolerter ſtudeamus omnem de cordibus noſtris eradicare voluptatem. In hoc enim exilio nequaquam eiecit Deus hominẽ de paradiſo, vt hic aliam faceret paradiſum, ſed vt operaretur in ſudore, donec reuerteretur in terram, de qua aſſumptus fuerat. Excitat prætereà ad contemptũ voluntatis tempus, in quo ſumus. Vniuerſum nanque tempus præſens quædam eſt vigilia ſolennitatis æternæ. Vigilia vtique non eſt tempus deliciarum, ſed dies feſtus. Ideo fallax ſuauitas in temporalibus bonis, infructuoſus labor, vana ſpes, perpetuus timor, & periculoſa ineſt iucunditas, cui initium ſine prudentia, progreſſus abſque rubore, & finis cum pœna. Promouent ſimiliter ad hanc compeſcẽdam voluptatem exempla Chriſti & Sanctorum. Tota enim vita Chriſti, quam in terris cum hominibus geſsit, diſciplina morum fuit. Omnia nempe bona mundi contempſit; quę contemnenda docuit, & omnia mala ſuſtinuit, quæ ſuſtinenda præcepit. Et quum non poſſit falli, quum ſit ſapientia, elegitque quod carni moleſtius eſt, id melius, id vtilius, id pręeligendum eſt. Quiſquis vero aliud docet vel ſuadet, ab eo tanquam a ſeductore cauendum eſt. Ab omni prorſus pollutione voluptatis mundum neceſſe eſt eſſe, qui cupit regnare cũ Chriſto. Chriſti exemplo viuendum eſt tibi o pudicitiæ amator, ſi Sanctorum cupis habere conſortium. Ab immunditiæ & turpitudinis cogitatu pectus emunda, quoniam nullus niſi ſanctos & iuſtos, ſimplices & innocentes, ac puros cœleſtis aula ſuſcipiet. Macula quoque, quæ per concupiſcentiam contrahitur, nos ad ipſam comprimẽdam adiuuat. Polluitur enim anima huius peſtis colluuione fœdata. O deteſtanda concupiſcentiæ turpitudo, quę non ſolum mentem effœminat, ſed corpus eneruat; non ſolùm maculat cor, ſed fędat perſonam. Semper nanque illam præcedunt ardor & petulantia, ſemper comitantur fętor & immunditia, ſemper ſequuntur dolor & pęnitentia, voluptatis inſuper breuitas illam coercet. Voluptas enim breuis eſt, quæ quo auidius hauſta eſt, eo citius in contrarium vertitur. Semper famem patitur, quum non habetur, quum autem habita fuerit, prorumpit dolor, angit mœror, hebe-

hebetatur mens, ingemiſcit ratio, exhorretur vita, concupiſcitur mors, & tardè cognoſcitur diu ſtare non potuiſſe, quod malè perpetratum eſt. Voluptatis quoque indignitas ipſius ardorem temperat. Ad illos nanque diuertenda eſt conſideratio, qui voluptatibus ſe tradunt, quarum appetentia plena eſt anxietate, ſatietas vero faſtidio, quarum motus quid iucunditatis habeat, ignoratur. Triſtes autem voluptatum exitus eſſe, quiſquis libidinum ſuarum reminiſcitur, intelliget, quas ſi explicare veraciter vellet, nihil aliud quàm iumentum ſe extitiſſe fateretur, ſed non decet Chriſtianam profeſsionem amor voluptatis, non conuenit Chriſtiano delitias voluptatum quærere, quum ſciat Chriſtum in tot membris neceſſaria non habere. Propterea Chriſtianum nomen ille fruſtra ſortitur, qui concupitis voluptatibus Chriſtũ minimè imitatur. Parũ enim prodeſt ſolo nominis decorari vocabulo. Si autem Chriſtianũ quempiam eſſe delectat, quæ Chriſtianitatis ſunt, gerat; & meritò ſibi Chriſtianum nomen aſſumet. Voluptatum etiam impunitas earum plurimùm ſuadet contemptum. Dulcedo nanque fœlicitatis humanæ nõ ſolũ multis amaritudinibus reſperſa eſt; ſed ẽt diuerſis pęnarum generibus mulctanda: quod clarè exemplo eorum, qui illis potiti ſunt, & tranſierunt, cognoſcitur. Vbi ſunt (quæſo) amatores mundi, concupiſcentiarum ſuarum executores, qui ante pauca tempora nobiſcum erant? Nihil aliud ex eis remanſit, quàm cineres, & vermes. Attende quid ſunt, & diligẽter conſidera, quid fuerunt: homines fuerunt ſicut & nos, comederunt, biberunt, lætati ſunt, & in ſuis concupiſcentijs ex-
Iob 21. arſerunt, duxerunt in bonis dies ſuos, & in pũcto ad inferna deſcenderunt. Hic caro eorum vermibus, illic anima eorum ignibus deputatur, donec rurſus infęlici conſortio colligati ſẽpiternis inuoluantur incendijs; vt ſicut ſocij extiterunt in vitijs, ita efficiantur in pęnis; atque vna ſententia implicet, quos vnus in facinoribus amor copulauit. Voluptatum quoque varietas quàm plurimum illas conterit, & refrænat. Anima enim delectationis auida, ex quo ab vnitate diuinæ, & fraternę dilectionis receſsit, quùm nequeat rerum qualitate ſatiari, iterum varietate impleri deſiderat. Nunc iſta, nunc illa quærit, nec tamen reperit, in quo requieſcat. Cogitationes alternat, mutat conſilia, diuerſarum format in ſe ſpecies voluptatum, vt ſuo poſsit ſtabiliter frui deſiderio. Nunquam verò tali indagatione ad ſui poterit pertingere finem deſiderij, quia ſicut impoſsibile eſt lucem ſplendeſcere cum tenebris, & cum amaritudine perſtare dulcedinẽ, æquè cõtrariũ eſt & præter naturã, in his tẽporalibus voluptatibus pa-
Eccl. 2. cem perfectè in animo poſsidere. Quã ſententiam profert Eccleſiaſt. dicens. Vadam, & affluam diuitijs, & fruar bonis, & vidi, quòd hoc quoque eſſet vanitas.

Quanta mala homini voluptatum amatori, & ſectatori proueniant ex ipſis voluptatibus. Cap. IIII.

QVoniam contraria contrarijs eluceſcunt, conſequenter quibus exaggeretur incommodis mens voluptatum amatrix, enarrandum eſt; vt eorum perceptione fiat quiſque promptior ad continentiam capeſcendam. Multa nanque ex voluptatibus proueniunt mala. Et primò hominem in teterrimam ſeruitutem redigunt, & carnem contra ſpiritum rebellare faciunt: vnde ſi concupiſcentiæ cœperint habere irritamẽta, eiſque parum per conſentiatur ad votum, fiunt duo contra vnum, & periclitatur conſciẽtia; quia ſicut continentia carnem ſpiritui reddit ſubditam; ſic qui amore voluptatum delica- Prou. 29.
tè nutrit corpus ſuum, poſtea inueniet ipſum contumax. Nam & ſpiritus deficit, vbi corpus in voluptatibus requieſcit. Vt enim caro mollibus, ſic duris anima nutritur. Illam blanda fouent, & cõtumacẽ faciunt, hanc aũt aſpera exercent, & cælibem efficiunt. Similiter voluptates multa corporibus mala inferunt, & peſsimas conſuetudines gignunt. Semper etenim caro malas ſuggerit voluptates, breues, & pęnitentia dignas, & niſi magna moderatione tẽperentur, in contrarium habituras. Quis verò hoſtis in quenquam tã pernicioſus fuit, quàm in quemque voluptates ſuæ ſunt. Quidã enim voluptatibus ſe mergunt, quibus in conſuetudinem adductis illas euadere, etiam ipſarũ calamitatibus attriti, & varijs incommodis macerari nequeunt, & (quod miſerrimum eſt) eò peruenerunt, vt quæ illis ſuperuacua extiterũt, facta ſint neceſſaria. Seruiunt itaque voluptatibus, non fruuntur, flagellantur ab ijs, nõ oblectantur, & mala ſua (quod malorum eſt vltimum) amant. Hæ quoque voluptates vitiorũ labe mentem polluunt. Licet enim ſępe in medio carnalium Deus protegat vitam electorũ, tamen ſatis rarum eſt, vt quiſquam inter voluptates ſęculi poſitus a vitijs maneat illibatus, in quibus etſi non citò implicetur, aliquando tamen attrahitur, & fędatur. Ideò non diu poteſt eſſe ſecurus, qui periculis eſt proximus. Certa ſperanda eſt palma, quando vitiorum, voluptatumque diſtat materia. Ipſæ quoque voluptates animæ impediunt ſalutem, obliuionẽ Dei inducunt, a ſapientia mentem retrahunt, ſterilitatem bonorum operum inferunt, auferunt animi virilitatem, hominem impatientẽ faciũt, & ſpiritualibus delicijs cor priuant. Delicata enim eſt diuina conſolatio, & non datur admittentibus alienam. Quis nanque audeat carnis illecebris deditus Paraclitum expectare? Sicut

enim

enim impoſsibile eſt, vt ignis inflammetur in aqua, ita (& præter naturam exiſtit) in cōpunctione cordis, & ſpirituali delectatione vigere delitias temporales. Hæc ſiquidem inuicē ſunt peremptoria. Illæ enim generant pudicitiam, hæ concupiſcentiam; illæ cor conſtringunt, et eleuant, hæ diſſoluunt.

Quibus modis valeat homo incorruptam cuſtodire caſtitatem & continentiam. Cap. V.

QVemadmodum continentiæ theſaurus laborioſè acquiritur, ita faciliter amittitur, ſi eius puritas negligatur. Quapropter nunc ſermo formandus eſt, per quem erudiatur zelatores pudicitiæ, quomodo, quibusve exercitijs ipſā incontaminatam ſeruare queant. Vnde ſciendū eſt, quòd ſex præcipuè ſunt, quæ valent incorruptam caſtimoniam cuſtodire: ſobrius videlicet cibus. Nunquam enim potent ad decorem attingere pudicitiæ quicunque voracitati gulæ fræna laxauerit; neque ardentes poterit cōcupiſcentiæ ſtimulos inhibere, quiſquis deſideria gulæ arctare nequiuerit. Interioris hominis caſtitas virtutis huius conſummatione diſcernitur. Nequaquam verò cum robuſtioribus æmulis colluctare poſſe fidendum eſt eū, qui in leuiori conflictu conſpicitur ab inferioribus, paruisq; ſuperari. Labor moderatus. Veluti enim ex temperato labore carnis incendia cohibentur, ſic ex ocio fouentur, et creſcunt. Nam per prophetam Ezechielem dicitur. Hæc fuit iniquitas Sodomæ ſororis tuæ, ſuperbia, ſaturitas, panis abundantia, et ocium. Nempè ocioſitas mater eſt concupiſcentiarum, nouerca virtutum. Ipſa eſt, quæ virum pudicum fortiſsimè præcipitat in omnem reatum laſciuiæ, facit ſuffocare virtutem, nutrire libidinem, et conſtruere ad gehennam: Habitus aſper, et vilis. Sicut enim continens et pudicus vilibus induitur veſtimentis, vt ſe oculis diuinæ maieſtatis exhibeat mundum; ſicut in Ioanne Baptiſta claret, qui Camelorum amictus pilis erat: ita e contrario impudicus et incontinens, vt videatur magnificus, ſatagit veſtiri duplicibus, indui mollibus, pretioſis ornari, vt ex Saluatoris patet ſententia dicentis. Qui mollibus veſtiuntur, in domibus regū ſunt. Sed quid eſt homo pretioſis ornatus veſtibus, niſi ſepulcrū foris dealbatum, intùs autem ſpurcitia plenum? Vtique hyacinthus, purpura, crocus, et byſſus in limo putreſcent: aurum, argentū, et gemmæ in luto ſordeſcent. Nam quid ſit dignitas et honor apparet in puluere: poteſtas et gloria cognoſcitur in cinere: laſciuia autem incontinentium, et petulantia demergentur in baratri carcere: Cuſtodia ſenſuum. Ipſa nanque pudicitiā ſeruat. Fons etenim elationis, incentiuum libidinis, violatio caſtitatis eſt ſenſuum curioſitas;

Ezec. 16.

Mat. 11.

quoniam diſcedente mente à fonte vitæ, à lumine veritatis, à delectatione ſpirituali, quam in ſe inuenire poterat, fornicatur in pulchritudine, & amore creaturarum, & moritur; atque ſuſcipitur à prætereunte ſęculo, & cōformatur eidem. Quod fidelibus diſſuadetur ab Apoſtolo, quùm dicat. Nolite conformari huic ſæculo. Quicquid enim in ipſo eſt, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ, quæ omnia continentiæ inimica ſunt: Charitas ſermonis cum honeſtate. Alliga o homo, qui continentiam cuſtodire molitis, ſermonem tuum, ne laſciuiat, nec luxurietur, & in turpiloquio peccata ſibi colligat. Sit reſtrictior, & ripis coerceatur. Citò lutum colligit animus ſuperfluitate verborum. Iugum ſit in verbis tuis, & ſtatera, atque menſura. Age vt ſit grauitas in ſenſu, cōtinentia in mente, in ſermone pondus, atque in verbis modus. Ingreditur enim mors impudicitiæ per oſtium tuū, ſi turpiter loqueris, ſi procaciter, ſi vbi non oportet. Vanus nanq; ſermo facilè polluit mentem. Et properè agitur, quod libenter auditur. Poſtremò euitatio opportunitatis peccādi, ſcilicet perſonæ, loci, & temporis. Ante ignē nanque conſiſtens (etiam ſi frigidus ſit) aliquando diſſoluitur. Proximus periculo diu tutus non erit. Per aſsiduitatem citò peccat homo. Sæpe familiaritas implicauit, ſæpe occaſionem peccandi dedit, & quos voluptas non potuit in primordio, aſsiduitas poſtea ſuperauit. Melius denique eſt habere malorum diuortium, quā cōſortium, quia ſicut bona multa habet laudabilis vita, & frequens conuerſatio Sanctorum, ſic plurima mala ſocietas adfert malorum, quam quicunque tenuerit, continentiam nunquam tenere valebit.

Com. 12. 1. Io. 2.

De gradibus continentiæ, & de eius perfectione. Cap. VI.

IN fine commendationis continentię & caſtitatis deſcribenda eſt ipſius conſummatio atque perfectio, vt ad quem gradū attigerit, ſciat vnuſquiſque legentium. Primus etenim pudicitiæ gradus eſt, ne euigilantis mens impugnatione carnali moueatur, & elidatur. Secundus eſt, ne mens voluptarijs, & turpibus cogitationibus immoretur. Tertius eſt, ne fœmineo, vel tenuiter, ad concupiſcentiam moueatur aſpectu. Quartus eſt, ne vigilans vel ſimplicem carnis perferat motum. Quintus eſt, ne quum memoriam generationis humanæ, vel tractatus lectio, vel neceſsitas lectionis ingeſſerit, ſubtiliſsimè mentem voluptate actionis perſtringat, ſed velut opus quoddam ſimplex, ac miniſteriū humano generi neceſſario contributum, tranquillo, ac puro cordis contēpletur intuitu. Nihilque amplius de eius recordatione concipiat, quàm ſi operationem laterū,

vel

vel cuiuslibet alterius officinæ mẽte pertractet. Sextus caſtimoniæ gradus eſt, ne illecebroſis phantaſmatibus fœminarum, vel dormiens, illudatur. Licet enim hanc ludificationem peccato eſſe obnoxiam non ſit credendum, concupiſcentiæ tamen adhuc latitantis medullitus indicium eſt. Quam tamen ludificationem diuerſis modis conſtat accidere. Nam ſecundùm illum vſum, quem vigilans vel exercere vel cogitare conſueuerat, etiam dormiens vnuſquiſque tentatur. Hic eſt continentiæ finis, hæc pudicitiæ conſummatio, hic eſt immarceſsibilis fructus ligni vitæ, & aſcenſus primus victoriæ brauium in carne exiſtens, quem qui poſsidet, futuræ incorruptibilitatis beatitudinem vtcunque prælibauit, percipietque à domino pro ſuorũ mercede laborum ſexageſimum fructum in regione viuentium domino & cum domino, qui eſt incorruptionis fons, & largitor Chriſtus, qui eſt in ſæcula benedictus. Mat. 13.

DE VIRTVTE PRVDENTIAE ATque de ipſius diffinitionibus, quæ virtus in fructibus ligni vitæ ſecundum tenet locum. Cap. I.

Psal. 118. LVcerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Hæc eſt vera confeſſio omnium timentium Deum, qui luminis gratiã à Dei verbo ſe percepiſſe pronunciant, & eò verius diuinæ ſapientiæ arcana intuentur, quò ab ipſa increata ſapientia, non à ſeipſis, ſe proteſtãtur imbutos. Eſt enim increata ſapiẽtia verbum in excelſis, in quo ſunt omnia viſibilia, & inuiſibilia. Eſt nanque in illa ſpiritus intelligentiæ, ſanctus, multiplex, vnicus, ſubtilis, modeſtus, diſertus, nobilis, incoinquinatus, certus, ſuauis, amans bonum, humanus, Sap. 7. benignus, ſtabilis, ſecurus, habens omnem virtutem, omnia preſpiciens, & qui capit omnes ſpiritus intelligibiles. Vapor eſt virtutis Dei, & emanatio eſt quædam claritatis omnipotentis Dei ſyncera, & ideo nihil inquinatum in illam incurrit. Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula, ſplendor diuinæ maieſtatis, & imago bonitatis illius. Eſt enim ſpecioſior ſole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtella- Sap. 8. rum luci comparata inuenitur prior. Attingit ergo à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Omnia illi patent, cuncta famulantur, & ab ipſa omnes ſpiritus intelligibiles illuſtrantur notitia veritatis. Hanc enim ſapientiam, hoc verbum quærit ſagax anima & rationabilis, cui conſentiat ad correptionem, quo illuminetur ad cognitionem, cui innitatur ad virtutem, quo reformetur ad ſapientiam, cui conformetur ad decorem, quo fruatur ad iucũditatẽ, & per ipſum recto tramite incedens non errer per abrupta vitiorum. Clamet ergo totis medullis cordis, quiſquis à verbo ſe ſentit alienum & ſemotum, dicatque ipſi verbo. Illumina oculos meos prudentia & diſcretione, ne Psal. 12. vnquam obdormiam in morte ignorantiæ, dicatque inimicus meus diabolus, præualui aduerſus eum, decipiendo ipſum. Illis enim præualet diabolus, qui abſque diſcretione ſua agunt. Falluntur nanque diuerſimode, nunc nimio zelo, nunc callida ſuggeſtione, nunc palliata ſanctitate, aliquando inordinata affectione, quandoque blandis, nonnunquam aſperis. Talibus vero exprobrat ſanctus Propheta Moſes inquiens. Gens abſque conſilio eſt, & ſine Deut. 32. prudentia, vtinam ſaperent præterita, & intelligerent præſentia, ac nouiſsima, futura ſcilicet prouiderent. Euaderent prorſus cuncti protecti diuino auxilio & virtute diſcretionis. Quæ virtus diſcretionis, quum omnibus perutilis atque neceſſaria ſit, præcipuè tamen præſidentibus, & aliorum curam gerentibus, quibus congruit ſic pollere prudentia & diſcretione, vt non ſolũ ſeipſos, ſed etiam omnes ſibi commiſſos imbuant vitare noxia, appetere ſalubria, diligere honeſta, vitare prohibita, operari recta, ſpernere terrena, & inueſtigare cœleſtia. At ſi propter imperitiam & imprudentiam hæc minimè agent, eueniet illis, quod ſcriptum eſt. Si Mat. 15. cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foueam cadunt, & apud Deum duorum ſunt noxij, ſui videlicet & aliorum, quibus debuerant præbere monita ſalubria. Sed hanc foueam, hoc exitiale iudicium generoſe euadent, qui prudentia diſcretioneque fulgent. Duplici nanque immortalitatis corona decorabuntur, tã pro propria, quàm pro aliorum laudabili vita, quorũ potiſsima extitere cauſa. Beata igitur anima, quæ hac virtute inſignita eſt, quæ nouit pernicioſa fugere, & proficua amare. Nã nihil aliud eſt prudentia, quàm ſcientia rerum bonarum, & malarum, cum illarum dilectione, & harum deteſtatione. Eſt etiam prudentia amor eorum, quibus adiuuatur, ab ijs, quibus impeditur, ſagaciter diſcernens. Seu prudentia eſt præſens notio, futurorum pertractans euentum. De hac enim virtute veluti de ſpeciali atque ſaluberrimo fructu ligni vitæ in conſequentibus Domino auxiliante tractandum eſt.

De diuiſione prudentiæ, & quæ memoria commendanda ſint. Cap. II.

DIuiditur nanque prudentia in intelligentiam, prouidẽtiam, atque memoriam. Intelligentia autem eſt, per quã animus proſpicit ea, quæ ſunt. Prouidentia verò eſt, per quam videtur aliquid futurum antequam ſit. Sed memoria eſt, per quam quis repetit ea, quæ fuerunt. Eſt enim memoria theſaurus cognoſcibilium, et repoſitorium quoddã, in quo veritas vtilis, quam ratio inueſtigando cepit, fideliter ſeruatur. In ipſa nanq; plura lo-

cãdæ ſunt, & tenaciter commendãda, beneficia (videlicet) innumera, quæ dedit Deus homini. Conſidera ò homo (clamat mundus), quantùm dilexit te qui pro te fecit me; ſeruio tibi, quia factus ſum propter te, vt tu ita ſeruias illi, qui fecit & me propter te, & te propter ſe.
Matt.15. Si ſentis beneficium, ſi recolis donum, redde debitũ, ſi accipis benignitatem, redde charitatem, Memora ſit mandatorũ Dei. Tu enim qui verã requiem, quæ poſt hanc vitam Chriſtianis promittitur, quæris hic inter amariſsimas vitæ moleſtias, ſuauem iucundamque delectationem guſtabis, ſi eius, qui eam promiſit, præcepta dilexeris, eaq; ſemper in memoria comportabis. Memora iuſtitię, quam Deus exercuit in tranſgreſſores mãdatorum ſuorum, ſicut patet de filijs Iſrael, quos Deus occidit in deſerto
Num.16. propter ipſorum varia ingẽtiaque delicta, Memora diuinæ miſericordiæ contra deſperationem.
Eccl.51. Memoratus ſum (inquit Sapiens) miſericordiæ tuæ Domine. Miſericors enim es Domine, cum creas, quia nullis beneficijs prouocatus vt præſtes, miſerator es, quum res cadẽtes tua pietate reſtauras Nam miſericordia tua Domine virtutum, & rex totius clementiæ, nõ ſolum ſubſequitur ad cuſtodiã, ſed etiam præcedit ad gratiam conferendam. Si enim ſolum ſequeretur, nemo donata perciperet, ſi tantum præcederet, nullus poſſet collata ſeruare. Memora laudabilis vitæ ſanctorũ. Qui autem ſanctorum merita religioſæ in arcano memoriæ pertractat, & qui iuſtorum gloriam frequenti narratione extollit, eorum mores ſanctos, atque iuſtitiam imitetur, quoniam quẽ delectat alicuius ſancti meritum, delectare debet par circa cultum Dei obſequium. Qui enim rem imitari non debet, ſi laudat, aut laudari non debet, ſi imitari pertractat, vt qui ſanctorum merita admiratur, admirabilis vitæ ſanctitate reddatur.
Eccl.11. Eccl.18. Memora aduerſitatis in proſperitate, & ecõtrario, ſicut legitur. In die malorum ne immemor ſis bonorum, & in die bonorum ne immemor ſis malorum. Et alibi. Memento paupertatis in tempore abundantiæ. Memora peccatorum propriorum. Recogitabo (ait Eſaias) omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. O memoria ſalutaris, amaritudo dulcis, fęlices lacrymæ, compunctio fructuoſa, quæ de peccatorum rememoratione generatur. Nam lugentes conſolatur, pœnitentes emundat, virtutes erigit, componit mores, fugat vitia, crimina delet, diabolum fugat, cœlũ aperit, Chriſto conciliat, Deum placat, & cęleſtium ſpirituum legiones iucundo ad ſe trahit affectu.

Quibus affectibus decor dignitas prudentiæ pateat. *Cap. III.*

Prou.3. MAgna eſt prudentiæ virtus plurimumque commẽdabilis. Propterea (ſicut ſcriptura teſtatur) Beatus eſt vir, qui inuenit ſapientiam, & qui affluit prudentia; quia melior eſt acquiſitio eius negociatione argenti & auri primi puriſsimi. Lignum nanque vitæ eſt iis, qui apprehenderint eam, & qui illam tenuerint, beati. Melior eſt cunctis opibus, et omne delectabile huic nõ valet comparari. Omne aurum in cõparatione illius arena exigua eſt. Vani enim ſunt homines, in quibus nõ eſt prudentia, nec abſque formidine debent viuere, quia ſicut imprudentia timidum, ſic prudentia reddit ſecurum. Prudentia nanque liberat hominem à periculo. Vbicunq; enim fuerit prudentia, fruſtrantur vniuerſa contraria, vbi verò prudentia negligitur, omnia contraria dominantur. Hæc virtus propriam cõſun Iob 36.
dit confidentiam, et alijs præbet in deliberatione aſſenſum. Magna etenim eſt et infinita prudentia, quàm nemo ſic aſſequitur, vt eam non neceſſario per alios quærere videatur. Senes ipſi conſilio ſapientiam diſcunt, et à maturis in commune quæritur, quod per omnium vtilitatem trãctatur, Solatium curarum frequenter ſibi adhibent maturi reges, et hinc meliores prudentioreſque exiſtimantur, ſi ſoli omnia non præſumant. Hominem in bono conſeruat hæc virtus. Non enim poteſt quis à malo fugere, et ſe in bono conſeruare, niſi in cunctis, quę agit, præſit prudentia, per quam diſcernendo cunctas ſingulaſque moderari valeat voluntates, ne opinio verſipellis fallat, ne decipiat ſermo verſutus, ne quod malum eſt, bonum; ne quod bonum eſt malum eſſe credatur. Aſtutias diaboli ſuperat. Intuetur nanque antiquus hoſtis, & humani generis inimicus vniuſcuiuſque mores, & cui vitio propinqui ſint, examinat. Illaque opponit ante faciem eius, ad quæ cognoſcit facilius inclinari mentem. Nam blandis ac lætis moribus ſæpe luxuriam, nonnunquam vanam gloriam, aſperis verò mentibus iram, ſuperbiam, vel crudelitatem proponit. Ibi ergo decipulam ponit, vbi eſſe decipulam mentis conſpicit. Quæ cuncta intelligens prudens vir ad nihilum rediget, iuxta id quod legitur. Prudentia illius percuſsit ſuperbum. Hæc virtus magiſterium habet cæterarum virtutum. Nam diſcretio & prudentia omni virtuti ordinem ponit, modum tribuit, decorem & perpetuitatem confert. Non ſolum virtus eſt, ſed virtutũ moderatrix, ordinatrix affectuum, & doctris morum, quæ fixo gradu poſſeſſorem ſuum perducit ad Dominum. Nulla enim virtus perfici poteſt ſine diſcretione. Tolle hanc & virtus vitium erit. Ipſaque affectio naturalis in perturbationem magis conuertetur, exterminiumque naturæ. Sine hac virtute quaſi de lumine ad tenebras currimus. Sicut qui importunè radios ſolis aſpicit, tenebreſcit, & inde nihil videre compellitur, vnde amplius cernere conatur, ſic dum noſmetipſos plus iuſto diſcutimus, de

ipſo

ipſo diſcretionis ſtudio idiſcretiùs erramus, quia plerunque virtus, quum indiſcretè tenetur, amittitur, & quò plus ſe nolle contendit, eo ſine prudentiæ moderamine deteriùs in præceps ruit. Bona domini nobis multiplicat commiſſa. Theſaurus quippe deſiderabilis in tabernaculo prudentis, ſed imprudens homo diſsipabit. Nam quemadmodum prudens virtutibus modum imponit, ne fiant vitia, ita econtrario imprudenti ſi adſit timor, tranſit in deſperationem; ſi dolor, in amaritudinem; ſi amor, in adulationẽ; ſi ſpes in pręſumptionem; ſi lætitia, in diſſolutionem; ſi zelus, in furorem. Hęc virtus lucerna eſt in viam paradiſi dirigens. Nam qui non habet prudentiam, licet ſit magnæ ſanctitatis, ſimilis eſt homini in altum reſpicienti, & vbi ponat pedem ſuum non videnti, qui de facili poteſt ruere. Quapropter meliùs eſt prudenter ſcire infirmitatem ſuam, quàm ea neglecta ſiderum curſus rimari, & terrarum fundamenta ſcrutari. Vera enim ſcientia prudenter afficit, non extollit, nec ſuperbos, quos repleuerit, ſed lamentantes facit, qua quiſque quum repletus fuerit, primo loco ſe ſcire appetit, & iam ſui conſcius tantò per illam robuſtiùs ſapit, quantò ſe infirmum in illa veriùs recognoſcit. Hæc conſtantem efficit mentem. Nam virtute prudentiæ medij incedere debemus inter nimium timidos & nimium temerarios, vt ſimus quidem verecundiores iis, qui vt videantur ad indebitos actus fœda ambitione nituntur, & paulò fidentiores ij, qui iudicij futuri metu, etiam bonorum actuum cuncta refugiunt. Sine iſta, ſobrietatis virtutem minime obtinebimus. Nam cum magno conatu debemus, quicunque volumus ſobrietatem acquirere, diſcretionem tenere, quæ nos à nimietate illæſos ſeruare poteſt. Nã ad vnum finem nimietas ieiunij & voracitas perueniunt, eodemq́ue imprudẽtem diſpendio vigiliarum immoderata continuatio, ſomniq́ue torpor inuoluit. Vt enim mens cibi auiditate laxa perdit orationum vigorem, dum carnis nimia laſsitudine prægrauata compellitur dormitare, ita rurſum nimietate voracitatis oppreſſa emittere ad Deum preces, laudeſq́ue, non poterit. Nam per indiſcretionis exceſſum debilitatum quemlibet ad illum ſtatum reuocari neceſſe eſt, in quem negligens per incuriam deuenit. Vtrunque verò declinabit prudens, nec per voracitatem, nec per inediam prætergrediens diſcretionis limitem.

De laudabilibus virtutis prudentiæ effectibus, qui ipſam inter cæteras virtutes reddunt commendabilem. Cap. IIII.

SIcut ex fructibus cognoſcitur arbor, & ex claritate & candore aeris ortus Solis, ita ex multiplicibus affectibus agnoſcitur excellentia prudentiæ. Hæc habet enim dirigere actus aliarum virtutum. Sic enim diffinitur. Diſcretio ſiue prudentia, eſt in diiudicandis rerum cauſis actibuſq́ue virtutum prouida humanarum mentium ratio & moderatrix. Ipſius eſt oſtendere quid, quando, & quomodo ſit agendum. Vnde qui prudenter accedit ad rem agendam, neceſſe eſt, vt caueat, ne id ſolummodo conſideret, vt illa res honeſta ſit, ſed etiam vt habeat efficiẽdi facultatem. In quo ipſo conſiderandum eſt, ne aut temerè deſpiciat periculum propter ignauiã, aut nimis cõfidat de ſe propter cupiditatem. Intuendum eſt quoque ne plus debito capiatur, & proiiciendum ſit onus, ne ſub ipſo in via contingat deficere. In omnibus ergo negociis priuſquã agrediatur ad opus, adhibenda eſt diſcretio. Cunctam enim diſciplinam regularis ordinis moderatur æqualitas diſcretionis & prudentiæ, ne nimia remiſsio nutritiua ſit criminum, vel impia diſcretio parricida ſit virtutũ. Ipſius quoque prudentiæ eſt prouidere, vt opera noſtra grata ſint Deo, nobis vtilia, & proximo fructuoſa, quod tũc fit, quũ non excedit terminos. Propterea (o prudentiæ amator) ſtude, ne tua prudentia terminos ſuos excedat, vt nõ callidus inueſtigator latentiũ, & ſcrutator qualiũcunq; noxarũ oſtẽdaris, alioquin mõſtraberis digito, faſtu plenus verſipellis, & ſimplicitatis inimicus, cõmendatorq; culparũ, & poſtremo vno nomine à cunctis, malus homo vocaberis. In has ergo maculas prudentia immenſurata perducet, pro quibus omnibus nec Deo, nec hominibus placere valebis. Prudentię quoq; eſt moderari feruorem præcipitantẽ. Nã virtus diſcretionis abſq; feruore charitatis iacet, & feruor vehemẽs ſine prudẽtiæ tẽperamento præcipitat. Ideo laudabilis eſt, cui neutrũ deeſt, quatenus feruor diſcretionẽ erigat, & prudentia feruorem regat. Quemadmodũ.n.arcus ex ſtudio diſtẽditur, vt in ſuo tẽpore cũ vtilitate tendatur, qui ſi ociũ relaxationis non accipit, feriendi virtutẽ ipſo vſu tẽtionis perdit, ſic nimirũ fit in exercitatione ſpirituali, quũ aliquando feruor, & virtus per diſcretionẽ tẽperatur, ſeruatur, vt tantùm poſt vitia valenter feriat, ignauiamq́ue excutiat, quantum ab exercitatione interim prudenter ceſſat. Hæc virtus res ſecundùm veritatem non ſecundùm multorum opinionem exiſtimare facit, vndè quiſquis prudentiam ſequi deſiderat, tunc per rationem rectè videt, ſi omnia priùs exiſtimet, & penſet, atque dignitatem rebus non ex opinione multorum, ſed ex earum natura conſtituat. Ipſa virtus facit, ne relinquatur aliquid inchoatum, antequã ad perfectionem ducatur. Ad finem nanque debet perducere ea, quæ prudens intentio viſa eſt ſuſcepiſſe, quia ſicut perfectam laudem pariunt, quæ perficiuntur, ita & vituperationem generãt, quæ in mediis conatibus imperfecta deſeruntur. Defectus enim eorum aut conſilium titubare, aut vires arguit defuiſſe. Scito igitur (o prudentiæ ſectator) te in quibuſdã debere perſeuerare, quę cœ

piſti, quędam verò nec incipere, in quibus perſeuerare ſit noxium, quia commendabilius eſt, vt propoſita non inchoes, quàm vt inchoata poſtponas. Prudentia inſuper mutabilitatem cauere facit, ſi autem prudentiam amplecteris (o homo) vbique idem eris. Et prout rerum aut temporis varietas exigit, ita te accommodabis tempori, vt non te in aliquibus mutes, ſed aptes. Vir etenim ſanctus in ſapientia ſtabilis manet ſicut Sol, ſtultus verò vt Luna mutabitur. Ipſa virtus turpia in occulto ſicut in publico vitare facit. Prudẽti nẽpe viro nihil turpe eſt faciendum etiam ſi omnes lateat, etiã ſi omnes homines celare poſſet. Quãpropter nihil à nobis auarè, nihil iniuſtè, nil libidinoſè, nihilque incontinẽter eſt faciendũ; quia ſapientis proprium eſt quicquã, cuius ipſum pœnitere poſſit, non perpetrare, ſed ſplendidè, cõſtanter, grauiter, honeſteque cuncta diſponere. Hæc quoque potius in proſperis quàm in aduerſis docet conſultè agere. Tunc enim ſancti viri, qui virtute prudentię pollent, quum ſibi cernunt ſuppetere proſpera mundi huius, pauida ſuſpicione turbantur. In omnibus quæ agunt, cautè ſe gerunt, quia timent, ne hic laborum ſuorũ fructus recipiant, formidantque ne diuina iuſtitia latens in eis vulnus aſpiciat, & exterioribus eos muneribus cumulans ab internis & ęternis repellat. Sine hac virtute non poteſt homo actus rationis (ſcilicet cogitationes) ordinare. Nam prudẽtem virum quicquid pudet facere, pudet cogitare. Propterea tũc poterimus virtutem obtinere prudentiæ, quum inutiles laborioſaſque cogitationes noſtras repreſſerimus, & tunc incipiemus bonas cogitationes dirigere, quum ab illis, quæ malæ ſunt, libra diſcretionis ſtuduerimus ſpiritum cohibere. Ipſius etiam prudentiæ propriũ eſt non ſolum cogitationes, ſed etiam intentionem ad finem dirigere, quod perneceſſarium eſt. Quia ſi cor imprudentis ſemel noxia intẽtione corrumpitur, ſequentis actionis medietas & terminus ab hoſte callido ſuperatur, quia omnes fructus arbor amittit, quæ veneni dẽte in radice vitiata eſt. Summa igitur cura & prudenti diſcretione vigilandum eſt, ne vel bonis operibus ſeruiens mens reproba intentione polluatur. Scire itaque nobis prius neceſſe eſt, quæ ſint viciniora fini, & quo ordine debeant fieri, ſcilicet vt prius fiat quod eſt vtilius ad ſalutem. Quo ſtudio ſcilicet, vt ardentius, quò vehementiùs ad amorem accenditur. Quo fine, ſcilicet, vt ad ædificationem noſtri & proximi. Nam ſunt nonnulli imprudentes, qui ſcire volunt eo fine tantùm, vt ſciant, & hæc turpis curioſitas eſt, alij vt ſciantur, & hæc deteſtanda vanitas eſt, alij vt ſcientiam ſuam vendant pro pecunijs, & honoribus, & hic obſcœnus quæſtus eſt, alij vt ædificent, & hæc laudabilis prudentia eſt. Hæc virtus prudentiæ etiam linguam moderatur, de qua ſic legitur. Labia imprudentium ſtulta narrabunt, verba autem prudentium ſtatera ponderabuntur. Sed & qui moderatur labia ſua prudentiſsimus eſt. Diu igitur conſiderandum eſt, quid loquendum ſit, & adhuc tacitè prouidendum, ne quid dixiſſe pœniteat. Sapiens antequam loquatur, multa priùs conſiderat; quid, cui, quo loco, quo tempore dicat. Nam ſolus ille ſcit rectè loqui, qui ordinatè nouit tacere. Hæc quoque cœleſtis prudentia in ſpirituali bello triumphat. Vir nanque ſapiens fortis eſt, & vir doctus, validus & robuſtus, quia innititur bello cum diſpoſitione. Propterea erit ſalus, vbi multa conſilia. E cõtrario valde fortitudo deſtruitur, niſi per conſilium fulciatur. Quoniam quò plus mens interius ſine prudentia cuſtoditur, eò deteriùs in præceps ruit. Mens etenim, quæ intus conſilij, diſcretioniſque ſedem perdidit, foris ſe per deſideria innumera ſpargit, & eò faciliùs ab inimicis vulneratur, quò extra ſe poſita, quibus exagitetur tentationibus, non intuetur.

Quàm multa ſint, & quæ ſint illa, quæ non mediocriter prudentiæ aduerſantur. Cap. V.

CVpientibus ad optatum cuiuſque rei finem pertingere duo neceſſaria ſunt ſcire, videlicet quà ad eam tenditur, nec ignorare contraria, quibus impediatur. Quia de re quum vſque nunc luculẽter patefactum ſit iter, decuſque prudentiæ, aperiendum eſt in conſequentibus, quæ ipſi prudentiæ aduerſantur, quatenus ſicut in commendatione virtutis ex præcedentibus ad illam obtinendam lector factus eſt alacer, ita ex ijs, quæ inferuntur, efficiatur prouidus. Tantò nanque ſecurius iter peragitur, quantò lucidius quæ ſit recta, & quæ ſit via obliqua, non ignoratur. Notandum eſt tamen, quod ignorantia prudentiæ plurimum aduerſatur. Eſt autem ignorantia multiplex; quædam vitioſa, quę excuſationem non habet, & prudentiæ contrariatur, videlicet ſi adſit affectio neſcienda, quæ agenda ſunt, vel vitanda, vel negligenda ſcienti. Multa nanque neſciuntur aut ſciendi incuria, aut diſcendi deſidia, aut verecundia inquirendi. Eſt etiam vitioſa prudentia laudabili valde oppoſita, quæ triplex eſt. Eſt enim prima prudẽtia carnis, de qua Apoſtolus ait. Prudentia carnis inimica eſt Deo. Hæc ſtudioſiùs quæ carnis ſunt implet, quàm quæ ſpiritus. Vnde neceſſe eſt, vt ex ipſius inordinato amore generetur pugna animæ laborioſa, & prudentiæ aduerſa. Secunda eſt prudẽtia terrena, quæ pertinet ad diuitias, & honores, de qua ſic legitur. Filij quoq; Agar, qui exquiſierunt prudẽtiã, quæ de terra eſt, negociatores terræ & Themã, & fabulatores, & exquiſitores prudẽtię & intelligẽtiæ, viã aũt ſapiẽtię neſcierũt, neq; cõmemorati ſunt ſemitas eius. Tertia eſt prudentia diabolica, quę pertinet ad malitiam, de qua dicitur. Sapiẽtes ſunt, vt faciãt mala, benè autẽ face-

re ne-

Hier. 4. D. Greg. li. x. Mor. c. 16. in c. 12. Iob.

re neſcierunt. Huiuſmodi nanque prudentiæ eſt cor machinationibus tegere, ſenſum verbis velare, quæ falſa ſunt, vera oſtendere, & quę vera sũt, falſa demonſtrare. Oppoſita quoque multum eſt prudentiæ animi præſumptio. Valde enim eſt difficile, vt is, qui ſe ſapientem exiſtimat, mentẽ ſuã prudenter regat. Nam vera hominis ſapientia efficitur humilitas ſuæ exiſtimationis. Propterea laudanda prudentia eſt, quæ exiſtimationem ſui certo pondere examinat. Inordinata etiam cupiditas contrariatur prudentiæ. Sicut enim ij, qui per inſanam mentem tranſlati ſunt, non iam res ipſas, ſed paſsionis ſuæ phantaſias vidẽt, ita quoque imprudentis mens ſemel vinculis cupiditatis aſtricta, ſemper aurum, ſemper argentum credit intueri. Aurum enim gratius quàm ſolem cõſpicit, ipſaque eius ad Deum ſupplicatio aurum quærit, & aſsiduè meditatur: quod magnæ imprudentiæ notiſsimum eſt indicium. Poſtremò inſipientium ſocietas nõ mediocriter prudentiæ aduerſatur. Hoc ſacro atteſtante eloquio, atque dicente. Qui cum ſapientibus graditur, ſapiens erit, amicus verò ſtultorum ſimilis illis efficitur. Diuerſitas nanque naturarum nunquam poteſt habere concordiam. Vnde & plurimùm contingit, vt quoties bonus malo coniungitur, non ex bono malus fiat melior, ſed ex malo bonus contaminetur. Ideo liquet, quòd multos præcipitare facit à via prudentię imprudentium nefanda ſocietas.

Prou. 13.

De qua duplici ordinatione, homini ad perfectionem prudentiæ cupienti venire neceſſaria, in qua ipſius virtutis culmen conſiſtit. Cap. VI.

QVoniam difficillimum, & penè impoſſibile eſt ad alicuius rei perfectionem attingere abſque ordine, & potiſsimùm in certamine virtutum, atque conſummatione ipſarum, in hoc capitulo procurret ſermo in narrationem earum rerũ, in quibus ordinare debet ſe mens, vt ad culmẽ perducatur prudentiæ. Tantò etenim homo ad perfectionẽ huius virtutis erit propinquior, quãtò in iis, quæ ſequuntur, extiterit prouectior. Quadruplex autem debet eſſe prudentis viri ordinatio. Prima eſt conſiderationis. Nam conſideratio eſt, quę cõfuſa diſcernit, ſparſa colligit, occulta rimatur, verum inueſtigat, veriſimilia examinat, ficta & fucata explorat. Hæc ſiquidem eſt, quæ agenda prę-ordinat, acta recogitat, & in aduerſis proſpera præſentit. Redi igitur per conſiderationem ad cor tuum, quiſquis es, qui ſapientiam & prudentiam cupis adipiſci. Diſcute aſsiduè teipſum, cõſidera vnde venis, quò vadis, quò modo viuis, quãtum quotidie proficis, quantum deficis, quibus cogitationibus magis incurſaris, qualibus affectibus frequentius tangeris, vel quibus tentationũ machinis à maligno ſpiritu acrius impugnaris. Quia eò certius, & citius ad culmen prudentiæ proficies, quò ſtatum interioris hominis conſiderando plenius cognoſces. Secunda ordinatio eſt affectionis. Sapientia eſt Deus, & vult non ſolum dulciter amari, ſed & prudenter, alioqui zelo ſuo ſpiritus illudet erroris negligentem ſcientiã charitatis. Non enim habet callidus hoſtis machinamentum efficacius ad tollendam dilectionem, quàm ſi efficere valeat, vt incautè, & non cum iudicio diſcretionis ambuletur. Tertia eſt ordinatio negociorum ſecundùm diuerſitates temporum. Prout enim veræ prudentiæ competit regula, diſtribuenda ſunt tam ſpiritualia, quàm corporalia exercitia. Cui ſpiritualia, ſpiritualia, cui temporalia, temporalia. In quibus ſic exoluat omne debitum ſpiritus Deo, corpus ſpiritui, vt ſi quid fuerit intermiſſum, ſi quid neglectum, ſi quid imperfectum, ſuo loco, ſuo tempore, ſuo modo non tranſeat impunitum, vel irrecompenſatum. Hoc tamen ſciendum, & tenaciter annitendum eſt, quod extra quotidianum ſacrificium, vel lectionis ſtudium, aut corporale exercitium conſcientiæ, diſcuſsioni, emendationi, compoſitioni pars ſua dici negãda non eſt. Quarta ordinatio eſt ad ſpiritualem pugnam. Circa quam animaduertendum eſt, quòd virtus atque diſcretio animæ præparantis ſe ad pugnam debet eſſe ad certamina ſibi competentia, quia quodlibet certamen faciliter exuperat, qui mentem certamini ante certamen parat. Quapropter qui pacem, quæ de prælij triumpho prouenit, deſiderat, ante bellum ſe præparet. Qui victoriam cupit, pericula conſideret diligenter, & qui proſperos optat euentus, dimicet arte non caſu, prudentia animi non robore corporis, quoniam fit ſæpicule, vt qui imprudenter ſe exponunt in aciem, non de victoria, ſed de fuga excogitent. Nemo etenim prouocare, nullus audet offendere, quem intelligit prudentiorem, ſuperioremque ſe, ſi pugnet. Nam anima virtutibus fulta, & prudẽtia decorata inimicis ſuis terribilis eſt, vt caſtrorum acies ordinata, quæ etſi aliquando concuti poteſt, nunquam tamen vinci poteſt. Hæc ſunt, in quibus ordinata mens ad culmen prouehitur prudentiæ. Iſta nempe ſunt ſtudia ipſius, vt videlicet caueat quicquam per oſtentationem fingere, ſed ſenſum verbis ſimpliciter aperire, vera, vt ſunt, diligere, falſa deuitare, bona gratis exhibere, mala libentius tolerare, quàm facere, nullam iniuriæ vltionem quærere, putare lucrum contumeliam pro veritate. Sed hæc prudentium ſimplicitas irridetur, & à mundi ſapientibus fatuitas reputatur. Aiunt enim, quid ſtultius in hoc mundo, quam amiſſa non quęrere, poſſeſſa rapientibus relaxare, nullam pro acceptis iniurijs vltionem reddere, imò adiunctis alijs, patientiam præbere. Sed hæc ſunt veræ ſapientiæ exercitia. Hæc prudentiæ generoſa certamina ſunt, quæ virtus ſe poſsidentium eſt ornamentum inſigne, atq; in fructibus ligni vitæ memorati ſecundum obtinet locum, quam qui habuerit, periclitari non poterit, iuxta Salomonis ſententiam dicentis.

Cant. 6.

D. Greg. li. x. Mor. c. 16. in c. 12. Iob.

Prou. 2. centis. Si inclinaueris cor tuum prudẽtiæ, ſi quęſieris illam ſicut pecuniam, & quaſi theſauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, & ſcientiam Dei inuenies, quia Dominus dat ſapientiam, & ex ore eius ſcientia & prudentia. Cuſtodiet hæc rectorum ſalutẽ, & proteget gradientes ſimpliciter, ſeruãs ſemitas iuſtitię, & vias Sanctorum cuſtodiens in ſæcula ſæculorum.

DE VIRTVTE IVSTITIAE, ATQVE ipſius diffinitione, quę inter cęteras virtutes prçexcelſa pollet dignitate, & in fructibus ligni vitę gradum promeretur tertium. Cap. I.

Psal. 90. LVX orta eſt iuſto, & rectis corde lætitia. Hanc ſententiam Dauid plenus Spiritu ſancto eructauit, inſinuans ex quo fonte pullulet iuſtitia, & quo fine ad amorem iuſtitiæ prouocet legentem. Lucem nanque præmiſit ortam eſſe iuſto, lucem vtique gratiæ, ne inaniter iuſtus de ſua ſe iactaret iuſtitia. Non aũt põt vera eſſe iuſtitia, ſine prius iuſtificãte gratia. Gratia etenim ſe homini infundens ipſum iuſtificat. Hoc Apoſtolus manifeſtat inquiens. Iuſtificati
Rom. 3. Pſal. 142. gratia ipſius, & cætera. Alibi etiam dicit ſcriptura. Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens, vtique ſine gratia. Gratia etenim eſt quædam lux diuina diuinitus infuſa, gratis data, quæ interioris hominis illuminat oculos, & excitat affectum; vt videat, quæ agẽda ſunt, & quæcunque viderit, opere perficiat. Abſque ijs nunquam iuſtificabitur homo. Econtrario quanto magis in homine abundat gratia, tanto magis cumulantur in ipſo iuſtitiæ opera, in quibus abſcondita ſunt gaudia & lætitiæ, veritates, atque ſpirituales infuſiones, quæ ſolummodo à rectis corde percipiuntur, & noſcuntur; quia manna abſconditum ſunt. Has qui guſtant, merentur ex ipſarum participatione cumulatius eſurire iuſtitiam. Tales nempè beati
Mat. 5. ſunt, qui fœlicem eſuriem comprobantur ſuſtinere iuſtitiæ, quoniam ipſi ſaturabuntur. Ex qua ſaturitate alacres exiſtunt ad tolerantiam aduerſorum, impigri ad obedientiam præceptorum, & ſpiritu feruentes ad cõtemptum terrenorum, atque affectuoſo charitatis zelo accenſi ad commoda proximorum. Nã vera iuſtitia magis alijs quã ſibi prodeſt, & vtilitates ſuas negligit, communia emolumenta præponens. Hoc enim totum præſidentibus neceſſarium eſt, qui amore iuſtitię, & ardore dilectionis proximi debent opus non dignitatem quærere, laborem nõ delicias, non creſcere faſtigio, ſed humilitate decreſcere; vt fiant ſerui & miniſtri hominum, propter Chriſtũ, quatenus intermiſſa Rachele decora facie intrent ad Lyam oculis lippam, & de monte cum Moſe deſcendant de ocio contemplationis ad campum & laborem actionis, alioquin ſtrenuè ſubditis miniſtrare nequibũt, quoniam qui proximorum lucra quærunt, non ſuam ſed aliorum debent zelare vtilitatem. Tantò ergo quiſque fit iuſtior, quanto pro iuſtitiæ & charitatis zelo omnibus fit communior. Nam iuſtitia ſic deſcribitur. Iuſtitia eſt habitus in communi vtilitate ſeruatus ſuam cuique tribuens dignitatem, vel iuſtitia eſt conſeruatrix ſocietatis humanæ, item eſt amor ſoli amato ſeruiens, & propterea rectè dominans. De hac itaq; vti de ſingulari virtute, ac ſpeciali ligni vitæ fructu ſpecialiter tractandum eſt.

De diuiſionibus virtutis iuſtitiæ. Cap. II.

QVoniam iuſtitia communis eſt virtus, vt facilius cognoſcatur eius elegantia, diuiſiones ipſius prius inferendæ ſunt, quatenus cõpertis illis in fronte narrationis eiuſdem ad ea, quæ ſequentur, præconia eius vigilantior efficiatur lector. Sciendũ igitur, quòd iuſtitia diuiditur in religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, obſeruantiam, & veritatem. Religio nanque eſt, quæ cuique ſuperiori curam, cæremoniamque affert. Pietas eſt, per quam cõiunctis ſanguine & beneuolentia affectus & diligens tribuitur cultus. Gratia eſt, qua amicitiarum & officiorum alterius memoria & remunerandi voluntas continetur. Vindicatio eſt, per quam ius, & iniuria, & omne, quod obſcurum eſt, defendendo atque vlciſcendo propulſamus. Obſeruantia eſt, per quam homines aliqua dignitate antecedentes cultu quodam, & honore dignamur. Veritas eſt, per quam immutata ea, quæ ſunt, aut fuerunt, vel futura ſunt, dicuntur. Poteſt & breuiter in duo diuidi velle, videlicet omnibus prodeſſe, & nulli nocere. Amabis, (ait quis) Deum, ſi illum imitaberis, vt velis omnibus prodeſſe, & nulli nocere, & tunc vitum iuſtum appellabunt te omnes.

Quòd dupliciter, à natura, ſcilicet, & à ſcriptura admonemur ſeruare iuſtitiam. Cap. III.

DVpliciter admonemur ſeruare & amare iuſtitiam, ſcilicet à natura & à ſcriptura. Natura enim nos excitat tripliciter. Dedit nanque rectitudinem humano corpori, dedit ſtaturam homini rectam, vt iſta corporea rectitudo exterioris vilioriſque figmenti hominem illum interiorem, qui ad imaginem Dei factus eſt, ſpiritualis ſuæ ſeruandæ rectitudinis admoneret, et decor limi deformitatẽ argueret animi, tacitè ex hoc illi inſinuãs nihil indecẽtius fore, quam curuum recto corpore gerere animũ. Excitat etiam natura ad iuſtitiã, quum ea, quę iuſtitiæ ſunt, pro magna parte naturaliter in corde hominis ſcripta ſint. Quod Paulus euidẽter exprimit dicẽs. Quum enim gẽtes, quæ legẽ nõ habent naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, huiuſmodi legem nõ habentes ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtẽdunt opus legis ſcriptũ in cordibus ſuis, teſtimoniũ illis reddente conſcientia ipſorum. Auguſtinus etiam ait. Furtum certè punit lex tua (Domine) et lex ſcripta in cordibus hominum, quæ nequaquam Rom. 2.

quam æquo animo ipſum furem furari patitur. Excitat quoque ad iuſtitiam natura, quum bruta animalia multa docent, quę pertinent ad iuſtitiã, vt innocentiam, cõcordiam, pietatem ad animalia ſui generis. Nam cuncta animantia in ſuo genere probè degunt, & congregari videmus, ſtareque contra diſsimilia. Leonum feritas inter ſe non dimicat, ſerpentum morſus non petit ſerpẽtes, nec marinæ beluæ ac piſces niſi in aduerſa genera ſæuiunt. At homini ex homine plura ſunt mala. Non ſolum (ſicut patet ſupra) natura nos excitat ad iuſtitiam, ſed etiam ſcriptura, quæ per [Mic. 6.] Prophetam nos admonet dicens. Indicabo tibi o homo, quid ſit bonum, & quid Dominus quærat à te, vtique facere iudicium & iuſtitiam, & diligere miſericordia, & ſolicitè ambulare cũ Deo tuo. Et alibi eius magnificentiam extollens ait. [Sap. 1.] Iuſtitia eſt perpetua & immortalis, iniuſtitia verò mortis eſt acquiſitio. [Mat. 5.] Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam (ait magiſter bonus, doctor veritatis, & virtus Dei) quoniam ipſi ſaturabuntur. Plura alia ſunt huius glorioſæ virtutis præconia, quæ enarrare longum eſt. Sectemur itaque iuſtitiam, per quam ad ęterna gaudia pertingitur, iuxta Pſalmographi ſententiam dicentis. [Pſal. 67.] Iuſti epulentur, & exultent in conſpectu Dei, & delectentur in lætitia.

Quibus effectibus luculenter appareat virtutis iuſtitiæ excellentia. Cap. IIII.

EX multiplicibus effectibus dignoſcitur huius virtutis excellentia. Hæc nanque beatificat, ſicut dicitur. [1. Pet. 3.] Si quid patimini propter iuſtitiam, beati. Et alibi. [Eccl. 1.] Qui timet Deũ, faciet bona, & qui continens eſt iuſtitiæ, apprehendet illam, & obuiabit illi quaſi mater honorificata. [Ibid.] Et infrà. Stolam gloriæ induit illum, iucũditatem & exultationem theſaurizabit ſuper illũ, & nomine æterno hæreditabit illũ. Ipſa in præſenti vita à malo; pœnæ cuſtodit, ſicut per Danielem [Dan. 6.] dicitur. Concluſit ora leonum, & non me contaminauerunt, quia coram eo iuſtitia inuenta eſt in me. Econtrario pœna præſens, quæ animum iniuſti à prauis deſideriis non mutat, ab æternis ſupplicijs non liberat. Sed quem iuſtitia corrigit, ad ſequentia mala non inducitur. Hæc appetitũ boni tranſitorij reſtringit. Iuſtus enim eſt ille, qui ad terrena non incuruatur, qui ad cęleſtia totus erigitur, qui diuinæ voluntati humiliter ſubditur, cuius medium non exiens ab extremis paupertate & patientia regulatur. Ipſa quoque homini pacẽ tribuit. Duæ ſunt amicę charitatis vinculo cõglutinatæ, ſcilicet iuſtitia, & pax, vnam vis, & alteram non tenes. Nemo eſt, qui non velit pacem ſed non omnes volunt operari iuſtitiam. Interroga omnes homines, vultis pacem? Reſpondebunt tibi, volumus, optamus, cupimus, amamus. Si pacem vis, ama iuſtitiam; quia indiuiſæ amicæ ſunt [Pſal. 84.] iuſtitia & pax. Ipſæ ſe inuicem oſculantur. Si iuſtitiam amicam pacis non amaueris, non te amabit ipſa pax. Ipſa etiam mortem, quæ omnibus terribilis eſt, facit non timere propter mercedem, quę iuſtis debetur. Bona enim eſt mors iuſti propter requiem, melior propter nouitatem, optima propter ſecuritatem. Pretioſa vtiq; iuſtorum mors tã quàm finis laborum, victoriæ conſummatio, vitæ [Pſal. 115.] ianua, & perfectæ ſecuritatis ingreſſus. Ecõtrariò mors iniuſtorũ peſſima. [Pſal. 33.] Nam mala eſt in mundi amiſsione, peior in carnis ſeparatione, peſſima in vermis, ignisque cõtritione. Hæc quoque tribuit vnicuique, quod ſuum eſt. Si enim cupis tenere iuſtitiã, redde omnibus, quę ſua ſunt: Superiori reuerẽtiã, & obediẽtiã, quarũ altera cordis, altera corporis eſt. Aequali tribue cõſiliũ, quo ignorantia erudiatur, & auxilium, quo infirmitas adiuuetur: Inferiori autem & ſubiecto cuſtodiam, vt poſsit cauere peccatum, & diſciplinã, vt quod minùs vitauit, minimè maneat impunitum. Ipſa etiã principem, & populorum rectorem plurimùm cõmendabilem reddit. Nam regis iuſtitia eſt pax populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, fœcunditas terræ, ſolatium pauperum, hæreditas filiorum, et ſibimetipſi ſpes futuræ hæreditatis. Ipſa eſt, quæ facit parentes, et omnia temporalia contemnere. Iuſtitia nãque virtutis ſplendor eſt maximus, quæ non nouit matrem, perſonam non accipit, veritatem nouit, Deum imitatur, et temporalia cuncta vilipendit. Quod enim peccatores voluptatem exiſtimant, hoc iuſti proculdubio pęnam putant. Iuſtus verò mirãda agit, opprobria recipit; vt qui exire foras per laudes potuit, repulſus contumelijs ad ſemetipſũ redeat, et eo robuſtiùs ſe intus in Deo ſolidet, quo foris minus inuenit, vbi requieſcat. Hæc fructus videtur eſſe aliarum cardinalium virtutum. Nam propinquior eſſe cognoſcitur mercedi iuxta illud. Retribuet mihi Dominus ſecundũ iuſtitiã meã: [Pſal. 17.] Saluti, ſicut ſcriptum eſt. Salus animę in ſanctitate [2. Reg. 22. Eccl. 30.] iuſtitiæ: Laudi, ſicut dicitur de ea. Iuſtitia perpetua eſt, et immortalis: Coronæ, prout per Paulum dicitur. Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ. [2. Tim. 4.]

Quot virtus iuſtitiæ comprehendit in ſe virtutes, quę ordinant ad proximum, ad ſeipſum & ad Deum. Cap. V.

NOn ſolùm ex ijs quæ dicta ſunt, comprehenditur iuſtitiæ excellentia, ſed etiã ex eius dilatatione. Nã generalis iuſtitia comprehendit virtutes ordinantes ad proximum, ad ſeipſum, & ad Deum: propter quod iuſtitia dicitur circuire omnes virtutes, & quòd non tantum eſt virtus ſpecialis, ſed etiam generalis, comprehendens totius animæ rectitudinẽ, quum ipſa dicatur rectitudo volũtatis. Per iuſtitiam comprehenduntur virtutes ad proximũ ordinãtes, videlicet ęquitas, quæ cuilibet dat, quod ſuum eſt, quę negligit propriam vtilitatem, vt ſeruet communem æquitatem. Et liberalitas, quæ

eſt quidam animi motus faciens & approbans liberas largitiones ſine ſpe retributionis. In ipſa autem liberalitate modus adhibendus eſt rerum & perſonarum: Rerum, vt non omnia vni, ſed ſingulis quædam præſtentur, vt pluribus prodeſſe poſſint, iuxta illud Prophetæ. Diſperſit, dedit pauperibus: Perſonarum, vt primùm iuſtis, deinde peccatoribus, quibus tantum prohibemur dare, non quia homines ſunt, ſed quia peccatores. Comprehendit etiam virtutes, quæ ordinant ad ſeipſum, ſicut eſt innocentia, quæ eſt in anima, quæ eſt integra ſine peccato. Sicut enim paruulus non perſeuerat in iracundia, læſus non meminit, videns pulchram mulierem nõ delectatur, nec aliud cogitat, & aliud loquitur; ſic & nos niſi talẽ habuerimus innocẽtiam, & puritatem, non poterimus habere veram iuſtitiam, quę in regnum conducit cœlorum. Ordinat quoque ad ſeipſum pœnitentia, quæ eſt renouatio baptiſmatis, emptrix humilitatis, indefinens abdicatio corporalis conſolationis, filia ſpei, negatio deſperationis, conſcientię emendatio, voluntaria omnium tribulantium patientia, & Domini reconciliatio. Ad quam peragendam non ſufficit mores in melius conmutare, & à malefactis recedere, niſi & de iis quæ facta ſunt, ſatisfiat Domino per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis ſacrificium, cooperantibus eleemoſyni. Nec ſolùm quæ ad proximum, & quæ ad ſeipſum, ſed et quæ ad Deum virtutes ordinant, comprehendit iuſtitia, ſcilicet latriam, pietatem, & obedientiam. Latria enim eſt cultus Deo debitus & exhibitus, vel eſt voluntas impẽdendi Deo cultum debitũ. Triplex verò eſt cultus Deo debitus, ſcilicet cordis, oris, & operis. Cultus autẽ cordis in duobus conſiſtit, in cognitione Dei, & in affectione cum debita ſubiectione. Cognitio autem ad cultũ Dei pertinens eſt credulitas, qua credit anima Deo ſicut credẽdum eſt, ſcilicet per ſe, & à ſe, & ſuper eam, ſicut primæ veritati credendum eſt. Eſt etiã credulitas, qua credimus de Deo digna Deo, vt ſummam potentiam, ſummam ſapientiam, ſummam bonitatem, & quod ipſe eſt omnium bonorum creator & conſeruator, mundi gubernator, hominis redemptor, ſeruientium ſibi liberaliſſimus remunerator, & eorum, qui pertinaciter rebelles ſunt, zelantiſſimus retributor. Affectionũ autem ad cultum Dei pertinẽtiũ vnà eſt timor, non qualiſcunque timor, ſed quali timendus ille eſt, cuius potentię nullus poteſt reſiſtere. Alia eſt ſpes, non qualiſcunque ſpes, ſed qualis ponenda eſt in eo, cuius potentiæ fulcimentum eſt liberare ab omni miſeria, cuius ſummæ ſapientię notiſſima eſt miſeria noſtra. Abyſſus enim miſeriæ noſtræ inuocat abyſſum miſericordię illius. Alia eſt amor, & non qualiſcunque, ſed quali amãdus eſt, qui optimus eſt in ſe, & ideò omni amore digniſſimus, qui eſt etiam fons omniũ bonorum, à quo ſuſcepimus omnia bona, quę habemus, & quę habuimus, & à quo nos ſuſcepturos ſperamus, quicquid boni ſuſcepturi ſumus. Quiſquis ergo eſt, qui ſe, qui iuſtitiam & Dei cultum deſiderat, Deũ timeat & amet, vt ab eo ametur. Tunc autem eũ amabit, ſi in hoc ipſum imitetur, vt velit omnibus prodeſſe, & nulli nocere. Cultus autem oris eſt vocalis profeſsio maieſtatis diuinæ, quam fideles faciunt frequenter Deum orando, laudando, benedicendo, & gratias agendo. Cultus verò operis eſt, quum aliquis recognoſcit opere ſingulare Dominium Dei, genuflectendo, & curuando ſe, ſicut dicitur. Mihi curuabitur omne genu. Et alibi. Curuabo genu Deo excelſo Pietas autẽ quæ ad Deum ordinat hominem in obſequio piæ religionis, neceſſitudini generis antefertur. Nulla enim Deo merces melior, quàm ea, quæ habet pietatis munera. Pietas nanque grata Deo Deũ recõciliat, neceſsitudines fouet. Ipſa eſt Dei cultus, merces parentum, filiorum ſtipendium, iuſtorum tribunal, egenorum portus, miſerorũ ſuffragium, & indulgentia peccatorum. Obedientia vero, quę ad Deum ordinat hominem, eſt voluntas faciendi præceptum ſuperioris, ſcilicet Dei. Si cor noſtrum per inobedientiam non reprehẽdit nos fiduciam habemus apud Deũ, quicquid petierimus à Deo, accipiemus. Hanc nobis inſinuare voluit Dominus Ieſus, per obedientiam, quam exhibuit patri, de qua Apoſtolus ait. Chriſtus factus eſt obediens patri vſque ad mortẽ crucis. Vnde frequenter cogitandus eſſet amor ille, ex quo altiſſimus voluit pro nobis obedire vſq; ad mortem crucis, vt confunderemur non obedire obedienter, quæ ab ipſo nobis iniunguntur.

Pſal. 111. — Pſal. 41. — Eſa. 45. — Mich. 6. — Phil. 2.

Quibus ſtudijs exerceatur anima, vt ad perfectionem veræ iuſtitiæ attingat, & quæ ſit ipſius perfectio. Cap. VI.

QVemadmodum omnis profeſsio, omniſque ars certum habet modum & exercitiũ, quo ad ſui finẽ facilius ducatur, ita & virtus iuſtitiæ, de qua loquitur præſens ſermo, habet ſtudia ſua, per quæ homo ad perfectionem ducitur veræ iuſtitiæ, tantoque efficitur Deo propinquior, quantò in his exequendis extiterit promptior, quia reuera nulla maior eſt iuſtitia, quàm ſeipſũ Deo offerre ſacrificium immaculatum. Cætera nanque ſacrificia cęleſti regi grata non ſunt, ſi ille, qui offert, ſemet prius cũ alijs ſacrificijs nõ obtulerit. Primũ n. ſacrificiũ, propter quod hõ ad perfectã proficit iuſtitiam, eſt ſacrificium contriti cordis pro perpetratione ſcelerum ſuorum. Nam contritio ſola eſt, quæ facit animam abhorrere purpuram, deſiderare cilicium, amare lacrymas, fugere riſũ, & verã ſectari iuſtitiam. Si voluiſſes (ait Dauid,) ſacrificium dediſſem vtique holocauſtis non delectaberis. Et ſubdit. Sacrificium Deo ſpiritus cõtribulatus, cor contritum & humiliatũ Deus nõ deſpicies. Aliud ſacrificium eſt corporis propter Pſal. 50.

Dam

Digitized by Google

Deum mortificati, de quo Apoſtolus. Obſecro Rom. 12. vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem. Per hoc enim multa acquiruntur bona gratię propter hoc opus iuſtitiæ. Amaritudinem nãque radicis dulcedo pomi compenſat, pericula maris ſpelucri delectant, dolorem medicinę ſpes ſalutis mitigat. Qui enim deſiderat nucleum, frãgat nucem, & pœnitentiam agat, corpus mortificet, qui vult æterno adhærere bono, & perfectam obtinere iuſtitiam. Hæc autem Chriſti præconia narrare poſſunt, qui ad palmam indulgentiæ peruenire meruerunt. Tertium verò ſacrificium, propter quòd impletur iuſtitia, & Deus promeretur, eſt, quum miſeriis proximorum compatimur ex Heb. 13. corde. De hoc Apoſtolus. Beneficentiæ & communionis nolite obliuiſci. Talibus enim hoſtijs promeretur Deus. Miſericordia autem eſt affectio, quæ nec voluntate coercetur, nec ratione ſubiicitur, ſed ipſas pias iuſtorum mẽtes ad compaſsionem dolentium neceſſario cogit affectu. Nam miſereri dolẽtium plurimum Deo placet. Ipſaque cõpaſsio eſt timor pius, humilis, fructuoſus, qui cuilibet (quantum libet) peccatori facile miſericordiam promeretur. Talis timor generat, nutrit, & ſeruat humilitatem, mãſuetudinem, patiẽtiam, & longanimitatem, & ad perfectam prouehit iuſtitiam. Eſt & aliud ſacrificium, quod pro amore iuſtitiæ homo Deo offert, ideſt cordis igne diuini amoris inflammati. Si igitur vis à vitijs perfectè purgari, & iuſtitiam perfectam obtinere inquantum præuales, accende in te ignem diuini amoris. Nam ſi dulcedinem diuini amoris guſtaueris, de temporali delectatione non curabis, tantoque ardentius iuſtitiæ opera implebis, quãtò amplius cœleſti dilectione abũdaueris, & tunc Deo ſuauiſsimum incenſum adolebis, quum cor tuũ eius pio ſanctoque amore flagrauerit. Quintum autem ſacrificium, per quod iuſtitia cõſummatur, ſi Deo iugiter offeratur, eſt ſacrificiũ lau-Pſal. 49. dis, de quo dicitur. Immola Deo ſacrificium laudis. Illa verò ſumma & digna laus eſt, quę non de creatura, ſed de creatore concipitur, quæ nõ mortali, ſed æterno regi libatur, quam quum acceperis, nemo tollet à te. Cui aliunde comparata omnis iucũditas mœror eſt, omnis ſuauitas dolor eſt, oẽ dulce amarũ ẽ, oẽ decorũ fœdũ eſt, oẽ poſtremo, quod delectare poteſt, moleſtũ ẽ. Hæc ẽ quæ ciues cęleſtes lætificat, & beatos facit, ſicut in pſal-Pſal. 83. mo dicitur. Beati qui habitant in domo tua domine, in ſecula ſæculorũ laudabunt te. Aliud quoque eſt ſacrificium iuſtitiæ, quo nihil in hac peregrinatione perfectius, gratiusque Deo offerri po-Sap. 3. teſt, de quo ſic legitur. Tanquam aurum in fornace probauit eos, & quaſi holocauſti hoſtiam accepit illos. Vtique tales ſunt, qui pro veritate & iuſtitia animas ſuas tradiderunt tormẽtis, conuitijs & morti. Conſummatio autem huius eſt introitus ad gloriam. Adeo enim placet hoc ſacrificiũ Deo, quod per ipſum omnia mundãtur peccata. Huic patent regna cęlorum. Nulli nãque tam ſecurè datur exire de corpore, ſicut cui donatũ eſt per iuſtitiam ſeipſum Deo offerre. Hic eſt curſus & hæc eſt perfectio veræ iuſtitiæ, pro qua quicunque occubuerit, perpetuã recipiet à domino coronam gloriæ, ſicut ipſe ait. Beati, qui perſecutio- Mat. 5. nem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Gradus tertius, & fructus tertius in ordine ligni vitæ eſt iuſtitia, quam qui tenet, teneat, nec ipſam deſerat, quia hæc eſt ſecuritas mentis, tranquillitas animi, vitiorũ inimica, dæmonum terror, bonorum cauſa, virtutũ operatrix, hominum auxiliatrix, populorum cuſtodia, ſecuritas mortis, Dei amica, angelorũ cõſors, & omnium gratiarum interuentrix efficax, quam qui tenuerit, non peribit in æternum.

VNDE ORIATVR CHARITAS, ET quàm ſit neceſſaria virtus, & de ipſius virtutis diffinitionibus, quæ charitas in fructibus Ligni vitæ quartum ſortitur locum. Cap. I.

VIam mandatorum tuorum cucurri, quũ Pſal. 118. dilataſti cor meum. O vera cõfeſsio, & prædicanda cognitio, quæ ignorat vſurpare alienam gloriam, & ſe extollere ſupra menſuram. Nemo aliunde præſumat, quàm ab æterno charitatis fonte, nullus ſibi arroget, quòd poteſt. Hæc vna omnium diligentium Deum ſentẽtia. Omnes dicant domino, viam mandatorũ tuorum cucurri, quũ dilataſti cor meum. Quis poteſt enim mandatum ſine charitate perficere, & quis poteſt legem abſque cordis dilatatione cõplere? Nemo abſque te (domine) poteſt hoc, ſed neque bonum cogitare. Tuum eſt (domine) gratificare, tuum eſt iuſtificare & glorificare. Quem enim prædeſtinaſti in te, vocaſti per te, & ei tribuiſti charitatem, donum vtique gratiæ tuæ datũ diuinitus ad merendum, ſine quo nullus poteſt mereri, nec in bonum proficere, nec ad gloriam peruenire. Propterea cui plus donatũ eſt, amplius proficit in exercitio virtutum, perfectius operatur, & ardẽtius diligit, quò dilectior, & eò amplius currit alacriter viam mãdatorum, quo liberalius dilatatũ eſt charitate cor ipſius. Impoſsibile nanque eſt attingere virtutum ſummitatem abſque hac virtutum genitrice charitate, quæ cũ omnibus ſaluandis prorſus ſit neceſſaria, præcipue tamen præſidentibus, quibus dominicarum ouium cura commiſſa eſt, vt ſubiectorum profectum, nõ ſua quærant commoda. Quicunque enim in eo, quod præpoſitus eſt gaudet, honorem ſuum quęrit, & commoda ſua ſolum quærit, ſe paſcit, nõ oues. Quapropter diſcant, qui præſunt, ſubditorũ patres ſe eſſe, non dominos, ſtudere magis amari quam timeri, & ſi ſeueritate interdum opus ſit, pa- D. Aug. in reg. terna ſit, non tyrannica. Matres ſint fouẽdo, patres corripiẽdo, ſuſpẽdant verbera, & producant verba, pectora lacte pingueſcant, nõ typo ſuperbiæ

1. Cor. 13. bis turgeant. Charitas enim non inflatur, nõ eſt ambitioſa, non quærit, quæ ſua ſunt, & quum præeſt ſubiectorum bonũ ſuo præponit, capiens formam ab ipſo charitatis magiſtro, qui ait. Mat. 20. Nõ veni miniſtrari, ſed miniſtrare, et animam dare in redemptionem pro multis. Hunc qui præeſt, imitetur tradens ſeipſum pro grege, ſed et qui ſubeſt, ipſum ſequatur, qui venit non vt ſuam, ſed vt patris faceret voluntatem. Quod totum perficit charitas implens legem, quæ et præſidẽtibus et ſubditis mandatum tribuit, per quod ad perfectionẽ 1. Tim. 1. tranſeant. Sic enim eam diffinit Apoſtolus. Charitas eſt finis præcepti de corde puro et conſcientia bona, et fide non ficta. Et ſumitur finis pro cõſummatione, quia charitas eſt conſummatio ſiue perfectio omnis præcepti. Dicitur etiam de corde puro, id eſt de intellectu puro, quia quãtò quis magis intelligit, magis diligit, niſi alioqui impediatur. De conſcientia bona, id eſt, ſpe, quia qui puram habet conſcientiam, ſecure ſperat. De fide non ficta, id eſt non ſimulata nec fragili, ſed inter aduerſa forti. Eſt quoque charitas dilectio, qua diligitur Deus propter ſe, & proximus propter Deum & in Deo. Vel Charitas eſt vita copulans amatum cum amato. Item. Charitas eſt virtus, qua videre Deum & perfrui deſideramus, ſiue. Charitas eſt virtus, quæ animi noſtri rectiſſima affectio eſt. Hæ quatuor diffinitiones ſunt quãtum ad actum charitatis, de qua pro eius excellentia non eſt perfunctoriè tractandũ, ſed diſtinctè, vt eluceſcat magnificentia eius. De ea di- 1. Io. 4. cit Ioan. Deus charitas eſt. Et Paulus. Charitas 1. Cor. 13. nunquàm excidit.

Quod ad ſalutem ſit charitas neceſſaria propter ipſius effectus. Cap. II.

SIcut qui videre vult, neceſſarium ei eſt, vt illuſtretur lumine, ita qui ſaluari deſiderat, eũ oportet habere charitatẽ. Nam charitas eſt bonorum principium, quia eſt à Deo, & quia mouet ad illud. Charitas enim operatur magna, ſi eſt, ſi autem non operatur, charitas nõ eſt. Charitas eſt bonorum medium, quia ſecundũ Deũ, & quia opera informat. Eſt nanque actio rectitudinis oculos ſemper habens ad Deum, glutinum animarũ, ſocietas fideliũ ocio non frigida, actione non ficta, non fugax, non audax, non præceps. Charitas eſt etiam bonorum finis, quia propter Deum, & quia opera dirigit, & ad debitum finẽ perducit. Quomodo autem charitas dicatur finis ſciendũ eſt, quod triplex eſt finis, ſcilicet conſumptionis, conſummationis & terminationis. Primo modo charitas eſt finis peccatorum, quia ea cõſumit: ſecũdo modo eſt finis præceptorum: quia ea perficit: tertio modo tã vita æterna, quàm ipſe Deus eſt finis noſtri laboris, ſed vita æterna eſt finis, quo quieſcitur, ſed Deus eſt terminus, in quo quieſcitur.

Quanto cæteris virtutibus commendabilior ſit charitas. Cap. III.

CAeteris virtutibus commendabilior eſt charitas, quæ ob ſuam dignitatem oleo comparatur inter liquida. Oleum enim ſuperenatat alijs liquorib. ſic & charitas cæteris virtutibus. Si nãque abſque charitate martyrium tulerimus, & ſubſtantiam noſtram vſque ad mẽdicitatem dederimus, huic operi nõ tam præmiũ quàm pœna debetur, & perfidiæ magis tormẽta, quàm corona victoriæ. Comparatur etiam auro inter metalla. Nam opera de genere bonorũ plũbea nulliuſque valoris ſunt ſine charitate. Non enim numeroſitas operum: non diuturnitas temporum: ſed aurea charitas auget meritum. Omne, quod patet, & quod latet in diuinis codicibus, tenet, qui charitatem ſeruat in moribus: de qua dicitur in Apocalypſi: Suadeo tibi emere à me aurum ignitũ probatum, vt locuples fias. Propter ipſius quoque excellẽtiam comparatur charitas igni: Luc. 12. de quo dominus: Ignem veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt ardeat: Meritoque igni comparatur, quia ſicut ignis imperioſe ferrũ quaſi ignem efficit, ita charitas ignitã reddit animam quã poſſidet. Mens enim, quàm ſemel affecerit charitas, ſui iuris eſſe non põt. Metuit quod neſcit: dolet quod non oportet: ſolicitatur pluſquam voluerit, compatitur nolens, miſeretur, inuita. Ignis quoque nunquam eſt ocioſus: ſic nec charitas. Amor enim Dei nunquam ocioſus eſt: operatur magna, ſi eſt, ſi autem operari tenuit amor non eſt. Splendorem adducit ignis, quod facit charitas. Non enim clareſcet anima in fulgore æternę pulchritudinis, ſi non arſerit in officina charitatis. Ignis in puluerem redigit: illud idem agit charitas. Gen. 18. Loquar (ait Abraham) ad Dominũ meum: quum ſim puluis & cinis: Phil. 1. Ignis tendit ſurſum: ſimiliter & charitas. Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto, dicit Paulus, qui plenus erat charitate. Hoc enim habet ſancta, & impatiens charitas, vt quem deſiderat, ſemper videre, & inueniri ſe credat. Ignorat ſiquidem aliunde, quàm de dilecto cogitare: ideo in cœlum fertur, vbi ſuum cognoſcit eſſe amorẽ. Ignis conſumit, ſic & charitas. Tantò nanque igne peccati rubigo cõſumitur, quantò peccatoris cor charitatis igne concrematur. Ipſa matri cõparatur, cuius affectio inter officia & affectus eſt efficacior. Sic charitas omnium virtutum mater eſt. O bona mater charitas, quæ ſiue foueat infirmos, ſiue exerceat prouectos ſiue arguat inquietos, diuerſa exhibẽs ſicut filios diligit vniuerſos. Quum te arguit, mitis eſt, quũ blanditur, ſimplex eſt, pie ſolet ſæuire: ſine dolo mulcere: patiẽter nouit iraſci: humiliter indignari. Ipſa inter fructus ſpiritus pro ſui excellentia prima numeratur dicente Apoſtolo: fructus ſpiritus charitas. Quæ autem alia fructus ſpiritus debuit tenere primatum, niſi charitas: ſine qua cæteræ virtutes non reputantur eſſe virtutes: Ante enim

enim quã ipſa adſit:nullus fructus gratus eſt, vbi verò charitas:ibi multus fructus:vt autẽ multi arboris rami ex vna radice prodeũt:ſic multę virtutes ex vna radice charitatis.Nec hẽt aliquid viriditatis ramus boni operis,ſi nõ manet ĩ radice charitatis. Ipſius etiam excellentia commendatur, quia gratis operatur. Iuſtitia enim reddit debitũ: timor redimit incommodum: quod imminet. Spes emit it commodum) quod obtinere intendit:purus verò amor de ſpe vires non ſumit. Purus amor mercenarius non eſt: nec tamen diffidentiæ damna ſentit.

Quod ex ſui dignitate precellat ipſa charitas ſancta omnes alias virtutes. Cap. IIII.

QVemadmodum in rebus temporalibus ille creditur locupletior, qui plura poſſidet, ſic & in ſpiritualibus, qui plus charitatis habet:ille ditior comprobatur. Charitas nanque eſt dulce & ſalubre vinculum mentium ſine qua diues,pauper: et in qua pauper,diues eſt. Primò ratione ſui,quia theſaurus eſt. Ipſa nanque charitas theſaurus eſt abſconditus in agro cordis:pro quo emẽdo vniuerſa eſſent vendenda, quanquam quicunque illum cognoſcit: etiam ſi dederit omnem ſubſtantiam
Cant.8. domus ſuæ pro ipſo,quaſi nihil deſpiciet eã. Neceſſe quippe eſt(ò homo) vt quo præceſſent dilectionis theſaurus tuus: illuc ſequatur etiam co-
Mat.6. gitationis affectus. Ideo veritas ait. Vbi eſt theſaurus tuus,ibi & cor tuum erit. Vt ergo in cœlis theſaurizemus,cœleſtia diligamus. Vis noſſe,vbi theſaurizas: attende quid amas: vis noſſe quid amas,attende quid cogitas. Ita fit vt theſaurũ tuũ ex tuo amore cognoſcas: & amorem tuum ex indicio cogitationis intelligas. Eſt quoque charitas virtus ditiſsima ratione habiti, qui eſt Deus.
Ioan.14. Qui enim charitatem habet,Deum habet:ſicut ipſe charitatis magiſter dicit:Siquis diligit me,ſermonem meum ſeruabit,& pater meus diliget eũ & ad eum veniemus,& manſionem apud eum faciemus. Nullæ nãque maiores ſunt diuitię,quàm Deum poſsidere,& charitatẽ habere. Nihil deficiet Deum poſsidenti. Nam apud ipſum ſunt omnes theſauri,& ipſe eſt omnium diuitiarum & bonorum fons indeficiens, largitor liberaliſsimus, nec improperat,cui tribuit:ſed libẽtius quã ſua tradẽs dilectorib. ſuis. Charitas ẽt plus cæteris virtutib. locuples eſt rõne lucri. Aliena.n.bona ſua facit, ſicut in Pſal. legitur. Particeps ego ſũ omniũ
Pſal.15. timẽtium te. Pleniſsima peccatorum nempe obtinetur ablutio:& meritorum ęque fit participatio: quando totius Eccleſię vna eſt oratio vna eſt cõfeſſio,& cõcors extat charitatis affectio. Si enim duorum vel trium ſanctorum pio conſenſui omnia,quæ popoſcerint, dominus preſtanda promittit:quid negabitur multorum milium plebi vnam obſeruantiam pariter exequenti, & per vnum ſpiritum concorditer ſupplicanti, atque in vno charitatis vinculo ſe pariter copulanti? Commendatur ſimiliter charitatis excellentia ratione modi, qui eſt facillimus. Qui enim amat,non laborat. Omnis nanque labor non amantibus grauis eſt. Amor ſolus eſt,qui difficultatis nomẽ erubeſcit. Nil durum,nil amarum, nil graue, nil lethale cõputat amor verus. Quæ vulnera,quod ferrũ,quę pęna,quæ mors amorem præualet ſuperare perfectum: Charitas enim impenetrabilis eſt lorica, reſpuit gladium, iacula excutit,periculum inſultat,mortem irridet,poſtremo vincit omnia.

Quantę ſit vtilitatis charitas: & quod ſola ſit, quę filios Dei à peccatoribus diſcernit. Cap. V.

QVid inter Dei dona,dignitateſque virtutum vtilius poſsidetur, quàm charitas: Ipſa nanque regni cœleſtis ſignaculum eſt:ſine quo nullus ingreditur. Charitas enim eſt ſpecialis virtus piorum atque ſanctorum: quum cæteræ virtutes bonis & malis poſsint eſſe communes. Sola enim eſt dilectio, quæ diſcernit inter filios Dei,& filios diaboli. Signẽt ſe omnes ſigno crucis, intrent in Eccleſias, impleant parietes baſilicarum: cãtent omnes, alleluya: non diſcernuntur filij Dei, niſi charitate. Qui habent charitatem,nati ſunt ex Deo. Magnũ iudicium, magna diſcretio. Quicquid vis habe: hoc ſolum non habeas, nihil tibi prodeſt. Alia ſi non habeas,hoc habe,impleſti legem,poſsidebiſque regna cœlorum. Eſt etiam hæc virtus beata boni retinaculum,& animi ærarium. Eſt enim arborea qua non excidit nec flos deſiderij, nec folium boni verbi,nec fructus boni operis. Quum enim ipſius proprium ſit nutrire concordiam,ſeruare compoſita, coniungere diſſociata, dirigere praua,& cæteras virtutes perfectionis ſuæ munimine ſolidare: ſiquis in eius radicem ſe inſerit, nec à veritate defluit,nec à fructu inaneſcit. Dei etiam gratiſsimum ſacrificium eſt charitas. Nam ſicut mors corpus interimit, ſic ab amore rerum temporalium æternæ vitæ charitas occidit, & animam Deo in ſacrificium offert. Nam quem perfecte ipſa abſorbuerit,ad terrena foris deſideria velut inſenſibilem reddit: nec ſanctus quilibet mori pro domino potuiſſet in corpore, niſi prius à terrenis deſiderijs mortuus virtute charitatis fuiſſet in mẽte. Ipſa quoque eſt diaboli iaculum. Antiquus nanque hoſtis caſtitatem in nobis, ſi ſine charitate fuerit,nõ timet: quia ipſe carne nõ premitur,vt luxuriæ diſſoluatur: nec abſtinentiã timet, quia cibo non vtitur: ſed valde in nobis charitatem veram,& amorem humilem, quem nobis viciſsim propter Deũ impendimus,timet: ipſoque iaculo ex liuore inuidiæ vehementer cõfoditur; quia ipſe conſpicit nos tenere in terra, quod ipſe tenere nolens amiſit in cœlo. Similiter etiam charitas eſt iuſti gubernaculum, per quod iuſtus in hoc pelago nõ deuiat, ſed ad perfectionis portum adducitur. Nã Dei charitas eſt gubernaculum ſalubre: ſemper poſsidentem ſe, dirigens ad perfectionem. Eſt quædam vernalis

plu-

Digitized by Google

pluuia virtutum: ſub qua & bona voluntas germinat: et operatio ſancta fructificans ad maturitatē perducitur. Hæc patiens in aduerſis: temperata in proſperis: in humilitate potens: in afflictione lætiſsima: inimicis beneuola et bonis ſuis ſuperans malos. Hæc ſancta et diuina charitas gignit in anima mititatem et benignitatem: faciens vt noſipſos bene habeamus in iis, quæ noſtra ſunt, mala propria patienter ſuſtinendo: ac etiā bona noſtra liberaliter largiendo. Gignit quoque veritatem et pietatem: vt in iis, quæ proximorum ſunt, virtuoſe noſmet geramus: bonis congaudendo, & mala ſupportando. Parit etiam in nobis fidem: quia nos ad Deum dirigit, eo quòd ſit ſumma veritas. Charitas enim robur eſt fidei, fides fortitudo eſt charitatis, & tunc verum nomen eſt, & verus fructus ambarum: quum inſolubilis manet cōnexio vtriuſque. Vbi enim ſimul non fuerint, ſimul deſinunt: quia ſibi inuicem iuuamen ſunt: donec deſiderium credulitatis impleat remuneratio viſionis, & incommutabiliter videatur, & ametur ſummum bonum: quod ſine fide non diligitur, & ſine dilectione non creditur. Parit etiam ſpem deducens nos ad Deū: qui eſt ſumma charitas. Ille etenim vere Deū diligit: qui ſine triſtitia, ſine timore: volūtatis potius ſtudio & ſpei adiutorio, quàm neceſſitatis præcepta cuſtodit. Parit quoque longanimitatem dirigens nos ad Deum: qui eſt omnipotens: & magnitudine præmij recōpenſare poteſt, quod tardius ſoluit. Cōſeruat etiam poſsidentem ſe hæc merito laudanda charitas à fraterna emulatione: quia non æmulatur: à praua actione, quia non agit perperam: à tumida inflatione, quia nō inflatur: ab elata ambitione, quia non eſt ambitioſa: à priuata affectione, quia non quęrit quæ ſua ſunt: à maligna cogitatione, quia non cogitat malum: & à corrupta delectatione, quia non gaudet iniquitate. Ipſa eſt mors criminum: Virtus pugnantium: palma victorum: concordia mentium: ſocietas electorū: quam fides concipit: ad quam currit ſpes: & cui profectus omnium bonorum ſeruit.

Ex virtuoſis progreßibus quam luculenter eluceat virtus charitatis. Cap. VI.

Mat. 7. TEſtante Domino Ieſu ſicut à fructibus operum cognoſcuntur homines, ita & ab effectibus virtutum & gratiarum eminētia comprehenditur charitatis ab ipſa emanātiū. Obligat nāque hominem Deo obtēperare, quod laudabile eſt, quia charitas præceptū eſt, de quo dominus. Ioan. 15. Hoc eſt præceptum meum: vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. In obſeruatione nāque mandatorum Dei: non in prophetia, fide, & alijs dignoſcuntur diſcipuli Chriſti: Nihil enim arduum diligentibus Deum & proximum, & vere humilibus eſt. Facileque omnia præcepta veniūt in effectum: quādo gratia prætendit auxilium, & charitas tenet affectum: atque obedientia mollit animum. Nec dura in neceſsitate ſeruitus: vbi diligitur, quod iubetur. Charitas ligat Deū & hominem, quia vinculum eſt. O charitas quam magnum eſt vinculū tuum: quo Deus ligari potuit? Si ergo contra Deum fuiſti fortis: multomagis contra homines præualebis. Nullum vinculum filium Dei ad columnam tenere potuiſſet: ſi charitatis vinculum defuiſſet. Nullum ferrum eū in cruce tenuiſſet: niſi charitas affuiſſet. Neſcio ſi quid maius in laude charitatis dici poteſt, quā vt ſuis vinculis Deum ad terram traheret de cœlo, hominem de terra ad cœlos ſubleuaret. Magna virtus tua ò charitas: vt per te vſque adhoc humiliaretur Deus, & vſque ad cœlos exaltaretur homo. Charitas etiam ditat, & gratificat ſe habētē, quia filiorum donum eſt, de quo Apoſtolus. Rom. 8. Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterū in timore: ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis: in quo clamamus, Abba pater. Sicut enim pater erga filios ſemper eſt ſolicitus, vt proficiant, & bonis abundent, ac mala deuitent: ſic & beata charitas ſemper ad bona prouocat, quos replet: & ad Deum trahit. Et quis ipſius poteſt fari ſolicitudinē. Quādo ignorabam (ait quidam) me inſtruxit: quando errabā, me reduxit: quādo peccabā, me correxit: quādo ſteti, me tenuit: quādo cecidi, me erexit: quando iui, me duxit: quando veni ad ipſam, me ſuſcepit. Neque pro his omnibus quid rependam habeo, niſi tantum vt diligam. Non enim melius nec decentius quam per dilectionem rependi poteſt, quòd per dilectionem datum eſt. Hęc ſuauiſſima charitas illuminat, quia lumen eſt, de quo dicitur. Vnctio eius docet vos de omnibus. Ioan. 2. Et alibi. Præceptum domini lucidum illuminans oculos. Psal. 18. Quiſquis eam poſsidet: vtique quæ diligēda ſunt: diligit confitens in omnibus donum Dei, Cant. 2. & dicens: Ordinauit dominus in me charitatem. Sed qui eam non habent: ordinē dilectionis peruertunt: nec modum diligendi cuſtodiunt: quū mundum, qui contemnendus eſt, diligunt. Aut corpus, & ſua temporalia minus diligenda plus diligunt, vel proximos ſuos ſicut ſeipſos non diligunt, ſiue Deum plus quàm ſeipſos fortè non diligūt. Ipſa charitas ſanat, quia medicina eſt. Huic ſanationi teſtimonium reddit bona diſpoſitio guſtus interioris. Habenti enim charitatē omnia ſapiunt: vt ſapere debent. O charitas digniſsima & melliflua Domine Ieſu: quanta arte medendi in vino & oleo animæ meæ ſanitatem reſtauras? Fortiter ſuauis: & ſuauiter fortis: fortis pro me, & ſuauis mihi. Charitas adornat: quia nuptiale veſtimentū eſt. Eſt enim conueniens veſtimentum ſponſę regis Chriſti, operiens multitudinem peccatorum: calefaciens mentem à frigore negligentiæ, Mat. 11. & demulcens mentem: diſcernensque filios Dei à cæteris. Charitas præterea requiem pręſtat quia iugum ſuaue eſt: de quo dominus. Tollite iugum meum ſuper vos, et inuenietis requiē animabus veſtris: iugum enim meum ſuaue eſt, &c. Primo ratione ſui, charitatis iugū ſuaue eſt. Omnia

nia

hia nanque ſæua & immania prorſus facilia, & prope nulla facit amor. O iugum ſancti amoris: quã dulciter capis: glorioſe laqueas, ſuauiter premis delectabiliter oneras: fortiter ſtringis, & prudenter erudis? Ratione exempli, ſcilicet Chriſti et ſanctorum. Dominus enim Ieſus omnibus omnia factus eſt, vt ipſius exẽplo erudiret ſuos. Nã pauper pauperibus: diues diuitibus, flens flentibus: eſuriens eſurientibus: ſitiens ſitientibus ſe oſtẽdit: vt neceſsitatibus ſuis ad contraria tolerãda ſuos charitatis accẽderet deſiderio. Ratione auxilij. Pondus enim meũ (ait quidam) eſt vnius diei, & ſi amplius eſt, non ſentio præ amore. Ratione cõmodi. Nam charitatis iugum à iugo carnis et mundi liberat: (Rom. 8.) ex quo oritur ſtrenuitas morum: puritas affectionum, ſubtilitas intellectuũ; deſideriorum ſanctitas, operum claritas, virtutũ fœcunditas, meritorum dignitas, et præmiorum ſublimitas. Ratione quoque imperij charitatis iugum ſuaue eſt: quia qui habet charitatẽ, volũtatem ſuam diuinæ conformat voluntati: & ſicut diuina voluntas impletur, ſic & eius. Iugo enim Chriſti qui ſubiectus eſt: ſubiecta habet cætera & non laborat: quia nõ reſiſtit, quod ſubiectum eſt. (Tren. 3.) Et vir bonus æquo animo ſuſtinebit: quicquid ei acciderit. Sciet enim hoc accidiſſe lege diuina: à qua vniuerſa procedunt. Beatus ergo qui iugum hoc domini ab adoleſcentia ſua portauerit. Non ſolum ex præcedentibus, ſed etiam ex iis, quę ſequuntur: eminentia charitatis elucet. Habet nãque charitas vim vnitiuam. Eſt enim amor quædam mutua & cõtinuatiua virtus ſuperiora mouens (Iam. 3. Pſal.) ad inferiorum prouidentiam; æqualia ad inſatiabilem viciſsitudinem: nouiſsima verò ad meliorum ſuppoſitorum conuerſionem trahens. (Cant.) Habet etiam vim aſsimulatiuam. Solus eſt enim amor ex omnibus animi motibus: in quo poteſt creatura, & ſi non ex æquo, ſuo reſpondere autori, vel de ſimili mutuam rependere vicem: & ſi minus diligit creatura, quia minor eſt, tamen ſi ex toto diligit, nihil deeſt, vbi totũ eſt. Renuncians enim cunctis aliis affectionibus tota ſoli incũbit amori: effundens ſe totam in amorẽ illius: cui reſpondere debet in reddendo amorem. Habet quoque vim diffuſiuam. Alios enim parit: cum alijs informatur: alios curat ædificare, alios cõtremiſcit offendere, ad alios inclinat ſe, cum alijs ſe erigit, alius blanda, alijs ſeuera, nulli inimica, omnibus mater. Extendit ſe charitas per totum mundum, quia membra Chriſti in ipſa iacent, ad quem dilatatur. Habet poſtremo vim generatiuam virtutum. Charitas nanque ad cuncta virtutum facta dilatatur, quę à duobus præceptis incipit: ſed ſe ad omnia extendit. (Matt. 22.) Nihil aliud eſt bene viuere, quam toto corde, tota anima, tota mente Deum diligere, à quo exiſtit: vt incorruptus in eo amor, atque integer cuſtodiatur, quod eſt propriũ temperantiæ: vt nullis frangatur incommodis, quod eſt fortitudinis: nulli alij ſeruiat, quod eſt iuſtitię: vt vigilet in diſcernẽdis rebus, ne fallacia doloue paulatim peruertatur: quod eſt prudentiæ.

Quæ ſunt, quæ vehementer accendunt hominem ad Deum diligendum. Cap. VII.

POſt multiplicem charitatis commẽdationẽ, conſequenter enumeranda ſunt, quę vehemẽter prouocant charitatem in nobis erga Deum. Superfluum etenim ferè videretur, ſi oſtenſo theſauro cœleſti, & quid operetur in anima: non daretur forma, per quam poſſet apprehendi. Sciendum ergo eſt: quod quatuor ſunt ſpecialiter, quæ hominem plurimũ ad Deum diligẽdum excitant. Et primo natura. Merito Deũ cogit amare natura, quia creata ab ipſo. Quare inexcuſabilis eſt etiam omnis infidelis: ſi non diligit dominum Deum ſuum ex toto corde ſuo, & ex omni mente ſua. Clamat nempe intus ei innata & ignota rationi iuſtitia, quod ex toto illum diligere debeat, cui ſe totum debere non ignorat. Si enim naturaliter amat patrem filius: quantomagis Deum homo vehementius debet diligere? Quia inſignita natura ab ipſo. Parum ne tibi videtur (ait quis) quod te fecit Deus: ſed cogita qualem te fecit. Nempe ſecundum corpus egregiam creaturam: ſecundum animã, creatoris inſignem imaginem rationis participem: beatitudinis æternæ capacem. Porro ambo cohærere fecit ſibi artificio incomprehenſibili, & ſapientia inueſtigabili, nec ante promeruit, qui ante non fuit, nec ſpes retributionis fuit, quoniam bonorũ noſtrorũ non eget. Quia conſeruata natura ab ipſo. Si enim quis meruiſſet mortem, & ſeparationem animæ à corpore, foretque aliquis, qui talem liberaret ab exitio debito quantum ipſum deberet amare ille: qui eſſet liberatus? Ex quo poteſt colligi: quantum Deum debet homo diligere: qui corpus & animã tam mirabiliter coniũxit. Hanc ſeruauit coniunctionem: quum peccando, mortem multoties meruiſſet. Quia erecta eſt natura ab ipſo. Belluas nanque in facies proſtratas fecit Deus, paſtum quærẽtes de terra: te verò ò homo in duos pedes erexit: tuam faciem attendere ſurſum voluit. Non ergo diſcordet cor tuum à facie tua: non habeas faciem ſurſum, & cor deorſum. Habeto magis cor ſurſum, ne mentiaris tibi: defraudeſque intentionem artificis, qui te in faciẽ erexit, vt tu ad ipſum erigeres cor. Non ſolum natura: ſed etiam omnis creatura nos ad Deum amandum incitat. Cœlum, terra, & omnia, quæ in eis ſunt: ecce vndique clamant, vt Deũ amemus: nec ceſſant dicere omnibus, vt ſint inexcuſabiles. Dupliciter enim dicunt creaturæ, vt Deum amemus. Vno modo oſtendendo eum digniſsimum amore noſtro. Bonitas enim vniuerſitatis creaturarum oſtẽdit creatorem eſſe optimum, & ideo amore digniſſimum. O quàm diues in miſericordia, quàm in bonitate diligendus, quam in iuſtitia magnificus, quàm in gratia munificus es Domine

mine

mine Deus noſter? Non eſt, qui ſimilis ſit tibi, qui effundis mellifluā bonitatem ſuper omnes creaturas tuas remunerator copioſiſsime: liberatórque piiſsime, vt prælibatione bonitatis, quam in cunctas creaturas effudiſti: diſcamus inſatiabiliter concupiſcere, & diligere æternum fontē omnium bonorum & deſiderabilium; videlicet te ſummum optimumq́ue creatorem. Alio modo dicunt nobis creaturæ, vt Deum amemus, quia ſunt dona Dei & beneficia eius: de quibus ſic legitur. Gen. 1. Faciamus hominem, qui præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtiis terræ: vniuerſæq́ue creaturæ. Gratis nanque à Deo prælatus eſt homo cæteris creaturis, vt ex hoc cognita ipſius erga eum dilectione accēdatur in amore illius. Tot ſunt creaturarum voces: quot ſunt ipſæ creaturæ. Diſcat ergo homo dilectus diligere: ne ſine dilectione mereatur exterminari. Vehementer etiā nos inuitat ad Deum amandum gratia nobis exhibita in opere redemptionis. Et primo humiliatio: de qua Apoſtolus. 2. Cor. 8. Scitis fratres gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter nos egenus factus eſt: quum eſſet diues, vt illius inopia vos diuites eſſetis. Phil. 2. Semetipſum etiam exinaniuit formam ſerui accipiens. Prouocat etiam fideiuſsio: quā pro nobis dominus Ieſus patri exhibuit: de qua dicitur: Eccl. 29. Gratiam fideiuſſoris ne obliuiſcaris: dedit enim pro te animam ſuam. Vnde ratio iuſtitiaque naturalis in fidelem vrget totū ſe tradere illi: a quo ſe totum habet: illumque totum diligere debere. Mihi profectò fides tanto plus indicat amandum: quanto plus etiam meipſo exiſtimandum intelligo: quippe illum non ſolū mei: ſed & ſui quoque ipſius teneo largitorem. Inflammat etiam ad Deum amandum fatigatio, & paſsio, quam ipſe Dominus Ieſus pro nobis ſuſtinuit. Super omnia reddit te amabilem mihi ô bone Ieſu calix: quem bibiſti, opus redemptionis noſtræ. Hoc omnino noſtrum facile totum ſibi vendicat amorem: hoc inquam eſt, quod noſtram deuotionem & blandius allicit, & iuſtiùs exigit, & arctius ſtringit, & afficit vehementius. Multū quippe pro nobis laborauit Saluator, nec in totius mundi fabrica tātum fatigationis autor aſſumpſit. In dictis nanque ſuis ſuſtinuit contradictores: in factis obſeruatores: in tormentis illuſores: & in morte exprobatores, vt accendamur amore ipſius inſpicientes vulnera Chriſti in cruce pendentis, ſanguinem morientis, precium redimentis, & liuorem domini patri ſpiritum commendantis. Caput habet ad oſculandū: cor apertum ad diligendum: brachia extenſa ad amplexādum: totum corpus expoſitum ad redimendum. Hęc quanta ſunt cogitemus: hæc in ſtatera cordis noſtri appendamus: vt totus nobis figatur in corde, qui totus pro nobis fixus fuit in cruce. Multos enim filios Dei fecit vnicus Filius Dei: emit ſibi fratres ſanguine proprio: probauit reprobatus: redemit venditus, honorauit iniuriatus: reuiuiſicauit occiſus. Quare ſibi totum noſtrum amorē nō vendicat: qui totum ſe pro nobis tradidit paſsioni. Eſt & quartū: propter quod inardeſcit anima in Deum ſi diligenter conſideretur (videlicet) pręmium: quod nobis polliceri dignatus eſt: felicitatis æternæ, & primo ratione ſuæ delectationis. Illuc feſtinemus properare, vbi ſemper delectemur in domino: ſemper viuamus domino. Si enim ſic amamus iſtā vitam miſeram atque fluidam: vbi cum tanto labore viuimus, & vbi vix currendo, ſatagendo, ſudando, ſuſpirando neceſsitatibus corporis ſatiſfacimus: quantomagis debemus amare illam vitam, quæ omnibus delectationibus plena eſt: vbi nullum laborem ſuſtinebimus, vbi eſt ſemper ſumma ſecuritas, ſecura felicitas, fęlix libertas, & libera beatitudo: de quibus dicitur in Pſalmo. Delectationes in dextera tua vſque in finē: Pſal. 15. Excitat etiam illud præmium ad Deum diligendum propter exaltationis gloriam, quam recipiūt Mat. 22. qui illic ſunt, de quibus dicitur. Erunt omnes ſicut angeli Dei. O felix & glorioſa ſocietas, ô ſanctum conuiuium, ô deſiderabilis gloria, ô benedicta ciuitas, quæ es angelorum, ſanctorumque omnium congregatione beata: quam mirificè meritis fulgentibus micas? In te æterna ſalus exuberat: nullus ciuis tuus inde eiicitur, nullus malus illuc admittitur, ô quam glorioſa dicta ſunt de te. In te pudici angelorum chori exultant: in te eſt Pſal. 86. ſocietas omnium Deum videntium: in te fit ſolennitas iugis & dulcis à peregrinationis huius labore redeuntium. In te denique feſtiuitas ſine fine, æternitas ſine labe, & ſerenitas ſine nube. Prouocat quoque illud præmium ob ſatietatis perfectionem ad Deum diligendum, de quo ſic legitur. Satiabor, quum apparuerit gloria tua. Pſal. 16. Tanta enim vis in illa cœleſti pace nos ſatiat, vt quod in ſe quiſque non accipit, hoc ſe accepiſſe in altero exultet. Vna cunctis erit beatitudo lætitia: quāuis non vna ſit omnibus ſublimitas vitæ. Feſtinemus ergo ad locum tutiorem, & abundantiā ſuperiorem, vt habitemus ſine metu, abundemus ſine defectu, epulemur ſine faſtidio, & ſatiemur delectationis deſiderio. Ex ſui etiam æternitate incitat ad Deum amandum illud premiū, de quo dicitur. Iuſti in perpetuum viuent. In illa nanque cœleſti patria, quicquid amabitur, aderit: nec deſi- Sap. 5. derabitur, quod non aderit. Omne, quod ibi erit bonum eſt: ac etiam beatiſsimum & æternū. Itaque amabimus & vacabimus: videbimus & laudabimus, & hoc erit ſine fine. Nā quid aliud noſter eſt finis, quàm peruenire ad regnum, cuius finis nullus eſt: de quo in Pſalmo dicitur: Regnū tuum, regnum omnium ſæculorum. Pſal. 144.

Quibus cauſis Deus ab homine diligendus ſit.
Cap. VIII.

Sicut in præcedenti capitulo dictū eſt, quæ hominem accendunt ad amandum Deū, ita in conſequenti dicetur, quibus cauſis Deus

Deus diligendus ſit; quæ plures ſunt. Et primò cauſa ſuæ affinitatis, de qua dicitur. Mat. 23. Vnus eſt enim pater veſter, qui in cœlis eſt. Ibid. 28. Et dominus in Euangelio. Ite, dicite fratribus meis, &c. Ipſe enim Deus humanam naturam diuinæ voluit aſſociari in vnam perſonam nunquam ab ea ſeparandam: 1. Tim. 2. vt ſic ſaltem amaremus: à quo cognoſceremus nos amari. Factusque eſt hominum & Dei mediator ipſe Dominus Ieſus: vt quia per ima noſtra longe diſtabamus à sūmis, in ſeipſo imo, iungere ima ſummis: atque ex nobis via redeundi fieret, qua ſummis ſuis ima noſtra copularet: eſſemusque ſicut ipſe eſt vnum cum patre: nos quoque conſummati cum ipſo efficacia charitatis. Diligendus etiam eſt cauſa ſuæ delectationis. Nam ſi eſuris, panis tibi eſt: ſi ſitis, potus tibi eſt, de quo inebriabuntur electi præ vbertate & ſuauitate ipſius: ſi in tenebris eſt, lumen tibi eſt: ſi nudus, immortalitatis tibi veſtis eſt. O vera & ſumma ſuauitas omni ſuauitate dulcior: & omni dulcedine delectabilior, ſed non carni & ſanguini: omni luce clarior: omni ſecreto interior: omni honore ſublimior, ſed non ſublimibus in ſe. Multæ ſunt tuæ delectationes (domine) quibus qui vident te, paſcuntur: easque ſuſcipiunt de te. Amādus quoque eſt cauſa ſuæ largitatis: quia dat omnibus affluenter, Iac. 1. & nō improperat. Dedit enim nobis nedum ſua, ſed & ſeipſum. Quid enim meliùs ſeipſo potuit dare? Dignus planè eſt, vt redametur, præſertim ſi aduertatur quis, quos, quantum, & quare amauerit. Omnia nanque abundāter nobis tribuit: quare diligendus vehementer eſt. Amandus eſt enim cauſa ſuæ inexhauſtabilitatis, Pſal. 35. de qua dicitur: Apud te eſt fons vitæ. Omnes enim electi haurient de illo fonte indicibiles delectationes: nec tamen minuentur. Implebitur intellectus ſapientia contemplando ſapientiam: voluntas voluptatibus æternis, & memoria iucunditate fęlici. Et ſic miro modo ex ſola Dei contemplatione exuberabit anima innumeris bonis: nec hoc mirum eſt: quum oculus carnis ſolē inſpiciens illuſtretur luce ſolis abſque ipſius diminutione. Qui habet intellectum, intelligat. Diligendus eſt etiam propter amoris ipſius vtilitatē. Nihil enim Deo fructuoſius poteſt diligi. Nam ipſe diligētibus ſe peccata dimittit: ſicut legitur. Luc. 7. Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Ipſe ſe diligentes illuminat ſicut ſcriptū eſt. Eccl. 2. Diligite Deum, & illuminabuntur corda veſtra. Interdum nanque compunctionis ardore tantæ ſublimitatis eſt vis amoris: vt hac nec ipſe animus poſsit comprehendere: qui eam illuminatus meruit habere. Ipſe ad contemplationis gaudium ſe diligentem adducit. Nam ſiquis ad contemplationis ſtudium properat: ſemetipſum prius ſubtiliter interroget, quantū amat. Machina quippe mentis eſt vis amoris, quæ eam dum à mūdo abſtrahit, in alta ſuſtollit. Et vt cōpendioſè, quantum vtilitatis conferat diuinus amor, dicatur, cōſiderandū eſt, quā multiplici motu humanæ conditionis ſtatus varietur. Nihil enim in tēporalib. inuenitur, præter vnum, quod vitæ cœleſtis imaginem repreſentet. Sola Dei dilectio eſt, quam nō alterat caſualis euentus, quam ſeparatio corporalis non diuidit, quā tēporalis longitudo nō abolet, quæ defectui non ſuccūbit. Sola charitas eſt, per quam abſentes videmus, alloquimur, amplexamur, quæ ſic quadam angelica agilitate trāſuolat, & recurrit, vt nihil de corporeæ molis aut diſtantiæ localis iniuria conqueratur. Nec ſolū propter ipſius amoris vtilitatē, ſed ēt propter fidelitatem, quam dilectoribus ſuis ſeruat, ipſe Deus eſt diligendus. De eo dicit ſcriptura. Eccl. 6. Amico fideli nulla eſt comparatio, & non eſt digna ponderatio argenti & auri. Quadrupliciter nanque offenditur amicitia (ſcilicet) quando diligens non diligitur, ſed hoc in Deo non eſt. Prou. 8. De ipſo enim ſcriptum eſt. Ego diligentes me diligo. Ioan. 14. Et alibi. Qui diligit me, diligetur à Patre meo (ait Dominus Ieſus amantium amator) & ego diligā eū. Quū .n. poſſet Deus & Dominus noſter etiā non moriendo generi humano ſuccurrere, voluit tamen moriendo ſubuenire, quia alioqui non minùs amaſſe crederetur, nec vim ſuæ dilectionis oſtenderet niſi hoc, quod à nobis toleratur, ad tēpus ipſe ſuſtineret. Alio modo amicitia offenditur, quando qui in tēpore proſperitatis diligebatur, minus aut non diligitur in tēpore tribulationis, de qua dicitur Eccl. 6. Eſt amicus ſecundū tempus ſuum, ſed non permanebit in tempore tribulationis. Sed non ſic in Deo eſt. De ipſo enim dicit Dauid in eius perſona. Cum ipſo (id eſt iuſto) ſum in tribulatione. Pſal. 90. Nam qui verè amicus eſt, omni tempore diligit. Non illum tormentum ſeparat, labor non laſſat, theſaurus non ſeparat, alienus amor nō occupat. Non enim propterea debes (ò homo) amare Deum, vt aliquid tibi præſtet, vt pecuniam, vel aliquid commodi temporalis. Non enim ſic illum amas, ſed id, quod tibi præſtari vis. Amicus amandus eſt gratis propter ſe, nō propter aliud. Si autē te coarctat regula amicitię, vt amicū gratis diligas quàm gratis amādus eſt Deus, qui te gratis amat & abūdantius te diligens in tribulationibus tuis, indiuiduus ſe diligēti dux efficitur? Tertio modo læditur amicitia, quando ij, qui viuorū amici fuere, inimici ipſorū efficiuntur poſt mortē, quū ſuis bonis liberos exponāt, de quibus dicitur Eccleſ. vi. Eſt amicus, qui cōuertitur ad inimicitias, ſed non ſic in Deo eſt. De ipſius enim amicitia ſcriptū eſt. Pſal. 115. Precioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. Tunc verè quàm maxime Deus hominem diligere oſtenditur, quum per corporalē mortē hinc decedit anima. Niſi enim diſſolueretur à corpore, nō glorificaretur cum corpore. Reſurgent nanque ſanctorum corpora ſine vllo vitio, ſine vlla deformitate, ſine vlla corruptione,

depoſitoque omni onere, in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit. Ex quo clarè patet Dei ad hominem amicitiam minimè perfectè poſſe agnoſci, niſi poſt mortem. Quarto modo læditur, amicitia, quando ij, qui patris fuerunt amici, filio ſuo efficiuntur inimici, ſed non ſic Deus. Nam de ipſius amicitia ſic ſcriptum eſt Exodi 20. Ego ſum Dominus Deus tuus, fortis & zelotes, viſitans iniquitates patrum in filios in tertiā & quartam generationem eorum qui oderunt me, & faciens miſericordiam in milia ijs qui diligunt me, & cuſtodiunt mandata mea. Et (vt breuiter dicatur) Beatus, qui amat te (Domine) & amicum in te, & inimicum propter te, & cætera ordinatè. Omnis nanque creatura quum bona ſit, bene poteſt amari & male; bene, ſi ordine conſtituto, id eſt, ad cognoſcendum & diligendum Deum: male, ſi ordine perturbato, id eſt, ſi amaueris condita, & deſerueris conditorem. Quum enim omnia non amentur, niſi quia bona ſunt, pudeat hominem eis inhærendo non amare bonum ipſum, vnde bona ſunt.

Quomodo Deus ab homine ſit diligendus.
Cap. IX.

Modus diligendi Deum eſt diligere ſine modo. In dilectione etenim Dei non eſt alia ratio, aliaque diſcretio, niſi vt ſicut ille nos dilexit in finem (ſcilicet) in immenſum, ſic (ſi fieri poteſt) nos illum diligamus in infinitum. Notandum tamen, quòd quū nullum finem debeat habere deuotio amantis, tamen terminos ſuos & fines, & regulas habere debet actio operantis. Modus verò diligendi Deum oſtenditur Deuteronomio 6. his verbis. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua. Ille etenim Deum ex toto corde diligit, qui eum ſapienter diligit, tota anima diligit, qui illum dulciter diligit, tota virtute diligit, qui ipſum fortiter diligit. Qui enim Deum diligit ſapienter nulla ſuperſtitione vel leuitate, vel ſpiritus feruentioris vehementia, metam diſcretionis deſerit. Neque ille dicendus eſt Deum ex toto corde diligere, qui intellectum ſuum in obſequium Chriſti non captiuat, & ad viſionem Dei toto deſiderio non anhelat. Quadrupliciter autem captiuatur intellectus, vt ad Deum ſapienter diligendum facilius peruenire queat. Primò, vt in iis, quæ ſunt fidei, Deo obediat & meritò. Nam ſoli Deo de ſe credendum eſt, qui ſe ſolus nouit. Alio modo, vt malè de ſe homo ſentiat, & benè de proximo ſuo, quia conſiderata infirmitas propria mala excuſat aliena. Ideo magis proximorum virtutes cogita (o homo) quàm vitia, ſi vis intellectum captiuare tuum, et Deum toto corde diligere. Meditare quid tibi deſit potius, quàm quid adſit. Quod habes, caue ne perdas, quod non habes, ſupplica vt habeas. In quantis ſis minor, eſt conſiderandum, non in quantis ſis maior. Si enim cogitas, quantum præceſſiſti alterum, time tumorem; ſi vero cogitas, quid tibi deeſt, ingemiſce et quum ingemiſcis, curaris. Humilis ſi eris, tutior ambulabis, non præcipitaberis, non inflaberis. Nam quantò maioris gratiæ lumen percipis, tantò magis reprehenſibilem te eſſe cognoſcis. Tertio modo, vt ſenſum ſuperioris ſui, ſenſui proprio præponat homo. Vnde lignum in 1.Cor. 2.
paradiſo ſcientiæ boni et mali cenſura diſcretionis eſt, quod in conuerſione religionis penes patrem ſpiritualem, qui diiudicat omnia, et ipſe à nemine iudicatur, æque ſtatuendum eſt. Ipſius enim eſt diſcernere, et aliorum obedire. Quarto modo, vt ſemetipſum intendat homo, et ab aliis oculos auertat. Nam qui verus eſt Dei amator, ſemper debet mentem diſcutere, vt ad ſui notitiam, ex qua compunctio oritur, valeat peruenire. Quatuor etenim ſunt qualitates, quibus diligentis Deum anima compungitur, et à proximorum operibus oculos auertit. Quum aut malorum ſuorum reminiſcitur, conſiderans vbi fuit, aut iudiciorum Dei ſententiam metuens, ſecum quærens conſiderat vbi erit, aut cum mala vitæ præſentis attendens ſolerter mœrens conſiderat vbi eſt. Aut quum bona ſupernæ patriæ contemplatur, quæ quia nondum adipiſcitur, lugens cōſpicit vbi non eſt. His modis captiuato intellectu, homo Deū ex toto corde ſapienter diligit, quia ab exercitatione interiori, qua Deus diligitur ex toto corde, nullis poteſt ſeduci fallaciis. Tota anima Deum diligit, qui dulciter Chriſto paſſo cōpatitur, cōpungitur, et mouetur. Vnde per quendam Deum dulciter, totaque anima diligentem dicitur. Super omnia reddit te mihi amabilem (bone Ieſu) calix, quem bibiſti opus noſtræ redemptionis. Hoc enim omnino amorem noſtrū vendicat ſibi. Hoc (inquam) amorem noſtræ deuotionis blandiùs allicit, iuſtiùs exigit, arctiùs ſtringit, et vehementiùs afficit, ne vllis valeat abduci blanditiis. Tota virtute Deū diligit, qui propter amorem ipſius nulla vi laborum, aut tormentorum, vel etiam metu mortis iuſtitiam deſerit. Conſtans nanque et perfectus debet eſſe amor noſter, vt ſi neceſſe fuerit, amore illius moriamur, qui amore noſtri placidè, et benignè mori dignatus eſt. Diſcat proinde à Chriſto anima Chriſtiana Deum diligere, quia et ipſe nos dilexit ſapienter culpam cauens, dulciter carnem induēs, fortiter mortem ſuſtinens. Et nos debemus Deū diligere ſapienter, ne decepti, dulciter ne illecti, fortiter ne oppreſſi, deficiamus.

De quatuor ſpeciebus amoris.
Cap. X.

Diligentium Deum quatuor ſunt ſpecies. Prima eſt naturalis, quo amore amant omnes

Deum

Deum, et boni, et mali. De hoc amore ait Auguſtinus. Deus, quem amat omne quod amare poteſt ſiue ſciens, ſiue neſciens. Secunda eſt, quo aliquis amat Deum, eò quòd cognoſcit eum ſibi neceſſariũ, de quo Dauid in Pſalmo. Pſal.17. Diligã te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meũ, & liberator meus. Tertia eſt, qua aliquis amat Deum propter delicias, quę in eo ſunt. 1.Cor.1 Quũ enim Deum diligimus, omnia delectabilia & ſuauia in eo reperimus. Vnus eſt, qui quæritur, in quo omnia continentur. O amor ſuauis, o lucrum mirabile, o compendiũ ſingulare, quàm vehemẽter accendis mentẽ delicias bonitatis tuæ ſentientẽ? De hoc amore dicitur Sapientiæ 7. Amator factus ſum formæ illius. Quarta eſt, qua aliquis amat Deum, eò quòd ſit dignisſimus amore, qui amor purus eſt. Amat nanque caſte, qui ipſum, quem amat, quærit, nec aliud quærit quàm ipſum. Per ſe iſte amor ſufficit, per ſe placet. Ipſe eſt meritum, ipſe eſt & præmium ſibi. Ad hunc gradum diuina miſeratione ducitur anima ſucceſsiuè per incrementa amoris. A Domino vtique fit hoc. Ipſe etenim Deus taliter naturam condidit humanam, vt neceſſariũ habeat iugiter protectorem, quem habuit conditorem, & ſicut per ſeipſam non valuit eſſe, ita ſine Deo non valeat ſubſiſtere. Quod ſane ne de ſe creatura ignoret, & ſibi (quod abſit) arroget beneficia creatoris, vult idem conditor hominẽ tribulationibus exerceri, vt quum defecerit homo, & ſubuenerit Deus (vt dignum eſt) ab homine honoretur. Hoc enim prophetica voce ait. Pſal.49. Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Fit itaque mira conditoris diſpenſatione, vt homo, qui præter ſe neminem diligere nouerat, Deum propter ſe diligere incipiat, quoniã frequẽter expertus eſt omnia poſſe cum Dei adiutorio, & ſine ipſo nihil. His enim progreſsibus ad ſecundum amoris gradum proficit anima, quũ Deum propter ſe, non propter ipſum diligit. At ſi frequens ingruerit neceſsitas, ob quam & frequens fiat conuerſio ad Deum, & à Deo ſedula, frequensq; liberatio conferatur, nonne & ſi fuerit ferreum pectus, vel cor lapideum ex collatione gratiæ, ex triumpho victoriæ, ex hoſtiũ depulſione, neceſſe eſt emolliri ad amorem, domumq; liberantis, quatenus aſcendens ad tertium gradũ amoris, homo Deum diligat, non propter ſe tantùm, ſed etiam propter ipſum? Ex occaſione quippe frequentium neceſsitatum crebris neceſſe eſt interpellationibus Deum ab homine frequentari, frequentando guſtari, guſtando probari quã ſuauis eſt Dominus. Et ita fit, vt ijs exercitationibus anima euolet ad quartum amoris gradum, in quo ad purè diligendum Deum plus alliciat guſtata ſuauitas, quam vrgeat humana neceſsitas. Hæc nanque eſt perfectio perfectè te diligentiũ Domine, hoc eſt gaudium, quod non tribuis impijs, ſed eis, qui te toto affectu diligunt, & colunt, quorum gaudium tuipſe es, & hæc eſt inchoatio beatæ vitæ gaudere de te in te.

De ſignis, quibus cognoſcitur, vtrum homo Deum diligat. Cap. XI.

PLura ſunt, per quæ cognoſcitur, vtrum homo Deum diligat (videlicet) quũ aliquis cogitat de Deo libenter, vnde Sapientiæ VI. Cogitare de Deo ſenſus eſt conſummatus. Vis amoris hoc ſolet in animo agere, vt quem ſemper ille cogitat, nullum alium ignorare credat. Vis quoque amoris intentionẽ multiplicat cogitationis, quũ quis vadit in domum Dei libenter. De hoc præbuit nobis Dominus Ieſus exemplum. Nam ingreſſus in vrbem (ſicut dicitur Matthæi XXI.) intrauit in templũ, dans formam religionis, vt quocunque imus, primũ domum orationis, ſi ibi eſt, adeamus. Igitur tu (ò homo) imitator Chriſti factus, quum in aliquam ingreſſus fueris ciuitatem, primò ante omnem actum ad Eccleſiam curras. Eſt & aliud ſignum, quo Dei amator dignoſcitur (ſcilicet) quum de Deo libenter loquitur. Nam hic amantium mos eſt, vt amorem ſuum ſilentio tegere nequeant, ſed neceſſarijs curis ſuis efferũt & produnt, & flammas ſuas intra pectus ſuum cohibere non poſſunt. Enarrant frequentius, vt ipſa aſsiduitate narrandi ſolatium amoris ſui capiãt, & refrigeria immenſi ardoris aſſumant. Eſt quoque aliud ſignum, id eſt, quum quis de Deo libẽter audit, de hoc Dominus. Qui ex Deo eſt, verba Dei audit. Ioan.8. Maria quoque quia multum diligebat, ſecus pedes Domini ſedens audiebat Verbũ illius. Luc.10. Verus nanque Dei amator libenter verba illius audit, non doctrinam, non ſcripturam, non perſonã ſpernit. Ab omnibus indifferenter, quod ſibi deeſſe videt, quærit, non quantùm ſciat, ſed quantùm ignoret, conſiderat. Aliud etiam eſt ſignum dilectionis, quum quis libenter pro Deo dat eleemoſynam, de hoc Ioannes in epiſtola ait. 1.Ioan.3. Qui habuerit ſubſtantiam huius mundi, et viderit fratrem ſuum neceſſe habere, et clauſerit viſcera charitatis ab eo, quomodo manet in eo charitas Dei? Dei enim amator, mercator eſt optimus, fœnerator egregius, dat quod non poteſt retinere, vt recipiat, quod non poteſt amittere, dat modicum, vt recipiat hæreditatem æternam. Item quũ quis pro Deo libenter patitur. Pœna etenim interrogat, ſi quietus quis veraciter amat. Nullo nãque modo oneroſi ſunt labores amantiũ, ſed ipſos delectant, ſicut venantium, piſcantium, aucupantium. In eo .n. quod amatur, aut non laboratur, aut labor amatur. Similiter quum aliquis mãdatis Dei libenter obedit. Ioan.14. Si quis diligit me (ait Dominus) ſermonẽ meũ ſeruabit. Et alibi. Si diligitis me, mandata mea ſeruate. Ibid. Nihil.n. arduũ diligentibus. Facile.n. omnia præcepta veniunt in effectũ, quãdo et gratia prætendit auxiliũ, et obedictia mollit imperiũ. Nec dura in neceſsitate ſeruitus, vbi diligitur, quod iubetur. Poſtremò et hoc eſt verũ ſignũ amoris tẽporaliũ cõtemptus.

Tátò denique magis quis frigeſcit à curis ſeculi, quantò ſurgit ardentiùs in amorem Dei. In inſuperabili loco ſtat animus, qui terrena deſpicit, inexpugnabilis eſt, quem multis machinis laceſſitum fortuna non concutit. Nullus eſt maior, quàm qui aliena diſpoſuit, ſuaque diſtribuit, & fecit ſibi pacem nil timendo, nil concupiſcendo.

Quæ ſint illa, quæ conferant operanti ea, vt à Deo ametur. Cap. XII.

SVnt nanque multa, quæ efficiunt, vt poſsidens ea à Deo ametur (ſcilicet) ſapientia,
Sap 7. de qua dicitur, Sapientia infinitus eſt theſaurus hominibus, quo qui vſi ſunt, participes facti ſunt amicitiæ Dei. Idem facit munditia, ſicut
Prou 22. ſcriptum eſt. Qui diligit cordis munditiam propter gratiam labiorum ſuorum, habebit amicum regem. Amabilem etiam reddit Deo manſuetudo. Moſes, qui Deo chariſsimus fuit, manſuetiſſimus erat ſuper omnes homines, qui morabantur in terra. Illud idem operatur liberalitas. Hila-
2.Cor.9. rem datorem Deus diligit, quia ipſius imitator eſt, qui ex liberalitate fecit, quicquid fecit. Cha-
Pſal.130. rum quoque Deo reddit humilitas. Propter hãc dicit vir ſecundũ cor Dei, Domine non eſt exaltatum cor meum. Tantò enim quiſque fit amabilior Deo, quantò propter eum fit vilior ſibi; & tanto vilior Deo, quantò precioſior ſibi efficitur. Hoc etiam exercet contemptus temporalium. Nemo plane dignus Deo, qui opes non cõtempſerit. Temporalia amata inquinant, inquinata autem anima Dei amore digna non eſt. Similiter & dilectio hoc operatur. Nemo enim ſe amari diffidat, qui iam amat libenter. Dei amor noſtrum, quẽ præuenit, ſubſequitur. Nã quomodo redamare pigebit, quos amauit nõdũ amãtes.

Quæ ſit differentia inter amorem, dilectionem, & charitatem, & de ipſarum diſtinctionibus. Cap. XIII.

DIfferentia eſt, talis inter amorem, dilectionem, & charitatem, licet largè loquendo, æquiuocum ſortiantur nomẽ. Amor nãque propriè eſt naturæ, & dicitur amor quaſi animorum vnio, quia acquietat appetitum in re amata. Dilectio autem eſt amor proximi, & dicitur dilectio quaſi duo ligans. Sociat enim amatum cum amante in amore, vt mutuò ſe diligant. Charitas eſt amor in Deum. Hæc amicum determinat, & indicat omnibus chariorem. Vndè dicitur charitas, quaſi chara vnitas, vel charũ Deo agens. Amor triplex eſt (ſcilicet) gratuitus, naturalis, & vitioſus. Amor gratuitus eſt laudabilis, quia habet principalem finem, bonum incommutabile, & virtus eſt. Hic diuiditur in amicitiã & concupiſcentiam. Secundum amicitiã quis diligit Deum puriſsime non reſpiciens vtilitatem ſuam, ſed bonitatẽ amati, hoc modo plus diligit homo Deũ quàm ſeipſum. Secundum verò concupiſcentiam diligit quis Deum, quia remunerationem in eo expectat. Amor naturalis nec laudabilis eſt, nec vituperabilis, & habet finẽ indigentiam vel vtilitatem propriam. Iſte ſimiliter diuiditur in amicitiam & concupiſcentiam. Secundũ amicitiã diligimus hoc amore nos, & noſtri perfectionem, & noſtri conſeruationẽ. Atque ea magis, quæ magis ſunt neceſſaria, vt caput, pro quo totum corpus exponimus. Hic communis eſt nobis & brutis. Secundùm concupiſcentiam verò diligimus Deum, quia neceſsitati noſtræ vel ſubuenit vel ſubuenitur, quia hoc amore non diligitur res propter ſe, ſed propter vſũ eius, vnde hoc amore plus ſe diligit homo naturaliter, quàm Deũ. Amor vitioſus vituperabilis eſt, quia peccatum eſt, & habet finem voluptatem, ſiue delectationem in creatura. Hic diuiditur in amicitiam, & concupiſcentiam. Secundùm amicitiam, diligimus hoc amore delectationem creaturæ propter ſe quamuis in nobis habeatur. Secundùm concupiſcentiam verò diligimus hoc amore voluptatẽ creaturæ propter nos. Item amor multipliciter diuiditur. Eſt etenim naturalis erga ſe, pius erga parentes, iucundus erga ſocios, iuſtus erga amicos, violentus erga inimicos, ſanctus erga Deũ. Circa dilectionem notandum, quòd alia eſt dilectio affectus, & alia effectus, Dilectio affectus duplex eſt, quia alia eſt innocentiæ, alia beneficentiæ. Dilectione innocentiæ tenemur diligere inimicos, quia non debemus eis optare malum, inquantũ malum, ſed inquantum eis expediens vel reipublicæ. Affectus dilectionis beneficẽtiæ eſt duplex (ſcilicet) principalis, et ſecũdarius. Affectus principalis eſt velle et optare inimicis bona ſpiritualia, ſicut eſt gratia, et gloria, hoc modo tenemur diligere inimicos noſtros. Affectus autem dilectionis ſecundarius eſt optare inimicis bona temporalia, hoc modo non tenemur ſemper diligere inimicos, quia nõ ſemper expedit eis habere bona temporalia. Eodem modo diſtinguendum eſt de dilectione effectus, qui eſt ſimiliter innocẽtiæ, et beneficentiæ. Primo tenemur diligere omnes inimicos, quia non tenemur eis inferre mala, niſi ratione perſonæ, vel reipublicæ. Secundo modo diſtinguenda eſt dilectio beneficentiæ, quia ſi eſt beneficium ſpirituale ad ſalutem neceſſariũ, tunc tenemur illud inimicis impendere, ſicut orare pro eis, non quidem in ſpeciali, ſed in generali. Ita (ſcilicet) vt non excludamus eos ab orationibus communibus. Si verò eſt beneficiũ temporale, ad hoc non tenemur, niſi in caſu neceſsitatis. Notandũ tamen eſſe inimicum dupliciter ſcilicet perſonæ et eccleſiæ. Igitur perſonæ inimico benefacere perfectionis eſt, niſi inquantũ illi vel alteri beneficium nociuum eſſet, quia in tali caſu beneficium ſubtrahere vtile eſt. Inimico eccleſiæ beneficium ſubtrahere perfectius eſt, et melius niſi inquantum per beneficium ſperatur reconciliandus eccleſiæ. De ipſa autẽ charitate

ritate hoc ſentiendum eſt, quòd ſit recta voluntas ab omnibus terrenis ac præſentibus prorſus auerſa, iuncta Deo inſeparabiliter & vnita, igne quodam Sancti Spiritus, à quo eſt, & ad quem refertur, incenſa, inquinamenti omnis extranea, corruptionis neſcia, nullo vitio mutabilitatis obnoxia, ſuper omnia, quæ carnaliter diliguntur, excelſa, affectionum omnium potiſsima, diuinæ contemplationis auida, in omnibus ſemper inuicta. Summa actionum bonarum, ſalus morum, finis cœleſtium præceptorum, mors criminum, virtus pugnantium, palma victorum, ſanctarum mentium arma, cauſa meritorum bonorum, præmiũ perfectorum, ſine qua nullus Deo placuit, cum qua nullus vnquam peccare potuit, fructuoſa in pęnitentibus, læta in proficientibus, glorioſa in perſeuerantibus, victorioſa in martyribus, operoſa omnino in omnibus fidelibus, ex qua, quicquid eſt boni operis, viuit.

Quibus exercitationibus proficiat charitas, & quæ ſint perfectę charitatis ſigna & operationes. Cap. XIIII.

EX ijs, quæ ſequuntur, oſtenditur, quomodo proficiat charitas, & quum perfecta fuerit, dicendum eſt qualis ſit, ne homo horum ignarus decipiatur credens ſe perfectum eſſe. Deſiderium nanque magnum proficiendi plurimum adiuuat hominem, vt ad charitatis perfectionem attingat. Magna enim pars profectus eſt velle proficere, nolleque progredi eſt regredi. Nemo perfectus eſt, qui perfectior eſſe nõ appetit, & in eo perfectiorẽ ſe quiſque probat, quo ad maiorem tendit perfectionem. Si nolumus redire, currendum eſt. Excitat quoque hoc, vt homo à creaturis inferioribus ad creatorem amorẽ ſuum recolligat. Quod his verbis declarat sãctus Auguſtinus dicens. Ab vno tunc auerſus in multis euanui. Exarſi enim aliquando ſatiari inferiùs in adoleſcentia, & ſylueſcere me ſenſi varijs & vmbroſis amoribus. Intendere doctrinæ multũ proficere facit, ſicut enim paruulus abſque ſumptione ſibi creſcendo non proficit, ſic anima ſine doctrina deficere potius quam proficere ſolet. Vndè dicitur Eccleſ. 27. Filia fatua in minoratione fiet. Et in Pſalm. Eſurientes & ſitientes anima eorum in ipſis defecit. (Pſal. 106.) Idem facit meditatio beneficiorum Dei, proximi, & creaturarum. In meditatione mea (ait Pſalm.) exardeſcet ignis. (Pſal. 38.) Eſt & aliud, quod vehementer excitat ad profectum charitatis (ſcilicet) tentatio. Electorum nanque deſideria deprimuntur aduerſitate, vt proficiant, ſicut ignis flatu premitur, vt creſcat, & vnde quaſi extingui creditur, inde roboratur, ſic nimirum quum per tentatione humilitas in anima proficit, proſpera eſt ipſa aduerſitas, quæ mentem & charitate accendit, & ab elatione cuſtodit. His etenim incrementis quum ad perfectionem peruenerit anima, multitudinem pacis, claritatem luminis, & inexplebilem guſtum, ſenſumque percipit charitatis, quæ charitas ex quatuor inſinuat ſuiipſius perfectionem, videlicet, ex ſua rectitudine. Perfectus nanque Dei amor eſt rectus, efficiens & afficiẽs animam Deum propter ſeipſum diligere, & non propter temporalia. Perfecti .n. ad hoc vtuntur mundo, vt perfruantur Deo, imperfecti verò econtrario, vt perfruantur hoc mũdo vti volunt Deo. Ex ſua ſtrenuitate. Non enim ſolum rectus eſt perfectus amor, ſed etiam ſtrenuus. Nihil certe eſt, quod effrænato captus amore paueat. Plurimi eſt terroris hoſtibus perfectus amor, mentiſque ſtrenuitas, & nihil damnabilius eſt in homine perfecto & Chriſti milite, quàm formido, per quam perfectio virtutum deſtituitur, nutritur puſillanimitas, obrepit inertia, & ad immunditiæ actus animus occupatur. Ibant Apoſtoli milites ſtrenuiſsimi, gaudentes à conſpectu concilij, loquentes cum fiducia Verbum Dei, & nulla infidelium formidantes tormenta. (Act. 5.) Ex ſui multitudine deſiderij. Eſt enim perfectus amor deſiderijs plenus. Anima nanque amans perfecte fertur votis, deſiderijs traditur, ignorat ſiquidem iudicium, multoties ratione caret, neſcit modum, nec aliud, quàm quem diligit, cogitare poteſt, non accipit de impoſsibilitate ſolatium, nec ex difficultate remedium, nec conſideratione tẽperatur, nec pudore frænatur, nec rationi ſubijcitur. Magna plane eſt violentia charitatis ipſum Dei affectum attingens, & velut ſagitta iecur perfectè ſe poſsidentis penetrãs & transfigens, quod ſenſerat, qui aiebat. Vulneraſti cor meum, &c. Et ex ſui communicatione. Quantò enim quis magis attingerit ad perfectionem charitatis, tantò magis per compaſsionem proximi pro ſalute ſe deſerit. Nam qui amare proximum negligit, profecto diligere Deũ neſcit, & tunc pleniùs in Dei dilectione proficimus, ſi in eius dilectionis gremio, proximi prius charitate lætamur. Amor Dei amorẽ proximi generat, & amorẽ proximi calefacit amor Dei. Tunc .n. ad ſummã perfectionem charitas mirabiliter ſurgit, quũ ad ima proximorum ſe miſericorditer attrahit, & quò benignius deſcendit ad ima, eò perfectius recurrit ad ſumma. Quod paucis verbis notificat Dominus dicens. Maiorẽ hac dilectionẽ nemo habet, vt animã ſuã ponat quis pro amicis ſuis. (Ioan. 15.) Alio quoque in loco quum quidam à Domino peteret, quod eſſet magnum mandatum in lege, reſpondit. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & cætera. (Deut. 6.) Secundum autem ſimile eſt huic. Diliges proximum tuum ſicut teipſum, confirmanſque ſententiã ait. In his duobus mãdatis tota lex pẽdet, & prophetæ. (Mat. 22.) Quibus verbis perfectio colligitur charitatis, quæ comprehendit in ſe omnem legis & prophetarũ perfectionẽ. Quoniã verò in præcedentibus capitulis de Dei dilectione cõpẽdioſè tractatũ eſt, nunc ſuccinctè pauca de proximi dilectione ponẽtur, vt luculẽter eluceat huius

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

perfectio virtutis, deturque omnibus forma aſcē dendi ad perfectionem, & tunc demum ponetur huic tractatui de charitate finis, quæ eſt finis, & præſidentium perfectio.

Quibus exemplis atque documentis incitetur homo ad proximum diligendum. Cap. XV.

MVltis rationibus & exemplis proximū amare incitamur, videlicet propter vtilitatem huius præcepti & leuitatē, de Ioan. 15. quo Dominus. Hoc eſt præceptū meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. O nimiam Dei clementiam, o ineffabilem Dei benignitatem, præmium nobis pollicetur, ſi nos mutuo diligamus, & ea nobis præſtemus inuicem, quibus inuicem indigemus. Et nos ſuperbo & ingrato animo ei renitimur, cuius imperium beneficium eſt, & ab omnibus poteſt impleri, à paupere & à diuite, ab infirmo & à ſano. Nō eſt neceſſe oues aut boues emere, aut vltra mare nauigare, vt hoc impleatur Deut. 30. præceptum, de quo in Deuteronomio dicitur, Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, nō ſupra te eſt, neque procul poſitum eſt, ſed iuxta tē eſt in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illud. Incitat quoque ad amandum proximum fraternitas naturalis, quę eſt inter omnes homines. Si putamus non eſſe proximos, niſi qui de eiſdem parentibus naſcuntur, Adam & Euam intendamus, & omnes fratres ſumus. Propterea Deus voluit vnicum hominem primo formare, ex quo omnes procederent, vt tanquam fratres omnes ſe amarent. Nō ſic legitur factum eſſe in angelis vel in brutis, vndè dilectio eſt debitum naturale; quo vnus homo obligatus eſt alteri, à quo debito nullus abſoluitur. Sola hęc dilectio eſt, quæ etiā reddita ſemper retinet debitorem. Accendit etiā ad amandum proximum ſpiritualis fraternitas. Omnes quidem fratres ſecundum quòd homines ſumus, quantò magis ſecundum quòd Chriſtiani? Ad id, quod Chriſtiani ſumus, vnus pater eſt Deus, vna mater Eccleſia. Hæc fraternitas tantò eſt melior fraternitate naturali, quantò meliorē Mat. 23. patrem habet Deum, de quo Dominus. Et patrē nolite vobis vocare ſuper terram, vnus eſt enim pater veſter, qui in cœlis eſt. Nam hæc eſt vera, indirupta & ſpiritualis fraternitas, quæ gemina amicorum perfectione ac virtute concreſcit, cuius fœdus nec deſideriorum varietas, nec contētioſa diuidere poteſt contrarietas voluntatum. Si autem amandi ſunt naturaliter fratres, qui diuidendo hæreditatem portionem vniuſcuiuſque minorem faciunt, quantum amandi ſunt, qui portionem augent? Quanto enim plures erunt electi, tantò amplius gaudebunt. Plus etenim gaudebit vnus electorum de gloria animę alterius, quā de gloria proprij corporis. Amor quoque, quem Dominus Ieſus habet ad homines, ad amandum Apoc. 1. proximum nos hortatur, de quo dicitur. Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Noli (o homo) tantùm vilipendere amorem, tuumque contemnere fratrē. Propterea Dominus Ieſus dominationi mortis ſe tradidit, vt ipſum à iugo diabolicæ dominationis erueret, ſuſcepit mortis ſeruitutem, vt illi tribueret vitæ æternæ libertatem. Nō ergo deſpiciendus eſt, quē tam charum Dominus habuit. Solicitudo quoq; angelicæ cuſtodiæ nos prouocat ad amandum proximum. De ipſa Dominus dixit. Videte, nē Mat. 18. contemnatis vnum de puſillis iſtis, dico autē vobis, quia angeli eorum in cę. ſ. v. f. patris mei, &c. Adeſt enim vnicuique noſtrum etiam minimo angelus bonus. Angelus Domini, qui regat, qui moneat, qui gubernet, qui pro actib. noſtris corrigendis, & miſerationibus expoſcendis quotidie videat faciem Patris, qui in cœlis eſt. Mat. 18. Non ergo eſt ab homine deſpiciendus homo, qui adeò angelo charus eſt. Dulcedo quoque fraternæ dilectionis, quæ pacem in cor maximum diligentis diffundit, fortiter prouehit ad proximum diligēdum. In tribus (ait Eccleſ. 25.) beneplacitum eſt ſpiritui meo, quæ ſunt probata coram Deo & hominibus, concordia fratrum, amor proximorū, & vir & mulier bene ſibi conſentientes. Tale nanque eſt bonū pacis, quod ex fraterna oritur charitate, vt in rebus creatis nihil gratioſius ſoleat audiri, nihil delectabilius concupiſci, & nihil vtilius poſsideri. Spiritus enim humanus nunquam viuificat membra, niſi fuerint vnita, ſic Spiritus ſanctus nunquam viuificat eccleſiæ membra, niſi fuerint in pace fraternæ dilectionis vnita. Hoc ēt prouocat ad proximum diligendum, quia omnes ſumus membra vnius corporis. De hoc Apoſtolus. Multi vnum corpus ſumus in Chriſto. Singu- 1. Cor. 10. li autem alter alterius mēbra. Emolumenta prætereà, quæ ex mutua dilectione proueniunt, plurimum accendunt cor ad amandum proximum, quæ ſunt quinque. Primum eſt victoria, quæ ex ipſa oritur. De hac dicit Eccleſ. 4. Melius eſt duo eſſe ſimul quàm vnum, habent enim emolumentum ſocietatis ſuæ. Si quis prçualuerit cōtra vnū, duo reſiſtunt illi. Omnis nanque pugna vnanimiter aggreſſa parit victoriam. Secūdum eſt bonorum abundantia. Quod enim deeſt homini in ſe, habet in amico. Fraterna autem dilectio & amicitia adiutrix a natura data eſt, nō vitiorū comes, vt quoniam ſolitaria non poteſt virtus ad bonorum abundantiam peruenire, coniuncta alteri perueniat. Plurimam in ſe continet hæc bonorū abundantiam, nullo enim loco excluditur, nunquam intempeſtiua, nunquam moleſtā eſt. Nam & ſecundas res ſplendidiores facit, & aduerſas patiens, communicanſque leuiores. Tertium eſt impetratio eius, quod in oratione petitur; vndè Dominus, Si duo ex vobis conſenſerint ſuper Mat. 18. terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cęlis eſt. Quartum eſt mutua exhortatio. De hoc Eccleſiaſt. 4. Vnus enim quomodo calefiet? Non equidē poteſt quiſquā

bene

bene degere, qui ſe tantum diligit, qui ſe tantum intuetur. Alteri viuas oportet, ſi vis tibi viuere. Hæc ſocietas diligenter & ſanctè obſeruata, quæ nos homines hominibus miſcet, mutuã parit exhortationem, & indicat aliquid eſſe, cõmune ius generis humani. Quintum eſt conſolatio, quæ ex ipſa trahitur. Sicut enim vnguento & varijs odoribus delectatur caro, ita bonis amici conſilijs, & fraterna dilectione anima dulcoratur. Quoniam verò res humanæ fragiles ſunt, & caducæ, ſemper acquirendi ſunt quos diligamus, & à quibus diligamur. Charitate enim, beneuolentiaque ſublata omnis eſt è vita ſublata iucunditas.

Quæ ſint illa, quæ reddunt hominem amabilem proximo ſuo. Cap. XVI.

Quamuis appetendum ſit ab vnoquoque & amare & amari, magis tamẽ deſiderandum eſt amare, quàm amari. Beatius vtique eſt dare, quàm accipere. (Act. 20.) Qui enim amari non amare deſiderant, ij ignem eſſe voluit in domo proximi ſui, & in domo propriæ conſcientiæ frigore perire cupiunt. Quoniã verò laudabilius amari debet concupiſcere quilibet, nunc dicetur, quæ ſunt, quæ reddant hominem proximo ſuo amabilem. Et primò modeſtia in ſermone. (Eccl. 20.) Vir etenim ſapiens in verbis amabilem ſe facit, gratiæ autem fatuorum effundentur. Principium amicitiæ eſt benè loqui, & grande exordium inimicitiarum eſt maledicere, & contumelioſè iniuriari. Obiurget amicus amicum non iactantiæ ſtudio, ſed affectu charitatis, nec admonitio aſpera ſit, ſed dulcis, nõ ſit contumelioſa, ſed pietate plena. Amabilem quoque reddit virtus. Eſt enim inſitum bonis, vt vnuſquiſque virtutes ſuas in alijs amet. Econtrario. Oderunt hilarem triſtes, triſtemque iocoſi. Nihil quippe eſt virtute amabilius, nihil quod magis alliciat ad diligẽdũ. Tanta eſt vis probitatis, vt eam vel in eis quos nũquã viuimus, vel quod maius eſt, in hoſte diligamus. Diſſimilitudo verò morum, diſtãtia vitæ, & ingenio cõtraria diſſoluunt amicitiã. Plurimùm etiam amabilem facit manſuetudo. De hac Eccleſiaſt. 3. dicitur. Fili in manſuetudine, opera tua perfice, & ſuper gloriam hominum diligeris. Qui enim mãſuetus eſt in omnibus moribus ſuis, nihil facit, quod cuiuſquam offendat affectũ, ſed quod ſuam deceat ſanctitatem. Mãſuetudo enim eſt ſuauitas malo cedens, ſubeſſe ſciens, ſuperiori non reſiſtens, & bonis conſentiens. Pia querit, honorat ſancta, non reprehendit, nõ reſiſtit, propter quod ſuum dilectum exhibet poſſeſſorẽ. Ad idem valent obſequia & beneficia, vnde Apoſtolus. (Rom. 12.) Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum, ſi ſitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis cõgeres ſuper caput eius, id eſt, cor eius accedes ad te amandum. Quem etenim delectat amari, ab amore rerum mutabilium liber eſſe appetat, eaq; libenter eroget. Ex largitione nanque hac multorum acquirit affectum, & ardentium criminum globos beneuolentiæ ſuæ fonte reſfrigerat, ac etiã in riuo largitatis obruit inediam proximorũ. Poſtremò valde amabilem reddit amor. Nulla enim maior eſt ad amorem inuitatio, quàm præuenire amãdo. Nimiſque durus eſt animus, qui dilectionem ſi nolebat impendere, nollit repẽdere. Si verò quæris, quomodo amicos plurimos facturus tibi ſis, ego demonſtrabo amatorium, ſine medicamẽto, ſine herba, ſine veneficij carmine: Si vis amari, ama, & vt ameris, amabilis eſto.

Quomodo & quibus exemplis proximum amare debeamus. Cap. XVII.

Quomodo proximum amare debeamus, tripliciter docemur a ſcriptura. Dominus nanque Ieſus exemplo ſuo tecto præbet nobis exemplum, quomodo proximum amemus, dicens. Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. (Ioan. 15. 1. Ioan. 3.) Amor enim ipſius, quo nos dilexit, gratuitus fuit. In hoc eſt charitas, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos. Si autem Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum dil gere gratis. (Ibid. 4. Mat. 5.) Ideo Dominus. Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis? Nonne hoc & Ethnici faciũt? Fuit etiã Chriſti amor rectus, videlicet, non propter eius, ſed propter noſtram vtilitatem. Sic & nos debemus diligere. Amicus enim, qui vtilitatis cauſa aſſumptus eſt, tandiu placebit, quãdiu vtilis fuerit. Sed non ſunt fideles & recti in amicitia, quos munus, aut priuata vtilitas copulat. Dilectio enim, quæ munere glutinatur, eo ſuſpẽſo diſſoluitur. Et qui proſperitatibus alicuius inducti eius amicitiã ſecuti ſunt, ij fortunam ſecuti perſeuerant in proſperis, ſi verò delapſa fuerit, ſubtrahũtur omnes. Cum enim receſſerit ea res, quæ fuit amicitiæ cauſa, nihil ſupereſt, quare poſſint in amicitia teneri. Quos enim fœlicitas fecit amicos, infortunium inimicos faciet. Amauit etiam nos Chriſtus amore diſcreto. Amor diſcretus talis eſſe debet, quòd perſonas amet, & vitia perſequatur. Chriſtus .n. propter nos in carne de virgine natus, & conuerſatus, contagio culpæ inquinatus non eſt, & tamẽ vltione culpæ depreſſus eſt. Commiſſa propria non habuit, & tamen pœnam carnalium ex charitate ſine culpa ſuſcepit. Aequè & nos ita proximos diligamus, vt ipſorum facinora ſolicitè odiamus. Nulla eſt, o homo, peccati excuſatio, ſi amici cauſa peccaueris. Nam cùm conciliatrix amicitiæ virtutis opinio fuerit, difficile eſt amicitiam manere, ſi virtute defeceris. Hæc enim lex in fraterna charitate ſanciatur, vt nec rogemus res turpes, nec rogati faciamus. Fuit ſimiliter amor Chriſti vehemens. In hoc ipſius charitatem cognouimus vehementem, quoniam ipſe pro nobis animam ſuam poſuit. (1. Ioan. 3.) Cuius imitatione & nos pro fratribus debemus animã ponere. Vehemẽs nã-

que

quę dilectio fratris remedia fert aduerſis, eius cōpatitur incommodis, hæc amici onera, quaſi iniūcta humero portat, nec patientius propriam iniuriam ſuſtinet, quàm amici. Amor quoque Chriſti fuit fructuoſus, vt apparet in donis nobis ab ipſo & per ipſum collatis. Sed & nos amemus fratres. De hoc dicitur 1. Ioannis 3. Filioli diligamus non verbo, nec lingua, ſed opere & veritate. Sunt etiam verba vtilia charitati. Propterea dilectio noſtra erga fratrem ſemper exhibenda eſt veneratione ſermonis, & miniſterio largitatis. Hæc dilectio fraterna & fructuoſa eſt, quę fratrem veneratur deuotum, corripit diſſolutum, quæ præſenti obſequitur, abſentem non rodit, ſano applaudit, infirmum non deſerit, pacatū non prouocat, iratum vt maiorem metuit. Fuit etiam Domini Ieſu amor perſeuerans, de quo dicitur. [Ioan.13.] Quū dilexiſſet ſuos, qui erant in mūdo, in finem dilexit eos. Sic & nos perſeuerāter proximum amare debemus, ij autem nō diligunt perſeueranter, qui diligunt fęlicitatem non hominem. Nam cùm quis in proſperitate poſitus diligitur, incertum valde eſt, vtrum proſperitas in perſona ametur. Amiſsio fęlicitatis vim interrogat amoris. Et qui ex aduerſitate proximum deſpicit, apertè cōuincitur, quòd hunc non amauit. Non agnoſcitur in bonis amicus. Aſpera enim fortuna certos ſed alium vultus ambiguoſque diſcernit. Verus enim amator vſque ad mortem perſeuerabit, nec tædio affectus, nec labore fatigatus. Imitabitur Dominum ſuū, qui pro ſuis certauit in ſtadio charitatis, pro quibus etiam mori dignatus eſt gaudenter. Secundo modo docemur in ſcriptura proximum tāquā nos ipſos diligere, iuxta illud Domini mandatū, [Deut.6.] Diliges proximū tuum ſicut teipſum. Quod dupliciter poteſt intelligi. Primò vt illum diligas ad gratiam, & gloriam in futuro, vel in quē teipſum diligis, id eſt in Deum, illū diligas. Quiſquis enim rectè diligit proximum, hoc cū illo debet agere: vt etiam ipſe toto corde & tota anima diligat Deum. [Mat.7.] Alio modo intelligitur, vt hoc facias proximo: quod tibi vis fieri: quod autem tibi non vis fieri, ei non facias. Duo nanque ſunt erga proximi dilectionem ſeruanda, vt beneficij impenſione foueatur, & nulla malitia lædatur. Notandum autem eſt, quòd nequaquam proximum rectè poteſt diligere, qui prius Deum veraciter non diligit. Amore enim Dei firmata debet eſſe dilectio proximi. Nemo quippe poteſt fideliter amicus hominis eſſe, niſi prius ipſe ſit veritatis. Ideo inter quos non eſt diuinarū rerum conſenſio, nec humanarum plena eſſe poterit. Neceſſe enim eſt, vt aliter quàm oportet, humana exiſtimet, qui diuina contemnit. Nec hominem rectè diligere nouit quiſquis eum rectè non diligit, qui hominem fecit. Illud etiam ſciendum eſt, quod qui ſe non nouit diligere, vtique nec proximum. Valdeque timendum eſt, ne ipſum decipiat, ſicut & ſe. Si te interrogem (ait quis) vtrum diligas te, reſpondes quod diligis. Quis enim ſe odit? Audi Pſal. Qui diligit iniquitatem, odit animā ſuam. [Pſal.10.] Quomodo volebas tibi committi proximum, vt diligeres eū tanquā te, ò homo, qui perdis te? Si enim tu ipſe te diligis, vt perdas te ſic profectò perditurus es eum, quem diligis ſicut te. Nolo autem, vt hoc modo quemquam diligas, vel ſolus peri, aut corrige dilectionem, aut reſpue tuam charitatem. Solerter & hoc quoque in hac dominica præceptione conſiderandum eſt, quod non dixit. Diligas [Deut.6.] proximum tuum plus quàm teipſum, ſed ſicut teipſum. Videtur enim plus quā ſeipſum proximū velle diligere, qui curationi proprię nō ſufficiens, curam aliorum cupit aſſumere. Quare tu homo, quiſquis talis es, cui firma ſatis propria ſalus nondum eſt, cui charitas adhuc aut nulla eſt, aut adeò tenera, atque arundinea, quod omni ſtatui cedat, omni credat ſpiritui, omni circunferatur doctrinæ vento, cui tanta eſt charitas, vt vltra mandatū quidem diligas proximum plus quàm teipſum: & rurſum tantilla, vt contra mandatum fauore liqueſcat, pauore deficiat, perturbetur triſtitia, auaritia trahatur, pertrahatur ambitione, ſuſpicionibus inquietetur, conuitijs exagitetur, curis euiſceretur, honoribus tumeat, liuore tabeſcat. Tu inquam in proprijs teipſum ſentiens minus idoneū ad correctionem, qua nunc dementia, (quæſo) aliena curare, aut ambis, aut acquieſcis? Audi quid de hac tanta & tam vigili charitate dicat ſcriptura. Noli, (inquit) eſſe nimium iuſtus. [Eccl.7.] Et Dominus. [Mat.16.] Quid prodeſt homini, ſi mundum vniuerſum lucretur, animæ verò ſuę detrimentum patiatur? Sufficit qui eiuſmodi eſt, ſi proximum ſicut ſeipſum diligat, ne tumore ſe conterat, ne proximum iuuando ſe deſeras, ne alios erigens cadat. Tertiò modo docemur in ſcriptura proximum ſicut noſ ipſos diligere exemplo amoris membrorum corporis humani. Primò in hoc, quod vnū membrū non inuidet alij membro: licet non habeat idem officium. [Rom.12.] Non omnia nanque eundem actum habent membra: nec tamē ſibi inuicē inuident: ſic nec debet aliquis inuidere proximo ſuo habenti gratiam, quam ipſe non habet. Inuidia diabolicū vitium eſt: & habet matrem ſuam, ſcilicet ſuperbia. Suffoca matrē, & non erit filia. In hoc etiam docemur, quod vnum membrum non ſibi appropriat aliquod officium, ſed omnibus illud communicat gratis: ſic & nos. [Rom.12.] Nam multi vnum corpus ſumus in Chriſto: ſinguli autem alter alterius membra. Similiter cum vnū membrū ab alio læditur, non ſe vindicat, ſic debet eſſe inter fideles, ſicut ſcriptum eſt, Nulli malum pro malo reddentes. Item ſicut mēbra infirmiora abundātius honoratur, ſic & nos non debemus deſpicere eos qui infirmi videntur: prout dicitur, honore inuicē pręuenientes. [Ibid.] Non enim eſt fraternus amor, niſi ſe mutuis præueniat obſequiis. [1.Cor.6.] Inſtruimur quoque in hoc, quòd ſi quid patitur vnū mēbrū, [Rom.12.] compatiūtur omnia mēbra, ſiue ſi glorietur vnū [1.Cor.6.] mem-

membrum, congaudent cætera membra. Sic fideles debent gaudere cum gaudentibus, & flere cũ flentibus. Datur inſuper exemplum iſtud, quia vnum membrum reputat ſibi fieri, quod fit alteri, ſiue bonũ, ſiue malũ: ſic nos quod alijs irrogatur, nobis agi exiſtimare debemus. Vnde ipſe dominus Ieſus Eccleſię caput dicit: [Mat.25.] Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Alio quoq; modo docemur, quia ſicut vnum membrum læſioni ſe exponit pro alio: ſic & nos agere debemus imitãtes dominũ Ieſum, qui paſſioni ſe expoſuit, ictũ, quem genus humanum meruerat, ſuper ſe ſuſcipiens. Eodem modo prouocamur, quum videmus, quòd cibum, quem os recipit, alijs membris communicat: ita & fideles facere debent: [1.Cor.1.] vnde Apoſtolus ait, Siue exhortamur pro veſtra exhortatione & ſalute, ſiue conſolamur pro veſtra conſolatione & ſalute. Iſto ſimiliter exemplo accendimus: quia videmus vnum membrum timere ab alijs ſeparari: ſic nihil debet tam formidare Chriſtianus, quàm ſeparari à Chriſti corpore: ex quibus patet modus dilectionis, quam erga proximũ habere debemus. Magna etenim virtus proficiẽdi in Deum eſt hæc charitas mutua, quæ data eſt diuitibus pro gloria, pauperibus pro cenſu, exulibus pro patria, imbecillibus pro virtute, infirmis pro medicina, pro vita mortuis. Eſt enim eius ſuauiſsimus fomes, affectuoſa ſynceritas, & mutua obſequia, rerum honeſtarum crebra collatio, paritas voluntatum, iugis & inuiolabilis fides. Vera nanque dilectio tantum inter bonos oriri ſolet: [Ioan 15.] inter meliores proficere, inter optimos verò ad perfectionem duci. Cuius perfectionem aperuit dominus, dicens: Maiorem charitatem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Hæc eſt victoria, hic terminus charitatis ſanctæ, quæ in fructibus ligni vitæ quartum ſortitur gradum: & eſt brauiũ conſummatæ iuſtitiæ, & perfectionis præſidentium, qui non debent formidare pro grege animas ponere. Ad quam perfectionem vere inconcuſſeque tunc perueniunt, quum prius per continentiæ virtutem omnibus ſe abdicauere voluptatibus: nè honoribus vel libertate irretiti, non quæ domini ſunt, ſed quæ ſua quærant, & efficiantur in ſui contumelia etiam ſubditis inferiores: qui debent eos, ſicut dignitate, ita & virtutibus pręcellere: & quoniam hæc ſola virtus eis non ſufficit ad perfectionem: adhibenda eſt huic prudentiæ virtus, quæ ordinate ſubditorum omnium diſponens ſtudia ad Dei gloriam, eorumque profectum, & ipſe præſidens Deo gratiſsimus efficiatur: iuxta illud: Si ſeparaueris precioſum à vili, vt os meum eris, hominibuſque cõ- [Prou.17.] mendabilis, ſicut ſcriptum eſt. Gloria patris eſt filius ſapiens. Cui tamen prudentiæ iungenda eſt iuſtitia, quæ conſtanter tribuat vnicuiq; quod ſuũ eſt: ne inordinata diſſoluatur affectione, aut vltra metas iuſtitię, ne abſtrahatur furore: quod dimicandi genus precioſiſsimus eſt. Fiat autem totũ hoc non elatione humanæ æſtimationis, vel delectatione virtutis, ſed charitate, ſed amore Dei, ſed deſiderio ipſi placendi. Et ſiue intus per dilectionem Dei ardeat, ſiue in proximorum ſe commodis occupet foris: omnem ſuæ intentionis affectioniſque conatum dirigat ad gloriam Dei, & proximi ſalutẽ. In quibus duobus conſummatur, tantoque perfectior erit, quantò pro gloria creatoris fuerit inflãmatus amplius: & de proximorũ ſalute extiterit ſitibundus. Beati & perfecti, qui hanc charitatis iuſtitiã eſuriunt in hac vita: quoniam ſaturabuntur, quum deducti fuerint in cœleſtem Hieruſalem poſt hanc peregrinationem: vbi laudabunt Deum in ſecula ſeculorum.

DE VIRTVTE PATIENTIAE, ET primo quare hæc virtus ſit homini neceſſaria, & de ipſius diffinitionibus: quæ virtus in ordine ligni vitæ fructuum, quintum habet locum. Cap. I.

[Pſal.65.] TRanſiuimus per ignem & aquam: & eduxiſti nos in refrigerium. Hanc ſententiã omnibus proferre conuenit, qui poſt ſudores, certaminaque tentationum, meruerunt ſuorum præmia, id eſt quietem, internę pacis poſſidere laborum. Nõ enim dantur præmia abſque exercitio: neque bonum ſpiritualis delectationis ſine fatigatione impugnationum. Vndè neceſſe eſt, vt ſe præparet ad certamen, quiſquis pacis ſuauitatem deguſtare deſiderat. Magnum etenim pacis eſt bonum. Eſt nanque pax ſecuritas mentis, trãquillitas animi, ſimplicitas cordis, vinculũ amoris conſortiũ charitatis. Hæc ſimulationes tollit, bella compeſcit, iras comprimit, ſuperbos calcat, humiles amat, diſcordes ſedat, inimicos cõcordat, cunctis eſt placida: neſcit extolli, neſcit inflari: hanc qui accipit, teneat: qui perdidit, exquirat: quoniam qui in ea non erit, à Deo alienus efficitur. Nec ad hæreditatem domini poterit peruenire, qui bonum pacis nõ ſtuduerit poſsidere. Ad pacem nanque per patientiam peruenitur: tãtoque magis pace fruetur homo, quanto erit patientior. Finis patientiæ pax eſt. Prius enim, collocandum eſt fundamentum patientię, vt ſecurius poſtea fabricetur altitudo pacis. In hoc nanque fundamento ędificando fortitudine opus eſt, non corporis, ſed animi. Peregrinãti ętenim homini in hac valle miſeriæ, multa occurrũt aduerſa: aliqua ex innata infirmitate, aliqua ex inſolita conſuetudine, quædam ex iuſtitia diuina, nonnulla verò ex malorum hominũ malignitate. Sunt & alia grauiora certamina, quibus fatigatur homo continuè ex diabolica ſuggeſtione & operatione: quæ tantò plus affligunt, quãto occultius ſpiritus premunt. Ex quibus quædam ſunt aſpera, quia proueniunt ex inſueto labore in principio virtuoſæ conuerſationis. Per hos enim labores, argumenta componit tentationum callidus inimicus, aliqua ſunt vana, quæ de ſpiritualibus proſperitatibus oriuntur ipſo nihilominus hoſte inſti-

inſtigante, quædã ſunt dubia, quando homo ambigit, quid certum de aliqua re tenere debeat, ex quo ſegnior ad bonũ efficitur, & pronior ad malum: quia vtriuſque ignorat veritatem. Hęc enim decipula irretiuit primum hominem, illuſitque ipſius poſteritatem. Sunt nonnulla fraudulenta, 2.Cor.11. videlicet quando ipſe Satanas transfigurat ſe in angelum lucis ſub ſpecie virtutum inducens ad vitium. Suadet enim honeſtatem, vt inducat ſuperbiam: hortatur ad iuſtitiam, vt trahat ad crudelitatem, & huiuſmodi. Contra quas machinationes quis poterit ſine patientia dimicare? Aequalis periculi eſt accedere ſine armis ad bellum, & abſque patientia ad ſpiritualem ſubiectionis, obedientiæque properare cõflictum. Ille corpus, iſte tempus, animamque amittit. Et quoniã omnibus neceſſaria eſt patientia, peramplius tamen iis, qui in ſtadio obediẽtię militare decreuerunt: ipſis nãque & crebrior pugna ineſt, & violentior. Habet enim intus impetũ voluntatis proprię, ignemque concupiſcentiarum & phantaſmatum: foris verò improperia præſidentis, diuerſos mores, aſpera verba, exercitiaque non pauca, fratrum etiã contradictiones more inundantium aquarum impingentes ſui habituationem: contra quæ procedere debet miles Chriſti munitus virtute patiẽtię, ne verecundè ſuccumbat. Eſt enim patientia virtus cõtumeliarũ & omnis aduerſitatis impetus æquanimiter portãs: vel eſt aliena mala æquanimiter perpeti, & contra eum, qui irrogat, nullo animi dolore moueri. Aut & patiẽtia eſt honeſtatis aut vtilitatis cauſa, rerum arduarum & terribiliũ voluntaria & diuturna perpeſsio. Ex quibus patet, quòd patientiæ actus eſt recipere paſsionem: ita quòd animus nec ſuccumbat, neque vindictam appetat inferentis. Quod totum debet non ignorare progrediens ad certamen ſubiectionis. Quæ enim feriunt præmeditata aduerſa, minus lædunt ſi tamen illis patientia opponatur, quæ quãtò perfectior eſt tantò Dei homo redditur ſecurior, & ad perfectionem capeſſendam habilior & iucundior, de qua in ipſo pugnę primordio ſe muniat, ſi in breui ad triumphum peruenire deſiderat, iuxta ſententiam Pauli dicentis: Per patientiam ſpẽ Rom.15. hẽamus, & curramus ad propoſitũ nobis certamẽ.

De excellentia & effectibus patientiæ. Cap. II.

SIcut aquam denegare ſitienti crudele eſt; ita & huius virtutis patientiæ præconia ſilentio tegere malum eſt: quia in illo ſubtrahitur alimentum corpori & in hoc via clauditur, qua ſpiritus ad cœlum deducitur. Ideo omnibus dicendũ eſt, quod cunctis profuturũ eſt. Per patientiã nanque homo vincit perſecutores, ipſos diligendo. Nã patientiæ virtus eſt corã hominib. perſecutores tolerare, ſed corã Deo eſt ipſos diligere, quia hoc ſolũ Deus patientiæ ſacrificiũ accipit, quod ante oculos eius in altari boni operis per dilectionẽ perſecutorũ homo incendit. Tunc enim eſt quiſque verè patiens, quando ipſum amat, quẽ perſecutorẽ patitur. Nam toleraſſe & odiſſe non eſt virtus patientiæ, ſed velamen furoris. Vincit etiã dæmones. Vnde beatus Iob, quot voces patientiæ in laudẽ Dei percuſſus reddidit, quaſi tot in aduerſarij pectus iacula intorſit, & acriora valde, quã ſuſtinuit, inflixit. Vincit quoq; ſeipsũ, quod genus vincendi rariſsimũ & nobiliſſimum eſt. Melior eſt (inquit ſcriptura) vir patiẽs viro forti, & qui dominatur animæ ſuæ, expugnatore vrbium. Prou.16. Innumerabiles ſunt, qui populos, qui vrbes in poteſtate habuerunt, pauciſsimi qui ſe. In primo congreſſu patientia triũphat, in hoc, quòd familiaris ei efficitur inimicus. In ſecundo ſimiliter: quia contemnendo inſidias diaboli, ex ipſis fit promptior. In tertio verò non minus triũphat: Qui enim perfectè ſe vincit, ad omnia fortis erit. Per hanc quoque glorioſi efficiuntur patiẽtes. Ipſorum enim ſtrenuitas cõprobatur. Vir etenim Dei non debet moleſtè ferre, quoties in certamine paſsionum fortitudo mentis illius exercetur, ſicut virum fortem non decet indignari, quoties bellicus increpuerit tumultus. Illud enim eſt magnificum & ſtrenuum, ſi ſubiectus quis contumelijs iudicia Dei laudet, ſi vexatus ęgritudine iudicia Dei deprecetur, ſi inopia depreſſus nihilominus iuſtitiam Dei laudet. Aſsimilatur etiã Chriſto patiens, quod eſt glorioſiſsimum. Sicut enim glorioſum eſt militi deferre arma regis, ſic eſt & Chriſtiano portare ſtigmata Chriſti. Quanta eſt gloria ſponſæ, aſsimilari ſponſo? Nihil glorioſius reputat, quàm Chriſti portare opprobrium. Ipſa ædificat coronam ęternã. Patienti enim ſeruiunt æſtas et hyems, et omnia aduerſa mundi, ſterilitas agrorum implet eius horrea: fures et latrones et omnia hominibus contraria mundi ſeruiunt ei. Ignis domos aliorum exurens ædificat patienti domum in cœlis. Tantò etenim ſpes in Deum validior ſurgit, quantò quis pro illo grauiora pertulerit, quia nequaquã hic retributionis gaudiũ de æternitate colligitur, quod non prius pia tribulatione ſeminatur. Patientia hominẽ ditat. Patiens ſapiẽter agit, vt debita ſua ſoluat. Nihil.n. de ſuo in ſoluendo expendit, ſed facit vt hoſtes ſui pro ſe ſoluant. Illatas nanque ab eis iniurias ſuſtinens ditatur abunde. Et tunc bene irrogata conuitia tolerat, cũ in ſecreto mentis, quanta ſit ipſorũ remuneratio, intuetur. Leue quippe videtur, quòd iniuria percutitur, cũ in arcano pectoris conſpicit, quod peius eſt quod meruit. Sicq; fit, vt cõtumelijs magis gratia, quã ira debeatur, cũ earũ interuentu Deo iudice & pœna grauior declinari poſſe cõfidatur: & ingentes theſauri in conſciẽtia per patientiam recondantur. Eſt enim patientia velut aurũ, quod in igne tribulationis depuratur. Sicut.n. ſub vno igne aurũ rutilat, palea fumat: ita vna eademq; tribulatio irruens bonos probat, purificat, & elucidat: malos autẽ dãnat, vaſtat & exterminat. Et vnde in eadẽ afflictione mali Deũ dete-

dete-

deteſtantur & blaſphemant: inde boni purgātur, & Deum laudant. Nihil etiam ſic iram Dei & proximi mitigat, ſicut hæc. Intelligat homo medicū eſſe Deum, & tribulationē medicamentum eſſe ad ſalutem, non ad pœnam. Sub medicamento poſitum vrens, ſecans, & alligans clamantem nō audit medicus ad voluntatem, ſed audit ad ſalutem. Proinde vapulem ſanè, vt malè operans, ſi mihi flagella in meritum computantur. Miſerebitur Deus flagellato: qui in me non inuenit, quod remuneret. Prou.16. Iſta hominem martyrem facit. Sine ferro & flamma martyres eſſe poſſumus, ſi patiētiam veraciter in mente ſeruamus. Nam ſignis & miraculis maiorem eſſe patientiam non dubitemus. Non mediocris animi eſt patientia, quę inſuperabilem facit hominem: virtutum omnium ornamenta defendit, iuſtitiam cuſtodit, & inexpugnabili prælio aduerſus omnia vitia decertat. Inuicta ad labores, fortis ad pericula: ita vt nec ipsā timeat mortem. Omnia vincit aduerſa: non colluctando, ſed ſufferendo: non murmurando, ſed gratias agendo. Ipſa eſt, quę fecem totius voluptatis abſtergit: ipſa eſt quæ limpidiſsimas animas Deo reddit. Eſt etiam efficax ad promerendū cœlorum regnum. Donis nanque ſuis Deus flagella permiſcet, vt omne quod nos in hoc ſeculo delectabat, amareſcat, & illud incendium ſurgat in animo: quod nos ſemper ad cęleſte deſiderium inquietet, & excitet: atque (vt ita dicam) delectabiliter mordeat, ſuauiter cruciet, & humiliter contri-
2.Cor.6. ſtet. Exhibeamus ergo nos ſicut Dei miniſtros in multa patientia diffundentes odorem ipſius circunquaq; aduerſa tolerando. Sicut enim aromata odorem ſuum, quum incenduntur, expandunt: ita & in nobis omne, quod virtutibus redolet: in tribulatione per patientiam innoteſcat.

Quantæ ſint vtilitatis tribulationes: quę ſunt via ad adipiſcendum patientiam. Cap. III.

QVemadmodum in corporibus reparat ſanitatem medicina, ita in animabus patientiam tribulatio generat. Quare nunc conſequenter, quantæ ſint vtilitatis ipſæ tribulationes, differendum eſt. Nā primò tribulatio illuminat. Vndè dicitur Tren. III. Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis eius. Oculos enim, quos culpa claudit, pęna aperit: quod in Tobiæ illuminatione figuratum eſt. Poſito nanque ſuper oculos eius felle vidit lumen. Ipſa emollit cor. Nam ſicut cera igni appoſita emollitur: & veterem imaginem deponens, nouam recipit, ita corda ad ignem tribulationis appoſita emolliuntur, deponunt priſtina vitia, & ſe reformant in nouum hominē: Et quoniam difficile eſt cor malitia induratum ad formam diſciplinæ, & ſpeciem honeſtatis incuruare: ſic ei neceſſariū eſt, vt tribulationib. reformetur, ſicut expedit, vt dura materia, cum facilè ad formam non flectitur, ei acrioris flammæ incendium, & mallei grauioris tunſio adhibeatur. Hæc hominem roborat. Sanctorū enim mentes æternitatis præmia præſtolantes, vires in aduerſitatibus ſumunt: quia creſcente pugna glorioſiorem ſibi non ambigunt imminere victoriam. Nam dū eorum deſideria premuntur aduerſitate, proficiunt. Sicut ignis flatu premitur, vt creſcat: & vnde quaſi extingui creditur, inde roboratur. Ipſa vincula amoris dirumpit: quibus aliquis ligatus eſt mundo. Dirupiſti (ait Dauid) vincula mea. E- Pſal.115.
lectis enim ſuis ad ſe pergentibus dominus huius mundi iter aſperum facit: ne dum quiſque vitæ præſentis requie, quaſi viæ amœnitate paſcitur: magis eū diu pergere, quā citius peruenire delectet, & dum oblectatur in via, obliuiſcatur eorū, quæ ſunt in patria. Ipſe etenim mundus dum tot amaritudinibus cruciat, dum calamitates ingeminat: quid aliud niſi vt non ametur, clamat? Similiter etiam tribulatio hominē probat: vnde ſcriptura dicit, Vaſa figuli fornax probat, & homines Eccl.27.
iuſtos tētatio tribulationis. Ideo nemo vires ſuas in pace cognoſcit. Si bella deſint, virtutum experimenta non proderunt. Improuidus nempe eſt, qui ſe fortem in pace gloriatur. Nullus enim quātum profecit, niſi inter aduerſa cognoſcit. Idcirco aduerſitas, quæ bonis viris adijcitur, probatio virtutis eſt, non indicium reprobationis. Quis enim neſciat quàm proſperum fuit, quòd beatus Paulus Prædicaturus ad Italiam pergebat: & ta- 2.Cor.11.
men veniens naufragium pertulit: ſed nauis cor- Ioan.15.
dis in maris fluctibus integra ſtetit. Hæc hominē purgat. Ideo dominus omnem palmitem, qui fert fructum, purgabit, vt fructum plus afferat. Omnipotens enim Deus electorum ſuorum aduerſarios temporaliter permittit excreſcere, vt per malorum ſæuitiam expurgetur vita bonorum. Nunquam quippe dominus aduerſus bonos permitteret malos ſæuire, niſi etiam quantum proficerent, videret. Nam dum iniuſti iniurias inferunt, iuſti purgantur: & vtilitati innocentium militat vita prauorum: dum hos & premendo humiliat, & humiliando ſemper ad melius format. Quod flagellum grano, quod lima ferro, quod fornax auro: hoc agit tribulatio homini iuſto. Quibuſdā tamen in malitia ſua inter flagella perdurantibus poteſt dici illud. Hieremiæ VI. Fruſtra conſtituit conflator. Malitiæ eorum non ſunt conſumptæ, argentum reprobum vocare eos: quia dominus proiecit illos. Item tribulatio conſeruat. Electum .n. ſuū tūc magis diuina gratia erudiēdo cuſtodit, cùm quaſi percutiendo deſerit: & quò durius ex diſpenſatione flagellat: eò amplius ex pietate cōſeruat (ſi tamen ea ſponte ſuſcipiat.) Altiſsimus enim ipſam contulit pro medicina: & vir ſapiens nō abhorret eā, quia ceſſare facit peccata multa. Et quis neſciat, quod melius eſt affligi dolore tribulationum, quàm ardore vitiorum. Et tamē cùm corripimur à domino, donum ipſius conſiderare negligimus, & de tribulatione murmuramus. Hęc eſt ſignum diuini amoris. Quem Deus dili- Heb.12.
git,

git, caſtigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. Ideo ſi extra diſciplinam eſtis, cuius participes facti ſunt omnes: ergo adulteri, & non filij eſtis. Nam electi timentes vltionem, quæ ſeruatur in finem, feriri paterna correptione deſiderāt & dolorem vulneris præcipuè charitatis ſignum putant. Niſi enim Deus electis ſuis hæreditatem dare diſponeret, erudire eos per tribulationes nō curaret. Non ergo conquerendum eſt de verbere, dum ſcitur quæ remaneant præmia in æternitate. Succeſſus enim continuus temporalium certum eſt futurę calamitatis indicium. Iniuſtuſque ad æternam mortem currens effrænatis voluptatibus vtitur: quia & vituli, qui mactandi ſunt, in liberis paſcuis relinquuntur. Econtrario iuſtus à delectatione trāſitorię iucunditatis reſtringitur: quia nimirū, qui ad laboris vſum deputatus eſt, ſub iugo detinetur. Cui enim licentia delinquendi eripitur, multum à Deo diligitur. Nihil enim infelicius eſt fælicitate peccantium, qua pœnalis nutritur impietas & mala voluntas, hoſtiſque interior roboratur. Hanc ſententiam confirmat Auguſtinus, dicens, Tu ſemper aderas miſericorditer ſæuiens amariſsimis ſucceſsibus, aſpergens omnes illicitas iucunditates meas, vt inde quęrerem ſine offenſione iucundari. Patiebar enim cupiditatibus meis amariſsimas difficultates: te tantò magis propitio: quantò minus ſinebas mihi dulceſcere, quod non eras. Ipſa quoque tribulatio à

Reg. 6. morte æterna liberat. Ideo enim omnipotens Deus quos diligit, temporaliter punit: vt æternæ mortis ardores pœna redimat tēporalis. In ædificatione enim templi omnes lapides prius tundebantur, ne in illorum aptatione ſonus mallei audiretur: nec in horreo domini ponitur granum, donec flagellis, aut triturantiū pedibus ſit excuſſum: ſic & veri lapides, qui in illa ponendi ſunt Hieruſalem: quæ vt ciuitas ædificatur, varijs infortuniorum concuſsionibus poliuntur, priuſquā in ædificio cœleſtis habitaculi collocentur. Quid verò in ipſarum tribulationum laudibus dicendum eſt, cùm ipſæ glorificent creatorem, compellant ad Deum accedere nolētem, erudiant ignorantem, cuſtodiant virtutes, protegant infirmantem, excitent torpentem, humilient ſuperbientē, purgent pœnitentem, cum Deo ſocient laborantem, debilitent impugnantem, & coronent innocentem? Nam ſancti viri quot tribulationes patiūtur, tot victoriæ palmas merentur in cœlis. Sed ſi tribulationes ipſorum crudeli miſeratione minuuntur, paulatim gemmis corona ipſorum priuatur: quia quantò in hoc ſeculo perſecutionibus paupertate, inimicorum potentia, vel morbi crudelitate fuerint afflicti: tantò poſt reſurrectionem in futuro maioribus honoribus extollentur.

Diſtinctio pulcra tribulationum, videlicet quòd aliæ ſint, quæ à Deo, aliæ quæ ab antiquo aduerſario, et aliæ, quæ à proximo inferuntur: & quòd cuncta toleranda patienter ſunt. Cap. IIII.

IN præcedenti capitulo luculenter dictum eſt in genere, quàm proficuæ ſint tribulationes: nunc verò diſtinguendæ ſunt ſpecies, vt viſa vniuſcuiuſque vtilitate ad ipſarum tolerantiā per virtutem patientiæ prouocemur. Tribus igitur modis virtus patientiæ exerceri ſolet: alia nāque ſunt, quæ à Deo; alia quæ ab antiquo aduerſario, alia quę à proximo ſuſtinemus. A proximo etenim perſecutiones, damna & contumelias ſuſtinemus: ab antiquo aduerſario tētamēta: à Deo autem flagella toleramus. Sed in his omnibus modis vigilanti animo ſemetipſam debet mens circumſpicere, ne contra mala proximi pertrahatur ad retributionem mali: ne contra tētamenta aduerſarij ſeducatur ad delectationem, vel conſenſum delicti: ne cōtra flagella opificis prorrūpat ad exceſſum murmurationis. Cuncta enim aduerſa hæc, ſi rectè cognoſcantur, grauia non erunt. Dei nanque correptio, quę corporis ęgritudo eſt, gaudenter ſuſcipienda eſt. Nam ſpiritus deficit, vbi caro requieſcit. Vt enim caro mollib. ſic anima duris nutritur. Illam blanda fouent, hanc aſpera exercent. Per infirmitatem corporis experitur homo virtutem animi ſui. Non ſolum in mari, aut in bello, ſed etiam in lecto apparet virtus: vnde ipſa domini correptio patiēter ferenda eſt. Quē enim filium accipit, quem non corripit pater? Ideo corripimur, vt emendemur. Sępe nanque ſcelera dū non reſecantur, vireſcunt. In augmenta facinoris caro proſilit, ſi infirmitatis flagello macerata nō fuerit. Sciendū tamen eſt, quòd quinque de cauſis permittit dominus corpus infirmari. Primò vt merita iuſtitiæ augeātur, ſicut apparet in Iob. *Iob. 1.* Quicūque enim proprium corpus ſubegerit: nec eius paſsionibus, aut infirmitatibus permiſerit animā ſuam congrua viuacitate turbari, hic bene regia quadā poteſtate ſe cohibens, merita iuſtitiæ ſuæ feliciter cumulat: dum nec per impatientiam captiuus trahitur in culpam: nec pręceps trahitur in vitium. Secundò vt virtutes cuſtodiantur: & homo non cadat in culpam, vt patet in Paulo. *2. Cor. 12.* Quoſdam enim Deus præſciens multa poſſe peccata committere, flagellat eos infirmitate corporis, ne delinquant, vt eis vtilius ſit frangi langoribus ad ſalutem, quàm remanere incolumes ad damnationem. Tertiò vt peccata corrigantur: ſicut patet in Maria ſorore Moſis, & in paralytico curato, cui *Num. 12.* *Ioan. 5.* Dominus dixit, Vade, amplius noli peccare, ne tibi aliquid deterius contingat. Moleſtus eſt medicus furenti phrenetico, & Deus indiſciplinato viro, & peccanti. Ille ligando, iſte per infirmitatem corpus cædendo, ſed ambo diligendi. Si autem iſti negligant, & perire permittant potius odiendi quàm diligere dicendi ſunt. Quarto vt glorificetur Deus, vt dicit dominus de morte Lazari. *Ioan. 11.* Infirmi-

firmitas hæc nō eſt ad mortē,ſed pro gloria Dei. Volens enim Deus ſanare, & ſanãdo manifeſtare ſuam potentiam immittit infirmitates,vt ex repentino miraculo qui vident,Deum glorificent: ſicut de cæco nato ſacra Euangelij teſtatur hiſtoria. Ioan.9. Quintò vt fiat non emendatis initium futuræ pœnæ. Nam pęna præſens,quæ iniuſti animum à prauis deſiderijs non mutat, ab æternis ſupplicijs non liberat, & quem præſentia mala non corrigunt,ad ſequentia perducunt. Ex quib. patet quã Prou.3. gaudenter debeamus hanc domini correptionē ſuſcipere: vnde ſcriptura ait: Diſciplinã domini ne abijcias, neq; fatigeris, cùm ab eo corriperis. Si ferrum es, per infirmitatis ardorem rubiginē amittis:ſi argentum, per ignem ſolidaris, ſi verò aurum, exercitatũ per ignem à magnis ad maiora proueheris. Soli illi in hac Dei correptione deficiunt,qui ſine patientia ſunt. Tantoq; magis per ipſam proficit quiſq;,quantò in virtute patientiæ perfectior fuerit. Perſecutiones autem proximorum, quas conſtanter ferre debemus, tripliciter patimur:ſ.verborum contumelijs, vel corporum moleſtijs, vel amiſsione rerum. Sed qui verborũ contumelijs preſſus virtutem patientiæ ſeruare non ſufficit, ſanctum Dauid ad memoriam reuocet:qui cùm Semei conuitijs vrgeretur,& armati 2.Reg.16. proceres vlciſci contenderent, ait: Quid mihi & vobis filij Saruię?&c. Quibus verbis indicat,quòd inſurgentem peccato Berſabeæ contra ſe filium fugiens reduxit ad animum malum,quod fecit: & contumelioſa verba non tam conuitia, quàm adiutoria credidit:quibus ſe purgari, ſibiq; miſereri poſſe iudicauit. Plena itaq; victoria eſt ad cõtumeliam acclamanti non reſpondere, & tacere eo prouocante. Habes enim mercedē de tua patientia,& de fratris medela,ſi obliuioni detur iniuria. Nam ſicut nihil eſt deformius,quàm reſpondere furioſis:ita nihil eſt vtilius, quàm tacere nobis prouocatis. Nullus eſt finis inimicitijs, niſi ad tempus obtemperemus iratis. Quantam verò patientiam habere debeamus, in moleſtiis corpo- Mat.5. rum,inſinuat dominus,dicens: Si quis te percuſſerit in vnam maxillam,præbe ei & alteram. Cũ enim difficile inueniatur, qui zelo virtutis carnē ſuam caſtiget,amicus exiſtimandus eſt,qui ipſius carnis concupiſcentias corpus affligendo reſecat. Nam etſi ad tempus videatur oneroſum, tolerando tamen fortiter,pacem reperit in corde,qui prius bella patiebatur in carne. Pro amiſsione verò temporalium gaudendũ eſt. Nihil tamen perdit,qui ſe habet. Dicit tamen quærimonioſè qui dilexit & amiſit temporalia, pecuniam perdidi. Fortaſſe ſi non perdidiſſes,illa te perdidiſſet. Fęlicem te dixerim, ſi cum illa auaritiam perdidiſti, antequam tu haberes,alius illam perdidit. Intellige tamen quàm multis cupiditatibus via præciſa eſt. Diues enim in ſuperfluitatibus reſoluitur: à iactantia effrænatur,currit ad libitum,& corruit ad illicitum,& fiunt inſtrumenta pœnarum, quæ fuerunt oblectamenta culparum. Labor in acquirendo, dolor in amittendo, timor in poſsidendo, mentem eius ſemper fatigat, ſolicitat & affligit. Solæ aũt illæ veræ diuitiæ ſunt,quæ nos virtutib. ditant: quas tũc verius poſsidemus,cùm nihil in hoc mundo amamus. Qui enim nihil amat,perdit nihil. Sine dolore.n.amittitur, quod ſine amore poſsidetur. Quæ verò ardenter diligimus habita, ardenter complóramus ablata. Tentationes autē diaboli,quamuis laborioſæ ſint,magno cum animo ſuſtinendæ ſunt. In primis grauis & dirus eſt impetus diaboli: ꝙ ſi quis forti animo ſuſtinuerit eum,ſemper inueniet infirmiorem. Quantò enim plus percuſſus fuerit, tantò magis refrigeſcit, & deficit. Ad tentationũ igitur pugnas animas præparemus,& intelligamus: quia quantò ſtudioſiores pro noſtra ſalute fuerimus,tantò vehementius ab aduerſarijs impediemur. Sed fortior eſt, qui in nobis eſt,quàm qui aduerſum nos eſt,& per ipſum validi ſumus: in cuius virtute confidimus. Ob hoc ſe Dominus Ieſus tentari à tẽtatore permiſit: vt cuius munimur auxilio,ex eiuſdem mu- Mat.4. niremur exemplo. Pugnauit ille, vt & nos poſtea pugnaremus: vicit ille,vt & nos ſimiliter vinceremus. Nulla ſunt enim ſine tentationũ experimentis opera virtutis, nulla ſine probatione fides, nullum ſine hoſte certamen, nulla ſine aggreſsione victoria. Vita hæc noſtra in medio inſidiarum, in medio præliorum eſt. Si nolumus vinci, vigilandum eſt. Si volumus ſuperare,pugnãdum eſt. Et ideo ſapientiſsimus Salomon. Fili (inquit) accedens ad ſeruitutem Dei, præpara animam tuam Eccle.2. ad tentationē. Vir.n.Dei ſapientia plenus,ſciens ſtudium religionis laborem habere certaminis, cum præuideret pugnæ periculũ, antè admonuit pugnaturum,ne forſitan ſi ad ignorantem tentator accederet,imparatum citius vulneraret. Nos igitur, qui diuinis inſtitutionib. eruditi ad agonē certaminis acceſsimus,audiamus dicentē Apoſtolum. Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem Ephe.6. & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates,aduerſus mundi rectores tenebrarũ harũ,contra ſpiritualia nequitiæ in cęleſtib. Non ignoremus, ꝙ hi hoſtes noſtri contra ſe omnia geri ſentiunt, quæcũq; nos pro noſtra ſalute agere tractamus:& hoc ipſo ꝙ aliquid boni appetimus,aduerſarios prouocamus: Hæc enim inter nos atq; illos per diabolicæ inuidiæ fomitem inueterata diſſenſio eſt:vt quia illi à bonis exciderunt, ad quæ nos Deo auxiliante prouehimur, noſtris iuſtificationibus torqueantur. Si ergo nos erigimur, illi corruunt:ſi nos conualeſcimus,illi infirmantur. Remedia noſtra plagę ipſorum ſunt:quia curatione vulnerum noſtrorum vulnerantur. Ipſorum nanque eſt mala ſuggerere, ſed noſtrum eſt nõ conſentire. Quoties eis reſiſtimus, toties ſuperamus, angelos glorificamus,Deũ honoramus,qui mandat vt pugnemus, adiuuat vt vincamus, coronat ne deficiamus. Nullus in tentatione deficiat:

quia euidens diuinæ dilectionis ſignum eſt, ipſa probatio tentationis. Sicut ab vno fonte plurimi emanant riuuli, ita & à tentationibus multifariæ vtilitates proueniunt. Et primò tentatio erudit: vnde dicit ſermo diuinus. Hæ ſunt gentes, quas [Iud 3.] reliquit dominus, vt in illis erudiret Iſrael. Aegreſcit profectò ingenium, niſi iugi lectione reparetur. Citò expediuntur horrea, quæ non fuerint aſsidua adiectione fulcita. Theſaurus ipſe, ſicut facile exhauritur, ſi nullis interim pecunijs reficiatur, & citò poteſt attenuari: ſic & patientiæ virtus deficit, niſi tentatione crudiatur. Humiliat ēt tentatio. Dum enim vitia tentāt, proficientes virtutes humiliant. Multos enim ſua peius felicitas ſtrauit, pluresq́; diuturna pax elatione proſtrauit, eoq; illos hoſtis grauiùs perculit, quò longiore quietis vſu negligentes inuenit. Vndè ſancti viri cum multa ſe proficere virtutum proſperitate cō ſiderant, quodam ſupernæ diſpenſationis moderamine exerceri ſe in tentationibus exultāt: quia tantò robuſtius acceptam virtutū gloriam cuſtodiunt, quantò tentationis impulſu concuſſi infirmitatem ſuam humiliùs agnoſcunt. Hæc negligētiam repellit. Sicut enim caro, ſi ſale non aſpergitur, quamuis ſit magna & præcipua, corrumpitur: ita & anima niſi tentationibus aſsiduis ſaliatur, continuò reſoluitur & relaxatur. Per ipſa nempe tentamenta, anima negligentiæ putredinem excutit: & in ſpiritus viuacitate conſeruatur. Ipſa virtutes perficit. Vita etenim noſtra non poteſt eſſe ſine peccato, nec ſine tentatione: quia profectus noſter per tentationem noſtrā fit. Non enim poteſt abſque tentatione homo ad perfectionē venire, nec ſibi innoteſcit, niſi tentatus, nec poteſt coronari, niſi vicerit: nec poteſt vincere, niſi certauerit, non poteſt certare, niſi inimicum & tentationem habuerit. Conſeruat etiam tentatio. Tūc enim interiùs benè cuſtodimur, cùm per diſpenſationem Dei tolerabiliter tentamur exteriùs, aliquando vitijs, aliquando preſſuris. Nec tentatio exterior culpā perficit: quia interior intentio ſurſum trahit. Nec rurſum interior intētio in ſuperbiam eleuat, quia tentatio exterior humiliat. Hęc virtutem hominis notā fecit: de quo dicitur Deuter. 14. Tentat vos deus, vt palam fiat, vtrum diligatis eum an non. Proximum ædificat. Vnde Tobiæ 11. Hanc tentationem ideo permiſit illi venire deus, vt poſteris daretur exemplum patiētiæ eius. Poſtremò in futuro coronat. Hoc habeat pro certo (domine) omnis qui colit te; quia ſi vita eius in tentatione fuerit, coronabitur. Quod euidenter teſtatur beatus Iacob, dicens: Beatus [Iac. 1.] homo, qui ſuffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit deus diligentibus ſe.

Quòd ex quinque conſiderationibus rationabiliter, vehementerq́; præparatur homo ad patientiam. Cap. V.

QVinque ſunt conſiderationes, quæ hominē ad patientiam præparant. Et primò exēpla, quæ quærimus. ſ. malorum, qui tot & tanta ſuſtinent, vt peccata ſua perficiāt, qui quotidianis cruciatibus cruciatum merentur æternum. De quibus ſcriptura dicit: [Eccl. 21.] Via enim peccantium complantata lapidibus, & in fine illius inferous & tenebræ. Similiter exempla illorum, qui pro minimis & tranſitorijs bonis tot, & tanta ſuſtinent. Ecce [Iac. 5.] agricola expectat fructus terræ patienter, donec recipiat eos. Amant denique peruerſi homines pro mundi gloria & rebus tranſitorijs tribulationes: cunctiſque pro eis ſudoribus libenter ſeruiunt: & grauium laborum iugo deuotiſsimè colla ſubmittunt: quod bene ſub Effraym ſpecie per Oſeæ Prophetam myſticè deſcribitur, qui ait, Effraym vitula docta diligere triturā. [Oſeæ 10.] Vitula enim trituræ laboribus aſſueta, relaxata plerunque ad eūdem laboris vſum etiam non compulſa reuertitur. Ita & prauorum mentes huius mundi ſeruitio deditæ, & rerum temporalium fatigationibus affectæ & aſſuetæ, etiam ſi eis liberè vacare liceat, ſubeſſe tamen terrenis ſudoribus feſtinant. Quarum exemplo iuſti mens edocta, contrarios euētus, & cuncta, quæ premunt, debet æquanimiter tolerare. Exempla quoq; ſanctorum nos promouent ad patientiam. Vnde Iacobus ait, Exemplū [Iac. 5.] accipite fratres exitus mali, longanimitatis, & laboris, & patientiæ prophetas, qui locuti ſunt in nomine domini. Ecce beatificamus eos, qui ſuſtinuerunt. Sufferentiam Iob audiſtis, & finem domini vidiſtis: quoniam miſericors eſt dominus & miſerator. Facta enim ſanctorum ſi cōſideremus, grauia non erunt, quæ toleramus. Secundo circa ea, quæ fecimus. Vnde per Micheam dicitur, Irā [Mich. 7.] domini portabo, quoniam peccaui ei. Tunc enim patienter illata flagella toleramus, cùm in ſecreto mentis ad mala perpetrata recurrimus: quia per hoc, quòd culpæ pondus agnoſcitur, afflictionis pęna leuigatur. Patienter quippe vnuſquiſq; aduerſa portat, cùm piè meminit, quòd in ſe habet fortaſſe, in quo ipſe debeat tolerari. Et quaſi aqua ignis extinguitur, cum ſurgente furore animi, cuiq; ad mentem culpa reuocatur: quia erubeſcit peccatis alienis nō parcere, qui domino vel proximo ſæpe ſe recolit parcēda perpetraſſe. Tertiò circa ea, quæ meruimus. Leue quidē videtur, ꝙ iniuria percutimur, dū in actione noſtra cōſpicimus, ꝙ peius eſt, quod meremur. Quū enim ab aliquo aliquid iniuſtè paſsi ſumus, reminiſcamur quæ pro peccatis noſtris meritò ſuſtinere debemus: & tunc ſi patienter ferimus, aut remiſsionē oīum accipiemus delictorū: aut ſi tanta in nobis peccata nō fuerint, clarioríb. coronabimur meritorū triūphis. Quartò circa ea, quæ patiūtur perſecutores. Quātò n. amplius ſæuiūt, tātò magis inſaniūt, & perditionē ſuā operātur. Phrenetici ſunt, & ſuo ſe mucrone interimūt. Cuius nāq; pectus tā ferreū, cuius ve cor tā lapideū, vt gemitus non exprimat, lacrymas nō effūdat, cū proximi & perſecutoris morbū vel interitum intuetur, vt patiē-

tinon

Digitized by Google

ti non compatiatur, & pereunti non condoleat? Ipſe enim Dominus Ieſus cũ crucifigeretur, non eſt impatientia commotus: cùm malediceretur, non maledicebat, nec comminabatur, cùm pateretur. Quin potius ipſis cõpatiens crucifixoribus pro ipſorum perditione orationem ad patrem fudit, dicens: Ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Sic & à fidelibus ſemper perſecutores amãdi ſunt. Nam tantò ſe unuſquiſq; ad patientiam profeciſſe verius demonſtrat, quantò perſecutorum mala per compaſsionem robuſtius tolerat. Nam minus in ſe conualuit, quẽ iniquitas aliena ſtrauit: qui in eo quod ferre contrarietatẽ non valet, impatientiæ ſuæ gladio confoſſus iacet. Quintò circa hoc .ſ. tribulationes à Deo ſunt: & in ipſo Domino Ieſu fuerunt. Vndè dicit ſcriptura, Bona & mala vita & mors, paupertas & honeſtas à Deo ſunt. Sed etiam omnia bona terrena contẽſit homo Chriſtus, vt contemnenda monſtraret. Et omnia terrena mala ſuſtinuit, quæ ſuſtinenda præcipiebat, vt nec in illis quæreretur fęlicitas, nec in iſtis timeretur infęlicitas. Ideo vtrumq; es mihi, o Domine Ieſu, & ſpeculum patiẽdi, & meritum patiendi, vtrunq; fortiter prouocat & vehementer accendit. Propterea ſemper habebo te Domine non retrò in humeris, ſed antè præ oculis, ne portans te, o dilecte mi, myrrhæ faſciculũ, & non odorans onus premat, & odor non erigat. Videns enim tuas anguſtias, Domine, meas leuius portabo.

i. Pet. 2. Luc. 23. Eccle. 11.

De gradibus patientiæ, atque de ipſius virtutis perfectione. Cap. VI.

SIcut in cæteris virtutibus, ità & in hac diſferentes ſunt ſtatus. Nam alio modo flagella ſuſtinent & tentationes, qui in incipientium ordine ſunt, aliter qui in proficientium numero peruenerunt, atque aliter qui ad perfectionis brauium tranſuolarunt. Nam ſicut proprium eſt eorum, qui nouiter conſuetudinem peccandi reliquerunt, & in Chriſti militia aſcripti ſunt, peccata ſua deflere, tanquam qui frequẽter ex ipſorum recordatione pulſantur, ſic dictorum patientiæ ſtatus eſt patiẽter ferre aduerſa. Quum enim reos ſe cognoſcant pro tranſactis delictis, quicquid ipſis accidit, patienter (licet pœnaliter) portant, ad hoc illos trahente innata iuſtitia, & rectitudine cõſcientiæ. Nam qui neſcit dolere de peccatis, ignorat patienter aduerſa ſuſtinere. Vis etenim compunctionis, porros cordis aperit, & veræ patientiæ fundamenta diſponit. Quumque ſe ſtudioſè mens de tranſacta vetuſtate atque præteritis peccatis redarguit, ad omnia cõtraria tolerãda ſe ordinat, & eò in ſe valẽtiùs impatientiæ motus comprimit, quò ſe nequiùs ſcelera perpetraſſe cognoſcit. Quum verò mens iuſti in hoc gradu per virtutẽ patientiæ, quæ non murmurat, fuerit purgata, tunc ad ſecundum proficit gradũ patientiæ, quæ libenter ſuſtinet. Illuminata.n. mens delectationibus meritorũ, cuncta libẽter patitur. Nihilq; condignũ arbitratur, quod patitur conſideratione donorũ. Læta efficitur, & exponit ſe ad omnia, vt quod intuetur, poſsideat. Nutriũt.n. præmiorũ exẽpla patientiam, nec quiſquam eſt, qui poſsit ad culmen perfectionis aſcendere, quãdo irremuneratum cernitur, quod conſcientia teſtẽ laudatur. Proinde vt ſuos Dominus ad tolerãdas accederet paſsiones ante ipſorum oculos voluit trãsfigurare ſe, vt ex recordatione gloriæ libẽter portaretur pœna. Et ſicut in paſsione ſua dignatus eſt ab omnibus intueri, ita & in ipſius corporis glorificatione & aſcenſione paſſus eſt ab hominibus palpari & videri, vt alacres ad patientiã fierent, cùm non dubitarent de promiſsione. Tantò nanque lætior fit miles in periculo certaminis quãtò certiùs intuetur, quid pro mercede promittatur. Omne enim opus leue fieri ſolet, quũ eius precium cogitatur, & ſpes præmij ſolatiũ fit laboris, atque tãtùm proficit animus in virtute patientiæ, quantùm certior efficitur de corona victorię. Perfectorum nanque patientia eſt omnia aduerſa pati gaudenter. Perfectus nanque in patientia, plenus charitate inter aduerſa perſeuerat cũ gaudio, eoque magis in pęnis gaudet, quo perfectior eſt. Quicunq; nanque ad huius perfectionẽ virtutis peruenit, non metu frangitur, non poteſtate mutatur, non attollitur proſperis, nec triſtibus mergitur, idem eſt animo, non minuitur, non augetur rerum mutationibus, nec vt paruulus fluctuat, aut circunfertur omni vento doctrinæ, ſed manet perfectus in Chriſto, fundatus in charitate, radicatus in fide. Verè enim perfectus eſt, qui nec ablatum quicquam ſentit ſibi, nec adiectum, ſed in eodem habitu eſt, qualitercunque res cedunt, cui ſiue augeantur vulgaria bona, ſupra res ſuas eminet, ſiue aliquid ex iſtis, vel omnia caſus excuſſerit, minor non fit, & in cunctis aduerſis manet immobilis. Hucuſque eſt curſus, & hæc vera victoria perfectę patientię eſt, quæ ſuum in aduerſis non permittit deficere poſſeſſorem, ſed fęliciter & in pace potius facit animã poſsidere, quàm qui tenuerit, nunquam peribit. Hæc virtus Deo plurimum commendabilis eſt, & tenet inter fructus ligni vitæ quintum locum, apud verò Deum magni meriti eſt, qui eſt benedictus in ſecula.

DE VIRTVTE OBEDIENTIAE, ET *quod neceſſaria ſit ad ſalutem, & de ipſius virtutis diffinitionibus. Quæ virtus obedientię in fructibus ligni vitę, ex ſua excellentia ſextum obtinet locum. Cap. I.*

PRodijt quaſi ex adipe iniquitas eorum, tranſierunt in affectum cordis. Hanc ſententiam protulit Propheta intelligẽs, quam periculoſum ſit perficere quodlibet. Semper enim ſola mala voluntate miſer quiſque efficitur, ſed miſerior poteſtate, qua deſiderium malæ voluntatis impletur. Propterea quicunque Deo ſtudet placere, & ſine animæ ſuæ ſcandalo viuere delectatur, contra propriam reluctetur Pſal. 72.

voluntatem, nec ei vitæ ſuę vnquam tribuat habenas. Præceps nanque ad malum eſt, nec iudicio ſubiacet rationis, vult quodlibet, nec conſiderat vtrum liceat. Grande prorſus malum propria voluntas, qua fit, vt bona noſtra bona non ſint. Quẽ enim modum ſibi imponit humana cupiditas? Nonne qui per vſuram acquirit pecuniam modicam, ſimiliter mũdum lucrari conaretur vniuerſum, ſi non deeſſet poſsibilitas, ſi ſuppeteret voluntati facultas? Hęc enim tanto grauius corruit, quantò magis ſibiipſi relinquitur. Et ſicut phrenetico imponenda eſt cuſtodia, ſtatuẽda eſt lex, ita & voluntati noſtræ. Ipſa eſt peccatorum origo, criminum fomes, & omnium malorum incentiuum. Propter hanc protoparens noſter amiſit immortalitatis gloriam, & ſtolam innocẽtiæ ſpecioſam. Nemo ſine hac corruit, nullus cum ipſa ſtetit. Ob hoc, vt tantum euitetur malum, ſancitæ ſunt leges, decreta firmata, & mandata ſunt tradita. Impoſuit Deus legem Adæ, indixit præcepta Moſi & eccleſiæ ſuæ per ſanctos ſuos, ſtatuta compoſuit, ne iterum ac deterius præcipitaretur. Nullo enim modo ſalubrius homo reparatur, quàm per præceptum. Sicut proſtratus eſt proprio arbitrio, ita reſtaurandus eſt alieno, & ſicut per inobedientiam incurrerat culpam, ſic per obedientiam admittendus eſt ad gratiam, quæ quantò purius impletur, tanto magis dignum reddit hominem Deo, vt qui proprio ſenſu Deo ſimilis eſſe voluit, humiliatus in pœna, erigatur ad Deum iudicio alieno, & diſcat ſemper mens non ſe extollere ſupra ſe, quum opus habeat per obedientiam negare ſe. Eſt enim obedientia voluntas faciendi mandatum ſuperioris, vel eſt boni operatio ſecundum regulam ſacræ ſcripturæ maioribus quibuſcunque debitæ. Eſt etiam obedientia ſpontaneum & rationabile propriæ voluntatis ſacrificium. Siue obedientia eſt pio ſtudio propriæ voluntatis abnegatio. De qua virtute in conſequentibus latius dicetur.

Quòd ad virtutem obedientiæ plurimùm prouocatur homo exemplis inſenſibilium creaturarum, angelorum & Chriſti. Cap. I I.

HAec virtus nanq; ex ſui dignitate cùm ſit cõis, hominem ad ſe trahit aliarum exemplis creaturarum, & ex ſui maxima excellentia, quæ in effectibus comprehẽduntur. Ad obedientiam quippe nos inuitant creaturæ inſenſibiles & irrationales, quæ Deo vniuerſaliter famulantur, de quibus dicitur, Præceptũ poſuit, & non præteribit. (Psal. 48.) Vnde non mediocris eſt pudor generi humano, imperio Dei inſenſibilia, irrationabiliaq; parere, & homines non obedire, quibus ſenſus ab ipſo tributus eſt autore. (Ibi. 48.) Homo enim quum in honore eſſet, non intellexit. In ipſo honore conſtitutus habitabat in paradiſo, & in loco voluntatis conuerſatio eius. Nihil moleſtię, nihil indigentiæ ſentiebat, odoriferis ſtipatus malis, fulcitus floribus, gloria & honore coronatus, & conſtitutus ſuper opera manuum plaſmatoris fuerat. (Psal. 8.) Magis aũt ob inſigne diuinæ ſimilitudinis præcellebat, & erat illi ſors & ſocietas cum genere angelorum, & cum omni militia ciuium ſupernorum, (Psal 48.) ſed propter inobedientiam ſuam comparatus eſt iumentis inſipientibus, & illis ſimilis factus eſt. Seruauerunt cuncta animantia legem, & ordinem ſibi impoſitum, & ideo perſtiterunt in natura, qua creata ſunt. Inobediens autem homo idcirco corruit quia non obtemperauit. Et qui per gratiam futurus erat angelorum collega, ex neglecto imperio effectus eſt miniſtrator iumentorum. Eruditur vtiq; ad obediẽtiam per obedientiam creaturarum, quæ modo ſuo dicũt homini: Si vis eſſe quod fuiſti, diſce famulari creatori, vti facere conſpicis nos. Pudeat igitur hominẽ poſſe conuinci in diuino examine de inobedientia à creaturis, quæ quia ſe non extulerunt, ſteterunt. Ad hanc etiam virtutem inuitant illa cęlorũ Deo (Psal. 103.) famulantia agmina, quæ ex officio obedientiæ meruere angeli nũcupari, de quibus dicitur. Qui facis angelos tuos ſpiritus. Sẽper enim ſancti illi cęleſtis patriæ ſpiritus ſunt ſpiritus, ſed ſemper angeli vocari nequaquam poſſunt. Tunc ſolum ſunt angeli, quum per eos aliqua nũciantur, & ab ipſis procedit verbũ, quod hic fit, & per ipſos exerceatur ſalus noſtra. Adminiſtratorij enim ſpiritus (Hebr. 1.) ſunt miſsi in miniſteriũ propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis. Intuentur nanq; legem fixã, legem iubentem ſine voce, legem æternam imperantem ſine ſcriptura, ſine ſyllabis & ſtrepitu, ſemper ſtantem & continuo loquentem, & ex illa faciunt quicquid hic fit, in nullo prætergredientes iubentis imperium. Sed nihil mirum, ſi angeli ſua obedientia nos prouocant, quum ipſe Dominus Ieſus Deus noſter Dei filius, lux, dux, & legifer (Hebr. 5.) noſter hãc ſuo nos docuerit exemplo, de quo ſcriptum eſt. Et quidem quum eſſet Dei filius, didicit ex ijs, quæ paſſus eſt, obedientiam, vt fieret omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis. Si ergo Dei filius obedientiam didicit per experientiam tantorum laborum, non debet homini oneroſum eſſe hanc addiſcere ſui creatoris exẽplo, & præcipuè ſeruis ſuis, qui ſingularis priuilegio amoris in ipſum obedientiæ ſtadiũ vocati ſunt, quanquam omnes ex debito tenentur. Voluit enim Deus rationalẽ creaturam volũtarij boni munere & liberi arbitrij poteſtate dotare, vt boni & mali capax vtrunq; naturaliter poſſet, licet quippe illi eligere, & reſpuere, probare & reprobare. Nec eſt quò magis rationalis creatura cęteris præferatur, niſi quòd quum alia omnia conditionis, & neceſsitatis tantum habeant bonum, hæc ſola etiam volũtatis. Ideo dignum eſt, vt munus à Deo collatum, ipſius largitoris famuletur obſequio. Meliora nãque merentur ſuſcipere, qui cõceſſa bona de corde non probantur amittere, ſed in conditoris laudem per obedientiam continuò ſtudent offerre.

De

De multiplicibus effectibus obedientię, ex quibus clareſcit ipſius virtutis dignitas. *Cap. III.*

SIcut ex guſtu dignoſcitur dulcedo mellis, ita ex effectibus comprehẽditur virtutum dignitas. Vnde, vt perſpicacius eluceat obedientiæ virtus, aperiendi ſunt ipſius effectus. Quãtò nanq; clarius patebunt præconia eius, tantò amplius accendetur mens ad ipſam poſsidendã, quia theſaurus quum manifeſtus efficitur, hominis in ſe excitat concupiſcentiam. Tantæ enim excellentiæ eſt obedientiæ virtus, quòd hominem fratrem Chriſti facit. Dum autem Dominus eſſet occupatus in officio prædicandi, ſuggeſsit ei quidã de matre & fratribus, inſidias tendens, vt ſpirituali operi carnem & ſanguinẽ anteponeret. Cui Dominus. *Marc. 3.* Ecce mater mea, & fratres mei, quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cęlis eſt, ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt? Quare ſic reſpondit Dominus Ieſus? Vtiq; propter nos, vt cõuerſos ad Dominum, iam non ſolicitet cura parentum carnaliũ & neceſsitudines illorum non impediant exercitium ſpirituale. Quandiu enim in mundo ſumus, debitores nos conſtat eſſe parentum. Poſtquã verò per obedientiã noſmetipſos reliquerimus, nos ab eorum neceſsitatibus cognoſcamus eſſe ſolutos. Hæc hominem gratum Deo reddit, & ei acceptiſsimum præſtat obſequiũ. Legitur enim Eccleſiaſt. IIII. Multo melior eſt obediẽtia, quàm ſtultorum victimæ. Quia autem Deus cor quærit, cor inſpicit, intus teſtis eſt, & velut iudex approbat voluntates, ſufficit o homo, vt ei offeras per obedientiam tuæ ſacrificium voluntatis. Quũ enim potes, ore confitere ad ſalutem, opere te exerce ad pietatem, quum autem non potes corde laudare, propriam reprime voluntatem. In ara conſcientiæ victimas voluntatis impone, & infundetur tibi pax in terra cum hominibus bonæ voluntatis. Ipſa ẽt Deum glorificat, hominemq; excellentem facit, vnde dicitur Eſaiæ 58. Si glorificaueris Deũ tuũ, dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua vt non loquaris ſermonem, tunc delectaberis ſuper Domino, & ſuſtollam te ſuper altitudinẽ terræ (ait Dominus.) Et Deuter. 26. Si audieris vocẽ Domini Dei tui, faciet te Dominus Deus tuus *1. Ioan. 3.* excelſiorem cunctis gentibus. Quod vult à Deo, impetrat hæc virtus beata. Si cor noſtrum non reprehendit nos (ait Ioannes) fiduciam habemus apud Deum, quòd quicquid petimus, accipiemus, quia mandata eius cuſtodimus. Non enim obedientis poteſt repelli oratio, quæ de puritate cordis exhibetur. Sicut enim ſeipſum Deo tradidit voluntatem propriam immolando, ſic à Deo omne, quod popoſcerit, conſequetur. Nam & Dominus Ieſus quum per obedientiam ſe in crucis ara immolaret, & effunderet cum clamore valido & lacrymis preces pro crucifixoribus, non vtique repulſa eſt eius oratio; quin potius exauditus eſt *Hebr. 5.* pro ſua reuerentia. Ipſa hominem reddit exoneratum. Tu itaque, qui relinquere omnia diſponis, teq; ſub obedientia exonerare ſatagis, te quoque inter ea, quæ ſunt relinquenda, numerare memento, imò verò maximè & principaliter abnega temetipſum, ſi deſideras ſequi eum, qui per obedientiã exinaniuit ſe propter te. Nihil enim grauius premit, quàm voluntas propria, quæ auerſa ab incommutabili bono, & conuerſa ad propriũ arbitrium, & bonum priuatum aut exterius, aut interius peccat. Ad proprium nanque arbitrium conuertitur, quum ſuæ poteſtatis vult eſſe, ad exterius quum aliorum propria, vel quæcunque ad ſe non pertinent, cognoſcere ſtudet, ad interius verò quum voluptatem corporis diligit. Cunctis autem oneribus iſtis liberum efficit obedientia, à periculo maris huius mundi liberat etiam obedientia. Qui enim ſuauitatem obedientiæ, cœleſtisq; vitæ dulcedinem (quantum poſsibilitas admiſerit) conſtanter & verè guſtauerit, ea, quæ in terris amauerat etiam ſeipſum libenter relinquit, & relinquendo ab omni periculo fit ſecurus. Ecõtrariò nullo vitio tam præcipitem diabolus trahit hominem ſub obedientiæ ſtatu militantẽ, ac perducit ad mortem, quàm quum neglectis conſilijs ſeniorum ſuo iudicio perſuaſerit, definitionique confidere. Sicut enim ſine duce non confiditur de victoria, & ſine gubernatore non peruenitur ad portum, ita & abſque obedientia impoſsibile eſt in huius vitæ pelago non periclitari. Iſta facit hominem triumphare. Dum enim obediens alienæ voci humiliter ſubditur, ſeipſum in corde ſuperat, & de ſeipſo triumphat. Nulla nanque maior victoria eſt quàm ſui. Nullus laudabilior triũphus, quàm conſuetudine deprauatam voluntatem ordinare. Omnis autem violenta propriæ voluntatis reluctatio habet in exordio dolorem, donec in meliorem partem cõſuetudo flectatur, ſed quum peruenerit ad bonum opus & ad obedientiam, paratus erit affectus, quem vt adipiſcatur, cum dolore conſuetudini malę reluctandum eſt. Sine hac pugna, non acquiritur obedientiæ triũphus. Sub hac quoque homo cuſtoditur à peccato. Nam multi quieti ſub præceptore viuũt, quos ſi ab iugo obediẽtię ſoluas, videas non poſſe quieſcere, nec ſe vllo modo ſeruare innoxios, qui quum protegerentur oratione paſtoris, excitarenturq; exemplo fratrum ne in foueam laberentur, amiſerunt gratiam propria volũtate ſeducti. Hæc denique virtus hominem ditat, lætificat eccleſiam, pacem tribuit, mentem ornat, animam caſtificat, cœlum aperit, vitam fœlicem homini tribuit, & omnes virtutes cuſtodit. Sola nãq; obedientia veriſsimè virtus eſt rõnalis creaturæ, quę cæteras virtutes mẽti inſerit, inſertasq; cuſtodit.

De iis, quæ virtuti repugnant obedientiæ atq; aduerſantur, & quanta mala ex propria oriantur voluntate. *Cap. IIII.*

EX ijs, quæ dicta ſunt, quum poſsit homo ſufficienter excitari, & ad virtutem obedientiæ

capeſſendam accendi,dignum nunc eſt, vt quæ præfatæ aduerſantur virtuti,aperiatur, quatenus tantò alacrior efficiatur homo ad ſe iugo ipſius ſubijciendum, quantò limpidius ei eluceſcunt & merita eius,& quæ illi aduerſantur,vt aut virtutis decore trahatur, aut vitiorum deformitate retrahatur. Sciendum eſt igitur, quòd præcipuè ſunt duo,quæ obedientiam vehementer impugnant, & eam a ſuo ſtatu ſubuertere nituntur(videlicet) ſui confidentia,& propriæ voluntatis affectio. Et quid nequius quàm de ſe confidere, & præſumere? Præſumptuoſus enim in congregatione primus præſidere deſiderat, in conſilijs primus reſpondet,non vocatus accedit,non iuſſus ſe intro mittit,reordinat ordinata,reficit facta, quicquid ipſe nõ fecit,aut nõ ordinauit,nec rectè factũ,nec pulchrè exiſtimat ordinatum,iudicat iudicantes, præiudicat iudicaturos, qui ſi cùm tempus aduenerit,non promoueatur, aut inuidiæ face accenditur,aut iracundiæ mucrone iugulatur. Non enim poteſt maiorum & prælatorum ſubeſſe iudicio,qui ſui ipſius præſumptione langueſcit. Tantòque quiſq; in obedientia fit perfectior, quantò apud ſe fuerit vilior. Velle nanque eſſe ſuper omnes,vituperabile eſt,ſuſtinere autem alium ſuper ſe nimis glorioſum eſt. Quãtum verò obedientiæ aduerſetur propria volũtas, & quã ingentia committat mala,quis ſufficienter explicare poteſt? Dico enim fiducialiter, & veraciter dico, quòd nemini,qui in propria volũtate fundatus ſit, poſſet totus mundus ſufficere. Vtinam propria voluntas rebus illis temporalibus eſſet contenta, & in ſui perniciem calamitatibus hominum ſuum repleret affectum. Quinimo etiam in ipſum(quod dictu nefandiſsimum eſt)deſæuit autorem, & contra eum ceruicem cordis non veretur erigere. Vellent enim Deum,qui huiuſmodi malę voluntatis ſunt, homines aut peccata ſua iudicare non poſſe,aut nolle,aut neſcire ea. Volunt nanque, quantum in ipſis eſt ipſum non eſſe Deum, cùm concupiſcunt illum aut impotentem,ſeu iniuſtũ, ſeu inſipientem eſſe. Crudelis equidem deteſtãdaq; malitia hæc eſt, quæ vt liberè vti valeat peruerſa voluntate,Dei potentiam,iuſtitiam,ſapientiamque perire deſiderat, quoniam quum vult Deum eſſe impotentem,iniuſtum, ignorantemque,quantum ad ipſam pertinet, Deum occidit, & de ſua gloria deijcere affectat. Proinde ab ipſa tanquam à corrupta radice procedunt plurima mala. Aufert enim homini Deum. Non enim dabit inobedienti copiam ſui Deus & Dominus Ieſus, qui tantus obedientiæ amator fuit, vt mori magis,quàm nõ obedire maluerit. Beneficia Dei ſubtrahit. Dignum quippe eſt,vt ab eis beneficijs ſit quilibet extraneus,qui eius qui confert,iuſsionibus non vult eſſe ſubiectus. Danti enim rependi quicquam gratius ab accipiente non poteſt, quã ſi ipſius obediat mandatis,gratumq; habeat, quod accipit. Nam ſpiritui gratiæ contumeliam facit,qui beneficium dantis grata mente non ſuſcipit. Meritum etiam euacuat. Nam inſanis,infantibus,in itinereq; dormientibus nihil quod faciant,vel bonum,vel malum imputatur,quia nimirum ſuæ nõ ſunt compotes rationis, nec vſum retinent voluntatis,ac per hoc nec iudiciũ libertatis,aut condemnationis aſſequuntur. Quum verò ſuæ voluntatis extiterint,participeſque rationis,pœnam ſiue præmium merentur, vnde per Eſai. Quum dicant tales Domino, ieiunauimus, & non aſpexiſti,&c. Reſpondit illi Dominus cauſam,quare non exauditi fuerint, dicens, Ecce in die ieiunij inuenitur voluntas veſtra, &c. Igitur cùm voluntati nec leges imperent,nec principes dominentur, cùm non habeat liberum arbitrium niſi ſe,meritò non iudicatur niſi ex ſe,quæ,quum mala eſt,omne prorſus animæ euacuat meritum. Ipſa elatum efficit hominem, & conditorem ſuũ negare facit. Sola etenim obedientia eſt, quæ fidei meritum poſsidet, ſine qua infidelis quiſque conuincitur. Nec aliud eſt contra conditorem ſuperbire,quam præcepta eius peccando tranſcendere, & à ſe iugum dominationis eius excutere, cui per obedientiam ſubeſſe debuerat. Hominẽ inobedientiæ ſuperbia,ſua dignitate priuat,vt patet de Saule,cui dicitur. Quia proiecisti ſermonẽ Domini,proiecit te Dominus, ne ſis rex ſuper Iſrael. Hæc quoque turrim Babylonis euertit,linguam confudit,proſtrauit Goliam, ſuſpẽdit Abſalonem,interfecit Nicanorem, peremit Antiochum,Pharaonem ſummerſit, & Sennacherib interemit, Ionam inſuper belluæ marinæ deuorandum expoſuit. Hunc etenim Dei fugitiuum tempeſtas inuenit,ſors ligat, mare ſuſcipit, & bellua marina abſorbet,& quia autoris voci obedire renititur,ad locum quò miſſus fuerat, ſuum reus in carcerem reportatur. Hæc etiam hominem morte temporali & æterna dignum efficit. Quid enim odit Deus, aut quid punit, præter propriam voluntatem? Ceſſet voluntas propria, & infernus non erit. In quid nanque deſæuit,niſi in proprias voluntates? Nam propria voluntas Deum impugnat,& aduerſus eum extollitur. Propterea ipſa eſt,quæ paradiſum expoliat,infernum ditat, ſanguinem Chriſti euacuat, & ditioni diaboli mundum ſubiugat.

Eſai.58.
Ibid.
1.Reg.15.
Gen.11.
1.Reg.17.
2.Reg.18.
2.Mac.15.
2.Mach.9
Exod.15.
2.Mac.15.
tom. 2.

De duplici obedientię ſpecie, ſcilicet, reprehenſibili & commendabili,& de ipſarum diſtinctionibus. Cap. V.

SCiendum præterea eſt, quod alia eſt obedientia reprehenſibilis, & alia eſt obedientia commendabilis. Obedientia reprehenſibilis triplex eſt. Primò quũ aliquis obedit creaturæ inferiori homine,ſcilicet,pecunię,ſicut dicitur Eccleſ.x. Pecuniæ obediunt omnia. O peſtis maligna,o deteſtanda auaritiæ obedictia, & ſemper bonis animis exhorrenda,quid illæſum,quid inconcuſſum dimittis? Tu genus humanũ confudiſti, tu diſcipulũ Chriſti comitem ab apoſtolatu

præ-

præcipitaſti, tu milites cuſtodiẽtes Domini ſepulcrum captiuaſti. Amori enim pecuniæ vilis eſt omnis affectus, & anima lucri cupida, etiam pro exiguo perire non metuit. Nullumque eſt iuſtitię in illo corde veſtigium, in quo ſibi auaritia fecit habitaculum. Secundò cùm ex remiſsione ſuperioris inferior præcipit. Quiſquis enim ex neglígẽtia paſtoris apertè vel occultè ſatagit, nedum ipſe præcipere, ſed quod habet in voluntate, vt ei præcipiatur à prælato, ipſe ſe ſeducit, & ſibi quaſi de obedientia blanditur. Nec ipſe in ea re prælato, ſed magis ei prælatus obedit, ac per hoc ad caſum & ruinam perducitur, quia nullo vitio tã pręcipitem diabolus trahit monachum, aut perducit ad mortem, quàm cùm neglectis conſiliis ſeniorum ſuo iudicio ſuaſerit, definitionique confidere. Tertiò cùm aliquis ſuo ſuperiori in malo obedit. Nam ſic modus obedientiæ tenendus eſt, vt bonis in malo nõ conſentiatur, nec malis in bono contradicatur. Abijcienda planè eſt obedientia, quæ contra diuina mandata præcipit, & in nullo ei parendum eſt, qui propriã magis, quàm Dei pręcipit fieri voluntatem. Propter Deum nanque obediendũ eſt, non contra ipſum. Ideo cùm peccatum præcipitur, vt impleatur, prorſus obtẽperandum nequaquam eſt, quia Deo potius quàm hominibus obediendum eſt. Obedientia autẽ cõmendabilis duplex eſt, quædam enim eſt neceſſaria, quædam abundans, atque perfecta. Obedientia neceſſaria eſt in ijs ad quæ tenetur. Nec ideo putandum eſt quædam contemnenda eſſe mãdata, quę ad ſalutẽ neceſſaria ſunt, quia leuiora ſunt. Contemptus enim cuiuſcunque præcepti præcipiẽtis iniuria eſt. In quouis gradu, in quouis propoſito æquale peccatum eſt, vel prohibita admittere, vel iuſſa non facere. Nam iuſſa ſine culpa nõ negliguntur, & ſine crimine non contemnuntur. Perfecta autem obedientia legẽ neſcit, locis non arctatur, nec contenta eſt anguſtiis profeſsionis ſed largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis, & ad omne, quod iniungitur, ſpontaneo vigore liberalis, alacriſque animi modũ non cõſiderans in infinitam libertatem extenditur. Vndè perfectus in obedientia ille cenſendus eſt, qui in nullo prorſus reſiſtat maioribus, aut inuideat paribus, vel contra minores per ſuperbiam ſe extollat, ſed prælatis ſit obediens, ſociis cõgruens, ſubditis vtiliter condeſcendens, Deo deuotus, magiſtro ſubditus, ſenioribus obtemperans, & minoribus placens, verbo vtilis, corde humilis, & omnibus manſuetus, atque eo animo opus iniunctum recipiat, quo præcipitur.

De gradibus obedientię, atque ipſius virtutis perfectione. Cap. VI.

POſtremo in hoc vltimo capitulo dicendũ eſt, quibus gradibus obedientia ducitur ad perfectionem. Per aſcenſum nanq; vehitur anima ad conſummationem, culmenque virtutum. Primus enim obedientiæ gradus eſt obedire libenter. In ipſa etenim obedientiæ via tibi, o homo, fortaſſe aliqua dura & aſpera occurrere poſſunt, ita vt accipias interdum pręcepta nõnulla, quæ licet ſalubria ſint, minùs tamen ſuauia videntur, hoc ſi moleſtè cœperis ſuſtinere, ſi diiudicare prælatum, ſi murmurare in corde, etiam ſi impleas exteriùs, quod iubetur, non eſt virtus obedientiæ, ſed velamen malitiæ. Verus ergo miniſter eſt Domini Ieſu, qui deuotione cordis libenter audit, quod imperatur, vt perficiat. Nec dubium quin ampliorem gratiam mereatur huiuſmodi, qui paratum ſe exhibet ante mandatũ, quã qui obedire ſatagit poſt mandatum. Secũdus eſt obedire ſimpliciter. Sunt nanque multi, qui poſt præcipientis imperium plurimas faciunt quęſtiones, & ſæpius ingeminãt. Vnde hoc venerit? quis hoc dederit conſilium? Propter quod oritur murmuratio, excuſatio, ſimulatio impoſsibilitatis, & aduocatio amicorum, contra quos per Prophetã [Pſal. 117.] loquitur Dominus, In auditu auris obediuit mihi, vt oſtenderet vno eodemque momento obedientem ſimplicem, & audiſſe præſidentis imperium, & obſequium perfeciſſe. Quod etiam in lege præcepit Dominus dicens, [Num. 22.] Quod præcipio tibi, hoc tantum facias, nec addas vel minuas quicquam. Propterea nõ debet ſimpliciter obtemperantem magiſtri imperitia, ſeu indiſcreta poteſtas mouere, ſed meminerit ſcriptum, quia non eſt poteſtas, niſi à Deo, [Rom. 13.] & qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Ideo quodcunq; fecerit obediẽs, operetur ſimpliciter, & ex animo ſicut Deo, & nõ hominibus. Tertius eſt obedire hilariter. Hilarẽ [2. Cor. 9.] enim datorem diligit Deus. Nam in obediendi ratione hæc generalis regula teneatur, vt in difficilioribus agendis obeditio quidem gratior, quàm præuaricatio grauior iudicetur; & in facilioribus, minuſque onerosis, contemptus damnabilior, quàm actus laudabilior exiſtimetur. Quapropter ſerenitas in vultu, dulcedo in ſermonib. alacritas in opere, hilariter obſequentis decorat obedientiam, quia non ſeruili metu, ſed charitatis affectu, non timore pœnæ, ſed amore iuſtitiæ ſeruanda eſt. Quartus eſt obedire velociter. [Prou. 22.] Vidiſti (ait Sapientia) hominem velocem in opere ſuo, corã regibus ſtabit, nec erit ante ignobiles. Vnde cùm vocaretur Zachæus, feſtinans deſcendit, [Luc. 19.] vt exciperet Dominũ, à quo meruit audire, hodie ſalus domui huic à Domino facta eſt. Promptus itaque, velociterque obtemperare deſiderãs mandatum non procraſtinat, ſed ſtatim parat aures auditui, linguã voci, pedes itineri, manus operi, & ſe totum intus colligit, vt mãdatum peragat imperantis. Quintus eſt obedire viriliter. Si enim manum (ait quis) miſiſti, ò homo, ad fortia, agẽdũ eſt inſtanter, & conſtanter obediendum, nec inter aſperitatem verborum tam regalis eſt ſemita relinquenda. Tunc enim Deo vera obedientiæ obſequia reddimus, cùm nullis occurrẽtibus aduerſis

uerſis ab incępto opere deficimus. Illeque meritò prædicandus eſt, qui percuſſus non cædit, irritatus non dolet, grauatus non deficit, ſed Chriſti communitus exemplo pugnam, quam ſemel in obedientiæ ſtadio arripuit, nullo fractus labore derelinquit. Sextus eſt obedire humiliter. Nam vnum atque idem inobedientiæ præſumptioniſque genus eſt, vel propter actionis inſtantiã, ſeu propter ocij & orationis deſiderium ſenioris præterire mandatum. Tamq; diſpendioſum eſt pro ſomno, quàm pro vigilantia, imperantis ſtatuta contemnere. Tantùm denique eſt præſidentis tranſire præceptum, vt legas, quantũ ſi deſpicias, vt dormias. Humilitas nanque ſola eſt, quæ proprium abdicat ſenſum, & propriæ inimicatur voluntati, atque ab ipſa tanquam à peſtifero veneno ceruicem ſuam excutere contendit. Vnde neceſſe eſt, vt qui ad obedientiæ culmen ſatagit aſcendere, mentem ſtudeat ab elatione mundare, quia tantò proficiet citius, quãtò fuerit humilior. Septimus & vltimus eſt obedire perſeueranter. Sic currite (ait Apoſtolus) vt comprehendatis.

1. Cor. 9. Non enim poterit quis ad conſummationem virtutis attingere, niſi voluerit in ipſius exercitatione perſeuerare. Non ſufficit planè terram fodere, arbuſta plantare, atque naſcentes fructus inſpicere, ſi non æquo animo permittantur etiam matureſcere. Sic nimirum omnis labor, quælibetq; virtus laudem non meretur, niſi in eadem viriliter perſeueretur. Et quemadmodum gradiens cõtra fluminis impetum (ſi remigare deſierit) defluit, ita & certanti in obedientiæ campo euenerit. Quum enim propriæ voluntati habenas laxauerit, ſtatim ipſam ſentiet contumacem. Quare edomanda eſt perſeueranti, infatigabilique vigore, quatenus ex diuturno flagello diſcat manſueſcere, vt duce gratia miles Chriſti ad obedientię perfectionem valeat peruenire. Nam quum per obedientiam ipſam ſubegerit, plena tranquillitate ac ingenti pace fruetur, quia pacato interiori hoſte, non erit deinceps, qui frangat animum. Si enim voluntas ſubijcitur rationi, quicquid homo à Deo voluerit, impetrabit, iuxta illud, Si duo ex

Matt. 18. vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quãcunque petierint, fiet illis à Patre meo, & meritò. Nam qui per obedientiæ virtutem adhæret Deo, vnus ſpiritus fit cum eo, à quo pro mercede ſuorum agonum duplicem meretur habere coronã, ſcilicet, certam ſpem eius vitæ, quæ nunc eſt futuræ, pro qua potens efficitur ad ſuperanda omnia certamina occurrentia. Et quoniam in obedientiæ perfectione laudabilis ſpei virtus, & cœleſtis præmij certitudo donatur, conuenienter in conſequentibus de ipſa virtute & ſperandis rebus loquendum eſt, quatenus eò mens in agone ſubiectionis fiat promptior, quò de mercede certaminis extiterit certior, quod clarè aperit Pſalmiſta,

Pſal. 118. dicens, Inclinaui cor meum Deus ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum propter retributiones. Fructuum ligni vitæ ſextum tenet locum hæc Deo grata obedientia, quam qui verè perfectèque poſſederit, ad Deum & Dominum Ieſum tutum habebit acceſſum, qui factus eſt obediens vſque ad mortem crucis, propter quod Deus illũ exaltauit donans ei nomen, in quo curuatur omne genu, nedum terreſtrium, infernorumq;, ſed etiam cęleſtium, qui eſt benedictus in ſecula. Philip. 2.

DE VIRTVTE SPEI, ATQVE DE illius diffinitionibus. Quæ virtus Deo militantibus per neceſſaria eſt, & ex ſua dignitate in fructibus ligni vitæ ſeptimum conſequitur gradum. Cap. I.

EMitte ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Hæc vox Prophetæ affectuoſa deſiderium pandit celeſtiũ ſpirituum. Quum enim adminiſtratorij ſpiritus ſint in miniſterium miſſi eorum, qui hæreditatẽ capiunt ſalutis, videantque genus humanum plurimis infirmitatibus circundatum, varijs etiam miſerijs obrutum, nec ſua virtute exigentibus delictis ſuis, poſſe erigi in ſalutem, pijs deſiderijs clamant ad Deum, vt tantis ærumnis ponat finem, mittatque de ſupernis ſedibus Spiritum Sanctũ, qui luce ſua caligantem illuminet intellectum humanum, & igne ſancto ſuo accendat affectum, quatenus dono ſuo interioris hominis facies irradiata toto deſiderio eleuetur in Deum, & renouetur per gratiã, quæ prius deformata fuerat per culpam. Hic nanq; diuinus & almus ſpiritus monet memoriam ad recolenda quæ Dei ſunt, docet rationem ad cogitandum de Deo, mouet voluntatem ad Dei mandata ſeruanda. Dat pignus ſalutis, robur vitæ, ſcientiæ lumen. Dono ſapientiæ negligentiam in pigro repellit, dono intellectus diligenda rationabiliter quærit, dono conſilij diuinam prudentiam inuenit, dono fortitudinis tentationes fortiter retundit, dono ſcientiæ obliuionem lubricam diu eſſe non ſinit, dono pietatis, humanæ fragilitati clementer indulget, & dono timoris improuidam ignorantiam ardẽter decoquit. Hic nempe infirma roborat, aſpera planat, corda purificat, & quicquid videtur in hoc ſeculo nequam, difficile, & anguſtum, leue facit, & latum, opprobrium gaudium iudicat, deſpectionem exaltationem eſſe perſuadet. Tales vtique ſunt fructus, talia ſunt opera te poſſidentium, o beatiſſime ſpiritus, veni igitur ad nos, illabere cordibus noſtris, emitte cœlitus radium tuæ lucis, & illumina ſedentes in hac opaca peccatorũ caligine. Veni, inquam, propera, feſtina, o Pater pauperum, o lumen mentium, o largitor munerum, laua quod eſt ſordidum, riga quod eſt aridum, rege quod eſt deuium, foue quod eſt frigidum, & ſana quod eſt ſaucium. Tu enim es, o diuinæ amor, requies in labore, gementium conſolator, errantium via, periclitantium ſalus, certantiũ virtus, quieſcentium gaudium, peregrinantium comes,

Pſal. 103.

comes, peccatium propiciator, iuſtorum robur, mœrentium interuentor, ſalus mundi, animarum vita, Dei reconciliator, cordium ſcrutator, & genitoris ſummi genitriciſque ſanctum oſculum & amplexus. Excutiat (oramus te Domine) de cordib. noſtris omnem torporem præſentia tua. Rumpãtur peccatorum vincula, & fluant irrigua lacrymarum fluenta. Roboretur præterea mẽs noſtra ad reſpuenda cuncta temporalia, & ſolis cœleſtibus paſcatur delicijs, fugiat vitia, & virtutum ſectetur pulchritudinem, relinquat ſe, vt poſsideat te, & poſsideatur à te, ac per laudabilia opera & compoſitos mores regeneretur in ſpem viuã, per quam potens efficiatur inoffenſo pede pertingere brauium fęlicitatis æternæ. Hæc enim ſpei virtus, o domine, donec in hoc corpuſculo viuimus neceſſaria nobis eſt. Ipſam nobis tribue, vt certi reddamur per illam poſsidere regnum. In æternitatem etenim animum figit hæc, idcirco nulla mala exteriùs, quæ tolerat, ſentit. Quæ virtus cũ omnibus neceſſaria ſit, peramplius tamen iis, qui ſub obedientiæ agone deputarũt ſe. Quum enim forte atque arduum arripuerint contra ſe, contra proximos, cæteraq; tentamenta inire certamen, niſi per hãc aſsiduè virtutem roborati fuerint, vt deficiant neceſſe eſt. Ideo crebreſcentibus laboribus à Domino illis ſubminiſtratur efficaciùs æterni ſpes præmij, & cœleſtis certitudo triumphi. Nec cuiquam conuenientiùs quàm certãti & vincenti donatur fiducia regni, & ſpes gloriæ. Nam ſpes ſic diffinitur. Spes eſt certa expectatio futuræ beatitudinis veniens ex Dei gratia, & ex præcedentibus meritis. Vel ſpes eſt virtus, qua quis ad id quod credit ſe peruenturum præſumit. Siue ſpes eſt appetitus boni cœleſtis cum fiducia obtinendi. Eſt quoque ſpes virtus, qua ſperamus præmium vitæ æternæ iuſtorum meritis reddẽdum. Ex quibus patet, quàm neceſſaria virtus ſit iis, qui abnegat ſeipſos, & quàm decenter donetur eiſdẽ tanquam prima ſtola, de qua virtute in conſequẽtibus diſſeretur Domino concedente, quatenus per inſpectionẽ pulchritudinis ipſius, pugiles regis noſtri Ieſu Chriſti ad conſummationem accendantur certaminis, agnoſcentes laborem ſuũ non inanem eſſe in Domino.

De varijs ſpei effectibus, per quos ditantur qui illam poſſident. Cap. II.

Mat. 11. Venite omnes, qui laboratis (ait Dominus) & onerati eſtis ad me, & ego vos reficiam. Tollite iugum meum ſuper vos ſuaue, & requiem pręſtabo, per infuſionẽ ſpei animabus veſtris. Hoc nanque iugum ſpei propter ſui excellentiam, & multiplices effectus, plurimis donis ditabit vos. Vera etenim ſpes primò ſecuritatem parit. Meritò nanque ſperans in Domino ſecurus eſt, quia protector eſt omnium ſperantium in ſe, eiſque eſt idem Dominus promuro vndique, & turris fortitudinis ipſorũ, de qua ſcriptum eſt. Turris fortitudinis nomen Domini. Ad ipſum confugiet iuſtus ſperans in eo, cui occurret Dominus quaſi ciuitas munita ad eũ ſuſcipiendum, iuxta illud Eſaiæ, Vrbs fortitudinis noſtræ Sion, ſaluator ponetur in ea murus virtute diuinitatis, & ante murale ex merito humanitatis, cui merito cantabitur. Altiſsimum poſuiſti refugium tuum. Ipſa meretur intelligẽtiam, & Dei auxilium, ſicut legitur. Qui cõfidunt in illum, intelligent veritatem. Quocunque ſe verterint prudenter intelligentes, & de Deo ſuo confidentes, agnoſcent etiam aduerſa diligentibus Deũ cooperari in bonum, vt patet in Suſanna, de qua dicitur. Erat enim cor eius fiduciam habens in Domino, propter quod magnificè meruit liberari. Hęc patienter portare facit onus præſentis miſeriæ. Ille etenim benè nouit in exterioribus miſeriis ſuſtinere, qui ſcit de ſpe interna ſemper gaudere. Futurorum ſpes laborantibus, & ſub preſſuris præſentis vitæ deſudantibus, requiem parit, ſicut in agone poſitis dolorem mitigat ſpes coronæ. Spes eſt quaſi columna, quæ totum ſpirituale ædificium ſuſtentat, qua deficiente ædificiũ corruit, & in baratrũ deſperationis concidit. Eſt etiã anchora animę eam ſeruans, ne procellis tẽtationum irrumpatur, de qua Apoſtolus. Firmiſsimũ ſolatium habeamus, qui confugimus ad tenendã propoſitam ſpem, quàm ſicut anchorã habemus animæ tutam ac firmam, & incedẽtem vſque ad interiora velaminis, quo pro nobis præcurſor introiuit Ieſus ſecundùm ordinem Melchiſedech Pontifex factus in æternum. Igitur ſi te videris fluctuare in mari iſto, noli diuelli ab hac anchora, antequam intres hunc portũ. Fluctuat nauis in anchoris, conquaſſatur veterum ſuorum recordatione delictorum mens, ſed non diffidat, nec pręmia diuina poſſe obtinere deſperet. Nouit Dominus mutare ſententiam, ſi tu noueris emendare delictum. Hæc quoque virtus hominem facit fortẽ. Qui enim in Domino confidunt, mutabunt fortitudinem, propriam ſiquidem fortitudinem mutant in diuinam. Felix ſanè iſta mutatio. Dũ enim de ſuis viribus diffidunt, diuinum eis adiutorium præparatum eſt. Nihil enim tam omnipotẽtiam Dei clariorem reddit, quam quod omnipotens reddit iis, qui in ſe ſperant. Ipſa eſt baculus neceſſarius peregrinantibus in via præſentis vitæ. Non enim fatigantur, vel debilitãtur ſperantes in Domino, quin potius aſſument pennas vt aquilę, current, & non laborabunt, ambulabunt, & nõ deficient. Quot enim labores miſericordiæ Deo offerentes exercent, tot iam remunerationis ſuæ pignora intra ſpei ſuæ cubiculum clauſa tenent, & eo minus deficiunt, quo maiora patiuntur. Spes etiam in poſſeſsionem regni cęleſtis animã quodammodo introducit, & exiſtentibus in hac vita mortali immortalem attingere facit: ſicut legitur de beatis martyribus ſcriptum. Si coram hominibus tormenta paſsi ſunt, ſpes illorum immorta-

litate

Pſal. 17. Prou. 18. Eſa. 27. Pſal. 90. Sap. 3. Rom. 8. Dan. 13. Heb. 7. Sap. 6. Dan. 13. Eſa. 40.

Digitized by Google

litate plena eſt. Ab illis enim dum mortis tolerantia indubitáter excipitur; ſpes immortalitatis euidenter aſſeritur, & ſuauiter deguſtatur. Nunquã enim hanc vitam ſic conſtanter expenderent, niſi eſſe alteram incomparabiliter beatiorem perfecta diffinitione ſentirent. In præſenti enim tempore ſpes eſt quædam vigilia ſolennitatis æternę. Non ieiunat, ſed quaſi iuge conuiuium celebrat, cùm mẽtem, quam replet cęleſtibus dapibus, vterumque impinguat. Ipſa facit inter dolores gaudere. Si mihi (ait quis) præmia promittantur, per Pſal. 15. te obtinenda ſperabo. Si inſurgant aduerſum me prælia, ſi fremat inuidus, ſi ſæuiat malignus, ſi ipſa caro aduerſus ſpiritum concupiſcat, in te ego ſperabo Domine. Quicquid igitur mali ferre imponitur, firmo gaudentique animo tolerandum eſt. Remedium enim malorum, bonorũ ſpes eſt. Nec innocentem debilitat mentem illata contumelia, quoniam in aduerſis ſolatium eſt non meruiſſe, quæ patitur: Innocentem fortuna deſerit ſæpe: at bona ſpes nunquam. Spes nanque eſt arca ęterni præmij, & ponderatio futuræ ſuauitatis: cui datur intrare in hortum ſpiritualis voluptatis, & inde afferre odores ad condiendas amaritudines præſentis aduerſitatis. In deſerto mundi delicijs hæc affluit, & temporalium damna nõ ſentit. Hæc eſt, Pſal. 72. quæ domino confidenter dicit. Quid enim mihi eſt in cęlo, & à te quid volui ſuper terram? ipſa eſt in labore requies, in æſtu temperies, in fletu ſolatium. Pſal. 30. Ideo quieſcere debet vox noſtra à gemitu, & oculi noſtri à ploratu, quia merces noſtra magna eſt nimis. Mat. 20. Luc. 15. Pſal. 72. Hæc quoque Deo adhærere facit, & confidenter dicere. Tu es domine ſpes mea. Hęc omnium promiſſionum, ait ſperans, mihi vna eſt: Pſal. 145. Luc. 23. Mat. 26. Mar. 14. Luc. 22. Ioan. 18. & in hoc verbo tota ratio meæ expectationis ſolidatur. Alter meritum pondus diei & æſtus ſuſtinere ſe iactet: ieiunare bis in ſabbato dicat: poſtremò non eſſe, ſicut cæteri hominum glorietur. Mihi autem adhærere Deo bonum eſt: ponere in domino ſpem meam. Gẽma ſpecioſiſsima, & gratiſsima ſpes eſt: quæ ad modum gẽmæ perlucida eſt: & peruia in ſuo interiori: ita vt per eam videãtur bona æterna. Ipſa denique eliſos erigit, & vires reparat. Latro agnouit ſperando: Petrus verò timendo negauit. In Petro monſtratur quẽquam de ſe nõ debere præſumere: in latrone nullum impium cõuerſum debere diffidere. Timeat ergo bonus, ne pereat per ſuperbiam: & malus, ne deſperet per malitiã. Nullus deſperare debet veniam, etiam ſi circa finem vitæ ad pęnitentiam conuertatur. Vnumquenque enim Deus de ſuo fine, non de vita præterita iudicat.

De quinque ſpeciebus virtutis ſpei, quæ ad cognoſcendum proficuę ſunt. Cap. III.

QVoniam in præcedentibus luculenter deſcripti ſunt effectus, & dignitates ſpei: nunc domino donante, in ſpeciebus & diuerſitatibus ipſius immorandum eſt, quatenus à vitio diſcernatur virtus. Facilè nanque in elationem mens corruit, quum diſtinctiones vitiorum & virtutum ignorat. Sciendum igitur eſt, quod quædam ſpes eſt maledicta, de qua dicitur. Eſt infidelis fiducia ſolius maledictionis capax, quum ſpe peccamus. De Rom. hac Apoſtolus. An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? ignorans quod benignitas Dei ad pęnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam & cor impœnitens theſaurizas tibi iram in die iræ. Nullũ enim ſcelus coram Deo tam abominabile fit, quàm ſpe miſericordiæ Dei peccata perpetrare. Tunc miſerabili quadam ſpe erigitur anima: cùm turpia & obſcœna delectant. Et deſinit eſſe remedij locus, vbi tanquam mores vitia dominantur. Eſt ſpes præſumptuoſa, quum aliquis ſperat ſe facturum quod voluerit: cùm vires eius excedat. Aduerſaria enim præſumptuoſaque confidentia eſt, quæ periculis pro certo vitam ſuam commẽdat. Et lubrica ſpes eſt, quæ inter fomenta peccati ſaluari ſe ſperat. In certa victoria eſt inter hoſtilia arma pugnare: impoſsibilis liberatio eſt flãmis circundari, & non ardere. Expedit igitur magis bene timere, quàm malè confidere: & vtilius eſt, vt infirmum ſe homo cognoſcat, & ſtet, quàm vt de ſe præſumens cadat. Eſt ſpes vana, quum fiducia, quæ ponenda eſt in creatore, ponitur in creatura. Hiere. 17. De hac Hiere. dicit, Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, et recedit à domino cor eius. Hic ſuper arundineum baculum confidens (id eſt in creatura) quę pro ſe nihil poteſt, collidetur valide, ſi fractum fuerit. Spes vtique huiuſcemodi quaſi lanugo, quæ à vento tollitur, & tanquam ſpuma gracilis, quæ à procella diſpergitur. Eſt ſpes falſa, quum quis ſperat, quod futurum non eſt: ſicut ille, cui dictum eſt: Stulte hac nocte repetent animã tuã Luc. 12. a te, et bona quæ præparaſti, cuius erunt? De his dicitur. Poſuimus mẽdacio ſpem noſtram. Iſaiæ 28. Quiſquis es, ò homo, qui hanc falſam ſpem de corde tuo eradicare vtiliter proponis, mortis horrorẽ, iudicis terrorem, ardentis gehennæ metum ab oculis Iſa. 38. cordis tui elongari nullatenus patiaris. Cogita peregrinationis tuæ miſeriam: recogita annos tuos in amaritudine animæ tuæ: meditare vitæ humanę pericula, conſidera fragilitatem, & in huiuſmodi cogitationibus ſi perſeueraueris, nihil reputabis cuncta, quæ foris videntur, in quibus falsè confidunt homines, dum toto corde circa interiorem moleſtiam occuparis. Eccl. 2. Eſt ſpes vera, ſi in ſolo Deo ponãtur, de qua dicitur: Quis ſperauit in domino, & confuſus eſt? Tunc nanq; veram eſſe hominis ſpem poteſt comprobari, ſi adſit meritum. Integra enim conſolatio eſt, cùm nõ ſolum, quid ſibi ſit ſperandum, ſed vnde ſit præſumendum, nouerit quiſque. Parum habet laudis virtutum corona, et ſpei magnitudo, quæ ex labore non deſcendit. Poteſt quidem habere palmã,

ſed

ſed non habet gloriam.Hæc eſt magnarum ratio virtutum, vt quanto plus homo laborat,tāto plus mercedis acquirat & ſpei. Item ſi in tribulatione non deficit: vnde Iob. *Iob 13.* Si etiam occiderit me, in ipſo ſperabo. Tanto etenim ſpes ſolidior in Deo ſurgit,quanto pro illo quiſque grauiora pertulerit: quia nequaquam gaudium ſpei de æternitate colligitur, quod hic non prius pia tribulatione ſeminatur.

Quòd multa ſint, quæ virtuti ſpei plurimum aduerſantur. Cap. IIII.

Eccl. 2. SCiendum præterea, quod multa ſunt, quæ ſpei aduerſantur, videlicet diffidentia de Deo: de qua dicitur. Væ diſſolutis corde, qui non credunt Deo: ideo non proteguntur ab eo. Aduerſatur quoque plurimum ſpei confidentia,quæ in creaturis ponitur:quæ triplex eſt,ſcilicet,præſumptio ſui:de qua legitur. Qui confidit *Prou. 28.* in corde ſuo,ſtultus eſt:quoniam qui de nihilo factus eſt, in nihilū redigeretur: niſi ab autore ſuo ſuſtentaretur. Ab hoſtibus inſuper ſuis citò deijceretur, niſi à Deo actualiter ſuſtentaretur. Rurſus ſi boni ſpiritus ſe à nobis elongauerint,impetum malignorum ſuſtinere quis poterit? Fatuitas etiam eſt de ſe confidere, quum per ſe non ſufficiat homo bonū cogitare.Non enim ſumus ſuffi- *2.Cor.3.* cientes (ait Apoſtolus) cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed nec in bono perſeuerare. Nā citò bonum amittitur,niſi à Deo largiente cuſtodiatur. Sed paucis verbis qualis ex ſe homo ſit, *Oſeæ 13.* notificat Deus per Oſeam, dicens: Perditio tua Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum. Ideo clamet homo medullis cordis: dicat quoque voce. Domine ſcio me nūquam poſſe peruenire ad te,niſi gradiendo poſt te.Sed nec hoc quidē,niſi fuero adiutus abs te.Precor ergo te,vt trahas me poſt te:quia reuera beatus homo,cuius eſt auxilium abs te. Secunda eſt confidentia, quæ ponitur in homine. De hac legitur Eſaiæ XXXI. Væ qui deſcendunt in Ægyptum ad auxilium in equis ſperantes, & habentes fiduciam ſuper quadrigis,& non ſunt confiſi ſuper ſanctum Iſrael, & Deum non exquiſierunt: & Hierem. XVII. Maledictus homo,qui confidit in homine, & dignè. Procliuis enim & mutabilis eſt humana cōditio, & quocunque intendit,eò vergit,& illud præponderat. Nihil ad virtutum ſtudia, vel ad illecebras vitiorū fugiendas. Vana vtique eſt ſpes hæc:quia vani filij hominum, mendacesque filij hominum in ſtateris, vt decipiant ipſi de vanitate in idipſū. Tertia eſt in creaturis ſpem ponere, quæ eſt ſumma fatuitas: ſcilicet in diuitijs & huiuſmodi. De *1.Tim.6.* hoc Paulus ait. Diuitibus huius ſeculi præcipe nō ſperare in incerto diuitiarum,ſed in Deo viuo. O amatores, amatores mundi,cui tam ſolicitè militatis:maior non poterit eſſe ſpes veſtra in mūdo, quàm vt amici mundi ſitis. Vbi quid niſi fragile, plenum periculis:per quæ pericula peruenitur ad maius periculum?Pereant hæc omnia,& dimittamus hæc vana & inania. Conferamus nos ad illa ſola,quæ finem non habent:ponamus ſpem in rebus æternis. Vita enim hæc mors eſt miſerabilis & caduca,ſubitò ſurripitur:& poſt hæc negligentiæ ſupplicia luenda ſunt. Sunt etiam aliqua alia, quæ eidem virtuti ſpei aduerſantur:ſcilicet peccati magnitudo, & multitudo:de qua dicit Caym. *Gen.4.* Maior eſt iniquitas mea,quàm vt veniam merear quod indecens eſt. Vbi enim abundauit delictū, *Rom.5.* plerunque ſuperabundat & gratia.Et quid tā graue committitur,quod nō Chriſti morte ſoluatur? Meritò igitur in Chriſto ſpes mihi valida eſt, qui ſanat omnes languores meos,qui redimit de interitu vitam meam,qui coronat me in miſericordia & miſerationibus. Tam liberaliter nanque dominus omnem donat iniuriam, vt iam nec damnet vlciſcendo, nec confundat improperando, nec minus diligat imputando. Pulcerrimum inſuper affectandæ veniæ,& conuerſionis exemplum prærogatum eſt, quod tam citò latroni peccata relaxantur,& vberior gratia quàm precatio: Semper enim plus tribuit Deus, quàm quis precatur. Nemo igitur deſperet. Iudam proditorem non tam ſcelus,quod commiſit, quàm indulgentiæ deſperatio fecit penitus interire. Aduerſatur quoque ſpei tentationum multitudo: ſed contrario multiplicatio tentationum ſignum eſt liberationis, ſicut dicitur.Qui diligit filiū ſuum,inſtanter erudit: *Prou.13.* & de Iſrael quoque hæ ſunt gentes,quas reliquit dominus,vt erudiret Iſrael. Vitā enim noſtra in hac peregrinatione non poteſt eſſe ſine peccato:ideo nec abſque tentatione.Profectus noſter per tentationes fit. Nec ſibi innoteſcit quiſque qualis ſit,niſi tentatus: nec poteſt coronari, niſi vicerit:nec poteſt vincere, niſi certauerit:nec poteſt certare, niſi inimicum & tētationes habuerit. Ad magnam igitur vtilitatem noſtram exercitatio tentationum nobis impenſa eſt:vt non ſuperbiat ſanctitas,dum tentatur infirmitas,non tepeſcat virtus:nō deſit profectus,nō diminuatur meritum,non amittatur gloriæ corona.Spei inſuper contrarius eſt frequens caſus, & peccati reciduatio.Sed conſiderandum eſt,quod frequens caſus humilitatem generat,humilitas triumphum.Quis ſine peccato extitit?quis in ſeculo enormius Paulo peccauit? quis in religione grauius Petro? illi tamen per pœnitētiam & bonam ſpem meruerūt aſſequi non ſolum miniſterium, ſed & magiſterium,ſanctitatis.Quid meruit publicanus, qui repentè de templo abſolutus exiuit: Meritò quippe etiam poſt peccatum valde ſperandū eſt.Fit enim plerunque gratior Deo amore ardens vita poſt culpam,quàm ſecuritate torpens innocētia: quia qui gaudet in bonis gratiæ & veniæ, quam inuenit:& recordatur mala,quæ euaſit, difficile redit ad malum.Memoratæ quoque virtuti potiſſimum aduerſatur nimia triſtitia:de qua dicitur. Mœrore *Prou.15.* animi deijcitur ſpiritus.Nunquam ergo triſtetur,

qui

qui de ſpe gaudere deſiderat. Felix enim qui non habuit animi triſtitiã: nec excidit à ſpe ſua. Oportet nos ſemper de Dei miſeratione confidere: & de noſtra infirmitate formidare, non tamen funditus obruat ſpem metus. Eo nanque fit damnabilior, quo à ſoliditate ſpei animus fit longior. Sẽper nanque oportet miſericordiam & iudicium domino cãtare, ſi volumus ſecurè de virtute ſpei gaudere.

Quomodo tripliciter, ſcilicet in Deo, in beneficijs Dei, & in ſanctorum ſuffragijs debet ſe exercere mens, quę virtutem ſpei nutrire deſiderat: atque de perfectione eiuſdem. Cap. V.

SIcut cunctis patet, non datur in aliquo qualicunque negotio pertingere ad finem ſine medio, ita nec ad cõſummationem virtutis. Quapropter vt omnibus detur forma proficiendi, in hoc capitulo, quod præ manibus eſt, aperiẽda ſunt, quæ iuuant virtutem ſpei, & quibus cõſiderationibus ipſa virtus nutriatur & perficiatur. Sunt nanque multa, quæ ſi conſiderentur, vehemẽter exultatione ſpei replent animam. Quarum cõſiderationum prima & potiſsima eſt, cùm rationalis creatura intuitum ſuum dirigit in Deũ multipliciter, ſcilicet in quantum ipſe creator hominis eſt. Hanc enim prærogatiuã homini creando dedit: quia ad imaginem ſuã ipſum fecit. Ad imaginem quippe Dei facta anima rationalis, cæteris omnibus occupari poteſt, repleri nõ poteſt. Capacem enim Dei, quicquid Deo minus eſt, nõ implebit. Et ſicut Deus omnem creaturam, ſic anima omnem naturam corporalem naturæ dignitate præcellit. Nõ enim poteſt Deus odiſſe quod (Sap. 11.) fecit: de quo ſcriptum eſt. Diligis nanque omnia quæ ſunt, & nihil odiſti horum quæ feciſti. Vbi (Ezec. 6.) autem maiora charitatis indicia, ibi eſt maioris ſpei materia. Similiter inquantum dominus eſt. Nũquid voluntatis meæ eſt (dicit dominus) mors impij, & non magis vt conuertatur à vijs ſuis, & viuat? Deus nanque triſtatur, nõ de ſua iniuria, ſed de hominis perditione. Sicut rex audiens criminoſas perſonas, quum ſit benignus, lege quidem compellente ipſe mortis ſententiam dictat aduerſus eas: tamen miſericordia inſtigante lacrymas fundit ſuper ipſas, & vult eas adiuuare, & non poteſt contradicente iuſtitia: quoniam ſicut iuſtitia ſine miſericordia non eſt iuſtitia, ſed crudelitas: ita miſericordia ſine iuſtitia nõ eſt miſericordia, ſed fatuitas. Eodem modo Deus maluit parcere, quàm iraſci: latiuſque miſericordiam quàm iuſtitiam contra hominem operatur. Prouehitur etiã anima ad ſpei virtutem, quum Dei contemplatur miſericordiam: imò verius cum ipſum ipſam eſ- (Pſal. 58.) ſe miſericordiam non ambigit: hoc Pſalmo atteſtãte, qui ait, Deus meus miſericordia mea, quid (Eſa. 49.) dulcius, quid mitius, quid hoc benignius audiri potuit? Nunquid, ait ſcriptura, poteſt mater obliuiſci filij vteri ſui? Tametſi illa oblita fuerit, ego non obliuiſcar tui (dicit dominus.) Miſericors planè, & miſerator dominus. Miſericors eſt cũ creat: quia nullis beneficijs prouocatur, vt præſtet, miſerator autem cum res cadentes ſua pietate reſtaurat. Miſericordia enim eſt alienæ miſeriæ compaſſio, qua quis ſi poteſt ſubuenire compellitur. Propterea domini miſerationum recordabor, ne ingratus inueniar. Multas enim miſerationes contulit animæ meę, quas coram omnibus reſerabo, vt vna ſit omnium vox, & affectus laudis eius. Multi nanq; in ſeipſis has inuenire poſſunt, quas dicturus ſum. Prima eſt quòd à pluribus peccatis adhuc in ſeculo poſitum cuſtodiuit: prima quidem non inter omnes, quas cõtulit mihi: ſed inter has quas narraturus ſum. Quis nanque dubitet, quin vt in multa cecidi: ita & in plura poterã cecidiſſe facinora, niſi omnipotentis pietas conſeruaſſet me? Fateor enim & toto corde clamabo niſi quia omnipotẽs Deus, & miſericors adiuuiſſet me: vtiq; in omnem reatum cecidiſſet anima mea. Aliam quoque miſerationem in me exercuit Dominus, quæ quàm benigna, quàm libera, quàm gratuita ſit, ſermone nequit explicari. Heu domine peccabam ego, & tu diſsimulabas, non continebam à ſceleribus: & tu abſtinebas à verberibus, & prolongabam ego multo tempore iniquitatem: & tu clemens pietatem tuam, quod eſt magnum miſerationis opus: quia nõ dolere de peccato, quod perpetratur: magis indignari, atq; iraſci facit Deum, quàm multa, quæ iam præterita ſunt. Addidit etiam hac miſericordiarum pater, vt ex viſitatione ſua fierent mihi amara, quę prius dulcia videbantur. Nam hoc eſt quod nos lætificat in omnibus laboribus, in omnibus periculis huius vitę, hoc nempe amareſcere facit, quod peccãdo prius placebat: amor, ſcilicet noſter in Deũ, & pium ſtudium, certa ſpes, & feruor ſpiritus. Indulſit etiam benignus dominus animæ meæ donum iſtud, vt ſuſciperet miſericorditer pœnitentiam meam: atque in eorum numerum me aſcripſit, quos beatos Pſalmus vocat, dicẽs, Beati quo- (Pſal. 31.) rum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum, &c. O pœnitentia quid in laudibus tuis eſſeram, quid de te dicam? Deum tu placas, hominem ad ſtatũ ſuum reparas, omnia ligata tu ſoluis, omnia clauſa tu aperis, omnia aduerſa tu mitigas, omnia confuſa tu lucidas, omnia deſperata tu animas, & opprobria, quæ peccantibus debentur, tu tegis. Parum autem hoc viſum fuit diuinæ clementiæ: niſi etiam tribueret iſtud mihi, videlicet virtutem cõtinendi deinceps: per quam mutarem in melius incompoſitos mores, nec paterer recidiuum, fierentque nouiſsima mea peiora prioribus. Ex quo dono reuoluebam frequenter in animo: & intelligebam grauiorem eſſe culpam poſt veniam: renouatum vulnus peius dolere poſt curam: moleſtius hominem ſordidari poſt gratiam. Nam vere indulgentiæ ingratus eſt: qui poſt veniam peccat: ſanitatis indignus eſt, qui ſemetipſum poſtquam ſanatus eſt, vulnerat: nec mũdari meretur:

qui

qui ſeipſum poſt gratiam coinquinat. Ex his enim quæ dicta ſunt, à malo me liberauit Dominus meus: ſed quia non ſufficit abſtinere à malo, niſi fiat quod bonum eſt: ſicut legitur.

Pſal. 30.

Declina à malo: et fac bonum. Exhibuit animæ meæ ipſa diuina bonitas dupliciter ſuam miſericordiam: vt eo plenitudine gratiarum totus tranſeam in laudes dilectionis eius: et repleat ſpe beatitudinis illius. Quarum prima eſt gratia promerendi. Sola enim gratia eſt, quæ diſcernit redemptos à perditis: quæ quum homini infunditur cuncta mentis illius abſcondita manifeſtat. Tunc diligere incipit, quod prius neſciebat: tunc ſpe roboratur, omnia propter Deum operatur: et eo magis augetur meritum: quo per dilectionem amplius exercetur: quia ſicut æquum eſt deſidioſis laborantium præmia denegare, ita conuenit diligentibus, et operantibus optata remunerationis merita cumulare. Alia eſt ſpes obtinendi. Qui enim gaudet in ſpe, tenebit: qui autem ſpem non habet, ad rem non poterit peruenire. Manet enim deſuper ſpeculator cunctorũ præſcius deus, bonis præmia, malis ſupplicia diſpenſans. Nec in Deo fruſtra poſitæ ſunt ſpes preceſque, quæ rectæ quum ſunt, inefficaces eſſe non poſſunt. Auerſamini igitur o mortales vitia: virtutes colite: per ſpem ad recta animum ſubleuate: humiles preces in excelſum porrigite, magna vobis eſt (ſi diſsimulare non vultis) collata operandi facultas: quoniam bonis operibus veſtris repromiſſa eſt æterna felicitas. Hæ ſunt Domine miſerationes, quas feciſti ancillæ tuæ. Hi ſunt riui profundantes ſuauitatem ab æterno fonte bonitatis tuæ, irriganteſque mirifice cor meum. In his conſiderationibus ſpe nutritur, delectatione paſcitur, & virtutibus roboratur, nec in via poterit à bono opere deficere, ſi quæ dicta ſunt, non neglexerit cogitare. Eſt etiam alia conſideratio, quæ ſingularem habet effectum ad erigendam mentẽ in virtutem ſpei: ſcilicet beneficiorum Dei, quæ poſſunt quadrupliciter diſtingui. Quædam enim generalia ſunt: vt eſt redẽptio mundi, inſtitutio ſacramentorum, & alia quæ ad ſalutem pertinent generis humani. Hæc quis enarrabit? Quæ lingua dicere, quæ ratio capere ſufficit redemptionis beneficia: quomodo factus eſt homo hominis factor, vt ſugeret vbera regens ſidera, vt eſuriret panis, ſitiret fons, dormiret lux, ab itinere via fatigaretur, falſis teſtibus veritas occultaretur, iudex viuorum & mortuorum, à iudice mortali iudicaretur: ab iniuſtis iuſtitia damnaretur, flagellis diſciplina cæderetur, ſpinis botrus coronaretur, in ligno fundamentum ſuſpenderetur, virtus infirmaretur, ſalus vulneraretur, & vitæ pro mortuis moreretur: Quanti verò beneficij ſit inſtitutio ſacramentorum ſaluti hominum neceſſaria, non eſt qui digne loquatur. Ab ipſa nanque Dei ſapientia homine aſſumpto, à quo in libertatem vocati ſumus, pauca ſacramenta ſaluberrima conſtituta ſunt, quæ ſocietatem Chriſtiani populi ſub vno Deo libere continerent. Conſtituta nanque ſunt ab ipſa incarnata ſapientia pro ſalute hominum ſeptem ſacramenta, pro diuerſitate ſaluandorum. Primum eſt intrantium, vt eſt baptiſmus. Secundum eſt pugnantium, vt eſt confirmatio. Tertium eſt vires reſumentium, vt eſt Euchariſtia. Quartum eſt reſurgentium, vt eſt pœnitentia. Quintum exeuntium, vt eſt extrema vnctio. Sextum miniſtrantium, vt eſt ordo. Septimum nouos milites introducentium, vt eſt matrimonium. Horum etenim ſacramentorum magna eſt vtilitas. Baptiſmus ordinatus eſt contra originale peccatum: pœnitentia contra mortale: extrema vnctio contra veniale: ordo contra ignorantiam: Euchariſtia contra malitiam: confirmatio contra impotentiam: matrimonium contra concupiſcentiam, quam temperat, & excuſat. Diſponunt quoque hæc ſacramenta ad ſeptem virtutes habendas. Baptiſmus eſt ſacramentum fidei: confirmatio ſpei: Euchariſtia charitatis: pœnitentiæ iuſtitiæ: extrema vnctio perſeuerantiæ, quæ eſt fortitudinis complementum: ordo prudentiæ: matrimonium temperantiæ. Sunt & aliæ complures horum ſacramentorum dignitates, & cauſæ, quæ omittendæ ſunt. Patet enim euidenter ex his generalibus beneficijs, quo vigore in virtute ſpei mens valeat proficere illa conſiderando. Aliqua ſunt beneficia ſpecialia, quæ etiam promouent ad ſpem, quæ quibuſdam collata fuerunt ad legentium profectum à Domino Ieſu pietatis fonte & virtutum magiſtro. Vnde (o Domine Ieſu) omnino propter manſuetudinem, dulcedinem, & charitatem, quæ de te prædicatur & legitur, intrepidæ ſpei virtute currimus poſt te, ſcientes quod non pauperes ſpernas, peccatores non horreas, infirmos non abijcias, & ignobiles non contemnas. Nempe (pie Saluator, dulciſsime Domine) non horruiſti confitentem latronem, non lacrymantem peccatricem; non Cananeam ſupplicantem, non deprehenſam in adulterio, non ſedentem in Theloneo, non orantem Publicanum, non negantem diſcipulum, non perſecutorem diſcipulorum, nec ipſos crucifixores. Horum exemplo beneficiorum accenſus & prouocatus nequaquam diffidere de me, & ſperare de te ceſſabo. Conſideratio quoq; corporalium beneficiorum non mediocriter eleuat & erigit contemplantem: vt eſt creatio mundi, gubernatio, & ipſius ſuſtẽtatio: quę quoniã experientia nouimus & intelli-

gimus, ſilentio tegenda ſunt. Tam multa enim ſunt, quod nec facundia exprimuntur, nec intellectu percipiuntur: ideo magna veneratione Pſal. 148. digna ſunt. Ex his etenim cognoſcitur ipſorum factor. Tria quidem maxime de creatura ſcienda ſunt breuiter: ſcilicet, quis eã fecerit: per quid fecerit: & quare fecerit. Si quæritur quis fecerit? Deus: ſi per quid? dixit & facta ſunt: ſi quare fecit? quia bonus eſt. Neq; quiſquam autor excellentior eſt Deo: nec ars efficacior dicitur verbo, nec cauſa melior, quàm vt bonum crearetur à bono Deo. Intelligat ergo rationalis creatura, quod hoc bonum à ſummo bono ei ad bonum traditum ſit: vt cognoſcat creatorem & largitorem, videlicet ex perpetuitate, quia creator eſt æternus: ex magnitudine, quia omnipotens: ex ordine & diſpoſitione, quia ſapiens: ex conſeruatione, quia bonus: & ex largitione, quia chari- Pſal. 113. tas. Cęlum cęli domino (ait Propheta) terrã autem dedit filijs hominum. Merito nanq; debet confidere, cui tanta donata ſunt. Quis autẽ diffidere poterit, ſi conuerterit cor ſuum ad intuenda beneficia ſpiritualia, quæ fidelibus à Deo tribuuntur: Infundit enim deus filijs ſuis ſpiritum ſuum multipliciter ad ſalutem, ad miraculum, ad auxilium, ad ſolatium, ad feruorem. Ad ſalutem, quum in toto corde reuertimur ad Deum. Ad miraculum, quũ ſignis & prodigijs coruſcare facit fideles. Ad auxilium, quum in tentatio- Rom. 8. nibus & preſſuris adiuuat infirmitatem noſtrã. Ad ſolatium, quum per internam ſuauitatem teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod filij Dei ſumus. Ad feruorem, quum in cordib. perfecto- Gen. 2. rum vehementius accendit ignem charitatis: vt non ſolum in ſpe filiorũ, ſed ẽt in tribulationib. glorientur, contumeliam gloriam reputantes: quod eſt perfectæ ſpei certiſsimum ſignum. Hæc etenim quatuor beneficiorum Dei conſideratio nes, quaſi quatuor flumina ſunt egredientia de paradiſo voluptatis, id eſt ab ineffabili clemẽtia maieſtatis diuinæ: & irrigantia totam terrã, corda, ſ. fidelium: vt per virtutem ſpei, quæ horũ meditatione nutritur & perficitur, proferre valeant opulentiſsimos virtutum fructus, nec deficere præ ſiccitate exuberantium paſsionũ: quatenus circunquaq; muniti, intrepidi poſsint aſcendere ad ciuitatem ſanctam Hieruſalem, quæ eſt oĩum electorum mater: in qua Deum ſicuti eſt, videbunt fęliciter. Sunt etenim nõ mediocris exhortationis ad profectũ ſpei ſuffragia ac merita ſanctorum: quæ, vt clarius eluceant, quadrupliciter diſtinguenda ſunt: quarum potiſsima & ſummè amabilia ſunt Chriſti Ieſu Domini noſtri ſuffragia ac merita. Nam ipſe Dei & hoĩum mediator, vt culpam noſtræ trãſgreſsionis extingueret, & ad cęleſtia ſperanda cor eleuare, voluit fragilitatis noſtræ naturam aſſumere: in qua opprobria & varia contumeliarum genera perpeſſus eſt, vt efficaciter notificaret, quo nos amore diligeret, qua nos fiducia erigeret, quib. meritis nos ditaret. Voluit quippe ipſe dominus per omnia in natura in paſsione, in morte aſsimilari nobis: vt fidelis põtifex fieret ad patrem, & repropitiaret delicta noſtra. Talis. n. congruebat nobis, vt fie- Heb. 7. ret pontifex ſanctus, innocẽs, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, excelſior cęlis factus, & cõſtitutus ad dexteram Dei in cęleſtib. ſuper omnẽ principatum, & poteſtatem, & virtutẽ, & dominationem, & omne nomen, quod noĩatur, nõ ſolum in hoc ſeculo, ſed ẽt in futuro, ad interpellandum pro nobis: de quo per Io. dicitur. Aduo- 1 Io. 2. catum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Hæc vtique eſt tota ſpes noſtra, omniſque fiducia, vbi enim natura & caro noſtra regnat, ibi & nos regnare gloriemur. In ipſo enim Domino Ieſu dulciſsimo iam reſurreximus: iam aſcendimus: iam in cœleſtibus conſedimus. Sumus mẽbra eius, et ipſe eſt caput noſtrum: ex quo totũ corpus compactum eſt. Ideo abigenda eſt omnis dubitatio, et diffidentia. Os de oſsibus no- 1. Par. 11. ſtris, et caro de carne noſtra eſt. Ideo iam non poterit ſpernere nos, quia caro, et frater noſter eſt. Quam vtique carnem patri oſtendit cicatricibus plenam, verberibus fuiſſe colliſam, et pro electorum ſalute in altari crucis extitiſſe immolatam. Et ex hoc non poteſt contemni, quod tanto precio redemptum eſt, tali interceſsore poſtulatur, tam vehementi amore diligitur, et tã mirabili vinculo copulatur. Gaudeamus igitur omnes in domino Ieſu, quia non ſolum in paradiſi poſſeſsione per ipſum firmati ſumus, ſed etiã vſque ad diuinitatis thronum in ipſo conſcendimus, ampliora recepturi per eius ineffabilem gloriam, quam per diaboli perdideramus inuidiam, quia quos diabolus de primi habitaculi fęlicitate eiecit, hos Dei filius ſibi conformatos ad dexteram patris collocauit. Concipienda eſt præterea magna fiducia in Dei et Domini noſtri genitrice poſt ipſum redemptorem noſtrũ Dominum Ieſum. Hæc eſt dulcedo et ſpes no- Eccl. 24. ſtra, quia eſt mater pulcræ dilectionis, timoris, magnitudinis, et ſanctæ ſpei. In ipſa omnis gratia vitæ, et veritatis, et omnis ſpes vitæ et virtutis eſt. Quid Dei matre nobilius? quid Maria ſplendidius? quam ſplendor gloriæ elegit, vt ex ipſa naturam noſtram aſſumeret. Hæc meritis copioſa, quia virtutibus plena. Ipſa fuit corde humilis, verbis grauis, animo prudens, loquẽdi magiſtra, intenta operi, verecunda ſermone. Hæc nanque nouit Deum quærere, nullum lædere, omnib. bene velle, iactantiam fugere, rationem ſequi, virtutem amare. Quando iſta faſtidiuit humilem? quando irriſit debilem? quando vitauit inopem? Nihil in oculis toruum, in verbis procax, in actu incompoſitum. Non geſtus fractior,

ctior, non inceſſus ſolutior, non vox petulantior. Talis nanque fuit, vt ipſa corporis ſpecies ſimulacrum mentis fieret, & probitatis exemplum. Ipſa denique eſt thronus gratiæ, de cuius plenitudine accipiunt vniuerſi, captiuus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, iuſtus gratiam, angeli lætitiam, filij perſona humanæ carnis ſubſtantiam, denique tota trinitas gloriam, ita vt non ſit, qui ſe abſcondat à calore eius. Eccl. 24. Hæc eſt ſtella maris in peccatorum conductione, quia per mare huius ſeculi eos dirigit ad portum pœnitentiæ: & ad filium perducendo. Vnde oculi omnium peccatorum ſunt ad ipſam, ſicut oculi omnium nautarum ad maris ſtellam. Si igitur inſurgant venti tentationum, ſi incurras ſcopulos tribulationum, ne auertas oculos à fulgore huius ſideris, ſi non vis obrui procellis. O quiſquis te intelligis in huius ſeculi profluuio magis inter procellas & tēpeſtates fluere, quàm ſuper terram ambulare, reſpice ſtellā, inuoca Mariam. Si criminum immanitate turbaris vel conſcientiæ fœditate cōfunderis, aut baratro deſperationis abſorberis, reſpice ſtellā, voca Mariam. In periculis, in anguſtijs, in rebus dubijs cogita Mariā, non recedat ab ore, non recedat a corde, & vt impetres eius ſuffragium, ne deſeras exēplum. Ipſam ſequens non deuias, ipſam rogans non deſperas, ipſam cogitans non erras, ipſam tenens non corruis, ipſa protegente non metuis, ipſa duce nō fatigaris, ipſa propitia peruenis. Hęc eſt, quæ dedit cęlis gloriam, terris Deum, pacēq; refudit, fidem gentibus, finem vitijs, vitæ ordine, & morib. diſciplinam. Ad hunc fontē diuinæ gratiæ, quæ emanat in Maria ſitibunda properet anima noſtra. Ad hunc miſericordiæ cumulū expanſo & dilatato animo erigatur ſpes noſtra, cui humili corde & deuota ſupplicatione fiducialiter dicamus. O benedicta inuentrix gratiæ, genitrix vitæ, domina angelorū, rogamus te vt per te acceſſum habeamus ad Filium tuum Dominū Ieſum. Per te ſuſcipiat nos, qui per te datus eſt nobis, excuſet apud ipſum integritas tua, culpam noſtræ corruptionis, & humilitas tua Deo grata, noſtræ veniam impetret vanitati, copioſa charitas tua noſtrorum cooperiat multitudinem peccatorū, & fœcunditas tua, fœcunditatem nobis cōferat meritorum. Quis enim diffidere debet, ſanæ mentis exiſtens, quum videat ſuper ſe ex miſeratione diuina tam ſedulam angelorum cuſtodiam. Angeli nanque boni ad miniſterium humanæ naturæ deputati ſunt, offeruntq; vota, preceſq; hominū, ſi ſine deceptione puras leuari in cœlum manus perſpexerint, & eos protegunt ab incurſibus inimicorum. Pſal. 90. De his per Pſalmiſtā dicitur. Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Quātam nobis debet hoc verbum afferre reuerentiam, afferre deuotionem, conferre fiduciam. Reuerentiā pro præſentia, deuotionem pro beneuolentia, fiduciā pro cuſtodia. Quid igitur ſub tantis cuſtodibus timeamus? Superari non poſſunt, quia potentes ſunt, ſeduci non poſſunt, quia prudentes ſunt, minus autem ſeducere poſſunt, quia fideles ſunt. Tantum ſequamur eos, quoniam ſub eorum protectione deficere non poterimus. Nam quotieſcunque grauiſsima cernitur vrgere tentatio, & vehemens tribulatio propulſauerit, clamemus ad illos, inuitemus cuſtodes noſtros, directores noſtros, adiutores noſtros in opportunitatibus in periculis. Non enim dormitant, neque dormiunt, etſi ad tempus obaudire diſſimulent. Quum enim perſeuerauerimus in prece, ipſorum plane ſentiemus præſentiam pariter & pręſidium. Agunt vtique ij cœleſtes ſpiritus & venerandi cuſtodes noſtri, diem feſtum lætantes ſuper iis, qui fugientes omne, quod Deo odibile eſt, per exercitia virtutum, ipſorum feſtinant ſe ſociare conſortiis. Sed væ nobis, ſiquando prouocati ſancti angeli peccatis, & negligentiis noſtris indignos nos iudicauerint pręſētia & viſitatione ſua, qua protegere nos, & abijcere poterant inimicū: Quoniam igitur neceſſariā habemus familiaritatē dignationis angelicæ, caueamus oēm offenſā, qua poſsint contra nos quoquo modo alterari. Tunc grata nobis erit eorū præſentia, tunc præcipua ſuper nos cuſtodia vigilabunt, tunc erga nos eorū erit iucundus aſpectus, quū viderint nos caſtitatē, ſobrietatem, & humilitatem diligere, quū nouerint nos orationem frequentare, crebos ſingultus & gemitus amoris ad cęlum emittere, quū mentis puritatem, charitatis vnitatem, ſpiritus feruorem, & virtutum perfectionē perſpexerint nos velle apprehendere. Satagamus igitur talib. ſtudiis eos lætificare in terris, quorum ſuffragijs confidimus eorū poſſe æqualitatem conſequi in cœlis. Excitat poſtremo non mediocriter puſillanimitatem noſtram, & ſpei virtutem efficaciter inſerit, & perficit in cordibus noſtris, ſuffragium & exemplum ſanctorum. Summopere enim deſideranda nobis ſunt ſanctorum ſuffragia, vt ipſorum interceſsione nobis donetur, quod noſtra non obtinet poſsibilitas. Ad eorum igitur ſuffragium confugiendum eſt, potentes in terra ſunt, ſed in cęlo potentiores ante conſpectum Domini Dei noſtri. Si enim hic dum adhuc viuerent, miſerti ſunt peccatorum, & orauerunt pro eis, nunc tanto amplius, quanto verius agnoſcunt miſerias, orant patrem in cœlis, quia beata illa patria non immutauit charitatem eorum, ſed augmentauit, & nunc potius induunt ſibi viſcera miſericordiæ, quum ante fontem miſericordiæ aſsiſtunt, vnde ſi ſanctorum ſuffragiis cupimus adiuuari, eorum vitam nobis iugiter præponamus, & ſequamur opere, quos orationib. pulſamus. A malitiæ, odii & ſuperbię cogitatu mundemus cor, quoniam nō niſi iuſtos, innocentes, ſimplices, & puros, cœleſtis aula ſuſcipiet. Venite puſillanimes, accedite in ſpiritu ad hoc ſpirituale

conuiuium omnes vos, quos conſcientiæ formido & prӕteritorum deterret memoria peccatorũ, conſiderate diuinæ fontē miſericordiæ ſuper ſalute mortalium, intuemini quanta hominib. ſpiritualia, & corporalia dona collata ſunt, cōtemplamini auido corde, quàm iucundè omnia illa cęlorum agmina Deum laudantia ſuis orationib. iuge vobis præſtent patrocinium. Sed nec prætereat vos dulcis filij Dei, & genitricis ipſius recordatio, quomodo aſsiſtunt Deo, orent pro vobis, & compatiantur. Sumite fiduciam, & in Dei bonitate ſperate. Hæc conſiderate quæ dicta ſunt, quia vitæ æternæ verba ſunt. Tanto nanque ſolidius & perfectius in domino ſperabit cor veſtrũ, quanto prius hæc mente tractabitis. Et eo minus in hac peregrinatione deficietis, quo verius in fontem diuinæ miſericordiæ per virtutem ſpei mentis oculos leuaueritis. Hæc eſt enim virtus, quæ claritate ſua Deum nobis manifeſtat, hæc eſt, quæ inter hoſtium cateruas intrepide ante faciem domini nos perducit. Tolle hanc à corde hominis, & illico corruet in foueam deſperationis & perditionis. Summum vtique gradum obtinet hæc inter cæteras virtutes, apud Deum verò magnum poſsidet meritum, ſed inter fructus ligni vitæ ſeptimum ſortitur locum. Quam qui tenuerit, perire non poterit, ſicut domino canit
Pſal. 30. Propheta dicens. In te domine ſperaui, non confundar in æternum, & in ſecula ſeculorum.

DE VIRTVTE PERSEVERANTIAE, & de ipſius diffinitionibus. Quæ virtus pro ſua dignitate inter fructus ligni vitæ octauum poſſidet locum. Cap. I.

Pſal. 25. DOmine dilexi decorem domus tuę & locum habitationis gloriæ tuæ. Amantiũ mos eſt, vt ſemper præſentem habere ſtudeant, quem amant. Tantoq; frequentius, quã to ardentius. Nec ſe vllo valent ſatiare modo, quin potius ex guſtu eſuriem, & ex hauſtu ſitim adipiſcuntur, ſed nec ipſa plenitudine gradus ſui requiem inueniunt, donec dilecti fruantur potitis amplexibus. Fit eis interim oneroſa mora, & omnis dilatio pęna. Clamant & ardent, & in ipſo clamore deficiunt præ amore, præ dulcedine, pręabundantia iucunditatis & gaudij. Sicut enim nõ ſatiatur oculus viſu, ſic nec iſti charitate. Qui quũ nequeant implere ardorem deſideriorum ſuorũ, cogitationibus ſe exercent. Reuoluũt animo de-
Pſal. 25. corem domus Dei, & locum habitationis gloriæ ipſius, quæ ex precioſitate ſui, ex claritate, ex æternitate, & immenſitate trahit poſt ſe concupiſcentias hominum, angelorumque. Attolunt contemplationis oculos in gloriam conditoris, rimantur ipſius incomprehēſibilem pulchritudinem, regni magnificentiam, & domini Ieſu inenarrabilem celſitudinem. Diſcurrunt per admirabilem plenitudinem gaudij cęleſtium ſpirituum, non ſe valētes capere præ ſuauitate, vnde fit eis oneroſus corporis carcer, & prælongatio præſentis exilij pro deſiderio æternitatis. Appetunt votis, inſtant orationibus, & operibus proteſtantur ardorem cordis, & corporis diſſolutionem. Dicuntque, o quàm felix dies erit, quando dominus meus veniet in ſplendore ſuo, & ex nomine noſtro vocãs nos dicet, Venite benedicti patris mei, &c. Et
quàm iucundum erit, quando genitrix ipſius oc- Mat. 25.
curret choris circundata virgineis egredientib. de carnis cuſtodia pro fiducia exhibēda. Et poſt rubrum mare præſentis exilij ſubmerſo ſpirituali Pharaone cum ſuo exercitu, tympanum tenens diuinæ modulationis pro perſeuerantia & victo-
ria militis egredientis præcinet reſponſuris. Can Exo. 15.
temus domino, glorioſe enim honorificatus eſt, equum & aſſenſorem deiecit in mare. Horũ etenim cogitatio & guſtus illorum eſt, qui ſub agone obedientiæ dedicarunt vitam ſuam, quia nec in tentationibus molleſcere, nec in difficillimis nouerunt deficere, qui quotidie pro Chriſto morientes in Chriſto viuere didicerunt. Nam vitæ ianua mors eſt. Iſtorum nanq; mentes à propria, firma & inconcuſſa nequeunt ſtabilitate moueri, quia ſciunt, cui ſeruiunt, quid acquirant. Propter quod obliuiſcentes, quæ retrò ſunt, & ad anteriora intellectum, affectumq; extendentes, omnem cogitationem, cunctumq; ſtudium in exercitationem virtutum, in extinctionem vitiorum, & propriæ voluntatis oppugnationē conuertũt, quoniam Deo reuelante & experientia teſte didicerunt talibus exercitijs Deum promereri poſſe, nec ad illa poſſe pertingere, niſi vſque ad mortem perſeuerauerint. Vnde viriliter arripiunt pugnã, & fortiter in ipſa perſeuerant, ſcientes quod non pertingitur ante finem operis ad mercedē laboris. Hanc enim perſeuerantiam diligunt, ipſam cęteris virtutibus anteponunt. Nam etſi omnes virtutes ad cęlum poſſeſſorem ſuum trahant, ſolam tamen hanc eſſe cognoſcunt, quæ accipit brauiũ. Quam vt facilius aſſequantur, ſibiipſis præponũt inſtabilitatis damna, & perſeuerantiæ merita & coronas, quatenus & alliciantur dulcedine meritorum, & conſideratione cohibeantur pœnarũ. Nam perſeuerantia eſt in ratione bene conſiderata ſtabilis & perpetua permanſio. De qua virtute, quoniam in tractatu patientiæ plura dicta fuerunt, quæ huic concurrunt, pauca ſuccinctè ſcribentur, & ſic finis erit.

De commendatione perſeuerantiæ & multiplici vtilitate, quæ ex ipſa procedit. Cap. II.

SIcut .n. oculis corporalib. neceſſaria eſt lux vt ſuo perfruãtur fine, ita & oib. prædeſtinatis & vocatis ad regnũ cęlorũ hæc virtus perſeuerantię. Et ſicut abſq; luce fruſtra aperitur oculus, eodem modo inaniter currit, qui vſq; ad finem vitæ non perſeuerat. Quapropter vt omnib. Deo famulantibus, & in mandatorũ Dei via pergentib. detur audacia perſeuerandi, hic aliqua in ipſius virtutis commendationē ſubſcribēda ſunt.

Nam

Nam omnis labor leuis efficitur conſideratione mercedis. Plurimum nanque ad perſeuerātiam accedit promiſsio, quæ perſeuerantib. fit, de qua per Ioannem in Apocalypſi dicitur. Apoc. 2. Eſto fidelis vſque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Nā ſemper ſolet diabolus perſeuerantiæ inſidiari, quam ſolam inter virtutes nouit coronari. Vtilitates etiam plurimæ quæ ex hac proueniunt virtute perſeuerantiæ, dant robur. Nam impetrat, Luc. 11. quod vult. Vnde Dominus ait de amico, qui media nocte vadit ad amicum, vt panē petat. Si perſeuerauerit pulſans, & ſi non dabit, eo quod amicus eius ſit, propter improbitatem eius ſurget, & dabit quotquot habet neceſſarios. Si enim homo perſeueranter petenti dat ex tædio, multo magis Deus; qui ſine tædio largiſsime donat, quod petitur, perſeueranter petenti donat ex amicitia. Et quomodo non dabit perſeuerātibus in prece, qui vt gratis tribuat nobis, hortatur vt petamus, cui diſplicet, ſi non petamus. Quomodo aūt quicquam negabit perſeueranter petentibus, qui ſpōte obtulit ſe non petentib. Rom. 8. Et qui proprio filio nō pepercit, ſed pro omnib. nobis tradidit illum ad occidendū, quomodo nobis cuncta, quæ perſeueranter petimus, non donabit. Hæc virtus perſeuerantiæ difficilia facit leuia. Subito nanq; procedēti de vmbra ad ſolem, de ocio ad laborem graue eſt ei, quod incipit, ſed poſtquā in his aſſueſcere & perſeuerare cęperit, viſus tollit difficultatē, & facile eſſe incipit, quod impoſsibile ante putauit. Ipſa nihil imperfectum relinquit. Nam nil eſt, ꝙ non impugnet pertinax, & intenta operatio, ac diligens & perſeuerans cura. Videmus mulieres ſenilis ętatis perſeuerādo longas peregrinationes perficere, & aquam, quæ adeo mollis eſt, lapidē tam durum perſeueranti percuſsione cauare. Ipſa meretur apprehendere præmium. Nā perſeuerantia eſt ſingularis filia ſummi regis, finis virtutum, earumq; conſummatio, ſine qua neq; qui pugnat, victoriam; nec palmam victor conſequitur. Nutrix eſt ad meritum, mediatrix eſt ad præmiū, ſoror patientiæ, conſtantiæ filia, charitatis vinculum, ſanctitatis propugnaculum. Tolle hanc, nec obſequium mercedem habet, nec beneficiū gratiam, nec laudem fortitudo. Sola eſt, cui æternitas redditur, vel potius quæ æternitati hominem reddit, dicente Domino. Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit.

Quàm multa ſunt, & quæ ſint illa, quæ hominem, ne perſeuerantiam teneat, præpediunt. Cap. III.

CVpienti proficere, & ad palmam virtutis peruenire anhelanti non ſufficit, quæ agēda ſint ſcire, niſi ēt cognoſcat, quæ debeat declinare. Quare nunc ſubſequenter, quæ perſeuerantiæ aduerſantur, dicenda ſunt, quatenus vtrarumq; ſcientia edoctus & præmunitus, valeat facilius ad finem properare. Vnde ſciendum eſt, quod plura ſunt, quæ perſeuerantiæ aduerſantur, videlicet primo fatuitas ſicut ſcriptū eſt. Stultus vt luna mutabitur. Nam ſapientia hēt idem velle, idem nolle, diuerſitas verò vitium eſt Eccl. 27. & ſignum vacillantis animi, ac nondum habētis vigorem ſuum. Proponit ſibi quod vult, nec in eo, quod ſibi propoſuit, perſeuerat, ſed tranſilit, nec tantum mutat, ſed redit in ea, quæ prius deſeruit, ac damnauit. Variatur quotidie in talibus iudicium, & in contrarium vertitur, ac agitur eorum vita per vſum. Aduerſatur etiam non mediocriter perſeuerantiæ peccatum. Nam cor impij quaſi mare ferues, quod quieſcere non pōt. Iſaiæ 57. Iuxta quod ſcriptum eſt. Peccatum peccauit Hieruſalem, Tren. 1. propterea inſtabilis facta eſt. Vſitata nanq; culpa obligat mentem, vt nequaquam ſurgere poſsit ad rectitudinem. Conatur, & labitur, quia vbi ſponte diu perſtitit, ibi etiam quum noluerit, cadit. Lex.n.peccati eſt violentia conſuetudinis, qua trahitur iniuſtus animus eo merito, quo in eā volens lapſus eſt, ad quam quodā progreſſu peruenit anima. Primo fit titillatio delectationis in corde, deinde conſenſio, tertio operis perpetratio, poſtremo conſuetudo, in quam deueniens anima, ſuorum extra ſe trahitur vinculis peccatorum. Multum quoq; reddit inſtabilem animū impatientiæ vitium, & ad perſeuerantiam ineptum. Quis ſiquidem tam fęlix eſt, vt quum dederit impatientiæ manum, illico ſtatum ſuum mutare nō oporteat? Coerceri omnino nequit animus impatiētię vitio commotus, quia zelus ſapere neſcit, & impatientia conſiliū non habet, ratione caret, & ſui iuris eſſe non poteſt, aut ſecum commorari, quiſquis morbo impatientiæ irretitus eſt. Carentia timoris ſimiliter virtute perſeuerantiæ priuat hominem. Timor.n.ſtabilem animum reddit, ſicut anchora nauem ſtare facit. Anchora nanq; mētis eſt pondus timoris. Fugit ouis tremebūda ad caulas veniente lupo. Abſcondit ſe columba pauitās Accipitre viſo. De cauerna mus exire non audet eſuriens ambiente Cato. Sic nec qui timet, aut amittere gratiam & gloriam, vel incidere in peccatum, & damnationem a ſoliditate perſeuerantiæ poterit ſe amouere. Defectus quoq; dilectionis longe facit hoīem à perſeuerantia. Amor quoq; boni animū ſtabilē facit, ſicut radix profunda arborem. Qui.n.implantatus eſt, abundabit nequitia. Nam & amicitia tanto certior, quanto profundior eſt, quia facile mutari non pōt, quod per longa tempora cuſtoditur. Qui vere eſt amicus, perſeueranter & omni tēpore diligit. Nā tormentum non ſeparat, labor non laxat, theſaurus non ſeperat, alienus amor non occupat. Aduerſatur ēt vehementer perſeuerantiæ cordis duplicitas, & ſimulatio, de qua dicitur. Iaco. 1. Vir duplex aīo incōſtans eſt in oīb. vijs ſuis. At contra nihil ſtabilius, nil felicius ſimplici corde, quia qui innocentiā erga alios exhibet, nihil eſt, quod ab alijs formidet. Hēt .n. arcē aī ſimplicitatē ſuā, nec ſuſpectus eſt paci, quod ſe feciſſe nō meminit, nec ab incepto retine-

nôs ad mercedis retributionē pertigimus, niſi in perſeuerãtia operis fortiter perſtiterimus. Quum enim deſideria bona concipimus, ſemen in terram mittimus, quum verò opera tecta incipimus, herba ſumus, quum autem ad perfectum boni operis creſcimus, ad ſpicam peruenimus. Sed quū in eiuſdem boni operis perfectione ſolidamur, atque vſque ad mortem perſeueramus, iam plenum frumentum proferimus, non igni comburēdum vt zizania, ſed per manus ſanctorum angelorum in horrea cęlorum deducendum, vbi tanto anima erit fęlicior, quanto quum hic eſſet in corpore, in ardore charitatis, in perfectione virtutum, in perſeuerantia laborum fuerit promptior, atque in extinctione propriæ voluntatis extiterit feruentior, quia non eſt vir ſtrenuus, qui laborē fugit, nec diuinis honoribus cumulandus eſt homo, niſi creſcat in dilectione perſeuerantiæ animus illius rerum difficultate. Beatus vir, qui non deficit contrario euentu, ſed qui proficit de virtute in virtutem, quoniam huius manſio cum angelis in cœleſtibus collocabitur. Hic finis perſeuerantium, & hæc eſt palma illorū, qui animas ſuas & corpora pro Domino tradiderunt. Quū enim nil terrenum poſsidere voluerunt, ſe diuinis honoribus dignos reddiderūt. Currite currite o vos omnes milites Chriſti, properate feſtine & feſtiue, quicunque in obedientiæ & ſubiectionis ſtadio certatis, ſeu certare diſponitis ad audiendū, quam magna vobis perſeuerãtibus à rege veſtro & noſtro promiſſa ſunt. Vobis nanque ſpecialis facta eſt regni promiſsio, vobis pateſactæ ſunt cęli ianuæ, vobis parata ſunt regia inſignia, & conſortium angelorum. State in pugna, ne (quæſo) deficiatis, ne deſiſtatis ab incœpto opere. Solum non perſeueraſſe, eſt amiſiſſe coronam. Attollite oculos ad cœlum, intuemini ipſum certaſſe, & viciſſe, & certantes fortiter adiuuare exhortationibus, exemplo, verbis, promiſsis, & donis. Nulla debet eſſe trepidationis ignauia in tantis fauoribus. Currite ad montem Dei, ad gloriam ipſius contemplandam, ad perfectionem virtutum, ad cacumen perſeuerantiæ. Ibi præparata ſunt dona multa, & precioſa monilia. Ibi de manu regis cęleſtis recepturi eſtis diadema ſpeciei, & duplicia centuplicata. Ita tamen aſcendite, ſcilicet fortiter, ſimpliciter, confidenter, & perſeuerãter. Fortiter nanque aſcendendum eſt, & conſtanter iter veſtrum arripiendum, quoniam multa in ſtadio veſtro aduerſa ſunt. Nam contra diabolum, contra hominum mores, voluntates, & naturas, contra ſenſualitatem veſtram, & habitus vitiorum veſtrorum, ſe veſtra extendit colluctatio, quæ pro immanitate, pro diuerſitate, pro numeroſitate, pro aſsiduitate fortiſsimum exigūt pugnatorem. Niſi enim forti animo certauerit, quiſquis hoc aggreditur bellum, neceſſe eſt, vt ſuccumbat, & deficiat. Ideo in primo progreſſu, & aſcenſione huius intellectualis montis, perfectionis (videlicet) & brauij, ſubiectionis figendum eſt tentoriū ad radices ipſius virtutis patientiæ, quatenus per ipſam valeat ſtrenuus pugil Chriſti omnia aduerſa gaudenter tolerare. In ſecundo autem ſimpliciter ambulandum. Ei nanque, qui ſubeſt, neceſſarium eſt omnem propriam volūtatem edomare ſub præſidentis & præcipientis imperio. Quod niſi fiat ſimpliciter, inaniter curritur. Exigit enim vera obedientia, vt qui ea potiri nititur, euacuet de corde ſuo omnem intellectus, & voluntatis propriæ exiſtimationem, ſeque ex omni ſimplicitate committat ei, cui propter Deum obedire decreuit, & ſub quo militare ſtatuit. Tanto nanque perfectius hanc obedientiæ virtutem apprehendet quis, quanto ſimplicius ſe neglecto alijs obtemperauerit. Quum autem huius ſecundi aſcenſus appropinquauerit perfectioni, tunc ex munere diuino fugatis tenebris deſperationis, & dubitationis, quantis bonis ſit replendus, intelliget, intelligendo guſtabit, & guſtando ſperabit illa percipere. Tunc virtutis ſpei tertium aſcēdit gradum, lætanter, velociter, infatigabiliter, & corde lætabundo eructat affectu plerunque & voce illud Prophetæ. Lætatus ſum in ijs, quæ dicta ſunt mihi, in domū Domini ibimus, Et iterum. Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini. Operatur qui huiuſmodi eſt, quæ ei iniūguntur feruenter & humiliter exterius, interius verò ardet charitate, fertur votis, gemitus emittit, ſeq; totum illi committit, quem ex toto corde diligit, ac præ magnitudine amoris & ſpei frequenter ingeminat dicens. Quando veniam, & apparebo ante faciē Dei: Talibus enim exercitijs virtus ſpei perficitur. His ſtimulis agitata mēs de tertio ad quartum prouehitur gradum. De virtute ſpei, & per virtutem ſpei trahitur & currit ad conſummationem perſeuerantiæ. Quæ virtus eſt cęli ianua, paradiſi porta, & regni introitus. Quo quum peruenerit abiecto carnis onere, & diruptis peccatorū vinculis, nec non & debellatis hoſtibus, indicibili exultatione, incomprehenſibili gaudio, & flagranti charitate promit dicens. Ecce quod concupiui iam video, quod ſperaui iam teneo, ipſiq; ſum iuncta in cęlis, quem in terris poſita tota dilectione dilexi, ac toto corde quæſiui, & ſimplici intentione ſeruiui. Talis curſus, terminus talis, & triumphalis gloria perſeuerantium in ſtatu ſubiectionis, & obedientiæ, quam eis largitur Dominus Ieſus ipſorum rex, laus, & dilectio, qui regnat in ſecula. Amen.

Gen. 36 · Mat. · Pſal. 121. · Pſal. 83. · Pſal. 41.

DE VIRTVTE PAVPERTATIS ET dono, atque de ipſius diffinitionibus, Quæ in fructibus ligni vitæ nonum habet locum ex ſui non exigua excellentia.

Cap. I.

PAratum cor meum Deus, paratum cor meū, cantabo, & Pſalmum dicam. Vox hæc vox illorum eſt, qui diruptis terrenarum cupiditatum vinculis, Pſal. 56.

Digitized by Google

vinculis,puro corde feruntur in Deum, tãtoque iucundius & expeditius, quanto exterius minus habẽt,quod amittere poſsint.Grauis etenim ſarcina eſt,& laborioſa temporaliũ ſolicitudo, quæ nunc demulcendo, nunc violentando trahunt hominem extra ſe,& in quoddam cogitationum & affectionum demergunt pelagus. In quod velut in quoddam turbulentum & procelloſum ſalũ rationalis mens aſcendit & deſcendit, percutitur & repercutitur, ac plerunque inundatione aquarum diſſoluitur,crebris nihilominus & validis cõtra eam flantibus auris.Ibi dolor,ibi labor,ibi pauor.Dolor pro amiſsione eõrum,quæ inordinate diliguntur.Labor pro ſolicita exercitatione congregandi,& poſsidendi.Pauor,ne ex vehementia ventorũ aquarũmque impellatur nauis in ſcopulos,& eodem vnõ ve momento rebus homo priuetur,& vita. Quis enim non timeat, quũ videat ſuper ſe cœlum turbatum & mare, & omnia ſecũ ferre, quæ poſsidet: Inſipientum nanque eſt in tanto non pauere periculo,& talibus non atteri laboribus. Magna dementiæ eſt ſignum euidẽs imminente temporali,æternam non timere mortem,quæ eo facilius rapit,& deuorat, quo minus præuidetur,& fugitur. O lugenda mortalium cæcitas,ò deteſtanda tẽporalium cupido, Cur quæris cum tanto labore (ò homo) quod poſsidere non poteris,cur vano labore conſumeris? quare non præuides,quæ futura ſunt, vt quid non erudiris exemplis;vbi (obſecro) ſunt,qui ſibi theſaurizauere ſuper terram, repleuere horrea, & magna conſtruxere palatia? vbi illorum varia ſupellex,vbi auri & argenti plurima cumulatio,vbi gẽmæ,vbi varia veſtimentorum ornamenta,& clientium numeroſa caterua,nonne hæc omnia velut vmbra tranſierunt; Dormierunt vtique ſomnum

Pſal. 75. ſuum,& nihil inuenerunt hi viri diuitiarũ in manibus ſuis. Deſcenderunt in profundum abyſsi, & ipſorum nomina de terra, & de cœlo deleta ſunt.Receperunt duplicia de manu Domini,biberunt calicem iræ ipſius, & ſalutis illorũ ablata eſt omnis ſpes. Torquebuntur diris cruciatibus & cœleſti in æternũ priuabuntur lumine. Et quoniam noluerunt audire,quum adhuc viuerent, vocãtẽ Dei ſapientiam,perierunt in ſua inſipientia, nec ipſis eſt amplius locus veniæ,quia ſpreuerunt tẽpus gratiæ. Talis eſt finis,& hæc remuneratio illorum eſt,qui contemnentes diuina monita magis elegerunt temporalibus quam ſpiritualibus abũdare diuitijs. At qui Deo fideliter ſeruire deſiderant, qui Deum cunctis opibus anteponunt, hi diuitias diſperdunt,& paupertatem voluntariam ſectantur. Quum autem ab omnibus Deo famulantibus debeat amplecti hæc virtus, ab illis tamẽ præcipue toto corde diligenda eſt, qui ſtudio quietis, & orationis amore ab omnibus viſibilibus ſe abdicantes ſolo paſcuntur deſiderio,& cõtemplatione æternorum.Non enim poſſunt Deo quiete vacare,qui temporalia diligunt. Nam hęc, fugiendarum diuitiarum præcipua cauſa eſt,quia vix,aut nunquam ſine amore valent poſsideri. Præoccupatum quippe animum temporaliũ deſiderijs,declinat delectatio ſancta. Nec miſceri poterunt vana veris,æterna caducis,ſpiritualia corporalibus. Proptera neceſſarium eſt cupientibus ad perfectionem quietis pertingere, vt hanc paupertatis virtutem teneant, & ipſam pro fundamẽto collocent, Facile nanque proficere poterunt, ſi hanc temporalium poſſeſsionem non habuerint. Nam paupertas ſpiritus eſt cum ſpirituali intentione voluntaria abdicatio temporalium, eſt etiam quædam manuductrix in via,quæ ducit ad cælum, vnctio athletica, & exercitatio magna & mirabilis. Eſt quoque portus tranquillitatis,nutrix confidentiæ,quietis fundamentum, orationis adiutoriũ,peregrinationis exhortatio,& perfectionis porta,ſine qua nemo coram Deo in ſpiritu diu perdurare poterit. De hac virtute pauca ſub compendio dicenda ſunt, vt velocius ſermo de perfectione quietis percurrat.

Quàm multa, & quę ſint bona, quibus ditantur paupertatis amatores & ſectatores. Cap. II.

CViuſcunque rei bonitas ab effectu ipſius dignoſcitur, et virtutum excellentia ab earum multiplici vtilitate. Quare ſicut et in cæteris,ita et in hac paupertatis virtute plura conſiſtunt,et emanant bonorum genera, quæ eius dilucidant dignitatem. Hæc digne nanque laudanda tutum efficit ſuum poſſeſſorem. Semper enim tuta eſt Chriſtiana paupertas, nec pauet in iſto mundo indigentia laborare,cui donatum eſt in omnium rerum Domino omnia poſsidere. Mat. 12. & Luc. 21. Mat. 10. Operantibus enim,quæ bona ſunt,non omnino metuendũ eſt,vt eis deſit facultas bene operandi, quum et in duobus minutis Euangelicæ illius viduę ſit laudata deuotio,et pro calice aquę frigidæ,præmium habeat gratuita largitio. Ex affectibus enim benignitatis menſura taxatur. Et nunquam cum menſurandi efficacia deſerit, in quo miſericordia ipſa nõ deficit. Ipſa hominem reddit expeditũ. In hac enim vita peregrinamur, et quotidie ad patriam tendimus. Sicut nanque ridiculum eſt peregre proficiſcentem ſe onerare lapidibus, ita quoque properantem ad mortem cumulare diuitias. Quare ò quiſquis es,qui expeditè cupis pertingere ad perfectionem in hac vita,et ad cæleſtem poſt hanc, abijce à te diuitiarũ onera, et amplectere voluntariam paupertatem, remoue à te vincula cupiditatum,abijce anxietates et tædia,quæ temporalibus animos inquietãt. Si habes, vade, et vende omnia quæ habes, et da pauperibus, Mat. 19. ſi non habes, grandi onere liberatus es. Qui enim diſperdit tẽporalia, ad currendam cæleſtem patriam expeditus eſt. In obſeſſa enim via pauper pax eſt,nihilque habere ſecularis concupiſcentiæ magna ſecuritas,quia qui nihil habet in mundo, quod diligat, nihil eſt, quod eum ab

æter-

æternorum deſiderio impediat. Teſte nanque ſacro eloquio, fruſtra iacitur rete ante oculos pauperum penatorum, quoniam ipſorum eſt regnũ cęlorum. Ipſa iudicem efficit eum, qui ſe ſectatur, ſicut ipſe Dominus Ieſus viuorum & mortuorũ iudex pollicetur dicens. Vos, qui ſecuti eſtis me, ſedebitis ſuper ſedes duodecim iudicãtes duodecim tribus Iſrael. Hanc enim prærogatiuam Dominus pauperibus dare dignatus eſt, vt ſicut præ cæteris hominibus cuncta, quæ mundi ſunt, propter Chriſtũ reliquerunt, ita & illi omnibus glorioſiores in iudicio videantur. Hæc virtus hominem reuocat ad Deum, & ad ſeipſum. Reuocat ad Deum, quum ipſum puro corde laudare facit. Adeo enim hæc laudabilis paupertas, & fęlix inopia ad Deum trahit, vt & ipſum tacite laudet, & de patientiæ ſuæ virtute concelebret. Mutus eſt ſi pſallat diues, pauper autem & inops laudant Deum, etiam quum videntur habere ſilentium. Donec abundauit filius prodigus, ſilentium tenuit, quum verò egere cępit, patris miſericordiam agnouit, & tacentia ora in vocem humilis confeſsionis laxauit. Reuocat vtique paupertas ad ſe, & merito. Familiaris res eſt humanum cor opibus, ac libertate diſſolui, ærumnis autem ac paupertate ad ſemetipſum recolligi. Plurimũ etiam reddit hæc prædicanda paupertatis virtus animum quietum. Magna nanque tranquillitas cordis eſt nihil habere concupiſcentiæ ſecularis. Nam ſi ad terrena concupiſcenda, & ad diuitias cumulandas cor inhiat, tranquillus & quietus eſſe homo nullatenus poteſt, quia aut non adepta concupiſcit, vt habeat, aut acquiſita metuit ne amittat. Et dum in aduerſis ſperat proſpera, in proſperis formidat aduerſa, huc illucque quaſi quibuſdam fluctibus voluitur, ac per modos varios aduerſantium rerum volubilitate verſatur. Si nõ ſemel in virtute paupertatis & appetitione ſupernæ patriæ forti ſtabilitate animus figitur, nimis rerum temporalium perturbatione verſatur. Expellit hæc ipſa virtus adulantes à ſe. Nam adulantiũ mos eſt ſemper in proſperitate mulcere, & donec temporalia ſuppetiit applaudere. Adulator eſt amicus in obſequio, hoſtis in animo, compunctus in verbo, turpis in facto, lætus ad proſpera, fragilis ad aduerſa, anxius ad opprobria, immoderatus ad gaudia, facilis ad humana, difficilis ad honeſta, menſas diuitum frequentans, pauperum domos declinans, graditur cum diuitibus, & pauperum conſortia paruipendit. Proinde beata paupertas, & fęlix inopia, quæ non adulatur aliquando, neque adulanti credit, quæ nec decipit alterũ nec ipſa decipitur, nec facit malum aliquãdo, nec patitur, quippe quæ nõ habet adulationem comitem ſibi parcentem, fortunã hominis, & non perſonam amantem. Iſta quoque virtus verum demonſtrat amicum. Quod enim diuitijs nõ potes ſcire, paupertate ſcies ò homo. Illa veros, certoſque retinebit amicos. Diſcedunt vtique qui non te, ſed tua ſequebantur. Non enim ſunt fideles in amicitia, quos munus aut gratia copulat. Nam cito deſerunt, niſi ſæpe acceperint. Dilectio nãque quæ pecunijs et munere glutinatur, eo ſuſpenſo diſſoluitur. Vera amicitia eodem oculo reſpicit diuitem amicum et mendicum, fortem et debilẽ, ſanum et ægrum, humilem et ſublimem. Hęc etiã virtus cupiditates edomat, et vincit. Nõ enim poteſt niſi volũtaria paupertate reſtring: cupiditas. Qui ſeruus Chriſti ſemel effectus eſt, non erit mãmonæ famulus, cuius certe ex voluntaria renunciatione fit Dominus. Illa enim vt fugientem ſequi, ita fugere conſueuit ſequentem. Mens verò pecuniæ auida cupiditatis eſt ſerua, quæ nec abſtinere nouit à vetitis, nec gaudere cõceſsis, nec pietati adhibere conſenſum. Anguſtatur ex abundantia, triſtatur et conſtringitur ex opulentia. O ignis inextinguibilis, cupiditas inſatiabilis; quis vnquam primo voto fuit contentus, quum adipiſcitur, quod optauerat. Deſiderat ampliora, in habendis ſemper, et nunquam in habitis finem cõſtituit. Semper amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit. Ipſa paupertas etiam ſpiritualibus donis ſe amplectẽtem diuitem facit. Qui nãque carnalia et terrena propter ſaluatorem noſtrum dimiſerit, recipiet ſpiritualia, quæ comparatione et merito ſui ita erunt, quaſi pro vno centenarius numerus comparetur. Non enim ſanctus vir ideo terrena deſerit, vt hic in hoc mũdo poſsidere multiplicius poſsit, ſed per centenarium numerũ, qui à Domino pauperibus omnia relinquẽtibus pollicetur, perfectio deſignatur, quia ſiquis propter Dei nomen temporalia contemnit, hic perfectionem mentis recipit, vt ea non appetat, quæ contẽpſit. Centies verò recipit, quod dedit, qui perfectionis ſpiritum accipiens terrenis non indiget, etſi hæc non habet. Non habet hæc promiſsio aliquid temporale, aut terrenum in ſe, ſed promittit ſaluator quaſdam ſpirituales conſolationes, et primitias ſpiritus, quæ ſuper mel dulces ſunt, et omnibus tranſitorijs gaudijs iucũdiores, atque quodcunque deſideratur in ſeculo hoc nequam, iis nõ valet comparari. Hæc virtus imitatorem Chriſti efficit eum, qui ipſam prælegit. Ipſe nanque Dominus ita pauper fuit, vt veniens in mundum nõ in ſua, ſed aliena domo naſceretur, viuens non haberet vbi habitaret, nec moriens vnde nuditatẽ ſuã tegeret, nec mortuus vnde inuolueretur, nec ſepulcrum vbi mortuum corpus locaretur. Et licet in his omnibus præcipuum paupertatis nobis exemplum præbuerit, in natiuitate tamen hoc abundãtius exhibere voluit ipſe Dominus noſter, de qua per quendam ſic dicitur. O amanda, ò admiranda dignatio, Deus immenſæ gloriæ, vermis contemptibilis fieri non deſpexiſti, Dominus omnium, conſeruus videri voluiſti, parum tibi viſũ eſt te nobis patrem eſſe, etiam frater noſter eſſe dignatus es. Et tu Domine vniuerſorum, qui nullam habes indigentiam, inter ipſa tuę neceſsitatis

initia

Prou. 1.

Matt. 19.

Pſal. 73.

Initiã non horruiſti abiectiſsimæ paupertatis deguſtare incommoda. Vt enim ait ſcriptura, tibi
Luc. 2
quũ naſcereris, non erat locus in diuerſorio, nec cunabula, quæ teneritudinem tuam acciperent, habuiſti, ſed in vili præſepio ſordentis ſtabuli tu, qui terram palmo concludis, inuolutus pãniculis reclinatus es, & hoc ipſum à brutis animalibus mater tua mutuo accepit. Conſolamini igitur cõſolamini, qui in ſordibus paupertatis enutrimini, quia vobiſcum eſt Deus in paupertate. Non cubat in delicijs ſplendidi cubilis, nec inuenitur in terra ſuauiter viuentium. Quid ergo gloriaris ò diues res lutea in volutabro lecti picti & delicati, quum rex regum ſuo recubitu ſtramenta pauperum honeſta re maluerit? Quid dura ſtrata deteſtaris, quũ tener infantulus, in cuius manu ſunt omnia regna, tuis ſericis & plumeis lectis duras iumentorum ſtipulas prælegerit. Damnauit nẽpe in ſtabulo pauperrimo huius mundi honores, pompas, & vanitates. Inſuper delicias, mollities, & carnis delectationes, ſimiliter diuitias, abundãtiam temporalium, & ſuperfluitates. Et quum eſſet diues in omnibus, factus eſt in hoc mũdo omnium pauperrimus, vt quàm magnum eſſet bonũ paupertatis virtus, prius oſtenderet exẽplo, quàm verbo, quam etiam poſtea commendaturus erat. Acquirit poſtremo hæc beata & ſpiritualis
Matt. 5
paupertas cœlorum regnum. Beati (inquit Dominus Ieſus) pauperes, quoniam veſtrum eſt regnũ cœlorum. Vnde tibi ò tu, qui egenus propter Chriſtum factus es, non diſpliceat paupertas tua, nec te frangat egeſtas, vel temporalium penuria. Vis cognoſcere, quàm locuples ſit. Cęlum emit. Quibus theſauris conferri poteſt, quod paupertati videmus indultum. Vt ad regnum cælorum veniret diues, poſſeſsione ſua obtinere non potuit, nunc pauper obtinet, vt perueniat. Bonũ eſt igitur cũ diſpenſatione facultates pauperibus erogare, ſed melius eſt pro intentione ſequendi Dominũ ſimul donare, & abſolutum ſolicitudine egere hic cũ Chriſto, & poſt hanc vitam regnare cum ipſo.

De vtilitatibus paupertatis, & ad quantam perfectionem animam deducat ipſa virtus.

Cap. III.

QVum de paupertatis effectibus in præcedenti capitulo dictum ſit, nunc, duce Dei ſapientia, de ipſius vtilitatibus, & ad quantam prouehat perfectionem animam referendum eſt. Valet nanque ad quatuor ſpecialiter, quæ tripliciter diſtincta pręfigurantur pro magno ſui valore, miraque pulcritudine per illas duodecim præfulgidas gemmas in portis nouæ Hieruſalem deſcendentis de cæ-
Exo. 28
lo poſitas. Deſignantur etiam per duodecim lapides precioſos in typico rationali quadruplici ordinatione diſtinctos, in quibus nomina tribuum
Ioſu. 4
duodecim Iſrael Moſes legitur deſcripſiſſe. Valet enim hæc, de qua loquimur præfulgida margarita & ſingulari paupertatis virtute, ad exterminiũ iniquitatis, ad exercitium perfectæ virtutis, ad publicationem Euangelicæ prædicationis, ad poſſeſſionem perfectæ iucunditatis & contemplationis. De quibus omnibus in ſequentibus diſtinctè dicetur. Efficax primo eſt ad exterminium iniquitatis tripliciter. Primo propter expiationem culparum perpetratarum. Eſt enim caminus purgãs & eliminans ſordes vitiorũ, iuxta illud Eſai. Collige te in camino paupertatis. Hoc nanque patet Eſa. 48.
Luc. 16.
in Lazaro mendico, & diuite epulone. Purgauit enim ignis inopiæ pauperem vlceroſum, & diuitis bona remunerauit fęlicitas tranſeuntis vitæ. Illum paupertas afflixit & terſit, & iſtum abundantia remunerauit & repulit. Quum igitur quoſdam pauperes aliqua reprehenſibilia perpetrare cõſpicimus, illos minime deſpiciamus, quia fortaſſe, quos ſuperfluitas tenuiſsimæ paupertatis inquinat, caminus paupertatis curat & abſtergit. Secũdo exterminat paupertas iniquitates per ſubtractionem occaſionum peccandi, quia ſicut diuitiarum affluentia creſcunt, ſic voluntaria paupertate minuuntur. Nam Chriſtianus in paupertate cõſtitutus, qui ſua diſtribuit propter Deum, & abiecit à ſe ſuperbiæ typum, non erit arrogans, ſed patiens, temperans, pudicus, & mitis. Qui verò in diuitijs conſtitutus eſt, multa illum adhuc mala impediunt. Inſpiciamus denique, quæ ſunt, quæ diuites operantur. Rapiunt aliena, æſtuant cupiditatibus, nefandos non deſinunt perpetrare cõcubitus, maleficia cuncta committunt. Nonne vniuerſa hæc conſpicimus ex diuitiis generari. Inflammant quoque animos, ſuperbiam pariunt, inuidiam parant, & eo vſque mentem alienant, vt illos fama pecuniæ etiam nocitura delectet. Nam cum omnibus malis ſuis etiam hoc malum habent diuitiæ, quod malignitate peccantes ab vltionibus tuẽtur, & qui diuitias poſsident, ſemper peccantes nulla pęna reuocantur, ſed ſine vllis remedijs vulnera ſuſcepturi ſunt. Quo enim impuniti liberius peccant, eo vehementius damnatione plectentur æterna. Valet tertio paupertas ad iniquitatũ exterminium propter abſciſsionem vitioſarum radicum. Abiiciamus enim quæcunque corpus florere faciunt. Vitiant autem animam, vt puta diuitiæ, deliciæ, & gloria. Hæ ſunt nanque peccatorum radices præcipuæ. Quanta verò germinent mala, & quantis ſceleribus implicitæ ſint, breuiter tibi ò homo monſtrabo, vt læto animo ipſas deſpicias. Si enim pecuniam congregare conaberis, eripies habenti, aut cupiditatibus laceraberis. Si dignitatibus fulgere velis, danti ſupplicabis, & qui præire cæteros cupis, poſcendi humilitate erubeſces. Si potentiam deſideras, ſubiectorum inſidijs obnoxius periculiſque ſubiacebis. Si gloriam appetis, per aſpera quæque diſtractus, ſecurus, & quietus eſſe deſiſtis. Si voluptuoſam vitam eligis, quis non aſpernat, atque abiiciat viliſſimæ fragiliſsimæque rei, corporis, ſcilicet, ſeruus eſſe: cõgregetur deniq; in te, quicquid multi locu-

locupletes poſſederant, vltra priuatum pecuniæ modum fortuna te prouehat, auro regat, purpura veſtiat, & ad hunc re deliciarum & opum perducat ſtatum, vt non tãtum tibi habere liceat, ſed calcare diuitias, maiora cupere ab iis diſces. Si autem ad naturam viues, nũquam eris pauper, ſi ad opinionem, nunquam eris diues. Exiguum natura deſiderat, opinio immenſum. Secundo valet & vtilis eſt hæc paupertatis virtus ad exercitium virtutis perfectæ tripliciter. Primo quia virtus acquiſita comprobatur. Non enim poteſt quis præmiũ accipere, niſi legitime certauerit, nec glorioſa victoria eſſe, niſi fuerint laborioſa certamina. Ideo Math. 5. que Dominus in Euangelio. Beati pauperes ſpiritu, non dicit diuites, ſed pauperes. Ibi enim incipit beatitudo diuino iudicio, vbi ærumna exiſtimatur humano. Omnis deniq; virtutis magiſtra eſt inopia & index. Nõ ita laudamus Ioſeph, quũ frumentum diſtribuebat, ſicut quum carcerẽ habitabat, & affligebatur inopia. Similiter valet hęc quia per illam virtus probata cuſtoditur. Nã Crates ille Thebanus homo quõdam ditiſsimus, quũ ad philoſophandum Athenas pergeret, magnũ auri pondus abiecit, nec putauit ſe virtutes poſſe ſimul & diuitias poſsidere. Denique & tu (o miles Chriſti) audita ſententia Saluatoris, ſi vis perfectus eſſe, &c. Mat. 19 Verba virtutis operibus comproba, & nudam crucem nudus ſequere, puriſq; manibus & candido pectore, & ſpiritu, & opere gloriare, expeditior & leuior conſcendens ſcalã Iacob. Gen. 28. Valet præterea in hoc, quod virtus cuſtodita expeditius in finem perducitur per hanc. Quapropter non habentes diuitias non propter hoc doleamus, ſed magis gratias vniuerſorum Deo & Domino referamus, quia nos paruo labore eãdem mercedem poterimus, quam diuites, promereri, & ſi voluerimus etiam ampliorem. Nam ex paruis magna lucramur. Ante enim Dei oculos nunquam eſt vacua manus à munere, quum arca cordis repleta fuerit bona volũtate. Et quoniam voluntas vbi deeſt poſsibilitas, pro facto reputatur, æque diuitibus & pauperibus conſtat velle facere eleemoſynam. Concluditur quod nõ minus erogat, qui compatitur egenti, qui orat pro afflicto, qui hortatur, conſulit, & huiuſmodi operatur ſpiritualiter non habens quod tribuat corporaliter, quàm qui ſolum corporalia peragit. Quoniã quanto anima corpore melior, tanto ſpiritualis exercitatio ſuperexcedit corporalem, per quam & perfectius virtutes perficiuntur. Ex quo colligitur, quod per paupertatem voluntariam virtus acquiſita probatur, probata cuſtoditur, & cuſtodita expeditius in finem perducitur. Tertio efficaciſsima eſt hæc virtus ad publicationem Euangelicę prædicationis tripliciter. Primo, quia facit illam magis credibilem. Tale enim eſt lumen virtutis, & paupertatis efficacia, vt non ſolum luceat in ſe, ſed etiam ad lucem perducat, & irradiet, qui illam cõſiderant. Quum enim viderint homines Euangelizantem Dei Verbum, omnia præſentia contemnere, & ad futura præparatum ante omnem ſermonẽ operibus illius credent. Quis enim ita eſt amens, vt videns eum, qui heri laſciuiebat, & ditabatur, omnibus exutum, & ad famẽ & inopiam, & duram vitam, & pericula, & ſanguinem, & occiſionem, & ad omnia, quæ videntur periculoſa præparatum, nõ manifeſtam ex hoc accipiat futurorum demonſtrationem. Si autem prædicator præſentibus ſe immiſcuerit, & temporalia poſſederit, qualiter credi poterit, quod ad aliam poſſeſsionem, & cæleſtem hæreditatem feſtinet. Pręſentium nanque contemptus certum eſt indiciũ ſpei æternorum. Item reddit hæc virtus prædicationem efficacem. Euangelium enim diuinæ cognitionis prædicatum eſt, nõ bellicis, ſed carneis exercitationibus aduerſarios deuincẽs. Pauci nanque, nudi, pauperes, illiterati, verberati, & mortificati crucifixum corpore mortuum prædicantes, ſapientibus & inſipientibus præualuerunt. Igne etenim Spiritus Sãcti quaſi nouę lucis fonte Chriſtus Apoſtolos perfudit, & vt nihil in hoc mũdo poſsiderent, præcepit, vt ipſi poſt modum vniuerſum mundum quaſi duodecim ſolis radij, totidẽ lampades veritatis lumine, & paupertatis exemplo illuminarent, & ad Deum conuerterent. Ac etiam inebriari nouo vino, & futurorum ſpe erecti, & vita, ſcientiaque irrigarent, et accenderent corda omnium populorũ. Inſuper ipſa paupertas exhibet prædicationẽ magis acceptabilẽ. Cuius euidens ſignum eſt, quod per Apoſtolos pauperes reb. et ſpiritu, quanquàm numero paucos, diffuſa eſt Euangelica veritas in orbem terrarum, vt de ipſis vere dictum ſit. In omnem terram exiuit Pſal. 18. ſonus eorum. Qui quum prophetias haberent, miracula facerent, non hæc eos mirabiles fecerunt. Multi nanque prophetę extiterunt, multi infirmitates curarunt, et dæmones de corporibus obſeſſis eiecerunt, qui quoniam iniquitatem operati ſunt, nõ ſunt facti mirabiles, ſed diaboli ludibria, et inferni ſtipulę. Sed quid eſt, quod illos, de quibus loquimur, euangelicos pauperes effecit glorioſos. Pecuniarum contemptus, gloriæ temporalis deſpectus, et ab omnibus vitæ huius negociis ereptio. Qui ſi hæc non habuiſſent, etiam ſi Chriſtum mortuum ſuſcitaſſent, non ſolum non profeciſſent, ſed et ſeductores exiſtimari fuiſſent. Inductiua eſt quarto hæc virtus laudanda paupertatis ad perfruitionem iucunditatis internæ, et eleuationem contemplationis excelſæ tripliciter. Primo quidem ratione extrinſecæ ſecuritatis, quę ſecuritas diſponit plurimum ad contemplationem. Diuitem enim neceſſe eſt plurimis indigere, et turpiter ſeruire, formidare, et ſuſpicari, et timere eorum, qui ſuſpicantur, oculos, et calumniatorũ ora, et auarorum concupiſcentias. Sed non paupertas aliquid tale patitur, quinimo vniuerſorum regina eſt, pluribus non ſubiecta, ſed munita portubus tranquillis, palæſtra et gymnaſio philoſo-

phię,

phiæ, propter quod mirabiliter confert ad ſublimationem contemplationis excelſæ, quia in nullo ſolicitatur animus. Nã & Dominus Ieſus à diſcipulis ſuis pauperibus, quos ſuper montem cõtemplationis extulit, omnem ſolicitudinem amo-
Matt. 6. uit dicens. Nolite ſoliciti eſſe animæ veſtræ, quid manducetis, &c. Omnis enim ſolicitudo pauperibus veris & ad contemplationem anhelantibus interdicitur, quatenus algorem puſillanimitatis, & ſolicitudinem pro neceſſarijs fugiant, & calorẽ confidentis charitatis cum prõptitudine ad perferenda paupertatis incommoda conſtanter aſſumant, vt in iubilo iucunditatis internę, ſit eis iucunda & ſecura mens, quaſi iuge conuiuium, & ſit eis volatus ſecurus & liber ad contemplandũ Deum. Ipſi nanque pauperes ſunt ſpiritualia vola-
3. Reg. 17. tilia, qui vacantes contemplationi ſingulari cura paſcuntur ab ipſo domino, & conſiderantes magnalia ſuæ potentiæ, atque dolores ſuæ aſſumptæ naturæ abundanter nutriuntur. Sic Helias in ſolitudine miniſtrantibus coruis paſcitur, ſic Danieli in lacu ad leonum prædam iuſſu regis inclu ſo, prãdium diuinitus portatur. Quibus exemplis euidenter oſtenditur nihil poſſe ad neceſsitatem deficere pauperibus contemplationi vacantibus. Non ſolum valet hæc virtus ad iucunditatem & contemplationem internam propter ſecuritatẽ, quam de Deo concipit mens, ſed etiam valet ratione expectatæ mercedis. Quiſquis enim diuini amoris ſtimulo agitatus hic terrena deſpexerit, ille proculdubio iudiciariæ poteſtatis mercedem obtinebit, vt ſimul tunc iudex cum iudice veniat, qui nunc conſideratione iudicij, & deſiderio cõtemplationis internæ ſeſe ſpontanea paupertate caſtigat. Fęlix ergo paupertas voluntaria omnia relinquentium propter te (domine Ieſu) fęlix (inquam) quæ tam glorioſos reddit in illo ſingulari fulgore elementorum, in illo tremendo examine meritorum, & in illo tanto diſcrimine iudiciorũ. Et licet in hac vita hi pauperes in ſua humilitate recipiant à reprobis pudorẽ, & de paupertate aliquem laborem, in alia tamen vita, conſequentur duplicia (videlicet) pro pudore honorem iudiciariæ poteſtatis, & pro labore refrigerium placidiſſimæ ſeſsionis. Nam ipſa paupertas, eſt, quæ caſtigat, purgat, probat, humiliat, & exaltat. Valet tertio & vltimo hæc paupertas ad cõtẽplationis erectionem ratione perfuſæ conſolationis, quæ in ip-
Dan. 3. ſa eſt. Qui enim paupertatem cum gratiarũ actione ſuſcipiunt, pueris illis tribus ſimiles ſunt, qui in ignis fornacem regis imperio miſsi fuerunt. Sicut pueros illos non incẽdit ignis, ſed diſſoluit eorum vincula, ſic eorum qui in paupertate gratias agunt, ſoluuntur vincula peccatorum, & non incenduntur auaritiæ igne. Nã & illis in igne ros illapſus eſt, & pauperibus diuinæ conſolationis ros immittitur. Etenim maximus eſt ros non detineri concupiſcentia diuitiarum. Illi quoque contemnẽtes regem, facti ſunt rege clariores. Ita qui deſpiciunt mundana negocia, mundo efficiũtur honorabiles, vt ergo ô homo & contemplatione excelſa & cœlo dignus efficiaris, deride præſentia. Ita enim & hic eris clarior iucunditate interna & futuris potieris bonis in cœleſti patria, ſicut Pſal. 21.
teſtatur Pſalmus. Edent (inquit) pauperes, Deũ hic contemplando, & ſaturabuntur, quum gloria domini ipſorum apparuerit, & laudabunt dominum tunc, qui eum requirunt nunc, viuentque corda eorum in ſeculum ſeculi & vltra.

De gradibus paupertatis, atque de ipſius virtutis perfectione. Cap. IIII.

IN fine tractatus huius ordinandi ſunt gradus quibus anima ducitur ad perfectionem paupertatis. Sciẽdum igitur eſt, quod triplex eſt gradus paupertatis, & hoc triplici aſcenſu prouehitur anima ad perfectionem huius, de qua loquimur, virtutis. Primus gradus eſt abdicatio affectionis temporalium rerum retento vſu, earũque dominio. In quo gradu extitit, de quo dicitur, Erat Abraam diues valde in poſſeſsione argenti Gen. 13.
et auri: qui quum locuples eſſet, nequaquã inordinatè diuitias dilexit, quin potius illas pauperibus ẽrogans hoſpitalitati plurimum intendebat. Vnumquenque enim Deus non ſecundũ affluentiam rerum, ſed ſecundum inordinatum affectum iudicauit. Nec diuiti obſunt opes, ſi bene vtatur, nec pauperem egeſtas commendabilem facit, ſi inter ſordes et inopiam ambire non deſierit. Habeat homo multas facultates, ſi in eis non extollitur, pauper eſt. Non habeat aliquid, ſed cupiat, et infletur, inter diuites et reprobos iudicabitur: quia diuites et pauperes in corde ĩterrogat Deus, non in arca et in pecuniis. Diuitem nanque illũ, quem dominus reprobatum fuiſſe commemorat, non damnauerunt pecuniæ. Non enim reprehenditur, quod terram coluerit, vel fructus in horrea cõgregauerit, ſed quod fiduciam in eis poſuerit, nec pauperibus erogauerit, vt ab eis reciperetur in æterna tabernacula. Nam et magnæ digni- Luc 12.
tatis fuit apud ſeculum, ſed maioris meriti apud Deum, qui non erat diuitiarum amore diues, ſed tantummodo poſſeſsione: propterea non excluduntur hi tales à diſcipulatu ſaluatoris, nec à paupertatis virtute. De his dicitur per Pſalmum. Di- Pſal. 61.
uitiæ ſi affluant, nolite cor apponere. Non dixit, nolite habere, ſed cor apponere. Non damnat diuitias, vnde cęlum homo meretur, ſed vt cor non apponatur, ſcilicet illas recondendo, et non erogando. De hoc ſtatu etiam Apoſtolus ad Timo- 1. Tim. 6.
theum ſcribit, dicens, Diuitibus huius ſeculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo, qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum: bene agere, diuites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant vitam æternam. Secundus vero gradus eſt, quo quis omnium rerũ tempo-

temporalium abdicato priuatoque dominio ſuſtentatur de non ſuo, ſcilicet non ſibi proprio, ſed communi cum alijs à collegio poſſeſſo. Huius nanque paupertatis forma præceſſit in turba fidelium, de qua in actib. dicitur Apoſtolorum. Multitudinis autem credentium erat cor vnum, & anima vna: nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, ſua eſſe dicebat, ſed erāt illis omnia communia. Quem ſcripturæ locum tractans Hieronymus ad Demetriadem ait. In actibus Apoſtolorū, quando domini noſtri Ieſu Chriſti calebat cruor, & feruebat recens fides credentibus, vendebāt omnes poſſeſsiones ſuas, & precia ad Apoſtolorum ponebant pedes: vt oſtēderent pecunias eſſe calcandas: & dabatur ſingulis, prout opus erat. Hāc etenim vitam qui imitantur, cœnobitę vocantur: quæ vita tanto felicior eſt, quanto magis ſtatum futuri ſeculi imitatur: vbi ſunt omnia communia. De hoc ſtatu dicit Auguſtinus de communi vita & regula clericorum, in hæc verba: Non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia: & diſtribuatur vnicuique veſtrum à præpoſito veſtro victus & tegumentum: non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes: ſed potius, ſicut cuique opus fuerit: ſicut legitur in actibus Apoſtolorum: Quia erant eis omnia communia, & diſtribuebatur vniuerſis, ſicut opus fuerat. Qui aliquid habebant in ſeculo: quando ingreſſi ſunt in monaſterium, libenter velint illud eſſe commune: qui autem non habebant, non ea quærant in monaſterio, quæ nequaquam foris habere potuerunt: ſed tamen eorū infirmitati quod opus eſt, diſtribuatur: etiam ſi paupertas eorum, quando foris erant, nec ipſa neceſſaria poterant inuenire. Tamen non putent ideo ſe fœlices eſſe; quia inuenerunt victum & tegumentum, quale foris inuenire non potuerunt: nec erigant ceruicem, quia aſſociantur eis, ad quos foris accedere non audebant: ſed ſurſum cor habeant, & terrena vana non quærant, ne incipiant monaſteria vtilia eſſe diuitibus non pauperibus: ſi diuites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur. Et rurſus, ille, qui videbatur aliquid eſſe in ſeculo, non habeat faſtidio fratres ſuos: qui ad illam ſanctam ſocietatem ex paupertate venerunt. Magis autem ſtudeant non de parentum diuitum dignitate, ſed de pauperum fratrum ſocietate gloriari. Nec extollantur, ſi conuenerint de ſuis facultatibus cōtulerint aliquid: nec de ſuis diuitiis magis ſuperbiant, quia eas in monaſterio impertiuntur, quàm ſi eis in ſeculo fruerentur. Et quid prodeſt diſpergendo dare pauperibus, & pauperem fieri: cùm anima miſera ſuperbior efficiatur diuitias contemnendo, quàm fuerat poſsidendo? Tertius autem gradus paupertatis, in quo ipſius virtutis perfectio conſiſtit, eſt quo quis abdicato omnium rerum temporalium dominio tam proprio quàm communi, ſuſtentatur de non ſuo, id eſt, non ſibi proprio, nec ſuo collegio in communi;

Acto. 4.

Acto. 4.

ſed alieno, piè tamen ab alio ſibi pro ſuſtentatione collato. Hanc ſpecialis paupertatis formā tanquam perfectam Chriſtus in ſemetipſo ſeruauit, & Apoſtolis ſeruandam inſtituit: ac etiam ijs, qui ad perfectionem venire deſiderant, conſulendo ſuaſit. Oſtendit hanc dominus naſcendo, viuendo, & moriendo. In ſtabulo nanque dominus Ieſus naſcitur, & à Maria vili faſcia cingitur, & in præſepio inclinatur. Non erat ibi cedrina domus, nec lectus eburneus, in quo pareret omniū creatorem, & hominum poneret redemptorem, ſed velut exul & peregrina in aliena domo mundi peperit dominum, & tanquam fœmina pauper non ſericis, ſed pannis vilibus inuoluit, & in præſepio collocauit, quem vt peperit, ſtatim vt Deum adorauit. O ſtabulum fœlix, o præſepe beatum, in quo naſcitur Chriſtus, & reclinatur omnium Deus. Ibi fuerunt obſtetrices angelicæ poteſtates, & ſolatium angelorum, ibi erant millia millium exultantium: ibi vagiebat Chriſtus in ſtabulo, & fiebat lætitia magna in cœlo: plorabat in præſepio Chriſtus: & tamen de illo exultauit multitudo cœleſtis exercitus reſonans, gloria Deo in altiſsimis, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis: quia bonitas cęli nata eſt in terris. Deſcenderat pax vera de cęlo, et inde angeli exultantes decantant gloria in altiſsimis Deo. Non ſolum naſcendo, ſed et viuendo, et moriendo ipſam commendauit paupertatem. De qua Bernardus. Vt te domine Ieſu per omnia noſtræ paupertati conformares, et omnes vitæ noſtræ calamitates ſuſciperes, quaſi vnus de turba pauperum ſtipēdia, et eleemoſynam ſeriatim per oſtia mendicabas. Quis dabit buccellarum illarum manducatarum participem fieri, et illius diuini eludij adipe ſaginari? Nam et tantæ paupertatis fuit, vt in vrbe maxima in die palmarum nullum hoſpitium, nullā manſionem inuenire, ſed in agro paruulo apud Lazarum et ſorores habitaret. Noluit dominus habere, quod perderet: ne haberet diabolus, quod auferret. Volenſque in ſummæ paupertatis nuditate vitam concludere, nudus elegit in cruce pendere, et nudus mori, atque in alieno ſepeliri ſepulchro. Hanc quoque paupertatis perfectionem Apoſtolis ipſe dominus mandauit, dicens: Nolite poſsidere aurum neque argentum. Et alibi. Nihil tuleritis in via, neque virgam, neque panem, neque peram, neque pecuniam. Vnde Apoſtolus Petrus primus executor dominicæ ſententiæ oſtendens ſe non in vanum Saluatoris audiſſe mandata, cū poſceretur à paupere, vt ei aliquid pecuniæ largiretur, ait: Argentū et aurū non eſt mihi. Tamen nō tā in hoc gloriatur Petrus, quod aurū et argentū nō haber, quam quod ſeruat domini mandatum dicentis: Nolite poſsidere aurū. Ipſam et omnib. ſe ſequi volentib. ſuaſit, et præcipuè quieſcentibus, et ſolitariis Deo vacantibus: quod patet in ſanctis patrib. in Aegypto olim commoratis: de quibus ſic dicit Chryſoſtomus.

Luca 2.

Luc. 2.

Luc. 2.

Ioan. 2.

Mat. 10.

Acto. 3.

Nunc veniens in eremum Aegypti hanc reperi paradiſo meliorem effectam. Etenim eſt videre vbique in regione illa Chriſti exercitum, & ſpiritualis regni ipſius dignitatem, ac ſupernorum ciuium vrbanitatem. Extrinſecis rebus exuti, & mũdo omnino crucifixi ſunt ſumentes ad indigentiam cibum. Neque enim quando ieiunant, vacare per diem dignum exiſtimant: ſed apoſtolicũ ſumentes zelum manuum operibus inſiſtunt: noctes autem hymnis, ſacris vigilijs, & orationib. occupantur. Veneremur igitur omnes illos pauperes, qui nihil præter manus & corpus habentes impenſas de labore manuum ſuarum ſtudent acquirere, ac Dei laudib. & cõtemplationi aſsiduè vacare: quod nequaquam poſſent, ſi temporalia poſsiderent. Ex quib. omnib. perfectio & altitudo huius declaratur virtutis. Hæc nanque virtus cuidam puellæ pulcherrimæ cõparatur. Etenim oculus eius eſt purus, & præclarus, nihil habens turbulentum, ſed manſuetus, tranquillus, delectabilis, ad omnes reſpiciens, nullum odio habens, mitis & humilis. Os illi & lingua ſana eſt, plena gratiarum actione, & vtilibus amabilibusq; verbis abundans. Longanimis eſt, & longè quàm abundantia excelſior. Mat. 8. Luc. 9. Si eſurit paupertas, & Paulus eſuriebat: ſi non habet requiem, nec filius hominis habebat, vbi caput ſuum reclinaret: ſi autẽ fugiunt eã multi, ne mireris, ſiquidem & alias virtutes fugiunt inſipientes. Anima quidem inopis voluntarij fulget velut nitens margarita: floreſcit autem vt roſa, & redolet vt lilium: non eſt illi tinea, non furis timor, non ærugo conſumens, non ſolicitudo huius vitæ negociorum, ſed ſicut angelus, ita conuerſatur. Vis animæ huius videre pulchritudinem? Vis inopiæ diuitias addiſcere? Non ſubiacet dæmonibus, non aſsiſtit regibus: quia militat Deo, & cum angelis ipſi cęlorum regi famulatur. Non habet horrea, vbi grana reponat: ſed talem abundantiam, vt habere mundum vniuerſum nihil exiſtimet. Non habet, quod theſaurizet in terra: quoniam cuncta, quæ poſsidet, recondit cęlo. Non indiget ſeruis, magis autem ſeruos, poſſeſsiones, & cogitationes, quæ regũ corda dilaniant, regnum, aurum, & omnia talia, quẽadmodum puerorum ludibria deridet: & ſicut prę teriens vmbra cuncta, quæ omnibus cara videntur, exiſtimat fore contemptibilia. Quid paupertate melius? quid ſecurius? quid iucundius? Triſtentur omnes, cuncti gemant, formident vniuerſi: hæc ſemper hilaris, ſemper eodem vultu, eodẽ animo perſeuerat. Bonũ cęleſte præſtolatur poſſidere in cęlo: ideo nihil habet, quod poſsit amittere in terra. Frequenter euolat ad ſupernam patriam, vbi remuneratorem ſuum eſſe cognoſcit. Talis eſt pulchritudo, tales theſauri: et hęc eſt perfectio, & perfectionis celſitudo huius beatæ paupertatis: qua velut quodam monili ſe ornant, quicunque per internam dulcedinem, & cęleſtem contemplationem Deo adhærere deſiderant: & hanc vti fundamentum ſpiritualis exercitij, & adiutorium ſuæ exercitationis præcipuum aſſumunt. Nam Deo mundo corde vacare penitus non poteſt, quiſquis temporalium rerum implicatur amore, & diſtrahitur occupatione. Spiritus eſt Deus, & eos, qui eum adorant, oportet in ſpiritu & veritate adorare, Ioan. 4. vt vnum cum Deo efficiantur, quod eſt proprium quieſcentium, quorum vota ſurſum tendunt, & quorum exercitatio ſpiritualis eſt. Vnde ab omni affectione & cura per paupertatem voluntariam omnium temporalium liberi eſſe debent quatenus Deo liberius vacare queant. 2. Cor. 3. Vbi nanq; ſpiritus dñi, ibi libertas, vbi libertas, ibi pura cęleſtium contemplatio: quã contemplationem quicunque apprehendere feſtinat, paupertatem amplectatur: quę virtus inter cæteras non mediocriter commendabilis eſt. Ipſa ſui diuitem facit poſſeſſorem: ipſa etiam inter fructus huius ligni vitæ nonum ſortitur locum: apud autem Deum magnum meritum, qui eſt benedictus in ſecula. Amen.

DE VIRTVTE SOBRIETATIS, ET *ipſius virtutis deſcriptionibus, quæ inter fructus ligni vitæ decimum ſortiuntur locum.*

Cap. I.

Beatus qui tenebit, & allidet paruulos ſuos ad petram. Pſal. 136. Hanc ſententiam vir ſpiritu Dei plenus protulit, conſiderans quanta propter eſum ligni vetiti nec non & propter gulæ inordinationem euenerint mala hominibus. Ipſa nanque extitit cauſa ruinæ, & multorum malorum fomentum. Ea propter reſecanda eſt voluptas, & concupiſcentiarum ſunt amouenda fomenta. In omne malum ruiturus eſt quiſquis impetum voluptatis, & voracitatis non cohibuerit. Hæc nanque Loth in horrendum filiarum pertraxit concubitum: Gen. 19. hæc Noe verenda detexit: Ibid. 9. per hanc primogenituræ honore ſe priuauit Eſau: ipſaque multorum filiorum Iſrael ſtragem exercuit. Quid nanque mali ex gulæ inordinatione, atque ventris repletione non oritur? Eſt enim fomes libidinis, flagitiorum omnium mater, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, ſtomachi laſsitudo, ſubuerſio ſenſus, tempeſtas linguæ, procella corporis, naufragium caſtitatis, inſania voluntaria, ignominioſus languor, turpitudo morum, dedecus vitæ, honeſtatis infamia, animæque corruptela. Confundit naturam, amittit gratiam, perdit gloriam, & incurrit in damnationem æternam. Sanè igitur beatus ille eſt prædicandus, qui iuxta Prophetæ ſententiam hanc tenuerit, & paruulos concupiſcentiarũ cogitatus validè brachio ſobrietatis et Ibid. temperantiæ alliſerit ad petram. Ille.n. victor exiſtet, qui carnis deſideria ſtatim, vt procaciter prorumpunt, extinguit. Laborioſa quidem res eſt ardorem vẽtris edomare, et gulæ tẽperare impetũ.

Magnus

Magnus diſcretionis labor eſt exactori (id eſt vētri) aliquid impendere, et aliquid denegare, & dando naturam nutrire, et non dando gulam reſtringere. Vnde neceſſe eſt, vt contra carnis deſideria abſtinentiæ arma arripiat, quiſquis virtutē ſobrietatis contendit acquirere: tantoq; illam perfectius poſsidebit, quanto plus hæc ſub rationis dominio coarctauerit. Eſt nanque ſobrietas virtus, qua nimium ciborum appetitum rationis imperio reſecamus. Eſt etiam ſobrietas mentis & ſenſus, membrorumq; omnium corporis protectio, tutela caſtitatis, pudicitiæ proxima, & orationis ſingulare preſidium. Quæ virtus quum omnibus Deo placere volentibus ſit perutilis, præcipuè tamen quieſcentibus, & in contemplatione ſe exercentibus omnibus omnino eſt neceſſaria. Solitudo nanque & quies ſicut nouit emendatis moribus, & ſopitis concupiſcentiarum ſtimulis per ſobrietatis virtutem contemplationem puriſſimam reſerare, & intuitu ſynceriſsimo ſpiritualium ſacramentorum ſcientiam reuelare, ita eorum, qui minus emēdati ſunt, vitia, & eorum, qui ſe curis carnis & ventris occupant, non ſolū non corrigit vitia, verumetiam exaggerare cōſueuit, ac in opacas inſenſibilitatis & ignorantiæ tenebras cor adducit. Nequaquam enim mens noſtra ad contemplanda interna & cęleſtia prouehitur, niſi gulæ appetitum ſobrietate coarctauerit, atq; ab ijs, quæ exterius implicant, ſtudioſè ſe ſubtraxerit. [Luc. 21.] Quod dominus paucis verbis diſcipulos edocet, dicens: Videte, ne corda veſtra grauentur crapula, & ebrietate, & curis huius ſeculi: quia nūquam affectus veſter ad deſideria æternorū perfectè accendetur: neque intellectus ad cœleſtium contemplationem limpidè acuetur: niſi temporalium rerum occupationes reliqueritis, ac etiam curam carnis & curæ libidinem frequenter, fortiterque per ſobrietatem repuleritis. De qua virtute in conſequentibus dicetur: vt quàm ſit vtilis, quamve Deo grata exiſtat, eluceſcat, quatenus omnes, & maximè orationi vacantes inflammentur ad ipſam capeſcendam, vt cœlo facilius ſe conferant non habentes carnis concupiſcentias, quæ inordinatæ deorſum deprimant.

Quòd multis ſuaſionibus hortamur ad acquirendam virtutem ſobrietatis. Cap. II.

FAcile ad acquirendum plurimum efficitur, quod ſuaſionibus roboratur: vnde ad ſobrietatis virtutem plura nos hortari nequaquam negligendum eſt. Suadet nanque natura, vt ſobrietati operam demus. Innatum quippe eſt ab illo mundi conditore, qui nobis viuendi iura deſcripſit, vt ſobriè de ijs, quæ naturaliter procreantur, nutriamur, & ſaluti ſimus: nō vt delicatis delicijs vacemus: quæ miſerrimè & ſolicitè comparantur. Vtamur ergo hoc naturæ beneficio inter magna numerando, cogitemusq; nullo modo illam melius potuiſſe diſponere de nobis, quàm quia quicquid ex neceſsitate deſideratur, ſobriè & ſine faſtidio ſumatur. Suadent quoque ad ſobrietatem mala, quæ ex voluptatibus proueniunt. Nam quis hoſtis in quemquam ita contumelioſus fuit, ſicuti in quoſdam voluptates ſuæ? Quidam enim ſe voracitatibus, ac voluptatibus mergunt, à quibus in conſuetudinem adductis nequaquam declinari queunt. Ob hoc miſerum eſt, quod eo peruenerunt, vt quæ illis ſuperuacua fuerint, facta ſint neceſſaria. Seruiunt itaque voluptatibus, non fruuntur: & mala ſua (quod malorum eſt vltimum) amant. Hinc præterea oritur mentis hebetudo, rationis amiſsio, & mortis formidoloſa expectatio. Ab his variæ infirmitates, podagræ, febres, ventris torſiones, ſtomachi laſſitudines, & ſimilia generantur, quæ naturam hominis maculant, & corrumpunt. Econtrariò abſtinentia & ieiunium ſanitas eſt corporis, valetudo membrorum, mors culpæ, excidium delictorum, remedium ſalutis, radix gratiæ, & fundamētum caſtitatis, ac vitæ diuturnitas. Suadent etiam ad abſtinentiam & ſobrietatem exempla. Moſes [Exo. 34.] quippe quadraginta diebus abſtinuit ſe à cibo, vt legem accipere mereretur. Ipſum ieiunantem & abſtinentem non voces magnæ, non fulgura, nō nubes vmbroſa & fumigans Syna perterruit. Neque enim intraſſet in nubem, nec vocem Dei loquentis de medio ignis ſine periculo ſalutis audiſſet, niſi munitus ſobrietatis & ieiunij armis. Iudith [Judith 8.] quoque omne tempus viduitatis ſuæ his ſobrietatis armis, & abſtinentiæ munita peregit: et omnium Aſſyriorum circunuenit exercitum: ſobrij vigore conſilij abſtulit Holoferni caput: ſeruauit pudicitiam, & victoria reportauit. Heſter [Heſt. 4.] etiam pulchrior ſobrietate effecta, omne genus ſuum a perſecutione liberauit, ita vt regem ſibi faceret eſſe ſubiectum: [Rom. 13.] non libidinis ardore flammatum, ſed cęleſti miſeratione conuerſum. Sed & dominus Ieſus hanc præcipuè virtutem ſuo nobis commendauit exemplo, ne huic formaremur ſeculo: ſed crucifigamus ſobria abſtinentia veterem hominem, & carnis curam non faciamus in concupiſcentijs. Congruit nanque ſtatui noſtro, vt donec peregrinamur in hac miſeriarum & periculorum valle, reprimendarum carnalium voluptatum crucem nobis ipſis faciamus: ſicut Apoſtolus [Galat. 5.] dicit, Qui autem ſunt Chriſti, carnē ſuam crucifixerunt cum paſsionibus, & concupiſcentiis. In hac ſobrietatis cruce per totam iſtā vitam, quæ in mediis tentationibus poſita eſt, perpetuò debet pendere Chriſtianus. Non enim eſt in hac vita tempus euellendi clauos, de quib. Pſalmus: [Pſal. 118.] Confige clauis à timore tuo carnes meas. Carnes enim ſunt carnales concupiſcentiæ: claui verò vigor ſobrietatis & abſtinentiæ. His illas timor Dei configit: qui nos illi acceptabilem hoſtiam crucifigit. Quare ſi terreno limo greſſus nolumus immergere noſtros, de hac cruce minimè deſcendamus.

Quòd homo ſobrietatem exercere debet propter multa, quæ eidem per ipſam proueniunt commoda. *Cap. III.*

INter cætera diuinæ largitatis beneficia, hoc ab initio homini præſtitum eſt, vt ſemper bona concupiſcat, & ſuorum mercedem deſideret laborum: quatenus naturaliter apperat ſummum bonū: virtutes apprehendere feſtinet, quæ multorum ſunt cauſæ præmiorum in futuro, & donorum in præſenti. Vnde non mediocriter vti & reliquæ, virtus ſobrietatis, & abſtinentiæ allicere debet cor hominis ad ſe poſsidendam, quū de ipſa quàm plurima procedant commoda. Valet nanque hæc virtus ad corporis incolumitatē. Nihil enim ſic corpori iucundum eſt, atque proficuū, vt cibus ſobriè ſumptus & bene digeſtus: nec ſic ſenſuum acumen operatur, nihilq́; ſic ægritudinem fugat, vt moderata refectio. Sobrietas quippe nutrimentum præſtat corpori & ſoſpitatem: exundantia verò morbum facit, & moleſtias ingerit, atque ægritudines generat. Quod enim facit fames, hoc facit plenitudo ciborū: aut potius peiora. Fames quippe in paucis diebus aufert hominem, & liberat ex hac vita pœnali: exceſſus autem ciborum conſumit & computreſcere facit corpus humanum, & macerat lāguorib. diuturnis: inſuper perimit morte crudeli. Hæc quoque virtus ad iucunditatem præparat ſpiritualē. Nā ſi à carne hoc, quod ei libet, abſcidimus, mox in ſpiritu hoc, quod delectat, inuenimus. E contrariò ij, qui in delicijs, & comeſſationibus vitam ducunt, reſoluta quidem corpora, & omni cera molliora circumferunt. Quibus ad cumulum malorum, tremor & immatura ſenectus accedit: ſenſus verò tardi, graues & obtuſi, & quodammodo iam ſepulti. Ipſa etiam Deum glorificat. Si enim, o homo, quod manducas & bibis, ſumis ad refectionem corporis, reparationemq́; membrorum, gratias tribuens ei, qui neceſsitatem tribuit mortali & fragili, iſta ſupplementorum ſolatia, id eſt, cibus tuus, & potus, laudant Deum. Sobrietas ſimiliter ſeruat homini rationis libertatem. Nā de ſobrietate prodeunt caſtæ cogitationes, rationabiles voluntates, ſalubria conſilia, atq; per voluntarias afflictiones caro concupiſcentijs moritur, & virtutibus ſpiritus innouatur. Vbi autē eſt crapula, ratio ceſpitat, intellectus obtunditur, conſilia deuiant, iudicia ſubuertuntur. Hæc quoq; virtus membrum nobile, ſcilicet, os regit, & tēperat. Vir etenim ſobrius ſermones ſuos præcogitat, & examinat prius in pectore, quàm proferat in ore: qui autem comeſſationibus deditus eſt, nullo rerum pondere innixus, loquitur quæcunque animo ſuggeruntur. Alliga igitur, o homo, virtute ſobrietatis linguam tuam, ne incōſideratè loquatur, nec laſciuiat: ſed decēter proferat ſermones ſuos. Sub magna enim libraminis moderatione frænanda eſt, non inſolubiliter obliganda, ne aut laxata in vitium defluat, aut reſtricta à proximi vtilitate torpeſcat. Labilis enim eſt, & niſi cenſura virtutis cohibeatur, penetrat vt ſagitta, tollit amicos, multiplicat inimicos, mouet rixas, ſeminat diſcordias, vno ictu multos percutit, interficitq́ue. Blanda eſt, & ſubdola, lata, et parata ad exhauriendа bona, et miſcenda mala. Qui enim ſobrietate et temperantia cuſtodit linguam ſuam, cuſtodit animam ſuam: quoniam mors et vita in poteſtate linguæ eſt. Ipſa quoque virtus contra ſpirituales hoſtes nos viriliter promouet. Incaſſum nanque ad conflictum ſpiritualis agonis aſſurgimus, ſi non prius inter noſmetipſos hoſtis impoſitus, gulæ (videlicet) appetitus per ſobrietatē edomatur: quia ſi non ea, quæ in nobis ſunt viciniora, proſternimus, inaniter ad ea, quæ longius ſunt impugnanda, tranſimus. Superuacuè quippè contra exteriores inimicos in campo bellum geritur, ſi intra vrbis mœnia, ciuis inſidians habetur. Nam et Daniel trium hebdomadarum abſti- Dani 6.
nentia leones miteſcere fecit: miſſusque in lacū in adamantinam ſoliditatem ſobrietatis, abſtinētiæque rigore duratus, non potuit vulnerari. Sic enim diſpoſuerant membra ieiunia, vt in eius corpore ferarū morſibus locus eſſe non poſſet. Clauſa tenebant leones ora, quæ abſtinentia propheticæ ſanctitatis comprimebantur: vt ea feræ aperire non poſſent, veluti quibuſdam vinculis alligata. Sobrietas quoque ab igne luxuriæ protegit: Venter nanque cibo meroq́ue æſtuans, citò ſpumat in libidinem. Venter enim et genitalia vicini ſunt: et alter alteris ſubminiſtrat. Ex vicinitate quippe membrorum ſequitur confœderatio vitiorum. Ciborum autem ſaturitas carnis luxuriam ſuſcitat: edacitatis vitio, creſcit carnis tētatio, et ciborum repletioni ſemper libido adiuncta eſt. At contrà libido abſtinentia reſtringitur: et luxuria ſobrietate ſuperatur. O ignis infernalis luxuria, cuius materia gula, cuius flamma ſuperbia, cuius ſcintillæ praua colloquia, cuius fumus infamia, cuius cinis inopia, cuius finis gehenna. Cohibe gulam: et hæc omnia ceſſabunt. Nunquam enim poterit ardentes concupiſcentiæ ſtimulos inhibere: quiſquis deſideria gulæ refrænare nequiuerit. Interioris hominis caſtitas, virtutis ſobrietatis conſummatione diſcernitur. Nequaquam autem robuſtiorib. æmulis colluctari poſſe confidas eum, quem in leuiori, paruoq́ue conflictu conſpexeris ab inferioribus ſuperari. Superfluitates et temporaliū appetitum reſecat virtus hæc. Si.n. quod ſatis naturæ eſt, repellere indigentiam velis, nihil eſt, quod fortunæ affluentiā petas. Paucis.n. minimisq́; natura contenta eſt: cuius ſatietatem ſi ſuperfluis vrgere velis, aut iniucundum, quod infundes, fiet, aut noxiū: proptereà ſimplicior victus, et menſa mediocris, plurimum iucūditatis habet et pacis. Diuitum autem mēſæ execrabiles quodāmodo et horridæ: ac mēbrorum contaminationibus plenę. Ipſa quoq; vir

tus

Digitized by Google

tus præterita delet,& facienda præcauet delicta. Bona equidem & ſalutaris ſobrietas & abſtinentia,qua redimuntur æterna ſupplicia, dum remittit peccata. Non ſolum eſt abolitio peccatorum, ſed etiam extirpatio vitiorum: nec tantum obtinet veniam,ſed meretur & gratiam: non ſolum delet peccata,quæ commiſimus,ſed & repellit futura,quæ committere poteramus.Hæc eadẽ virtus mentem regit,ne a ſui ſoliditate deficiat. Fęlix planè ſobrietas & ſatietas ſalutaris, quæ quanto copioſius ſumitur:tanto abundantius ſobrietatem mentibus donare dignatur. Quum nanque moderata & ſancta ſit,ita corpus attenuat,vt mẽtem eleuet & regat: ne res humilitatis gignat ſuperbiam,& vitia de virtute naſcantur.Nam incaſſum per abſtinentiam corpus atteritur,ſi inordinatis motibus dimiſſa mens vitijs diſsipatur.Proinde per abſtinentiam, & ſobrietatem vitia carnis extinguenda ſunt,non caro. Sic prorſus neceſſe eſt,vt artem ſobrietatis quiſq; teneat,quatenus non carnem,ſed vitia occidat. Dam. Sępe enim dũ in illa hoſtem inſequimur,etiam ciuem,quem diligimus,trucidamus: & plerunq; dum quaſi conciui compatimur, ad prælium hoſtem nutrimus. Propterea modicus& ſobrius cibus & carni, & animæ,vtilis eſt. Sunt & aliæ plures vtilitates de virtute ſobrietatis procedentes,quæ ſub compendio dicendæ ſunt. Nam præparat ad munditiam, cauet Dei offenſam, vigilantiam ſeruat,miniſterio Dei idoneũ efficit, aufert diabolo ingreſſum in hominem, concupiſcenti carni contra ſpiritũ victualia aufert:hominem cuſtodit, & honorabilem reddit: atque à laqueis tentationum protegit.Nam ſicut piſces capiuntur hamo,& aues cõprehenduntur laqueo: ſic illaqueantur non habentes ſobrietatem refectionis tempore. Creaturæ enim Dei in laqueo ſunt, & in tentatione, & in muſcipula pedes inſipientium.

Quomodo poſſit acquiri ſobrietas,& quibus medijs.
Cap. IIII.

QVum eſurienti cibi dulcedo, & nutrimenti vtilitas commendatur,& ſitienti fontium abundantia propalatur, non remedium, ſed maior patienti generatur cruciatus, niſi modus tribuatur, quo ſuum ipſe patiens ſatiet appetitum. Sic de commendatione virtutum definiendum eſt.Nam,pręconijs efferre virtutem, & quo ordine ad ipſam poſsit perueniri, non oſtendere, nihil aliud eſt, quàm ſitienti frigidam demonſtrare aquam, & ei bibendi copiam denegare.Quare ad hoc euitandum poſt ſobrietatis & abſtinentiæ commendationem rectè ſubnectitur,quomodo valeat adipiſci,& quæ ſint illa, quæ ipſam faciant poſsidere. Plurimum nanque diſponit ad ſobrietatẽ acquirendam moderata occupatio. Semper enim aliquid agendum eſt, ne mens diſtracta per deſideriorum campos ſuis capiatur concupiſcentijs. Nã teſtante ſcriptura,deſideria occidunt pigrum:noluerunt enim quicquam operari manus eius:tota die concupiſcit & deſiderat, Prou. 21. Heb. 12. Eſau quippe amiſit primatus benedictionem, quia maluit cibum accipere, quàm quærere. Ocioſi enim mens nihil aliud cogitare nouit,quàm de eſcis,aut de vẽtre: & qui ocioſa quiete perfruitur, niſi ſpiritualiter vixerit,more pecudum vitam ducit.At contrà dũ plus iuſto caro per inordinatos labores affligitur etiam ab exercitatione boni operis eneruatur: vt ad orationem vel lectionem non ſufficiat, dũ incendia vitiorum quiſque in ſe funditus per labores ſuffocare feſtinat.Sed quemadmodum chorda in cithara ſi minus tenditur, non ſonat, ſi amplius raucum ſonat: ſic qui vel ocio tabeſcit, aut nimio labore laſſeſcit, digne Deo laudes per ſobrietatem reſonare non valet. Ideo quiſquis ſobrietatẽ Deo offerre feſtinat, magno ſibimet debet moderamine præeſſe:vt nec ad culpam caro per ocium tranſeat,nec ab effectu rectitudinis ex inordinata operatione langueſcat.Habilitat etiã ad ſobrietatem obtinendam fuga illarum rerum, quæ dant occaſionem cadendi,ſicut eſt delectabilitas,varietas & nimietas. Eccl. 21. Fuge(inquit ſcriptura)quaſi à facie colubri peccata. Si enim acceſſeris ad ea,ſuſcipient te.Qui autem ſenſuum curioſitati deſeruit,facilè corruit. Senſualis appetitus his viſibilibus paſcitur, his nutritur, in his delectatur, ignorans quàm pernicioſa ſit ipſorum adhæſio,quum reuera incautis ſit animæ mors. Gen. 3. Vidit(ſicut ſcriptum eſt)mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum,& pulchrum oculis, aſpectuq; delectabile:& tulit de fructu eius, & comedit,deditque viro ſuo,qui comedit:& aperti ſunt oculi amborum. Si autem auertiſſet Eua oculos ab aſpectu vetiti,minimè concupiſcentiam ipſius ſenſiſſet,ſed aſpexit,concupiuit,comedit,& maledictionis ſententiam incurrit:ſi radicem extirpaſſet,ſtetiſſet planè,nec ſibi,nec nobis varias calamitates acquiſiſſet. Ideo non licet intueri, quod non licet concupiſci.Promouet quoq; ad ſobrietatẽ obtinendã frequens cogitatio,qualis ſit caro futura poſt mortẽ. Nihil tam valet ad domanda carnis deſideria, quàm frequens mortis conſideratio,quæ carnẽ macerat,& exterminat. Quis.n. nõ erit ſobrius, quum meditatur corpus ſuũ poſt paululũ,cadauer putridum futurum? Tunc nanq; omnis eius tumor ceſſabit, omnis gloria conquieſcet,omnis amor deficiet. Voluetur in panno,ponetur in feretro,reuoluetur in tumulo, & exiguo facto interuallo mẽbrorũ robur marceſcet, oſsiũ cõpago diſſoluetur,& è carne fœdiſsima, vermes pullulabunt ex ore,ex naribus,ex oculis,qui eam morſib. deuorabunt acerrimis. Longè tunc erunt amici, qui eos abigant: nec ipſa ſibimet prodeſſe poterit.Reſoluetur quod relictum à vermib. fuerit in puluerem.Et vox domini cõplebitur,dicentis: Terra es,& in terrã reuerteris. Ibid. Verſemus hæc ſedulò in animo,& circũcidamus carnis concupi-

ſcentias. Nemo ſcit noſtrum, quàm propè inſtet terminus. Sic itaque formemus animum, tanquã ſit ad extrema ventum. Venientem nemo hilaris mortem recipit, niſi qui ſe ad illam diu compoſuerit. Nihil æquè proficit ad temperantiam omnium voluptatum, quàm aſsidua cogitatio breuis æui, & miſerandæ conſumptionis humanæ carnis. Memorare (ait ſapiens) nouiſsima tua, & in
Eccl. 7. æternum non peccabis. Qui enim quotidie recordatur ſe eſſe moriturum, contemnit præſentia, & ad æterna feſtinat. Ad hanc prætereà ſobrietatis
Apoc. 19. virtutem accendit mentem conſideratio futuræ cœnæ, de qua dicitur. Beati, qui vocati fuerint ad cœnam agni. Quis etenim non commutabit læto animo has carnales epulas pro æternis? Hæc nanque tanta auiditate appetuntur: quia ignorantur quæ promittuntur. Harum nulla eſt proportio. Temporales epulæ paſcunt corpus, & grauant: ingerunt carni delectationem, dum ſumuntur: & tamen poſt ipſam delectationem, quæ breui temporis interuallo finitur, ſubſequitur hebetudo, vel crapula, aut ventris inordinata protenſio, ſiue grauedo. Quæ cuncta ſi deſint, ineuitabilis ſuccedit reaſumendi cibi neceſsitas, eo laborioſior, quo frequentior. Cœleſtes autem epulæ, nec animam grauant, nec pœnam ingerunt: quin potius omnium ſuauitatum delectatione perfundũt comedentem: ita vt nec amplius aut aliud concupiſcere poſsit. O verè fęlix, & glorioſa ſatietas, o ſanctum conuiuium, o deſiderabiles epulæ: vbi nimirum anxietas nulla, nullum poterit eſſe faſtidium: quando ſatietas ſumma & ſummum inerit deſiderium. Inuitat quoque ad ſobrietatem frequens meditatio malorum quæ ſequuntur poſt ciborum ſuperfluitatem, videlicet, mors culpæ, interdum etiam corporalis mors, & poſtea mors æterna animæ & corporis. De quibus quoniam in præcedentibus vtcunque tractatum eſt, hic nequaquàm de ipſis dicetur. Optimum eſt ſobrietate edomare carnales cõcupiſcentias, & gratia ſtabilire cor. Hæc tranſeunt, gratia verò domini manet in æternum.

Quæ euitanda ſint ab ijs, qui ſobrietatis virtutem obtinere concupiſcunt, atque de eius perfectione. Cap. V.

QVicquid ſine modo geritur, neceſſe eſt, vt aut imperfectè fiat, aut imperfectũ relinquatur. Quare vt ad ſobrietatis perfectionem pertingere valeat, quiſquis eam adipiſci deſiderat, dignum eſſe duxi in hoc vltimo capitulo deſcribere, quibus modis ſobrietatis perfectio teneatur, & quanta ſint bona, quibus ditantur, qui ea potiri digni ſunt effecti. Primò ſummopere cauendum eſt, ne ſtatutum tempus comedendi nimium preueniatur, aut differatur. Recens nanque cibi perceptio tam in veſpertinis, quàm in nocturnis orationibus tenuem, leuemque ſenſum non ſinit inueniri. Ideo ſatis commodè & vtiliter hora nona refectionis tempus indultum eſt. In quo reficiens, ſe quicunque contemplationi vacare deſiderat, nõ ſolum in nocturnis vigilijs leuis & vacuus, verumetiam in ipſis veſpertinis ſolennitatib. digeſto iam cibo orationi aptiſsimus inuenietur. Secundò deuitãda ſunt cibaria lautiora & nimia ſtudioſitate cõdita. De hoc admonet Apoſtolus Petrus, dicens: Obſecro vos tanquam aduenas & peregrinos, abſtinere vos à carnalib. deſiderijs, quæ militãt ad- 1. Pet. 2.
uerſus animam. Ideo agendum eſt, vt palatum fames excitet, non ſapores. Sunt autem quidam, qui ſuperſtitioſum nimis in præparandis cibis ſtudium adhibent, infinita decoctionum, & condimentorum genera excogitant, modò mollia, modò dura, modò aſſa, modò ſale condita ſecũdum conſuetudinem prægnantium mulierũ varia deſiderantes, ita quod ibi deſudant coquorum artes & cum tanta ſolicitudine præparantur, vt deuoratis pluribus ferculis prima non impediant nouiſſima, & quum iam ſtomachus crebris ructibus repletum ſe indicat, nondum tamen curioſitas ſatiatur. Horum nanq; mores longe ſunt à pulchritudine ſobrietatis, quę paruo redimere ſtudet ſua deſideria. Tertiò, cohibendus eſt nimius cibi appetitus. Nam longè melius eſt moderatè carnib. ad tempus veſci, quàm ventuoſo legumine vſque ad ventris repletionem exaturari. Præcipuè quũ
Eſau non de carnibus, ſed de lente ſit reprehẽſus Gen. 25.
& de ligno Adam, non de carnib. ſit damnatus, Ibid. 1. 1. Reg. 14.
atque Ionatas ex guſtu mellis, non carnium mor Gen. 27.
ti iudicatus fuerit. Econtrariò verò Helias innoxie carnem comedit, Abraham angelos carnibus gratiſsimè pauit, & de ipſis ſua fieri ſacrificia præcepit Deus. Quartò, ne menſura in refectione excedatur inuigilandum. Nam abſtinentiæ ſic eſt adhibenda temperies, vt corpus nec ſaturitas excitet, nec inedia immoderata debilitet. Sic abſtinẽdum eſt, vt nõ palpet corpus, & reſpirare vix poſſit, ſed vt tracto eius appetitu, nec in lectionibus, nec in Pſalmis, vel vigiliis ſolito quid minus fiat. Quicunque igitur his prædictis temperata diſcretione vitam ſuam decorauerit, fatendũ eſt, quod ad celſitudinem pertigerit ſobrietatis. Quæ ſobrietas eſt recti iudicij tenax memoriæ, recordationiſque inſeparabilis vigor, ſapientiæ ſecretorum cuſtos, lectionum & doctrinæ capax, ſtudiorum ac artium bonarum diſcipula pariter, & magiſtra, ingeniorum & capiendarum rerum pediſſequa, bonæ famæ ſemper autrix, in cogitationibus ſalubria atque vtilia creans, virtutis ſingulare auxilium cuncta cum ratione diſponens. In congregatione honeſtorum ſeipſam ſemper ingerens temeritatem fugit, pericula cuncta declinat, mutuis officijs obtemperat, ſuperbiam deteſtatur, domum familiamque cum moderatione gubernat, & fidem ſibi committentibus ſeruat. Hæc denique virtus in animo ſe poſsidentis concupiſcentias frænat, affectus temperat, deſi-

deria

deria ſancta multiplicat, vitioſa caſtigat, confuſa ordinat, cogitationes prauas remouet, ſanctas ingerit, ignem libidinoſæ voluntatis extinguit, mentem placida tranquillitate componit, atque rotam ab omni tempeſtate vitiorum defendit. Hæ ſunt diuitiæ, quibus ſobrij ditãtur, hæ vtique ſunt gemmę huius, de qua dictum eſt, ſobrietatis, quibus redimiti ſunt, qui ipſam perfectè obtinent. Quæ virtus inter reliquas non mediocrẽ ſortitur locum, ſed in fructibus huius ligni vitę ex ſui dignitate, decimi gradus ſublimatur honore, apud verò cœleſtem regem ſummum meretur faſtigium, quia ſicut ex gulæ tranſgreſsione illata eſt homini confuſio & pęna, ita dignum eſt, vt pro virtute ſobrietatis ei conferatur honor & gloria in ſecula.

DE VIRTVTE HVMILITATIS SANctiſſimæ, quæ in Domino Ieſu pleniſſimè claruit, atque de ipſius diffinitionibus, quæ virtus in ordine fructuum ligni vitæ vndecimum ſortitur locum. Cap. I.

Pſal. 96. ALluxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ, vidit & commota eſt terra. Confeſſio hæc vox eſt intelligẽtis opera Dei, & mira ipſius dona rememorantis. Quid mirabilius, quidve iucundius dici poteſt, quàm quod Deus & Dominus noſter noſtri ſimilis fieri ſit dignatus? Præcellentiſsima eſt hæc ipſius dignatio, inaudita eſt à ſeculis talis deſcenſio. Excedit hæc gratia cæterorum donorum eius innumerabilem multitudinem, nec ex ſui incomprehenſibilitate ab hominibus explicari valet. Et quid mirum, cũ neque ipſa cælorum Deo famulantia agmina ad plenum id queant indagare? Stupent, mirantur, & venerantur humanam in Deum aſſumptam eſſe naturam. Contemplari mira & iucunda ſuauitate nõ deſinunt, quomodo homo Deus, & Deus homo effici dignatus eſt. Quod cùm plane non capiunt, laudant, magnificant, & quibus valent, votis extollunt diuinam bonitatem, quæ tam munifice ſe præbuit mortalibus, non tantum in aſſumptione naturæ, ſed etiam in humili conuerſatione. Mirantur nanque illum nunc latentem in vtero, nunc iacentem in præſepio, nunc lactãtem in gremio, rugientem, plorantem, in Aegyptum fugientem, & genitrici obedientẽ. Nec non tentatum, fatigatum, perſecutionem paſſum, venditum, captum, illuſum, conſputum, expoliatum, flagellatum, ſpinis coronatum, felle potatum, clauis cruci affixum, extinctum, & lancea vulneratum, inſuper in ſepulchro iacentem, tertia die reſurgẽtem, cum diſcipulis & inter diſcipulos apparentem, comedentem, benedicentem, & ad cęlos aſcendentem, atque ſpiritum emittentem. Præterea ipſum cernunt per diſcipulos, & in diſcipulis prædicantem, populos conuertentem, & per eoſdem miracula facientem. In qua admiratione nil aliud quam Deo laudes offerre poſſunt, qui tam eximijs operibus mortalium corda ad ſe trahere dignatus ſit. Eandem quoque inſpiciendo per ſpiritum vir Deo plenus, Deo gratias reddens, & futura tanquam præterita narrans aiebat. Alluxerunt coruſcationes tuæ, o Domine, idest manifeſtatę ſunt in carne paſsibili virtutes tuæ, doctrina tua, miracula tua orbi terræ. Vidit hęc homo Dei fide, ſpiritu, & oculis, & mota eſt terra. Mota sũt planè corda terræ hærentia, terrã diligẽtia, & terram poſsidentia. Aliter enim ad Deum nequaquam valebant conuerti homines. Non enim cognouerunt per ſapientiam Deum, ideo placuit ei per ſtultitiam prædicationis, per infirmitatẽ carnis ſanos eos facere, & contundere ipſorum durã ceruicem, atque per humilitatis virtutem ad ſuã gratiam & gloriam ſublimare, vt ſicut ſuperbia extiterat cauſa ruinæ, ita & humilitas fieret materia reconciliationis. Quæ humilitas perfectiſsimè elucet in vita et virtutibus ſaluatoris, quibus ſe cõparando homo quid de ſe æſtimare debeat, perſpicuè edocetur. Perfectio nanque ipſius humilitatis in nobis collocat fundamentum, dũ humana mens in illo miratur omnium cariſmatum plenitudinem, omniumque virtutum conſummationem, atque in ſe omnium vitiorum fomitẽ et tranſgreſsionem. In lumine virtutum ipſius illuminatur de ſe corruptibilis homo, et per cognitionem eius veram de ſe profert ſententiam humilitatis. Confitetur in ipſo omnem diuinitatis plenitudinem habitare, et in ſe nullum habitare bonum. Magnificat dignitatem illius, et ſuipſius prędicat vilitatem. Ob quam confeſsionem humilẽ ſuorum veniam obtinet delictorum, et multarũ percipit plenitudinem gratiarũ. Sicut enim Deus ſuperbis reſiſtit, ita et humilibus dat gratiam. Humiles nanque ſunt, qui propriæ infirmitatis conſcij ſunt. Nam ſic deſcribitur humilitas. Humilitas eſt virtus, qua homo veriſsima ſui cognitione ſibimetipſi vileſcit. Item humilitas eſt ex intuitu propriæ conditionis volũtaria mentis inclinatio. Eſt quoque humilitas contritæ animæ ſenſus, et voluntatis propriæ abnegatio. De qua virtute in conſequentibus dicetur, quatenus et per hoc prouocemur ad ipſam obtinendam, et cum ipſa gratiam et gloriam acquirere valeamus. Quæ virtus omnibus neceſſaria eſt, et præcipuè quieſcẽtibus et Deo per orationis exercitium vacare volentibus, quia nunquam poterit quis Deo veraciter inhærere, ſi non fuerit hac virtute munitus. Ex viſitationibus nanque Dei ſuperbus intumeſcit, alijs ſe præponit, et deterior efficitur. Vnde neceſſe eſt, vt humilitate polleat, quiſquis ad Dei cõtemplationem propinquare feſtinat. Meritò igitur ante orationis tractatum de humilitate dicendum eſt, vt ſtrenuus Chriſti pugil humilitatis armis munitus, liberè et abſque ſui detrimento poſsit in campum, et latitudinẽ contemplationis ſe trãſferre, vt tanto in ſuſcipiendis ſpiritualibus donis fiat dignior et capacior, quanto per humilitatis virtutem extiterit in ſe profundior et abiectior. Quod

1.Cor. 1.

Colo. 2.

1.Pet. 5.

Quod propheta referans Domini Saluatoris ad uentum,paucis manifeſtat verbis. Inquit enim,
Eſa. 40. Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur. De quibus in conſequentibus dicetur Domino auxiliante.

Quòd verbis & exemplis Saluatoris noſtri, aliorumque ſanctorum nota efficitur laus & excellentia humilitatis. Cap. II.

Regum gloria ex numeroſitate, & nobilitate dignoſcitur ſubditorum, ſcientia ex facundia & ſufficientia clareſcit diſcipulorum, & virtutum prærogatiua nota efficitur ex autoritate atque dignitate commendātiū. Vnde quum nunc deſcribenda ſit humilitatis relſitudo,cauſa,gradus,& perfectio, dignum eſt, vt prius magiſtri humilitatis verba & exempla ponantur, quatenus quantæ excellentiæ ſit hac virtus,pateat,quæ à Dei filio Domino Ieſu prædicata extitit, & operibus comprobata. Quum enim turbas alloqueretur fidelium,nunquid ait, diſcite à me cœlum fabricare,mortuos ſuſcitare,varia infirmitatum genera ſanare,ſublimia loqui,& futura prædicere? Non. Sed quid docuit?quid loquutus eſt?Diſcite à me, ait ſapientia Dei, ait verbum,per quod facta ſunt omnia vniuerſa ordinata.
Matt. 11. Diſcite(inquit)non verbis,non diſputationibus,ſed operibus a me, qui feci vos, qui quæſiui, qui inueni,qui in humeris meis ad patris præſentiam, ad ouile meum miſericorditer reportaui, quia mitis ſum,& humilis corde. O verbum dulce,& doctrina ſaluberrima,breue eloquium,profundus ſenſus,& veneranda ſententia,quid dulcius,quid facilius,quid efficacius fari potuit,quo cōuerterentur corda hominū à vanitate ad virtutē,ab errore ad veritatē, ab exteriorib.ad ſeipſos, à creaturis ad Deū ſuū? Prorſus deteſtanda & miſerabilis præſumptio eſt audire, & oculis fidei cōſpicere Deū ſuū mitem & humilem,& velle ſectari honores, appetere dignitates,& alijs præeſſe deſiderare.
Pſal. 117. Diſcat homo putredo & vermis, puluis et cinis ſe humiliare. Imitetur regē gloriæ,qui quū eſſet Dominus omnium, factus eſt opprobrium hominum & abiectio plebis, vt ſuo omnes prouocaret exemplo. Quis vnquam in vita ſua,in actibus ſuis ſic ſe deiecit,ne ſe exinaniuit, ſicut Dominus Deus noſter, Saluator & Redemptor noſter? Omnis eius conuerſatio, quàm in hac peregrinatione habuit cum hominibus, humilitatis exemplar extitit & perfectio. Quæ vt clarius eluceſcat,diſcutienda eſt breuiter, vt videat homo, quo affectu, quave ſedulitate debeat ipſe ſectari humilitatem, quam ſic Dominus Ieſus in vita ſua oſtendere dignatus eſt. Primo nāque de matre pauperrima naſcens & humili,virtutem nobis humilitatis commendauit. Fulget planè dignitas & humilitas Chriſti,non quia magnos progenitores habeat & potentes,ſed quia exiguos & viles. Sicut enim mirabilis iudicatur, non quia mortuus tantum eſt, verum quia etiam crucifixus, ſic etiā in generatione illius dici poteſt,quod non ſolum quia ſuſcepit carnem & homo factus ſit, admiratione exiſtat dignus,ſed quia etiam progenitores tales habere dignatus eſt, nihil de noſtris vilitatibus erubeſcens. Per iſta proculdubio docens, quod nos quoque de vilitate nunquam erubeſcamus parentum,ſed ſemper quæramus nobilitati propriarum honore virtutum. Non eſt omnino, non eſt de nobilitate, aut vilitate parentum laudandus aliquis,vel vituperandus, ſed de ſuarum decore virtutum,ſiue deformitate culparū. Nullus igitur in ſuperbiam de gloria eleuetur parentum,ſed conſiderans progenitores dominio, omnem euacuet et comprimat mentis tumorem, et ſolis virtutibus glorietur. In natiuitate ſimiliter hanc humilitatis virtutem prædicauit exemplo. Quum enim paſtoribus annunciatus,quæſitus et repertus fuiſſet, nunquid inuenerunt palatium marmoribus ſplendidum? nunquid aulam regiā diuerſis populis perſonantem? nūquid clypeatas militum cateruas? nunquid equos regalibus phaleris inſignes? nunquid currus auro, argentoque fulgentes? nunquid matrem eius diademate coronatam,aut in lecto eburneo recumbentem? nunquid puerum et byſſo et purpura inuolutum? Vtique non. Sed potius anguſtum et humile tuguriū vile,qualidumque præſepium,et imagis animalibus,quàm hominibus aptum,puerum vilibus pānis inuolutum, matrem vix tunicam habentem vnam,non ad ornatum corporis,ſed ad tegumentum nuditatis. Circuncidi quoque voluit, quod eſt præcipuum humilitatis exemplum. Nam veſtigium nullum habens Dominus Ieſus, alligaturā vulneris non refugit. Non ſic impij, non ſic agit peruerſitas elationis humanæ. Erubeſcit vtique peccator vulnerum alligaturam,et plerūque vulneribus gloriatur,et qui ſine initio eſt, ac omniū ſeculorum dominus, non eſt dedignatus peccator reputari. Confundatur igitur humana temeritas, et humilietur exemplo humilitatis Chriſti, qui voluit pro vtilitate peccatorum peccator exiſtimari. Quid plura? Voluit præſentari in templo, et redimi peccator. Fugit in Aegyptum vt impotens, ſubdidit ſe parentibus, et omnem exercuit humilitatis formam in victu,in peregrinatione, in diſcipulorum electione, in neceſſitatibus in anguſtiis, in perſecutionibus, in opprobriis, in paſſione et morte. Quæ quum nota ſint,et humanum tranſcendant intellectū,magis ſilentio prætereunda ſunt, quam paucis et incompoſitis explicanda verbis. Omnis nanque, quam Deus in homine exercuit,conuerſatio cum hominibus,ſumma et inexplicabilis eſt perfectio humilitatis,quæ eo eſt venerabilior,quo incomprehenſibilior. Imitanda tamen eſt,quia ad hoc oſtenſa. Non ſolum in vita Chriſti Ieſu relucet excelſæ virtus humilitatis,ſed etiam in ſanctis omnibus, qui ipſius Domini imitatores extiterunt,et præcipuè in Saluatoris

uatoris

Luc.1. uatoris mundi genitrice,ſicut eadem teſtatur,dicens,Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ,ecce enim ex hoc beatam me dicēt omnes generationes.Ecce quàm humilis quàm vilia de ſe ſenſit,& totum diuinæ gratiæ tribuit.Iudicio ſuo monſtrauit ſe humilem,ſed reſpectu ſupernæ gratiæ ſublimem,vt quod natura in primis parentibus per ſuperbiam perdiderat,per ipſius humilitatem acciperet.Ideoque verbum patris per humilitatis ſuæ meritum carnis ſubſtantiam,quam ſibi vniret,aſſumpſit, & tunc ad eam, quam prius abiecerant naturam ſublimandam per miſericordiam reſpexit.Et quoniam,quod erat,humiliter recognouit dicendo ſe ancillam, ſublimiter quod non erat, matrem eſſe promeruit.Nam ipſa beata virgo non à filio ſuo Domino noſtro cœlos didicit fabricare,non angelos creare,non mirabilia,& diuinitatis inſignia perpetrare,ſed ſe humiliare, cæteraque documenta virtutum intra humilitatis cuſtodiam aggregare,vnde & in ſe ſolam humilitatem reſpexiſſe fatetur Dominum, quæ cuſtos eſt cæterarum virtutum.Collocauerat enim in tuto ſtationis portu ſublimia meritorum ſuorum exerci-
Num.12 tia,& ideo eſt diuinitus ſic illuſtrata,Propter hanc quoque virtutem Moſes,qui erat mitiſsimus ſuper omnes homines, qui illo tempore morabantur in terra , qui ſe Domino excuſabat, dicens,
Exod.3. Quid ſum ego,vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſrael de Aegypto,meruit audire.Cōſtitui te Dominum Pharaonis. Per ipſum etiam fecit Dominus ſigna,& prodigia ingentia,& eduxit populum Dei de domo ſeruitutis, & cum illo facie ad faciem loquebatur,ſicut amicus cum ami-
Iud.6. co.Quid de Gedeone dicēdum, qui dux & iudex populi ſui conſtitutus eſt propter humilitatem? Hanc oſtendit.Quum enim Dominus diceret ipſum Iſrael liberaturum de manu Madian,reſpondit,Obſecro mi Domine,in quo liberabo Iſrael? ecce familia mea infima eſt in Manaſſe,& egō mi-
1.Re.15. nimus in domo Patris mei.Pro hac etiam virtute ſublimatus eſt Saul in regno,audiuitque à Domini Propheta, Nonne quum paruulus eſſes in oculis tuis,caput in tribubus Iſrael factus es? Vnxitque te Dominus in regem ſuper Iſrael, miſitque te,& ait,Vade & interfice peccatores, & cætera. Et quoniam in ipſa virtute ſe minimè cuſtodiuit, audiuit ab eodem Propheta, Pro eo ergo quòd abiecisti ſermonem Domini,abiecit te Dominus ne ſis rex . Dauid ſimiliter hac virtute decoratus ad regni faſtigium,quia humilis erat, prouectus eſt.Hæc Hieremiam,Eſaiam,Danielem,cæteroſque Prophetas inſignes fecit.Ipſa Petrum , Paulum,Ioannem,& omnes ſanctos ſublimes reddidit. Et vt paucis excellentiam humilitatis concludam ſermonibus, nemo abſque illa Deo placuit, & nemo cum illa diſplicuit.

De multiplicibus effectibus virtutis humilitatis. Cap. III.

NOn tantum ex autoritate ac dignitate commendantium, ſed etiam ab ipſius virtutis effectibus fulget magnitudo humilitatis.Hæc nanque eſt,quæ Dei gratiā meretur.Nam qui de ſuis cōfidit meritis,& proprijs innititur operibus,in cor illius non intrat gratia. Nimirum plenus eſt, nec in eo inuenit gratia locum ſuum.Sicut autem nō patitur natura vacuū, quin illud repleat,ſic nec gratia humilem, quin illi ſe infundat.Humiliare igitur,ò homo,Deo, euacua cor tumore elationis, quia tanto perfunderis abundantiori gratiæ ſuauitate,quanto mundior fueris fece præſumptionis.Ipſa virtus humilitatis eos,qui ſe poſsident, glorificat, ſicut ſcriptum eſt, Qui humiliatus fuerit, erit in gloria, et quicunque inclinauerit oculos , ipſe ſaluabitur. Nam gloriam præcedit humilitas.Quicūque igitur deſiderat primatum cœleſtem, ſequatur humilitatem terreſtrem. Non enim qui maior fuerit in honore,ille maior, ſed qui fuerit humilior, ille maior.Hæc ſapientiam in hominem introducit.Sicut enim qui theſauros effodit, terram reijcit,foueam in altum facit, & ſedulus inſiſtit, donec inueniat,quod quærit,ſic qui theſauros ſapiētiæ reperire deſiderat,omne pondus terrenū à ſe abijciat, in ſe foueam humilitatis agat, nec quieſcat,donec ad id pertingat,quod cupit.Ipſa nāq; ſtultitia angeli,fuit elatio cordis. Vera autem ſapientia efficitur homini humilitas ſuæ æſtimationis.Hæc charitatem reparat. O homo,qui per elationem amiſiſti charitatem,fode in te fundamentum humilitatis, & attinges ad faſtigium amiſſæ charitatis, quia ſola eſt virtus humilitatis, amiſſæ reparatio charitatis. Hæc virtus de hoſte triumphat,de ſuo vulnere roboratur,de infirmitate fortior efficitur.Ipſa nanque pacatiſsima eſt,in paupere grata eſt, in diuite glorioſa , inter inimicos blanda,inter amicos officioſiſsima, in contumelijs pacifica,non extollitur proſperis, non immutatur aduerſis,non extorquet ſeruum,non quærit voces laudantium, quia ſe laudatione nouit indignam.Nam ſuperbia accipit corticem, humilitas nucleum,illa florem,iſta fructum,illa pulchrū, iſta bonum,illa opinionē,iſta veritatem,illa aſcēdit,& proſternitur,iſta deſcendit,et exaltatur.Sola eſt humilitas,quæ non ſolet gloriari,non nouit præſumere,contendere non conſueuit,nō exclamat in iudicio, non prætendit iuſtitiam. Ipſa eſt radix virtutum.Non enim poſſumus venire ad libertatem,non poſſumus habere charitatem,non valemus ſeruare vnitatem ſine hac. Vnde veraciter illa in nobis virtus pullulat,quæ in radice propria,ſcilicet,humilitate perdurat.A qua nimirum ſi abſcinditur , areſcit, quia viuificantem ſe interius humorem humilitatis perdidit. Hæc virtus hominem gratum, Deo & hominibus reddit.

Nempe

Digitized by Google

Nẽpe nihil adeò efficax eſt ad exhibendum, ò homo, te cunctis beneuolum, quàm ſi vitæ merito & humilitatis extiteris decorus. Sequere humilitatem, non quæ oſtenditur, atque ſimulatur geſtu corporis, aut ficta voce verborum, ſed quæ puro cordis affectu exprimitur. Nam aliud eſt virtutẽ habere, aliud virtutis ſimilitudinem oſtẽtare. Sed illa deformior eſt ſuperbia, quæ ſub quibuſdam ſignis humilitatis latet, quia tunc turpiora ſunt vitia, quando ſub virtutis velamine teguntur. Ipſa humilitas eſt turris fortiſsima ſeruorũ Dei. Quũ enim in ſublimi ſunt humiles poſiti, vnde ſe in omnibus deſpiciunt, inde contra omnia ſecuriores, & ſuper cũcta altiores fiunt. Abſtrahunt profectò abſque humilitate à recto fine diuitiæ, honores & pompæ, quæ opinione noſtra chara ſunt, precio ſuo vilia. Nihil habent magnificum, quo mentes noſtras ad ſe trahant, præter hoc, quod admirari illa conſueuimus. Non enim quia concupiſcenda ſunt, laudantur, ſed concupiſcuntur, quia laudata ſunt. Securo igitur greſſu inter ipſas pergit humilis, qui in ſui cognitione ſe collocans: tanto cunctis eſt fortior, quanto ſe cæteris ſentit abiectiorem. Ipſa virtus eſt omni lapide precioſo præſtantior, omni flore elegantior, omni odoramento fragrantior. Nam aliter redolet flos vuæ, quia magna eſt opinio prædicatorũ, qui inebriãt mentes audientium. Aliter flos oliuæ, quia ſuaue eſt opus miſericordiæ, quod refouet & lucet. Aliter flos roſæ, quia mira eſt fragrantia, quæ rutilat & redolet ex cruore martyrum. Aliter flos lilij, quia candidatur vita carnis de incorruptione virginitatis. Super hos autem omnes ſpargitur flos violæ, quia virtus humilium, vltima loca per humilitatem tenet, eo de ſe vberiorem odorẽ emittit, quo ſe intra ſe, ne agnoſcatur, includit, & quũ in hominum aſpectibus nullius decoris agnoſci concupiſcit, ante faciem Dei extat glorioſa, & odore ſuo ſuauiſsimo regem cœli miro ad ſe trahit affectu. Propter hanc humilium humilima Maria mater Dei meruit nuncupari & eſſe. Hoc ipſa pſaltria egregia proteſtatur, quum dicit, Quia re-
Luc.1. ſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Hanc ſectemur, hanc totis præcordijs amplectamur, hanc cunctis delicijs præponamus. Tunc enim ſublimes erimus coram Domino, quum præ omnibus nos videbimus abiectiores. Tunc redolebimus,
Gen.27. tunc audiemus Dominum clara voce dicentem, Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus, qui regnat in ſecula.

Quibus conſiderationibus peruenire poteſt homo ad humilitatem, & quòd multa commoda conferantur ex iugi mortis memoria. Cap. IIII.

IN humanis peragendis rebus duo potiſsimũ neceſſaria ſunt, vt ad perfectum attingatur opus, æquè in adipiſcendis virtutibus perſpicuum eſt, & præcipuè ad acquirendam humilitatem, de qua præſens tractatus inſcribitur, videlicet, conſideratio eorum, quæ ad propoſitum habilitant opus, & actus operi conformis. Quare ad inſinuandum, qualiter homo Dei valeat humilitatem poſsidere, hæc duo inferenda ſunt. Plurimum nanque ad humilitatis virtutem noſtra nos trahit conſideratio, tum ex parte corporis, tũ ex parte animæ. Quis etenim ſe extollet, ſi carnis ſuę originem, vitæ calamitatem, & finem diligenter inſpexerit? Recogita, ò homo, vt humilieris, originem tuam. Intellige vnde venis, & erubeſce, aduerte ex quo conciperis, & humiliare. Nam in putredine conciperis, in ſordibus generaris, in latebris confoueris, & in doloribus parturiris. Formatus es nempe, ò homo, de puluere, de luto, de cinere (quodque vilius eſt) de ſpurciſsimo atque fœtidiſsimo ſanguine, in prurit u carnis, in feruore libidinis, in fœtore luxuriæ, & (quod deterius eſt) in labe peccati, in obligatione delicti. Primã
vocem plorando emittis, vtpote vallem ploratio- Sap.7
nis ingreſſus. Sed & hoc conſiderare non negligas, quod ſingula quæque naſcentia propria quędam habent munimenta, quibus naturam ſuã ab incommodis defendunt. Cortex ambit arborem, penna regit volucrem, piſcem ſquamma operit, lana ouem induit, pellis iumenta & feras veſtit, concha teſtudinem excipit, ſolus homo inermis naſcitur & nudus, vt eo ad humilitatem fiat pronior, quo ſe cæteris rebus in ipſo ſuæ natiuitatis primordio intuetur abiectior. Qualis verò ſit hominis progreſſus, dum viuit, facile (ſi conſideretur) agnoſcitur: Tantis nanque malis vita ipſius repleta eſt, vt comparatione eius mors remediũ putetur eſſe, non pœna. Hanc enim humores tumidant, dolores extenuant, ardores deſiccant, inſaniæ morbidant, eſcæ inflant, ieiunia macerant, ioci diſſoluunt, triſtitia conſumit, ſolicitudo coarctat, ſecuritas hebetat, diuitiæ iactant, paupertas deiicit, iuuentus extollit, ſenectus incuruat, infirmitas frangit, & poſt hæc omnia mors interimit, vniuerſis gaudijs finem imponit, ita vt cùm eſſe deſierint, nec fuiſſe putentur. Quo autẽ fine claudatur hominis caro, inſinuant ipſa ſepulchra oſsibus plena, fœtoribus intolerabilia, vermibus referta. Nam poſt hominem vermis de ea generatur, poſt vermem fœtor & horror exhalat. Sicque in non hominem vertitur omnis homo. Igitur ò ſeculi amatores, ò carnis concupiſcentiarum fautores, Quum fex, cùm limus, cum res viliſsima ſimus vnde ſuperbimus? Quare corporis noſtri miſeriã non conſideramus. O mira fatuitas, ò ſtupenda cęcitas, ò dedignanda vanitas cordis noſtri, cuius ceruicoſos motus omnino domare nõ poteſt humilitatis tanta materia, quin adhuc ſuperbiat puluis & cinis. Ex parte autem animæ plurimum humiliamur, ſi culpæ grauitatẽ diligẽter intuemur. Diabolo nanque vtcunque peiores ſumus, cùm peccamus, quoniam diabolus nulla præcedentis peccati vindicta ſuperbiens peccauit, nos autem

vi'a

Digitized by Google

viſa eius pœna contemnentes ad peccatum properauimus. Ille in innocentia conſtitutus, nos reſtituti, ille perſtitit in malitia Deo reprobāte, nos Deo reuocante, ille induratur ad puniētem, nos ad blandientem, & ſi contra Deum omnes, ille cōtra non requirentem ſe, nos contra morientem pro nobis. Sed quid mirum, ſi humiliamur in ſtatu culpæ talia conſiderantes, cùm etiam non mediocriter humiliemur in ſtatu gratiæ infirmitatē animæ intelligentes? Nonne ſe per humilitatem deiiciet homo, ſi ſolerter conſpiciet in ſe negligētiam proficiendi, difficultatem ſtandi, facilitatem cadendi, laborem reſurgendi, & debilitatem vitia vincendi? Hæc ſunt nempe, ô homo, in quibus gloriari potes, ſi tamen hæc gloriam merentur. Age ergo pœnitentiam in cinere & fauilla, & pro tua elatione gemitus compūctionis emitte. Dic ad Dominum humili voce, & vera confeſsione. Psal.118. Humiliatus ſum vſquequaque Domine, viuifica me ſecundum verbum tuum. Conſideratio etiā propriorum defectuum cauſat humilitatem. Propterea ſancti viri, vt humilitatis in ſe pariant & nutriant virtutem, quum quædā mirabiliter faciūt, ante mentis oculos ſtudent reuocare, quod nondum agere queunt, vt dum ex vna parte conſiderāt infirmitatem ſuam, ex ea parte, qua perfectus eſt eorum animus, nō ſe extollant. Vnde qui pleniſsimè per ſui cognitionem ad humilitatem tendere nititur, talis nimirum debet conſpicere, qualis non eſt, quatenus ex bonorum forma metiatur, quantum ipſe deſerto bono deformis ſit. Lucem enim debet intueri, qui vult de tenebris iudicare. Lumen nanque propriȩ intelligentiæ virtutem generat humilitatis. Ideo quanto quis maioris gratiam intelligentiæ percipit, tanto amplius reprehenſibilē ſe eſſe cognoſcit. Reſpectus quoque meliorum acquiſitio eſt humilitatis. Si enim incentiuum elationis eſt intuitio deterioris, nemo dubitet, quin in cautela humilitatis eſt conſideratio melioris. Nam ad humilitatis gloriam ille citò feſtinat, qui aliorum bona ſubtiliter penſat, quia dum ea, quæ ſunt fæliciter facta foris ab alijs aduertit, eum qui de ſingularitate victus erumpere nititur, ſuperbiæ tumorem premit. Cogitatio inſuper mortis & corporis reſolutionis virtutem in nobis gignit humilitatis. Neceſſario nanque timor & conſideratio futuræ mortis mentem cōcutit, & quaſi eleuans omnes carnis motus & ſuperbiȩ, ligno crucis affigit. Conſidera ergo frequenter, ô homo, te iam mortuum, quem ſcis te de neceſsitate moriturum. Diſpice qualiter oculi vertentur in capite, venæ rumpentur in corpore, & cor ſcindetur dolore. Talis exercitatio cogitationis fomitem magnum parit humilitatis. O bona mortis conſideratio, quis quanta per te acquirantur emolumenta, valet intelligere? quis poteſt capere? quis propalare? Plura profectò de te eueniūt commoda. Nam vtilis eſt tui memoratio ad fugādum vitiorum exercitum, & fugiendos peccatorum laqueos. Qui enim vigilanter animaduertit, qualis erit in morte, erit ſemper pauidus in opinione, ac inde in oculis ſuis quaſi non viuit, vnde veraciter in oculis ſui conditoris viuit. Nil quod tranſeat, appetit, cunctis vitæ præſentis deſideriis contradicit, & penè mortuum ſe conſiderat, qui moriturum ſe minimè ignorat. Perfecta nanque vita eſt mortis recordatio, quam dum iuſti ſedula mente pertractant, culparum laqueos valenter euadunt. Facilè relinquere mundum facit mortis memoria. Nihil enim tam proficit ad contemptū omnium rerum, quàm frequens cogitatio mortis. Quotidie nanque morimur, quotidie diminuitur aliqua pars vitæ, & tunc quoque decreſcimus, quum vita creſcit. Infantiam amittimus, deinde pueritiam, poſtea adoleſcentiam vſque ad extremum. Quicquid tranſit temporis perit, & ipſum, quem agimus, diem cum morte diuidimus. Non ergo laborioſum eſt relinquere, quod teneri nō poteſt, imò quod ſingulis amittimus horis. Conſideretur vitæ terminus, & non erit in hoc mūdo, quod ametur. Solicitum quoque exhibet hominem ipſa mortis cogitatio. Congruè vnuſquiſque diem nouiſsimum formidare debet, & ſuum vltimum diem aſsiduè meditari (quia nullus ſcit, qua hora veniat) ne quum venerit, fortè imparatum reperiat. Nam ad hoc cōditor noſter latere nos voluit finem noſtrum, diemque noſtrȩ mortis eſſe incognitum, vt dum ſemper ignoratur, ſemper proximus eſſe credatur, & tanto quiſque ſit feruentior in operatione, quāto incertior eſt vocatione. Propterea omnis dies velut vltimus ordinandus eſt, quia qualem inuenerit vnūquenque ſuus nouiſsimus dies, cùm de hoc ſeculo egredietur, talis in die nouiſsimo iudicatur. A mortis pauore efficaciter liberat mortis recordatio. Nullus nanque noſtrum ſcit, quàm prope nos vitæ verſetur terminus. Sic itaque mentem ordinemus, tanquam ſi mori oporteat. Venientem nemo hilaris mortem ſuſcipit, niſi qui ſe ad illā diu compoſuerit. Sed hoc mirum, quod nemo tā imperitus eſt, vt neſciat ſibi quandoque moriendū, tamen cùm propè acceſſerit, tergiuerſatur, tremit & plorat. Quid autem fles miſer? quare trepidas? cur exire dubitas? Omnes hac neceſsitate ducuntur, eo ibis, quo omnia eunt, ad hanc legem natus es, hoc patri tuo accidit, hoc matri, hoc maioribus, hoc & omnibus ante te, ſed nec ambiguus ſis quia etiam hoc cunctis poſt te. Quantus te populus moriturum ſequetur? quantus comitabitur? Fortior (vt opinor) eſſes, ſi multi tecum morerētur. Sed multa milia hominum hoc ipſo momento, quo tu mori dubitas, animam variis generibus emittunt. Nil (fateor) melius æterna lex fecit quàm quod vnum introitum dedit ad vitam, exitus multos. Sed neque ipſa natura quicquam breuitate vitæ contulit præſtantius, tot periculorum genera, tot morbi, tot metus, tot curæ, toties inuocata mors eſt, vt nullum frequentius ſit votum. Faten-

ten-

tendum igitur eſt mortem munus neceſſarium eſſe naturæ iam corruptæ, quæ non eſt fugienda, ſed potius amplectẽda, vt fiat voluntarium, quod futurum eſt neceſſarium. Offerendum itaque eſt pro munere, quod Deo tenemur reddere. Quẽadmodum ex iis, quæ memoratæ ſunt, conſiderationibus acquiritur humilitatis virtus, ita etiam exercitatione horum, qui ſequuntur, actuum nutritur, & creſcit. Aptiſsimè nanque hanc virtutẽ accendit contumeliarum ſuſtinentia. Multi homines culpam ſuam confitentur, & humiles non ſunt. Nam plerique exiſtunt, qui ſe arguente nullo peccatores eſſe confitentur, quum verò de culpa ſua fuerint fortaſſe correpti, patrocinium defenſionis quærunt, ne peccatores eſſe videantur. Indicia autem verę humilitatis ſunt, vt ſicut vnuſquiſque peccatorem ſe dicit, ita id de ſe dicenti alteri non contradicat. Et indicium ſuperbię certum eſt, vt quod fateri quiſque de ſe ſua ſpõte dignatur, hoc ſibi dici ab alijs dedignatur. Humiliũ Eccle. 13. quoque familiaritas humilitatẽ parit. Qui enim communicauerit humili (ſicut ſcriptura teſtatur) induet humilitatem. Nulla nanque res magis animos inducit honeſtos, & proteruiæ inclinatos reuocat ad humilitatem, quàm humilium virorũ cõuerſatio, quia neceſſe eſt, vt talis efficiatur homo quales ſunt, cum quibus conuerſatur. Exercitium etiam humile creat humilitatem. Humiliatio via eſt ad humilitatem, ſicut patiẽtia ad pacem, ſicut lectio ad ſcientiam. Si ergo virtutem appetimus humilitatis, viam non refugiamus humiliationis. Sicut ſine gradibus non ſcanditur ad ſummitatem, ita abſque humili exercitio nõ peruenitur ad humilitatem. Habitus quoque vilis humilitatem parturit. Ornatus quippe veſtium priuationis virtutis humilitatis indicium eſt. Nemo enim precioſa veſtimenta quærit, niſi ad inanem gloriam. Propterea humilitatis amator, veſtis tibi pura & vilis circundetur, nõ ad pulchritudinem, ſed propter neceſſarium tegumentum, ne dum à te foris exquiſitus concupitur ornatus, intus humilitatis amittatur amictus.

Quibus indiciis poteſt cognoſci, vtrum quis poſſideat humilitatem. Cap. V.

OMnium rerum (ſi bene obſeruentur) indicia certa ſunt, & argumentum morũ ex minimis poteſt cognoſci. Sicut impudicum & laſciuum inceſſus oſtendunt, & flexus oculorum improbum & inſanũ, ſic ex iis, quę ſequuntur, humilitatis cultor deprehẽditur. Propriũ humilitatis indicium eſt fuga altitudinis & dignitatis. Conſiderat autem humilis, quod quãto quiſque in ſuperiori conſtitutus eſt loco, tãto in maiori verſatur periculo, & quantò ſplendoris honore celſior quiſque eſt, tanto (ſi delinquat) peccator maior eſt. Fuerunt nanque non pauci, qui in humili conſtituti gradu ſeipſos optimè nouerunt gubernare, in laboribus, in vigilijs, in abſtinentijs, qui quandiu licuit ipſis eſſe priuatis, & nihil aliud curare, quàm propria humiles erant, & Deo placebant, atque inde non modica philoſophiæ incremẽta rapiebant, at vbi faſtigium dignitatis aſſecuti fuere, & in publico prodierunt, ac multorum imperitias emendare neceſſe fuit, aliqui inter exordia tantum ſufferre pondus nõ potuerunt officij, & ſe ſubtraxerunt; qui verò tolerare coacti ſunt perdentes conſcientiam & humilitatem priorem, ſibi intulerunt magna diſpẽdia, & nihil alijs profuerunt. Hæc intelligentes humiles omnem dignitatis altitudinem abhorrent, ne diſperdãt in pelago, quod magno cum labore in portu adepti ſunt. Amor quoque propriæ vilitatis humilitatis inſigne eſt teſtimonium. Verus enim humilis vilis vult prædicari, non humilis reputari, gaudet contemptu ſui, laudeſque contẽnit, tantoque in conſpectu Domini fit precioſior, quanto pro amore ipſius eſt in oculis ſuis deſpectior. Sed valde humilium eſt ſic oſtenſo opere autoris gloriam quærere, vt de illa laude neſciant priuata exultatione gaudere. Aliorum acquieſcere conſilio præcipuum eſt humilitatis ſignũ. Vera nanque diſcretio, non niſi vera humilitate acquiritur. Cuius humilitatis habetur probatio prima, ſi non ſolum vniuerſa, quæ agenda ſunt, ſed etiam quæ cogitantur, reſeruantur ſeniorũ examini, vt nihil quis ſuo iudicio credens illorũ per omnia diffinitionibus acquieſcat, & quid bonum vel malum debeat iudicare, illorum traditione cognoſcat. Re enim vera conſilium ſeniorum ex apertis obſcura æſtimat, ex paruis magna, ex proximis remota, ex partibus totum. Scit enim quid, quando aggredi debeat, & citò ſingula & diſtinctè videt. Reddit quoque hominem humilem, & fatetur, iniuriarum patientia. Qui enim gloriã nõ quærit, iniurias non ſentit, nec veretur confundi in præſentia hominum, qui ſolum gloriam quęrit apud Deum. Sed neſcio quis noſtrum hoc humilitatis genus poſsit implere, vt laceretur opprobriis fama noſtra, & exultemus in Domino. Eleganter itaque legitur in quodã volumine, Si nõ quæras gloriam, non dolebis, ſi inglorius fueris, quod ſi gloriam cupis, gloriam reſpue, & ex humilitate eris omnium glorioſiſsimus. Secretum etiam diligere eſt humilitatis indicium. Non enim parcit ſibi arrogans, non ſuperbus, non cupidus inanis gloriæ, mentiturque de ſe. Verè autem humilis parcit animæ ſuæ, qui ne putetur, quod non eſt, quãtum in ſe eſt, vult neſciri, quod eſt. Poſtremò libenter obedire certum eſt humilitatis ſignum, quod exemplo Chriſti magis quàm autoritatibus probari poteſt, de quo Apoſtolus, Semetipſũ Philip. 2. exinaniuit formã ſerui accipiens, factus obediens vſque ad mortem. Sed etiam matri ſubdi per obedientiam non eſt dedignatus ad noſtri inſtructionem, & noſtræ ſuperbiæ confuſionẽ, qui frequenter renuimus ſubijci illis, & ſuperioribus. Diſce ergo, ò homo, diſce terra ſubdi, diſce populis obtem-

tem-

obtemperare, erubeſcere ſuperbe cinis. Deus ſe humiliat, & tu te exaltas? Deus ſe hominib. ſubiicit, & tu dominari geſtiens hominibus tuo te pręponis autori? O exemplum ſingulare, o medicinam omnibus conſulentem, omnia tumentia cōprimentem, omnia tabeſcentia reficientem, omnia ſuperflua reſecantem, omnia deprauata corrigentem. Hanc omnes imitemur, quicunque humilitatem adipiſci deſideramus.

De quadruplici ſpecie virtutis humilitatis. Cap. VI.

QVemadmodum ex contrarijs eluceſcūt contraria, ita ex diuerſimoda virtutum ſpecie facilè deptehenditur ipſarū decor, atq; ſimulatio. Quare vt perſpicaciter hæc in humilitatis virtute capiantur, ſubnectendę ſunt diſtinctè ipſius virtutis ſpecies, quatenus veram a ficta valeat lector diſcernere humilitatem. Eſt.n. humilitas ficta, de qua ſic legitur, Eſt qui nequiter ſe humiliat, & ipſius interiora plena ſunt dolo. Quidam.n. honores fugiūt, vt honoribus fruantur, fingunt ſubeſſe, vt poſsint præeſſe. Hi tales ſtatim, vt promoti ſunt ad dignitatem, in ſuperbiam extolluntur, & in iactantiam effrænantur. Non curant prodeſſe, ſed gloriantur præeſſe, priores dedignantur, amicos & notos cōtemnūt, ſibi pares deſpiciunt, antiquos deridēt, vultum auertunt, ceruicem erigunt, faſtum oſtēdunt, grandia loquuntur, ſublimia meditantur, ſubeſſe non patiuntur, & omnibus volunt anteponi, quibus dignitate præeunt. Eſt & alia humilitas infirma, quæ ex tentationis impulſu, aut diſpēſatione lapſus generatur. Sæpe nanque pia conditoris diſpenſatione agitur, vt de ſe confidens anima diſpenſatoria tentatione pulſetur, vnde infirmata, quid ſit inueniat, & præſumptionis faſtum propriæ deponat. Fatēdum igitur eſt ſuperbis vtile eſſe cadere in aliquod apertū & manifeſtū peccatum, vnde per humiliantem infirmitatē ſibi diſpliceant, qui antea ſibi placebant, dum ſtarent. Salubrius.n. Petrus ſe infirmum conſpiciens, humiliauit ſe, quando fleuit, quā ſibi applauſit, quādo præſumpſit. Hoc proteſtatur Pſalmus, dicens:
Pſal. 33. Imple facies eorum ignominia, & quærent te domine. Oportet nanq; humiliter ſentire deſſe nitētem ad ſuperiora & altiora, nedum ſupra ſe attollitur, cadat ad ſe, niſi in ſe firmiter per verā humilitatem fuerit ſolidatus. Et quia niſi humilitatis merito maxima minimè obtinentur, propterea qui prouehendus eſt, correptione humiliatus, humilitatem meretur. Tu igitur, o homo, cùm te per tentationes humiliari videris, habeto id bonum ſignum omnino gratiæ appropinquantis.
Iac. 4. Nam ſicut ante ruinam exaltatur cor, ita ante exaltationem humiliatur. Hoc teſtantur eloquia diuina, cùm dicunt. Deus ſuperbis reſiſtit: humilibus autem dat gratiam. Eſt quoque humilitas vera, & hæc eſt duplex. Nam alia eſt humilitas, quam parit veritas nobis, & non habet calorem: alia eſt humilitas, quam charitas inflammat, & informat. Hæc quidem in affectu, illa in cognitione conſiſtit. In eo, qui grauiter peccauit, & ſi amanda non eſt, admiranda tamen eſt. Si quis autem innocentiam retineat, & nihilominus humilitatem iungat, hic nempe geminum cenſendus eſt poſsidere decorem. Eſt etiam humilitas ſufficiens & abundans, quæ tres habet gradus. Primus eſt ſubdere ſe maiori, & non ſe æquali pręponere. Secundus eſt ſubſedere ſe æquali, & non ſe præferre minori. Tertius eſt, ſubdere ſe minori: & hæc eſt perfectio omnis humilitatis & iuſtitiæ. Eſt enim quædam humilitas, quæ primo gradui aſcribitur, arcta & anguſta valde, ita vt quàm citò ab ipſa pedem verteris, in peccatum cadis. Hæc non patitur quenquam alicui ſe præponere, nec æquare præpoſito, ſed eidem in omnibus ex corde ol temperare. Eſt alia humilitas ſecundi gradus latior & amplior, videlicet, non ſe pari æquare, nec minori præponere. Hæc nanque vetat ſuperbum eſſe apud ſocios, vetat auarum eſſe, verbis, rebus, affectibus, communem ſe, fęlicemque omnibus præſtat. Nullum malum alienum putat: bonum autem ſuum ideo maximè, quod alicuius bonum futurum eſt, amat. Qui talis eſt, nulli onerofus, officioſus cunctis eſt: neminem lædit, ſuperiorem reueretur, æquali famulatur, ac minori ſe toto amabilem prębet affectu. Quiſquis itaq; huius ſecundi gradus cupit tenere faſtigia, humilitatis ima ſectetur. Si vult fratrem æqualem præuenire regnando, prius illum præueniat obſequendo. Vincat eum officijs, vt poſsit vincere ſanctitate. Poſtremò ſicut ſumma & intolerabilis ſuperbia eſt ſuperiori ſe præponere, ſic īferiori ſe ſubdete plena, perfectaque humilitas eſt, quæ dignitatem gradus tertij ſortitur. Hęc nēpe humilitas vnicuique ius ſuum reddit, non ſurripit honorē Deo, nec ſibi attribuit alienum, ſed dat Deo laudem, proximo famulatum, & retinet ſibi vtilitatem: nullum diiudicat, nemini ſe præfert vel comparat, ſed minorem omnibus ſe arbitratur, & locum nouiſsimum ſibi eligit & optat. Huius ſummi gradus exemplum præbuit nobis ſaluator, cū coram peccatoribus, et inter peccatores baptizari voluit, et peccator apparere hominibus. Hanc perfectionem inſinuauit Dauid, quum aliquando eſt illi maledictum à ſeruo: at ille nequaquā ſenſit iniuriam, quia præſenſit gratiam. Quid mihi, 2. Reg. 16.
ait, et vobis filij Saruiæ? O vere hominem ſecundum cor Dei, qui potius vlciſcentem dominum humiliter timuit, quàm exprobranti ſeruo mali quicquam inferendum putauit. Sæuiebat lingua maledica, et ille intendebat, quid ageret Deus. Vox maledicentis in auribus, et animus inclinabat ſe ad benedictionem. Et quoniam ſe deiecit, erectus eſt: ſubijciebat ſe omnibus, et omnibus excellior eſt effectus. Si huius Prophetæ appetimus dignitatem, toto annixu, animo prompto, latoque affectu illius ſequamur humilitatem.

De gradibus humilitatis, atque ipſius virtutis perfectione. Cap. VII.

AMoenitate florum decorantur arua, fulget vniuerſitas diuerſitate creaturarũ, commendabilis eſt firmamenti celſitudo rutilatione ſtellarum, præconio dignus efficitur animus exercitatione virtutum, ſed & virtutis laus ex graduum diſtinctione percipitur. Vnde vt facilius faſtigium & perfectio humilitatis, de qua præſens loquitur tractatus, à legentibus comprobetur, congruè in hoc vltimo capitulo differendi ſunt ipſius gradus: quatenus tantò laude dignior appareat, quantò eius aſcẽſus videbitur ſublimior: & eo lector efficiatur ad ipſam capeſſendam alacrior, quò clarius perſpexerit, quòd ex ademptione eius æternæ retributioni fiat præ cunctis propinquior. Sciendum igitur, quòd ſex ſunt gradus, per quos anima aſcendens, attingit ad humilitatis perfectionem. Primus enim gradus eſt, ſe peccatorem, vel contemptibilem eſſe agnoſcere. Cùm nanque mens ex infuſione gratiæ cœleſtis irradiari cœperit & iuſtificari, tunc reuelantur, quæ prius fœda latebant: tunc animi deformitas, peccandi pronitas, caſus frequentia, omniumque vitiorum fomites deteguntur. Et ex hoc lumine conuincitur mens cognoſcere infirmitatem ſuam, & horrere per gratiam, quod ante ignorabat in culpa. Nec poteſt ſe non intelligere peccatricem eſſe, quando in ſe, & contra ſe tot videt deformia apparere delicta. Hoc totum fit ex illuſtratione ſuperuenientis & illuſtrãtis gratiæ:

Ephe. 5.

quia (teſte Paulo) omne, quod arguitur, à lumine manifeſtatur. Poſtquam autem anima ex memorato cœperit repleri lumine, tunc ſagacius perluſtrans cordis ſui latebras ad ſecundum humilitatis aſcendit gradum, in quo anima affectualiter ſentit de ſe vilia, & ſe peccatricem comprobat, quod totum prius ſuperficietenus ex dono gratiæ intellexerat. Intuetur quantus ſit, qui offenſus eſt, quoties, qualiter, & quis ſit, qui deliquit. Quæ omnia cùm grauent peccatum, & innumerabilium ſe mole oppreſſum videat delictorum, formidare incipit, facinoroſum ſe corã Deo clamat, pectus tundit, lacrymas fundit, nec diuinam deſinit implorare clementiam, tãtò affectuoſius, quantò verius vulnerum ſuorum detegit fœditatem. At vbi anima per compunctionis gemitus, & lacrymarum inundationem terſerit priorũ ſordes vitiorum, nihil aliud reſtat, quàm vt ipſamet vel per confeſsionis ſacramentum, ſeu per peccati odium alijs referet, quod ſibi ſoli eſt notum, quatenus ex hoc capiat plenam de præteritis facinoribus indulgentiam, pronuncians cum Propheta: Dixi, confitebor aduerſum me iniuſti-

Pſal. 31.

tiam meam Domino, & tu (domine) remiſiſti impietatem peccati mei, propter quam propalationem meretur tranſcendere ad tertium humilitatis gradum: ad quẽ quicunq; peruenit, alijs narrat contra ſe, quid ſibi de ſe reuelatũ eſt. Beatus plane, qui ſaluberrima cõpũctione perfuſus alijs nõ veretur dicere, quod intus latet in corde. Talis nanq; cõfeſsio meretur veniã, delet culpã, acquirit gratiã, & nutrit humilitatẽ. Quum aũt ſint nõnulli, qui ſe peccatores eſſe cognoſcũt, & alijs voce propria confitentur, non tamen ita volunt credi de ſe, certum eſt, ꝙ tales necdum attigerunt ad quartũ humilitatis gradum. Nam ijs, qui ad illum peruenerunt, hoc eſt proprium (ſcilicet) malum, quod de ſe ipſis ſentiunt hoc ẽt velle, vt ab omnibus credatur. Nec hoc mirũ eſt. Qui. n. volunt, vt aliud homines de ſe ſentiant, quàm quod eſt veritas, vtiq; ſe veritatis aduerſarios oſtendunt. Sed non ſic verus humilis, non amat latebras, non ſe excuſat, non cupit viuere in cordib. hominũ, nec mortalium fauores exquirit. Quin potius contra ſe odium concipiens, & ſuũ deteſtãs ſcelus, & voce propria ipſum manifeſtat, & hoc ab alijs credi toto affectu deſiderat. Nõ vult extra ſe in laudib. tranſitorijs gaudere, cùm conſpiciat ſe in ſqualorib. vitiorum turpiter iacere. Qui autem huiuſcemodi eſt tactus compunctione ſancta, et accẽſus amore humilitatis, non hoc gradu contentus eſt. Nam quemadmodum qui corporis languorem perpeſſus eſt, non planè de febriũ, aut dolorum ceſſatione quietatur, niſi ẽt priſtinam recipiat valetudinem, et amiſſam naturæ reſumat virtutem: ſic neq; qui vitiorum tabe pollutus extitit, gaudere poteſt ſola abſtinentia priorum peccatorum, ſi non eidem à domino cõcedatur quoq; palma virtutum. Quapropter humilitatis amator, quum in quarto ipſius virtutis gradu ſe iam eſſe deprehenderit, ignitus ſancti face amoris ad quintum euolare molitur. Erigit nanque ſe contra ſe: proprium affectuoſè agnoſcit facinus, alijs confiteri non erubeſcit: affectatq; vt ab omnib. credatur eſſe miſerrimus: & vt in ore hominũ extinctus ſit, deſiderat, vt à cunctis dicantur errata ſua. Nã hic eſt terminus quinti gradus humilitatis: vnde qui illũ poſsidet de ſe (vt patet) vult ab vniuerſis dici, quicquid in ſe deprehenderit vitioſum. Talis mũdũ ſpernit, fauores calcat, carnẽ macerat, carnalia deſideria extinguit, & in hoc mundo ſolo corpore retinetur. Reſtat igitur, vt toto conamine, & magnitudine deſiderij exultet in opprobrijs et contumeliis, quiſquis anhelat ad perfectionẽ huius virtutis, quæ ſexti gradus obtinet principatũ. Ipſius eſt. n. propriũ gaudere in deriſionibus, in infamiis, et ab omnib. contẽptibilis reputari. Proponit ſibi Saluatoris exẽplum, ſanctorum vitam meditatur, et virtutũ altitudinẽ rimari non deſinit. His etenim vrgetur ſtimulis, talib. inflammatur lãpadibus, ſe pro poſſe deijcit, et cũcta, pro quibus cõmendabilis videri poſsit, abhorret. Quũ irridetur, gaudet: quum deſpicitur, exultat: quãdo perſecutionẽ patitur, ſecurus eſt. Si maledicitur, ecõtrariò benedicit. Quicquid applaudit, fugit: oẽ quod abiectũ eſt, gratãter ſuſcipit, et veneratur: et quũ nihil ſit foris, quod appetat, aut timeat, ple-

no

no intus humilitatis lumine & ardore charitatis cœleſtem gloriam præſtolatur. Illud ſæpe animo reuoluit, quod pius Saluator protulit, dicens: Beati eritis, quum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos mentientes propter me, gaudete, & exultate quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Hucuſque curſus, & hæc eſt humilium meta, atque perfectionis indicium infatigabiliter ſitire opprobria, ſcrutari iniuriarum cauſas ſine cauſa, nec non eſurire per omnia Chriſti cõuitia ita vt veraciter valeat dicere: Abſit mihi gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Aſcenſus in deſcenſione, ſublimis in humilitatis decore. Quæ virtus in fructibus ligni huius vitæ ſortitur vndecimum gradum, in conſpectu verò cęleſtis regis altum meritum, & honorabile faſtigium ſortitur. Hanc quicunque dilexerit, quæſierit, inuenerit, & infatigabiliter tenuerit, in æternum perire nequibit: quin potius cũ humillimo cęlorum rege domino Ieſu regnabit per ſecula, cumq; angelorum choris in cęleſtib. manſionibus, vbi pro opprobrijs gloriam, pro contumelijs dignitatem, pro perſecutionib. ſupernam ciuitatem, & pro ſui abiectione conſequetur beatitudinis perpetuam fruitionem, atq; pro ſui condemnatione gaudijs replebitur infinitis. Et hoc ab ipſo Deo, qui eſt benedictus in ſecula.

Matt. 5. Galat. 6.

DE VIRTVTE ORATIONIS, ATQVE de ipſius diffinitionibus, Quæ virtus plurima veneratione ex ſui prærogatiua digna habenda eſt. Tenet autem hęc in fructibus ligni vitę duodecimum gradum. Cap. I.

Pſal. 54. QVis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam? Aeſtuantis animę, & ad contemplationem, decoremque orationis aſcendere affectantis verba ſunt hæc. Nec ab re tanto id expoſcit deſiderio: quippè cùm ſe aſpiciat carne circũdatam, carnis voluptatibus oppugnatam, ac multis modis præſentis peregrinationis anfractibus colliſam. In his nanque ſe verſans, nec internæ dulcedine pacis, nec ſuperni fulgore luminis repleri atque irradiari ſe intelligens, toto nixu, & omni, qua valet, virtute contendit iugum à ſe excutere temporalium actionum, quatenus expeditis greſsibus, ac celeri volatu ad cęleſtium cõtemplationem ſecretorum valeat properare. Retundi autem ſentit ſe, quoties relicto quietis portu ad lata huius procelloſi ſeculi negocia egreditur: propterea; tanto ſtudio ad ſe redire compellitur: nec breui temporis interuallo ſui dulcedinem ocij interrumpi (quantum eſt in ſe) patitur: tanto tenacius, quanto vberius in virentibus contẽplationis paſcuis inebriatur. Hoc nimirum, hoc perſenſerat ſponſa fidelis in canticorum canticis, cùm tam ſedulò, tamque ſuaui allocutione nunc ſororis, interdum columbæ, aliquando ſpecioſæ nomine vocitatetur à ſponſo: vt ei aperiret, ſecũque exiret: aut pro ſubleuanda inopia pauperum ſeu pro ſpirituali profectu delinquentium vocanti excuſationis verba proferret, & diceret: Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Sagaciter nanque ſe prouocanti pandit ſuæ quietis profectum, nec non & actionis defectum: vt hæc audiens ſponſus volentibus infeſtare deuotionem contemplantis imperet, dicens: Adiuro vos filiæ Hieruſalem, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit. Tunc ſedet ſecurius, tunc dulcius iocundatur: funditus extinguit in ſe exteriorum ſolicitudines, affectionibuſque temporalium ſe exuit, atque ſanctæ compunctionis ardore omnem humanæ conuerſationis maculam à corde abſtergit: ita vt ſic libera, ſic dealbata & munda poſsit fęliciter introire in thalamũ ſponſi, in amplexus dilecti: nec inde diſcedere, donec tota caritate perfuſa, delectatione repleta, lumine irradiata poſsit veraciter confiteri. Viuo ego: iam non ego, viuit autem in me Chriſtus. Tales enim ſi aut diuina diſpenſatione, ſiue pigra exercitatione, vel forſan proximi dilectione elongentur à ſolita & interna delectatione ſolẽt rememorare præteritorum: recogitare quàm ſuauiter, & dulciter inhærebant ſponſo, & vacabant Deo, atque per aſsiduam meditationem quã delectabiliter cęleſtib. paſcebantur. Quib. conſiderationib. conuertunt ſe ad dominum: & omni, quo queunt, deſiderio flagitant auxilium Interdũ verò non ſuſtinentes cordis ſui teporem ex recordatione donorum præteritorum, & abſentia ſpõſi, quem totis præcordijs diligunt, ſe conuertunt ad ſuffragia ſanctorum, angelorumq; ipſos interpellando, & orando, quatenus ſuis precibus impetrent ad priſtinum eos reſtitui charitatis affectũ: ſicq; gemebundo cordis affectu, voto pij amoris ingeminant, & dicunt. O quis dabit nobis pennas ſicut columbæ? Vtiq; ſi hoc merebimur, volabimus per orationum frequentiã, & requieſcemus in plenitudine ſummi boni per contemplationis ſtudia. His nanq; exercitijs erigemur de imis ad ſumma, vnde cecidimus euolando. Huiuſmodi exhortationib. cuncti, qui vel deliquerunt, ſiue tẽporaliũ curis ſe immerſerunt, aut quietis cupiunt tenere portum, ſe prouocare non deſinant: ſed præ omnib. adimplere ſtudeant, qui vitam ſolitariam elegerunt, ac ſoli Deo vacare decreuerunt: Cùm. n. omnia & ſeculi & carnis oblectamenta repudiauerint, ſi non per internam delectationẽ mentem ſaginauerint: neceſſe eſt, vt langueãt ab arrepto propoſito, & ſolo corpore militent. Salua tam cum ſeuera ipſorum ſtatui congruat in ſpiritu ambulare, ſpiritualia intelligere, et ſpirituali quadã anhelatione Deũ et futura gaudia ſitire. Quis vero attinget hæc abſq; orationis exercitio, et contẽplationis dono? Munera nẽpe iſta tunc

Cant. 5. Cant. 2. Galat. 2.

verè quieſcẽtium, & ad Deum ignito amoris deſiderio per orationis ſtudia currentium. Nam ſic à diffinientibus deſcribitur oratio: Oratio eſt mẽtis conuerſio in Deum per pium & humilem affectum: vel, Oratio eſt aſcenſus intellectus in Deum, ſiue Oratio eſt oſtenſio voluntatis noſtrę ei, à quo impetrare ſperamus id, quod deſideramus; aut Oratio eſt piæ mentis ad Deum conuerſio fide, ſpe, charitate ſubnixa. De qua virtute in conſequentibus latius dicetur: deinde pauca de contemplationis dono ſubinferentur: quatenus cognita eius eximia dignitate, accendatur lector ſagax ad illius ſtudia non ſegniter vel ſuperficialiter, ſed ardenter, humiliterque. Tales enim ipſa ſancta cupit habere cultores.

Qualibus effectibus eluceat virtus ſanctæ orationis. Cap. II.

VEluti ex ſonora vocum dulcedine pſalterij, vel organi docta agnoſcitur artificis manus: & ex verborum ordinata prolatione doctoris patet facundia: ſic ex effectibus varijs orationis, illius percipitur excellentia. Magna enim cùm ſit virtus, ſublimes merito debet proferre effectus. Infirmitatem nanque hæc [Eccl. 38.] orationis virtus ſanat: de qua ſic legitur: Fili in infirmitate tua ne deſpicias teipſum, ſed ora Deũ & ipſe curabit te. Quum autem ægrotaret Eze- [Eſai. 38.] chias ad mortem, nullum adhibens medelæ remedium: conuertit ſe ad parietem, fleuit, orauit, & ſanitati illico reſtitutus eſt. Voluit Deus ipſius exemplo cunctis vim orationis innoteſcere, vt dum homo morbo percutitur, diſcat à Deo flagitare auxilium. Omnes medici pecunijs, Deus autem noſter pura oratione ad conferendam ſanitatem placatur. Hæc ſpirituales ſanat morbos. Nam hæc eſt potiſsimum remedium eius, qui vitiorum tentamentis æſtuat, vt quotieſcunq; quolibet tangitur vitio, toties ſe ad orationẽ vertat: quia frequens oratio vitiorum expugnationem extinguit. Et ſicut aqua ignis extinguitur: ita cõcupiſcentiarum vitioſarum impetus oratione ſuperatur. Ipſa orationis virtus in corporali bello triumphat: quod euidentiſsimè in Moſe patet. Nam quum Amalech expugnaturus eſſet, aſcẽdit in montem non armis, ſed precibus pugnaturus. Extenſis ad cœlum ſtabat manibus, deuoto orãs affectu: non de terra, ſed de cœlo auxilium poſtulans, vt quem loci diuerſitas ab inimicis ſeiunxerat, orationis affectus bellatorem præſentem hoſtibus exhiberet. Fit Moſe orante pugna occul- [Exo. 17.] ta, ſed manifeſta victoria. Solus orabat, vt multi ſeruarentur: ſed deſinit Iſrael vincere Moſe deſinente in prece: perſeuerante autem illo perſeuerans victoria roboratur. Denique tandiu iſta diuerſitas valuit, quandiu iugis oratio deſuit: vt dũ diuerſa populis exhiberentur, orationis nobis potentia demonſtraretur. Quis.n. iuſtorũ non orando pugnauit? Quis non hoſtẽ deprecãdo deuicit?

Orationib. Danielis ſopiuntur flãmæ, feræ hebeteſcunt, [Dan. 3. 6.7.] cadunt hoſtes, inimici vincuntur. De ſpiritualib. etiam hoſtib. victoriam reportat oratio. Huius rei exemplum nobis præbuit dominus Ieſus: qui quũ proximus paſsioni & in agonia poſitus prolixius oraret, Angelicã voluit in oratione habere præſentiam: poſt quam vltrò ſe hoſtibus exhibuit: quatenus debellatis qui nõ apparebãt: ẽt viſibiles ſuperaret aduerſarios. Nam ab oratione tanquam à flagello fugiunt aduerſæ poteſtates. Inſtandum tamen eſt in ea, dũ pugnant cõtra nos. Non ipſorum hoſtium turba, non debellantium forma, nõ quaſi fulgens vitrea terreat armatura. Donabit certantib. victoriam, qui orãdi dedit audaciam: quod teſtatur Dauid, dicens: Bene- [Pſal. 65.] dictus Deus, qui non amouit orationẽ meam, & miſericordiam ſuam à me. Deniq; orationis virtus hominem illuminat. Nam & oratione melius ſoluuntur dubia, quàm inquiſitione alia: citiusq; panduntur ſecreta precibus, quàm ſtudio. Orãti .n. Danieli aperiuntur myſteria, fiunt reuelationes: & quod ſeculi ſapiẽtib. erat clauſum, illi per orationem efficitur manifeſtum. Ipſa quoque ad tranquillitatem adducit: vnde Iob: Si diluculo ſur- [Iob 8.] rexeris ad Deum, & omnipotẽtẽ fueris deprecatus, ſtatim euigilabit ad te, & pacatum reddet tabernaculum tuum. Sed ẽt quoties impugnationibus, aut laborib. agitaris, ô homo, propera ad orationis ſuffragium, inſta precibus, ora gemitibus, & lacrymis deprecare: quia ſi magno in oratione te exhibueris ſtudio, amiſſam recuperabis gratiã, atq; exuberanti tranquillitate ex illa repletus abibis: nec alibi quàm in oratione quæras eam, quin potius quando ira animum tuum turbat, mentẽ edomat, tranquillitatem fugat: aſcende in præſidium, ad altitudinem orationis confuge, ibiq; ab infeſtationib. ſecurus lata tranquillitate frueris. Hæc Deum mitigat, & velut quoddam ſcutum ab ira Dei protegit. Nam oratio poſita eſt, per quam ira Dei ſuſpenditur, vindicta differtur, venia procuratur, pęna refugitur, & præmiorum largitas impetratur, cum Deo loquitur, cum iudice fabulatur: præſentem ſibi facit, quem ante præ cõfuſione mentis videre non poterat: atque ad penetralia iudicis adducit, & nullus in ea reſpuitur, niſi qui in ipſa tepidus inuenitur. Quid multis immorandum eſt? Nam oratio eſt animę ſanctæ ſubſidium, angelo bono ſolatium, diabolo ſuppliciũ, Deo gratum obſequium, vitiorum extinctio, virtutum mater, huius peregrinationis ſolatium, animæ ſpeculum, cõſcientiæ robur, cognitionis via, confidentiæ nutrix, charitatis incentiuum, laborum ſolatium, compunctionis cauſa, cœli porta, cogitationum malarum interemptrix, coadunatio diſperſionis mentis, ignitarum affectionum receptaculum, angelorum imitatrix, & omnium ſpiritualium bonorum interuentrix optima: quã qui perſeueranter tenuerit, perire nequibit.

Quales eſſe debent, qui in oratione Deo vacare volunt: & de duplici præparatione ad orationem. Cap. III.

ACcedere volẽtes coram terreno rege, prius debẽt ſe ita diſponere, vt nil aut habitu, aut verbo incõpoſitũ ſit, quod principis animo diſpliceat: multo magis id perficere debent cupientes aſtare ante hominum, & angelorum regem. Quare vt orationi vacare volentes non ignorent, quales eſſe debeant, nunc quomodo ſe ante illam præparent, congruenter differendum eſt. Sciendum igitur eſt, quod duplex eſt ad orationem præparatio, ſcilicet remota & propinqua. Præparatio nanque remota, eſt orantis vita laudabilis. Multum enim iuuat orationis puritatem, ſi in omni loco, actu & tempore, nos ab operibus temperemus illicitis, & diuinis obediamus præceptis: ſi ſemper ab ocioſis ſermocinationibus auditum pariter caſtigemus, & linguam. Quæcunque enim ſæpius agere, loqui, vel audire conſueuimus, neceſſe eſt frequenter ad animum quaſi ſolitam, propriamque recurrãt ad ſedem: quia ſicut volutabra ſues paluſtria, columbæ limpida ſolent viſere fluenta, ita cogitationes impuræ mentem perturbant: & vita laudabilis animam purgat, & ſanctificat: atque orantis precem efficit acceptabilem. Sed non eſt mirum ſi nos peccatores poſtulãtes tardè à domino exaudimur: qui præcipientem dominum vix, aut in nullo audimus. Non enim poſſumus habere precum certã fiduciam, qui adhuc in præceptis Dei pigritamus. Quia quos peccandi recordatio delectat, quod in oratione interpellant, adipiſci non merentur. Nam hoc exigit iuſtitiæ regula, vt non valeat impetrare homo peccator ab illo bonum, quod flagitat: cuius legi non obedit. Viuat igitur ſecundum Dei mandata, quiſquis ambit recipere, quod concupiſcit obtinere. Ad propinquam verò præparationem pertinet, vt animus ab exterioribus ad interiora reuocetur. De hoc admo-
Matt. 6. net dominus, dicens: Tu autem, quum oraueris, intra in cubiculum tuum: & clauſo oſtio, ora patrem tuum. Ante nanque orationem purgandus eſt animus: atque temporalium rerum cogitationibus reſtringendus: vt pura acie verè, & ſimpliciter ad ſpiritualia dirigatur: quia longè adhuc eſt à Deo, qui in oratione cogitationibus ſeculi fuerit occupatus. Propterea electorum mentes, ſi quas in ſe præſentis vitæ cogitationes inueniũt pœnitentiæ ardore conſumunt, nec cogitationes ſuas extra ſe dilatari permittunt: ſed eo ſe diſtrictius in ſeipſos colligunt, quo feruentius aſſiſtere ante Deum per orationis ſtudium diſponunt, quia reuera abſque confuſione Deo vacare non poteſt, qui extra ſe mente inaniter exiterit dilatatus. Ad propinquam quoque præparationẽ expectat conſideratio ſui. Vnde iugiter debemus noſmetipſos coram Deo conſtituere, quaſi facie ad faciẽ, & in lumine eius proſpicere, gemere, & flere debemus, quæ turpiter cõmiſimus. Nec ceſſare fas eſt cõſiderare, quales facti ſumus per naturam, quales per culpam, quales per gratiam: ſi ad orationem ſine detrimento properare ſatagimus. Fruſtra nanque cordis oculum erigimus ad Deum, ſi nondum idonei exiſtimus ad videndos noſipſos. Prius.n. eſt, vt cognoſcamus inuiſibilia ſpiritus noſtri, quàm poſſimus habiles eſſe ad cognoſcenda inuiſibilia Dei. Quod ſi non valemus agnoſcere nos, non præſumamus apprehendere, quæ ſunt ſupra nos. Proprium aũt ſpeculũ, et principale ad intuendum Deum, eſt animus rõnalis intuens ſeipſum. Ad propinquam etiam præparationem congruit, vt attẽdatur ad illum, cui ſacrificium orationis offertur. Vacate (inquit Prophe- Psal. 45.
ta) & videte, quia ego ſum Deus. Deus vtiq; ſplẽdor nunquam deficiens, vita non moriens, fons ſemper ſcaturiens, ſeminale vitæ ſeminarium, ſapientiæ principium, initiale bonitatis initiũ. Tantæ nanque excellentiæ eſt, tantæq; præcelſæ immenſitatis, quòd implet omnia, tenet omnia, cõplectitur omnia, ſuperexcedit omnia, ſuſtinet omnia. Nequaquàm ex vna parte ſuſtinet, atque ex alia ſuperexcedit: neq; ex alia parte implet, & ex alia circumplectitur: ſed circũplectendo implet, implendo circumplectitur, ſuſtinendo ſuperexcedit, ſuperexcedendo ſuſtinet, ſine inquietudine ſuperius regens: abſque laſſitudine inferius ſuſtinens, interius ſine extenuatione penetrans, exterius ſine extenſione circundans. Eſt itaque inferior & ſuperior ſine loco: eſt amplus ſine latitudine, eſt ſubtilis ſine extenuatione: & qui per molẽ corporis nuſquam eſt, per incircumſcriptam ſubſtantiam ſuam nuſquam deeſt. Meritò igitur vigilanter, & humiliter ei per orationem aſſiſtendũ eſt, qui ex ſui dignitate omnẽ ſupereminet creaturam. Nam tanto eidem orationis ſacrificiũ deuotius exhibetur, quanto ſagacius qualis & quantus ſit, mente conſpicitur.

De impedimentis orationis, quæ faciunt illam non exaudiri à domino. Cap. IIII.

QVemadmodum qui terram colit, ſolerter ſentes debet eradicare, vt vberiores valeat colligere fructus: ita qui concupiſcit dulcedinem deuotionis in oratione guſtare, ſummoperè ſtudeat ipſius impedimenta declinare: quia incaſſum currit ad portum orationis, quiſquis illi aduerſantia non tota intentione refugit. Multa.n. ſunt orationis impedimenta. Primò enim plurimum aduerſatur eidem peccatum, de quo Eſaias: Quũ mul- Esa. 1.
tiplicaueritis preces veſtras, nõ exaudiã: manus .n. veſtræ plenæ ſunt ſanguine. Alibi etiã per Hieremiam dicitur: Nos iniquè egimus, & ad iracundiam prouocauimus te: idcirco inexorabilis es. Nam omnipotẽs Deus orationem illius ſæpe in tribulatione nõ audit, qui illius præcepta in operatione adimplere contempſit dignũ quippe eſt,

vt ab eius beneficijs quiſque ſit extraneus : cuius iuſsionibus non vult eſſe ſubiectus. Ideo quicunque cupit orationem ſuam exaudiri à Domino, prius ſtudeat illius obedire imperijs: quia tũc cor fiduciam in oratione accipit, & non in prece repellitur, quum ſibi vitæ prauitas in illa non contradicit. Præpedit etiam orationem orantis dubietas: quia reuera indignus cœleſti benedictione eſſe conuincitur, qui dubio quærit affectu. Indignum nanque eſt, vt mens dubitatione in oratione frangatur, cùm magnam exauditionis precum ſuarum habeat materiam. Adeſt in cęlo Dominus Ieſus, hominum mediator, & redemptor, & frater : cui vota funduntur, & qui orat pro nobis voce, affectu & ſanguine : & quam pro nobis aſſumpſit humanitatem, offert patri interpellatricem orationis. Nec repellere quibit fideliter orãtem, quum & ipſe ſit orans. Impedit quoque orationem, quia petitur, quod non petendum eſt. Nam fideliter ſupplicans Deo pro neceſsitatibus huius vitæ, aut pro quacunque alia cauſa miſericorditer non exauditur. Prouidet enim Deus meliora, quàm petuntur. Sicut contingere aſſolet paruulis, qui Deum exorant, ne in ſcholis vapulent, ſed non datur talis poſtulationis effectus, quia impedit exauditio ad profectum. Indignitas quoque eius, pro quo oratur, inexorabilem [Hier. 29.] reddit orationem: ſicut Hieremias dicit: Noli orare pro populo iſto neq; aſſumas pro eis laudem: quia non exaudiam. Sancti nanque viri pro ſeip- [Marc. 11.] ſis exaudiuntur: iuxta domini pollicitationem dicentis: Quicquid orantes petitis, fiet vobis: ſed nõ ſemper pro alijs exaudiuntur: quia quum peccare non deſinunt, Deo offerunt, quod pro ſe factã orationem repellit. Abundantia etiam malarum cogitationum plurimum, ne exaudiatur oratio, obſtat. Meritò non exaudiri meretur, qui obſcœnis irretitus cogitationibus non intelligit, quid oret. Propterea magno ſtudio prauę & ſuperfluę amputãdæ ſunt cogitationes, ne fructum noſtræ orationis exterminent. Nam & ſi funditus diuelli nequeunt à corde, quia fomitem ſuum habent in corde, ſemper tamen conterendę ſunt, ne procedant ad actum. Certum enim eſt, quod ad peccatum, quod opere perpetratur, non perueniet quiſquis incentiua vitiorum ſtatim, vt nata fuerint, in mente iugulabit : & paruulos Babylonis allidet ad petram. Iſtis nanque fomitibus quaſi quibuſdam gradibus omne peccatum coaleſcit. Cogitatio enim praua delectationem parit, delectatio conſenſum, conſenſus actionem, actio cõſuetudinem, conſuetudo neceſsitatem, neceſsitas mortem. Ex quo patet, quod reſecta cogitationis radice cũcta peccati arbor exiccatur. Qua proſtrata pura euolat ad cęlum deprecantis ora- [Eccl. 28.] tio, & à domino poſtulata reportat. Efficaciter ẽt oppugnat rancor irrogatæ iniuriæ, ne exaudiatur deprecantis oratio. Relinque (ait ſcriptura) [Mar. 11.] proximo tuo nocenti tibi: & tunc deprecanti tibi peccata ſoluentur. Et dominus in Euãgelio: Quũ ſtatis ad orandum, dimittite ſiquid habetis aduerſus aliquem, vt pater veſter dimittat vobis peccata veſtra: quod ſi non dimiſeritis, nec pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. Itaque à nobis tota hæc res ſumit exordium : vtrum oratio noſtra exaudiatur, atq; quale futurum de nobis debeat eſſe iudicium. Ne enim vel irrationalis quiſquã, aut in magno aliquo, aut exiguo delicto conqueri poſſet ipſum reum dominum illius ſanctæ eſſe ſentẽtiæ, quemadmodum tu ipſe iudicaueris: ita & te exaudiam, teq; iudicabo. Si.n. dimiſeris conſeruo tuo, a me quoq; eandem gratiam cõſequeris. Et certè nequaquã iſtud æquale eſt. Tu.n. remittis, quum ipſe remiſsione indigeas: Deus verò cum nullius indigeat vnquam, ignoſcit. Tu cõuerſo remittis, Deus ſeruo ſuo. Tu quidem mille peccatorum reus, Deus autem ab omni peccato extraneus. Et tamen ſic abundantiam ſuæ miſerationis oſtendit. Quo igitur digni ſupplicio ſumus quum tali nobis à Deo poteſtate donata, ipſi orationi noſtræ & ſaluti efficimur proditores? Nihil .n. tam exorabilem noſtram reddit orationẽ, quã vt malignis & nos lædentib. ſimus placabiles. Additio ſimiliter peccati potiſsima eſt cauſa, ne oratio exaudiatur. Vnus.n. orãs (ait ſermo diuinus) [Eccl. 34.] et vnus maledicens, cuius vocem exaudiet dominus: quaſi dicat neutrius. Nam duob. modis impeditur oratio, ne impetrare valeat poſtulata, videlicet ſi adhuc quiſq; mala cõmittit, aut ſi delinquẽti ſibi debita peccata non dimittit. Sicut aũt nullum medicamẽtũ proficit, donec ferrum latet in vulnere: ita nihil prodeſt illius oratio, cuius volũtas verſatur in ſcelere, vel odium proximi manet in mẽte. Nõ parum reſiſtit paruitas deſiderij, quatenus orationis effectum obtineat, qui petit. Dominus nanq; noſter ſciens clementiæ ſuæ pondera atq; menſuras interdum nõ exaudit orantẽ, vt eum probet: & magis ac magis eum prouocet ad orandum: & quaſi igne examinatum iuſtiorem & ardentiorem faciat ad orandum, et petendum. Profectò liquet, quod exaudibilem apud Deum non efficiunt orationem verba noſtra, ſed deſideria. Aeternam enim vitam ſi ore petimus, nõ corde deſideramus: clamantes tacemus: ſi verò corde concupiſcimus, etiam nihil loquendo clamitamus. Agit tamen nõnunquam diuina prouidentia nobiſcum, vt differat vtiliter: quia liberaliter donare diſponit, vt diſcamus magna magnè deſiderare: quia quo diutius abeſt, quod ardenter diligitur, eo robuſtius expectantis deſideria cumulantur: tantòque dulcius ſapit, & cautius conſeruatur, quod percipitur, quantò diutius in prece ſuſpenſus extitit petentis affectus. Poſtremò defectus perſeuerantię in orando valde aduerſatur affectui orationis. Virtutis nanque pondus nec impetrandi gratiam poſsidet oratio, quam nequaquam perſeuerantia continui amoris tenet. Vnde igitur, ò homo, ne per incõſtãtiam deficias

in

i oratione, Deus quod cõceſſurus tibi eſt, etſi differt, non aufert. Non leuitate vtitur, qui promiſit: nec facile Dei ſententia mutatur: quod promiſit, fixum eſt, fallere non poteſt: habet vnde tribuat. Viriliter itaque perſeuera in prece, ſi effectũ cõcupiſcis reportare de oratione.

De iis, quæ diſponunt animum ad orationem & quæ eam exorabilem reddunt. Cap. V.

QVemadmodum inire ſatagentibus cõflictum cum hoſtibus viſibilibus perneceſſarium eſt non ſolum ſcire, quomodo euadant inſidias inimicorum, & detegant eorum machinamenta, ſed etiã qualibus eis reſiſtant viribus atque prudentia illorũ conterant contumaciam. Aeque in ſpirituali reor nõ ignorandum eſſe tertamine. Horum enim quę obſtant virtutibus, habere notitiam laudabile eſt: non tamen valde proficuum eſt, niſi addatur eidem cognitio materierum: quibus virtute adipiſcuntur. Vitiorum nanque fuga, & virtutum exercitatio ſunt duo, quæ efficiunt Chriſti militẽ ſtrenuum, ac coram cœli ciuibus honorabilem. Qua in re, quum in pręcedenti capitulo plura dicta ſint, quæ impediunt, ne oratio exaudibilis ſit, nunc pandenda ſunt ad Dei gloriam, legentiumque profectum, quę adminiculum præbeant orãtibus: vt ipſorum deprecatio cœleſti regi fiat grata, illiſque fructifera. Iſta etenim latere non debet Deo famulantes, & præcipuè ad Deum feſtinare cupientes per quietis ſtatum, ac orationis ſtudiũ. Aliter ambigendum minimè eſt, quin inaniter laborarent. Igitur ſciendum eſt, atque memoriæ tenaciter tradendum, quod puritas plurimũ valet, vt deprecantis oratio fiat accepta: & ipſius orantis animus ad orationem idoneus efficiatur. Mat. 5. Beati (inquit dominus) mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Deus ineffabilis eſt. Qui eũ vult videre, cor mundet: quia nullam habet ſimilitudinem, vt appareat dormienti, nullam corpoream ſpeciem, vt appareat vigilanti: nec vlla ratio Exo. 40. nis indagine capitur. A mundo corde humiliter amanti videri poteſt, & apprehendi. Nam Aaron niſi prius ter lotus fuiſſet, non ingrediebatur in Oſee 2. ſancta ſanctorum. Diſponit quoque pleniſsimè ſolitudo, de qua per Oſeam dicitur: Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius. Quandiu nanque animus permixtus eſt turbis, & i multitudine fluctuantium volutatur, nec vacat ſoli Deo, nec ſegregatus eſt à vulgo. Propterea, ò anima, quæ per orationem & contemplationem Deo vacare decreuiſti, eſto ſola, hominum conſortia fuge, tumultuoſas mortalium cõuerſationes deuita, vt illi ſoli te ſolam ſerues, quem ex omnibus elegiſti. Sponſus enim tuus amator eſt verecundus: & non vult ſponſæ ſuæ ſecreta ſua reuelare in publico. Habilitat etiam non parum animum ad orationis & contemplationis donum & guſtum exercitatio in operibus actiuæ vitæ. Vnde conuenienter qui prius in actiua vita proficit, bene ad contemplatiuam aſcendit: & iuſte ad iſtam extollitur, qui in illa vtilis inuenitur. Quapropter quicunque ad arcem orationis, & contemplationis pulchritudinem attingere deſiderant, prius ſemetipſos in cãpo per exercitium operis probent, quàm ad quietem tranſeant, quatenus ſciant, an illata conuitia à proximis æquanimiter portant: an oblatis temporalibus bonis mens lætitia ſoluitur: an ſublatis vehementi dolore ſauciantur: an quum ad ſe introrſus redeunt, in eo, quod ſpiritualia rimantur, ſecum vmbras tranſeuntium rerũ ferunt: vel fortaſſe tractas à mente manu diſcretionis abigunt. Quiſquis hæc patitur, adhuc in actiuæ vitæ operibus non eſt purgatus, nec ad ſanctæ orationis ocium idoneus. Afflictio ſimiliter ac tribulatio patienter accepta, non mediocriter mentem ad orationem diſponit. De hoc legitur in Deuterono. Deut. 8. Afflixi te penuria, & dedi tibi cibum manna. Nã prius exurit cordis rubiginem triſtitia & tribulatio: & caligo vitiorum detergitur: deinde raptim & abundè incircunſcripto lumine mens illuſtratur: atque in gaudio cuiuſdam ſecuritatis abſorbetur: & quaſi poſt defectum præſentis vitæ vltra ſe rapta in quãdam nouitatem recreatus. Ibi mẽs ex immenſo viſionis ſupernæ rore aſpergitur: ibi non ſe ſufficere ad id, ad quod rapta eſt, contemplatur, & veritatem ſentiendo videt: quia quanta eſt ipſa veritas, non videt, cui ſe tantum lõgè eſſe exiſtimat, quantum appropinquat. Nam niſi illam vtcunque proſpiceret, non eam aſpicere ſe non poſſe ſentiret. Promouet etiam ad hoc ſanctæ orationis bonum, ſilentium: Sedebit (inquit Tren. 3. Hieremias) ſolitarius, & tacebit, & leuabit ſe ſu- Ibidem. pra ſe. Et alibi: Bonum eſt præſtolari cum ſilentio ſalutare Dei. Libenter enim ſe infundit verbum expectanti & tacenti. Vnde fit, vt dum illo paſcitur, terrenum pabulum non requirat. Nec enim poteſt panem ſeculi cupere, qui ſuaui guſtu reficitur Saluatoris. Negligit planè curam corporis, qui pabulo orationis intendit: nec hominum colloquia habere volet, qui diuinis in oratione ſaginatur conſolationibus. Hæc nanque oratio eſt, quę replet mentem exultatione, animam illuſtrat ſupernis ſplendoribus, & complet viſcera ſuauitate melliflua. Ieiunium præterea & abſtinentia ad orationis eleuat ſummitatem. Nihil enim ſublimius, nihil potentius homine orante. Qui autem orat cum ieiunio, duplices habet alas, quibus ad rimãda cœleſtia ſuſtollitur: nam nec oberrat, nec torpet, nec perire permittitur. Quamuis verò ieiunium morbos auferat vitiorum, carnis amputet paſsiones, criminum cauſas propellat: tamen ſine deuotionis vnguento, abſque orationis exercitatione, ſanitatem mentibus non reponit, nec à terrenis animum quieſcere ſinit. Quies inſuper cùm ſit orationis fomentum, ſe poſsidentẽ efficit oratorem, & contemplationi propinquũ. Nũquam enim commotioni contemplatio iũgitur, nec pręualet

ualet

ualet perturbata mens intueri ſpiritualia, quæ vix tranquilla valet: quia quemadmodũ Solis radius nequaquam cernitur, quum commotæ nubes cęli faciem obducunt: nec turbatus fons reſpicientis imaginem reddit, quam tranquillus propriam oſtendit: ſic nec inquietus animus Dei charitatẽ in orationis ſpeculo poteſt conſpicere. Imitetur itaque mẽtis quietem, paciſque amplectatur bonum quiſquis exuberantibus, quæ in oratione donantur, cupit inebriari voluptatibus: quia nullo modo animus ad vim intimæ contemplationis rapitur: niſi prius à terrenorum deſideriorum tumultu per adeptionem quietis ſopiatur.

Vbi & in quo loco orandum ſit, & quo tempore. Cap. VI.

NVnc autem vbi orandum ſit, breuiter intimãdum eſt: ac deinde quo tempore. Vbi enim orandum ſit, inſinuat Apoſtolus, quum dicit: 1.Tim.2. Volo vos orare in omni loco leuantes puras manus ad Deum. Non enim tantum locus quærendus eſt, quantũ ſenſus. Hieremias orans confortatur in carcere, Daniel inter leones exultat, tres pueri in fornace exultantes & Deum benedicẽtes tripudiant. Iob nudus in ſterquilinio triumphat, paradiſum de cruce latro promeruit. Et quoniam non eſt locus, vbi non ſit Deus, vbique effundenda eſt ad illum deprecatio. Vbi ſunt pericula, illic petendum eſt ſuffragium. Nec quærẽdus eſt locus, quum à Deo & ad Deũ noſter prouocatur affectus. Tria tamen ſpecialiter loca ad orandum congrua eſſe cognoſcuntur, & primo locus ſecretus, de hoc dicit Dominus. Matt.6. Tu autem quum oraueris, intra in cubiculum tuũ, & clauſo oſtio ora patrem tuum. Minus enim vanis cogitationibus ſtimulatur, qui orat, vbi nõ eſt hominum frequentia, ſicut minus auaritia tentatur, qui concupiſcibilia non cernit. Et quia iucundum eſt habitare ſecum, & cum Deo familiariter loqui, fuge ò orationis amator multitudinem, fuge paucitatem, fuge vel vnum, quatenus ſine tui diſpendio abſque humano reſpectu tua ad cœlũ valeas dirigere vota. Quòd ſi coram hominibus tibi orare contingerit, non voce clamoſa orabis ad Dominum, ſed conſcientia recta ſtude placare illum, quia non eſt vocis ſed cordis auditor. Caue ne tunc orans aliquid noui facias, quod audiant aſtantes, non manus extollas, nec oculos leuabis, ſed affectu intimo cęlum clamoribus replebis. Tẽplum quoque materiale ideo dicatum idoneum ad orandum eſſe non dubitatur, de quo loco ſic 3.Reg.8. 2.Para.6 legitur. Oculi mei erunt aperti, & aures erectæ ad orationem eius, qui intrabit in locum iſtum. Nã elegi & ſanctificaui iſtum, vt ſit ibi nomen meum in ſempiternum, & permaneant oculi mei, & cor ibi cunctis diebus. Nã & Dominus Ieſus frequẽtabat templum, vt ibi doceret, & oraret. Hoc nanque decebat, vt tanquam bonus filius patris adiret domum. Nos igitur Chriſti imitatores effecti, quum in ciuitates, quum in caſtra, & monaſteria introimus; ante omnes actus in ipſo introitus primordio accedamus ad eccleſiam, introeamus in templum, & ibi orationum vota, & gratiarũ actionum offeramus ſacrificia, egredienteſque de illo armet oratio, ſicque ad peragenda negocia accingamur. Tertius denique locus ad orandum aptiſſimus eſt ſpirituale templum, ſcilicet cor mundũ & purum, de quo Apoſtolus ait. Templũ Dei ſan- 1.Cor.3. ctum eſt, quod eſtis vos, in hoc enim templo oramur ſpiritu, oramus & mente. Nam talis oratio cordis eſt, non labiorum, nec enim precantis verba intendit Deus, ſed orantis cor aſpicit. Quid oratio prodeſt ſtrepitu labiorum, vbi eſt cor mutum. Sicut enim vox ſine modulatione auribus hominum oneroſa exiſtit, ſic oratio abſque deuotione auribus Dei inexaudibilis eſt. Sed ille in ſpiritu etiam veraciter orat, qui amorem in compunctione habet, & gemitus ardenti charitate emittit, nec infructuoſa eſſe poterit, quãdo de cordis amore & puritate procedit. Quo verò tẽpore ſit orandum, liquet, quia omni tempore orãdum eſt, iuxta Saluatoris ſententiam dicentis. Oportet Luc.18. ſemper orare, & non deficere. Nequaquam enim debet Chriſti miles orationis arma abijcere, donec perſeuerat pugna. Quoniam verò quouſque viuimus, in acie militiæ deſudamus, oremus continuè, nihil autem tam validum reperitur ad hoſtium noſtrorum conterendã rabiem, quàm orationis perſeuerans opus. Sed quia alia negocia hoc minime permittunt, non prætermittenda, ſed intermiſcenda eſt noſtris oratio actionibus, quauis magna voce ille clamet ad Dominum, qui etſi lingua taceat, bonis tamen operibus perſeuerat. Innitendum autem eſt, vt in primordio ſaltẽ cuiuſque operis dirigatur oratio, & diuini ſuffragii imploratio, quia ſicut militẽ procedere ad cõflictum non congruit ſine armorum protectione, ita nec homini Chriſtiano abſque orationis munimine aliquid agere licet. Egredientem igitur de hoſpitio armet oratio, regredientem de platea comitetur, cum ambulante ambulet, cum operante collaboret, nec prius corpuſculum requieſcat in ſtratu, quàm anima precibus reficiatur.

De duabus ſpeciebus orationis, infructuoſis ſcilicet et fructuoſis, & de ipſarum diuiſionibus. Cap. VII.

TEſtante Apoſtolo didicimus varia eſſe ſpi- 1.Cor.12. ritus dona, quæ Chriſti fidelibus elargita ſunt, quum tamẽ vnus ſit ſpiritus cuique diuidens, prout vult. Pari quoque modo fatendũ eſt eſſe diuerſa orationum genera, quę ſub vno orationis actu ab omnibus immolantur, quæ licet diſtincta vocabula ſortiantur, vnum tamen virtutis orationis corpus efficiunt, quod in ſequentibus clarius eluceſcet. Hoc igitur vigilanter ſciendum eſt duas eſſe orationis ſpecies, & ipſarum effectus varios. Alia nanque eſt oratio infructuoſa,

& alia

& alia fructuoſa. Harum prima, quinque habet ſpecies. Prima eſt labiorum abſque mentis exer- Eſai.29. citatione, de hac dicit Eſaias. Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe eſt à me. Nihil verò proficuum eſt ſola ad Dominum voce clamare, ſed ipſa eſt ſuauiſsima orationis harmonia, quando vox cognoſcitur animo conſonare, nec aliud corde quam lingua profertur. Nam ſi hæ duæ res diſcrepabili ſibi varietate diſſentiant, nequaquam poſſunt gratam Deo orationis facere cãtilenam, neque ad aures Domini venit, quod ſe mutua varietate confundit. Secunda eſt propera, & ſine præuia conſideratione, ſicut patet in 3. Reg.19 Helia, qui petijt animæ ſuæ vt moreretur. Debet autem qui ad Deum preces fundere diſponit, examinare, quid petat. Si enim inconſiderata petitio terreno regi porrecta repellitur, & contemnitur, quanto magis quæ Deo dirigitur? Componat ſe mens antequam poſtulet, ne imprudenter petens abijciatur à Domino. Nõ enim impetratur quod flagitatur, niſi ſtatera fuerit diſcretionis appen- 2.Cor.12. ſum. Tertia eſt ſaluti cõtraria, prout claret in Paulo, qui orauit, vt carnis ſtimulus ab eo amoueretur. Filijs etiam Zebedæi dictum eſt à Domino. Matt.20 Neſcitis, quid petatis. Collocandi etenim erant ad Chriſti dexteram miſeratione diuina, ſed ipſi pernicioſa petitione ſe cum damnandis conſtitui flagitabant ad ſiniſtram. Talium oratio miſericorditer non exauditur, iuſtè repellitur, & meritò reprobatur. Quarta eſt præſumptuoſa, quod patet Luc.18. in Phariſæo de ſuis operibus tumeſcente. Horum nempe oratio abominabilis eſt Deo, nec exaudiri meretur. Nam quemadmodum oratio feruens & humilis cœlum abſque dubio penetrat, & inde vacua redire non ſinitur, ita & præſumptuoſa nequaquam auditur, quin potius menſuram propriam excedens prorſus repellitur, quia iuſto diuini iudicij moderamine agitur, vt plerũque amittat, quod impetrare poterat, qui audacter aut animo elato ea, quæ attingere nõ valet, arripere feſtinat. Quinta eſt ridiculoſa, quum homo petit, quod Deo præſtare omnino non conuenit. Fur nanque quũ ad deprædandum properat, orat, vt proſperetur in furto, fornicator crucis ſibi ſignum imprimit, vt non cõprehendatur. Sed nunquid exaudiri ſunt digni? Minime, imò facilius capiuntur, & deprehẽduntur in ſcelere, quia neſcit Deus patrocinium dare criminibus. Fructuoſa autem diuiditur in poſtulationem, obſecrationem, meditationem, orationem, gratiarum actionem, & contemplationem. Poſtulatio eſt circa tẽporalia bona & huius vitæ neceſſaria obtinenda, vti tranquillitas pacis, incolumitas corporis, aeris tẽperies, & huiuſmodi. In iſtis, poſtulantis Deus approbat bonam voluntatem, facit tamen, quòd melius eſſe iudicat, quoniam quid infirmo ſit vtilius, magis nouit medicus, quàm ægrotus. In poſtulationibus piè ac fideliter orandum eſt, non tamen in illis pertinaciter inſiſtendum, quia nonnunquam homo malè diſpenſaturus id quod vult accipere, Deo miſeratè non conſequitur. Nam ſi hoc ab illo petitur, vnde homo lædatur, melius non exauditur. Nempe hoc valde metuendũ eſt, ne quod poſſet Deus non dare propitius, det iratus. Obſecratio eſt anxia in exercitijs ſpiritualibus ad Deum inſtantia. In ipſa inſiſtendum eſt cum omni humilitate & patientia, quia non afferunt fructum niſi in patiẽtia. Accidit enim plerunque, vt quum gratia non ſubuenit celeriter, fiat obſecranti cœlum æneum & quum relicti ſibi humani cordis duritia ad votum exaudiri non meretur, anxietas obſecrantis negari ſibi exiſtimat, quicquid differtur. Hoc tamen mira conditoris diſpenſatione agitur, quatenus deſideria dilatione extendãtur, vt proficiãt. Proficiant, vt ad hoc quod perceptura ſunt, incaleſcant. Vtique obſecrans excitatur in certamine, vt maioribus cumuletur præmijs in retributione, & labor protrahitur pugnæ, vt creſcat corona victoriæ, eo tamen dulcius ac ſuauius fruitur, quo diutius dilatum eſt obſecrationis deſiderium, vt quod petitur, impetretur. Meditatio eſt ſtudioſæ mentis intentio circa aliquid inueſtigandum diligenter inſiſtens, & diſtincta promotione ſemper ſe ad altiora extendens. Eſt etiam prouidę animę obtutus in veritatis inquiſitione libenter occupatus. Meditationum verò tria ſunt genera. Vnum in creaturis, vnum in ſcripturis, & vnum in moribus. Primum ſurgit ex admiratione, ſecundum ex lectione, tertium ex circunſpectione. Oratio eſt hominis Deo adhærentis affectio, & quædam familiaris, & pia allocutio. Talis nanque purus orationis affectus, & hæc bona affectionis ſuauitas non inuenitur, ſed quaſi interuenit, quum repente gratia præuenit. Quod aliquando incipientibus prouenit, quũ rudis adhuc eorũ animus in eum orandi aſſumitur affectum, qui pro merito ſanctitatis reddi ſolet meritis perfectorum. Quum verò hoc fit, agitur, vt vel in iudicium ſuum non negligenti liceat neſcire, quid negligat, vel vt prouocatio charitatis amorem in eis vltra ſe proferens accendat. Ex quo tamen fit, vt multi fallantur, qui quum paſcantur pane filiorũ ſe filios arbitrantes, inde deficiant, vnde proficere debuerant. Et ex viſitante gratia euaneſcant à conſcientia ſua ſe arbitrantes aliquid eſſe, quũ nihil ſint. Gratiarum actio eſt in intellectu & cognitæ gratiæ Dei bonæ voluntatis indeficiens & irreflexa intentio. Nullum enim officium referenda gratia magis neceſſarium, quia maiora meretur ſuſcipere, qui collata bona de corde non probatur delere. Diſce ergo ò homo in gratias referendo non eſſe tardus, diſce ad ſingula gratias agere, diligenter conſidera, quæ tibi præſtantur à Domino, vt nulla ipſius dona debita gratiarum actione fruſtrentur. Nam iugiter ſibi ſubuenire facit, cui impenſum beneficium ante oculos ſemper aſsiſtit. Sed etiam inuitatur ad magna, qui de paruis gratias agere aſſueſcit, & ſpem de futuris

reci-

recipit, qui tranſacta beneficia recognoſcit. Propterea ò Domine Ieſu quamuis de innumeris donis mihi exhibitis nunquam tibi gratias debitas valeam referre, tamen illud certe vbique nō deſinam confiteri me referre non poſſe. Hæc etenim humilis confeſſio non parua eſt gratiarum ſatiſfactio. Contemplatio eſt verus, certuſque intuitus cuiuſcunque rei, ſeu apprehenſio veri, & non dubia conſideratio. Nam & contemplatio eſt illa ſpecies, quæ rapit omnem animam deſiderio ſuo tanto ardentiorem, quanto mundiorem, & tanto mundiorem, quanto ad ſpiritualia magis exurgētem, & carnalibus deſiderijs, ac terrenis affectibus morientem, de qua latius paulò inferius dicetur.

De ijs in quibus præemineat actiua vita contemplatiua. Cap. VIII.

PVerorum mos eſt cuncta ſecundum ſenſum eligere. Nihil enim ſapiunt, niſi quod pulcreſcit viſu, mulcet auditu, lenocinatur odoratu, ſapit guſtu, & molleſcit attactu. At ſpiritualis homo omnia diiudicans, hæc paruipēdens, ſola ſpiritualium examinatione delectatur. Quapropter quum præſens orationis tractatus illis ſolis congruat, qui ſpiritualium exercitationi vacant, dignum duxi enucleare in hoc capitulo, quantum præcedat actiuam contemplatiua vita, quatenus qui illam cupiunt ſectari, prouocentur ardenter, & qui iam illam elegerunt, amplectentur & teneant cautè. Singulare enim donum eſt, & paucis cōceſſum, ideo qui tenet, teneat, nec ipſam ante finem vitæ derelinquat, quia poſt hanc peregrinationem perficietur. Notandum eſt igitur, quod contemplatiua vita in pluribus actiuę vitę præeminet. Et primo quia contemplatiua vita intendit meliori, ſcilicet Deo, quum actiua intendat proximo. Nam contemplatiua vita eſt charitatē Dei totamente tenere, & ab exteriori actiōne quieſcere, ſoli conditoris deſiderio inhærere, & calcatis curis omnibus ad intuendam creatoris faciem animo inardeſcere. Actiua verò vita veſtiendo nudum, ſuſcipiendo peregrinum, gubernando ſubiectum, redimendo captiuum, tuendo violenter oppreſſum, iugiter ſe ab omnibus iniquitatibus ſuis emundat, & vitam ſuam bonorum operum fructibus ditat. Præcellit etiam contemplatiua in hoc, quia clarius videt. Nam mens, quæ contemplando ocia appetit, plus videt, ſed pauciores filios Deo generat, qui verò ad prædicationis laborem ſe dirigit, minus videt, ſed amplius parit. Et quis ignorat, quod ſicut ocium ſtudioſum ineffabilem ſuauitatem ſapientiæ cœleſtis, & iucundum lumen latentis veritatis infundit ocioſo, ita ſpiritualis occupatio laborum ſanctorum multiplices affert fructus humanæ ſocietati occupato. Itineribus quippe diuerſis incedunt, ſed ad vnam patriam tendunt, & ad vnum regnum diſparibus militantes officijs Chriſto rege omniū vocante perueniunt. Præeminet quoque in hoc cōtēplatiua, quia mūdior eſt. Laui (inquit ſponſa cōtemplationi vacans in canticis canticorū) pedes Cant. 5. meos, qūo inquinabo illos. In iſtis nanque viſibilibus, quæ intuemur, cor noſtrum ſpargitur, premitur, & fœdatur, & quicquid de ſe intrinſecus agatur, obliuiſcitur, dum extrinſecus occupatur. Si igitur homo ita creatus eſt, vt per id quod in eo præcellit, attingat id, quod cuncta præcellit, & vnum verè optimum, ſine quo nulla natura ſubſiſtit, nulla doctrina inſtituit, nullus vſus expedit, ipſe quæratur, vbi munda ſunt nobis omnia, ipſe cernatur, vbi omnia nobis certa ſunt, ipſe diligatur, vbi nobis recta ſunt omnia. Commendabilior etiam eſt actiua vita cōtemplatiua, quia ſecurior. Nam & temporalium occupatio multis vallatur periculis, & plena eſt ſpinis. Verſari in his & non lædi diuinæ potentiæ eſt, non virtutis humanæ. Hoc probat tranſeuntium raritas, periclitantium multitudo. E contrario quoniam fruſtra iacitur Prou. 4. rete ante oculos pennatorum, & facile euadit laqueos mentis, qui oculos habet in cęlis, illa tuta via dicenda eſt, in qua nihil eſt, quod timeatur, quæ compenſatur mentis placiditate, leuatur vſu ſuſtentatur ocio ſancto, non occupatur aliquibus moleſtijs, non vrgetur humanis diſcurſib. Excellentior præterea iudicanda eſt contemplatiua vita quàm actiua, quia quietior. Nam contemplatiua pacatis vitiorum tumultibus optata in Chriſto mentis quiete fruitur, quum in plurimis actiua turbetur. Ceſſare quoque Dominus à mundi laboribus imperat, & ſanctæ quietis dulcedinem ſuadet, & tamen vætana hominum mens plus ſe aſſequi aſpera carnaliter, quàm blanda tenere ſpiritualiter gaudet, plus acerbitate fatigationis, quàm quietis dulcedine paſcitur. Præſtantior ſimiliter eſt cōtemplatiua propter hoc, quod iucūdior. Merito enim iucundior eſt, quia actiua vita habet ſolicitum curſum, contemplatiua gaudium ſempiternū. In hac acquiritur regnum, in iſta percipitur, hæc facit pulſare bonorum operum velut quibuſdam manibus ianuam, iſta vocat conſummandos in patriam, in hac contemnitur mundus in iſta videbitur Deus. Sedebit (inquit Propheta, Esai. 33. de contemplatiuis) populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculis fiduciæ, & in requie opulenta. Apparet etiam præeminentia contemplatiuæ vitæ, quia permanentior eſt. Contemplatiua hic incipit, & in cęleſti patria perficitur, quia amoris ignis, quo hic ardere inchoat, quū ipſum, quē amat, viderit, in dilectione amplius igneſcit. Actus autem cum corpore deficit, quia panem non porriget eſurienti, quoniam nemo eſuriet, neque cætera opera pietatis aget, quia non erunt neceſſaria. Fulget inſuper dignitas contemplatiuæ vitę quia precioſior, & hoc quia rarior. Actiua nanque vita multorum eſt, contemplatiua paucorū. Quod Gene. 6. in Noè arca figuratum fuit, de qua dicitur, quod interius erat lata, & in cubito ſummitas conſummabatur.

mabatur. Videmus enim multos in eccleſia ſuperbire, laſciuire terrenis rebus, iraſci, rixari, & proximum lædere, ſed quia illos eccleſia tolerat, quaſi in latitudine arcæ beſtiæ fuiſſe referuntur. Videmus alios aliena non rapere, illatã iniuriam æquanimiter tolerare, rebus proprijs contentos eſſe, humiliter viuere, & diuinis ſolicite famulari præceptis, ſed quoniam iam pauci ſunt, anguſtatur arca. Cernimus verò nonnullos poſſeſſa relinquere, nullum terrenis rebus ſtudium dare, inimicos diligere, carnem domare, omnes motus ratione premere, atque per cœleſte deſiderium contemplationis pæna ſubleuati, quoniam autem ſunt pa rati, arca iuxta cubitum conſummari perhibetur, vbi homines & volatilia continebantur. Poſtremo in hoc præcellit actiuam cõtemplatiua, quia vitæ cęleſti eſt ſimilior. Actiuę vitæ exercitia ſunt panem eſurienti tribuere, verba ſapientiæ neſciẽtem docere, errantem corrigere, ad humilitatis viam ſuperbiãtem proximum reuocare, infirmãtium curam gerere, & quæ ſingulis quibuſque expediant, diſpenſare. Quum autẽ nil horũ exerceatur in patria, & in his non ſe occupet contemplatiua, niſi in ſola cognitione, & laude conditoris, conſpicuum eſt contemplatiuã exhibere imaginem æternæ patriæ, vbi videbimus & amabimus, amabimus & laudabimus, quod eſt beatitudinis gaudium iuxta Prophetæ ſententiam dicentis. Beati, qui habitant in domo tua Domine, in ſeculum ſeculi laudabunt te. Pſal. 83.

Quæ debent concurrere, vt perfecta ſit deprecantis oratio. Cap. IX.

IN rebus humanis ille ſagacior, ille prudẽtior eſſe cognoſcitur, qui in agẽdis negocijs proprijs vel alienis ſeruato modo, loco, & tempore opus arreptum ad finem ducit. Aeque in ſpiritualibus fatendum eſt, & præſertim in orationis actu, quia quanto excellentior eſt operatio, tanto prudentius debet fieri. Quoniam verò Deo aſtare, & illi laudis ſacrificium offerre angelorum imitatio eſt, perutile exiſtit non ignorare, qualiter noſtras ei debeamus dirigere orationes, vt & in ſeipſis perfectæ ſint, & cui offeruntur acceptæ. Multa nanque ſunt, quæ debent concurrere, vt perfecta ſit deprecantis oratio. Primo enim orandum eſt attente. Nam in orationibus vigilandum eſt, ne animus cogitet aliud, præter id ſolũ, quod precatur. Indignum quippe eſt in corpore aſtare Deo, & mente per campos inutilium cogitationũ euagari. Qui enim in ſenſu cordis orat, & præſentem Dominum in ſua oratione cognoſcit, nil horum patitur, ſed totum ſe colligens in ſe ante faciem Dei ſeſtatuit, vt ei æſtus amoris, dilationem patriæ, peregrinationis ærumnas, tentationum impulſus, frequentes caſus, neceſsitates non paucas, & hoſtium inuiſibilium importunos inſultus pandat, & ab illo ſuſcipiat iuxta vota auxilium ſpirituale. Quemadmodum autem preces, quæ attẽte & puro animo funduntur, à Domino reportãt, quod petunt, ita deſpiciuntur leues, diſsidentes, inutiles, in ſeculi curis anxiæ, rebus temporalibus implicitæ, & bonorum operum fructibus infecũdæ. Item orandum eſt cum magnitudine deſiderij. Sic nanque ſcriptum eſt Deut. 4. Quum quæſieris Dominum Deum tuum, inuenies eum, ſi tamen toto corde quæſieris. Magnitudo quippe deſiderij clamor eſt, quem Deus exaudit. Hoc tamen nequaquã ſilentio prætereundum eſt, quod ſæpe mens ſtatim nõ potitur eo, quod ardẽti deſiderio à Domino poſtulat, & importune pulſare per orationes cogitur, quod magis ad profectum efficitur orantis, quàm ad contemptum, quia quũ ſuperficietenus petitio negligitur, vota exorantis altius in cogitationum radice ſolidantur, ſicut & ſemina meſsium gelu preſſa ſolidantur, & quo ad ſuperficiem tardius exeunt, eo ad frugem cumulatiora conſurgunt. Sãcta enim deſideria dilatione creſcunt, & vnde ad tempus detrimentum tolerare videntur, inde maiora lucra in retributione reportant. Orandum quoque eſt cum lacrymis & gemitu. 1.Reg. 1. Quum eſſet (inquit ſcriptura) Anna amaro animo, orauit Dominum flens largiter, & abũde obtinuit, quod petiuit. Nemo ad Deum aliquãdo flens acceſsit, qui non, quod poſtulauit, acceperit. Nullus ab eo beneficia dolẽter optauit, qui non impetrauit. Ipſe eſt enim, qui conſolatur flentes, dolentes curat, pœnitentes informat. O lacryma humilis tua eſt potentia, tuum regnum, tribunal iudicis non vereris, amicorum tuorum accuſatoribus ſilentium imponis, nõ eſt, qui te ad Deũ accedere vetet. Si ſola intres, vacua non redibis. Quid plura? Vincis inuincibilem, ligas omnipotẽtem, inclinas filium virginis, aperis cælum, fugas diabolum, tu, cibus animarum, roboratio ſenſuũ, abolitio delictorum, vitiorum exterminium, virtutum præuia, gratiæ ſocia, refectio mentium, & lauacrum culparum, tu odor vitæ, ſapor ſpiritus, guſtus indulgentiæ, ſanitas redeuntis innocentię reconciliationis iucunditas, ſerenatæ conſciẽtiæ ſuauitas, & electionis æternæ ſpes valida. Qui te orationis ſuę comitẽ habebit, gaudeat, quia poſt orationem ſecurus abibit. Orandum denique eſt humiliter. Pſal. 101. Reſpexit (inquit Propheta) in orationẽ humilium, & non ſpreuit preces eorum. Ille nanque perfectam Deo exhibet orationem, qui ſemetipſum, quàm puſillus ſit, humiliter videt, qui nihil ſibi virtutis tribuit, qui bona, quæ agit, eſſe de miſericordia conditoris agnoſcit. Ecõtrario perfectam Deo exhibere orationem, atque contemplari Dei ſapientiam non valent, qui ſibi vidẽtur ſapientes, quia tanto ab eius luce longius ſunt, quanto apud ſemetipſos minus ſunt humiles. Nã in eorum mentibus dum tumor elationis creſcit, & orationis puritatem, & contemplationis aciem claudit, ſicquę vnde ſe lucere præ cæteris exiſtimant, inde ſe lumine priuant. Orandum præterea eſt perſeueranter, quoniam exaudiri in prece à Domi-

Domino nequaquam meretur, qui cõfidenti animo ac perſeueranti ſtudio non popoſcerit. Sicut enim certaminis brauium non aſſequitur, qui antequã ad metas attingat, deficit, ſic orationis fructu priuatur, quiſquis in illa non extiterit importunus, (Luc. 18.) quod Dominus Ieſus euidenter oſtendit exẽplis proponens iudicis iniqui Deũ non timentis, & homines non reuerentis, qui improbitate victus viduæ, vindictam illi fecit de aduerſario eius. Nemo igitur noſtrum deficiat ab oratione, nullus paruipẽdat orationem ſuam, quoniam ipſe, ad quem oramus, non paruipendit eam. Poſtquã autem egreſſa eſt ab ore noſtro, illam ipſe ſcribit in libro ſuo, propter quod vnum è duobus ſperare indubitanter poſſumus, quoniam aut dabit, quod petimus, aut quod nouit vtilius. Hæc eſt forma, & iſta ſunt, quæ noſtram, quum effunditur, perfectam efficiunt orationem.

De gradibus contemplationis, quæ orationis eſt finis. Cap. X.

Viatorum hęc eſt conſuetudo, & commẽdabile propoſitum ab incepto non deficere itinere, donec ad terminum, quo pergunt, attingãt. Hoc agunt ſtrenui bellatores, quod nõ prius diſcedunt de loco certaminis, niſi poſt conſummationem victoriæ. In omni re, in quolibet negocio videndus eſt finis. Nihil laude dignum eſt, quod imperfectum relinquitur. Cœpiſſe, nec perfeciſſe opus, non caret reprehenſione. Hoc contingit in agricultura, hoc in ædificijs conſtruendis, hoc in ſtudio literarum, hoc in moribus componendis, peramplius verò in adipiſcendis virtutibus. Non profeciſſe nanque in virtute in vanum cucurriſſe eſt. Studeant ergo, qui in ſtatu ſunt quieſcentium, quique Deo adhærere, & vnum cum illo effici ſpiritum per orationis virtutem & exercitationem elegerunt, nullã ſpiritui ſuo dare requiem, nunquam à concepto langueſcere deſiderio, donec votorum fiant compotes ſuorum. Ne verò ignorantia fallantur putãtes ſe ante terminum culmen attigiſſe orationis, dignum duxi, & fore proficuum arbitratus ſum in hoc vltimo capitulo tractatus orationis diſtinctos enarrare gradus, quibus verè quieſcentes perueniunt ad faſtigium contemplationis, quæ orationis finis eſt, prout ſuperius patefactum eſt. Sex nãque ſunt gradus contemplationis, per quos proficiens anima ad portum veræ quietis ducitur. Primus enim gradus conſiſtit in ſola imaginatione. Tunc etenim contemplatio noſtra in imaginatione verſatur, quum obſtupeſcentes attẽdimus corporalia iſta, quæ ſenſu corporeo haurimus, quàm ſint multa, quàm magna, quàm diuerſa, quàm pulcra & iucunda. Et in his omnibus creaturis illius ſummæ diuinæ eſſentiæ potentiam, ſapientiã, munificentiamque mirandam veneramur. Veneratione nanque omni dignus eſt, qui talis eſt, vt potentia ſua cœlum ornaret ſyderibus, aerem volucribus, aquas piſcibus, terram animantibus diuerſarum ſpecierum. Nam & ipſam fęcundauit varijs fructibus, diuerſis arboribus, multarum herbarũ ſpeciebus, floribus innumeris, quæ omnia ex ſui dignitate Deum magnum magnifice confitẽtur, quod intuens Propheta Spiritu Sancto refertus (Pſal. 8.) aiebat. Domine Dominus noſter quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra. A ſolis ortu (Pſal. 8.) vſque ad occaſum laudabile eſt nomen tuum ô Domine. Secundus gradus exercetur in imaginatione, & ſecundum rationem. Rimatur enim vniuſcuiuſque rei ordinem, diſpoſitionem, cauſam, modum, & vtilitatem. In qua conſideratione interlucet contemplanti quædam ſpiritualis lux diuinæ bonitatis, quæ miro modo ſe communicauit etiam inſenſibilibus, tribuens illis virtutẽ curandi, effectum procreandi, donum roborandi, & alia quamplurima. Vni dedit ſuauitatem odoris, alteri dulcedinem ſaporis, atque alteri precioſitatem valoris, & ſic diuerſis diuerſa contulit pro beneplacito voluntatis ſuæ. Hoc ſpeculatione contemplationis intuens animus præ admiratione clamat cum Propheta, & dicit. Quàm magnificata (Pſal. 103.) ſunt opera tua Domine, omnia in ſapientia feciſti. Tertius gradus eſt, quando per rerum viſibiliũ ſpeculationem ſubleuamur, & quadam manu ductione ad inuiſibilia ſuſpendimur. De hoc Apoſtolus ait. (Rom. 1.) Inuiſibilia enim Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas. Hæc enim viſibilia confitentur creatorem ſuum, & modo ſuo dicunt. Ipſe fecit nos, & non ipſi nos. (Pſal. 99.) Illuſtratur mens contemplantis quadam dulcedine admiratione, & iucunda ſuauitate reſperſa in laudem prorumpit Dei. Efficitur ergo intellectus cogitantis contemplatio amantis formans illum in quaſdam ſpirituales conſolationes, quę cor & dilectione replent, & deſiderio accendunt cęleſtiũ gaudiorum. Quartus gradus eſt, quando ſegregato omnis imaginationis officio ſolus animus intendit, quæ imaginatio non nouit, ſed quæ mens ex ratiocinatione colligit, vel per rationem comprehendit, vt quando inuiſibilia noſtra, quæ per experientiam nouimus, & intelligentiam, in conſiderationem adducimus, & ex eorum conſiderationem in cęleſtium animarum & ſpirituum beatorum intelligibilem contemplationem aſſurgimus. Tunc quàm magna ſit multitudo dulcedinis Dei, timentibus abſcondita, percipiunt. Contẽplatur enim qui huiuſmodi ſunt, regni cæleſtis gloriam, dedicatam abundantiam regis magnificentiam, ciuium ſupernorum naturam, numeroſitatem, & beatitudinis ſupereminentiam. Talibus nanque refecti conſiderationibus, & ardenti plurimum repleti charitate, atque deſiderio affecti ſocietatis ipſorum, quã valent, virtute ignitis affectibus in ſpiritu dicunt. Quàm dilecta tabernacula (Pſal. 83.) tua Domine virtutum, concupiſcunt, & deficiunt animæ noſtræ introire in atria tua. Beati nempe

ſerui

Digitized by Google

ſerui tui Domine, qui ſtant coram te ſemper, & contemplantur gloriam tuam ſemper, teq; laudare non deſinunt. Quintus gradus eſt, quando ea, quæ ex diuina reuelatione cognoſcimus, nulla noſtra ratiocinatione integre inueſtigare ſufficimus. Talia ſunt, quæ de diuinitatis natura & quæ de ſimplici eſſentia credimus, & ſcripturarũ diuinarum autoritate approbamus. Super rationem, & non tamen præter rõnem, cenſenda ſunt quoniam id, quod intelligentiæ acie cernitur, humana non poteſt ratio inuenire, tamen facile acquieſcit, & ſua atteſtatione alludit. In hac.n. carne viuentibus, & in hoc ſtatu inæſtimabili virtute creſcentibus, contemplationis acumine poteſt æterna Dei claritas videri, & ſenſu illuminati amoris attingi. Intelligendus enim eſt Deus, cogitandusq; quædã vita æterna viuens & viuificans, immutabilis, omnia mutabilia immutabiliter faciens, veritas fixa, ſtans indeclinabilis, ex qua vera ſunt omnia, quæ vera ſunt, in qua ſunt æternaliter rationes rerum omnium euenientium temporaliter, cui vita ipſa eſſentia eſt, quæ vita viuẽs ipſa ſibi eſt, quæ eſt ipſa Deitas, æternitas, magnitudo, bonitas, virtus in ſemetipſa exiſtens, & ſubſiſtens, excedens omnem locum virtute naturæ illocabilis, æternitate verò omne tempus, quod vel ratione, vel opinione comprehendi poteſt. Quæ certius ſenſu humilis & illuminati amoris, quã quolibet cogitatu rationis attingitur, & ſemper melius eſt, quàm cogitatur, melius cogitatur, quàm dicitur. Ipſa eſt ſumma ſubſtantia, non ſubiecta prædicamentis vocum, ſed rerum omniũ ſubſiſtens cauſale principium, in quo eſſe noſtrũ non moritur, intellectus non errat, amor non offenditur, qui ſemper quæritur, vt dulcius inueniatur, dulciſsime inuenitur, vt diligenter quęratur. Sextus contemplationis gradus eſt, quando animus illa ex diuini luminis irradiatione cognoſcit, quibus omnis humana ratio declinat, & intelligibilium intelligentia rationẽ amittit, & omnem humanam ratiocinationem & intentionem tranſcendit. Hinc emanans fluminis impetus lætificat animum contemplantis memoria abundãtiæ ſuauitatis Dei, in quo guſtu quum ad Deum totis præcordiis amandum facile abducat hominem potẽtia eius, & virtus, & gloria, maieſtas, bonitas, beatitudo, ad contemplanda eius amabilia per ſeipſa in affectum cordis cõtẽplantis eluecentia, hoc potiſsimum amantem rapit in amabilem, quia ipſe in ſeipſo eſt, quicquid in eo amabile eſt qui eſt totum quod eſt, cui bono amore ipſius boni ſic ſe intendit pius affectus, vt non ſe inde reuocet, donec vnus cum eo ſpiritus effectus ſit, quod quum in eo fuerit perfectum, iam ſolo mortalitatis huius velo differt, ac diuiditur à ſanctis ſanctorum, à ſumma illa beatitudine ſupercœleſtiũ, qua tamen in fide & ſpe eius, quem amat, in conſcientia fruitur. Iã quod ſupereſt, tolerabili præſtolatur patientia. Hic eſt deſtinatus ſolitarij certaminis curſus, hic finis, hoc prẽmiũ, hæc requies laborum, conſolatio dolorum, & ipſa perfectio, & vera hominis ſapientia Deum quærentis, & Deo vacantis, & adhærentis per orationis ſtudium, per cõtemplationis ocium. Quæ orationis virtus quantæ apud Deum ſit dignitatis, comprehenditur in prætactis, & quantæ exiſtimationis apud homines percipitur ex hoc quod & duodecimum ſortitur gradum, & vltimũ poſsidet locum fructuum ligni vitæ, quos Domino opitulante ordinaui, deſcripſi, & ad finem deducendo peregi.

Pſal. 45. Pſal. 4.

PERORATIO.

Pſal. 23.

Quis autem aſcendet in hunc montẽ Domini, aut in locum ſanctum eius. Vtiq; vere quieſcentes, ſi tamen ſtrenue abdicauerint à ſe omnẽ mundi ſubſtantiam, omnem facultatem, & cuncta, quæ mẽtem ab interiori exercitatione diffundere valẽt, & voluntariam elegerint paupertatem prorſus ſe diuinæ committentes prouidentiæ, quæ neminẽ deſpicit, vel in ſe confidentem derelinquit. Sed nequaquam hoc ſolo contenti ſint, quin potius concupiſcentias gulæ, & ventris illecebras iugulent mucrone ſobrietatis & temperantiæ, quatenus redacto in rationis ſeruitutem crudeli tyrãno mens igne diuini amoris ſuccenſa, læta, & expedita valeat ſe colligere in ſe, & per internas cordis exercitationes, & virtutem orationis aſcendere ſupra ſe. Hoc tamen non lateat quieſcentem, quod vt facilius aſcendat, quieſcat, dulcius, ſecuriusq; poſsideat dona, quæ ei donanda ſunt, prorſus aſſocianda eſt duab. prioribus humilitatis virtus, quæ cęleſtis regis ſingularis filia eſſe comprobatur, adeo vt illi nec paupertatis virtus, nec ſobrietatis bonum, nec ieiunij labor, nec eleemoſynarum elargitio, aut orationis ſacrificiũ ſine iſta placere queat. Cuſtos.n. virtutũ eſt, & ante Deũ aſtare volentibus perneceſſaria. Nulla nanq; poteſt eſſe in oratione repulſa, quando hæc deprecantis fuerit ſocia, & orationis præuia. Eo nanq; mens in oratione erit alacrior, & in cõtemplatione ſublimior, quo in ſe extiterit abiectior, atq; humilior. Propterea ſeruus Chriſti, virtutum amator, orationis ſectator humilitatem habeat, humilitatem exhibeat in negocijs, in morib. & per amplius in orationib. Quæ virtus quum animã compleuerit, deiecerit, liquefecerit, tunc incipiet cor dilatari dilectione, irradiari veritate, repleri lumine, perfundi exultatione iucundari ſuauitate, ſaginari deuotione, eleuari ſpiritu, inebriari iubilo contemplatione niteſcere, potiri amplexibus, circundari ſplendorib. odorib. aſpergi, atq; ineffabilib. gaudijs ditari. Hinc ſecretorum oritur reuelatio, ſcripturarum declaratio, futurorum cognitio ſenſuum corporaliũ alienatio, cęleſtium bonorũ medullaris participatio, diuinæ bonitatis adhæſio, & vnitatis ſpiritus beata fruitio. Quod totum hauritur ex orationis exercitio, & cõtẽplationis ocio, & opitulatione diuinę miſerõnis afficientis

vniuſcuiuſque cor, & prout vult dona diuidẽtis. Non enim literatoria ſunt hæc ſtudia, non voluptaria, nõ robore corporis acquiſita, ſed ſpiritualia, pacifica, humilia, humilibus cõſentientia, deuotis exhibita, mundis corde tradita, diuina non negligentibus mandata conceſſa. Quæ non foris Eph. 4. exercentur, ſed intus potius aguntur in ſpiritu Pſal. 110. mentis, in feruore ſpiritus, in emundatione cordis, vbi renouatur homo induens nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in ſanctitate, & iuſtitia veritatis. Ibi enim fit animus, ibi fit intellectus bonus omnibus facientibus eum. Prius enim quàm hæc diuina pandantur, quàm hæc cęleſtia infundantur, exercendus eſt animus in operibus miſericordiæ, in obſequijs pietatis, in patientia multa, in tribulationibus multis, in tentationibus varijs, in infirmitatibus crebris, in vigilijs aſsiduis, in neceſsitatibus plurimis, in iniurijs non paucis, in perſecutionibus iniuſtis, in conuicijs duris, nonnunquam & in mortis periculis. Quum autem purgatus his & ſimilibus fuerit animus; tunc nouo lumine clarificatur, inſolito affectu depaſcitur, & contemplationis munere fęcũdatur, quia nec corona tribuitur ſine certaminis labore, nec virtutis bonum abſque vitiorum impugnatione, & victoria, neque contemplationis faſtigium ſine aliquali perfectione virtutũ. Quapropter virtutum non horreat inire conflictum, qui deuotionis concupiſcit guſtum, ſed læto animo, lato deſiderio, voluntate pertinaci, charitate non ficta, magnanimitate ingẽti, corde ſtrenuo, prudenti diſcretione, ſagaci ingenio, humili mẽte, oratione aſsidua, ſolicitudine nõ pigra, & perſeueranti ſtudio ſe diſponat, ſibi vim faciat in acquiſitione virtutum. Non enim guſtu Dei priuabitur, neque cœleſti remuneratione, expers erit, quiſquis vitiorum acerrimus impugnator, & vir- Pſal. 83. tutum pro charitate Chriſti Ieſu extiterit non otioſus amator. Beatus (inquit Propheta Domino) cuius eſt auxiliũ gratiæ operantis abs te, qui aſcenſiones in corde ſuo poſuit, in valle lacrymarum euellendo, diſsipando, diſperdendo, deſtruendo conſuetudines, concupiſcentiasque vitiorum, vt ad virtutum perfectionem aſcendat, quoniam ei tribuet benedictionem, & exultationis abundantiam, ſpiritualium prælibationem bonorum legislator, per quæ poſt hanc peregrinationem, poſt deuictum triumphatumque mundum, depoſito carnis onere facialiter, & viſione limpida, atque iucũda videre merebitur Deum Deorum in Siõ, qui eſt omnium ſe diligentium ſalus, vita, beatitudo, & pax in ſecula ſeculorum. Amen.

DIVI LAVRENTII IVSTINIANI in diſciplinam, & perfectionem monaſticæ conuerſationis.

PROLOGVS.

Diuina bonitas ſuorum volens animas electorum cęleſtib. remunerare diuitijs, donec in hac mortali degunt carne, ſpiritualib. non ceſſat eos ditare chariſmatibus, vt per ipſas exercentes ſe, & proximorum profectibus ſe accommodantes, diuinæ legis factores, & fraternæ ſalutis cooperatores efficiãtur. Spiritualia quippe dona, vt participentur, elargita ſunt. Nam Paulus hoc teſtatur, dicens: Vnicuiq; autẽ datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem. Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ ſecundum eũdem ſpiritum, alij fides 1. Cor. 12. in eodem ſpiritu, alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus, atq; idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. Diuidit certe ipſe ſpiritus dona ſua, non vt lateant, non vt ſine fructu ſint, ſed vt erogata proximis lucrifaciant poſsidentes. Proinde graui periculo ſe ingerunt, qui Dei munera ſuſcipientes, nullũ ex eis fructũ ad Dei gloriã elicere ſtuduerint. Rationẽ etenim poſiturus Dominus cũ ſeruis ſuis, fidelib. & ſolicitis tribuet perẽnes honores, infidelib. verò & tepidis, immenſa ſupplicia. Ad hoc namq; cõicat ſua beneficia, vt multiplicẽtur ad profectum illorum quib. donantur, & nõ ipſius. Bonorum.n. mortalium non eget Dominus, cui cuncta ad votũ ſuppetũt, & voluiſſe perfeciſſe eſt. Delectatur tamen, vt mutui profectus exerceatur amor, & qui abundat, tribuat indigẽti, non tẽporalem ſubſtantiam tantum, ſed & ſpiritualem gratiam, & dona ſpiritus quæ prorſus gloriæ ipſius miniſteria ſunt. Nil.n. ſic Deo laudes, & ipſum exhibet laudabilẽ, ſicut donorũ ſpiritualiũ fraterna, & humilis cõicatio. Ex his charitas nutritur, quę omnino ſolitaria eſſe non põt. Nam ſemper eſt ad erogandũ hilaris, ſemper læta ad tribuendum, nedum ſua, ſed ẽt ſe, ad proximorum commoda. Hanc mandauit Dominus, vt verbo & opere erga fratres exerceatur, propterea ne præcepti transgreſſores exiſtant, ne proximorũ ſalutem paruipendere comprobentur, quicunq; cęleſtis gratiæ participes ſunt, magnopere ſtudeant fratrib. ſibi collata diuinitus munera impertiri, maxime quæ profectib. eorũ deſeruire valent. Impium.n. eſt erogantis dona euertere intentionem, vt quę ille contulit, vt publicentur, ſilentio tegantur. Ideo priorum temporum venerabiles patres memoria digni, tam ſedulo, tamque liberaliter propalare proximis conabantur per exhortationis verbum, per epiſtolarum directiones, per librorum volumina, quæ illis

Dominus in arcano pectoris reuelare dignabatur, ne abſconditi talenti rei tenerentur. Quærebant nempe nō ſuam, ſed Domini gloriā, et proximorum lucra, hoc ſolum contenti ſtipendio, quod Dominus laudabilis appareret, quæſtū.n. ſuum diuinam gloriam eſſe cenſebant, & fratrū profectum proprium arbitrantes, vti de ſuo, ſic de alieno lætabantur. O vera charitas, quæ ſua nō facit ſua, quos nanq; replet, non quæ ſua, ſed quæ aliorum ſunt, concupiſcere facit. Hoc qui accenſi ſunt ſancto zelo, ſæpe altiſsimo vota fundētes impetrare conantur, quatenus per ipſorum inſtrumentum laudabilis idem Dominus apparere dignetur, quorum pia deſideria omnipotens ex alto proſpectans, optato dignos efficit voto. Nihil vtilius, nihil rectius, quàm Dei gloria, & proximorum ſalus concupiſci poteſt. Hoc irradiatus lumine, hoc ſancto perfuſus odore, nō meis fretus viribus, ſed fraterna præuia gratia roboratus, operam dare ſtatui apud me ſeruorum Chriſti vltimum, talentuli mei ſpiritualia cumulare lucra ad laudem Dei mei, atq; ſimplicib. fratrib. in cœnobijs & congregationib. Deo dicatis conuiuentibus, quæ ipſorum ſtatui congruant, reſerare. Magnum nempe pietatis opus eſt, atq; Deo ſatis acceptabile ſacrificium, dęmonum fallacias detegere, vitiorum actus & cauſas aperire, virtutum altitudinem pandere, certamina ſpiritualia docere, & monaſticæ conuerſationis diſciplinam, & perfectionem manifeſtare. Hoc quamuis arduū, quāuis imperio laborioſum ſit, cognitum tamen Dei ſapientia operante in ſingulis, difficile non eſt. Nempe ipſa eſt, quæ mutorum ſoluit ora, & infan- Sap.10. tium linguas diſertas facit. Ipſa olim puerum Dauid prophetam fecit, piſcatorem Petrum implens doctorem egit eximium, & vt plurimum, ex ore Pſal.8. infantium & lactentium perfecit laudem ſuam. Mirum quippe, & nunc non erit ſi ad laudem nominis ſui, & ſuorum profectum ſeruorum ſimplicium, per homunculum indoctum, & hebetē opuſculum hoc perficere dignabitur. Eò nanq; glorioſior cognoſcetur, quò per inſtrumentum fractum & inutile veritatem ſuam pronunciare dignabitur. Adeſto igitur nunc o increata ſapiētia, & de altitudine ſedium tuarum illabere micanti lumine gratiæ tuæ in cor indigni ſerui tui. Fuga o ſplendor diuinæ maieſtatis, o candor paternæ gloriæ, o meridiana lux, o dator munerum, ipſius erroris tenebras claritate tuæ almæ veritatis, & illi reuelare digneris incerta & occulta ſapientiæ tuæ, quatenus te ſolo intus docente & non alio, Pſal.40. promat militibus, & ſeruis tuis in monaſterijs, & congregationibus tibi famulantibus, quib. ſe præmunire debeāt ſpiritualibus armis, antequam in hunc durum & diuturnum conflictum conuerſationis monaſticæ ingrediātur, quæ agere, quæve declinare, & qualiter in eodem cum hoſtib. eos oporteat decertare, nec non quibus exercitijs ad perfectionem valeant peruenire. Hoc autem (vt noſti) proprijs virib. attentare non audet exiguus ſeruus tuus, quia impares ſunt. Zelus verò tuus, & de bonitate tua concepta fiducia, atque fraterna dilectio præbent illi auſum fandi de talibus. Da ergo o fons æternæ prudentiæ te ſitienti ſeruulo irriguum inferius, & irriguum ſuperius, vt rectè, humiliter, & abſque errore arcana proferat huius ſancti conflictus ad laudem gloriæ tuæ, & tuorū profectum fidelium, qui puro corde tibi famulari deſiderant viuenti in ſecula.

QVALITER DEI PIETAS LABENTI homini ab innocentiæ ſtatu triplici & lege peccatorum remedia contulit, atque in temporis plenitudine miſit vnigenitum ſuum, vt verbo, & exemplo fideles ad contemptum mundi, & virtutum palmam accenderet. Cap. I.

POſtquam paradiſi gaudijs per priorum parentum præuaricationem expulſum eſt humanum genus in hanc lacrymabilem peregrinationem ærumnis plenam, ſicut multarum particeps calamitatum effectum eſſe cognouimus, ita ingentib. delictis obnoxiū non ambigimus. Vnde ſuis exigentib. meritis ſemper ad ima dilapſum eſt, amittendo præſtita, & perpetrando prohibita. Qua in re medullari pietate permota ac paterna attracta miſeratione diuina clementia, ne ad nihilum deueniret quod condidit, viſcera ſuæ benignitatis ſuper exulem ægrotū aperuit, atq; ſuccedentibus temporibus opportuna eius adhibuit medicamenta vulnerib. Dedit .n. in primæuo naturæ legem mortalium cordib. inſitam, qua duce contemptores mandatorum cōditoris, reparētur ad vitam. Adiunxit nihilominus huic ſacrificia pro expiatione facinorū, quatenus qui in multis per ſingula quæq; momēta offendebatur, talib. muneribus placaretur deus, operāte hoc offerentiū fide. Creſcente aūt hominū malitia ita inoleuit peccatum, vt pene originalis iuſtitia deleretur. Proinde addidit omnipotēs per ſanctum puerum ſuum prophetam decalogi legem, in qua iudicialia, cæremonialia, et moralia edidit pręcepta, vt tranſgreſſoribus naturalis decreti tolleretur per paginas Dei digito conſcriptas omnis excuſationis materia, patenter indicans qualiter Deum placare, illiq; placere deberent. Hāc ſecundo præuaricatus eſt homo Dei legem. Diſceſsit nanque à ſeipſo, rationis amiſſo lumine. Receſsit à patre obedientiæ ſpreto bono, et in regionem longinquam peregre profectus eſt, in qua diſtracto patrimonio naturalium, gratuitorumque donorum omni ſe tradidit voluptati. Sicque iuſto Deo iudicante factum eſt, vt qui in propria domo virtutum fuerat dominus, in aliena venundatus cunctorū vitiorum efficeretur ſeruus. Iacebat deniq; elatus, qui noluit ſtare ſubiectus, et qui longe plus cæteris animātibus præcellebat dignitate, ad ipſorū æqualitatē redactus eſt ſua iniquitate, hoc atteſtante Propheta, qui ait. Homo

Pſal. 48. quum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipiētibus, & ſimilis factus eſt illis. Vnde omni humano atque proprio deſtitutus auxilio, ſolo cœleſti iuuandus erat adiutorio. Complacuit itaque æternæ bonitati etiam tertio noua homini remedia præſtare ſalutis, vt quæ innatam olim aboleuerat legem, & aliam per miniſteria Sap. 18. angelorum ſibi datam contempſerat, noua iterū lege erigeretur. Dum igitur medium ſilentium tenerent omnia, & mortale genus hominum in maximo peccatorum fœtore iaceret proſtratum, atq; ſub diro ſæuiſsimi tyranni dominio teneretur captiuum, venit in temporis plenitudine vnigenitus Dei patris per carnem ad homines homo factus. Apparuit in homine viſibili inuiſibilis deus, cum hoſte pugnaturus æquitatis lance, qui poſt humillimam reclinationē in præſepio, poſt pœnalem ſanguinis effuſionem in circumciſione, poſt peregrinationem in Aegyptum pro intentata nece, poſt glorioſos tentationum triumphos in eremo, poſt illuminationem cæcorum, ſanitates infirmorum, reſurrectiones mortuorum veluti rex pacificus magnificusque dominus, & triumphator in omnibus glorioſus valedicturus ſuis in natura paſsibili tribuit & ipſe legem cæteris ſanctiorem. Tradidit mandatum dilectionis, vt hoc vno reliqua complerentur, & quod alijs deerat, iſto ſuppleretur. Lex hæc charitas eſt, lex amoris, lex dulcedinis & totius ſuauitatis, lex perfectionis & ſanctitatis, lex nempe, quæ leue facit omne onus. Hæc vtique lex non vt olim in tabulis lapideis conſcripta eſt, ſed in cordibus mūdis & humilibus per Spiritumſanctum diffunditur. Quos enim replet hęc charitas, erigit ſpe, roborat in fide, dirigit in naufragio huius vitę, deducit in ſui cognitionem, perducit ad pacem, in humilitate deijcit, iniquitati congaudere non ſinit, & in dilectionem ac deſiderium cœleſtis præmij deuenire facit. Hac legifer noſter accendit ad ſpirituale certamen fidelium corda, abſtulit timorem, & infundit amorem, vt delectabile fieret quicquid imperabatur. Amanti nanque nihil difficile, nihil laborioſum eſt. Ignem, carceres, tormenta, & ipſam vltimum terribilium non veretur mortem. Præſentia deſerit ſpe futurorum, temporalium damna lucrum exiſtimat æternorum amore. O mirabilis artifex è cœlo miſſus. O incarnata ſapientia magiſter amoris, qua arte reparas lapſos, quibus vinculis trahit poſt te filios Adam, quave virtute totum legibus tuis ſubdis orbem. Grauia ſuades, contraria corpori conſulis, & tamen innumeros tibi quotidie vendicas amatores, difficiliora iubes quam olim in lege, & nihilominus innumeroſiores tibi aggregas ſectatores, non metu mortis, non terrore iudicij, non horrore gehennæ, ſternis ſub iugo tuo colla mortalium, ſed ſolo id amore. Iugum etenim amoris tui ſuauiter premētis, o quā fortiter trahit, quā dulciter capit. Vis nanque tua amor eſt tui. Non armis carnalib. ſed facibus amoris inflammas tuorum mētes fideliū ad currendā viam mandatorū tuorū, atque ad capeſſendā perfectionem conſiliorum tuorū. Quis verò auderet terrena relinquere, tēporalia oblectamenta ſpernere, carnē aſsidua maceratione edomare, & crucem ſuam (ſicut mandaſti) quotidie baiulare poſt te, ſi tui non traheretur amore. Intuetur quippe fidelis & deuotus homo, his grauiora te ſuſtinuiſſe pro ſe, & hac contemplatione Luc. 9. edoctus, hoc amoris fulgore irradiatus, ſe totum exponit pro te, indignū arbitrans fore, vt floreat in ſeculo ſeruus, domino crucifixo. Sic ſic melliflue amor, & ſuper omnia diligende, exaltatus à terra omnium corda puro intuitu aſpicientiū te trahis ad te, ducis poſt te, charitatiſq; igne vulneras de te, vt totis medullis deſideriorum ſuorum transformentur in te. Non verbo tantum. O vere hominum amator, ſectatores tuos ad virtutū palmam, & contemptum terrenorum exhortari voluiſti, quin ēt cōfirmaſti exemplo. Proinde naturam vniuerſæ mortalitatis, quam induere tibi cō placuit, expoliaſti flagellis, opprobrijs, ſputis, mortiq;, ne abhorrerent ſecutura mēbra quod in te ſancto capite agnoſcerent præceſsiſſe. Paupertatē deniq; elegiſti, humilitatē oſtēdiſti, cæteraſque virtutes dicto, factoq; commendaſti, quatenus cunctos tibi famulantes ad perfectionis iter animares. Præcipue tamen ſubiectionis bonū, & obedientiæ virtutē tuis mandaſti, vt per hæc aſſueſcerent propriam extinguere voluntatē, quæ omnium potiſsima eſt cauſa malorum. Congruum quippe fuit, vt ſicut homo propria ruerat voluntate, ita erigeretur aliena. Propterea o excelſa, & deifica ſapientia, te inſpirante erecta ſunt monaſteria, & cœnobia conſtructa, vt in illis ſpreto letali luxu carnalium voluptatū, atq; abdicato vſu tēporalium cupiditatum, mentes tibi placere cupientium, aptius contra ſe, & feruentius contra vitia dimicarent. Quoniā verò arduum inſtitutioni propoſitum eſt hoc, & ſuperexcedit hæc lucta, huiuſmodiq; conflictus humanā virtutē, ſine guſtu charitatis tuæ, & abſq; præmonitione pugnæ, illud aggredi nemini fas eſt. Quiſquis igitur per internam inſpirationē afflatus, & ex prælibatione quadam ſpiritualiū gaudiorū accenſus eſt, ad currendū poſt te in odorē tuorū vnguentorū, diſſoluat iugū exactoris, quo premitur, et concito gradu capeſſat monaſticā conuerſationē, moriturus in ea. Non tamen abſq; conſilio eorū, qui in eodē certant ſtadio, id attentare præſumat, nec cuiuſq; ſe cōmittat arbitrio. Habeat virū prudentē, pugnæ aſſuetū, virtutib. ornatum, qui magis experientia, quā ſola ſit edoctus ſcientia. Quum talē inueniet, realiter ſe cōmittat illi. Difficile nanq; reperitur, qui ſpiritualis certaminis valeat enodare ſecreta, niſi abs te (dn̄e) ſingulari munere prius fuerit edoctus. Planè aūt beatus, quē tu erudieris dn̄e, et de hoc virili certamine monaſticæ cōuerſationis docueris eū, vt alios inſtruere idoneus Pſal. 93.

neus

neus inueniatur. Ignorantia nanque horum plurimum pernicioſa eſt, ſicut econtrario ſcientia perutilis eſt, & potiſsima cauſa victoriæ.

Quòd ex admonitionibus domini Ieſu, ex conſideratione vilitatis, & inſtabilitatis rerum temporalium, ex comparatione ſpiritualium gaudiorum, exhortentur ſeculi amatoris ad contemptum mundi. Cap. II.

Matt. 11. Vulneratus charitate dominus Ieſus, & ſalutem ſitiens animarum, fideles omnes vocibus hortatur pij amoris, & affectu intimæ charitatis ad ſe imitandum, dicens. Venite ad me omnes, qui laboratis in aggregatione temporalium diuitiarum, & onerati eſtis faſce propriarum voluntatum, & ego vos reficiã. Tollite iugum mandatorum meorum ſuper vos, quoniam ſuaue eſt, & onus dilectionis meę leue, & requiem inuenietis animabus veſtris. O ſalubre cõſilium, o ſuaſio fidelis, o admonitio ſalutaris, quid hac exhortatione conſultius, quid breuius, quid melius dici potuit? Docuit his paucis humana ta veritas terrena deſpicere, ſpiritualia appetere, vana fugere, viſibilia non amare, pacem quærere, & cœleſtia poſsidere. Quis hæc audiens ſe continere poterit, quin obtemperet tam prudenti conſilio? Quis autem compos ſui diſsimulare audebit, & non magis toto animo, totoque affectu tanto ſe præparabit obedire præceptori, præcipue quum pacem ſuis ſpondeat ſectatoribus, quã naturaliter concupiſcit rationalis creatura. Quicunque igitur pacem diligit, quicunque liberis greſſibus peregrinationem huius vitæ peragere cupit, atque à ceruice cordis graue onus temporalium actionum excutere ſatagit, imitetur dominum Ieſum non corpore, ſed ſpiritu, non paſsibus carnis ſed affectibus charitatis. Tollat ſuper ſe iugum ſuaue amoris ipſius, vt ſecum habeat coadiutorẽ laboris ſui. Iugum enim hoc non premit, ſed roborat, non perimit ſed reficit, non onerat ſed ſingulariter refugium præſtat. Nam portat portantem ſe, & in laborib. fortitudinem ſubminiſtrat. Tunc nanq; huius ſancti iugi Chriſti ſuauitas deguſtatur, quum realiter ipſius dominio ſe ſubſtrauerit homo. Tunc delectationibus inſuetis exuberat, tunc intima fruitur tranquillitate mentis, tũc delectatur in multitudine pacis, quam Dominus Ieſus quum aſcenſurus eſſet in cęlum, ſuis in ſolatium, in præſidium, in dilectionis ſignum diſcipulis dereliquit. Expergiſcantur itaque omnes labentis ſeculi amore detenti, euigilentque vniuerſi à graui ſomno carnalium voluptatum miſerabiliter oppreſsi, antequam præcidantur, contemnant, quæ ad tempus poſsident, vt diuitiis ditentur æternis. Erogent ſuperflua pauperibus, vt reponant ea in cęlum, videãt mentis oculo quàm mutabilis ſit mundus iſte, qui ſemper tendit ad non eſſe, & per momenta ſingula fluit in nihilũ. Intelligant non intelligentes, quàm plenus ſit laboribus, doloribus, anxietatibus, periculis, & innumeris flagitiis, qui ſuis ſpondet amatoribus, quod non habet, atq; his blanditijs ad interitum eos trahit æternum. Cui nanque promiſſa ſeruauit? cui ad vota ſucceſsit, cui ſine retractione ſua bona donauit? Cunctos in ſe cõfidentes decepit, vniuerſosq; ſibi inhærentes lethaliter præcipitauit. Nemini etenim fidelis eſt, nemini parcit, nullumq; veretur. Non ætati, nõ ſexui, non dignitati, non prudentiæ, non cõditioni miſeretur. Vno promiſsionis calice cunctos ſui inebriat dilectores, eodemq; omnes infidelitatis mucrone interimit. Hoc vniuerſis ipſi fidelior, quod nulli fidem ſeruaſſe probatur. Hunc extollit honoribus, cæteros facit antecedere dignitate, primatu eũ ornat, ac permittit in populis præ omnibus principari, hinc vallatur multitudine famulorũ, inde copioſitati nobilium præfertur, efficitur. n. honorabilis in oculis omnium. Sed quum ad horam floruerit, illico forte mutata contemptibilis exiſtimatur. Nam priuatur honoribus, denigratur opinione, ſubſannatur in turbis atque declinatur ab ijs, qui paulo ante eum vt Deum venerabantur, & qui vſq; ad cęlos fauoribus hominum extollebatur, vſq; ad abyſſum ignominia præcipitatus cognoſcitur. Alium diuitiis replet, poſſeſsionib. dilatat, pecunijs cumulat, gemmis ornat, familia nobilitat, variaque ſupellectile præcelſum oſtẽtat, mox emergente cauſa amiſſa ſubſtantia temporalium facultatum, ablatis poſſeſsionibus, & decedente familia, ad tantam deuenit inopiam, vt penè fame pericltetur. Eſto autem, quod quibuſdã proſperitas arrideat, dum viuunt, in ipſo autem ſeparationis momento fallax hic mundus adimit quod conceſsit, vixque viliſsima ſindone eoſdem tegi permittit, quos tantis prius ditauerat facultatibus atque in breuiſsimo ſepulchro cadauer collocat vermiũ eſcam futurum, quod ſericis veſtimentis antea decorauerat. Quid multa? Iſte nempe mundus quotidie deiicit & eleuat, ditat & ſpoliat, blanditur & iniuriatur, milleque modis mortalium genus ludificando percutit, & occidit. Et (proh dolor) quum tot alternantib. ſucceſsib. ſine interuallo defluat & illudat, vix reperitur, qui hæc intelligat, atq; ipſius laqueos euadere ſtudeat. Cæcata etenim mens, & peccati labe polluta, ac carnalib. irretita paſsionib. etſi aliquando raptim quodam naturali illuſtrata rationis lumine capere præualet, quàm fallax ſit mundi gloria, diuturna tamen male viuẽdi prægrauata conſuetudine nõ poteſt in eo perſeuerare quod videt, ſicq; duplici cõfuſione ſe ream facit, conſcientiæ. ſ. & rationis, dum aliter agit quàm id, quod agẽdum eſſe diiudicat. O filij hominum incircunciſis auribus, & graues corde, vt quid cum tanto animi ardore ambitis fugitiuos honores, fallacem gloriam, temporalem ſubſtantiam, breuiſsimas voluptates & perriturã vitam? Aduertite diligenter cui militatis, cuius iugo colla ſubmittitis, quoue tenditis. O præuaricatores redite ad cor, reſipiſcite à vijs veſtris,

ne poſt paululum in æternum pereatis. Cohibete corda veſtra, ne poſt ſuas abeant concupiſcentias, ne quando vos mors rapiat, nec ſit qui eripiat. Vendite quæ poſsidetis, & hoc felici commercio cœleſtem gloriam adipiſcamini. Donate Chriſto quod ſeculo relicturi eſtis, præmittite ante vos facultates veſtras, quatenus neceſsitatis tẽpore multiplicatæ reſtituantur vobis. Voluntariè abrenunciate mundo, ne cum mœrore de eodẽ exire cogamini. De neceſsitate virtutem facite, & poſt hanc vitam regnum accipietis æternum. Finem illorum diligenti examinatione cognoſcite, qui præceſſerunt vos, atq; viuere voluerunt tã
Iob 21. quam vos: Nempe in ſeculo floruerunt, diuitijs abundauerunt, & omni ſe voluptati dederunt. In canticis, in choris, in conuiuijs, in comeſſationibusq; læti ſunt, duxerunt in bonis dies ſuos: & in puncto ad inferna deſcenderunt. Exiguo exul
Psal. 33. tarunt tempore, & æterno damnati ſunt exitio. Non ſic autem cõtingit ijs, qui deo militant, qui pro Chriſto animas ſuas tradiderunt, & ſub præceptoris imperio abſq; vlla requie proprias cruci fixerunt voluntates. Diuites (inquit Propheta) eguerunt & eſurierunt, inquirentes autem dominum non deficient omni bono. Qui.n. domino famulantur (naturaliter viuentes) paucis indigẽt non exquiſita volunt cibaria, non lautiora appetunt fercula, ſed ijs, quæ apponuntur contenti, minimè quæ non habent, inquirunt. Omnes carnis ſuæ appetitus ſub imperio cohibent præſidentis. Semper enim quod volunt, habent: quia nihil aliud quàm quod habent, velle noſcuntur. Pacata nanq; mens, & intimo decorata caritatis affectu, potentiſsimè ſenſualitatis paſsiones ſub rationis frænat dominio: ſuiq́ue libertatem neque opulẽtia, neque egeſtate vendit alienis. Propterea quia nil poſsidet, nihil amittere formidat. Quo.n. cernit minus ſibi terrena ſuppetere, eo ardentius aſſueſcit cœleſtia ſperare. Tenet.n. pollicitationem
Matt. 5. domini dicentis: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. O beata paupertas volũtaria nihil in hoc ſeculo poſsidens, nihil formidans, quoniam omnem theſaurum ſuum recõdit in cœlo. Non irruentes piratas, non inſidiantes latrones, non terræ ſterilitatem, non aeris tẽpeſtates paueſcit. Quicquid infortunij, quicquid noui eueniat, ſecura eſt, ſemper hilaris, ſemper abundans eſt, & quum nihil habeat, omnia ſibi cõmunia facit, omne incommodum ſuo facit profectui deſeruire. In facie læta, iucundiorq; in corde Deum vbique reperit prouiſorem: hominum facultates renuens: in ſolo diuino innititur ſuffragio. Tãquam viator vacuus, & peregrinus in hoc ſeculo ſẽper gaudet, qui hac fuerit ornatus. Margaritam quippe abſconditam in agro inuenit: pro hac diſtraxit omnia ſua: inſuper abnegauit ſe ipſũ quatenus ipſa dignus efficiatur. Nemo certè niſi expertus percipere ſufficit quàm amabilia, quàm dulcia, quamue precioſa ſint, quæ largitur Deus ijs, qui pro ipſius amore ſuis, ſibique renunciant. Supereminent nanque omnibus quæ oculis placent, aures mulcẽt, odoratum reficiunt, guſtu ſapiunt, & molleſcunt tactu, & quum in ſolo conditore lætentur, nihil præter ipſum eſt, quod eos valeat ſatiare. Magna prorſus ſunt ſtipendia, quæ pro ſua participant ſubleuatione laborum: longè autem præſtantiora exiſtunt, quæ illis pollicẽtur futura: ſi tamen vſque ad vitæ terminum dimicauerint. Hęc etenim vtcũque conſpiciuntur fide, ac tenentur ſpe, ſed amplectuntur caritate. His roborati encænijs Chriſti milites, nec labore deficiunt, nec timore fugiunt, nec tentatione ſuccũbunt, quin potius quotidie talibus ſaginati ſpiritualibus dapibus, per hęc quæ ſibi cognoſcunt eſſe præſtita, diſcunt ardenter amare promiſſa. Pietatis igitur eruditi teſtimonijs abijciamus, ô fratres, ô Chriſti fideles opera tenebrarum: excutiamus a nobis iugum Aegyptiacæ ſeruitutis, atque quæ vt homines poſsidemus in terra, pauperibus erogemus, ſicque nudi, & ab omni ſolicitudine liberi per obedientiæ regulas curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in autorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui pro nobis obediens factus propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucẽ cõfuſione contẽpta. Exeamus igitur extra patriã, extra cognationem, extra noſipſos, ipſius improperium portantes. Non enim habemus hic manẽ
tem ciuitatem: ideo futuram quæramus: vt ſicut cum ipſo patimur, ita & cum ipſo regnemus. Heb. 13.

Quòd noui & veteris teſtamenti docentur admonitionibus, qui ſeculo renunciare volunt, vt prudenter præmeditentur ſtatus, loci, perſonarumque conditiones, cum quibus Deo militent: ne à dæmonibus decipiantur, qui multimodè Chriſti ſeruos tentant. Qua virtute qui priuati fuerint, grauiter ceciderunt. Cap. III.

VTriuſque teſtamenti paginis & quotidianis erudimur exemplis, vt quotieſcũque aliquid arduum aggreſſuri ſumus, prius diligenti examinatione perſcrutemur quid in ipſo opere ſit opportunum ad id perficiendum. Legimus enim dominum per Moſen Hebræis man
daſſe, quum illos de Pharaonis ſeruitute, qua pre Exo. 12.
mebantur, eripere decreuiſſet: vt non ſolum ipſi cum mulieribus, & liberis diſcederent, ſed etiam ſecum deferrent oues, bouesque, & quicquid diuino cultui, ac proprio vſui neceſſarium eſſet, ne Deo fierẽt odibiles, ſi vnde placari poſſet, libamina defeciſſent, aut fatigati alimonię defectione, in Aegyptum, quam reliquerãt, reuerti cogerentur.
Dominus quoq; Ieſus in Euangelio mãdat, vt ſi Luc. 14.
quis turrim ædificare diſpoſuerit, prius recogitet apud ſe, ſi ſumptus, qui in eodẽ expediunt ædificio, habeat, vt ad ſui perfectionẽ ducatur, nè forte deficientibus, pecunijs imperfectum opus cõpellatur relinquere, & fiat cunctis prætereuntibus ridiculum, quia cœpit ædificare, nec valuit cõsũmare. Solent quoque qui maria transfretare diſpo-

ſponunt, qui ad nundinas pergere feſtinant, antequam iter aggrediantur, præparare victualia, domum, familiam, ſuaque ordinate negotia, quatenus quietius ea, quæ agere intēdunt, valeant pertractare, atque debito fine concludere. Sic nimirum, ſic matura conſideratione cuncta præſentia, & futura præuidere debent, quicunque renunciare ſeculo, & Deo militare deſiderant. Studeant nanque diligenti examinatione, priuſquam in ſpirituale intrent ſtadium: animi ſui cōſtantiam, ſpei fiduciam, corporis valetudinem, ſtatus congruentiam, perſonarum qualitatem, internam vocationem, & operis diſcutere finem, ne ſi hæc conſiderare neglexerint, eos contingat cum rubore à cœpto propoſito reſilire. Rarò nanque contingit quempiam eſſe victorem, qui ſine armis congruētibus, & abſque prudenti circunſpectione, ſed ſola mentis temeritate decertare præſumit. Non enim minus prudentia, quàm robur neceſſaria eſt bellatori, præſertim in hoc ſpirituali certamine. Non autem in hoc conflictu bellum arripitur cū hominibus tantum, qui interdum prece placantur, vel precio abigūtur, aut fuga declinantur: ſed
Eph.6. etiam aduerſus principatus & poteſtates, aduerſus rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus, qui ſunt malitia pleni, nocendi auiditate accenſi, pugnandi aſſiduitate, & tentandi calliditate conſpicui. Inimicantur enim homini, vt laborum eius diripiant mercedē: ſuadent mala, vt conſentientibus bonum auferāt gratiæ. Inſidiantur denique operibus noſtris, vt ſi quid in ipſis reprehenſibile cognouerint, illud Deo in damnationem proponant noſtri: ſitiunt interitū noſtri, & de caſibus noſtris gaudere non ceſſant. Nobis ſtantibus ipſi triſtēs fiunt: nobis verò à Dei itinere deuiantibus conſolatione replentur. Non diebus, non noctibus perſequi deſinentes, inuiſos laqueos parant inceſſanter animabus noſtris. Dolent quippe vehementer ipſi ſubdoli, & inuidiæ facibus accenſi, nos illuc poſſe cōſcendere? vnde ipſi irremediabiliter ceciderε. Hac potiſsimum ratione nos tentant: hac de cauſa nobis ſeculi oblectamenta ſuadent & promittunt, quatenus pro temporali lætitia diripiant cōſentientibus æternam. Protoparentes noſtros (proh dolor) tali deceperunt fraude. Dum enim eis æqualitatem Dei, & boni ac mali ſcientiā ſpoponderunt, ſi de vetito ederent, eos immortalitatis dote, atque innocentiæ ſtola ſpoliauerunt. Nemo igitur tam ſanctus, nullus tanta perfectione præditus eſt, vt eorum tentamenta ad plenum valeat ſuperare. Quum autem ſpiritus ſint, & nullo repelli poſsint materiali obſtaculo, temerariè ſolitudines irrumpunt, monaſteria ingrediuntur, domos inuadunt: ita vt non ſit, qui ſe abſcondat ab infeſtationibus eorum. Nec mirum. Si enim auſi
Mat.4. fuere ſuaſionibus ſuis dominum Ieſum appetere in eremo, in ciuitate ſancta, in vertice montis, in cruce, quis ab illorū inſidijs audebit eſſe ſecurus? aut quis (niſi qui ſenſu caret, & omni priuatus eſt iudicio rationis, præſumet cum ipſis habere conflictum, quin diligenter præuideat, qualiter eos valeat ſuperare? Fuere nempe nonnulli, qui hoc attentare moliti ſunt, & in ſua imprudentia defecerunt. Nam quidam eorum in ipſo exordio pugnę victi fuerunt, & tanquam canes ad vomitum redeuntes, fecerunt nouiſsima ſua peiora prioribus. Alij verò minus cautè incedentes, atque de bonis domini ſe inaniter extollentes ambulauerunt in vanitate cordis ſui: nil laude dignum de ſua conuerſatione reportantes. Vnde ad ipſorum correptionem tradidit illos Deus in ignominiæ Rom.1.
paſsiones, & in varios lapſos enormium delictorum: atque ſupra virtutem miſericorditer tentari permiſsi ſunt, quatenus ex his caſibus patenter eruditi, reſipiſcentes à ſui ignorantia, diſcerent in domino gloriari, & non in ſe. Plerique etiam extiterunt, qui propter inſtabilitatem terga vertetūt, & à ſancto propoſito (quod ſemel bona fide, ac ſimplici corde cœperunt) commoti ſunt eligētes in alio ſtatu, quàm in eo ad quem vocati fuere, domino militare. Ingenti nempe crimine tales reos ſe fecere. Hi etenim tacitè Deum calumniauerūt inſipienter egiſſe: ſe ſtatum arripere non cōgruētem ſibi. Talis eorum opinio omni vacua eſt ratione, imò iniquitate, & cæcitate plena. Qui enim hominem ſua ſapientia plaſmauit ex nihilo, & ex ſua mera charitate, potuit ne ignorare quid illi opus ſit, aut illum prodere, ſi in congregationem eum vocat, in qua animæ ſalutem adipiſci non valet? Ridiculum, & ab omni æquitatis iure ſemotū eſt arbitrari Deum ſapientia ſua mundi & omniū quæ in mundo ſunt, probatiſsimum eſſe rectorē, & in hac ſola vocatione defeciſſe. Horum autem finis & Dei gloriam, & ipſorum patefacit errorē. Nam ſi in prima vocatione remiſsè, & negligenter conuerſati ſunt, in ſecunda longè deterius ſe habent. Efficiuntur tales vt plurimum inſtabiles, ſicut experientia docet, & tanquam folium, quod à vento mouetur, huc, illucque diſcurrunt. Tot mutant loca, quot (vt ita dicam) cogitationes in mente reſurgunt. Gyrouagi & dyſcoli cum ſint, non ſibi ipſis profectum acquirunt: populis verò, & cæteris Chriſto famulantibus vertuntur in opprobrium. Tales nanque cùm neque in primordio ſuæ conuerſionis, neque in progreſſu prudētiam habuerint, in omnia hæc ruerunt mala. Et quoniā inimicorum inſidias præuidere neglexerūt, in ſuis defecerunt iniquitatibus. Ipſorum igitur exemplo, qui cum diabolo & proprijs concupiſcentijs pugnaturi ſunt, erudiantur priuſquam ad pugnā procedant: diligentiſsime in quo loco, in quo ſtatu, cum quibus perſonis, & ſub quo debeant præceptore militare, per ſeipſos, per notos ſagaciter inueſtigent, quibus ſe deſiderijs munire debeant, antequam in campum intrent, quæ pati, quæ agere, quæ vitare, & ad quem finem vocationis ſuæ curſum dirigere teneantur. Horum omnium quicunque

Digitized by Google

cunque fuerit magis expertus, Ieſu Chriſto domino duce facilius, celeriuſque ad perfectionis glorioſioris attinget triumphum. Perſpicuum valde intelligentibus eſt: quod in initio vocationis, in progreſſu, in fineque prouidentiæ & diſcretionis virtus pernecceſſaria eſt propter inimicorum inſidias, ac varias deceptiones, & tentationes innumeras, quas patiuntur qui domino eligunt famulari. In his autem omnibus non debent terreri, nec effici puſillanimes. Deo nanque inhærẽtes ſimpliciter, eidemque ſe humiliter in oratione proſternentes, ac deuotè ſe cõmittentes, inſtrui merentur à domino, neque deſeri poſſunt, quin eripiantur à ſuperuenientibus tentationibus. Inſuper & quæque fidelis anima Chriſti ſponſa effecta per quotidianã exercitationem ſpiritualiũ ſtudiorum, quæ per ſeipſam, & per alios experitur, inſtruitur abundè tam de fraudibus inimicorum, quàm etiam de virtutum profectibus, atque ex verbis ſacri eloquij, & patrum conſilio eruditiſsima efficitur: tanto celerius ad perfectionis culmen attingens, quanto ardentius Deo in omnibus placere concupiſcit.

Quòd triplicem diuitiarum ſcilicet propinquorum, & carnis propriæ debent euacuare de corde pernicioſum affectum, qui ſeculo renunciare volunt, & ad perfectionem attingere: Et quod ex conſideratione vnionis carnis & ſpiritus euidenter eliciatur: quantum Chriſtus Eccleſiã diligat, qualiter vnuſquiſque proximum diligere debeat, & quòd humana ſaluti humiliatio ſit neceſſaria. Cap. IIII.

QVicunque ſupernæ gratiæ illuſtratione irradiatus eſt: quicunque charitatis zelo accenſus, & ſupercęleſtis Hieruſalem decore affectus eſt, quicũque domini Ieſu ſuaui amore, & perfectionis deſiderio vulneratus crucem ſuam poſt ipſum baiulare diſponit ſtudeat ſummoperè priuſquã in obediẽtiæ agonem ſe transferat, mentem ſuam ab omni temporalium amore emundare, & voluntatis propriæ indumẽto ſe exuere, quatenus liberè, & abſque ſui præiudicio Chriſto valeat militare. Maxima nẽpe abuſio eſt affectibus carnalibus prægrauatum, cacumen perfectionis velle conſcendere quum etiam ſine vllo duce iter difficile ſit. Quiſquis hoc attẽtare præſumit, ſe à veritatis lumine, ac prudentiæ virtute fatetur alienum. Nam olim dominus Moſi ſancto præcepit, vt pedes ſuos nudaret, cum in loco ſancto ſtaret: ipſe verò Propheta Exod. 3. diuino non eſt auſus appropiare fulgori, niſi poſtquam de pedibus abſtulit calceamenta ſua iuxta domini mãdatum: quo peracto ſecurus ſtetit, liberè dominum adiit, vocem ipſius audiuit: populi ducatum promeruit: virtutemque miraculorum faciendorum tunc adeptus eſt, cum mundi huius materiam abiecit. Sic Helias Prophetarũ eximius cùm eſſet cum Heliſæo, & incedentes ſer- 4. Reg. 2. mocinarentur, velletque eum dominus per turbinem eleuare in cœlum, antequàm igneum aſcenderet currum, pallium ſuum domino permittẽte reiecit. Voluit tunc ſub figuris ſpiritus ſanctus poſteros admonere, ne ad perfectionis ſtatum auderent accedere, antequã carnales affectus de cordis habitaculo expellerent. Purus nanque eſt Deus: & diligendus ſimpliciter ab ijs, qui illum apprehendere concupiſcunt. Indignum nempe ſe facit eo, quiſquis cum eo aliquid vitioſe amare voluerit. Incongruum etenim eſt carnis & ſpiritus ſimul miſcere affectus: cùm ad inuicem cõtrarij ſint. Carnis quippe affectus deprimit ad ima: ſpiritus verò ſurſum rapit. Viſibilibus nutritur caro, inuiſibilibus verò ſpiritus. Corruptioni ſemper propinquat caro, & in ea delectatur: incorruptibilis verò cùm ſit ſpiritus, incorruptibiliũ delectatur amore. Hæc præſentia inceſſanter appetit, ille niſi æternorum repleri non poteſt. Nemo carnalium affectionum præpeditus onere cęlum petere præſumat, cùm Apoſtolus dicat: Carnem & ſanguinem regnum Dei poſsidere nõ poſſe. 1. Cor. 15. Nã redemptor noſter in carne apparens, erigere volens hominis affectum in imis iacentem, vt facilius ſumma appeteret, triplicem illi interdixit affectum. Sciebat nanque ipſe dominus hominem, quem plaſmauerat, abſque dilectione non poſſe perſiſtere. Re etenim vera aut delectatur in ſummis, aut in imis: quo verò ardentiori ſtudio iucundatur in ſummis, eo vehemẽtius torpeſcit ab infimis: & quanto amplius affectu inhæret imis, tãto plenius faſtidit ſumma: vtrunque enim pariter amari non valet. Proptereà cœleſtis bonitas, priuſquam infundat in animam ſuæ charitatis diuinum liquorẽ, lutuoſos antè voluit euacuare affectus. Morem quippe ſeruauit medicorum, qui morituris medentur corporibus: nunquam enim ægrotãtibus reſtaurãtem præbent medicinam, niſi prius purgationibus abſtulerint humores noxios, & corruptos. Sic doctus agricola primum vomere radicitus euellit ſentes, & poſtmodum in terræ ſulcos ſpargit ſemina. Prudenter nanque intelligit, quod ad maturitatẽ non valet ſpica coaleſcere, quæ fuerit ſentibus præfocata. Hac vſus arte cęleſtis medicus, & doctiſsimus agricola noſter dominus Ieſus mandauit fidelibus ſuis, ad perfectionis culmen attingere anhelantibus: priuſquam ſe diuinis imbuendos traderent diſciplinis, vt abdicarent à ſe temporalium rerum, & propinquorũ ſuorum, ac carnis propriæ inordinatos affectus: quatenus habiliores fierent ad ſui dilectionis plenitudinem capeſſendam. Hi nempe ſuprà memorati affectus ingentium, innumerorumque delictorum gignunt effectus: nec non & multorum afferunt impedimenta bonorum. Quis etenim enumerare ſufficit quanta exuberent peccata ex inordinato amore temporalium facultatum? Ex ipſo nanque odia nedum inter extraneos, ſed etiã inter propinquos generantur & affines. Nã quos vno amoris vinculo natura copulauit, hos cupiditas,

Digitized by Google

ditas, & habendi amor abinuicem ſegregauit, & fecit alienos. Hinc lites, iurgia, rixæ, furta, homicidia, rapinæ prodeunt. Hic affectus prauis animũ machinationibus replet, & qualiter proximum fraudare valeat, conſilia adinuenit. Hic humanitatis officium, & pietatis extinguit, & proximo miſereri nullatenus permittit. Ignorat hic pernicioſus affectus fratrem diligere: neſcit aliena dãna: quia proprio & ſingulari gratulatur bono. Hic præſentia amat, tẽporalia cumulat, ſpiritualia negligit: quia nec credit promiſſa, neque ſperat futura: & cùm totus ſe ſpargat in imis, nil poteſt amare de ſummis. Heu quantos hic quotidie perire facit? quantos ab itinere cœleſtis patriæ deuiare cõpellit? Internos hic claudit oculos, nec futurum ſinit præuidere iudicium. Diuturnam pollicetur vitam, proſperos promittit ſucceſſus, & cum animi ab vniuerſali corporis reſolutione amouerit cogitatum: mox cupidi animam in baratrum demergit æternum. Hoc expertus eſt in ſe diues ille qui multa congregare cogitans bona, horrea ampliare diſponens ſua, atque per plurimos annos ipſis terrenis frui opibus ſperans, dicebat intra ſe:
Luc. 12. Ecce anima habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, & epulare. Sed diuina repente vltione percuſſus, ſubſequenti nocte cum graui męrore defunctus eſt: iuſtoque Dei iudicio factum eſt, vt qui temporali ſubſtantia ſolummodo gaudere curabat, vno momẽto & temporalem pariter, & æternã amitteret gloriam. Dignum quippe fuit, vt tali feriretur ſententia, quia in creatura potius, quàm in creatura lætari volebat. Non enim dati commodum, ſed dantis diligi debet affectus. Meritoque iudicandus eſt, qui vana ſeductus ſpe temporalibus rebus inhæret amore. Qui igitur perfectionis apicem conatur apprehendere, neceſſe eſt, vt labentium fa-
Luc. 14. cultatum abiiciat onus. Nam iuxta domini ſentẽtiam, qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, Chriſti legitimus nõ meretur eſſe diſcipulus. Cõpeſcuit quoque ipſa incarnata ſapientia imitatores ſuos ab inordinato amore parentum, cùm ait:
Ibid. Qui non odit patrem ſuum, & matrem, & vxorẽ, & filios, & fratres, & ſorores, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Sciebat nanque ipſe dominus hunc amorem valde pernicioſum eſſe cupientibus eſſe perfecti. Non tamen inhibuit naturali, & mo-
Exo. 20. Deut. 5. derato affectu parentes diligi, cùm ipſe in lege iubeat honorare parẽtes. Vult enim dominus Deũ præponi parentibus: nec quicquam de diuinis prætermitti præceptis ſub prętextu carnalis pietatis. Nam ſunt quam plurimi, qui adeò carnali genitoribus & propinquis inhærent affectu, vt ſupernæ aſpirationi obtemperare negligant propter eos. Vocantur à Deo, vt ſeculo renuncient, & cõtemnunt, cùm viderint parentes de ſua abſentia contriſtari. Talem debet calcare affectũ, quiſquis militię Chriſti aſcribi deſiderat: magiſque tenetur diuinis acquieſcere conſilijs, quàm blanditijs propinquorum. Deo nanque indignum ſe facit, qui ſpirituali & æterno carnalem præponit patrẽ. A Deo nanque accepimus animæ decorem, à parentibus autem carnis originem, Sed inſpiciamus qualem. Exiguam prorſus corpori noſtro miniſtrauere materiam fętidiſsimam, & horrore plenam, & nil amplius contulerunt. Non ab eis accepimus mẽbrorum formas, non ſexum, non vitã, non animam, quin potius conceperunt nos in feruore libidinis, in ignominia paſsionis, in pollutione peccati: ante nos fecerunt damnatos quàm natos, procreaueruntque nos ſeculo ad laborem, & (heu) ſecum nos trahere volunt ad ſempiternum interitum, tanquam illis damnatio propria non ſufficiat. Cùm enim audierint liberos velle de ſeculo fugere: velut de vndoſo naufragio, vt ſecurius Deo vacare queant; illico gemunt, lacrymas emittunt, tundunt pectora, crines dilaniãt, veſtes ſcindunt, ſeque morituros męrore denũciant, & quaſi ſuper cadauera extincta diros ad cęlum proferunt eiulatus. Oſtendunt denique vbera, ruunt in amplexus filiorum, vt lætifera imprimant oſcula: quatenus emollire valeant ſecundum animi conceptum rigorem. Proh dolor, ò quot exorbitare fecere à via Dei parentum inſidiæ? quot demerſerunt in profundum malorum cognatorum affectus? ò quot cęleſtem amiſerunt gratiam iniqua decepti perſuaſione propinquorũ. Dũ enim lenire filij moliuntur deceptorum, & carnalem propinquorum affectum, & dolorem: ipſi paulatim tepeſcunt, ac à ſancto defluunt propoſito ſpecie ſeducti pietatis, atque ex aſsidua eorum blanda cõuerſatione obliti quales fuerint, in omnem poſtmodum ſe transferunt voluptatem. In hanc nempe peccatorum decidunt foueam, qui Dei dilectioni parentum præponentes amorem, indignos ſe faciunt conuerſatione angelica, & Chriſti amicitia, domino dicente: Qui amat patrẽ aut Mat. 10.
matrem plus quàm me, non eſt me dignus. Qui autem dulcedine charitatis reſperſi ſunt, qui Chriſto inſeparabili amoris vinculo copulantur, qui ſupernæ lucis irradiantur ſplendore: nullũ in hoc ſeculo præterquam regnantem in cęlis agnoſcũt patrem: cui quotidie a verbo in carne apparente edocti medullatum offerunt deuotionis ſacrificium, dicentes. Pater noſter qui es in cęlis. Hi ete- Matt. 6.
nim animi magnanimitate, & rectitudine cordis decenter ornati, ac charitatis iaculo vulnerati volucri curſu, ſpretoque omni affectu carnaliũ propinquorum confugiunt ad Chriſtum, eligentes potius abiecti eſſe in domo Dei, quàm habitare Pſal. 83.
in tabernaculis peccatorum. Et quoniam ardenti deſiderio parua cõtemnunt, ſublimibus donis ditantur à Chriſto. Quid autem de proprio & pernicioſo carnis amore dicendum eſt: cum ipſa ex ſui natura ſpiritui inimica ſit? Semper enim contraria ſuæ ſaluti concupiſcit. Si nutritur, impinguata & incraſſata recalcitrat; ſi inedia & laboribus atteritur, murmurat, ſi precioſis induitur veſtibus, extolli-

tollitur. Blanditijs feræ manſueſcunt ſylueſtres, hæc autem proteruior efficitur. Ipſa denique domeſtica eſt hoſtis, quæ ſpiritui aduerſari non deſinit. Nam infirmitatibus referta, animam ſuis grauat officiis. Nunc dolorem patitur capitis, nunc viſcerum torquetur tortionibus, nunc ſtomachi debilitate laſſeſcit. Oculorum, dentium, pedum, cæterorumque membrorum lãguoribus abſque vlla dilaniatur quiete, frigore, fame, ſiti, caloreque conſumitur: A planta pedis vſque ad verticẽ capitis nulla in ea ſanitas reperitur. Eſto tamen, quòd ab his libera ſit ærumnis, aduerte (obſecro) homo, cum ipſa incolumis eſt, quid emittat per nares, quid per oculos, quid per os, ac cęteros corporis meatus, quod enarrare pudet, tam fędũ eſt. Velut enim abominabile quoddam ſterquiliniũ ſine interuallo ſcaturire non ceſſat horrendum fętorem: Talis nanque ex ſui natura eſt, quòd niſi miro modo conditoris ſapientia ſingulari amoris glutino animam eidem naturaliter copulaſſet, illi omnino intolerabilis eſſet, quod incredibile nequaquam eſt, conſideratis vtrarumque naturarum variis affectibus. Spiritus enim ſobrietatem, carò verò diligit ſaturitatem. Spiritus vigiliis ſe exercere conatur, vt Deo magis vacare poſsit, caro autem tanquam ſus lota in luti volutabro ſopori funditus immergitur, ſibi ſoli vacare ſtudẽs. Spiritus vt futurum queat vitare iudicium ſe mærore afficit, ac diligenti inquiſitione, atque pũcto compunctionis ardore ſpiritualia vitia reſecare non deſinit, hæc autem tota exterioribus occupata illecebris, ita illis paſci cõcupiſcit, & refici, ac ſi nunquam debeat iudicari. Poſtremò ſpiritus cęleſtis patriæ captus amore, & ſupernæ Hieruſalẽ afflatus deſiderio piis gemitibus ſynceræ charitatis lætus & exultans dicit, Quando veniam & apparebo ante faciem Domini? Putrida verò caro ſuis in vnum affectibus congregatis (prout valet) ait, Venite, fruamur bonis, quæ ſunt, coronemur roſis antequam marceſcant, ſicut plenius in libro Sapientiæ continetur. O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt opera eius, & inueſtigabiles viæ eius? Quę cauſa, quæ ratio, quæ diſpenſatio huius tantæ cõfœderationis carnis & ſpiritus? Cõtrarij cùm ſint, quomodo in vnum conuenire poſſunt? Videmus nanque contraria elementa nullo modo ſibi poſſe vniri. Si ignis apponatur niuibus, illico aut extinguitur, aut niues reſoluens in bullientem aquã conuertit. Quomodo ergo fit, vt caro tam onerosa, tam infirma, tamque contraria, & deſpicabilis diligatur à ſpiritu, & ab eo tam ſedulo foueatur obſequio, dicente Apoſtolo, Nemo vnquam carnem ſuam odio habet, ſed magis eã fouet, & nutrit. Nemo ab eius retrahitur dilectione, quamuis corruptibilis, quamuis de vili materia procreata ſit, quin potius eam ſecum vult commorari, ſecũ viuere, tantoque cum illa amore coniunctus eſt, vt neque poſt mortem ſine ipſa propria plenus ſit

Iſa. 1.

Pſal. 41.
Sapi. 2.

Rom. 11.

Ephes. 5.

ſpiritus glorificatione. Myſterijs quippe cœleſtibus referta eſt, & magnam ſpiritus redolet ſuauitatem ſanè intelligentibus. Hęc tamen mira connexio carnis & ſpiritus diuerſa in naturis, & concors in affectione & dilectione. Magnum hoc ſacramentum eſt, Chriſti videlicet & eccleſiæ. Nã quantumcunque infirma ſint membra, quãtumcunque iaceant & fęteant, non repellũtur a Chriſto, non deſeruntur ab ipſo, ſed fouentur, paſcuntur, curantur & viuificantur. Quoties volui congregare filios tuos (ait ad Hieruſalẽ) quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alijs, & noluiſti? Nonne Samaritanum ſemiuiuum iacẽtem, vulneratum, & à prætereuntibus derelictum ſuſcepit in humeris, reduxit ad ſtabulum, fouit, vulnus alligauit, & ſtabulario commendauit? Nunquid abiecit publicanum ſpiritu ægrotantem? nõne ſuſcepit eum, humiliter orantem exaudiuit, & iuſtificatum de templo abire permiſit? Quid de Maria dicendum eſt, quæ tantorum immanitate ſcelerum oppreſſa iacebat? quã dulciter eam traxit, quam ſuauiter emolliuit cor eius? imbribus lacrymarum ſibi lauari permiſit pedes, extergi crinibus, & oculis deliniri, nec inde eam diſcedere paſſus eſt, donec cunctorum veniam reciperet delictorum. Cur hæc? Nempe quia membrũ ſuũ diligebat, etſi nondum ſanum, tamen ſanandum. Non aſpiciebat Dominus quid tunc ipſa erat, ſed quid futura erat, tanquam ſi artifex, & faber lignorum de ſylua excidat rudem arboris truncum, de quo velit ingenio ſuo formare imaginem ad decorem regiæ domus. Iam enim imaginẽ operatus eſt in corde ſuo antequam dolare lignum inchoet. Iam in ſuo gaudet artificio, tantique rude lignum æſtimat, quanti quod ex ipſo elicire meditatus eſt. Sic (nimirum) hic agit optimus artifex omnium Dominus Ieſus. Diligit nanque quos prædeſtinauit electos ſuos, illos tolerat, illos intimo fouet charitatis affectu, non vt ipſorum commendet facinora, non vt placeant ipſorum ſpirituales ſordes ei, cui nihil immundum placet, ſed quoniam prædeſtinati ſunt ad vitã, præſtolatur Dei ſapientia, vt ſuo tempore eos mundet per gratiam, iuſtificet à peccatis, ditet virtutibus, doniſque ſpiritualibus ornet, ita vt digni efficiantur qui ſint precioſi lapides in ſtructura cęleſtis Hieruſalem. Ipſos itaque electos ſuos, nõ quales ſunt in fętoribus criminum, ſed quales in arte ſummæ ſapientiæ ſuæ illos facere diſponit, amplectitur & amat Deus. Nam licet in hac vita abſque ſceleris contagione eſſe nequeant, quandoque tamen in ſuperna patria futuri ſunt ſine ruga & macula, atque laudaturi Deum in ſecula ſeculorum. Qualiter etiam proximũ vnuſquiſque diligere debeat, notificare curauit Dominus ex hac, quam inſeruit mira carnis & ſpiritus dilectione. Sicut enim Dominus mandauit, vt proximum tanquam noſmet diligeremus, ita penes nos, & in nobis hanc formam imprimere voluit charitatis, quatenus

Ibid.

Mat. 23.

Luc. 10.

Luc. 5. 18.

Luc. 7.

Matt. 22.

omni-

omnino inexcuſabilis eſſet,quicunque hanc violaret,hanc ignorare ſe diceret. Ex te igitur, ô homo, o Chriſtiane fratrem tuum non carnis, non ſanguinis,ſed naturæ,ſed communionis,ſed gratiæ,diſce diligere. Quanto ſtudio amas te: Infirmatur verbi gratia oculus, nonne manus ſana lãguenti oculo ſolicita eſt remedia adhibere? Se totam exponit in ipſius obſequium,palpat,linit,medetur,& ſi quid aliud impartiri valet ſolatij, ſemper præſto eſt.Quantũcunque occupetur,quamuis ex labore feſſa ſit,nunquam tamen ſe retrahit à miniſterio. Nam oculi malum ſuum putat propter confœderationem naturæ.Hoc agit os, hoc pes,hoc cuncta alia membra.Omnia enim membra vno conſenſu,pari voluntate, libenti animo, & abſque vlla requie ſe exercent,vt oculus recuperet ſanitatem.Non labor,non vigiliæ,non inedia ipſa tepeſcere faciunt, vt non famulentur ægroto, ita vt vno languente cætera infirmari nõ dubitent,& tamen alia in formæ ſpecie,in operis miniſterio eſt oculi natura,alia manus,alia pedis. Vnumquodque membrum iniunctum ſibi à natura exhibet famulatum, ſingula ſuis inhærent officijs.Non oculus auditui ſe immiſcet, nec manus ambulandi vnquam ſibi vendicat actum,ſed vnũ membrum naturæ obtemperat iuxta donum & actum ſuum. Inter ipſa nullum auditur ſchiſma, nullum odium, neque aliquando aut inuidiæ liuor,aut contentioſa nugacitas oborta eſt. Et(vt paucis dicam) tanta in eiſdem humani corporis membris ineſt copula,tantus amor, tantaque inſeparabilis, atque inſuperabilis dilectionis vnitas,vt vnum ſine alio non valeat gaudere. Lætitia illis communis eſt, pęna æqualis, etſi non in actu,tamen in affectu, ita vt quod vni tribuitur, cætera recepiſſe ſe gratulentur.Redi igitur ad te, ò quicunque hæc audis. Ex te qualiter proximũ diligere debeas aduerte.Non cęlum,non angeli, non alia contra te producentur teſtimonia. Tu tui accuſator eris,tu teſtis,ſi hoc mandatum fueris prætergreſſus. Diſce ſecundum præceptum Domini proximum ſicut teipſum diligere, ſi conſpicis ipſum egere,ſi fame periclitari, ſi frigore atteri,tribue illi non totum quod poſsides, non partem, ſed neceſsitatem ſolam, vt alteri etiam erogare queas. Recipe peregrinantes hoſpitio,infirmantes aliquo refoue obſequio,cõſolare męſtos, conſule ignaris, & errantes reuocare ne ceſſes, omnibus de tuis facultatibus præſta(ſi potes) humanitatis beneficium,ſi non vales, ſemper omnibus compaſsionem ſaltem, & pietatem oſtende. Hoc denique eſt ſacrificiũ,hoc eſt munus, quod diuitibus & pauperibus commune eſt. Poſſunt quippe deeſſe temporalia ſtipendia,corporiſque valetudo,& cętera naturæ dona,per quæ proximi inopiam ſubleuari oportet, nunquam tamen ac nulli deficere debet cordis pietas,& internę affectio charitatis. Hæc nanque charitas ſi videt proximum tentationibus fatigatum, compatitur & orat,ſi intuetur fratrem à Deo flagellis percuſſum, miſeretur, ſi conſpicit aliquem in Dei itinere remiſsè,ac nequiter incedentem, hortatur verbo, & prouocat exemplo, ſi attendit quempiam in quodquam decidentem delictum, gemit corde, eiuſque turpitudinem celare feſtinat. Non illud publicat,non de peccatore murmurat,non detrahit, ſed ipſum admonendo, aut increpando, aut orando erigere ſtudet. Qui autem murmurat,& detrahit, omnino ſe à charitate fatetur alienum. Triplici enim crimine reum ſe facit, qui murmurat. Nam fratris æſtimationem in corde perimit audientis, audientis quoque animum in odium concitat delinquentis, & propriam animam mucrone percutit detractionis.Non eſt hæc charitatis lex.Nam charitas patiens eſt,benigna eſt,non (1.Cor.13.) æmulatur,& cętera quæ Paulus deſcribit.Non vt detegantur, vt publicentur peccantes mandauit Dominus. Sed quid? Si peccauerit in te frater tuus,vade,& corripe inter te,& illum ſolum. Nõ (Matt.18.) præcepit,vt in plateis diuulgetur,non vt vindictę zelo prædicetur in fratribus, ſed tanquam frater corripiatur blandè ac dulciter. Nam mollibus potius quàm duris ſermonibus compungitur animus delinquentis.Sunt tamen nonnulli, qui magis aſperis inuectionibus, quàm dulcibus verbis emendantur.Talibus dura & fortis increpatio ex ore proferatur,ſemper autem erga illos compaſſio ſeruetur in corde. Hoc enim modo ſiue intus per compaſsionem,ſiue foris per admonitionem lex implebitur charitatis. Tanquam igitur ægro corporis membro, ita peccanti fratri nunc exhortationis vnctio,nunc increpationis aduſtio exhibeatur,prout ars iudicat medicatis. Neque enim minus diligitur cum corripitur,quàm quum lenitur,quia vtrunque de fonte oritur charitatis. Reducet quoque non mediocriter in animo contẽplantis, ex hac carnis & ſpiritus vnione & dilectione quædam diuinæ bonitatis mira & iucunda diſpenſatio ſaluti humanæ prorſus neceſſaria. Creauit nanque Deus rationalem ſpiritum,& ipſum plurimis decorauit virtutibus,ac ex ſua naturali dignitate fecit illuſtrem. Sociauit verò eundem carni & luto paſsibili,quatenus ex hac infirmitate eruditus diſceret non eleuari ſupra ſe.Nã ſemper ſpiritus ex ſui natura ad alta tendit, ſpiritualia quærit,cęleſtia appetit, & terrenis non indigẽs indeſinenter ad deguſtandum diuina euolare feſtinat. Et ſicut cæteras creaturas præcellit nobilitate naturæ,ita cum eiſdem naturaliter cohabitare dedignatur. Duplici itaq; ratione Dei ſapientia rationalem ſpiritum fragili atque paſsibili copulauit naturæ,vt qui luteo amictus erat in dumeto, atque in hoc exilio cum cæteris poſitus animantibus æquanimior eſſet, ac humiliter præſtolaretur tempus, quo de hac traheretur peregrinatione.Præterea vt ex aſsidua conſideratione corporeæ fragilitatis occaſionem caperet cõſeruandi eximia dona ſuæ ipſius ſpiritualis natu-

ræ, quia propalæ diuitiæ facilè deprædantur, quæ verò latent, cuſtodiũtur ſine labore, propter quod Dei ſapientia ſub carnis velamine muneta ſpiritus celare diſpoſuit. Gen. 3 Nam poſt lapſum & pręuaricationem vetiti Adam cum omni ſua poſteritate tunica pellicea, & carne corruptibili, & mortali contexit, atque in hac miſeriarum valle collocauit peregrinaturum, vt ex qualitate exterioris hominis diſcat non elatè præferre ſe cæteris. Sed ex continuis punctionibus, quas indeſinenter propter infirmitates & neceſſitates carnis patitur ſpiritus materiam ſumat ſe in humilitate cuſtodiendi, & omni circunquaque ſe muniens diligentia cum ſumma alacritate cordis, & animi deſiderio ad Patrem, qui in cælis eſt, repatriare feſtinet. Miro enim modo (Dei operante clementia) quod illi illatum eſt ad peccati ſupplicium, conuertitur in ſalutis adiutorium, & ipſa caro, quæ malè ſuadendo ærumnis & paſſionibus prægrauatur, omniũ miſericorditer efficitur cuſtos donorũ. Quis igitur audeat aſſerere carnis ſubſtantiam etiã eſſe perimendam, per quam, & de qua tot eliciuntur bona? Quis deſinire præſumat Dominũ mandaſſe, quam ipſe condidit, vt odio habeatur natura? Nam ipſa caro, quæ de luto terræ permanus Dei formata eſt (ſicut ſacra teſtãtur eloquia) debet diligi tanquam Dei creatura, & bene cõdita, atque hominum vtilitati plurimum proficua. Ipſa verò opera, quæ de ipſa prodeunt, poſtquam labe peccati fędata eſt, contemnenda, & odio habẽda ſũt. Gal. 5. Hoc nanque Apoſtolus cõmemorat, dicens, Manifeſta autem ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, auaritia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, cõtentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia. Sic verò concludit, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur. Luculenter igitur ex pręmiſſis patet, quòd carnis natura, qualis ab autore formata eſt, valde bona eſt, & plurimum diligenda. Ipſa autem deſideria, quæ de peccati fomite generantur, omnino reſecanda ſunt, ab ijs præcipuè, qui mundum cõtemnere, & Deo vacare volunt. Hæc etenim mãdauit Dominus, vt odio habeantur, tanquam ſpiritui inimica. Non ergo negligant hos concupiſcentiarum affectus de ſuo eradicare corde, quicunque ſub iugo Chriſti ſtrenuè cupiunt militare. Poterit nãque Dei amor in ipſorum mentibus fructum generare iuſtitiæ, ſi fuerint mundi à ſordibus carnalis concupiſcẽtiæ.

Quòd ex iuſtificatione impiorũ laudabilis appareat Deus, & quod ex comparatione mundialis ſeruitutis Chriſti ſeruitus comprobetur, propter quam aſſequendam, quicunque ſeculo renunciare diſponit, in ſua primordio cõuerſionis omnem à ſe debet repellere metum triplici excitatus adiutorio. Cap. V.

OMnia quæ ſunt, ſiue vegetabilia, ſiue ſenſibilia, ſeu rationabilia, pro Dei glotia creata ſunt. Cæli volucres, terræ reptilia, & hominum genus, atque quicquid fulget deſuper, ſi quid in aquis mouetur, cuncta propter ſeipſum condidit vniuerſorum Dominus. Peruerſitas hominum, & ipſa nequitia ſpirituum immundorum Deo militare coguntur. O prouida cõditoris noſtri venerandaque ſapientia, quæ plurima bona de peccatis hominum producit in lucem gloriæ ſuę. Eò nãque glorioſior Dei laus comprobatur, quò hominum culpa deformior eſſe cognoſcitur. Quid verò deformius in vniuerſitate naturæ eſſe deprehẽditur, quàm hominis mali inordinata voluntas, quæ nec iudicium timet, nec Dei iuſtitia reueretur. Hæc Dei mandata negligit, & innumera redemptoris beneficia parui pendit. Non temporalem, non æternam meditatur euadere pęnã. Horret quicquid pium, quicquid honeſtum eſt. Hæc omni belua ſæuior, omnique ſerpẽte venenoſior inuenitur. Quum deterius labitur, quum horribilius delinquit, ſecurior ſtat. Non diuinam præſentiam, non potentiam, non bonitatem veretur. Superbia denique eius aſcẽdit ſemper, & donec ſibiipſi relicta fuerit, omnino incorrigibilis eſt. Pſal. 73. Si autem diuina clementia ſtillicidia gratiæ ſuæ irrorare voluerit, ſi ſuperno ſplendore claritatis ſuæ peruerſæ voluntatis domicilium irradiare decreuerit, illico fugatis tenebris peccatorum opaca nox ſicut dies illuminatur, & quæ prius præ ſterilitate horrida iacebant corda, mox florere, mox germinare miſericordiæ opera conſpiciũtur. Nõne vt inculta eremus mens erat Pauli dum ſæuiret in Chriſtum, dum omnes in Chriſtum credẽtes vinculis materialibus, ac legalibus captiuare ſatageret, & ducere in Hieruſalem? At vbi de cęlo clamauit Dominus, vbi diuina bonitas perſecutorem cœleſti circumfulſit luce, vbi tonantiſſimam audiuit vocem dicentem, Saule, Saule quid me perſequeris? Act. 9. ſine mora in virum mutatus eſt alterum. Factus eſt denique de blaſphemo cõfeſſor, de perſecutore doctor, de miniſtro iniquorũ Iudæorum, dux fideliſſimus cunctorum Chriſtianorum. Cuius ſunt hæc mira, ſtupendaque opera? Nonne eius, qui olim mare conuertit in aridã, Exo. 14. & ſicco veſtigio filios Iſrael tranſire permiſit? Nõne eius qui de tenebris facit lucem ſplendeſcere? 2. Cor. 4. & vocat ad nutum ea, quæ non ſunt tanquam ea, Rom. 4. quæ ſunt, ita vt non ſit, qui illius reſiſtere valeat voluntati? O quantos quotidie cernimus mole peccatorum obrutos, à Dei cognitione alienos, ſine compunctione, abſque miſericordia, & ab omni laudabili propoſito extraneos, repentè vocari cęlitus & operante in eis diuina gratia vitam corrigere, mores in melius mutare, lacrymas vbertim fundere, compunctionis gemitus ad cęlũ emittere, & deſiderijs ſancti amoris intus ardere, atque prius tacentia in diuinis laudibus poſtmodum ora laxare. Tales nonnunquam conuerſatione communi minus contenti, arctiorem propoſiti rigorem aſſequuntur. Suos enim relinquũt propin-

pinquos, ſua erogant pauperibus, ſeipſos etiam in monaſterio perpetuo damnãt carceri ſub imperio præſidentis. Et qui paulò antè nullis legibus ſubeſſe volebant, omni poſtea depoſita feritate, tanquam agni mitiſſimi cunctis efficiuntur humiliores. Vnde fit, vt cõtra eos acerrima permittente Deo moueantur certamina. Nam inuidiæ liuore exagitatus diabolus, dura contra illos ordinat bella, de quibus omnibus victoriæ palmam conſequentibus diuina mirabiliter laus exoritur, quæ ſpiritum mole corporea veſtitum, facit ſpiritum ſine carne ſuperare. Hoc ante fidelium oculos ſuperna clementia quotidie proponit ſpectaculum, vt tali exemplo animati, ſi qui intra vocari ſe ſenſerint ad obedientiæ ſtatum, non reſiſtant gratiæ, quin potius toto conamine de Dei bonitate confiſi, crucem ſuam poſt Deum baiulare non trepident. *Luc. 14.* Debent nanque hoc diuinę vocationis magni pendere munus, et tam ſingulare Dei donum minimè à ſe repellere. Quid (oro) excellentius in hac aſſequi poteſt peregrinatione, quàm vt diuino quis mãcipetur obſequio? quàm vt Chriſto perſoluat quod accepit à Chriſto? & Dominum ſibi faciat debitorem, cui antea multa debebat? Qui legit, intelligat. Conſpicimus etenim perſæpe homines ſagaciter laborare, proprias exponere facultates, mortis periculo vltro ſe dare, vt cuiuſpiam præpotentis principis fungantur amicitia, quos tamen interdum cernimus poſt aſſecutos honores poſt ademptam familiaritatem, poſt diuitiarum aggregationem, ex ſola maledicorum inuidia, & animi concitatione furentis, nunc decapitari, nunc ſuſpendi patibulo, nunc exilio relegari. Heu præualere ne poterit plus in cordibus hominum dilectio tyranni morituri, quàm amor æterni Dei viuentis? An pluris æſtimabitur temporalis ſubſtantia, quàm cœleſtes facultates: terrena dignitas, quàm angelorum æqualitas? Pudeat hoc dicere, pudeat vel cogitare. Hęc nempe eſt ſola altitudo appetenda, hæc eſt ſola præfulgens dignitas quærenda, hæc eſt ſola ſecura, proficua, ſtabilis, honeſta, & iucunda præeminẽtia diligenda, quæ Chriſto nos facit eſſe ſubiectos. Chriſti enim ſeruitus vera ingenuitas eſſe probatur. Nam cęlorum, terræ, maris, diuitiarum, vitiorum, hominum, dæmonumque Dominum apertiſsimè eſſe cognoſcitur, quicunque Chriſti legitimus extiterit ſeruus. O perfecta & ignota libertas Chriſti famulatio, facultatibus & morte redimenda. Reliquæ prætereunt dignitates, hæc inconcuſſa perſiſtit. Cæteræ curis & timoribus plenæ ſunt, hæc autem pace & gaudio referta ſuum lætificat poſſeſſorem. Sermo non explicat, verba non ſuppetunt, animus non capit, mens non apprehendit huius præcellentiſſimæ ſeruitutis ſancta præconia. Omnis laus hac inferior eſt, propterea melius ſilentio, quàm voce prædicatur. Qui igitur veram appetit libertatem, Chriſti ſeruus eſſe feſtinet, fugiat mente & corpore ſeculum, & ipſius laborioſa commercia atque toto animo, omniq́ue alacritate ſpiritus conuolet ad monaſteria. Meminerit tamen ſe ab immũdis ſpiritib. plurimas paſſurũ infeſtationes ideo ſpiritualib. ſe muniat armis, antequã in ſtadiũ ingrediatur. Prius abdicet à ſe humanum & ſeruilẽ timorẽ, ſi Chriſto cupit viriliter famulari. Eſt aũt hic timor pernicioſiſsimus decertare volẽtibus, & Deo valde odibilis. Legitur.n. in libro Iudicũ, quod quũ decreuiſſet Dominus per manus Gedeonis populũ Iſrael de manu Madianitarum eruere, eſſetq́ue virorum ingens multitudo congregata, vt cum hoſtibus dimicarent, Dominum ipſi Gedeoni mandaſſe, vt præconizaretur in populo, quòd omnis timidus & formidoloſus remearet ad propria. *Iud. 7.* Ex hoc nanque innuit, quòd pauidi cordis non ſunt illi grata ſeruitia. Quare omnis metus de animo Deo ſeruientiũ abjciendus eſt. Ille ſolus paueat, qui à Dei protectione ſe alienum putat. Sed huiuſmodi ſecedat de prælio, & tanquam meticuloſus iuxta Domini mandatum redeat ad domum ſuam, nec omnino certamen præſumat arripere, quia aut cum dedecore è bello fugiet, aut miſerabiliter gladijs inimicorum occumbet. At cuius mens de Deo rectè ſentit, ſicut de ſe prorſus diffidit, ita in Deo habet omnem fiduciam. Illuminatæ etenim mentis certum hoc indicium eſt nihil de ſe confidere, ſed cum Apoſtolo dicere, Omnia poſſum in eo, qui me confortat. *Philip. 4.* Qui hoc confitetur, diuinæ ſapientiæ particeps efficitur, atque ipſius arcano irradiata ſplẽdore veraciter deguſtat ſtillicidia ſpiritualium gratiarum defluentia inceſſanter, & abũdè ab ipſius bonitatis æterno fonte. Nemo itaq; deſipiat, nullũ quippiam boni de ſe quaſi à ſe arrogare præſumat, ſiue in temporalibus, ſiue in ſpiritualibus. Si quid commodi acciderit, ab ipſo eſt. Omne datum optimum, & oẽ donũ perfectum (teſte Apoſt. Iacobo) deſurſum eſt, deſcendens a patre luminũ. *Iacob. 1.* Quamuis.n. quis ſcientia polleat, quãuis ſenſu vigeat, quãuis futura præuideat, vel pręſentia prudenter diſponat, totũ hoc diuino habet ex munere. Nam qui habuerit de inimicis viſibilib. victoriam, ipſo pugnante victor exiſtit. Si aduerſus ſpirituales nequitias quis præualuerit, ipſo protegente inſuperabilis perſtitit. Niſi Dominus cuſtodierit ciuitatẽ (ſicut Propheta clamat) fruſtra vigilat qui cuſtodit eã. *Psal. 126.* Se deniq; petentib. ſuffragium præbet, ſe inuocantib. adeſt, de ipſo præſumentib. gratiã virtutemq́ue ſubminiſtrat. Tanto etenim quiſque in omnibus robuſtior inuenitur, quanto de Dei amplius confiſus fuerit bonitate, & eò debilior, quò de ſuis viribus ſecurior. Qua igitur ratione debent Chriſto famulari cupientes, cum hoſtibus dubitare inire certamen, quum in

ſe, & pro ſe Dominum habeant propugnatorẽ? cuſtodit nempe ipſe dominus ſuorum caſtra ſeruorum, præcedit bellaturos, hortatur pugnãtes, neq; ad momentum ſe ab eiſdem patitur abſentare. O mira Dei dignatio, o laudibus extollenda largitio, quæ profectibus noſtris tam ſedulò miniſtrare cognoſcitur. Operatur enim ſalutem noſtram per ſeipſum, operatur etiam per angelos ſuos, dicente Apoſtolo: Nonne omnes adminiſtratorij ſpiritus ſunt in miniſteriũ miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis? *Hebr. 1.* Magnam prorſus & inuiolabilem præbere debet fiduciam cunctis Deo militantibus ſanctorum angelorum indefeſſa cuſtodia. Nam ſi orant, eorũ preces offerunt Deo, nec vacui reuertuntur ad illos, ſi pugnant, æquè ipſi cum eiſdem pugnãt, ſi quieſcunt, nempe excubias agunt, ne quid mali ab aduerſariis patiantur, *Pſal. 90.* ſi ignorant, docent eos, ſi cadunt, erigunt; ſi puſillanimes efficiũtur, ſanctis exhortationibus ipſos roborant, & accẽdunt, & qua parte humana curuatur infirmitas, ea parte ſe opponunt caſuris. Sicque cuſtodiunt electos in omnibus viis ſuis, ne fortè offendant ad lapidem pedes. Cur igitur trepidas, o formidoloſe? quare dubitas pro Deo ſub tantis ducibus militare? Regem nanque cœlorum inhonoras, angelos offendis, ſanctis gaudium ſubtrahis, proximum non ædificas, teipſum perimis, ſi te à certamine ſubducis. Suſcipe fidei oculo patens cęlum, intuere Ieſum ſtantem, contemplare ſanctorum cętus cum ipſo regnantes, & depoſito metu aggredi pugnam, ne verearis. Noli formidare aduerſarios tuos. Maiora minantur quã poſsint. Moliuntur tibi metum incutere, vt tuũ valeant debilitare principium. Toruos oſtendunt oculos, diramq; faciem, vt terrorem ingerant. Suggerunt animo difficultatem victoriæ, aſperitatem vitæ, longitudinem vitæ, fragilitatem naturæ, infirmitatem carnis, laborem pugnæ, vt tuum queant reuocare propoſitũ. O quot (aiunt) auſi ſunt pugnare contra nos, qui non præualentes cum dedecore ad ſeculum rediere? O quantos egimus ſuggeſtionibus noſtris ſeipſos ſuſpẽdere laqueo, ignibus cremare, aquis ſuffocare, gladio ſe ferire, atque duplici interire morte. Nunquid tu omnibus nobis eris fortior? Nunquid ſtare poteris aduerſus nos? Tantis te opprimemus tentationibus, tam ſæuis laceſſemus iniuriis, tamque innumeroſis circumueniemus fraudibus, vt labore, aut tædio, aut importunitate, ſuperatus cogaris deficere, & Chriſtum negare. Saniore propterea vtere conſilio, & noſtris ſuaſionib. acquieſce. Fruere gaudiis huius mũdi quæ Deus ad humanum condidit vſum. Memẽto quia ſcriptum eſt, Lætare iuuenis in adoleſcẽtia tua. *Eccl. 11.* Poteris tranſacto in deliciis ſeculi iuuentutis flore ad Dei confugere gremium. Miſericors enim quum ſit, cum gaudio ſemper ſuſcipit pœnitentes, ſicque ab eodem benignè ſuſceptus temporalem pariter & æternam conſequere lætitiam. Hæc & his ſimilia interius in corde loquuntur, nemine audiente, non vt verum ſuadeant, ſed vt tuam intentionem Deo ſeruiendi inuertant. Et quoniam virtute nequeunt te vincere, deceptione ſeu metu conãtur te ſuperare. Nolunt ſi eis conceditur, tecum habere conflictum, quia tuis inuident triumphis. Norunt ipſi ſubdoli protectorem tuum & cuſtodẽ tuũ, ideo pugnare recuſant. Tu verò, ò Chriſti miles ex tuorum metu inimicorum eſto ſecurior. Timor nanque ipſorum infirmitatis & impotentiæ notiſſimum eſt ſignum. Nam etſi ex ſua natura viribus fortes ſint, & intellectus acumine tranſcẽdant nos, tamen virtutem ſuam ad libitum nequeunt exercere, quia debilitata eſt. Dei quippe ſapientia deſcendens ad nos, noſtramque fragilem naturam aſſumens obiecit ſe diabolo, atq; cum eodem pugnauit. Quem cùm glorioſè ſuperaſſet, alligauit, eiuſque vaſa diripuit. *Luc. 11.* Ab eo tempore, & citra vires ſuas amiſit, poteſtatem perdidit, & nihil cõtra nos valet agere, niſi permiſſus. Si illi reſiſtimus, fugit à nobis, ſi autem ei præbemus aſſenſum, Dominium ſibi vendicat in nobis. Debilitate noſtra fit fortis, ſed virtute infirmus. Noſtrum eſt aut vincere, aut ſuccumbere, Noſtro mucrone aut percutitur, aut perimit nos. Igitur, ò tu, qui vocaris à Domino, omnem abiice metum Domino tecum pugnante, & ne trepides cum ſpiritualib. poteſtatib. habere conflictum. Incipe præliari viriliter, & intelliges experientia te docente, quòd maligni ſpiritus nihil poſſunt contra te ſine te. Ex crebris triumphis, ex aſſiduo profectu quotidie magis ſtrenuè dimicabis. Tunc clarè percipies quod ex Dei munere, & non virtute propria vales pertingere ad coronam. Factus itaque in ſpiritu alacer in mente deuotus Domino iugiter in corde cantabis, dicens: Diligã te Domine fortitudo mea, Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus, Deus meus, adiutor meus, & ſperabo in eum, protector meus, & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus, laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis ſaluus ero ſemper. *Pſal. 17.*

Vt prius ſpiritualibus habilitet ſe exercitijs quàm ſeculo in toto renunciet quiſquis in via Dei proficere deſiderat, & prudentia ac propoſito perſeuerantiæ ſe muniat, pręcipuè tamen deſiderio mala patiendi pro Chriſto viriliter armetur, per quod multa conſequetur ſpiritualia commoda. Cap. VI.

SOlent qui ad viſibilem pugnam pergere volũt, antequam belli ſtatutus inſtet dies ſe diligentiſſimè præparare. Armis nanque ſe induunt, equos conſcendunt, haſtam vibrant, & ac ſi adeſſent inimici, tota ſe qua valent, exercent induſtria. Nunc fugere aduer-

aduerſarios, nunc inſequi conſpiciuntur. Aliquando ictus intorquent, quandoque declināt, ſicq; certamini ſe habilitant, quatenus cùm præliari eos contigerit, minimè ſuperentur. Facilè etenim proſternitur, qui nec oneri aſſueſcit armorum, nec vſu acuitur luctandi, nec opportunis armis ſe munit. At ſi cuncta, quæ memorata ſunt, ſuppetant, mox pugnaturus hilareſcit, mox de victoriæ palma ſperare inchoat, & vt præfixum dimicandi tempus adueniat, ardenter concupiſcit. Nec immeritò. Nam victoriæ ſpes plurimas vires adiicit bellatori, atque facilè ille victor efficitur, qui à ſe humano abiecto timore viriliter præliari proponit. Sic quippe Chriſti miles, ſic qui ad obedientiæ ſtatum feſtinat accedere, ſe ſolerter exercere ſtudeat in ſpiritualib. negocijs, ne fortè ſi inexpertus in ſtadio ingredi auſus fuerit, ab aduerſarijs opprimatur. Conetur nanque corpus coaptare ieiunijs, aſſuefacere vigilijs, edomare exteriorib. actionibus, hominum declinare conſortia, orationi vacare, humilitati ſedare, propriam abnegare voluntatem, cor à fluxu ſecularium cogitationum reſtringere, ſeque ſpirituali deuotione totum occupare. Hæc quippe ſunt, in quibus ſe probare debet quiſquis in congregationibus Deo ſeruire eligit. Abſque horum experientia facilè humana proſternitur fragilitas. Cuius verò mens aliquandiu in talibus ſe exercuit, in monaſterij cāpo pugnaturus non trepidet. Properet audacter de Domini bonitate confidens. Non vllis propinquorum ſuaſionibus, non domeſticorū blanditijs conuertat ſe retrorſum, ne vt olim vxor Loth in ſtatuam mutetur ſalis. Regno nanque
Gen. 19. Dei indignus eſſe conuincitur, qui gratiam negligit redemptoris. Qui autem ſimpliciter obtemperat, non confundetur in æternum. Non ſe excuſet, qui ad Domini cęnam per internam inſpirationem inuitatur, ne poſtea ob contemptum beneficium à cęleſti excluſus cōuiuio permaneat ſemper ieiunus. Facilè enim ſe diuina clementia negat ingratis, & qui obedire diſſimulat, torquebitur inedia. Nam ſi quis ad mortalis obſequium regis vocatus omnino contradicere non præſumit, qua pęna dignum iudices, quiſquis omnipotenti Deo reſiſtere audet? Diſſimulat ſumma maieſtas delinquentium peccata, vt illos ad emendationē prouocet. Non conuerſos autem durius ferit. Contemptores quippe ſui, Dei ſapientia ad tempus tolerat, in fine verò æterno eos damnabit ſupplicio. Nam deriſoribus ſui, ait per quendam. Vocaui, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret, deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis: Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, quū quod timebatis, aduenerit, quum irruerit repentina calamitas, & interitus, quaſi tempeſtas ingruerit: Quādo venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia, tunc vocabunt, & non exaudiam, manè conſurgent, & non inuenient me, eo quod exoſam habuerint diſciplinam, & timorem Domini nō ſuſceperint, & non acquieuerint conſilio meo. Itaque quicunque vocantur à Deo, imperantis iuſſa perficere non tardent. Præparent ſe, vt ſecuri in acie perſeuerent. Abiiciant enim à ſe Eccle. 2.
carnalem affectum, amoueant de ſuis cordibus humanum timorem, & tanquam duabus gemmis ornent ſe virtute diſcretionis, & deſiderio patiendi. Diſcretio nanque contra deceptiones & aduerſariorum fraudes perneceſſaria eſt, non tamen minus patiendi amor aduerſus tentationes, & carnis colluctationes. Vbi enim pugna agitur, ibi aptitudo certandi, & fortitudo tolerandi bellorum diſcrimina, adhibenda ſunt. In hac quippe lacrymarum valle, & potiſſimum in Dei itinere multimoda inſurgunt incommoda, quæ animi magnanimitate perferenda ſunt. Hæc autem vita nil aliud quàm ſpiritualis quædam militia, ſeu tentatio appellanda eſt. Propterea Deo ſeruire cupientem, diuinus ſermo hortatur, dicens: Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationes. In hunc verò ſpiritualem conflictum deſideriorum armis, & zelo patiendi pro Chriſto procedendum eſt. Qui enim abſque huiuſmodi zelo in hunc ſpiritualem agonē intrare præſumpſerit, facilè vincetur, qui autem ad cuncta toleranda aduerſa præmunitus fuerit, gaudeat, quia ſupra duriſsimā petram fundatus à ſua ſoliditate euerti non poterit. Hoc nanque deſiderium tanquam firmiſsimus adamas in ſpiritualis ſtructura ædificij pro fundamento locandum eſt. Tale etenim habentes deſiderium homines ſeculi negocijs deditos, pro adipiſcendis dignitatibus, pro acquirendis diuitijs, pro ſectādis voluptatib. videmus die noctuq; ſub faſcib. laborum deſudare, pericula contemnere, corporis quietem nihili pendere, pacem mentis amittere, ipſamq; mortem vltimum terribilium non formidare. Si tantū poteſt hic amor in cordib. peccatorum, quantum valebit in cordib. iuſtorū, qui pro cęlorum gloria, pro paradiſi gaudiis, pro perēni fęlicitate decertare noſcuntur? Nam etiam ſi cauſa ſuppetat, debent Chriſti ſerui ſpontanea volūtate ſe morti tradere. Semper autem pro ſui regis honore ſeipſos contra vitia crucifigere. Hoc ante nos deſiderio accenſi fuere multi pueri, puellæ, viri, ſenes, decrepiti, & cuiuſcunque ætatis, vel diſcretionis, quorum quidam vaſtitatem eremi, cauernas petrarum, concaua montiū, inuia ſolitudinum, & deſerta ſolis ſylueſtribus habitabilia feris, penetrare auſi ſūt, vt iucundius Deo vacarent, & in diuinis laudib. ſine ſtrepitu ſe indeſinenter occuparent. Aliqui autem corpus attenuantes ieiunijs, vigilijs edo-

mantes, lacrymarum imbribus madefaciẽtes, vt carnem ſpiritui ſubigerent, pœnitentiæ crucem pro rege ſuo Chriſto baiulare toto vitę ſuæ tempore non trepidarunt. Nõnulli etiam hoc ebrij amore atroces pœnas flammarum, lampadum, carcerum, ſcorpionum, equuleorum, peregrinationum, & opprobriorũm perpeti non formidauere, vt immortali Deo gratiſsimum fierẽt holocauſtum. Tãtorum enim ducum exempla in cordibus Deo ſeruientibus, globum ignis, & incendium ſancti amoris excitare debent. Mortales nanque erant ſicut ij, fragilitate carnis amicti, & tamẽ ſpe cœleſtis præmij animati, charitate Dei aduſti, & patiendi deſiderio inflammati nullis ceſſere periculis, vt regni participes, & regis amicitia digni haberentur. Quis enim huius ſancti deſiderij valet profectus explicare? Animo quippe vires ſubminiſtrat, & pœnam exhibet leuiorem, perſeuerantiam præbet, ſanctitatem adducit, coæquat martyribus, & cœleſti patria dignum ſuum efficit poſſeſſorem. Opera nanque eò fiunt ſuperno iudici gratiora, quò ardentiori fuerint facta charitate. Non qui plus operatur, ſed qui plus diligit, magis commendatur à Chriſto. Amor enim deſiderijs nutritur, deſideria autem ab amore tanquam calor ab igne prodeũt. Quare abſque magna remunerationis mercede eſſe non poterit, quiſquis ardore patiendi accenſus extiterit. Parum quippe operatur, quamuis multa agat, qui non amplius agit affectu, quam actu. Non meruit ſecreta ſcire cęleſtia Propheta Daniel, quia ieiunauit, ſed quia concupiuit, dicente angelo, Ego autem veni, vt indicarem tibi, quia vir deſideriorum es. (Dan. 9.) Et quis poteſt verbis propalare ſanctorum deſideria? Soli experti norunt amantium affectus, quàm ſæpe deſiderio patiuntur, dilaniantur, vruntur, occumbunt. Quod ſi liceret, nõ ſegnius ſuſtinerent actu, quã deſiderijs concupiſcant. Immenſa eſt amoris vis & nullo abbreuiata fine, quę ſicut nutritur de ſe, ita dilatatur in ſe, non alieno indiget adminiculo, ſibiipſi ſufficit, quum virtutem ſuam exercere valet. Omnia enim trahit ad ſe, cùm eſt in meridie. Exultet humiliter gratias agendo, qui huc vſque peruenit. Introductus nanque in cellam vinariam (Cant. 2.) arcana audiet, quæ non licet homini loqui. (2. Cor. 12.) Vult nempe ſponſus dona ſua ſilentio tegi. Ideo fas non eſt propalare verbis, quæ ſponſus mandat eſſe ſecreta. Hoc patiendi deſideriũ ijs prorſus congruit, qui virtutum zelo accenſi ſunt. Nam aſcenſus ad virtutes difficilis eſt, & multis inacceſsibilis. Vnde niſi Chriſtj miles toto ſe conamine exercuerit, ad virtutũ perfectionem attingere non merebitur. Quædam enim ipſarum naturæ, quædam conſuetudini oppugnare noſcuntur. Vtrarumque laborioſa eſt pugna. Nemo niſi qui magnanimitate pręditus fuerit, ac amore ignitus aduerſa tolerandi, contra naturam ſuam, & inolitos mores audebit habere cõgreſſum. Qui verò talis eſt, ardua aggredi non timet, aſpera ſuſtinere non veretur, non minis, nõ plagis, non opprobrijs, non tentationibus cedit. Amore quippe vulneratus nequit à cępto propoſito declinare, quæ retro ſunt obliuiſcens, in anteriora ſe infatigabiliter extẽdit. Trahitur enim ratione, trahitur dono, trahitur viſione, trahitur charitate. Et quoniam proficiendi deſiderio nunquam deſinit ſpiritualia ſuperaddere fomenta, facilè peruenit quò cupit, quãto amplius progreditur, magis habilitatur itineri, & viam reperit planiorem. Vires reſtaurat, quũ decertat, & eò fit robuſtior, quò plus exercetur. Quid multa? Quicunque huiuſmodi deſiderij igne fuerit perfectè comprehenſus, & ſuauitate illectus, inſuperabilis eſt, & coronæ propinquus. Talis veraciter cum Apoſtolo dicit, Quis me ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an nuditas, an fames, an perſecutio? (Rom. 8.) Certus enim ſũ, quia neque mors, neque vita, ſeparabit me à charitate Chriſti. Securè igitur pergat ad pugnam, qui huius ſancti deſiderii primitias habere iam meruit. Non tamen hoc ſolo contentus ſit, ſed huic addat propoſitum perſeuerandi in eadem, qua poſitus eſt vocatione. Facilè enim ruit, qui hoc perſeuerantiæ deſiderio non fuerit præmunitus. Non loca mutet, non inſtitutiones variet, qui vult Deo placere. (Pſal. 83.) Vbique nanque poteſt eſſe perfectus, quicunque in acquirendis virtutibus, & multiplicandis chariſmatibus extiterit ſtudioſus. Nõ extra ſe, ſed in ſe vigilet, & in corde diſponat aſcenſus in valle lacrymarum, quiſquis ſatagit eſſe perfectus. Non ſibi credat, nec ſe proprio committat arbitrio, ſed ſub præceptoris ſe coerceat diſciplina, ne inimicorum inſidiis capiatur. Innumeri quippe fuere, qui ab aduerſariis proſtrati gratiã Domini perdiderunt, pręſumpſerunt proprio iudicio, & non ſeniorum conſilio conſenſum præbere. Ardua nanque quum ſit via Dei, & inſidiatoribus plena, neceſſe eſt, vt in illa deficiat, quicunque inexpertus & abſque duce ipſam peragrare voluerit.

Quod in congregationibus Deo dicatis, & vniformiter viuentibus, perſpicuè eluceat ſtatus cœleſtis patrię, et qualiter ſub obedientia ſe exercere debeat, quiſquis in ipſis congregationibus laudabiliter Chriſto militare voluerit. Cap. VII.

IN humanis rebus, & in hac peregrinatiõne nihil tã efficaciter gerit in ſe imaginẽ cęleſtis patriæ, quã monaſtica cõuerſatio & cõgregatio diuino cultui dedicata. Supernis nanque ciuibus vna eſt mãſio, vna gloria, cõmunis lætitia, cõcors voluntas, mutua dilectio, & ſempiterna ſecuritas. Aequè in cõgregationib. vniformiter degẽtib. reperit. Vna quippe eſt oĩum habitatio ĩdiſtĩcta, & cũctis ad vſũ æqualiter cõceſſa.

ceſſa.Communis nanq; ipſorum eſt gratia. Sibi.n. inuicem ſpiritualia communicant dona. Nam humilitas vnius, omnium proponitur in exemplum.Charitas quoq; alterius ſe ſingulis præbet in adiutorium & ſolatiū : ſicq; reliquæ virtutes ſpecialiter præſtitæ cunctis militāt ad profectum.Non in his regnat inuidia,non boni alterius pernicioſa æmulatio, ſed quod eſt vni proprium,vniuerſis fit commune:hoc mirabiliter operante charitate,quæ neſcit æmulari.Non hic eſt diſſenſio voluntatum,non diſceptatio opinionum,nō odia, non detractiones, ſed prorſus animorum pax, morum conformitas,lætitia conuiuentium, & quædam imitatio ſpirituum ſupernorum.In iſtis nanq;,qui in Eccleſia militant,tanquam in illis,qui in cęlis regnant,Chriſtus habitare dignatur : quāquam aliter,ipſo domino dicente: Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo,in medio eorum ſum. Ab illis verò Deo laudes, & ſine intermiſsione gratiarū perſoluuntur actiones. Ab iſtis ſtatutis horis,quāuis non deſint in carne viuētes,qui votis agunt, quod illi actu perficiunt.In hoc potiſsimum diſtant,quòd illi cū Chriſto regnant, iſti autem pro Chriſto pugnant. Illa triumphantium,hæc congregatio dicitur militantium.Maxima illorum multitudo primo huic militiæ aſcripta fuit,poſtea verò perfecto certamine angelicis ſociata ſpiritibus. Nam quod illi tenent in re,iſti habent in ſpe.Illius cęleſtis ciuitatis iſte eſt introitus. Iſte nempe eſt locus,de quo ait ſanctus Iacob: Verè non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cęli.Qui hic viriliter & perſeueranter certauerit, coronabitur illic glorioſe. Ambo caſtra Dei,ambo ſedes ſapientiæ, ambo ſanctorū ciuitates. Qui in hac laudabiliter cōuerſatus fuerit,ab illa excludi non poterit.Profectus iſtius illius eſt gaudiū: & huius multiplicatio aggregatio eſt alterius. Illa choris angelicis velut margaritis ornatur:iſta verò beatis circunuallatur ſpiritib.propter inimicorum incurſus. Ipſi etenim angeli ſicut cupiunt hoium conſortiū, ita præbent illis iugē miniſterium. Hic viui lapides deteguntur, quadrātur, inſculpuntur,vt cęlorum cętib.habilius inſerantur.Illa pro iſta ſolicita eſt,preces fundit,ſalutē concupiſcit,& præſentiam diligit: quia illa ſine iſta nequaquā perfecta eſſe poteſt. Vnus eſt & illorum,& iſtorum dominus, vna hæreditas, vnaq; ſocietas. Securè ſperet poſt hanc peregrinationem ad illam ſupernam intrare Hieruſalem, quicunq; in iuſtorum congregatione fuerit vocatus.Magnū quippe electionis indicium eſt huius fraternitatis habere conſortium. Facileq; ab illa excluditur,qui ab hac fuerit ſegregatus. Ideo cum omni circunſpectione, & animi maturitate ſe ſtudeat, quiſquis in hæc ſancta collegia

1. Cor. 13.

Mat. 18.

Gen. 28.

Deo dicata vocatus eſt:ne diaboli fallacia, aut, ſui negligentia, ſeu ignorantia amoueatur ab illis.Potiſsimum verò ſtabilitatis remediū,ſaluberrimumq; cōſilium eſt obedientiæ ſuper ſe iugum aſſumere,& propriam voluntatem omnino abnegare. Grauiſsimum nanq; à ſe onus reiecit,qui ſuam repulit volūtatem.Propria voluntas Deo ſemper inimicatur. Dominari toto poſſe conatur,rationis iudicium extorquet, ſuo faciens arbitrio militare. Non maioribus acquieſcit, non reueretur, non obtemperat, nulli ſubeſſe poteſt:nec cōmoditate flectitur, nec minis humiliatur,ſemper procax eſt,effrænata in locutione, incompoſita in moribus, inordinata in affectionib. ignara ſui, & à proximi dilectione aliena. O malum deteſtabile, o antiquata nequitia quātum præualeſ? quantum dominaris? Per te angelorū ruina facta eſt,& cœlorum agmina minorata, per te delitiarum paradiſus homine orbatus eſt,& humanum genus innumeris cladib.ſauciatū:Te ſuadente corruit Adam:& innocentiæ ſtola nudatus eſt:A te dominandi ambitio,& à Deo apoſtatandi ſumpſere principium : Tu cognatorū amorem ſcindis, & coniugum diuortia facis: Tu amicitiarum iura violas, & domeſticorum vota diſſoluis:Tu cunctum perturbas orbē, & plurimis reples flagitijs: Tu bellorum diſcordias generas: Tu pacem fugas,& odiorū venena diſſeminas:Tu infernum ditas,& gehennalib.flammis fomentorum ſubminiſtras. In cęlo præualuiſti,& in hoc ſeculo principaris : Vnico ſolo remedio debilitaris,& vinceris: quo quicunq; caruerit,ſaluari nō poterit.Obedientiæ nanq; virtus,& ſubiectionis amor te percutit,& occidit.Magnum quippe bonum,& ſaluti neceſſarium eſt obedientia, quæ gratiā confert, Deum honorat,cęlum reſerat, animā ornat,& propriæ voluntatis virus euacuat. Hanc in ſpecialem eligat ſponſam,quiſquis Deo famulari deſiderat, in ſolitudine, in domibus,in ciuitatib.obedientia tenenda eſt.Præcipuè tamen in cęnobijs & congregationib. Deo dicatis hæc tenaciter cuſtodienda eſt. Propterea, quicunq; collegialiter viuere decreuit, in ſuo principio propriam abdicet voluntatem, ſeq; alicui prudenti, & probato de eadē quam elegerit congregatione cōmittat realiter,& abſq; eius conſilio,& voluntate nil agat: Omne ſuū iudicium, & deliberationem in ipſius, cui ſe tradiderit, relinquat arbitrio, vt quod hic approbauerit,& ipſe laudet,& quod condēnauerit,ipſe ſimiliter condemnet.Deum verò in illo loquentem non dubitet, illiq; tanquā Chriſto ſubeſſe non abhorreat,quia de ſe confidentem, & propter ſe ſubmittentem nunquam deſerit dominus.Qui enim olim per ſubiugale animal & irrationale Prophetam docuit, ipſe

Num. 22.

per rationalem creaturam & ſibi famulantem, inſtruere non dedignabitur puſillum credentem in ſe, dummodo ſimplici ſe proſternat corde. Vbi nanque dubia, aut ſimulata agitur obedientia, abeſt profectus ſubiectionis, & diuinę prouidentiæ guſtus. Quare ſub alterius imperio realiter abneget ſe, qui virtutis guſtu, & cęleſtis patriæ deliciis frui concupiſcit. Non differat ſubeſſe, quum pro ſe idoneum apud altiſſimum reperit fideiuſſorem. Imprudentiæ etenim notiſsimum eſt teſtimonium, velle quē de ſe Deo reddere rationē, quum quempiam inueniat pro ſe poſſe ſatisfacere. Et quis mente ſanus, & rationis compos incedere audebit auro, & gemmis onuſtus per deuia, & ſylueſtria loca, atq; latronib. repleta, quum valeat alicui præpotenti, & fideli viro totum hunc, etiā tutò commēdare theſaurum? Nemo ſine gubernatore pelagus nauigare præſumit, et hoc ſpirituale mare magnis ſcopulis plenum, procellis, & tempeſtatib. agitatum: in quo draco ingens & ſæuus ad illudendum poſitus eſt, confidet Dei ſeruus vadare ſecurus? Naufragio & morti propinquus eſt, qui hoc agere cogitat. Qui militant terrenam militiam, non ſunt ſine duce, & ſolus Chriſti miles erit ſine directore? Incongruum eſt hoc. Vbi nāq; validior, & ſagacior eſt hoſtis, ibi diligentior cuſtodia adhibenda eſt: & vbi precioſiores theſauri reconditi ſunt ibi ſolicitiori vigilantia incumbendum eſt, vt ſeruentur. In viſibili bello viſibilis eſt hoſtis, & temporalis amiſſio facultatis. In ſpirituali verò inuiſibilis, & dirus eſt inimicus, & precioſiſſima margarita. Qui.n. hac ſe permiſerit priuari margarita, amittet Deum: cęleſtium gaudiorum non fiet particeps, à conſortio angelorum excludetur, vitiorum & dæmonum erit captiuus, & à collegio ſanctorum alienus. Ideoq; ſine duce & defenſore in Dei itinere non maneat, qui cœleſtis gratiæ, & præfulgidæ margaritæ poſſeſſor effectus eſt. Oīs prouincia, quælibet ciuitas, ſingulæ domus præceptorem habent. Quiſq; quamuis potens, quamuis nobilis & diues, ſuperiorem recognoſcit: & Chriſti famulus erit abſq; præſidente? Magna nēpe abuſio hæc eſt. Eſto aūt, quòd prouinciæ, ciuitates vel domus ex incuria inordinatæ conſiſtant: Chriſti tamen ſponſa nullatenus debet inordinata relinqui: nec ſine paſtoris cuſtodia: præcipuè propter importunos incurſus, & inopinatos inſultus ſpirituum immundorum. Nā die noctuq; fieri debent excubiæ à præſidentib. ne à rugientib. leonib. rationabiliū Chriſti ouium vel vna rapiatur. Non.n. ceſſant ſuæ malignitatis venena diffundere, vt perimāt innocentes. Proinde ſicut animarum ducibus inceſſanter congruit ſuper ſibi commiſſos vigilare, ita vt vnaquæque ouis ſub proprij vmbra paſtoris confugiat, & ibi quieſcat, vt ab irruētib. latronib. ſecura permaneat. Quæ verò ſoliuaga, & abſq; duce vagatur, cibus efficitur intellectualium beſtiarum. Habitet illa, quæ propriam diligit ſalutem cum cæteris. Paſtoris ſui agnoſcat vocem, veſtigia imitetur, mandatis obtēperet, & ſuam ſub illo abneget volūtatē. Proprio paſtori tanquam Chriſto obediat, & ſemper in præſidente Deum audiat loquentē: Mat. 10. Chriſtiq; reformet imaginē. Qui.n. ſpiritualis patris mandatum contempſerit, Dei quoq; ſui cōtemptor reputabitur, ipſo dicente: Qui vos audit, me audit: & qui vos ſpernit, me ſpernit. Ideo non minus ſuperioris, quàm Dei paruipendenda vox eſt: præcipuè eius, qui ſpecialiter animam ſuam pro ſibi commiſſo non recuſat exponere. Rarò quippe inuenitur, qui animam ſuā pro amico exponere dignetur. Quando talis inuenitur, venerandus eſt, & fideliter diligendus: atque vt ipſemet, & plus quàm cætera charior æſtimandus. Adiuuandus eſt, quatenus ſuper impoſitum illi onus libētius ferat. Tunc autem adiuuatur: tunc ipſius participatur labor: tunc lætus effectus pondus non ſentit: quum prompto obeditur affectu. Coacta nanque ſeruitia, faſtidioſo ſuſcipiūtur animo. Quæ verò alacri mente, placido vultu, & volenti exhibentur corde, lætificant præcipientem. Totus ſe exhibeat, qui obedientiæ regulā violare timet: & voluntate propria tanquam confuſionis indumento ſe expoliet, qui Chriſtum imitari deſiderat. Totum tribuat, qui totū poſſidere vult. Nam qualem ſe quiſque pro domino eſſe ſtuduerit, talem dominum ſentiet erga ſe. Purè nanque obſequentibus omnino ſeipſum negare non valet. Elaboret igitur, qui aggregatim prælegit domino famulari: obediētiam diligere, obedientiam peragere, obediētiamque cuſtodire: ne inaniter, & ſolis hominum aſpectibus militet. Nam qui ſuaue Deo cupit offerre ſacrificium, & in ſubiectionis campo quærit obtinere triumphum, conetur obedire libenter, vt ſibi per obſequium voluntarium in cęlis aggreget æternam mercedem. Nil etenim ſic cumulat merita, ſicut libēter famulari. Simplici quoq; corde obtemperare ſtudeat, ne præceptore prudentior eſſe videatur: atque iterum cogatur reſumere ſupra ſe, quod alteri tradiderat, pondus. Famuletur lætanter, vt Deo amabilis reddatur: ſanctoſq; imitetur angelos, qui indicibili dulcedine, & iucundiſsima conditori ſuo obediunt charitate. Obſequatur velociter, nec imperantis votū procraſtinet, ſed repentè iuſſa perficiat, vt cuidēter eluceat totū ipſum pēdere in patris arbitrio, detq; illi ſemper ex ſua feſtinatione auſū īperādi. Obtēperet viriliter, ne minus ī arduis, quā in leuib. cognoſcatur parere mādatis, ma-

giſque

Digitized by Google

gisque ſuperioris,quàm propriam in omnibus æqualiter ſe habens diligat voluntatem. Obediat humiliter, vt non tantum præeminentiora,ſed etiam viliora peragat cum hilaritate obſequia,quum ingenti agũtur ardore charitatis, & laudabili concluduntur fine. Poſtremò famuletur perſeueranter, ne præteritorum laborum amittat mercedem. Parum nanque prodeſt aliquantulum fortiter cucurriſſe,& antequam perueniatur ad metas,deficere. Non enim placet homini immaturus fructus, nec Deo imperfectum opus. Tunc autem obtutibus redemptoris gratæ fiunt humana obſequia,quum ingenti agũtur ardore charitatis, & laudabili concluduntur fine. Hanc obedientiæ formulam ſibi in corde proponat, quiſquis in monaſterium Deo militaturus acceſſit. In ipſa tanquam in quodã ſpirituali ſe componat ſpeculo:& iugiter contempletur,vt interioris qualitatem hominis intueri valeat. Poterit nanque deformitatẽ ſuã reformare,animæ maculas tergere,mentẽque erigere, niſi fortè ſolo corpore ſanctitatis ſtatum aſſumpſerit.

x.16.

Quòd ſpiritualium guſtus delectationum nouiter conuerſis neceſſarius eſt,propter quod debent introduci ad vitam & paſſionem Christi meditandam: & de triplici meditantium ſtatu: animali ſcilicet rationali & ſpirituali. Atque qualiter meditantes diabolus conetur decipere. Cap. VIII.

Exo.6. SAcræ tradunt hiſtoriæ, quòd dominus Ieſus poſtquam Hebræorum populum in ſignis & portẽtis mirabilibus de Aegyptiaca liberaſſet ſeruitute, atque ſubmerſo ĩ mari rubro Pharaone cum omni ſuo exercitu duxiſſet in deſertum;quũ terrena conſumpſiſſent cibaria,illis cæleſtia præſtitit alimenta. Nã

1.Cor.10. manna illis de cęlo pluit ad manducandum,vt cęlico ſatiati pane,eſcas, quas in Aegypto reliquerant,rurſus non appeterent. Cuncta ipſi populo carnali,ac rudi in figura cõtingebant. Re autem vera ad eruditionem noſtri ſcripta ſũt. Indicauit tunc in illis diuinus ſermo poſteris, quod ſicut qui de Aegypto educti fuere, cęleſti neceſſe fuit vt paſcerentur cibo, ne iterum corpore & deſiderio reuerterentur ad illam,de qua redempti fuerant ſeruitutem,ſi nimia fatigarentur inedia, Ita & qui de voluptuoſa ac fętida ſeculi huius conuerſatione exeunt, & in ſpiritualem ſolitudinem monaſticæ aſperitatis introducuntur, omnino ne defluant ad illa, quæ deſeruerunt,& ad vomitum redeant,oportet vt ſuper cæleſti paſcantur refectione,& ſpirituali reficiantur alimonia. Humana etenim mens temporalibus aſſueta delicijs,nequaquã illis priuari patitur,niſi ſpiritualia vtcunque deguſtet. Quæ verò iſtis caret,& illa non habet,facile ad priſtinam cupit remeare ſeculi conuerſationem, & murmurans contra dominum dicit: Vt quid induxiſti me in hanc ſterilem ſolitudinem,vt fame & ſiti periclitarer? Igitur his præmoniti animarum patres,& Chriſti ouium rationabilium paſtores ſolertes vigilent,quum primum ſuſceperint nouum militem recenter ablatum de Aegypto, & poſitum in monaſterio ipſum ſpirituali reficere exhortationis pabulo,& ſalutari recreare deuotionis poculo,antequam mentis patiatur ariditatem, & immundorum ſpirituum experiatur inſultus. Qui autẽ hoc agere neglexerit,ſibi ipſe iudicium,& ſubdito graue inducit diſpendium. O quot ex incuria paſtorum ignorantes quæ Dei ſunt, & quæ ſancto congruunt ſtatui,à ſancto retrocedunt propoſito? Heu quanti ariditate ſpiritus contecti,& deuotionis guſtu alieni; quia ſicut oportuit in primordio conuerſionis ſpiritualibus non fuerunt imbuti,vocationis gratiã,quã habere meruerant,perdiderunt. Sunt etiã quã plurimi,& vtinam nõ maior pars illorum, qui ſuper ſe iugum domini tulerunt, & domino Ieſu famulatum exhibere videntur: qui prorſus ignari exercitationis ſpiritus,& à dulci deuotionis ſuauitate extranei ſolo corpore Chriſto ſeruiunt,mente autẽ obſcœnis,& inutilibus,& terrenis cogitationibus implicantur. Hi nanque ieiuni ab interna refectione famẽ vt canes patiuntur: & ſi non ſaturentur, murmurant. Tales de nomine ſanctitatis ſibi plaudentes, atque de ſola profeſsione confidẽtes, omne ſibi ad promerẽdam gratiam, ad acquirendas virtutes indultum tẽpus in vaniloquijs in iocis,huc,illuc diſcurrendo conſumunt. Nõ intelligunt huiuſmodi quod dominus cordiũ, & renum ſcrutator eſt, & ab vno quoque exiget iuxta ſui ſtatus qualitatem. Non hominum eget teſtimonio,qui in faciem vident:non exteriori delectatur habitu; neque numero perſonarum: ſicut dicit per Prophetam: Multiplicaſti gentem,ſed nõ magnificaſti lætitiã. Quin potius mentem diligit humilem,virtutibus decoratam, ſapientia & diſcretione fulgentem, ſanctitate inſignem,puritate nitidam,mundano affectu vacuam, deſideriorum ſanctorum calore ſuccẽſam,& ſua charitate refertam. Talium eſt cęlorum regnum:& hæc eſt generatio quęrentium faciem Dei Iacob. Quemadmodũ enim exterius ſe componit,quæ mortali placere vult ſponſo,& cunctas de corpore abſtergit ſordes,ita qui cęleſtem amat ſponſum,ſpirituales ſui ſpiritus diluet fœditates. Nempe qui carnaliter viuit, terrena concupiſcit ornamenta, vt humanis ſplendeat oculis: generoſus verò Chriſti miles virtutes acquirit: vt diuinis redimitus conſpiciatur obtutibus. Vbi theſaurus,ibi cor. Propterea in dirigendis animabus qui deputati ſunt,toto poſſe elaborent,vt ſubditorum

Psal. 58. Psal. 9. Mat. 19. Psal. 23. Mat. 5.

rum imbuant corda ſpiritualibus diſciplinis. Studeant præcipuè eorum præcordiis imprimere Ieſu dulcem affectum. Nil hoc guſtu ſapit dulcius, nil vtilius diligitur, nil congruentius cogitatur. Quid nanque in hac vita ſapit dulcius, quàm cœleſtis ſpōſi mellifluus amor? Quid vtilius amatur, quàm creatoris ſui immēſa bonitas, & incarnata maieſtas? Quidve congruentius reuolui poteſt, quàm redemptionis humanæ ineffabile ſacramentū: per quod peccati chirographum deletur, impius iuſtificatur fidelis ſaluatur, gratia donatur, culpa ſoluitur, & cœlorum aditus reſeratur. Quoniam verò rudis nouitius quaſi cæcus de tenebris mundialis conuerſationis procedens ad lumen fulgentis veritatis reuerberatur fulgore ſpiritualis vitæ: manuducendus eſt prudenter, donec aſſuetus mentali exercitationi valeat percipere per ſeipſum, quod abſque præceptore nō poterat. Diligentiſsimè igitur redire ad ſe doceatur, & per iugem meditationem commorari ſecum: quod nequaquam agere quibit, niſi ſeris diuini timoris, & cenſuræ ſpiritualis obſtruxerit curioſitatem exteriorum ſenſuum: per quos noxia antè ingredi conſueuerant. Per hos nanque ſenſus quaſi per quaſdam ianuas, carnales concupiſcentię intreeūtes ad cor, pernicioſis deſideriis, & imaginationibus illud fędare nō ceſſant: ſicut per Prophetam dicitur: Mors intrat per feneſtras noſtras. Proinde omnino re- Hier. 9. ſecandus eſt eorum inordinatus affectus, quatenus amoto hoc obſtaculo mens adhuc infirma facilius & quietius valeat ſpiritualia meditari. Sed quia rationalis ſpiritus ab exterioribus ſemotus illecebris diu in ſe perſiſtere non eſt idoneus, neceſſe eſt, vt inſtruatur qualiter abſque animi mœrore id agat. Proponatur itaque illi ad ſedulò meditandū domini Ieſu humana conuerſatio. Nihil autem ita fructuoſe ad meditandum inexperto offertur nouitio: ſicut Chriſti vita, & potiſsimum ipſius paſsio glorioſa. Sunt enim Saluatoris geſta ſpirituale lac, introducendis nouitijs proficuum, & prorſus neceſſarium, quoaduſque ſenſim, & per diutinam exercitationem ſenſualibus animus aſſuetus voluptatibus, & tranſitorijs cogitationibus, abſtrahatur ab his, & diſcat ſalubriter, & ſine ſui detrimento carnalem ſpiritualiter diligere delectationem in carne redemptoris, atque corporalia ſpiritualiter cogitare, quæ Dei 1. Cor. 2. filius geſsit in corpore. Nam animalis homo percipere non valens quæ Dei ſunt: ſpirituali nullatenus eſt in principio exercendus ſtudio: ne vnde proficere debuerat, cogatur relabi. Nēpe lacte paſcendus eſt, & illis exercitijs nutriēdus, quib. ab amore ſeculi, & à priſtinis abſtrahatur conſuetudinibus. Sunt nanque complures; qui prorſus diſcretionis virtute carentes, in ipſo itineris Dei ingreſſu, corporalib. ſe implicant, ac temporalibus negotijs, aut ſpiritualium ſe tradunt exercitationibus. Vtrorumq; etenim labor periculoſus eſt, & penè abſq; profectu. Nam primi ſola intētione mutata, ad primas, ſeculi cui renunciarunt, redeunt actiones, ignorantes quid de ipſorum occupationib. dicat electionis vas. Timotheo nanq; ſcribens 1. Tim. 4. ait: Exerce teipſum ad pietatem. Nam exercitatio corporalis ad modicum vtilis eſt: pietas autem ad omnia vtilis eſt: promiſsionē habens vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ. Secundi verò, & ipſi curioſitatis, vel elationis directi ſpiritu, antè fieri cupiunt magiſtri, quàm diſcipuli. Audiant tales hominem ſecundum cor Dei domino fiducialiter decantando, dicentem: Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei: neq; ambulaui in magnis, neq; in mirabilibus ſuper me. Ideo per experientiā Pſal. 130. eruditus, alibi quid ſinguli agere debeant, notificat, quum dicit. Vanum eſt vobis ante lucē ſurgere: ſurgite poſtquam ſederitis. Sedeant igitur omnino in ſuo exordio vocationis no- Pſal. 126. uitij, ſi velint Deo vtiliter militare: non vt tabeſcant ignauia, nō vt otio conſumentur: ſed vt quietius inſtruantur de ijs, quæ illis congruūt. Sedeant quippe ſecus pedes Ieſu: non tamen ante Ieſum. Sedeant humiliter, & deuotè, ac purè: quatenus ex ipſo exteriori habitu internam exhibeant humilitatem. Nullus. n. alius locus debetur nouitio, quàm vbi ſunt pedes Ieſu. Sed primo retroſecus pedes ipſius domini Ieſu ſedeat, vt poſtmodum mereatur ſedere ante Ieſum, & ad pedes Ieſu: atque ab ipſo Saluatore cū Maria verbi ſaginetur dulcedine. In his nanq; ſi fideliter ſe exercuerit, dignus efficietur ſurgere ad Ieſum. Cuncta verò hæc ſuo, & proprio fiunt tempore. Proinde abſurdum eſt, vt qui adhuc terrena, & carnali fędatus eſt cogitatione & actione, erigatur ad Ieſum. Detergendus prius eſt, probandus, & ſanandus, antequam ſpiritualibus imbuatur diſciplinis. Itaq; qua valet, mentis humilitate, proſternat ſe nouitius ſecus pedes Ieſu, ibiq; cum ingenti ſingultu, & profluuio lacrymarum recogitet annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ. Conſideretq; diligenter quanta contra Deum commiſit delicta, turpia, pernicioſa, ocioſa, cogitando quanta omiſit bona, quæ agere debuerat: quanta erga proximum perpetrauit, nunc detrahendo, nunc iudicando, nunc irridendo, & quòd multimodè proximi dilectionem, quem vt ſe amare debuerat, prætergreſſus eſt. Hæc & innumera errata alia reminiſcendo, adeò mœrore compleatur, vt vix ſe capiat præ compunctione. Talis enim cùm ſalubri hac perfunditur compunctione, lamentabiles ad cęlū emittit voces, ſuſpiria trahit ex intimo pectore, in-

gemiſcat-

geminatque ad Deum lamenta contra ſe: nec prius ab hoc ceſſat compūctionis opere, donec abſtergat ſuorum debita delictorum: & fiat propè per contritionis donum, qui lōgè fuerat per deformitatem culpæ. Tunc audet accedere ad Ieſum, tunc ad ſancta attingit veſtigia Saluatoris: oſcula imprimit venerandis pedibus, lacrymis lauat, capillis tergit eo familiarius, quo mundius, ac fidelius accedit: nec inde (quantum in ipſo eſt) recedit: nec ſecedit lōgius, ſed toto ſtudio, & omni, qua valet, virtute in illa ſancta ſe occupat actione: non ſpirituali, non rationali, ſed animali. Nam ablutis animæ maculis, & mūdato interiori oculo, meditādo intueri meretur humanitatem Chriſti, & ipſius geſta cogitare. Tunc omnia illius acta tanquam myrrhæ faſciculum intra ſui pectoris arcana recondit, & cū ingenti cordis lætitia meditari non deſinit, qualiter mundi Saluator ſtatim, vt natus eſt, reclinatur in præſepio in medio duorū poſitus animalium: qualiter agnitus eſt à paſtoribus, circunciſus in carne, adoratus à Magis, oblatus in tēplo, fugatus in Aegyptum, reductus ad propria, perditus in turba, inuentus à matre, & ſubditus parentibus. Denique ſe præſentem exhibet, quum baptizatur à Ioanne, quūm tentatur à diabolo, quum prędicat in populo, quum diſcurrendo miracula facit. Sicq; domini ſui ſedulò pertractans cuncta, quæ vt homo geſſit, ad paſsionis eius ruminando deuenit myſteria. Tunc totus ſe colligens in ſe pietatis affectu præſentem, & compunctum, paſſionem domini quantum valet meditari conatur. Cęnantemque nanque dominum Ieſum cum diſcipulis aſpicit, & diſcipulorū pedes lauantem miratur. Quum in horto orat, præſens eſt, quum ſanguinis emittit ſudorem, nimio dolore vulneratur, quum traditur à diſcipulo, vallatur à turba, ſiſtitur coram pōtifice, accuſatur iniuſtè, alapis cæditur, facie conſpuitur, irridetur, flagellatur, condemnatur, & cruce angariatur, oculo fidei aſpicit, & compatitur. Quum in patibulo pendet, lacrymari non ceſſat: atque cætera paſsionis eius acta vſq; dum examine corpus in ſepulcro reconditur, mirari nō deſinit, & redeūtem dominam in ipſa ſua meditatione conſolatur. His nanque cogitationibus refectus, ac lacte ſpirituali nutritus, nimio iucūdatur gaudio: obliuiſcitur quæ reliquit in ſeculo: & omnibus ſe priuat exterioribus delectationibus. Diſcit quippe Chriſtum ex his meditationib. humanitatis carnaliter diligere: & veluti carnalis non quæ Chriſti, ſed quæ ſua ſunt, quærere. Quod tamen illi nequaquam à domino imputatur: quia paruulus eſt: quia inexpertus eſt: quia inhabilis ad ſolidiorem capiendum cibum. Ideo lacte hoc humanitatis Chriſti alendus tandiu eſt, donec ad maturiorem creſcat ætatem: in virum perfectum, in 1.Cor.3. plenitudinem ætatis Chriſti: ita vt cum Apoſtolo dicere poſſit: Etſi nouimus Chriſtum ſecundum carnem: ſed iam nunc non nouimus. Hæc nempe ſunt rudimenta, quibus imbuendus eſt nouus Chriſti miles, vt poſſit ſpiritualia deguſtare myſteria. Hæc fundamenta in principio conuerſationis cuiuſcunque nouitij iacienda ſunt: quatenus ſequenturas tentationes valeat ſuperare. Tandiu nanque ſe exerceat in meditationibus infantiæ vitæ, & paſſionis Chriſti purè, piè, humiliter, & aſſiduè: quoadusque intus luceat cordi meditantis altitudo, longitudo, ſublimitas, & profundum tanti ſacramenti. Hoc etenim lumine irradiata mens aduentus Chriſti agnoſcit cauſam: pro ſe carnem ſumpſiſſe, pro ſe eſuriſſe, & mortem pertuliſſe non ambigit. Tunc ſugit mel de petra, & oleum de ſaxo duriſſimo. Tunc dominum Ieſum ardenter diligere inchoat: aſperſus fragrantiſſimo odore virtutum illius. Deut. 32. Tunc gratiarum innumeras actiones ei offerre nō deſinit: ne ingrata inueniatur de munere. Sic ſic erudita mens meditationibus humanitatis Chriſti, percipere meretur lumen veritatis, & ardorē caritatis Chriſti: & quæ prius tanquam animalis retrò ſecus pedes ſteterat Saluatoris ſolummodo carnis opera ſimpliciter cogitando de cætero rationalis effecta ſiſtitur ante Ieſum, vt virtutum illius efficaciam: & perfectionis altitudinē indagare queat. Re etenī, vera de qualibet Chriſti operatione ſtudioſa mens, & meditationibus intenta, excutit & concipit cognitionem, & dilectionem, ex quibus prudens & amans efficitur. Altero autem ipſorum deficiente languet homo in ſpirituali profectu: quia nec virtutes valet acquirere abſque prudentia, neque tentationes ſuperare ſine dilectione. Vbi verò melius prudentia, quàm ab ipſa percipitur ſapientia? Et qualiter congruentius amor accenditur, quàm quum de ipſo amoris fonte cogitatur? Vtrunq; Chriſtus eſt. Eſt nanque patris verbum & ſapiētia: eſt & ipſa charitas. Idcirco quicunque eſſe Dei fidelis ſeruus & prudens deſiderat, Saluatoris geſta, & præcipuè ipſius paſſionem ruminare non negligat. Quiſquis autem amator Chriſti cupit fieri, eius verba & facta reuoluere intra ſe non tepeſcet. Nec vereatur qui huiuſmodi eſt, priuari delicijs, & cōtubernio Ieſu, ſi vitam eius meditari frequenter ſegnis non extiterit. Dona nanque Dei non tepidis, non elatis, non verboſis tribuuntur. Diligit enim Deus ſolicitos, humiles, & diuina in ſuo corde chariſmata recondentes. Proinde qui erigi ad Ieſum anhelat, qui intima illius amicitia frui deſiderat: per inania mentem euagari non ſinat, ſed ad ſuum reuocet redemptorem: atque virtutes, quas meditando agnouit in Chriſto, imitari non negligat, ſuúmque redemptorem magis ac magis amare properet. Expectet autem domini præſentiam, agat, quæ agēda ſunt, viriliter: & per orationis ſtudia

pulſare

pulſare non deſiſtat, donec verbum Dei cœlos aperiat: & de regalibus ſedibus, de angelicis choris, illabatur ad animam cœleſti ſponſo copulandam. Quis queat enarrare, imò propalare audeat delicias, quę tunc hinc inde affluunt? Quis (niſi expertus) ignitos affectus amplexus caſtos, ſanctaque colloquia mutua detegere valet? Tūc cunctus ſeruilis abſcedit timor, & omnis præmeditata locutio longè fit, prout ſuggerit amor, ſpōſo fatur ſponſa. Et ſi qua adulterina ſe immiſcuerit dicta vel geſta, quadam perſpicua, & illuminata diſcretionis manu abiguntur à ſponſa, ne tanti ſolatio ſpōſi, elatione priuetur. O quoties, quæ minus in amoris arte erudita eſt, decipitur, deprædatur, proſternitur? O quoties euolat ſponſus, atque ab aſpectibus euaneſcit dilectæ? Repētè quippe, vt ſupra ſe inaniter erigitur anima, fugit Chriſtus. Humilis enim humilem diligit: elatam verò tanquam indignam repudiat, & repellit. Hæc nanque aſpernatio, & hic ſponſi diſceſſus miro, incredibilique modo cruciat diligentem: prudentem tamen efficit ad diſcernendorū ſpirituum diſcretionem. Ad hanc nempe cognitionem per aſsiduam orationem, per caſus mœrorem, & per ſpirituale, & occultum ſponſi magiſterium facilè peruenitur. Sed antequam ſapiētia imbuatur anima, priuſquam Dei verbo amoris vinculo confęderetur, ſæpe labitur, errorem pro veritate ſuſcipiens. Plerunq; tamen permittente ſponſo, vt ſibi ardentius dilectam copulet, aut ad altiora prouehat, aut prudentiorem efficiat, Satanas in lucis angelum transformatur, 2.Cor.11
atque illo tanquā ſancto contubernio admiſcetur: quem quum anima adhuc cęleſtium ignara viſitationum erroris admiſerit ſpiritum, & veluti domino ſe illi ſubſtrauerit, ſine mora recedit ſpōſus, & illico ſuccedunt tenebræ, ac quædam opaca mentis hebetudo. Continuo obſcureſcit animus, & propria confuſione contunditur: atque ex his, quæ patitur, perſpicuè intelligit ſpiritum, quem ſuſcepit inimicum. Mox fluūt lacrymarū imbres, & gemitus emittuntur mœroris indicia; ingeminantur preces, mentis proponitur cuſtodia, & cordis omnimoda vigilantia de cætero ſtatuitur. Talibus itaque prouocatus ſingultibus, talibuſque promotus ſpiritualibus ſtudijs, aduenit ſponſus, & placido ſe oſtentat aſpectu. Nam diu ſibi dilectam affligi non patitur. In iſto vero ſecūdo aduētu quis ſermo, quæ facundia, quódue humanum ingenium capere valet, quāta exuberent dilectionis ſolatia? Ibi intellectus excluditur, ſopitur cogitatio, & ſolus amor mutuarū deliciarum teſtis efficitur. Amor loquitur, amor diſcurrit, amor caſtiſsimo contubernio in vno ambos copulat vinculo charitatis, & arcana dilectio 2.Cor.12.
nis proferuntur verba, quæ non licet homini loqui: eo dulciora, quo affectus eſt vehementior, & amor purior. Tota in hac ſpirituali & ſingulari vnione reſoluitur anima dilectione: tota inebriatur & deficit in ſe tranſiens in dilectum. Nil eſt in quo exterius delectetur, quum intus immēſis paſcatur bonis. Hoc ſolo afficitur deſiderio, vt magis magiſque accendatur amore. Et quamuis tota ardeat charitate, tamen omne, quod ſentit, parum putat præ concupiſcentia dilectionis. Nēpe ſic inflammata quendam diuinum, infinitum & æternum induit laudis & charitatis affectum: & licet corpore teneatur in terris, deſiderio tamē commoratur in cęlis. Semper cupit (ſi liceat) ſic eſſe: quia quem quæſiuit, inuenit: quē diligit, dulciter amplectitur: illique copulata eſt corde, quē totis viſceribus concupiuit. Diu verò ei non datur taliter permanere: vnde ſibi derelicta, & ad ſe rediens, aut de mandato ſponſi, ſeu ex incumbente proximorum cura, compellitur ad exteriores egredi actiones, & vacare proximis, & animarum exercere lucra: quæ omnia intolerabilia forent amanti, niſi hoc ſponſo placere te-
cognoſceret. Occupationibus nanque ſubiecta Rom. 8.
eſt non volens, ſed propter eum, qui eam ſubiecit, in ſpe: interiori tamen impletur exultatione reminiſcens quia & ipſa quandoque liberabitur ab omni ſeruitute actionis, & corruptionis, quū tranſierit in libertatem angelorum Dei, & electorum ſanctorum. Tunc plenè transformabitur in ipſum, quem diligit, & diuinis intenta laudibus æterno ſaginabitur conuiuio. Exhilarata enim ex ſpecioſiſsimo dilecti aſpectu, & beatorū conſortio tota lęta, tota dulcedine inebriata, per latiſsimas Hieruſalem plateas diſcurrens, & tripudians alleluya cantabit. Interim verò ſpe nutritur, promiſsionibus ſuſtentatur, & ſubarratur quadam prælibatione futurorum bonorum, quatenus ei ſit tolerabilis huius ærumnoſi exilij incolatus, & corporeæ molis grauis ſarcina tāquā ſpirituali & ardenter amanti, ſpiritualibus roboratur & reficitur alimonijs. Nemo igitur audeat apprehendere hunc ſummum amoris gradum, niſi prius vt animalis humanam diu meditatus fuerit Chriſti cōuerſationem: & vt rationalis animi Chriſti agnouerit ex parte perfectionem. Qui enim in paruis negligens eſt, ſublimium donorum omnino indignum ſe facit; at qui in paruis fidelis exiſtit, ſpiritualium ditabitur multitudine gratiarum. Propterea, ò nouus Chriſti tyro, ò tu qui ſeculo renunciaſti, & Deo vacare prudenter elegiſti, in tuæ primordio conuerſionis in meditationibus te exerce. Relinque parum per exteriora negocia, teque totum redde tibi, quatenus valeas guſtare in te, quàm ſuauis eſt dominus. Contra antiquas tuas malas conſuetudines decerta, & animi tui fluctuoſitatem contēde recondere in te, imò in Chriſto, ſedulò meditando quæ innocens, & mitiſsimus dominus pertulit pro te. Hæc verò non ab ore, non recedant à corde, quia in ipſis reperies ingentes theſauros,

ros,

Google

ros, & ſuauiſsimum deuotionis liquorem, per quem lapſi eriguntur, refouentur debiles, reſtaurantur caſuri, lætificantur triſtes, animantur pugnantes, quieſcentes paſcuntur: & omnium fidelium mentes immutantur in melius. Caue autẽ ſummoperè, ne ab hac ſimplici meditatione frãgaris. Duobus quippe modis ſolet humani generis inimicus tibi inuidens: ſanctis tuis ſtudiis aduerſari: vt tuæ præripiat meritum ſanctitatis. Primo nanque conatur mentis tuæ domicilium variis exagitare tentationibus, aut hebetudine obnubilare: quatenus ex his impulſionibus tuo perturbatus animo nequeas cogitare quod prius quietus meditando dulciter guſtare conſueueras: ac per hoc affectus tædio vſum, actumque deſeras meditandi. Hac machinatione aduerſarii, qua plurimi proſtrati fuere: arbitrantes ſe magis placere Deo, ſi lectionibus, vel operibus manuũ occupentur, quàm ſi reluctantes contra ſeipſos, mentis ſuæ ſterilitatem meditando, & orando

Rom. 8.

abigere contendant. Horum deceptoria deliberatio prorſus ab orationis placida tranquillitate eos abſtrahens, in turbulento mari diuerſarum inutilium cogitationũ naufragare coegit. Quod ſi hac nil ſe viderit arte proficere verſutus hoſtis, ſimplicitatem ſtudet irridere meditantis: & hoc meditationis ſanctum opus tuum, nouitiorũ aſſerit eſſe principia: verecundumque fore ſuggerit, vt poſt diuturnam in via Dei conuerſationẽ nouitiorum debeas exercitia ſectari. Iſta ſuadet inuentor malorum diabolus, vt hac palliata decipula ſeductus ſubtiliora & magis profunda quæras, quàm tibi conueniant: in quibus nihil proficias: imò tua merito elatione proſtratus amittas quod dulciter, vtiliterque tenebas. His itaque edoctus paginis, ò noue Chriſti miles, qui cupis Deo feliciter inhærere, vide ne vllo modo à conſueto meditandi frangaris modo. Non hebetudo mentis, non tentationum infeſtatio, nõ inimici qualiſcunque ſuggeſtio à conſuetudine diuellat meditandi. Si enim memoratas conſtãter ſuperaueris tentationes, tanquam triumphator egregius in latiſsimæ orationis campum miſericorditer proueheris.

Quòd magni periculi ſit officium præſidentium: & quod ſolerter conſiderare debent qualiter circa vnumquenque ſe habere oporteat: & qua via ſibi commiſſos ad perfectionem dirigant nec non quòd multa ſint merita illorum, qui vtiliter præſint.

Cap. IX.

HAbent hoc proprium, qui medicinę arti inſeruiunt, & corporum morituror um moliũtur parare remedia, vt quũ cœperint viſitare ægrotũ, mox ipſius morbi cauſam, originem, naturamque indagare non deſinant: quatenus habita horum, quæ prętacta ſunt agnitione, valeant opportuna languenti irrogare ſubſidia. Nam difficulter quod ignoratur, curatur malum. Hac nimirum prudentia, hoc medicandi ingenio pollere debent, qui animarum profectibus deputati ſunt: & qui nouitiorum introducẽdorum in viam Dei funguntur officio. Primo, & præ omnibus ſtudeant naturas, mores ac ſingulorum ſibi commiſſorum deſideria diligenter agnoſcere, vt poſtea vnicuique poſſint congrua inferre antidota. Nõ enim omnia vno medicaminis genere ſanantur corpora, neque cunctæ animæ pari inſtitutione purgantur. Propterea inæquali modo ſicut expedire cenſetur dirigendæ ſunt, vt in virtutibus creſcant. Ideo grauiter errauerunt, qui in dirigendis animabus ducatum habentes, in hac diſcretionis regula eſſe neglexerunt. Perſæpe ex admonitione inexperti ducis, in baratrũ deductus eſt ſubditus deſperationis. Nonnunquam etiam ex imprudentia paſtoris ii qui ad ſummam virtutum arcem, & perfectionis faſtigium facilè conſcendiſſent, euanuerunt nil de fuga proficientes, conuerſatione: & quod deterius eſt, à ſancto propoſito reſiliunt. Terra etenim, quæ ſagaci excolitur agricultoris manu, vberem producit ex ſe fructũ. Si autem hæc eadem negligenti tradatur ac neſcienti operario, repente vrticis repletur & vepribus. Qui legit, intelligat. Proinde onus graue & valde formidabile eſſe comprobatur animarũ regimen. Sed heu hodie à multis deſideratur, quæritur, emitur, & abſque timore obtinetur: quia quale ſit, ignoratur. Attendunt huiuſmodi præſentia, nec futura proſpiciunt. Magni exiſtimant, ſi præponantur cæteris, ſi aliis imperent, ſi honoribus extollantur. Gaudent iuxta domini Mat. 23. ſententiam vocari ab hominibus rabbi, & à ſubditis vt patres venerari. Attendunt quid æſtimẽtur, non quid ſint: nec conſiderant ipſi elatione tumidi, mente cæcati, intẽtione corrupti, & moribus perditi, quàm ſit breue ipſorum gaudium, quàm formidabilis ſtatus, quàm fugitiui honores. Nam tanquam ſomnium ſurgentium de ſtratu eſt vita hæc, & omnis illius delectatio ad inſtar puncti. Labitur enim quũ tenetur, amittitur quum poſsidetur. Nihil in ea ſtabile, nil mundũ, nil ſecurum, nihilque æſtimatione dignum. Quo autem dulcius tenetur, eo durius ac laborioſius relinquitur: & quanto quis in ea ſublimior fuerit, tanto maiora ab eodem exigentur. Teſte nanque ſcriptura. Iudicium duriſsimum fiet iis, qui Sap. 6. præſunt. Venient quippe, venient dies, quando dominus Ieſus viuorum iudex & mortuorum à ſingulis ſuorum inquiret minutiſsimam rationẽ donorum. Vnuſquiſque nanque pro ſe redditurus eſt rationem: prælati verò pro ſeipſis, & pro commiſſis reſpondere cogentur. Si autem pro ſe vix reperitur, qui ſatisfacere valeat: quomodo qui præſunt, pro ſe & pro multis: Stabunt omnes,

nes,

Digitized by Google

nes: præcipuè tamen animarũ duces ante Chriſti tribunal:& ibi de operibus, de omiſsionibus, de verbis, de cogitationibus, de intentionibus, de affectibuſque fiet interrogatio vniuerſalis. A paſtoribus autem exigetur ſi doctrina, exẽplis, & ſolicitudine lucra quæſierunt animarũ. Nam à Deo ideo præpoſiti ſunt, vt ſubiectorum inſiſtant profectibus:& emẽdatiores reddant Chriſto, quos acceperunt ab ipſo. Propterea meritò pœnas luent pro negligentijs, & pro ſubditorũ delictis, ſi diſsimulaſſe, ſi tacuiſſe, ſi non clamaſſe, aut non oraſſe fuerint deprehẽſi. Si qua verò ouicula ex ipſorum errauerit perieritque incuria tunc ipſius ſanguis de eorũ extorquebitur manu. Proinde debent ſine interuallo admonere verbis, redarguere increpationibus, ac terrere minis: quatenus omnes ſub loris diuini timoris coerceant, & quantum in ipſis eſt cũctos ſaluificent. Vniuerſis quoque, vt ſint ſpeculum ſanctitatis, virtutis exemplum, & morũ forma, neceſſe eſt. Nec tamen deſiſtere debent, quin domino aſsiſtant in oratione, & lacrymis humilibus, ac deuotis ſupplicationibus Dei exorent clemẽtiam, vt ipſis ſapientiam tribuat, & prudentiam ad bene gubernandum commiſſos. Subditis autem gratiam obediendi, & tolerantiam perſeuerandi. Hoc totum agant, quatenus quod deeſt ipſorum miniſterio, diuino conferatur auxilio, nec exaudiri dubitent. Nã exaudibiles prorſus ſunt præſidentium preces, illorum maximè, qui Dei gloriam, & ſibi commiſſorum vtilitates quærunt. Vnde prece, prudentiaque animarum rectores vigilent ſuper gregem ſuum, atque aſſidue cogitent qualem patri familias de ſua villicatione exhibeant rationem. Quod tunc aptius fit, quum ſolerter ipſi attendunt mores, & ſibi commiſſorũ inclinationes ad bonũ, atque pro quali exercitio illis Deus gratiam largiorem conferre dignatur. Diuina.n.ſapientia, ſummaq; bonitas nõ vniformiter operatur in oĩbus, ſed in alio quidẽ ſic, in alio aũt ſic. Opus quippe ſuum ipſe prænoſcẽs, vtpote optimus artifex cuique impertit ſuorum qualitatem donorum, & vnumquenque dirigit, veluti expedire diiudicat. Ideoque diuerſos in eccleſiæ corpore ordinauit ſtatus, quatenus congruentem ſibi quiſque reperire valeat vitam. Diſtinxit etiam exercitia laudabilia, in quibus humana fragilitas huius ſeculi naufragoſum poſsit incolumis peruadere pelagus. Pater namque cùm ſit omnium Deus, cunctorum ſalutem miſericorditer prouidens gratiam & naturam diſponit ſingulis ſaluti proficuam. Propterea illuminatæ oculo prudentiæ, non quòd ſibi libeat, ſed quòd Deo placere, ipſumque operari cognouerit, prouidè debet indagare prælatus in ſubdito. Vnde ſi quem viderit orationis guſtu viſitari à Chriſto, atque in ea exultatione humili, ſeu vera compunctione perfundi, hunc & ipſe hortetur vacare Deo & orare modum tempuſque illi tribuere nõ negligat. Si verò alium perſpexerit in cellula ſibiipſi vtiliter vacare, hunc nequaquam compellat cõuerſari in publico, niſi fortè neceſsitatis cauſa, aut maxima vtilitate ſecutura, ne gratiam quam inuenit in cella, amittat in foro. Si autem quempiam intuebitur: nec per orationis ſtudium, neque per quietis ſilentiũ proficere, & in Deum eleuari, ſed pacem in anima, refrigerium in tentationibus, bonum in corpore, tranquillitatem in conſcientia, per manuũ operationem abundanter guſtare, hunc cum humanitate dulci, & prudentia ordinata exerceat, illique iniungat quod iudicabit opus competere. Sicque in ſingulis ſe habeat prælatus tanquã nutrix in puerum, quæ ſolicitè vigilat ſuper infantem, nunc ab eodem amouendo noxia, nunc ſuadendo vtilia, nunc neceſſaria cõferendo. Beatus ſeruus, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, & nil prætermittit eorum, quę ſubditis proficua ſunt, quoniam veluti præfulgens gemma in Dei templo collocabitur, iuxta quod ſcriptum eſt, Qui ad iuſtitiam erudiunt multos, ſicut ſtellę in perpetuas fulgebũt æternitates. Nihil enim tam charum, atque tam gratum Deo offertur munus, quàm anima à ſordibus libera vitiorum, & virtutum profectibus decorata. Pro animabus ſaluandis, fœcundandis, atque glorificandis ipſe mundi conditor carnem aſſumpſit, carnis conuicia, paſsioneſque ſuſtinuit. Propterea Dei ſui eximius imitator eſt, qui paſtoris veri fungens officio, animas quas vitiorum labefædatas amiſit de ſeculo, ſpiritualium ſtudiorum dealbatas lauacro laborat largiri Deo. Hic corona redimitus immortalitatis inter choros angelorum magnificè ſublimabitur. Negligens verò paſtor, & ſola temporalia concupiſcens, ſua quærens, & ſubditorum commoda paruipendens, vti fętidum cadauer in profundũ demergetur abyſſi. Ibi cum tenebrarum principe vltricibus traditus flammis, æternis damnabitur cruciatibus. Diuina enim iuſtitia ſicut nouit ſtrenuos remunerare operatores, ita non prætermittit, quin grauiter puniat gratiæ contemptores. Studeant autem magnoperè Chriſti ouium præpoſiti ſibi cõmiſſos ſpiritualibus (ſi capaces exiſtunt) coaptare diſciplinis, quatenus ex his purgatiores efficiantur, & Deo per orationis ſtudium, & amoris deſiderium propinquiores. Quod ſi talibus nequaquam habilitantur deuotionum affectibus, tunc eis foris per corporale opus ſuadeant occupari. Meminerint tamen nunquam quenquã ita permittere ſpirituali intendere ocio, vt penitus certis horis nil operetur manibus, aut in cella, aut extra cellam. Neque ſic aliquem patiantur ſe exercere exterius, vt non interdũ orationi vacet. Plus autem actioni, quàm ocio frequentent operarium, & amplius orationi quàm operi manuũ ſolici-

Mat. 24.

Dan. 12.

ſolicitent deuotum. Sciat quippe paſtoris prudentia ſingulis impertiri, quod cuique magis proficuum eſt, alioquin non ſine ſuo præterit dãno, Curet quoque ſolerter qui præſidet, æqua diſcretionis lance, & non propria affectione, vel paſſione ſingulorum diiudicare itinera. Accidit nanque perſæpe, vt minus purgata rectoris mẽs dirigere conetur ſubditos, prout ſibiipſi libuerit, vel ſicut ex propria cognouerit experientia mẽti ſuæ eſſe conformes, atque parui fore meriti arbitretur, quiſquis ab eo, quod ipſe aut viuendo, aut loquendo commendauerit, diſſentit. Sola, quæ iuxta proprium ſunt appetitum laudat, cętera verò nunc diſſuadendo, nunc detrahendo deprimere molitur. Hoc omnino non expedit, ſed ſingula in ſingulis Dei extollenda ſunt dona, quæ quamuis contraria eſſe videantur, vno tamen laudabilis intentionis conſenſu, & in Deum tendunt, & Deum pariter magnificare noſcuntur. Propterea debet qui præeſt, ne in has errorum decidat foueas, ſibique commiſſos trahat, mentem habere à paſſionibus liberam, & ſupernæ ſplendore ſapientiæ decoratam, atq; fraternæ compaſſionis affectu perfuſam. Cuncta, quæ agit, prudentiæ lumine ſemper conſpiciat, prius ſe videat, ſe diſcutiat, quàm aliorum proferat ſententiam, & ſua potius quàm aliorum ſtudeat emendare delicta. Animi conſtantiam ſeruet, ne reprehenſibiliter exeat extra ſe. Corripiẽdos vt pater arguat, in inobedientes verborum inuehatur aſperitate, intus nihilominus ſeruata pietate. Mitibus & humilibus ſe tractabilẽ, & benignum reddat, atque tanquam æqualem ſe illis faciat, ſeruato tamen modo & tempore. Diſcretionis & ſapientiæ polleat cognitione, ne ipſius neſcientia ſubditis pernicioſa ſit. Sic viuat, vt ipſo tacente ſua loquantur opera. Nihil indiſciplinatum, nihil (ſi poſſibile eſt) in eo appareat vitioſum. Tunc ſuam, tunc ſuorum operatur ſalutem, quum cuncta, quæ agit, ſubditis proponit in vtilitatis exemplum. Vt autem vtiliter præſit, reformet ſe in ſubdito ſana & ſalubri conſideratione, ne ſegnius ſubditi, quam proprium concupiſcat profectum. Re nanque vera omne bonum ſibi cõmiſſi vti proprium arbitrari de-
Prou. 17. bet. Gloria enim patris eſt filius ſapiens, & diſci-
Matt. 7. puli diſciplina declarat magiſtri ſufficientiam. Nam qualis arbor, tales ipſius fructus ſunt, & qualis ſit homo in ſe opera manifeſtant. Quis Deo gratior ſit an præſidens, an obediens, ignoratur. Neque gradus meliorem, neque abiectio efficit viliorem. Nec merita efferunt, nec demerita quenquam deijciunt. Horum nanque certa in die Domini habebitur ſcientia. Nunc verò cuncta in latibulo ſunt, ne quis ſe extollat, ne proximis calumniam inferat. Nulli quanti ſit meriti
1. Tim. 6. notum eſt. Soli Deo claret cuiuſcunque cor, qui lucem habitat inacceſſibilem, cui omnia nuda, & aperta conſiſtunt. In die etenim magno aperientur libri, opera manifeſtabuntur, detegẽtur intentiones, cogitationes cognoſcentur, & qualis quiſq; fuerit in ſe, patebit ex meritis. Nõ erit latebræ locus, non tergiuerſandi tempus, non teſtis excuſans, non precium redimens, non adiutor protegens. Iudex proprius conſcientia propria erit. Euacuabitur principatus, & omnis auferetur poteſtas. Singulorum opera deducentur in medium, bonorum, malorumq; vnuſquiſque vices recipiet. Beatus, qui ſic viuit, vt ſecurè dormiat. Felix, qui Domino incorruptum tribuit, quod accepit à Domino. Dignus verò ſempiterna ſit gloria, qui non ſolum ſe, ſed etiam plurimos ſecum Chriſto proprijs laboribus gratia in ſe operante, lucratus eſt. Tantorum prorſus erit particeps meritorum, quantorum ſalutis extiterit cauſa. Hoc eſt propter quod honorabilis redditur præſidentium dignitas, hoc eſt, propter quod (ſi licet) appetenda eſt. Vt enim proſit, nõ vt præſit, deſiderare debet vir Dei. Exiguum nanque eſt hominis meritum, niſi profectib. cumuletur aliorum. Ideo verus paſtor ouium Chriſti, totis deſudet viribus, tum pro Dei gloria, tum pro ſubditorum vtilitate, tum etiam pro ſuo cõmodo, quatenus quos regit, diteſcant meritis, virtutibus creſcant, & quotidie mentis ſpiritu renouentur. Hæc quippe agens ſedulò animam ſuam liberat à periculo, & illã cęlo habilitat, atq; pro ſuorum ſalute filiorum ipſam cœleſti militiæ cõmendabilem reddit. Propter hoc conuerſis aiebat Apoſtolus, Nonne vos eſtis gloria mea ante
Dominum? Agit enim Dei clementia in electis 1 Cor. 9.
ſuis hoc, vt tot fulgeãt gaudiorum meritis, quot pro ipſorum doctrinis reperti fuerint ſaluati. Non igitur renuant prælati infatigabiliter pro ſaluandis laborare, ſcientes, quia duplici fulgebunt ſtola, quicunque pro commiſſo ſibi grege humiliter, ac perſeueranter pati non recuſauerint.

Quòd cunctis Deo famulantibus prudentiæ virtus præcipuè ſit neceſſaria, per quam ſingulis horis proprias debent diuidere actiones. Et quid cuilibet operi competit, vt perfectum ſit, atque circa quæ Chriſti ſerui mentis ſuæ principaliter dirigere debeant intentionem. Cap. X.

OMnes prouinciarum duces, ciuitatumque rectores quo prudentiores ſunt, eo populum ſibi commiſſum ordinatius regunt. Nam ad hoc pręcipuè intendunt, vt ſingulis illas iniungant actiones, & officia diuidant, quæ ſufficientiæ ipſorum norint congruere. Condunt nihilominus leges, ſtatuta ordinant, iura proponunt, ne quid aut incuria, aut præſidentium ignorantia incompoſitum confuſumve remaneat. Nam vbi ordo non eſt, ibi tumultus, rixaque mox ſequitur. Econtrario certũ eſt, quòd moderati prouida diſpoſitione regimi-

-nis cuncta ſuccedunt proſpere, & debito clauduntur fine. Hoc in naturæ operibus luculenter apparet, quæ nequaquam vllo caſu, vlloq; euentu conditoris legem ſibi iniunctam, vel in minimo prætergreſſæ ſunt. Præceptum illis ſummus impoſuit artifex, quod à ſuæ conſtitutionis primordio irrefragabiliter cuſtodiuit. Vnaquæque etiam vrbs & quantulacunque domus ne confundatur, & deficiat, neceſſe eſt, vt moderamine componatur. Quod ſi in humanis & corporalibus rebus ordo omnino expedit, vt ſeruentur, ne confuſione deficiant, quāto magis in ſpiritualibus habendus eſt? Vbi enim maior incumbit iactura, ibi ſolicitiorem congruit diligentiam adhibere. Quid verò precioſius, qui charius æſtimari valet, quàm regnum cœleſte, & gloria paradiſi? Quid autem ardentius concupiſci poteſt, & prudentius inquiri, quàm angelorum cōſortium, & ſupernorum ciuium iucunda ſocietas? Hæc omnia ſimul amittit, quicunque gratia
2. Cor. 4. Dei ſuis demeritis ſe facit indignum. Poſſidentes igitur Chriſti ſerui immenſum theſaurum in fictilibus vaſis reconditum, præcipua tamen diligentia in ſe vigilare non deſinant, ne illo priuentur. Omne à ſe amoueant virtutis obſtaculum, omneque peccati blandimentum, vt illud ſecurius cuſtodire queant. Semel nanque ſi perditur, aut vix, aut nunquam recuperatur. Non prece, non precio, non cuiuſcunque fauore humano redimi valet. Solo diuino ex munere cœleſtis redonatur gratia, quæ hominis malitia propulſatur & amittitur. Ne itaque hoc ſingulari ſupernæ gratiæ deprædentur dono, ſub obedientiæ iugo, & præſidentis imperio infatigabiliter ſubſternant ſe, quotquot Chriſto militare in ſtadio monaſticæ conuerſationis elegerunt, ſeque circunquaque muniant prudentiæ virtute, ne quid in ipſis inordinatū prætereat. Quod enim inconſultè agitur, vix vacat à culpa, qui verò inconſultè viuit, lapſui propinquus fit. Conſpicimus quippe ducibus bellatorum, exercitibuſque eorum maximam eſſe fugæ vel exitij cauſam, quum inire certamen cœperint, ſi non prius parent arma, acies diſponant, inſidias meditentur, cunctumq; ita exercitum ordinent, vt nulli ignotum ſit, quando & ex qua debeat parte certare. Confuſa nanque & inordinata turba facilè proſternitur & diſsipatur. Nec minus in collegijs Deo dicatis, & in vnaquaque mente caſus, & ruina formidanda eſt, ſi prouidentia deſit. Proinde debent animarum rectores prudentiæ oculo ſuper ſibi commiſſum vigilare gregem, ne à recto exorbitent itinere. Debent quoque ſubditi non minus ſuper ſeipſos attendere. Nam plerunque ex obliuione, aut negligentia, vel alia qualicunque cauſa quædam omittuntur ordinanda à præſidente & rectore, quæ vt diſponantur à ſubdito, omnino expedit. Cuncta quippe à paſtoribus nequeunt imperari, ſicq; congruit, vt quod prætermittitur à præpoſito, reformetur à ſubdito. Singuli itaque Deo famulantes ſtudeant proprias interioris & exterioris hominis loco & tēpore dirigere actiones, ne anteponenda poſtponant, & agenda prætereant, quia frequenter ſeductoria perſuaſione decipiuntur, qui abſque ſedula diſcuſsione in via Dei pergere aſſueſcūt. Maximi proculdubio periculi res eſt, prout ſuggerit animus velle degere. Propterea cunctis conſulendum eſt, vt taliter vnumquodque diſponant opus, quatenus quælibet hora propriā habeat actionem. Sciant quando orationi, quando lectioni, quando operi manuum incumbendum ſit, ne acidiæ ſpiritu in mentis dubietatem, vel hebetudinem euecti, tempus ſuum inaniter conſumant. Sēper ſtudeant potiora opera quietiori, & congruōtiori tempore coaptare. O quoties immundorum ſpirituum ridiculum efficiuntur imprudentes? O quantis ſpiritualibus deprædantur profectibus ij, qui ſpreto mentis conſilio ſuis inſeruiunt voluptatibus? Quàm ſæpè lectioni vacant quum orare deberent, orationi inſiſtūt quū liceret operari, ac per hoc torpore depreſſi, fraudeque decepti cuiuſcunque operis debito priuantur fructu; inſipientia ipſorū hoc perpetrante. Non ſic verò qui pollent prudentia, & qui cœleſtem magnipendentes gratiam; cœlorū regna ſagaciter diripere moliuntur. Suo etenim tempore orant, ſuo tempore legunt, ſuo tempore manibus operantur. Singula ſingulis peragūt horis, nec penes ipſos quicquam inordinatum prætermittitur. Et quoniam cuncta ſtatutis perficiunt temporibus, ideo proficiunt, vitamque ſuam ſine tædio deducunt, atque quum ſemper anhelo ſitiant operandi deſiderio, ad anteriora procedere, ſolicite perficere ſatagunt, quæ tenent præ manibus. Re nanque vera charitas, quę illorum compleuit corda, eos nequaquam quieſcere ſinit. Dei quippe amor, qui acidiæ inimicatur, operatorius ſemper eſt. Ideo nec laboribus fatigatur, nec tædio frangitur, nec exercitijs minoratur. Vbique hilaris, vbique iucundus eſt, & quantum vigeat in corde, patefacit ex opere. Zelatores itaq; charitatis, & virtutum æmulatores ſic ſua diſponunt negocia, ſic diei ſpatiū metiuntur, vt cuncta alacri faciant animo, nō ex conſuetudine, neq; ex neceſſitate, aut ex triſticia. Quæq; etenim res, quæq; operatio, vt Deo placeat, & virtuoſe fiat, habere debet in ſe tempus, & modum, & intentionem. Si autem aliquo horum caret, imperfecta eſt, nec ad plenum diuinis ſplendet obtutibus. Beatus, qui hæc diiudicat. Sine ſpeciali nanque ſapientiæ dono nequit hoc fieri, ſed neque abſque his ad perfectionem attingi poteſt. Libra enim perfectionis eſt prudētia ordinans omnia. Fons aūt prudentiæ eſt cordis munditia. Munditiam cordis gignit oratio,

oratio-

orationem verò ſancta ornat & nutrit charitas, Charitas quoque quum ſit abyſſus indeficiens, riuus defluens, paradiſus affluens, lumen irradians, cibus replens, ſatietas fouens, exultatio eleuans, vinculum vniens, amor liquefaciens, guſtus inebrians, ſicut ordinatur à Deo, ita cunctas ad eum dirigit actiones, intentiones, & affectiones, quæ quanto purius exercentur, tanto vehementius ipſam, de qua prodeunt, augent charitatem. Viciſsim namq; ſibi famulantur, & perfectio operis, & effectio charitatis. Ideo amici Dei, & Chriſto in congregationibus ſeruientes charitatis affectum concipere, & nutrire debēt, vt expeditius ad perfectionis metas attingere valeant. Cuius celſitudinis dignitatem eo celerius apprehendent, quo prudentius ſua ſpiritualia, & temporalia negocia congruis temporibus, modis, & intentionibus diſponent. Omnes igitur Chriſti ſerui, cuncti Deo placere cupientes, primordia diei & actionum conentur conſecrare altiſsimo, quatenus cætera ſecutura opera à ſuo non declinēt principio. Vnde mox vt à ſomno euigilant, ſemper cor ſurſum erigere contendant. Prima vox, prima cogitatio, primus affectus diuinam reſonet laudem, ignitam ad Deum dirigat ſupplicationem, & illi ſe ſyncero corde committat, qui valet potenter de imminentibus periculis liberare. Mundiſſimo nanque Domino mundiſſimum debet offerri ſacrificium, non terrenis fœdatum cogitationibus, nec obſcęnis imaginationibus coinquinatum. De ſtratu quoque, quo iacent, tanquam de vinculis diri carceris ardenter, properẽq; ſe excutiat, vt veluti ſtrenui milites ad bella proceſſuri, crucis ſignaculo frontem, os, pectuſq; ſuum muniant. Circa duo potiſſimum adimplenda ſe præparent Deo amabilia, & ſaluti omnino humanæ neceſſaria, videlicet ad perſoluendas diuinas laudes, & ad exercenda ſpiritualia Domini prælia. Hæc nempe ſeruorum Dei propria ſunt exercitia, hæc illorum, qui Chriſto famulantur, ſunt ſtudia, in quibus toto ſe debent occupare deſiderio. Nam in his cōprobatur charitas, virtus dignoſcitur, gratitudo commendatur, augetur meritum, cumulatur gratia, victoria acquiritur, & gloria corona fidelibus condonatur. Vere etenim nil congruentius, quàm Dei concupiſcitur laus. Propterea qui in ſenſu cordis Domino militant, nullam in cunctis, quæ agūt, priuatam quærunt laudem, nulloſq; de ſuis actibus humanæ æſtimationis volunt fructus. Solam ſui conditoris appetūt laudem, ſolam Dei gloriam de ſuis laborib. expectant mercedem. Magnum putant conſequi pietatis lucrum, ſi in ſe, & per ſe Deum ſuum efficiunt laudabilem. Non tamen hoc contenti voto, vt opere perficiant quod gerūt in corde, ſuæ mentis intentionem vigilanter extendunt, tam ad vitiorum extinctionem, quàm ad virtutum perfectionem obtinendam. Ex qua re ſæuam aduerſum ſe concitant inimicorum rabiem, qui nullam legitime certantibus præbentes requiē, ſuis eos cogunt importunitatibus à mentis cuſtodia, & ab animi rigore nō relaxare ſpiritum. Nam ſtrenuo militi, & feruenter dimicanti, nūquam immundorum ſpirituum deſunt certamina. Impugnatur & repugnat, inſidias patitur & orat, tentationum iaculis impetitur, nec ſuccumbit, atque in his poſitus colluctationibus diuino ſentiens ſe roboratum ſuffragio, ad reſiſtendum hoſtibus ſemper inſurgit ardentius. Certa nanque intelligit definitione, quòd triumphus ex ſpirituali proueniens conflictu, Deo gloriam, & victori perpetuam confert palmam. Vnde diuinæ laudis accenſus deſiderio, & cœleſtis patriæ prouocatus gaudijs, quantum profectibus quotidianis attollitur, tantum dęmonum infeſtationibus acrius vrgetur.

Quòd ſemper diabolus humano generi aduerſatus eſt, & potiſſimum poſt aduentum Chriſti fidelium populum triplici tentationum inſęcutus eſt ſpecie, & confuſus per gratiam Chriſti, Atque de multiplici tentationum vtilitate, & de multimoda exhortatione ad tolerantiam tentationum. Cap. XI.

IN vniuerſo terrarum orbe diaboli ſuadente malitia hoc ſpirituale inoleuit vitium, vt quāto quis amplius temporalibus floret honoribus, pecunijs diteſcit, proſperitatum ſucceſsibus pollet, hominumque opinione extollitur, tanto plures fęlicitatis ſuæ æmulos patiatur. In quo nāque corde abeſt charitas, inuidiæ liuor facile reperitur. Hęc etenim eſt antiqua peſtis, hic eſt deteſtabilis morbus, qui ab ipſo diabolo traxit originem, per quem etiam in hoc exilium ærumnis plenum mors introiuit. Mox quippe vt ipſe antiquus hoſtis ruit, inuidere cępit homini ſtāti, nec paſſus eſt eundem aſcendere, vnde ipſe peccando expulſus fuit, neque ſuſtinuit, vt gratia, quam ipſe amiſerat, in humanū diffunderetur genus. Hac de cauſa primo inuidens homini, & ſuarum ſucceſſorem ſedium videre non patiens, callida machinatus eſt arte, vt ipſum tanto priuaret bono. Nec à ſuo letali, quod meditatus eſt, fraudatus eſt deſiderio. Nā fraudulenter, & verſute ſuadens falſum pro verò, hamūq; ſub eſca tegens, captiuum ſibi fecit hominem, quem ſuæ gloriæ futurum non ignorabat poſſeſſorem. Hac autem obtenta victoria in malitia aduerſarius roboratus, hoc triūpho in ſuperbiā euectus, omni Adæ poſteritati, cunctiſq; mortalibus factus eſt inimicus. Singulas enim generationes inſecutus eſt, nec fuit aliquando, qui illius tyrannidem poſſet euadere, nullūmque ſuarum tentationum permiſit eſſe exortem. In omnibus pariter propriæ intorſit malitiæ iacula, quantum deſuper Matt. 4.
permiſſus eſt. Ipſum quoque Dei Filium Domi-

num Ieſum ſuis ſuaſionibus aggredi veritus nõ eſt, quem quum inſuperabilem perſenſiſſet, ad extinguendum nominis eius cultores tota ſe armauit conſtantia. Quum enim diſponeret omnes in Chriſtum credentes abolere, principum orbis aduerſus fideles concitauit animos, ipſo nihilominus intrinſecus perſequente. Hinc martyrum perſecutiones, carceres, vincula, flagella, tormentorum horrenda genera, & mortis violenta crudelitas effluxerunt. Ab eo diuerſarum hæreſum pernicioſa & cæca intelligentia, errorũ venena innumera, opinionumq; contentioſa loquacitas, ac ſchiſmatum elata cupiditas hauſerunt vires. Ab ipſo ſpiritualia certamina, infeſtationes, tentationes, & deceptiones multæ productæ ſunt. Sed meditata de fideliũ perditione diaboli malignitas confuſa eſt à Dei Verbo humana carne veſtito. Dei nanque ſapientia mira arte egit, vt debellaret ſuperbũ. Prius quippe per ſeipſam eundem proſtrauit antiquum hoſtem in deſerto, in ciuitate ſancta, in monte excelſo, in varijs perſecutionum & tentationum generibus in paſsione, in morte. In cunctis enim inſultibus ſemper glorioſiſsime triumphauit. Parum verò fuiſſet, ſi ſapientia malitiam, ſi creator ſuperaſſet creaturam. Voluit inſuper per fideles ſuos tunica mortalitatis circumamictos, immundi ſpiritus conterere audaciam, ſuamq. magnificare eccleſiam, atque vnumquenque credentem, & certantem iuxta pugnæ qualitatem facere glorioſum. Quis etenim explicare valet verbis celſitudinem martyrum, inclytosque illorum triumphos, qui pro immaculatę fidei confeſsione, & amore vnici & veri Dei ſe flammis dederunt, cruciatibus, & morti? Sanguine nanque ipſorum roborata eſt eccleſia, conuerſus mundus, fideles accenſi, fides aucta, & decoratum cęlũ. Impellebat enim diabolus miniſtros ſuos, terrarum principes, vt tormẽtorum atrocitate tam ſtrenuos proſterneret athletas & faceret illos negare Chriſtum, pro cuius confeſsione conſpiciebat eoſdem cęlos cõſcendere. Sed nequaquam præualuit eius truculenta ſeueritas. Quo enim amplius ſæuiebant perſecutores, eo magis credentium populus augebatur, fidei veritas propalabatur, & mundorũ malitia confundebatur. Triumphabat in his omnib. Chriſtus, & martyres coronabantur à Chriſto. De falſis verò dogmatibus, & hæreticorum verſutia quàm clarum veritatis emicuerit lumẽ, facile dignoſcitur. Sancti etenim patres ſupernę ſapientiæ ſcientiam habentes, tanquam honoris Dei, & ſalutis animarum zelatores veri, intuẽtes ex doloſa hæreticorum argumentatione ſimplicium mentes populorum in errorem trahi, diſputationibus & ſcriptis ſe illis oppoſuerunt, cui dentiſsimis rationibus eorum confutantes opiniones, deteſtandaque falſiloquia. Nec hoc ſolo contenti fuere. Nam pro futurorum munimento libros condiderunt innumeros, per quos irradiata fundatur eccleſia miro ſapientiæ fulgore, & ornata ſuauiſsimo eloquentiæ nectare, ita vt nullum erroris argumentum remanſiſſe noſcatur, quod non facillime conuincatur. Summa verò & inſcrutabili Dei prouidentia actum eſt, vt quemadmodum malitiæ inuentor diabolus catholicam fidem ſua voluit obtenebrare fallacia, ita Chriſtus, qui eſt Dei ſapientia, per ſanctos ſuos illam dilucidauerit doctores, eosque pro ipſorum remuneratione laborum, velut fulgentiſſimas ſtellas, in cœleſtibus collocauit ſedibus regnaturos per æuum. Nil autẽ profeciſſe ſe ſciens, ad alia ſe conuertit nocendi ingenia. Nihil enim ſuaſor malorum in martyres per gentium reges, nihil per falſos cernens præualuiſſe doctores, magnam ſe arbitratus eſt obtinere victoriam, ſi per ſeipſum aduerſus homines iniret conflictũ. Ignorabat tamen ipſe homicida malitia excæcatus, quod non contra homines, ſed contra Deũ haberet certamen. Merito itaque ſicut in prætactis inſultibus confuſus fuit, ita & in tertio. Non enim eſt fortitudo, neque conſilium contra Dominum. Quem ipſe ſaluare decreuerit, nemo poterit ſuperare, quem ipſe elegerit in ſe, nulla tribulatio, nulla hominum perſecutio, ſeu dæmonũ fraus proſternere poterit in finem. Sed quoniam quos prædeſtinauerit Deus, ignorat diabolus, cunctos ſuis non ceſſat ſagittis appetere, vt per mentis conſenſum ad illecebras trahat peccati. Propterea poſt varia errorum dogmata fidelium animos diuerſis ſuggeſtionum modis, pluribusque tentationum generibus concuſsit, afflixit, & penè proſtrauit. Nã pacis tempore facilè vincitur hoſtis. Concupiſcentias quippe carnis, & oculorum, nec non & huius vitæ gloriæ concupiſcẽntiam adeo vehementer concitauit in hominibus, vt ferè omne genus hominum in hac periclitaretur pugna. Vnde aduerſus huiuſcemodi dæmonum machinamenta debilitatas viri Dei ſuas ſentientes vires, inſpirati cęlitus de medio laqueorum innumerabilium, & cęnoſi ſeculi fugere decreuerunt. Prudenter nanque cognouerunt, quia letale eſt, & dementiæ ſignũ cohabitare cum latronibus, & homicidis. Hac de cauſa deſerta, quæ ſolummodo feris ſyluestribus habitabilia erant, hominibus repleta fuere, & ſqualentia loca, inuiaque tanquam Dei ciuitas, & caſtra Domini facta extiterunt. In quibus ſeruorum numeroſæ congregationes Dominũ Ieſum die noctuque laudantium commoratæ ſunt. Hoc denique exemplo inſtituta ſunt cænobia, & collegia Chriſto famulantia, quæ veluti fideliũ tutiſsima & munitiſsima caſtra orationibus, exhortationibus, & exemplis eos prouocant, protegunt, & defendunt ab incurſibus immundorum ſpirituum. In immenſum autem Chriſti operante virtute, ſuumque nomen magni-

Prou. 21.

Digitized by Google

magnificante, creuit talium militũ cœleſtis conuerſatio, ita vt per vniuerſum terrarum orbem diuina perſonet laus, & nullus ſit locus, prouincia, vel ciuitas, qui ſeruorum Chriſti refertus nõ ſit. Inter quos non mediocris eſt turba mulierũ continentium, virginumque. Cuius nanq; hæc magnifica ſunt opera, niſi tua o Domine Ieſu? qui ſplendore diuinitatis tuæ fugas tenebras, gratiam præſtas, proſternis ſuperbos, & exaltas humiles præſumentes de te. Vnde hodie tanta pax diffuſa eſt in eccleſia tua, & in cordib. fidelium te diligentium, niſi abs te Domine? Tu n. ſecularium principum tumentes animos ſub iugo tuæ ſanctæ fidei miſericorditer ſubijcis. Tu nempe dominaris poteſtati maris, & motum fluctuum eius tu mitigas. Tu o pie Domine Ieſu humiliaſti ſicut vulneratũ ſuperbũ diabolum, & in brachio virtutis tuæ diſperſiſti omnes inimicos noſtros. In multitudine verò gloriæ tuæ, & in delectatione dulcedinis tuæ, congregaſti diſperſos tuos electos in vnum, vt narrent mirabilia tua, & laudent, atque glorificent te, qui es refugium noſtrum, & virtus, necnõ adiutor in tribulationibus. Nam quamuis ſæuire callidos aduerſarios, & ſpirituales nequitias permittas ad tempus aduerſus nos, nequaquam illos finis præualere in finem. Ad eruditionem quippe & profectum noſtrum hoc facis o Domine Sabaoth. Proinde ignorantia pleni grauiter errant, & in animas ſuas peccant, qui audent murmurare cõtra te totius bonitatis æternum fontem, quia illos permittis diuerſimode ab angelis Satanæ impugnari. Alieni nanque quum ſint à guſtu æternæ ſapientiæ tuæ, & non percipere valentes inſcrutabilem altitudinem iudiciorum tuorũ, opera tua ſecundum carnis ſenſum iudicare nõ ceſſant. Sed tu, ò ſecretorum cognitor, & cunctorum creator, qui omnia in ſapientia feciſti, abſcondiſti horum ſcientiam à ſapientibus, & prudentibus huius ſeculi, & reuelaſti illam paruulis mundis corde, & de te in bonitate ſentientibus. Non enim poteſt humanum cor peccatorum tenebris inuolutum, arcana tuæ penetrare diſpenſationis, atque iudiciorum tuorum rimari ſecreta. Cui vis aperis ò Domine, & cui non aperis, proculdubio ille in ſua cæcitate perſeuerat. Nõ igitur operum tuorum latentes rationes iudicare præſumat hominum ignara temeritas, ſed pro na quod non intelligit, veneretur mente, pulſet humiliter, vt ſibi aperiatur. Agnoſcat ſe nihil poſſe abſque te. Ideo proſternat ſui paruitatem intellectus ſub te, qui es fons ſapientiæ in excelſis, de quo hauriunt non ſolum omnes, qui ſanè ſapiunt, & peregrinantur à te, ſed etiam omniũ cęleſtium ſpirituum beata agmina. Hi etenim, Domine, à verbo veritatis, & ſplendore tuæ ſapientiæ irradiantur perſpicue, atque delectabiliter inebriantur ab vbertate domus, & à torrente voluptatis tuæ ſempiternæ. Nam quicquid ſapiunt, percipiunt à te in te. Confitẽdum eſt itaque (ò ſumma bonitas) quod omnia, quæcunq; facis nobis, in vero agis iudicio ſiue deprimendo, ſiue exaltando. Non enim vt hominum, ita ſunt opera tua, neque ſicut illi vident, ita & tu. Quin potius iuxta propheticam ſententiam, Sicut exaltantur cęli à terra, ſic exaltatæ ſunt viæ tuæ à viis noſtris, & cogitationes tuæ à cogitationibus noſtris. Cuncta quippe tua ſapientia metiris. Ante enim quàm fiant, quæ futura ſunt, in te ordinata, & à te præcognita ſunt. Si Domine nec folium arboris abſque tuo cadit nutu, quanto minus credendum eſt, quòd tentationes tuis eueniant fidelibus præter te, quibus cęleſtẽ promiſiſti hæreditatem? Quod ſi (o pie plaſmator) iniquis & ſceleſtis prouidentiæ tuæ gubernacula non ſubtrahis, quis audeat aſſerere amicorum tuorum te curam negligere, qui ſua: & ſe ipſos dederunt propter te? Electos etenim tuos quum varijs tentationibus agitari permittis, tenerrime diligis, & tanquam verus pater in ipſis optime complaces, & illorum ſalutem dulciter operaris. Tu (Domine) per Apoſtolum tuum dixiſti, Ego quos amo, arguo, & caſtigo. Multiplices nanque vtilitates ex tuis proueniunt flagellis, atque diuerſimode proficiunt, qui flagellantur à te, ſi tamen humiliter, ſi æquanimiter ſuſtineant. Fateor audacter ò Rex cœlorum, quòd omnino tuis non congruit electis ſine diſciplina correctionis in hac viuere peregrinatione. Ideo redeant ad ſe, qui te agente, aut permittente affliguntur, & præterita non prætermittãt cogitare tempora. Iuſtitiæ enim tuæ operibus bonis mercedem, iniquis verò condignam conuenit reddere retributionem, quod aut in præſenti aut in futuro expedit vt fiat ſeculo. Quis autem diligenter conſiderans quanta aduerſum te cõmiſit delicta, & quàm grauia pro his paſſurus eſt tormenta, non gaudebit, quum intelliget in temporalem te æternam commutaſſe ſententiã, atq; pro purgatorij igne tentationum incendia tolerare? Certum nanque eſt, quòd omnis tentatio in præſenti quidem non videtur eſſe gaudij, ſed mœroris. Poſtea verò exercitatis per eam pacatiſsimum fructum reddet iuſtitiæ. At quis mẽtis ſuæ compos tuorum recogitans multitudinẽ beneficiorum tam liberaliter, tam ſedule, tamq; affectuoſe collatorum, recuſabit ſuſcipere à te patienter quaſcunq; infligis tentationes, quum cõſtet te eas non niſi amando tribuere: Pudeat humanam fragilitatem quid ſiniſtrum de tua ineffabili charitate ſuſpicari. Aeque enim in electis tuis vt dona, ita militant & flagella. Proinde impudicæ mentis, & ingratæ indicium notiſsimũ eſt lætari in proſperis, & murmurare de aduerſis. Qui autem magis tua, quàm te quærunt Domine, facilè turbantur, quum illis cun-

Pſal. 88. Prou. 4. Matt. 11. Pſal. 35. Dan. 3. Iſa. 55. Heb. 12.

Digitized by Google

cta ad vota non ſuppetunt. Tu ſolus o beatorũ exultatio, propter teipſum diligendus & conſiderandus es. Ideoque fideles ſerui tui vt erga te verum dilectionis affectum ſe habere perhibeant, nullo modo pro illatis debent tentationibus perturbari. Reſiſtant fortiter, & in tua dilectione permaneant, quia tentari, nec ab amore tepeſcere, perfectæ charitatis eſt ſignum, & tuæ maieſtati ſacrificium ſuauiſſimum. Peccator autem, & à tua charitate alienus tunc gratias aget, tunc confitebitur tibi, quum benefeceris ei. Quum enim radices non habeat, nec de tuæ dilectionis nutriatur humore, credit ad tempus, & à te in tempore tentationis recedit. Tui verò dilectores tanquam electi palmites in te vera vite manentes purgantur aſſidue, vt fructum coram te iuſtitiæ proferant. Etenim, vera neque virtus ſine tentatione perficitur, neque gratia abſque probatione cumulatur. Hac de cauſa omnes ſancti qui tibi ab initio placuerunt, in camino tribulationum & tentationum examinati ſunt. Nullum exortem paſsionum eſſe voluiſti, vt magis, magiſque ſpiritualibus ditarentur donis, & perfectionibus virtutibus ex quotidianis impugnationibus efficerentur ornati. Complacuit quoque tibi (ò diuina prouidentia,) vt hac occaſione electi tui cognoſcerent, atque faterentur ſe poſitos eſſe in exilio, & ex inundantia tentationum cogerentur redire ad te, apud quẽ eſt ſecura quies quieta lætitia, læta fœlicitas, fœlix libertas, libera immortalitas, & ſempiterna beatitudo. Noluiſti vt donec in luto erant inuoluti, perfectè iucundarentur in ſeculo, quatenus per experientiam cognoſcerent, quantum inter peregrinationem diſtet, & patriam. Vt autem ſeruis tuis tolerabilia fierent flagella, quę pro expiatione culparum aut augmento virtutum paſſuri erant, tu (ò Domine Ieſu) miſericordiarum Deus, & multæ miſerationis, calicem paſsionis bibere voluiſti, feciſtique dulceſcere in te, & per te, quod ſine te erat importabile. Poſtquam verò paſſus es ò Rex gloriæ, angelorum gaudium, & totius charitatis abyſſus indeficiens, traxiſti poſt te hominum innumerabilem multitudinem cruces ſuas alacriter baiulantium propter te. Perſpicue nanque verbis, exemplisque cunctis inſinuaſti, quod non poteſt pertingi ad triumphum ſupernæ gloriæ, niſi præuiis tribulationibus. Non enim in hoc ſeculo diuitiis, voluptatibus, honoribus, & proſperitatibus florere voluiſti, ſed neque in amplis naſci palatijs vel ſtratu decoratis ornamentis cooperto, quin potius mox vt in hoc mundo apparuiſti, iacere ſuper fœnum, reclinari in præſepio in medio animalium, & in viliſſimo diuerſorio elegiſti. Inſuper poſt perſecutionem Herodis, poſt parentum obedientiam, poſt famem, ſitim, nuditatem, peregrinationes, in oratione pernoctationes, diaboli tentationes, poſt phariſæorũ detractiones, obſeruationes, oppreſsiones, poſt ſudorem ſanguinis, venditionem diſcipuli, poſt falſa teſtimonia, ſputa, alapas, flagella, opprobria blaſphemias, coronam ſpineam, fellis potum, tandem inter iniquos tanquam reus, & homicida ſuper crucis patibulum in Caluario monte mori dignatus es, vt viam, qua tenderetur in cęlum, tuis demonſtrares fidelibus, & non abhorrerent ſerui ſuſtinere pro Domino, quod Dominus pro ſeruis pati voluit. Huius nempe conſideratio tam præcipuæ, tàmque vehementiſsimæ charitatis, cũctas ſuauificat paſsiones & omne leuificat tentationum pondus. Leuemus ergo (fratres) deſideria noſtra ad Chriſtum, erigamus omnes nos, qui Domino Ieſu elegimus militare, mentis oculos in crucem Domini, quum tentamur, & leue exiſtimabitur, quod toleramus comparatione illius. Glorieмur (inquam) in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, & in tribulationibus, in tẽtationibus, in infirmitatibus, in neceſsitatib. pro Chriſto. *Galat. 6.* Non eſt legitimus miles, qui regem ſuũ imitari recuſat, Neque dignus cęleſti gloria, qui Chriſto Domino non vult conformari in pęna. Conſideremus etiam quàm breue eſt, quod patimur cõparatione retributionis æternæ. *2. Cor. 4.* Quod enim momẽtaneum eſt, & leue tribulationis noſtræ, in ſublime pondus glóriæ operatur in nobis. Pudeat nos palmam obtinere velle abſq; certamine, & cum ſtrenuis militibus ſine belli periculo æqualiter triumphare. Sicut illi certauere, pugnemus & nos, & vſque ad mortem non ſecedamus de prælio. Aequalis illis, & nobis ſit ſors, quibus communis eſt gloria, quia ſi compatimur, & conregnabimus. *Rom. 8.* *Iacob. 1.* Omne quoq; gaudium exiſtimemus, quum in varias inciderimus tentationes. Nam tunc magna ſalutis noſtræ concipiẽda ſpes eſt, quum agrum ſuum Dominus dignatur excolere, vt vberiorem cęleſtem afferat fructum. Tunc cęleſtis medicus iacenti ægroto largitur remedia ſanitatis. Deſperaret vtiq; de nobis, ſi non aliquod præberet tentationis remedium. At poſtquam noſtri memor eſt, & crebris tribulationibus erudit nos, notum facit quoniã diligit nos, nec longe à nobis abeſſe patitur. Igitur tanquam fideles dilectores, & bellatores ſtrenui, atque filii chariſsimi patris diſciplinam ne abijciamus, ſed qualecunq; immiſerit nobis tentationis genus, alacri animo & viriliter toleremus. Nequaquam vereamur ad tempus pati pro Chriſto, & flagellari. Breuis eſt pugna, & ſine vllo dilabens interuallo, remuneratio verò perpetua, & multa nimis: Exempla nos roborent ſanctorum ad patientiam, & innocens vita crucifixi Ieſu. Non congruit vt membrum illæſum permaneat ſub capite vulnerato. Propterea tanquã vera capitis noſtri membra cõmunicemus Chriſti paſsionibus, vt in reuelatione eius gloriæ exultantes gaudeamus.

De

De multimodis tentationum generibus, quæ ſeruis Chriſti à diabolo inferuntur, Et de ipſarum remediis. Cap. XII.

Qvemadmodum ſi quis ſtellas cœli, aut pluuiæ guttas, ſeu arenam maris dinumerare voluerit, caſſo conſumitur labore, ita & quicunque varias dæmonum fraudes ad plenũ referare conatus fuerit, ſuperuacue deſudabit. Nēpe ipſorum venenata malitia inſcrutabilis eſt, & prorſus ignota mortalibus. Deo ſolo reuelante eorum poſſunt detegi inſidiæ. Tortuoſi nanque quum ſint colubri, & anfractibus aſſueti plurimis, mox quum teneri putantur, è manibus defluunt. Mille enim modis, inueſtigabilique nocendi arte, ac infatigabili circumuentione ſimplicium animas decipere moliuntur. Galat. Nunc blandis perſuaſionibus ignorantiũ mentes decipere ſtudent, atque quibuſdam rationibus fictis ad peccatum eos alliciunt. Nunc callidis machinationibus & aſtutiis eoſdem præcipitare contendunt. Tales nanque niſi maiorum per omnia acquieſcant conſiliis, irremediabiliter ruunt. 2. Cor. Aliquando verò vt manifeſtus totis viribus per aperta certamina corda impetunt, & euertere nituntur laudabile mōtis propoſitum bellorum Chriſti. Si autem ſagittis eorum ignitis ſcutum opponatur patientiæ, cuncta, quę intorquentur, reſiliunt iacula. Nam impenetrabile eſt patientiæ ſcutum, & ferè in omnibus tentationibus neceſſarium, quo quicunque caruerit, facile ſuperabitur. Quandoque etiam horribiliter humanæ menti ſe oſtentant per terras imagines, & inſolitus aſpectus, atque per terribiles comminationes, inſuetoſque terrores tremorem conantur ingerere vehementem, quatenus relicta confidentiæ anchora in puſillanimitatis pelagus ipſam demergant. Rom. Lucæ. Horum autem inſultus non ſunt formidandi: Gradia minantur quum nihil poſsint. Quid verò mirum, ſi erga Chriſti ſeruos infirmi ſunt, quũ neque in brutis animalibus præualere queāt, prout Euangelij textus proloquitur: Aliquando aſſiduis tentationibus Deo miſericorditer permittente impetunt animam ſuperbiæ vitio: & propriæ ſufficientiæ veneno infectam: atque in obſcœnis eam delictis proſternunt. Poſtea verò deſperationis laqueos cōtra eandem tendūt. Mox autē, vt cecidiſſe ſe cognoſcit anima, quæ prius ſtare videbatur, ad humilitatis remedia illico cōfugiat, & diuinam erga præſumentes diſpenſationem cogitare ſtudeat, qualiter Petrus Apoſtolorum princeps Chriſtum negauerit, qualiter Dauid Prophetarum eximius in adulterium, & homicidium deciderit: ad memoriam reducat, & poſt perpetratum delictum abundatiorē ſuper ſe gratiam collatam eſſe mirari nō ceſſet. Talibus nanque roborata cogitationum ſuffragijs Dei in ſe laudabit clementiam, quæ ex percuſſione tantam illi emēdationis intulit gratiā. Hoc expertus eſt Propheta, qui dixit. Miſit Deus ignem in oſsibus meis: & erudiuit me. Interdum ipſi deceptores Dei miſericordiam, & ipſius largiſſimam bonitatem falſis rationibus obtenebrare decertant obiiciendo interiori homini ſuorum ſarcinam peccatorum, quæ irremiſſibilia eſſe prę multitudine: præ magnitudine, prę obſcœnitate demonſtrant: quatenus pōdus conſcientiæ, & ſuæ deformitatis turpitudinem non ferens homo in baratrum deſperationis amiſſa ſpe veniæ ſe mergat. Huic nāque tam peſtiferæ ſuggeſtioni opponenda eſt domini noſtri Ieſu Chriſti ſanctiſsima mors, & quanta pro humani generis reſtauratione pati voluerit, attēte animo reuoluenda ſunt. Nullũ enim adeo eſt graue peccatum, quod Chriſti ſanguine non deleatur. Si autem crucifigentium ſcelus aboleuit ſacroſancta domini paſsio: quis dubitet, quin aliorum valeat auferre delicta: Propter hoc Dei filius carnem de humana ſumpſit propagine, vt hominum peccata deleret. Toties ergo confugiat peccator ſub crucis Chriſti vmbraculum, quoties deſperationis iaculo ſe cognoſcit trāſfixum. Hac verò fraude ſi repugnantem nequeūt animam ſuperare, illico Deum tam miſericordē erga peccantes ſeductoria aſſertione prædicant acſi nec iudicare peccata, nec peccatores damnare vllo modo patiatur. Dęmonum verò callida intentio eſt animam in diſſolutionem & audaciam delinquendi allicere, vt amiſſo timoris gubernaculo in omne eam nefas inuoluant. Prou. 18. Tunc ſi aſſenſum prębuerit, quodam temeritatis mucrone occulte ſe necans, criminibus fræna relaxat, nullamque de virtutibus exhortationē patitur audire: iuxta quod ſcriptum eſt. Impius, quum in profundum malorū venerit, cōtemnit. Meminiſſe tamen debet, qui hac peſte percuſſus eſt, quàm ſeuere contra delinquentes Deus ſuam iuſtitiam exercuit. Nam peccantibus angelis nequaquam pepercit Deus, ſed mox vt extulerunt ſe, æternis damnati fuerunt incendijs, & irremiſsibili vltione percuſsi condignam ſuæ præſumptionis ſuſcepere mercedem. Peccanti quoque primo homini, quamuis Dei manibus plaſmatus fuiſset, quamuis in paradiſo deliciarū collocatus, & ſupra dignitatem cunctorum animantium euectus, nequaquā indultum fuit. Repente nanque vt legē obedientiæ transgrediens de vetito comedit, cum dedecore eiectus ſentētiam, quam ei dominus comminatus fuerat, in ſe recepit. Didicit nanque ex pœna quid meruerat per culpam. Non vniuerſo orbi diluuij tempore non populo Dei in idolis fornicanti, non Moſi mitiſsimo hominum, qui tunc morabantur in terra, non Dauid viro ſecundum cor Dei, non cuncto Iſraeli legis mandata præuaricanti inulte

te

te pertranſire permiſſum eſt. Sic enim Deus peccatis & iniquis aduerſatur operibus, vt potius permitteret ignominioſæ morti ſuum tradi filium, quàm vt impunitum remaneret peccatū. Plerunque etiam Deo diſpenſante, ipſi ſpiritus nequam ita puſillorum conſcientiam cōfundūt dubietate, ac multitudine ſtimulorum, vt neque (vt ſic dicam) pedem valeant mouere præ timore conſcientiæ qui ſic tentantur. Aguntque ſuis perſuaſionibus & importunitatibus: vt quid minimum aut nullum peccatum eſt, mortale credatur. In immane ſe ferunt præcipitium, qui huiuſmodi tentationi aſſenſum præbent. Atque aliquando propter conſcientiæ onus grauiter delinquunt in iis, quę ſine peccato agere potuerāt: quoniam qui facit contra conſciētiam, ædificat ad gehennam. Talis conſciētiæ impulſu omnino audacter refellendus eſt: & tanquam antiqui hoſtis figmentum debellandus. Tunc etenim plene debellatur, tunc huius tentationis qui impugnatur, victor efficitur: quum ex aduerſo ſuggeſtioni ſe opponens, vel in minimo nullo modo eidem obtemperat. Hoc nanque manifeſte comprobat iſtud diabolicum eſſe opus, quia & cōſcientiæ reſiſtitur, & nihilominus cōſcientiæ pax reperitur. Nōnunquā quoq; ipſi callidi inſidiatores fugam ſe arripuiſſe ſimulant: & de cætero nullam bellatori Chriſti moleſtiam ſe illaturos fatentur. Diſcedunt quippe ad tempus, quatenus animus à ſui cuſtodia remiſsior factus, grauius ſua ſecuritate ſternatur. Prudens verò Chriſti ſeruus intelligens ſe in medio poſitū laqueorum eo ſuſpectior erit, quo quietiores contra ſe ſentiet inimicos. Vbi nanque latenter pugnatur ibi omnis vigilantia adhibenda eſt. Nam manifeſtus aduerſarius facile vincitur, occultus autē inſidiator vix à quoquam ſuperari poteſt. Proinde omni tempore cunctiſque momentis diaboli inſidiæ præcauendæ ſunt. Donec hac pelle tegimur: cor, lingua, cæteriq́ue ſenſus corporis diuino ſunt muniendi timore. Nulla cum inimicis ſpiritualibus pax firmanda eſt. Semper mentiuntur: & abſque rubore laqueos tendunt. Sui etiā confuſiones paruipendūt, dummodo ad peccati conſenſum animas trahere valeant. Solent quandoque maligni ſpiritus, qui receſsiſſe videbantur, repente irruere, ac tanta vehementia furoris rabiem in corde hominis accendunt, vt niſi diuina opitularetur clementia: & in Deū blaſphemia dirigeretur, & proximis vita auferretur. In ipſo furoris impetu quicunque deducitur, non Dei dilectionem, non cœleſtis patriæ deſiderium, non gehennæ metum, non mortis formidinem, non maiorum reuerentiam, non proximorum charitatem, non ſui ipſius amorem habere ſe ſentit, & niſi diuina miſeratione tentatio ipſa coliberetur, nullus illorum, qui tali inſania vexantur, ſanus fieret. Solus omnipotens tam indignitam irrationabilem, & perturbantem impulſionē extinguere poteſt. Deo gratias agat inexpertus, expertus autem ori ſuo cuſtodiā ponat, hominum pro tunc conſortia vitet, & Deo ſi (poteſt) ſubſternat ſe humiliter ipſius implorando auxilium. Aſſueti ſunt etiam hoſtes humani generis ſeruos Chriſti aggredi variis, importunis, obſcęniſq; cogitationibus, & impudicis phātaſmatibus, adeo vt cuncta, quæ præterita cōmiſerunt delicta: reuocēt ad memoriam, loca, perſonas, tempora, modoſq́ue ſuggerendo: quatenus inexperti milites fatigati ex crebris impulſionibus & vehementibus ictibus ignitarum cogitationum efficiantur formidoloſi, & reſiliant à propoſito cępti certaminis: vel ſentientes ſe flexibiles ad conſenſum cogitationum, quibus impugnantur, opprimantur triſtitia, quæ tentatis valde pernicioſa eſt. Sed nouerint tales pro his tentationibus potius gaudere debere, quàm triſtari. Ex diaboli liuore ipſorum procedit infeſtatio; cōſpicit enim ipſos ſtrenuos futuros Chriſti milites, & ad magnam peruenturos perfectionem. Vnde hæc non ferens inimicus, qui omni inimicatur bono, conatur totis viribus illos euertere. Deus autem dolum eius conuertit in caput ipſius. Nā ipſe ſuos in certamine confortans milites quotidie eos efficit fortiores: Intuentes verò Dei ſerui ex ſolo mentis conſenſu hominem poſse cadere, & nō ex impugnatione ſola aduerſarij, interioris hominis muniunt ſenſus, & diaboli reſiſtunt tentationibus, quæ tāto minus formidandæ ſunt, quanto amplius diſplicēt. Interdum conſueuerunt ipſi magni ſpiritus in cordibus ſimplicium procaciter loqui contra Deū verba blaſphemiæ. Audent nanque in auribus eorū præcipuè quum orationi inſiſtunt, & ſacroſancta tractantur myſteria, diuinā maledicere maieſtatem, & obſcęna quædam aduerſus Dei genitricem immittere phātaſmata: atque ſanctorum omnium chororū cū Chriſto regnantiū ſubſannare gloriam. Iſta nempe impudici aduerſarij ſunt verba. Olim nanque temerariè locutus eſt. Ponam ſedem meam ad Aquilonem, & ero ſimilis altiſsimo. Conſueuit enim tanquam alienus Eſai.14. à Deo, & omni ſpe veniæ priuatus tam nefanda pronunciare. Hæ autem ipſorum immiſsiones velut fulgura & iacula fortiter intorta pauore repentè cor penetrant. Sed tanquam nix ſolis radijs reſoluta euaneſcūt huiuſmodi cogitationes, & nuſquam comparent: ſi tamen ſine triſtitia impugnati animus perſeueret. Cōfunduntur prorſus & confunduntur in ſeipſis talium autores maledictionum: atque ipſorum blaſphemię ſuper eos deuoluuntur. Caueant verò qui huiuſmodi nefandis blaſphemiæ tentationibus impugnātur: ne expaueſcant aut ex ipſis turbentur, vel fiant puſillanimes. Ad arcem ſemper recurrant rationis, hanc muniant, hanc cuſtodiant, hanc cla-

nis

Digitized by Google

tis diuini configant timoris: hanc interdum vin culis diuinæ charitatis religatam teneant. Firmiſsimè nanque in hac veritatis ſententia roborentur, & confidant: quod nunquam poteſt animæ inferre mortem infeſtatio tentationis, niſi in vno ſecum cõſenſu conueniat deliberatio voluntatis. Pacem quidem mentis perturbare tentationes poſſunt, gratiam verò Dei auferre non poſſunt. Impugnando labores ingerunt, & coronas immortalitatis parant. In paucis, qui à diabolo infeſtantur, vexantur, poſtea autem in multis bene diſponentur. Nam Deus illos tentare permittit, faciet verò eos dignos ſe. Tanquam aurum in fornace probat illos, & quaſi holocauſta hoſtiæ accipit illos. Sap. 3. Tranſacta autẽ poſt hãc peregrinationem tentatione fulgebunt iuſti ſicut ſol, & tanquã ſcintillæ in arundineto diſcurrent. Iudicabunt quoque nationes, & dominabuntur populis, regnabuntque cũ Deo in æternum. Nonnullos etiam ipſi callidi ſeductores de prædeſtinatione tentare cõſueuere, quibus perſuadere nituntur iudicium iam factum eſſe, & contra eos diuinam promulgatam ſententiam; cunctamque propriæ ſalutis ſpem, ex ipſorũ cordibus conantur extinguere. Huic autem irrationabili ſuggeſtioni facilè reſpondetur. Sicut enim ratione caret ita leuiter ſuperatur. Cunctis nanque ſanæ mentis patet, quòd Deus nullum iudicat, antequã de corpore exeat. Donec enim in carne viuit homo, aut damnari aut ſaluari poteſt. Solum poſt reſolutionẽ corporis aduerſus ſingulos vel condemnationis, vel abſolutionis, profertur ſententia. Qualis vniuſcuiuſque vita fuerit, talis erit & ſententia. Cauſa nanque hominis tota ab eo pendet, nec aliter iudicat Deus quàm ſecundum quod quiſque vixerit. Ignotus quippe omnibus mortalibus eſt ſingulorũ finis. Sed neque ipſi angeli boni, qui Dei contemplãtur gloriam (niſi fortè ex diuina reuelatione) ſcire valent: vtrum quis damnetur, an ſaluetur. Quanto autem minus angeli Satanæ, qui ab initio mendaces fuere, hoc noſcere poſſunt? Paruipendenda eſt ipſorum falſa cõminatio. Studeat quilibet laudabiliter viuere, Dei mandata cuſtodire, ſe Deo humiliter ſternere, proximum vt ſe diligere, patienter quæque aduerſa tolerare, & vſque ad finem in virtuoſis actibus perſeuerare. Taliter itaque viuendo quiſque de diuina bonitate plurimum confidat: quia de numero non ſegregabitur electorum. Si verò non tepuerit in operando: ſed magis opera bona augmentare ſtuduerit: ab hac, qua pulſatur tentatione prædeſtinationis, liber erit? Aliquando falſis ſuaſionibus ipſi homicidæ mentis ſimplicitatem peruertere moliuntur, atque globum maximum tenebrarum: & infidelitatis venenum oriri faciũt in ſecreto cordis, per quod omnis tranquillitas animi confunditur. Aſſerere quippe ac rationibus affirmare conantur, Deum non eſſe, nec beatã vitam, nec futura ſupplicia: ſed ſolummodo præſentia, & temporalia eſſe oblectamenta. Potiſsimum autem aduerſus immaculatam & verã catholicam fidem, & Chriſti diuinitatem detractionis argumenta fingunt. Moliũtur enim perſuadere alias infidelium ſectas, & inanes opiniones, veritatem continere in ſe, atque Chriſti miracula, & quæ de illo in ſacris continentur libris nequaquam fuiſſe vera. Mox etenim ſi huic tentationi accommodaretur conſenſus, illico deficeret omne bonum incœptum opus, & cunctis voluptatibus frena laxarentur: præſentis vitæ amor conſurgeret: & ſi quid boni aut mali poſt curſum huius peregrinationis ſequeretur, recogitare negligeretur. Ideo totis viribus huic peſſimæ ſuggeſtioni renitẽdum eſt. Animi quoque virtute potius quàm ratione reluctandum eſt: quia ſupra omnem rationem, & vltra humani captum ingenij ſunt opera fidei. Perſeuerantia, & propagatio Chriſtianæ fidei, multitudo fidelium toto terrarum orbe diffuſa: vita virorũ, iuuenum, virginum cuiuſcunque conditionis ſeculo renunciantium, Prophetarum oracula, autoritates ſcripturarum, martyrum pro Chriſto effuſus ſanguis, & Eccleſiarum theſauri, imperturbabile fundamentum, inuincibilis ratio, credibilia nimis ſunt teſtimonia catholicæ veritatis. Si enim iuxta legem veterem, & ſententiam Saluatoris, in ore duorum vel trium teſtiũ omne verbum conſiſtit: & ſi in quocunque ſeculari vel eccleſiaſtico iudicio totidem teſtibus indubitanter ac firmiſsimè creditur, qua temeritate, quaue animi pertinacia tam innumerabilibus, quis audebit contradicere teſtimonijs? Prudenter itaque & fortiter conculcanda eſt, & ſopienda omnis curioſitas humanæ intelligentiæ ſub iugo fidei: ne plus ſapere velit quàm oporteat: ſed ad ſobrietatem. Sufficere cunctis poteſt pro ratione fidei, quòd patres veteres, & doctores ſancti, qui Rom. 12. tanquam luminaria in Eccleſiæ firmamento fulgebant, de fidei veritate crediderunt, & intellexerunt, atque operibus cõfirmauerunt. Summę etenim imperitiæ argumentum eſt velle diſcutere vel reprobare, quod illi tantis rationibus definierunt. Humiliter igitur & fideliter ſinguli credere debent, quod vniuerſalis Chriſti confitetur Eccleſia. Solent etiam angeli Satanæ ex diuina diſpenſatione ſeruorum Dei mentes in tantam obdurationem, & cordis inſenſibilitatẽ deducere, vt cęlum illis eſſe æneum, & omnipotentis Dei aures ad exaudiendum obturatę videãtur. Adeo nanque tanto tædio interdum afficiũtur, vt monaſterium anguſtiſsimus & intolerabilis eis carcer appareat: pſalmodiæ ſuauitas laborioſa valde ſentiatur, orationis tranquillitatem tanquam flagellum maximum arbitrentur: atque omne ſpirituale exercitium, veluti ingentem ob

hor-

horreant cruciatum. Non legere, non meditari, non viuere ſub diſciplina monaſterij, non operi manuum vacare libet, ſed cuncta, quæ ſpiritui prodeſſe poſſunt, odibilia tunc iudicantur. Sicque agitati, & acidiæ tabe perfuſi ſunt, vt de ſua perſeuerantia trepident, & de propria ſalute diffidant. Hæc autem ſi diu perſeueraret tentatio, vix de millibus vnus ſufferre valeret. Proinde diuina pietas pro ſubleuanda hominis fragilitate manum ſuam dignatur apponere. Nam mox vt ſuum viderit ſeruum deficientem, & tentationi conſentientem illuſtratione ſua & quadã ſpirituali dulcedine omnem diſſoluit cordis duritiem, & teporem, quo vndique vallata fuerat ipſius mens, in rorem piæ deuotionis conuertit. Tunc reſoluta interioris hominis glacie ſuauiter fluunt imbres lacrymarum: tunc pacato mentis domicilio, atque fugatis ſpiritualibus tenebris in omni opere, in omni loco Dei in corde reſonant laudes, & gratiarum actiones. Eo etenim beato tempore, remigio alarum amoris cor ſurſum fertur in Deum, illique copulatur iucundiſſimo charitatis vinculo. Ipſo autem perdurãte cordis iubilo nec præterita memorantur mala, nec futura formidantur. Contra verò hanc cordis inſenſibilitatem optimum, & ſalubre remedium eſt, conſueta deuotionum & virtutum exercitia infatigabiliter cuſtodire: neque ab illis actu deficere & deſiderio, imò ea potius augere. Studeat qui tentatur de Dei bonitate reſumere ſpem, ſibique ipſi dicat: Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me. Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi. Nam ſi bona de manu domini ſuſcepimus, mala autem quare non ſuſtineamus? Patientia nanque, & animi fortitudine victor efficietur, quiſquis in hoc poſitus fuerit conflictu. Cõſueuerunt quoque maligni ſpiritus hanc aduerſus Dei ſtrenuos bellatores, tentandi exercere artem. Quum enim cõſpexerint eorum mentes ex omni parte prudentiæ, & diſciplinæ vigore munitas, illico in omnem ſe cõuertunt immanitatem, & nullo intentando ſeruato ordine cunctorum vitiorum ignitas immittunt cordi ſagittas: vt fatigatus animus ex crebra ſuggeſtionum reluctatione vi quadam ipſarum, trahatur ad delectationis conſenſum. Nã laborioſum eſt in tam ſæuo certamine inflexibilem ſeruare mentem. In nullo autem terreantur, qui harum diuerſarum cogitationum tentationibus impugnantur, quin potius reſumentes vires cum medullari cordis lætitia & mentis conſtantia reluctentur, & vincant: clamant: & ingeminent voce & affectu Ieſus mellifluum & ſanctum nomen. Eſt enim aereis poteſtatibus terror maximus, & intolerabile flagellum: ad cuius inuocationem tanquam ab igne reſiliunt. Leuẽt nihilominus ad cœlum cor, diuinum flagitantes auxilium: & mox ſpiritualibus fugatis inimicis

Pſal. 41.
Iob. 2.

cœleſte in ſe ſentient adiutoriũ. Tunc in quoddam mentis deducti tripudium pro adepta victoria Deo laudes decantabunt: & dicent. Cantemus domino: glorioſe enim honorificatus eſt: e- Exo. 15.
quum & aſcenſorem deiecit in mare, &c. Hac nanque experientia eruditi, hoc ſpirituali roborati præſidio, in omni dæmonum infeſtatione & preſſura ad dominum clament quum tribulentur, & liberabuntur. Ad hoc ſeruum ſuum tentatum per Prophetam dominus hortatur, quum Pſal. 49.
dicit. Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Recte enim, vera magnam de propria ſalute debent cõcipere ſpem, qui huiuſmodi diuerſis tentationibus agitãtur. Niſi enim ipſorum conuerſatio Deo acceptabilis, & inimicis eſſet oneroſa, nequaquã tanta illorũ cor aggrederẽtur importunitate, atque conarentur euertere mentis domicilium à ſtabilitate ſancti propoſiti, quod arripuerunt. Dei autem clementia cunctã immundorum ſpirituum fraudem in ſuorum militare facit profectum ſeruorum. Ex his quippe tentationibus qui amoris Chriſti & perfectionis feruent deſiderio, maximam ſumũt occaſionum tantarum fieri poſſeſſores virtutũ, quantorum impugnantur ſuggeſtionibus vitiorum. Vnde quum ſuperbiæ cogitationibus tentantur, ne in ipſum corruant vitium, humiliãtur. Quum de iracundia pulſantur, ne ſuccumbant, patientiæ virtutem fortiter ſeruant. Quũ de gula alliciuntur, ne voluptatibus habenas laxent, temperantiæ iugo ſubſternunt ſe. Quum de inuidia vruntur, ne fratrem ſuum odio habeant, charitatis viſcera induere conantur. Quum de habendi cupiditate infeſtantur, ne vltra neceſſitatem temporalium cura aggrauet, quandoque etiam neceſſaria ſubtrahunt. Quum carnis delectationibus accenduntur, ne ſerui efficiantur luxuriæ, corpus non ceſſant edomare ieiuniis, vigiliis, & laboribus, vt pudici fiant. Quum verò acidiæ vitio premuntur, ne tempus otioſe conſumant, ad orationem, vel opus manuum ſe conuertunt. Miro itaque diuinę diſpenſationis ordine fit, vt quot ſuſcipiunt in ſe tentamenta vitiorum, tot inueniant inſtrumenta virtutum. Et quod illis præparatur ad caſum, hoc vertatur ad triumphum. Habent etiam ipſi nequam ſpiritus hoc proprium, quòd non vniformiter omnes tẽtant. Obſeruant autem loca congrua, tempora aptiora, & ſingulorum naturas, vt ad ſuum quos tentant, trahant cõſenſum. Callida etenim arte vnicuique (permittẽte Deo) ſecundum propriũ gradum tendunt ad decipiendum laqueos. Incipientes nanque, & nouiter introductos impugnant de difficultate ſpiritualis belli, de auſteritate vitæ, de aſperitate pœnitentiæ, de memoria præteritarum delectationum, de affectione parentum, de ſodalium & amicorum laſciua cõuerſatione, de inſtabilitate ſtatus, de tentatione & labo-

labo-

laborioſa impugnatione, de multorum caſu, qui cœperunt nec perſeuerauerũt, & de impoſsibilitate perſeuerantiæ vſque ad vitæ terminum. Exo. 15. Cõtra verò proficientes nimio furore bacchantur. Nam aduerſus eos omnium tentationum genera (ſi permiſsi ſunt) irruere faciũt. Pronos ipſos ad iracundiam, ad elationem, ad gulam, & ad ſingula quæque vitia reddunt; præcipuè tamen ad fornicationem. Non diebus, nõ noctibus ab Pſal. 65. illis ſecedũt. Nimia enim inuidiæ face ſuccenſi, de ipſorum profectibus grauiter cruciãtur. Propterea tanquam rugientes, ſæuique leones ſine vlla requie infeſti ſunt militibus Chriſti generoſe certantibus: ſi quo modo eos impingant in cõſenſus delictorum. Ipſi autem diuino fulti præſidio quotidie robuſtiores fiunt: & ex vſu ad dimicandum aptiores, atque cæleſti igne accenſi tanto acrius aduerſarios proſternunt, quanto vehementius ab illis impelluntur. O mirandũ Deo & angelis tale ſpectaculum, videre ſcilicet ſpiritum fragili & infirma carne veſtitum debellare & vincere ſpiritum nullo carnis pondere prægrauatum: ſpirituali aſſuetum certamini naturali acumine perſpicuum, nec vllo locorũ ſpacio incluſum. Ipſe nempe eſt, qui præſumpſit animi ceruicem erigere contra ſuum conditorem, & Iſa. 14. dicere. Sedebo in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis, & fiam altiſsimo ſimilis. Nunc autem in ſuæ opprobrium elationis à fragili ſuperatur homunculo. Viros autem perfectos ad ſpiritualia aſſuetos certamina, callidè ſemper obſeruat. Illis nanque in lucis angelum transfigurat ſe: & vitia ſub virtutum ſpecie ſuadere continuè nititur. Nam ſub colore zeli furorem inſerit: ſub iuſtitiæ imagine crudelitatem: ſub velamine charitatis carnalem affectionem: ſub prætextu honoris Dei, priuatam laudem: & ſub deſiderio ſalutis animarum, prelationis officium ſuadet, vt quæratur. Hortatur etiam ad prædicationes, ad ſecularium conuerſationem, & ad virorum, mulierumque indiſtinctam collocutionem: illud Apoſtoli commemorãs. 1. Cor. 9. Omnibus omnia factus ſum vt omnes lucrifaciam. In his omnibus latẽt fraudes, & inimicorum laquei formidabiles, quibus capiuntur qui carent prudentia, & clarum habẽt cor. O quot, qui iam inter aſtra nidos ſuos collocaſſe credebantur, occaſione fraternæ charitatis in lutum carnalis concupiſcentiæ turpiter corruerunt. Quot tẽporibus noſtris fuerunt, & ſunt, qui tanquam ardentes lampades & mundi luminaria lucebant coram hominibus, paulatim ex frequenti ſecularium conuerſatione & confabulatione tepefacti ad priſtina opera ſecularis vitæ miſerabiliter redierunt? Quàm multos quotidie intueri poſſumus, qui donec in humili ſtatu & ſub obedientiæ diſciplina perſtiterunt, in mentis puritate, cordis celſitudine, & virtutum perfectione ſe cuſtodierunt; ſed poſt adeptam dignitatem, poſt aſſumptum paſtorale officium, propter inſuetos honores & nimias occupationes obliti quales fuerant, ad ima miſerabiliter deſcenderunt? Apoſtolorum, ſanctorumque õpus eſt in prælationis dignitate humilitatem; in ſecularium conuerſatione mentis puritatem: in condeſcenſione proximorum cordis ſeruare rectitudinem, & corporis caſtitatem. Ideo qui ſtat 1. Cor. 10. videat ne cadat: & qui aſcendit, diligenter aſpiciat quo aſcendit. Verecundum nanque coram hominibus, & Deo odibile eſt, poſt aſcenſum deſcendere. Qui leget intelligat. In omnibus igitur inſultibus ſpirituum immundorum, in cũctis tentationibus, quibus Chriſti ſerui impugnãtur, abiicere conentur propriam confidentiam, & diuinum non ceſſent flagitare auxilium. Si enim ſub Dei timore ſe ſtrauerint, frequentauerint orationem, ſui cordis cogitationes obſeruauerint, impetus animi ſub rationis imperio ſubegerint, virtutes acquirere ſtuduerint, & pacem mentis poſsidere quæſierint: gaudeant quoniã cadere vix valebunt, tamen ſi ceciderint, non collidentur: quoniam Dominus ſupponet velociter manum, vt erigat eos. Pſal. 36.

Quòd diabolus multoties vt instrumento vtitur hominibus ad tentandum eos, qui in congregationibus degũt, & ſimpliciter atque virtuoſe conuerſantur: vt illos impellat ad caſum. Cap. XIII.

CONſueuerunt vt plurimũ homines quãdocũque aliquod difficile aggreſsi sũt opus, quum ad id peragendum impares ſe viribus ſenſerint, mox ab amicis & domeſticis ſubſidia quærita re: quatenus quæ propria nequeunt virtute perficere, alieno valeant adiutorio. Hac malitiæ arte, hoc ſagaci ingenio, vti ſolet humani generis antiquus hoſtis & ſeruorum Chriſti implacabilis inimicus. Quũ enim ad debellandos & exercendos fidelium animos ex ſuperna diſpẽſatione cõſtitutos ſit in hoc aereo & caliginoſo loco, quibus valet modis & induſtria, eos tentare non deſinit, vt decipiat, & proſternat. Apponit nanque inceſſanter calliditatis ſuæ venena, quantum ei à Domino conceditur: ſed non ad vota. Nam ſi ad decipiendos mortales plenam à Deo ſuſciperet poteſtatem, proríus non fieret ſalua omnis caro, nec quiſquam reperiretur, qui laqueos illius poſſet effugere. Mat. 24. Diuina autem diſpenſatione & pia agitur miſeratione cum electis, vt nequaquam ſupra vires tententur. Quoties nanque præualet aduerſarius, & caſui appropinquant, adeſt Dei clementia, atque fugatis hoſtibus, ſuis præſidia militibus ſubminiſtrat. Ipſis etenim tanquam mẽbris infirmitantibus, ac debilibus in fide, ſpiritualia adhibet deuotionis nutrimenta, per quæ in charitate creſcant, roborentur in ſpe: & fiant aptiores ad dimicandum. O mira omnipotentis boni-

tas, ò

tas, ò Dei noſtri inenarrabilis ſapientia, qua charitate, quave paterna teneritudine foues ſeruos tuos, qui ſimplici tibi corde famulantur? Indefeſſo enim pietatis intuitu ſuper ipſorum vigilas cuſtodia, & imminente ruinæ periculo ſub latiſsima alarum tuarum vmbra protegis & defendis. Hoc in ſpiritu Propheta præſenſerat, quum dicebat. Psal. 30. Abſcondes eos in abſcondito faciei tuę, à conturbatione hominũ: proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum, & ſpirituum immundorum. Quamuis autem cœleſte ſuper Dei ſeruos diabolus ſentiat adiutoriũ, quã quam neminem ſaluandorum de manibus domini Ieſu eripere valeat, non ceſſat tamen ipſe malignus, quin totis conatibus illis infeſtus ſit, nunc per ſeipſum, nunc ſæpè per alios. Ideo ad tentandum humano vtitur inſtrumento: potiſſimum aduerſus eos, qui in monaſterio & congregatione Deo militant. Hæc namque eſt fraus maxima, & ad cognoſcendum difficilis. Hoc enim argumento primum hominem de loco deliciarũ deiecit, expoliauit tunica immortalitatis, priuauit gratia: & obligauit ad mortem. Hac arte, Apoſtolorum principem ad Chriſtum negandum induxit. Hoc medio martyrum mentes emollire ac flectere curauit. Hoc inſtrumento cõplures ſuperauit: quos dinumerare longum eſt. Prouide itaque in via Dei incedendum eſt: & prudenter inſpiciẽdum, ne iniiciamus pedes in tendicula inimicorum. Nec minus ſolerter elaborandum eſt, ne nos ipſi efficiamur laquei proximorum, atque vices geramus dæmoniorum: quod in congregationibus Deo dicatis frequẽter euenire conſueuit. Quandocunque enim quis in collegio degens, detractionibus vitam abſentium dilaniat, proculdubio diaboli miniſter eſt, & fraternæ cædis reus. Gladio namque detractionis ſuæ famam proximi, cui detrahit, occidit in corde audientium. Audientes quoque vulnerat detractionis ſagitta, eoſque plurimum prouocat ad illius odiũ, de quo murmuratio fit. Propriam verò perimit animam, & à Dei gratia alienum ſe facit. O quam ferales laquei ad capiẽdas animas ſunt labia detrahentium? A charitate excisum ſe fatetur, qui detractionibus aſſuetus eſt. Hæc etenim peſtis, per quam charitatis vinculum diſſoluitur, à colegiis ſeruorum Dei omnino amouenda eſt. Deo quippe & fratribus odibilis eſt omnis detractor. Qui diuinum cupit effugere iudicium, murmurationis verba nõ proferat. Sapi. 1. Cuſtodite vos (inquit Sapiens) à murmuratione, quia nihil prodeſt, & à detractione parcite linguæ: quoniam obſcurus ſermo in vacuum non ibit. Impium enim eſt detractioni accommodare os, quod diuinis laudibus deputatũ eſt. Rom. 2. Benedicite (ait Apoſtolus) nolite maledicere. Maledicus namque & detractor regnũ Dei poſsidere non valebunt. Fugiendæ itaque ſunt detractiones, ne ad odium proximi prouocentur. Rarus quippe reperitur, qui aduerſus ſuum detractorem ſilentium ſibiipſi velit imponere. Rarior autem, qui nullo odij rancore moueatur. Qui verò fratrem vt ſe diligit, erga alium detractionis verba non loquitur, neque loquentem libenter auſcultat. Alio quoque modo charitatem fraternam, & pacem ſimul conuiuentium, cunctorum inuentor malorum diabolus dirumpere conatur. Nam contentiones generare inter Chriſti ſeruos non deſinit. Eſt enim contentio ignita diaboli ſagitta ad perdendas animas. O quanta iurgia, quanta odia ex contentioſis oriuntur ſermonibus: O quoties veritas occultatur, & falsũ pro vero defenditur timore confuſionis. Peſsimum namque malum eſt contentioni vacare, per quã amicitiarum compago diſſoluitur, & animorũ dulce vinculum diſsipatur. Qui contentioſus exiſtit, antiqui hoſtis in ſe immiſsiones admittit diaboli miniſterium operatur, dirumpit pacem, rixas concitat, parit odium, furorem nutrit, denigrat honeſtatem, ſapientiam perdit, rationem confundit, oculum mentis obnubilat, gratiæ lumen repellit, fraternam dilectionem frangit, & ipſam cœleſtem in ſe occidit charitatem. Qui a contentionibus linguam cohibet, humilitatis amator eſt. Contentioſus verò & pertinax, elatione & ſuperbia ſe plenum eſſe confitetur. Vt victor appareat contentioſus, fratrem in publico confundere non veretur, & de fratris opprobrio magnum ſe putat reportare triumphũ. Vhę qui de tali lætatur commercio, & qui garrulis clamoribus veritatem conatur euertere. Hanc contentionis rixam fugere hortatur Apoſtolus, quũ dicit. 2. Tim. 2. Contentiones & pugnas verborum deuita, generant enim lites. Seruum Dei non oportet litigare, ſed mãſuetum eſſe, & cum modeſtia docentem eos, qui reſiſtunt. Conſueuit etiam nonnunquam ipſe nequam ſpiritus minus graues & timore Dei vacuos ad irriſionem commouere ſimplicium verbo aut geſtis, quatenus perturbet animarum puritatem ſimpliciter conuerſantium, faciatque illos ſimplicitate amiſſa omittere inchoatum bonũ, aut perpetrare, quod oderunt, malum. Diabolicum eſt figmentũ hoc, & prorſus charitati contrarium. Non enim alteri irrogare debet quis, quod ſibiipſi videtur intolerabile. Hoc naturæ lex mandat, hoc charitatis Chriſti iura volunt, vt illud proximo prębeatur, quod erga ſe quiſque fieri gauderet. Regale quippe mandatum eſt dilectio mutua, quæ omnem legis inſtitutionem perficit, O bona charitas, ò proximorum laudanda æmulatio, quis tua poteſt referare pręconia? quis effectus atque profectus tuos ad plenum magnificare valet? Tu Deum hominibus propitium exhibuiſti, tu ſempiternum Dei verbum induiſti carne, ſuſpendiſtique in ligno: tu proximorum onera, & amicorum

eorum

corum delicta æquanimiter toleras, tu locum, tẽpuſque obſeruas, vt peccata corrigas. Exclamas exterius contra delinquentes iuſtitiæ zelo, & gemis interius, atque ardes dulcedine pietatis. Tu irridere neſcis, & ſubſannare quempiam vehementer formidas. In proximo Chriſtum ſemper videre meditaris, & fratrem tanquam te amare conſueuiſti. Omnes aſtrictos tenes indiſſolubili charitatis compagine. Quos potes hortaris; quibus vales, auxilium impendis, debiles foues, inſcios inſtruis, errantes reuocas, cadentes erigis, & pereuntes defles. Nulli oneroſa es, cunctis verò beneuola, amabilis, & iucunda. Nullum irritas, nullum confundis, nullum ſupplantas. Temporalem indigentibus præbes ſubſtantiam, ſi illam poſſides. Si ea cares, compateris pietatis affectu. Neminem à te vacuũ abire permittis. Deo charum, angelis amabilem, hominibuſque venerabilem reddis poſſeſſorẽ tui. Qui te habet, ſemper hilaris eſt, in proſperis humilis, in aduerſis fortis, in periculis ſecurus cuſtoditur. Qui verò proximo ſuo contumelias & irriſiones irrogare non metuit, diaboli inſtrumentũ & tuo indignũ ſe facit contubernio. Seruum etenim tuum nulli congruit irridere, ſed potius vt ſit manſuetus, benignus, & pius. Eſt & alia tentatio cæteris periculoſior, quam in cordibus ſeruorum Chriſti in cõgregatione viuentium, & minus caute conuerſantium, humani generis aduerſarius ad exterminandam charitatẽ, concordiam, & mentis trãquillitatem diſſeminare non deſinit. Frequenter nanque face æmulationis, & inuidiæ liuore quorundam accendit amoris contra aliquos collegij, ſimpliciter, humiliter, & ſolicite conuerſantes. Agitque ſuis perſuaſionibus, vt negligentibus intolerabilis ſit vita bonorum. Nam repleti huiuſmodi diabolica malignitate, & inuidiæ ſagitta transfixi profectum fratrum ſuorum proprium iudicant detrimentum. Propterea inſtigante liuore detractionibus linguæ habenas laxant, & vitam proximorum murmurationib. dilaniare non ceſſant, obſeruant greſſus, verba diſcutiunt, & mores illorum quibus inuident, ſemper diiudicant. Eorum derogant deuotionibus, eorum virtutibus laceſſuntur, eorumque bonis operibus affligũtur. Facile & pro minimo aduerſus eos quos æmulantur, turbantur, nec ſpiritu liuoris agitati ſuum valent cohibere vel diſſimulare furorem. Nõ poſſunt pacifice loqui, ſed mox vt verba protulerint, feruere intrinſecus inchoant, foriſq; contumelioſa verba iaculantur. Bonum illorum malum dicunt, ſed vel vtinam malum bonum. Inſanabilis prorſus eſt iſtorum languor. Non enim placantur blanditiis, non mulcentur obſequiis, non rationibus acquieſcunt. Quin potius quemadmodum ignis accenditur additione lignorum, ita & horum paſſio augetur multiplicatione virtutum. Hominibus inſanabilis eſt hæc ſpiritualis infirmitas. Deo autem nihil eſt impoſsibile. De eodem hoc vitio ſauciati fuere filii Iacob aduerſus Ioſeph, de quib. ſcriptum eſt. Oderant enim eum, nec quicquam ei pacifice loqui poterant. (Gen. 37.) Nam quum ad illos properaret quadam die manſuetè, & humaniter gratia directus à patre, ecce (inquiunt) ſomniator venit, occidamus eum, & videbimus, quid ei proſint ſomnia ſua. Feciſſentque inuidia inſtigante tam immane ſcelus, niſi diſſuaſiſſet Ruben. Veruntamen ipſi liuore bacchantes puerum Iſmaelitis vendiderunt, atq; venditionis germani facti ſunt noxii. De hoc quoque letali veneno ex omni parte abundauerunt Iudæorum Sacerdotes & Phariſæi contra Dominum Ieſum, de quibus in libro ſapientiæ ſic ſcriptum eſt. (Sap. 2.) Circumueniamus iuſtum, quoniã inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operib. noſtris, factus eſt nobis in traductionem cogitationum noſtrarum, grauis eſt nobis etiam ad vidẽdum, quoniam diſſimilis eſt alijs vita illius. Tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe à viis noſtris, tanquam ab immunditiis. Contumeliis & tormento interrogemus illum, & probemus patientiã eius, morte turpiſſima condemnemus eum. Hæc cogitauerunt, & errauerunt, excæcauit enim illos malitia eorum, & neſcierunt ſacramenta Dei. De hoc inuidiæ morbo quum plenus eſt animus, ſuaſione diaboli non indiget. Ipſe nanque ſibiipſi laqueus, & inſidiator eſt. Qui autem ab hac peſtifera tentatione liberari deſiderat, proximum ſuũ tanquam fratrem, tanquam cæleſtis regni cohæredem diligat, & complectatur intimis viſcerib. charitatis. Charitas nanque vera, & fraterna dilectio huius tentationis & cæterarũ, quæ de proximo, aut erga proximum generantur, eſt interẽptrix mirifica, & docta triumphatrix. Hanc quicunque in veritate poſſederit, nõ capietur à diabolo, non proximi detractor, non contentioſus, non irriſor, non inuidus eſſe valebit.

Quod pernicioſum ſit ſeruis Chriſti collegialiter viuentibus ocium, quod magnopere deuitare debent plurimis ſuaſionibus & exhortationibus, nec non qualiter illud declinare debent. Cap. XIIII.

DIuinum atque naturale ius, nec non & humanæ leges clamant, vt cui plus dilectionis, humanitatis, & muneris elargitum eſt, tãto amplius exigatur ab eo, & tãto magis ingratitudinis vitio quiſq; ſit reus, quãto cõtra honorẽ, voluntatẽ, & præcepta ſui largitoris ſegnior, atq; proteruior extiterit. Propter hoc rationalis creatura, quæ præ cæteris nobilitate naturæ, & gratuitis donis ſublimata eſt, plus cæteris ſuo debet famulari cõditori. Debet quippe ipſe hõ īfatigabiliter exercere ſe, quatenus ad cognitionem beneficiorum Dei valeat deuenire. Nũ-

quam (ſi fas eſt) deſinat excitare mentem, purgare affectum, præmonere fragilitatem, vt ad hoc attingat lumen. Contulit nanque Dei pietas hac de cauſa munera ſua hominibus, vt ex ipſis ſpiritualem conſequantur profectum. Per ſeipſum nihil Deo gratū poteſt homo agere, neque ſuis viribus, aut propria ſufficientia valet quis ſatisfacere creatori. Niſi enim deus gratis homini tribueret vnde debita ſolueret, nunquam ad indulgentiam perueniret. Dedit autem ipſa diuina bonitas rationali creaturæ plura beneficia, per quæ facile ad Dei valeat aſcendere cognitionem & dilectionem. Maxime etenim mortalium multitudini præbuit intellectus acumen, naturalium ſcientiam, fidei communionem, ſacramentorū participationem, & alia huiuſmodi veluti primitias quaſdam, vt per hæc præſtantiora mereātur munera, ſi de his ingrati non ſint. Sublimiora verò, & potiora quædam chariſmata aliquibus præſtat, in quibus ei complacet propalare latiſſimā ſuæ mirificæ charitatis gratiam ad eruditionem & excitationem illorum, qui nondum talia percipere digni habiti ſunt. Sed nullus eſt, qui de Dei excellentiſſima diffidere debeat largitate. Nunquam enim ipſius minuuntur theſauri, tepeſcit amor, dormitat prouidentia, ſapientia errat, & miſericordia ociatur. Abſque perſonarum acceptione ſemper ſe diffundit pro captu & meritis ſingulorum, ita vt nemo reperiatur, qui multarum ſit expers cęleſtium gratiarum. Excellentius tamen & dulcius ſeruis ſuis, qui iugo ipſius ſubſtrauere colla, ſe communicat. His etenim ſicut cæteris ſublimiora accipiunt dona, ita maiora debita cumulantur. Ideo tum pro debito obedientiæ, tum pro recompenſatione ſingularium gratiarum, tum etiam pro mera dilectione illius, à quo ſe diligi ex teſtimonio donorū non ignorant, debent huiuſmodi inſatiabiliter pro honore Dei pro ſalute animarum pro augmento virtutū laborare, neque tædio, aut fatigatione laſſeſcere ab expletione cęleſtiū mandatorum. Vitio nāque ingratitudinis obnoxius habēdus eſt, quiſquis magna percipiens minima negligit adimplere. Quū enim quotidie ac cōtinue diuina clementia ſe ſuorum mentibus ſeruorum propalare & diffundere non deſinat, vt illos euigilet, erudiat, repleat, & attollat, quomodo ipſi abſque maximo propriæ ſalutis periculo tabeſcere præ ignauia, & à Dei lege vel modicum declinare valebunt. Cordis quippe hebetudo, paruitas deſiderij, querimonia laborum, corporis quies, mētis diſſipatio, & præſētis vitæ amor, ingratæ animæ indicia manifeſta ſunt. Super omnia verò tēporis amiſſio abſque vlla interioris & exterioris hominis exercitatione. Hoc etenim modo ociari, Deo & hominibus odibilem reddit. A tali nāque torpore & ocio cuncti cauere debent, & potiſſimum ſerui Dei. Nam mens quæ ſic ociatur, de ſe emittere non ceſſat inutiles cogitationes terrenas, & pernicioſas. Si ipſius deſideria qualia ſint diſcutiantur, prorſus carnalia & ſine ſenſu eſſe noſcētur. Nil mundum, nil Deo gratum verſatur in illa, ſed (proh dolor) conſumit in ſe rorē cœleſtis gratiæ, ſupernæque benedictionis deſiccat fontem. Tempus enim quod illi miſericorditer ad detergendum delicta, ad promerendam gratiam, adipiſcendā veniam, ad beatam vitam poſſidendam conceſſum eſt, totū diſſipat, amittit, & paruipendit. Donum nanque tam precioſum pro nihilo ducit, & tanquam irrationale animal ſine ſenſu pro luto commutat aurum, gaudium pro dolore, temporale pro æterno. Nō præſentia cogitat lucra, non damna metuit imminētia, non futura præuidet bona. O ſi mentis oculo diligenter proſpicerent extremum diem, & horam vltimam. O ſi temporis precioſitatem conſiderare non negligerent. Nulla quippe hora, nullumque temporis momentum pertranſit, in quo non valeat quiſquis æternas ſibi congregare diuitias, & immenſos lucrari honores. Nam donec ſpiritus mortali corpori copulatus eſt, donec ſuprema dies aduenit, & mors præſentis vitæ terminum intercidit, merēdi facultas à Deo homini donata eſt. At vbi finis viuendi adeſt, pariter & promerendi gratia aufertur. Quantumcunq; enim ſanctitate homo dum adhuc in carne degit, ornatus extiterit, quamuis multipliciter ſua merita cumulauerit, nil ſuorum poſt hāc vitam, augere poteſt gratiæ meritorum. Propterea donec dies eſt, quoaduſque acceptabile tempus inſtat ad promerendum, operibus bonis & miſericordiæ actibus vacandum eſt, ne ſuperueniente noctis caligine repente anima trahatur de corporis carcere abſque vlla ſpe veniæ, vnde ſcriptum eſt. Quodcunque poteſt manus tua, inſtanter operare, dum viuis, quia neque ratio, Eccle. 9. neque ſcientia eſt apud inferos, quo tu properas. Non prætermittendum eſt vel breuiſſimū præſentis temporis ſpatium ſine ſpirituali fructu. Nam tempus ſeminandi nūnc eſt, colligendi verò poſt hanc peregrinationē. Prout vnuſquiſq; ſeminauerit, metet. Si in carne ſeminauerit, corruptionem metet, ſi in ſpiritu, vitam æternam. Carnalis autem homo hæc conſiderare negligit, dummodo in hoc ſeculo floreat, quid futurū ſit cogitare non curat. Exiſtimat ſe ſtare ſtabiliter, & temporali cæcatus fælicitate non intelligit, quod ſemper ad non eſſe feſtinat. Indeſinenter etenim fluunt tempora, & ſuccedentibus ſibi ſpatiis tanquam torrens inundans reſoluuntur in nihilum, dilabuntur ſine vlla mora, ita vt quum eſſe cœperint, raptim tranſeant vt non ſint. Adeo nanque præteritis futura ſuccedunt, vt præſentium non appareat locus. Suo nēpe curſu, ſuaque velocitate mouet omnia tempus. Eo autem diſcurrente vniuerſam ſecum

trahit

trahit in hoc exilio poſitam creaturā, defectus ipſius cæteris rebus finem immittit, ita vt hanc ipſius legem nemo ſit, qui poſſit euadere. Hoc clamant præteritæ generationes, hoc deſolata regna, hoc vrbes euerſa, hoc collapſa mœnia, hoc ipſa quotidiana experientia proteſtatur. Animaduerte igitur ò ſerue Dei ocioſe, ò quiſquis es, qui ad Dei ſeruitium poſitus negligenter dies tuos peragis, quia decurrente tempore pariter tu quoque letho appropinquas. Quum verò extre-
Iſa.38. mus aderit dies, quum ſuprema mortis hora te de corpore exire compellet, tunc (& vtinā non ſerò) cognoſces quanti æſtimare debueras præteritum quod abſque vllo ſpirituali profectu inaniter conſumpſiſti tempus. Recogitabis ipſa hora tranſactos annos tuos in amaritudine animæ tuæ. Talique conſideratione cruciabuntur interiora tua, atque indicibili pœna damni dilaniabitur cor tuum, quoniam vno fine, & æquali conditione defecerunt tibi peccati delectatio, peccandi facultas, & tempus pœnitentiam agendi. Non erit qui de te tam laborioſo valeat liberare conflictu, neque qui vel vnius horæ ſpatium tibi poſſit indulgere ad tuorum ſatisfactionē delictorum. Non ſcientia diu ſtudioſe acquiſita, nō facultates per multa tempora congregatæ, non amicorum, propinquorumq; ſolatia, & lacrymæ te ab examine iuſti iudicis eripere valebunt. Fruſtra tunc de profeſſione regulari, de habitu ſanctitatis, & de mortalium opinione tibi applaudes. Hęc etenim potiſſimū contra te clamabunt, hæc aduerſum te teſtificabuntur. Quis nanque ignorat, quod ſtatus ſublimior, habitus religioſior, gratia ſingularis ſanctiorem exigunt vitam & conuerſationem excellentiorem? Quid reprehenſione dignius, quàm ornamēta ſumpſiſſe regalia, & in lutoſis operibus tota die verſari? Bellica quippe arripuiſſe arma, & ad prælium recuſare accedere propter metum, valde ridiculoſum eſt. Non tamen minus vituperabile eſt mundo ſolo corpore & hominum aſpectibus renunciaſſe, atque in monaſterio ocioſam ducere vitam. Cōſidera o ſerue nequam, piger, & ocioſe, quod in ſtadio certaminis poſitus es. Oportet enim te pugnare, alioquin miſerabiliter occideris. Omnis tibi fuga interdicta eſt, & pugnandi indicta neceſſitas. Non autem putes te eſſe ſecurū, quia ad monaſterium confugiſti. Quid (oro te) prodeſt æquoris euaſiſſe procellas, mariſq; pertranſiſſe pericula, & in portu præ negligentia periclitari? Multi nanque pereunt ſecuritate. Pericula quippe hominem (vt plurimum) circunſpectū, vigilantem, ſolicitum, & robuſtum faciunt, ſecuritas verò dormitantem, lentum imprudentem, & remiſſum. Sed donec viget fames, donec viuit caro, donec diabolus inſidiatur, noli eſſe ſecurus. Vbique laquei, vbique bella, vndique pericula, vndique tentationes. In ſolitudinibus, in foris, in domibus, in congregationibus, in monaſterijs non deſunt pugnatores, & pugnæ. Quocunque pergis ò piger, reperies inimicos. Mundus hic inſidiis plenus eſt. Nullum locum, nullum tempus inuenies, in quo valeas eſſe ſecurus. Siue enim dormias, ſiue vigiles, vel comedas, vel ieiunes, te vt impugnet, obſeruat aduerſarius. Quum legis, quum oras, quum proximo miniſtras, quum manibus operaris, expedit, vt lucteris, ne cadas. Si fugis in ſecretum cellulæ tuæ, ſi cum proximis conuerſaris, ſi aliquantulum fragilitati carnis indulges, adeſt diabolus. Quomodo igitur potes in medio tot periculorum, tā crudelium inimicorum, & tantarum inſidiarū conſtitutus ſecurus eſſe? Ocioſum nanque te intuens aduerſarius irruit repente ſuper te, & nullo illi renitente vinculis ſuæ malignitatis te tenens aſtrictum ducit te, quò vult. Eſto aūt quod diabolus deſinat impugnare, nonne conſideras, quod tu tibi acerrimus es perſecutor? Attende (oro te) concupiſcentias procreatas in carne, innatas neceſſitates, & inueteratas conſuetudines, contra quas euaginatum ſemper oportet vt teneas gladium ſpiritus, & tunc quàm ſolicitus eſſe debeas, facile conſiderabis. Si ad animæ languores, ad paſſiones vitiorum, ad hebetudinem mentis, ad deſideriorum ſeculi lenocinia, & ad inutilium noxiarumque cogitationum innumerabilem exercitum accommodabis intellectum pene deſperabis etiam fortiter luctando poſſe euadere. Quanto magis autem ocioſe viuendo. Quod ſi nec temporis decurſus infatigabilis, nec pericula præſentis vitæ, & inſidiantium dira rabies, nec propriæ infirmitatis grauis ſarcina, & implacabilis inimicus operarium te efficiunt, vel ſaltem pudeat te cæteris laborantib. creaturis, ociari. Omnia nanque, quæ omnipotens creauit ſiue in cælo ſiue in terra, iniunctum ſibi a Deo exhibent miniſterium. Et tu ò tepide, qui angelicam vitam ducere crederis, qui ſanctitatis habitum induis, qui cęleſtia gaudia contemplari debes, qui laboribus pauperum & eleemoſynis egenorum ſuſtentaris, vis eſſe ocioſus. Suſpice cælum, & Solis, ac Lunæ, ſtellarumque infatigabilem curſum contemplare. Terræ arbuſta, herbarum germina, cælorum volatilia, terrarum reptilia, acquarum piſces, & omnium genera iumentorum quadrupedum, & ſerpentium diligenter attende. Et ſi qua videris ab ingenita lege naturæ, vel ab impoſito conditoris ordine aliquantulum declinare, atque ab incepto actu in vllo deſiſtere, edicito. Hæc omnia coram vniuerſitatis Domino aduerſum te teſtimonium dicent. Nihil enim de operibus naturæ ocioſum reperies, & tu ſolus vis ab opere vacare, qui plus cæteris ex debito iuſtitiæ aſtringeris Dei mandata ſeruare? Conſidera quoq; ò piger, quod in ipſa cælorū militia,

& angelorum innumerabilis exercitus a ſuo propter quod conditi ſunt, non ceſſant opere. Nam (Dan. 7.) millia millium miniſtrant æterno Deo, & immortali ſeculorum regi, ſuoque famulantur imperio, & tuo inſeruiunt profectui. Decies verò centena millia eidem aſsiſtunt ſine vllo proculdubio temporis interuallo laudis ſacrificium offerẽtes. Putas ne quod Dominus Deus te de duris ſeculi eduxerit laboribus & de oneroſo commercio mundi in maligno poſiti liberauit, vt in clauſtro ocio tabeſcas? O ingrate piger, an ignoras, quod agrorum cultores, artifices mœchanici, terræ negociatores, populorum iudices, prouinciarum duces, gentium reges, omnèque genus humanum vtriuſque ſexus & cuiuſcunq; cõditionis ſi prudenter attendit, ad tuum ſunt quoquomodo deputati obſequium. Quare hæc conſiderare negligis. Cur illis laborantibus & tibi miniſtrantibus tu dies tuos inutiliter tranſis. Vt quid manum ſub axilla tenens maximam tuæ vitæ partem ocioſe conſumis. Proh pudor, quotidie ſedes per monaſterij clauſtra, per angulos domus vaniloquia tractando, ſcurrilia ſectando, & inutilia, atque pernicioſa cogitando. Diſcurris huc illuc, nunc clamitando, nunc ridendo, nunc curioſa, nunc ocioſa, peragendo. Non aduertis ò miſer, quod inertia tua, & infructuoſa conuerſatio ſcandalum generat fratribus tuis pro te laborantibus. Memento Dominum dixiſſe. (Matt. 18.) Qui ſcandalizauerit vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Remiſsius tibi fuiſſet quiſquis talis es, ſi in operibus hominum, ſi in mundi huius negociis omni tempore vitæ tuæ deſudaſſes pro veſcendo pane, quàm in clauſtro poſitum, & militiæ Chriſti aſcriptũ ocioſe, & abſque virtutis exercitio dies tuos finire. Seruus namque piger qui nullum de talento accepto reportauit lucrum, & à Domino expoliatus ac reprobatus eſt, huic præfatæ ſententiæ teſtimonium perhibet. Iſto etenim exemplo omnium hominum, & præcipue ſibi famulantium voluit Dominus dãnare ocium. Proinde diuinæ vocis oraculo eruditus ò ocioſe tuam expelle pigritiam, mentem excute, & ſingula corporis membra ab hac lethali peſte redimere ſtude. Noli dehoneſtare ſtatum tuum, quoniam angelicus eſt. Supra naturam, ſupra humanas vires, præter communem hominum vſum eſt vocatio tua. Talis igitur ſit conuerſatio tua, qualis congruit ordini & profeſsioni, cui militare elegiſti. Sentiant quoque ſentiant orationum tuarum fructum, qui purgantur in igne, & qui in camino tribulationis conſtituti ſunt, ac etiam quotquòt ipſarum ſuffragia ſeu ſupplicando, ſeu eleemoſynas erogando flagitarunt à te. Aedificentur inſuper & cuncti te aſpicientes de tua modeſtia & ſolicita exercitatione. Trahantur vniuerſi, qui aſperſi ſunt lumine ſupernæ gratiæ ab odore ſanctitatis tuæ, quatenus imitatione tui, & ipſi ſpreto ſeculi luxu, & terrena ſubſtantia Chriſti fideles efficiantur diſcipuli. Gaudeant omnes ciues cœleſtis Hieruſalem ſuper te, & de tua laudabili conuerſatione, & infatigabili promptitudine dignas gratiarum actiones, & excelſa præconia perſoluant omnipotẽti Deo, qui quum vult, de puluere eleuat egenum, & de ſtercore pauperem, vt ſedere eum faciat cum principibus, atque teneat ſolium gloriæ. (1. Reg. 2.) Lætetur quoque anima tua pro acceptis muneribus & pro augmento ſpiritualium donorum, quæ perceptura eſt. Nam iuxta Domini ſententiam omni habenti deſiderium proficiendi dabitur facultas, & abundabit (Matt. 25.) diuitiis cœleſtibus: ei autem, qui non habet, etiam id modicum religioſitatis quod videtur habere, auferetur ab eo. Noli (precor) te tantis fraudare bonis ſpiritualibus per ocium & inertiam. Neque velis omnes priuare electos gratia charitatis, qui laudabilium actuũ tuorum ex cõtubernio dilectionis efficiuntur participes. Exultent angeli, & congratulentur regnantes cum Chriſto, vtpote in ſuum quandoque te recepturi conſortium. Hec nanque facile aſſequeris, ſi viriliter, & perſeueranter omnem à te propulſaueris torporem, atque ſi ſemper aut interius, aut exterius in aliquo virtutis exercitio fueris occupatus. Habeto tamen tecum duos coadiutores veraces, vnum à dextris, & alterum à ſiniſtris, quorum ſtimulis indeſinenter agitatus, ocium fugias, & ad perfectionis arcem aſcendere non tepeſcas. A ſiniſtris habebis timorem pœnæ, à dextris verò Dei amorem, & beatitudinis deſiderium. Vt autem timere valeas, iugiter memorare ineuitabilem mortis neceſsitatẽ, ipſius incertum euentum, horrendum chaos, ignis inextinguibilis ardorem, & inferni æternum væh. Sed vt amoris delectabilem guſtum in te excitare poſsis, ne ceſſes cogitare Domini Ieſu inedicibilem charitatem erga te, actualem Dei prouidentiam, ſupernæ felicitatis concupiſcibilem gloriam, ſanctorum omnium communem lætitiam, & beatorum ſpirituum omnium delectabilium abundantiam. His cogitationibus alternaris ſuo loco & tempore fugatur ocium, tepor expellitur, negligentia abigitur, amor accenditur, calor excitatur, mens erigitur, animi alacritas reſumitur, & bene operandi ſuperabilis vigor roboratur. Hæc nanque omnia Dei ſeruo ad perfectionem tendenti neceſſaria ſunt. Nam tanto vnuſquiſque in Dei ſeruitio fit promptior, quãto timore & amore fuerit locupletior.

Quod

Digitized by Google

Quòd ſerui Chriſti cum magno affectu diligere debent ſilentij virtutem, & lingua lapſum toto poſſe vitare, per quem maxima animæ oriuntur detrimenta, & in quibus occupare ſe debeant ſermonibus, qui Domino placere appetunt. Cap. XV.

DVm terreni reges & gentium principes vrbium ſuarum poſſeſſores pacifici fieri appetunt, hac prudentia, & huiuſmodi ingenij calliditate vtuntur, vt vi ſcilicet de ciuitatibus amoueant, & condemnent quotquot ſui principatus ſuſpectos habēt, ac ſuę dominationi aduerſarios effici poſſe formidant quatenus ablatis ſeditionis fautoribus, tutè, & abſque metu, valeant dominari. Conſueuit quoque doctus agricola vomere radicitus ſentes ex agro diuellere, ne forte ſi reuiuiſcerēt, & denuo germinarent, ſeminatæ ſegetis immaturum præfocarent fructum. Sic quilibet Chriſti ſeruus, ſic quiſquis animi ſui inordinatis moribus pacifice principari deſiderat, & ſpiritualem fructum Deo amabilem ex agro interioris, exteriorisq; hominis proferre cupit, agere non deſiſtat. Studeat nanque ſolerter abdicare à ſe omnem cordis ſui fictam & coinquinatam intentionem & affectionem, atque ſupprimere pernicioſum, & inordinatum vſum membrorum corporalium, vt ſegregata & ſopita per virtutis habitū, & continentiæ magiſterium vtriuſque hominis carnali & vitioſa conſuetudine, Deo pacifice, & ſuauiter vacare queat dominatrix anima, atq; per laudabilia ſpiritualis exercitationis opera fructum ex ſe valeat vberem producere iuſtitiæ. Habent quippe cuncta corporis membra actuum ſuorū reprehenſibiles motus, habent ſpiritui aduerſantes, inolitaſque concupiſcentias, de quibus innumerabilia generantur delicta, quæ niſi diſciplinæ rigore diligenter conculcentur, graue animæ pondus inferunt, miſerabilemque ruinam. Quis etenim oculorum ſine prohibitione vane & curioſe circumſpicientium, valet humano ſermone narrare concupiſcentias, quas hauriunt ab exterioribus & lethaliter trāſmittunt ad cor. Quis tanta pollet prouidentia & tantæ cuſtodię ſui munitus eſt clypeo, vt à telis cōcupiſcentiarum oculorum liber exiſtat. Ab ipſis enim dominandi amor, indumentorum faſtus, morum elatio, diuitiarum cupiditas, domorum, agrorumq;, & habendi inordinatus procreatur affectus. Adulteria, fornicationes, furta, homicidia, vitæ luxus illecebroſus amor, & quamplurima alia vitiorum genera ab his fomētum accipiunt. Quis aurium, narium, manuum, pedumve, aliorumq; membrorum corporis, humana poteſt reſerare facundia quanta ſint peccata, quàm enormia, & quàm Deo deteſtabilia. Hæc nanque quia inexplicabilia ſunt, melius ſilentio quàm calamo traduntur. Præ omnibus autem alijs linguæ membrum diuturna, & mala deprauatum conſuetudine pernicioſus operatur. Eſt quippe modicū membrum (vt ait Iacobus Apoſtolus) & magna Iacob 3. exaltans. Ignis quoque eſt vniuerſitas iniquitatis. Nam lingua conſtituitur in membris noſtris quæ maculat totum corpus, & inflammat totam natiuitatis inflāmata à gehenna. Omnis etenim natura beſtiarum, & quadrupedum, & ſerpentium, & cæterorum domantur, & domita ſunt à natura humana, linguam autem nullus domare poteſt. Inquietum nanq; eſt malum plena mortifero veneno. De ipſa verò tāquam de ſuo fonte indeſinenter emanant hi iniquitatum riuuli, ſcilicet iuramentum, periurium, blaſphemiæ, cōtra Deum murmuratio, proximi detractio, adulatio, mendacium, maledictio, infamatio, contētio, impugnatio veritatis agnitæ, diſcordiæ ſeminatio, proditio, falſum teſtimonium, deriſio, contradictio obedientiæ, vaniloquium, multiloquium, ſtultiloquium, turpiloquium, verborum curioſitas, iactantia, peccatorum defenſio, rixa, riſus, lenocinium, & alij multi. Hæc autem omnia ſola taciturnitatis cenſura declinantur. Qui verò ſilentium negligit, ſciat ſe peccatorum memoratos laqueos prorſus vitare non poſſe. Nihil enim ita incongruum homini Deo famulanti, & ad perfectionem tendenti reperitur, ſicut effrænata lingua nullo conſiderationis moderamine religata, quę omnem mentis vnitatem diſſipat & occidit. Ideo qui Deo vacare, & inhærere elegit, hanc regat, hanc refrænet, hanc ſub rationis Dominium ſubigere conetur. Eſt nanq; ianua per quā ſæpe diabolus ingreditur ad cor, & per quam patet omnis interioris hominis ſtatus. Vbi enim incompoſita eſt lingua, ibi nil poteſt eſſe occultum. Hæc ſi moderetur, reddit hominem moribus ornatum, mente tranquillum, conſcientia ſincerum, & cunctis amabilem. Nemo ſapiens, qui verborum ſuorum pondus non diſcernit, exiſtimandus eſt. Priuſquam proferantur, diligenter examinanda ſunt verba, quum.n. indiſcuſſa emittantur, ſine reprehenſione eſſe vix poſſunt. Prout ſuggerit animus, imprudens loquitur. Qui verò Deo placere cupit, taciturnus erit. Non eſt æternæ ſapientiæ verus amator, qui procaciter loquitur. Pacifica autem mens cultrix Dei, & virtutum amatrix, atque in oratione pure, ardenterque Domino aſtare deſiderans prouida gubernatione intra clauſtra ſilentij cohibet linguam. Nil enim ſic diſſoluit mentem, compunctionem diſſipat, confuſionem adducit, denigrat honeſtatem, & interioris guſtus dulcedinem tepefacit, ſicut inanis, & præſumptuoſa loquacitas Ob mutui (ait Propheta) & humiliatus ſum, & ſilui à bonis, & dolor meus renouatus eſt. Propter hoc concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis. Nam quemadmodum ignis quanto magis in vnū colligitur, tanto amplius nutritur,

& flammas euaporans ſurſum impetuoſius erũpit, ita & mens, quum diutius intra ſe commorata fuerit, & ardentius per amoris incendium vrit in ſe, & per deſiderium eleuatur in Deum. Sed ſi tunc verba quædam protulerit, tota ignita, ſapientiæ nectare condita, veritatis ſplendore irradiata, & diuinarum laudum ſuauitate plena erunt. Sic matrem Domini glorioſam egiſſe legitur. Nam poſt ſpiritualem & angelicam ſalutationem, poſt verbi ineffabilem ex ſe incarnationem, poſt deſideriorum humilium ardorem, & innumerabilium gratiarum exhibitam Deo actionem, poſt Heliſabeth tacitam ſalutationẽ, tanquam pleniſſimum vas odoramentorum cęleſtium in ſe nimia ardens charitate, quum os ſanctiſſimum aperire cœpit, eructauit canticorum illud eximium, canticum æternis iubilationibus plenum, & ſacramentis multis refertum, & ait. Magnificat anima mea Dominum, & exul-
Luc.1. tauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo, &c.

Nec mirum. Nam tacentes & orantes Dominus vt plurimum viſitare dignatur. Non autem tantum deuotione viſitat, ſed etiam ſapientia imbuit, & diſcretione erudit, vt ſciant quid eos oporteat loqui. Hoc nanque in Chriſti diſcipulis præceſſiſſe nouimus. Ante enim Chriſti reſurrectionem eoſdem rudes ingenio, literis inexpertos, mente timidos, carnales ſenſu, & diuinæ legis ignaros fuiſſe cognoſcimus. At vbi Dominus cęlos aſcendit, poſtquam in ſilentio orationi vacare cęperunt, Spiritusſanctus ſuper illos deſcendit abundè, omniumque linguarum ſciẽtiam, omnium dogmatum diſciplinam ipſis tribuere dignatus eſt. Tantò quoque verbi Dei
Pſal.18. imbre, tanta fortitudine & ſpirituali intellectu eorum corda repleuit, vt breui temporis ſpacio in omnem terram exiret ſonus prædicationis eorum, & in fines orbis terræ verba eorum audirẽtur. Hoc etenim exemplo poſteros ſpiritus Ieſu docere voluit, vt nemo publice loqui audeat, niſi prius in ſecreto cordis ſilentio per orationis ſtudium inſtruatur ab ipſo. Ezechiel quoq; propheta antequam prædicationis officium ſume-
Ezech.3. ret, reuelationum myſteria vidit, & Dominum audiuit ad ſe loquentem verba hæc. Fili hominis omnes ſermones meos, quos loquar ad te, aſſume in corde tuo, & auribus tuis audi, & vade, ingredere ad tranſmigrationem, ad filios Iſrael, & loqueris ad eos, & dices eis. Hæc dicit Dominus Deus, & cætera. Propterea quicunq; ſapientiæ verba vtiliter fari deſiderat, in ſilentio prius diſcat intus, quod poſtmodum viua voce foris loquatur. Re; quippe, vera nullus ſcit fructuoſe loqui, qui ignorat prudenter tacere. Taciturnitas nanque bene loquendi principiũ eſt. Nec quenquam mouere debet ſane intelligen-
Hiere.6. tem, quod per Hieremiam Prophetam dicitur. Vhæ, mihi quia tacui. In perſona enim [illegible]e loquitur prælatorum animas regentium, quib. omnino ſilentiũ interdicitur, ad quos Dominus per Eſa.58.
Eſaiam dicit. Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuã, & annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. Graui itaq; crimine reos ſe eſſe cognoſcant, atque ingenti ſupplicio plectendos eſſe nõ dubitent, qui paſtorale officiũ habentes ſubiectorũ delicta corrigere diſſimulant, & zelo fraternæ charitatis frigidi nullo exhortationis verbo eos ab erroris tenebris reuocare conantur. Tales propheticus ſermo redarguit, quum ait. Canes muti non valen- Eſa.56.
tes latrare. Nam quemadmodum latratibus canum lupi à gregibus arcentur ouium, ita clamoribus prædicatorum maligni ſpiritus, & vitia fugantur à conuentu populorum. Nemo igitur præſumat paſtorale onus aſſumere, qui idoneus non ſit ad alios docendos verbis, vel moribus, & vitæ ædificandos, qui autem aliter audebit, caueat ne pereat. Vnde ſicut rectoribus animarũ omnino congruit alios admonere, ne per ignorantiam deuient, & per negligentiam ab incepto propoſito tepeſcant, ita ſub obedientia pręſidentium, & monaſterij diſciplina poſitis prorſus conuenit ſilentium, ne aut præſumant, aut proximis ſcandalũ ingerant. Pone (inquit Pro- Pſal.140.
pheta in perſona talium) ò Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circunſtantiæ labiis meis, vt non declines os meum in verba malitiæ. Nec ab re, hæc Propheta ſanctus orando poſcebat à Domino. Sciebat enim quod effrænata lingua nullo tẽperantiæ fræno religata, facile in detractionis & contentionis ſermonem dilabitur, atque ex hoc toti congregationi ſcandalum efficitur, & pacificis mentibus tanquam ignis deuorans. Ab hac ergo peſte inconſideratæ locutionis, & à damnabili conſuetudine garrulæ loquacitatis ſummopere immunes ſint, quotquot ſub obedientia in monaſterio Deo militare ſtatuerunt. Diſcant quando & quomodo debeant proferre ſermonem. Silentii etenim virtus hæc eſt non ſemper tacere, ſed illa ſola, quæ loqui non licet. Hanc nanque diſcretionis regulam multi ignorantes grauiter delinquunt. Quidam enim ipſorum extremo ſe reſtringunt ſilentio, & ſolã taciturnitatem virtutem eſſe putant. Tacent vtilia proferre iis, quibus prodeſſe valerent, & interdum neceſſaria proximis interrogantibus reſpondere negligunt. Huiuſmodi quippe diſcretione carentes proximis ſcandali occaſionem præbent, & ſibiipſis inſidiatores efficiuntur, dũ proximorum mentem & fraternam charitatem, quæ ſilentio maior eſt, offendunt, & grauẽ in ſe excitant luctam iudicando, & condemnando loquentes. Alii quoque reperiũtur, qui ideo tacẽt, quia loqui non audent, aut neſciunt. Tales tamẽ cogitationũ tumultus patiuntur in corde, & intus abſque ceſſatione loquuntur, atque nullo reſpon-

reſpondēte rixas agunt, clamores ingeminant, iudicia verſant, interrogant, opprobria inferunt,& amplius quam vociferantes in foro ſilentij cenſuram dilaniant. De his ſcriptum eſt. Psal. ii. Labia doloſa in corde & corde locuti ſunt. Nemo iſtorum ſibi ſilentij virtutē arroget,nullus talium de ſua ſibi applaudat taciturnitate. Cuncti nanque prudentiæ lumen non habentes,in ſuis decipiuntur cogitationibus. Regium etenim ſilentij Pſal. 38. iter patefacit Sanctus Propheta, quum dicit in Pſalmo. Dixi cuſtodiam vias meas,vt non delinquam in lingua mea. Non vt taceam(inquit)ſed vt non delinquam. Fugiant igitur omnes, Domino Ieſu placere cupientes,extremum ſilētiū. Colo. 2. Fugiant quoque ocioſa, contentioſa, detractoria, inhoneſta, adulatoria, & pompatica verba, & ſecundum Apoſtoli ſententiam ipſorum ſermo, ſemper in gratia ſit ſale conditus, ita vt valeat ædificare audientes. In omni loco & tempore adhibeant ori cuſtodiam, & præcipue quum humanitatis gratia ſimul congregātur. Tunc nil indiſcuſſum proferant,ſed quod ædificet,loquātur. Sic enim ſanctos patres virtutum ſectatores, zelatoreſque animarum olim egiſſe legitur. Statutis quippe diebus è proprijs egredientes cellulis vtilitatis cauſa conueniebant in vnum. Eo itaque tempore nihil reprehenſibile audiebatur in eos. Non extollentiæ,non murmurationis, non irritationis verba ſonabant,ſed totum, quod dicebatur, animæ cibus erat, vnde ſpirituales nutriebantur ſenſus. Ibi modeſta locutio, vilis habitus,humilis conuerſatio, lacrymarum effuſio, compunctionis & dilectionis gemitus relucebat. Nec quiſquam ſine ſpirituali profectu inde diſcedebat, quia omnes propter communem & priuatam vtilitatem cōueniebant. Iuxta ipſorū laudabile propoſitum Dei clementia mirabiliter operabatur in ſingulis. Sed heu hodie nō ſic. Nam rarus inuenitur, qui ædificationis verbum poſſit pronunciare. Rarior autem,qui ex operādi deſiderio ad audiendum ſit auidus. Frigeſcente nanque ſpiritu,& ab interna exercitatione ceſſante deficiunt,qui conuenire in vnum cupiant, & vtilia, quæ proferantur,verba. Quod abſque ſeruorum Chriſti ignominia non fit. Videmus nempe agricultores quum in vnum coadunantur,repente & ſine tædio de ijs,quæ agriculturæ ſunt,ſermocinari. Artifices mœchanici de artificijs ſuis, mercatores de mercimoniis, oratores de ſuis facultatibus confabulari. Et(proh dolor) ſoli Dei ſerui quæ proprio congruunt ſtatui,audire vel loqui non curant,aut ignorant. Si tamē conueniant ſimul, vt plurimum tacent propria & vtilia,& de alienis proloquūtur negocijs. Quū vana audiunt,& ſcurrilia loquuntur, intēti ſunt, quum verò ſpiritualia,cito fatigantur,& perſępe Exod. 16. miſerabiliter mergūtur ſomno. Sicut enim olim filij Iſrael de Aegypto egreſſi cœli cum mannæ cibum faſtidientes concupierunt ollas carnium, pepones & allia,ita & hi Dei verbum, animarū pabulum dulciſsimum ſubſannantes, quæ mūdi ſunt,interdum votis cupiunt,ſermocinationibus verò ſępiſsime pertractant. De talibus autem nequaquam tam frequenter fabularentur,niſi in ipſorum amore detinerentur. Commorantur etenim in paſcuis virentibus & reſident iuxta fluenta pleniſsima,& tamen fame tabeſcunt,ac ſiti periclitantur. Expellunt à ſuo conſortio ſanctos angelos, ipſumque Dominū angelorum ſuis ad iram prouocant inanibus verbis. Non enim ipſorum cętibus delectatur totius ſanctitatis Dominus. Vbi verò humiles congregantur ſimul,vbi vtilia pro animabus,vbi ſpiritualia,& cæleſtia tractantur,ibi adeſt Dominus. Vbi nanque fuerint duo vel tres in nomine meo congregati (ait Dominus Ieſus)in medio eorum ego ſum. Matt. 18. Quantū autem Domino placeant, qui diuina proferunt eloquia,& quàm gratanter cum eiſdem conuerſetur,poſt reſurrectionem patenter declarare dignatus eſt. Cum duobus quippe diſcipulis pergētibus in Emaum,& colloquentibus de iis,quę acciderant de eo, & ipſe tertius comes effectus eſt cum illis confabulans, & incedens. In medio ſimplicium habitat Dominus, & cum ipſis ſermocinatur. Vbi verò detractiones & nugæ fiunt abeſt. Neque enim particeps peccatorum eſſe poteſt Saluator noſter. Quomodo autem approbare valebit, quod idem minatus eſt iudicare. Matt. 12. De omni (inquit) verbo ocioſo, quodcunque locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicij. Nam ſi exigetur ratio de ocioſis ſermonibus, quid Dei irriſoriis,mēdacibus, murmuratoris, & huiuſmodi, qui omnino ſeruis Chriſti non congruunt? Sunt tamen multa verba,quæ in ſe ridiculoſa & vana eſſe videntur,quę interdum prudenter & opportuno dicūtur tempore, vel pro propria ſubleuanda fragilitate,vel proximorum amouenda triſtitia. Hęc nēpe talia ab infirmis mentibus nequaquam redarguenda ſunt,quia ocioſa non ſunt. Plerunque huiuſmodi magis fructificant, quàm ſpiritualia & diuina. Non autem in conſuetudinem deducenda ſunt ſub intentione ſubductoria, ſed rarò ſuo loco & tempore pronuncianda. Iacob 3. Laude nanque digniſſimus eſt,qui intentione non decipitur ſimulata. Qui verò non offendit in verbo,ille perfectus eſt vir. Studeāt ergo Chriſti ſerui,quū in vnum congregantur,& inuicem reperiuntur, ſemper de rebus neceſſariis, vel de animæ profectibus habere ſermonem. Maximam nanque & indeficientem loquendi materiam inuenient ſi de miſeria præſentis vitę,de periculis huius peregrinationis, de variis tentationum generibus de diaboli fraudibus,& de vitiorum difformitate,de virtutum ornamentis & meritis,de mortis ineuitabili neceſsitate, de pœnis inferni, de regno

gno Dei,& præmio paradiſi, frequentius verò de Dei ineffabili charitate humano generi per Chriſtum & in Chriſto exhibita. De huiuſmodi autem tam pro Dei amore & dilectione, quàm pro audientiũ ædificatione & ſummo profectu Dei ſerui tractare non deſinant ſpiritualibus ſpiritualia propinantes. Dent verò vnicuique proprium verbi pabulum iuxta perſonarum qualitatem,& temporum. Nemo autem de ignorantia

Luc. 21. excuſare ſe valet, quum Dominus per Prophetã dicat. Aperi os tuum,& implebo illud. Quod patenter in ſe Dauid completum fuiſſe teſtatur,

Philip. 4. quum dicit. Os meum aperui,& attraxi ſpiritum. Non enim tam compoſita verba,& humanę ſcientiæ eloquentia ornata, quàm ignita,& puro pro-

Psal. 89. lata corde approbat Dominus. Sicut duo viduæ pauperculæ minuta grata effecit ſaluator, ita virtutem tribuet euangelizanti ſimpliciter. Abſque ſpirituali nanque fructu eſſe non poteſt, quicquid de fonte producitur charitatis, quia non ſcientem, ſed amantem diligit omnipotens.

Quòd Chriſti ſeruus conari debet à ſe abijcere ſuperabũdantem triſtitiam, quæ multorum malorum, & præcipuè deſperationis cauſa exiſtit. Et ſecundum Deum quum delinquit, dolere ſtudeat. Semper autem in Domino iuxta Apoſtoli ſententiam gaudere diſponat. Cap. XVI.

Psal. 118. CVnctis ad montium altitudinem, & ad ſublimium celſitudinem collium aſcendere deſiderantibus duo potiſsimũ neceſſaria eſſe noſcuntur. Vt videlicet deponant omne temporalium onus, quo grauantur, & excutiant à ſe animi puſillanimitatem,& patiendi metum, qui vtique oritur ex aſſumpto laborioſi, & difficilis aſcenſus propoſito. Altero nanque horum deficiente quum intolerabilis ſentiatur itineris labor, aut vix, aut nunquam attingetur quo tenditur. Sic ſic prorſus expedire ſatẽdum eſt iis, qui arduũ perfectionis iter aggreſsi ſunt, & ſub obedientiæ agone in monaſteriis decertare pro Domino elegerunt. In ipſorum etenim conuerſationis exordio non negligant à ſe abijcere omnem terrenarum rerum perituram facultatem,& propriæ voluntatis deprimens & importabile põdus, atq; puſillanimitatis patiẽdi pro Chriſto,& triſtitiæ grauem ſarcinam, ne forte huiuſmodi fatigati preſſuris compellantur ex tædio diuturni itineris ab arrepto languere propoſito. Hæc nanque ſi adſint, plurimum degenerare faciunt Chriſti militem pergentem ad pugnam. Nec de talibus victoria ſperanda eſt, quũ in ipſo ingreſſu certaminis ſuccumbant, & ſibiipſis impugnatores exiſtant. Propterea quicũque volucri curſu,& indubitanti animo ad faſtigium anhelat perfectionis aſcendere, ſpretis temporalibus diuitiis, & propria abdicata voluntate nudus nudum crucifixum imitari non deſinat. Sua eroget, ſeipſum pro Chriſto vendat, vt læta frõte, & mente libera corã Domino ſemper valeat apparere, nec hoc ſolo contentus ſit commercio ſed aliud æque neceſſarium poſsidere feſtinet. Summo enim cum ſtudio de proprio corde propulſare non differat animi puſillanimitatem, internam conſumentem fortitudinem, & ignauiã ſpiritus, mentis vigorem extinguentem, atque cordis triſtitiam, quæ animam ſibi fœderatam iugiter deſperationis mucrone confodit. Peſsima quippe peſtis eſt, irrationalis & ſuperabundans triſtitia, quæ omnem prorſus adimit proficiẽdi fiduciam. Ipſa verò proſtrata magnũ poſt ſe trahit ſpei ſolatium. Deſiccato autem fonte internę ſpei illico tota mens deuotione areſcit, tabeſcit ignauia, dormitat præ tædio, triſtitia opprimitur tentationibus agitatur, deſperatione confunditur, cogitationum confuſione colliditur, affectionis dulcedine priuatur, pauore repletur, animi vigore ſpoliatur, tenebris inuoluitur, lumine ſpirituali ſpoliatur, formatæ fidei iucunditate caret charitatis pabulo ieiuna iacet, præſẽtia mala omnino pati recuſat, & æterna præmia obtinere non ſperat. Sicque ad omne ſpirituale ſtudium inutilis effecta ſibiipſi immenſam lapſuũ foueã ſubminiſtrat. Quoniam autem nil tam indignũ Dei ſeruo cognoſcitur, quàm à guſtu ſpei diuinę deficere, & triſtitiæ tabe ſeipſum confundere, caueant quotquot Deo placere deſiderant, ne proſternantur ab illa. Ipſam manu ſancti deſiderij,& dulcedine ſpiritualis gaudij abigant à domicilio mentis, atque toto conamine charitatis viſcera obtinere ſatagant. Quod ſi aliquãdo permittente Domino, aut ex fragilitate propria, aut impulſu tentationum delinquunt, triſtentur quidem, ſed menſurate, ſed humaniter, ſed ſcienter ſed confidenter. Quantumcunque enim cadãt, quamuis ſpiritu tepeſcant, nunquam tamẽ amittere debent orandi fiduciam, nunquam carere debent ſpe reſurgendi. Deſperatio nanque in minimis etiam deteſtanda eſt. Hac qui percuſſus eſt, à venia alienus eſt. Ideo aſtute antiquus hoſtis vigilat, vt ipſum immittat in animam, & per eam delinquenti obſtruat aditum accedẽdi ad Deum & exorandi. Ipſo autem clauſo facile committitur omne ſcelus. O quoties ſub ſpecie boni, & ſub imagine ſanctæ cõpunctionis inexpertos, & ad ſpirituale certamen indoctos ludificat diabolus,& occidit. Latenter nanque inuenit occaſionem intrandi ad ipſorum cor, & tanquam angelus lucis ſuadere conatur huiuſmodi redire ad ſe,& humilitatis cauſa ſuorum diligenter conſiderare ſarcinam peccatorum. Hoc ipſis minus caute peragentibus idẽ aduerſarius paulatim aggregat dolorem, aggrauat delictum, accẽdit triſtitiam, & auſert ſpem. Nec prius hi inſidiatoris calliditatem agnoſcunt, quam in foueam ruãt deſperationis. Re etenim vera puſillanimis,

iracun-

iracundis, & ſpiritu triſtitiæ aſſuetis valde perni-
encioſa eſt propria cōſideratio, & frequens lapſus.
Ex his nanque abundans triſtitia & deſperatio
generantur, quæ omne animæ robur extinguūt.
Erudita verò mens & internæ gnara pugnæ ne-
quaquam ſic proſternitur. Mox etenim vt ex im
moderata ſe ſentit agitari triſtitia, erigit ſe cōtra
ſe, pondus penſat delicti proprij, miſericordiã
ſui cogitat conditoris, & redemptoris mortem,
quam pro delinquentibus pertulit, rememorare
non ceſſat. Suam quoque fragilitatem humiliter
proponit ante Dominum, emittit ſuſpiria, lacry-
mas vbertim fundit, præces ingeminat, & ſe ſa-
tisfacturam eſſe fiducialiter proteſtatur. Nec an
te ab oratione ſurgit, quàm Deum erga ſe intelli
gat eſſe placatum, atque in corde ſuſcipiat obtē-
tæ veniæ notiſsimum ſignum. Ex hoc quippe fit,
vt quanto ſæpius ſpiritualis homo hac irrationa-
bili pulſatur triſtitia, tanto vehementius anime-
tur ad virtutes, roboretur ĩ ſpe, alacritate replea-
tur, illuſtretur cognitione, & Dei charitate dila-
tetur. Nec immeritò. Conſueuit enim ſuperna
clementia animam de ſe ſperantem, & de ſua hu
militer largitate præſumentem protegere, & ſuis
ſpiritualibus donis viſitare, quatenus experimē-
to manifeſtet, quàm verum ſit, quod Dei ſpiritu
Pſal. 33. exuberans canit Propheta dicens. Accedite ad
eum, & illuminamini, & facies veſtræ non con-
fundentur. Nã ſemper præſtò eſt cœleſtis maie-
ſtas latiſsimo ſuæ charitatis mellifluæ gremio fo
uere ad ſe accedentem, credentem, præſumen-
tem, amantem. Propterea diuinam quiſquis pro
pitiam cupit habere munificentiam, ad ipſam
accedat credendo, & de ipſa præſumat amãdo.
Nam plenius amore quàm timore capitur, & po
tius deuotione quã mœrore mulcetur. Nō enim
mœſtitia, ſed dilectione peccata ſoluūtur, Petro
1.Pet.4. atteſtante qui ait. Charitas operit multitudinē
peccatorum. Vulneribus autem peccatorũ præ-
buit Deus antidotum charitatis. Semper nãque
omnipotenti Deo magis complacuit amari, quã
timeri. In veteri quippe lege primum ac ſingu-
lare mandatum poſuit dilectionis dicens. Dili-
Exod. 20. ges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,
& cætera. In nouo autem teſtamento, in quo in-
carnata ſapientia dedit in capite platearum vo-
cem ſuam, quid ſæpius mandatur, quid dulcius
ſuadetur quàm dilectio? Omnis ipſius ſermo dile
ctione miſcetur, omnis actio, omnis promiſsio
redolet charitatem. Computreſcere quippe fe-
cit ipſe Saluator iugum à facie olei. Dedit legē,
modum docuit, & præbuit formã charitatis. Mi-
ſit denique hunc ſanctum ignem in terram, vt
arderet, vt corda ſurſum attolleret, vt cœlum reſe
raret, vt rubiginem peccatorum conſumeret, vt
reformaret mores, vt peſsimas conſuetudines a-
boleret, vt fugaret vitia, vt virtutes insereret, vt
congregaret errantes, vt pacificaret diſcordes,

vt reconciliaret auerſos, vt roboraret debiles, vt
reciperet pœnitentes, vt Deum homini, & homi
nem Deo indiſſolubili amoris vinculo copula-
ret. Nunquid tanta amoris vis non valebit cor
hominis infirmitatibus prægrauatum expergefa
cere, atque à puſillanimitate ſpiritus liberare?
Nunquid poterit vel minimum mœroris veſtigiũ
in mente remanere poſt tantarum conſideratio
nem inſignium gratiarum? Velut enim quidam
rapidiſsimus turbo, & tanquam velociſsimus tor
rens inundantium aquarum exterminat de hu-
mano corde triſtitiam diuinæ guſtus charitatis.
Non habet locum mœror, vbi ſancta charitas po-
ſuit habitaculum. Augmentum charitatis, triſti-
tiæ diminutio eſt. Certũ nanque eſt, quòd Deus
deprimentem non approbat triſtitiam, quum
tantis præconiis extollit charitatem. Sane autē
intelligendum eſt, quia non omnem Deus re-
probat triſtitiam, ſed ſolum illam, quæ charitati
aduerſatur. Nam ſecundum Deum triſtitia pœni 2.Cor.7.
tentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Hæc ne-
quaquam charitati cōtraria eſt, imò pleniſſima
charitate. Dolet quippe amãs & mœrens, quia a-
mor offenſus eſt. Nō triſtatur propter ſe, ſed pro
pter eũ, cuius cōtēpſit imperiũ, cuius prætergreſ-
ſus eſt mandatũ. Triſtatur inquã quũ delinquit,
vt ſatisfaciat dilecto, vt reuocet illũ ad ſe, quem
propter culpã à ſe declinaſſe cognoſcit. Dolorē
enim in corde ſumit tãquã legitimi amoris indi-
ciũ. Ideo tandiu gemit, quandiu reuocat dilectũ.
Mox autem vt perſentit ipſius fragrãciam, ſtatim
vt illum ad cordis ſui habitaculum appropriare
per internam intelligit aſpirationem, cunctum,
quem prius conceperat, abijcit mœrorem. Se red
dit hilarem, ſe humilem, ſe iucundum facit, vt læ
ta facie occurrat venienti. De talibus dicit do- Mat.5.
minus. Beati qui lugēt propter offenſam, aut ſpō
ſi abſentiam, quoniam ipſius potentia conſola-
buntur. Hoc nanque paucorum eſt. Illorum ſolũ
eſt, qui ſolido amoris vtuntur cibo, & exercita-
tos habent ſenſus ad diſcretionem boni & mali.
Conſultius igitur, ſecuriusque lactis dulcedo de
uotionis, & ſpiritualis lætitia in via Dei potius
quàm triſtitia pro communi vſu capiēda eſt, præ
cipue quum humanæ fragilitati, & teneritudini
ſpiritus ſingulare adminiculum ſit ipſa interna
deuotio, arduum nanque quum ſit homini cru-
cem ſuam tollere, & Chriſtum ſequi, carnem e-
domare vigilijs, ieiuniis macerare, atterere labo
ribus, in carcere monaſterii recludere, cibi deli-
cias denegare, aquæ potu ſitim reſtringere, atq;
carnalium ſenſuũ curioſitatem ſupprimere, quia
nil iucundius ſecundum carnem in hac vita gu-
ſtari poteſt. Nam omne hominum genus, vt plu
rimum delectationē capit à ſenſuum lenocinio,
quos refrænare debent ii, qui Deo ſtrenue cu-
piunt militare, iuxta quod ſcriptum eſt. Qui autē Gal.5.
ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerũt cum vi-
tiis &

tiis & concupiſcentiis. Dignum eſt, vt tantus labor ſpirituali aliquo tẽperetur leuamine. In alio quoque ſpirituali conflictu conſtitutus Chriſti miles ne ſuccumbat, neceſſe eſt, vt ſpirituali lætitia ad tolerantiam animetur. Ad exercitationẽ nanque ſpiritus permittuntur à Deo tentationes variæ, acerrimę, & aſſiduæ mentis hebetudines, inſenſibilitates cordis, dubietates fidei, ſpiritus blaſphemiæ, puſillanimitates, & quamplurima ſimilia, quæ experti norunt. In hoc ſpirituali martyrio quum reluctatur Chriſti ſeruus, ne ſuccumbat, vterque homo, caro ſcilicet & ſpiritus crucifigitur, & niſi diuina virtute, humana in tali conflictu infirmitas roboraretur, procul dubio deficeret. Præbet autem præſidium Domini miſericordia homini ſic oppreſſo, nunc hoſtem repellendo, nunc virtutem fortiter reſiſtẽdi præſtando, nunc dolores & flagella mitigando, nunc guſtum internæ pacis infundendo, nunc celſitudinem, immenſitatemq; æterni præmii victoribus repromiſſi lumine quodam ineffabili patefaciendo. Sicq; ſpiritus ſapientiæ de regalibus ſedibus ſpirans in corde afflicti quando vult, & quomodo vult, eundem ab inſtanti preſſura reſpirare facit. Nam quamuis Dei pietas (i.Cor.10.) homini iuſto flagellato opem miſericorditer ferat, licet neminem electorum diuina clementia ſupra id, quod poteſt, tentari permittat, faciens cum tentatione prouentum, debent tamen ipſi cõceſſo vti adiutorio propriæ rationis, & naturali prudentia, quatenus facilius poſſint laborioſũ huius peregrinationis peragere iter. Nil enim in natura arbitrandum eſt Deum feciſſe otioſum. Ratione quippe dominus inſigniuit hominem præ cæteris creaturis, quæ morantur in terra, vt ea vteretur pro inſtrumento virtutis, & pro ſolatio laborum, quos in hac peregrinatione paſſurus erat. Proinde prudentiſſimum cenſendum eſſe, & Deo gratum, ſi Dei ſeruus pondere miſerrimæ carnis prægrauatus, concupiſcentiarum aculeis crebrrime vulneratus, ignorantiæ, & imbecillitatis propriæ languore depreſſus, & à dæmonibus tentatus, ab hominibus laceſſitus, curis temporalium occupatus, & à viſibilium voluptatibus illectus, interdum humanæ capiat auxilium lætitiæ, atque Deo ſuo ſemper in ſpiritus exultatione ſeruire contendat, maxime quum ad hoc diuina exhortatione permoueatur, dicente Propheta. Iubilate Deo (Pſal. 65) omnis terra, ſeruite domino in lætitia, introite in conſpectu eius in exultatione. Nemini autem in hac vita conſtituto ſic cõgruit gaudere, ſicut Chriſti famulis regi cœleſti militantibus qui adoptionis ſpiritum recipientes, tanquam electionis vaſa diuino cultui mancipati ſunt. Cui enim angelorum conſortium, cœlorum poſſeſſio, Dei viſio, & cœleſtis repromittitur gloria, debetur indubitanter cordis lætitia. Peccatori verò, cui gehenna, inferni cruciatus, horribilis dęmonum aſpectus, & æterna mors præparata eſt, inceſſabilis eſſe debet profluuius lacrymarum, inenarrabilis gemitus, & cordis inconſolabilis mœror. Gemant igitur peccatores, & triſtentur, atque ſine interuallo lugeant quod paſſuri ſunt. Currunt nanque extento collo, & inſatiabiliter ad ſempiternum pergunt exitium. Lætentur autem & exultent omnes Chriſto famulantes non inaniter, non carnaliter, ſed in ſpiritu, non in ſeculo, ſed in domino, qui ſua eos propria virtute vocauit & gratia. Tu itaque ò ſerue Chriſti, tu (inquã) qui ex miſerantis Dei dono ad monaſticam vocatus es conuerſationem, depone cunctum animi tui mœrorem, & omnem triſtitiam te deprimentem, & in domino gaude ſemper, qui te de cęnoſo ſeculi naufragio, & mundi oneroſo diſcrimine aſſumere, & in loco voluptatis, ſecuritatis, & pacis collocare diſpoſuit. Te etenim de tenebris delictorum in admirabile lumen gratię ſuę vocare, te à ſordibus vitiorum abluere, te annulo formatæ fidei ſubarrare, te collegio ſanctorum ſuum aggregare, te aſſidue per ſpirituales cõſolationes viſitare, te in miniſterium ſuæ laudis eligere, tibi incerta & occulta ſapientiæ ſuæ reuelare, tibi ſacramentorum cęleſtium ſacroſancta myſteria committere, tibi iudiciariam dignitatem & vitam æternam promittere, ſua ineffabili bonitate dignatus eſt. Tibi iterum dico, qui talis es, gaude in domino, vt illi alacrius & ardentius valeas famulari, vt per dilatationem iucundiſſimæ charitatis expeditius mandatorum eius viam currere queas, vt ſacrificium laudis & fragrantiam votorum tuorum purius illi offerre valeas, vt per iugem gratiarum actionem, & igniti cordis amorẽ amabiliorem te illi exhibeas. Pro his cauſis ſecure & indubitanter gaude. Sic tamen age, vt modeſtia tua nota ſit omnibus hominibus, (Philip.4.) atque percipiant ex verbis, ex facie, ex moribus te ſemper in domino gaudere. Sint verba ſancta & ſapientiæ ſale condita, ſit facies hilaris ſine ſenſuum curioſitate, ſint mores graues, compoſiti, & modeſtia pleni. Si ſic eris, facile cũctis ſuadebis, quod vere in domino gaudeas. Nõ ſic autem, non ſic apud eos, qui gaudent, ſed nõ in domino. Eſto igitur talis, vt merito cum Propheta iucunda cordis iubilatione cantare valeas & dicere. (Abac.3.) Ego autẽ in domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo.

Quales eſſe debeant, qui diuinis interſunt laudibus, & Deo pſallunt, & quod plurimum congaudeant ſancti angeli in alacritate pſallentium. Nec non & de angelorum dignitate, atque de gloria cœleſtis Hieruſalem. Cap. XVII.

MOrtalium regum miniſtri, & terrenis Imperatoribus famulantes quotieſcunque ſuorum ſe præbent aſpectibus dominorũ, cun-

ctas,quas vel in veſtibus,vel in facie gerunt ſordes, diluere ſtudioſe conantur, ne quid in ipſis incompoſitum, aut indecorum appareat, quod oculis principis deſpiciabile videatur. Dignum quippe eſt, vt quicquid ſordeſcit,quicquid deforme eſt,amoueant à ſe, quatenus aſpectus illorum alliciant,quibus placere concupiſcunt. Capitur etenim animus plerũque ex ornatu & ſpecioſitate creaturarum.Hanc regulam,hunc quoque morem ſolerter cuſtodire debent omnes æterno regi militantes.Illis nanque congruit ita exteriorem habitum, corporis greſſus,morum actus, animæ cogitatus, animorũmque affectus componere, vt nil in eis reprehenſibile cognoſcatur, pro quo rationabiliter repellantur à præſentia redemptoris. Delectatur prorſus dominus Ieſus in grauitate vitæ,in cordium puritate, & in perfectione virtutum ſeruorum ſuorum.Si enim cum tanto ſtudio, & tanta ſedulitate temporales homines miniſtros cupiunt habere formoſos, morigeratos,prudentes,& nobiles,quanto magis ſeculorum regi immortali, & inuiſibili,

Tom.1.

cui ſoli honor & gloria exhibenda eſt, conuenit ſibi aſtantes habere ornatos virtutibus, & omnium morum elegantia? Propterea angelicam conuerſationem tenere conentur,quotquot cœleſti domino gratiſsimum deſiderant exhibere famulatum. Magni nempe periculi res eſt ſordeſcentes,impudicos, crimínoſoſque audere diuinis aſtare aſpectibus, & ſpirituales Deo promere iubilationes.

Eccleſ. 15

Non enim ſpecioſa laus eſt in ore peccatoris.

Pſal. 32.

Sanctos rectóſque decet collaudatio. Proinde Chriſti ſerui,qui die,noctúque in Eccleſia Dei excubias celebrant,

Pſal. 118.

qui ſepties in die laudes proferunt creatori, ſtudeant labia habere impolluta,corpora caſta,& immaculata corda, vt iucunda, grata, decoráque ſit ipſorum laudatio. Vnde priuſquam in templum domini intrent,antequam domino aſsiſtant, & diuinas erumpant in laudes,toto conamine, & quadam animi virtute de ſuis cordibus, atq; de memoriæ domicilio abiiciant omnem terrenam occupationem,& labentium affectionem, ita,vt(ſi dicere fas ſit,& poſsibile agere)ſolo ſpiritu ingrediantur.Reuocare quippe non negligant cunctam animi ſui intentionem, & omnem cordis ſui diſperſionem in vnum, vt ſibiipſis dicãt. Venite exultemus domino,iubilemus

Pſal. 94.

Deo ſalutari noſtro,præoccupemus faciem eius in confeſsione,& in pſalmis iubilemus ei. Magnum nanque adiutorium & efficax incitamentum ad pure diuinam laudem promendam eſt, quum cor redit ad ſe, & diligẽter intelligit quid acturum ſit. Nam quicunque abſque præmeditata intentione cantica profert cœleſtia, facile vagatur mente,& elongatur à ſe, atque admittit immũda phãtaſmata. Itaq; qui cupiunt ſtrenue ſpirituales perſoluere laudes, & pſalmodiæ ſacrificium Deo pure offerre,ſe repræſentent coram Dei tribunali, & ipſum in ſpiritu præſentẽ habeant,vti eſt, nihilque inter ſe & eum habere velint, ſed tanquam amicus cum amico colloquantur domino. Eſt enim pſalmodia quædam Dei ad hominem, atque hominis ad Deum dulcis, læta, & familiaris allocutio, quæ immenſas in ſe continet delectationes. Ideo indignum eſt, vt quandiu anima cum Deo ſermocinatur, aliò ſe diuertat. Intendere debet omnino illi, qui intendit ſibi: & omnia verba ſacri carminis ſuſpenſa debet audire mente,tanquam ſi ipſi ſoli eſſent prolata.Quod autem voce clamat, concordet ſenſu, ſeſeque coaptet intellectui ſcripturarum. Nihil verò de iis,quæ foris ſunt,illo beato tempore cogitet,nihil appetat,ſed ſola ei ſufficiat præſentia redemptoris. Quicquid enim tunc importunè ex impulſiones dæmonum, aut ex propria fragilitate in corde obortum fuerit, mox manu ſancti deſiderij arceatur procul, ne ſacroſanctum contaminetur Dei ſacrificium. Sic nanque olim ſanctiſsimus Patriarcha Abraham quum victimas Deo offerret, egiſſe legitur. Nam quum in hora holocauſti aues cœli teterrimæ irrumperent, vt carnes diriperent,magno charitatis zelo,& peruigili cura eas ab altari abigebat:vt quod mundum mundo obtulerat corde,totum ſine macula adoleret holocauſtũ. O quàm longè diſtant ſtudia noſtra ab huius ſenis vigilantia? O quot noſtris laudum ſacrificijs interſunt rapaces volucres aeris huius caliginoſi,vt ea fœdent illuſionibus plurimis? Ipſas autem nequaquam abigimus, ſed tanquam & inſenſati,& ſine corde cunctis earum ſuggeſtionibus aurem præbemus. Multimodè nanque magni ſpiritus obſeruant, vt rapiant pſallentium corda ab intentione diuinæ laudis. Nunc enim obſcœnorum, voluptuoſorúmque phantaſmatũ fœtorem immittunt,vt pſalmodiæ ſuaue polluãt ſacrificium. Nunc verba diripiunt, & intercidunt carmina, quum oſcitare importunè,aut inſenſibiliter dormitare faciunt. Nunc omnium membrorum ingerunt laſsitudinem, ita,vt nulla corporis pars illæſa eſſe videatur.Omnis quippe mora tunc intolerabilis ſentitur, hoc totum ſpiritu acidiæ operante in homine negligente. Nunc mentes pſallentium terrena negocia,& ſecularia geſta ingerendo diſtrahunt, atque per abrupta & deuia noxiarum & inutilium cogitationum impellentes animum, totam diſsipant laudis oblationem. Et (proh dolor)quum ita callidè ſeducant, vix reperitur, qui hoc intelligat, & vincat. O quàm ſæpe qui diuinis occupantur in laudibus, ſolo aſsiſtunt corpore, & tanquam garrulæ aues ſine interiore ſenſu emittunt verba. De talibus per Prophetã dominus dicit: Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. O quoties tædio præuagata mẽs

Mat. 15.

ab

mi, quum in Eccleſia Dei pſallimus, quum in diuinis occupamur laudibus, cęli ciues, & ſanctos angelos. Veneremur, inquam, ſenatores ſupernæ Hieruſalem, & cum ipſis purè, alacriter & ſolẽniter ſemper in corde, ac iugiter ore domino decantemus. Indecorum valde eſt præſentibus angelorum cętibus, pſallere negligenter, atque verba ſacri carminis arido corde promere. Proinde in diuinis officiis ardeat affectus clamet vox, vigilent oculi, & vita concordet, vt Pſal. 137. meritò dicere valeamus: In conſpectu angelorum pſallam tibi Deus meus, adorabo ad tẽplum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo domine. Quid autem ſublimius in hac peregrinatione celebrari poteſt, quàm pari conſortio angelorum in Dei laudibus occupari? Quid dulcius, quidve ſuauius cogitari poteſt, quam in terra agere, quod ſanctorum conciues, & beata cęlorum agmina in excelſis perficiunt? Illis beatis ſpiritibus ſine interuallo, nobis autem certis temporibus huic tam ſtrenuo operi vacare licet: quia illi reuelata facie: nos autem ſub 1. Cor. 13. ſpecie per fidem, & in ænigmate Dei gloriam contemplamur. Illi nempe tanquam triumphãtis Eccleſiæ duces honoratiſſimi & Deo præſentes, puras, ignitas, immenſaſque ſummæ maieſtati offerunt laudes: nos autem puſilli, & debiles, atque corporis ſarcina prægrauati, & peregrinantes à domino, mixtis, interpollatiſq; laudibus efferimus conditorem. Si tamen & illis, & nobis vna laudandi intentio, par votum, æqua voluntas, quamuis diſpar ſit laus & gloria. Erimus autem quandoque etiam nos iuxta Domini pollicitationem ſanctis angelis ſimiles: Ibid. 15. quando Dominus Ieſus tradiderit regnũ Deo, & patri, atque euacuauerit omnem principatũ, & virtutem. Tunc enim videbimus eum ſicuti eſt: tunc laudabimus perfectè, amabimus ardenter, vacabimus actualiter, inhærebimus indiſſolubiliter, iucundabimur lætanter, ſatiabimur ſufficienter, & transformabimur totaliter. Erit nanque tunc Deus omnia in omnibus. 1. Co. 15. Nam nihil in nobis à laude ceſſabit. Erit enim rationi Dei ſapientia, plenitudo lucis: erit affectioni Dei bonitas & clementia, multitudo pacis, & ſuperabundantia dilectionis: erit memoriæ Dei mira aſſentia & maieſtas, continuatio fruitionis. Erit quippe tunc in cœleſti gloria læta ſocietas, concors voluntas, communis felicitas, ſempiterna libertas, ſecura tranquillitas, indicibilis honeſtas, plena pax, vera dilectio, mutuus amor, vna gloria, eadem manſio, Pſal. 83. & imperturbabile regnum. O quàm dilecta Pſal. 136. ſunt tabernacula tua domine virtutum. En ſuper flumina Babylonis ſedens ſeruos tuus clamat anxiè, pulſat aſſiduè, cõcupiſcit affectuosè, dolet, dulciter, ſuſpirat iugiter: dum fidei oculo intuetur regem in decore, aſſiſtentium laudes, lætantiũ choros, epulas cõuiuãtiũ miniſtrãtium vota. Ardet nanq; affectus, & humiliter dicit nõ ſine admirationis gaudio: Beati, qui habitant in domo tua domine, ĩ ſecula ſeculorũ laudabũt te. Pſal. 83. Sed heu me, quoniam incolatus meus prolongatus eſt: Pſal. 119. quoniam in loco horroris, in corpore mortali, in ignorantiæ tenebris obuolutus ſum: factuſque ſum alienus ab ijs, qui ineffabiliter diuinam laudant magnificentiam. Propterea abſque vlla ceſſatione (ſi dominus dederit) in toto corde meo, & cum omnibus præcordijs deſideriorum meorum clamare non deſinam, & dicere O quando veniam, & apparebò Pſal. 41. ante faciem tuam? Ecce ſeruus tuus cupit videre de te, nec valet, conatur, nec apprehendit. Spe nanque nutritur, fide roboratur, delectione tenetur, attenteque præſtolatur, donec fiat vox de firmamento, & de throno Dei, & dicat: Cant. 4. Veni electa mea, egredere de ergaſtulo carnis, de medio laqueorum: intra in gaudium domini tui. Concupiui ſpeciem tuam, mihique complacuit tibi dare regnum electis paratum ab origine mundi, Mat. 25. vt mecum regnes in ſecula, & fęliciter viuas in æternum.

Quod in creaturis laudabilis appareat, Deus præcipue in humana creatura iuſtificata. Et de bono orationis. Et qualiter orantes ſe habere debeant ante orationem. De multijugo aſcenſu in Deum per orationis exercitium. De varijs inſultibus, quo patiuntur orantes, & de ipſorum remedijs. Atque de modo orandi, & tempore. Nec non de ipſius orationis effectibus & laudibus. CAP. XVIII.

IN inſtitutione vniuerſi innumeras creaturarum ſpecies Deum procreaſſe, atq; earũ ſingulis iuxta proprias naturas varia dediſſe loca ad habitandum: prout ſua ſapientia quibuſque congruere iudicauit, perſpicuum eſt. Iumentis enim tanquam tardioribus, ac minus puris terram habitabilem conceſſit. Auibus autem veluti puritate, & corporis agilitate, atque alarum remigio amplius decoratis, purius ac nobilius aeris elementum tribuit. Stellas verò longè cæteris inſenſatis, & irrationabilib. creaturis excellentiores, ſicut perpetua operandi virtute, luminis fulgore ornauit, ita in eminentiori cęlorum regione, ſ. in firmamento collocauit. Angelis autem in natura dignioribus, in ſpecie pulchrioribus, in intellectus acumine perſpicacioribus, in virtute potentioribus, in gratia locupletioribus, in meritis ſublimioribus cunctis alijs creaturis, empyreũ tradidit cęlum ad habitandum: non vt in illo circunſcribantur, ſed vt illud ornent. Singulis itaq; creaturis diuina bonitas ſua dona impertita eſt ſecundum qualitatem naturarum, potiora potioribus cõmunicando; & ita vnicuique diuiſit gratiam donationis ſuę, vt conditoris opera nemo ſit, qui dignè,

vel in minimo poſsit arguere. In his enim tanquam in ſpeculo mundiſsimo elucet diuinæ ſapientiæ altitudo. Vnde Apoſtolus ait: Inuiſibi-
Rom. 1. lia enim Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas. Per hæc conſiderantis animus mirabili iucunditate repletur.
Pſal. 91. Ideo Propheta canit: Delectaſti me domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Ab his effertur magnificè artificis in-
Pſal. 18. duſtria,& omnipotentia. Propterea Citharœda in Pſalmis dicit: Cœli enarrant gloriam Dei: & opera manuum eius annunciat firmamentum. Vocibus nanque ſuis & modis, quibus valent, omnes creaturæ Deum laudant,& confitentur. Ad hoc nempe creatæ ſunt: ſicut in trium puerorum exprimitur cantico Deum laudantium, & dicentium: Benedicite omnia opera domini do-
Pſal. 102. mino, laudate, & ſuperexaltate eum in ſecula, &c. Dignatus tamen eſt ipſe dominus humanam procreare naturam: per quam non minus laudabilem in ipſa ſola, quam in cæteris alijs ſimul, manifeſtare ſe voluit. Longè nanque ſublimiore conſilio vſus eſt, quum hanc formaret, quàm reliquas, pluraque contulit dona. Quum enim vniuerſum conderet terrarum orbem, & omnia, quæ in illo ſunt, à principio: dixit, & facta ſunt: mandauit, & creata ſunt.
Pſal. 102. Non aliter angelorum naturam, quam cuiuſcunque vermiculi creauit, non amplius laborauit. Aequaliter cuncta proprio creauit arbitrio. At verò quum hominis naturam plaſmare vellet, vt oſtenderet qualis eſſet, quem facere volebat, quantumque illum diligeret, ait: Faciamus hominem ad imaginem & ſimi-
Gen. 1. litudinem noſtram. Non autem vilis putandus eſt, quem ad Dei imaginem formatum non ambigitur. Quod ſi ex creatione propter corporalem, paſsibilemque naturam non apparet quanti ſit homo: ex reſtauratione tamen & redemptione luculenter agnoſcitur. Quanta enim pro humana natura Deus fecerit, quanta pro eadem pertulerit, quantaque illi donauerit, non lingua hominum, non angelorum, ad plenum ſufficit referare. Ineffabilia nanque ſacramēta, & omni veneratione digniſſima in ijs, quæ ad humanam pertinent reſtaurationem,
Pſal. 144. latent. Meritò igitur laudabilis eſt Deus, ſicut Propheta canit in Eccleſia ſanctorum. Perſpicuè quoque ipſius fulget miſericordia in conſilio iuſtorum & congregatione: pro quibus dura, dira, & laborioſa, dignatus eſt ſuſtinere. Sicut enim in reprobis & peccatoribus iuſtus, & rectus dominus comprobatur: ita in electis & iuſtificatis miſerator & miſericors, patiens, dulcis, & longaminis cognoſcitur. Vnde prophetico plenus ſpiritu homo ſecundum cor Dei canit in Pſalmo: Quàm bonus Iſrael Deus ijs,

qui recto ſunt corde? Et alibi: Confitebor tibi Pſal. 72.
in Eccleſia magna, & populo graui laudabo te. Pſal. 34.
Et iterum: Confitebor tibi domine in toto cor- Pſal. 9.
de meo in conſilio iuſtorum,& congregatione. In cōgregatione enim iuſtorum, & in collegijs Deo famulantium euidentiſsimè cęleſtis miſeratio, & diuinę charitatis mira dignatio prorogata oſtenditur. In illis autem tanquā in vaſis mūdiſsimis,& in tēplis ſanctificatis diffuſa eſt abundātia ſpiritualium chariſmatum, atque ſingulis diuerſimodè ſpiritualiter donatum eſt, quod cęteris omnibus creaturis naturaliter & corporaliter conceſſum eſt. Participant enim aliqualiter cum cunctis alijs creaturis. Quibuſdam nanque ipſorum tanquam rationabilibus iumentis temporalium adminiſtratio cōceſſa eſt: per quam non ſuam, ſed Dei gloriam,& proximorum commoda quærere cōprobatur. Aliqui autem tāquam ſpirituales aues, repudij libellum vitijs & voluptatibus carnis dantes, quæ ſemper ad ima trahunt, per virtutum exercitia, & deſideriorum pennas ſe ad ſpiritualia appetenda ſuſtollunt. Talibus nil nocent figmenta diaboli, & omnis ipſius meditata malitia euaneſcit. De his dicit Propheta: Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum. Nonnullis vero ſcientiæ claritas,& notitia ſpiritualium ſacramentorum abundè tributa eſt: per quam tanquam radiantes ſtellæ in Eccleſiæ rutilant firmamento, cunctis præbentes lumen ſupernæ ſapientiæ. De ipſis ait Propheta: Qui ad iuſtitiam erudiunt multos: fulgebunt ſicut ſtellæ in perpetuas ęternitates. Sunt quoque quidam purgati a vitijs, & ab omni cęnoſi & carnalis amoris onere exuti, qui quaſi angeli effecti, & ad ſumma euecti per ardorem diuinæ charitatis,& ſtudium orationis in cęleſtibus conuerſantur. Hi nempe cum Apoſtolo dicunt: Conuerſatio noſtra in cęlis eſt. Tales enim radiantes interiorius per conſcientiæ puritatem, & dilectionis vehementiam tantum cæteros præcellunt ſanctitate, quantum contemplatiua actiuæ vitæ meritis & dignitate ſupereminet. Nam nulli ſanè intelligenti ambiguum eſſe debet, quod in multis contemplatio, & oratio dignior ſit, quàm operatio. Contemplatio nanque quoniā principaliter intendit Deo, eſt rectior, eſt clarior, eſt mundior, eſt ſecurior, eſt quietior, eſt iucundior, eſt permanentior, eſt rarior: & eſt beatæ vitæ ſimilior: ſi tamen iuxta ſuæ excellentiæ puritatem exerceatur. Eſt nanque intuitus purus, & actus ſpiritualis, atque prorſus in ſpiritu operandus. Vnde pro ſua nobilitate ac perfectione ſolis illis congruit, qui ſpretis temporalibus facultatibus, & calcata omni affectione labentium rerum, vniuerſali Domino ſe totaliter dedicarunt. Certum quippe eſt, quòd mens, quæ ad arcana ſacramento-

Digitized by Google

mentorum cęleſtiũ contẽplãda, atq; in ſuauitate ſpiritus ad eadem deguſtanda accenſa eſt, vt eleuetur ad ſumma, opus habet ſe intimis ſpoliare. Alioquin labrioſo onere tẽporalium prægrauata curarum fruſtrà ad alta nititur. Irretita etenim & obligata compedibus polluti amoris, ſe omnino erigere non valet. Toties nanque reuerberatur & obtunditur caligine affectionũ terrenarum, quoties ſe ſupra ſe conatur eleuare. Propterea multa eget prudentia & magna ſpiritus libertate, qui Deo per orationis ſtudium vacare deſiderat. Debet nanque ſe diligenter cuſtodire in verbis, in moribus, in cogitationib. in affectionibus, ac immaculatum ſeruare: quatenus tam beato orationis tempore purè, & abſque ſorde noxiarum imaginationum Deo aſtare queat. Eſt quippe humana mens multorum receptibilis phantaſmatum. Hæc quum ſibijpſi ſine diligenti vigilantia relinquitur, reuoluere intra ſe ac ruminare non deſinit. Talia enim animus imprudens & abſque diuini timoris cuſtodiat, cogitat, quia ei cogitanda offeruntur, atque velut iumentum indomitum diſcurrit effrænis per deuia vitiorum. Proinde ſolerti induſtria, quadàmque virili intentione ab animo omnia ante orationem amouẽda sũt: quæ orationis tempore ipſam poſſint coinquinare. Qui autem hoc agere negligit, nunquam mundo orabit corde, niſi fortè repente à ſuperueniente viſitetur gratia. Interdum enim conſueuit diuina bonitas ſuos inopinatè, & ſine vlla prorſus præparatione, aut diſpoſitione interno illuſtrare ſplendore: ſiue vt iacentis animi torpentem excitet ignauiam: ſiue vt elationis, & propriæ æſtimationis auferat materiam: ſiue vt puſillanimitatem ac fragilitatẽ foueat & erigat humanam. Caueat tamen Chriſti ſeruus, ne ob hanc domini deguſtatam dulcedinem, quaſi propter donum ſecurior effectus, erga ſui cuſtodiam remiſſior ſit: atque ad ſe diſponendum tepidior. Turpiter nempe ridiculum fieret ſpirituum immundorum, ſi hoc agere non formidaret. Debet ita quiſquis, tanto eſſe ſolicitior ad bene viuendum, atque ad promerẽdam gratiam ſupernæ viſitationis promptior: quanto cęleſtis infuſionis amplius ſe participare cognouerit. Nam ſi Dei venerãda maieſtas frigidam amoris eius & ſegniter conuerſantem viſitare dignatur mentem: quanto magis feruentem ſpiritu & ſe ſolicitè quærentem peramplius afflabit guſtu cęleſtium deliciarum? Sed grata mẽs, & verè charitatis iaculo vulnerata nihil, quod ad ſe pertineat, perficere negligit. Eadem virtutum exercitia, idem orationis ſtudium peragit, quum ſpirituali lætitiæ penuriam patitur, ſicut quum diuino calore repletur, licet id non eodem agat guſtu. Scit nanque ſapientiæ erudita magiſterio, quo maiorum donorum dignior efficitur, poſt labores & certamina. Hoc ſignificare voluit Propheta, quum diceret: Secundũ multitudinem dolorem meorum in corde meo conſolationes tuę lætificauerunt animam meã. Pſal. 93. Paucorum verò eſt quod ſupra commemoratum eſt. Nam perfectæ charitatis argumentum notiſsimum eſt in aduerſis fiduciam non admittere, & virtutes vniformiter ſemper operari, atque ſub Dei diſciplina eodem animo, eodemque vultu perſeuerare. Negligentibus hoc impoſsibile videtur: amantibus verò nihil. Agat itaq; Chriſti ſeruus, qui Deo vniri concupiſcit, tam in præparatione orationis, quàm in cæteris, quæ agere debet, quod ſuum eſt, vt Deo charus fiat. Reliquum autem totum diuinæ realiter cõmittat voluntati, quæ nullum bonum, quamuis minimum, irrenumeratũ reliquit: Diligit enim Deus ſuos, nec quicquam à ſe diligentibus retrahit opportunum. Qui hoc fideliter nouit, in cunctis & vbiq; pacificus erit: In orationis verò hora, quum miles Chriſti ad orationem procedit, in ſenſu cordis cogitet, propter quid accedit, vt quoties mens per inania defluxerit, aut à concepto calore tepuerit, reuocata ad ſe ſibi dicat; Ad quid veniſti? Confuſio nanque amiſſæ gratię, & agnitio extincti deſiderij ad priſtinum facilè reuocat deuotionis exercitium. Ante orationem quoque ſe componat orationis amator, & qualem eſſe cupit, quum orat talem ſe ante orationem exhibeat. Memoretur, iugiter, quod Deo aſtare dedit, & cuncta ſolicitè fugiat, quę coram Dei conſpectu animæ ruborem poſſint afferre. Indignum valde eſt erubeſcentiam pati orationis tempore, in quo nihil aliud, quàm Dei laus & gratiarum actio in ſpiritu reſonare debet. Præſentiam autem domini ante mentis oculos (ſi valet) actualiter teneat Dei famulus: quoniam efficaciter mentem ad orationem hæc cogitatio ordinat & diſponit. Pro- Pſal. 15. uidebam (inquit Citharœda ſanctus) dominum in conſpectu meo ſemper: quonian à dextris eſt mihi, ne commouear. Propter quod orationis tempore lætatum eſt cor meum: & exultauit lingua mea: inſuper & caro mea requieſcit in ſpe. Cuncta etiam fugiat, quæ orationi aduerſantur, quiſquis delectationib. quę in oratione percipiuntur, repleri deſiderat. Laborioſum quippe ſatis eſt mentem aptificare orationi. At ſi efficaciter ab illa comprehenſa fuerit, vbique orare valebit. Veris etenim oratoribus, & diu in ſpiritu exercitatis, omnis locus & omne tempus congruet orationi. Puſillis autem & lacte nutriendis locus, & tempus, habile accommodandum eſt. Solus Dei eſt orationis præſtare guſtum, & deuotionis affectum: ſed hominis eſt orandi adinuenire modum. In diuinis verò voluminibus facilè agnoſcitur, qualiter ſe homo in oratione habere debeat,

vt in ipſa proficiat, creſcat, vniatur, liqueſcat. Non enim ab omnib. eadem orandi forma ſeruanda eſt, idemque, aſcenſus in Deum. Aliqui nanque pſalmos, dominicam orationem,& quædam alia deuotionis verba vocaliter & attentè proferendo, Deo ſe ſentiunt eſſe propinquos. Quidam infantiam, vitam, actus, miracula paſſionem, ad inferos deſcenſum, reſurrectionem Saluatoris aſcenſionemq; ſeriatim in oratione meditantes inardeſcũt ſpiritu,& per deuotionis guſtum Deo propinqui fiunt. Nonnulli ſe humiliter proſternentes corpore,& ſpiritu atque per compunctionis gemitum,& ſuorum rememorationem delictorum ſe plus omnibus vilipendentes,& condemnantes, quo ſe lõgius à Deo eſſe arbitrantur, eo perhumilitatem viciniores fiunt. Alij per ſcripturarum latitudinem, & allegoriarum ſuauitatem internos meditando elicientes ſenſus, veritatis guſtu recreantur, & à Deo viſitari merentur. Plerique Dei beneficia, tam corporalia, quàm naturalia, & ſpiritualia in ſua oratione iugiter,& diſtinctè reuoluentes per medullatum holocauſtum actionis gratiarum Deo acceptiſſimum, omnipotentẽ Deũ aduocantes ad ſe, præſentia eius efficiuntur digni. Nonnulli coram Deo corpore,& ſpiritu ſe ſtatuentes, ipſius bonitatem, excellentiam, & diuinitatem laudibus & votis, quibus valent, extollentes & magnificantes, efficaciter in Deum per amoris vehementiam & delectationẽ mentis trahi ſe ſentiunt. Quidam nouo veritatis irradiati ſplendore ex ſuperuenienti gratia ita exuberanti gaudio repentè perfunduntur, & intima pace fruuntur, vt Deum in corda ſua aduenisse non dubitent. Aliqui ex cõſideratione beatæ vitæ, & futuræ fœlicitatis contemplantes angelorum, ſanctorum,& animarum iuſtorum inenarrabilem gloriam: eleuantur ſupra ſe, atque ex ardenti deſiderio ſocietatis illorũ ſe illis copulantes Deo, ex parte aſſiſtere merentur. Alii ex diuina reuelatione vtcunque Dei eſſentiam & immenſitatẽ oculo illuminatæ fidei aſpicientes, in admirationem, & raptum ſupra & extra ſe euecti Deo dulciter vniri merentur. Sũt quoque nonnulli, qui diuini luminis irradiatione, & cœleſtis charitatis æterno & pleniſſimo fonte repleti, atque potati Deum ſupra omnem humanam intelligentiam, & virtutem guſtare digni efficiuntur. Hi nempe inebriantur ab vbertate bonorum Dei, & potantur à torrente inexhauſtibilis voluptatis ipſius.

Pſal. 35.

Hic planè guſtus ad Deum amandum ex totis præcordiis abſorbet hominis affectum, & amantem rapit in amabilem adeò vt ſolo huius mortalitatis indumento diuiſus ſit à ſumma illa cœleſtium ſpirituum gloria. Omnium verò aſcenſuum artifex & doctrix eſt Dei æterna ſapientia, quæ iuxta arcanum ſuæ diſpenſationis conſilium vnicuiq; ſeruorũ ſuorum tribuit prout vult. Nullus tamen eſt etiam illorum, qui apud eum minimũ ſortiti ſunt gradum, qui vltra condignum meritum de manu domini non ſuſceperit. Ideo ab vnoquoque ſeruorum Dei triſtitiæ pondus, & inuidiæ liuor, qui de proximi proſperitate affligitur, propellendus eſt. Tenaciter autem & tota animi intentione in corde ab omnibus zelus proficiendi tenendus eſt, atque deſiderium imitandi eos, qui Deo per virtutum merita viciniores ſunt, vt ipſorum donis participes efficiantur. Nutriendum eſt igitur quicunq; muneribus cœleſtibus locupletari anhelat, orationis ſtudium, quod quandiu vixerit, non derelinquat. Eſt nanque oratio via breuis, aſcenſus facilis, iter ſecurum: per quod ad Dei notitiam dulciter & veraciter peruenitur. In ipſa autem oratione qui profectum illius concupiſcit obtinere, mentis curioſitatem deuitet: quæ incerta & occulta diuinæ ſapientiæ penetrare conſueuit, memineritque ſcriptum: Altiora te ne quæſieris, & ſublimiora te ne ſcrutatus fueris: quoniam ſcrutator maieſtatis opprimetur a gloria.

Eccl. 3.

Religet etiam altitudinem intellectus ſub humilitatis iugo: & ſola quæ ſibi cogitanda propoſuit, guſtare ſtudeat. Non enim quæ eleuent, ſed quæ paſcant & accendant, in oratione perquirenda ſunt. In qualicunque cogitatione affectus rapitur, immorãdum eſt, nec ab eadem reſiliendum eſt, donec idem perſeuerat guſtus. Debet autem humana mens ſpirituali ſe ſubſternere immiſsioni, & ſemper illi ſolicitè coaptare ſe. Vbi vel qualiter impetus ſpiritus orantis animũ dirigere voluerit, conſentiẽdum eſt. Nam quiſquis ſecundum ſuæ voluntatis beneplacitum ſupernam aſpirationem, & Dei viſitationem torquere conatus fuerit, præſumptionis vitio ſeductus, atq; ignorantiæ tenebris circunſeptus non profectum, ſed prorſus iudicium de ſua reportabit oratione. Homo quippe Deo, & non Deus homini ſubeſſe debet. Propterea Chriſti ſeruus prudentia decoratus, quum in oratione poſitus eſt, cuncta dona, quæ eidem diuinitus largiuntur, humiliter ſuſcipiat: gratias Deo agat,& horum indigniſſimum veraciter ſe arbitretur. Qui autem conditoris gratiam repellit,& qui Dei dona impudenter diiudicare non veretur: nunquam ſpiritualibus ditabitur donis. Dignatur nanque Dominus ſimplicem viſitare mentem, & ſecum amica confabulatione habitare. Nec immeritò. Quum enim repugnare neſciat,& contradicere non præſumat, realiter ſe diuinæ ſubijcit voluntati. Magni quippe æſtimat quicquid illi à Deo donatur. Non extollitur de beneficijs, nõ eleuatur ſupra ſe inaniter, largitoris gratiã non diſperdit, non iudicat aliquẽ, nõ murmurat de aliquo, arcana Dei nõ pãdit, tota ductilis eſt, ſemper docilis, ad petendũ facilis, hilaris

ad

ad tribuendum, atque ex his diuinæ laudis optimum efficitur inſtrumentum. Nam cordis ſimplicitas hominem exhibet eſſe deuotum. Humani verò generis aduerſator diabolus eò amplius erga orantes æmulationis face accenditur, quò magis viderit illos in deuotione proficere. Vnde conſueuit deprecantis animum memoria perpetratæ culpæ repercutere, quatenus ex hoc amittat fiduciam, & ex impedimento conceptæ puſillanimitatis non valeat deuotionis exercitia ſecundum conſuetudinem peragere. Huic autem fallaci ſuaſioni nequaquam fides accommodanda eſt. Proinde Chriſti miles egregius caueat ne confundatur, ſed cum ſe peccaſſe cognouerit, humiliter in ſpiritu ante pedes Domini ſe proſternat, confiteatur delictum ſuum Domino, blandiſque verbis offenſum mulceat dilectum, & ſtatim gratiæ intelliget adeſſe præſentiam, per quam reſumptis animæ viribus, & concepta fiducia de cætero, Domino quieto animo vacare valebit. Non tamen facilè hæc admittenda ſunt, ſed prudēti ratione diſcutiēda, quia maligni ſpiritus perſæpe ſub compunctionis ſpecie ardorem deſiderij, deuotionis gratiam de orantis corde diſsipant & extinguunt. Solet tamen interdum diuina bonitas ab orantis affectu ſe ſubducere, eumque totum aridum, totumque reddere indeuotum. Tunc quicquid meditanti offertur, deſipit, quicquid cogitare diſponit, indiſcuſſum præ ariditate ſpiritus derelinquit. Nihil
Pſal. 77 ſapit, nihil delectat, nil reperitur quod paſcat affectum, quin potius vbique tenebræ denſiſsimæ palpantur, vbique ſterilitas ſentitur, quaſi prius nihil dulce guſtatum ſit. Fiunt quoque intus fragores, tonitrua, coruſcationes, & immiſsiones per angelos malos, vt euertant à ſua ſtabilitate animum, faciantque illum ab oratione ceſſare. Eo autem tempore, quo hæc aguntur, orationis actus prætermittendus non eſt, ſed perſeuran-
Mat. 24. ter cuſtodiendus. Si enim, qui iſta patitur, petierit dulciter, accipiet; ſi quæſierit prudenter, inueniet; ſi pulſauerit fideliter, aperietur ei lumen ſuperni fulgoris, videbitque ſolem, qui prius erat in nubilo, fulgentem in meridie. Qui legit, intelligat. Retunditur etiam quandoque ex Dei diſpenſatione orantis animus innumerabilium varietate cogitationum, quæ præ ſui multitudine & importunitate ipſum inſtabilem red-
Pſal. 68. dunt, ac ipſe more carinæ fluctuantis in medio pelagi huc illucque agitatus per tentationum ſcopulos colliſus atteritur, atque amiſſo delectabilis quietis tranquillo portu inceſſanter ad Dominum clamare cogitur, & dicere, Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquæ vſque ad animam meam. Infixus ſum in limo profundi. Tunc iactādæ ſunt anchoræ bonæ ſpei in mare diuinæ miſerationis. Tunc toties ad cœlum vociferandum eſt humili & ardenti cordis deſiderio, quoties impingitur orantis animus ab impetu pernicioſarum cogitationum. Pius autem Dominus, non permittit diu laborare clamantem Mat. 8. Mar. 4. Luc. 8.
ad ſe, ſed imperat ventis & mari, & fit repentè tranquillitas magna. Poſt hæc vere diuina laus, & gratiarum actio Domino decantatur pro obtenta pace, & inimicorum fuga. Iuſto nanque iudicio, Dominus tepidos ſpiritu, & ad orandū pigros tentari permittit, quatenus neceſsitate compulſi orare cogantur. Magnus quippe dominus omnia in ſapientia diſponens hominum ſalutē mirabiliter operatur. Nunc humiliat, nūc exaltat, nunc mortificat, nunc viuificat, cuncta autem ſemper irreprehenſibili diſponens iudicio æquitatis ad illum, quem ipſe ordinat, ſingula deducit finem. Nemo eſt, qui illi reſiſtere valeat; nullus, qui deleat, tanto vnumquenque dirigit conſilio charitatis. Propterea ipſius maximè ſunt iudicia veneranda, quæ quamuis incomprehēſibilia ſint, tamē ſemper vera & iuſta ſunt. Caueat igitur diligenter, ne in ipſa impingat, quiſquis inoffenſo mentis pede ad Deum per orationis ſtudiū accedere feſtinat. Ob hoc quippe vigilanter, iugiterque orationi vacādum eſt, & in ſenſu cordis ſemper Domino aſsiſtendum quatenus ex frequenti conſideratione veritatis, fumus humanæ ſapientiæ, & caligo carnalis intelligentiæ, ab interioribus animæ aſpectibus irradiante gratia amoueri poſsit. Alioquin mens Deut. 32.
quaſi quadam conſuetudine ad orationis actum deducta, aut tanquam cæca ingeret ſe ſuperno Deut. 32.
fulgori, & inde reuerberata proſternetur, aut per lubrica & inania inſenſibiliter raptabitur & deuiabit, quod ſine magno ſpirituali diſpendio fieri nequit. Qui enim huiuſmodi illuſiones in oratione patitur, nullum de ſua oratione percipiet fructum. Hoc exprimere voluit Propheta, dicens, Populus meus ſeductus eſt non habens cor, videlicet ad intelligendum & diligendum. Hi vt reſipiſcant, & ad ſe redeant, optabat Moſes, cùm dicebat, Vtinam ſaperent quàm grauia fuere, quæ commiſerunt, delicta, quanta amiſerunt ſpiritualia lucra, qualia metuerunt ſupplicia. Vtinam intelligerent fugaces ſeculi blanditias, & importabilia onera, Dei ſuper ſe internā aſpirationem, multiplicem Deum diligentibus pacem præſtitam, & Saluatoris erga homines ineffabilem charitatem. Vtinam nouiſsima prouiderent, ineuitabilem ſcilicet mortis neceſsitatem, horæ mortis incertitudinem, pœnarum inferni importabile ſupplicium, & cœleſtis gloriæ triumphale premium. Horū nanque cōſideratio vigilātē efficit orātis animū. Eorū quoque, quæ dicēda ſunt, ignari nequaquā eſſe debēt Deo per orationis exercitium vacare cupientes. Nam ſeruorum Chriſti mens, quæ minus cautè antè orationis tēpus ſe compoſuit, plerunque ſolet tedio affici ipſa orationis incumbente hora, atque ab

oratione vehementer ſubterfugere,tanquam ignara quid in ea agere, quidve cogitare debeat, vtpote minus in ſpiritualibus exercitata,& diſciplina orationis minus imbuta, atque delicijs, quæ in oratione percipiuntur,inſueta. Ad hanc itaque coercendam ignauiam,ad hanc puſillanimitatem mentis compeſcendam,optimum,ſaluberrimumque medicamentum eſt meditationis quendam generalem modum in corde ſuo ſtatuere & firmare, quatenus ornatis animus ſemper præparatam habeat materiam vtilia cogitandi. Geſta igitur Saluatoris,videlicet ortus, vitæ progreſſus,paſsio, & reſurrectionis, necnon & aſcenſionis exultatio, ſi diligenter meditantur, maximum ſpiritualis dulcedinis animo cogitantis ingerunt nutrimentum. Nulli autem famulãtium Chriſto fas eſt has poſtponere meditationes redemptoris, vt ex ipſarum conſideratione intelligant humano generi charitatem exhibitam,pati concupiſcant, compati diſcant, redamare ſtudeant, & Deo gratias agere nunquam deſinant. In his vtique meditationibus aſsiduè, ardenterque incumbendum eſt, & ſingula diligenter pertractanda ſunt, niſi fortè ex ſuperuenienti nouo gratiæ lumine, aut ex abundantiori charitatis affectu cor ad alia meditanda rapereur. Nam huiuſmodi infuſionibus nunquam reſiſtendum eſt. Quicquid enim tunc cogitatur,vel cogitandum præponitur boni, intermittendum eſt, & ad tempus ſe ponendum, ac ſic tota ſpiritus alacritate cęleſti immiſſioni ſubdendum eſt cor,atque prout gratia communicauerit,obedire non renuat. Repugnare autẽ & vocanti Deo nolle humiliter acquieſcere nil aliud eſt, quàm fluenta gratiæ deſiccare, & ad ſui præiudicium aditum internarum deuotionum obſtruere, ac Dei iram contra ſeſortiter aduocare. Propterea Propheta dicebat, Terribilis eſt ei,qui aufert ſpiritum. Et Paulus, Spiritum nolite extinguere. Alibi quoque dicitur, Quum ſpiritus poteſtatem habens irruerit ſuper te,da ei locum. Hoc quippe beato tẽpore conſueuit anima perfundi ſplẽdore nimio, aut ſolito ardentiori ſpiritus calore igneſcere. Nec immeritò. Tunc etenim per ſe ipſum Dominus animam viſitare dignatur. Tunc rex gloriæ cultu depoſito regio, & tremendæ maieſtatis reiecto ſceptro velut placidus ſponſus animæ thalamum ingreditur, potiſſimum ſi ipſam humilitatis virtute decoratam agnouerit. Hunc autem ſponſi aduentum in Canticorũ cãticis ſponſa inſinuare voluit, quum dicebat, En ipſe ſtat poſt parietem noſtrũ reſpiciens per feneſtras,proſpiciens per cãcellos. Et deinde, En dilectus meus loquitur mihi. Aperi mihi ſoror mea,columba mea,& cætera. Non enim abſque maxima animi impudentia, & ſpiritus præſumptione reſiſti poteſt amabili, & æterno ſponſo tam dulciter, tam humiliter, tam ſagaciter venienti.

Pſal. 75. 1. Teſſ. 5. Eccl. 10. Cant. 2. Ibidem.

Hic nanque ſponſi aduentus, qui in oratione fit,facilè cognoſcitur, ſi diligenter obſeruetur. Quum orantis mens humili repentè repletur exultatione, quum admirationis illuſtratione clareſcit, quum cordiali & melliflua dilectione liqueſcit, tũc ſine ambiguitate Dominus eſt. Non ſunt eo tempore verba componenda, ſed ſicut ſuggerit ſpiritus,agendum eſt. Spiritus autem tunc poſtulat gemitibus pro nobis inenarrabilibus. Tam diu in hoc amoris tripudio immorandum eſt, quàm diu perſeuerat affectus, quo deficiente, aut tepeſcente ad interpoſita meditationis ſtudia redeundum eſt, ne poſt percepta chariſmata ſpiritus pereffluat animus, atque ex pollutione noxiarum cogitationum fœdetur tẽplum Domini,quod paulò antè per Dei præſentiam mundatum & ſanctificatum fuerat. Obſeruandi proinde ſunt prudentiſſimè,atque vigilanti corde examinandi omnes interioris hominis motus orationis tempore, quo ſpiritu, quave intentione dirigantur. Nam immundi ſpiritus omni,qua valent, calliditate fędare, ac perturbare orantis animum nituntur, vt in diuerſa illum rapiant, aut in præcipitio tentationum collidant. Intermiſcere vtique falſa veris, & inſpirationib. tentationes moliuntur. O quoties ſpirituali gaudio mentis leuitatem, & ſecuritatem inordinatam, quæ à ſui cuſtodia remiſſum reddunt animum, ingerunt, quatenus foras reiecta grauitate faciant gaudere. O quàm ſæpe incautam mentẽ tempore deuotionis impellunt, vt poſtpoſita reuerentia plus quàm congruat, Domino faciant adhærere, atq; humilitatis oblita ſecum loquatur, quod non licet creaturæ & ſeruo. Nã quod aliquando ex viſitante gratia, & præ abundantia charitatis deuota anima experta eſt, hoc idẽ interdum præſumit etiam non viſitata à Deo, aut vocata. Iſtud nempe periculoſum audacia genus eſt,& omnino à conſpectu Domini amouendum. Si ego (inquit Dominus) vbi honor meus? Propterea qui ad ſpirituale orationis conuiuium à Domino inuitantur, in nouiſſimo per humilitatem cordis debent recumbere loco, vt ab inuitante eis dicatur, vt aſcendant ſuperius. Caueant tamen hoc deceptionis offendiculum, ne ſcilicet nimio humilitatis zelo in triſtitiæ,ſeu diffidentiæ,aut hebetudinis mentis decidant foueam,quæ orantis animum diſsipare conſueuit, quoniam inaniter laborarent. Quia verò indicibile eſt, & prorſus impoſsibile explicare quibus modis,quibusve fraudibus furtum mentis in oratione proueniat,ſolicitè in hoc vigilandum eſt. Cauſas autem norunt, quamuis non ad plenum, qui cuſtodiam ſuper cor ſuum conſtituerunt, atque ex ſuperna reuelatione aſtutias Satanæ non ignorant. Hi etenim congruè mentis latebras, immundorum ſpirituum argumenta, vitiorumque affectus propalare valeant. Proinde

Rom. 8. Malac. 1.

Digitized by Google

inde vt ad hanc ſpiritus perſpicuitatem, & orationis perfectionem pertingere poſſint, quicunque vacare Deo cupiunt, ſtudeant quum orationi inſiſtunt, mentali exercitationi incumbere,& à vocali oratione ceſſare. Ioan. 4. Nam iuxta incarnatæ veritatis ſententiam, adoratores veri, Deum in ſpiritu & veritate adorãt. Quum Deus ſit ſpiritus, tales quærit, qui in ſpiritu illum adorent. Non tamen ſemper vocalis oratio ab adoratoribus veris repudianda eſt orationis tempore, aut condemnanda. Frigeſcente nanque ſpiritu,& ab exterioribus ad interiora redeunte, opportunum adminiculum ad deuotionem excitandam eſt vocalis oratio. Accenſo verò deuotionis igne, ori ſilentium imponendum eſt,& à vocali oratione ceſſandum, ne pro exiguo maximum præpediatur bonum. Seducitur enim quiſque, quum ſuperuenientis gratiæ perfunditur dulcedine, ſi oranti linguæ non interdicit loquelam, excepto dumtaxat illo tempore, quo diuinorum officiorum perſoluit debitum, 1.Cor. 14. ad quod tenetur. Tunc etenim (ſi valet) oret ſpiritu, oret & mente. Omnibus nempe modis nitendum eſt, atque ſubſidia adinuenienda ſunt ſiue per vocalem orationem, ſeu per proſtrationes, aut manuum extenſiones, vel quomodo libet, vt mens abſque impedimento eleuatur in Deum, quum orationi inſiſtit. Nam orationis finis hic eſt, vt anima Deo vniatur per pium charitatis affectum præuio lumine diuinæ agnitionis. Ioan. 12. Quiſquis autem aliter ſe exercet, vel aliud orando quærit, in tenebris ambulans neſcit, quò vadit. Vt autem facilius mens aſſequi poſſit, quod orando habere deſiderat, diligenter conſiderandum, atque illud tempus prudenter eligendum eſt, in quo animus magis ſe ſobrium ſenſerit, & ab onere corporis ac alimentorum eius minus aggrauari cognouerit, ne à curis terrenarum actionum, atque ab earum phantaſmatibus repercuſſa mens inepta efficiatur ad id capeſſendum, quod quærit, & adipiſci deſiderat. Nõ autem mediocriter aduerſatur corporis inordinatio, & exteriorum tumultus ad pacem mentis, & animi obtinendam tranquillitatem, quæ oranti omninò neceſſaria ſunt. Illud etiam ſolerter obſeruet, quiſquis in pacifico orationis portu à fluctibus huius naufragoſi ſeculi abſtractam nauem mentis religare deſiderat, ne ſtatutum orandi tempus vllo modo prætereat, ne pro opere manuum, aut quouis alio exercitio illud poſtponat, tenaciter & irrefragabiliter cuſtodiat. Conſueuerunt quippe maligni ſpiritus orationis horas obſeruare,& fortiter tentare, vt eam impediant. Solummodo autem propter corporis neceſſitatem, & obedientiæ virtutem, atque proximi manifeſtam charitatem, indictũ orandi tempus intermittendum eſt. Cæteris verò omiſſis veniente ſtatuto tempore orationi vacandum eſt. Habeat itaque Dei ſeruus præfixum orandi tempus, quod iuxta virtutem propriam, & gratiam ſibi collatam in hoc tam ſancto ocio diſpenſare valeat ſine mentis ignauia. Illud autem temporis ſpatium, quod ſibi quiſq; elegerit, nec propter cordis duritiem multum diminuendum, nec propter mentis deuotionẽ inordinatè prætergrediendum eſt. Vtrobique latent inſidiæ. Nam in diminutione negligentia ſæpe triumphat, in prolongatione autem indiſcretio dominatur. Sic verò æqua diſcretionis libra vtrunque prouide diſponendum eſt, & orationi tẽpus accõmodandum, vt eadẽ fiat abſque faſtidio,& in ea perſeuerare nõ pigeat. Hoc nempe tũc veraciter fit, quũ animus orãdi famẽ patitur,& ipſa oratione paſcitur & nutritur. Nã quum plus debito oratio inſuetè protenditur, ipſius guſtus facile amittitur. Vnde per quendã ſapientem ſcriptum eſt, Mel inueniſti, comede quod ſufficit, ne in faſtidium verſus euomere incipias. In cunctis igitur prudentia adhibenda, & præcipuè in orationis actu, in qua innumera laqueorum genera tenduntur ab aduerſarijs, qui niſi præuideantur & euitentur, omnem orationis diſperdunt fructum. Non autem niſi quibus donatum eſt, ſpirituum diſcretio, & diuinæ dulcedinis guſtus, atque ipſius mentalis orationis opus, intelligere valent verbum hoc. Peracta igitur orationis hora ante diſceſſum fidelis & Chriſti deuotus ſeruus virtute, qua valet, totus redeat ad ſe, ſecumque habitans affectuosè Deo gratias agat de ſibi collatis gratijs. Videat verò ne vacuus ab oratione recedat, etiam ſi ad ſui probationem valde inſipidus ſtetit, ſed animi cõſtantia ſuper Domini diſpenſione præmunitus, aut affectione pia compunctus, aut cogitatione aliqua ſancta deuotus, ſinum ſui cordis replerę non deſinat, quatenus omne tempus in conditoris laudibus occupet, iuxta quod ſcriptum eſt, Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, Pſal. 75. & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi. Quiſquis itaque Deo placere affectat, quicunq; huius ſeculi laborioſam peregrinationem peragrare deſiderat, ſi ſpretis tranſitoriæ vitæ lenocinijs æterni conuiuij ſpirituales ac ſupercœleſtes delicias apprehendere ac deguſtare concupiſcit, ſtudio orationis ſe tradat, ad illam alacriter & paratus accedat, in ea ardenter, & in ſẽſu cordis coram Domino aſsiſtat, necnon & in ipſa quotidie perſeueret. Et quippe beatiſsima virtutum nutrix, vitiorum interemptrix, culpæ venia, peccatorum abolitio, interuentrix mundi, ſalus hominum, charitatis mater, caſtitatis robur, iuſtitiæ regula, prudentiæ ſpeculum, ſanctitatis decus, ſcientię lumen, ſapientiæ cellarium, domeſtica Dei, fiducia animæ, medicamentum puſillanimitatis, gaudium cordis, fida huius peregrinationis comes, mœſtorum conſolatio, impugna-

pugna-

Digitized by Google

pugnatorum impenetrabile ſcutum, ſecretorũ Dei cognitrix, humilitatis norma, fidei clauis, honeſtatis præuia, obedientiæ plenitudo, ſecuritatis fons, angelorum imitatrix, iuſtorum exultatio, temperantiæ magiſtra, pacis pelagus, dæmonum fugatrix, quieſcentium refugium, conſcientiæ ornamentum, additamentum gratiæ, amoris incentiuum, porta cęli, petitionum nuncia, auxiliatrix ſtrenua, mediatrix præcipua, & cęleſtium ſacramentorum reſeratrix optima. In ea nil ſordidum, nil curuum, nil reperitur coinquinatum, & quum tota ſit pulchra, & omnium donorum fœcunda, ſemper hilarem, ſemper iucundũ ſui exhibet dilectorem. Clamat hoc ſacroſancta virtutum regina, & gratiarum nutrix, dicens, Venite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis adimplemini. Fructus etenim meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſempiterna eſt. Ego vtiq; mater pulchræ dilectionis, timoris, magnitudinis, & ſanctæ ſpei. In me nempè omnis ſpes vitæ, in me omnis plenitudo gratiæ. Propterea qui me inuenerit, inueniet vitam & hauriet ſalutem à Domino.

Quòd Dominus Ieſus in ſtadio militantis eccleſia duo potiſſimum ſaluberrima inſtituit ſacramenta, confeſſionis, ſcilicet & euchariſtiæ tanquam præſidia ſpiritualia pugnantibus neceſſaria, per quæ tribuitur vulneribus peccatorum ſalus, & robur pro reparatione virium deperditarum. Et qualis debet eſſe confeſſio. Atque de effectibus euchariſtiæ, & præparatione ad ipſam. Necnon de multiplici conſolatione, qua potiuntur qui ad illam dignè accedunt. Cap. XIX.

CONſueuerunt laborantes in agris & in vineis poſt ſudores operis, meridiani æſtus ardorem declinare, vmbras petere, atque virentia prata eligere, quatenus in ipſorum planitie & amœnitate reſidẽtes, feſſo corpori iucundius cibaria ſubminiſtrent. Habent etiam nautæ hoc proprium, vt poſt ſedatas tempeſtates, poſt ſulcata per tempus prolixũ æquora quærant portum, ſolicitè perluſtrent littora, in quibus deſcendant, nauem religent, vela reſarciant, atque quicquid vetuſtate corruptum, aut procellis diſſipatum eſt, reſtaurẽt, quatenus iterum flante proſpero vento marinis ſe fluctibus tradant. Campi ductores quoque & exercituum principes cum aduerſus hoſtes viſibiles dimicare diſponunt, tentoria & quædam ſpecialia deputant loca, in quibus pro reſumendis viribus, pro ſupplendis neceſſitatibus, ſeu medendi cauſa accedere valeãt bellatores. Sic quippe dux noſter, ſic ſpiritualium militũ inuictiſſimus rex Chriſtus, certantibus in hoc ſpirituali & inuiſibili ſtadio militantis eccleſiæ, ſpiritualia quædam ordinauit munita præſidia, ad quæ pugnantes confugiant, vt in illis reſumptis vt viribus, vel ſoris vulneribus iterum in campũ redeant acrius bellaturi. Hæc nempe tutiſſima & inexpugnabilia loca à Domino Ieſu eius parata militibus ad refocillanda corda, & ad detergẽda animæ vulnera, ſpiritualia ſunt ſacramẽnta. Per hæc nanq; datur lapſis requies, debilibus robur, formidoloſis audacia, & ſemel proſtratis fiducia dimicandi. Quis etenim valeret aduerſus immundos ſpiritus pergere, in acie perſeuerare, & de talibus aduerſarijs obtinere victoriam, niſi diuinis interdum eſſet recreatus alimentis, & exhortationibus animatus? Quis in tam diuturno certamine contra tam acerrimos luctatores perſiſtere vnquam poſſet, niſi ſuper cœleſti adiutorio, & verbi Dei pabulo paſceretur? Nullus ſibi arroget cauſam victoriæ, nemo de proprijs viribus præſumat, agat Deo gratias in cunctis operibus bonis, atque Domino exercituum, ſuum de inimicis aſcribat triumphum. Ipſe nanq; eſt, qui electos ſuos eripit de manibus perſequentium, ipſe eſt, qui oues ſuas in montes excelſos, & in paſcua pinguia deducit, eaſq; miſericorditer protegit ab incurſibus beſtiarum; ipſe eſt, qui milites elegit ſuos, eos faciens contra aereas poteſtates reſiſtere, & perſeuerãter pugnare. Ipſe nẽpe eſt, qui ad ſe de ſpirituali prelio redeuntes fouet, & nutrit ſacramentalibus alimentis. O quã ſalubria ſunt cibaria hæc? ô quàm munita ſunt diuina præſidia? Siquis enim veneno diaboli perfuſus eſt, ſi quis peccati morbo percuſſus incunctanter ad refugium confeſsionis accedat, & ibi ſuarum recipiet medelam plagarum. Si quis verò inedia tabeſcit, vel fatigatus in prælio reparare vires concupiſcit, ſacroſancta corporis Chriſti fideliter ſumat myſteria, & ſtatim conualeſcet, in melius priſtina reſtaurata virtute. Eſt nanq; ſacramentum hoc tanquam cellarium quoddam omnium aromatum in ſe continens precioſitatem & virtutem. In ipſum qui ingrediũtur, refocillantur ab omni fatigatione, nec deficiunt, donec præſentis vitæ terminus finiatur. Eſt etiam myſterium hoc quaſi ingens arbor virentibus referta folijs, ſub qua quicunque fugiunt laborantes & peregrinantes, proteguntur in ipſius vmbraculo ab diei æſtu, à turbine quoq;, & pluuia. Confeſsionis verò ſacramẽtum velut ſignus pacatiſsimus eſt, in quo Eſaia. 4.
hominum conſcientiæ religantur, ne à procellis abſorbeantur delictorum. Deiecta eriguntur, amiſſa reparantur, & quicquid immunditiæ inundantibus tentationum tempeſtatibus, aut operante malitia in nauim conſcientiæ perfuſum eſt, reijcitur, & purgatur. Hæc denique ſacramenta in remedium infirmitatis humanæ diuina contulit miſeratio omnino ſaluti neceſſaria. Nemo enim quantũcunq; ſanctus, quantũuis innocens, & perfectus, ſecernitur. Nullus prorſus eſt, qui hoc cœleſti nõ indigeat auxilio. Omnes quidem peccauerunt, & egent gloria Dei. Rom. 3.

Sed

Sed neque qui non peccet reperitur. Quis enim (ſicut ſcriptura loquitur) caſtum gloriabitur ſe habere cor? aut mundum eſſe à peccato? Quicunque igitur deliquiſſe ſe meminit, ſiquis reatum ſuum agnoſcit, ad confeſsionis remedia quanto citius poteſt, recurrat. Nam delicti confeſsio veniam impetrat, gratiam promeretur, humilitatem nutrit, cælum aperit, iram Dei coercet, pacem reddit, & offenſam maieſtatem citò propiciat, dummodo debito modo fiat. Debet nanque confeſsio ſimplex eſſe, & nullo duplicitatis errore fuſcata. Non autem vt hominibus ſatisfiat, non vt laus capiatur humana, non ex ſolo mortis vel gehennæ metu confitendum eſt, ſed ſolum vt placetur Deus, & vt omnipotẽs remittat errata. Vnde ſanctus Propheta dicit,

Pſal. 31. Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meã domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Sunt autem complures, qui duplici corde incedentes ideo confitentur delicta, ideo peccatores ſe dicunt, vt iuſti exiſtimẽtur, & humiles prędicentur.

Pſal. 11. Horum quippe confeſsio inanis eſt, & diuino reprobãda iudicio. Excelſus etenim quũ ſit Dominus, tamen humilia reſpicit. Proinde humilem diligit confeſsionem, quæ animo & lingua non diſcrepat, quæ pudore perfuſa eſt, quæ ex compunctione emittitur, quæ lacrymabili voce profertur. Qui enim verè humilis eſt, qui verè pęnitentiæ lamenta ſuſcepit in ſe, humiliter, purè, & fideliter confitetur; ſuorum non dubitãs ex hoc ſe percepturum eſſe veniam delictorum. Ideo cæleſti illuſtratus gratia, Sacerdoti tãquam Chriſto aſsiſtit, humi proſtratus, vultu demiſſus, animo pauidus, dolore confoſſus, & compunctione perfuſus. Præmeditetur autẽ prius quàm ad confeſsionem accedat, quæ dicturus eſt, vt cõpungatur, vt nihil horum, quæ deliquit, iuxta poſſibilitatẽ omittat, vt non aliter, quàm prout ſunt, peccata manifeſtet. Sic nanque, quia vt plurimũ confeſsio abſque diligenti conſideratione facta caret contritione, & multa prætermittit accuſanda delicta. Non conſuetudine, ſed in ſenſu cordis, in ſpiritu mæroris, in feruore charitatis confitetur. Nam peccata ab eo, qui veniam habere deſiderat, diſtinctè & nude propalanda ſunt, nõ ſub excuſationis velamine tegenda, non generaliter, ſed particulariter, prout perpetrata ſunt confitenda. Prudenter tamen, ne proximi accuſentur, ne ſcelerum conſortes agnoſcantur. Propria autem, & non aliena ſunt manifeſtanda delicta. Non coactè, non ex ſeruili timore, ſed libenti animo, & ſua ſponte verè pænitens confitetur. Caueat nanque quod à multis reprehenſibiliter agitur. Sunt nempe multi, qui propterea ad confeſsionem accedunt, quia confitendi inſtat tempus, vel quia eccleſiaſtica ſtatuta compelſunt, aut quia patrũ decreta ſic ordinant. O quã libentius hi tales ſine confeſsione præterirent; ò quam iucundius, quia ipſorum cor non eſt rectum cum Domino, ſua peccata cælarent? Sed ne calumnientur in publico, ne in congregatione detegantur, ne redarguantur à prælato, id faciunt. Sciant verò huiuſmodi, quoniam ipſorum talis confeſsio Deo parum grata, & ſibiipſis modicum eſt proficua. Sicut autem volũtarium fuit delictum, ita ſpontanea debet eſſe confeſsio. Nã tepidi, indeuoti, & ingrati cordis, eſt indicium, nolle confiteri. Qui verò veraciter ſe agnoſcit, & Deum ardenter diligit, frequenter confitetur. In minimis vtique ſe arguit, in omnibus ſe deliquiſſe accuſat, atque plus cæteris peccatorum ſe profitetur. Quod enim ſibi diſplicet de ſe, alteri aperire non veretur, non dimidiat confeſsionẽ, ſed integraliter ſuiipſius condemnator exiſtit, quum ei licet. Sacerdoti iugiter confitetur, quũ autem Sacerdotis copia deeſt, ſoli Deo quotidie confitetur. Hoc quum agere vult, ſe reuocat ad ſe, & in ſpiritu mæroris, & zelo compunctionis ſtatuit ſe ante Dei tribunal, & humiliter de omnibus quæ cogitatione, omiſsione, verbo, vel opere commiſit, accuſat ſe, atque vt ſibi ignoſcatur, exorat. Nec diu perſeuerat in prece, quin ſẽtiat veniam ſe percepiſſe à Domino, dummodo purè ac fideliter confiteatur. Hæc nanque regula, hic confitendi modus à cunctis, qui Deo militant, & ad perfectionem attingere deſiderant, ſeruandus eſt. Eo etenim mens Deo fit propinquior, quo mundior cuſtoditur, atque tãto quiſque dignior efficitur, ad ſumendum dominici corporis ſacramentum, quanto à ſordibus peccatorum fuerit purgatior. Duo nanque ſacramenta hæc in vnum conueniunt, amboque ſimul à Chriſti fidelibus frequentari oportet. Neque confeſsi abſque euchariſtiæ ſacramento, neque ſine confeſsionis ſacramento euchariſtiæ perceptio proficit ad ſalutem. Sicut enim qui quotidie delinquit, ita quotidie (ſaltem Domino) confiteatur, & qui quotidie peccãdo deficiunt, quotidie ſpiritualiter communicando reſtaurentur, ſacramentaliter autem interdum. Non enim ab omnibus vniformiter communicandum eſt, ſed à quibuſdam ſæpius, à quibuſdam rarius, prout vniuſcuiuſque affectus trahitur, & virtus meretur, potiſsimum tamen ab iis, qui Deo dicati ſunt, ſumi debet ſacramentum hoc. Ex ipſo quippe dignè ſumentes maximum conſequuntur ſpiritualem profectum. Nam viuificantur internus, corpori Chriſti incorporantur, ſpiritualiter reficiuntur, deuotione augmentatur, dulcedine nutriuntur, charitatis ſcilicet ad Deum, & dilectionis ad proximum, & ſuauitatis in ſeipſos. Fit quoque ex ipſa ſumptione in illis fomitis mitigatio, gratiæ collatio, virtutum roboratio, peccatorum remiſsio, contra diabolum armatio, ſpei eleuatio amoris excitatio, fidei commendatio, angelica conuiuatio, regni cæleſtis largitio, intellectus illumi-

illuminatio, & omnium bonorum participatio. Quis autem huius excellentiſsimi ſacramenti dignitatem ſufficienter fari poteſt? Humanam & angelicam tranſcendit gloriam. Quicquid in illo eſt, diuinum eſt. Sub ipſius nanque accidentibus totus Chriſtus eſt, Deus verus, & homo verus, integer permanens in diuiſione ſacramenti, totus ſub vnaquaque particula. A ſingulis ſumitur totus, à quibuſdam dignè, à quibuſdam indignè. Non laceratur manibus, non atteritur dentibus, ſed ſemper in ſeipſo incoinquinatus, & impaſsibilis perſeuerat. Quoniam verò iudicium ſibi manducat, quiſquis ad illum peccatorum ſordibus pollutus præſumit accedere, ideo iuxta Apoſtoli conſilium probet ſe homo, & ſic de pane hoc edat. Videat verò quilibet, ne conſuetudine, aut cordis elatione ad perceptionem ducatur tãti myſterij, ſed deuotione, ſed præuia meditatione. Nam alia ſacerdotum, alia cæterorum debet eſſe conſideratio, & mentis diſpoſitio. Excellentior quippe gradus perfectiorem exigit præparationem. A cunctis tamen requiritur puritas caſtitatis, affectus deuotionis, memoria Dominicæ paſſionis, amaritudo contritionis, & promptitudo atque deſiderium bonæ operationis. Iuxta menſuram charitatis effectus percipitur huius ſacramenti quandoque ſenſibiliter, quandoque inſenſibiliter. Vir nãque bonus nũquam caret profectu ſpirituali. Nam etſi deuotio plurimũ huic congruat ſacramento, tamen prius vita commẽdabilis habenda eſt, deinde deuotio. Nam vita ſine deuotione multum confert, abſq; vita deuotio nihil. Hoc autem definiendum eſt, quòd nec laudabilis vita ſine deuotione eſſe valet, neque vera deuotio ſine recta vita ſubſiſtit. Vtrãque verò Chriſti milites habere ſemper ſtudeãt. Nam ita cautè viuant, vt deuotionis gratiam mereantur adipiſci, & ſic in deuotionibus occupẽt ſe, vt in nullo (ſi poſſibile ſit) virtutem prætermittant. Deuotionis nanque ſanctæ teſtimonium eſt commendabilis vita, & laudabilis conuerſationis adiutorium eſt interna & ſpiritualis deuotio, quæ potiſsimum percipitur in hoc ſacramẽto. Nemo autem ſeruorum Dei ab hoc prorſus ſe ſubtrahat ſacramento, quamuis actualis deſit deuotio, nec quiſquam eo priuetur. Diuerſimodè etenim operatur Dei ſapientia in ſibi famulantibus effectus gratiarum ſuarum, nullique fas eſt iudiciorum Dei arcana rimari. Incomprehenſibilia nãque ſunt, & intellectui inacceſsibilia humano. Propterea non debet à ſancto Domini conuiuio repelli indeuotus iuſtè viuens, virtuosè conuerſans, humiliter ſe agnoſcens, purè cõfitens, & reuerenter accedens. Talis quippe inſenſibiliter ac ſpiritualiter hoc ſacramento nutritur, & viuit. Nam manna abſconditum eſt in ſe continens omnium ſpiritualium abundãtiam deliciarum. Maxima nempe deuotionis materia in ipſo eſt. Et quis non excitetur ad mentis deuotionem, quum diligenter conſideret tam ineffabilem diuinæ dignationis charitatem ſic inclinari ad ſe, vt nequaquam horreat hominis viliſſimam ſubſtantiam, deformatam naturam, & damnabilem culpam? Aut quis non compungatur, quum Dominum gloriæ recogitat venturum ad ſe corporaliter? vel quis non corde proſtrato totis medullis veneretur tantæ præſentiã maieſtatis? Cuius vel ferreum pectus, aut adamãtina mens non liqueſcat præ deuotione, cũ Deũ ſibi, & ſe Deo ſenſerit corporaliter vnitũ? Non capit cor, lingua deficit, humanuſq; ſopitur ſenſus ad inueſtigandum tanti arcana myſterij. O quantæ ibi delitiæ, quantus odor, qualia verba, quàm vehemens amor, quàm caſti amplexus guſtantur? quis propalare valeat? Nil tunc ibi niſi dulciſona interioris hominis cantica, clamores deſideriorum, gratiarum actiones, laudum præconia, affectionum gemitus reſonant in laude dilecti. Pia etenim mens tanti ſponſi lætificata pręſentia venerando hoc mediante ſacramento repletur gaudio, exultatione perfunditur, humilitate deiicitur, lumine irradiatus, pace ſatiatur, roboratur fide, deuotione ſaginatur, atque indiſſolubili amoris vinculo redemptori interius copulatur. Ex quo feruẽtior in dilectione, fortior in labore, promptior in opere, in tentatione prudentior, ſolicitior in virtute, in adminiſtratione alacrior, necnon & in ipſius frequentatione efficitur ardentior. Talia nempe ſunt munera tua, ò Domine Ieſu, taliaque amoris encænia, quæ amicis tuis deuotis, & dilectis per hoc ſacroſanctum myſterium conferre dignaris, vt omnem tranſeuntis vitæ ſuperent delectationem. Per illud nanque venerabile myſteriũ tradis teipſum fidelibus tuis, quatenus diſcant ex ipſius ſuauitate amare te, tenere te, cognoſcere te, laudare te. Aperi igitur, ò melliflue amor, aperi, inquam, ò diuina bonitas, interiores fidelium oculos, vt formatę fidei irradiati lumine mereantur videre te. Dilata etiam Domine affectum ad ſuſcipiendum te, vt eruditi à te quærant te per te, & requieſcãt in te omnium deſiderabilium æterno fonte. Tu enim, ò Domine Ieſu, es mœrentium cõſolator, peregrinantium comes, errãtium via, protector ſimplicium, fortitudo rectorum, peccatorũ ſpes merces iuſtorum, ſalus mũdi, triumphator inferni, dux ad patriam, beatorum gloria, ſanctorum laus, angelorum Dominus, ciuitatis Hieruſalem inextinguibile lumẽ, principium, ſine principio, candor lucis æternæ, ſpeculũ ſine macula, ſplendor diuinæ maieſtatis, imago paternæ bonitatis, ſapientiæ theſaurus, æternitatis abyſſus, charitatis incendium, verbum continens omnia, latitudo amplectens omnia, vita viuificans, pietas ſuſtentans, & omnium bonorum totum continens.

Quali-

Qualiter ante refectionem ſeruorum Chriſti præmunienda mens ſit. Et in ipſo diſcubitu quales eſſe oporteat, qui Deo placere deſiderant. Et quòd magna poſt cibum adhibenda eſt ſui cuſtodia, ne ſuperfluat mens. Cap. XX.

VSus docet, quòd quãto quis vberiores vult colligere fructus, tanto diligentiori & ſolicitiori cura terram excolit vomere, ſentesque de ea eradicare conatur, ne naſcentes ariſtas præfocare poſsint. Nam ſi inculta permaneat, vepribus, vrticisque repletur, & hominum vſibus omnino inutilis efficitur. Neque verò minori diligentia humani corporis terrena ſubſtantia diſciplinæ ſpiritualis vomere colenda eſt, ſi ex ſe gratos Deo valeat producere fructus. Certum quippe eſt ſi ad momentum inexercitata permaneat, quod repentè concupiſcentiarum aculeos, deſideriorumq; carnaliũ ſtimulos innumeros generat ex ſe, & nutrit in ſe. Labe etenim peccati polluta, & fomite delictorum primorum parentum vulnerata nihil ſãctum, nihil laude dignum educere valet. Quicquid autem de immundo conceptum eſt ſemine, immundas neceſſe eſt vt procreet fœditates quæ mox vt natæ apparere cœperint, reſecandæ ſunt gladio ſpiritus, & zelo diſciplinæ, ne cœleſtis gratiæ germina ſua opprimant, & ſterilem agrum cordis efficiant, de quo fructus debuerat exuberare iuſtitiæ Plura nanque ſunt carnis deſideria ſpiritui inimica, quibus niſi reſiſtatur, corpori animæque mortem inferunt. Inter hæc autẽ ſæuit acerrimè gulæ appetitus, & ciborum immoderata ingluuies, ſecum trahens vitiorum exercitum numeroſum, quæ mentis habitaculum ſua malignitate euertunt. Propterea bellatores Dei & Chriſti fideles ſerui, qui tam pro honore Dei, quàm etiam pro ipſorum ſalute propria cũ carne, & carnis deſiderijs pugnam aggreſsi ſunt, aduerſus hanc dimicare non deſinant, atque tẽperantiæ loris ipſam religatam tenentes, eandẽ ſpiritui omnino ſeruire coarctent. Laborioſus planè hic conflictus eſt & diuturnus, ſed laude dignisſimus. Ideo virtute indiget non modica, Mat. 11. quiſquis de eo triumphare deſiderat. Quia verò cęlorum regnum vim patitur, & illud violenti diripiunt, ideo formidoloſus, aut puſillanimis, atque debilis in ſtadiũ ſpiritualis pugnæ, & in collegia Deo dicata ingredi non præſumant, niſi viriliter pugnare velint, ne fortè ipſorum timor, & negligentia cæteris fortiter certantibus inferat impedimentum, vel ſcãdalum. Exemplis nãque & vita plurimum roborantur, aut debilitantur intuentium corda. Vnde duplici ſcelere rei ſunt, qui opus Dei faciunt negligenter, quia & proximis obiiciunt cadendi offendiculum, & ſibi ipſis maximum acquirunt ſupplicium. Itaque quum Chriſti ſeruis indicta ſit bene viuendi neceſsitas, ac virtutes operandi, ne maledictionis incurrant ſententiam, id potius agere ſtudeant zelo charitatis, quàm impulſu neceſsitatis, quoniam leuius perficitur & verius. Contra vitia virtutum deſiderio pugnare conentur. Aduerſus ſuperbiam, humilitate, aduerſus iram, patientia, aduerſus inuidiam charitate, aduerſus propriam voluntatem, obedientiæ virtute decertent. Contra luxuriam chaſtitate, cõtra auaritiam, liberalitate, contra acidiam animi magnanimitate, & contra gulam, temperantiæ & ſobrietatis rigore reſiſtant. Ad hanc igitur gulæ edomandam ingluuiem refectionis horã anticipare abhorreãt Chriſto militantes, atque cibum capere ſegregatim deuitẽt, niſi compellat neceſsitas. Simul omnes habitent, ſimul reficiantur. Vnus ſit cunctorum diſcumbendi locus, vna hora, vnus cibus, vnaque voluntas, quatenus vnitatem cœleſtis patriæ terrena congregatio imitetur. Ducantur autem ad refectionem magis pro ſuſtentatione naturę, quàm pro explenda voluptate. Euntes verò ad hoc carnale conuiuium vocari ſe ad æternũ arbitrentur, & in illud tota ſuſpendantur mẽte. Conſiderent nanque conuiuantium numeroſitatem, reſidentium vnitatem, deliciarum affluentiam, ciborum vniformitatem, cœnaculi immenſitatem, & bonorum omnium opulentiſsimam ſatietatem. In his etenim euecta mens, & ſpiritualibus dapibus ſaginata vix corpori neceſſaria indulgere valebit. Longè quippe à carnalibus ſpiritualia diſtant alimenta, & auidiori ſumuntur deſiderio. Ex repletione carnalium enim hebetatur mens, ſenſus obtunditur, animus diſsipatur, venter diſtenditur, calor naturalis accenditur, & corporis organum humoribus prępeditur. Ex ſpirituali verò refectione irradiatur intellectus, exhilaratur cor, iucundatur animus, & cęleſti charitate inebriatur affectus. Carnales quoque epulæ faſtidium, ſpirituales autem acuunt deſiderium. Illæ onus corpori, iſtæ delectabile ingerunt gaudium menti. Poſt illas corporalis omnino ſecutura mors eſt, poſt iſtas etiam vita æterna donanda eſt. Ideo illæ ad ſolam ſuſtentationem capiendæ ſunt ſobriè, iſtæ ſemper inhiãti corde, & dilatato affectu cõcupiſcendæ, & percipiendæ ſunt. In corporalibus alimentis non quod palatum mulceat, vel excitet appetitum, appetendum eſt. Hæc nanque ſecundum carnis deſideria, & proprias viuentes voluntates quærunt. Comedendum eſt ſimpliciter, quod apponitur cum gratiarum actione, ſummo autem ſtudio caueant Chriſti ſerui, ne murmurent faſtidiẽtes, quæ illis præparata fuerint. Hoc etenim in congregationibus & refectionibus iuſtorum deteſtabile vitium eſt, quibus omne quod offertur, diuino prouiſum eſt munere. O ſi tales Dei dona, & ſua opera diligenter examinarent, etiam aqua frigida ſe arbitrarentur indignі. Si ex qua radice ipſorum procedat murmur, ſagaciter intueren-

tuerentur, prorſus verecundarentur. Deberent hi ingratitudine, & gulæ vitio vulnerati reuoluere intra ſe quanti ſint, quibus deſunt ea, quæ illis copioſè ſuperſunt. O quàm multi ſunt, qui ex diuina permiſſione de ſuis expulſi ſunt domib. expoliati poſſeſſionibus, deprædati diuitijs, & omni facultate nudati præ egeſtate coguntur oſtiatim eleemoſynas quærere, per alienas ædes quotidie huc illucque diſcurrere, & cibum prece, & cũ rubore ſumere? quibus, cùm in propriis eſſent habitationibus, temporalium inerat abundantia facultatum, & numeroſitas ſeruulorum, quorũque cellaria panibus referta erant, atque promptuaria eructabant ex hoc in illud? O quanti, qui vitam innocenter ducunt, & ſimpliciter conuerſantur, ſolo panis alimento indigere noſcuntur? O quàm multæ mulierculæ in viduitate degentes, pupillos ſuos oleribus, & aqua vix alere poſſunt? quæ magna apud Deum pollent ſanctitate, cęlum crebris pulſant ſingultibus: & intus erga proximos induunt viſcera pietatis. Quanti infirmi in platearum iacentes porticibus carent viliſsimo tegumẽto: & arido pane. Sunt quoque fęminæ in puerperio decubantes, quæ tam pro ſeipſis, quàm pro vagientibus infantulis extrema afficiuntur inedia. Qua igitur fronte, quave ratione Chriſti ſerui, qui crucem poſt dominum baiulare videntur: qui carnalibus deſideriis reſiſtere creduntur: qui perfectionis viam aggreſsi ſunt: murmurare audent, ſi omnia, quæ illis apponuntur, guſtu non ſapiunt. Ignominioſa quippe res eſt hæc. Nunquid dominus Ieſus hæc docuit verbo aut opere? Nunquid ſanctorum geſta, & illorum monita ſuadent talia? Ipſi certe tanquã milites ſtrenui, & zelatores Dei ieiuniis corpora macerabant, & carnem prolixa inedia ſubiugabant, ita vt quaſi vita deficerent præ laſsitudine. Leguminibus nanque, oleribus, pane, & aqua parcè vtebantur. Et iis contenti, quibus natura ſuſtentabatur, ſpiritualibus potius, quàm corporalibus nutriebãtur alimoniis. Sed (heu) temporibus noſtris refrigeſcente charitate, & deficiente calore ſpiritus, non eſt qui ſaltem delectabilibus priuari velit. Nam precioſa exquiruntur vina, exquiſita appetuntur fercula, ſaporeſque varij deſiderantur, vt prouocent appetitum. Quibus deficientibus adeſt obtrectatio, coquorum inſcitia redarguitur, & perſæpè aduerſus monaſterii diſpenſatorem fit proclamatio, veluti ad perſonam, quæ charitate proximi caret. Non cõſiderant huiuſmodi, quòd pro amore gulæ fraterna ſcinditur charitas. Non prece, non precio, neque pro humano fauore illis miniſtratur, ſed ſolo Chriſti amore. Sed nec ipſimet laborant pro ſuo victu corporaliter, vel mentaliter, quin potius paratas ſuo tempore ſedent ad menſas aliorum ſudoribus ordinatas, & (proh dolor) neque ſic contentantur. Serui nanque ventris quum ſint, ſaturari ſe non arbitrantur, ſi quid ad votum gulæ defuerit. Quàm nequam ſeruus eſt gulę deditus, ò quàm crudeli ſe ſtrauit tyranno. Inuerecundus eſt & impudicus, infirmitatem ſimulat, charitatẽ oſtentat, prudentiam habet, futura præuidet illectus delectatione præſentium. Redeant igitur ad ſe, quicunque gulæ tentationibus agitantur: diuina non ceſſent beneficia meditari: egenorũ inopiam oculo mentis conſpiciant: fratrum ſibi miniſtrantium laborem, & humilem charitatem recogitent: ingratitudinem propriam, detractionem, & ventris immoderantiam condemnare nequaquam prætermittant, & ſic forſitan ipſorum curabitur morbus. Si verò extremam horã, mortis horrores, ſepulcri clauſtra, inferniq́ue tormenta iugiter conſiderabunt, ſuam poterunt reſecare ingluuiem. Serui autem Chriſti non faſtidiunt appoſita, non concupiſcunt quibus carent, ſed de iis, quæ habent, qualiacunque ſint, naturæ debitum, quæ paucis contentatur, perſoluunt, & tanquam de manu altiſsimi deuota mẽte ſuſcipiunt. Priuſquam carnale capiant alimẽtum, Deo gratias, & laudes immenſas voce ac ſpiritu pro iis, quæ appoſita ſunt, reddunt, prout diuina clementia miniſtrauerit: poſt quas cibum ſumunt parcè, voracitate religata. Non circunſpiciunt quid aliis appoſitum ſit, non qualiter, vel quãtum cæteri comedant: ſed honeſte ſedẽt ante ſe poſita intuentur: mente nihilominus ad altiora ſuſpenſa. Indignum prorſus eſt, & à via ſpiritus alienum, vt mens, quę nullo corporali eget alimento, corpore ſe reficiente ieiuna permaneat. Propter quod ſemper refectionis tempore aliquid de diuinis ſcripturis legendum eſt: quatenus interior homo habeat vnde nutriatur. Diuina nanque eloquia, & lectio ſcripturarum ſic animæ, ſicut panis corpori tribuit nutrimentum, iuxta domini ſententiam dicentis: Non in ſolo pane viuit homo: ſed ex omni verbo, quod procedit de ore Dei. (Deut. 8. Luc. 4.) Ea propter ſancti patres cęleſti afflati ſpiritu, & ſapientiæ lumine radiantes ſanxerunt, vt in congregationibus & refectionibus Chriſto militantium, quum menſis diſcumbitur, martyrum certamina, aut ſanctorum geſta, ſeu ipſorum dicta ab vno alta voce cantentur, vt ex iis, quæ pronunciantur exterius, eleuata mens ab infimis in ſenſus carnalium non tranſeat delectationum. Igitur lingua omnino ſub ſilentij rigorè perſiſtente tota mens in conſideratione eorum, quæ leguntur, delectabiliter occupetur, & de iis ſaginetur, nec aliò vagetur, niſi forte ex ſuperuenienti gratia ad altiora traheretur. Deficiente autem eo, qui legat, circa ea, quæ paulò ſuperius narrata ſunt, exerceatur animus. Prorſus quippe lingua refectionis tempore religanda eſt à ſeruis Dei, quibus omnis congruit diſciplina ſanctitatis. Quis autem explicet verbo quanta inania, diſſoluta, & detractoria in conui

uiis

uiis proferantur verba? quantum diſtrahatur animus? repleatur venter? & offendatur Deus: Si verò hęc in ſecularium comeſſationibus deteſtanda ſunt, quãto magis in refectionibus ſeruorum Chriſti,quibus omnino interdicitur huius conuerſatio ſeculi? Ipſius enim incumbit ne-
Mat. 5. ceſsitas,vt non quęquę placent, ſed quæ ædificent,agere debeant. Sic(inquit dominus)luceat lux veſtra coram hominibus,vt videãt opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum,qui in cęlis eſt. Nõ enim ſufficit ſibiipſi ſatisfacere ei, qui ad perfectionis ſublimitatem vocatus eſt. Debet quippe cautè viuere, ne quod infirmis mentibus det offendiculũ. Nam in verbis, & in omni morum grauitate illos decet redimitos eſſe:præcipuè tamen refectionis tempore: in quo cadendi materia plurimum viget. Ideóque abſque lectione,aut mentali exercitatione minime fas eſt in refectione diſcumbere, ne in carnaliũ voluptate epularum abſorbeatur in homine pręſidens ratio,& compellatur ſola carnalia cogitare. Sicut autem rationalis ſpiritus cum Deo coniunctus vnus cum illo efficitur ſpiritus,ita & carni confœderatus (vt ſic dicam) vna efficitur ca-
1. Cor. 7. ro. Proptereà quemadmodum mulier,quæ viro alligata eſt,quæ mundi ſunt,cogitat, quomodo placeat viro, ſic & ſpiritus carni irrationabiliter copulatus tanto vehementius, quanto naturali amoris vinculo conglutinatus eſt ſtrictius. Thori namq; amor perquam frequenter concupiſcẽtiarũ impulſu polluitur,animi cõcitatione diuiditur, ſed omnino morte interueniente extinguitur. Animæ verò & carnis affectio nullo euentu, nullaque lege, nec in præſenti, nec in futuro dirimitur,quin potius purius, ardentius, perfectiusque in animæ & corporis glorificatione perſeuerat. Proinde quia rationalis ſpiritus inclinatione quadam naturali, & non parum,quæ corpori vtilia, & delectabilia ſunt,cogitare cogitur, aliquo ſpirituali pabulo in ipſo diſcubitu erigendus eſt,in quo quanto amplius fuerit occupatus & illectus,tanto minus carnalia cogitabit. Reprehẽſibile nempe eſt,vt rationalis ſpiritus,qui eſt imago Dei,ſapiẽtię ſedes, & beatitudinis capax, ſic à naturali ſua degeneret dignitate, vt ſe transferat in actus iumentorum. Ad hoc igitur euitandum cõgruum valde eſt, vt ita animus ſua ſpirituali exerceatur cõſideratione,ſicut caro paſcitur propria & carnali refectione:alioquin omnis rationis cenſura diſſoluitur,& omne iudicium confunditur diſcretionis. Completa verò refectione corporis, ſtudeant domino famulantes corde & lingua gratias altiſsimo exhibere, ne ingratitudinis vitio obnoxij indignos ac debitores ſe faciant ſũpto conuiuio. Magni nanque periculi res eſt domini dona ſuſcipere,& ipſi domino gratias nõ perſoluere. Conſummato aũt officio gratiarum actionũ,qui minus ſoliciti ſunt,colloquijs ſe immiſcent inutilibus & iocoſis abſque fræno cuſtodiæ. Conſueuit quippe ſemper poſt ventris ſaturitatem,& repletionem ſtomachi lingua fieri effrænãtior & corporis ſenſus minus compoſiti: atque facile ex hoc animus ad illicita perpetrãda dilabitur. Hos Propheta redarguit,dicens: Incraſſatus eſt dilectus,& recalcitrauit. Incraſſa- Deu. 32.
tus,impinguatus,dilatatus dereliquit Deum factorem ſuum, & receſsit à Deo ſalutari ſuo. Nõ ſic autem agunt, qui dilectio Dei feruent, qui erga ſuum cor vigilant cuſtodia diligenti: qui ad virtutum perfectionem auido anhelant deſiderio. Hi nempe poſt refectionem arctius ſe ſtringunt, ſcientes, quòd vbi procliuius tenditur ad ruinam,ibi ſolicitior virtutum cẽſura ſeruanda eſt. Proptereà eadem hora hominum frequenter declinant conſortia, aut ſi cum proximis conuerſantur,adhibent linguæ cuſtodiam, vel in aliquo (ſi opus ſit)corporali occupantur exercitio:quatenus tranſacta vtiliter hora æſtuãtis ſtomachi, in qua noxiorum mens eſt perceptibilis phantaſmatum, de cætero ſine corporis læſione animus ad quęcunque voluerit, valeat reliquum diſponere tempus. Duobus namq; contrarijs ſimul militari non poteſt, nec carnis & ſpiritus pariter teneri delectatio poteſt. Ideo expedit omnino, vt qui in via Dei proficere cupit, ſenſuum inordinationem & carnis illecebras,quæ ex ſe delicta germinare non deſinũt, refrenare contendat. Si vtriſque quis voluerit famulari, caſſo deſudabit labore. Carnis nanque voluptatibus dedito, ſpiritui ſeruire non licet. Sed & ſpiritus deſideria qui curat perficere,prorſus carnis deſideriis renunciare compellitur. Alteri quippe ipſorum, ſcilicet, carni, aut ſpiritui expedit principaliter vacare. Vnicuique eligendi quodcunq; placuerit datur optio. Talem verò quiſque viã eligat, qualem eligere voluiſſet, ſi in mortis articulo conſtitutus eſſet. Conſideret ſi libet, quòd mors venire non tardat. Singulis enim horarũ ſpatijs ſemper fit propior. Nulli ſcit parcere, nulli promittit dilationem: omnes ſuſpectos ſua reddit incertitudine. Nec honor, nec diuitiæ,nec ipſa iuuẽtus de ipſius manibus eruere põt. O quàm ſæpe veluti irruentes inuadit latrones inopinata mors? nec vnius hebdomadis ad pœnitendum concedit tempus: quandoque nec diei ſpatium,quandoque nec horæ. Semper igitur præcauenda eſt, ſemper laudabilis vita eius ictibus obiicienda eſt, ne indiſpoſitos reperiat,quos exire de corpore, velint, nolint, ſua compellit tyrannide. Quum enim mortis neceſsitas naturæ intolerabilis ſit hoc ſolo lenitur remedio, ſi conſcientia ſeruetur innoxia, & futurorum bonorum iugis habeatur memoria.

Quòd ſerui Chriſti in actionibus temporalium, & exterioribus exercitijs non ſe totaliter occupare debent: ſed partim actioni, partim deuotioni ſe tradant. Et qualiter in operibus exterioribus, & neceſſitatibus proximorum, ipſos habere oporteat, vt virtuoſe agāt. Cap. XXI.

QVisquis intra vrbis mœnia conſtitutus ad remotas diſponit peragrare regiones, prius neceſſe eſt, vt proprias metiatur vires: nec nō & quæ illi pro quotidiano vſu ſunt neceſſariæ, præparet alimonias ne viribus deſtitutus, aut ſumptibus deficientibus cogatur præ inedia deficere, ſeu ad locum, vnde diſceſsit, remeare. Similiter qui in congregationibus ſanctis in tutiſsimo loco ſunt poſiti, atque circa deuotiones & ſpiritualia ſtudia ſuæ primordia conuerſationis conſecrarunt: priuſquam terrenarum actionum iter arripiant, & ſeculi huius voluptuoſi ad negocia pertractanda ſe transferant, proprias virtutes diſcutere non deſinant, ac quātum in virtutibus, quantum in moribus profecerint, qualeſque in tentationibus, qualeſve in oblatis honoribus inueniātur, diligenter conſiderent: ne ſpiritibus deficiente vigore in his temporalium curis ſuccumbere, aut mente & corpore deſtituti ad ſecularia coacti ſint redire oblectamenta. Hoc per ſcripturas patrum nouimus, hoc per quotidianam experiētiam multis accidiſſe perſpicuum eſt. Propterea quicunque Dei militiam aggreſſus eſt, quicunque propriam ſalutem diligit, atque gratiā ſibi cœlitus datam cuſtodire deſiderat, caueat ne repētè ſe transferat ad exteriora exercitia: atque ne in eo quod agit corporaliter totus extra ſe rapiatur: quatenus amiſſa ex hoc morum honeſtate, & mentis grauitate, ad ſe vt expedit, redire non curet. Sunt autem multi, qui ſpiritus leuitate permoti, & inordinato feruore ſub prætextu charitatis ſeducti, adeò in exterioribus actionibus implicantur, vt de ſe nihil curare videantur. Diē quippe totum in his occupant, mētem dilaniant, corpus atterunt, & ſpiritualia ſtudia negligunt, ſola temporalia cogitantes. Iſtorum autem quale fuerit opus, exitus cōprobabit. In diuinis nanque legitur ſcripturis, quòd Moſes, Exo. 18. quum ex Aegypto egreſſus eſſet, & abſque interuallo cauſas populi occupatus audiret: a Ietro ſuo cognato admonitus eſt, quòd ſtulto labore, & vltra vires proprias deſudaret: cum minora maioribus anteponeret, & plus debito in exterioribus ſe dilataret. Et quis Moſe ſanctior? quiſue feruentior? qui à Deo dux populi Iſrael electus eſt? qui ſuper omnes homines, qui tunc morabantur in terra mitiſsimus? qui cauſas populi ardentiſsimo charitatis zelo iudicabat? vt audeat ſine læſione perſiſtere in eo, in quo ſanctus Propheta perſeuerare non valuit. Audito nanque gentilis viri conſilio prudenter reſtrinxit negocia proximorū, vt in ijs, quæ Dei erant, ſuo quietius vacaret tēpore. Non. n. tantus Propheta ſaniori dedignatus eſt acquieſcere cōſilio propter quod etiam plurimum profeciſſe digno ſcitur. Huius admonitione exempli erudimur vtilibus ſēper parere cōſilijs: atq; operibus exterioribus ſpiritualia deuotionum intermiſcere exercitia: quatenus guſtu eorum reſumptis viribus, & roborata mēte, vtilius, iucundiusq; exteriora agamus. Videmus quippe iumēta poſt longos labores, poſt diei æſtus duci ad præſepia, & cibarijs illis cōgruētibus refocillari: vt ex hoc reparata priſtina fortitudine iterū laborare cogātur. Naues quoque poſt diutinam nauigationē ad portū ducuntur, ſuper litus trahūtur, reſarciūtur, renouātur, vt denuo petāt æquora. Humana etiā corpora poſt diei fatigationem cibātur: in ſtratis vt nocte quieſcant, ſomnū capiant, virtutem recuperent, componuntur. Et ſolus rationalis ſpiritus temporalibus curis attritis, innumeris cogitationibus dilaceratus, onere carnis preſſus, ſpirituali pabulo remanebit ieiunus? Egent ne iſta exteriora ocio & reſtauratione, & non magis humanus ſpiritus? Nunquid iumētis & corporibus morituris tam ſedulò miniſtrabitur, & animæ ſalus atque profectus negligetur? Nonne pluris eſt anima, quàm corpus? Mat. 6. Nam etſi pro corporibus arbuſta, piſces, volucres, cæteraque animantia, terra marique condita ſunt, tamen ipſa corpora cœlum, & quicquid in cœlo fulget, aut in terris mouetur, principaliter pro animabus creata ſunt: vt in ipſis tanquā in viſibili ſpeculo gloriam intelligant conditoris. Quicūque igitur ſuæ mentis compos eſt, & futura bona præſentiū mercede mercari cupit, modū habeat in iis, quæ foris ſunt, ne horum impedimento interioribus priuetur bonis. Præponat ſpiritualia temporalibus lucris, & inuiſibilia viſibilibus. Meminerit etiam à domino veraciter dictum: Quid prodeſt homini, ſi lucretur vniuerſum mundum, animæ verò ſuæ detrimētum patiatur? Mat. 16. Parum quippe proderit in hora exitus & in die iudicij monaſteria ampliaſſe, magna ædificia erexiſſe, redditus & prouentus cumulaſſe & ſpiritualis animæ neglexiſſe profectus. De operibus pietatis, de mūditia cordis, de perfectione virtutum, non de operibus manuum principalis fiet interrogatio. Non terrenas opes, non humana opera, ſed hominū animas requirit omnipotens. Non. n. pro mundi rebus, ſed pro animabus Chriſtus paſſus eſt. Eſto autem quòd hæc temporalia corporibus Deo ſeruentiū neceſſaria ſint. Eſto quòd qui ſoli Deo vacare ſtudent, corporalibus egeāt alimonijs: nunquid propter hæc diuina laus prætermittenda eſt? Nūquid ita corporalibus vacādū eſt, vt omnino cōtemnatur, quòd ſpiritus adhæreat Deo, à quo tēporalia pariter, & ſpiritualia poſsidētur. Mat. 23. Sicut corporalia, ſic ſunt ſpiritualia lucra quærenda. Nam iuxta domini ſententiam, iſta oportet facere, & illa

non

non omittere. Vtriuſq; prudenter propria tempora coaptanda ſunt. Neque enim ita ſpiritualia exercitia extollenda ſunt, vt corporalia damnentur, aut exteriora opera ſic laudanda, vt ſpiritualibus detrahatur. Scimus nanque quod in eadem domo, vbi dominus Ieſus reſidebat, interfuiſſe ſorores, Martham ſcilicet miniſtrantē domino, & Mariam dominum audientem. Ambas ſanctas, ambas Deo gratas, ambas commēdatas à domino, & dominū in eodem ſuſcepiſſe hoſpitio. Non enim ad Mariam neglecta Martha acceſſit: nec opus Marthæ ſine ocio. Mariæ requiſiuit. Vtrunque voluit dominus, vtrunque laudauit, vtriuſq; actus ſibi placere perhibuit. Significauit tunc ſpiritus Ieſu, & poſteros monuit, vt intelligerent, quod opus Marthæ abſq; ocio Mariæ ex nimia occupatione, & turbatione præcipitet, & rurſus ocium Mariæ ſine adiutorio Marthæ ſtare non valet. Nam ipſe dominus Ieſus verbo, & opere inſinuauit fidelibus ſuis (dum adhuc eſſet in corpore paſſibili) hoc eſſe faciendum. Per diem nanque prædicationi vacabat: pernoctabat autem in oratione Dei. Hoc ipſum agant Chriſto militantes, illum ſequantur: quia in erroris tenebras præcipitari nō poterunt. Partem temporis Deo, partem exterioribus tribuant actionibus. In ipſis verò prudenti ſe circunſpectione cuſtodiant. Nam ſolet interdum in eiſdem animus effrænari & lingua: ita vt omiſſa omni grauitate ſpiritu leuitatis totus feratur in præceps: neque quid agat, vel quo modo conſiderare velit. Facile tunc verba proferuntur nullo ſapientiæ ſale condita, quæ audientium corda impatientiæ iaculo feriunt, & totam diſſipant dulcedinem charitatis. Vix etenim temperantiæ fræno religata lingua peccatum euadere valet: quanto minus autem abſq; diſciplinæ rigore permiſſa? Semper enim tanquam indomitum animal gubernaculo indiget: ſemper coercenda eſt ſub imperio rationis, & potiſſimum in exterioribus actionibus: in quibus (vt plurimum) ſilentij clauſtra irrumpere conatur, quæ ſi licentiam habuerit, interioris hominis extinguit incendium. Ideo in ſanctis cogitationibus occupanda mens eſt, quum corporale fit opus: vt pariter cordis & corporis gratum altiſſimo offeratur holocauſtum. Quod ſi hoc fieri nequit, verbum prononcietur ædificationis, vel vocalis ſaltem non deleratur oratio, vt Dominus dupliciter laudetur. Debent quippe, qui Deo placere cupiunt, nihil horum prætermittere, quæ valeant cor accendere, aut proximū ædificare. Licet interdum, quamuis rarò, quum communia fiunt exercitia, quædam humana, & iocoſa proferri verba pro propria, aut pro fratris ſubleuanda fragilitate, & deprimenda triſtitia. Paucorum nempe eſt rigorem vbiq; ſeruare ſilentij. Vnde ne inordinati cogitationū tumultus ſentiantur in corde, verba quandoq; honeſta audiantur in ore: non diſceptationis, non elationis, non murmurationis, ſed charitatis, & pacis, quæ poſſint ædificare audientes. Quum autem quippiam operis a ſuperiore iniūgitur, cuncta cordis alacritate ſuſcipiēdum eſt, ac diligenti ſolicitudine perficiendum. Nihil huic fas eſt anteponere: non orationem, non lectionē, non corporis quietem. Cuncta negocia, & proprias voluntates præſidentis præcedat imperiū. Nulla prorſus ratione frangatur, nulliſq; perſuaſionibus omittatur, niſi fortè diuinis contradicat præceptis. Tunc enim ſi præceptoris imperia conditoris aduerſentur mandatis, repudienda omnino ſunt: quia Deo potius quàm hominibus obtemperandum eſt, in manifeſtis tantum: in dubijs verò ſuperioris iudicio magis quàm proprio credendum eſt. Illi nanque tanquam Chriſto obedire oportet, & quæ ab illius ore ſunt prolata, dominum Ieſum dixiſſe fatendū eſt, iuxta illud Apoſtoli dicentis: An experimētum quæritis eius, qui in me loquitur, Chriſtus? Propter quod animarū rectores in omnibus prouidi ſint, nihil agant reprehenſibile, nihil proferant indiſcuſſum, ne ponant ſimplicibus cadendi offendiculum. Nam qui præſunt, diligenter videant, quid imperēt: ſubditi autem animad- 2 Cor. 13.
uertant, qualiter contradicant. In omni obedientia non hominibus, ſed Deo obtemperare exiſtiment. In cunctis actionibus, præcipuè in ijs, quæ circa corporalia, vel ſpiritualia proximorum commoda ſunt, omnis adhibenda eſt diligentia, & ſpiritus promptitudo. Tanquam Deo illis famulandum eſt in ſingulis Saluatoris perſona cōfigurāda eſt. Ipſe nanque dixit: Quod vni ex minimis meis feciſtis mihi feciſti. Maximum Matt. 25.
quippe gaudiū, copioſā mercedē, & dulce laborū leuamē percipiunt à domino, quicūq; proximo ſeruientes Chriſto miniſtrare ſe cogitant, ſicut & faciunt. Cum hominibus nanque conuerſatur ipſe Chriſtus in pauperibus ipſe paſcitur, potatur, induitur, ſepelitur, exhortatur in proximis, ſupportatur in illis, perſecutionem patitur in illis, prout Paulo ſeruos ſuos perſequēti ait: Quid me perſequeris? Dignatus eſt autē ipſe dominus ſe cum ſuis venire fidelibus mira ac indiſſolubili cōpagine charitatis. Vnde ipſe Eccleſiæ ſuæ caput, & fidelium congregatio eius corpus effectum eſt. Propter quod quicquid impenditur corpori, ſiue boni, ſiue mali, capiti exhiberi dubium non eſt. In cœlos verò aſcendens caput, ibidemque & vbique regnans, corpus ſuum in terra dereliquit: quatenus dilectio & dilectionis operatio, quæ glorificato iam capiti impendi non poteſt, in ſuo corpore demonſtretur, experiaturque euidentiſsimè quantum ipſe ab omnibus diligatur. Vt etiam ſeruorum ſuorum fideliū charitas exerceatur, creſcat & perfi-

Digitized by Google

rum fideliũ charitas exerceatur, creſcat & perficiatur, permittit ipſe dominus quoſdam electorum ſuorum egere temporalibus neceſſariis, pati penuriam, infirmitatibus flagellari, preſſuris opprimi, tẽtationibusque agitari. Valet nempe ipſe dominus per ſeipſum, quum vult, omnibus ſubuenire, atque cunctis corporis & ſpiritus ſolatia irrogare: ſed ne tepeſcat charitas, ne dilectio mutua amittatur, ne fraternitatis vnitas dirimatur, obiicit ante ſingulorum oculos calamitates miſerorum, vt compaſsione permoti qui diligunt, & zelo dilectionis accenſi, qui Deo placere cupiunt, miſericordię operibus ſe exponentes miſericordiam & ipſi conſequãtur: ſicut idem dominus polliceri dignatus eſt, quum diceret: Beati miſericordes, quoniam ipſorũ miſerebitur Deus. Mat.5. Ob capitis itaque reuerentiam debemus membris infirmantibus ſubuenire gratanter. Si temporalia abũdant, impertiri ſtudeamus cum illis: ſi ſpiritualia adſint, nec minus cõmunicare cum ipſis. Nihil ſit proprium, ſed omnia conditoris dona communia ſint. Qui habet, non habenti tribuat, qui poteſt, miniſtret impotenti; & qui ſcit, erudiat ignorantẽ: vt adimpleatur lex Chriſti. Aequalis quippe natura cunctis hominibus donata eſt: eadem fides ab omnibus cõfitetur: eademque felicitas ſingulis repromittitur electis. Improbum etenim eſt, vt impietas, infidelitas, & inhumanitas ſecernat, & diuidat, quos natura, gratia, & gloria fecit æquales. Charitatem igitur, & charitatis vnitatem, quam habituri ſumus in cęlo, initiemus & teneamus in terris, quam facilè aſſequemur, ſi futuram communem gloriam aſsiduè cogitabimus, ſi Chriſti humanitatem in membris ſingulis intuebimur. Nam qui corporalem redemptoris ſubſtantiã in proximo deuotè perſpexerit, corporales & ſpirituales proximorum infirmitates læto animo, & dulci charitate æquanimiter tolerabit.

Quòd in collegijs Deo dicatis moderatè, modeſteque cum proximis conuerſandum ſit propter multa, quæ in eiſdem conuerſationibus eueniunt pericula. Et qualis eſſe debeat habitantium in monaſterio mutua & fraterna conuerſatio. Cap. XII.

VOlentes domos, aut palatia conſtruere primò ſtudent in imo ſupra petram, vel ſupra ſtabile ſolum fundamenta locare, & poſtmodum reliquas ędificiorum partes ſuis locis & temporibus ordinare: quatenus firmato fundamento cætera ædificanda ſeruentur. Quale etenim fuerit cuiuſque rei fundamẽtum, talis erit eiuſdem perſeuerãtia & laus. Hoc in materialibus, hoc in ſecularibus, humanisque negociis cõtingit: nec minus in ſpiritualibus iudicandum eſt. Proinde quicunque in congregationibus militantium Chriſto cupiunt abſque ſui detrimẽto, & proximorum ſcãdalo fratrũ & domeſticorum habere cõſortia, prius veræ charitatis conentur in ſeipſis fundamenta iactare, atque demum poterunt ſeruatis congruis modis & temporibus, vtiliter conuerſari. Nõ enim paruipendenda ſunt hæc. Maxima nãq; pericula & formidãda, innumerique caſus latitãt in conuerſationibus proximorum. Nam & ſub redolente roſa pungentes teguntur ſpinæ, quæ imprudentium perforant manus aculeis ſuis. Proximorum quippe conuerſatio, & ſocialis vita delectabile bonum eſt, & multorum laborum ſingulare leuamen eſſe agnoſcitur, ſi prudenter agatur. Hanc enim virtuoſe adipiſci non valet, qui proximum, ſicut mandauit dominus, diligere neſcit. Sic præceptum eſt: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. Prius diligat ſe, deinde pro- Deut.6. ximum ſicut ſe, quicũque proximi vtile & Deo gratum vult habere conſortium. Qui enim non ſe diligit, quomodo fratrem ſuum diligere poterit ſicut ſe? Qui verò fratrem ſuum nõ diligit, prout amare debet, neque ipſius conuerſationẽ virtuoſe obtinere valebit. Propterea ſeruus Dei in congregatione poſitus ſtudeat, ſicut charitatis lex iubet, diligere ſe, ne nequiter proximum diligat, quem debet diligere ſicut ſe. O quam rari ſunt, qui diligant ſe. O quàm difficilè reperiuntur, qui ordinato amore velint diligere ſe. Nemo certè diligit ſe, qui Dei mãdata negligit, qui ipſius voluntatem adimplere non ſatagit. Quantumcunque carnem ſuam foueat homo: quamuis contraria corpori deuitet, honores ambiat, & obtineat, innumeras congreget diuitias, poſſeſsiones acquirat, deaurata ædificet palatia, veſtibus precioſi induatur: comitatus incedat multitudine ſeruulorum, nequaquam ex his diligere ſe cenſendus eſt, ſi nequiter viuit, ſi vitia ſectatur, ſi cõcupiſcentijs carnis habenas laxat, ſi in temporalium proſperitatibus ſpem figit ſuam, ſi delectationibus & voluntatibus Dei ſuas anteponit. Huiuſmodi nempe tanto amplius ſe odit, quanto magis delinquit. Hoc ſanctus Propheta teſtatur, quum dicit: Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam. Pſal.10. Hoc in Euangelio dominus aperuit, vbi ait: Ioan.12. Qui amat animã ſuam, perdet eam. Sicut autem non ſe diligere, ſed odiſſe dicendus eſt, quiſquis pro breuiſsimo delectationis ſpatio corporalem ſibi irrogat mortẽ, ita neq; ſe amare iudicandus eſt, quicunq; pro momẽtaneis præſẽtis vitę voluptatibus ſupplicia mercatur ęterna. Maximè prorſus demẽtiæ argumẽtũ eſt cęli diuitias & gaudia paradiſi pro tẽporali cõmutare cõmercio. Ille ſolus prudentia pollere, ille ſolus ſeipſum diligere ęſtimãdus eſt, qui corporalibus ſẽſibus denegat lenocinia: qui carnalibus voluptatibus lora reſtringit: qui contra vitia & delicta repugnat acriter: qui virtutes appetens de iis, quę Deo gratas ſũt, nihil negligit, qui cęleſtia diligẽs Deo adhęrere

ſcit. Qui talis eſt, ſupernæ gratiæ ſplendore illuſtratus, ſeipſum diligere nouit, & illi ſicut ſe proximum diligere mandatur. Huic verò amare diligenti ſe, & ſic proximorum ſicut ſua propria quærenti ſpiritualia lucra, nequaquam interdicenda eſt proximorum conuerſatio: ſed ſuadenda & iniungenda. Abſque ſui detrimento multorum profectibus hic autor eſſe poteſt. Liberè nanque in omni tempore cum omnibus conuerſari, valebit. Qui verò minus proximum diligit, quàm ſe, qui adhuc paruulus eſt, & ſenſuum delectatur illecebris: qui nec dum perfectam adeptus eſt charitatem, caueat, & diligenter obſeruet qualiter cum proximo conuerſetur: ne ſub imagine charitatis dono gratiæ priuetur. Nam & diabolus cõſueuit ſub velamine ſanctitatis multimodè inſidias tendere imprudentibus, easque tegere, ne agnoſcantur. Propterea cupiẽtes placere Deo, & ad perfectionis faſtigium aſcendere, prudenti examinatione cuncta, quæ agunt, conſiderare non ceſſent, ne in diaboli laqueos iniiciant pedes. Præcipuè tamen videant cum quibus conuerſentur. Omnes quippe diligendi ſunt, boni in Chriſto, mali propter Chriſtũ. Cũ multis amicitia cuſtodienda eſt, moderata autem conuerſatio cum ſolis Deum timentibus, & virtuoſe viuentibus habenda eſt. Qui enim cum diſcolis conuerſari voluerit, proculdubiò fiet illorum ſimilis. Multorum nanque & ſpecialiter obtrectãtium & impudicorum aſpernanda ſunt conſortia, quia inficiunt ſibi adhærentium animos. Secũ etenim gerunt lætale venenũ & ſimplicium animas valido perditionis mucrone cõfodiunt. Semper huiuſmodi diſcurrunt, ſemper ſimilium ſibi conſortia quæritant, in angulis, in latibulis, ſilentij tempore vt plurimum confabulari appetunt: & abſentium vitam lacerare non deſinunt: & tanquam ipſis non ſufficiat propria perditio, alios ſecum damnare conantur. Nil autem pernicioſius detractore in collegiis iuſtorum. Diſsipat nanque charitatem, diſſoluit vnitatem, humilitatem fugat, pacem turbat, rixas parit, nutrit diſcordias, lites mouet, odia generat, & omnem dirimit ſanctitatem. Eſt quippe detractor mortifera ſagitta emiſſa de pharetra Satanæ ad perdendas animas: à quo quicunque declinauerit, Deo & hominibus amabilis erit. Cõſiderent quoque prudenter qui detrimenta, quæ in familiari conuerſatione eueniunt, fugere appetunt, qua intentione conuerſantur. Nam ſi ex puro ſupernæ charitatis amore, aut pro propria vtilitate agatur, ſancta quidem, & commendabilis eſt: ſin autem, ſegreganda. O quot ſub ſpecie charitatis ſeducuntur, & ſeducunt? O quanti ſimulata pereunt dilectione? Heu quàm multi in principio purè, & fine deceptione conuerſantes ex nimia familiaritate paulatim infecti immane præcipitium dilapſi ſunt: eo miſerabilius, quo ſedius? Sub veræ charitatis nãq; prætextu in tales ſubintrat amor ſenſualitatis, aliter.n. nequaquã decipi poſſent. Hic amor cùm in corde imprudẽtis exortus radices mittere, ac pullulare cęperit, corporalem quęrit dilecti præſentiam, cum eodem cohabitare, cum eodem loqui deſiderat. Sicut autem ex ipſius gaudet aſpectu, ita abſẽtia cõtriſtatur. Solus vult cũ eo, quẽ ſenſualiter diligit loqui: ſolus cum eo conuerſari, quia in illius mẽte habitare iam cœpit. Liuore quippe inuidiæ accenditur: ſi quempiam ab eodem diligi, & cum eodem cõuerſari perſpexerit. Abſentiam etiam ipſius magnam ſibi delectationis iacturam exiſtimat. Sicut enim amat ſingulariter, ita & amari vult: atque cæco ſeductus errore, ignorat ſe veſano amore percuſſum. Paſsione nanque victus ducitur inuitus: & tyrannicè ſuperatus ad opera carnis, quadam (vt ſic dicam) neceſsitate abſtractus, & illectus: ac intentione quadam latenter palliata & polita ſeductus, vt ſuum valeat aſſequi appetitum: patrum ordinationes frangit: monaſterij inſtitutiones non obſeruat: ſilentia paruipendit: orationem poſtponit: cellulę ſecretam quietem negligit: & intus nihilominus ſtimulata & vrente conſcientia velut amẽs poſt ſuã totus trahitur concupiſcentiam. De verbis, de actibus mutuis, de cogitationibus obſcęnis tacendũ eſt quæ ſub colore charitatis omnia ex ĩordinata paulatim familiaritate generãtur. De talibus dicit Apoſtolus: Videte ne quum ſpiritu cęperitis, carne conſumamini. Galat. Proinde interdicẽda eſt aſſidua & priuata conuerſatio in collegiis ſeruorũ Chriſti: quæ quanquam in nullo alio reprehenſibilis ſit: ſine proximorum tamen ſcandalo fieri nequit. Moderatè verò, modeſteque, ac cõgruo tempore cum ijs, qui virtuoſe degunt, conuerſandum eſt: vt ab eis bene viuendi forma capiatur, inſtruantur mores, excitetur ſpiritus, accendatur amor, propulſetur tepor, abigatur triſtitia, & humana complexio pariter recreetur. Socialis etenim naturæ quum ſit homo, & ſocialiter viuere gratuletur: ita prudenter regenda eſt: vt & natura ſubſidium, & ſpiritus non patiatur detrimentum. Nam ſolẽt in cõuerſationibus familiaribus, nimiumq; aſsiduis (niſi agantur cautè) intermiſceri vaniloquia, ſcurrilitates, detractiones, & effrænati riſus: per quæ mens diſtrahitur, compunctio diſſoluitur, gratia ſubtrahitur, proximus malè ædificatur, oratio confunditur, cõfidentia amittitur, conſcientia obtenebratur, atque precioſiſſimum tempus inutiliter conſumitur. Iſta norũt, qui iugiter exitus horam, diemque iudicij cogitant: & qui Deo ardenter adhærere cupiunt. Frigeſcẽtes autem in amore Chriſti, & omne opus bonum tepidi derident hæc. Deriſor autem (ſicut ſcriptura dicit) deridebitur. Eccl. Tales namque ſibiipſis parcentes, quia ignorant, quæ Dei ſunt: carnem ſpiritui ſubigere non curant. Propterea quo-

quoniam interiora ſolatia, & ſpiritualia patrocinia non habent, carere exterioribus non patiuntur. Ideo amant ſibi ſimilium contubernia, iocis delectantur, ſpatiari deſiderant, noua ſemper audire & videre appetunt: & aliorum negocia percunctari ſedula curioſitate non ceſſant. Nec aduertunt huiuſmodi, quod tanto vehementius interius infirmantur in ſpiritu, quanto magis exterioribus paſcuntur: & quodam hydropis morbo laborantes, quo auidius labilem huius vitæ delectationem hauriunt, eo acrius ipſam ſitire cogũtur. Hanc etenim ſitim illecebrarum carnalium facillimè valerent extinguere: ſi Dei conſolationem humilibus præſtitam ſuauiter deguſtarent. Quia verò in præſenti pro ſua negligunt laborare ſalute, ſentient in vltima hora ſua pauperiē ſuam: quando irremediabiliter eorum extinguetur lampas oleo deficiente. Dolore tunc cruciabuntur, ſed infructuoſo, ſeroq; pęnitentiam agent. Clamabunt & ingeminabunt voces, nec illis aperietur: quia exoſam habuerunt diſciplinam: & quoniam Dei præcepta, dum viuerent, contempſerunt, meritò exitio puniētur æterno. Ideo dum adhuc dies eſt, dum acceptabile tempus accommodatum eſt, præcauenda eſt mors, atque cuncta præcidenda, quæ tunc opem miſeris ferre non valeant. Intermittenda eſt etiam proximorum conuerſatio, vt Deo vacare liceat, libeatque. Interdum quoq; habenda, ne ex prolixitate exercitationis corpus plus iuſto grauetur: & ſpiritus à ſuo rigore langueſcere compellatur. Vt adiuuetur ſpiritus, non vt deprimatur cum proximis conuerſandum eſt. Eo tamen pacto, vt pro ędificatione fratris, aut ſui fiat: vt tempore congruo, & honeſto modo teneatur. Sit in ipſa mens pura, conſcientia munda, intentio recta, lingua moderata, & exterioris hominis ſenſus temperantiæ fræno reſtricti. Exhibeatur cum ſuperioribus humilitas: cum paribus charitas, & cum inferioribus ſobria, & pudica humanitas. Cum his verò, qui foris ſunt, ne ſcandalizentur, prudens maturitas, quæ in facie ſit læta, in moribus cauta, & in ſermonibus circumſpecta. Quando nanq; conuerſatio talis eſt, Deo efficitur grata, angelis iucunda, hominibus amabilis, & pariter conuerſantibus plurimum fructuoſa.

Quòd ex multis rationibus euidenter appareat, quàm ſit congruum mortificatis carnalibus concupiſcentijs, corpus proprium prudenter, diſcreteque regere. Et quòd in plurimas decidant contrarietates, qui hoc agere negligunt. Atque de ipſius corporis beatitudine poſt reſurrectionem. Cap. XXIII.

INter cætera creaturarum corpora, quæ ad ſui gloriam diuina condidit bonitas, humanum corpus reliqua dignitate præcellere, rectè intelligentib. perſpicuum eſt. Hoc nanque varijs ornauit membris, quæ in vno amoris confęderata vinculo, miram opificis efferunt omnipotentiam. Diuerſa etenim quum ſint, & forma, & effectu, in parem tamen omnia conueniũt intentionem. Pedes quippe pro ſuſtentatione corporis: manus pro adminiſtratione: aures pro auditione diſpoſuit: oculos autem tanquam nobiliores & neceſſariores, in publico ad decorem aliorum, & regimen collocauit. Oculorum nanque miniſterium cæteris membris adminiculum præſtat. Pes quippe claudicat: manus tardius operatur ſine illo: & penè ſingula membra imperfecta permanent iſto deficiente. Inſtar quoque materialis inſtrumenti æquè nobilitate præcelſum rationalem Deus condidit ſpiritum, quem vt viuificaret corpus, infundit. Ornauit nēpe illum virtutibus: veluti ſpiritualibus membris: patientia ad aduerſa æquanimiter toleranda: pietate ad erogandum egenis neceſſaria: obedientia ad diuina implendum præcepta. Prudentia verò, & diſcretione ad diſcernendum, & diiudicandum præſentia, ad præuidendum futura, ad memoriæ commendandum præterita. Hæc nanque prudentiæ virtus, quæ vbique intueri ſolet, in rationali ſpiritu tanquam ſpirituales sũt oculi, ſine quibus cætera virtutum ſpiritualia membra imperfecta cenſenda ſunt. Neque enim patientia, aut pietas, vel obediētia, ſi diſcretione carent, virtutes perfectæ eſſe valent. Nam hæc prudentiæ virtus interiori & exteriori homini ad decorē & regimen neceſſariò data eſt. Hac qui priuatus fuerit ſecundum ſpiritum, per anfractus ducitur vitiorum: & multimodè labitur in foueas delictorum ſpiritualiter. Corporaliter verò per immania præcipitia in ægritudines diuerſas, & tandem in mortem deuenit. Vt autem informentur mores, virtutes perficiãtur, animæ potentiæ erudiantur & creſcant, ſpirituale hoc à Deo diſcretionis lumen donatum eſt. Vt verò homo à cæteris diſcernatur animantib. vt illis præſit, vt corporis membra debito fungãtur officio: præſtitum eſt nihilominus lumē hoc. Nullum etenim opus quamuis delectabile, quãuis pulchrum, per inſtrumenta agitur corporalium ſenſuum, quod non perfectione careat, ſi ratio deſit diiudicans inter bonum & malum, verum & falſum. Principatur nanq; virtus prudentiæ, nedum in ſpirituali hominis natura, verũ etiam in corporali. Rationalis quippe ſpiritus quum diſcretionis eſt compos, & ſenſibus vtitur corporeis, per eoſdem aut prouehitur ad faſtigium angelorum, aut proſternitur, & deducitur ad opera iumentorum. Toties verò angelorum ſibi dignitatem vendicat, quoties ex aſpectu ſpeciei creaturarum, ex numeroſitate, ex diuerſitate, ex forma, ad inuiſibilia rapitur contemplanda. Quandocunque autem ex auditu ſonoræ & dulciſonæ vocis, ex harmonia ſymphoniæ, ſambucæ, horumque ſimilium muſicorum a-

more

Digitized by Google

more ſpirituali accenditur, & in laudibus conditoris effertur, proculdubio angelis coæquatur. Sicque fit ex rationabili & ordinato vſu cæterorum corporalium ſenſuum. At verò ſi per viſum, auditum, alioſque corporis ſenſus ſeductus animus in cõcupiſcentias carnis, & amorẽ præſentis ſeculi deciderit, proculdubio propria amiſſa dignitate, inſenſatis brutis ſimilis efficitur. Ideo non eſt paruipendenda huius corpuſculi cura, per quod rationali ſpiritui ſiue vitæ, ſiue mortis ianua aperitur. Tanquam irrationali creaturæ accommodatus eſt corpori intellectualis ſpiritus: quatenus diſcretionis oculo ratione ſemper præuia abſtrahatur à noxiis, & in vtilibus exerceatur. Vnde ſicut caro prudentia caret, ita à delicto immunis eſt: nec ipſi irrogatur culpa flagitij, vel attribuitur palma virtutis: ſed ſpiritui rationali inhabitanti & regenti. Quoniam verò iuſtitiæ regula mandat, vt per hęc puniatur homo, per quæ deliquit, nequaquam à pœna humanum corpus eſſe liberum, nec in pręſenti vita, nec in futura, potiſsimum in damnatis, fatendum eſt. Sicut enim quum in vno bene operandi conueniunt propoſito & actu, caro & ſpiritus præmium merentur æternum; ita ambo pariter puniendi ſunt, ſi delinquunt. Debent itaque vniuerſi, & præcipuè domino famulantes ſummo cum ſtudio diſcretionis cenſuram ſeruare in corporis regimine. Non illi ſuperflua aut illicita concedenda ſunt ex inordinato amore: neque neceſſaria deneganda ex immoderato feruore. Quamuis autem villiſsimum ſit cadauer, corruptibile, & ſpiritui contrarium, non tamen eius cura poſtponenda eſt. Humanum quippe corpus cuſtodiri debet, & quadam via regia nutriri, tanquam ad promouendum neceſſarium inſtrumentum, dummodo virtus non prætermittatur. Impium etenim valde eſt zelo indiſcreto ſubſtantiam corporis velle necare, cui rationalis ſpiritus quadam vi innata naturæ copulatus eſt. Quotidiano nanque experimento erudimur naturam in nulla creaturarum ſpecie, quamuis minima, ab eſſe ſuo velle deficere. Nam terra quodam naturali inſtinctu procreandi ac germinandi virtutem reſtringit in ſe hyemis tempore, ne acerbitate frigoris pereant naſcentia, & deſinant, quum cœperint pullulare. At veris tempore in ſuis (vt ſic dicam) dilatata viſceribus, omnes quos prius recluſerat, emittit humores, propter quod campi florẽt, prata vireſcunt, arbuſta pullulãt, & cũcta terræ germina, quæ paulò antè mortua videbantur, frigore inimico depulſo, ſuo modo reuiuiſcere & gaudere conſpiciuntur. Reptilia quoque, & cuncta terræ animantia, volucreſque cęli ſuos agnoſcimus fouere fętus, donec ad perfectum deueniant robur. Tunc quippe quaſi per ſe validos, & ad capiendum cibum neceſſarium idoneos, à ſe abijciunt & repellunt. Sic & infantes tandiu lacte ſub nutricis vberibus coaluntur, donec habiles ſint per ſeipſos ſumere alimentum, nam fame periclitari cogerentur, ſi ante legitimam ætatem parentum mammis priuarentur. Si igitur natura irrationalis & humana proprios norunt alere filios, ne vita deficiant, qua ratione ſola carnis ſubſtantia negligenda eſt & extinguenda? quæ omni carens diſcretione tanquam ægrota, inſanabilis, & morti propinqua in ſuis iacet concupiſcentiarum fętoribus prouoluta. Nullum ſibijpſi per ſeipſam valens caro adiutorium conferre, alieno prorſus, ne moriatur indiget auxilio. Vnde ab viuificante ſpiritu alenda eſt, nõ ſolum propter ſui impotentiam & imbecillitatẽ, ſed etiam ob naturæ debitum. Tanta nempe naturę confœderatione caro & ſpiritus colligati ſunt, vt nec caro ſine ſpiritu ſubſiſtere queat, nec ſpiritus abſque carne quicquam mereri valeat. Caro enim ſine ſpiritu moritur & putreſcit, ſpiritus autem abſque carne ad plenum gaudere & beatus eſſe non poteſt. Ambo verò in vnam coeuntes perſonam, hominem perfectum efficiunt in natura, & æternæ felicitatis ſine ruga vel macula capacem. Hac itaque ratione tanquam collegæ ſuo, & portioni ipſius, ne in via deficiat, ne & ipſe de ſuo ante tempus coarctetur egredi tabernaculo, ſedulum rationalis ſpiritus humano corpori ſtudeat exhibere miniſterium. Horrendum omnino eſt, & ſecundum naturam prolongandum tale diuortium. Pauet quippe humanus ſpiritus: quum hoc deſerit ſeculum, & per ignotas alterius vitæ regiones cogitur introire, nullo præter opera ipſius illum comitante, præcipuè quum dæmones formidabiles aſpectu occurrunt, & immaniſsima pœnarũ genera ipſum pati oportet. Delicta nanque, quæ in hac peregrinatione per pœnitentiæ lamenta deleta non ſunt, in alia vita ignis atrocitate purgantur. Proinde rationali ſpiritui quoadusque in hoc poſitus eſt exilio, quandiu hac mortalitatis tunica, & fragili carne veſtitus eſt, miſericorditer à Deo cõceditur poſſe pęnitere, atq; de proprijs reatib. ſatisfacere cõditori. Trãſacta verò hac vita, quantumcunq; ſpiritus cruciatibus atteratur, quamuis multum deliquiſſe pęniteat, nil illi computatur ad meritum. 1. Cor. 6.
Præſens enim ſeculum, locus eſt veniæ; locus eſt promerendi, locus eſt, in quo operari licet, locus vbi tempus acceptabile, & ſalutis dies ſaluandis tribuuntur. Nam tunc miſericordiæ prærogatur tempus, quo euoluto iuſtitiæ tempus ſubſequitur. Vnde Propheta canit, Miſericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Pſal. 100.
Proptereà donec miſerendi adeſt tempus: non ceſſent Domino ſeruientes exhibere corpora ſua hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem.

rit. Hic nempe vires corporis, animi conſtantiã, cordis deſideria, ſpirituales immiſſiones, interioris, exteriorisq́ue hominis geſta propria conſideratione examinat. Vtilia enim ſequens, & noxia quæque deuitans, ſui corporis ſubſtantiam ad virtutis inſtrumentum ſumere nouit. Carnis quippe deſideria inſequens, & naturam diligens, non de extinctione corporis, ſed de mortificatione vitiorum glorioſum ſtudet obtinere triumphum, Non quid ſit caro, ſed cuius ſit factura conſiderat, nec tantum qualis in ſepulchro eſſe debeat, ſed etiam qualis poſt reſurrectionem in cęli palatio regnatura ſit, ſedula meditatione recogitat, nam etſi contemptibilis appareat, licet ex peccati pęna calamitatib. plena ſit, quamuis ex debito originalis culpæ temporali letho ſubiaceat, & exanimis effecta in puluerem redigenda ſit, tamen quin propriam quandoque reſumptura formam, & in cœleſtē prouehenda ſit gloriam, dubium non eſt. Decorem quippe immortalitatis induet omni depoſita corruptibilitate. Nullum ſui patietur detrimētum, nullámve membrorum diminutionem. Nō dolorē, nec de ſuſcepta gloria poſt reſurrectionem ſentiet amiſsionis timorem. Semper hilaris, ſemper iucunda erit, quia erit de æternitate ſecura. Nimia quoque claritate fulgebit, ita vt Solis ſepties tranſcendat ſplendorem. Non autem lumine ſuo intuentiū ſe reuerberabit aſpectum, ſed ineffabili quodammodo confortabit, clarificabitq́ue. Erit tota eius ſubſtantia corporeis oculis viſibilis, adeo vt viſcerum, cæterorūque membrorum harmonia conditoris declaret magiſterium admirandum. Tanta inſuper agilitate erit prædita, vt in momento in omnibus obtemperet imperio ſpiritus pręſidentis, abſque retardatione, & ſine vlla grauedine eò ſe diuertet, quò impetus ſpiritus diriget ſe. Denique quum in hac vita degit, & peregrinatur à Domino, animalis naturæ eſt, poſt verò reſurrectionis gloriam tota ſpiritualis efficietur, ita vt omne ſolidum ei ſit peruium. Non clauſtris teneri poterit incluſa, non vinculis religata, non reſtricta cuſtodibus, ſed liberam ingrediendi, & egrediendi vbique recipiet facultatem. Nunc quoque quum ſit paſsibilis, & variis ægritudinibus, diuerſiſque caſibus ſubiecta videatur, intantum vt non prætereat temporis momentum, in quo propria non flagelletur neceſſitate, vel fragilitate. Tunc omni fatigatione ſemota incorruptibilitate veſtietur. Tunc quodam ineffabili repleta gaudio cātabit. (1.Cor.15.) Vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus? Gloria quippe & honore, (Epheſ.4.) & immortalitate, & ęternitate circumamicta ſuo inhærebit autori, ſine deformitate, ſine læſione, & abſque macula in menſurā ætatis plenitudinis Chriſti reformata, per omnes ſuos ſēſus multimodis exuberabit deliciis. Delectabitur oculus in amabili redemptoris aſpectu, quū videbit regem in decore ſuo gloria ornatum, ac diademate redimitum, quo coronauit eum mater ſua in die deſponſationis cordis illius, quū cęlum Solis, Lunæ, ſtellarumq́ue ſplendore rutilans intuebitur. Harmonia cęlorum, melodica cantica ciuium ſupernorum non mediocriter mulcebunt auditum. Super muros nanque Hieruſalem cuſtodes conſtituti ſunt, qui die noctuque nomen Domini laudare non ceſſant. Sed & per vicos & plateas illius à cunctis infatigabiliter alleluia cantatur. Fragrans quoque ſuauitas cęleſtium odoramentorum mira liquefactione reſperget odoratum. Hos prælibauerat (tenuiter tamen) qui dicebat. Odor tuus ò Domine excitauit in me concupiſcentias æternas. Indicibilis etiam dulcedo omnium delectabiliū, melliflua quadam & iucunda ſatietate oris ſaginabit palatum. Nec mirum, Nā exultationes Dei (1.Cor.15.) in gutture eorum erunt, & miſericordias Domini in æternum cantabunt. Ipſe demū tactus ſibi congruis abundabit deliciis, quas experti norunt. Fas etenim non eſt, vt in illa cęlorū gloria quicquam vacet à Dei laude, quin potius iuſtum, vt cuncta corporis membra ſuum modo proprio efferant conditorem, quatenus ſicut ab ipſo ſumpſere principium, ita & in illo deducāt ſuæ beatitudinis finem, vt ſit Deus omnia in omnibus.

Quibus ſpiritualibus ſtudiis exercere ſe debeant militantes Chriſto, vt ad perfectionis faſtigium attingere queant. Et de ſtatu perfectorum in via. Nec non de animarum felicitate in cœleſti patria cum Chriſto regnantium. Cap. XXIIII.

ARtifex omniū increata & æterna Dei ſapientia, quemadmodum cuncta potenter creauit ex nihilo, ita ſingula prudentiſsimo diſponens conſilio, certū ordinauit ad finem. Quæque nanque res, quælibet creaturarum ſpecies, proprium ad quem conditæ ſunt, appetunt finem. Nulla quippe vi humana, nullaque ratione ab inſita & innata diuelli poſſunt lege conditoris. Semper quippe procliues ſunt, ſemper mobiles, donec attingant, ad quod naturaliter præordinatę ſunt. Lapides quidem, quoniam vt terræ ſoliditate ſuſtententur, facti fuerunt, quantacunque virtute iaciantur ſurſum, ſua ponderoſitate ſemper ad ima tēdūt. Marinæ verò beluæ, & aquarum piſces, quādiu in aquis ſunt, mouentur, viuunt; mox autem vt ex fluctibus auferuntur, & aridam tangunt, palpitant, & mortem vicinā euidentibus ſignis eſſe denunciant. Sic omne, quod per ſpatioſum volitat aerem, quadam agitatur anxietate, quoadusque in caueis recludatur. Vt verò naturali potitum fuerit libertate, alas protendit, cantus promit, & inter denſiſsima nemorum folia latitare

tare feſtinat. Quid multa? Cuncta, quæ omnipotens in hoc ſeculo condidit naturali inſtinctu, eſſe ſuum perpetuare conantur, & ob hoc illa ſola concupiſcere, illa quærere noſcuntur, per quę viuere valeant. Habet quoque ipſa humana natura inſitum in ſe, & propriū appetitū, ad quod infatigabiliter properat. Quilibet nāque homo naturaliter appetit viuere, ſed diu, ſed feliciter, ſed beate. Hoc ſolo ex culpæ debito errore deluditur quiſque, quia quid ſit beata vita, ad quam poſsidendā laborat, ignorare conuincitur. Nulli quippe ſit dubium, quin beatam vitam inhiāti deſiderio omnes veraciter perquirerent, ſi in ea, qua conditi ſunt, naturali puritate cōſiſterent. Sed ex amiſſione naturalis decoris exigētibus delictis, beatæ vitæ ignorantia inoleuit. Hinc eſt, quòd de huiuſmodi veritate tam varię opiniones in vniuerſo mundo diffuſæ ſunt. Quidam nanque beatam vitam in corporis voluptatibus eſſe definierunt. Hos redarguit Apoſtolus dicens, **Philip. 3.** Quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione eorum, qui terrena ſapiunt. Et alibi. **1. Cor. 6.** Eſca ventri, & venter eſcis, hunc & has deſtruet Deus. Aliqui in diuturna ſui memoria & laudibus hominum. Quid laudatis defunctis conferre poſſunt laudantium voces? Tanquam folium, quod à vento rapitur, & velut nix, quæ ſolis ardoribus reſoluitur, ſic laudantium, & laudatorum exterminatur imago. Qualis eſſe debeat finis eorum, qui in fauoribus hominum eſſe beatam vitam iudicauerunt, indicauit Propheta dicens, **Pſal. 52.** Dominus diſſipauit oſſa eorum, qui hominibus placent, confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos. Alii in proſperitatibus ſeculi, & aggregatione diuitiarum ſpem ſuam conſtituentes, hanc eſſe vitam beatam arbitrati ſunt. **1. Tim. 6.** Talium inſipientiam redarguit & erudit Apoſtolus ſcribens Timotheo ſic. Diuitibus huius ſeculi præcipe non ſublime ſapere, nec ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo, qui præſtat nobis omnia abundanter ad fruendum, bene agere, diuites fieri, in operibus bonis, facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant vitam æternam. Nonnulli in inflante ſcientia, & naturalium cognitione beatam vitam eſſe cēſuerunt. Huiuſmodi (vt plurimum) ſe præ cæteris extollunt, ſapientiam, quæ de terris eſt, quærunt, & vt ſcire ſciantur, concupiſcunt, non tamen conſiderant, quòd ſiderum curſus, virtutū herbarum, omnium cæleſtium terreſtriumque habere notitiam parum prodeſt, ſi ſuiipſius, vel eius, qui ſupra ſe eſt, ſcientia deſit. Iuxta Pauli **1. Cor. 8.** ſententiam, Scientia inflat, ſed charitas ædificat. Hi omnes in ſuis euanuerunt cogitationibus, & beatam vitam in huius mundi voragine apprehendere cupientes, caſſo labore deſudātes, dies ſuos inaniter conſumpſerunt. Sola illa beata vita dicenda eſt, quæ caret morte, non ſubiicitur miſerijs, non perturbatur aduerſis caſibus, non variatur, non alienis indiget adminiculis, ſed per ſeipſam ſibiipſi ſufficit, ſibi placet, ſēper lęta, ſemper ſecura, repleta pace, abundans exultatione, ſua abſque ſui diminutione communicās nulla tenebrarum caligine aut ignorantię cæcitate depreſſa, omnia ſciens, cuncta potens, ſingula diiudicans, vbique præſens, vbique diſcurrens, mouens vniuerſa, & immobilis manens, diſponens omnia mirabili æquitate, perluſtrans quæque proprio lumine, dans cunctis & à nullo recipiens, non ſubiecta lineamentis, non temporum menſurata ſpatiis, non perceptibilis corruptione, non viſibilis corporeis oculis, nō manibus palpabilis, aut vlli carnali ſenſui captabilis, ſed ſolis mundis corde, & purgatis affectu cognoſcibilis, nō tamen ad plenum, ſed ex parte, ſed per fidem, ſed in ænigmate, donec reuelāte ſe ſicuti eſt; ab ijs quos prædeſtinauit in ſe, vocauit, iuſtificauit, glorificauit, per ſe in ſe videatur. Non igitur in hac peregrinatione quicquā ad plenum beatæ viuere conceſſum eſt, in futura verò vita, id donatur electis, in qua Deus facie reuelata conſpicitur, in qua diuina maieſtas in ſua ſimpliciſsima & excellentiſſima cernitur puritate. Hæc nanque ex ſui participatione, ex inhæſione, ex comprehenſione beatum efficit contemplantem, prout Dei ſapientia in carne velata teſtatur dicens, Hæc eſt vita æterna, vt co**Ioan. 17.** gnoſcant te ſolum Deū, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Nil autem eſt beata vita, nihil aliud æterna vita dici poteſt quàm Deus, qui eſt bonitas, ſapientia, omnipotentia, virtus, æternitas, iuſtitia, & quicquid melius, rectiusq; fari vel cogitari poteſt. Per hunc quippe quiſque tanto fit beatior, quanto fuerit illi propinquior, non loco, ſed fide, non corpore, ſed ſpiritu, ſed imitatione, ſed intentione, ſed affectu, ſed viſione. In hoc verò ſeculo fidelis anima diſponitur, & illi beatæ viſioni coaptatur per virtutum exercitia, & ſanctæ charitatis incrementa, vt eo aptior efficiatur, quo purgatior à vitiis, moribus ornatior, & Dei imagini extiterit ſimilior. Hæc nanque præſens vita, quæ temporū ſpatiis voluitur, variiſque caſibus variatur, illius beatæ vitæ atrium eſt. In hac electorum quilibet ſe componere debet diuerſis odoramentorum meritis, virtutum margaritis, bonorum operum monilibus, & præfulgida nuptiali veſte venuſtiſsimæ charitatis, quatenus quum corā vniuerſali Domino, & cœlorum apparuerint rege, nihil in eis deforme conſpici valeat, quod oculis diuinæ diſpliceat maieſtatis. Quocunque enim operū indumento, & meritorū gratia in hac quiſque fuerit inſignitus vita, eiſdem in illa beata decorabitur viuorum regione. Qui hic parce ſeminat, illic parce & metet, & qui in benedictionibus ſe**2. Cor. 9.** minat,

minat, de benedictionibus metet vitam æternã. In arbitrio quippe ſeminantium in terra, meſſis gloriæ cælorum conſtituta eſt. Proinde quicunque illius ſempiternæ vitæ deliciis, diuitiis, honoribusq; abundare deſiderat, donec in carne viuit, quandiu operari licet, virtutum ſemina ſpargere non deſiſtat, vt meritorum manipulos in horreis cęleſtibus valeat aggregare. Semper proficere ſtudeat, qualiter in via Dei creſcere poſsit, aſſidue meditetur. Et nunquam eradicari de ſe permittat perfectionis deſiderium, quin potius quantumcunq; profecerit, quamuis plurimis virtutibus locupletatus extiterit, continue Philip. 3. cum Apoſtolo dicat. Ego enim me nõ arbitror comprehendiſſe. Vnum autem, quæ quidem retro ſunt, obliuiſcens, ad anteriora meipſum extendens ad deſtinatum proſequor brauium ſupernæ vocationis in Chriſto Ieſu. Atque ex his æſtuantis amoris prouocatus ſtimulis ſemper maiora appetat dona, & meliora ſpiritus, chariſmata concupiſcat. Indeſinenter etiam, interioris hominis habitus cõponat, latebras detegat, tergat ſordes, & velut amœniſsima paradiſus, in quam ſponſo libeat declinare, areolis aromatum mentem plantare non ceſſet. Aſcenſiones quoque in corde ſuo, quoaduſque in hac valle lacrymarum conſtitutus eſt, diſponat, per quas tanquam per ſpirituales gradus ad perfectionis faſtigium aſcendere queat. Hoc ſi cupit aſſequi, totus reddat ſe ſibi, ſecum commorari libeat. Nil ſit foris, quod polluto quærat affectu, quum ſciat intra ſe habitare, quem amat. In ſe agenda ordinet, loquenda diſcutiat, eligat diligenda, & quaſi ſpiritualis rex in rationis ſolio præſideat animus diiudicans internos motus, compeſcendo noxios, & exequendo pios. Qui verò adhuc ſuiipſius ignarus exquiſitor eſt, qui nondum ſecum habitare conſueuit, paruulus quum ſit, à perfectionis arce plurimum diſtat, & virtutes perfecte operari non poteſt. Eſt nanque hominis ratio, quum ſplendore illuſtratur ſapientiæ, & diuino appropinquat lumini, quædam ſpiritualis regula, & magiſtra virtutum, per quam quid rectum, quidve obliquum verſetur in corde, quid agendum, & quid omittendum ſit, ſufficienter intelligit. Ideo Chriſti legitimus ſeruus, & perfectionis amator nunquam ceſſet rationis iudicio virtutum actus examinare, ne incuria diſcretionis vitium ſub virtutis velamine ad opus exeat. In huiuſmodi quippe frequẽter ruit decipula, qui ſua diſcernere negligit, vel ignorat. Currit & neſcit quò pergit, nec percipit quà. Super arenam mentis domum ædificat, & arbitratur ſe ſuper ſolidam petram fundamenta locaſſe, ſecundum corporis fatigationem animæ putat eſſe mercedem. Non autem conſiderat, quòd parum prodeſt non adhibita intentionis rectæ cuſtodia, multa operari. Sicut enim auri exigua maſſa magnum ſuperexcedit cumulũ vilis cuiuſcunque metalli, ita pauca opera peracta cum incendio puræ charitatis in conſpectu conditoris magis fulgent, atque gratiora fiunt, quàm multorum exercitia laborum prodeuntia ex radice negligentiæ, & de fonte intentionis incultæ. Spiritualis itaque homo omnia diiudicet in corde, nec quicquam immundum in conſcientiæ domicilio morari permittat. Diſcat recto examine ipſam impollutam, liberamq; ſeruare, ne delicta grauioris culpæ quam ſint æſtimet, aut deploranda contemnat. Caſſo nempe dolore compungitur, & inutili pæna afficitur, quiſquis omnes inſurgentes animi motus cohibere volens, & non valens, ſtimulis vritur conſcientiæ. Diſcretionis verò virtute carens qui talis eſt, nudato homini ſimilis eſt, qui extẽſis brachiis flantes cupit capere auras. Cõſultius huic eſt, ex quadam animi concepta libertate regionem relaxare virtutis, quàm conſcientiæ nauiculam in errorum collidere ſcopulos. Melius Matt. 18. quoque illi eſt cum vno oculo ad mentis tranquillitatem pertingere, quàm duos habentem demergi in deſperationis abyſſum. Cauendum nihilominus eſt ne ex hac libertate concepta mens ad illicita defluat, atque inſenſibilis effecta nullo conſcientiæ aculeo mordeatur. Vtroque etenim modo conſcientiæ ſerenitas maculatur, & perfectionis meta tranſcenditur. Propterea quicunque ad perfectionis culmen concupiſcit attingere, præuio diſcretionis lumine per quandam viam regiam conetur incedere, vt ad libertatem perueniat conſcientiæ, quatenus adepta interiori pace, & pacato cõſcientiæ ſtimulo, ad altiora ſine impedimentò conſcendere, atque intentionem cordis ardentius ad perfectiores virtutum actus dirigere queat. Eſt nanque intentio animi amantis quidam virtutum auriga, qui actus informat virtutum, potiora eligens, altioraque inceſſanter concupiſcẽs. Vnde in peragendis negociis interioribus, vel exterioribus adeſt celeri diſcretionis iudicio, precioſum ſeparans à vili. Nunquam dormitat, nunquam à proprio langueſcit ſtudio. Perfectione ſiquidem illectus Chriſti miles, & virtutum ignitus amore, quo purior intentione efficitur, eo ardentior ad ſpiritualia exercitia inuenitur. Suorum quidem percipiens quaſdam primitias ſpiritus laborum, exultatione perfunditur, accenditur deſiderijs, profectibus animatur, ſuaui pace repletur, & bonis operib. fęcundatur. Propter hæc verò ad orationem alacer, ad contumelias patiens, ad aduerſa intrepidus, ad fratrum obſequia indefeſſus, ad ſilentiũ prõptus, ad ſolitariam quietem expeditus, & Deo ſuo per mẽtis eleuationem inuenitur deuotus. Ipſum ſibi præſentem conſpicit, ſuorumque actuum inſpectorem cognoſcit, intẽtionum, cogitatio-

gitationumque arbitrum eſſe certiſsimè fatetur. Ideo autem nil in conſcientia fœdum, nihil in intentione admittit obliquum. Omnes quippe actus ſuos obtutibus obiicit conditoris, tanto libentius ac crebrius, quanto de intentionis fonte purius emanant. De habitibus nanque virtutum actus ſuos eliciens, medullatum Deo in ara cordis exhibet ſacrificium. Et quantum humana patitur fragilitas in arca memoriæ intentionem animi ſtatuens, in nullo alio præterquam in ſui directione, vel côditoris oblectatione occupari permittit. De hoc autem minime côtentus amator Chriſti, magis magiſque ad perfectiora ſui interioris hominis potentias extendere affectat. Propterea cunctas ſui cordis cogitationes ſub diſciplinæ iugo reſtringit, pernicioſas abhorrens, inutiles deuitans, & quæ ſine ſenſu ſunt, omnino abiiciens, indeſinenter mentis lubricitatem reſecare conatur. Indignum etenim arbitratur, vt ſapientiæ ſedes alienis tradatur, & intellectus perſpicacitas in alio, quàm in veritatis lumine exerceatur. Nam per ipſum ſapientia intrat ad cor, ipſi loquitur arcana, reuelat myſteria, & abdita pãdit, ipſum illuſtrat ſplẽdore, & ſapore veritatis impinguat. Nunc ad opera naturæ, nunc ad creaturam ſpeciem contemplandam deducit. Aliquando vilitatem propriam carnis originem, per incrementa, per actus, per finem cognoſcendam obiicit. Quandoque verò ſpiritualis eſſentiæ nobilitatem, ſpecioſitatem formæ, immenſitatẽ capacitatis, immortalitatemque naturę cogitare compellit. Interdum quoq; ad innumera beneficiorũ dona inueſtiganda tranſmittit, in quibus præ immenſitate, diuerſitateq; deficit. Iugiter autem ad verbi incarnationem, natiuitatem, conuerſationẽ, & paſſionem meditandam trahit, in qua ſugit mel de petra, oleumq; de ſaxo duriſſimo. In his

Deut. 32.

& huiuſmodi cogitationibus, quæ circa motes ſunt, erga naturę opera, & creaturarum mirabilia, atque Chriſti veneranda myſteria eruditus intellectus ſub ſapiẽtiæ diſciplina, & magiſterio verbi, habilitatur paulatim ad ſublimiora rimanda. Capaxque effectus ſpiritualium myſteriorũ contemplationis radio, ſub cęlorũ excelſa prouehitur, eo clarius, dulcius, & ſæpius, quo in ſe purgatus, & ab exteriorib. ſegregatus, in ſapiẽtiæ ſplendore amplius delectatur. Mira etenim quandoque claritate circumfuſus, ac ſuauitate refertus, cęlorum militiam, & beatorũ ſpirituũ gloriam cogitare meretur. Angelorum quippe ordines mentis oculo diſcurrit, ſingulorum officia meditatur, naturam veneratur, dignitatẽ miratur, & ſpecies, decoremq; illorum ad plenum indagari non valens ingenti iucunditatis ſtupore inebriatur. Sicque, modo, quo poteſt, ſupernorum ciuium beatitudinem conſiderare non ceſſat. Nô tamen ſine exultatione cordis, & dulcedine charitatis. Talibus ſaginatus ſpiritualib. delicijs, ad immenſitatem Dei, & diuinæ maieſtatis eſſentiam conſiderandam trahitur, quam non ſicut eſt, neque prout ipſe vult, ſed iuxta ſibi cęlitus donatam menſuram intelligit, & comprehendit. In hac quippe contemplatione ęternæ veritatis, videt non videns, capit non tenens, & repulſus admiratur. Nimio nanque fulgore diuinitatis obtuſus intellectus, & humanus reuerberatus ſenſus, ad ſe redire compellitur, non tamen vacuus, ſed clamoribus deſideriorum, & ſuaui admiratione repletus. Poſt hũc etenim guſtũ ex parte ſanctificatus animus, ad id, quod ſemel perceperit, pro poſſe humiliter redire conatur. Totus de cętero in arcano ſui pectoris ſe colligit, ſecum habitat, & ſolo dilecti contentus contubernio, hominum conſortia quantum licet, deuitat. Hinc familiarior efficitur, ex aſſiduaq; ſponſi allocutione amor creſcit, affectus accẽditur, & feruere inchoat charitas, quę prius humiliter in corde reſidebat. O quàm ſæpè in ipſius ſponſi præſentia dilatatur cor, rapitur animus, & quodam amoris igne omnia interiora ardere videntur. Tunc vox ſilet, labia non mouẽtur, & nullus exterius clamor auditur, intus verò nunc gemitus deſideriorum, nunc amoris ſuſpiria, nunc verba incompoſita ſonãt, hominũ quidem auribus ignota, ſed maieſtati diuinæ ſapientiæ manifeſta. Nec mirum, quum ipſa materia ſit loquentis amoris artifex. Affectus quippe cordis in amati præſentia leges nõ ſeruat, timorem abijcit, tacere neſcit, ſed prout amoris vis impellit, deducitur. Crebro nanque ſi viſitatur à ſponſo quendam amoris induit habitum, per quem tepeſcere non ſinitur, nec in diuerſa vagari, quin potius ſæpiſſime ignitis deſiderijs & precibus piiſſimis, ad diuinæ pulſans oſtium bonitatis introire meretur, in cuius aſpectu aſtãs ſpõſa, mito amoris & amandi flagrat deſiderio. Se etenim totaliter charitatis vinculis vinciens cũ dilecto, inhæret illi amore pio, amplexu caſto, delectatione ſuaui, & humilitate iocũda. Amat quidem ardenter, ardentiuſq; amare peroptat. Hoc orationibus flagitat, hoc toto deſiderio eõ cupiſcit. Amati nanque ſe ſentiens, amandi voto cruciatur anhelo, quia non poteſt actu perficere quod cupit affectu. Tunc erudita à verbo, & dilatata per gratiam, quodam diuinæ laudis perfunditur guſtu, tanto delectabilius, quanto vehementius. Tunc laudes cructat cęleſtes, tũc dulciſona pronunciat amoris carmina in honorem dilecti, præconijs illum extollit, laudib. honorat, gratiarumq; actionib. veneratur. Effert ipſum quib. valet verbis, qua virtute, quoue deſiderio, nec tamen plene ſatiatur, nimio amore allecta. Supra ſe quidem euecta, & in hoc mortali corpore conſtituta, atque carnis onere prægrauata, ſponſum non valet laudare quantũ illũ intel-

Digitized by Google

intelligit laudabilem. Ex hoc ei grauis efficitur carcer corruptibilis naturę, & maximo diuinę laudis accenſa deſiderio, clamat totis medullis cordis in cœlum, & omniqua valet virtute, vt cœleſtibus admiſceatur choris, vt perfecte laudantibus ſocietur, tantoque amore in Deum rapitur, vt beatorum omnium laudes ipſa perſoluat, laudis deſiderio. Tali verò indicibili & incomprehenſibili (nec cognito niſi ab expertis) inebriata deſiderio laudandi, vtiq; corpore deficeret, ſi diu perſeueraret. Modificante autem ſponſo deſiderii ardorem, paulatim dilectam totam relinquit ſibi ne viribus deficiat, perficiatque quicquid peragendum ex charitate iniunctum eſt. Ex illo deinceps ſubarrata charitate, validum amoris vulnus latenter geſtat in pectore, in teſtimoniũ diuinæ miſerationis, & indiſſolubilis charitatis. Ex huiuſmodi nẽpe vulnerata amoris ſagitta, hilaris effecta, ſuſpenſa incedens mente, & ſeipſam quantum valet immaculatam cuſtodiens, ſpiritualia & amatoria cantica in laudem non ceſſat promere dilecti. In cordis enim ſui penetralibus illum tenet abſconditum. Si quid agit ardenter operatur, pſallit ex corde, orat ex corde; operatur ex corde, & quadam inuincibili ſui cuſtodia, ſponſi ſemper præſentiam meditatur, quæ mentem non ſinit effluere & affectum charitatis tepeſcere. Alternatis etenim ſucceſſibus & ſpiritualib. clarificatis ſenſibus, iucundo curſu & delectatione non modica de virtute proficit in virtutem, de claritate trahitur ad claritatem, & de affectu accenditur in affectum. Superna ſiquidem illam præcedente & comitante gratia, nec laboribus frangitur, nec honoribus extollitur, nec aduerſis retrograditur, ſed ad perfectionis altitudinẽ quotidie feſtinat aſcendere. Præterita nanque obliuiſcens, & ſe ad anteriora protendens, ex acquiſitis chariſmatibus nequaquam efficitur ſegnior, maiorum animata donorum deſiderio. Quanto autem potiora à ſponſo percipit, tanto ardentiore accenditur perfectionis face, atque in carne degens cœleſtem conuerſationem imitari conatur. Corporis quoq; reſolutionẽ à cunctis formidandam, tanquam ſingulare bonum toto deſiderio concupiſcit. Hæc ſunt ſpiritualia ſtudia, per quæ quiſq; ſeruorum Chriſti metiri poteſt quantum profecerit. Hęc ſunt nempe interioris hominis exercitia & perfectionis indicia, quæ in cœleſtibus ſedibus tanto Deo propinquiorem efficiunt animam, quantum in ipſis dum peregrinatur, prouectiorem iudex omnium fuiſſe cognouerit. Proinde omnes æterno regi militantes ſemper eſuriem & ſitim patiantur iuſtitiæ, quęrant ſemper proficere, ne in agone ſpiritualis militiæ cogantur deficere. Charitatem verò cunctarum matrem virtutum in pręcordiis ſuis geſtare ſoliciti ſint. Nam iuxta eiuſdem charitatis menſuram, æternæ retributionis gloria condonatur. Non gradus, non nobilitas, non prudentia remuneratur in cœlis, ſed charitas, laboribus, tentatione, patiẽtia, orationibus, vigiliis, ieiuniis, puritate, fraterna dilectione, rectitudine conſcientiæ, & virtutibus comprobata. In his & huiuſmodi Dei ſeruitus laudem
meretur à Deo, perpetuamque victoriam, ſi ta- 1.Tim.1.
men ſecum habuerit charitatem, quæ ſit de corde puro, cõſcientia bona, & fide nõ ficta. Hęc vtique dilectionis opera, perfectioniſque deſideriũ omnes habere debent, & potiſſimũ Deo famulantes, in quorum præcordiis zelus diuini honoris congruit, vt ſemper vigeat, vtpote amici Dei à conuerſatione ſeculi ſegregati, participes ſacramentorum, & ſecretorum cœleſtium ſpeculatores effecti. Grande etenim pondus ii, qui Deo ſeruiunt, ferunt ſupra ſe, ſi realiter, ardenter, perſeueranterque non ſe exerceant in ſtadio Chriſtianæ militiæ, ad quod vocati ſunt, habentes ſanctos angelos, & ipſum angelorum Dominum ſui certaminis inſpectorem. Parum quidem Deũ ſe fatentur diligere, qui negligenter viuunt, & hoc immenſum bonum paruipendere ſe operibus proteſtantur. Quotidie ſeculi amatores morti ſe tradunt pro fugitiuis honoribus, pro carnis illecebris, pro cumulatione pecuniarum, & pro ſuorum dilectione benefactorum. Quid igitur acturi ſunt dilectores Dei pro ſublimi regni cœleſtis gloria, pro remuneratione perpetua, & pro honore ęterni regis viuentis in ſecula? Debent nempe indubitanter, & alacri deſiderio omnibus periculis, & cunctis tormentorum generibus ſe dare, quum omnia ipſis illata, ne exiguæ quidem guttæ æternæ fœlicitatis valeant comparari. O ſi ſcirent mortales qualia & quanta ſint gaudia electis repoſita in cœlorum conuiuio. O ſi Chriſto famulantes gu-
ſtarent, quæ præparauit Deus diligentibus ſe, 1.Cor.2.
excuterent profectò à ſe omnem torporem, omnemque mentis hebetudinem abiicerent ſine mora. Quæ autem mens non ferueat deſiderio, non elangueat charitate, non repleatur exultatione, ſi recogitet diligenter delicias paradiſi? ſi humani ſpiritus futuram gloriam aſsiduè meditetur? Magna quippe eſt & immenſa, atque angelorum beatitudini per omnia coæquanda. Diuinis nanque ſplendoribus & perpetua claritate fulgebit rationalis potentia. Incomprehenſibili nanq; lumine, veritate perſpicua, ſerenitate lucidiſsima, & iucunda viſione illuſtrabitur. Nã fecunda Dei verbo, & clara ei inhærens viſione, inſcrutabilia ſecretorũ Dei iudicia, & ineffabilia ſapientię ipſius arcana, vero percipiet cognitionis intuitu. Videbit quidẽ Deũ in ſeipſo, videbit ſe in Deũ, & Deũ in ſe. Videbit Deũ in creaturis, & creaturas in Deum, ſicq; veſpertina, matutina, & meridiana luce decorabitur.

Lumine nempe quodam gloriæ circunfuſa, æternum ab æterno æternaliter genitum contuebitur, atque meridiano ſplendore illuſtrata, ſine differente medio, vel obnubilante, ſeu diſponẽte, Dei eſſentiam cõtemplabitur, non quòd eſt, ſed ſicuti eſt, tanto perſpicacius, quanto ardentius Deum in præſenti vita dilexit. Hæc nanque viſio & viſionis admiratio, vita æterna eſt, quam Dei ſapientia paſſibili vnita naturæ, per crucis patibulum, aſperſionemque ſanguinis prædeſtinatis acquiſiuit fidelibus, non ex ipſorum præcedẽtib. meritis, ſed propria, mera, & libera ſua ipſius gratuita dignatione. Concupiſcibilis quoque potentia, & ipſa pleniſsima atque perfecta abundabit charitate. (Deut. 6.) Tota etenim in Deũ tendens, tota Deo plena, Deum ex toto corde, ex tota anima & ex omnibus viribus diliget, ſupra quam dici poteſt exuberabit gaudio præ multitudine amoris. Per charitatis quippe exceſſum, & ſobriam ebrietatem, extra ſe rapietur, ſupra ſe & in Deum poſita atque Deo vnita, non aliunde quàm de Dei gloria, de ipſius bonitate, immenſitate, æternitate, virtute, & ſapientia beata erit. Mutui ſiquidem amoris ſuave vinculum, & participatio diuinæ charitatis, quicquid propriũ eſt, commune faciet. Nam perfectus amor, & amoris vera vnitas, nil habet priuatum, nil poſsidet ſingulare. Exponit ſua, tribuit ſe liberaliſsima charitate. Non inuidet, non abſcondit, non negat quod habet, ſed totum communicat diligẽti dilecto. Ex hoc nempe ſanctarum animarum cum Chriſto & in Chriſto regnantium fœlicitatis & amoris caſti latitudo vtcunq; cognoſcitur, quæ quum Deo perfectiſsimo charitatis contubernio connectæ ſint, bonorum omniũ, & totius beatitudinis ipſius participes eſſe merentur, quamuis aliter ipſe de ſeipſo, quàm illę de ipſo gaudeant. Satis illis erit, quòd plenæ erunt exultatione, cognitione perſpicuæ, refertę lętitia, iubilatione feſtiuæ, charitate ſuperferuidæ, amore exuberantes, & vltra quàm humanus capiat ſenſus, de Deo in Deum ineffabili iucunditate, & iucũda dilectione perfuſæ. Nihil aliud appetent, nil quærent Dei lætiſsimæ viſionis capaces. (Pſal. 35.) De puro nanque fonte æternæ vitę haurientes aquam ſapientiæ, & diuinę charitatis ſuauiſsimum liquorem, inebriabuntur ab vbertate domus Dei, & torrente voluptatis gloriç ipſius ſufficienter potatę, atque deificæ effectę de cętero ſitire non poterunt. Saturabuntur charitate, laudabunt infatigabiliter; delectabũturque mirificè in multitudine pacis, & gratulabũtur de numeroſitate ſocietatis. Ex ipſa ſiquidem locupletiores effectę pro participatione fraternę beatitudinis inexplebili replebuntur exultatione, & prę nimio charitatis ardore communẽ omnium proprium ſingularem exiſtimabunt honorem. Occupabuntur in Dei laudibus, & ipſę toto laudantes affectu. Lętabuntur inſuper de angelorum conſortio, de ſpecioſitate, de plenitudine, & de fœlicitate ipſorum, tanquã de conciuibus ſuis. Nam ibi angelorum, hominumque concors erit voluntas, grata ſocietas, equalis gloria, eadem beatitudo, conſona, dulcis, eterna, indefeſſa, melliflua, perfectaque Dei laudatio. In Dei quippe clara viſione abſorpti, prę admiratione, prę ſarietate, prę gaudio, prę delectatione, prę amoris ardore, diuina pręconia, laudeſque ipſius omnino tacere nequibunt, iuxta illud citharœdę David. (Pſal.) Beati, qui habitãt in domo tua Domine, in ſecula ſeculorum laudabũt te. Inhęrendo etenim Deo, & cum ipſo vnũ effecti nil aliud quàm Deum laudare valebunt. Ab immenſitate decoris, à perennitate gloriæ, a ſuauitate ſpiritus, à liberalitate infuſionis, à continuitate gaudii, ab inſpectione dilecti totaliter comprehenſi, omnes circunfuſi eũdã irreuerberabili intuitu, & imperturbabili quadam pace Dei beatiſsima fruentur eſſentia. Sicque totus rationalis ſpiritus Dei inſignitus imagine, in ſuum ſe transformabit autorem: nulla pollutus labe, nullo que timere turbandus. Tunc liberum ſuum percipiet ſ[illegible], & eum[illegible], ſ[illegible]liſque eius futura ſit gloria, manifeſtè patebit. Tunc electi omnes pari voce exultationis, lętoque animo decantabunt: (Pſal.) Sicut audiuimus, ſic vidimus in ciuitate domini virtutum: in ciuitate Dei noſtri, Deus fundauit eam in æternum. Sequẽ exigentes in Deum, nec ſe præ magnitudine ſuauitatis & amoris continere valentes, cum ingenti iubilatione profundẽ [illegible] eloquentur. Secundum nomen tuum Deus, ſic & laus tua in ſecula ſeculorum, Amen.

BEATI LAVRENTII IVSTINIANI VEN. PROTOPAT.

In librum, cui titulus, De ſpirituali & caſto verbi animæque connubio.

PROOEMIVM.

QVum omnium Deus ſit vita mortaliũ cunctorumq́; & ipſe largitor ſit munerum, æquiſſimum profectò eſt, vt ſic quiſque ſuos ſtudeat mores componere, ſuaque diſponere dona, quatenus honori Dei, & proximorum commodis valeat militare: alioquin negligentiæ atque ingratitudinis iudicabitur reus. Suá nanque Deus erogat munera, non vt in ſudario occultẽtur: ſed vt indigentibus impertiantur gratis; vnde in Euangelio Veritas ait. Gratis accepiſtis, gratis date. Mat. 10. In nullo igitur tam gratanter, tamq́; ſalubriter cuiuſque poteſt occupari vita, quàm quum ſibi dona præſtita vniuerſis profectuę ſpiritualis cauſa, ardẽter, pureq́; communicans ſtuduerit. Eſt quidem ſacra pagina viua quædam & perpetua vox cœlitus infuſa ad communem omniũ profectum mortalium. Nam multis in locis, plurimisq́; perſonis vno, eodemque ſe valet accommodare momento, abſq; cuiuſdam detrimẽto. Hoc attendentes venerabiles patres noſtri, atq; vtriuſque legis doctores, quorum excelſa memoria in cęleſtibus indeficienter, in terra verò iugiter celebratur, ſedulo curauere mãdare poſteris, quod ipſi diuinitus acceperunt. Proprijs quippe non contenti ſtipendijs, multorum ſibi aggregare conati ſunt diuitias meritorum. Eorum vtiq; ſancto ſtudio & zelo laudabili librorũ tanta ſunt exarata volumina, tam perſpicuis rationib. Chriſtiana religio dilucidata eſt, tantorumq́; corda viuentium ſalubrib. ipſorum documentis mutata in melius. Hoc præteritorum tẽporum: hoc quotidiana aſſeuerat experientia, quòd in aliquo ſtudio tantum acceptabili Deo & Eccleſiæ proficuo occupari nemo poteſt, quã tum in ſanctarum explanatione ſcripturarum: earum potiſſimum quæ Dei notitiam, amorem diuinitatis, & morum honeſtatem valent cõferre legentibus. Magni ſiquidem meriti apud altiſſimum huiuſmodi autores arbitrãdi ſunt, quod Prophetæ Danielis teſtimonio comprobatur. De talib. enim ait ſic. Qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas fulgebunt æternitates. Dan. 12. Ipſa quoq; ſapientia ſapientis voce ſic loquitur. Qui me elucidant, vitam æternam habebunt. Talibus ergo eruditus teſtimonijs, Eccl. 24. huiuſcemodi prouocatus exemplis, ſummopere curaui præteritorũ patrum imitari veſtigia, non tamen pari greſſu, neque æquali ſufficientia aut meritis: ſed diuina opitulante gratia: eodem zelo honoris Dei, laudiſque conditoris, atque ſimili æmulatione fraternæ charitatis. Acceptum quippe talentum occultare nolens, nequaquam paſſus ſum habere ſolus, quod multis prodeſſe poterit. Nõ autem de meo quicquam nec à me, ſed de indeficientibus æternæ ſapientiæ theſauris exponere in publicum, atque legentibus erogare concupiſco. De ipſa quidem amabili ſapientia, de ſempiterno Dei verbo: diu animo me tacitè reuoluente quid ſcriberem, tãdem ſtatui propalare iucunda, quæ in deuota mente celebrantur, ſacramenta. Erit nanque in opere hoc plena ipſi gloria, quum de ſe per me quid loquetur laudabile. Quo etenim cithara, in qua citharizatur, eſt vilior, eo pulſantis manus ſuauiter commendabilior audientium iudicio exiſtimatur. Quid verò paruitate mea vilius? quid cõtemptibilius? Nullum (fateor) me o abiectius reperire Dei ſapientia valuit inſtrumentũ, per quod ſe ſuis notificare potuiſſet. Hac fretus fiducia diuinæ volui aſpirationi præbere aſſenſum. Nam poteſt, quod vult: per quem, & ſicut vult manifeſtare. Homo quippe ipſius non autẽ ipſe humano eget auxilio. Iuſtè quoque mihi, ſiquid reprehenſibile, honorabiliter verò illi, ſiquid commendabile exaratum ſit, aſcribi poterit. Tu itaque o ſapientia in ſublimi reſidens cęlorum throno: ò verbum, per quod facta ſunt, quæ ſunt, ſiue corporalia, ſiue ſpiritualia, ſeu cęleſtia, adeſto mihi, largaque benedictione tuæ fluenta gratiæ infunde in me, vt & ego effundã propter te arcana tui amoris ſancti, & veneranda myſteria, atq; ſpiritualis ac caſtiſſimi connubij tui delectabilia gaudia. Ex hoc quidẽ accenſi qui legerint, feruentioribusq́; prouocati ſtudijs ſemper ad altiora (te duce) conſcendent. Nihil prorſus arbitror poſſe dulcius, ſuauiuſque ad guſtandum apponi peregrinantib. amatoribus quàm tui connubij exercitia, colloquia, oſcula, & amplexus. Nemo igitur hoc perficere valet, niſi afflante ſpiritu tuo intus trahatur à te, ducatur ad te, collocetur in te. Talis nanq; guſtus gratuitus eſt, non humanus, ideo non virtute ſola gratia præuenta, ſed prece aſſidua, & humilitate intima hoc obtinendum eſt. Nam velle (ait Apoſtolus) mihi adiacet, perficere autẽ nõ inuenio, vtique, niſi ex gratia. Rom. 7. Quamobrem ſicut guſtus talis in hominis nõ eſt poteſtate: ita nec in huiuſcemodi affatus. Loqui nanque de affectibus charitatis abſq; experimento, temeritatis nota eſt. Quemadmodum autem nullus, quæ in homine ſint, ſcire valet, niſi hominis ſpiritus; ita nemo, quæ ſunt Dei, niſi ipſo Dei ſpiritu reuelante. Proinde ò mellifluę amor, ò Dei ineffabilis ſapientia, oro te, per te vt prius erudiar experientia, 2. Cor. 2. quàm proferam lingua: prius cordis palato deguſtem, quàm voce pronunciem: ne æs efficiar ſonans aut cymbalum tinniens. 1. Cor. 13. Incongruum quippe eſt, vt in tenebris poſitus alijs veritatis aperiam lumen, atq; æternæ vitæ demonſtrato verbi fonte, ipſe ariditate deficiam.

QVOD. DEVS SIT CAVSA, FINISQVE VNIVERSORVM, & de huius vitæ peregrinatione: *Atque de multifarijs inimicis, à quibus impugnantur peregrinantes.* Cap. I.

QVoniã vniuerſitatis artifex Deus ſua creaturarum omnium numeroſitatem ita diſpoſuit ſapientia, vt ſingulæ naturali ſuo curſu tendant indefeſſæ ad ipſum, ad quẽ conditæ ſunt, finem: indubiè definiendum eſt, nullam ſcientiarum oĩum vtiliorem eſſe: quàm illam, propter quam agnoſcitur vniuſcuiuſque rei cauſa & finis. Hac quicunque carent cognitionis regula, multiplicium inuoluuntur errorum caligine. Vtilia quidem ſæpiſſimè noxijs, vera falſis, ſpiritualia corporalibus virtutes vitijs, cœleſtiaque obſcurato mentis iudicio poſtponunt terrenis, vtuntur fruendis, & fruuntur vtendis, quod eſt nefas peſſimum, & Deo inimiciſſimum. Hac ignorantia ſubuertitur ratio, diuina abolетur lex, naturæ iura mutantur, euacuantur promiſſa, honeſtas confunditur, perit fides, iuſtitia negligitur, languet ſpes, & ipſa cæteris virtutibus charitas eminentior tepeſcit. Neque enim charitas nec virtutes cæteræ eſſe valent, vbi Dei ignorantia locum habet. Qui Deum neſcit, ignorat quoque aliarum rerũ cauſam & finem. Vniuerſorum quippe cauſa & finis Deus eſt; cauſa, per quam; finis verò ad quẽ. Omnia quidem fecit propter ſe, ideo efficiens & finalis cauſa omnium ipſe eſt, qui ait. Apoc.1. Ego ſum alpha & omegha, principium & finis: Rebus tamen ſingulis eſſe generaliter tribuit, propriumque effectum, vt ex altero ſapientia & ex altero eius bonitas comprobetur. Vniuerſis nãque, quæ ſunt, eſſe illis Deus dedit, vt ſint: aliquibus earum eſſe ſimpliciter conceſſum eſt: vltra quod nequeunt: quibuſdam, vt viuant, donauit Dei clementia (in melius tamen proficere non ſperant) alijs præſtitum eſt, vt bene viuant (tali nihilominus lege, vt pro ſuo arbitrio valeãt & poſſint proficere in melius, aut in deterius labi) hi nanque homines ſunt. Sunt verò alij angelici, (videlicet) ſpiritus, quibus gratis tributum eſt, vt beatè viuant. Sicut enim propter confirmationis gratiam nequeunt à beatitudinis arce, in qua confirmati ſunt, defluere, ita nec ad excellentiorem ſubſtantialis gloriæ gradum aſcendere. Soli igitur humano generi licet mereri & demereri: proficere & deficere: quod irrationabiliter viuentibus non datur, neque angelis. Omnis prorſus cauſa viuendi bene, mortalibus vniuerſis hæc eſſe debet, vt ad finẽ attingant laudabilem. Non autem omnis finis commendatione dignus eſt. Eſt quidem priuationis finis, ad quem quiq; tendunt viuentes, dicente Sapiente. Eccle.3. Vnus eſt interitus hominum & iumentorum. Eſt quoq; finis perfectionis, & hic charitas eſt, de qua Apoſtolus ait. Finis aũt 1.Tim.1. præcepti, charitas. Hunc intuitus Propheta ſanctus lętabundo aiebat corde: Omnis cõſummationis vidi finem, latum mãdatum tuum nimis. Pſal.118. Eſt etiam localis terminationis vniuerſis cõis, quamuis diſſimilis. Nam infidelibus, & peccatorib. atque à Deo alienis pro vltimo peruentionis fine ſupplicia æterna deputata ſunt, inferni clauſtra, & dæmonum horridæ viſiones: iuſtis verò, & Dei cultoribus, ac viris probatis in omni ſanctitate, ſicut cęlorum regna, angelorum contubernium, immortalitatis ſtola pollicentur, ita vitæ conſummato agone, fęlicitatis perpetuæ ſtipendia prærogantur, quibuſdam cumulatoria, aliquib. verò parciora, prout cuiuſq; ſuppetunt merita. Eo nanq; quiſq; in illa cęlorum regione erit beatior, quo fuerit in charitate perfectior. Charitas quippe ęquitatis ſtatera eſt, in qua appenduntur merita ſingulorum: per quam homo fit proximus Deo, cuiuſq; exercitatione & profectu conſummatur verbi connubiũ, & anima ſponſa efficitur ſapientiæ. Quandiu autẽ ad terminationis tẽditur finem, in hoc proficere perfectionis licet. Per carnis nanq; conſumptionem quemadmodum ad æternam peruenitur gloriã ita & merendi adimitur copia. Quamobrem donec viuitur, donec peregrinationis terminatur curſus in huius mũdi ſtadio pro hac ſancta charitate pugnare ſuppetit, & in illa creſcere, atque ad Verbi connubium attingere poſſe donatur. Nihil pro commiſſis culpis aſſumptus dolor, nihil poſt hanc vitã prodeſſe valent concepta deſideria. Ad lucrum exequendum non pecuniæ, non honoris, non voluptatis, ſed virtutum, ſed meritorum, ſed charitatis præſens tempus accõmodatum eſt. Hoc autẽ ſcire negligunt, qui terrenis impliciti ſunt curis, qui viſibilib. delectantur, qui carnis incolumitati inſeruiunt. Horum ſiquidẽ corda huius ſeculi princeps excæcauit, ne eis fulgeat æternæ vitæ ſplendor: ne fidei lux irradiet illos, & ſanentur. Quum.n. mundi iſtius ciues ſe eſſe fateantur, futuræ, quam ignorant, vitæ, ciues fieri dedignantur: tument in ſeipſis, contra inſontes ſæuiunt, & aduerſus Deũ cordis ceruicem erigere non verentur: Pſal.9. atq; ipſum contemnentes tanquã ſi humana non iudicaturus eſſet opera, peccata peccatis aggregare non ceſſant. De talib. ſub vnius perſona Propheta teſtatus, Propter hoc (ait) irritauit impius Deum, dixit.n. in corde, non requiret. Merito quidem impius, quoniam licentius voluptatib. vt vacaret, hac vnica ſententia diuinam deſtruere legem, iuſtitiæ Dei detrahere, extremum negare iudicium, & futuram vitam abolere, conatus eſt. At verò iuſtorum mentes, quæ piè de Deo ſentiunt in bonitate, legis diuinæ approbant autoritatem, & cum Propheta dicunt. Pſal.11. Eloquia domini eloquia caſta, argentum igne examinatum,

tum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum. Et
Pſal. 18. iterum. Lex domini immaculata conuertens a-
nimas. Iuſtitiam quoque Dei, iudiciumq́; confi
tentur cum eodem dicente Propheta, Iuſtitia iu
Pſal. 88. diciũ præparatio ſedis tuæ. Propterea aiunt. Iu-
Pſal. 118. ſtus es domine, & rectum iudicium tuũ. De ſuis
autem operibus retributionem præſtolãtes æ-
ternã, illud memorati prophetæ ſępè reuoluunt
animo. Inclinaui cor meum ad faciendas iuſti-
Pſal. 118. ficationes tuas in æternum propter retributio-
nem. Se nanque peregrinos agnoſcentes, ſuo-
rum non in hac, ſed in futura expectant merce-
dem laborum. Vnde illam Saluatoris memori-
ter tenent ſententiam, quam quũ de vltimo lo-
queretur iudicio, protulit dicens. Et ibunt hi in
Mat. 25. ſupplicium æternum, iuſti verò in vitam æter-
nam. His itaque veritatis eruditi ſermonibus &
innumerabilibus ſanctarum ſcripturarum teſti-
monijs omnem abigentes infidelitatis errorem
tanquam aduenæ, & peregrini ſeculi iſtius vi-
uunt: vniuerſam ſiquidem virtutum, atque per-
fectionis regulam ſectãtes operibus inſiſtunt
pietatis, propria largiuntur egenis, corpus abſti
nentia macerant, diſciplinæ ſpiritualis vigore,
voluptates abſcindunt, affectum ab inferiorib.
retrahunt, mente viſibilia tranſcendunt, aduer-
ſa fortiter tolerant, & omni præſentis vitæ abre-
nunciant delectationi. De talium conſortio ſe
fatebatur Apoſtolus, quum dicebat. Non enim
Heb. 13. habemus hic manentem ciuitatem: ſed futuram
1. Cor. 7. inquirimus. Ideo alibi aiebat. Qui gaudent, tan-
quam non gaudentes ſint: qui emunt, tanquam
non poſsidentes: qui vtuntur hoc mundo, tan-
quam non vtantur: præterit enim figura huius
mundi: Meritò quippe præterit, quia nõ patria,
ſed peregrinationis eſt via. Hic nanque ſemina
tur, & alibi metitur: hic operandi licentia datur,
ſed alibi operum fructus percipiendi. Qualiter
quiſque in corpore hoc mortali conſtitutus vi-
Rom. 14. xerit, taliter in alio ſeculo merita conſequetur.
Vita etenim hæc iter eſt, per quod graditur ad
patriam: via vtiq; laborioſa, anfractibus plena;
referta doloribus, ſollicitudinibus anxia, inuo-
luta periculis, latronibus circumſepta, perturba
tionibus agitata, inquieta caſibus, fraudib. per-
fuſa, malis miſta, & liuore ſimulata: nunquam. n.
læta eſt, nunquam ſecura, ſed ex emergentibus
infortunijs ſemper formidoloſa, ſemper ſuſpe-
cta, nulli ſanæ rectè ſapiẽti permittitur in ea frui
fęlicitate, nulli diu iucundari, quia delectatio-
nibus caret, delectabilibusq; ignara eſt bonis.
Locus quippe certaminis eſt, & ſtadium pugnæ
præſens vita, ſed futura remunerationis. Hęc pe
regrinatio eſt, illa autem hæreditas ſempiterna.
Ad illam nemo accedet, nullus fęliciter in ea re
gnaturus eſt, illorum (videlicet) qui ſanæ ſunt
mentis, ſi hic non fortiter dimicauerit. Quam-
obrem ab vniuerſis mortalibus, & præcipuè
mente ac corpore verè peregrinantibus, quorũ
intentio ad cœleſtem eſt tendere patriam, & ſu
pernæ Hieruſalem ciues fieri, atque beatorum
angelorum agminibus aggregari ſolerter ani-
maduertendum eſt, vbi ſint, quo pergant, qua-
liter viuant, quibus ſe componant moribus, qua
intentione dirigantur, cũ quibus pugnaturi ſint
hoſtibus, qualibus muniantur armis, quibus ob-
ſtaculis retardari queant, quid habeant quære-
re, quid concupiſcere, quid lucrari: quæ ſit pro-
miſſa corona vincenti, qualis ſit merces in præ-
ſenti, & qualis in futuro. Nil horũ ignorare de-
bet, quiſquis Chriſti militiæ aſcribi deſiderat, &
ad ſacros Verbi aſpirat amplexus. Legitimi amo
ris hęc eſt lex, huiuſmodi exercitatio & excelſa
perfectio. Torpentibus quidem negatur ſponſi
connubium & contubernium ſapientiæ: magna
nimis autem promittitur & donatur. Proinde
pugnandum eſt ſtrenuè, prudenter conſideran
dum, diuque perſeuerandum. Sicut non deeſt,
qui impugnet, ita deficere non debet, qui repu
gnet. Aſcenſus difficilis, acerrimus hoſtis, & vi-
ctoria multiplex eſt. Glorioſiſſimus in hoc con-
greſſu efficitur victor: victus verò peccati ſeruus
confuſionis mancipium, electorum eruditio, hu
militatis magiſterium, & æternæ mortis filius.
Neceſſitatis indicta lex legitimum exhibet bel-
latorem. Non enim longè ſunt, qui certamina
moueant. Apud quemque, & in vnoquoq; plu-
ra, & varia ſunt inimicorum genera eo ad vin-
cendum difficiliora, quò in vna malignitatis ca
thena confęderatiora noſcuntur. Non eſt Sata-
nas contra Satanam diuiſus, ſed caro aduerſus
ſpiritum mirabiliter. Nam carnis natura pecca-
ti colluuione fœdata & in priorum parentũ cõ-
cepta delicto, rationali ſpiritui aduerſari nõ de-
ſinit. Calamitatibus quippe prægrauata, attrita
miſerijs, necnon innumeris fatigata doloribus,
crudeliſſimum animæ excitat bellum, ita vt ne-
que ad momentum quieſcere illam patiatur.
De hoc quidem certamine per Paulum dicitur.
Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus
aduerſus carnem. Hæc etenim lucta miro æqui- Galat. 5.
tatis iudicio vigere permittitur. Debuit nanque
homo ſibi ipſi moleſtus fieri, qui bene conditus
diuinæ legi noluit eſſe ſubiectus. Nam in conſti
tutione humanæ naturæ, hanc Dei ſapientia in-
dixit legem, pactumq́; firmauit, vt caro ſpiritui,
& ſpiritus famularetur Deo, quamuis propter
inobedientiæ delictum, contrarium videatur.
Non vt dominaretur, ſed vt obtemperaret, caro
ex terræ limo plaſmata eſt. Huiuſmodi verò do
minatus, quem aſpicimus quotidie ſibi vendica
re, aculeique eius, quos aduerſus ſpiritum inde-
ſinenter profert, non ex naturali prima condi-
tione, ſed ex fomitis peccati rediuiua pullu-
latione, ex diuinæ permiſsione iuſtitiæ, at-
que ex inolita corruptione proueniunt.

Propterea neceſſe eſt, vt quicunque ingenitam dignitatem & naturalem rationalis ſpiritus dominandi principatum reformare peroptat, contra carnem pugnam minimè vereatur aſſumere. Neque enim de triumpho deſperet, quoniam quod naturaliter inſitum eſt, quamuis incautè amiſſum, ex diuina opitulatione & vigilanti ſtudio, atque perſeueranti certamine redimitur, & obtinetur. Non quidem inermis, & abſque prouida conſideratione in ſpiritualem campum pugnaturus accedat. Dupliciter ſe, qui triumphare deſiderat, muniat, ſpiritualiter (videlicet) & corporaliter. Reſolutionem carnis & qualis inter ſepulcri anguſta eadem caro futura ſit, eſca, ſcilicet, vermium, cadauer fœdiſſimum, viſu horridum, naribusque intolerabile, rationalis ſpiritus ruminare non negligat. Non tantum quid ſit, verumetiam quid futura ſit, diligenter examinet. Tali ſiquidem conſideratione ſui impetum cohibebit amoris, & tanquam grauiſsimo euigilans ſomno ex quadam animi magnanimitate dedignabitur tam vili ſubeſſe mancipio, vnde ſuæ ponet modum voluntati, ſuæque voluptati temperantię habenis fortiter reluctabitur. Nam huic ſpirituali colluctationi vt de carnis putredine reportet victoriam, adiiciat diſciplinæ vigorem, atque corporalis regulā abſtinentiæ, quatenùs caro attrita verberibus, laboribus flagellata, necnon ſobrietatis exarata vomere, concupiſcentiarum ſpinas & tentationum aculeos, germinare deſueſcat. Sic nempe prudenter edomita, paulatimque in melius proficiens, & ardorem temperabit ſuum, & ad miniſteriū ſpiritus ſe facillimè accōmodabit. Non tamen hoc repentè fiet: non ex humana virtute ſolum, aut ex induſtria propria, ſed etiam cœleſti Dei ſuffragio. Deus quippe ipſe eſt, qui carnis naturam immutat, eiusque mortificat voluptates. Ipſe nanque per Prophetam ait ſic. Videte, quòd
Pſal. 45. ego ſim ſolus & non ſit alius præter me. Ego occidam & viuere faciam: percutiam, & ego ſanabo: & non eſt qui de manu mea poſſit eruere. His teſtimonijs victoriæ compotes eruditi, non ſibiipſis, ſed Deo palmam ſui aſcribentes certaminis, cum Propheta cantabunt. Non nobis do
Pſal. 113. mine non nobis, ſed nomini tuo da gloriā. Non tamen ſecuri efficiantur huiuſmodi, quaſi inuictiſſimi: propè enim ſe inſidiantem attendant aduerſarium ſuperandum. Hic nanque cum carne inijt fœdus ad ſubuerſionem ſpiritus. Inimicus iſte blandus quidem in facie, ſed in effectu pernicioſus & dirus eſt præſentis vitæ dulcis illecebra, quam naturaliter in carne viuens appetit omnis homo, eo ardentius, quo minus futuræ vitæ deguſtat gloriā. Hæc ſanctis & ſpiritualibus viris inimicatur, hæc peregrinanti in corpore inſidiatur animæ, & delectationum reticulo ipſam ſibi fraudulenter captiuare molitur, vnde contra illam conſpirare non ceſſat. Hinc eſt, quòd tam crebræ in interiori domo coniurationes fiunt, ſimulata conſilia, ſeductoriæ allocutiones, innumeræque ſuggeſtiones. O quàm ſæpè malum ab ipſa ſub tegumento palliatur boni, & quod culpæ eſt, aſcribitur naturæ? Difficillimè & vix poſt lapſum huiuſmodi machinamenta noſcūtur, & rarus inuenitur, qui euadat illæſus. Tam verſuta, tamq; naturæ cohærent oblectamenta hæc, vt ab exercitatis mente laborioſe penè fugiantur. Omni ſiquidem laude cēſendus eſt dignus, qui ita gratia ſuffultus eſt, ita pollet prudētia, vt quod ſatis eſt, naturæ tribuat & quod ſuperfluum, deneget voluptati. Talia intus in animo geruntur: foris verò quot perſtrepent aduerſitates, quanta immittantur tentationum iacula, quàm ſæpè pulſent, irruantq; oblectamenta peccati, quis intelligit? quis enarrare ſufficit? Patet quippe ſemper acceſſus ad animam per ſenſus carnis: qui ſi non diligenter diuini timoris obſtruantur ſeris, rationalē ſupplantant ſpiritū, & interioris hominis ſibi vendicant principatum. Verùm quàm indecorum ſit, quàque deteſtabile, vt animo ſpreto incommutabili bono, atque deſerto veritatis & æquitatis iudicio, ſe totus præceps effundat per ſenſus, curioſitati vacet, carni laxet habenas, & ſolum quę carnis ſunt, ſapere ſtudeat: illi veraciter norunt, qui cœleſtis vitæ gaudia contemplari merentur. Nam ſicut caro viſibilibus, ita inuiſibilibus enutritur animus. Quamobrem valde ab ingenita degenerat dignitate, quum aliunde quàm in Deo, vel de Deo, aut propter Deum delectationes inquirit. Rationalis etenim quum ſit, inhærendo terrenis, ſitiendoque voluptates, ſimilis efficitur iumentorum: ideo voce Prophetica de ipſo perhibetur, vbi dicitur. Homo quum in ho- Pſal. 48.
nore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumētis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Debet itaq; homo, qui Dei imagine inſignitus eſt, ſuæ conformari imagini, debet ſe erigere ſupra ſe, & à viſibilib. trāſcēdere ad inuiſibilia. Dedignetur igitur delectari in imis, qui vt ſumma poſſideat, procreatus eſt. Validiſſimum ergo contra præſentis vitæ illecebras medicamentum, eſt futuræ vitæ habere notitiam. Abſque æternæ vitæ ſcientia & guſtu, iſtius non habemus conteptū. Nā futura gaudia præſentis vitæ ærumnas prodūt, & tāto minus in peregrinatione tēporalia diligimus, quanto ardentius ad cęleſtem patriā ſuſpiramus. Aeternorum. n. memoria, præſentiū ærumnas gemere cogit. Hoc Propheta ſanctus ſentiebat, quum diceret. Super flumina Baby- Pſal. 136.
lonis, illic ſedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. Quamobrem iugiter meditemur, quæ nobis in cœlis repromiſſa ſunt, ne earum ſeducamur blanditiis, quæ ad vſum nobis conceduntur in terris. Vile exiſtimemus omne,

quod

quod auditum mulcet, ſapit palato, aut pulcreſcit viſu compatatione æternorum. Vocem ſumamus pariter & affectum Pſalmiſtæ dicentis. (Pſal. 3.) Renuit cõſolari anima mea, memor fui Dei, delectatus ſum, & exercitatus, & defecit ſpiritus meus. Fugiamus etenim, cœleſtia meditando, præſentis vitæ illecebras, fugiamus humanos fauores & adulantium linguas. Plurimum quippe obſunt peregrinantibus, & ad æternam patriam tendentibus. Infirmis nanque mentibus multum nocent detrahentium labia, proficientibus autem & ſpiritualiter viuentibus, ſi incauti fuerint, non minus plaudentium verba. Hic nanque contagioſus languor hebetat animum, & ab interioris eneruat propoſito rectitudinis, Dei ſuadet deprædari gloriam, & priuatam captare facit, atque ſuorum denudat animam multitudine meritorum, excæcat quidem mentis oculos fumo extollentiæ, & propriæ infirmitatis lumen aufert, dum magis adulantis linguæ quàm cõſcientiæ approbat teſtimoniũ. Reprimendus nempe eſt hic callidus inſidiator humilitatis, virtute, necnon ſcripturarum autoritatibus conuincentibus. Intorqueatur in illũ Propheticum illud memorabile. Populus meus, (Eſai 3.) qui beatum te dicunt, in errorem te mittunt. Et illud Dauidicum. (Pſal. 140.) Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me, oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. (Pſal. 13.) Et iterum. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, (1 Cor. 4.) non eſt qui faciat bonum, non eſt vſq; ad vnũ. Pauli quoque Apoſt. flagelletur ſententia, qua ait. Quid enim habes, quod non accepiſti? ſi aũt (2 Cor. 3.) (Eſa. 64.) recepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Deprædator etenim diuinæ eſt gloriæ, quicunque ſibi quippiam arrogat boni, quum conſtet, quia nõ poſſumus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed omnis noſtra ſufficientia à Deo ſit. Quid nanque ſunt noſtræ iuſtitiæ, niſi pãnus menſtruatæ? Proinde ſi veram appetimus gloriam, ſi dignitatum ambimus altitudinem, illam non in præſenti ſed in futuro, non in peregrinatione ſed in patria, non elatione ſed humilitate quæramus. Meminerimus Dei ſapientiam dixiſſe. Qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humi- (Luca 14.) liat, exaltabitur. Perneceſſaria quippe eſt humilitatis virtus peregrinantibus, & in hoc ſeculi ſtadio pugnaturis. Hanc enim malignorum ſpirituum innumerabilis exercitus tanquam flagellum perhorreſcit, & fugit. Hi nanque ſpiritus aerei acriter nos laceſſunt, & omni, qua valent, virtute iter noſtrum impedire contendunt eo vehementius, quo ardentius viderint nos ad perfectionis culmen volare. Sed re vera aſperrime torquentur, quum profectus aſpiciunt noſtros, quum augentur merita, quum incaleſcit ſpiritus, quum quotidie ſuccreſcit in cordibus noſtris amor æternorum. Inuidentię nẽpe vtuntur face agnoſcẽtes ad cœlorũ nos alta poſſe cõſcendere, vnde ipſi irremeabiliter corruerunt. Ex hoc quidẽ diſcordiæ ſeminarium ortum eſt, ex hoc bellorũ exiſtit cauſa ſingularis. Tanto etenim contra nos odij liuore tabeſcunt, vt nulla valeant arte mulceri. Implacabilis ſanè illorum eſt venenata nequitia. Hæc eorum eſt omnis intentio, vt ſuæ nos miſerabili captiuent tyrannidi, ſuæque damnationis faciant eſſe conſortes. Quamobrem iuxta Petri ſententiam, ſobrie vigilemus, & in fide mediatoris illis viriliter reſiſtamus, (1 Pet. 5.) magnã in domino habeamus fiduciam, quoniam ipſe pro nobis dignatur inire certamen, non tamen ſine nobis. Præbet nanque nobis virtutem reluctandi, tribuitque liberaliter ſpem vincendi, dummodo non a nobis, ſed ab ipſo teneamus fiduciam triumphandi. Zelus itaque Dei nos comedat, (Ioan. 2.) & diuini nominis reuerentia aduerſus nequam ſpiritus penetralia cordis exurat. In conflictu hoc honor Dei agitur, imago ipſius requiritur, & vt illius templum polluatur; auſu temerario attentare præſumitur. Nefas igitur eſt dormitare, atque à repugnãdi virtute langueſcere, quoniam nemo niſi conſummata victoria pertinget ad coronam. Veruntamen quiſquis trophæum certaminis de malignis dæmonibus reportare concupiſcit, neceſſe eſt, vt duplici armorum genere munitus ſit. A ſiniſtris quidem humilitate, à dextris verò oratione ſe protegat. Humilitas nanque omnem animi tumorem, cunctamque ſuimet fiduciam de cordis repellit habitaculo. Proinde miles omnis Chriſti ſibi diſſueſcat credere, propriumque iudicium dubie tenens, iudicio ſe totaliter committat alieno, non autem cuique ſe ſubdat, ſed illi tantum, cui conſulendi diuinitus conceſſum eſt donum. Talis verò eſſe debet, qui alteri conſilium tribuet, vt ſeipſum formam aliis præbeat ad exemplum bonorum operum in doctrina, in integritate, in grauitate, vt ſit ſermo eius ſalubris atque irreprehenſibilis, conſilium vtile, vita honeſta, & ſententia decora. Nam qui ſibiipſi conſulere ignorat, quomodo alteri vtilis erit? Quis enim prudentem eum cauſæ alienæ iudicabit, quem inutilem cernit vitæ ſuæ? Quis autem in cęno fontem requiret? Quis de turbida aqua potum petet? Itaque vbi intemperantia, vbi dominandi libido, vbi morum inordinatio, vbi confuſio vitiorum, quis ſibi inde aliquid ſalubre hauriendum, exiſtimabit. Nam qui ſibi nequam eſt, cui bonus erit. Supra nos itaque eſſe debet, cuius nos conſilio committere debemus. An verò idoneum putabimus vacare nobis, qui non vacat ſibi cuius animum voluptas occupat, libido deuincit, cupiditas perturbat, deuaſtat ira, & negligentiæ torpor hebetat? Impudica quidem vita famam commaculat, & vitiorum deformitas conſulentis autorita

tem

Digitized by Google

tem intermittit. Aduertimus igitur, quod in acquirendo conſilij dono plurimum adiuuet vitæ probitas, virtutum prærogatiua, beneuolentiæ vſus, & ſapientiæ gratia. Fraterno denique vallatus conſilio, & humilitatis clypeo à ſiniſtris munitus, quicunq; immundorum ſpirituũ inſultus patitur, ſi victoriæ compos & peregrinationis huius laborioſum iter intrepide peragrare deſiderat, orationis iacula indeſinenter in dextera tenere non negligat. In nullo ſiquidem armorum genere ſic conteritur inimicorum rabies, in nullo ſpirituali ſtudio ſic ipſorum deteguntur inſidiæ, quemadmodum in orationis exercitio. Tot namque repercutiuntur & vulnerantur ſpiritualium ictibus ſagittarum, quot orationis affectibus diuinum contra illos imploratur auxilium. Hæc nempe ſunt arma, quibus Chriſti milites veſtiuntur, hæc ſunt ſalutis argumenta, quæ ſancti patres & Chriſtianæ militiæ munitiſsimi duces, in ſpirituali certamine frequentare conſueuere. Hoc Moſes, Dauid, Helias, Heliſæus, Daniel, cæterique Prophetæ, & amici Dei fideles egerunt, vt certiſsimum eſt. Ipſe quoque vniuerſorum dominus & ſaluator noſter his vſus eſt armis. Paſsionis nanque ſuæ tempore noluit niſi præmiſſa oratione ſubire certamen. Non autem pro debilitate animi, nō pro infirmitate propria, non pro ſuccumbendi formidine, ſed pro noſtra prorſus eruditione ipſum oraſſe certiſsimum eſt. Exemplum enim ſaluberrimum poſteris fidelibus ſuis dereliquit, quatenus quoties impugnantur ſpiritu, flagellantur in carne, perſecutiones patiuntur ab inuidis, & diuerſimode tribulationum grauantur preſſuris, orationis arma diſcant arripere. In arduis, in dubiis, in laborioſis, in aduerſis, in proſperiſque nunquam oratio prætermittenda eſt. Ipſa peregrinationis noſtræ indiuidua ſit comes. Si accubare, ſi ambulare, ſi operari, ſiquid aliud agere diſponimus, ſemper præmittatur oratio, & vbique præſtò ſit. Reprimit nanque hoſtium audaciam, noſtræ peregrinationis fatigationem temperat, animi virtutem roborat, & intelligentiæ oculum ſapientiæ luce perfundit.

De eccellentia ſpiritualis lucis, & qualiter ad ipſius perueniatur notitiam.
Cap. II.

INter cætera, quæ omnipotens Deus ad ſui gloriam creare dignatus eſt, elucet pleniſſime in hominis natura ipſius emanatio bonitatis. Sic nanque hominem condidit, vt factorem ſuum agnoſceret, agnoſcendo diligeret, diligendo quandoque frueretur, & inde beatus eſſet. Quoniam verò diuinum contempſit ſeruare imperium, à Dei ſui facie longe proiectus, in huius plorationis exilium relegatus eſt, videt quanta patiatur mala, & quàm multa amiſerit bona, ipſa miſeriarum vorago & flagellorum interminata perpeſsio, eidem clariſsimum tribuunt magiſterium. Nullo, vt de hoc inſtruatur, indiget doctore. Redeat quidem ad ſe, & & abſque erroris vmbraculo intueatur ſe & facile intelliget, qualis ſit. Adeo quippe ipſius putruerunt cicatrices, tantaque in illo exuberat ſanies delictorum, vt nulla interioris, exteriorisque hominis pars à corruptione ſit libera, vnde propheticũ illud veriſsime ĩ eo cōpletũ eſt. Oē caput languidũ, & oē cor mœrens, à plāta Eſaia 1. pedis vſque ad verticem capitis non eſt in eo ſanitas, vulnus, & liuor, & plaga tumens non eſt circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. Nā amiſſo ęternę bonitatis ſuauiſsimo fonte, ignorantiæ, dubietatis, & fatigationis pęna mulctatus eſt propter quod vt cæcus cadere, vt dubius errare, vt ſeruus laborare compellitur. Hæc ſine vlla patitur ceſſatione, nec ab his, quantacunque polleat ſcientia, decoretur moribus, humana fulciatur potentia, ſe valet redimere, quin potius tanquam à duriſsimis exactoribus Pharaonis, in temporaliũ curis & afflictionibus ſeculi quaſi in luto & lateribus cogitur deſudare. Prefigurauit nanque in Aegypto Hebræorum corporalis captiuitas ſpiritualem noſtram, in qua ſub peccato venundati ſumus, liberatioque ipſorum imaginem noſtræ prætulit libertatis. Omnia quidem illi populo rudi, carnali, & electo contingebant in figura, quæ in nobis ſpiritualiter completa ſunt. Præmonſtrauit etenim tunc Dei ſapientia futura, & in oculis populi illius eximia ſuæ virtutis opera patefecit, tam vt excitaret præſentes, quàm vt erudiret futuros. Ex comparatione quippe ipſorum noſtra tempora declarantur, illis corporalia, nobis ſpiritualia, illis temporalia, nobis æterna ſunt præſtita. Per Moſen illis, nobis in filio deus Hebr. 1. locutus eſt, illis terrena poſſeſsio & reprobarum confinia gentium, nobis verò cœleſtis hæreditas, & immundorum ſpirituum ſedes deuenere in præmium. Vniuerſa hæc mira conditoris diſpenſatione geſta ſunt, quatenus diſcat Chriſtianus populus ſe Deo ſubdere, præcepta ſeruare agnoſcere dona, venerari iudicia potiora intelligere, ſemper gratias agere, & diuinæ charitatis inceſſanter vices repēdere. Graue equidem ſuper ſe æquitatis iudicium tolerabit, ſi hæc rememorare neglexerit. Quamobrē in ſuæ mentis altitudinem conſcendāt, qui de tenebris vitiorum, & de ſeculi opaca voragine in admirabile lumen diuinæ cognitionis vocati ſunt, & quanta ſecum miſeratione actum ſit, recogitare non deſinant. Ipſi nanque genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus 1. Pet. 2. acquiſitionis vocari & eſſe meruerunt. Nam olim captiui, nunc liberi, olim longè, nunc propè, olim inutiles ſerui, nunc filij cariſsimi ſunt,

ſi ca-

ſi tamen in ea, in qua vocati ſunt, perſeuerauerint gratia, alioquin melius eſſet illis iuſtitiæ viam non agnoſcere, quàm poſt agnitionem 2.Pet.2. retrorſum conuerti, ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato. Non igitur inſoleſcant, non ſecuritate torpeant, non huius peregrinationis itineri hæreant, quia liberi, quia amici, quia facti ſunt filij. Donec peregrinātur à domino, quandiu hac corporis mole grauantur, nauigant in incerto. Nam ſtare poſſunt & cadere, proficere & deficere. Itaque non præſumant de eo, quod habent, ſed potius adipiſci ſtudeant, quod necdum habent. Verus quippe amor gradu vno contentus non eſt, ad altiora ſemper nititur, & ad perfectiora indeſinenter concupiſcit attingere. Quas habet, non magnipendit virtutes proficiendi accenſus deſiderio. Hinc eſt, Phil.3. quod Apoſtolus ſyncero charitatis flagrās amore aiebat. Non quod iam acceperim, aut perfectus ſim, ſequor autem, ſi quo modo comprehēdam, in quo comprehenſus ſum à Chriſto Ieſu. Fratres ego non arbitror me comprehendiſſe. Vnum autem, quæ quidē retrò ſunt obliuiſcens, ad anteriora extendens me, proſequor ad ipſum deſtinatum brauium ſupernæ vocationis Chriſti Ieſu. Quicunque igitur perfecti ſumus, hoc ſentiamus. Ex ſeipſo beatus Apoſtolus omnes inſtruit, vt volentes ad virtutum faſtigia cōſcendere, ſemper ſtudeant perfectiora rimari. Semper enim quod eſſe debent, & cupiunt, ardenter mente conſpiciant, ne ex eo, quod ſe eſſe agnoſcunt, inaniter intumeſcant. Nullus quidē tam ſanctus, tam humilis, tam patiens reperitur, qui non longe valeat in bonitate eſſe præſtantior. Si autem palmes in vite manens, & fructū afferens magis magiſque purgandus eſt, vt vberiores afferat fructus, quanto qui incultus eſt ſollicitius excolendus eſt. Si nauis in portu ſita gubernatore indiget, non indigebit, quę in medijs adhuc agitatur fluctibus. Si demum perfecti viri ne deficiant, vel vt amplius proficiant, diuino Pſal.93. egent præſidio & gratiæ opitulatione, putabimus minus perfectos non egere? Singuli nanque cum Propheta dicere poſſunt. Niſi quia Pſal.87. dominus adiuuit me, paulominus habitaſſet in inferno anima mea. Quamobrem ſit hæc vox peregrinantium vna, & aſſidua omnium. Deus in adiutorium meum intende, domine ad adiuuandum me feſtina. Vbi enim ignorantia eſt, ibi ſapientiæ, quæ deus eſt, implorandū eſt adiutorium. Vbi error eſt & dubietas, ibi præceptoris ac præceſſoris adiutorium verbi flagitandum eſt. Vbi quoque labor & fatigatio, ibi remunerationis & mercedis æternæ, quæ deus eſt, petendum eſt adiutorium. Hæc nanque vita ignorantię, erroris, & laboris anxietate referta eſt. Proinde qui in illa peregrinantur, vt ad veram perueniant Hieruſalem, quæ eſt in cœlis mater vtique electorum omnium, adiutorio indigent lucis, ducis, & mercedis. Lucis, ne per ignorantiam cadant. Ducis, ne per vitiorum deuia errent. Mercedis, ne laboribus laſſati deficiant. Abſque his nempe opus neque inchoatur, neque perficitur laudabiliter. Vniuerſi huiuſmodi egent adiutorio. Quis autem temerario auſu aſſeuerare præſumat ſe ignorantiæ carere caligine, quū Pſal.17. Propheta ſanctus hoc affirmare nō audeat. Ait Pſal.12. Pſal.42. enim. Deus meus illumina tenebras meas. Alibi quoque ſic. Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte. Quo verò lumine ſe illuminari depoſcat, inſinuat dicens. Emitte lucem tuam & veritatem tuam. Lux quippe patris filius Pſal.118. eſt, lux Dei verbū eſt, vnde idem Propheta memoratus. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Hæc nanque lux non corpore, ſed mente percipitur, non carnis oculo patet, ſed iudicio rationis. Sapientia quippe eſt, veritas eſt, verbū eſt, lux ſpiritualis eſt, de qua per Eſai.9. Prophetam dicitur, Gentium populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam. Habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta eſt eis. Ioan.1. De eadem luce Ioannes in Euangelio ait. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem veniētem in hunc mundum. Ipſam quoque veram lucem de ſe teſtimonium perhibentem audia- Ioan.8. mus. Ego ſum lux mundi, qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Nemo quidem habet vitam ſine luce hac, nulluſque recte videt ſine ipſa. Quam verò illuſtrauerit mentem, videre facit laudabiliter, prudenter, diſcrete, & in ipſius lumine æterna intueri. Abſque luce iſta nemo ſapiens; vbi autem iſta, nullus indoctus, impudicus nullus, nemo vitijs deditus eſſe valet. Sobrietatem enim docet, & ſapientiam, & iuſtitiam, & virtutem. Hæc quippe educit, adducit, conducit; educit de vitijs, adducit ad gratiam, conducit in requiē. Vel ſic. Educit de ſeculo ignorantiæ tenebris poſſeſſo, adducit ad gremium vnitatis & oſcula charitatis conducit ad ſplendorem deitatis & gloriam immortalitatis. Porrò hæc diuina lux præfigurata Exod.13. fuit in exitu Iſrael de Aegypto. Præcedebat enim (vt legitur) Dei populum peregrinantem in eremo, & ad repromiſſionis terram pergentem rutilans columna ignis, quæ ex ſuo radiante fulgore depellebat tenebras, inſidias detegebat & intuentium animos in fide roborabat. Quis Ephe.5. ſapiens, & intelliget hæc? Sacramentum hoc magnum eſt. Chriſti dico & Eccleſiæ, verbi & animæ. Nemo illud capit (niſi ſapientia illuſtretur) niſi in lumine verbi. Altitudinem autem verbi quis niſi in ſplendore percipiet ſapientiæ? Tenuiter tamen, quia ex parte cognoſcimus, & ex parte prophetamus. Excellentiam quoque huius almæ lucis quis inueſtigabit? Inacceſſibilis nempe eſt propter ſuam claritatem,

ſuæ

propter ſimplicitatem, propter munditiam. In ſuæ etenim diuinitatis eſſentia tantæ eſt ſublimitatis lux hæc, quod mens de illa cogitans deficit, quum ſit incomprehenſibilis. Senſus eam non capit, quum ſit inuiſibilis, lingua ipſam non explicat, quum ſit ineffabilis, tempus illam non metitur, quum ſit interminabilis, locus eam non capit, quum ſit incircunſcriptibilis, ſcriptura ipſam non declarat, quum ſit inæſtimabilis, virtus illam non attingit, quum ſit inacceſsibilis, deſideria & vota tranſgreditur, quum ſit incomparabilis, veruntamen vt intelligibile fieret verbum vt diuina lux hæc conſpicua efficeretur hominibus humanam aſſumere naturam Dei ſapientia voluit, eàque tanquam nube obumbrari dignata eſt. Nam per humanitatis formam, ad diuinitatis gloriam aſcenſus componitur, ideo Propheta ſanctus ait. Qui ponis nubem aſcenſum

Pſal. 103. tuum. Quiſquis igitur verbi ineffabilem claritatem concupiſcit iuxta humanæ fragilitatis modulum vtcunque conſpicere, non alibi, quàm in aſſumpta humanitate tanquam in ſpeculo illam contempletur. In hoc quidem ſpeculo lux ipſa delectabilis apparet, atque iucunditatem quandam ſpiritualem veluti quoſdam radios ad ſe intuentium oculos affluenter emittit, dummodò nullo mundanæ ſapientiæ humore caligentur. Nam ſicut ægris oculis odioſa lux eſt, ita ſanis delectabilis comprobatur. Mundanda itaque eſt acies cordis, detergendæ ſunt interioris hominis maculę, aſſuefacienda eſt mens contemplationi huius ſancti luminis, ne tanquam inexperta & immunda diuinis reuerberata fulgoribus opprimatur à gloria. Quicunque verò æterni luminis arcana auſu temerario indagare voluerit, cæcitate percuſſus exteriores proijcietur in tenebras. Huiuſmodi autem indignitati, infirmitatique ſumma obuiauit ſapientia. Quemadmodum enim olim Moſes diuina locutione effectus dignus ſibi ſuper faciem velamen impoſuit, quia adhuc carnalis & rudis populi turba Hebræorum, ſplendorem vultus ipſius ſuſtinere non poterat, ita & verbum Dei ad homines veniens maieſtatis ſuæ gloriam humanitatis obtexit velamine, quatenus captabile fieret. Obijciendo nanque humanis aſpectibus formam ſerui, quam induerat, quoſdam per illam ordinauit ſpirituales gradus, quibus rationalis mens proueheretur ad diuinæ notitiam claritatis. Lumen quippe diuinitatis ſuæ nequaquam totum exhibere voluit, ſed paulatim & per incrementa, prout intuentium virtus capere valebat, vnde ſicut ætate proficiebat, ita & ſapientię ope-

Luc. 2. ra & diuinitatis magnalia demonſtrabat. In primordio quidem natiuitatis ſuæ, quum intra anguſta præſepij infantulus decubaret ſuper fœnum,

Ibidem. crepuſculum ſuum ſpirituale lux hæc paſtoribus vigilias noctis cuſtodientibus patefacere voluit, Candore autem huiuſmodi exhilarati, de omnibus, quæ audierant & viderant, Deum laudare cœperunt. Succedente deinde tempore & lucis huius appropinquante die rutilans aurora e- Vbi ſup.

micuit. Nam quum à parentibus puer Ieſus duceretur in templum, repente Simeonis oculi, qui præ nimia ſenectute caligare inchoauerant, hac luce perfuſi fuere. Mox quidem vt infantem vir longæuus & ſanctus ſuſcepit in vlnas, agnouit, adorauit, benedixit, & ait. Nunc Domine di- Luc. 2.

mittis ſeruum tuum in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Iſrael. Eadē quoque hora Anna vidua ſanctiſsima hoc irradiata lumine confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui expectabāt redemptionem Iſrael. Quo facto lux iſta ſuos cōtinuit radios, atque ſub Ibidem.

nubis tegumento ſe occultans vſque ad tempus lucere deſinit. Tranſacta denique puerili ac iuuenili ætate, quum ad viriles deueniſset annos, eſſetque in vertice montis tribus cum diſcipulis ſubito lux ipſa in clarum erupit diem, & Apoſtolorum reuerberans oculos, ſuo nimio ſplendore eoſdem proſtrauit ad terram, & (ſicut ſacratiſsima Euāgelij narrat hiſtoria) reſplenduit facies Matt. 17.

Ieſu tanquam ſol, atque ipſius veſtimenta vt nix alba effecta ſunt. Deinde prædicato Euangelio, patratis miraculis, conſummatóque paſsionis agone quum lux hæc prorſus extincta crederetur magis magiſque rutilare cœpit. Fulgentiſsimum nanque candorem ſuum hæc eadem lux multis aperuit, quum reſurrectionis gloriā, mortiſque triumphum, ac regiam notam fecit poteſtatem. Præcipue tamen quum coram poſitis diſcipulis & ſanctorum turba nō modica, cœlorum alta petere decreuiſset. Dum enim eleuaretur in cœlū, & vnde venerat, regrederetur, ſtuperéntque, qui aſtabant, præ tanti admiratione luminis, illico duo angeli apparuere dicentes. Viri Galilæi, Act. 1.

quid ſtatis aſpicientes in cœlum? hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum. Hi omnes verum lumen viderunt, & illi adhærētes tanquam radiantes ſtellæ in eccleſię ſunt poſiti firmamento, perhibéntque lumini teſtimoniū, à quo lucem acceperunt, vnde per Prophetam Bar. 3.

dicitur. Stellę dederunt lumen in cuſtodijs ſuis, & lętatę ſunt, vocatę ſunt, & dixerunt, adſumus, & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas. Luxerunt vtique ei, qui fecit illas non ſibi. Nam ſi ſibi, & nō conditori luminis obſequium præbuiſſent, repente amiſſo ſplendore ad tenebras corruiſſent. Non ęterno lumini, ſed ſibi lucere voluit ille, qui priuatam gloriam quęrendo, dicere præſumpſit. In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Eſai. 14.

cœli exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti in latere Aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubium, & ſimilis ero altiſsimo. Propte-

perpetuò à cœlorum ſublimi ſede & ab arce ingenitæ dignitatis præcipitatus, in tenebroſum tartarum intruſus eſt cruciandus, & quia in veritate non ſtetit, veritas in illo non eſt. Non autem ſic amicus ſponſi, vox verbi, præco iudicis, Ioan. 5. præcurſor veritatis. Lucerna quippe erat ardens & lucens, fulgens ſtella, & accenſa lampas, & tamen nihil proprium ſibi arrogare præſumpſit. Ioan. 3. Nam verbo incarnato teſtimonium perhibuit dicens, Qui habet ſponſam, ſponſus eſt, amicus autem ſponſi, gaudio gaudet propter vocem ſponſi, & de plenitudine eius nos omnes accepimus. Ioan. 1. Diſcipulus quoque, quem diligebat Ieſus, ipſi Ioan. 1. clariſsimum perhibuit teſtimonium dicens. Iuidem In principio erat verbum, & verbũ erat apud Deũ, & Deus erat verbum. Et infrà. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quotquot autem ſancti, tam veteris, quàm Noui Teſtamenti veritatis lumine & ſapientiæ ſplendore fulſerunt, in ipſius lumine verbi lumen videre meruerunt. Communicat enim abſq; ſui diminutione lumen ſuum, cõmunicat & dona. Nemo vitiorum tenebras, pericula peregrinationis huius, & inimicorum inſidias valet euadere ſine hac præeunte luce. Hæc quidem lucet in corde, ſentitur in corde, & cordis nobilitat habitaculum. Mundet igitur cor, quiſquis almæ lucis huius particeps fieri concupiſcit. Non qui fulgent in ſeculo, non qui diuitijs abundant, non qui extolluntur honoribus, ſed qui pauperes ſunt ſpiritu, & qui mundum habent cor, beati prædicantur. Hi lumen hoc admittentes, in ſe Deum videre merentur, iuxta Sal-Matth. 5. uatoris ſententiam dicentis. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Ipſa verò ſpirituali luce quicunque priuati ſunt, humano indigẽt ducatu, ne in huius vitæ pereãt naufragio.

De triplici peregrinantium ſtatu, necnon de cuiuſque proprio ſpirituali duce. Cap. III.

Qvemadmodum diuina narrat hiſtoria quum diuina miſeratio ſuum de Aegyptiorum ſeruitute populum liberare decreuiſſet, ducem illis & præceptorem dare dignata eſt, qui ſui vicem in populo gereret, cui etiam turba vniuerſa tanquam Deo obtemperaret, fieretque mediator Dei ad plebẽ & plebis ad Deum. Per hunc quippe ad populum præcepta legis, mandata vitæ, ritus ſacrificiorum, cæremoniarum inſtituta, & iudiciorum decreta dabantur. Per eundem quoque populi vota, alimentorum inopiæ, atque mentium ſecreta offerebantur altiſsimo. Hic iram Dei mitigabat, occulta pandebat myſteria, hoſtium ſuperabat audaciam, inimicorum orando debellabat ſæuitiam, hortabatur plebem, reſiſtentium ſibi reprimebat increpando duritiam, atque ſeditioſorum Dathan & Abiron prædixit ſententiam. Iſtius ducis miniſterio, horrenda portenta & diuina miracula fuere celebrata. Induxit quidem in Aegypti regionem palpabiles tenebras, aquas conuertit in ſanguinem, ranas produxit & cyniphes vineas extinxit & ficulneas, atque omnium primogenita Aegyptiorum diuina vltione percuſſit. Inſuper ipſius virga aperitur mare, exiccantur profunda æquoris, ſubmergitur Pharao, liberantur Hebræi, & ab eiſdem laus diuina depromitur. Quid multa? Petra percutitur, de ea aquarum fluenta ebulliunt, ſatiatur populus, necnon & ſingulis repromiſsionis terra diuiditur. Vnde tanta ducis huius autoritas? cur tanta vni homini virtus collata, cur hæc geſta, cur literis ſunt memoriæ commendata? Certè figuræ erãt, monita erant, myſteria erant, & futurorum exẽpla. Inſtruebat nanque tunc ſpiritus ſapientiæ fideles ſuos, ſeruos ſuos, & per charitatis donum ad ſe vocandos, vt nemo pœnitentiæ deſerti in via penetrare, & cum malignis ſpiritibus inire certamen auderet, atque promiſſam ſanctis patribus cœleſtem hæreditatem poſſidere ſperaret ſi non ſub duce ſibi ab ipſo præſtito ſtrenue militaret. Quis etenim in hac præſentis vitæ poſitus peregrinatione, & in huius ſpiritualis eremi conſtitutus vaſtitate, vbi errores innumeri, inimicorum ſæua genera, & prædonum diſcurrens inſidiatur exercitus, incedere ſecurus abſque directore audeat, quũ vix euadere valeat, qui præceptorẽ habet, & qui ſpiritualis, expertique ducis munitur prudentia? Nemo quippe indoctus conuincere per ſeipſum credat errores, nullus inermis ad pugnam pergere, nec quiſquam ſo-Eccle. 4. lus præſumat belli obtinere victoriam. Væ ſoli (ait ſermo diuinus) quoniam ſi ceciderit, non habet ſubleuantem. Quamobrem ſpiritualem habeat præceptorem, duciſq; vnius mandata cuſtodiat, quicunque virtutum cultuem, ſpiritualiſque pugnæ habere triumphum, atque ad dulciſſimum verbi cupit peruenire connubium. Non autem ad hoc elatus mente, non ſcientiæ inflatus ſpiritu, non animo remiſſus & tepidus, non temporalium admittitur curis implicitus, ſed humilis, ſed manſuetus, ſed ſolicitus, ſed interiori exercitationi prudenter intentus, ſed cœleſtium ſecretorum amator ignitus. Huiuſmodi quippe donum non ex arbitrio pendet volentium aut currentium, ſed ex libera largitate miſerentis & inclinantis ſe verbi, non pro tempore conceditur, ſed pro meritis, non ætas, non ſexus, non cõditio diſcernitur, ſed gratia. Omnes nanque in Domino vnum ſunt. Nam ſeruus in Domino liber eſt. Pauper & facultate nudatus, in Chriſto diues efficitur, ignobilis proſapia, diuina generatione ſublimatur, quatenus non ſe extollat caro, nec quiſquam donis naturalibus glorietur. Vera quidem ingenuitas & gratiſsima Deo progenies ex ſpiritus nobilitate & virtutum perfe-

ctione agnoſcitur, vt ille ſublimior, qui humilior; ille fortior, qui infirmior; ille ſapientior, qui mente purior; ille ſuperior, qui inferior; ille Domino Ieſu iudicetur acceptior, qui in oculis proprijs ex infuſo lumine ſe omnium abiectiorem eſſe aſpiciet. Non enim ſicut videt homo, ita Deus. Nam quod altum eſt in oculis hominum, diuinis fœtet aſpectibus. De lumine ſapientiæ vniuſcuiuſque prodeat iudicium, vt videat æquitatem, ducem quiſque habere ſtudeat proprium, ne in huius peregrinationis inuio errare contingat. Vniuerſis obedientiæ regula indicta eſt; cuncti indigent præceptore, quamuis non æquali. Quemadmodum verò alia ſunt infantium ioca, alia iuuenum exercitia, alia ſenum inſtituta, ita etiam ſpiritualiter. Non enim incipientium, proficientium, & perfectorum ſimilia ſunt, licet finis diſsimilis non ſit. Primi circa exteriora, ſecundi circa interiora, circa diuina tertij exercentur. Primis homo, medijs ratio, vltimis paracletus ducatum præbet. Incipientes namque tanquam nouellæ plantationes ex Aegypti diuulſæ nemore, quoniam proni ſunt redire ad illa, quæ reliquerunt in ſeculo veluti delicati, flebiles, & minus capaces per hominẽ dirigendi ſunt. Inſtruendi quidem ſunt, quàm vile ſit, quod deſeruerunt, quantis præſens vita ſit plena periculis, quàm fugitiua, quã finis eius incertus. Annunciandum quoque illis eſt, quanta ſupplicia reprobis, & à via Dei retrogredientibus parata ſint, ignis (videlicet) inextinguibilis, dentium ſtridor, horridus dæmonũ aſpectus, palpabiles tenebræ, lachrymarum imbres, fœtor ſulphuris, conſcientiæ vermis, diuinæ viſionis carentia, & omnis ſalutis certa deſperatio. Ne autem nimio abſorbeantur timore proponatur interdum illis, quàm magna electis & in ſancto propoſito perſeuerantibus ſint præmia condonanda, grata ſcilicet & iucunda ſanctorum ſocietas Apoſtolorum, patriarcharum, prophetarũ martyrum, confeſſorum, virginum, beatorumque omnium, angelorum quoque, archangelorum, virtutum, poteſtatum, principatuum, dominationum, thronorum, cherubim, ſeraphimque, aſpectus delectabilis incarnati verbi, & diuinæ viſionis incomprehenſibilis maieſtas. De his meditentur non ſemper neque vniformiter, ſed pro loco & tempore, atque mentium diſpoſitione, quatenus prudenter edocti non frangantur labore, aut inchoatæ pœnitentiæ non fatigentur puſillanimitate. Diſcant itaque corpus valenter macerare ieiunijs, vigilijs atterere, attenuare fatigationibus, voluptatibus priuare lætiferis, & maxime ſenſuum curioſitatem temperantiæ lege atque diſciplinæ cohibere vigore. Erudiendi nõ minus ſunt, vt linguæ moderamina & ori ſuo (iuxta Prophetę vocem) Psal. 38. cuſtodiam imponant, ne forte in verba prorumpant blaſphemiæ, detractionis, diſcordiæ, mendacij, periurij, elationis, impudicitiæ, adulationis, iactantiæ, ſcurrilitatis, & vaniloquii, meminerintque notabile illud propheticum. Psal. 33. Quis eſt homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos. Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Propterea ne in talibus idem Propheta caderet, de ſe aiebat. Psal. 38. Dixi cuſtodiam vias meas, vt non delinquã in lingua mea. Doceantur inſuper incipientes, quàm irrefragabiliter debeant obedientiæ diſciplinam cuſtodire, ſubeſſe omnibus, ſenioribus obtemperare, nulli in bono reſiſtere, nemini in malo acquieſcere, ſibi ipſis non credere, ducis ſui ac præceptoris nequaquam monita præterire, illi quemodo adhærere ipſos oporteat, conſilia non negligere, & in cunctis tanquam Chriſto eidem famulari. De ipſo ſentiant magna, iſ dicent recta, ſanctàque cogitent, ne callida diaboli ſuggeſtione opinione deuotionis & fides conceptæ dilectionis ad patrem, intereant. Nam decipitur facillime, atque ſpirituali ruinæ efficitur proximus, quiſquis ducis ſui laudabili æſtimatione priuatur. Hoc quippe caſus & apoſtataſiæ initium eſt. Quamobrem ſpiritualis dux & animarum rector talis eſſe ſtudeat, vt nulli ſubditorum, nullique ipſum imitari volentium tribuat offendiculum, vel occaſionem delicti. Doceat magis vita quàm verbis, ipſius mores ſubiectorum documenta ſint. Induat viſcera pietatis, nõ ex affectu, ſed ex ratione cauſas iudicet. Præſit ſemper in illo mentis deliberatio, ne paſſione victus in temerarium proruat iudicium. Proximorum in ſe reformet perſonam, motus ſui teneat perfect animi, & in cunctis prodeſſe conetur, ſui ipſius ſolicitus examinator ſit, ne elatione vulneratus damnationis ſententia perimatur, nullius perſonam accipiat, patrem ſe oſtendat non Dominum, & amari potius velit, quàm timeri, non obliuiſcatur, quod homo eſt, & à Deo prapoſitus alijs, vt non ſolum de ſe, ſed & de vniuerſis ſibi commiſsis rationem ſtrictiſsimam redditurus. Pro ſubditis quoque interceſſor ſit, hortetur pigros, corrigat inquietos, elatos premat, foueat ſimplices, mœſtos conſoletur, erudiat inſcios, omneſque pio amplectatur charitatis affectu. Foris ad ſubiectorum profectum iuſtitiæ cenſuram teneat, intus verò humilitatis cuſtodiam non relinquat. In ſermone grauis, rarus ſit, & modeſtus, nilque ex ſuo ore proferat, quod audientes non ædificet. Nam teſtimonium cordis verbũ eſt, & qualis quiſque maneat apud ſe lingua declarat, ideo in verbo & in omni ſuo opere animarum dux prudentia munitus ſit atque ſapientia decoratus. Eſt quippe, qui præeſt, quaſi ſpeculum quoddam, in quo incipientes viuendi formam accipiunt. Igitur irreprehenſibilis eſſe conetur, ne infirmis anteponat infidelitatis materiam. Non ſolum verò ab illicitis, verumetiam

etiam à licitis interdum abſtineat, ſciens vitam ſuam ad ſubiectorum debere militare profectū. Inſtituuntur nanque (diſponente ſempiterno Dei verbo) duces animarum, non vt in clero dominentur, non vt honoribus præferantur, infletúrque poteſtate, ſed vt ordines diſtinguātur, ordinetur vniuerſitas, & charitas demonſtretur. In commiſsis quidem tunc præſidentis fulget Dei amor, quum eoſdem conatur ad perfectionis prouehere faſtigium, & ad ſpiritualis pugnę triumphum. Proinde vt vigilet ſemper, neceſſe eſt, ne quem eorum aberrare contingat. Nam inſidiatur callide proſperis incipientium ſucceſsibus cōmentor malorum diabolus, nunc ſuadendo blande, nunc aſpere comminando, ideo ducatu indigent alieno, ne reſiliant territi, aut cadant ſeducti. Abſque experimento autem quis immūdorū ſpirituum euadet laqueos. Quis verò ſine præceptoris magiſterio valet eſſe expertus? Prima nanque incipientium rudimēta ſub ſpiritualis patris diſciplina ordinā da ſunt vt locato in humili obedientia prius fundamēto ad proficientium, perfectorūque poſsint ſtructuram conſcendere. Incipientes diſponūt ſua ad imperium præſidētis, proficientes autem ad iudicium rationis, ideo ſecum habitare conantur, & interiora ſua diiudicare non ceſſant. Nā in virtutum ſtadio proficientium corona fabricatur. Triplici enim mentis habitu quaſi margaritis tribus proficiens ornatus fit, deſiderio (videlicet) fortitudine, & cognitione. Deſideriū quippe virtutum in acquiſitione virtutis neceſſarium eſt. In omni peragēdo negocio ſiue corporali, ſeu ſpirituali hoc congruit. Quis inuitus ad pugnam pergēs victor exiſtit? Quis (niſi amator ſit ſapientiæ) efficitur ſapiens? Magna victoriæ pars eſt vincendi deſiderium. Facile nāque animus ſui victor efficitur, quum contra ſe pugnare non veretur. Deſiderium quippe vires auget, attollit cor, debilitat aduerſarium, laborem temperat, exhilarat mentem, diſponit ad gratiā, & Deo reddit amabilem. Quis verò proficiendi non ardet deſiderio, quum regem glorię ſui intelligat inſpectorem, adiutorem, iudicem, remuneratoremque? Virtus enim nunquam irremunerata relinquitur. Nemo, niſi virtutis amator, à Deo diligitur, verus autem amor ex virtute cognoſcitur, virtus verò magnanimitate poſsidetur. Vis animi amor eſt, amor autē legitimus fortis ſemper eſt, neſcit cedere, aſpera non veretur, pati non recuſat, aggreditur ardua, aduerſa ſuſtinet, dolorē non ſentit, ſemperque ad altiora conſcendit proficiendi accenſus deſiderio. Si pugna excitetur, ſi ebulliant vitia, ſi totus concitetur mundus, diligens fortiter proſterni non
Cant. 8. valebit. Aquæ multæ (ſicut legitur) non potuerunt extinguere charitatem, quoniam in fortitudine ſapientiæ, & in ſoliditate virtutis fundata eſt. Qui autem non diligit, atque qui pati formidat, virtutis palmam non apprehendet. In arduis virtus locata eſt, violenter pro illa certandum eſt. Eſt nanque incontaminata in ſe amica regis, cœli ſcala, bonorum mater, præuia meritorum, gratiæ auctrix, ſpei nutrimentum, charitatis præco, vitiorum mors, conſcientiæ pax, peregrinationis leuamen, angelorum imitatrix, naturæ habitus, vitæ ratio, morum pietas, cultus deitatis, honor hominis, intellectus decor, & totius ſpeculum ſanctitatis. Ex ipſius cognitione, feruore poſſeſsionis illius accenditur animus, necnon & roboratur ad tolerantiam arduorum, quæ in eius acquiſitione tolerantur. Hic nempe funiculus triplex difficile rumpitur. Eccle. 4.
Iſto quidem vinculo quum proficientis animus ligari cœperit, erigitur fortiter contra ſe, concupiſcentiarum motus, voluptatem affectus, animi fluctuationes, cordis hebetudines, innatas paſsiones, inolitas conſuetudines, & cunctas interioris hominis inordinatas affectiones ſub rationis contendit deprimere imperio. Nunc proſtrata eleuat, nunc elata humiliat, miroque certandi modo huc illuc ſe diuertens omnem animi petulantem familiam ad ſpiritus vnitatem diſciplinæ vigore coercet. O grande ſpectaculum, triumphus glorioſus, mirabile prodigium videre gratiam, oppugnare naturam, & animum inniti aduerſum ſe. Rara virtus hæc, ſpirituale certamen, & merces eximia. Huius quidem venerandi conflictus iudex & inſpector eſt Deus, teſtes angeli theatrum mens, remuneratio virtus, dux ratio. Hæc autem minime per ſe ſufficit. Hæc ex ſola ingenita & naturali probitate non valet inimicorum ſæuitiam, & vitiorum numeroſitatem debellare, niſi verbis ſapiētiæq; illuſtretur ſplēdore, atq; ipſius doceatur eloquio. Eſt enim in ipſa ſapiētia ſpiritus intelligētiæ ſanctus, vnicus, multiplex, ſubtilis, diſertus, immobilis, incoinquinatus, certus, ſuauis, amās bonū, qui nihil vetat benefacere, humanus, benignus, ſtabilis, ſecurus, omnem habens virtutē, omnia proſpiciēs. Nulli quidem dubiū, quin cui illa ſe accōmodauerit, & qui illa dignus fuerit, ſpiritualis pugnæ victor exiſtat, laureatusq; de proficientium ſtatu ad perfectorum aſcribatur numerum. Prudentiā quippe in ſui tenens cordis penetralibus tanquam in ſpirituali libro eruditus ab ipſa intelliget, quid agendum, quidve ſciendum ſit. Scire verò vtile eſt, dummodo ſciatur, quo ſtudio, quo ordine, quo fine ſciri debeat. Quo ſtudio, vt illud ardentius agnoſcatur, per quod vehementius accendatur animus ad amorem, quo ordine, vt illud prius, per quod maturius ad ſalutē, quo fine, vt non propter obliquum. Sunt quidam, qui curioſe ſcire volunt, vt ſciant, quidā vt

inaniter ſciantur, aliqui vt turpis lucri cauſa ſcientiam vendant, nonnulli (& hi rari) vt ex charitate ædificent,& ædificentur. Tales porro incontaminatæ ſunt amatores ſapientiæ. Ipſorum ratio per verbum inſtituta; errores latebraſque vitiorũ detegẽs ſemper ad altiora prouehitur, iaculo autem quodam ſpirituali intimi amoris vulnerata & ſapientiæ lumine perfuſa, perfectorum ſtudia vtcunque deguſtare meretur, non tamen abſque paracleti ducatu auderet vel poſſet. Quanto enim aſcenſus altior, tanto maturius incedendum eſt, quia & ruina miſerabilior, ſi fieri contingat. Ideo diuina cum maxima ſemper ſunt veneratione ſuſcipienda, prudẽter agnoſcenda, nunquam verò curioſe, inaniterq; rimanda. Hoc donum, hanc ſpiritualẽ ſciẽtiam nullus accipere, niſi ex magiſterio Spiritus Sancti, meretur. Nemo paracleti diſciplina dignus efficitur, niſi prius carnem ſpiritui, & animum ſubegerit virtuti. De cætero huiuſmodi licebit contemplari diuina. Quadam etenim bonitatis, ſuauitatiſque aſperſus fragrantia, veluti quadam nebulæ vmbra protectus, admittitur ad ſecretius ſponſi cubiculum, ibique eidem incerta & occulta diuinæ ſapientiæ iudicia & arcana reuelantur tanquam præcipuo amico, non autem repercutitur eius acies, confunditur facies, redarguitur fiducia, deſideriorumque clamor, ſed pro humilitate, pro puritate, pro flagrantiſsima charitate, nunc eleuatur ad ſumma, nunc ad exteriora profunditur, nũquam carens duce, vix autem & ipſe dormitans a cuſtodia ſua. Quum enim attollitur ſupra ſe, aut intelligentiæ oculo Dei ſapientiam omnia diſponentem, aut ipſius beneuolentiam ſingulis ſua liberaliſsime communicantem, ſiue eius excellentiam cuncta tranſcendentem, & delectabilia omnia in ſe continentem, iucundiſsime contemplatur. Interdum verò inſueto amoris igne accenſo non niſi in cœleſtibus affectu commorari permittitur, eo, videlicet, tempore, quo lumine, caloreque intimo repletus, humanos agnoſcitur tranſcendere limites. Si verò ad ima dilabitur, compunctione liqueſcit, os comprimit, & ſiquid illi pro proximi vtilitate iniungitur id pernici motu corporis perficere feſtinat, nunquam inutiliter tempus conſumit, ſed quandoque pro alijs, ſemper pro ſe ſpiritus vigore compellitur, hoc nimirum operante, qui præcordia compleuit, ſpiritu veritatis. De virtute in virtutem, de lumine in lumen, de affectu in affectum ſenſibiliter proficiſcitur tanquam à Domini ſpiritu. Ex his nempe profectibus & verbo fit familiarior & crebrius viſitur ab ipſo, in ipſa tamen viſitatione reciproci amoris piæ charitatis
Pſal. 119. prorumpit in voces, & dicit. Heu mihi quia in-
Cant. 8. colatus meus prolongatus eſt, quando veniã, & apparebo corã te? Quis mihi det te fratrẽ meum ſugentem vbera matris meæ, vt inueniã te foris, & deoſculer, apprehendam te, & ducam in domum matris meæ, & in cubiculũ genitricis meæ. Ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino cõdito, & muſtũ malorum granatorũ meorum. Qui legit, intelligat, quoniã verbum myſticum eſt. Nemo igitur ad huius gradus tertij faſtigiũ attigiſſe cõfidat, niſi primi, ſecundique aſcẽſum fecerit. Poſſunt quippe ex diuina diſpenſatione quædã primitiæ ſecũdi & tertij in primo guſtari gradu, ſed longe inter ſe meritis diſtãt, id quod ex Dei largitate repente ſentitur & tranſit, & id quod ex mentis habitu poſsidetur. Nullus ta-
men quanti apud Deum ſit meriti, diiudi- Eccleſ. 9.
care valet, ſicut nec vtrum odio an amore dignus habeatur. Omnia verò incerta futuro iudicio reſeruãtur, vt cunctum ſui animi tumorem comprimat homo ſub humilitatis cenſura, quæ cæterarum eſt tutiſsima cuſtodia virtutum.

Quòd per peccatum naturalis affectus veri & boni debilitatus ſit, & qualiter reſtauretur, atque de ſpirituali iuſtorum peregrinantium mercede.
Cap. IIII.

DVplicem ineſſe naturaliter homini affectum cuilibet recte ſapiẽti notiſsimum eſt, videlicet, appetitum boni & veri. Hi nanque ab ineunte ætate pariter nutriuntur, pariter creſcunt, eo vehementius, quo altius homo rationis eſt capax. Hoc autem non ſine venerabili bonitatis diſpoſitione conditoris ac miro ipſius ſapientiæ ordine geſtum eſt. Qui enim fecerat hominem propter ſe, iuſtiſsimum fuit, vt taliter conderet, qualiter iuxta naturalem inſtinctum ſi viueret, non alio tenderet aliudque diligeret, quàm id ad quod & propter quod plaſmatus erat. Quod ſi aliter de ipſo homine diſpoſitum fuiſſet, defeciſſet vtique hominis natura. Cuncta quidem ſuo naturali curſu indeſinenter pergunt ad illum, propter quem ordinata ſunt, finem. Finis autem hominis quũ ſit Deus, debet & ipſe, quoniam bene conditus eſt, ſuo naturalem curſum dirigere fini. Totum ergo hominis delictum & omnis illius præuaricatio tanto grauior cenſetur, quanto à ſuo fine longius euagatur. Diuinæ tunc legi derogat, ſuæ bonum naturæ abolet prædeſtinata beatitudine ſe priuat, ipſeque contra ſe acerrimus efficitur impugnator. Hoc quidem ſanctarum teſtimonio ſcripturarũ luculenter probatur. Tradit nanq; diuina hiſtoria, quod quum ex callida ſerpentis perſuaſione parentes primi de ligno vetito comedentes diuini præcepti tranſgreſſores fuiſſent, vterque propter inobedientiam Dei ſententia percuſsi fuere. Mulieri inflicta eſt pariendi pœna, multiplicatio ærumnarum, & ſubiectio ſeruitutis viri. Adæ verò cui gra-

uior

aior inerat culpa, dictum eſt. Maledicta terra in Gen. 3. opere tuo, in laboribus comedes ex ea, ſpinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ, in ſudore vultus tui veſceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua aſſumptus es, quia puluis es, & in puluerē reuerteris. Poſt huius autem promulgationem maledictionis pariter de voluptatis paradiſo à facie Domini eiecti, in hac, in qua nunc peregrinamur, terra exilio damnati ſunt. Hinc naturæ deordinatio, lucta carnis & ſpiritus, creaturarum inobedientia, cœleſtis patriæ amiſsio, veri ignorantia, & boni inſenſibilitas effluxerunt, ſed non præualuit viri iniquitas opus Dei funditus deſtruere. Vulnerauit quidem, non tamen totaliter extinxit naturæ bonum. Nam veri & boni ineſt illi appetitus licet lōge debilior, quàm prius. In hoc quippe maxime propter peccatum læſa eſt hominis natura. Ex appetitu nanque veri ſcientiæ & cognitionis deſiderio fatigamur, ob hoc quoque cogitationes in animo verſamus multiplices, cōſilia adinuenimus, leges ſtatuimus, occulta rimamur, ignota quærimus, & ſecreta etiam Dei myſteria atq; profunda iudicia penetrare cōtendimus. Quoniam verò deſerto verò Deo veri acumen naturale inueſtigandi debilitatum eſt, & pro maiori amiſſum parte, tot opiniones, errores, ſectæ, argumēta, ſophiſmata, ſchiſmata oborta ſunt, quorū mūdus hic plenus eſt. Hinc idolorum cultura, dæmonum veneratio, ariolādi ars, vaticinia falſa, ſuperſtitionum adinuentio emanauere. Ex ignorantia etiam ſummi & veri Dei diuinitatis honor ligno, lapidi, metallo, hominique exhibitus eſt, & commutauerunt ho-
Rom. 1. mines gloriam incorruptibilis Dei in imaginem corruptibilis hominis, volucrum, quadrupedum, & ſerpentium, propter quod tradidit illos Deus in deſideria cordis eorum in ſemetipſis, quia commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & ſeruierunt creaturæ potius, quàm creatori, qui eſt Deus benedictus in ſecula. Veruntamen humano diuina clementia condolens errori, opportuna huic languori adhibuit remedia. Hancque ſtatuit legem, vt quicunque eis vteretur ad bonum, veritatis lumen agnoſceret, qui verò ad malum, ſeu contemptor exiſteret, æternæ damnationis pœna feriretur. Duobus quippe modis hominem Dei ſapientia docuit erigere intellectum ad cognitionem veri, per intelligentiam, videlicet, diuinorum eloquiorum, & per obedientiam fidei. Eſt nanque ſacra pagina ſcalæ, quam in ſomnis vi-
Gen. 28. dit ſanctus Iacob, comparata, cuius ſummitas cœlos tetigiſſe deſcribitur. Per ipſam etenim quaſi per quoſdam gradus prouehitur intellectus ad agnitionem veri & ſummi Dei. Eſt & tanquam menſa multarū dapum numeroſitate referta. Super hāc quot libri, quot ſententiæ, tot ferculorū diuerſitates appoſitæ ſunt. Nemini licet exire ieiuno, cunctis proprius infertur cibus, ſiue indoctus ſiue doctus inuenit quiſq;, quod edat. Conuiuium quippe ſapientiæ eſt cibus grandium & paruulorum lac, vnde & voce ſponſi, verbi ſcilicet inuitantis animam, dicitur, Veni ſoror mea Cant. 5.
ſponſa, miſcui vinum cum aromatibus meis, comedi fauum meū cum lacte meo, comedite amici mei & bibite, & inebriamini chariſsimi. Nullus autem ad hoc pingue verbi conuiuium, niſi credat, accedere præſumat, alioquin velut immundus & ſordidus foras eijcietur. Nemo altus corde, nemo infidelis intrare permittitur. Humilis eſt ianua, humanus eſt ſpiritus ſapientiæ, ideo humilē requirit, cui ſuā aperiat claritatem. Sinite, inquit, paruulos venire ad me. Non nobi- Matt.1
les ſecundum ſeculi & carnis proſapiā, non potētes, vel locupletes temporaliū facultatū, non ſapientes ſecundum elementa huius mundi intuitu ad ſe, ſed pauperes, humiles, ſimpliciterque credentes. Tales porrò docibiles ſunt, neſciunt contradicere, repugnare nolunt, de diuinis non extolluntur muneribus, autoritatibus ſanctorū fideliter acquieſcunt, & tanquam Dei Filij cœleſtibus oraculis diſſentire non audent. Huiuſmodi nanque elegit ſemper Dominus, vt per ipſos ſua oſtenderet magnalia mundo. Quid Abrahā, Iſaac, Iacob, Moſes, Dauid fuere, niſi ouium paſtores? Quid Petrus, Andreas, Iacobus, Ioānes 1. Cor. 1.
extiterunt, nonne piſcatores, & in ſeculo contemptibiles? Stultam fecit Deus mundi ſapientiam, & quouiam in Dei ſapientia non cogno- 1. Cor. 1.
uit mundus per ſapientiam Deum, placuit Deo per ſtultitiam prædicationis & per ſimplicitatē fidei ſaluos facere credentes, vt nonl glorietur omnis caro corā eo, ſed qui gloriatur, in Domino glorietur. Apertū eſt fidei oſtiū ſimplici idio- 1. Cor. 10.
tæ, & ingenioſo patet aditus cognoſcēdæ verita-
tis. Quicūque aliunde quā per oſtiū īgredi præ- Ioan. 10.
ſumet: velut fur & latro dānabitur. Humiliet ſe humanus intellectus, fidei iugo colla ſubſternat cedat diuinæ autoritati, patrū ſentēt ijs nō deroget, & quicquid nō capit rōne, fide teneat. Tūc veritatis radius ſplēdoribus replebit cor, tūc meridiana lux verbi, fugatis tenebris inſolito fulgore clarificabit intellectum, vt quæ prius dubia, fiant certa, & quæ occulta, manifeſta ſint. Tunc in voce exultationis & cōfeſsionis laudes Deo perſoluet, lætusque cantabit. Teſtimonia tua Pſal. 92.
credibilia facta ſunt nimis Domine. Hucuſque de appetitu veri. Ex appetitu verò boni quot labores, quanta ſtudia, quàm multa ſubeant pericula, quis enarrare poteſt? Qui dominandi poteſtatem bonum ſummum eſſe iudicant, bella commouent, neces hominum paruipendunt, pauperum oppreſsionibus non mouentur, vt ſui voti compotes fiant. Ex hoc quoque acceſi quidam deſiderio boni, maria tranſierūt,

fluctibus ſe vndoſis dantes peragrarũt regiones exteras,ignotaſque,perambulauerunt vaſtas ſolitudines,alta montiũ & colliũ excelſa tranſilierunt,nemoroſas valles,ſpeluncas,cauernas terræ luſtrauerunt,vt auri, gemmarumq; venas ac loca perquirerẽt.Hinc etiam venereæ voluptates, inceſtus, ſtupra, adulteria, alieni violatio thori,obſcœnæ contrectationes, & huiuſmodi, quod dicere nefas eſt.Hinc ioca, verba ſcurrilia,theatrici luxus,comeſſationes,ebrietates, læta cõuiuia,varia epularũ fercula,& omne,quod ad explendã ſpectat corporis voluptatem,exortum eſt.Hinc humanæ affectus laudis,crebra vigiliarũ fatigatio,inuidię faces,inimicitiarũ,odiorum, diſſenſionũ ſeminaria, detractionũ venena,adulantium fraudulẽta verba, ficta ſeruitia, ſimulati mores,proſtrationes, ſalutationes, blãditiæ,hypocriſis, ſanctitatis imago, prælationis ambitio, & dominandi amor ſumpſere principiũ.Talia autẽ ſectantes,gehẽnalibus cruciabũtur flammis. Nã incõmutabili & ſummo ſpreto bono cõmutabili & infimo adhęſerunt.Summũ quidẽ bonum nõ corporis ſenſibus capitur, ſpirituale enim eſt & æternũ, intellectu conſpicitur,affectu deguſtatur,fide cõprehenditur, ſpe cõcupiſcitur,charitate tenetur, amoris brachijs amplexatur.Nil temporale,nil falſum,nil ſordidum,immundum, & peccati fece pollutũ reperitur in illo.Omne pulchrum,omne delectabile omne iucundum ipſum eſſe ſcito. Si immẽſitatem illius quæris,intellige illud excelſius cœlo, inferno profundius,lõgius terra, & mari latius. In ſe continet omnia,per ſe regit omnia, viuificat omnia,conſeruat omnia. Sine labore ſuſtinet, ſine errore diſcernit, ſine ſui mutabilitate mutat,ſine paſsione punit, ſine ſui detrimento tribuit,ſine perſonarum acceptione miſeretur. Non circunſcribitur loco,nõ variatur caſibus, non præterit cum tempore, nõ indiget auxilio. Per ſe ſufficit,per ſe placet, per ſe poteſt, cœlũ replet,terram metitur, vniuerſitatẽ regit. Cuncta illi patent,omnia famulantur,nihil ipſius valet præterire imperiũ. Largitur enim dona, delicta punit,indulgentiã pollicetur,retribuit merita,& relaxat facinora. Eo quiſquis dignus fuerit, carẽs omni malo,ſummo fruetur bono. Nõ in vita hac,quæ malis & bonis, iumentis & hominibus plena eſt, videri poteſt, ſed in cœlis, vbi angelorũ, archangelorũq; glorioſus manet exercitus.Ibi nanque pugnantiũ,pœnitẽtiũ,peregrinantiumq; ſe cõſtituit præmiũ.Nemo illuc niſi purgatus intrabit, nullus id ſummũ & æternũ bonũ apprehẽdere poſſe cõfidat,niſi præuio fructu bonorũ operũ,& diuinitatis ſcientia. Ob hoc Dei ſapiẽtia obediẽtiæ mandata inſtituit vt inobediẽtiæ aboleret culpam,legẽ dedit, vt bonorũ operũ fructus cumulatior fiat,pręcepta indixit,vt merita creſcant.In cunctis Deus noſter beneuolus eſt,patiens,miſericorſq;. Nulli gratiam ſubtrahit,omnibus offert,neminem excludit venientem ad ſe. Sicut delictum elõgat,ita opus bonum proximum facit Deo. Elatio facit contumacem,humilitas autem reconciliat amicum,inobedientia paradiſum clauſit, reſerat autem obedientia cœlum. Ex inordinato affectu diuinæ ſimilitudinis languẽt appetitus ſummi boni, & ex deſiderio expletionis volũtatis Dei idem reuiuiſcit & reſtauratur. Inobedientia naturam corrupit,adduxit iram, gratiam ademit, & priuauit gloriam.Hoc eſt grande malũ, priorum parẽtum opprobrium,damnatioque poſteritatis.Medicamentum autem languoris huius, optimum,eſt obedientia præceptorũ,per quam reformatur natura,augetur gratia,miteſcit iuſtitia,& gloria prærogatur.Vt autem homo obtẽperaret alacrius,perfectiusque, venit Verbum per carnẽ ad hominẽ,cõfirmauit mandatorũ legem,& conſiliorũ ſuaſit altitudinẽ, maximam vtriſq; pollicens remunerationis mercedẽ.Sciebat enim pius magiſter, quod difficile quiſque arduũ aggreditur opus ſine vlla ſpe retributionis.Hoc quoque naturæ innatũ eſt, vt qui laborat,in ſpe operatur percipiendæ mercedis: ideo Propheta ait.Inclinaui cor meum ad faciendas *Pſal. 118.* iuſtificationes tuas in æternum, propter retributionem. Nullum omnino abſque remuneratione eſſe permittit operantẽ bonũ. Peccatoribus quidẽ & huius ſeculi incolis, temporaliũ reddit pro labore mercedẽ,quã appetunt,quã quærũt, & qua contentantur tanquã alieni à Deo, & à ſanctorũ hæreditate extranei, iuſtis autẽ atque vere peregrinantibus aliter merita cõpẽſantur. Ipſis nempe temporalis ſurripitur ſucceſſus,terrenis ſpoliantur opibus, interdum etiã diuturnis,aſperiſque atteruntur flagellis,vt tanto maiora percipiant in cœlis, quanto grauiora in terris receperint. Quibus enim æterna donantur, merito tranſitoria negantur. Nam facile amittunt cœleſtia,qui terrenis abundãt. Quamobrẽ iuſti conſolari renuunt, proſperari formidant, temporalem negligunt mercedem, vt conſequantur æternam, pati non verentur, in aduerſis non deficiunt,flagellari expetunt, vt gratiã conditoris inueniant, vnde Propheta. *Abac. 3.* Ingrediatur putredo in oſsibus meis, & ſubter me ſcateat, vt requieſcam in die tribulationis, & aſcendam ad populum accinctum noſtrum. Agit tamen cum illis miſericorditer Dei clementia, atque duplici eos remuneratione lætificat, ſpirituali (videlicet) & æterna. Spiritualem quidem tribuit, vt in tribulationibus robuſtiores, in certamine alacriores,in bonis operibus promptiores ſint. Deficerent quippe in via, niſi quotidie ſpirituali pabulo nutrirentur. Interim verò ſubarrantur à Verbo, & quaſdam futuræ gloriæ ſuſcipiunt primitias,vt ex his diſcãt

potiora

potiora ſperare. Pace etenim conſcientiæ in reconciliationis indicium fruuntur, mentis lætitiam aſſequuntur, quæ amicitiarū teſtis eſt vera, futuræ fęlicitatis ſpe paſcuntur, vnde iucundantur, & dicunt. Psal. 121. Lætatus ſum in iis, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus. Sacræ lectionis ſaginātur pabulo, per quod à noxijs fluctuationibus abſtrahitur eorum animus, dum in intimis ſuauiter delectantur, ſacramentorum quoque frequentatione eccleſiaſticorum plurimum roborantur, vt iter præſentis peregrinationis conſtantius perficiant. 3. Reg. 19. Si enim ſubcinericius panis & aquæ potus Prophetæ tantas adhibuit vires, vt in ipſius cibi virtute, gradiens diebus quadraginta & noctibus totidem permaneret ieiunus, quid caro Chriſti, qui eſt panis vitæ rectè ſumentibus ſpiritualiter fortitudinis conferre valebit? Non ſufficit humanus ſermo explicare, ſed nec animus capere, quàm crebro, quàm dulciter iuſti mens ſuorum deguſtet mercedem in Domino ſtudiorum, nunc per compunctionem, nunc per lacrymarum effuſionem, nunc per ſpiritus exultationem, nunc per cœleſtium contemplationem. Hæc quidem ſentiri poſſunt corde, ore autem minime proferri, vnde vnuſquiſque magis per experiētiam, quā ex aliorum verbis donorum Dei ſtudeat habere notitiam. Quanta autem ſit iuſtorum æterna merces, in conſequentibus (verbo reuelante) aperietur. Interim nutriamur in fide, ſpe iucundemur, & amore repleamur. Caritas nanque eſt, quæ ſecretorum cœleſtium attingit arcana. Amantem enim perfectè nil latet.

Qualiter animus ducitur ad cœleſtia contemplanda, & de ſponſi elegantia, atque ſupernæ ciuitatis gloria. Cap. V.

QVū diuina mens humana nititur pādere miſteria, fatigatur vehementer: tum ex ſui paruitate, tum ex profunditate materiæ. In hoc plorationis loco cōſtitutus, ac multimodis prægrauatus curis; vix ad momētum homo erigitur ſupra ſe. Pondere quidem carnis fatigatus, cœleſtia cogitare non valet, iuxta Sapientis ſententiam. Sap. 9. Nam corpus (ait) quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. Viſibilium quoque vſui aſſuetus, inuiſibilia quomodo penetrare valebit? qualiter referare? quibus verbis? quomodo? quo ordine? Veluti ſi quiſpiam Hebræorum ignorās regionem, ignarus idiomatis eiuſdem, nulliſque nōtus Hebręo, vellet eorum elementa proferre dicere conſuetudines, & geſta narrare, nonne videretur magis barbaricè frendere, quàm Hebraicè loqui? audiēteſque prius prouocaret ad riſum, quàm ad intelligentiā excitaret? melius etiā ſilentio, quàm verbis erudiret? Hoc vſus docet, & mens apprehendit humana. Hinc deijcitur animus, clauduntur ora, lingua cōprimitur, & omnis carnalis ſapientia obmuteſcit. 1. Cor. 2. Nā animalis homo nō percipit ea, quæ Dei ſunt ſed neque ſpiritualis, niſi diuinitus inſtruatur, aut per imagines & per exempla manuducatur pedetentim: Spiritualia ſunt, cœleſtia ſunt, & diuina. 1. Cor. 2. Illa nec oculus vidit, nec audiuit auris, nec in cor aſcendit hominis. Ideo qui ad ipſarū indaginem peruenire deſiderat, verbi indiget magiſterio. Non humana ſapiētia, non naturali ingenio, ſed per verbum inſtruēdus eſt. Dei quidem ſapientia, vt doceret hominē, venit vt lux, & iuxta hominis capacitatem ad ima deſcendēs, inuiſibilia & ęterna per materialium ſimilitudines delectationum, per corporearum formas rerū apponere curauit: quatenus ex carnalibus ad ſpiritualia, & ex viſibilibus ad inuiſibilia aſcēdere, valeret: quod mirabili ſapientiæ arte & præcipuo charitatis feruore actum eſt. Quum enim incomprehenſibilis ſit Deus ſecūdum ſui naturā, hominem miſericorditer aſſumens comprehenſibilem vtcunque ſe fecit: per ipſumque, quem aſſumpſit, hominē, ad capiendum inuiſibilia & cœleſtia viam ſtrauit, modū dedit, regulamque inſtituit, cui cōtradicere verbis vel moribus fas non eſt. Nemo credat ſe impunè tranſire, ſi vocanti, inuitanti, exhortanti, cōminanti reſiſtere præſumet. Prou. 1. Vox quidem ſapientiæ ad contemptores hęc eſt: Vocaui, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo & ſubſannabo: quum quod timebatis, aduenerit: quum irruerit repentina calamitas, & tempeſtas quaſi ventus ingruerit: quando venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia: tunc inuocabunt me, & non exaudiam: mane conſurgent, & non inuenient me, eo quòd exoſam habuerint diſciplinam, & timorem domini non ſuſceperint, nec acquieuerint conſilio meo, & detraxerint vniuerſæ correctioni meæ. Terrentis non confundentis, amantis non indignantis iſta verba ſunt. Cōminatur vt corrigat, hortatur vt erigat: inuitat vt liberet: clamat vt excitet: futura prędicit, vt non feriat. Omnis ipſius vox amoris eſt. Non poteſt non diligere, quos condidit, quos elegit, quos proprio redemit ſanguine. Esai 49. Nūquid poteſt obliuiſci mulier infantis vteri ſui? Nūquid valet non amare charitas? Nempe ipſa ſapientia mater eſt, ſicut per ſapientem ait: Eccl. 24. Ego mater pulchræ dilectionis, timoris, magnitudinis, & ſanctæ ſpei. Ipſa pater, quia verbo veritatis ſuæ nos genuit, eſt etiam frater & ſponſus. Sic habes, & ſic in Canticis loquitur: Cant. 4. Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa: vulneraſti cor meum: non lancea, non gladio, non ſagitta: ſed amore, ſed compaſſione, ſed beneuolentia, ſed charitate.

Digitized by Google

ritate. O quàm vehementer verba Verbi penetralia cordis perforare, quàm fortiter accendere, quàm delectabiliter inebriare valent: iacula ſunt, & amoris faculæ. Nil aliud quàm charitatem ſonant: nil aliud redolent, nec immeritò. Nam verbum amor eſt, ſapiētia eſt, charitas eſt, ſponſus eſt. Si intres ad cor illius, liqueſcens agnoſces, hominum ſalutem ſitiens, patris honorem zelans, reſtaurationem Hieruſalem concupiſcens, ſponſæ amorem flagitans, in ipſius amplexus ruere ſpiritualiter flagrans intelliges. Si ad opera manuum illius tuam dirigas conſiderationem: cœlum & quicquid cœli ambitu continetur, ſeu ſolem, ſeu lunam, ſeu ſtellarum multitudinem, opus illius eſſe iudicabis: vnde Propheta:
Pſal. 8. Quoniam videbo cœlos tuos opera digitorum tuorum: lunam, & ſtellas, quę tu fundaſti. Quicquid in cœlo fulget, quicquid vegetatur & viuit in terra: omneque quod in aquis natat, vel per aera volitat, ſi quid placet viſu, mulcet auditum, & ſenſu capitur, facturam illius recognoſces. Præterea ſiue angeli, ſiue throni, ſiue dominationes, virtutes, poteſtates; cæteræque beatorum ſpirituū innumeræ legiones ſcias quòd ipſum venerantur vt Deum, famulantur vt filio Dei, vt patri coæterno, conſubſtantiali & ſimili. Eſt enim verbum, per quod facta ſunt omnia, in quo viuunt omnia, ſine quo nihil: de Deo Deus, de lumine lux, ſplēdor paternę gloriæ, iuſtitiæ ſol, diuinitatis radius, candor æternę lucis, ſpeculum ſine macula, imago bonitatis Dei, genitus de patre in cœlis ſine matre, in terris ſine patre de matre: Deus ante ſecula, homo in fine ſeculorum factus nobis ſapientia & iuſtitia, ſanctificatio & redemptio. Si verò ad elegantiam humanæ ſpeciei te vertas, audias
Pſal. 43. Prophetam dicentem: Speciosus forma præ filijs hominum. Quis vnquam illo pulchrior? quis modeſtior? quis ſapientior? Ornatus in moribus maturus in greſſibus, in ſermonibus facundus, in conuerſatione circunſpectus, in redargutione ſeuerus, in exhortatione blandus, in collocutione ſuauiſsimus, & in omni ſuo opere venerandus: aſpectus illius venuſtate plenus, humilitate verecundus, ſuauitate refertus, & tota elegantia decoratus: labia illius lilia diſtillātia, verba vitę æternæ emanantia, mel & lac eructantia. Illud quidem reſonabat in ore, quod latebat in corde: ideo ſolabatur mœſtos, vrebat frigidos, reſuſcitabat mortuos, infideles illuſtrabat: cunctoſque ad ſe accedentes reddebat beneuolos: ſermonibus quoque ſuis audientium ad corda ad mundi animabat contemptum: ad virtutum profectum inſtruebat: maximè quum de regno Dei loquebatur, & de gaudijs paradiſi. Quis autem non langueſceret? quis iucundo non inebriaretur amore, ſi videret ambulans Verbum, ſapientiam loquentem, vnigenitum Dei cum peccatoribus conuerſantem, lacrymantem, orantem, ſpiritu frementem, in carne patientem, carniſque languores ſuſtinentem. Prorūpant nunc in medium probra, contumeliæ, blaſphemiæ, illuſiones, ſputa, alapę, flagella, corona ſpinea, ſceptrum arundineum, purpurea veſtis, effuſio ſanguinis, poculum fellis, apertio lateris, dolor matris, & cruciatus ignominioſæ ac dirę mortis. Omnia hęc habent voces ſuas amoris: cuncta iſta ſapientię verbi pręconia clamant. Quanto nanque ſe magis deiecit, tanto ſublimiorem oſtendit ſe: & quo ampliora pertulit opprobria eo maiores meretur laudes. Nam quum patitur ſuam exhibet patientiam, noſtrā informat, quū ſubſternit ſe, ſuam patefacit humilitatem, & noſtram terit elationem, cùm loquitur, ſuam declarat ſapientiam, noſtram verò erudit inſipientiā: ſicque ſi ingreditur mens ad contemplandum interiora cordis ſponſi, ſi ad ſublimiora Verbi, ſi ad exteriora opera conditoris, ſi ad ima humanitatis, nil aliud perſpicit, quàm amoris immenſitatem, ſapientię fontem, bonitatis affluentiam, & virtutum omnium ſingulare magiſteriū. Nil vacat in cunctis operibus & ſermonibus verbi ab eruditione amoris. Qui legit, diligat: & intelliget propoſitionem. Amor agnoſcitur amore: amore ſentitur, nec ad ipſum niſi amando intratur. Initiatur autem amor ex exteriorum conſideratione, nutritur ex virtutum perfectione, perficitur ex diuinitatis cognitione. Habes in ſpōſo carnem, animam, & Verbum, antiquum, nouum & ęternum. Aſcēſiones fecit de ſe, in ſe, ad ſe, vt te traheret ad ſe. Alios noli gradus quęrere, multo minus tibi componere, ne condemneris vt fur. Si inexpertus es, ſi nec dum cœpiſti, ſi expedit vt lacte nutriaris meditare infantiam Saluatoris, quomodo vagiebat in anguſto poſitus pręſepio, quomodo genitricis ſugebat vbera, maternis fouebatur in vlnis, pauperrimiſque tegebatur pāniculis. Si in Spiritu adultus es, ſpōſi reuolue fatigationes, vigilias crebras, humilitatem ſummam, orationem aſsiduam, mirabilē patiētiā, charitatem ignitam, rectitudinis zelū, cęteraſque virtutes, quas verbis commendabat & opere. Si ad perfectum charitatis robur trāſiliſti, & corporis reſolutionē præ amoris magnitudine concupiſcis, verbum fidei & dilectionis oculo contemplare in patris gremio quieſcens, ad patris dexteram ſedēs, immortalitatis gloria præfulgens. Vbique tibi occurrit feſtiuum, ſuauitate plenum, amore feruidum, ad erogandum liberaliſsimum, ad excipiendum paratiſsimum, & ad te amplexandum diſpoſitum. Paruulis paruulum ſe fecit, vt doceret tenere innocentiam, ſeruare obedientiam & diligere caſtimoniam. Proficientibus animi conſtantiam, cordis ſapientiam, diuini honoris fragrantiam exhibuit, vt maturus & longæuus vir.

Perfectis autem æternæ felicitatis & futuræ gloriæ ſe largitorem, regem, & dupliciter poſſeſſorem oſtendit. Omnibus ſe præbet diligentib. ſe: cunctos mellifluis vocibus charitatis inuitat venire ad ſe, neminem ſuæ beatitudinis vult eſſe expertem. Ipſius illa vox eſt, quæ ait: Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis adimplemini: ſpiritus.n. meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum, memoria mea in generatione ſeculorũ: qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient: qui audit me, non confundetur: & qui operantur in me, non peccabunt: qui elucidant me, vitam æternam habebunt. Hac exhortatione quid dulcius? quid vtilius? quid amabilius? Suiſquidem dilectoribus pollicetur præſentis vitæ mercedem, & præmium futurę: hic beatè viuere tribuit, illic ęternaliter. Vt autem tantis ſuaſionibus præbeamus aſſenſum, & ne inuitantis ſponſi monita negligamus, erigenda eſt mentis acies ad inueſtigandum, quanta & qualia ſint, quæ nobis proponuntur in præmiũ: quatenus tum ex conſideratione remunerationis, tum ex ampliſsima charitate largientis omnis interioris hominis affectus ad ea capeſſenda ſe dirigat. Magnitudo nanque mercedis aufert tædium laboris, & amori præſtat additamentũ. Rom. 8. Cui autem peregrinanti, laboranti, patienti leuamen non irrogabit, cùm audit, non ſunt condignæ paſsiones huius tẽporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis? Cuius amantis non elangueat præ iucunditate cor, cùm Prophetam audit dicentem: Pſal. 35. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen? Pſal. 83. Et illud: Beati, qui habitant in domo tua domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te? Cũcta ibi magna, omnia delectabilia, omnia perfecta, quamuis beata, magna ciuitas, delectabilis conuiuentium vnitas, perfecta corporis, animæque immortalitas, & beata diuinæ viſionis ſatietas. Ciuitas quidẽ hęc ciuitas magna, aſpectu grata, ab hoſtibus ſecura, à dolorib. aliena, à perturbatione extranea, à morte liberrima: nil immundum in ea eſt, nil ſordidum, nil corruptioni obnoxium, totum in illa placet, totum lucet, totũ arridet: plateæ eius auro mundo ſternuntur: portæ ex ſapphiro, & ſmaragdo ędificantur, ex lapide precioſo omnis circuitus muri eius: ſuper turres, ſuper muros cuſtodes conſtituti ſunt, qui die noctuq; nomen domini laudare non ceſſant: ſed & per plateas, vicoſque mirabili exultatione ab vniuerſis, alleluya cantatur. Non indiget ſolis aut lunæ lumine, vt illuſtretur: quoniam claritas Dei illuminat eam, & lucerna eius agnus eſt. Fulget enim claritate, amœnitate floret, æternitate viget, & mirabili dilatatur immenſitate, ſine conſummatione magna eſt, ſine comparatione pulchra, ſine defectu conſpicua, ſine oppoſitione preclara. Ibi virgines, quæ neſcierunt thorum in delicto, omnes auro textis ornatæ cycladibus choreas ducentes, ſponſiq; veſtigia imitantes, hymnos amoris perſona re noſcuntur. Nulli autẽ datur, qualia ipſis, promere cantica: quoniam veſtimenta non inquinauerunt ſua: ſed à concupiſcentiæ colluuione ſeruauerunt illæſa. Harum quidem voces ſicut citharœdorum citharizantium in citharis ſuis. Apoc. 14. Ibi martyrum innumerabilis exercitus Deo laudes exhibere non ceſſat. Omnes hi laureati, claritate circumamicti, ſanguine purpurati, cicatricibus coruſci, amore feruidi coram ſuo immortali rege excubias celebrant, triumphi ſui coronas deponunt, honoribus Deum efferũt: & mirabili modulatione verbi magnalia confitentur. Ibi Apoſtolorum ſacratus chorus ſponſi præconia propalare contendunt. Iudiciaria nanque dignitate præditi, ſingulari cum rege gloriæ amicitia fœderati, cunctis honore præpoſiti ſe Deo laudis ſacrificium offerre lætantur. Ibi prophetarum eximius cuneus ſeruitutis obſequium verbo actitare feſtinant. In illa denique inuictiſsimi regis ciuitate nullus triſtis, nullus inuidus, nullus ignobilis inuenitur. Omnibus omnia communia, cuncta nota, quæque manifeſta ſunt. Vniuerſi de vno potantur voluptatis fonte: de vno irradiantur veritatis lumine, & in vno copulantur vinculo charitatis. Ideo nil proprium habent, nil priuatum quærunt, quin potius non minus alieno, quàm ſuo congaudent bono. Viciſsim dona communicant, participant bonis, quia vna viſione fruuntur. Diſpar quidem gloria, at concors illis eſt deſiderium voluntatis. Omnis ipſorum affectus, omnis actio in Dei cognitione & dilectione ſubſiſtit. Singuli quoque in illa terra viuentium duplicibus veſtientur. Corporib. quippe inerit iucundus ſplendor & immortalitatis decor. 1. Cor. 15. Nunc quidem ſeminatur corpus in corruptione: reſurget tunc in incorruptione: ſeminatur in ignobilitate, reſurget in gloria: ſeminatur in infirmitate, reſurget in virtute: ſeminatur animale, reſurget ſpirituale. Omnia nanque huius corpuſculi membra quendam diuinæ bonitatis perſonabunt concentum: ita vt nihil à Dei laude videatur alienum. Nulla deformitas, nulla membrorum erit inæqualitas. Iſa. 33. Videbũt enim oculi regẽ in decore ſuo, & in diademate, quo coronauit eum mater ſua in die deſponſationis ſuæ, & in die lætitiæ cordis illius. Sicque ſingula ſingulis decorabuntur ornamentis. In plenitudine ætatis Chriſti: in perfectione gloriæ fiet tunc vera reſurrectio mortuorum. De cætero nullus luctus, nullus clamor in illa perſtrepet ciuitate: ſed lætitiæ vox, exultationis laus, gratiarum exhibitio, benedicentium vota, atq; dicentium: Apoc. 7.

Digitized by Google

tium: Benedictio & claritas, & ſapientia, gratia- 1. Cor. 15. rum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum. Abſorpta quidem erit mors in victoria: propterea fœlici ſecuritate & iucunda pace gaudebunt. Non erunt mali, qui exerceant; non inimici qui tentent; non æmuli, qui laceſſant: non mors, quæ cruciet: ſed ſempiterna requies, inenarrabilis tranquillitas, ſatietas ſine fine. Tunc immortalis Dei potētia, verbi ſapientia, paracletique clementia cognoſcetur. Tunc ſponſi gloria, encænia ſponſæ, regni magnificentia, regnantium gaudia, & beatorū omnium perpetua beatitudo patebit. Angelorum, animarumq; æqualis erit gloria, eadem viſio, vna ſocietas, vnanimis affectio, ſimilis actio, quamuis angelorum natura ſit longè ſublimior. Quod autem minus deerit, ſupplebit gratia conditoris. Videbitur Deus in ſe, & cuncta in ipſo: quia erit omnia in omnibus. Hoc erit hæreditas filiorum Dei: hoc pauperum, mitium, eſuriētiū, lugentium, miſerantium, mundorum, pacificorum, perſecutiones patientium, præmium. Cuncti ſacerdotes, omnes reges, vniuerſi diuites, ſinguli potentes, quique ſapientes exiſtent. Non minorabitur ex conuiuantium numeroſitate cumulus fœlicitatis: non ex graduum diuerſitate affectus charitatis. Aequè paruus vt magnus beatus erit. Singuli in ſuo ordine & de propria menſura lætabuntur. Non ſexus, non conditio, non officia, non dignitates, ſed merita diſcernētur. Iuxta menſuram charitatis cuique dabitur corona mercedis. Quem delectat igitur celſitudo remunerationis, non terreat aſperitas laboris. Sine pugna nemo coronandus eſt. Poſt triturā in horreis grana reponuntur & poſt peregrinationem peruenitur ad requiem. Nullus niſi prius examinatus ad regis aulam, ac ſponſi cubiculum intrare merebitur. Neceſſe eſt, vt tentationibus erudiatur, quiſquis ad verbi ſpirituale connubium concupiſcit aſſumi.

Qualiter fidelis anima accendatur ad pugnam: & erudiatur de inimicis habere triumphum.

Cap. VI.

Sicut in præcedentibus veraciter definitū eſt, nullus niſi probatus ad ſumma prouehitur. Hanc humana prudentia conſuetudinē tenet, hoc naturalis diiudicat ratio, hoc etiam iura volunt: quicunq; verò aliter præſumpſerit, ſuo repelletur iudicio. Quis vnquam manipulos colliget, niſi antea ſeminauerit? Præcedit in cunctis labor mercedem. Proinde pati nō formidet, qui ſpiritualibus ditari vult. Degeneris quidem animi eſt fugere ante pugnę finem. Prius vitia reſecanda ſunt, & voluptates cohibēdæ, quàm de ſtadio ſecedendum. In bello pugnantis virtus agnoſcitur. Omnes pacis tempore victores ſunt, cùm nō ſit qui repugnet: quum autem tubæ inſonuerit vox, quum dimicandi ſuperuenerit hora, & armorum fragor ingruerit, qualis quiſque maneat apud ſe, notum fiet. Nō verborum pompa, non vulgi fauor, nō propria æſtimatio, ſed animi vigor, magnanimitas cordis, diffidentia ſui, Chriſti militem commendabilem reddit. Cōmendata eſt Abrahæ obedientia poſt tentationem: Ioſeph caſtitas poſt adulteræ inſolentiam: Iob tolerantiam poſt ſobolis reſtitutionem. Virtus nempe certaminis merces eſt: pugna autem teſtimoniū virtutis, amor verò vtrique famulatur. Qui non dimicat, nec in certamine fortis, nec poſſeſſor poteſt eſſe virtutis. Amor pugnandi & dilectio virtutis fortitudinem confert, miniſtrat animo vires, conſummat victoriam. Sine charitate qui certare vult, omnibus ridiculus erit: aut enim hoſtium captiuus fiet, aut ante exitum pugnæ de ſtadio diſcedet inglorius. Melius eſt non inire conflictum, quam non perſeuerare in ipſo. Difficilimè quidem vincitur, qui ardenter diligit, & ad tentationum tolerantiam prudenter ſe munit. Ob hoc tam ſolerter Sapiēs pugnaturum hortatur, dicens: Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in Eccle. 2. iuſtitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Cognouit autem vir ſapiētia eruditus naturæ imbecillitatem humanæ, inimicorum liuorem, oppugnantium ſæuitiam, diuturnum conflictum, & militantium Chriſto maximam eſſe repoſitam gratiam. Ideo non diſſuaſit pugnam, ſed commendabilem oſtendere voluit pugnæ prouidentiam. Minima quæque ſi improuiſa veniant, grauiter feriunt. Ante omnem euentum quæ futura ſint aduerſa, cogitanda proponantur, & futura tanquā præterita examinanda ſunt, vt nil noui contingere videatur. Tunc mens à ſoliditate non decidit, quum præmunita fortitudine pati ardua non refugit. Nemo tamen de ſe confidat, nullus de proprijs viribus in hoc ſpirituali conflictu præſumat, totū aſcribat Deo, totum ſe illi committat. Non in virtute (ait Propheta) mea, ſed in Deo meo trāſ Pſal. 17. grediar murum. Sicut enim in corporali pugna audacia vires, ita & in ſpirituali ſui diffidentia victoriam ſubminiſtrat. Angelorū etenim magiſterio edocti ac protecti cuſtodia, in cunctis tētationibus triumphum ſperare debemus. Nam quum ad capiendum Heliſęum multa armatorum manus à Samaritæ rege mitteretur, domūque vallaſſet, ab Giezi clamatum eſt, inſidię, inſidię. Quod quum Propheta audiſſet, puerum ne paueret, hortatus eſt, orauitque, vt ipſius ape 2. Par. 32. rirentur oculi: qui mox vidit omnem montis ſuperficiem, domumque armatis vallatam millitibus & ait: Plures pro nobis ſunt, quàm contra nos. Huius exemplo non formidoloſe, ſed confidenter tentationum bella aggredi debemus.

cœle-

Digitized by Google

cœleſtium militum muniti legionibus. Memoratum quidem Prophetam, ne in minimo quidem, vt illum raperent miſſi, lędere valuerunt: quin potius orante Propheta ipſi cęcitate percuſſi ſunt. Veneremur igitur protectores noſtros ſanctos angelos: veneremur diuinam pręſentiam. Vtroq; pręſidio ſeptos pudeat nos inimicis terga vertere. Non nos certandi labor, non certaminis incertus finis, nō infirmitas carnis, non tepor ſpiritus concutiat. Ad virtutem difficilis aſcenſus eſt, breuiſsimus labor maxima recompenſatur mercede. In acie poſiti ſumus, qui vicerit ſponſi amplexibus dignus fiet. Potuit olim Dauid, vt regis gener eſſet, incircūciſorum centum auferre pręputia cum ſui periculo, & non poterit Chriſti ſeruus, vt ſapientię dignus habeatur, connubio caſtiſsimo, tentationum ſupprimere inſultus? Valebit ne mulięris amor plus quàm verbi? Alliciet ne amantis cor plus carnalis copula, quàm ſapientiæ perpetuū contubernium? Innumeri ſunt, qui vt terreni faſtigia teneant imperij, omni ſe labori etiam cum corporis, animæque detrimento exponūt: & qui Chriſti nuncupantur ſerui, vt æterni regni participes ſint, tabeſcent ocio, & præ ignauia dormitabunt? Vtique prudentiores, robuſtioresq; tenebrarum filij ſunt filijs lucis in negocijs ſuis, & in temporalium cumulatione. Stupeat cœlum, clamet terra & omnis creatura miretur, quum hominem plus alliciat labor, quam requies: mors quàm vita: creatura quàm omniū conditor. Non abſque cordis cæcitate fieri poteſt hoc. Ignorantur quippe, quanta ſint cœleſtia gaudia, ignoratur quoque quid ſit virtutis bonum. Attendunt homines, quod ſine fatigatione maxima virtus non valet acquiri, & pati refugiunt, quia parum diligunt. Conſiderant tentationum & tribulationum certamina, nec percipiunt quid inde ſequatur. Vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſsima prouiderēt, Deut. 32. forte reſipiſcerent. Sine mirabili Dei conſilio nemo dubitet Chriſti ſeruos flagellari aduerſis. Non vt alieni, ſed vt filii habentur, quum diſciplina erudiuntur. Quem filium non corrigit pater? Eſt quidem in iuſtis tribulatio, amoris indicium, futuræ beatitudinis præſagium, & prædeſtinationis teſtimoniū. Hoc ſcriptura ſacra, hoc ſanctorum vita teſtatur. Non abſque ſpinis redolens naſcitur roſa, neque ſine tentationibus perficitur virtus. Ambo connexa ſunt. Factum Gen. 1. eſt (inquit ſcriptura) veſpere & mane dies primus. Virtus enim languet, niſi exerceatur: laceſſita autem creſcit. Ignis quo plus agitatur, plus ſerpit. Videmus ſylueſtres feras, quum irritantur, indomitas fieri: quum verò quieſcunt, manſueſcere. Quis ſufficienter narrabit, ad quantū perfectionis culmen ſanctum Iob euexerit tentatio? Prius ſoli Deo notus erat, prius virtus mēti inerat tanquam nouella plantatio: poſt probationem verò velut ingens arbor proficiens, & per humilitatem ad ima terræ radices ſparſit, & in alto foras erecta cacumine omnem ſua viriditate lætificauit Eccleſiam. Tranſierunt multa iam annorum curricula, nec tamen arbor hæc fructificare deſtitit. Electorum ſiquidem virtus tentationum examinata incendio, & rubiginē vitij amittit, & perfectione ſua rutilās eluceſcit: vnde Sapiens: Aurum probat fornax, & viros iu Sap. 3. ſtos examinatio tentationis. Ad virtutis perfectionem proculdubio tentatio via eſt, quæ non ſolum hominem perficit, verumetiam diuinæ prouidentiæ theſauros patefacit. Opera nanq; Dei ex ſui profunditate incomprehēſibilia ſunt in ſe. Quis autem niſi tentationibus probatus, quantum ſupra ſe diuina ſapientia prouidè euigilet, indagare valeat? Quis verbi magiſterum in tentationibus non miretur, ſi intelligit? Flagrat interdum mens libidine dominandi, dignitates ambit, honorib. extolli peroptat: ſed mox diuina diſponente ſapientia in aliquod apertū permittitur collabi ſcelus: per quod omnis interioris hominis euacuatur tumor. Confuſionē nanque ſui elatus non ferens ſponte humiliationi colla ſubſternit. Sæpe caro concupiſcentijs inflammatur, illicitam in operationem præceps impellitur, & tanquam indomitum animal in venereas voluptates ſe præcipitare conatur. Repentè autem diſpenſante ſapientia, fortis illam languor inuadit, qui robur omne debilitat, medullarum calorem refrigerat, audaciam cōprimit, & flagello caſtigatam ſpiritui reluctari non ſinit. Ideo propheta aiebat: Miſit ignem in Tren. 1. oſſibus meis, & erudiuit me. O altitudo diuitia- Rom. 11. rum ſapientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius? Tentationis enim aqua incendium extinguit libidinis percuſsione carnis vulnus ſanat mētis, perpetratione ſceleris virtutem nutrit humilitatis: de infirmitate valetudinem, de egeſtate abundantiam, de tribulatione ſcientiam, de mœrore gaudium, & de tentatione erumpere diuinæ lumen facit prouidentiæ. Cuius hæc ſunt opera? Cuius tam mira mutatio, niſi dexteræ excelſi, & doctricis ſapientiæ? Cuncta ſuo diſponit moderamine, vniuerſaque ſuo compellit militare imperio. Pro ſua omnia ordinat beneplacito, collapſa erigit, abiecta colligit, fortia deſerit, confuſa componit, & alta deijcit: & tamen nemo eſt, qui iſta Dei magnalia, cur fiant, penetrare poſsit. Intellectus obtunditur, ratio conquieſcit, caligat mens, hebetat animus, & in horum conſideratione omnis humana vincitur ſapientia. Per verbum quippe & in verbo ſuo Deus diiudicat ſingula, & quis inueſtigabit? Quis ſempiternum verbi lumē in hoc mortali intueri poteſt corpore? Quis inacceſſibilē diuinæ ſapientiæ cla-

tiæ cla-

tiæ claritatem valet agnoſcere? Quum enim viſibilia inuiſibiliter operatur, non ſine maximo æquitatis moderamine id agere fatendum eſt: ideo venerãda potius, quàm inueſtiganda ſunt diuina iudicia. Miſeretur, cui vult: & quẽ vult, indurat: hunc humiliat, & illum exaltat: nunquã
Ioan. 21. tamen iniuſtè. Petro, vt ſe ſequeretur, dixit: Ioãnem autem, vt ſic maneret, ſibi placere perhibuit. Reprehendit nihilominus Petri curioſitatem, qui nõ ad ſobrietatem, ſed plus, quàm oportebat, ſapere cupiebat: illique ait: Quid ad te? tu me ſequere. Inſtruimur ex hoc, ne plus iuſto diuinam ſcrutari velimus voluntatem. Sufficit, vt tentati omnes diſcutiant propriam infirmitatẽ, vt ſanentur, non diiudicent Dei voluntatem, ne damnentur. Optimum quidem humanę infirmitatis medicamentum eſt tentatio. Ex impulſu tentationis humilitatis lux emicat: dum ſibiipſi animus notus fit, qualis ſit. Ex cognitione ſui nutritur humilitas. Quo melius modo Apoſtolorum princeps ad ſui deuenire potuiſſet notitiam, quàm ex tentatione? Stabat in ſe confidẽs de ſe, & neſciens ſe, ſed tentatus per ancillam mori timens negauit veritatem: poſt autem inſpectus à domino recepit à luce lumen, vidit, agnouit, erubuit, amarè fleuit. Fleuit inquam delictum ſuum, ignorantiam ſuam, infirmitatem ſuam, & longè ſalubrius profecit ex tentationis flagello, quàm ex eruditione magiſtri, licet tentatio magiſtri fuerit admonitio. Bona tentatio, ſed melior tentationis inſtructio: quia gratiæ dona à muneribus naturæ diſcernere facit, oculos aperit, vt ſapientiæ lumen excipiant, ne in ſui ignorantia caligent. Pernicioſa nanque ſui neſcientia eſt, & ad omne facinus procliua: quæ dum ſe ſtare putat, iacet miſerabiliter. In tenebris obuoluta eſt videre ſe arbitrans, ſed fellis collyrio inungenda eſt, vt rectè videat, manuq; tentationis erigenda eſt, ne pereat. Vtrunq; verò per verbum.
Heb. 12. Eſt enim Dei virtus, & Dei ſapiẽtia. Virtus quidem, quia quos amat, arguit,
Heb. 5. & caſtigat: ſapientia autem, quia exemplo ſuo docet tentationum flagella æquanimiter tolerare. Non enim (inquit Apoſtolus) habemus pontificem, qui non poſſit compati infirmitatib. noſtris, per omnia tẽtatum pro ſimilitudine abſq; peccato. Ipſius quippe tentatio noſtrarum ſingulare leuamen eſt. Dulceſcunt noſtræ, quum conſiderantur illius. Afflictiones noſtræ propè nihil ſunt comparatione pœnarum eius: propterea qui tentantur, qui aliquo dolore cruciãtur, proponant ſibi exemplum ſponſi, & in ſpeculo paſsionis eius, quanta indignè ab indignis dignatus eſt pati, conſiderare non deſinant. Percipient planè conſolationem non minimam. Nec immeritò. Fecit autem antidotum ſpiritualem ſputo, aceto, felle, ſanguine, flagellis, irriſione, opprobriiſq; compoſitum, quo vulnera, dolores, tentationes, cruciatuſque linirentur noſtri & fierent tolerabiles Saluatoris exemplo. O ſtupor, ò charitas, ò verbi ineffabilis ſapientia, qua arte mederis? quo vinculo trahis? quo vulneras amore? O quàm dulciter allicis, quàm ſuauiter blandiris, quàm rectè capis, quàm fortiter tenes? Quis vt ouis tua non ſequetur veſtigia, ò paſtor bone? Quis te cœleſtem ducem in paſſionum, tentationum, & laborũ certamine imitari verebitur? Quis tuis, ò excelſa Dei ſapientia ſaluberrimis monitis obtemperare negliget? Transfige, ò dulciſsime Ieſu corda noſtra ſagittis ignitis amoris tui: irrumpe, ò domine, penetralia mentium: illaque miſericorditer tuo illuſtra diuino ſplendore, vt vulneratis de te, & illuminatis à te, in te ſit habitatio noſtra, pax noſtra, delectatio noſtra, requies noſtra, delicię noſtræ, ſatietas noſtra, ſpes noſtra, amor noſter, exultatio noſtra, vita noſtra, refectio noſtra, lux noſtra, tranquillitas noſtra, fiducia noſtra, & omne bonum noſtrum. Tuo enim amore quid dulcius? tua charitate quid ſalubrius? tua dulci memoria quid iucundius? Te, ò ſapientia, nihil melius quæritur, nil arctius ſtringitur, nil ardentius amplectitur, nil ſuauis poſsidetur. Norunt hæc, qui diligunt te. Amor quidem tuus immortalitatis origo eſt, ſapientiæ fons, fluuius voluptatis, vita credentium, abyſſus charitatis, paradiſus deliciarum, peregrinantium ſolatium, beatorum merces, nutrimentum dilectionis, virtutum radix, meritorum ſtatera, certãtium robur, conuiuentium vinculum, & totius ſanctitatis ſtabile fundamentum. Qui ſitis, veniat ad te, & aqua ſapientiæ ſalutaris potabitur: Qui fatigatur, veniat ad te, & accipiendo onus tuum leue ſuper ſe, requieſcet. Qui aduerſariorum & tentationum exercetur inſultibus, veniat & ipſe ad te, & audiendo atque imitando te victor exiſtet. Permiſiſti etenim te tẽtari, vt in tuis noſtras inſtrueres ſuperare tentationes. Commendaſti quoque nobis in ipſis loci ſolitudinem, ciborum parcitatem, temporalium contemptum, diuinæ legis meditationem, & orationis frequentiam. His munitus, armis, tu omnium ò fortiſsime cũ hoſte dimicaturus intraſti in ſtadium, & reportaſti triumphum. Neque enim licet, vt milites tui alijs vtantur armis. Quiſquis igitur exemplo domini de inimicis ſpiritualibus victoriæ trophæum obtinere deſiderat, hominum conſortia declinet, tumultus deuitet, & in ſecretiorem ſe conferat locum: quatenus ſuper ſui cuſtodia diligẽtius valeat vigilare. Diffuſa quidem per exteriora mens, ad interiora conſideranda minus ſufficit. Vtrique vacare nequit, proinde ne fędetur, ne tentationum ignara vincatur, frequentiam fugiat, & ad remotiora ſecedat diuinũ flagitando ſuffragiũ. Eſt nempe ſolitudo amica mœroris, mater quietis, locus contemplationis, &

recepta-

receptaculũ ſupernæ viſitationis. Hac edoctus experientia Propheta cùm tentaretur, aiebat: Elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine: Expectabam eum, qui ſaluum me fecit à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate. Amicus quoq; ſponſi eruditus à verbo quum adhuc in tenella eſſet ætate, deſerti antra, fugiendo hominum conſortia, petiuit, ne ad horam cederet aduerſarijs, ne aut innocentiæ nitorem tenuiſsima delicti contagione fœdaret. Non eſt tuta in vrbibus conuerſatio: vbi omnium exuberant materiæ peccatorum, vbi elatio regnat, excruciat liuor, rixæ conturbant, libido dominatur, diuitiæ dilaniãt, voluptas blanditur, & ſocialis carnalium colligatio animum effœminat. Vix qui ſibi vacat præſentis vitæ naufragium poteſt euadere. Habitẽt in ſeculo, qui ſe diligunt, qui pugnandi vel vincendi pro virtute nullo charitatis accenſi ſunt zelo: at quicunque ad perfectionem anhelat aſcendere, quicunque præ animi magnitudine cum vitiis & ſpiritualibus nequitiis non pauet habere congreſſum, iuxta verbi conſilium primum cunctis, quæ poſſidet, renunciet: deinde ſolitudinem ſibi in ſeipſo ædificet, in qua Deo intendere & ſpirituali pugnæ non deſinat loco & tempore etiam domeſticorum conſortia fugitando. Habeat redemptoris exemplum, qui quum à diabolo tentaretur, ſolus in deſerto eſſe voluit: poſt conſummatam autem victoriam homines ſecum habitare permiſit. Solitudo ſemper amanda eſt, tenenda verò nõ ſemper. Quiſquis illa prudenter vſus fuerit, glorioſum de hoſtibus victoriæ triumphum in tentationibus reportabit: ſi tamen eidem adiiciat abſtinentiam. Nam ſolitudinem tenere, & gulæ fræna laxare, brutorum eſt vita. Animalia nanque ſylueſtria ſyluas incolunt & ſolitudines, ſed quia nullo tẽperantiæ moderamine carnales cohibent impetus, omnino feræ ſunt. Parum quidem prodeſt ſolitudinem quærere, & carnis voluptates non frænare. Temperantia ſemper ſolitudini indiuidua comes ſit. Solitudo corpus: abſtinentia autem corporis edomet paſsiones. Vtrunque ſuo dominus commendauit exemplo. Nuſquam niſi in ſolitudine legitur Saluatorem ieiunaſſe. Sobrietas quidem ciborum, tentationum tempore plurimum laudabilis eſt. Timet antiquus aduerſarius cum abſtinentibus habere conflictum. Si parentes primi abſtinuiſſent à vetito cibo, nũquam à ſuæ celſitudinis arce corruiſſent. Diſcant qui tentantur, ſobrietatem cuſtodire, diſcant ſuaſionibus non acquieſcere: ſtudeant diligentiſsimè temporalia non amare. Pernicioſius enim eſt hic amor pugnantibus. Abiiciat à ſe terrenas facultates, qui ſpirituali militiæ aleri ſibi deſiderat. Nunquam tentationibus carebit, qui terrena dilexerit. Sunt quippe opes arma diaboli, tentationum fomentum, rubigo mẽtis, exterminium quietis, paſsionum auctrices, & perfectioni inimicæ. Graue onus eſt temporalium affectus. Contemptor ſit mundi, ſit & contemptor ſui, qui Deo placere cupit. Læto ſemper animo ad cœleſtia tendit, qui ex corde ſeculo renunciauit. Securus accedat ad pugnã, qui vitioſe nil diligit. Acerrimus contra tentationes præliator eſſe poteſt, quicunque temporalium contemptor eſt. Ipſe Saluator ſaluberrimum de contemptu mundi, cùm à diabolo tentaretur, nobis præbuit documẽtum. Nihil quippe temporale diligere debet, qui cum aduerſario pugnare cępit. Solum cęleſtia diligat, & in diuina lege iugiter meditetur. Eſt quidem ſacra pagina pharetra quædam ſpiritualis, in qua ſagittæ acutæ & ignitæ latitant. Hãc nemo Deo militans derelinquat. Et aſsiduo cogitatu virtutem intelligat ſcripturarum: vt iuxta qualitatẽ ſuggeſtionis, reſponſionis intorqueat iaculum. Hac accinctus dominus Ieſus perrexit ad pugnam. Ex eadem tres eduxit ſententias quaſi ſagittas, & proſtrauit aduerſarios: vnde Propheta: Emitte ſagittas tuas, & diſsipabis eos. *Pſal. 143.* Eruditur quoque animus ſcripturarum meditatione ad agnoſcendas diaboli aſtutias. Sic enim legitur in Pſalmo: Super inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo. *Pſal. 118.* Per ſe non ſufficit. Non autem aliunde congruentius, non plenius, nõ ſuauius edocetur, quàm in eloquio ſapientię: dummodo non ſit elatus, nec infidus. Tales nempe refugit Dei ſapientia. Lux eſt ſapientia, & in humilium cordib. ſe diffundit: ideo Propheta ait: *Ibid.* Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Fiat humilitate paruus, qui ſapientia magnus fieri concupiſcit: ſanctarũ meditationibus ſcripturarum ſe muniat, quicunque cum maligno ſpiritu vult habere conflictũ. Tanto de victoria magis fiet ſecurus, quanto & in diuinis eloquiis exercitatus, & in oratione Dei amplius fuerit aſsiduus. Vterque ſimul optimè conueniunt, & in quadam ſpiritus confœderatione concurrunt. Vix abſque orationis ſuffragio diuinæ legis haberi poteſt notitia. Sed oratio ſæpe decipitur, ſi ſapientiæ veritate illuſtrata non fuerit. Conſueuit angelis transfuga in lucis angelum ſe figurare, vt decipiat ſimplicẽ, & minus ſcientem falſa opinione ſeducat. Poſtulanda ob hoc eſt à Deo ſapientia. Nam ſapientia errorum detegit latebras, & oratio tentantium proſternit inſultus. Maxima victoriæ ſpes oratio eſt, & præcipua ad ſapientiam via. Suſtollit animum à viſibilibus, & ſuo humili ac ſuaui volatu facit proximum cęlo. Replet illum claritate Dei, & cognitione ſui, quibus nihil vtilius eſt in vita hominis.

Pſal. 54. *D. Ioan. Bapt.*

De

De triplici Deo famulantium ordine, atque de ſingulorum tentationibus, earundemque remedijs. Cap. VII.

QVicunque Dei mirabilia opera diligẽti conſideratione indagare voluerit, alia corporalia, alia verò eſſe ſpiritualia veriſsimè iudicabit. Corporalia quidem, quæ ſenſuum vſibus, vel lineamẽtis ſubiecta ſunt, aut eſſe poſſunt: ſpiritualia autem, quæ rationali vi animæ percipiuntur, vel tanguntur affectu. Corporalium ſcientia innumeri reperiuntur peritiſsimi: ſpiritualium verò pauci. In occupatione corporalium penè totus mundus eſt deditus, in ſpiritualium contemplatione rarus, qui ſe exerceat, inuenitur. Corporalis exercitatio ex induſtria procedit humana, ſpiritualis ex gratia diuina. Nemo ſibi arroget, ſi quid de diuinitate, vel de ſpirituali natura cognoſcit. Magnarum quippe mentium hoc opus eſt, & earum potiſsimum, quæ Dei verbo connexæ ſunt vinculo charitatis. Ex familiari nanq; verbi alloquutione inſtruuntur, & inde hauriũt mentis exultationem non modicam. Quomodò non poſſunt non gaudere in contemplatione veritatis, quæ animarum proprius eſt cibus? Lætantur quippe in lumine ſapientiæ, ſed non ad plenum. Tunc quidem ad plenum & perfectè, quum reuelabitur gloria domini: quũ filiorũ Dei dignitas apparebit. Videbimus etenim tunc Deum non per ſpeculum aut in ænigmate, ſed prorſus ſicuti eſt: Hæc eſt vita æterna, hoc eſt ſanctorum præmium. Nunc autem donec peregrinamur à domino, donec hac mortalitatis veſte tegimur, per fidem ambulamus. Hinc eſt, quod de ſpiritualibus naturis, diuina videlicet) angelica, & rationali tam laborioſe inueſtigamus, tam tenuiter capimus, tamq; modicum, quod attingimus, poſsidemus: quum teneri creditur, repentè labitur, & quum inter ſpirituales ſuauiter deguſtatur amplexus, abſque illa euolat præmonitione. Experimento diſcit, amantis animus ex his altercationibus amoris, perfectam non eſſe in præſenti vita fruitionem dilecti. Efficitur ſagacior ex hoc, ardentior robuſtiorque ad agnitionem veritatis, & guſtum charitatis. In his nanq; nutritur, & per hæc quotidie renouatur ſpiritu, transformaturq; de claritate in claritatem. Vltra modum nempe amanti fortiter & dulciter, oneroſus fieret huius peregrinationis incolatus, niſi frequenter ſponſi munuſculis foueretur. Nec immeritò. Conſpicit. n. ſe vanitati eſſe ſubiectum. Atteritur aſsiduis fatigationibus. Contendit ſemper per internam ei, quem diligit, placere exercitationem, amoris vritur deſiderijs, & crebris examinatur tẽtationibus. Hæc cuncta quamuis ex ſpiritus feruore ſint leuia, ex carnis tamen pondere plurimum laborioſa eſſe noſcuntur. Quamobrem ne mens

1. Cor. 1.

deficiat, ne in labore ſuccumbat, & charitate paſcitur & veritate. Charitate quidem, vt à ſeculi amore ſe voluntariè ſubtrahat, veritate autem, ne ignara tentationibus cedat. Quod autẽ non agnoſcitur, eius periculum tum declinatur. Quũ verò hominis vita ſuper terram tentatio ſit, nec quiſquam ſine tentatione viuere poſsit, definiẽdum eſt, quòd nullum tam vtile ab eo, qui Deo ſeruit, ſuſcipitur munus, quàm ſpirituum diſcretionis & internorum motuum claræ experientiæ. Non multum intereſt, ſi diuinæ naturæ, angelicarumque ſubſtantiarum mens careat ſciẽtia, ſed non mediocris eſt damni, ſi ſpiritualiũ tentationum & affectionum non habet notitiã. Multi in ſua ſimplicitate per fidem ſaluati ſunt, quis autem ſine ſui agnitione ſaluus fiet? Proficua valde tentationum ſcientia. Nemo ad virtutum perfectionẽ abſque hac poteſt aſcendere. Hæc eſt via ſine errore, hæc eſt perfectionis ſcala. Quiſquis itaq; virtutum amator eſt, ſui diligens inquiſitor ſit. Quo impulſu, quove affectu ipſius moueatur mens, conſiderare non negligat. Multifarij ſunt interiores animi motus, & ad cognoſcendũ difficiles. Aliter qui incipiunt, aliter verò proficientes mouẽtur. Sicut inæquales ipſorum motus, ita & remedia. Ex cognitione morbi congrua ægroto præbetur medicina. Vbi originis infirmitatis eſt neſcientia, ibi animæ, corporiſque propinqua mors eſt. Diſcant, qui ad perfectionem volunt conſcendere, horũ differentias & cauſas. Qui infirmi ſunt, & ſpiritualis pugnæ prorſus ignari, ſuos habent internos motus, quibus in tẽtationes (vt plurimum) impelluntur. Mouentur enim voluptuoſè. Quũ autem quæ carnis ſunt, ſapiunt, & recenter carnalia reliquerint opera, facilè ad eadem relabũtur. Ignorant ſæpe huiuſmodi ſe quipiam vitioſè diligere, nõ intelligunt, quid carnaliter quidve ſit naturaliter amare, ideo ſeducti ſeducuntur, à ſuis captiui ducuntur paſsionibus, ſua quærunt commoda, & omne quod libet, ſibi licere arbitrantur. Proprias his conantur perficere voluntates, atq; complere voluptates, & poſt carnis concupiſcentias currere non ceſſant, nec prius iſta percipiunt, quam in grauem ruant foueam delictorum, aut tentationum laqueos. Tunc intelligũt, quo fuerint agitati ſpiritu, tũc ſerò apertis mentis oculis ſuum agnoſcunt errorem. In fatuarum numero virginum computandi ſunt, quoniam delectationi carnis, curioſitati ſenſuum, & amori viſibilium, poſtpoſito ſpirituali gaudio, ac interiori bono, proſtituerunt ſe. Inſipidi quidem quum ſint diuinæ conſolationis & inexperti, in creaturarum pulchritudine & delectabilitate ſuum conantur perficere deſiderium. Quod nequaquam aſſequi valẽt. Ideo relicto æternæ vitæ fonte in ſua permanẽt ſiccitate. Hinc tentationibus grauantur, anxie-

tate

tate laborant,& abſque vlla requie perſeuerāt. Nunc iſta, nunc quærunt illa, & tanquam profugi ſuper terram & inſtabiles noua ſemper meditantur adinuenire oblectamenta. Fiunt ſibiipſis (diſpenſante Deo) onerosi, & ſua amplius delectatione vtuntur. Ex alio impelluntur in aliud, & quo plus ſatiari cupiunt, eo ardentiori voluptate fatigantur. De hac aqua (iuxta Saluatoris ſententiam,) Qui biberit, ſitiet adhuc. *Ioan. 4.* Sed ſi quis de aqua, quam ipſe dare pollicetur, biberit, non ſitiet vnquam, quin potius fiet in illo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Hoc autem optimum eſt ac ſalubre remedium ad cōprimēdum voluptuoſos animi motus, vt ſi quis hac ſe ſenſerit peſte vulneratum, omni, qua valet, virtute, ſtudeat diuina frequentare ſacramenta. De dilectione Dei ad homines, & humanitate Chriſti iugiter in ſe cogitando reuoluat, & potiſsimum de futura electorum fœlicitate. Poterit quidem cœleſti illum opitulante gratia, ſi perſeueranter ſe in his occupauerit, voluptuoſum animi affectum, conditoris amore, & cœleſtis patriæ ſuauitate retundere, atque carnis delectationem in ſpiritus iucunditatem commutare, quod ſupergloriosum eſt. Eſt & alius pernicioſus animi motus ineruditum Chriſti militem inuadere aſsuetus. Hic ex conſideratione perfectionis, virtutum altitudinis, & patrum ſanctitatis præcedentium mentem efficit puſillanimem, hebetem & frigidam. Suggerit quoque illi, quanta ſit inimicorum importunitas, ſagacitas, & fortitudo, quanta vitiorum numeroſitas debellandorum, quam grauis carnis ſpiritusque conflictus, quàm diuturnus & conſolationis expers, quàm ve ignotus ſibi animæ profectus. Et ex his quandam cogitationum, tentationumque format congeriem, ſub qua effœminatam obruit deſperatione mentem, non ſe necandi, ſed proficiendi. Quo peracto quum captiua ſe mēs tali ſubegerit deſperationi puſillanimitatis, quis enumeret quantis dilanietur tentationibus, & cogitationibus dilatetur? De cætero velut mortua effecta ſingularia negocia cogitat, quid in mundo agatur perquirit, quæ ipſa egerit, quid facere potuiſſet, ſedula conſideratione meditatur, recluditur in cella corpore, mente verò (vt ſic dicam) omnem ſeculi perluſtrat ambitum. In diuinis inſenſibilis eſt laudibus, qui talibus agitatur motibus, quum per orationis ſtudium Deo vacare vult, vanis potius intendit cogitationibus, interdum etiam obſcœnis. Tempus omne conſumit, nunc ſcurrilia loquendo, nunc pertractando inania, ocio tabeſcit, vigilias abhorret, ieiunia refugit, ſilentium non cuſtodit, diſciplinæ morum ſubeſſe non patitur. Fit miro Dei iudicio, vt dum nullis ſe vult pro acquirendis virtutibus dare laboribus, amplius ociando & dormitando laboret. Dum tentationes ſe euadere arbitratur, in grauiores ſe præcipitet tentationes. Omnium nanque tentationum hæc periculoſiſsima eſt, aut non tentari, aut neſcire ſe tentari, quod Propheta intelligens aiebat Domino, Proba me Domine, & tenta me. *Pſal. 25.* Ignauiæ (vt plurimum) vel inſenſibilitati nō tentari aſcribendum eſt. Probi enim & generoſi milites vix ad momentum quieſcunt, ſed vir virtutis in ſuo etiam labore pacificus eſt, qui autem virtute caret, quieſcendo laborat. Ergo quicunque iucūdè & fortiter præſentis peregrinationis iter peragrare deſiderat, iugum ſuper ſe ſuaue, & leue ſapientiæ onus tollat, atque magnanimiter pro adipiſcenda virtute pugnare non negligat. Sentiet poſt certamen, quantus ſit virtutis triūphus quale meritum, & quam ſuaue gaudium. Qui autem Domini talentum nullo de ipſo facto lucro in terra abſconderit, timeat, ne tāquam indignus à ſponſi conuiuio amoueatur. Eſt quidē diſciplina cœleſtis velut mare. In eo nihil, niſi viuat, perſeuerare poteſt, omne enim morticinū & immūdum ad littora proiicit. Hinc eſt quod in Apocalypſi dicitur, Vtinam frigidus aut calidus eſſes, ſed quia tepidus es, & nec frigidus, neque calidus, incipiam te euomere ex ore meo. *Apoc. 3.* Væ qui euomitur, quoniam regno Dei ineptus iudicatur. Deo autem cuncta poſsibilia ſunt. Quiſquis igitur hos pernicioſos animi motus, & quæ ex ipſis tentationes generantur, euadere concupiſcit, mortis acerbitatem, illius incertam horam, horrendum Dei iudicium, & pœnarum inferni æternitatem, acerbitatemque iugiter meditando reuoluat. Poterit enim reſipiſcere, & rediuiua reſurrectione Deum laudare, vitam corrigere, & veræ reſurrectionis particeps eſſe. Proficientium verò interni motus, & pugnantium pro Chriſto & virtutib. (vt plurimū) proueniūt inſultus & tentationes ex infirmitate, ex ignorantia, ex conſuetudine, ex natura, ex diuina diſpēſatione. Ex infirmitate quidem, cùm diuino mens afflata deſiderio, & virtutum animata profectu, in cunctis quæ agit & loquitur, rectitudinem ſeruare contendit, nec valet. Reuerberata nempe propria infirmitate relabi compellitur. Nam peccati fomite depreſſa patitur nolens, & bene agere volendo non ſinitur. Hæc eſt originalis pœna delicti, à qua nemo quamuis eximia polleat ſanctitate, liber exiſtit. Quotquot enim ex ipſa nati ſunt propagine (exceptis duntaxat mediatore Dei, & hominum homine Chriſto Ieſu, & ipſius matre) ſub hac peccati lege ſunt conditi, vnde Propheta voce *Pſal. 50.* omnium gemens, ait, Ecce enim in iniquitatibus *Rom. 7.* conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. Hinc Apoſtolus deplorans, dicit, Non enim quod volo bonum, hoc facio, ſed quod nolo malum, hoc ago; ſi aūt quod no-

lo, illud facio, non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Condelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnãtem legi mentis meæ,& captiuantem me in lege peccati,quæ eſt in membris meis. Mox verò ſanctorum cum Chriſto regnantium libertatem conſiderans,& eandem concupiſcens, ſuamq; infirmitatem, niſi corruptibilis carnis depoſito onere non poſſe declinare ſciens ſe,optanſque ipſorum beatorum conſortio ſociari exclamando ſubinfert, Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. *Ibid.* Hanc itaq; infirmitatem pro pœna peccati, Dei ſapientia ordinatiſsimè dominari in ſuis permittit electis, vt ſemper vnde ſe humilient, ſeque exerceant,materia non deſit.Conantes enim, quod nequeunt agere,humiles, & ex ipſa eadem impotentia efficiuntur fortes, conualeſcunt de infirmitate,& de bello fortiores fiunt.Hoc diuinæ ſapientiæ magiſterium eſt, quæ virtutis defectũ ad ſanctorum ſuorum facit militare profectum, Hoc de fonte æternæ charitatis noſcitur emanare.Nunquam vult,vt deficiat,qui impugnet, vt ex certamine nunquam deſit,vnde coronet.Sic cùm populum ſuum ad terram duceret promiſſionis,voluit vt cauſa ſemper adeſſet, per quam ipſum tentando probaret, permiſit vt inſequeretur Pharao, vt in deſerto aqua deficeret, vt populi, ad quorum terram poſsidendam vocabantur,reſiſterent, vt etiam eadem poſſeſſa reliquiæ gentium tributariæ,in medio eorum remanerent. Cuncta illa in figura ipſis contingebãt. Non deſperet,ſed pugnet,qui ſe intuetur bonũ non poſſe facere,quod vult. Permittit infirmitatem hanc in carne regnare, permittit etiam ignorantiam in anima perſeuerare,quæ multarum tentationum fomitem ſubminiſtrat. Quis tẽtatione carebit,quũ ſe ignorare videat, quod expediat? quis ſecurus dubitando incedet? Neſcientia dubietatem, dubietas timorem, timor gignit pœnam. Hinc eſt,quòd propheta ſanctus *Pſal. 142.* tam ſedulò precatur, dicẽs, Doce me facere voluntatem tuam,quia Deus meus es tu. Qui enim diligit,& quod Deo magis placet,non ignorat, alacriter operatur, quamuis laborioſum ſit, qui verò ignorat & dubitat,remiſsè agit. Vbi neſciẽtia,ibi mentis inconſtantia, animi puſillanimitas, cogitationum confuſio,alternatio conſilio- *Prou. 3.* rum,perturbatio pacis & ſpiritualis gaudij. Delectabile bonum eſt ſcire quid optimum. Beatus proinde,qui inuenit ſapiẽtiam, & qui affluit prudentia, quoniam melior eſt acquiſitio eius negociatione argẽti, & auri primi & puriſsimi. Lignum quidem vitę eſt ijs, qui apprehẽderint illam,& qui tenuerit eã,beatus. Ipſa planè ignorantiæ fugat tenebras, tentationum tumultus propulſat,ſecuritatem adducit, lætitiam nutrit, & proximum Deo facit. Pro hac adipiſcenda laborare non negligat, qui Deo dicatus eſt. Non in fatigatione corporis, ſed in oratione ſe reuelat. Amat in cordis habitare ſecreto. Mundet ſe,qui ignorantiæ tenebris carere gliſcit. Huius etenim diminutio tentationum minoratio eſt. Ex conſuetudine præterea peccandi quot tentationum bella moueantur aduerſus proficientes, & pro Chriſto luctantes, ſolum norunt qui ipſam demoliri conantur. Semper enim ad id quod reliquit,conſuetudo reflectitur. More quidem fluminis defluentis in alueum hæc repetit, & quandam neceſsitatis legem redeũdi ad priſtina ſuo imponit poſſeſſori. Gratia indigent nõ mediocri,qui inueteratos cupiunt, & volunt abolere mores. Huic rei,difficilis ſeniorum impudicæ vitæ conuerſio,perhibet teſtimonium. Rarus quis eorum inuenitur, qui taliter conuertatur ad Dominum. Obrupti peſsima conſuetudine tanquam quodam arenæ aggere,niſi grandi ac terribili voce excitentur, è monumento reſurgere nequeunt. Nemo itaque tardet in ſuo ſenio conuerti ad Chriſtum. Dum arbuſta noua ſunt & tenella, pro agricolæ beneplacito flectũtur ſine difficultate, ſi autem durato cortice fructificare cęperint, in propria de cætero inflexibilitate perſeuerant. Beatus planè, qui Domini iugum ſuper ſe ab adoleſcentia portare con- *Tren. 3.* ſueuit. Ex longo vſu etiam difficillima, leuia fiunt,potiſsimum vbi gratia cooperatur, vbi verò natura rebellis cõſuetudini copulata eſt prauæ,ibi abſque dubio inſuperabilis eſt pugna, & tentationum rixa indefeſſa. Mens quippe,quæ horum duorum inſultus patitur inimicorum,indiget indui virtute ex alto. Semper vt victoriã *Pſal. 136.* obtineat, euaginatum ſpiritus teneat gladium ad vltionem aduerſariorum, atque mox vt ipſorum paruulos exortos eſſe conſpexerit, ad petram eos allidere non ſit ſegnis. Quod ſi à ſui cuſtodia neglecta virtute dormitare inchoauerit, crudelem in ſe vitiorum ſuſtinebit tyrannidem. Nam vitia continuò in deterius (niſi virtutum diſciplina coerceantur) proficiſcuntur. Superbia,ne contra Deum & proximum ſe erigat,humilitate comprimẽda eſt; voluptuoſa carnis delectatio, ne mentem ad peccati cõſenſum ſubijciat,pudicitiæ vigore refrænetur; cupiditas,ne in amorẽ temporalium accendat animum, deſiderio cęleſtis patriæ repercutiatur; iræ impetus, ne iraſcentem ad odium fratris commoueat,patiẽtię fræno coarctetur; inuidia, ne ad dolorem de bono proximi mentem impellat,dulcedine charitatis dulciſsimè flagelletur, gulæ petulantia, ne aduerſus ſpiritum carnem excitet, ſobrietatis iugo ſubijciatur; accidiæ ignauia, ne à cœpto propoſito animũ faciat tepeſcere, amore virtutũ & rememoratione æternorũ ſine vlla requie ſtimu-

Digitized by Google

ſtimuletur. Vitijs, virtutum oppoſitione reſiſtendum eſt. Nunquam vt ad actũ, nunquam vt pertrahant ad conſenſum, permittenda ſunt. Sicut intus fremunt, vt proſiliant ad opus, ita quoque intus mucrone reſiſtentię iugulentur, iuxta prophetæ admonitionem dicentis, Quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini. Pſal. 4. Huiuſcemodi arte dimicandi, propitiante gratia, debilitatur etiam conſuetudo inueterata, & natura rebellis reformatur in melius. Plus valet gratia, quàm natura, quia ſuperior eſt. Neminem ſpernit, nulli ſe ſubtrahit, quin potius anticipat quærẽtes ſe, & præoccupat dignos ſe. Nemo itaque de infirmitate, de ignorantia, de conſuetudine, de natura excuſationem accipiat, quod non proficit, nullus quia tentatur, conqueratur, nulli niſi ignauo & tepido, ac reſiſtere nolenti tentatio nocet. Feruens & pugnans militat ad ſalutem. Quoſdam ſupra communem modum, & vltra humanas vires Dei ſapientia tentari permittit, vt illos continua & acerrima pugna præ cæteris glorioſiores faciat. Neque ad momentum permittuntur quieſcere, vt deuicto, triumphatoq; hoſte iucundius in perpetuas gaudeant æternitates. Non ſunt igitur Dei iudicia curioſè rimanda, non de permiſsione diuina ratio inueſtiganda. Quiſque ſub verbi gubernatione ſe ponat, cuncta ſibi occurrentia etiam aduerſa & inſcrutabilia reuerenter excipiat. Non poteſt Dei ſapientia errare, fallere nunquam conſueuit. Omnes diligit, omnium ſalutem paterno peroptat affectu. Sui etiam contemptores nõ relinquit ex corde, benigna eſt & exaudibilis, nemo expers eſt beneficiorũ eius, infirmos flagellando cuſtodit, exercitatos tẽtando erudit, prouectos ſpiritu deſerendo accendit, debiles quidem in ſpiritu, vt ſe cognoſcant, vt humilitatis fundamenta iaciant, internis exagitari tentationum impulſibus miſericorditer annuit, robuſtos & ſpiritu caleſcentes, vt ex tentationibus profectum virtutũ reportent brauium, in iis, quæ ſunt pęna peccati, grauiter impugnari permittit, qui verò de vitiis obtenta perfecta victoria in Chriſto ſuauiter quieſcunt, tentantur & ipſi, non tamen ſic, vt cadant, ſed vt cadere poſſe ſe agnoſcant, niſi ex occulta fortè & æquiſsima diſpenſatione. Diuinæ ſapientiæ lex imponenda non eſt. Qui cadat, iuſtè, & qui ſtat, cum illo agitur miſericorditer. Incomprehenſibilia ſunt opera ſpiritus & veneranda. Interdum qui in imis iacẽt, repentè ſuſtolluntur, & qui cęlos aſcendiſſe credebantur, deiiciuntur. (Singulorum tamen ſtatus & merita ex perſeuerantia iudicanda ſunt.) Nam & perfecti quamuis tentationibus humilientur, cæteros nihilominus præcellunt ſanctitate. Ex habitibus virtutum ad exteriora impelluntur, & quò commotos eſſe arbitrantur ab infirmis, eò imitantes incarnatum verbum fortius ſtant. Interdum habent & ipſi motus ſuos, ſed aliis diſsimiles. Accenduntur quidem zelo rectitudinis, & erga delinquentes inuectionis iacula intorquent. Dedignantur, ſed non dedignãter perſecutiones excitant, ſed amantes, non hominis naturam, ſed hominum vitia inſequuntur, vt corrigẽt, non vt perdãt. Saluatoris in hoc cõfirmantur exemplo, qui facto de reſticulis flagello de templo boues & columbas vendentes eiecit, ſubuertitque numulariorum æs. Mat. 21. Mat. 14. Ioan. 2. Hoc Moſes accenſus zelo viginti tria milia virorum, qui vitulum aureum adorare præſumpſerant, vno in die iugulauit. Exo. 32. Hoc Phinees repletus maximam fornicatorum exercuit ſtragem, vnde illi ad iuſtitiam in ſempiternum reputatum eſt. Quotquot ad perfectionis aſcenderunt faſtigium, hoc rectitudinis zelo ardeant. Sua prius inſequantur vitia, deinde ſubditorum, ſua ſine miſericordia, ſubiectorum autem non abſq; pietatis zelo, potiſsimum illorum, qui corrigibiles ſunt. Bonus rectitudinis zelus, ſed pietatis non minus neceſſarius. Vtrunque teneat, qui perfectus eſt, vt miſericordiam & iudicium Domino valeat decantare. Pſal. 100. Vtroque vſus eſt ſuis cauſis & temporibus redemptor noſter. Fleuit ſuper Hieruſalem, fleuit ſuper defunctum Lazarum, ſed increpauit Petrum, & reſpexit Petrum, mundauit templum vænalibus, dicens, Auferte iſta hinc, & nolite facere domum patris mei, domum negociationis. Ioan. 2. Docebat quoque in templo, & clamabat. Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Præcipuũ ſuis in hoc fidelibus Dei ſapientia præbuit documentum, vt quos delinquentes viderint, corrigant, & quos compunctos aſpexerint, pietatis viſceribus fouendo erudiãt. Ioan. 7. Quiſquis itaq; alios ex rectitudinis zelo monere vult, ſemetipſum, ne tentetur, conſideret, quia homo eſt, ſi autem pietatis zelo compatitur delinquenti, caueat ne potius puſillanimitate, quàm compaſsione reticeat. Vtrobiq; diſciplina cenſura ſeruetur. Corripiatur peccatum ſeuerè, & ametur frater delinquens. Veruntamen quoniam in cunctis difficillimum eſt, ita rectitudinis pietatiſque zelum cuſtodire, vt neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram vir ſpiritualis incedat, tertium contra ſe zeli feruorem non negligat aſſumere. Recurrat velociter ad pęnitentiæ lamentũ, & ſe deliquiſſe grauiter conſiteri minimè erubeſcat, atque ſatisfacere non diſsimulet, quum ſe in fratrẽ peccaſſe cognouerit. Sciens quidem Dei ſapientia ſine contagione delicti etiam probatiſsimos viros non poſſe vitæ ſuæ curſum conſummare, dedit generale pro omnium facinorum ſatiſfactione remedium, pœnitentiæ (videlicet) portum, ad quem quiſque fideliter confugerit, quamuis ingenti delictorum faſce oneratus ſit, damnari non poterit. Eſt nanque pœnitentia vna munitiſsimarum ciuitatum, quas

Dominus Moſi mandauit ſegregari in ſalutem fugitiuorum, quatenus ſi quis incautè proximi effunderet ſanguinem, ſecurè & abſque ſui detrimento in qualibet ipſarum habitare valeret. Eſt pœnitentia commune bonũ pro ſalute omnium, accommodatum. Nullum tam immane ſcelus eſt, quod non cordis compunctione deleatur. Infirmus es, & tẽtationum procellis obrutus, clama ad Dominum de profundis, & libe-
Pſal. 33. rabit te. Iuxta eſt ijs, qui tribulato ſunt corde, & humiles ſpiritu ſaluabit. Miles Chriſti es, & contra vitia pro adipiſcendis virtutibus certare cœpiſti. Quum ex infirmitate & ignorantia tentationum pateris incurſum, & tu cum propheta
Pſal. 34. clamare ne obliuiſcaris, & dicito, Iudica Domine nocentes me, expugna impugnantes me, apprehende arma & ſcutum, & exurge in adiutorium mihi, Effunde frameam, & cõclude aduerſus eos, qui tribulant me, dic animæ meæ, ſalus tua ego ſum. Spiritualis effectus es, & in omnib.
Pſal. 51. probatus, ſi ex immoderato zelo vt homo in aliquod incidiſti delictum, dic & tu cum eodem Propheta, Ne proijcias me à facie tua, & Spiritũ Sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali cõfirma me. Eſt quippe vincendi ſingularis fiducia, quũ quis in tribulationum vel tentationum certamine poſitus nouit ad quem tutum poſsit habere confugium.

Quibus conſiderationibus humanus in ſpirituali certamine ſpiritus roboretur. Cap. VIII.

QVemadmodum diuinæ, longè ab humanis diſtant cogitationibus, ita & affectiones. Hoc qui rectè ſapit, capit. De cogitationibus quidem ait
Eſa. 55. Propheta, Non ſicut viæ meæ viæ veſtræ, & cogitationes meæ cogitationes veſtræ, ſed ſicut exaltãtur cęli à terra, ita exaltatæ ſunt viæ meę à vijs veſtris, & cogitationes meæ, à cogitationib. veſtris. Nã humanæ cogitationes quum futura proſpiciũt, ex opinione iudicãt, præterita pauca & ĩperfectè memorãdo pertractãt, pręsẽtia verò tenuiter & cum magno adinueniunt labore, nec tamen illa ſine dubietatis caligine contuentur.
Pſal. 38. Hoc perſpicuè cognouit propheta, quum diceret, Vniuerſa vanitas omnis homo viuens. Veruntamen in imagine pertranſit homo, ſed & fruſtrà conturbatur. Non autem de Dei ſciẽtia ſic. Cognoſcit quippe temporalia æternaliter, commutabilia immutabiliter, contingentia infallibiliter, futura præſentialiter, dependentia independenter, creata increatè. Nec hoc per alia, ſed à ſe, in ſe, & per ſe. De affectionibus autem ratio ſuadet, & quotidiana experientia docet. Qui humanè diligit, quid aliud, quàm felicitatem temporalem, & delectationem propriam in amore quęrit dilecti? Cupit qui ſic diligit, dilectum florere in ſeculo, extolli honoribus, dignitatibus ſublimari, diuitijs abundare, & diuturna viuere vita. Hanc humanam Apoſtolus Petrus affectionem erga Dominum ſe habere oſtendit. Quum enim Dominus multa ſe prædiceret paſſurum eſſe in Hieruſalem, & in ea moriturum, Petrus fiducialiter ait, Propitius eſto tibi, non fiat hoc. Quia ardenter (ſed humanè) di- Matt. 16.
ligebat, quærebat, ſi fortè ex ſua ſuaſione à paſſionis & mortis poſſet eum, quẽ carnaliter amabat, acerbitate liberare. Dei verò incarnata ſapientia hanc carnalem diſcipuli affectionẽ inue- Ibidem.
ctione durisſima repreſsit, dicens, Vade poſt me Sathana, ſcandalo mihi es, non enim ſapis, quæ Dei ſunt, ſed quæ ſunt hominis. Nam hominis affectio ad ea, quæ ſunt carnis, ſe extendit; diuina autem ad illa, quæ ſpiritus ſunt. Homo ſola in diligendo præſentia proſpicit, Deus futura intuetur. Homo vt fruatur dilecto diligit, Deus verò vt dilectus diligẽtem poſsideat. Homo delectabilia, Deus autem diligendo vtilia ſuadet. Qui legit, intelligat. Hinc eſt, quod verbum caro factum nõ delectabilia carni, ſed ſpiritui proficua commendauit, non pacem, vt viſibilia quærerentur, ſed bellum, vt inuiſibilia lucrarentur, ponere in hominibus voluit, vnde ait, Non veni pacem mittere in terram, ſed gla- Matt. 10.
dium. Concitauit bellum, vt ſeparentur ab inuicem, qui ſe inordinate diligunt, vt contra vitia pro amore virtutum dimicent, qui ipſum habere peroptant, vt temporalia pro æternis relinquant, qui fœlicitatis ſupernæ cupiunt eſſe participes. In ſtadio nos conſtituit, pugnandi neceſsitatem indixit, certaminis noſtri ſe iudicem fecit, vincenti coronam propoſuit, pugnanti plurima adminicula præſtitit. Nihil reliquum eſt, niſi vt in conflictu hoc, ſtrenuè præliemur. Munitiſsima nanque pręparauit nobis pręſidia, ad quę quoties in bello fatigamur, ad ipſa accedamus, quatenus reſumptis viribus robuſtiores, ardentioreſque in certamina redeamus. Tutus etenim locus & inexpugnabilis eſt verbi veneranda humanitas, in qua protectus quiſque ab inimicorum incurſibus liber efficitur. Ad hunc inuitabat ipſe Saluator, vt accederemus locum, quum dicebat. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Matt. 11.
Magnam quippe deperditarum virium ſentit reſtaurationem, qui in præſidio hoc habitare nouit. Omnes pene concupiſcentiarum ſopiuntur motus, omnis inimicorum ſæua rabies ſupprimitur, quum in præſidio hoc ſpiritus requieſcit. Non audent aduerſarij irrumpere, & ſecretum turbare verbi perterriti maieſtate; ſed & inimici, ſponſæ pauent aſpectum. Vident quidem ex allocutione ſponſi faciem illius ſolito fulgentiorem, deſideria ardentiora, vires quoq; fo tiores, & locupletiorem gratiam.

tiam: Quis enim aduerſus robuſtum militem ex omni parte armis obtectum habere congreſſum non veretur? Nemo pugnantium ignoret locum hunc. Pacis tempore reſperſus eſt ſuauitate mirabili, belli autem tempore inuictis munitus cuſtodiis. Semper accedere volentibus patet, nullus eſt, qui prohibeat. O pugnatores oſtia hæc intuemini diligentiſsime, lateris, manuum, pedumq́; fixuras videre redemptoris, apertæ ſunt, introire ne timeatis, intus eſt latitudo immenſa deliciæ inæſtimabiles, odoramēta, per quæ omnes interiores animæ ſenſus reparantur, & pacatiſsima quies. Experimini, videte, guſtate quàm ſuaue eſt, quàm iucundum, quàmve tutū commorari in latere Saluatoris. Quum infeſti ſunt aduerſarii, quum illis impares veſtras ſenſeritis vires, quum titubare, formidare, & ipſorum ſuggeſtionibus inclinare cœperitis, ſine mora ad præſidia currite verbi, ad petræ foramina, ad vulnera redemptoris. Conſueuit quidem fortiter pieq́ue protegere accedentes ad ſe. Non autē corporis greſsibus, ſed animæ affectibus, ſed ſedula meditatione, ſed intētione recta, ſed corde pio in eadem ingrediendum eſt. Si attenta mente ò milites æterni regis & humili deuotione cogitaueritis, quanta in carne, dum viueret Saluator ſuſtinuit, fatigationes, peregrinationes perſecutiones, flagella, cōuitia, ſputa, opprobria, contumelia, & millia huiuſmodi, in pedum foramina intraſtis, ſi autem donatas ſanitates, mortuorum reſurrectiones, documenta cœleſtia, & ſpiritus chariſmata, ſi quomodo condidit vos, quæſiuit vos, elegit vos, quotidianis beneficiis fouet vos, & innumeris donis ſine temporis interuallo reficit vos, vigilāti meditatione pertractaueritis, in manuum vulnera proculdubio ingreſsi eſtis, ſed ſi charitatem ipſius ignitam, latitudinem dilectionis, ſapientiam præclariſsimā, theſauros diuinitatis, affluentiam donorum ſponſi, vnionem vtriuſque naturæ, tunc exultate, & lætamini, quia lateris arcana penetraſtis. Munitiſsima ſunt præſidia hæc, & inimicis inacceſſibilia. Ibi reparantur vires, recaleſcit animus, reuiuiſcit ſpiritus, renouatur mens, reintegratur, quod diſſipatū fuerat, quod amiſſum, quod debilitatum, quod fuerat periturum. Hæc de humanitatis præſidiis. Habet & diuinitas præſidia ſua. Ad illa acceſſus eſt, ſed non inhabitatio. Habitant in eis, qui è carcere liberati ipſius clara viſione fruuntur, in eis quoque ipſa ſpirituum ſupernorum cœleſtia agmina ſuas fecere manſiones tanquàm incolæ, & tanquàm cariſſimi perpetuæ vinculis charitatis, & indiſſolubilis funibus amoris ei dulciter copulati. Illis vacare, videre, inhabitare, frui licet, nobis autem acceſſus & receſſus accommodatus eſt. Quoties ſupra nos attollimur, & diuinæ miſerationis profluuium erga delinquentes conſiderando rimamur, quā (videlicet) longanimis ſit diſsimulando eorum peccata, vt ad pœnitentiam redeant, quàm ſedulus corrigendo per corporis flagella, per temporalium damna, per charorum amiſsionē, & multarum inflictionem pęnarū quàm paratiſsimus pęnitere volentib. ad gratiam ſuſcipiendum, toties proſtrata omni deſperatione & diffidentia veniæ ad præſidium munitum euolauimus. Sed etſi reuoluamus animo liberaliſsimam diuinæ bonitatis largitatem circa cūcta, quæ fecit, quomodo cuique creaturarum iuxta ſpeciem ſuam particularia dona conceſsit, minoribus minora, & potiora præſtantioribus, quibuſdam ſolū eſſe, aliquib. eſſe & viuere, nonnullis eſſe, viuere, & ſentire, aliis verò eſſe, viuere, ſentire, & intelligere, tūc de quodā nubilo mētis eruti in quandā exultationem luminis, & admirationis aſſumpti tanquam in præſidio ſublimi nos ſtare videbimus. Præterea ſi opera diuinæ ſapientiæ non negligenter, ſed matura meditatione cogitabimus, qualiter omnia (quamuis in ſpecieb. diuerſa & diſsimilia, quāuis in naturis contraria) quandam diuinæ laudis ex ſuo ordine efficiant harmoniam, ſentiemus vtiq; in iucūdo diuinitatis præſidio nos poſitos. Multa his ſimilia ſunt præſidia, in quibus pugnantis animus collocare ſe meditando valet. Pigris hæc quidē ignota ſunt, amantibus autem dulcia & nota. In his Dauid figuraliter, quum à facie Saul fugeret, cum ſuis habitabat, ideoq́; in cunctis agens proſpere ad regni aſcendit faſtigium. O Dei clementia, quæ omnibus mirabili prouidentia præſtò eſt. Nam ſicut ſpiritualibus ſpiritualia præbet præſidia, ita & infirmis humana proponit exempla. Quid eſt aliud ſanctorum vita, quàm infirmorum exhortatio, & pugnantium vigor? In theatro quippe Chriſtianæ militiæ omnes conſtituti ſunt. Singuli ſua quæque proponunt fortia geſta, in ipſo pueri, puellæ, iuuenes, virgines, viri, ſenes, & decrepiti. Omnes fidei oculo inſpiciendi ſunt, & quanta virtute certauerint cōſiderandi, præ cæteris tamen agones martyrum multum fideles quoſq; ædificant ad certandum. Vnde ipſa Dei ſapientia vt eorundem glorioſiſsimum exercitū proferret in exemplum puſillis voluit in Eccleſia paſsiones illorum tam iugiter recitari, inter quos extitere nonnulli vtriuſque ſexus, qui vltra hominis naturam pugnauerunt acerrime.

Quis etenim non confundetur tēpore dormitans? aut quem non accendet pugnantem pro Chriſto & tribulationibus laborantem ad tolerantiam, ſi audierit, qualiter beata Agatha lętiſſime & glorianter ibat ad carcerem, & quaſi ad epulas inuitata ſuum agonem precibus Domino commendabat, ipſaque quàm fortis in mamillarum tortura, in mortis perpeſsione extiterit? Cæciliam quoque quum carnem cilicio domuiſſe, quum organis cantantibus ipſa in

corde Domino, vt corpus ipſius fieret immaculatum decantaſſe, quum plurima tormentorum genera ſuperaſſe cognitum fuerit, nōne & ipſa ſuo multum prouocabit exemplo? Cuncta beatiſsimorum martyrum vulnera, vincula, carceres, aculeorum cruciatus, lampadū aduſtiones, membrorum ſectiones, excoriationes, perſecutiones, verbera, opprobria, exquiſita & auditu horrenda tormenta ſuis vocibus clamant, vt fortiter dimicetur. Præ omnibus verò incarnati verbi paſsio in exemplum proponenda eſt. Hęc quidem roborat debiles, fouet puſillanimes, excitat pigros, nutrit paruulos, certantes prouocat, accendit perfectos. Huius conſideratio tanquàm myrrhæ faſciculus inter vbera mentis, cōmoretur, vt quoties aduerſa premunt, tentamēta grauant, vires animi in crucifixi ſpeculo reparentur. Cuius etenim ſaxeum pectus non emolliant vulnera ſaluatoris? Quis pati renuet patiēte Domino? Crucifixus quidem reliquit exemplum, vt ſequamur ipſius veſtigia. Proinde nul-

1. Pet. 2.

lus à doloribus Chriſti debet fieri alienus, nemo extraneus ſit à communione ſponſi, ſi gaudij illius cupit eſſe guſtator. Præceſsit gigas magnificus, & paſsionis ſubiit certamen, vt cæteri ei militantes ſimilia ſuſtinere non paueant. Verecundum quippe eſt, vt irrumpente duce tribulationum cuneos reliqui imitari dedignentur. Non eſt abiectum in ſeruo, quod præceſsit in Domino. Dolorem ſerui dolor lenit Domini. Paſsio paſsione vincitur, & cruciatus cruciatib. ſuperatur. Aſpicientes igitur in autorē fidei, & cōſummatorem Ieſum per patientiā curramus ad pro-

Heb. 12.

poſitum nobis certamen, nam & ipſe propoſito ſibi gaudio crucem ſuſtinuit, confuſione contēpta. Habemus autem in illo exemplum, habemus & adiutorium ab eodem. Parum quidem ſine adminiculo proficeret exemplum. Vtrunq; egit. In ipſo inſtruimur, & ab ipſo prouehimur. Talis fieri voluit, vt videretur, audiretur, palparetur, pateretur, & moreretur. Tales quoq; nos facere voluit, vt à natura doceremur, duceremur, & perficeremur. Ipſa quippe natura in ſalutis adiutorium accommodata eſt. Quid enim rationalis ipſius vis naturaliter appetit, niſi ſapiētiam? Ab illa enim eruditur in omni regula veritatis, ex ipſius magiſterio, de morum probitate, de iudicio æquitatis, de gubernatione rei familiaris, de cognitione ſui, de ſciētia naturalium, de ſpiritualium diſcretione, de contemplatione cœleſtium, de illuminatione diuinitatis habet notitiam. Ipſa quidem verbi inſtrumentum eſt, templum eſt, ſedes, & exemplar. Ipſa eſt hominis ornamentum, gubernaculum actionum, iudex rerum, & pediſſequa ſapientiæ. Tolle hāc, & ſua hominem priuabis dignitate. Si hæc abſit, non erit, cui in homine loquatur ſapientia. Iſta deficiente deuiabit amor, langueſcet charitas, diripientur ſpiritualia lucra, ſordeſcet conſcientia, æquitas peribit, præcipitabit opus, offendetur Deus, deficiet meritum, caro dominabitur, & omnes interioris hominis ſpecies denigrabitur. Ipſa edomat concupiſcētiam, detegit errores, cogitationes parit, diſcernit intentiones, affectiones erigit, virtutes attollit, & vitia reprobat. Concupiſcibilis nempe vis animę tanquam indomitum diffluerer animal, ſi non rationis gubernaretur habenis. In mentis etenim arce conſtituta, & velut in tribunali reſidens clamat īnata, ac naturalis ratio, vt toto corde Deus & ex omnibus viribus diligatur. Quomodo nō diliget anima eum, à quo nouit ſe eſſe, per quem viuere ſe intelligit, & de cuius viſione credit futuram ſe beatam? Naturaliter ſi bruta & irrationabilia ex inſtinctu ſuo diligere vidētur ea, per quæ vel ex quorum miniſterio viuunt, cur non magis homo rationis compos Deum diliget, de cuius munere confitetur ſe eſſe, quod eſt? Cœli auiculæ, catelli, & cætera domeſtica animalia, quæ ſocialiter apud homines habitant, quis non miretur, quāta alacritate, quo tripudio, quibuſve amoris nutibus erga beneficos ſuos gratitudinis ſigna exhibeant? Non tamen minus homo, ſi in propria naturali permaneat puritate. Vbi ratio non peruertitur, & voluntas non repugnat ibi naturalis decor elucet, & Deus pura diligitur charitate. Si duo hi conſenſerint in ſpi- Matt. 18.

ritus vnitate, quicquid petierint, fiet illis à patre. Altero ipſorum à ſuo naturali tramite deuiante non poteſt eſſe in homine pax. Vbi hæc conueniunt, ibi nil difficile. Nequaquam beati martyres illata valuiſſent ſuperare tormenta, niſi amborum excellentia fuiſſent armati. Rationalis quippe vis verbi illuſtrata ſplendore, abſque vlla ambiguitate, ſine aliquo errore Deum eſſe cognoſcit vnum principium, à quo omnia, per quē omnia, & in quo omnia, ipſumque bonorum & malorum retributorem, ipſum etiam ſummum & perfectum bonū, cuius fruitio beatitudo eſt, & vita perennis. Hunc ſolum diligendum, quærendum, poſsidendum eſſe ratiocinando cōcludit, & concupiſcibiliter proponit. Concupiſcentia autem in amore mox ſummi accēſa boni, omni, qua valet, virtute nititur eo frui. Hinc exæſtuans vis naſcitur amoris. Quo nāque plus diligit, eo diligendi ardor magis accenditur. Sicq; de ſeipſo nutritur amor, dum amor amorem acuit, amore paſcitur, amando creſcit & perficitur. Vt verò totus eidem inhæreat, nec (ſi fieri poſsit) vel ad momentū ſeparetur, neu quid interponat ſe, quod amorem tepeſcere faciat, cū vitijs luctam aggreditur. Quamobrem iraſcibilē vim animæ in ſuum excitat adiutorium, tanquā ſibi naturæ vinculo copulatam. Hæc de ſua ingenita dignitate neſcit vitiis cedere, nullius patitur habere Dominium ſoli Deo ſe ſubiicit, ſoli

cit, ſoli

cit, ſoli obtemperare cunctorum regi præbet aſſenſum, carnis inſolentiam, & ſenſualitatis petulantiam ſub rationis redigit imperium, virtutes naturaliter appetit, præeminentiam cupit, æterna concupiſcit tanto liberius, ardentiusque, quanto magis ratione ſuadetur, & beatitudinis vrgetur concupiſcentia. Iſte nempe funiculus triplex eſt, qui difficilè rumpitur, *Eccle.4.* ſi in ſua naturali maneat dignitate. Non aduerſis frangitur, non tormentis flectitur, non minis vincitur, non blanditijs ſeducitur, non corrumpitur promiſsis, non ipſa omnium terribiliſsima morte ſuperatur. Ex hoc funiculo athletæ Dei & Chriſtianæ profeſsionis victorioſiſsimi martyres fuere cōſtricti, ideoque nullis ceſſere ſupplicijs, nullis huius ſeculi voluptatibus inclinari potuerunt. Gratia nanque ipſorum naturæ vtente inſtrumento eoſdem inſuperabiles reddidit. A bono quidem Deo bona cuncta faciente, hominis natura bene condita maximum ſalutis eſt adiutorium. Nam etſi nunc inordinata videatur, non conditoris, aut ipſius conditæ naturæ defectui aſcribendum eſt, ſed delinquēti homini, cuius vitio huiuſmodi deordinatio ſuborta eſt. Sic nempe peccati lex & peccandi conſuetudo inoleuit, vt naturæ bono homine abutente, cunctum decorem ipſa videatur amiſiſſe natura. Dei autem ſuper hominis reſtauratione ac ſalute plurimum commendabilis eſt prouidentia, quæ deordinationi huic voluit adhibere remedia. Ad humanę nanque cuſtodiam naturæ, miniſteria inſtituit angelorum. Singulis hominibus proprium deputauit angelū, quatenus ipſorum adiutorio valeant præſentis vitæ tranſire diſcrimina. Ipſi etenim ſancti angeli aereas coercent poteſtates, ne ad libitum nos tentent, eorum detegunt fraudes, eorum argumentis obuiant, ſi cadimus, nos erigunt, ſi ignoramus, inſtruunt, ſi frigeſcimus, accendūt, vbique tanquam fidi comites nos tuentur dormiētes, ſtantes, deambulantes, quieſcentes, operantes, illuminant quoque intellectum noſtrū excitando, diſponendo, & lumen in nos diuinum transformando, purgant nos phantaſmata amouendo, quum eleemoſynas damus, quū oramus noſtras perferunt ad cœlum orationes & oblationes & Deo offerunt, nobiſque deferunt gratiam ac ſpiritualia dona, noſtris gratulātur profectibus, noſtris virtutibus delectantur. O quāto exultant tripudio, quū aſpiciunt crebris nos cœlum pulſare gemitibus, & aſsiduis orationibus diuinum flagitare ſuffragium? O quàm ſuauiter lætantur, ſi viderint nos ſapienter pſallere, deuotè canere, legere frequēter, iugiter meditari, ſine intermiſsione orare, vigilias celebrare, diuinis intereſſe laudibus, diuina frequentare myſteria, lacrymas fundere, & ſedulum Deo exhibere obſequium. Maximum ſpei de ſalute noſtra capiunt ſolatium, ſi ſuper cordis noſtri non dormitemus cuſtodia, ſi mentis diſperſionē aggregemus in vnum, ſi cogitationes ſubtiliter diſcernamus, ſi intentiones dirigamus, ſi prius, quàm proferantur verba, penſemus ſingula, ſi ingeſtis, in moribus, & in omni opere matura circunſpectione viuamus. Nos diligunt, noſtramque zelant ſalutem, tanquam ciuium ſuorum & æterni regni cohæredum. Ipſorum inſpirationibus ſanctis annuere, eorumque ſaluberrimis monitis obedire debemus. Non autem ſub ſanctorum poſitos cuſtodia angelorum, formidare fas eſt. Vt pugnemus viriliter, vt in ſpirituali, qua conſtituti ſumus, Chriſtiana militia perſeueraremus, ſupernorum ſpirituum diuina nos voluit ſapientia muniri adiutorio, eidēque cōplacuit cœleſtis patriæ gloriam polliceri vincentibus. Veruntamen ne vlla ſtrenuè dimicandi maneret excuſatio fidelibus ſuis, hanc ipſam pro ſe certantibus gloriam patefecit militibus. Protomartyr ſiquidem ſanctus Stephanus, *Act.7.* quum ſaxorum crepitantium turbine quateretur, nonne inter æthereos cœleſtis aulæ ſinus vidit Ieſum ſtantem ad patris dexteram? Vidit fidei oculo, & certiſsima veritate agnouit cœlos apertos eſſe pugnantibus pro Chriſto & perſeuerantibus in Chriſto: vnde ipſe dominus: A *Mat.11.* diebus (inquit) Ioannis regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Non tamen ab re Dei verbum dominus reſeratum cœlum, ſeque ſuo militi in articulo mortis conſtituto oſtēdere dignatus eſt. Magna quidem ſapientiæ arte vſus eſt. Nam tacitè imitatoribus ſuis & amicis fidelibus ſignificauit, quod qui ſeculo renunciat, & cui negatur terra, tribuatur cœlum. In talium perſona Propheta ſanctus ait: Domi- *Psal.15.* nus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi. Olim Abraam Patriarcha ad dominicam iuſsionem de terra ſua, de cognatione ſua, & de domo patris ſui egreſſus eſt, vt repromiſsionis terrā ſortiretur & non cunctis, quæ poſsidet, renunciabit Chriſtianus, *Psal.141.* vt cœlorum poſsideat terram, de qua memoratus Propheta ait: Portio mea in terra viuentium? Nam quemadmodum Chriſtiani hæreditas eſt vberior, ita etiam ſit abrenūciatio liberalior. Seipſum nanque Dei verbum quo nil excellentius, nil melius, in ſuorū ſe prębuit hæreditatem ſeruorum. Sublimis & locuples eſt hæreditas hæc, ac nullis terrarum theſauris, aut preciosiſsimis comparanda gemmis. Pro hac adipiſcenda ſeculi reges, & principes, atq; omnium prouinciarum populi ſub fidei catholicæ iugo colla ſtrauerunt, martyrum ſanguis eſt fuſus, repleta monachorum deſerta, patrimonia diſtracta, monaſteria cōſtructa, & Chriſtianæ religionis propagata confeſsio. Ob amorē nempe diuinitatis, & pro cōſequendis cœleſtis

Hieruſa-

Digitized by Google

Hieruſalem delitijs, omnis labor & ipſa mors optanda eſt. Nulla huius peregrinationis mala fœlicitati æternæ æquanda ſunt: ideo Apoſtolus ait: (Rom. 8.) Non ſunt condignæ paſsiones huius temporis ad futuram gloriã, quæ reuelabitur in nobis. Quamobrem,ò milites Chriſti,ò vos, qui diuinis mancipati eſtis obſequijs, ad quos mea dirigitur oratio,excutite de corporis compedibus pedes veſtros: abijcite opera tenebrarum, (Rom 13.) & induite arma lucis. Non hominibus,ſed omnipotenti Deo,cui cœlorum militiæ famulãtur, obtemperare cœpiſtis. Mementote ſcriptum (Hier. 48) eſſe: Maledictus, qui opus Dei facit negligenter. Si humana abſque diligentia, & charitate acta non placent, ſeruitia, quãto magis diuina? Præponentem argentum auro,plumbum argẽto quis non arguet? Nonne amplius, ſi quis pluris æſtimauerit temporalia,quàm æterna,viſibilia quàm inuiſibilia? Redite ad cor,conſiderate cui militatis,veſtramque militiam. Non eſt vo- (Eph. 6.) bis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem tantum,ſed etiam aduerſus vitia, contra ſeculi voluptates,& innatas, atque inolitas concupiſcentias. Aduerſus quoque rectores tenebrarum harum,contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus. Laborioſa planè pugna veſtra eſt, & dubius ſucceſſus: ideoque magna ſit prudentia veſtra,ignitus affectus,timor ſanctus, non dormitans oculus,& conſtantia perſeuerans. Hæc ſunt militiæ veſtræ arma: facilè ſine his quiſque ſuperatur. Nemo veſtrum ad hoc ſpirituale certamen audeat inermis accedere: nullus cũ inimicis abſque prudentia habeat cõgreſſum. Nã qui inconſultè viuit, fallitur leuiter: qui autem prudens eſt, tanquam ciuitas munita efficitur. Veſtrum eſt,ò athletæ Dei,certare: veſtrum & vincere.Sine pugna non obtinebitis victoriam. Propulſate humanum à cordibus veſtris timorem. Formido enim & infidelitas Chriſtianæ profeſsioni aduerſæ ſunt. Pudeat quemque veſtrum diffidere de Dei immenſa bonitate.Præparauit equidem pugnãtibus tutiſsima præſidia, ad quæ confugiant: propoſuit exempla,quæ erudiant,accendantque: præbuit adiutoria,quę prouehant & cuſtodiant: patefecit cœleſtia regna, vt in quæ introeant.Currite igitur,currite prius quàm ianuæ claudantur: ne cum fatuis virginibus excluſi à regno ingemiſcatis,dicentes: Do- (Mat. 25.) mine,domine aperi nobis. Donec dies eſt,dum (Eſai. 55.) operari licet, cõcito gradu ad alta virtutum pergite. Iuxta Prophetæ vocem. Quærite dominum,dum inueniri poteſt: inuocate eum dum prope eſt. Nam qui olim longè erat,prope factus eſt.Fecit quidem grande conuiuium,nuptias celebrauit. Nemo itaque ipſius verbi caſtiſsimo dignus fiet connubio, niſi in ſpirituali conflictu probatus fuerit & coronatus.

De vnione in Chriſto celebrata diuinæ & humanæ naturæ in vnitate perſonali. Cap. IX.

INter cætera, quæ diuina maieſtas ad ſui dignata eſt condere gloriam, hominis natura excellentior comprobatur. Duplici nanque fulget dignitate,ornatu (videlicet) corporalium, ac ſpiritualium ſenſuum. Per corporis quidem ſenſus viſibilium & corporalium notitiam habet.De coloribus,ſpeciebus,vocibus,ſonis, odoribus, fœtoribus, & huiuſmodi multa optimè dijudicat (niſi fortè aliquo ſenſus carnis impediantur obſtaculo.) Spirituales quoq; habet ſenſus,vt ſpiritualia diſcernat. Non enim veritas,bonitas, charitas corporis oculo inſpici poteſt,ſed mentis. Spiritualia dona, internæ aſpirationes,ſubſtantiæ cœleſtes,& amoris ſancti præludia interioribus animæ ſenſibus patent non corporalibus. Carnales carnalibus,& ſpirituales vtuntur ſpiritualibus. Primi diffluunt extra ſe quæritantes,qualiter paſcantur viſibilibus: ſecundi autem longè præſtantiores, ſecum habitant, ſuas ſecum ferũt delitias, vnde nutriantur: nunc viſu, nunc interno reficiuntur guſtu.Nam quamuis exterior ipſorum homo corrumpatur, (2.Cor. 4.) tamen is, qui intus eſt, renouatur in dies,vt ad ſuam reformetur imaginem. Oculos aperiunt ad Dei intuendum magnalia,aures,vt audiant,quid in illis loquatur Deus: olfactum,vt futura præſentiant: guſtum, vt quàm ſuauis ſit dominus, percipiant: tactum, vt de verbo vitę, quod apud patrem erat,& apparuit hominibus, certi ſint. Nam etſi Deus ſpiritus ſimpliciſsimus eſt & inuiſibilis ſubſtantia, vt ſpiritualibus animę ſenſibus fieret capabilis,maximo ſuę pietatis myſterio viſum, auditũ, cęteraque ſenſuũ officia, ac humani corporis membra ſibi ineſſe in ſacro voluit atteſtari eloquio. De viſu nanque auditu propheta ait: Oculi domini ſuper iu- (Pſal. 33.) ſtos,& aures eius ad preces eorum: vultus autẽ domini ſuper facientes mala.De olfactu autem, quum peracto diluuio ſanctus Noë de cũctis pecoribus & volucribus mundis obtuliſſet holocauſtum,diuinus ſermo ſic ait: Odoratuſque eſt (Gen. 8.) (Eſai. 62.) dominus odorem ſuauitatis. De ore Eſaias ait: Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os domini nominauit. De manibus propheta inquit: (Iob. 10.) Manus tuæ fecerunt me, & plaſmauerunt me. De pedibus alter ait propheta: Cœlum mihi ſe- (Eſai. 66.) des eſt,& terra ſcabellum pedum meorum. Ex huiuſmodi quidem tropicis locutionibus nõ dedignatur ſereniſsima & inclyta Dei maieſtas humanam ſe oſtendere habere formam, vt informet homines. Inclinando enim ſe erigit nos infirmando ſanat & erudit. Nemo tamen ſic deſipiat,vt humanam arbitretur Deum habere formam,aut humanis ſubiacere ſenſibus.Nullo horum diuina indiget natura,quamuis in homine à verbo aſſumpto cuncta membra fuerint hu-

manæ,

Digitized by Google

mana, tanquam in homine perfecto. Omnes
iſtæ locutiones de Deo, & de anima humano
prolatæ vſu ſpiritualiter intelligendæ ſunt. Nã
talium ſacræ paginæ plenę ſunt. Propterea in
ſanctarum expoſitione atque lectione ſcriptu-
rarum,& potiſsimum in materia ſacri verbi ani
mæque connubij,quæ in hoc volumine ipſo fa-
uente verbo tractanda eſt, omnis carnalis intel
ligentia, omniſque indoctæ humanæ ſcientiæ
ſenſus amouendus eſt. Qui enim ſpiritualia &
diuina carnaliter intelligit, cæcatur à luce: ex
dulcedine amareſcit,& proprio mucrone ſe pe
rimit. Ad ſuæ notitiam veritatis diuinus ſermo
humilem,rectè credentem, ſimpliciter ambulã-
tem,& ardenter amantem admittit:cæteros ve
rò tanquam indignos ſe, foris ſtare permittit.
Quis nanque (niſi ſanum habeat cordis pala-
tum, & oculos mentis diuina luce perfuſos) ca-
pere valebit cœleſtis myſteria ſacramenti: quũ
Ieſum Dei verbum in Euãgelio audiet loquen
Mat. 22. tem & dicentem: Simile eſt regnum cœlorum
homini regi, qui fecit nuptias filio ſuo? Quæ-
ret,qui carnem ſapit,vbi ſponſus, vbi ſponſa,
vbi nuptiarum locus? Quum autem nuſquam
carnales viderit epulas,ſymphonias & muſico-
rum non audierit ſonitus, nec choreas ducen-
tium ſenſerit tumultus; eſſe deliramenta puta-
bit, quod Prophetarũ vocibus ſpiritus ſanctus
proloquitur. Præter id, quod ſenſibus ſubia-
cet, nil eſſe arbitratur. At quiſquis ſpiritu vi-
uit,& ſpiritu ambulat,qui iudicans omnia à ne-
mine iudicatur, qui Prophetarum oraculis cre-
dit, & ſanctorum autoritatibus cedit, fideliter
hæc omnia confitetur,veneratur & colit. Vtriuſ
que nanque teſtamenti doctus eloquijs quod di
dicit,fatur:& quod expertus eſt, nõ veretur aſ-
Eſai. 61. ſerere. Prophetam audit dicentem: Quaſi ſpon-
ſum decoratum corona, & quaſi ſponſam orna
Ibidem. tam monilibus ſuis. Et eundem iterum: Et gau-
debit ſponſus ſuper ſponſam, & gaudebit ſuper
te Deus tuus. Alium quoque prophetam,& plus
quàm prophetam,quo nullus inter natos mulie
Ioan. 3. rum ſurrexit maior, audit loquentem ſic: Qui
habet ſponſam,ſponſus eſt. Amicus autẽ ſponſi
qui ſtat & audit eum, gaudio gaudet propter vo
cem ſponſi. Sub hoc quidem ſponſi ac ſponſæ
vocabulo ſanctus ſpiritus, diuinam ad hominũ
genus voluit commendare charitatem, & verbi
ad animam ſpiritus vnitatem. Si enim relinquẽs
Mat. 19. homo patrem & matrem,& vxori adhærens fit
vnum cum ea:& ſic efficiũtur duo in carne vna
quanto magis humana diuinæ adhærendo natu
ræ in vnitate perſonali vnũ fient? Sed & ſi quis
adhærens meretrici vnum efficitur corpus, nõ-
ne amplius,ſi Eccleſia adhæret Chriſto, vnum
corpus ſunt? Sacramenta magna hæc ſunt,pro-
1.Cor. 6. funda myſteria,ſpirituales nuptiæ,& ſpirituali-
ter perſcrutandæ. Sponſus nanque Verbum
eſt ſponſa humana natura: ſponſa ſancta Ec-
cleſia:ſponſa fidelis anima: non qualiſcunque,
ſed talis,quę meritis & dilectione ſponſę voca-
bulo digna ſit. Vt autem verbum, Deique ſa-
pientia ſuas cum filijs hominum delitias eſſe no
tificaret,humanam homo factus, aſſumpſit na-
turam,ſibique copulauit Eccleſiam: atque in fi-
de & charitate deſponſauit & quotidie deſpon
ſat deuotam ſibi animam ſemper caſtè, ſemper
miſericorditer. Nunquam ſua quęrens com-
moda, ſed ſponſę. Nulla capit mens ſacramen-
torum altitudinem, donorum numeroſitatem,
vnitatis vinculum,& immenſitatem charitatis:
quę inter diuinam naturam & humanam, inter
Chriſtum & Eccleſiam,inter verbum,& animã
concurrunt mirabiliter. Omnis caligat intelle-
ctus,ratio excluditur,miratur cœlum, veneran-
tur cœlorum militię,tantorum arcana myſterio
rum fari nequeunt,& tacenda non ſunt. Gau-
deat homo in hac ſuperari materia. Cuncta nã-
que diuina ſunt, quę in ipſa ſunt: cuique pro-
prius propter ſui excellẽtiam debetur tractatus.
Prout poterit (non tamen vt dignum eſt) ſer-
mo explicabit pauperculus:indocta lingua,inge
nium rude,& tepens animus. Quis autem per-
cunctari valet? quis ſufficit reſerare Dei digna-
tionem,& hominis gloriam in ipſo Dei, homi-
numque mediatore? Humana etenim natura,
quę prius iacebat deformis,& contemptibilis vt
adultera,nunc ad diuinitatis thronum euecta re
ſidet, vt chariſsima ſponſa: & quę ante diaboli
tyrannide pręmebatur vt ſerua,nunc ſupra om-
nem beatorum ſpirituum eleuatur gloriã: & ve-
nerabiliter honoratur vt regina. Totum hoc
fit:quia Deo copulata eſt:quia verbi ſponſa eſt:
vna perſona,& vnus Emanuel. Hanc autem hu
manę naturę gloriam longè antè, quàm mani-
feſtaretur, pro hominum exhortatione & ſola-
tio prioribus patribus, ſanctiſq; prophetis Dei
bonitas voluit pręmonſtrare. Hinc eſt,quod ſu-
perno irradiati ſplendore, & mira pręſentię il-
lius reſperſi fragrantia: atque venuſtatis maie-
ſtatiſque ipſius allecti decore,tanto cum deſide
rio eiuſdem mediatoris flagitabant aduentum.
Vnde prophetarum eximius dicebat: Obſecro Exod. 4.
te domine:mitte quem miſſurus es. Alius quo- Pſal. 84.
que aiebat: Oſtende nobis domine miſericor-
diam tuam,& ſalutare tuum da nobis. Alter etiã
ſic: Rorate cœli deſuper, & nubes pluãt iuſtum:
aperiatur terra,& germinet ſaluatorem. Iterum Eſai. 45.
que: Vtinam diſrumperes cœlos,& deſcẽderes.
Amoris nanque illius ardẽtes deſiderio, voces
ſui tam ſedulò ingeminabant affectus. Sciebant
quidem delectabilem ipſius eſſe pręſentiam,lo-
cupletem gratiam, ſublimem gloriam, vberẽq;
mercedem. Propterea propheta loquebatur,
dicens: In illa die ſtillabunt montes dulcedinẽ, Amos 9.
& colles fluent lac & mel: tunc lętabuntur de-
ſerta

ſerta & i[illegible]na, & exultabit ſolitudo, & florebis quaſi lilium: germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans. Ipſi videbunt gloriam domini, & decorem Dei noſtri. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebũt: tũc ſaliet ſicut ceruus, claudus & aperta erit lingua mutorum. Quare ſanctorum omnium tanta iubilatio? Quæ ipſorum cauſa lætitiæ, niſi quia

Baruc. 3.

Deus in homine viſus eſt, & cum hominibus cõuerſatus eſt? De hoc teſtimonium Euangeliſta perhibet, dicẽs: Verbum caro factum eſt, & ha-

Ioan. 1.

bitauit in nobis: & vidimus gloriam eius, gloriã quaſi vnigeniti à patre, plenum gratiæ & veritatis. Verbum ſponſus, caro ſponſa. Virginalis vterus thalamus, in quo factum eſt, & de quo egreſſum eſt, vt habitaret in nobis. Hoc exprimere Cithatœda ſanctus voluit, quum in Pſalmo caneret, dicens: In ſole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus procedẽs de tha-

Psal. 18.

lamo ſuo. Meritò talis eligitur thalamus, in quo diuina celebrentur myſteria. Erat quidem beata virgo thalamus puritate nitidus, motibus ornatus, & omni prę́ditus ſanctitate, floribus aſperſus, virtutibus decoratus, fragrãs caſtitatis odore, charitate feruens, virginitate redolens, pollens humilitate. Ipſa eſt glorioſa domina, & beata fœmina, innupta & fœcunda, mater & virgo, ancilla & genitrix, quæ culpam abſtulit, & dedit gratiam, quæ contulit mundo pacem, hominibus Deum, finem vitijs, vitæ ordinem, moribus diſciplinam. Ipſa eſt, quæ ſuſcepit verbũ, concepit filium, & peperit Chriſtum. Ipſa effecta eſt porta cœli, paradiſi ianua, ſtella maris, ſolarium mundi, peccanti refugium, naufraganti portus, auxilium periclitanti, erranti via, deſperanti ſalus, mundi interuentrix, interẽptrix peccati, diaboli terror, & ſpiritualibus nequitiis pauor. Ipſa eſt tabernaculum teſtamenti, arca fœderis, templi propitiatorium, thronus Dei, virga florida, nubecula leuis, hortus concluſus, ſignatus fons, porta clauſa, columba immaculata, roſa redolens, lilium candens, flos nitens, virgula fumans, oliua virens, vitis fructificans, cupreſſus ſe attollens, palma frondẽs, terebinthus ſe expandens, campus germinans, terra pullulans. Eſt etiam ipſa glorioſa aurora ſurgens, lucifer rutilans, luna pulcrior, ſole ſplendidior, auro purior, gemmis precioſior, balſamo ſuauior, margaritis charior, nectare dulcior, omni harmonia delectabilior. Hæc eſt virgo pudiciſſima, quæ chirographum aboleuit decreti & proparentum abſtulit opprobrium, quærenti ſæculo ſtillicidia gratiæ irrorauit, & ipſum fœcunda ditauit fruge: quæ pereunti mundo & aquarum diluuio inundanti, portum ſalutis aperuit. Hæc nempe eſt virgo ſanctiſſima, quæ virtutum omnium ornata decore, & gratiarum plenitudine, atque donorum cœleſtium irradiata fulgore, cœlorum regem ſuo ad ſe traxit odore. Nimio nanque innocentiæ ac virginitatis reſperſa candore, tanquam præ cæteris ſanctior Dei mater efficitur. Hæc quidem propter humilitatis meritum & feruentiſſimum charitatis affectum ab altiſſimo adamatur: eligitur à verbo, fœcundatur ſpiritu, diuina prole ditatur, in ſcripturis præfiguratur, à Prophetis prænunciatur, præponitur archangelis, cœleſti, omnique præfertur militiæ. Quem enim cœli capere nequeunt, & omnis natura miratur, Maria mente concepit: concepit in ventre, geſtauit in vtero, nutriuit lacte, fouit gremio, brachijs amplexata eſt. Dignũ quippe fuit, vt talis eſſet mater vnigeniti Dei plaſmatoris omnium conditoris ſeculorũ. Quicquid honoris, quicquid dignitatis, quicquid meriti, quicquid gratiæ, quicquid eſt gloriæ, totum fuit in Maria. Magna quum naſcitur, maior quũ concipit. Vbique ſancta, vbique plena, vbique immaculata. Sancta quidem mente & corpore, plena gratia & virtute: immaculata verbo & ſponſo. Veruntamen ſi tanta donorum prærogatiua beatæ virgini collata eſt, vt genitrix fieret domini, quantam putandum eſt prærogatam eſſe homini Deo? Si innumerabilium ornamentis meritorum nouimus prę́ditum thalamum nuptialem, qualia æſtimanda ſunt ſponſæ monilia? Quantum à ſolis ſplendore lunæ diſtat claritas aut ſtellarum: tantum munera Chriſti à matris muneribus. Nulla hominis facundia, nullus humanus explicat ſermo excellentiam vnionis diuinę, humanę que naturę. Itaq; quum ad intelligendum huiuſmodi ſacramentum mens accedit humana, abigat omnino à ſe terrenarum caliginem rationum; & ab illuminatę fidei oculis mundanę ſapientię fumus abſcedat, prę̨cedat intelligentiam fides, & ratio cedat Dei ſapientię, ſemper ſibi deeſſe arbitretur. Nemo enim ad cognitionẽ veritatis magis appropinquat, quàm qui intelligit in rebus diuinis etiam ſi multum proficiat, ſibi nunquam deeſſe, quod quęrat. Quis verò ad plenum capere ſufficit, quod credere compellitur: qualiter (videlicet) verbum Dei manens cum patre, noſtra ſuſcipiens, & propria non amittens, in homine hominem renouans, in ſe incommutabilis perſeuerat? Verbum quippe Deus dum conciperetur, veritatẽ carnis accepit ex virgine: & quũ naſceretur, integritatem virginitatis ſeruauit in matre. Neque enim ſic ſerui formam accepit, vt amitteret formam Dei, in qua patri ęqualis eſt. In forma nanque ſerui, quàm aſſumpſit, minor eſt patre: ſed in forma Dei antequã formam ſerui acciperet, ęqualis eſt patri. In forma Dei verbum, Deus de Deo, de ęterno coęternus, de luce lux. In forma ſerui natus ex muliere, factus ſub lege. In forma Dei fecit hominẽ, in forma ſerui factus homo, in forma Dei dominus an-

nus angelorum, in forma ſerui ab angelis paulo minus minoratus. Suſcipiendo enim humanitatem non amiſit diuinitatem: factus humilis manſit ſublimis. Ex Deo Dei filius ſecundum veritatem diuinæ naturæ, & ex homine hominis filius. Non autem duo filij, ſed vnus filius confitendus eſt. Non verbum in carnem conuerſum aut mutatum: ſed carne vt carnalibus congruenter appareret indutum. Ita ſanè factum, vt non tantum ibi ſit Dei verbum & hominis caro, ſed etiam rationale animal. Atque hoc totum Deus dicatur propter Deum, & homo propter hominem. Tanta verò eſt vnio vtriuſque naturę, vt totus dicatur Deus, totus homo, & viciſsim Deus homo, homo Deus. Hanc naturarum vnitatem in vna perſona diuina cōprobauit autoritas. Quum enim Moſes Deo loqueretur, poſceretque inſtanter, vt ipſius oſtenderet gloriam, reſponſum accepit. Dixit namque illi Deus. *Exo. 33.* Non poteris videre faciem meā, non enim videbit me homo, & viuet. Et iterū. Ecce (inquit) locus eſt apud me: ſtabis ſupra petram: quumque tranſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea donec tranſeam: tollamque manum tuam, & videbis poſteriora mea, faciem autem meam videre non poteris. In Euāgelio quoque ipſa vox patris euidentiſsimè teſtificatur, quum trāsfigurato domino Apoſtolis ait: *Matt. 3.* Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite. Eadem ipſa veritas Chriſtus de ſeipſo dicit ſic: *Ioan. 3.* Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcēdit de cœlo, filius hominis, qui eſt in cęlo. Adeò quippe ineffabilis & incomprehēſibilis eſt vnio verbi hominiſque, tantæque perfectionis, vt veriſsimè Deus dicatur ab hominibus viſus, cum hominibus conuerſatus, pro hominibus illuſus, flagellatus, crucifixus, mortuus. E contrariò homo fecit cœlum & terram: condidit angelos, gubernat vniuerſum, in ſede reſidet maieſtatis, in throno Trinitatis, ad dexteram Dei, ad æqualitatem patris. Nam Deus & homo vna eſt perſona, vnus Chriſtus, vnus mediator Dei & hominum: & ſi quid melius dici poteſt. Nullum tamen diuinitas ſuæ omnipotentiæ detrimentum ſubijt: nec ſerui forma Dei formam violauit: quia ſumma & ſempiterna Dei eſſentia, quæ ſe ad humani generis inclinauit ſalutē, nos in ſuā gloriam tranſtulit: & quod erat eſſe non deſijt: vnde quum vnigenitus Dei minorem ſe patre confitetur, vel quum ſe dicit æqualem, veritatē in ſe formæ vtriuſque demonſtrat, vt & humanam probet imparilitas, & diuinam declaret æqualitas. Maieſtati igitur filii Dei corporea natura nihil abſtulit, nihil contulit: quoniam incommutabilis ſubſtantia nec augeri poteſt, nec minui. Quod enim verbum caro factum eſt, non hoc ſignificat, quod in carnem ſit Dei natura mutata, ſed quod à verbo in vnitatem perſonæ ſit caro ſuſcepta. Ideoque Apoſtolus, vt in domino Ieſu Chriſto & verbi diuinam prędicaret eſſentiam, & aſſumptus homo ad quantam prouectus ſit, notificaret gloriam, ad Hebræos *Heb. 1.* ſcribens, ait ſic: Multifariam, multiſque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouiſſimè autem loquutus eſt nobis in filio, quē conſtituit hæredem vniuerſorum, per quem fecit & ſecula, qui quū ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis. Tanto melior angelis effectus, quāto differentius præ illis nomen hæreditauit. Ad tantam itaque hominis natura à verbo aſſumpta eſt gloriæ ſublimitatē, vt ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur, non ſolum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro, prælata ſit. Neque dedignantur eundem deferre honorem aſſumpto homini, quem Deo, quum Deum & hominem vnum agnoſcant Chriſtum. Ipſius mirantur gloriam, venerantur pręſentiam, obtemperant maieſtati, ſubiiciuntur imperio, laudant magnalia, delectātur ſpecie, fruuntur ſapientia. Non autem valēt non magnificare & colere, cuius pedibus vidēt cuncta ſubiecta, omnia famulari: quem vident ſibi propoſitum, præſidentem cœlo, regentē terram, implentem vniuerſa. Eo quidem venerabilius, ardentiuſque eundem honorare ac laudare deſiderant, quo perſpicacius diuinam in homine contemplantur eſſentiam. Nam ipſius cognitio beatitudo eſt. Vnde idem dominus ait: *Ioan. 17.* Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Ipſum itaque honorificant tanquam Dei filium, tanquam patris imaginem, gignenti coęqualem, ſeculorum regem, electorum caput, conditorem ſuum, ſuæque reſtaurationis autorem. Maximam quippe naturę ipſorum exercuit ruinam ille apoſtata angelus, qui corde elatus, & ſummum bonum atq; priuatum commodum propria quærēs virtute aiebat: *Eſai. 14.* In cœlum conſcendam, ſuper aſtra cœli exaltabo ſolium meum: ſedebo in monte teſtamenti, in latere Aquilonis: aſcēdam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſsimo. Quotquot autem illius nefariæ cogitationi præbuerunt aſſenſum, cum eo ſimul in damnationis baratrum perierunt: ob quorum exitialem irremiſſibilemque caſum magnā ciuium ſuorum iacturam cœleſtis Hieruſalē pertuliſſe cognoſcitur. Non enim dignitate, non felicitate, ſed numero imminuta eſt: quæ niſi per hominem, hominumque naturam reſtaurari non debuit. Nam ad hoc ipſum, hominum genus conditum fuit: propterea Propheta ſanctus angelorum, hominūque naturam ardenter cōcupiſcens poſt vtriuſ-

que

Digitized by Google

que lapſum reſtaurari inſtanter dominum precabatur, dicens: Benigne fac in bona voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Hieruſalem. Quamobrem Dei ſapientia induens ſe miſeratione ex alto ſemetipſam exinaniuit, ſerui formam ſuſcepit, centeſimam quæ perierat, ouem quæſiuit, errantem per deuia inuenit, inuentamque ſuis humeris (ſoluto prius ouis debito) ad ſuperna paſcua reportauit. Abinde citra, maceria angelorum & Hieruſalem ſancta reædificari cœpit: atque quotidie reintegratur de viuis lapidibus quadratis & ſectis tribulationum ferro & exercitio virtutum. Factus eſt ex hoc paries vnus, vna ſocietas, par gloria, concors fraternitas hominum angelorumque; faciente ipſo verbo carne Dei & hominis filio hoc in ſe. Eſt nanque angularis lapis: qui parietes duos copulauit in vnum hominem: pacem faciens iis, qui longè, & iis qui prope. Hinc eſt, quod apparente in carne verbo angelus ſe non permittit ab homine adorari. Agnoſcit quidem in homine puro, imaginem hominis Dei regnantis ſuper ſe viuentis in ſecula. Quam enim intuetur hominis naturam ad Dei æqualitatem eleuatam in vnitate perſonæ, nequit deſpicere, nec valet non diligere. Veneratur in homine Deũ, adorat Deum hominem, in quo omnis diuinitatis plenitudo, habitat corporaliter, hominumque conſortio lætatur vehementer. Ob hoc maxima hominibus lætitiæ oboritur cauſa & magna nobilitatis ſuæ ingenitæ notitia: atque diuinæ charitatis ad ipſos præcipua experientia, dũ naturam ſuam conſpiciunt ad tantũ gloriæ culmen eſſe prouectam. Si ſic angelus hominem honorificat Deum, quid ipſi agere debent homines? Si angelus alienam ſic colit naturam, cur non magis homines propriam? Veneremur itaque Deum hominem omni, quo valemus, affectu. Honoremus in Deo homine naturã noſtram, diligamus nos in ipſo, ſeruemus nos ipſi, ambulemus ad ipſum, permaneamus in ipſo, delectemur in ipſo, vt poſtea fruamur ipſo. Pluris quidem in ipſo, quàm in nobis æſtimãdi ſumus. Nos etenim ſine ipſo inutiles ſumus: filij computamur gehennæ: vaſa efficimur mortis, & ſtipulæ æternis deputandæ incendiis. In ipſo autẽ filii exiſtimus Dei: ſocij gloriæ angelorum, mẽbra corporis Chriſti. De huiuſmodi corporis vnitate, de compagine capitis & membrorum: de nuptiis Chriſti & Eccleſiæ ſequens tractatus exponet. Diuinum igitur exhibeamus honorem Dei filio & hominis: verbi ſponſam naturam noſtram magnificè laudemus: quoniam in ipſius ineffabili & ſacroſancto cõnubio magnũ eſt ſacramentum pietatis & vnitatis, quod manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum eſt in ſpiritu: apparuit angelis, prædicatum eſt gentibus: creditũ eſt in hoc mũdo & aſſumptũ eſt in gloria.

Pſal. 50.

Ephe. 2.

De plenitudine gratiæ & ſapientiæ Chriſti: atque de ſpirituali copula Chriſti & Eccleſiæ. Cap. X.

HOmo quemadmodum alijs omnibus charior eſt Deo creaturis, ita ab eodem potiora ſuſcepit munera. Naturam quippe ipſius varijs donorum tam naturalium quàm ſpiritualium decorauit gemmis, vt in ea ſuæ largitatis aperiret theſauros, diſceretque homo in ſeipſo, quantum Deo deberet honorem, quantumque illi teneretur impendere dilectionis affectum. Nam beneficium amoris indicium eſt. Contulit nanque illi inter præcipua naturæ ornamenta, vt eſſet ſociale animal nec ſolus poſſet viuere. Hoc ſanctorum autoritas, hoc naturalis ratio, hoc vniuerſalis teſtatur vſus, & experientia ſingulorum. Hinc eſt, quod in omni terrarum orbe tot hominum millia vtriuſque ſexus, diuerſi generis, imparis conditionis, complexioniſque variæ, in ruribus, in caſtris, in ciuitatibus ſparſim cohabitare, & ſimul viuere noſcuntur: vnde ciuitas à ciuiũ vnitate nomen ſortita eſt. Vbi autem vnitatis compago deeſt, etiam ipſa affinitatis, fraternitatis, familiaritatiſque naturalis affectio diſſoluitur, & periclitatur. Quotidie nanque bella, ſeditiones, contentiones, liuores, odia, perturbationes, & his ſimilia cernimus oriri inter parentes & notos, & eoſdem tanquam ferales beluas, & iumẽta irrationabilia ſe viciſſim opprimere, dilaniare, percutere, & interimere. Quare hoc, niſi quia quiſque illorum illicito communi & vniuerſali bono proprium requirit ac priuatum? Eo nanque vnitatis & charitatis citius diſſipatur vinculum, quo ardentius ſua non aliorum quilibet lucra ſectatur. Non autem ſic naturalis ſocietas, non ſic amor fraternitatis, & vnitas charitatis. Hæc etenim nihil habent ſingulare, nĩ propriũ nec minus alieno, quàm ſuo gaudent bono, ſua libenter impertiuntur, gratis tribuunt, hilariter communicant, ſe exponunt, vt aliena quærant: ſuo ſe priuant commodo, vt proſint cæteris. Sed vnde minui ab inſenſatis arbitrantur charitatis & vnitatis diuitiæ, inde augentur & creſcunt. Quum erogantur, multiplicantur: cum ad profectum militant proximorum, cumulantur. Hoc in diuinis figuratur hiſtorijs. Nam cum fames Iſraelitarum terram inuaderet, & cœlum per dies plurimos non daret pluuiam, ad mulierculamque quandam diceret Helias vt ſubcinericium paruulum ei de modico farinulæ & olei cõficeret panem, illa Prophetæ verbo obtẽperans, hoc promeruit, vt ex illa die vſque poſt triẽniũ farinæ hydria non deficeret, & olei lecythus nõ minueretur. Tanto quidem largius abundauit, quanto confidentius Prophetæ vitam de propria ſtuduit ſuſtentare inopia. Non enim ſapientiæ & charitatis poſſunt minorari theſauri: ſed neque occultari debent. Nam ſicut erogati ex cha-

ex charitatis æmulatione fraternæ augentur, ita quoque negligenter occultati depereunt. Quãto igitur quiſque profuſior eſt ad communicanda ſibi dona conceſſa pro conſeruando vnitatis vinculo, & augendo charitatis bono, tanto efficitur Deo gratior, populis amabilior, & meritis ditior. Producantur ad hoc comprobandum in medium Ioſeph, Moſiſque exẽpla poſt ad mediatoris noſtri gratiam, vnionem, charitatemque commendandam ſermo decurrat. Ipſe nanque operis huius autor eſt & cauſa. Erat Ioſeph ſanctus ſuper vniuerſam præpoſitus Aegyptum, qui ob ſibi diuinitus ſapientiæ conceſſam gratiam quum in horrea regis innumerabilem frumenti congregaſſet copiam, vidiſſetque populum cunctum periclitari fame, ſui immemor commodi plebis inopiã ſtuduit ſubleuare. Vnde mox apertis horreis ſingulis recepto communi precio tribuit victui grana neceſſaria. Nec ab hoc vnitatis & charitatis deſijt opere, donec fertilitas terris reddita eſt. De omni labore ſuo nil aliud, quàm regiæ dignitatis ac facultatis ampliationem, atque egenorum vitam & gratiam reportare curauit. Moſes quoque vir mitiſsimus ſuper omnes, qui morabantur in terra, quũ dux eſſet populi Hebræorum, feciſſetque idem populus, vitulum aureum, eumque adoraſſet, dicens: Hi ſunt dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terra Aegypti, Dei iuſtitiam acriter irritauerunt contra ſe. Quum autem omnem multitudinẽ de ſuperficie terræ ſe velle delere dominus comminaretur, dicens Moſi: Cerno quòd populus iſte duræ ceruicis ſit: dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos & deleam eos, faciamque te in gentem magnam, propheta ſanctus, qui Dei gloriam & populi ſalutem cupiebat, fiducialiter aiebat domino. Peccauit populus iſte peccatum maximum: fecerunt ſibi Deos aureos, aut dimitte eis hãc noxam, aut ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti. O virum admirabilem multis præconijs efferendum, qui nimio vnitatis & charitatis amore feruеſcens non laboribus attritus, non iniurijs laceſsitus, non mortis periculo atteritus, non damnationis ſuæ metu victus eſt. Vt autem Dei mitigaret vindictam, ſeipſum oppoſuit innocentiæ ſcuto munitus, vt populum ab exitio imminenti eriperet, ſe de vitæ libro deleri popoſcit. Prçualuit charitas, & placabilis ad ſupplicãtis preces effecta eſt diuina maieſtas. De mediatoris verò noſtri zelo pro charitatis ac vnitatis amore quid, quo exordio, qua facundia, quib. verbis, quoue ſenſu explicari poteſt? Erat quippe verbum apud Deum Deus in ſinu patris quieſcens, & in gremio reſidẽs immortalitatis. Hoc vtique de regalibus veniens ſedibus mortalitatis noſtræ humanitatem aſſumere dedignatus

Exo. 32.

Ibid.

non eſt. Venit (inquam) ad nos non recedens à patre, noſtra ſuſcepit, ſua nõ deſerens, factuſq; homo Deus eſſe non deſijt. Homo quidẽ perfectus, paſsibilis, mortalis, noſtri ſimilis in natura, quamuis longè diſsimilis in gratia, in ſcientia, in meritis. Hic itaq; Ioſeph ſanctior, Moſeq; præſtantior, & omni quauis creatura cunctarum plenior extitit multitudine gratiarum. A ſui nanque conceptione pleniſsimè ac perfectiſsimè habuit gratiam excellentiç perſonæ ſingularis (videlicet) habitum charitatis propter verbi vnionem. Et ex ipſius affluentia exuberat ſenſus & motus in ſibi adhærẽtia mẽbra. In vtero.n. poſitus repletus eſt ſpiritu ſapientiæ & intellectus, ſpiritu conſilij & fortitudinis, ſpiritu ſcientiæ & pietatis, necnon & ſpiritu timoris domini. Poterat ex ſibi collata gratia iuſtificare impium, remittere peccatum, ſanctificare iuſtum. Quum ſanaret ægrotum, cæcum illuminaret, erigeretq; mortuum, hoc propter gratiæ plenitudinem ſibi præſtitã abſq; vlla poterat agere prçuia oratione. Orauit Helias, orauit Heliſeus, vt adoleſcentulos ſuſcitarent: orauerunt Apoſtoli, vt credentes per ſuarum impoſitionem manuum ſpiritum ſanctum reciperent, & obtinerẽt orationis ſuffragio à domino, quod non valebant per ſe: non ſic aũt homo Chriſtus. Cçcis vt viderent, iacentib. vt ſurgerent, mortuis vt reuiuiſcerent, mandauit, & ſine mora factũ eſt. Calcauit maria, imperauit ventis, tempeſtates compeſcuit, multiplicauit panes, mutauit ad libitum elementa. Cçteri ſancti ſiqua perpetrarunt miracula, hoc per ipſum, ipſe aũt per ſe. Ipſi quidem datus eſt principatus & honor regni: ei ſeruient trib. populi & linguæ nunc & in æternum. Reſurrectionis quoq; autoritas eidẽ tanquam primitiç motiẽtium & mortuorũ primogenito prçrogata fuit. Sanctis nanq;, qui ante illum præceſſerũt, data fuit ſinus Abrahæ requies: liberi extiterũt à pçna, & immunes à gehẽna: non tamen aſſumpti in gloria, niſi reſurgeret dominus virtutum, & rex gloriæ: ipſe aũt reſurgente multorum corpora ſanctorum, qui dormierant, reſurrexerũt cum eo, & introierunt in ſanctam ciuitatẽ: illoq; aſcendente in cçlũ in iubilatione & in voce tubæ cunctus iuſtorum pçcedentium cętus cum eodem pariter aſcendit: captiuam fecũ duxit captiuitatem, deditq; dona hominib. Hinc eſt vox illa Prophetç dicentis in Pſalmo: Currus Dei decem millib. multiplex millia lætantium: dominus in eis in Sinai in ſancto. Alius quoq; admirans in perſona ſupernorum ciuiũ, ait: Quis eſt iſte, qui venit de Edom tinctis veſtib. de Boſra, formoſus in ſtola ſua, gradiẽs in multitudine fortitudinis ſuç? Reſurgens quidẽ mediator portas çreas cõtriuit & confregit vectes ferreos: ſicq; cçlorũ aditus, qui per tot an-

Eſa. 11.

Matt. 27.

Pſal. 67.

Eſa. 63.

rum curricula obſtructus fuerat, ex tunc & deinceps patefactus eſt (domino prius reſurgente *Mat. 28.* atque aſcendente, vbi erat ante.) A patre autē data eſt illi omnis poteſtas in cœlo & in terra: *Ioan. 5.* ac etiam autoritas iudicium facere, quia filius hominis eſt. Non enim Dei forma, ſed ſerui apparebit, vt videant, in quem transfixerunt. Cicatrices vulnerum, ſigna clauorum, & ipſa crux domino iudicante, manifeſta erunt. Vndique ipſius exuberant gratiæ beneficia: multimodè cognoſcitur illius gratiæ plenitudo. In eo nanque fuit gratia ſufficientiæ, quæ in iuſto quolibet reperitur: fuit gratia copiæ, quæ Apoſtolis donata eſt, ſpiritu ſancto ſuper ipſos deſcendente: ſicut ſcriptum eſt: Repleti ſunt omnes ſpiritu *Acto. 2.* ſancto. Fuit gratia vniuerſitatis, quæ eſt in Eccleſia, cui nullum deeſt donum: fuit gratia excellentiæ, quæ beatæ virgini conceſſa eſt: fuit *Ioan. 1.* gratia ſuperfluentiæ, de qua dicitur: Plenũ gratiæ & veritatis: fuit quoque in ipſo mediatore à ſui conceptione gratia capitis. Non ſolum autem inquantum Deus, caput eſt Eccleſiæ, ſed etiam inquantum homo & influit motum ſpiritus & gratiæ in cunctos, qui illi copulantur per fidem rectam, vel fidei ſacramentum. Fuit etiã gratia vnionis, de qua ſupra dictum eſt. Hæc de plenitudine gratiæ Chriſti. Veruntamen ſicut in ipſo fuit omnis plenitudo gratiæ, ita & omnis plenitudo ſapientiæ non ſolum quãtum ad cognitionem, verumetiam quantum ad modos ac differentias cognoſcendi. Eſt autem quædam cognitio ſenſualis, per quam multa per ſenſuũ experientiam ſpiritus rationalis percipit. Non enim ad cognitionis perfectionem attingi poteſt abſque hac. Poteſt quis habere ſcientiam de dulcedine mellis, de corporis languoribus, de laboribus exercitiorum, de importunitate, & tentationum moleſtia. Quum autem ad horum experientiam deuenerit quod non intelligere valebat, ex tolerantia plurimum agnoſcit: fitque doctus, cautus, & in multis probatus, eruditus experientia. Sic mediator noſter plenam de dolorum natura, de qualitate tentationum, & huiuſmodi habebat notitiam. At vbi eadem expertus eſt, quædã vt homo didicit, quæ prius tanquam inexpertus neſciebat. Longè etenim amplius didicit humanæ condolere miſeriæ, poſtquam dolores pertulit, quàm antè: ardentiuſque fleuit ex corde: vnde Apoſtolus inquit. *Hebr. 5.* Quum eſſet filius Dei, didicit ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam & cõſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ. Itaque ex ſenſu & ſcientia perfectam vt purus homo eorum, quæ ad humanitatē attinent, poſſedit notitiam. De naturalibus quoque præ cunctis philoſophis ac phyſicis ſapientior fuit: necnon & ipſo protoplaſto: qui tanta pollebat naturalium & creaturarum omnium ſcientia, vt ex naturali acuminē ingenij cuncta animantia, & vniuerſa volatilia cœli, & omnes beſtias terræ appellaret nominibus ſuis, non inopinate, ſed ſcienter iuxta vniuſcuiuſque naturam & proprietates. Nihil quidem in vniuerſi conſtitutione extitit, de quo homo Chriſtus perfectiſſimam non haberet notitiam: nihilque ipſum latuit de ijs, quę ad humanam pertinent redemptionem. Cæteris prophetis diuerſis diuerſa ſunt reuelata myſteria: quibuſdam minus, quibuſdam amplius de incarnatione verbi, & generis humani reparatione: ipſi autem Chriſto lõgè excellentius quàm omnibus angelis, Patriarchis, aut Prophetis. Non enim ſolum habuit ſcientiam per habitum innatum, vt, Adã & angeli: ſed etiam per habitum infuſum, velut ſancti per gratiã illuminati. Verbo quidem vnitus ignorare nil potuit. Nam ab inſtanti ſuæ conceptionis Dei fruens faciali viſione vt homo omnia cognouit, finita quidē cognitione actuali, infinita verò non niſi cognitione habituali vel exceſſiua. Sicque Chriſti anima per comprehenſionis gloriam capiebat, quantumcunque natura finita vnita infinito capere potuit. Quoniam autem Chriſtus Deus & homo eſt, ex parte deitatis cognouit omnia ſimul finita, & infinita. Nam Deus videt ſe per ſe, & in ſe videt vniuerſa, quæ fecit, & quæ agere poſſet, quamuis infinita ſint. Itaque Chriſtus dominus omni pleniſsimus fuit ſapientia, adeò vt nil quantumuis occultũ fuerit, vel ſit, valeat ignorare. De hoc Apoſtolus ait. Viuus enim eſt *Heb. 4.* Dei ſermo, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſq; ad diuiſionem animæ & ſpiritus, compagum quoque & medullarum, & diſcretor cogitationum, ac intentionum cordis, & non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius: omnia autem nuda & aperta ſunt ante oculos eius. Quum igitur homo Chriſtus in carne adhuc teneretur paſsibili, eſſetque ſanctitate incomparabilis, meritis ditiſsimus, gratia pleniſsimus, & ſapientia præ cunctis præclarus mortalibus, ſolus ſuas noluit poſsidere diuitias: quin potius velut vnitatis & charitatis zelator, Dei filios, qui erant diſperſi, in vnum voluit congregare, & tanquam verus *Ioan. 11.* paſtor per infidelitatis deuia, & vitiorum abrupta errantes colligere oues, atq; ſicut legitimus animarum ſponſus electos quoſque ad vnitatis gremiũ ſummo cum ſtudio coadunare curauit. Poſt etenim ſacrę rudimenta infantiæ, poſt paternæ vocis ſuper Iordanis ripam auditionem oraculi, poſt verbi Dei & cęleſtis prędicationis propagatum ſemen, poſt laborioſam caſtrorũ, vrbiumq; circuitionē, poſt duros aduerſantium hoſtium conflictus, poſt pęnales famis, ſitis, laſsitudiniſq; agones, poſt acerrimos innocentiſsimæ paſsionis illius cruciatus, tandē ſuper crucis

lectu-

lectulum veraciter obdormiuit, in qua ſoporatione ſanctam ſibi caſtiſsimo, myſticoque connubio copulauit eccleſiam. Quieſcente nempe illo dum miles crudelis lancea latus eius aperiret, continuo ſacramenta regenerationis, ac redemptionis humanæ profluxerunt veneranda. *Pulcherrima conſideratio.* Aqua quidem pro abolitione originalis delicti, ſanguis verò pro ſatisfactione actualis peccati. Hæc nanq; ſunt ſacramenta cœleſtia, hæc ſunt diuina myſteria, per quæ in toto orbe ſancta mater aggregatur eccleſia, immaculata ſponſa, corpus Chriſti. Mater quippe propter ſpiritualem prolis fidelium fœcunditatem, immaculata ſpōſa propter fidei integritatem, & caſtimoniæ puritatem, corpus Chriſti propter ſpiritus vnitatem, & membrorum connexionem. Nemo abſque horum participatione ſacramentorum ad corpus poteſt pertinere Chriſti. Nullus niſi ſanguinis Chriſti emendetur lauacro, ad ſupernorum ciuium ſocietatem perueniet. Sed neque, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, intrabit in regnum cœlorum. *Ioan. 3.* Nam quemadmodum tres ſunt, qui teſtimonium dāt in cœlo, pater, verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres vnum ſunt, ita & tres ſunt, qui teſtimoniū dant in terra, ſpiritus, ſanguis, & aqua, & hi tres vnum ſunt. Quiſquis igitur cupit fieri membrū Chriſti, per ſacramenta eccleſiaſtica corpori vniatur eccleſiæ, congregationi ſe iungat fideliū. Sicut enim corpus Chriſti verum ex puriſsimis conſtat membris, ita corpus ipſius myſticum (videlicet) eccleſia ex puris conſtat fidelibus. Verumtamen prout corporis membra humani nō viuificantur à ſuo ſpiritu, niſi in membrorum viua vnitate perſiſtant, ſic nec quis à ſpiritu viuificatur Chriſti, niſi in vera perſeueret vnitate eccleſiæ, quæ eſt columna & firmamentum veritatis. Hanc vtique eccleſiam Dei filius homo Chriſtus adamauit, ſuſcepit, & copulauit. Pro hac patrem reliquit & matrem, vt fierent duo in ſpiritu vno. Sacramentum hoc in Eua & Adam à mundi exordio figuratum eſt. Non enim gratis illam dilexit. Reliquit patrem pro ea, quum ſemetipſum exinaniuit: reliquit matrem, quum omnem priſcæ legis ritum ſynagogamque deſtruxit, vt huic ſuæ caſtiſsimæ adhæreret vxori. Tanti etenim ſuum æſtimauit amorem, vt ne periret ipſa, ſe morti tradere non dubitauerit. De huiuſmodi tam ſancto & ignito amore Apoſtolus ait. *Colo. 5.* Viri diligite vxores veſtras ſicut & Chriſtus eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi eccleſiā glorioſam non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid eiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata. Huic quidem ſpirituali ſponſæ, quam de errore ad veritatem, de inimicitia ad pacem, de diſperſione ad vnitatem, de tenebris reuocauit ad lucem, vt ad ſui arctius deuinciret amorem, plurima & precioſa erogauit donaria. Dedit quidem illi in animabus ligandis, ſoluendiſq; maximam poteſtatem, ita vt ratum velit eſſe in cœlo, quod ipſa egerit in terra. Vnde Petro confitenti Chriſtum Dei filium ex totius perſona eccleſiæ dictum eſt, *Matt. 16.* Super hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, tibiq; dabo claues regni cœlorum, & quodcunq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Magna quippe autoritas hæc, magnumque charitatis indicium, ſi tamen non abuſa fuerit. Ideoque ne erret, ne male eo, quod optime cōceſſum eſt, vtatur, & ipſi ruinæ occaſio fiat, quod ad decorem, profectumque tributumque eſt, contulit ſponſę ſuæ eccleſiæ etiam ſcientiæ clauem, quatenus ſcientia erudita autoritatem dirigeret ad lucrū animarum. Nouerat enim Dei ſapientia, quod cogitationes hominum vanæ ſunt, niſi ſuperno illuſtrentur lumine. Nouerat, quòd facile quiſq; in ſublimi poſitus, & dignitate præditus, ſua pręceps ducitur voluntate, niſi ſcientię veritate imbutus cohibeatur. Prona nanque ad lapſum hominis natura celeriter ſuo paret affectui, & quidlibet, leuiter ſibi licere diiudicat. Propterea optimè ſimul conueniunt autoritas & ſcientia. Nam autoritas ſine ſcientia errat, & ſcientia abſq; autoritate iacet. Habeat ſcientia à ſiniſtris conſcientiam vt timeat, à dextris autem ſapientiam, ne foris inaniter ſe diffundat. Autoritas quoque à ſiniſtris humilitatem, ne extollatur, à dextris verò rectitudinem, ne flectatur. Hæc quidem vtriuſque propria ſunt ornamenta, ſine quib. ſtare non poſſunt. Magna denique præſidenti æquitatis cenſura tenenda eſt, ne reum abſoluendo ſe liget, aut inſontem iudicando ſe damnet. Vtroque enim modo ſe priuat autoritate ſua, ſuoque mucrone ſe percutit. Non eſt iniuſtus Deus, vt flagitioſum liberet, neq; iniquus, vt innocētem damnet. Vt ergo ſuam erudiret eccleſiam, autoritatem pariter & ſcientiam eidē conferre dignatus eſt, quatenus per autoritatem tumentes deprimat, & per ſcientiam innoxios abſoluat. Claue autoritatis cœlorum ianuas claudit, reſeratque, potentū elationem ligat, per longa terrarum ſpatia ſe dilatat, compede peccatorum obligatas liberat animas, energumenos ab immundis eripit inimicis. Claue aūt ſcientiæ arcana myſteriorum pandit, ſcripturarum obſcura penetrat, errorum conuincit argumenta, hæreticorum fallacias detegit, gētilium ſuperſtitiones rationabili caſtigatione eliminat, mores iſtruit, vitia deteſtatur, attollit virtutes, omnemque inſtruit regulam ſanctitatis. Ex autoritate ſacramenta euchariſtiæ, ordinis, cæterorumque conficit & miniſtrat, ſed ex ſcientia futuræ ſelici-

fęlicitatis, extremi iudicii, tormentorum inferni, angelorum naturæ, operumque mira perſpicuitate ſacramenta diſcernit. Habet quoq; pro ſingulari priuilegio charitatis ſancta eccleſia, vt ſit tanti capitis corpus myſticum. Nam & Apo-
1. Cor. 12. ſtolus ait. Sicut corpus vnum eſt, & membra habet multa, omnia autem membra corporis quũ ſint multa, vnum ſunt corpus; ita & nos in Chriſto. Etenim in vno ſpiritu omnes nos in vnum corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Gentiles, ſiue ſerui, ſiue liberi, & omnes vno ſpiritu potati ſumus. Hoc itaque eccleſiæ corpus Dominus diuerſis ornauit virtutibus tanquam membris & cuique proprium contulit donũ. Quamuis autem varia ſint eccleſiæ ſpiritualia ornamenta gratiarum, in vno tamen cõueniunt charitatis ac vnitatis vinculo ad vtilitatem cuiuſque membri. Quoſdam enim poſuit Deus in Eccleſia Apoſtolos, quoſdam prophetas, Doctoreſq; quibuſdam verò dedit gratias curationum, virtutum, opitulationum, gubernationum, generis linguarum, interpretationis ſermonum, ſingulis autem, prout vult. Neque quis inflari debet, quanquam potiora videatur recepiſſe munera. Propria enim non ſunt. Sed ẽt, vt illa alijs membris miniſtret, ſuſcepit. Non poteſt dicere oculus manui, opere tuo non indigeo, neque caput pedibus, nõ eſtis mihi neceſſarij. Sed multo magis quæ videntur corporis membra infirmiora eſſe, magis neceſſaria ſunt, & quę putamus ignobiliora membra eſſe corporis, ea honore abundantiori circundamus, ita & quos contemptibiliores in eccleſia, humana eſſe arbitrantur iudicia, Dei obtutibus ſæpè honorabiliores ſunt. Incerta ſunt Dei iudicia, & dona ſpiritus ignota. Sunt qui fulgent coram hominibus, & fœtent Deo, & ſunt qui hominum ęſtimatione apparẽt damnabiles, & tamen omnipotenti Deo cariſſimi ſunt. Cuncta Deus reliquit incerta hominum merita, vt vnus non intumeſcat præ alio. Qui humilis eſt, qui vnitatis amator eſt, neſcit extollere ſe, confert alijs, quod accepit, abſque diſceptatione congaudet animaduertiſſe in altero, quod non videt in ſe, omnia aliorũ ſua putat eſſe dona, ſicut & ſua aliorum. Hæc eſt eccleſiæ vnitas, hoc eſt charitatis vinculũ, per quod corporis Chriſti membra compoſita ſunt, quæ quamuis diuerſa ſint miniſterio, ordinatiſſimè tamen in vno ſunt inſtituta eccleſiæ corpore, quam quidem inſtitutionem Apoſtolus notificare curauit, quum diceret. Et ipſe quoſdã qui-
Eph. 4. dem dedit Apoſtolos, quoſdam prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij, in ædificatione corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Tunc quippe quum fient hæc, nullo ſuorum eccleſia indigebit miniſterio membrorum, non erit in ſuo corpore infirmum quid, nullam patietur neceſsita- Prou. 31.
tem. Suo nanque capiti coniuncta velut plena Luna in ſponſi ſui regno glorioſa fulgebit. Nõ timebit domui ſuæ à frigoribus niuis; omnes.n. amici eius veſtiti erunt duplicibus, lætitia ſempiterna ſuper capita eorum, gaudium & exultationem obtinebunt. Qui oderunt illam, confundentur, & qui perſecuti ſunt, tabeſcent eius contemplantes decorem, atque capita mouentes dicent. Hæccine eſt ciuitas ſancta, & militantium congregatio? Nonne hæc eſt, quæ in terris poſita tantarum fluctuabat inundatione procellarum, dilaniabatur à carnificibus, includebatur in carceribus, ſeditionibus quatiebatur, torquebatur anguſtiis, & plagis ſauciabatur? Inſuper ſeipſam atterebat ieiuniis, inedia macerabat, ſua diſtrahebat, aliena humiliter quæritabat, ſquallebat ſordibus, ſtridebat dentibus, ab omnibus ſpernebatur. Vix qui eam aſpiceret, reperiebatur. Nunc verbis, nunc minis, nunc contumeliis afficiebatur, & in his cunctis veluti inſenſibilis reddebatur. Quum malediceretur, non maledi- 1. Pet. 2.
cebat; quum pateretur, non comminabatur, nulli malum pro malo retribuebat, alebat egentes, viſitabat ægrotos, cõcordabat litigioſos, oppreſſos eruebat, potentum conſortia fugiebat, abhorrebat ſuperborum mores, humilium humilis ſectabatur veſtigia. Nunc autem quantis ex- Cant. 8.
uberat meritorum gaudiis? Quantis lætatur filiorum triumphis? Nunc quoq; delicijs affluens tota ſuper ſuum innititur dilectum, de labore ad requiem, de peregrinatione tranſmigrauit ad patriam, & quoniam vniuerſa patienter tolerauit mala, æterno digna effecta eſt conuiuio, & angelorum contubernio, ſponſæ nomen, dignitatemque meruit, quia fidem illibatam cuſtodiuit. Hæc de vniuerſali eccleſia, hæc de vnaquaque fideli anima reproborum vox eſt. Quælibet ſeu eccleſia ſiue deuota anima prius ſtudeat ſpiritu copulari verbo, dum peregrinatur, vt poſtea diuinis & æternis digna efficiatur amplexibus. Hic inchoantur, in futura perficiuntur vita, hic dantur primitiæ, ibi perfecta copia prærogatur. Quanto quis hic fuerit ardentior charitate, tanto erit ibi ſublimior dignitate. Nullus ſponſæ merita lucrari negligat, qui eiuſdem gratiam poſsidere deſiderat. Quo autem ordine, quibus ſtudiis, quave ſolicitudine merita ſponſæ & gratia obtineantur, ſequẽtia declarabunt. Ad hoc quidẽ omnis operis intentio deſtinatur.

Qualis

Qualis eſſe debeat anima, quæ merito, verbi ſponſa debeat nuncupari. Cap. XI.

DIuina opera atq; ſapientiæ ipſius profunda myſteria quò diligentius conſiderantur, eò amplius contemplantis animum admiratione replent & gaudio. Admiratione quippe propter altitudinem ſapientiæ, gaudio propter claritatem veritatis agnitę. Quis verò non miretur & gaudeat, ſi ad naturæ innumerabilia opera mentis oculum figere voluerit atq; cogitando penetrare? In quocunq; elemẽto infinita ſunt veneratione digna. Quum.n. prata rident, & flores vernantis, variiq; coloris circunquaq; ſparguntur, quis nõ exultet ſpiritu in opificis laudibus ad odorem, decoremq; florũ, & terræ fęcunditates? De eodem ſolo exiguo in loco vnde tantæ ſpecies, tam diuerſæ formæ, tã multi colores? Nemo de hoc terræ elemento, quãta germinent, ſufficit enarrare. Auri fulgor, argenti nitor, ſonoritas æri, cæterorumque metallorum varia genera, Carbunculus, ſmaragdus, ſapphirus, chryſolithus, topazius, adamas, & aliæ quamplurimæ gemmarũ qualitates, Balſamum, cinnamomum, fiſtula, nardus, crocus, piper, cyminum, multaq; alia odoramentorũ genera, Cupreſſus, cedrus, palma, oliua, abies, pinus, arbores quoque aliæ, & fruteta quaſi innumerabilia de ipſo terræ elemento procreari noſcuntur. Quinetiam ipſum hominem his omnib. præſtantiorem de eadem principium habuiſſe perſpicuum eſt. Sic nanq; diuina teſtantur eloquia. Formauit Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ.

Gen. 1.

Cũcta hęc quę memorata ſunt, ſenſibus patent carnis, longè autem meliora ſunt quæ latent in ijs, quæ gignuntur de vẽtre terræ, & nota ſunt, vel eſſe poſſunt rationi mentis, videlicet de virtutibus herbarum, de proprietatibus rerum. Multi quidem horum tractatores fuerunt, qui non omnia, ſed de plurimis aliqua inueſtigando dixerunt. Quod autem de iis, quæ ex terra producuntur, hoc de reliquis elementis dici poſſet. Cuncta iſta breuitatis cauſa reticenda ſunt. Miranda equidem ſunt, quæ naturaliter diuina operatur maieſtas. Sed multo mirabiliora exiſtunt opera gratiæ. Talium nãq; ratio inuenitur licet difficillimè, qui autem curioſus fuerit explorator gratiæ Dei, tanquam cæcus in parietem impinget. Quare hunc eligat, & hunc reprobet, humanus non capit intellectus. Cur iſtum donis ditet ſpiritualib. illum in ſua relinquat paupertate, non quærat, qui errare non vult. Legimus in diuinis hiſtoriis Saul à Deo in regem electum, à Propheta vnctum, & à populo confirmatũ, tandem fuiſſe reprobatum, Dauid autem à patre reprobatum, à fratribus expulſum, & tamen ad regni faſtigium honorabiliter ſublimatum. Quis non miretur Saulum tanto cum furore eccleſiã dilaniantem, per ſynagogas ſanctos trahentem, ligantem, percutientem, carceribus mancipantem, rabido latrantem ore, repentè mutatum in Paulum eccleſiarum omnium ſolicitudinem gerentem, à Iudæis perſequutionem patientẽ, vincula ſuſtinentem, verberum virgas tolerantem, carceres, ſeditioneſque, alacriter perferentem, Dominum Chriſtum coram regibus, & ſeculi principibus atque vniuerſo orbe magnificè prędicantem? publicanus Matthæus, qui telonei lucra publicè, turpiterque quærebat, eligitur, & Iudas in apoſtolatus apice, ſedens relinquitur, ſe funeſto ſuſpendens laqueo. Quotidie videmus nefandos homines nequiter viuentes, diripientes aliena, peccantes publicè, & impudicè mutari in melius, cœlibem ducere vitam, & meritis tranſcendere multos, qui longo tempore diuinis fuerant mancipati obſequiis. E diuerſo quoſdam, qui ſanctorum videbantur per omnia ſectari veſtigia, & nubium celſitudinem contẽplatione peruolare, conſpicimus miſerabiliter corruiſſe, & in obſcœnis operibus voluptari. Hæc veneranda ſunt, non inquirenda. Per hæc enim occulta & iuſta iudicia eruditur peccator, ne deſperet, iuſtus, ne præſumat. Nam pęnitenti parata eſt venia, peccanti verò iuſtitia. Peccator quidem vigilet, quomodo ad libertatis gratiam aſcendat, & veniam conſequatur, iuſtus autem qualiter de virtute in virtutem proficiat, & dona potiora ſortiatur. Peccator denique vt iuſtus ſit, iuſtus verò perfectus. Peccator nullam ſibi tribuat requiem, donec amicus verus efficiatur Dei, iuſtus autem, donec fiat legitima ſpõſa verbi. Ad hunc quidem obtinendum gradum maxima in ſpirituali exercitio diligentia adhibẽda eſt. Sublimis gradus excelſa virtutum exigit ſtudia. Rarus reperitur, qui iure ſponſæ nomine nuncupetur, non niſi præuiis multis tribulationibus, & laboribus ad id attingitur. Ne autem ſeducantur, aut ſe legentes ſeducant, arbitrantes ſe eſſe quod non ſunt, in præſenti capitulo qualis eſſe debeat anima, quæ ſponſæ vocabulo (& merito) digna ſit, deſcribendum eſt. Nec ab re. Nam ſæpe ſpeculi claritas ignotam notificat deformitatem, & aperit oculos, quos priuatus amor obſtruxerat. Decet itaque verbi ſponſam decoram eſſe facie, vt ſuo placeat ſponſo. Nam ſi deformis ſit, ſponſæ nomine, quia re caret, digna non eſt. Quemadmodum igitur corporis facies quatuor decoratur ſenſibus, ita & eiſdẽ animæ aſpectus ac vultus ornari debet. Primo omnium expedit, vt ignara non ſit cœleſtium inſpirationum. Super hoc plurimum vigilare eam oportet, alioquin ſeductorios multimode admittet ſpiritus, & ſæpe ſponſi reſiſtet aduentui. Amant quidem nequam ſpiritus mentis irrũpere domiciliũ, pacem euertere animi, omnemq; cordis intẽtionẽ maculare. Quod quum apertè nequeant,

queant,fraudulentet id agere conantur. Alienam ſpeciem ſumunt,claritatem cœleſtium angelorum ſe habere fingunt,vt facilius ſuadeant quod volunt. Ad ipſorum verò detegendas inſidias expedit,vt qualemcunque internarũ verbi ſponſa habeat notitiam inſpirationum, quatenus ex infuſa ſapientia ſeu ex inducta experiẽtia ſciat ſuſcipere angelum,& propulſare inimicum.Ambo quidẽ decertanr vt rrahant animam ad ſe,diſsimiliter tamen. Inimicus agit, vt furetur,mactet,& perdat,angelus vt conſeruet, illuminet,& ſponſo habitaculum paret. Vterq; ſuadent,vterque audiri volũt, vt aperiatur illis. Habet nanque angelus immiſsiones ſuas bonas quum incitet ſemper ad bonum,aut docendo, aut corrigendo,aut accendẽdo; habet etiã ſuas apoſtata angelus. Sicut de Domini proditore Ioan. 19. dicitur,miſit diabolus in cor, vt traderet eũ Iudas.Non autem dubiũ eſt, quin ſuas habeat ſpõſus immiſsiones.Sto (inquit) ad oſtium,& pul- Apoca. 3. ſo.Quoties prouocat ad dilectionem, ad virtutes,toties pulſat,vt aperiatur. Inſpirationes ſanctæ vtique ſunt verba interna ſpiritualia & ſpõſi voces,quas ignorare non expedit,neq; negligere.Quàm ſit hæc deteſtabilis ignorantia, qui amat,nouit.Debet ſemper ſponſa,vt has internas intelligere valeat voces, ſuper ſui vigilare cuſtodia,omni ſpiritui facile non accommodare fidem humili cogitatione,vnde, quo qualiave ſint,quæ ſentit in ſe,ſicut Mariam egiſſe legitur, quum ab angelo officioſiſsime ſalutaretur. Prius nanque intelligendæ ſunt, quàm perficiẽdæ ſpirituales immiſsiones. Sicut autem reprehenſione digni ſunt, qui deſideria ſancta intelligentes implere negligunt, ita qui non intelligendo eadem opere conantur perficere. Primi ignauiæ morbo languent, ſecundi imprudentia obuoluuntur.Non autem ſic,quæ ſpõſa eſt. Habet quidem pro ornamento interni ac ſpiritualis auditus intelligentiam,& obedientiam. Hęc quippe ſunt animæ aures, quæ mentis faciẽ venuſtant.Intelligentia tunc vera eſt, quum operatur quod intelligit.Teſtimonijs ſcripturarum vtrunque probatur.Quod verò ad auditum ſpectet intelligentia, Propheta inſinuat, quum deprecatur in Pſalmo Dominum, dicens, Intelli- Pſal. 5. ge clamorem meũ,intende voci orationis meę. Præmiſerat enim. Verba mea auribus percipe Domine.Sed quod obedientia & ipſa ad auditũ 3. Re. 22. pertinear,idem memoratus ait propheta.Populus,quem non cognoui, ſeruiuit mihi, in auditu auris obediuit mihi.O quam cõmendabilis animæ eſt,quæ nec fallacũs ſeducitur,nec torpore deprimitur,quę intelligendo & operando diuinam ſine intermiſsione exequitur voluntatem, quæ aurium ſpiritualium ornata decore, corde veraciter ait Domino. Loquere Domine,quia 1. Reg. 3. audit ſeruus tuus. Hæc de auribus ſponſæ. De oculis verò quid? Nũnquid audit,nec videt? Poteſt ne carere oculis, & placere ſponſo? Abſit, vt vel in modico maculata ſit ſponſa, potiſsimum in ea parte, quæ præſtantior eſt. Habet aures, habet oculos, per quos ob ipſorum ſpeciem ad ſe ſponſum attrahit. De ipſius ſponſi voce in Canticis dicitur. Auerte oculos tuos, Cant. 6. ipſi me auolare fecerunt. Ecce quàm fulgidi, quàm perſpicui, quàm decori ſunt, qui ſic ſponſum alliciunt, vt non accedere, ſed ipſum faciant auolare. Vno quippe oculo ſcientiæ luce perfunditur, vt cognoſcat præſentia. Alio ſapientiæ ſplendore clareſcit,vt futura cõtempletur. Per ſcientiam mala qualiter vitare debeat, intelligit, quid ſit, à quo ſit, & ad quid ſit, nouit. Proximorum neceſsitatibus ſubuenit, temporalia prouide miniſtrat,pericula cauet,timet ne cadat, aduerſa æquanimiter tolerat, ſic præſentibus vtitur,vt non priuetur æternis. Sapientiæ verò oculo quanta ſint electis repoſita bona? Ruminat, Dei præſentiam cunctis intuetur horis, iuxta prophetæ vocem dicentis. Prouidebam Dominum in conſpectu Pſal. 15. meo ſemper. De dilectione Dei alta percipit, interdum beatorum perluſtrat agmina, & ſupra ſe attollens diuinam miratur omnipotentis maieſtatem, De hoc intimæ lucis ſplendore Eſai. 33. aiebat propheta. Videbunt oculi tui regem in decore ſuo. Hi nempe ſunt ſpirituales ſponſæ oculi, per quos peregrinationis huius graditur ſemitas, nec aduerſis frangitur, nec proſperis eleuatur. Ipſorum ne obtenebretur lux, vniuerſa fugit lumini contraria, nec quidem ad momentum patitur ſe hac luce priuari. Magno nanque cum ſtudio carnales cohibet motus, carnis reprimit paſsiones, Valde etenim mentis oculis carnis inimicantur deſideria,& niſi viriliter cõterantur,internæ ſe aciei opponũt, & tanquã depreſsiſsimus paries oculos grauant ne ſupernam valeant contemplari claritatem. Nunc ſuggerunt neceſſaria, nunc ſuadẽt blanda,nunc aduerſa minantur, ſuiſque ſuaſionibus adeo infeſti ſunt,vt nullo ſinant pacto animum quieſcere,nullaque tranquillitate potiri. Amouet itaque ſolicitè à ſe obicem carnalium voluptatum, detergit non minus vigilanter ab oculis puluerem terrenarum actionum. Vehementer quidem temporalium implicatio mentem obnubilat, ne lucis internę dulcedine paſcatur.Rapiunt extra ſe animum,terrena negocia huc illucque captiuam ducunt animam, nunc iſta cogitare compellunt, nunc illa rixas commouent,iurgia fabricant,deiecta ędificant, collapſa erigunt, qualiter amiſſa & diſtracta colligi,cuſtodiri habita,& non habita congregari debeant,prudenter erudiunt.Quumque in his omnib. captiuatur animus, per maximos curarum dilaniatur anfractus.Inſenſibilis nanque

effectus

effectus & lumine priuatus tota die molere, & per circuitus deambulare compellitur. Nunquã qualis maneat apud ſe, percipit, niſi quum ab exterioribus vacans ad ſe redire voluerit. Tunc tenebras interiores, tunc cæcitatem ſuam intelligens, quas paſſus ſit, inſidias recogitando cognoſcit. Innumerabilem phantaſmatum in domicilio ſuo ſentit exercitum, videt ſe repelli à ſe, & quàm longè fuerit à ſe, lacrymabiliter intuetur. Meritoque hæc ſe pati conſiderat, quia magis alienis à ſe quàm ſibi intendere ſtuduit. Hanc ſui erroris mercedem iuſtè ſe percepiſſe diiudicat, quum inordinatè exterioribus vacando & negligendo interiora ſua ad hoc deuenerit, vt ad ſe reuerti, ſecumque habitare non liceat. Damno igitur ſponſa erudita alieno, quotidianis edocta exemplis, ſuaque facta prudens experiẽtia, mauult eſſe ſpecioſa & ſterilis, quàm lippa & fœcunda. Si ocij condemnatur, æquo fert animo, meminitque verbum dixiſſe, Martha Martha turbatis erga plurima, Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

Luc. 10.

Hinc eſt, quòd ſponſi roborata ſententia, quantũ fas illi eſt, terrenis refugit ingeri actionibus, ne fœdatur, animi quoque reſiſtit paſsionibus, ne turbetur. Non quidẽ mediocriter furor mentis oculum offuſcare conſueuit, ideoq; Propheta hoc in ſe patiens dicebat. Turbatus eſt à furore oculus meus.

Pſal. 6.

Nil prorſus ſic mentis ſtatum euertit, velut conturbans furor. Eſt quidem animi paſsio ſubuerſio naturæ, dehoneſtatio hominis, opprobrium ſeruorum Chriſti, repulſio gratiæ, fraternitatis diſsipator, dæmoniaca imitatio, fugator paracleti, omniſque ſanctitatis inimicus. Nullum ſanum conſilium, nulla matura poteſt eſſe deliberatio, vbi iræ paſsio dominatur. Periclitatur ratio, inebriatur cor, incompoſita verba proſiliunt, immutatur facies, lumen oculorum præſente furore caligat. Propterea ſponſa ne in illo tyranni huius peſsimi detrimẽtum patiatur, in patiẽtiæ & mititatis arce ſe collocat, timoris ac ſilentij ſeris os obſtruens, deſuperque proſpectans cunctas animi commotiones mox, vt leniter flauerint, tranquillitatis ac pacis gladio trucidat, perſeuerat quieta in ſe ſpirituali quadam claritate perfuſa, oculos mentis apertos tenet in diuini contemplatione luminis, & quamuis pro veritatis agnitione ſit læta, nunquam tamẽ valet eſſe ſecura. Oportet enim ipſam omnino non dormitare. Quanquam autẽ carnalium parietem cupiditatum valenter repulerit, quamuis terrenarum puluerem actionum prudenter exterſerit, licet inſani motus furoris ſub rationis Dominio fortiter ſubegerit, reſtat adhuc, vt elationem cordis, humilitatis vinculis ligatum teneat. Præ cæteris mentis tumor ſcientiæ ac ſapientiæ lumen obnubilat, & à veritatis tramite ſeducit. Simul præſumptio & ſapientia nequeunt habitare. Sic nanque in ſapientiæ legitur libro. In maleuolam animam non introibit ſapientia. Humilitas ſapiẽtiam, & ſuperbia ignorantiam generat. Qui in ſapientiæ ſpeculo præſentia diſponere, & futura cupit veraciter intueri,

Sap. 1.

elationis maculam de mentis oculis amouere non negligat. Sicut enim albugo in oculo naſcitur, & oculi lucem perdit, ſic elatio plerunq; de lumine oritur intelligentiæ, & veritatis lumen caligat. Qui enim plura nouit, & ſe ſub tegmine alarum humilitatis nequaquam cuſtodit, quò amplius ſapit, eò tumore cæcatus miſerabilius deſipiendo ruit. Hoc Propheta ſanctus expreſsit, quum gloriam, caſumq; Luciferi deſcripſit dicens. Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, perfectus decore, in deliciis paradiſi fuiſti, omnis lapis precioſus operimentum tuũ,

Ezec. 28.

ſardius, topazius, & iaſpis, chryſolithus, onyx & beryllus, ſapphirus, carbunculus & ſmaragdus, tu cherub extentus & protegens, & poſui te in monte Sancto Dei. In medio lapidum ignitorum, ambulaſti perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inuẽta eſt iniquitas in te. Hęc quippe ſponſa verbi erudita magiſterio non ignorans tota ſatagit in humilitatis latere latibulo. Non minus in humilitate ſtudet proficere, quàm in cognitione ſapientię. Iugiter memorabile illud reuoluit animo, quod in Canticorum canticis ſponſi voce ad ſponſam dicitur. Si ignoras te ò pulchra inter mulieres, egredere, & abi

Cant. 1.

poſt veſtigia gregum tuorum. Ob hoc tam ſedulò virtutum exercitio vniuerſa, quæ interiori aduerſantur lumini, de cordis habitaculo eliminare non deſinit. Sicque fit, vt quanto magis timet, & timendo reſiſtit vitiis, tanto amplius videat, & videndo ſcientia ac oculos ſapientiæ lucidiori puritate cuſtodiat. Veruntamen ſicut obedientiæ addidit ſapientiam, ita & ſapientiæ aſſociat fidem. Nouit ſcriptum eſſe. Sine fide impoſsibile eſt placere Deo. Eſt quidem fides ſpiritualis animæ ſenſus illi diuinitus accommodatus ad inuiſibilia & æterna percipienda.

Heb. 11.

Sic ipſam deſcribit Apoſtolus. Fides (inquit) eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium.

Hebr. 11.

Quod intelligibiliter percipit obedientiæ auris, quod ſcientiæ & ſapientiæ contemplatur oculus, hoc Dei olfactus diſcernit, occulta penetrat, remota rimatur, ſempiterna deguſtat, agit magna, aggreditur ardua, impoſſibilia credit, futura nouit, ventura prædicit, æterna quærit, non pauet tormenta, mortem non veretur, & cęleſtia ſperat. Iſtiuſmodi fragrantiſsimo odore ſancti Noui ac Veteris Teſtamenti Patres reſperſi veram & viuentium ſupernam repromiſsionis terram à longe odorantes, aſpicientes, ſalutantes, confitenteſque ſe hoſpites eſſe atque peregrinos in hoc ſeculo fatebantur, vnde ipſa quoque verbi legitima & dilecta ſpõ-

ſa ne

ſa ne præſentis vitę corrumpatur lenociniis, ne irretiatur voluptatibus, ne honoribus extollatur, formatæ fidei refouetur odore, per quem facile viſibilia ſpernit, temporalia, deſerit amore ęternorum. Vt igitur animę ipſius facies ſuo placeat, cui viuit, ſponſo, exteriorem auditum, & corporis aures obturat detractionibus, vaniloquijs, & ſcurrilibus verbis, quatenus ſpirituales valeat intelligere immiſsiones, vnde veniūt, vel quò vadunt. Carnis oculos diligenter cuſtodit, ne videant vanitates & inſanias falſas, vt liberius puriuſque intueatur in certa & occulta diuinę ſapientię, atque ſcientię verbi. Odorem ſuum ab his auertit viſibilibus & labentibus cūctis, vt per lumen & formatę fidei delectationē vſq; ad Dei inuiſibilia ſe queat erigere. Os quoque & linguam carnis refrænat à pernicioſis, murmurijs, & ocioſis ſermonibus, quatenus magis quiete ac prudenter ſciat quid loqui Deo, quando, aut qualiter debeat loqui proximo. Nemo quidē quomodo Deo, quid proximo dicat, ſcire ſufficiēter meretur, niſi prius didicerit ori ſuo ponere ſilentium. Oportet vt aſſueſcat lin-

Iacob. 1.

gua taciturnitati, deinde ſermocinationi. Sit (inquit Iacobus) omnis homo velox ad audiēdum, tardus autem ad loquendum. Os nanque quod ſilere nouit, facile fari prudenter diſcet, quòd verò incōtinens eſt, multa proferet (præter voluntatem) & redargutione digna. Salubre quidem conſilium eſt non à noxijs tantum, verumetiam ab vtilibus interdum linguam cohiberi ſermonibus. Obmutui

Pſal. 38.

vtique à noxijs, & ſilui à bonis (ait Citharœda ſanctus) & dolor meus renouatus eſt, concaluit cor meum intra me. Pronus eſt ſemper ad malum, ac ruinæ propinquus, qui linguoſus eſt, qui autem eruditam poſsidet linguam, tanquam turris Dauid, qui ædificata eſt cum propugnaculis. Mille quippe clypei pendent ex ea, omnis arma

Cant. 4.

tura fortium. In cunctis itaque ſponſa ſufficienter inſtructa tempus nouit eſſe ſilētij & tempus eloquij, propterea quum opportunum eſſe arbitratur, hominum declinans conſortium, & linguam inter clauſtra reprimens, atque corde clamans ſponſum ad ſe aduocare non ceſſat. Si enim abeſt, lacrymis, gemitibus, deſideriorumq; vocibus ipſum inſequitur, ac humiliter vt reuertatur, exorat. Si autem præſens eſt, nunc blandis illum affatur ſermonibus, nūc amatoria profert, nunc ignitis prorumpit in laudibus. Talibus nāque ſagittis ſponſi cor vulnerat, ita vt & ipſe amore languens dicat. Fauus diſtillans labia tua

Cant. 4.

ſponſa, mel & lac ſub lingua tua, hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus, emiſsiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus. His nempe ſpi

1. Cor. 15.

ritualibus ac mutuis verbi ſponſæque allocutionibus, feruеſcente charitate nihil dulcius deguſtatur. Ex ſui quidem excellentia ſicut in cor inexperti nō aſcendunt, ita nec ab expertis manifeſtari licet, quoniam arcana ſunt. Quiſquis qualia ſint noſcere cupit, creſcat, vt capiat, proficiat vt ſponſa. Propalatio nanque pulchritudinis illius cunctis ſit forma proficiendi. Non enim gratis accepit vt fieret ſponſa, ſed gratia ſe

Ephes. 4.

cum cooperante hoc meruit. Quemadmodum ergo decet ſponſam ſpecioſam eſſe facie, ita & amore pudicam. Nullum præter dilectum diligit, nullum ſcire deſiderat, ne polluto amore fędetur. Totam ſe illi tradit, quem totum complectitur viſceribus charitatis. Ipſum præcipuè, & omnia in ipſo diligit. Sicut nihil reliquit de ſe, quod non daret ſponſo, ſic nil habet extra ſe, quod ſine ipſo diligat. Vt alteri nihil ſui impertiatur amoris, diligit iuxta humanæ modulum fragilitatis ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus. Si quid in corde verſatur, aut de illo, vel propter illum eſt; ſi quid agere intendit, ipſum ſibi prius proponit, quatenus intentionem dirigat futurum opus, & intentio actionem perficiat. Sic nanque omne, quod fit, ſi nō fiat in charitate & ex charitate, ſitque reflexibile charitati, ſponſo placere non poſſe, ideo ſicut caſte, ita ſanctè diligit. Quum enim eſſet paruula, de ſpōſo carnaliter ſapiebat vt paruula, cogitabat vt paruula, diligebat vt paruula. Quum autem ſponſa effecta eſt, vtique euacuauit, quæ erant paruulæ, vnde ſpiritualiter diligens cum Apoſtolo fiducialiter dicit. Etſi nouimus Chriſtum ſecun-

2. Cor. 5.

dum carnem, ſed iam non nouimus. Antequàm de verbi altitudine haberet notitiam, carnē verbi ſolam diligebat, at vbi de diuinitate verbi hauſit dulcedinem, vbi verbum propter nos carnē factum eſſe credidit, cognouit, guſtauit, tota in amore ipſius charitate reſoluta eſt, præcipuè quum ſe non vt amicam, nō vt filiam, ſed vt ſpōſam ſentit, diligit. Hinc nedum ſanctè, ſed etiā ardenter diligit, quatenus ad operandum ſit valida, ſedula ad inquirendum, & ad poſsidendū tenax. Non debilitatur aduerſis, ſed roboratur; non tentationibus ſuperatur, ſed creſcit. Quò vehementius ipſius flamma ventilatur amoris, eò amplius inardeſcit. Si caret ſponſi præſentia, ne tepeſcat, & tanquam indigna repudietur, laborat exterius, intus vociferatur, ſuamque vi, quod amiſiſſe videbatur, multiplicatum recipit, ideo propheta ait. Secundum multitudinem do-

Pſa.

lorum meorum in corde meo cōſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Si verò præſentia potitur, tunc ardentius diligit. Nam ferrum ferro acuitur, ignis igne nutritur, & amor amore augetur. Voto ſuo (ſed non ad votum) vtitur. Quem quæſiuit intuetur; quem diligit, tenet, nō tamen qualem vel quantum concupiſcit. Differtur, vt perficiatur, non quidem in hac peregrinatione, ſed in patria. Quouſque in hac mortali

ſponſa

ſponſa includitur carne, ſatiari nequit, eoque minus, quò amplius ac perfectius diligit. Quum igni ſuperponuntur ligna, lignorum magis fit capax. Nec aliter de vera charitate intelligendum eſt. Quanto ignis eſt vehementior, tanto ſuum latius diffundit ſplendorem, pariter & calorem. Sic quæ verbi legitima eſt ſponſa, profuſius aliis ſuæ ſanctitatis ſpargit calorem, & morum ſplendorem. Ex ipſius quidem virtutũ perfectione ſecernitur à cæteris, ac præ cæteris cõmendabilior iudicatur. Eſt nanque in moribus circunſpecta, in verbis grauis, in agendis prouida, in facie hilaris, in exhortando humilis, in corripiendo recta, in perferendis malis læta, in proſperis ſuſpicioſa, in orationibus crebra, in vigilijs aſsidua, in diuinis laudibus iucunda, in compaſsione procliuis, in dilectione ſingularis, in animo ſerena, in cõſiliis matura, in humanis placida, in diuinis ſuſpenſa, in corpore veluti in carcere detinetur, in cœlo mente ac deſiderio conuerſatur. Talis eſt verbi ſponſa, & huiuſmodi virtutum ſplendoribus rutilat amica ſponſi ò filiæ Hieruſalem. Non fruſtra ſponſæ nomẽ ſortita eſt, neque ſine cauſa talem vnigenitus Dei adamauit animam. Eſt quidem facie ſpecioſa, dilectione feruens, & morum probitate venuſta. Hæc de ſponſæ elegantia ſub compendio dicta ſunt. Nunc qualiter prouehatur rudis anima, ſequens percurret tractatus.

Quibus gradibus ſponſa prouehatur ad fruitionem verbi. Cap. XII.

Solent quicunque ab humanæ dignitatis ſunt collapſi faſtigio, toties mœrore ſauciari, atque alta ab imo pectoris eructare ſuſpiria, quoties reuoluũt animo quid fuerint, & quid ſint. Augmentum quippe præſentis infortunij memoria eſt præteritæ fęlicitatis. Et eo grauiori confodiuntur doloris vulnere, quo ſublimior fuit tranſacta proſperitas. Veruntamen ſi ſic temporalium ac fugitiuorum pompæ bonorum, quę ſingulis horarum momentis decurrunt, mentem afficiunt, quanto magis amiſsio ęternorum: Si homo de eo, quod (velit nolit) perdit, ſic cruciatur, quanto amplius de immortalitatis gloria, quam primus homo in innocentię ſtatu poſitus, ſi voluiſſet, tenere poterat, & amiſit, omne hominum genus intolerabili debet mœrore transfigi? Qui enim cœleſtis Hieruſalẽ ſe ciuem profitetur, incolatus pręſentis exilij ęrumnas ęgrè ferre debet, quoties delicias recolit amiſiſſe, quas habuit, vnde in perſona peregrinantium pſaltes egregius flebili voce ait. Pſal. 137. Super flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus, dum recordaremur tui Sion. Quis nanque rationis compos non gemat ſua, & totius Adę poſteritatis damna, quum recogitat quid perdidit, & quid patitur? Conditus etenim homo fuit, vt Deum agnoſceret, diligeret, ei inhęreret, eo frueretur. Cęteris pręlatus fuit creaturis, imagine Dei ac ſimilitudine inſignitus, vt non mori poſset, ſi vellet, vt paradiſi delicias terreni haberet, tandemque conſummato (iuxta Dei ineffabilem prouidentiam) vitę ſuę curſu in ſuperna cœlorum patria cum angelis, archãgelis, virtutibus, dominationibus, reliquiſq; beatorũ ſpirituum agminibus diuina frueretur viſione, nunquam illa cariturus, in omnibus ſuis partibus, corpore (videlicet) & anima glorificandus. Peccatis verò ſuis exigẽtibus deſerto ęternę bonitatis fonte ad hoc deuenit, vt huius miſerrimi factus ſit ciuis exilij. Decurrentibus quippe annorum curriculis, & in hoc plorationis loco firmata ſtatione iam penè ex hominum memoria deletum eſt illud antiquæ nobilitatis diuinum genus, ita vt nemo reperiatur (niſi qui inuiſibilis gratiæ ſplendore illuſtretur) qui qualis fuerit, cuiuſq; conditoris in protoparente poſsit aut velit agnoſcere. At quibus adhuc naturalis ineſt (gratia mediante) vigor acuminis & innatæ ſenſus probitatis, ij ſunt, quibus præſentis vitæ oneroſus eſt curſus. Hos quidem in ſeipſo Propheta expreſsit, dicens. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus cedar, multum incola fuit anima mea. Pſal. 119. Tędebat eum tunc huius vitæ carceris pœnalitate grauatus præſentium & dilatione æternorum. Pati ſe videbat, quod nolebat, nec habere, quod deſiderabat, angebatur hinc inde, gemebat ſub faſce vtique terrenæ habitationis, quotidie fame, ſiti, laſsitudine, frigore, calore, nuditate, egeſtate cernebat hominum genus affligi, inſuper doloribus cruciari, laboribus premi, infirmitatibus attenuari, diuerſis calamitatibus fatigari, & ineuitabili morte conſumi, ideo que cõpaſsione ac deſiderio anxius aiebat. Vſquequo Pſal. 12. Domine obliuiſceris me in finẽ, vſquequo auertis faciem tuam à me? Memor eſto opprobrij Pſal. 88. ſeruorum tuorum. Sciebat quidem vir ſanctus neminem ſine diuino poſſe ſaluari adiutorio, atque ab inſtantibus erui flagellis, propterea tam obnixè Domini exorabat clementiam. Poteſt vtique quiſque per ſeipſum delinquere, ſe interimere, cęleſti gratiæ repugnare, multaque enormia perpetrare facinora, non autem abſque ſpeciali Dei auxilio, à vijs prauis reſipiſcere, cõditori ſe reconciliare, deperditam in ſe reparare gratiam. Malum nanque poteſt per ſe, nõ autem ſine Dei adiutorio poteſt bonum, proinde mediatoris indiget gratia. Miſit enim Deus filium ſuum in ſimilitudine carnis peccati, vt de Rom. 8. peccato damnaret peccatum in carne ſua, ipſe quoque veniens mediator, vt pro hominis ſatisfaceret reatibus, quod nõ valebat delinquẽs, ipſe perfecit. Hinc eſt, quòd tanquam ouis ad Iſai. 53. occiſionem ſe duci pertulit, & quaſi agnus coram

ram tondēte ſe non aperuit os ſuum. Se deſpexit, non pepercit ſibi, vt ignoſceretur peccatori homini, omni ſe expoſuit iniuriæ propter nimiam ſuam ad hominem charitatem, vrebatur intus dilectione, & piæ liquefiebat deſiderio cōpaſsionis, ex forma flagellati corporis, ex pallore angelici aſpectus igniti incendium amoris aperuit. Nō peccauit, & peccantium ſuper ſe flagella ſuſtinuit. Acerbitatem, cauſamque ipſius mediatoris paſsionis paucis Propheta eximius inſinuauit, quum dixit, [Iſa. 53.] Vidimus eum, & non erat aſpectus; & deſiderauimus eum deſpectum: nouiſsimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem: & quaſi abſconditus vultus eius & deſpectus: vnde nec reputauimus eū. Vere languores noſtros ipſe tulit, & infirmitates noſtras ipſe portauit: & nos reputauimus eū quaſi leproſum & percuſſum à Deo atque humiliatum: ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, & attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. Omnes nos quaſi oues errauimus vnuſquiſq; in viam ſuam. Venit igitur pius paſtor & Samaritanus benignus rationalem quærere ouem, & languenti homini vulneribus adhibere remedia. Niſi ardenter diligeret, non tā ſedulo quæreret: vnde ſolicita percunctatio magni amoris eſt exhibitio. Quæſiuit vtiq; nos propter nos: quæramus & nos ipſum propter ipſum nec ſine ipſo. Nemo illum inuenire præſumat, ſi non diligenter, perſeueranterque quæſierit. Non enim repente inuenitur, quum etiam ſolicite quæritur. Quibuſdam nanque gradibus peruenit ad ipſum. Nullus ad vltimum attinget, niſi gradatim aſcendat. Quærat itaque, qui prudenter ad verbi cupit amplexus deduci, qualiter cōſentiat legi. Impudicum quidem ſatis eſt tantæ maieſtatis præſentiam polluto corde immundis labiis, greſsibus obliquis, atq; ſquallidis veſtibus quęrere: atque familiari contubernio velle eidem adhærere. Quæque etenim anima prius, quàm verbi notitiam habeat, tota fœtet: tota deformis eſt nigredine peccatorum. Corde nanque inculta eſt: animo inordinata, affectu curua intentione obliqua, ſermone effrænata, moribus incompoſita. Nil, niſi carnem alliciat, ſapit: nil, niſi ſenſibus arrideat, delectat: nil, niſi adulatione aures mulceat, gratanter ſuſcipit. Solum vacat quomodo carnis perficiat deſideria, impleat voluptates. Prorſus ab omni ſpirituali guſtu aliena eſt: ſuarum quoque concupiſcentiarū mancipium facta nullum de ſpiritus libertate iudicium habet. Intus quidem, foriſque inordinata tanquam quædā confuſionis eſt domus: ideoque quum primum Dei verbum concupiſcit agnoſcere, legem verbi quærat, vt illi conſentiat ad correptionem: vnde verbum audiat in Euāgelio loquens ſic. [Mat. 5.] Eſto conſentiens aduerſario tuo, dū es in via. Aduerſarius quippe delinquentium lex eſt, quæ dum prohibet, aduerſatur. Potiſsime autem lex, quam verbum in corde fixit mortalium: quæ omnino vetat concupiſcentias. Hāc ignorat, quiſquis lumine caret gratiæ: ideo tanquam indomitum animal per abrupta trahitur vitiorum. Nulli vult rationis ſubijci iudicio, nulla diſciplinæ lege frenari. Iuſtus autem quāuis ſciat ſe non eſſe legi ſubiectum, non vult tamen abſque verbi lege viuere. Hoc Apoſtolus [Rom. 7.] indicans de ſe ait. Iis, qui ſine lege erant, tāquā ſine lege eſſem: quum non eſſem ſine lege Chriſti. Lex quidem verbi ſpiritualis eſt non attramento & ſtylo exarata, ſed Dei digito in corde depicta: ſicut Propheta teſtatur. [Pſal. 36.] Os (inquit) iuſti meditabitur ſapientiam, & lingua eius loquetur iudicium: lex Dei eius in corde ipſius, & nō ſupplantabuntur greſſus eius. Lex etenim hæc illabente gratia in hominem imprimitur cordi, & aduerſatur carni. Rixam aduerſus vitia excitat, vt tota familia animæ ad verbi ſe exponat obſequium. Rationalis quippe ſpiritus agnito (etſi tenuiter) præuenientis gratiæ lumine obtemperare eidem nititur tanquā ſuperiori ſuo. Intelligit nullo modo carnis & ſpiritus ſimul poſſe intendi operibus. Hinc zelo rectitudinis armatus interiori aduerſario conatur obedire. Irrupit quidem cordis hoſpitium; vt omni aduerſaretur carnis voluptati. Venit, vt pararet viam verbo, diſponeret habitaculum mētis, excitaretque animum ad quærendum verbū. Præcipua itaque regula animæ affectantis verbi cōnubium eſt, vt proprijs viriliter repugnet cōcupiſcentijs malis: quas aut ex carnis colluuione contrahit, aut expectandi conſuetudine nutriuit. Prægrauata etenim his nunquam ad verbi ſe inquiſitionem eriget: conſentiat legi ſpiritus, quam Dei ſapientia præmittit ante ſe: contra ſibi aduerſantes pugnam arripiat: quos ſi ignorauerit, minime ſuperare valebit. Quærat igitur verbum, vt illuſtretur ad agnitionem. Sicut ſine lumine ipſum intueri nō poteſt lumen, ita abſq; verbi lumine ad ipſum nō peruenitur verbum. Ardenter quidem anima concupiſcens in verbi amore proficere & per ipſum ad perfectionē tranſcendere legem ſpiritus, hoſtium qualitatē, verbique perſonam non ignoret. His ſi ſufficiēter fuerit erudita, facile ad ſumma euolabit: ſinaliter inuacuum elaborat. Lex ſpiritus lumen eſt, virtus eſt, habitus eſt: amor eſt in animam infuſus per donum gratiæ gratum faciētis. Hæc quidem ſemper bona ſuadet, præteritos veteris hominis deteſtatur mores, æterna aperit, conſciētiæ ſecreta detegit: ſeculi pompam, quàm vilis, quàm labillis, quàm puerilis, quàmque damnabilis ſit, edocet. Omne temporale quàm ſit breue, quid ſit æternum, cordi ingerit. Huic nemo conſentiens perire poteſt. Quos prædeſtinauit

Deus

Deus ad gloriam,hos vocat ad gratiam:illis cõ-
fert gratiam. Qui legis huius nouit effectum,
nunquam inſoleſcet,nunquam præſumet,nun-
quam diuinum ſibi vſurpabit honorem. Siquid
boni,ſiquid virtutis,ſiue in ſe,ſeu extra ſe opera-
ri detur,totum huic aſcribet. Veluti prudẽs pa-
terfamilias proferet de theſauro ſui cordis no-
ua & vetera. Vetera vtique cogitãdo delicta in-
Ephe.5. telliget,quod fuerit ex ſe:noua verò virtutum a-
cta nouæ attribuet gratiæ,nouæque legi. Fuiſtis
(inquit Apoſtolus) aliquando tenebræ,nũc au-
tem lux in domino. De ſe autem ſic ait. Gratia
Rom.8. Dei ſum id,quod ſum. Alio quoque in loco cla-
rius exprimens dicit. Lex autem ſpiritus vitæ in
Chriſto Ieſu liberauit me à lege peccati & mor
tis. Quotquot enim legis huius vel gratiæ parti-
cipes effecti ſunt, debitores exiſtunt non carni
& ſanguini,vt ſecundum carnem viuãt,ſed ſpi-
ritui. Qui ſecundum carnem vixerint, morien-
tur:qui verò ſpiritu facta carnis mortificauerint
viuent. Lex quidem hæc tanquam verbi lumen
ſeipſam ſane intelligi oſtendit:ne qui illius par-
ticeps eſt,de ſe præſumat. Oſtendit in inimicorum
qualitatem,vt ſciat cui reſiſtat. Inimicę enim car
nis docet deſideriis eſſe reſiſtendum:ſpiritus au
Galat.5. tem fructibus aſſentiendum. De vtriſque Apo-
ſtolus loquens ait ſic. Opera carnis ſunt fornica-
tio, immunditia, impudicitia, auaritia, quæ eſt
idolorum ſeruitus:inimicitiæ,cõtentiones,æmu
lationes,iræ,rixæ,diſſenſiones,inuidiæ,homici-
dia,comeſſationes, & his ſimilia: fructus verò
ſpiritus eſt, charitas,gaudium,pax,patiẽtia, lon-
ganimitas,bonitas,benignitas, manſuetudo, fi-
Galat.5. des,modeſtia,continentia,& caſtitas. Aduerſus
huiuſmodi non eſt lex. Qui autem ſunt Chriſti,
carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & con-
cupiſcentiis. Qui vtique ſunt Chriſti, legi ſpiritus
conſentiunt ad correctionem : atque cum con-
cupiſcentiis carnis luctum habentes ipſa cruci
affigunt, vt expeditus verbum quærant in lumi-
ne verbi per aſſumptum hominem. Humanitas
quidem Chriſti lumen verbi eſt (videlicet) il-
luminatum à verbo. Verbum verò lumen eſt il-
Ioan.1. luminans omnem hominem venientem in hũc
mundum. Tunc verò & ipſa humanitas lumen
verbi effecta eſt, quum venit temporis plenitu-
do,in quo Dei ſapientia, vt drachmam perditã
inueniret,lucernam accendit, domumque euer
rit:vnde verbo vnita humanitas & ipſa lumẽ eſt
non tantum illuminatum, ſed etiam illuminans
propter perſonalem vnionem,perfectam, incõ
prehenſibilem,& diuinam. Quum igitur capabi
le effectuum ſit verbum, vt illuminentur verbi
cognitione omnes,qui ad fruitionem & amoris
ipſius vnionem cupiũt aſcendere, ipſum verbũ
in aſſumpto quærãt homine. Omnis,qui ſic quę
rit, inuenit. Nam ſic quæſiſſe ex parte inuen... e
eſt. Quærat etenim ardens anima verbum, vt de

cognitione ad virtutem tranſeat, de virtute ad
ſapiẽtiam, de ſapientia ad decorem, de decore
ad fœcunditatem, de fœcunditate ad fruitionẽ.
Nemo quidem facilius, cõuenientiusque de co-
gnitione verbi, quę ex parte monſtrata eſt, per-
uenit ad virtutem, quàm per exemplum verbi.
Eſt enim virtus animi vigor omnia dirigens ad
rationem. Quid autẽ rationabilius, quàm vt ſer-
uus dominum, creatura Deum, anima verbum,
ratio ſapientiã, infirmus virtutem imitetur? Om
nium quidem virtutũ in homine hominibus for- Ioan.10.
mam exhibuit verbum. Charitatis, ſicut ipſe ait. Matt.11.
Animam meam pono pro ouibus meis. Humili-
tatis, de qua dicit. Diſcite à me, quia mitis ſum
& humilis corde. Obedientiæ, quia parentibus
ſubditus fuit. Patientiæ incomparabiliter, præci
pue paſsionis tempore: ſicque cæterarum virtu-
tum. Præbet quidem formam, & vigorem inge-
rit. Vtrũque nanque neceſſarium eſt. Cuius ete-
nim animi vigor non incaleſcat & roboretur,
quum verbum pro ſe factum, pro ſe humile, la- Ioan.12.
borans, patiens, & moriens proſpexerit? Quum
exaltatus (inquit) fuero à terra, omnia traham
ad meipſum. Itaque vt virtutum formam, virtu-
tis vigorem, virtutem animi induat quis, vnia-
tur verbo, ne aduerſis proſternatur, eleuetur
proſperis: vlloque euentu vel puſillanimitate à
mentis conſtantia & actu laudabili moueatur.
Hoc autem tunc poterit pugnantis animus, ſi in
ſapientiæ lumen ſe reformare ſtuduerit. Arduũ
quippe virtutis eſt iter & ſublime perfectionis
ipſius faſtigium. Facile in eo languet animus &
reſilit ab eo, niſi virtutis irrigetur dulcedine, de
uotione nutriatur, trahatur amore, & ſapientiæ
guſtu reficiatur. Nam ſapientia diuinus eſt gu-
ſtus accommodatus animæ ad perficiendam fi-
dem: roborandam ſpem: infundendum vigorẽ:
appropinquandum Deo, laudandum Deum: &
ſi expediat, intrepide moriendum pro Deo. Cũ
enim ſapientia intrat ad cor, fugantur tenebræ,
abſcedit triſtitia, caſtificatur amor, ſanctifica-
tur timor, exultat ſpiritus, viget animus, cor ac-
cẽditur, replentur viſcera, illuminatur ratio, eri-
gitur mens, & totius interioris hominis reforma
tur aſpectus. In ſapientiæ nanque lumine, in ver
bi ſplendorem animę ſpecies reformatur & cõ-
formatur eidem, per virtutem purgatur: atque
vt lumen ſapientiæ videat, mundatur. In ſapiẽ-
tiæ lumine reformatur, lumini verò ſapientię re
formata conformatur, vt ad ingenitũ perueniat
decorem. Habet quippe Dei in ſe imaginẽ, per
quam eſt honorabilis in ſe, angelis commenda-
bilis, amabilis verbo, & chariſsima ſponſo. Hæc
nanque imago & imaginis pulchritudo non in
corporis elegantia, non in carnis progenie, nõ
in decore vultus, aut in valetudine, ſeu fortitu-
dine mem... brorum, ſed intus in anima conſiſtit.
Hanc ſecundum ... naturam pauper & diues, nobi
lis

lis & ignobilis, infirmus & ſanus poſsidět. Hăc deformat culpa tăto deterius, quăto grauior eſt. Sapientia autem reformat in lumine ſuo eo vehementius, quo abundantius ſe communicat. Tanto verò perfectius ſe communicat, quanto amplius ipſam ad ſe ſuſcipiendum diſpoſitā reperit animam. Diſponit quidem illam peccatorum dolor: cordis gemitus, lacrymarum effuſio, aſsidua lectio, diuinarum ſcripturarum iugis meditatio, pura confeſsio, linguæ circūciſio: & humanitatis verbi attenta cogitatio: ipſiusautem decor relucet in conſcientiæ claritate, in innocentia cordis, in intĕtionis rectitudine, & in vehementia charitatis. Tunc verò conformatur verbo, tunc ſpecimen eius ſponſi aſsimilatur decori, tunc ſapientię grata ſedes efficitur: cum veritas in mente fulget, & mens in veritate ſe videt, cum amoris deſiderio habitat in ſummis, & contemplationis penna eleuatur in cœleſtia: cū maturitatem animi cuſtodiens ſecum commoratur, ſemper pudica, vbique circumſpecta: nil vtique agens, quod conſcientiæ euacuet gloriā obliquet oculum, quo erubeſcat præſentiam veritatis, quo confundatur in ſe, & cogatur faciem cordis auertere tanquam confuſam, & repercuſſam à ſplendore verbi, à lumine ſponſi. Quanto autem nitidior in ſe, quăto charitate profuſior eſt ad verbum, quo intus clareſcit amplius, eo decorem ſuum maturius per membra & ſenſus diffundit exterius, ita vt omnis illius eluceat actio, ſermo, aſpectus, inceſſus, & riſus grauitate miſtus. Huiuſcemodi anima decore venuſta ſicut zelat ſpōſum, ita ab eodem zelatur. Mutuus quidem amor & vehemens pari incedit greſsu: æquali nutritur intentione. Nam quemadmodum quæſita eſt à verbo, ita quærit verbum: ſicut lucrata eſt à verbo, ſic verbo fructificare conatur, quoties ſe offert cauſa quandocunque impellitur ſeu vocatur à verbo, non minus ardenter quam prudenter poſtponit ſe, ſua interponit, vt vacet proximo, vt proximi fęcūdetur profectibus. Nullo quidem exercitio congruentius occupatur ſponſa, quàm cum animarum intendit lucris. Hoc etenim ſacrificio nil maius, nil

Ioan. 21.

ſuauius verbo redolet. Vnde Petro cum diceret amas, me illeque reſponderet, domine tu noſti omnia, tu ſcis, quia amo te, ipſe mox intulit: paſce oues meas. Nihil amanti ardenter charius potuit committere, quàm illud, propter quod exinaniri voluit & mori. Hoc exemplo, quantum illi fraternus amor placeat, & potiſsime cū circa animæ ſalutem occupatur, voluit commēdare. Hoc verbis: hoc in ſeipſo operibus approbauit. Ideoque ſponſa verbo contradicere non audens, eidemque nedum intus in imagine, verumetiam exterius in actione ſe conform[illegible] ſatagens animarum profectibus i[illegible]tendere non recuſat. Hortatur quos [illegible] poteſt, docet quos poteſt, proximorumque mentes nunc terrendo, nunc mulcendo ad agnitionem prouehit veritatis. Cunctos pio fouet affectu, nullum deſpicit, nulli ſe peteti denegat, aliena damna ſua iudicat, vt veræ charitatis repleta zelo ſciat gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus, non ſuum, ſed in omnibus verbi concupiſcit honorem. In hoc efficitur anxia, hoc agere nititur vt ſui non amittat cuſtodiam, dum proximorum vtilitatibus inſeruit, ne pro aliorum commodis mentis innocentiam perdat. Vno quidem oculo vigilat, qualiter fraternę proficiat charitati, altero autem quomodo ſponſo ſe immaculatā exhibeat. Nouit tanquam in multis experta quam plurimos immoderato charitatis zelo accenſos cordis amiſiſſe munditiam, & deuotionis nectare ſpoliatos eſſe, dum inconſulte vacantes proximis ſeipſas negligere non timerent. Laudabilis quippe proximorum inuigilare ſaluti, non tamen minus vacare ſibiipſi neceſſaria actio. Nō valet prodeſſe alijs, qui ſibi nequam eſt. Maxima indiget prudentia, cum animarum lucra quęrit, quiſquis interiori verbi ſaginatur dulcedine, ne ſurrepentibus concupiſcentijs, aut curarum multiplicium grauatus pondere ab interna mētis exercitatione langueſcat. Peramplius illum vigilare oportet, cui nulla ſpiritus fomenta tributa ſunt. Si vix naufragium ſuſtinet, qui ad ſinum portus præuio lumine reducit ſe, vt diſperſa recolligat, reſarciat ſciſſa, collapſa reſtauret, quid de illo iudicandum eſt, qui ignorat portus trāquillitatem, caret lumine, & vagatur à ſe. Nemo (niſi valde ſanctus) abſque ſui detrimento proximorum curis occupatur. Nam etſi animarum lucris intendere ſit Deo amabile, nō tamē cunctis prodeſt. Vnuſquiſque proprium habet donum à Deo. Quiſque prius debet ſuam, deinde aliorum ſalutem quærere. Quid (inquit Veritas) prodeſt homini, ſi mundum vniuerſū lucretur, animæ verò ſuæ detrimētum patiatur? Nullus animarum ſibi vendicet principatum. Magnarum mentium hoc opus eſt. Vocandus eſt dignus, indignus autem repellēdus. Semper etiam dignus timeat ne præſumendo ruat. Si nō timet ruinam, timeat culpā, timeat amittere gratiam. Nam gratię amiſsio occaſio ſit culpę, perpetratio verę culpæ principium ruinæ eſt. Hinc eſt, quod ſponſa in canticorum canticis dilecto pulſanti atque blādis melliſluiſque ſermonibus eandem ad animarum ſubeundum miniſteriū inuitanti de ſe ſuſpecta ac de mentis coinquinatione pauida aiebat. Expoliaui me tunica mea, quomodo ind[illegible] laui pedes meos, quomodo coinquinabo illos? Semper enim humilis [illegible] veretur, temerarius autem quoniam luce veritatis caret, pene poſt ruinam ad ſui peruenit notitiam. Diues ſæpe meditatur, ne in latronum incidat incurſus, qui verò nil poſsidet, facile ſe ex-

Rom. 12.

Mat. 16.

Cant. 5.

ſe exponit periculis. Sic ipſa, de qua loquimur, anima cum cognitione, virtute, ſapientia, & interiori fulgeat decore, ne his omnibus, ſi minus iuſto cauta ſit, priuetur, quando ad proximorum lucra procedit, ſuiipſius diligens cuſtos efficitur. Magni æſtimat, ſi pro Dei honore proſit proximo: non autem minoris, ſi ſe illibatam cuſtodiat verbo. Propterea laudabili diſcretionis moderamine ſic ſecum agit, vt nec pro commodis proximorum contemplationem deſerat, neque pro amore contemplationis aliorũ curam funditus derelinquat. In vtroque ſe cõſtituit medio. Nam cum licet, vacat ſibi; cũ charitas vrget, ſe exponit proximo, ſic tamen, vt cõtinue anhelet ad cubile ſponſi ſecreti reditum, de quo fraternæ charitatis accenſa zelo egreſſa eſt. Semper cum foris manet, cordis poſtes prudenter obſeruat, ne cum ad ſe tota reuertitur, iniquitatis maculam contrahat, per quam ſponſi aſpectibus valeat diſplicere. Ideoque ex fœcunditate ſpiritualis prolis verbi fruitione dignior efficitur. Quemadmodum autem realiter ſe expoſuit, caute ſe cuſtodiuit, fiducialiter egit opus iniunctum, perfecit ardenter, ſolicitéque ad ſe rediit, ſic in verbi amplexus iucundiſsime ruit, dulci guſtu repletur, perfunditur gaudio, exultat affectu, lumine coruſcat, & dilectione langueſcit, cunctorum, quæ foris ſunt, obliuiſcitur, horum, quæ pertulit malorum non meminit, deſiderata verbi fruens præſentia. Inde ſi liceat, nunquam cupit exire amoris referta dulcedine, ardet & gemit, clamat & tacet, tenet & deficit, amplectitur & ſuſpirat, magnoq; amoris deſiderio anxia quo plus paſcitur, eo vehementiori charitatis vulnere ſauciatur. Tanto autem magis ſui obliuiſcitur, quanto amplius verbi inhæret veſtigijs. Tunc propheticum illud dulci valet promere modulatione. (Pſal. 72.) Defecit caro mea & cor meum Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Et illud. (Pſal. 118.) Defecit in ſalutari tuo anima mea, & in verbum tuum ſuperſperaui. Hæc quidem (ex parte tamen) ſunt caſti amoris exercitia, hæc verbi, animæque prę ludia, quæ nequaquam pro voto aut ſuſcipientis merito aſcribenda ſunt, ſed beneplacito tribuẽtis. Ipſe quippe eſt dominus, qui omnia, quæcunque voluit, fecit in cœlo & in terra. (Pſal. 113.) Quiſque quod ſuum eſt, agat, & iuxta ſuam poſsibilitatẽ, vt dignus ad verbum in ſe ſuſcipiendum efficiatur, humiliter ac diligenter ſe præparet, reliquũ verò totum verbi committat prouidentiæ, quoniam paterno omnes amans affectu nihil ſubtrahit animæ profuturum, quamuis mens hæc humana non capiat. Qualis autem ſit huiuſmodi præparatio, quæ infertur, declarabunt.

Qualiter ſponſa ad ſui habitaculum cordis ſuſcipiendum verbum præparare ſe debeat, atque ſpirituales excubias celebrare. Cap. XIII.

QVicunque mortaliũ occupationes ſubtili voluerit inueſtigare iudicio, laborioſas quidem & ignorantiæ cæcitate inuolutas eſſe rectiſsime acclamabit. Quid laborioſius, quã ſine laboris ſine deſudare? Quid tenebroſius, quàm tenebras opacas lucem, & meridianam lucem nuncupare noctem? (Eſai. 5.) Væh (inquit Propheta) qui ponunt tenebras lucem & lucem tenebras, & qui dicũt malum bonum, & bonum malum. Hi nempe ſunt, qui incommutabili ſpreto bono, toto mentis affectu commutabili adhærere conantur. Laborant, deſudant, quærunt, nec inueniunt, quotidie maria peragrant, conſilia mutant, & veluti irrationabilia iumenta ſenſualitatis motu trahuntur. Priuati quidem rationis iudicio in huius peregrinationis vaſtitate errantes prius vita carnis deficiunt, quàm aſſequantur, quod cupiunt. Hos propheta ſanctus exprimere voluit, cum in Pſalmo ait. (Pſal. 106.) Errauerunt in ſolitudine, in inaquoſo, viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt. Eſurientes & ſitientes, anima eorum in ipſis defecit. Longe etenim à ſe ſcrutati ſunt, quod in ſeipſis quærerę debuerunt, ideo defecerunt ſcrutantes ſcrutinio. Bonum quippe Deus condidit infra nos, (Pſal. 8.) & bonum poſuit ſupra nos, noſque in horum medio collocauit. Bonum namque, quod conſtituit infra nos, dedit ad ſolatiũ, ad vſum, ad adiutorium, & ad remedium. Ad ſolatium nempe contulit peregrinationis, ad vſum neceſsitatis, ad adiutorium virtutis, & ad remedium infirmitatis. Bonum autẽ, quod præparauit ſupra nos, voluit declarare, vt diligatur, quæratur, inueniatur, & eo fruamur. Ipſum debemus toto affectu diligere, tota intẽtione quærere, intra nos inuenire, poſt peregrinationem frui. Nobis verò in medio conſtitutis liberum præbuit arbitrium, vt quod volumus, eligamus, dedit & rationis iudicium, vt quid præſtãtius ſit, intelligere valeamus. Decidente igitur ab ingenitæ nobilitatis arce homine, ita hominum elãguit genus, vt ſub peccato venundatus priſtinã libertatem debilitauerit, & rationis oculo plurimum caligauerit. Ideo nec, quod vult, agit, neque quod rectum eſt, iudicat, atque cum iniquitatũ ſit faſce oneratus, nec ſe ad id, quod ſupra ſe bonum eſt, poſsit erigere, & ad illud, quod intra ſe eſt, curuus inflectitur. Vt autem hãc Deus ſanaret infirmitatem, miſit verbum ſuum in terras carne indutum paſsibili, quatenus & qui bonum, quod infra poſitum eſt, concupiſcunt, inuenirent in homine viſibile, palpabile, humanũque bonum. Et qui frui appetunt bono, quod ſupra omnia eſt, intuerentur in verbo inuiſibile, ſummum, & inenarrabile bonum. Vtrunque

Chriſtus eſt, Deus (ſcilicet) & homo. In ipſo omnes qui bonum quærunt, reperire poſſunt, vnde ſaginentur. Nõ expedit, vt cœli latitudo, terrarum ſpatia, & abyſsi profundum rimetur, vt ad ipſius indaginem, attingatur, quãquam in cœlo & in terra, & in abyſſo ſit, ſicut Propheta
Pſal. 138. ait. Si aſcendero in cœlum, tu illic es; ſi deſcendero in infernum, ades. De terra autem ſic legi-
Sap. 1. tur. Spiritus domini repleuit orbem terrarũ. Perfectius tamen in rationali hominis mẽte percipitur, in qua velut in propria ſede reſidet ſapiẽtiã. Incommutabile itaque bonum, verbum ſempiternum, ſapientiam tranſcendentem omnia quiſquis apprehendere ſatagit, quamuis incomparabiliter humanam atque angelicam ſuperemineat dignitatem, quærat (ſi poteſt) in ſe. Talis tamen prius ſit, vt verbi inhabitatione ſit dignus. Præparate (inquit dominus per Prophetam) mihi templũ, & habitabo in medio veſtri. Templum vtique non lapidum ſtructura compoſitum, non auro tectum, non gemmis ornatũ, ſed virtutibus, ſed morum probitate, ſed ſpirituali exercitatione fabrefactum, de quo Apoſtolus. Templum enim Dei ſanctum eſt, quod eſtis
2.Cor. 6. vos. Eſt quidem cor hominis verbi receptaculum, ad quod gratãter ſe, vt inhabitet, declinat. Qualis autem inhabitator, tale ſit & receptaculum. Prius locus præparandus eſt, poſtea aduocandum verbum, deinde ſuſcipiendum, poſtremo quærendum. Cætera alia præcedit in ſuſceptione verbi cordis diſpoſitio, qua deficiente
Pſal. 146. fruſtra reliqua quæruntur. Magnus (inquit Propheta) dominus, & magna virtus eius, & ſapiẽtiæ eius non eſt numerus. Sicut magnus eſt, ita & ipſius ſit habitationis locus. Non autem locorum ſpatio, non altitudine, ſeu longitudine dilatatur cor, ſed deſideriis. Si parũ diligit, ſi deſideriorũ magnitudine nõ accenditur, anguſtũ eſt, & ad ſuſcipiendũ verbũ minus dignũ. Quomodo dignum eſt verbo, cum non toto affectu diligat? Debet quidem charitas dilatari, eoque vehementius, quo amplius Deum nouit eſſe diligẽdum. Ipſa creaturarum numeroſitas, quantum Deus ſit diligendus, clamat. Clamat cœlũ voce ſua, clamant cœlorum ornamẽta, clamat terra, & cuncta, quæ in ea ſunt, vt diligatur Deus. Videmus imaginis picturam mira arte compoſitã nil habentem deformitatis in coloribus, in vultu, & in cæteris membris. Subito laudamus artificis magiſterium, verbis extollimus, ipſumque opificem alios artis ſuæ præcedentem mẽtis affectu amplectimur, & tanquam veneratione dignum prædicamus. Ex hoc hebetudinis humanæ tepor conuincitur. Nemo inuenitur, qui verbi magiſterium conſiderare dignetur. Nonne omnia, quæ facta ſunt, opus ſunt verbi? Nonne ipſius ſapientiæ excellentiam prædicant? Ver-
Pſal. 32. bo domini (ait Propheta) cœli firmati sũt. Sed & in principio (videlicet) in verbo creauit Deus cœlum & terram. Quanta ſunt, quæ per ipſum facta ſunt? quàm pulchra, quàm bona, quã delectabilia, quã iucunda? Cui omnia hæc aſcribenda ſunt, Opifici an operi? O cæca mortaliũ mens, ò inſania hominum deteſtanda. Bibis de riuulo, & viuum prætermittis fontem. Lucernę lumen magnificas, & Solis claritatem non attẽdis? Micas menſæ comedis, & ipſum conuiuium pingue non deguſtas? Si recte ſaperes, ſi ſanũ in te eſſet cordis palatum, vtique per ea quæ facta ſunt, illorum intelligeres autorem, intelligẽdoque diligeres. Quoniã verò interno lumine priuatis, non intuendo ſed palpando diiudicas. Diligis quidem ſed obliquo amore, ſed inordinato, ſed impudico, ideoq; ſubuerſum eſt cor tuũ in te, & priuatus amor ſummo ac diuino te fraudauit amore. Redi igitur ad te, & diſce, quem diligere debeas, in quo eſt beatitudo æterna, & indefeſſa laudatio. Dilige illũ, qui tanta tibi diligẽda propoſuit ammirare ipſius induſtriã, venerare ſapientiã, & corde dilatato verbũ, per quod vniuerſa creauit, amplectere, per hæc aſcẽde, diligendo accede, perſpicieque cognoſces, quo-
niã inuiſibilia Dei à creatura mũdi per ea quæ Rom. 1.
facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoq; eius virtus & ſapiẽtia. Ex decore igitur, ex ordine creaturarum Dei claret ſapientia, ex vſu autẽ & cõmodo bonitatis indeficiẽtia. Quo etenim amore, quo ardere debet deſiderio contẽplantis cor, cum vniuerſitatis dominus nedũ ad intelligentiã ſapientiæ, ſed etiam ad famulatus miniſteriũ, omnem ſibi deputauerit creaturam? Sol lucet, tenebras fugat, cunctis generandi virtutẽ præſtat, calorem infundit, lętificat naturam, & de ſe magnum perſeuerantis obediẽtię tribuit documentum. Imber de cœlo deſcẽdit, terrã ne ſolis aduſtione ſterilis maneat, madefacit, & inebriat, vt ſemen det ſerenti, & panem prębeat ad manducandum. Tẽpora alternatis vicibus vt hominis eleuẽt faſtidiũ, ſibi iniũctum exhibẽt miniſteriũ. Nulla vacat ab opere, nulla creatura ab hominis ſubterfugit obſequio aut miniſtrãdo, aut obſequẽdo, aut exercendo. Clamat grandi voce ad humanũ cor omne vniuerſum, vt Deũ tã dilatato diligat affectu, quã multa intelligit per creaturarum miniſterium ſibi collata eſſe beneficia. Ne ingratum ſit, diligat vehementer, repleatur laude, dilatetur in immenſum, & tanquam mundans fluuius per adiacentia ſibi fundatur corda. Suo bono ſolus non gaudet, quiſquis in amore veraciter conditoris accenditur. Neſcit inuidere, priuatum nil habet, quod accepit, communicat, dantis non ſuam quęrit gloriam, profectumque aliorum ſuũ putat, non tantum propinquos, domeſticos, & notos, ſed latiſsimo charitatis ſinu omnes cõplectitur, tenet dilectione, fouet oratione, hor-

tatur

tatur verbo. Hanc cordis dilatationem Apoſtolus ſe habere oſtendit, cum ait. Os noſtrum patet ad vos ò Corinthij, cor noſtrum dilatatū eſt.
1. Cor. 6. Cuius dilatationis affectum alio in loco aperuit dicens. Nam cum eſſem liber ex omnibus, omnium me ſeruū feci, vt plures lucrifacerē, factus
1. Cor. 9. ſum Iudæis tanquā Iudæus, vt Iudæos lucrifacerē. Et poſt pauca. Omnibus omnia factus ſum, vt
Ibid. omnes ſaluos facerem. Meritoque in ſuo dilatato corde verbum ſuſceperat, & aiebat. Vi-
Galat. 2. uo ego, iam non ego, viuit autem in me Chriſtus. Ad ipſius imitationem Apoſtoli, quæque anima, quæ verbum in ſe ſuſcipere concupiſcit, amoris deſiderijs quantum valet, ſe dilatare nō negligat, in ſpeculo vniuerſi Dei verbum, per quod cuncta ſunt condita, mirari, laudare, & magnificare non deſinat, diligat in opere opificis ſapientiam, in operandi modo veneretur potentiam, in operum miniſterio amplectatur clementiam, in proximo autem verbi imaginem intueatur, & diligat, ipſius ſalutem cupiat aliquando verbis, aliquando obſequijs, ſemper verò deſideriorum affectibus, & orationum ſuffragijs. Sit quidem effecta magna & deſiderijs dilatata, magnum capax erit ad ſuſcipiendum verbum, dummodo non ſit immunda & peccatorum fecibus deturpata. Incontaminatus ſponſus impollutum vult fieri, ad quod reclinet, cordis habitaculum: vnde per Prophetam ſic admonens ait. Lauamini, mundi eſtote, auferte
Eſai. 1. malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis. Quot enim noxiæ cogitationes, tot cordis ſunt maculæ. Has quippe nemo eſt qui ad plenum deuitet, atq; qui eiſdem carere valeat, cū ſcriptum ſit. Quis glorabitur caſtum ſe habere cor?
Prouer. 2. aut mundum eſſe à peccato? Nullus tamen hāc, de qua loquimur, deſperet poſſe obtinere mūditiam. Beati (inquit dominus) mundo cor-
Matt. 5. de, quoniam ipſi Deum videbunt. Prophetam audiamus quàm breuiter, quamque ſapiēter notificauit, quomodo, quo ordine ad ipſam perueniamus. Quę dicitis (inquit) in cordibus veſtris & in cubilibus veſtris compungimini. Eſt quidē
Pſal. 4. cordis contritio optimum ad percipiendam mūditiam medicamentum. Mox vt germinare inchoauerint fœdæ cogitationes, compunctionis gladio interimat ipſas, qui cordis ſui verbū cupit habere poſſeſſorem, virilē ſuper ſe adhibeat cuſtodiam, quæ nec ſeducatur, nec alliciatur, ab intus mugitus emittat tanquam canum latratus & à mētis penetralibus omnem abigat inimicū, euellat odia, deſtruat cogitationes noxias, diſperdat cordis elationes, diſsipet carnis concupiſcentias, vt in mētis pomerio ædificare valeat contemplationis receptacula, atque plātare virtutum paſcua, & ſanctarum cogitationum affectionumque arbuſcula. Niſi verò ſolerti vigilauerit cura, nunquam ad cordis attinget munditiam. Nam cor eſt receptaculum quoddam & radix omnium iniquitatum, quando abſque diſciplinæ vigore relinquitur. Vniuerſa etenim facinora prius quàm compleantur opere, & ad publicum veniant, conſummantur in corde, intus radicantur, ac deinde actionis ramos foras germinant. De corde (ait Verbum) exeunt cogi- Matt. 5.
tationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, & blaſphemiæ. Hæc ſunt, quæ coinquināt hominem. Peruerſum vtique eſt cor hominis, facile corrumpitur, laborioſe corrigitur, leuiter ſeducitur, ſtabilitur nunquam. Quid humano corde fugacius? quid mobilius? quid ad edomandum difficilius? Cum tenetur, labitur, cum reſtringitur, aufugit. In breuiſsimo quidem temporis momento terrarum multa perluſtrat ſpatia, diſcurrit per prouincias, bella mouet, homicidia perpetrat, cumulat pecunias, palatia conſtruit, erecta euertit, honoribus attollitur, ſuperbia inflatur, ſicque tāquam rapidus flatus, & torrens diffluens continua ſui mobilitate rotatur. Proinde omni frænandū eſt induſtria, timoris vinculis reſtringendum, habenis amoris regendum, tergendum lacrymis, atque vera compunctione mundandum, necnon & confeſsionis ſacramento in ſua munditia cuſtodiendum. Nil autem ſic cordis amiſſam reparat gratiam, ſicut iugis oris confeſsio. Si delictorum maculis fœdatur, ſi hebetudine grauatur, ſi deſperatione tāgitur, ſi agitatur tentatione, currat ad confeſsionem, & liberabitur. O beata cōfeſsio, quæ Deum placat, reconciliat pœnitentē cœlum aperit, mundat cor, onus aufert, mētem lætificat, & remittit peccatum, vnde Propheta ſanctus. Dixi, confitebor aduerſum me iniuſti- Pſal. 31.
tiam meam domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Sit itaque frequens, ſit humilis, ſit deuota, ſit integra, ſit lacrymoſa, perſeuerāſq;. Quanto grauius eſt delictum, & crebrior recidiuatio, tanto amplius aſsidua ſit confeſsio. Eo quidem corporis facies ſit mundior, quo magis abluitur. Hoc de interiori facie ſentiendum eſt. Sordes quippe corporis aqua, cordis autem contritio diluit & confeſsio. Suſcepturus igitur quiſque verbum in cordis habitaculo illud amoris dilatet deſiderijs, mundet à maculis delictorum, ornetque decore virtutum, alioquin ſponſum verbum fugabit à ſe. Si enim mortalis ſuſcepturus mortalem tanto cum ſtudio interiora domus mundat à ſordibus, atque diuerſis componit ornamentis, quanto magis verbum ſuſceptura anima ſic ſe extergere, ſicque diſponere debet, vt nil in ſe indecorum, nil inordinatum remaneat, quod aduentantis aſpectui valeat diſplicere. Eſt nanque ſpirituale & præcipuum cordis ornamentum prudentia, quæ ſua interiorem domum decorat venuſtate. Luce etenim ſua mentis illuſtrat

oculum, vt videat, quid, qualiter, quo ordine, quove tempore agendum ſit. Quid, ne agat noxia, & vtilia negligat. Qualiter, ne vitia virtutes ſe ſimulent, ne relicto rationis gubernaculo præceps in paſsionibus feratur animus. Quo ordine, ne id prius, quod poſterius, ne temporalia ſpiritualibus, ne humana præponantur diuinis. Quo tempore, ne importunitas noceat, ne affectio decipiat, ne immoderatio faſtidiat. Futura quoque prouida conſideratione proſpectat, ne vllo fortuito euentu ſternatur animus. Præſentia autem intelligendo diſponit, vt cum proximo abſque ſcandali offendiculo conuerſetur, agenda recte ordinet ſpiritualia vota, immiſsiones, tentationes, inſpirationeſque matura conſideratione examinat. Præterita verò memoriæ recondit, vt experientia præteritorum præſentia vel futura diiudicet, atque ſub diſcretionis libra cuncta ponens ſciat bona melioribus poſtponere, & ſemper potiora elicere. Omne quidem rationalis animæ ornamentum prudentia eſt, per quam ſibi inuicem præſunt homines, & angelorum vendicant dignitatem. Non autem per ſe valet, nec ſola ad animi ſufficit ornamentum. Nam ſicut oportet, vt ſit prudentia decoratus, ita vt ſit temperantia inſignitus. Virtus quippe hæc docet nihil appetere pœnitendum, in nullo legem moderationis excedere, & ſub rationis iugo cupiditatem domare. Hæc nanque cæteris virtutibus, ne limites ſuos prætergrediantur, legem imponit, carne ſubigit ſpiritui, voluptates frangit, refrænat libidines, inordinatos tẽperat motus, petulantiam mitigat, ſenſualitatis appetitus mortificat, veneris ingluuiem laſciuire non ſinit. Mens etenim, quæ temperantiæ virtute decoratur, omnem corporis motum regit, & informat, oculos à delectabilium, & concupiſcibilium & voluptuoſorum ſpeciebus auertit, aures a detractionibus, verbis impudicis, ſeculi vanitatibus, obſcœnis fabulis, & iocis puerilibus claudit, manus à contrectationibus voluptuariis, odoratum, guſtum, & cætera corporis membra ita modificat, & regit, vt quendam diuinæ laudis agant concentum. Non enim latere poteſt, vt per carnis organum non emittat radios maturitatis & continentiæ. Et ſicut Deo intrinſecus gloriam, ita extrinſecus hominibus odorem reddit ſanctitatis. Omnes autem tunc temperantiæ actiones mens operatur, cum virtutem fortitudinis quaſi oculi pupillam cuſtodit. Non enim abſque animi robore carnis tam validæ paſsiones ſuppeditaret. Fortitudinis quidem virtus eſt ſupra periculi metum agere, nihil niſi turpia timere, tolerareque fortiter aduerſa. Eſt quidem ille animo fortis, qui ſe in dolore poſitus conſolatur, qui ſeipſum vincit iram continet, nullis illecebris emollitur & flectitur, non aduerſis perturbatur, non ſecundis extollitur, & quamuis vento quodam variarum rerum circunferatur mutatione, ſtabili tamen perſeueret animi conſtantia, qui contra conditoris interiora, exterioraque flagella nouit non murmurare, non ipſius redarguere iudicia, ſed æquo animo, forti propoſito, viriliter tolerare, atque vt olim beatus Iob gratias agere, Deum corde, voceque laudare. Hanc autem animi fortitudinem ſe habuiſſe monſtrauit Apoſtolus, cum ait. In omni- 2.Cor.4. bus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur, aporiamur, ſed non deſtituimur, perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur, deijcimur, ſed nõ perimus. Propter quod in ſublime fortitudinis ſui turrem cordis ædificaſſe innotuit. Quid autem ſublimius, magnificentiuſque, quàm exercere mentem, afficere carnem, & in ſpiritus ſeruitutem redigere, vt obediat rationis imperio, conſiliis obtemperet, & in exercendis laboribus impigre exequatur propoſitũ, atque animi voluntatem? Eſt itaque fortitudo excelſior cęteris, ſed nunquam incomitata virtus. Nõ enim ſeipſam committit ſibi alioquin fortitudo ſine iuſtitia iniquitatis materia eſt, & quò validior, eo ad nequius agendum promptior. Regula autem iuſtitiæ hæc eſt, tribuere cuiq; , quod ſuum eſt. Quid verò iuſtius, quàm Deo in omnibus obedire? Mens quippe iuſti nil prætermittit mandatorum Dei, voluntati ſe conformat diuinæ, non ſuum, ſed Dei honorem zelat, cruciatur, cum alios delinquere conſpicit, ſeipſam tanquam Dei templum impollutum cuſtodit, illud Apoſtoli memorans, ſiquis templum Dei violauerit, deſtruet illum Deus, virtutes conatur adipiſci, nunquam à bono quieſcit opere, veritatem, quam tenet in corde, profert, ore, nulli nocere, nullum vult lædere. Non enim decet virum iuſtum declinare à vero, & damno iniuſto quenquam afficere, nec doli quicquam annectere, fraudeſque componere, ſed ſyncero diligere affectu, potentis perſonam in iudicio nõ accipere, damna non timere, nõ adulatione, nõ prece, non naturæ vinculo à iuſtitia reflectere, pro iuſtitia vſq; ad mortem certare, innocentẽ de manu violẽti liberare, maioribus obtemperare, omnibus prodeſſe, & beneuolẽtiæ beneficia impendere vniuerſis. Ipſa denique iuſtitia propter ſui excellentiã complectitur in ſe virtutes ordinantes ad proximũ, vt eſt æquitas & liberalitas, ordinantes ad ſeipſum, ſicut eſt pœnitentia & innocentia, ordinãtes ad Deum, prout eſt pietas & obedientia. Iſtæ etenim memoratæ virtutes in vno ſunt connexæ vinculo, adeò vt nemo poſsit eſſe prudẽs, niſi temperatus, fortis, & iuſtus ſit. Viciſsim ſibi vnaquæque propriũ commodat miniſteriũ. Vita quoque interioris, exterioriſq; hominis, ſuper has quaſi ſuper cardinẽ vertitur.

Digitized by Google

uertitur. Optime itaque ornatus eſt animus, cum prudentiam, quæ in veri inueſtigatione verſatur, & ſcientiæ plenioris infundit cupiditatẽ. Temperantiam, quę modum, ordinemq; ſeruat omnium, quæ vel agenda vel dicenda arbitramur. Fortitudinem, quæ in rebus arduis magnanimitatem & virtutem præbet animo, & corpori vires. Iuſtitiam, quæ ſuum cuique tribuit, alienum non vendicat, vtilitatem propriam negligit, vt communem cuſtodiat æquitatem, intra ſe poſsidet. Hæc quippe ſunt interioris habitaculi cordis ornamenta, quæ præparare debet, quiſquis verbum in ſe ſuſcipere concupiſcit. Cũ autem deſideriis charitatis dilatatum eſt cor, delictorum ſordibus mundatum, ornatumque virtutibus, nil ſupereſt, niſi vt obſeruetur ſponſus, & fiant excubiæ, ne veniendo pertranſeat. Indignum nempe & regiæ maieſtati verbi incongruum eſt, vt pulſet, nec ſit, qui ei aperiat. Quo enim pacto valet dormitare, qui diligit cũ ſciat ſponſum omnino venturum? Timeat dormiẽs, ne ob neglectã gratiam diſcedat verbũ denuo non reuerſurum, quanquam ineptum ſe exhibeat verbo, ſua tepiditate, qui dormit. Conſueuit nonnunquam diuina bonitas minus ſe diligenter obſeruãtem deſerere, diu fatigare quęrentem, tandemque ſe inueniri quæſitum. Hoc ſponſa in canticis exprimere voluit, cum ait. Cant. 3. In lectulo meo per noctem quæſiui, quem diligit anima mea, quęſiui illum, & non inueni. Surgã, & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea, quæſiui illũ, & nõ inueni. Paululum cũ pertranſiſſem, inueni, quẽ diligit anima mea. Verus tamen & perfectus amor ſemper ſtudet præuenire dilectum, nõ parcit ſibi, non corpori requiem, non ſomnum oculis, non præſtat palpebris dormitationẽ, ſi quando contingat ſe abſentare verbum. In ſui latitudine corporis corporales quæritat latebras, fugit publicum, hominum conſortia deuitat, notorum facies declinat, vt licentius ſuſpiriis, gemitibus inenarrabilibus, ſingultibus, quibuſdamque amoris nutibus ſuum, quem diligit, valeat aduocare dilectum. Ab huiuſmodi nunquã vacat amoris actibus donec verbum adeſſe intelligat, ſentiat, guſtet, & amplexetur. Quò nanque vehementior eſt amor, eò de dilecti verbi præſentia dilationem patiens eſt impatientior, inquiſitionibus ſolicitior, affectibus ardentior, caſtior præſentia, humilior donis, precibus crebrior, munditia nitidior, virtutibus ornatior, lumine clarior, profuſior charitate, ſanctitate excelſior, commendatione dignior, ditior meritis, & in ſponſi obſeruatione ſagacior. Scit etenim vberem ipſius eſſe præſentiam, nimium delectabilem, & ęternę vitę pręſagium, ſalutiſque indicium. Hoc in ſapientię libro ipſa, de qua loquimur ęterna ſapiẽtia teſtatur, cum ad ſui expectationem aduentus omnes exhortans ſuaui afflatu ait ſic. Prou. 8. Nunc ergo filij audite me, beati qui cuſtodiunt vias meas, audite diſciplinam, & eſtote ſapientes, & nolite abiicere eam dicentem. Beatus vir, qui audit me, qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtij mei. Qui me inuenerit, inueniet vitam, & hauriet ſalutem à Domino. Congruit itaque amãti dulciter, vt tantę autoritatis pulſanti ſponſo confeſtim aperiat, & in ſecretius cordis cubiculũ lętantet, humiliterque ſuſcipiat toto venerationis affectu. Quod vt expeditius agat, ſecum commoretur, & ſuper ſui neceſſe eſt, vt vigilet cuſtodia, potiſsime quum eiuſdem aduentus non obſtrepet auribus, appareat carnis aſpectibus, ſed ſpiritualis ſit, ſenſibiliſque rationali ſpiritui. De hoc Propheta ait. Spiritus ante faciem noſtram Chriſtus Dominus. Illabitur quidem ad cor non paulatim & per incrementa, ſed repente, ſicut de Sancti Spiritus aduentu ſignificatur cum dicitur. Act. 2. Factus eſt repente de cœlo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant ſedentes. Sentitur quidem, ſed neſcitur vnde veniat, aut quo vadat; guſtatur, minimè autem videtur; ex affectibus verò ipſius abſentia, pręſentiaque manifeſtatur.

De cognitione ſponſi, & alternatione ipſius acceſſus & diſceſſus. Cap. XIIII.

CVm ad diuinę ſapientiæ inueſtiganda inſcrutabilia humanus attollitur intellectus, vt ſuccumbat, neceſſe eſt. Si.n. de naturalibus cogitans parum proficit, & ad latentes rerũ cauſas perquirẽdo non venit, quid de diuinis cenſendum ſit, iudicet, qui rectè ſapit. Humana quippe ſcientia ſi diligenter examinetur, quid neſciat, non ſcientia, ſed veriſſime potiuſque ignorantia vocabitur. Innumera nanque ſunt, quæ prorſus ignorat. Quid de iis, quorum an ſint, neſcit cũ de ipſis, quæ quotidie videt & palpat, nullam conuincitur habere notitiam & rationis ſcientiam? Si ſciſcitetur, vt rationem reddat, cur oliuarum, laurique folia potius, quàm vitis ac fici in hyeme vireſcant, penitus ignorabit; ſi quæratur, cur formica ſine alarum remigio creata, cur talia & talia facta ſint, omnino ſuam conuincetur confiteri ignorantiam. O elata præſumptio, ò tumens humana exiſtimatio, indocta ſcientia, & neſcia doctrina, quid inflaris? quid extolleris? cur terminos excedis tuos? cur erecta ceruice, extento collo, ductis ſuperciliis graderis? & quaſi de ſingulari inflaris ſcientia? viſque à cunctis uocari Rabbi? quare cæteros deſpicis? quare ſimplices inhonoras de ſola te iactitans humana ſcientia? Reddere de minimis rationem neſcis, & de magnis

Digitized by Google

intumeſcis, Stultam fecit Deus ſapientiam tuã tibi obijciẽdo multa inſcrutabilia & exigua, quarum nullam habes ſcientiam, quatenus ex ijs diſcas nõ inflari, ſed humiliter agnoſcere, quia quam habere te iactas ſcientiam, non eſt tua, neque abs te. Non enim vnus omnia, ſed multi multa ſcire potuerunt, non vno tempore, ſed per multorum curricula annorum. Hinc eſt, quod tot in diuerſis facultatibus diuerſiſque tẽporibus tanta compoſuerunt librorum volumina. Diſcis vtique tu, quod alij didicerũt & ſcripſerunt, ideo dixi, quod non tua eſt ſcientia, ſed neque abs te. Vis autem ſcire, à quo acceperis, ſiquid forte ſcis, quod ignorent cæteri? Audi quid ſapiens in ſui exordio libri dicat, & intel-
Eccle. 1. liges, vnde tuam habeas ſcientiam. Omnis (inquit) ſapientia à Domino Deo eſt, & cum illo
1. Cor. 4. fuit ſemper, & eſt ante æuum. Scito igitur, quia nihil habes, quod non acceperis ab eo, cuius omnis eſt ſcientia & ſapientia. Et diſce illi, de quo accepiſti, gratias agere, vt rectè ſcias. Nam ſi gratias non agendo intumeſcis, etiam ſciendo multa deſipis. Scientia quidem ſine gratiarum debita actione inflat & perdit. Præſtantiuſque eſt humiliter neſcire, quàm ſciendo præſumere. Non ſcientia, ſed ad ſalutem humilitas eſt neceſſaria. Multi ſimplices & humiles cœlos penetrant, nullus verò arrogans, quamuis omnium liberalium polleat ſcientia, ad cœleſte admittetur conuiuium, tantoque grauioribus cruciabitur pœnis, quanto nequius donum Dei tractauerit. Nam inter dona Spiritus Sancti ſcientia computatur. Res quidem ſancta eſt ſcientia, ſi diligendo operatur, quod nouit, per ſe enim non ſufficit. Non ſolam ſcientiam à Domino popoſcit Propheta, ſed bonitatem (inquit) & di-
Pſal. 118. ſciplinam, & ſcientiam doce me. Tunc nempe vtilis eſt ſcientia, cum perducit ad ſapientiam, cum diuinitatis radios oſtendit, cum verbi præbet notitiam, cum rectè viuendi mores inſtruit, cum ad cœleſtia contemplanda animum attollit, cum ad Deum diligendum erudit, cum ad illum quærendum & poſsidendum omnia cordis interiora inflammat. Hæ quippe ſunt cauſę, propter quas quiſque ſcire debet, ſine quibus nemo rectè ſapit. Ille autem ſapit rectè, qui ſe neſcire ſciens, gradus ſcrutatur, per quos ad verbi aſcẽdat ſapientiam, & in lumine maneat ſapientiæ.
Eccl. 14. Beatus (ſicut ſcriptum eſt) vir, qui in ſapientia morabitur, & in ſenſu cogitabit circunſpectionem Dei, qui cuncta, quæ agit, in lumine operatur, & à lumine dirigitur verbi. Felix quidem anima illa dicenda eſt, quæ ex ſui ſanctitate frequenter viſitatur à verbo, tanquam chariſsima, fœlicior autem illa, quam inhabitat verbum, quę non lingua tantum, ſed ſermone veridico dice-
Eccl. 24. re audet. Et qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. Quàm magna Dei dignatio, quàm verbi veneranda deſcenſio, quando peregrinantem & in teterrimo corporis carcere conſtitutam animam viſere dignatur. Longe verò laudabilior, amabiliorque, quando (vt ſic dicam) in ipſo carcere cum ſibi prædilecta cohabitare non exhorret. Non propter corporis vtilitatem, carnis immunditiam, loci indecentiam, naturæque corruptibilitatem compeſcitur, neque propter animæ infirmitatem, ingratitudinis malum, ignorantiæ tenebras, & delictorum maculas retrahitur verbum, quin vadat & veniat, veniat nec recedat nimio amoris telo percuſſum. Lancea materiali in carne, ſpiculo verò flagrantiſsimæ charitatis fuit transfixum in corde. Semel & ab vno in corpore, multipliciter & ab innumeris ſauciatur in corde. Ipſius illa vox eſt, quæ in Canticorum Canticis ait. Vulneraſti Cant. 4.
cor meũ ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meũ. Mirum igitur nõ eſt, ſi ipſam, pro cuius dilectione vulneratum ſe clamat, tanta cum anxietate requirit. Amor ſane ignitus, quale ſit habitaculum, non conſiderat, dummodo fruatur conuerſatione dilecti. Caret pudore, dignitatem non attendit, paupertatem non æſtimat, legem non habet, non modum, non ordinem, non reſpicit perſonam, non tempus, non locum, cum præceps rapitur in amplexus concupiti. O amor vehemens, ò verbi charitas, ò ſponſi dilectio, ò ſapientiæ connubium, quæ vis eſt tua? quæ tua poteſtas, cum ad illam, quam tui amore repleſti, raptim illaberis, animam? Taceat hic lingua, exultet cor, menſque iubilo perfundatur. Sola nouit experientia, quid præſens innuat ſermo. Ex magiſterio quidem verbi ars diſcitur amoris. Ij norunt optime, quid ſit amor ad quos Dei ſapiẽtia declinare cõſueuit, alioſque inſtruere valent amoris viciſsitudine. Omnes diligentes ſe diligit, neminem ſe dignum pertranſit, quin ſua illuſtret præſentia. Non tamen vniformiter, non ſemper eodem modo, non pari affectu. Ex affectibus quippe varijs animus amoris gnarus, quando venit verbum ad cor & tranſit, & quando vt manſionem faciat, accedit, prudenter intelligit. O quoties mens diuerſis exagitata tentationum procellis nimia cęcitate caligans ignorat, quid agat? Nũc tædio affecta, triſtitia oppreſſa, inſenſibilitate fatigata ſupra modum & ſupra virtutem grauari ſe ſentiat. Nunc innumeris cogitationibus, omniumque tentationum generibus dilaniata, tanquam ciuitas ſine cuſtode & abſque murorum circuitu ab hoſtibus deprædata, ſpiritualium nequitiarum patiatur inſultus, ita vt penè in deſperationis baratrum impulſa, aut ſeipſam relicto temperantiæ fræno, & diuini timoris iugo præcipitet in voluptatum voraginem, aut ſuperabũdantiori perfuſa mœſtitia, & cordis dolore ſaucia ab eo, quod cœpit, ſancto propoſito reſilire medi-

meditetur. Deſtitutam quidem nunc omni humano auxilio atque proprijs labefactatam mentem viribus omnino abſorberet inimicus inſidians, niſi diuina miſeratio ſubueniret. Vnde repente verbi ſplendor irradians penetralia cordis, glaciem reſoluens inſenſibilitatis, cunctã immundorum ſpirituum cateruam, qui irrumpere, iamque mentis arcem poſsidere cœperant, ſua fugat præſentia. Nemo dubitet tunc adeſſe verbum. Solius Dei eſt in momento temporis ſic immutare animum, reparare vires, aereaſque compeſcere poteſtates. Quod vt veriſsimè comprobetur, prius humana ac propria permittuntur deperire ſuffragia, quàm diuinũ impendatur adiutorium. Hoc totum indicauit

Pſal. 103. Propheta dicens. Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ, catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi. Ortus eſt Sol & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur. Exibit homo ad opus ſuum. Conſueuit quoque nonnunquam (Deo iuſte, amabiliterque permittente) mens quodam teporis ſpiritualis frigore, & quadam diuini guſtus priuatione perfundi, adeo vt nil reperiat, per quod valeat erigi. Quum lectioni vacare vult, ſomno grauatur, & omni caret ſcripturæ ſenſu. Cum ſilentio ſe aſtringit, tumultuationem inutilium, innumerabiliumque patitur cogitationum. Cum ineuitabilis corporis reſolutionis, & horæ exitus, ſeu fragoris extremi iudicij, atque æterni cruciatus incendij recordari conatur, vt ſe compungat, non poteſt. Quum orationis ſtudio & meditationi ardenter intendere nititur, coramq; Domino proſtrata crebris pectoris tunſionibus & amaris gemitibus cœleſte implorat ſuffragiũ, prorſus omni areſcit dulcedine charitatis. Quumque deſudãdo in prece perſeuerans pulſat vt aperiatur, ſubito iucunditate repleta ac lumine coruſca vbertim emanare inchoat pro fluuium lachrymarum, & quę prius tanquam lapis corde indurnerat, nunc ſuperno liquefacta reſpectu, præ dulcedine & exultatione præſentiæ verbi ſe à lachrymis continere non valet. Cui talis receſſus & acceſſus aſcribendus eſt, niſi verbo? Nam de ipſo ſic in Pſalmo euiden-

Pſal. 147. tiſsime legitur. Ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit? emittet verbum ſuum, & liquefaciet eam, flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ. Sũt quidem lachrymæ, quæ ex mentis deuotione ſparguntur, amoris indices & aduentus concupiti veri teſtes. Quotidie videmus homines ex adeptione cuiuſcunque deſideratę rei ſubito obortis exultare lachrymis. Quid mirum, ſi hoc idem verbi operetur amor & amabilis æterni ſponſi præſentia? O quàm ſæpe mens dum verbis diuinis, dum prædicationi ſuſpenſa intendit, vt inde quid ſalutare hauriat, quo ædificari valeat ad virtutes & morum probitates, ſeu vt accendatur amplius in amore conditoris, repente ſermonis iaculo vulneratur? Verbum enim Dei ignitum ex charitate prolatũ vehementer prouocat ad amorẽ, & penetrat cor, vnde Propheta ait. Etenim ſagittæ tuæ tranſeunt. Iterumque. Pſal. 76. Pſal. 44. Sagittæ tuæ acutæ, populi ſub te cadẽt. Eloquia quidẽ Dei non immerito accendunt, quia verba ſunt verbi. Quod autem recte, vereque pronunciatur, verbi eſt. Nam verbum veritas eſt, ſicut de ſe ait. Ego ſum via, veritas & vita. Ideo- Ioan. 14. que quicunque veritatem annunciat, non ipſe, neque de ſuo. Apoſtolus hoc teſtatur, quum dicit. An experimentum quæritis eius, qui in me 2. Cor. 13. loquitur Chriſtus? Quomodo verò de ſuo, quũ ſcriptum ſit, Omnis homo mendax? Veritas vti- Pſal. 115. que de fonte trahitur veritatis, vnde efficaciter mens amore repletur, quum non hominem loquentem, ſed verbum in homine & per hominem loquens attendit, ſicque loquens, vt per auditum ſermonis intret ad cor. Nã fides ex auditu, auditus autem per verbũ Chriſti, ideo verbum eſt, quod auditur, ipſumque eſt, quod ingreditur, & accendit, & amore charitatis audiẽtem inebriat. Non ſolum quum prædicatur, per corporis aures intrans transfigit animum, verũ etiam quum meditando aut legendo ipſum verbum auditur. Sacra nãque pagina ſpiritualis eſt locus, in quo Deum loquentem mẽs audit. Per Prophetas quidem, ſanctoſque doctores Deus ad homines locutus eſt. Miſit per ipſos verbum ad poſteros, vt de veritatis notitia, de diuinæ voluntatis agnitione nemo per ignorantiam ſe valeat excuſare. Sub literæ igitur velamine latent perſpicua diuinitatis ſcientia, intelligentia verbi futuræ fęlicitatis iucundiſsima & deſiderabilis excellentia, promiſsiones Dei, ſacramẽta fidei virtutum perfectiones, innumerabileſque veritates, in quibus rationalis mens tanquam proprio cibo alitur & nutritur. Interdum etiam accenditur affectus ex lumine agnitæ ueritatis, ſicut per Prophetã dicitur. In meditatione mea Pſal. 38. exardeſcet ignis. Nullus uerò hanc verbi eſſe operationẽ dubitet. Lux enim eſt, & amor verbum. Lux vt rationem informet, amor vt affectum excitet. Lux vt notitiam præbeat veritatis, amor vt charitatis infundat guſtum. Itaque & quum ex ſacri auditione eloquij & ſacrarum intelligentia ſcripturarum humana mens tãgitur, & charitate repletur, euidentiſsime patet, quia tunc acceſsit verbum, ſuamque ex hoc voluit ſignificare præſentiam. Semel corporaliter agere uoluit, quod ſpiritualiter iugiter operatur. Nonne legimus, quod poſt ipſius reſurrectionẽ cum duobus euntibus diſcipulis ipſe Dominus tertius eſſet comes, eiſque pergẽtibus Moſis ac Prophetarum interpretaretur ſcripturas, magnam ex ipſius alloquio notitiam illos recepiſſe veri-

ſe veritatis, vehementique exarſiſſe incendio charitatis? Vnde quum poſt paululum euanuiſſet verbum ab ipſorum oculis, dicebant ad in- Luc. 24. uicem. Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, dū loqueretur in via,& aperiret nobis ſcripturas? Vtrunque per ſeipſum agi indicauit, & quum auditur per hominem, & quum loquitur per ſcripturas. Vtroque etenim modo intrat ad cor. Quandoque etiam ex oborta admiratione propter viſam creaturarum pulchritudinem, auditum ſonum, & huiuſmodi: quandoque ex repentina cordis lætitia, mentis exultatione, conſcientiæ pace, ſpiritus alacritate, verbi intelligitur præſentia. In omnibus præmiſsis ex ipſorum effectibus ſic venit verbum ad cor, vt tranſeat. Nam etſi perſeuerat gratia, tamen ſubtrahitur guſtus, quibuſdam tardius, quibuſdam verò citius, prout verbi ſapientia latenter, prudenterque diſponit, prout quiſq; magis eſt dignus & in doni conſeruatione diſpoſitus. Talia autem occulta iudicia ipſius acceſſus & receſſus humanus non capit ſenſus. Inſcrutabilia & veneranda ſunt. Sunt & alij ſublimiores excellentioreſque ſpirituales effectus, quos verbum dum venit vt maneat, in anima operatur. Certum quippe eſt ipſum verbum interdum ita ad cor venire, vt etiam recedat. Sic nanque ait. Vado, & venio ad vos. Quandoque ita venit, vt tamen non diſcedat. De hoc quoque Ioan. 14. dicit. Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit,& Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus,& manſionem apud eum faciemus. O quam beata mens, o quam commendabilis anima, ad quam venit verbum vt non recedat, ſed vt in ipſa faciat manſionem. Multa prorſus digna eſt laude, quæ propter ſui innocentiam in conſpectu inuictiſsimi, æternique regis aſtare non veretur, & ad quam veluti in propriū thalamum cœleſtis feſtiuè declinat ſponſus. Niſi diligeret, non mereretur hoc. Non tamen diligeret, niſi prius diligeretur. Non quia diligit diligitur; ſed quia diligitur, diligit. Dilectio nāque, qua Deus ante mundi conſtitutionem dilexit nos, efficit cauſam noſtræ dilectionis. Diligit Deus nos, vt ipſum poſtea diligamus. Hoc & Apoſtolus Ioannes teſtatur dicens. In hoc 1. Io. 4. eſt charitas, non quaſi nos dilexerimus Deum, ſed quoniam ipſe prior dilexit nos. Præceſsit charitas Dei, ſubſecuta eſt noſtra. Nunquam diligeremus, ſi non diligeremur. Diligendo igitur nos dilectores ſuos non facit, taleſque, vt ex ſua ineffabili bonitate digni ſimus vt veniat ad nos,& in nobis habitet. Venire nanque & abire illius multis conceſſum eſt, venire autem & manſionem facere paucis. Lac quidem infirmorum & paruulorum nutrimentum eſt, perfectorum verò, qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni & mali, veritas cibus eſt. Ad iſtos verbū accedit, nec recedit, ſed ſi interdum ad horam diſpenſatiue non tamen diu. Nam vehemens amor cito reuocat, quod leuis fugauit culpa. Non valet per multa abeſſe ſpatia; vbi ſtabilem in corde verbum poſuit manſionem. Reciprocus etenim amor hoc non patitur, nec diſcordia neque abſentia perſeuerare queunt, vbi veri ſcintilla ſuperfuit amoris; qui autem ardentius diligit, citius reconciliatur. Hinc eſt, quod à corde perfecti diu abeſſe non valet ſponſus. Ex ſubſequentibus manifeſte ipſius declaratur ſtabilis præſentia. Quum vides animam poſt longam diuerſarum tentationum exercitationem, poſt diutinam malignorum ſpirituum experientiā ſpirituum diſcretione pollere, & in omni ſpirituali conflictu obtinere triumphum, intellige eandem æterni verbi poſsidere præſentiam. Non enim niſi per inhabitantis ſponſi gratiam tam glorioſè, tam prudenter, tam robuſtè, tamque perſeueranter poſſet aduerſus acerrimos, eruditos, atque crudeles luctatores præualere. Talis nanque victoria inhabitanti, inuiſibili, æterno verbo aſcribenda eſt non inſtrumento viſibili, mortali, hominique. Sunt etenim qui tentantur,& in ipſa tentatione ſuccumbunt, & deficiunt ſine Domini ſuffragio. Sunt & alij qui tentantur & deſudant, vulnerantur & vulnerant, nunc ſternuntur, nunc ſuperant, quandoque fugiunt, quandoque aduerſarios inſequuntur, tandemque poſt prolixum conflictum præualent, & de campo victores abſcedunt. Hos adiuuat Dominus. Inueniuntur quoque nonnulli, quibus tanta ineſt gratiæ copia, tātus charitatis feruor, tam vigilans ſpiritualis oculus, & exercitata virtus ad pugnam, vt quum primum inimici ſit facta ſuggeſtio, repente obuiāt, perſequuntur, vincunt, exterminant, atque de cordis habitaculo omnem amouent immunditiā. Iſtos Propheta ſanctus expreſsit, quum ait. In Pſal. 110. matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt diſperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem. Nulli dubium eſt, quin vbi ſuppeditata tenetur tentatio,& mens ex ſpirituali vigore inarce præſidet fortitudinis, ibi Dominus ſit,& ſuam poſuerit manſionem. Si quempiam Chriſto militantium agnoſces, poſt laudabilem conuerſationem, poſt multimodam tentationum, uirtutumque probationem, veterem cum actibus ſuis crucifixiſſe hominem, & per interiorem exercitationem pacem poſsidere mentis, atque cunctos ſenſualitatis motus dominio ſubijcere rationis, ſcito ibi habitare verbum. Huiuſmodi per tranquillitatem & animi imperturbabilem pacē, quam duce gratia adeptus eſt, Dei filius nuncupandus eſt, dicēte domino. Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabū- Matt. 5. tur. In ſeipſo nanque tanquam in excelſa reſi-

dens

dens rationali ſede omnem cordis famil:ã prouida gubernatione caſtigat. Huic dicit, vade, Mat. 8. & vadit; alij veni, & venit, atque ſeruo corporis fac hoc, & facit. Nullum plus debito iuxta ſui poſsibilitatem inſoleſcere patitur cordis motũ, ſed mox, vt apparet, reſecat, & occidit. Tenet gladium ſpiritus euaginatum, vt Dei zelo accinctus mundet cor ab omni inquinamento peccati. Hoc figuraliter ſponſæ voce in Canticorũ Cant. 3. Canticis in ſponſi laudibus exprimitur, vbi dicitur. En lectulum Salemonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſsimis Iſrael, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſsimi, vniuſcuiuſq; enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos. Quemadmodum autem mentis inconcuſſa pax & animi ſurgens munditia præſentiæ verbi argumentum notiſsimum eſt, ita & cordis intima dulcedo perſeuerans non à natura ſeu ex leuitate proueniens, ſed ex fiducia obtinendæ æternæ fœlicitatis. Vbi virtutes exercentur, ibi ſpei gaudia abundant. Nam ſpes eſt certa expectatio futuræ beatitudinis procedens ex Dei gratia, & ex procedentibus meritis. Illa verò certa ſpes eſt, quæ bonis operib. comitatur, quæ autem ſola exiſtit, præſumptio nominanda eſt. Quomodo autem diffidentia confundi Rom. 5. poteſt, in cuius corde charitas Dei diffuſa eſt per ſpiritum ſanctum? Quomodo trepidare valet de vita, in quo habitat verbum vitæ? Talis nanque pignus ſpiritus accipiens robuſtus ad labores efficitur, ad mortem intrepidus, & ſecurus de gloria. Illi minime dubitare fas eſt, qui accepta venia affluentem in ſe ſentit gratiam. Quotidiana ſiquidẽ diuinæ bonitatis experientia nutrit fiduciam, infirmitatem erigit, contemnit præſentia, futura proſpectat, lætitiam parit, iucunditatem adducit, metum repellit, ſpiritua le lumen infundit, & Dei cognitionem ſubrogat. Ipſa quippe diuinitatis vera ſcientia eſt, quæ non ſolum verbis exprimitur, intellectus acumine penetratur, confitetur fide, verumetiam comprobatur operibus, venetatione colitur, & amplectitur charitate. Dilectio nanque cordis virtutibus aſſociata ſcientiæ atque præſentiæ verbi perhibent teſtimonium. Hoc ſapientia in Euangelio loquitur. Si quis diligit Ioan. 14. me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionẽ apud eum faciemus. Ille etenim ſapientiæ, veritatiſque poſſeſſor eſt, qui legem Dei cuſtodit: qui autẽ operari negligit, vtraque caret, quam uis diuinitatis ſcientiam habere ſe iactet, vnde 1. Io. 2. Ioannes ait. Qui dicit ſe noſſe Deum, & mandata eius non ſeruat, mendax eſt, & in illo veritas non eſt. Vbi igitur vera eſt Dei notitia, ibi operandi ſolicitudo, cordis lætitia, & præſentia maieſtatis. Vbi vehemens eſt amor, & amoris vulnus geſtatur ĩ præcordijs, ibi proculdubio perſeueranter habitat verbum. Nil hoc certius ſigno. Qui capit, ſapit. Iſtud nempe munus eſt ſponſæ, & animæ ſingulariter prædilectæ. Non confunditur, non relinquitur, non tepeſcit, nõ obtenebratur, quicunque meruit hoc. Propria efficitur certus ſalute, lumine gaudet veritatis, præſentia exultat ſponſi, guſtu pingueſcit charitatis, experientia nutritur amoris, non ſemper actualiter, ſed habitualiter. Nemo etenim tam ſanctus, tam in amore præcipuus, tamq; dilectione ignitus ac dilectus, qui amoris viciſsitudini non ſubiaceat. Donec quis carnis corruptibilis indumento veſtitur, quandiu peccandi neceſsitati ſubeſt, hanc legem paritur. Tolle peccatum, & hæc viciſsitudo ceſſabit, da animam nulla delicti contagione pollutam, vt fuit mater Domini, & actualem in ipſa reperies guſtum ſapientiæ. Itaque quoniam nullus eſt, qui non ſaltem in multis venialibus offendat, equidem nemo inuenitur, cui ſæpe diuinus non ſubtrahatur guſtus. Habitibus veri amatores paſcũtur. Actus eo ſolicitius concupiſcunt, & quærunt, quo ardentius diligunt. Hæc pugna, hoc opus, hic labor eſt ante eos, donec intrent in ſanctuarium Dei. Tunc erit verbi læta, perfecta, manifeſta, æternaque fruitio. Nunc diligentiſsime, humiliterq; obſeruare decet, quare ac Pſal. 72. qualiter ſe ſubtrahat, vt facilius hoc cognito ſtrenuus amator eundem quærendo inueniere valeat.

De ſpiritualibus profectibus, quos abſentante ſe ſponſo conſequitur ſponſa ardenter. Cap. XV.

Viſibilis radios ſolis quiſquis irreuerberata acie intueri voluerit, vnde lumẽ videre appetit, inde proprium amittit. Tanta quidem ipſius vis penetrabilis eſt, tantæque virtutis, vt proſpicientium oculos excęcando conſumat, & lumine priuet. Quamobrẽ tunc delectabiliter eius fruimur luce, & abſque detrimento aliquo, quum non ipſum ſolem, ſed quæ illius ſplendore reuerberata coruſcant, aſpicimus. Quod autem in eo quærimus, & ob ipſius nimium fulgorem ac inacceſsibilem claritatem attingere non valemus, hoc in ipſi oppoſitis ſufficienter inuenimus. Quicquid verò de hoc materiali atque humanis obtutibus uiſibili dicitur ſole, illud idem de luce inuiſibili, æterna (uidelicet) Dei ſapientia, definiendum eſt. Quicunq; igitur in illa ſuperbè curioſeque intueri conabitur, nullam inde ueritatis notitiã reportabit, quin potius quod exiguum habet, amittet lumen. Adeo quippe incomprehenſibilis eſt eius diuinitas, tamque inacceſsibilis ſublimitas maieſtatis, ut prorſus quid eſt, agnoſci nequeat. Caligat nanque omne ingenium, intellectus obtunditur in diuinæ ſapientiæ pura contemplatione, & tanquam imbecillis & inualida

ualida humana repercutitur mens, quum ad illud arcanum & ineffabile appropiat lumen. Circunfuſa etenim Dei magnifica claritate ad ſe redire compellitur, admirationeque plena laudare non deſinit, quem ad plenum non cognouit. Soli ipſi notus eſt, quid eſt; cæteris autem ex parte, prout cuique ipſa ſapientia communicare dignatur. In ſeipſa nempe inueſtigabilis eſt, Eccleſ. 1. vnde quidam ſapiens ait. Arenam maris, pluuiæ guttas, & dies ſeculi quis dinumerauit? Altitudinem cœli, latitudinem terræ, & profundum abyſſi quis menſus eſt? Sapientiam Dei præcedẽtem omnia quis inueſtigabit? Fons quidem ſapientiæ verbũ Dei in excelſis, quod nemo viuens apprehendere valet. Nullus itaque attentare audeat, quod non vlli cõceditur viatori. Hæc plena viſio, & viſionis ſumma delectatio reſeruatur in patria, quum nouo gloriæ lumine aſpectus animæ roboratus & ſolidatus ſine reuerberatione aliqua ineffabili diuinæ eſſentiæ claritate iucundiſſima contemplatione fruetur. Hoc temporis interuallo donec ambulantes per fidem peregrinamur à Domino, pro noſtri ſolatio itineris, pro noſtrorum recõpenſatione laborum, & pro noſtri exercitatione amoris, etſi de ipſo æternę vitæ fonte ſapiẽtię clarũ nõ poſſumus haurire lumen, ipſum in illi oppoſitis contemplemur. In nulla autem re tantũ de mirabili ſapientiæ arte erudiri poſſumus, quãtum in rationali anima. Ipſa etenim ad imaginem Dei condita eſt, ipſa verbi ſponſa, ipſa ſedes eſt ſapientiæ. Ratiocinando vtique perſcrutemur humiliter cauſas, propter quas ſponſus tam frequenter etiam à perfectis & in charitate ardentib. ſe abſentare conſueuit. Hoc nãque humano iudicio plurimũ aduerſatur amantibus. Fas quoque non eſt verbum in aliquo errare, neque enim poteſt, quia veritas, quia ſapientia eſt. Ad reprimẽdam igitur hominis audaciam ſapientiſſime interdum ſe ſubtrahit ſapientia non odiendo, non contemnendo, ſed amando. Quis autem niſi quandoque relictus ſibi, propriam agnoſceret fragilitatem? Continuus ſucceſſus occaſionem parat elationis. Vix quippe flagellis eruditus animus, & tentationibus attritus ſuam valet intelligere infirmitatẽ. Nemo Apoſtolo ſanctior, & tamen de ſeipſo ait 2 Cor. 12 ſic. Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet. Quis vnquam arbitraretur hominem vſque ad tertium raptum cœlum, imò in paradiſum, ibique arcana diuinitatis audiſſe verba, quæ homini loqui non licet, cuius conuerſatio propter amoris vehementiam, mentiſque munditiam in cęlis erat, qui non ab homine, quod prædicabat, accepit Euã- Rom. 8. gelium, ſed per Ieſu Chriſti reuelationem, qui fiducialiter dicebat, Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neq; futura, neque fortitudo, neque altitudo, neq; profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu, ne eleuaretur inaniter ſupra ſe, neceſſario doceri habuit per ſe de ſe. Non autem dubitandum eſt de tanto credere viro, quod ipſe de ſe teſtatur. Nemo tanti ſe æſtimet, vt quamuis cariſmatib. multis ornatus ſit, abſque diſciplinæ documento poſſit euadere. Prona quidem ad malum eſt hominis natura ab adoleſcentia ſua. Gen. 8. Secum ſibi aduerſantẽ portat. Priuatus etenim amor ignotum illũ reddit ſibi. Facile & rectè iudicat aliena, quum aperiuntur ei, ſua verò non poteſt. Medicamine igitur eget alieno, quum ſuo nequeat liberari. Quamobrem ſapientia quandoque ſe ſubtrahit, vt quem diligit, humiliãdo cuſtodiat. Nam maximum humiliationis genus eſt vehementer, pureque amantem dilecti ſui priuare præſentia. Opponit præſumptioni obſtacula, antequam veniat, ſuiq; dilectoris, quãuis dolentis, quamuis nolentis, & renitentis ſalutis operatur remedia. Nullum iſto probabilius ſuæ præcipue charitatis poteſt ſentiri argumẽtum. Sic enim in Apocalypſi loquitur. Apoc. 3. Ego quos amo, arguo, & caſtigo. Patienter itaque & humiliter hanc ſuſtineat amoris viciſſitudinẽ Prou. 16. etiam ſponſa. Gaudeat erudiri, ne præſumat, diſcat ſe agnoſcere, ne cadat, ſciat ſcriptum eſſe. Ante ruinam exaltatur cor. Præſtantius verò eſt innocenter humiliari, quàm iuſte. Nam innocentia meritum cumulat, iuſtitia autem perſoluit debitum. Iuſte quippe Propheta ſanctus humiliatum ſe agnouit, qui poſt violatum proximi thorum, poſt contra Dei voluntatem, populi numerationem, poſt perpetratum homicidiũ aiebat. Prius quàm humiliarer, ego deliqui. Pſal. 118. Iuſte quoque Propheta alius ſe & populũ Dei humiliatos confitebatur, quum lacrymoſa prece diceret Domino. Peccauimus, iniquitatem Dan. 9. fecimus, impie geſſimus, & receſſimus, & declinauimus à mandatis tuis, atque iudicijs, neque enim in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces noſtras ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis. Propter peccata quidem noſtra & iniquitates patrum noſtrorum Hieruſalem & populus tuus in opprobrium ſunt omnibus per circuitum noſtrum. Innocenter verò humiliatus fuerat Iob, vir vtique ſimplex & rectus, ac timens Deum, & recedẽs à malo, qui poſt amiſſam ſubſtantiam, poſt natorum interitum, poſt vulnerum cicatrices, & vermium roſionem in ſua perſeuerans innocentia dicebat confidenter, Non peccaui, & in amaritudine moratur oculus meus. Præ omnibus deniq; in- Iob 27. nocenter, & ſine cauſa humiliatus eſt dominus Ieſus, qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus

tus eſt in ore eius, & tamen ſicut ouis ad occiſionem ductus eſt, & tanquam agnus coram Eſa. 53. tondente ſe non aperuit os ſuũ. Non triſtetur quęuis anima, etiamſi ſponſæ gratiam promeruit, quum ſe ad tempus verbum ſubtrahit, & humiliando cuſtodit. Nam ſi iuſtè, ſuſtineat æquanimiter, ſi verò innocenter, cum exultatione. In nullo Dei valet errare ſapientia. Non quidem mediocris eſt commodi huius diſpẽſatio viciſſitudinis. Toties recaleſcit ſpiritus, renouatur animus, & amor augetur, quoties poſt latebras Gen. 43. ſui præbet copiam ſponſus. Commota ſunt (ſi- Gen. 46. cut ſacra narrat hiſtoria) viſcera Ioſeph ſuper Beniamin fratre ſuo, quum poſt longa temporis ſpatia illum videre promeruit. Sed & ſpiritus Iacob reuixit, quaſi de ſomno graui euigilans, quum Ioſeph viuere atque vniuerſæ terrę Ibid. Aegypti dominari audiſſet. Deinde videns illũ, irruit ſuper collum eius, & inter amplexus fleuit, dixitque ad Ioſeph, Iam lætus moriar, quia vidi faciem tuam. Si ſic exarſit ſpiritus per præſentiam carnis, quid aget amantis ſpiritus, cum reuiſit verbum? Nemo explicet verbis huius gaudia reditus. Quis valet dicere, quanta hinc inde reſonent dilectionis eloquia pro præſentia, exultationes, gemitus pro dilatione, compunctiones pro culpa, pro venia emendationes amplexus pro fiducia, ardores pro amplexibus, pro ardoribus humiles liquefactiones, pacisq; ſuauiſsimam abundantiam poſt animæ liquefactionem? Hæc nempe ſpirituales viciſsitudinũ deliciæ ſunt ſponſi & ſponſæ. Iſta ſunt ſancti tripudia amoris. Nullus experitur talia, niſi qui ardenter diligit. Ignitus verò amor ex priuatione agnoſcitur. Qui parum amat, nec dilecti receſſus cauſas inquirit, nec exurgit, vt quærat, non gemit pro dilecto, neq; dolet pro delicto. Non ita autem, qui diligit multum. Nunquam enim ſine dolore amittitur, quod cum maximo amore poſsidetur. Amoris vehementia ex inquiſitione colligitur. Legitimus nanque amator mox, vt abeſt ſponſus, redit ad ſe, cordis ſui latebras perluſtrat diligenter, intentiones, cogitationes, affectionesq; examinat, ſi quid in verbis, ſi in factis deliquerit, ſubtiliter diiudicat, vtrum erga fratrẽ peccauerit, aut proximo ſuo aliquid ſcandali poſuerit offendiculum, rememorat. Quod ſi ſe erraſſe deprehenderit, tandiu dolore affligitur, donec pacatã in ſe videat conſcientiam. Tunc inquiſitioni vacat, nõ ſine gaudio mœrori admiſto. Gaudet quippe, quia pacem ſatisfaciendo reperit, triſtatur verò, tum propter delictum, tum etiam, quoniã pauet, ne quid inultum remanſerit. Nam perfectus amor ſemper ſuſpicioſus eſt, ſemper anxius, & interdum dolet ob culpam, quam aut deleuit pœnitentia, aut vtrum commiſerit ignorat. Gaudium nanque inquiſitionis laborem temperat, mœror autem diligentiam adiicit inquiſitioni. Hoc teſtatur Euangelium. Nam quum Domini parentes ſemel ad diem feſtum aſcendiſſent, eadem Luc. 2. peracta ſolennitate cum ipſis deſcendentibus remãſiſſet puer Ieſus in Hieruſalem, atque exiſtimantibus eum eſſe in comitatu venerũt iter diei vnius. Quęrentes verò anxiè, & poſt triduũ in templo in medio doctorum reperientes, ait mater. Fili, quid feciſti nobis ſic? ego & pater tuus dolentes quærebamus te. Quæſierunt vtique cum dolore, quem ardenter dilexerunt. Dolor itaque amoris indicium eſt, & inquiſitionis ſtimulus. Nullus autem inuenire valet quem quærit, niſi dolori iungat prudẽtiam. Eſt quidem prudentia in cunctis neceſſaria, multo amplius verò in verbi adinuentione. Hæc duo, ſapientia (videlicet) & prudentia viciſsim ſibi inuicem famulantur. Nullus ſine ſapientia poteſt poſsidere prudentiam, ſed neque ſapientiã quis habere valet abſque prudentia. O quàm multi vano illuduntur errore, ò quanti pergũt per vias non bonas, & ſemitas ſcrutantur difficiles, vt ſapientiam inuenire queant. Sunt qui aſtutijs & humanis inſeruiunt fallacijs, vigilãt, qualiter fraude circumueniant iuſtũ, innocentiſque pedibus decipulas parent. Noua quotidie argumenta componunt, deceptiones fingunt, mendacia loqui nõ erubeſcunt, pleni vtique omni dolo, blaſphemi, contumelioſi, detractores, Deo odibiles, ſine miſericordia, & abſq; omni recto iudicio æquitatis. Hi etenim gloriantur, quum malefecerint, & exultant in reb. Prou. 2. peſsimis. Tales vulgò ſapientes appellantur & cordati. Sed teſte ſacro eloquio, in maleuolam animam non introibit ſapientia. Huiuſmodi di Sap. 1. centes ſe ſapientes, ſtulti facti ſunt. Rom. 1. Sed tantum præcedit ſapientia horum ſtultitiam, quantum differt lux à tenebris. Eſt quoque aliud hominũ genus, qui curæ carnis & ſeculi voluptatibus ſe accommodant, dies conſumunt ſuos, & noctes ducunt inſomnes, totumque ipſorum ſtudium in aggregatione diuitiarum, in adipiſcendis dignitatibus, in tẽporali fœlicitate, in delicijs corporalibus, in illecebroſis conuerſationibus, & in voluptuoſis verſatur choreis. Neque hi viam Iob 28. diſciplinæ inuenerunt, vnde beati Iob voce dicitur, Sapientia verò vbi inuenitur? & quis eſt locus intelligẽtiæ? Neſcit homo precium eius, nec inuenitur in terra ſuauiter viuentium. Itaque quantumuis ſplendeat homo honoribus, affluat delectationibus, plenitudinem non capiet ſapientiæ. Viri quidem iuſti ſe præbet in ſolatium ſapiẽtia, peccatoris autem & cupidi declinat conſortium. Hoc pronuncians Sapiens, Eccl. 2. ait ſic, homini bono in cõſpectu ſuo dedit Deus ſapientiam, & ſcientiam, & lætitiam, peccatori autem dedit afflictionem & curam ſuperfluam vt congreget, & addat, ſed & hæc vanitas &

caſſa

Digitized by Google

rectitudinis deuiat regula, Vtque hoc ſumme amabile bonum adipiſcatur, nullo accenditur zelo, nullóque mœrore compungitur: ſed tanquam propriæ ſaluti contrarius non alicuius attollitur amore virtutis: Quumque hac fuerit peſte repletus, ſtimulis non vrgetur conſcientiæ: mortis non trepidat metu: horrendi chaos inferni non agitatur ſententia neque futuræ vitæ attrahitur dulcedine. Quicunq; ſapientiæ amator eſt, quiſquis verbi delicijs frui concupiſcit, torporem à ſe cordis abijciat. Nam charitatem ſuffocat, deuotionem extinguit, virtutes debilitat, oculos cæcat, aggrauat corpus, eneruat mentem, fraterno priuat conſortio, ingratam reddit animam, & cõcupiſcentiæ carnalis ignẽ accendit. Præcurrit etenim ocium, & tepor animi: atque voluptuoſæ cupiditati habitaculum parat: qua ingrediente repentè abſcedit ſponſus, frigeſcit amor, omniſque mentis tranquillitas diſsipatur. Dignißimus quippe eſt verbi amor, & tantæ excellentiæ, vt nullum cum vitijs patiatur conſortium. Intrante hoc vitia latitant, & in illius nequeunt aſtare præſentia. Si verò torpuerit animus, & congruis fomentis ſanctum charitatis ignem nutrire neglexerit, atque habenas vitijs laxare cœperit, mox domum cordis diuino ſentiet calore priuatam.
[Mat. 6.] Nam quemadmodum duobus nemo poteſt domino ſeruire: ita amor carnis verbique dulcedo in vno non valet mentis commorari hoſpitio. Nec immeritò. Sicut enim abſque maximo nuptiarum dedecore fieri non poteſt, vt in vno eodemque thalamo ſponſa quieſcat & adultera: ſic ſine euidentiſsimo non valet eſſe diſpendio, vt quis in ſuo velit cordis ſecreto ſapientiam tenere & voluptatem. Alteri earũ neceſſe eſt præbere famulatum. Longè tamen nobilior eſt ſapientia, quàm voluptas: imò ſapientia ſole ſpecioſior eſt & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum, lucique comparata prior inuenitur: voluptas autem deformis eſt & ſqualida: puritatis inimica, pudicitiæ exterminium, eſca diaboli, peccatorum incentiuum, rubigo mentis, conſcientiæ abolitio, aduerſatrix Dei, animarũ interemptrix, & totius cõſumptrix honeſtatis. Hanc quiſquis rectè ſapit, quiſquis vult vitam, cupitque dies videre bonos, fugiat, eiusq; amicitiam velut aſpidum ac viperarum aſpectum abhorreat: det verò animum ad inueſtigandam ſapientiam, & ipſius habere notitiam. Illam omni auro æſtimet cariorem, cunctiſque anteponat delicijs. Clara eſt, & quæ nunquam marceſcet ſapientia & facile videtur ab iis, qui diligũt illam: & inuenitur ab iis, qui quærunt eam. Præoccupat qui ſe concupiſcunt, vt illis ſe prior oſtendat. Qui de luce vigilauerit, ad illam non laborabit: aſsidentem illam in foribus ſuis inueniet. Cogitare de illa ſenſus eſt conſummatus. Initium enim illius veriſsima eſt diſciplinę cõcupiſcentia: concupiſcentia verò ſapientiæ deducet ad regnum perpetuum. Si ergo, ô Chriſti milites perpetuis lætamini ſedibus, diligite ſapientiam, lumenque diligite ſapientiæ, vt in perpetuum regnetis. In æterna quidem cœlorum gloria ſtabilis erit poſſeſsio ipſius, quamuis in præſenti peregrinatione illius ſit neceſſaria viciſsitudo. Amantibus quippe laborioſa, ſed exercitatis perutilis. Huiuſmodi nanque viciſsitudo parit humilitatem, cuſtodit innocentiam, offenſam mundat: accendit ſpiritum, dolorem inducit, prudentiam perficit: commendat perſeuerantiam, cuſtodiæ adhibet diligentiam, torporem excutit, concupiſcentiarum flammas extinguit, ad inquiſitionem prouocat: qualiterque reperiri valeat, ſufficienter edocet.

Qualiter verbum per contemplationis ocium valeat inueniri. Cap. XVI.

QVum ad diuinam verbi contemplandam celſitudinem humanus ſe diſponit intellectus, & mens rationalis anhelat: prius neceſſe eſt, vt compedibus, quibus irretita tenetur, abſoluatur: ne fortè quum ad alta ſe eleuare conatur, propriis repercuſſa vinculis ima petere compellatur. Nunquam auiculę rete, vel compede aſtrictę, libero, celerique volatu alta petunt: ſeu frondoſas perluſtrant nemorum arbores, niſi diruptis vinculis. Ligatur auis fune viſibili: humana verò mens inuiſibili. Habet quidem ſua mens vincula, quę eleuantem deprimunt. Magnum prorſus vinculum terrenę ſunt facultates, & temporalium negocia: quę (velit nolit) mentem pręp ediunt. Nam quum animus per multa diffunditur, vtiq; minus in ſe validus eſt. Non enim interioribus exterioribuſq; vacare perfectè põt: ſed nec cuiquam intendere valet operi, niſi applicet affectum. Vbi affectus apponitur, ibi ligatus tenetur: quum aũt ſpe, affectione, & ſuperflua animus occupatur cura, proculdubio diaboli laqueis captiuus tenetur. Hos Apoſtolus Timotheo ſcribens euadere docebat, dicens: Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationẽ [1.Tim.6.] & in laqueũ diaboli: in deſideria multa, inutilia & nociua, quę mergunt hoĩes in perditionem. [Ibid.] Et paulò poſt: Diuitib. aũt huius ſeculi pręcipe non ſublime ſapere, neq; ſperare in incertũ diuitiarum: ſed in Deo viuo, qui pręſtat nobis oĩa abundè ad fruendum bene agere, diuites fieri in operibus bonis, facilè tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. Magnum vinculum eſt carnis prudẽtia. Hoc quippe Dei magnalia metitur humano modo, & facta ſpiritus ſecũdũ carnem iudicat. Quod capit

ratione, credit: impugnat autem quod intelligere nequit. Ignorat enim diuina longè ab humanis diſtare: nec iugo puræ fidei valet colla ſubmittere. Aduertatur ſimplicitati, quæ mater eſt internæ dulcedinis. Aliis credere non poteſt propter ſuæ tumorem ſuperbiæ. Legi nanque Dei non eſt ſubiecta, neque enim poteſt. Si in aliquo intelligentiam percipit, inflatur: ſi in ſua permanet cæcitate, obſtinatione obdureſcit: quum ad ſpiritualia meditanda, ſeu cõtemplanda cœleſtia operam dat: mox carnalium cogitationum repercuſſa caligine relinquitur ſibi. 1.Cor.2. Nam animalis homo non percipit ea, quæ Dei ſunt. Si myſterijs ſub literæ velamine latentibus intendere ſtudet, tanquam Mat.7. indigna foris manet: nec ſanctum canibus, neque margaritæ apponuntur porcis. Huiuſmodi quidem fatigata conatibus velut famelica panem quærens, vel ſaltem micis ſaturari non meretur: quærit, & non inuenit: pulſat, nec illi aperitur: quoniam ipſa ſibiipſi aduerſatur. Nullo alio impugnante grauem contra ipſa ſe mouet rixam. Ipſa infeſtatur & infeſtat: fugit & inſequitur: mentem excitat, vt ad ſumma ſe erigat: ſed dũ erigitur, reprimit, proſternitque. Quid hoc iugo grauius? quid iſto tenacius vinculo? Nemo iſto ligatus cœleſtia guſtare meretur. Ligatur quippe anima carnalis prudentiæ vinculis: ligatur etiam funibus peccatorum. Quot delicta, tot funes. Nullus niſi per gratiam ſoluitur: non tamen omne delictum alligatam tenet mentem: peccatorem autem ſoluit gratia: ſoluit dolor: ſoluit miniſter. Gratia quidem per ſe: dolor verò per confeſſionem: ſed miniſter per apoſtolicam autoritatem. Hæc etenim teſtimonijs confirmantur ſcripturarũ. Nam quum in carcere apoſtolorum princeps incluſus teneretur (ſicut in actibus legitur Acto.12. Apoſtolorum) eſſetque catenis vinctus duabus, aſtitit angelus domini, & lumen refulſit in habitaculo carceris: ſtatimque percuſſo Petri latere ac excitato, catenæ, quibus ligatus erat, ceciderunt de manibus eius. Non ipſe catenas abſtulit, nec aliquis alius, ſed angelica hoc factum eſſe virtute certiſsimum eſt. Petrus enim peccatorem, catenæ peccata, angelus autem gratiam figurabat. Adoleſcentior quoque fi- Luc.15. lius, qui luxurioſè viuendo ſubſtantiam omnem conſumpſerat, quum in regionem peregrinaretur longinquam, eſſetque ligatus obſequio vnius ciuium regionis illius, ad ſe rediẽs, atque dolore compunctus, ſuæ erubeſcens ſer- Luc.15. uitutis officia intra ſe ait: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autẽ hic fame pereo: ſurgam, & ibo ad patrem meũ, & dicam illi: Pater peccaui in cœlum, & corã te: iam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut vnum de mercenariis tuis. Surrexit, acceſſit, confeſsionem fecit: remiſsionem nedum accepit, ſed etiam ſtolam primam, annulũ in manu, & in pedibus calceamenta habere promeruit. Inſuper pro ipſius reditus gaudio ſaginatus occiſus eſt vitulus. Hoc quidẽ exemplo Dei immenſa gratia & humilis confeſsionis vtilitas commendatur. Iacebat præterea Lazarus (prout lectio narrat Euangelica) in monumen- Ioan.11. to mortuus: iamq; quatriduanus fœtebat. Adiit ad tumulum verbum: imperauitque defuncto, vt egrederetur. Repentè prodiit viuus, qui fuerat ligatus inſtitis: mox verò apoſtolis vt vinctũ ſoluerent, mandauit: qui à mortis compede liberatus abſceſsit: & poſtea dominico efficitur dignus conuiuio. Iſto vnico miraculo verbi ineffabilis gratia, peccatoris à mortis vinculis abſolutio, & Apoſtolicæ autoritas dignitatis demonſtratur. Beati planè (iuxta prophetæ ſententiam) Pſal.31. quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum recta ſunt peccata: cui dominus non imputauit peccatum. Iſtiuſmodi quippe tanquam à vinculis alieni liberè ſupra ſe valent cõtemplationis penna euolare & ſponſi præſentiam, atq; locum habitationis gloriæ verbi diligenter perquirere. Nil etenim in omni ſpirituali exercitio ſic mentis appetit libertatem, quemadmodum contemplationis actus. Vbi verò deeſt libertas, procul eſt contemplationis dulcedo, in qua vbi ſponſus cubet, agnoſcitur: ideoq; quiſquis ardenter inueſtigare deſiderat verbi locũ, antè à ſe temporalium affectum, ipſorum adminiſtrationem, carniſque prudentiam, atque delictorum pondus amoueat: quatenus ab his ſpiritualib. abſolutus vinculis diuinæ laudi, ac intimæ cõtemplationi congruè valeat vacare. Horum vinculis liberatũ ſe nouerat propheta ſanctus, quum conditoris laudis flagrãs deſiderio aiebat: Dirupiſti vincula mea: tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Non vtique labiorum tantũm, Pſal.115. ſed & cordis. Corde quidem iuge Deo exoluitur ſacrificium, corde verbum quæritur, corde tenetur. Parum nanq; proficit, qui verbotenus Deum laudat: vnde dominus taliter laudantes per prophetam exprobrat, dicens: Populus hic labiis me honorat: cor autem eorum longè eſt Eſa.29. à me. Mat.15. Vt igitur verbi iucunda, decoraq; ſit laudatio, exhibenda eſt corde. Vt autem ignito valeat offerri corde, præſens neceſſe eſt, cui exoluitur, vt ſit. Nihil verò verbo præſentius. Vbiq; totum, vbique præſens, non loco circunſcriptum, non caſibus variatum, non ſubiectum accidentibus: eſt intra omnia non incluſum, extra omnia non excluſum, ſupra omnia non elatum, infra omnia non oppreſſum: cernit cuncta abſque errore: regit vniuerſa ſine labore: tuetur omnia ſine timore: ſentitur ab iniuſtis: videtur autem à mundis corde. Mũdet itaq; cor, qui verbi cupit cõtemplari præſentiam. Quamuis enim

uis enim vbique ſit totum, non tamen in omnibus vniformiter. In reb. nanq; eſt multipliciter. Per naturam eſt vbique, potentialiter, præſentialiter, eſſentialiter: effectiuè autem diuerſimodè. In inferno quidem adeſt vt iudex, in iuſtitiæ ſolio reſidens cuique iuxta culpas tribuit: non diuitis, non potētis perſonam reſpicit: ſed delicta punit, ſtillicidia gratiæ non infundit. Rorem miſericordiarum non pluit ibi. Nam lo-
Iob 10. cus ille (teſte beato Iob) tenebrarum terra eſt & vmbræ mortis, ibi nullus ordo, ſed ſempiternus inhabitat horror. Merita ibi non remunerantur, quia non ſunt: ſoluuntur verò debita, etiam vſque ad minimum quadrantem. Pro diuerſitate facinorum varia ſunt pœnarum genera. Ignis eſt ibi corporeus, inextinguibilis, carens neceſſitate fomenti materialis: diuina tamen virtute corpora concremans: ſpiritus autem non calefaciens, ſed crucians. Lucet quidem ad pœnam: minimè autem ad conſolationem. Ibi frigus incomparabile eſt, & dentium ſtridor: ibi quoque eſt fumus teterrimus, tenebræ palpabiles, lacrymæ interioris, horrida dæmonum viſio, improperij clamor, ariditas ſitis, fœtor ſulphuris, vermis conſcientiæ, ſpiritualia vincula, carcer ſqualidus, timor crucians, palpitans tremor, anhelus dolor, pudor confundens, inuidia vrens, diſſerpens rancor, triſtitia affligens, carentia diuinæ viſionis, omniſque ſpei abolitio & ſalutis. Cuncta hęc de diuinæ prodeunt theſauris iuſtitiæ, quæ vnicuique reddit ſecundum opera ſua. Quis ad tantæ non paueat præſentiam maieſtatis? Quis non iudicis huius formidet aſpectū? Ipſe quidem ſine paſſione iudicat, ſine commotione terret: abſque compaſſione damnat. Væ (iuxta prophetæ vo-
Eſa. 1. cem) genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filijs ſceleratis, qui dereliquerunt dominum, blaſphemauerunt ſanctum Iſrael, alienatique ſunt retrorſus: quoniam iudicis huius (niſi pœnitentiam egerint) ſententiam non effugient. Obtenebreſcet lux in tabernaculo ipſorum, arctabuntur greſſus virtutis illorum & omne eorum conſilium præcipitabitur. Vndique terrebunt eos formidines, deuorabitque brachia illorum primogenita mors, calcabitque eos quaſi rex interitus. Rapit vtique iudex hic, quum vult, nec eſt, qui eripiat, aut eius
Pſal. 75. valeat reſiſtere poteſtati: vnde propheta: Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi? Præſidet itaq; verbum in inferno vt iudex: in mundo autem vt rex: ideo ipſa ſapientia in Sapientiæ libro ait
Prou. 8. ſic: Quando præparabat cœlos, aderam: quando certa lege & gyro vallabat abyſſos: quando ęthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum, quando circundabat mari terminum ſuū & legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos: cum eo eram cuncta componens. Omnia quippe per verbi ſapientiam facta ſunt, vniuerſa legibus gubernantur ſapientiæ. Inanimitatis etenim & inſenſibilibus præceptum poſuit, quod præterire non poſſunt. Cęlis motum dedit, imponit ordines, virtutes infundit, mutat tempora, ætates variat, condit leges, naturam vertit: & quicquid ei libet, poteſt. Omne, quod per aera volitat, natat in aquis, graditur ſeu reptat ſuper terram, ipſius abſque vlla contradictione famulatur imperio. In vniuerſis quidem, quæ videntur, claret illius præſentia: ſapientia lucet, delectat bonitas, potentia laudatur, apparet pręſcientia, largitas manifeſtatur, ſeruatur ordo & diuinitas commendatur. Longè tamen excellentius cuncta hęc in hominis contemplantur regimine. Quis nanque in homine de verbi dubitet pręſentia: quando peccantem terret, ſolatur mœſtum, debilem roborat, cadētem erigit, inſcium docet, famelicum ſatiat, boniſque replet eſurientem: Cùm autem contemplationis pœna mens eleuata diligenti conſideratione miratur hoc humani organum corporis, quanta ſapientię arte formatum eſt, ſenſuum membrorumque perſcrutando varietates: quomodo vegetetur, nutriatur, ſenſificetur & per incrementa creſcat, qualiter rationalis in ipſo incarceratus teneatur ſpiritus, regat hanc corporis molem, circunducat, viuificet, cunctaque illius membra ſigillatim proprijs coaptet officijs, in vno eos aſtringat vinculo dilectionis: ipſius verò rationalis ſpiritus quanta ſit ingenita ac naturalis nobilitas: quàm multa, quā magna, quàm diuerſa in latitudine ſinus memorię contineat: in illaque repoſitum ſeruet non localiter, ſed ſpiritualiter & imaginatiè gyrum cœli, ſtellarum multitudinem, ſolis, lunæque decorem: multa quoque maris, terrarumque ſpatia, innumeras corporum ſpecies, & multifarias concluſiones: atque ad multo plura capabilis ſit. Intelligendo autem ſine loci mutatione terræ viſcera, naturæ ſecreta, cordium arcana, cœleſtium occulta myſteriorum, diuinitatiſque eſſentiam per cooperatricem agit ſapientiam, quę ore Sapientis ita loquitur: Ego ſapiētia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus. In ſpirituali quoque contemplationis delectatione, in exultatione ſpiritus, in gratiarum actione, in interiorum atq; exteriorum receptione donorum, in copioſiſſima beneficiorū exhibitione verbi ſentitur bonitas. Quod de exigua, vilique materia tam mirabile humani corpuſculi vas, quod ex nihilo rationalis ſit conditus ſpiritus: quod ſpirituum immundorum inſidias euadere valeat: quod contra ſeipſum pugnam arripiat homo: tandemque victor efficiatur, hoc totum verbi potentię aſcribendum eſt. Quum autem noſcit, quę futura ſunt, inſidias detegit ſpirituum malignorū, prę-

uidet pericula, præmeditatur caſus, prædicit ventura, & ad beatam adipiſcendam vitam viaticum parat, operaque præmittit, nonne præſcientia verbi opus eſt? Sic enim ſcriptum eſt: Nouit prȩterita, & de futuris exiſtimat, ſcit verſutias ſermonum, & diſpoſitiones argumentorum, ſigna & monſtra ſcit antè quàm fiant, & euentus temporum & ſeculorum. Quis verò dubitet, quum tot & tam varia ſint homini præſti-

Pſal. 8. ta beneficia, & vniuerſæ de domini mandato illi famulentur creaturȩ, ita vt (iuxta prophetȩ ſententiam) omnia ſub eius ſint ſubiecta pedibus: oues (videlicet) & boues vniuerſȩ, inſuper & pecora campi: volucres cœli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris? quędā pro corporis alimento: aliqua pro exercitatione ſpiritus: cuncta de verbi prouenire largitatis affluētia: Videmus pȩterea in humano compoſita corpore tantam membrorum varietatem in vnitate ordinis permanere, atque vnumquodq; iniunctum ſibi exercere miniſterium, ita vt oculus videat, auris audiat, nares odorem, os guſtum, manus ſentiant tactum. Similiter in anima. Ratio diiudicet, memoria conſeruet, voluntas opera perficiat. Sed vnde tātum in vtroque putamus homine prodire ordinem, niſi ab eo, de quo propheta ait: Ordinatione tua perſe-

Pſal. 118. uerat dies, quoniam omnia ſeruiunt tibi. Quantum autem in hominis regimine magis, quàm in cȩteris creaturis verbi emineat diuinitas, ſuperiora declarant. Ipſe quidem homo ab huius mundi ſapientibus minor appellatur mundus, tanquam in ipſo vniuerſa viſibilis mundi

Pſal. 138. complectantur mirabilia. Eſt nanque diuinȩ ſpeculum ſapientię, ſicut propheta dicit: Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me. Meritò igitur quemadmodum in hoc viſibili mundo prȩſidet vt rex, verbum, ita & in homine tanquam præcipuus doctor in propria ſede reſidet ſapiētia: quæ eſt emanatio quædam claritatis omnipo-

Prou. 8. tentis Dei ſyncera: veruntamen non in qualicunque homine, ſed in homine per gratiam iuſtificato. Vnde de illa ſic ſcriptum eſt: Quum enim ſapientia ſit, vna omnia poteſt, & manens in ſe: omnia innouat, & per nationes in animas ſanctas ſe transfert, amicos Dei, & prophetas conſtituit. Neminem enim diligit Deus, niſi eum, qui cum ſapientia inhabitat. In homine itaque iuſtificato reſidet vt doctor ſapientia, & in Eccleſia principatur tanquam paterfamilias in domo. De hac ipſius domo ita legitur: Sapiētia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, ſubdidit ſibi gentes. In ipſa quippe domo Eccleſia (videlicet) fidelium dona diuidit, inſtruit mores, & merita pollicetur. Sicut enim ſingulorum nouit virtutem, ita diſtribuit munera. Nemo ad libitū fit ſapiens, nemo continens,

1.Cor. 12. nemo iuſtus, quin potius (iuxta Apoſtoli ſentētiam) alii per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alii autem ſermo ſcientiæ, alii fides, alii gratia ſanitatum, alii operatio virtutū, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum: hæc autem omnia operatur vnus atq; idem ſpiritus diuidens ſingulis, prout vult. Optima quidē gubernatione ſapientiæ ſpiritus ordinat vniuerſa. Quoſdam prȩeſſe, aliquos coeſſe, nonnullos ſubeſſe facit, non tamen ſine mirabili iudicio æquitatis. Non ſolum autem impertitur dona virtutum, verūetiam vniuerſis præbet monita ſalutis vberrima. Doctrix eſt enim diſciplinæ Dei, & electrix eſt operum illius. Si ſenſus optatur, quis horū, quæ ſunt, magis quàm illa, eſt artifex? & ſi iuſtitiam quis diligit, labores huius magnas habent virtutes: ſi fortitudinem quis adipiſci deſiderat, exemplo actionis & illius diſciplinæ inſtruetur eloquiis. Sobrietatem quippe, & ſapientiam docet, & iuſtitiam, & virtutem: quibus vtilius nihil eſt in vita hominibus. Nullus aliunde, quàm de Sapientiæ fonte hauriet ſapientiam. Si volūtatem Dei, ſi ſcientiam ſcripturarum, ſi virtutū ſublimia, ſi arcana ſupernȩ Hieruſalem ſacramenta noſcere quis cupit, accedat ad verbum, aſcendat ad cor, pulſando non recedat, & illi a-

perietur. Qui mane (inquit ipſa) vigilauerit ad Prou. 8.

me, inueniet me. Nihil quippe inuidum in illa, nihil altum, ſed totum ſuaue, totum redolet, totum ſapit, delicias poſſidet æternas, immenſa monilia, iucūdam lucem, ſatietatem perpetuā, triumphales coronas, & ineffabilem immortalitatis gloriam. Hinc eſt, quod pro ſe certantibus ſtrenuè, atque vincentibus polliceri dignatur, dicens: Qui vicerit, faciam illum columnam

in templo Dei mei, & foras non egredietur am Apoc. 10.

plius, & ſcribam ſuper eum nomen Dei mei, & nomen ciuitatis nouæ Hieruſalem, quæ deſcendit de cœlo à Deo meo & nomen nouum. De labore quidem huiuſmodi ad requiem, de tenebris ad lucem, de exilio ad patriam, de carcere ad libertatem, de conſortio militantium ad Eccleſiam tranſilient triumphantium. Vtrobique etenim prȩſens eſt verbum, filius vtrobiq; amabilis, delectabiliſque. Hic docet, protegit, roborat: ibi paſcit, ſatiat, replet. Hic deducit, conducit, adducit; ibi inebriat, rapit, vnitque. Ibi ſiquidem in beatorum habitat animabus tanquam ſponſus in thalamo, & ſponſa in ipſo. Perpetuę nanque indiſſolubilibus colligati vinculis charitatis fieri nequaquam poteſt, vt vnū non ſint. Aperit quippe illis verbum clara, inenarrabili & iucundiſsima viſione diuinæ indeficientiſsimos bonitatis, ſapientię, poteſtatiſq; theſauros, veluti dilectiſsimis ac ſponſis ſingularibus: ex qua viſione cognitionis atque amoris inebriatæ dulcedine totaliter rapiuntur in ipſum. Perfuſæ etenim diuinitatis radijs, & ſapientiæ

ſplen-

ſplendoribus præ admirationis ſuauitate totius tranſcendunt humanitatis limites in verbo plenariè quieſcentes. Tunc perfectæ experientiæ magiſterio eruditæ noſcunt, quòd Ioannis voce 1. Io. 4. dicitur: Deus charitas eſt & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. O beata vnio charitatis, & charitas vnitatis, quàm affluēter delectatione aſpergis permanentes in te? Eſai. 25. De te quidem per prophetam dictum eſt: Et faciet dominus exercituum omnibus populis in monte ſuo conuiuium pinguium, conuiuium vindemiæ, pinguium medullatorum, vindemię defæcatæ. De torrente nanque voluptatis verbi abundè potati in æternum eſurire, vel ſitire non poterunt. Quo autem pacto ſitire valent, quum apud ſe, & in ſe vitæ fontem habeant? Omnibus etenim ſanctę regionis illius incolis, Mat. 18. ac ſupernæ ciuibus Hieruſalem ſe Dei communicat ſapientia, omneſque inhabitat. Nam hominum & angelorum Deus eſt. In angelis quippe præſidet vt ſpirans. Hos enim ſpiritus pro ſingulari beneuolentia charitatis ad humanam deputauit cuſtodiam, ipſo verbo in Euangelio teſtante, qui ait: Angeli eorum ſemper vident faciem patris mei, qui in cœlis eſt. Ipſis inſpirat cuncta, quæ ad hominum ſalutem neceſſaria ſunt. In ſpeculo ſapientiæ contemplantes diſcunt, qualiter ſuum debeant perficere miniſterium. Orationes ſingulorum offerunt, eleemoſynas exhibent, vota pandunt, & quæq; laude digna diuinis repræſentant obtutibus. Inde verò reportant gratiam, & ſi quid deuotionis, ſi quid virtutis, ſi quid cognitionis, ſi quid meriti. Vniuerſa ſiquidem, quæ ad ſalutem pertinent, per ipſorum efficit miniſterium angelorum. In archangelis autem reuelat vt lux. Per iſtos vtique notificat omnia, quæ ad promotionem ſpectant fidei, prophetias reuelat, myſteria pandit & quicquid ad incarnationis Chriſti reflectitur ſacramētum. Hinc eſt, quod ad beatam vir- Luc. 1. ginem Gabriel mittitur archangelus. In verbo quidem aſpicientes multa cognoſcunt, nō oīa, ſed quę diuinæ ſunt placita voluntati: à ſuperioribus tamen ſuſcipiunt, quas reuelant, illuminationes: dæmones ab hominibus arcent, & à dęmonibus homines de domini liberant mandato. De hoc ſacer proloquitur ſermo, quum To- Tob. 8. biæ & Sarræ hiſtoriam narrans, ait: quòd angelus Raphael apprehendit dæmonem, qui ſeptē occiderat viros, & religauit eum in deſerto ſuperioris Aegypti. Sed & quod per angelorū miniſteria reuelationes fiant, & myſteria aperiantur, teſtatur propheta, qui loquentem ſibi audi- Dan. 9. uit angelum, & dicentem: Vir deſideriorū noli timere, pax tibi: veni enim, vt docerē te, quæ ventura ſunt populo tuo in nouiſsimis diebus. In virtutibus verò operatur vt virtus. Infatigabiles quidem hi ſpiritus ſunt ad executionē faciendorum, & per eos miracula fiunt. Nec mirum, quum per angelos factum fuerit, vt ignis Gen. 19. de cœlo plueret, & ſulphur ſuper Sodomam & Gomorram, & ſuper omnem regionem, atque Ioan. 5. conſumeret omnes habitatores, & cuncta terræ virentia. Angelus quoque aquam mouebat piſcinæ, & ſanabatur, qui primus ingrediebatur, ſicut in Euangelio legitur. In verbi ſiquidē contemplatione aſpiciunt, quid agere debeāt, celerique veneratione obtemperant. Inſuper etiam perfectis hanc poſſunt conferre virtutē miracula operandi. Vt cum aliquid miraculum fit, expedit, vt ſit à Deo, quod ſit præ exiſtentia naturæ, & ſupra eius ordinem fiat: quod ſit euidens, & quod ſit ad fidei roborationem, alioquin mirum non miraculum dici poteſt. Nam quamuis magica arte fiant multa ſigna, vel per medium naturæ, quod poſſunt angeli, ſed etiā dæmones, ſola tamē illa miracula dicenda ſunt quæ operatur verbum per miniſterium angelorum, quibus hoc in priuilegium præſtare dignatur, aut per ſanctos, in quibus idem agit. In poteſtatibus quoq; nos tuetur, vt ſit ſalus. Iſtis etenim ſpiritibus aereæ ſunt ſubditæ poteſtates, & per ipſos arcentur, ne quantum volunt, Exo. 12. hominibus noceant. Hoc nanq; in exitu Iſrael de Aegypto, quum Aegyptiorum primogenita ab exterminatore angelo occiſa ſūt, claret: ſed etiam in plaga peſtilentiæ, quam exercuit dominus in populo ſuo pro numeratione eiuſdē, quam fieri iuſſerat Dauid. Quis autem multiplicibus immūdorum ſpirituum agminibus, & ipſorum fraudulentis poſſet repugnare ſuggeſtionibus, atque ſuſtinere impetus: ſi non ipſorum de verbi mandato per angelicas poteſtates reprimerentur impulſus, virtuſq; debilitaretur? Concitant nanque ipſi dæmones in mari tempeſtates, inter regna & gentes bella, in ciuibus ſeditiones, & inter amicos & affines odia, vt homicidia perpetrentur; & quantum in ipſis eſt, omne ſtudent humanum abolere genus. Diuina verò ſapiētia ſic eorum per miniſtros ſuos 4. Re. 19. angelos modificat nequiſsimam voluntatem, vt ipſi maligni ſæuiant, quantum ſat eſt ad iuſtitiam, non aūt ad votum: vnde diſponente verbo quod illi agunt, vt interimant, ad electorum militat profectum. Ipſarum quoque poteſtatū proprium eſt eos, qui in ſpirituali deſudant prælio, exhortari, ne amiſſo ſpirituali regno Babyloniorum efficiantur captiui. In principatibus etenim regit, vt princeps. Ad hos quidem ſpectat vniuerſale ordinare regnum, reges, duces, principeſque ſeculi inſtruere de regiminis forma. Quum igitur quiſque vix pro ſe ſibi ſufficiat, quomodo pro innumerabilium multitudine ſufficiet populorum? Hinc eſt, quod Moſes per angelum in nubis columna, & ignis de iis, quę ad populi ducatum pertinebant, tam ſe-

dulò docebatur. Nam & ipſam legem per angelicos meruit recipere principatus. Hoc teſtatur Apoſtolus, dicens: [Galat. 3.] Lex propter tráſgreſsiones poſita eſt, donec veniret ſemen, cui promiſerat, ordinata per angelos in manu mediatoris. Iſtiuſmodi quoque prælationes regnorum prouinciarum prophetæ innotuerunt, quum ei per Angelum, qui dominicas aperiebat reuelationes, dicitur: Princeps regni Perſarum reſtitit mi- [Dan. 10.] hi viginti & vno diebus: & ecce Michael vnus de principib. primis venit ad adiutorium meú, [Dan. 12.] & ego remanſi ibi iuxta regem Perſarum. Et iterum. In tempore autem illo conſurget Michael princeps magnus, qui ſtat pro filiis populi tui. Horum nempe ſublimis eſt dignitas principatuum. Regunt prouincias, regna, & ciuitates, ipſoſque paſtores Eccleſiæ de animatū inſtruunt regimine, atq; ſubditos, vt prælatis obtemperent, hortantur, & accendunt. Cuncta ſiquidem ſupradictorum ſpirituū agmina ad vniuerſi totius delegantur diſpoſitionem & ordinem. In arte ſapientiæ verbi erudiuntur, non per voces, non per ſigna, ſed in ipſa verbi contemplatione. Eſt enim fons, exemplar, ſplēdor, & diuinitatis imago. De ipſius ſpiritualibus radijs ſapientia complentur, de futuris illumināntur, informantur, de agendis tam angelici, quā humani ſpiritus atque in ipſo immenſitatis diuinæ pelago, ebriantur delectatione ineffabili. Vnde propheta verbi emanationem in omnes [Pſal. 45.] exprimens aiebat: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Sic quidem illæ angelorum legiones ad miniſterium exeunt vniuerſi: vt tamen nunquam deſiſtant à contemplatione viſionis [Rom. 11.] verbi. Neque a miniſterio propter viſionem, neque a viſione propter miniſterium retardantur. O altitudo diuitiarum ſapiētiæ verbi, quam incognita ſunt opera tua, quàm indefectibiles tuorum ſunt theſauri myſteriorū? Hos propter carnis onus non capit homo, nec ſcit, quid lateat in te, ideo non diligit te, nō laborat pro te, non delectatur in te. Parumper excelſa ſapientia, ò meridiana lux tuæ claritatis diffunde radios ſuper filios hominū, vt expergefacti à corporis ſomno fugatis cordium tenebris te in te, miniſtroſque tuos in te contemplationis oculo intueri valeant. Deflenda quippe plurimū eſt huius peregrinationis ærumna, quæ tantorum nos priuat cognitione miniſtrorum. Continuè diſcurrunt circa nos pro nobis: nec quales ſint, aut quid agant nobiſcum, ſcimus. Noſtris ſine nobis inſtant profectibus, nobis non ſine nobis æternum acquirunt regnum: nos docent, nobis famulantur, nos tuentur, non propter nos primò: ſed propter verbum, quod fecit nos, redemit nos, & diligit nos in ſe. In dominationibus dominatur, vt maieſtas. Iſti namque cæterorum diſponunt miniſteria inferiorū angelorum tanquam excellētiores. Non enim miniſtrando exeunt, ſed aſsiſtendo ſe inferioribus ordinant. Nam ſumma & laudabilis Dei ſapientia quibuſdam ex his angelicis ſpiritib. veluti in bonis gratiæ & gloriæ perfectionibus cęteris (licet in eo, quod immortales, inuiſibiles, indiſſolubiles, ſimplices, diſcreti in perſonis, incommunicabileſq;, alteri naturæ ſint omnes æquales) dedit ex munere, vt inſeparabiliter Deo aſsiſtant. Sic enim ipſa angelorum numeroſitas diſtinctis eſt condita ordinibus, officijsque variata ac meritis impar, vt imperturbabilē in ſe cuſtodiant nihilominus charitatem, minores famulentur maioribus, maiores ſe elatè nō pręferant minoribus, ſed omnes in vno conueniant, infatigabiliterq; occupentur diuinæ laudationis affectu. Cuncti quidem inebriantur de vno eodemque fluuio voluptatis ſapientiæ verbi, & ſinguli ſibi iniuncto intendunt miniſterio: vt (ſcilicet) ſuperiores aſsiſtant & diſponant: inferiores verò exeant, & miniſtrent. Hanc etenim aſtantium ac miniſtrantium di- [Dan. 7.] uerſitatem propheta expreſsit, quum diceret: Millia millium miniſtrabant ei: & decies millies centena millia aſsiſtebant ei. In thronis verò ſedet, vt æquitas. In iſtis nanque tanquam in ſpirituali throno ſedens, ſua diſcernit iudicia. Non enim eorum eget æterna ſapientia [Dan. 3.] [Pſal. 35.] conſilio, quæ ſibiipſi ſufficit, ſed præcipua illos decorando gratia ad ſuorum eos per contēplationis ſublimitatem admittit intelligentiam iudiciorum. De hoc per prophetam dicitur: Benedictus es in throno regni tui, qui intueris abyſſos. Quas abyſſos alius memorans propheta ait: Iudicia tua abyſſus multa. Tanta quippe naturæ ſubtilitate, tantaque gratiæ exuberant plenitudine, vt quæ alijs inferioribus occulta ſunt, eis fiant per verbum nota iudicia, ipſorūque cæteris reuelent myſteria, atque eò flagrātius in laude cōditoris aſſurgant, quò perſpicaciori contemplationis lumine in maximo illa vidēt eſſe diſpoſita iudicio æquitatis. In hunc etenim ſenſum propheta ſupra ſe erectus venerat quum dicebat: Thronus tuus Deus in ſeculū ſe- [Pſal. 44.] culi, uirga ęquitatis uirga regni tui. Nā quęcunque in hac miſeriarum ualle nequiter fiunt: quęcunq; obliqua aguntur intentione, quāuis confuſa & inordinata appareāt, in ipſo tamen æterno iudiciorū cōſilio inordinata nō ſunt. Sapientiæ quidē arte ad ueritatis productæ lucē in uerbi æternitate ordinata fuiſſe noſcuntur: propterea idē ait propheta: Principium uerborū tuo- [Pſal. 118.] rū ueritas, in æternū omnia iudicia iuſtitię tuæ. In Cherubim noſcitur ueritas. Hi namq; ſpiritus tanta ſcientiæ repleti ſunt luce quatenus Cherubim, quod ſcientiæ plenitudo interpretatur, meritò uocitentur. Ex ſui etenim ad uerbū propinquitate clariorem præ cæteris diuinitatis ha-

tis ha-

Digitized by Google

tis habent intelligentiam, adeò vt plenitudinē ſciētiæ, quam ſuſcipiunt, alijs inferioribus communicando transfundant. In verbum quippe contemplationis penna attollentes ſe: in ſapiētiæque theſauros introeuntes: nō motu aliquo: ſed intelligentia vltra quàm dici poteſt, ſplendoribus clareſcunt diuinis. Veritatis ſiquidem amore, quam apertè intuentur, ſic igneſcunt, vt mereantur omnium habere ſcientiam. Quo verò pacto non ſciunt omnia, cum ſcientem omnia ſciant? In Seraphim denique amat vt charitas. Hi etenim Deo ita immediatè iunguntur, vt inter ipſos & verbum nulli alij interſint ſpiritus. Ineffabili quidem charitatis vruntur flamma & zelantiſsimo ſapiētiæ vulnerati amore extra ſe amatum non diuertunt: rapido ſuauitatis amore feruntur in Deum, omniſque ipſorum actus amor eſt. Cæteris longè eminēt in amore, gratia, & perfectione: meritoque Seraphim appellantur (videlicet) incendiū, quia tanta inardeſcunt charitatis flamma, vt non amantes modò, ſed ipſe (ſi fas eſt) dici poſsint amor. Non autem aliunde: quàm à verbo, in verbo, & per verbum huius concipiunt amoris flammā. Nō ſolum autē ipſi, ſed etiam illius ſupernæ patriæ ciues omnes de ipſius ſatiantur contemplatione, ac ebriantur voluptate, ſicut ſcriptum eſt: quod fluuius egrediebatur de loco voluptatis (Gen. 2.) ad irrigandum paradiſum, vniuerſam (ſcilicet) ſupernorum ciuium multitudinē, qui & in quatuor diuiditur partes, vt (videlicet) omnem Eccleſiam ſuarum fœcundet imbre gratiarum: ita vt nemo ſit, qui ſaluus eſſe valeat abſque verbi ſancta & gratuita irrigatione. Qui ſalutem diligit, qui cœleſtium cupit eſſe guſtator, qui ad ſanctum verbi anhelat cōnubium, verbum diligat, verbo adhærere ſtudeat, verbum teneat, quum habet: ſedula percunctatione quærat, ſi non habet: non ſolo amoris ipſius contentetur habitu. Actū ſemper (ſi eſt poſsibile) amoris exerceat, vt virtutum operibus abūdet, vt meritorum fructibus creſcat, vt deuotionibus nutriatur, & vt ſpiritualibus locupletetur muneribus. Nō enim incaſſum diligitur ſponſus, neque vacua illius valet eſſe amoris amicitia. Iuxta cuiuſque ei famulantium ſtatum talia ſunt encænia. Ex donorum qualitate gradus agnoſcitur militantium, nec non ex conditione præmij amicitiarum puritas commendatur.

De triplici interiori conſideratione, per quam ad propriæ infirmitatis clarè deuenitur notitiam.
Cap. XVII.

Multa ſunt, in quibus conſueuit humanum ſe occupare genus, vt huius poſſit exilij ſine fatigation s tędio tolerare ærumnas, & ex his qualemcunque captare delectationis guſtum. Nam taliter homo à ſuo conditus eſt autore, vt nequaquam abſq; aliquo queat viuere amoris ſolatio. In nullo tamen ſui voti ita efficitur particeps, ſicut grata amicitiarum confœderationē, quæ quoniā ſublimis eſt, rara inuenitur. Præ cæteris verò illa familiarior, illa dulcior, illa amabilior iudicatur, quæ pari affectu, & mutua charitate ſacramenti vinculo copulatur. Iſta quidem omnibus fortior, cunctiſq; indiſſolubilior eſt. Huius etenim ſermonis ſententiam ſanctarum confirmat autoritas ſcripturarum. Nam quum huiuſmodi diuinitus inſtitutum fuiſſet ſacramentum, ad eius commendandum perfectionis vinculum dictum eſt: Relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit vxori, & erunt duo, in carne vna. (Mat. 19.) In iſto ſiquidem ſacramentalis vinculo charitatis nihil eſt proprium, nihil occultum, nihilque fraudulentum: ſed mutuo ſibi inuicem communicant ſua: bonum & malum, diuitias & paupertatem, mœrorem & gaudium: ita vt ſola valeant ſeparari morte ab hoc charitatis fœdere. Gerit quippe ſacramentale connubium hoc imaginem ſpiritualis (videlicet) verbi & animæ: quāuis omnia in ſpirituali longè emineant, quàm ea, quæ in ſacramentali ſunt. Nil quidem eſt in hoc caſto connubio proprium, ſicut verbi voce ad ſeniorem filium dicitur: Fili tu ſemper mecū es: & omnia mea tua ſunt, & tua mea ſunt. (Ioan. 15.) Nil occultum, prout veritas teſtatur: Iam non dicā (inquit) vos ſeruos, ſed amicos: quia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis. Nil fraudulentum, Dei ſapientia hoc dicente: Ego in hoc (Ioan. 18.) natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati. Quemadmodum autem obtenebreſcere non poteſt lux, ita nec veritas fallere. Excellit quoque in hoc ſpirituale, quia quum ſacramentale dirimatur morte, ſpirituale poſt carnis defectionem perfectius conſummatur. In hac quidem vita ſubarratur ſponſa, quędamque munuſcula recipit à verbo, vt per illa proficere in virtutibus & in augmentum valeat charitatis, facile nempe langueſcit amor, niſi fomentis nutriatur amoris. Solus eſſe non patitur, appetit & omnino mutuas exigit amoris vices. Sicut autem ignis naturaliter iuxta ſui naturam quærens in proprio conſeruari eſſe, omne refugit frigidum, calefactibile verò, aut calidum appetit, ſic & amor ſemper amanti, vel amabili reflectitur ſecum non ſuſtinēs odiū, aut teporem. Eget itaque in ſpirituali connubio amoris adiutorio, ne deficiat. Hinc eſt, quòd tā ſedulò à ſponſo internis ac ſpiritualibus reuiſitur ſponſa muneribus, ſed nec minus à ſponſa ſponſus ſecundum humanæ modulum infirmitatis nunc ſe, nunc ſua puro offerente charitatis affectu. Non tamen pari currunt voto. Plurimū enim ab humano diuinus diſtat affectus. Exæſtuans vero ſponſa, quod nequit per ſe, ex auxi-

lio vero

lio verbi implere cupiens poſt præcedentis tergum clamitans, dicit, Trahe me poſt te, in odorem curremus vnguentorum tuorum.

Cant. 1.

Veruntamen carnis preſſa pondere quamuis trahatur, quamuis currat velociter, ſponſi nō valet ſequi veſtigia. Pro amoris igitur ſolatio, pro ſpe roboranda, ne à prævolante verbo contempta & repudiata videatur, atque ex hoc currere deſinat, quaſdam futuræ vitæ ſuſcipit primitias, per quas verbum, verbique percipiat in ſe clementiam. Nam alia ſunt iuſtorum dona, alia amicorum, alia ſponſæ. Iuſti etenim ex infuſo lumine culpæ deteſtantur, & abhorrent deformitatem, virtutis bono lętantur, tēporalia ordinatè diligūt, aliena non concupiſcunt, ſua communicant, honoribus non inflantur, extolli non appetunt, nemini calumniantur, potentis perſonam non accipiunt, egenorum cauſas defendūt, diuinis obtemperant præceptis, & magis futuram quàm præſentem conantur obtinere gloriam. Cuncta verò hæc poſſident bona ex dono gratificantis gratiæ. Amici autem tanquam perfectiores ſicut vberiori replentur gratia, ita potioribus ornati ſunt donis. Ipſi etenim communi non contenti conuerſatione, neque mandatorum obſeruatione quieti ad perfectionem anhelantes cōſiliorum iter arripiunt. Sua quidem deſerunt, & cuncta egenis erogant, vt verbo conformari valeant, de quo Apoſtolus ait, Chriſtus, quum diues eſſet, pro nobis egenus factus eſt, vt eius inopia nos diuites eſſe poſſemus.

2. Cor. 8.

Obedientiæ iugo colla ſummittunt, vt Domino famulentur, eūque ſequantur dicentem, Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuā, & ſequatur me.

Mat. 16.

Secularium quoque declināt tumultus & conuerſationem, ne illorum coinquinentur exemplis, ſilentij ſecreta petunt, vt Deo liberius queant vacare, & vt per omnia ſaluberrimis verbi ſermonibus, ſublimibuſque conſilijs obtemperent, atque veri ſapientię efficiantur diſcipuli, quæ ait, Qui nō odit patrem & matrem propter nomē meum, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus.

Lucæ 14.

Parentes, propinquos, & cuncta, quæ homines poſſident, ac etiam ſeipſos relinquunt, vt legitimi fiant amatores Domini. De talibus nanque Domino per Moyſen dicitur, Qui dixit patri ſuo & matri ſuæ, neſcio vos, & fratribus ſuis, ignoro illos, & neſcierunt filios ſuos, hi cuſtodierunt eloquium tuum, & pactum tuum, & ſeruauerūt iudicia tua.

Deut. 33.

At verò ſponſa, quæ in omnibus perfecta eſt, vniuerſa iuſtorum amicorumque ſuſcepit dona, atque his alia longe præſtantiora. Non enim multis poteſt carere ornamentis, quæ ęterni regis filio deſponſata eſt; ſicut per Prophetā illi pollicetur, dicens, Et ſponſabo te mihi in ſempiternum, & ſponſabo te mihi in iudicio & iuſtitia, & in miſericordia & miſerationibus, & ſponſabo te mihi in fide.

Oſe. 2.

Proinde plurima ex vtraque ſponſi ac ſponſæ parte deſeruntur munera, quæ qualia ſint, norunt experti. Tres tamen ſpecialiter recipit ſponſa de verbi theſauris pretioſas ac radiantes gemmas, quibus ornata etiā angelicis ſpiritibus, prout regiam condecet maieſtatem, delectabilis eſt. Nam etſi extrinſecus deſpicabilis apparet, intus tamen nimia venuſtate coruſcat. Huius ſiquidem pulchritudinis elegantiam exprimere propheta voluit, vbi ait, Omnis gloria eius filiæ regis ab intus in fimbriis aureis circūamicta varietatibus.

Pſal. 44.

Quomodo autē ſpecioſa non eſt, quę ſapientiæ ſplēdore circūfulta de ſe ſpiritualis luminis emittit radios, per quos intuentium lætificantur aſpectus? Sicut autem intus fœcunda eſt gratia, ita quod ſpargit foris, in verbo, in opere gratiæ iucunditate non caret. Hinc eſt, quod ex interna affluentia mœſtos conſolatur, iacentes erigit, compeditos ſoluit, debilium genua roborat, tentationibus fatigatos liberat venientes ad ſe. Non ſibi hæc arrogat, ſed inhabitantis gratiæ ſponſi, ne inflata elatione crepet. Pro tantorum igitur conſeruatione donorum, ſui, data eſt illi perfecta cognitio. Non enim tam multiplicium fieri poſſet capax gratiarum abſq; nitente hac gemma. Prouehendis nanque ad alta ſpiritualium myſteriorum ſacramenta, ſui neceſſaria eſt ſcientia, qua quæcunque caret, ad laborioſa ſecularium impellitur actionum, & velut cæca inimicorum fallaciis ſemper vergitur per circuitum. Hoc diuinus figuraliter indicauit ſermo, cum de Sanſone loquens diceret, quod Philiſtiim apprehenſo Sanſone ſtatim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clauſum in carcere molere fecerunt.

Iudic. 16.

In ſui etenim cognitione perſiſtere iugiter ſatagit ſponſa, & in hoc ſæpe ſe intuetur lumine, non tam ne ad ſecularia captiua ducatur negocia pauida, quàm ne indigna & elata repudietur à verbo. Iugiter quidem memorans, quod in Canticorum Canticis ſponſi voce ad ſpōſam dicitur, Si ignoras te, ò pulchra inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum, tuorum & paſce hœdos tuos iuxta tabernacula paſtorum.

Cant. 1.

Humilis nanque non humiliata manens apud ſe, quo ſe videt abiectiorem, eo amplius adamatur à verbo. Humiles quippe nunquam Dei contemnit ſapientia, ideo reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ.

Luc. 1.

Veruntamen ſicut humilia reſpicit, ita alta a longe cognoſcit.

Pſal. 137.

Poteſt enim quis humiliari inuitus, nunquam autē ſine propria cognitione humilis eſſe. Eſt verò cognitio ſui margarita quædam precioſiſſima, atque theſaurus deſiderabilis in cordis agro abſconditus, ad quem non niſi cum maximo peruenitur labore. Prius quidem tres ſpirituales referandi ſunt ſapientiæ claue fontes, vt deinde ad hunc attingatur theſaurum. In vacuum autē

deſudat,

Digitized by Google

-de ſudat, quiſquis aliter ad ſui concupiſcit veni-
re noticiam. Non enim aliunde hoc ſponſa, ſi-
cut & cętera, ſortita eſt donum, quàm ex intimo
ſapientiæ contubernio. De primo quippe ape-
riendo fonte multiplex ebullit ignorantia. Quis
verò ſui diligens inquiſitor de intelligentiæ va-
lebit vnquam euacuare fonte inundationem i-
gnorantiæ, quam habet in ſe boni & mali, veri
& falſi, commodi & incommodi? Nullus ad hāc
attigiſſe plenitudinem ſapiētiæ gloriari poteſt.
1.Cor. 13. Multi quidem ex parte, ſed nemo ad perfectū.
Ex parte (ait Apoſtolus) cognoſcimus, & ex
parte prophetamus. Abyſſus hic neſcientiæ abyſ
ſum ſummæ exigit ſapientiæ ad bonum diſcer-
nendum & malum. Nam quædā ſunt bona ſim-
pliciter, quædam mala, quædam ad vtrūque iux-
ta vniuſcuiuſque diſpoſitionem flectuntur. Vir-
tutes nanque ſemper in ſe bonæ ſunt. Eſt autē
virtus naturæ habitus animæ datus, vitæ ratio,
pietas morum, cultus deitatis, honor hominis, &
æternæ meritum beatitudinis. Hæc etenim tūc
perfecta, eſt quum medium ſeruat in agendis,
nec ſupra, infra, & contra modum prætergredi
tur, In habendis (videlicet) inter ſuperfluum
& indigentiam, ſicut per quendam dicitur, Di-
Prou. 3. uitias & paupertates ne dederis mihi, ſed tantū
victui meo tribue neceſſaria. In ſuſtinēdis (ſci-
licet) nō eleuari in proſperis, nec aduerſis deii
ci, ſicut per Paulū dicitur, Per gloriam & igno-
2.Cor. 6. bilitatem, per infamiam & bonam famam. Quis
autem tantæ perfectionis eſt, vt in cunctis virtu-
tū actibus ſciat, quid dextrum, quidve ſiniſtrū?
Dicat de hoc Propheta, & veram ſententiā pro
ferat, Omnes (inquit) declinauerunt, ſimul inu
Pſal. 13. tiles facti ſunt, non eſt, qui faciat bonum, nō eſt
vſque ad vnum. Virtutis nanque defectio igno
rantiæ errorem detegit, vel malitiæ abundantiā,
vtræque verò damnabiles, vtræque Deo odibi
les. Hæc de virtutis bono, de malo autem quid?
Malum quidem ſemper in ſe peccatum eſt. Nam
peccatum eſt diuinæ legis præuaricatio, & cœ-
leſtium inobedientia præceptorum. Nullus au-
tem inuenitur, qui hac careat ignorantia. Hinc
Pſal. 18. eſt, quod Propheta ait, Delicta quis intelligit?
ab occultis meis munda me Domine. O quā ſæ-
pe virtus putatur vitiū, & vitiū virtus. Nā ira, ze
lus: præſumptio, autoritas, libidinoſa voluptas,
fraternus amor; gula, diſcretio; remiſsio, humili-
tas; accidia, compunctio; rancor iuſtitia; auari-
tia, prudentia; inſenſibilitas, fortitudo; rectitu-
do, crudelitas; malitia, ſapientia, manſuetudo,
timiditas; audacia, libertas; prodigalitas, libera-
litas; inepta lætitia, iucunditas; vanitas, charitas;
puſillanimitas, mititas nuncupatur. Sunt millia
huiuſmodi, quorum humanum genus plenum
eſt ignorantia. Non autem hoc magnum eſ-
ſet, ſi in ſolis talis ignorantia dominaretur pec-
catoribus. Nam peccatis obuoluti, & iniquitati-
bus referti nequaquā valent internæ gratiæ ſplē
dorem aſpicere. Tenebroſi quidem effecti, imò
tenebræ verbi lucem recipere non merentur,
hoc teſtante Ioanne, qui ait, Vita erat lux homi
num, & lux in tenebris lucet, & tenebrę eā non Ioan. 1.
comprehenderunt. Verumetiam ipſi iuſti, qui
per adoptionis gratiam filij Dei nuncupantur,
& ſunt hac multifariam inuoluti ſunt ignoran-
tia nō damnabili & perniciosa, ſed tolerabili ac
laborioſa. Quanti quotidie incidunt in peccata,
nunc operis, nunc oris, ſemper autē cordis, qui
non in virtutum actus tantum, ſed in ea, quæ v-
troque modo vti valent, per ignorantiam dila-
buntur. Multoties quippe paupertatis caminum
perſecutionum procellas, tentationum æſtus,
infirmitatum flagella, damna amicorum, notorū
atque propinquorum funera impatienter ſuſti-
nent, quoniam ignorant, de qua prodeant radi-
ce iuſtitiæ. Econtrariò diuitiarum opulentiam,
affluentiam temporalium, corporis incolumita-
tem, naturale ingenij acumen, mentis lætitiam,
ſpirituales conſolationes, & innumera Dei be-
neficia neſcientes, qua vti debeant ſobrietate,
humili obtenebrantur de lumine, de medicina
ſauciantur, attenuantur cibo, & plerunque vita
moriuntur. Cuncta verò hæc ſuſtinent aduerſa,
quia ignorantiæ boni & mali ſeducuntur tene-
bris. Veruntamen vtinam hanc ſolam neſcien-
tiam paterentur. Aliam quoq; habent non mi-
nus noxiam veri (videlicet) & falſi ignorātiā,
ij etiam, qui dicuntur iuſti. Quis autem ſermo-
ne enodare valet, quantum deficiant in hoc? O
quoties velut cæci ſpiritum ſequuntur erroris,
fallacijs irretiuntur diaboli, ipſum lucis angelū
arbitrantes, tentationibus conſentientes, & ſuas
perficientes voluntates præcipitātur in foueas,
neſciunt diſcernere, nec quicquam rectè diiudi
care, deſiderijs virtutum ſine vlla ſe accommo-
dant diſciplinæ regula, omnique quaſi ſpiritui
credunt, & tāquam abſque gubernaculo naues
colliduntur in ſcopulis, ſi quas habuerint inter-
nas inſpirationes, non intelligentes donum, nil
de ipſis vtilitatis aſſequuntur. Eis ſæpe accidit,
vt admittant hoſtem, & ſponſum pulſantem, &
introire cupientem, repellant, qui eſt error peſ-
ſimus. Conſueuit etiam hæc veri, falſique igno-
rantia diuinam vſurpare ſibi gloriam, ſe aliquid
exiſtimando, quum nihil ſit. Bonitati derogat,
ſapientiæ conſilijs terga vertit, & ſeſe omnia
ab altiſsimo accepiſſe non intelligit, nonnun-
quam velut indigna expellitur foras, & conden
ſa tegitur nube, ne cœli latitudinē videre queat,
deuotionibus priuatur, orationem minimè gu-
ſtat, ſcripturarum arcana non penetrat, futuram
vitam eſſe non ſentiendo, quid ſit neſcire fate-
tur, facilè ſe temporalibus coaptat tanquam Ba
bylonię ciuis, & niſi verbi radijs veritate erudia-
tur, ad cuncta præceps trahitur facinora. De
ijs verò,

Digitized by Google

ijs verò, quos hæc craſſa veri & falſi obſorbuit ignorantia Propheta loquitur, dicens, [Eſa. 5.] Væh qui dicunt malum bonum, & bonum malum, ponẽtes tenebras lucem, & lucem tenebras. Summo perè quidem talis fugienda eſt inſipientia, quoniam amori ſapientiæ prorſus inimicatur. Trahere etenim ſolet poſt ſe commodi & incommodi ignorantiam. Nemo valet hac carere, niſi diuinitus fuerit edoctus. Solius eſt verbi ſcire, quid cuique opus ſit. Illud per quod facta ſunt, quæ non erant, noſcit, quod expediat ſingulis. Omnis humanus caligat ſenſus, ignorat ſciẽtia, prudentia deficit, ratio non attingit, vt rectè agnoſcat, quid melius. Et plerũque euenit (Deo æquiſsimè diſpenſante) vt hoc ſit ſaluti oppoſitum, quod videbatur neceſſarium, atque illud reprobetur à Domino, quod mortalium iudicio exiſtimabatur iuſtum. Quis enim non commendabile iudicaret deſiderium cum Chriſto reſidẽdi in regno ad dexteram & ſiniſtram? Et tamen ſcimus hoc petentes audiſſe à verbo ita [Luc. 20.] tres. Neſcitis quid petatis, Nam & de Petro tria in monte fieri tabernacula cupiente, vt inſeparabiliter adhæreret verbo, dictũ eſt, quòd ignoraret, [2. Cor. 12.] quid diceret. Paulus ter Dominum rogauit, vt ſtimulus ei carnis auferretur, nec exauditus eſt, quoniam neſciebat, quid melius. Cognita igitur ſcientiæ commodi & incommodi cæcitate, nil ſanius, nilque conſultius eſſe poteſt, quàm vt quiſq; totum diuinæ ſe committat voluntati, ſuum velle, ſuumq; nolle ab eo dependere faciat, qui nouit omnia, & nihil eorum, quę fecit, odit. Homo quidem inuolutus tenebris ignorat quid ſibi ſalubrius ſit, quidve à domino [Rom. 8.] debeat poſtulare. Suo hoc Apoſtolus confirmat teſtimonio, dicens, Spiritus adiuuat infirmitatẽ noſtram. Nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus, ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemi[Rom. 8.]tibus inenarrabilibus. Tunc quippe noſtrum ſine errore intelligere incipimus commodum, quũ nil de bonis iudicamus, vel flagitamus pro nobis, ſed ſi quid petimus, non ſine præuia ſpiritus infuſione petimus. Talis quidem non ſuo oratio priuatur effectu. Nam qui ſcrutatur corda, ſcit, quid tunc deſideret ſpiritus, quia ſecundum Deum poſtulat pro ſanctis, quum verò ſpiritus deeſt infuſio, omnium noſtrarum hæc ſit concluſio petitionum. Fiat voluntas tua. Huiuſmodi oratio paucis comprehenditur ſyllabis, & multis eſt decorata ſententijs. Honoratur enim Dei bonitas, iuſtificatur eius voluntas, charitas prædicatur, aduocatur ſapientia, & poteſtas extollitur, noſtrum quoque ſubijcitur velle, illuminatur ignorantia, roboratur fides, ſpes non confunditur, oratio non repellitur, & poſtulatio exauditur. Prudenter nanque iudicio ſe committit alieno, qui ſibi per ſe non ſufficere minimè ignorat. Quicunque itaque fugata ignorantiæ nebula, quæ de intelligentiæ erumpit fonte boni & mali, veri & falſi, cõmodi & incommodi, aliqualem deſiderat habere notitiam, adhæreat verbo, atque æternæ ſe connubio diſponat Sapientię. Ipſa nempe clauem habet ſcientiæ. Cui [Apoc. 3.] illa aperit, nemo claudit, claudit, & nemo aperit, poteſt, quum vult, omnium pandere ſacramẽtorum veritatẽ, & nedum de intelligentiæ fonte cunctam ſua luce propulſare cæcitatem, verumetiam cogitationum maculas, quæ de memoriæ ſcaturientes fonte ſynceritatem polluũt mentis, valet extergere. Quis autem poteſt face[Iob. 14.]re mundum de immundo conceptum ſemine, niſi ille qui ſolus mundus eſt? Venit quippe vnigenitus Dei homo factus mundus in mundũ, vt mundaret immundos. Abſq; immunditiæ colluuione tanquam immaculatus ſponſus de impolluto virginali proceſsit thalamo, totus innocens, totus ſanctus, totus ſpecioſus, candidus, & rubicundus, electuſque ex millibus, qui ex rubore ſanguineo ſordes ablueret delictorũ, nec non ex candore niueo maculas aboleret mentium. Huiuſmodi indigebant mortales lauacro, per quod iuxta criminum immanitatem, ipſorũ poſſent deleri contagia. Indeſinenter quidem de illorum memoriæ fonte profluit voluptuoſarum tabes cogitationum, quæ cuncta obſcœna ac turpia iam diu perpetrata facinora euigilare faciunt, ſuoq; impetu, ſuoque fœtore aciem mentis obnubilant, ne intimæ lucis radium aſpicere valeant, & niſi potenti animi virtute eminus propulſentur, captiuam animam in miſerabilem redigunt ſeruitutẽ. Ipſis verò fugatis, ſeu obſcœnis ſecedentibus cogitationibus non deeſt importuna agendorum ſolicitudo negociorũ, quæ ſua impudenti audacia orationis tempore mentis habitaculum perturbare molitur. Hæ quippe cogitationes, ò quàm ſępe animum à diuinis retrahunt laudibus, quoties pſalmodiæ maculant ſacrificium, ſanctarumq; intelligẽtiam auferũt ſcripturarum. Eo autem vehementius cæcitate cor feriunt, quò callidius ſub charitatis imagine abſq; vllo examinationis obſtaculo ingredi permittuntur. Nequaquam tamen conſiderant, qui huiuſmodi ſeductorijs occupantur fallacijs, quod Deo non placet holocauſtum, quod cordis intentione minimè immolatur. Hoc expreſ[Pſal. 49.]ſit Propheta, vbi ait, Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſsimo vota tua. Diuina quippe laus in ſenſu cordis, alacritate ſpiritus, intentione ſedula, meditatione ſuſpenſa, voce cõſona proferri debet, iuxta illud, & Pſallam ſpiritu, pſallam & mente. Et alibi, Laudate Dominũ [1. Cor 14.] [Pſal. 134.] quoniam bonus eſt Pſalmus, Deo noſtro ſit iucunda, decoraq; laudatio. Nemo verò tam ignito corde, Dei exercetur in laudibus, vt quamuis voluptuoſas propter ſui munditiam non tolleret cogitationes, atq; laborioſas propter aſſiduam

duam contemplationem terrenarum actionum non ſentiat, non valet tamen deuitare ocioſas. Quotquot hoc mortalitatis teguntur indumento,ijs ſubiecti ſunt. *Ioan. 13.* Qui lotus eſt (ait Veritas) non indiget,niſi vt pedes lauet. De peccato quidem aliquando,quandoque verò de peccati pœna generantur. Iuſtus ſit homo,ſanctus ſit homo, vana ſemper cogitationepolluitur. Tanto autem quiſque ab ipſis magis eſt mundus, quanto eſt exercitatior mente. Nam & terra, quæ ſulcatur vomere , ſpinarum germina pullulare vix poteſt. Diſciplinæ igitur ſarculo mentis terram excolat, & deſiderij manu de fonte memoriæ exteriorum cogitationes exhauriat, qui verbi dignus vult eſſe connubio. Fruſtra tamen laborabit, niſi concupiſcentias ſuas extirpare conabitur.Habent quippe & ipſæ ſuũ, vnde emanãt,fontem. Eſt quidem in anima voluntas,quæ concupiſcibili aſſociatur, & concupiſcentias nutrit innumeras,potiſsimum ſi ſummi careat guſtu boni. Tunc etenim tanquam effrenum animal per concupiſcibilium rapitur delectationes præſentia ſola concupiſcens, foras ſpargitur, velut famelica porcorum ſiliquis ſaturari deſiderat, vndiq; ſibi obijciuntur laquei & concupiſcẽtiarũ tendicula.Nãquicquid in mundo eſt,aut concupiſcentia carnis, aut concupi- *1.Ioan. 2.* ſcentia oculorum,aut ſuperbia vitæ eſt. Et quis ad has fugiendas idoneus? Tot enim quilibet funibus ligatur, quot concupiſcentijs irretitur. Iniquitates ſuæ (inquit Sapiens) capiũt impiũ, & funibus peccatorum ſuorum vnuſquiſq; con- *Prou. 5.* ſtringitur.Poteſt quis (gratia ſecum cooperante) fugere, ne concupiſcentiarum efficiatur ſeruus,non tamen valet agere , vt ab ipſis omnino ſit alienus.Cato nanq; hominis voluptatum origo eſt.Sed & ipſa anima corpori infuſa humano effecta eſt concupiſcentiæ fons, ſibique ipſi aduerſatur,& agit,vt homo ſemper in ſe videat vnde humiliationis materiã ſumat.Propter hoc aiebat propheta, Humiliatio tua in medio tui. In homine igitur poſita eſt regula humiliatio- *Mich. 6.* nis & ſpeculum,vnde agnoſcat ſe.Non acquiſita eget ſcientia,ſed infuſa ſapientia.Sicut autem cæcus,quantumcunque doctus ſit,non videt ſe, ita & peccator ad veram nunquam poteſt ſui attingere cognitionem. Quomodo ſe peccatorẽ valet agnoſcere,& in peccatis perſeuerare?Peccato autem nil deformius. Quiſq; verò appetit naturaliter pulcher eſſe. Quum in homine non habitet bonum, & ſummo bono aduerſetur hominis malum,ille recte malum ſuum (videlicet) ſe agnoſcit,qui vt ſummum poſsidere poſsit bonum proprium deteſtatur malum , deteſtando corrigit,corrigẽdo autem bonus efficitur. Quũ autem bonus eſſe cœperit, iam ipſe non eſt. Eſt quippe per eſſentiam , non eſt ipſe per culpam. De talibus propheta ait, Verte impios, & non erunt.Cognitio igitur vera ſui in propriæ impotentiæ , ignorantiæ, & concupiſcentiæ ſcientia conſiſtit.Eſt quoq; propria tunc vera cognitio, *Prou. 2.* quando quis dona gratiæ à ſuis abſque vllo diſcernit errore. Nemo ad verbi valet aſcendere notitiam ſine ſui cognitione. Quemadmodũ de ſui ſcientia humilitas, ita de Dei ſcientia generatur charitas.Dupliciter autem de Deo habetur notitia,dilectionis (ſcilicet) & excellentię. Facile quippe ad Dei aſcendit intelligentiam, quiſquis erga ſe de verbi dilectione habuerit notitiam.

De euidentibus indicijs,quibus verbi legitimus amor in ſponſæ præcordijs adeſſe cognoſcitur.
Cap. XVIII.

HAbent hoc proprium, qui ſecularium principum deputati ſunt famulatui, vt in cunctis quæ agunt, illis placere ſtudeant, quibus obſequuntur, magni quoque æſtiment,ſi ſuorum captent beneuolentiam dominorum. Omnis eorum circa hoc verſatur intentio. Cætera quippe aſſequi non dubitant, ſi hanc beneuolentiæ gratiã obtinere meruerint. Nec ab re.Vbi enim verus eſt amor,nihil negari poteſt.Ab hac amoris carnalis regula non immerito ſpiritualis trahitur forma. Omnium etenim Deo militantium iſta præcipua ipſorum eſſe debet intentio,vt ſic diſponant ſua,quatenus diuinis ſint grata aſpectib.Hãc ſuorũ putent dignam mercedem laborum,ſi diligãtur à verbo, ſi fidelium in numero aſcribantur ſeruorũ.Donec mereantur hoc, ſemper pauidi, ſemperque ſuſpecti maneant.Facile quidem,qui non diligitur,repellitur . Quid verò miſerabilius,quam à verbo repelli,& alienum eſſe? Quid abiectius, quam non agnoſci à patre,atque exhæreditari? Vel quid damnabilius,quàm ab æterni fonte luminis excludi, & manibus ac pedibus ligatis in tenebras proiici exteriores? Cuncta hæc euaſit ſpõſa. Nil horum ſentit aculei verbi certificata amore, ideo læta, & feſtiua, ſecura, gaudẽs cum propheta canit,Introibo in domum tuam, adorabo ad templum ſanctum tuum in timore tuo. Non confunditur , non erubeſcit amoris inſignita ſignaculo.De gazophylacio quidem verbi hanc ſecundam reportauit rutilantem gemmam,ſpiritualemque theſaurum, per quẽ in nullo proſternitur.Renouatur quotidie ſpiritu mẽtis,exultat animo,quoties tam ſpecialiter amari à ſponſo ſe meminit. Interdum tanta ex hoc iucunditate perfunditur,vt vix à clamoribus continere ſe poſsit. Vritur deſiderijs, anhelat amore,corde vociferatur, dicens, Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum,quando veniam,& ap- *Pſal. 41.* parebo ante faciem Dei. Hæc & his ſimilia ingeminans charitatis lacrymas vbertim emittit. quia non valet eſſe,vbi quem diligit,eſſe nouit.

Præ-

Præmittit ad illum gemitus ac ſuſpiria amoris teſtes, totaque in expectatione erigitur, ſæpe in animo repetens. *2.Tim.1.* Scio cui credidi, & certa ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem iuſtus iudex. Hæc nempe ſunt ſpiritualia ſponſæ exercitia, quum dilectionis verbi erga ſe memoria tangitur. Non autem ſic, quæ adhuc dubia eſt anima, atque minus in amore perfecta. Siquidem omni pœnæ tentationis agitatur vento, omni ſubito mouetur impulſu, iugiter replicat illud Niniuitarum humile ſuſurrium. *Iohel.2.* Quis ſcit, ſi conuertatur, & ignoſcat Deus, & reuertatur à furore iræ ſuæ, & non peribimus? Non enim poteſt non timere, quæ & delictorum faſce oneratam ſe ſentit, & nullum adhuc intimæ charitatis in ſe agnoſcit indicium. Nam etſi tranſactarum confidit ſe indulgẽtiam recepiſſe culparum, non tamen lætari audet tanquam ſponſa ſingulari priuilegio charitatis. In commune ingreſſa eſt atrium regis, ſed non in arcanum ſponſi cubiculum. Recepit munera, nequaquam autem oſcula, vidit introeuntem ſponſam, & pudore perfuſam ſe foras derelictã. Magnum prorſus hoc doloris eſt iaculum introgredi cupienti, conſolatur tamen ſe prophetico ſermone, qui ait, *Pſal.44.* Adducentur regi virgines poſt eam, proximè eius offerentur tibi. Nam & plerunque quod non præualuit amor, potuit humilis longanimitas, & quod non impetrauit meritum, obtinuit importuna petitio. Nemo de verbi bonitate diffidat, nemo de ſe deſperet. Plerunque quod dari differtur ad tempus, ſuo deinde tempore traditur centuplicatũ, ſimiliter & qui poſt ad nuptias acceſsit, primus recubuit. *Lucæ 24.* Currebant olim Petrus & Ioannes ad monumentum, ſed ille prior introiuit, qui aduenerat poſterior. *Mat.20.* Erunt (inquit Sapiẽtia) nouiſsimi primi, & primi nouiſsimi. Quiſquis igitur præſumat de verbo, diligẽterq; ſe exerceat, vt magis, magiſq; in amore coaleſcat, vt & ipſe (ſi fieri poſsit) ad menſuram pertingat ſponſę. Nam verbo hoc difficile non eſt. Ipſa etenim aliquando Chriſtum ſecundum carnem cognouit, quamuis nunc non agnoſcat. Per incremẽta ad maturam peruenit ætatem ſpiritus non ex proprio labore, ſed ex merito præuenientis ac ſubſequentis gratiæ. Gratia nanque & charitas prouehunt ad perfectionem, & ſemper pariter operantur. Gratia quidem iuſtificat, charitas ornat, vtræque verò exaltari merentur. Iuxta gratiæ menſuram donatur & charitas. Vbi gratia gratum faciens, ibi charitas. Sicut per gradus gratia, ita charitas erogatur. Non niſi ex effectibus charitatis perfectio innoteſcit. Qualis autem & quanta macula in corde, ſolus ille nouit, qui ſcrutatur renes & corda. Quædam etenim habet indicia ipſa charitas, quæ ex certa ſcientia & euidentiſsimis ſignis ſponſæ prærogata eſt, ob quam inenarrabili & glorificata exultatione lætatur. De huiuſmodi nãque præſens ſermo proloquitur. Eſt autem charitas donum Dei de diuinæ bonitatis emanans fonte gratuitum, accommodatum animæ ad promerendum immortalitatis gloriam, ad cumulanda merita, ad virtutes perficiendas, ad cuſtodiendam gratiã, ad Dei filios à gehennæ filijs ſegregandos. Clauis enim eſt regni, perfectionis mater, virtutum virtus, theſaurus incomparabilis, cunctorũq; meritorum principium & finis. Notiſsimum nanq; diuinæ miſerationis argumentum, eſt. Vbi verò eſt charitas, ibi patientiæ cõſtantia. *1.Cor.13.* Charitas (ait Apoſtolus) patiens eſt, neſcit turbari, neſcit inflari, ſuique cõditoris flagella æquo fert animo. Cõſueuit quippe Dei ſapientia ſua probare dona, & quos charitatis nobilitat munere, flagelli virga erudire. *Apoc.3.* Ego (inquit ipſa Sapientia) quos amo, arguo. Nunquam ſine patientiæ exercitio eſſe charitas ſolet, ſpiritualibus animæ lacertis dimicat, & qualis ſit oſtentat patientia. Impudicæ quidem mentis ac frigidæ experimentũ eſt nolle pati, reprobę verò murmurari de verbere. Quid verò deformius, quam aduerſus corrigentem & amãtem iraſci patrẽ? Hoc etenim exhortando Sapiens prohibet, dicẽs, *Prou.3.* Diſciplinam Domini fili mi, ne abijcias. Quem enim diligit Dominus, corripit, & quaſi pater in filio complacet ſibi. Apoſtolus quoq; ait, *Heb.12.* In diſciplina perſeuerate. Tanquã filijs offert ſe, Deus. Quis enim filius, quem nõ corripit pater, quòd ſi extra diſciplinam eſtis, cuius participes facti ſunt omnes, ergo adulteri, & nõ filij eſtis. Filiorũ itaq; eſt cũ exultatione, amicorũ cũ patiẽtia, alienorũ verò inuitè, & cum murmurio Domini percuſsionẽ tolerare. Hoc naturalis teſtatur ratio, hoc ſanctorum, & maxime verbi exempla confirmant, vt eo quiſque durius in præſenti flagelletur, quo arctius amatur. Diligit quidem Dominus patiẽtem, diligit & proximum amantem, non minus, qui fratrem diligit, quàm qui virgã verbi æquanimiter ſuſtinet; diligitur, ambo tamen chari, ambo diuinæ complectuntur viſceribus charitatis. *1.Ioan.4.* Si diligamus inuicem (ait Ioannes) Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta eſt. Extraneus enim à grege dominico cenſendus eſt, qui fraterna nudatus eſt charitate. Non poteſt pertinere ad corpus Chriſti, quicũque non diligit membra Chriſti. Vbi vnitas, vbi proximorũ compaſsio, ibi prorſus compago mẽbrorum, ibi Dei diffuſa eſt charitas. Viuificatur corpus ſpiritu rationali, viuificatur fidelium vnitas ſpiritu verbi. Fraternæ præbent exemplum dilectionis humani corporis membra. Quanta inter ipſos vnitas? quanta confœderationis indiſſolubilitas? Quis non miretur? quis non gaudio repleatur in contemplatione tanti myſterij? quis in organo corporis, opificis non

efferat

efferat ſapientiam? Tanta ſiquidem vnitatis compage ipſa corporis membra copulata ſunt, vt vnum non patiatur membrum, quin compatiantur & cætera. Hæc eſt ſpiritalis eruditio ſapientiæ, hæc eſt fraternæ commendatio charitatis. Per humanum myſticum inſtruxit, & per carnalem ſpiritualem edocuit. Audi vnum de ſpiritualibus, membrum corpori myſtico adhærens, vnitatem ſeruans, omnia vt ſeipſum diligens. 1.Cor.11. Quis infirmatur (inquit) & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? Verum nempe hoc membrum erat ſua non quærens, ſed Chriſti, ſed capitis, ſed membrorum. Non quæro (ait alio loco) quod mihi vtile ſit, ſed quod multis. Agnouerat enim dilectionem capitis, meminerat ſapientiam dixiſſe, quia non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis. Sciebat verbum, Mar.10. quum crucifigeretur, oraſſe, Pater ignoſce Lucæ 23. illis, quia neſciunt quid faciunt. Vnde tanquam verus ſtrenuuſque diſcipulus Apoſtolus Rom.15. imitabatur opere, quod didicerat in magiſtro, ideo diſcipulis aiebat, debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere, vnuſquiſque veſtrum proximo ſuo placeat in bonum ad ædificationem. Etenim Rom.15. Chriſtus non ſibi placuit, ſed ſicut ſcriptum eſt. Improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper me. Plurimum nanque Deo commendabilis exhibetur fraternus amor, qui verbi autoritate probatur. Eſt quidem abbreuiatum verbum omnem legis & prophetarum in ſe ſcientiam continens, eſt vtique ſpirituale ſtadium, in quo, quanta Dei ſit in homine charitas, demonſtratur, necnon & quanta ſit hominis ad Deum dilectio. Viciſſim ſibi hæc duo famulantur præcepta, ita vt nemo proximum diligat, qui Deum non diligit, & nullus Deum, Ioan.4. qui proximum non amat, dicente Ioanne, Qui non diligit proximum, quem videt, Deum, quẽ non videt quomodo poteſt diligere? Vbi amor eſt proximi, ibi prius ſuum Dei charitas pedem fixit; vbi ſpiritualium eſt ſcientia, ibi ſapientiæ dilectio eſt. Non eſt ſapientia, vbi deeſt charitas. Suum quippe verbum diffundit lumen, vbi ſuum præſtat amorem. Quam ſapientia replet mentem, replet & cognitione. Cognoſcere illam facit, quæ neſcienda ſint, deinde quæ ſcienda, poſtremo quibus medijs ad ſcientiam perueniatur. Sunt nanq; quædam, quæ neſcienda ſunt, quia humana nequeunt perſcrutari ratione. Credi debent, non autem curioſe inquiri. Quis autem (niſi aut elatione tumidus, aut ignorãtia cæcus) præſumat intelligere poſſe, quid ſit Deus? Quod autem Deus ſit, omnis creatura teſtatur. Ipſæ quidem lingua ſua fatentur Psal.99. opus ſe ſummi & æterni Dei eſſe, & dicunt, Ipſe fecit nos, & non ipſæ nos. Eſt enim Deus naturæ vox, qua omnia pulchra teſtantur ipſum pulcherrimum, dulcia dulciſſimum, ſublimia altiſſimum, pura puriſſimum. Vnde quemadmodum in patria Deus eſt ſpeculum, in quo relucent creaturæ, ita in via creaturæ ſunt ſpeculũ, in quo creator videtur, ideo Apoſtolus ait, Inuiſibilia Roma.1. Dei per ea, quæ facta ſunt, à creatura mundi intellecta conſpiciuntur. Ratio quoque naturalis, quę per effectum in cognitionem omnem peruenit ratiocinando Deum eſſe concludit. Omne nanque creatum indiget aliquo, vt ſit, verbum autem Deus, per quod omnia ſunt, quæ ſunt, ſiue angeli, ſiue archangeli, ſiue throni, ſiue ſeraphim, ſeu quicquid mouetur in cœlo, vel in terra, eſt apud Deum. Ipſum dicimus principium & ſapientiam, in quo & per quã facta ſunt vniuerſa, de quo principio per Moſem dicitur, Gene.1. In principio creauit Deus cœlum & terram, & cætera, quæ particulariter narrando diſtinguit. Sed & de ſapiẽtia ſic ſcriptum eſt. Prou.8. Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum antequam quicquam faceret à principio. Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequam terra fieret, quando præparabat cœlos, aderam cum eo cuncta cõponens. Fides etiam catholica nõ ſolum credit Deum atque credit Deo, verũ etiã credit in Deum, amando credit, & credendo in membra ipſius incorporatur. Hinc eſt quòd per orbem terrarum vniuerſa canit eccleſia. Credo in vnum Deum Patrem Omnipotentem factorem cœli & terræ, viſibilium omnium, & inuiſibilium. Pro fide hac martyres flammis ſe dederunt, cunctiſque cruciatibus inuiſibilia pro viſibilibus commutantes. Eorum inſuper quidam Hebr.11. obturauerunt ora leonum, fugauerunt aciẽ gladij, & exterorum caſtra verterunt. Certi nanq; per fidem facti, quod Deus erat, pro huiuſmodi vſq; ad mortem certauerũt veritate. Cognoſcere verò Deum, ſicuti eſt, non eſt inſtantis temporis, ſed futuri. Donec in hac peregrinatur homo carne, quouſq; corruptioni eſt ſubditus, ad hãc cognitionis non attingit celſitudinẽ. Deuicto autẽ triũphatoq; mũdo ſi in ſortẽ veniet electorũ, hanc viſionis gloriã conſequi merebitur, de qua Ioannes ait, Chariſſimi nũc filii Dei ſumus, 1.Ioan.3. & nondum apparuit, quid erimus; ſcimus, quod quũ apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniã videbimus eũ, ſicuti eſt. Prima nanq; Dei cognitio peregrinantiũ ac viatorũ eſt, ſecũda triumphantiũ & angelorũ, tertia autẽ nec hominũ neque angelorũ. Omnẽ quippe creatũ ſupereminet intellectum. Ipſe etenim cognoſcit ſe per ſe in ſe. Non aliqua eget luce. Verbum lux eſt, per quod cognoſcit ſe finite infinitum, non in tempore, ſed æternaliter, nõ confuſe, ſed perſpicuè, lympidiſſimeque, quoniam in eo tenebræ non ſunt vllæ. Hæc eſt vita æterna, quæ credi debet, non inueſtigari. Lucem quippe habitat inac-

1.Tim.6. ceſsibile, Vnde ſcrutator ipſius maieſtatis opprimitur à gloria. Quemadmodum igitur diuinæ altitudo eſſentiæ ratione comprehendi nequit, ſimplici verò fide credi debet, ita quoque eccleſiaſtica ſacramenta. Quæ capit ratio, quæ humana percipit intelligentia, vt fieri poſsit, quòd baptiſmi aqua corpus tangat, & animam mundet, vt elementum accedente verbo fiat ſacramentum? Similiter vt per manuum impoſitionem ligandi, ſoluendique poteſtas conferatur hominibus? Atque quod his omnibus maius eſt, qualiter ſub modici panis, viniq; ſpecie totus Chriſtus Deus & homo realiter ſit? Cuncta hæc humanæ metas tranſeunt intelligentię. Maximam quippe ſub ſacramentis Dei verbum horum inſtitutor aperuit ſuæ bonitatis beneuolentiam, dum in rè viſibili inuiſibilem confert gratiam. Nam ſacramentum illud eſt, in quo ſub tegumēto viſibilium rerum diuina virtus ſecretius operatur. Operatur quidem multa, quū per hæc à peccato mundat, in bono confirmat, corpori Chriſti myſtico incorporat, impium iuſtificat, ad futuram præparat vitam, erudiendo illuminat, & à malo præſeruat. Non autem ſine cauſa æterna hoc agere voluit ſapientia. Hominis nempe altum humiliat ſapere, dum fidei colla ſubijcit, & in ſe inferioribus ſalutem quærit propriam, meritumque ſuum credendo multiplicat. O Dei ſapientia quanto conſilio tuorum ſalutem operaris fidelium. Non violenter, non imperioſe illos tibi vendicas, ſed illorū mederis languoribus, ipſorumque indulges erratibus. Sponte quidem ſe tibi ſternentes, tuiſque inſtitutionibus parentes humiliter, timorem ſuum euacuant credendo, quod nō vident, tuam venerantur maieſtatem non reſiſtendo, non percunctando, non diſcutiendo, ſed fideliter famulando, ſuoque ſatisfaciunt errori, dum ſe altiora quæſiſſe, dum legi tuæ detraxiſſe, dum multimodè tuam erga ſe prouocaſſe iuſtitiam puro corde, fide ſimplici, & ſalubri confeſsione pronunciant. Cuius hæc opera, niſi tua ò alma ſapientia, ò intenebrabilis lux, peccatorum venia, mœſtorum gaudium, bonorum ſpes, & vniuerſitatis regimen? Conſueſti nanque tuæ veritatis radios, tuæque virtutis riuulos in nos ſemper diffundere. Tu itaque, ò dominatrix ſapientia, cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia diſponis nos. Subeſt enim tibi quum volueris, poſſe, miſereris tamen omniū, quoniam omnia potes, & diſsimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Diligis quippe omnia, quæ ſunt, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti, nec enim odiens aliquid cōſtituiſti. Quo Sap.10. modo autem poſſet permanere aliquid, niſi tu voluiſſes? Aut quod à te vocatum non eſſet, conſeruaretur? Parcis itaque omnibus, quoniā tua ſunt ò ſapientia dominās, quæ animas amas.

Non autem licet quærere, quod latere voluiſti, quamobrem tuorum altitudinem ſacramentorum, tuorumque profunditatem iudiciorum inueſtigare præſumere vltimæ dementiæ eſt. Si enim difficile exiſtimantur, quæ in terra ſunt, & quę in proſpectu ſunt, inueniuntur cum labore, quæ in cœlis ſunt, quis inueſtigabit? aut quis hominum poterit ſcire cōſilium tuum? vel quis valebit cogitare, quod tu velis? Nemo itaq; ſenſum tuum attingere ſufficit, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum Sanctum tuum de altiſsimis. Quum enim magna ſint iudicia tua Domine, & inſcrutabilia opera tua, propterea indiſciplinatæ animæ hæc perſcrutari molientes grauiter errauerunt. Alta igitur Dei conſilia nullus inquirat, quin potius quiſque ſtudeat ſic neſcire quod non expedit, vt non negligat ſcire, quæ ignorare non oportet. In altero quidem temeritas, in altero autem negligentia redarguitur. Quid verò iuſtius, quidve poteſt rationabilius ruminari & recoli, quàm diuinæ miſerationis ſublime opus, & verbi Dei ſacramentum pietatis? Quod enim pro hominibus geſtum eſt, debet etiam ab hominibus rememorari, ne ingratitudinis ſurrepente vitio amittatur immenſæ bonitatis ſpiritualis fructus, Pręcunctis quippe hoc mortales Deo exhibet debitores, quòd Deus fieri dignatus eſt homo paſsibilis. Paſsibilis quidem in noſtra, in ſua verò permanens natura immortalis Deus. Accipiendo quod non erat, non deſtitit eſſe, quod erat. Nihil diuinitati intulit indignum, nihil maieſtati ſuſcepit contrarium. Quod enim viſibili inflictum eſt formę, hoc inuiſibili ſubſtantię militauit ad gloriam. Quid glorioſius diuinę valet aſcribi naturę, quàm vt pro offenſa gratiam, pro ignominia honorem, pro contumelijs beneuolentiam, & pro temporali morte vitam pręſtaret ęternam? Optimum nanque vindictę genus eſt culpam ignoſcere, & humanitatis beneficia non negare, mala pati, & ſtillicidia gratię cōmunicare. Hoc ſupernę deitatis opus eſt, quę quotidie innumerabiliter iniurijs laceſsitur, & ſuſtinet, blaſphematur, & non iraſcitur. Luc.6. Hoc euangelicę quoque perfectionis eſt, quę vna percuſſa maxilla debet prębere alterā, quę auferēti tunicam tribuere debet etiā pallium. Rom.12. Ideo Apoſtolus aiebat, Noli vinci à malo, ſed vince in bono malū. Ipſa etiam ſapiētia perfectionis regulam inſinuādo, dicit, Luc.6. Diligite inimicos veſtros, benefacite iis, qui oderūt vos, & orate pro perſequētibus & calūniantibus vos. Sed parū fuiſſet docuiſſe verbis, niſi confirmaſſet exēplis. Vnde ipſa veritas in ſuis ſēper patiēs perſecutionibus, in pœnis fortis, morte inſuperabilis, nunquam à ſuę charitatis mota eſt ſtabilitate, dilexit perſecutores ſuos, ſermone hortata eſt, ſicq; vt etiā corripiendo non minus amaret, in ſe ſuis prębuit

buit viuendi formam,charitatis regulam, pietatis modum,refugii locum,fiduciæ portum, æternitatis guſtum,& gloriæ meritum. Huius itaque myſterij pietatem,& charitatis latitudinem nunquam de cordibus decet aboleri mortalium,nõ aliquo poſtponi euentu,vt etſi non ſemper, tamen interdum de ipſa cogitetur. Affectum nanque accendit,mentem eleuat, lumen huiuſmodi affert cogitatio. Diſcit quidem,qui ſuam in vita verbi occupat mentem, quomodo inæſtimabili vices debeat rependere charitati: quomodo ſuos componat mores, ſuaque diſponat negocia. Non autem ignorandum eſt, quæ Deo placeāt,quæve diſpliceat: quæ ex gratia,& quæ à natura proueniant,Minime quippe valet opere perfici,quod ignoratur. Virtuoſa actio commendat hominem Deo,non ſcientia, non opinio, non popularis aura, nõ generoſa proſapia, non propria æſtimatio ſui.Omnia iſta ſole apparente iuſtitiæ liqueſiunt,& tãquam glacies æſtiuis reuerberata caloribus nuſquam ſui veſtigia relinquunt. Non enim in ore hominum, ſed in conſcientiis ſpirituales ſunt condendi theſauri.Qualis quiſque fuerit apud ſe, talis à domino iudicabitur. In ipſo quidem Dei examine cũcta diſcutientur,& vniuerſa æquitatis ponderabuntur lance.Intẽtiones, cogitationes, affectiones, & opera ducentur ad medium. Non magna & nota tãtum,verumetiam parua, ac minutiſsima, & quæ ignorantur,delicta diſcutiẽtur à verbo. Non potentis,non diuitis,non ſapientis perſonam accipiet. Poteſtate æqua cuncti ferientur. Virtutes itaque amandæ ſunt, & probabilium ſunt imitanda geſta virorum: eorum (videlicet) qui diuinis obtẽperantes legibus laudabili curſu præſentis peregrinationis terminum finiere. Hos etenim elegit Deus, hos cunctis poſuit in exemplum:non autem quos humana falſitas iudicat glorioſos. Tales nempe quum vitiis pleni ſint,quæ Deus odit, & flagellis inſequitur, ſummæ ſapientiæ placere nequeũt: virtus verò quũ ex ſe ſit ornatiſsima, ſuum decorando poſſeſſorem diuinis illum reddit gratum aſpectibus. Aſpernenda prorſus ſunt vitia, virtuteſque ſectãdæ, quæ mortales ad ſidereas prouehunt cœlorum ſedes, eò altius ſublimando, quò peraguntur perfectius. Parum quidem prodeſt ad tempus florere diuitijs,honoribus,incolumitateq; , & poſt paululũ æterno demergi in baratro. Poſt ſpecialem conditoris amorem nil ad bene viuẽdum ſic fideles excitat, quemadmodum iugiter cogitare, quæ tranſacto huius vitæ curſu iuſtis repoſita ſint in cœlis præmia, peccatoribuſve ſupplicia.Nulli quippe hæc ignorare licet. Sunt quidem ſummæ fundamenta imputribilia,veræque philoſophiæ immortalitatis principia, virtutum organa,verbi doctrinæ,ſapientiæ theſauri, ornamenta intelligentiæ, futuræque vitæ patẽs oſtium.Quicunque iſta ignorauerit, non agnoſcetur à verbo, & tanquam reprobus cum infidelibus deputabitur:quanquam æquali plectendi ſunt exitio,qui ſciunt,nec faciunt. Non auditores,non doctores legis,ſed factores iuſtificantur apud Deum. Rom. 2. Optimum verò ad hæc perficienda ſuffragium eſt humilitas non labiorum ſed cordis, quæ magnam cum verbo habet autoritatem. Hanc ipſe docuit ſermone & vita. Super quem (inquit per Prophetam dominus) requieſcet ſpiritus meus,niſi ſuper humilem, & quietum,& trementem ſermones meos? Eſai. 66. Eſt & mentis munditia ſufficiens ad hæc ſuſcipienda rudimenta cœleſtia. Docibilis quidem eſt, capabiliſque donorum, Deo amabilis, tabernaculum ſapientię,rationi ſubiecta,lumine cõruſca, exuberans gaudio,pace referta, ſecura in ſe, libera ad Deum, nulli oneroſa, ſibiipſi in ſuis ſufficiens delicijs: intenta verbo,alliciens verbum, verbique fideliſsima ſponſa. Eſt vtiquẽ contemplationis oculus, myſteriorum domus, ſpeculum gloriæ, imitatrix Dei,ſociaque beatorũ. Huic ſe oſtendit Deus,dicente Sapientia: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbũt. Matt. 5. Exhibet nempe teſtimoniũ certum diuinę charitatis ipſa cordis integritas: necnõ ad verbum pura dilectio. Nemo poteſt diligere Deum, niſi diligatur à Deo:non communi ſed filiali dilectione. Iuxta ipſius mẽſuram in nobis noſter ad Deum dirigitur affectus. Reciproci nanque ſunt:nec abinuicem valẽt ſeparari. Qui Deum ſyncero diligit corde,ſecurus gaudeat, quoniã à verbo irrefragabiliter adamatur. Hinc exultatio ſponſæ, hinc amicitiarum indiſſolubilis nexus:ideo lætanter nec præſumptuoſe, ait: Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia. Cant. 2. Proinde fidenti charitate ſublimiora diuinæ contemplationis appetens vſq; ad interiora velaminis (videlicet) ſponſi gloriam ſatagit introire. Quum enim amoris ſit auida,dilectione ſaucia,donis prouocata,clara lumine,virtutibus ſplendida,pietate circunfuſa,cognitione plena, ac fortitudine roborata,non repellitur, ſed tanquam chariſsima admittitur ſpõſa, vt de theſauris ſapientię fulgentiorem cęteris ſuſcipiat margaritam, poſsitque reliquos de ijs, quæ vidit, & audiuit, inſtruere, non ad ſui, ſed ſponſi gloriam,à quo habet, quod eſt. Non enim ocioſe audiuit Sapientiam dicentem : Qui diligit me, diligetur à patre meo:& ego manifeſtabo ei me ipſum. Ioan. 14. Attentus hoc audiuit auribus, vigilanti corde, & auida intentione, vnde ſuo non eſt fraudata deſiderio,quoniam dilecta dilexit. Guſtauit & vidit, quia ſuauis eſt ſapientia, & diuinæ intelligentiæ lumen vniuerſis ſpiritualibus donis præeminet, cæteraque tranſcendit.

De diuerſis contemplationum gradibus, quibus animus ducitur ad ſumma notitiam Trinitatis.
Cap. XIX.

VSus docet neminem ad cuiuſcunque artis peritiam poſſe pertingere, niſi gradatim, & per exercitationem aſſiduam. Hoc lanifices, hoc cœmentarij, cæterique opifices fatentur. Si diligenter humana exercitia, mundanæ ſcientię ac ſpirituales diſciplinæ perluſtrentur, hoc ipſum clamabunt. Prę cæteris verò diuina contemplatio, quæ ad Dei prouehit notitiam, gradibus quibuſdam indiget ſpiritualibus, vt ad ſui perducat perfectionem. Sic enim exigentibus priorum parentum culpis hebetata eſt humana mens: ſic ab ingenita, gratuitaque dignitate diuulſa, vt corporalia, & quæ iuxta ſe ſunt, attingere non valeat, niſi exigua, & maximo cum labore. Spiritualia autem potius palpitando, quàm diſcernendo diffinit, niſi irradiauerit intus ſapientiæ diuinus ſplendor. Tunc prout gradus eſt luminis, eſt & cognitionis. Diuina verò perquirere quis poteſt? Dei ſupereminentem ſcientiam quis enarrabit? Omnis quidem caligat intelligentia, ſingulorum acies reuerberata cęcatur, ſi ineffabile ſe immerſerit lumen, ſi Dei ſe ingeſſerit ſapientia. Ad ipſam non feſtinanter, non immundè, non elatè accedendum eſt. Humilitas nūquam abijcitur, quia procul ſedet in ſe; niſi excitata & illecta non appropiat: quoniam non ambulat in magnis ac mirabilius ſupra ſe. Munditia & ipſa admittitur. Non enim abſque præuio lumine pedem monere audet: hoc eidem pediſſequa ſuadente humilitate. Timoroſa quoque maturitas veluti moribus ornata, decorata ſapientia, veneratione tremens, experientia erudita tanquā digna contemplationi coaptatur diuinæ. Quēadmodum nanque contemplatio ſe importunè carnaliter quærentem fugit, ita reuerentem, & ſpiritualiter, ſimpliciterque ſe non quærentem Num.12. inſequitur. Hęc diuina narrat hiſtoria. Erat Moſes omnium hominum, qui in terra morabantur, mitiſsimus: paſcebat oues in deſerto ſimpliciter, vidit rubum, quia arderet, nec combureretur: audiuit vocem clamantem ſe, quamuis ſe humiliter excuſaret, pręlatus eſt populo vniuerſo Hebræorum poſtquam prodigia ac ſigna ingentia in caliginem introiuit, domini vocem audiuit, cum ipſo tāquam amicus loquebatur cum amico, innumeras habuit reuelationes, Deique digito legem ſcriptam ſuſcipere promeruit. Nō eligitur doctus, non diues, non eloquens, ſed ouium paſtor, deſerti incola, lingua impeditus, ſermone incompoſitus, humilis, manſuetus, ſimplex, & timens Deum. Non humana Deus eget ſapientia, non virtute, non ſanctitate. Cuncta perfectè non in ipſo ſunt: imò etiam vniuerſorum bona, dona ipſius eſſe probantur. Non hominum quærit ſuffragiū, ſolatio non adiuuatur alieno, qui dat homini ſcientiam, præſtat vitam, donatque gratiā. Erga illum itaq; maxima exhibenda veneratio eſt, & humilitatis obedientia. Nō niſi vocata ad ipſū appropiare mens debet, ne repulſa cū pudore ſternatur: vnde de quibuſdā procacibus per Prophetā dominus cōqueritur Malac.1. dicens: Si ego dominus, vbi honor meus? & ſi pater, vbi amor meus? Nec verus honor ſine dilectione: neque paternus amor abſque reuerentia eſſe poteſt. Debet quidem humilis, & deuotioni contemplationis vacans ſemper diuini ſe ſubijcere radio luminis, quatenus trahēti & uocanti ſpiritui continuè ſe accommodet. Nam ſpirat quādo vult, & de quo vult. Hinc eſt quòd Propheta ſanctus quū animalium ſanctorum prophetias narraret, ait: Quū fieret vox ſupra Ezech.1. firmamentum, quod erat ſuper caput eorū, ſtabant, & ſummittebant alas ſuas. Expedit etenim, vt crebro foris remaneat: quę humiliter, patienter, prudenterque internam mens non intelligit vocem. Quis eſt homo, vt cum Deo loqui temerariè debeat? Nam & ſenex maturus & amicus Dei, gentiūq; multarum pater quum loqueretur cum domino, ſe indignū arbitrans, aiebat: Loquar ad dominum meum, quum ſim Gen.18. puluis & cinis? Nec mirum, ſi ſic dicebat, qui ſapientiæ lumen ex diuina in ſe receperat allocutione. Semper enim ſuperna gratia humilitati ſociatur. Quæ nanque comparatio luci ad tenebras, vitæ ad mortem, illi qui eſt, & ei qui nihil eſt? Repudiatur in contemplatione elatio, repudiatur, quæ in adhuc animali ſtatu poſita eſt, dicente domino ad Moſen: Beſtia, quæ tetigerit montem, lapidabitur. Exo.19. Prius ſenſualis habitus priſtinæ conuerſationis exuendus, quàm ad montem contemplationis accedendum. Deus nempè ſpiritus eſt, qui non ambulat in ſpiritu, ſpiritualia non diſcernit: neque de ſpirituali proficit alimento. Ioan.4. Creſcat lacte nutritus, ſenſibus roboratus, gratia præuentus, amore accenſus, ſpiritu exercitatus, mente ſuſpenſus, vt poſt iſta ad contemplationis arcem aſcendat. Gratia primum, deinde virtutes, poſtremo inſtātia humilis vigilanſque per cōtemplationis actū ad Dei notitiā cor eleuant. His deficientibus ad ſciētiā diuinitatis nemo peruenit. Gratia præuenit, virtutes habilitāt, vſus autē vtraſq; perficit. Superuacue in cūctis laborat homo ſine gratiæ adminiculo, quod exēplis ſcripturarū, teſtimonijs, & rationibus facillimè comprobatur. Mēs quoq; virtutibus vacua ad diuinum non accedat aſpectum. Abhorret quidem puritas æterna vitiorū labes & ſcelerum deformitates. Vbi Dei vera adeſt cognitio, ibi delictorum abeſt volūtaria perpetratio. Hinc eſt quòd à domino propheta nominatiſsimus audiuit. Nō videbit me homo, Exo.33. & viuet. Ideo ante reſecanda ſunt vitia gladio

ſpiritus

ſpiritus & virtutum mucrone, quàm ad cõtemplationis ocium ſuperſedeat mens. Præſtita igitur ſuperna gratia ſubactis diſciplinæ virtutũ vitijs, euolet quiſque ad contemplationis exercitium. Sunt quippe tanquam ſpirituales pennæ: per quas vſque ad deitatis mens prouehitur thronum. Has optabat pennas propheta, quum Pſal. 54. diceret: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam? Non tamen vniformiter contemplationis ſomno quieſcente volitat. Varij quidem ſunt contemplantium gradus iuxta qualitates gratiarum & meritorum menſuram. Quandoque etenim mens trahitur ad Dei notitiam creaturarum conſideratione, circumquaque perluſtrat, & in cunctis tremendã Dei potentiam, admirabilem ſapientiam, amplectendamque conſpicit clementiam. Tot laudantium audit voces, quot creaturarum intuetur ſpecies: quandam quoque ſpiritualem ſentit in corde harmoniam, quæ interiora omnia complet iubilatione. Non enim à conditoris ſe valet continere laude, quum vniuerſa in diuinis præconijs occupata intelligit opera. Si cœleſtia aſpicit corpora, hoc agnoſcit, ſi elementatas conſiderat ſpecies, hoc guſtat. Omnia vocibus ſuis iucundiſsimum agunt concentum: vnde fragra[...]ſima reſperſus ſuauitate animus tacitè vociferare compellitur, & dicere. Domine quis ſimilis tui? In vniuerſis quippe creaturis Deum intuetur, & per ſingulas delectabiliter paſcitur. Hunc habere ſenſum expreſsit pro Pſal. 91. pheta, quum ait: Delectaſti me domine in factura tua: & in operibus manuum tuarum exultabo. Liber quidem pulcherrimus intus & foris depictus eſt creaturarũ vniuerſitas: in quo Dei perſpicua habetur notitia. Propterea in ſapien Sap. 13. tiæ volumine continetur ſic. A magnitudine enim ſpeciei creaturæ cognoſcibiliter poterit horum creator videri. Eſt & alius contemplationis gradus ſuperiore maior, quum mens in ſanctarum dilatatur meditatione ſcripturarum. Eſt nanque ſacra pagina ſapientiæ verbi ſpeculum, & diuinitatis armarium. Nullus in ea purè, prudenter, humiliterque accedens, recedit vacuus. Omnium quidem morum ſcientiã continet. Quis non Dei miretur ſapientiam, quum tot myſteriorum ſacramenta, tot veritates ſub literæ cortice eſſe videt contenta? In ipſa prædicatur omnipotentia diuina, quũ de mundi creatione modum inſinuat, multaque narrat Dei magnalia: nunc per angelorum miniſteria: nũc per hominum inſtrumenta. Sanctæ paginæ potiſsimè bonitatem conditoris cõmendant. Noſtram voluit per has Deus erudire ignorantiã, informare fidem, ſpem ſolidare, ablactare à viſibilibus & inuiſibilibus paſcere. Prorſus cũctus cæcatus eſſet mundus abſque adminiculo ſcripturarum, quæ cõfundunt errores, iniquis ſupplicia minantur æterna, iuſtiſque præmia pollicentur perpetua. Sicut enim ſcientia ſacra ſuperbos caligat, ne Dei gloriam videant, ita humilibus ſe familiariter notificat: ideo propheta aiebat: Pſal. 118. Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. Quantum verò per ſanctarum ſcripturarum in Dei cognitione proficiat mens, qui ſapiunt, intelligunt. Quicquid enim dicitur, quod catholicarũ autoritate ſcripturarum non probatur, à ſancta non approbatur Eccleſia. Eſt quidem fundamentum ſolidum, ſuper quod omnis fidei veritas, omniſq; veritatis ſolidatur autoritas. Suauis nẽpe percipitur per illã ſapientiæ guſtus, ſi meditata & manſa tenea Prou. 21. tur. Theſaurus deſiderabilis (ait Sapiẽs) requieſcit in ore ſapientis. Non enim cõmunis eſt cibus ſacer ſermo, nec contemplationis infimus gradus. Illis ſolis datus, qui docibiles ſunt & capaces, & qui omne fermentũ malitiæ ac nequitiæ euacuant. Aliud tamen in ſcriptura eſt ſciẽtia, aliud ſcientiæ guſtus. Scientiã habere poteſt malus: ſcientiæ autem guſtũ nõ niſi bonus. Cui enim guſtus accõmodatus eſt, in virum mutatur alterum. Nã & Moſes accepta diuinæ legis ſciẽtia vltra in Aegyptum reuerſus nõ eſt. Maximũ quippe peregrinationis huius ſolatium eſt ſcripturarum cõtẽplatio, quæ ſplendoribus veritatis illuſtrat cor, & diuinitatis claram præſtat ſciẽtiam. In hac verò ſcripturarum contemplatione alia admodum iucunda repoſita eſt conſideratio diuinæ cognitionis: tanquam rota in medio rotæ. Ipſa eſt probatiſsimorum virorum & ſanctorum commendabilis vita: in qua ſingulariter Dei laudanda eſt maieſtas. Quoſdã etenim ſapientia æterna de hominum vniuerſitate elegit viros, vt ipſos veluti radiantes ſtellas in Eccleſiæ ſuæ collocaret firmamento. Iſtis nemo ſanè intelligentiũ dubitat tantã infuſam eſſe gratiam, tantam prærogatam virtutem, vt in eis perſpicuè eniteat ſummę ſcientia veritatis. Nã ſi in talibus magnanimitas attẽdatur & animi zelans cõſtantia, proculdubio virtus eiſdẽ inſuperabilis habitare noſcetur. Quis immundorũ ſpirituũ innumerabilẽ exercitum infatigabiliter mentis robur oppugnantem: quis tãquam maris arenã inundantes tentationes vincere ſine Dei virtute valeret? Præualuere vtique ſtrenuè aduerſus leonum inſidias rugientium: fugauere eos impetu ſpiritus tanquam puluerem, quẽ ventus proijcit a facie terrę. Non ceſſarunt eorum impor Pſal. tunitatibus: nec fatigati ſunt, quum tentarentur, quin potius illos ſub pedibus ſtrauerunt ſuis. Nam fortes vincierunt catenis indiſſolubilibus, & cuncta ipſorum bellica aſportauerunt arma. Arma quidem diaboli mundi ſunt reges, & iniqui homines, quorum ipſe princeps eſt: ſicut incarnata affirmat Veritas dicens. Ve Ioan. 14. nit enim princeps mundi huius, & in me nõ ha-

bet quicquam, Tot ab immundis ſpiritibus ablata ſunt arma, quot ſanctorum exemplo, eruditione, & meritis verbo lucratæ ſunt animæ. Adeo quippe in hoc certaminis conflictu extitere robuſti, vt omnem iugo fidei ſubigerent orbẽ, non armis vel ferro, non multitudine pugnatorum, non precio, non minis, ſed animi conſtantia, virtute fidei, proprioque cruore. Se enim tormentis, exilio, igne, iaculis, carceribus permiſerunt interfici, potius quàm vinci: occiſi quidem tunc extitere victores. In ſuo laureati ſunt ſanguine, in ſua triumphauerunt morte. Vincebat nempe omnipotens in ipſis, cui tota aſcribenda eſt victoria. Vicit quippe in martyribus mundum: ſuperauit in cõfeſſoribus vitium. Quemadmodum Dei virtus & poteſtas commẽdatur in illis, ſic & in iſtis. Ardua eſt vitiorum pugna, glo- Ephe. 5. rioſiſsimuſque eſt naturæ triumphus. Nemo naturaliter carnem odit ſuam: ſed magis eã fouet, & nutrit: & tamen carnales edomantur concupiſcentiæ, & ſub ſpiritus rediguntur dominium. Abnegando quidem ſe homo deſinit eſſe, quod erat. Nouum induit hominem, noua incipit eſſe creatura, dum in ſpiritus ambulat nouitate, dum virtutem induit ex alto. Fortis contra vitia: ſapiens aduerſus inſidias: ſed non minus honorabilis per ſapientiam, quàm per virtutẽ. In vno & pari ſunt gradu fortitudo & ſapientia, nec vna maior altera. Fortis pater, ſapiens verbũ. De Iob. 9. hac vnitate ait Iob: Sapiens corde eſt, & fortis robore. Et idem: Apud ipſum eſt fortitudo & ſapientia. In fortitudine patris virtus: in ſanctorũ verò prudentia verbi ſapiẽtia veneratur. Eſt autem ſapiens pater, & forte verbum. Sapientiam Pſal. 103. intelligere vis patris? audi Prophetam: Omnia in ſapientia feciſti. Fecit in ſua ſapientia vniuerſa, quæ ſunt. Filij virtutem audi: Vſque modo pa- Ioan. 5. ter meus operatur, & ego operor. Alia eſt ſententia, quę omnem aufert ambiguitatem vnitatis & æqualitatis. Ego (ait Verbum) & pater vnum Ioan. 10. ſumus. Et iterum: Ego in patre, & pater in me Ioan. 14. eſt. Igitur in ſanctorum vita vtriuſque commendatur virtus, amborumque ſapientia. Quãuis enim actus diuerſi ſint: de vno tamen diuinitatis emanant fonte. Sanctis quippe ſe pater communicat in filio, & filius in patre: ideo virtutem prębet & ſapientiam. Ad huius confirmationis teſtimonium legitur, quod quum beatus Acto. 6. Stephanus in concilio eſſet poſitus Iudæorum, pro Ieſu nomine ipſo loquente veritatis verba, videbant vniuerſi, qui aderant, vultum eius tanquam vultum angeli ſtantis inter illos: nec reſiſtere poterãt ſapientiæ & ſpiritui, qui loquebatur. Apoſtolus quoque ſapientiæ fortitudine, & 2. Cor. 10. fortitudinis ſapientia plenus dicebat: Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed potẽtia Dei ad deſtructionem munitionum, cõſilia deſtruẽtes, & omnem altitudinẽ extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti. Quamuis enim hoc loco virtutem ſe accepiſſe fateretur & ſapientiam, alio tamen in loco ait: Sapientiam autem loquimur inter perfectos: ſa- 1. Cor. 2. piẽtiam verò non huius ſeculi, quæ deſtruitur, ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio quæ abſcondita eſt: quam prædeſtinauit Deus ante ſecula in gloriam noſtram, quam nemo principum huius ſeculi cognouit: itaque ſicut patris poteſtas in virtutibus fulget ſanctorum, ſic verbi ſapientia in eorundem ſermonibus. Hinc eſt, quòd tam multiplex, locupleſque ſcientia ſanctis eſt præſtita. Illos nanque potauit verbum, atque de ſeipſo hauſerunt fonte, qui in diebus carnis ſuæ quum eſſet in templo, clamabat: Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat. Non vtique ma- Ioan. 7. terialem aquam, ſed ſapientiæ aquã, de qua multis in locis diuinus ſermo loquitur: Quicunque veritatem loquitur, de veritatis ſapientiæ illam trahit fonte, & qui ſupra virtutem operatur virtutes, de patris manu recipit fortitudinem. Sed de ſpiritu ſancto quid? Nonne pater & filius vnus Deus eſt? nõne & ſpiritus ſanctus? Tres ſũt 1. Ioan. 5. (ait Ioannes) qui teſtimonium dant in cœlo, pater, filius, & ſpiritus ſanctus: & hi tres vnum ſunt. Vnus quidem Deus, vna virtus, vna eſſentia, vna diuinitas. Nam quãuis in perſonis ſit diſtincta trinitas: eſt tamẽ in ſubſtantia vnitas, qualitas, æternitas, poteſtas. Operatur pater, operatur filius, operatur ſpiritus ſanctus. Sanctę nanq; trinitatis opera indiuiſa ſunt, quãquam ſingulis perſonis diuerſi appropriantur actus: vtpote patri poteſtas, filio ſapientia, ſpiritui ſancto bonitas. Veruntamen ſicut in ſanctorum commendabili & excellentiſsima vita, patris virtus, verbi ſapientia relucet, ita etiam ſpiritus ſancti bonitas. Eſt quidem voluptatis fluuius, & gratiarum torrens inundans ſpiritualibus donis animas fœcũdans. Nam prophetiam, linguarum genera, virtutes curationum, ſermonum interpretationes, ſpirituumque diſcretionem, ipſe ſpiritus ſanctus tribuit. Inſuper ſi quis timoris ſancti & caſti tactus eſt dono, ſi pietatis gerit viſcera erga proximorum neceſsitates, & de erratis delinquẽtium, atque peccantiũ perditione vritur zelo: ſi prouida gubernatione, humana nouit pertractare negocia, & de naturalibus ſciẽtia imbutus eſt, ſi animi fortitudine valet aduerſa ęquo tolerare animo, & in nullo euentu cõtrario à rectitudine flectitur, ſi in diſcernendis iudicãdiſque caſibus, & maximè in diſcernẽdorũ ſpirituũ cõſilio pollet, ac tentationũ ſpiritualium lumen recepit: ſi intelligentiæ acumine, & ſacramentorũ noticia ſplendet, atque diuinorum myſteriorũ cognitionem ſortitus eſt: ſi diuinitatis gloriam, bonitatem, ſapientiam, & charitatem deguſtat: nec nõ futurorum, cœleſtiumque bonorum eſt

memoria

memoria tangitur ſpiritus exultatione repletur, ſpe paſcitur, & amore liqueſcit: non aliunde, quàm de gratuita ſpiritus bonitate talia percipit. Eſt etenim indeficiens Dei emanatio cœleſtium gratiarum, ita vt quos inflammat & fœcundat: nedum humanam laudabiliter, verumetiam angelicam facit ducere vitam. Coæquat namque illos, atque angelis ſimiles efficit per obſequiorum exhibitionem, archangelis per inſtructionem, virtutibus per miraculorũ operationem: poteſtatibus, tentationibus diabolicis reſiſtendo: principatibus ſuis maioribus reuerentiam exhibendo: dominationib. carnem ſpiritui ſubiugando: thronis per æquitatẽ, cherubim per cognitionem, ſeraphim per charitatem. Tota igitur ſummæ trinitatis maieſtas, atque maieſtatis vnitas in omnium ſufficientiſsimè rutilat vita ſanctorum, quum in virtutibus pater, in ſapientia verbum, in donis paracletus agnoſcitur. Ab hoc verò dulciſsimo contemplationis genere aliud iſto excellentius excitatur in amantis animo. De auroræ ſinu refulget ſolis claritas, & de fidei cognitione ad ſpeciei viſionem tranſitur, atque de ſanctorum vita peregrinantium, triumphãtium gloria vtiliter cõparatur. Diſpar plurimum ſingulorum eſt ſtatus, diſsimilis gloria, inæqualis beatitudo, intelligentiaque valde differens. Quamuis cunctorum vnus ſit finis, vnaq; cognitio; aliter tamen illi, & aliter iſti iuxta cuiuſque capacitatem. Quamobrem ſicut diſtans eſt ſcientia diuinitatis pugnantium ſanctorum, à clara viſione regnantium, ita etiam ſublimius Deus agnoſcitur, & perſpicacius intuetur in ſanctorum fœlicitate, quàm in iuſtorum conuerſatione. Hic nãque per fidem, ibi in veritate: hic ex parte, ibi perfectè: hic ſub velamine, ibi verò lympidiſsima aſpicitur claritate. Hic etenim ſancti verbi illuſtrati ſplendore laudabilem in ſeipſis oſtendunt ſapientiam: in cœleſti autem patria ipſam verbi contemplantes ſapientiam, ſapientię cãdoris quodam induuntur lumine, per quod efficiuntur lumen. In verbo aſpiciunt intelligentiæ oculo, & recipiunt ab ipſo vniuerſarum notitiam creaturarum, per ideas, quæ in ipſo ſunt. Nam ideæ ſunt formæ principales rerum, quæ in diuina intelligentia continentur: quæ ante mundi conſtitutionem in mente erant conditoris: vnde non aliud inſpexit exemplar, quàm ſe, quando vniuerſum condidit. Hunc intuentes librum omnium in momento ſciunt creaturarum virtutes, cauſas, & effectus. Animæ rationalis excellentiam, naturæ perſpicaciam, intelligentiæ profunditatem, & lumen in verbo agnoſcunt gloriæ. Naturæ quoque angelicæ cõtemplantur in ipſo dignitatem, eſſentiæ ſubtilitatem, intelligentiæ lympiditatem, liberi arbitrij facultatem, & diſcretionis perſonalitatem, virtutes & officia ſingulorum, & (quod his omnibus eſt mirabilius) eiuſdẽ naturæ diuinæ verbi & humanæ euidentiſsimè intelligunt ſacramentum: ad quantam prouecta ſit gloriam ipſa humanitas, maxima cũ iucunditate mentis acie cernunt: ſe in ipſo vident, & ipſum in ſeipſo, & omnia in ipſo. De hoc verbi conuiuio nimia exuberantium paſcuntur lætitia voluptatum. Experiuntur completum eſſe quod veritas in
carne paſsibili patri dixerat: Pater quos dediſti Ioan. 17.
mihi, volo vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum, vt videant claritatem meam, quam dediſti mihi; quia dilexiſti me ante conſtitutionẽ mũdi: ego in eis, & tu in me, vt ſint conſummati in vnum. Hæc in verbi viſione, & ſapientiæ contemplatione. De bonitatis autem & diuinæ charitatis torrente quis valet edicere, quis capere, quid hauriant ſancti, qualemque hinc concipiant dilectionis affectum? Proximorum quidem anhelant ſalutis deſiderio, videntes illos in plorationis loco inter innumeros mortis laqueos grauiter laborare. Clamant, ne deficiant: orant, vt vincant & percipiant, quod ipſi poſsident: quatenus diuina laus ex laudantium aggregatione augeatur, & diuina imago in eis non pereat, atque ipſorum accidentalis cumuletur gloria. Eò quidem horum amplius accenduntur deſiderijs, quò in charitate perfectiores ſunt. Pro ſeipſis quanto exultant tripudio, quo vruntur affectu: qua perfunduntur lætitia, nemo intelligit, quum ſe fluctuantis ſeculi procellas, & teterrimum inferni chaos, atque intolerabilia pœnarum genera euaſiſſe cognoſcunt, quum ſe in tãto fœlicitatis culmine poſitos: in regia dignitate confirmatos æternaliter ſciunt. Reſoluuntur dulcedine, gaudio liqueſiũt, charitate languẽt, & in gratiarum ſe ineffabiliter dilatãt actione. Omnis laudatio, cuncta ipſorum exhibitio gratiarum votis eorum impar eſt: ſeque vltra ſe affectu extendẽtes quantum valent, actu laudãt: plus verò affectu, quàm laude perficiunt. Omnium, quæ laudabiliter geſſerunt, cunctarumque ſuarum illi gratias referunt victoriarũ. Hoc expreſsit Ioannes, quum diceret: Et adorabãt
viuentem in ſecula ſeculorum, & mittebant co- Apoc. 4.
ronas ſuas ante thronum dicentes: Dignus es domine Deus noſter accipere gloriam, & honorem, & virtutem. Maxima pars ipſorum affectus eſt in ſui laude conditoris, bonitatis illius illecti dulcedine, quam in ſe ſuauiſsimè deguſtant: propterea vehementi inflammantur reſurrectionis deſiderio, vt nihil in eis à diuina vacet laude, ſed ſit Deus omnia in omnibus, atq; cum propheta dicere queant. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Appetunt quoque per omnia aſsimilari verbo, vt in-
grediendo & egrediendo in ipſo contempla- Pſal. 83.
tionis paſcua inueniant: vnde illa ipſorum vox eſt

eſt, de qua in Apocalypſi legitur: quod ſancto- Apoc. 6. rum animæ interfectorum, quæ ſub altari Dei erant, clamabant. Vſquequo domine ſanctus & verus non vindicas ſanguinem noſtrum de iis, qui habitant in terra? Spiritu quidem fruuntur Deo, corpore autem fruuntur verbi humanitate, quod eſt gaudium iucunditate pleniſsimũ.

De ipſo quoque diuinę bonitatis torrente inenarrabilem ſuauitatem hauriunt, quum tam ſingulariter, tantoque ſe vident amore diligi, atque delectabilis vinculo charitatis amplecti. Quum ſe ſupernæ Hieruſalem ciues eſſe conſpiciunt: quum glorioſiſsimorum triumphis militum participes fiunt, quum angelorum ſanctorum ęquales eſſe merentur, quum humanitati verbi ſimiles, quum diuinę conſortes naturę eſſe ſe intuentur dignos: ponunt ante mentis oculos (ſine timore tamen) vniuerſa, quę ex diuinę bonitatis miſeratione euaſerunt pericula: cuncta abſque rubore, quę commiſerunt ſcelera: omnia ſine dolore, quę paſsi ſunt ſupplicia, ut mundius valeant domini miſericordias in ęternum cantare. Ardent ex his dulcis amoris flamma: charitatis nimię calore flammeſcunt; atque (ut ſic dicam) quaſdam rutilant ex ſe dilectionis ſcintillas: unde aliquam in ſeipſis reportant imaginem charitatis. Sed quum ſuę con- Iac. 1. templationis aciem in luminum patrem dirigunt: apud quem nulla eſt tranſmutatio, nec uiciſsitudinis obumbratio: ipſumque originale principium ſine principio eſſe intelligunt: mirabili detinentur ſtupore. Ab illo autem tanquam à fontali omnium bonorum plenitudine emanare cernentes cunctarum dona creaturarum: nec non ad ipſum vniuerſorum affectus modullatas laudes, actioneſque gratiarum refluere veluti ad mare flumina, nec tamen redũdare, quandam admirationis ſoliditatẽ, & fruitionis irreflexibilitatem concipiunt, à qua vehementi apprehenſionis dulcedine in æternum non diuelluntur. Ex hac contemplationis ſpecie ſanctorum animæ, quæ in æterna iucundantur fœlicitate, quoddam in ſe deiforme exemplar repræſentat, & ſimillimam imaginem trinitatis, in qua qui per contemplationis eleuantur exceſſum, aſpiciunt, maximam de diuinitatis eſſentia percipiunt notitiam: magnùmque hinc concipiunt beatitudinis deſiderium intelligentes, quàm beati ſint, qui habitant in domo domini: quoniam eum in ſecula ſeculorum laudabunt: vnde nouo exultationis perfuſi gaudio & cordis deuotione inhianter, ardenter, dulciterque melodicantur ſic: Quàm dilecta taber- Pſal. 83. nacula tua domine virtutum, concupiſcit & deficit anima mea in atria domini. Alijs atque alijs amatoriis iubilationibus ſuorum lætitiam cordium, quam de ſanctorum gloria contemplantes habere meruerunt, diuinis offerunt aſpectibus. In ipſo verò oblationis & laudis ſacrificio interdum raptimque mens in illud arcanum diuinæ viſionis rapitur lumen, raptìmque relinquitur ſibi: in quo omnipotentia, ſapientia, bonitas, æternitas in ſuo puro fonte deguſtatur raptu, prout creaturæ in carne adhuc paſsibili videre licet. Hæc eſt perfecta gloria ſanctorum per verbum & cum verbo regnantium: de qua fari non decet, quum polluta labia & carnalia corda geſtemus. Illi vtique animæ, quæ veræ ſpõſæ dignitatem ſortita eſt, talis ad loquendum congruit materia; quoniam huiuſmodi meruit viſionis gratiam: impudiciſsimum autem & verecundum eſt de talibus inexpertum velle loqui. Ideo digitum ſuperpono ori meo horum me inexpertum profitens vniuerſis. Non enim ſponſæ mihi vendico dignitatem. Vtinam vel in adoleſcentularum inueniar minimus. Hæc trifaria cognitionum & contemplationum genera ſui videlicet diuinæ charitatis in ſe, & conditoris in ipſo pro ſingulari à verbo ſpõſa ſuſcipiens munere, maximum ex his ſpiritualem conſequitur profectum: quamquam alia nonnulla admittit ſpiritualia à ſponſo munuſcula, de quibus fari opus non eſt. Satagit tamen & ipſa tanto largitori, ſuoque ſponſo non minus amoris, quàm muneris vices rependere; vnde pro ſingulo cognitionis dono ſpeciale exhibet verbo deuotionis, & virtutis holocauſtum tanquam de talento lucrum, de arbore fructum, & ſpiritualem de labore profectum.

De ficta veraque humilitate, atque de ipſius exercitatione, & perfectione. Cap. XX.

BOnitatis naturaliter proprium eſt ſe cõmunicare eo amplius, quo perfectior eſt: vnde ſumma bonitas Deus excellẽtiſsimè, perfectiſsimèq; ſe communicat filio; ita vt naturaliter nil habeat, quod illi non communicet. Fons nanque bonitatis Deus pater filium ſibi æqualem generat, cui ſuæ per omnia communicat plenitudinem maieſtatis. Eſt nanque Dei filius ſenſus, quo cuncta cognoſcuntur: ſapientia, qua cognita diſponuntur: virtus, qua diſpoſita perficiuntur: verbum, quo perfecta nunciantur: lumen, quo perfecta clareſcũt. Non autem accidentaliter quicquã in filio eſt: vel aliud eſt, quàm pater. Non dedit illi pater, vt eſſet ſapiens: ſed eſſet ſapientia: neque vt eſſet potens, ſed ipſa potentia: neq; bonus eſſet, ſed bonitas: unde ueriſsimum eſt, quod idem filius ait: Ego & pater unum ſumus: & quamuis Ioan. 10. Deus & homo eſſet, non tamen rapinam arbi- Phil. 2. tratus eſt ſe Deum fateri, quum dicit: Qui uidet Ioan. 14. me, uidet & patrẽ. Nam una perſona, vnus me- 1.Tim. 2. diator, vnus Chriſtus Ieſus Deus & homo eſt. Propter hanc enim perfectiſsimam unitatem naturarum & Deo tribuitur, quod homini, &

homini,

homini,quod Deo : unaquæque tamen natura in ſua manente proprietate. Nulli verò niſi filio dedit,quod eſt maius omnibus. Nam illi dedit eſſe,quod eſt:cæteris ex parte: ipſi autem totaliter:quoniam in ipſo habitat omnis plenitudo Col. 2. Col. 1. diuinitatis corporaliter,& per ipſum habemus redemptionem & remiſsionem peccatorum, qui eſt imago Dei inuiſibilis primogenitus omnis creaturæ : quia in ipſo condita ſunt vniuerſa in cœlis & in terra,uiſibilia & inuiſibilia, ſiue throni,ſiue dominationes,ſiue principatus, ſiue poteſtates:omnia in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes,nõ adoptione,ſed naturaliter, ſed Heb. 1. generatione filius, ſicut Propheta teſtatur, dicens: Filius meus es tu:ego hodie genui te. Nemini itaque diuinitatis nomen niſi filio arrogari poteſt. Cætera quidem cæteris communicauit: nulli autem diuinum unquam voluit uendicare honorem. Quotquot enim illum ſibi vſurpare moliti ſunt,perierunt. Quis quandoque hoc attentare auſus eſt,& impunè præteriit? Quis gloriam Dei ſibi temere appropriauit, & non ſtatim conſumptus eſt? Hanc ſemper omnipotẽs adamauit : ſuum ſibi ſemper reſeruauit honorem. Claṁat per Prophetam,& dicit: Esai. 45. Esai. 42. Viuo ego,quia mihi curuabitur omne genu. Et alius:Honorem meum alteri non dabo. Hunc ſibi Esai. 14. rapere Lucifer auſus eſt,& repentè à ſua corruit celſitudine : ideo ei Prophetæ voce per increpationem dicitur : Quomodo cecidiſti Lucifer,qui mane oriebaris. Angelos quoque cæteros,qui ſuum humiliter non ſeruauerunt principatum,ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in iudicium magni Dei vinculis æternis ſub caligine ſeruauit. Sed & ipſe Adam,qui manu cõditoris plaſmatus eſt,honore ſublimatus, cæteris prælatus creaturis,& in loco voluptatis atq; paradiſo deliciarum poſitus, quoniam noluit humiliter ſtare in ſe ab ea,in qua eminebat,mẽtis arce præcipitatus eſt. Nimis etenim Deo odibile eſt,vt homo inſoleſcat,& contra propriũ factorem calcaneum elationis leuet. Vt obliuiſcatur,quid eſt,& æquari velit ei, qui ſupra omnes eſt? Quid ſuperbis,ò homo? quid cinis inflaris & puluis? Nonne in valle lacrymarum,in hoc miſerabilis mundi exilio relegatus es,effectus ſocius & miniſter iumentorum,& ferarum cohabitator? Vbi bella ſæuiunt,terrores & tempeſtates conturbant : peſtilentiæ famẽſque creſcunt:clades flagella cruciãt:morbi,febres, innumeraque mala affligunt? Vbi nil ſtabile,nil purum,nil incõtaminatum inuenitur? Vbi nox diei ſuccedit, gaudio tribulatio, ſanitati infirmitas,proſperitati infœlicitas,& vitæ mors? Vbi cuncta incerta ſunt,vniuerſa dubia, & anxietatibus plena? Sed ſi hæc tibi videntur exigua,attende (oro) quid es. Vtique cadauer putridum, & eſca vermium. De viliſsima quidem ortus materia,conceptus in vulua, in fœtore luxuriæ, in concupiſcentia carnis, in damnatione mortis, in ſordibus iniquitatis,productus in lucem,moriturus poſt paululum, atque rediturus in fauillam. Quid te vilius? quid contemptibilius, quẽ fames,ſitis, laſsitudo,frigus,labor,calor, quies, peregrinatio,torpor atterunt? Quem diuitię extollunt,honores inflant, paupertas deiicit, ſucceſſus dementat,odia vrunt, liuores accendũt, libido inflammat, gula ſubigit,ira diſcerpit, & omnium vitiorum rabies ſupplantat? Quẽ ignorantia cæcat,dolor affligit,triſtitia deprimit,inepta lætitia ſurripit, ſpes vana occidit, timorq; ſeruilis interficit? Redi ad te,& vide, qualis ſis, qualis ortus,qualis ſtatus,qualis vita,qualis conditio, qualis tuus futurus ſit finis. Non enim hæc mediocriter ad humilitatem diſponunt. Præcedit nox diem, hyems æſtatem,flos fructũ & humiliatio humilitatem veram. Eſt quippe quædam humilitas ficta, quæ veræ omnino aduerſatur. Hac quicunque vtuntur, aliud in ore oſtentant,& aliud geſtant in corde. Hi etenim ſunt viri ſubdoli,malitia pleni, dolo aſtuti, miniſtri diaboli,iniquitatis magiſtri,ſemper praua meditantes:mendacia componentes:cauterizatam habentes cõſcientiam,hypocriſim ſub tegmine ſanctitatis tegentes: quorum perditio 1. Tim. 4. feſtinat,& confuſio propè eſt. Innocentum quidem animas ſubuertere nituntur:quæſtum pietatem putant:hominibus placere anhelant:honores,dignitates,& eccleſiaſtica omni cum ſtu Ioan. 10. dio quæritant beneficia. Et quoniam fures ſunt & latrones,non per ianuam,ſed per maceriam in ouile ingrediuntur. Nõ vt proſint,ſed vt præſint,& cunctis præferantur,& in clero dominẽtur,prælationes aſſequuntur. Huiuſmodi ſua ſola quærentes,marſupia implere conantes commodis propriis vacantes nil curant, ſi iaceat in vico peregrinus,ſi pauperes eſuriant,ſi refrigeſcant,ſi neceſsitate periclitẽtur ignorantes, aut ſcire nolentes, quòd ſunt patres, non domini: diſpenſatores,non raptores,atq; omnium pauperum eſt illa,quam ſibi appropriant, facultas. Proh dolor non erubeſcunt tales rapinas agere,reſeruare frumenta, & erga Christi pauperes miſericordiæ viſcera claudere. Meritò quippe nec illorum miſerebitur dominus. Auerterunt faciem ſuam à paupere,& Deus auertet ſe ab illis. Qua menſura menſi fuerunt, ipſis Matt. 4. similiter remetietur, & tanto peius, quanto perfectiores eſſe debuerunt. Iugulant ſubiectorum animas exemplis peſsimis : non aduertunt populorum perditionem:nec luporum ſæuientiũ in grege arcent rabiem : quin potius ipſi rapaces lupi ſunt, & cunctis beluis cruentiores. In portentum ſunt,in ſignum ſubditorũ,& in prouerbium in populo. Amant cathedras primas, Matt. 23. ſalutationes in foro, & vocari ab omnibus do-

mini :

mini: memoriæ non habentes, quòd vnus eſt dominus, qui in cœlis eſt, vnuſq; magiſter Chriſtus. Sed etſi intelligere vellent, quòd caro ſūt ſpiritus vadens & non rediens, vtique non ſe extollerent: imò plus cæteris ſe deiicerent ſcientes, quòd cui plus donatum eſt, amplius exigetur ab illo. Ab aliis ſui ipſorum expoſcetur ratio: à paſtoribus verò omnium ſubditorum fiet interrogatio. De manibus quidem illorum diſſipatarum ouium requiretur ſanguis: & niſi à vijs ſuis reſipuerint peſſimis, duplici morte punientur. Talis nanque eorum finis eſt, qui ſimulato incedentes corde fictam operientes humilitatem, veram ſe habere in oculis hominū mentiuntur, donec honoris cathedram conſequantur. Non enim diu latere poſſunt. Quum autem ſublimati ſunt, quales lupi ſint intus, oſtendunt foris. Nihil (teſte domino) opertum eſt, quod non reueletur: aut occultum, quod non ſciatur. In humilitate verò sācta nil fictionis eſt: nil fraudis: tota ſimplex, tota recta, tota ordinata & innocens, atque à peccatis aliena. Nam ſunt, qui nequiter humiliant ſe, peccatores ſe fatentur, & ſunt: accuſant ſcelera ſua, nec defendunt, virtutes laudant, bonorum vitam extollunt: quos tamen imitari nequaquam volunt: deteſtantur vitia, & ſequuntur: prauos improbant mores, nec ab ipſis reſipiſcunt: malorum obloctamēta vituperant, & quærunt, continentes ſine labore, humiles ſine irriſione, virtutib. ornatos abſque exercitatione ſe eſſe concupiſcunt. Horum enim humilitas perſtrepentium ſonitus foliorum ſimilis eſt, nullo ſolidata fundamento, nulliſque virtutibus roborata. Ideo tales donec cōpunguntur, donec deformitati intendunt propriæ, illis diſplicet, quod vident in ſe. Vellent quoque non perpetraſſe illa, de quibus erubeſcunt, grauiterque ingemiſcunt eſſe, quod ſunt. Mox verò compunctionis tranſacta hora obliuiſcuntur cuncta, quæ agere propoſuerant, & ſe offerente delicti materia tanquam nil boni vnquam cogitaſſent, obruuntur in facinus. Tales ſunt, de quibus ait Veritas, Qui ad tempus credunt, & in tentationes recedunt. Neque hi niſi conuertantur, manus effugient Domini. Remiſsius autem agetur cum illis, quàm cum primis, ſed etiam facilius conuertuntur. Eſt tamen tertium humilitatis genus prioribus diſsimile. Quidam nanque ſunt, qui nec fictè ſe humilitant, nec nequiter, ſed inuitè humiliantur, ſecum Domino diſponente iuſtè, quamuis occultè. Iſtiuſmodi quippe ſancti ſunt, innocenter viuunt, nulli oneroſi, nulli moleſti ſunt, qui bus poſſunt, proſunt, cunctiſque pro viribus ſolatia impendunt, amant ex corde, confitentur ex corde, ſicque vitam ſuam pudicè ducunt, ac ſi quotidie morituri, nihilominus ita opprimuntur aduerſis, tentationibus vruntur, interdum etiam infirmitatibus flagellantur, tanquā ſi omnium eſſent rei flagitiorum. Quouis fugiant: manum Domini ſuper ſe extentā ſentiunt, & quaſi de ipſorum pœnis videnť Dominum lætari. Percutiuntur & tenentur, virgam patiuntur impiorum, & iuſti ſunt, vt ſeductores à multis arbitrantur, & ſunt veraces, veluti inimici iudicantur, & ſunt chariſsimi. In ipſis quamuis nulla appareant dilectionis veſtigia, ſplendent tamen in oculis diuinæ ſapientiæ. Horum patientia in conſpectu ſummæ redolet maieſtatis. In eorum cordibus elationis non agnoſcitur indicium. Crebra enim flagella cunctum de eiſdem euacuauerunt tumorem. Iſtorum vocibus aiebat Propheta, Quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis. Humiliantur tales, ne extollantur in bonis, ne temporali affluentes proſperitate cœleſtem amittant gratiam. Ratò quidem contingit, vt quis ſublimetur exterius, & intus humilis perſeueret, vt manifeſtis decoretur donis, & apud ſe vilis maneat. Propterea miſericorditer (vt plurimum) irrogantur aduerſa diuinitus, vt ad ſui quiſque veniat agnitionem, quanquam ſunt nonnulli magni in virtutibus eruditi, atque in humilitatis bono amplius prouecti, in quibus huiuſmodi humiliationis non ſeruatur modus. Hi etenim exercitatione interiori cuſtodiuntur ab elationis vitio immunes. Cūctas, ſi quæ in ſe oriri ſenſerint, ſuperbiæ cogitationes, prudenter repercutiunt præ oculis ſemper habere ſtudentes maiorum geſta fortia, & ſanctorum patrū ſublimes perfectiones. Ipſorum vitam tanquā ſpeculum mundiſsimum tenent in memoria, ſuaque opera metiuntur ad eorum regulam, atque aliquos ſpirituales componunt in ſeipſis gradus, per quos cum aſcendunt, ad Dei conſpicuam attingunt notitiam, deſcendendo verò propriam, qualis ſit, agnoſcunt miſeriam. Vt enim æterna ſapientia vniuerſos ſibi famulantes ſub humilitatis diſciplina cuſtodiret, atque à propriæ æſtimationis veneno compeſceret, omnem tam militantium, quàm triumphantiū per ordines diſtinxit multitudinem, quatenus ſinguli aſpicientes ſuperiores ſe non intumeſcerent de ijs, quos eſſe vident ſub ſe, quanquā cuncti quemque Deo gratiorem ſe deberent arbitrari. Quoniam verò humana elatio cum labore vix de ſe valet iudicare, quod eſt, aſcenſiones in corde diſponendæ ſunt, vt ad ſcalę humilitatis pertingatur celſitudinem. Facilè quiſque extollitur, qui ſeculo, & ſecularibus abrenunciauit negocijs, quum in ſui comparatione eorum, qui in turbinum medio conuerſantur, attendit vitam. Attollat autem parumper mentis oculos ad confeſſorum cōuerſationem ſanctorum, diligenterque illorum grauitatem, probitatem morum, profluuia lacrymarum, orationum

Pſal. 77.

Luc. 12.

Luc. 8.

Pſal. 43.

num prolixitatem, vigiliarum longitudinem, vitæ auſtetitatem, parcitatem victus, veſtiũ nuditatem, vaſtitatem ſolitudinum, carnisque crucifixionem, & tunc ſuam nec ſaltem memoria dignam intelliget conuerſationem. Super hos verò patrum venerabilium, & ſacer doctorum ordo poſitus eſt. Hi etenim mente ſuſpenſi, ſapientia illuſtrati, ſcientia præditi, prædicatione inſignes, ſanctitate præcipui, contemplatione ebrij, animarum zelatores mundum purgauerunt erroribus, ſententiis firmauerunt, ſuaque doctrina eccleſiam ornauerunt, atque ſalutaribus monitis vniuerſos imbuentes, qualiter viuere, qualiter mores componere, nec non qualiter Deum, proximumque debeant diligere, docuerunt. Quos tamen præcellere, quamuis ſanctiſsimos, quamuis Deo chariſsimos, glorioſos martyres dubium non eſt, dicẽte Domino: Maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animã ſuam ponat quis pro amicis ſuis.

Ioan. 15.

Iſti quidem athletæ illuſtriſsimi tanta ferbuerunt charitate Dei, vt pro ipſius amore, atque fidei zelo carceres, exilia, vincula, verbera, flagra, ferrum, ignem, omniumque tormentorum genera non pauerent, quin potius in eiſdem alacres, feſtiui conſtantesque extiterunt, tanquam ſi opulentiſsimis recrearentur dapibus. Inſuper ipſam cunctis formidandam mortem omni cum iucũditate perpeſsi ſunt. Veruntamen iſti triumphatores & bellatores egregij nequaquam ſanctis Apoſtolis æquiparandi ſunt. Nam cunctos excedit dignitate & gloria Apoſtolorum gradus. Ipſi amici Dei appellati ſunt, ipſi in carne verbum, in humanitate ſapientiam videre meruerunt, ſecum loqui, ſecum conuerſari, manduca re, bibere, peregrinari, in ſuis tentationib. permanere, miracula, mores, virtutesque aſpicere. Ipſi eccleſiæ fundamenta iacere, ſanguine fidẽ approbare, mundum verbo ſubigere, dæmonia fugare, illuminare cæcos, leproſos mũdare, infirmos variis detentos languoribus ſanare, ſalutis verba prædicare, errantes corrigere, docere inſcios, & infidelitatis morbo laborantes ad fidei gremium (gratia ſecum operante) ducere potuerunt. Hi nempe cæteris fulgentiores ſunt in regno cęlorum & in eccleſia Chriſti. Nulli fas eſt ſua æquare merita Apoſtolis, quorum vita, prædicatio & mors tanquam lucidiſsimæ ſtellæ in eccleſiæ firmamento nitẽt atq; corruſcant, quoniam æterno iuſtitiæ Soli aliis propinquiores, & dilectione chariores in ſeipſis ab illo micantis lucis ſuſcipiunt radios. Quamuis verò tales ſint, & vniuerſos tranſcendant ſanctitate, poſſunt ne ipſi gloriari tanquam omnibus ſanctiores? Nunquid hi ſine humilitatis ſunt ſpeculo, & abſque gradu prioritatis? Habent & iſti, ſi verbi ſermonis meminerint, ſi mẽtis oculos ſupra ſe erexerint, vnde humilientur.

De Ioanne ait Veritas, Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta, ſed qui minor eſt in regno cœlorum, maior eſt illo. Mat. 11.

Non eſt omnino puritas & amoris ſynceritas cuiuſcunque viatoris, quamuis ſanctitate inſignis, comparanda minimo angelorum cum Chriſto regnantium, vel cuiuis inferiori ſanctorum. In hac nemo diſſentit ſententia. Quis autem valet angelorum innumerabilem cõputare exercitum? Quis beatorum edicere poteſt multitudinem, quorum ſinguli peregrinantium excedunt perfectionem? Et tamen in ipſis diſtinctiones ſunt. Angelus quidem vnus alio excellentior. Nam etſi in natura, & in confirmatione, in immortalitate, in indiſſolubilitate, in ſimplicitate, in inuiſibilitate ſint ſimiles, in bonis tamen gratiæ & gloriæ diſsimiles ſunt, vnde nõ loco, ſed dignitate inuicem ſuperiores exiſtũt. In ordinibus quoque maioritas, minoritasque diſpoſita eſt, quatenus gratia diſcernatur, & gloria. Nam archangelorum ſublimior eſt gloria, quàm angelorum, virtutum quàm archangelorum, poteſtatum quàm virtutum, principatuum quàm poteſtatum, dominationum quàm principatuum, thronorum quàm dominationum, cherubim quàm thronorum, ſeraphim quàm cherubim, ſicque ab infimo angelorum ordine vſque ad ſupremum ſeraphim quanta ſit nobilitatis diſtantia, nemo capere ſufficit. Habet nihilominus, qui ſummus eſt ſeraphim, ſe dignitate ſuperiorem. Nulli hæc prærogatiua tribuitur, niſi beatæ Virgini, de qua confidẽter vniuerſa canit eccleſia. Exaltata eſt ſancta Dei genitrix ſuper choros angelorum ad cœleſtia regna. Ipſa quoque habet, quem miretur ſupra ſe, illum vtique, qui ob diuinitatis gloriam in Patris dextera reſidet glorioſus. Ipſius enim in Canticis Canticorum vox eſt beatæ Virginis propter huiuſmodi graduum diſcretionem. Cant. 1.

Nolite (inquit) me conſiderare, quòd fuſca ſim, quia decolorauit me Sol. 1. Cor. 11.

In quantum autẽ homo Chriſtus Deum habet ſupra ſe, dicente Apoſtolo, Caput Chriſti Deus. Deus verò eſt, qui eſt ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus, ipſe à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, qui eſt Deus benedictus in ſecula. Huiuſmodi enim ſunt gradus & aſcenſiones, quas diſponunt humiles in cordibus ſuis in hac lacrymarum valle. Iſta nempe eſt ſcala, quam Iacob ſanctus in ſomnis vidit, cuius ſummitas cęlos tangebat, angelosque in ea aſcendentes & deſcendentes, ſuper quam filius hominis innixus manet. Gen. 28.

Super hos frequenter ſponſa contemplando aſcendit gradus, tum vt in humilitate ſolidetur, tum vt verbi delectabiliter aſpiciat munificentiſsimam bonitatem. Ipſius ſuper omnes incomparabilem gloriam, atque in ordinatione ſingulorum eiuſdem ineffabilem ſapientiam,

tiam,

tiam, in qua non mediocres ſpirituales capiat delicias. Habet tamen aliquos ipſa ſponſa deſcenſionis gradus penes ſe recōditos, per quos eò amplius aſcendit, quò purius deſcendit. Rediens quippe ad ſe, ſecumq; humiliter ſedens vniuerſa, quæ ab ineunte conceptionis ætate dona naturæ (ſcilicet) fortunæ & gratiæ tacita conſideratione pertractat, atque vnde tam multa, tam diuerſa, tamque continua ſuſceperit gratuita munera, mirari non deſinit. Non autem aliunde ipſa, quam ab ineffabili æternę bonitatis fonte recepiſſe vera definitione fatetur. Nō

Iac. 1. enim dubium eſt, quin omne datum optimum, omne donum perfectum deſurſum eſt à patre deſcendens luminum. Quare quicquid habet boni, ſi quid egit commendatione dignum, diuinæ totum aſcribit clementiæ. Econtrario delicta iuuentutis, & cuncta, quæ perpetrauit peccata corde, ore, opere, omiſsione, conſenſuq;, quæ quidem penitus innumerabilia ſunt, humili meditatur cogitatione, lacrymoſoque ſuſpirio. Quid meruerit, quòd nō ſatisfecerit, quidve de manu admiſerit Domini intelligens, incomprehenſibilium ſe videt obrutam multitudine beneficiorum, veniaq; delictorum, dum pro pœna gratiam, pro damnatione veniam ſe percepiſſe cognoſcit. In hac quidem meditatione, omnium bonorum decore prorſus ſe intuetur exutam, & pro innumeris criminibus confitetur ſe ſatisfactioni obligatam. Non habet vnde eleuetur in bonis non ſuis, inuenit tamen vnde humilietur de peccatis ſuis. Humiliatur pro ſe, & gloriatur in Domino. Deſcendit prę terea cogitatione non corpore ad inueſtigandum, cuiuſmodi ſit. Carnis quidem originem corporis elegantiam, membrorum formam, iſtorumque proportiones conſiderat. Viliſsimā, exiguam, horrendamq; materiam ſe ſuſcepiſſe à patre, locum, carceremque conceptionis, in qua nouem menſium nutriretur ſpatio, agnoſcit recepiſſe non ſine Dei diſpenſatione à matre, ſexum verò, formam, vitam, augmentum, & vniuerſa, quę ad corporis ſpectant naturam, non niſi à Deo recognoſcit, dicente Apoſto-

1. Cor. 6. lo, Neſcitis, quia corpora veſtra templum ſunt

Ibid. Spiritusſancti? Alibi quoque ait, Non enim eſtis veſtri. Vnde ſicut bona, quæ egit, & dona quæ habet eſſe à Deo, ita etiā corpus opus Dei eſſe abſque ambiguitate definit. Conuertit etiā ſuæ conſiderationis intentionem ad rationalē in ſe exiſtentem ſpiritū, in quo opere non progenitores, non angelos, non vllam deniq; creaturam, ſed ſolum Deum agnoſcit autorē. Qui eundem ſpiritum non de elementis, aut de quauis format materia elementata, ſed potius de nihilo, non ante corpus, ſed creando infundit, & infundendo creat, ita vt vno fiat in tempore & momento creatio & infuſio. Ex hoc euidētiſsimè colligit ipſum opus eſſe Dei, nec non ad ipſius factum imaginem, ſicut ſacra de creatione hominis teſtatur hiſtoria, quum dicit, Facia- Gen. 1.

mus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Addit quoque beneficio huic & aliud quod (videlicet) Chriſti Ieſu precioſiſsimo redemptus eſt ſanguine: Addit & tertium, quia liberatus eſt à miſerabili dæmonum ſeruitute, vnde ſe intelligit non pertinere ad ſe, neque ſuam eſſe, ſed eius, cuius virtute eſt condita, redempta ſanguine & munere liberata. Glorianter; & maximo cum gaudio intuetur ſe non eſſe ſuā ſed illius, quem diligit, concupiſcit quoque inhianter, ſicut ſua non eſt, ſic nec habitare in ſe, ſed in ipſo, cuius eſt. Nemo valet intellectu ſolo capere, in hac ſuæ conſideratione nihilitatis quanto ſponſa exultat tripudio, quanta de ſalute propria repletur ſpe, imò certitudine fœcundatur, charitate accenditur, amore erigitur, laudibus inebriatur. Videt ſe nil pertinere ad ſe ſecundum vtrunque hominem. Hinc munditiæ nutritur amor, animi magnanimitas, virtutum deſideria, pugnandi vigor, victorię fiducia, pacis abundantia, & ad ſponſum ſuauiſsimus amplexus. O beata vnio ſponſi & ſponſæ, verbi & animæ? quantæ in te ſunt deliciæ? quanta dilectionis indicia? amoris prærogatiuæ, & ſanctæ immortalitatis præſagia? Aſcendit etenim ſponſa vſque ad verbi ſolium à ſe, & amore tangitur admiratione rapitur, & diuinæ cognitionis illuſtratur lumine. Deſcendit à ſe in nihilum, & reperit ſe in eo, quem pio veneratur corde, & ardentiſsimo amplexatur affectu. In hoc itaq; lumine ſapientiæ & nihilitatis propriæ, perfectæ habitus perficitur humilitatis, quæ eſt certa diuinæ eſſentiæ, ſuæque non exiſtentię notitia. Eo namq; mens humilior eſt, quo in hoc ſapientię radio exercitatior eſt. Hunc, quę ſponſa eſt, habitum induens, ex intuitu, ex amore, ex zelo verbi non poteſt extolli. Quotquot elationis Eph. 5.

excitantur in corde motus, tot proprię ęſtimationis cogitatus, repercutiuntur à lumine inhabitante. Nam hunc aperuit ſenſum Apoſtolus, quum diceret, Omne quod arguitur, à lumine manifeſtatur. Per hunc quidem habitum cognitionis & amoris humilitas in ſponſę anima nutritur. Omnem altitudinem abhorret, dignitates fugit, latere appetit, apparere refugit, deiici concupiſcit, neminem odit, vilipendit ſe foris, intus nihil pendit, pro voto ſubiicitur cūctis, quauis non in actu perficiat, facilè compungitur, difficulter paſsionibus euertitur, contumeliis non irritatur, nec à vitiis ſubiugatur, veluti chariſsima viſitatur à ſponſo, interno clareſcit lumine, exultatione perfunditur, ſecuritate dulcoratur, cōtemptibilis apparere ſatagit, & exaltatur, latere vult, & ponitur ad publicū, quia nō Mat. 5.

accenditur lucerna, vt ſub modio ponatur, ſed

ſuper

ſuper candelabrum, vt multis luceat, fauores horret, & cunctis commendabilis videtur, renititur in ſe, & obedit verbo, ſeruatque ſemper in affectu humilitatem, quamuis foras non iudicetur ſic. Huiuſmodi etenim ſunt ſanctæ, perfectæque humilitatis exercitia. Hæc ſunt ſponſæ ſpiritualia ſtudia, per quæ acceptiſsimum Deo offert indeſinenter humilitatis holocauſtum. Pro munere quidem propriç cognitionis ſuſcepto humilitatis & ipſa exhibet ſacrificium, tanto verbo ſuauius redolens, quanto charitatis ignis ardentius illam concremauerit.

De perfectione charitatis Dei & proximi, nec non de reformatione imaginis Dei in homine. *Cap. XXI.*

INter cætera, quæ militantib. Deo conſueuerunt aduerſari, ignorantia eſt, quæ multiplex eſſe cognoſcitur. Eſt autem ignorãtia damnabilis & confuſione digna. Quum homo voluptatibus deditus, & peccatorum illecebris inuolutus à propria non vult reſipiſcere delinquendi conſuetudine, omnem abhorret correptionem, monita ſalutis non audit, bonorum declinat conſortia, ſi quem ſuis peruerſis moribus viderit contrarium, deridet & ſpernit, vnde de ipſo veraciter diuinus ſermo teſtatur, Prou. 18. dicens, Impius quum venerit in profundũ malorum, cõtemnit. Habet quidem rationẽ intus clamantem cõtra ſe, habet ſynderesim murmurantem, habet conſcientiam, quamuis præoccupatam & obcçcatã, habet gratiam cordis pulsãtem oſtium, habet eloquia ſancta, quæ illi ad bonum ſuadent. Sed vniuerſa hæc obſeratis ſenſibus audire diſsimulat, nec iuxta Prophetç vocẽ intelligere vult, vt bene agat. Hoc etenim ignorantiæ genus peſsimum eſt, & diuinæ contraria- Pſal. 35. tur bonitati. Malitia nanq; huiuſmodi cor poſsidet, & omne rectũ extinguit æquitatis iudiciũ, nec prius illud deſerit, quã a vita deficiat. Alia quoq; ignorãtia eſt, & ipſa damnabilis, ſed magis corrigibilis, quum quis ex carẽtia diuini timoris, ex defectione deſiderij ſalutis propriç negligit ſcire, quç Deus prçcipit. Hçc quippe craſſa ignorãtia ex cordis oritur inſenſibilitate, ex peſsima nutritur cõſuetudine, & ex delectatione cõſummatur peccati. Tali poſſeſſus ignorãtia excuſabilem eſſe ſe putat, & diuinũ arbitratur poſſe euadere iudiciũ, quia perficere deſiit, quod neſciuit. Sed nõ ſicut hõ, ita videt Deus. Longè quidẽ ab humanis optimis diſtat ſenſus. Nemo prorſus cõdemnationem fugiet, qui negligenter omiſit ſcire, quod omnino ſciendum 1. Cor. 14. eſt, dicente Apoſtolo, Ignorãs ignorabitur. Eſt & alia ignorantia inutilis, ſed excuſabilis. Quis nõ excuſet ſimplicem, bonũ, pudicũ, & idiotã? Legis enim ignorat talis ſanctiones, mãdatorũ Dei perſpicuam non habet notitiam, neq; ſtatuta eccleſiç noſcit, pro poſſe cuſtodit, quod intelligit, nil prætermittit eorũ, quç ſcit. Habet quippe in affectu virtutes, licet propter ignorantiã ipſas actu non perficiat. Scire appetit, addiſcere laborat, pati non recuſat, & tamen nũquam ad profectũ attingit, quia naturalis caret acumine ingenij, nec aliud valet erogare, quàm quod accepit, talẽtũ. Iſta etenim ignotãtia hominũ opinione reprobatur, ſed plerũq; diuinis fulget aſpectibus. Non habet in ſe tumorẽ ſuperbiç, nõ iudicia proximorum, non verborum phaleras, non adulationis venenum, non propriç faſtum excellentiç. Manet humilis apud ſe proprio cõtenta ſtatu, nõ concupiſcit ambulare in magnis Pſal. 130. neq; in mirabilibus ſuper ſe. Tantum ab immanitate ſcelerum exiſtit libera, quantũ ab humana fallacia perſeuerat immunis. Nõ habẽs aſtutiã deceptionis diuina protegitur bonitate, perſequutionem malorum patiens verbi gubernatione defenditur, dicente propheta. Conſide- Pſal. 36. rat peccator iuſtum, & quærit mortificare eũ, Dominus autem derelinquet eum in manibus ſuis, nec damnabit eum, cum iudicabitur illi. Bona ſimplicitas ignara, quæ Deum ſuum habet protectorem, quæ ſuæ innocentiæ ſeruat cuſtodiam, quç non çmulatur malignantes, ne- Pſal. 36. que zelatur facientes iniquitatem. Multo quippe amplius Deo placet humilium ſimplicitas, quàm peritorum tumor, ideo æternæ ſapiẽtiæ non diſplicet inutilis ſimplicitas, dum non ex vitio, ſed ex natura prouenit. Inuenitur & alia ignorantia diſpenſatiua & valde proficua, quæ in electis & charis interdum dominatur fidelibus. Ab hac nemo immunis, quãuis ſanctus & purgatus. Hanc ſe habere propheta perhibuit, cum Dominum deprecabatur, dicẽs, Doce me Pſal. 142. facere voluntatem tuam. Et iterum, Intellectũ Pſal. 118. da mihi, & viuam. In Sapientiæ quoq; libro ſic Sap. 9. ſcriptum eſt, Et ſi quis erit conſummatus inter filios hominum, ſi affuerit ab illo ſapientia tua, in nihilum computabitur. Proinde aiebat Sapiens, Mitte ſapientiam de cœlis ſanctis tuis, & Ibidem. à ſede magnitudinis tuæ, vt mecum ſit, & mecũ laboret, vt ſciam quid acceptum ſit coram te omni tempore. Scit enim illa omnia, & intelligit, & deducet me in operib. meis ſobriè, & cuſtodiet me in ſua potẽtia, & accepta erunt opera mea. Huiuſmodi etenim diſpenſatiua neſciẽtia humanum humiliat intellectum, laudabilia protegit acta, inſoleſcere non permittit, quum eorum corda, qui proficiendi in virtutibus accenſi ſunt zelo, replet dubietate. Dubietas quidem ignorantiæ filia eſt, & humiliationis pediſſequa. Dubitare permiſit Dominus quandoque diſcipulos, vt eoſdem erudiret. Et quis eſt, qui ſæpe non dubitet, quid velit Deus, quid proſit ſibi, quibusve ſpiritualibus honoret muneribus conditorem? Iſta nempe dubia neſcientia amantes affligere conſueuit, præcipuè quum diuerſa patrum venerabilium laudabilia

exercitia ſe illorum mentibus offerunt, quibus Deo placuerunt, atque quale eorum acceptabiliſsime ſummę redoleat maieſtati, ignorãt. Quò enim amor ardentior eſt, eò ſolicitior exiſtit, quomodo Deũ amplius valeat honorare. Sunt quidem pleraque exercitia, quæ diuinæ bonitati ſuauem ſpargunt ſanctitatis odorem, ſed offerentium animos perplexitate complent, dũ illorum cogitationibus nunc iſta, nunc illa importunè certatimque ſe ingerunt, quaſi ſingula expoſcerent debere præ cæteris eligi. Inter hęc opponit ſe proximorum compaſsio, tanquam ea nil melius. Quantum munus hoc Deo acceptum ſit, quod ipſius opere peregrinorum, egenorum, infirmorum, pupillorum, viduarumque ſubleuentur inopiæ, quod de hoc ſolum in iudicio fiet diſceptatio, & quàm innumeri extiterint, qui placuerunt Deo propter iſtud, ac etiam angelos hoſpitio ſuſceperunt, perſuadere conatur. Commendabilis quidem eſt proximorum charitas, & grata verbo, de qua teſtimonium perhibet, dicens, Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Mat. 25. Eſt autem occupatio exteriorum opus laude dignum, ſi prudenter, ſi modeſtè, ſi pacificè, ſi ſuo tempore perficiatur. Per ipſam nanque plurimi præſentis vitæ pericula declinantes, exilij huius tædiũ tranſeuntes patienter, mentem quoque ab obſcœnis cogitationibus, & corpus à noxiis vagationibus cõpeſcentes Domino tempus ſuum & opera laudabiliter obtulerunt. Fuerunt etiã nonnulli, qui arctioris vitæ propoſitum arripientes corpus ſuum afflixerunt multis ieiuniis, vigiliis prolixioribus, fame, ſiti, frigore, nuditate, in nullo penè ſibi parcentes, vt à vitiis domitam poſsiderent carnẽ. Nil autem dubiũ eſt, quin tales Deo gratum exhibuerunt ſacrificium, dum non ſua, ſed ſeipſos fecerunt holocauſtum. Rom. 12. Non enim ocioſè exhortantem Apoſtolum audierunt, & dicentem, Exhibete corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem. Multi præterea extiterunt, qui proprio renunciantes arbitrio pro amore verbi aliorum ſe ſubdiderunt imperio, hoc ſuum arbitrantes eſſe quæſtum & ſuam libertatem aliis donantes, vt liberis greſsibus imitarentur Dei filium, qui vſque ad mortem crucis obediens factus eſt. Phil. 2. Quidam inſuper fuerunt, qui neglecto hominũ conſortio & ſpretis ſeculi huius cũctis illecebris vaſtas elegerunt habitare ſolitudines, nunc operi manuũ, nunc lectioni, nunc orationi vacantes, quatenus immaculato corde & innocenter præſentis vitæ iter peragrare valerent. Huiuſmodi etenim ſunt ſeruorũ Chriſti ſtudia, per quæ vniuerſorũ regi iugè offerũt ſacrificiũ, & ęternę ſapientię cõtinuũ exoluunt famulatũ. In his autẽ ſponſa ſe occupat cõgruis locis, negociis, & tẽporibus. Non enim ſemper intendit proximo, aut exterioribus actionibus, nõ ſemper corpus atterit, vel proprię renũciat voluntati, ſiue hominum ſocietatem fugit, ſed cuncta hæc matura diſponit ordinatione, quãuis ipſa veluti perfecta, & in ſingulis erudita à verbo penès ſe repoſitum ſpirituale teneat talentum, quod ſuo immortali offert ſponſo. Nõ autem talentum hoc corporalibus compoſitũ eſt inſtitutis, ſed ſicut ſpirituale eſt, ita ſpiritualib. conſtat exercitiis. Talentum ipſius rationalem dixerim eius mentem, quæ digniſsimũ munus eſt verbo, ſi tamen ſit aureum, debitũ habeat pondus, & verbi geſtet imaginem. Meritò quidem non plumbeum, non æreum, non argẽteum, ſed aureum oportet eſſe talentum. Sunt nanq; quædam metalla, quæ ſpeciem quãdam oſtendunt auri, & aurum nõ ſunt. Eſt etiam aurum, quod auri naturam habet, perfectionẽ nõ habet, ideoq; verbo condignum munus nõ eſt. Charitas verò, quid aliud, quam aurũ optimũ eſt? Excedit metalla omnia aurum, & charitas virtutes vniuerſas. Ad cordis ægritudines valet aurum, & contra peccata plurimum proficit charitas, dicente Petro, Charitas operit multitudinem peccatorum. 1. Pet. 4. Aurum commune eſt & materia, per quam temporalia omnia acquiruntur, nec minus charitas ad virtutum ſufficit lucra, imò vniuerſas in ſe cõnectit virtutes, vnde Apoſtolus ait, Charitas patiẽs eſt, benigna eſt, 1. Cor. 13. non æmulatur, non agit perperam, non eſt ambitioſa, non quærit quæ ſua ſunt. Ductile eſt aurũ, & charitas omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Aurũ non putreſcit, ſed conſeruatur per curricula annorum multa, ſed charitate quid durabilius? Siue prophetiæ euacuabuntur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia deſtruetur, charitas nunquam excidit. Aurũ deniq; expedit, vt ſit fulgidum, & examinatũ, ſicut in Apocalypſi dicitur, Suadeo tibi emere à me aurum igniũ probatũ, vt locuples fias, Apoc. 3. charitas quoque niſi ignita ſit & probata, ſua caret perfectione. Habeat vtiq; neceſſe eſt, & intus ignem diuini amoris, & ardorem fraternæ dilectionis, nec ſufficit, vt diligat Deum ſine proximo, aut amet proximum ſine Deo. Deut. 6. Vtiq; ſibi cohærent, neq; abinuicem diſiungendi ſunt. Magnum mandatum & primum eſſe veritas dixit, Diligere Dominum Deum ex toto corde, ex tota mente, & ex omnibus viribus, & addidit. Luc. 10. Secundum verò ſimile huic, diliges proximum tuum ſicut teipſum, in his duobus tota lex pendet, & prophetæ. Dei nanq; dilectio exhiberi debet de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta, alioquin non fulgebit, ſed in conſpectu diuinæ ſordeſcet ſapientiæ. Non. n. placet Deo duplicitas & ſimulatio, nõ malitia & peruerſitas, non dolus & hypocriſis. Sanctus eſt, purus eſt, ſicque mentis debet diligi puritate, & ſanctitate ſyncera. Non ſegniter, non elatè, non obliquè amandus eſt Deus, ſed alacriter,

ſed ſpontè, ſed rectè, non ex timore, non ex vtilitate, non ex conſuetudine, imò potius ex mera, & ſimpliciſsima charitate, non ex præmio, ſed propter ſeipſum, quia digniſsimus eſt. Renouatio quoque ſpiritus & transformatio dilectionis procul abijciat amandi conſuetudinem, proximi verò dilectio oportet, vt nō ſit naturalis, non ſit propria, nō ſit remiſſa, nec ſit polluta. Naturalis etenim dilectio propinquos, parentes, amicos plus cęteris diligit, ſecernit propinquitatem, & carnali reflectitur cō paſsione. Propria autem non ad dilecti commoda, non ad æquitatis iudiciū reſpicit, ſed ad vtilitatem propriam, & ad priuatam mercedem. Remiſſa verò tardat implere promiſſa, & potius importunitate, vel pudore, aut conſcientiæ ſtimulis, quàm charitate mouetur. Polluta nempe voluptuoſo diligit affectu, concupiſcentia cæcatur, libidine vrgetur, & temporali amore agitatur, præſentia ſola aſpicit nil de futuris proſpectans. Sed non ſic verbi adimpletur præceptū. Nam talis eſt amor proximi, quàm pro amore impenditur ſapientiæ. Diligit nanque propinquos & extraneos, amicos inimicosque latiſſimo fouet ſinu charitatis, eoque plùs quoſque diligit, quò virtuoſiores eſſe cognoſcit, non affinitatem diſcernit, ſed dona & merita, quod amato proſit, diligenter conſiderat, quod placeat in bonum; aliorumq; lucra, nō ſua, quęrit, nec operari procraſtinat, quod vtile iudicat, nec differt præſtare cōmoda, aut implere promiſſa, ſed tota expedita, tota beneuola, tota grata, liberalis & humana. Tribuit cum ſimplicitate, dolet ex compaſsione, conſulit ſine fraude, hilariter obſequitur, propria facit communia, lucrari ſe putat, quū quod habet, erogat, quia non homini, ſed Deo, non carni, ſed verbo præſtare exiſtimat. Ideo non in terra theſaurizat, ſed in cęlo, non temporalem, ſed æternam cōſequi exoptat mercedem. Amat caſtè, amat in verbo, & propter verbum, propterea omnem ſaniem carnis, cunctumq; fętorem à ſe abdicat voluptatis. Pro obſcœna atq; illecebra breuiſsima indignum arbitratur, æternam, perpetuoq; manentem commutare iucunditatem. Magis inuiſibilia, quam viſibilia appetit, mortem pro animarum ſalute pati non veretur, & vſq; ad vitæ terminum Deo placens non frigeſcit in proximo. Talis itaq; eſt perfectę charitatis ignis ad Deū, & feruor ad proximum. Veruntamen tunc plenam meretur laudem, quum probata non deficit. Probatur aurum in ignis fornace, probatur & charitas in incendio tribulationis. Non eſt perfecta charitas, quæ non examinatur, aut probata deficit. Paſsionis quidem tempore diſcipuli Domini defecere. Nec in proſperis agnoſcitur amicus, nec in aduerſis latet inimicus. Vera autem charitas in vtriſq; ſtabilis perſeuerat. Quamuis enim verbo Dei cūcta ſint nota, probare tamen non ceſſat, quos ſuo dignos facit amore. Non vt ipſe ſciat, ſed vt aliis innoteſcat, agit iſta; atq; vt quod eſt virtutis, & vtilitatis latens, ad ædificationem manifeſtetur. Per interiora recta & ſancta magnificatur Deus, per exteriora verò laudabilia, quanquam honoratur Deus, ad bonum tamen excitatur proximus. Ideo charitas, quum ignita eſt, in cōſpectu fulget ſapientiæ, & quum probata eſt, in facie ſplēdet eccleſiæ. Ardebāt intus martyres ſancti charitate, ſed probati foris per tormenta redolebāt miram virtutum ſuauitatem. Ignorabatur, vtrū Deum diligerent propter Deū, an propter ſeipſos, in pęnis autem examinati rectam ad Deum propter Deum perhibuerūt ſe habere dilectionem. Non vt ſerui, non tanquam mercenarij, ſed vt filij, vt legitimi amici Dominum amauerunt. Nam probatus amor aperit amoris ſynceritatem, & amantis intentionem. Seruus in flagellis eruditus deficit, mercenarius ī pęnis probatus non ſubſiſtit. Charitas autem perfecta vndiq; munita eſt, vbiq; ſecura, & in omnib. perſeuerans. In Canticorum quidem canticis ignitę, (Cant. 8.) probatæq; charitatis excellentia commēdatur, cum dicitur, Fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio, lampades eius lāpades ignis atq; flammarum, aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Ardet itaq; charitate Dei mens ſponſæ, feruet proximi dilectione, probata nō deficit tribulatione, non autem minus pōderoſa ac matura eſt in interiori exercitatione. Cogitationes quidem ſuas ne erroris ſeducatur tenebris, ne ignorantiæ caligine in- (Pſal. 90.) uoluatur, rationis maturitate diiudicat, maximè ne offendat in lapide pedem ſuum, atq; irre- (2. Cor. 11.) tiatur ab incurſu & dæmonio meridiano. Frequenter nanq; ipſe diabolus transfigurat ſe in angelum lucis, vt decipiat ſine prudentia gradientes. Affectiones quoque non minus examinat. Conſueuerunt quippe latenter, paulatimq; pollui, niſi purgato mentis oculo intelligantur ipſæ animæ affectiones. Eò etenim diligentius perſcrutandæ ſunt, quò clarius videntur imaginem gerere charitatis. Nam inimicus manifeſtus facilè declinatur, qui autem inſidias meditatur, quis euadet hoſtem? Seductoria nanque affectio in iis, qui Deo militant, & æterni regis geſtant inſignia, ſemper charitatis veſtitur tegmine. Non. n. qualis ſit, in primordio amicitiarum ſe pandit, ſenſim aūt & per incrementa cordis arcem rapit, vtilia ſuadet, ſpiritualia ſimulat, interdū ocioſa & blanda imiſcet colloquia, ſicq; alternat nūc ſpūalia, nunc carnalia, vt vix à pauciſsimis agnoſcatur. Tādem affectio ignota ſic creſcit, vt exterminata de corde columba illic coruus nidificare incipiat. Quę autē inde ſequātur, ſilentio prætereundum eſt. Non igitur im-

prudenter, vel ſine cauſa ſponſa mentis ſuę cu rioſe perquirit latebras, vt quid in cogitatione, quid in affectione verſetur, intelligat, ne pro veritate falſitatem admittat, aut ſub prætextu charitatis affectū teneat ſenſualitatis. Optimo quippe hoc agit ſapientiæ conſilio & matura conſideratione. Fundamētum enim totius exterioris hominis mentis eſt qualitas. Nō aliter foris cōuerſatur homo, quàm intus maneat. Nam ſi circunſpecta ſit mens apud ſe, cuncta exteriora ordinatè diſponit, ſi verò lubrica & abſque rationis iudicio ſola præceps ducatur voluntate, latere nō valet. Negocia nanq; exteriora, & ſermo incōpoſitus improuidæ animæ teſtimonia ſunt. Proinde ſponſa verbo placere concupiſcēs omnem ſuæ mentis ſtatū ſapientiæ regulis cōponit & ordinat. Hinc eſt, quòd ipſius verba prudentiam ſapiūt, & ratione fundata ſunt. Nil ex eius ore murmurationis, nil fraudis, nil elationis egreditur. Pauca, proficua, ſaleque condita ſunt illius eloquia, ita vt penè irreprehenſibilia ſint, opera quoque eius lance æquitatis & conſiderationis virtutis ſunt facta. Singularitatis notam fugit, præcipitationem deuitat, mores incompoſitos non ſequitur, & ſic cōuerſari ſatagit, vt nemini noceat, nulli onerosa, nullique odioſa ſit, vnde ſit, vt vniuerſis amabilis reddatur, omnibus chara, & cūctis beneuola, atq; ipſius vita ſingulis proponatur ad imitationis exemplum. Iſta nanq; ſpiritualia operatur exercitia, non vt propriam adipiſcatur gloriā, aut humanos captet fauores, ſed pro honore Dei, pro amore ſponſi, & pro ædificatione proximi. Non enim poteſt eſſe ingrata eius, quam ſibi impendi nouit, dilectionis. Proinde tam ardenter, prudēterq; Dei in ſe ſedula eſt cuſtodire imaginem. Agnoſcit quidē rationalē ſe eſſe, & per hoc verbi gerere ſimilitudinem, ſedē eſſe ſapientię, & veritatis illuſtrari lumine. Intelligit quoq; ſe immortalem conditā, vt eſt Deus, & corpus ſuū viuificare, vt facit Deus, quāuis Deus ſit vita viuēs in ſe, per ſe viuificans omnia, beata de ſe, beatificans ſibi inhærētia charitatis vinculo. Anima verò viuēs (non tamen per ſe) viuificans membra corporis, tota in toto, non plus in vno, quàm in membris ſingulis, beatitudinis capax, immortalitate digna, Dei nobilem in ſe portans imaginē. Quò nanq; in amore ſponſi feruentior eſt, eò ſe minus diligit propter ſe. Tota ſe diligit in ſponſo, mundā ſe ſeruat ſponſo, dilecti honorē zelat, & quicquid verbi poteſt deformare imaginē, vehementer abhorret. Deformatur quidem Dei ſimilitudo in mente, quoties ſectatur vana, per errores ducitur, & ignorantiæ caligine tenebratur animus. Non enim naturalē intelligētiæ amittit dignitatem, nec ſapientię capabilitatem, ſed ſpirituali velamine præpeditus oculis rationis nequit veritatis penetrare ſplendorē, & videndo non videt, intuendo minimè diſcernit, atq; lumine priuatus ſe perſpicuè aſpicere profitetur, quod eſt peſſimum cæcitatis genus. Tēporalia inſuper diligēdo, viſibilibuſq; fruendo propriā deturpat dignitatem. Quanto nanq; tenacius labentibus innititur rebus, tāto deterius ab ingenita labitur nobilitate, & immortalitatis ſpoliatur decore, dū præponit tēporale æterno. Nā ſicut qui adhæret Deo, vnus ſpiritus fit, ita qui fugacem amplectitur mundum, vnum efficitur cum eo. Proinde Dei ſapientia illi, quē ſuo diſcipulatu dignū facere cupiebat, ait? Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. Non enim vitā in ſe tenere poſſe iudicauit mortuis in peccato copulatum. Dubiū quippe non eſt quemque eo amplius deformari ab immortalitatis gloria, quò ardentius caducis ſe immerſerit curis, potius eligendo poſſidere, quæ videt, quàm patiēter ſperando præſtolari, quæ non videt, ſicq; nō ſolū immortalitatē perdit, verumetiam vita priuatur, atque propriam perdit pulchritudinem. Non enim ſine delicti pollutione fieri poteſt, vt quis deſerto vitę fonte, caducis inhęreat & mortalibus. Vtrique inſeruire nemo valet. Ideo expedit, vt quicunq; ſpeciem animę cuſtodire deſiderat, peccatum omne, materiamq; peccandi ſummo cū ſtudio derelinquat. Quid verò ſic fœdat mentem, deiq; deformat imaginē, quemadmodum ſcelera? Quot delicta, tot maculæ geſtātur in anima. Iuxta culpæ qualitatem denigratur interior pulchritudo. Omnino autem aduerſatur Deo peccatum, aduerſatur & homini. Nil odit Deus, nil punit in homine, niſi delictū. Quū primum deliquit homo, Dei perdidit amicitiā, perdidit ſapientiam, & verbi in ſe deformauit imaginem. Nunquam verò ad priſtinum amicitiarum reducitur ſtatum, niſi viribus totis conetur reparare, à quo cecidit, atque reformare, quod peccando deformauit. Quomodo autem Deo poteſt eſſe coniunctus, qui ipſius Dei offuſcauit imaginem, corrupit ſimilitudinem, contēpſit præceptū, amiſit gratiā? Vt ſatisfaciat deſiderijs, neceſſe eſt, ſatisfaciat & operibus, potiſſimū oportet ſapiētiæ reformare imaginem ante quā ad connubij ſpiritualis pertingat dignitatē. Indignum prorſus & à ratione alienū eſt, vt anima voluntariè delinquēs, & propriam non agnoſcens deformitatem copuletur verbo Dei & cęleſti ſponſo. Proinde quæ legitima eſt ſponſa, & quæ non didicit, ſed guſtauit in vero ſenſu, & in ſuorum præcordijs deſideriorum, quàm ſuauis eſt Dominus, quàm dulcis amor, quàm caſtus amplexus, & quàm mellifluum eſt verbi connubium, inceſſanter elaborat, qualiter trinitatis imaginem in ſe valeat reformare, incontaminatam tenere, & abſque macula cuſtodire. Hinc eſt, quod tam ſedulò, tamq; ardenter ſpiritualibus intendit exercitiis. Vacat quidem lectioni,

1. Cor. 6.

Matt. 8.

ctioni; & ſanctarum meditationibus ſcripturarum, vt ſiqua erroris macula rationi adhæſerit, per ſanctorum patrum ſententias detergat. Eſt nanque ſacra pagina intelligentiæ ſpirituale lauacrum, per quod opiniones erroneæ conuincuntur, & ignorantiæ caligo propulſatur. Orationi & contemplationi inſtát, vt de viuo, æternoque verbi fonte ſtillicidia hauriat ſapientiæ, atque per internam aſpirationem diuinis illius mens illuſtretur ſplendoribus. Sanctorum quoque gloriam, futuræ vitæ gaudia, & cęleſtis Hieruſalem ſpirituales non ceſſat excogitare delicias, quatenus omnem delectationem temporalis vitæ, cunctaſque illecebras cœnoſæ ſenſualitatis repercutere queat. Nam difficilè tranſitoria relinquuntur bona, ſi non prælibantur æterna, atque laborioſè quis eleuatur ad ſumma, niſi affectu ſit liber ab imis. Præſens quippe proſperitas futuræ opponitur, vixque inuenitur, qui & ſeculi gloriam & mẽtis poſſideat innocentiam. Propterea ſponſa æterna meditatur vt tranſeuntia fugiat, cordis ſtudet munditiæ, innocentiæ candorem ſectatur, conſcientiæ paci inuigilat, puritatem ſeruat, feruorem nutrit, eleuationi mentis innititur, omnique peccato reluctari contendit, vt purã in ſe Dei cuſtodiat imaginem, & incontaminatam ſe tribuat illi, cuius eſt. Talibus etenim exercitiis mentis reformatur claritas, verbi fulget imago, & interioris apparet hominis gloria. Ibi libenter declinat verbum, vbi ſuam intuetur ſimilitudinem, vbi charitatis manſio præparatur, vbi diligi nouit. Munus quoque illud gratanter ſuſcipit, quod non de cellario, non de marſupio, ſed de cordis ſynceritate exoluitur. Vnde ſponſa ſciens ſe ſingulariter à verbo diligi, multipliciter in ſe ſponſi amorem perſentiens, ne ingrata ſit, amori vices rependere ſatagit, ſponſumque ſuum ſpiritualibus conatur honorare muneribus, ſe melius nihil inuenit, quod offerat, nihilque iucunditus donet, quanquam nihil verbo gratius, nil charius exhibetur. Toto itaque affectu, ſimplicique intentione tanquam ſpirituale talentum mentem ſuam offert Deo ardẽtiſſima ignitam charitate, amore languidam, maturam in moribus, in cogitationibus circunſpectam, ſobriam in affectione, in rectitudine nõ curuam, in qua verbi rutilat imago, & indiuiduæ ſimilitudo cernitur trinitatis. Hanc pro recompenſatione amoris, & in ſignũ exhibet perpetuæ charitatis. Hanc non ſemel biſq; ſed perſoluit millies, prout amoris impetus rapit. Amore quidem ſaucia, amandi auida, amati ſitibunda, quid aliud, quàm amoris offeret munus? Non tamen ſolum, ſed laude miſtum, ſed præconiis plenum, ſed gratiarum actione refertum, ſed exultatione iucundum, ſed mentali oratione ſaginatum, ſed præcipua deuotione redolens.

De exercitatione & profectu mentalis orationis, ac perfectione diuinæ laudis. Cap. XXII.

Viſibilium & inuiſibiliũ conditor Deus in ſua vniuerſa diſponẽs ſapientia ſingula queq; ordinauit ſic, vt nihil eorũ, quæ fecit, abſque certa prouidentiæ lege reperiatur confuſum. Omnia (prout diuina pãdit Sap. ii.
ſcriptura) in numero conſtituit, pondere & mẽſura: cuncta quoq; proprium & ſibi congruum direxit ad finem. Decuit quidem verbum Dei, per quod cęleſtia, terrenaque ſubſiſtunt, taliter creare oĩa, vt in toto vniuerſo nulla eſſet creatura, quamuis parua, quamuis aſpectu contemptibilis, quamuis ignota, quę nõ more ſuo propriũ laudaret opificem: quæ non ordine ſuo æternã prædicaret ſapientiã. Indixit etenim legem cuique rei: gradus, actuſque ſingulorum ita diſtinxit, vt ſeruato conditoris inſtituto nil reprehẽſibile videatur. Nam quanquam nonnulla confuſa & inordinata cernuntur in ſe, in arte tamẽ ſummæ ſapientię, & in verbo Dei mirabili pollent ordine, atque ineffabili iudicio æquitatis. Quod autem confuſum apparet, nõ ex defectu regentis, ſed ex pęna agitur hominis delinquentis. Hoc quippe perſpicuè claret in ipſo homine, ſi illius attẽdatur cauſa originis & finis. Cauſa quidẽ, vt incola eſſet paradiſi, & operaretur, & cuſtodiret illum: finis verò, vt Deũ agnoſceret, agnoſcendo diligeret, diligendo frueretur, fruendoque beatus eſſet, non temporali, ſed fęlicitate æterna & interminabili. Quod autem innumeris implicitus ſit curis, diuerſiſque occupationibus intentus, quod variis calamitatibus, multis infirmitatibus attritus ſit, quod delictorũ faſce, & peccandi ſit, quaſi neceſſitate conſtrictus, quòd caro repugnet ſpiritui, & reſoluatur morte, ac redigatur in puluerem, quòd ſpiritus ignorantia, infirmitate, impotentia, peruerſitateque inuolutus exiſtat, ex reatu primi hominis, & obedientię tranſgreſſione emanauit. Nil cõditori aſcribi debet, qui fecit omnia valde bona, & ipſum hominem plaſmauit rectũ: quamuis ipſemet in multis ſe immerſerit tribulationib., quæſtionibus, & flagitiis: digneq; ſibiipſi pęna, & cauſa pęnæ effectus eſt, nõ ſolũ tranſitoria, verumetiam perpetua, & ſine fine. Nam incommutabili ſpreto bono, ſuaſione deceptus, voluptate illectus, ratione caligatus, ſpe falſa irretitus adhęſit commutabili, & dum potius blandienti fęminæ, quàm imperanti Deo obedire maluit, ſicut de loco voluptatis, ita de cordis innocẽtię expulſus domo hãc terram beſtiis communem habitare cœpit. Quamobrem totum humanum genus in protoparentis infectum, delicto, tanto amore viſibilia appetit, temporalibus delectatur, corporalia cogitat, & extra ſe tam inſenſibiliter commoratur. Videtur nanq; ipſum nil ſcire, niſi quę corporeis patẽt ſenſib., & carnis

mulcent illecebram. Spiritualia faſtidire cernitur opera,& illa nimio cum labore ſectatur: corporalia verò delectabiliter peragit, quanquam oneroſa ſunt & infructuoſa. Non verecūdatur iumentorum intēdere actibus, & illis ſępiſsimè miniſtrare. Ignorat nanque qualis ſit, & quàm precioſum in ſe geſtet theſaurum. Incurrit quidem in opacam noctem, & neſcientię deprehēſus tenebris, huc illùcque diſperditur. Amiſſo etenim ſuperno æterni luminis ducatu,& rationis intimę gubernaculo iudicare nō valet, quid eſt, quove tendat. Præceps fertur neſcius, & ad ſcopulos vitiorum colliditur velut amens. Sub tyrannide peſsima inſenſibiliter ſternitur inimicorum, cōcatenatur, iugulatur, perimitur. In voluptate carnis & in exercitio exteriorum ſe totaliter occupat, ſed non naturaliter tendit extra ſe. Intus exerceri debet, intus quęrere neceſſaria ſaluti. 1.Tim.4. Parum quippe corporalis valet exercitatio, pietas verò ad multa promiſsionem habens eius vitę, quę nūc eſt,& futurę. Non enim corporeis deus patet ſenſibus, ſed ſpiritualibus, ideo rationale animal fecit hominem, ut haberet, vnde ſe illi præberet viſibilem. Et hæc eſt præcipua mortalium dignitas, hæc eſt humanæ elegantia naturæ. In hoc aſsimilatur verbo, per hoc intelligit uerbum, dilectuſq; à uerbo, quęſitus, aſſumptus,& glorificatus. Sed (heu) iſtud miſerrimus ignorat homo, & quum magni ſit, nullius ſe æſtimat. Theſaurum immenſum pro exili, uiliſsimoque dat precio, & qui a ſuis debuerat mercedē accipere corruptoribus (proh dolor) ipſe ſua omnia, ſeque impudico amore proſternit. Victus nanque uoluptate, immemor cuius ſit, quo redemptus ſanguine, quibus plaſmatus manibus, qua ratione cōditus, quo fine creatus, a naturali plurimum nobilitate degenerat. In hunc prorſus errorem omne penè humanum genus dilapſum eſt, adeo ut ille innocens, ille arbitretur ſanctus, qui cōmunem non agit uitam,& uniuerſitatis nō ſectatur ueſtigia. Re nanque uera difficillimum eſt in tot ſeculi voraginibus, in tot peruerſitatis exemplis ſyncero, immaculatoque pedis affectu præſentis peregrinationis peragrare iter. Nullusq; eſſet à ſpiritualibus liber laqueis, niſi cœleſtis in corde ſtillaret gratia, irradiaret lumen, protegeret manus,& diuina ſuauitas roboraret. Non autē proprijs debet homo inniti viribus, nec totaliter deſtitui. Agat quicquid valet ex ſe, totis animæ lacertis manum porrigat ad ſe erigentem Deum, non ore, non animo, non deſiderijs deſinat ſuum inuocare adiutorem,& tanquam nauis inter vndas ſeculi velitans frequenter in orationis ingrediatur portum, quatenus ſiquid ex humana deperditum eſt conuerſatione, ſi quid ex tentationum conciſſum impulſu, aut vetuſta vita diſsipatum, reſtaurare queat. Nil etenim in omni ſpirituali exercitatione vel Chriſtiana militia ſic mentis habitum, virtutis zelū, cordis oculum, perfectionis deſiderium redintegrat & cuſtodit, quemadmodum orationis ſtudium. Eſt nanque oratio actus mentis ſapiētiæ lumine directus,& ſpiritus ſancti calore ſuccenſus, quæ quum purè perficitur, humano nō indiget conſilio, nec ornatu verborum. Nam in ipſa paracletus docet, quid & quomodo agere debeat orans. Non tantum huiuſmodi orandi modus vocis ſonitu aut ſtrepitu labiorum perficitur, ſed cogitatione tacita, mente ſuſpenſa, corde non dormitante, intentione non diffuſa, prudenti animo, propoſito ſtabili, affectu vnito,& gratia in his omnibus cooperante. Multi voce, rari autem corde deprecantur. Non eſt veræ orationis operatio in hominis poteſtate. Solius Dei eſt huius, ſicut & cæterarum, dona conferre virtutum. Poteſt quiſque parare vas ad liquoris ſuſceptionem, non autem implere. Petendi ineſt nobis facultas, ſed petitionū effectus deſuper expectandi ſunt. Facile etenim quiſpiam exauditur, ſi à ſe accedendi timorem, dubietatem impetrandi, & diffidētiam amouerit poſsidendi. Nemo verò accedere ad Deum ſuaque illi offerre vota timore compeſcatur. Non ſeris aut ferreis vectibus, non ianuis vel cuſtodibus aditus interdicitur. Nullus eſt, qui inhibeat Deo appropiare volentem. Sola cuiuſque conſcientia auſum præbet, ſi munda eſt, repellit autem, ſi delictorum colluuiōne polluta eſt. Libētius nempè dominus ſuſcipit, quàm eijciat, paratior quoque ad tribuendum, quam homo ſit ad flagitandum. Ob hoc plerunq; præuenit vota, atque merita donorum erogatione tranſcendit. Inuitat trepidos, expectat pigros, ſuſtinet delinquentes, induratos ſtimulat, reſipiſcentes hortatur,& quoſque ad ſe pergentes benigna refouet charitate. Quid igitur pertimeſcis ò homo? cur ad Deum appropinquare formidas? Depone iniquitatis faſciculos deprimētes te, abijce à te cupiditatis onus, abſterge maculas interioris aſpectus,& lota animæ facie atque veſte induta nuptiali ſecurus accede ad ipſum, tuaſque illi petitiones edicito, in autorem tuum conſpice, & ſcito quia frater tuus eſt, os ex oſsibus tuis, & caro de carne tua, attende diligenter illius vulnera, lateris apertionem, & pedum, manuumque cicatrices, & intelliges quantum in illo præſumere debeas. Qui dedit ſe tibi, denegabit ne ſua? Qui locauit te in ſe, poterit contemnere te? Si prudenter inueſtigabis, vtique nobilius reperies te in illo, quam in te. Contemplare (ſi vales) verbum, & te in ipſo inuenies. Nam quod factum eſt, in ipſo vita erat. O vita viuens, in qua viuunt omnia, viuifica me non vita carnis, ſed ſpiritus, non aliunde, quā de te in te, vt per te viuā ſibi.

Nemo

Nemo enim viuit,qui nō tibi,ſed ſibi viuit.Quomodo ſine vita viuere quis dicendus eſt? Dixiſti uãque ò melliflue amor (& verũ dixiſti.) Ego Ioan. 14. ſum via, veritas, & vita, via credentium, veritas contemplãtium,& vita regnantium. Quos enim eligis,vt in æterna regnent vita viuificante, nũc reples gratia. Manifeſtas te illis,illos rapis in te ſupra ſe,& iam non ſunt in ſe,ſed in te, vident ſe non in ſe,ſed in te,exultant in ſe de te, ſuauiterque commorantur extra ſe,quia ſunt in te, iucũdiuſque manent in te,quàm in ſe. Nec mirum. In te nanque torrens eſt voluptatis æternæ, deliciarum abundantia indefectibilis, amœnitatis ſpirituale plantarium,ſapientiæ æterni theſauri, cũctorũq; laudabilis fruitio bonorũ.Prius tamẽ quilibet tui ſtrenuus amator debet te quęrere in ſe,vt poſtea ſe inueniat in te. In homine origo amoris eſt,in te autem finis & perfectio. Nullus quippe Dei cultor,quod diligere debeat, ſcrutetur aliunde,quã in ſeipſo. Fons amoris hominis eſt ipſius cor,ſons autem charitatis Deus. Hanc tanquam riuulos diffundit in prædeſtinatos, & per hanc gratificantur, qui Dei filij nuncupantur,& ſunt. 1. Ioan. 4. Non ab re igitur inquirit iuſtus Deũ in ſe,quia Deus eſt charitas,& in cordibus iuſtorum diffuſa eſt ipſa per ſpiritum ſanctum. In cordis ſiquidem puritate facilè reperitur Deus,quia & ad ipſum libenter decliuat,& in ipſo conquieſcit. Vbi autem exteriorum tumultus & corporalis occupatio, quamuis ibi ſit Deus,difficulter tamen inuenitur. Pax enim eſt,& in pacis manet habitaculo,ideo propheta aiebat. Pſal. 75. Et factus eſt in pace locus eius,& habitatio eius in Sion.Pacẽ itaq; habeat in ſe,qui verbũ pacis guſtare deſiderat. Ab exterioribus ad interiora redeat, vt ab interioribus ad ſuperiora cōſcẽdat. Nũquã ſuperiora ſuauiter perſeuerãterq; guſtabit,quicunq; ſua negliget interiora.Ad ſuperiora mẽs via eſt, in ſuperioribus verò perpetua pax, imperturbabilis requies,& diuturna trãquillitas.Aſſueſcat habitare in ſe,qui vult aſcendere ſupra ſe.Prudenti quidem ingenio & cura peruigili erudiẽda mẽs eſt,vt poſsit,illique libeat habitare ſecum. Hoc etenim ſpiritualis ædificii ſolidum eſt fundamẽtum,hæc eſt accedendi ad Deum via regia,innocentiæ ſpeculum,magiſterium virtutum,& certa immortalitatis ſpes.In officina quippe quietis & per orationis infatigabile exercitium ſecum habitare,mẽtiſque arcem erigere valet; homo qui verò hæc in contemptum habet, nunquam poſſeſſor fiet ſui,ſed neque Dei.Poterit quidem habere Deum, poſsidere autem minime. Longe inter ſe diſtant habere & poſsidere. Deum in ſe habent iuſti omnes,ſoli autem perfecti poſsidẽt. Ex mera gratia habetur, poſsidetur verò ex gratia & diutina interiori exercitatione. Poteſt quis ſaluari,ſi non poſsidet Deũ, nō autem ſi eo caret. Paucorum nanque eſt poſsidere verbum. Veruntamen ſicut aurora ſolem,ita ſuiipſius poſſeſſio Dei præcedit poſſeſsionem. Ambo donum Dei,ambo interioris hominis exercitia ſunt,quę nemo ſegnis,& deſideriis ſpiritualibus priuatus, atque perfectionis non auidus capere valet. Maximo prorſus ſtudio interiori expedit,vt ſe accōmodet,quicunque ſe poſsidere, ſecumque habitare concupiſcit, ac mentem lubricam ab aſſuetis ſatagit compeſcere vagationibus, ſed nihil aptius ipſam refrænat, quam attenta meditatio, quæ in oratione proponitur. Hęc quidem ab exterioribus cor amouet,& ad ſe redire compellit. Hęc eſt diſciplina mentis ſpiritualis pędagogus, orationis funiculus,incipientium eruditio,& intentionis mentis prouida gubernatrix. Pręcurrit orationem ſpiritus,diſponit ad contemplationẽ, animę munditiam operatur, miniſtrat deuotionem,in corde ſpiritualem lętitiam ebullire facit, atque ſapientię parat domicilium. Ex ipſius aſsiduitate ſtabilitur mens,cogitationes purgantur, ſolitudo ſapit,delectat Deus, ingenium acuitur, caſtificantur ſenſus, illuſtratur ratio, loquela reſtringitur,& animus ad alta ſuſpenditur. Ipſa eſt ſpiritualis ianua orationis, per quam verbum ab ingredientibus agnoſcitur, & puris muneribus honoratur. Quandiu mentis oratio veraciter poſſideatur,tanquam oculi pupilla meditatio cuſtodienda eſt, verum tunc non eſt funditus poſtponenda. Veluti quoddam ſpirituale depoſitũ ſeruanda eſt. Nam quum mentis oratio præſto eſt, ſuperflua ac noxia meditatio eſſe dignoſcitur, quum verò abeſt,perutilis & neceſſaria eſſe cenſetur. Meditatio quidem orationem excitat,oratio autem Deo præſentat, & verbum poſsidere facit, præſente verò Deo & verbum poſsidente anima gratiſsimum laudis exhibet ſacrificium. Iuge quippe laudis holocauſtum & perfecta actio gratiarum ex certiſsima verbi agitur præſentia, vnde Propheta voce domini ait. Pſal. 49. Sacrificium laudis honorificabit me,& illic iter,quo oſtendã illi ſalutare Dei. Præcedit itaque veram laudem cordis medullaris oratio. Ex guſtata verbi iucũda præſentia habitus formatur orationis mundę. Ex munda oratione depuratur animus, exhilaratur affectus,paſcitur charitas,appetitus dilectionis augetur, certificatur fides, conualeſcit ſpes, exultat ſpiritus, viſcera quatiuntur, pacificatur cor,ignis accenditur, veritas aperitur,fugatur tẽtatio,abſcedit triſtitia,renouatur ſenſus,virtus debilitata reparatur,excitatur feruor,fugatur tepor, vitiorum rubigo conſumitur,cœleſtium deſideriorum ſcintillæ emicant, & diuini amoris flamma ſuccreſcit. Magnis nanque meritorum prærogatiuis fulta eſt, multis donorum ſpiritualium ſplendoribus,atque præcipuis virtutibus pura mẽtis oratio decoratur. Illi quippe patet cœlum,arcana panduntur, & Dei aures intendunt. Non repellitur,neque contemnitur,ſed placido aſpe-

ctu

Qui creatoris vniuerſorum præſentatur. Vacua inde non recedit, nec ſine affectu. Exauditur quidem, dummodo humiliter deprecetur. Humilis etenim deprecatio cœlos penetrat, cœlorumque opificis mulcet aures. Non poteſt humilem Dei ſapientia ſpernere ſupplicantem. Moſem quippe omnium mitiſsimum non abiecit exorantem. Publicani quoque verecundiam & preces grata benignitate ſuſcepit. Quis audiuit vnquam humilem eſſe in prece confuſum, potiſſime quum ex ignito precatur affectu? Humilitas nanque & charitas ſpirituales orationis ſunt alæ, quarum remigio vſque ad interiora ingreditur velaminis, vbi verbum in ſinu reſidens paterno æterna virtute generatur. Pulſat regni cœleſtis ianuas humilitas deprecãtis, charitas verò ipſam introducit orationem, eamque exaudibilem facit. De his virtutibus figuraliter loquitur veritas dicens. Si duo ex vobis conſenſerint ſuper

Matt. 19.

terram de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à patre meo. Humiliter igitur ſe, ſuccenſoque oret affectu, quiſquis cupit ſuam non repudiari orationem. Cui tamen addat vitæ honeſtatem, conuerſationem ſanctam, morum probitatem, linguæ temperantiam, & cœleſtium flagitationem gratiarum. Non terrena ſubſtãtia, aut temporalium commoda, ſed ſpiritualia dona & Angelorũ cõſortia importunè poſtulanda ſunt. Nam etiam ipſe dominus eadem gratantius impertitur. Qui autem petit, in fide poſtulet nihil hæſitans, vt exaudiatur. In huius verò actus purę, ſpiritualiſque orationis Deus ante mẽtis aciem conſtituendus eſt. Facile quippè orantis intentio deuiat, & in ocioſis ac noxijs labitur cogitationibus, ſi Deus in ipſa oratione non quæratur. Hoc

Pſal. 26.

præcauere propheta ſatagens aiebat. Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea, faciem tuam domine requiram. Optimè quidem congruit, vt altiſsimo aſsiſtat, qui vota ſua exaudiri deſiderat. Nam innocentiæ indicium notiſsimum eſt, iudicis non formidare aſpectum, perfectę autem charitatis infatigabiliter ac ſine interuallo verbi ſitire præſentiam. Hoc ex pura & ignita mentis perficitur oratione, præcipuè quum longa exercitatione interioris orationis amoris facibus ſuccenſus animus diuinæ ſapiẽtiæ verus amator extiterit. Anxia nempè amoris vis eſt, quæ amantium corda diu ab inuicem abeſſe non patitur. Quamobrem verbi ſponſa fidelis charitatis iaculo transfixa & de dulcedine dilecti ſaginata inuictam vigoris animum ab oratione non relaxare conatur. Dilecti corporalem præſentiam aſsidue meditatur, ne cordis ſui intentio ad alia diuertatur. Sicque tandiu in hoc meditandi ſtudio elaborat, donec per orationis frequentationem & amoris incendium copulata verbo, ſapientiæ ebriata ſuauitate ab eius amplexibus diuelli non valeat. Tunc illi lex imponenda non eſt, neque de modo orandi inſtruenda. Ipſe amor cogitandi materiam miniſtrat, orandi formam tribuit, orationiſque perfectionem ſufficiẽter infundit. Fit igitur ſponſa per orationem munda, de verbi præſentia hilaris, in ſapientia erudita, votis præceps, exultatione tacita, amore libera, feſtiua ſpe, munere ſolicita, charitate ſolida, prouida in actione, mente erecta, & proficiendi amore ſuccenſa. Omnis ipſius affectus in dilectione trahitur ſapientiæ, ad illamque tanquam ad locum proprium currere non deſiſtit. In hunc amandi venerat affectum Propheta, quando dicebat.

Pſal. 41.

Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Multipliciter etenim tunc ſe ſponſa dilatat in ſe, & eo ardentius ſe exercet, quo dulcius trahitur, atque clarius intuetur. Nam quum de bonitatis Dei fonte pleniſsimo potatur, & quàm in ſe diffuſa ſit, ſentit quodam ſuaui delectationis reſpergitur guſtu, & quadam animi pace repletur, dulciter requieſcit in eo, quòd capit, atque ſua paſcitur ſpiritus voluptate, domini præſentià ſui immemor gaudet, dicit ſępius repetens propheticũ illud: In pace in idipſum dormiam & requieſcã,

Pſal. 4.

tenet in ſe, quem diligit, & amoris brachiis ſapientiam amplexatur, ſe exaltari cõſpicit, quum Dei ſe videt dignam præſentia, metitur merita ſua, virtutes conſiderat, & in nullo per ſe iudicat talia promereri, gratis ſibi hoc eſſe donatum intelligit, & totum per beneuolentiam fieri nõ dubitat conditoris. Proinde magno cordis exultat tripudio, & immenſas promit gratiarum debitas actiones. Hoc prenunciauit propheta, quum ait.

Pſal. 41.

In voce exultationis & confeſsionis ſonus epulantis. Quomodo non exultet anima, quæ ſe ſentit dignam effectam verbi præſentia? Si præcurſor in vtero poſitus exultauit ad aduentum verbi, quare non magis ſponſa in amplexibus ſpõſi? Non ad inſipientiam ſibi exultat ſponſa in cordis thalamo ſponſum adeſſe cognoſcens. Nam

Luc. 1.

& ſpiritus Mariæ exultauit in Deo ſalutari ſuo, quanquam longe excellentius, quàm iſta. Anna

Luc. 1.

quoque Prophetæ Samuelis mater quum prolẽ, pro qua orauerat, ſuſcepiſſet, exultans clamauit, Exultauit cor meum in domino, & dilatatum eſt cornu meum in Deo meo. Sic & hęc coram verbo exultat, dicens. Exaltabo te Deus meus rex,

Pſal. 144.

& benedicam nomini tuo in ſeculum, & in ſeculum ſeculi. Verbis ſufficienter non valet exprimi, quanto gaudio, quantaq; exultatione repleatur anima in ſui pręſentia ſponſi & caſto amoris contubernio. Exoluit gratias, dona perſtringit, oſtẽdit vota, & oſcula imprimit. Huius fęlicis cõſortij in ſpiritu odorans propheta delicias & ſpõſam ad exultationem inuitans aiebat. Exulta &

Eſai. 12.

lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui ſanctus Iſrael. Exultat quidem ex ijs ardẽter permota, quæ agi ſentit in ſe, laudat verò admiratione

tione

tione perfuſa ex ijs, quæ contemplatur in Deo. In diuina nequaquã valet eſſe laude muta, quũ hymnidici angelorum chori, ſanctorumq́ue innumerabilis exercitus quàm diligentiſsime & inceſſanter in Dei laudibus occupentur, tacita mente recogitat. Feruor ex hac conſideratione diuinæ laudationis, & amor cœleſtium cantionum adeo contemplantis cor rapit, & in ſublimia eleuat, vt interiora omnia in diuinã videantur prorumpere laudem, ſeque mens quamuis in mortali corpore incluſa teneatur, ſupernorũ ciuium cœtibus ſociare conetur. Pſallit ſpiritu, & interdum ex abundantia infuſæ dulcedinis
Pſal. 83. prorumpit in vocem iucũditatis dicens. Quam dilecta tabernacula tua domine virtutum, concupiſcit & deficit anima mea in atria domini. Circumquaque etenim cœlorum ſancta agmina cogitatione perluſtrãs vniuerſos feſtiuos ſtolis candidiſsimis ornatos, coronis aureis accoruſcantibus gemmis redimitos, gloria & decore præfulgidos, fœlici immortalitate veſtitos, & in æterni regis laudibus intentos mirari non deſinit, & quum carne ſola tunc grauetur in terris, deſiderio tamen & intentione commoratur in cœlis. Amat quod videt, aſtringit quod guſtat, poſsidere exoptat in perpetuum, quod contemplando rimatur, ſeque beatam fore non ambigit, ſi illis ſociari meruit, ideo inter ipſas animi
Tob. 13. delicias, & laudum vota illud Tobiæ ſancti replicare non ceſſat. Beatus ero, ſi fuerint reliquiæ ſeminis mei ad videndam claritatem Hieruſalẽ. Quum autem reuoluit ſecum, vnde illis tanta ſit lætitiæ cauſa, de theſauris diuinitatis id prouenire conſiderat. Quamobrem amore feruefcẽs, & charitate confidens ſuæ oculos intelligentiæ attollit in diuinæ maieſtatis eſſentiam, & quàm incircunſcripta ſit, quàm potens, quantiſq; affluat voluptatibus, potius credẽdo quàm agnoſcendo miratur. Hinc ineffabilis atque inſatiabilis laudis appetitus exoritur, hinc flamma deſideriorum vehemens ebullit, & omnem ad ſe trahens animi virtutem dilectam alienat à ſenſibus, atque inſenſibilem foris effectam immenſis intus facit eam verbi exuberare delicijs. Cœleſti ſe conſpicit circundari lumine, accendi ardentiſsimo amore, & infinito inflammari laudis deſiderio. Laudat quantum poteſt, & nimio cruciatur laudis deſiderio, quum ſe videt non poſſe perficere, quod amabiliter concupiſcit. Ad ſe verò rediens os laude repletum, oculos lacrymis, cor humilitate, animamque deuoto mœrore perſentit, quum non eſſe, vbi ſe tam delectabiliter fuiſſe recogitat. De cellario tamen ſponſi egrediens, indeque mentem ſalubertimo amoris vulnere ſauciam reportans ab oratione & Dei laude vix ad momentum vacare valet. Laudandi quippe face ſuccenſa & laudis dulcedine ebria laudati ſemper rediuiua charitate cõcaleſcit. Non enim debet à laude ceſſare, quæ vſque ad Dei ſolium euecta eſt. Memoriã abũdantiæ ſuauitatis ſponſi eructans corde flammigero ait cum propheta. Pſal. 144. Regnum tuum regnũ omnium ſeculorum, & dominatio tua in omni generatione & generatione. Talis laus, talis affectus, ſoli ſponſæ verbi congruit, quæ de donis conditoris ſui ingrata non eſt. Pro cognitione nanque propria, quam pro munere accepit, humilitas exoluit holocauſtum, pro guſtu diuinæ charitatis erga ſe talentum & ipſa exhibet intimæ dilectionis, pro notitia autem excellentiſsimæ maieſtatis medullare atque perfectũ offert verbo ſacrificium laudis. Propterea illi tãquam ſponſæ præcipuè præbẽda eſt corporalis, ſacramentalis, & ſpiritualis copia ſpõſi, quatenus do nec peregrinatur à verbo, habeat, vnde verbi paſcatur delicijs. Nam iuxta ipſius ſententiã omni habenti dabitur, & abundabit. Matt. 13. & 25. Nulli quidem magis digne, quàm fortiter amanti ſpiritualia prærogantur dona. Non enim illa in ſudario reponit ocioſe, non diſpergit inutiliter, ſed tanquam dominicæ pecuniæ fideliſsimus diſpenſator ſpiritualia lucra reportat veluti quotidie de omnibus, quæ ſuſcepit, redditurus ſit integerrimam rationem.

Quòd ſponſa per meditationem decurſus vitæ incarnati verbi plurimum in amore proficiat.
Cap. XXIII.

Sap. 11. SApientia Dei irreprehenſibili gubernatione vniuerſa diſponens quemadmodũ nihil eorum, quæ fecit odit, ſic neminem illorum, quos ſalutis lauacro ab originali mundat delicto, quantum ad ſe pertinet, perire lætatur, quin potius ineffabili ſuæ miſerationis pietate gratiæ ſtillicidia ſuper hominum filios irrorare non deſinit, miro varietatis modo ſingulis diuidens, prout vult. Nam tanquam peritiſsimus animarum medicus diuerſis medetur antidotis iuxta cuiuſque vulneris indigentiam. Propterea contemplantis animus non ſine gaudio miratur, quàm prouide vnumquemque electorum ad ſalutem ducat multipliciter operando. Quædam nanque terribilia, quædam mirabilia, nonnulla delectabilia operatur, ſingulos tamen erudit, & trahit ad ſe ſingulari conſideratione. Ex ſolis affectibus profectibuſque conuerſionũ diuinæ gratiæ mirabilia declarantur, ideo propheta domino de ſe aiebat, dicens. Pſal. 138. Ecce domine tu cognouiſti omnia nouiſsima & antiqua, tu formaſti me, & poſuiſti ſuper me manum tuã mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me. Terret nanque flagellis innumeris, peſtilentiam immittit, bella, ſeditiones, oppreſsioneſque permittit, terræ ſterilitatem, aeris intemperiem, aquarum inũdationes, ædificiorum conflagrationem quæ ſæpe audiuntur, terribilibus plagis omne ſeculum plenum

plenum eſt, ita vt nemo inhabitantium illud expers diſciplinæ inueniatur. Ipſe quoque carnis interitus adeo communis effectus eſt, vt ab eo nullus liber exiſtat. Quis autem eſt homo qui viuet, & non videbit mortem, quum ille ſolus, qui nil in ſe dignum morte habuit, vt ſuos ab æterno liberaret exitio, ipſius mortis ſponte voluit ſubire ſententiam? Cuncta quippe hæc, quæ in hoc ſeculo homines patiuntur aduerſa, diuinæ iuſtitiæ ſunt opera, per quæ quàm terribilis & quàm formidandus ſit, ſe notificat Deus, vnde Deut. 32. per prophetā clamat. Videte, videte, quòd ego ſim ſolus, & non ſit alius, præter me, ego occidam, & viuere faciam, percutiā, & ego ſanabo, & non eſt qui de manu mea poſsit eruere. Non vt confundat, ſed vt corrigat, tā terribiliter clamat. Quos autem ſaluat flagellat temporaliter, quos verò damnat, duplici flagellat pœna: Præſens nanque flagellum pœnitentiæ incentiuum & pœnitentibus cauſa eſt veniæ, impœnitentibus autem damnationis exordium. Per diſciplinam quippe iuſtitiæ Deus timeri vult, per oſtenſionem verò potentię agnoſci. In conſtitutione etenim vniuerſi, incōparabilis eius virtus oſtenditur. Quis nanque ex nihilo cuncta crearet, cęlum ornaret ſideribus, aerem repleret volucribus, aquam piſcibus, terramq́ue fœcundaret arboribus, niſi omnipotens Deus? de illo per Psal. 32. Prophetā dicitur. Ipſe dixit, & facta ſunt. Dixit quidem, non voce, non per angelum ſed voluntate. Voluntas eius vox ipſius eſt. Quum autē voluit, per verbum ſuum fecit. Verbum non tranſiens, non ſonans, ſed permanens in ſeculū ſeculi. Per hoc verbum facti ſunt angeli, archāgeli, virtutes, cherubim, ſeraphim, & omne quod viuit, quod mouetur, quod diſcernit, ſiue cor- Ioann. 1. pus, ſiue ſpiritus, per ipſum factum eſt. Omnia (inquit Ioannes) per ipſum facta ſunt. Vniuerſa igitur quę ſunt, autorem ſuum fatentur Deū. Per illa ſe voluit innoteſcere, illa voluit communicare hominibus, vt per ea erudirentur in ſciētia Dei, accenderētur in dilectione, proficerentque in ſapientia. Rari tamen inueniuntur, qui illis non abutantur. Bona nempe ſunt, & ad ſalutem proficua, ſi vtantur bene, ſi autem quod bonum eſt, vtuntur nō bene, bonum operatur malum in malo propter malū. Abutenti non creanti aſcribenda eſt culpa. Non vt abuterentur, ſed vt vterentur quæ ſunt, facta ſunt. Dedit etiam, per quod vterentur, vt in omnibus Deus mirabilis appareret. Appareret nedum mirabilis, verumetiam eſſet dulcis & amabilis. Mirabilis rationi, amabilis affectui, vt totum ad ſe traheret hominem. Quantum & in quantis ſe amabilem exhibeat Deus, quis ſapit? quis capit? Quæ obtēperant, quæ dulceſcunt, quæ placent, quæ mulcent, nonne ſibi? Nūquid propriū aliquid Deo vendicant? Gloriam vtique quærunt eius, cuius ſunt, & à quo ſunt. Inſtrumenta ſunt, veſtigia ſunt, media ſunt. Principium autem horum verbum ſine principio, finis verò non alius, quàm ille, in quo ſunt. Vtrunque expreſsit verbū, quū Apoc. 1. & 22. in Apocalypſi, ait. Ego ſum alfa & omega, principium & finis. Quum itaq; in multis mirabilis amabiliſq́; appareat Deus, in nullo tamē ſic mirabilem amabilemq́ue ſuam hominibus patefecit eſſe charitatem, ſicut quum Deus homo factus eſt. In cæteris donis quamuis eximijs, quāuis multis ſua tantum contulit, in hoc autem dedit ſe. Facile quippe quiſq; amico ſuo, quæ poſſidet, tribuit, præcipuè quū aliena ſunt à ſe. Non autem reperitur, qui tanto amicitiarum fœdere ſit coniunctus, vt pro amico cum ſui iniuria & detrimento tradat ſe, verbum verò Dei Deus ſic humanū dilexit genus, vt ſua illi daret, & ſe: Libentiuſque ſe cōmunicauit, quàm ſua. Se quidem præbendo intimæ dilectionis viſcera demonſtrauit, propterea Zacharias ſanctus in ſuę prolis ortu prophetans, inquit. Per viſcera mi- Luc. 1. ſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto. Reliqua omnia ſua munera nobis Deus præſtari poſſe ſpem dedit, quando filium ſuum vnigenitum cæteris rebus illi chariorem tam liberaliter præſtitit. Non tantum vt deſcenderet ad nos, quod ſingulare ac præcipuum eſſet munus, voluit Deus pater, ſed etiam vt fieret noſtri ſimilis, in natura non in culpa. Naturam etenim aſſumpſit verbū humanum de maſſa Adæ, & illas quas voluit paſsiones, non tamen habuit traducem de Adam, nec tranſgreſsiones imitatus eſt filiorū Adæ. Quod elegit ipſe Chriſtus dominus, hoc habuit. Nil in illo coactè aut præter eius fuit voluntatem. Eſuriuit, quia voluit, lacrymatus eſt, quia voluit, occiſus eſt, quia voluit. In hoc nanq; gratuita nos charitate dilexit, quoniam nullo aſtrictus debito, ſed propria paſſus eſt voluntate. Liber quippe quum eſſet à debito, humanam libere perfecit redemptionē, vnde propheta ait. Deus vltionum dominus, Pſal. 93. Deus vltionum libere egit. Quod non egiſſet, niſi fuiſſet homo. Quamobrem anima, quæ merito & nomine vocatur ſpōſa, ne tanti beneficij ingrata ſit, ſedula meditatione reuoluit in ſe ſacroſanctum diuinæ, humanæq́ue naturæ myſterium, per quod lapſi hominis reparatio facta eſt. Mirari quidem non deſinit, quomodo Deus quum in natura ſua æternus eſſet & inuiſibilis, in noſtra apparere voluerit temporalis & viſibilis, & qui in cęlo angelis notus erat, in terra quoque manifeſtaretur hominibus. Hac etenim Dei viſione homo non ex natura carebat, ſed ex culpa. Acceperat quidem in ſuę primordio creationis duplicem oculum, carnis (videlicet) & rationis. Carnis nanque vt corporalia aſpiceret ſenſibus carnis communia, atq; per ipſa ſe exerceret, & ad agnitionem pertingeret cōditoris.

Sunt

Sunt quippe viſibilia cuncta quaſi quoddam vehiculum rationis, & ſpeculum trinitatis, in quo humanus proficiens animus maximam de natura diuinitatis eruditionem acquirit. Non enim fruſtra antepoſita eſſe homini corporalia hæc arbitrandum eſt. Quidam intelligentię & amoris ſpiritualis pædagogus ſunt peregrinantibus mortalibus. Completa verò peregrinationis via nullo horum indigebunt ſaluati adminiculo. In verbo contuentes, omnium, quæ ſunt, plenam habebunt notitiam, ipſis quoque Dei viſio manifeſta erit, propterea medio aliquo non egebunt. Tanquam igitur paruulis nunc proponuntur viſibilia, quæ corporeo cernuntur aſpectu, ideo carnis oculis neceſſarius eſſe cognoſcitur. Acceperat quoque ipſe homo oculum rationis vt per ipſum ſe intelligere valeret & Deũ. Difficile omnino eſt, vt quis abſque ſui agnitione ad ſcientiam pertingat Dei. Eſt nanque rationalis & creatus ſpiritus ſibiipſi ſcala aſcenſus ad ęternam Dei ſapientiam. Nec iuſtum eſt, vt in ſua animus permanens ignorantia ad ſummam diuinæ eſſentiæ perueniat notitiam. Ratiocinãdo quippe humanus ſpiritus, & ſe à vitijs abſtrahendo poterat ex parte ad ſui & Dei tranſcendere veritatem. Verum hoc præcipuum & maximum donum tũc peccator homo amiſit, quũ obedientiæ lege tranſgreſſa, ligni vetiti eſcam guſtare præſumpſit. Mox etenim præuaricationis ſententiam excipiens ignorantiæ nube protectus eſt. Super ſe nanque quum aſpiceret, quãdam veluti caliginem denſiſſimam ſpiritualem ſenſit, per quam illi cœleſtia & diuina obumbrata erant, non autem in ſe, de qua obnubilatione per Prophetam dicitur. Poſuit tenebras latibulum ſuum. (Pſal. 17.) Quum verò ad ſe rediret, cæcitate ſe percuſſum non dubitauit. Proinde foras à ſe expulſus propriam erubuit nuditatem. De hac nẽpe interiori cæcitate liberari cupiens Zacharias propheta voce omnium redemptoris pręſentiã exoptãs (Luc. 1.) deprecatur, dicens: Illuminare iis, qui in tenebris & vmbra mortis ſedent ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Lucem itaque ſupernam tectam ſibi vidẽs, nec locum in ſe propter interiores tenebras inueniens totus præceps extra ſe fluere cœpit. Hinc humani generis apoſtatatio initium habuit, hinc carnis voluptati habenæ laxatæ ſunt, hinc exilium pro patria diligi inchoauit, & ex illo deinceps ſemper in deterius dilapſum eſt. Ab hoc autẽ errore nunquam redimi potuit, niſi quum temporis plenitudo aduenit. Dei nanque ſapiẽtia humano cõdolens generi ſic proſtrato modo mirabili illud erigere curauit. Ignorantiæ quippe tenebras, vnde illi omne acciderat malum, repulit primo vt cæteris poſtea facile valeret mederi languoribus. Speciem vtique viſibilem ſpecioſiſſimam aſſumpſit humanam, quæ ad ſe delectabiliter aſpicientium traheret animos, illamque virginalem in thalamum verbum vniens fecit, vt eſſet Deus & homo vnus Chriſtus, & tandiu voluit hoc latere conſilium, donec virgini tempus pariẽdi adeſſet. Vocibus tamen omnium ſuorum prophetarum prænunciari fecit ipſum futurum, vt tanto auidius ſuſciperetur, quanto ſolicitius prædiceretur. Tempore igitur congruo quum virginalis partus inſtaret, eſſetque puellæ mens plus ſolito charitatis igne ſuccenſa, deuotione pinguior, & deſiderio ſaluatorem videndi prõptior, repente coram ſe poſitum aſpexit Chriſtum. Abſque detrimento nanque virginitatis ſine dolore partus ſuam, pudiciſſima mater, genuit prolem. (Luc. 2.) Quem vt vidit, mente & corpore humillimè adorauit, ipſumq; reclinauit in præſepio, quia (teſte Euangelio) non erat ei locus in diuerſorio. Tunc quidẽ vetus Adam de terræ limo plaſmatus eſt, tunc terra herbam germinauit virentem, de qua fons irrigauit ſuperficiẽ terræ, tunc (iuxta prophetæ vaticinium) veritas de terra orta eſt. (Pſal. 84.) Miſericordia enim & veritas prius obuiauerunt ſibi, iuſtitia & pax oſculatæ ſunt, ideo in ipſius infantis oſtenſione angelorum innumerabilium exercitus pſallentium, dicentiumque auditus eſt. (Luc. 2.) Gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Gloria quippe Deo, qui gratis ingratis ſe prębuit viſibilem, pax autẽ hominibus, pro quibus reconciliandis homo & mediator fieri voluit. Quis hanc ineffabilem, inauditamque Dei dignationem poteſt verbis exprimere, ratione penetrare, menteque percipere? Latebat quidẽ in carne verbum, in infantia ſapientia, ſub tegmento humanitatis dominus maieſtatis, iacebat in pręſepio, & fulgebat in cœlo, dominus angelorum factus erat ſocius iumentorum. O ſtupor, ò prodigium intueri verbum pannis vilibus inuolutum, faſcia ligatum, vagiens in ſtabulo infantilibus membris. Non illud exterruit ſimi horror, ſtabuli fœtor, iumentorum pręſentia, fœni aſperitas, pręſepij anguſtia, frigoris vehementia, nuditatis opprobrium, noctis obſcuritas, laſſitudo itineris, paupertas matris, & proprię diſtantia regionis. Tanquã verò athleta fortiſſimus, gigasq; magnificus ſe viſibilẽ & palpabilem dominus de ventris erumpens ergaſtulo cum hoſte pugnaturus, hominesq; docturus apparuit. Qualis tunc ſanctę genitricis eſſet animus, qualis affectus, qualeq; incendium charitatis, nullus ſufficit cogitare. Se mirabatur eſſe matrẽ & virginem, intactam & fœcundam, Dei filiam & genitricem, nutritam & nutricem, ſtupebat de myſterio, pauebat de miraculo, exultabat de filio, ſe humiliabat de obſequio, vndiq; inflammabatur amore, in omnibus ſapientię ſplendore illuſtrabatur, fouebat puerulum in gremio, & à Verbo amplexabatur, lactis poculum

lum

Digitized by Google

lum præbebat filio,& deuotionis nectare paſcebatur, oſcula imprimebat infantulo, & dilectionis iaculis vulnerabatur, perambulabat vtique latiſſimos contemplationis campos, indeque redolentes carpebat amoris flores, nõ aduertebat, vbi erat nimia ebria charitate. Iam in filio eſſe cœperat, quem genuerat, dulciusque habitabat in filio, quam in ſe. Quomodo eum aleret, quomodo illi miniſtraret, apud ſe ſedulo pertractabat, ſui obliuiſcebatur de prole cogitans, à viſibili ſpecie ad inuiſibilem rapiebatur ſubſtantiam, nec conſiderare ceſſabat, quomodo Dei verbum ſimpliciſſimum ſic humanæ ſe voluerit aſſociare naturæ. Merito quidem mirabatur mater, noſque mirari debemus cũ gaudio, quando cum pauperrimo ditiſſimus, cum infimo potentiſſimus, cum deſpecto excellentiſſimus, cũ mortali ſe aſſociauit æternus. Viſibilem quippe naturam, quam Verbũ aſſumpſit inuiſibile, humanis obiecit obtutibus ornatam prorſus omni ſpecioſitate naturali, moralibus inſignitam virtutibus, & ſpiritualibus redimitã donis, atque ſcientiarum omniũ faciendorumque miraculorum gratiam poſsidentem. Per ipſam vtique corpoream formam incorpoream, diuinamque patefecit ſubſtantiam hominibus corporalib. intendentibus formis, viſibiliaque amãtibus. Fecit quoque mirabiliter, vt per viſibilem naturã de inuiſibili illuminaretur homo, qui ab inuiſibilium cognitione turpiter deſcendendo in ſolo viſibiliũ amore quieſcebat. Hoc Ioannes Apoſtolus perhibet, quũ dicit, Quod (1. Ioan. 1.) fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtrę contrectauerunt de Verbo vitæ, & vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annunciamus vobis vitam æternam, quæ erat apud patrem & apparuit nobis. Maximum itaque diuinæ agnitionis profectum per incarnatum Verbum hominibus collatum eſt, dum in homine manifeſtans ſe deus hominibus qua aſcenderetur ad Deum, indicauit. Illic (inquit Propheta) iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei. Singulare (Pſal 61.) etiam intimæ charitatis indicium idem Deus & homo Chriſtus (videlicet) Ieſus demõſtrauit hominibus qui quum ſolus eſſet inter mortuos liber, in ſerui forma ſeruum ſe eſſe oſtendere dedignatus non eſt, quod abſque præcipuo fieri non potuit charitatis affectu, intuentiumque profectu. Ipſa nanque Dei ſapiẽtia, quæ vniuerſa creauerat, parentibus, pauperibus, humilibus & mortalibus ſubeſſe non erubuit. Horũ ſiquidem obedientiam vſque ad virilem ſeruauit ætatem ſuo docens exemplo, quanta diligentia quiſque diuinis debeat obtemperare mãdatis. Idem inſuper legiſlator legalibus humiliter ſubdi voluit ſanctionibus atque ſine delicto pro peccatoribus iudicati peccator, propterea octaua poſt natiuitatem ſuam die circuncidi ſe permiſit, ſanguinemque ſuum in ipſis cunabulis effundere non expauit, vt ſpiritualiter nos circũcidendos eſſe erudiret, dicente Propheta. Circuncidimini corda veſtra, & non præputia ve- (Hier. 4.) ſtra viri Iuda. Completis demum purificationis matris diebus parentum manibus ad templum ferri ſe fecit, atque in vlnas longæui & ſanctiſſimi prophetæ Simeonis baiulari, nec non turturum ſeu columbarum oblatione redimi. Vnde in Verbo incarnato & in vnigenito Dei, qui minime legi ſuberat, nec quicquam expiandũ habuit, tanta legis cuſtodia, niſi quia legem ſanctam eſſe, legiſque finem adueniſſe tacite præmonſtrauit? Lex quidem ſancta, ait Apoſtolus? Alibi quoque. Finis autem legis Chriſtus ad iu- (Rom 7.) ſtitiam omni credenti. Nõ enim ſpiritualis debuerat inſtitui lex, niſi cæremonialis compleretur. Dederat nanque Deus per Moſem ſeruum ſuum fidelem, legem, quæ in ſe dura & grauia continebat, quæ concupiſcentiam excitabat, nec extinguebat, quæ peccatum oſtendebat, nec contra illud adiutorium præſtabat, quæ prę mia non tribuebat, ſed ſolum à pęna liberabat, de qua Petrus ait. Quid tentatis imponere iu- (Act. 15.) gum ſuper ceruicem diſcipulorũ, quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus? Hanc vtique Dei ſapientia non venit ſoluere, ſed adimplere, ſuoſque fideles ab ea liberare. Dedit autem legem amoris, quæ non grauat, ſed cætera mandata leuificat, quæ carnalẽ mortificat concupiſcentiam, quæ peccatũ tollit & conſumit, quæ pauci continetur, quæ æternam vitã ipſam perficientibus confert. Hac lege nil dulcius auditur, nil rationabilius præcipitur, nil perficitur fructuoſius. Habet quidem lex hęc in ſe vnitiuam vim, quia amantem copulat cum amato, habet & transformatiuam. Nam quum amantis repleuerit animum, illum rapit extra ſe, & transformat in dilectum tanto amplius, quanto dilexerit ardentius. Quemadmodum enim famulo præſtantior eſt filius, ita ſeruili lex amoris eſt potior. Decebat nanque filium, vt amoueret laborioſa, & mandaret leuia, vtilia, & ſpiritualia, vnde Apoſtolus, non enim (inquit) (Rom. 8.) accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater. Pauca quidem noſter mediator Chriſtus docuit ſermonibus, exẽplis verò innumerabilia. Potius operibus, quàm verbis motum perfectionem, virtutum ſublimitatem, & ipſam quã ad nos gerebat, voluit oſtẽdere charitatem, quanquam etiam in illius ſermonibus maxima eniteat ſententiarum ſapientia, maximaque documenta ſanctitatis. Recogitet itaque deuota mente quiſque fidelium, quę verbum Dei pro hominibus egit in carne, vt quanti ab illo æſtimatus ſit, ſciat; vt quantum

debeat

Digitized by Google

debeat diligere, non ignoret, vt in ipſius ſpeculo qualiter propriam per diſciplinam virtutum poſsit componere conuerſationem, intelligat. Reuoluat igitur exercitatione peruigili & tacita cogitatione quomodo ſempiternũ Verbum Chriſtus in homine ab eo aſſumpto completo ſilentij diſpoſiti tempore quum manifeſtare vellet, quid eſſet, & quare veniſſet ad Iordanis ripam, baptizandus acceſsit, non vt maculas, quas non habebat, abſtergeret, ſed vt omni impleta iuſtitia ſanctificaret aquas ad abolitionem originalis culpæ, & regenerationem ſalutis æternæ. Quo peracto myſterio repente ſuper ipſum Dei vnigenitum cœli aperti ſunt, Spiritus Sanctus in columbæ ſpecie manſit, paterMatt. 17. naque vox audita eſt, quæ ait. Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite. Dignum nanque fuit, vt incarnatũ verbum talia haberet teſtimonia, & diuina famularentur obſequia, quatenus perſpicuè clareret fidelibus, quàm ſtabile, quàm viuum eſſet fundamentum, ſupra quod eorum fides ædificãda eſſet. Vt autem ipſe Dominus ſibiipſi perhiberet operibus teſtimonium, mox vt baptiſma ſuſcepit, impulſus eſt in deſertum à ſpiritu, vt à Matt. 4. diabolo tentaretur. Quumque quadragenario dierum, noctiumque perfecto numero acriter eſurire cœpiſſet, ibi Satan affuit, & ipſum de gula, auaritia, & inani gloria importunè ſtimulauit, ſed nihil valuit aduerſus ſapientiam antiqui hoſtis meditata malitia. Veluti impudens canis reiectus eſt, & ſtatim aſtiterunt Verbo ſancti Angeli & tanquam ſtrenuiſsimo duci miniſtrauerunt illi. Ex tunc regnum cœlorum, pœnitentia, & perfectio euangelica prædicari inchoauit. Nam ipſe mediator de deſerto egrediens, & quos voluit eligens diſcipulos, per ciuitates, per caſtella ambulans, ſalutis monita euãgelizabat vniuerſis. Leproſos quidem mundabat, iacentes erigebat paralyticos, dæmoniacos verbo curabat, illuminabat cæcos, ſurdis præbebat auditum, claudis ambulandi virtutem reddebat, ſalutem infirmantibus, & mortuos reſtituebat ad vitam. Quibus operibus Sacerdotum Principes & Iudæorum ſeniores inuidiæ aduerſus eum liuore ſuccenſi, illum perdere cogitauerunt. Conſilio autem inito ordinauerunt, vt ſi quis ipſum publice audiret prędicantem, vinctũ illum duceret ad Põtifices. Iam enim Dominus Ieſus propter eorum conſpirationem nõ timore proſtratus, ſed vt locum daret nequitiæ, non ibat palam apud Iudæos. Ante verò diem feſtũ Ioan. 13. Paſchatis ſciens Ieſus, quia venerat eius hora, vt de hoc mundo tranſiret ad Patrem, parato in cœnaculo Paſcate cum ſuis recubuit, atque vltimum vale facturus eis corporis & ſanguinis ſui cunctis tribuit ſacroſancta myſteria. Deinde aqua in pelui miſſa ſe præcingens linteo cœpit ſuorum lauare pedes diſcipulorum, & extergere linteo, quo præcinctus erat, dans eccleſiæ documentum, vt inuicem ſibi lauare debeant pedes fideles. Iterum autem recumbens proditorem ſuum diſcipulo recumbenti in ſinu eius patefecit, atque ad tolerandas mundi perſecutiones & de vinculo ſeruandæ charitatis melliflua exhortatus eſt eos allocutione. Qua comIoan. 18. pleta ſurgens & trans torrentem Cedron egreſſus, quum in horto oraſſet tèr, ſanguinisque ſudorem irriguè ſparſiſſet, tanquam athleta fortiſsimus contra perſecutores proceſsit ſuos. Quibus in terra verbo proſtratis ſe teneri permiſit, ligari, & duci ad Annam primum, vbi alapa percuſſus eſt, deinde ad Caypham, ad Pilatum, ad Herodem iudices, ſemper illum accuſantibus Iudæis ductus eſt. Tandem à Pilato data ſententia tanquam mortis reus iniquorum traditur manibus, prius tamen duriſsime flagellatus. Mox accepto ſpinarum diademate acutarum, & cruce ſuper humeris poſita extra portam per ciuitatis plateas iter faciens, vt crucifigeretur, ductus eſt. Quid multa? Expoliatur, extenditur, affigitur, leuatur veluti hominum opprobrium & abiectio plebis, in medio duorum latronum rex gloriæ conſtitutus conuiciabatur à phariſæis & ſcribis ad alterutrum dicentibus. Alios ſaluos fecit, ſeipſum Mat. 27. non poteſt ſaluum facere. Pluraque alia proferebant blaſphemiæ verba. Ille autem, qui pro hominum ſalute tanta patiebatur, nulla fractus iniuria, & nullo dolore permotus, malum pro malo, aut maledictum pro maledicto reddere noluit, quin potius ſuis pro crucifixoribus exorauit latroni paradiſum donans, & diſcipulo matrem commendans. Sicque in agone validiſsimo conſtitutus quum Patri, cur illum reliquiſſet, dixiſſet humiliter, fel acetumque ſitiendo guſtaſſet, conſummatis omnibus quæ à prophetis prædicta fuerant, cum clamore valido Patri commendans animam capite demiſſo expirauit, atque tam beato fine redemptionem compleuit humanam. Cui verò tam ferreum pectus & adamantina mens eſt, quod huiuſmodi narratione non repleantur compunctione viſcera, cor amaritudine, oculi lacrymis, ora ſingultibus, linguaque clamoribus? Quis Lucæ 23. non doleat morte Domini, in cuius trãſitu Sol obſcuratus eſt, velum templi ſciſſum, montes dirupti, & aperta monumenta? Poterit ne humana mens ſaxis eſſe durior, & inanimatis inſenſibilior? Plangat quæ non dolet anima ſuper ijs, quæ dicuntur, quoniam merito plangenda eſt. Aliena quidem eſſe videtur à corpore, quum non triſtatur capitis paſsione. Timeat verò præcidi tanquam putridum & inutile membrum. At ſponſa, cui compungibile & lacrymoſum eſt cor, nõ ſic. Quoties in ipſius inſo-

nuerit auribus dilecti ſui cruciatus paſsionis & opprobria crucis, toties mucronis vulnere trãſfigitur doloris. Ipſa quoque vt verbo inſeparabiliter vniri valeat, quendam ſibi ſpiritualem componit faſciculum totius vitæ illius, quæ ruminando nutrit cunctos ſuos internos ſenſus, & veluti mũdum animal in intelligentię reuoluens palato in ipſius iucũda dulcedine requieſcit. Parua cum paruulo efficitur, cum fugiente fugit, cum ambulante pariter ambulat, & cum dormiente quieſcit. In omnibus, quæ meditatur, mentis ſenſum coaptare conatur, atque amoris ignem de ſua excutere cogitatione non ceſſat, vnde cum Propheta ait. Concaluit cor

Psal. 38. meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis. Nimium interdum in his intenta verbi incarnati meditationibus accenditur deſiderio ipſum videndi, ita vt penè deficiat. Eò quidem in hoc vehementius inflammatur, quò attentius meditatur & mundius. Quum autem vt cupit, ſuum nequeat perficere deſiderium, ſacramentali ſaltem illius pręſentia delectatur, oculo fidei conſpicit, quod carneis oculis intueri non valet, ſuoque ſtatuto tempore hoc modo illud in interno recipit cordis hoſpitio.

De perfecta proximi charitate à verbo in Euchariſtia ſacramento exhibito. Cap. XXIIII.

SIquis odii ſeu æmulationis exardeſcit facibus, ſemper toruo inimicum intuetur oculo & obliquo aſpectu, ſi quid de illius proſperitate audierit, ſi ipſius ſucceſsibus fęlicibus florere cõſpexerit, grauiter anguſtatur. Fama eius laudabili tanquã re ſibi contraria dolet, bonum ipſius malum ſuum ęſtimat, & malum bonum. Super omnia verò oneroſa illi eſt pręſentia corporalis, à qua veluti lux reſilit à tenebris, ita & hic elõgatur & latitat. Huiuſmodi Satanæ ſe membrum eſſe fatetur, quia veſtigia imitatur. Nam & ipſe homicida lumẽ veritatis non habet in ſe, quia non ſtetit in veritate. A ſplendore quidem repercuſſus ſapientiæ de ſublimibus cœlorum in hũc caliginoſum retruſus aerem ſuo tempore in tenebroſo inferni carcere æternis vinculis cruciandus reſeruatur. Inuidia etenim & odio ſucceſus quotquot valet huius veneni tabe commaculatos ſuæ perditionis ſocios aggregare, non deſinit. Hoc illi ſtudium eſt & cura ſolicita rapere quos poteſt Chriſto, & facere gehennæ filios. Econtrario conſummata charitas, quem repleuerit, cunctis facit eſſe beneuolum, ſingulorumque gaudere profectibus. Inflammat, vt quibus valet, proſit, quos poteſt, facultatibus, obſequio, auxiliis, & conſilijs ſuſtentet. Aliena non cõcupiſcat, alijs non noceat, ſuaque gratanter impertiatur, magis vt in erogatione, quàm in cumulatione lætetur. Neminem odit charitas, nemini derogat, nulli calumniatur, ſicut vniuerſos diligit, ita nullius abhorrendo conuerſationem aſpernatur, nullius veretur faciem, vitia ſi redarguat, naturam amat, vnitatem non frangit, pacis nõ repellit bonum. Hanc quippe veræ charitatis regulã de fonte æternæ hauſimus ſapientiæ. Ab ipſa enim virtutem perfectæ charitatis quemadmodum cæteras didicimus virtutes. In diebus quidem carnis ſuæ quum in homine conuerſaretur cum hominibus, omnem exhibuit patientiam, omnem dilectionem, manſuetudinem, & longanimitatem. Non irritauit, non irriſit, non inuidit, non cuiquã irrogauit malum, aut inflixit maledictum. Nunc quoque omnes dilectionis vinculo amplexatur, & ſingulorum profectu congaudet, dicẽte propheta. Gaudium etenim Do- Neem. 8.

mini eſt fortitudo veſtra. Gaudet quidem, quũ nos viderit ſanctitate conſpicuos, puritate nitidos, humilitate infimos, contemplatione ſublimes, & amore ignitos. Nequaquam autem deſinit, quin noſtrum quotidie erga ſe ſuccendat amorem. Sua quippe nos ditauit præſentia, qua amantis animus vehemẽti vritur charitate. Pro dono namque hoc nobis præſtitit ſingulari. Nã profecturus ad Patrem, & ab his carneis oculis amplius non videndus, quum in vltima cœna cum diſcipulis recumberet ſuis, tanquam ſingulare viſilibus præſentiæ corporalis ſolatium, quã ſubtrahebat de mundo, & inferebat cœlo, corporis & ſanguinis ſui ſacramenta reliquit, ſub quibus non corporeis ſenſibus, ſed ſpiritualibus cognoſcibilem ſe fecit, quoniam tota ibi eſt præſentia corporalis. Poterant quippe tunc nimium triſtari illius tam cita abſentia, qui cum ipſo fuerant conuerſati, ſi non hoc roborarentur myſterio, poterant quoque poſteri (nec abre) diffidere, ſi & ipſi eius dulci eſſent fraudati præſentia. Cunctos in vna, eademque pacis ſtabilitate firmauit. Vniuerſis dedit ſeipſum præſentibus & futuris. Præſentibus ſe palpabilem viſibilemque exhibuit, futuris autem ſub accidẽtium velamine ſe minime denegauit, nõ tamen minus iſtis, quàm illis contulit. Vnus enim idemque Chriſtus, qui in corpore paſsibili cum Apoſtolis conuerſatus eſt, & qui ſub panis & vini accidentibus vniuerſæ ſe præbuit frequentandum eccleſiæ catholicæ. Diſpar modus & vnus Emanuel, inæqualis viſio, ſed æqualis fides. Ambo per fidem ambulauerunt. Ioan. 20.

Non verò minus beati ſunt, qui non viderunt & crediderunt, quàm qui viderunt, & crediderunt. Non autem beati, qui viderũt & crediderunt de eo quod viderunt, ſed de eo quod crediderunt. Aliud viderunt, & aliud crediderunt. Quot viderunt in carne verbum, & tamen non credentes perierunt? Non enim vitam dabat, quod apparebat, ſed quod latebat. Ideo diſcipuli beati, quia in eo quod latebat, credebant. Super hoc ſententiam veritatis

audia-

Digitized by Google

audiamus. Quum autem ſemel interrogaſſet Matt.16. Dominus à diſcipulis. Vos quem me eſſe dicitis & Petrus voce omniũ reſpondiſset. Tu es Chriſtus filius Dei viui, illico audiuit. Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis nõ reuelauit tibi, ſed pater meus, qui eſt in cœlis. In fide vtique beati efficiuntur, quotquot gratificantur in Chriſto. Nec cuiquam profuit, quia in humana Chriſtum vidit carne, ſi nõ credidit in verbi abſcondita diuinitate. Omnis enim iuſtus (in quãtum iuſtus) ex fide fit. Rom.1. Iuſtus autem (ſicut Apoſtolus ait) ex fide viuit. Quoniam verò ſic apparuit in viſibili ſpecie Dei ſapientia, vt completo diſpẽſationis ſuæ miniſterio regrederetur ad Patrem vnde venerat, & à quo non diſceſſerat, cõgruum fuit, vt taliter ſe exhiberet, quatenus nec quos elegerat, præſentes delinqueret, nec venturis ſe negaret, ſed cunctos pari ſe oſtenderet dilexiſse charitate. Quod quidem optime perfecit, quum ſe ſub modica panis viniq́ue ſpecie realiter communicauit. Merito etenim tale opus diuinæ cõuenit ſapientiæ, nullique niſi verbo ſempiterno huiuſmodi debebatur elargitio charitatis. Quemadmodum autem cuncta ex nihilo per ipſum facta ſunt, ita etiã per ipſum reſtauranda. Neque tamen minus laudabile agnoſcitur, dum reſtaurat, quàm dum creat. Vt verò clarius diſſeratur, longe excellentius honorandum eſt verbum in renouatione humani generis, quàm in prima conſtitutione. Nihil quippe egit inglorium & diuinitati indignum, quũ cõdidit hominem. Gene.2. Verbo concepit Deus, vt faceret & verbo perfecit. De terræ limo plaſmauit illum, & abſque fatigatione & ſine vllo adminiculo ſpirauit in eo vitæ ſpiraculum, factuſq; eſt homo in animam viuẽtem. In reſtauratione autem ipſius quis ſufficienter enumerabit? quis enodabit, quãta cœleſtia ſint celebrata myſteria? Taceo de myſterio angelorum, de oraculis prophetarum, de patriarcharum promiſsionibus, quæ concurrerunt in illa. Taceo, quod verbum coæternum, & Deo Patri conſubſtantiale ſeruilem pro ſalute hominis induerit formam, taceo quanta in ipſa humanitate faciendo mira, dura ſuſtinuerit, docendo ſalubria, acceperit ignominioſa, ſuadendo vtilia, ſuſceperit indigna. Pertranſeo enim, quod à diſcipulo venditus, à cunctis derelictus ſit, ſputa, alapas, flagella, clauos, lancea, & mortis acerbam ſententiam, & quæ quotidie a peccantibus irrogantur opprobria, ſolum memorans illam, quam erga homines in hoc ſacramento expreſsit viſcerum eximiã charitatem. Hanc nemo, niſi qui incredulus & inexpertus eſt, ſe propalare confidet. Quis non ſtupeat? quis non miretur cum gaudio, & exultet præ admiratione, quum regẽ maieſtatis & Deũ gloriæ ſic tegi voluiſse, ſic cogitauerit ipſi placuiſse abſcondi? Non tantum abſcondi, verumetiam humano in corpore reclinari? Nõ à ſolis bonis & iuſtis, ſed etiam ab iniuſtis ſceleratiſque peccatoribus, quorum vita in luxuriæ fœtore ducitur, in ſeculi voluptatibus nutritur, in ludis, comeſsationibus, ebrietatibus, fraudulẽtiis, rixis, contentionibus, æmulationibus, obſcœniſq; conſumitur, actibus, ſe permittat tractari manibus, laniari dẽtibus, & ore contingi. Nam ſi hoc ſanctis concederet, magnum vtiq; foret. Quid autem ſi hoc etiã tribuit, à quibus blaſphematur indeſinenter? Semel pretio traditus eſt in carne, ſed millies in ſacramento, die vna ſuæ pertulit ludibria paſsionis, quotidie verò ab infidelibus miniſtris ſuper menſam altaris, ſemel in cruce pendens expiauit, quotidie autẽ quoties per myſteriũ immolatur. Hæc (inquit verbum) Mat.26. quotieſcunque feceritis, in mei memoriã facietis. O memoriale ſaluificũ, ò ſacrificiũ ſingulare ò hoſtia acceptabilis Deo Patri, panis vitę, pabulum ſuaue, refectio iucunda, ſaginate vitule, immaculate agnus, melliſluum manna, quis digne poteſt te ſumere, ſufficienter laudare, ad plenũ intelligere, ſyncero affectu venerari, & totis deſideriorum ſuorũ pręcordijs tenere? Deficit cor meum cogitando de te, nõ valet lingua mea loqui de te, nec quantum cupio, ſufficio magnificare te. Da mihi Domine eruditum ſenſum, linguã magniloquam ad tui ſacramenti promẽda magnalia. Non enim quanta ſunt, humanus valet explicare ſenſus, neq; angelicus intellectus. Solus ille nouit iſta, qui ſolus voluit & potuit facere tanta ac talia. Non tamẽ ab eius debet laude ceſsare etiam peccator, quamnis impar etiã iuſtiſsimi ſit omnis illius laudatio. Ab ipſo ſiquidem mundi exordio ſicut incarnãdi verbi ſunt reuelata myſteria, ita frequenter etiam quibuſdam corporis & ſanguinis inſtituenda ſacramẽta. Hæc nanque Melchiſedech Sacerdoti ſummo reuelata fuere. Nam quum benediceret A- Gen.14. brahæ à cede regum reuertẽti, pro ſacrificio panẽ, vinumq; obtulit in figura ſpiritualis huius refectionis. Præfigurabantur etiã hæc in agno paſchali, in quo præſignabatur humani generis liberatio à diabolica ſeruitute. Hæc in mãna præ notata ſunt propter multiplicẽ effectum gratiæ, hæc in legalibus ſacrificijs quo ad reconciliationem, in oblationibus quo ad ſatisfactionem, in holocauſtis quo ad conſeruationem præfigurata fuerunt. Decuit nanque vt tam ſalubre ſacramentum, tam adoranda, immaculataque hoſtia ex ſui excellentia multorum teſtimonio fulciretur, atque eius vera præconia prædicata legerentur. Continet quidẽ in ſe continentẽ omnia, & plurimis ſunt decorata mirabilibus. In hoc quippe ſacroſancto altaris ſacramento totum eſt corpus Chriſti, illius formæ terminos non excedens, perfectum in membris, in quantitate completum, decore pulcherrimum, ean-

dem habens ſpeciem ſub ſacramento, quã nũc habet, quum regnat in cœlo. Sunt quoque ibi accidentia ſine ſubiecto. Et ſic panis in corpus conuertitur, vt tamen non fiat materia corporis Chriſti, nec etiam annihiletur. Miro etiam modo quum videatur oculis, tractetur manib. prematur dentibus, & digitis diuidatur, non tamẽ Chriſti corpus tangitur, nec in vllo patitur læſionem. Cuncta enim hæc circa viſibiles, palpabilesque ſpecies peraguntur. Habet & hoc mirabile in ſe, quod quum ibi non ſit panis & vinum, poſsint tamen accidentia illa paſcere, ſatiare, & inebriare. Quum conſecratur panis vel vinum, non augetur corpus ex multarum conſecratione hoſtiarum, nec ex ſumptione minuitur. Eſt quoque corpus idem numero in locis plurimis. Nam angelicæ naturæ datum eſt, vt vno ſit tantum in loco, ibique operetur, vbi eſt; diuinæ verò naturæ, vt ſit vbique incircunſcriptè, nullis concluſa locis, nullisque indigẽs corporalibus lineamentis. Corpori verò Chriſti harum tenenti medium naturarum propter verbi vnionem datur, vt ſit pluribus in locis. Tanti inſuper tranſmutatio ſacramenti prorſus incomprehenſibilis eſt. Non enim artificialiter mutatur, ſicut multa fiunt quotidie ex ſolerti hominum ingenio, non eſt accidentalis, vt ſubiectum maneat in diuerſis accidẽtibus ſibi inuicem ſuccedentibus, non eſt ſubſtantialis, vt materia ſub diuerſis maneat formis, ſicut in tranſmutatione patet ad inuicem elementorũ, eſt autem hæc tranſmutatio ſiue tranſubſtãtiatio ſupernaturalis & diuina. Non enim ibi remanet materia, nec ſubiectum, ſed tantum accidentia ſine ſubiecto ſunt. Hoc quidem opus diuinum eſt non humanum. Miniſter quidem ſacramenti huius homo eſt, inſtitutor verò & autor verbum. Sacerdos etenim, cui commiſſum eſt officium miniſtrandi, foris operatur. Nihil tamen valeret quod exterius agitur, niſi verbũ interius operaretur. Illud quidem verbum de exigua panis & vini materia corporis & ſanguinis ſui efficit ſacramentum, quod de nihilo condidit vniuerſum. Non indiget Deus aliquo inſtrumento, quum quicquam facere diſponit. Quod agit, ſola perficit voluntate, nec minus difficile eſt ille de materia formare aliquid, Pſal. 134. quàm de nihilo. Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in cęlo & in terra, in mari & in omnibus abyſsis. Quamobrem quoniam voluit, potuit, & fecit, vt per homines miniſterium (ſuorũ tamẽ virtute verborum) panis ſubſtantia in corporis mutetur ſacramentum. Sic quidem nouæ legis miniſtris contulit, vt hoc mirabile conficiant ſacramentum, ſic vt Prophetis veteribus præſtitit, vt ſupra naturã operarentur multa. Præter naturam quippe fuit, vt ad ſonum percutientis virgæ propheta maris profunda detegeret, vnde in murorum altitudinem ſolidatæ ſe protenderent, & tandiu perſeuerarent immobiles, quandiu populus patrum ſicco tranſiret veſtigio. Idem quoque Propheta quum omnis Hebræorum multitudo ſiti periclitaretur, eadem virga bis ſilicem percuſsit, & repentè petra, quas prius non habebat, affluentiſsimas profudit aquas, ita vt ſufficerent omnibus, & abundarent. Dies nanque deficeret, ſi quæ fecerunt Ioſue, Helias, Heliſeus, plurimique Prophetæ, narrare voluero. Ipſe Deus per ſuos miniſtros tanta peregit, qui etiam per ſeipſum hoc inſtituit ſacramentum. Vbique omnipotẽs vbique apparet glorioſus. Præcipuè tamen in hoc ſancto myſterio illius charitas, illius commendatur maieſtas. Charitas, quia præbet ſe; maieſtas, quia non iumentorum caro, ſed corpus eſt Chriſti. Quid autem ſe maius dare potuit? Se fecerat fratrem, ſe ad humanæ inclinauerat naturæ conſortium. Parum ſe iudicauit egiſſe, niſi etiam ſe daret in cibum. O inexcogitata clementia, & incomprehẽſibilis bonitas. Vt iuſtis prodeſſet, non ſe peccatoribus denegauit, vt per quotidianum experimentum ipſius agnoſcatur dilectio, vſque ad mundi terminũ voluit, vt hoc perſeueret myſterium. Facilè quidem memoriæ reconditur, quod aſsiduè cernitur. Noſtrę prouidit ignauiæ, quum nobis ſic voluit eſſe propinquus. Deut. 4. Quæ autem eſt tam grandis natio, quæ deos ſuos ita propinquos habeat ſicut Deus noſter adeſt nobis? Non ad cœlorũ alta conſcendendum eſt, non per luſtrandum ſidera, non montium cacumina petendum, nõ Hieroſolymam ad orandum pergendum eſt. Accede in quoduis eccleſiæ catholicæ templũ, eſto ibi, dum diuina celebrantur ſacramenta (à catholico tamen & vero, credentique ſacerdote, & iuxta eccleſiæ ritum miniſtrante) nec dubites ibi de ſublimi cœlorum ſede cum innumerabili angelorum multitudine verbum in veram perfectamque deſcendere humanitatem. Inclinat quidem ſe certiſsimè, quum ſacramẽtalia proferuntur verba, nec in manus dedignatur ſe tradere miniſtrantis, atque tanto ſpatio tẽporis corporalis illius adeſt præſentia, quãto perſeuerant & formæ. Nõ aliud ſumit bonus quàm malus, ſed aliter. Merita quidẽ diſcernũtur, nõ eſca. Nã ſacramẽtũ vnum, idem corpus, Chriſtus vnus ab omnibus ſumitur, diſpariliter tamẽ. Quemadmodũ autẽ nõ omnes qui reſurgunt, immutãtur, ita neque omnes qui hoc ſacramẽtũ ſumunt, mãducant. Sunt enim qui nõ manducãtes mãducant, & ſunt quidã, qui manducãtes nõ manducant, aliqui quoque ſunt, qui mãducãtes mãducant. Nõ manducantes autem manducant fideles omnes, qui in charitate viuẽtes, deuotionibus vacãtes, laudabilibus actibus inſiſtentes corpori eccleſiæ myſtico vniuntur, &

tur,& per vnitatem charitatis ſpiritualiter manducant. Nam in ſacramento altaris quiddam eſt ſacramentum tantum, vt eſt ſpecies panis & vini, quiddam eſt ibi res tãtum, vt corpus Chriſti myſticum, quiddam eſt ibi res & ſacramentum, vt corpus Chriſti verũ, quod traxit de virgine. Illud nanque eſt res primi, & ſacramentum ſecundi, vnde euidenter colligitur, quod ille non manducando manducat, qui mandata dominica opere perficiendo, & miſericordiæ exercitijs inſeruiendo corporis Chriſti membris copulatur. De hoc enim dicitur, Crede, & manducaſti. Dum electorum nanque meritis conſortes ſunt, ſic de ſpiritu Chriſti viuunt, ſicut de ſuo humanum corpus. Nam Chriſtus & eccleſia vnum myſticum corpus efficiunt. Quotquot autem in huius corporis vnitate conſiſtũt, quamuis ſacramentaliter corpus non manducent Chriſti, ſpiritualiter tamen manducare noſcuntur. Sed quemadmodum laude ſunt digni, qui non manducantes manducant, ita etiã plurimum exprobrandi, qui manducantes non manducant. Quid verò damnabilius, quàm rem ſanctam, imò ipſum Dominum ſanctitatis ſcelerato corde ſuſcipere? Væ quicunque pollutis manibus & maculato corpore ſacramenta ſancta tractare præſumit. Non enim irreuerẽter ad altare domini accedendum eſt, neq; cum mortalis delicti macula. Si enim impunè non trãſiit, qui arcam Domini inclinatam præſumpſit erigere, quomodo diuinam poterit euadere vltionem, quiſquis in mortali conſtitutus temerario
1. Cor. 11. auſu myſteria cęleſtia manducare voluerit? Qui enim (teſte Apoſtolo) manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Malus nanque bonum manducando malè facit, non quia malũ ſit manducare bonum, ſed quia malum eſt bonum non manducare bene. Res quidem ſancta ſicut iuſtis in adiutorium, ita iniuſtis & peccatoribus vertitur in iudicium. Solis lumen ſanis oculis delectabile eſt, ægris verò odioſum, corpuſque dominicum innocentibus ſalutis medicamẽtum eſt, ſceleſtibus autem animæ mors. Mundet igitur ſe compunctionis & lacrymarum lauacro, carnis lumbos caſtitatis funiculo accingat, ſibi deuotionis affectu ſe componat, virtutũ ſe ornet gemmis, ſicq; dominicæ memor paſsionis quiſque ad ſanctum accedat altare diuina ſuſcepturus myſteria. Tali nanque præparatione mundatur immundus, vt mũdiſsimum dignè valeat ſumere ſacramentum. Detergenda ſiquidem eſt conſcientia, animæ facies lauanda, atque omnis culpę macula abolenda prius, quã ad altare
1. Cor. 11. pergatur. Probet (ſe inquit Apoſtolus) homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat, ne ſacramentaliter, non ſpiritualiter edendo, mãducando non manducet. Parum nanque prodeſt viſibilem foris ſpeciem quenquam ſumere, & mentis pabulo intus remanere ieiunũ. Ille quippe ſolus inſtituentis ſacramenti volũtatem exequitur, qui manducando manducat, qui ſacramentum & rem ſacramenti humili ſuſcipit deuotione. Ad hoc quidem ordinatum eſt myſterium tam ſanctum, vt frequentetur. Non enim ex ſola indignitatis ęſtimatione à communione ſe quis ſubducere debet. Nã peccato amoto eo quiſq; fit dignior quo indigniorẽ ſe putat. Nemo ad hoc ſuſcipiendum per ſe dignus eſt, quãuis multa ſit præditus ſanctitate. Obediẽtia quẽque dignum facit, nõ vita. Quis niſi ſuaderet Dominus, diuina auſus eſſet ſumere ſacramẽta? Moſes ſanctus quum oues paſceret in deſerto, vocem Dei vocantis illum de rubo audire nõ potuit, niſi calceamenta, quæ in pedibus habebat, extraheret. Populus quoque Hebræorum monti, in quo Deus loquebatur, propter fulgura & tonitrua, quæ ſentiebat, appropriare auſus non eſt. Sed & Helias propheta quum Deũ in ſibilo auræ tenuis audiſſet, exterritus pallio ſuo vultũ operuit. Vnde ergo nũc tãta eſt in eccleſia Dei fiducia, vt diuina maieſtas eſſentialiter præſens ſit, & intrepido ad illam accedat animo non ſolum iuſtus, verũetiam peccator & iniuſtus? Non ſolummodo accedat, ſed & manu tangat, ſumat ore, vniat corpori? Nã etſi ſub viſibili lateat ſpecie verbum, & impaſsibilis ſit illius caro, certiſsimum tamen eſt, quod declinat in manus hominũ, & ab hominibus mãducatur. Nam verbi ſunt verba illa dicẽtis, Qui manducat meam car- Ioan. 6.
nẽ, & bibit meũ ſanguinẽ, in me manet, & ego in eo. Hæc itaq; fiducia nõ de meritis prouenit manducantium, ſed ex ineffabili bonitate verbi ſic volentis. Taliter nanq; in ſacramẽto hoc ſe voluit exhibere hominibus, vt forma opertus viſibili non videretur, vt à fidelibus præſens eſſe non dubitaretur, vt ſepoſito ſeruili timore ardẽtius ſumeretur. Si enim qualis eſt, humanis intueri voluiſſet aſpectibus, nullus eſset, qui dominicũ auderet manducare corpus. Prudẽtiſsimo igitur Dei verbũ viſum fuiſse cõſilio perſpicuę claret, vt ſe corporaliter daret hominibus (& tamẽ accidẽtibus velatũ) quatenus ex præſentia noſceretur charitas, & per operimẽtum viſibilis formæ humana ad ipſum accedere valeret infirmitas. Dignum quippe fuit, vt inſtitutio hæc ſacramẽtalis potius ad charitatis promotionem, quã timoris ordinaretur fideliũ. Apparẽte ſiquidem in carne verbo, omnis legis duritia ablata eſt. Nã à facie olei cõputruit iugum. Venerat autem Deus ad homines, nõ vt onus adderet onęri, & mãdatũ augeret mãdato, ſed vt auferret onus, & leuificaret mandatũ. Parũ quippe profeciſset homo, ſi placatus non veniſset Deus. Venit nanque, vt iniuriã remitteret, non vt imputaret culpam. Pacẽ ſecum Dei attulit ſapiẽtia & in

carne occultauit celſitudinem maieſtatis. Per ipſam quidem humanam carnem pacis ſe Dei Ephes. 2. & hominum fecit autorem, vnde Apoſtolus, Ipſe eſt enim pax noſtra, qui fecit vtraque vnū, & medium parietem maceriæ, ſoluens inimicitias in carne ſua, legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in ſemetipſo, in vnum nouum hominem faciens pacem, vt recōciliet ambos in vno corpore. Deo, per crucem interficiens inimicitias in ſemetipſo, & veniēs euangelizauit pacem, & nobis, qui longe fuimus, & pacem iis, qui prope, quoniā per ipſum habemus acceſsū ambo in vno ſpiritu ad Deū. Huius etenim pacis ſe obſidem fecit, quum ſe Mat. 28. in hoc præbuit ſacramento propterea ait, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Hinc eſt, quod tam exuberans confertur gratia hoc ſacramentum dignè ſumentibus. Ex illo nanque quædam viuificantis ſpiritus, & mellifluæ ſuauitatis deguſtatur emanatio, per quam omnis vigor interioris hominis roboratur. Reparatur quidem in homine per iſtiuſmodi ſumptionem, quicquid vitiorum impulſu collapſum eſt aduerſusq; inimicorum rabiem truculentam mens armatur humana. Quis contra ſpirituales præualeret nequitias, ſi abſque adiutorio hoc cum ipſis haberet Psal. 22. congreſſum? Hoc Propheta fatetur, quum ait, Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos, qui tribulant me. Omnino humana deficeret virtus, & huius peregrinationis medio fatigata iaceret, ſi non ſpirituali hoc pabulo nutriretur, vnde veritas de turbis triduo ſuſtinētibus nec quid manducarent habentibus, ait, Si dimi- Marc. 8. ſero eos ieiunos, deficient in via. Tanquam enim ſpirituale viaticum præſentis exilij corpus ſuū Dominus ordinauit, vt ſubueniret per ipſum laborantibus, infirmantibus optimum recuperandæ ſalutis præſtaret antidotum, afflictis tolerantiæ ſolatium, proſtratis erectionis auxilium, dubiisque diuinæ miſerationis notiſsimū Psal. 114. demonſtraret indicium, ideo Propheta inquit, Memoriam fecit mirabilium ſuorū miſericors & miſerator Dominus, eſcam dedit timentibus te. Vniuerſis quippe prodeſt fidelibus timētibus Deum iuxta ſingulorum animæ diſpoſitionem. Nouiter nanque conuerſis, & adhuc in ſpirituali infantia conſtitutis cibus iſte ſapit, & ex illo veluti lacte aluntur, & creſcunt. Ad ipſum propter ſeipſos accedunt, & tandiu illum frequentant, quandiu delectatio perſeuerat interna. Ipſa verò deficiente puſillanimes fiunt, quia vberibus aſſueti cibi aſperitatem ſuſtinere nequeunt. Nil niſi quod iudicant, arbitrantur bonum. Metiri volunt ſpiritualia ſecūdum ſenſum proprium, atq; illud pernicioſum putant, quod non interiori delectatione perfunditur. Lacte indigent, lac quærunt, lactiſque nutriti poculo probationis ferculum pertimeſcunt. Nō autem proficientes ſic. Quū enim in pelagi medio ſe conſtitutos videant, & huc illúcque contrariis flatibus agitari frequenter ſe ſentiant, euadere per ſeipſos poſſe deſperant, ſi non diuino ſuffragentur auxilio. Ideo ſæpe in oratione poſiti, etſi cœleſtem non deguſtent dulcedinē, deſideriorum tamē cœlum replent clamoribus de ſublimi throno poſcētes auxilium. Maximū autem in venerandi huius ſacramenti ſumptione percipiunt robur, totieſq; deperditas recuperant vires, quoties tanti myſterij communione ſunt digni. Non tam quærunt guſtum, quam fructum, neq; delectari in cibo, ſed nutriri deſiderant. Primi tanquam inualidi ſaporem concupiſcunt ſacramenti, ſecundi verò per gratiam volunt viuere ſacramenti, perfecti autem his eminentiores ſponſi præſentiam amplectuntur in ſacramento, non quærunt ſua, vt primi, nō cuſtodire ſe volunt, vt ſecundi, aſcendere gaudēt ſupra ſe tanquam perfecti. Iſtorum principatū tenet, quæ ſponſa eſt. Ipſi ſoli notum eſt, quantis ſpiritualibus reficiatur donis, quantis paſcatur amoris ſolatijs. Facilè credi poteſt, quòd maximo ebrietur amore, quū & in cordis cubiculo, & in corporis tabernaculo præſentialiter verbū adeſſe nō dubitet, præ ſuauitate ſpiritus cū Propheta Psal. 22. canit, Dominus regit me, & nihil mihi deerit in loco paſcuæ ibi me collocauit. Singularē ſuæ peregrinationis iucunditatem capit in huiuſmodi refectione, & tolerabiliter verbi abſentiam ſuſtinet, cuius amore languet ſacramentali ſaginata viſitatione. Ambulando per fidem nutritur in fide. Nutritur quidem ſacramētaliter, ſed ſpiritualiter perficitur. Ex ſacramentali ad ſpiritualem tranſcendit verbi præſentiā, in qua perfecti amoris & futuræ beatitudinis notiſsima experientia deguſtatur.

Qualiter in peregrinatione hac, ſponſa ſpirituali verbi fruatur præſentia. Cap. XXV.

CVncta hominis ratione vtentis intentio, & omne ſtudium peregrinantium à Chriſto in æterna fælicitate adipiſcēda eſſe debet. Ad illum quæq; res dirigēda eſt, propter quem creata eſt. Nam quieta in ſe eſſe non valet, ſi aliò ſe conuerterit. Hinc eſt, quòd homine nihil miſerabilius, qui finē ignorat ſuū. Quoquo ſe vertat, aduerſa patitur, extra ſe tumultus patitur continuos, in ſe autem inceſſabile bellum. Iuſtum quippe eſt, vt perturbetur foris, qui in ſe à ſe diſcordat. Quā grauis, quàmvè lugenda ſit rixa exterior, nullus ſcit, niſi qui pacē mētis qualēcunq; guſtauit. Qui ignorat quid ſint tenebræ, lucis bonum iudicare neſcit, & qui mali inexpertus eſt, proſperitatis dulcedinem quomodo diſcernere valet? Sic quicunq; internā nunquā guſtauit tranquillitatem, quāta ſint, quæ foris perſtrepāt, omnino æſtimare nō ſufficit.

eit. Re nāq;,vera oneroſum valde eſt, quod tolerat homo,& quo atteritur,flagellum. Ab iis, quæ ſunt ſupra ſe,vt eſt grando,pluuia,hyems, calor nimius,& ſimilia,aſsiduè affligitur. Quā enim ſint multa iuxta ſe, quibus eruditur, nullus explicat.Nunc famis inedia, nunc cladis ſæuitia,nunc bellorum fragoribus cruciatur. Ferarum fugit morſus ſylueſtrium, repentium venena pertimeſcit,maris inūdationes,ne mergatur,deuitat, ignis lambentem flammam diligenter cuſtodit,ſicque omni ex parte verberibus depreſſus ſtatus ſui miſeriam damnare cōpellitur. Vniuerſa hæc quamuis pro peccati pęna iuſtè inflicta ſint homini, valet tamē de omnibus proficere, ſi caueat à recto tramite deuiare, vnde Apoſtolus ait; Omnia cooperantur in bonum iis, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. Nam interior diſpoſitio cauſas, Rom. 8. effectuſque exteriorum ſibi militare facit,ſiue in bonum,ſiue in malum. Quemadmodum autem viſibile opus inuiſibilis animi diſpoſitionis eſt ſignum,ita amor teſtis eſt intimę diſpoſitionis. Qui enim amorem ſuum abſque errore iudicii metiri poteſt, proculdubio operum ſuorū non ignorabit precium. Qualis amor, talis merces. Secundum amoris propoſitum compenſantur actus. Ideoque nil æquè in homine componendum ſic eſt, ſicut cordis affectio. Facilè nanque ſeducitur,qui hoc caret iudicio. Inordinatus amor nihil timet,non Dei ſententiam, non hominum facies, non propriam conſcientiam, quicquid eſt decoris, quicquid honeſti, quicquid rationis exhortet, ſua lege contentus eſt, nec diuinis,nec humanis arctatur. Nam etſi in quibuſdam pœnæ timore repercuſſus ab actib. nefariis coerceatur,intus tamen ſuæ malignitatis nunquam deſerit appetitum. Agit nequiter, quod valet impunè. Voluptatis ſeruus libertatem ſpiritus apprehendere nequit. Sibi ipſi flagellum eſt, dum obliquis graditur itineribus. Floret ad tempus, vt damnetur in perpetuum. E diuerſo autem ordinata dilectio diuino ſemper ſe timori ſubiicit. Quæ facit laudabilia,delectabiliter,& non violenter operatur, virtutis amore trahitur, honeſtatis tenetur vinculo, teſtimonio gaudet cōſcientiæ, interna pace perfruitur, magis futurorum,quàm præſentium remunerationem quærit, ſanctorum imitatur veſtigia deuitans iniquorum conſortia. Amor rectus veritatis amator eſt. Sibi viciſsim inſeruiūt veritas & charitas, neque ſine charitate veritas, neq; abſque veritate charitas valet ſubſiſtere. Veritatis ſemitas non declinet, quicunque ad charitatis arcem feſtinat aſcendere. Semitę nanque veritatis virtutes ſunt. Nemo ad veritatis perſpicuam agnitionem poteſt attingere, ſi virtutibus ornatus non fuerit. Nec minus contemplationi veritatis virtus congruit, quàm luci viſibili plura oculi pupillā. Nam virtus eſt qualitas mentis bene diſpoſitæ, qua bene viuitur, ſine qua nullus laudabiliter conuerſatur. Regit nanque virtus omnem animi inordinationem, & rationi ſolium erigit, de quo nil, quod à virtutis diſcordet regula, trāſire permittit inultum. Venuſtat quidem habitudinem animæ, morū probitatem decorat, ab imis erigit animum, & ad magnanimitatem adducit, vitia abhorrere facit, gratiam à natura diſcernit, robuſtos ſegregat ab infirmis, & firmam cum Deo contrahit amicitiam. Virtute ſi quis inſignitus non fuerit, veritatis lumini quum primum apparebit, rubore ſuffuſus diſcedet inglorius. Clara quippe eſt veritas, aſpectu delectabilis, amabilis ſupra modum, nil in ſe coinquinatum admittēs. Ideo præmittenda eſt virtus, quæ caret confuſione. Nam præbet fiduciam, ſerenat conſcientiam, mentis faciem tergit, menſuram ponit operib. motus inter nos regit, & ſubiicit rationi. Ex vſu virtutum & vitiorum fuga conſtantiæ habitus & diſcretionis lumen exoritur. Abſque his nāque veritatis ſpeculum non apparet. Ex dono quippe Dei, & virtutis habitu veritas in corde tanquam in propria ſede gloriæ ſuæ diffundit radios, per quos perfecta contemplatio poſsidetur. Inacceſsibilem etenim inhabitat lucem ipſa veritas, atque præ nimio diuinitatis ſuę fulgore, ſicut eſt, videri non poteſt. Quum igitur ad purum illius aſpectum humana ſit inualida acies, per media quædam cognoſcibilem ſe fecit. Radios quidem emittens [illegible] in ſua apud ſe permanet claritate. Temperauit ſe, ne mentem hominis ſublimi ſuo reuerberaret fulgore. Vniuerſa.n. mūdialis machina quid aliud, quā æternæ veritatis eſt ſpeculum? In ipſo diligenti conſideratione proſpectans animus quibuſdā lætificatur radiis veritatis. Singula videt mira ordinatione diſpoſita, varietate decorata, & proprietate diſtincta. Non ſumma confundunt infima, nec ima inuident ſummis. Vnaquæque in ſuo perſeuerat ordine: in proprio procedit tempore, ſuaque contenta eſt habitatione. Legibus ſuis ſingulæ patent, & proprio famulātur inſtinctui. Non alia, non altiora, non pulchriora appetunt veritatis lætificante iudicio. Sic nanq; vniuerſa diſpoſuit, vt nec dici, nec cogitari poſſit melius. Quemadmodū natura, ita diſtinxit dona. Angelicis quidem ſpiritibus tanquam in natura ſublimioribus dedit pro habitatione cęlū, pro contēplatione ſe: non per ſpeculū aliquod, ſed ſicuti eſt. Tales ſunt conditi, vt gratiæ conſentiendo, gratificatique per verbum diuina viſione ſint digni: à qua quamuis mutentur loco, contemplatione nunimè diuelluntur. Quum enim ad Dei perficienda exeunt miniſteria, præſentem vident, præſentia beatificantur deifica veritatis. Quod autem ſemel acceperunt

ex mu-

ex munere, amittere nequeunt ex adminiſtratione. Quò ſe vertunt, ipſam ſupra ſe per diuinitatis eſſentiam; ante ſe per contemplationis præſentiam: in ſe per amoris copulam mirantur, pro incomprehenſibili excellētia ſuſpenſi, pro ſapientiæ claritate prouidi: & pro fruitionis dulcedine ebrij: ſobria tamen ſpiritus & charitatis ebrietate. Tales decuit, vt miniſtri eſsēt veritatis, cœlorum incolæ, vniuerſitatiſque rectores: ī quibus nulla deformitatis macula, nullaque imperfectionis oppoſitio appareret. Qualis conditor, tales (ex parte tamen) ſunt, qui aſsiſtunt. Deiformes ſunt, & vltra quam dici poſſit elegantia inſignes. Horum aſpectus diuinæ laudationis parit affectum. Non patent oculis: quia intueri nō poſſunt. Rationi vtcunque ſunt noti. Poſt hoc nanque rationales ipſa veritas cōdidit ſpiritus quos propter carnis infirmitatem paulominus ab iſtis minorauit. Intelligentiæ acumē, intellectuſque dignitatem habent, vt angeli: non autem tam perfectè propter corporis carcerem, ſenſuum vſum, peccati fomitē peccādi quaſi neceſsitatē, loci peregrinationē; & naturæ minorationem. Quamuis poſt carnis reſolutionem illis cōferatur per gratiam, quod deeſt in natura & auferatur per gloriam, quod additum eſt ex culpa his nihilominus ſpiritibus ſuppoſita ſunt vniuerſa: mundus intelligibilis factus, & per ipſum, qui condidit omnia. Plurimum per hæc, quæ videntur, in ſcientia proficiunt diuinitatis. Nam radios ſuos per illa, quę ſunt ſiue viſibilia, ſiue inuiſibilia, veritas emicat & cognoſcibilem intellectui ſe præbet humano, ita vt ſapientiam veritatis, & veritatem ſapientiæ negare non valeat. Ne quid verò minus deeſſe de gloria veritatis, & ad hominis eruditionem de cognitione ſapientiæ, ſanctarū nobis contulit ſcientiam ſcripturarum. Ipſam quidem Hæbreorum generi per Prophetas & doctores ſanctos manifeſtam fecit veritatis claritatem ſub cortice tegendo literæ atque ſignorum. Ad quam propter eorum cordis hebetudinem penetrare non valentes ſolo literæ contenti intellectu à pabulo veritatis jejuni remāſerunt. Non enim ſpiritualis intelligentiæ myſteria carnalis mens & infidelitatis tenebris inuoluta capere ſufficit. Hinc eſt, quòd poſt aduentum veritatis in carne tanta ſcripturarum intelligentia propalata eſt. In ſe, & per ſe docuit earum interpretationes: dedit quoq; ſcientiæ, intellectus, & ſapientiæ ſpiritum fidelibus ſuis: per quem duritiam penetrauere literæ, & ad claritatem ipſius peruenerunt veritatis.

Pſal. 57.

Hoc expreſsit propheta, vbi ait: Pluuiam voluntariam ſegregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata eſt: tu verò perfeciſti eam. Animalia tua habitabunt in ea: paraſti in dulcedine tua pauperi Deus. Quod enim conſequi non potuerūt, quibus donata fuit ad eruditionem propter patres carnis, perceperunt qui per ſpiritum adoptantur. Iſtud velata facies Moſi ob nimium fulgorem ſignificauit, quæ per ipſam detegitur veritatem. Quamobrem Apoſtolus loquitur, dicens: 2. Cor. 3. Nos autem reuelata facie gloriam domini contemplātes transformamur à claritate in claritatem, tanquam à domini ſpiritu. In diuinis nanq; eloquiis aliud litera, aliud intelligentia, aliud eſt veritas. Litera quidem per ſenſum: intelligentia per ſpiritum: veritas verò per infuſionem apprehenditur. Literæ ſigna intelligentiæ ſunt: intelligentia autem veritatis radius, lucens ratio, notitia non caligans, & teſtimoniū ſapientię: veritas verò ſecundum ſe incomprehenſibilis eſt: bonum ſummum, fons ſapientię, lux lucis, ſempiternum verbum, & interminabilis virtus. Effectiue verò delectabile lumen verbi, & diuinę ſapientię quędam emanatio: quæ quum in humanū illabitur cor, fugat tenebras, depellit triſtitiam, duritiam liquefacit, renouat deſideria, amorem accendit, clarificat conſcientiam, infundit ſpem, virtutes ſolidat, exultationem commouet, & cunctam mentis habitudinem reformat in melius. Ex huiuſmodi luminis & guſtus infuſione quaſi duabus fultum pennis, amantis cor ab imis eleuatur ad ſumma: de intelligentia tranſcendit ad veritatem: eo altius, quo intuetur clarius, ſuauiuſque deguſtat. Magna tunc mens potitur pace & gaudio iucundiſsimo. Nam quod ſitibundo quærebat affectu inuenit: ideòque requieſcit. Rationalis quippe mentis cibus proprius veritas eſt, ſentētiarum intelligentia, rationis diſtinctio, geſtorum agēdorumque matura deliberatio. Hinc eſt, quòd in ſapientiæ lumine cogitationum ſuarum curſum figit tanquam ad ſuum cuncta principium. Altitudinem diuinitatis, verbi æterni generationem, paracleti proceſsionem, cęleſtis patriæ indefectibilem gloriam, ſummorum ſpirituum, angelorum, archangelorumque gradus præmia mirando veneratur. Sapientiæ nanquę ſplendoribus circunfuſa, intelligentiæ aciem ab eo quod videt, diuertere nequaquam poteſt delectatione illecta, gratiæ riuulis madefacta, & contemplatione ſuſpenſa. Tota ſe intentione firmat in ſe; & anxia animi auiditate cōmoratur ſecum: nec inde niſi pulſata foras, aut relicta ſibi exire valet. Quum verò egreditur, tanquam imbres emittit eloquia ſapientię, quæ audientium corda penetrant & transfigunt. De pharetra quidem charitatis euulſa illum, de quo plena ſunt, infundunt calorem. Aliena etenim ab incendio charitatis eſſe non poteſt mens, quæ in cellarium ſapientiæ meruit introduci. Proficit de omnibus, & qua ſe verterit, ſcintillas dilectionis admittit. In ſublimi quodam conſiderationis ſolio reſidens nimia exultatione læ-

tatur, quum ſe verbi ſponſa eſſe non dubitat. Perfectus enim amor dubietate caret. Intuetur tacitè vniuerſa poſita ſub ſe, ſuoque famulari obſequio. Si quid ſonorum audierit: ſi quid dulci modulatione in ipſius concrepuerit auribus, ad profectũ ſui conuertit amoris. Species quoque corporum, qualitates rerum, ſiderum rutilationes, elementorum productiones, atque omne, quod redolet, quod ſapit, quod nutrit, quod mollefacit, ſibi conceſſum eſſe nõ dubitat. Ipſi de mandato verbi cuncta fauent: plaudunt omnia tanquam chariſsimæ ſponſæ: miroque modo ſuadente amore ex iniuncto obſequio ſingula clamant intus, & dilectionis voces ingeminant. Quendã nãque in corde ſponſæ gignunt ſpiritualem concentum amore plenum: amoris teſtem, nuncium deſpõſationis, & ſponſi pediſſequum, per quem omnia interioris, exteriorisque hominis præcordia ebulliunt charitate, & in ſui laudem mouentur conditoris. Exemplis nanque pariter excitata, ac votis reſoluitur intus præ amoris dulcedine, præ ſuauitate ſpiritus, præ ardore deſiderij, præ liquefactione charitatis: præcipuè quum tantis ſe prælatam videt famulari à tantis, electamque de tantis. Merita rimatur, nec inuenit: dona conſiderat, & agnoſcit maculis referta: promiſſa cogitat: & ſupra modum excelſa illa eſſe miratur: ſicque amore & admiratione conſtricta alta emittit ſuſpiria: gemitus de profundo cordis trahit ignitos: atque virtute, qua poteſt, caſtiſsimo ſe copulat ſponſo. Illum in latiſsimo mentis collocat ſinu: illi amoris æſtus, deſideriorum vota, arcana pectoris aperit: illũ effert præconiis, laudibus magnificat, amplectitur affectu, ſtringit votis, cum illo ſibi bene eſſe ſentiens, ab illo nunquam deeſſe concupiſcit. Quod quum ſibi non licere cognoſcit, quendam in ſe reformat habitum geſtatæ ſapientiæ, & intimæ charitatis: in quo requieſcens actualem ardẽtiſsimè verbi ſemper præſtolatur aduentum. Non enim actualiter cuiquam ſe præſens exhibet Verbum. Accedit quippe, & recedit pro ſuo beneplacito nulli alternationis huius cauſas referẽs. Nõ autem parum profecit, qui memoratum lapidæ charitatis, & ignitæ veritatis in ſe reformauit habitum. Thalamus quidem nuptialis eſt: in quo caſta verbi & animæ connubia conſummantur, & tã quam in ſede propria ſuauiter reſidet ſapiẽtia. In eum non audent irrumpere aduerſarii propter angelorum cuſtodiam vigilem. A ſponſi inhabitãtis veluti à facie gladii fugiunt aſpectu. Ibi iuge celebratur conuiuium, & vitulus ſepiſſimè comeditur ſaginatus. Pax in illo guſtatur interna ſecura tranquillitas, tranquilla fęlicitas iucunditas magna, fides ſerena, amabilis ſocietas, oſcula vnitatis, contemplationis delectatio, ſuauitas in ſpirituſancto. Ibi cœli ianua eſt, & paradiſi porta. Sponſa frequenter de thalamo aſcendit in cœlum: & de cœlo iugiter ſponſus deſcendit in thalamum. Non pauida, non de ſalute incerta ingreditur ſponſa in ſupernorũ mãſiones, ſed tanquam in dilecti domũ, & in propriam poſſeſsionem. Vt enim illam emeret, vendidit ſua: & tradidit egenis, vt illam lucraretur pugnauit in tentationibus: pugnauit cum ſpiritibus nequam, quotidieque pugnat contra ſe. Non temerariè, ſed confidenter in atria intrat ſponſi. Nam etſi alias aduena illius ſanctæ fuerit ciuitatis: nunc verò ciuis effecta eſt ſanctorũ & ſpõſa Verbi: cui ex amoris priuilegio omnia, quæ ſunt ſponſi, debentur. Amor quippe verus nil priuatum habet, nil proprium, ſua ſeque gratanter impertitur: ea quoque lege, eademque charitate, qua largitur propria, vtitur alienis. Ex amoris igitur mutui exuberantia tanta eſt inter verbum & animam familiaritas, loquutionis fiducia, gloriæ certitudo, & conditionis inconſideratio. Nũquam præſumeret anima, quamuis munda, quamuis ſancta, accedere ad verbum, loqui illi, importuniſque petitionibus inuincibile vincere, ſi non interueniret amor. Sed neque maieſtati verbi congruit talẽ habere ſponſam, quæ corruptione grauetur carnis, pollutione maculetur peccati, delinquendi legi ſubiecta ſit. Vehemens tamen amor ſicut indignitati nõ repugnat, ſic neque derogat maieſtati. Aequat nanque in ſpiritus vnitate, quos diſæquat imparilitas naturæ. Nã in amoris fœdere, nec maieſtatem attendit infirmitas, neque infirmitatem exhorret maieſtas. Infirmitas etenim per amorem erigitur, dum gratis eligitur, verbo copulatur, fœcũdatur ſpiritu, & charitate vulneratur. De ingrata efficitur amica, de extranea domeſtica, de adultera chariſsima & de proſtituta fidelis ſponſa. Cuius hæc mutatio eſt, niſi dexteræ excelſi, niſi dignationis verbi? Nihil ſe reputauit indignum iuſtificãdo ſceleſtam & peccatricem. Proinde mirentur cœli, & exultet terra in huiuſmodi venerando connubio. Non ſit qui deſperet de venia, quum ſponſæ conſiderat gratiam, & ſapientiæ honorabilem beneuolentiam quum ad cordis habitaculum conſpicit declinare Dei verbum. Poterat quiſque dubitare de gloria, ſi non in ſponſa tanta præceſsiſſet gratia: poſtquam verò Deus homo factus eſt, poſtquã fidelis anima connubii vinculo verbo ſociata eſt, omnis timoris cauſa ſublata eſt. Innouata ſunt ſigna, prodigia immutata, & antiqua reſtaurata miracula, dum ſapiẽtia ex altiſsimi ore prodiens, in montibus ſaliens, colleſque tranſiliens humanæ illabitur menti nõ receſſura, ſed ibidem perpetuò moratura. Meritò igitur pro tanti laude connubij obſeruanda eſt dies & hora, quando verbum ingreditur in mentis thalamum, vt vna cum ſponſa grata captet ſecreta ſilentij.

ſilentij. Clanculò quidem diffundẽdi ſunt vernantes flores, conuallium lilia, & roſarum odoramenta, vt thalamus omnis ſuauiter redoleat. Tunc prophetarum cuneus ſancto feruentium ſpiritu aduocandus eſt vna cum patribus cunctis teſtamenti veteris: vniuerſi quoque nouæ legis ſancti, & præcipuè virginum ſacratus humerus inuitandus eſt, vt conſona modulatione epithalamij huius efferant pręconia. Ipſa etiam angelorum, & archangelorum, cæterorumq; beatorum ſpirituum agmina, nec non & cãtatores omnes, atque cantatrices cœleſtis Hieruſalem & curiæ paradiſi exhortandi ſunt: ita vt ipſorũ nullus remaneat, qui venerandi connubij non ſeruet excubias: reſonẽt ibi organa & vox ſambucæ ac pſalterij bene ſonantis. Sonus exultationis, iubilationis, & laudis per vniuerſum audiatur orbem. Aſcendat nubium altitudinem, tranſcendat alta cęlorum, & ad aures vſq; perueniat domini exercituum: illicque immenſas reſetat gratiarum actiones pro tanti dignatione myſterij, tamque exuberantiſſima ſui vnigeniti charitate. Omnis quippe laus, omnis honor, & gloria exigua eſt tanti reſpectu connubij. Quamuis autem humana non valeat explicarè facundia, quod ſentit, neque quantum debet magnificare ſufficiat: indignum tamen eſt, vt a diuina muta ſit laude. Nihil enim in huius peregrinationis tempore ſic angelorum imitatur veſtigia, ſicut pura laudatio. Cuncta illorũ intentio & omne deſiderium in conditoris laude firmatur. Optimè vtique occupatur mens, quum diuinis exercetur in laudibus. Eſt nanq; diuina laus ſacrificium ſalutare, oblatio mũda, thymiama ſuauiſſimũ, munus acceptabile, grata libatio, fragantiſſimus odor, & hoſtia immaculata: præcipuè quum de corde puro, de ſynceritate animi, de ardore deſiderij, de humilitatis arcano, de feruore ſpiritus, de lumine fidei, de veritatis cognitione, de intentione charitatis, de abundantia deuotionis, de conſcientiæ nitore, de cõtemplatione cęleſtis patriæ, de affectu futuræ vitæ, & de cõtubernio æternę procedit ſapientię. Hęc quidem iuſtificat impium, torpentem excitat, ſoluit ingratum, & damnat incredulum: placet Deo, placat iudicem, cœlũ aperit, honorat verbum, impetrat veniam, & confert gratiam, gloriamque meretur. Nullus diuinæ laudis valet æſtimare precium, profectum intelligere, & penſare gaudium. Hoc attendẽs propheta maximo cum feruore vniuerſos hortatur, dicens: Laudate dominum omnes Pſal. 46.
Pſal. 144 gentes: laudate eum omnes populi. De ſe verò ait ſic: Laudabo nomen Dei cum cantico: & magnificabo eum in laude: potiſſimum in huius conſideratione connubij, vbi ima ſummis, humana iunguntur diuinis, vbi anima ſempiterno fœcũdatur verbo, & rationalis ſpiritus æternæ copulatur ſapientiæ. Quiſque quantum poteſt, laudet: nec peccator ſileat, nec quieſcat iuſtus. Reconciliabitur peccator, ſi verbi laudes tacere noluerit, & dignus fiet, vt laudet: iuſtus quoque magis magiſque laudando iuſtificabitur: ſinguli tamen laudis voces proferant, offerant vota, magnificentęque pręconia. Si quid vero deerit a laude, ſupplebit, quæ intus eſt, ſponſa. Talis nanque eſt, vt repudiari laudando non debeat. Quomodo repudiari poteſt, quę adamatur a verbo, in ſponſam eligitur, tenetur vt chariſsima? Non mediocris gratiæ hoc eſt. Rara quidem inuenitur anima, quæ ex vitæ merito, ex muneris priuilegio, ex immenſitate amoris ſponſa verbi vocitetur: de qua ſponſus in eius laudem dicat: Vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matris ſuæ, electa genitricis ſuæ. Cant. 6.
Quum talem inuenit, ſingulari eam diligit charitate. Frequenter viſitat, alloquitur familiariter, dulciter amplexatur, & vix ſe ab illa patitur abſtrahi. Diſcedit interdum ab illa, non vt iratus, ſed vt amore ſuccenſus. Quo enim tardius redit, ipſa dilatione vehementius inflammatur, pulſat crebrius, prouocat ardẽtius, & dicit: Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni colũba mea Cant. 2.
in foramina petræ, in cauernam maceriæ, oſtende mihi faciem tuam: ſonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Præceps nanque amor dilationem nõ patitur: moras neſcit deſiderio fruendi, quod diligis. Amoris artem amandi neſcius non capit: ſolus nouit expertus: indoctus autem in ſole poſitus non videt, & igni appoſitus frigeſcit: ſponſa verò ex contubernio erudita verbi, plurima intelligit amoris argumenta: nõ tamen omnia. Nã ignitus amor ſemper meditatur noua, & inſueta componit. Impatiens nanque quum ſit, cogitare non deſinit quomodo ardentius diligat, diligatur dulcius, fortius teneat, familiarius conuerſetur. Nil ſecum amari vult: ſolus cordis cõcupiſcit poſsidere principatũ. Hinc zelotypia, hinc querimoniæ, hinc amoris murmur, ingeminatio verborum, & abſentiæ intolerãtia. Nec à clamore vox, nec gemitus à corde, nec ab inquiſitione ſolicitudo, nec ab intimis conquieſcit deſiderij ardor, niſi per præſentiam dilecti: qui nanq; feruentius diligit, fatigatur vehementius, quamuis ipſum amoris immenſitas nõ permittat conſiderare laborẽ. Ex lege igitur amoris, ſancti connubii quanta ſint gaudia, quantaq; flagratio charitatis, comprobari poteſt. Ex eadem quoque ſponſæ excellentia, atque illius donorum ſublimitas, deliciarum opulentia, latitudo cordis, mentis magnanimitas, ſuauitas ſpiritus, amoris confidentia, deuotionis delectatio, veritatis ſcientia, conſcientiæ puritas, virtutum perfectio, charitatis vinculum, exultationis tripudium, iubilationis gaudium, deſideriorum

æſtus,

æſtus,pacis abundantia, contẽplationis guſtus, rectitudinis conſtantia,morum probitas,ſapiẽtiæ facunditas, luminis delectatio, humilitatis exercitatio,compaſsio fraternæ dilectionis, innocentiæ candidatio,munditiæ decor,iucunditas ſanctitatis,diuinæ magnitudinis laudatio,& verbo ſufficienter agnoſcitur ipſius inhæſio ſalutaris. Quod habet,teneat ſponſa: non præſumat,ne perdat:non tepeſcat, ne repudietur: nõ ſatis habere ſe credat,ne faſtidiat:non perueniſſe ſe putet,ne retrogrediatur: gubernaculũ prudentiæ non deſerat,ne præcipitet: ſpiritus conſueta ſtudia non deſerat,ne claudatur foris: ad anteriora ſe extendat, ne congregata amittat: futura ſemper concupiſcat æſtimatione præſentium:ſic viuat quaſi quotidie in domino moritura:de virtute proficiat in virtutem:in lumine vultus ſponſi ambulet, & in ipſius nomine tota die exultet: æſtuanti amore vociferetur aſsiduè. Indica mihi quem diligit anima mea, vbi
paſcas, vbi cubes in meridie. Totiſque præcor- Cant.1.
diorum affectibus, quem in mentis fouet gremio,deſideret videre regnantem in diuinitatis ſolio ſponſum ſuum Ieſum Chriſtum dominũ noſtrum, qui cũ patre & ſpirituſancto immortalis Deus viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

DIVI LAVRENTII IVSTINIANI IN LIBELLVM QVI FASCICVLVS AMORIS In cœna Domini inſcribitur.

PROOEMIVM.

Eccl.1. Omnis ſapiẽtia à domino Deo eſt: & cum illo fuit ſemper, & eſt ante æuum. Hoc lex diuina pronſiciat, vt humilitatis regula iſtruat vniuerſos. Nouit quam facilè ad ſapiẽtiam per humilitatis itinera gradiatur. Eſt planè vera humilitas de cordis puritate procedens ſapientiæ præuia: ſine qua eſſe ſapiens nemo poteſt. Quemadmodum autem aſcendendo deſcenditur, ita aſcenditur deſcendendo. Hoc ſuo monet exemplo ille, qui humi-
Esa.41. litatis ſemitas ſuperbiendo deſeruit, dicens: Sedebo in monte teſtamenti,in lateribus Aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubium, & ſimilis ero altiſsimo. Vnde quoniam in humilitate ſtare neglexit,meritò audiuit.Quomodo cecidiſti Lucifer,qui mane oriebaris?Econtrario Dei & hominũ mediator, qui mitis erat, & humilis corde, fortitus eſt nomen ſuper omne
Phil.2. nomen: ita vt in ipſius nomine omne genu flectatur,cœleſtium ſcilicet, terreſtrium & infernorum,Quamobrem decet ad veræ doctrinam ſapientiæ aſcendere cupientem, vt non aliunde,quàm per humilitatis incedat exercitia. Agnoſcat ſe per ſe, quàm videlicet ſit in natura infirmus,deformis in moribus, vitiis procliuus & gratiæ ſplendore præuentus. Hæc ſi ignorauerit,æterni regis gloriã vſurpabit, ſe aliquid ſcire arbitrans,cùm ſciat nihil. Vtique nihil ſcire conuincitur, qui ſui ignarus de diuinitatis ſcientia multa ſcire videtur. Porrò Deum ſcire non valet,qui ignorat ſe. Ordinatiſsima veræ
Psal.118. ſcientiæ regula hęc eſt, vt homo prius ſe deinde Deũ agnoſcere ſtudeat. Hoc teſtimonio ſuo propheta confirmans ait: Mirabilis facta eſt ſciẽtia tua ex me. Redeat igitur ad ſe, & in cordis ſui domicilio conquieſcat, qui ſapientia imbui concupiſcit. Se compunctione & lacrymis, atque virtutum colluuione detergat, quatenus humilitatis magiſterio perfectam ſuimet valeat habere notitiam. Hanc dum adeptus fuerit, fugatis ignorantię tenebris lumen percipiet, non
ſolis viſibilis,ſed ęternę ſapiẽtię, quę radiis ſuis Baruch 3.
electorum omnium mẽtes illuſtrat. Diſcet profectò vbi ſit ſapientia, vbi ſit prudentia, vbi ſit virtus, vbi lumen oculorum & pax. Diſcet (inquam) verbũ in principio apud Deũ, per quod facta ſunt omnia: in quo viuunt, à quo ſapiunt, qui intelligentię percipiunt lumen. Sic enim habes: Fons ſapientię verbum Dei in excelſis. Altiſsimus Deus creauit illam ſpirituſancto,& effudit illam ſuper omnia opera ſua:& ſuper omnem carnem. Secundum datum ſuum prębet eam diligentib. ſe. Eſt planè dominus Ieſus ver
bum Dei:& ſapientię fons, atq; fons vitę vtiq; Psal.35.
in excelſis: de quo per prophetã dicitur: Apud te eſt fons uitę, & in lumine tuo uidebimus lumen. De ipſo ſiquidem fontis puro meatu, qui ſupernę Hieruſalẽ effecti ſunt ciues, inebriãtur ab ubertate illius, & torrẽte uoluptatis eius potantur ad ſatietatẽ, pacem, ſempiternamq; lętitiã. Vnde charitate feruidi, ac iubilatione perfuſi inexhauſtibiles Deo perſoluunt laudes, & gratiarum interminabiles actiones. Non aũt ſic qui peregrinantur. Nequaquã de ipſo hauriũt fonte, ſed de fontis riuulis collium æternorum miniſterio defluentibus in hac plorationis valle pro inhabitãtium ſolatio: & ęrumnarum ſuarum pio leuamine. Ne igitur in via deficiant, aqua

aqua ſapientiæ ſalutaris potantur, & ſi nõ ſapiẽtia. Sapientia verò quando? Vtique quum mortale hoc immortalitatem induerit. Tunc & ipſi fruitione ſapientiæ lætificati, fęlicitate locupletabuntur æterna. Interim ſapientię reficiuntur aqua, eloquiis ſcilicet ſcripturarum: earũ potiſſimum, quæ ab ipſius ſapientię ore prolatę noſcuntur. In his quotidiana exercitatione tãquã columbæ ſuper aquarum riuulos, quæ reſident ſuper fluenta pleniſſima, depurantur, & ſapiẽtes fiunt: ex munere quippe ſapientiæ communicante ſe illis, vt aliis ſe cõmunicent ipſi. Hinc occultare nequeunt, quod gratis acceperunt, præcipuè cum propalatione veritatis largitoris quærant gloriam, & erogationis merita ſortiãtur. Horum igitur eruditus magiſterio ad te, miſericordiarum patrem nunc cordis mei genua flecto: quatenus mihi ſeruorum tuorum minimo veram præſtare digneris humilitatem, ne tuorum elatus largitione donorum mentis ceruicem erigã, meritoque repellar à te, pro quo ſum, cui militο, ad quem ſuſpiro, in quo requieſco, quem totis viſceribus diligere, laudare, atque magnificare concupiſco. Da mihi etiam, ò domine ſedium tuarum aſſiſtricem ſapiẽtiam: vt nedum ſciam quid acceptum ſit corã te omni tempore, verumetiam eiuſdem valeam propalare myſteria, atque riuulorum exhaurire ſacramenta, quæ in vltimo cœnæ ſuæ ſermone ſunt condita. Ipſius nanque dulcedinem ſub literæ velamine latentem ad tui gloriam, tuorũque profectum telerare curabo. Fari igitur incipienti benedictionis tuæ imbrem tribuere, vt opus perficiatur per te: quod te ſuadente inchoatur: Fiet profectò te loquente per me, vt agnoſcaris per te, honorificeris in te, & diligaris propter te, à quo omnis ſapientiæ ac ſcientiæ commendabilis procedit facundia.

QVOD AD SE CONTEMPLANdum diuina Maieſtas rationalem angelorum hominumque naturam condiderit.

Cap. I.

HVmana quidem experientia, atque naturali eruditi, ingenio perſpicuè intelligimus neminẽ ſolis lucem poſſe aſpicere, qui clauſos tenet, ſeu ægros habet oculos. Eſt enim lux vis quædam, quæ naturali ſuo impulſu in diſpoſito ſe diffundit oculo, vt illum confortet, ſolidet, ornetque. Secundum ſui naturam habere appetit, cui ſe communicet. O mirabile æterni ſolis exemplar, & diuinæ ſapientiæ altiſona vox. Pro documento imbecillitatis humani ingenij vniuerſa viſibilia omnipotens condidit, vt de corporalibus ſpiritualia, atque de viſibilibus inuiſibilia eliceremus. Hoc
Rom. 1. Apoſtolus teſtatur, dicens: Inuiſibilia Dei a creatura mũdi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus & ſapientia. Eſt autem lux vera, æterna ſpiritualis, diuina, incommutabilis in ſe, irreprehenſibiliter mutans omnia: intelligibilis per ſe, mentis oculis conſpicua, vniuerſa penetrans, omnia complectens, ſupereminens cunctis, ſine macula, abſque deformitate, ſine obumbratione neſcientiæ: delectabilis in ſe, delectabilia continens omnia, delectationemque infundens. Dei videlicet ſapiẽtia, quæ claritatis ſuæ radios in bene diſpoſitis, & ſe dignis communicare concupiſcit. Nulla quippe creaturarum ratione carentium, ſiue earum, quæ corporis fulgent oculis, mulcent auditum, olfactum delectant, & dulceſcunt guſtui, huius almæ lucis valet eſſe particeps. Solus rationalis ſpiritus ſplendoris illius perceptibilis eſt. Quamobrem ad declarãdam, conferendamque diuinitatis ſuæ gloriam duplicem Dei clementia intellectualem condidit naturam; alteram ſcilicet in ſublimibus cœlorum ſedibus reſidentem: alterã vero in huius vitæ exilio peregrinantem. Illi etenim, quæ ſuper cœlos habitat, non in ęnigmate, neque per imagines aliquas, ſed ſicuti eſt, ſe præbuit contemplandam, vtpote ex naturæ generoſitate, ex gratiæ dono, atque ex liberi arbitrij merito effectæ digniſſimæ. Non quidem ex natura hoc meruit, ſed ex operante, atque cooperãte in ſe gratia. Spiritualis quippe luminis irradiata ſplẽdore, mox vt eſt condita, per liberum probata arbitrium & in gratiæ bono corroborata Dei inenarrabilem gloriam contẽplari promeruit. Inuenta tamen eſt, non numero integra, ſed prædeſtinatione. Ipſorum nanque pars maxima ſpirituum, dum ſuo contemplit inhęrere autori, ab ea, in qua, & ad quam facta eſt, celſitudinis corruit dignitate. Tanto ſiquidem claricne ſua effecta eſt abiectior, atque deformior quanto in ſui inſtitutione extiterat in natura ſublimior. Dum enim noluit diuine fieri bonitatis exemplar, ordinata eſt, vt ſit iuſtitiæ ſpeculũ magiſterium humilitatis, vltrix delinquẽtium, & peregrinantium infatigabilis impugnatrix. Porrò multitudo, quæ cecidit, in eo quod patitur dignè Dei iuſtitiam: quæ verò ſterit, per id quo fruitur, gratuitam in ſe commendat miſericordiam. Hoc admirans Propheta, inquit: Mi- Pſal. 100.
ſericordia & iudicium cãtabo tibi domine. Nẽpe abſque miſericordiæ dono illa, quæ regnat, ſtare minimè potuiſſet. Eleuanti ſe arbitrij porrexit manum, pulſanti volũtatis aperuit ianuã, & vocanti per gratia obtemperãdo reſpondit. Tanti etenim fuit iſtiuſmodi conſenſio libertatis, vt ſupernam ſibi æternaliter clementiã vendicaret. Repentè quidem, vt aſſenſum gratię tribuit, arcana Dei myſteria, & ſapiẽtiæ illius ineffabiles theſauros intuita eſt. Huic beatitudinis,

quam

quã habet, exordium ſumpſit. Naturæ ſuæ bono perfectio gratiæ, felicitatis præmium, Dei adhęſio ſempiterna, atq; diuinitatis clara cognitio, in qua omnis ſanctorum beatitudo conſiſtit, aggregata illi fuiſſe dignoſcitur. Ex viſione autem hac refuſa lumine, charitateque perfuſa laudis purum, nec non & gratiſsimum ipſa natura angelica inchoauit exoluere ſacrificium. Suorum igitur recepto cumulo meritorum, atque eſſentialis vltra ſuſceptura nil præmij totis ſe deſideriorum votis conditoris occupatur in laudem. Suum iam ad finem peruenta quid eſt, quod concupiſcere ſuperſit. Conditoris glorię gratiarum actionis exhibendæ, hominumq; ſalutis flagrãtiſsimo tamẽ ebriatur amore. Hinc eſt, quòd minimè in electorum miniſterio fatigatur, neq; conticeſcit in laude. Quod poteſt, agit per ſe: quod verò non valet, perficere exardeſcit in altero. Hinc eſt, quod homines, & pręcipuè Dei amicos intimo veneratur affectu: atque erga eorum quenq; tam ſedulum peragit dilectionis obſequium. Delinquentes hortatur vt pęnitentiæ arrepto certamine aſceleribus reſipiſcant. Stantes, ne cadant, protegit, docet inſcios, conſolatur mœſtos, errantes reuocat, exuleſque blandè monet, ne cęleſtis patriæ itinera derelinquant. Omnibus planè fidelib. tanquam conciuibus ſuis, in quibus ſui conditoris elucet imago, ſe pręſtat beneuolã, amabilẽ, officioſamque. Hominem quidẽ nõ qualis ſit, aſpicit, dum carnis corruptione veſtitur: ſed qualem illũ futurũ eſſe non dubitat, quãdo viſibile hoc atque mortale ab ęterna incorruptibilitate abſorbebitur. Quãdiu peregrinatur à domino obtectum eſt, quod illi pollicetur, cum ad præordinatum finẽ peruenerit. Re etenim, vera mortalium genus ſic ab artifice ſummo plaſmatum eſt, taliq; lege mundi huius homo colonus effectus, vt obedientię cuſtodiẽdo ſtatuta, poſt præſentis vitæ decurſum immortalis fieret, & beatus: nõ tamẽ hominibus cunctis immortalitatis ſtola donanda eſt, ſed prędeſtinatis tantũ, vocatis, iuſtificatiſque. Hi ſoli per adoptionis gratiam Dei filij nũcupantur. In iſtis tanquam in ſede propria Dei reſidet ſapientia: ſuaſq; apud eoſdem arbitratur eſſe delicias. Nam à peccatorib. & tenebrarum filijs omnino ſemota eſt: nec inuenitur in terra ſuauiter viuentium. Omnis ipſius æternæ ſapientiæ clarificatio apud primitiuorũ Eccleſiam eſſe: atq; electorum congregationẽ dubium non eſt: ſiue eorum, qui adhuc carnis inuoluti ſunt fece: ſeu illorum, qui de corruptibilis corporis ergaſtulo liberati, in perpetuas ęternitates fæliciter tranſiere. Triumphantibus nanque ſuper cęlorum ſidereas manſiones reuelata ſe facie manifeſtat. Peregrinantib. verò ſe in fidei lumine, & teſtiũ veridicorũ aſſertione declarat. Vtiſq; tamẽ tãquã proprij corporis cohæret membris, & in quãlibet ipſorũ congregatione ſuæ præſentiam cõmunicat maieſtatis: vnde ait: Vbi fuerint duo, vel tres cõgregati in nomi- Mat. 18.
ne meo, in medio eorũ ſum. In eorũ etiã ſingulis, veluti in mẽbris proprijs ſpiritualis gratię impertitur dona. De hoc inquit Apoſtolus: Vni- Ephe. 4.
cuiq; noſtrũ data eſt gratia ſecundũ menſuram donationis Chriſti: propter quod dicit: Aſcen- Ibid.
dẽs in altum captiuam duxit captiuitatẽ: dedit dona hominib. Et ipſe quoſdã dedit eſſe Apoſtolos, quoſdã autẽ Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autẽ paſtores, & doctores ad conſummationẽ ſanctorũ, in opus miniſterij, in ędificationẽ corporis Chriſti. Queadmodũ igitur ab infidelibus, & peccatoribus abeſt ſapientia, ita in omni iuſtorum adeſt collegio myſtici ſui Ioan. 13.
corporis inſinuãs veritatẽ. Propterea cum in vltimo ſuæ cęnæ conuiuio iã diabolus in proditorẽ introiiſſet, illeque accepta intincti panis buccella, vt facinus perpetraret, de cęnaculo exiiſ- Ibid.
ſet, idẽ mediator in ſpiritu exultãs inquit: Nũc clarificatus eſt filius hominis, & Deus clarificatus eſt in eo. Vniuerſos, qui tunc aderãt, ex quo perditionis ſeceſſerat filius, ſuos eſſe cognoſcẽs in ipſis tanquam in veriſsimis mẽbris ſe eſſe clarificandum aſſeruit. In verbo ſiquidem intuendo, facienda veluti iã facta affirmat. Quòd enim ſe clarificatum dicit, futurũ erat, & tamen ait: Nunc clarificatus eſt filius hominis: quatenus tam præterita, quàm futura in verbo eſſe præſentia inſinuaret. Nec ab re ſe per diſcipulos clarificãdum dicit. Magnã ſiquidẽ & prorſus ſtupẽda claritas homini Chriſto aucta eſt: cum per eos, quos de mundo ipſe elegit, veritatem fidei & diuinitatis amorem in corda fudit credentiũ. Nempe non in ſeculo nobiles, non facundos ſermone, non moribus ornatos, neque facultatibus elegit locupletes, per quos Dei ſapientia orbem ſibi ſubigeret vniuerſum. Sed diſcipulos voluit habere ignobiles, imperitos, rudes, & 1. Cor. 1.
pauperes, vt non glorietur omnis caro: ſed vt qui gloriatur, in domino glorietur. Illis dedit ſapientiæ ſpiritum & intellectus, ne in doctis humanæ ſapientiæ verbis prædicaretur Chriſtus: ſed in doctrina ſpiritus, & in ſermonibus ſapientiæ: ita vt in omnem terram exiret ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba prædicatio- Pſal. 18.
nis eorum audirentur. Tribuit etiam eiſdem faciendorum poteſtatem miraculorum, adeò vt verbo curarent lãnguores, eiicerent dæmonia: mortuóſque ſuſcitarent. Non autem illi per ſe-, ipſos operabantur talia, ſed ipſe per illos, qui ait: Sine me nihil poteſtis facere. Nam quod Ioan. 15.
creuit Eccleſia circumquaq;, quòd Chriſti diuulgatum eſt nomen, quòd populorum innumerabilis multitudo credidit Deo, nõ Apoſtolis prædicãtibus, ſed ſempiternæ ſapientiæ, quę eorum ora compleuit, aſcribendũ eſt. Pręcones

vtique habere voluit, qui aduentum in carne ſuum, remiſsionem peccatorum, & nouę perfectionem annunciarent vitæ: congregarentque ad ſe Dei filios, qui erant per mundi huius climata quęque diſperſi. Hoc quippe clarificationis Chriſti, de qua nunc agitur, exordium fuit: & hęc naſcentis Eccleſię initia, in qua verbi humanitas agnoſcitur, colitur, adoratur. Tãquam candelabrum aureum ardẽs & lucens, in ipſius medio poſita eſt, vt qui ingrediuntur, lumen videant: non tamen qualecunque lumen, ſed verum, æternumque. In hoc etenim lumine habitantis in carne paternę gloriæ agnoſcimus lumen, & per illud diuinę efficimur conſortes naturæ. Dei nuncupamur filij, & in angelorum cõſortium tranſmutamur. Commendatur inſuper Dei charitas, quę nobis in filio locuta eſt, & per illum agnoſci, atq; in eo clarificari complacuit. Clarificauit planè ſapientia patrem, clarificauit pater filium, nõ vtiq; per angelos, aut humano quouis modo, ſed in ſemetipſo. Reciproca nanque patris ac filij clarificatio eſt. Nec filius ſine patre, neque abſque filio valet clarificari pater: quoniam eſſentia vna, eadem deitas, par gloria, æqualiſq; maieſtas filij & patris eſt. Hanc æqualitatis gloriã ſine initio pater dederat filio: quia gignendo illi dedit, vt eſſet ęqualis. Nihilq; habet pater proprium, quod non communicet filio ipſo vnigenito atteſtãte, qui ait: Omnia mea tua ſunt: & tua mea ſunt. (Luc. 15.) Quamobrem ſicut in domino Ieſu clarificatus eſt Deus, ita Deus illũ clarificauit in ſemetipſo: ſibi illum oſtendendo æqualem. Huius etenim generationis ſublimitatem credere magni eſt meriti. Illam autem cognoſcere vita æterna eſt: gaudium inenarrabile, & beatitudo perfecta. Hoc tamẽ inſtantis nõ eſt temporis, ſed futuri: quando videlicet reuelata facie gloriam Dei ſpeculantes transformabimur de claritate in claritatem, (2. Cor. 3.) contemplantes verbum in patris gremio fęliciter quieſcẽs. Tũc filij claritas glorificatis nota erit, tũc quod dedit pater filio, maius omnibus mira cum exultatione intuebitur: tunc pater in filio, & filius agnoſcetur in patre. Et hæc ſupernaturalis viſio omnem angelicam, humanamque intelligentiam ſupereminet. Huiuſmodi cum Chriſto, & in Chriſto regnantibus viſionis fruitio pro remuneratione tribuitur meritorum: peregrinantibus verò repromittitur. Interim ipſi trahuntur deuotione in fide ambulãtes: & quibuſdam reficiuntur infuſionibus ſapiẽtię. Percipiũt quaſdam primitias ſpiritus: per quas delectabiliter recreati præſentis ſeculi toleranter ferunt ęrumnas. Promiſsionibus nonnunquam æternis ſubleuati, & per contemplationem ſupra ſe interdum euecti diuinas erumpunt in laudes, atque amoris modulationes promunt ex memoria abundantiæ ſuauitatis, ac iucundiſsimo ſapientię cõtubernio, quam in ſe aduenitaſſe pręſentiunt. Non enim deſinit ipſa ſapientia viſitare, quos diligit, ac ne deficiant in laboribus, refouere. Quis etenim abſque pręeunte luce, & exhortante gratia tutus poteſt iſtius exilij peragrare vias? Quisve ſine cœleſtium pollicitatione, & ſpe futuræ hæreditatis incõcuſſum in dilectione Dei tenere valet animum? Quũ enim humana mens nequeat ſatiari temporalibus, oportet vt nutriatur ęternis. Pro futurorum itaque certitudine ſpirituales infundente Deo degustat dulcedines, quę donantur humilibus in peregrinationis pręſidium, & dilectionis indicium, augmentumque. In ipſis tamen neque diu, neque ad libitum perſeuerare valent. Largiuntur quidẽ: & pro dantis beneplacito auferuntur. Nam in arbitrio volentis non ſunt, neque quærentis, ſed largientis Dei. Hoc inſinuãs (Ioan. 13.) Saluator ait: Filioli adhuc modicum vobiſcum ſum. Quęretis me, & (ſicut dixi Iudęis) quo ego vado, vos non poteſtis venire. Omni corpori Eccleſię loquebatur ſapientia. Pręſentibus quidem ſuam prædicebat futuram corporalem abſentiam, ſpiritualẽ verò futuris. Quęſierunt vtique Apoſtoli delectabilem domini Ieſu faciẽ corporaliter. Quærunt & deuoti ſpiritualiter indeſinenter. Neutri verò iſtorum ad votũ verbi fruuntur pręſentia. Reſurgente quippe domino, & cœlos aſcendente diſcipulos reliquit in ſeculo, illiſque humanitatis abſtulit ſpem cõcupitę. Eodem etiam viſitante verbo deuotorũ mentes, & diſcedente illud pro libito tenere, aut reuocare non valent. Caleſcente quippe in anima charitatis igne, & de ſponſi amore feruẽte mira ſuauitate reſpergitur. Cunctorum obliuiſcitur dilecti capta dulcedine. Quantocunque temporis ſpatio talibus paſcatur delicijs, parum eſſe arbitratur ęſtuantis nimietate deſiderij. Fitque ſępe, vt repentè quem inſeparabiliter amplecti gloriabatur anima, aufugiat, & ſe tanquam alienus occultet. Vnde vehemẽti ſponſa dolore ſaucia, cum ſe ſolam conſpicit, cum ſe ſibi derelictam intelligit, ſurgat properè, diligenter quęrat, petat importunè, clamet fortiter, gematq; inconſolabiliter, donec quem diligit, reperiat. In hac ſiquidem ſponſi reuerſione quęrimonias, preces, ſuſpira, & ſponſę blanditias ſuaues quis excogitet: Amor etenim cũ ſit ſuſpecta res, ſuſpectioſam de dilecti abſceſſu reddit ſponſam. Ex hoc effecta pauida infirmitatis proprię deplorat ęrumnas, cũ perfectè illi inhærere non valet, quem inſeparabiliter poſsidere concupiſcit. Nequaquam in carne poſita, & mundi cupiditatibus irretita ad illius poteſt attingere celſitudinem, qui nulla corporis oneratur moleſtia. Hanc itaque libertatem Domino de proximo per reſurrectionis (Ioan. 13.) gloriam habiturus omnibus membris ſuis aiebat;

bat;

bat, Quo ego vado, vos non poteſtis venire. Nouerat illos quamdiu corruptibilis corporis includerentur ergaſtulo, nec ad ipſius diuinæ eſſentiæ gloriam, neq; ad puræ contemplationis inſeparabilem pertingere poſſe quietē. Illis tamē tanquam animarum vigilantiſsimus paſtor, atque de filiorum gloria cupidus Pater iter oſtendit, per quod gradientes poſt peregrinationis ſuæ curſum adipiſcendæ gloriæ capaces, ſuorumq; fierent compotes deſideriorum. Seruandæ igitur charitatis mandatum inſtituit atq; fraternæ dilectionis cunctis membris ſuis legem impoſuit, per quam, quoniā bono, quod ſupra eos eſt, frui nequeunt, ſaltē in illud, quod iuxta ſe habent, exerceantur. Propterea cū dixiſſet, Quo ego vado, vos non poteſtis venire, ſubdidit, Et vobis dico modò, quòd in præſenti.ſ. tenaciter cuſtodiatis. Mandatum nouū do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. Vt & vos diligatis inuicem. Audite hæc omnes gētes, aurib. percipite, qui habitatis orbem. Simul in vnum conueniant diues & pauper, ſeruus & liber, nobilis & ignobilis. Os quippe Domini loquitur ſapientiam, & apertio labiorum ipſius ſcientiam atq; prudentiam. Accedant in ſpiritu, deuoto aſsiſtant corde, vt ſermonum Domini elegantiam, profunditatem ſententiæ, charitatiſq; dulcedinem in eiſdem latitantem auido mentis hauriant deſiderio. Inde paſcantur, ex ipſis erudiantur, inflammentur amore, nec nō veritatis illuſtrentur ſplendore. Eloquia hæc teſte propheta, eloquia ſunt caſta, argentum igne examinatum, probatum terræ purgatum ſeptuplum. In vniuerſa prorſus veteris legis pagina his ſimilia minimè reperiuntur. Equidem decebat, vt per verbum dilectionis initiaretur mandatum. Trāſierant vmbræ, figuræ præceſſerant, ipſaq; abolita erat lex. Ideoq; reuelante ſe per carnem veritate, nouaq; de cęlo apparēte luce, congruum erat, vt noua omnia fierent. Nouæ gratiæ conuerſationi nouæ nouum aſſociatur mandatum. Seneſcente hominum propagine, & prope interitum veniente æquitatis cēſura poſcebat, vt reſtauraretur, atq; rediuiua reſurrectione reformaretur. Quamobrem dū medium ſilentium tenerēt omnia, & nox in ſuo curſu medium iter peragerët, omnipotēs Dei ſermo de regalib. ſedib. veniens humanam deformitatem ſuæ magiſterio ſapientiæ reformare curauit. Quod ante acta ignorauere ſecula, & antiquorum non attigit peritia, verbo propalante notiſsimum factum eſt. Quæ (oro) præcedentium generationes (prout oportet) ſocialē duxere vitam? Quis proximum ſuum ſicut ſe, dilexit? Priuata nanq; commoda, iura dilectionis ignorāt. Naturæ bonum proprius extinguit amor. Inolentē delicto, charitatis dulcedo præfocatur. Pauciſsimiſq; datum eſt per rectas fraterni amoris incedere ſemitas. Porrò ante redēptionis tempora diabolus in cordib. mortaliū cupiditatis, ac voluptatis deſideria ſparſerat, atque interiores eorum caligauerat obtutus, ne quod amiſerant naturę bonū agnoſcerent, diligerēt, recuperarent. In ortu verò luciferi, & in ęterni coruſcatione luminis huiuſcemodi diſsipatę ſunt tenebrę. Aperuit in cęnaculo poſita, atq; in ſuorū Dei ſapientia conuentu diſcipulorū cōſtituta os ſuū, indeq; dilectionis pręcepta, tāquā diuinitatis luminaria & amoris emiſit iacula, quatenus vniuerſam illuſtraret eccleſiam, eamq; ſaluberrimo transfigeret vulnere charitatis. Præceptum (inquit Propheta) lucidū eſt illuminans oculos. Lucidū etenim quū ſit in ſe, ſe cuſtodiētibus præbet ſapientię lumē. Docet quem timere, & à quo debeamus retributionis ſperare mercedem. Nam vt deuitetur ſuppliciū vel vt remuneratio conferatur, mādati ſanctio ſtatuta eſt. Altero horum deficiēte pauciſsimi, qui obtemperent, reperiuntur. In quolibet operis labore præmij expetitur recompenſatio. Ex intentione ſperatæ mercedis roboratur in labore animus, facileq; mandato colla ſubmittit. Inclinaui (ait Citharœda ſanctus) cor meū ad faciendas iuſtificationes tuas in æternū propter retributionē. Qui arat, ſpe ducitur, ſuæque mercedis finem in terræ fertilitate conſtituit. Mercenariorum eſt hoc proprium ſua quærentium. Mercenario, vt laboret, ſpondetur lucrum. Seruo autem minatur ex ocioſitate flagellum. Verum ex diuino præcepto vtrūque conſequitur. Ex obſeruatione quippe illius declinatur ſuppliciū, prēmiumq; meretur. Attamen qui filiorū nobilitantur, affectu, vtrorumq; tranſcendendo virtutem ſolo charitatis obſequūtur amore, nō flagelli, aut gehennæ metu, neque remunerationis auiditate trahūtur. Quomodo placeant ei, quem diligunt, meditātur. Sufficientē operū ſuorum mercedem arbitrantur, ſi tantū dilecti fruantur gratia. Pluris exiſtimant beneuolētiā quouis dono. Recompenſantque pro dilectionis merito delectationem virtutis, quanquam huic præponant charitatis affectū. Hæc eſt charitatis regula, hæc eſt iuſtorum & diligentium Deum ordinata intētio. Hunc qui ignorat dilectionis ordinem, mandatū Chriſti adhuc perficere negligit. Nō in timore, neque in mercede ſed in ſola fraterna dilectione ſuum ſapientia præceptū inſtituit, quando ait, Mandatū nouū do vobis, vt diligatis inuicem. Noluit mādare, vt diligeremus Deū. Hoc innata ratio, hoc natura, hoc ipſa creaturarū vniuerſitas clamat. Planè gehennę pauor, ſuppliciorū comminatio, & remunerationis immenſitas ſuadent, vt cunctorum conditor diligatur Deus. Præceptum itaque ſapiētię, & lex Chriſti lex charitatis eſt, lex amoris, & elegantiæ, non coacta, neque in terrore

Marginal notes: Ibidem. — Ibidem. — Pſal. 17. — Sap 18. — Pſal. 18. — Pſal. 118. — Ioan. 13.

rore poſita, ſed in gratuita & ſpontanea cordis dilectione ſolidata. Nullam voluit, vt ab ipſo, quem diligimus præter ipſum ſolum, expectaremus mercedem. Se cauſam, ſe præmium dilectionis fecit. Seipſo melius nil dare potuit. Sapientiſsimè tamen ſapientia legalium præceptorum ſummam, & omnis diſciplinæ cōpendium in ſuo concluſit mandato. Tale illud eſſe voluit, vt virtutem reformandi, quod in homine deperierat, poſsideret. Nouerat ab exordio propagationis humanæ, quantam priuatus amor iacturam fecerat. Proinde voluit ſuo peſtē hanc, quæ totius mali cauſa fuerat, abolere mā-

Ibid. dato. Quod enim priuatum erat, voluit eſſe cōmune, cum inquit, Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. Mandauit quatenus diffunderetur amor, vt creſceret. Neſcit erogata charitas detrimentum pati, neque amitti poteſt, quod diuinitatis agitur dilectione. Propter ſe exigit Deus, vt diligatur proximus, ſibiq; factum eſſe fatetur, quicquid propter ipſum in alterum geritur. O bona charitas, ò mandatum ſanctum, nulla redargutione dignum, nulloq; prætermittendum precio. Omnium per ſe perficit obſeruantiam præceptorum, dicente Apoſtolo, Qui diligit proxi-

Rom. 13. mum, legem impleuit. Nam non occides, non adulterabis, non falſum proferes teſtimonium, & ſiquid eſt aliud mandatum in lege, in hoc reſtauratur, diliges proximum, ſicut teipſum. Vnitatem compagemq; membrorum cuſtodire docet. Hac ſeruata vnitate deſinunt lites, contentiones, murmura, rapinæ, odia, & quicquid pa-

Eph. 2. cis aduerſatur bono. Pax noſtra Chriſtus eſt, qui fecit vtraq; vnum. Duos nanq; parietes cōtrarios copulauit in ſe, faciens pacē ijs, qui longè, & pacē ijs, qui prope. Hos etenim miro in ſe amoris vinculo colligauit relaxādo delicta, & gratiam conferendo. Vno omnes ad ſe venientes non congregauit in loco, ſed in vno poſuit corpore, vnoq; conglutinauit fraternitatis amore. Quamobrem illius mandati præuaricator à Chriſto alienus efficitur, & veluti corruptum membrum ab vnitate eccleſiæ, atq; ſanctorum collegio ſegregatur. Neminem Chriſtus nouit ad regnum, ſuo non obtemperantē mandato. Stateram quandam ſpiritualem diuini amoris proximi voluit eſſe dilectionem. Eſt autem proximi amor affectio quædā animi de Dei charitate proueniens, hilaris, læta, abundè tribuens, compaſsibilis, ſine indignatione, liuore carens, multaq; exuberans pace, dilatatur voluntariè, & in ſe vniuerſitatem cōplectitur hominum, omnium ſalutem diligit, omnib. ſe præbet beneuolam, manſuetam, affabilem, perſonam non accipit diuitis, pauperem non ſpernit, afflicti & inopis miſeretur, cunctorumq; neceſſitates arbitratur ſuas. In ſingulis intuetur Chriſtum, infirmatur cum infirmis, flet cum flentib. & cum gaudentib. gaudet. Se materno in cunctis diffundit affectu. Quos valet, eripit de interitu, erigit de peccato, ducit ad Chriſtum. Non laſſatur labore impinguata profectib. proximorum. Mente excedit Deo, hominum ſaluti inſeruit. Nil ſe amiſiſſe putat, cum poſtponendo ſe aliorum vtilitati incumbit. Maximi prorſus inæſtimabilisq; meriti apud Deū eſt huiuſmodi fraternæ charitatis affectio, qua quicunq; ornatus eſt, totam implet legem Chriſti, amicus efficitur Deo, hominibusq; charus habetur.

Quàm ſuauiter iuſtorum corda verbi Dei reficiantur eloquio. Cap. II.

QVicunq; populorum poſt ſe feſtinant allicere multitudinem, illam exemplis conſueuerūt hortari, & verbis. Vtrūque neceſſarium eſſe dignoſcitur. Verborum quippe exhortatio, ſine exempli adiutorio perſtrepentium ſonitus eſt foliorum. Aures complet clamoribus, & ieiunam relinquit mentem. Vita verò commendabilis abſque ſermonis exhortatione, etſi prouocet, non tamen erudit. Verbum itaq; Patris, in hominis forma ad homines veniens, vt in captiuitate poſitos, & per ſeculi inuia circunquaq; diffuſos facilius congregaret ad ſe, dulciſona vocis exhortatione, & eximia morum probitate allicere ſtuduit vniuerſos. Quis enarrare ſufficiat, quanta dulcedinis ſuauitate audientium tangebantur corda, cum de regno Dei, de futura electorum fęlicitate, de ſeruandæ charitatis vinculo, de humilitatis fragrantia, de cæterarumque perfectione virtutum circunſtantem alloqueretur plebem? Nempe ſapientię ipſius verbi delectabilitate nimia affectus Apoſtolorum princeps, ab eodēque vel modicum diuelli non patiens conſtan-

ter aiebat, Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Suſpenſos in ſermonum amę- Ioan 6.

nitate, profunditateq; ſententiarū, & exhortatione virtutū audientiū tenebat animos. Erant .n. eloquia ſapientiæ illius, tanquā ſagittæ flammigeræ charitatis emiſſæ arcu, quę fideliū mentes amore ſaginarent, & deuotionis replerent nectare. Vtebant quidē, nec conſumebant, corrigebant, nec confundebant, reficiebant, & dilectionis zelo corda reformabant. Hoc experti ſunt, qui aiebāt, Nonne cor noſtrū ardens erat,

quū loqueretur nobis in via, & aperiret ſcriptu- Luc. 24.

ras? Ardebant, nec immerito. Nā rationalis ſpiritus verbo Dei accenditur, eruditur, alitur, roboraturque, nequaquā famis inedia, aut quauis alia poterant periclitari neceſsitate, cū quib. grădiebatur ſapientia, & quorū eloquia verbi corda penetrabāt. Manna ſuauiſsimū erant ſub vocis ac elementorū cortice coopertū, quod eò dulcius reficiebat, quò ſumebatur auidius. Nēpe elatis pigris, nefariisq; faſtidio habebantur.

Humi-

Humilibus autem, iuſtitiam eſurientibus, & corde purgatis præ cunctis dapibus incomparabi- Pſal. 118. liter ſapiebant. Horum ſaginatus Propheta interiori guſtu inquit, Quàm dulcia faucib. meis eloquia tua ſuper mel ori meo. Hoc idem ſancta mulier illa, quæ ad verbi pedes reſidens intenta cordis aure ſermocinantem audiebat ſapientiam: O quàm ſuauib. paſcebatur dapibus, ò quàm frequenter repetebat intra ſe. Fauus diſtillans labia tua, ò diuina ſapientia, mel & lac ſub lingua tua, & odor veſtimentorum tuorum ſuper omnia aromata. Hinc eſt quòd nimia delectatione detenta ſorori laboranti nequaquã valebat præſtare ſuffragium. Ebria prorſus charitate atque à carnis ſenſibus aliena in interiori fęliciter eiuſdem ſapientiæ thalamo recumbebat. Nempe trahit Chriſtus ad ſe audientes ſimpliciter ſe, & vnit ſibi. Illiſque incerta & occulta ſapientiæ ſuæ reuelat myſteria. Nam ſine præcedente atque illuſtrante verbo difficilè & ferè cum errore contemplationi quis vacat ac quietis mentis graditur ſemitas. Conſueuerunt innumeræ diuerſæque immundorum ſpirituũ legiones per huius ſpiritualis contemplationis eremi vaſtam diſcurrere ſolitudinem, imprudẽtes, incautoſq; decipere, expoliare, perimere. Veſtiuntur hi nequam ſpiritus lucis indumento, cœleſtis regis inſignia capiunt, ſeque bonos angelos eſſe mentiendo ſimulant, vitiũ ſub virtute, & malum ſub boni ſpecie pallliantes. Hoc fraudis veneno, hacque nocendi arte quot & quantos quis enumeret, demerſerint in profundum? Non igitur minus in virtutis ac pietatis, quàm in mali ſpecie cauendum eſt. Sanctitatis amor, & proficiendi inordinatus affectus plurimos periclitari fecit. Solerter ob hoc diſcretionis libra in ſapientiæ lumine, noſtræ ponderandæ ſunt cogitationes, noſtraque ſunt probãda deſideria, abſque tamen fraude, & cunctatione curioſitatis, ne fortè ſub deuotionis germine, deceptionis latent coluber. Qui enim ſenſui tenaciter inhæret proprio, ruinæ fit proximus, & qui curioſè Dei muneta diſcutit, ſpiritualibus nunquam locupletabitur donis. Qui verò viribus ſuis virtutum alta conatur aſcendere, repercuſſus inuiſibiliter deiicietur in profundũ. Solus ille ſecurus incedit, qui ſub ducatu graditur verbi, atque in ſplendore veritatis interioris, exteriorisque hominis ſui non ceſſat iudicare negocia. Quicunque talis eſt, ex familiaris contubernio inhabitantis ſapientiæ fœcundatur gratia, atq; eruditur prudẽtia, ne in offenſionis lapidem impingat pedem, & corruat. Quod ſi ceciderit, non tamen collidetur, quia Domi- Pſal. 36. nus ſupponit manum, atq; in delicti fouea diu illum iacere non patitur. Grandis porrò via eſt interiori ſe cõmittere lumini, & paucis nota. Solis (vt arbitror) perfectis viris, & exercitatis in ſpũ manifeſtat, qui ſolido vtẽtes cibo inter nos. ſenſus ad boni, maliq; diſcretionẽ adultos habent. Nemo facile hoc acquiſiſſe pręſumat. Huiuſmodi nanque ſtatus veridici teſtes ſunt ignitus & nunquam dormitans affectus, mentis imperturbabilis quies, conſcientiæ beata pax, diuinæ præſentiæ certa ſcientia, in tribulatione fortitudo ſolida, ſpirituale lumen, exultatione cor replens, gaudium in Spirituſancto, & vnitas charitatis. Vbi horum experientia deeſt, abeſt etiam magiſterium ſapientiæ. Deſcendat in propriæ cognitionis angulum, qui in recubitũ huiuſmodi necdum vocatus eſt. Communi veſcatur filiorum cibo, ad communem recumbat menſam, vt præſtantiori dignus fit alimento. Nempe qui filij ſunt, ſacrarum paſcuntur atque erudiuntur eloquijs ſcripturarum. Quæ verò ſponſa eſt, interna verbi, & à verbo reficitur alimonia. Illi hominum, hæc autem iugiter alimẽtis veſcitur angelorum. Vterq, verbi pabulum eſt, quamuis alter longe diſtet ab altero. Sacra pagina peritum & cautum, ſed verbi doctrina ignitum exhibet & ſapientem. Literas literati docent, ſapientiam verò quis niſi à verbo didicit. Homo aures replet, verbum in corde myſteria loquitur. Ab homine & à verbo erudiri vtrunq; Dei donum eſt, & verbi miniſterium, quamuis meritis diſpar, & delectatione diſsimile. Porro verba verbi ſiue in corde formata, ſeu humana prolata voce optime congruunt ad imbuendum ſapientiam, ad imaginem reformandam, ad notificãdum Deum, ad purgandũ cor, ad accendendam charitatem, ad inuiſibilia reuelanda, ad ſubleuandum in cœleſtibus animũ, ad propalandam ſanctorum gloriã, & ad vniẽdũ verbo. Sublimia nempe iſtiuſmodi ſunt hortamenta Verbi, atque ſpiritualibus delectabilia. At verò quibus ab eodem verbo ſimplices trahuntur & inſipientes non minus proficua eſſe noſcuntur. Primi vtique mentis illuminatione, vltimi autem exhibitione virtutum. Nobile profecto docendi genus eſt, & ad ſe alliciendum animos incentiuum, laudabilibus inſtruere geſtis, atque diſcipulum præire exemplis. Luceat (inquit verbum) lux veſtra coram hominibus, Matt. 5. vt videant opera veſtra bona. Parum ſine operib. proſunt verba, virtus aũt abſq; ſermone plurimum. Ex infuſione cęleſti, & eloquiorũ Dei intelligentia inſtruitur anima, atq; accenditur, ex vita verò exemplari formatur virtus, & mores optime componuntur. Ex influentia ſapientiæ diuina bonitas in homine commendatur, ex morum autem probitate virtus hominis decoratur. Ambo tamẽ hæc laudabilia ſunt, ambo prouocatiua, ambo imitãda. Verus proinde cenſendus eſt doctor, meritoq; colendus, qui opere perficit, quod hortatur eloquio. Hãc doctrinę regulã nemo vnquã perfectius protulit, nullus

nullus inſinuauit clarius, quàm mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus. Ipſe nāque elegantiſsime & cæteris perſpicacius diuinam prædicauit eſſentiam, fidei diſciplinam, virtutū regulam, futuram gloriam, & quicquid ad ſpiritualium, naturalium, moralium, ſeu diuinorum ſcientiam pertinet. Ipſe (inquam) ſeculi cōtemptum, morum normam, formam religioſitatis, humilitatis perfectionem, conſtantiam patientiæ, compaſsionis affectum, obedientiæ cenſuram, dilectionis altitudinem, & ſiquid aliud probitatis eſt, ſiquid ſanctimonię, ſiquid honeſtatis ſufficientiſsime in ſui incolatus tēpore, & quoadu ſque cum hominibus conuerſatus eſt, præmonſtrauit. Speculum etenim præclariſsimum omni carens imperfectionis macula, omnique deformitate virtutis Chriſti vita fuiſſe dignoſcitur. Nullus niſi liuore accenſus, ſeu infidelitate cæcatus, aut diabolica circumuentus fraude poterat in illo, quid digne redargueret, intueri. In verbis quidem ſapientiam, in moribus honeſtatem, maturitatem in inceſſu, parcitatē in cibo, in veſtitu paupertatem, ſanctitatemque portendebat in facie. Erat prorſus in correctione ſeuerus, in collocutione dulciſsimus, tranquillus in iniuriis, in opprobriis paratus, in accuſationibus tacitus, in collatis contumeliis ſecurus, lætus in verberibus, atque in cunctis aduerſis tolerandis paratiſsimus. Quædā etenim deiformis ſpecies fulgebat in illo, quæ aſpicientium ad ſe affectus traheret, repleretque admiratione, & gaudio. Quis ineffabili non debuit perfundi lætitia, ac exhilarari dulcedine, dum agnoſcebat ambulare verbū, ſapientiam loqui, Dei filium virginis mammas ſugere, vetulique foueri in gremio? Poſtremo diſcurrere, diſcūbere, dormire, comedere, cæteraque humanitatis officia tanquam homo veriſsimus exercere? Inauditum, omniumque nouitatum ſingulare prodigium fuit, vt Deus fieret homo, & hominum cōmunicare paſsionibus vellet, non neceſsitate compulſus, nec proprio permotus cōmodo, aut quouis obligatus debito. Quòd enim carnē aſſumpſit, quòd carnis infirmitates ſubiit, ex ipſius charitatis immenſitate profluxit. Prius enim quàm ſpiritualis conderetur natura, antequā vlla ſenſibilium vel vegetabilium ſpecies produceretur in eſſe, in æterno atque incommutabili deificę trinitatis conſilio initialiter definitum eſt, vt verbum caro fieret, habitaret cum hominibus, & pro hominibus moreretur. Non igitur ſe humana extollat fragilitas, vt pro ſuorum locupletatione meritorum, ſeu pro virtutū magnitudine tale ſibi aſcribere audeat beneficium. Quid de hoc Apoſtolus ſētiat,

Ephes. 2.

audi, Propter nimiam (inquit) charitatem ſuā, qua dilexit nos Deus, filiū ſuum miſit in terras. Ipſa etiā ſapientia ait, Sic Deus dilexit mundū,

Ioan.13.

vt filium ſuum vnigenitum daret. Non tua, ô homo, promeruit charitas, vt ſuum tibi Deus filium daret, ſed ſua ſic voluit, qua ante mundi conſtitutionem dilexit te. Totum charitati illius arroga, quod habes, & quia es. Quid habes quod non acceperis? Quod autem es, vnde habes, niſi ab eo, qui eſt abſque origine, & ſine fine? Ille prorſus ſolus eſt, qui gratis dilexit te, & ſine te fecit te. Qui in ſeculorum vltima generatione, dum pręcepta vitæ ſuis dare decreuiſſet diſcipulis, inquit, Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos.

Ibi em.

Commendaturus nempe mandatum charitatis mandati ipſius voluit prius iura ſeruare. Nouerat facilè contemptui haberi, quod pręcipitur, ſi nō operis atteſtatione muniatur. Mandatum dilectionis inſtituit, & ipſius dilectionis iuſſa perfecit. Fecit & docuit, ideo maximus vocatur in vtroque regno cœlorum.

Mat.5.

Nemo quicquam illi obiicere in huiuſmodi valet lege mandati, quando quod pręcepit, prę cęteris perfectius adimpleuit. Impleuit vtique in ſe, & de ſe formam exhibuit, docuit verbo, inſinuauit exemplo, qualiter proximum diligere debeamus. Non in lege, neque ab hominibus diſcere ſtudeamus quo ordine, quo modo, quantumque proximum diligamus. Mediatoris eruditione id ſufficienter percipere valemus. Dilectionis ordo, quē docente Domino cuſtodire debemus, eſt vt proximi amorem auro, gemmis, poſſeſsionibus, & quouis delectabili pluris exiſtimemus. Salutem proximi, animarumq; lucrum, plus quàm corporis ſoſpitatem, Dei ſapientia amare nos docuit, vnde ait, Maiorem charitatem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis.

Ioan.15.

Hic nempe fraternæ dilectionis eſt ordo, quem à Chriſto didicimus. Hęc eſt regia via, per quam incedendo ad perfectionis ſublimitatem prouehimur. In eadem è cœlo dimittitur ſcala, cui ſapientia Dei innixa eſt, vt manū porrigat, ſurſumque erigat conſcendere feſtinantes. Prior tamen ipſa aſcendit, cucurrit, ſeque ſequentib. ſemitam pręmonſtrauit, & nūc ſermone placido inuitat ad palmam. Modum inſuper diligendi expreſsit in ſe, cum nullis laceſsitus conuiciis, nullis feſſus laboribus ab hominum ſalute elanguit. Non maledicebat, quū malediceretur, nec comminabatur, quum pateretur,

1 Petr 2.

quin potius nimio charitatis ardore ſuccenſus æquanimiter vniuerſa, quę ſibi irrogabātur, perferebat opprobria ſine indignatione, ſine murmure, & abſque vllo cōtradictionis verbo. Attendebat quidem non quod pateretur ipſe, ſed quod erāt ipſi nempe infirmi, ignorantia cęcati, à fide alieni, compaſsione nudi, & charitate vacui. Letali etenim morbo laborantes, atque eū, à quo ſanari poterant, neſcientes, vt phrenetici ſuſtinebātur à medico. Curare ve-

re ve-

re venerat putreſcentes humani generis cicatrices,multifarioſque lãguores,quos potius patiẽdo,ac compatiendo,quàm vlciſcendo ſanauit. Inſigne prorſus atque imitandum poſteris fidelibus ſeruandæ charitatis exemplum exhibuit. Menſuram, modum, ordinemque cuſtodiendæ vnitatis ſicut ſermone docuit, ita operibus confirmauit. Audiant nunc æmulatores legis,diſcant Domini Ieſu ſectatores non indignari aduerſus delinquentes, ſed eorum condolere erratis.Aſſueſcant cõtra proximos nullo tabeſcere odio,nullo liuore morderi,linguã omnino à detractionibus compeſcere, obtrectantium voces tanquam letale virus abhorrere,atque cauterizata eorum verba obturata aure tranſire. Nequaquam Dei ſapientia docuit ore hominum lacerare carnes, proximos lingua perimere, quod homicidij genus eſſe Deo odibile comprobatur. Planè vnitatem cõmendando ſeruauit compagem, cordiumque dilectionem puram inuiolabiliter fouendã eſſe præcepit. Hanc mandato ſuo nouo virtutibus prætulit vniuerſis.Non in faciendis prodigijs, non in angelorum, cœleſtiumque virtutum diſerta facundia,non in cruciatibus corporis, ac flammarum tolerantia, ſeu aliquo illato martyrio, non demum in montium (ex fidei magnimitate)in fluctus translatione, nõ in totius propriæ erogatione ſubſtantiæ, ſed in ſola mutua dilectione ſuos voluit agnoſci diſcipulos. Illa nanque ſine hac proſunt nihil,hæc verò abſque illis plurimum per omnem modum.Sine martyrio,ſcientia,facundia, facultatibuſque poſſunt homines cœlorum adipiſci regna, ſine proximi verò dilectione nunquam. Diſciplina incarnati verbi,tota in proximi dilectione,tanquam in fundatiſsimis aureis baſibus conſtructa eſt. Culmen etiam apoſtolatus, atque regale euangelicæ perfectionis ſolium ex fraterno vendicatur amore,agnoſcitur,& probatur.Huiuſmodi ſententiæ definitionem æterna Dei ſapien-

Ioan. 15.

tia ſuo mellifluo promulgauit ore, inquiens, In hoc cognoſcent omnes, quòd diſcipuli mei eſtis,ſi dilectionem habueritis adinuicem. Tollitur huius pronunciatione ſermonis omnis virtutum diſceptatio, omniumque ſpiritualiũ ſtudiorum contentioſa fabulatio. Nulla prorſus virtus huic præponi debet,quam Dei filius ſingulariter commendauit. Nullum opus, nullaq; commendabilis exercitij diſciplina ſaluti proximorum anteponenda eſt.Cęteræ virtutes ad regulam metiuntur charitatis. Sed & ipſa charitas dilectione dignoſcitur. Examinat ſe per ſe abſque vllo erroris iudicio. Hic etenim dilectionis affectus,quãuis in omnib. exiſtat Chriſti membris, varios tamen in ſingulis ſortitur affectus. Quemadmodum in humano corpore diuerſa ſubſiſtunt membra, vno nihilominus omnia diriguntur ſpiritu, ſine confuſione atq; diſcordia, ita & in myſtico eccleſiæ corpore, nec non & in quolibet ſanctorum collegio vnus charitatis ſpiritus ſubiecta in vnitate ſibi copulat membra, diſcernit in munere, diuiditq; in miniſterio,adeò vt de fidelibus vix reperiantur duo, qui in affectu & actione cognoſcãtur æquales. Multiformis gratiæ quum ſit ſpiritus, ſibi inhærentia decorat electorũ membra,mirabilique ornat varietate virtutum. Ab hac radice charitatis, deuotionis trahitur pinguedo, quæ virtutum fœcundat ramos, facitque diuinorum eloquiorum vernantia germinare folia, & deſideriorum cœleſtium redolere flores,atque conſummatæ iuſtitiæ matureſcere fructus. Hæc alimenta ſunt,quibus paſcantur, qui in ſpiritu ambulant.Hæc ſunt charitatis ſanctæ, dilectioniſque mutuæ incrementa.Ex his cohæret corpus capiti, & membrum membro præſtat famulatus officium.Confœderantur ſimul,ſibiq; inuicem communicant donorum ſpiritualium margaritas, theſauroſque cęleſtium viciſsim participant meritorum. Locupletantur omnes ex abundantia ſingulorum, & vniuerſis filijs ſuis, ſancta mater charitas hęreditatem diuidit ſempiternam. Quum enim in cœlorum regno beata hæc ineffabili ſublimetur honore, diuitiiſque ditetur, qua ratione putandum eſt, vt quum ſuos alumnos amplectatur dulciter, eos egere aliquo patiatur, aut eſſe inglorios? Non cumulare ſibi, ſed largiter erogare, charitatis eſt proprium.Proinde omnibus ſufficienter tribuit extraneis & amicis. Extraneis quidem tẽporalia & terrena,amicis verò ſpiritualia & æterna. Neminem ſuorum pro ſibi ingenita liberalitate expertem ſinit eſſe donorum. Quotquot parit verbo, quoſve ſuæ fouet humanitatis gremio, poſt huius peregrinationis conſummatum agonem ad ſydereas ſecum prouehit manſiones, & tanquam veriſsima genitrix de ſuorum gaudet gloria filiorum. Hoc ſpiritu reuelante,perſenſerat propheta,quando exultatione repletus,aiebat, Qui habitare facit ſterilem in domo matrem filiorum lętantem. Vtroque enim nomine, ſterilis videlicet & matris, pro ſuę merito dignitatis diuina charitas vocitatur. Porrò dum vacat Deo, quando diuinis ſplendoribus mentem irradiat, quando deſideriorum igne contemplantis cor replet, quando ipſius reſperſus dulcedine, atque ſupra ſe erectus animus iucundam Deo laudum exhibet modulationem, & ſanctiſsimum ſpiritualium, cęleſtiumq; cantionum perſoluit holocauſtũ, tunc quoniam non egreditur foras, nec quippiam operis ſenſibus captabilis carnalib. exercet,ſterilis nominatur, quanquam hæc ſit omnium actionum pręcellens actio, atque occupationum pręcipuè opus, dignum Deo, gratum

bus,

angelis, vniuerſęque cęleſti curię placidiſsimum. At verò quum miniſterio incumbit infirmorum, quum languētium medetur languoribus, extergit cicatrices, dolores lenit, paſcit famelicum, veſtit nudum, viſitat carceri mancipatum, ſepelit mortuum, concordat litigioſum, docet inſcium, reuocat errantem, dubitanti cōſulit, verbum ſalutis annunciat, & animarum lucris inhianter inuigilat, quum ſingula hæc agit, non inanis laudis ſeducta affectu, non quæſtus gratia, aut cuiuſcunque temporalis commodi appetitu, ſed intentione pura, ſed fraterna ęmulatione, ſed virtutis zelo, ſed diuini honoris deſiderio, tunc procul dubio mater nuncupari mēretur. Eſt itaque ſterilis & mater, fœcūda & virgo, iuxta ſuæ exercitationis laudabilem charitatem. Ad vos nunc, ò milites Chriſti, qui veſtræ cōuerſationis ſtudia Deo obtuliſtis, quique virtutum ſublimem arcem ſcādere nitimini, meus ſermo dirigitur. Sectamini charitatem, fraternā æmulamini dilectionem. Sunt ſiquidem in illa immenſæ opes, merita cumulatiſsima, copioſa pax, gratia abundans, dulcedo latēs, ſuauitas ſpiritualis, cœleſtis delectatio, ſecuritas mentis, ſerenitas conſcientiæ, fidei certitudo, inuiſibiliū guſtus, caſtiſsimus amor, ſolicitudo non pigra, proficiendi deſiderium, alieni boni congratulatio, mali odium, deteſtatio delictorum, virtutū ſitis, concupiſcentia æternorum, conuiuium iuge, cordis iubilatio, lætitiæ cauſa, cognitio Dei, contemplationis auiditas, puritas orationis, diſſolutionis corporis expectatio, & futuræ reſur-
Ephe. 4. rectionis indubitata ſpes. Soliciti (inquā) eſtote ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, in amore fraternitatis, in amicitiarum fœdere, in copula animorum, vt hanc virtutum reginam poſsidere valeatis. Mementote, quæſo, cuius filij ſitis, quid vouiſtis, quid accepiſtis, quid agere debeatis. Excelſa profectò profeſsio Chriſtianitatis eſt, & maxima perfectione decorata. Si illam apprehendere nitimini, charitatem concupiſcite, charitatem tenete, cui virtutes reliquæ, veluti ſpirituales pediſsequæ famulantur. Exiguo laborabitis tempore, ſi in ſolam dilectionē veſtra ſtudia direxeritis. Dei amicos vos faciet, ſummis locupletabit opibus, vosque iu perenni gloria honorabiles reddet, atque in regali cęlorum palatio alma hæc charitas mirificè collocabit. Accelerate (oro) greſsus mentis, ocius currite, prius quàm vobis Sol occidat, expiret dies, & inclinentur vmbræ. Feſtinate ingredi portas eius in exultatione cordis, in hymnis & canticis ſpiritualibus, cantantes Deo lętitiæ carmina, atque iuxta prophetę exhortationem lau-
Pſal. 150. dantes Dominum in ſono tubæ, in pſalterio & cithara, in tympano & choro, in chordis & organo, in cymbalis beneſonantibus, atq; in cymbalis iubilationis. Vobiſcum etiam aduocate, quotquot ratione ſunt prædití, ſiue qui peregrinantur in terris, ſiue qui in cœlis regnant, quatenus voce conſona, & pari modulatione omnis ſpiritus laudet Dominum.

De triplici, carnali videlicet, ſenſuali, & ſpirituali amore. Cap. III.

SApientiam Dei paulò ſuperius ſalutis monita, atq; vtiliſsima dilectionis præcepta dantem diſcipulis præſentibus, & vniuerſæ ſecuturæ eccleſiæ iucundè audiuimus, mente cognouimus, diligenterque oculis perſpeximus cordis. Aiebat enim, Mandatum nouum Ioan. 13.
do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. Nouum inſtituebat mandatum, quia infirmabatur vetus, & conſumptioni proximum erat. Ne igitur ſine lege viuerent homines, & tanquam indomita animalia voluptatibus fræna laxarēt, traditum eſt illis mandatum ſanctum, cœleſte, naturaleque, omni plenum dulcedine, delectatione refertum, mercede exuberantiſsimum, non temporali, ſed æterna. Debuit quidem ſapientia adamantina hominum corda, quæ ſub duplici tranſierant lege, nec cęleſtem aduenientem ſuper ſe admiſerant imbrem, vt molirentur in fide, & Deo grati fierent per fidem, amoris ſtatuere legem. Noluit tamen præcepto ſolo ſibi famulantes ad obedientiam exhortari. Promiſsiones addidit, dicente propheta, In cuſto-
diendis illis retributio multa. Et quoniam mul- Pſal. 18.
ta eſt retributio legem Dei ſeruantibus, ipſius Pſal. 118.
amore ſuccenſus, inquit alibi, Inclinaui cor meū ad faciendas iuſtificationes tuas in æternū propter retributionem. Præbuit inſuper exēplum, quatenus omni ex parte circumuentus præuaricator homo nullum terga vertendi à Domino aditum reperiret. Seipſum in exemplum exhibuit, quod ſequamur, ſe formam dedit, cui imprimamur. Quamobrem in ſui pronunciatione mandati, inquit, Mandatum nouum do vobis, Ioan. 13.
vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. Non enim ait ſimpliciter, mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem, ſed ſignanter intulit, ſicut dilexi vos. Sciebat in hac virtute charitatis, quemadmodum & in cęteris, ſolere fraudulentum aduerſarium zizania miſcere cum tritico, & ſub lucis imagine, tenebras palliare. Ne igitur deciperemur, ſeparauit à zizania triticum, & ne tenebris inuolueremur, charitatis præmonſtrauit lucem. Tacitè quidem ſuis nos ſermonibus erudiuit, vt prudenter ab amore amorem, tanquam à zizania triticum diuideremus, & lucem à tenebris. Vt autē eluceſcat clarius, quod adhuc ſub literæ velamine latet, triplicem ſciendum eſt eſſe amorem, carnalem videlicet, ſenſualē & ſpiritualem. Carnalis nanque amor voluptuoſus eſt, & deſeruit libidini. Aduerſarius quum ſit Dei, carnis opera perficere concupiſcit, quæ Gal. 5.

ſunt

ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuriæ, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſsationes, & his ſimilia. Suæ actionis finem conſtituit voluptatem, neque aliam ſui operis quærit habere mercedem. Comedendo eſurit, & nunquam famis eius ſaturatur inedia. Perambulando per loca inuia, & inaquoſa arbitratur ſe requiem inuenire poſse, nec tamē valet, quoniam nihil reperit ſuo dignum amore, aut cui affectionis vinculo inſeparabiliter hæreat. Quod enim deforme, ſeu imperfectum eſt, nec amoris auferre famem, neque humani cordis ſibi valet arripere principatum. Quod ſatis ſibi eſse non poteſt, alijs quomodo ſufficiet? Creaturarum inopiam inſinuat hoc, atque vniuerſa, non ad fruitionem, ſed ad vſum fuiſse condita manifeſtat. Porrò lex iſta, lex eſt ſapientiæ, qua naturale eruditur ingenium, vt non aliunde ſuæ velit capere peregrinationis ſolatium, quàm à ſuo atque omnium conditore. Sic itaq; carnalis amor, peccatum, & pœna peccati eſse cognoſcitur, dum ſe auertēdo ab eo, qui eſt, & delicti reus efficitur, & in concupiſcentia creaturarum ſemper eſt vagus & profugus. Diligēdo in procelloſo ſeculo pelago pacem quærens non reperit, vbi ſuæ dilectionis figat pedē. Quamobrem ad Deum, in quo pacis imperturbabile bonum, & dilectionis ineſt beata tranquillitas, remeare compellitur. Hoc nimirum diuinus ſermo, quum pereuntis per diluuium mundi
Gen. 8. narraret hiſtoriam, intimare curauit. Nā quum Noè ſcire cupiens, vtrum diluuij diminutę fuiſſent aquæ, emiſiſset de arca columbam, illaque circunquaque peragrando minimè reperiſset, vbi pedum ſuorum veſtigia figeret, ad eum, à quo directa fuerat, redire coacta eſt. Myſteriū hoc præcipuum eſt, & carnalis amoris documētum quàm maximum. Qui legit, intelligat. Senſualis autem amor carnali minus pernicioſus, indiget & ipſe diligenti examinatione, peruigilique cuſtodia, ne labatur in deterius. Bonū quidem reſpicit; bonum diligit, & allicitur bono. In ſui exordio totus ſanctus, totus mundus, totus fructuoſus eſſe cenſetur, quum re vera ſub eodem multifariæ inſidiæ lateant, quæ non melius, quàm ex dilecti deteguntur abſentia. Nam amatæ rei de abſentia conceptus mœror amori ſenſuali perhibet teſtimonium. Senſualis ideo dicitur, quia corporeis ſenſibus nutritur & paſcitur. Se pariter cum dilecto diligit, delectationē propriam diligendo diligit, & niſi cum difficultate, cuius diligit carentiam, patitur. Veniam facilè meretur, tametſi commoditatem, ſeu delectationem propriam quærirer, quoniam intentionis ſuæ radicem in charitatis virtute ſolidauit. Vt proſit, ſiue iuuetur, mutuam dilecti exigit conuerſationem propter quod non valet perſpicaci æquitatis iudicio affectionis ſuæ agnoſcere maculas. In carnalis & ſpiritualis amoris conſtitutus eſt medio, procliuiuſq; fœdatur carne, quàm in ſpiritum tranſeat. Proinde maximo timoris ac prudentiæ dirigendus eſt moderamine, ne ſordibus voluptuoſi polluatur amoris. Nunquam ad libitum illi conuerſationis habena laxanda eſt, ne fortè proſtratus, vel ſeductus tendat, quò ei minimè licet. Vix & cum difficultate euadere quis poteſt latentes in hac ſenſuali affectione inſidias, quum inter carnalem, naturalem, ſpiritualemque amorem habitationis ſuæ collocauerit ſedem. Quis inter tot affectionum ſcopulos mentis nauem inconcuſſam deducere valet? Perfectorum hoc propriū eſt, qui ex diuturna conſuetudine, atque inhabitante ſapientia eruditi exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni & mali. Vnde euaginatum ſemper aduerſus inordinatos animi motus gladium ſpiritus tenentes repentè, vt in ſe pullulare deprehenderint, viriliter necant. Hoc
agens Propheta, ſuo nos volens exhortari exēplo, inquit, In matutino interficiebam omnes Pſal. 100.
peccatores terræ, vt diſperderē de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatē. Hinc rationabili examinatione vtriuſque affectionis, ſenſualis videlicet, & ſpiritualis colligitur proprietas. Senſualis quidem mixtus eſt, carnali proximus, & priuata impulſus delectatione, atq; bono regimine indigens, ne in deterius labatur. Spiritualis verò purus eſt, ſolidus, & exercitatus. Dedignatur pro ſui innocentia, ac generoſitate terreno fœdari puluere, & à diuino detorqueri amore. Virtute quippe ducitur, mouetur ratione, trahitur charitate, reſilitque viriliter, ſi fortè qualicunque pulſetur illecebra. Se totum Deo dedicat, ſe ad Deum dirigit, & quantum illi fas eſt, in Deo requieſcit. Sic ſe exercet exterius, ſic corporalium ſenſuum vtitur inſtrumento, vt Deum, quem toto diligit charitatis affectu, totis viribus præ oculis habere conetur. In iſtiuſmodi munitiſsimo diuini amoris conſtitutus præſidio minimè cæterarum affectionum iaculis vulneratur. Impenetrabile ſiquidem charitatis eſt ſcutū, ſi diſcretionis dextera ſuſtentetur, ſi obiiciatur ictibus, ſi vigili corde ſeruetur. Eneruatur autem ex negligentia, atque ex ſui fiducia amittit robur ſuum. Dormitante anima, & à ſui cuſtodia præ tædio languēte totius boni aduerſarius cupiditatis aquā, charitatis ſuperinfundit incendio. Illud pedetentim tepeſcere facit, atque à naturali diuertere motu. Quandoque etiam (niſi ſolerti cura ſpiritualium ſtudio amoueantur contraria) prorſus extinguitur, & vertitur in fauillam. At verò fiducia propria, quum ex mentis deliberatione elationis ſit filia, ſpiritualiū facultatum diſpergit

git copiam, atque ad opus bonum infirmũ reddit animum, adeò vt illa perdurante in corde nunquam firma proficiendi ſpes vigeat. Quamobrem dubium non eſt ſolum perfectos atq; Apoſtolicos viros huiuſmodi ſpiritualis affectionis decoratos eſſe virtute. Alieno nequaquam indigentes ſolatio, neque ſenſuum delectatione propter paracleti præſentiam, & ſupereminentiam charitatis, qua induti ſunt, cuncta, quę diligunt, recta amant intentione, nedum propter Deum, verumetiam in Deo, cuius ſociali familiaritate exhilarantur, & viuunt. Hoc præcipuo, deſæcatoque amore Spiritusſanctus cęlitus emiſſus Chriſti diſcipulos inſigniuit. Igne nanque eorum corda inflammata, diuino, omnem repentè carnalis, ſenſualiſque amoris, amiſere rubiginem. Tãto præterea imbre inexhauſtibili & æterno cœleſtis Hieruſalem fonte ſpiritus emanauere aquæ, vt totam inordinati amoris abolerent ſcoriam. Longè antè ore prophetico tam nouum facturus prodigium enunciauit Dominus.

Ezec. 36.

Effundam (inquit) ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamẽtis veſtris. Pſaltes quoque egregius huiuſcemodi donum ſe percepturum non dubitans aiebat Domino,

Pſal. 50.

Aſperges me hyſſopo, & mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Non autem tale munus in virtute propria vtriuſque teſtamenti venerandi meruere patres: ſed ex ſuperueniẽte in eis: atque per eos diuina cooperante gratia. Prius etenim quam illa replerentur, ſenſuali ipſos amore refertos fuiſſe dubium non eſt. Hoc perſpicuè in Apoſtolorum claret principe. Ille quippe, quamuis fide cæteris eſſet ornatior: quamuis plus alijs diligeret dominum: tametſi regni cœlorum claues ad ligandum, atque ſoluendum ſuſceperit: licet Apoſtolicæ dignitatis cathedra ſublimatus fuiſſet: non tamen ad ſpiritualis faſtigium amoris, niſi poſt aduentum ſpiritus attingere meruit. Tenerrimè quidem ante domini reſurrectionem eundem diligebat dominum, & ardenti illum amplectebatur amore: non tamen carnali: quia illo per gratiam fuerat euacuatus: neque ſpirituali, quoniam paracleti gratiã nondum perceperat, ſed ſenſuali, priuatoque. Hinc eſt, quòd et plenus ab ipſo domino Ieſu nuſquam abeſſe patiebatur. Vbique illum nimia illius captus dulcedine comitari cupiebat. Nam ſemel quum vniuerſi præter duodecim, à domino diſcipuli diſceſſiſſent, ad eos qui remanſerant,

Ioan. 6.

ipſe conuerſus ait: Vultis & vos abire? Illico Petrus ſapientiæ ſermonibus aſſuetus reſpõſum dare non diſtulit, dicens:

Ioan. 6.

Domine ad quẽ ibimus? Verba vitæ æternę habes. Pabulo verbi ſaginatus creberrimè, illoque priuari formidãs ſine cunctatione ſui ſoliditatem patefecit amoris. Alio etiam tempore, quum in montis vertice transfigurati domini aſpiceret claritatem, quadam mentis profuſus dulcedine hanc prorupit in vocem:

Mat. 17.

Domine bonum eſt nos hic eſſe: ſi vis, faciamus hic tria tabernacula: tibi vnũ, Moſi vnum, & Heliæ vnum. Quemadmodum infans, qui matris adhærens vberibus, ac lactis dulcedine paſcitur, nequaquam ſe ablactari permittit, ſic Petrus delectabili præſentiæ Chriſti captus illecebra nolebat relinquere quod tenebat. Proinde conſtruendorum tabernaculorum conſilium dabat. Ignorabat tamen, quid diceret: non aduertens, quòd contemptis cæteris priuato ſe ducebatur amore. Denuò cum idem mediator paſsionis tuæ futura narraret ludibria, atque de proximo in Hieruſalem ſe prędiceret moriturum, ipſe Apoſtolus magiſtri non ferens abſentiam taliter exorſus eſt. Abſit à te domine. Non fiet hoc. Cui humanè ſapienti, ſenſualiterque diligenti cum indignatione reſpondit dominus:

Mat. 16.

Vade poſt me Satana: ſcandalo mihi es. Non enim ſapis, quæ Dei ſunt, ſed quæ ſunt hominis. Merito ſiquidem diſcipuli puerilem obiurgauit ſenſum, qui ſalutem corporis, ſuique amabilem præſentiam conditoris expectantium commodo: ac redemptioni proferebat humanę. Minimè redargueretur ſi non ſenſualiter moueretur. Ita quoque nunc eodẽ, quo prius, ſenſuali ductus affectu loquenti domino, inquit:

Ioan. 13.

Domine quò vadis? Peruigili etenim corde, ac ore tacito dominum audierat, dicentem:

Ibid.

Filioli adhuc modicum vobiſcũ ſum: quæretis me: & (ſicut dixi Iudæis) quò ego vado, vos non poteſtis venire. Audierat etiam illũ dilectionis mutuæ legem ſtatuentem. Cætera poſtpoſuit, & de ſolo corporali turbatus diſceſſu, quem metuebat maximè, & nolebat vt fieret, inquit: Domine quò vadis? Toties (ò domine) repetitum paſsionis ſermonem te referente intellexi: te ad hoc paratiſsimum ſemper agnoui: vnde in præſenti conuiuio dixiſti:

Luc. 22.

Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum, antequam patiar. Multa etiam inſueta te agere conſpicio: paſchæ ſolẽnitatem adeſſe intueor: tuum præterea vereor abſceſſum, mortiſq; expaueſco ſupplicium. Non autem ad id amplius diſſuadere audeo; pro quo te vehementer increpaſſe me recolo. Quod ſi vt remaneas, impetrare non valeo: vnum tamen flagito, me deneges mihi, edicito ſaltem quò vadis. Si te nequeo retinere mecum, enarra (obſecro) quò vadis, vt ego veniam tecum: quatenus ſicut particeps conſolationum tui, ita paſsionis conſors inueniar. Memento (quæſo) quòd tuæ ſpeciem glorię, tuæque diuinitatis altitudinem patre tuo mihi reuelante cognoui. Splendorem etiã faciei tuæ ſole fulgẽtioris intueri merui, & in cunctis præcipuum erga me exhibuiſti affectum. Cur nunc igitur non vis exaudire me: neq; quò iturus

rus

rus ſis reſerare? Abſentiam tuam æquo non valeo ſuſtinere animo: adeo precor te, ne me deſeras, neque ſolum ſine te derelinquas. Quocunque perrexeris, pergam. Siue ad dexteram ieris, ſiue ad ſiniſtram, tecum pariter proficiſcar. Vna amborum ſit manſio, mutuique amoris iucunda vtriuſque ſit conuerſatio tam valida, tãque perſeuerans, vt corporis ſola morte diuidatur. Ad hæc dominus: Quamobrem, inquit, ô Petre, querimoniam agis contra me? cur tanto nunc mœrore conſumeris? quare ſuffuſis lacrymis vbertim ploras, atque flebili, importunaq; voce dicis: Domine quò vadis? Putaſne quia non diligo te? Cum enim ſemper amauerim te, teque mihi familiari fecerim adhærere contubernio, qua vales modo ambigere ratione, vt ſicut heri, & nudiuſtertius non te diligam, quoniam te mecum ducere nolo? Talis, ô Petre, cogitatio non ſurrepat in cor tuum, taliaque fari deſine. Te diligo, & tanquam mihi amplector chariſsimum. Volo quidem, vt vbi ego ſum, tu ſimiliter ſis. Carnem propterea ſumpſi, in hanc miſeriarum vallem peregrinaturus adueni humanis communicans paſsionibus, vt te per me traherem ad me: quum hoc non poſses per te ſine me. Securus igitur eſto, neque de mea contriſteris abſentia. Non te negligo, non te abijcio, non te odio habeo: dum te poſt me ſuperſtitem derelinquo. Ad profectum tuum hoc ago: atque pro tuorum cumulo meritorum. Verum ne ſuſpenſa te diutius mente dimittam: ne nutanti cogitationi, tuiſque ſermonibus querulis reſpõdere plus differam: ſcito quia quo ego vado, non potes me modo ſequi. Tener es, & inualidus animæ viribus, atque ſpirituali adhuc lacte nutriendus. Quod petis, perfectorum eſt. Timore quidem ſeruili ſuppoſitus es: nec me ſpiritualiter, ſed ſenſualiter diligis. Creſce in virtute, roborare in fide: in charitate te perfice: pręcinge te patientię cingulo veſtimẽtis te indue nouis, depoſito prius vetere homine cũ actibus ſuis. Non enim hæres eſse valet cum filio liberæ, ancillæ filius. Nam etſi non potes me modò ſequi, quia debilis es, ſequeris vtique poſtea. Oportet vt ego præcedam te: atque exilij huius, quibus ad beatam graditur vitã, ſemitas ſternam: quatenus tu facilius poſt me incedere valeas. Mors quippe corporis, quã ego ſponte ſuſtineo, diraque mei agonis crudelitas, qua examinatus inteream: tuas omnino tranſgreditur virtutes. Proinde tibi dico, quò ego vado, non potes me modo ſequi. Poſtquam autem reſurrexero, poſtquam cœlorum alta conſcendero, ad te paracletum dirigam, qui mẽtem tuam tanta ſoliditate firmabit, vt nullo modo valeas ſuperari. Igne ſiquidem amoris ſui cõcremabit te, & dulcedine ſua adeò reficiet te, vt inimicorum minimè tormenta paueſcas. Dono ſapientiæ, intellectuſque compleberis, cuius adiutorio fultus omnem humanam poteris confutare prudentiam. Conſtantem etiam te faciet fortitudinis dono atque magnanimum, ita vt pro illatis flagellis te faciet gaudere vehementer. Parumper etenim deſideriorum tuorum gradum tempera, ne immaturius velis aſsequi, quod expoſcis. Quis temeritati non aſcriberet & inſipientiæ, inermem videre cum aduerſarijs ſquis, ac ferocibus, velle habere congreſsum? Quis imperito conſuleret, vt cum diſciplinatis & doctoribus diſputationis haberet conflictũ? Quamobrem proprias metire vires, vt nõ ſupra virtutem perfectorum audeas appetere pugnam. Scio, & optimè ſcio, quis ſis, quantumque valeas. Nullus mihi de tua ſufficientia ineſt error, nullusque de profectu tuo liuor, quatenus ſuſpectos meos te oporteat habere ſermones. Nam ſi ego certantibus coronam polliceor, illamque victoribus fideliter tribuo, qua deberẽ ex cauſa diſsuadere pugnam, atque terroribus debilitare animos bellatorũ? Nonne ego ſum, Luc. 12.
qui in terram veni mittere gladiũ? Veni enim ſeparare filium aduerſus patrem ſuum: & filiam aduerſus matrem, & nurum aduerſus ſocrum ſuam. Nempe dominus exercituum ego ſum. Ad hoc apud vos diuinitate deſcendi, vt mundi proſternam principem, meæq; poteſtatis alligem vinculis, atq; illius ſpolia diuidam. Si dux ego ſum militiæ angelorum, cur non etiam hominum? Certè hominum & angelorum ducatum teneo, & per eoſdem mea gero certamina. Ex ipſis ordino bellatores, conſtituo duces, agminaque diſpono. Te itaque in terris militantium ducẽ feci, te elegi de milibus, & meis prætuli fidelibus vniuerſis: regiiſq; armis inſigniui te: & vt te pugnare nolim, arbitraris? Prorſus volo, vt decertes cum hoſtibus meis viſibilibus & inuiſibilibus, mihique totum ſubiicias orbẽ, ac meas ſparſim per infidelitatis deuia errantes colligas oues, Eccleſiam meam inſtituas, & tunc demum cum triumpho martyrij laureatus venies ad me, teque de prælio reuertentem angelorum mihi famulantium cœtus in ſuum admittet cõſortium perenniter regnaturum. His Petrus auditis ſui cordis ardorem non ſuſtinẽs, & vltra quàm dici poteſt, exhilaratus de ſibi facta futuræ gloriæ ſpõſione inquit (nimio quippe ſui redemptoris vrebatur amore) Duri mihi ſunt, ô domine, quos audio, ſermones meis votis diſsimiles. Nam (vt agnoſco) omnino receſſurus es. De præſentia tua melliflua, ô domine, quamuis ſuauiter lætatus ſim: quamuis nõ modicum de eadem profecerim, vt ad patrem, vnde exiiſti, redeas: quoniam expedit, fiat voluntas tua. Subiicio me idipſum volens, quod tu. Liberaliter abnego me. Diuino honori, quem de tua nõ ambigo emanaturum paſsione, propriam

priam poſtpono voluntatem. Humanam redē-ptionem, quam in patibulo ſuſpenſus celebraturus es, quamque æſtuanti ſitis charitate, & ad quam iucundiſsimo accedis amore, ego tecum, quanquam affectione impar, pergere concupiſco. Incongruum eſt, vt ſolus eas. Tu quidem tanquam ſacerdos magnus ſancta ſanctorum in ſanguine teſtamenti ſolenne celebraturus ſacrificium fiducialiter introibis. Ego verò veluti miniſter tuus, non tamen ſine ſanguinis effuſione, neque pro communi redemptione, ſed pro tua moriar dilectione. Summus es pontifex, & altiſsimi ſacerdos. Proinde minimè decet, vt abſque miniſtro offeras ſacrificiū. Moſi, quando Sinam aſcendit, vt legem tuo ſancto ſcriptam digito mereretur accipere, aſſociatus eſt Ioſue. Heli Samuel miniſtrauit. Heliſæus Heliæ. Tu autem æterni ſacerdotij pontificatū gerens, & præſules omnes dignitate præcellēs, ſine miniſtro aliquo tuum vis libare holocauſtum? Oro te domine non fiat hoc, vt non tuæ deroges maieſtati. Cum tibi millia millium angelorum miniſtrent in cœlis, vnico vel nūc cōtentus eſto miniſtro. Nec dubites, ò amantiſsime magiſter de carnis meæ fragilitate, aut ſuppliciorum immanitate. Animam meam gratanter pro te ponam, tecumque & in carcerem & in mortem ire paratus ſum. Non enim vereor impiorum minas, non tortorum ſæuitiam, non irridentium ſubſannationem, non ipſam denique mortem. Charitate tui cū vulneratus ſim, quum tāto temporis ſpatio ſanctis tuis ſim exhortationibus roboratus, refectus conſolationibus, exemplis ſolidatus, atque promiſsionibus animatus, putaſne deſeram te ſolatium ſingulare animæ meæ, & deſideriorum meorum concupita ſatietas? Experire (obſecro) vtrum idoneum miniſtrum elegeris, cui ouium tuarū curam commiſiſti. Nunc igitur amore præcinctus tui, ſequar te, & vſque ad crucis patibulū, etiam te inuito, non dimittam te. Erras (inquit dominus) ò Petre, & nimiū falleris, Vehemens amor, quo me plus cæteris diligis, iudicio verò carere dignoſcitur. Præceps eſt, & incōſultus: propterea infrænandus. Præcipitaret prorſus, ſi proprio duceretur motu. Prudentiæ ſtatera penſandus eſt, ordinandus eſt, ne dextera læua ve declinet. Audio etenim te maxima polliceri. Placent planè mihi deſideria tua, in tuique ſpiritus feruore delector, ac magnanimitate pugnandi. Vnum tamen ſapientiæ meæ diſſonum eſſe videtur, quod ad tui profectum celatū iri non patior. Cur videlicet inexpertus quum ſis, talia, tamque ardua ſpondere non verearis? Taceo quòd homo ſis, taceo quòd tanquam imbecillis, & neophytus non ſpiritualiter, ſed ſenſualiter me diligis. Edicito (te oro) mihi, quot iniiſti certamina, quot hoſtes ſuperaſti: quæ ſint victoriarum tuarum inſulæ triumphales? Scirem etiam libentiſsimè abs te quales qui te impugnant, ſint aduerſarij, quævè tibi ſit conſuetudo certandi? Nemo prudentia pollens ſi diſſuetus, aut ignarus ſit pugnæ, belli palmam ſe reportare præſumit. Nam dimicandi ars perficitur vſu: vſus exhibet audacem, mentis audacia victoriæ concipitur ſpes. Spes autem vires miniſtrat, & ad triumphum vſque perducit. Nihil horum adhuc in te eſſe conſpicio. Nonne me Marc. 2
dixiſſe recolis, quòd nuptiarum filij lugere ac ieiunare non poſſunt, quandiu cum illis eſt ſpōſus? quum verò auferetur ab eis ſponſus, tum in illis ieiunabunt diebus? Nā etſi mecum in meis permanſiſtis tētationibus, vtique protexi vos, ipſaſque lenificaui, ne plus debito grauarent vos. Nunc autem receſſurus à vobis corporaliter tantum expetiuit Satanas, vt cribraret vos Luc. 22
ſicut triticū, arbitrās ſine præſentiæ meæ adiutorio vos facillimè ſuo vēdicare dominio. Ego autē quāuis pro omnibus, præcipuè tamē rogaui pro te, ò Petre, vt non deficiat fides tua. Magnum contra te cerno parari conflictum, grauemque ſuper te imminere ruinam: propterea rogaui pro te, ne deficias, atque ſuccumbendo in tuorum inimicorum deuenias prædam. Si iſta crederes, ſique futura, vt ego, agnoſceres, fateor quia nequaquam diceres, quare nō poſſum te modo ſequi? Animam meam pro te pono. Vt igitur latius, apertiusque tibi, quæ acturus es, referem, ſcito prænoſcens, quia antequā Mat. 26
gallus cantet, ter me negabis. Ad hoc expauit cor Petri, & incredibili mœrore ſauciatus eſt. Sciebat nanque veracem eſſe magiſtrum, ſemper vera nūciare. Quamobrem digitum ſuperpoſuit ori ſuo, conticuit, nec vltra aduerſus dominum fari auſus eſt.

Qualem Dei filius profecturus ad patrem diſcipulis exhibuerit exhortationem. Cap. IIII.

PEregrè profecturus quiſque paterfamilias ſuis in vnum vernaculis cōgregatis, prius quam iter arripiat, vniuerſa prouida gubernatione diſponit. Singulorum officia diuidit, agendorum modum, ordinemque inſinuat: futura prædicit pericula: ſe tamen reuerſurum prænūciat: atque ipſorum animos, nimia ne illius abſceſſu mœſtitate proſtratos detineat, blandis conatur mulcere ſermonibus. Multum etenim proficiſcentibus confert, ſi mēte pacatam, cōpoſitam moribus, ac agibilibus inſtructam familiā dereliquerint. Sic Iſaac ſan Gen. 27
ctus & longæuus vniuerſæ carnis debitum ſoluturus, ac deſcenſurus ad inferos, quum oculis præ ſenio caligaret, antequam moreretur, ſuā (vt moris erat) primogenito Eſau dare voluit benedictionem: quanquam diuina aliter ordinauerit prouidentia. Ipſe quoque Iacob, qui à Gen. 48

Deo

Deo dilectus,& à matre præmonitus fratri prę ripuit benedictionem, quũ decubaret, & morte vicinus eſſet, omnibus conuocatis filijs magna cum autoritate ſingulis ſpiritu reuelante enarrare inchoauit, quæ ſuper eos, & poſteras filiorum ſuorum futura erant generationes. Nil ſiue boni, ſiue mali conticuit, quin panderet

Deut. 32. illis. Moſes ſimiliter omnium,qui morabantur in terra,mitiſsimus, prius quàm vocante illum Deo montis verticem conſcendiſſet,& promiſſionis terram lōgè poſitus circunquaq; luſtraſſet, coadunatis pariter filijs Iſrael vniuerſis egregium canticum illud expoſuit, in quo præuaricationem,ac venturę damnationis ipſorum ſententiam luce clarius patefecit: non indignatione,ſeu liuore permotus:ſed caritatis zelo cō pulſus, ſi fortè diuinis comminationibus auditis reſipiſcerent,obdurati que molleſcerent, atque vltionem formidabilem reuocarent. Sic in vltima ſeculorum generatione Dei ſapiētia in carne paſsibili conſtituta, quum in extremo vitæ ſuę termino in medio ſuorum conſederet diſcipulorũ, perfectis ritè paſchalibus ſacramentis tanquam delegato teſtamento excellentiſſimum de mutua ſeruanda dilectione edidit ſermonem,monita ſalubertima continentem,ſuęque charitatis incentiuum permaximum. Nemo planè huiuſmodi valet dignitatem explicare eloquij quippe cū ab ipſo puriſsimo emanarit ſapientiæ fonte. Diſcipulis quidem ſuis adhuc paruulis,ac charitatis dulcedine nutriēdis, tanquam ſpirituale lac talia propinauit. Oppreſſerat illos mœror pro chari diſceſſu magiſtri, & pro ipſorum exili fide atque fiducia fluctuante. Ignorantes etenim quid de ſeipſis futurat euenturum, variis cogitationum agitabantur procellis. Diuinam nondum ſuper ſe intellexerant prouidentiam continuo verbi fulti præſidio. Hoc intuens dominus,qui propinqua & remota,futura & præterita vniuerſa proſpectat,conſolatoria verba exorſus eſt,dicens: Nō

Ioan.14. turbetur cor veſtrum. Pius pater magno curarũ æſtuantes turbine blande filios adhortatur. Nēpe veluti periti ſsimus medicinæ regulis imbutus,opportunam illis exhibuit medicinā. Nō autem illis de diuinitatis eſſentia,aut beatorum gloria ſermonē edidit,ſed de pacis ſuaſione. Sublimia illa inquieti quũ eſſent, capere minime potuiſſent. Nam inquieta mens non valet erigi ſupra ſe,neq; erudiri ſermonibus ſapiētiæ. Ex ſui quippe diſſenſione indocilis efficitur, atq; ex perturbatione aditum in ſe obſtruit veritati. Proinde mirando quodam humanæ prudentię ingenio Dei ſapientia commotis diſcipulis pacis ac quietis ſuadet bonũ, quatenus iactato in eorum corda ſtabilitatis fundamento ſecutum doctrinæ ſuæ domiciliũ ſuperædificare valeret. Non turbetur (inquit) cor veſtrũ,tanquā ſemper vos deſeram, fluctuationem animorũ propellite,aduocate pacē, tranquillitatem tenete, vt vobiſcum conferre valeatis, quæ vidiſtis de me,vel audiſtis à me. Nunquid magnalia operum meorum atque ſtupenda obliuioni mādaſtis? Nunquid præclara diuinitatis meæ teſtimonia,quæ multifarie didiciſtis, aduertete nequitis? Redito ad vos, vt in me pacem habere poſsitis. Interim tamē creaturas oēs īterrogate de me, in quibus deitatis magnalia operatus ſum,& ædificabunt vos,terra, mare, cæteraque elementa,& ipſa cœlorum aſtra ſe manuũ mearum opus eſſe fatebuntur, & dicent. Ipſe fecit nos,& non ipſi nos. Recolite quid in ſapientiæ Pſal. 99.

libro de me per me ſcriptum ſit. Quando præparabat cęlos,aderam; quando certa lege & gy Prouer. 8.

ro vallabat abyſſos;quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum, cum eo eram cuncta componens. Ego ſum Dei filius,de quo ſcripta ſunt hæc, pro humana à patre reſtauratione directus. Propterea non turbetur cor veſtrum,quia viſibilem naturam amoueo, cū diuinitate ſemper vobiſcum ſum. Creditis in Deũ, creditis Dei vbique eſſe præſentiam,creditis illius ſuper vos prouidentiam,& in me eadem ſimiliter credite. Nō fidem veſtram carnis tollat materia,charitatiſque dulcedinem,& perſeuerantiæ firmitatem euertat. Viſibilis & inuiſibilis natura vnum Dei efficiunt filium. Nec humanitas adimit diuinitati,neque diuinitas proprium tollit humanitati. Vna enim perſona perfecta, indiuiſibilis, & inconfuſa Deus & homo eſt. Humanā tamen ſubſtantiā,quæ ex tempore cępit habere originem,ſideribus importabo,& ſuper omnem eſſeram creaturā. Nullam igitur fidem veſtram arbitremini habere iacturā,quia dixi, Creditis in Deum,& in me credite. Nullũ quoque detrimentum vos paſſuros eſſe formidetis,dum corporalē meā ab oculis veſtris præſentiam ſubtraho. Totum hoc ad profectũ fiet veſtrę fidei,exaltationiſq; augmentũ. Quemadmodũ enim propter veſtra morior delicta, veſtramq; reſurgo iuſtificationē, ita ad glorificationem veſtram vobis videntibus cœlos aſcendā. Pręcedam itaq; vos, non vt veſtrā præripiā gloriam, vel vt ſolus tanquā naturalis & verus filius totam cęleſtē poſsideā hęreditatē,ſed vt illam mecum pariter habeatis. Nec vos terreat, quia alio dixi in loco, ſeruus non manet in domo in ęternũ, filius manet in domo in æternũ. Quod ibi ſecutus ſum,mementote. Si filius libe Ioan. 8.

rauit vos, verè liberi eritis. Vt liberē vos, crucis Ibid.

ſuppliciũ ſubire non dubito. Quamobrē vobis non inuideo, vt cęleſtis regni conſortes mei ſitis,pro quo gratis patiendo vos libertati reſti- Ioan.14.

tuo,neque gloria mea derogabit veſtræ,nec veſtra meę,quippe quum in domo patris mei māſiones multæ ſint,non locis,aut limitibus diſtin-

 ctæ,

ctæ, ſed meritis. Domus vtique hæc patris, de qua loquitur Sapientia, cœlorum habitatio eſt, quæ eſt præclara domus, & ſublimis, æterno coruſcans lumine, luminoſa in ſe, ciuium numeroſitate referta, diuitijs plena, dignitatibus inſignis, fulgens honoribus, pace ſecura latitudine incomprehenſibilis, gaudio abundans, omniumque locuples bonorum. Ordinibus quidẽ diſtincta eſt, decorata gradibus, & mãſionibus ſegregata. Habent in eadem domo Angeli, Archangeli, Virtutes, Poteſtates, Principatus, Dominationes, Throni, Cherubim, ac Seraphim, proprias manſiones diuiſas, in quibus honorabiliter exaltati perpetuas Deo exhibẽt laudes. Non ſolum autem hi angelici ſpiritus, qui ab initio domus huius habitatores fuere, proprijs in cœleſti aula nobilitantur manſionibus, verumetiam quotquot homines prędeſtinati ſunt ad ſalutem. Ambigendum etenim non eſt patriarchas ſanctos, ſublimes vates, Apoſtolorũ honorabile collegium, martyrum laureatum chorum, concordem confeſſorum numerum, virginum candidatum exercitum, ſacrarumque ſacerdotum ordinem ſpeciales in ipſa domo poſsidere manſiones. In vno ſiquidem vniuerſæ ſunt loco, vna tamen quæque earum pro meritis inhabitantium fulget, delicijſque exuberat ſpiritualibus. Quis verò domus huius gloriam, incolarum fęlicitatem, concordiã animorum, mãſionumque ſpecioſitatem enarrare ſufficiat? Generoſitatem, atque ipſius excellentiã à lõge, & ex parte cognoſcẽs propheta, amator effectus illius, eaque participare deſiderans in exultatione ſpiritus aiebat. Quã dilecta taber-

Pſal. 83.

nacula tua domine virtutum? cõcupiſcit & deficit anima mea in atria domini. Alibi quoq; in-

Pſal. 25.

quit ſic. Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Merito quippe concupiſcentiæ illius deficiebat amore, nam ſuperexcedit bonũ omne, quod vidit oculus, auris audiuit, & in cor hominis aſcendit. Domus illius decorem nullus agnoſcit & negligit, nullus poſsidet & amittit. Sempiterna vtiq; eſt diuino irradiata ſplendore, innumerabilium habitatorum capax, cunctorumq; delectabiliũ contẽtrix. In ipſa facie ad faciem videtur Deus, intelligitur verbum, amborũ ſpiritus adoratur. Non annua, ſed continua ibi celebratur ſolennitas, & ſponſa ſpõſo caſtiſsimo atq; puro amoris cõnubio copulatur, fęcundatur ſpiritu, amore fętatur. Nil eſt, quod diſpliceat; nil, quod amantium perturbare valeat animos, reperitur. Tota pacifica, tota lęta, ſemper fidelis, nuſquã coinquinata, nunquã dilectione langueſcẽs. Ex guſtu fruitionis charitatis indeficienter deſideriũ innouatur, ex charitate autem dilectionis modificatur ebrietas. Semper in illa ſobrietas cum ebrietate viget, ſatietas cum deſiderio perſeuerat. Mutui amoris tanta eſt in ea ſuauitas, tantaque pro communicata fęlicitate fraternitas, vt fiat cooperante charitate conuiuium vnum, populus vnus, & cor vnum in ſacroſanctæ oſculo charitatis. O domus Dei, ò præfulgidæ manſiones, ò ciuitas regis ſummi, quãta in te ſunt gaudia, & quã glorioſa ſunt de te dicta? Dilexi quidem ſpeciem tuã, & concupiui iucũditatem exultationis, quæ eſt in te. Ad te (fateor) ſuſpirat cor meum, quoniam in te ſunt lætitiæ meæ, laborumque meorum concupitus finis. In te temporalem, quamuis minimam & caducam, quam contempſi, fęlicitatem reſtaurãdam eſſe non ambigo. Sapientiæ contubernium, cui afficior, me in te adipiſci confido, diuinam etiam, quam deſidero perficere laudem, in te perſoluere non diffido. Merito proinde diligo te, quæro te, clamo ad te, quieſco in te, vulneror propter te, ſitio te, & cupio affectu anxio videre te, plateaſque tuas auro ſtratas, muros tuos ſapphiro, & ſmaragdo, omnique precioſo conſtructos lapide, ciues tuos immortalitatis candore fulgentes, regem tuum diuino diademate renitentem quidem in ſe, vniuerſis verò beneuolum, atque in aſtantium omnium oculis honorabilem. Vtinam tuarum ſaltem vnam minimam habere merear manſionum, quas Deo coæterna ſapientia præparauit in te electis ſuis regnaturis in te. Præparauit (inquam) æternaliter in ſe, perfecitque temporaliter per ſe. Has poſitas in te manſiones eadem ſapientia ſibi adhærentibus liberaliter diſcipulis repromiſit dicens. Non turbetur cor

Ioan. 14.

veſtrum, creditis in Deum, & in me credite.

Ibid.

In domo patris mei manſiones multæ ſunt. Turbabantur enim non mediocriter eorũ mẽtes de humanitatis domini futura abſentia, verbi delectationum inexpertes, propterea promiſsione cęleſtium manſionum conſolabatur eos inquiens. In domo patris mei manſiones

Ioan. 14.

multæ ſunt. Vnam tantum eſse non dixit, ſed multas, ne ſolum propriam nominaſſe videretur. Habet nanque ſapientia etiam ipſa manſionem ſuam, ſicut cæteri ſuas, alijs nihilominus longe diſsimilem. Sinus nanque patris, coæternitas, conſubſtantialitas, parilitas, æqualitas, maieſtas, diuinitasq; genitoris vnigeniti verbi ineffabilis ſpiritualis eſt manſio, ad quam nemo angelorum ſiue archãgelorũ attingit, & in quã nullus prædeſtinatus ingreditur. Cognitio verò diuinitatis, patris limpida & facialis viſio, immortalitatis ſtola, ſtabilis & quieta cęlorum inhabitatio, incorruptio reſurrectionis, gloriæ cœleſtis perfecta adeptio, angelorum æqualitas, ſocietas ciuium ſupernorum, electorum perpetuæ eſſe noſcuntur manſiones. Ad has ſperandas, capeſſendasq; debiliũ animos hortabatur dominus, vtpotè ſciens quod diceret. Nole

bat

bat enim, quos paternaliter diligebat, elegeratque, vt habitarent in ſummis, luteas ac temporales appetere manſiones. In illos itaque tacitè inuehebatur dicens. *Luc. 24.* O puſilli, & tardi corde ad credẽdum ijs, quæ vobis per me dicta ſunt. Quare carnis ſenſu ducimini, & non magis ſpiritu? Cur inſtanti ſeparationi attenditis, & temporalem tantum de me conſolationem exquiritis? Futura fidei oculo perſpicite, ſpiritualia diligite, æterna ſperate. Dilatamini igitur in diuinorum deſiderio, dilatamini, & vincimini. Erigite ad cœlos mentis aciem, & roboramini. Me ſpiritualiter amate, & charitate mea inflammamini. Expergiſcimini (inquam) lætamini, & exultate, atq; abijcite de meæ carnis viſione triſtitiam, & iucunditatis indumento ornate vos. Cogitate (oro) diligẽter receſſus mei cauſam, ſermonum meorum mementote, manſionumque mearum cautionem tenete, & intelligetis, quod gaudere vos potius, quàm mœrere oporteat. Vtique triſtari debueratis, ſi quo minus dixiſſem vobis, quia vado parare vobis locum. *Ioan. 14.* Quamobrem penès vos ratum habete, & de veſtris cordibus nullius perſuaſione, nullo euentu, nulloq; deleatur terrore, aut ſupplicio, quoniam ſi abiero, & præparauero vobis locum, iterum veniam, & accipiam vos ad me ipſum, vt vbi ſum ego, illic & vos ſitis. Audite nunc ò vos diſcipuli, qui hactenus in mœrore fuiſtis, & amoris deſiderio, corde patulo, attentiſque auribus diſtinctè auſcultate, quid dicat Dei verbum, quid in carne & per carnem ęterna loquatur ſapientia. Recedere velle à vobis ſe dicit, & ad patrem aſcendere, vt excelſas & magnificas, quæ in regali cœli palatio ſunt, præparet manſiones, faciatque) in eis (ſicut propheta cõmemorat) *Eſa. 25.* omnibus electis ſuis ſolenne conuiuium pinguium, conuiuium vindemię, pinguiũ medullatorum, vindemiæ defæcatæ, & recumbat ibi in regno cęlorum, cum Abraham, Iſaac, & Iacob. Quibus rite paratis, iterum venturum ſe aſſerit, vt vos accipiat ad ſe. Amore ſiquidẽ caſto, hominum illectus amore reuertetur, ne ſuperabundantiori de abſentia illius corda veſtra abſorbeantur triſtitia. Veniet prorſus, ſicut venturum ſe dicit, & non tardabit, non diſceſſurus amplius, ſed vobiſcum, & cum omni Eccleſia commoraturus vſque ad ſeculi conſumationem. Neque enim tunc diſcedet, & aſcẽdet ſolus, ſed iuxta ipſius pollicitationem accipiet nos ad ſeipſum, vt vbi ipſe eſt, nos ſimus cum ipſo. Quid eſt, quod dixit, accipiã vos ad meipſum, *Ioan. 14.* vt vbi ego ſum & vos ſitis? Non poteſt nõ eſſe magnum, atq; præcipuum quòd ait, vt vbi ego ſum & vos ſitis. Quamobrem ipſum dominum interrogemus, vbi eſt, quatenus hoc cognito, mente, affectuq; eſſe incipiamus, vbi ille eſt. Dic igitur nobis ò domine vbi es, dic inquã vt ſcire valeamus, vbi futuri ſimus. Ardenter ſatis id ſcire deſideramus. Non niſi delectabiliter ſtare poterimus, ſi in æternum non ſeparãdi à te, erimus tecum. Dic (oro) domine vbi es? Te in cœnaculo cerno cum tuis. Cum illis iã es, quibus dicebas, accipiam vos ad meipſum, vt vbi ego ſum & vos ſitis. Si ſub verborum velamine nihil ſignificare potuiſti, quid magni polliceris dicens, vt vbi ego ſum, & vos ſitis? Si nihil latet, tecũ ſunt, & vltra expectare quid debent, ſi quod promittis, habent? Quoniam verò iuxta mei captum ingenioli, ſub myſterio loqueris, curioſitate ſemota, ſcire cupio abs te, vbi es, & vbi nos futuri tecum. Es ne forte in palatio aliquo manufacto, parietibus deauratis, gemmis ornato & purpura? Es ne in ſede regia, eburnea, precioſis circumſepta monilibus, varijsque ſtrata tapetibus? Talium ſcio domine, quod non eges. Hæc omnia gentes & ſeculi amatores quærunt. Noui apoſtolum tuum dixiſſe. *Act. 17.* Non in manufactis habitat Deus. Nuſquam horum, quę videntur, habitationem tuam eſſe, de qua ſermo hũc agitur, certiſsimum eſt. Ore prophetico (ni fallor) audio te dicentẽ, vbi es, *Eſa. 66.* Cęlum, inquis, mihi ſedes eſt, & terra ſcabellũ pedum meorum. Alium etiã te reuelante agnoſco referentem clarius vbi es. *Pſal. 112.* Quis (ait) ſicut dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cęlo & in terra. In altis itaq; habitas, in cęlo præſides, in ſublimib. regnas. *Pſal. 44.* Sedes tua (teſte propheta) ò Deus, in ſeculum ſeculi, & virga directionis virga regni tui. Regnũ quoque tuum regnum omnium ſeculorũ, & dominatio tua in omni generatione & generatione. Habitatio tua æterna eſt, ſtabilis, pacatiſsima, reſtauratione non indigens, nulla vetuſtate ſeneſcens. Cuncta hęc diligentium te affectum mulcent, cordis ſapiunt guſtu, & flãmam in eis tuæ charitatis accendunt, quum te in cęlis eſſe audiunt, tecũq; ſe ſine fine regnaturos non ambigunt, iuxta quod ſcriptum eſt. *Apoc. 1.* Et fecit nos reges, & ſacerdotes & regnabimus in ſeculum. Nẽpe audiebant ſapidè, delectabiliterq; ab ore præceptoris Apoſtoli, ſecum Chriſto futuros. Non tamen perſpicuè intelligebant, vbi tã grata ſocietas fieret, neq; qua perueniretur illuc. Rudes adhuc erãt, & in fide puſilli, atq; ſpiritualium ignari, ſpiritualis inexperti copulæ, & cęleſtium inſcij manſionum. Aſſueti quidem ſenſib. myſteria non poterant intueri diuina, quoniam perhibente teſtimonium Apoſtolo, *1. Cor. 2.* Animalis homo non percipit ea, quę Dei ſunt. Quod intelligebant diſcipuli, hoc loquebãtur. Vnde eorum vnus Thomas noĩe, verborum domini minimè capax, ſciſcitatus eſt dicens. *Ioan. 14.* Domine, neſcimus quo vadis, & quomodo poſſumus viam ſcire? Audierat quidem ipſum dominum dicẽtem. Quo ego vado ſcitis, & viam ſcitis. Hæc

cum non ſpiritualiter intelligeret, ſed ad ſolam corpoream domini referret naturam, ſe viam, qua iturus erat, neſcire fatebatur. Ideo aiebat, Domine neſcimus quo vadis. Paucis igitur prudentiſsimi Dei ſapientia neſcienti ſatisfecit diſcipulo, declarauit enim profunditatis eloquio, quod inerudito diſcipulo videbatur obſcurum. Ego ſum, inquiens, via, veritas, & vita. Ioan. 14. Nemo venit ad me niſi per me. Quid euidẽtius, quid profundius, quidve breuius de ſe dicere potuit ſapientia? Verba hæc ſpirituali intellectu ſunt grauida, & diſcuſsione digniſsima. Via etenim eſt dominus Chriſtus, nõ humanis calcanda pedibus ſed angelicis veneranda ſpiritibus. Porrò via hæc, via recta eſt, carens anfractibus, ab erroribus munda, & abſq; terrore vllo, in qua non diſcurrunt latrones, nec leonũ perambulant catuli rugientes, vt quærant eſcã ſibi. Pſal. 103. In quam antiquus ſerpens & tortuoſus coluber non irrumpit, non dilaniat, neq; mactat, vt perdat. Sepibus quidem & maceriæ eſt circundata, atque valida armatorum protecta manu, indicibili videlicet angelorũ hincinde multitudine cuſtoditur. In hac prorſus quicunque ſimpliciter graditur, confidenter ambulat, gratia illum præcedente diuina, comitante Deo, angelo protegente, ſubſequentibus meritis. In ea qui incedit, ſecurus, hilaris, feſtiuus exiſtit, nec immerito. Regia enim eſt, deducens vſque ad ciuitatem ſanctam Hieruſalem. Fidei quippe ſynceritate, non corporeis paſsibus per ipſam pergitur, neq; locali peragratur motu, ſed animæ affectibus eruditis cogitationibus, profectibusque virtutum. Qualis via, talia incedentium eſſe debent itinera. Eſa. 24. Spiritus (ait propheta) ante faciem noſtrã Chriſtus dominus. Quamobrem in lumine fidei, in nitore conſciẽtiæ, in ardore charitatis, in fraternitatis amore, in decore animæ, in ſapientiæ illuſtratione, in perfectionis zelo, in eleuatione mẽtis, in cœleſtiũ cõtemplatione, & in vigili cordis cuſtodia gradientium ſemitæ diriguntur. Via igitur nobis factus eſt Chriſtus adducens ad gratiam, conducens ad Deum, reducens ad ſe. Via (inquã) fulgens in cœlo, illuminoſa in ſe, credentibuſque perſpicua vniuerſis. Candore ſiquidem rutilans verbi, & veritatis ſplendore clareſcens, nulla ignorantię denſatur caligine. In hac via, qui veritatem neſcit, deuiat. Qui verò comitatur veritatem, viuentium tendit ad patriam. Nil enim peregrinãtibus adeo ſicut veritas dignoſcitur neceſſarium. O veritas alma, quàm præcipua & excelſa eſt tuę generationis origo? In paterno ſiquidem ęterni regis, veriq; Dei pectore initium habes ſine initio, & vitam ſine fine. Omnia tibi nuda & aperta ſunt. Hebr. 4. Attingis etiam à fine vſque ad finem fortiter. Propterea diſponis ſuauiter vniuerſa irreprehenſibili æquitatis examine, nec quiſquam redarguere, quod agis, valet. Radios quoque tuos de ſublimibus regię poteſtatis ſedibus ſuper corda diffundis filiorum hominum, vt diuino illos facias conſortio dignos. Nixibus nanque ſuis ſuperuacue elaboraret humana temeritas, niſi pio tuo illos fauore ſuſtentes. Primatum tenes coram Deo, & in cõuentu hominum, angelorumque nimio decore coruſcas. Venerantur te, qui norunt te, nec tamen vt ſunt, tua valent enarrare præconia. Vltra cuiuſcunque creaturæ ingenium tua prǽexcelſa protenditur dignitas. Beatos dixerim, qui tuo digni ſunt aſtare conſpectui, quique melliſluo tuo ſunt copulati connubio. Immortales enim efficis, quos diligis propter te, apud quos tuam ſtatuis manſionem. In cordibus eorum tanquam in tibi placidiſsimo declinas ac requieſcis viridario, indeque amęnos vernantes, redolenteſque charitatis colligis fructus. De talibus ſic arbitror te quodam dixiſſe in loco. Cant. 4. Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus, emiſsiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Vnius perſonam exprimis perfectorum volens oſtendere vnitatem. Tibi huiuſmodi ſe cuſtodiunt, ſeque ordinatiſsimè componunt propter te. Pulchritudinis quippe tuæ illecti magnitudine vniuerſis præponunt te, ſeq; exponunt pro te, minuſque ſe diligunt quàm te, ſe amant in te, agnoſcunt in ſe, nilq; ſe eſſe fatẽtur ſine te. Nec immerito. Tuæ nanq; charitatis dono ex toto corde dulciter, ex tota anima ſapienter, ex omnibus viribus fortiter diligunt te. Porrò agnoſcunt ſe melius viuere in te, quàm in ſe, qui viuis vita æterna, eſſe immutabili & beato de te in te, viuificaſq; cũcta, quæ viuunt naturaliter, ſeu vita ſpiritus. A te nanq; ò via incorruptibilis vniuerſa habent, vt ſint. Sũt autẽ, quia viuunt in te, non per ſe, ſed per te, qui es finis omniũ quę ſunt, iuxta ordinationis tuę arcanũ, ineffabile, rectumq; conſiliũ. Nã cuncta feciſti propter te. Quę verò deuiãt à te, malo ſuo, ſuaq; impellente malitia hoc faciunt. Legi quippe tuæ ſanctæ inobedientes deordinant naturã ſuam in imagine tua, qua honorabiliter inſigniſti eos, propterea æterna digni ſunt morte, quæ in tuorum vltionem inimicorum per irreprehenſibilem iuſtitiam tuam ſtatuta eſt. Non tamen tu (ò veritas ſumma) in perditione lætaris impiorum, quatenus eos ſempiternaliter punias, qui omnes diligis, vt viuant ſancte, viuantque glorioſè in te. Lætaris autem, dum delinquentes feris in tua iuſtitia coæterna tibi, quæ punit facinora, quę aliena ſunt abs te. Quæ enim non feciſti, diſplicent tibi, qui bona omnia & valde bona conſtituiſti in pondere, numero & menſura, Sap. 11. dans ſingulis ſecundum naturæ ſuę qualitates, proportiones

con-

congruas, per legem perfectionis ſapientiæ tuæ irreprehenſibiles, ordinatiſsimas, mirandaſque. Quis autem omnium mortalium redarguere valet, quod tu omnium artifex ſumma ſapientia, veritatis tuæ lumine condidiſti? Aut quis non miretur vniuerſitatis creaturarum ſpeciem, indefeſſamque perſeuerantiam earum ſub lege tua, quas feciſti ex nihilo, ſolo tuæ volũtatis imperio in laudem, in tuæque diuinitatis præconium ſempiternum? Expoſuiſti vtique eas rationali creaturæ tuæ, quæ in opacis exilij huius itineribus peregrinatur abs te, vt per illas eidẽ te innoteſceres, & glorificaret te. Non quidem vt tibi, quum non habebas, vẽdicares glo-
Rom. 1. riam, ſed vt per ea manifeſtares, quid es. Inuiſibilia enim tua à creatura mundi per ea, quę facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque tua virtus, & diuinitas. Prouidiſti optime mortalibus vniuerſis iuxta tuæ ineffabile conſilium ſapientiæ adiutorium, per quod erigeretur ad te. Pondere carnis corporaliſque fecis ſpiritualis natura, quæ præerat, latebatque grauata ergaſtulo, minus erat idonea ad cognoſcendum te. Ipſa etenim, quæ ratione carebat, inſoleſcente natura, tuo abuſa dono vertit ad voluptatem, quod eidem tribueras ad ſalutem. Condideras quippe eam, vt rationalis, quam iuxta ſe habebat, naturæ ſubeſſet imperio. Veruntamen tua ex hoc nequaquam indignata bonitas aliud mirabilius, per quod repararetur, quæ perierat, conſilium adinuenit. Non enim tu ô miſericordiarum plenitudo, & bonitatis indefectibilis fons, quemadmodum nos paſsionibus agitaris, quatenus malum pro malo tribuere debeas, quin potius benefaciendo, diſsimulando, compatiendo noſtrorum toleras multitudinem delictorum, vt pœnitune ducti à vijs noſtris reſipiſcamus peſsimis, & conuertamur ad te, qui gratuito nos amas affectu. Quoniam verò per tuæ opera ſapientiæ non cognouit te mundus, tibi placuit ô Sapientia per ſtultitiam aſſumptæ humanitatis ſal-
Rom. 11. uos facere omnes credentes in te. O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei quam incomprehenſibilia ſunt iudicia tua, & inueſtigabiles viæ tuæ. Quis cognouit ſenſum tuum ô domine, aut quis conſiliarius tuus fuit? Humanum ſapere miro humiliaſti modo, vt qui delinquendo ſe indignum fecerat erudiri per te, ſaltem per inferiorem ſe, agnoſceret te. Nam crucis tuæ prædicatio ſicut Iudæis ſcan-
1. Cor. 1. dalum, ita à gentibus ſtultitia eſſe iudicatur. Horum verò nemo quandiu infidelitatis deluduntur errore, quandiu cruci tuæ cordis ceruicem ſubdere dedignantur foris remanentes, nunquam ad diuinitatis tuæ attingunt notitiã, nunquam etiam tuæ habiles efficiuntur frui-
Ioan. 14. tioni gloriæ. Proinde, quod ſcriptum eſt, dixiſſe te reor. Ego ſum via, veritas, & vita. Nemo venit ad patrem, niſi per me. Quis mentis ſuæ compos credere audeat ſe poſſe peruenire ad patrem ſine te? Mediator quum ſis verus, duce veritate tua ad diuinitatis in te credentes cognitionem prouehis. Tenebræ quum ſint, in tenebris ambulant, quicũque à tua ſemoti ſunt gratia. Mox autem vt te communicas illis, lux efficiuntur in te. Quod verò lucem aſpiciũt, quod participatione lucis efficiuntur lux, prorſus agitur per te, qui candor lucis æternæ nuncuparis, & es. Lux (inquam) ſpiritualis es, & diuina. Oculis quidem corporeis inuiſibilis, ſed Angelis & Hominibus mũdis corde intelligibilis, delectabiliſque. Verbo enim tuo ſempiterno rationali illaberis creaturæ, illam ſine verborum fragore, aut corporis motu inſtruis, facisque vt videat te, amet te, delectetur in te, qui propè es, nec agnoſceris, niſi ab ijs, quibus per illuminationem fidei oſtendis te. Venit itaque ad patrem per te, qui te ſuſcipit in ſe, necnon qui diuinæ veritatis tuæ irradiatus lumine redemptionis tuæ efficitur particeps. Nam gratificatur interpellante te, teque ſanguinem pro illo fundẽte liberatur. Quum enim quæ non commiſiſti, exoluis debita, tuo nos precio redimis, adoptatoſque perducis ad patrem.

Quod non niſi ex diuino guſtu humanus affectus valeat ſatiari. Cap. V.

INter præcipua, quæ in ſuę conditionis primordio omnipotens Deus homini præſtitit dona, naturaliter illum concupiſcibilẽ fecit, quatenus ſuum naturali impulſu ſemper cuperet conditorem, in quo concupiſcibilium omnium ſciret eſſe dulcedinem. Naturali igitur motu, infatigabiliterque humanum requirit cor, vnde delectatione paſcatur. Non corpore neque mente quieſcit delectationis flagrãs deſiderio, ſi quo modo delectabilium omnium æternum inuenire valeat fontem, ad quẽ pertingendo ſe ſatiandum eſſe non ambigit. Caſſo proinde ſemper labore reſudat, delectabilia quæritando quoadusque experiatur (quãuis tenuiter) quàm ſuauis ſit Dominus, & quam magna ipſius ſit multitudo dulcedinis, quam abſcondit ſeruiliter timentibus ſe, perficit verò illis, qui ſperant in ſe, & diligunt ſe. Modica iſtius ſcintilla dulcedinis copioſum charitatis accendit ignem, cœleſtique deſiderio mentem ferueſcere facit. Tali vrebatur incendio
propheta, cum diceret. Quia inflammatum eſt Pſal. 72.
cor meum, & renes mei commutati ſunt. Non mediocriter diligebat, quando renes etiam ſuos commutatos eſse commemorabat, quippe qui prius carnali atque voluptuoſo paſcebatur amore. Tunc ſpirituali quadam dulcedine ebrius effundebar in carne, quod præ amoris

abundantia in mente continere non poterat. Plenitudo quidem hæc ex agnitione Deitatis emanat. Se minime cohibere, ſeque humanus capere non valet animus, quum illius ſpirituali obtutu innoteſcit Deus. Exultat cor, lętificatur ſpiritus, pariter caſtificatur & caro, atque tota ſe diuino mancipatur obſequio. Hoc Citharœda ſanctus inſinuare curauit dicens. Cor meum [Pſal. 83.] & caro mea exultauerũt in Deum viuum. Porrò quicunque familiari potitur verbi contubernio, & puræ iugiter contemplationi vacat, verſiculi huius ſententiam nouit. Necdum verò adultus in ſpiritu nequaquam verborum penetrat ſenſum. Tenui tantum delectatione, quæ affectum tangit, potatur, & tanquam paruulus paruis nutritur. Perfectus autẽ quiſque, & charitate feruidus veritatis paſcitur cibo, vtpote dilectus, dilatatus, & capax. Nil fragmentorum, quæ de eius ſuperſunt cõuiuio, perire ſinit. Nẽpe ex his diem feſtum agit Domino. Reuoluit animo, quæ contemplãdo guſtauit, & quadam ſuauitatis circumfuſus abundantia, laudis pro- [Pſal. 72.] rumpit in vocem. Deus (inquit) cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Iuxta enim inſpectæ veritatis menſuram amoris vehementia pręrogatur. Neq; verus amor ſine cognitione, nec infuſa veritas abſque charitate ſubſiſtit. Quæ etenim ex naturali ingenio, ſeu ex accidenti habetur ſcientia, quoniam à charitate aliena eſſe cognoſcitur, elatione attollit animũ, & reddit inſipidũ. Non enim ex induſtria, ſed gratis diuinitus ſapientiæ tribuitur guſtus. Acquiſita per ſe ipſum ſcientia paucis contenta eſt, ſe ad aures diffundit hominum, fauores quærit, quoniã appetit inaniter ſciri. Tãquam terebinthus expandit ramos ſuos, ſolaque exteriori decorata pulchritudine, iuſtitiæ fructum ex ſe germinare ignorat. In mendicitate degens aliorum dapibus conuiuia celebrat. Dietim operatur, propterea nunquã diteſcit. Sibi ſoli profutura quęrit, æterna negligens temporali mercede lætatur. Quę autem de ſurſum eſt ſapientia, pudica, humilis, conſentiẽs, & delectabilis eſt. Se in mẽtis interiora recondit, in propria dulcedine requieſcẽs. Spiritualibus latronibus theſauros ſibi aggregat imprædabiles. Supra diuinitatis fundamentũ ædificat, & in petræ foraminibus pul- [Deut. 32.] los reponit ſuos. De petra indeſinenter ſugit mel, atque olei dulcedinem iugiter exprimit de ſaxo duriſsimo. Charitatis atque ſapientię verbi potatur ſtillicidijs, necnon ex eorum cibarijs enutritur. Dulciter guſtat, quum meditatur in ſe, longè verò ſuauius debriatur, quum rapitur ſupra ſe. Vbique charitatis indicia, vbique ſapientiæ veſtigia contemplatur. Quamdiu taliter ſecum agitur, quicunque his dignus efficitur, quæ foris ſunt, arbitratur vt ſtercora, cunctorumque labentium abſque mœrore obliuiſcitur. Quam intus poſsidet cordis lætitiam, ſufficere ſibi poſſe non ambigit. Proinde vt perſeueret donum, magis magiſque vt augeatur, [Pſal. 26.] exorat dicens. Tibi dixit cor meum, exquiſiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram ſemper. In huiuſmodi autem oratione caleſcens, petitionum vota ingeminans ait. [Pſal. 14.] Sitiuit anima mea ad Deum viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem tuam Domine. Tali ſiquidem affectu ſuccenſum ſe eſſe Philippus indicauit, quando inquit. [Ioan. 14.] Domine oſtende nobis patrem, & ſufficit nobis: Diu etenim cum Domino conuerſatus, quamuis maxima ab eodem vidiſſet, audiſſet, didiciſſet, percepiſſetque, potiora tamẽ concupiſcens quod non poſſet amittere, poſtulauit. Voto ſuo minime ſatisfacere poſſe dubitabat, ſi ſecum ſemper in carne haberet verbum, ſi à Dei nũquam diſcederet ſapientia. At ſuo vt ſe cognouit fraudari deſiderio, ex imminenti paſsionis articulo patrem ſibi demonſtrari prudentiſsime quid diceret, neſciendo petiuit. Nempe petitione hac ſola Patris, Filiique præſentiam requiſiuit. Non enim à patre Filius, neque à Filio diuiſus eſt pater. Vna amborum eſt gloria, vna maieſtas, vnaque ſubſtantia, quamuis non eadem perſona. In perſonis eſt proprietas, in eſſentia vnitas, in poteſtate æqualitas, & in diuinitate parilitas. Cœleſtium omnino ignarus Apoſtolus lineamẽtis Deum ſuſpicatus humanis eſſe ſubiectum, patrem ſibi expoſcit oſtendi. Humano ſimplicitatis fallebatur errore. Non eſt corpus Deus, neque aliquo corporis ſenſu capabilis. Spiritus eſt Deus incircunſcriptus, ſimplex, vbique totus, vbique præſens, quem non videt oculus, auris non audit, ſed intelligit ratio, ſentit affectus, percipit mens, tenuiter tamen, & ex parte. Nam per fidem ambulamus, non per ſpeciem. Per ſpeciem autem quando? Quando huius corruptibilis naturæ mole depoſita filiorum Dei ſortiti fuerimus libertatem, ſicut Ioannes inquit. Filii Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus [1. Ioan. 3.] quod quum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Tunc quod flagitabat Philippus, conſequemur, tunc patris gloriam abſque velamine aliquo contemplabimur, tunc vita fruemur æterna, quæ in patris, filiique agnitione conſiſtit. Nunc ad illam non valemus attingere, tum propter diuinitatis inaceſsibile lumen, & ſupereminentem gloriam maieſtatis, tum propter inualidam mortalitatis noſtræ aciem, quę infirmitate propria repercuſſa diu ſupra ſe ſtare non poteſt, neque æternæ ſapientiæ altitudinem penetrare. Quamuis enim patris deitatem ſicuti eſt comprehendere non valemus, poſſumus tamen diuitias ęternæ eius bonitatis inueſtigare, opera meditari

ſapien-

ſapientiæ,atq; potentiæ illius conſiderare mirabilia, quæ præuio fidei lumine diuinitatis conditoris vtcunque arcana patefaciunt. Quamobrem Dei Filius per carnem apparuit, & corã ſe poſitis tam viſibiliter, quàm intelligibiliter tanta,quæ de eo leguntur,operatus eſt, quatenus perſpicuè clareſceret ĩ ipſo diuinitatis habitare corporaliter plenitudinem,fieretque cunctis credentibus perlucidum paternæ maieſtatis exemplar.Nequaquam tamen,quantũ ſciebat, loquebatur, nec iuxta ſuæ magnitudinem operabatur potentiæ, ſed pro intuentium, audientium,& legentium captu, quæ de illo ſcripta ſunt, eadem geſsit in carne.Quis neſciat ſolo verbo leproſos mundare, illuminare cæcos, ægrimonias curare, ipſoſque ſuſcitare defunctos,reuelare cordium ſecreta,elementis imperare atque immundos ſpiritus de obſeſsis corporibus eiicere, non humanæ, ſed virtutis eſſe diuinæ? Vniuerſa hæc per mediatorem Chriſtum facta ſunt, in quo erat Dei Verbum caro factum. Per eundem itaque in miraculis poteſtas,ſapiētia in eloquiis, in beneficiis exhibitis bonitas,in paſsione æquitas,in tolerantia & cõtumeliis Patris declaratur longanimitas.In ipſo homine aſſumpto longe excellentius, quã in quauis alia,ſiue cœleſti,ſiue terreſtri creatura adipiſcitur diuinæ naturæ ſcientia. Ob hoc inſinuandum poſtulanti Philippo, Domine oſtende nobis Patrem,& ſufficit nobis,protinus idem Dominus Ieſus intulit dicens. Tanto tēpore vobiſcum ſum, & non cognouiſtis me? Philippe qui videt me,videt & patrem. Qui videt(inquit)non ſicut tu, qui humana tantũ audis verba,humanam intueris formam,& humanos inſpicis actus, ſed qui videt me in forma Dei, Verbum in principio de patre genitum, ante creaturam omnem cum patre regnantē, in ipſo ęternaliter quieſcentem,atq; genitoris ſapientiam vniuerſa gubernantem, qui talem me videt,omnino videt & patrem.Clara huius contemplationis viſio, reuelataque verbi ſpecies non in præſentiarum habetur, ſed creditur,creditur verò,vt habeatur.Hanc propheta confirmat ſentētiam, vbi ait.Niſi credideritis, non intelligetis, niſi credideritis in præſenti, non intelligetis in futuro.Hoc idem Dominus ipſe notificare voluit. Quum enim dixiſſet,qui videt me,videt & patrem,illico ſubiũxit. Quomodo tu dicis,oſtende nobis patrem?non credis,quia ego in patre,& pater in me eſt?Signãter tamen dixit,non credis, quatenus ſciremus in viſionis pollicitatione patris & Filii,non agnitionem,ſed fidem fore neceſſariam.Nunc quãdiu(videlicet)in hoc paſsibili viuo corpore(ait Apoſtolus)cognoſco ex parte,mediante ac reuelante fide. Tunc autem quando ſcilicet omni triumphata corruptionis moleſtia manifeſta erit Dei eſſentia,cognoſcam, ſicut & cognitus ſum.Id vero tantum,quod ex parte cognoſcimus,& per fidem credimus,de patre per Filium, & de filio in patre nobis ſuadent eloquia ſapientiæ,eiuſdemque opera mirabilia. Maius quàm ſermonem veritatis, teſtimonium habere non poſſumus. Mentiri quidem non poteſt, quum ſit veritas. Nec poteſt non eſſe,quod aſſerit, & affirmat, quum ſit ſapientia, propterea aiebat. Cœlum & terra tranſibunt, verba autē mea non præteribunt.Solidum igitur & irrefragabile fidei fundamentum ſunt verba verbi, & ſcripturarum eloquia,quæ reuelante verbo cõſcripta ſunt, quibus contradicere ac nolle acquieſcere Deo odioſum eſt, atque profanum. Nempe diuinis quiſquis aduerſatur eloquiis, Dei ſe opponit ſapientiæ,quæ ab initio ſanctorum prophetarum, ſuorumque ſeruorum fidelium ora compleuit. Hoc Apoſtolus patenter aſſeuerat dicens. Multifarie multiſque modis olim Deus loquens patribus in prophetis:de ſe ipſo ſic ait. An experimētum quæritis eius,qui in me loquitur Chriſtus? Quæcunque etenim Dei filius per ſemet locutus eſt,& quę per ſuos de vno eodemque prodeunt ſapientiæ fonte, tametſi malus eſſet vera loquens. Quod per malos plerunque loquatur Deus,dubium non eſt, & ſanctarum perſpicue probari poteſt teſtimonio ſcripturarum. Vnde ſi malo tanquam Deo per illum loquenti bonum credendũ eſt,quanto magis bono? Et ſi bono homini, multo amplius Dei bonitati,quæ eſt ipſa ſapientia. Optime nanque in vno bonitas & ſapientia vinculo colligantur. Ambobus pariter teſtificantibus omnino credendum eſt.Nec immerito. Bonitas nec poteſt fallere,neque vult,ſapientia verò errare neſcit. Quamobrem viciſsim ſibi inuicē famulantur,& pariter ſine diſceptatione conueniunt. Hinc eſt quod Vates eximius inter ſuas, quas iugiter Domino offerebat preces, aiebat. Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me. Sciens nanq; ſine ſapiētia bonum,& abſq; bonitate ſapientem eſſe non poſſe, vtrunque ſagaciter poſtulauit. Hinc quàm validũ eloquiorum Chriſti ſit teſtimonium colligimus, ſi qualis erat,qui loquebatur,fideliter cogitamus.Bonitatem ſiquidem aſſumpti hominis Chriſti ſpiritus plenitudo, quæ ab inſtanti conceptionis ipſius fuit,declarat lucidiſsime.De ipſa Propheta ſic inquit. Et requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientiæ & intellectus,ſpiritus conſilij & fortitudinis,ſpiritus ſcientiæ & pietatis,& replebit eum ſpiritu timoris Domini. Huiuſmodi ſpiritus fretus abundãtia indefectibili tantum in bonitate excreuerat, vt prorſus à peccato immunis exiſteret.Ideo fiducialiter aiebat. Quis ex vobis arguet me de peccato? De ſapientia verò illius habes ſic. Puer Ieſus proficiebat ætate & ſa-

Ioan. 14. Ioan. 14. Eſa. 6. 1.Cor. 13. Mar. 13. Heb. 1. 1. Cor. 1. Pſal. Eſa. 11. Ioan. 8. Luc. 2. Col. 2.

& ſapientia coram Deo & hominibus. Nec mirum ſi ſapientia complebatur, quum eſſet Dei ſapientia, & in ipſo homine eſſent omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Humanitas quippe illa perfectiſsimum erat verbi inſtrumentum, vnde quicquam nec agere, nec loqui poterat, niſi qualiter quantumque ab inhabitante dirigebatur verbo. Quamobrem diſcipulis loquens aiebat. *Ioan. 14.* Verba, quæ ego loquor vobis, à meipſo non loquor. Quid euidentius dici poteſt? Diſtinxit nanque ab operibus diuinitatis, humanitatis dona. Loquebatur ipſe, ſed non a ſeipſo. Gloriam non quærebat propriã, ſed eius, à quo fuerat miſſus. Si enim à ſeipſo loqui ſe diceret, priuatam concupiſceret gloriam. Hoc ſi agere præſumeret, nihil eſſet. Qui non Dei, ſed gloriam quærit propriam, quoniã mendax eſt, nihil eſt. Audi quid ſapientia Chriſtus loquatur, & qui calumniantibus Iudæis de ſeipſo dicat. *Ioan. 5.* Ego veni (inquit) in nomine patris mei, & non ſuſcepiſtis me. Alius veniet in nomine ſuo, & hunc recipietis. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit, quia veritas in eo non eſt. Quare in eo veritas non eſt? Vtq; quia in veritate non ſtetit. Cur in veritate non ſtetit? Quoniam priuatam gloriam concupiuit, quæſiuit, nec inuenit. *Eſa. 14.* Leuauit aduerſus conditorem ſuum cordis ceruicem, & ait. In cœlum conſcendam, ſuper aſtra cœli exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in laterib. Aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubiũ, ſimilis ero altiſsimo. Merito igitur ſtare non potuit, quia in veritate non ſtetit, Dei gloriam nõ quæſiuit. Quod gratis acceperat, humiliter recognoſcere noluit. Propterea corruit, & ab ingenita præcipitatus dignitate prophetico ore elationis ſuæ increpationem audiuit ſic. *Ibidem.* Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua, cõcidit cadauer tuũ, ſuper te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Quomodo cecidiſti de cęlo Lucifer, qui mane oriebaris? Non ſic autẽ mediator noſter, non ſic in carne ſapientia, nihil ſibi arrogauit indigne. Et quoniam à veritatis tramite minime deuiauit, non ruinam, ſed incomparabilem ſortitus eſt gloriam, de qua propheta dicit. *Pſal. 8.* Gloria & honore coronaſti eum Domine, & conſtituiſti eum ſuper opera manuũ tuarum, omniaque ſubieciſti ſub pedibus eius. Non tantum oues & boues vniuerſas, verumetiam Angelos, Archangelos, principatus, poteſtates, cunctamq; cœlorum militiam. Voce etenim veridica, quod acceperat gratis, profitebatur palam, neque denegabat, quod ex natura eſſentialiter erat. *Coloſ. 1. Ioan. 1.* Gratis quippe acceperat, vt mediator Dei & hominum fieret, vt tanquã verus ſponſus caput eſſet eccleſiæ, vt primogenitus fieret mortuorum, & princeps regum terræ, vt a verbo in vnitate aſſumeretur perſonali, vt de ipſius gratiæ plenitudine acciperent omnes, vt per eius ſanguinis effuſionem daretur remiſsio peccatorum, atque cęlorum ianua prædeſtinatis tantum pateret ad gloriam. Alia inſuper multa idem aſſumptus homo à Deo accepit, quæ humani tenuitas non capit ingenij. Ipſa nempe beatorum ſpirituum agmina gratiarum ipſius incomprehenſibile culmen lætãdo mirantur, venerantur, adorantq;. Pro ijs igitur, quæ admiſerat gratis, laudes immenſas, & gratiarum ineffabiles Deo agebat actiones. Humilitatem præ cunctis mortalium filijs idem Chriſtus homo dilexit, cuſtodiuit, exhibuit. Vnde præuia ſapientia, verbo duce, ipſaque famulante virtute in nullo limites exceſsit proprios. Neque propter ſapientiam vſque ad ſerui formam exinaniri, neque parentibus pauperrimis ſubdi, paſsionumq; ignominiis ſubijci erubuit. Neque propter humilitatis virtutem diuinitatẽ ſuam, quam æqualem habebat cum patre, atq; maieſtatis gloriam, quæ latebat in carne, deſijt confiteri. De his loquentem audi. *Ioan. 10.* Ego, inquit, & pater vnum ſumus. Fideliſsima ſapientiæ verba hęc ſunt. Humilitatis autẽ. Pater maior me eſt. Et quod in præſentiarum dicitur. *Io. 14.* Verba, quæ ego loquor vobis, à meipſo non loquor. Indicibili quodã veritatis moderamine ita loquebatur, vt naturarum interdũ proprietates diſtingueret, interdum verò vnitatem perſonę commendaret. Hanc ſapientiæ loquendi regulam quidam ignorantes ab vnitatis ſe diuiſerũt gremio, atque facientes ſchiſmata turpiter ac damnabiliter perierunt. Sãcta autem mater eccleſia capitis ſui ſectando doctrinam ſagaciter alterum diſtinguit ab altero. Quamobrem diuinitatem oſtendere non veretur, quum Dei filiũ crucis ignominiam paſſum dicit, atq; hominis filium ſupra Angelorũ naturam in patris dextera reſidere gloriatur. Inſtructa ſiquidem à verbo, quod intus ſibi loquentem audit, hoc viuæ vocis promit oraculo. Id ipſum egit Dominus dicens. Verba, quæ ego loquor vobis, à meipſo nõ loquor. *Ibid.* Teſtimoniũ, quæ loquebatur in homine ſapientia, perhibebat. Verum ne à ſemetipſa hoc dicere videretur, aliud æquale ſubiũxit teſtimonium inquiens. *Ibid.* Pater autem in me manens, ipſe facit opera. Verba nanque Chriſti, inhabitantis ſapientiæ teſtimonium perhibebant, ipſius verò opera patris in illo declarabant præſentiam. Quamuis enim beatæ Trinitatis indiuiſa ſint opera, patri tamen ſpecialiter tribuitur potentia, filio Sapientia, Spiritui ſancto bonitas & clementia, quanquam pater Sapiens ſit & bonus, filius ſit bonus & potens, Spiritus ſanctus ſit potens & Sapiens. Ad perſonarum quippe trinitatis diſcernendam intelligibiliter proprietatem, quædam vni, quædã aſcribuntur alteri, quum veriſsime patris, & filij, & Spiritus

Spiritus ſancti vna ſit poteſtas, ſapientia vna, vnaque bonitas ſimpliciſsima; indiuiſibilis, & æterna. Pater igitur iuxta verbi ſententiam in filio manens ipſe facit opera. Irrefragabile prorſus diuinitatis Chriſti teſtimoniũ eximia ſunt opera, quæ per ipſum facit pater. Vnde alio dicebat in loco. Ioan. 5. Opera, quæ ego facio in nomine patris mei, Ipſa teſtimonium perhibent de me. Quis non crederet mortuos ſuſcitanti, & ſuper vndas ſolido aquæ ſic congreſſu deambulanti? Sed Iudæorum corda excæcauit malitia, & inuidiæ rubigo conſumpſit, ne Deo crederent miracula facięti. Diſcipulorum verò humanæ carnis infirmitas, quam aſſumpſerat de Adam, inualidam reuerberabat eorum fidem, ne intelligere valerent latentem in homine maieſtatem. Quoniam verò qui in carne non agnoſcebant Deum, vix quæ aſpiciebant, credere poterant, quædam ſublimia atque manifeſta Dominus Ieſus ſe intuentibus proponebat opera, quatenus tali ſubuecti adiutorio viſibili, ad verbi diuinitatem, fide mediante, inuiſibilem raperentur. Mittebat illos foras ad conſiderandum viſibilia, qui in lumine inuiſibilium intus ſtare nequibant. Hoc propheta ſanctus in ſpiritu, verbi oraculo monitus conſiderans, credenſque dicebat. Mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet nimis. Pſal. 138. Alibi quoque ſic. Mirabilia teſtimonia tua, ideo ſcrutata eſt anima mea. Pſal. 118. Conuincebat abſens præſentes, & verbi verificabatur ſententia dicentis. Beati qui non viderunt & crediderunt. Ioan. 20. Quantum autem in hoc ſpirituali Propheta memoratus profecerit ſcrutinio, quantũque intelligentiæ adeptus ſit lumen, alio notificauit loco. Pſal. 61. Nonne (inquiẽs) Deo ſubiecta erit anima mea? ab ipſo enim ſalutare meum, nam & ipſe Deus meus, & ſalutaris meus, adiutor meus, non mouebor amplius. Non ſe amplius vllo infidelitatis impulſu fatetur eſſe mouendum, quoniã ſe percepiſſe firmiſsimæ petræ fundamentum, atque præclaræ veritatis ſcientiam lætabatur. Pro qua re non timore elatus, ſed ſapientia præditus, & fraternæ charitatis amore ſuccenſus, quod ipſe perſpicue nouerat, alijs lõge, lateque cõſtitutis inſinuare curauit dicens. Sperate in eo omnis congregatio populi, effundite coram illo corda veſtra, Deus adiutor noſter in ęternũ. Ibidem. Reticere minime valebat, quod abſque ambiguitate, ſpiritu reuelante ipſe didicerat. Dei vtique prędicabat gloriam, quam prophetico ſpiritu cernebat in Chriſto, quatenus populorum corda ad fidei traheret gratiam, pararetque Domino plebem perfectam. Quod ſi ſeruus tanta ſedulitate honoris cultum de eo, quod diuinitus acceperat, Domino perſoluebat, quid patri aget filius? Si propheta ſapientię illuſtratus radijs, Deo pure confitebatur, nec ſibi diuinitatis arrogabat quicquam, ſed in medio eccleſię veritatem annunciabat vniuerſis, occultabit ne genitoris gloriam ipſe filius, in quo ſunt theſauri omnes ſapientię, & ſcientię abſconditi? Planè confeſſus eſt, & non negauit. Ait nanq;. Verba, quę ego locutus ſum vobis, à meipſo non loquor. Pater autem in me manens ipſe facit opera. Ioan. 14. Verum ne fides, quam ipſe vnigenitus Dei audientium mentibus imprimere cupiebat, inanis videretur & ocioſa, quã ſit ſublimis meritis, quàm donis locuples, quæve credentem familiarem exhibeat Deo; indicauit dicens. Ibidem. Amen amen dico vobis, qui credit in me. Hoc dęmones faciũt, & cõtremiſcũt. Neque qui credit mihi, quod faciunt omnes, qui fideles vocantur, & in peccatis degũt, quorum fides nihil proficit ad ſalutem. Sed ſignanter inquit, qui credit in me, quod eſt electorũ proprium, qui credendo diligunt, & illi recte viuendo vniri atq; incorporari ſatagunt. Opera igitur quę facit Chriſtus, quicunq; huiuſmodi inſigniti ſunt fide, faciunt & ipſi. Ad conſolationem quippe ipſorum, qui faciũt, & exhortationem videntium, tale à Deo percipiunt munus. Animantur quidem ad fidem intuentium corda ſignorum operatione, & prouocantur, vt veniant ad gremium catholicæ vnitatis. Eorum verò mentes, qui ſanitatum gratiam conſequuntur, quotieſcunque agunt talia, humilitate fœcundantur & gaudio. Gaudio pro adepto munere, aſpicientiumq; profectu. Humilitate autem, quum ſacro eruditi eloquio tacite cogitant intra ſe prophetiæ atque faciendorum dona miraculorum electis ac reprobis eſſe poſſe communia. Norunt Euangelica autoritate multos Domino in die iudicij eſſe dicturos. Matt. 7. Nonne in nomine tuo prophetauimus? dæmonia eiecimus? & multa ſigna fecimus? Quibus reſponſurus eſt Chriſtus. Amen dico vobis, neſcio vos, diſcedite à me operarij iniquitatis. Propterea nequaquam magnipendunt, quod ad vitæ non prodeſt meritum. Quid enim futura prędicere contulit Caiphæ? quid Iudæ profuit fugare dæmonia? quid Aegyptiacis Magis ingentia prodigia facere vtile fuit? Nempe ad decorẽ gloriæ fidei, & ad declarandam Dei potentiã, necnon ad ſanctorum eruditionem, etiam hominibus malis præſtantur talia. Iſta minime hominem efficiunt ſanctum, nec Deo charũ. Prouocant tamen infidelium mentes ad fidem, dicente Apoſtolo. 1. Cor. 14. Signa data ſunt infidelib. non fidelibus. Fideles nanq; rationi potius, & prophetarum oraculis, quàm miraculo acquieſcũt. In exordio tamen naſcentis eccleſiæ, miracula magis quàm prophetiæ congruebant. Vniuerſam ſiquidem infidelitatis tenebræ occupauerant terram, excepto duntaxat Hebræorum populo, in quo vnius Dei vigebat notitia, dicente propheta. Pſal. 75. Notus in Iudæa Deus, in Iſrael magnum

gnum nomẽ eius. Quòd in tenebrarũ plaga, quam valida manus Domini in Pharaonẽ Aegypti regem exercuit, præfiguratum eſt, Sic.n. habes. Et factæ ſunt tenebræ horribiles in vniuerſa terra Aegypti. Tribus diebus nemo vidit fratrem ſuũ, nec mouit ſe de loco, in quo erat. Vbicunque autem habitabant filij Iſrael, lux erat. Ad has igitur abigendas, quando filiorum Dei diſperſa multitudo fuerat congreganda, tantam Dominus diſcipulis ſuis contulit ſigno rum gratiam, vt nemo tam claris miraculorũ teſtimonijs, aſſertionibus Apoſtolorum cõtradicere auderet. Vnde in Apoſtolicis actionib. legitur, quod per plateas ponebant infirmos in lectulis & grabatis, vt ſaltem tranſeunte Petro obumbraret quenquam eorum, & ſanarentur à languoribus ſuis. Hoc veridica incarnati verbi lingua ſpoponderat, quando dicebat. Qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & maiora horum faciet. Nuſquam de Domino legitur, quod ægrotos ſua liberauerit vmbra, prout de ipſius Apoſtolo euidentiſsime cõprobatur. Quod promiſerat, implere curauit. Nec erubuit vniuerſitatis Dominus maiora per diſcipulos ſuos prodigia fieri, quàm per ſe. Fauoribus non indigebat hominum, neq; ſuam propter ſe oſtentare cupiebat diuinitatis gloriam, ſed propter nos, vt credendo in eum ſalui per illum efficeremur. Difficile itaque non eſt omnibus, quę Dei Sapientia egit, aut locuta eſt, accommodare fidem, quando quędam mirabiliora per Apoſtolos ſuos, in ipſius tamen nominẽ acta fuiſſe minime dubitamus. Nam populi Iudæorum limites Dominum prædicando legimus non tranſiſſe. Dixerat enim. Non ſum miſſus niſi ad oues, quę perierũt domus Iſrael. At poſt illius ad cœlos aſcenſum vniuerſa gentium multitudo ad fidem conuerſa eſt. Quod gratulabundus Propheta Apoſtolorum voce pronunciat dicẽns. Subiecit populos nobis, & gentes ſub pedibus noſtris. Propterea cordis ſui ardorem non ſuſtinens inquit. Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis. Nihil prorſus ſibi derogauit Dominus, quando miraculis & prædicatione honorauit ſuos. Nam diſcipulorum commẽdatio laus magiſtri eſt, & eorum prædicatio diuinæ ſapientiæ perfecta teſtificatio eſt. Qua re extiterint cõmendabiles, enarrat idẽ propheta dicens. Principes populorum congregati ſunt cum Deo Abraham, quoniam dij fortes terræ vehemẽter eleuati ſunt. Eleuati vtique ſunt, nõ ob id quod erant, ſed propter ea, quę à Chriſto adminiſtrar. Quid (oro) antequam ad fidem vocaretur, erat Apoſtolorum princeps? quid gentium doctor? quid Apoſtoli cæteri? Quales fuerint quicũque ſcire voluerit, Euangeliorum legat apices, intelligetq; illorum dignitatem diuini eſſe muneris, non poſsibilitatis humanæ. Eorum ſublimẽ gloriam, Vates ſanctus conſiderans mętus erectus ſtupore inquit. Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum. Decebat prorſus regiam ſapientiæ maieſtatem tales habere miniſtros, quorum proſapia minime decoraretur ipſius imperium, ſeu dilataretur ſcientia. Huiuſmodi fauoribus terreni indigent principatus. Aliena opus habent nobilitate ornari, gubernari conſilio, atque attolli laude, quoniam per ſe non ſufficiunt ſibiipſis. Rex autem noſter Chriſtus, cui datus eſt cœlorum principatus, & honor immortalis regni, non viſibilem in ſibi famulantibus ornatũ quęrit, neque humana indiget facundia, quum ipſe ſit, qui dat homini ſcientiam, paruulis intellectũ & omnes ſimplici corde credentes in ſe virtutibus, ac ſpiritualibus venuſtat muneribus. Talibus nedum facturos pollicetur maiora, quàm ipſe, verumetiam impetraturos quæcunque popoſcerint. Vnde & Apoſtolis in perſona vniuerſalis eccleſiæ dicit. Quodcunque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam. Magna & omnino excellentiſsima eſt catholicæ religionis & Chriſtianæ fidei apud Deum autoritas, vt quod petierit in Chriſti nomine, conſequatur. Declarat quidem hoc Chriſti gloriam, & diuinæ eſſentiæ in eo naturam. Deum illum eſſe dubitare quis poteſt, in cuius nomine tanta in eum credentibus animarum & corporum beneficia prærogantur? Non enim rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, dum diuinitatis ſibi vendicauit honorem. Quod loquebatur ipſe de ſe, hoc pater operibus faciebat. Plane ſi non eſſet Deus, mendax fieret, & ratione, qua nulla eſt maior, reus exiſteret. Pœni ò illi ſupplicium deberetur, non gratia. Aduertat ex hoc, qui recte ſapiunt, quùm vbique deitatis Chriſti inſignia fulgeant, quùm fidelium populi ſparſim per orbem terrarum illius reſonent laudes, verba pronuncient, teſtentur mirabilia, atque in ipſius nomine fugentur dæmones, ægroti ſanentur, aliaque multa fiant veneratione digna vtrum ipſe ſit Deus, & vera ſint, quæ idem aſſeruit, quem pater omnipotens tanto inſigniuit honore. Non enim delinquentium fautor eſt Deus, neque aliquod impune relinquit præteri re delictum. Quamobrem ſuſpicari minime fas eſt in ſolo Chriſto legem deperiſſe iuſtitiæ, quę aduerſus elatos omnes, diuinumque diripiẽtes honorem magnam ab ipſo creaturarũ exordio viſionis exercuit iram. Ceſſent igitur ò mortales apud vos argumenta verborum, à veſtris procul cordibus arceatur humanarum caligo rationum, atque omnis infidelitatis ambiguitas propulſetur. Puram cunctorum conditori exhibete ſeruitutem, & erga mediatorem Chriſtũ fidei regulam atque incõtaminatam cuſtodite

Exo. 10.
Ioan. 14.
Matt. 15.
Pſal. 46.
Ibidem.
Pſal. 46.
Pſal. 138.
Ioan. 14.

chatitatem. Nihil de illo ſentite indignum, nihilque catholicæ contrarium veritati. Diligite quod ipſe dilexit, ſeruate quod ille mandauit, credite indubitāter quod docuit, quatenus veſtra aggregentur merita, gratificentur opera, dona cumulentur, atque ueſtra in excelſo exaudibilia fiant ſupplicationum vota, nec non in filio pater honorificetur omnipotens.

De variis effectibus, & ſublimitate amoris Chriſti. Cap. VI.

IN vniuerſis, quæ Dei ſapiētia per aſſumptū hominem inter homines geſsit, humanam procuratam fuiſse ſalutem dubitet nemo. Quando nanque blandis alloquebatur ſermonibus, ſe habebat vt mater. Quando increpationum emittebat iacula, rectitudinem ſeruabat vt iudex. Quando diuinitatis ſacramenta pandebat, autoritatem protendebat vt doctor. Quando eruditionis monita dabat, inſtruebat inſcios vt magiſter. Quando virtutum formam exhibebat in opere, præcedebat vt lux. Quando orationi vacans interpellabat patrem, mediatoris gerebat officium. Quando ab inuidis patiebatur aſpera, agnoſci volebat vt redemptor. Quando verò miracula faciebat, poteſtatem exercebat vt Deus. Horum nihil agebat propter ſe. Noſtræ quippe infirmitati compatiens, noſtræque mederi cupiens prauitati, minime, vt prodeſſet nobis, ſibi pepercit. Tanquam probatus agricola ſuam in nobis deſiderabat inſerere charitatē, quatenus iuſtitiæ fructus prodiret ex nobis. Illi etenim omnino non placet, vt noſter ociolus ſit amor, ſed neque poteſt. Inquieta res amor eſt, & propriis ſtimulis agitata. Quem ſuis alligauit vinculis, ſuæque ſubdidit ditioni, nequaquam quieſcere patitur, neq; ociari permittit. Præceps ducit, vulnerat dulciter, ſuauiter mulcet, & in amati trahit amplexus. Suſpicionē mouet, replet timore, & obedientiam perficit. Sūmopere cauet, ne dilecti offendat animum, aut amore quid agat indignum. Nil eſſe delectabilius arbitratur, quàm dilecti potiri præſentia, ipſiusque beneuolentia detineri. Nam etſi permiſſiue ſeparatur ad tempus, toto agit conamine, vt redeat in idipſum. Nullo interpellante vtitur medio, nulloq; intercedente dirigit preces. Quod appetit conſequi, impetrare non trepidat. Nam eadem obtinere ſperat, quæ eſt paratus impendere. O quam iucundum eſt amoris negocium, & quàm in hac peregrinatione neceſſarium, ſi tamen honeſtatem ſapiat, ſi virtutibus nutriatur, ſi concors ſit moribus, ſi pari ambulet greſſu. A natura concipitur, creſcit beneficijs, conſuetudine roboratur. Porrò inter peccatores nequeunt legitimi amoris iura ſeruari. Conſcientiæ nanque exagitati aculeo diu in amoris fœdere perſeuerare non valent. Vbi charitas non eſt, nec animorum copula eſſe poteſt. Hinc claret perſpicue amor Chriſti, quàm potēs, quàm dulcis, & quàm diuturnus ſit. Ideo potens eſt quia vtilis, ideo dulcis quia delectabilis, ideo diuturnus quia honeſtus. Quid (oro) honeſtius Chriſto diligitur? Quum non eſſemus, fecit nos, ſuaque decorauit imagine. Nobis factus eſt pater, non carnali generatione, Ioan. 1. ſed ſpirituali, & diuina, dicente Ioanne. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri iis, qui credunt in nomine eius, qui non ex ſanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. Delectabilius etiam Dei filio diligitur nihil. Amorem quippe noſtrum totū ſibi vendicat, noſq; ſponte currentes trahit ad ſe. Quomodo non trahet nos, quum factus ſit homo propter nos? Gratis dilexit ingratos, quæſiuit errantes, pœnitentes ſuſcipit, fouet amantes. Planè amor Chriſti totus delectabilis eſt. Cur non delectet Chriſtus, quum in ipſo vniuerſa delectabilia ſint? Si te pulchritudo delectat, vtique præ filiis hominum ſpecioſus eſt forma. Si poteſtas placet, audi quid de illo Propheta dicat. Psal. 44. Dan. 7. Poteſtas eius poteſtas æterna, quę non auferetur, & regnum eius, quod non corrumpetur. Si ſapientiam diligis, de illo ſcriptum eſſe memento. In ipſo ſunt omnes theſauri ſapiētiæ & ſcientiæ Dei abſconditi. Colos. 2. Si tuum diuitiæ mulcent affectum, Prophetam de ipſo pronunciantē auſculta. Gloria & diuitię in domo eius. Psal. 111. Alibi etiam in ſiniſtra illius diuitiæ & gloria. Si regni moderamina magnipendis, quantus ſit iſte aduerte. Et habebat (inquit Ioannes) ſcriptum in femore ſuo, & in veſtimentis ſuis, Apoc. 19. rex regum & dominus dominantium. Si familiarē tanquam humanæ naturæ ſolatium conuerſationem diligis, Euangelium lege, & ipſum cum publicanis, & peccatoribus familiariſsimè conuerſantem, & manducantem agnoſces. Omne nanque tempus, quo cum hominibus habitauit ideo familiaris extitit, vt qui ab initio fuere cum illo, ab eodem vel modicum diuelli non poſſent. Et cuncta paucis explicem, omnium plenitudo donorum, quæ in eo diffuſa eſt, delectabilem atq; valde charum illum reddit hominibus. De vtilitate demum amoris illius quid dicam? Omnium diſciplina virtutum erudit diligentes ſe. Sic enim habes, Sobrietatem & ſapiētiam docet, & iuſtitiam, & virtutem, quibus vtilius nihil eſt in vita hominibus. Informat profectò nos, qualiter mores componere debeamus ordinare vitam, res familiares diſtribuere, corpus regere, habere cum hominibus conuerſationem, atque omnia interiora & exteriora noſtra diſponere temperanter. De ſpirituali quoque docens nos pugna inimicorum inſtruit fallacias ſpernere, tentationum ſpecies varias ſuperare, precioſum ſeparare à vili, a tenebris lucem,

Digitized by Google

cem, agnoſcere gratiam, vitia declinare, cor ſurſum erigere, pro temporalibus æterna mercari mentem extergere, cœlorumq; ſecreta penetrare, obtemperare maioribus, ſupra æquales non inſoleſcere, caroq; minores venerari affectu. Carnem præterea ſpiritui, & ſpiritum ſubiicit Deo. Ad proximos benignum, inimicum erga ſe ipſum, ſuum exhibet poſſeſſorem. Porrò ardenter Chriſtum diligenti, nil difficile videtur. Ignem, ferrum, vincula, carceres, perſecutiones
Cant. 8. flagella, aduerſaq; omnia, Chriſti amor tolerare facit. Valida eſt (ſicut legitur) vt mors dilectio, dura vt infernus æmulatio. Aquæ etiam multæ non poterunt extinguere caritatē, neq; tribulationū inundantia flumina obruēt illam. Hoc martyrum cicatrices, ſtridores catenarū, lampadarumque adustiones, exilia, verbera, & huiuſmodi millia, quibus tolerandis impares humanæ ſunt vires, mirificè proteſtantur. Quis ad tam ardua patienda eſſet idoneus, ſi nō charitatis Chriſti impinguaretur dulcedine? Maximus planè amoris Chriſti fructus eſt, & exuberans delectatione, ſi tamen legi obtemperet ſapientiæ. Duplici ſiquidem gaudet priuilegio. Præſentibus enim vtitur, & futuris. Cōſolationes ſpirituales & amoris quædam admittit munuſcula, per quæ peregrinationis huius modificatur tædium, & tribulationum preſſuræ leuigantur. Non eſt ingratus Deus, vt obliuiſcatur ſub tentationum faſce laborantium. Vnde pro-
Pſal. 93. pheta aiebat Domino, Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto? Apertè dicens, Neque iniquus, neque immitis es, vt laborioſa mandes, & abſque delectationis ſuffragio operarios fatigari ſinas. Quamobrem confirmando in ſpiritu ſententiā hanc,
Ibidem. inquit, Secundum multitudinem dolorū meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Alibi quoque ſic, Læta-
Pſal. 89. ti ſumus pro diebus quibus nos humiliaſti, annis quibus vidimus mala. De quo autē iſta prodierint fonte, quibusve meritis prerogata ſint,
Ioan. 14. dubium non eſt, quin ex Paracleti gratia Dei pro ſuis membris interpellante ſapientia. Hoc nanque polliceri dignatus eſt, dicens: Si diligitis me, mandata mea ſeruate, & ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis. Mira hęc ſapientiæ ſententia eſt. Sic proteſtatur patrem rogaturum, vt diligentibus ſe, ſuiſque obtēperantibus mandatis alium det paracletū, ne quaſi abſque paracleti gratia poſſet quis diuina cuſtodire præcepta. Quis autem ſine paracleto Chriſtum valet diligere? Paracletus quippe ipſe patris filiique amor eſt. Ipſe charitas eſt, qua diligimus Deum, diligimus proximum, per quā cœleſtia præcepta ſeruamus. Nemo abſque ipſius charitatis dono obtemperare Domino valet. Viciſſim ſibi famulantur charitas & obediē-

tia, nec ſegregantur ab inuicem. Qui veraciter diligit, abſque difficultate obedit, qui autem famulari negligit, certum eſt, quòd non diligit. Aequiſsima amoris ſtatera præceptorum impletio eſt. In hac voluit, vt noſtrum appenderemus affectum, nō vt ipſe agnoſceret, qui antequam fiant, cognoſcit vniuerſa, ſed vt nobiſipſis cognoſcibilem faceret, atq; vtrum perfectè diligeremus, minimè ignoraremus. Nouerat optimè quàm ſępè priuatus amor rationis iudicium tollit, & mentis claudit oculos, quos mandati tranſgreſsio reſerat. Diuinę etenim legis cuſtodia amoris Chriſti teſtimonium eſt. Quid igitur ait Dei ſapientia pręcepta ſua ſeruantibus? Ego rogabo (inquit) Patrem, & alium Paracletum Ibidem.
dabit vobis. Intelligamus ſanè, ne in verbis Domini nos errare contingat, atq; veritatis lumine caligare. Non enim ſimpliciter ait, Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, tanquam duos oſtendere vellet eſſe Paracletos quem habebant diligendo vnum, alium quem pollicebatur, ſed ſignanter addidit, vt maneat vobiſcum in ęternum ſpiritus veritatis. Porrò ſi diligimus, Paracletum habemus. Fit verò orante pro nobis Dei filio, vt quem habemus, abundantius habeamus, quatenus ipſius in nobis gratia creſcat, magis magiſque augeatur, & bonorum quotidie operum cumuletur merces, efficiamurq; digni, vt ille veritatis ſpiritus nobiſcum maneat in æternum. Tunc etenim nobiſcum manet in æternum, quum illuc nos perducit, vbi manere valeamus in æternum. In vita hac non in æternum, ſed temporaliter manemus. In futuram verò vitam, vbi angeli diuina viſione cum electis omnibus perfruuntur, quicunque introierit, eaque particeps fuerit, non mouebitur in ęternum. Hoc expreſsit Prophe- Pſal. 124.
ta, dicens: Qui confidunt in domino ſicut mons Sion, non commouebitur in ęternum, qui habitat in Hieruſalem. Vt igitur agnoſcamus hoc, atque in æternum manere concupiſcamus, noſtri meriti non eſt, ſed diuini muneris operante paracleto. Quos ipſe docuerit, deſpicere facit terrena, & amare futura: calcare viſibilia, inuiſibiliaque ſperare. Se poſsidentem agit aduerſa pro ęternorum mercede æquanimiter tolerare. Proinde paracletus, & veritatis ſpiritus nuncupatur. Paracletus quidem, dum in huius peregrinationis itinere, ne labore deficiamus, aut decipiamur illecebris, ſua cōſolatione nos refouet. Veritatis vero ſpiritus, quando veritatem ipſam, quę Deus eſt, nos diligere, atque bona inuiſibilia, quæ æterna ſunt, concupiſcere facit, Sine illo quicunque ſunt, non cœleſtia, ſed temporalia diligunt. Tales Propheta ſanctus arguit, dicens: Filij hominum vſquequo graui cor- Pſal. 4.
de, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Sempiternam ſiquidem beatitudinē igno-

ignorantes caducam ſeculi vanitatem toto conamine amplecti ſatagunt. Mendacium verò inceſſanter quærunt, dum veritatis ſpiritũ non habentes ſpiritu ſeducuntur erroris: principibusq; tenebrarum efficiuntur ſerui, qui filiorũ Dei conſortio annumerari poterant. Quos enim veritatis hic ſpiritus replet, libertati reſtituit. Vnde Apoſtolus iuſtificatis fidelibus,
Rom. 8. veritatique obtemperantibus inquit: Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore, ſed accepiſtis ſpiritũ filiorum, in quo clamamus Abba Pater. Filij Dei meritò vocantur, & ſunt, qui à patre luminum veritatis ſpiritum acceperunt. Per ipſum quippe de hoc nequam eruditi ſeculo in regnum Dei filij dilectionis transferuntur: eundemque veritatis ſpiritum, tanquam futurorum bonorum ſpiritualem cautionem, atq; diuinæ charitatis ſubarrationem in corde cuſtodiunt. Hunc mundi amatores accipere nequeunt: quoniam pleni ſunt. In vno non capiuntur loco, amor Dei, & voluptuoſus ſeculi amor: vnus ſuccedit alteri. Vt igitur accipiant charitatem, euacuent voluptatem, & replebuntur. Vt intelligant veritatẽ, imitari prius deſinant vanitatem, atque à ſe abdicent falſitatem. Tunc percipient, tunc diligent, tunc diuina renati generatione in ſortem ſanctorum & filiorum Dei computabuntur numero. Ambulabunt quoque in lumine, & de ſplendore gaudebunt matutinæ lucis, atque ſuſceptione gratificantis gratiæ. Nã quandiu in ſeculi cupiditatibus delectantur, donecque delictorum inuoluũtur tenebris, almæ veritatis candorem, ipſiusque præclariſsimum lumen nec videre, nec agnoſcere poſſunt. Solis autem corde mundis, iuſtis & innocentib. in fide fundatis, ac cęleſtia diligentibus patet, ſuæque diuinitatis pandet arcana. Illis etenim ſe negare non valet, qui ſpreto mundi iſtius lenocinio, ſuique corporis calcatis voluptatibus toto ſe deſiderio ſubijciunt Deo, Chriſto famulantur, altum ſapere reijciunt à ſe: pro adipiſcendis virtutibus laborant: ſpiritualibus ditari ſtudent diuitiis: ſitiunt guſtare cœleſtia: atque ſupernorum ciuium hæreditatem conſequi nõ deſiſtũt. Porrò tales erant, quibus Chriſtus Dei ſapientia de eodem veritatis ſpiritu
Ioan. 14. aiebat: Quos autem cognoſceris eũ: quia apud vos manebit, & in vobis erit. Elegerat enim illos de mundo, ſibique adhęrere fecerat. Qui delectabili verbi præſentia admonitionibus ſaluberrimis, atque deiformi ipſius conuerſatione eruditi contemnendo temporalia ſapientiæ imitabantur veſtigia. Quamobrem idem veritatis ſpiritus diligebat eos: illorum etiam præcordia ſaginabat dulcedine, agnitione irradiabat, accendebat charitate, ornabat donis, virtutib. fœcundabat, atq; in eorum mentib. tanquam in proprio thalamo ſibi grato familiariter habitabat. Quomodo ille veritatis ſpiritus non diligeret, quos dilexerat, elegerat, ſapientiaq; poſſederat? Felices prorſus dixerim, quos ſapientia diligit, & veritatis inhabitat ſpiritus: charitas replet, & veritas inſtruit. Beata domus illa, quam ſibi Deo coæterna ædificauit ſapiẽtia. O quàm ſæpe in eam ſalubriter declinat, in ipſaq; ſuauiter requieſcit, lætatur iugiter, omnemq; abigit triſtitiæ mœrorem. Domus quippe hæc ſanctorum ſunt mentes, & amantium corda. Cum ipſis eſſe gaudet ſapientia, ſuamq; in eis delectabiliter collocat mãſionem. Sic.n. in libro Sapientiæ ait: Et deliciæ meæ eſſe cũ filijs hominum. Prou. 8.
Iucundum in illis ſuæ maieſtati reperiens habitaculum diu ſe abſentare nõ patitur. Nam diligentes ſe, diligit: ſeq; in veritate quærentes præoccupat. Eius quidem vox illa eſt, quæ poſtquam de ſpiritus veritatis præſentia ſententiam protulerat, dicens: Vos autẽ cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit, illico ſubiunxit: Non relinquam vos Ioan. 14.
orphanos, veniam ad vos: Non patiebatur benignus ſapientiæ ſpiritus, quos vehementi diligebat affectu, & apud quos mãſionis ſuæ perpetuam poſuerat ſtationem, de ſua vel ad momentum triſtari abſentia. Propterea blando eos alloquebatur affatu, veniam inquiens ad vos: Adhuc modicum & mundus me iam non videt. Ibid.
Ad patrem omnino aſcenſurus ſum: & hanc, quam aſpicitis humanitatem, in cęlo collocabo. Nam & ſi meam mũdo præſentiã ſubtraho, quam videre dignus non eſt: vos tamen non relinquã orphanos; neq; diu ſine me ſtare permittam. Veniam vtiq; ad vos in eadem corporis forma, & eadem carnis ſubſtantia, quanquam minimè in ipſa corruptibilitatis natura. Paſsibile nunc quidem gero corpus & infirmum, veſtræq; mortalitati conſimile: quum autẽ rediero ad vos, omni depoſita corruptionis ſarcina, & ipſa natura paſsibili mutata in melius vſq; ad ſeculi conſummationem veniam commoraturus vobiſcum. Decorem ſiquidẽ immortalitatis induã, reſurrectionis gloriã patefaciã: & quantũ ſublimata ſit in verbo humanitas, notificabo. Tunc prędicante me, fide reuelante, ſignis ac prodigijs declarante me patre, ipſoq; veritatis ſpiritu ſuggerẽte & docẽte ſcietis quòd ego viuo. Non, inquã, vita mortali ſed vita ſpiritus, vita diuturna & æterna, vitaq; viuificante. Proinde & vos viuetis. Mihi adhærendo tanquam capiti membra viuificabimini, & mecum in æternum viuetis. Quod ego ex natura poſsideo, ex gratia conſequemini. Nam quum mortale corpus veſtrum immortalitate, de qua mihi nunc ſermo eſt, ſe veſtierit, & ipſa corruptibilis natura ſortita fuerit incorruptionem: tunc intrepido animo, atque

1. Cor. 15. gratulabundo corde cantabitis: Vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus? In æterna enim poſiti vita, & in cœleſtibus manſionibus collocati meam contemplabimini maieſtatem, meaque fruemini gloria. In illo autem die cognoſcetis, quia ego in patre, vos in me, Ioan. 14. & ego in vobis. In illo, inquam, die. In quo? Dic, ò domine, apertius, dic euidẽtius, in quo die id fiet? quatenus illum expectare, illumque obſeruare valeamus? Quantis vita hæc dierum ſpaciis labitur? quantis temporum momentis effluit? quantisve annorum circulis voluitur? Eſt ne, ò amor dulcis, præclaraque ſapientia in hac dierum numeroſitates dies iſte? An fortè in futuris temporibus celeberrimum diem hunc, præſtolari debemus, in quo te eſſe recognoſcemus in patre? Dicam tamen te pręſente quod ſencio, & quid in ſcripturis tuis ſanctis de die iſto concipio. Non enim coram te erudítiſsimo magiſtro errare potero, atque à veritatis ſemita deuiare. Attamen ſi tanquam homo ignoraucro, emendabis: nec non & erudies me. Quamobrem fiducialiter loquar, & non timebo. Aperiam in pſalterio propoſitionem meam, quam tibi, ò doctrix, propoſui ſapientia. Dies quippe ille, de quo nunc agitur, temporalis non eſt, nec horarum decurſu renditur, nec dierum anni numero computatur: eſt autem æternus, vnicus, ſtabilis, veriſsimi ſolis luce coruſcus: nulla noctis aut tenebrarum opacus caligine: ſemper conſpicuus, ſemper lętus, ſemper deſiderabilis. Nunquam nubium denſitate illius tenebreſcit lux: nunquam vertitur ad occaſum: ſed meridies perfecta clareſcit. De Pſal. 83. die hoc prophetam dixiſſe arbitror: Melior eſt dies vna in atriis tuis ſuper millia. Vna merito, inquit, quia vnica, quia ſingularis, quia cæteris longè diſsimilior diuturnitate, fęlicitate, incõprehenſibilitate. In hac peregrinatione dierũ ſunt millia gaudijs & mœroribus mixta: iniquitatibus & laboribus referta, curis & tentationibus fatigata, temporum volubilitate labentia, & pœnarum viciſsitudine plena. In atrijs autẽ domini vna tantum eſſe dicitur, atq; eſse debet: quantum per ſe ſufficit: per ſe placet: nunquam faſtidit, nunquam variatur. Ideo propheta memoratus diei illius illectus dulcedine aiebat: Concupiſcit, & deficit anima mea in atria Ibid. domini. Concupiſcebat quidem nimio diei ipſius affectus amore. Deficiebat verò propter æterni Dei iucundiſsimam viſionem, atque ſpiritualium exuberantiam gaudiorum. Nam perennis beatitudo dies congruentiſsimè nominatur: quoniam diuinæ viſionis illuſtratur aſpectu. In ipſa etenim angelorum, electorumque omnium fęliciras perpetua, inenarrabilis ſatietas, feſtiuitasq; lętiſsima celebratur, nullo exhaurienda fine, dolore nullo miſcẽda, nulloq; deordinãda faſtidio. O quàm magna, quã pręclara, quàm celeberrima dies illa eſt, quę luce ſua, & fulgentib. radijs intuentium animos æterna ſuauitate lętificat, inebriat charitate, atq; ſapientiæ ſplẽdore venuſtat. Sola dies illa deſiderabilis, ſola amabilis, ſola venerabilis eſt, in qua diuinitatis immenſitas puro contemplatur intuitu. Iſta nẽpe dies illa ſublimis eſt, de qua dominus Ieſus inquit: In illa die cognoſcetis, Ioan. 14. quia ego in patre. Non tamen tanquam in continente contentus, aut in maiore minor, ſeu in antiquiore recentior: ſed veluti in luce ſplendor, in bonitate imago, coæternus in æternitate, in omni potentia omnipotens, identitas in ſubſtantia, & in incomprehenſibilitate parilitas. Quæ (oro) ſolis claritas, lunę, vel ſtellarum, aut qualiſcunque veſpertina, ſeu matutina lux huic diei (vel vltimæ parti) comparari valet? Hũc vt videret diem patriarcha Abraham (ex parte tamen) exultauit. Vidit vtiq;, & gauiſus eſt. Hunc etiam ipſa vnica ſponſa (quamuis te- Ioan. 8. nuiter) cõtemplata eſt. Quamobrem nimio ex eadem lætificata viſione, feruore ſuccenſa, capta admiratione, lætitia ebriata, & vltra quàm cogitari valeat, ſaluberrimi amoris iaculo vulnerata, ignito corde, totiſque animæ medullis prorumpit in vocem, dicens: Indica mihi quẽ Cant. 1. diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie. Indica (inquit) ò ſponſe, & votorũ meorum theſaure ſingularis, vbi angelorum legiones, & ſanctorum omniũ animas viſionis tuæ dulcedine paſcas, & vbi immortalitatis gremio cum patre, & in patre cubes in meridie. Vehementiſsimo id ſcire appetens deſiderio tãta cum auiditate depoſco. Hoc ipſum, quod flagrantiſsimo amore requirit ſponſa, Dei ſapientia pollicetur. Illa impræſentiarum impleri poſſe deſiderat. Sapiẽtia aũt in futuro id perficiendũ eſſe declarat, dicens: In illo die cogno- Ioan. 14. ſcetis, quia ego in patre. Ecce accubitus maximus, inacceſsibilis, verbo atq; vnigenito proprius. Iſte meridies eſt præclariſsimus, in quo iuſtitię ſol neſcit occaſum. Vos (inquit) in me, Ibid. & ego in vobis. Ecce paſcua virẽtia, fœcunda, inſignia, iucunda, ſuauia, plurimumq; reficientia. In his ſponſus paſcitur, deambulat ſapiẽtia, currit atq; diſcurrit Paſtor noſter Chriſtus. Ipſum eadem promittentem audi: Per me ſi quis Ioan. 10. introierit (inquit) ſaluabitur: ingredietur & egredietur, & paſcua inueniet. Ipſe nanq; oſtiũ eſt, per quod introitur: ipſe cib. ipſe paſcua indeficiẽtia, ipſe paſcitur, ipſe nẽpe eſt, qui paſcit vos (ait) in me. Paſtũ intellige, & concupiſce. Et ego in vobis. Paſcentem contẽplare, & inardeſce: quid dulcius, quid iucundius, quid ſecretius? cupiditates reſeca, vt aſcẽdas: maculas terge, vt videas: teporẽ excute, vt attingas; grauat cupiditas, obtenebreſcit vanitas, repellitur inſẽſibilitas,

ſibilitas,habilitat libertas,humilitas adamatur, amplectitur charitas.Diligenter aduerte,quid intulerit ſapientia, & charitatis ſententiã veritati innexam intelliges. Ioan.14. Qui diligit(inquit)me diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei meipſum. Quicunque ardenter amat, ſapit: qui ſapit, capit,cur dictum ſit: manifeſtabo ei meipſum.Qui autem nondum capit,petat humiliter, vt accipiat: ſedulò quærat, vt inueniat: pulſet infatigabiliter, vt ſibi aperiatur.

Qualiter homo à ſua naturali degeneret dignitate. Cap. VII.

QVum innumerabiles optimus artifex Deus ad ſui gloriam cõdiderit creaturas, humanam præ cæteris ſpeciem ſublimauit. Naturalib. quidem illam inſigniuit donis, & potiſsimum ratione, qua vniuerſis præeminet animantibus. Angelicam imitatur dignitatem, à falſo diſcernendo verum, & à bono malum: quod nulli alij conceditur creaturæ. Quamobrem valde à ſua degenerat origine, quoties veritatem diſcernere negligit, atque bono præponit malum. Aeterna merito plectendi ſunt morte, qui tales ſunt. Huiuſmodi ore prophetico redarguntur, vbi ait: Væ, qui dicunt malum bonum, Eſai.5. & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras. Quum enim hoc faciunt, Dei ſe priuant gratia, & tanquam animalia irrationalia viuentes magna ex parte nobilitatis ſuæ amittunt gloriam: Pſal.48. quemadmodum ſcriptum eſt: Homo quum in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Senſum quippe carnis imitantes, propriasque ſectantes concupiſcentias, poſt quas abire prohibentur, diuinæ intelligentiæ non aſſequuntur gaudia. Vnde nunquam ad veram Dei pertingunt ſapientiã, in qua eſt præſentis exilii præcipua delectatio. Hanc ſoli percipiunt, qui pro veritatis amore ab illicitis ſe abſtinent voluptatibus, ſecumque quàm fugitiua ac pernicioſa ſit vitæ præſentis illecebra, pertrectãnt ſedulò. Bonum ineffabile in ſapientiæ lumine ratiocinando cognoſcunt. Latentem theſaurum hunc vt poſsideãt, ſemper effodiunt. Non laborant, neque deficiunt excellentię ipſius illecti decore. Diuitias incomparabiles, quas nec ærugo conſumit, nec demolitur tinea, neque deprędantur latrones, ſe reperire confidunt. Hac nutriuntur ſpe, & quadam illius, etſi nondum perfecta, tamen inchoata participatione reficiuntur. Quanto nanque verius quod quęrunt, apprehendunt, tanto ſciunt certius ad illius ſpeciem in hac mortali carne peruenire non poſſe. Infatigabiliter currunt, ſi fortè comprehendant, in quo comprehenſi ſunt. Indeficienterque ad brauium ſupernæ contemplationis aſpirant, ſeque hortantur, & in cordium ſuorum penetralibus dicunt domino: Replebimur in bonis Pſal.64. domus tuæ: ſanctum eſt templum tuum, mirabile in ęquitate. Ex iis, quæ meditando cognoſcunt, qualia eſſe debeant, quæ attingere nequeunt, vtcunque definiunt. Definiunt quidẽ, non ex rationis acumine, ſed ex fidei merito. Quum enim fides ſit ſperandarum ſubſtantia Heb.11. rerum, & argumentum non apparentium, proculdubio illuc peruenit, idque intelligit, quod non capit auris, viſus non percipit, neque in cor hominis aſcendit. 1.Cor.2. Tunc rationem, prout valet, fides ipſa informat, mentem imbuit, erigit ſpem, gaudiumque immittit: ſecum nihilominus cooperante charitate. Tunc reſerantur myſteria, cœleſtia patefiunt, reuelantur futura, & diuinitatis ſecreta panduntur. Huiuſmodi excelſa ſunt dona, ſpiritualiaque chariſmata: quę chariſsimis Deo, & ſapientiæ amatoribus prærogantur, non repentè, ſed per incrementa virtutum. Porrò quicunque ſegniter viuunt remiſsè diligunt, & virtutum faſtigia aſcendere pigritant, talibus exiſtimantur indigni. Perfectorum ornamenta eſſe probãtur, qui domitas tenentes carnis & animæ paſsiones nequaquam ſibi viuunt, ſed Chriſto, cuius paſcuntur deliciis, donis ditantur, & ebriantur amore. Meritò igitur recreantur introrſus, ac ſapientiæ dapibus ſaginantur, ipſa eadem miniſtrante ſapientia. Infundit nanque eorum mentib. intelligentias nonnullas ſpirituales, ſublimes, & veras, quas naturalis non penetrat intellectus: non tamen palam, & facie reuelata, ſed aſpirando tenuiter. Hoc diuinis ſermo notificare curauit, 3.Reg.19. qui ad Heliam Prophetam factus eſt, dicens: Egredere, & ſta in monte coram domino: & ecce dominus trãſit, & ſpiritus grãdis & fortis ſubuertens montes, & conterens petras ante dominum. Nõ in ſpiritu dominus, & poſt ſpiritum commotio. Non in commotione dominus, & poſt commotionem ignis. Non in igne dominus, & poſt ignem ſibilus aurę tenuis, ibi dominus. Iſtiuſmodi nanq; ſpirituales infuſiones, & alloquutiones myſticæ probatis viris panduntur, & in virtutibus perfectis, paruulos verò latent. Nã etſi aliqua ſciant docente homine didicere. Porrò prius quàm Samuel ſibi loquentem audiret dominum, miniſtrando Hely, ab eodem imbutus eſt. Helias & ipſe ſibi adhęrentẽ inſtruxit Heliſæum. Apoſtoli iugiter admonentẽ ſaluatorẽ habuerunt. Donec in paſsibili corpore cũ eiſdẽ fuit dominus, minimè intus ſpiritũ intellexerunt loquẽtem. At vbi petendo cęlos viſibilẽ amouit ſubſtantiam, tũc emiſſo cęlitus ſpiritu ſapientiã in ſuis docentem penetralibus ſenſerunt. Quam

ſæpe euãgelicus ſermo illos dominum interrogaſſe propter ſpirituales ſcientiæ carentiam prologuitur: præcipuè tamen in vltimo cœnæ conuiuio. Agnoſcentes quippè magiſtrum diſceſſurum, tanquam minimè de cætero habituri docẽtem, vt eruditione ipſius omnem de eorum cordibus propulſarent dubietatis caliginem, eundem dominum interrogauere ſimpliciter. Nam poſt Ioannis, Petri, Thomæ, Philippiq; ſciſcitationem Iudas (non ille Scariothis) quum redemptorem referẽtem audiſſet, quòd ſe illis & nõ mundo manifeſtaturus eſſet,

Ioan. 14.

percunctatus eſt, dicẽs: Domine quid factum eſt, quia manifeſtaturus es teipſum nobis, & non mundo? Sapientiam audierat diſcipulus hic Apoſtolis poſcentibus melliflua quadam, & affabili humanitate reſpondiſſe. Proinde quæ ignorabat, interrogare veritus non eſt.

Ioan. 14.

Cui dominus ait: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit: & pater meus diliget eum: & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Spiritualem vtique non corporalem inſinuat dominus illam futuram eſſe manifeſtationem quum patrem ſecum venturum denunciat. Incorporeus eſt pater, nulliſque limitibus ſenſibilibus circunſcriptus. Spiritus eſt, & illum in ſpiritu & veritate coli atque adorari oportet. Non enim tanquam corpus cernitur, vel palpatur: ſed vti ſpiritus ſpiritualiter deguſtatur, dicente propheta:

Pſal. 33.

Guſtate & videte, quoniam ſuauis eſt dominus. Venit igitur ad cor pater: venit & filius, vt in eo ſibi perpetuam collocet manſionem. Ad ipſius aduentum præparandã viam, vocem propheta audiſſe commemorat,

Pſal. 67.

qui ait: Iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum, dominus nomen illi. Exultate in conſpectu eius. Porrò iter, per quod verbum ad cor graditur, amor eſt. Nequaquam abeſſe poteſt ab eo, qui diligit. Sola charitas eſt, quæ gratificat hominem, ipſumque facit dignum deifica maieſtate. Charitas (inquam) quæ diuinis eſt intenta præceptis, & quæ conditoris eſt ſubdita legibus. Inaniter etenim ſe Deum quis arbitratur diligere, qui præceptis illius obtemperare diſſimulat. Sententiæ huic ſapientiæ verba concordant,

Ioan. 14.

dicentis: Qui non diligit me, ſermones meos non ſeruat. Quomodo illum diligere valet, cum quo diſcordat voluntate, affectu elongatur, & moribus contradicit? Vbi perfecta charitas eſt, ibi diſſenſio nulla, nullaque diſcrepantia voluntatis. Habet nanque perfectus amor velle idem, idemque ſapere: & tandiu his nutritus fomentis coaleſcit, quandiu pari voto concordat. Vnde (oro) rixæ, lites, obſcœnæ cogitationes, deſideria illicita, blaſphemiæ, liuores, odia, & his ſimilia in peccatoris corde verſantur, niſi quia à charitatis bono, quæ malum non cogitat, ſemoti ſunt? Vnde homicidia, ebrietates, adulteria, ſeditiones, contentiones, detractiones, negligentiæ, & huiuſmodi talia, niſi quòd à delinquentium animo charitas aliena eſt, quæ malum non operatur? Veridica itaque Saluatoris ſententia eſt, quæ ait: Qui nõ diligit me, ſermones meos non ſeruat.

Ibid.

Cuius etenim mandatum paruipendit quis, eius omnino dilectionem non habet. Væ autem non diligentibus Chriſtum: væ ſapientiæ legem, atque vitæ præcepta contemnentibus: quoniam neceſſitatis tempore, & in exitus hora ipſi ſimiliter contemnentur. Hæc quippe ſunt præmonentis ſapientiæ verba, dicentiſque: Vocaui, & renuiſtis: extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret:

Prou. 1.

deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, quum vobis quod timebatis, aduenerit: quum irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: manè conſurgent, & non inuenient me. Præmonuit impræſentiarum, ne damnet in fine. Ne autem vile videretur quod loquebatur: & ne ab inſipientibus & peccatoribus diuinæ legis imperiũ, & erga mediatorem ipſum nullius meriti deuota conferetur affectio, quum reuera inæſtimabilis ſit, & æternis retributionibus digna: cuius autoritatis eſſent, quæ loquebatur verba, declarauit, inquiens:

Ioan. 14.

Et ſermonem quem audiſtis, non eſt meus. Quid eſt quod dicis, ò veridica ſapientia? quomodo nõ tuus eſt ſermo, quem loqueris? Video te ſolum, te loquentem audio, & ſuauiter diſſerentem. Quomodo igitur non tuus eſt ſermo, quem loqueris, quum eũdem ipſe tu proferas? Nemo ſuadet, nullus tibi, vt loquaris, imperat; & tamen dicis: Et ſermonem, quem audiſtis, non eſt meus. Contradicere voci tuæ non audeo: ſententiam tuam negare non præſumo, ſed neque dubitare corde, quum te Dei confitear ſapientiam, teque æternam adorem veritatem. Depelle igitur, ò cordis mei ſolatium ſingulare, & peregrinationis meæ præuia lux, mentis meæ hebetudinem: inſtrue tarditatẽ, atque ſermonis tui irradianti ſplendore illumina tenebras meas. Dic (inquam) cuius eſt ſermo, quem loqueris, ſi tuus non eſt? Infirmorum vtique excitabuntur corda: & debilium genua roborabuntur ad tuorum obedientiam præceptorum, ſi per te loquentis in te autoritatem agnouerint. Sermonem (ait Dominus Ieſus) quem audiſtis, non eſt meus, ſed eius qui miſit me, patris. Loquitur pater in filio, & cuncta, quæ ab eodem audit, profert. Nempe patris ad filium vox illa eſt, quæ per prophetam ait: Ad omnia, quæ mittam te, ibis, & quæ mandauero tibi, loqueris ad eos.

Idipſum Apoſtolus apertius manifeſtat, dicẽs: Hebr. 1. Multifariè,multiſq; modis olim Deus loquens patribus in prophetis,nouiſsime diebus iſtis loquutus eſt nobis in filio ſuo. Si pater loquebatur in filio iuxta teſtimonia ſcripturarum, filij verba propria non erant,ſed patris. Vt autem in petram ſcandali non impinguas, & per infidelitatem non corruas,hoc quod dictum eſt ad humanã naturam,quę à verbo ſuſcepta eſt,referas. Nihil homo ille loquebatur à ſe, ſed quod inſtruebatur à verbo. Nam ſi ad ſumentem attendas, loquebatur filius, quemadmodum & pater. Si autem ad aſſumptum, pater loquebatur in filio. Vtrunq; verum eſt, filius cum patre loquitur: Et ſermonem,quem audiſtis, non eſt meus,ſed eius,qui miſit me patris. Maximum eſt ſacramentum hoc,atq; inſcrutabile: credendum fide,ſed non ratione quærendum. Omnis enim humanæ ſapientiæ deficit ratio propter vnionis ipſius mirabile myſterium. Iacet quidẽ per ſe cogitantis mens diuino repercuſſa fulgore,niſi per fidem erigatur,& erudiatur per ſpiritum. Quæ etenim eloquia ex ore prodierunt ſapientiæ,obſcura & profunda ſunt in ſe:ſed propalante ſpiritu ſancto intelligibilia facta ſunt. Quamobrem idem paracletus à patre miſſus eſt,vt fideliũ imbueret corda de vniuerſis, quę ipſa hominibus protulit ſapientia: ſicque diuinum perhiberet teſtimonium veritati. Hoc notificare curauit dominus,quãdo ait: Hæc loquutus ſum vobis ineruditis,& in fide paruulis,manens vtique apud vos. Quæ videlicet,quum attingere nequeatis,ne infructuoſa maneant pe- Ioan. 14. nes vos, paracletus ſpiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo, vos docebit omnia, & ſuggeret omnia, quæcunque dixero vobis. O quàm commendabilis Chriſti agnoſcitur diſciplina, quæ tantorum autoritate deſcribitur. Loquitur pater per filiũ: loquitur filius per aſſũptum hominẽ, loquitur ſpiritus ſanctus per ora prophetarum,doctorumque: & eadem,quę loquitur,operatione miraculorum,atq; ſpirituali I. Ioan. 5. reuelatione confirmat. Profectò hi tres, qui in cœlo dant teſtimonium,pater videlicet, verbũ & ſpiritus ſanctus in terra concordant ſimiliter & catholicam clarificant veritatem. Proinde nequiſsimus eſt,& nedum diuino,verumetiam humano damnandus iudicio, quiſquis negare præſumit, quod horum ſancitum eſt teſtimonio. Nemo igitur contradicat ſermonibus veritatis: nullus infringere audeat, quod Chriſtus aſſeruit. Credant corde, vt ad ſalutem eorum fiat oris confeſsio: ſed caueant ne diſcordent moribus à fidei confeſsione. Quod corde credunt,teſtentur & vita. Sola fides illa apud altiſſimum promeretur laudem, quæ pijs operibus ſociatur,atque virtutibus tanquam precioſis ornatur gemmis. Quum verò in ſola oris confeſſione conſiſtit, mortua eſſe cenſetur, dicente Iac. 2. Apoſtolo Iacobo: Fides ſine operibus mortua eſt. Vt ergo viuat,vt Deo placeat, operibus roboranda eſt,atque charitate informanda. Nam abinuicem earum nulla valet ſegregari. Eſt nãque fides virtus & charitas funiculus triplex, qui difficilè rumpitur. Hunc ſpiritus ſanctus cõtexit,& ordinat. Per fidem ſubijcitur anima ſapientiæ, per virtutem eandem imitatur: per charitatem verò copulatur, atque perficitur. Perficitur (inquam) quum afficitur charitate,& eo mentis habitu induitur, quo Deum ex toto corde,ex tota anima,& ex omnibus viribus diligit. Hunc quum attigerit gradum, ſeptiformis ſpiritus repletur donis. Caſtè ſiquidem timens Deum cuſtodia,qua poteſt,offenſam cauet,abhorret delicta,deuitat noxia,ne in obediendo amittat, quem timẽdo diligit. Diſcit erga delinquentes tenere pietatem,& quo ordine,quibus ve ſtudiis dilectionis valeat implere mandatũ, iugiter meditatur. Pertractat ſecum ſine intermiſſione opere perficere, quod ex ore dicitur ſapientię. Hoc eſt præceptum meum,vt diliga- Ioan. 15. tis inuicem,ſicut dilexi vos. Scientiæ pollet acumine, illudque ſemper exercens in diſtributione donorum ſibi cœlitus collatorum ſpirituale quærit lucrum,ne traditum ad quæſtum in terra conuincatur collocaſſe talentum. Fortitudinis robore decoratur. Per ipſam nãque in Dei ſolidatur amore, ne ad pugnam imparata progrediens hoſtibus cum dedecore terga verte- Tob. 7. re cogatur. Nouit hominis vitam eſſe militiam ſuper terram, nouit tẽtationum multimoda bella,quæ congruenter animi virtute ſuperantur. Conſilio fit prouida,vt præteritis futura metiẽdo inter aduerſa & proſpera Saluatoris ſectetur veſtigia. Crucem quotidie poſt ipſum baiulat, ſtudetque conſulte ſemper abnegare quod eſt. Curas ſeculi,& carnis deſideria per intelle- Pſal. 136. ctus gratiam infatigabiliter iuſtitiæ mucrone confodit,earumque paruulos prudentiſſime allidit ad petram,quatenus ſordibus mundata ad ſpiritualium ſacramentorum attingat notitiã. Niſi enim ab exterioribus mundetur cor,ad interiorum indaginem peruenire non valet. De ſapientiæ verò dono quid dicam, quum ad ipſius ſuauem guſtum, contemplationiſque ſpeciem abſque ſpiritus adiutorio nullus ducatur? Nam Apoſtolo teſte, ſpiritus ſcrutatur etiam profunda Dei. Hoc ſapientiæ donum ſe per- 1. Cor. 2. cepiſſe idẽ Apoſtolus gaudens fiducialiter aie- Ibidem. bat: Non enim in doctis loquimur humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus ſpiritualibus ſpiritualia comparantes. Iterumque: Sapientiam loquimur inter perfectos: non ſapientiam huius mundi, ſed ſapientiam in my-

ſterio abſconditam. Vnde autem illam habuerit, certiſſimum eſt, quòd ex Spiritusſancti

Ibid.

gratia. Quod euidenter aperuit, quando ait: Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ:

1. Cor. 12.

alij ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritũ: alij fides in eodem ſpiritu: alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu: alij operatio virtutũ: alij prophetia: alij diſcretio ſpirituum: alij genera linguarum: alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur idem ſpiritus diuidens ſingulis prout vult. Diuidit quidem fidelibus ſingulis tã quam corporis Chriſti membris iuxta cuiuſq; menſuram. In quo corpore Eccleſiæ veluti honorabile caput, ipſa præſidet ſapientia. Propterea ad ſacroſanctum hoc declarandum myſterium miſſus eſt ſpiritus ſanctus, quatenus doceret omnia, & ſuggeret omnia, quęcunque diceret ipſa, ſiue per aſſumptum hominem, ſeu per aſpirationem verbi. Nempe quod pronũciatur voce, idem ſpiritus docet. Suggerit autẽ, quod infunditur corde. Vtrunque agit ſpiritus veritatis à patre in filij nomine miſsis in cordibus credentium. Vtitur tamen hominis inſtrumento, non pro neceſsitate, ſed pro ſuæ beneplacito voluntatis, quippe quum omnia operetur in omnibus. Ex hac igitur doctrina vel ſuggeſtione ſpiritus audientis vtriuſque hominis eruditur ſtatus, & pacificatur affectus. Eruditur enim ad cuſtodiendam pacem membrorum, & pacificatur in charitate Dei. Hęc nullus ambigat per ſapientiam fieri, quæ cum patre & ſpiritu ſancto vnus eſt Deus. Vnde ad inſinuandum id addidit eadem ſapientia. Pacem relinquo vobis pacem meam do vobis. Quid pace dulcius, quid vtilius, quid amabilius? Pacem re-

Ioan. 14.

linquere, pacemque dare debuit ipſa pax diuina, pax æterna, pacifica in ſe ipſa, pacificans vniuerſa in ſe, Pacem vtique reliquit & pacem dedit. Reliquit cum Deo, dedit verò hominibus. Magna ſunt hæc, ſenſu profunda, veritate conſpicua, & ab ipſa Dei ſapientia meritò pronuncianda. Quis tam ſublimia promeret paucis, niſi ipſa ſapientia? Dixit aliquid, & maximum aliquid ſuggerere voluit. Niſi præceſſiſſent inimicitiæ, ſuperflua videretur donata pax. Quoniam verò præceſserant, pacem ideo dedit, pacemque reliquit. Vnde autem profluxerint, audi. Quum feciſſet Deus parentes primos, virum de limo terræ, mulieremque de viri coſta, & eos in voluptatis paradiſo collocaſſet, præcepit eis, dicens: Ex omni ligno paradiſi comedetis, de ligno autem ſcientiæ boni & ma-

Gen. 2.

li ne comedatis: In quacunque enim die comederitis, morte moriemini. Hanc conditoris legem mox vt præuaricati ſunt, inimicitiarũ controuerſia ſubſequuta eſt, atq; duplex mors pro tranſgreſsionis pœna inflicta. Harum alteram euaſerunt multi: non tamen niſi per mediatoris Chriſti fidem & meritum effuſionis ſanguinis illius. Alteram verò (videlicet) corporis nullus, quamuis ſanctus & innocens euitare potuit, dicente Propheta: Quis eſt homo, qui viuet, & non videbit mortem? Patiente ſiquidem domi-

Pſal. 88.

no, & pro originali ſatisfaciente delicto æterna animæ mors prædeſtinatis iuſtis temporale ſupplicium commutatur: perſiſtente nihilominus corporis morte in memoriale prioris culpæ, atque in eiuſdẽ pœnam peccati. Chirographum hoc damnationis æternæ ipſe Mediator tulit de medio, & cruci illud affixit, noſque patri reconciliauit. Sicque factum eſt, vt qui demeritis exigentibus noſtris eramus longè, interpellante ſemper pro nobis Chriſti ſanguine accedentes per fidem efficiamur prope. Et qui flagitiorum, oneribus preſsi iudicis faciem verebamur nunc charitate feruidi gratificante nos ſapientia patris vultum aſpicere concupiſcamus. Accendimur prorſus facibus amoris, quoties cogitatione ſapida diuinam erga nos meditamur exhibitã charitatem, pro qua à Deo pax nobis donata eſt, & a Chriſto ad patrem proficiſcente relicta. Tunc etenim pacem nobis donauit pater, quum in ſimilitudine carnis peccati in mundum filium miſit, vt de peccato damnaret peccatum in carne ſua. Tunc illam filius reliquit, cum ſoluto ſanguinis precio reconciliauit nos Deo, & triumphator migrauit ad ſuperos. Pacem (inquit) relinquo vobis, vt à debito liberi, ignito Deum diligatis affectu. Pacem meam

Ioan. 14.

do vobis, vt ſyncero amore inuicem diligatis. Quam compendioſe, quam ſapienter binam nobis verbis his commendauit dilectionem, Dei videlicet, & proximi? In horum perfectione mandatorum Chriſti pacem conſequimur, & poſsidemus teſtante propheta, qui ait: Pax multa diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalum. In pacis igitur adeptione fragores mun-

Pſal. 118.

di, contradictiones hominum, vitiorum bella vitamus. Replemur dilectione, delectatione paſcimur, illuminamur fide, ſenſu fœcundamur, & imbuimur ſapientia. Iſta proculdubio ignorant carnis deſideria ſectantes, minimeque reperiuntur in cordibus peccatorũ. Munera ſunt ſapientiæ ſuis amatoribus prærogata. Proinde dicebat, quum recumberet. Non quomodo mũ-

Ioan. 14.

dus dat, ego do vobis. Quam vera veritatis ſententia eſt? Diſtincta ſunt Dei & ſeculi dona. Quod non habet in ſe mundus, ſuis non valet præſtare cultoribus. Fraudibus quum ſit plenus & liuoribus agitatus, atque omnium iniquitatum veneno refertus, pacem quomodo tribuere poteſt? Ab autore pacis, pacis fuerant condonanda encęnia. Quamobrem pacem (inquit ipſe vos, ò amici mei, domeſtici mei, meique

corpo-

corporis membra, diligite, quam relinquo, pacem cuſtodite inuicem, quam mandando do vobis: ipſam tanquam futuræ beatitudinis cautionem tenere: ipſa in meæ ſolatium corporalis abſentiæ reſideat penes vos. *Ibid.* Non igitur turbetur cor veſtrum, quum humana à vobis meæ ablata fuerit forma, neque formidet ſæuientiū iniquorum perſequutiones, quas me abſente excitabunt aduerſum vos. Mementote quoties dixi: Vado & venio ad vos. Profectò ſi diligeretis me, gauderetis vtique (quia vado ad patrem.) *Ibid.* Magnam Chriſti diſcipuli de ipſius diſceſſu, excepto duntaxat horrendo paſsionis, mortiſque ſupplicio, debuerant habere lętitiam, ſi priuato caruiſſent amore. Quandiu nanq; in carne paſſibili cum hominibus conuerſatus eſt, quanta conuitia, quot labores, qualiave mediator noſter pœnarum perpeſſus ſit genera, quis humano valet explicare eloquio? Latebat etenim ſub humanitatis nubecula diuinitatis ſplendor: propterea minimè videbatur, quę adoraretur, maieſtas. Paruulus apparebat inter homines, dominus magnus, nimiumque laudabilis. Agnoſci quoque noluit, ne ignoſceretur ſibi. *1.Cor.2.* Si enim cognouiſſent dominum gloriæ, nunquam crucifixiſſent. Poſtquam paſſus eſt, & deuicta, immutataque omni corruptionis anguſtia, poſtquam ad patrem, vnde nunquam diceſsit, redijt, tūc quis eſſet, agnitus eſt: tunc humana à verbo ſuſcepta ſubſtantia ſupra omnem cœlorum militiam, ſupra ipſa Cherubim ac Seraphim agmina in patris dextera perenniter regnatura conſcendit. Ideo aiebat. Si diligeretis me propter me, ſi non propria quæreretis, vtique gauderetis. *Ioan.14.* Poſtponite igitur veſtra, priuatum abijcite amorem, & meam fidei oculo futurā poſt modicum intuemini dignitatem, quam quoad vixero, penes vos habiturus non ſum. Completa tamen patris obedientia, conſummatiſq; prophetarum dictis condignam cōſequar de mea paſsione mercedem: nec non vniuerſo inſinuabo orbi, quantum patri placuerit obedientia: quid contulerit mihi, quamve profuerit vobis. Nempe vtriuſque, meæ videlicet & veſtræ obedientiæ copioſus eſt fructus. Mihi pro eadem flectetur omne genu, ſiue cęleſtium, ſeu terreſtrium, aut infernorum. Vobis autem cœlorum reſerabitur ianua, quæ per annorum curricula plurima extitit clauſa. Cuncta hæc me aſcendēte ad patrem fient. *Ibid.* Ideoque ſi diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad patrem, quia pater maior me eſt. Propterea nunc dixi vobis, quæ futura ſunt, prius quàm fiant: vt quum factum fuerit, quod prædico vobis, credatis. Quid, ò domine? Dic (oro) quid credere debemus? Me vtique Dei filium, me verbum ante ſecula, Deo patri conſubſtantialem, coæternūque: ex natura Deum, in tempore autem factū hominem propter vos, mediatorem veſtrum, redemptorem, ac plaſmatorem, me in carne paſſibilem, mortalem de virgine natum, de patre incommutabile verbum incomprehenſibiliter genitum. Hæc prorſus de me credere debetis. Iam vero agonis mei incumbente tempore nō multa loquar vobiſcum. *Ibid.* Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquā. Mūdi huius principem diabolū nominat, qui mundi amatoribus principatur. Peccatores nanque & ſceleſti dominatorem omnium contemnentes Deum, eiuſque mandata implere negligentes, tenebrarum principis dum perficiunt volūtatem, ipſius mancipia fiunt, & delictorum ſerui, ipſa dicente Sapientia: *Ioan.8.* Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Mala ſeruitus hæc, quæ ad ſempiternum trahit interitum, & naturalis innocentiæ ſpoliat indumentum, atque liberi arbitrij aufert dignitatem. Non aliunde iunior filius à patre diſcedens, & proficiſcens peregrè diſtracto cum meretricibus patrimonio egere cœpit. Iſtius etenim principis captiuus effectus de porcorum ſiliquis voluptatis famem, atque concupiſcentiæ ventrem ad ſaturitatem replere ſatagebat. Ab hac verò inedia miſerabili, & deteſtando ſeruitio, niſi redeundo ad patrem, redimi non potuit. Hoc iſte: hoc quotquot de Adæ propagine originem ducunt. Traducē quippe habentes de maſſa peccatrice, atq; originalis culpæ maculam contrahentes antè fiunt dānati, quàm nati. Hinc eſt, quod propheta gemens, ait: *Pſal.50.* Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis cōcepit me mater mea. Hac de cauſa importunus exactor iſte principabatur in ſeculo, & humanæ damnationis debitum quotidianis facinoribus aggregabat. Hinc diuini honoris cultum vſurpauit in homine, atque dominatum ſibi vendicauit indebitū. Adeò totum legibus ſuis ſubdidit orbem, vt nemo tyrannidis illius fieret exors. Vnde & propheta dicebat: *Pſal.13.* Non eſt, qui faciat bonum: non eſt vſq; ad vnū: omnes ſimul inutiles facti ſunt. In elatione igitur principandi euectus hic angelus, quoniam in cœlo regnare non valuit, ſedē ſuam ad Aquilonem inſtituēs, in hoc nequam ſeculo ſolium iniquitatis erexit. Nemo ab ipſo mundi initio, vſque ad temporis plenitudinem (duntaxat mediatore, eiuſque genitrice exceptis) iugum dominationis eius euaſit. Hunc cæteris ſimilem agnoſcens in naturæ debito, diſſimilem autem in moribus, in ſapientia, in ſanctitate, quiſnam eſſet, inquirere ſtuduit. Proinde varijs illum tentationibus laceſsiuit, probauit argumentis, obſeruationibusq; proſpexit, ſi quo modo illum, vt primum hominem ac poſteritatem eius ſternere poſſet. Quicquam verò fraudis commentor in mediatore ipſo non reperit ſuum, quoniam nec in conceptu, neq; in

toto

toto vitæ decurſu aliquid colluuionis admiſit. Hebr. 7. Sanctus quippe fuit, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, cœliſque excelſior factus: ita vt peccatores iuſtificare, ſanctificare noxios, atque verbo ſuo poſſet mundare pollutos. Tanti ſiquidem fuit meriti, vt morte ſua ab æterna damnatione eriperet vniuerſos. Hoc dum egit, quantum patrem diligeret, patenter ſignificauit. Proximus igitur paſsioni diſcipulis Ioan. 14. conſtanter aiebat, Surgite, eamus hinc. Surgite ait alacriter, conſtanter, properè. Eamus corde, corporeq; hinc ad locum certaminis, ad cõflictum paſsionis. Tacebitis vos; imò fugam capietis, & ego irriſiones, ſputa, flagella, crucem, & mortem ſuſtinebo. Ibidem. Non tamen neceſsitate coactus, ſed veſtri amore ſuccenſus, non vt ſatis faciam pro me, ſed vt cognoſcat mundus, quòd diligo patrem, & ſicut mandatum dedit mihi pater, ſic facio. Mandatum etenim a patre accepit Chriſtus, non vt moreretur, ſed vt prædicãdo, exhortando, erudiendo genus ſaluaret humanum. Quod vt efficacius ageret, ſeruata iuſtitiæ lege idem Dei & hominum mediator crucis patibulum ſpontè perpeſſus eſt. Quamobrẽ Adæ debitum ſoluit, Deo honorem reſtituit, in ſignemque omnipotẽtis Dei, quàm primus homo guſtãdo vetitum denigrarat, reparauit imaginem. Nil excellentius, nil Deo offerre charius valuit, quàm vt centeſimam, quæ perierat, ad ouile dominicum proprijs humeris reportaret ouem, atque antiquæ cœleſtis Hieruſalem, quæ Lucifero ſuperbiente factæ ſunt, reædificaret ruinas. Non autem iniquum hominis deceptorem voluit virtute debellare, quum poſſet, ſed ſapientia ſola, quatenus qui fraudis commento primum ſuperauerat hominem, ab ipſo redemptore ſapientiæ magiſterio vinceretur.

Quòd Dei dilectio dilectionis noſtræ efficiens ſit cauſa. Chp. VIII.

PEregrinationis huius leuamen optimũ cordium non corporum, morum non locorum fraternitatis copula eſſe comprobatur. Eſt enim homo ſociale animal, ſibi appetit ſimile, & cui cohæreat, quęrit, quatenus vnitatis ſolatio gaudeat. Hoc illi à natura præſtatur, hoc ab inhabitante gratia miniſtratur. Nẽpe ipſe Chriſtus nos docet vnitatem diligere, docet eandem etiam cuſtodire. Porrò nec ſine cauſa diligitur, neque ſine dilectione cuſtoditur. Vtrunque nobis donatur à Chriſto. Vnde gratiam habeamus, Ioannem dicentem audi, Ioan. 1. De plenitudine (inquit) eius nos omnes accepimus. Apoca. 1. De dilectione autem ſic legitur, Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Non enim diligeremus Chriſtum, niſi diligeremur à Chriſto. Dilectionis noſtrę efficiens cauſa eſt Dei dilectio, qua ante mundi conſtitutionem in verbo dilexit, & per eũdem elegit nos. Non ſolum hoc, verumetiam gratificauit nos in dilecto filio ſuo. Niſi gratificaret, minimè diligeremus, ſed nequaquam gratificaret, niſi in ipſo filio diligeret nos. Agnoſce, ò homo prærogatum munus, ne ingratus ſis, & inde deficias, vnde proficere debuiſti. Omnia quantumcunque amabilia ſint, quæcunque grata percepiſti, agnoſce à Chriſto. Non autẽ cognoſces, ſi non in ipſo, qui veritas eſt, permanſeris. Audi Dei verbum, & diligenter aduerte, quòd in illo te manere oportet. Ego (inquit) ſum vitis vera. Ioan. 15. Non qualis quotidie ab hominibus excoli cernitur, quæ in terra radices ponit, botroſque producit ad hominis lætificandum cor, ſed neque qualis illa erat, de qua propheta loquitur, dicens, Eſa. 5. plantauit vineam electam, & ædificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea, & expectauit, vt faceret vuas, & fecit labruſcas. Propter quod à Domino dictum eſt, Auferam ſepes eius, & erit in conculcationem, Ibidem. & ponam eam deſertã. Nõ putabitur, neque fodietur, & aſcẽdẽt ſuper eã vepres, & ſpinæ, & nubibus mãdabo, ne pluãt ſuper eã imbrẽ. Non talis vitis Chriſtus, quæ huiuſmodi audiat cõminationes, ſed vitis prorſus vera, quę radices ponit ſurſum, & fructum facit deorſum. In terra ſiquidem viuentium iuxta vitæ fontem plantata conſiſtit. Quamobrem irrigua ſemper, & fœcunda perſeuerat. Illius non defluunt folia, fructus non marceſcit, non faſtidit odor, neque ſuauitas deficit. Semper virens, ſemper florens, ſemper amœna eſt. Aſpectus nanque illius delectabilis eſt, fructus eſt dulcis, ſecura vmbra, ramique protenſi implentes latitudinem terræ tuæ, ò Emanuel. Conſideret, qui poteſt, quam longè, lateque effuſum eſt nomen Chriſti, & agnoſcet vitis huius eminentiſsimam dignitatem. Vitis huius ille proſpexerat latitudinem, qui dicebat, Leua in circuitu oculos tuos, & vide. Eſa. 60. Omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi, Ibidem. Filij tui de longe venient, & filiæ tuæ de latere ſurgent. Tunc (videlicet) quãdo fiet hoc, videbis, mirabitur & dilatabitur cor tuum, quãdo conuerſa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Vnde autem tanta, vitis hæc, vbertate decoretur, ſi ſcire cupis, ſapientiam differentem auſculta. Quum enim dixiſset. Ego ſũ vitis vera, addidit, Et pater meus Ioan. 15. agricola eſt. Nunquam fructificaret taliter, niſi à tam probatiſsimo excoleretur agricola. Quod verò fructus illius ipſe ſit autor, agricolę vocẽ ad filium per prophetam agnoſce. Pſal. 2. Poſtula (inquit) à me, & dabo tibi gentes hæreditatẽ tuã, & poſſeſsionem tuam terminos terrę. Ipſe planè cœleſtis pater vitis huius cultor exiſtit, & diligentiſsimè nutrit, vt ſanctitatis proferat fructum. Nihil in ea infructuoſum, nil aridum, nihilque

hilque

hilque relinquit inutile. Ideo racemos præcidit infœcundos, ne vitis pulchritudinem decolorent, ac fructuoſorum palmitum fertilitatẽ dedeperire faciant, eosque præcidendos reddãt. Ideo vitis ipſa dicebat, Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eũ. Tollet (inquit) Ioan. 15. eum. Quem? Non ferentem in me fructum. Signanter ait, Non ferentem in me fructũ. Sunt etenim, qui fructum ferunt, ſed non in Chriſto. Hi inter infructuoſorum computantur numerum. Fuere hęretici, qui malè de Chriſto ſenſerunt, errorum ſuorum venena in fidelium plebem ſparſerunt, fecerunt ſectas, vnitatemque eccleſiæ vaſtare moliti ſunt. De talibus voce Cant. 2. ſponſi paſtoribus eccleſiæ dicitur, Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas. Sunt quoque hypocritæ, qui aliud corde geſtant, aliud proferunt ore. Huiuſmodi ſub velamine ſanctitatis animas decipiunt, populorum fauores captat, ſanctos ſe gloriantur vocari. Sed ſicut primi palmites, veri non ſunt. Specie tenus adhærere videntur Chriſto, ab ipſo diuiſi ſunt. Quum enim in hominum laudibus tamen oblectentur, illasque pro ſuorum quæritent mercede laborum, in hæreditate Chriſti, quę in futuro humilibus pollicetur, participare nequeunt. Computantur prorſus in fatuarum conſortio virginum, quæ à regno cœlorũ expulſæ, à Chriſto neſciri dicuntur. Omnes præterea ſuperbi & peccatores, qui Chriſtianæ religionis ſacramenta ſumpſere, & nequiter viuunt, in huius vitis palmitibus eſſe non cenſentur. Nam etſi confiteantur ſe noſſe Chriſtum, negant autem factis. Nil illis prodeſt verboſa confeſsio. Non Tit. 1. enim ſonitum labiorum tantum, ſed ſimplicitatem cordis approbat omnipotens. Nonne ſa- Matt. 7. pientiæ vox illa eſt, quæ ait, Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum cœlorum, ſed quicunque fecerit voluntatẽ patris mei? Verba vtiq; virtutibus decorata Deo, grata noſcuntur. Ideo ſuos ex veræ fidei cõfeſſione, atq; operibus charitatis agnoſcit palmites. Infructuoſos quippe tanquam inutiles tollit, & æterno deputat igni, fructuoſos autẽ pur- Ioan. 15. gat, vt fructum plus afferant. Studioſus planè agricola nunquam deſinit terram excolere, ſemina mittere, inſerere arbores, oliueta plantare, vineasque purgare ſuas. Inde fructum, inde percipit gaudium. Cœleſtis agricolæ attende peritiam. Quomodo terram ſpirituali bonitatis ſuæ excoluerit vomere, prophetam audi, Bene Pſal. 84. dixiſti (inquit) Domine terram tuam, auertiſti captiuitatem Iacob. Quid verò ex Dei benedictione ipſa produxerit terra, ſignificare curauit, dicens, Etenim Dominus dabit benignita- Ibidem. tem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. Porrò fructus terræ huius ſublimis ſeminatus denuo cœlorum replet horrea. Nõ enim in præſentiarum iſtius meſsis vbertas noſcitur. Quando autem? In futuro, ſicut Citharœda ſanctus com- Pſal. 126. memorat, Quum dederit (ait) dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini, Filij merces, fructus ventris. Quod autem cœleſtis hic agricola nouas quotidie inſerat arbores, plebs indicat gentium. Quum enim ſylueſtres eſſent oleaſtri, in naturalem & bonam oliuam inſerti ſunt. Vnde iuſtus quiuis prophetico poteſt dicere ore, Ego ſicut oliua fructifera in domo Dei ſperaui Pſal. 51. in miſericordia Dei in æternum, & in ſeculum ſeculi. Nempe harum omnium fęcundatam matrem cernebat eccleſiam, quando dicebat, Filij Pſal. 127. tui ſicut nouellæ oliuarũ in circuitu menſæ tuę. Quòd autem vitem ſuam peritus purget agricola, teſtatur ipſe palmitũ ſpiritualis ac vberrimus fructus. Diſcurre (obſecro) mentis oculo per generationes ſingulas, & veram intelliges eſſe ſententiam ſapientię, porrò nullus reperitur ab ipſo mundi exordio palmes verus, qui non tribulatione purgatus ſit. Abel innocens iniuſtè Geneſ. 4. moriens fratris iniquitate purgatus eſt. Noè fi- Geneſ. 7. lij illuſione, & aquarum inundatione purgatur. Abraham de terra ſua cognatione, & domo pa- Gene. 13. tris ſui egrediens multarum inſidiarum, plurimorumque laborum attritione purgatus eſt. Ia- Gen. 27. cob irati fratris declinans rabiem, quantas perpeſſus fuerit in peregrinatione ſua, quis enumeret paſsiones? Ioſeph in Aegypto venundatus Gene. 41. tanquam veræ vitis palmes, calumniæ, inediæ, Exod. 2. 1.Re. 24. cõpedum, carcerisq; ſuſtinuit ſectiones. Moyſes ipſe opprobrium Chriſti Aegyptiorum diuitijs pręferens variis laceſsitus iniuriis Chriſto configurari promeruit. Dauid prophetarũ eximius ſuperbi regis perſecutione purgatus iuſtitię fructum Deo protulit copioſum. Vates etiã vniuerſi diuerſas principum, populorumque ferentes contumelias electorum palmitum collegio ſociantur. De his loquens Apoſtolus, ait, A- Hebr. 11. lii diſtenti ſunt, non ſuſcipientes redemptionẽ, vt meliorem inuenirent reſurrectionem. Alij ludibria & verbera experti, inſuper & vincula, & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tẽtati ſunt, in occiſione gladii mortui ſunt. Præterea Apoſtoli, quibus dicebat veritas, Vos eſtis, qui per- Luc. 22. manſiſtis mecum in tentationibus meis, tanquam oues in medium luporum mittuntur, cæduntur in Iudæorum concilio, ad reges trahun- Luc. 21. tur, & præſides, quatenus veræ adhærentes viti germen valeant procreare virtutum. De martyrum verò palmitibus quid dicam? Quanta ſint purgati diligentia nemo ſufficienter explicet verbis. Fuere nanque attriti verberibus, flagris excoriati, obruti lapidibus, ignibus concremati, lampadarum aduſti incendio, afflicti fame, carceribus incluſi, deportati exilio, iniuriis laceſsiti, ferro onuſti, laboribus fatigati, ſuſpenſi patibulo, facultatibus nudati, membris præciſi,

ferarum

ferarum morſibus traditi, diuerſarumque pœnarum generibus extincti, vt Chriſto cohærẽdo fructificent, repleantque eccleſiæ torcularia ſanguine ſuo, quatenus eo ebriati fideles cæteri de ipſorum locupletati ſupererogãti theſauro meritorum cœleſtium cumulatiſsimum pariant fructum. Nemo itaque iuſtus, teſte Apoſtolo ab hac purgatione ſecernitur. Ait enim, 2.Tim.3. Omnes qui piè volunt viuere in Chriſto, perſecutionem patiuntur. Quamobrem conuerſis Hebr.12. Hebræis & afflictis dicebat, Quis enim filius, quem non corripiat pater? Quòd ſi extra diſciplinam eſtis, cuius participes facti ſunt omnes, ergo adulteri, & non filii eſtis. Quanti verò ſit meriti huiuſmodi purgatio, eiſdem intimauit, dicẽs, Omnis autem diſciplina in præſenti quidem non videtur eſſe gaudij, ſed mœroris, poſtea autem fructum pacatiſsimũ exercitatis per eam reddet iuſtitiæ. Propter quod remiſſas manus, & ſoluta genua erigite, & greſſus rectos facite ſemitis veſtris. Ex his agricolæ huius peritiam intellexiſti? Eſto talis, vt & tu meritò purgeris à Chriſto. Caue tamen, ne purgatus murmures, & agricolæ detrahas ſapientiæ. Nequaquam dolorem vulneris, ſed ſanitatis attende dulcedinem. Purgationis inciſionem abhorrere noli, ſi centuplicatum fructum percipere cõcupiſcis. Eris proculdubio oliua vberrima, amœna, grata, foliiſque virens, ſi agricolę purgationem æquo ſuſtineas animo. Si verò cultoris manum impatienter abegeris, tanquam infęcunda arbor radicitus euelleris, & æterno concremaberis incendio. Memento (quæſo) quanta populus Hebræorum perpeſſus ſit mala, quoniam contra Dominum murmurii leuauerunt 1.Cor.10. voces. De quibus Apoſtolus ait, Neque tentetis Chriſtum, ſicut quidam eorum tentauerũt, & à ſerpentibus perierunt. Neque murmuraueritis, ſicut quidam eorum murmurauerũt, & perierunt ab exterminatore. Sectionem igitur medici, patris diſciplinam, & cęleſtis agricolæ purgationem vide ne ſpernas, & contra omnipotẽtis manum (obſecro) ne indigneris, quin potius gratulare te in Chriſti, ſanctorumque connumeratum eſſe cõſortio, qui immania tormẽtorum genera perpeſsi, locupleti fęnore ad cęleſtem gloriam tranſiere. In quorum ſiquidem Pſal.65. perſona pſaltes egregius ait, Quoniam probaſti nos Deus, igne nos examinaſti, ſicut examinatur argentum. Induxiſti nos in laqueum, poſuiſti tribulationem in dorſo noſtro, impoſuiſti homines ſuper capita noſtra. Tranſiuimus per ignem & aquam, & induxiſti nos in refrigeriũ. Probatio etenim cum peregrinantibus neceſsaria ſit, non eſt fugienda, ſed volenti animo cõplectenda. Neque quid concupiſcat caro, ſed quid ſuadeat ſpiritus, attendendum eſt. Nã ſpiritus indeficiẽter concupiſcit aduerſus carnẽ, & caro aduerſus ſpiritum, inuicemque diſſentiunt. Caro præſentia ac temporalia, ſpiritus verò futura & æterna naturaliter appetit bona. Vtriſque deſeruire nemo poteſt. Potiora quærẽda ſunt, atque præſtantiora vilioribus præferẽda. Ad hoc ratio inſerta eſt homini, & vniuerſo intellectualis creatura prælata eſt, vt cuncta ſub ſe inſtituta ordinatè diſponat, exteriora videlicet vſui corporis, vt coaptet, corpus ſubijciat ſpiritui, ſpiritum verò Deo faciat famulari. Hic eſt rationalis creaturæ prudentiſsimus ordo, quem de ſponſi cellario, ſponſa attuliſſe lætatur, dicens, Ordinauit in me charitatem. Cant.2. Hoc nimirum deficiente in anima vitia germinant, concupiſcentiarum aculei graſſantur, & delicta coaleſcunt, quæ ferro, igne, & purgatione indigent. Maximum proinde diuinæ miſerationis indicium eſt, cum mundatur anima, purgaturque. Mundatur quidem, vt purgetur, purgatur autem, vt fructificet. Purgari non valet, niſi mũdetur prius. Mundatur aqua, tribulatione verò purgatur. Mundatos illos eſſe notum fecit Sapientia, quibus dicebat, Iam vos mũdi eſtis propter ſermonem, quem locutus ſum vobis. Ioan.15. Nouerat quippe eos purgari non poſſe ad ſalutem, niſi mundarentur prius. Quomodo autem mũdantur, & per quem mundantur? Mundati planè fuerant ſemel, & mundatur quiſque ſalutari baptiſmatis lauacro. Non tamen ſimplex aqua habet hoc proprium. Poteſt vtique corporum maculas tergere, poteſt ſordium amouere putredinem, ſed non valet animarum abolere cõtagia. Immergat ſe quis in æquoris, fluminum, ſeu fontium aquis, talis mente egreditur, qualis introiuit, non autem ſic in baptiſmo. Deſcendit quiſque baptizandus ad fontem lauacri originali obligatus peccato, vel etiam immaniſsimis ſceleribus reus. Credat, cum mergitur, in nomine ſanctæ trinitatis, ſtatimq; ſuper niuem dealbatus omnium ſuorum deponet ſarcinam delictorum. Vnde (oro) tanta in aquis virtus, vt corpus tangat, & mentem abluat? Quis tam potenter operatur nemine vidente, aut ſentiente? Videt oculus elementum, per quod elementata purgantur, auris verò ipſum, per quod animarum peccata mundantur, credit ſacramentum. Quomodo autem efficitur ſacramentum? Vtiq; per verbum Chriſti, per ſermonem ſapientiæ. Accedit nanque verbum ad elementum, & fit ſacramentum. Tantæ nanque virtutis eſt mediatoris ſermo, vt naturam mutet elementorũ, & operetur inuiſibiliter, atque ſupra humanum ſenſum, ſupra intellectum potentię ſuę inſinuat celſitudinem, quæ per fidem ſolam fidelibus declaratur. Nempe ad tam ſublimis myſterij non niſi fide mediante, peruenitur indaginem. Niſi credatur, nõ percipitur, neque intelligitur. Ex auditu fides eſt, & per fidem aperitur auditus.

Per

Per fidem, inquam Chriſti, qui verbo ſuo mũdat immundos. [Rom. 10. Iob. 14.] Nemo ſcriptura teſte, poteſt facere mundum de immundo conceptum ſemine, niſi qui ſolus eſt mundus. Hoc leproſus immundus agnouit, [Matt. 8.] quando ait, Si vis, potes me mundare. Mundat planè immundos, ſeu mẽte, ſeu corpore. Corpore paucos, plurimos mẽte, prædeſtinatos videlicet ad ſalutem. De quorũ numero erant, [Ioan. 15.] quibus ipſe dicebat, Vos mundi eſtis propter ſermonem, quẽ ego locutus ſum vobis. Nouit Dominus, qui ſunt eius, [2. Tim. 2.] nouit quos mundet ad vitam, vt mundati maneant in æternum. Parum quidem prodeſt mundari ad tempus, & in ſordibus deficere, atque velut canis redire ad vomitum. Mundatus igitur quilibet cohæreat mundanti immundos, vt mundus permaneat, alioquin recidiuã patietur, fientque nouiſsima hominis illius peiora prioribus. [Matt. 12.] Duplicis quoque erit reus delicti, contemptę ſcilicet gratiæ, & ſuperadditæ culpæ, propter quod ingratus efficitur & iniquus. Vtroq; nempe vt careat morbo, ambos vt euitet laqueos, veritatis ſummæ & Dei ſapientiæ ſententiam audiat, [Ioan. 15.] dicentis, Manete in me, & ego in vobis. Hæc vt perfectum reddant hominem, indiſſolubiliter cõglutinãtur. Nec homo in Chriſto, nec Chriſtus manet in homine, niſi copulet charitas, quæ parium voluntatum eſt confœderatio, dulcis virtutum nexus, & diuinæ legis conſummatio veneranda. Sine charitate in Chriſto manere nemo valet. Radix charitas, vitis Chriſtus, palmites Chriſtiani. Non aliunde homo Chriſtus Ieſus Dei & Hominum Mediator virtutis ſuæ efficaciam, ſuorumque prærogatiuam haurit meritorum, quàm de radice charitatis, quæ Deus eſt, dicente Ioanne, Deus charitas eſt. In ipſo ſiquidem Mediatore plenitudo diuinitatis corporaliter habitat, pro qua vltra humanam æſtimationem hominum angelorumque tranſcendit merita. Diffundit quippe ſe verbum in ſibi vnito homine, & tanquam in ſuppoſito cõgruenti ſuiipſius bona communicat. Vnde Ioãnes, [Ioan 1.] vidimus (inquit) gloriam eius, gloriã quaſi vnigeniti à patre plenum gratiæ & veritatis. Quod autem ipſe accepit in ſe, effundit abſque ſui diminutione in fideles ſuos, ſibi veluti veros palmites inhærentes, quatenus fructificent ſanctitatis fructum, & virtutum plantaria inſerant. Non enim niſi a vite recipiunt palmites fœcunditatis humorem, ſicut nec vitis, niſi à radice. In radice vitis, in vite verò palmites manent, [1. Ioan. 4. Ephcſ. 3.] viuunt, fructificant. Deus (ſicut Apoſtolus commemorat) erat in Chriſto mundum ſibi recõcilians. Chriſtus etiam eſſe in homine comprobatur dicẽte Apoſtolo, Habitare Chriſtum per fidem in cordibus noſtris. Meritò in quo Chriſtus non eſt, neque charitas eſt. Vbi verò charitas non eſt, nec fidei integritas, nec iuſtitię fructus, neque compago vnitatis. Vt igitur vnitas, fides plena iuſtitia, charitas maneat in homine, in Chriſto maneat homo, alioquin inutilis erit. [Ioan. 15.] Ideo Dominus Ieſus, Sicut palmes non poteſt facere fructũ à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic nec vos, niſi in me mãſeritis. Magna dignitas eſt manere in Chriſto, & Chriſtum habere manentẽ in ſe. Primitiæ quidẽ ſunt hæreditatis æternæ. Quis tanto nõ glorietur habitatore? Si guſtetur hoc, quid ſapit dulcius, ſuauius meditatur, ſtrictius poſsidetur? Latet in cordib. amãtium ſacramentum hoc. Quãti ſit, quod dicitur, [Apoca. 2. Ibidem.] nemo nouit, niſi qui accipit. Eſt enim abſconditum manna, & calculus candidus. Porrò Chriſti mellifluus amor in anima manna abſconditum eſt. Calculus verò candidus pius ad verbũ animæ affectus eſt, honorabile connubium, & thorus immaculatus. Hoc nullus, niſi qui accipit, intelligit. Nemo, niſi qui ſponſa eſt, accipit. Accipit vtique à verbo in ipſo per amoris caſti deſiderium manente, atque fructificante. Quamobrem quicunque in cœlo theſaurizare concupiſcunt, quicunque in terra profectum fidelium ſuauitatis odorem germinare volũt, Chriſto veræ viti cohęreãt. Ipſe nanque ait, [Ioan. 15.] Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multũ. Qui manet in me, Ecce gratuita præuentio, obeditio ſalutaris, & depurata affectio. Et ego in eo, Ecce ſponſus in thalamo, dilectus in horto, Deus in homine, charitas in humilitate. Quiſquis talis eſt, fructum fert multum. Quarè fert fructum? Quia manet in vite, & de vitis pinguedine humorem trahens abũdat, & creſcit. Quare multun? Vtique quia palmitum omnium participat incrementis. Acquirit in altero, quod minimè ſufficit per ſe. Nil enim in eccleſiæ corpore proprium, nil vtilitatis compago facit ſuum. Singulis membris eſca vna diuiditur, & in electis vniuerſis omnium merita impertiuntur. Quod natura humano agit in corpore, hoc operatur charitas in fidelium vnitate. [Pſal. 118.] Sic habes expreſſum ore prophetico, particeps (inquit) ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua. Aduertis vnde cumulus fructuoſorum augeatur palmitum. Nempe ex viciſsitudine amoris, ex vinculo charitatis. Conglutinantur ſimul veri fideles, non inuidentiã, non liuorem rrcipiunt, pacis amore lætãtur, fraternitatiſq; dilectione cõtenti ſub vno capite, in vno corpore, ab vna vite vitalem gratulãtur carpere vitam. Se amant, vt fratres; ſibi communicant dona, vt palmites; fructificant in cõmuni, quoniam in vna ſunt vite. Porrò ex vitis dignitate exiſtimantur palmitum merita. Ideo palmitum fructus multus eſſe dicitur, quia ſublimis vitis & radix diuina. Fructus (inquam) hic quomodo non multus, quũ immarceſsibilis ſit, & hæreditatem ſortiatur æternam?

De

De ipſo ait Apoſtolus, Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſecundum magnam miſericordiam ſuã regenerauit nos in ſpem viuam per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam, & immarceſcibilem, conſeruatam in cœlis. Declarat, quum dicit, hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſsibilem, cõſeruatam in cęlis, quã multus ſit fructus. Vitis autem fœcunditatem notificat, inquiens, per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis. Caue igitur ne inſolentias, ne præſumendo arrogesti, quod vitis eſt proprium. Sicut in radice vitis, ita in vite agnoſcant Pſal. 113. ſe palmites, fateantur, & dicant, Non nobis Domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Vitem audiant palmitibus dicentem, Sine me Ioan. 15. nihil poteſtis facere. Rectè ſine verbo fideles facere non poſſunt niſi nihil, quũ ſine ipſo non Ioan. 1. ſint. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Peccatum ſonum ſine verbo factum eſt, quoniam nihil eſt. Quæcunque verò ſunt ſiue cœleſtia, ſiue terrena, ſeu ſpiritualia, ſeu corporalia, per verbũ facta ſunt, & ſine labore facta ſunt. Cur ſine labore? Quoniam ex ſola voluntate. Non enim quum operatur Deus, forma eget, vel materia. Materia, qua Deus operatur omnia, eius voluntas eſt. Sic in conſtitutione vniuerſi habes ſcriptum; In principio, videlicet in verbo, fecit Deus cœlum & terrã. Deinde legitur, & dixit Deus. Fiat firmamentum in medio aquarum, & cætera, quæ ibi ple- Geneſ. 1. nius continentur. Informem igitur materiam creauit ex nihilo, vt ſcias, quod omnia quæcunque Pſal. 113. voluit Dominus, fecit in cœlo & in terra. Formam itaque habuit nullam, vt faceret quæ ſunt. Ipſe nempe forma eſt, nõ formata, ſed formans formanda. Formanda (inquam) quoniam quod factum eſt, in ipſo vita erat. Quod autem in ipſo eſt, vita eſt. Quamobrem formata & formanda ſunt, ſiue futura ſunt, quia in ipſo ſunt. Peccatum vero, quoniam in ipſo non eſt, nihil eſt, & quoniam nihil eſt, facere poteſtis (ait Sa- Ioan. 15. pientia) ſine me. Turpis, deteſtandaq; poteſtas quempiam ſine Deo poſſe delinquere, atq; peccando amittere quod eſt. Quid eſt ſine Deo? Nunquid valet quis, præter Dei voluntatem, perficere quicquã? Planè nemo. Peccatum verò, quoniã nihil eſt, poteſt ſine Deo. Sine Deo (inquam) cooperante, non autem ſine permittente. Quæ enim bona ſunt, operatur Deus, & agit vt ſint: quæ verò mala, quoniam malum nihil eſt, permittit vt ſint. Agit igitur, vt bonũ ſit; malum verò permittit, vt ſit, ſi tamen aliquid malum eſt. Sic autem permittit, vt de malo ipſe eliciat bonum. Inſcrutabilis quippe eſt altitudo conſilij illius, per quod vniuerſa diſponit opportune, occultè, irreprehenſibiliterque. Cuncta etenim ordinante ipſo ſiue horum, quæ ſunt, ſiue quæ videntur eſſe, & non ſunt, ad ipſius militant gloriam. Quæ ſunt, vtique ad commendationem miſericordiæ, bonitatis, ac potentiæ ipſius. Quæ verò non ſunt, ad decorem ſapientiæ iuſtitiæque. Præſidet quidem in ſe, vt ſummus artifex, & per verbum ſuum operatur omnia, regit, & ordinat ſine motu, ſine fatigatione, ſine errore, & abſque paſsione. Ipſe prorſus eſt, de quo ait, quis. Tu autem dominator Domine iudicas omnia cum tranquillitate. Tibi enim ſubeſt poſſe, quum vis. Vera itaque verbi ſententia eſt. Sine me nihil poteſtis facere. Hinc Ibid. bene operandi excellentia, hinc liberi arbitrij dignitas commendatur. Tunc etenim hominis arbitrium liberum eſt, quum bene operatur quum operatur Deus in illo. Secus autem liberum non eſt, liberum nequaquam eſſe valet, quum peccando conditoris prætergreditur legem. Teſte nanque ipſa Dei ſapientia, qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Si ſeruus, liber Ioan. 8. non eſt. Si non eſt liber, libertatis amiſit dignitatem. Maxima proinde libertas nil boni poſſe ſine Deo, bonitatis fonte, largitoreq; bonorũ. Commendabilis virtus, & amplectenda potentia Deum cooperatorem in bonis actib. poſsidere. Ipſe eſt, qui operatur in nobis velle & perficere. Apoſtoli ſuper hoc ſententiam audi. Nõ 1. Cor. 12. poſſumus (inquit) cogitare aliquid à nobis quaſi Philip. 2. ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Quamobrem tanquam fructuoſi palmites in vite vera, Mediatore ſcilicet Chriſto maneamus ne excidamur, ſed fructum feramus plurimum. Ipſe nanque ait, Si quis in me non mãſerit, mittetur foras ſicut palmes, & areſcet. Si quis in me Ioan 15. non manſerit tanquam palmes in vite per dilectionem & obedientiam, mittetur foras, vtique de conſortio ſanctorum, & participatione theſaurorum eccleſiæ, & veluti putridum membrũ e Chriſti preciſum corpore areſcet, nullũ de vitis pinguedine vigorem admittens. Nam etſi ad eccleſiam cum cæteris, qui talis eſt, peregit, quamuis in conuentu fidelium ſedeat, foris tamen eſt, & non pertinet ad fidei vnitatem, quæ eſt corpus Chriſti. Ideo ſuo tempore eum colligent Angeli, per quos iudicium fiet, & in i- Matt. 13. gnem mittent, & ardet. Væh qui mittuntur foras, & excluduntur a Chriſto. Horum pars erit cum Angelis tenebrarum. Mittentur in inferni incendium, ibiq; cum diabolo æternaliter cremabuntur. Nulla tormentis eorum erit requies nullus finis, refrigerium nullum. Sicut oues in Pſal. 48. inferno ponentur, mors depaſcet eos. Depaſcet, & non deficient; morientur in tormentis viuentes, & abſque defectu deficient. Vociferabunt ad cœlos, nec exaudientur, implorabunt auxilium, & non veniet. Omni deſtituentur ſuffragio, omni carebunt ſolatio. Teterri- Iob. 10.

mo arctabuntur, ergaſtulo, & in regione vmbræ mortis, vbi nullus ordo, ſed ſempiternus eſt horror, eorum fiet habitatio. Ibi miſeri igne cruciabuntur inextinguibili, frigore vehementiſsimo horrenda dæmonum viſione, immortali verme fœtore intolerabili, liuore fraterno, corporum laſsitudine, debilitate membrorum, atque veniæ diffidẽtia. Talis infructuoſorũ palmitũ finis talisq; diſcendẽtes à Chriſto manet interitus.

Quòd ex beneficiorum numeroſitate homo dilectionem Dei erga ſe agnoſcere valeat.
Cap. IX.

DOnec rationalis ſpiritus in hoc mortali cõſtitutus eſt corpore, quandiu peregrinatur à ciuitate ſanctorum, promiſsionibus ſuſtentatur & donis. Promiſsio nãque, vires operario ſubminiſtrat, donum autem dilectionis nutrit flammam. Quis (oro) in laboribus perſeuerantiam, patientiam in doloribus & in perſecutionibus cuſtodiret pacem, ſi promiſſa non fierent? Quis denique abſque vllo amoris indicio diligens ſe crederet diligi? Dona quippe inter amantes mutuæ dilectionis ſunt ſigna. Nemo fortius, quàm dilectione trahitur, neque poteſt non diligere, qui agnoſcit ſe diligi. Eſt enim amor virtus quędam reciproca, tenax, & indiſſolubilis animorum colligatio, naturæ vis, laborum leuamen, laborantium robur peregrinationiſq; ſolatiũ ſingulare. Ex munere vtrum quis diligatur, intelligit. Arguitur quàm maximè ex hoc humanus tepor, & frigida ad Deum affectio hominis, qui conditorem ſuum tenuiter diligit, quum ſe ab illo inexcogitabiliter non dubitet diligi. Vniuerſitas nanq; creaturarũ nonne conditoris ſunt dona ad ſalutis adiutorium homini prærogata? Vnde tam ſedulum eidẽ ab vniuerſis præbetur obſequiũ? Nunquid ex propriæ actionis merito? Prorſus minimè. Prius etenim quàm fieret homo, cui deſeruiunt creaturæ, earum innumeræ ſpecies initiũ habuere & ordinem. Nam vltimum in vniuerſi conſtitutione humana ſpecies habuit locum. Quamobrem ſi attendas meritum, nunquid iniquitas & præuaricatio legis ſibi meritũ vendicabunt? An fortè iniuſtus eſt Deus, vt peccata diſſimulet, & fontes patiatur eſſe impunes? Abſit.
2. Pet. 2. Angelis quippe peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit in iudiciũ cruciandos reſeruari. Sed & originali mundo nequaquam indulſit diluuium mũdo impiorum inducens. Exoſam ſemper Deus habuit peccantium nequitiam, ſemperq; correxit errata, tametſi in pręſentiarum in pleriſque iuſtitia non manifeſta appareat. Attende diligenter, & agnoſces primum hominem conditoris arte, manuque plaſmatum poſt delictum in huius exilij regionem proiectum, ac de opificis manu duplicia recepiſſe. Cui tamen ex toto non deſierunt, quæ facta ſunt, miniſtrare, vt omne creaturarum obſequium de ſola omnipotentis bonitate prouenire non dubitet. Porrò inferiorum famulatus diuinæ charitatis indiciũ eſt. Ex his, ò homo, quantum diligaris, aduerte. Clamat intus ingenita ratio, nè cõtemptor muneris eſſe proberis, vt mutuę perſoluas debitũ charitatis. Dilige igitur, quem te diligentẽ agnoſcis ex munere, venerare obſequijs, à quo pollicitatione ſuſtentaris. Si obtemperaueris, non eris ingratus, ſi ardenter dilexeris, recipies potiora; ſi aſsidue oraueris, proculdubio impetrabis. Amor verus obedientiam parit, obedientia gratam Deo orationẽ exhibet, oratio obſequẽtis fideliter cęlos penetrans conſequitur, quod expoſcit. Propterea nec ſine obediẽtia charitas nec obtẽperatio ſine gratitudine, ſed neq; abſq; fructu obſequentis valet eſſe deprecatio. Cuncta hęc quã prudenter Dei notificauerit ſapiẽtia, diligenter auſculta, Si manſeritis (inquit) in Ioan. 15. me, & verba mea in vobis manſerint, quodcunque volueritis, petetis, & fiet vobis. Nempe vbi vnitas, ibi charitas eſt, vbi charitas, ibi cognitio & ſpiritualis copula comprobatur. Ibi vtiq; ſapientia, bonitas, & veritatis vnitas. Hæc omnia in Chriſto, imò omnia Chriſtus. Eſt patris ſapientia, indeficiens bonitas, veritas infallibilis, & vnitas indiuiſa. Quapropter qui manet in ipſo, & in quo manet ipſe, à ſanctorũ conſortio, & charitate Dei excidere nõ valet. Huiuſmodi etenim inhabitatio nequaquam corporalis, ſed ſpiritualis eſt, affectionũ eſt, & animorũ. Fęlix hæc manſio pacis ornata decore. Beatus quem Coloſ. 2. Dei inhabitat verbum. Qui poſsidetur, vt poſſideat, diligitur, vt diligat, atque in illo manet, in quo theſauri omnes ſapiẽtię Dei abſcõditi sũt. Nemo tamen tali dignus eſt contubernio, nulluſq; in ipſa valet quieſcere ſapiẽtia, in quo eiuſdẽ ſapientię verba nõ manẽt. Reciproca ſibi ſunt, & pari caritatis vinculo colligata, manſio hominis in Chriſto, & eloquia ſapiẽtię Chriſti in homine. Viciſsim duo hæc ſibi cohærent, ita vt alter nequeat ſegregari ab altero. Rectiſsimè autẽ Sapientię verba manẽt in homine, quũ opere perficiuntur, quũ à ſenſu verbi vita nõ diſcrepat Chriſtiani. Nam qui negligit implere, quod præcepit Chriſtus, vtique non manet in Chriſto. Qui autem non manet in Chriſto, minimè Chriſti verba habet in ſe. Si hæc ſcitis (ait Ioan. 13. alibi) beati eritis, ſi feceritis ea. Magnus planè fructus, & grata ſocietas manere in Chriſto, & Chriſti verba in ſe habere manentia. Dic itaq;, ò bone Ieſu, Angelorũ Rex, gaudiũ cęli, & corona iuſtorum, dic, inquã, ſeruo tuo, quæ merces, qualis fructus, aut quid boni conſequatur homo, dum manet in te, & tua in ipſo verba cõſiſtũt? Eruditione quidem tua incaleſcit mens, veri-

veritatis lumē fulget in corde, exultat ſpiritus, hebetudo diſsipatur, & interiora omnia gaudio perfunduntur. Ioan.15. Quodcunq; (inquit) volueritis, petetis, & fiet vobis. Sublimis eſt iſta promiſsio tua Domine, deſiderabilior ſuper aurū & lapidem precioſum multum, atq; dulcior ſuper mel & fauum, ſi tamen intelligatur planius: clariuſq; eluceat. Loquar igitur ad te Domine, quanquam ſum puluis & cinis, & peccatorum Ibidem. vltimus. Quid eſt, quod dicis, quodcunq; volueritis, petetis, & fiet vobis? Nōne Apoſtolus Pau- 2.Cor.12. lus electionis vas & doctor Gentiū, qui vſq; ad tertiū cęlū raptus fuerat, audieratq; arcana verba, quæ homini non licet loqui, qui etiā ore ve- 2.Cor.13. redico diſcipulis ſuis aiebat, An experimentum quęritis eius, qui in me loquitur Chriſtus, manebat in te, & verba tua manebāt in ipſo? Hunc tamē nouimus te rogaſſe ter, vt à carnis liberaretur ſtimulis, nec impetrare promeruit. Liberari prorſus cupiebat, petiit vt liberaretur, & obtinere nō valuit. Nunquid in verbis tuis, ô laus Iſrael, deceptionis eſt nubilum? An fortè ſpondes aliquid, quod recuſes implere, aut perficere nequeas? Abſit hoc à te Domine. Veritas es, & ſemper quod verum eſt, profers, neq; aliter quā quod aſſeris, eſſe poteſt. Es etiā omnipotēs & tibi ſubeſt omnia poſſe, quū vis. Vt autē dicā te inſpirāte quod ſentio. Arbitror, quòd nullus tunc perfectè manet in te, neq; verba tua in ipſo, qui nō in vna tecū pariter volūtate concordat. Vbi enim voluntatū eſt diſcrepantia, conſummata vnitas nō eſt. Vbi abeſt vnitas volūtatis, adeſt ignorātia, & perfecti boni neſcientia. Porrò nil aliud ſermonibus ſuis docet ſapiētia, quàm Deū cognoſcere, ipſumq; diligere, atq; in omnibus illius perficere voluntatē. Sapiētiæ igitur verba ordinatiſsima Dei voluntas, eſt à qua quiſquis vel in minimo diſcordat, ignorat quid intus eadē loquatur ſapientia. Eſt autē ſapientia ars Dei coæterna ſibi, quæ vniuerſa diuina lege diſponit in ſe, atq; ſine errore vllo, ad quē facta ſunt, dirigit finē, non ab hominibus diſcretum ac notū, ſed in verbi diuinitate præordinatū & cognitū. Lex etenim hæc verbi Dei, & huiuſmodi verba diuina ſapientiæ non audeat diſcutere humana fragilitas, quin potius illis ſe humiliter ſubijciat: Non repugnet, neq; contradicat, ſed in omnibus ſimpliciter famule- 2.Cor.12. tur. Hanc quippe legem ſi non ignoraſset tunc Paulus, prorſus aduerſus id quod illi proderat, non oraſſet. Vnde nec audiſſet, Sufficit tibi Paule mea gratia, nam virtus in infirmitate perficitur. Hoc vt audiuit in ſpiritu loquentem ſibi ſapientiam, lætus pro eruditione affectus, atq; ro- Ibidem. buſtus pro munere, Libenter, inquit, gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. Proinde quicunq; in precibus exaudiri cōcupiſcit, prius in Chriſto maneat, ipſiuſq; voluntatē agnoſcat, nec aliter velit quā ipſe, & ſemper quodcunq; voluerit, impetrabit. Nēpe vbi ordinata voluntas eſt, oratio non repellitur. Non autem niſi in Dei voluntate, quæ ſapienter cuncta componit, humana valet eſſe ordinata voluntas. Extra ſapientiæ legē nil ordinatum eſt. Ex ordinata itaq; voluntate ordo fulget ſapientiæ. Ex ſapientiæ verò ordine vniuerſa irreprehenſibiliter diſponuntur. Ex diſpoſitione autem rerum diuina cōmendatur autoritas, eò excellentius, quò in illis humana nihil capitur ratione. Sanè in nulla horum quæ videntur diſpoſitione, ſic omnipotētis elucet autoritas, quēadmodum in inſtitutione militantis eccleſiæ, quæ ſupra Apoſtolorum fundamentum locata dignoſcitur, ipſo tamen exiſtente angulari lapide Chriſto Ieſu. Totum quod in ipſa eſt, venerabile, glorioſum, atque diuinum eſt. Hoc aſſerere voluit Mediator, quando ait, In hoc clari- Ioan.15. ficatus eſt Pater meus, vt fructum plurimum afferatis, & efficiamini mei diſcipuli. Meritò nanque Pater in Apoſtolorum fructificatione clarificatus eſt, quia per infirmos & inſcios mūdum reſtaurare, atque ad fidei veritatem congregare dignatus eſt. Non enim ſapientes elegit de mundo, vt ad ſe conuerteret mundū, ſed ignobiles & rudes, ne inſoleſcat mundus, & quod Dei eſt, propriæ ſufficiētiæ tribuat. Vnde & Apoſtolus, Videte vocationē veſtrā fratres, quia 1.Cor.1. nō multi ſapiētes ſecundū carnem, nō multi nobiles, nō multi potētes, ſed quæ ſtulta ſunt mūdi, elegit Deus, vt cōfundat ſapiētes. Et infirma mūdi elegit Deus, vt cōfundat fortia. Et ignobilia mundi & contēptibilia elegit Deus, & ea quæ nō ſunt, vt ea quæ ſunt, deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in cōſpectu eius, ſed qui gloriatur, in Domino glorietur. Qui gloriatur Ibidem. (inquit) de eo quod gratis accepit, nō in ſe glorietur, ſed in Domino, qui ſapiētiæ, ſcientię, fidei, linguarū loquelæ, interpretationis ſermonū, virtutū, miraculorū vnicuique prærogat dignitatē. Nam ſingula hæc prout vult in ſingulis diuidit mēbris. Hinc eſt, quòd eccleſia ſancta in ſpiritualibus donis tam locuples eſſe cognoſcitur, ideoq; palmites ſuos extēdit à mari vſq; ad mare. Ideo per Apoſtolos ſāctos in orbē vniuerſū ſuas dilatauit propagines, quia in Chriſto vera vite permāſit. Prius etenim quā palmites hi inſererētur in vite, nōne inutiles erāt, & inſecūdi? At vbi adhæſerunt Chriſto, poſtquā æternæ ſapientię fieri diſcipuli meruerūt, botros innumerabiliū germinauere populorū, quod totū ad Dei prouenire gloriā minimè dubiū eſt, qui ſuę abūdantiā caritatis effudit in vite, vt eadē vitis ipſa ſibi adhęrētes emanaret in palmites. Hoc paucis Saluator indicauit, dicens, Sicut dilexit Ioan.1. me Pater, & ego dilexi vos. Eadem ſiquidē caritate, qua dilexit me Pater, vt veſter fierē Redē-

ptor,

ptor, & ego dilexi vos, vt efficeremini oues meæ, membra mea, fideles amici mei, filij mei chariſsimi, & vnica ſponſa. Ne igitur torpore deficiatis, aut ſeducamini errore, ſeu elatione excidatis ab ea, in qua vos inſerẽdo elegi dignitate, vobis dico. Manete in dilectione mea, manete, inquam, tanquam in vite palmites, vt non deſeratis confeſsionem fidei, iuſtitiæ normam, formam vitæ, atque propoſitũ ſanctitatis ex impulſu futurorũ malorũ, & perſecutionũ preſſura, quæ permittente me ſuper vos ventura ſunt.

Ibidem. Si enim præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego Patris mei præcepta ſeruaui, & maneo in eius dilectione. Si ſeruaueritis præcepta mea vos inuicem diligendo miſeris miſericordiam præſtando ex corde pariter peccata donando, erogando temporalia, inimicos diligendo, iis qui oderunt vos benefaciẽdo, exorando pro perſequentibus vos, ſectando humilitatem, cuſtodiendo pacem, cordis innocentiam, animæque puritatem ſeruãdo, ſpernendo viſibilia, vitiis repugnando, ſanctorum præcedentium veſtigiis inhærendo, abnegãdo voſmetipſos, crucem baiulantes ſequendo me, & æterna vobis promiſſa bona poſsidere cupiẽdo, vtique manebitis in dilectione mea, ſicut & ego Patris mei præcepta ſeruaui, & maneo in eius dilectione. Maneo (ait) inſinuare volens irrefragabilem erga Patris præcepta obedientiã ſemper & in cunctis ſeu magnis, ſiue minimis obtemperauit Patri, nec ad momentum ſe flexit ab eo, quod voluit. Vnde alibi dicebat,

Ioan. 8. Quæcunque placita ſunt ei, facio ſemper. Cur verò de vnitate ſui & eccleſiæ, de fructificatione palmitum, & infructuoſorum damnatione, de dilectione Patris ad ipſum & ipſius ad nos, de vtilitate cuſtodiæ ipſius mandatorũ, atque perfectione dilectionis eius ad patrem ſuperius dixerit

Ioan. 15. per illa quæ ſequuntur, indicauit. Hæc autẽ (inquit) locutus ſum vobis, vt gaudium meum in vobis ſit, & gaudium veſtrũ impleatur. Agit nãque erga fideles ſuos dominus, ſicut quiſque pater in vnicũ ſibi agere conſueuit chariſsimũ. Se quippe carnalis pater amat in filium: in ipſo viuere ſe ſperat. Quod proprio non habet in corpore, in filiorum propagine quærit. Agnoſcit diu ſe non poſſe ſubſiſtere, vnde & poſteris ſui memoriam derelinquit in filio. Hinc eſt, quòd domum coniungit domo, & agrum agro copulat, vt poſſeſsionum ſuarum dilatet terminos. Inſatiabiliter quoque auri, argenti, gemmarumque diuitias aggregat: adeò vt nõ minus affectu poſsideat, quod nõ habet, quàm quod habet. Omnis ipſius ſolicitudo, omnis amor, omniſque intẽtio cordis requieſcit in vnico, quem ſibi ſuperſtitẽ, ſuumque concupiſcit eſſe hæredẽ. Quicquid proſperitatis ariſerit, quicquid acciderit gaudij, quicquid felicitatis ſucceſſus inopinatè, ſiue ex induſtria venerit, tanquam ſibi totũ communicat filio: quatenus delectatione quadam filij ſe transformet in filium. Hoc natura docet: hoc diuturnitatis appetitus ſuggerit: hoc charitatis iura miniſtrant. Verum ſi naturalis hoc format amor: ſi viuendi libido hoc ſuadet, quid aget diuinus? Humanus planè affectus iuſtitiæ legem vt fugiat, ſolus eſſe non patitur: diuinuſque ſolitarius erit? Prorſus minimè. Quò nãque diuinus perfectior, eò profuſior eſt atque eò dulcior, quò ardentior. Habet vtique Dei ſapientia filios, quos genuit verbo veritatis ſuæ, & propria inſigniuit imagine: ſuoque cruore redemit. Hos etenim veluti chariſsimos ſingulariter diligit, fouet, amplectitur. Ipſos virtutibus ornat: effert muneribus, fœcũdat gratia. In ipſos ſe diffundit, non vt viuat in ipſis, quẽadmodum carnis genitores: ſed vt hi per illam viuat in illa. Nõ enim ipſis illa, ſed illi indigent ipſa. Nũquam ſine ipſa illi: ipſa autem abſque illis viuit in æternum. Excelſa nempe hæc mater eſt diuina, dominatrixque.

Sap. 8. Attingit nanque à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Peccatoribus quidem temporalia & terrena: iuſtificatis verò filiis cœleſtia & diuina largitur. Charitatem etenim in ſibi adoptatos diffundẽdo prorſus ſpirituales illos efficit & diuinos. His potiora tribuit dona, hæreditatẽ ſeruat perpetuam, atque in antiquas angelorum ſuperbiẽtiũ prouehit mãſiones: ad ſe trahit omnes, vt ſua felicitate fruantur. Prius tamen miſerationis amore permota ipſa deſcendit ad profugos: qui à facie tantę matris declinauerant: naturalis gratię ſubſtantiam conſumpſerant, egeſtate tabeſcebant: deficiebant inedia, & in genitricis huius indignationem incurrerant. Deſcendit (inquam) obtecta gloria, & mortalitatis veſte ſuſcepta, ne agnoſceretur, qualis erat, vt facilius ſaluare poſſet, qui perierant. Quęſiuit illos per huius exilij duros anfractus: tandemq; inuenit in loco horroris & vaſtę ſolitudinis: vbi cœleſtis panis alimonia, & ſalutaris aquę deerat refectio. Tunc pro filiis anxia, lęta pro incolumitate, feſtiua pro gaudio, expãdit alas ſuas in ligno, atque portauit eos in humeris ſuis, & impletum eſt, quod Prophetarũ eximius dixerat:

Eſai. 53. Verè lãguores noſtros tulit, & dolores noſtros ipſe portauit. Gratificauit illos ſanguine offenſis ignoſcendo, ditauitque chariſmatibus: quatenus exhibita charitate, qua nulla eſt maior, genitricis gaudium in filiorum pręcordia funderetur. Quale autem ipſius ſit gaudium, quàm ſublime, quàm excelſum, quamque inſcrutabile, quis enarrabit? quis intelliget? Nempe gaudium ipſius diuinum eſt, quo nõ temporaliter, ſed æternaliter gaudet in ſe de ſe. Non autem aliunde, quàm de ſeipſo gaudet Deus: neq; creſcit eius gaudiũ, aut aliquo euẽtu minuitur: quia ſem-

Digitized by Google

ſempiternum atque perfectum eſt. Non patitur mutabilitatis viciſsitudinem: nec ab aliquo dependentiam, quum ei coæternum ſit de ſeipſo ſine origine procedens, & in ſeipſo indiuiſibiliter perſeuerans. Gaudium nempe Christi amorem patris & filij dixerim: ſanctum videlicet ſpiritum: Deum verum procedentem à patre, & in filio permanentem. In perſona quidẽ diſcretum: ſed in maieſtate æqualem: conſimilem in poteſtate: in ſubſtantia vnum, & in æternitatis gloria nõ diuerſum. Nam pater amat filium, & filius patrem amore reciproco, beato, ſempiterno, incommutabiliq́;. Amor iſte patris ac filij gaudium: oſculum & amplexus eſt. Hoc plane gaudium Chriſti tunc in vnoquoque fideli eſſe cognoſcitur, quum gratuito & puro Deũ diligit amore, atq; diligi dignus efficitur.

Rom. 5. Hoc profectò donũ charitatis eſt de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta, quæ diffuſa eſt in cordib. noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Datur nimirum in præſenti, vt iuſtificet impios, roboret debiles, & innocentes repleat pietate, doceat ignaros, pugnantes adiuuet, cuſtodiat patientes, erudiat dubios, intelligentes illuminet, amanteſque charitatis face ſuccendat. Ipſo enim duce peregrinationis huius vaſtitatem peragramus intrepidi: ipſo comitante, inimicorum inſidias, inſultuſque vitamus acerrimos: ipſo protegente ac dirigente in æternæ fęlicitatis tranquillum portum ingredimur. Cœlitus igitur datur nullo condigno ſuſcipientium merito præcedẽte. Creſcit verò quotidie non in ſeipſo, ſed in nobis iuxta beneplacitum ipſius, & cuiuſque ſedulitatẽ poſſidentis. Quamuis per ſe poſsit omnia, noſtram tamen non ſine nobis operatur ſalutem. Nos autem omnino ſine illo minimè boni agere valemus quicquam. Spontaneum à nobis obſequium exigit: vt efficiatur meritorium. Abſque voluntate libera nihil eſt Deo gratum. Voluntas autem per gratiam inhabitantis ſpiritus renouatur, quæ amabilem magis, magisq́; ſolicitum reddit operatorem. Hinc fiducia, hinc ſcientia, hinc charitas, & gaudium oritur in ſpiritu ſancto. Non tamen plenum gaudium, ſed implendum, quum videlicet finita præſentis vitæ via in ſanctorum transferemur conſortium, & Dei clara digni erimus viſione. Tunc inebriati ab vbertate domus illius, atque voluptatis eius torrente potati, nec non bonorum omnium locupletati abũdãtia, replebimur gaudio ineffabili atq; diuino. Ipſo autẽ nemo dignus efficitur, niſi qui præceptorũ Dei diligens cuſtos extiterit.

Quòd ad reparandam deperditam ſcientiam per mediatorem Chriſtum charitatis mandatum inſtitutum fuit. Cap. X.

IGnorantiæ quiſquis inuolutus eſt tenebris, impellente ſpiritu ad veritatis lumen peruenire conatur, eo ardentius, quo naturalis ingenii acumine pollet. Homo nanq; quum rationale ſit animal, ſcientiæ appetitum & amorem ſapientiæ intus habere dignoſcitur. Hunc quippe ſciendi affectum primus homo in ſui creatione recepit: quatenus naturali impulſu illum quęreret, à quo fuerat conditus, & in quo omnis ſcientiæ atque ſapientiæ exuberat plenitudo. Cui inuidendo diabolus deceptionis ſuæ parauit inſidias. Non autem diuitias, non fugitiuos honores, non ſeculi lenocinia, aut corporis voluptates, ſeu filiorum propagines, illũ vt ſuperaret, pollicitus eſt. Diuinitatis honorem, boni ac mali ſcientiam eidem ſpopondit, dicens: Eritis ſicut dii ſcientes bonum & malũ. Gen. 3. Doloſè ſatis tentationum retiacula tetendit. Naturam quidem illius cõſiderans ſola illa promiſit, quibus eum allicere poſſe cognouit. Neque ipſum feſellit meditata iniquitas. Iſtiuſmodi etenim homo ſuaſione deceptus ſummi boni guſtu, & veritatis ſcientia, quam prius acceperat: magna ex parte priuatus eſt, atque ad videndum nuditatis ſuæ pudorem apertos tenuit oculos: quos paulò ante protegente innocentia clauſos habebat. Ex illo cum labore maximo, & ſudore vultus ſapientiæ panem comedere cœpit: minimè tamen ad ſaturitatem: iuſtitię ſic definiente ſentẽtia. Nec hoc quidem potuit per ſe ſuo exigente demerito: ſed diuina illum conditoris opitulante clementia. Nam ad reparandam deperditam naturæ ſcientiam eidem ſcriptam digito ſuo contulit legem: in qua ſciẽtiæ ac ſapientiæ fluenta cõſiſtunt: quatenus per ipſam eruditus agnoſceret, quod dediſcerat delinquendo. Non tamen ad perfectionis peruenit ſcientiam interiorem oculũ quotidie obnubilante delicto. Lex igitur hominis pædagogus fuit: quandiu Dei ſapiẽtiam promiſſam per vates ſuos ſuam diſtulit exhibere præſentiam. Itaque tanquam paruulus ſub mundi huius elementis erat ſeruiens: donec venit plenitudo tẽporis: in quo mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus legẽ inſtitueret charitatis, quæ vniuerſa veteris legis mandata contineret. Galat. 4. Natus ergo ipſe mediator ex muliere, factuſq; ſub lege vniuerſis charitatis ſcita mandauit, quę alienis pacem, lumen neſcientibus, vulneribus medicinam, peccatiſque tribuerent veniam. Lex Psal. 18. quidem hæc ſancta & immaculata conuertens animas ſe cuſtodientibus virtutis habitum: bonorum operum fœcũditatem, amoris guſtum, ſpei fiduciã, cognitionẽ ſui, diuinitatis ſcientiã, & perpetuæ fęlicitatis largitur meritum. Hæc

cunctis

cunctis nota debet eſſe ſaluandis: hæc ab omnibus debet fideliter cuſtodiri. Non enim cuſtodiri valet, niſi ſciatur, neque ſciri, niſi prædicetur. Non autem ab hominibus primum prædicata eſt, ſed vnigenitus, qui eſt in ſinu patris, enarrauit nobis, inquiẽs ſic: Hoc eſt præceptum Ioan. 15. meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. Magiſter bonus legem inſtituit charitatis, & formã bene viuendi paucis patefecit verbis. Quod voluit, vt facerent cęteri: hoc prior ipſe compleuit. Nullus planè præceptum hoc perfectius conſummauit, quàm ipſe legiſlator, mandatiq; inſtitutor. Dilexit quidem Eccleſiam charitatis amore vehementiſſimo, adeò vt relicto patre & matre adhæreret illi, & ſemetipſum pro ea traderet: mundans aquæ lauacro & ſacroſancto ſuo cruore: quatenus ſibi ipſam ſine deformitatis macula exhiberet in ſponſam. Amore quippe ipſius ſuauiter vulneratus de regalibus cęlorum ſedibus veniens, in humani corporis ſqualidiſſimum, oneroſumq; carcerem introire dedignatus non eſt. Non eſt paſſus illam in ſuorũ perire ſordibus delictorũ. Se pro illa expoſuit, ſe exinaniuit, ſe humiliando ſubiecit, atq; vibrãtis gladij ictus, & diuinę iuſtitię validam manũ, ne illa feriretur, ſuper ſe ſuſcipere non expauit. Huiuſmodi præcipuum charitatis affectum inſinuauit, dicẽs: Ioan. 15. Maiorem hac dilectionem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Hæc nempe affectio ponendi animam pro amicis ſuis rara atq; excelſa eſt, quæ perfectum ad Deum in ſe fore notificat amorem. Hęc communi dilectionis non contenta lege, vitam carnis, qua nihil in hoc ſeculo charius poſſidetur, pro amicis ſuis exponit alacriter. Hanc dilectionis formam: hãc charitatis regulã initiauit Dei ſapientia: hanc in exẽplum poſteris dereliquit. Quod egit ipſa, perſuaſit ſuis. Solos amicos illos habere vult, qui perficiendæ charitatis accenſi zelo ſicut ſeipſos proximos diligunt, atq; nihil de mandatis ſuis facere prætermittunt. Qui tales ſunt, totis veſtigiis ſequuntur dominum Ieſum, relinquunt ſua, exponunt ſe, crucem baiulant, & Euangelicę ſanctionis culmen conãtur attingere. Merito igitur in filiorum computantur numero, & in conſortio fidelium amicorum. Seruili namque timore depoſito libertatis ſpiritu, & cęleſtis affectu ſe induunt charitatis. Tales proculdubio erãt, quibus ipſe aiebat Mediator; Ioan. 15. Iam non dicam vos ſeruos, quia ſeruus neſcit, quid faciat dominus eius. Mundum contempſerant, & ea quæ in mundo ſunt, & carnis à ſe abdicauerant voluptates, vt amatores fierent Sapientię. In illius comparatione aurum velut arenam maris, prædia gemmarumque decorem tanquam lutum æſtimauerant platearum. Totis viribus vt placerent Chriſto, ipſius ſatagebant cuſtodire mandata. Anhelantes igitur ad perfectionis currere brauium: ſeq; totaliter Deo vouentes nequaquam ſerui debuerant nũcupari. Scimus nanq; carnales ſeruos affligi durè laboribus fatigari, crebris inuectionibus argui, attenuari fame, ſiti, frigore, ac nuditate, vapulare verberibus, cunctis ſubijci, illiſq; dominorum ſuorum ſecreta occultari. Abſit autem, vt vniuerſorum dominus inhumanitatis huiuſmodi officia inquemquam vel minimum ſuorũ exhibeat ſeruulorum. Quamuis autem idem dominus, quos diligit, varijs premat infirmitatib. doloribus, & preſſuris: quanquam perſecutionibus, tormentis, iniuriis, contumeliis, plagis, carceribus, exilio, rerumque direptionibus laceſſi permittat iniuſtè, tametſi innumeris tentationibus, milleq; modis diabolo ſuadente, impellente, fallente, vincente illos affici patiatur, non tamen vt opprimat, neq; vt propria quęrat commoda, quemadmodum temporales domini, agnoſcitur agere. Cuncta amicis Dei militãt ad perfectum, dicente Apoſtolo: Omnia cooperantur in bonum iis, qui ſecundum propoſitum Rom. 8. vocati ſunt ſancti. Non illos percutit, vt deſerat nec aduerſis exercet, vt odiẽdo interimat: ſed tanquam verus pater, vt erudiat, & emendet. Ipſum audi loquentem: Ego quos amo (inquit) arguo. Apoc. 3. Et Apoſtolus: Rom. 5. Quis enim filius, quem non corripit pater? Horum nempe tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò ſpem: ſpes autem non confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus eorum per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt eis. Hinc efficiuntur ſpe gaudentes, & in tribulatione patientes, quoniã non ſeruitutis ſpiritum acceperũt in timore, ſed ſpiritũ adoptionis filiorum, in quo af- Rom. 12. fectu & voce clamant: Abba pater. Rom. 8. Ipſe namque ſpiritus ſanctus teſtimonium reddit ſpiritui eorum, quòd ſicut ipſe Deus eſt pater ita filij vocitantur, & ſunt. Ibid. Vnde etiã verbi eruditione commoniti in ſuis quotidianis precibus audent ſine rubore dicere domino; Pater noſter, qui es in Matt. 6. cęlis. Vt filij agnoſcãt patrem, ipſe pater potius voluit nominari, quã dominus, & amari potius, quã timeri. Quiſq; pro libitu ſuus, vel ſeruus efficitur. Amoris legem indixit omnibus, vt ſe patrem oſtenderet, nõ dominũ. Amicitiarum fędera promulgauit, quum de dilectione mutua mandatũ inſtituit. Nempe nos adoptauit in filios, & tanquã amicos vult nos habere cariſſimos. Filius patrem diligit, amicus dilecti pręſentiã concupiſcit: ſeruus autem aſpectum iudicis perhorreſcit. Qui delinquit, timet ne puniatur: qui verò mãdatis obtemperat, de retributione ſecurus hilareſcit. Illos vtiq; non ſeruos, ſed filios, amicoſq; fideles eſſe fatebatur, quibus dicebat: Iam non dicam vos ſeruos. Fuerant quidẽ, Ioan. 15. ſed iam abluti erant, iam ſanctificati, iam in filios aſſumpti, iãq; in amicorũ numero copulati. 1. Cor. 6.

Adhæſerant ei amoris contubernio: vnde minimè ab illo ſeparari volebant: neque vllis ad- Luc. 22. uerſitatibus diuelli valuerant. Illis nanque perhibendo teſtimonium dixerat: Vos eſtis, qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis. Pro- Ibid. pterea tanquam filiis, & cohæredibus prædilectis diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi pater meus regnū, vt edatis & bibatis in regno meo, & ſedeatis ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Meritò quoque nūc audierunt: Vos autē dixi amicos; quia omnia quęcūque audiui à patre meo, nota feci vobis. Præſentibus loquebatur & ſecuturis fidelibus, atq; omnibus Eccleſiæ ſuæ membris huiuſcemodi Pſal. 18. eloquia charitatis. Eloquia domini eloquia caſta, & hoc ſalubre amoris verbum, ò quàm dulciter in auribus amantium ſonat, & quàm ſuauiter exultationis iubilo eorum mētis replet habitaculum. Magna prorſus illi facit, qui potens eſt, quem amicum nominat: cui etiam incerta Pſal. 50. & occulta ſapientiæ ſuę ſacramenta manifeſtat. Computreſcere vtique facit exactoris iugum a facie olei. Timoris diſſoluit vincula: tenebras fugat vitiorum, peccatorumque rubiginē in amoris conſumit incendio. Nempe de morte ad vitam translatus eſt: diem domini vidit, & gauiſus eſt. Vtinam mihi quoque contingat non iā amplius vocari ſeruus, ſed amicus, nec qualiſcūque, ſed verus, fideliſque. Quandiu enim venūdatus ſub peccato fui: quandiu temporaliū illecebris delectabar, quando operibus carnis operā dedi, & voluptatibus fræna laxaui: ſcio quod ſeruus eram, mortis filius, alienus à ſorte ſanctorum, & ab amicorum ſegregatus numero. Ignorabam dominum, vltricem flammam non verebar: meamq; miſerabilem ſeruitutem minimè abhorrebam. Ducebar vt captiuus pro libito dominantis tyranni: nec prece, nec precio me valebam redimere: tametſi conarer, vt fieret. Fruſtra deſudaui ſemper: donec matutina lux noctis meæ tenebras ſuo rutilanti ſplēdore deterſit. Tunc quid eram, vbi iacebam, quò ducebar, & a quo impellebar, apparuit mihi. Ad iſtiuſmodi mentis aſpectum cor elanguit, vires defecere, atque pauore indicibili contremue- Pſal. 39. runt omnia oſſa mea. Clamauique ad dominū, qui eduxerat me de lacu miſeriæ & de luto fecis. Statuetatque ſupra petram pedes meos, & greſſus meos direxerat in viā pacis. Quis (oro) tunc non exultaſſet mecum lætitia quadā inenarrabili pro exulis reuocatione, liberatione captiui, inuētione perditi, & mortui reſurrectio- Luc. 15. ne? Hinc veri paſtoris guſtatur ſententia, quæ ſuper vno peccatore pœnitentiam agente angelos gaudere teſtatur. Gaudent planè, non tamē minus pro benignitate miſerentis Dei, quā pro erectione pœnitentis ſerui. Iuſtificare nanque impium, nō humanæ virtutis, nec poteſtatis angelicæ, ſed ſolius omnipotentis Dei gratia dignatio eſt. Hāc ſibiipſi reſeruauit virtutē, nulli hanc communicauit gloriam, quatenus quicunq; gloriari volunt, tantum in ipſo domino glorietur. Iuſtificari itaque immeritus merui, & ad vnitatem fidelium reuocari. Accepi etiā tanquam filius ſtolam primam: veſtē videlicet nuptialem: in manibus annulum: calciamenta in pedibus, & vituli ſaginati ſuauē eſcam. Heu tamē cum mœrore nimio corā vniuerſa militantium triumphantiumq; congregatione profiteor nō cuſtodiſſe gratiam, neque ſeruaſſe innocentiā. Irritam quippe feci promiſſam fidē, & Dei mei quam gerebam, fœdaui imaginem. Amiſi decorem animæ, charitatis iura contempſi, & præceptorum munerum merita diſſipaui. Auerti me ab incommutabili & ſummo bono, creaturarū illectus dulcedine: nec intellexi hoc nefas eſſe coram domino. Ex hoc tremulum effectum eſt cor meum: mens præ dubietate pauida, & animus in cogitatione ſuſpenſus. Cōcutitur prorſus, quoties recogitat annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ: ſciens quòd irritauerit iram tuā, ò domine, & malum coram te fecerit. At verò poſt compunctionis iudiciariam diſcuſsionem quando dignaris ſeruuli tui viſere hoſpitium: reddereque illi lætitiam vultus tui concupitam diu, atque miſerationum tuarum reſerare fontem: quoties quoque eidem tranſactarum conſolationum dulcedinem reiterato aduentu infundis: toties reuiuiſcit ſpiritus, vires reparantur: ſpes penè collapſa erigitur, atque æternæ ſalutis arram ſe percepiſſe lætatur. Tua ſiquidem delectabili præſentia innouantur interiora omnia, & vox exultationis, amoris canticum, ſacrificium laudis, gratiarumque actionis ignita confeſsio in ipſo cordis tabernaculo dulciſona concrepat modulatione. Quanto exhilaretur tunc mens ſpirituali iubilo, quāta profluat charitate, ſola docet experiētia. Si propheta ſanctus, ſpiritus permotus impulſu, coram teſtamenti arca nudatus omniū filiorū Iſrael oculos nō erubuit, nec à plauſu manuū, cæterorumq; membrorum ſe valuit continere, vt iuxta poſsibilitatis ſuæ modulū dignas Deo exolueret laudes, quid fidelis anima, quid ſapientię humilis ſponſa in aduenientis verbi præſentia agere debeat, qui poteſt, excogitet. Id quoniam expertus fuerat, eundem arbitror expreſſiſſe, quum diceret: Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Pſal. 83. Sponſa ſimiliter in Canticorum canticis ſi ad vnam ſponſi vocem animam ſuam liquefactam eſſe teſtatur: in amplexu illius quid ſenſerit ſola: quid acceperit, nouit. Patefacere noluit amoris præludia, quum illum tenuiſſe gloriatur, dicens: Tenui eum, nec dimittam, ne donorum cœleſtium manifeſtatione videretur rea. Cant. 3. Fortè autē, quia nō

valuit.

valuit. Sunt etenim arcana quædā munera ſponſi, quæ omnino non licet percipienti loqui. Vnde Propheta ait: [Eſai. 24.] Secretum meum mihi: ſecretū meum mihi. Quamobrem ſicut detegere, quæ occultanda non ſunt, laudabile eſt, ita & improbum prodere, quod conticere debuit. Exultauit igitur Propheta coram domino: liquefacta eſt ſponſæ anima ad vocem ſponſi. Sed non minus illos exhilaratos fuiſſe piū eſt credere, [Ioan. 15.] quibus dicebat ſapientia: Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à patre, nota feci vobis. Itaque non ab re dixerim cupere me in amicorum conſortio ipſius æternæ ſapiētiæ nuncupari. Scio equidem, & verè ſcio maximas amicorum Chriſti eſſe delicias, omniumque præſentis vitæ delectabilium tranſcendere iucunditatem. Gratis vtique donantur, nō pro libito volentium, aut quærētium: Tribuit enim ſe, cui vult, & quē ipſe elegerit, dilectionis ſuæ connubio efficit dignum. Hoc planè autoritatibus ſcripturarum, & potiſſimè ex præſenti Saluatoris ſententia comprobatur. Quum enim dixiſſet: Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à patre, nota feci vobis: repente intulit: Vos non me elegiſtis, ſed ego elegi vos. Nempe ſi electionem Dei hominum præcederent merita, abſurda domini ſententia videretur. Fatendum eſt igitur nulla in electione Dei opera bona præcedere. Vt quiſque eligatur ad vitam, gratificetur ad veniam, & in vnitate perſiſtat, in Dei pendet arbitrio. Quem enim prædeſtinauit ad gloriam, per gratiam vocando iuſtificat. [Pſal. 58.] Vnde & cum Propheta dicit: Miſericordia eius præueniet me. Quæ (oro) in Iacob præceſſerunt merita, vt antequam egrederetur de vtero, cum Eſau fratre ſuo decertaret, & vinceret: Nondum ad lucem venerat, nil boni adhuc egerat, genitoribus ignotus erat, & tamen prioris germani plantam tenens futurorum præſagia figurabat. Qui agnoſcebat intus, & diligebat in ſe, atque prædeſtinauerat ad vitam, gratiæ ſuæ portenta monſtrabat. Porrò in electione Dei in iuniore gratia nihil inuentum eſt dignum, & tamen ore prophetico dominus teſtatus eſt, dicens: [Mal. 1.] Iacob dilexi: Eſau autem odio habui. Tanquam ſolus rex potens, & dominus dominantium in æterno ſolio gloriæ ſuæ reſidens cum tranquillitate iudicat vniuerſos. Diſcernit quidem merita. verū nullius omnino ſecernit perſonam. In æquitatis etenim cenſura diſponens omnia, nemini calumniam irrogat. Nam [Rom. 9.] cui vult, miſeretur: & quem voluerit, indurat. Iuxta igitur ſententiam Pauli: Non volentis, neque currentis, ſed miſerentis, eſt Dei prædeſtinationis electio. Tot hominum millia in Iudæa erant, quum ipſe dominus regnum Dei prædicaret, & tamen non quos hominum commendabat opinio, ad Apoſtolatus elegit apicem: ſed quos ipſe voluit. Nempe quos præſciendo prædeſtinauit, hos vocauit, iuſtificauit, glorificauit Quemadmodum autem in aula regia vaſa ſunt multa, quædam in honorem, quædam verò in cōtumeliam: ita & in Eccleſia Dei populus eſt multus: quorum alij ad gloriam: alij ad ſempiternum ſunt præſciti interitum. Nā qui ad gloriam prouehuntur, prius quàm fierent, prædeſtinati ſunt, eorum nullis præcedentibus meritis. Huic ſententiæ concordat Apoſtolus, inquiens: Qui elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, vt eſſemus ſancti, & immaculati [Ephe. 1] coram illo. Stabant Eccleſiæ paſtores in nauicula ſua, reficiebant retia, & audierunt præceptorem Chriſtum. Venite (ait) poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum. [Mat. 4.] Præter eorum vota fuit iſta promiſſio. Certè Matthæus ipſe publicanus & peccator erat: in theloneo ſedebat turpis lucri cauſa: dominum non agnoſcebat ſecularibus intentus negociis, & tamen audiuit: [Matt. 9.] Sequere me. Nemo horum talis ante conuerſionem extiterat, vt propriis meritis Apoſtolatus acquireret gratiam. Efficiente quidem prædeſtinatione Dei eandem adepti ſunt dignitatē. Apoſtolus etiam Paulus pontificatus ſui miniſterium commendans, ait: Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Chri- [1. Tim. 2.] ſtus Ieſus: qui dedit redemptionem ſemetipſū pro omnibus: cuius teſtimonium temporibus ſuis confirmatum eſt: in quo poſitus ſum ego prædicator & Apoſtolus. Veritatem dico, non mentior; doctor gentiū in fide & veritate. Vnde autem talem ſortitus ſit gradum, ne quis hoc ſuis aſcriberet meritis, ſed potius diuinæ gratiæ, ad Galatas ſcribens aperire dignatur, dicens: [Gal. 1.] Quum autem placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam, vt reuelaret filium ſuum in me, vt euangelizarem illum in gentibus, continuò non acquieui carni & ſanguini. Complacuit ei, & vocauit per gratiam ſuam, vt reuelaret (inquit) filium ſuum in me. Alibi quoque ait: Fiduciam talem habēmus per Chriſtum ad Deum, non quòd ſufficiē- [Ephe. 3.] tes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idōneos nos fecit miniſtros noui teſtamenti, non litera, ſed ſpiritu. Præclara igitur & irrefragabilis eſt mediatoris Chriſti ſententia, quæ ait: [Ioan. 15.] Vos nō me elegiſtis, ſed ego elegi vos. Elegi vtique tanquam gemmas precioſiſſimas cœleſtis Hieruſalem, non vt ſedeatis à ſeculi fragoribus remoti, aut contemplatione futurorum bonorum vacetis intenti: ſed prorſus vt eatis, & fructum afferatis. Eatis (inquit) verbum vitæ diſſeminando, & veritatis ſcientiam vbique prædicando. Sal quippe terræ vos eſtis, & per vos cæteri con- [Matt. 5.] diendi: eſtis & luminaria mundi ſapientiæ theſauros continentes. Nolo igitur vos latere ſub

modio,

medio, ſed lucere ſuper cãdelabrum, quatenus in Eccleſiæ atrium ingredientes per fidem me verum iuſtitiæ ſolem cernere valeant. Volo autem, vt eatis ſicut oues in medio luporum; non clypeo, vel armis carnalibus protecti: non propria virtute, aut humano auxilio fulti, ſed fide, ſed fortitudine: & afferatis fructum immarceſſibilem, incontaminatum, & ſanctum: ſalutem videlicet animarum infidelitate languentium: Seminauerunt quippe Prophetæ: aliique iuſti, qui fuerunt ante vos; ſed in labores eorum introiſtis. Meſſem multam congregabitis, & ad Eccleſiæ aream illam feretis manipulis alligatam. Manifeſtabitur ex hoc gloria mea: merces autem veſtra in immenſum augebitur. Fructus iſte, quem volo, vt afferatis, non erit temporalis, vt transeat, ſed ſpiritualis, vt maneat in æternum. Peccatoris quidem fructus nulla radice ſolidatus: nulloq; humore gratiæ madefactus, carnalium aſpectui ſummè placens, & terrena quęrentibus concupiſcibilis temporalis quum ſit, mox vt manu carpitur, exiccatur, & deficit. Vidi (inquit Propheta) impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani: tranſiui, & ecce non erat: quęſiui, & non eſt inuentus locus eius. In arena ſiquidem labentis ſeculi poſitus, quoniã ſine charitatis radice colauerat, diu ſtare non potuit. De huiuſmodi peccatoris fructu pſaltes egregius cecinit, dicens: Mane ſicut herba transeat: mane floreat, & trãſeat: veſpere decidat, induret, & areſcat. De iuſto autem quid? Iuſtus (inquit) vt palma florebit ſicut cedrus Libani multiplicabitur: plantatus in domo domini in atriis domus Dei noſtri. Alio etiam in loco ſic dicit: In memoria ęterna erit iuſtus: ab auditione mala nõ timebit. De ipſius autem operib. ait: Diſperſit, dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi: cornu eius exaltabitur in gloria. Manet vtique iuſtitia eius in ſeculum ſeculi: quoniam in cœlo præmiſſa fideliter cuſtoditur: vbi nec ærugo, nec tinea demolitur, neque fures effodiunt, & fruantur: vbi merces iuſtorum redditur cumulata ſine defraudatione & tabe. Meritò igitur cornu eius, operũ ſcilicet & orationum exaltabitur in gloria: quoniã incontaminatum fuit & humile. Vicisſim adminicula petierunt virtutis opus, & orationis deuotio. Sine oratione virtus infirma eſt, & oratio abſque virtute polluta. Quis itaque dabit mihi virtutum pennas ſicut columbæ? Volabo quidem per orationis ſtudium, & in contemplatione inenarrabilis boni ſuauiter requieſcam. Ibi nempe abſcondar ab aſpectibus hominum, & præſens ero verbo: Paſcar delicijs paradiſi, inter eo angelorum cœtibus, & ſponſi Chriſti fruar amplexibus. Non erit qui tunc exterreat me ex cubantibus cœleſtis patriæ ciuibus foris: intus autem reſidente verbo tanquam ſponſo in thalamo ſuo. Confido certè, quòd angelis ſuis mãdabit, & dicet: Adiuro vos, o filiæ Hieruſalem, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.

Pſal. 36.
Pſal. 89.
Pſal. 91.
Pſal. 111.
Ibid.
Matt. 6.
Cant. 3. 5. 8.

Quibus indicijs cordium ſecreta noſcuntur.
Cap. XI.

HAbent hoc proprium, qui amoris ſuccenſi ſunt flamma, vt diu latere non valeant. Eſt autem amor virtus quædam cordis valida & præceps, quæ occultari nequit. Nempe ex operibus quid quiſque diligat, comprobatur. Nam præ cæteris ardentius quæritur, quod ſpecialius concupiſcitur. Hoc in cogitationibus: hoc frequentius ſonat in verbis. Sunt nanque cogitationes cordis quædam ſpiritualia amoris germina: ex quibus quid diligat homo, quidve odio habeat, euidẽter agnoſcitur. Theſaurus vniuſcuiuſque proprius affectus eſt. Vbi autem theſaurus, ibi cordis eſt cogitatio. Cor verò quum hominibus occultum ſit, abſque indice intueri non poteſt. Duplici ſanè teſtimonio cordis patent adita, operum videlicet, & verborum. Operibus quiſque obtinere nititur, quod ardenter amat. Eſt autẽ os cordis oſtium: per quod egreditur, quod intus clauſum tenentur. Hoc dominus Ieſus ſua autoritate confirmat, dicens: Quę procedunt de ore, de corde exeunt: & ea coinquinant hominẽ. De theſauro igitur cordis ſui bonus homo bona profert eloquia. Qui autem ſermone incompoſitus eſt, eſt & cogitatione confuſus, ſenſu vacuus, pollutus corde, vagus affectũ, moribusq; indiſciplinatus. Nõ poteſt placere Deo, neque hominibus eſſe amabilis, qui oris ſui amiſſa cuſtodia effrænis eſt lingua. Aduerterat propheta ſanctus, quanta mala ex immoderata prodirẽt locutione, illaque declinaſſe teſtatur, quando ait: Poſui ori meo cuſtodiam, quum conſiſteret peccator aduerſum me: Obmutui, & humiliatus ſum, & ſilui à bonis. Quantum autem profecerit: quidve de ſuo ſilentio adeptus fuerit, indicare curauit, dicens: Et dolor meus renouatus eſt: Concaluit cor meum intra me: & in meditatione mea inardeſcet ignis. Obſtructo ſiquidem inutilium verborum meatu, incluſus amoris ignis cogitationes modificat, compũgit animum, fugat vitia, lacrymarum educit fontes, cuſtodit oſtia, ſectatur pacem, ſurſum cor erigit, Deoq; coniungit. Tunc compoſita proferũtur eloquia ſale condita, & conſideratione circumſpecta. Regula igitur bene loquẽdi eſt, vt prius diſcat quiſque tacere, quàm loqui. Nunquam ſciet fari, quod expedit, qui tacere ignorat. Cõgruus etenim diſcendæ ſapientiæ modus eſt, & ſalubre charitatis adminiculum eſt ſibiipſi indicere ſilentium. Qui autem effrenis eſt lingua, repellet ſapientiam, igne ſancto euacuabit cor, & pro-

Matt. 15.
Pſal. 38.
Pſal. 38.

& proximi dilectionem offendet iugiter. Obtrectationem non effugiet multiloquus, quæ fraternam conſueuit extinguere charitatem. Quis enumeret, quàm multa ex inordinato ſermone prorumpant flagitia? De ore quidem procedunt detractiones, contentiones, periuria, rixæ, blaſphemiæ, turpiloquia, vaniloquia, verba ſcurrilia, mendacia, agnitæ veritatis impugnatio, falſa teſtimonia, adulationes, clamores, cõtradictiones, & fraternæ charitatis impugnationes manifeſtæ. Qui Chriſtum poſsidet, in horũ aliquod ſponte minimè corruet. Pone (ait propheta) domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circunſtantiæ labiis meis: Neque declines cor meum in verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis. Eruditus corde, ſapientiæq; amator cohibendo linguam ſuſtinebit vſq; ad tempus: inſipiens autem ſine diſcretionis iudicio reſpondebit. Mediatoris exemplum verbo ſus ſtatuat ante ſe: vt illius magiſterio eruditus taceat. Vſque ad maturam ſiluit ætatem: quamuis poſſet ſine redargutione loqui. Vniuerſos quippe docere voluit, vt ſecum prius commorari diſcerent, & ſecreta Dei myſteria intelligerent, diuinam legem perficerent opere: Dei ac proximi charitate feruerent: ſicque demum linguæ ſuæ oſtia aperirent. Sana prorſus doctrina hæc eſt, vt duplici charitate ante homo inardeſcat intus, quàm ex locutione aſsidua exire aſſueſcat foràs. Qui tepeſcit corde, vaniloquus erit: qui verò dilectione igneſcit, charitatis telo audientium transfiget corda. Qualẽm liquorẽ continebit vas, talem haurientibus propinabit. Saluatoris noſtri mentis attende cellarium, illudque videbis diuino amore ſuccenſum: coruſcum lumine, ſapientia præditum, virtute perfuſum, & vehementiſsima proximi compaſsione repletum. Ex hoc ſi ipſius verba diſcutias, agnoſces ea pollere prudentia, ſacramentis eſſe grauida: ſupernæ veritati innixa, fide ſplendida documentis conſpicua, & flagrantiſsima charitate eſſe redolentia. Horum illectus amore iſta perſenſerat, qui dicebat: Ignitũ eloquium tuũ vehementer: & ſeruus tuus dilexit illud. Hinc eſt tam crebra in ſermonibus eius charitatis fraternæ repetitio. Præcipuè tamen in vltimo cœnæ eius conuiuio dilectionis mandatum reperies frequenter expreſſum. Porrò præcepti virtutem nouerat, qui charitatis legem tam iugiter inſtituebat. Sapientia erat, nolebat inuidere propterea nec celare voluit, per quod expeditius homo proficeret ad virtutem: augeret meritum: peccatum aboleret: acquireret gratiam, pertingeret ad coronam. Quamuis igitur ſemel bis, terque charitatis inſtituta imperaſſet, eadẽ tamen reiterare curauit, dicens: Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem. Mandatum quidem dedit magiſter ſapiens, hominumque amator:

Pſa. 140. — Pſal. 118. — Ioan. 15.

ad quod perficiendum ſuaderet ratio, impelleretque natura. Suadet non parum innata ratio, vt illum diligas, quem tibi vniuerſorum dominus præcipit diligendum. Nempe vt illum diligeres arctius tuum fidei ſuę fecit eſſe conſortẽ: per quam vnius corporis efficeremini membra: ſacramentorum participes, & cœleſtis regni cõciues perpetui. An non diliges eum, cum quo in cęlorum palatio debes ſine fine lętari? Ipſum decet vt diligas ſicut te, qui eundem habet patrem, quem tu, formam ſimilem, non diſparem imaginem, & gratiam æqualem. Suadet quoq; ratio, vt non minus diligas, quàm velis diligi. Amari vis? ama & tu: cupis vt tibi impendantur humanitatis beneficia? eadem tu rependere ſtude: alioquin tu inhumanus eris: ingratitudinis reus: & diuinę legis tranſgreſſor. Latorem legis quid dixerit, audi: Quæcunque (inquit) vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter. Conuincit te lex; ſi non diligis. Hortatur ratio, vt diligas, natura te inſtruit, vt tibi ſimilẽ tanquam te diligere concupiſcas. Brutorũ omnium, piſciũ, quadrupedum, volucrum, ſerpentuim, atq; reptilium natura eſt, vt ſpeciẽ ſuã quiſque amet, ſimul gradiantur, paſcantur, cubent, copulenturque. Vnde (oro) in humana ſpecie iurgia, odia, lites, diſſenſiones, furta, homicidia: & cætera ex orta ſunt crudelitatis opera? Prorſus ex naturæ de ordinatione, ex lege peccati, ex ſuggeſtione diaboli, ex obligatione delicti. Vitijs etenim quiſque deditus: quemadmodum cõditoris legem contemnit, ita naturalium bonorum diſsipator exiſtit. Legis quippe diuinæ cuſtodia naturæ decus eſt, naturalium donorũ additamentum charitatis ſpeculum, iuſtitię forma, brauium virtutum, perfectionis ſemita, mẽtis gaudium, compago vnitatis, dilectionis regula, cœlorum ianua, meritorum officina, pediſſequa fidei, ſpei anchora, religionis cultus, diuinitatis honor, renouatio hominis, angelorum lætitia, cordis delicię, diuitiæ ſpirituales, electorum magiſterium, ſeculi cuſtos, totiusque ornamentum vniuerſi. Cuncta naturæ opera ſe ſub omnipotentis Dei lege concordant. Da quempiam in omnibus obtemperantem legi, & nullum in eo reperies contradictionis ſcandalum. Quod enim homini aduerſatur in homine, de peccati radice procedit. Tolle peccatum, & naturæ gratiam recognoſces. Nil ante peccatum homini repugnabat. Illi famulabantur cuncta, ſecum habebat pacem: Dei fruebatur amicitia, atque animantium terrę poſsidebat imperium. At vbi peccatum viguit, poſtquam peccati inoleuit lex, facta eſt manifeſta in vniuerſo mundo diſſenſio, quæ de peccato ad peccati pęnam eueniſſe cognoſcitur. Ex originalis igitur cauſa delicti tenebrarum princeps ſuum in mundo dilatauit imperium: ſolis tantummodo diuinæ legis

Matt. 7.

legis

legis præuaricatoribus præſidens: quoniam in iuſtorum ſede coæterna Deo præſideant ſapiẽtia. Hinc liuore ſuccenſus inimicatur eiſdẽ. Ex ſola cœleſtium præceptorũ obedientia nefandiſsimus hoſtis agnoſcit quemque ſuam euadere poſſe tyrannidem. Quamobrem vt quemlibet perſenſerit iuſtitiæ ſemitas aggredi velle, diro tentationum certamine eundem conatur appetere. Paret igitur ſe ad perferendas huius hoſtis inſidias, quiſquis diuinæ legi voluerit eſſe ſubiectus. Meminerit Sapientem dixiſſe: (Eccle. 2.) Fili accedens ad ſeruitutem Dei, ſta in iuſtitia & timore: & præpara animam tuam ad tẽtationes. Hoc ipſum dominus Ieſus inſinuauit ſuis diſcipulis in conuiuio loquens. (Ioan. 15.) Cum enim dixiſset: Hæc mãdo vobis, vt diligatis inuicem, mox intulit: Si mundus vos odit, ſcitote, quia me priorem vobis odio habuit. Nouerat vniuerſos per ſequutiones varias eſse paſsuros, qui piè in ipſo viuere cuperent. Præmonebat vtique milites ſuos ad perſequutionum tolerantiam, ne imparati ad certamen accederent. Sciebat quippe ſemper iuſtis bella ab humani generis aduerſario commoueri, quę nedum aduerſus homines qui viſibiliter infeſtantur, verumetiam contra hominum conditorẽ concitari noſcuntur: non tamẽ vt inuicibilis debelletur: ſed vt ipſius gloria in hominibus denigretur. Bacchatur itaque aduerſum iuſtos, per quos vtcunq; diuina perficitus laus: quatenus ex laudantium perditione magnificentiam diminuat laudati. Ad iniuriam quidem ſuam aſcribit ſuſceptam pro cordis elatione vindictam. Inſequitur ergo in ſeruis dominum, in fidelibus Chriſtum, in profeſſoribus veritatis coęternam Deo ipſam vnicã veritatem. Huic ab ſuæ creationis exordio aduerſatus eſt. Propterea in eo veritas non eſt, quia in illa diu ſtare non valuit. Confunditur autem in ſui reatus opprobrium, quum in carne paſsibili hominem intuetur in tot mundi diſcrimina conditoris obedientiam cuſtodire, quam in cœlo poſitus ipſe ſeruare neglexit. Implacabili etiam liuore tabeſcit, quoties illuc homines aſcendere conſpicit, vnde turpiter ipſe ſuperbiendo deſcendit. Iuſtorum igitur profectibus inuidens, eorum aſcenſus ad gloriam impedire conatur. Hinc tentationum immittit iacula, hinc deceptionũ parat inſidias: hinc perſecutionum commouet bella: hinc tribulationũ exaggerat mala. Nempe quotquot viderit ſuis operibus aduerſari, nunc per ſe, nunc per ſuos, mundi videlicet amatores inſequitur. Sunt nanque peccatores, & pereuntis ſeculi dilectores diaboli membra, ſicut iuſti ſunt Chriſti. Nõ igitur permittit mundus tanquam diaboli corpus iuſtos pacificè viuere penes ſe. Quantum valet illos opprimere ſtudet, vt ab eis conditoris auferat gratiam. Elatus quippe humilem, pacificum inquietus, iracundus manſuetum, immitis miſericordem, ſanctificatum iniuſtus, pollutus & noxius pudicum atque innocentem inimica æmulatione laceſsit. Hoc etenim diſsidẽtiæ & liuoris ſeminarium: ex quo homines in terra eſſe cęperunt, inimico diabolo ſuggerente initium habuit. Porrò veridica cõprobatur Sapientis eſſe (Sap. 2.) ſentẽtia, quæ ait: Inuidia diaboli introiuit mors in orbem terrarũ: imitantur autem illũ, qui ſunt ex parte illius. Hoc in Caym & Abel: in Noè & Cham: in Iſaac & Iſmael: in Eſau & Iacob: in Ioſeph & fratribus: in Moſe & Chore: in Dauid & Saule: in Daniele & Chaldæis: in tribus pueris & impio Rege, in Prophetis cæteris & Hebręorũ populo, de quibus dicit Dominus, (Mat. 23.) Hieruſalẽ, Hieruſalẽ, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſsi ſunt, aſſertione euidentiſsima declaratur. Non igitur miremini vos, ò fideles mei Diſcipuli, & amici mei chariſsimi, ſi mũdus vos odit, quia me priorem vobis odio habuit. Me in membris meis ſemper inſecutus eſt, in ſanctis meis me ſemper abolere curauit. Redargutus quidem à lumine veritatis, atque ſapientiæ claritate percuſſus, dum fraudis ſuæ venena, ac vitiorum tenebras occultare non valuit, veritatem ipſam debellare inchoauit. (Ioan. 3.) Sic omnis, qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Non autem ſic, qui facit veritatem. Sine rubore quippe ac ſimulatione aliqua ad lucem venit, vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo ſunt facta. Quoniam igitur veritatem facitis, veritatem diligitis, veritatiſque diſcipuli effecti eſtis, mundus vos odit, ſicut & me. (Ioan. 15.) Nam ſi de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum erat, diligeret. Diligeret (inquam) non amore delectabili, vtili, vel honeſto, ſed corrupto, peruerſo, & omnino damnabili. Priuato vos amaret affectu, tanquam teſtes ſuos, & innocentium deceptores. Nunc autem, quia de mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Eratis aliquando de mundo, mundi ſectantes illecebras, carnis deſideria facientes in concupiſcẽtiis veſtris, amantes temporalia & caduca, alieni à conſortio iuſtorum, delictorum tenebris circunſepti, & à regno cœlorum prorſus extranei. Dum tales eratis, diligebat vos mundus, vt ſecum vos ad æternum interitum duceret. Quoniam verò ego de mundo elegi vos, non meritis veſtris, aut ex operibus iuſtitiæ, quas feciſtis, ſed gratia mea, & voluntate mea libera, propterea odit vos mundus. Nullus profectò electorum tale odium ſibi ad iniuriam debet aſcribere; quum de virtutum radice prodeat. Virtuti nanque ſemper inimicantur vitia. Vitiorũ autem Diabolus incentor & amator eſt. His quũ ſit plenus, ac eorum infatigabiliter ſectetur opera, quotidie magis magiſque in elatione tumeſcit.

Pſal. 73. ſcit. Superbia(inquit propheta) eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper. Hinc eſt, quòd iniquitatis venenũ, atque inueteratæ maliciæ corruptionem, quã gerit in ſe, in quibus valet, diſſeminare conatur, vt diſperdat gratiam, euertet ſẽſũ, naturã fœdet, aboleat iuſtitiã, lumẽ auferat, & extinguat charitatem. His de cauſis rentationes ſuggerit, diſcordias concitat, mundique odium aduerſus iuſtorum vitam prouocat, & accendit. Huiuſcemodi tamen odium teſtimoniũ ſanctitatis eſt, virtutis decor; innocentiæ præco, pediſſequus gratiæ, bonorum morum denũciator, & rationabile argumentum prædeſtinationis æternæ. Gaudeat igitur, quem mundus perſequitur, malorum lingua dilaniat, bella fatigant vitiorum, & Diaboli exercet nequitia, atque ſeruata iuſtitia mundi preſſura non deſerit. Nam quemadmodũ nõ valet iuſtos diligere ſic non poteſt mundus ſuos nõ amare fauores. Eſt autem amor iſte pernicioſus, & Deo aduerſus, atque odioſus, Iacob. 4. dicente Iacobo, Qui enim amicus voluerit fieri mundi huius, inimicus Dei conſtituetur. Vnde alio in loco diſcipulos ſuos horrabatur, ſic, Nolite(inquit) diligere mundũ, neque ea quæ in mundo ſunt. Si quis autem diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo, Eſt ergo mundi amicitia deteſtabilis, ſicut honorabilis illa Dei. Quis bonus & prudens malorum, atque inſipientium non euitabit cõſortia? Quis ſobrius ac pudicus ebrioſorum, & incontinentium non erubeſcet ſocietatem? 1. Ioan. 5. Hic mundus in maligno totus eſt poſitus. Fornicationes, comeſſationes, ebrietates, furta, rapinas, vſuras, fraudes, inuidias, rixas, ſectas, odia, homicidia, contentiones, lites, iurgia, teſtimonia falſa, ſacrilegia, oppreſsiones, detractiones, ſtupra, inceſtus, adultera, veneficia, animoſitates, æmulationes, elationes, & multa alia huiuſmodi flagitia quis enumerare ſufficiat? Talis eſt mundus iſte, vt non niſi ab inſipientibus diligatur. Quicunque gratię cœleſtis ſplendore ſunt prędicti, illius blandas deſpiciunt voluptates. Qui autem pro conſuetudine ad diſcretionem boni & mali exercitatos habent ſenſus, plurimum in eiuſdem, Matt. 5. perſequutione proficiunt. Sibi Dominum dixiſſe cognoſcunt, Beati eritis, quum maledixerint vobis homines, & perſequuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos, mentiẽtes propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Illos igitur ſolos, qui ignorant Deum, & futura non pręuident, decipit mundus. Aureo etenim eos inebrians calice, variis donis, pollicitationibuſque deludens ad ſempiternum trahit exitium. Spondet multa, & exigua tribuit. Auertit quidẽ corã veritatis ſemita, illudque odibile reddit altiſsimo. Non enim Deo placere poteſt, qui diuina contempta lege, ſola, quę mundi ſunt, appetit. Bini nanque affectus viciſsim oppoſiti in vno nequeunt corde ſubſiſtere. Chriſtianæ religionis affectus de dulcedine prodeunt charitatis, mundi autem de carnis voluptate, ſcaturiunt. De charitatis origine, ſic ait Apoſtolus, Charitas(inquit) Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. Roma. 5. De mundi verò concupiſcentia legitur, Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, 1. Io. 2. & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, quæ non eſt ex Patre, ſed ex mundo eſt. In vnũ conuenire nequeunt charitas & voluptas. Quę participatio lucis ad tenebras: quæ conuentio Chriſti ad Belial? 2. Cor. 6. quæ ſocietas carnis & ſpiritus, quorum diuerſa ſunt germina? Nempe Galat. 5. carnis opera manifeſta ſunt, videlicet fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, & ſimilia horũ millia, quę ſuperius memorata ſunt. Fructus autẽ, qui de ſpiritus vbertate germinant, ſunt charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Porrò carnaliter viuentes, carnis ſequũtur deſideria. Quis autem Chriſto charitate copulati ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis. Ibid. Charitatis igitur ęmulator, carnis ac mundi renunciet voluptatibus, ſi illã in penetralibus ſuis poſsidere deſiderat. Concupiſcentiarum verò amaror, charitatis aſpectum tanquam oppoſitum ſibi ferre non pręualet. Sanè vbi intrat charitas, voluptas fugit, veluti, à ſolis ęterni reuerberata fulgoribus, & tanquam à facie ſpiritualis gladij lethaliter transfixa. Eſt quidẽ charitas Chriſti gladius cęleſtis, qui carnis, animæque confœderationem noxiam diuidit, & emollit, rixas commouet, & pacificos perturbat hoſtes. Pugnare facit, vt virtutis trophæum reportet ſpiritus, atq; naturalem carnis ſibi vendicet dominatum, nec non & recto tramite ſupernæ fęlicitatis pergat ad locum. Cælũ rationalis ſpiritus patria eſt, carnis autem domicilium viſibilis mũdus hic eſſe cognoſcitur. Amborum quilibet propriæ ciuitatis nutritur affectibus. Qualem in Deum debeat habere fiduciã qui in ſpiritu ambulat, dum ſe deſpici, atq; odio haberi à mũdo perſenſerit, facilè percipit. Mundus quippe, quem inſequitur, diligere neſcit. Illum planè mundus conatur euertere, quem diligit Chriſtus. Ex charitatis autem dono Chriſti dilectio comprobatur. Quem verò ſuo amore Chriſtus efficit dignum, de mũdo ſegregat, mundique permittit tolerare flagella. Nempe ex tali odio cordis reſultat gaudium, mentis hutritur fiducia, coaleſcit charitas, roboratur virtus, ſempiternaq; beatitudo donatur. Beati (inquit Dominus) qui perſequutionem patiuntur Matth. 5. propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnũ cęlorum. Magnus profectò beatitudinis eſt cumulus

mulus

Digitized by Google

mulus eorum, qui mundi perſequutiones pro Chriſto percipiunt. Non tamen minor eſt gloria Chriſti paſsionibus conformari. Communi- 2.Petr.4. cantes (inquit Petrus) Chriſti paſsionibus gaudete, vt in reuelatione eius gloriæ gaudeatis exultantes. Et ſi exprobramini pro nomine Chriſti, beati eſtis, quoniam quod eſt honoris, gloriæ, & virtutis Dei & qui eſt eius ſpiritus, ſuper vos requieſcit. Vtriuſque lætitiæ ingens eſt cauſa & perſequi pro Chriſto, & conformari Chriſto. De perſecutione quidem merces, & de conformitate prouenit honor. Nemo igitur ſeruorum Chriſti ſibi aſcribat ad dedecus, ſi eaſdem, quas Dominus, perferat contumelias. Non decet omnino, nõ decet Chriſtianum opprobriorum Chriſti eſſe exortem, vt quemadmodum in futuro illius feſtinat ad gloriam, ita in præſentiarum eiuſdem paſsione participet.

Quòd ex comparatione perfectionis Chriſti clara ſanctorum decoloretur virtus. Cap. XII.

IMbecillitatis humanæ hoc ſemper eſt proprium erudiri exemplis. Sicut enim iacet per ſe, ita aliena virtute erigitur. Hinc eſt, quòd ab ipſo mundi exordio ſemper ſanctorũ propalata eſt virtus. Porrò Abel innocentia, iuſtitia Noë, Abraham hoſpitalitas, ſimplicitas Iſaac, longanimitas Iacob, Ioſeph pudicitia, mãſuetudo Moſis, Samuelis pietas, Dauidque humilitas diuino commendatur eloquio. Temporum itaque labente curriculo, & generationibus ſibi inuicem ſuccedentibus nunquàm in eccleſiæ firmamento ſtellarum defluit claritas, quæ ſeculi huius non fulgeret in tenebris. Splẽdorem quippe in ſuis dedere cuſtodiis, & luxerunt illi cum iucunditate, qui fecit eos, atq; gratiæ ſuæ candorem virtutum miniſterio ſedentibus in opaca vitiorum regione oſtendere curauerunt. Nam quidem priuata laude cõtempta, tota animi intentione conditoris laudem quæſiuerunt. Lumine quippe ſuo vtcunque fulgentes futurum veri ſolis aduentum hominibus præmonſtrabant. Quot virtutibus inſignitæ erant, tot ſpiritualis lucis fulgoribus rutilabant. In ipſis enim tanquam in mũdo ſpeculo illius lucis claritas apparebat, de qua in Sapientiæ libro ſic Sap.7. legitur, Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula, ſplendor diuinæ maieſtatis, & Ioan.1. imago bonitatis illius. Quandiu verò lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientẽ in hunc mundum, venire diſtulit, delectabilis & clara videbatur ſtellarũ lux. At vbi lux ipſa mũdi placidiſsimo ortu ſuo diuinitatis radios diffudit in orbem, ſtellarum ſplendor palleſcere inchoauit. Hinc præcedentium patrum eccleſia in Canticis Canticorum, ait Nolite me conſi- Cant.1. derare, quòd fuſca ſim, quia decolorauit me ſol. Peramplius nanque & perfectius virtutes, quæ fuerunt in patribus, emicuerunt in Domino, qui legalem iuſtitiam Euangelica perfectione compleuit. Quemadmodum igitur ſolis claritas ſtellarum ſplendorem excedit, ita ſanctorum omnium redemptoris gratia ſupereminet ſanctitati. Corpori etiam ſuo in membris ſingulis locupletem largitus eſt gratiam, ita vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi. Totus quoq; in capite & in corpore Chriſtus, qui chariſmatum omnium continuit plenitudinem. Se propterea voluit transformare in ſingulos, vt charitatis compagine ſingulos reformaret in ſe, cõformaretq; ſibi. Quamobrem ſicut dolor capitis aſcribendus eſt membris, ſic membrorum virtutes referendæ ſunt capiti. Nempè qui de virtute gloriatur, glorietur in capite, & ſi quis dolet ex membris, viriliter patiendo ſe conſoletur in capite. In proprijs quiſque contumelijs iniuriarum Chriſti ſit memor. Mulceſcet vtique dolor, & amaritudo dulceſcet, ſi mediatoris paſsionibus coaptetur. Diſces planè non dolere, qui pateris, ſi Domini tui Chriſti erudieris exẽplo. Ipſum audi, quid dicat. Mementote (inquit) ſermonis, quẽ ego dixi vobis. Non eſt ſeruus maior Domino ſuo. Nõ eſt vnde queraris, Ioan.15. ſi opprimaris à ſeculo, dum eadem ipſum perpeſſum fuiſſe cognoueris. Eſſe ne vis Domino iuſtior? An fortè arbitraris te in pace tua poſſe quieſcere, quum præter omne iudicium æquitatis aſpicias Dominum Ieſum à mundi amatoribus multipliciter fatigatum? Ille innocens, impollutus, iuſtus, pius, & ſanctus patienter ſuſtinet, quod non debet, & tu quum noxius, impudicus, impius, crudelis ſis, & mendax, ſi quid patiaris aduerſi, murmuras, & exclamas? Magnipẽde (oro) quæ pateris, duntaxat non vt fur, aut crimi[n]oſus, & malus. Iucundare, & gaude, ſi cũ Domino, & pro Domino tribularis. Mũdi odiũ tibi aſcribere debes ad gloriam. Nempe dum pateris, te Chriſti membrum eſſe oſtendit, atq; in ipſius viuere corpore. Fecit ſe ſicut te, vt te faceret ſicut ſe. In eodem prorſus eſt corpore, in quo tu, aliter tamen quàm tu. Tu tanquã corporis membrum, ille tanquam corporis vita. Sine te corpus vegetatur, & manet, abſque Chriſto autem minimè corpus eccleſiæ viuit. Viuit vtique eccleſię corpus de ſpiritu Chriſti, viuit per Verbũ vitæ. Viuificat ipſe Chriſtus totum corpus, viuificat ſingula membra. Sublimantur quidem in corpore membra, ſublimatur autem corpus in capite. Defluit capitis honor in mẽbra, & membris communicat quod habet. Sicque compactum eſt caput & corpus, corpus & membra in vnitate ſpiritus, & vinculo charitatis, vt quod patitur corpus, patiatur & caput, & quum honoratur caput, honorentur & mẽbra. Maximum myſterium hoc Chriſti & eccleſiæ, 1.Tim.3. indiſſolubiliſque connexio capitis & membrorum. Et manifeſtè magnum eſt pietatis ſacra-

men-

mentum, quod manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt Gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria. Capitis ſuper hoc ſentẽtiam audi, & quid de ſe, ſuorumque compage

Ioan. 15. membrorum teſtetur, aduerte. Si me (inquit) perſecuti ſunt, & vos perſequentur, ſi ſermonẽ meum ſeruauerunt, & veſtrum ſeruabunt. Seruabunt (inquam) ſermonem veſtrum, non propter vos, ſed propter me, quia ſeruauerũt meũ. Nemo planè Apoſtolorum apoſtolicorumq; virorũ ſermones cuſtodit & perficit, niſi prius Chriſtum in ſe loquentem audiat. Loquitur intus Chriſtus, loquitur Sapientia ad humanũ cor, illudque erudit, vt docẽtium ſermones intelligat. Niſi audientis cor imbuerit Sapientia, fruſtra doctoris lingua verba diſſeminat. Reſerat quippe audientium corda, & in ore loquẽtium componit eloquia.

Pſal. 80. Aperi (ait ad prophetam) os tuum, & implebo illud. Quis arbitretur ſe abſque magiſterio Sapientiæ poſſe vtiliter verba proferre? Spiritus Sapientiæ habitans in homine per hominem myſteria loquitur. Non igitur audio Paulum propter Paulum, neq; credo Paulo, quia Paulus, nec homini obtempero propter hominem, ſed homini propter Chriſtũ obedio, credo Paulo tanquam Chriſti ſeruo, & audio Chriſtum loquentem per Paulum, & manentem in Paulo. Quid ipſe de ſe loquatur, at-

2. Cor. 13. tende. An experimentũ (inquit) quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus? Quamobrem prędicantium ideo ſeruantur eloquia, quia Chriſtum annunciant, atque in ipſis habitans loqui-

Lucæ 10. tur Sapientia. Sic ait ipſa Sapientia, Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit. Nõ igitur ſe veritatis annunciator extollat, quum ea, quæ profert, gratanter aure percipiuntur, opereque complentur. Veritas ipſa eſt, quę in diſcipulis, & per diſcipulos operatur ſuos. Prius enim placet in corde, & coaleſcit in mẽte, deinde foris in actione perficitur. Nunquam veritatis iuſſa ſeruarentur in opere, niſi antè ipſa fulgendo placeret in corde. Propterea quem delectat veritas, virtutis opera placent, illam quærit in ſe, alijſque cõmunicat, quibus verò odioſa eſt, virtus etiam diſplicet. De ea non valent loqui, audire non poſſunt, nec delictorum illius queunt ſuſtinere præſentiam, ideo tanquam ſibi auerſos perſequuntur eoſdem. Vocem veri-

Ioan. 15. tatis auſculta. Si me (inquit) perſecuti ſunt, & vos perſequentur. Omnis quidem malus, inquantũ malus, & quandiu malus, bonitatem pariter & veritatem perſequitur. Vtrunq; Deus eſt, ſicut bonus, ita & verax eſt. Quàm bonus ſit, magiſtrum veritatis audi. Quid me (inquit

Marc. 10. interroganti ſe) dicis bone. Nemo bonus, niſi ſolus Deus. Verbum Dei veritati teſtimonium

Ioan. 14. perlibens audire vis? Ego (inquit) ſum via, ve-

ritas & vita. Ad Patrẽ quoq; ait, Sermo tuus veritas eſt. Ioan. 17.

Hoc ide propheta teſtatur, dicens, Bonus es tu, & in bonitate tua doce me iuſtificationes tuas. Pſal. 118. Ibidem.

De veritate autẽ ſic, principiũ verborum tuorum veritas, in ętenũ omnia iudicia iuſtitiæ tuæ. Vnico autẽ verbo vtrunq; ſapiens complectitur, inquiens. Eccle. 5. Altiſsimus eſt omnipotens, patiẽs, & redditor. Cur verò iuſti omnes, qui membra ſunt Chriſti, & profeſſores veritatis, à mundi amatoribus perſecutiones perferãt ipſe Dominus declarans, ait, Ioan. 15. Sed hæc omnia facient vobis, quia neſciũt eũ, qui miſit me. Quis etenim Dominum Chriſtum, ſuoſq; diſcipulos auderet perſequi, ſi ipſius diuinitatem agnoſceret? Nemo illi contradiceret, nulluſq; eius verba negligeret, neq; quẽquam ſeruorum ipſius vel vltimũ præſumeret tãgere, ſi qualis ſit, quantuſq;, mente intelligeret. Quis (oro) quamuis temerarius, quãuis robuſtus corpore, cuiuſpiã principis eodem præſente paruipẽdendo derogaret imperio? Aut quis inermis armato bellatori irrogaret iniurias? Si infirmus homo & impotẽs, aduerſus potentẽ belligerum, iratũq; tyrannũ inſurgere non præſumeret, præſumet cõtra Deũ? Vnde verò proterua inobediẽtia hominis erga Deũ cauſetur, ex ſola ignorantia arbitror euenire. Ignorant prorſus mortales voluntariè delinquentes, ęterni Dei maieſtatem tremendam, inſuperabilem virtutem, colendam bonitatem, iuſtitiam inflexibilem, amplectendam gloriam, longanimitatem honorandam, incomparabilem pietatem, iudiciorum inſcrutabilem veritatem, charitatem ſummam, deſiderabilem pulchritudinem, venerabilem vbiq́ue præſentiam, ſapientiamq́ue ipſius totis viſceribus diligendam. Quoniam verò ignorantiæ atque infidelitatis obuoluti caligine abſque diuinitatis guſtu perſiſtunt, ideo ſanctam contemnunt legem, terrenis inhiant, malis operibus vacant, diuinis contradicunt eloquiis, & immaculatam Chriſti ſponſam in membris ſuis perſequuntur eccleſiam. Nunquam igitur ex quo iuſti ſuper terram tribulari cęperunt, Chriſti defuit perſecutio. In Abel quippe occiſus, & in Noè illuſus agnoſcitur. Quid multis immorer? Quandiu iuſtitia perſecuta eſt, quandocunque exoſa eſt bonitas, in myſterio corporis ſui perſecutus eſt Chriſtus. Chriſtus Ieſus (in- Hebr. 13. quit Apoſtolus) heri & hodie, ipſe & in ſecula. Sacramentũ hoc magnum eſt, ad quod videlicet inſinuandũ myſtica locutione, quũ iudicabit orbẽ terrarũ in æquitate, & populos in iudicio, dicturus eſt Dominus, Eſuriui, & dediſtis Matth. 25. mihi manducare; ſitiui, & dediſtis mihi bibere; hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me; nudus, & cooperuiſtis me. Quibus hęc dicet? Vniuerſis vtiq; iuſtis, qui miſericordię opera perfecerũt. Atq; vt ſciremus cũcta hęc humanitatis officia Chriſtũ ſuſce

piſſe in ſe,cōcludit, dicēs,Quādiu vni ex mini-
Ibidem. mis meis feciſtis,mihi feciſtis. O largitas Dei, ô diuina clementia,ô immenſa pietas, & compago indiſſolubilis charitatis. Cœlorum fabricator,Angelorum Rex,Archāgelorum Dominus,Sanctorum gloria,vniuerſorum conditor, omniumque beatorum lætitia ſempiterna dignatur in famelico ſaturari, in ſitiente potari, ſuſcipi in peregrino, in nudo veſtiri, viſitari in languido, in compedito conſolari, ſepeliri in mortuo. Hęc ſunt vnitatis,pietatis,humanitatiſque pia teſtimonia Domini Ieſu, qui antequam in carne naſceretur, voluit paſci, antequam loqueretur, voluit pati, antequam corporaliter cerneretur, voluit agnoſci. Exultauit quidem Abraham lōgæuus,ſanctus,& pius, vt videret diem eius. Vidit,& gauiſus eſt. Et
Ioan. 8. hoc vnde? Vtique ex myſterio & ſacramento Chriſti & eccleſiæ. Nunquam ab exordio propagationis humanæ, ac deinceps ſicut eſſe non deſiit eccleſia,ſic neque Chriſtus.Ipſum audi.
Ibidem. Antequam Abraham (inquit) fieret,ego ſum. Omnes itaque iuſti, qui corpori Chriſti vſq; in finem ſeculi in terra peregrinanti miniſtrauerint,mercedem conſequentur æternam,iniuſti autem pro illatis contumeliis, pœnas luent perpetuas. Aequa lance retribuetur ſingulis. Iuxta cuiuſque opera condigna recompenſabuntur præmia. Nullius ſecernetur perſona, non genus,non dignitas,non fortuna.Ille Deo erit vicinior,qui fuerit in charitate feruentior,corde humilior,atque virtutibus locupletior. At qui in malitia extiterit nequior,in exequendis mādatis tardior,in diuina laude tepidior, ille in æterna calamitate fiet miſerior. Quid tunc potentes in ſeculo & auari,qui confidunt nunc in
Pſal. 48. virtute ſua, & in multitudine diuitiarum ſuarum gloriātur? quid aſtuti in ſermone, & in innocentum circumuentione callidi: quid voluptuoſi & ſeculi proſperitatibus dediti, acturi ſunt? Quid vel ipſi Iudæi, qui Chriſtum in capite & in membris occiderunt,dicturi ſunt? Nēpe ipſi videbunt, in quem transfixerunt. Vide-
Ioan 19. bunt corporis cicatrices, videbunt in manibus & pedibus loca clauorum, videbunt paſsionis Chriſti inſignia, ſuæ videlicet iniquitatis præclara teſtimonia. Quem enim noluerunt agnoſcere redemptorem,iratum aſpicient iudicem, Illis quippe miſſus eſt Chriſtus, ſicut idem ait,
Matt. 15. dicens,Non ſum miſſus niſi ad oues,quæ perierunt domus Iſrael. Quoniam verò ipſum recipere neglexerunt,præ cæteris deliquerunt grauius. Suis etenim exigentibus culpis caligauerunt, in lumine pro munere deteriorauerunt, magiſque obduruerunt pro exhibita charitate. Abutentes nanque bono, quod ad bonum illis præſtitum fuerat, in ſenſum reprobum deciderunt. Bonus venit ad malos, vt faceret bonos,bonumque tribueret. Mali verò bonum hoc malè tractantes bonum ſibi conuerterunt in malum, bono nihilominus in propria ſubſiſtente bonitate. Hos per prophetam dutè redarguens Dominus ait, Filios enutriui & exaltaui,ipſi autem ſpreuerunt me. Cognouit bos Eſa. 1.
poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, Iſrael autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Væh genti peccatrici, populo graui iniquitate, ſemini nequam, filiis ſceleratis, Dereliquerunt Dominum, blaſphemauerunt ſanctum Iſraelem, alienati ſunt retrorſum. Retrorſum vtique alienati ſunt,quoniam ſanctum Iſraelem, qui ſalutem eorū operabatur in medio terræ, blaſphemantes agnoſcere noluerunt. Vnde ſceleris ſui inexcuſabiles facti ſunt,dum non ignoranter,ſed per malitiam peccauere. Hanc verò ſententiam ipſe Dominus Ieſus autoritate ſua cōfirmat, dicēs,
Si non veniſſem,& locutus eis non fuiſſem peccatum non haberent. Nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo. Cur autem excuſationem de peccato ſuo non habeant Iudæi, ad quos miſſus es, & ad quos redimendos veniſti, dic nobis,ô Domine, nobiſque enarra,ô æterna Sapientia, quatenus occaſione ipſorum nos erudiamur abs te, qui credendo ſuſcepimus te, eorumque conteratur proteruia, qui necdum dignantur agnoſcere te, atque in tuo corpore coaptari. Erit profectò eloquium tuum omni eccleſiæ tuę ſolidum adiutorium ad credēdum. Declaratio quippe ſermonum tuo- Pſal. 118.
rum illuminat, & intellectum dat paruulis. Si Ioan 15.
opera (inquit) non feciſſem in eis, quæ nemo alius fecit,peccatum non haberent: Nunc autē excuſationem non habent de peccato ſuo.Quę autē iſta ſint opera,quæ nemo alius,præter quā ipſe Dominus Ieſus fecerit,intelligant vniuerſi,ne infidelitatis errore ſeducti nullam de peccato ſuo excuſationem habeant, Prius tamen credant,quam intelligere velint,qui niſi crediderint,non intelligent.Mentis aciem abſtergāt credendo, & per fidem percipient intelligentiam ſapientiæ.Nullus planè ab ipſo mundi initio fuit,quamuis ſanctus,quamuis ſanctificatus in vtero, qui ſine colluuione peccati, & abſque virili ſemine conciperetur,atque de intemerata virgine naſceretur. A Domino Ieſu factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Hoc Pſal. 117.
prorſus non capit ſenſus,ratio nō attingit, natura non patitur, humana experientia neſcit, vt virgo cōcipiat, virgo pariat, & poſt partū virgo permaneat.Omnem tranſcendit intelligentiā, hominū videlicet,& angelorū. Hoc vt crederēt homines factū,ne inſolita nouitate repercuterētur dubietate, per vates ſuos lōge antequā fieret,prenūciauit eſſe futurū,Eſaiā audi, Ecce Eſa. 7.
(inquit) Virgo concipiet,& pariet Filiū, & vocabi-

cabi-

cabitur nomen eius Emanuel, quod interpre-
tatur, Nobiſcum Deus. Iſto nihil verius, nihil
euidẽtius, nihil vtilius dici potuit. Loquebatur
quidem non homo, ſed Deus per hominẽ, qui
fecerat hominem, vt illum erudiret ad fidem, &
purgaret per fidẽ, atque nutriret in fide, donec
proueheretur ad ſpeciem. Ezechiel quoq; ait,
Ezec. 44. Et conuerti me ad viam portæ ſanctuarij, quæ
reſpiciebat ad Orientem, & erat clauſa. Et dixit
Dominus ad me, Porta hæc clauſa erit, & non
aperietur, & vir non tranſibit per eam, quoniã
dominus Deus Iſrael ingreſſus eſt per eã, erit-
que clauſa principi. Per viam portæ ingredie-
tur, & per viam eius egredietur. Hæc porta ſan
ctuarij, quæ clauſa perhibetur, beata virgo eſt.
Per ipſam minimè per materialem coitum trã
ſiuit Ioſeph, quoniam vniuerſorum Dominus
ſolus ingreſſus eſt per eam, ignorante ſacramẽ
Ioan 1. tum hoc tenebrarum principe. Nunciante quip
pe angelo, virgineq; diuinæ voluntati annuen
te virtute altiſsimi verbum in vtero puerperæ
caro factum eſt, Deus ſcilicet & homo vnus
Chriſtus, qui vt habitaret in nobis, fieretq; ve-
rus Emanuel incõtaminato virginitatis ſigna-
culo egreſſus eſt tanquam ſponſus de thalamo
ſuo. Propter quod in ipſius ortus tempore tan-
to permoti miraculo, & pro tã ineffabili digna-
tione ſuccenſi millia angelorum decantauere,
Lucæ 2. dicẽtes, Gloria in altiſsimis Deo, & in terra pax
Ioan. 9. hominibus bonæ volũtatis. Fecit ne aliud opus
mirabile, quod à nemine mortalium legatur fa
ctum? Fecit planè. A ſeculo non eſt auditum, vt
quis aperuerit oculos cæci nati, ſicut dominus
ipſe. Quis vnquam quatriduanum fœtentem re
ſuſcitauit mortuum? Quis ſuper liquidas æquo-
ris vndas, quoties voluit, ſicco perambulauit ve
ſtigio? Quis autoritate propria leproſos mũda-
uit, iacentes erexit, fugauit dęmones, ſurdis red
didit auditum, claudis greſſum, mortuis vitam,
omniumq; languentium vnico ſermone cura-
uit moleſtias? Quis (oro) in generationibus ſecu
lorum vnquam tanta præditus fuit gratia, vt fa-
ciendorum miraculorum virtutem alijs præro-
garet? Fuere quidem nonnulli, quamuis pauci,
qui orationibus ſuis obtinuerunt à Domino, vt
ægris ſalus, defunctis redderetur & vita. Horũ
autem nemo fuit, qui huiuſmodi cui vellet, tri-
bueret poteſtatem. Quantis autem Dominus
Ieſus hanc præſtiterit virtutem, quicunque ſci-
re voluerit, Euangeliorum, ſanctarumque per-
legat volumina ſcripturarum, & cognoſcet per
ſpicuè hoc tantum mediatori Chriſto eſſe cõ-
ceſſum, ad declarandum vtique ipſius diuinita-
tis incomprehenſibilem maieſtatem. Talibus
etenim miraculis catholicæ religionis & Chri-
ſtianæ fidei imputribilia fundamenta locauit, ſu
per quæ vniuerſi credentes virtutum arcem ſu-
perędificarent intrepidi. Nequaquam igitur fas
eſt, tam claris teſtimonijs, tamque euidentibus
ſignis incarnati verbi vllo modo reſiſtere. Por
rò nullus incredulus & irriſor euadet impunè.
Quamobrem abundantius oportet nos crede-
re, quæ de Domino noſtro Ieſu Chriſto vel
dicta, vel facta leguntur, ne fortè pereffluamus.
Si enim qui per Angelos dictus eſt ſermo, fa- Heb. 2.
ctus eſt firmus, & omnis pręuaricatio & inobe-
dientia condignam accipit retributionis mer-
cedem, quanto magis non effugiemus nos, ſi
Dei ſapientiæ neglexerimus credere? Exemplũ
nobis incredulitatis facti ſunt ij, quibus loque-
batur in carne. Si enim illi non effugerunt recu
ſantes eum, qui ſuper terram loquebatur, nos
quid acturi ſumus, ſi de cœlo nobis loquentem
non aduertimus? Super terram quippe profu-
gi incedũt ſine lege, ſine vate, ſine rege, & abſ-
que Sacerdote, propterea quia nedum Dei ver
bo obtemperare recuſarunt, verumetiam diui-
nis eius operibus procaciter dextraxerunt. A-
gnoſcebant quidem diuina opera Dominũ fa-
cientem, ſed ipſius maieſtatis gloriam confite-
ri recuſabant. Liuoris facibus accenſi abne-
gabant, quod opera teſtabantur, videbant, &
inuidebant, nec credere volebant, ideo odio
illum habentes gratis opprimebant. Gratis
propterea dixi, quia innocens erat, & quo-
niam de iniquitate ſua nullum, præter peccatũ,
fructum reportare valuerũt. Non enim eſt pru-
dentia, non eſt ſapientia, non eſt conſilium cõ-
tra Dominum. Euanuerunt ipſi in virtute ſua Prou. 21.
Domino permanente. Non enim valet conta-
minari veritas, nõ poteſt euerti mediatoris ſan-
ctitas, qui in puritate propria perſeueret. Eſt
quippe lampas fulgentiſsima æternæ lucis de-
corata ſplendore. Eſt & lapis duriſsimus exci-
ſus de monte ſine manibus, ſuper quem qui ce-
ciderit, confringetur. Conteret autem, minu-
tatimque diſperdet, ſi ſuper quempiam ipſe ce-
ciderit.

De excellentia diuinæ lucis, quæ à mundis corde cernitur. Cap. XIII.

SOlis lucem quiſquis ſano cernit intuitu,
agnoſcit perſpicuè ipſam alienæ lucis
non indigere ſuffragio. Per ſe nanque
ſufficit ſibi. Oſtendit ſeipſam, oſtenditq; alia
intuentibus ſe. Hæc eſt natura viſibilis ſolis,
hæc eſt virtus temporalis lucis, quàm Deus in
cœlo conſtituit, vt illuſtret corporalia, quæ
obiiciuntur ipſi, & diuidat tempus per annos,
menſes, dies & horas. Si autem tanto ſplen-
dore coruſcat, quę videtur lux, vt non indi-
geat lucernarum adminiculo ad lucẽdum per
diem, & tamen tẽporalis eſt, quid de ipſa inuiſi
bili luce & ęterna, per quam cętera luminaria,
quę facta ſunt, ſiue Solis, ſiue Lunę, ſiue Stella- Ioan. 1.
rũ arbitrandũ eſt? Eſt nanque veritas Chriſtus,

iuſtitiæ Sol, & lux vera atque perfecta; quæ nõ ſolùm omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, verumetiam vniuerſorum ſpirituum glorioſum exercitum in cœlorũ palatio quieſcẽtium. Omnis quippe cognitio ſeu corporalium, ſeu ſpiritualiũ de fonte naſcitur veritatis. Illeque agnoſcit altius & clarius intuetur, qui primæ veritati propinquior eſt. Ad ipſam acceditur non greſſu corporeo, ſed humilitate vera, puritate mentis, deuotione cordis, exercitatione virtutis, trãquillitate animi, & flagrantiſsimo amore diuinæ charitatis. Lux etenim ipſa alicuius quomodo egebit ſplendore, cum ęternæ paternæque lucis ipſa ſit cãdor, & diuinæ maieſtatis imago? Coruſcat quidem ineffabiliter in ſe, atque lucis propriæ ſpirituales radios in omnem diffundit rationalẽ creaturam. Quicquid enim intelligibile eſt, veritatis luce clareſcit. Opaca penetrat, rimatur occulta, ita vt non ſit, qui lucis illius ſplendorem effugere valeat. Adeò quippe per ſe rutilat, vt alterius nequaquam teſtimonio egeat. Ex infirmitate intuentium cauſatur ipſius ignota ſcientia. Quemadmodum igitur de coloribus cæcus iudicare neſcit, ſic neque de luce veritatis peccatorum animus. Lux quidem ſpiritualis eſt, in qua nullæ tenebræ ſunt. Illi minimè propius valet accedere, qui infidelitatis velamine tegitur, ſeu delinquendi voluntate grauatur. Sine macula cũ ſit, immaculatis viſibilis apparet obtutibus. Ait nanque, Beati mundo corde, quoniã ipſi Deũ videbunt. *Matth. 5.* Mundet itaque ſe, quiſquis veritatis mundam cupit cernere lucem. Interim tamen dum mundare ſe ſatagit, & antequã eam ipſa intueri ſufficiat, lucis teſtes ſimpliciter imitetur. Pro imbecillitate etenim intuentium non pro ſe teſtes voluit habere veridicos.

Cœleſtis nanque pater omnipotens manifeſtũ teſtimonium perhibuit veritati. Nempe cum in Iordanis alueo incarnata ſtaret Veritas, apertis cœlis vox patris intonuit, dicens, *Matth. 3.* Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui; ipſum audite. Paracletus quoque ſpiritus, vt Domino Chriſto teſtimonium redderet, in colũbæ ſpecie deſcendit in ipſum. Hoc autem ſolo minimè contentus Apoſtolorum corda charitatis igne ſuccendit. Iſtud quidem prius, quàm fieret, futurum eſſe prædixit, vt non caſu, ſed ipſius voluntate factum eſſe cognoſcas. Quum venerit (inquit) Paracletus, quem mittet pater *Ioan. 15.* in nomine mẽo, ille teſtimonium perhibebit de me. Teſtimonium etenim Sanctus Spiritus exhibuit Chriſto, quum ſapientiæ lucem cordibus credentium infudit, vereque eſſe quæcunque geſſit & docuit, ratione corroborauit & ſenſu. Rationem quippe per fidẽ inſtituit, ſenſum verò per affectum dilectionis expreſſit. In fide nanque ſcientiam, in ſenſu autem ſapientiã tribuit. Vtrunque prorſus Paracleti donum eſt. Ipſe ſcientiæ largitor, ipſe ſpiritus ſapientiæ dicitur. Nemo veritatem nouit, niſi ſcientia mediante, ſed neq; quis ſapientiam guſtat, niſi Spiritus Sancti præſentia adſit. Hoc perſenſerat, qui dicebat, O quàm ſuauis eſt ſpiritus tuus in nobis. Præterea cum tres ſint in cœlo, qui teſti- *1. Ioan. 5.* monium perhibent veritati, pater ſcilicet, Verbum, & Spiritus Sanctus, ita tres ſunt, qui teſtificantur in terra, ſpiritus videlicet, ſanguis, & aqua, Ad imbuendum igitur ſacramentum fidei, declarandamque mediatoris gloriam, huiuſmodi ſufficere poterant teſtimonia. Teſtes tamen alios voluit habere idoneos, per quos in fidelium plebem erudiret ad fidem, corporiſq; eccleſiæ copularet. Illis etenim eligendo, dicebat, Et vos (inquit) teſtimonium perhibebitis, *Ioan. 15.* quia ab initio mecum eſtis. Vt igitur Chriſti fideles exiſterent teſtes illi, ad quos loquebatur, veritatis ſpiritum acceperunt, quatenus quæ vera ſunt, promerent. Sine hoc ſpiritu quod verum erat, fari non poſſent, quoniã dicente propheta, cognouimus, quòd omnis homo abſque hoc ſpiritu inaniter loquitur: Non autem Deus falſitatis eget teſtimonio, quin potius iuxta pro- *Pſalm. 5.* phetæ memorati ſentetiam, perdit omnes, qui loquuntur mendacium. Accepto itaque Apoſtoli veritatis ſpiritu conticere nequibãt, quod ſpiritu reuelante didicerant. Vnde & dicebant, *Act. 4.* Non enim poſſumus, quæ audiuimus, & vidimus, non loqui. Nam Apoſtolorum princeps in concilio poſitus Iudæorũ, Sacerdotibus, phariſæis, & magiſtratibus eorum Domino Ieſu volẽs reddere teſtimonium, ait clara voce, Spiritu Sancto illi præbente fiduciam. Deus patrũ *Act. 5.* noſtrorum ſuſcitauit Ieſum, quem vos interemiſtis ſuſpendentes in ligno. Hunc Deus principem & Saluatorem exaltauit dextera ſua ad dandam pœnitentiam Iſraeli, & remiſſionem peccatorum. Et nos ſumus teſtes horum verborum & Spiritus Sanctus, quem Deus dedit omnibus obedientibus ſibi. Audiamus & aliũ veridicum teſtem, quid de Chriſto aſſerat, Multifa- *Heb. 1.* riè multiſq; modis olim Deus loquẽs patribus in prophetis, nouiſsimè diebus iſtis locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hęredem vniuerſorum, per quem fecit & ſecula. Audiamus & tertium, quatenus ſecundum legis ſententiam in ore duorum, vel trium teſtium ratum cenſeatur Mediatoris teſtimonium. Quod fuit (in- *1. Ioan. 1.* quit) ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annunciamus vobis vitam ęternam, quæ erat apud patrem, & apparuit nobis. De cœlo igitur ſicut præfatũ eſt, pariter & de terra teſtimonium habuit veritas, quãquã nec illi ab inimicis defuerit

Non-

Matt. 8. Nonne de obſeſsis corporibus exhibant dæmonia, clamantia, & dicentia, Quid nobis & tibi & Ieſu Fili Dei? veniſti ante tempus torquere nos. Hos ſolos compeſcuit Saluator. Noluit enim vt mendax ſpiritus, in quo veritas eſſe nõ poteſt, quãuis vera diceret, ipſius fieret teſtis. Horum tantum teſtimonium approbat, qui veritatis repleti ſpiritu à ſemetipſis minime loquũtur. Nouit ſapiẽtia Dei, quòd omnis homo mẽdax. Pſal. 115. Propterea ne mendaciũ loquerentur mendaces, veritatis ſpiritum ſuis infudit teſtibus, vt non ipſi, ſed qui in eis erat, ſpiritus loqueretur. Quoniam verò ſciebat Dominus Iudæos perſecuturos eſſe Apoſtolos, quemadmodum & ipſum, Ioan. 16. illos præmonere curauit, dicens, Hęc locutus ſum vobis, vt non ſcandalizemini, alienos à ſynagogis facient vos. Non autem detrimentũ erat de Iudæorum ſynagogis excludi, ex quibus iam ipſe diſceſſerat Dominus. Relictis nanque illis gentibus verbum vitæ prædicari mandauerat, Marc. 16. Act. 13. dicẽs, Euntes in vniuerſum mundum prædicate Euangelium omni creaturæ, quod & fecerunt. Sic enim legitur, Vobis quidem oportebat loqui verbum Dei, ſed quoniam repuliſtis Eſa. 49. illud, & indignos vos iudicaſtis æterna vita, ecce cõuertimur ad gentes. Sic enim pręcepit nobis Dominus, dedi te in lucem gentium, vt ſit ſalus mea ab extremis terræ. Hoc autẽ completũ fuiſſe prophetico ſpiritu inſinuauit, inquiens Eſa. 9. ſic Eſaias, Gẽtium populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnã. Sedẽtibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis. Pſaltes quoq; vates egregius vocationi gentium congratulãs Pſal. 65. in ſpiritu ad diuinam laudem hortatur eas, Benedicite (inquit) gentes Dominum noſtrum, & obaudite voci laudi eius. Iterumq;, Omnes gẽtes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis. Meritò itaq; ſicut alibi ſcriptũ eſt, Derelicta eſt domus eorum deſerta, quoniã necdũ Matt. 23. Dominũ ipſum, verumetiã prædicatores ſuos de illorum finibus abiecerũt. Ducebantur quidem ſuorum paſsionibus vitiorum, atq; a proprijs cogitationibus ſeducebantur. Zelo Dei & legis æmulatione Chriſtum videbantur perſequi. Vnde & dicebãt, Non eſt hic homo à Deo Ioan. 9. qui Sabbatum non cuſtodit. Carnem ſapientes non niſi carnaliter ſpiritualem nouerant intelligere legem. Vtiq; ſi ſpirituales fuiſſent, ſciuiſſentque diiudicare omnia, non minus ſeipſos, quàm legem ſpiritualiter agnouiſſent, intellexiſſentq; cordium ſuorũ latentem intentionẽ liuoris morbo corruptam. Quoniam verò velamen poſitum erat ſuper eorum cor, radiantem non valebant aſpicere veritatem. Ideo malum ſub ſpecie boni non verebantur agere. Hoc magiſter bonus inſinuauit, dicens, Venit hora, vt Ioan. 16. omnis, qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe præſtare Deo. Zelum quidem Dei Iudæi habebãt, ſed nõ ſecundum ſcientiam. Impietatis ſacrificium offerebant Deo, & vnde illum placare credebãt, inde aduerſum ſe acriter irritabant. Defenſores legis ignorabant legem. Si enim intellexiſſẽt legẽ, cognouiſſent Chriſtũ. Lex enim Chriſtum annũciat in figuris, in prophetis, in cæremonijs. Erat nanq; vmbra futurorũ. Hinc eſt quod Apoſtolus ait, Nolo vos ignorare fratres, 1. Cor. 10. quòd patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes in Moſe baptizati ſunt in nube & in mari, & omnes eandem eſcam ſpiritualem mãducauerũt, & omnes eundem potum ſpiritalem biberunt. Bibebant autem de ſpiritali conſequẽte eos petra, petra autem erat Chriſtus. Hęc autẽ in figura facta ſunt noſtri. Nonne & prophetarum vox illa eſt, quæ ait, Da mercedẽ Domine ſuſtinentibus te, vt prophetæ tui fideles inueniantur. Eccl. 36. Iudęi verò ſolum literæ corticẽ aſpicientes, ſpiritum autem ſub tegmine literę non intelligentes offenderunt in lapidem offenſionis, & in petram ſcandali, ita vt caderent. Stare quidem potuiſſent, ſi in humanitate verbũ, & in verbo credidiſſent patrem. Credere autem poterant, ſi ex operibus verba Chriſti, atq; ex verbis latentem in carne diuinitatem conſideraſſent, ſicut idem teſtabatur, dicẽs, Opera quę Ioan. 10. ego facio, teſtimonium perhibẽt de me. Quòd ſi mihi nõ creditis, operibus credite. Diuinitas etenim per aſſumptum hominẽ operabatur miracula, prædicebat futura, reſerabat cordiũ abdita, quę ſimplex homo agere nõ valeret. Filiũ igitur neſciebat, nec patrem, quiſquis poteſtatẽ & ſapientiam patris non agnoſcebat in Filio. Hebræi autem perſecutionem inferebãt membris, quia gloriam capitis ignorabant. Vniuerſa tamẽ hæc ſuos noluit veritas latere diſcipulos. Antequam fierent, futura eſſe prædixit, vt minus terrerent, quum fierent. Neq; enim minus quæ futura ſunt, quam ea, quæ ſunt, verbo præſẽtia sũt. Videt in ſe, & per ſe oĩa, propterea futura veluti pręſẽtia, & pręſẽtia tãquã futura loquebatur. Hoc ex fidei merito percipiẽtes Apoſtoli, duplici mœrore ſauciabantur ex ijs, quæ Domino referẽte didicerãt, tũ videlicet de perſecutionibus ſibi imminentibus, tũ de celeri diſceſſu magiſtri. Quemadmodum itaque ad perferendas mundi preſſuras eos plurimum fuerat exhortatus, ita de ſuo debuit illos conſolari diſceſſu. Ideo addidit, inquiens: Vado ad eum Ioan. 16. qui miſit me: & nemo ex vobis interrogat me, quò vadis: Maxima huius locutionis profunditas eſt. Cum diſcipulis ſedebat, epulabatur, non mouebatur: & tamen loquebatur: vado ad eũ, qui miſit me. Se ire aſſerebat ad eum, cum quo erat, & à quo non recedebat. Sic enim dixerat alibi: Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcẽdit de cęlo filius hominis, qui eſt in cęlo. Ioan. 3. Op-

derentur, atq; paulatim admonitionibus ſanctis ad perfectiora cõſcenderent. Tolerabilius eſt: vt illos infirmos poſsideas, quàm extinctos amittas. Hæc tecum, ò æterna Sapientia, & cordis mei theſaure concupite familiari alloqutione diſſerui: non vt tuos procaciter audeã ſermones arguere. Temeritatis quidem nimiæ deprehenderet reus, ſi tuo conarer reſiſtere verbo. Vt igitur inſipientiam meam erudias: vt legentium animos ratione communias: vtque proſtratam audiẽtium fortitudinem erigas, edicito nobis (oro te domine) cur loqueris ſic: & quare apoſtolis expediat, vt corporaliter abeas.

Ibidem.

Fortè imò certè inſtruemur & nos, quibus in ſpiritus tuus quotidie contingit abſceſſus. Ad hęc dominus: Si non abiero (inquit) Paracletus non veniet ad vos: ſi autem abiero, mittam eũ ad vos. O reſponſio amantium mentibus iucunda: ò diuinitatis conſilium proficuum præſentibus & futuris: per quod dilectionis ſuſpicio tollitur: & amoris incendiũ generatur. Non enim diſcedis & deſeris, humanitatem tuam ſubtrahis & contemnis: ſed potius, vt dona cumules, & mentes in tua charitate confirmes, tuam ſubducis pręſentiam. Polliceris quidem Paracletũ mittere: quatenus cœleſti igne tuorum accẽdat corda ſeruorum: illoſque erudiat de omnibus, quæ te diſſerente intelligere nequiuerunt, faciatque opere perficere quod mandaſti. Nempe idem Paracletus eius, quem poſsidet, inflammant affectum, nec abs te longè ire permittit. Nequaquam autem illo præſente tuus, ò laus hominum, angelorumque, poteſt obeſſe diſceſſus, qui æquiſsimo iudicio vniuerſa moderaris, nec agnoſceris, niſi ab eis, qui diligunt te. Veritatis nanque ſpiritus, quem miſſurus es, immutat, quos replet, teque ſpiritualiter diligi facit. Hactenus diſcipuli tui dilexere te propter ſe, ſuaque quæſierunt in te: quum tamen talis ſis, vt diligi debeas propter te. Non enim vllus adulterinus, ſeu mercenarius amor in tuo nuptiali admittitur thalamo. Caſto ſemper & puro amari vis corde, ideo te contingit nõ pateris ab iis, qui alta ſapiunt, & te carnaliter cõcupiſcũt. Quantum autem dicere fas eſt, quos elegiſti de mundo te tanquam hominem ſanctum: in miraculis potentem: facundiſsimum in ſermone: in virtute præclarum: & à Deo miſſum pro Iſraelis tantum redemptione fatentur. Diuinitatis gloriam ignorant carnis pondere ac fidei imbecillitate grauati, humana ſolum ſapiunt de te, terrena ſperant per te ſolatia tantum humana quærunt in te. Propterea indigens reformari in ſpiritu, vt altiora ſentiant de te, & puriori affectu diligant te. Supra carnis ſenſum ſe erigere nequeunt, quamdiu carnem tuam aſpiciunt, carniſque delectabili conuerſatione paſcuntur. Prorſus ablactandi ſunt, vt trãſeant in virum perfectum, & ad menſuram veniant tuæ dulciſsimæ charitatis. Tunc te ſpiritualiter diligent, tunc quas dixi paſſuros perſecutiones nędum forti, verũetiam alacri animo ſuſtinebunt. Intrepidè quidem ante reges ſtabunt & præſides, nomen tuum coram magiſtratibus & ſeculi poteſtatibus prædicabunt, atque in gentium Iudæorumque conciliis deitatis tuæ celſitudinẽ nunciabunt. Diſcurrent per vrbes populorum, in ſignis & prodigiis fidẽ tuam magnificabunt. Sicque tuum diſſeminabunt verbum, vt in omnem terram exeat ſonus eorum, atque in fines terræ audiantur verba eorum. Glorificaberis in illis, & ipſi exaltabuntur per te. Venerabuntur tanquam Veritatis præcones, verbi nuncij ſapiẽtiæque ęternę diſcipuli. Cuius autem (ò domine) iſta ſunt opera, niſi almi ſpiritus, quem in tuo pater miſſurus eſt nomine ad declarandum vtique gloriam tuam in gentibus, & renouãdũ orbem totum ſub legibus charitatis?

Ioan. 16.

Ipſe nempe preſentia ſua mundum arguet de peccato, & de iuſtitia & de iudicio: De peccato quidem, quod non dimiſerunt, de iuſtitia, quam contẽpſerunt, de iudicio, quod minime pręuiderunt. Digne ſatis de peccato infidelitatis arguetur mundus, quum tibi (domine) tuiſque neglexerit eredere: Tanta ſiquidem omnipotentię tuę oſtendiſti miracula, vt inexcuſabilis ſit, quiſque tuę noluerit ſe ſubiicere ſeruituti. Nimis tua, o maieſtas inclyta credibilia facta ſunt teſtimonia. Clamat martyrum ſanguis, oracula pronũciant prophętarum, atque innumerabilis fidelium multitudo in tuo nomine congregata rationali ſuadet creaturę, vt tibi famulando credere debeat, cui tantorum iuſtorum fides miniſtrãdo teſtatur. Fas igitur catholicę non eſt repugnare veritati, quę vniuerſo mundo diffuſa conſpicitur. Nam voluntate potius, quàm ratione reſiſtit, qui Chriſtianę religioni annuere negligit. Arguitur enim à ſpiritu ſancto, qui verbo tuo veridicum perhibet teſtimonium. Ipſum quippe, ò ſyncera Veritas, miſiſti, nedum vt de peccato mundum arguat, verumetiã de neglecta iuſtitia. Aſcendendo nanque ad patrem mundo teſtes tuos reliquiſti diſcipulos. Hi etenim ſancto perfuſi ſpiritu cuſtodiendo iuſtitiã inſinuabant omnibus non perituram & labentem ſeculi pompam, ſed æternam atque beatã vitam totis votis eſſe quęrendam. Quum enim quis amore æternorum præſentia deſerit, inuiſibilia præſtantiora eſſe, quàm quæ videntur, certa definitione cognoſcit. Iuſtorum quidẽ hæc eſt conſummata iuſtitia, cordè oreque fateri te humanis ablatum aſpectibus viuere in æternũ, ſicque eloquiis tuis aſſenſum tribuere, vt non diſſentiat viuendo ab eo, quod credendo teſtatur. Nequaquam autem humani ſpiritus virtus hæc eſt, ſed illius ò domine, quem miſiſti de cę

lo, pa-

lo,Paracleti, qui aduentu ſuo mundum arguet de iudicio.De iudicio arguet (inquam) quoniã principis mundi finem aduenisse oſtendet. Quamdiu nãque deſuit, qui per virtutum exercitia cum apoſtata angelo congrederetur ad pugnam, idem mundi pacifice obtinuit principatum.At vbi tu,ò Sapientia,de cœlorum regali ſede in ſeculi câpũ cũ tyranno hoc pugnaturus intraſti,quoniam illo es fortior,depuliſti eũ de antiquo,quod poſsidebat imperio. Dediſti vtique cunctis,qui tenebantur in vinculis,pacẽ tuam quatenus mente libera tibi redẽptori ſuo Pſal. 71. exhiberent famulatum. Dilataſti planè ſigna imperij tui à mari vſq; ad mare,&à flumine vſq; ad terminos orbis terrarum. Hoc eſt iudicium, quod alio in loco futurũ prænunciabas dicens. Ioan. 12. Nunc iudicium eſt mundi,nunc princeps mundi huius eiicietur foras.Hoc Citharęda ſanctus, homo videlicet ſecundum cor tuum,votis om- Pſal. 71. nibus anhelabat inquiens. Deus iudicium tuũ regi da, & iuſtitiam tuam filio regis, Iudicare populum tuum in iuſtitia,& pauperes tuos in iudicio,Quod autem prædicebatur futurum,completum aſpicimus. Tuum quidem regnum incõmutabile eſt, quoniam tu immortalis & omnipotens es domine. Tibi reges vniuerſi ſuas inclinant ceruices,te venerantur,adorant, colũt- Pſal. 2. que.Sibi Prophetam audiunt dicentem. Et nũc reges intelligite,erudimini, qui iudicatis terrã. ſeruite domino in timore,& exultate ei cũ tremore.Beati igitur omnes,qui ſperant in te, domine,tuoque infatigabiliter obſequuntur imperio. Nam terreni reges terrena ſtipendia cõferunt,non aliunde habentes quid erogent. Tu autem,ò inuictiſsime angelorum rex,non temporalem,ſed æternam tribuis pro labore mercedem. Præſtas nanque te puro diligentibus corde, tibique obtemperantibus fideliter delectationes maximas, quibus affectus omnis voluptuoſi extinguitur ſeculi.Non autem valerent tẽtationibus reluctari, atque carnis carere illecebris,niſi ſpirituali tuo reficerentur pabulo. Infirmitati etenim compatiendo humanæ deuotione reficis,quos diligis. Paterno ad illos inclinaris affectu,qui animi debilitate nequeũt aſcẽdere ad te, & vſque ad mortem certare pro te. Es nanque domine bonum ineffabile, pro quo adipiſcendo,qui te agnoſceret,mori millies nõ expaueſceret.Rationalis ergo ſpiritus corporis fragilitate depreſſus, atque ſenſibus hebetatus ſuæ intelligentiæ aciem ad ea,quæ ſenſibus capiuntur,inflectit. Quare ne viſibilib. voluptuoſe inhæreat, illi Paracleti conſolationẽ tribuis. Ipſe nanque eſt qui timorem ſanctum mẽtibus electorum inſerit,pietatis viſcera emollit, docet hominem ſcientiam,fortitudinem in aduerſis tribuit,prouidos in conſiliis facit, ſpiritualiũ intelligẽtiam largitur, æternorumque guſtum ſapientiæ infuſione communicat. Hæc prorſus inſinuaſti,quum diceres. Ioan. 16. Quum autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Veritatem omnem inſtruit,quum dona ſua liberaliter præſtat, quæ virtutum omnium continet veritatem. Vtiquequum manifeſtat te, in quo theſauri omnes ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi ſunt,quum reuelat diuinitatem tuam,potentiam tuam,gloriam tuam,ſapientiã tuam,omnem inſtruit veritatem. Tu enim es limpidiſsima veritas, & æterna patris videlicet 1. Ioan. 2. ſapiẽtia,atque cognitio,in qua omne,quod verum & bonũ eſt,ſtabili lege conſiſtit. Hãc abſque præuia & comitante tui ſpiritus gratia nõ attingimus veritatem.Eodem ſpiritu reſerante menti noſtræ myſteria cognoſcimus, ſicut legitur.Ipſa vnctio docet vos de omnibus. Loquitur enim ad cor, & ſine vllo corporis vel labiorum motu intus auditur, non per vocis ſonoritatem,ſed per veritatis intelligentiam. Non enim in ipſo corporum lineamenta ſunt. Eſt nãque ſpiritus intelligentiæ ſanctus,vnicus,multiplex,ſubtilis,mobilis,diſertus,nobilis,ĩcoinquinatus,certus,ſuauis,amans bonum actũ,qui nullum vetat benefacere,humanus,benignus, ſtabilis,ſecurus, omnem habens virtutem, omnia proſpiciens, attingens vbique propter ſuam munditiam.Vapor eſt enim virtutis Dei,& emanatio quædam claritatis Dei ſincera,atque ſpiritualis & diuina lux,propterea ſpiritualiter loquitur,quanquam non à ſemetipſo,quia nõ eſt à ſemetipſo.Eſt autem de Deo Deus,de ęterno coæternus, procedens à patre, & te filio patris vnigenito. Quoniam verò à ſeipſo non loquitur,à quo loquatur nobis edicito domine, quatenus eruditi abs te à veritate catholica minime deuiemus,quæcunque audiet loquetur. Auditus iſte (vt arbitror) æterna cognitio eſt. Quemadmodum igitur non eſt à ſemetipſo,ita nec cognoſcit. Cognoſcit à patre & te filio, ſicut ab ambobus ſempiternaliter procedit.Non autem cognoſcit tanquam inferior aut poſterior,quum ſit æqualis,conſubſtantialis,& coæternus.Nẽpe trinitatis ſanctæ, ſicut vna eſt eſſentia,par gloria, æqualis maieſtas,ita & cognitionis eadem eſt perfecta ſcientia, & tamen nõ à ſeipſo loquitur, quoniam patris & filij ſpiritus,amor & oſculum eſt.Loquetur,inquit, quęcunque audiet,manifeſtabit videlicet quęcunque cognoſcet vobis ad ſalutem fore neceſſaria,aliiſque profutura. Non enim omnia,quæ futura ſunt,docet. Quanta fuerunt,& ventura ſunt,quæ à mortalibus neſciuntur? Nihil tamẽ, quod humanæ ſaluti congruat(ſpiritu reuelante)occultum eſt. Inſtruit quidem,non de omnibus omnes,neque cuncta ſimul. Prouehit autem rationalem mentem, & iuxta cuiuſque mẽſurã lumen infundit ſapiẽtiæ. Prouectio ipſius

cogni-

cognitionis aſcenſus eſt. Quò verò ſolicitior quiſque eſt, quò humilior, quò gratior, eo ſpirituali ac diuinæ cognitioni habilior. Sine meritis iſtiuſmodi habilitas condonatur, Niſi gratis aſpiceret Deus, ſinguli ſuperuacue laborarent. Aſpice itaque ô Sapientia, de ſede ſancta tua in me peccatorum minimo, & miſerere mei. Oculo tuo recto, & in beneplacito populi tui reſpice inquam in me, non vt impræſentiarum delicta defleam, ſed vt videam, te lumen in lumine tuaque delectabili abſorbear charitate. Derterges vtique aſpectu tuo placidiſſimo cordis mei maculas, illuſtrabis ignorantiæ tenebras, & torpore fugato animum excitabis meum in laudibus tuis, in dilectione amoris tui, in pace tua & in piis amplexibus charitatis. In ſpiritu veritatis & in ſpiritu ardoris hæc bona facies mecum. Spiritus nanque tuus bonus deducet me ad te. Tuus (inquam) quia habet à te, vnde erudiendo ducat me ad te, ſed non ſine te. Quomodo autem ſine te, quum tecum vnum ſit? Vbi eſt ſubſtantię vnitas, deitatis equalitas, virtutiſque parilitas, eſſe non valet operationis diuerſitas. De tuo igitur accipit, quę audiendo docet, teque clarificat in nobis, nō tamen præter te, quo etiam in ſapientiæ tuæ ſplendore nos imbuit. Profunda ſunt hæc, domine, & abſque veritatis tuæ lumine incomprehenſibilia. Præcedente autem luce tua, quā dō iſta cognoſcimus, ſupra humanum ſenſum erigimur, ſupra intellectū trahimur, & fortiter mardeſcimus videre te fontem ſapientiæ, datorem gratiæ, torrentemque voluptatis æternæ. Exercendo tamen differs, & differendo accendis, quatenus per aſcenſus virtutum & cumulos meritorum feliciter te nobis ſuo tempore tribuas.

Quòd variis preſſuris purgatus animus ſpirituali gaudio repleri mereatur. Cap. XIIII.

Hvmani animi Deo dicati ordinatiſſimus aſcenſus ſiue ad perfectionis culmen, ſeu ad contemplationem cœleſtium eſt, vt ſalubriter purgetur, deinde vt erudiatur ſapienter. Alter ſi ſegregetur ab altero, amanti plurimum nocet, currentiſque profectū retardat. Nam & terra ſterilis diuque inculta ſi prudenti agricultori excolenda tradatur, prius ſarculo & vomere mundatur à ſentibus, poſtea repletur ſeminibus, vt vberē ex ſe proferat fructum. Porrò multifarie purgatur animus, flagellis videlicet, tentationibus, preſſuris, compunctione, lacrymis & virtute. Flagellis atritus Paulus ſtimulos carnis ſuſcepit in corpore, ne elationis morbo periclitaretur in mente. Tentatus eſt ſanctus Iob probatus & coronatus. Tentationem pertulerunt ij, de quibus legitur. Et ſi coram hominibus tormenta paſſi ſunt, ſpes illorum immortalitate plena eſt, quoniam Deus tētauit eos, & inuenit illos dignos ſe, tanquam aurū in fornace probauit eos, & quaſi holocauſta hoſtię accepit eos. De preſſuris hominum & tribulationum quantus purgationis fructus accreſcat, Propheta ſanctus notificauit, quum in perſona iuſtorum omnium loquitur ſic. Induxiſti nos in laqueos, poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro, impoſuiſti homines ſuper capita noſtra, Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium. Compunctis quoque cordis vox illa eſt Prophetę, quę ait. Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuā. Et ſecundum multitudinem miſerationū tuarū dele iniquitatem meam. Purgationis igitur veniam ſperans ſe per effuſionem lacrymarum eſſe conſecuturum, idem alio inquit in loco. Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo. Hinc virtutum germina in plangentis corde dum pullulant, vitiorum enciunt ſpinas, & mentem gaudio replent. Hoc expreſsit Propheta, dicens. Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent. Huiuſcemodi purgationum profectus, compēdioſe ſancta mulier in Tobiæ volumine declarauit inquiens. Hoc autem pro certo habeat omnis, qui colit te domine, quoniam vita eius ſi in probatione fuerit, coronabitur, ſi autem in tribulatione fuerit, liberabitur, & ſi in correptione fuerit, ad miſericordiam tuam peruenire licebit. Non enim delectaris in perditionibus noſtris, quia poſt tempeſtatem tranquillum facis, & poſt lacrymationem & fletum, exultationem infundis. Vtrunque aſcendentis gradum, purgationis ſcilicet, & eruditionis vir ſecundū cor Dei reformans in ſe ait. Aſperges me domine hyſſopo, & mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Auditui meo dabis gaudium & letitiam, & exultabunt oſſa humiliata. Vnde (quęro) munditiam & candorem percepturum ſe dicit, niſi ex purgationis amaritudine? Gaudium verò, letitiam, & exultationem non aliunde, quàm ex auditu erudientis Sapientię. Eruditionem autem multiformis Sapientię nemo explicat verbis. Non ordine, non tempore, non loco, non perſonarum dignitate, non faſtu circūſcribitur eloquentię. Spirat agnitionem veritatis, vbi, quando, quomodo, & de quo vult, nunc per prophetarum oracula, nunc per loquentiū verba, nunc per angelos, nunc per creaturarū decorem, ordinem, vſum, virtutemque, nunc per aduerſa, nunc per proſpera, nunc per intelligentiam, nunc per affectum, nunc per dona, nunc per ſubtractionem munerum, nunc per aſpirationem intus, nunc foris per exemplum, nunc per alios, quandoque & per ſe. Eruditionis eius nullus curioſè inueſtiget cauſas, vt eius ſortiatur effectum. Quiſque proficere ſtudeat, ne gratiam negligendo amittat. Ab ea diſcat

Sap. 3. Pſal. 65. Pſal. 50. Pſal. 6. Pſal. 125. Tob. 3. Pſal. 50.

ſcat quid diligere, quid ſperare, quid credere, quid agere, quid contemnere, quid quærere debeat. Sobrietatem enim & ſapientiam docet, & iuſtitiam, & virtutem, quibus vtilius nihil eſt in vita hominibus. Hęc ſi præſto ſint, purgant, & inſtruunt, cuſtodiunt, & Deo amabilē reddūt. Beatus, quem Dei ſapientia de magiſterio virtutum erudierit, vt ad perfectionis faſtigium prouehat. Vtique per contemplationis ocium, & illuminatæ charitatis affectum communicabit ſe illi, quanquam non ad libitum ipſius. Nā etſi in electis ſuis collatam cuſtodiat gratiam, deuotionis tamen affectum actualiter nemini prærogat. Quamdiu enim peregrinamur in corpore, per fidem ambulamus, carnis ſtimulos ſpiritui aduerſantes patimur, quotidianis exceſſibus delinquimus, cogitationum phantaſmata ſuſtinemus. Proptereà viciſsitudini amoris & ſubductioni deuotionis (etiam inuiti) ſubiacemus. Hinc eſt, quod carentia ſponſi ad tēpus, ſi demerita conſideremus noſtra, breuis eſt. Si amoris impetum, & fruitionis guſtum (dum adeſt) metiri voluerimus, breuiſsima hora eſt. Itaque quoad conditionis ſtatum, modicum abeſt, quo verò ad delectationis affectum, modicum præſens eſt. Hoc locutione myſtica ipſe

Ioan.16. Chriſtus Dei virtus & Dei ſapientia Apoſtolis inſinuauit, dicens. Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad patrem. Si de corporali ſui viſione loqueretur, ad eos, quibus loquebatur, referri debet; ſi autem de ſpirituali, prout ſequētia manifeſtant, prorſus ad vniuerſos. Sermonis huius altitudinem & ſpiritualem ſenſum non attingēte diſcipuli prolixa collocutione inuicem contulerunt. Nec dum illis Sapientia ſenſum aperuerat, vt ſcripturas intelligerent, necdum veritatis ſpiritum promiſſum acceperant, necdum ipſum dominum Ieſum ſpiritualiter diligere nouerant. Proinde meritò dicebāt. Neſcimus, quid loquitur. Corporalem ipſius præſentiam affatim habuerāt, abſentiā corporis aut ſpiritus experti nō fuerāt, ideo locutionis ſentētiā ignorantes interrogare cupiebant. Illos autem prænenit magiſter optimus, & per id quod ipſe corporaliter diſceſſurus erat, quid ſpiritualiter ipſius actura eſſet Eccleſia, declarare curauit. Diſcipulis nanque ſuis tanquam principalioribus Eccleſiæ membris atque perfectioribus ſic lo-

Ioan.16. cutus eſt. Amen amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit. Plorat ſancta mater Eccleſia damna morientium filiorum, lacrymatur quotidie, & gemit ſponſi ſui abſentiam, ſuæque peregrinationis ærumnā

Pſal.119. dicens. Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cū habitantibus Cedar. Plorat vtique in ſingulis, flet pro omnibus. Singula quæque membra lamentum ſumunt prius pro ſeipſis, deinde pro cæteris, nec ante flere deſiſtunt, quàm ad optatam domini ſui præſentiam veniant. Quamdiu delinquunt, plorant; quamdiu longe à Deo ſe ſentiunt, lacrymantur; quādiu delicta proximorum vident, lacrymas fundunt. Quis etenim tam iuſtus eſt, tamque innocens, qui ſua quotidiana non debeat flere delicta, quum Prophetam audiat dicentem. Laua- Pſal.6.

bo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo? Multa plane ſunt ſingulorum delicta, quæ diluenda ſunt fletibus. Quanta (oro) quotidie cogitationibus noxiis, illecebroſis, vanis, terrenis, temerariiſque errata committimus? Quàm crebro vaniloquiis, detractionibus, ſcurrilitate, iactantia, contentione, periuriis, ſimulationibus, pernicioſiſque ſermonibus diuinam aduerſum nos irritamus iuſtitiam? Nunquam deſiſtimus nunc omiſsione, nunc opere, ſuperaddere peccata peccatis, & debitis debitā cumulare, quę niſi laboribus, lacrymis, orationibus, gemitibus, vigiliis, ieiuniis, aſsiduis compunctionibus, piiſque operibus abolere conemur, maximis obligationibus aſtricti ab hac vita ſubducimur. Salubriter iſta, quæ contra diuina præcepta agimus, ad tempus plangēda ſunt, ne incaſſum æternaliter defleātur. Ploremus indeficienter noſtra, ploremus iugiter proximorum delicta. Non poteſt non dolere de alienis, qui veraciter plangit ſua. Extraneum ſe eſſe à charitate fatetur, qui peccanti non compatitur proximo. Sanum membrum in corpore poſitum ſi languentibus cæteris nō auxilietur, nonne ſuperuacuè locum ſuum occupat? Sic & fideles quique in Eccleſiæ corpore conſtituti ſi peccantes fratres agnoſcant, ocioſe viuunt, ſi non flendo aut compatiēdo de delinquentium perditione non doleant. Mandat charitatis lex gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Multò tamen amplius flere iubet ſuper eos, qui plangenda committentes aut nolunt, aut negligunt, aut flere ſe neſciunt. Sic Samuel ſanctus ſuperbum lugebat regem, quem à facie Dei nouerat eſſe proiectum. Sic Dauid Saulis, & Ionatæ, ac populi extinctionē fleuit, cunctumque Iudam plorare mandauit. Sic mediator noſter ſuper perituram ciuitatem lacrymatus eſt, quæ eò magis plangenda erat, quò ſe minime flebilem agnoſcebat. Quotquot igitur charitatis ſuccenſi ſunt face, proximorū tanquam propria deflent ſcelera. Nemo tamen digne plangit aliena, qui voluntarie delinquēdo negligit ſua. Ex propoſito peccare deſinat, qui erratibus vult condolere alienis. Nullus quamuis ſanctus, quamuis perfectus, & iuſtus, propria ceſſet flere delicta, tametſi cum dolore maximo ac compaſsionis ardore plangat aliena. Vtrūque agat ex corde, qui in Eccleſiæ corpore viget. Ploret ſe, defleatq; mundū neſcie-

tem

tem plangere ſe. Ignorat lugere ſe, quicunque in mundo degens, non in domino, ſed in ſeculo temporaliter gaudet. Gaudet quidem mundus, quum locupletatur diuitijs, poſſeſsionibus ditatur, extollitur honoribus, voluptatibus paſcitur, nobilitatur progenie, familia multiplicatur, ſuaſque valet perficere volūtates. Nec aduertit miſer, quoniam temporalis proſperitas ſecuturæ calamitatis initium fore dignoſcitur,
Prou. 14. dicente Sapiente. Riſus dolore miſcebitur, & extrema gaudij luctus occupat. Eruditus igitur de vanitate mundialis gaudij idem alibi ait. Riſum errorem putaui, & gaudio dixi, quid fruſtra deciperis? Iuſtorum fletus & gaudij impiorum qualis vtriuſque ſit finis, ſacri teſtus declarat e-
Pſal. 125. loquij. De fletu iuſtorum inquit propheta. Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent, euntes ibant, & flebant mittentes ſemina ſua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos ſuos. De iniquorum autem proſperitate, & peccantium gaudio quid beatiſsimus Iob ſentiat, audiant vniuerſi. Quare
Iob. 21. (inquit) impij viuunt, ſubleuati ſunt confortatique diuitijs? Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba & nepotum in cōſpectu eorum. Domus ipſorum ſecuræ ſunt & pacatæ, & nō eſt virga Dei ſuper eos. Bos eorum concepit, & non abortiuit, vacca peperit, & nō eſt priuata fœtu ſuo. Egrediuntur quaſi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant luſibus. Tenent tympanum & citharam, & gaudēt ad ſonitum organi. Ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Vtrorumque ſtatum, iuſtorum ſcilicet, & peccatorū Dei
Luc 6. Ibidem. ſapientia declarans in Euangelio, ait. Væ vobis, qui ridetis nūc, quoniam flebitis. Iterumq; Væ vobis diuitibus, qui conſolationem habetis in hoc ſeculo, quoniam in futuro lugebitis.
Matt. 5. De iuſtis autem inquit. Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Ad diſcipulos quo-
Ioan. 16. que. Amen amen dico vobis, quia plorabitis, & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos verò contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra cōuertetur in gaudium. Bonus luctus, qui ſpiritualem lætitiam plangentibus affert. O beatæ lacrymæ, caſtæ, & mundæ, ò ſancta pro abſentia ſponſi triſtitia, vere peregrinantibus ſpirituale ſolatium, & ſpes certa perueniendi ad perpetuam pacē, felicitatemque manſuram, quàm dulciter ſapiunt, purgant ſalubriter, vehementer reficiūt, ſuauiter accendunt, & plangentis animum delectabiliter iucundant? Vtique iuſti fluentes & amantes, quamdiu peregrinantur à domino, corporis voluptates calcant, & pereuntis ſeculi
Pſal. 136. fugitiua gaudia ſpernunt. Quomodo, inquiunt, cantabimus canticum domini in terra aliena? Ieiunijs carnem macerant, orationibus vacant gemitibus ſe affligunt, proximorum commodis incumbūt, aſsiduis laboribus fatigantur, die noctuque nunc pietatis operibus, nunc ſcripturarum ſanctarum lectionibus, nunc meditationibus & deuotionibus inſiſtunt, vt poſt cōſummatum curſum præſentis exilii cum ſanctis angelis epulentur, floreant, & exultent. Triſtitia lætis, & temporalia anteponunt æternis. Diuino eruditi oraculo in conſtitutione mun- Gen. 1.
di prius factum eſſe veſpere, poſtea mane. Sibi etiam dicentem audiunt Prophetam. Ad veſpe- Pſal. 29.
ram demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Nō enim prius quod ſpirituale eſt, ſed prius quod animale, deinde quod ſpirituale. Primus 1. Cor. 15.
Adam factus eſt in animam viuentem, & ſecundus in ſpiritum viuificantem. Quamobrem rectus aſcendendi ordo eſt, vt caro, carnaliſque concupiſcentia prius dometur, & ſub ſpirituali virtutum diſciplina cohibeatur, quàm ſpiritualis internæ iucunditatis, & delectabilis pacis expectetur fructus. Non poteſt de corruptione niſi corruptio meti. Corruptionis cohibeat impetum, quicunque ad incorruptibilitatis anhelat gloriam. Sentes quippe vitiorum ſpinaſque cupiditatum vitiata germinat caro, quæ cum doloris ac laboris ſtudio euelluntur. Subductis etenim voluptatibus, carniſque delectationibus abdicatis anima ſenſibus & ſenſibilibus aſſuetā gemit. Nō enim abſq; mœrore amittitur, quod cum amore poſsidetur. Qua re ſi diligenti exerceatur ſtudio, & forti perſeuerantia excolatur, virilem induit habitum, magnanimitatis gemma decoratur, & de muliere efficitur vir, atque de anima animus diuinis vtiq; aptus obſequijs, ac multorum ſaluti non mediocriter profuturus. Non enim ad virtutum conſcendit arcem mens adhuc puerilis & debilis, niſi pugnam arripiat contra ſe, & conſuetudines euertat noxias, atque ſpiritualiter dimicandi acquirat vſū. Hoc autem ſufficienter perficit, ſi cœleſtis gratiæ rore præuenta conſideratione peruigili ſanctorum ſibi proponat exempla, virtutis immarceſsibilem fructum, neceſsitatem indictam pugnandi, tentationum ſuperglorioſum triumphum, & præ omnibus laborioſiſsimum & inuictiſsimum mediatoris agonem. Iſtiuſmodi conſiderationibus optime quiſq; animatur ad prælium, ſed ſupra modum conſummata victoria lætatur, & exultat in domino. Non valet inanis & infœcundus eſſe labor, cui Chriſti miles & amator ſapientiæ pro domini honore ſuccumbit. Hunc etenim pro ſtipendio emeritę militię imitantur mentis exultatio, ſpirituale lumen, tranquillitatis imperturbabile bonum, charitatis habitus, virtutum læta poſſeſsio, futuræ fælicitatis ſuauis guſtus, & immarceſsibilis gloriæ imprædabilis ſpes. Pro his omnibus medullari fruens gaudio, ita præſenti lætitia paſcitur, ac ſi nunquam in tentationum certamine deſudet-
ſet.

bitaculi non inuenerunt. Eſurientes & ſitiētes, anima eorū in ipſis defecit. Illi ergo ſolūmodo deſideriorum ſuorū vtcūq; valēt temperare calorem, qui cœleſti charitate afflati nouerunt amare ſpiritualia atq; māſura. Ex guſtu & cognitione inuiſibilium, viſibilium edomant voluptates, & dum in terris vitioſe nil appetunt, quanta in cęlorum patria diligentibus Deum maneant bona, meditādo deguſtāt. Quotidiana ſi quidē exercitatione deputati interdum eleuantur in ſummis, & amoris facib. ſalubriter inardeſcūt, atq; diuinæ conſolationis ſtillicidia mentis auiditate ſuſcipiunt. Reficiūtur quippe ex munere, ſed pro recepta delectatione ſolito vehemētius deſiderio concremātur. Tacendo clamāt, bibendo ſitiunt, ſitiēdo debriantur, in ipſaq; ſui ſpiritus ebrietate ſuccenſi conditoris ſui ſpeciē amabiliter concupiſcunt. Propheticum illud, ò quàm ſæpe promunt ore, cordeq; pertractant

Pſal. 41. dicentes. Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quādo veniam, & apparebo ante faciem Dei? Felices tales dixerim, ſi tamen nō intumuerint elatione, ſi non cęca ſecuritate tepuerint, ſi non ſponſi pręcipua dona neglexerint, quoniā conſummato vitæ curſu in ijs, quæ acceperunt, vtiq; inebriabuntur ab vbertate domus tuę, & torrente voluptatis tuæ potabis eos Domine. Apud te eſt fons vitæ. Vides, vnde ſatietas ſperandā ſit? Prorſus nō in hoc ſeculo, non in voluptate labētium, neq; de quauis creatura, ſed ab vbertate domus Dei, de torrente diuinæ voluptatis, de fonte vitę.

Pſal. 16. Iſta prænoſcēs propheta memoratus aiebat. Satiabor, quū apparuerit gloria tua. A quo autē talia conſecutus ſit, & quib. medijs, ſi ſcire volueris, ipsū alio in loco audies

Pſal. 26. dicentem. Vnam petij à Domino, hanc requirā vt inhabitē in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ. A Domino igitur oratione mediāte habitationem domus Dei, in qua eſt bonorum omnium vbertas, torrēs voluptatis, & fons vitæ impetraſſe ſe meminit. Quamobrē quicunq; futuram gloriam, aut quippiam boni obtinere deſiderat, propria excludat, ſi qua illi ſunt merita, & ſimplici animo Deum patrē in vnigeniti ſui nomine poſtulet, & certiſsimè cōſequetur. Ne autem vocem meam hanc eſſe quis cenſeat, ipſum Dominum Ieſum audiat dicentem. Amen

Ioan 15. amē (inquit) dico uobis, ſi quid petieritis patrē ī nomine meo, dabit uobis. Quid liberalius aut breuius dici potuit? Hoc ait ueritas, hoc ſapientia loquitur, hoc ſpondet charitas, quę non inuidet, hoc pollicetur melliflua bonitas, quæ dat omnibus affluenter, nec improperat. Nihil ex-

Iacob. 1. cludit, nil retinet, quin exponat, totum, ſi tantū in ſuo nomine poſtuletur. Poſtulas itaq; ò homo, ſed nō in nomine ſaluatoris, ſiqua ſaluti tuę contraria petis. Quum terrenas flagitas facultates, fugitiuos honores, inimicorum necem, maledicorum damna, temporalem fęlicitatem, & his ſimilia, non petis in nomine Chriſti, dum talia poſcis, imprecaris aduerſum te. Nō .n. Deus iniquitatum fautor, aut flagitiorum exauditor eſt. Pete ergo ſancta, rationabilia, iuſta, & ſpiritualia, ſi exaudiri deſideras. Caue tamē ne pręceps tua ſit poſtulatio, ne ſit dubia, ne ſit elata, ne ſit iniqua, ſed pura, ſed humilis, ſed deuota, ſed ignita, ſed perſeuerās, aliter infructuoſa repellitur. Verum ne proprio ſeducaris iudicio, ne affectio tua ad impetrandum ſuadeat, quod non licet, diſce prius quem petas, diſce, quo egeas, diſce, quid poſtules. Quem orare debeas,

Matt. 7. magiſtrum docentē audi. Tu autem, quum oraueris, intra cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrem tuum. Ad Diſcipulos quoq;.

Ibid. Quum oratis inquit, dicite. Pater noſter, qui es in cęlis, ſanctificetur nomē tuum. Prorſus vniuerſis egemus, quę in ipſa oratione Dominica continentur. Hoc nos inſtituit Dei ſapientia petere, quo egere cognouit. Poſuit quidem ſub compēdio, quicquid humanæ ſaluti neceſſarium eſt. Quid verò particulariter petere debeamus, vt conſe-

Ioan. 16. qui valeamus, aduerte, quid dicat. Petite, & accipietis, vt gaudium veſtrum plenum ſit. Petite ait, non motu labiorum, aut prolationē verborum tantum, ſed deuotione, & mentis affectu. Languet autem oratio, ſi nō bonis operibus comitetur. Nam opus laudabile orationis vehiculum eſt, quo graditur ad ſuperiora cęlorū. Quid prodeſt tota die preces fundere, noctesq; tranſire peruigiles, & Dei aduerſū ſe iuſtitiā peccatorum ſordibus prouocare? Ambo cōuenire debent, ſimulq; in vno vinculo ſociari cor & lingua, vita & oratio, virtutis opus & affectio charitatis. Horū alter ſi diuidatur ab altero, iacet orantis animus, & oratio inexaudibilis reperitur.

Matt. 18. Si duo ex vobis (inquit Dominus) conſenſerint ſuper terrā, de omni re quācunq; petierint, fiet illis a patre meo. Qui igitur orationi vacare, deſiderat, ſuaſq; poſtulationes offerre altiſsimo; ſic ſe componat intus coram oculis Domini, vt non minus ipſe, quàm eius fiat acceptabilis deprecatio. Non placet Deo orationis ſacrificiū, niſi placeat prius ipſe, qui offert. Vtrūq; appro-

Gene. 4. bat Dominus, vterq; placabilis inuenitur. Reſpexit (ſicut legitur) Dominus ad Abel & munera eius, ad Caim autē & munera eius nō reſpexit. Nā etſi redolebat ſacrificiū, fętebat tamen, qui immolabat. Maximū ex his orādi documētum elicitur, quatenus homo minime confidit in prece, dum ſordet in opere. Quid Sapiens de

Prou. 28. hoc ſentiat diligenter aduerte. Qui obturat, inquit aurem ſuam, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis. Concordent ergo ſimul mores & oratio, dilectio & obedientia. Hunc

orandi modum mediator noſter inſinuare vo-
luit inquiēs. Petite, vt gaudium veſtrum plenū
Ioan.16. ſit,& accipietis. Summā orationis petitionūq;
perfectionem hoc vnico ſermone cōcluſit. No
uerat omnes ideo orare, vt votorū concupiro-
rum ſortiantur effectum,quo percepto gaudiū
in mente generatur. Quam multi ſunt,qui tem-
porale quęrentes gaudium irato exaudiuntur à
Domino, qui conſequentes quod poſtulant,re
periuntur de propria perditione lætari. Gaudēt
tales,ſed non rectè,quoniā obliquo itinere gra
diuntur. Illi ſoli rectè lætantur, qui in Domino
gaudent,& de eo,quod debent,exhilarātur tē-
peranter. Temperanter inquam,quoniam quā-
diu anima viuit in corpore, ſicut perfectè gau-
dere non valet, ita nec effrænè lætari. Quando
autem poterit? Quum vinculis mortalitatis ſolu
ta,deletisq; peccatorum ſordibus ad Deū vene
rit, atq; in ipſius gaudiū ſempiternaliter introie
rit. Tunc plenum habebit gaudiū, tunc vndiq;
exuberabit lętitia, tūc pro adepta fœlicitate ex-
hilarata beata Domini viſione fruetur. Hoc nos
docuit Sapientia petere, hoc ſolicitè quærere,
hoc totis præcordiorum flagitare votis dicens.
Ioan.16. Petite,& accipietis, vt gaudium veſtrum plenū
ſit. Alta ſunt hæc, præcipua, ſpiritualia, & æter-
na. Ipſa non capit animus, nec intellectus pene
trat, niſi intus infundēte verbo erudiat ſpiritus.
Porrò non præſente verbo, nec inſtruente ſpiri
tu per ſenſibilia & humana diſtenditur animus,
quia teſte Apoſtolo animalis homo non perci-
1. Cor. 2. pit ea, quæ Dei ſunt. Vbi verò adeſt verbum,&
docet per ſpiritū, palàm omnia fiunt. Ipſius ſen-
tentiam intellige,& vera eſſe, quæ dicuntur, mi
Ioan.16. nimè dubitabis. Hæc in prouerbijs, inquit, locu-
tus ſum vobis. Venit autem hora, quū iam non
in prouerbijs loquar vobis, ſed palam de patre
meo annunciabo vobis. Quæ eſt hora hæc? Vti-
que quū ab ipſo Dei verbo emiſſus de cœlo pa-
racletus Sapiētiæ & intellectus dono fidelium
repleuit corda. Tūc quidē longe reformati in
melius de diuinitatis eſſentia, de æternitate pa-
tris, de verbi generatione, de proceſsione ſpiri
tus, de beatorū gloria, de arcanis ſanctarū ſcri-
pturarum myſterijs multa perceperūt. Igne nā-
que ſancto eorū depurata corda illa, quæ prius
ignorauerāt, intelligentia poſtmodum penetra-
uere ſubtili. Probāt hoc Apoſtolorum ſcripta.
Vnum enim ante aduentum paracleti imperiti
& legis eſſent ignari, vnde didicerunt genera
omnium linguarum, ſermonum interpretatio-
nes, ſenſus Prophetarum, & ſacramentorū pro
funda myſteria? Prorſus ex inhabitante verbo,
& ſpiritu reuelante. Eorum vnum quanta poſt
aduētum ſpiritus floruerit facundia, audiamus.
Ioan.1. In principio erat Verbū, & Verbum erat apud
Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in prin-
cipio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt,
& ſine ipſo factū eſt nihil. Alius quoq; inquit.
Benedictus Deus, & pater Domini noſtri Ieſu 1. Pet.1.
Chriſti, qui ſecūdū magnā miſericordiā ſuā re
generauit nos in ſpem viuam per reſurrectio-
nem Ieſu Chriſti ex mortuis hæreditatē incor-
ruptibilē, & incontaminatā, & immarceſcibilē,
conſeruatā in cœlis. Nunquid piſcatorum lite-
ras neſcientium iſtiuſmodi eſſent verba? Huma
næ intelligentiæ metas tranſcendunt. Has niſi
illuſtraſſet ſpiritus, neq; ipſi doctores & legis e-
ruditi fari potuiſſent. Solus ſpiritus ſcrutatur et 1.Cor.2.
profunda Dei. Proindè, quos replet, inſtruit, &
ſapientes facit, donans illis diuinitatis pręclarā
ſcientiam, ſui cognitionem, & ſpiritualis exerci
tationis vberē cognitionē. Hinc eſt, quod veri-
tatis diſcipuli quamuis diuinitatis opera cerne-
rent, quamuis eloquia ſapientiæ audirent, quo
niam necdum in ipſis ad erudiēdum habitabat
ſpiritus, indocti ſpiritualium de Domino Ieſu,
ſola, quæ humanitatis ſunt, nouerāt. At vbi ſpi-
ritus eoſdē docere cępit, diuinitatē illius agno-
ſcentes ipſum tanquam Dei filium interpella-
uere fideliter. Verum hoc ſicut veritatis magi-
ſter prænunciauit futurum dicēs. Illo die in no
mine meo petetis, ita ab ipſius veritatis diſcipu
lis cognouimus eſſe impletum, atq; ab vniuer-
ſali eccleſia quotidie frequentatum. Quanta Pe
trus & Apoſtoli cæteri interuentione nominis
Chriſti mirabilia geſſerint, quiſquis ſcire volue
rit, Apoſtolicarum actionū perlegat volumina,
& huius nominis intelliget ſanctitatem. Cæte-
rum eorum inſtitutionibus inoleuit mos, vt in
cunctis ſuffragijs, quæ vel publicè vel priuatè
fiunt, terminetur per Chriſtū Dominū noſtrū.
Nouit quippe eccleſia nominis Chriſti virtu- Act.4.
tem, atque experimento didicit non eſſe aliud
nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo va-
leant ſalui fieri. Quamobrem tanquam integer
rima mater pro omnium ſalute ſolicita per or-
bem vniuerſum nomen hoc diſſeminare cona-
ta eſt. Factumq; eſt, vt quicunq; in neceſsitati-
bus, ſeu pro adipiſcendis beneficijs, in marinis
fluctibus, in ſolitudinibus de vijs, in ciuitatibus,
in cubilibus, aut in quouis loco, tribulationib.
fatigati Deum deprecari voluerint, interpella-
to Ieſu nomine, facile votorū ſuorū ſalutarē cō-
ſequātur effectū. Nempe nominis huius virtus
cęlū ſicut penetrauit & inferos, ita & mortaliū
corda transfigit & replet. Viuus eſt Dei ſermo Heb.4.
& penetrabilior omni gladio ancipiti, pertin-
gens vſq; ad diuiſionē animæ & ſpiritus, cōpa-
gumq; & medullarū, & diſcretor cogitationū,
ita vt nulla creatura inuiſibilis ſit ei, ſed omnia
nuda & aperta ſūt oculis eius. Dulceſcūt plane
omniū fideliū mētes Ieſu melifluo inuocato no
mine. Hoc longe antè in epithalamio nuptiali
ſpōſa perſenſerat dicēs. Oleū effuſū nomē tuū, Cant.1.
ideo adoleſcētulę dilexerūt te nimis. Nimis vti
que

Digitized by Google

quę quoniā pro ipſius amore contēpſerunt mūdum,carnis ſe voluptatibus abdicarunt,vitijs repugnantes virtutum conſcenderunt arcem; ac corporis vitam animi magnanimitate neglexerūt.Probauerunt verum eſſe, quod in eodem le- Cant. 8. gitur cātico.Fortis eſt,vt mors dilectio,dura,vt infernus ęmulatio,lāpades eius lampades ignis Ibidem. atq; flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere caritatem neq; flumina obruēt illā. Quid verò eſt, quod quum tam flagrantiſsime ſponſus ipſe ab eccleſia diligatur,amori vices rependere non videtur? Quum enim ipſa in illius nomine Deum petere nūquam deſiſtat, ille po- Ioan. 16. ſtulationis ipſius affectum, tanquā ſi paruipēderet,ait.Et non dico,quia rogabo patrem de vobis.Conſueuerunt ſe mutuò amantes in Domino indeſinēter orare pro inuicē, obſequiorūq; ſibi munuſcula impēdere. Hoc autem de tanto ſponſo ſuſpicari nefas eſt.Quomodo poteſt illā non diligere, pro qua carnē mortalem aſſumere dedignatus nō eſt? Vel quo pacto pro eadem non intercedet, quum pro ipſa proprium cruorem effundere nō expauit? Diligit Chriſtus eccleſiam,& ſine intermiſsione patrem pro illa in- 1.Ioan.1. terpellat. Aduocatū(inquit Ioannes) habemus apud patrem Ieſum Chriſtum, qui interpellat pro peccatis noſtris,& non tantum pro noſtris, ſed pro totius mūdi. Orauit in cruce patrem dicens.Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt.Rogat indeſinenter eundem in cœlo exhibēdo vulnerū cicatrices,quę pro redemptione fideliū in ſuo perpeſsus eſt corpore. Nemo itaq; credat Dei ſapientiā deſpicere, orare pro eccleſia, illamq; non diligere, quam tanti æſtimauit,vt precio ſanguinis illam ſibi perpetuam uendicaret in ſponſam.Quamobrē uerbi diligēter diſcute uerba,ne ſine intelligentiæ luce offendas in lapidem,cadaſq; retrorſum male ſen- Ioan 16. tiēdo de Chriſto.Nō enim ait.Non dico uobis, quia rogabo patrem pro uobis,ſed ſignāter dixit de uobis.Vſus quidē docet, ut quando quis potentem quempiam aduerſus imbecillem & ſubditū iratum uiderit,compaſsione permotus pro oppreſſo effundat preces, ut cōturbati odientiſq; mulceat animū. Conſueuit et humana compaſsio pro captiuis interuenire, potiſsimè obliuioni traditis. Planè vbi deeſt dilectio & miſerendi obliuio, ibi piæ interceſsionis adeſt ſingularis occaſio. Neutra horum de cauſa ex- Ioan 3. pedit,vt filius patri ſuadeat de nobis.Sic enim Deus pater dilexit mundum,vt filium ſuum vnigenitum daret pro reparatione illius.Quem verò tam ſpeciali amat affectu,illius obliuiſci non Eſa. 40. valet.Prophetæ ſuper hoc ſententiā audi.Nunquid poteſt mater obliuiſci infantis vteri ſui? Et tamen ſi illa oblita fuerit,ego nunquā tui obliuiſcar,dicit Dominus. Expreſsit igitur Dominus Ieſus ſermone ſuo præcipuum ad homines Dei patris affectum.Nō negauit ſuę ipſius orationis ſuffragiū.Vt autē ſcias verum eſſe, quod Ioan. 16. dicitur,intellige verborū illius ſequētiam. Quū enim dixiſſet,nō dico, quia rogabo patrem de vobis, addidit. Ipſe enim pater amat vos, quia vos me amaſtis,& credidiſtis,quia à Deo exiui. Obſerua tamen diligenter, quod ait, ipſe pater amat vos,quia vos me amaſtis. Nunquid amor noſter,quē Chriſto gerimus,aut fides,qua in illū credimus, diuini amoris eſt in nobis efficiēs cauſa, vti ipſius Chriſti ſonāt eloquia? Prorſus minime. Non enim diligimur,quia diligimus, ſed ideo diligimus,quia diligimur. Diligit Deus eccleſiam dilectione ſua ſpontanea, etiā antequā diligeret,aut fieret.Nā ideo facta eſt, quia dilecta.Non enim formaretur,niſi diligeretur. In ipſo ſiquidē mūdi exordio quando de Adam Eua formata eſt,diuinus tūc erga eccleſiam expreſſus eſt amor,quę de latere Chriſti dormiētis in cruce ſpiritualiter formata eſt. Diligit itaque pater nos in filio, vt diligamus filium, credamus in filium,& trahamur ad filium. Vt autē diligamus filium, oportet vt diligamur à patre, vt verò credamus in filiū, expedit vt trahamur à patre. Mors quidem filij,patris in nobis charitatem cōmendat. Sed & fides,qua viuimus credentes in filium,paternæ attractionis eſt donū. Ioan. 6. Nemo(inquit filius)venit ad me,niſi pater,qui miſit me,traxerit eum. Trahit pater ad filiū mediante fide.Non enim accedimus ad Chriſtum 2.Cor. 5. corpore,ſed fide.Pes animę fides eſt.Per fidem (inquit Apoſtolus) ambulamus nō per ſpeciē. Tantū vadis,quantū credis.Credis multū? curris velociter.Parū credis? remiſſe ambulas.Si nihil credis,mortuus es. De infidelibus loquens Matt. 8. Dei ſapientia dixit. Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.Vt igitur accedas ad Chriſtū,crede,vt autē credas,pete,vt traharis.Niſi traharis nūquā credes.Spōſam auſculta poſtulātē ſe tra- Cant. 1. hi.Trahe(inquit)me poſt te. Nullus tamē inuite credit.Si autē ſponte credit,quō trahitur? Et tamē quiſq; trahitur,& ſpōtè credēdo trahitur. Trahit pater ad filiū,quū agnoſcere facit filiū. Nō enim poteſt agnoſci verbū, nō poteſt videri veritas, non poteſt guſtari ſapientia, & non diligi. Si verò diligitur, concupiſcitur, quod ſi concupiſcitur,quæritur.Quum autē quæritur, affectus trahitur.Ex fide itaq; cognitio, ex cognitione amor,ex amore cōcupiſcentia, ex cōcupiſcētia inquiſitio generatur.Propterea vt homines,qui apoſtatauerāt à ſuo cōditore,traherētur ad ipſū, expoſuit illis filiū ſuum, & ipſum cognoſcibilem fecit,quatenus credētes in ipſū tracti per ipſum ſaluarentur ab ipſo. Nihil illo melius habuit,quod daret,nil delectabilius,nilque ad trahendum aptius. Venit itaque Dei filius tanquam agricola doctiſsimus,atque verbis, miraculis, & exemplis in agro præſentis

ſeculi fidei ſemina iactauit, vt fructificarent iuſtitiæ germen, & ad Patrem, vnde exiuit, iterum rediit, ſicut idem ait. Exiui (inquit) à patre, & veni in mundum, iterum relinquo mũdũ & vado Ioan. 16. ad patrem. Ex huiuſmodi autẽ opere charitatis talem mediator noſter honorẽ à Deo ſortitus eſt, vt nemo ad Deum, nullusque ad cœleſtem patriam (niſi ipſo mediante) perueniat. Nõ autem ab re mediatoris nomen accepit. Mediatione ſiquidẽ ipſius homo ad eandem, propter quã conditus eſt, pertingit beatitudinis gloriã. Hoc verbis docuit, hoc ab vniuerſis credi mandauit. Nempè hæc eſt veræ fidei recta confeſsio quæ iuſtificat impios, & de incredulis fideles facit, atque ab alienis ſecernit filios. Huius etenim diſciplina fidei eruditi Apoſtoli confeſsionis ſuæ regulam coram ipſo præceptore exponentes dixerunt. Nunc ſcimus, quia ſcis omnia, & non eſt opus tibi, vt quis te interroget. In hoc credimus, quia à Deo exiſti.

Quàm perniciosa ſit ſuimet ignorantia, quæ plurimum in concitato animo dominatur. Cap. XVI.

AEgrotantium corpore mos eſt, vt eò magis infirmitatis propriæ ignari ſint, quò amplius morbo fatigantur. Euertit nanque paſsionis nimietas rationis iudicium, nec permittit diſcernere, quid proficuũ quidve contrarium ſit. Proinde alieno potius, quam proprio ſunt committendi regimini, fallitur quidem ſæpiſsime diſcretionis examen, affectionis impellente virtute. Quod autem dictum eſt in humanis agitari corporibus, hoc nõ incongruè de infirmis ſentiendum eſt mentibus. Cõſueuit quã plurimũ in languẽtium mẽtibus ſpiritualiter ſuimet ignorantia dominari. Ab hac prorſus cæteræ paſsiones animæ originem trahunt. Sub ipſa nutriuntur, creſcunt, fructificant, perficiunturque. Facile humani intellectus acumen ſeducitur, quum à ſui cognitione cœperit animus dormitare. Vnde prophetę voce Dominus ait. Populus meus ſeductus eſt non habens cor. Huiuſmodi qui ignorant ſe quales ſunt, alieno ſe ſubdant arbitrio, ſeniorũque acquieſcant iudicio, ſi ſanari deſiderãt, atque prudentes effici concupiſcunt. Optimum plane reſtaurandæ ſalutis animarum, & adipiſcendę prudentiæ initium eſt ſibi omnino nil credere, potiſsimè quum ex emergentibus caſibus non lateat hominem ſe ignorare, quid ſibi expediat. Non ſui ignarus, ſed mortuus ille cenſendus eſt, qui cadens frequẽter ſe cecidiſſe neſcire neſcit. Nam quemadmodum qui cadens compungitur, ſanabilis eſt, ita & inſanabilis qui quum delinquit, non ſentit. Amiſſo ſiquidem vitæ ſenſu & perpetuę mortis timore, quomodo viuere, quomodo peccator ſanabilis dicendus eſt? Quo medicamento ignotus curandus eſt languor? Deo tamen omnia poſsibilia ſunt, qui quæcunque voluit, fecit in cœlo & in terra. Quamobrem inter præcipua dona humanę ſaluti neceſſariam primum tenere locum, infirmitatis proprię ſcientiam definire non vereor. Huic tanquam ſpirituales pediſequę cordis compunctio, peccatorum confeſsio, effuſio lacrymarũ, delictorum emendatio, precum importunitas, mẽtis innocentia, alienę vitę commendatio, extrinſeca humiliatio, & cordis humilitas famulantur. Qui in lumine veritatis ſui ipſius percepit notitiam, alieni cordis ſecreta curioſe non quęrit, neminem iudicat, nullum condemnat, nulli iniuriã irrogat, non iraſcitur, non contradicit, non detrahit, non mẽtitur, honores non appetit, neſcit inflari, nõ extollitur in naturalibus neque in donis ſpecialibus eleuatur. Propriã quippe non excedens menſurã potiorib. ſemper ditari meretur. At qui ſui eſt neſcius, ex quotidianis exceſsibus cõgregata diſpergit, amittit munera gratis accepta, atque frequenter in eos, quos humilis declinat, ruit laqueos. In tenebris ambulans latentes in corde foueas quomodo intueri valet? Hanc ſuimet notitiam Propheta ſe habere declarauit dicens. Ego vir videns pau- Tren. 3. pertatẽ meam. Hãc Pſaltes egregius ſe poſsidere confeſſus eſt dicens. Domine non eſt exalta- Pſal. 130. tum cor meũ, neque elati ſunt oculi mei, neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me. Iſtiuſmodi proprię cognitionis regulã necdum habentes Apoſtoli ſe percepiſſe arbitrabãtur, cum dicerent Domino, in hoc credimus, quia à Deo exiiſti, fefellit tamen illos opinio propria. Poterant vtique in ſuo perſiſtere ſcelere, ſi nõ pręſente magiſtro veritatis, vulnus proprium detexiſſent. Voluit autem cœleſtis medicus & ſecretorũ cognitor Deus corrigere, quod ipſi neſciendo ſimpliciter reſerauerant. Voluit plane Dei ſapientia coercere illos à mentis tumore, ne eleuati ſuper ſeſe exiſtimarent eſſe, quod non erant, atque ſe crederent ſcire, quod penitus ignorabant. Quũ enim dixiſſent credimus, quòd à Deo exiiſti, illicò ex ore veritatis Ioan. 16. audierunt. Modo creditis? Ecce venit hora, & iam venit, vt diſpergamini vnuſquiſq; ĩ propria & relinquatis me ſolum. Exitus quidem probauit, quàm vera fuerit Saluatoris ſententia. Quũ enim à turbis vallatus tẽtuſq; fuiſſet, repẽte eo relicto fugerũt omnes. Quod verò illis corporaliter, hoc in nobis quotidie ſpiritualiter perficitur. Tẽtatus quiſque, ſi ad momẽtũ ſe diuina ſubduxerit gratia, repẽtè qui ſe aliquid autumabat poſſe, experitur qualis ſit. Prona quidem mens eſt, dum deuotionis guſtu tangitur, eleuari de munere, atque ĩ proprię ſoliditatis virtute vtrũ- Pſal. 29. que cõfidere. Hoc de ſe inſinuãs propheta ait. Ego dixi in abundantia mea, non mouebor in ęternum. Sed qualem ſe agnouerit, ex amotione

tione

Ibid. tionē gratiæ mox intulit. Auertiſti manum tuã à me,& factus ſum conturbatus. Maximum ex hoc documentum elicitur, vt nō de nobis quid cooperante nobiſcum gratia valeamus, exiſtimare debeamus, ſed quid ſine ipſa à nobis ſumus. Velle quidem iudicare de nobis, quales per gratiam ſumus,quid aliud eſt,quàm de alienis diuitijs ſe extollere? Non enim ſpiritualia bona,quibus virtutes acquirimus, & laudabiliter viuimus,noſtra ſunt,ſed ex diuino prodeũt munere.Siquid boni naturaliter poſſumus, quã quam & hoc ſit donum conditoris,ſi ſuadet ratio vendicemus nobis. Nam quod præter naturam bonum eſt, totum nobis diuinitus conceſſum eſt.Attendamus (oro) naturam noſtram, non qualis ab artifice ſummo condita eſt, ſed qualiter concepta & propagata ſit,& perſpicuè intelligemus nos de aliquo(præterquam de malo)gloriari non poſſe (ſi tamen de malo gloriãdum eſt.)Adeò quippe exigente culpa atq; impellente humana ſpecies in naturalibus vulnerata cognoſcitur, vt in bono infirma,ad peccatum verò ſemper procliua ſit. Tantum valet operari bonum,quantum iuuatur vt poſſit. Tãdiu erecta perſeuerat,quandiu tenetur, ne corruat.Nutat tamen tanquam vetuſtiſsimum ædificium, nomentiſque ſingulis ruinam minatur, atque frequenter labitur propria defectibilitate grauata. Diuina autem miſeratione nunc iacēs erigitur, nunc ſuſtentata roboratur, ne tendat in nihilum.Dei pietatem , atque elementiam, & humanæ naturæ vtilitatem propheta ſufficiē tiſsime paucis aperuit dicens. Quantum diſtat
Pſal.102. ortus ab occidente, longe fecit à nobis iniquitates noſtras.Quomodo miſeretur Pater filiorũ miſertus eſt Dominus timentibus ſe. Quomodo ipſe cognouit figmentum noſtrum, recor-
Pſal.77. datus eſt,quoniam puluis ſumus.ſpiritus vadēs & non rediens.Quum igitur in cunctis, quæ agimus,conditoris noſtri egeamus auxilio,prouida examinatione caueamus, ne de ipſius extollamur muneribus.Facile quidem amittimus, quod donante Deo accepimus,ſi hoc humiliter non cuſtodimus. Hoc etenim optimè diuinæ bonitatis fulget in oculis,ſi quiſq; iugiter quod habet, gratis accepiſſe ſe meminit. Qui autem ignarus huiuſmodi neſcit gratias agere, ſpiritualibus nunquam ditabitur donis. Nemo digne eleuatur in ſummis, niſi qui in humilitate ſe collocat.Proinde quoties inſoleſcit animus, quoties pro cœleſti gratia intumeſcit,aut attollitur in proſperis,& qualis ſit obliuiſcitur, relinquitur ſibi, & ad propria cum dedecore redire compellitur. Tunc tentationum Deo permittente agitatus aculeis, atq; concupiſcentiarum abſtractus illecebris cogitur ſcire, quid ſit. Vexatio nanque ipſa dat intellectum,& quam patitur, tribulationũ preſſura ad orationis ſuffragium hortatur accedere.Exprimēto diſcite per ſeipſum nil poſſe,propter quod elationē omnē quam de ſe ipſe conceperat,euomere cogitur. Vnde hæc eadem mutatio, niſi ex irradiantis gratiæ ſplendore efficitur?Præſente nanq; veritate euaneſcit falſitas,& noctis opaca caligo clareſcit,atq; ad intuitũ ſapientiæ cuncta ignorã- Gen.1.
tiæ propriæ albugo fugatur. Agnoſcit quidē in his animus Dei in ſe præſidentem bonitatem, intelligentięq; attollens oculos ineffabilē glo- Pſal.19.
riam maieſtatis ipſius veneratur in ipſo.Quum enim ſit omnipotens Rex, immaculata veritas, fulgentiſsima ſapientia, vita immortalis,& ema 1.Cor.11.
natio ſempiterna, ſuæ tamen diuinitatis nullum patitur habere conſortem. Domino Ieſu tantũ diuini honoris cōmunicatũ eſt nomē propter verbi ſubſtãtiam,quam gerit in homine. Quod enim in natura ineſt verbo, hoc aſſumpto gratis datum eſt homini. Solus igitur Chriſtus inter mortuos liber, ſolus inter homines Emanuel eſt.Humana itaq; imbecillitas,& mediatoris Chriſti ex iis,quæ præmittuntur, declaratur autoritas.Nec ſine patre verbum,neq; ſine verbo confitendus eſt Pater.Hanc fidei diſciplinã Dei filius inſinuauit eccleſię, vt non inaniter in hunc peregrinationis curreret ſtadium.Quum enim diſcipulis dixiſſet,ecce venit hora, vt di- Ioan.16.
ſpergamini vnuſquiſq; in propria, & relinquatis me ſolũ,mox addidit. Et non ſum ſolus,quia Pater mecum eſt.Maximum catholicæ vnitatis robur eſt,vt omnipotens pater cum vnigenito ſuo ſit filio.Non enim vlla poteſt eſſe, niſi perſonalis filij patriſq; diſcretio, quũ amborũ vna ſit gloria,eadēq; eſſentia dicēte filio. Qui videt me,videt & patrē.Alibiq;. Ego & pater vnũ ſu Ioan.14.
mus.Huiuſmodi veritatis eloquia nō pro ſe,ſed pro ſoliditate,atq; cōſolatione credētiũ Dei locuta eſt Sapientia, quatenus nedũ in futuro,verũetiam in præſenti ſenſibilē fidei ſuæ guſtũ ſortiantur,& meritũ,ſicut in ſequētibus ait. Hęc locutus ſũ vobis,vt in me pacē habeatis. Optima pacis pollicitatio,nō carnis eſt,ſed ſpiritus, nō hominē,ſed animorũ,quam nō niſi in Chriſto conſequimur. Humani ſiquidē animi appetitus talis eſt,vt ſemper pacē inquirat, ſemper vt illã poſsideat, abſq; intermiſsione laborare nō deſinit.Nullũ ſine bono pacis experitur gaudiũ, nulla fatigationũ ſuarum mercede lętatur.Circuit mare,& aridã,vniuerſaq; ſeculi iſtius delectabilia quęrit, vt in ipſis concupitę pacis ſolatiũ inuenire valeat. Faſtidiunt demũ cũcta,quę pacē conferre nequeunt.Proh dolor, quàm maxima in creaturis omnibus penuria eſt, quoniam earũ nulla poteſt pręſtare ſui dilectoribus pacē. Pacis ſatietatem minimè tribuũt,ſ d acrius accendunt.Fatigant quærentis animum, non pacant, illumque vana promiſsione deducunt. Carent prorſus eo,quod in ipſis exquiritur,bo-

no. Horrendum igitur ſpectaculum, & compaſſiua conſideratio eſt cæcum ſitientem aſpicere, & aquæ riuulos quæritantem, atque in luti volutabro ſe mergentem, vt inde ſitis ſuæ ſatiet appetitum. O cæcum mortalium genus. O contemptores & præuaricatores redite ad cor. Cōſiderate vos, vias veſtras diſcutite, deſideria veſtra trutinate, ſupra mentis veſtræ tribunal aſcēdite (ſi tamen valetis) caſſumq́; laborem veſtrū rationis iudicio temperate. Nunquam quò tendere nitimini, peruenietis. Pacem cupitis, pacē quæritis, pacemq́; in infimis poſsidere ſperatis. Aliundè quęrenda eſt, quoniam alibi eſt. Venite itaque, o ſectatores pacis, & inconcuſsi boni amatores, qui hactenus ſuperuacuè laboraſtis, & pereuntis ſeculi amore onerati fuiſtis. Venite, inquam, & gratis narrabo vobis, quanta fecerit Deus animæ meæ. Communicabo vobis pro Dei gloria, veſtroq́; profectu, quod in cordis penetralibus occultè percepi. Eram & ego aliquando veſtri ſimilis, quærens anxio, æſtuantique deſiderio pacem in extrinſecis, nec inueni. Tandem diuina præuentus gratia dum ſic laborarem, ſpecioſiſsima quædam ſole ſplendidior, balſamoque ſuauior mihi apparere dignata eſt, cuius omnino nomen ignorabam. Hæc nanque propius accedens venuſto vultu, placidoque affatu inquit, O iuuenis in me diligende cur effundis cor tuum, pacemque ſectando variaris permulta? Quod quæris, in me eſt, quod concupiſcis, tibi polliceor, ſpondeoque (ſi tamen me in ſponſam habere volueris) Fateor quoniam ad eloquium illius elanguit cor meū, & amoris eius iaculo transfixus ſum. Compleuit quadam inſueta lætitia mentem meā, & omnia interiora mea ſpirituali exultatione perfuſa ſunt. Quum verò in his poſitus nomen ipſius, dignitatem, & genus ſcire peroptarem, adiecit ſe Dei ſapientiam vocari, & eſſe, quæ in temporis plenitudine pro hominum reconciliatione humanam formam ſuſcepit, & quæ antè inuiſibilis erat cum Patre, viſibilem naturam, vt aptius amaretur, accepit ex matre. Cui cum ingenti gaudio dum præbuiſſem aſſenſum, dato pacis oſculo læta diſceſsit. Tunc & deinceps amoris illius flāma excreuit, memoria viguit, & dulcedinis illius abundantia perdurauit. Hanc itaque amaui vt ſponſam, hanc vt chariſsimam tenui, ipſaque mediante pacis bonum, quod antè quæſiueram, vtcunque guſtaui. Hinc hortor fiducialiter vniuerſos properare ad illam, ſciens quòd lætiſsimè ſuſcipit omnes accedentes ad ſe, pacisque inebriat poculo, ita vt vltra ſitire non poſsint. Ne autem mendacem arbitremini me, ne me de corde meo iſta proferre credatis, ipſius ſententiam audite. Hæc (inquit) locutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis. Quicūque pacem veram cupit, quiſquis tranquillitatem internam tenere deſiderat, ad Chriſtū pergat, Chriſtique ſectetur veſtigia. Ipſe nanque eſt pax noſtra, qui facit vtraque vnum. Sicut in illo habebit pacem, ita & in mundo preſſuram. Premit mundus, quos recipit Chriſtus, perſequitur Diabolus, quos inhabitat Sapiētia. Hoc ſcientes, ò imitatores Chriſti, & æternæ Sapientiæ diſcipuli nolite turbari, neque expaueſcat cor veſtrum, quum aure auditis, aut experimento diſcitis pati preſſuram in mundo. Admonitio iſta Sapientiæ eſt, quæ ait, In mundo preſſuram habebitis. Mementote autem, quod ipſa permiſerit. Hæc (inquit) locutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis. Si de pacis ſponſione exultaſtis, vt quid de mūdi preſſuris, vel in modico turbamini? Si pacis victoria placet, nequaquam diſpliceat mundi conflictus. Vtrunque neceſſarium eſt. Nec triumphus ſine bello, neque ſtrenuum bellum eſſe valet abſque triumpho. Arma ergo certaminis ſpiritualia arripite, & viriliter contra mundum, & vitia præliamini. Quemadmodum certandi veſter eſt labor, ita & veſtra victoria erit. De labore quidē mercedem, & de victoria reportabitis gloriā. Merces vtique abundantis pacis erit in vobis, vobis autem coram aſtantibus cœli militibus gloria. Proſpectant ſancti Angeli veſtri certaminis exitum, coronas gemmis coruſcantes tenētes in manibus, vt illas perſeuerantibus largiantur. Pudeat vos, oro, pudeat in conſpectu cœleſtis ſenatus, & imperatoris æterni ſegnitèr dimicare. Sicut de victoria gaudium, ita duplex veſtra erit de perditione confuſio, damni videlicet, & pudoris. Quamobrem rumpite cupiditatum nexus, humanum ac ſeruilem timorem abiicite, atque in mediatore Chriſto, ſpei veſtræ ancoram collocate, quatenus mellifluæ pacis guſtum percipere valeatis. Verbis ſapientię illius cordis autem accommodate, & in eiſdem triplex reperietis ſpirituale ſolatiū, pręmunitionis ſcilicet, exhortationis, atque mercedis. Præmonet, quum futura mala pręnunciat, dicens, In mundo preſſurā habebitis. Exhortatur autē quando ait, Confidite, quia ego vici mundum. Mercedis verò pollicitationē inſinuat, quum in eo nos pacem habituros fatetur, inquiens, Hęc loquutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis. Optima ad pugnandum pręmonitio, merces autem plurimum delectabilis poſt triumphum, exhortatio verò efficax in pręſidium. Interim exhortationi intēdamus, & regis noſtri pręponamus agonē. Cōfidamus nos poſſe vincere, quia ipſe patiēdo mūdū ſuperauit. Ideo nāque vicit, quia pugnauit. Si nō certaſſet, quomodò ad palmam victorię perueniſſet. Diſcamus & nos pugnare, ſub inuictiſsimo duce minimè paueamus cū hoſtibus habere certamē. Exēplū nobis prębet, atque pręſidium. Exēplū de pugna, & pręſidium

Ioan. 16. Ibidem.

Ioan. 16. Ibidem.

diſſ pro victoria. Vtroq; accẽdimur, vtroq; roboramur. Pugnauit vt vinceret, debellauit aduerſarios, vt illos nobis vincibiles faceret. Quis niſi viciſſet ipſe, aduerſus tam feroces inimicos pugnare auderet? Roboramur igitur de illius pugna, & accendimur de victoria. Victoria ipſius noſtræ occaſio fit. Triumpho illius accendimur ad coronam. O quam viriliter exhortaremur ad pugnam, ſi fidei oculo cerneremus, quanta princeps noſter aereas poteſtates cæde mactauit. O ſi regis noſtri inſuperabilem agnoſceremus virtutem. O ſi triũphi illius ſupereminentem gloriam cordis guſtaremus affectu. Vtique prouocaremur ad pugnam, delectaremur de gloria, erigeremur ad cœleſtia. Id verò quoniam non valemus ex nobis, audiamus mediatorem noſtrum Patrem poſcentem pro nobis. Ipſe nanque ad cœlum ſubleuatis oculis orauit Ioan. 17. ſic, Pater venit hora, clarifica Filium tuum, vt Filius tuus clarificet te. Orauit, inquam, non vt claritatem acciperet, ſed vt illa, quam habuit antequam mundus fieret, nota eſſet fidelibus. Iã enim in patre clarificatus, iamque erat in immortalitatis gremio collocatus, quanquam nõdum Verbi gloria ſerui abſorbuerat formam. Adhuc paulominus ab angelis minoratus erat, adhuc ſubſtãtia, quæ videbatur, paſsibilis erat, & mortalitati ſubiecta. Non tamen dubia de victoria, neque de immortalitate incerta. Verbi habebat cautionem corporaliter habitantis in ſe. Potiorem etiam ſui partem iam diuinitate fruentem, iam cum verbo in Deo clarificatam nouerat. Poſtulabat, vt quod in prædeſtinatione latebat, atque in reſurrectione futurũ erat, in gloriæ reuelatione fieret manifeſtum. Reuelatio gloriæ Chriſti ipſius clarificatio eſt. Filij autem exaltatio, claritas eſt patris. Clarificatur itaque per patrem Filius, quando diuinitas Filii manifeſtatur in populis. Pater verò per filiũ, quum quicquid gloriæ, virtutis, & laudis habet filius, patris eſſe decernitur. Non enim à ſeipſo Ioan. 10. eſt filius, ſed illum ſibi genuit pater æqualẽ. Filium hoc confitentem audiamus, Quod dedit Mat. 28. mihi pater, inquit, maius omnibus eſt. Hoc ad Dei formam retulit. Ad hominis autem quid? Data eſt mihi (ait) omnis poteſtas in cęlo & in Philip. 2. terra. Apoſtolus autem de ſuſcepti hominis forma dicit ſic, Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Hoc, quod acceperat, vt eſſet Dei filius in vnitate perſonæ, vtque eſſet mediator Dei & hominum, poſcebat vt fideles credendo agnoſcerent, agnoſcendoque diligerent, quatenus ex fide, quæ per dilectionem operatur, promiſſam per ipſum conſequerentur mercedem. Clarificationem quidem ſuam, mercedem noſtram eſſe dicebat. Merces autẽ noſtra nõ niſi de confeſsione fidei, & agnitione Chriſti erumpit. Quam vt habere poſsimus, idem Filius patrem pro nobis orabat. Sicut dediſti ei, id eſt filio tuo poteſtatẽ omnis carnis, ſic vtiquè credant. Dedit nanquè Deus Pater vnigenito ſuo, vt habeat poteſtatem ſuper omnem carnem, & præſit omni carni. Non autem arbitreris, ò homo, Dominum Ieſum talem poteſtatem accepiſſe ſuper omnem carnem, qualem in principibus ſeculi huius videre conſueuiſti. Non illum miſit pater in mundum, vt ſeculare ſibi acquireret regnum, aut mortalium famulatum, quippè quum in cœlis ſubiectam habeat omnem Angelorum militiam, & in terris vniuerſam viſibilem creaturam. Miſſus eſt illuminare hominum ignorantiam, reſtaurare collapſa, & æternæ beatitudinis omni credenti donare ſtipendia. De ſeipſo quid per prophetam dixerit, audi, Spiritus (inquit) Domini ſuper Lucæ 4. me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me, ſanare contritos corde, & prędicare captiuis remiſsionem, & cæcis viſum, dimittere confractos in remiſsionem, prædicare annum Domini acceptum, & diem retributionis æternę. Ipſum verò vnigenitum cæteris clarius dicentem, cur acceperit poteſtatem omnis carnis attende, vt omne quod dediſti ei, inquit, det eis vitam æternam. Currite huc, ò reges ter- Ioan. 17. ræ, & gentium principes, atque vniuerſi ſeculi huius amatores ad audienda diuinæ ſapientiæ præclara eloquia. Promittit ſe vobis daturam, quod maximo cum ardore concupiſcitis. Vitam nãque diuturnam, dies plurimos atque fęlices, & multas (ſi fieri poſsit) anxiè appetitis videre generationes. Hinc ſanitatis ſtudium, ciborum exquiſitus apparatus, morbi timor, infirmitatũ remedia, & mortis cauſatur pauor. Nemo votis veſtris tam ſufficiẽter annuit, nullusque eſt, qui per omnia veſtris ſic fauear, deſideriis, quemadmodum ipſa, de qua loquimur, Sapientia. Debueratis omni veſtra facultate diſtracta etiã precibus emere, quod ipſa pollicetur gratis. Debueratis prorſus laboribus, vigiliis, ſolicitudinibus, & amicorum interuentionibus quærere, quod vobis ſponte donatur. Currite, inquam, moras rumpite, & vt audiẽdo intelligatis, amota infidelitate cordis aurem præbete. En verba ipſius proferam, en ſermonem illius coram vobis poſitus recitabo. Patri nanque ait, Ad hoc miſiſti me, ad hoc humanitatis naturam me ſumere voluiſti, vt omne, quod dediſti mihi, det eis vitam ęternam. O quantum veſtra debuerũt exhilarari corda, ò quantus deſiderii ardor, & vitæ concupiſcentia veſtris in mentibus ebullire. Quis longæuus fieri non ambiat ſuper terram? quis vitam non cupiat poſsidere perpetuam? Hoc mortales, & corruptioni dediti conferre nequeunt. Solius vnigeniti Dei eſt hoc pręſtare

poſſe,

poſſe, qui habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſsibilem. Immortalis, ſibi inhærentes efficit immortales, dicente Ioanne, Chariſsimi filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam quum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniã videbimus eum ſicuti eſt. Verum ne Apoſtoli, vel ipſius Domini verba carnaliter intelligatis, ne quid corporalis illecebrę in eius ſponſionibus eſſe arbitremini, quid idẽ Dominus intulerit, auſcultate. Verba ſua exponere voluit, vt à viſibilibus ad inuiſibilia, & à tẽporalibus mentem erigeret ad æterna.

Ioan. 17.

Hæc eſt (inquit) vita æterna, vt cognoſcant te ſolũ Deũ & quem miſiſti, Ieſum Chriſtum. Vitam ęternã non in corporis incolumitate, aut in immortalitate eiuſdem, ſed in Dei cognitione eſſe perhibuit. Vita æterna in animæ felicitate, quæ veritate paſcitur, & charitate nutritur, eſſe credẽda eſt. Cibus nanq; animæ rationalis, quo alitur vt viuat in æternum, veritas & ſapientia eſt. Cibus animæ amor eſt, pax, immortalitas, beatitudo, vita, & bonitas. Hoc totum & longè excellẽtius quàm dici, aut cogitari poteſt, Deus eſt. Ipſe dat animæ vitam, imò vita eſt animæ. Sicut enim corpus terreno alitur cibo, ita anima Dei viſione, & veritatis agnitione. Iſtiuſmodi contemplatio deificæ veritatis, in qua animæ vita ſubſiſtit, in qua beatè viuit, & diuinitatis efficitur particeps, non eſt præſentis temporis, ſed futuri, quum (videlicet) anima Dei verbo copulata ſupra naturalem ſui intelligentiam luce irradiabitur ſapientię, veſtieturq; lumine glorię, atque de claritate transformabitur in claritatẽ Angelicę per omnia ſimillima dignitati. Tunc de Dei cognitione beata, de Angelorum ſocietate lęta, de contemplatione creaturarum refecta ineffabili & iucundiſsima Dei laude replebitur. Totum quod offeret ſuper altare Dei, erit ſacrificium laudis ardentiſsima charitate ſuccẽſum. Hoc propheta inſinuare voluit, dicẽs,

Pſal. 83.

Beati qui habitant in domo tua Domine, in ſeculũ ſeculi laudabũt te. Odorabat iam in exceſſu mẽtis factus ſuauitatem quãdam mirifici ſacrificij illius, illicque quamuis in carne poſitus, eſse cupiebat inhiãter, dicens,

Pſal. 41.

Sitiuit anima mea ad Deum fontẽ viuum, quando veniam, & apparebo ante faciẽ Dei? Quo quoniã adhuc illi minimè ire licebat, ſpei tamẽ ſolidiſsimã cautionẽ tenens fiducialiter aiebat: Vota mea domino reddam in conſpectu omnis populi eius, In atriis domus domini, in medio tui Hieruſalem.

Pſal. 115.

Huius quippe medullaris laudis indefeſſa delectatio de ſola prouenit cognitione conditoris: quæ completo iſtius peregrinationis itinere donatur electis. Tanta ſiquidem clareſcit luce, tãta ſupereminet puritate, tãtaque charitatis ſuauitate pingueſcit, vt ad illam nullo modo, quãdiu paſsibilis carnis tegimur indumẽto, noſter attingat obtutus. Prouidè tamen, miſericorditerque Dei bonitas humanam reſpexit fragilitatem, ne diffidentia periclitaretur in via. Verbum nanque ſuum, quod mandauit in mille generationes in temporis plenitudine, verus permanens Deus, humanitatis ſpecie obtexit viſibili. Hunc etenim, quẽ ſuſcepit hominem Deum fecit: quatenus ipſo mediante diuinitatis ſcientia, & ſi non perfecta, mentibus infunderetur fidelium, diſcerentque credentes ex iis, quæ de verbo guſtabant per hominem, quanta incomprehenſibilia eſſent bona, quæ in ipſo originali deitatis fonte prædeſtinatus communicatur in cœlis. Plenam autem atque perfectam in aſſumente verbo habitante in homine beatitudinẽ, diuinitatem, & maieſtatem ineſſe fatẽdum eſt, tametſi propter humanitatis copulã in præſentiarum nequeat agnoſci. Neque enim inferioris eſt gloriæ filialis cõtemplatio deitatis in homine, quàm paternæ claritatis in Deo: quamuis minoratio quædam eſſe videatur. Quod vt verum eſſe fatearis, ipſum filium eadem referẽtem audi:

Ioan. 17.

Hæc eſt (inquit) vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum, & quẽ miſiſti Ieſum Chriſtum. Vt autem fideles caperent quod dicebat, profunda ſapientiæ ſuæ temperauit eloquia, vt ad redemptionis humanæ myſteria, in quibus diuinitatis lumen, patriſque maieſtas emicuit, eorum reuocauit intuitum, ne claritatis immenſæ reuerberati ſplendore infidelitatis incurrerẽt tenebras. Ex his etenim, quę patri dixit, erudiuit Eccleſiam; nec tamen mentita eſt veritas, dum quod futurum erat, factum iam aſſeueraret, inquiẽs:

Ibidem.

Ego te clarificaui ſuper terram, opus conſummaui, quod dediſti mihi, vt facerem. Apparẽte quippe in carne verbo multa ſe intuentibus diuinę virtutis oſtẽdit opera, quę patri aſcribens de quo erat, illum exhibuit eſſe laude digniſsimum, atque in credentiũ mẽtibus eundem clariſsimum reddidit. Non enim humana contradici poterat ratione, quin diuina eſsent, quę agebantur à verbo. Emanabat vtique de ore ac de pectore Ieſu quędam fragrãtia cœleſtis, quę inſtar fluminis irrigando corda fidelium illos dilectione replebat & gaudio: quod in ſpiritu propheta proſpectãs manifeſtauit, dicens:

Pſal. 45.

Fluminis impetus lętificat ciuitatem Dei. Lętificat planè Eccleſiam vniuerſam, quã lacteo ſuo cruore ipſam à priſtina delictorum redimens turpitudine, in ſpecioſam ſine ruga & macula ſibi copulat ſponſam. Hoc quidẽ humanę redemptionis opus eſt, quod ſibi datum à patre filius aſſerit conſummatum, per quod optimè idem pater ſuper terram clarificatur à filio. Congruum tamen fuerat, vt perfecto ipſius redemptionis opere agnoſceretur ab homine, quis tanti beneficij largitor exiſteret. Reus vtique de percepto beneficio fieret, ſi non reparatori

paratori

paratori ſuo gratiarũ exolueret actiones, quas, niſi illum cognoſceret, omnino exhibere non poſſet. Neceſſaria itaque ſicut patris, ita fuerat filij clarificatio, vt ad æternam vitam patens adi tus appareret. Vtrunque cõgruebat ſciri, à quo ſcilicet, & per quem à patre ſpecies humana cõ dita eſt, & reſtaurata per filium. Pro ipſius ſiqui dem moriendo ſalute illam reconciliando patri reuocauit ad vitam. Igitur quemadmodum filius moriendo clarificauit patrem, ita & pater debuit clarificare filium illius manifeſtãdo glo riam. Vnde filius aiebat: Et nunc clarifica me tu pater claritate, quam habui, prius quàm mundus fieret apud te. (Ioan. 12.) Nihil ſi diligenter aduertas, ſibi nouæ claritatis tribui popoſcit, ſed petiit, vt pro eruditione credẽtium agnoſceretur, quid erat, quod eſt vita æterna, & fęlicitas ſanctorũ, Quæ autem eſt claritas, quam habuit apud patrem priuſquam fieret mundus? Vtique vt ſit coæternus de æterno, vt ſit candor æternæ lucis, patris imago, ſempiternum verbum, increa ta ſapientia, Deus de Deo, & principium ſine principio. Hæc nempe eſt claritas, quam ante creaturam aliquam noſter habuit mediator. Ipſe per ſpiritum hominibus reuelari voluit, vt ſub hac fidei regula viuerent, atque per iuſtitiæ ſemitas gradientes ad æternam pertingerent vi tam. Errauerant quidem per multa annorum curricula in inuio præſentis exilij, nulloque ſupernæ veritatis illuſtrati ſplendore, vanitatis ſe culi, ac infidelitatis ſectantes tenebras, æternã abſque retardatione pergebant ad mortem, Quorum erroribus Sapientia Dei compatiens, vt reuocaret eos, ſe illis cognoſcibilem prębuit ſe viam fidei eſſe monſtrauit, per quam in veritate qui graditur, immortalis vitæ conſequitur brauium.

Quòd diuinorum iudiciorum mortalibus inacceßibile ſit lumen. Cap. XVII.

VEniens in carne Dei Sapientia, dominus ſcilicet Ieſus, tanquam communis omniũ dominus vniuerſos, quan tum in ſe fuit, docuit deteſtari vitia, virtutes appetere, veritatem agnoſcere, atque ad æternã vitam currere feſtinanter. Non autem omnes vitæ perceperunt verba, ſed ij tantum, quibus datum fuerat deſuper. Tales introrſus gratia pręuenti verbum ſalutis ſuſceperunt, & corpus Chriſti effecti ſunt. Nouit dominus qui ſunt eius, nouit prędeſtinatos ad vitam, ſuo tempore iuſtificandos, atque glorificandos. De ipſis ſolum & ſpecialiter patri loquebatur, dicens: Manifeſtaui nomẽ tuum hominibus, quos dediſti mihi de mundo. (Ioan. 17.) Conſidera diligenter, quibus patris nomen vnigenitus manifeſtet, non vtiq; ſapientibus ſeculi, non dignitate fulgentibus, non proſapia pręclaris, non volentibus, aut poſcentibus gratiam, ſed illis tantum, in quibus ſibi complacuit pater, quos elegit iu filio ante ſecula in ſui laudẽ & gloriam. Cęteri verba Dei corporis aure perceperunt, crediderunt ad tem pus, vitę ſacramẽta ſuſceperunt: ſed in eis: quoniam in ipſis minime ſibi complacuit pater, perſeuerare non potuerunt. Cum quibus connumerabantur, ſed non gratificabantur, neque pariter eligebantur. Incõprehenſibilis eſt electio hęc, nulli prorſus mortalium nota. Caligat naturale ingenium in conſideratione ipſius, & à nimio ſplẽdore eius reuerberantur ſublimium oculi. Quis curioſus inſcrutabilia Dei iudicia inueſtigabit impunè. Quis (oro) ineffabile lumẽ ſecretorum diuinę maieſtatis conſtitutus in carne poterit intueri? Solis illis ſpiritibus angelicis, quamuis nõ ad plenum, datur iudiciorum Dei ſcientia, in quibus tanquam in throno proprio diuina pręſidet Sapientia. De ipſis nanque ore prophetico dicitur: Qui ſedes ſuper thronos, & intueris abyſſos. (Pſal. 92.) Pſaltes etiam pręcipuus de illis ait: Parauit in iudicio thronum ſuum, & ipſe iudicabit orbem terrę in ęquitate, iudicabit populos in iuſtitia. Per eoſdem iudicia exercẽs Deus ęternę ęquitatis illis ſapientiam & ſcientiam notificat. In vniuerſis Deum contemplantur mirabilem, iuſtaque conſilia ipſius maximo cum tremore venerantur. Sine reuerberatione vident, ſine redargutione mirantur, & abſque vlla defectione paſcuntur. Tranquillitate potiuntur ſumma, intima luce clareſcunt, dum irreprehenſibili veritatis iudicio ſecretorum cœleſtium ordinem intuentur. Diſcãt qui domos habent luteas, & terrenum inhabitant fundamentum: quid de verbo Dei credere debeant, & quàm reuerenter, quàm pauidè diuinę ſe debeant contemplationi ingerere, nec non quàm cautè arcana omnipotentis rimari iudicia. Apoſtolus nanque Paulus, qui vſque ad tertium cęlũ raptus eſt, qui arcana Dei verba audiuit, quę (2. Cor. 12.) homini non licet loqui, eadem intueri auſus nõ eſt, dicens: O altitudo diuitiarum ſapientię & ſcientię Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles vię eius. (Rom. 11.) Quis nouit ſenſum domini, aut quis conſiliarius eius fuit? Nempe ſi electionis vas, qui ſapientiam loquebatur inter perfectos, ſapientiam, inquã, in myſterio abſcõditam, illa inueſtigare noluit, quid cęteri acturi ſunt, qui propinqua & viſibilia vix intelligunt? Nemo igitur prædeſtinationis altitudinem, & pręd eſtinatorũ cauſas curioſa percunctatione pręſumat inquirere, quę in ſola ęternę Sapientię cognitione abſque errore ſunt poſita. Quiſque indubiè fateatur veriſsima & rationabilia eſse Dei iudicia, quãuis occulta. Studeant ſinguli cœleſtibus obtemperare pręceptis, ſperentque ab vniuerſali domino condignã factorum ſuorum percepturos eſse mercedem.

Quis ſaluãdus ſit, quiſve damnãdus, nemo diſcutiat. De numero illorum ſe vnuſquiſque eſſe arbitretur, de quibus ipſe mediator patri dicebat: Tui erant, & mihi eos dediſti. Tui erant (Ioan. 17.) (inquit) non ex ipſorum meritis, ſed ex electione tua. Præcedit quidem diuina electio electorum merita. Nam hominum merita tẽporalia ſunt, ſed electi ſempiterna. Merita ex Dei gratia, hominiſque arbitrio originem habent: electio verò per voluntatem Dei ante tempora ſecularia ſine initio. Merita in hoc mundo, quamdiu anima mortali carne veſtitur, per corpus augẽtur & in corpore: ſed electio ante mundũ, omnemque creaturam, & ipſum corpus facta eſt. Non ſine nobis noſtra accreſcunt merita: electio autem omnino perficitur præter nos. Diuina electio meritorum noſtrorum efficiens cauſa eſt: ſed electionis verbum Deo patri coæternum. Abſque ipſo verbo electio hominis minimè fructum habet. (Ephe. 1.) Apoſtolum audi: Qui elegit nos in ipſo videlicet verbo ante mũdi conſtitutionem. In verbo ante ſeculi creationem ſingulorum electio facta eſt: effectum autem habere cępit poſt verbum in carne. Per carnem quippe verbi operante in carne ſua verbo peccatorum purgatio facta eſt. Hoc Apoſtolus confirmans, (Heb. 1.) ait: Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portanſque omnia verbo virtutis ſuę, purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis. Purgatio verò ipſa effectui electionis eſt præuia. Purgari nemo poteſt, niſi per mediatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum. Illos purgauit per ſe, quos in verbo ſuo elegit omnipotens (Ioan. 17.) pater. Quamobrem (inquit) quoniam tui erant, & mihi eos dediſti, vt purgarem ſanguine, lauacro mundarẽ, & ſanctificarem ex munere: ideo ipſi ſermonem meum ſeruauerunt, & cognouerũt: quia omnia quę dediſti mihi, abs te ſunt. Seruando nanque per virtutum opera, quæ mãdaui eis, cognoſcere meruerũt. Hoc idem propheta in ſe completum eſſe perhibuit, dicens: A mandatis tuis intellexi: propterea odiui omnem viam iniquitatis. Pręceptum etenim domini quum in ſe lucidum ſit, ſe perficientium illuminat oculos, & cœleſtium ſacramenta cognoſcibilia facit: ſicut in Chriſti Apoſtolis patet: de (Ioan. 17.) quibus dicitur: Ipſi ſermonem meum ſeruauerunt & cognouerunt. Cognouerunt vtique per fidem, quæ præcedit ſpeciem, donec per ſpeciẽ cognoſcere mirabimur. Ambulamus per fidem, & per fidem videmus. Manifeſta quidem viſio in ſpecie eſt: in fide autem vera ſententia, ſed nõ perfecta cognitio. Fides peregrinãtiũ ſingulare ſolatiũ eſt: ſpecies verò triũphãtiũ merces. Nullus tamen abſque fidei confeſſione ad triũphantiũ aggregatur conſortiũ. (Heb. 11.) Vtrunque iuſtis competit, vtrunque ſaluandis congruit. Crede te enim oportet accedẽtem ad Deum, quia eſt, & ſe inquirentibus remunerator ſit. Hinc operandi naſcitur virtus, hinc legis cuſtodia, mandatorum Dei impletio, & ſpei cauſatur certa lętitia. Tolle laboranti mercedis ſpem, & illico manus illius contabeſcet in opere. Tolle viatori perueniendi fiduciam, & ſtatim præ laſsitudine in via deficiet. Robur igitur actionis in ſpe remunerationis includitur. Remuneratio autẽ per fidem reuelatur in Chriſto: ſicut ipſe ait: Et cognouerunt, quia omnia quę dediſti mihi, abs te ſunt. (Ioan. 17.) Cognouerunt vtique, non in homine tantum, quem videbant, ſed in verbo per hominem, quod non aſpiciebant. Totum quod aſſumptus homo habebat, à patre gratis acceperat. Quando enim ex merito acquireret, vt eſſet Deus? Nempe alia eſt aſſumpti hominis in Chriſto ſeruilis forma, alia aſſumentis verbi naturalis dignitas. In verbo ſemper maieſtas regia immenſa poteſtas, patri æqualitas, & vnitas indiuiſa eſt. In ſuſcepti verò hominis natura, temporalis exiſtentia, gratuita prædeſtinatio, præeminentia capitis, atque ſingularis perſonæ incomparabilis ſublimitas eſt. Omnia quippe, quæ homini Chriſto in eſſe noſcuntur, illi à patre donata ſunt, qui talem ſibi illum fecit, vt adoptaret in filium. Verbum nanq; nõ dicimus, ſed ſine initio à patre genitũ: ſicut ore prophetico idem pater ait: Eructauit cor meum verbum bonum. (Pſal. 44.) Huiuſmodi verò generationis eructatio, quod non ſit temporalis, non ſit communis: ſed ſingularis, ſed æterna: per eundem vatẽ (Pſal. 2.) filium audi: Dominus (inquit) dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Vnus tamẽ Chriſtus Deus & homo eſt, vna perſona, vnus mediator Dei & hominum, vnumque Eccleſiæ caput. Quamuis enim diuerſa eſſet operatio, vna, tamẽ perſona (ſicut dictum eſt) Deus & homo eſt. Loquebatur quidẽ homo, non ſine verbo, agebatq; omnia, quæ humanitatis ſunt propria, diſponente ipſo verbo habitante in homine per hominem. Hoc fides credit, hoc catholica confitetur Eccleſia. Huius confeſsionis veritatem ſancta mater Eccleſia nõ habet ex ſe, ſed à domino Chriſto, ſicut ipſe teſtatur, dicẽs: (Ioan. 17.) Verba, quæ dediſti mihi, dedi eis, & ipſi acceperũt, & cognouerunt verè, quòd à te exiui: & crediderunt, quòd tu me miſiſti. Sapientiæ guſtũ, & cœleſtium ſacramẽtorum notitiam, atque fidei regulam, vnde eccleſia ſortita ſit, his paucis intellige. Accipiendo nanque verba Chriſti ſapientia verbi impleta eſt. Non niſi reuelante verbo agnoſcere valet myſteria. (Ioan. 1.) Deum (ait Ioãnes) nemo vidit vnquã, niſi filius, qui eſt in ſinu patris: ipſe enarrauit nobis. Capitis ſiquidem affluentia in corpus defluens illud ſui participatione digniſsimũ facit. Donorum autem ineffabilis plenitudo per verbum ſempiternũ

in ipſo

in ipſo capite permánet. Ab ipſo verò capite charisſmata transfunduntur in membra. Corporis igitur, ac mẽbrorum dignitas per ipſu n, & in ipſo capite fulget, fitque operante Verbo, vt qui de dono aliquo ſiue cognitionis fidei, ſiue virtutis præcipuæ, ſiue prophetiæ, aut interpretationis ſermonum gloriari poteſt, in ſolo domino glorietur. Non enim haberet de quo gloriaretur, niſi acciperet vnde gloriaretur. Eccle.1. Flumina ad locum vnde exeunt, reuertuntur, vt iterum fluant. Ideo autẽ fluunt, quia de maris hauriunt abundantia, quod fluant: & tamen ipſum mare non redundat. Semper itaque capitis eget auxilio Eccleſiæ corpus: ſemper verò membra ipſa indigent corporis vnitate. Tolle ab vnitate eccleſiæ membrum, & inutile redditur. Nil etenim liquoris trahens à capite illico marceſsit. Cohęrent viciſsim ſibi caput, corpus, & membra. Sine capite corpus mortuum eſt: abſque mẽbris verò corpus non eſt. Omnis autem capitis ſolicitudo, quãdiu paſsibili carne veſtitur, quũ gemit, quum eſurit, quum fatigatur, quum plorat, quum prædicat, quum orat, quum patitur, quum moritur, pro ipſius Eccleſiæ agitur corpore. Horum nemo particeps eſſe valet, qui in corporis compage non permanet. Ipſius capitis attende vocem, Ioan.17. vt quantum Eccleſiam diligat, recognoſcas. Ego pro eis rogo, inquit, nõ pro mũdo, ſed pro eis, quos dediſti mihi, quia tui ſunt. Quæ dicuntur, ſi fideles conſiderent, timore replentur & ſpe. Timore quidem, ne ab vnitate diuidantur, ne tentationum, dolorum, aut delictorum impulſu à fide deficiant, ne capitis priuentur ſuffragio. Spe autem pro adiutorio, pro conſortio, pro mercede, pro dilectione. Quis non ineffabili quodam exuberet gaudio, quum reuoluit mente ſanctorum adiutorium angelorũ, qui ſine fatigatione atque interuallo excubias celebrant ſuper plebem Dei, cętusque fideliũ? Miniſterio ab hoc ſuo intendunt, vt peregrinãtes in ſeculo ad beatorum cum Chriſto triumphantium conſortium proueh ant vbi pro operibus pietatis, pro ſudore ſpiritualium ſtudiorum æterna prærogatur merces, & remuneratio copioſa. Ex quibus omnibus diuinæ charitatis affluentia, ac dilectionis vnitas cõmendatur, quæ in Chriſto & eccleſia perfectè ſubſiſtit. Iſtiuſmodi vnitatis dilectio, vnde trahat originẽ, vndeque honoris ac commodi ſortiatur effectũ (ſi ſcire volueris) ex conſequentibus mediatoris Ibidem. ſufficiẽtiſsimè imbueris eloquiis. Et mea (inquit patri) omnia tua ſunt, & tua mea ſunt, & clarificatus ſum in eis. O Chriſtianæ religionis dignitas. O eccleſiæ Chriſti vnitas veneranda, quanto ſublimaris faſtigio? quò proueheris? quò traheris? vbi collocaris: Aeterni regis copularis filio in angelorum proueheris gloriam. Supra ſydereas cœlorum traheris manſiones atque in immortalitatis gremio collocaris. Sponſa vtique Chriſti efficeris chariſsima, beatis ſpiritibus coæquaris, aulæ cœleſtis nobilitatis manſione, & perpetuæ pacis felicitate potiris. Hæc ſunt ſponſi tui dona, ò immaculata mater & ſponſa. Hæc ſunt munera Verbi, ipſiusque dilectionis inſignia, quibus in huius peregrinationis nutriris loco. Pro mundi etenim contemptu tibi promittitur cœlum: pro ſpretis ſeculi voluptatibus deliciis frueris paradiſi: pro temporali labore, ſẽpiternam requiẽ, & pro humilitate tui filij Dei contubernium aſſequuta es. Supereminet prorſus copula hæc cunctis, quę placent oculis, quæ interioris hominis affectum refouent, & animũ delectant. Volue & reuolue, cogita, atq; recogita, Ibidem. quid eſt, quod dicitur: Oĩa mea tua sũt & tua mea sũt & ego clarificatus sũ ĩ eis. Cõſidera diligẽter quis, cui, de quib. & quare proferuntur talia. Vniuerſa iſta amantibus ſapiunt, & intelligẽtibus fulgent. Nempe cor paſcunt dilectione, mentem perfundunt ſapientia, dulcedine affectum inebriant, ſurſum animum erigunt, replẽt palatum nectare, interiora pace fœcundant, ſpiritumque cœleſti exultatione perornant. Vnitatem charitatis in verbo veritatis commendat, quod dictum eſt: Sacramentum hoc magnum eſt. Erat in patre verbum, erat in corpore, erat in cœlo, erat in terra, erat cum angelis, erat cũ hominibus aliter atque alitèr. An non in patre cum angelis, & in cœlo ſe eſſe fatebatur, dicens: Etiam non ſum de mundo: & tamen in mundo cum hominibus ſe eſſe inferens teſtabatur, & ego ad te venio. Cum angelis quippe erat verbum, atque ab eiſdem eſſe agnoſcebatur Sapientia, imago patris, principium, vnigenitus, virtusque. Sed cum hominibus exiſtens pręceptor, mediator, redemptor, caput, & his ſimilia credebatur. Abſque reuerberatione eo fruebantur angeli tanquam à corruptione liberi, & ab omni impedimento alieni. Semel etenim confirmati ab ea, in qua nunc fęlicitate ſunt, poſiti, vltrà minimè valuerunt excidere. Homines verò longè ab angelis diſsimiles, corruptione grauati, mortales effecti, peccatoque obnoxij omnino indigent adiuuari. Hinc eſt, quòd patris ęterni filius, dominus ſcilicet Ieſus, quoad vixit in carne paſsibili, tanta erga illos ſe exercuit charitate. Ipſos nanque fouebat, vt debiles; hortabatur vt pauidos ablandiebatur vt paruulis; docebat vt inſcios, alebat vt famelicos; deducebat vt cęcos, ſuſtentabat vt infirmos: pro ipſisque inceſſanter orabat, vt filiis. Nouerat quidem in quantis eſſent periculis conſtituti. Nunquam ſic mater aliqua circa infantis curam facta eſt anxia, ſicut ipſe dominus erga ſui corporis membra. Mat.23. Illius nẽpe ad Iudęos vox eſt: Quoties (inquit) volui congregare filios tuos, quemadmodũ gallina congregat pullos ſuos ſub alis, & noluiſti?

Alibi

Alibi quoq; ad diſcipulos: Marc. 8. Miſereor ſuper turbam, quia ecce iam triduo ſuſtinent me, nec habent, quod manducent: & ſi dimiſero eos ieiunos, deficient in via. Angebatur, vrebaturque pro ſuorum compaſsione membrorum, quos agnoſcebat debiles, & corporaliter relinquebat poſt ſe. Quamobrem patri aiebat: Ioan 17. Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos. Videbat vtique quanta ab infidelibus viris, & ſpiritibus malignis paſſuri fuerant. Proinde tam ſedulò, vt ſeruarentur, orabat. Quis etenim abſque diuino ſuffragio ſęua perſequentium valeret tolerare ſupplicia? Quis ſine adiutorio perfectionis conſcenderet faſtigium, & non deficeret? Non eſt virtutis humanæ mundum ſpernere, voluntati propriæ repugnare, ac mortis ſponte ſubire ſententiam. Supra naturã reſolutionis corporis appetitus eſt. Nemo ſapiens pro eo quod non habet, id quod habet, exponit. Duplici itaque auxilio indiget, qui in agone conſtitutus eſt mortis, fidei videlicet, & fortitudinis. Fides quippe certitudine futurorum commutat pręſentia. Hebr. 11. Eſt nanque ſperandarum ſubſtantia rerum, & argumentũ non apparentium. Fortitudo autem magnanimitate ſui naturalem timorem ſuperat. Horum deficiẽte altero quiſque prudens in mortis certamine trepidat. Has ſpirituales geminas gemmas redemptor noſter militibus pro ſe pugnantibus tribuit: quatenus cœleſti à dextris atque ſiniſtris muniti præſidio cõſona modulatione propheticum illud valeant cantare dicentes: Exod. 15. Cantemus domino, glorioſe enim honorificatus eſt, equum & aſcenſorem deiecit in mare. Quoniam verò triũphi laudem ſibi omnino nequeũt vendicare, vno ore, parique intentione promunt, quod in eodem cantico legitur: Quis ſimilis tui in fortibus domine? Quis ſimilis tui magnificus in ſanctitate, terribilis, atque laudabilis, & faciens mirabilia? Nempe victoria conflictus mortis illis ſolummodo aſcribenda eſt, qui ex cognitione mercedis pugnandi conſtãtiam ſubminiſtrat. Non enim humano ſtudio, aut ingenio naturali futurorum cognitio poſsidetur. Donum quidem cœleſte eſt, & redemptoris noſtri exhibitio veneranda. Lumen etenim fidei ſibi adhærentibus refundens in membris, quãta inuiſibilia ſint, veraciter notificat. Proponit ſpiritualium, cœleſtiumque mercedem, vt concupiſcentiam valeat excitare pugnantis. Glorię coronam tenet in manibus, vt robur perſeuerãtiæ conferat bellaturis. Rex quippe noſter arduum atque laborioſum perfectionis ac mortis ſciens eſſe certamen, præmium vincẽtibus promiſit æternum. Superant vtique ſupra modum ſudores militum, quæ in cęlo ſunt ſtipendia meritorum. Rom. 8. Nam Apoſtolo teſte, non ſunt condignæ paſsiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Quis (oro) non moriatur millies, vt perpetuæ hæreditatis ſortiatur triumphum? Quis impręſentiarum refugiet pati, vt glorioſi capitis Chriſti ſpirituale efficiatur membrum? Quis demum ab omni torpore nõ excutiat animum, quum patri filium de ſuis fidelibus audiat dicẽtem: Pater ſerua eos in nomine tuo, Ioan. 17. quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos? Appetunt homines paſtorales infulas, & imperialia diademata: quatenus celebre poſteris ſuis de ſe valeant relinquere nomen. His prorſus eſt maius, quod credentibus veritas repromittit: & heu paucíſsimi ſũt, qui illud apprehẽdere curẽt. Diſcipulatu Chriſti nil excellentius, nil vtilius, nil honorificentius agitur. Quouis regno ac ſeculari dignitate eſſe præſtantior noſcitur, dũmodo illibato corde ſeruetur. Gradus nanq; ſublimis eſt virtute decoratus & gloria. Neminem repellit rectè atque ſimpliciter accedentem ad ſe. Solum illos abijcit, qui torpore depreſsi, ſeu ſimulatione deluſi, aut elatione decepti, quanti ſit gratia Chriſti, guſtare non poſſunt. Hinc eſt, quòd nõ omnes, qui illum recipiũt, ſeruant. Quotidie à ſancto propoſito ad vomitum redeuntes reſiliunt plurimi, atque diſcipulatu Chriſti ſe reddunt indignos. Quæ reliquerunt, repetunt, & quæ damnauerunt, denuo agere non erubeſcunt. Prius quàm deſerãtur, iugum ſuaue abiiciunt, atque humilitatis ſemitas incedere nolunt. Potius eligunt momentaneę delectationi deſeruire in ſeculo, quàm in cœlorum manſionibus perennes delicias cum Chriſto poſsidere feliciter.

Quantum qui affectu adhæret viſibilibus à naturali dignitate degeneret. Cap. XVIII.

QVisquis congruũ peregrinationis ſuæ cupit captare ſolatium, domini Ieſu toto corde ſtudeat inhęrere veſtigiis. In illo prorſus reperiet, quo nutriatur ad vitã. Aliundè ſi quis lætari voluerit, non ſine diſpendio id agere poterit. Creaturarum ſiquidẽ blandæ illecebræ abſque ſapientiæ guſtu humano cordi venena transfundunt. Inſipiẽtium enim affectum mulcent, mentem penetrant, euertũt iudicium, ſenſusque interioris hominis ſibi vẽdicant principatum. Fitque vt malè ſana mens væſano amore ſeducta, dũ ſui conditoris tranſgreditur leges, propriæ dignitatis amittat gratiam. Plurimum quippe degenerat ab eo quod eſt, quando euecta extra ſe ſenſibilium delectationibus paſcitur. Prodigo filio efficitur ſimilis, Luc. 15. qui patris turpiter hęreditate cõſumpta porcorum ſiliquis ſe ſaturare cupiebat. Quid (oro) vilius, quid eſſe abiectius poteſt, quàm incommutabili deſerto bono, creaturarum contubernio fœderari? Nequaquam ſine diuinitatis offenſa agitur, quum viſibilibus & caducis ſe ſpiritualis

natura proſtituit. Quęcunque facta ſunt, ſiue quę in cœlo fulgent, ſiue per aera volitant, ſiue mouentur in aquis, aut vegetantur de terra, vel viuunt ſuper terram, ideo facta ſunt, vt eorum conſideratione rationalis erudita creatura ad opificis ſummi valeat peruenire notitiam. Creaturarum etenim ſpecies ornatuſque earum præclariſsimum diuinæ maieſtatis eſt ſpeculum, optimeque in illo conditoris virtus inſpicitur, dicen-

Rom. 1.

te Apoſtolo: Inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, atque diuinitas. Se igitur offerunt, ſe intuentibus exponunt, vt cognoſcibilem exhibeant illum, qui fecit eas, & eundem laudabilẽ reddant atq; amabilem. Quotquot de Deo rectè ſapiunt, atque de ipſius bonitate ſuauiter ſentiũt, ordinato creaturarum vſu eriguntur in Deum: & in illo delectabiliter iucundantur. Hoc Citharœda ſanctus intus irradiante Sapientia ſalubriter deguſtabat, quum in

Pſal. 91.

exceſſu mentis effectus domino diceret: Delectaſti me domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exercebor. Non delectauit me (inquit) factura tua, ſed tu domine delectaſti me in factura tua, id eſt, mediante factura tua. Delectationis ſuæ finem non in eo, quod factum eſt, ſed in eo, qui fecit, inſtituit, ne vtranq; amitteret. Prorſus vera creatoris & creaturæ delectatione priuatur, qui neſcit delectari in domino. Rectus itaque delectationis ordo eſt, vt quiſq; in originali prius delectationum fonte lætetur, quam in profluentibus riuulis. Optimè quidem & ad ſobrietatẽ creaturarum delectatione fruetur, ſi non ignorauerit cõditoris indefectibilem delectationis abundantiã: quæ non aliundè quã ab ipſo domino Ieſu percipienda eſt. Ipſe planè ipſe eſt, qui delectabilium omnium affluentiam continet, noxiarumq; delectationum refotmat affectum. Vapor eſt enim virtutis Dei, & emanatio quædam eſt omnipotentis Dei ſincera, quæ omnia poteſt, & in ſe permanens omnia innouat, & per nationes in animas ſanctas ſibi adhærentes ſe transfert. Participatione quidem ſui, ſuaque præſentia voluptuoſum carnis amorem & creaturarum inordinatam delectationẽ commutat in melius. Guſtus eius ſuper mel dulcis, amor ſuauiſsimus, præſentia delectabilis, floridus aſpectus, eloquium ignitum, pulchritudo incõparabilis, elegans forma, gratia exuberãs, virtus omnipotens, diuina ſapientia, gloria cœleſtis, immortale regnum, inacceſsibilis lux, ſublime ſolium, & generatio inenarrabilis eſt. Quum vtiq; ſit verbum manens, limpidiſsima veritas, imago patris, creaturarum ſpeculum, ſplendor meridianus, æterna vita, charitas non excidens, bonum indeficiens, bonorumque largitor, ineffabili quadam miſeratione ad homines ſe inclinare dignatus non eſt. Pietatis ſiquidem viſcera induens homo factus incubuit ſuper hominem, vt exanime corpus ſpiritualem reuocaret ad vitam. Dat itaque vitam mortuis, cæciſque lumẽ refundit, ſolatur mœſtos, debilium genua roborat, atque ab inſultu intellectualium beſtiarum tanquam verus paſtor rationales protegit oues. Cuſtodit prædeſtinatorum numerum cura peruigili, & eorum neminem perire permittit. Hoc profectò inſinuauit, quum diceret patri: Quum

Ioan. 17.

eſſem cũ eis, ego ſeruabam eos in nomine tuo: quos dediſti mihi, cuſtodiui: & nemo eorum periit, niſi filius perditionis. Quod de diſcipulis eccleſiæ typum gerentibus loquitur, hoc prorſus de omni electorum cõgregatione teſtatur. Seruat ſingulos, cuſtodit omnes, qui huius vitæ cõcupiſcentias reſpuentes tota mentis intentione reuertuntur ad ipſum. Tales etenim bonitatem domini deguſtantes, facilè ſeculi iſtius ſpernunt blanditias. Protectorem nanque ſuum agnoſcentes, omni ſe illi cordis humilitate ſubiiciunt. Eſto etiam mihi, ò domine, in Deum protectorem, & in locum refugij, vt ſaluum me facias. Cuſtodi (oro te) vt pupillam oculi ſeruũ

Pſal. 3.
Pſal. 16.

tuum: atque ſub vmbra alarum tuarum protege illum, ne profugus incedat ſuper terram, & ne à gratia tua decidens tanquam perditionis filius ſpirituali deſperationis laqueo ſe perimat. Amoue à me elationem ſpiritus, ſeculi amorem, mentis hebetudinem, & viſibilium voluptatem, vt nihil mihi libeat extra te, nihilque placeat præter te. Sufficias mihi ad ſaturitatem, me reficias ad votum, in bello me protegas, atque me prouehas ad coronam. Lætabor vtique in te, & mecum pariter lætabuntur, quotquot nouerunt te: ſcientes te in tentationibus ſui eſſe cuſtodem, in itinere ducem, adiutorem in laboribus, præſidium in periculis, & in peruentione mercedem. Lætabuntur (inquam) maximam captãtes de tua miſeratione fiduciam. Te nanque dulciter poſsidentes in ſe, ſeque humiliter proſternentes tibi medullatum laudis ſacrificiũ, melliflua amoris carmina, atque gratiarũ iuges actiones corã te, quę ſuaui charitate in cordis ſui cubiculo amplectuntur, & tenent, exhibere non ceſſant. In ipſo autem deuotionis exercitio, & in ipſo guſtu diuini caloris inardeſcit eorum animus charitate, & inſolito feruore fertur in amorem dilecti. Interdum incaleſcente deuotione rapiuntur ſupra ſe, & cęlorum cętibus inſerũtur. Amant, & laudãt: gemunt, & clamant: lacrymantur, & gaudent: paſcuntur, & eſuriunt: ſitiũt & inebriantur: totoque amoris conamine in te, quem fide, vident, humilitate venerãtur, deſiderio quærunt, charitate fruuntur, ſe transformare feſtinant. Tuo experimento intelligũt verum eſſe, quod dixeras. Nunc ad te venio, & hoc loquor in mundo, vt habeant gaudium meum impletum in ſemetipſis. Habent vtique gau-

Ioan. 17.

dium tuum, ô domine, impletum in ſemetipſis: non quantum in illo eſt, ſed quantum in mortali corpore percipere valent. Plenitudinem etenim gaudij tui nec ipſi beatorum ſpiritus ſuſtinere poſſunt: quoniam perfectum, immenſum, & æternum eſt. Pro ſuorum tamen mercede laborum electi omnes, vt beati ſint, & iuxta ſingulorum menſuram de ipſo participent, ingrediuntur in illud: ſicut dixiſſe te nouimus: Serue bone & fidelis intra in gaudium domini tui. Non gaudium in ipſos, ſed ipſi in gaudium intrare dicun- Mat. 25. tur, vt omni ex parte lætitia exuberare noſcãtur. Interim tamen dum peregrinantur abs te, quũ habent te in ſe, impletum habent gaudium magis magiſque implendum. Quomodo non implentur gaudio, quum ſentiant te in ſe, ſeque agnoſcant in te, ſe diligant propter te, ſe videant diligi à te, ſingularique dilectione cõglutinatos tibi? Totum hoc ex ſermone tuo operante, atque cooperante gratia tua, quæ gratuita & diuina eſt, in illis quotidie agitur, vt roborentur ad perferẽdas ſeculi paſsiones. Inſequitur nanque mundus, quos tua inhabitat gratia, teque diligere nouit. Sic patri inquis: Ego dedi eis ſermonẽ meum, & mundus eos odio habuit, quia nõ ſunt de mundo, ſicut & ego non ſum de mũdo. Hinc Ioan. 17. electorum impletur gaudium, hinc charitatis vnitas commendatur, hinc ſpiritualis membrorũ dignitas reuelatur, quæ in capitis Chriſti configuratione clareſcit. Interna ſiquidem aſpiratione eliguntur à Chriſto, vt illius communicantes paſsionibus in futuro exaltentur cum ipſo. Sic corporis decor agnoſcitur, & membrorum perfectio conſummatur. Vnumquemque etenim electorum dominus tandiu tentationibus, ac mũdi preſſuris exerceri permittit, quamdiu erudiri valeat ad virtutem. Ipſa autem tribulationum exercitatio, non crudelitas, ſed miſeratio ſumma cenſenda eſt. Cui futura merita donarentur, ſi de belli medio milites traherentur? Certanti, non fugienti debetur triumphus. Quamobrem ipſe dominus futura proſpectans pugnantium laboribus compaſsione non flectitur. Non enim pugnam intercipit, ſed certantibus tolerãtiæ virtutem tribuit, ne deficiant. Sic olim populo Hebræorum Amoræum, Ethæum, Pherezẽũ, cæteraſque exterarum reliquit gentium nationes: quatenus exercitatione earum præliandi nõ dediſceret artem, neque pro adepta promiſsionis terra de virtute propria ad ſui perniciem intumeſcerent. Porro in cunctis electorum ſuorum greſsibus benignus eſt ſpiritus Sapientiæ: ſiue dum certant, ſiue dum pacis ſuauitate fruuntur, in certamine cuſtodiuntur à malo, ne cadãt. In pacis verò tranquillitate in veritate ſanctificãtur, vt gaudeant. Vtrunq; peregrinanti corpori competit Chriſti. Nam iuſtorum quidam exercentur, ne ſe extollant: quidam autem ſanctificantur, vt creſcant. Orauerat quippe ipſe mediator pro perſeuerantia & ſtabilitate pugnãtium, dicens: Non rogo, vt tollas de mundo: ſed vt Ibidem. liberes eos à malo. Nunc verò pro augmento precatur quieſcentium addens: Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas eſt. Verſiculi Ibidem. huius ſententiam nouit, qui contemplationi veritatis inhæret. Eſt autem veritas ſummum & incommutabile bonũ, lux ſpiritualis, erroris in ſe caliginem non admittens, penetrans omnia ſplẽdore ſuo: cuncta proſpectans, vniuerſa æquitatis iudicio rectè diſponens: ſapientiam & ſcientiam donans filiis hominum, angeliciſque ſpiritibus omnem in ſe continens delectabilitatem, omnemque de ſe communicans ſanctitatem. Tanta ſiquidem & talis eſt, vt omnis laus illi inferior ſit. Nemo tamen ad contemplationem veritatis admittitur, niſi præuia ſanctitate. Eò nanque claritati ipſius quiſque fit propior, quò per exercitationem virtutum factus eſt ſanctior. Plurimũ conformantur ſimul ſanctitas & veritas, nec omnino valent ab inuicem ſeparari. Detegit quidẽ veritas latebras vitiorum: vt ſanctitati præparet habitaculum. Introeunte ſanctitate fugantur vitia, & veritas in mente pariter confirmatur. Cõfirmata veritate, & operante in homine nedum interiora, verumetiam exteriora componit: atque poſſeſsorem ſuum duplici ſanctimonia exhibet refulgentem. Deo nanque & hominibus illum reddit amabilem, nec non ad ſeculi mala perferenda diſponit. Si mente excedit, Deo qui huiuſmodi eſt, pabulo paſcitur veritatis. Si fraterna charitate trahitur extra ſe, præcedẽte ſemper graditur veritate. Nullo proſternitur tentationum impulſu veritatis clypeo munitus. Ad hominem iuſtum veritate protectum quid propheta dicat, auſculta: Scuto (inquit) circunda- Pſal. 90. bit te veritas eius, non timebis à timore nocturno, à ſagitta volante in die, à negocio per ambulante in tenebris, ab incurſu & dæmonio meridiano. Vtrorumque igitur ſtatuum, pugnantium ſcilicet, & quieſcentium, dominus Ieſus, verbum patris, æternaque veritas ſe fautorem ac directorem eſſe perhibuit, dicens: Sicut tu me Ioan. 17. miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum. Ecce quò pugnantes mittuntur, & à quo. De quieſcentibus autem quid? Et pro eis (inquit) ſanctifico meipſum: vt ſint & ipſi ſanctificati in veritate. Nẽpè qui aduerſus mundi concupiſcentias dimicant, diabolicisque ſuggeſtionibus reſiſtunt, redemptorem ſuum, ducemque ſequũtur. Qui autem per mentis munditiam ſanctificati quieti contemplationis vacant, vtique in cognitione & guſtu veritatis ſuauiter refouentur. Iſtiuſmodi ſpirituales actus cum ſint diuerſi, ſub vno tamẽ rectore, atq; eodẽ ſpiritu peraguntur. Hoc nemo fieri ambigat: quum quotidie in humano corpore varia videat membra ſub vnius

antum ſpiritus ducatu proficere, pacemque integerrimam inuicem cuſtodire. Vnus quippe eſt ſpiritus veritatis in donis locuples, & multiplex in virtute. Hic in ſibi adhærentia membra diſtincta gratiarum munera ſubminiſtrat, dicente Apoſtolo. Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem. 1. Cor. 12. Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alii autem ſermo ſcientiæ ſecũdum eundem ſpiritum, alteri fides in eodẽ ſpiritu, alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus, atque idem ſpiritus diuidens ſingulis, prout vult. Tanto ergo honorabilior apparet, quanto prudentius in vnitate diuerſa componit & ordinat. Viuificat quidem eccleſię corpus, regitque fidelium membra mirando quodam, atque ineffabili regimine veritatis: ita vt in eis nõ ſchiſmata, non inuidentia, non extollentia videatur, ſed pax, lætitia, vnitas, & concordia dulcis. Omnes copulat ſibi, & pacificat in ſe communicans ſe. Vniuerſos materno complectitur charitatis affectu. Quod tribuit ſingulis, diſpergit, in omnibus cunctorũ ſalute ſolicitus. Præcipua inſuper ineſt illi cura ſeruandę vnitatis in membris. Hinc eſt, quòd tam frequenter mutuę charitatis mandatum inſtituit. Hinc tanta repetitio, atque commẽdatio fraternę dilectionis. Hinc patri aiebat: Ioan. 17. Nõ rogo pro eis tãtum, ſed pro iis, qui credituri ſunt per verbũ eorũ in me, vt oẽs vnũ ſint ſicut te pater ĩ me, & ego in te: vt & ipſi in nobis vnũ ſint. Quid verbis his dulcius? quid ve delectabilius? Non poterat expreſsius redemptoris charitas, atque Eccleſię vnitas commendari. Alia enim quum ſit patris perſona, alia filij: pater tamen & filius vnum ſunt. Sic & fideles cum ſint multi, mandauit, vt charitatis vinculo colligati Eccleſię corpus efficiant, ſe ament, ſibi famulentur, ſibique inuicem prębeant omnem dilectionis beneuolentiam. Et hoc pro reuerentia diuinitatis, cuius gratia vnũ cum ipſa facti ſunt. De hoc autem ſpirituali amoris glutino, quamuis innumera exuberent charitatis beneficia, hoc tamẽ ſpecialibus elucet: vt tàm qui intus ſunt, quàm qui foris per culpam; aut ab vnitate diuiſi per erroris defenſionem, quum ad vnitatẽ corporis redeũt omnes, non minus corde credant ad iuſtitiam, quàm oris confeſsione in capite Chriſto, quem Deus pater pro reſtauranda humanitatis natura miſit in mundum. Porrò per eundem hominum genus reformari debuit, per quem ab initio fuerat plaſmatum, ne opus Dei tam pręcipuum, imperfectum maneret. Hac etenim de cauſa humanam Deus condiderat ſpeciem, vt quotquot ex illa purgari ab originali culpa, atque à quotidianis ſordibus delictorum ad ęternam pertinerent beatitudinem, ſupra cęlorum proueherentur habitaculum, fierentque digni, vt in ipſis eſſet Deus, & ipſi Deo fruendo inhærerent eidẽ. Sicque conditoris in eis reformata imagine, omnique labe deterſa deiformem quandam in ſe oſtenderent ſpeciem. Huius autem conformitatis decor, quandiu corpus mortale hominis corruptioni obnoxium eſt, atque corruptibilibus deditum, nequaquam perfici valet. Reſeruatur verò in præmium ſolis prædeſtinatis ad vitam, in quibus propter gloriæ abundantiam ita inhæret Deus, vt & ipſi dij meritò nuncupentur dicente propheta: Ego dixi, dij eſtis, & filij excelſi omnes. Pſal. 81. Pſal. 46. Quorum excellentiam alio in loco admirans, ait: Dij fortes terræ vehementer eleuati ſunt. Abſorbentur nanque à plenitudine diuinitatis, & æterna in tantum replentur gloria, vt in ipſis nil deforme appareat, nil vacuum, ſed pleniſsimè & perfectè ſit Deus omnia in omnibus. Id verò quod dicitur, quod eſt beatum eſſe, ſempiternum, atque deificum quamuis futurum ſit iam factum, veritas ineffabilis expreſsit, dicens, Et ego charitatem, quam dediſti mihi, dedi eis, Ioan. 17. vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus. Ego in eis, & tu in me, vt ſint cõſummati in vnum. Hęc nempe eſt indiſſolubilis vnitas charitatis Dei, hominumque per verbum conſummata, interueniente Redemptionis ac Noui Teſtamenti ſanguine, præcedente tamen æterna prædeſtinatione, vt Deus ſit ſolus, iuſtus, & iuſtificans omnia in omnibus, ex ſe ſubſiſtens. Perficitur autem vnitas ipſa quotidie in corpore Chriſti myſtico, aucto meritis fidelium, aggregato eorundem numero, doniſque ornato, donec completo electorum conſortio ipſa ſancta mater eccleſia in membris perfecta copuletur, cui ſe deſponſauit, Chriſto. Interim prouehitur, & creſcit in ſingulis tota, quoaduſque ad ſuæ veniat plenitudinem vnitatis capiti ſuo cohærendo, quod in membris ſui corporis etiam dum peregrinatur, operatur in omnibus, ſecundum potentiæ ſuæ virtutem cuique impertiendo, prout vult, cœleſtia dona. Vnde Apoſtolus, Qui Epheſ. 4. deſcendit, ipſe eſt, qui aſcendit ſuper omnes cœlos, vt adimpleret omnia, & ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterii, in ędificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitate fidei, & agnitionis Filii Dei in virum perfectum, in menſuram ętatis plenitudinis Chriſti. Tunc in vnum conſummata electorum eccleſia ſine macula, ſine ruga, in regium cęlorum introducta thalamum, non erit quod vltra concupiſcat. In pręſentiarum igitur ſubarrata quibuſdam ſpiritualibus munuſculis nutritur ex fide, atque infatigabiliter laborat, vt ſuas edomet paſsiones, vitia reſecet, & ſuo naturali decore

veſtiatur,quatenus oculis diuinæ placeat ſapientiæ.Optimè nanque nouit cuius gerat imaginē, tenetq; in cordis ſecreto ſponſi ſui pollicitationem,tanquam cautionem firmiſsimam, per quā anhelo charitatis affectu concupiti amoris ſperat præſentiam. Meminit equidem illum dixiſſe,

[Ioan.17.] pater quos dediſti mihi, volo vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum,&videant charitatem meam,qua dilexiſti me ante mundi conſtitutionem. Audite hæc,ò fideles populi, & potiſsimè vos, qui militatis Chriſto,qui tribulationibus fatigamini, & mundi preſſuris,ac Diaboli tentationibus attriti eſtis,audite,inquam,quæ ſit vobis facta promiſsio,quæ veſtrorum merces ſit futura laborū, & quid de vobis ſuggerat patri Omnipotēs Verbum. Nolite (oro) ad id, quod toleratis, aſpicere, neque intuemini,quid eſtis, aut quid patimini,ſed quid paulò poſt futuri. Regem veſtrum in decore ſuo diligite,caput veſtrum in cęlo pręſidens agnoſcite redemptorem veſtrum, cunctorumque factorem ſupra ſydereas manſiones inter beatorum cœtus fidei oculo conſiderate fulgentem:Cœlum vobis apertum eſt, cœlotūque paratæ ſedes.Conſortes veſtri patriarchæ, prophetæ, Apoſtoli, Martyres, triumphantes iuſti iam diu peruenerunt, quò tenditis, tenent quod ſperatis, poſsident quod amatis, & eadē, quæ vobis promittitur,fruuntur ſempiterna gloria.Gaudent cum Angelis,lætantur cum Archāgelis,& cum vniuerſa multitudine ſpirituum ſupernorum diem feſtum agunt coram immortali rege ſuo & veſtro. Veſtrum etiam aduentum ad illos ardentiſsimè præſtolantur.Quamobrem diligentiſsimè obſeruate,nè vlla labentis ſeculi oblectamenta ſenſum euertant veſtrum, atque à ſancto propoſito,quod cepiſtis, faciant reſilire. Nempe aduerſa,quæ patimini, ſi viriliter tolerabitis,exiguum quum pertranſierit temporis, vnigeniti Dei,ac mediatoris veſtri Chriſti contemplabimini claritatem. Illum nanque ſupra omnē principatum,& poteſtatem, & virtutem intelligetis euectum, atque in patris dextera reſidentem,voſque in illo, quemadmodum Apoſtolus

[Epheſ. 2.] commemorans ait, Qui conreſuſcitauit,& conſedere nos fecit in cœleſtibus in Chriſto. Erit tunc per ſpeciem reuelatum, quod in ænigmate non tegitur,& ſperatis in fide.Speratis (inquā) ex dono fidei mediatoris, cuius gratificaſti eſtis beneficio,& imbuti ſapientia. Non enim meritis veſtris,ſed ipſius gratia illuminati futura proſpicitis,atque inuiſibilia amatis. Efficit quippe verbum verbi,& dilectio Patris ad ipſum Filiū, [Ioan.17.]

& Filij ad vos,vt dilecti diligatis. Sic nanque in ſui fine ſermonis ipſe concluſit. Notum feci eis nomen tuum,& notum faciam, vt dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit,& ego in ipſis. Ecce quo mediante notum vobis factum eſt ſacramētum, ſeculis præcedentibus ignotum. Præceptorem Dei Filium habuiſtis in via, & in patria habebitis, quando diſcumbentibus vobis in regno cœlorum cum Abraham,Iſaac,& Iacob,ipſe pręcinctus tranſiens miniſtrabit, non corporis alimoniam, ſed ſpiritus. [Leui. 26.]

Comedetis iuxta prophetæ pręſagium vetuſtiſsima veterum,& nouis ſuper uenientibus vetera abijcietis.Inebriabimini pręterea ab vbertate domus Dei,& torrente voluptatis illius potabimini. [Pſal. 35.]

In hoc conuiuio pinguiū medullatorum, ac vindemię defęcatæ charitatē Dei diffuſam poſsidebitis in vobis,per quam ſaginati dulcedine, atque ſuauitate referti laudum pręconia,vota exultationis,amoris cantica,& iubilationis carmina piè,dulciter,ignitè, indefinēterque perſoluetis ęterno ſponſo veſtro & genitori illius.Succenſi quippe dilectione Sancti Spiritus, qua pater Verbum ſuum diligit, eritis cognitione beati,pace ſecuri,lęti fruitione ſuperfluidi caritate,communicatione pleni,viſione ſapientes, amore languidi, ſuſpenſi admiratione, lumine circunfuſi, & transformati in gloriam. Mediatoris habitantis in vobis,& vos in illo,nō localiter,ſed affectiuè pręſentialiter, reciprocè. Ipſo nihilominus dirigente, erigente, erudiente,& pręſidente in vobis,in quo ſunt ſubſtantialiter omnes theſauri ſapientię, & ſcientię Dei, Ieſu Chriſti Domini noſtri, qui cū patre, & Spiritu Sancto vnus eſt Deus permanens in ſecula ſeculorum, Amen. [Coloſ.4.]

DIVI LAVRENTII IVSTINIANI VENETIARVM PROTOPATRIARCHAE IN OPVS de triumphali agone mediatoris Chriſti.

PROLOGVS.

AEdificaturus quis materialem domum ad temporaliter habitandum, prius quã ædificij iaciat fundamenta, diligentiſsimè conſiderare debet ędificij locum, habitaculi longitudinem, latitudinemque, ſumptuum ſufficiẽtiam & propriæ virtutis induſtriam, quatenus inceptum valeat perficere opus. Nam quo quam eorum, quæ dicta ſunt, deficiẽte, caſſo, qui ædificat labore fatigatur. Nil quippè dignum eſt laude, quod ſine diſcretionis agitur libra. Verũ facilè ad ima dilabitur omne, quod nutãti ſuperponitur fundamento. Hoc ſacra docẽt eloquia, hoc naturale ingenium, experientiaque quotidiana, quæ validum erga agibilia ac perſuaſibile noſcitur argumentum. Huiuſmodi eruditus admonitione quiſquis ſpiritualem cupit cõſtruere domum, diiudicare non negligat, quæcunque in ſuo illi ſunt opere neceſſaria, non dedignetur à corporalibus ſpiritualium capere formam, atque per viſibilium rudimenta ad inuiſibilium arcana pertingere. Videmus paruulos antè quàm ſolido paſcantur cibo, lactis liquore nutriri, infirmi quoque per tempus leuioribus cibantur alimentis, donec conualeſcant, & priſtinas reparauerint vires, alioquin recidiuam incurrunt, per quam facilè appropinquant exitio. Sic quippè terrena mens ſolummodo viſibilium aſſueta imaginibus, ſola carnalia ſapiens prouehẽda eſt, atque ad ſpiritualia manuducenda, quatenus ſolido incedens itinere nõ in phantaſmatum lubrico ſuorum pedum veſtigia figat. Nullus etenim ſtructuræ collocandæ aptior, quàm in petra, reperitur locus. Eſt quidem petra ſolida, naturalis, dura, & ad ſuperædificandum optimè coaptata, & potiſsimum illa, de qua dicitur. Petra autẽ erat Chriſtus. (1.Cor. 10.) Quotquot autem ſuperno fuere illuſtrati ſplendore, atque cœleſti gratia decorati, ſuper hanc ſpiritualium ſtudiorum ſuorum locauere primordia. Nemo verè ædificantium aliundè cępit, omnibus prorſus ſaluatis notus fuit locus hic, eoque cuiuſque laborantium ſpiritualis altius extreuit fabrica, diutiusque perſeuerauit, quò petræ Chriſti perſpicacior habita eſt notitia. Hinc eſt, quod non omnes vniformiter operantur. Nam teſte Apoſtolo (1.Cor. 3.) alij ſupra fundamentum hoc ædificant aurum, argentum, lapides precioſos, alij vero ligna, fœnum, ſtipulam. Vnius verò cuiuſque opus quale ſit, tribulationis ignis, & perſecutionis, ac tentationis probat procella. Incerta quippe cuncta hæc humanæ ſunt exiſtimationi, ſed diuinę nota prouidentiæ, atque in extremo patefacienda iudicio. Singuli interim ſpirituali intendant exercitationi, claramque de Chriſto ſtudeant habere notitiam, vt indubitanter ſuo valeãt inſiſtere operi. Aedificent ſupra petram, ſed non niſi petram. Optimè nanque petra congruit petræ, & petra ponitur ſuper petram. Opus petræ in petra locatum durabile eſt. In illud impetunt flumina, impingunt manus, auræ perflant, tempeſtates pulſant, nec valet cadere. Audi in petra fundatum. Quis me ſeparabit à charitate (Rom. 8.) Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an fames, an perſecutio, an nuditas, an periculum, an gladius? Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Bona domus hæc & imputribili fabricata materia, quæ neſcit cedere, non valet flecti, nec ab eo, quod cępit, reſilire nouit. Hæc nempè non ſectis aut quadris ſunt contexta lapidibus, ſed ſpiritualibus fabricata ſtudiis, atque aſsiduis actionum Chriſti cogitationibus copulata. Nam quemadmodum petra iungitur petræ, vt corpori habitaculum fiat, ita cogitatio cogitationi, vt ſpirituale animæ perficiatur domicilium. Habitat in domo corpus, & mens in cogitatione. Quales cogitationes, talis manſio. Nulla autem ſalubrior ad mentis conſtruendum habitaculum cogitatio reperitur, quàm paſsionis Chriſti lapidis duriſsimi. Per ipſam quippe humanæ ſalutis reſtauratio, & ineffabilis Dei ad homines agnoſcitur ſumma dilectio. Nemo aliunde diuinæ charitatis æternum fontem deguſtat melius, quàm in huiuſmodi attenta, ſedulaque meditatione. Quicunque igitur Deo per internam exercitationem inhærere concupiſcit, quicunque mentis ſuæ diſperſionem ad ſe reuocare deſiderat, in hoc aromatum cellarium ſponſi introire conetur. In ipſa deuotus inquiſitor ingreſſus meditando diſtinctè, ſeriatimque conſideret diligenter, quis, qualis, vbi, qualiter, & qua re patiatur. Iſta nępe ſunt, per quę meditantis animus inflãmatur ad amorẽ, ad imitationem prouocatur, & ad cognitionem. Nec ab re promeretur. Quis

etenim alius eſt, qui patitur, niſi is, de quo per
prophetam dicitur, hic eſt Deus noſter, & non
Baruc. 3. æſtimabitur alius ad eum? Qui nimirum per aſ-
ſumptam carnem in terris viſus eſt, & cum ho-
minibus conuerſatus eſt. Propter vnitatem qui-
dem perſonæ Deum crucis ſubiiſſe patibulum
veriſsime definiendum eſt. Vnde Apoſtolus.
2 Cor. 5. Deus (inquit) erat in Chriſto mundum ſibi re-
concilians. Sic tamē paſsionis perpeſſus eſt igno
miniam idem mediator, vt ſine detrimento ma-
ieſtatis, ſine obnubilatione gloriæ id fieret. In
hoc quidem diuinæ, humanæque naturæ ſacra-
mento nec verbo detrahendum eſt aliquid di-
gnitatis, neque homini ſenſum paſsibilitatis. In
ea nanquè natura, qua Deus erat, nullam ſuſti-
nuit pœnam, opprobriū nullum, quin potius im-
paſsibilis, immortaliſque permanſit. Eſt enim
Deus bonum ſummum, incommutabile, ſempi-
ternum, nullius egens, cunctis omnia tribuens,
imperturbabile, beatumque de ſe in ſe. In ea ve-
rò natura, qua homo erat, flagellatus eſt, conſpu
tus, crucifixus, & mortuus, nō tamen ſine Deo,
quoniam ſicut anima rationalis & caro vnus eſt
homo, ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus, vnus
Emanuel, vnuſque mediator Dei & hominum.
In Chriſto quidem nec ab humanitate diuini-
tas, neque à diuinitate valet ſeparari humanitas.
Nam ſicut natura humana à verbo ſuſcepta eſt,
vt paſsibilitatis non amitteret proprietatē, alio-
quin verus non eſſet homo, ſi hominis non poſ-
ſet ſuſcipere paſsiones. Carnē itaq; aſſumpſit de
Adā, ſed de Adam peccatum non habuit, vnde
& mori potuit, qui ad abolēdam venerat mortē.
Vt igitur verus pontifex fieret, atque dānationis
deleret chirographum, apparuit Deus in carne
mortali, non tamen omnes, ſed quas voluit in ſe
recipiens paſsiones. Tentatus eſt vt homo, vedi
1. Cor. 2. tus vt homo, iudicatus vt homo. Nā ſi ipſum co-
gnouiſſent, nunquā Dominū gloriæ crucifixiſ-
ſent. Deus itaq; homo propter hominem paſſus
eſt. Et hęc eſt fides recta, & regula veritatis. Vt
autē meditantis animus colligatur in vnū, vt a-
micabiliter teneat Chriſtū, vt ſciat cui cōpatia-
tur, nō Dei ſubſtantia, quæ incōprehēſibilis eſt,
ſed aſſumpti hominis imago mēte formāda eſt.
Cogitandus eſt vir vtiq; elegantiſsimus, ſtatura
procerus, pulcherrimus forma, aſpectu venerabi
lis, compoſitus moribus, ſermone rarus, plenus
facundia, maturus inceſſu, veſtitu pauperrimus,
nullam habens maculam, deformitatem nullam,
quem venerantur Angeli, famulantur Archan-
geli, virtutes colunt, principatus ac poteſtates
tremunt, throni benedicunt, & dominationes,
& ipſi Cherubim ac Seraphim iucunda modula-
tione collaudant, mirantur, efferuntque. Huma-
nam igitur effigiem deuota mens, & adhuc te-
nella componat in ſe, quatenus ſenſibus, ſenſi-
bilibuſq; aſſueta pedetentim creſcendo per vi-
ſibilem ſpeciem ad inuiſibilis ſubſtātiæ verbi at-
tingat notitiam. Non autem abſq; medio homi-
nis ſubiecto ad diuinitatem peruenitur in carne
latentem, niſi forte id ex ſpiritus fieret reuela-
tione, qui ſpirat vbi vult atque vocat ea, quæ nō Rom. 4.
ſunt, tanquam ea, quæ ſunt. Humano tamen di-
uina ſunt quætenda ingenio, donec fiat manus
Domini ſuper cor hominis, & cœlorum ſecreta
nouo irradiante lumine, pandantur pro exulta-
tione, pro dilectione, pro iubilo. Tunc qui huiuſ
modi eſt, fidenter, veraciterque dicere poteſt.
Et ſi noui Chriſtum ſecundum carnem, ſed iam 2. Cor. 5.
nunc nō noui. In alterum ſiquidem mutatus vi-
rum ex ſuperueniente gratia, naturaliſque inge
nij tranſcendens metas cōtemplationis verę gu
ſtu effectus eſt dignus. Tunc amore repletur, ſu
perabundat gaudio, pace fœcundatur, paſcitur
dulcedine, charitate vulneratur, & omnis interio
ris hominis affectus laudabili quodam lętifica-
tur tripudio. De cętero quippe ſpiritualiter ege
re non valet. Nam in ſponſi cellarium obtenta in
troeundi licentia iugiter (quamuis non ad vo-
tum) exuberantium fouetur dulcedine volupta
tum. Hic perfectorū ſolidus eſt cibus, qui in ſpi-
rituali diu exercitati ac eruditi ſtudio didicerūt
mentem Deo, carnem ſpiritui, temporalia neceſ
ſitati, animum ſapientię, affectum inuiſibilibus,
obedientię intentionem, pręſentia coaptare fu-
turis. Prius autem quàm ad hoc ſingulare faſti-
gium aſcendat Chriſti Diſcipulus, & nouus in
ſpirituali militia pręliator, labor ei & dolor adhi
bendus eſt iuxta prophetam dicentem. Hoc la- Pſal. 72.
bor eſt ante me, donec intrem in ſanctuarium
Dei, & intelligam. Igitur non faſtidiat ima, qui-
cunque ſumma concupiſcit. Ad celſitudinem
humilitate conſcenditur, prius quod animale
eſt, deinde quod ſpirituale. Cum eſsem paruu- 1. Cor 13.
lus (ait Apoſtolus) ſapiebam vt paruulus, loque
bar vt paruulus, cogitabam vt paruulus, cum au-
tem factus ſum vir, euacuaui quę erant paruuli.
Nempe paruulis ſpiritu infirma, perfectis verò
magnalia propinantur meditanda. Noli autem 1. Cor. 1.
contemnere infirmum Dei, quoniam, teſte Pau-
lo, quod infirmū eſt Dei, fortius eſt hominibus.
Quamuis enim Dominus Ieſus Dei ſit virtus &
ſapientia, tamen in ea parte, qua infirmus appa-
ruit, propter te infirmatus eſt, & ab Angelis pau Pſal. 8.
lominus minoratus. Vt ergo ab infirmis capere-
tur, vt eorum mederetur languoribus, vt exules
reuocaret ad patriam, vt contemptores & incre
dulos reſtitueret gratię, atque ad iuſtorum redu-
ceret prudentiam, Dei ſe exinaniuit ſapientia.
Poterat quidem omnipotēs maieſtas aliter quā
ſe exinaniendo perditum reparare hominem,
ſed vt ſciret quantum deliquerat, quantum dili-
geretur, quantique ſe ęſtimare deberet, id agere
voluit, ſciret quoq; quid de eo deberet, qui pro
peccatore, pro perdito, pro ingrato tantis ſe di-
gnatus

gnatus eſt exponere paſsionibus, tam diræ ſe tradere morti. Maximum etenim hoc amoris incentiuum eſt, tum pro cauſa, tum pro perſona, quæ patitur. Eſt qui patitur, vnigenitus Dei Verbum ſempiternum, ſapientia attingens omnia, ſalus mundi, reparator hominis, virtus pugnantium, corona vincentium, errantium via, naufragantium ſinus, mœrentium ſolatium, comes peregrinantium, nutantium robur, ſuſtentatio debilium, mortuorum reſurrectio, regnãtiũ merces, Angelorum gaudium, diuinitatis ſpeculum, charitatis fons, origo luminum, veritatis cõtemplatio, deliciarum paradiſus, omniumque bonorum emanatio indeficiens. Patitur tantus ac talis, non pro ſe, ſed pro hominibus, nec pro vniuerſis, ſed tantum pro electis, prædeſtinatis, vocatis, iuſtificatis. Huius paſsio quoniam flagrantiſsima fuit exhibita charitate, vehemẽtem in meditantis corde accendit affectum, atque locupletem reddit fructum, amoris (videlicet) & ſapientiæ, compaſsionis ac deuotionis. Amorem quidem & ſapientiam ſpiritualibus & perfectis, incipientibus verò & inexpertis compaſſionem ingerit & deuotionem. Nemini ſe meditantium hęc veneranda paſsio Saluatoris denegat, nullique ſui ſubtrahit mercedẽ laboris. Magnis & eruditis proponit patientis dignitatem & patiendi cauſam, vt illos charitate ac ſapientia repleat, introducendis autem modum & ſeriem format, quatenus componat, compũgatque, ita vt nemo ſit, qui ſe abſcondat à calore eius, qui *Pſal. 18.* purè, humilitèr, ardenterque ipſam deguſtare voluerit. Eſt quippe abſconditum manna ſub carnis ignominia, & latitudo immenſa tecta ſub vulnerati corporis breuitate. Vt igitur per cicatricum fixuras dulcedo diſtillet ſapientiæ, & per lateris ianuam diuinæ ebulliat flamma charitatis, ſeriem, modumque paſsionis ſuccinctus ſermo percurret, quatenus debiles ſpiritu & neophyti habeant vndè paſcantur, erudiantur, & creſcant. Nam diuinitatis & cœlorum militiæ ſacramenta doctis ac ſpiritualibus reſeranda relinquens agonis Chriſti formulam tractare propoſui, quorundam ſeruorum Dei deuictus precibus. Scio tamen: & veriſsime ſcio in me nõ eſſe vnde talia attentare confidam. Eſt tamen, qui hæc & his maiorum præſtare ſufficientiam valeat, Dei (videlicet) incarnata ſapientia, quæ aperit ora mutorum, & linguas infantium diſertas facit. Ab ipſa itaque, quoniam de ipſa materia tractandum eſt, ſuffragium expectabo. Erit nanque ſicut opus, ita & ipſius laus omnis & gloria nunc, & in ſecula.

QVOD MIRO DIVINAE AEQVITATIS IVDICIO ACTVM EST,

vt per incarnationem verbi humanæ redemptionis celebraretur myſterium.

Cap. I.

HAbente ab ingenita innocentiæ dignitate homine per multorũ curricula temporum in trinitatis ſacroſancto collegio mirandum miſericordia & iuſtitia inuicem habuere cõflictum. Ipſarum quidem altera pro hominis reconciliatione, altera verò pro eiuſdem condemnatione æquiſsimum Dei interpellabat iudicium. Prima nanque carnis fragilitatẽ, ſerpentis ſuggeſtionem, ac (ne mulier contriſtaretur) humanam condeſcenſionem ducebat in medium, iuſtitia verò ex aduerſo inobedientiæ præuaricationem, poſteritatis obligationẽ, nec non & innumera, quæ ab his effluxerunt, mala obiiciendo, ne abſolueretur, acriter inſiſtebat. Tandem diuinæ placuit bonitati huiuſmodi dirimere controuerſiam vtraque in ſuo robore perdurante: Miſit itaque miſericordiarum Pater, & Deus totius conſolationis, quando non ſperabatur, vnigenitum ſuum in ſimilitudinem carnis peccati in hũc mũdũ, vt de peccato dãnaret primorũ parentum peccatũ in carne ſua, fieretque Dei & hominum veriſsimus mediator, lapiſque angularis, in quo vtraque eſſent vnum. Talem ſiquidem illum fecit, vt pro originali delicto ſatisfacere poſſet, deberetque. Nam inquantum Deus poterat, inquantum verò homo erat, debebat. Quis enim niſi Deus diuinæ valet ſatisfacere offenſæ? & quis alius niſi homo debet? In vna igitur perſona cõuenit Deus & homo vnus Dominus Ieſus, qui factus eſt nobis à Deo Patre Sapientia, Iuſtitia, Sanctificatio, & Redemptio. Hic ſecum de cœlo detulit oleum & vinum, vt ſemiuiui hominis in delictorum iacentis volutabro mederetur vulneribus. Miſericordia nanque permotus ſuper ipſius calamitate plangenda ad eccleſiæ ſtabulum propriis humeris deportauit. Noluit conſiderare, quis eſſet, quem ferret, quid deberet ineffabili quadam pietate ſuccenſus. O magnum pietatis opus, ò diuinæ miſerationis iudicium ſingulare, delinquit homo, & Dei Filius condemnatur, & moritur. Quo autem ordine, quomodo, quibuſve ſuppliciis, nunc narrationis ſeries inchoet. Quis verò dabit intellectui meo ſcientiam, & oculis meis fontem lacrymarum, vt ſacratiſsimam Domini mei paſsionem verbis valeam congruentibus exarare? Nõ enim abſque lacrymis & compunctionis gemitu debet ſcribi, legi, & meditari. Tota doloribus, tota amaritudinis abſynthio referta eſt. Quò ſe deuo

cus vertat animus, iaculo perfoditur pietatis, vndique reperit, vnde paſcatur. Quamobrem ò mi dilectiſsime lector ſpirituales cordis fauces para, & cuncta, quæ legis, ruminando meditare, vt vbertim erumpant flumina lacrymarum, efficiariſque mundum animal diuino aptiſsimum ſacrificio. Tibi vt deuotionem acquiras, cœleſtia Ezec. 13. apponuntur alimenta. Noli in tam ſuaui conuiuio permanere ieiunus. Memento ſcriptum eſſe. Cum vocatus fueris ad menſam potentis, cōſidera diligenter, quæ apponuntur tibi. Vitulus enim ſaginatus, & immaculatus agnus paſsionis igne aſſatus, tibi datur, vt ore intelligentiæ comedas. Illum tibi in literis his, quem ipſemet in corpore, in ſpiritu, in ſacramento ſumendū dedit fidelibus, offero. Ipſe nanque innocentiſsimus Dominus, qui totius mundi aboleuit delictum, cum paſchatis tempus inſtaret, in quo de hoc mundo trāſiturus erat ad patrem, priusquā Hieruſalem ciuitatem (videlicet) regiam ingrederetur, duos ex diſcipulis ſuis præmiſit dicens. Mat. 26. Ite in ciuitatem, & ecce occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans, ſequimini eum, & quocunque introierit dicite Domino domus. Vbi eſt refectio mea? vbi paſcha cum diſcipulis meis manducem? Non autem humilis Dominus, & humiliatus magiſter, qui miniſtrare venerat, nō miniſtrari, hoc egit, vt ſeruile obſequium à ſuis extorqueret Diſcipulis, ſed vt eruditionis cauſa hoc ſacrum pietatis commercium miro ſapiētię diſponeret ordine. Hinc eſt, quod nūc Dei, nūc Domini, nunc magiſtri, nunc ſeruuli pro temporis & pro negocij qualitate exhibuit miniſteriū, non autē ſine myſterio fuit, quod dicitur. Duos ex diſcipulis ſuis præmiſit dicens. Ite in ciuitatē, & occurret vobis homo lagenam aquæ baiulās. Latet prorſus ſub velamine literæ, & ſub hiſtoriæ ſerie ſpirituale documentum minime prętereundum. Duo hi Diſcipuli, qui Domino refectionis locum parant, præfigurabant duo, quæ in ſpiritu ambulantibus & Domino in ſe hoſpi- Hebr. 11. tium diſponentibus, neceſſaria comprobantur, fides (ſcilicet) & intellectus. Quantum ſit neceſſaria fides militanti Chriſto, Apoſtolum audi. Sine fide (īquit) impoſsibile eſt placere Deo. Gratificat enim hominem, & amabilem Deo fides facit, atque ad ſpiritualia optimè habilitat. Repugnat enim ad profectum curioſitas, & elata dubietas, quæ ratione diuina geſtit inueſtigare myſteria, cum re vera non niſi humilibus corde pandantur dicente Domino. Confiteor tibi domine pater Rex cęli & terræ, quia abſcondiſti Matt. 11. hæc ſapientibus & prudentibus, & reuelaſti ea paruulis quidem & credentibus ſimpliciter ſe communicat Dominus. Vnde non doctos aut elatos elegit ipſe, ſed ignobiles, pauperes, imperitos, & rudes, vt elationes materiam auferret 1. Cor. 1. hominibus. Hoc Paulus inſinuans ait. Vbi ſapiēs vbi ſcriba, vbi conquiſitor huius ſeculi? Nonne ſtultam fecit Deus ſapientiam huius mundi? Videte igitur (fratres) vocationē veſtram, quia nō multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quę ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt confundat ſapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia & ignobilia & contemptibilia & ea, quę nō ſunt elegit, vt ea, quę ſūt, deſtrueret, vt nō glorietur oīs caro in conſpectu eius. Voluit quippe Deus inſtruere hoīes, atq; per fidei meritū reuocare ad ſe, quatenus inde ſanaret ægrotū, vnde in infirmitatē incurrit. Cōcupierat Adā eſſe tanquā Deus ſciens bonum & malum, ideo ipſius poſteritas debuit per fidei neſcientiam ad intelligentiam promoueri. Eſt quippe fides neſcia, dum cogitur ſupra ſenſum & ſupra intellectū credere, non tamē caret intelligentia, cum ipſam parturiat ex ſe. Prius enim credendum eſt, quàm ad veritatis notitiam veniatur. Ideo aiebat propheta. Niſi credideritis, non intelligetis. Crede, ſi Esa. 6. vis intelligere, quoniam intellectus eſt merces fidei, vtrunque autem ſimul conueniunt, fides & intellectus. Alterum ſi ſeparetur ab altero, perit diuinitatis ſcientia, perit & hominis intelligētia. Scientiam nanq; diuinitatis vnde habemus? nonne ex fide? tolle fidem, quid de Deo intelliges? quid de Angelis, quid de anima, quid de futura vita, æterniſque ſupplicijs? Horum prorſus ignorans eris. Quod ſi iſta neſcias, quomodo deuotus eris? quomodo compungeris? quomodo mandatorum Dei cuſtodies legem? Ex fidei itaque intelligentia accenduntur homines ad amorem Dei, ad dilectionem proximi, ad virtutum exercitia, ad concupiſcentiam futuræ felicitatis, ex quibus in ſpiritu viuitur. Vera eſt igitur ſententia illa, quæ ait. Iuſtus ex fide viuit. Viuit Hab. 2. plane, quoniam ex fidei illuſtratus veritate veram vitam, quam agnoſcit, cupit; cupiendoque per mandatorum obſeruantiam & morum probitatem illam apprehendere conatur. Congruè ſatis vtrunque ſignificauit Dominus, fidem per Petrum, atque per Ioannem intellectum, dum ambos miſit paſsionis tempore in ciuitatem ad cœnaculum pręparādum, inſinuare volēs, quod nullus ad notitiam ſacramentorum catholicæ veritatis, atque guſtum ipſius paſsionis attingit, niſi fide & intellectu præuijs. Duo hæc ſapientiæ magiſterio diriguntur, vt electorum componant, eccleſiam, ornentque, quæ ſub cœnaculi nomine deſignantur. Nempe ipſa eſt, ad quam diſponendam myſtice Petrus mittitur & Ioannes. Tanti ſiquidem eſt, vt Apoſtolorum præcipui illi miniſtrare non dedignetur. Sed quid mirum, cum ipſe Apoſtolorum Dominus & magiſter in ea Paſchalia voluerit initiare myſteria? Ipſa nanque ſpirituale cœnaculum eſt, grande propter ſui latitudinem charitatis, quæ ſaluan-

dos omnes tenet in ſe, cõplectitur, perficit, purgatoſque cœlo recondit. An non grandis eſt, quæ per totum terrarum orbem circumquaque diffunditur, prædicatur, colitur? In ea propter magnitudinem ipſius ab aquarum inundatione omnis viuens anima ſaluatur, ſicut de illa per Noe arcam præmonſtratum agnoſcimus. Grãde itaque eſt cœnaculum hoc & ſtratum, grande ex electorum numeroſitate, ſed ſtratum donis cœleſtibus, & ſpiritualibus ſacramentis, atq; varijs virtutum reſperſum floribus, & miro precioſorum lapidum ſplendore coruſcum. Tale eſt, vt digniſsimum ſe Dei verbo exhibeat habitaculum. In hoc cęnaculo rite ſanctum perficitur Paſcha, diuina inſtituũtur ſacramẽta, agnus innocentiſsimus myſticè immolatur, ſacrũ manducatur corpus, ſanguinis poculum deguſtatur, abluuntur ſcelera, humilitas commẽdatur, prędicatur charitas, nouę legis ſanctio firmatur, reuelatur reſurrectio, videtur Chriſtus, palpatur manibus, digitis attrectatur, ligandi, ſoluendiq; poteſtas eccleſiæ donatur, ſeruatur vnitas, cuſtoditur pax, Paracletus mittitur, diuinus amor infunditur, linguarum genera dantur, miraculorũ faciendorum tribuitur virtus pãduntur arcana ſcripturarum, myſteriorum ſecreta noſcuntur, timoris, pietatis, ſcientiæ, fortitudinis, conſilij, intellectus, & ſapientiæ percipiuntur chariſmata. Quicunque igitur donis cupit ditari cœleſtibus, quicunque ſanctorum collegio aggregari deſiderat, in ſacroſanctum hoc ingrediatur cœnaculũ, nouum in eo celebret Paſcha, manducet azima cum lactucis agreſtibus, nihilque ſecum inferat fermentatum, iuxta Pauli ſententiam dicentis. Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua conſperſio, extra hoc non eſt habitatio tuta. Inſidiã-
1.Cor.5. tur enim inimici, catuli leonum rugientes circũeunt, vt quærant eſcam ſibi, draco ſæuiſsimus in latebras fouet, tendit decipulam, vt rapiat, furetur, mactet, & perdat. Extra hoc omnes ſunt hęretici, ſchiſmatici, infideleſque, & quotquot diuinæ legis tranſgreſſores fiunt. Hi nanque aures habent, & non intelligunt, oculos & non agnoſcunt, linguam magniloquam, & tamen ſine veritatis intelligentia, infœcundis arboribus ſimiles ſunt, & cymbalo tinnienti. Speciem ſanctitatis tenent, & ſolo nomine gloriantur, cum re vera arentia ſint membra, & ab eccleſiæ corpore præciſa, atque ab ipſius vnitate extranea. Quiſque itaque videat, vtrum intus ſit, & quã ingreſſus ſit, diligenter examinet, verbi rudimenta teneat, quicunque in hoc abſque dubietate cupit intrare cœnaculum. Fidem rectam habeat virtutum decoratam operibus, intellectum veritatis illuſtratum lumine in ſe cuſtodiat, & à Prophetarum oraculis non deuiet. Hoc etenim inſinuare Dominus voluit, quando Diſcipulis duobus
Luc 22 præmittendis ante ſe ait. Et ecce occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans, ſequimini eum. Nempe homo iſte propheticam denotat ſcientiam, quæ catholicam vnitatem ſuo manifeſtat eloquio. Merito ſcientia aquæ comparatur, quę ardorem libidinis & ſitim extinguit mundanæ cupiditatis. Ea quiſquis bene vtitur, à vitiorum incẽtiuo optime remouetur. Reficitur quidem pabulo illius, delectatur guſtu, & ęternorum notitia ſaginatur. Hinc eſt, quod in iis, quæ foris ſunt, lenocinari non ſinitur ſapientiæ amore detentus. Rationalis veritatis ſplendore & concupiſcibilis repletur dulcedine, dum ſcientia prętioſa interior homo ſuaui poculo, atque verę vitę paſcitur alimento. Huiuſmodi vir iuſtus nutritus alimoniis ad aduerſa præſentis vitæ tolerãda robuſtus, ad edomandas paſſiones alacer, & ad perfectionis ſtudia ſectanda efficitur prudẽs minimè autem per ſe ad ſpiritualia exercitia tã validus fieret, niſi pane vitæ & intellectus, atque aqua ſapienrię ſalutaris à Domino interius foret recreatus. Ideo myſticè Apoſtolis mandatur vt aquæ baiulum ſequantur, ne proprio deluſi ſenſu per errorum deuia & hęreticorum abrupta pręcipitari cogantur. Magno etenim ſapientię Dei conſilio actum eſt, vt quęcũque de Chriſto futura erant, prophetarum prędicerẽtur oraculis, ne veris falſa miſcerentur. Debuit prorſus perſpicuè veritatis declarari teſtimonio, quod pro hominum agebatur ſalute, quatenus Chriſtiana plebs & intellectum fidei & fidem ſubderet conditori. Hoc Prophetę ſancti, qui de Chriſto vaticinati ſunt, agere ſtuduerunt. Veritatem quidem, ſed ſub verborum vaticinati ſunt nubilo, vt nec fides careret merito, neque ĩtellectus ab inquiſitionis deficeret ſtudio. Vides vt optime myſterio congruat, vt qui lagenã aquę portat, Petro & Ioanni cœnaculum manifeſtet. Diſce itaque ex his, quę dicta ſunt, ſpiritualia rudimẽta, vt ad perfectionem proueharis, Diſce (inquam) Hieruſalem ingredi, cum Apoſtolis parare cœnaculum, & cum Domino Ieſu Sanctum Paſcha, cęteraque celebrare myſteria. Habeto pacem cum Deo tuo, habeto cum omnibus, vt Dei viſione fruaris. Nunquam ad diuinam attinges contemplationem, niſi pacificus fueris. Vbi tumultus perſtrepit vitiorum, vbi cogitationum confuſio reſonat, abeſt pręſentia Domini. In pace factus eſt locus eius, & habitatio eius in Sion. pſal.13.
Propterea beati pacifici, quoniam Patris viſione iugiter lętantur. Inquire (iuxta Propheta vocem) pacem, & perſequere eam, vt Hieruſalem introeas, & in te habitationem Domino conſtruas. Si enim pacem habueris, ſi tentationum bella ſubegeris, poteris proculdubio ad cordis latitudinem peruenire. Eſt quidem cordis latitudo verbi receptaculum, myſteriorum domus, ſapientię ſchola, nuptiale conuiuium, & ſpirituale tabernaculum ſanctitatis. Tunc dilatatus eris in te,

in te,cum Deum ex toto corde,ex tota anima, & ex tota virtute dilexeris, cum proximum ſyncero mentis amaueris affectu,cum omnes amoris vinculo tenueris dulciter, exhortatus fueris iugiter, atque omnibus factus fueris omnia, vt Chriſto lucri facias vniuerſos. Sectare virtutes, concupiſce cœleſtia,vaca orationi, laudis exolue ſacrificium,vt ſpirituale cœnaculum fias. De ipſo omnem elimina ſordem,cunctaſque maculas abſterge,vt ſtratum ſit. Vtrunq; conueniũt, ambo ſibi inuicem famulantur puritas & charitas. Vbi enim mentis eſt puritas,ibi freq̃ues exultatio eſt,deuotionis guſtus,fraternitatis dilectio animi tranquillitas,ſanctarum cogitationum aggregatio,& perpetuæ charitatis dulcis inhæſio. Vbi verò dominatur incendium charitatis, ibi vitiorum rubigo conſumpta eſt,ibi caſtitatis pollet dilectio,innocentię rutilat candor,ſupernorum cantica celebrantur, lætitiæ riuus & puritatis fons emanare non deſinit. Iſta nempe ſunt ornamenta mentis,hæc eſt ſpiritualis cœnaculi acceptabilis pręparatio. Ad hanc tamen peruenire non poteris,niſi fides præceſſerit. Hęc nanque inuiſibilia,& quę futura ſunt,inſinuabit. Nõ enim extinguetur in nocte lucerna ipſius, quoniam de cœlorum palatio eidem fomentum aſsidue miniſtratur. Hanc Sancti patres memoria digni irrefragabiliter tenuere. Nempe Abraham fide de cognationis ſuæ domo exiens in terram repromiſsionis habitando in caſulis expectabat fundamenta habentem ciuitatem, cuius artifex & conditor Deus eſt. Fide quoque Moſes grandis effectus, negauit ſe eſſe filiũ filię Pharaonis magis eligens affligi cum populo Dei,quàm tẽporalis peccati habere iucũditatem,maiores diuitias ęſtimans theſauro Aegyptiorum improperium Chriſti. Aſpiciebat enim per fidem in remuneratorem, eumq; tanquam videns ſuſtinuit inuiſibilem, propterea non veritus regis animoſitatem reliquit Aegyptum, celebrauit Paſcha, & ſanguinis effuſionem,ne qui vaſtabat primitiua,tangeret eos. Quid plura memorem? Quicquid commendatione dignum, & acceptabile Deo geſtum eſt, perfecit fides, ideo Apoſtolus
Heb. 11. de Hebræorum patribus ait. Deficiet enim tempus me enarrantem de Gedeone,Sanſone, Dauid,Samuele,& alijs prophetis,qui per fidem deuicerunt regna,operati iuſtitiam,adepti ſunt repromiſsiones,obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis,effugauerunt aciem gladij,conualuerunt de infirmitate,fortes facti ſunt in bello. Nam & diſtenti ſunt, atque ludibria & verbera experti,inſuper & vincula & carceres. Omnes nanq; teſtimonio fidei probati acceptabiles Deo inuenti ſunt. Ipſi etiam Chriſtianæ militiæ principes dono fidei inſigniti ſuis pedibus calcarunt maria,æquoreos mitigauerunt fluctus,ſigna fecerunt plurima,vicerunt dęmones, curuauerunt imperia, & ipſam gentium numeroſitatem religioni catholicæ ſubiugarunt. Triũphalis inſuper exercitus martyrum non aliter ignes,gladios,carceres,exilia, damna rerum,parentum extinctiones,cruciatus immẽſos,& horrenda ſupplicia,atq; pauendam mortem, quàm armis fidei ſuperare valuerunt. Nullus abſq; fide tentationes,labores, & carnis certamina ſuſtinere poteſt, ſed neque propriæ animæ ſalutẽ adipiſci. Sanctorum igitur præcedentium ſectare ſanctimoniam, imitare fidem, vt veritatis intellectum merearis adipiſci. Sine intelligentiæ lumine ambulabis in tenebris, corrues in peccatum,& vita priuaberis. Hinc eſt,quod propheta exclamans ait. Intellectum da mihi,& viuam. Ha Pſal. 118.
beto intelligentiam boni & mali. Agnoſce Chriſtum,qui eſt lux vera,quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Naturalẽ cuſtodi intellectum,ne à concupiſcentijs ſeducaris,efficiariſque ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Conſtrue quoq; tibi mente Pſal. 31.
ſpirituale cœnaculum, & Domini Ieſu in eo ſedens iugiter recole paſsionem, ſuper iniquitatibus tuis compunge te, & cordis innocentiam, quantum vales, illibatam cuſtodi, quatenus aduenienti Chriſto poſsis apponere anniculum agnum ſine macula, aſſatum igni, necnon & panes azimos cum lactucis agreſtibus. In his etenim occupatus ſta ſuper cuſtodiam tuã, vt quũ redemptorem tuum adeſſe cognoueris,reuerẽter, humillimeque occuras illi, atq; coram ipſo procidens horteris, vt ingrediatur ad te dicens, quod parata ſint omnia. Sic quippe fideliter & in ſenſu cordis exercens te obedies verbo, necnon & Apoſtolos imitaberis, de quibus legitur ſic. Et fecerunt Diſcipuli, ſicut conſtituit illis Luc. 22.
Ieſus,& parauerunt Paſcha.

Quare legalia voluerit Dominus Ieſus perficere ſacramenta. Cap. II.

IMminente diſpenſationis tempore, quo Dei ſapientia per crucis patibulum humanum genus ſaluare decreuerat, prius quam ad paſsionis procederet pugnam, Paſcha cum Diſcipulis celebrare diſpoſuit. Quamuis enim ipſe Dominus eſſet de hoc mundo tranſiturus ad Patrem, vtpote verum Paſcha atque phaſe veteris figuram completurus, noluit tamen prætermittere, quin legale ſacramentum hoc etiam perficeret corporaliter. Voluit nanque legem ſicut ſpiritualiter,ita & actualiter conſummare, quippe qui venerat, non vt ipſam ſolueret, ſed vt adimpleret. Proinde ſe circuncidi permiſit, & tanquam peccator volucribus redimi. Tulit enim ex legalibus obſeruantijs Iudæorum Sacerdotibus & Scribis calumniandi & perſequendi occaſionem, oſtenditq; legem diuinitus datam bona & ſancta eſſe. Hac de cauſa etiam in cœnacu-

ſum ingreſſus eſt, vt nouis ſacrificiis vetera reformaret. Hoc prophetę voce prędixerat dicẽs. Comedetis vetuſtiſsima veterum, & nobis ſuperuenientibus vetera abiicietis. Immolabatur quidem agnus,& celebrabatur phaſe. Vtrunque idem perfecit mediator, quoniam ſignificabat vtrunque. Nempe ipſe nouum ſolenne inſtituit paſcha, dum ad patrem tranſiens totum Eccleſię corpus tranſito in baptiſmo mari rubro atque deſerto ſeculi cœleſtis patris fecit hæredem. Ipſe prorſus veriſsimus agnus eſt, cuius cruore roſeo poſtes fidelium conſecrantur. Vt igitur figuris finem daret, & noua conderet ſacramenta, venit,cum ſuis in cœnaculum, ſanctam præſentia ſua nobilitaturus Eccleſiam. Introeat nunc quiſque fidelis & ſpiritu ac mente contempletur,quæ & quanta ſunt in ipſo futura myſteria. Nil prætereat, nilque apud vnumquenque remaneat indiſcuſſum. Cuncta enim ſunt plena documentis, referta figuris,& grauida ſacramẽtis. Quamobrem currite vniuerſi, qui de Deo vultis ſentire in bonitate, atque in ſimplicitate cordis illi approximare concupiſcitis, & maturo animo conſiderate mirabilia, quæ facturus eſt dominus. Currite(inquam)ad hoc ſingulare conuiuium, in quo diſcumbit Deus cũ hominibus, cum piſcatoribus verbum, & ſapientia cum ſimplicibus & imperitis. Diſcumbit autem, non vt ſibi miniſtretur,ſed vt ipſe miniſtret, frangat panem,calicem porrigat, diſtribuat agnum,& poſtremò ſacramentaliter præbeat ſemetipſum. In iſto nempe cõuiuio,vbi diuina recumbit in carne maieſtas, non ſeruorum numeroſitas ſericis ornata indumentis, non lautiorum abundantia ciborum,non regius conſpicitur apparatus, ſed legales cibi, atque menſula paupertrima pannoſis hominibus circumſepta. Confundit quippe Dei ſapientia in hoc ſuo immoderatum gulę appetitum,delicatiora fercula,obſequia famulorũ, & ſumptuoſitatis inordinatam voluptatem. Pudeat meritò, confundaturque humana voracitas dominico temperantiæ ac humilitatis eruditaexemplo. Frugalitatem & laſciuiam non ſolũ admonuit fugiendam, verumetiam ſummæ nobis ſectandę humilitatis exhibuit formam. Non erubuit ipſe rex magnus & omnipotens cum paruis,infirmiſque diſcumbere, atque Dei filius cum ignobilibus manducare. Voluit cum infirmis ęgrotare, vt ſanaret languidos, atque cum inſciis cibum ſumere, vt erudiret ignaros. Ideoque in hoc diſcubitu priuſquàm vllũm caperet
Luc. 22. corporis alimentum, ſuos intuens diſcipulos voce humilima ſic exorſus eſt. Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum ante quàm patiar. Vulnerati cordis,& flagrantiſsimæ charitatis eſt vox hæc. Habet in ſe, vnde paſcat ruminantes ſe. Quid ſapientia paucis inſinuare voluerit, accipe. Ab inſtanti quidem conceptionis ſuę ipſe homo verbo Dei vnitus eccleſię ſuę copulam ardentiſsimè concupiuit, ſe quoque illi cõgruentius, amabiliuſq; tradere nequiuit, quàm per corporalis copulę vnitatem. Nam diuinitatis natura vbique pręſens eſt, varioſque(prout vult) pręſentię ſuę operatur effectus,aliter in cęlo,aliter in inferno, aliter in angelis, aliterque in cęteris agens creaturis. Miro autem modo diuerſimode ſic diſponit ſingula, vt nequaquam deſit eſſe in omnibus. Prębet ſe vniuerſis,prębet & ſingulis. Nec pluralitati quid adimit ſingularitas, neq; ſingularitati pluralitas detrimentũ facit. Quoddam tamen pręcipuum idem mediator ſuę volens conferre Eccleſię,quod nunquã noſcitur fuiſſe collatum, corpus illud viſibile, paſsibile,palpabile,& mortale,quod ſuſceperat verbum,communicauit in cibum. Tale ſiquidẽ munus,taleque dilectionis pignus ſuę iturus ad patrem Eccleſię dereliquit. Hoc autem illi ſolatiũ pręſtitit, hoc ardentiſsimę charitatis indicium demonſtrauit, quatenus viſibilis humana eius abſentia illi fieret tolerabilis. Voluit nihilominus, vt vſque ad ſeculi finem hoc modo eadem mater Eccleſia de ſui capitis ſacramẽtaliter pręſentia lętaretur,aggregarenturque ipſius merita quum de viſibilis formę abſentia patientiam,atque de corporali occultata ſpecie fidei robuſtiſſimam exerceret conſtantiam. Hos ergo aliosque plurimos in verbo Chriſti anima vidẽs per iſtiuſmodi inſtitutionem ſacramenti futuros eſſe Eccleſię ſuę profectus, quum in eodẽ, in quo memoratum initiandum fuerat ſacramentum, ſe conſpiceret reddere conuiuio,tota feruore ebria, feruida charitate,iucunda exultatione in lę Ibidem.
tiſsimæ iubilationis voce prorupit,& ait. Deſiderio deſideraui hoc paſcha mãducare vobiſcum antequam patiar. Mira res,proximus erat paſsioni, noueratque quantas ferre debebat contumelias,& tamen ex hilaritate cordis ſe noluit continere,quin deſideriorum ſuorum ęſtus exprimeret. Attendebat aliorum commoda, proprij immemor ludibrii, pręter vſitatum & communẽ naturę ordinẽ eſt, vt homo morti vicinus exultet,& obliuiſcatur ſui. Hinc magnanimitas,hinc charitas,hinc redemptoris declaratur diuinitas, pęnarum quippe intrepidus, & diſcipulorũ profectu ſolicitus, atque amoris flamma ſuccenſus, qualis latebat intus,per oris apertionem magnifeſtauit foris. Vt igitur ignem igne,deſiderium deſiderio, & amorem excitaret amore, inquit. Ibidem.
Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum antequam patiar. Iſtiuſmodi eloquia de cellario ardentis pectoris ideo mediator ipſe protulit,vt in amorem ſui ſanctam excitaret Eccleſiam,traheret ad ſe,& copularet ſibi. Illã ſiquidem nimium diligens corporis ſui,pabulo ſaginare cupiebat,quatenus indiſſolubilis charitatis pace firmata ſanctiſsimi connubii celebrarentur Gen. 2.

tur inſignia, fieretque duo in carne vna, quem-
Gen. 2. admodum ab ipſo mundi exordio per Adam va
ticinatum fuerat. Quum enim Deus mulierem,
quam de ipſius Adæ coſta formauerat, ſtatuiſſet
Ibid. ante eum, ait. Hoc nunc os ex oſsibus meis, & ca
ro de carne mea, quamobrem relinquet homo
patrem ſuum, & matrem, & adhærebit vxori ſuę,
& erunt duo in carne vna. Nempè dominus Ie-
ſus Dei & hominum mediator ipſe eſt, qui ob a-
morem ſponſæ immaculatæ Eccleſiæ reliquit in
cœlo patrem ſuum, quando formam ſerui ſuſci-
piens ſemetipſum exinaniuit. Reliquit & matrē,
dum ſynagogam de qua carnis trahens originē
propter infidelitatis demeritum repudiando cō-
tempſit. Suæq; adhæſit vxori, quum in cruce pē-
dens dato ſanguinis precio, atque aquæ lauacro,
ſibi eam inſeparabiliter copulauit. Cui etiā pro
amoris pignore, proque fœdere maritali corpo-
ris & ſanguinis ſui ſacramenta conceſsit, vt nō
ſolum in ſpiritu, verumetiam eſſent duo in car-
ne vna. Eia nunc lætare mater Eccleſia, & in
cordis modulatione age diem ſolennem domi-
no, quoniam rex omnipotens, terrarum cęlique
fabricator præcipuo amore dilexit te, pro te de
ſolio patris in vterum intrare dignatus eſt virgi-
nis, inſuperabili charitate quæſiuit te per vepres
& ſpinas & huius ſeculi vaſtam ſolitudinem, vt
filios tuos errantes reuocaret ad te, teque duce
ret ad ſe. Quid igitur retribues ei pro omnibus,
quæ gratis tribuit tibi? quæ vota, quas laudes,
quasve actiones gratiarum perſolues eidem? Te
immenſis monilibus decorauit, te redimiuit dia
demate precioſo, deaurata veſte, & fulgentibus
margaritis, celebre fecit nomen tuū, conſtituit-
que filios tuos principes ſuper omnem terram.
O quam ſpecioſa & ſuauis es, atque charisſima
Cant. 6. in deliciis. Nempè effecta es pulchra vt luna, ele-
cta vt ſol terribilis vt caſtrorum acies ordinata,
ex quo Dei filius adamauit te, & factus eſt in te
qui fecit te. Perpetua nāque charitate dilexit te,
& te attraxit ad ſe miſerans tui. Tuarum ſordiū
priorum oblitus, ſic te ſibi elegit in ſponſam, ac ſi
nunquam maculata fuiſſes. Quid inquam facies?
quid dignum conditori tuo rependes? quid ſpō-
ſo tuo donabis acceptabile? Tacebis ne, an forte
Esa. 52. præ tædio & amoris carentia dormitabis? Con-
ſurge, conſurge (iuxta prophetæ admonitionē)
induere veſtimento fortitudinis tuæ Sion, & in-
dumento iucunditatis gloriæ tuę. Non taceat lin
gua tua per diem & noctem, neque conquieſcat
os tuum diuinas perſoluere laudes, per vicos &
plateas tuas, reſonet lætitiæ vox, amoris canti-
cum, laudationisque tripudium. Exalta in virtu-
te vocem tuam, audiant filij tui quanta tecum fe
cerit Deus tuus, magiſter, & ſponſus. Audiant
& mirentur, exultent & laudent. Sicque in do-
mino Ieſu mater cum filijs, & filij pro matre læ-
tentur, qui nedum habitare facit ſterilem in do
mo, verumetiam matrem filiorum lætantem. Is
etenim flammigero amore ſuccenſus quum re- Ioan. 13.
cumberet in cœnaculo cum ſuis, quos de turbi-
nibus ſeculi vocauerat ad ſe, dixiſſetq; deſiderio
deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum, in-
ter ipſas conuiuantium epulas ſurrexit à cœna,
veſtimenta ſua depoſuit, linteum accepit, ſeque
præcinxit eodem. Deindè aquam miſit in pel-
uim, & ſuorum cœpit lauare pedes diſcipulorū,
atque linteo, quo ipſe præcinctus erat, exterge-
re. O inſolitum, mirandumque prodigium, ò no-
uitatum nouitas, & virtutum ſupereminens vir-
tus, Dei filium intueri ſuccinctum balteo, & de-
fixo in terra poplite diſcipulorum pedes ablue-
re, extergere, oſculari. Quis non obſtupeſcat?
quis non gaudeat, quis non lacrymetur iſta le-
gens vel audiens? Prorſus hæc (iuxta hiſtoriā)
humilitatem docent, deuotionem accendunt, at
que mentis innocentiam nutriūt, iuxta verò ſpi-
ritualem intelligentiam diuinæ bonitatis theſau
ros pandunt, myſteriorum Dei reſerant ſacra-
menta, contemplantis animum ſuperno ſplen-
dore irradiant, fidem roborant, erudiunt ſapien
tia, interiorisque aciem hominis ſuaui reficiunt
charitate. Nempe paruulus in Chriſto ipſius exē
plo paſcitur, exercetur meditatione, ad meliora
prouocatur, atque ex lętificante gratia contra fu
tura tentamenta animatur. Habent plane iſtiuſ-
modi ſaluatoris geſta foris quid delectabile, in-
tus autem mirabile ſupra modum. In altero ru-
des ſpiritu reformantur moribus, in altero verò
perfecti ſummæ ſapientiæ inebriantur amore.
Sunt quidem infirmorum lac, & grādium cibus.
Diſcurrit inexpertus, atque de hiſtoriæ ſuperfi-
cie, quaſi de vernantibus floribus ſuauiter redo
lentibus, meditando nutritur, ſpiritualis verò &
exercitatus ſenſibus diiudicans omnia, quid di-
ſcubitus, quid veſtimenta, quid cœna ipſa, quid
linteū, quid pedum ablutio, quid exterſio ſigni-
ficet myſticè, tacitè ſecum contemplando per-
quirens maxima quædam atque iucunda ſub hi-
ſtorię velamine & cortice literæ reperit. Nequa
quam ab re aut ocioſe ſcriptum eſt, quod Dei ſa
pientia à cœna ſurrexit. Cœna hæc magnū quid
inquiſitione dignum legentibus innuit. Cœna
quippe hæc in qua verbum Dei ſedet, ſinus eſt
patris, & æternæ beatitudinis imperturbabilis
pax. In ipſa à patre ſempiternaliter generatur
verbum, de æterno vtique coęternum, Deum de
Deo, & de lumine lumen. Quum enim ſit ſplen-
dor paternæ glorię, & candor lucis ęternę, om-
niaq; portet verbo virtutis ſuę, in diuinitatis pa-
catiſsimo ſedet ſolio, non gratuite, non particu-
lariter, non temporaliter, ſed ęternaliter, ſed na
turaliter, ſed plenisſimè, & ęqualiter. Eſt nanq;
imago Dei inuiſibilis, ita vt qui videt verbum, vi
deat & patrem, quoniam verbum & pater vnū
ſunt. In hoc ſacroſancto verbi conuiuio angelo-
rum,

rum, archangelorum, virtutumque recumbit exercitus, atque omnium ſpirituum beatorum candidatus reſidet numerus. Vniuerſi hi de plenitudine hauriunt verbi, theſauris ditantur ſapientiæ, à generatione ineffabili filij lætificantur, atque ab amborum oſculo inſatiabiliter ſaginantur. In illo conuiuio omnia redolent, omnia ſapiunt, reficiunt vniuerſa, reliquiarum pars nulla deperit, nullus minuitur cibus. Conuiuij huius autor verbum eſt, ſodalis conuiuantium, & miniſter. Ab hoc vtique cœnæ conuiuio quum ſurrexit, prius quàm ſuorum lauaret pedes diſcipulorum, depoſuit veſtimenta ſua. Veſtis etenim qua in iſto tam honorabili, tamque opulentiſsimo conuiuio induitur verbum, quis intellectus capere, quæue narrare ſufficit linguo, quanti decoris, quantæque ſit excellentiæ? Omnium prorſus, quæ in terra magnipendi poſſunt, ſiue ſit aurum, argentum, precioſique lapides, odorum fragrantia, muſicalis ſonoritas, & dignitas imperialis, aut quæ fulgent in cœlo, ſicut ſunt cœli luminaria, & aſtra rutilantia, ſeu ſuper cœlos viuunt, veluti ſunt angeli, principatus, dominationes, & poteſtates, cæteræque angelicæ legiones, plus quàm dici poſsit, præcellit, & incomparabiliter ſupereminet. Hæc nempe ſpecioſior eſt ſole, & ſuper omnem diſpoſitionem ſtellarum, atque comparata luci inuenitur prior. Veſti, (inquam) verbi diuinitatis eſt gloria, incontaminata intelligentia ſapientiæ, paternæ generationis origo ſine principio, actus ſine tempore, perfectio ſine fine, atque pleniſsima abſque diminutione communicatio. Hæc etenim veſtimenta niſi depoſuiſſet, minime videri potuiſſet. Inualida nanquè eſt hominis mens, quamuis iuſti, quamuis innocentis ad huiuſmodi veſtimentorum claritatem intuendam. Hanc quum (ex parte tamen) in monte aſpexiſſet Petrus & duo condiſcipuli, fulgorem illius ferre non valentes, & ſurſum oculos leuare non audentes proſtrati ceciderunt. Propterea vt traderetur, flagellaretur, crucifigeretur, occideretur, illa depoſuit. Si enim cognouiſſent dominum gloriæ, nunquam crucifixiſſent. Depoſitis autem veſtimentis accepit linteum, & præcinxit ſe. Tunc ſe præcinxit linteo, quum in forma Dei exiſtens ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, atque à patre intemporaliter generatus in temporis plenitudine natus eſt de muliere, & factus ſub lege. Nempe quando vniuerſitatis naturam aſſumpſit, & paſſibilitatis illius eſt particeps factus, ſe ſpiritualiter præcinxit baltheo, non tamen ad decorem, ſed pro miniſterio. Quod autem ſuſcepit pro homine, tradidit homini in exemplum, in adiutorium, in cibum, & in precium. Hinc eſt quod ad ſubelandas corporis paſsiones, atque ad exequendas virtutum perfectiones tam alacer fuit, tamq; infatigabiliter perdurauit. Deſideranter enim opus quod illi dederat pater vt faceret, perficere cupiebat. Obedientiæ igitur iugo ſuppoſitus, tanquam linteo præcinctus, nec ad dexteram nec ad ſiniſtram declinauit, non fauoribus hominum, nō ſe flexit honoribus, ſed nec laceſsitus iniuria, neq; perſecutionibus fractus, nec ſuperatus morte ceſsit aliquando. Proinde illi donatum eſt nomen, quod eſt ſuper omne nomen, & factus eſt Eccleſiæ honorabile caput, quam vt aggregaret in vnum toto orbe diffuſam, ſpiritum ſanctum miſit in terras. Hoc myſtice deſignatum eſt, quando aquam in peluim ipſum miſiſſe deſcribitur. Aqua hęc ſpiritus ſanctus eſt, ſicut Ioannes patenter manifeſtat, (Ioan. 7.) quum in templo ſtante domino & dicentes, ſi quis ſitit, veniat & bibat, & flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ, intulit. Hoc autem dixit de ſpiritu ſancto, quem accepturi erant credentes. Nemo itaq; mundatur à ſordibus delictorū ſine ſpiritus ſancti gratia. Eſt autem idē ſpiritus tanquā aqua mundiſsima, quæ carnalium æſtus deſideriorū refrigerans, & pollutam corporis naturam compunctionis dolore reſpergens caſtimonię puritate niitificat. Hoc precabatur Propheta dicens. Aſperges me domine hyſſopo, & (Pſal. 50) mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Effudit itaque in Eccleſiæ peluim regenerationis lauacrum, per quod originale aboleretur delictum, dicente Apoſtolo. Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, qui tradidit ſemetipſum pro illa mundans (Gal. 5.) eam lauacro aquæ in verbo. Effudit quoque gratiam ſpiritus in dilectionis pignus, per quam actualia ipſius extergerentur crimina. Agnoſcebat quidem neminem, quandiu hac carnis corruptione tegitur, à contagionis culpa poſſe ſuſtinere. Ideo opportune miſericorditerque hanc ſpiritus ablutionem eadem Dei ſapientia ſuæ donauit Eccleſiæ, quatenus deperdita per infirmitatem carnis ac ſpiritus baptiſmali puritate & conſcientiæ nitore per huius virtutem lauacri quæque fidelis anima gratia ſancti ſpiritus effecta digna ſuo queat reformari principio. Nullus etenim quāuis ſanctus & mundus humana indigens cōuerſatione & corporis neceſsitatibus ſubditus reperitur, qui hac non indigeat ſpiritus lotione. Nam etſi peccata operis, nequaquam tamen omiſsionis & cogitationis valet vitare contagia. Quis eſt qui frequenter ſe affectu inordinato non polluat? Quis enim in tota hominum numeroſitate ſic viuit, vt non diligat quod non debet, aut non diligat quod debet, ſeu quod diligendum eſt, minus diligat, ſiue inordinatius

iuſto diligat? Affectiones nanque iſtæ, tanquam animæ pedes, quoniam terreno cohærẽt pulueri, indeſinenter lauandæ ſunt, cuius militãtis Chriſto ſolicitudo in hoc optimè comprobatur. Amor autem futuræ beatitudinis viua diuinę præſentiæ fides, ſedula ad Deum intentio, puritatis ac innocentiæ dilectio, virtutum non dormitans pugna, ignita affectio ſapientię, timoris Dei clauus, reſolutionis corporis iugis meditatio, extremi iudicii atque perpetui incendij euigilans memoria, conſcientię maculas in iuſti anima diu inhęrere non ſinũt. Aquam ſpiritus quiſque Dei amator in cordis vaſculo deferat ſecũ vt quicquid in ſe cogitatione ſeu affectione pollutum ſenſerit, ſtatim abluat, & abſtergat. Hoc
Eſa.1. fieri mandauit dominus per Prophetã inquiẽs. Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis. Quamobrem vt quod præceperat fieret, miſit aquã in peluim, & ne infructuoſa videretur ipſius aquę infuſio, cœpit ipſemet ſuorum lauare pedes diſcipulorũ. Quis etenim poteſt facere mundum de immun-
Iob.14. do conceptum ſemine, niſi qui ſolus eſt mundus? Minime quidem diſcipuli ſibiipſis lauerunt pedes, ſed dominus. Probauit ſe eſſe mundum, qui verbo ſuo mundat immundos. Non igitur ſe extollat humana pręſumptio, non audeat de propriis viribus intumeſcere. Sciat ſe non ſufficere ſibi, nilque boni à ſe agere poſſe. Totum, quod habet gratię, quod virtutis, quod intelligẽtię, quod bonitatis, Dei verbo aſcribat, atque de riuulis ineffabilis mediatoris clementię illud emanare non dubitet. Non enim à gratuita ſolũ defluunt Dei charitate ſingulorum merita, verumetiam à plenitudine donorum hominis Chriſti. Propter gratiam quippe perſonæ ſingularis, idem dominus in corporis ſui myſtici mẽbra, quod eſt Eccleſia, infundit ſenſum & ſpiritualem motum ſecundum formalem plenitudinem omnis gratiæ in ipſo habitantis. Ideo ipſe eſt qui peccata diluit, qui tribuit dona, qui etiã paſsione ſua chirographum damnationis aboleuit. Humanitatis nanque ſubſtantiam, quam ab homine ſuſcepit, pro ipſo expoſuit morti. Sicque delictorum ſordes, quas per ſanctificationis ſpiritum lauit, per carnis naturam patiendo deterſit.

De præconijs veræ humilitatis, quæ in Chriſti miniſterio elucet pulcerrime.
Cap. III.

PRudens quiſque architectus collapſi ędificij ſtructuram erigere ac reſtaurare diſponens ſemper à fundamenti opere ſumit exordium, rationabiliterque. Nihil enim niſi ſuppoſito fundamento ſuperædificari poteſt. Quamobrem dominus Ieſus humani generis ruinam reformare volens virtutum fundamẽta ſummo ſtudio per ſeipſum collocare curauit. Cæterarum ſiquidem virtutum fundamentum imputribile, nulloque labefactandum impulſu, humilitatem dixerim. Sæuiat mundus, tentet aduerſarius, repugnet caro, humilitas ſemper ſecura eſt. Nõ habet quid amittat, neque quo doleat, in ſui ſecreto cubiculi intrepida requieſcẽs bono fruitur ſuo, habitans ſecum non conſueuit ſe cum alienis miſcere, ſed neque ſuos (niſi opportunè ac temperanter) patefacit theſauros. Nihil laude dignum habere ſe dicit, vel arbitratur, quoniam diuino muneri totũ aſcribit, quod eſt. Proinde quod non eſt ſuum, facit ſuum, dũ purè, ſimpliciterque in ſuo conditore lætatur, eòque efficitur locupletior, quo ſe nil proprium habere fatetur. O ſancta humilitas ſola in tuis vilis oculis tuo te condemnans iudicio quantum Deo amabilis es? quàm chara? quàm dignitate ſublimis? quàm diues meritis? Quis te digne laudare valet? quis ſufficienter tua poteſt enarrare præconia? Tu latronum acies imperterrita tranſis, tu fauores hominum impauido corde contemnis, tu ſemper vigilas inceſſanter, Dei gloriã tibi vendicare ignoras, tu omnium te nouiſsimã credens cæteros honorabiliter antecedis. Dum deſcendis, aſcendis, dum gloriam fugis acquiris dum latere cupis, efficeris manifeſta. Sine tui detrimento proficis, ſine elatione præes. Te neſciẽte ædificas, fœtes tibi, & extra te bonæ famæ ſuauiſsimum ſpargis odorem: in cordis tui angulo tacitè requieſcens in latitudine platearum matris Eccleſiæ diffamaris. Tibi ſoli non poſſe ſufficere putans multorum animos ad meliora immutas. Deformitatem tuam ſæpiſsime intuens, ò quã pulchra es in oculis domini, ex venuſtate tua, & faciei tuæ ſplendore ſummi regis filius adamauit te, & te ſuo fecit dignam cõnubio. Te dilexit in virginem, & propter te virginem elegit in matrem: ſicut eadem teſtatur in Cantico,
dicens: Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, Luc.1.
ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Te naſcendo ſecum habere voluit. Ideo præſepe anguſtum, & diuerſorij non deuitauit ſordes atque iumentorum conſortia non erubuit. Quid multa: te in corde ſuo repoſuit: te magnificauit voce: te opere confirmauit. In habitu, in moribus, in inceſſu, in ſermone, in obedientia, in miniſterio te ſui amatorem, tuoq; fęderatum contubernio euidentiſsimè patefecit: potiſsimum tamen in vltimo ſui tranſitus ſacro conuiuio, tui præcipuum reliquit exemplũ, nulla temporum mutabilitate abolendum. Quum enim aliquantulum diſcubuiſſet cum ſuis, ſurrexit, vt ſuorum lauaret pedes diſcipulorum. Poſita igitur aqua in peluim, præcinctoque linteo, ac ſedentibus cũctis venit ad Simonẽ Petrũ:

quatenus illius (ſicut agere diſpoſuerat) lauaret pedes. Hoc mox vt vidit Petrus ad tanti expauit aſpectum prodigii, ſeque continere non [Ioan.13.] valens voce tremula ait. Domine tu mihi lauas pedes? Te, ò domine, cerno ſine veſtimento præcinctum baltheo: & dimiſſo poplite inclinatum. Dic (oro te) domine dic, quid vis facere? Nunquam te vidi talia molientem, taliterque diſpoſitum. Quæ eſt hæc nouitas? quæ eſt hęc, quam intueor, inuſitata voluntas? Loquere ergo domine, vt audiat ſeruus tuus, ne admiratione nimia comprehenſus rapiatur extra ſe, aut tabeſcat in ſe. Viſnè facere quod opinor, quod vereor, quod nunquam me paſſurum eſſe polliceor? Tu ne mihi lauas pedes? Tu (inquam) qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, qui illam fœcundaſti arboribus, multiplicaſti frugibus, animantibuſque repleſti. Tu qui omni animæ viuenti præſtas vitam, præbes alimentum, refugiū tribuis. Tu, dico, qui totum vniuerſum mirabili ratione gubernas generationes adducens, producens fœtus, emittens lucem, inuoluēs tenebras, faciens pacem, creans malum. Tu qui mundum metiris palmo, æthera vibras, moues cęlos, firmamentum ornas, aquas diuidis, diſtinguis manſiones, miniſteria ordinas, congregas electos, angelos mittis, beatificas ſpiritus, atque hominum, & angelorum merita ſubtiliſsima examinatione diiudicas. Tu ſine initio Deus, ſine comparatione pulcherrimus, ſine obſtaculo omnipotens, ſine errore ſapiens, ſine perſonarum acceptione iuſtus, ſine diminutione munificus, ſine retributione bonus, ſine macula ſanctus, & ſine admixtione beatus. Tu ſempiternus immenſus, ineffabilis, dulcis complectens omnia, videns ſingula, regens vniuerſa, mihi lauas pedes? Ego tibi famulari debeo, tuaque adorare veſtigia, & tu mihi lauas pedes? Deſine (oro te domine) ſurge velociter, depone linteum, reſume veſtimenta, & ne velis lauare mihi pedes. Memento (quæſo) qualis per culpam fuerim, qualis ſim per naturam, & videbis non eſſe congruum, vt laues mihi pedes. Tu vniuerſorum domine, mihi omnium peccatorum minimo, & maximè contemptibili, immundo, ſanie delictorū ſcaturienti, ad bonum peragendum infirmo, & procliuo ad malum lauas pedes: Nonne tu, ò domine, de limo terræ me plaſmaſti, & ſicut lac coagulaſti: pelle me veſtiſti, & carnibus, oſſibus, atque neruis compegiſti? Cur mihi lauas pedes? Non poſſum pati, neque valeo te videre proſtratum ante me: quare ergo mihi lauas pedes? Altitudo diuinitatis tuæ, & profunditas miſeriarum mearum abſorbuerunt me, & mihi lauas pedes? Intuere (obſecro mi amantiſsime domine) profluentes lacrymas, cordis gemitum, atque mentis intolerabilem dolorem, & ne velis lauare mihi pedes. His atque huiuſcemodi mentis, oriſq; clamoribus Petri commotus dominus, placido illum admonuit ſermone, dicēs: [Ibid.] Quod ego facio, neſcis modò: ſcies autem poſtea: ſine tantum, vt myſteria perficiam: permitte, vt ſecuturis meis omnibus tibi commiſsis humilitatis exemplum præbeam, & patienter ferre, [Matt.11.] vt lauem tibi pedes. Quomodo fructuoſum erit quod dixi, diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde: ſi tibi rogant conſenſero non lauare pedes? Decet nos omnem implere iuſtitiam, & omnem virtutis tribuere formam: propterea noli vltrà contradicere, vt tibi lauem pedes. Ioannem memorare præ reuerentia metuētem verticem meum tangere, & nolentem baptizare me: & tamen ad vocem mei conticuiſſe imperij. Quamobrem illo noli videri ſanctior, nec vltra replicies, domine tu mihi lauas pedes? Docebo te quid ſignificet hoc, quidve lotione hac inſinuare velim: & tunc ſcies me inſtruente poſtea, quod modo ignoras. Petrus verò diuinitatis lumine, & propriæ vtilitatis admiratione percuſſus in propoſito perſeuerans intrepidè (ſed temerarie) reſpondit domino, & [Rom. 10.] ait: Non lauabis mihi pedes in æternum. Zelum quidem habuit, ſed non ſecundum ſcientiam. Nimium iuſtus eſſe volens, & imprudenti ſuccenſus deſiderio non conſiderabat, cui reſiſtebat. Nitebatur ei repugnare, cu- [Heſt.13.] ius imperio creaturarum vniuerſitas famulatur: de quo ait Propheta: Non eſt qui tuæ poſſit reſiſtere voluntati: tu enim feciſti cœlum & terram, & quicquid cœli ambitu continetur: dominus vniuerſorum tu es. Subticuiſſet planè, [Pſal.75.] ſi memoriter tenuiſſet, quod ſcriptum eſt: Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi? Quanto conſultius dixiſſet nunc, quod poſtea timore perterritus compulſus eſt dicere. Quid autem, ò Petre, eſt dicere: Non lauabis mihi pedes in æternum? Quantumcunque vis, roges: quantum vis, imperes: etiam ſi decies, ſi centies, ſi millies preces ingeminaueris, non lauabis mihi pedes. Quod ſemel ſtatui, & mentis deliberatione firmaui, non frangam, neque vllo modo trāſgrediar: ideo fiducialiter ait: non lauabis mihi pedes in æternum. At verò dominus, qui ad ſaluandos peccatores venerat, emendare diſcipulum volens ab immoderato rigore illum re- [Ioan.13.] trahere curauit, inquiens: Si non lauero te, non habebis partem mecum: ſi non te per regenerationis lauacrum lauero, ſi te per gratificantem ſpiritus ſancti gratiam, quam præfigurat aqua hæc, ab originali, exitiali, ſeu veniali non emundauero delicto: non habebis partem mecum, ſi te non lauero, in meis non connumerabere membris, neque poteris conſortio meo aggregari. Viſne ſeparari à me, quem diligis,

quem confeſſus es, cui totis mentis & corporis veſtigijs adhæſiſti? An ignoras, quòd nemo mihi contrarius, meæque inobediens voluntati mecum partem habere poteſt? Suadeo igitur tibi redire ad te, conſiderareque prudenter verborum meorum ſententiam formidabilem. Noli ſolum exteriora inſpicere, ſed tecum pertracta, quid hæc ſignificet lotio, & præbebis aſſenſum. Exemplum eſt, figura eſt, ſacramentum eſt. Subiice itaque te mihi, & te abnega propter me, vt ſis meus diſcipulus, nec non partem mecum habere valeas: alioquin ſi contentioſus fueris, ſi in tua perſtiteris voluntate, non habebis partem mecum. Monui te blando alloquio, & nunc te terreo aſpera inuectione: ſcias autem ſi te lauari minimè patieris, æterna feriam damnatione. Ad hanc domini comminationem expauit cor Petri, contremuere viſcera, ſenſus aufugit, elanguit animus, & vigor omnis demollitus eſt. Vix dominus verba finierat, & ecce Petrus, qui prius procaci humilitate dixerat: Non lauabis mihi pedes in æternum, reſpondit: Domine, non tantum pedes meos, ſed & manus, & caput. Fateor, ò domine, quòd vox tua nimium proſtrauit me, eo quòd dixiſti: nihil mihi intolerabilius. Te nanq; plus omnibus diligo, imò etiã plus quã me: quomodo igitur valeã eſſe ſine te? Ego te elegi in dominũ, in patrem, & in ſponſum: & tu dicis: Si non lauero te, non habebis partem mecum? Nunquid abijcere me vis? nunquid pro inobedientia me repudiare meditaris? Certè nunquam fiet hoc. Laua manus, laua pedes, laua caput, laua me quantum vis. Ecce totum expono me, tantum vt habeam partem tecum. Confiteor mi amantiſſime magiſter labiis, corde credo, & nullatenus dubito, quin ſi lauabis me, ſuper niuem dealbabor. Quia hoc intelligo domine, ſubiicio me tibi: totum me tibi præbeo, ne moreris propter meipſum rogo te, ne lauare me differas, vt non dubitem amplius tecum partem me habiturum. Si laueris, certum me reddes, quòd tecum ero, tuis fruar delicijs, tuo dignus ero conſortio, tuiſque aſſociabor electis, atque à tuis nunquam diuellar amplexibus. Te ſicuti es, te in patre, & patrem in te ineffabili quadam iucunditate conſpiciã. Hæc eſt pars habitantium tecum, quos lauiſti in ſanguine tuo, tuoque mundaſti ſanctificationis ſpiritu. Illorum ergo ne amittam fęlicitatem, ne ab eis ſeparer, iterum dico tibi, vt non ſolum laues pedes meos, ſed & manus, & caput. Hoc vbi audiuit dominus, lætus pro diſcipuli
Ibidem. correctione effectus inquit: Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus. vtiquè qui ſacramentali lotus eſt regeneratione, In eadem mundatus eſt totus: propterea non indiget, niſi vt pedes lauet. Tanta etenim virtute, tamque efficaci gratia illud lauacrum operatur, vt corpus tangat, & mentem abluat, atque vniuerſa peccata, quamuis enormia, quamuis arenæ numerum excedentia, ſuo illico abſtergat contagio: hoc nimirum verbo Dei operante in elemento & ſacramento. Iſtiuſmodi autem ſacramentalis lotio, quoniam reiterari nequit, aliam ſpiritualis renouationis ſuæ Chriſtus donauit Eccleſiæ. Hanc per ſpiritum ſanctũ inuiſibiliter agit, qua quilibet indiget Chriſtianus. Hanc prorſus expreſsit, quando ait: Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus. Quo dicto cœpit rex angelorum humiliter, diligentiſsimeque ſuorum lauare pedes diſcipulorum. O humanæ pudor ſuperbiæ, ò altitudinis terrenæ confutatio ſingularis, videre Dei filium aquam infundere, & refundere, ſordidantium pedum puluerem proprijs abluere manibus, & linteo, quo præcinctus erat, extergere: atque ſingulorum pedibus oſcula imprimere dulciſsimæ charitatis. Non valet vllus ſermo explicare, quanta deuotionis ſuauitas, profunditas humilitatis, charitatis ardor, atque virtutum exemplaritas ſub huius lateat cortice miniſterij. Miror equidem ſi quiſquam mortalium ſuo naturali ingenio ad tantæ rei peruenit indaginem. Nempè etiam ipſis angelicis ſpiritibus admirabile factum eſt iſtiuſmodi ſeruitutis obſequium. Verum non intelligentiæ acumen, non argumenta philoſophorum, non ſcientiæ mundanæ curioſa profunditas, ſed deuotio lacrymarum, ſed cordis innocentia, ſed puritas dilectionis, ſed aſsidua meditatio tam ſancti negotij ſecretum ingreditur. Sed quemadmodum aperitur humilibus, ita elatis, & peccatoribus ſeris firmiſsimis obſeratur. Efficiatur itaque humilis, qui contemplari vult magna, innocens, & abſque malitiæ veneno fit, qui ſpiritualium guſtum habere deſiderat. Abhorreat quidem, & de ſe præſumẽtes fugiat, ſed humilibus, Deumque timentibus diuinę bonitatis ſe delectatio offert. Excelſus eſt dominus, & humilia reſpicit in cœlo & in terra. Reſpicit planè, vt eſurientes repleat, trahat amantes, pœnitentes emolliat, doceat credentes, & accendat quieſcentes. Venite huc omnes, qui in oculis veſtris humiles eſtis, accedite propius, & quid egerit dominus, diligenter audite. Narrabo fideliter vobis omnia, quæ geſsit, quæve in hoc conuiuio vltimo loquutus ſit. Non igitur tepeſcat cor veſtrum, neque infidelitatis nubilo obturentur aures, quin potius audiant, vt cor inde paſcatur. Eſt enim verbum animæ cibus ſaluificus, & corda lætificans. Verbum quidem dixerim dominũ Ieſum, qui poſtquam lauit pedes diſcipulorum, accepit veſtimenta ſua, & iterum recubuit. Quid eſt, quod dicitur: Poſtquã lauit pedes Rom 12.

eorum

eorum, accepit veſtimenta ſua, & iterum recubuit? Nunquid ſine cauſa hoc egit Dei ſapientia? an fortè ocioſe ſcriptum eſt? Minimè. Quæcunq; enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: & quod in carne geſsit verbum, ad profectum noſtrum feciſſe cognoſcitur. Aperiat itaque ſapientia cordis noſtri ſenſum, vt ſcripturas intelligamus: ſicut ſuis poſt reſurrectionem aperuit Apoſtolis: quatenus occulta operum, verborumque ſuorum ſine errore agnoſcamus myſteria. Lotio igitur hæc, de qua nunc dicitur, humanæ redemptionis deſignat ſacramentum: Apoc. 1. de quo Ioannes ait: Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Poſtquā prędicauit regnum, ſanauit languidos, cæcorum aperuit oculos, ſacramenta inſtituit, tentus eſt, cōſputus eſt, crucifixus eſt, & mortuus eſt: quæ omnia ad opus redemptionis pertinent, à mortuis deuicta morte reſurrexit. In ipſa itaque reſurrectione gloriam immortalitatis, quam depoſuerat patiendo, tanquam veſtimenta propria reſurgendo reſumpſit. Sic nanque ſurrexit, vt omni calcato corruptionis veſtigio, in ſupernam conſcenderit glorię claritatem, acceperitque in cęlo & in terra regiam poteſtatem: ita vt vbiq; fulgeat diuinitatis ipſius clara maieſtas. Pſal. 103. De hac per prophetam dicitur: Confeſsionem & decorem [illegible]uiſti, amictus lumine ſicut veſtimento. Ho[illegible] veſtimētorum ineffabilem fulgorem Apo[illegible]us intuens ſuſtinere non valuit, quando Da[illegible]co appropians de cęlo lumine circumfuſus, & in terram proſtratus Ieſum audiuit, dicentem Acto. 9. ſibi: Saule, Saule, quid me perſequeris? & euerberatus quidem diuinitatis ſplendore mox corporali priuatus eſt lumine. Horum quoque veſtimentorum ſanctus Iſaac, quoniam caligabat oculis, videre non potuit, fragrantiam tamen perſenſit in ſpiritu, quando ipſorum miro reſperſus Gen. 27. odore, inquit: Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni, cui benedixit Deus: & bene pleni, quoniam omnis plenitudo diuinitatis in Chriſto corporaliter habitabat: de qua plenitudine Ioan. 1. teſtatur Ioannes: Et vidimus (ait) gloriam eius gloriam quaſi vnigeniti à patre plenum gratię & veritatis. Plenitudinem igitur glorię & reſurrectionis, ac immortalitatis ſtolam in ſe complendam eſſe poſt reſurrectionem indicauit. In eo quod poſtquam diſcipulorum lauit pedes, accepit veſtimenta: poſt quorum receptionem etiam recubuiſſe legitur. Maximum recubitus iſte ingerit ſacramentum. Ad cœlos enim in eo innuitur aſcenſus, & ſupra angelicam dignitatem ad patris dexteram alta conſeſsio. Teſte enim ſancto Euangelio ipſe dominus quadragenario reſurrectionis ſuæ tranſacto numero, quum plurima diſcipulorum turba ſimul congregata exiſteret, cunctis cernentibus, & præ gaudio admirantibus cum ineſtimabili angelorum exercitu vſque ad Trinitatis ſolium glorioſus aſcendit. Nempe ſuper omnem principatum, & poteſtatem, & dominationem, & virtutem, atque ſuper omne nomen, quod nominatur: non ſolum in hoc ſeculo, ſed etiam in futuro accepit dignitatem & gloriam. Iſtiuſmodi quidem ſublimitatis honorem propter verbi perſonalem vnionem hominis natura ſuſcepit. Hoc in ſpiritu propheta contemplatus eſt, quando lætabundo corde pſallebat, dicens: Adorate eum omnes angeli eius: audiuit & læta eſt Sion. Pſal. 96. Huius accubitus ſpecioſitate accenſa in Canticis canticorū ſponſa, amore flagrātiſsimo aiebat: Cant. 1. Indica mihi quē diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie. Cunctis enim replet ſe fruentem delicijs iſtius ſeſsionis, viſio ſalutaris: vnde propheta ſāctus hac pollicitatione ſecurus aiebat: Pſal. 15. Adimplebis me lætitia cum vultu tuo, delectationes in dextera tua vſque in finem. In tali igitur figuraliter throno reſidens Dei ſapientia ſuos tanquā verus, legitimuſque magiſter cœpit docere diſcipulos, ſicut renitenti Petro ac neſcienti ſe antea facturum inſinuarat. Scitis (inquit) quid fecerim Ioan. 13. vobis: vos vocatis me magiſter & domine, & bene dicitis. Sum etenim. Non quippiam ſe indigni arrogauit [illegible] Dei verbum, quam ſe aſſeruit eſſe magiſtrum & dominum. Ipſe quidem eſt, [illegible] docet hominem ſcientiam, veritat[illegible] inſtruit, reuelat myſteria, rationem illuſtrat, & de proprijs theſauris incerta & occulta ſapientiæ & prudentiæ manifeſtat. Eſt & ipſe dominus vniuerſorum cui terrena atque cœleſtia famulantur. Quomodo non illi obtemperent omnia, quum per ipſū omnia facta ſint, & ſine ipſo factum ſit nihil. Omnia (inquit propheta) in ſapiētia feciſti. Pſal. 103. Non autem dominus cęli, aut dominus terrarum, ſeu angelorū dicitur: ſed ſimpliciter dominus, vt vniuerſę poteſtatis ipſum Monarchiam tenere non dubites. Si ego (inquit) laui pedes veſtros dominus & magiſter: ita & vos debetis alter alterius Ioan. 13. lauare pedes. Hortatur exemplo ſuo ad mutuæ charitatis officia peragenda: quatenus tanquam vnius corporis viciſsim ſibi membra famulentur. Duplex verò ipſa Dei ſapientia miniſterio ſuo commendauit nobis virtutis officium. In altero quidem humilitatis, in altero verò charitatis. Conſueuerunt (quemadmodum naturalis etiam inſinuat intelligentia) minores maioribus dominis ſeruire, & diſcipuli obtemperare magiſtris: nuſquam autem dominum ſeruo ſubiectionis exercuiſſe obſequium legitur. Huiuſmodi famulatus inſtitutor & autor eſt Chriſtus. Ipſe eſt, qui homini fabro & intemeratæ virgini ſe ſubdidit, vt obedientiæ ſanctæ & perfectę humilitatis iaceret fundamenta. Ipſe eſt, qui diſcipulis ignobilibus ſecundū ſeculi proſapiam, & rudib. proprijs manib. plātas exterſit, & iuge[illegible]uitutis exhibuit miniſteriū. A ſeculis non eſt auditū tan-

ex humilitatis prodigium, tamque inſigne deie-ctionis officium: nulli prorſus, niſi verbo Dei, cō-gruebat talia præbere virtutum magiſteria. Ad hoc venerat, ad hoc viſibilem ſumpſerat huma-nitatis formam, vt informaret mores, errores de-tegeret, reſecaret vitia, veritatis inſtrueret viam, vitę ianuam aperiret, reſeraret miſericordię fon-tem, diabolum vinceret, recuperaret perditum, reciperet prodigum, famelicum ſaturaret, cruci figeret peccatum, mortem aboleret, & Deo re-conciliaret hominem: vt quemadmodum hu-manæ ſpeciei fuerat autor, fieret etiam lapſo ho-mini per virtutum exempla ſapientiſsimus repa-rator. Hinc eſt, quòd tam ſedulò humiliauit ſe: ſeque ſubegit, atque de ſe luculentiſsimam per-fectionis demonſtrauit formam. Alio nullo in-diget plebs fidelium virtutum doctore: in Chri-ſto ſolo fulgent omnium documenta virtutum, præcipuè tamen in hoc coram nobis exemplo propoſito, humilitatem prædicauit in opere, & fraternitatis amorem exhibuit in myſterio. Egit vtique vt intelligeremus, miraremur, delectare-mur, imitaremurque. Intelligeremus quidem ſa-cramentum, exinanitionem miraremur, delecta-remur obſequio, imitaremur exemplum. Imite-mur ergo, ô milites Chriſti humilitatis exemplū & mutuæ dilectionis Deo gratum obſequium: ne tanquam contemptores nos puniat. Mentem etenim noſtram proximi caritate repleamus, cō-patiamur cadenti, & erranti: iuſtitiæ ſemitas pā-damus in nos, peccantibus ignoſcamus, atque a-liorum mala noſtra eſſe putemus. Ita nos coapte-mus omnibus: vt ſciamus gaudere cum gauden-tibus: & flere cum flentibus, tribuamus ex corde, oremus ex corde, nihilque ſimulatum, nihil frau-dulentum, nil in nobis appareat incompoſitum, quod fraternę valeat maculare nitorem conſciē-tiæ. Sic viuamus nobis, vt ad Dei gloriam, proxi-mique profectum noſtra militet vita. Transfor-memur in ſingulos, communicemus nos omni-bus, ita vt illud Apoſtoli compleatur in nobis.

1 Cor. 9. Omnibus omnia factus ſum, vt omnes lucrifaciā, ſeruatis duntaxat modo, menſura, tempore, & ra-tionabili iudicio charitatis. Cautè quoque vigi-lemus, ne fraternus in nobis tepeſcat amor, ne miſceatur cœno, ne plus iuſto accēdatur, & mā-datorum Dei prætergrediatur ſemitas. Quotie-ſcunque igitur huiuſmodi prudenti, igni-toque amore erimus decorati, gau-deamus & exultemus in Domi-no, quoniam ſaluatoris e-xemplo infundimus aquam, pedes lauamus, extergimus linteo, & mutuæ exercemus officium cha-ritatis.

De fidei excellentia, & auctoritate catholicæ reli-gionis. Cap. IIII.

INter difficilia, quæ humanæ ſaluti neceſſaria fore noſcuntur, primum tenere locum ſa-cramentorum, rectam fidem quis dubitet? Nihil enim in ipſa eſſe cernitur, quod ſenſibus ſu-bijciatur humanis, vnde ſenſitiuæ pars animę eri-gatur ad fidem, ſeu ſolidetur in fide. Non in ea color eſt vllus, per quem oculorum acies valeat delectari, non odor, non ſapor, non corpus ali-quod in illa eſt, per quę olfactus, guſtus, & tactus experientia promoueri debeat. In vno tantum ſenſuum corporis (videlicet) auditu aditum in-uenit fides introeundi ad hominem, & interio-ris hominis penetralia poſsidendi, vnde Apoſto-lus ait, Habitare Chriſtum per fidem in cordibus noſtris. Ephes. 3. Fides itaque ex auditu eſt, auditus autē per verbum Chriſti. Verbum igitur Chriſti fidei autorem, promotoremque dixerim. Nihil enim in Chriſti verbo dubietatis eſſe debet, non ali-ter, quàm quod dixerit, eſſe poteſt. Irrefragabi-lis quippe eſt omnis illius ſententia, nec aliquo indigens teſtimonio. Maxime proinde demen-tiæ, multæque temeritatis cēſendus eſt quiſquis diſſentire voluerit ab eo, quod aſſeruit Chriſtus. Quamobrem omnem Chriſtianæ religionis cō-trouerſiam damnabilem eſſe nemo dubitet. [illegible] gni itaq; periculi res eſt aduerſus ſanctum [illegible] ma catholicæ fidei verboſis rationibus, & g[illegible]lis velle concertare clamoribus. Ceſſet ne[illegible]ſſe eſt omnis mundanæ ſcientię curioſitas, omniſq; perſpicacia naturalis ingenii, & humili aſſenſu ſi dei iugo colla ſubmittat, quatenus omne os ob-ſtruatur, & totus mūdus fiat ſubditus Deo. Quis etenim (niſi qui deſipit) indocto atque imperito potius quàm eruditiſsimo, & vniuerſatum facul-tatum imbuto credet viro? potiſsimum ſi ſapien-ti inſit conſcientiæ ſynceritas, mentis rectitudo, & non fallendi inuiolabilis opinio. Optimo & docto homini indubie credendum eſt. Nam bonitatem ſcientia ornat, & bonitas roborat ſciē-tiam. Altera horum deficiens in homine, adi-mit verbis fidem, diffinitionibus autoritatem, imitationem moribus, & opinionem ſanctitati. Hinc colligitur, quàm contemptibile ſit impij vi-ti prolatum teſtimonium, vita reprehenſibili ſo-ciatum. Quomodo credibile valet perhibere teſtimonium veritati, quicunque conuerſatio-ne & operibus aduerſatur legibus veritatis? Se-ipſum ferit iniquus, & aduerſum ſe ſenten-tiam profert, quoties Dei iuſtitiam, veritatem fidei, ac boni viri commendabilem vitam lau-dare voluerit. Nemine loquente clamat contra delinquentem innata ratio, conſcientia agitata, pręceps & deordinata affectio. Prorſus damna-tionis reum ſe facit, qui diuinam legem, & virtu-tum perfectionem nequiter agēdo ſermonibus efferre

efferre conatur. Huic ſententiæ ore prophetico diuinus ſermo præbet autoritatem, quũ ait, peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Tu verò odiſti diſciplinam, & proieciſti ſermones meos retrorſum. Deo quidem odibilis, & hominibus quiſque contemptibilis eſt, qui veritatem, quam verbis approbat, moribus confundit. Vox & vita, actus & intentio, opus & cogitatio, affectio & inquiſitio in probato viro diſſentire non debent. Talis quiſque eſſe ſtudeat, qualis ab hominibus videri concupiſcit. Nõ minus propriam, quàm alienam debemus erubeſcere conſcientiam. Iuſtitiæ amicus non eſt, qui ſordeſcens intus, foris ab hominibus iuſtificari deſiderat. Diſpliceat tibi, ò homo, facinus tuum, abominabilis tibi ſit animæ turpitudo, neque de extraneo, ſed de tuæ gaude conſcientiæ teſtimonio. Præter conſcientiam propriam nullum coram Dei iudicio habebis defenſorem. Illam igitur mũdam, illam exhibe innocentem, vt ad veri conſpectum iudicis irrepercuſſa maneat. Parum etenim proderit exultaſſe ad horam de fauoribus hominum, & poſt obitum confuſione repleri. In gaudio tuo caue, ne miſceatur alienus, vt non ſuper perditione tua lætetur inimicus. Aeternum facile amittit præmium, qui temporaliter lætari non veretur. Nec bonæ famæ habebit gratiam, qui vitæ ſuæ negligit innocentiã. Sanctitas enim & opinio cõfœderantur in vnũ. Quicquid ſanctus vir approbauerit abſque euidentiſsima ratione, improbandum nõ eſt, quod ſi viro iuſto propter conſcientiæ lumen, gratiæque decorem credendum eſt; multo magis ſanctificanti Deo. Nam ſi illuminata fulget lãpas: cur non magis illuminans lumen? Si veritatis diſcipulus mentiri non poteſt, mentietur forſitan ipſa veritas? Ex hoc Chriſtianæ religionis agnoſcitur indiſſolubile fundamentum. Non enim ab homine, neque per hominem initiatum fuit aliquando, nõ humana induſtria, aut intellectuali diſcuſsione inuentum. Sempiternum Dei Verbum, quod in ſinu eſt patris, ipſum enarrãdo diſpoſuit, & reuelando manifeſtauit. Potentiæ ſuæ virtutem, & ſapiẽtiæ inueſtigabiles rationes ſub velamine abſcondit fidei, quatenus credenti nõ deſit meritum, dum quod non videt, credit, & quod nondum ratione percipit, confitetur. Nã iuxta Apoſtoli ſententiam, fides eſt ſperãdarum ſubſtantia rerum, & argumentum non apparentium. Habet tamen ipſe Chriſtus tanquam fidei autor clauem ſecretorum Dei, ideo magnalium ſuorum reuelare valet arcana, non autem errare poteſt, quum ſit verbum, neque ignorare, quum ſit ſapiẽtia, neque fallere, quum ſit bonitas, neq; contemnere, quum ſit miſericordia. Per potentiam quidem verbũ, per gubernationem ſapientiam, bonitatem per communicationem, & per redemptionem ſe miſericordiam eſſe indicauit. Apud Dominum (ſicut propheta canit) miſericordia eſt, & copioſa apud eum redemptio. Vt igitur ſe verbum Sapientiam, bonitatem, & Deũ miſericordiarum eſſe oſtenderet, ipſe Dominus miſerator & miſericors in ſuo vltimo cœnę conuiuio eſcam dedit timentibus ſe in memoriã ſuorum mirabilium. Trãſiturus etenim de hoc mũdo ad patrem, cęnam fecit, non ſicut Herodes funeſtus, vt innocentis ſanguinem funderet, ſed vt corporis & ſanguinis ſui ſacramenta conficiẽdo miniſtraret principibus populi ſui, & primis aulę cęleſtis. Ad quod peragendum non Patriarchas, non prophetas, non Angelos, non Archãgelos, non vel ſupremum cęleſtium legionũ miſit, ſed ipſe per ſe implere curauit. Potuiſſet planè mentis acies infidelitatis obtenebrari caligine, atque ab illuminatę fidei reſilire ſplendore, ſi creaturarum quęlibet tanti myſterij fieret inſtitutor. Abegit itaque omnẽ dubietatis opinionem, omniſque argumentũ erroris, quando per ſe ipſum id voluit conſummari. Nihil hoc ſacramento verius, nihil certius credi poteſt, cuius inſtitutionis Deus autor eſt. Nempè quum Dei Filius in aſſumpta humanitate ſummi & ęterni ſacerdotij fungeretur honore, iuxta vaticiniũ Dauid, dicentis, Tu es Sacerdos in ęternum ſecundum ordinem Melchiſedech, officij dignitatem, ſacrificijque libamen ad ſimilitudinem perfecit ſenioris Melchiſedech, quamuis illo nobilior eſſet dignitate, genere, & oblatione. Nam Sacerdotij ſui dignitatē non ab hominibus, ſed à Deo, neque temporaliter, ſed ęternaliter ſortitus eſt, ſicut dicitur, Tu es Sacerdos in ęternum. Generationem verò eius quis enarrabit? Natus eſt enim in terris de matre ſine patre, & in cęlis de patre ſine matre, de Deo Deus, de ęterno coęternus, ita vt illius, de quo genitus eſt, ſit imago inuiſibilis abſque vlla glorię & diuinitatis diſsimilitudine. Oblatio quoque illius plus quàm dici poteſt, ſupereminet, & excedit. Nam Melchiſedech oblatio figura fuit, illa autem Domini Ieſu veritas figurata. Illius ſacrificium terrenum erat, huius verò cęleſte. Illud corrumpendũ, hoc immortale. Secũdum Sacerdotij qualitatem, ita eorum oblatio. Mortales erant veteris legis Sacerdotes, ideo moriturorum atque irrationabilium animalium victimas immolabant. Et quoniam morte interueniente diu permanere prohibebantur, propterea plures fiebant in lege, ne Sacerdotalis dignitas deperiret, Dominus autẽ Ieſus eo quòd maneat in ęternum, ſempiternum habet Sacerdotium. Ideo per ſemetipſum acceſſit, non in ſanguine alieno, neque victimas immolaturus iumentorum, ſed ſui corporis hoſtiã immaculatam pro totius mũdi ſatisfactione delicti. Talis prorſus (iuxta Apoſtoli ſententiam) decebat vt nobis fieret Pontifex Sanctus, Innocens,

Pſal. 49. Heb. 11. Pſal. 129. Pſal. 109. Eſa. 53.

cens,

Heb. 7. cens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & cęlis excelſior factus, qui non haberet neceſsitatem, quemadmodum Sacerdotes, prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populo. Hoc autem fecit ſemel in conſummatione ſeculorum ad deteſtationem peccati per ſui corporis hoſtiam, & ad ſuorum abolẽda ſcelera electorum, cuius viuificæ oblationis memoriam in ſacramentali panis & vini hoſtia dereliquit. Illud igitur euchariſtiæ ſacramentum, quod in hac cę[illegible]tuit Dominus, irrefragabiliter tenẽdum eſt, credendum, confitendumque. Tenendum quidem memoriter, veraciter credendum, & li- Roman. 10. berè confitendum. Corde enim creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem. Vt igitur iuſtificeris per fidem, & per confeſsionẽ laudis pertingas ad ſalutem, propius accede verbo cum duodeno diſcipulorum numero diſcũbente, & forte guſtabis & tu de hoc ſacramento, cui, quid, & qualiter credere debeas. Accede (inquam) non corpore, ſed mẽte, ſed cogitatione, ſed affectu in ſimplicitate & virtute, in deuotione & fide, & ſi nondum perfecta & adulta, tamẽ ex familiari meditatione verbi formanda atque perficienda. Omnem depone formidinem, & altum ſapere reiice, vt diuinæ gratiæ receptaculũ fias, non vt videas ſpecioſitatem aliquã, nec per dulcedinem ori delectabilẽ inuiteris, vt guſtes, ſed vt per fidem, quæ ex auditu eſt, erudiaris de verbo. Aurem itaque para, aurem aperi, non corporis, ſed animi, vt audias quid loquatur Dominus Deus, quidve ſempiternum dicat verbum. Verbum vtique, quod erat in principio apud Deum non tranſiens, non ſyllabis & humana voce prolatum, ſed conceptum mente, corde eructatum, ac ineffabiliter generatum, per quod omnia abſque inſtrumẽto, vel adiutorio facta ſunt, ſiue terrena, ſeu cęleſtia, in quo ſunt, quæcunque ſunt, mouentur, & intelligunt, in quo viuunt, qui viuunt vita, carnis, & ſpiritus. Hęc diligenter auſculta, & verbi cordis auribus percipe verba, attende, & gaude, cum panem in manus ſuas ſacratiſsimas accipit: cum ad cęlum oculos leuat, cum gratias agit, benedicit, & ſuis tribuendo diſcipu- Luc. 22. lis ait: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Videſne vnde mirando gaudere debeas? vnde fides germinet? vnde ſpei nutrimento paſcaris? Nempe comedunt Apoſtoli, atque de verbi manibus ſuſcipiũt non vitulorum, aut hircorum carnes, ſeu azimos panes, prout accidentia illa protendebãt oculis, naribus inſinuabant, ac manibus palpanda ſuadebant, ſed re vera, corpus Chriſti verum, quod de Maria Virgine per Spiritum Sanctum cõceptum fuit & natum, quod loquebatur, videbatur, tangebatur, edebatur, quod nimirum in cruce pependit, expirauitque, non denique ſimilitudinem illius, neque aliud, ſed ipſum veriſsimum, idem in quantitate, in ſubſtantia, in identitate, ex anima & carne conſtitutum, vnitum verbo, humaniſque membris compoſitum, atque perfectum, ſub diuerſis quidem opertum ſpeciebus, ſed nullum ex illis patiens diuinitatis, ſeu humanitatis detrimentum, neque diuiſum ex multarũ numero hoſtiarum, aut in maiori maius, ſiue in minori minus, ſed vnum idemque in ſingulis locis & hoſtijs, non prorſus Angelico miniſterio, ſed diuina conſecratum virtute. Expergiſcere nũc anima mea, expergiſcimini & vos amatores veri & inconcuſsi boni, atque tota cordis intentione cõſiderate, quã dulciter, quam humiliter, quãtoque dilectionis affectu Dominus Ieſus adhuc paſsibilis impaſsibiliter ſeipſum tribuit in ſacramentum, & efficitur cibus hominum Dominus ac conditor Angelorum. Completur planè nunc, quod ore prophetico fuerat prænunciatũ, Psal. 77. Panem cęli dedit eis, panem Angelorum mãducauit homo. Singuli diſcumbentium eundem accipiunt corporis cibum, idemque ſanguinis poculum, & (quod mirabile eſt) ſuo non ſe denegat proditori, quem ſciebat iam aduerſum ſe leuaſſe calcaneum, ſuique Domini perditionem quærere. Vno Petrus & Iudas cęleſti paſcuntur alimento, aliter tamen, nam ad meritum & profectum Petrus, proditor verò manducat ad ruinam atque interitum. Pro ſumentium diſpoſitione, cibus hic diſpares etiam operatur effectus. Quem enim reperit mundum & iuſtum, amplius mundat atque ſanctificat, quem autem ſordeſcẽtem inuenit & immundum, deteriorem facit, quoniam ſancta & immaculata iniquitatibus pollutus præſumpſit ſumere ſacramenta. Suis nãque dem[illegible]ritis, non Dei [illegible]luntate malus malè ſumen[illegible]citur peior, in remedium quippè humanæ infirmitatis, fidei meritum, ſolatium amãtium, & charitatis augmentum hoc ſuum verbi clementia inſtituit ſacramentum. Noli tu ergo Iudam imitari, noli Dominũ tuum, atque teipſum venũdare in peccatum, noli ita de Dei bonitate præſumere, vt de te præſumẽdo cadas, atque intereas. Quod ordinatum eſt ſanctè, ſanctificatum accipe, vt ſanctificeris adhuc. Nunquã qualis ſis, obliuiſcaris, ne tuæ infirmitatis immemor elata cordis ceruice diuina ſuſcipias. Optimũ etenim ſuſceptionis remediũ mentis humilitatem fore non dubites. Eò nanque ad euchariſtiam percipiendam eris dignior, quo corde humilior, mente mundior, dilectione feruentior, virtutibus ſolicitior, & vita inuentus fueris ſanctior. Habes itaque mẽſam ſpiritualẽ appoſitam, cœleſtibus refertã dapibus, habes vitulũ ſaginatũ, immolatũ, occiſum, aſſatum, habes Sacerdotem magnũ, lineis veſtitum miniſtrantem tibi, habes ſodales tuos terræ principes, pinguia mãducantes, ades (inquam) nuptiali conuiuio ſolenniter celebrato. Caue ne epulantibus cæteris, atq;

ris,atque bibentibus ipſe fame tabeſcas,& de tã honorabili conſortio diſcedas cum rubore ieiunus.Noli ſtare eminus, tanquam alienus à ſorte Psal.33. ſanctorum.Recole Prophetam dixiſſe, Accedite ad eum,& illuminamini, & facies veſtræ non Ibidem. confundentur.Iterumque,Guſtate(inquit)& videte,quoniam ſuauis eſt Dominus. Propheticis ergo exhortationibus accenſus, ac diſcumbẽtiũ animatus exemplis,accede & tu ſeruili depoſito metu, vt inebriem ab vbertate charitatis Dei, & torrente voluptatis verbi paſcaris. Prius tamen quàm te cętui miſceas recumbentium,in ſecretum cubiculum tui cordis ingredere, ibique cũ ingenti gemitu & cõpunctione, effuſo(ſi vales) lacrymarum imbre, ora genitorem tuum cœleſtem,vt ſuo te gratificet filio,illumque tibi præſtet placatum,teque minimè patiatur à tam ſanctiſsimo repelli conuiuio,& repudiari velut indignus. Hoc autẽ quum deuotè perfeceris,& cor tuum ex concepta fiducia roborari cognoueris,tunc exauditas tuas orationes intellige, atque à Domino te inuitari non dubites. Quamobrem viduitatis veſte reiecta,& nuptiali induta ad verbi reuerenter prouolue veſtigia,illa lacrymis ablue,&deuotionis vnguento vndique linire neceſſes. Demiſsis igitur in terram luminibus charitatis,ac humilitatis prorumpens in vocem dicito, O Domine Ieſu, Verbum Patris, lumen indeficiens,Sol iuſtitię,occaſum neſciens,Salus mundi,Angelorum conditor,ſupernorum ſpirituum lætitia ſempiterna,bonum ſummum,omnium bonorum origo,& finis,plenitudo glorię, gratiarum largitor optime, animarum ſanctarũ corona,peregrinãtium ſocius, robur debilium, virtus iuſtorum,errantium reuocator,peruenientium dux, certantium auxiliator, amantium amor,& totius cõſolationis cellarium indeficiẽs. Ecce tantillus ſeruus tuus coram te corde proſtratus clamat ad te totis deſideriorum ſuorum præcordiis,in ſpiritu humilitatis,& in animo cõtrito.Ego,ò Domine,ego ſum prodigus ille,qui cœleſte patrimonium, omnemque ſubſtantiam carnaliter viuendo diſsipaui,atque conſumpſi, propter quod Filius vocari dignus nõ ſum, ego (inquam)ouis ſum perdita,quæ per vitiorum deuia diu errans luporum dentibus laniata permaneo.Tu igitur piiſsime pater ſuſcipe venientem pœnitenti occurre,atque eſurienti ſaginati vituli alimoniam præbe. Tu paſtor bone inuentam recognoſce ouem,& ne iterum errare incipiat, in humeris ad ouile reporta. Reſpice in me, ò Psal.65. Domine,& miſerere mei, & ne auertas faciem tuam à puero tuo,quoniam tribulor, velociter, exaudi me,te ſuſtinui tota die, te præcipuè diligo,te cupio,te totis viſceribus ſumere concupiſco.Oro te Domine,ne derelinquas me, neque Psal.26. deſpicias me Deus ſalutaris meus.Sine te quidẽ nec lętari,neque eſſe,aut viuere volo.Redde mihi te, tuo me paſce corpore, ſanguine inebria tuo,tui me amore transfige.Eia nunc deſcende Domine mi in hortum tuum,& ancillæ tuæ deſideriorum collige fructus. Nempe omnia poma noua & vetera ſeruari tibi dilecte mi.Cur ſic diligentem te crucias? cur tanta illum dilatione affligis?an ignoras Domine moram omnem amãti nimium eſſe diuturnam? Quamobrem rumpe moras,accelera,propera, feſtina ingredi ad ſeruum tuum.Præſtolatur te in ſe cupiens ſe transformare in te.Quare ergo diſsimulas clamantis ad te vota perficere? Fortè ne tecum tacitè loqueris, dicens, Non eſt bonum ſumere panem Matth.15. filiorum,& dare canibus. Vtique Domine verũ dicis, ſi hoc inquis. Canis ſum,canem me eſſe profiteor. Nonne autem, ò amor mi,ò deſideriorum meorum præſidium ſingulare, atque ſpei meæ pacatiſsima quies catelli edunt micas, quæ cadunt de menſa Dominorum ſuorum:Canem me dixiſti,& ſum Domine,vt canem(oro) habeto me.Da igitur huic miculam,quæ in hoc tuo,ò Domine, miniſtratur conuiuio, ne vltrà me fame patiaris affligi. Dic autem mihi precor te,ò meridiana lux tenebrarum carens caligine quę vniuerſa tuo illuſtras ſplendore, reſponde (inquam)interroganti te, ſine indignatione tamen.Nolo enim vt elationi aſcribas,quòd tecũ audeam loqui,ſed dilectioni. Scis enim quia amor ratione caret, reuerẽtiam neſcit, perſonam non accipit,tempus non ſuſtinet, neque modũ ſeruat. Nõne illa vox tua eſt,quę ait,Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.Si tua eſt,imò quia tua eſt,cur voci ferationibus deſideriorum laborantem,atque dilationis nimietate oneratum mœrore non reficis?Quare potius dolorem addis dolori,& onus oneri? Num tu ille es,qui clamabas in templo, Si Ioan.7. quis ſitit,veniat ad me,& bibat,& flumina de vẽtre eius fluent aquę viuę? Vtrunque dixiſti Domine, ego itaque vtroque indigeo. Ne igitur Domine verbis tuis diſsimilis videaris in opere, ne exhortationibus tuis contrarius deprehendaris,refice me,paſce me de te,tuo me cruore inebria, nolo vt de cœlo manna deſcendere facias,& illo me paſcas, ſicut patres in deſerto annis plurimis enutriſti,ſed carne tua,quã de mea ſuſcepiſti.Neque peto,vt aqua ſapientię me potes,aut ſpiritualem illa mihi prębeas aquam,quã Ioan.4. Samaritanę mulieri pollicitus es,dicens,Qui biberit ex hac,quam dabo ei, aqua, fiet in eo fons aquę ſalientis in vitam ęternam.Hanc in pręſenti poſtpono,atque recuſo,calicẽ expoſco,quem in menſa poſitum conſpicio tuo ſanguine fęcũdatũ.De ipſo prophetico ore dixiſti, Calix me-Psal.22. us inebrians quàm pręclarus eſt. Hunc poſtulo, hunc habere deſidero. Illum vtique ideo repleſti,ut(iuxta Prophetę ſententiam)in te credentes,tecumque manducantes ſanguinem vuę biberent

Deut.32. berent meraciſsimum. Non igitur poſcenti negare debes, quem, vt tribueres, propterea conſecraſti. His itaque huiuſcemodi amoris collocutionibus Dominum continere ſe nõ poſſe, quin votis annuat poſtulantis, nemo dubitet, potiſsimè quum ipſe in amantium corde formet ſapientiæ verba, necnon & ſupplicandi præſtet affectum. In tali ergo amoris viciſsitudine, in tam ſuauiſsimo & ſpirituali præludio charitatis ſerena facie & aſpectu placidiſsimo ſe vertit Dominus completurus vota loquentis ad ſe, ac iacẽtis poſt ſe, & veſtigia amplectentis, deoſculantiſque. Cuius iſta meditantis non ebulliat cor? viſcera moueantur? inflammetur corporis organum? & totius animæ non reuiuiſcat virtus, quũ coram ſe verbum aſtare videat ſui corporis in manibus tenentem myſteria? Charitatis ſummæ, profundæ humilitatis, & virtutis ineffabilis eſt hoc grande ſpectaculum. In communicatione charitatem, humilitatem in condeſcenſione, in miniſterio autem virtutem intellige. Nempè in charitate vnitas, in humilitate parilitas, & in collatione poteſtas. Oro autẽ te, quiſquis es, cui talia, tantaque à verbo in ſpiritu communicantur amoris ſolatia, vt prius, quàm progrediaris meditando tota animi intentione conſideres, quis eſt, qui aſsiſtit, quidve tibi daturus ſit. Nonne ipſe eſt cœlorum, ſyderum, Angelorum, hominum, vniuerſorumque conditor? Nonne ipſe eſt Deus, Dominus & Redemptor tuus, amor tuus, delectatio tua, ſuauitas tua, beatitudo tua, ſapientia tua, iucunditas tua, robur tuum, & omne deſiderum animæ tuæ, quem tam ardenter quæſiſti, tam dulciter aduocaſti, tamque blandè allocutus fuiſti? En adeſt, en tibi præſtò eſt. Vocaſti illum, nec venire renuit, rogaſti, & exaudiuit te, tibi ad votum paruit, tuiſque poſtulationibus ſatisfecit. Nunc ergo fruere illo, ipſo delectare, tuoſque in eo fige obtutus, ipſius effigiem, elegantiam, reuerentiam, deitatem, contemplare, quatenus indicibili quodam charitatis affectu flagres intus, lingua taceas, corde iubiles, amore liqueſcas, poſt ſponſi cęleſtis contemplatam ſpeciem ad id, quod tenet manu, tuam dirige conſiderationem. Maximum nanque & inſcrutabile ſacramentum eſt opertum fide, diuinitate prę ditum, verboque contentum. Vt autem intelligas, quid ſit, recole in ipſius inſtitutione, quid dixerit, Ipſe te doceat de ſe, ipſe ſe reuelet per ſe. Vt ſcias, quid de eo credere debeas, interroga illum, & reſpondebit tibi. Non enim te cõtemnet humiliter flagitantem. Dic, ò Domine mi Deus, dic (quæſo) quid eſt, quod geſtas manu, loquere Domine, quoniam audit ſeruus tuus. 1.Reg.3. Enarra (obſecro) mihi, quid tribuere vis. Eſt ne ſub ſpecie panis, quam cerno, quicquam veneratione dignum? an fortè præter ipſa accidentia, quæ cõſpicio, aliquid continetur? Totus foris maneo, & intus quid quærã? Ad hæc Dominus, Hoc quod velatum accidẽtibus manu teneo, diuinum myſterium eſt, & vt paucis te erudiam, corpus meũ eſt. Ipſum veriſsimè ſuſcepi de te, gero pro te, & fideliter trado tibi. Quod dico, crede, & nullatenus dubites. Surge igitur, comede, cũ meis diſcipulis epulare, ſume me, vt ſuſcipiaris à me. Nõ ego mutabor in te, ſed tu mutaberis in me, nõ tamẽ in ſubſtãtiã, ſed per gratiã in dilectionẽ meã, quoniam qui in veritate adhæret mihi, vnus efficitur ſpiritus. Dilata fide cor tuum, mẽtis perorna thalamum, vt recipias in te, qui fecit te. Spiritualiter nunc manduca me, quoniam ſacramentaliter non licet ſemper. Erudieris experientia, quantum internæ dulcedinis, quantamque conferat gratiam hæc mea in ſpiritu facta communio. Semper quidem plurimumque prodeſſe dignoſcitur, quia in fidei ſimplicitate, in humilitate cordis, in deuotionis feruore celebratur. Nã ſacramentalis ſuſceptio ſine ſpirituali aut obeſſe, aut prodeſſe parum cenſenda eſt, vtraque verò ſimul facta actualem in præſenti gratiam, & in futuro locupletem tribuit beatitudinis gloriã Aperi igitur os tuum, & ego implebo illud. Psal.80. Hac exultationis & lætitiæ audita voce protinus Deum tuum in ſpiritu & veritate adora. Tunc venerabiliter in ſpiritu ſuſcipe ſacramentum, & in cordis tui ſecreto Dominum Ieſum recõde deuotè, atque illum in te præſentialiter adeſſe non dubites. Ei quas vales, gratias age, laudes perſolue, ac modulationis carmina (ſi illa agere conſueuiſti) iucunda mente pertracta. Spiritualem refectionem hanc comitantur ſemper amoris cantica, & ſanctæ deuotionis delectabilis guſtus, quo qui caret, temerario labore deſudat. Deuota quippe fides abſque mercedis fructu eſſe nõ poteſt. Deuotæ fidei nouus deuotionis feruor accreſcit. Iſta verbis tantum explicari nequeunt, at in doctrina ſpiritus quicunque eruditi ſunt, minimè quæ proferuntur, ignorant. Quam in corporis ſpirituali ſumptione tenuiſti regulam, deuotionis (ſcilicet) fidei & charitatis, hanc in ſanguinis ſacramento cuſtodi. Eadem enim myſteria pari ſunt frequẽtanda deuotionis officio.

De inſcrutabili & veneranda Dei dilectione. Cap. V.

CElebrato nũc myſteriorum cœleſtium ſpirituali edulio ad ea, quæ mediator noſter tam in diſcipulorum ſuorũ admonitionem, quàm pro vniuerſorũ ſalute exercuit, ſermo percurrat. Illorũ ſiquidem cupiebat profectum, eorumque verebatur caſum, tanquã nutrix peruigil, atque anxia mater ſuper vnici dilecti ſalute ſolicita. Nec immeritò. Præcellit nanque omnem maternum ac filialem affectum verbi Dei immenſa charitas, neque humano valet explicari eloquio, quo circa vnumquenque mo-

moueatur amore. Iuſtos,iniuſtoſque æqua diligit lance charitatis,quamuis inæqualia illis conferat dilectionis encænia. Diuina etenim natura nulla perſonarum vtitur diſcretione, neque à nobili diſcernit ignobilem, vt iuſti animam, ita & animam condidit peccatoris. Idem naturalis ingenij acumen, eandem intelligentiæ dignitatẽ pręrogauit vtriſq;, cũctos quoq; homines ſua inſigniuit imagine. Quamobrem rectiſsimè definiendum eſt, omnes à Deo pariter diligi, & neminem ab eodem odio haberi. Charitate quippè ſua,quæ immenſa eſt,quæ ineffabilis,quæ incomprehenſibilis, quæ æquiſsima, quæ diuina eſt,pari motu & æquali ſingulos diligit actu immenſe,ineffabiliter, incomprehenſibiliterque, & hoc quidem quo ad ſe, & in ſe, quo autẽ ad ſingulorum effectum & dilectionis fructum, diſtat plurimum.Digniorem nempè ſuę charitatis effectum exhibet in homine iuſto, quàm in peccatore,&propter hoc dicitur,Iacob dilexi,Eſau odio habui. (Mal. 1.) Quis verò aſſerere audeat Deum odiſſe quenquam, cum ſcriptum ſit, Nihil odiſti eorum,quæ feciſti. (Sap. 11.) Vtrunque tamen iuxta humani captum intellectus verum eſt. Nihil odiſſe Deum, certiſsimum eſt, ſed & Iacob illum dilexiſſe,& Eſau odiſſe contrarium non eſt.Conſueuerunt quippe homines erga alios timorem cõcipere & amorem, dolorem & ſpem. Sunt hæc innatę paſsiones,quibus carere nemo poteſt.Ex ipſis (vt plurimum) odia,beneuolentiæ, beneficia,dilectio, congratulatio, & his ſimilia oriuntur.Qualis intus animæ viget affectus, tale foris producitur opus. Vix poſſunt, qui homines ſunt,iis,quos oderunt,benefacere,aut iis malè, quos diligunt.Qualis arbor, talia germina. Ex qualitate operum ſingulorum noſcuntur affectiones. Abſit autem,vt in Deo horum reperiatur quicquam, aut in eo vlla ſit affectionum, ſeu cogitationum diuerſitas.Immutabilis enim cum ſit,mutabiliter diſponit omnia. Charitas quum ſit gratuita, dona diſpari gradu ſine acceptione diuidit perſonarum. Iuſtus quum ſit,delinquentium peccata abſque odij motu damnat,& corrigit. Apud ipſum, & in ipſo nulla eſt tranſmutatio,nec viciſsitudinis obumbratio. (Iacob. 1.) Nam quemadmodum voluntariè genuit nos verbo veritatis ſuę,ita noſtri vult eſſe arbitrij generationis huius poſſe dignitatem amittere, quatenus inexcuſabilis ſit quiſque, quum peccat, peccator verò quum voluntariè, damnabiliterque delinquit, ſanctæ generationis huius nobilitate priuatur. A Deo enim ex hoc alienus efficitur. Qui autẽ ſine Deo eſt, omnino inter mortuos deputandus eſt. Præfatæ autem generationi gratis ſuam diuina bonitas auget gratiam,qua qui bene vtũtur,potioribus donis efficiuntur digni. Quibuſdam itaque Deus ex congruo, nõ ex condigno præſtantiora ſupererogat gratiarum munera, per quæ ipſorũ gratiora & meritoria magis, quã prius ſunt opera.Hanc gratiam gratum facientẽ appellauerim, ſine qua nullus gratuitè diligit Deum, nullus ſanctorum eſt dignus conſortio & hæreditate cœleſti.Quotquot ipſa gratificante gratia videmus participes, illos à Deo diligi, aſtruere non dubitamus, quos verò ipſa carere agnoſcimus, eoſdem odio haberi humano loquendi vſu dicere non trepidamus. Dum re vera odium non ſit hoc, ſed effectus ſimilis odientium, memoratæ generationis actus, qua nos Deus verbo ſuæ veritatis genuit,eſt ipſa diuina charitas, qua æternaliter dilexit & elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem. Ipſius autem generationis effectus eſt,quum nos per regenerationis vndam gratificat, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius. (Roma.) Quod totum diuina fit volũtate,non ex debito noſtro, aut voto, ſicut Apoſtolus ait,Non eſt volentis,neque currentis, ſed miſerentis Dei. Nam ſi non voluntariè,ſed ex pręcedente cauſa genuiſſet nos Deus, non iam diuina poſſet dici generatio hęc,ſed humana,ſicque gratia non eſſet gratia. Gratię igitur diuinę aſcribamus, quod voluntariè verbo veritatis ſuę nos genuit.Niſi voluiſſet,nec in carne, neque in ſpiritu viueremus. Vita igitur ſpiritus,quam diuina confert generatio,fundamentum eſt, ſupra quod gratiarum reliqui gradus conſtruuntur,& creſcunt.Pręcedit nanque in omnibus gratia diuina, vt gratificentur Deo, deinde opus fit laudabile,poſt quod ſubſequitur meritum. Opus igitur laudabile auget meritum,per gratiam verò perficitur opus,& accreſcit gratia.Gratia itaque finis eſt gratię, opus autem medium vtriuſque eſt.Ex hoc luculenter apparet,quòd ex operis negligentia gratię fit diminutio,ſicut ex ſolicitudine aggregatio. Quoniam verò ex diuinę miſerationis ęterno fonte ſemper prę́ſtò eſt gratia,atque in ſingulis ſuperfluit iuſte,irreprehenſibiliterque gratia deſerente peccator quiſque relinquitur ſibi,& fit alienus à Deo.Nemo etenim à Deo deſeritur, niſi ipſe ſe deſerat. Tunc quiſque ſe deſerit, quum illum à quo factus eſt, & per quem viuere poterat,peccando derelinquit. Suo hoc Propheta ſanctus roborat teſtimonio, dicens,Prius quàm humiliarer, ego deliqui. (Pſal. 118.) Quãuis quod dictum eſt multarum probari poſſet autoritatibus ſcripturarum, exemplisque innumeris, vnico tamen proditoris Iudę eliciatur exemplo,qui iugiter à Chriſto admonitus vitam deſerens, ſua ſe ſponte duplici morte peremit. Quo autem id factum ſit ordine, ex ijs, quę ſequuntur diligenter aduerte. Nempè diſcumbente Domino Chriſto cum Apoſtolis cęteris & Iuda,poſtquã omnium lauit pedes,& ſui corporis ac ſanguinis tribuit ſacramenta, cùm dixiſſes,Ecce manus me tradentis,mecum eſt in mẽſa,amodo dico vobis prius quam fiat, vt cum factum,

ctum fuerit, credatis, quia ego ſum, repentè turbatus eſt. Quæ turbationis cauſa eſſe potuit, vt ille turbaretur, de quo Apoſtol. ait, Ipſe eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, vt ipſe, qui in ſe diſsidentes & turbatos recôciliat, turbari videatur? & tamen, prout ſcriptum eſt, turbatus eſt, Tanquam verus homo Dominus Ieſus prorſus turbatus eſt, ſed non ſicut cæteri, qui animi commotione turbantur, ſuæque turbationis neſciût habere metas. Non ſic (inquam) turbatur in carne verbum, & in aſſumpto homine Dei ſapientia poteſtate, nô neceſſitate, aut infirmitate turbatur. Cum vult, quando vult, de quo vult, turbatur ſapientia, ſine paſsione tamen, ſine impetu, & abſque redargutione aliqua. Neque minus in eo laudabilis eſt ipſa turbatio, quàm animi illius plena tranquillitas. Turbatio quidem omnis ex ratione, ex cauſa, ex modo, ex tempore diſcernenda eſt. Non ideo reprehenſibiliter potuit turbari ſapientia, quæ fecit omnia in pondere, numero & menſura, ne tamen tu de illius turbatione turberis, audi turbationis eius cauſam, vt magis mireris illum turbatû, quàm quietum. Non vtique propter ſe turbabatur charitas, non de ſui dolebat iniuria, vt turbaretur veritas, ſed alterius perditio eius turbationis erat efficiens cauſa. Nouerat furem in ouile ſuum eſſe ingreſſum, & vnam de collegio ſuo ouem (prædeſtinatam tamê ad interitum ſempiternû) rapuiſſe, vt mactaret & perderet. Iam enim Diabolus in cor Iudæ introierat, ſuaſeratque, vt illum traderet. Quem? Diſcipulus magiſtrû, ſeruus Dominum, perditionis Filius Regem cœleſtis curiæ. Suaſerat proditionem Diabolus, cui Iudas conſenſerat, non ex ſuaſione ſola, ſed mediante conſenſu Iudæ Diabolus poſsidebat cor. Nil omnino nocuiſſet ſuaſio, niſi conſenſus affuiſſet. Poteſt quidem ſuadere mala, poteſt ſuggerere delectabilia, & ſuggerendo poteſt componere falſa, voluntatem autem nunquam poteſt euertere, mentiſque domicilium abſque ipſius deliberatione non valet irrumpere. Quoniã verò proditoris animum inuaſerat, omnemque ſtatum priſtinæ gratiæ euerterat, meritò turbabatur Dominus, ſuæque ſigna mœſtitiæ portendebat in facie, nec quòd turbaretur latere voluit quia perditi ſalutem ardentiſsimè cupiebat. Quamobrem tanquam verus paſtor ouem perditã recuperare ſatagens, tacitè illam admonere curauit, ſi quo modo rediret ad ſe, reatum ſuum agnoſceret, agnoſcendo fleret, flendoque veniã ſalubriter impetraret. Propterea quod conceperat proditor, quod maligno corde geſtabat, ſibi tantùm ſignificauit nullum ſpecialiter nominando. Ideo poſtquam turbatus eſt, vt ex qua cauſa turbaretur, innoteſceret, delinquenti ait, Amen dico vobis, quia vnus ex vobis, qui mãducat mecum, tradet me. Poterat hoc Iudę ad emendationem ſufficere, poterat verbi præſentiam in Chriſto intelligere, dum cordis ſui conſilia deprehêſa aſpiceret, poterat bonitatis illius côpungi dulcedine, quum ſe coram diſcipulis agnoſceret & cultari. Inſigne nanque præcipuæ bonitatis argumêtum eſt, inſidias pati, & ſilentio tegere perſequentem, calumniatoremque amando corrigere. Hoc tamen quum audiſſent cæteri, quamuis innocentes ſe ſcirent, quamuis talia nunquã cogitaſſe minimè ambigerent, contriſtari & ipſi valde cœperunt. Ex veritatis ſermonibus auditis ipſiſmet potius ſuſpecti fiebant, quàm de propria conſcientia ſecuri. Nouerant verbo patere omnia, & nil eidem eſſe abſconditum. Viuus quippe eſt Dei ſermo, & penetrabilior omni gladio ancipiti pertingens vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus, compagumque & medullarum, & diſcretor cogitationum, ita vt nulla creatura ſit ei inuiſibilis, ſed omnia nuda & aperta. Vt igitur certi de proditore fierent, & quis tanti ſceleris autor futurus eſſet, magiſtri audirent ex ore, primo quæſiuere inter ſe, deinde Dominum ſigillatim interrogauere, dicentes, Nunquid ego ſum Domine? Pauidi etenim efficti de ſe quomodo credimus eorû queque poſt magiſtri verba repente rediſſe ad ſe, propriam interrogaſſe conſcientiam, cordiſque latebras maxima cum diligentia perluſtraſſe, ſi forte latere deprehenderent in ſe, quod ex verbi ore didicerant. Humilis etenim innocentia ſemper formidoloſa, ſemper ſibipſi ſuſpecta eſt. Facile quod ſibi obijcitur malû, in ſe latere, ſeu habere ſe putat. Quamobrem non ſe excuſat, non defendit ſe, neque ex alijs quæ egit operibus pietatis, innoxiam ſe oſtentare præſumit. Omne ſimplicitatis ac munditiæ ſuæ iudicium illi committit introrſus, in quo error nullus, nullaque placet criminis excuſatio. Non autem ſic peccator tumidus perpetrati ſceleris non ignarus. Qua enim valet ſimulationis arte, quibuſve poteſt ſermonibus excuſationis, ſuæ tegit ſordes conſcientiæ, ne foris appareat, qualis lateat intus. Delicti ſui deformitatem erubeſcens, ſub ſanctitatis tegumento iniquitatem propriam occultare conatur. Talem ſe nequiſsimus proditor eſſe ex verbis indicauit. Iam conceperat dolum, & pepererat iniquitatem, iam pecunia corruptus vnitatis Dominum in manus ſpoponderat tradere peccatorum, & tamen ne agnoſceretur, ne ſuo aduerſus ſe videretur teſtificari ſilentio, temerario auſu interrogauit & ipſe magiſtrum, & ait, Nunquid ego ſum Rabbi? Interrogatio hæc hypocriſi plena eſt & malignitate, non vt ex ore veritatis veritatem audiret ſciſcitatus eſt proditor, homicida, latro, fraudulêtus & cupidus, ſed ne cæteris interrogantibus, ſi taceret, ipſe crederetur reus. Repercuſſus tamen eſt à lumine veritatis, & à verbo ſapientiæ foris nemine intelligente

Ephes. 2.

Ioan. 13.

Sap. 11.

Ibidem.

Ioan. 13.

Hab. 4.

Matt. 26.

gente ipſe in corde, atque in conſcientiæ penetralibus audiuit. Tu dicis, Hoc ſolus Iudas audiendo cognouit, nec tamen compunctus eſt. Cæteri qui aſtabant, verborum ſonum audiuere, ſenſum autem minimè. Ipſe tantum pro quo dicebatur, cõſcientia aduerſum ſe teſtimonium perhibente intellexit, & in malo propoſito perdurauit. Addidit verò Dominus aliquid apertius, vnde ſceleſtus conuerteretur. Ait nanque, Luc.22. Et quidem Filius hominis vadit, ſicut definitum eſt de illo, Væh autem homini illi, per quem tradetur, bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille. O ſaxeum Iudæ cor, ò proditoris mens adamante, ſilice, & ferro impenetrabilior, quam emollire nequiuerunt ſermones ſapientiæ, æternum væh, & maledictionis irreuocabilis ſententia. Marc.14. Proinde bonum erat (vti verbi teſtantur eloquia) ſi natus non fuiſſet. Minori prorſus, imò nullæ culpę teneretur obnoxius, ſi non fuiſſet natus. Poterat planè, ſi mentis ſuæ exiſteret compos, Iob.3. quod ſcriptum eſt, voce flebili dicere, Quare non in vulua mortuus ſum? Egreſſus ex vtero non ſtatim perij? Cur exceptus genibus? cur lactatus vberibus, ne tale facinus perpetrarem? Sed auertit homicida hic & omnium ſceleratiſſimus faciem ſuam, nec cœlum, cœlorumque videret Dominum. Tremendam quoque noluit diuinę iuſtitię proſpicere animaduerſionem. Vocationis ſuæ, qua in duodenario diſcipulorũ numero accepit ſortem, recordatus non eſt, non gratiæ curationis, non prædicationis officij, non dignitatis apoſtolatus, per quam iudiciarij honorem culminis, ſi in ea, quam inchoauerat, purè, ſimpliciter, & abſque terrenæ cupiditatis macula perſeueraſſet electionis gratia, erat adepturus. Omnia ſimul amiſit, quum cæcatus cupiditate Dominum tradidit. Stare vtique diu non valuit, quoniam recto corde Dominum Ieſum ſe- Ioan.12. cutus non eſt. Nã de illo ſic legitur, Fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat. Nequaquam tam facilè corruiſſet, ſi aliquando ſupra petram Chriſtum interioris domus fundamenta ieciſſet, quod dum non fecit, poſuit in lubrico pedem, & non habens cui inniteretur, à veritatis tramite, & à via vitæ reflexit animę greſſus. Hinc eſt, quòd ſapientiam Dei inuiſibili & intelligibili verbo monētem intus, foriſque per aſſumptum hominem clamantem, detegentem, corripientem, comminantem ad emendationẽ percipere recuſauit. Gratia quippe ipſius præuētus multipliciter, quoniam obedire neglexit, meritò derelictus eſt, ſuæque amiſit gloriæ principatum. Proinde bonum illi erat, ſi natus non fuiſſet. Si natus enim non eſſet, contra proprium & vniuerſorum Dominum nequaquam calcaneũ leuaſſet, neque gehennæ filius fieret. Nõ autem bono conditori, ſed deſertori boni ruina talis aſcribenda eſt. Bene etenim à ſummo bono conditus, miſericorditerque præuentus ſpecialiter in Diſcipulorum ipſius collegium aſſumptus eſt. Verum ille donorum omnium, quæ gratis acceperat, ingratus exiſtens ſuaue largitoris ſui iugum, quod ferre debuerat, damnabili contradictione reiecit, atque vt peccans ſupra modum peccator fieret, antiqui hoſtis ſe tyrannidi ſubiugauit, factus eſt duplicis reus criminis, dum Dominum legitimum deſeruit, & aduerſarij illius ſponte turpi ſe mancipauit obſequio. Mira res. Aderat lupus in conſortio ouium ignotus & rabidus. Inflammatus quidem à tenebrarum principe tanquam illius mancipium præſtolabatur: quemadmodum paſtorem magnum raperet, & occideret: quatenus oues diſperderet congregatas. Compleſſetque ocius malè dominantis imperium, niſi diuinæ ſapientiæ miſeratio illum miſericorditer tenuiſſet: necdum ſuę pietatis auertat oculos à patricida nefando. Expectabat patienter, ſi fortè reſipiſceret proditor, & perficiẽ dę nequitię conſilium variaret. Interim verò dũ pręſtolaretur ad pœnitentiam Iudas, dubiùque tenerentur cęteri, quiſnam grande malũ hoc facturus eſſet, Simon Petrus alijs feruentior, & in proditoris inquiſitione ſollicitior innuit diſcipulo illi, quem diligebat Ieſus, qui tunc in ſinu recumbebat illius, vt interrogaret dominum, quis eum fuerat proditurus. Prudenter quippe arbitratus eſt hoc dilecto ſciſcitanti diſcipulo celari non poſſe, quemadmodum geſtum eſt. Suadente igitur Petro recubuit iterum, & ſupra pectus domini dilectus diſcipulus ſe denuò reclinauit, & tacitè quidem, domine, inquit, quis eſt? Non dubitauit hic ſuam repelli interrogationem. Fi- Ioan.13. dum illum magiſtri ſui charitas fecerat, & guſtata in magiſtro ſuauitas ſe reclinandi ſolicitum. Recubuit planè ſupra pectus: in quo corporaliter habitat diuinitatis plenitudo. Col.2. O dilecte Apoſtole, ò ſecretorum verbi cognitor, quanta nũc potiris gloria? quantis delicijs ſpiritualibus frueris? quid ignorare debes? quid tibi negari poteſt? dum in ſacratiſſimo recumbis pectore, dum paſceris cum ſponſo, dum cum eodem cubas in meridie? Iam (vt credo) aſcendiſti ad cor altum: iam ſapientię arcana cõtemplando rimaris, curris per angelos, diſcurris per archangelos: cęteraſque cœleſtium ſpirituum legiones conſiderationis penna percurrendo rimaris. Nullam opinor te habere requiem: donec ad sereniſſimum verbi attingas thronum. Mira & quadam ineffabili iucunditatis ebrietate detentus ſpiritu ad eos, qui foris ſunt, & tuum preſtolantur audire reſponſum, redire non vales. Tibi nunc panduntur ſapientię indicibiles, diuiniquę theſauri: tibi reſerantur reuelationum ſacramyſteria, diuinitatis altitudo, æterna verbi generatio, & cœleſtis glorię triumphale regnum. Nec mirum. In ipſo quidem, ſuper quem delectabili-

tęr inniteris, ſunt theſauri omnes ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi. Bibe igitur, ò chariſſime Dei, & epulare in domino, diſce in verbo, quæ nobis poſteà valeas propalare: celſitudinem Chriſti attento contemplare animo: quatenus te reuelante, te ſcribente, te docente tollantur ſchiſmata, & hæreticorum falſa dogmata deſtruantur. Fluenta Euangelij de ipſo ſacro dominici pectoris fonte, in quo ab exteriorum fragore ſemotum delectabiliter repauſare te cerno, haurire ne ceſſes: vt omnis Eccleſia alnſona prædicationis tuæ voce te de verbo ſublimia proferente valeat erudiri. Tene quod habes, ò Ioannes, tene: nec inde (niſi ſapientiæ lumine fueris irradiatus) exire velis. Vtinam mihi quoque omnium minimo tuis daretur in ſpiritu frui deliciis: vtinam vel guttam vnam aquæ ſapientiæ, qua tu potaris abundè, prælibare mererer: atque de ijs, quę in tuo ſuperſunt cõuiuio, ſaturarer micis. Precioſiora vtique mihi fierent ſuper aurum & lapidem precioſum, ac dulciora ſuper mel & fauum. Psal. 18. Quoniam verò tanti non ſum, vt in ipſa verbi menſa ſpirituali tecum recumbere valeã, efferre tamen non deſinas fragmentorum reliquias, quæ tibi ſuperabundant, ne pereant. Paruuli multi ſunt, qui panem petunt, atque per reuelationem quæcunque audiſti, ſeu cordis oculis conſpexiſti, ſcire cupiunt abs te. Vnum in fine ſuadeo tibi, vt diſcretionis metas non præterire formides. Vide (inquam) ne quæ te præſtolatur, turba tędio fatigata, aut coinquinata liuore pro mora tua de te murmurare incipiat. Tunc igitur parumper contemplationis gaudia interpone, & diſcumbentium fratrum caue, dum tibi ſoli vacas, animos inquietes. Nunquid poſtulationis Petri oblitus es? En detegente magiſtro, ſuſpẽſus nimium per te proditoris perſonam ſcire concupiſcit, paratum intuetur dominum prodere, quòd noſſe deſiderat: dummodo tu ſis audire paratus. Silent diſcumbentes: nemo vltrà progreditur, nil loquitur dominus, nihil interrogant diſcipuli: donec redeas ad te, audiaſque tuæ interrogationis reſponſum. Tibi ſoli principaliter huius rei notitia reſeranda ſeruatur. Rumpe moras, vt fraternæ valeas ſatisfacere charitati. Hæc dum ſermocinatione dulci dilecti diſcipuli pulſaſſet animum, illico à contemplationis expergefactus ſomno proſiliuit, & tanquam ſponſa de ſponſi procedens thalamo placido vultu humilique aſpectu ad os Chriſti aurem reclinauit, audiuitque dicentem ſibi: Ille eſt, cui ego intinctum Ioan. 13. panem porrexero. Et quum intinxiſſet panem, dedit Iudæ Simoni Scariothi. Acceperat nefandiſſimus hic obſequium à domino in pedum ablutione: acceperat de ipſius manibus corporis & ſanguinis ſacroſancta myſteria: ab eodem etiam monita perceperat ſaluberrima: in quibus illius lapidea mẽs malitiæ obtecta rubigine, quæ compunctione emolliri debuerat, vel ad momẽtum permota non eſt. Quamobrem æquiſſimo ſapientię Dei iudicio hic debuit intinctam panis buccellam ſuam cauterizatam præfigurantem conſcientiam comedere ſolus: qui aliorum mitti mè contentus cõſortio in ſaluatoris necem pertinaciter vigilauit. Proindè igitur de eodem ore Psal. 108. prophetico dicitur: Dilexit maledictionem, & veniet ei: noluit benedictionem, & elongabitur ab eo: meritoque illi accidit, quod à memorato propheta ſcribitur: Lacum aperuit, & effodit eum, & incidit in foueam, quam fecit. Psal. 7. Quã enim domino ſuo parauit necis foueam, in eandem deterius ipſe corruit miſerabiliter. Nam mors domini temporalis & in carne fuit: illius autem, in anima, æternaliterque: propter quod eius ſe vendicauit dominio, cuius delinquendo ſatisfecit imperio: & quoniam ſpiritualiter in ſacramento neglexit ſuſcipere dominum in perceptione buccellæ, Satan in ſuæ mentis admiſit domicilium: vnde ſcriptum eſt: Et poſt buccel- Ioan. 13. lam tunc introiuit in illum Satanas, non vt in hoſpitio ſeruus, ſed vt fieret in perpetuum dominus. Hucuſque manu domini, ne præceps rueret, ſuſtentatus eſt Iudas: hucuſque monitus Sap. 1. eſt, ne periret. Non enim lętatur dominus in Ezech. 18. perditione viuorum: nec vult peccatoris mortem: ſed vt magis conuertatur, & viuat. Hinc eſt quod delinquentium peccata diſſimulat: hinc eſt, quòd temporaliter punit, ne in perpetuum damnet. Quantum in ipſo eſt, omnes ſaluare deſiderat. Si qui pereunt, propria pereunt voluntate. Repudiant quidem gratiam, & exhortantis, exorantiſque ſuaſionem intelligere negligunt. Obturant cordis aurem, ne audiant legem: ideo eorum oratio & vita Deo efficitur execrabilis. Suæ autem pro merito iniquitatis cordis malè concepta deſideria implere ſinuntur, quod futurę damnationis notiſſimum pręſagiũ eſt. Quid verò timenti Deum formidoloſius eſſe debet, quàm conſummandę nequitię accipere facultatem, atque in perpetrandis criminibus nulla aduerſitate fatigari: hoc proditoris domini teſtimonio roboratur. Quum enim doloſe cogitaſſet magiſtrum prodere, ab eodem obtenta licentia ad proprię mortis triumphum audire promeruit. Quod facis, fac citius: quod pertractas mente opere, perfice: nullo detineberis impedimento; nemine tibi contradicente, voti tui compos exiſtes. Vęnundediſti miſericordiam, & carebis venia: accipies pecuniam, & amittes vitam: quod facis, fac citius. Hoc autem nemo ſciuit diſcumbentium, ad quid dixerit ei. Quidam enim putabãt, quia loculos habebat Iudas, quòd dixiſſet ei Ieſus: Eme ea, quæ opus nobis ſunt ad Ioan. 13. diem feſtum: aut egenis aliquid daret. Innocentes Apoſtoli quum eſſent & ſancti, nil mali

dc

de proditore cogitare ſunt auſi. Quod nefas à ſe alienum non ignorabant, hoc condiſcipulo aſcribere verebantur. Humilis nanque difficulter proximorum corda ſcrutatur, & conſcientiæ iudicium refugit alienæ, quum propriam iudicare vix arbitretur poſſe ſufficere. Suo etenim ſentiens ſe grauari pondere, quomodo iudicio ſatigabitur alieno? Res perdifficilis, dubia, & periculis plena eſt occultorum rimari cauſas, & cordium ſcrutari ſecreta. Proindè humilis proprio priuatus iudicio omnino vitę refugit eſſe iudex alienæ. Nouit dixiſſe dominum: Nemo hominū ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui
1.Cor.i. in illo eſt. Quicquid ignorat de ſe, quicquid latet in altero, diuino totum committit examini, cui patēt omnia viſibilia, inuiſibiliaque. Ex hoc quidem cœleſti irradiatur lumine, & quo amplius per humilitatem tenebreſcit, eo perſpicacius intuetur. In lumine quippe Dei videt lumen. Non errore fallitur, neque falſa opinione ſeducitur. Splendore conſcientiæ perfuſus totus à diuinæ claritatis nequaquam reuerberatur aſpectu. Hæc eſt ſanctorum pars, & certa in ſpiritu ambulantium ſpes. Impij verò & ſceleſti à tali ſunt ſemoti conuiuio. Hinc eſt, quòd perditionis filius ſanctorum aſſuetus collegio, poſt quam tenebrarum in ſe admiſit angelum: poſtquam delictorum eſt inuolutus caligine æterni ſolis lumen ſuſtinere non valens, mox vt ſibi de reliĉtus eſt, de conuiuio exiliens quod nequiter agere ſtatuerat, implere curauit. Propterea cū accepiſſet buccellam, exiuiţ continuò. Exiuit planę vim claritatis intimæ non patiens. Obtenebrata nanque illius conſcientia, atque proprij ſceleris gnata quomodo ſapientiæ examen & puritatem innocentiæ poſſet intueri? Quemadmodum enim ſanis oculis amabilis, ita ægris ſemper lux odioſa eſt. Ideo ſemper latibula peccator quæritat, & abdita ſua obtuſus mentis cæcitate meditatur. An non parentes primi inobedientiæ tranſgreſſione culpabiles, tamque cōfuſionis proprię damnatione mulĉtati ſibi deſicuum foliis fecere perizomata, atque lignorum condenſa paradiſi à facie Dei ad auram poſt meridiem ambulantis fugere curauere. Vocem nāque Dei & diuinitatis illius nullo modo potuerunt ſuſtinere præſentiam. Detegebat enim cōſcientia ſceleris turpitudinem, quam ſautiata nuper ſatagebat occultare natura. Quamobrem foliorum ſibi tunicam texuerunt: ne appareret nuditas, & excuſationis verba protulerunt, ne agnoſceretur iniquitas. O quanto conſultius egiſſent, ſi proſtrati ſolo ſuas ore proprio accuſaſſent culpas, dixiſſentque: Peccauimus, iniuſtè egimus, iniquitatem fecimus domine in omnē
Dan.3. iuſtitiam tuam. Ecce poluimus animas noſtras, innocentiam amiſimus, obedientię legem tranſgreſſi ſumus: ignoſce domine, & pater piiſſime miſerere. Si autem tu miſerationum ò æternæ fons miſericordiarum Deus, miſerorumque miſerator obſeruaueris iniquitatem, quis ſuſtinebit ad quem confugiemus? quē implorabimus? in quem ſpei noſtræ ancorā iactare poterimus? Expulſi quidem de hoc voluptatis loco, & infructuoſo ſeculi pelago conſtituti, quo duce, quaue præuia luce ad te pacatiſsimum tranquillitatis & ſecuritatis portum attingere valebimus? Inſurgent prorſus in nos piratæ crudeles, atque tartareæ legiones tuum puſillum deuaſtabunt gregem. Fiet domine maxima periclitantibus nobis in vniuerſitate creaturarum, quas in tui nominis laudem condidiſti, deordinatio. Porò quod de nobis in æterno ſapientiæ tuæ conſilio ſtatueras facere, oportebit impleri per te. Ne igitur dehoneſtetur maieſtas, ne carnis mortalitate induatur diuinitas, ne ſe impiorum exponat opprobrijs, flagellis, contumeliis, ſputis, ſubiiciatur & morti, pietatis ſinum aperi, atque vulneratos corde, ac mœrore confectos ſuſcipere, foueręque ne dedigneris domine. Prærogata nobis venia fiet poſteritati noſtræ incentiuum maximum charitatis, atque futuræ felicitatis incontaminanda ſpes. Nequaquam repulſi ab innocentiæ nitore cecidiſsent, ſi humiliter, ſi deuote, ſi perſeueranter indulgentiam flagitaſent. Non enim diuina ſe valet bonitas continere: quin puro corde, & lacrymabili mēte poſcentibus ignoſcat. Illis ſolis gratię ſtillicidia denegat, qui diffidentia pleni ad miſericordiæ fluenta attingere poſſe deſperant. De talium numero Iudas extitit domini ſui & propriæ animæ homicida nefandus. Contempſit ad ſaluatorem, de quo theſauri indeficibiles exuberant gratiarum, accedere pœnitendo, ſuique reatus ruborem non patiens crudeli ſe nece peremit. Seris nanque ferreis interioris domus obſtruxit ianuas, vectibuſque firmauit, quatenus ad ſalutem eius cunctorum ſalus aditum non haberet. Maluit miſer in opacis animæ ſuæ penetralibus latebras fouere, quàm ad dominum Ieſum humili confeſſione procedere. Denique ſicut ſupernę gratię expertem ſe fecerat, ita ab Apoſtolorum Chriſti ſancto ſe collegio ſegregauit. Exiit ſolus foras accuſatus, deprehenſus, condemnatus, praua mentis ſuæ deſideria peracturus. Erat autem tunc nox. Tenebrarum quidem filio erat nox: cæteris autem meridiana lux. Occubuerat illi iuſtitiæ ſol, & fulgentiſsime claritas ſapientiæ. Non ſe abſtentauit Chriſtus, neque ſacrilego ſuam denegauit præſentiam. Omnibus prçſtò eſt, vt communicet ſe: proditor tamen ipſe ſeceſſit. Oculos quidem apertos tenere potuit: ſed verbi lucem intueri non meruit.

De magnitudine mediatoris Chriſti ad paßionis ſupplicium perferendum. Cap. VI.

[1. Tim. 2.] MEdiator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus paſsionis ſuæ volens perficere ſacramentum, propter quod in mundum venerat, quum expleto vltimæ cœnæ ſuæ conuiuio mellifluum conſummaſſet de charitate ſermonem, ſurrexit cum vndecim, vt in campum pugnaturus intraret. Iam enim duodecimus (Iudas videlicet Scarioth) ſeceſſerat: iam ad ſacerdotum principes abierat: quatenus petita ab ipſis militum cohorte, acceptaque pecunia rediret: & nefandiſsimum proditionis perficeret ſcelus. [Ioan. 18.] Egreſſus itaque eſt de cœnaculo, in quo tam eximia celebrarat myſteria, & tam ſublimia documenta præbuerat. Abiit vtique trans torrentem Cedron, vbi erat hortus, in quem introiuit ipſe & diſcipuli eius: non autem illuc, vt ſe occultaret, acceſsit: ſed vt ſe inueniendi occaſionem tribueret proditori. Sciebat autem Iudas, qui tradebat eum, locum, quia frequenter Ieſus conuenerat illuc cum diſcipulis ſuis. Iam incipiunt myſteria: nunc lamentabile paſsionis initiatur certamen. Abiit enim dominus Ieſus. Quo? Vtique trans torrentem Cedron. Nempe torrens iſte, per quem tranſit mediator, mortalitatis deſignat fluxum, in quẽ primus homo delinquendo ceciderat. Non enim de voluptatis diuinæ abundantia profluxit hic torrens: ſed de calliditate ſerpentis, atque cõſentientis hominis voluntate. Mortis quidem ſententiam, quàm idem delinquendo perceperat, in omnem generis ſui poſteritatem induxit. Quamobrem adeò inoleuit decedendi neceſsitas, vt nemo ſit, qui eandem fugere valeat. Hoc propheta inſinuare voluit dicens. [Pſal. 88.] Quis eſt homo, qui viuet, & nõ videbit mortem? Hanc quippe nulla neceſsitate compulſus, nulliuſque voluntate coactus noſter ſubijt mediator. Non enim ipſe, vt cæteri, quibus indicta eſt moriendi neceſsitas, corporis ſolutionem pertulit. Quando voluit occiſus eſt: quo paſsionis genere illi placuit, cruciatus eſt. Totum in illo egit charitas & voluntas. Voluntarie ſe patri dum obtulit, reſurrectionis ſtolam glorioſe promeruit. Et quoniam de mortalitatis ac paſsionis torrente in via bibit: nec non redemptionis ardore ſuccenſus per Cedron tranſiuit torrentem, nouerat quid ibi paſſurus erat: nouerat propriam virtutem, nouerat retributionis ſuæ mercedem. Prorſus amoris deſiderio fatigatus quod mente conceperat, perficere conabatur. Tota ſiquidem animi intentione dirigebatur ad crucem, quanquam caro viriliter repugnaret. Qualis conflictus? qualis pugna? quale ſpectaculum? Impellebat ſpiritus paternus, aduocabat honor, ſuadebat ratio, reſtauratioque cogebat humana. Reclamabat vtique natura ipſa paſsibilis pœnarum immanitate perterrita: nolebatque dominantis animæ imperio famulari. In horum verò medio conſtitutus tanquam ſtrenuus ac inſuperabilis miles carnis non ferens blanditias ſpiritus iuſſa implere curauit. Trium igitur diſcipulorum numero ſociatus relictis cæteris perrexit ad montem. Ipſis adhuc præſentibus tanquam verus homo cõtriſtari cœpit, & mœſtus eſſe. Quid eſt hoc domine? Contriſtaris ne? & vere paues? Nunquid contriſtatur, per quem contriſtati recreantur? Nunquid cõtriſtatur gaudium? pauet fortitudo? timet virtus? gloria tædium patitur? beatitudo denigratur? confunditur maieſtas? claritas obſcuratur? infirmatur ſanitas? & latitudo coarctatur? Armatorum neminem video: nullum cum gladijs & fuſtibus venientem cerno, & times domine? Chriſtianæ militiæ dux eſſe cognoſceris. Certantibus aduerſus aereas poteſtates præes, & paues? Dominus exercituum diceris & es: gladium non pacem in terrã veniſti mittere, & præliari formidas? Si bellatorum princeps trepidat, ſi certamen, ille qui præſidet, inire veretur, quid cæteri agent milites & pugnaturorum turba ſeruorum? Vellem vtique domine pauoris huius ſcire cauſam. Vellem tædij tui noſſe myſterium. Non enim militibus tuis virtute inferiorem te iudico. Illos quidem agnoſco viciſſe regna, imperia curuaſſe, toleraſſe ſupplicia, extinxiſſe ignem feras domaſſe, & mortem ipſam nullatenus formidaſſe. O inauditum à ſeculis prodigium: ò glorioſum religionis Chriſtianæ trophæum, oblatas diuitias ſpernere, honores fugere, voluptateſque calcare, appetere carceres, prouocare tortores, & illatis conuitiis ſuauiter gaudere. Audiuimus, nouimus, confitemur. Abs te domine Ieſu per fideles tuos hæc vniuerſa ſunt facta: non tamen illos te robuſtiores dicimus: diuinam attamen in ſanctis tuis commendamus gratiam: in te autem humanã prædicamus naturam. In martyribus miraculum: in te verò fuiſſe dicimus documentũ. In illis donum: in te autẽ miſerationis ſacramentum attollimus. Erexit plane cęleſtis virtus ſupra naturę limites fidei confeſſores: in illiſq; benedictio diuina refulſit. Ipſe autem mediator relictus ſibi pauere voluit & tędere. Agnoſce igitur, ò homo, Saluatoris tui dignationem. Se curuauit ad te, vt te eleuaret ad ſe: humiliauit ſe propter te, vt te exaltaret in ſe: depreſsit ſe, vt in perpetuum beatificaret te. Caue tamen, ne ingratus de munere ſcandalizeris pro infirmitate. Apoſtolum audi: Quod infirmũ eſt Dei, fortius eſt hominibus. [1. Cor. 1.] Quũ eſſet impaſsibilis Deus, homo factus infirmatus eſt propter te, pauorem habuit propter te. Horrendæ mortis tædium pertulit propter te. Potius miſerationem mirare, quàm pęnam: magis charitatem, quàm formidinem lauda. Non eris ingratus, ſi beneuolentiã redemptoris agnoſces. Mœſtitiam itaque illius con-

confitere, pauorem dilige, tædium venerare. De tuo hoc habuit, non de ſuo. Pro peccato tuo doluit, fleuit, quod non commiſit: exhorruit, quod non fecit. Non enim fecit mortem, nec morientium perditione lætatur. Ex his mœroris eius intellige cauſam, & gratias age, te agnoſce in illo, pro illo lacrymare, qui doluit propter te. Doluit (inquam) & ſupra modum doluit: adeò vt mors ti fieret proximus. Sic enim ait: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Nemo doloris eius ſufficienter immenſitatem exprimit: mœrore tamen ſuo, quid in noſtro agere debeamus, indicauit. Diſcat ergo de exemplo remedium, qui in afflictionibus propriis cupit habere præſidium, non de terra, neque ab hominibus: ſed à Deo opportunum quæſiuit auxilium. Ad orationis quidem ſuffragium, ad quietis portum, ad implorationis adminiculum feſtinanter acceſsit: non autem labore victus, aut proſtratus tædio, ſeu doloris nimietate ſuperatus: quippe qui poterat, ſi vellet, euadere: ſed dulci compaſsione commotus orandi ambitum adinuenit. Suo nos voluit erudire exemplo, vt in arduis, in periculis, in omnique inopinato euentu ad orationis refugium fugiamus. Quid ages tu, ô elate, qui proprio arbitrio duceris, tuoque inniteris ſenſu? Validioribus ne, quàm Chriſtus, ſuccinctus es armis? Nunquid tu Chriſto fortior, aut ſaluatore conſtantior? Ille in agone conſtitutus ad orationis ſolatium reclinauit, tu abſque implorationis medicamine tribulationum vulnera perferre præſumis? Ille niſi oratione præuia pugnæ noluit habere congreſſum: tu quamuis immundorum ſpirituũ bella ſuſtineas: quanquam indeſinenter in vitiorum foueam corruas: tanquam ſecurus de palma nullius flagitabis opem? Hinc delictorũ tuorum, & deuiationis cauſa, hinc tam frequenter proſterneris, ſpoliaris, vulneraris, occideris. Abſque diuino adiutorio in tribulatione quis ſtetit? quis ſine illo in ſpirituali bello præualuit? quis inimicis terga non vertit? quis in huius vitæ ſolitudine non errauit? Prophetam in tribulatione poſitum, quid fecerit, audi: Ad dominũ (inquit) cũ tribularer, clamaui, & exaudiuit me. Et iterum: Tribulationem & dolorem inueni, & nomen domini inuocaui: ô domine libera animam meam: miſericors dominus & iuſtus. In certamine vero conſtitutũ attende deprecantem. Deus (inquit) in adiutorium meum intende: domine ad adiuuandum me feſtina: confundantur & reuereantur, qui quærunt animam meam, vt auferant eam. Moſen contra Amalech pugnantem memento oraſſe: Ioſue aduerſum Gabaa, Gedeon aduerſus Moab, Iepte contra Amon, Samſon in ruinam Philiſtiim. Samuelem quid memorem, Dauid, Ezechiam, Heliam, Heliſæum, Danielem, Ezechielem, Hieremiam, cæteroſque vates, & iuſtos omnes Dei milites

Mat. 26.

Pſal. 119.

Pſal. 114.

Pſal. 37.

ſemper in bello aduerſus viſibiles & inuiſibiles hoſtes indeſinenter oraſſe? Diſce igitur & tu in omni negotio, in tentationibus, in preſſuris, in neceſsitatibus, in dubiis, in omni que euentu, omni tempore, & vbique orare. Equidem perire non poteris, ſi in his, quæ dicta ſunt, iugiter oraueris. Mediatoris exemplo, quem ante cordis oculos præſentem habes qualiter orare, quidue in oratione tua petere debeas, diligenter aduerte. Maximum quippe in verbis & in modo, tibi præbet orandi documentum, quum aduerſi quid pateris. Ab hac cauſa vſum nopere, ne discrepes, orationis formula, ſi à virtutis tramite deuiare non vis. Auulſus namque à diſcipulis, quantum iactus eſt lapidis, poſitis genibus procidit in faciem ſuam ſuper terram, & deprecabatur, vt ſi poſſet fieri, tranſiret ab eo hora, dicens: Pater mi oĩa tibi poſsibilia ſunt: transfer à me calicẽ hũc: verũtamẽ nõ ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Seceſsit prius ab aſpectib. hominũ, non propter ſuffragium mentis, ſed propter exemplũ tui: vt tu, quum orare vis, elongeris ab omnibus: quatenus facilius intrare valeas in cubiculum cordis tui: ibique rogare patrem tuum. Deinde genua poſuit, in faciem ſuam procidit: ſicque, quod volebat, expoſuit. Ex his collige orandi modum, & Dei præſentiam meditare. Re etenim vera, quum oras, aſsiſtis Deo, & cum omnipotente loqueris: ſi tamen non inaniter oras. Quis non paueat aſsiſtentiam maieſtatis? quis diuinam non vereatur præſentiam? quis domini ſui non timeat diſplicere conſpectui? Quamobrem quum oras, quum preces fundis, altiſsimo diligentiſsimè intende: quis, cui, nec alterũ diuidas ab altero. Hęc duo ſimul iuncta humilitatem docent, congregant mentem, phantaſmata propulſant, orationem ornant, flectunt Deum, cõpungant animum, & exaudibilem efficiunt deprecantem. Non erit difficile tibi etiam proſtratus ſolo lingere terram, ſi Dei, tuique, quum oraueris, notitiam habebis. Non autem aliundè arbitror cordis in oratione euenire duritiam, mẽtiſque effuſionem, quàm ab ignorantia horum. Si conſideras, quantam mortalibus in ſublimi faſtigio poſitis reuerentiam exhibes, aſſeuerabis verum eſſe, quod fateor. Diſueſce (inquam) magis hominibus deferre, quàm Deo. Vtriſque debitum honorem impende. Deum vtique honora propter ſe, hominibus verò te ſubijce propter Deum, iuxta ſingulorum dignitates & merita. Hoc Apoſtolica commendat autoritas. Subiecti (inquit) eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue regi quaſi præcellenti, ſiue ducibus tãquam ab eo miſsis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum. Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timere, regem honorificate. Serui ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantùm bonis & mo-

Luc. 22.

1. Pet. 2.

deſtis, ſed etiam dyſcolis. Deo itaque latriæ venerationem exolue: hominibus verò famulatus obſequium. Toto corde in ſenſu animæ tecum habitando cum humilitate mentis maxima, corporisque proſtratione (ſi vales) Deo in oratione te ſubijce. Quod ſi non potes corpore, mente minimè id agere deſinas. Scrutator etenim renum & cogitationum eſt Deus. Hunc aſsiſtendi Deo in oratione modum te tuus mediator edocuit, ipſum obſerua, ipſum imitari ne differas. Modum igitur didiciſti: diſce nunc magiſterio eius, illiuſque exemplo, quid poſtules. Patri nanque in faciem ſuam proſtratus ſic ait: Transfer à me calicem hunc. (Luc. 22.) Aſſumpti quidem hominis verba ſunt hæc: non tamen eius, qui ratione pollet, præeſt intelligentiæ dominatu, atque diſcernit, vt angeli, ſed qui corpus vegetat, regit ſenſus, carnem fouet, & tanquam ſuam naturaliter nutrit ac diligit. Habet quippe homo, quanquam rationale ſit animal, aliquid commune cũ animantibus cæteris, & aliquid commune cum angelis. In ea ſiquidem parte, qua vigebat ſenſibus, eratque paſsibilis, omnino pati refugiens aiebat. Transfer à me calicem hunc. Volebat (ſi fieri poſſet) acerrimas, quæ illi imminebant, euadere paſsiones. Suadente vtique ratione illas prorſus nouerat eſſe tolerandas: propterea antequam pareretur, acriter augebatur. Senſualitati autem renitens ratio conſtanter, intrepidéque ſubinferebat, dicens: Veruntamen nõ ſicut ego volo, ſed ſicut tu. O quàm mirandum certamen, ò quanta pugna in mediatore Chriſto, carnem aſpicere, repugnare ſpiritui, & ſpiritum carni: tanquam ſi quiſpiam decubaret infirmus, cui pro reſtituenda valetudine poculum amariſsimũ porrigeretur à medico: duplici hic deſiderio traheretur, euitandæ (videlicet) potionis, & conſequendæ ſanitatis. Suggereret ratio amaritudinis hauſtum, quem omnino ſenſualitas abhorreret. Porrò quamdiu in hoc perduraret agone, anhelo cruciaretur affectu. Illa verò ſuperior fieret pars, cui conſenſus voluntatis inſiſteret. Eundẽ in mediatore noſtro fuiſſe conflictum ambigat nemo. Bino nanque impellebatur cruciatu, eò vehementius, quò acerbior ſpiritus animæ materia portendebat: vtrobique impulſus nimius, & importabilis cauſa. Paſsionis etenim pœna ex ſui magnitudine intolerabilis videbatur, ſed & amoris vehementia, atque ſatisfaciendi ardor ad ſubeundum crucis patibulum ſupra modum vrgebat. Saluberrimum igitur & amborum commune medicamentum idem mediator inuenit. Nolens ſiquidem ſe nec ad dexteram, neque ad ſiniſtram inflectere, paternæ ſe realiter ſubdidit voluntati, dicens: Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Tali prolatione verborum, talique mentis aſſenſu renitentis carnis ſpiritus palmam obtinuit. Huius itaque pugnæ celebrato triumpho ab oratione ſurgens ad diſcipulos, quos orandi cauſa reliquerat, redijt: illoſque dormientes inuenit: dixit autem Petro: Simon dormis? (Marc. 14.) O ſapientiæ verba, ò moderata locutio charitatis. Ex obliquo, prudentiſsimeque diſcipulorum obijcit negligentiis, & potiſsimè illius ſtrauit pertinaciam, qui quamuis ſuccenſus zelo, tamẽ cæteris fuerat audacior, atque de ſe fidentior. Quid ait: Simon, dormiſne: vnde tantus ſopor, & tam profunda mentis hebetudo nunquid obliuioni mandaſti, quæ mecum diſcumbens pollicebaris, dicẽs: Tecum paratus ſum & in carcerem, & in mortem ire? Armatos milites necdum vidiſti irruere ſuper te, nullus te impulit, nemo tibi moleſtus eſt, & tamen dormis? Et ſi non pro te, ſaltem expergiſcere propter me, quem paulò antè cõſpexiſti pauentem atque dicentem: (Mat. 26.) Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem. Quamuis enim amor excuſſerit timorem ex te, ipſa tamen imminens, & mœſtitia præſens, compaſsionem tibi immittere deberet de me: cur igitur dormis? Ad cæteros verò conuerſus dominus, inquit: Sic & vos grauati, ac mœrore depreſsi non potuiſtis vna hora vigilare mecum? Quomodo carceres, vincula, opprobria, flagella ſuſtineretis & mortem, ſi hora vna tantum non potuiſtis vigilare mecum? In minimis & leuiſsimis agnoſcite, quid in maximis & grauiſsimis de vobis exiſtimare debeatis. Vigilate igitur, & orate, ne intretis in tentationem, ne ſeducamini, ne intretis denuò in tentationem: vigilate, & orate. Ordo pulcherrimus ad euitandas tentationes. His paucis ſapientia Dei omnem ſpiritualis certaminis inſinuauit peritiam. Porrò vniuerſa, quæ mentem inquietant & prouocant, aut ex nobis pullulant, aut inferuntur nobis. Quæ ex nobis pullulant, concupiſcentiæ ſunt: quæ verò ab aduerſario ſuggerũtur, vel ab hominibus fiunt, tentationes ſunt. Aduerſus ergo concupiſcentias ne ſeducant, ne alliciant, ne ſenſum euertant, vigilare oportet: verum contra nequam ſpiritus, & proximorum nequitiam orationum armis muniri, quanquam iuxta domini ſententiam etiam ſolerter aduerſus diaboli aſtutias vigilare debeamus. Illud (inquit) ſcitote, quoniam ſi ſciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non ſineret perfodi domum ſuam. (Mat. 24.) Quamobrem tam contra concupiſcentiarum impulſus, quàm immiſsiones diaboli, hominumque fallacias erga cordis cuſtodiam vigilare nos congruat. Quicquid aduerſi foris pulſet, ſeu obſtrepet intus, obeſſe nil poteſt: dummodo diuinus timor, non dormitans intentio, proficiendi ſtudium, innocentiæ guſtus, puritatis ac munditię zelus, atque internę pacis affectio cordis poſsideant penetralia. Re nanque, vera nemo læditur, niſi à ſeipſo. Quiſque igitur eo

ſtro-

ſit robuſtior, quò erga ſe vigilantior: atque tantò in periculis & tentationibus ſecurior, quãtò in oratione ſolicitior reperitur. Iſta duo, interioris (videlicet) hominis vigilantia, orationiſque frequentia optime conueniunt, & ſibi viciſſim ſalubriter famulantur, adeò vt non ſine diſpendio valeant ab alterutra ſeparari. Cordis quippè mundicia, quæ ex cogitationum nutritur cuſtodia, ignitam rationem germinat: ipſa verò oratio in ſui cuſtodia prudentiorem exhibet mẽtem. Hæc ſi quando oratione neglecta cœperit à ſui cuſtodia dormitare, repentè cupiditatibus fræna laxantur, & immũdis cogitationibus aditus reſeratur. Tunc in ipſius mentis habitaculo tumultuoſa vitiorum contentio oritur, concupiſcentiæ carnis ebulliunt, ſpiritus prudentia deperit, atque non mediociter tepere inchoat incendium caritatis. Nam etſi ſpiritus tunc propter innatos habitus promptus eſt: caro tamen ipſa infirma ſentitur: quoniam vigorem animi præripiente negligentia, quæ ex carnis prurigine cauſatur, omnem mẽtis familiam deordinat, atque ſubuertit. Difficillimè prorſus, & nimio cum labore concepta deſideria ſpiritus perficiuntur opere: carne (videlicet) importunè ſpiritum debellante. Non igitur ab re diſcipulis dormitantibus, & amantibus dominus quum dixiſ-
Mat. 26. ſet: Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem, intulit. Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. Nouerat magnum afferre ſpiritui detrimẽtum ad virtutum profectũm ipſam carnis infirmitatem, quæ eo minus deſipit & laſciuit, quò vigilando & orando mentis puritas cuſtoditur. Hoc, exhortatione & exemplo ipſe mediator erudiens poſt prolatam ſententiam iterum ad orationis redijt locum. Docuit ſapienter nos, vt quoties preſſuras patimur, quoties tentationum agitamur procellis, ad pacatiſſimum orationis accurramus portum. Nil ſic impugnantes nos reprimit, ſicut precum inſtantia, & humilis coram Deo aſſiſtentia. Acceſſit itaque denuò ad orationem dominus ſe in faciem ſuam proſtrauit: repetitàque oratione patri inquit: Pater mi (ſi vis) tranſeat à me calix iſte: veruntamẽ fiat voluntas tua. Aduerte diligenter, quoniam eadem poſcens quæ prius, in patris tamen vniuerſa relinquit arbitrio. Id ipſum age tu, qui altiſſimum deprecaris. Ante prouida examinatione conſidera quid poſtules: pete quoq; humiliter poſtremò cuncta diſpoſitioni diuinæ committe. Quantumcunque honeſta, quantumcunque vtilia & ſpiritualia poſcas, nunquã tamen in tuarum fine petitionum addere prætermittas, fiat volũtas tua. Ambiguum etenim quum ſit, quid nobis præſtantius ſit: ad ſapientiæ Dei ſemper adeundum eſt thronum. Ibi offerenda ſunt vota, petitiones exponendæ, detegenda neceſſitas, totũſque conditori noſtro committẽdus eſt orationis effectus, quemadmodum eadem ſapientia in ſua oratione nos docuit. Qua perfecta rurſus ad diſcipulos rediens eoſdem dormientes inuenit, Erant etenim eorum oculi grauati, & ignorabant quid reſponderent ei. Illos (vt prius) redarguere noluit tanquam ad ſuſcipiendã correptionem inchoabiles. Silentio ſuo maximam ad ſubiectorum regimen eruditionem dedit. Indicauit quippè ex ſe, vt eò tanto tempore delinquentes arguantur, atque vitiorum macula increpationibus detergatur, quò is, cui dicitur, corrigibilis eſt, alioquin vulnus ſuperadditur vulneri, & paſsioni paſsio cumulatur: fitque frequẽter, vt grauior ſit recidiua correptionis, quàm damnum perpetrati criminis. Nõ autem iudicium effuget: qui etiam delinquenti deteriorationis tetendit decipulam tambo tamẽ ferientur, ambo iuſto plectentur ſupplicio: qui (videlicet) deliquit, & qui inconſultè fratri ſcandalum ſuſcitaui. Quamobrem magna eſt adhibenda in correptione prudentia. Conſideranda eſt peccati qualitas, peccantis conditio, intentionis peruerſitas, correptionis tempus, & verborũ menſura. Horum quoquam deficiente, redargutio ipſa vix abſque delicto committitur. Itaque vt fraterna dilectio incontaminata ſeruetur, memoratam correptionis regulam, qui proximum arguit, cuſtodire non negligat: atque qui peccat, emendantis verba humiliter ſuſcipere non recuſet. Hoc etenim modo caritatis perficitur lex, quæ nulli (præter debitum) oneroſa eſt. Nouit ſilere quum expedit, ſcit etiam fari quum opportunitas exigit. Vtrunquè ipſe legiſlator prudentiſsimè egit. Ad oratione ſiquidem ſurgens, primò dormientes diſcipulos increpans, ait ſic: Mat. 26.
Non potuiſtis vna hora vigilare mecũ? Secundò rediẽs, eoſdemq; reperiẽs dormiẽtes omino cõticuit. Vides quàm maturè ſe habuit: primò admonitionis eloquia protulit: ſecundo dormientibus nil dixit, quin potius ad orationem deuò regreſſus eſt. Orante autem illo prolixius angelus domini de cœlo apparuit: atque pauentem officioſiſsimè confortauit. Confortauit (inquam) vt ab inchoato redemptionis nobiliſsimo non deſiſteret opere: quoaduſque conſummaret illud: nulla tamen impellente mediatoris debilitate ſpiritus, confortans angelus aſtitit: quippe qui quum alacri animo ac voluntariè illum pateretur agonem. Erudiebatur equidẽ in ipſo plebs futura fidelium: quatenus angelica exhortatione cognita ardentius & ipſi orationi incumbẽrent. Commendatur ex hoc orationis actus, cui tam familiariter interſunt angeli. Nam angelos frequenter aſsiſtere orantibus, atque eorum preces offerre Deo dubitet nemo. De Tobia tanq; Tob. 12.
legitur angelum dixiſſe: Quum orabas tu & nurus tua, ego orationes perferebam coram Deo. Acto. 10.
Sed & de Cornelio dicitur: Orationes tuæ, & elec-

eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam, coram Deo, vtique per angelos. Optimè comitantur orantes angeli: quoniam orationis inſtantia, quæ purè exhibetur altiſsimo, ſicut angelorum eſt opus, ita angelicum deprecantis efficit animum. Vnde ſancti angeli non immeritò exultant, atque famulantur orantibus: quum rationales ſpiritus corruptibili natura veſtitos aſpiciũt ſupra cœlorum altitudinem aſcendere in ſpiritu: illóſque tametſi non ita perfectè in terris agere quod ipſi abſque defectu vllo, aut temporis interuallo in cœlo perficiunt. Meritum itaque orantis animi, atque afflicti ſuo voluit dominus inſinuare exemplo, quum illum orantem & pauentem angelum confortaſſe legatur. Nec mirum eſt angelos mœſtorum & Deum exorantium intereſſe cœtibus, cùm de domino angelorum Propheta dicat: Pſal. 33. Iuxta eſt dominus iis, qui tribulato ſunt corde. Et alibi de viro iuſto: Pſal. 90. Clamauit (inquit) ad me, & ego exaudiam eum: cũ ipſo ſum in tribulatione, eripiam eũ, & glorificabo eum. Propè igitur eſt dominus omnibus inuocantibus eum in veritate, quemadmodum Pſal. 46. illos hortari dignatus eſt, dicens: Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Hinc vnitati orantium & gementium, quæ hoc loco exprimitur, plena ſpei atque lętitiæ materia cauſatur: quando huiuſmodi autoritatibus roborati, angelicos ſpiritus, & ipſum dominum angelorum ſibi adeſſe non dubitent. Verùm ſi iuſtis mœſtitia ſaucijs & interpellantibus Deum ſupernorum ciuium ſocietas pro ſolatio datur: cur non magis Dei & hominum mediatori Chriſto? Attamen non eadem cauſa fuit in illo, quæ in cæteris eſſe probatur. Certum nihilominus eſt illi angelum apparuiſſe oranti. Tanto ſiquidem premebatur tędij ac pauoris impulſu, vt in agonia fieret: dumque prolixius perſeueraret in preces, factus eſt ſudor eius ſicut guttæ ſanguinis decurrentis in terram. Accedite nunc huc in ſpiritu omnes vos, qui pietatis viſcera geſtatis, & qui de domino ſentitis in bonitate, atque in ſimplicitate cordis quæritis illum. Accedite (inquam) & quale vobis coram poſitum ſit compaſsionis incentiuum, attentiſsimè conſiderate. Redemptorem veſtrum, regemque cœlorum, orantem, pauentem, agonizantem, ſanguine ſudantem mentis oculo contemplamini: non tamen ſine profluuio lacrymarũ. Quomodo (oro) lacrymas continere valebitis aſpiciẽtes piiſsimi domini guttas ſanguinis decurrentis in terram? Cernite diligenter dominum Ieſum totius ſuauitatis fontem pallentem facie, genibus flexum, trementem corpore corde verò mœrore transfixum: vultu rubicatum ſudore ſanguineo, & iuxta angelum eundem adhortantem. Compatimini, gemite, flete, viulate. Quanta lateat in corde triſtitia, ex vultus madefactione cognoſcite, quàm itolerabilis futura ſit paſsio, ex ſudoris qualitate colligite. Porrò ſi ex ſola paſsionis conſideratione illius penè deficit vita, quid in ipſo crucis aget ſupplicio? Si in certaminis ſui initio tantum præualuit mœror alapa, conuitia, flagella, acetum, fel, arundo, ſputa, claui, lancea, quantum actura ſint, qui poteſt, excogitet. Plorate itaque, & mente propius accedendo mœrenti conformamini, atque iuxta cordis veſtri prudentiam conſolatoria verba proferte. Maximum quippe eloquia pia, & lacrymoſa compaſsio afflicto ſolatium præſtant. Quamobrem exhortationem meam ſuſcipite, meóſque ſermones negligere nolite. Quid in eis lateat, exercitatio deuotionis aperiet. Perſeuerate igitur in lacrymis, & in pietatis prece perſiſtite, quoadúſque mediator orationi finem imponat. Tunc quæ ſecutura ſint, diligenti conſideratione penſabitis.

Quid agere, & qualiter Chriſti miles in ſpirituali ſe debeat habere certamine. Cap. VII.

STrenuiſsimis interdum accidere bellatoribus ſolet, vt ante terminum pugnæ; ſeu in ipſo calore certaminis pro armorum ineptia, vel pro viribus vtcunque ſumendis quantulumcunque ſecedant de ſtadio: quatenus ex corporis reſtauratione parumper ſuſcepta robuſtius in acie perſeuerẽt. Illis minimè prorſus ignauiæ aſcribendum eſt, quum magis pro amore victorię, quàm ob pugnæ metum id agere cõſueuerint. Nempe in cunctis prudentiæ virtus commendabilis eſt, quum ad optatum, quò tenditur, dirigit finem. Quod in agone viſibili euenire deſcripſimus, hoc in ſpirituali atq; inuiſibili contingere dubium non eſt. Imbecillis quidem & exigua eſt hominis fortitudo, vt in certaminis ſtadio abſque defectione valeat perdurare. Proinde quandoque ſecedendum eſt, & reparandæ vires, ne laxato animi vigore inimicus præualeat odioſus. Quò autem declinandum eſt? Vtique in ſecretiora loca, vbi fragor nullus audiatur armorum, nullúſque hoſtium timeatur incurſus. Cordis igitur ſecreta petenda ſunt, in quibus obſtructis ſenſuum ianuis, perluſtratis duntaxat prius ſpiritualibus latibulis, atq; phantaſmatibus cunctis inde fugatis animus ſe in quiete componat. Tunc quippè magna pace potitus ſe ſtatuat ante ſe & tanquam in tribunali reſidens operum ſuorum familiam iudicet, agnoſcat cogitata, deſideria penſet, collapſa erigat, ſciſſa reſarciat, delicta defleat, prudentique examinatione agenda diſponat. Ab huiuſmodi non ſe exercitatione ſubducat, donec omnibus introrſus ritè ordinatis lætificantem in ſe aduenire ſentiat Paracleti gratiã. Hanc, quum venerit, ſuſcipiat reuerenter, pertractet

tractet humiliter, cuſtodiat diligenter, atq; ſuauiter amplectatur, Nil etenim pugnaturis ſic expedit, ſicut gratiæ huius lęta ſocietas. Hæc nãque caritas accendit flammam, humilitatis adhibet cautelam, pugnandi miniſtrat vires, lumẽ largitur prudentiæ, inimicorum propulſat pauorem, expeditum efficit animum, ſpemque victoriæ adducit permaximam: Nemo abſque hac ſecurus pergit ad prælium, nulluſq; ſine comitante gratia cogitat de triumpho. Porrò quicunque vadens ad pugnam ſalutari caruerit gratia, in primo aduerſariorum congreſſu proſternitur, ſeu concitatur ad fugam. Qua ratione (oro) triumphali honore cenſendus eſt dignus, qui inermis & imparatus accedit ad bellum, hoſtiũ potiſsimum conſiderata qualitatę atq; ſæuitia? Arma equidem hęc ſpiritualia ſunt, quemadmo-
2 Co. 10. dum inimici & prælium. De his Apoſtolum audi, Arma militię noſtræ non carnalia, ſed ſpiritualia potentia à Deo ad deſtructionem munitionum ad euacuandam omnẽ altitudinem ex-
Ephes. 6. tollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei. Vnde alio in loco ait, Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli, quia non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinẽ ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus. State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, induti lorica iuſtitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſsitis omnia tela nequiſsimi ignea extinguere. Et galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus quod eſt verbum Dei, per omnem orationem & obſecrationem orantes omni tempore in ſpiritu, & in ipſo vigilantes in omni inſtantia & obſecratione. Nuſquã igitur apertius iſtiuſmodi componuntur arma, certamen ordinatur, donatur & gratia, quàm in orationis quiete, & deuotionis affectu. Quantum in ipſa proficere poſsis, te etiã docuit Chriſtus ſuoque Dei ſapientia te inſtruxit exemplo. In oratione quidem ſua angelum conſolatorem habuit, & inhabitantem gratiam patenter oſtendit. Ex animi magnanimitate, ex reiectione pauoris, ex ſe perſequentium obuiatione, atque quærentiũ, quod dicitur, facilè comprobatur. Vt autem ex operibus fidem verbis accommodes (obſecro) quid idem poſt orationem egerit, ſolerter attende. quum ſurrexiſſet (inquit Euangeliſta) ab oratione, veniſſetque ad Diſcipulos, & reperiſſet dormientes, ait illis, Dormite iam, & requieſcite, ſufficit, ecce venit hora, & Filius hominis traditur in manus peccatorum, ſurgite, eamus, ecce appropinquat qui me tradet, & propè eſt. Videſne quàm robuſtus, quàm alacer, & intrepidus ab oratione ſurrexit? Nõ enim inimicorum ſuorum declinauit præſentiam, quinimò ſe capere volentibus occurrit, atq; vltrò ſe illis cognoſcibilem fecit. Vt igitur erudiaris in ſpiritu, & opere perficias, quod diſcis, intellige quantum oratio conferat, quæ pauentem & agonizantem recipiens Dominum illum exhortantem reddide- Matt. 26.
rit atque intrepidum, vnde aiebat, Surgite, eamus, ecce appropinquat qui me tradet. Neminẽ tamen moueat, quòd pręmittitur Dominum dixiſſe diſcipulis, dormite iam & requieſcite. Latent in his paucis profunda miſteria veneratione atque inquiſitione digniſsima. Non enim inconſultè tam ſeriatim ſibi inuicem cõtraria verba contexit. An non oppoſita ſunt, dormite & ſurgite, requieſcite & eamus? Facillimè in ipſis offenderet animus, & deuiaret à vero, ſi diuinæ ſapientiæ non eſſent eloquia. Quoniam verò illius huiuſmodi ſententia eſt, non improbanda, ſed potius diſſerenda eſt. Quales eſſe debeant verbi Dei prædicatores, aut qui ſe tẽtationibus & ſeculi perſecutionibus obiiciũt, vel regimini animarũ incũbunt, his verbis indicauit. Difficile quippe eſt quietis trãquillitatem deſerere, proximorum lucris inſiſtere, tentamenta pati, crucemque imitando Chriſtum quotidie baiulare. Hæc vtique ſanctorum ſunt opera & exercitia perfectorum. In talibus nemo niſi vocatus ſe ingerat, nullus niſi impellente neceſsitate, vel obedientia vrgente ſe occupet. Priuſquam huiuſcemodi ſtudiis ſe miles Chriſti tradat, vacet deuotioni, orationi intendat, quietem diligat, deuitet tumultus, & interiori exercitationi mẽtis ſuæ componat habitum. Suas quoque aſſueſcat calcare paſsiones, ſua vitia reſecare, antiquatas conſuetudines reformare, comprimere ventrem, linguam circumcidere, domare carnem, mores corrigere, & quicquid deforme eſt, ſub diſciplinæ vigore compeſcere, quatenus ex ſe diſcat, quid de aliis debeat agere, quidve ſentire, atque cæterorum paſsiones impaſsibiliter coercere. Ridiculum equidem de ſe intuẽtibus facit, qui voluntariè delinquẽdo aliorum conatur errata corrigere, ignoranſq; ſe qualis ſit, de proximorum occultis vult proferre ſententiã. Fit ex hoc ſæpiſsimè, vt in foueam cadens iacentes erigat, & damnando alios ipſe damnabilior exiſtat, Velitque cæcus & tumidus ducatum prębere cernentibus, propterea dum multis prodeſſe deſiderat, ſe non mediocriter offendit. Nobi- Ibidem.
le igitur ad euitandum hoc doctrix ſapientia documentum inſtituit, quando diſcipuli prius dormite & requieſcite, quàm ſurgite, & eamus, inquit. Suos breui ſermone fideles admonuit, vt prius propria, quàm aliorum debeant emendare delicta, atq; antè in quietis ſe agnoſcere ocio quàm ad exteriorum tumultus foras exire. Facilè etenim quiſque quod acquiſiuit, amittit, ſi nõ vocatus ſe inconſultè exponit. Diuturna quies lacte deuotionis enutriat, quos adultos & for-

tes

tes probatio tentationis examinet. Nullus itaq; inaniter Dominum in paſsionibus imitari præſumat, niſi impellente ſpiritu aut vocatus quieſcat, creſcat, agnoſcat, diligat, ne cadat. Audiant tumentes, & inexperti ſponſam quieti deditam, & dilectam ſe humiliter excuſantem. Non enim audebat ſequi vocãrem, quoniam de ſe minimè Cant. 5. confidebat. Quamobrem pulſanti ſponſo, atque dicenti, Aperi mihi ſoror mea, amica mea, colũba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum eſt roro, & cincini mei guttis noctium, reſpondit, Expoliaui me tunica mea, quomodo induar illam? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Verum non minus quum ſe excuſa- Pſal. 126. uit dilecto placuit, quàm ſi imprudenter repentè erupiſſet. Diſcant ergo ſinguli præſentibus ſponſæ ſermonibus, diſcant omnes ſponſi admonitionibus, quando ſurgere, qualiterque eundẽ debeant imitari. Senſum hunc apertiſsimè, Vates egregius expoſuit, dicens, Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere, ſurgite poſtquam ſederitis, qui manducat spanem doloris. Ordinatiſsimè igitur & magno cum moderamine nobis in diſcipulos locuta eſt ſapientia, inquiens, Dormite iam, & requieſcite, ſufficit. Ecce venit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorũ. Surgite, eamus. Ecce appropinquat qui me trader, & propè eſt. Ipſo adhuc loquente verba hæc, ecce Iudas vnus de duodecim plurimus vallatus militum turmis ſuperuenit, vt illum apprehenderet. Immemor nanque beneficiorum, beneuolentiæ ingratus, ignarus ſceleris, inſenſibilis de ſe, de ſupplicis infidelis, inhumanus in magiſtrum, impius erga ſe, auarus de pecunia tam horrendum proditionis non erubuit committere facinus. Dederat quippe perſequutoribus ſignum, dicens, Quemcunque oſculatus fuero, ipſe eſt, tenere eum, & ducite caute. Quid peruerſius, quid ſceleſtius agi potuit, quàm autorem pacis ſub pacis oſculo venundare? Inimicus pacis pacem ſimulando tradebat. Acceſsit vtique ad Ieſum, & ſalutatione doloſa, Matt. 26. inquit, Aue Rabbi. Ad quem conuerſus Dominus, ait, Amice ad quid veniſti? O magiſtri mirã da humilitas, ò diſcipuli inaudita crudelitas. Nõ enim reatus diſcipuli latebat magiſtrum, & tamen illum ſe ignorare oſtendebat, dicens, Ad quid veniſti? Proditoris facinus blanda alloquutione tegebat, nolens illius mortem, ſed vt magis conuerteretur ad vitam. De ſalute verò propria ille deſperans propius accedendo vitæ autorem ad mortem oſculatus eſt. Cuius non horreſcant nunc viſcera in tam obdurata mente diſcipuli? Dic, ò vniuerſis crudelior, quid iniuriæ, quid damni, quæve inimicitiarũ præceſſerit cauſa, vt tãtum facinus perpetrares? Magiſtrumne tuum in ſcelere aliquo deprehendiſti? an fortè tibi quicquã defuit, vt egeſtate compulſus maieſtatis Dominum precio venundares? Dic (oro) dic quę tanti cauſa delicti. Cur taces? quare cõcidit vultus tuus? quare vel poſt perpetratã culpã reatum non confiteris tuum? cur præſente adhuc Domino non flagitas veniam, qui pro peccatoribus redimẽdis factus eſt homo? Ad indulgentiam ſuſcipiet te, ſi tamen humili confeſsione fatearis delictum. Vt autem video nimio ſuffuſus rubore nil loqueris, cupiditatis laqueo iam necatus in baratrũ deſperationis immergeris. Te iam extinctum mediator intelligens proditionis tuæ detexit facinus. Iuda (inquit) oſculo Luc. 22. filium hominis tradis. Hac voce percuſſus proditor, parumper ſeceſsit, quatenus armatis militibus circunuentionis locum daret. Horum verò nihil veritus Dominus, tanquam bellator robuſtiſsimus, & Chriſtianæ militiæ inſuperabilis dux, iis, qui eum detinere cupiebant, procedẽs obuiam, dixi, Quem quæritis? O regis noſtri ma- Ioan 18. gnanimitas ſtrenua, aſsiſtit, loquitur, interrogat, dicens, Quem quæritis? Illi verò, Ieſum Nazarenum. Quibus Dominus, Ego ſum. Non fugit, non latitat, non ſe excuſat, non ſe defendit, ſed inquit, Ego ſum. Quæ eſt iſta confeſsio? quæ tam compendioſa reſponſio? Quid eſt dicere, ego ſum? Dixiſſet ſaltem, Ego ſum quẽ quęritis, ego ſum quem tenere deſideratis, vel (quod his excellentius eſt) ego ſum, Deus, ego ſum qui creaui cœlum, formaui terram, plaſmaui hominem, atque vniuerſa guberno. Magnum hoc eſſet veriſsimum, honorabileque. Expreſsius tamen, profundius, ac venerabilius explicauit ſuæ celſitudinem maieſtatis, ſuæque diuinitatis potẽtiam ſimpliciter inquiens, Ego ſum. Quæ nanque ſunt in eo quòd mutabilia ſunt, in eo quod à ſeipſis non ſunt, in eo quòd finita ſunt, eorũ nullum dicere poteſt, ego ſum. Quomodo dicent, ego ſum, quum ab alio pendeant, & terminatam qualitatem, virtutem, gratiam, & circunſcriptum habeant eſſe? Quicquid ab aliquo eſt, à ſemetipſo nõ eſt, quod autem à ſemetipſo nõ eſt, ſed alieno (vt ſit) auxilio indiget, nequit veraciter dicere, ego ſum. Ille itaque ſolus eſt, qui ſempiternum habet eſſe, immutabile atque beatum. Qui à nullo eſt, nullius indiget, nuſquam deeſt, qui ſine contradictione potens eſt, ſine errore ſapiens, ſine paſsionis motu iuſtus, ſine perſonarum acceptione beneuolus, ſine infirmitate patiens, ſine æquiparatione ſummus, ſine defectu bonus, ſine ſui derogatione miſericors, Qui in eo quod eſſentialiter eſt, a nullo eſt, ſed omnibus quæ ſunt, præſtat vt ſint. Quæ nanque ſunt bona, ipſius bonitatis facta ſunt, quæ habent virtutem, ab ipſo gratis acceperunt, & quæcunque ſunt, vtique ab illo facta ſunt, qui ait, Ego ſum. Ipſe Dominus Ieſus, Verbum Patris, Deus & homo, hominum mediator, & vniuerſorum cõditor. Vt ergo dixit eis, Ego ſum, abierunt retror

ſum,

Digitized by Google

ſum, & ceciderunt in facies ſuas. Fulgorem ſiquidem æternę veritatis ſuſtinere non valētes, ab ipſius lumine repercuſſi, & diuinæ vocis tonitruo territi, retrorſum ceciderunt. Tunc quippe ſi voluiſſet, occultare ſe poterat. Poterat etiā verbo ſuo omnes perimere ſicut vnico ſermone proſtrauerat, verùm qui ſerui ſuſceperat formā & non venerat occidere, ſed ſaluare, noluit poteſtate pugnare, ſed humilitate vincere, atque fortitudinis tolerantia ſuperare. Quamobrem diuinitatis proſtratos potentia permiſiſti ſurgere, vt libera, ſi vellent credere, eorum eſſet confeſſio, quibus denuò ait, Quem quæritis? At ipſi Ieſum Nazarenum. Perditi homines proſtrationis ſuæ viſo miraculo prorſus credere, confiteri, atque adorare debuerant, ſed manſuetiſsimi paſtoris vocem, quoniam de ipſius ouibus non erant, nequaquam audierunt. Rapaces erant lupi, & immaculati agni ſanguinem ſitiebant (inquam) & tamen niſi permiſsi bibere non valebant. Expectabant ab eo licentiam, vt raperent, crucifigerent, occiderent, biberent. Hęc omnia
Ioan. 18. quoniam pati venerat, audierunt. Dixi vobis, quia ego ſum, ſi ergo me quæritis, ſinite hos abire. Attende diligenter quàm præcipuum erga diſcipulos demonſtrauit affectum. Semetipſum obtulit, illos autem illæſos abire conceſſit. Nouerat quippe ad tolerandas perſecutiones eoſdem adhuc minus eſſe idoneos. Diſtulit ad tempus quoadusque habiles fierent, quemadmodū nutrix circa infantis curam materno vigilans affectu, donec educatus validior fiat, tunc & ipſa quem prius fouebat gremio, exercet laboribus, & ad mundi perferenda mala non parcit. Nec tamen minus diligit, quum fatigat, neque minus amplectitur dulciter, quum eum abeſſe permittit. Bona nutrix ſapientia, quæ quos elegit in filios, miro ac mellifluo circumfouet amore, quandiu creſcant, atque ad maturiorem ſpiritus pertingant ætatem. Singulorum virtutes diſponit, & ordinat, eorumque neminem ſupra vires tentari patitur, ne cadentes ab illa efficiantur extranei, cæteros autem tanquam alienos à ſe malignos ſinit conſummare conceptus, ſicut eos qui
Ibidem. bus dixit, Si ergo me quæritis, ſinite hos abire. Hoc nanque dicto cohors, tribunus militum, atque Iudæorum miniſtri, qui propterea venerāt, comprehenderunt eum, illo quippe comprehēſo dixerunt, qui aderant, Domine ſi percutimus gladio? Carnales erant diſcipuli, & gentiū ſequentes mores, perſecutores ſuos perimere cupiebant, obliuioni tradiderant, quod dixit mediator, Si percuſſerit te quiſpiam in maxillā,
Matt. 5. præbe ei & alteram. Et illud, Diligite inimicos
Ibidem. veſtros, benefacite iis, qui oderunt vos, & orate pro perſequentibus vos. Proinde eorū vnus ex his qui cum Ieſu erant, habens gladium, eduxit eum & percuſsit Pontificis ſeruum, atque amputauit auriculam eius dexteram. Volūtate ferebatur, non ratione, carne, non ſpiritu ardens illū violenter de eorū eripere manib. Nēpe diſcipu Ioan. 18.
lū qui hoc præſumpſerat, pius magiſter prudēti admonitione repreſsit, Mitte (inquit) gladium tuum in vaginam, nolo vt me eruas, nolo vt pro me decertes, nolo vt te percūte me liberes. Ignoras quòd qui gladio feriunt, gladio peribunt? non vtique materiali, ſed ſpirituali, atque diuino. Habet equidem Deus gladium, quo tempore congruo feriat delinquentes. Apoſtolū audi, Heb. 4.
Viuus eſt Dei ſermo, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingēs vſq; ad diuiſionem animæ & ſpiritus, cōpagum quoque & medullarum, & diſcretor cogitationū. De hoc ipſo gladio ait Propheta, Et percutiet terrā virga oris ſui, & gladio labiorū ſuorum interficiet impium. Plurimos planè quotidie cernimus percutientes gladio iudicis aut inimicorum non pertire mucrone, neminem vero ferientem gladio, diuinam aſſeueramus poſſe vltionem euadere, tametſi impræſentiarum perſpicuum minimè videatur. Quis etenim credat aliquod impunè præterire delictum? Quod autem differtur, non negligitur, ſed proprium reſeruatur in tempus. Nempè quod preſens non erudit aduerſitas tēporalis, futura illis, ſeu perpetua irrogatur vindicta pro ſuorum cuiliber qualitate facinorū, diuinæ æquitatis ſententia prærogatur. Aequa ſiquidem lance etiam minutiſsima penſat Deus humana delicta. Veridica igitur eſſe probatur definitio ſapientiæ, quæ vniuerſos gladio ferientes, gladio percutiēdos eſſe denunciat. Hæc noluit latere diſcipulū, vt quā diſtricta ſit animaduerſio diuina cognoſcēs, manum à feriendo cōpeſceret. Immoderatum itaque diſcipuli zelū, ex eo quod ſequitur, dulci admonitione coercuit. Calicē (inquit) quem dedit mihi Pater, non Ioan. 18.
vis vt bibam illum? Huius calicis excellentiā expreſsit Propheta, quum diceret, Calix meus ine Pſal. 22.
brians, ò quàm præclarus eſt. Inebriat prorſus contemplantis animum dominicæ paſsionis calix, & mentis rapit affectum, eumq; iucūdo amore perfundens tanquam ebrium facit. Quomodo non inebriet meditātē, quum amor ipſe inebriauerit patientē? Amore quippe ebrius mediator ſuam coram omnibus exhibuit nuditatē. Alter equidē Noe præfiguratus in ſpiritu eccleſiæ plantauit vineam, quę extendit terminos ſuos à mari vſque ad mare, & vſq; ad flumen propaginis illius. Huius vitis ebrietatis dulcedine, obtecta, maieſtatis gloria humanitatis verēda nudauit. Charitatis eius percuſſus iaculo ſerui forma ſuſcepta in crucis patibulo non erubuit mori. Iſtius calicis necdū Petrus expertus dulcedinē, ſalutē diffundendam in gētes ſerui percuſsione cohibere curauit. Meritò eruditus à Domino audire promeruit, Calicē, quē dedit mihi Pater,

non

Non vis vt bibam illum? Deſine vltra indignari,& pone gladium in locum ſuum, permitte vt perficiant quod cœperunt. Ad hoc deſcendi ad vos,propterea illis licentiam dedi, profectò abſque voluntate mea nil peragunt. Quieſce igitur tacens,Nempe ſi ego qui patior,contradicere renuo,cur non magis tu? [Mat. 26.] An putas quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quàm duodecim legiones Angelorum? Poterat(inquam)quoniam ad ipſius votum omnia famulantur agmina Angelorum, ſicut ſcriptum eſt. [Dan. 7.] Millium millia aſsiſtebant ei,& decies centena milia miniſtrabant illi. Angelorum ſiquidem noluit liberari ſuffragio, quum propria poſſet virtute ſaluari. Quod ergo tāquā infirmus homo teneri ſe voluit, nō fuit amiſsio poteſtatis,ſed humilitatis oſtenſio,cauſa pietatis,virtutis forma,& indicium charitatis. Patienter itaque ſe comprehendi ſuſtinuit,& ſuis detētoribus humanitatis beneficium non negauit. Quam enim Petrus abſciderat auriculam, tangendo ſanauit, vt diſceres ipſum eſſe per ſpiritū qui cordis reſerabat auditum, quem Sacerdotū impietas īfidelitatis gladio amputare cupiebat. Ipſi plane erant,qui vt credentium obſtruerent [Matt. 11. Ioan 7.] aures aduerſus Chriſti eccleſiam,perſecutionis inferebant procellam. Prohibebant vtiquè,ne audirent dicentem. Venite ad me omnes qui laboratis,& onerati eſtis,& ego reficiam vos. Et iterum. Si quis ſitit, veniat ad me & bibat, & flumīna de ventre eius fluent aquæ viuę. Eorum [Gen. 49.] nequitiam longè ante Iacob Patriarcha prænoſcens ait. Simeon & Leui fratres vaſa iniquitatis bellantia, in conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea, quia in furore ſuo occiderunt virum,& in volūtate ſua ſuffoderunt murum. Maledictus furor eorum,quia pertinax,& indignatio eorum,quia dura. Eadem apertius ipſe Patriarcharū & Prophetarum Dominus manifeſtauit ad eos,qui venerant ad ſe [Mat. 26.] principes Sacerdotum & magiſtratus populi inquiens. Tanquam ad latronem exiſtis cum gladiis & fuſtibus comprehēdere me, quotidie apud vos ſedebam docens in templo, & non me tenuiſtis, ſed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum. Iuſte ſatis redarguēdi fuerant Sacerdotes,qui gloriæ Dominum,Angelorum,vniuerſorumque, tanquam latronem capere præſumpſerunt: Debuerant ſanè,quem nouerant in plebe tanta feciſſe miracula,atque ſolo tactu coram ſe ſanaſſe auriculam,maxima cū veneratione excolere. Debuerant(inquam)Sacerdotum dignitatē,magiſtratus honorem,generis excellentiam,facinoris magnitudinem,ſolennitatis diem,legiſque prohibitionem attendere, ſed heu cum armatis lictoribus ſe turpiter ſociarunt. Venerat nanque eorum hora,tenebrarumquè poteſtas, in qua illis in vitæ autorē conceſſum eſt crudeliter deſæuire. Callidè igitur fraudis commentor agebat, vt(ſi fieri potuiſſet)Chriſti corpus extingueret. Caput etenim ipſum tenens in manibus aſtantia quoque illius membra comprehendere ſatagebat. Humano [Pſal. 108] nanque diſcipuli timore proſtrati ſe tenere volentium de manibus exierunt. Cito(iuxta prophetæ vocem)fecerunt, obliti ſunt Deum, qui ſaluauit eos,fecitque in populo ante eos mirabilia, cæcos illuminando,ſanando paralyticos, leproſos mundando, atque variis ægrimoniis laborantes propria virtute curando. Omnes igitur terga vertentes pariter fugerunt,impletumque eſt quod [Iob. 19.] prophetico ore prædicitur. Noti mei receſſerunt à me, obliuioni datus ſum tanquam mortuus à corde. Nam & qui iuxta me erant, de longe ſteterunt. Fugit Petrus cæteris promptior,fugit Ioannes qui in cœna ſupra pe- [Marc. 14.] ctus Ieſu recumbere meruit. Sic enim habes. Adoleſcens quidam ſequebatur eum amictus ſindone ſuper nudo,& tenuerunt eum, at ille relicta ſindone nudus profugit ab eis. Interim verò & tu ò fidelis anima parumper ab hoc crudeli ſecede ſpectaculo, non puſillanimitate repulſus, aut paſsionis timore perterritus, ſed deuotione inflammatus,ac compaſsione transfixus. Secede (inquam) & gradu concito, ſciſsis veſtibus, ſparſo crine,cinere capiti ſuperiecto,& ab oculis vbertim lacrymis defluentibus,atque ad glorioſiſsimam virginem Domini matrem accede, quæ ſuſpenſo animo, nimiumque mœrenti auidè præſtolatur, ſi fortè aliquo referente audire valeat, quid vnico dilecto acciderit filio. Ad ipſam quum adieris demiſſo ad terram vultu voce pauida,& corde mœſtitia ſaucio prouoluere pedibus, ſanctæ atque cum ingenti ſingultu dicito illi. Heu heu domina angelorū,regina cœli,mūdi interuentrix, refugium peccatorum, naufragantium portus,ſalus iuſtorum, porta paradiſi, mater Dei,templum paracleti, lætitia ſupernorum,ſapientiæ ſedes,receptaculum gratiarum, virtutum magiſtra,humilitatis ſpeculum, virginitatis decor,pudicitiæ titulus, honeſtatis laus, innocentiæ candor,patientiæ exemplar,ſanctimoniæ ſplendor,perfectionis ſumma, & æterni patris filia prædilecta. Heu(inquam)cur natus ſum? Cur relictus ſum videre crudeliſsimū,horrendumque delictum? Exanimis prorſus effectus ſum ex eo, quod proprio nuper aſpexi intuitu. Vidi quippe magna & à ſeculis inaudita, quæ maximum iis auribus valeant inferre dolorem,& ne mœſtis te vltra ſermonibus protraham,reliqui Dominum meum vnigenitū tuum in manibus peccatorum. Aſtantibus itaque mulieribus ſanctis,& quę de ore tuo promuntur humiliter audire ſatagentibus,lugubri genitrici ordinatiſsimè & prudenter vniuerſa quę circa mediatorem in cœnaculo, in oratione, in proditio-

ne,

Digitized by Google

ne, atque in diſcipulorum fuga contingerat, dicito, quæ quum lacrymando narraueris, blandis, quibus vales, eloquiis dominam ſolare mœrentem, ſi forte piis ſermonibus tuis vehementiſſimum eius poſsis mulcere dolorem. Tandiu igitur in hoc perſeuera pietatis officio, quamdiu fletibus finem imponat, teque remittat ad filiũ, quatenus ea, quæ ſuper ipſum ſecutura ſunt, poſtea te referente cognoſcat. His etenim ſic geſtis meditando remea ad Dominum iniquorũ vinculis iam conſtrictum, atque curioſè in mentis repone ſecreto oĩa quæ in eo gerẽtur, quatenus beatæ matri eadem ſeriatim edicere poſsis.

De commendabili virtute ſanctorum, preconijque virtutis. Cap. VIII.

HAbent ſanctorum mẽtes hoc propriũ vt iugiter compungantur in fletibus, quum inimicorũ ſuorum damna perſenſerit. Charitatis ſiquidem telo transfixi quemadmodum mala irrogare neſciunt, ita nequeunt, (vt plurimum) cogitare, omnes in Chriſto diligunt, cunctis prodeſſe cupiunt, cuique nocere fortiter perhorreſcunt. Fit igitur, vt eorum diſciplina virtutum Deo hominibuſque exhibeatur amabilis. Semper vtiq; virtutem diſponente Deo laudẽ promeruiſſe cognoſcitur. Quum enim altiſsimo placeat, hominibus diſplicere non poteſt. Nam etſi foras interdũ iniquorũ ſermonibus improbetur, cogitationibus tamẽ ſemper intus attollitur. Innata minimè valet ratio derogare virtuti. Naturali etenim decorata inſtinctu tanquam bene condita afficitur illi. Quod autem malus quiſque virtuti cõtrarius extat, ex corrupta naturæ radice conſurgit. Virtutis equidẽ decor proprium arbitratur eſſe pudorem. Nam ex mali æquiparatione, boni ſublimitas commendatur. Ne igitur degener & indignus quiſque malus appareat, virtuti derogare non ceſſat. Eo autem fit quiſque deterior, quò importunius virtutem publice impugnare præſumit, Hinc Iudæorum & potiſsimum Sacerdotum, Pontificum, Phariſæorumq; incomparabilis agnoſcitur eſſe malignitas, qui virtutum Dominum, regemq; gloriæ tã infatigabili doloſitate opprimere ſtuduerũt. Ad diuinitatis illius nequaquam deduxit notitiam conuerſationis eius irreprehẽſibile ſpeculum, non melliflui oris documenta ſuauia, non miraculorum veneranda prodigia, nõ humilitas ſumma, imperturbabilis manſuetudo, ſapientia prænoſcens, elegantiſsima forma, aſpectus reuerẽdus, liberalis benignitas, atque ipſius iniuſta detentio, nullatenus eorum poterant corda placari inueterato illis dominante liuore. Hinc eſt, quod cum armatis illũ appetere non erubuerunt, ſicut ore prophetico dicitur. Circundederunt me vituli multi, tauri pingues obſederunt me. Obſederũt vtiq;, vt circumuenirent, raperẽt, ligarent, ducerent. Quo? Ad Annã Pontificem. Nempe innocentiſsimus Dominus, tanquã homicida crudelis ſine honore, ſine pietate, & abſque pudore ductus, Annæ Põtifici ſiſtitur iudicandus. Vt enim omnẽ fidelibus ſuis præberet patientiæ formã, iniqui iudicis vniuerſorũ iudex nõ renuit aſtare cõſpectui. Diſce qui iudicaris, humilitatis normã, virtutis documẽtũ, ſapiẽtiæ regulã, & æquitatis nõ declinare ſententiã. Non poteſtate fultus, nõ circũuentione ſecurus, non amicitiarũ dulcedine fretus, ſed ſola veritate ante iudicẽ armatus accede, ſectare veritatẽ, veritati innitere, vt veritatis valeas eſſe diſcipulus. Equidẽ quũ aſsiſteret iudici, non argumenta compoſuit, non aſpera dixit, nõ protulit blanda, vt iudicãtis flecteret animũ, ſed quod prudentiæ, quod magnanimitatis, quod virtutis, quod gloriæ. De diſcipulis & de doctrina illius ſciſcitanti, ſic ait. Ego palam locutus ſum mundo, ego ſemper in ſynagoga & templo docui, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus ſum nihil. Palam quippe Dominus mũdo loquebatur, quia veritatem omnibus fatebatur. Non enim amat latibula veritas, nõ diuerſoriis delectatur, non angelos quærit, appetit autẽ publicũ, cupit corã omnibus prædicari. In illa ſiquidẽ non eſt fraus, nõ duplicitas, non ſimulata locutio, neque caligo tenebrarũ, quin potius lux, claritas, gaudium, tranquillitas, & abundantia pacis. Quomodo obſcuritate, fallaciæ inuolui poteſt, quum diuinus in illa ſplendor inhabitet? Porrò turpitudo vitiorum & obſcœnitas criminum ſola veritate detegitur. Apoſtoli ſententiam audi. Omne (inquit) quod arguitur, manifeſtatur à lumine. Serenitate ſiquidẽ illius, mentis opaca clareſcunt, fraudisq; venena noſcuntur. Hanc omnes imitantur & diligũt qui ſunt ex parte illius. Proinde Dominus Ieſus iuſtitiæ Sol, & veritatis candor mundo palã loquebatur, vt veritatis ſpecimen notificaret omnibus, & quàm concupiſcibilis eſſet, nemini occultaret. Claritatis ſuæ radios emiſit in publicũ, vt ambulantib. in ſpiritu iter vitæ oſtẽderet. Vniuerſis gratiſsimè illã expoſuit, & in occulto locutus eſt nihil. Quantum ad illum attinuit, oẽs ſplẽdore ſuo vocauit ad ſe, priuatam ſiquidem non quærens gloriam, nilque dignum redargutione pronuncians, vt loqueretur, ſilentij ſecreta non petiit. Hinc errorum magiſtri, & falſarũ hæreſum fautores facilè deprehenduntur, ne veritatis agnoſcantur in lumine, renuunt apparere in publico, prius de ſeipſis, quã de aliis turpiter erubeſcunt. Nemine contra illos teſtimonium perhibente ipſi ſe accuſant, & damnant. Sibimet nanque rationabiliter diſplicentes turpitudinem propriam collocant in ſecreto. Saluatoris veram in ſe proteſtantur eſſe ſententiã dicentis. Qui male agit, odit lucem, & nõ venit

Pſal. 21. Ioan. 18. Epheſ. 5. Ioan. 3.

ad lucem, vt non arguantur opera eius, quoniã mala ſunt. Sic & Adã præuaricationis deprehenſus in ſcelere fouit latebras, quatenus quod ei apparebat deforme, Deo ſimiliter tegeretur, minime tamen occultare ſe potuit aſpectibus veritatis. Dum enim erubeſcentem ſe vocauit ad ſe dira illum increpatione corripuit. Corripuit planè, & oẽs quotidie corripit delinquentes. Lux etenim atque illa increpatio veritatis eſſe cognoſcitur, quum delictum diſplicet, & iniquitas redarguitur in cuiuſq; corde peccãtis. In mente ſiquidem iuſtificati hominis tanquam in propria ſede ſubſiſtens toties repulſa colaphizatur, & cæditur, quoties diuinam legẽ idem homo voluntate tranſgreditur. Vides ne quàm ſæpe moraliter colaphizetur veritas, quę peccatoris animo, quod rectum eſt, ſuggerit? Hoc frequenter in ſpiritu patitur, quamuis ſemel tãtũ figuratè ſuſtinuerit corporaliter. Dũ
Ioan. 18.
enim aſtaret Põtifici, vnus miniſtrorũ ei dedit alapam, dicens. Sic reſpondes Põtifici? Cui Dominus inquit. Si male locutus ſum, teſtimoniũ perhibe de malo, ſi aũt bene, cur me cędis? Nuſquam legitur ipſum calũniam inferẽti publice reſtitiſſe, niſi hoc ſolum in loco, vt ſcias illius figuratã eſſe reprehẽſionis vocem, quæ in delinquentis conſciẽtia clamat. Nõ vult enim peccatoris mortem, ſed magis vt conuertatur, & viuat. Quoniam verò vult vt viuat, vociferatur in corde, ne moriatur Deo. Multum quippe proficit vox hæc in corde peccantis, quamuis minime ſemper. Nam impius quum in profundũ venerit malorum, cõtemnit. Potuit vox iſta reuiuificare quatriduanum mortuum & fętẽtem, poteſt quotidie moriẽtem erigere, atq; reſuſcitare ad veniam. Huius equidẽ fremitu vocis effrænos & mortuos ad vitę ſemitas conuerti fre-
Pſal. 67.
quenter aſpicimus. De hac nanq; voce ore prophetico dicitur. Ecce dabit voci ſuæ vocẽ virtutis, date gloriam Deo Iſrael. De nullius igitur ſalute, quamuis grauiter ſit delinquens, diffidẽdum eſt vſq; ad vitæ terminũ, iſtiuſmodi vocis conſiderata virtute, quæ in humili redargutione dantis alapam deſignatur. Audiſti percuſsionis myſteriũ, conſidera nũc exemplum. Eſt planè in illo vnde multũ proficias. De ſermonib. quidem ſapientia erudiris, pro cõtumeliæ verò irrogatione, ad tolerantiam informaris. Maximum prorſus ſapientiæ documentum in ipſius reſponſione colligitur. Docet mandata vitæ in aperto coram multitudine prædicari, inſtruit redarguere publice coram omnibus delinquẽ-
1. Tim. 5.
tẽ, quod & Apoſtolus inquit, Admonet vniuerſos ſalutis iter cũ vocis & operis autoritate oſtẽdere. Docet ex his ſobrietatem & ſapientiã, ex tolerãtia autem iniuriæ iuſtitiam & virtutem, quatenus diſcas nulli malum pro malo reddere, aut maledictũ pro maledicto, nõ indignari contra inimicum, non murmurii vocẽ emittere, ſed pacem cordis, ſilentiũ vocis, dilectionis affectum erga proximũ irrefragabiliter cuſtodire. Suo vniuerſos mediator inſtruxit exẽplo. Cũctis ſe fecerat debitorem, qui pro omnium ſalute carnis naturam acceperat. Quamobrem quia ſapientiæ proferebat eloquia, & veritatis notificabat lumen, loquebatur palàm, & in occulto nihil. Quoniam verò in virtutis oſtenſione ſingulorum profectum quærebat, alapã voluntarie ſuſcipere non expauit, non illã renuit neque declinauit, quum potuiſſet, ſed ſpõte ferienti genas expoſuit, ſicut longe antè Propheta de illo vaticinatus erat, dicẽs. Dabit per- Tren. 3.
cutienti ſe maxillã, ſaturabitur opprobriis. Neminem tamen moueat, quod idẽ mediator percutienti maxillam non præbuerit alteram, quũ aliàs dixerit. Qui te percuſſerit in maxillam Matt. 5.
vnã, præbe ei & alteram. Nempe ſi perſonam illius attendamus & factum, nihil inuicẽ in negocio hoc reperiemus aduerſum. Aliã vtique ſi voluiſſet, porrigere poterat, ſed maluit reſpondẽdo inſinuare myſterium, quàm faciem exhibẽdo demonſtrare virtutem. Vtrunq; tamen ſufficientiſsime egit nũc quidem myſteriũ ſapientiæ, poſtea autem patientię documentũ. An nõ offerre potuit genas, qui totũ corpus expoſuit? Audi quid per Prophetã dicit. Corpus (inquit) Eſa. 50.
meum dedi percutientibus, & genas meas vellẽtibus, faciem meã non auerti ab increpantibus & conſpuentibus in me. Prorſus hæc, quæ pertulit, maiora ſunt. Sed quemadmodũ illa oportuit ipſum dicere, ita & iſta pati non omittere. Decebat equidem Dei Filium, vt quò cæteris clarius præeminebat hominibus eò profundiora verba illius eſsent & facta. Omnia quippe, quæ in ipſius agone ſcribuntur, ſunt plena myſteriis, atq; grauida ſacramentis. Aſtabat Põtifici, calũniabatur, cędebatur, myſteria loquebatur, nec agnoſcebatur. Implebatur vtiq; ĩ illis,
quod de illis Propheta prædixerat. Auditu (inquit) audietis, & nõ intelligetis, & vidẽtes videbitis, & nõ videbitis. Ibidem.
Incraſsatũ eſt enim cor populi huius, & aurib. grauiter audierũt, & oculos ſuos clauſerunt, ne quando videãt oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & cõuertãtur, & ſanem eos. Hæc de Põtificibus & populo Iudæorum eſse prenunciata dubitet nemo. In profundo nanque iniquitatũ poſiti ad altitudinẽ diuinitatis Chriſti nec aſpicere valebant, nec aſcendere. Sapientię audiebant eloquia, & minime intelligebant, quoniã corde & auribus grauati nõ credebant, quoniam vero nõ credebant, tanquã inſanabiles Dei filiũ illudendo feriebãt. Dum igitur mediator, hęc corã Põtifice pateretur, aderat pręforib. palatii Petrus cupiẽs introire, ſi potuiſset. Quod ideo nõ perficiebat, quoniã oſtiariæ ignotus erat, propterea alieno indige-

indigebat auxilio. Vbi enim familiaritas nulla eſt, interceſsio domeſticorum neceſſaria eſt. Hinc peccatoris colligitur ſtatus. A collegio nãque ſãctorũ ſegregatus, & à gratia cõditoris alienus nunquã ſine interuẽtione eccleſię domũ Dei intrare permittitur. Eſt autẽ vniuerſalis iuſtorũ congregatio interuẽtrix indefeſſa, quæ aſſiduis exorationib. peccatores ingredi facit, die noctuq; Domino aſsiſtens ſingultibus piis, & orationum inſtantia pro omnium delinquẽtiũ interpellat ſalute, atq; à fide extraneos cõuocat ad gremiũ, necnõ & in facinoribus ſepultos ſuarum ac vitam reſuſcitat contẽplatione lacrymarum, fitq; ipſius prece, vt qui ignorabãt Deum, gratificati diuina agnitione exultẽt. Et qui propria grauati conſcientia paternum nõ audebãt intueri vultum, pacis ſuſcipiantur ad oſculũ, nõ tamen quotquot admittuntur ad gratiã & introducuntur ad Chriſtum, perſeuerant in bono. Quot (oro) quotidie cernimus irritam facientes, quam perceperunt, fidẽ ambitione cęcatos, ſeu timore ſubuerſos retrogredi ac deteriores fieri. Priorũ figuram tenuit Abſalõ, qui poſt perpetratum fratricidiũ reſtitutus ad gratiam dominãdi inflatus deſiderio ſe cõtra patrem erexit, quatenus de regio illum riiceret ſolio, atq; mucrone ſuo nequiter iugularet, minimè verò diuino operante iudicio, remanſit impunis. Alieno ſiquidem occubuit iaculo, qui proprio genitori necem inferre curabat. Eorũ autem, qui timore proſtrati veritatem negant, Petrus geſſit imaginem. Meruit profectò coapoſtoli eius Ioãnis interueniente ſuffragio, in põtificis introire palatium. Verũ ille mortis puſillanimitate deiectus diu in eodem perſeuerare non valuit. Non enim humiliter, neque cõſtanter (vt debuit) ingreſſus eſt, & fortaſſe ideo corruit, quoniam nõ vt pugnaret, ſed vt finẽ videret, acceſſit. De propria nanq; infirmitate paulo ante eruditus vbi tantus perſecutionis feruebat impulſus, ſe minimè ingerere debuit. Iam enim ſopore grauatus nequiuerat vigilare, iamq; mortis timore cõcuſſus relicto magiſtro arripuerat fugã. Nemo igitur de ſe præſumat, quiſq; proprias metiatur vires, potiuſq; eligat infirmus humiliter cedere, quam elatus & inermis ad certamen intrare. Vix abſq; caſu & ignominia euadit, qui temerario auſu bellare contendit, facileque euertitur domus, quæ ſupra ſui ignorantiam eſſe fundata dignoſcitur, ventorum equidem impulſa fragoribus, atque tentationũ agitata procellis diu ſtare non poteſt. Humilitas in cunctis Deo grata cognoſcitur. Erigitur ſi cadit, protegitur quũ tẽtatur, triumphat quum pugnat. Sine ipſa nemo vincit, nulluſque in bono perdurat. Hanc ſi examinatus tenuiſſet Petrus, Dominum vtique nõ negaſſet. Poſt caſum didicit, quod ante debuerat, ſuo propterea cæteros inſtruxit exemplo. Dominũ quippe ignarus ſui, paſsione timidus, & frigidus caritate ſolo corpore ſequebatur. Si enim dilectione ferbuiſſet, ad ignẽ minime acceſſiſſet. Exteriorẽ vtiq; quærebat, qui amoris calore tepebat. De illo nanque ſic legitur. Accẽſo autem igne in medio atrio ſedebat cum miniſtris in medio eorum, vt videret finem. Deteriorauerat vehemẽtiſsime Petrus, & ab apoſtolatus *Mat. 26.* plurimũ degenerauerat dignitate. Porrò Dei filij vſus fuerat contubernio, atq; ſapiẽtię audierat verba, & nunc (proh dolor) ſceleratorũ hominũ reſidebat in medio, & illorũ potiſsimũ, qui Dominum ipſius tenuerant, ligauerant, atq; percuſſerant. Tales equidem obſcęna ſemper & impudica cõſueuerunt proferre eloquia. Vnde tanta ò Petre mutatio, tamq; tibi repẽtina deiectio cõtigit? Paulo ante cũ ſenatorib. cęli terræq; principibus præſente, verbo habitare ſolebas, & nũc cũ viliſsimis reſides & indignis. Tuas prius diuinis eloquiis accõmodabas aures, impræſentiarũ autẽ nugis, obtrectationibus, blaſphemiis. Feruere ẽt conſueueras dilectionis incẽdio, & modo remiſſus & gelidus foueris, vt inuidus. Obſecro te, vt ad tui cõſiderationẽ redeas diligẽter, & vbi, cum quibus, & qualiter ſic maneas, perpẽdere velis. Nonne tu ipſe es, qui trãſfigurari Domini aſpexiſti gloriã, paternamq; vocẽ de ſublimi cęlorũ throno audire meruiſti? Nunquid nõ es ille, qui cœleſti ſplendore irradiatus in corde fiducialiter aiſti, tu es Chriſtus Filius Dei viui? An nõ tibi Apoſtolici culminis dignitas eſt collata? *Ioan. 18.* & ligandi atq; ſoluẽdi Pontificiũ ſuſcepiſti? Tua adeo in terris autoritas creuit, vt quodcunque ligaueris ſuper terram, ligatũ ſit & in cęlis, ſimiliter & quod ſolueris, ſit ſolutũ. Cur non aduertis iſta? quare paſtorali tãtum derogas cathedrę? atque regale Sacerdotiũ inhonoras? Certe & ſi non propter te, ſaltem propter illũ, qui elegit te, teq; prętulit vniuerſis, nequaquam ſic agere debuiſti. Oro vt prudẽter attendas, quoniã in te omnis elucet eccleſiæ pulchritudo, cũctaque Põtificalis poteſtas. Surge ergo ocyus, & de medio iſtorũ te ſegrega. Quæ enim cõuentio lucis ad tenebras? quæ participatio filii lucis cum filiis tenebrarum? aut quæ pars fideli cũ infidelibus? Nẽpe vereor, ne quid tibi accidat mali. Nemo bonus ſecurè cum malis habitat. Corrumpunt vtique bonos mores colloquia mala. Crede mihi, quoniam minime eorum cũ quibus es, deuitare poteris laqueos, ſi non ſeceſſeris cito, & ab hoc te ſubduxeris lethali conſortio. Nunquid ignoras Diabolum caput eſſe malignantium, atque ſemper in eorum reſidere collegio? Age igitur quæ tibi ſuadeo, nec conſiderare velis loquẽtis vilitatem, ſed quid quave intentione loquatur. Magiſtri tui memor eſto verborum, ne quod tibi futurum eſſe prædixit, eueniat, ſereq; velis ſano parere conſilio. Vt autem temeri-

rati non aſcribas quod aſſero, ſuperponam digitum ori meo, & tui exitũ corde pauido præſtolabor. Hæc quum Apoſtolo retuliſſem, mecumq; Saluatoris verba tacitus cogitarem, ecce ancilla oſtiaria auſu nimiũ temerario ac ſermone procaci circumſtantibus miniſtris ſic Petro exorſa

Ioan. 18.

eſt. Nũquid & tu ex diſcipulis es hominis iſtius? Ad hæc expauit cor Petri palluit facies, & corpus illius penè exanime effectum eſt, ſecum mirabiliter rixabatur ignorans quid diceret, quidve reſponderet. Hinc conſcientia propria, magiſtri amor, atque cognitio veritatis, inde verò humanus timor, aſtantium atrocitas, atque mortis periculum imminẽs maximum in Apoſtoli mẽte agebat conflictum. Stimulus equidem veritatis agnitæ, & dilecti magiſtri dulcis affectus, illi ingerebant audaciã, vt voce publica confiteretur Chriſtum. Sciebat nanq; ipſum domino di-

Mat. 16.

xiſſe. Tu es Chriſtus filius Dei viui. Meminerat etiam quanta aduerſum proditorem (quẽ tamen neſciuerat) fuerat indignatione commotus. Sed & promiſsiones, quas domino fecerat, illum minimè negaturum, ſuadebãt eidem vt potius mortem carnis eligeret, quã animæ vitam negaret. Econtra verò ſenſualitas reclamabat. Vt quid ſpõte morti ſubeundum eſt, quũ differri valeat? Eſtne quod tibi indicitur irremiſcibile malũ? Ages vtique poſt perpetratam culpam, pœnitentiam ſalutarẽ. Benignus eſt & miſericors dominus, atque ſuper hominum malitia valde præſtabilis. Facilè meretur veniam, quod nõ malignitate aut infidelitate, ſed ſola tormentorum puſillanimitate committitur. Licet deneges voce, corde cõfitere, & inſons efficieris. Nihil ad Deum de ijs quę foris ſunt, pertinet, qui cordis inſpector eſt dicẽte ſacro eloquio. Ego ſum, qui probo re-

Hier. 11. 17.

nes & corda. Cõfidenter igitur & lingua tantũ te illum neſcire dicito prius, quàm in te manus injiciant, & trahant ad iudicem. Voles forſitan (quamuis incaſſum) tunc dicere, quod nunc abſque ſupplicio in tua eſt poſitum volũtate. Quid (inquam) agis? cur cõtraria multipliciter meditaris? Rũpe moras, properè loquere, ne ſuſpectus habearis in crimine. Qualis conflictus? qualis cõcertatio? Aderant angeli, aderant & dæmones. Dæmones quidem parati vt raperent, angeli verò vt coronarent. Incredibili prorſus agone fluctuabat mens Petri, nolebat negare Chriſtũ, nec propoſitũ valebat ferre ſupplicium. Quoniã verò nec latere poterat, neq; ſilere licebat, horum alterũ oportebat ipſum eligere. Tandẽ mendacium aduerſus veritatẽ, & iniquitas cõtra bonitatem, in bellatoris mente præualuit. Nam ſẽſualitas rationi, & caro ſpiritui dominata eſt, propterea eum negauit coram omnibus, dicens.

Ioan. 18.

Mulier, non ſum. Quo dicto exiit foras ante atrium, & ſubito cantauit gallus: En mulier, quæ male ſuadendo Adam de paradiſo expulit, Apoſtolorum principem tentando, de atrio eijcit. Sexus hic muliebris ſẽper ſuſpectus eſt, illo frequentiſsimè abutitur diabolus. Quãtos robuſtiſſimos telis fœmineis proſtrauit viros? Quot ab initio ſeculi damnauit fraudibus mulierum? Non armatos aduocauit milites vt debellaret Apoſtolum. Vnius muliérculæ lingua Chriſtianæ militiæ deuicit ducem. Quid de membris inferioribus ſperare poterat Belial, quãdo Eccleſię principem ſic leuiter ſuperauit? Superfuit (inquam) quũ illi negationis vulnus inflixit. Habuit enim cõtra ſe galli cantum, & ſuæ conſciẽtiæ teſtimonium. Proinde cõfuſus & Apoſtolatus veſtes nudatus exiuit de ſtadio ſuæ non valens mentis ferre pudorem. Exeunte autem illo de ianua, vidit eum ancilla alia, & iis qui ibi aderant, inquit. Et hic erat cũ Ieſu Nazareno. O inſatiabilis diaboli liuor, ò virus ſemper diſerpens, nonne ad perditionẽ ſufficit prima negatio? An ignoras quia vnico peccati cõſenſu tuę quiſq; ſubiicitur poteſtati? Satis tibi ſit, quod Deum negauit ſemel. Noli eum tentare amplius, ne duob. criminibus obnoxius fiat. Parce imbecillitati, parce timori (ſi tamen potes) ſcio autem quod minime vales. Implacabilis es, & ab omni humanitate extraneus. Malitia tua ſicut mortis te fecit autorẽ, ita & animarum deceptorem cõtinuũ. Laxa igitur fręna cupiditat tuæ, quantum potes, cõtra ſanctæ reli-

gionis baccahare pontificem. Bis terq; illum ad Rom. 5.

negandum impelle. Proculdubio videbis ad cõfuſionẽ tui, quoniã in quo abundabit delictũ, ſuperabũdabit & gratia. In hac itaq; exprobratione, dum talia dicerentur, iterum cũ iuramẽto negauit Petrus, quia nõ nouiſſet hominẽ, addidit negationi ẽt iuramentũ, vt peccans ſupra modũ fieret peccator. Interuallo verò factu quaſi horę

vnius vnus aſtantium ait. Nonne ego te vidi in Mat. 26.

horto cum illo? Hoc audiens Petrus, ſeq; deprehenſum agnoſcens, expauit ſupra modum. Vnde mortis timore ſuffuſus anathematizare cępit atque iurare, quia neſcio hominem, quẽ dicis.

Et continuo cantauit gallus. Ecce deprędator Ibidem.

cruẽtiſsime diabole, inuaſiſti, rapuiſti, occidiſti. Lætare peſsime, quoniam de Chriſti collegio duas ouiculas fraudulenter abſtuliſti. Tecũ quidem proditionis filius erit, minime autẽ Petrus. Crede mihi, quoniã non longe abeſt paſtor, qui quærat perditam auem quã nouit eſſe ſuam. Rapiet vtique ipſam de manu tua, & ad ſuum perducet ouile, ad ſuiq; maiorẽ gloriam, iterũ atq; iterum ſupra vniuerſum illum cõſtituet gregẽ. Sciet ex propriis, alienis paſsionibus compati. Vnico pietatis intuitu innocẽtiſsimus dominus illius vincula prauitatis, tuæque poteſtatis reſoluet catenas. Tenere nequaquam valebis, quẽ ille relaxari voluerit. Profecto nõ latuit dominũ quãdo illũ ſe Petrus cognoſcere denegauit, vnde mox, vt cantauit gallus, illũ intueri dedignatus

tus

tus nõ eſt. Non autem ex galli cantu diſcipulũ cecidiſſe cognouit. In conuiuio nãque poſitus hoc futurum eſſe prædixit. Quamobrem reſpicere diſtulit, donec quod prænunciauerat impleretur, quatenus diſcipulus ex minimis diſceret maiora credere. Ad dominicũ igitur aſpectum totus in lacrymas Petrus reſolutus eſt, recordatus eſt verbi, quod dixerat, quia illum tèr fuerat negaturus. Reſpexit (inquam) dominus Petrum, non corporis, ſed pietatis intuitu. Luc. 22. Eodem quippè modo reſpexit Petrum, quo reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ſed non pari effectu. Illo ſiquidem intuitu propoſuit diſcipulo, qualis factus fuerat, quid dixerat, quantumque negando deliquerat. Huiuſmodi viſione mente conſternatus Apoſtolus, foras egrediens fleuit amare. Maximũ quippe ſub hac trina Petri negatione latet diuinę miſerationis atque infirmitatis humanæ myſteriũ, quod minime prętereundũ eſſe decerno. Interim itaque orationi inſtandũ eſt, vt ille, qui reuelat myſteria, occultè etiam præſtet intelligentiam veritatis. Habet equidem ſciẽtiæ clauẽ, & cui vult, vt aperiat, tribuit. Quos enim ſapientiæ illuſtrauerit lumine, ſecretorum ſuorum facit eſſe dociles. Proinde nemo ſibi arroget, quod intelligit. Rationali quidẽ menti loquitur verbum, & quantã vult, illi ſcientiam inſinuat veritatis.

De triplici ſpirituali animarum medicamento. Cap. IX.

AEgrotantes corpore maximã recuperandę ſanitatis ſuſtentãtur fiducia, quũ variis languoribus fatigatos reſtitutos fuiſſe audiunt ad ſalutem. Idẽ quippe nõ diffidunt obtinere, quod cęteri, potiſsimũ quum valetudinis ſpes ad reſtaurãdam ſoſpitatem optimum agnoſcatur eſſe remedium. Hoc quotidie in corporibus fieri, hoc & in animabus hominum agi minime dubitamus. Quod etenim nobis diebus ſingulis in Eccleſia ſanctorum recitantur exempla, atque peccatorũ conuerſiones pręcipuę, tot ad incolumitatem animarum reformãdam ſpiritualia propinãtur antidota. Sancta quippe mater Eccleſia tanquam fideliſsima nutrix conſolationis lac infirmãtibus filiis, miniſtrare non deſinit. Habet nanque ſpiritualia vbera vino fragrantia, ac redolẽtia vnguẽta optima, ex quibus internos animę nutrit ſenſus. Nullum (quãtum in ſe eſt) fame, ſiti, laſsitudine, aut languore aliquo patitur deperire. Triplici equidem ad fouendos debiles, conſolandum miſeros, languoreſque curãdos remedio vtitur. Sunt etenim ſacra ſcripturarũ eloquia maxima mœſtis ſolatia, atque ad mitigandos peregrinationis huius labores pręſidiũ ſingulare, dicente Apoſtolo. Rom. 15. Quęcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patiẽtiam & conſolationẽ ſcripturarũ ſpẽ habeamus. In illis nanque Dei nobis loquitur verbum, & occulta ſapientię ſuę myſteria pandit, nec non & futurę fęlicitatis ſtillat dulcedinem. Iuſtitię cibo paſcit famelicos, aqua ſalutaris ſapientię quieſcentes inebriat, ſuauitate interna alit operantes, ſuoque irradiante ſplẽdore roborat certantes. Quanta verò hæc honorifica genitrix prębeat beneficia ſanitatũ, per Eccleſiaſtica ſacramenta congruo modo ſuſcepta nec rationalis animus capere, neque mortaliũ lingua valet exprimere. Nemo plane tam infirmus, tamque lethali morbo percuſsus eſt, qui pœnitẽtię ſumpto remedio illico nõ curetur. De Euchariſtię verò quid dicã myſterio; quũ de eodem dominus inquiat. Ioan. 6. Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus, qui manducat meã carnẽ, & bibit meũ ſanguinẽ, habet vitã ęternam, & ego reſuſcitabo eum in nouiſſimo die. Si quis languore voluptuoſę concupiſcentię infirmatur, caſto connubio copuletur, & ſtatim euigilabit ad vitam. Hęc nẽpe ad omnem ſe coaptant animę ęgrimoniam. Concupiſcibili medetur connubium, iraſcibili pœnitẽtia, rationali verò Euchariſtię perceptio. Eſt & tertium ſpirituale remedium debilitati humanę valde proficuum, ſanctorũ (videlicet) geſta. Hęc quotidie ad exhortationem fidelium in Eccleſia recitantur. Quis enim deſperet de venia, quũ perſecutorem Saulũ audit olim fuiſſe mutatum in Paulum? Diuina ſiquidem manu tactus repente in virum mutatus eſt alterũ. Luc. 5. Matt. 9. Sedebat pręterea (ſicut legitur) Publicanus in Telono turpis lucri cauſa, ſicq; currens pergebat ad inferos, ſed cęleſti benedictione afflatus verbi vocẽ audiuit dicente ſibi, Sequere me. Mox autem ſuperno circunfuſus lumine Saluatoris inhęrendo veſtigiis peregrinationis illius factus eſt indiuiduus comes, & annũciator pręcipuus. Petrus etiã paſsionis tempore cum miniſtris pontificum dum ſederet ad prunas, diuina permiſsione tẽtatus à fęmina, quod Chriſtũ nõ agnoſceret, iurare nõ timuit, & tamẽ poſt paululũ aſpectu illius quem negauerat, cõpunctus nimium, egreſsus foras fleuit amare, deinde à domino audire promeruit, Simon diligis me plus his? Ioan. 21. Paſce oues meas. Factũque eſt, vt cõfeſſione trina trinũ negationis aboleret delictũ. Porrò, quod Petro contigit, frequenter in Eccleſia dominus operatur. Quàm multi ſunt in Eccleſiæ gremio conſtituti, qui & ſalutaris lauacri & gratificantis gratiæ ſortiti ſunt munus, & tamen ſub ſpecie virtutis atque ſanctitatis deluſi imagine, in ſeculi huius atrium intrant, in quo maligni ſpiritus principãtur, & dominũ illudunt Ieſum? Ingrediũtur (inquã) nõ vt negẽt Chriſtũ, ſed vt hæreant Chriſto, & fraternæ directionis fructum accumulent. Inermes vtique accedunt ad pugnam; ſola præſumptionis lo-

ricæ veſtiri, quamobrem pedetentium defluentes exiguum illud quod habere videbātur, amittunt propoſitum caritatis, vnde miſeri nuptiali veſtes nudati torpore frigeſcūt, & ad voluptatis ignem properare cogūtur. In mundi etenim medio ſemper voluptatis ac cupiditatis accēſus

1. Ioan. 2. eſt ignis. Hoc expreſsit Ioānes, Apoſt. dicens, Omne, quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorū, & ſuperbia vitæ, quæ non eſt ex patre, ſed ex mundo eſt. Videſne quàm pernicioſè in atrio hoc concupiſcentiarum vigeat flamma? Huic die noctuque circunſtant peccatores tanquā Satanæ miniſtri, vt quoquo modo torporis ex ſe excutiant ignauiam, & carnis valeāt perficere opera. Tales audi, qui in libro ſapientiæ dicāt apud ſe non rectè cogitantes. Exiguum & cum tædio eſt tempus vitæ noſtræ, & nō eſt refrigerium in fine hominis, & non eſt qui agnitus ſit reuerſus ab inferis, quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hoc erimus, tanquam ſi non fuerimus, quia extinctus cinis erit corpus noſtrum, & ſpiritus diffundetur, tanquā mollis aer, & tranſibit vita noſtra tāquā veſtigiū nubis, & ſicut nebula diſſoluetur, et nomē noſtrum obliuionem accipiet per tempus, & nemo memoriam habebit operū noſtrorum. Veni

Sap. 2. te ergo, & fruamur bonis, quæ ſunt, & vtamur creatura tanquā in iuuētute celeriter. Vino pretioſo & vnguentis nos impleamus, & nō prætereat nos flos tēporis. Coronemus nos roſis, antequam marceſcāt. Vbiq; relinquamus ſigna lętitiæ, quoniā hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors noſtra. Profectò quiſquis Dei legem tranſgreditur, iſtiuſmodi ſe immiſcet. Cōpellitur enim ſeculi lenociniis ſuperatus, ſeu diaboli tentationibus proſtratus diuinam, quā prius confeſſus fuerat, negare veritatem. Quis (oro) innocētiæ candore veſtitus delictorum puluere nō fœdatur, ſi non indiſciplinatorum deuitet cōſortia? Facile etiam amoris extinguitur flāma infidelitatis expoſita vento. Sed (heu) peccator à Dei timore alienus, ſuæq; infidelitatis ignarus hęc cogitare negligit, vnde poſt caſum perpetratumq; flagitiū reatus ſui deformitatem agnoſcere cogitur. Introducitur, quidē per mulierē in mūdi huius atriū, adducitur ad ignē per teporē & voluptatē, ſeducitur verò per eandē oſtiariam fęminā, quæ prius illum introire ſuaſit. Quænam eſt mulier hæc tam potēs, tam domeſtica, tam fallax, quæ virum de Apoſtolatus culmine deijcere valeat? Vtiq; carnis natura eſt. Ordinatione etenim diuina in ſuę creationis exordio ancilę miniſterium ſortita eſt, ſed peccati conſuetudine inolēte viri ſibi vſurpauit imperiū, adeò vt reperiatur difficile qui carnem ſpiritui prout debet, ſubigere valeat. Hæc ſub ſuggeſtionibus ſuis virilem eneruat animum, & à veritatis tramite deuiare facit, atque agnitam fidem fœdis operibus negare cōpellit. Toties quippè anima Chriſtū negat, quoties carnis ſubſternitur voluptati. Iſta profectò apoſtatantis à Chriſto eſt prima negatio, aduerſus verò hāc naturalis & innata ratio clamat atque vociferationibus ſuis tāquam gallicantus cōſcientiæ replens domum delinquenti diſſuadet ſeparari à Chriſto. Rationalis autem mens huiuſmodi compuncta clamoribus de diaboli atrio, ac ſeruitute peccati exire conatur. Erubeſcit equidem plurimum, quod ſe ancillæ ſuæ proſtituit. Verum illi talia cogitāti, ac penitentię initia aggredi cupienti in ipſo emendationis vitæ primordio veluti in atrii limine alia occurrit ancilla, puſillanimitas (ſcilicet) & patiendi formido, quę importunitate ſua & cogitationibus crebris ſe egredięti opponit. Laborioſum quippè pęnitentiæ iter, atq; arduumque carnis ac ſpiritus aſſerit eſſe certamen, atque omninò quoad viuitur irrefragabiliter cuſtodiendū. Deſine, inquit, deſine agere, quod cœpiſti, vt quid caſſo te labore attenuas? Mollis & delicatus es, vigiliis & corporis macerationibus diſſuetus. Non poteris contra varios dæmonum præualere inſultus, neque carnis concupiſcentias edomare. Deterior fies recidiuando ſecundò, quàm in ipſo pugnæ congreſſu ſecedendo humiliter, minuſque verecundum erit non inchoaſſe, quàm iam cœptū intercidere opus. Ne velis igitur opprobrium effici hominū vias tuas reiterando tam ſæpe. Miſericors dominus & miſerator eſt, facile tibi in vltimis conſtituto ignoſcet, & gratanter te ſuſcipiet reuertentem. Nūquid Chananæam poſt ſe repulit clamitantem? An forte peccatricis mulieris contempſit lacrymas? Abiecit ne prodigum filium, qui patrimonium omne luxurioſe cōſumpſerat? Propter te tuique ſimiles hęc exēpla ſunt poſita, vt in extrema hora ad Deū minime negligas cōuerti. Tūc reſipiſces à malo, tūc ſcelerū tuorū pęnitebit te. Nūquid diuinę miſerationis clauditur oſtiū? Talib. ſuaſionibus blādis mēs ſeducta collabitur, atq; effecta deterior cū iuramento Chriſtum ſe non agnoſcere confitetur. O peccantiū conditio miſerabilis, ò tentationū horrēdum genus ſub ſpe indulgentiæ facinora grauiora committere. Porrò iſta deſperationis eſt ſpecies, inchoata quidē, nondum autem perfecta, ſed perficiēda. Paulatim quidem creſcit, & ad maturam iniquitatis tranſis ætatem, dum rubore deiecto, ſumptaque peccandi audacia procaciter publicèque delinquit. Nullius admonitionem recipit, neminē veretur, omneſque abhorret ſibi diſsimiles. Impletur vtiq; in illo, quod dicitur: Impius quū in profundum malorum venerit cōtemnit. Nec imme- Prou. 18.
rito. Spretis quippe cunctis exhortationibus cū anathematizatione, deteſtatione, atque periurio ſe neſcire Chriſtum ac æternam Dei clementiam operibus proteſtatur. Hæc negatio

tertia,

tertia deſperati & in omni iniquitate cõſummati viri, de quo propheta inquit: Dixit iniuſtus, vt
Pſal. 90. delinquat in ſemetipſo, non eſt timor Dei ante oculos eius, quoniam doloſe egit, vt inueniatur iniquitas eius ad odium. Deſperans enim de ſalute propria demergit ſe ſponte in ſceleribus vniuerſis. Diligenter tamen conſidera quod perditus hic peccator nequaquam repente, ſed per incrementa malitiæ & à iuſtitiæ deſcenſu hucuſque deuenit. Prius quippe Chriſtum ſimpliciter negat, dicens. Mulier non ſum: Deinde ex priore delicto effectus debilior cum iuramento veritatem ſe neſcire fatetur. Poſtremo tanquam ſine reſurrectionis ſpe mortuus ſub anathematizatione Dei filium ſpernit, & abijcit. De ſimilibus ait
Eſai. 5. Propheta: Væh qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum. Huiuſmodi tamen quum ab hominibus incorrigibiles ſint, damnandi profecto non ſunt, neque de eis deſperandum, niſi imitatione ſola. Quod enim apud homines impoſſibile eſſe videtur, apud Deum impoſſibile non eſt. Nã qui de lapidibus filios quotidie ſuſcitat Abrahæ, ille nimirum de ſceleratiſsimis, & vniuerſis flagitijs deditis, in ſortem efficit trãſire ſanctorum. Hos (vt plurimum) terrore iudicij & reſpectu miſerationis conuertit ad gratiam. Quis (oro) mẽtis conſideratione iudicem intuetur iratum, & non contremiſcit, & deficit? Quis diuinam animaduerſionem attendens voluntariè delinquit
Pſal. 75. vlterius? Hoc expreſsit Vates eximius, dicẽs: Tu terribilis es, & quis reſiſtet tibi? de cœlo auditũ feciſti iudicium, terra tremuit, & quieuit. Quieuit (inquam) quum peccare ex propoſito deſiit. Salubris ergo huiuſmodi iudicij cõminatio eſt, ſed non minus proficuus pius patris aſpectus. Illa cum tremore cognoſcitur, iſte verò cum ſuauitate ſuſcipitur. Cuius non emolliat mentis hebetudinem, & compungat in lacrymas diuinæ
Pſal. 96. miſerationis aſsidua meditatio? Montes (prout Citharœda ſanctus canit) ſicut cera fluxerunt à facie domini, à facie domini omnis terra. Equidem quum humano lux diuina illabitur corde, & aſpectus gratiæ cœleſtis agnoſcitur, abſq; cũctatione liqueſcit cor, exhilaratur animus, mens adorat, & intellectus prius elatione tumidus omni cum feſtinatione procliuus, ſolo humiliatur.
Abac. 3. De hoc amabili charitatis intuitu inquit Propheta, Aſpexit, & diſſoluit gentes, & contriti ſunt, montes ſeculi, incuruati ſunt colles mundi ab itineribus æternitatis eius. Vtrunque in Petri conuerſione ſignatur. In galli cantu iudicis terror, in aſpectu Chriſti gratiæ cœleſtis infuſio. Pręcedit iudicij pauor, ſubſequitur autem beneuolentia charitatis. Ambo tamen immutant propoſitum, adducunt fletum, dilectionem ingerunt, amoris enutriunt flammam, & conuertunt ad Chriſtũ. Tua hęc ſunt dona, ò domine Ieſu, quę fidelibus & electis tuis dare conſueuiſti. Permittis interdum, vt aſpectibus hominum radicitus euellantur, & tanquam infructuoſæ arbores ignibus debeant deputari æternis. Hoc dicunt, qui ſecundum faciem iudicare nouerunt, tu autem ò meridiana lux & ſecretorum cognitor longè aliter exiſtimas. Diſtant quippè multum nimis ab humanis iudicia tua. Quos.n. prædeſtinaſti ad vitã, & in tuorum ſorte connumeras electorum, ad tempus tantum errare concedis. Nunquam pietatis tuæ oculos ab eorum amoues viis, tametſi ignorent ipſi. Probat autem hoc illorum exitus. Quamuis enim premantur iugo captiuitatis, aut per ſemitas deuient delictorum, congruo nihilo minus tempore ineffabili, alta, & repentina mutatione illos trahis ad te. Non enim vis vt quos tuo mundaſti, ſanctificaſti, & gratificaſti ſanguine, pereant in æternum. Illi autem ſolum gehennæ ſunt filij, qui tibi non placuerunt in te. Hinc eſt quod Iudas proditor irremiſsibiliter corruit, & Petrus Eccleſiæ paſtor pro negationis crimine largiter fleuit.

Vnde nocendi inſcrutabilis malorum animoſitas originem trahat. Cap. X.

CONſueuerunt, qui accenſi ſunt nocendi animo, infatigabiliter cogitare, quibus modis inextinguibilem erga odioſos ſibi ſuam valeant perficere voluntatem. Nocent magis magiſque nocere deſiderant. Illius gehennæ, quę inextinguibilis eſt, ſe filios eſſe inſinuãt, operaque patris eorum faciunt, qui interminabiliter cruciantur in illa. De talium numero pontifices, ſacerdotes, Phariſæi, & omne Iudæorum cõcilium fuiſſe fatendum eſt. Neque enim tam pertinaci animo inſequi potuiſſent mediatorẽ Chriſtum, qui vtique propter miraculorum virtutem, mirabilem ſapientiam, & præcipuam ſanctitatem laus erat Iſrael, & Hebræorum plebis regale ornamẽtum, vtpotè de eorum ſtirpe progenitus, atque ipſorum patribus ante multa annorum curricula repromiſſus, niſi gehennę eiuſdem extitiſſent facibus inflammati. Illos promouebat diabolus tãquam ſua membra, ipſi autem eius nefarias ſuggeſtiones quaſi obedientes filij implere curabant. Hoc illis dixerat dominus. Ioan. 8.
Vos (inquit) ex patre diabolo eſtis, & opera illius perficere vultis. Hinc eſt quod Annas pontifex poſt Alapam à pontificis miniſtro domino Ieſu traditam, poſt trinam Petri negationem ipſum dominũ eadem nocte miſit ligatũ ad Caypham pontificem, vbi ſcribæ, & phariſæi, & omnes ſeniores, atque vniuerſi Iudæorum conuenerant pontifices. Ibi etenim coram ſummo põtifice conſtituti falſum quærebant teſtimonium contra Ieſum, vt eum morti traderent. Falſidicorum vtique quæritabant ſuffragiũ, vt ad mortem damnarent vitam, ne viuerent in æternum.

Vi-

Viciſſim contendebant, vt candorem æternæ lucis ſuis obnubilarent tenebris. Fiebat autem vt quò ſolicitius inueſtigarent iſta, eò in depreſſionibus ipſi tenebris remanerent perſeuerante in ſuo ſplendore incommutabili veritate. Illos pro-
Pſal. 63. pheta deſcripſit, dicens. Scrutati ſunt iniquitates, defecerunt ſcrutantes ſcrutinio. Volebant inermi manu duriſſimum confringere ſilicem. Sed quid? Præualuerunt ne? Minimè. Manus cõtriuerunt ſuas, caſſoque defatigati labore facere potuerunt nihil. Varias nocendi artes & maligna cõſilia inuenire conati ſunt, vt perderent ſapientiam, & tamen in propria inſipientia perſtiterunt. Nempè quum plurimas finxiſſent oppoſitiones veritati æternæ, & ſuper uacuè deſudaſſent, teſtes duos repererũt, qui dicerent, nos audiuimus eum dicentem. Ego ſoluam templum hoc manufactum, & poſt triduum aliud nõ manufactum reædificabo. Poterant hi teſtes eſſe veridici, ſi prout dominus dixerat, retuliſſent, ſed conſueuit ſemper iniquitas ſuperaddere veritati, vt puritatem mendacij cœno commaculent. Sic enim inquit. Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Quod voce protulit, potentiæ ſuæ verbo perfecit. Poſt ſuæ etenim paſsionis triduum quũ in tumulo corpus, quòd erat animæ tabernaculum & diuinitatis templũ, iaceret exanime, illud omni depoſita paſsibilitatis moleſtia reſuſcitauit ad vitam. Fecit quod ſe facturum eſſe promiſerat, vt veritatis oſtenderetur aſſertor, & futuræ reſurrectionis atque ſtructuræ cœleſtis imputribile poneret fundamentũ, quatenus omnis ſuperædificata habitatio creſceret in templum hoc ſanctum in domino. His teſtibus auditis pontifex, iniquitatis dolo plenus de iudiciario ſurrexit ſolio nolẽs falſiloquorum obiectiones, neque Chriſti diſcutere innocentiam. Maximam profectò mediatori afferebant laudem prolata aduerſus eum & non probata teſtimonia. Nequaquã vt iudex aſtabat tunc Cayphas, ſed vt calumniator & hoſtis, Quamobrem veritatem, quam minimè diligebat, non ſcrutabatur, ſed meditatam calumniam, qua refertus erat, inſidiabatur quaſi leo in ſpelunca ſua, & ſi-
Pſal. 9. cut catulus leonis habitans in abditis. Obſeruabat callidè, ſi forte ex oris mediatoris aliquem incompoſitum & reprehenſibilem prolatum ſermonem agnoſceret, propterea cernẽs, quod nil falſis obiectionibus reſpondiſſet, tentauit, ſi quo modo ipſum concitaret ad loquendum. In tacentis quippe lingua nihil reperitur indignum. Ait igitur. Non reſpondes quicquam ad ea, quæ tibi obiiciuntur ab his? O ſubdola & venenata antiqui ſerpentis aſtutia, ò malignitatis eloquiũ tumens, ò pontificis ſummi inueterata canities, Gradu ſicut præeminens cæteris, ita & peruerſitate præcellis. Cur tentando ad loquendum prouocas ſapiẽtiam? Cur accuſationibus falſis quæris vt ſatisfaciat veritas? Nouit deprauatum cor tuum, omnes calumniatores domini eſſe mentitos. An forte ſciſcitaris reſponſum, vt ipſius agnita ſanctitate innocentem abſoluas? Nempè os Pſal. 49.
tuum abundauit malitia, & lingua tua concitauit dolos, ſedenſque aduerſus fratrem tuum locutus es, & aduerſus filium matris tuæ poſuiſti ſcãdalum. Veniet, veniet tempus (crede mihi) in quo deprehẽdaris in crimine, & malitia tua proferatur ad publicum, atque toti mundo efficiatur nota. Nunc tua ſolum te accuſat conſciẽtia, nunc coram paucis, qui tecum in vno cõueniunt nocendi cõſenſu, exponis illã, vt inde cõſequaris laudẽ, tuęque doloſitatis effectũ, aliàs autẽ aliter fiet. Stabis proculdubio ante tribunal eius, qui aſtat tibi, & quẽ moliris occidere. Iudicabit ipſe, te, nõ ſicut tu, ſed iuſto tecũ iudicio cõtendet, ſtatuet te contra faciẽ tuam, & te iudicabit per te, non alterius indigebit teſtimonio, prout agis nunc tu, te faciet eſſe teſtẽ, teque iudicem tui, oſtendet prius te tibi, tuáque de te auditurus eſt abs te ſententiam contra te, neque aliter iudicabit de te, quàm tu. Non autem errare valebis: ducet te ſapientia eius per cordis tui latebras, & multa, quæ ignoranter commiſiſti, deteget delicta. Iuxta te erit æquitas, & quid virtus, quidue vitium mereatur, inſinuabit. Tunc clamabis aduerſum te nemine cõtradicente. Proferes tuipſe in te ſententiam de te, quam ille quem nunc contemptibilem, afflictum, mœrentem, tacentemque vides, coram angelis & cœlorum approbabit militia. Impræſentiarum quamuis poſsit, nihil tamen falſis oppoſitionibus reſpõdere voluit, vt omne ſecuturis fidelibus daret de ſe humilitatis exemplum. Incorrigibiles nãque agnoſcens illos neque excuſationis, neque admonitionis ſermonem exprimere voluit. Verba ſancta in ſpinis ſeminare, & eloquia ſapientiæ ſupra aridam terram, & petrã duriſsimam iactare paſſus non eſt. Sed quid egit? Orabat vtique patrẽ corde intentiſsimo propheticum illud dicens.
Ne tradideris me in animas tribulantium me, Pſal. 26.
quoniam inſurrexerunt in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi. Sibi (inquam) & non domino mentita eſt, qui nouit latebras mentiũ penetrare, atque delinquentium damnare facinora. Orante autem illo non pro ipſis, ſed pro ſe ſuoque myſtico corpore quaſi meditata eorum fraude fruſtrati, vniuerſi, qui aſtabant, illumque manibus vinctum retinebant tanquam canes famelici, & rapaces lupi impetum vnanimiter fecerunt in eum, certatim illi iniuriam irrogãtes. Hi veluti ignobiles palam domino inſultabant, non tamen ſine conſenſu & voluntate pontificum. Humano ſiquidem ſacerdotes cohibebantur pudore, dominum publicè laniare, tametſi intus æſtuarent nocendi deſiderio. Hinc odij impellebat ardor, inde repellebat ſacerdotij di-

gnitas

gnitas ab mediatoris aggreſſu. Tandē dominantē furore vltra ſe minimè continere valentes Mat. 26. cęteris foras eiectis plus quàm dici poſsit, in illum furere cœperunt. Vnde eorum quidam expuerunt in ipſum, alij velabant faciem eius & oculos colaphis eum cædentes, nonnulli palmas in genas eius dederunt, dicentes. Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt, qui te percuſsit? Fuere quippe ex ipſis, qui calcibus dominum peſſundantes, ſcapulas, os & omne corpus liuoribus compleuerunt. Inter ipſos ille beatior, illeque præſtantior credebatur, qui in contumeliis irrogandis, infligendiſque verberibus crudelior extitiſſet. Flete nunc oculi mei, & flumina emittite lacrymarum in hoc tam crudeli, horrendoque ſpectaculo. Non parcat pupilla per diem & noctem lacrymarum imbres erūpere, nec hoc intermittite opus, quandiu hac luce fruamini. Maxima prorſus & inaudita coram vobis plorandi eſt oblata materia, ſi tamen quæ geruntur, peruigili conſideratione aſpicitis. Verū cordis omnem aduocate intentionem, vt vna vobiſcū concorditer lugeat. Per vos indicabit illa quid ſentiet, diſcutiet illa ſingula, penetrabitque profanæ plebis ſecreta mentium, & animorum occultas aperiet cogitationes. Hinc vbertim defluēt aquæ, decurrenteſque in terram pauimenti duritiam emollient. Hinc tam ſalubri conſilio date manus, præbete auditum, quatenus opere perficiatis, quæ dico. Poteritis ne continere vos quū regem gloriæ, vitæ autorem, dominum maieſtatis, atque hominum redemptorem videbitis cōſpui, facie velari, colaphis cædi à gehennæ filiis à peccatoribus alapis verberari, ab elatis irrideri, iniuriari ab immundis, atque à corde pollutis multipliciter blaſphemari? Hæc omnia agebant ipſi viri vtique ſine miſericordia, abſq; ratione, ſine Deo. Psal. 30. Nequaquam reueriti ſunt diuinitatem Verbi habitantis in homine, aut conditoris omnipotentiam latentis in carne. Se quippè exhibebat tanquam vas perditum, propterea vituperationem audiuit multorum commorantium in circuitu. Occultabat ſe quod erat, vt quod non debebat, durius pateretur. Hominibus tacendo ignotus erat. Deo autem ingemitu cordis aiebat. Propter te ſuſtinui opprobriū, operuit cōfuſio faciem meam, extraneus factus ſum fratribus meis, & peregrinus filiis matris meæ. Psal. 68. Nam & zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt ſuper me. Silebat labiis, & in medio ſceleratorum ſtabat humilis angelorum & hominum dominus. Quis conſiderando non defleat, & flendo non gaudeat, quum intuetur mente in humanitate ſapientiam in medio aſsiſtere Iudæorū, & vultu demiſſo impiorum audire contumelias, præterea vultum, quem deſiderant angeli proſpicere, fœtidiſſima ſuſcipere ſputa, & acerrimas alapas? Nullus plane in veritate ſufficit explicare, quanta qualiave flagella, opprobria, & illuſiones nefandiſsimis pertulerit ſacerdotibus. Plus quàm triennio ſiti erant, quod tunc illis permittebatur implere, quamobrem eos noua irriſionum genera contra dominum meditatos eſſe indubium eſt. Grauiter nanq; ſe offenſos arbitrabantur ab illo. Eorundem quippè vox illa eſt, quæ in ſapientiæ volumine cōtinetur. Sap. 2. Circumueniamus (inquiunt) iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, & contrarius eſt operibus noſtris, & improperat nobis peccata legis, & diffamat in nos peccata diſciplinæ noſtrę. Promittit ſe ſcientiam Dei habere, & filiū Dei ſe nominat. Factus eſt nobis in traductionē cogitationum noſtrarum, grauis eſt nobis etiam ad videndum, quoniam diſsimilis eſt aliis vita illius. Tanquam nugaces æſtimati ſumus ab illo, & abſtinet ſe à viis noſtris tanquam ab immunditiis, & profert nouiſsima iuſtorum, & gloriatur patrē ſe habere Deum. Videamus ergo ſi ſermones illius veri ſunt, & tentemus quæ futura ſunt illi, & ſciemus quæ erunt nouiſsima illius. Si enim eſt verus filius Dei, ſuſcipiet illum, & liberabit eum de manibus contrariorum. Contumeliis & tormento interrogemus illum, vt ſciamus reuerētiam illius, & probemus patientiam eius, morte turpiſsima condemnemus eum. Hinc clamoribus, inde conuitiis ſubſannabant illi. Nunc calcibus, nunc manu, nunc virga, nunc impulſionibus venerandum dilaniabant mediatoris corpus. Maiora prorſus & grauiora ſunt, quæ à ſceleratis pōtificibus ac phariſæis perpeſſus eſt, quàm cogitari valeant, tametſi inaudita quędā meditentur & aſpera. Hęccinè aiebat, ille, qui populis in opprobrium noſtrum prędicabat, dicens. Mat. 23. Super cathedram Moſis ſederunt ſcribę, & phariſęi, omnia quęcunque dixerint vobis, ſeruate, & facite, ſecundum verò opera eorum nolite facere. Alligant onera grauia & importabilia, & ponunt in humeris hominum, digito autem ſuo nolunt ea mouere. Nobis verò ſic. Vęh vobis ſcribę & phariſęi hypocritę, qui clauditis regnum cœlorum ante homines. Ibidem. Vos enim non intratis, nec intrantes introire permittitis. Væh vobis ſcribæ & phariſæi hypocritæ qui decimatis mentam, & anetū, & ciminum, & relinquitis quæ grauiora ſunt legis, iudicium, miſericordiam, & fidem. Væh vobis phariſęi hypocritę, qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ foris apparent hominibus ſpecioſa, intus verò ſunt plena oſsibus mortuorum & omni ſpurcitia, ſic & vos quidem foris apparetis hominibus iuſti, intus autem pleni eſtis hypocriſi & omni iniquitate. Quotieſcunque talia repetebant, furore bacchantes ingeminabant flagella, reiterabantque conuitia, & velut amentes in illum rabido ore ac armata manu ſæuiebant, at

vbi

vbi clamoribus & verberibus feſsi illum ſeminecem reddiderunt, maximo cum dedecore expulerunt à ſe, atque miniſtrorum proſoribus expectantium tradiderunt in manibus, vt illum compedibus aſtrictum arcta recluderent cuſtodia vſque mane. O bonitas ſumma, ò pietas immenſa, ò melliflue amor, quo doloris iaculo te contemplantium corda transfigis? Diſceſsit itaque ab eorum conſpectu vniuerſitatis dominus & beatorum laus, tanquam emptitius ſeruus nil dicēs, nullamque lamentationis vocē emittens, & peſsimorum famulorum datur in manibus. Hi dominorum ſuorum ſectātes veſtigia veluti ludibriū quoddam, ante ſe Dei filium poſuerunt, & eaſdem, quas à ſacerdotibus viderant, ſeu audierāt, vel ex ſe cogitare potuerant, contumelias perficere ſtuduerunt. Demum & ipſi magis labore & ſomno attriti, quàm charitate compuncti illum vltra iniuriis appetere deſiere, quanquam ille ad perferenda grauiora paratiſsimus eſſet. Secundum igitur imperium principum ſacerdotum in loco indecentiſsimo dominum poſuerunt, vbi fœtores purgamentorum, vermium multitudo, & tenebroſus carcer, atque quædam mortis erat imago, Tunc manibus poſt tergum ligatis regem gloriæ in compedibus reliquerunt. Impletum autem tunc eſt quod prophetico ore dominus dixerat. Poſuerunt me in lacu inferiori, in tenebroſis, & in vmbra mortis. Sed & figurata veritas finē ſortita eſt, quæ in ſancto puero Ioſeph plurimis præcedentibus annorum curriculis facta fuerat: de quo ſic legitur: Miſit ante eos virum, in ſeruum vænundatus eſt Ioſeph, poſuerunt in compedibus pedes eius: ferrum pertranſiit animam eius, donec veniret verbum eius.

Pſal. 87.

Gen. 37.

Nūc igitur, ò anima mea, ſi qua pietatis in te remanſit ſcintilla: carceris clauſtra irrumpe: feris prius ac vectibus cōfractis viriliter, & cordis cū anxietate, atque lacrymarum irriguo fonte corā cœlorum domino, & vniuerſitatis vnico rectore prouoluere pronus in terram, pedis deoſculare plantas, aſtringe, amplectere, compedes madefacito lacrymis, ſolue manus ligatas à tergo, vincula diſrumpe, præcide funes: & quāta vales virtute in priſtinam libertatem reſtitue redemptorē. Illi compatere intimo charitatis affectu, & feſſo corpori, ac verberibus attrito adhære poſt ſcapulas, flebilique voce, atque eidem ſuadere mœrenti corde conare, vt dignetur reclinare ſe ſuper te: & ſi nolit propter ſe, agat tamen hoc propter te. Illi itaque humili allocutione dicito: O domine, domine, gaudium paradiſi, corona ſanctorum, ſalus mundi, occaſus inferni, vita iuſtorum, naufragantium refugium, ſolamen mœrentium, ſpes mea, dolor meus, & Deus cordis mei: quomodo ſic aſpicio te fatigatum corpore, mēbris debilitatum, tumeſcentem facie, ſputis illitum, & omni humano deſtitutum auxilio? Nēpè tu es, qui cum patre in ſublimibus ſedibus aulæ cœleſtis triumphas, & reſides. Tu (inquam) es, qui vniuerſam ſanctorum Eccleſiam, atque omnem angelorum militiam in laudem & gloriam eſſentiæ diuinæ diſponis, & ordinas. Corde etiam credo, labijſque confiteor, quòd tu es, qui habes immortalitatem, & lucem habitas inacceſsibilem: atque in patris gremio beata identitate, æquali gloria, ſempiterna generatione fœliciter requieſcis. De qua vtiquè generatione ineffabili tibi per egregium Pſalten loquitur pater ſic: Tecum principium in die virtutis tuæ in ſplendoribus ſanctorum ex vtero ante Luciferū genui te. Tātus igitur & talis quum ſis domine: cur in hoc viliſsimo ſtabulo conquieſcis? quare te in ergaſtulis mancipatum cerno? vt quid in loco horroris & calamitatis ſummæ te turpiter abiectum eſſe conſpicio? Abiecerunt vtique Hebræorum ſacerdotes te pontificem glorioſum, & inuictiſsimum regem, quaſi non eſſes vnctus oleo, & tanquam diuinum nihil eſſet in te. Obliti ſunt quantas virtutes & miraculorum prodigia in medio eorum operatus ſis. Te deriſerunt, percuſſerunt, conſpuerunt, vulnerauerunt. Verumetiam, vt occidereris, te præſidi tradere conſiliauerunt, quod his omnibus grauius eſt. Quis autem mihi det, vt moriar pro te dulciſsime domine: Quòd ſi non merui hoc, concede ſaltem, vt quocunque ieris, ſociem te, tuorumque tormentorum ac ignominiarum efficiar conſors.

Pſal. 109.

Hæc cum eo loquēte lacrymis ſuauiter defluentibus: ita vt earum inundatione tua pariter & ipſius aſpergantur veſtigia. Eris vtique ſic affecta ſuauitate, dolore, & fletibus plena adhærebis Chriſto: & charitate liqueſacta tota transformaberis in dilectum. Efficieris inſuper ſicut humilis in oculis tuis, ita amabilis verbo: & in conſpectu omnium, ſupernorum ciuium admirabilis, dicentque de te: Quæ eſt iſta, quæ ſic deuotè ac largiter plorat in carcere, affluit deliciis, & amore ardentiſsimo ſuper ſuum eſt innixa dilectū? Tu autem corde iucundo, irradiata ſplendore, charitate transfixa, & eleuate ſpiritu propheticum illud cantabis: Et nox illuminatio mea in delicijs meis. Nec immeritò. Nam nox illa tibi ſicut dies illuminabitur, & ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius.

Pſal. 138.

De prærogatiua, & effectibus charitatis, atque malignitatis. Cap. XI.

HAbet hoc proprium, quicunque diuina eſt charitate ſuccenſus, vt aſsiduè & corde peruigili meditetur, qualiter in ſpiritualibus ſtudijs proficere valeat, charitate dilatari, & ad perfectionis culmen attingere. Dei nanque amor igni meritò comparādus eſt. Quò enim crebrius agitatur, vehementius inardeſcit. Nunquam ex natura ſui (dummodo ma-

teria

teria non deficiat) ardere deſiſtit. Sic ipſa charitas, quæ gratis hominibus irrogatur à Deo, ſiue exerceatur aduerſis, ſiue ſpiritualib. ditetur donis, ſuo ſemper viget impulſu. Nūc intus promouetur deſiderijs; nunc foris beneficijs dilatatur. Satagit, abſque intermiſsione, & ſine mentis hebetudine omnipotenti Deo placere, quem diligit: & cui ſe amoris voto conſtrinxit. Flagrat, & ſurſum tendit, vitiorum conſumit rubiginem, depurat cor, excoquit paſsiones, ſeculi expellit amorē, cęleſtium arcana penetrat, futurorū bonorū deguſtat paſcua, ſacramenta pādit diuina, lucet ad gaudium, ſplēdorem virtutum dirigit ad exemplum, amicitiam Dei parit, placat omnipotentem, aduocat Angelos, ſanctos imitatur, & hominum ſibi beneuolentiam vendicat. Hæc etenim quemadmodū ad omnia bona perutilis eſt, ita & malignitas, atque peccati deliberata voluntas ad vniuerſa flagitia, procliuis eſſe cognoſcitur. Charitas per gratiam, ſpiritus fidelibus prærogatur, dicente Apoſtolo, Rom. 5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordib. noſtris per Spiritumſanctum, qui datus eſt nobis. Malignitatem verò apoſtata ſpiritus ſuggerit, docet, cōmouet, & inflammat. Nam propterea tanquam malignitatis incenſor ab Apoſtolo nominatur malignus. Scribo (inquit) vobis adoleſcentes, 1 Ioan. 2. quoniam viciſtis malignum. Charitas in exercitatione virtutis nunquam ſatis dicit, ſed neque mala voluntas in vitiorum perpetratione. Dei quidem imaginem charitas, Diaboli autem cōſummata malignitas. Electorum eſt pediſſequa charitas, & reproborū dominatrix malignitas. Vtraque tamen ex operibus comprobatur. Corporalium ſpecierum quædam ex viſu, quædā ex auditu, odoratu, & guſtu, nonnulla comprehenduntur ex tactu. Charitas autem & malignitas nunc ex verbis, interdum ex operibus. Semper verò & abſque ambiguitate vlla ex cogitationibus dignoſcuntur. Vbi cogitationum ineſt certa ſciętia, ibi etiam malignitatis ac charitatis adeſt cognitio. Huiuſmodi ſcientia cæteris præſtantior eſſe probatur. Beatus planè, qui cogitationum ſuarum notitia imbutus eſt. Qui talis eſt malignitatis contemptor, & amator efficitur charitatis. Ab hac prorſus Iudæorum Pontifices ſe fatebatur eſſe alienos, qui obſtinatiſſimo animo inſequebantur Dominum. Totam ſiquidem noctem penè ducentes inſomnem, nullā Domino requiem reliquerunt. Sed nūquid hoc peruerſæ eorum voluntati ſuffecit? Minimè. Nā ſic euangelicus textus eloquitur, vt factus eſt dies, plebis ſeniores, ſacerdotumque conuenerunt principes, quatenus inito conſilio morti traderent redemptorem. Ecce ſimile Suſannæ Dan. 13. ſanctæ memorabile exemplum. Conuenerunt olim Presbyteri duo iniquitate pleni, dierumque malorum inueterati, vt aduerſus mulierem innocentem, quę eorum deſiderijs malignis noluit præbere conſenſum, falſum proferrent teſtimonium. Verùm iudicante Deo, eandē, quā proximæ ſuæ parare moliti ſunt, pertulere necē. Ita & hi, vt innoxium cruorem effunderent, vnanimes conuenerunt, quatenus communi prius decernerent conſilio, qua fraude, quo modo quave mediatorem Chriſtum facerent cauſa perire. Hoc nefandum eorum conſilium per Prophetam ipſe expreſsit, dicens, Et qui cuſtodiebant animam meam, Pſal. 70. conſilium fecerunt in vnū dicentes, Deus dereliquit eum, perſequimini, & comprehendite eum, quia nō eſt, qui eripiat. Celebrato ergo Sacerdotum, Phariſæorumque conſilio miniſtros direxerunt, qui illum ducerent ad ſe. Interim autem tu, ò fidelis anima, ocyus ad beatam virginem perge, illique cum gemitibus & lacrymis referto vniuerſa, quæ per totam noctem Dominus pertulit, & potiſsimū qualiter de cuſtodia eiiciendus ſit, quatenus ad interrogata reſpondeat, præſidique tradendus. Quis valeat enarrare, quāto ſit intemerata mater dolore compreſſa, dum talia audiuit? Quotiesq; ſyncopizauerit nimio mœrore abſorpta? Deficere quippe poterat præ dolore, niſi filium videndi eam viuificaſſet amor. Sentiebat tunc (quamuis nō ad plenum) Simeonis vaticinium. Iam enim vſque ad ipſius animā vnigeniti pertranſierat gladius, atque in carne præmortua ſolius vnici vigebat affectus, Propterea reſūptis viribus, ac fœmineo depoſito metu ad locum, vbi Dominus tenebatur, concito perrexit gradu. Caue autem ne ſolam patiaris incedere. Nequaquam mulierem decet inter populorū commiſceri turbas. Secedet igitur honeſtiſsima & pudica mater, & cum cæteris mulierib. ſanctis, iuxta fores pontificis expectauit, donec filius deducetur ad iudicem. Tu verò ſummi Sacerdotis aulam ingreſſus illum reperies dominum ſciſcitantem. Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, ſi tu es Chriſtus filius Dei benedicti. Mat. 26. Didicerat Pontifex ex operibus Chriſti, didicerat ex verbis eius ipſum Dei filium eſſe. Verùm nimia malignitate detentus credere non valebat. In vnum cōſiſtere nequeunt malignitas & Sap. 1. ſapientia, ſicut nec tenebræ & lux. Sic enim ſcriptum eſt, In maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Ad hoc vſque peruenerat miſer, vt in Spiritumſanctum blaſphemando peccaret. Quod vtique peccati genus nec in ſeculo hoc remittitur, neq; in futuro. Obſtruxerat etenim cordis ſui ianuam malitiæ feris, ne ad illud ſapientiæ lumen gratia præeunte intraret. Hoc tacitè ipſa indicauit ſapientia, dicens, Si vobis dixero, Luc. 22. quia Dei filius ſum, non credetis mihi, ſi autem & interrogauero, non reſpondebitis, neque dimittetis. Optime qui corda hominum nouerat,

Iudæo-

Iudæorum implacabilem malitiam, atque incredulitatem aperuit. Eos nãque fefellit Diabolus, quemadmodum & protoparentes. Illos quippè dum boni & mali ſcientiam repromiſit, paradiſi regionem, atque innocentiæ ſtolam amittere fecit. Iſti autem hæreditatem Dei, & legalia ſacrificia ſibi maligno ſuadente vendicare volentes Sacerdotalem, ac regiam dignitatem, atque cœleſtem patriam perdiderunt. Illis tamen ſuæ iudiciariæ poteſtatis gloriam occultare noluit, quamuis ſciret eſſe incredulos. Occaſione igitur Mat. 26. eorum erudiens nos, inquit, Veruntamen dico vobis, amodò videbitis Filium hominis ſedentẽ à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cęli. Venit nanque Dominus in aduentu primo, quum inter homines viſibilis homo apparuit in humilitate, propterea iudicium eius ſublatũ eſt. Veniet autem in ſecundo in eadem hominis forma, ſed in virtute, ſicut propheta ait, Vox Domini Pſal. 28. in virtute, vox Domini in magnificentia; & cõfringet Dominus cedros Libani, ſuperbos (videlicet) & ſceleſtos, comminuetque vſque ad fundamentum, ita vt eorum non videantur veſtigia. Veniet (inquam) cum Angelis & Archangelis, cum poteſtatibus & virtutibus, & cũ omni cœlorum militia, ſedebitque ſuper ſolium excelſum & eleuatum, adeò vt ab vniuerſis valeat intueri, iudicabit planè orbem terræ in æ- Pſal. 95. quitate, & populos in veritate ſua. Appendet ſingulorum merita ſingulis propria reddens. Ve- Matt. 19. niet (inquã) iudicaturus, qui venit iudicãdus. In nubibus cęli veniet, cũ ſanctis ſcilicet omnibus, ſicut ipſe ait, Sedebitis & vos ſuper ſedes duodecim iudicãtes duodecim tribus Iſrael. De quo e- Deut. 30. tiã aduentu per Prophetã dicitur, Ecce apparebit Dominus ſuper nubẽ cãdidam, & cũ eo ſanctorum millia. Tunc quanta peccatorum confuſio ſit, animaduertendum nunc eſt, quum ad iudicantis imperium conſcientiarum aperientur libri, fientque nota omnibus delicta ſingulorũ, Apo. 20. De hoc apertiſsimè in Apocalypſi ſic legitur, Et vidi thronum magnum candidum, & ſedentem ſuper eum, à cuius conſpectu fugit & cœlum, & non eſt inuentus locus ab eis, & vidi mortuos magnos, & puſillos ſtantes in conſpectu throni. Et libri aperti ſunt, & iudicati ſunt mortui ex iis, quæ ſcripta erant in libris ſecundum opera ipſorum. Non erit itaque tunc latendi locus, pœnitentiæ tempus, modus excuſationis, merendi facultas, preciumve redimendi. Cum cauſa propria quiſque procedet, ſicut Apoſtolus docet, Omnes (inquit) ſtabimus ante tribunal Chriſti; 2. Cor. 5. & tunc recipiet vnuſquiſque propria, quæ geſsit in corpore, ſiue bonum, ſiue malum. Quid gentiles? quid Chriſtiani nomine? quid Iudęi Sacerdotum Põtifices & Phariſæi, qui ipſum Dominum agnoſcentes per legem prædicantem, & miracula facientem videntes crudeliter peremerũt?

Grauius prorſus præ cæteris punientur. Exqui- Mat. 23. retur ab eis omnis ſanguis iuſtus, qui à ſanguine Abel, vſq; ad Zachariæ ſanguinem ſuper terram effuſus eſt. Inſuper & mediatoris Chriſti, cuius maieſtatem tractantes indigniſsimè in homine pertinaciter effuderunt. Obmuteſcent equidem retinentes memoriter, quod audierũt nũc. Stabunt coram iudice Chriſto corpore fœtentes, ſqualidi, deformes, infirmi, verecundi, confuſi, cruciatibus pleni, mente autem mœrore ſaucij, anguſtiati timore, deſperati de venia, liuore tabeſcentes, ſenſus ac damni pęna attriti, tremẽdam nimium iudicis ſententiã expectantes, qua dicet, Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis eius. Qualis hæc erit mutatio? Matt. 25. quàm inæqualis eorum ſors futuri ad præſens? In futuro conuenient, reſurgent, iudicabuntur, & damnabuntur, impræſentiarum verò nil de futuro meditantes ſedent in conſilio, inflati ſuperbia, accenſi nocendi deſiderio, & paratiſſimi occidere Dei immaculatum agnum. Vnde Pſal. 34. idem per Prophetam inquit, Tentauerunt me, ſubſannauerunt me ſubſannatione, frenduerunt ſuper me dentibus ſuis. Quid frenduerint, quidve acclamauerint, audi, Blaſphe- Mat. 26. mauit (inquiunt) quid adhuc deſideramus teſtimonium? Ipſi enim audiuimus de ore eius, quid vobis videtur? Iſtaque dicentes pariter ſurrexerunt illi, blaſphemiis inſultantes, cædentes cum flagellis, alapis percutientes, deturpantes ſputis, ac toto corpore crudeliter dilaniantes. Demum in conſilio omnibus proclamantibus ipſum reum mortis eſſe, mandauit Pontifex aſtantibus miniſtris, vt vinctum illum deducerẽt ad Pilatum. Hoc audito illos præueni, & gradu celeri ad ſanctiſsimam genitricem accede, quæ mœrore vehementiſsimo vrebatur. Illique cum lacrymis dicito, quòd morti à Pontificibus damnatus ſit, atque ob hoc præſidi præſentandus. Ad hanc vocẽ expauit cor virginis, viſcera tremuerunt, aufugit ſenſus, caligauit viſus, obmutuit loquela, & omne corpuſculi defecit robur. Acceſſit tamen præforibus Pontificis circunſtantium fulta præſidio. Eminus autem introſpiciens intẽdebat anxiè, non ſine pauore, ſi quem diligebat, cernere poſſet. O amor, ò timor cordis Marię. Filium quippe flagrantiſsimo amore intueri ſatagebat, illiuſque cruciatus aſpicere perhorrebat. Hinc timor, indè amor matris præcordia laniabat. O quomodo verſa eſt cithara in luctum, & dulcedo cordis virginei in abſinthium. Nequaquam tunc Noemi (videlicet) pulchra vocari poterat, ſed Mara, hoc eſt amata, quoniam eam amaritudine repleuerat Dominus, atque afflixerat omnipotens. Erecta quidem ſtabat tremulis genibus, voce rauca, lacrymis defluentibus, vt procul aſpiceret venientem. Et ecce tumultuantibus turbis ducebatur Rex gloriæ, vinctis à tergo

go

go manibus, multorum vallatus multitudine armatorum. Tunc beata virgo fœmineo pudore ſepoſito, vrgente dolore ante omnes acceſsit, vt prætereuntem videret filium, filiuſque matrem agnoſcere poſſet. Proh dolor oculos attollente Maria, Dominum Ieſum vidit oculis liuidum, crine diſſolutum, dilaniatum barba, ſciſsis veſtibus, facie tumentem, ſordidatum ſputis, ac debilitate maceratum. Vidit & filius genitricem męroris gladio transfixam, vbertim lacrymantem, ſeque intuentem brachiis ſuſtentari fidelium. In ipſo quippe primo eorum aſpectu incredibili ſe percuſſere dolore. Vix mater filium ex liuoris deformitate agnoſcebat. Verùm quantò illum diligentius attendebat, tantò cruciabatur vehementius, vocē tamen emittere non valebat. Abſorbuerat enim cor illius triſtitiæ nimietas, vociſque organum, & linguæ detinebat officium, ne quid loqueretur ad filium. Eò autem angebatur acrius, intuſque vociferabatur, quò foris loqui minus poterat. Attamen filius non minus de materno, quàm de proprio vrgebatur dolore. Nouerat genitricis afflictionem, nouerat innocentiam. Proinde ſicut de mœſtitia, ita de matris ſanctitate fatigabatur, quæ pro tali pœna dignū nil egerat. Nēpe ambo in paſsionis ſe exercebant palæſtra, ambo aduerſum ſe decertabāt, vtrunq; mutuæ afflictionis gladius penetrabat. Gemebat filius, quòd mater in tam horrēdo pręſens eſſet ſpectaculo, de ludibrio verò vnici ſui ſancta genitrix inconſolabiliter lamentabatur. Ad cor virginis loquebatur verbum, dicens, Vt quid veniſti columba mea, formoſa mea, immaculata mea, mater mea? Dolor tuus meum auget, cruciatus tuus transfigit me. Recede (obſecro) hinc mater mea, reuertere in domum tuam. Fas quippe non eſt, vt virginalis pudor homicidarum admiſceatur cętibus, & vt aures tuæ angelicis aſſuetæ colloquiis, turbarum furentium clamoribus pateant. Si abieris, vtriuſque dolorem temperabis, amborumq; triſtitiam lenies. Ad hoc ego humanam ſuſcepi carnem, vt patiar, & pro antiquis criminibus ſatisfaciam. Ad te non pertinet hominum reparatio. Nam quemadmodum nullum commiſiſti delictum, ita nulla delictorum tibi pœna debetur. Innocentia tua delinquentium ſupplicium non meretur, ſed triumphantium meritum. Ad propria igitur remea, & in quietis portu te colloca. Habebis Magdalenæ conſortium, habebis & dilecti diſcipuli ſolatium. Dum enim ego delibor, & ad paſſionem pergo, vacabis orationi, aſſuetę cōtemplationi incumbes, cœleſtiumque potita dulcedine leuabis te ſuper te. Indè capies qualecunque refrigerium, ex his ſaginata interius tuum à paſsione mea cogitatum auertes. Cui mater, Cur iſta faris fili mi, magiſter & Domine? Cur ancillæ tuæ talia ſuades? Scis, ò amor mi, dolor mi, & Deus cordis mei, quoniam præſente te omnia mihi licent. Adeò quippe mœror tuus abſorbuit cor meum, tantumque in præcordiis præualuit triſtitia, vt præter te nil vltra cogitare queam. Nuſquam accedere poſſum, nulliuſque concupiſco leuamē. In te collocaui cor meum, nam in corde tuo conſtitui manſionem, quoniam vita mea tota pendet ex te. Porrò ſi tu nouem menſium ſpatio in vtero meo tanquam ſponſus in thalamo quieuiſti, cur non mihi hoc triduo in te liceat pauſare? Sic ſic conſolabor, ſic mearum vtcunque ſolatium captabo pœnarum (ſi tamen patiente te aliquam valeam conſolationē admittere.) Abſconde igitur me in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum, protegeq; me in tabernaculo cordis tui à contradictione linguarum (ſi tibi placet) vt lateam. Si hoc egeris, ò ſalus mea, turris fortitudinis meæ, refugium meum, meorumque lumen oculorum, te flagellato flagellabor, te irriſo irridebor, tecūque contumelias, opprobria, colaphos, ſputa, fel, acetum, crucem, & ipſam percipiam mortē. Hoc autem mihi videtur conſultius (ſaluo tamen ſemper ſapientiæ tuæ honore, tuoque ſacroſanctæ ordinationis tuæ arcano conſilio) vt ſupplicium hoc permittas me ſubire pro te. Gratiſsimum quidē erit mihi vniuerſas perferre moleſtias, dūmodo tu liber euadas. Abſentia nanq; mea parū oberit mundo, tua verò diſpendium ingeret ſupra modū. Iam diſperſum cernis gregem tuū te paſtore percuſſo, iā ouis vna mactata eſt. Quid de cæteris futurū ſit, tua iudicet ſapientia. Nempè ſi in ipſius tuę paſsionis initio tantū pręualuit lupus, tantū tuæ eccleſiæ obfuit, quid aget in te pendente, te moriente, te quieſcente, te deſcendēte? Quamobrem (obſecro) parce tibimet, & ſi nō propter te, ſaltē propter nos, quos deſolatos relinquis & mœſtos. Regredientur vtiq; ad vnitatis gremium, quotquot diſperſi ſunt, ſi te ſuū conſpexerint ducem. Huiuſmodi in ſpiritu matre ſermocinante cum verbo tanquam mundantis aquæ lacrymarum riuuli defluebant, adeò vt aſtantiū animos genitricis luctus mœſtitate perfunderet. Flebant ergo, qui aderant intelligētes ex lacrymis Mariæ dolorē eſſe vehemētiſsimū. Flebat mater filiū, flebant aſtantes genitricem, ſicq; cęlū ipſum clamoribus inſonabat. Hæc dū agerētur, impellētibus miniſtris mediatorē progredi coegerūt. Vnde Maria filij deſtituta aſpectu plus, quā dici valeat, triſtitia pręmebatur. In pręſidis igitur Domino īgreſſo prętoriū ipſi nō introiere pōtifices, vt nō cōtaminarētur, ſed māducarēt Paſcha. Cōtaminationē prætorij metuere videbantur Pontifices, & cōtaminationē effuſionis ſanguinis innocētis non pauebāt. Attendere nolebant, quòd non niſi ex conſenſu mentis coinquinatur actus. Legem ſecundum literæ corticē ſciebant, ſed legis ſenſū penitus ignorabant.

rabant. Contaminari timebant coram hominibus,qui teſte conſcientia apud Deum iam contaminatos ſe nouerant. Nunquid contaminati ſunt illi,qui iubente Moſe eos,qui vitulo immo Exo. 32. lauerant aureo,peremerunt? Audierunt nãquè, hodie conſecraſtis manus veſtras Domino. Eſtne contaminatus Finees, qui gladio ſuo trucidauit ſcortantes? De illo propheta inquit,Stetit Finees,placauit,& ceſſauit quaſſatio,& repu Pſal. 105. tatũ eſt ei ad iuſtitiã à generatione in generationem vſq; in ſempiternum. Nequaquã igitur contaminati eſſent,ſi in prætorium introiſſent inſuper & Dominum occidiſſent, ſi duntaxat quod opponebant illi,verum fuiſſet,ſed ſub hypocriſi ſe Sacerdotes tegebant. Cauterizatam habebant cõſcientiam,& cognoſci metuebãt. Noluerunt in prætorium ingredi, vt poſſent comedere Paſcha,& interficere deſiderabant, qui ſacramentaliter latebat in Paſcha,vmbram veritate deſerta tenere curabant,ſicq; in ſuis euanuere cogitationibus neutrum poſſidentes. Pſal. 61. Ipſos arguit propheta, dicens, Vani Filij hominum,mendaces Filij hominum in ſtateris,vt decipiant ipſi de vanitate in idipſum. Verum ſiquidem manducaſſent Paſcha, ſi in Chriſtum Dei Filium credidiſſent. Hos fefellit Diabolus ſicut proditorem Iudã,deceptionis laqueos iſtis tendens ſubter legis folia occultauit. Iudæ retiaculum ſub argẽteis palliauit, illos de regno & Sacerdotali deiecit infula,hunc autem de duodenario apoſtolatus apice. Cupiditate nanq; corruptus hic ſanguinem iuſtum tradere non extimuit. Nondum miſer audierat,qui volunt diuites fieri,incidunt in tentationes,& in laqueum Diaboli. Mox etenim vt pecuniam acquiſiuit,ſe Mat. 27. deriſum agnoſcens,laqueo ſe ſuſpendit. Sic.n. legitur,Tunc videns Iudas, quòd damnatus eſſet,pęnitentia ductus proiectis in templum argenteis,abiens laqueo ſe ſuſpendit. Compleuit Pſal. 108. vtique, quod de illo fuerat vaticinatum. Cõſtitue (inquit Pſalmographus) ſuper eum peccatorem,& Diabolus ſtet à dextris eius. Quũ iudicatur, exeat condemnatus,& Epiſcopatum eius accipiat alter. Dilexit quippè maledictionẽ & veniet ei,noluit benedictionem, & elongabitur ab eo. Verùm eadẽ,qua vſus eſt arte Diabolus ad ſubuerſionem Iudę,quotidie ad perditionem vtitur animarum. Imprudentibus nanque homicidij,adulterij,odij,rapinæ,& his ſimilia ſuadet crimina,horum culpam dicit eſſe nullam,vel leuem,aut remiſſibilem. Talibus ſuggeſtionibus allicit concupiſcentiam, & hortatur ad experientiam,ſemel poſteaque pęnitentiam ſpondet. At vbi delictum conſummatum eſt, blãditur, vt iterum atque iterum perpetretur. Quod ſi gratiam agnouerit mentem pręuenire peccantis, ac diſplicere viderit,quod antè placuerat, tunc fraude mutata delinquẽtis animũ igneis impetit cõſcietiæ iaculis, vt illũ in deſperationis trahat foueã. Acquiſſimum dicit Deũ iudicẽ eſſe, & minutiſſima quæq; peccata damnantẽ, quem paulò antè miſericordẽ fore laudarat. Grauiſſimã oſtẽdit culpam,quam prius fatebatur exiguã,atq; ſufficere ad perditionis interitũ, quod ſemel cõmiſſum eſt,aſſeuerare conatur. Hinc iratũ Deũ, iudicẽ implacabilẽ,& irrecuperabilẽ eſſe affirmat gratiã, inde difficultatẽ pęnitentiæ, importunitatẽ habitæ concupiſcentiæ,atq; diuturnitatem oſtendit vitę. Fit autẽ perſæpe, vt peccator huiuſmodi tẽtationũ bella nõ ſuſtinens, aut corporalis interitus ſibimet violentiam inferat,aut in flagitiorum omnium ſe pręcipitet voluptatẽ,tãto minus veniæ efficiatur idoneus, quãto ardẽtius ſe ſubegerit culpæ. Maximum pręterea de vẽditionis Chriſti precio moralitatis nobis ſacramẽtum innuitur, de quo dicitur, quòd cõſilio inito emerunt figuli agrum in ſepulturam peregrinorum. Qui ſunt peregrini hi, pro quorum ſepultura precio ſanguinis figuli emitur ager? Peregrinos illos vtiq; dixerim,qui huius vitæ renuunt blandimẽta,qui in hoc mundo amãdo nil poſſidẽt,qui totis viribus carnis illecebras fugiũt,qui carnẽ ſubigunt ſpiritui, qui corporis reſolutionem pro Chriſti amore perferre nõ metuunt,qui flagrantiſſimo amore ad futurã cęlorum hæreditatem currunt,qui patris ſummi ſpeciẽ anhelo ſpiritu cõcupiſcunt, ſeq; beatorum ſpirituũ ęqualitatẽ eſſe percepturos minimè diffidunt. Hi nẽpè peregrini verè dicẽdi ſunt,qui ſicut voce,ita corde cõfitentur,& dicũt, Nõ habemus hic ciuitatẽ Heb. 13. manentem, ſed futurã inquirimus,cuius artifex Deus eſt. Peregrinãtẽ corpore & ſpiritu quid aſſerat,quidve gemẽdo inſinuet,attẽdet. Heu mihi Pſal. 119. (inquit) quia incolatus meus prolõgatus eſt, habitaui cũ habitãtibus Cedar, multum incola Pſal. 141. fuit aĩa mea. Proindè alio in loco orãs ait, Educ de cuſtodia animã meã ad confitendũ nomini tuo. Horũ verò peregrinorum ſpiritualis ſepultura pax eſt, & mentis tranquillitas, quæ in fidei vnitate, in fraternitatis amore, in vitiorum triũpho,in poſſeſſione virtutum, in deuotionis exercitatione, in cęleſtiũ contẽplatione percipitur. Philip. 4. De qua (videlicet) pace Apoſtolus inquit Et pax Dei,quæ exuperat omnem ſenſum,cuſtodiat corda veſtra,& intelligẽtias veſtras. Magna ſiquidem trãquillitatis pace potitur anima,quæ per fidei vnitatem, & charitatis incendiũ Chriſto copulata eſt,atq; ſic conuerſatur in terra, vt quantũ in ipſa eſt, fraternitatis in nullo minuat dilectionẽ. Qui talis eſt,frequenter ſe ab hominum occultat tumultibus, ſeque in cordis ſui ſecreto tanquã in ſepulchro collocat,quatenus liberius eidem per cõtemplationis ſtudiũ Deo vacare liceat. De hoc ſepulchro legitur ſic, Ingrederis in abũdãtia ſepulchrũ, ſicut infertur acer

uus tritici in tempore ſuo. Meritò autem ĩ agro figuli conſtitutum eſſe perhibetur, quoniam in humano celatum eſt corpore. An hoc exprimere curauit Apoſtolus. 1.Cor.4. Habemus theſaurum iſtũ abſconditum in vaſis fictilibus? Erat vtiquè tunc in agro figuli peregrinorũ materiale ſepulchrũ. Eſt verò nunc in cordibus iuſtorum Deum contemplantium, proximumq; diligentium requies pacatiſsima, in qua à curarum voraginibus ſecedentes ſponſi fruuntur præſentia. Caueant autem, qui dona huiuſmodi perceperunt, ſibi arrogare, quod habent. Agnoſcant gratiã, ne defluãt in culpam. Meminerint iugiter, quoniam precio ſanguinis Chriſti peregrinorũ ſepultura empta eſt. 1.Petri 1. Vt autem nõ ignorẽt ſanguinis huius impreciabile precium, Apoſtolũ audiant dicentẽ, Nõ enim corruptibilibus auro, vel argento redẽpti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ veſtræ traditionis, ſed precioſo ſãguine quaſi agni incõtaminati & immaculati Chriſti. Paulus quoque inquit, Empti enim eſtis precio magno, glorificate, & portate Deũ in corpore veſtro. 1.Cor.6. Quiſque igitur ſeruorũ Chriſti in hoc ſpirituali agro propriũ ſibi ſtudeat vẽdicare ſepulchrũ. Habeat in ſe, vbi interdũ requieſcat, atque deperditas; ĩtus reparet, quas horis ſingulis amiſit, vires. Plurimũ naque naturalis decoris, & gratuitę charitatis amittitur terrenarum ſolicitudinibus curarum, quæ non niſi ex reformatione diuinæ imaginis in ſpeculo reſtaurantur conſcientiæ.

Qualiter qui præſunt aliis, ſe in humilitate cuſtodire, atque iudicare debeant. Cap. XII.

PAſtores animarum, populorũq; principes, quẽadmodũ cæteris dignitate prę eminẽt, ita Deo obligatiores fiũt. Quãobrẽ qui præſunt aliis, minimè cathedrã attendant, ſed onus. Nam abſq; ponderis examinatione (ſi ſolus cõſideretur honor) facile dum ſibi ab omnibus deferri conſpicit, mens elatione extollitur. Ne igitur intumeſcat, qui præſidet, iudicẽ, qui ſupra eũ eſt, diligẽter agnoſcat. Ipſe etenim ſummus quũ ſit in examine iudicij ſui, perſonas nõ accipit, dignitatibus reſpicit, proſapias non diſcernit, humanas opiniones non ſequitur, ſed rectiſsima æquitatis cẽſura cauſas ſingulorũ attendit & metitur. Equidem coram veri tribunali iudicis non accedunt, qui excuſent, non comitãtur qui eripiãt, neque aſsiſtunt qui redimãt. Nudus quiſq;, & omni hominum ſuffragio deſtitutus aſtabit Chriſto operum ſuorũ recepturus vices. Proindè qui præſunt, non inflẽtur, ſatagant ſolicite ſui miniſterium implere officij, ſtudeant ſicut attolluntur dignitate, ita ſe humilitate deiicere, ne humana laude contenti cœleſtem negligant principatum. Nequaquam in futuro ſortiũtur electorum gloriam, qui in ſublimi poſiti humiliari dedignantur. Eſt nanq; humilitas iter regium, patens via Angelorum munita præſidio, per quã ſemper deſcendendo aſcenditur, humilitatis præceptore dicente, Qui ſe humiliat, exaltabitur. Nã quemadmodum deſcendendi ad inferos elatio, ita initium aſcendendi ad cœlos, atque ad perfectionis triumphũ humilitas eſt, quę potiſsimè in ſui agnitione conſiſtit. Cognoſcãt igitur ſe, qui aliis imperant, ſeq; in humilitate cuſtodiant, ne elati corruant. Singulorum cauſas ſubditorum exquirant vt proprias, vt nõ peruerſo euertantur ſenſu. Decet quippè iudices ſemper maturè incedere, & quæq; diligentiſsimè inueſtigare, ne aut abſoluãt noxium, aut innocentem damnent. O quanta iniquè, ò quanta ignoranter iudicia fiunt? Vtrunq; malum eſt. Qui .n. iniquè agit quod iuſtè debet, reus eſt mortis, qui verò ignoranter, maxima redargutione eſt dignus. De prioribus dicitur, Iudicium duriſsimũ fiet iis, qui præſunt. Sap. 6. Ignorãtibus autem Propheta inquit, Deut.32. Interroga patrem tuum, & annũciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi: Non erubeſcãt interrogare, quæ neſciunt, ſed iudicare, quod ignorant. Munera non accipiant, quæ iudicũ cõſueuerunt corrumpere animos. Temporalẽ nõ trepident amittere gloriam pro amore iuſtitiæ, quã vt oculi pupillam diligere tenentur ſacro dicente eloquio, Diligite iuſtitiã, qui iudicatis terram. Sap. 1. Sciãt poſtremò ſe coram vniuerſali iudice nedum de propriis, verũ etiam de alienis criminibus reddituros eſſe rationẽ. Non enim poterit euitare iudiciũ, qui iuſti innocentiã iudicando cuſtodire neglexerit. Hoc ſi conſiderare vellent, qui honoris cathedrã appetunt, profectò ambire deſiſterẽt. Gratis minime ſe exponerent periculus, remq; vtiliſsimã, & breui tempore duraturã tanti non emerent. Quid (oro) vilius populari aura? Quid verò precioſius cœlorũ regno, & rationali ſpiritu? Vtrunq; autẽ impudenter cõmutat & perdit, qui immoderato affectu fauores quærit humanos. Tales enim erãt, de quibus Apoſtolus ait, Dilexerunt magis gloriam hominũ, quàm gloriã Dei. Ioan.12. Talis erat Pilatus ipſe, qui humani imperij timore turbatus veritatem ipſã in mortem tradere non expauit. Nouerat Chriſti innocentiã, nouerat accuſantiũ calumniã, & tamen carnaliter territus mentis ſuę iudiciũ flexit. Obiectiones nanque Pontificum Iudæorum ſcire voluit, Chriſti ſermones audiuit. Verum eorundem comminationibus proſtratus, iniquã ſententiam dedit, prout ſequentia manifeſtant. Foras itaque de prætorio egrediente Pilato, occurrerunt Pontifices, illique dixerunt, Inuenimus hunc ſubuertentem gentem noſtram, & prohibentem tributa dari Cęſari, & dicentem ſe Chriſtum regem eſſe. Tria oppoſuerunt Domino, ſicut malitioſe, ita ab omni veritate aliena. Non venit in carne verbum, vt à veritatis via ſubuerteret homines, ſed vt ſubuerſos reuocaret ad vitam, quod pręuidẽs Propheta in ſpiritu

Pſal. 146. exultãs ait, Deo noſtro ſit iucũda decoraq; laudatio. Aedificans Hieruſalẽ Dominus, diſperſiones Iſraelis cõgregabit. Apoſtolus etiã in Euãgelio hoc idẽ apertius indicauit. Nã quũ Caiphas dixiſſet, Expedit vt vnus homo moriatur pro populo, ne tota gẽs pereat, intulit. Hoc aũt à ſemetipſo nõ dixit, ſed quum eſſet Põtifex anni illius, prophetauit, quia Ieſus moriturus erat pro gẽte, & non tantũ pro gẽte, ſed vt filios Dei, qui erãt diſperſi, cõgregaret in vnũ. Quos enim Diabolus ab vnitate ſegregauerat, Dominus ad ſui corporis retulit vnitatẽ, & quos ſubeuerterat ille, Chriſtus ad Dei agnitionẽ reuocãdo cõuertit, ſicut idẽ per Prophetam ſe facturum ait, Viſitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus diſperſæ fuerãt in die nubis & caliginis, & educã eas de populis, & cõgregabo eas de terris, & inducã eas in terrã ſuã, & paſcã eas in mõtibus Iſrael, in riuis, & in cũctis ſedibus terræ, in paſcuis vberrimis paſcã eas, & in montibus excelſis Iſrael erũt paſcua earũ. Quod autẽ Dominus prohibuerit cenſũ dari Cęſari, falſiſsimũ eſt,

Pſal. 36. vnde mẽtita eſt Iudæorũ iniquitas ſibi aduerſus

Matt. 17. veritatẽ teſtificantiũ iniquè. Quũ.n. interrogaſſet Petrum, quid tibi videtur? reges terrę à quib. accipiunt tributũ, vel cenſum, à filijs ſuis, an ab alienis, illeq; dixiſſet, ab alienis, reſpondit dominus, Ergo liberi ſunt filii. Vt autẽ non ſcãdalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamũ, & cũ piſcẽ, qui primus aſcẽderit, tolle, & aperto ore eius inuenies ſtaterã, illũ ſumens da eis pro me & te.

Mat. 22. Alio etiã tẽpore quũ illũ tentarẽt Phariſæi, ſi liceret cenſum dari Cæſari, an nõ, audierũt. Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo. Minimè igitur prohibuiſſet quaſi illicitũ, quod per ſe & Petrũ exolui mãdauit, atq; ab aliis definiuit eſſe ſoluẽdum. Quis autẽ dicere audeat tributa regia, ac vectigalia ciuilia fore prohibita? Nõ ſunt illa denegãda tributa, quę ad poteſtatũ onera ferẽda honeſtè, & nõ tyrãnicè ordinata ſunt. Quę ſi deeſſẽt, prorſus dignitates redigerẽtur ad nihilũ poteſtatibus nõ exiſtẽtibus. Vbi iuſtitia? vbi ordo? vbi regimẽ? vbi legum decreta? vbi obedientia ſubiectorũ? Nẽpè vniuerſa præ cõfuſione deficerẽt. Ad coercẽdos ergo malos, timoremq; incutiendũ indiſciplinatis diſpoſitæ ſunt leges, pręlati, principes, atq; iudices ordinati.

Rom. 13. Audi quid Paulus dicat, Omnis (inquit) anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Nõ eſt enim poteſtas, niſi à Deo; quæ autẽ ſũt à Deo ordinata ſũt. Itaq; qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit; qui autẽ reſiſtũt, ipſi ſibi dãnationẽ acquirũt. Nam principes nõ ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis aũt nõ timere poteſtatem? bonũ fac, & habebis laudẽ ex illa. Nõ ſine cauſa gladiũ portat. Dei miniſter eſt. Vindex in irã ei, qui malũ agit, vnde ſic cõcluſit, Reddite ergo omnibus debita, Cui tributũ tributũ, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem. Videſne quã prudenter in eãdem conueniãt ſententiã diſcipulus & magiſter? Exorbitabãt vtiq; à vero Põtificẽs intentione nocẽdi opponentes mendacia veritati, nedũ in ſoluẽdo tributo, verũetiã in regia dignitate à Domino publicè prædicata. Nõ enim ſe in corde extulit mediator, neq; inanibus verbis hominũ captauit fauores, docebat humilitatem, ſeculi põpã operibus ac ſermone inſinuabat populis eſſe fugiendã. Quũ enim ſemel vellent turbæ illũ cõſtituere regem, aufugit & latuit. Ioan. 6. In cũctis igitur claret cõſpicue Sacerdotes cõtra Dominũ eſſe mentitos, illos tamen quũ audiſset Pilatus, in prætoriũ ingreſſus ipſum ſciſcitatus eſt, dicens, Tu es Rex Iudæorũ? Ioan. 18. Ne amitteret Pilatus, aut alteri cõmune fieret, quod ſolus habere volebat, mediatorẽ noſtrum, an rex eſset, percunctatus eſt. Carnalis quũ eſset, nõ niſi carnaliter ſapiebat. Nõ autem ſicut temporalis, ita cęleſtis eſt dignitas. Nempe terrena poteſtas quũ prærogatur vni, detrahitur alteri, cœlorũ verò regna, & iuſtorũ poteſtas regia donatur innumeris. Quiſq; illorũ per ſe ſufficit ſibi. Quod habet, hoc poſsidet. Nõ Angelorũ nõ hominũ, nõ ſubiectorum eget ſuffragio. Deo tantũ indigent vniuerſi. Dat ſingulis gloriæ bona, vt mutuo gaudeãt bono. Bonum ſuum in ſeipſis habent, quũ Deũ habent, quo nihil melius; nihil dulcius, nihil ſalubrius poſsidetur. Alio ſe minimè diuertunt, intendentes in eũ, quem amplectũtur in ſe, & vident ſupra ſe. Tenent quippe amoris brachiis in affectu intimæ charitatis. Vident aũt intelligentiæ oculo illum ſupra ſe, & ſupra omnem rationalem atq; corporeã creaturã. Huiuſmodi dignitas regia, quã in reſurrectione vniuerſali prædeſtinati percepturi ſunt, omnes reges, omnes principes angelorum facit eſſe conſortes. Hæc etenim a temporalib. poteſtatibus aliena ſunt, quoniã ignorãt Deum, fraternum neſciunt bonũ, & cõitatis negligunt iura, atq; virtutis ſcita contemnunt. Hoc quemadmodum experientia, ſic Pilatus edocuit. Quũ.n. audiſset, an à ſeipſo diceret, ſi rex eſset Chriſtus oĩ repente cordis grauitate reiecta prorupit in vocẽ, & ait, Nũquid ego Iudæus ſum? Ibidem. Gens tua, & Põtifices tui tradiderunt te mihi. Quid feciſti? Inſipientiã quippe ſuã paucis indicauit verbis. Nõ propter aſtãtium notã, neq; ob præfectoriã dignitatẽ animi ſui immoderatũ cõpeſcuit motum. Decet prorſus iudicẽ oĩ poſtpoſita cordis feritate audire diligenter, & ad interrogata reſpõdere. Nũquid .n. iuſtitiæ ſingulis reddet debitũ, ſi mentis ſuę ignorauerit habere dominiũ? Spirituales nãq; animi paſsiones ſunt, quæ iudicum euertunt ſenſum, abolent leges, ſtatuta cõfunduut, degenerãt naturã, mores deordinãt, ingenii acumen obnubilant, & iuſtitiæ pacta non ſeruant. Debet prius dominari ſibi, qui cauſæ cõſtituen-

ſtituendus eſt iudex alienæ. Ridiculum eſt aſpicere foris in cathedra reſidentē, & intus in paſſionum fœtoribus ſepultum. Virtus nempe animi iudiciariis ſedibus præferēda eſt honore, deſiderio, æſtimationeq; Virtutes etenim diuitiæ imprædabiles ſunt, omni inquirendæ tempore, vbique extollendæ, collīgēdæque. Quò pergit cultor, poſſeſſorque virtutis, odoris mihi ex ſe ſpargit fragrātiam. Inter barbaros, apud exteras nationes ſecurus eſt. In tuto quippe theſaurum recondidit ſuum, aliena nō eget cuſtodia. Nā ſui ipſius virtutis amator cuſtos eſt. Quandiu vult, diues eſt, & inuincibilis perſeuerat. Solus eſſe nō valet, qui in virtutum magiſterio animū collocauit. Principatum nanque ſui tenens coram Deo regali dignitate præfulget. Abdicat à ſe viſibilium concupiſcentias, atq; incentiua libidinū, vt ſpiritus naturalem ſui vendicet libertatē. Hinc claret perſpicuè, quòd laſciuię deditus, ac vitiorum ſeruus nunquā præerit vtiliter. Præcellere poterit cæteros potentia, diuitijs, obſequentiū numeroſitate, delicijs, & factu. Suberit tamē in ea parte, qua imperialis dignitas decoratur. Abutetur, vtiq; honoris cathedra, quę ſolis ſapiētib. debetur. Sapientibus (inquam) illa ſapiētia, quæ de ſurſum eſt, quæ eſt pudica, humilis, cōſētiens, beneuola, ima deſpiciens, futura proſpectans, donās æterna. Hæc habet regnū, & reges facit, non auro fulgentes, aut gēmatos, ſed ornatos virtutib. & caritate coruſcos. Ne autē huius almæ ſapientiæ regnum carnaliter cogites, qualiter cętera conſueuiſti regna cogitare, quid eadem Pilato dixerit, audi. Regnum meum nō eſt
Ioan. 18. de hoc mundo. Regnat quidem Dei ſapiētia in hoc mūdo, ſed regnū non habet de hoc mūdo. Nō eſt locus, in quo nō regnet ſapientia. Attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit oīa
Sap. 8. ſuauiter. Nempè vbi ordo eſt, ibi imperat ſapientia, quæ orbē vniuerſum in æquitate gubernat. Vbi agnitio veritatis eſt, ibi ſapientia illuſtrando regnat. Si ſuperiora cęlorum aſpicias, ſi cęleſtium corpora attendas, ibi præſidentē, ordinantemq; intelliges ſapientiam. Audi quid voce ſapientis dicat, Quando præparabat cęlos aderā; quādo certa lege & gyro vallabat abyſſos, quā-
Prou. 8. do æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum, cum eo eram cuncta componēs. Si terrena conſideres imperia, ibi reginā hanc dominari agnoſces. Sic illam loquentē habes. Gyrū cęli circuiui ſola, in fluctibus maris ambulaui, in omni gente primatum tenui, ſuperborum & ſublimiū colla propria virtute calcaui. Si ad vniuerſitatem creaturarum mentis aperias oculos, ibi lege ineffabili regentem ſapientiam proclamabis. Oīa (inquit Propheta) ſubieciſti ſub pedibus eius, oues & boues vniuerſas, inſuper & pe-
Psal. 8. cora campi. Volucres cęli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris. Inſenſibilia igitur, vegetabilia, irrationabilia ſapientiæ ordine cuſtodiuntur, reguntur, renouantur, & ſunt, vnde ait Propheta, Omnia feciſti in ſapiētia Domine. Homines etiam mali, & ipſi dæmones (quamuis inuiti, & neſcientes) imperio ſubiacent ſapien- Psal. 103.
tiæ, nec valent ēt minima ſine permiſſione complere. Poſſunt omnes mali perficere malū, quia permittuntur poſſe, nō tamē ad libitū, ſed quod finit ipſa ſapientia. Ore prophetico illius ſententiam audi, Extra me (inquit) nō eſt Deus formās lucē, & creans tenebras, faciens pacē, & creans
malum in hoc igitur mundo tanquā paterfami- Esa. 45.
lias in propria æde præſidet ſapientia, quæ nihil in ſe inordinatū permittit, tametſi extra ſe talis non appareat ordo. Attingit, quę dicūtur fides, perſpiciunt iſta in ipſius lumine ſapiētiæ. Intus capiuntur, quoniā ſpiritualia ſunt. Proinde ipſa ſapientia ad ſpiritualē intelligentiā impellens animū, nolenſq; vt qualia tēporalia ſunt, ipſius arbitraremur regnū, addidit. Si ex hoc mūdo eſſet regnum meū, miniſtri mei decertarent, vt
non traderer Iudęis. Decertarēt vtiq; miniſtri, Ioan. 18.
ſancti (videlicet) Angeli, qui vigilāter inſiſtunt, quatenus in oībus imperium perficiant ſapientiæ. Expeditiſsimus planè horū eſt famulatus, atque dominatrice digniſsimus ſapiētia. Quis miniſtrorum talium dignitates, miniſtrātiumq; officia humana poterit enarrare facundia? Fulget in terris ex parte, in cœlo verò perſpicuè ipſorū generoſitas, collata poteſtas, atque coæternæ Deo ſapientiæ regii culmen honoris, & generationis ſacroſanctum myſterium, quamuis illius in cęlo & in terra ſit dilatata poteſtas, miro tamē æquitatis ordine glorioſiſsimum ſuper cęleſtis Hieruſalē diſponit regnū; ita vt idecorū nihil, nihil'q; in ipſo eadē ſtatuente appareat imperfectum. Sic nanq; coæquat ima ſummis, & cęleſtia humanis, atq; ſpiritualib. ſpiritualia, vt in cōſpectu æterni opificis regimen ipſius ineffabilē vnitatis & caritatis reddant concentum. Non faſtidiunt, neque erubeſcant illa beatorum ſpirituū agmina qui perpetua felicitate fruuntur, peregrinantibus, ac in domibus luteis habitantibus miniſtrare, quatenus ei placeāt, cui ſe efficiunt ſacrificium laudis. Non diſcernunt quid agant, ſed propter quem, quoniā humanis minimè coinquinantur contagijs. Ducuntur affectu, quum foras ad miniſterium exeunt, & tamen nō diſcedunt longè à contemplatione eius, qui eſt. Præſidet vtique in ſuæ diuinitatis ſolio, ſuperiora ac inferiora regit, cōtēptaturq; ab iis, qui in ſpiritu ſine carne ſunt, & qui tales ſūt, vt illo ſint digni. Remotis nanq; & propinquis legē tribuit aliter atq; aliter, quū tamen ipſe oībus præſens ſit. Ab illo remotos dixerim, qui peccatorū fęditate maculatos naturalem ſuum amiſere decorem, propinquos verò, qui gratiam ſeruauerunt exhibitam. Angelorum ſiquidem legiones ſibi amo-

ris vinculo inhærentes in miniſterium dirigit, per quos remotos quotidie aduocat ad ſe,&pro pinquos cuſtodit in ſe.Soliciti ſunt hi pro ſingu lorum ſalute & regimine vniuerſi,dicente Apo ſtolo, Hebr. 1. Omnes adminiſtratorij ſpiritus ſunt in miniſterium miſsi propter eos, qui hæreditatē capiunt ſalutis.Quidam etenim eorum,qui mit tuntur, ad humanam ſunt deputati cuſtodiam, quidam verò vt futura prænuncient, dilucidēt myſteria fidei, atq; cęleſtium arcana inſinuent. Sunt ex ipſis,qui faciendorum miraculorum po teſtate accepta charitate ſedula Dei notificarūt virtutem. Alij autem nimia pietate ſuccenſi, affectu pio, atque rectitudinis zelo aereos coercent ſpiritus,ne ſæuiant ad vota,& euertant ad culpam, quos miſeratio ſuperna conuertit ad gratiam. Nonnulli eorum ſunt,qui ciuitatum, prouinciarum, regnorumque præſunt regimini,& imperantium perſonis inuigilant, quatenus ipſorum eruditionibus non niſi,quæ agenda ſunt,faciant. Vniuerſi ſanè hi angelorū ordines prius quàm ad miniſteria perficienda exeant,inſtruuntur de omnib. ſicut in vitæ con tinetur libro: nec in minimo prætergrediūtur magiſterium ſapientiæ. Præſidet nanque ipſa omni cœleſti curiæ, neq; quiſquam eorum,qui ī illa ſunt, aliud nouit,vel habet,quàm quod ab eadem didicit,aut accepit. In excelſo ſiquidem reſidens throno,atque ineffabili claritate coru ſcans angelorum, hominumque ſtipata militia maxima cum tranquillitate ſingulis impetitur, quod expedit. Communi voluntate omnes obe diunt imperanti,atque in tam innumerabili coronatorum exercitu non clamoris, non contra dictionis,non turbationis perſtrepit motus:ſed pax,ordo,charitas, concordia, & æterna diuinæ laudationis ineſt iubilatio. Huiuſmodi triūphalem gloriam regni Propheta contemplatus aiebat: Pſal. 144. Regnum tuum regnum omnium ſeculo rum,& dominatio tua in omni generatione & generatione. Quicunque etenim iſtius beatitudinis fragantiſsimam guſtauere dulcedinem,alijs etiam pro charitatis officio intimare feſtinant. Quamobrem ipſi angeli,& qui in eadem ſunt ſancti ſedulitate quammaxima, quāta ſint regni illius magnalia,peregrinantibus inſinuat: ſicut prophetico dicitur ore: Pſal 144. Notam faciunt filiis hominum potentiam tuam,& gloriam magnificentiæ regni tui. Solus igitur Chriſtus, Dei virtus,& Dei ſapientia, qui in cælo & in terra imperij ſui dilatat habenas,immortalis eſt rex. Sic de illo legitur: Apoc. 19. Et habebat ſcriptum in veſtimēto & in femore eius: rex regnum, & dominus dominantium. Hunc exercitus angelorum virtute potentes, natura immortales, beatificati per gratiam, benedicunt & laudant perficiētes verbum illius in audiēdo vocem ſermonū eius. Huic vniuerſi mortales famulātur, indictāque ſapientiæ ipſius non prætergrediuntur leges. Cęterę etiam creaturę,quæ in exordio mundi fuere conditæ,impoſitas exequuntur leges,dicēte Propheta: Pſal. 148. Statuit ea in æternum, & in ſeculum ſeculi: præceptum poſuit,& non præteribit. Nōluit autem rex ipſe Chriſtus cum cæteris terræ regibus quicquam habere commune. Venit itaque in carne humilis,pauper in rebus, inueſtitu contemptibilis, in comitatu ſolus, auſterus in corporis deliciis,& ſuperborum aſpectibus deſpicabilis atque abiectus. Intus verò in ſpiritu qualis erat,noſcebatur. Non poterat eſſe paruus cui miniſtrabant angeli, famulabātur archangeli,& quem omnis cœlorum militia venerabatur laudibus. Apparuit(inquam)in mundo, non vt oſtenderet quis eſſet,ſed vt ignotam ſeculo veritatis ſcīetiam prædicaret. Sic enim ait: Ioan. 18. Ego ad hoc natus ſum,& ad hoc veni in mūdum,vt teſtimonium perhibeam veritati. Latebat quippè veritatis lumen in religionis cultu, in morū diſciplina,& ī cognitione finis. Rara prorſus erat in mundo vnius verique Dei fides. Vſurpauerat etenim diabolus ſibi diuinitatis honorem,& in mentibus mortalium ſparſerat errores multiplices. Iacebat ratio,quæ naturaliter principatur in homine. Neſciebatur virtus,& ingenita morum honeſtas à ſuo nimium deuiauerat fundamēto:ex hoc potiſsimum, quoniam futurorū malorum,bonorumque non expectabatur merces. Hinc non valebat mūdus,niſi ad ea,quę ſenſibus vtuntur,diffundere ſui cordis affectū:propterea nec in religione deuotus,neque in virtutum augmēto poterat eſſe ſolicitus. Tandiu ergo elanguit,tandiu errauerunt ſeculi incolę ſupernę ciuitatis habitaculum non inuenientes, quamdiù in humanitate Dei apparuit ſapientia, quæ verbis ſuis inuiſibilis vnici & ęterni Dei notitiam præbuit. Moribus inſtituit formam,propalatam eſſe cœlorum viam indicauit, atque veritatis ignotę ſcientiam cordibus infudit credentium,quam illi percipiuut ſoli, qui ex veritate ſunt. Illos tantummodo ex veritate nuncupauerim,qui ad æternam prędeſtinati ſunt vitā. Iſtis planè ſuo tempore efficitur nota cęteris remanentibus foris. Alieni quippè à veritate non niſi ad tempus claritatem ipſius intueri merentur. Horum Pilatus pręfigurauit imaginem, qui quum percunctatus fuiſſet, quid eſſet veritas, illicò exiit vim claritatis eius ferre non valens. Veritatis quippè factus eſt teſtis, quum nullam mortis cauſam ſe inueniſſe perhiberet in Chriſto. Abhorrebat falſitatis fieri teſtis,qui multa fuerat cum ipſa veritate loquutus. Participauit vtcunque de lumine veritatis, quamuis non ad vitam, donec pręſentem habuit veritatem. Sicut quum quis pertractando aromata odorem de veſtimentis effundit & manibus, ita & infidelis hic atque indignus. Studuit nanque

que veritatem commendare non pertinentibus ad illam, & quem traxerat, odorem foras exhibuit: ſed quoniam eandem minimè habebat in ſe, vſque ad penetralia Iudæorum nequiuit immittere. Vnde obſtinatiſsimo animo, & cordis ſenſibus obturatis contra veritatem ſuaſione peſtifera clamauerunt. Commouit populum incipiens à Galilæa vſque huc. Hoc itaque audiente
Luc. 23. præſide ad Herodem direxit dominum, non tantum vt inconſulte iudicaret alienum, verumetiã vt iudicium declinaret iniuſtum.

De quadruplici ſpecie non rectè militantium Chriſto. Cap. XIII.

HVmano quid incomprehẽſibilius corde? Quemadmodum latebris fouetur innumeris, ita & latitudinem infinitã inhabitat. Quum verò a ſeipſo ad plenum inueſtigari nequeat, quomodo ab extraneis cognoſcetur? Solus illud qui cõdidit, nouit: atque quale ſit perfectam habet ſcientiam: quoniam ingrediendi & egrediendi in eo obtinet poteſtatem. Ex ſui igitur profunditate non in ſede propria, ſed ex effectibus patet. Quis (oro) attingere valet, quo affectu, quibuſve cogitationibus moueatur? Quam multos quotidie intuemur fucata arte cordis ſui palliare ſecreta? Latent ſanè ad tẽpus, ſed
Mat. 10. non ſemper dicente domino: Nihil occultum, quod non reueletur: neque abſconditum, quod non ſciatur. Multi quippe ſunt, qui ſanctitatem abhorrẽtes, illius tantum gerunt imaginem. Talium plurimos in ſinu ſuo fouet Eccleſia, tãquã cum tritico comburenda zizania. Vitæ vias, atq; virtutum arripiunt ſemitas: in conſpectu quoq; ſe intuentium maturitatem prætendunt honeſtatis, quamuis intus alio nitantur incedere. Hi nãque (vt plurimum) honoris cathedram, populorumque fauores, ſeu temporalis lucri mercedem quæritant. Mali nempe quum ſint, ſicut duplici incedunt corde, ita & in veritatis itinere claudicant. Laboris quippe ſuum inaniter exponentes ipſius fructum ſpargũt ad auras, nihil de ſuis operibus portant, vnde in futurum valeant gaudere. hypocriſis pleni atq; hypocritarum ſectantes veſtigia æternam gloriam pro temporali laude commutant. Sunt & alij, qui Dei ſapientiam ſimplici atque remiſſo corde perquirunt. Vno tantum claudicãtes incedunt pede: ſed nõ ſicut ſanctus Iacob, cuius poſt colluctationẽ angelicam femoris emarcuit neruus. Talium pes, animæ (videlicet) affectus, remiſſus & tardus eſt: quoniam intelligentiæ non ſuſtentatur adminiculo. Conſueuerunt perſæpe aut negligenter viuere, aut minimè perſeuerare, qui in Dei itinere ſolo mentis mouẽtur impulſu. Nam quemadmodum nutrimẽtum ignis oleum & ligna ſunt, ita amoris augmẽtum clara eſt cognitio veritatis. Impellitur affectus veritate, quæ cognitiuæ virtutis inhabitat ſedem. Huiuſmodi de quibus dicitur, quum ex natura, ſeu ex negligentia iaceant tanquam debiles & claudi ad Deũ tardè perueniũt. Prioribus hi minus odibiles ſunt, facilèque merentur veniam, quamuis ſummum bonum ea, qua deberent, animi ſedulitate non quærant. Reperiũtur & tertij, qui Deum ignito, ſapido, ſed elato corde requirũt. Mentem coaptant ſapientiæ, & veritatis lumine repleri concupiſcunt. Deſudant, laborant, & vacant: atque in proſpecta eminus veritate exultant. Se nanque ſpiritualibus dicari arbitrantur, ſi quam vident, tenuerint ſapientiam. Hi quoniam abſque humilitate ſcire concupiſcunt, falſa ſui opinione euaneſcũt. Viriditatem quidem ſeruant in arbore, ſed deterentem vermem in radice non ſentiũt. Vermis hic tumor eſt mẽtis, per quẽ euectus interior deuoratur fructus. Exultãt quippe in ſciẽtię lumine, atque arcana myſteria, quorum perceptione non ſunt digni, imprudenter ac curioſe ſcrutantur. Quũ autẽ nequeũt inuenire quod optant, in ſuperbiam moti turbatione deficiũt. Sunt etiam effœminati nonnulli cor puerile gerentes, qui Chriſti amabili conuerſatione audita, repentè mouentur in lacrymas, amore ardẽt, atque ad videndum illum ſe tota mentis intentione, ac cordis meditatione diſponũt. Iſtis equidem permittente Deo datur conſequi, quod anhelant. In meditatione etenim ſua illis cognoſcibilis efficitur ſapiẽtia iuxta eorum captum, gratiæque menſuram. Aſſumuntur vtique de ſeculo, à peccatoribus ſegregantur, ſpiritualis dulcedinis guſtatores fiunt, atq; futuræ fęlicitatis ſtillicidia quædam merentur percipere. In his dilatantur, & gaudent, & tanquam ipſam præſentẽ in carne ſapientiam habeant, meditando exultant. Ex conſuetudine nanque quotidiana, qui tales ſunt, ſpirituale donum ſine ſui cognitione faſtidiunt. Gratiam enim Dei irreuerenti animo pertractantes ſupra id quod ſunt, paulatim eleuantur incautè. Se vtique non ex ſe, ſed ex acceptis muneribus æſtimant. Hinc abſque humilitate percunctari ſatagunt diuinæ ſapientiæ occulta myſteria non attendentes ſcriptum eſſe: *Non plus ſapere, quàm oportet, ſed ſapere ad ſobrietatem:* ſicque illis prudenti conſilio ſapientiæ omnia in æquitatis conſilio diſponentis, Rom. 12.
quod legitur, Scrutator maieſtatis opprimetur à gloria. Prou. 25.
Nam petunt, nec accipiunt: pulſant, nec eis aperitur: clamant, nec illis reſpondetur ad vota: quoniam ſicut debent non quærunt, neque poſtulant. Hi abſque ſoliditate fundamenti ſpirituale ędificium attollentes diu perſeuerare nequeunt. Repercuſſi nanq; à gratia velut indigni nõ conſiderantes reatũ ſuũ illud exigere, paulatim intermittunt ſpiritualia ſtudia, atque contemptui habere inchoant, quę prius dulciter amauerant. In peius igitur quotidie effluentes

tes

tes ſimplicitati Chriſto deuote famulantiū in ſui operimentum pudoris detrahere non verentur: quod nil aliud eſt, quàm Chriſtum candida veſte illuſum remittere ad Pilatum. Tandem bonorum abhorrentes conſortia ad ſeculi redeūt vomitum, & inimicitiam reiicientes, quam cū diabolo & mundo pro Chriſti amore contraxerant, efficiuntur amici. Tales cęteris ſceleratiores difficilè corriguntur, dicente Apoſtolo: Hebr. 6. Impoſsibile eſt enim eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiam donum cœleſte, & participes ſunt facti ſpiritus ſancti (Guſtauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtuteſque ſeculi venturi, & prolapſi ſunt) rurſus renouari ad pęnitentiam, rurſum crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes. Audiſti ſpiritualis illuſionis myſterium, quam per homines malos, & à ſancto propoſito decidentes quotidie patitur ſapientia. Attende nunc documentum ipſius, quod in ſe per Herodis irriſionem exhibuit tibi: quæ enodatè ſuperius gerit imaginem. Vtrunque etenim in operibus colligitur, Chriſti exemplum (videlicet) morum, & ſpirituale myſterium. In altero introducendi erudiuntur, in altero verò illuminantur perfecti: ſingulis tamen ad diſciplinam prodeſt virtutum. Quis (oro) non excitetur ad pietatem, atque accendatur ad virtutem, quum regē gloriæ vinctis à tergo manibus iniquo Herodi cogitauerit eſſe oblatum? Hunc quippe quum vidiſſet Herodes, gauiſus eſt valde, ſignū aliquod fieri ab eo deſiderans. Fama ſiquidem propalante de ipſo audierat multa. Verum quod infidelis rex curioſe quęrebat, obtinere non meruit. Oſtentationis quidem fuiſſet indicium viro improbo ſpirituales apponere eſcas, atque diuinitatis magnalia abſque alicuius inſinuare profectu. Ne igitur mediator margaritas proiiceret ante porcos, ſub ſilentio ſapientiam, & ſine exhibitione miraculi poteſtatem coercuit maieſtatis. Quamobrem ſceleſtiſsimus rex indignatione commotus cum exercitu ſuo illudens dominum eundem cum accuſatoribus remiſit ad præſidem. Qua de re ablata inimicitiarum controuerſia amici inuicem facti ſunt. Ecce pax noſtra, quæ fecit vtraque vnum. Copulauit quidē parietes ſibi contrarios, & in vnum regē & præſidem redegit amicitiarum cōtubernium. Reddidit illis pro malo bonum, vt charitatis perficeret legem, poſſetque propheticum illud dicere: Psal. 7. Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidā meritò ab inimicis meis inanis. Suſcepto itaque denuò redemptore in prætorium præſes pontificibus ait: Obtuliſtis mihi hominem hunc, quē coram vobis interrogans nullam mortis in eo reperio cauſam: ſicut nec ipſe Herodes, qui illum illæſum remiſit ad nos. Proh dolor alienigenarum principes innocentiæ Chriſti defenſores erant: & Hebræi ipſi, de quorum patribus ſecundum carnem fuerat natus, & ad quos venerat redimendos, morti illum tradere ſatagebant. Sed quemadmodum regina Auſtri, quæ de vltimis terræ finibus Salomonis venit audire ſapientiam: atque Niniuitarum populus, qui in Ionæ prædicatione pœnitentiam egit, in iudicio ſurgentes condemnabunt Hebræorū gētem: ita Herodes atque Pilatus. Nullam hi mortis cauſam ſe in Chriſto inueniſſe dixerunt. Iſti autem mortis reum illum eſſe clamauerunt. Debuerant planè confundi, gentis ſuæ virum tantis ſignis & virtutibus approbatum à Deo tam importunè perſequi, cui nil redargutione dignum opponere valebant. Agnoſcebantur quidem ab alijs, ipſi verò minimè videbant ſe, eorum oculos obtenebrante malitia. Propterea nec coram alijs erubeſcebant, neque in ſe. Vnde Pilato iterum in multis illum accuſare cœperunt. Noua ſemper inania meditabantur & falſa. Aeterni ſolis lucem opacam exhibere ſtudebant, quanquam & ipſe in oculis peccatorum fulgere recuſaret. Ideoque accuſatus tacebat, & nihil pro ſuæ defenſione innocentiæ loquebatur. Contra humanam conſuetudinē ſaluator agebat. Quis accuſatus iniuſtè puritatem ſuam veritatis clypeo non defendit? Quis intortas calumniarum ſagittas in ſuos aduerſarios non retorquet? Quis ſanctorum ad profectum cæterorum famam ſuam neglexiſſe cognoſcitur? Nihil tamē ſimile veritas egit: quippe quū nollet diuinitatem ſuam toti mundo ſuo tempore eſſe propalandam. Longè autem commendabilior videtur quū ſilet, quàm ſi vera loquēs aduerſarios confutaret. Ipſius tamē ſilentii cauſam pręſes admirans, ait: Nunquid non audis, quanta aduerſum te dicunt, teſtimonia? Domino autem nil omnino dicente præſes vehemētiſsimè mirabatur. In tribunali verò illo ſedente, atque ſtupente vxor eius nuncium delegauit, qui diceret: Nihil tibi, & iuſto illi. Mat. 27. Multa enim paſſa ſum hodie per viſum propter eum. Maxima prorſus diaboli arte actum eſt, vt Pilati vxor tam conſtanter, ne paſsio vltra progrederetur, inſtaret. Iam enim diabolus expaueſcere cęperat, ne eſſet ipſe, per quem futura eſſet ſalus Iudæorum & gentium. Ex his nanque, quę complura iam viderat, futura arbitrabatur, quæ nondum prænunciata acciderant. Nam præteritorum exhibitio vēturorum eſt certitudo. Trepidabat profectò hic peſtifer antiquum amittere ius, quod ſibi in homine nequiter vſurparat. Nouerat vaticinatum fuiſſe de Chriſto: Psal. 71. Quia liberabit pauperem à potente, & pauperem cui non eſt adiutor. Iterumque iudicabit pauperes populi, & ſaluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem. Nec ab re metuebat Satanas. Supra humanam conſuetudinem atq; virtutem,

autem,patientiam,manſuetudinem,humilitatẽ
que Chriſti eſſe cernebat.Proinde vt illius poſ-
ſet impedire agonem, ad conſueta cucurrit mu
liebria arma,cum quibus plurimos olim ſtrenuiſ
ſimos debellauerat duces.Adam quippe de para
diſi amœnitate deiecit:Loth in filiarum compu
lit ſtuprum: Samſon in manu Philiſtiim dedit:
Dauid in adulterij atq; homicidii crimen indu-
xit:Salomonem etiam ſapientia perdita alieni-
genarum deos thurificare coegit: Apoſtolorũ
nouiſſimè principẽ in magiſtri negatione pro-
ſtrauit,hominum quoque redemptio Pilati me-
diãte vxore,ne fieret, laborauit.Cõſultius tamẽ
propoſiti ſui poterat obtinere effectum,ſi quos
inflammauerat, ſacerdotum animos euertiſſet?
Prou. 21. ſed(ſicut legitur)non eſt ſcientia,non ſapiẽtia,
non eſt cõſilium contra dominum.Quod enim
bonum per mortem Chriſti Deus perficere ſta-
tuit, noluit vt diabolica impediretur aſtutia.
Pręualuit itaque ſacerdotum dolus,& ſuccenſa
vis odii, cui reſiſtere nequiuit præſidis infirma
voluntas. Volens etenim occaſione homicidæ
viri, ſeculi ſaluatorem de eorum eripere mani-
Ioan. 18. bus Hebræorum ſenioribus inquit: Eſt quippe
conſuetudo vobis, vt vnum ex vinctis dimittã
vobis in paſcha, vultis ergo dimittam vobis re-
gem Iudæorum? Veritatem Pilatus loquebatur
ſapienter indoctus, verum neſcienter dicebat
Chriſtum dominum regem appellans. Rex vti-
que erat Chriſtus, in cuius perſona Propheta
Pſal. 2. ait:Ego autem conſtitutus ſum rex ab eo ſuper
Siõ montem ſanctum eius prędicans præceptũ
eius.Non vt dominaretur iniuſtè,ſed vt æquita
tis cenſura iudicaret Eccleſiam, regiam dignita
Pſal. 71. tẽ accepit. Hoc Pſaltes egregius in ſpiritu lõgè
antè præuoſcens orabat ſic:Deus iudicium tuũ
regi da,& iuſtitiam tuã filio regis: iudicare po-
pulum tuum in iuſtitia,& pauperes tuos in iudi
cio. Irreprehenſibiliter quidem dominus Ieſus
regni ſui diſponit leges, gradus diſtinguit, ero-
gat dona, diſcernit merita & ſingulorũ iudicat
acta. Rex tantum ſuper Iſrael lætitię oleo fue-
rat vnctus: ſicut idem teſtatus eſt, dicens: Non
ſum miſſus niſi ad oues, quæ perierunt do-
Mat. 15. mus Iſrael, Nondum enim viſibiliter regni
ſceptrum extenderat ſuper gentes. Hoc au-
tem quando impletum eſſe cognoſcitur? vti-
que poſt reſurrectionem cum legatis ſuis per
vniuerſum orbem directis regni ſui gloriã gen-
Pſal. 2. tibus reuelauit. Tunc veraciter impletum eſt,
quod pater ad filium per Prophetam inquit: Po
ſtula à me,& dabo tibi gentes hęreditatem tuã,
& poſſeſſionem tuam terminos terræ.In ſpiritu
autem præuidẽs Propheta memoratus,quòd do
minaturus eſſet à mari vſque ad terminos orbis
terrarum, cæteros reges more prophetico al-
Pſal. 2. loquutus eſt, dicens: Et nunc reges intelli-
gite,erudimini qui iudicatis terram; ſeruite do
mino in timore,& exultate ei cum tremore:ap-
prehendite diſciplinam,ne quãdo iraſcatur do-
minus.Veritatem itaque fatebatur pręſes Iudæo
rum regem Chriſtum eſſe denuncians.Ignora-
bat tamen quantus & qualis rex eſſet. Si enim
ſciuiſſet,profectò adoraſſet illum,atque de ma
nibus infidelium liberaſſet. Vtinam Prophetã
legiſſet dicentem de ipſo:Puer natus eſt nobis, Eſa. 9.
& filius datus eſt nobis, cuius imperium ſuper
humerum eius,& vocabitur admirabilis Deus
fortis,princeps pacis,pater futuri ſeculi. Verum
magnum non fuit, ſi Pilatus alienigena à teſta-
mẽto Dei extraneus Chriſtum immortalẽ regẽ
eſſe neſciebat,quum Hebræorũ pontifices, qui
bus in diuinis eloquijs de ipſo fuerat vaticinatũ,
ſe eundem ignorare fatebantur. Potuerunt pla
nè illum membris infantilibus panniculis inuo
lutum,in præſepio recubantem Herodi nuncia Mat. 2.
re, ſcriptum eſſe dicentes: Ex te enim exiet
dux, qui regat populum meum Iſrael. Et
nunc iam adultum, miracula facientem, virtu-
tum magnalia exhibentem, dæmonibus impe-
rantem, regnum Dei prædicantem negare nõ
formidant. Prætulerunt quippe illi latronẽ, di-
centes:Tolle hunc,quem Iudæorum aſſeris re-
gem,& iuxta conſuetudinem dimitte nobis Bar
rabbam, qui latro fuerat:atque propter ſeditio-
nem & homicidum, quod fecerat, detinebatur
in carcere, Totum quod fidei,quod commodi,
quod virtutis, quod honoris illis fuerat, tacue-
runt:& quod perditionis,fraudis,& dedecoris,
clamauerunt. Magnam prorſus Iudæis verteba
tur ad gloriã de ſacerdotali, ac regia ſtirpe du-
cem habere, qui in cœlo & in terra monarchiã
teneret imperij: ſed eorum exigentibus culpis
quicquid eſſe poterat ad honorem Chriſtum
morti tradẽdo ſibi ad ignominiã vendicarunt.
Nonne opprobrium eſt Hebræis negaſſe Deũ,
quem mundus totus colit, confitetur, & laudat?
Nonne ad eorum confuſionem publice in Ec- Ioan. 18.
cleſiis illos dixiſſe legitur:Tolle hunc,& dimit-
te nobis Barabbam? Quem iſti perdere inſiſte-
bãt,gentilis præſes abſoluere conabatur. Hinc
eſt,quòd ſermone iterato inquit: Quid igitur re Ibidem.
gi faciam Iudæorum? Volebat quidem non vi,
ſed importunis ſuaſionibus,atque honeſta ratio-
ne, adamantina eorum corda ad pietatis erga
Chriſtum emollire conſenſum,Secum nanque
tacitus cogitabat.Obſtinatiſſimos iſtos ſine ra-
tione,ſine humanitate, & abſque vllo charita-
tis affectu eſſe conſpicio. Porro ſi innocentem
hunc virum,qui Hebræus eſt,ex eorum patrum
ſtirpe progenitus,illis ex lege promiſſus, à quo
īnumera beneficia recepere,tãta animi maligni
tate calumniantur, quid in me gentilem & ad-
uenam agerent, ſi reprehenſibile quippiam re-
perirent? Agam quod volent iuſtitiæ cenſura
poſtpoſita. Nemo erit, qui reatum meum diiu-
dicet

dicet, vniuerſorum hunc approbante clamore: prius tamen corripiam Chriſtum, ſi fortè illius flagellatione commoti, eundem viuum abire permittant.

De multifarijs amicitiarum cauſis. *Cap.* XIIII.

AMicitiarum multæ ſunt cauſę. Quidam menſæ ſodales ſunt. Talium plurimi gulę dediti, atque ventris ſui ſerui, nõ amicos, ſed vitiorum ac hominum ſe faciũt ſeruos. Nunquam hominum ſe famulatui ſubderẽt niſi ſerui herent vitiorum. Adulationi huiuſmodi & iocis intendere conſueuerunt, vbi ciborũ ſtipendia vendicent. Præponunt hanc voluptatibus cæteris. Eccl. 2. Comedamus (inquiunt) & bibamus, cras enim moriemur. Phil. 3. Verum iſtis quid vilius, quorum Deus venter eſt, & gloria in confuſione ipſorum, qui tantum terrena ſapiunt? Iumentorum ſiquidem ſectantes morem ſolo carnis ducuntur affectu. Fitque vt immoderatè viuentes epularum ardore rationis ſuffocent bonum, atque ab ingenita nimium dignitate degenerent. Taceo quanta hinc facinora germinent libidinum, detractionum, iocorumque. Exo. 32. Sedit (inquit diuinus ſermo) populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere. Eſt nanque gula fames peſsimus, à quo morbi innumerabiles effluunt animarum. Horum talium pernicioſa eſt amicitia, & penitus euitanda, cui cohærent infamia, laſciuia, & diuinitatis offenſa. Eſt & aliud amicorum genus, quos locorum inhabitatio fœderat. Huiuſmodi ciuitatum, mœniorumque eorundem prędia poſsidentes ex vicinitate quadã amicitiarum iura cuſtodiunt. Duntaxat ſinguli propriis contenti aliorum ſubſtantiam ambire deſiſtant. Nempe vbi alienarum ineſt cupiditas rerum, vera amicitiarum abeſt charitas. Tales imprecando arguit propheta, dicens: Eſa. 5. Væ qui coniungitis domum domo, & agro copulatis vſque ad terminos loci. Sunt etiam, qui in adminiſtratione reipublicæ, in poteſtatibus iudiciariis par ſortiuntur officium. Hi collegæ nomen habentes tunc perfecta fruuntur amicitia, quum ĩ collatione ſententiæ, atq; diſtributione iuſtitiæ perſonas non accipiunt, priuata nõ quærunt cõmoda, humanos fauores non appetunt, alterum rationibus ſupplantare nequaquam conatur, ſed vna omnium eſt communis intentio pro honore diuinitatis nemini habenti denegare iuſtitiã. Reperiuntur quoque peregrinationis comites, qui amicitiarum contubernio perfruuntur. Iſtorum tunc itineris leuigatur labor, tunc ſocietas delectabilis atque iucunda perſeuerat in finem quum moribus non diſcrepat, neque in voluntate diſſentit. Nempe vbi idem velle, idemq; deeſt nolle, ibi amicitiarum firmitas eſſe non valet. Non per corpus, neq; ex cohabitatione mutua, ſed ex animorum conglutinatione commendabilis amicitiæ iura ſeruantur. Hinc clarè colligitur, quòd inter ſceleſtos & iniuſtos nequaquam perfecta amicitia reperitur. Non enim habent ſimul vitia vnitatem, prorſus maiori ex parte intra ſe diuiſa noſcuntur, dum graue bellum contra ſuum commouent poſſeſſorem. Hoc propheta ſua autoritate cõfirmat: Eſa. 48. Non eſt (inquit) pax impio. Ex hoc euidentiſsima ratione colligitur, quòd ſi quod in vita hac perfectæ vnitatis inuenitur vinculum, atque mutuæ pacis bonum, penes illos eſſe cognoſcitur, qui Chriſti dilectione iunguntur. Pſal. 118. Pax multa (inquit Propheta) diligentibus legem tuam, & non eſt illis ſcandalũ. Multa (ait) non perfecta: Perfecta (vt arbitror) in hoc ſeculo eſſe non poteſt pacis amicitia, quando ij, apud quos inueniri non debet, perfectè pacifici non ſunt. Qui enim in ſeipſo diſsidet, cum cæteris quando concors erit? Talis nempe eſt vita hæc (ſi tamen vita dicenda eſt) vt perfecta nemo proximum diligat charitate, quæ amicitiarũ eſt finis. Charitatem autem dixerim eſſe perfectam, quum prorſus habet nil proprium: quum in eo quod diligit, Dei gloriam quærit, ſuiq; cõditoris concupiſcit honorem: quum profectui dilecti ſe totum accommodat, ita vt in nullo præſentium, aut futurorum mercede cordis trahatur affectu. Hanc ſolummodo perfectionis regulam in domino Ieſu definio ſtabiliter extitiſse. In cæteris verò ſanctis ad tempus reperiri potuit. Inconcuſse autem, & ſine reflectione inueniri non valuit. Quamdiu viuimus pro quotidianis exceſsibus ſatisfacere cupimus, vt ad æternã patriã expeditius introducendi curramus. Hinc eſt, quod nemo quamuis ſanctus & iuſtus à mercedis concupiſcentia valet ſe liberare, quæ ex virtutum exercitatione, atque proximorum adminiſtratione donatur. Solus itaque Dei & hominũ mediator, ſicut ab omni labe peccati probatur immunis, ita perfectæ amicitiæ, ac inuiolabilis charitatis iura ſeruauit. Amore ſiquidem dilexit gratuito, quos proprio cruore redemit. Quę enim in carne geſsit paſsibili, nihil illi ad ſatisfactionis profuit meritum, nihil ad beatitudinis cumulum militauit. Non enim habuit quod deleret, neque ſupra id, quod erat, aſcẽdere potuit. Illius igitur noſtra ſunt merita, illiusq; profectus noſtri eſt cauſa. In illo planè perfectę dilectionis fulget ſublimitas, quæ amantium cordis penetralia replet. Eſt nanq; dilectio vitæ lignum ſpirituale, quod in electorum mẽtibus diuinitus plãtatur. Ipſius quippe radix eſt charitas, virtutes verò cęterę ſpirituales rami eſse noſcuntur. Vbi.n. eſt charitas, ibi & bonorum operũ fęcũditas. In illa tanquã in radice virtutes vniuerſæ inſertæ ſunt. Viuunt prorſus quandiu in dilectionis radice ſubſiſtunt. Succide radicẽ, & repẽte rami, fructus, exiccãtur, & folia. Tolle de corde hominis iuſtificati charitatem, & infructuoſe

Digitized by Google

cęterę efficiūtur virtutes. Quid prodeſt caſtitas? quid ieiunium? quid ſine caritate patiētia? Si lin guis hominū (ait Apoſtolus) loquar, & angelo rū, caritatem aūt non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniēs: & ſi diſtribue ro omnes facultates meas in cibos pauperum: & ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam: & ſi fidem habuero ita vt montes transferam: abſque charitate nihil mihi prodeſt. Gratificat vtiq; vir tutes omnes charitas, eaſq; facit fructificare vehementer. Sine fœcunditate virtutum eſſe non valet. Audi quid de electis in Canticorum legi- Cant. 4. tur canticis: Omnes (inquit) gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt inter eos. Ex virtutum abundan tia tanquam ex fœcunditate fructuum charitatem agnoſce, ita in alijs quemadmodū & in te. Nolo vt ex amœnitate florum, aut foliorum viriditate, ſeu ex numeroſitate immaturorū fructuum, ſed ex maturitate & perfectione eorum excellentiam charitatis intelligas. Multas quoti die videmus arbores in veris tēpore redolere, niteſcere, & mira pulchritudine decorari, quæ paulatim decidentibus floribus vernantē amit tunt ſpeciem. Quantas præterea aſpicimus foliis tantum eſſe refertas, quæ aurium mulcent auditum, palatum verò minime paſcunt? Sunt quoq; nonnullę, quæ in æſtate maximam afferunt fructuum abundantiam: verum ſuperueniente autumno decimam ex omnibus vix nutriunt partem. Qui legit, intelligat, quoniam figurata ſūt verba. Perſeuerantia igitur eſt, quæ fructus malos ſecernit à bonis. Multi gaudenter, fęcunde, & delectabiliter inchoant: paucisſimi autem Mat. 20. in eo quod cœperunt, perſiſtunt. Multi (ait veritas) ſunt vocati, pauci verò electi: ſed ſoli qui vſque ad finem perſeuerant, ſalui fiunt. Signanter Ioan. 13. autem de domino Ieſu dicitur: Quum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finē dilexit eos. Excellentiorem quippe erga homines in fine vitę ſuæ dilectionē exhibuit, quā in primordio egerit, vt in eorum cordib. artius infixa remaneret. Quod enim ex corporali actione deerat, ex immenſitate in fine ſuo ſuppleuit operis. Talia nēpe geſsit, vt mortalium omnium ſibi valerent vēdicare affectum. Vt igitur, ò homo ſcias, quanti te æſtimauerit Chriſtus, vt compaſsione patiatis cum illo, vtque amori ipſius vices rependere poſsis, hortor, atque commoneo: quatenus in ſpiritu in prætorium Pilati introeas, diligentisſimeque cōſideres, quid tuus propter te in eo ſuſtineat Deus. Lacrymas habeto paratas, cordis gemitum tene, vt quum lamentationes, carmen, & væh in libro vitæ repereris ſcriptas, non ſolum te, verum etiā qui te audierint, prouoces ad lamentum. Nullus (vt arbitror) à fletu continere ſe debet, quum Dei filium, vt ibi duriſsimè flagelletur, in prætorium mente conſpexerit introduci. Nunc itaque horrendum coram te poſitum attende ſpectacu'um. Accedunt miniſtri crudelitatis ad dominum, quatenus detractis ve- Eſa. 53. ſtibus illum nudum exhibeant. Porrò tanquam agnus coram tondente ſe non aperuit os, conuicia patienter audit, tranquillo animo ſe expoliari permittit. Tanta ſiquidem manſuetudinis eſt vſus modeſtia, vt fortè de aſtantibus quoſdā incitaret ad lacrimas. Cuius (oro) tam ferreum pectus tanti non emolliret duritiam benignitas redemptoris? Ligatur, cæditur, totoque flagris corpore diſſipatur. Nunc ſcapulas, nūc ventrē, nunc brachia, nunc crura cingunt. Vulnera vulneribus, plagas plagis recentibus addunt. Hinc liuor tumens, inde ſanguis erumpens. Variatū cute decoriata reddit corpus; adeò vt membrorum compages viſibiles fierent. Propheta vati- Ibidem. cinium tunc completum fuit, dicētis: Vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eū deſpectum, & nouiſsimum virorum, virum dolorum, & ſcientem infirmitatem: reputauimus eū quaſi leproſum, & percuſſum à Deo, & humiliatum. Ipſius autem reuera liuore ſanati ſumus. Nā propter iniquitates noſtras vulneratus eſt, & attritus propter ſcelera noſtra. Vulneribus tandē circunquaque in carne diffuſis, vinculiſque ſolutis proprias compellitur reſumere veſtes. Seceſſit igitur ſolus, & doloris nimietate debilitatus ſine alicuius adminiculo induit ſe. Hoc vnico exemplo potentem, ſuperborumque ſuperfluos damnat famulatus. Non habuit maieſtatis domi nus adiutorem, ſaltem vel minimum, qui in tanta neceſſitatis vehementia ſuffragii manum apponeret. Congregata itaque ad illum vniuerſa cohorte clamyde coccinea induunt, coronam ſpineam plectentes capiti eius imponunt, atque arundinem ſceptrum in manibus tenere cōpellunt. Hic parumper, ò anima mea, conſiderationis tuæ greſſus fige, & redemptoris tui intolerabilem dolorem attende, modū cogita, ludibriū meditare, atque tormēti huius immanitatem ex teipſa metire. Te in perſona ſtatue domini, taliàque arbitrare eſſe paſſuram: capitis delicati ſenſibilitatem conſidera, ſpinarum punctiones cerebrum perforantes mirare: ſicque ſanguinē decurrentem lacrymarum inundatione abſterge. Debuit plane mori tanto dolore transfixus, ſe tamen reſeruauit ad vitam, vt his etiam grauiora perferret. Tanquam gigas fortiſsimus imperterritus ſtetit, & coronationis pœnam immu tata mente ſuſtinuit: nullo frangebatur tormentorum impulſu, ſciens locupletem ſanguinis ſui eſſe mercedem. Illum quippe conſtanter veluti ſpiritualia ſpargebat ſemina fertilem animarum meſſē poſt modū percepturus. Repleuerat enim ſputo faciem, atque deformem, in quem angeli perſpicere deſiderant, reddiderat vultū. Factus fuerat tāquam vas perditum, & ſicut homo mortuus à corde audiens vituperationem multorū com-

commorantium in circuitu. Eorum ſiquidē nonnulli irridentes illum genu flectentes dicebāt: [Ioan. 19.] Aue Rex Iudæorum. Quidam verò arundinē accipientes in manibus venerādum eius caput cedētes irriſionè aiebant: Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt, qui te percuſsit? O inaudita a ſeculis crudelitas, ò horrendum ſpectaculum, regem aſpicere gloriæ, cui cœlorum famulantur obſequia, tantis laceſsiri iniurijs, opprobrijs grauari, atq; incomparabilib. dilaniaris pœnis. Mirabantur planè cœli, mirabantur angeli, omnium que cœleſtium ſpirituum legiones videntes verbum, per quod facta ſunt omnia, cōtemni à perfidis: ſapientiam hominum ſordidiſsima ſuper ſe ſputa ſuſcipere: vndique Dei filium attritum, deſpectum, ingratum, illuſum. Sume igitur nunc & tu, ò anima mea, lamentum grande: plange dolores domini tui, depone nuptialem veſtem; ornamenta regalia tibi cōceſſa: induere cilicio, aſperge caput tuum cinere, faciem immuta: atque cordis tui gemitu illius leni mœrorem, totam te illi conforma, & ſi non vales corpore, ſaltem hoc age mente: Qualis antè ſponſus fuerit tuus, vtique præ filiis hominum ſpecioſus recole. Elegātiam eius, aſpectum decorum, ſuauem facundiam, inceſſum maturum, benignitatē, māſuetudinem, humilitatem, ſerenitatē, vultus, priſtinamq; pulchritudinem meditare: quem quū mente tenueris, delectabiliter aſpexeris, atque dulciſsimè fueris amplexata, vt cognoſcas qualia, quantaque tulerit propter te, tuæ verte conſiderationis oculum ad illum, qui aſtat tibi coccinea amictus chlamyde, coronatus ſpinis, ſputis illitus, cruore ſordidatus, cordis dolore transfixus, corporalibus pœnis incōparabiliter cruciatus, plagis plenus, circundatus vulneribus, liuoribus tumidus, ſanie deturpatus, illuſus ab hominibus, à gentibus flagellatus, à diſcipulo venditus, ab Apoſtolis derelictus, perſequutus à pontificibus, ſubſannatus à turbis, accuſatus iniuſte à rege expulſus, & omni humano auxilio deſtitutus. Clama in fortitudine, & quaſi tuba exalta vocem tuam: non oris, ſed cordis, illique dicito: Es ne tu domine ille, qui paulò antè per ciuitates & caſtella Iudæorum diſcurrebas benefaciendo, languores curādo, & oppreſſos à diabolo liberando? Loquere mihi, ò domine, vt audiat ſeruus tuus, & enarra, ſi fortè tu idem ipſe es, qui glorificatus in monte diuinitatis tuæ potentiam diſcipulis oſtendiſti. Si tu es de quo loquor, quomodo immutatus es? quomodo priſtinum amiſiſti decorem? Regia dignitas, honorabilis aſpectus, fulgentiſsimus faciei ſplendor, veſtimentorum candor, cur ſic repentè pertrāſiit? Delectabar vtique prius in te nihil deforme reperiens: nunc (proh dolor) te intueor nouiſsimum virorum, virum dolorum, ſine ſpecie, ſine decore, abſq; gloria, ſine honore, & abſq; vlla corporis ſanitate. Obtexit cruor defluens imaginem vultus, ſputa humanam deturpauere formam: ſicque factus es opprobrium hominum, & tuorum gaudium inimicorum: Planè domine in hoc tuo aſpectu dolore deficerem propter te & oīno deſperarem de me, ſi nō diuini conſilij altitudinem te duce attingerem, ſi non cordis tui penetralia luſtrarem. In ipſis fateor, quia ſuſtentor, pro ipſis refrigeror, ipſis condelector, atque exulto. Totum quod in te video, à Deo factum eſse non ambigo. Si neque folium arboris abſque nutu patris decidit, venient ne ſuper te tanta ſine illius voluntate flagella? Si ſine cauſa nihil ſuper terram fit, inconſulte fiet paſsio tua? Prophpetæ ad patrem vox illa eſt, quæ ait: Tu verò deſpexiſti, & diſtuliſti Chriſtum tuū, auertiſti teſtamentum ſerui tui, profanaſti in terra ſanctuarium eius: minoraſti dies temporis eius, perfudiſti eum confuſione. Cur hoc in te actum eſt domine? Nempe (vt arbitror) vt ſanares languores meos, & vinum ac oleum infunderes vlceribus meis, vt ſatisfaceres pro me, vt errantem ouem reduceres ad patrem, vt me reuocares ad te, vt te mihi amabilem redderes propter me, vt ſupernæ ciuitatis deſtructæ ruinas reparares, vt cœleſtium ciuium redintegrares numerum: Hæc in arcano æterni patris pectore ad te facta ſunt verba, quum de cœlorum ſedibus in hoc ærumnoſum exilium deſcendiſti. Perfecta quidem ſunt in te, quæ de excelſo gloriæ throno dicta ſunt tibi: non tamen ſine te. Te nanque ſuadente, te volente, te conſentiente totum, quod pateris, factum eſt. Per Prophetam enim dixiſti: In capite libri ſcriptum eſt de me, vt facerem voluntatem tuam, Deus meus volui. Voluiſti prorſus domine: quemadmodum Propheta alius teſtatur de te: Oblatus eſt (inquit) quia ipſe voluit. Et vnde voluiſti? aut cur voluiſti, ò dulcedo æterna, amor caſte, [Eſai. 53.] & vnice mediator? Tui vtique genitoris te impellente gloria, mea te trahente infinita miſeria, diuina te arctante iuſtitia, & ſuperna atque ineffabili in te habitante gratia. His funibus ad columnam ligaris, charitatis circumamictus purpura gaudēter ludibria ſuſtines, pietatis cōpaſsione ſucceſſus iucundiſsime ſpineam coronam geſtas in capite, rectitudinis animatus zelo arundineo baculo prudentiſsime, quanta ſint delicta mea, metiris. Vt me robores, læto animo debilitaris in carne, venuſtas me tuo cruore, tuo liuore perornas, tuoq; amore inebrias, ardes intus dilectione, nimioque amore ſuccenderis. Mœſtitiam meam tua propulſat charitas, dolor quoque meus, quum in corde tuo alto attollis me, diu mecum perſeuerare non valet. Conuertis domine planctum meum in gaudium mihi, amaritudinem in dulcedinem, in lucem tenebras, metum in ſecuritatem, deſperationem in

Pſal. 88.

Pſal. 39.

ſpem,

ſpem, teporemque in flagrantiſsimam charitatem immutas. Hæc planè non eſt hominum, ſed mutatio dexteræ excelſi. Hanc nemo niſi dilectus percipit, niſi poſſeſſus tenet, niſi exercitatus deguſtat. Amantium deliciæ ſunt, & ſponſæ munera precioſa. Canticum nouum eſt, & ſuauiſſimum amoris carmē. Hoc modulatione dulci, libertate præcipua, feruida charitate promit, quiſquis verbi vulnus dulciſsimum ſuſcepit in pectore: at verò qui illo adhuc dignus nōn eſt, lamentationes ſumat in corde, atque dolenti domino compatiatur ex corde. Nullus profectò amoris carmen veraciter tenet, qui in lamētationis libro non fuerit eruditus. Incipientium hoc, illud autem donum eſſe noſcitur perfectorum. Primi de exemplo, vltimi de arcano Dei paſcuntur conſilio. Vterque ſuo tempore proprium ſpirituale recipiunt alimentum. Verùm ab hoc ſpirituali conuiuio nunquid proficientes excludūtur viri? Prorſus minimè. Habēt planè & ipſi vnde ſpiritualiter nutriantur. Imbuuntur iſti myſteriis, ſaginantur ſacramētis. Quanta in hoc memorato ſaluatoris ludibrio myſteria lateant, diligenter aduerte: quatenus ſpirituales proficientium delicias non ignores. Veſtitur quippe purpura, arundinem geſtat in dextera, coronatur ſpinis, ſputis deturpatur, genu flexionibus irridetur, & vt prophetizet à perſequutoribus prouocatur. Equidem his paucis omne ludificationis, per quod ab hominibus malis Dei contemnitur ſapientia, voluit exprimere genus. Sacerdotalem in veſte purpurea, quæ pontificibus, & regibus congruit, inſinuat dignitatem. In ea toties illuditur Chriſtus, qui ſecundum ordinem Melchiſedech verus eſt pontifex: quoties qui præſunt in Eccleſia, honores ab hominibus quęrunt, precioſarum veſtium apparatu nitent, dominatum ſibi in clero vendicant, & tranſitoriis Matt. 11. proſperitatibus delectantur. Nempe teſte domino, qui mollibus induuntur, in domibus regum ſunt. Vbi (oro) mutato habitu illuſus eſt Chriſtus? Nonne in domo Herodis regis, & Pilati præſidis? Iam attende palatia præſulum. Ponunt ſigna, ſua ſigna ſericis apparatibus ornātur, precioſis veſtimentis induuntur, famulorum vallantur multitudine, adulatoribus replētur, & quod ſine mœrore dici non poteſt, domus, quę egenorum eſſe receptacula debent, imperatorum palatia iudicantur. Taceo de cibis, poculis, electuarijs, ſaporibus, vaſis argēteis, & deauratis, iocis, cōfabulationibus, obtrectationibus, & alijs, quā plurimis talibus, quæ in ſecularium principū ędibus frequentantur. In locis vbi huiuſmodi fiunt, habitationē non inuenit ſapientia, neque qui illam agnoſcat, reperitur. Propterea quaſi ignota & aliena irridetur, & ſubſannatur. In plateis itaque præſulū malè viuentium, & in eccleſia temporalia lucra quærentiū, ac ſuperbiæ faſtu tumētium myſticè Chriſtus in purpura illuditur, ſed à diuitibus diademate ſpineo coronatur. Sunt etenim diuitiæ ſpinæ acutiſsimæ, quæ rationale caput hominis pungunt, & perforant, indeque ſanguinem ebullire faciunt copioſe. Incredibiliter diuitiarum amor, & terrenarum immoderata cogitatio facultatum mentem ſpargunt, diſsipant vnitatem, pacis bonum perdunt: & amatores ſuos innumerabilibus delictis immergunt. Iuxta criminum quātitatem ſpiritualiter ſanguis emanat. In ſanguine quippe peccatum exprimitur, dicente Propheta, Libera me de ſanguinib. Pſal. 50. Deus. Poſsidendæ igitur ſunt diuitiæ ordinato cum affectu. In ipſis nequaquam finis conſtituēdus eſt. Erogandæ ſunt, vt multiplicētur, atque proficiant in futurum, quemadmodum Apoſto- 1. Tim. 6. lus exhortans, dicit, Diuitibus huius ſeculi præcipue non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarū, ſed in Deo viuo, qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum, bene agere, diuites fieri in operibus bonis, facile tribuere, cōmunicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonū in futurum, vt apprehendant veram vitam. Contemptus ergo opum futura non caret mercede, & præſenti commodo. Mentis etenim extollentiam deiicit, & dominandi extinguit affectum. Cohærent frequenter ſimul bonorum temporalium affluentia, & principandi amor. Hoc indicauit mediator, qui illudi voluit ſicut in corona ſpinea, ita & in arundineo ſceptro. Meritò terrena dignitas arundini comparatur, quæ exterius viret, & tamen infructuoſa, intùſque inanis eſt, & vacua. Quis in aſpectu primo potentū ſeculi nō appeteret faſtum? Quicquid in ipſo eſt, arridere, atque vireſcere creditur. Accede autē propius, diligenter conſidera, quantis intus agitetur curis, quale etiam foris proferat germen, vtique inutile, & citò periturum. Ex præteritorum ſcientia præſentia iudicabis. Vidi (inquit Pſal. 36. Propheta) impium ſuperexaltatum, & eleuatū ſicut cedros Libani; tranſiui, non erat, quæſiui, & non eſt inuentus locus eis. Infœcundi prorſus ſunt, qui dominantur, & vacui tanquam arūdines, infœcundi aliis, ſibiipſis autem vacui. O quantum in ipſis, & per ipſos æterna illuditur ſapientia, quæ ex ſui munditia, & naturali excellētia attingit à fine vſque ad finē fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Illam profectò irrident, quū illius honorē ſibi arrogant, & volunt tyrannicè præeſſe hominib. Vt dominaretur terrę animantibus, nō hominibus, inſtitutus eſt homo. Sic habes dictū hominib., Dominamini piſcib. maris, Gen. 1. & volatilib. cœli, & vniuerſis animātib. quæ mouentur ſuper terrā. Solus enim Deus Rex eſt potens, & Dn̄s Dominantiū, qui habet immortalitatē, & lucē habitat inacceſsibilē. Nūc itaque re- Pſal. 2. ges intelligite, erudimini qui iudicatis terram, nolite extollere in altum cornu veſtrum, neque

loqui aduerſus Deum iniquitatem. Quoties ex poteſtate veſtra inſoleſcitis, atque delinquitis, veſtro arundineo baculo Chriſti caput percutitis. Mementote (obſecro) quid futuri eſtis, ſer-
Pſal. 2. uite Domino in timore, apprehendite diſciplinam, ne iniuſtitiã amantes pereatis iuſtè. Quod habetis, humiliter recognoſcite ab ea, quæ ait,
Prou. 8. Per me reges regnant. Ipſum vos admonẽtem audite. Intelligite (inquit) reges, diſcite iudices finium terræ, præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab altiſsimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur, quoniam quum eſſetis miniſtri regni illius, non rectè iudicaſtis, neque cuſtodiſtis legem iuſtitię, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis. Horrendè & citò apparebit vobis, quoniã iudicium duriſsimum in iis, qui præſunt, fiet. Pro eruditione igitur veſtri in illuſione ſui arundinem tenere in dextera voluit, ſed pro doctorum eccleſiaſticorum carnali confutanda intelligentia in faciem conſpui dedignatus nõ eſt. Spiritualiter quippe conſpuitur Chriſtus, quando carnaliter intellecta diuina in eccleſiis prædicantur eloquia. Nempe ſapientię cœleſtis pulcritudinem fœdant, qui verbum Dei annunciantes carnaliter viuunt. Præconem veri-
1. Cor. 9. tatis audi, Caſtigo (inquit) corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè cum aliis prædicauero, ipſe reprobus efficiar. Nouerat vitam laudabilem plurimum prædicationi conferre, ne igitur contẽneretur ſapiẽtia verbi, ne Chriſti facies ſputis illuſionum ſpiritualiter turparet, tanta ſe Paulus cæde mactabat. Cauebat ne mundi huius ſapientiam loqueretur, ne doctrina diſcreparet à moribus, fieretque ludibrium
2. Cor. 13. auditoribus Chriſtus, qui loquebatur in Paulo, dicente ipſo, An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus? Timeant itaque verbi Dei tractatores in vitę ſuę deordinatione illudere Chriſto. Studeant ſuum virtutibus decorare ſermonẽ, atque diuino in morum probitate autoritatem præſtare eloquio. Aequalis periculi res eſt Dei verbum malè viuendo proferre, & ſanæ Chriſti doctrinæ nequiter viuendo contradicere. Vtrunque damnabile, vtrunque odioſum eſt Chriſto. Porrò ſapiẽtia mores deteſtatur malè viuentiũ, eorũ potiſsimum, qui cauterizatam habentes conſcientiã ſub verborũ ſonora altitudine, aut ſub ſanctitatis velamine derogant veritati. Hi totũ eccleſiæ corpus cõmaculant, atque corrumpũt. Per blandos ſermones, & fucata verba imprudentiũ corda ſubuertunt. Oſtentant quippe ex verbis, ex ſimulatis actibus ſe honorare Chriſtum, quum re vera illi turpiter illudant. Horũ geſſit imaginẽ Sacerdotum irriſio, quando genua ponentes dicebãt, Aue rex Iudęorũ. Ore ſuo benedicebãt, ſed corde ſuo maledicebant. De talibus per Prophetã Eſa. 29.
Dominus conqueritur, dicens, Populus hic labiis me honorat, cor autem eorũ lõgè eſt à me, quaſi gens, quæ fecerit iuſtitiam, & iudiciũ. Hypocriſi quum ſint pleni, quandiu peccandi captauerunt facultatem, ſanctitatem ſimulãt. Quum opportunitas illis aderit, præ cæteris Chriſtum ſpiritualibus illuſionibus derident. Horũ ſicut & aliorum propera erit perditio. Sua quippe dãnatione, ſuiſque illuſionibus fideles erudient, nec auertent, ſed potiùs conuertent ad Chri-
ſtum. Pro eiſdem Patrem deprecans ait, Non Pſal. 68.
erubeſcant in me, qui expectant te, Domine virtutum, non cõfundantur ſuper me, qui quærũt te Deus Iſrael. Hæc ſunt ſpiritualia monita tua, Domine Ieſu, quibus in myſterio corporeæ illuſionis tuæ proficientes erudis viros, & per ipſos eccleſiam, quatenus virtutum perfectione imbuti væh perpetuæ mortis euitent. Tu nẽpe ſolus es, qui lamentationis promoues gemitũ, & carmen amoris immittis, atque interminati ſupplicii lacrymoſum væh euadere doces.

Qualiter concitati animi furor valeat demulceri. Cap. XV.

NVllum ad excitati animi placandam iram validius arbitror fore medicamentum, nil ad euigilandam cõpaſſionem, & iniuriam patientis ſic congruit, quẽadmodum miſerorum miſerias anteponere illis. Facile innatam, & naturalem compaſsionẽ trahit ad ſe calamitas pauperũ, & tribulati cor-
dis deprimens mœror. Hac Rex, & Propheta 2. Reg. 12.
Dauid vſus eſt arte. Cùm enim poſt adulteriũ, & homicidium prolem ex delicto genitam Dominus vellet perimere, ille tãdiu in cilicio ſtãs, atque orando lacrymas fundens de cordis ſui exhibuit gemitũ, quandiu vixit infantulus. Quo defuncto abiiciens humiliationis habitum com-
peſcuit fletum. Fleuit etiam Anna Samuelis ma- 1. Reg. 1.
ter coram Domino exercituum humiliter in ſylo ab æmula irrogata conuitia. Quamobrẽ ſterilitate depulſa Deo gratiſsimam meruit ſuſcipere prolem. Sic & ipſe mediator Chriſtus, vt diuinam aduerſus humanum genus concitatam pro criminibus poſſet mulcere iuſtitiam, cicatrices vulnerum ſibi reſeruauit in corpore, quatenus haberet ſemper, quod pro reconcilianda hominum ſpecie irato oſtenderet patri. Hoc idem egit Pilatus in Iudæorum turba furenti. Flagellatum etenim Dominum, coronã geſtantem ſpineam, atque purpureũ veſtimentũ popu-
lo expoſuit, dicens, Ecce homo. O grande my- Ioan. 19.
ſterium, ô diuinæ miſerationis ineffabile ſignũ videre Dei Filium, Angelorum gaudium, & cœleſtis Hieruſalem inextinguibile lumen, ſolem (ſcilicet) iuſtitiæ totũ cruentatũ, & ſqualidũ coram

ram vniuerſa aſtare Hebręorum plebe. Quis cõtemptibilibus, quis vnquam reum quempiã crudelius tractari conſpexit? Debuerant planè ſaxea emolliri corda, omnèmque indignationem euomere ad aſpectum talis ludibrij. Tunc Prophetę vaticinium nouerãt eſſe completũ, quod in perſona Domini prænunciauerat ſic. *Pſalm. 21.* Ego autem ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Mediatoris itaque calamitatem præſes populo inſinuauit, inquiens, *Ioan. 19.* Ecce homo. Illi quippe tribuit, quod nulli miſerrimo denegatur. Quod quiſque naturaliter habet, commemorauit in Chriſto. Ecce (inquit) quem perſequimini, quem occidere nitimini, flagellatus, coronatus, conſputus, illuſus, cõtemptibilis adeſt. Obijciens nanque illis viſibilem formam deſpicabilem, plurimùmque deformem nihil de diuinitatis excellentia, nil de innocentia vitæ, nilque de collatis virtutibus recolens, ait, Ecce homo. Verum profectò dixit, quòd homo erat Chriſtus, reticuit autem, quòd Deus erat. Erat vtique verbum apud Deum Deus, *Hebr. 1.* per quod facta ſunt omnia, & ſine quo nihil. Erat ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ Patris, portabàtque omnia verbo virtutis ſuæ. Nam idem verbum quamuis caro vellet fieri, & cum hominibus habitare, manebat tamen cum Deo Deus indiuiduus in eſſentia, conſors in diuinitate, in poteſtate æqualis, & ſine initio coæternus. Quòd homo erat, dignationis non diminutionis cauſa fuit. Verùm diuinæ lucis radiis obcæcati Iudæi, atque tanti ſacramenti altitudinem penetrare non valentes, mox vt Dominum proſpexerunt, væſania commoti ſolita clamauere, dicentes, Crucifige, crucifige eum. *Ibidem.* O inſenſati, & infideles Diaboli miniſtri, mortis filii, & gehennæ flammis æternaliter deputandi, quæ eſt vox hæc, quam proferris? quid eſt, quod à præſide perfici poſtulatis? Occidere ne vultis, per quem ſeculo vita donatur? perimere ipſam con- *Pſal. 61.* cupiſcitis vitam? vt quid miſeri ſic clamatis? cur irruitis in hominem tanquam in parietem inclinatum, & in maceriem depulſam? Nam (vt cerno) opere complere nitimini, quod per virum ſapientem aiſtis, Mittamus lignum in panem *Hier. 11.* eius, & eradamus eum de terra viuentium, & non memoretur nomen eius amplius, caſſo tamen labore deſudatis. Nihil proficiet malitia veſtra, præualebit quidem, ſed ad tempus tantum. *Pſal. 40.* Impoſsibile erit illum detineri apud vos. Nunquid cùm dormierit, non adiiciet, vt reſurgat? an fortè in ira veſtra continebit miſericordias ſuas, aut obliuiſcetur miſereri, & præſentiam ſuam abſcindet à generatione, & generatione? Fixum eſt Dei conſilium, & mutari non poteſt. Sicut locutus eſt per os ſanctorũ, qui à ſeculo ſunt prophetarum eius, ſic fiet. Quòd tradendus, quod *Luc. 1.* flagellandus, quod crucifigẽdus, quòd perimendus ſit Chriſtus, vaticinatum eſt, qui verò prænunciauerunt iſta futura, prędixerunt etiã eundem reſurrecturum, aſcenſurum, iudicaturum, & in perpetuum regnaturum. Supplicia inſuper, quæ pro hoc immani paſſuri eſtis ſcelere, ad eruditionem fidelium, retexere curauerunt. Nam egregius Pſaltes homo ſecundum cor Dei de progenie veſtra, regnànſque ſuper vos quid dixerit, audite, *Pſal. 68.* Obſcurentur oculi eorum, ne videant, & dorſum eorum ſemper incurua. Fiat habitatio eorum deſerta, & non ſit, qui inhabiter in ea. Appone iniquitatem ſuper iniquitatem eorum, & non intrent in iuſtitiam tuam. Deleãtur de libro viuentium, & cum iuſtis non ſcribãtur, quoniam quẽ tu percuſsiſti, perſecuti ſunt, & ſuper dolorem vulnerum eius addiderunt. Quid etiam Dominus per prophetarum eximiũ, qui de ſeruitutis domo vos eduxit, promulgauerit, auſcultate: *Deut. 32.* Congregabo (inquit) ſuper eos mala, & ſagittas meas complebo in eis: conſumentur fame, & deuorabunt eos aues morſu amariſsimo: dentes beſtiarum immittam in eis cũ furore trahẽtium ſuper terram atque ſerpentiũ: foris vaſtabit eos gladius, & intus pauor, iuuenem ſimul ac virginem lactentem cum homine ſene. Expauit ne cor veſtrum ſuper comminationibus iſtis? Verum nullum (vt arbitror) ſanum valetis capere conſilium indignatione nimia, & malignitate ſuccenſi, ſaltem vel hominẽ gentilem attendite, quid vobis furẽtibus dicat, quidve de Chriſti innocentia ſentiat, *Ioan. 19.* Accipite eum vos (inquit) ego nõn inuenio in eo cauſam. Cauſam nullam iudex in illo ſe inuenire dicit, vt ipſum crucifigere debeat. *Eſa. 53.* Quippe qui peccatum non fecit, nec dolus inuentus eſt in ore eius. Malebat potius ſuæ in aliquo derogare poteſtati, quàm viro ſancto necem irrogare iniuſtam, propterea aiebat, Accipite eum vos, & crucifigite. *Ioan. 19.* Cui reſpondere Pontifices, Nos habemus legem, & ſecũdum legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit. Ad vos nunc, ò legis periti, meus ſermo dirigitur. Legẽ habere vos dicitis, quæ Chriſtum damnat, quoniã Dei Filiũ ſe facit, legẽ vtinam habetis, non in mẽbranis, ſed in cordibus ſcriptam, legem tenetis lucri cauſa, & honoris appetitu, ſub prætextu ſcientiæ legis primos in cœnis deſideratis accubitus, & ſalutationes in foro, atque ab hominibus vocari Rabbi. Legis periti vocari, non autem eſſe, concupiſcitis. Nunc verò præuaricatores legis attẽdite legem, & vtrum lex Chriſtum dãnet, qui ſe Dei Filium aſſerit, animaduertite. Nõne in lege vox *Pſal. 88.* patris illa, quæ ait, Ipſe inuocabit me, pater meus es tu, & ſuſceptor ſalutis meę, & ego primogenitum ponã illum excelſum prę regibus terræ. An *Pſal. 2.* nõ vox illa filii eſt, Dominus dixit ad me, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Quid euidentius, quid perſpicacius dici potuit? Attrita ne eſt

Mm 2 frons

Pſal. 26. frons veſtra? Inſurrexerunt (inquit de vobis filius) in me teſtes iniqui, & mentita eſt iniquitas ſibi. Aliud tamen de lege veſtra prolatum audite Pſal. 17. teſtimonium contra vos. Hic eſt (ait Propheta) Deus noſter, & non æſtimabitur alius ad eum. Hic adinuenit omnem viam diſciplinæ, & dedit eam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Bar. 3. Poſt hoc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Nempe facta eſt vobis lex in laqueum, & in retributionem, & in ſcandalū. Aduerſum vos, non contra Chriſtum clamat lex, Pſal. 57. dicens, Alienati ſunt peccatores à vulua, errauerūt ab vtero, loquuti ſunt falſa, delictum oris eorum ſermonem labiorum ipſorum vt comprehendantur in ſuperbia ſua, & de exercitatione & mendacio annunciabuntur in conſummatione in ira conſummationis, & nō erunt. Lex quippe ſancta mendacio veſtro fauere neſcit. Illud inſequitur, illud veritati perhibens teſtimoniū Gen. 49. ſuis conuincit eloquiis. Salutare tuum expecta- Deut. 18. bo Domine, inquit grandæuus ille & Sanctus Iacob. Moyſes quoque ait, Prophetam ſuſcitabit Dominus Deus vobis de fratribus veſtris, tanquam me ipſum audietis. Erit autem omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de populo ſuo. In Pſalmo, Viderunt omnes fines terræ ſalutare Dei noſtri. Deficiet Pſal. 97. potius dies, quàm in Chriſti laude prolata in lege teſtimonia contra vos. Non valet lex quaſi blaſphemum Dei filium damnare, quæ ſemper approbat veritatem. Quomodo damnabit eum, cuius præſentiā tam ardenter poſcebat, inquiēs, oſculetur me oſculo oris ſui? Illius igitur diuini- Cant. 1. tatem annunciat lex, illum in carne futurum fatetur, illum cum venit, veneratur, & colit. At ſceleſti Sacerdotes Hebræorum illum ſecundū legem morti eſſe obnoxium Pilato ſuadere conātur. Verum ille legis ignarus Dominum quis eſſet ſciſcitari voluit. Expauerat quippe ſupra modum cor eius, cum audiſſet, ſecundū legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit, quamobrem Ioan. 19. in prætorium ingreſſus dixit, Vnde es tu? cui quum nullum Dominus daret reſponſum, ait, Mihi non loqueris? O ſuperba locutio, quid te iactas? quid de te ſentis, vt Verbo Dei audeas dicere, mihi non loqueris? Oblitus ne es te arundinem eſſe ſterilem, vacuam, & à vento inanis gloriæ agitatam? Cur te extollis? Nunquid ab eo talia didiciſti? Debueras planè ex verbis, ex geſtis, ex ipſius manſuetudine humilitatem diſcere, atque de ore tuo ſale cōditū proferre ſermonem. Attamen ſi quid vlceroſum in te eſt, ſi quid in corde tuo præſumptuoſum latet & fœtidum dicito. Quandiu cœleſtis adeſt medicus, donec præſens eſt ſapientia, maculas detege proprias, quatenus ſalutarem ſaluatoris medicinam accipias. Porrò curari poteris, dummodo conſilium non contemnas, & ſapientiæ verba prolata non negligas. Aperi citò os tuum, & quod in mente verſatur, profer. En expectat Dominus, vt te aperiēte, te agnoſcente, te confitente, remedium tibi ſapientiæ tribuat. Inde præſes ſequutus adiunxit, Ibidem. Neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te? Tumebat profectò terra, eleuabatur, grandiaque paritura videbatur. Tandem aperuit ſe, emiſit ventum, mendacium protulit, & de ſe veritatem ſapientibus ridiculum fecit. Quis de ſe ſupra ſe præſumentem non irrideat? Dominus autem, qui peccatores ſaluos facere venerat, cor illius ſanare curauit, minimè illum paſſus eſt in ſuperbiæ tumore deficere, propterea inquit, Non haberes poteſtatem aduerſum me vllam, niſi datum tibi eſſet deſuper. Ibidem. Maximum Dominus ſermonibus ſuis humilitatis & ſapientiæ præſtitit documentum. Repreſsit reſponſione prudenti præſidis ignorantiam. Nemo niſi diſpenſante Deo poteſtatem ſortitur in terris. Non tamen omnes laudabiliter diuina diſpenſatione vtuntur. Præſunt quidam, & proſunt aliis, & magnum de poteſtate accepta animarum reportant lucrum. Tales duplicibus veſtiuntur, dum propriis, ſubiectorūque profectibus gaudent. Nonnulli verò ſunt, qui cum ſui diſpendio alios ad regendum deputati ſunt, dominari huiuſmodi appetunt, præeſſe delectantur, nilque de regimine ſuo, niſi vt reuereantur, eliciunt, futurum iudicium ſpernētes incumbunt præſentibus, ſemperq; (ſi liceat) illis viuere libet. Sine timore Dei ſunt hi, ſuperno abutuntur munere, permittenteque opifice ſummo alienam excolunt terram, & inde iuſtitiæ fructum percipiunt nullum. Satius iſtis ſuffet ſub aliorum ducatu Chriſto militaſſe, quàm cùm damno proprio infirmis præeſſe. Non tamen ex hoc arguēda, ſed potius Dei eſt ſapientia veneranda, qui irreprehenſibiliter ordinatiſsimo ſuo iudicio vniuerſa diſponit. Præſidet quippe in ſe, & mirabili lance æquitatis in ſe cuncta componens ad ſui facit gloriam triumphare. Hanc ſiquidem diuini conſilij altitudinem nemo attingit, niſi gratis aſſumptus. Profectò in ipſa iudiciorum Dei luce inacceſsibili omnis rationalis ſpiritus caligat ſcientia. Se retinet ſibi in ſe tanquam nullius indigens. Ex hoc potiſsimum cunctis ſe intuentibus ſe ipſum mirabilem exhibet, profundum ſe contemplantibus imponit ſilentium, accendit ad amorem, in luce ſolidat, & beatificat in ſe, in vniuerſi vtique regimine ſuauiſsimum ſapientiæ facit concentum, iucundiſsimum quidem regnantibus cum illo, ſed deſideratiſsimum ſuſpirantibus ad ipſum. Primi in menſa nuptiali recumbunt alimentorum cœleſtium vbertate referta, nec mirum. Tranſiens enim mediator, atq; præcinctus illis miniſtrat, noua apponit animæ alimēta, delectabilia immittit gaudia, ita vt ſagi-

ſaginati atque refecti nil extra id, quo fruuntur, concupiſcere queant. Secundi autem micis paſcuntur recumbentium, non tamen ad votum, neque ad ſatietatem, ſed pro libito dominantis, atque gubernantis altiſsimi. Ipſe nulli detrahit quod meretur, nulli denegat quod eidem congruere nouit. Humiliat, & exaltat, mortificat, & viuificat, in poteſtate attollit, & deprimit, cuncta hæc in ſapientiæ ſuæ arte componens. Ibidem. Veriſsimam igitur ſententiam Pilato protulit Mediator, dicens. Non haberes poteſtatem aduerſum me vllam, niſi tibi datum eſſet deſuper. Ex qua reſponſione erudiuit præſidem, quamuis non ad plenum. Exinde opportunitatem quærebat dimittere illum, meditabatur vtilia, honeſta cupiebat, ſed non ea virtute, qua debuit. O quanti quotidie iudicis huius imitantur inconſtantiã, ò quot ab eo quod diſponunt ſanctè agere, ſe ſubuerti permittunt. Proinde maxima in virtutibus, ac ſpiritualibus deſideriis cautela nobis eſt adhibenda. Infatigabiliter Deo ſeruientibus Diabolus aduerſatur, & omne laudabile virtutis propoſitum conatur euertere. Nulla hora, nulloque momento ab illius fraudibus oportet nos eſſe ſecuros. Quod non valet per ſe, per membra ſua operari non deſinit. Per Sacerdotum igitur Pōtifices Hebræorum, quos poſsidebat vt proprios acutiſsima blaſphemiæ, ac maledictionis iacula dirigebat in Chriſtum, & vt mortis ipſius mali voti ſui fieret compos, per eoſdem timoris ſagittas in Pilatum intorſit, quatenus & ipſe perterritus perficeret quod volebat, quamobrem clamauere, dicentes, Ioan.19. Si hunc dimittis, nō es amicus Cæſaris, omnis qui ſe regē facit, cōtradicit Cæſari. Nouerant nefarii Romanorū regem nolle, vt quis abſque ſui, ſenatuſque conſulti autoritate, regis ſibi nomen imponeret. Cum igitur Chriſtus Romanorū non ſibi fauorū aſciuerit, vt fieret rex, occaſione hac tam Chriſto, quàm præſidi accuſationi calumniam inferebant. Tali ſiquidē adminiculo nō indiguit mediator, vt rex verus agnoſceretur eſſe, quippe quum de illo ſit ſcriptum, Psal.73. Deus autē rex noſter ante ſecula operatus eſt ſalutē in medio terræ. Apoſtolus etiam de ipſo ſic ait, 1.Tim.1. Regi ſeculorum immortali, & inuiſibili ſoli Deo honor & gloria in ſecula ſeculorum. Regni verò ſui in vniuerſali iudicio excellentiã demonſtrabit. In obſequium quidem ſuū Angelos, Archangelos, & omnem cœlorum adducet militiam, quando (videlicet) ſedebit in ſede maieſtatis ſuæ, iudicabitque cunctum hominum genus, atque ſingulis reddet ſecundum opera eorum. De huiuſmodi triūphali regno nil præſidi Pontifices loquebantur, ſed de temporali regia dignitate, cuius Pilatū nouerant eſſe miniſtrum. Propterea meditatam obiectionem Pilatus expauens pro tribunali ſedens, morti adiudicauit morte indignum. Multifariè quippe attentauerat Chriſtum de eorum manibus liberare. Quod quū perciperet ſe caſſo deſudare labore, ipſorum obſtinatiſsimę paruit voluntati. Pueriliter denique agens coram populo aqua accepta, Mat.27. lauit manus ſuas, dicens, Innocens ego ſum à ſanguine hominis iſtius. Lauit manus ſuas, tanquam ſi per ablutiones corporis ſordes tergerētur animarum. Fefellit autem illū ſtulta opinio. Nō eſt corporalium macularum punitor Deus, Esa.1. ſed ſpiritualium, neque de exteriori, ſed de interiori ſtatu hominum iudicat. Lauamini (inquit per Prophetam) mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarū ab oculis meis. Quieſcite agere peruersè, diſcite benefacere, quærite iudicium, ſubuenire oppreſſo, iudicate pupillo, defendite viduam. Nitorem igitur conſcientię, animæ pulchritudinem, mentis munditiam, atque ſynceritatem vitæ ab vnoquoque noſtrum exigit. Nec diſcutit, vtrum quis non lotis manducet manibus, aut immūdis incedat pedibus, ſeu Hier.17. maculoſis, ſciſsiſque veſtimentis gradiatur. Ego ſum (inquit ipſe) qui ſcrutor renes & corda, & do vnicuique ſecundum opera ſua. Nihil horū ſciens Pilatus, Iudæorum ſequebatur ritus, qui diuinæ legis ignorantes ſenſum, literæ cultum perficere conabantur. Non autem corporalis actus per ſe obeſſe aut prodeſſe multū poteſt ſine voluntatis, ac rationis conſenſu. Quod male cōſummatur per corpus, ſi ex voluntatis deliberatione prodierit, dupliciter punietur. Vbi verò abſque corporis miniſterio, peccatum agitatur in corde, ſimplici cordis compunctione mundatur, dicente Propheta, Psal.4. Quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris cōpungimini. Dupliciter igitur deliquit præſes, & neutrum ſatisfaciendo deterſit. Pro humano timore contra mentem egit, & iniuſtiſsime damnauit innoxium. Proprium aliis impoſuit facinus, atque ſine compunctionis gemitu, ſola manuum ablutione ſe Deo ſatisfacere credidit. Verum diuinam ſicut cæteri euadere non meruit vltionem. Quoniam verò minus malitioſe deliquit, remiſsius cū illo, quàm cum Iudæis, iudicium actum eſt, ſicut Domini voce eidem dicitur, Ioan.19. Propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Iudæorum nanque populus, & potiſsimum Phariſæorum, ac turba Pontificum ſupra modum grauiter deliquerunt. Sciebant quo animo, quave nocendi intentione agerent contra Dominum. Nouerant meditatas fraudes, & argumenta fallaciæ. Nequaquam ſeipſos apud ſe excuſare valebant, aduerſus eos conſcientia ipſorum teſtimonium perhibente, ac etiam cogitationibus cordium ſe inuicem accuſantibus. Attamen non ſunt veriti impudentiſsime vociferati, dicentes, Sanguis eius ſuper nos, & ſuper liberos noſtros. Quod petierunt, dupliciter conſequuti ſunt. Nam temporalem, æter-

namque ſententiam pro innoxij cruoris effuſione perceperunt. Non tamen diuina funditus eos conſumpſit iuſtitia, ſed ſuper terram profugos fecit, ſicut ore Prophetico dicitur, Peccatum peccauit Hieruſalem, propterea inſtabilis facta eſt. Tren. 1. Ob promiſsiones igitur patribus factas inter gentes habitare ſinuntur, quod Propheta aſcribens Chriſto in perſona eorum ſic ait, Spiritus oris noſtri Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris cui diximus, In vmbra tua viuemus in gentibus. Ad eruditionem quoque fidelium ipſorum reliquiæ remanſerunt, quemadmodum Pſal. 58. Pſaltes præcipuus ex Saluatoris voce inquit, Deus oſtendit ſuper inimicos meos, ne occidas eos, ne quando obliuiſcantur populi mei. Diſperge illos in virtute tua, & depone eos protector meus Domine. Cur autem hoc illis acciderit, intulit. Delictum oris eorum, ſermones labiorum ipſorum comprehendantur in ſuperbia ſua. Nempe quod vaticinatum fuit, ſine iudice aliquo noſtris claret tẽporibus. Quę (oro) genus eſt, quæ ad habitandum non habeat regionem? Quis verò populus cunctis terrarum nationibus ſic odioſus agnoſcitur, quemadmodum Hebræorum? Illis nanque regnum, ciuitates, & ceræmoniæ ſacræ oblatæ ſunt. Hoc in ſpiritu præuidens Propheta deplorat, dicens, Tren. 2. Factus eſt Dominus quaſi inimicus, præcipitauit Iſrael, præcipitauit omnia mœnia eius, diſsipauit quaſi hortum tentorium ſuum, demolitus eſt tabernaculum ſuum, obliuioni tradidit Dominus in Sion feſtiuitatem & Sabbatum, & in opprobrium, & in indignationem furoris ſui regem & Sacerdotem. Repulit Dominus altare ſuum, maledixit ſanctificationi ſuæ. Vnde iſtis acciderint Mat. 27. hæc, præſens eorum ſermo denunciat. Sanguis eius (inquiunt) ſuper nos, & ſuper liberos noſtros. Illis iſta clamantibus Ieſum flagellis cęſum tradidit præſes voluntati eorum, vt crucifigeretur.

Qualiter poſt victoriam exultare ſoleant bellatores. Cap. XVI.

Qvi inuiſibili conflictu dimicant, ſi contigerit eos cum robuſtiſsimis bellatoribus poſt fatigationem nimiã, poſt hinc inde directos ictus obtinere triumphum, gaudẽt quidem, ſed labore attriti ſui nequeunt cordis inſinuare lætitiam, quo adusque aliquantiſper recreati conſumptas reparent vires. Tunc exultant, tunc adeptæ victoriæ ſtudent patefacere gaudium. Nil etenim rebellionis ſentientes in ſe, nulloque illis renitente ſe totaliter in aſpectus aſtantium transferunt. Illis quid gaudii habeant in ſeipſis, quid triumphi perceperint, reſerare conantur. Hoc idem ſceleratiſſimos egiſſe arbitror Hebræorum Pontifices, in necis Chriſti prolatione ſententiæ. Exultauere vtique in ſemet, quemadmodum victores capta exultant præda. Verum ſeſsi corpore, quod geſtabant intus, foris manifeſtare non poterant. Laborauerant quidem mente falſa meditando, & componendo inania. Corpore autem non deſudauerant minus vociferationibus, ratiocinationibus, exhortationibus, nugis, Eſa. 48. hincinde diſcurrendo, nunc ſuadendo præſidi, nunc Herodi Dominum accuſando, nunc turbam pro Barabba inſtigando. Sicque noctem totam penè ducentes inſomnem, diemque clamoribus conſumendo, quid iniquitatis, quidve Pſal. 118. pro redemptoris morte ſentirent lætitiæ, notificare non valebant. Illo autem pendente in ligno, tum ex potita quiete, tum ex auiditate nocendi inſultauere vehementius. Promulgata igitur mediatoris ſententia ſuſcipientes, vt penderent, chlamyde abiecta purpurea propriis veſtibus induerunt. Nempe ſeipſum in eorum manus tradebat Dominus cruciandum. Corpus quidem exponebat flagellis, affectu autem totus ferebatur in Deum, ſemetipſum patri exhibebat hoſtiam viuentem, ſanctam, atque rationabilem. Magnipendebat prorſus pro honore diuinitatis tanta ſuſtinere, ac talia impenſo ſibi amori vices rependere cupiens, tametſi quæ patiebatur parua eſſent comparatione donorum. Porrò vt Dei & hominum fieret mediator, electorum caput, eccleſiæ ſponſus, mortuorum primogenitus, princeps pacis; Pater futuri ſeculi, Rex regum, Dominantium Dominus, hominum Redemptor, reparator Angelorum, atque Deus & homo, vnus Chriſtus, acceperat gratis. Pro huiuſmodi & aliis incomprehenſibilibus chariſmatibus, quæ idem aſſumptus perceperat homo, nũquam arbitrabatur ſe Deo ſatisfacere poſſe, quemadmodum nec valebat ad humanam naturam tantum conſideratione habita. Nam ſecundum naturam diuinam, quæ in ipſo erat, verbũ nil gratis habet. Naturaliter eſt quod eſt, atque in diuinitate, poteſtate, æternitate, maieſtate æqualis eſt patri, vtpote naturæ vnius, eiuſdẽque ſubſtãtiæ. Dona igitur, quę in Chriſto fuiſſe prędicantur, ad humanam ſolum ipſius ſpectant naturã, quę ex mera gratia ĩ prędeſtinatione ſortita eſt. Quamobrem ſemper ſe Deo ſubiiciens infatigabiliter, actualiterque Deo gratias agens in cunctis ipſius ſe ſubdidit volũtati, adeò vt velle eius meritò diceretur eſſe diuinum, propter quod ei pater teſtimonium perhibens de cœlo clamauit, dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, Matth. 3. in quo mihi complacui, ipſum audite. Nec ab re ſibi Pater in illo complacuit, qui nunquam illius imperium prætermiſit, nunquam ab eius laude ceſſauit, nunquam ipſius gloriam (etiam vſque ad carnis interitum) quęrere deſiit. Erat profectò in hoc paſsionis ſuę agone vltra omnium mortalium vires afflictus, in corpore (videlicet) & anima. In corpore quippe ſupra modum

dum

Digitized by Google

dum cruciatibus premebatur, in anima verò doloris atque compaſsionis transfigebatur iaculo, tametſi deificata in verbo diuinis abſque interuallo inhæreret amplexibus. Quanquam totus deificatus eſſet homo Chriſtus Ieſus per aſſumens verbum, erat nihilominus paſsibilis nondum glorificatus, ſed glorificandus. Diſtulit autem glorificare, quem aſſumpſerat totũ, vt poſſet pati, ſciret compati, hortaretúrque patiẽtes. Sacramentum hoc inæſtimabile eſt, nec poteſt capi, vt idem homo ſit beatus, & miſer. In cruce pendeat, & triumphet in cœlo, Deum fruitione felici videat, ſputa, illuſionéſque ſuſtineat. A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in oculis noſtris. Verùm prætermiſſa impræſentiarum gloria Chriſti ipſius ignominiã attentiſsimè meditemur. Se offert nobis, ſe noſtris inſerit cordibus, quatenus mediatoris paſsionibus communicantes, in illius quoque reſurrectionis triumpho exultantes gaudeamus. Educitur igitur de prætorio, vt crucifigatur. Crux parata ſuper illius imponitur humeros, vt per ciuitatis medium, & per plateas Hieruſalem vſque ad ſupplicij baiulet locum. Tunc tumultus in tota fermè ciuitate factus eſt maximus, proforibus palatij aderat innumerabilium concurſus populorum, quoniam (vt moris eſt) omnes ad hoc confluxerant ſpectaculum. Suſurrãtibus itaque ſparſim inuicem turbis, ecce Dei Filius egreditur de ianua crucẽ ſuper proprios ferens humeros. Incedebat demiſſo vultu, inceſſu humili totus fatigatus, & anxius, quippe qui tota nocte fuerat flagellatus, colaphizatus, cõſputus, illuſus, atque oppreſſus. Defecerat prorſus in illo naturalis virtus, propterea cruciabatur immenſe. Tunc quidẽ preſſus pondere impellebatur ad patibulum, quãdo poſt fatigationes nimias pauſare debuerat. Cõpellebantur illius aures vociferationibus, & ſuſurriis blaſphemiarum, contumeliarũmque vocibus, atque plangentium mulierum gemitibus inenarrabilibus. Quis non eiulaſset ex corde ſuper Angelorum Regem, & Dominum lẽto gradu, tremulis genibus, oculis liuẽtibus, crine ſparſo, facie cruentata, ſciſsis veſtibus, ſpinis capite coronato crucem propriam baiulantem? Planè maxima hæc mutatio erat dexteræ excelſi. Porrò per quam vrbis ianuam paulò antè aſello inſidens populorum vallatus agminibus palmarũ, oliuarũmque ramos in manibus geſtantium, atque clamantium, Oſanna benedictus, qui venit in nomine Domini Rex Iſrael, perrexit ad templum, per eandem hodie blaſphemantibus turbis, tam ignominioſe teiectus ad crucis ſuppliciũ trahebatur. Si attendas his interpoſitis diebus, quid egerit Dominus, nihil redargutione dignum inuenies. Attamen quemadmodum communis die illo vox populi erat, Oſanna filio Dauid, benedictus, qui venit in nomine Domini,

Pſal. 117.
Ioan. 12.
Matth. 21.

ita hodie in plebe omnium ſententia fuit, Tolle, tolle, crucifige eum. Quid egit hic? quid interuenit? quid accidit noui, vt vox ſanctitatis, & laudis in vocem liuoris, & blaſphemiæ ſic repentè mutata ſit? Hæc profectò eſt populi huius antiquata malitia. Moyſi quoties reſtitit? quoties illum prouocauit ad mortem? Nõ illos Aegyptiacæ ſeruitutis ereptio, non diuinę legis exhibitio, non ſacrarum ſanctionum inſtitutio, non demũ vſque ad ſui deletionem de libro vitæ perfecta dilectio ad beneuolentiæ eius firmitatem adduxit, quin potius murmurationibus, calumniis, obiectionibus, atque lapidibus vitã illius de terra auferre conati ſunt. De Samuele quid dicam? qui Propheta Dei fidelis eſt agnitus? Hic iudex quum eſſet in populo, ab eis turpiter eiectus eſt. Quid plura? Quem enim Prophetarum nõ ſunt perſequuti eorum Patres? Occiderúntque eos, qui illis pronunciabant de aduentu Chriſti. Acceperunt inſuper legem in diſpoſitione Angelorum, illam verò minimè cuſtodierunt. Ad ſuæ nunc damnationis cumulum, vt ſanguis iuſtorum omnium, qui effuſus eſt, aduerſum eos vltionem clamet, in ipſum Prophetarum Dominum deteſtabilius deſæuierunt. Nam ad maiorẽ illius ignominiam, quum ad patibulum deferrẽt illum, duos latrones cum eo direxerunt, vt cum eodem pariter crucifigerentur populis ſuadere conantes, vt ſicut in pœna pares, ita & in crimine eſſent æquales. Euanuerunt tamen miſeri in cogitationibus ſuis. Erexerunt quippe iudicij tribunal, & veniæ ianuã peccatoribus patefactam, atque ex regni cullatione Chriſti largifluam notificauerunt charitatem. Conſueta etenim opera ſapientiæ ſuæ reſerauit omnipotens, quum de malitia ſapientiam, de nocendi propoſito benefaciendi affluentiam, de malo bonum, de peccatorum tenebris miſerationis fecit ſplendeſcere lucem, atque de ipſa crucis angaria ſpirituale cõtulit ſacramentum. Nam de ciuitatis porta propter crucis importabile onus egredi Domino non valente Simonem angariantes illam portare fecerunt. Non eorum pietate, ſed diſpenſatione diuina hoc eueniſse cognoſcitur. Nempe Simon iſte obedientium perſonam myſticè præfigurat, qui in eccleſia ad hæreditatem cœli properare videntur, non voluntariè, ſed coactè crucem pœnitentiæ baiulantes. Quot enim in ſinu ſuo temporibus noſtris ſancta mater fouet eccleſia, qui habitum religionis aſſumunt, Dei mãdata ſpecietenus ſeruant, carnem ſuam ieiuniis, ac vigiliis macerant, ſed mentem ab omni ſpirituali diſciplina vacuam gerunt. Tales ne oculis diſpliceant hominum, vel vt fauores captent humanos, virtutibus ornatos apparere nituntur, atque ſanctorum acta ſe imitari oſtentant, quum re vera tanquam infœcundæ arbores ſolam ſanctimoniæ imaginem teneãt. Hos Simon iſte expreſsit,

Ioan. 19.
Acto. 7.
Rom. 1.

preſsit, qui crucem quidem portauit poſt Dominum, ſed cum illo mori non meruit. Quomodo mori ſpiritualiter dicendi ſunt, quum profeſsionem ſanctitatis confiteãtur exterius, & à virtutis habitu alienentur interius? Vt viuant ſeculò, cum Chriſto interire refugiunt. Quandiu probandæ virtutis immineat locus, pœnitentiæ crucem tolerant, opportunitate verò cogente, tum pro humano timore, atque pudore, tum pro ſuimet amore reijciunt, quod virtutis, quod ſanctitatis, quod religionis ſectari videbantur. Nam qui ſimulato graditur corde, permittente Deo diu latere non valet. Væh itaque, qui hũc Simonem imitantes mente duplici vitæ incedunt ſemitas. Porrò quicunque pro fauorabili aura abſque rectitudinis zelo corpus macerant dupla confuſione plectuntur. Præſentis etenim vitæ minimè fruentes illecebris ad perpetuam calamitatem infatigabili velocitate decurrunt. Hi Babylonis ſunt filij. Gaudent quippe, quum tẽporalibus affluunt, vt hic floreant, cupiunt, quid poſt ſequatur, ignorant. Vt verò Hieruſalem ciues pœnitentiæ lamenta ex corde ſuſcipiũt, pro dilectione de proximorum gemunt incommodis, atque per deuotionis exceſſum ſupra ſe frequenter aſſurgunt. Chriſto commoriũtur quotidie, & ſi non corpore, ſaltem affectu. Sic tales deuotioni vacant, vt virtutum nequaquam ſtudia prætermittant. Sic proximorum curæ inſeruiunt, vt ſe omnino non negligant. Taliũ nonnullis interdum conſueuit accidere, quatenus ex prælibata ſpirituali dulcedine immoderato feruore ducantur, in quo diu dum perſeuerare nequeunt, propoſitum coguntur relaxare conceptum. Nam eorũ ſtudium, quamuis laudabile, quamuis congruo inhæreat fini, quonia prudentia caret, diuinæ tamen ſapientiæ non placet obtutibus. Bonum ſiquidẽ exercentes non bene mulierum nomen meritò ſortiuntur. Illis
Luc 23. optimè mediatoris ſermo plangentibus ſuper ſe mulieribus prolatus figuraliter coaptatur. Filiæ (inquit) Hieruſalem nolite flere ſuper me, ſed ſuper vos ipſas flete. His etenim paucis eruditur quiſque deuotus imprudens, vt deuotione interdũ ſe poſita ſe reuocet in ſe, ſe plangat, ſuàque minus compoſita deſideria agnoſcere ſtudeat. Periculoſa prorſus res eſt neglecta ſpiritualium paſsionum ſciẽtia ſe attollere ſupra ſe. Hoc etenim quamuis mens cum deuotione paſcitur, non agnoſcat, ſcire tamen compellitur, dum relinquitur ſibi, dùmque varijs tentationibus agitatur, cogitùrque iuxta mediatoris ſententiam in perturbationum conſtituta procellis tanquam virtutis ignara, & ſola lactis aſſueta dulcedine repetere intra ſe, quod præfatis dicitur mulieribus, Mõtes cadite ſuper nos,
Oſee 10. & colles operite nos. Mortem quippe carnis nõ amoris deſiderio, ſed tentationis faſtidio clamat, vt veniat, ſeque operiat. Hinc ſolerter intuẽdum eſt, quàm ruinæ ſit proximus, quiſquis ſine præparatione virtutis, atque cautela prudẽtiæ irruentem ſuper ſe præſumit tentationis ſuſtinere impulſum. Maximum tamen atque ſpirituale deuotionem mentis ad tẽtationum tolerantiam dicimus eſſe præſidium, quæ animũ ad virtutis habitum, ad contemptum ſeculi, ad perferẽda aduerſa, ad ſui odium habilitat, atque diſponit. Quamobrem virtutis ſtudio mentis eſt copulanda deuotio, quatenus coaleſcant pariter, & reciproca dilectione proficiant. Nam ſi in mente erudita atque deuota, quæ ligno viridi comparatur, tanta tentationum inſurgit tẽpeſtas, vt penè in deſperationis baratrum obruatur, quid in arido fiet, quiſquis mentis eſt cõpos, diſcernat, & iudicet. Hæc quæ in corde ſibi famulantium quotidie loquitur ſapiẽtia, vocis oraculo ad turbas ſuper ſe plangentium protulit. Illas ſuper ſe tanquam ſuper miſerum flere prohibuit. Non enim dominus plãgendus erat, vt cæteri; cum ſponte ad crucis patibulum properaret: cæteri verò tanquã miſeri peccatis obnoxij flagellati inuite, atque à ſanctorum cœtibus peregrini omnino plangendi ſunt, potiſsimè tamen Hebræorum populus, qui à Romanorum principibus excidio, famiſque inedia fuèrat deuaſtandus. Illis meritò pronũcians ait: Ecce dies venient, in quibus dicent: beatę ſteriles, Luc 23.
quæ non genuerunt, & vbera, quæ non lactauerunt. Nam ſi in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? Se quippe in quo nil erat purgandum, propter diuinitatem inhabitantis verbi lignum eſſe dixit viride, peccatores verò aridum. Nempe ſi in illo, in quo nulla erat iniquitatis macula, tot exuberabant flagella, quid in hominibus reliquis, qui ligna ſunt arida, futurum ſit, clarè colligitur. Hoc autoritate ſua per ſpiritũ edoctus Apoſtolus roborat, dicẽs: Tempus eſt, 1.Pet.4.
vt iudicium inſipiat à Domo Dei. Si autem primum à nobis, quis finis eorum, qui non credũt Euangelio? Et ſi iuſtus vix ſaluabitur, impius & peccator vbi apparebunt? Prolata igitur ad flentes mulieres ſententia ad Caluariæ locum, vbi crucifigendus erat, perrexit. Erat autem Caluariæ mons, vbi homicidæ atque damnatitij perimebãtur. Quo quum Satanæ veniſſent miniſtri, exonerato Simone crucẽ in montis vertice depoſuerunt. Domino itaque appropiantes detractis veſtibus nudauerũt eum. Porrò repentè de cicatricibus recentibus cruor emanauit affatim. Inhæſerat quippe corpori cruentato inconſutilis tunica, quæ ſanguine hauſto ſiccata erat: quãobrem pellem totam detrahere compulſa eſt. Quoniam verò in expoliatione hac quid doloris, quid impietatis, quid virtutis acciderit, nullus quamuis eruditi ſufficit enarrare facundia. Taceat lingua, conquieſcat manus, & calamus

taceat,

iaceat, quatenus meditantis cor lacrymis defluentibus deguſtare ſufficiat. Redemptore ergo denudato illum ſupinum ſuper crucis ſtipitem poſuerunt. Gen. 22. Ecce Iſaac noſter vetus repromiſsionis filius, in quo vniuerſæ gentium ſunt benedicendæ familiæ, quomodo patri obtemperando humiliter ſe ſuper ſtruem componit lignorum, ſeque in holocauſtum præbens perferendum ſubſternit ad mortem. Non auditur clamor, non cõtradictionis vox, neque excuſationis indicium: Isai. 53. ſed iuxta Prophetæ vaticinium: Sicut ouis ad occiſionem ducitur, & tanquam agnus coram tondente ſe, os ſuum non aperiens obmuteſcit. Illo igitur ſuper crucis extenſo patibulo veluti intrepidus propugnator, vt voluntarium eſſe eius ſacrificium manifeſtaret, dextrum crucifixoribus exhibuit brachium: quod illi ſine cunctatione apprehendẽtes toto conamine dilaniata potius, quàm perforata manu clauo preſſerunt in ligno. Vidiſſes illico, (quod dictu, audituq; horrendum eſt) affatim profluere ſanguinem, corpus totum rigeſcere, faciem plus ſolito palleſcere, venas, brachiorùmque arterias præ doloris magnitudine coarctari. Nequaquã verò ab hoc diro longè inclyta domini mater ſpectaculo aberat, quæ vltrà, quã credi poteſt, angebatur pro filio. Audiebat populorum perſtrepentium ſonitum, & confuſas militum crucifigentium voces. Audiebat malleorum clauos infigẽtiũ ictus, totieſque in corde ſuſcipiebat doloris iacula, quoties ſuper clauos reſonabant percutiẽtium verbera. Penetrabant etiam illius aures ſparſim per Caluariæ deuexa vociferationes, gemitus, lacrymæque plangentium turbarum. Hæc quippe intemerata virgo pro filio anxia, pro contempto verbo transfixa, mœrens pro populo, ſuppreſſa voce lacrymis vbertim decurrentibus ingeminabat, dicens: Heu me Fili mi Ieſu, Ieſu Fili mi, quis mihi det, vt moriar pro te Fili mi Ieſu, Ieſu Fili mi: lumẽ oculorum meorum, & baculus infęlicitatis meæ? vt quid ſuperſtes remaneo poſt te? cur mortua non ſum antequam aſpicerem te vnicum meum tam crudeli examine finiri? Quare armatorum militum non irrumpo acies, venioque ad te, vt paſsionis tuę cruciatum impediam? Quod ſi nequeo, cur me non ſuppono pro te, vel vna tecum cruce ſuſpendor? Nempe ad carnificum prouoluerer pedes, & lacrymis, precibus, ac clamoribus cordis eorum duritiam emollirem. Hæc ſecum dum Maria piiſsima loqueretur, cœptum crudelitatis opus perficere ſatagentes vi maxima manum alteram fixerunt in ligno. Demum conglobati pariter funes ligãtes in pedibus manuũ dilatata foramina, atque ſam contractas brachiorum iuncturis extenſis Psal. 21. pedum plantas crucis confixere patibulo. Tunc iuxta vatioraculum vniuerſa ſanctiſsimi corporis oſſa numerabilia facta ſunt. Tunc tanquã texentium pannus, redemptoris caro in ligno diſtenta eſt. Et veluti brutorum pellis Chriſti membra ſunt clauis in cruce firmata. Stabat ipſe pœnarum ac tormentorum immenſitate grauatus, luminaribus in cœlum erectis, atque corpore perforatus plangentium ac exultantium audiens voces, ſpiritu vehementiſsimè vrebatur. Compatiebatur quidem gemitibus flentium, & pro pereuntium exultationibus lacrymabatur. Gaudebant planè miſeri eo, de quo inconſolabiliter dolere debuerant. Ducebantur ipſi pro temporali nece autoris ad interitum ſempiternum, ſed illorum cordibus infidelitatis velamine ſuperpoſito, quò tendebant, penitus ignorabant. Confixo itaque mundi autore in ſtipite aliquantiſper milites quieuerunt: quatenus reſumptis viribus crucis vexillũ erigerẽt, & mediator Chriſtus vniuerſo populo viſibilis appareret.

Quare ſancta crucis vexillum manifeſtatum ſit mundo. Cap. XVII.

Bellatorum duces quoties cum aduerſarijs ſuis volũt habere congreſſum, prius quàm contra hoſtes acies ſuas emittãt, ſigna propria erigunt: quatenus agnoſcant, qui de illorum ſunt parte, quo in omni contrario euentu fugere debeant. Proinde quippe hoc agunt, ne pugnatorum deuiet turba, atque ſine ducatu principis per abrupta diſcurrant. Sunt nãque ſigna ipſa quædam clamoris exhortatio, fatigationis remedium, ac tuitionis refugium optimum. Quod in pugna viſibili exercituũ duces faciunt, hoc ipſum in ſpirituali, atque conflictu inuiſibili hominum mediator Chriſtus agere dignatus eſt. Mortalitatis quippe noſtræ naturam aſſumens in mundi campum cum diabolo pugnaturus intrauit. Quamobrem imminente hora, qua cum Tartareis legionibus dimicari ſtatuerat, pro roborandis commilitonum ſuorum animis ſignum ſuum erigere voluit. Vexillum etenim hoc nedum in ipſius hora certaminis voluit eſſe conſpicuum: verum toto præſentis vitæ decurſu, quatenus quamdiu perſeuerat pugna, victoriæ quoque illius appareant ſigna. Signum vtique mediatoris triumphale ſanctæ crucis dixerim eſſe trophæum: in qua idem mundi conditor pendere dignatus eſt. Illã cruore ſanctificauit ſuo, atque aeris poteſtatibus terribilem, honorabilem angelis, hominibúſque eã fecit eſſe amabilem. Nempe à die, qua vniuerſorum dominus pependit in illa, tantus diabolo, & complicibus eius pro hoc ſigno terror inhæſit, vt ipſius nequeant ſuſtinere aſpectum. Virtutem quidem crucis ſpiritualiter ſentientes, ad ſolã illius occultantur imaginem. Semper quod pertulerunt opprobrium, atque quod impreſentiarum diſpendium patiuntur, præ oculis ſeruant. Antiqui dominatus, quem in hominibus poſsi-

dobant,

debant, toties deſlent damna, quoties victoriæ Chriſti intuentur hoc ſignum. Meritò igitur ſigni illius non valent ferre potentiam, in quo debellati atque debilitati fuiſſe noſcuntur. Verum quemadmodum miſeri dęmones de crucis Chriſti gemūt virtute, ita ſancti exultāt Angeli. Gaudent prorſus regis ſui triūpho, atque perditi hominis reparatione lætantur. Honorant ſemper ſignum, in quo eorum autor occubuit. In homine adorant verbum, ſacramentum in ſigno, atque in imagine veritatem. Virtutem equidem latentem agnoſcunt, profluentem gratiam, & occulta myſteria. Hinc eorum cauſa lætitiæ veneratio diuinitatis, reuerentiæ reſpectus, atque delatio oritur famulatus. Semper alacres, ſemper in honoris exhibitione ſunt proni. Quòd ſi cruci ſanctæ tantum honoris deferunt ij, quibus ad gloriæ nil profuit augmentum, quid acturi ſunt, qui eius ſaluati ſunt meritis? Ad hominum tantū ſalutem crucis ſpectat profectus. Nequaquam pro dęmonibus, qui ob eorum obſtinatiſsimam voluntatem reſtaurandi non ſunt: neque pro angelis, qui ab ipſo pœnæ ſuæ creationis exordio confirmati fuere, gloriæ Chriſti vexillum erectū eſt. Pro ſolis itaque mortalibus, qui in carne militant, huiuſmodi eleuatum eſt ſignum. Habent quò fugiant, vnde ſperent, vbi requieſcant. Eſt quippe tanquam turris Dauid ædificata cum propugnaculis, ex qua mille pendent clypei, omnis armatura fortium. Eleuata eſt ſuper verticē montium, manètque ſecura a tempeſtate, turbine, & à pluuia. Nullus hoſtium propter ſagittarum coruſcationes ex ea micantes illi approximare valet. Angelorū ſiquidem eſt vallata cuſtodia: eſt etiam ex ſublimitate tutiſsima, ex profunditate inacceſsibilis, ex longitudine ſtabilis, & ex dilatatione capaciſsima, ex ſublimitate ſua cœli cacumen attingit, & vſque empyreum protendit ad cœlum. Penetrat quoque ex profunditate terræ abdita, deſcenditque ad inferos deorſum. Omnem præterea perferre facit tribulationem ex ſui longanimitate. De latitudine illius quid dicam, quum omnium electorum ſit capax? Capabilitatis eius arca illa, quæ iubente domino diluuij tempore à iuſto Noe fabricata fuiſſe legitur, figuram geſsit. (Gen. 6.) Huius crucis excellentiā cupiens Apoſtolus, vt diſcipuli conuerſi agnoſcerent, orabat dicens: (Ephe. 3.) Flecto genua mea ad patrē domini noſtri Ieſu Chriſti, vt det vobis virtutē corroborari per ſpiritum in interiorem hominē, habitare Chriſtum per fidē in cordibus veſtris: vt poſsitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quę ſit latitudo, lōgitudo, ſublimitas, & profundum. Scire etiam ſupereminentem ſciētiam charitatis Chriſti. Altiſsimum igitur eſt crucis myſterium, tutiſsimúmque refugium, profundū & latum: ad quod qui in ſpirituali ſtadio dimicant, confugere debent. Pro ipſis præcipuè erectum eſt, & in ipſo eſt, vnde plurimum ſperent. Quomodo non ſperent, quū in ipſo noſtra ſpes pendeat? Porrò in cæteris bellorum vexillis pro diſcretione, agnitionèque quædam depinguntur imagines. In hoc autem dominus Ieſus imago patris confixus eſt. Se exponere voluit, vt eſſet nedum in Iudæa notus, verumetiam in gentibus, dicēte Propheta: (Eſa. 11.) Leuabit dominus ſignū in nationibus procul. Notiſsimum hoc effectū eſt ſignum, ita vt ad illud gentium cōfugerit populus, & in illo ſuæ conſtituerit ſpem victoriæ: atque magna mentis ſub illo potiatur pace: vnde in perſona illius In Canticis ſponſa inquit: (Cant. 2.) Sub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi, & fructus eius dulcis gutturi meo. Pro his itaque omnibus ſuos exhortans filios ad pugnam, ad ſpem, ad agnitionem, ad pacem, vbique per vniuerſum terrarum orbem ſancta mater canit Eccleſia: Vexilla regis prodeunt, fulget crucis myſterium, quo carne carnis cōditor ſuſpenſus eſt patibulo. Tunc verè æterni regis vexillum erectum eſt, quum procurantibus Hebręorum pontificibus in crucis ſtipite confixus eſt Chriſtus, atque in monte Caluariæ eleuatus. Tunc ad pugnam animata ſunt fidelium corda, tunc ad debellandas contrarias poteſtates, atque ipſum capeſſendum cœlum ſuccenſæ ſunt credentiū mētes. Quis (oro) pugnare refugiat? quis pati recuſet? quis turbetur aduerſis, quum interiori oculo angelorum regem, & hominum in crucis agnouerit pendere ſupplicio? Proponamus ergo nūc nobiſipſis rei geſtæ modum, ordinémque, quatenus recenſito immenſę charitatis ſacramento nobis efficiatur nouum, ac per hoc excitati ad deuotionem, ad compaſsionem permoti, ad imitationē igniti inueniamur, & liberi. Meditemur (inquam) quo ingenio, qua virtute, & arte, non ſine intolerabili pendētis pœna ſtipitem leuauerunt. Erat quippe mediator cōfixus in ligno omni carens doloris temperamento. In ſe nanque premebatur anguſtia, in corpore cruciabatur vulneribus, & foris conuitiabatur opprobrijs. Hinc inde ſanctiſsimum mouebat caput præſpinarum punctionibus debilitatum. Vbi illud firmaret, minimè reperiebat. Nunc in ſiniſtrum latus, nūc ſe vertebat in dexterum, requiem quærens, nec inueniens. Quum cruci adhærebat, ſpinæ infigebantur arctius, quū illud erigebat ſurſum, diu perſeuerare non poterat. Satis autem fuiſſet, ſi huiuſmodi tātum capitis cruciatus ſupplicio extitiſſet: ſed huic non minus aſpera iungebantur. Trium ſolummodo ſuſpenſus tenebatur virtute clauorum. Nam corpori omni ex parte attrito crux ipſa ſtatera facta eſt. Porro quando pro ſubleuando corporis afflicti dolore elatus innitebatur pedibus, afficiebatur incredibiliter: ſi verò in brachiorum vigore pro mitigādis cruciatibus pedum ſuſpendebatur, manum

ſupra

Digitized by Google

ſuprà modum dilatabantur fixuræ, addebanturque vulnera vulneribus, & rediuiua feſsis membris ſupplicia inferebantur: ſicque incomprehẽſibili modo inde patiebatur vehementius, vnde dolori occurrere cupiebat. Nouerat ſolus ipſe, quæ, quantave ſuſtineret tormenta. Venerat in maris latitudinem, adeò vt pene illum tempeſtas demergeret. Tanquam petra duriſsima in vndarum poſitus medio procellis tribulationũ tumentibus impellebatur, nec tamen frangebatur: ab inhabitante profectò roborabatur verbo. Illa ſiquidem immania perferre ſupplicia humanæ minimè virtutis erat. Propheticum illud poterat ex ſuo ore proferre: quoniam (vt arbitror) Pſal. 17. in ipſius fuerat perſona prædictum: Dolores inferi circundederunt me, præoccupauerunt me Pſal. 14. laquei mortis. Et alibi: Circundederunt me dolores mortis, pericula inferni inuenerunt me: tribulationem & dolorem inueni, & nomen domini inuocaui. Inuocauit planè dominum, & exaudiuit eum. Inuocauit (inquam) non pro ſe, ſed pro membris ſuis, pro crucifixoribus ſuis, quos prædeſtinauerat ad vitam, & quos in ſe nouerat credituros, & impetrare promeruit. Pro ipſis vtique Luc. 23. patrem deprecatus eſt, inquiens: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciũt. Quid eſt quod audio? quid eſt quod loqueris, ò domine? Te iſti filii Belial turpiſſima damnarunt morte, te in medio duorum latronum ſuſpenderunt quaſi corũ principem: & ais patri: Ignoſce illis? Es ne oblitus irrogatæ iniuriæ? an dolor tuus tranſiit? Nunquid de eo, quod nequiter egerunt, compuncti ſunt: vt eorum debeant ignoſci delicta? Planè veniam meretur, qui de peccato dolet, deſinitque peccare. At verò neutrum eorum in iſtis cõſpicio. Si dolerent, vtique emitterent gemitus, lacrymas funderent, mœrentes abirent, & vltrà adiicere trepidarent. Hæc nanque veræ compũctionis notiſsima ſunt indicia. An non attendis, Pſal. 139. quòd in delictis ſuis pertinaciſsimi ſunt, & contra te linguas ſuas acuunt ſicut ſerpentes, venenumque aſpidum eſt ſub labiis eorum? Deſine Pſal. 68. (oro te domine) orare pro impiis: quin potius quoniam tempus viſitationis ſuæ minimè agnouerunt, effunde ſuper eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos: fiatque habitatio eorum deſerta, & non ſit qui habitet in ea. Diu domine miſericordiæ tuæ ſinu fouiſti illos, & ſemper deteriorati ſunt. Ne igitur iuſtitia pereat, ne impunè pertranſeant, ne deteriora in te agant contra ſe, leua manus tuas in ſuperbiam eorum: Num. 16. diſperge illos in virtute tua, & depone eos protector mi domine. Nunquid mitius, quam Dathã & Abiron, quos viuos in abyſsi baratrũ demerſiſti, iſti peccauere? Illi aduerſus Prophetam tuũ ſuas erexerunt ceruices: iſti contra te Deum ſuũ & dominum. Impone, ò iudex æquiſsime, iniquitatibus eorum finem. Agnoſcant meritò in ſupliciis te, quem in miraculis cõtempſerũt. Erũt quidem in monumentum poſteris, ſi in reatibus finierint ſuis. Scis, ò ſapientia, quę non falleris, eſſe cõſultius putridum abſcindere membrũ, quã reſeruare intactum, vt ſana commaculet. Nolo vt occaſione vindictæ extermines eos, ſed potius vt iuſtitiæ zelo, quatenus cæteri timeant inſurgere contra te. Aſsiſtentibus ergo angelis manda, vt illis reddant duplicia pro vniuerſis ſceleribus eorum, & repentè fiet. Tunc tua, quæ te genuit, mater ſemineceм deponet de cruce, tuique habebit curam, donec ſanitati reſtitutus denuò prædicationi incumbas. Alienigenis te manifeſtabis & gentibus. Nam ij ad quos colligendos es miſſus, ſe fecere indignos. Magnificaberis in populis nationum, ad tegentes omnes confugient, perficieturque quod Prophetico aiſti ſermone: Eſai. 55. Ecce teſtem populis dedi eum, ducem ac præceptorem gentibus. Ecce gẽtes, quas neſciebas, vocabis: & gentes, quæ te non cognouerũt, ad te current propter dominum Deum tuum, & ſanctum Iſrael, qui glorificauit te. Ad hæc dominus: Deſine talia fari, non enim ſapis, quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum: neque tibi pater meus reuelauit hæc, ſed caro. Diſſuades mihi, vt non pro meis crucifixoribus orem, ſed vt eos in ſuis iniquitatibus perdam. Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii, & non magis vt conuertatur, & viuat? Quamobrem pro eis deprecor, vt conuertantur, Ezec. 33. & viuant. Indignæ ſunt orationes eorum propter ſcelera ipſorum. Delinquunt grauiter, & ignorant quid faciunt. Nempe quando precibus interuenientibus meis agnoſcent me, tunc ſuum lugebunt reatum, & quod nunc inſciẽter peragunt, in ſe ſalubriter puniẽt. Totum, quod in ipſis futurum eſt, deficeret bonum, ſi in propriis (vt digni ſunt) nunc morerentur peccatis. An ignoras quòd nõ propter iuſtos, ſed propter peccatores iuſtificandos in hoc ſeculum veni? Pſal. 5. Iuſtificabuntur planè in ſanguine, quem crudeliter fundunt. Vis vt ſontes perdam. Quis (oro) veſtrum ſaluabitur? poteris ne tu euadere, ſi perierint peccatores? Prophetam audi: Nõ eſt, qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum: omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt. Saluari ne vis? Deprecare mecum, vt ſaluẽtur ii, quos ſicut teipſum diligere debes. Potius vt viuant, quàm vt pereant, cõcupiſce. Laudabilior apparebo eorum propter pœnitentiam diſsimulando delicta Mat. 5. quàm puniendo. Nunquid oblitus es me dixiſſe Exo. 32. vobis: Diligite inimicos veſtros, benefacite iis, qui oderunt vos, orate pro perſequentibus & calumniantibus vos? Non vis vt perficiam opere quod ſermone protuli? Orauit Moſes pro populo præuaricante: orauit Dauid pro inimicis: Mat. 13. deprecati ſunt Prophetę cęteri pro delinquẽtibus & ego ſuper illos iraſcar? Parabolę zizaniorum, recordare, & longanimitatis ac patientię repe-

pecca-

ries documento. Orabo igitur nunc ſemper pro peccatoribus, preces fundam, nedum in cruce, verumetiam in cœlo. Plus eorum animas, quàm corporis mei magnipendo ſalutem. Nam etſi cruciatus, quem patior, mihi grauiſsimus eſt, eorum tamẽ acerbior mihi eſſet perditio. Solùm ne pereant, hæc perfero. Diluet errata eorum cruor meus, ipſa, quæ nunc agunt in mé, non tamen crucifigentium omnium, ſed prædeſtinatorum ad vitam. In ipſis, quos cernis, quoſdam diligo: pro illis rogo, non pro cæteris. Mihi noti ſunt, pro quibus dico: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Satis mihi (fateor) feciſti domine. Tanquam inſipiens locutus ſum. Fefellit me tui inconſiderata compaſsio. Sperabam perſuaſionibus meis ex iis, quæ pateris, te eripere pœnis. Age igitur, ò mi amantiſsime domine, quod cœpiſti. Iugiter pro peccatoribus deprecare, quorum maximus ego ſum. Delicta quippe

Pſal. 24.

iuuentutis meæ, & ignorantias meas tuis abole orationibus: attamen oro, vt etiã quotidiana nõ negligas. Quoties delinquo, ignoro quid facio, Profectò ſi ſcirem te, corrigerem me, cuſtodirẽque quoniam verò ſemotus à tua cognitione ſũ ita pronus ad culpam inuenior, ad compunctionem tardus, remiſſus ad gratiam. Quamobrem ſupplico, vt tua mihi ignoſcat pietas, tua pro me veniam precetur oratio. Hæc autem dum demiſſo ad terram vultu attento meditaret corde, & loqueret coram domino, contigit, vt præſidis miniſtri, qui aderant, ſuper mediatoris noſtri caput ponerent cauſam ſcriptam, quam idem præſes dictauerat. Titulus nanque erat talis: Ieſus

Mat. 27.

Nazarenus Rex Iudæorum. Hunc quippe titulũ ſancto afflante ſpiritu ſcripſit Pilatus, in ſe continentem multa. Ipſum proprio appellat nomine Saluatorem vocans. Sic enim ab angelo dictũ

Matt. 1.

eſt Ioſeph: Et vocabis nomen eius Ieſum: ipſe ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. Verè populum ſuum ſaluum fecit pro ipſo moriendo: ad diſtinctionem verò præcedentium, qui hoc ſortiti fuerant nomen, addidit Nazarenum. Ipſe vtique Nazarenus eſt: quia floridus, ſemper virens, ſemper fructificans, nunquam marceſcens. In aſpectu quidem eſt placidus, in odore ſuauiſsimus, in amœnitate decorus. Ipſius

Cant 2.

nempe de ſe vox illa in Canticis canticorũ: Ego flos campi, & lilium conuallium. Non autem de terra hac, quæ calcatur pedibus, procreatus, ſed de intemeratæ virginis vtero genitus. De illa (vi-

Pſal. 84.

delicet) terra, de qua Propheta gratulabundus

Luc. 4.

cecinit, dicens: Etenim dominus dabit benignitatem, & terra noſtra dabit fructum ſuum. Et de qua vates alius inquit: Et fructus terræ ſublimis. Sublimis, inquam, nam excelſior eſt cunctis, & ſublimior vniuerſis. dominatur enim à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarũm ideo regem ipſum appellat. Rex quippe potens eſt atque inuictus. Quos enim cõdidit virtute, ſapientiæ ſuæ magiſterio regit. Nullum poſt ſe ſucceſſorem expaueſcit. In ſublimibus cęlorum ſedibus, vbi ipſius viget regnũ, multa potitur pace. Habet planæ cœleſtem Hieruſa-

Pſal. 121.

lem, quæ viuis quotidie ædificatur lapidibus, vt ciuitas, cuius participatio eius in idipſum. Nam illuc aſcenderunt tribus tribus domini ad teſtimonium ſpiritualis Iſrael ad confitendum nomini domini. Super Iſrael quippe, & ſuper populũ regnat Iudęorum: non autem Iudęorum ſecũdũ carnem ſed ſecundum ſpiritum. Nam carnis circuncisio, & corporalium ſola depoſitio ſordiũ nil prodeſt, vt in domini Ieſu admittatur regnũ. Porrò qui in manifeſto Iudæus eſt, minime ad illum pertinet: ſed qui in ſpiritu Iudæus eſt, & cõfitetur quoniam dominus Ieſus ipſe eſt Deus. Confeſsio verò hæc non labiorum eſt tantũ, ſed

Rom. 10.

cordis. Corde enim creditur ad iuſtitiã: ore autem confeſsio fit ad ſalutem. Proinde Chriſtus non Iudæorum tantùm eſt rex, verumetiam gẽtium: eorum (videlicet) qui in ſpiritu, & in fidei confeſsione ambulãt. Nulla igitur diſtinctio eſt Iudæi & Gręci, aut cuiuſuis nationis. Nam idem dominus omnium diues in omnes, qui inuocãt illum. Omnis quicunque inuocat illum, ſaluus erit: ſi tamen illum inuocauerit in veritate. Quotquot autem inuocant illum in veritate, in ſynceritate fidei, in cordis innocentia, in ſanctimonia vitæ, in charitate non ficta, in fraternitatis amore, ad ipſius ſpectant regnũ. Hi nempe Iſraelitæ ſunt, & ſpiritualis populus Iudæorum, in quibus Ieſus Nazarenus regnat. Regnum ergo hoc Spiritusſanctus in titulo, quem Pilatus ſuper cru-

Ioan. 19.

cem figi mandauit, voluit deſignare. Ipſum autẽ multi legerunt Iudæorum: quoniã prope ciuitatem erat locus, vbi crucifixus eſt Ieſus. Legebãt vtique, ſed non intelligebant, quia non credebant. Habebant enim infidelitatis velamẽ ſuper cor poſitum: propterea eorum caligabant oculi ne diuinitatis Chriſti ſplendorem agnoſcerẽt. Quoniam verò ſecundum literæ corticem legẽdo intelligebant, pontifices præſidi dicebant: Noli ſcribere, rex Iudęorum: ſed quia ipſe dixit:

Ibidem.

rex ſum Iudæorum. Impudentes pontifices ſub verborum phalera ſcelus ſuum tegere conabantur. Nuſquam Chriſtũ dixiſſe legimus ſe Iudęorum regem eſſe, niſi Pilato. Rex quippe erat ſpirituali vnctione perfuſus, & tamen vt formam humilitatis præberet fidelibus, regiam quoad vixit occultare voluit dignitatẽ. Idipſum Hebręorum pontifices agere conabantur ſe ab opprobrio læſæ maieſtatis redimere ſatagentes. Proinde aiebant præſidi. Noli ſcribere, rex Iudæorũ: ſed quia dixit, rex ſum Iudæorum. Ille autem de ipſorum veſana importunitate fatigatus reſpondit: Quod ſcripſi, ſcripſi. Noluit quamuis ſero derogare veritati: ſed neque diuinæ valuit contradi-

tradicere voluntati. Dictanto etenim ſpirituſancto titulum ſcripſerat, quem prorſus mutare nequibat. Qui fecit Iudæorum principem prophetare, coegerat ſcribere præſidem gentilem. Nil ſancto ſpiritui difficile eſt. Aequè per malos, ſicut per bonos, quando vult, veritatem atque futura prænunciat. Cur per rationalem hominem veritatem promere non valebat, quãdo per irrationale, & ſubiugale animal Prophetæ veſaniam corripere potuit? Repercuſsi igitur, & ſua malignitate fruſtrati pontifices ad cõuiciorum opera priſtina redière. Ergo itaque vberiorem charitatis flammã dilectoribus Chriſti exhibebat myſterium paſsionis ipſius, quo frequentius atque vehementius illum contumeliis laceſſebant. Excolebant quidem æterna permittente ſapientia humanitatis terram iniquitatis ſuæ vomere, ac venenatæ linguæ ſarculo, vt centuplicatum redderet ſanctæ Eccleſiæ fructũ. Virtutes etiam mediatoris Chriſti, quæ in occulto diuinitatis gazophylacio latitabant, hac occaſione produxerunt ad publicum. Verùm & fragrantiſsimus æternæ ac indefectibilis charitatis odor, qui in cellario cordis illius repoſitus erat, circunquaque per orbis latitudinem emanare fecerunt. Nihil ergo ſpiritus Ieſu eorum, quæ aduerſus ſe in ſe acta ſunt, ſine ſpirituali fructu dereliquit. Quod egerunt pontifices, miniſtrique ipſorum: quod ſcripſit Pilatus; quod perfecere milites, qui crucifixerunt illum, ſacramentis eſt grauidum. Diuiſerunt vtique veſtimenta Chriſti, & ſortiti ſunt tunicam inconſutilem: ſicque miſerunt ſortem, vt quis quid tolleret. O Dei ſapientia, quàm occultè, quàm profundè operaris in omnibus, ignota alijs quæcunque agis, tibi notiſsima ſunt: placido tamen illapſu inſtruis, quem vis. Prædixiſti quæ eras factura, vt reſerares myſteria dignis te. Quem enim erudis, intus in ſecreto cordis thalamo doces nemine id ſciẽte, niſi is, qui tua melliflua percipit verba. Ex fragrantia quippe ſuauiſsimorum eloquiorum tuorum, ex candore ſpiritualis lucis, ex ſui ſpiritus exultatione tuam honorabilem intelligit præſentiam, te non vidẽdo videt, abſque vocis prolatione te audit, amplectitur te in te ſe ſentiens in te, te diligit in ſe, requieſcit in te, non diſcedit à ſe, ne elongetur à te: per ſe attingit ad te, & ad tamen ſine te nunquam veniret ad te. Id charitate mediante fieri confiteor, ſi tamen ipſa medium dici debeat. Medium eſt non locale, ſed ſpirituale, ſed gratuitum, ſed diuinum. Interueniente igitur charitate reuelas myſteria. Hinc rectiſsimè colligitur, quod ſicut inſtruendo, lætificando, dirigendo, eleuando ades iuſtis, ita à peccatorum, & in fidelium cordibus abes. Tui enim capaces non ſunt, quemadmodum lucis luminaria clauſa. Fuga ergo, ò meridiana lux, & æterna ſapientia

Num. 22

mentis meæ tenebras luce tua ſuperna, impuri habitaculi mei abſterge ſordes, cordis aperi aures: quatenus adſit magiſtra veritatis, & amoris fons, audiã quid in myſterio, veſtimenta tua à crucifixoribus inter eos diuiſa ſignificẽt: quid ipſa inconſutilis tunica deſuper contexta per totũ denotet. Non arbitror id ab re factũ, ſed neque prænunciatũ. Tu enim per os ſancti Dauid pueri tui dixiſti: Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtẽ meã miſerunt ſortẽ. Aliquid nempe, & magnũ aliquid ſub figuræ tegmine latere nõ dubito: quod à te, ò alma ſapientia, ſcire concupiſco. Iſta dum tacitus peroraſſem: ſereniſsima (vt ſemper eſt) vultu ad me eadem conuerſa ſapientia inquit: Quod a me tam ardenti percunctaris deſiderio, ſacramentum eſt: quod cõpendioſo tibi enodabo ſermone. Minimè tibi debet eſſe moleſtũ, ſi in tanto conſtituta ſupplicio tecũ paucis loquar. Eſt enim taciturnitas mœroris pediſſequa. Equidem fateor, quoniam dolor vehemens in tua nunc ad me interrogatione propoſita cor meũ abſorbuit, dum non præſentia, ſed futura mentis conſideratione proſpecto. Quid ad me in vltimo conſtituta de veſtimentis attinet? Cur de iis, quæ corrumpenda ſunt, de mũdo tranſiens dolere debeam? Et nihilominus rationabilem mœroris mei cauſam eſſe, quum locuta fuero, recognoſces. Dolebis quoque mecum, ſi qua in te amoris mei ſcintilla remanſit. Ne verò diutius protraham, ſcito crucifixores meos, hoc in loco paſtores, animarumque rectores, ac Eccleſię ſignificare miniſtros ſua non mea quærentes. Diuiſa autem veſtimenta temporalium bona in pauperum alimoniis deputata. Ipſam verò inconſutilem tunicam fidelium vnitatem. Quod iſti nunc agunt, in Eccleſia mea futurum non dubites. Talium plenus eſt mundus, qui ideo cathedras quærunt, & paſtorales infulas concupiſcunt, vt lucra terrena ſectentur, & habeãt vnde ſuas expleant voluptates, ſuorùmque marſupia repleant. Solùm pręſentia diligunt ambitione circumuenti, ſeu cupiditate cęcati pecunias cumulant, vt ad altiora tendere valeant. Iſti theſauros meos, quos in cruce confixus acquiſiui, membris meis pauperibus erogandos conſumunt, & deuorant. Tanquam patrimonio proprio meis abutuntur diuitiis. Sicque impudenter ac ſecurè viuunt, ac ſi ignorem talia, nullàmque de ijs reddituri ſint rationem. Horum maior pars eſt, qui inter ſe veſtimenta mea diuidentes voluptati, & carnis curę inſeruiunt. Fuere etiam nõnulli, qui naturali pollentes ingenio, & liberali imbuti diſciplina fidelium plebem poſt ſe trahere curauere, Sectas iſtiuſmodi initiare ac ſchiſmata facere minimè veriti ſunt. Sortẽ mittunt, vt quis quid tollat, dũ opinionũ ſuarum fautores multiplicare conantur. Iudicia hominũ ſibi vendicant, nomẽ pręcipuũ in Eccleſia habere moliũtur, atque

Pſal. 21

ſub ſanctitatis, & veritatis velamine catholicam vnitatem tantum penes ſe eſſe perſuadere contendunt. Porrò catholicæ veritatis vnitas inconſutilis eſt tunica, & contexta per totum: quæ quoniam corpori meo adhæſit, ſcindi non valet. Diuiſerunt ſe ab vnitate hæretici, non ipſi vnitatem diuiſerunt. Nonne in ſuis euanuerunt cogitationibus? Et retrorſum alienati ſunt, quotquot ſchiſmata compoſuerunt? Vbi Arrius, Sabellius, Fotinus, cæterique, horúmque ſimiles? Singuli tunicam hanc habere voluerunt ſuper quam etiam miſerunt ſortes. Scindi illa non potuit. In iniquitatibus ſuis pereuntibus ſchiſmaticis in propria eadem integritate permanſit. Durauit quidem vſque ad diem hanc integerrima vnitatis tunica, perſeuerabitque per æuum. In carne & per carnem meam, cui famulando inhæſit, hoc ſortita, vt prorſus dilaniari nequeat. Ventiletur, deprædetur, ſortiatur. In ſuo ipſa robore cuſtoditur, tenet pulchritudinem, & fortitudinem ſeruat. In perſecutionibus eius agnoſce fortitudinem: in donis verò illius pulchritudinem venerare. Nonne ſpecioſa, & pulchra, dum per totum contexta eſt? Corpus totum attende Eccleſiæ, ipſius ſpiritualia dona conſidera, & omnino veſtis varietate delectaberis. Illius ſpecioſam varietatem exprimere curauit Propheta, quando ait: Aſtitit regina à dextris tuis in veſtitu deaurato circundata varietate. Qualis hæc ſit varietas vis noſſe? Apoſtolum audi: Alii quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alii ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum: alii fides in eodem ſpiritu, alii gratia ſanitatum in eodem ſpiritu, alii operatio virtutum, alii Prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum; alii interpretatio ſermonum. Tot in illa varietates ſunt, quot ſpiritualia eidem collata ſunt dona. Ex his catholicæ fidei decoratur vnitas, atque latens in ea poteſt ſciri veritas. Iſta ſi mentis intelligentia pertractaueris, quid in veſtium mearum diuiſione, quidve in tunicæ ſortione ſacramenti lateat, recognoſces.

Pſal. 44.

1. Cor. 12.

Quare homo naturaliter curioſitati inſeruiat. Cap. XVIII.

QVoties in foro, vel plateis nugatoria fiunt ſpectacula, numeroſa populorũ turba illuc confluere conſueuit. Semper noua & inuiſa humana mens quærit. A natura hoc illi inſitum eſt. Abutitur tamen naturę bono ſectando ſimilia. Factus eſt homo, vt cœleſtia conſequatur, inuiſibilia concupiſcat, & maiora ſe quærat. Impellitur igitur à natura, vt ſummum [illegible]dere appetat bonũ. Inferiora ideo tanta cũ auiditate perluſtrat, vt ſi quod in illis ſummi boni [illegible]ũ eſt, percunctando reperiat. Illuditur ita [illegible]erilib. promiſſionib. peccator, & cæcatis animę luminatibus molere cõpellitur: ſicut figuraliter de Samſone legitur: Terræ, mariſque perambulat ſpatia, & nihil in quo curioſitatis ſuæ greſſus figat, comperit. Iacet tanquam paralyticus in grabato membrorum ſpiritualium debilitate fatigatus. Huc illùcque iactatur quærens requiem, nec inueniens. Et tandiu in hoc perſeuerat ludibrio, quamdiu carnis a ſpiritus vita deficiat. Maxima igitur Hebræorum turba iſtiuſmodi curioſitatis agitata impulſu foras de ciuitate exierat: quatenus vniuerſitatis dominũ in cruce pendere atque expirare conſpiceret. Inſuetum ac ſingulare arbitrabãtur hoc eſſe ſpectaculum: propterea illi cernere cupiebant. Verè tamen ſpectaculũ angelis & hominibus erat mirandum. Simile huic nunquam fuerat viſum. Nunquid à ſeculis auditum eſt, vt Deus homo factus crucifigeretur, illuderetur, pateretur, moreretur? Nempe hoc magnum pietatis ſacramentum eſt, quod manifeſtum eſt in carne, iuſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt in hoc mundo, aſſumptum eſt in gloria. Hoc nil profundius, nilque mirabilius. Se ſpectaculum fecerat Deus, vt nouitate quadam inſolita diſperſos per abrupta vitiorum ad ſe traheret populos. Ipſum mediatorem audi. Quum exaltatus (inquit) fuero à terra, omnia traham ad meipſum. Traxit planè, quia trahere potuit. Efficaciſſimũ erat ſpectaculum hoc ad ſe ad alliciendos mortales omnes conſiderare volentes. Sufficientiam pleniſſimam habebat in ſe, quamuis efficaciam nõ niſi in prędeſtinatis oſtẽderet. Inuitabat tamen vniuerſos: ideo publicè celebratum eſt extra ciuitatem ſupra mõtis verticem, & in crucis patibulo. Hodie etiam in Eccleſiæ medio patet, annunciatur liberè, fideliter confitetur. Nam ſi alicubi latet, iis, qui pereunt, occultatur. Si quoſdã minimè trahit, non ex virtutis defectibilitate, aut attractionis oritur indigentia, ſed ex indignitate humanæ malitiæ renitentis, quæ à ſummo bono rationabilem diuertit affectũ. Se iuſtitiæ ſol exponit, ſe offert, ſe communicat intueri volentibus. Vnde quum quis illum nequaquam agnoſcit, peruerſitati ignorantis deputandum eſt. Occulto autem quum hoc fiat iudicio, iniuſtum eſſe non poteſt. Cur in propria quiſque reprobus nequitia deſeratur, potius venerandum eſt, quàm diſcutiendum. In ruinam ipſe Dominus Ieſus pendens in ligno poſitus eſt, & in reſurrectionem multorũ in Iſrael, & in ſignum cui contradicetur. Quemadmodum prophetatum, ita & impletum eſt, in ruinam poſitus eſt infidelũ, & in reſurrectionẽ credentium. Quomodo verò in ſignum cui contradicatur, conſtitutus ſit, attende. Stabat in patibulo fixus tanquam intellectuale ſpectaculum agnoſcere cupientibus. Stabat (inquam) quaſi ſignum ad ſagittam,

Iud. 16

1. Tim. 3

Ioan. 12

Luc. 2

tã, vt contradictionis & irriſionis verba ſuſciperet. Quales quiſque aſtantium ſagittas emiſerit, (Mat. 27.) ex conſequentibus conſidera. Aderat populus multus finem expectans. Ex ipſis quidam irriſionis intorquebant iacula, dicentes: Alios ſaluos fecit, ſeipſum ſaluum faciat, ſi hic eſt Chriſtus Dei electus. Huiuſmodi erant maledicentium turbarum ſagittæ. Militum verò, cuſtodientiumque: Si tu es rex Iudęorum, ſaluum te fac. Prętereuntes & ipſi blaſphemię dirigebant ſpicula, aiẽtes: Vah, qui deſtruis templum Dei, & in triduo illud reędificas: ſi filius Dei es, deſcende nunc de cruce. Similiter & ſacerdotũ pontifices cęteris ſceleratiores illuſionis iacula emittentes ad alterutrum cum ſcribis & ſenioribus dicebant: Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere: ſi rex Iſrael eſt, deſcendat nunc de cruce, vt videamus & credamus ei. Confidit in Deo, liberet eum nunc ſi vult: dixit enim, filius Dei ſum. O venenata antiqui ſerpentis fraus, ò meditata leonis rugientis rabies, quanta calliditate, quantave peruerſitatis arte inuictiſsimum Chriſtianæ religionis ducem conabantur euertere. Ordinarat quippe aduerſum illum acies, in omnibus ipſe certabat, ſi quo modo concupitæ valeret fieri compos victoriæ. Primò turbas, deinde milites poſt excitat prætereuntes: poſtremò pontifices, & ſeniores vexat. Omnes certatim paratas in pharetra ſagittas in ſignum contradictionis intorquent, paulatimque pugnæ exaggerant impetum. Porrò ſi ſingulorum diſcutiantur verba, ſemper in malignitate agnoſcentur proficere. Horum doloſitatem Propheta expreſsit domino inquiens: (Pſal. 73.) Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper. Pugnæ vidiſti ordinem, attende nunc fraudem. Duo in ſingulis recognoſce: irriſionem (videlicet) & perſuaſionem. Per irriſionis vilipendium ipſe malorum omnium commentor diabolus pendentis mediatoris ſubruere animum, atque in deſperationis & impatientiæ foueam præcipitare nitebatur. Quis (oro) tam crebro, tam iniurioſe, nec non & à tot æmulis laceſsitus, immobilis permaneret? Sibi inuicem ſuccedentes ſine interuallo, & abſque pietate opprobriorum, ac illuſionum adeò crebreſcebant ictus, vt feſſo & afflicto nulla requies præberetur. Importunitate quadam conuitiorum bellatoris fortitudinem debilitare ſtudebant. Præualuerunt ne? An fortè mouere potuerunt, ſeu mollificare duriſsimam petram? Prorſus minimè, quin potius ſuis ſeipſos transfixere ſagittis, atque proprio ſe iugulauere mucrone: quemadmodum voce prophetica dicitur: Gladius eorum intret in corda ipſorum, & arcus eorum confringatur. (Pſal. 36.) Iſtorum hoſtium machinationes glorioſiſsimus noſter ſuperauit dux. Fortitudinis ſcutum ſagittarum oppoſuit ictibus, & irriſionum verbis, atque contumeliarum irritationibus. Inſanos illos eſſe cernebat, nec non ab immundo vexatos ſpiritu. Incorrigibiles etenim quum eſſent, tunc ſuperuacuè admonitionis eloquia audiſſet. Tales potius ſilentio, quàm ſapientia compeſcuntur. Noli (inquit Sapiens) fatuo reſpondere, ne fortè controuerſiis allidatte. Illuſionum audiſtis bellum pariter & triumphum, perſuaſionum nunc venena auſculta. Plurimi nempe eorum, qui aderant, diabolo inſtigante verbis dominus ſuadere conabantur, vt de cruce deſcenderet. Hoc turba, milites, prætereuntes dixere pontifices: quatenus ex ſuadentium multitudine procliuior fieret ad deſcenſum. Callideque ſatis ſe credituros ſimulabant, vt tanquam ſaluator verus crediturorum ſalutem non negligeret. Iam pauere diabolus cœperat: iam ipſum Chriſtum eſſe credere: iam adeptum impudenter in hominibus dominiũ amittere trepidabat. Hinc vt deſcenderet, hortabatur. Verùm hanc capitis & membrorum malitiam ſapienter agnouit, cõfuditque. Non autem ab re legimus, quòd ſapiẽtia vincit malitiam. (Sap. 8.) Attingit enim à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. Non armis, non argumentis, non redargutionibus, ſed inimicum patientia ſuperauit. Obmutuit ad contumelias, & non aperuit os ſuũ, (Pſal. 19.) quamuis factus eſſet tanquam vas perditum, quamuis audiret vituperationem multorum commorantium in circuitu. Ad ſuaſiones verò non prębuit aures, fraudes eorum intelligens. Patienter ſuſtinens perſeuerauit in cruce, donec ſpiritum exhalaret, non quia non poſſet, ſed vt ſeipſum reſuſcitaret, ideo de patibulo deſcendere recuſauit. Poteſtatem quippe habebat ponendi animam ſuam, & iterum ſumendi eam, eadem facilitate poterat de ligno deſcendere, qua voluit in manibus inimicorum ſe dare. Dubium prorſus fieret, vtrum pro vtilitate petentium, ſeu ad confuſionem deſcenderet irridentium, ſi poſtulantium votis annueret. Quoniam verò filiorum hominum corda nouit, quod præſtantius erat, elegit. Solidum ergo patientiæ exemplum fidelibus non deſcendendo reliquit, & inſultantium veſaniam repreſsit, atque antiqui hoſtis inſidias redegit in nihilum. In cunctis autem ſe Diabolus ſuperari erubeſcens vnam, quæ in iniquitatis ſuæ pharetra remanſerat, ſagittam extorquere non deſiit, ſi fortè qui in maximis fortiter dimicarat, improuide vinceretur in minimo. Quamobrem latronem, qui à ſiniſtro mediatoris pendebat latere inflammauit vehementer, adeò vt & ipſe blaſphemiæ proferret obloquia. Vnde idẽ aiebat, Si tu es Chriſtus, ſaluum fac temetipſũ & nos. (Luc. 23.) Malus erat, & bene loqui nõ poterat. Iam illũ diabolus abſorbuerat, & in corpus ſuũ traiecerat. Ideo niſi quod ille volebat, agere non poterat. Figuram gerebat, necnõ de eorum

erat numero, qui ad ſiniſtram iudicis ponendi (Matt. 25.) in die iudicii audituri ſunt, Ite maledicti in ignẽ æternum, qui paratus eſt Diabolo & angelis eius. Inter mortuos computatus erat, propterea vitam quam habebat iuxta ſe, minimè cognoſcebat, quin potius deridebat, blaſphemabar, expellebat. Hoc quum audiſset qui pendebat a dextris, ſuſtinere non potuit. Iuſtus quidem erat, & iuſtitiam diligebat. Proinde irrogatas innocenti & iuſto calumnias cœpit arguere, (Luc. 23.) dicens, Neque tu times Deum, qui in eadem damnatione poſitus es. Sine timore (inquit) Dei es, mort. vicinus, & in mortis ſententia cõſtitutus. Cur ergo ſic loqueris? quare tam procaciter blaſphemiæ faris eloquia? Impiè agis, incõſultè verba pronuncias, ſubduceris, à maligno ſpiritu agitaris. Diſcute (oro) ſermones tuos, ipſius & noſtri cauſam examina, & perſpicuè intelliges, quoniam nos quidem iuſtè patimur, nam factis digna recipimus. Multa commiſimus enormia, & plurima ſcelera perpetrauimus, pro quibus congruè præſens ſupplicium ſuſtinemus. Hic autem, quem contumeliis præſumis appetere, nihil mali geſsit. Sanctus eſt, innocens, impollutus, ſine peccato, abſque crimine, & damnatus iniuſtè. Vita illius immaculata eſt, ſermones veri, & ſapientia pleni, cor humile & feruidum caritate. Amator eſt pauperum, mœrentium conſolator, via errantium, periclitantium ſalus, lux mundi, peccatorum venia, magiſter optimus, doctor præcipuus, ſingularis animarum medicus, tutiſsimus naufragantium portus, ſtrenuus pugnantium dux, & verè peregrinantium comes indiuiduus. Neminem ſpernit, nullum abiicit, nulli vnquam nocuit, neque alicui oneroſus fuit. Clemens eſt, in dolotibus patiens, in contumeliis imperturbabilis. Non eſt planè inuentus ſimilis illi in vniuerſa terra, qui incomprehenſibiliter conſeruaret legem excelſi. In noſtra quippe natura abiectus & contemptibilis apparet, ſed in ſua ſublimis & glorioſus eſt. Habet vtique regnum, regia inſignitus eſt poteſtate, & Angelorum ſemper vallatus eſt militia. (Ibidem.) His itaque dictis, conuerſus ad Dominum ait, Domine memento mei, quum veneris in regnum tuum. Maxima ſancti latronis huius fides eſt, & nimium commendabilis. Nullum de eo audierat prædicantem, nullum excuſantem, neminèmque illum agnouerat laudantem. Non regales viderat infulas, non veſtium apparatus, non miniſtrorum famulatus, non diuitias, non honores, non palatia, non miracula, non æternæ vitæ ab ipſo didicerat verba proferri, quinimo populum, milites, Pontifices, ſeniorèſque Hebræorum contra illum cernebat inſurgere. Nam tranſeuntibus op- (Marc 15.) probrium fuerat factus. Videbant enim illum, & mouebant capita, dicentes, Vah, qui deſtruis templum Dei, & in triduo reædificas illud. Verè Propheticum poterat proferrè ſermonem, Factus ſum in deriſum omni populo canticum (Iere. 20.) tota die. Latro autem iſte (quod magis eſt mirandum) eundem Dominum in patibulo tam ignominioſè poſitum, mortique intuebatur propinquum, & tamen poſt hanc vitam ipſum certiſsimè nouerat regnaturum, proinde conſtanter aiebat, Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum. Non humana eius ſunt verba, neque ſcientia mortalium acquiſita, ſed fideliſsima, vera, profunda, cœleſtia, diuinàque. Illa didicerat reuelante Patre, miniſtrante verbo, & certificante ſpiritu. Electorum beatus (Mat. 25.) iſte portendebat imaginem, & vnus eorum erat, quibus dicetur à Chriſto, Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Quoniam verò erat prædeſtinatus ad vitam, meritò vitæ verba ex ore vitæ audire promeruit, dicentis, Hodie mecum eris in paradiſo. (Luc. 23.) O felix latro, quantum tua confeſsio valuit, quantum Deo fides tua extitit grata. Sine ferro, ſine cruciatibus, & abſ- (Mat. 20.) que labore pœnitentiæ populorum arripuiſti regna ad vndecimam horam in vinea vocatus es, & mercedem prior accepiſti, præceſsiſti non meritis, ſed beatitudinis fruitione antiquos patres, diſcipulos (videlicet) & Apoſtolos. In te miſerationis ſuæ affluentiam Saluator exhibuit. Exemplo tui deſperatorum eruditur vita, delinquentium roboratur animus, erigitur ſpes, exhilaratur affectus, & antiquatæ conſuetudini malæ renouatio ſuadetur. Profectus quippe tuus aliorum militauit ſaluti. Vtinam mihi daretur tua, ò latro, ſectari veſtigia. O ſi Mediatoris promererer audire vocem dicentis, Hodie mecum eris in paradiſo, dies profectò lætitiæ, dies exultationis, dies (inquam) tripudii & gratiarum actionis mihi eſſet. Nempe totus feſtiuus, totus hilaris in Domini mei gaudium introirem. Quod ſi non hodie, ſaltem in die exitus mei de corpore, ſaltem vel poſt annorum curricula in paradiſum Dei ingredi dignus efficiar. Fortunatus autem hic peccator, qui ſua confeſsione iuſtificatus cœlũ acquiſiuit, & ſanctorum cœtibus non tactis purgatorii flammis aſſociatus eſt, ſatis illi videbatur facinoribus acclamantibus, ſi de eo in cęlorum regno tantum memoria haberetur. Vltra meritum, præter ſpem, & ſupra votum cõſequutus eſt. Iuxta fontem quippe æternæ vitæ pendens, reſidènſque prope fluenta pleniſsima gratiam ſimul accepit & gloriam. Præuentus nanque eſt in benedictionibus dulcedinis, ideo ſuſcepit coronam de lapide precioſo. Lætus quidẽ ob promiſsionem factus eſt, ſed propter munus lætior. Vnde verò hæc? aut à quo? Prorſus gratis à Domino, nam in cruce tanquam rex in ſolio, ſtabat Dominus

Digitized by Google

minus Ieſus, ſingulis ea, quæ habebat, ſingula diuidens. Furentibus quippe turpis, & aduerſus ſe vociferantibus eorum tribuit veniam ignorãtię, quãdo Patrẽ deprecatus eſt, dicens, Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt, Pontificibus ſenioribus, atque ſe crucifigentibus corpus ſuũ tradidit perhibente Propheta in perſona illius, Corpus meum dedi percutientib. & genas meas vellentibus, faciem meam non auerti ab increpantibus & conſpuentibus in me. Militibus ſe cuſtodientibus propria veſtimenta reliquit, ſicut per Prophetam ait, Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea. Latroni in dextera pendenti paradiſi gloriam donauit, inquiens, Amen dico tibi, hodie mecũ eris in paradiſo. Matri verò quid? Pręſens erat, & iuxta crucem erat cum multis mulieribus ſanctis. Poterat & ipſa, niſi dolore nimio abſorpta teneretur, munus aliquod expectare à filio. Aderat enim ibi prope filium. Nuſquam cogitationis ſuæ intentionem diuertere valebat. Tota erat cum filio, & tota rapiebatur in filium, in corpore filius, in mente verò erat genitrix crucifixa. Oculos lacrymis ſuffuſos erigebat ad filium, illoſque illico dimittebat. Nõ enim valebant materna viſcera horrendum nati intueri ſupplicium. Quo ſe illius figebat obtutus, mœſtus recũdebatur animus viſionis horrore. In capite coronam ſpineam, in facie ſputa, gelatum ſanguinẽ, & ſpeciem deformatam, in manibus ac pedibus clauos infixos, vulnera dilatata, defluẽtem cruorem, rigidoſque neruos. In toto demum corpore liuores, tunſiones, excoriationes, tumoreſq; cernebat. Vndique vehementiſsimi doloris aſpiciebat inſignia, & tamen iuxta crucem ſtabat. Tenebatur funiculo triplici, doloris (videlicet) admirationis, & amoris. Dolore equidem, quia pręſentis paſsionis gladius ipſius transfixerat animam. Veruntamen in corde transuerberata gladio & mente crucifixa, quò ſe diuertere valebat? Admiratione autem, cùm quis pendebat, tacita cogitabat. Illum verum Deum eſſe ſciebat in ſui natura impaſsibilem, immortalem, inuiſibilem, atque beatum. Quoties igitur conferebat in corde ſuo, & eundem paſsibilem, & impaſsibilem, mortalem, & immortalem, viſibilem, & inuiſibilem, & miſerrimum intelligebat, atque beatum vltra quàm credi poſsit, admiratione ſuſpenſa tenebatur. Quomodo admiratione non raperetur extra ſe, & redderetur immobilis, cum teſte ſacro eloquio, ſcrutator maieſtatis abſorbetur à lumine gloriæ? & quis vnquam congruentius, purius, familiariuſque, quàm beata virgo in diuinę contẽplationis agnitione admiſſus eſt? Nam etſi ſexaginta ſint reginę, & octoginta concubinę atque adoleſcentularum non ſit numerus, vna tamen erat columba ſponſi ſpecioſa, ſuauis, dilecta atque amabilis. Amore verò, quia vnicus ei erat filius cunctis formoſior, ſanctior vniuerſis, decoratus moribus, virtutibus plenus, ac gratiarum locupletatione conſpicuus. Materno ſiquidem amoris vinculo ſecum conglutinata tenebatur. Pręualuerat tamen dolor, & mentis ipſius ita ſecreta compleuerat, vt in comparatione illius vix admirationis & amoris reperiretur locus. Nec immerito. Fecerant enim admiratio & amor riuulos duos, qui indeſinenter in doloris alueum profluebant, propter quod rapidiſsimum in corde virginis ex huiuſmodi alluuione congregarant torrentem. Quamobrem in perſona ipſius in Threnis legitur. O vos omnes, qui tranſitis per uiam, attendite, & videte, ſi eſt dolor ſimilis ſicut dolor meus. Iuxta admirationis, & amoris menſuram doloris inerat magnitudo. Offenſam quippe Dei in pẽdentis æſtimabat iniuria, & pro cruciatu filii acriter affligebatur in filio. O quantus hinc indèque conflictus exercebatur in virgine? Tanquã in ſpirituali cõſtituta erat ſtadio, & indomitarũ attrectata morſibus beſtiarum. Porrò ueluti inundans fluuius, ita doloris in ipſius erat corde rugitus. Præterita quoque, præſentia, ac futura proſpectans quaſi clauis tribus ferreis iacebat ſpiritualiter in nati cruce confixa. Sic igitur oppreſſa vulneribus filii vulnera ſuis vulneribus aggregabat. Hanc verò cum vidiſſet Dominus dolore nimio fatigatam, vidiſsètque diſcipulũ, quem diligebat, virginem conſolantẽ, miſericordia motus non minus illorum, quam propria condoluit pœna, vnde ad eos conuerſus dixit matri ſuæ. Mulier ecce filius tuus. Sèque alloquentem vt audiuit mœſtiſsima mater, reuiuiſcere cœpit, & deperditas paulumper reſumpſit vires. Mœrentẽ quippe eius animum vnici leniuit eloquium verum vt mediator conticuit, tanquam prudentiſsima ſecũ ſingula diſcutere initiauit uerba, necnon & verborum ſententias. Cur mulier inquit, & non potius mater? Mater vtique illi ſum, tametſi meritis & conditione indigna. Natura & ſexus mulierem me fecerunt, gratia verò & prolis conceptio matrem. Vt ſim mulier, ſicut cæteræ gratis accepi, vt autem ſim mater, ex ſpeciali amoris priuilegio conſecuta ſum. Mater illi ſum, mulier mihi. Mulier (inquit) ecce filius tuus. Quid eſt, quod loquitur? Vnicus mihi eſt, vnicèque dilectus, poſt ipſum nullum habui, ſed neque cum illo alium habere volo. Plane ſi de ſe ait, ſi ſe ipſum inſinuare voluit, dicere debuerat, ecce me filium tuum, ecce quem genuiſti, vel cur oſtenderet præſentem, quem video, quem audio, quem cognoſco, ſi autem de alio aliquo inquit, de quo dicat, certam me reddat, ne dilaniata, & variata in multis ab eo diuellar. Sermonis huiuſcemodi cauſas ſcite cõcupiſco. Nempe fortuitu aut imprudẽter locutus nõ eſt. Eſt enim ſapientia Dei Patris, cui omnia nuda & aperta ſunt. Sed neque cor meũ reprehendit

Luc. 23. Esa. 50. Psal. 21. Ioan. 19. Tren. 1. Ioan. 19.

me, vt illum aduerſum me in aliquo concitauerim, vnde non matrem, ſed mulierem vocare debuerit. Hæc ſecum virgo. Ad filium autem in ſpiritu ait. O fili cordis mei ſingularis amor, & doloris ac ſecretorum conſcie meorum loquere ad eam, quę te genuit, & ambiguitatis altercationē ediſſere, cur mulierem me potius, quàm matrem vocaueris, aut quem loco tui mi oſtendas filium, vel forte tribuere velis mihi miſerrimæ, reſerare digneris. Filius es mihi, & ego tibi ſum mater. Si ego genitrix nomen hoc dulciſsimum mihi, & mœroris mei mitigatiuum, quare conticuiſti? Verum ſi tu mihi filius, cur alterum mihi demonſtraſti? Quomodo alium, quàm te, ſeu loco tui mihi cenſebo in filium, cum tui neque in cœlo neque in terra ſimilis ſit? Nam quamuis te in ſtipite pendentem, vulneratum, & ſeminecem videam, quanquam hinc poſt paululum nouerim te tranſiturum ad Patrem, nullum tamen volo præter te. Tu mihi omnibus carior, tu mihi amabilior vniuerſis. Te volo ſic liuidum, ſic cruentatum, ſic transfixum, te mihi filium eſſe ore profiteor, & corde concupiſco. Iſta Maria tacite proferente præ doloris vehementia ac profluuio lacrymarum vltra non valente procedere ſilere compulſa eſt. Corde & affectu pietatis tota liquefacta remanſit, atque filium ex nimietate mœroris intueri non poterat. Cui filius. Vt quid tanto dolore conſumeris? Quare cogitationes variæ conturbant cor tuum? Fateor quia cruciatus tuus gladius acutiſsimus mihi eſt. Pone igitur finem lacrymis, impetum afflictionis cohibe, atque pro iis, quę locutus ſum, non amareſcat cor tuum. Vocaui te mulierem non matrem, vt magnanimitatis fidelibus meis exempla præberem. Nam naturalis dilectio tametſi reprehenſibilis non ſit, eſt tamen ſenſualitati propinqua. Te amplius diligo, quia ſancta, quia pudica, quia humillima, quia charitate ſuccenſa es, quàm quia mater, & de te ſecundum carnem procreatus ſim. Non enim oblitus ſum te genitricem meam eſſe, me fuiſſe educatum à te, tuiſque obſequiis ad adultam perueniſſe ætatem. Non erubeſco te vocitare matrem, talem te feci, tantis te ornaui gratiarum monilibus, vt merito prodirem ex te, tèque omnes generationes faterentur eſſe beatam. Nolui autem vocare te matrem, ne prolis dulcedine, quæ ſub hoc latet vocabulo, tua transfigerentur præcordia. Facile (vt noſti) filiorum blanditiis viſcera materna complentur. In matrem te habere volo, te vt genitricem venerari. Viderer legem ſoluere, quam mandaui, ſi te appellare matrem, aut honorare cōtemnerem. Diſcipulum verò, quem diligo præ cæteris, tibi commendo in filium, vt quemadmodum comes, ita & integerrimæ virginitatis tuę ſit cuſtos. Obtemperabit tibi, vt filius, & tu de illo ſicut de me qualicunque frueris ſolatio. Dormiuit cum patribus ſuis Ioſeph ſponſus tuus nutritius mihi. Aſcendam & ego ad Patrem hoſtibus triumphatis. Quam obrem diſcipulus amborum in te ſupplebit vices. Præclarum etiam ſcito in hac commendatione diſcipuli latere myſterium. Ipſe nanque typum gerit eccleſiæ, quæ eſt immaculata, & virgo. Hanc in perſona diſcipuli tibi relinquo. Tu illam tanquam me dilige, exhortationibus robora, confirma conſiliis, exemplis erudi. Poſſet equidem in hoc ſeculi naufragoſo diſcrimine abſque gubernatore perire. Multæ aduerſus illam procelloſæ tempeſtates, perſecutiones acerrimæ, hæreſes diuerſæ cōcitandę ſunt. In fide adhuc debilis eſt minus fundata virtutibus, & inſueta pugnæ facillimè ſuccumbet, aut hoſtibus terga vertet, ſi duce priuatam ſe ſenſerit. Ex meo ignominioſo ac repentino exitu ſcio, quod turbanda eſt. Tuis informationibus erigetur, tua protectione ſolidabitur, atque ex pręſentia tua deperditas, ſi quę fuerint, recuperabit vires. Volo igitur, vt illam de cætero in filium habeas, illam tuis orationibus protegas, atque virtutibus auctam ad me perducas. Eidem quoque mandabo, vt te tanquam matrem veneretur, te diligat, ad te confugiat, te inter Deum, & ſe mediatricem faciat. Te aduocabit in periculis, in dubiis conſulet, in neceſsitatibus implorabit. Non minus de te, quàm de me captabit fiduciam. Faciā prorſus, vt omnes concurrant ad te, eritque nomen tuum honorabile in omni generatione, & progenie. Nemo in tui inuocatione ſpernetur, nullúſque deuotus tibi à me efficietur alienus. Indiſſolubili charitatis fœdere te illi, & ipſam copulabo tibi. Hæc matri. At diſcipulum *Ioan. 19.* verò inquit. Ecce mater tua, illi famulare, illam honora, poſt me ſecundus habere. Quicquid exhibebis illi, ſiue obſequii, ſiue reuerentiæ, ſeu iniuriæ, aſcribam mihi. In præſenti afflictione eius eſto illi conſolator dulcis, indiuiduus ſocius, & obediens filius. Non hinc diſcedat ſine te, vbicunque eſſe voluerit, ipſius adhære veſtigiis. His dictis inualeſcētibus paſsionis anguſtiis, atque exitus imminente hora, conticuit. Ex illa ergo hora & deinceps iuxta Domini præceptum accepit eam diſcipulus in ſuam.

Qualiter naturalem pauorem mortis ſuperauerunt ſancti. Cap. XIX.

NEmo ſane intelligentium ignorat carnis, & ſpiritus ſeparationem eſſe terribilem, & potiſsime cùm violenter ac præter naturæ ordinem euenire cōtigerit. Illam plane natura abhorret veluti ſuiipſius conſumptionem, propterea declinat pericula, dolores fugit, atque expaueſcit oē, quo mediante decidit. Hinc infirmitates, cruciatus, & ſenium, quæ propinquæ mortis notiſsima indicia ſunt, pati formidat. Quantum valet, ab his ſe

redimit,

redimit, & medetur ipſis. Remedia vniuerſa pœnis corporis reſolutionem oppoſitis ſedula inquiſitione rimatur. Hinc virtutis herbarum curioſa percontatio, hinc medendi peritia ſumpſere principium. Omnes naturali impulſu quemadmodum diuturna fœlicitate viuere appetunt, ita tormēta refugiunt, pericula trepidant, atque tota, qua valent, induſtria, animæ exitum differre conantur. Hoc autoritate ſua Apoſtolus roborans inquit. *Ephes. 5.* Nemo vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed magis eam fouet, & nutrit. Verum cum plurimos ſanctorum legamus vltro ſe expoſuiſſe cruciatibus, mortēmque minime declinaſſe, cum poſſent, hos nequaquam dixerim pœnarum ſeu exitij caruiſſe metu, ſed illum tunc vitæ deſiderio ſuperaſſe. Habebant plane in ſeipſis pariter pauorem mortis, & immortalitatis affectum. Præcedebat tamen amor odium, & perpetuæ vitæ guſtus (gratia operante) ſeparationis homini vincebat metum. Supra naturam diuinitus donum hoc illis erat prærogatum. Plane nihil humanæ naturæ aſcribendum eſt, cum poteſtate abſoluta Deus operatur in homine. Ipſe namque eſt, de quo egregius Pſaltes cecinit dicens. *Psal. 134.* Omnia quæcunque voluit Dominus, fecit in mari & in omnibus abyſſis. Veneranda eſt igitur in homine omnipotentis gratia, cum præter id, quod naturaliter eſt agit quis, ſed & quilibet ſupportandus, quando naturæ impulſu agitatur, & regitur. Non ſunt ob hoc redarguendi neq; damnandi, qui nimijs grauati paſsionibus ſigno aut clamoribus calamitatum ſuarum vehementiam notificant. Tales proculdubio exhortandi, alendi, & fouendi ſunt, ne deſperatione deficiant, & vtriuſque uitæ ſtipendia amittant. Quis Domino Ieſu perfectior? quis illo in tolerādis cruciatibus robuſtior? in illa morte quis eo conſtantior? & tamen Euangelio teſtante didicimus, quod in vltimo conſtitutus cum immaniſsimis doloribus premeretur, voce tonanti clamauit. Deus Deus meus vt quid dereliquiſti me? Porrò ſi in tormentis poſitus fortiſsimus ſic vociferatus eſt gigas, quid aget infirmus homunculus? Si turris inuictiſsima tempeſtatis impulſu penè mota eſt, & tremuit, quid arundo tenuis & delicata? Non tamen arbitrandum eſt ex debilitate animi, ſeu carentia patientiæ mediatorem noſtrum talem clamoris emiſiſſe rugitum. Se verū eſſe hominem, ſe carnem geſtare paſsibilem, ſe mortem pauere inſinuare curauit. Quanta pro hominibus pateretur, ſub eadem vociferatione contexit. Ex paſsionis ergo immenſitate, amoris magnitudinem declarauit. Niſi tenerrime ardentèrque diligeret, doloris nimietatem tolerare non poſset. Vincebat plane in illo, atque ſupereminebat mortis ſupplicium amoris magnitudo. Proinde ex cōſideratione mœroris ac pœnæ caritatis illius affectus notus efficitur. Quantum doluerit, quantùmque crucis patibulū perferendo laborauerit, quis ſufficienter intelligit? quæ facundia enarrabit? Omnem humani ingenij excedit altitudinem doloris & amoris ipſius altitudo. In illo complebatur, quod in Threnis ore Prophetico dicitur. *Thren. 1.* Foris interficit gladius, & domi mors ſimilis eſt. In corpore quidē paſſionis ſæuiebat gladius, & in mentis habitaculo mœroris torrens maxime inundabat. Nulla profecto corporis pars ſeu ſenſuū ſiue membrorum a cruciatu erat illæſa. Inſonabant vtiq; in eius auribus verba blaſphemiæ, diuini contemptus ſermones, irridentium, plangentium, vociferantiū, maledicentiūmque tumultus. Oculis intuebatur cum illuſione capita agitantes, atque dicentes. *Mat. 27.* Væh qui deſtruis templum Dei. Matrem cernebat mœrore ſauciam, & vberrime lacrymantem amicorum & affinium ſuſtentari manibus, foueri blanditijs, exhortationibus conſolari. Fœtore autem cadauerum occiſorum & ſanguinis putreſcētis eius complebatur olfactus. Myrrhati quoque vini potus mellifluum illius os amareſcere fecerat. Poſtremo in ſtipite poſitus infixos clauos geſtabat in manibus. A planta igitur pedis vſque ad verticem capitis nil à tormētis remanſerat liberum. Erat factus ſpectaculū Iudæis & Græcis, Latinis & Barbaris, iuſtis & peccatoribus, diligentibus & odientibus. Merito dicere poterat, quod ait Propheta. *Psal. 21.* Ego ſum uermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Omnes videntes me deriſerunt me, locuti ſunt labiis, & mouerunt caput. Sperauit (inquiunt) in Domino, eripiat eum, ſaluum faciat eum, quoniam vult eum. Sane ſupra naturā erat, vt homo in tantis corporeis doloribus conſtitutus viueret, loqueretur, vociferaretur, & non moreretur. Viuificabat prorſus ſeipſum, vt ad tam diuerſa perferenda ſupplicia habilis fieret. Abſque diuina diſpēſatione agi non potuit, vt mortalis caro in paſsionis vegetaretur igne, & in tribulationum non abſorberetur pelago. Mirabilis quippe in eo uita corporis, ſed longe erat mirabilior animæ tolerantia. Tota etenim paſsionis vis omnis corporis cruciatus in animæ virtute pendebat. Quicquid caro patitur, anima mediante, eadèmque ſentiente patitur. Tolle à corpore animam, & ad quæque tormenta inſenſibile redditur. Incide ipſum, adure, percute, dilania, & dolet nihil, neque proclamat. Vnde hoc? niſi quia abeſt illa, quæ prius vegetabat, dolebat, regebat, atque intelligebat. Ex animæ igitur diſpoſitione cruciatus carnis nedum ſentitur, verumetiam leuigatur, ſiue grauatur. Porrò dum introrſus mens gaudet, vtique in exterioribus flagellis exultat, ſi verò triſtatur, oneratur in minimis. *Act. 5.* Ibant Apoſtoli gaudentes a conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati. Lætificati enim Paracleto frangi exterio-

exterio-

exterioribus non valebant. Ipſi plane erant, qui delectabantur pœnis, & idē ipſi, qui grauati mœſtitia, vigilare minime potuerant. Non tamē vno eodemque temporis momento talis eorum mētibus diuerſitas inerat, ſed aliter atque aliter iuxta qualitatem ac diſpoſitionem animæ ſe habebant. Non autem ſic in mediatore noſtro Chriſto. Vno ſiquidem tempore, & Dei fruebatur vi-
Matt. 27. ſione, & intolerabili paſſione gemebat. Altiſſimo verò diuinitatis conſilium actum eſt, dum pēdens clamaret. Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti me? vt tota diuinæ fruitionis gloria in eo militaret ad pœnam. Nam quemadmodum omnes cognitione anteceſsit, ita etiam & mœrore. Appoſita eſt illi ſcientia, appoſitus eſt dolor. Secundum bonitatis, ſapientiæ, charitatis, maieſtatiſque Dei notitiam doloris cremabatur incendio. Affligebatur itaque pro offenſa Dei, pro abiectione ſui, non propter ſe, pro contemptu gratiæ, pro futura ſui corporis myſtici perſecutione, & pro plebis Hebræorum reprobatione. Afficiebatur in ſingulis, afficiebatur pro omnib.
Esai. 53. Hoc voluit Propheta ſentire, dum diceret. Omnes nos quaſi oues errauimus, vnuſquiſque in viā ſuam declinauit, & Dominus poſuit in eo iniquitatem omnium noſtrum. Modo igitur quodam indicibili in omnibus electis ſuis omnia perferebat pœnarum genera. Perſequebatur in Apoſtolis, lapidabatur in Stephano, aſſabatur in Laurentio, ſicque in ſingulis ſingula martyrum, cæterorumque iuſtorum ſuſtinebat tormenta. Nemo igitur prædeſtinatus ad vitam ſicut à ſanguinis Chriſti pretio expers eſt, ita nec ab ipſius mœrore alienus. Omnes in ſanguinis ſui lauacro à cōtagionis culpa mundauit, vniuerſorum errata reformans in ſe, exhibuit ſanctitate conſpicuos, virtutibus ornatos, & gratia coruſcos. Corpore ſiquidem, & mente crucifixus pro omnibus dicere compulſus eſt. Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti me? Minime tamen arbitrandum eſt ipſum à Deo totaliter fuiſſe derelictum, quem in vnitate ſumpſerat perſonali, ſed in puris naturalibus ſenſibilem partem dereliquit. Fluenta etenim æternæ voluptatis cōtinuit, ne impetu, quo ſolebant, emanarent in Chriſtum. Quamobrem toto ſuper ſe humanæ infirmitatis incumbente onere, atque diuinæ æquitatis in ſe ſuſcipiente flagello ad Patrem vocis ſuæ dirigendo clamorē inquit. Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti me? Clamauit, & exauditus eſt. Præſto miſeratio ſuperna illi affuit, quæ ab inſtanti conceptionis eius ipſum inhabitādo poſſederat. Nequaquam ei defuit, quod cuilibet per Prophetam promittitur iuſto. Inuoca (inquit) me in die tribulatio-
Psal. 49. nis: eruam te, & honorificabis me. Non tamē ab imminente tribulatione ſic erutus eſt mediator, vt ab illo auferretur pœna, ſed refulgente in anima ſole, qui prius erat in nubilo, rediuiua luce ſuæ humanitatis reparauit vires, ne paſſionis nimietate deficeret. Emergente verò anima, quæ decurrētibus tribulationum fluctibus in profundi limo immerſerat, nec puſillanimitatis formidine, nec pauore mortis territa eſt; quin potius examinata atque referta flagrantiſſimo amoris incendio paſſionis agonem, quem penè ſuperauerat tolerando, repetere cœpit. Magnanimitatem ſiquidem, quam gerebat introrſus, foris ad ſuorum exercitationem fidelium cedere voluit. Quamobrem vt, quę deerant conſummāda, perficerentur, ſicut in ſacro continētur eloquio, ait. Prou. 9.
Sitio. Aedificabat plane ſapientia domum Eccleſiæ ad habitandum, quemadmodum in ſapiētiæ volumine conſcribitur, quæ potiſsimè ſacrarum autoritate ſcripturarum ſolidatur. Præuidens enim Spiritus Sanctus imbecillitatem humanam in credendo, vt ipſam in fide erigeret, quicquid de Chriſto, ſuper quem fidei fundatur autoritas, futurum erat, longe ante Prophetarum prædixit oraculo, quatenus iam cōpleta crederentur, quæ ſanctorum voce prius, quàm fierent, futura eſſe prænunciata ſunt. Sitiebat itaque mediator paſſionem ſuam perficere Prophetarum ore prædictam, vt inde ſequeretur, quod in verbo certiſſime præuidebat. Ardebat profectò deſiderio, vt diuinus repararetur honor, qui primo cadente homine deperierat. Sibi nanque illum Diabolus vendicabat in homine, & quantum valebat, aduerſum Deum cordis erigebat ceruicem. Retine- Esa. 14.
bat adhuc, quod male ſuperbiendo conceperat dicens. Sedebo in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis, & ero ſimilis altiſsimo. Vt ergo non violenter, ſed rationabiliter profuga de ſede nō ſua deiceretur Angelus, & verus Deus rectiſſime colendus crederetur, agnoſceretur, diligeretur, veneraretur, venit in carne Chriſtus pro veritate in corpore moriturus, prædicando ſiquidem veritatem, quæ Deus eſt, Diabolicos detegendo errores, vitiorum ſordes, hominum cæcitatem, tyrannicam patefaciēdo ſeruitutem, mortalium exhortabatur genus ad verę fidei agnitionem venire. Hæc quippe dum diceret, ab infidelibus occiſus eſt Chriſtus. Meruit optatum prædicatio eius effectum, quæ ſolum diuinum quæritabat honorem. Iecit quidem verborum, virtutum, ſacramentorum, & ſanguinis ſpiritualia ſemina, cupienſque fructum colligere, quem præſciebat eſſe futurum, aiebat. Sitio. Præterea, quēadmodum aquarum fontes deſiderat ceruus, ita ipſe mediator cœleſtis Hieruſalem reſtaurationem anhelabat. Affectabat equidem, vt numero, vt fęlicitate, vt vnitate compleretur, quatenus reuelata Dei gloria, laus, honor Deo perſolueretur, & gloria, quæ affatim nō niſi ex perfecta eius cognitione perficitur, cuius exolutionis debitū, laudiſque holocauſtum non illi, cui redditur, ſed ipſius, qui laudat, efficitur beneficium. Gratula-

tur Deus in ſe, de ſe. Honoratur autem vocibus laudantium ipſo per Prophetam dicente [Pſal. 49.] Sacrificium laudis honorificabit me. Nequaquam tamen ſic, vt tacentibus, qui laudant, eius deficiat laus, decreſcat gloria, diminuatur lætitia. In nullo itaque diuinę derogatur laudi, cum deſint, qui laudent, ſed laudatores deficiunt ipſi, quibus diuinitatis laudatio proficit ad ſalutem, ad meritum, ad gaudium, ad fęlicitatem. Vt ergo exiſterent, qui omnipotentis Dei laude beati fierent, ad quam proculdubio ex paſsionis Chriſti pretio, ex documento ſapientiæ, atque ex fide meritò perueniretur, ait, Sitio. Sitiebat plane Angelorũ redintegrationem, ſitiebat etiam corporis ac mẽbrorum vnitatem, quorum caput erat ipſe, omnes ad ſe trahere, ſibique copulare peroptabat, inſinuare cupiens illis, qualia quãtaque pro ipſis ſupplicia pateretur, quatenus grati pro beneficio, animati pro munere de tam immenſo charitatis obſequio repẽderent gratiam. Proinde ſicut pendens extenſis brachiis, apertis manibus, perfoſsis pedibus, inclinato capite vniuerſos inuitabat dicens, ſitio. [Ioan. 4.] Quod enim mulieri vni Samaritæ dixerat, da mihi bibere, hoc in cruce nunc fixus omnibus ait, ſitio. Vos (inquit) volo, vos cupio, vos corpori meo vnire, vos mihi aſſociare, ſitio. Hanc vocem in ſpiritu Propheta audiſſe teſtificatus eſt, inquiens, [Pſal. 68.] Pretium meum cogitauerunt repellere, cucurri in ſiti. Curramus igitur & nos fratres, curramus ſinguli, curramus omnes, & ſitienti Chriſto in potum illi præbeamus noſipſos. Sitit nos propter nos, inebriare nos vult. Omnem abigamus moram, torporem, dubietatẽque, ne tardi inueniamur ad ſitientem currere fontem. Vtrunque in Chriſto eſt, vtrunque Chriſtus eſt. Fontem habet vitæ, de quo illi per Prophetã dicitur. [Pſal. 35.] Apud te eſt fons vitæ, ſed etiã eſt fons vitæ. [Ioan. 7.] Porrò ſi non eſſet fons vitæ in templo minime clamaſſet, ſi quis ſitit, veniat & bibat, & flumina de vẽtre eius fluẽt aquæ viuæ. Fons vitæ erat, & tamen ſitiebat. Aquam promittebat, & bibere cupiebat. Sitiebat nos, & dare ſe nobis deſiderabat. Sitit (inquam) nos, in ſuum nos vult myſticum traiicere corpus. Sitis hæc de ardore dilectionis, de amoris fonte, de latitudine naſcitur charitatis. Nempe in cruce ſtat poſitus, propinquus eſt morti, & amoris vehementiſsimi igne exęſtuans, atque refrigerari gliſcens clamat, ſitio. Propinemus ergo ei, non ſicut Iudæi acetum felle mixtum, ſed nos, quoniam ſitit nos. Tales tamen ſimus, vt non nauſeat ſuper nos, atque de ore euomat ſuo. Simus mũdi à ſordibus, à cupiditatibus alieni, & à delicti deſiderio extranei, vt hauriat, bibatque nos. Aquam præterea ſapientiæ, & puritatis ei offeramus, vndam profluentem vtique de torrẽte diuinæ charitatis abſque luto mundanæ cupiditatis. Talem potum diligit Chriſtus, talem aquam ſitit ſapientia. Aqua munda, anima fidelis, & ſancta eſt baptiſmi depurata lauacro in verbo, aquarum verò collectio populorum eſt aggregatio, ſacro teſtante eloquio. Aquæ multæ populi multi ſunt. [Apoc. 17.] Pro ſalute populorum, vt per crucis patibulum eos traheret ad ſe, mori deſiderans aiebat. Sitio. Nempe animarum ſuccenſus zelo diuinam ad pietatem volens iuſtitiam flectere erecta ad cœlum mente, corpore vero nudato, vulnerato, clauato, Patri clamabat, Sitio, hæc pro electorum ſalute patior, iſta pro tuo honore ſuſtineo. Ignoſce igitur illis, placabilem te illis exhibe, pro quibus tantis me expoſui cruciatibus. Verum ſi hæc, quæ tolero, pauca videntur, adde flagellum flagello, appone vulnera vulneribus, lacera, vre, confige, percute, occide. Vniuerſa hæc & maiora toto deſiderio ſitio, non poterit oneroſum eſſe, nec conquerar de eo, quod ſitio. O ardor charitatis, [Cant. 8.] ò amor præceps, feruide, inſuperabilis, & perſeuerans, quem multæ aquæ tribulationum extinguere nequiuerũt, quo affectu, quove tonitru in auribus Domini Sabaoth inſonuiſti? Nempe repleſti cœlum, commouiſti terram, conturbaſti abyſſum. Hanc vocem audiuit eccleſia, & lætata eſt, atque exhilarata ſpe. Non pauet ſententiam perpetuæ damnationis, quam in mediatoris ſui temporali morte fatetur abolitam. In cruce percipit, vnde habeat propitiationem, in hoc verbo. Sitio, vnde vendicet eruditionem. Erudiatur planè ſpirituali doctrina ſapientiæ, & paucis immenſa comprehendit myſteria. Tanquam amica in verbi admittitur thalamo. Lætatur quia diligitur, prouehitur, confirmatur. Porrò inde perficitur ſapientia, vnde ſcandalizatur adultera, quia iſta carnem in litera, eccleſia autem ſenſum ſpiritus intelligit latentem in litera. Hoc myſtice veſania declarat populi Hebræorum, qui omnia ſecundum carnem ſapiebant in Chriſto. Clamauerat quippe, Hely Hely, & dixerunt, [Mat. 27.] Heliam vocat iſte. Nunc (inquit) ſitio, & illi non charitatis, ſed iniquitatis porrigunt poculum. Nam ſpongiam aceto hyſſopo, & felle plenam arundini circumpoſuerunt, vt inde potarent morientem. Scripturæ ſacræ complebant eloquia, & fidei noſtræ inſtituebant myſteria. Perfecerunt opere, quod longe ante fuerat vaticinatum. Sic enim in perſona Chriſti Propheta prædixerat. Et dederunt in eſcam meã fel, & in ſiti mea potauerunt me aceto. [Pſal. 68.] Crudelitatem quippe Iudæorum perfidorum expreſsit, ſed neque cõticuit malitiam peccatorum. Quotquot ſunt dediti voluptatibus, quotquot ſuperbię ſpiritu inflati ſunt, quotquot liuoris, odij, aut nocendi veneno referti ſunt, in arundine, & ſpongia fel Domino porrigunt ſitienti. De huiuſmodi ait Propheta. Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile. Quemadmodum

fel,& in ſiti mea potauerunt me aceto. Crudelitatem quippe Iudæorum perfidorum expreſsit, ſed neque cõticuit malitiam peccatorum. Quotquot ſunt dediti voluptatibus, quotquot ſuperbię ſpiritu inflati ſunt, quotquot liuoris, odij, aut nocendi veneno referti ſunt, in arundine, &
Deut.32. ſpongia fel Domino porrigunt ſitienti. De huiuſmodi ait Propheta. Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile. Quemadmodum Iudęorum, ita & iſtorum potum abhorret ſapientia. Non enim placent Deo peccatorum ſacrificia. Illa reſpuit, illa paruipendit, & dãnat. Sitim, quam de nobis habere ſe aſſerit, non auferunt cogitationes malę, neque deſideria terrena, ſed cœleſtia, ſed ſpiritualia, ſed ignita, quæ de ſanctificato prodeunt corde. Aberant hæc à Iudæis, qui nocendi Chriſto animoſitate ardebant. Intus etenim malitia pleni ſicuti peccatores cæteri ſpirituale aceti, & fellis poculum Domino tradiderunt. Foris autẽ hoc egerunt, quod nulli alij actum eſſe compertum eſt. A ſeculo nõ eſt auditum, vt homini ſitienti, laſſo, vulnerato, ac morienti pro ſitis refrigeratione acetum hyſſopo, & felle daretur mixtum. Excedit totius humanitatis limites iſta crudelitas. Ingrati, ſcelesti, ſine pietate, abſque miſericordia, quod brutis impenditur, ſitienti Dei filio denegarũt. Vrebantur omnia interiora eius, & præ ſiccitate exa
Psal.21. ruerant iuxta propheticum illud. Aruit tãquam teſta virtus mea, & lingua mea adhæſit faucibus meis. Et tamen clamanti, Sitio, gutta aquæ crudeliter denegatur. Debuerant plane, ſi qua in illis pietatis eſſet ſcintilla, ad clamorem commoueri dicentis. Deus Deus meus, vt quid dereliquiſti me? Debuerãt etiam eorum molliri corda, cum dixit, Sitio, & ad ſatietatem aquæ potum tribuere, ſed eorum impietas pietatis aperuit fontem, atque Prophetarum prænũciatam indicauit veritatem. Nam cum mediator accepiſſet acetum, inquit. Conſummatum eſt. Multa hoc vnico ſermone concluſit Sacramentum quippe humanæ redemptionis Iudæorum ſcelus, & quicquid Prophetarum ore de illo fuerat vaticinatum, his paucis inſinuauit conſummatũ eſſe atque perfectũ.

Quid in contemplantis animo meditatio paſſionis Chriſti efficiat. *Cap.* XX.

NIhil eorum, quæ in ſacro continentur eloquio, ſic humanum valet excitare affectum, mentem erigere, temperare laborem, peregrinationis tædium auferre, & æternæ fęlicitatis ſpem immittere, quemadmodum redemptionis humanę ſacroſanctum myſterium. In illo equidem diuinæ miſerationis reſeratur abyſſus, cœlorum aperitur ianua, charitatis latitudo oſtenditur, & quantus ſit homo, apertiſſime manifeſtatur. Vile eſſe non poteſt, quod filij Dei ſanguine cõparatur. Habet in illo homo vnde gaudeat, habet vnde triſtetur. Triſtari profecto debet, cum ſe paſſionis Chriſti intelligit reum. Nequaquam mediator Chriſtus paſſionis aut mortis crucis ſubiiſſet iniuriam, ſi non peccator homo in Dei incurriſſet offenſam. Decretum quippe Dei paruipendendo deliquit, & terrena pariter ac cœleſtia deordinauit. Quã enim ſapiẽtia Dei in vniuerſo intulerat pacem, homo inobediendo confudit. Venit igitur mediator in carne peregrinaturus in ſeculo, vt reſtauraret collapſa, illuminaret opaca, reuocaret deuia, & redimeret perdita. Ouem centeſimam, deſcẽdit vt quęreret, atque in illa, quam amiſerat, reponeret pacem. Hæc potiſsima incarnati verbi exinanitionis extitit cauſa. Opus hoc perficiendum ſuſcepit, dum carnem induit, dum virginalis thalami ſecreta compleuit. Hinc contemptibilis ortus, præſepis reclinatio, ſtabuli diuerſorium, Aegypti fuga, parentum ſubiectio, ieiunii prolixitas, tentationum perpeſsio, peregrinationis decurſus, ſedula prædicatio, donatio ſanitatum, miraculorum oſtenſio, proditionis contemptus, irriſionum tolerantia, crucis ignominia, & mortis acerbitas in eo habuere principium. Iſta ſine humanitatis Chriſti fieri nequiuere labore. Proinde talium rememoratio, quoniam propter nos perpetrata ſunt, compaſsionis ac triſtitiæ nos debent mucrone transfigere. Pro tuis itaque facinoribus ô homo triſtare in Chriſto, atque de ipſius tibi collatis beneficiis lętare in illo. Te agnoſce in illo, tua in eius afflictionibus metire delicta, debita tua in Chriſti lege membranis. Vulneratus eſt propter delicta noſtra, attritus eſt propter ſcelera noſtra. Esa.53. Ipſius attritio, liuor, paſsio, atque interitus noſtræ ſunt calamitatis indices, & adeptæ pacis ſpirituales teſtes. Poterat plane homo, quandiu in mundo conuerſatus eſt Chriſtus, de pacis bono, quam idem perficere venerat, dubitare, at vbi in patibulo effuſus eſt cruor, de ipſa certificatus eſt pace. Hanc itaque non in membranis, non in lapide, neque in ligno, ſed ſanguine proprio in ſua carne cõſcripſit. Librũ hunc, vt ab vniuerſis legatur, publice expoſuit. Non autem ſermone compoſito, vel humanæ ſapientiæ exaratus eſt verbis, ſed hominum interueniente malitia digito Dei ſcriptus. Nempe ſauientibus gentilibus atque Iudæis depictus eſt foris, virtute autem, & ſapientia Chriſti formatus eſt intus. Habet foris ſimplex, & indoctus quid legat, habet ſpiritualis, & perfectus quid intus intelligat. Innumera prorſus ſub hoc carnis velamine latent ſacramenta, quæ à ſpiritualibus ſpiritualiter diiudicanda ſunt. Legit ſimplex, & lætificatur, atque compungitur, exercitatus verò intelligens irradiatur, atque accenditur. Quiſnã niſi ſapientia doctrix poterat paucis tam multa colligere? Abbreuiatam equidem legem, legalia

ſacramenta,

completa. Dedit vtique formulam,& patefecit ianuam,per quam ingredientes vitæ paſcua vberrima reperirent. Noluit explicare vt quæreres, noluit tibi plenius reſerare,vt ſapientiæ fluenta ſitires.Nouerat profectò,quod illa ſapiũt dulcius, charius amplectuntur, & tenacius poſsidentur, quę proprio,quàm quæ alieno, ſunt acquiſita labore.Occaſione ſiquidem inquiſitionis, dilectionis voluit promittere fontem. Quo(videlicet)cõperto de ingrato quiſque fieret gratus,de alieno propinquus,& de peregrino ſanctorum cõciuis. Hoc agnouerat Paulus,quando conuerſis aiebat diſcipulis. Iam non eſtis hoſpites & aduenę, ſed eſtis ciues ſanctorum,& domeſtici Dei. (Ephe. 2.) Abolitã omnem ſciebat cõtrouerſiam, & Dei cum hominibus perpetuam in cruce per Chriſtum pacem eſſe firmatam.Propterea dicebat.Ipſe eſt pax noſtra,qui fecit vtraque vnum, & medium parietẽ maceriæ ſoluens inimicitias in carne ſua, legem mandatorum decretis euacuans, vt duos condat in ſemetipſo, in vnum hominem nouum faciens pacẽ,vt reconciliet ambos in vno corpore Deo, per crucem interficiẽs inimicitias in ſemetipſo. (Ibidem.) Porro quod Apoſtolus palã per dominũ Ieſum completum eſſe commemorat, hoc idem dominus ſub compendio expreſsit,inquiens.Conſummatum eſt.Confixus ergo in ſtipite Chriſtus tanquam propitiator optimus in nubibus eleuatus eſt,quemadmodum Noe ſancto repromiſerat,dicens. Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me & inter terram. (Gen. 9.) Cumque obduxero nubibus cœlum, apparebit arcus meus in nubibus,& videbo illum & recordabor fœderis ſempiterni,quod pactum eſt inter Deũ, & inter omnem animam viuentem vniuerſę carnis,quæ eſt ſuper terram. Proinde completis omnibus,quæ de aduentu,natiuitate,prædicatione, paſsione & morte ſua ſanctis patribus teſtamenti veteris in figuris & ęnigmatibus variis fuerant præmonſtrata, atque à ſanctis vaticinata prophetis,ait.Conſummatum eſt. Quo dicto ad patrem preces, ſupplicationesque cum clamore valido & lacrymis offerens,inquit. In manus tuas domine commendo ſpiritum meum. Opus quod dediſti mihi,conſummaui,perfecique omnia, quæ, ad honorem tuum ſeu ad humanam reconciliationem ſpectant. Non autem vt mortem verear aut tartareas paueam legiones, ſiue defidam de te,ſed vt verum me fatear hominem, & rationalem habere animam,atque inferiorem te eſſe in aſſumpta aſſeuerem natura. In manus tuas commendo ſpiritum meum. Præterea ne in hac vltima hora conſtituti,quos mihi dediſti, formidẽt ſe deſeri, audiant clamantem me,& ſe agnoſcãt in me, atque orationem iſtam me fudiſſe pro ſe ſane intelligendo non dubitent,dico. In manus tuas cõmẽdo ſpiritũ meũ.Spiritũ vtique meũ in manus tuas cõmẽdo, nõ tantũ quem gero vt homo,ſed quem vt mediator & redemptor acquiſiui mihi. Meum plane dixerim ſpiritum,membra mea,Eccleſiam meam,ſponſam meam,quam patiendo pro illa meam facio. Hanc ſpiritum meũ nuncupo, quia adhærendo mihi vnus ſpiritus fit & corpus vnum. Nam ſiquis meretrici adhærendo vnum efficitur corpus,quanto magis adhærendo mediatori Chriſto? (1. Cor. 6.) Hoc teſtatur Apoſtolus dicens.Qui adhæret Deo,vnus ſpiritus eſt. Huiuſmodi ſententiam non à ſeipſo loquutus eſt Paulus,ſed reuelante patre,docente ſpiritu,& in illo loquente Chriſto. In illo habitabat Chriſtus,& ipſe in Chriſto.Perpetuo ſibi inuicem erant charitatis vinculo copulati, non tribulatione, non perſecutione,non fame,non nuditate,non mortis articulo ſeparandi. Hinc roboratus ſpiritu fiducialiter aiebat.Certus ſum,quia neque mors, (Rom. 8.) neque vita,neque inſtantia,neque præſentia, neque futura,neque altitudo, neque profundum, neque creatura aliqua poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Sciebat quantum diligebatur à Chriſto,& quanti Eccleſiæ corpus ęſtimabatur ab ipſo.Ipſum meminerat dixiſſe.In manus tuas commendo ſpiritum meũ. Se electoſque omnes ſub hac voce expreſſos certiſsime intelligebat. Patris quippe affectum, paſtoris vocem, & ſponſi ſpeciale connubium in hac commendatione cognouit. Cognouit plane,quoniam hac de cauſa pronunciatum extiterat. (Ioan. 17.) Retexuit denuo,quod in conuiuio dixerat. Pater non rogo, vt tollas de mundo, ſed vt ſerues eos à malo.Mei nanque ſunt, tibi illos commendo,atque cuſtodiẽdos relinquo, propterea dico.In manus tuas commendo ſpiritũ meum, & inclinato capite tradidit ſpiritum. Quantum voluit vixit,quando voluit tradidit ſpiritum. Nõ enim coacte,ſed ſponte,& nemine cogente expirauit. (Luc. 23.) Poteſtatem habuit ponendi animam ſuã, & iterum ſumendi eam. Sacramentum tamẽ maximum nobis commendatur in eo,quod dicitur, inclinato capite tradidit ſpiritum.Poteſtatẽ moriendi ſe habere indicauit,& humanæ redẽptionis effectum poſteris inſinuauit. Nõ autem ab re ſcripta ſunt. (Rom. 15.) Nempe quæcunque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Scripta ſunt,vt in facto myſterium,& in litera eliciamus ſpiritũ. Vtrunque verum eſt,inclinauit caput, & ſpiritũ reddidit. Reconciliauit nos patri, & pro noſtris reatibus in cruce moriens ſatisfecit.Caput nanque Chriſti Deus, quemadmodum caput hominis Chriſtus,dicente Apoſtolo. Caput mulieris vir,caput viri Chriſtus,caput Chriſti Deus. (1 Cor. 11.) Caput hoc dum paſsionum ludibria & mortis ſupplicia pro hominibus pertulit mediator,liquefecit ad miſericordiam,flexit ad gratiam, & inclinauit ad indulgentiam. Quo peracto integerrimum electorum numerum & humanitatis ſuę in manus patris tradidit ſpiritum. (Luc. 23.) Tunc velum templi

pli ſciſſum eſt à ſummo vſque deorſum, terra mota eſt, petræ ſciſſæ ſunt, & monumenta aperta, atque multa ſanctorum corpora, qui dormierant, ſurrexerunt, & poſt reſurrectionem eius venerunt in ſanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Vnde (oro) tanta cœli, terræ, creaturarũque repentina commotio, niſi quod his nutibus conditorem ſuum occubuiſſe fatebantur? Pari modo ſicut in vita, ita & in morte famulabantur eidẽ. Nempe cœlum, quod domino moriente ſuum lumen obtexit, in ipſius ortu emiſſo angelorum inenarrabili exercitu, qui coram vagiente infante cœleſtium ſuauiſsimam harmoniam promerent cantionum, ſolito effectum eſt clarius. Tellus quoque, quæ decedente ipſius factore contremuit, eo naſcente ac prædicante de ſuis vltimis finibus rationale germen ſuum adduxit ad Chriſtum. Hinc Propheta gratulabundus cecinit dicens. [Pſal. 95.] Lætentur cœli, & exultet terra à facie domini, quia venit, quoniam venit iudicare terrã. Vtrobique claruerunt domini Ieſu Deitatis inſignia in cœlo, in terra, & in iis, qui aderant, quæ vniuerſa lugubrem ſaluatoris necem cõqueri videbantur. Nam Centurionis, & eorum, qui ad ſpectaculum iſtud acceſſerant, plurimum compuncta ſunt corda. Intuentes nanque quæ fiebãt ſigna, percutientes pectora ſua reuertebantur. Nequaquam arbitrabantur humanum aut ſolitũ eſſe, vt quis moriens clamet, & ad libitũ propriũ tradat ſpiritum, vt obſcuretur ſol, tenebræ fiant per vniuerſam terram, petræ ſcindantur, aperiantur tumuli, & reſoluta in puluere dormientium corpora reſurgant. Non immerito igitur mirabantur, atque ex corporeis ſignis ædificabãtur ad fidem. Verum quemadmodum illi, ita & nos compungamur, miremur, credamus. Compungamur (inquam) quia prò nobis innocens dominus crucifixus eſt. Miremur autem quod ſuæ charitatis arcanum, conuitia, ſputa, alapas, flagella, opprobriaque perferendo nobis notificare dignatus eſt. Credamus vero tam per ea prodigia, quę in morte eius sũt viſibiliter facta, quã per ea, quę poſt ipſius obitũ ſpiritualiter ſunt ſecuta miracula. Carnalia carnalibus & ſpiritualibus inſeruiant ſpiritualia. Illis figuræ oſtẽdũtur, nobis verò ſacramẽtorũ veritas reuelatur. Prius quod animale, deinde quod ſpirituale eſt, ſubſecutum eſt. Sane velũ tẽpli materialis, in quo varia hoſtiarũ celebrantur ſacrificia, exhalãte Chriſto per medium eſt ſciſſum. Nobis ſacri eloquii arcana pandũtur. Eſt quidem ſcriptura diuina templum ſpirituale nobiliſsimũ, toto orbe celeberrimũ, quod ſanctorum geſtis, probatiſsimorum virorum ſententiis, atque prophetarum oraculis tanquam de viuis lapidibus conſtructum eſt. Sed ſub literę velo ac figurarum cortice tectum. Nã ſicut legitur, [Pſal. 17.] tenebroſa aqua in nubibus aeris (videlicet) obſcura ſcientia ſermonibus prophetarum adeo vt reperiretur rarus, qui ad ipſorum indaginem, & ſpiritualem latentem attingeret ſenſum. At vbi Dominus prædicauit, occubuit, ſurrexit, ſacramenta cœleſtia ex ipſis reuelante deſuper ſapientia coruſcare cœperunt. Amota ſiquidem litera, quæ occidit, tanquam ſciſſo ac dirupto velo, quod prius in latibulo erat, manifeſtum eſt. Denique habes in Euangelio, quod reſuſcitato domino diſcipulis ſuis ſenſum aperuit, vt ſcripturas intelligerent ſacras. [Luc. 24.] Hinc eſt quod uir ille Aethiops, quum Prophetam legeret nec intelligeret, tam perſpicue Philippo Euangelizante de diuinitate & veritate Chriſti illuminatus eſt. Vnde (oro) tantus explanationum ſcripturarum profluuius totam per vniuerſum orbem illuſtrauit Eccleſiam? Ex munere profectò ſeptiformis gratiæ prouenit, quemadmodum ipſe prædixerat mediator. [Ioan. 14.] Paracletus (inquit) ſpiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis. Donum hoc nominatiſsimus ille Propheta poſcebat dicens. [Pſal. 118.] Reuela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua. Myſteria profunda & multa nimis elaborabatur in lege latentia, quæ caligantibus naturalis intelligentiæ oculis per ſe minime intueri valebat. Quamobrem ſapientiæ & intellectus flagitabat lumen, quo mediante voti ſui compos exiſteret. Gratias igitur agamus totis præcordiorum deſideriis munificentiſsimo Deifilio, qui de ſublimibus polorum ſedibus ſpiritum ſuum in fidelium mentes immittere dignatus eſt, per quem nedum ſemoto ignorantiæ literę velo ſacroſancta, quæ tegebantur in lege diuina, myſteria reſerare voluit, verum etiam gẽtilium corda fidei iugo lenificando proſtrauit. Nemo equidem poterat lapideas ad credulitatem formare mentes niſi optimus & viuificans ſapientiæ ſpiritus, ideo voce præcurſoris dicitur Iudæis. [Matt. 3.] Nec dicatis, patrem habemus Abraham, potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ. Optima ſimilitudine gentes ab Iſraelitico populo alienas vocauit lapides, quoniam ſaxea, fictiliáque adorando ſimulacra illis efficiebantur ſimiles, ſacro per Prophetam teſtante eloquio. [Pſal. 113.] Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui cõfidunt in eis. Iſtiuſmodi petræ Chriſti madefactæ cruore in eius morte ſunt ſciſſæ, quatenus prædicantium vocibus aditum reſerantes, & ipſę redemptionis beneficio participes fierent. Quod præuidens Propheta eſſe futurum inquit. [Pſal. 18.] Annunciauerunt cœli iuſtitiam eius, & viderũt omnes populi gloriam eius. Dum enim infidelitatis duritiam prędicantibus Apoſtolis deterſere credendo, adoptionis gratiam, & cœleſtem Abrahæ promiſſam hęreditatem percipere meruerunt. Adhęſerunt per dilectionem Chriſto, & viui effecti ſunt lapides, per quos cœleſtis

Hieruſalem

Hieruſalem mœnia conſtruantur. Tanti ſiquidē erat meriti dominici corporis effuſus cruor, vt virtute ſua valeret ſcripturarum explanare ſacramenta, infidelium populorū conuertere animos, & ipſa peccantium mentes delictorum mole ſepultas ad emendatiorem vitam veluti de ſepulchri prodire gremio. Hoc impleri quotidie cernimus ab eo, qui vocat ea, quæ non ſunt, tanquā ea quæ ſunt. Iacere quantos conſpicimus in criminum fęcibus ſine laudis voce, ſine ſenſu charitatis, & abſque boni operis motu. Hos profecto arbitramur mortuos, & à Chriſti myſtico corpore cenſemus extraneos. De talium ſalute deſperare poteramus, niſi aſsidua diuinæ miſerationis erudiremur experientia, quæ quos vult, reſuſcitat ad gratiam, reformat ad virtutem, atque habilitat ad coronā. Nempe quos prædeſtinauit conformes fieri imaginis filii ſui, hos ſuo tēpore vocat, atque iuſtificat, & adducit in lucē populorū, quatenus per eoſdē fiat ſalus vſque ad extremū terræ, necnon honorificetur ille, qui ipſos de iniquitatum tumulo abſtrahere dignatus eſt. Multos in ſe tales ſancta mater tenet ac fouet Eccleſia, quorū teſtimonio, moribus & diſciplina plurimi mutātur in melius, & ipſa in capite ſuo Chriſto decoratur, & floret. Decoratur plane religio Chriſtiana ex fidei ſuæ confeſsione. Floret autē ex quotidiana iuſtificatorū aggregatione. Vtrunque euidentiſsimæ, aſſeruit Propheta, cum diceret. Pſal. 110. Confeſsio, & pulchritudo in conſpectu eius, ſanctimonia, & magnificentia in ſanctificatione eius. Omnis quippe ætas, vterque ſexus, & quælibet hominum conditio, credentium (videlicet,) & crediturorū in agnitione incarnati verbi crucifixi, & mortui non mediocriter proficit ad ſalutem, quæ potiſsimum in catholicę fidei confeſſione ſubſiſtit. Hoc myſtice figurabatur in Centurione, & cæteris, qui ſolicite dominici corporis cuſtodiebant reliquias. Ipſi equidem pari voce, & conſona veritatis atteſtatione, dicebant. Matt. 26. Vere filius Dei erat iſte. Hac confeſsione quid verius, quid vtilius ad meritum, & ad profectum ſublimius? Pēdebat corpus exanime, turbabatur cœlum, tremebat tellus, ſaxa mouebantur, tumuli patebāt, & credentium audiebatur confeſsio, vere filius Dei eſt iſte. Plangebant homines, pectoraque percutiebant ſua. Sed angelorum cœtus hac confitentium ac triſtantium exercitatione mirifice lætabantur. Matt. 26. Nam ſi vnius peccatoris conuerſione in cœlis gaudent, quanto magis ex multorum? Stant plane ſancti angeli, & ſingulorum geſta conſiderant, exhortantur, exercent, exigunt, attollunt, & indefeſſe Dei caſtra cuſtodiunt. Aſcenſus, deſcenſuſque frequētant vices. Semper læti, ſemper ſoliciti diſcurrunt. Nunc opera, nunc lacrymas, nunc Deo pietatis offerunt vota. Deferunt autem de altari Dei, humanitate (videlicet) Chriſti charitatis ignem, & fidei deuotionem, de ſanctorum ſocietate ſpem augent, de triumphis martyrum fortitudinem, de apertione ianuæ cœleſtis regni ſeculi contemptum, de præſentia Dei reuerentiam, & de immenſitate fœlicitatis æternę virtutis deſiderium. Quo magis huiuſmodi miniſteriis occupantur, eo amplius exultant, & robuſtiores fiunt. Neſciūt quippe proficientibus inuidere, nec quicquam detrahere meriti, quin potius augmentant, erudiunt, & promouent. Zelant vniuerſorum ſalutem, & omnipotentis gloriam ſummopere quęrunt. Amici ſunt ſapientiæ, & vicini verbo, ſed à miſeria alieni atque ſemoti. Quum in ſęculo hoc ſuū perficiunt miniſterium, nulla polluuntur labe, nullo labore fatigantur. Circumſcribuntur loco, & Deo præſentes ſunt. Miniſtrāt hominibus, & conditori ſuo, ignitę laudis indeficienter ſacrificia offerūt, nec pro iniuncto officio deſunt à laude, neque pro gloria immortalis regis in miniſterio tabeſcunt. Exprimitur plane ſanctorum angelorum ſpiritualis præſentia in eo, quod dicitur, quod domino pendente noti eius, & mulieres, quæ à Galilæa eum ſecutæ fuerant, miniſtrātes ſtabant à longe. Luc. 23. Vtrūque ſcriptura expoſuit, rem (ſcilicet) geſtam, & myſterium, myſterium in angelis, & rem geſtam in mulieribus ac notis. Quis ignoret ſanctos angelos in omni vita eius Chriſto domino miniſtraſſe, & tamen in paſsionis ignominia eidem minime cōmunicaſſe? Hoc per Prophetam dominus indicauit dicens: Pſal. 87. Elongaſti à me amicum, & proximum, & notos meos à miſeria. Erant tamen noti, & mulieres ibi, ſtabantque à longe, nec cruci propter carnificum furorem appropiare valebant, mente verò, & affectu iungebantur Chriſto. Iam per cicatricum rimas in cordis ingreſſæ fuerant penetralia, ibique cum inhabitante verbo pariter cohabitabant, ſed per amplius afflicta mater, & immaculata virgo. Ipſa prorſus filii communicans paſsionibus in ſpiritu abeſſe non poterat. Cum ſpiritu vnici ſui abierat in ſpiritu, & cum corpore pendente pendebat.

Vnde excuſationis peccati morbus originem ſumpſerit. *Cap.* XXI.

QVoties elatus quis alicui immani delicto (teſte conſcientia) ſe ſentit obnoxium, reatus ſui latebras fouet, quandiu quod egit, ignorari cognouerit, at vbi ſe deprehēſum viderit, vbi palam eſſe didicerit, quod nequiter perpetrauit, tūc excuſationis ſe tegit velamine, aut materiā amouere conatur, vnde ipſū deliquiſſe noſcatur. Nēpe excuſatio delicti priorum parentū antiquatum eſt malū. Ab inſtitutione quidem ipſorum ſumpſit originem, atque vniuerſam terrarum impleuit latitudinem. Letali hoc morbo Hebręorum referti erant pontifices.

Porrò vt dominus Ieſus crucis ſupplicio damnaretur, multimodas malitiæ ſuę adinuenerunt excuſationes. Perpetrato autem huiuſmodi ſcelere, ne tanquam reipublicè damnarentur, ad alia non minus peſtifera ſe verterunt iniquitatis figmenta.

Ioan. 19.

Rogauerunt etenim Pilatum, vt tam mediatoris, quàm latronum cum illo pendentium frangerentur crura, ne die ſabbati eorum in cruce corpora remanerēt. Confundebantur plane in ſeipſis, & redargutionem publicam verebantur. Quamobrē vt de patibulis deponerentur corpora, ſub legalis obſeruātię zelo poſtulauere inſtanter. Mali vtique poſcebant bonum, legiſque cuſtodiam præuaricatores ipſi quærere ſimulabant. Minime tamen valebant recto corde legis decreta ſeruare, qui latorem legis occidere curauerūt. Indignum nihilominus videbatur, vt in ſolennitate præcipua inhumata corpora remanerent, nam magnus erat dies ille ſabbati. Vere magnus, & ſingularis erat dies, in quo hominum redemptor requieuit in tumulo. Sane requietionis huius myſterium venerandum diuina prænūciauere eloquia. Perfectis quippe cœlis, elementis, animantib. & vniuerſis, quæ ſunt, ipſoq; plaſmato homine ſic legitur.

Gen. 2.

Compleuit Deus die ſeptimo opus ſuum, quod fecerat, requieuit die ſeptimo ab vniuerſo opere, quod patrarat. Nempe ſi hoc de diuina dicitur maieſtate, ab operib. ſuis quando requieuit, cum de patre vnigenitus dicat, vſque modo pater meus operatur, & ego operor?

Ioan. 5.

Operatur Deus ſemper in ſingulis, operatur in omnibus, etiam quum per ſpiritualē ſeu corporalem naturam, aliquid agit. Propterea diuinus ſermo longe antè cōſcriptus Chriſti futurā præfigurabat requiem, in qua idem mediator quum Deus eſſet, & homo vnus Emanuel, ſecundum humanitatis formā, & corporis ſuſceptam ſubſtantiam, illud triduo ab omni redemptionis opere, quod patrarat, in tumulo requieuit. Merito ad declarādam huiuſmodi requietionis dignitatem, quæ cæteras propter verbi perſonam antecedebat, dictum eſt. Erat magnus dies ille ſabbati.

Ioan. 19.

Magnus (inquam) quia myſteriis magnis prę ditus, & multiplicibus grauidus ſacramentis. Humanitatis ſiquidem Chriſti veram requiem ſpiritualē à vitijs ſabbatiſmum corpus Chriſti myſticum, & ſanctorum cum Deo regnantium æternam requiē pręmonſtrabat. De quibus omnibus ſigillatim diſſerere, quum oneroſum ſit, ad eum, de quo tractare inchoauimus, domini veniamus agonē. Obtenta itaque à pręſide licētia pontifices ad Caluarię locū milites direxerunt. Ad Ieſum igitur quū veniſſent, illumq; iam mortuum conſpexiſſent, ipſius minime crura fregerunt, verum aſtantiū vnus vibrata lancea latus eius aperuit,

Ibidem.

& continuo exiuit ſanguis, & aqua. Grande prorſus inauditumq; prodigiū, vt de exanimato corpore ſanguis exiret, & aqua. Veruntamē maximum in re hac geſta nobis voluit Dei ſapientia commendare ſacramentū, ſui (videlicet,) & Eccleſiæ vnitatē. Huius etenim ſpiritualis copulæ figura præceſsit, quando de latere Adæ dormientis vna ex coſtis ipſius ſubtracta narratur, atque de eadem Eua cunctorū parens formata eſt, quæ typum gerebat Eccleſię. Significabat tunc ſpiritus ſanctus verū, & ſpiritualē Adam eſſe futurum, qui paracleti virtute plaſmatus dum dormiret in cruce, de ipſius latere profluentib. aqua & ſanguine ſpecioſa ſponſa ſine ruga, & macula formaretur Eccleſia. Hæc quippe ſunt ſacramēta Eccleſiaſtica, per quæ totum corpus Eccleſiæ abluitur, atq; ſanctificatur. In lauacro vtique aquæ regenerationis, quod Chriſti morte ſacratur, ab originali cōtagione mundatur. In redemptoris verò ſanguine nedum ab omni culpa purgatur, verumetiā regni cœleſtis illi aperitur introitus. Ambo hæc in vnum effectum conueniunt, nec vnum ſine altero valet ad ſalutem prodeſſe. Nō enim abſque baptiſmi ſacramento, & peccatorū remiſsione poteſt quis futuræ beatitudinis hęreditatē percipere. Hoc vbique in orbe terrarum ſancta mater confitetur Eccleſia, hoc multiplicibus ſcripturarum diuinarum teſtimoniis roboratur. Inſuper & qui vidit de Chriſto aquā emanare, & ſanguinem, teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium eius. Nempe iſte eſt Ioannes Apoſtolus, & Euangeliſta, qui præcipuo amore dilectus eſt à domino. Horum, quæ memorata ſunt, fideliſsimus extitit prædicator, & ſcriptor. Profecto hæc facta ſunt, vt ſcriptura impleretur, quæ ait.

Ioan. 19.

Os non comminuetis ex eo. A domino quippe Moſi fuerat imperatum, ne in ſacrificij phaſe in celebratione immolati agni vllum comminueretur os. In domino autem Ieſu innocentiſsimo agno figuræ veritas eſt completa. Nequaquam crura illius ſunt fracta, quemadmodum duorum nequam cum eo pendentium, ſed tantum illius latus apertum, quatenus alia ſcriptura perficeretur, quæ dicit.

Zach. 12.

Videbunt, in quem transfixerunt. Porrò vulnerum cicatrices in ſuo voluit dominus corpore retinere, vt ſicut electis incentiuum dilectionis, ita & reprobis irrefragabile fieret teſtimonium damnationis. Iſta omnia conſummata in Chriſto longe antè prophetarum oraculis promulgata fuere, quatenus catholica fides tam pro ſe, quàm aduerſus hæreticorum muniretur errores. Quum igitur eſſet ſero, completis in paſsione, & morte Chriſti myſteriis, vir quidā bonus, & iuſtus nomine Ioſeph audacter introiuit ad pręſidē, & expetiit obnixe, vt tolleret de cruce corpus. Audacē illū atq; intrepidū magiſtri fecerat amor, & debitæ humanitatis officium. Minime expauit phariſęorū atque pontificum rabiē, non præſidis crudelitatem eſt veritus, neq; humile ſplēdidi dominici corporis opus erubuit. Propterea ne ſacratiſsimū magiſtri

corpus

corpus indigne tractaretur ab inuidis, illud ſibi donari popoſcit, ſperãs locupletem meritorum cumulum ſe in ſublimibus cœlorum manſionibus poſſe mereri. Vnde à Centurione cognito, quod expiraſſet corpus Ieſu, donauit memorato Ioſeph. Quale munus hoc, & quàm præcipuum? Vtique ſuper aurum & ſuper omnem lapidẽ precioſum electum. Theſauri vniuerſi & cuncta ſeculi huius ſubſtantia in comparatione ipſius arena viliſsima æſtimanda ſunt. Gaude igitur ò Ioſeph, & tanto lætare munere. Magnipende illud, & quaſi oculi pupillam cuſtodi. Caue ne illud à te longe patiaris abeſſe. Eſto vbi illud, ſiue in domo, ſeu in tumulo. Line oculos tuos ſanguine illius, ſuoq; liuore tuis medere vulneribus. Nulla eſſe valet ægritudo tam valida, nullus mœror, nullaque tentatio, quæ non huiuſmodi medicamẽto curetur. Eſt quippe in eo redẽptionis cruor
Psal. 50. & purgationis lauacrum miſtum. Hoc forte Propheta concupierat, quando dicebat. Aſperges me hyſſopo, & mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. De luctu gaudium, de cicatricibus ſalutem, & de morte, æternæ vitæ dulcedinẽ
Psal. 138. prægustabis. Propheticum illud agnoſces in te, & nox ſicut dies illuminabitur, ſicut tenebrę eius ita & lumen eius. Mors etenim Chriſti, quæ Iudæis nox facta eſt, tibi computetur in diem. De illorum culpa veniam, de ignorãtia ſapientiam, & de crudelitate fontem adeptus es pietatis. Si non ipſi deſæuiſſent in Chriſtum, munus hoc precioſiſsimum non haberes. Occaſione illorũ effectus es locuples. Diſcede itaq; à cõſpectu præſidis, ne diabolica ſuggeſtione ſententiam mutet, & reuocet quod donauit. Recede inquã, accelera, curre velociter, ne theſaurum tuum quis diripere valeat. Perge, & quibus ſacratiſsimum inuoluatur corpus, linteamina eme. Iam factum eſt ſerum, iam ſol properat ad occaſum, mora ergo omnis tollenda eſt, ne impii accedant pontifices, ipſumque deponant, ac ignoto recõdant loco, tam vt ipſorum ignominiam tegant, quàm vt domini reſurrectionem impediant. Tali Ioſeph exhortatione commonitus lætus munere, pro obſequio alacer, anxius de magiſtro à præſidis ſe ceſſit aſpectu, atque ocyus mercatus eſt ſindonem, quatenus illa corpus ſaluatoris inuolueret. Secum etiam accito Nicodemo myrrhæ & aloes quandam pariter detulere miſturam. Tu verò ò anima mea in ſpiritu feſtina te iungere illis, vt ſis tertius comes, quatenus ſponſo tuo hoc vltimum valeas humanitatis impertire obſequium. Vide tamen, ne tu vacua eas. Secum (vt cernis) Ioſeph ſindonem defert, in qua vt ſacrata Chriſti caro voluatur. Nicodemus autem, vt vngatur corpus, optimum myrrhæ thymiama conficit. Tu verò ſi ſapiens fueris, ex oculorum fontibus imbres lacrymarum educes, atque ex ipſis ad lauandum corpus (prout moris eſt) plenum vaſculum comportabis. Hæc aqua manuum, pedum, ac lateris vulnera tui ablues redemptoris: nec non & reliquum corpus cruentatum, liuidum, diriſque ſulcatum verberibus. Omnem hunc nihilominus congregabis liquorem: ne guttam quidem minimam perire permittas. Ex ipſo igitur ſaluificum tibi conficies balneum ad tuorũ detergenda vulnera delictorum, & ad vitiorum abolenda contagia. Secure itaque perge cum iſtis. Domini quippe reperies genitricem, & ſanctos cæteros patibulo circunſtantes. Nimio prorſus tũ pro immanitate ſceleris, tum pro plebis ignorantia mœrore fatigantur. Pauent inſuper ne ſacrum deponatur corpus, atque ab impiis carnificibus occultetur. His dictis vnguenta pariter ac lintea deferentes, hi ambulant pietatis myſterium perfecturi. Stabant ergo iuxta crucem beata virgo, dilectus diſcipulus, mulieresque cæteræ pauidæ atque trementes, crudeliſſimum aperti lateris præ oculis ſpectaculum contuẽtes: de quo adhuc ſanguis & aqua minimè ſtillare deſierat. Dum igitur Ioſeph monti Caluariç propinquaſſet, in primo intuitu ſanctarum fœminarum timoris iaculo transfixarunt corda. Conſueuerunt etenim amantes & metuentes etiã in minimis eſſe ſuſpecti. Viciſsim colloquebantur, timidas mutuo cogitationes detegebãt: ingeminabãt viſũ, atque ab intimo cordis ad cœlos vſque mittentes, alta trahebant ſuſpiria, diuinũ inde præſidium flagitantes. Tandiu verò in hoc mẽtis permãſere conflictu, quãdiu propius accedentes, qui eſſent, agnoſcerẽt. Tunc illis cognitis reſpirare cęperunt: metuque depulſo ingenti perfuſę ſunt gaudio: ſi tamen in tantis conſtitutę preſſuris vel modicam conſolationis particulã admittere valuerunt. Reſumptis itaque viribus dilectus diſcipulus & iuſtificata peccatrix venientibus obuiam proceſſere. Comperto autem, quòd ad deponendum corpus de præſidis licentia venerant, genitrici ſanctę hoc nunciare curarunt. Hoc audito intemerata mater mente lugubri, voceque mitiſsima inquit: Surgite filij, accingimini viribus, veſtra brachia roborate, atque vnici mei exequias prius, quàm aliqua perſecutionis procella irrũpat, implere ſatagite. Tunc vniuerſi, qui aderant, corpus deponentes de ligno ſupra lapidem propè iacentem collocarũt. Seriatim in modum coronæ tam mares, quam fœminæ compoſuerunt ſe. Stabat mœrore incomparabili ſauciata in parte dextera beata virgo, & lateris vulnus contemplabatur attente: iuxta quam dilectus reſidebat Apoſtolus blandis eam ſatagens mulcere ſermonibus. Pedis plantas tenebat Magdalena, illoſque rigabat lacrymis, crine tergebat, & oſculabatur labiis. Secum tacita ſuſpirans, gemens, & lugens reuoluebat quanta ab eodem domino olim in amplexibus pedũ perceperat beneficia. Propterea nec ſa-

tiabatur amplexibus, neque ſe temperare valebat à luctu. Nemo ibi erat, qui non fleret vehementer, atq; ad cœlos ſingultus emitteret. Reſonabat locus ille clamoribus, aſpergebatur lacrymis, ac gemitibus cõplebatur. Cuius ferreum pectus, vel lapideum cor nõ emollirent ad fletum plangentium voces, & potiſsimum intemeratæ virginis verecundus aſpectus, cuius pallebat pre dolore facies venerãda? Rigabat planè genas illius decurrens aqua, dum nunc vultum, nunc latus, nunc dilaniatũ vnigeniti ſui aſpiceret corpus. Ingrediebatur per manuũ pedũmque foramina: egrediebatur ad ſingula corporis mẽbra, & vbique mœroris inueniebat paſcua. Erigebat quandoque ad cœlum lumina nimia admiratione comprehenſa: interdum etiam prorumpebat in gemitus doloris non valens impetum ſuſtinere. Vniuerſorum afflictio Mariæ cruciatus augebat. Volebant illam conſolari, nec valebant. Prevaluerat quippe in præcordiis illius vnigeniti paſsio, atque animæ virtutem penitus abſorbuerat. Clariſsimum paſsionis Chriſti ſpeculum, effectum erat cor virginis, nec non & perfecta mortis imago. In illo agnoſcebantur ſputa, conuitia, verbera, & redemptoris vulnera. Conuerſum erat gaudium in luctum, atque in mœſtitiã
Luc. 2 lætitia ſalutaris. Iam iuxta Simeonis vaticinium paſsionis gladius ipſius pertrãſierat animã. Iãmque cum extincto filii corpore ſpiritualiter expirauerat. Supererant tamen lacrymæ ac mœror: quatenus mortua viueret, & viuendo moreretur. Talis erat tunc Marię ſanctę ſtatus: talis paſſionis illius conflictus. Sicut cęteros pręcellebat gratia, ſanctitate, & merito, ita dolore, cruciatu, & pęna. Omnes itaque in communi lacerati corporis dilaniabat aſpectus. Perduraſſent profectò in huiuſmodi compaſsionis negotio, nullàmque oculis flentibus, aut fatigatis corporibus dediſſent requiem: niſi illos noctis prohibuiſſet crepuſculum, & futuri diei celebranda ſolennitas. Quamobrem ſibimet imperantibus reuerẽdum magnoperè domini Ieſu accipientes corpus, illúdque in linteaminibus & aromatibus condientes in monumento nouo, quod in petra ſanctus exciderat Ioſeph, deuotiſsimè ſepelierũt. Beatus planè pre vniuerſis mortalibus iſte venerabilis Ioſeph. Meruit quippe dominicum corpus habere pro munere: meruit illud de cruce deponere: meruit in ſindone, quam fuerat mercatus, inuoluere: atque in tumulo, quem pro ſe exciderat, ſepelire. Meritò tanquam cordis ſui ſingularem theſaurum in proprio Chriſti corpus tumulo collocauit: verùm non in qualicunque illud monumento compoſuit: ſed in eo, quod in petra exciderat, vt verũ ſe Chriſti fateretur eſſe diſcipulum: & vt quanti foret, quod habebat, oſtenderet: ingens ſaxum ad oſtiũ monumẽti aduoluit. Quis in his paucis explicet verbis, quãta inuoluta ſint ſacramenta? & quàm multa, in quibus ſpiritualis homo diiudicans omnia nutritur, & creſcit: ſpiritualia lateant nutrimenta? Nutritur quidem ſapientia, ſed dilectione creſcit. Fęlicem dixerim, cui id ſpiritualiter contingit, quod iuſto Ioſeph corporaliter contigiſſe cognoſcitur. Eſto igitur talis, vt dominum Ieſum merearis accipere. Iuſtificatus (inquã) per fidem etiã cogitatione & actione iuſtus eſto, atq; virtutibus locuples, vt dignè Dei regnũ valeas expectare. Accede præterea cum fiducia ad thronũ diuinæ maieſtatis, & vniuerſorum regem pete humiliter: quatenus ſuum tibi dignetur retribuere filium. Hunc tu dum poſt multos labores, poſt varia tẽtationum certamina, poſt plurima opera pietatis, poſt lacrymabilis orationis inſtantiã fueris aſſecutus, veluti pupillam oculi cuſtodi, recõde corde, & charitatis brachiis amplexare. Eme vtique tuis prius voluptatibus abdicatis mundiſsimam ſindonem, vt in ea tuum inuoluas dominũ. Habeto conſcientiam tuã ab omni peccati voluntarij labe deterſam. Eſt enim purgata conſcientia quędam ſindon dealbata, in qua dominus Ieſus gratanter inhabitat. Huic diuerſarum adhibe odoramenta virtutum: quatenus, ſi non verum, ſaltem myſticum Chriſti cor- 2. Cor. 2
pus iungas, vt cũ Apoſtolo dicere valeas: Chriſti bonus odor ſumus in omni loco. His verò diligenter perfectis in petra meditando, orandoq; ue nouum facito monumẽtum, in quo tuum poſsis recondere redemptorem. In humanitatis operibus Chriſti contemplare diuinitatem, atq; in ſuſcepti hominis infirmitate confitere domini maieſtatem: ſicque ſoliditatem petræ viriliter penetrabis. In huiuſmodi ſpiritualibus exercitiis effectus aſsiduus, quietis & pacis tibi tumulũ fabricabis. In quo fide ſimplici, & ignita tecum cooperante charitate ſponſum Chriſtum inſeparabiliter collocabis. Requieſcet ille familiariter in te, ſi ab humanis fueris ſegregatus aſpectibus, & tu ingredieris in ipſius abundantiæ ſepulchrũ, nec erit, qui te exterreat. Delectaberis multitudine pacis, corpuſque tuum dominico corpori ſociabis, & oblitus omnium quæ foris ſunt, in hoc ſpirituali tumulo fæliciter requieſces. Verũ ne quicquam propter obſtrepentes exteriores tumultus patiaris incõmodi, magnum ſaxum ad tui aduolue oſtium monumenti. Diligentem ac perſeuerantem adiice menti tuæ cuſtodiam: quatenus tum contra antiqui hoſtis inſidias: tum aduerſus voluptuoſæ carnis illecebras, quæ nunc ex fomite, nunc generantur ex ſenſibus, tuum ſecurus valeas poſsidere theſaurum. Interim verò dum reſurrectionis adueniet hora, compunctionis atque deuotionis aromata para: ac in pilo pectoris tunde, vt inde vnguentum facias optimum: quo idem dominus plurimum delectur. Eſt quidem vnguentum hoc pietatis lenire valens

lens

lens infirmantium mentes. De ipſo etenim Timotheo Apoſtolus ait: Exerce te ad pietatem. Nam corporalis exercitatio ad modicum vtilis eſt: pietas verò ad multa, promiſsionem habens eius vitæ, quæ nunc eſt, & futuræ.

Qualiter homo delinquendo liberi arbitrij amiſerit dignitatem. Cap. XXII.

VNiuerſa, quę ad ſui gloriam Deus creauit in ſeculo, conditoris contenta legibus vltrà nil appetunt. Suis nàque ſirmata limitibus ſupra ſe in magnis, aut mirabilibus minimè ambulare contēdūt. Inſinuant quippe omnia à ſummo bono bona eſſe creata: ſicut ſacer proloquitur ſermo: Gen. 1. Vidit (inquit) Deus cūcta, quæ fecerat, & erāt valde bona. Ea verò ſola, quę cętera in natura & donis præcellit creatura: ab hoc vniuerſitatis ordine deuiauit. Dū enim dignitatis ſuæ principatū cōtempſit, naturę ſuæ ornamenta amiſit. Factus equidem eſt in contradictionem ſibimet, quū obediētiæ ſtatuta neglexit. Longè nimium abiit à ſe, quum à patre receſſit. Se etiam cui noluit, ſubdidit: quando cui debuit ſe ſubmittere paruipēdit. Hinc libertatis priuatus arbitrio, quo nō vult, ducitur, trahitur, cathenatur. Hinc ſapientiæ & ſcientiæ cæcatus lumine denſiſsimas ſpiritualis noctis tenebras patitur, & ignorat. O quàm ſæpe ponendo lucem tenebras, & tenebras lucem dicit malum bonū, & bonum malum. Nempe tamdiu tali errore illuditur, quandiu gratificantis gratiæ irradiatus ſplēdore ſe vbi ſit, agnoſcat, & doleat. Vtrūq; in hominis reformatione neceſſarium eſſe affirmo. Porrò nec ſine cognitione dolor, neque abſque dolore valet perfecta eſſe cognitio. Poterit ne non dolere, cui amiſsi ineſt ſcientia boni? qui oneroſi exactoris iugo nō ignorat ſe premi? qui diaboli aſtutias & tentamenta eius aduerſum ſe nouerit eſſe innumera? qui in mortali corpore conſtitutus intelligit ſe peregrinari à domino: qui propriæ infirmitatis certamina, ac pereuntis ſeculi indeficienter diſcrimina patitur? Horū omnium notitiam præſtat cœleſtis gratiæ lumē, & diuinæ ſapientiæ iucunda ſerenitas: quib. quicunque caruerit, errare atque cadere cōpellitur vel inuitus. Quo nanque quiſque plenus eſt ſpiritu, eodē impulſu frequētius agitatur. Poſsidet planè Dei ſpiritus bonus & rectus quædā priuata opera, effectusq; virtutum: ſicut nequam ſpiritus ſuas. De vtriuſque ſpiritus operib. inquit Apoſtol. De operibus quippe carnis, quæ nequā ſpiritu inſtigante peraguntur, ait: Gal. 5. Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorū ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſecta, inuidię, homicidia, ebrietates, comeſsationes, & his ſimilia. De ſpiritus ſancti operibus quid dicat, attende. Fructus autem ſpiritus ſunt, caritas, gaudium, pax, patientia, lōganimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continētia, & caſtitas. Proinde quemadmodum ex fructibus arbor, ita ex operibus, quo ſpiritu quiſq; ſit plenus, agnoſcitur. Ad quod probandū hinc inde innumera patent exēpla. Nempe ſancti patres, Eccleſiæ doctores, & Chriſti diſcipuli, qui ſpiritu ſancto erant pleni: Deo extitiſſe noſcūtur amabiles patiētia prædi ti, conſpicui ſanctitate, dilectione feruidi, ſapiētia ornati, locupletati virtutibus, cōpaſsione accenſi, ſeculi cōtemptores, atque indefeſsi bonorum omnium ſectatores. Cuncta hæc laudabilia ideo poſsidebant: quia Dei ſpiritu ducebantur. Econtrario pontifices Hebræorum contemptores Dei, amatores ſui, ſuperbia inflati, cupiditate anxii, voluptatibus dediti, nocendique auiditate intenti, maligno exagitati ſpiritu iniquitatis ſuę artem aduerſus mediatorem Chriſtum perficere conabantur. Diaboli ſiquidem membra effecti in autorem omnium deſæuire quæſtum maximum ęſtimabant. Illū profectò nedum viuū, verumetiā defunctum perſequi ſtuduerunt. Occiderunt quippe corpus, & ipſius opinionis memoriam de cordibus hominum eradicare moliti ſunt. Quamobrem altera die, quæ eſt poſt paraſceuem, ipſi homicidæ, atque diuini nominis inimici ad Pilatum acceſſere, dicentes: Mat. 27. Domine recordati ſumus, quòd ſeductor ille dixit adhuc viuens: Poſt tres dies reſurgam. O dementati principes, ò venenatum os, & lingua vaniloqua. Seductorē ne eſſe dicitis Dei filiū, qui ſalutem maximam operatus eſt in medio terræ? Seductorē aſſeritis illum, qui humanū genus antiqui hoſtis fraude deceptū ſapienter erudiuit: fouit miſericorditer, fideliter pauit, & potētiſsimè liberauit. Delicta illius, opera mala, eiúſque ſeditiones proferte in mediū, vt & nos credentes in ipſum agnoſcamus, ne ſeducamur. An fortè illum arbitramini ſeductorem, quia leproſos mundauit, illuminauit cæcos, fugauit dæmones, & exanimata corpora reuocauit ad uitam? Ioan. 8. Nemo ſanè veſtrū (dicēte ille) quis ex vobis arguet me de peccato? quicquā criminis illi obiicere valuit. Inueteratus iſte liuor eſt latens malitia, loquacitas ſubdola, & velata hypocriſis. Seductorē nuncupatis eum, ne vos præſidē ſeducere videamini. Nēpe ſeductores vos eſtis, qui Dei ſapientiā obnubilare, atq; mediatoris gratiam exterminare nitimini. Ipſe ipſe eſt, de quo Pſaltes canit egregius: Pſal. 129. Apud dominum (inquit) miſericordia eſt, & copioſa apud eū redemptio. Quarum alteram apud ſe ſolam ſtare non patiens vniuerſū tunc illam effudit in orbē, quum bonitatis ſuę aperiens viſcera ex alto oriens in tenebris ſedentes, & mortis vmbra miſericorditer viſitare dignatus eſt. Alteram verò idem prærogauit hominibus, quando pro nobis factus maledictum de maledi

ꝯto legis, atque dira exactoris tyrãnide redemit nos. Non igitur ſeductor, ſed munificentiſsimus redemptor, atque inſuperabilis propugnator extitit. Propretea ſicut mortuus eſt propter delicta noſtra, ut redemptor fieret verus, ita reſurget propter iuſtificationem noſtram, vt glorioſus triumphator appareat. Illum morientem vidiſtis, eundẽ etiam pręſtolamini reſurgentẽ. Reſurget plane (prout prędixit) poſt tres dies, non à vobis, ſed a ſuis Diſcipulis videndus, palpãdus, agnoſcendus. Vobis autẽ viuens in ſe, viuificans ſuos mortuus erit tanquam Sol cęcis nõ lucens oculis. Suę vtique diuinitatis ſplẽdorem veſtris occultabit obtutibus, quandiu corda veſtra infidelitatis velamine deprimentur. Quod quum fuerit ablatum, agnoſceris aperriſsimè, quoniam ipſe eſt, qui eſt. Interim verò pręſidi, quod dicere inchoaſtis, explete, quatenus dominicę reſurrectionis teſtes adhibere valeatis, qui teſtificantes aduerſus vos ſuo nos erudiant teſti-
Matt. 27. monio. Intulerunt itaque. Iube ergo cuſtodiri ſepulcrum vſque in diem tertium, ne fortè veniant diſcipuli eius, & furẽtur eum, dicàntque plebi, quia ſurrexit à mortuis, fiàtque nouiſsimus error peior priore. Prudenter quidem, ſi id declarandæ veritatis occaſione dixiſsent. Illis quippe tanquã in populo primis, & ſupra quorũ fidem cæterorum erat ſuperędificanda cõfeſsio, cõgruebat experimento certo noſse dominicæ reſurrectionis ſeriem, ne per errorum abrupta furori præcipitarentur fideles. Locuti ſunt recta non rectæ ſapientię tenebrati ſplendore. Quod enim ex charitate debuerãt, liuore protulerunt. Illos nanq; irrogata contra Dominum cõuitia arguebant. Nã manifeſta inimicitiarum indicia etiam ſynceram in aſpicientium oculis commaculãr charitatem. Quis iſtos paulò antè perſecutores acerrimos nunc arbitraretur amicos? Inimici erant eo crudeliores, quo magis ſub pietatis velamine ſuam conabantur palliare malitiã. Poſcebant, ne à Diſcipulis raperetur corpus, & falsò ipſum reſurrexiſſe dicerẽt, vt ſepulchrum officioſiſsimè cuſtodiretur. Cuſtodes tamen ipſos pecunia corrumpere pręſumebant. Illos (inquam) pręſes faſtidio plenus inuectione aſpera affatus eſt, dicens, Iniuſtè quidem aduerſus illum irritaſtis me, atque clamoribus veſtris in necem autoris feciſtis irrumpere. Cur cor meum mœrore reſperſum contra eum concitare nitimini? Satiſne uobis illum peremiſſe videtur, niſi vt etiam extinctum obſeruem? Quare ſcelus ſcelere augere in me vultis? Vtinam veſtris minimè vociferationibus paruiſsẽ, mèque impollu-
Ibidem. tum ab huius ſancti nece ſeruaſsem. Nunquam dolendis dolenda, atque delictis delicta adiiciã. Nolo in tumulo defunctum obſeruare reconditum. Vos ipſi habetis cuſtodiam, ite, militibuſque adhibitis ſepulchrum cuſtodite, vt ſcitis. Illi autem ab aſpectu præſidis cum gaudio diſceſſere, atque ad ſepulchrum properantes ſignato lapide, ibique relictis cuſtodibus abierunt. O Sacerdotes impudici, & ſtolidi quid egiſtis? quid contra redemptorem ſeculi cogitaſtis? Laboraſtis fruſtra. Facere ne poteritis, vt qui dormit, nõ adiiciat, vt reſurgat? Reſurget planè de ſepul- Pſal. 19.
chri gremio gigas fortiſsimus, ſicut prædixit, atque de ipſo à ſanctis vaticinatũ eſt patribus. Eadẽ prorſus facilitate, qua defunctos reſuſcitauit cęteros, excitabit ſeipſum. In carne manet verbũ, & in humanitate diuinitas, cui ſubeſt omnia poſſe, quũ vult. Qui potuit de incorrupto virginalis vteri procedere thalamo, valebit equidem de clauſi antri exire ſepulchro. Non prævalebit aduerſus ſapientiã nequitia veſtra, neque de induſtria adhibita cuſtodia. Cedẽt contra naturã ſaxa Dño reſurgenti. Conticeſcent nimio terrore proſtrati cuſtodes, terræ fundamẽta quatientur, elementàque oĩa proprio famulabuntur autori. Signate igitur miſeri lapidẽ, ſeriſque firmiſſimis ſepulchri oſtia obſtruite, quatenus diligẽtia veſtra clamet aduerſum vos. Adhibete viros, qui totam peruigilem ducant noctem, vt ipſi teſtes reſurrectionis dominicæ veridici fiant. Planè illis referentibus, quæ audierint, quæ & viderint, veſtra prorſus erit confuſa veſania. Vtinam vel tunc credatis, & furor conquieſcat veſter, atque perſequendi rabies repercuſſa conticeat. Veniam vtique merebimini, & laudem, ſi ex corde credetis, pro confeſsione quidem veniam, & pro generis dignitate laudem, vtrunque autem ex fide humili, ex deuotionis innocentia, & ex Chriſti gratia donabitur. Porrò iſtiuſmodi perſuaſiones dum increduli audiunt, & obſtinatiſsimo animo in ſua perſeuerant perfidia, inuictiſsimus Chriſtianæ militiæ propugnator relicto corpore exanimato, in tumulo multorum vallatus agminibus Angelorum, ad tartaream deſcendit inferi manſionem, quatenus vniuerſos patres in illa regione vmbræ mortis poſitos de ergaſtulo tyrannicæ ſeruituris eriperet. Non autem pro adiutorio quaſi apoſtaticos expaueſceret ſpiritus, ſed pro gloria humanitatis aſſumptæ Angelicas voluit ſecum deſcendere poteſtates. Vbique prorſus, ſiue quum iaceret in præſepio, ſiue quum fugeret in Aegyptum, ſupernorum ciuiũ cœtus comitabantur eundem. Nempe ab illo nullo diſceſſere momento, quin ipſius intenderent miniſterio. Quod ſi conſeruis ſuis miniſtrant mortalibus, quanto magis Deo ſuo vniuerſorum, & Domino? Magni quidem æſtimabant, ſi quando humanitati illius quicquam impendiſſent obſequii. Quamobrem tum pro ſummi regis honore, tum pro gaudio captiuorum exultanter cum Chriſto perrexerunt ad inferos. Horum ſiquidem glorioſum aduẽtum, mox vt ianitores tartareæ regionis agnouerunt

in

in ſpiritu, eorum regi curſu rapidiſsimo nunciare curarunt. Hac quippe relatione expauit cor *Pſal. 71.* principis, ne fortè iſte eſſet, de quo Citharœda ſanctus vaticinatus erat, dicens, Iudicabit pauperes populi, & ſaluos faciet filios pauperum, & humiliabit calumniatorem. *Ibidem.* Et iterum, Liberabit pauperem à potente, & pauperem, cui non erat adiutor, parcet pauperi & inopi, & animas pauperum ſaluas faciet. Fit itaque repentè clamor in loco, omneſque indicibilis mœror inuadit. Conueniunt ſinguli ad auxilium propria intermittentes officia. Se quiſque immaniſsimi regis repræſentat aſpectui, ſe cuncti in omnibus offerunt parituri. Inito igitur conſilio clauduntur oſtia, ſeris validiſsimis obſtruuntur, ferreis vectibus firmantur, deinde diſponũtur, qui repugnẽt qui cuſtodiant, ordinantur, & eliguntur, qui pulſantibus verba reſpondeant. Aſtat in iniquitatis ſolio Lucifer innumerabilium dæmonum ſocietate vallatus, qui omnes non enſe, non clypeo, non viſibili armorum genere muniti ad reſiſtendum Chriſto in vno prauitatis aſſenſu venerant glomerati. Non enim Angelis, viriſque probatis ſponte, ſed ſubiiciuntur inuiti, quippe quum & ipſi Deo coactè famulentur. Renituntur diuinę quantum præualent, maieſtati voluntate, non opere. Coguntur (velint, nolint) cœleſti ſubeſſe imperio, contra quod, ſi poſſent, cupiunt accipere poteſtatem. Sæuirẽt vtique crudelitate nimia in autorem omnium, ac vniuerſi machinam redigerent in fauillam. Hinc eorum pœna grauis efficitur, hinc ipſorum mœror intolerabilis eſſe cognoſcitur, dum quod nolunt ſuſtinent, & quod vellent, peſsimè agere nequeunt. In hoc itaque quod nunc celebratur certamine ſpirituali, ne ſubiiciantur Angelis, ne ad redimendas captiuorum animas Saluator introeat, ne amittant repẽtè, quod pacificè tanto tempore poſſedere, totis viribus elaborant. Stant ſinguli in excubiis ſuis, & ſi quem fragorem aduentantium audiant Angelorum, vigilanter obſtruant. Ex his verò quæ in pœnarum patres ſancti agnoſcebant fieri locis, mediatorem Chriſtum præſentem eſſe minime dubitabant. Nouerant enim prænunciante Ioanne ipſum in carne veniſſe, prædicaſſe pœnitentiam, regnum promiſiſſe, paſsionis ac mortis ſuæ commemoraſſe ſupplicia, atque triumphalis reſurrectionis promulgaſſe inſignia. Quamobrẽ ardore eum nimio cernere cupiebant, quem liberatorem ſuum fore ſancto ſpiritu reuelante cognouerant. Qualis ibi tumultus? qualis mœror? qualia vota iuſtorum? Etenim quidam illorum clamabant corde, Veni ad liberandum nos Domine Deus virtutum, & oſtende faciem tuam, & ſalui erimus. *Pſal. 79.* Alii verò, Domine præſtolamur aduentum tuum, vt citò venias, & diſſoluas iugum captiuitatis noſtræ. Nonnulli autem, *Luc. 1.* Illuminare iis, qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Huiuſmodi vociferationibus ſpiritualibus beati illi ad eorum ereptionem Dominum aduocabant. Ecõtrariò nequam ſpiritus virtute, qua poterant, ne ſaluator intraret, reniti moliebãtur. Propterea nunc ſe inuicem hortabantur, nunc ſuper captiuos fremebant in ſpiritu, ſupra quos etiam pugnę tranſacto articulo, ſupplicia duplicare ſperabant. Liuore quippe incredibili vrebantur intuentes eos ſolito lætiores, vtpote ab ipſorum tyrannide liberandos. Cũcta hæc ſine ſtrepitu in ſpiritu agebantur. Nullus ibi ſonorus clamor, nulla corporalis actio, nil viſibile humanis obtutibus mouebatur. Dum igitur in eadem regione magnũ ſilentium tenerent omnia, & tenebrarũ princeps cum ſuis intentiſsime expectaret, ecce præ foribus innumerabilis Angelorum aduenit exercitus in diuinitatis ſolio Chriſti anima triumphaliter reſidente, de quorum profectò glorioſo conſortio Angelus proſiliens Gabriel coruſcus lumine, virtute conſpicuus, charitate feruidus, atque *Pſal. 23.* autoritate terribilis, ianuis appropians ait, Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Decebat, plane, vt qui virgini Verbum nunciauerat incarnandum, eundem quoque patribus liberandis inſinuaret adeſſe. Debuit prorſus Chriſti victoriam, qui Dei fortitudo interpretatur, Angelis ſuperbientibus intimare, vt dies diei eructaret verbũ, & ab hoc nox nocti ipſius verbi indicaret præſẽtiam. Audita hac Gabrielis voce, qui aderant, męſtitia ac pauore nimio tremuerunt. Nullus tamen fugere, nulluſque (niſi cui indictum fuerat) reſpõdere præſumpſit. Tunc ille iam pene proſtratus audaciam fingens, inquit. Quis eſt iſte Rex gloriæ? Locus iſte luctus & tormentorum, incendii & mœroris, tenebrarũ & mortis eſt, hic requies nulla, nulluſque ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat, proinde non læti, neque beati ad nos conſueuerunt ingredi, nouum vtique ſonat in auribus meis. Inaudita res eſt, vt quiſquam Rex gloriæ, ad tantam ignominiam, quæ hic eſſe cognoſcitur, deſcendere velit, quamobrem edicito mihi, Quis eſt iſte Rex gloriæ? *Ibidem.* Cui Gabriel, Dominus eſt (inquam) fortis & potens, Dominus potens in prælio. Cur ſic te aſſeris ignorare? quare te exhibes alienum? quare quis ſit Dominus fortis & potens, te neſcire diſsimulas? Ex te ipſius fortitudinem atque potentiam diſcere potuiſti. *Luc. 1.* Experimento ſcies quod fecerit potentiam in brachio ſuo, dum diſperſit ſuperbos mente cordis ſui, nec non exaltando humiles, de propria potentes depoſuerit ſede. Quis tyrannicum veſtrum imperium valeret conterere, niſi hic Dominus fortis & potens? Nempe ipſe eſt, qui vobiſcum pugnauit in eremo, & palmam victoriæ reportauit. Pugnauit (inquam) cum hominibus, pugnauit cum vitiis, pugnauit docendo, fugiendo,

pa-

credere, quod nō percipit ratione, at experimēto non diſcit, ſeu ſenſibus non agnoſcit. Quamobrem increata ſapientia humanam ſpeciem ex originalis culpa delicti plurimum deterioratam cognoſcens, illam vt reſurrectionis informaret ad fidem, eandem in multis notificauit argumentis. Eſt etenim crudelitas hæc ſaluti illius admodum neceſſaria. Superuacuus planè omnis cenſendus eſt labor, quū futuræ mercedis abigitur ſpes. Qui arat, in ſpe colligendarum ſegetum ſerit, qui certat in ſtadio, in ſpe brauij obtinendi, dimicat cū fiducia, ſed & qui nauigat ſub ſpe perueniēdi ad lucrum, marinis ſe fluctibus exhibet. Nemo abſque retributionis ſpe cuiquam ſe exponit negotio. Hoc præcipuus Vates de ſe Do- *Pſal. 118.* mino affatus eſt, dicens, Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum propter retributionem. Expetebat quidem pro diuinis iuſtificationibus faciendis non temporalem *Pſal. 141.* retributionem, ſed æternam mercedem. Alibi quid quæreret, expreſſit ita, Portio mea ſit in terra viuentiū. Quæ verò, quantàque eſſet hæc por- *Pſal. 72.* tio, euidentius inſinuās inquit, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Deo quippe ſciēs nil melius, imo præter Deum nihil bonum ac delectabile noſcēs, ipſum ſui laboris præmium, ſuæ *Pſal. 104.* retributionis inſtituit finem. Nos quoque ſuo hortans exemplo, ait, Quærite Dominum, & cōfirmamini, quærite faciem eius ſemper. Semper facies Domini quærenda eſt, ſed in ſpiritu, quoniam (ſicut legitur) ſpiritus ante faciem noſtrā Chriſtus Dominus. Nempe ſi in ſpiritu, etiam in ſpe quærendus eſt. Spes enim, quæ videtur, non eſt ſpes. Quærēdus eſt igitur, vt videatur, hic quæritur, vt alibi videatur. Ipſa viſio inquiſitionis eſt merces. Quum ad mercedem fuerit peruētū, ceſſabit inquiſitionis fatigatio, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Interim dum peregrinantes à Domino mortalis ac corruptibilis carnis tegumento induimur, nequaquam quærere deſinamus, neque à labore virtutum, & bonorum operum fœcunditate deficiamus incredulitate laxati, ſcientes quòd ſi terreſtris domus noſtra huius *2. Cor. 5.* habitationis diſſoluatur, ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, ſed æternā in cœlis. Ad roborandam igitur ſpem hāc in ſuorum cordibus fidelium Dei, & hominum mediator corpus ſuum, quod exanime iacebat in tumulo, voluit ſuſcitare poſt triduum, atque ſuæ reſurrectionis gloriam, quæ noſtræ eſt cauſa, in multis argumentis oſtendere, nec non à diuerſi temporis teſtibus prædicari, quatenus fides catholica inanis non videretur, & vacua, quæ tam veridicorum teſtium autoritate fulciretur. Quemadmodum enim poſtquam perfecta eſt, celeberrimè prædicatur, ita prius, quàm fieret, prænūciabatur futura, atque multimodè præfigurabatur implenda. Hinc eſt, quòd Ionas Propheta dum à facie Domini fugiens in Tharſis nollet Niniuitarum euerſionem (ſicut Dominus mandauerat) prædicare, dimerſus in vndis ſtatim marinæ beluæ cibus efficitur, tandemque poſt diem tertium viuus euomitur. Quæ res cur in diuinis ſit ſcripta voluminibus, aut quare acciderit, Saluator diſſeruit, dicens, Sicut fuit Ionas in ventre *Matt. 12.* ceti tribus diebus, & tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terræ. Samſon quoque ſanctificatus in vtero dominicæ reſurrectionis figuram prætulit. Quum enim Gazam Philiſtinorum vrbem fuiſſet ingreſſus, atque ab inimicis, vt caperetur, maxima cum induſtria cuſtodiretur, intempeſtæ ſurgens noctis ſilentio fugam arripuit, ablatas ciuitatis ferreas ianuas ſuper montis verticem aſportauit, ac de obſeruantium ſe manib. illæſus euaſit. Qui legit, intelligat, quia verbū myſticum eſt. Sub figurarum profectò velamine Hebræorum populo narrabantur futura, quatenus ex ipſis ædificaretur eccleſia, roboraretur fides, & mutantium corda ad veri Dei manducerētur notitiam. Addita ſunt figuris Prophetarum oracula, vt quaſi rota videatur in medio rotæ, cuncta hæc ſancto diſponente ſpiritu, qui diuidit ſingulis chariſmata, prout vult. Nam quum in donis ſit multiplex, vnus tamen eſt in ſubſtantia, ſimplex in natura, in gratia locuples, atque in machina artifex vniuerſa. Nempe omnium eſt artifex omnem habens ſcientiam, omnem habens virtutem, proſpiciens omnia. Ipſe prophetarum *Sap. 7.* ora compleuit, vt certa veritatis ſcientia tanquā præterita futura prædicerent. Non enim (teſte Apoſtolo) voluntate humana allata eſt aliquan- *2 Petr. 1.* do prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines, quibus non ſine grandi conſcientię contradicitur detrimento, quum re vera non illorum, ſed ipſius, qui per eos loquebatur, omnis ſit iniecta calumnia. Oportet igitur cum humilitate maxima eorum ſermonibus ſynceram credulitatis adhibere reuerentiam, potiſſimum quum agnoſcamus impletum, quod implendum eſſe vaticinati ſunt. Sunt etenim eloquia tanquam lucernę in caliginoſo ſeculi loco ardentes atque lucentes, donec vetus Lucifer, *Ibidem.* qui neſcit occaſum, in cordibus oriatur fideliū. Tunc ipſius ſapientię ſplendor ſibiipſi ſufficit ad illuminandum de ſe, quanquam & ipſa in oraculis fulgeat prophetarum. De fonte quidem ſapientię idem ſpiritus haurit, quicquid per ſuos loquitur vates, ſicut eiuſdem ſapientię eruditione inſtruimur dicentis de ſpiritu, Non enim lo- *Ioan. 17.* quetur (inquit) à ſemetipſo, ſed quęcunque audiet, loquetur, & quę ventura ſunt, annunciabit vobis. Annunciat vtique veritatis ſpiritus, quę vētura ſunt, dum introrſus mentes ſanctorum replens reuelando futura manifeſtat. Annunciant & ipſi per ſpiritum, quę ventura prænoſcunt, quando quę corde percipiunt, verbis aut ſcriptis

inſinuare

inſinuare non deſinunt. Hoc modo eorum oracula peruenerunt ad nos, quæ nedum præteritam, verumetiam præſentem confirmant catholicam veritatem. In ipſis de Domino Ieſu quæ facta ſunt, futura leguntur. Prędixerunt Prophetæ, quòd de virgine naſci, quòd pro hominibus pati, flagellari, cōſpui, crucifigi, moriq; debuerat. Nequaquā etiam texere ſilentio, qualiter veraciter reſurrecturus, atq; cum ingenti gloria ad cœlos fuerat aſcenſurus. Psal. De his in perſona eius Citharœda ſanctus ſic loquitur, Tenuiſti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxiſti me, & cum gloria ſuſcepiſti me. Psal. 3. Et alibi, Ego dormiui, & ſoporatus ſum, & reſurrexi, quia Dominus ſuſcepit me. Tanto ſiquidem Propheta memoratus veritatis lumine radiabat, vt futura quaſi præterita nunciaret. Nec tātùm hic ſolus, ſed quotquot eodem ſpiritu imbuti ſunt, fecere ſimiliter, ſicut Apoſtoli Petri voce dicitur, Act. 3. Nam à Samuele (inquit) & deinceps qui locuti ſunt, annunciauere dies iſtos, Aduentum (videlicet) Chriſti, natiuitatem, prędicationē, paſsionem, reſurrectionem, aſcenſionem, & per emiſsionem ſpiritus gentium vocationem. Præcones ſuos præmiſit ante ſe Deus, prophetas (ſcilicet) ſanctos, qui promulgarent futura. Voluit quoque teſtes habere idoneos, quorum viuæ vocis oraculo corpus muniretur eccleſiæ, quæ vno viuificatur ſpiritu, vnaq; fidei confeſsione ſaluatur. Non enim alium ſpiritum, neque fidem aliam habuere patres, qui Chriſti præceſſerunt aduentum, quàm qui eundē ſecuti ſunt. Non multi, ſed vnus eſt ſpiritus, per quem datur ſermo ſapientiæ atq; ſcientiæ, fides, diſcretio ſpirituum, gratia ſanitatum, genera linguarum, Ephes. 4. & ſermonū interpretatio. Neq; plures fides, ſed (ſicut ait Apoſtolus) vnus Deus, vna fides, vnū baptiſma. Vnde alio in loco de fide patrum dum loqueretur, expreſsius differens, ait, Habentes autem eundem ſpiritum fidei, Psal. 115. ſicut ſcriptum eſt, Credidi, propter quod locutus ſum, & nos credimus, propter quod & loquimur, ſcientes quoniam qui ſuſcitauit Ieſum, & nos cum Ieſu ſuſcitabit, & conſtituet nos uobiſcum. Nam tempora variata ſunt, non fides. Illi venturum, & nos veniſſe credimus. Illi capitis reſurrectionem prædicebant, nos illam confitemur factam, & membrorum prædicamus eſſe futuram. Nam vna eademq; eſt capitis & membrorum reſurrectio, quamuis non vno temporis celebretur momento. Quid de hoc Apoſtolus loquatur, aduerte, Qui conreſuſcitauit (inquit) & conſedere nos fecit in cœleſtibus in Chriſto. Ephes. 2. Adhuc quum iſta diceret, mortalis erat, adhuc in terra inter homines verſabatur, & tamen ſe reſuſcitatum in Chriſto, ſeque ſedere in cœleſtibus fatebatur, non vtique corporaliter, ſed per myſterium vnitatis capitis & corporis, quod eſt eccleſia fidelium in Chriſto rectè credentium. Aequalis igitur eſt autoritas vaticinantium reſurrecturum Chriſtum, & reſurrexiſſe prædicantium. Nam Chriſtum reſurrecturum Dauid longè antè prænuncians, ait, Psal. 15. Prouidebam Deum in conſpectu meo ſemper, quoniā à dextris eſt mihi, ne commouear, propter quod dilatatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum videre corruptionem. Propheta ergo quum eſſet, & ſciret, quia iureiurando iuraſſet illi Deus, de fructu lumbi eius ſedere ſuper ſedem eius, prouidens locutus eſt de reſurrectione Chriſti, quia neque derelictus eſt in inferno, neque caro eius vidit corruptionem. Audiuimus veridicum Vatem, audiamus & fidelem teſtem Chriſti reſurrectionem prædicantem. Chriſtus reſurrexit à mortuis, primitiæ dormientium, quoniam ſicut per hominem mors, ita & per hominem reſurrectio mortuorum, & ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. Prophetarum etenim, euangeliorum, ſanctorumque patrum volumina plena ſunt autoritatibus, quę Chriſti reſurrectionem pronunciant eſſe completam. Nos itaque habentes tantam autoritatem, deponentes omnē infidelitatis caliginem curramus ſimpliciter ad Dominum Ieſum, qui ſemper viuit, & eſt in dextera Dei ad interpellandum pro nobis. Ipſe planè ſicut mortuus eſt propter delicta noſtra, ita & reſurrexit propter iuſtificationes noſtras. Reſurrexit (inquam) non angelico fultus pręſidio, nec humano confortatus auxilio, ſed virtute propria, & diuina verbi preditus poteſtate. Corpus quod incluſum iacebat in tumulo, reſumpſit, non in ſubſtātia aut forma, ſed in ſola natura mutatum. Nempe quum prius mortale eſſet atq; paſsibile, impaſsibile ac immortale eſt factum, decore, fortitudine, & uirtute indutum. Nequaquam de reſerato exiuit ſepulcro, ſed clauſo, ſignato, cuſtodibuſque munito. Quemadmodū nec dęmones, ſic neque cuſtodes tumuli egredienti illi reſiſtere valuerunt. Excitauit templum poſt triduum, atque reformauit in melius, quod Iudaica impietate fuerat reſolutum. Excitauit (inquam) quia tanquam verus dormierat homo. Quoniam igitur uerus eſt Deus & homo, ideo in manu potenti & brachio extento expoliauit infernum, ſecum aſportando omnem veteranorūm patrum numeroſitatem in ſinu Abrahę quieſcentium, non autem vniuerſos inferi habitatores abſtulit, ſed prędeſtinatos tantū, ad quos ipſius redemptio pertinebat, de quibus Prophetę voce illi dicitur, Tu autem in ſanguine teſtamenti adduxiſti vinctos, qui erant in lacu ſine aqua. Zach. 9. Vinctos igitur, non damnatos eduxit, ſicut Prophetę voce alibi idem teſtatur, dicens, Ero mors tua, ò mors, & morſus tuus inferne. 1. Cor. 15. Dum in temporalem ęternam mortis mutauit ſententiam, mortem moriendo occidit, verum infernum momordit, dum de tenebrarum locis ſolos liberauit electos. Verum autem in glorificatis corporibus, aut in extremo iudicio glorificandis reſurrexerint,

ambi-

ambiguum eſt. Hoc tamen, quod ſermone didi- Mat. 27. cimus euangelico, fatendum eſt, quòd (videlicet) multorum corpora ſanctorum, qui dormietant, reſurrexerunt cum illo, & introierunt in ſanctam ciuitatem. Non igitur omnium ſanctorum corpora, ſed multorum ſurrexiſſe leguntur, illorum præcipuè, quorum teſtimonio Chriſti fuerat reſurrectio comprobanda. Iſti verè ſurrexerunt cum Chriſto, vtranque carnis ſumpſere naturam, quæ iamdiu in puluerem redacta, iamque à vermibus fuerat corroſa. Duplicibus nanque veſtiti ſunt tanquam ſanctorũ conciues Angelorum, & domeſtici Dei, atque cõſortes Chriſti. Neque enim fas erat, vt in capite ſolo reſurrectionis fulgeret gratia. Debuit planè in quibuſdam (etſi non in omnibus) apparere membris, quatenus cæteris præſtolantibus firma fieret reſurrectionis ſpes, & inconcuſſa expectatio futurę beatitudinis, nec non & indubia ſimilitudo hu- Ephes. 4. manitatis Chriſti, de qua Apoſtolus ait, Donec occurramus omnes in vnitate fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Hæc nanque eſt electorum merces, vt Dei filio efficiantur conformes, & ſic cœleſtis Adæ in ſe portent imaginẽ, quemadmodum portauere terreni, atque ita agnoſcantur reſurrectionis Chriſti eſſe ſocii, ſicut paſsionis fuerunt. Hoc Apoſtolus Petrus proſpe- 1.Pet. 4. ctam inquit, Communicantes Chriſti paſsionibus gaudere, vt in die reſurrectionis eius exultãtes gaudeatis. Neque enim eſſe poteſt, vt qui Chriſti adhæſerint corpori, & per fidei dilectionem eius fuerint membra effecti, non ſimul cum eo glorioſè reſurgant, dicente Apoſtolo, quod 1.Cor. 15. ſupra memorauimus, Chriſtus reſurrexit à mortuis primitiæ dormientium, quoniam ſicut per hominem mors, ita per hominẽ reſurrectio mortuorum. Vnuſquiſque igitur in ſuo ordine, primitiæ Chriſtus, deinde qui ſunt Chriſti, qui in aduentu eius crediderũt, deinde finis, quum tradiderint regnum Deo & Patri, quum euacuauerint omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, nouiſsimè autẽ inimica deſtruetur mors. 1.Cor. 15. Deſtruetur, inquã, quando abſorpta fuerit mors in victoria, quando læti cãtabimus, Vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus? Interim verò donec fiat de firmamento vox, canit tuba, & angelorum miniſterio vniuerſalis fiat reſurrectio mortuorum, teneamus pollicitationem ſpiritus, & firmiſsime credamus Chriſti & ſanctorum quorundam reſurrectionẽ iam factam, atque omnium futuram, propter quod non deficiamus in tribulationibus & tentationibus per Chriſtum, ſcientes quoniam labor noſter non eſt inanis in Domino. Quomodo inanis eſſe valet, quæ tam glorioſum remunerationis affert fructum? Taceo de anima, quæ Dei in ſe geſtans imaginem deificatur tota, quum Dei vnita verbo dilectione, cognitione, & comprehenſione replebitur. In ipſa autem, quam expectamus, corporum reſurrectione, totam fatemur carnis naturã in melius eſſe reformandam. Nam quemadmodum 1.Cor. 15. quũ concipitur homo, ſeminatur corpus in corruptione, ita reſurget in incorruptione, ſeminatur in ignobilitate, reſurget in gloria, ſeminatur in infirmitate, reſurget in virtute, ſeminatur corpus animale, reſurget corpus ſpirituale. Totum autem hoc, quod decoris, quod agilitatis, quod impaſsibilitatis, quod ſpiritualitatis carnis naturæ donabitur, à capite Chriſto defluet glorioſè. In ipſo quippe ſingula corporis glorificabuntur membra in charitate compacta, & conuiuificata. Ipſe verò eſt, qui per ſpiritum ſuum corpus vegetat, quod eſt eccleſia prædeſtinatorum, quam ſanguine ſuo mundauit & lauacro, vt ſine ruga & macula chariſsimam illam ſibi exhiberet in ſpõſam. Nec dum tamen quid ſit, & quid futura ſit, in hac claruit parte. Sub mortalitatis, ac paſsibilitatis velamine tegitur omnis pulchritudo eius Pſal. 44. dicente Propheta, Omnis gloria eius filiæ regis ab intus in fimbriis aureis circundata varietatibus. Et bene varietate, quia etſi retributionis denarius vnus ſit, differt tamen in gloria: Nam alia eſt ſolis claritas, alia lunæ, alia ſtellarum, attamẽ etiam ſtella differt à ſtella in claritate. Ibi nãque copioſior erit claritatis redundantia, vbi charitatis ardentior fuerat affectus, & amoris riuulus purior. Aderunt præterea ornamenta quædam perlucida non omnibus communia, ſed quibuſdam particulariter elargita, ad decorũ (videlicet) poſſidentium & aſpicientium gaudium. Sine liuoris deformitate quiſque lætabitur, dum habebit in proximo, quod deerit in ſe. Nemo ſatis explicat verbis, quanta exuberent electis bona in illa regione viuorum, & quam multa glorificationis ſint reſeruata commercia. Iſta in mentis exceſſu Propheta effectus cõſiderans, ait, Quam magna Pſal. 30. multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abſcõdiſti timentibus te, perfeciſti autem eis, qui ſperant in te. Abſcõdiſti vtique hic, ſed alibi perfeciſti. Nam imbecillis eſt acies humana, quandiu carnis paſsibilis tegumento induitur, plenã corporis glorificationem intueri, eo amplius, quò Mat. 5. deformius ſordibus peccatorũ inuoluitur. Beati tamen mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Eſt enim cordis munditia habitus quidam animæ ſapientiæ cõtubernio depuratus, per quẽ ſpiritualia atque diuina delectabiliter contemplantur, quo quicunque caret, phãtaſmatum importunitate turbatur. Qui verãm poſsidet cordis munditiam, proximus eſt Deo, Dei in ſe honorat imaginem, & ſempiternum in ſe verbum ſenſibiliter veneratur. Illi profectò ſe ſapientia iucundè communicat, ſuamque præſentiam familiariſsime manifeſtat. Hinc piè credendum eſt Dominum Ieſum beatę genitrici apparuiſſe prę-

ficio-

cæteris, eidemque immortalitatis ſuæ ſtolam officioſiſsimè demonſtraſſe. Ipſa planè erat mater pulchræ dilectionis, timoris, magnitudinis, & ſanctæ ſpei, cæteris purior, ſanctior vniuerſis, in humilitate præcipua, in charitate feruida, honeſtate pudica, fœcunda virginitate, ſanctimoniū redolens, innocentia coruſcans, ſuſpenſa contēplatione, moribus ornata, ſermone facunda, ſapientia pollens, & omnium ſpiritualium donorū prærogatiua præcellens. Ex his Deo erat chariſſima, honorabilis Angelis, hominibus amabilis, ipſiſque aereis poteſtatibus valde terribilis. Hęc poſt vnigeniti dormitionem ſolitaria degens, Deo vacans, & ſecum habitans attentiſsima meditabatur cogitatione, quantas Dei ſapientia cōtumelias, & vt acerrimos in ſuo agone perſenſiſſet dolores. Iſta tacitè reuoluens ſecum irrigabatur lacrymis, ſuſpiriis replebatur, nec nō & amoris facibus cremabatur. Nunc ſputa, nunc alapas, nunc conuicia patiebatur in filio. Per ciuitatis plateas mēte intuebatur baiulantem crucem, nudum in populo aſtantem, crucis in ſtipite extenſum, clauis confixum, ſubleuatum patibulo, aceto & felle potatum, & ad extremum palleſcentē, exclamātem, expirantemque aſpiciebat. Denuò funeris exequias celebrabat, laceratum corpus fletibus abluebat, atque ſepulturæ traditum cum filio claudebatur in tumulo. Cum corpore nati in ſpiritu proprium conglutinabat corpus, in anima cum ſpiritu deſcendebat ad inferos, & tamē corpore & ſpiritu in his ſe exercens inhianter reſuſcitatum filium videre cupiebat, minime ipſū die tertia reſurrecturum ambigebat. Tacite igitur corde loquebatur, dicens, Eſt ne hora nunc, vt deuicto tenebrarum principe, omnique mortalitate conſumpta reuiuiſcat filius meus? Putaſne videbo illum, quem diligit anima mea, & in quo deſideriorum meorum theſauri ſunt? Nunquid ad me veniet vnigenitus meus, quem mēte quæro, corde aſpicio, amore teneo, dilectione amplector? Veniat, veniat dilectus meus in thalamum ancillæ ſuæ, oſtendat mihi faciem ſuam, ſonetque vox eius in auribus meis, quatenus illum oculis intuear, pertractum manibus: humilitate deoſculer, & refloreat in ipſo, anima mea, quæ iā triduo cum illo iacuit in ſepulchro. Hæc dum reuolueret animo immaculata mater, ecce coram ſe aſtantem agnouit filium claritate nimia radiātem, quem mox vt vidit, humi proſtrata venerabiliter adorauit, veſtigia tenuit, & pedum cicatrices vbertim lacrymis irrorauit: Non autem, vt iuſtificata peccatrix, repulſam patiens audiuit, Noli me tangere, nondum enim aſcendi ad Patrem meum, ſed neque vt incredulus diſcipulus aduocata eſt, vt in clauorum loca digitos poneret, quatenus dubietatis illius vulnera ſanarētur, quin
Cant.2. potius audire promeruit, Surge amica mea, formoſa mea, & veni columba mea in foraminibus petrę, in cauerna maceriç. Inſonuit dulciter clamor cordis tui in aurib. meis, nēpe vox tua ſuauis eſt, & facies decora. Dū igitur blādis amoris colloquiis filius cor virginis penetraret, & mater ſuauiter vnigeniti amplexaretſ plantas, vltra quā dici poſsit, dulcedine complebatur. Liquefiebat prorſus cor illius, & veluti flagrātiſsimus liquor è pedū vulnerib. emanabat. Tota trāſformabatur in ipſū dilectione perfuſa. Ingeminabat planè oſcula, veſtigia pertractabat, lacrymiſque liniēdo tergebat. Ardebat deſiderio, ſaturabatur ſine faſtidio, & iucūdabatur ſine interuallo. Veraciter tunc propheticū illud dicere poterat, Secū- Pſal.93.
dum multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam. At vbi ſanctiſsima diutius ſit commorata, eſt, poſtquam manibus filii erecta ſurrexit, pleniſsimè ab eodem de ſacramentis fidei, de reſurrectionis gloria, de futuro eccleſiæ ſtatu, de finali iudicio, de electorum fęlicitate, atque de omni Chriſtianæ profeſsionis regula erudita eſt. Meritò fuerat imbuenda, vt eius vita vniuerſis fidelibus fieret diſciplina. Imminente itaque hora, qua ſe manifeſtaret hominibus, virgini vale dicens, ab eius oculis mox lætus euanuit. Tanta ex tunc nectaris affluentia, ac amoris magnitudine exuberauit cor virginis, vt nequeat ſermonibus explicari. Inſuetum prorſus erga filium concepit affectum, quo tenebatur fortiter, dulciter cremabatur, & inſeparabiliter iungebatur. Quamuis enim vehementiſsimè prius dilexiſſet Chriſtum, toties tamen mœroris trāſfigebatur gladio, quoties paſsionis illius memoria tangebatur. Non autem minus ex miſeratione diuina, quam ex dilectione vnigeniti doloris de futuro crucis ſupplicio conceperat habitum, quatenus eo mediāte crucifigeretur mente, aſſueſceret paſsionib., exerceretur in pœnis, ditaretur meritis, & conformaretur Chriſto. Cūctum igitur afflictionis ipſius habitum proſpectæ reſurrectionis aboleuit gloria. Lęta nanque effecta de filio, atque certificata à filio de cętero dolere non potuit. De immortalitate quippe illius, de accepta diuinitatis potentia, nec non de triumphali eius honore ſecura quomodo affici mœroribus valebat? Hoc tantum ſingulariter gerebat in corde, hoc ſæpiſſimè animo reuoluebat, vt filio inſeparabiliter vniretur. Tali interdum ſucceſſa deſiderio, ô quoties efficiebatur impatiens, ô quoties lacrymæ erumpebant, audiebantur ſuſpiria, & deſideriorum voces in cœlo reſonabant, Ieſu mellifluum nomē iugiter geminabat in corde, & ex ore promebat. Huiuſmodi amoris pręludiis aduocabat eum, ſibiq; illū viſibilem faciebat. Talibus eundi ac redeundi alternationibus tandiu Dei mediator, & hominum matris effectum exercuit, quandiu degit in carne paſsibili. Illis quippe ſolūmodo inſeparabilem maieſtatis ſuæ præſentiam ex-

habet, qui deuicta omnis corruptionis moleſtia perpetuas cœleſtis patriæ ſortiti ſunt manſiones.

Quod vehementia amoris comprehenſus animus quieſcere nequeat. Cap. XXIIII.

QVicunq; amoris magnitudine, ſeu deſideriorum præoccupati ſunt æſtu, teſte experientia, diu quieti eſſe non poſſũt. Nunc votorum impulſu, nunc inquiſitionis fatigatione feruntur. Iſtorum omnis intentio eſt, ut ad id valeant peruenire, quod cupiunt, quo quũ attingerint, nec ſic quieſcunt. Nempe ſi quod concupiſcitur, temporale eſt, quum habetur, faſtidium generat, quoniam id eo modo, quo deſideratur, minimè poſſidetur. Si verò ſpirituale fuerit, magis magiſq; quũ tenetur, vt augeatur, exquiritur, ſin autem queritur, vt teneatur. Hanc vtiq; ſententiam mulieres ſanctæ, quæ ſepulto Domino ad monumẽtum veniſſe leguntur, ſuo veram eſſe fatentur exemplo. Hæ nanque magiſtri ſui flagrantes deſiderio, quem ignorabant viuum ſedulò requirebant defunctum. Porrò quouſq; humanitatis obſequiũ ambulanti, loquenti, manducanti impendere valuerũt, eũ ipſo per ciuitates & caſtella pergentes infatigabiliter perſeuerũt. At vbi ab earum eſt ſublatus aſpectibus, officioſiſsimè miniſtrauere defuncto. Amoris etenim tanta impellebantur vehementia, vt vallatum cuſtodibus exanime corpus quærerent in ſpelũca: quatenus quem diligebant, inuenirent, vngerent, ac tenerent. Proinde quandiu illis licuit operari, aromata parauere, percurrente verò ſecundum legem ſabbato ſiluerunt. Mox autem vt requietionis præterit dies, valde mane in ipſo diei crepuſculo ſumptis ſecum aromatibus gradu concito, corde ignito, ſimplici animo, atque deſiderio miniſtrandi ad locum, ubi illum recõditum nouerant ardentiſsimè porrexerunt. Mat. 28. Mutuo quippe colloquebantur, dicentes: Quis reuoluet nobis lapidẽ ab oſtio monumẽti? O præceps amor, ô inconſulta dilectio, in ſepulcro nouerãt poſitum ſaxum grãde ante ſpeluncæ aditum, viderant & ſignatum: & tamen abſque impoſsibilitatis ſuæ conſideratione impellente deſiderio, quem diligebant, vngere ſatagebant. Aſpicientes igitur reuolutum viderunt lapidem, & angelum ſuper eum ſedentem. Iam enim terræ motus factus fuerat, iamq; de tumulo ſurrexerat Mediator. Deſcenderat autem angelus, ut reuoluto ſaxo mulieribus innoteſceret de monumento exiiſſe, quem vngere cupiebat, In primo itaque intuitu, earum repercuſſa eſt acies. Nequaquam humanus oculus ſine reuerberatione angelicam, valet aſpicere claritatem. Concuſſus autem repentè animus viſione illius paulatim roboratur ſpe: caritate exhilaratur, atque repletur gaudio tanquam ex ſui agnitione cuſtodis conſortis tegni, & comparticipis præmij. Non tamen ſpiritualem eius ſubſtantiã notam facit hominibus, ſed vt capabilior fiat, corpus ſibi format aereũ. Spiritualem quippe corporalis non capit ſubſtantia: ſed ſenſibilẽ per ſenſus diſcernit natura. Magna ex hoc & commendabilis erga homines benignitas agnoſcitur angelorum: dum pro miniſterio ſuo ex pleno imbecilles non dedignantur videri atque ignobiles. Hinc eſt, quod Abrahæ Gen. 18. & Lot ingredientes in hoſpitia appoſita viſi ſunt comediſſe cibaria. Ibid. 32. De Iacob quoq; legitur, quòd luctatus tota nocte cum angelo fuerit, nec ab eo dem potuerit ſuperari. Verumetiam Tobiæ Raphael Tob. 12. angelus comes fuit: neque ab illo (niſi perfecto peregrinationis miniſterio) ſegregatus eſt. Plurimis quidem ſcripturarum in locis ſimilia legimus facta per angelos, quæ pro ſalute hominũ beneuola, & propemodum infirma eorum indicãt eſſe miniſteria, quum longè dignitate & gloria ab humana diſtent natura. Minus ſiquidẽ terrent, & citius erigunt, dum ſe illis inſinuant ſimiles, quorum ſe profectibus manifeſtant. Hoc in diuinis voluminibus multos nouimus egiſſe angelos, hoc qui mulieribus dominicã reſurrectionem venerant nunciare. Nam duo ex his humana ſpecie conſternatis fœminis apparentes in albis, ut nõ metuerent, hortati ſunt. Quid (inquit) quæritis quid laboratis aromata deferendo? viuentem ne cum mortuis queritis? Quamuis enim pium, quamuis officioſum ſit veſtræ humanitatis obſequium: ſuperuacuum tamen eſt, quum illud viuenti quaſi mortuo impendere nitimini. Paulò antè hoc optimè poteratis, quum adhuc exanimis iaceret in tumulo, quum adhuc mortuus eſſet cum mortuis. Nunc autem ſurrexit, & non eſt hic. Porrò cum defunctis viuit, cum patribus iucundatur & cum angelis diem feſtum agit, atque inſtar capreæ, aut hinnuli ceruorum paſcitur inter lilia, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ. Secure igitur eſtote, humanum timorem abiicite, illique congaudete: quoniam depoſito mortalitatis indumento tanquam triumphator ſtrenuiſsimus reſurrexit. Propius accedite, locũque vbi poſitus fuerat, videte: vt certiſsimè agnoſcatis, quia nõ eſt hic. Ite ergo, & quæ vidiſtis, & audiſtis, diſcipulis nũciate, ſcientes quia vos præcedet in Galilæam. Iſta quum mulieres ex ore angelico didiciſſent, certificata pro oraculo, fideles effectæ de experientia gradu concito, & alacrimento eadem, ptout illis fuerat imperatum, Apoſtolis intimate curarunt. Quibus veluti in fide debilibus, & diuinis myſteriis minus imbutis, atque nondum virtute Paracleti ex alto roboratis, tanquam deliramenta earum verba ſunt viſa. Accendi tamen ex ipſis duo curioſitatis deſiderio ad monumentum ocyus concurrerunt, atque non comperto corpore ſudarium cum linteaminibus aſpexerunt, ſicque relictis ibidem mulieribus ad propria rediere. Maximum plane in rebus geſtis ſpirituale nobis innuitur documentum

mentum. Agnoſcimus per hæc meritum fidei, perſeuerantiæ bonum, intentionis rectæ emolumentum, & ſedulæ inquiſitionis ſublime faſtigium. Conſideremus ſingula. Venerunt ad monumentum Apoſtoli ſine aromatibus, & abſque vlla affectione impendendæ humanitatis, ſermonum mulierum increduli, fide reſurrectionis vacui, ac ſola curioſitate permoti. Tales quum ad tumulum acceſsiſſent, & nequaquam ibidem perſeueraſſent, nec angelos neque ipſum dominũ angelorum videre meruerunt. Senſibilia tantũ, & corporalia aſpexerunt oculis, ac manibus contrectauerunt, & vltra nil amplius. Perrexerãt ſanctæ tres fœminæ cum aromatibus, & vnguentis pia, ardentique deuotione ſuccenſæ, non vt reſuſcitatum agnoſcerent, ſed vt vngerent defunctum. Minime tamen ei pro quo ierant, miniſterium perfecerunt, attamen non ſine remuneratione diſceſſerunt. Angelos quippe videre, reſurrectionemque iam factã non tunc inſpicere, ſed audire valuerunt. Tandẽ illis remeantib. denuo dominico dignæ ſunt factæ aſpectu. Illa igitur prior, quæ diligendo ardentius, perſeuerauit diutius. Sic enim habes: Abierũt iterum diſcipuli ad ſemetipſos. Maria aũt ſtabat ad monumentũ foris plorãs. Eximia prorſus, & admiratione digna huius mulieris perſeuerantia. Venerat ad ſepulcrum Petrus, qui transfigurati Chriſti aſpexerat gloriam, ſiccis pedibus perambulauerat Maria, innumeras ſanitates ab ipſo donatas nouerat, ſacramenta diuina perceperat, vniuerſorum regẽ coram ſe flexis genibus miratus fuerat, & tamen ibi diu perdurare nequiuit. Nec ſolus Petrus, verumetiam diſcipulus ille, quem præ cæteris diligebat Ieſus, qui ſupra ſacratiſsimum pectus ipſius in cœna recũbẽs arcana diuinitatis eius ſuauiſsime deguſtare promeruit, cui genitrix virgo virgini commendata eſt. Vtroſque fœmina hæc venerabilis, longanimitatis virtute ſuperauit. Nã quæſiuit, fleuit, ſuſtinuit, inuenit, quo autem ordine, diligenter aduerte. Stabat (inquit Euangeliſta) Maria ad monumentum foris plorans. Sibiipſi nempe indixerat nuſquam diuertere, donec quem diligebat, vbi poſitus fuerat, reperiret. Propterea ſtabat forti animo, ſpe viua, dilectione vulnerata, mœrore ebria, intentione inflexibili foris plorans. Nullam de magiſtri abſentia conſolationem recipere valebat. Proinde diſcedentibus aliis ſtabat ipſa foris plorans, non conſiderabat, quod mulier erat, quod ſola remanſerat, quod nihil videbat. Votis ſetebatur, paſcebatur lacrymis, replebatur gemitibus, carebat metu, audacem illam amor, & pręceptoris concupita præſentia ſuimet fecerat contemptricem. Lacrymas quippe fundebat largiter pro mœroris ſolatio, pro abundantia dilectionis, & pro inquiſitionis deſiderio. Prorſus vrebatur, conſumebatur, vulnerabatur, cruciabatur. Locum quidem

Ioan. 20.

vbi requieſceret non habens in ſe, circunquaque ſi forte quem quærebat videre poſſet, ſæpiſſime perluſtrabat. Amore verò impatiens vt introſpiceret, monumentum pluries repetiuit. Tãdem duos ſedentes angelos vidit, vbi domini poſitum fuerat corpus, ad quorum intuitum minime, vt prius verita eſt. Eorum vtique viſionibus aſſueta quandam cum illis familiaritatem cõtraxerat charitatis. Illi etenim apparuerant ante, dũ mente præforibus ſpeluncæ cum cæteris fœminis conſternata maneret. Nequaquam itaque ipſorum viſione ſe temperauit à fletu, quoniã nõ angelos, ſed dominum angelorum videre cupiebat. Quis (oro) angelorum duorum iſtorum lętitiam explicet pro peccatis ſancta effuſione lacrymarum? Agnoſcebant qualis fuerat, quam deformis mente, quàm impudica corpore, quã malę famę, quam plena dæmonibus. Super conuerſione illius ſicut ſuper cęteris peccatoribus pœnitentiam agentibus prius exultauerant, peramplius autem nunc. Nam in habitu, in forma, in moribus, in conuerſatione, in affectu, in cogitatione effecta erat diſsimilis. Talis profecto erat, & taliter immutata, vt ipſa merito angeli lætarentur. Lætabantur illi, lętabatur, & ipſe, qui fecit eam. Quamobrem ſic mœrore confectam, ſicque fletibus irrigatam eandem non eſt paſſus ſtare diutius. Porro ipſe eius præoccupauerat cor, debilitauerat vires, ſenſumque mutauerat, ideo ex ſui præſentia illam debuit reuocare. Reuocauit plane, & illam fecit dignam ſe, paulatim tamen, quatenus eam ſuccenderet amplius, prouocaret vehementius, atque charitatis iaculo validius penetraret, Id enim poſsidetur fortius, guſtatur dulcius, charius amplectitur, ac prudentius cuſtoditur, quod ardentiſsime concupitum, ſolerter quęſitum, atque laborioſe repertum eſt. Hinc eſt, quod delectabili quadam amoris peritia dilectionis magiſter pręmiſit angelos, vt ſuo illam inſtigarent eloquio, ſuaque requiſitione ſuccenderent, nuncios verò ſuos repẽte ſecutus eſt. Adhuc enim Maria cum angelis loquebatur dicens: Tulerunt dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt eum. Et ecce ſuperuenit, qui ſublatus credebatur, ſeque poſt tergum flentis exhibuit. Gradum quippe parum perſiſtens quid ageret, quidve diceret, diligentiſsime obſeruabat, non tamen ſine iucunditate iuxta id, quod in lege nouimus ſcriptum: Gaudium etenim domini eſt fortitudo veſtra. Ingenti plane lętitia, ad mediatoris pręſentiam, qui ſedebant, angeli perfuſi ſunt, moxque compreſſa voce, vultu alacri, atque cum exuberanti delectatione huiuſmodi amoris certamen, & talis commercii ſpiritualis pręſtolabantur finem. Tacentibus itaque angelis, & Maria flente, ac curioſe ſe iterũ atq; iterũ inclinante ſi quo modo quẽ quęrebat, videret in tumulo, idẽ qui quęrebatur

Ioan. 20.

Nehe. 8.

in hortulani apparens effigie ſubmiſſa voce, blãdoq; eloquio affatus eſt dicens: Mulier quid ploras? quem quæris? Quid inquis ò domine? quid Ioan. 20. interrogas? ignoras cur hæc ploret mulier? aut quid quærat? an forte quũ ſcias omnia, hoc ſolũ ignoras? Equidẽ ò alma Dei ſapientia, ò verbũ, Hebr. per quod facta ſunt omnia, ſcio per Apoſtolũ tuũ ſcriptum eſſe de te: Viuus eſt Dei ſermo & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum, ita ut nulla creatu- Ibidem. ra ei ſit inuiſibilis. Omnia nanque nuda & aperta ſunt oculis eius. Nempe ſi cuncta nuda & aperta ſunt tibi, lacrymarum iſtius non ignoras intentionem & cauſam? Non expedit, ut tibi pandat, cur ploret quidve quærat, ex quo cordis illius tibi penetralia patent. Dic domine Ieſu, dic ò ſuauis amor ſuper omnia diligende tuæ interrogationis cauſam. Ne occultes (oro) ſeruo tuo, quod ancillæ tuæ celatum eſſe voluiſti. Latere quippe ille voluiſti in verbis, latere in effigie, latere in gloria. Aperi igitur mihi tuorum minimo dilectionis tuæ magiſterium, aperi (inquã) arcanos ſapientiæ tuæ theſauros, quatenus eruditus abs te tam eloquio meo, quàm exemplo illius vniuerſos trahas ad te. Porrò quantum ſapio, quantum capio, illam per te docuiſti & nos. Nos quidem, ut amoris præludia diſceremus in illa, vtque ſpiritualem tuam in nobis obſeruaremus, præſentiam, & vt æquanimiter tuam ſuſtineremus abſentiam, atque infructuoſam agnoſceremus non eſſe perſeuerantem inquiſitionis induſtriam. Illam verò vt ex crebra ipſius percunctatione facta de te tuus ſemper in corde illius reuiuiſceret amor, atque ſolidius te poſſe reperire conſideret, quæ totius ex repetita interrogatione nominare audiret. Non ergo ab re aut ſine myſterio eſſe arbitrari debuerat, cur quid ploraret, requireretur tam ſedulo. Plane etſi non ad plenum, tamen aliquantiſper ex his cautior effecta fuiſſe cognoſcitur. Quum enim, audiſſet, mulier quid ploras? quem quæris? nequaquam ad interrogata reſpondit. Non autem ait, quemadmodum angelis dixerat. Tulerunt dominum meum, vel tulerunt magiſtrum meum, ſed ſimpliciter inquit. Si tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi, vbi poſuiſti eum? & ego illum tol- Ioan. 20. lam. Quem illum dicis ò Maria? quem piam ne ille nominauerat tibi, aut tu illi, vt dicere debeṙes,; ſi tu ſuſtuliſti eum, dicito mihi? Nullius ſignanter facta eſt mentio, & tamen dicis, eum. Vtique pro huiuſmodi reſponſione, & redargutione faterer te dignam, niſi amoris regula te excuſabilem redderet, quæ ignorare neminem credit, quod ipſa ardentiſsime diligit. Quod enim dulciter verſatur in corde, frequenter, delectabiliterque profertur ex ore. Hinc in reſponſione excuſat te amor, ſed de neglecto cõuincit te opere. Locuta ex nanq; impellente amore, te docente, te poſſidente. Ad tecum verò loquentem nec corpore neque facie conuerſa es. Nam etſi in te præualuerit amor, & mentis ac corporis præoccupauerit ſenſus, prorſus colloquenti tibi te reclinare debueras. Crede mihi ſi ſcires, quis eſt, qui poſt tergum aſtans ſermocinatur tecum, ſi agnoſceres, quis dicit, Mulier quid ploras? vtique ante illum proſtrata iaceres. Ipſe eſt qui famulantur angeli, cœlorum quem collaudant ciues, & omnis pariter creatura miratur. Ipſe (inquam) eſt, quem quæris, quem diligis, & pro quo plorare te aſſeris. Surge igitur, rumpe moras reſpice, agno- Cant. 2. ſce, quia ipſe eſt. En ipſe ſtat poſt parietem te reſpiciens per feneſtras, & proſpiciens per cancellos. En loquitur tibi, ut intelligas illum, & ſe tibi præ cæteris manifeſtat. Suſcipe munus, intuere præceptorem, agnoſce ſponſum, ne ſis ingrata, & tanquam adultera inerudita permaneas. Dolebis quidem inconſolabiliter, ſi à te receſſerit ſic ignotus. Quæres poſtea (& vtinam non incaſſũ) per plateas & vicos, quem diligit anima tua, ſi forte illum valeas reperire. Donec dies eſt, & antequã iuſtitiæ ſol tibi occaſum faciat, reſpice, & dominum Ieſum tecum ſermocinãtem adora. Hęc dum audiſſet ſancta, ſecumque reuolueret, ipſe dominus, qui actus, cogitationeſq; eius ſub ſilẽtio conſiderabat, & gaudio, veluti de charitatis pharetra, ignitã amoris ſagittam emittens ait: Maria? (non enim diu paſſus eſt dilectam diſcipulam tanto doloris & amoris cruciari incendio.) Vnico quippe verbo, dum in eius intonuit auribus, vnicę, dilectę inflammauit cor proprio illã vocando nomine. Planè quo impetu ferueſcebat intus, eo impulſa foris affatus eſt amor. Mira res, dum medetur amor lacrymantem mulierem, vulnerat, dum linit, exurit, dum conſolatur, cruciat; dum aduocat, allicit; dum erigit, proſternit. Quis Pſal. 06. ſapiens, & intelliget hęc? Non quid ageret, cur fleret, aut quomodo reſpondiſſet, ſermone ſuo intexuit mediator, verbum abbreuiatum locutus eſt dilectione ſuccenſum, dulcedine ſapidum, virtute potens, caſtimonia nitidum, & ſanctitate coruſcum. Nam etſi non capiant omnes locutionis huius peritiam, & prolati vim verbi, horũ tamen, cui loquebatur, ignara non fuit. Mox etenim vt ſe nominari audiuit, expalluit facie, contremuit corpore, mente concaluit, exultauit gaudio, & pręamoris nimietate repleta eſt iubilo. Quamobrem ad ſe vocantem cõuerſa in uocem prorupit, & ait. Rabboni. Nempe paucis locuta eſt. Nam vehemens amor intercidit ſermonem, prępedit linguam, cor occupat, neſcit iudiciũ, mẽſura caret, fertur votis, alternat cogitatus, & pauciſsimis comprehendit multa. Hęc iuſtificata mulier, & amoris diſcipula ſuo expreſsit exemplo. Sermone breui dulcia, ignita, ſancta, laudabilia

protulit plurima, quę ſicut dicta, ita affectu ſunt, & corde rimanda. Nam humana facundia amantis affectus, cordis impetum, clamores deſideriorum, amoris artem, amplexus caſtos, atque diligentium ſe mutuo deſiderabilia non valet explicare colloquia. Proinde non hominis quærenda ſunt medio. Eſt nanque ſapientia, quæ rationalem erudit mentem, reuelat myſteria, & intus ſpiritualia cantica format. Vniuerſa hæc mulier ſancta didicerat, dum ad præceptoris pedes ſuauiſsime reſideret, nunc autem præ ebrietate ſpiritus horum oblita humilitatis menſuram, quoniã ſeruare non potuit, tanquam indigna repelli promeruit. Porro dum Saluatoris vellet tenere veſtigia, audiuit, Noli me tangere. Ioan. 20. Quod ne indignationis cauſa arbitraretur dictum, ſubintulit, nondum enim aſcendi ad patrem meum. Carnis quidem glorificationem acceperat, mortalitatẽ omnem ſuperauerat, & ad patrem, à quo nunquam diſceſſerat, aſcenderat, ſed non in Mariæ corde. Adhuc illum minime reſurrexiſſe credebat, necdum diuinitatẽ eius intelligebat, atque vnum, eundemque eſſe cum patre non agnoſcebat. Non enim verbum in humanitate attendebat, ſed tantum corpus viſibile, naturamque palpabilem amplecti cupiebat, ideo audiuit: Nondũ aſcendi ad patrem meum. Me ſolum virginis filium fateris de me, non quæ Dei, ſed quæ hominis ſunt, ſapis, propterea nolo me tangas, quia in te non aſcẽdi ad patrem meum. Quod autem à te volo, auſculta, atque perficere ſatage, quæ mãdauero tibi. Ibidem. Vade, & dic fratribus meis: Aſcẽdo ad patrem meum, & patrem veſtrum, Deũ meũ, & Deum veſtrum. Apoſtolos fratres ſuos eſſe commemorat, non vteri, ſed adoptionis, nõ carnis, ſed ſpiritus. Aſcenſum nanque hunc reſurrectionis gloriam, & immortalitatis vitam nuncupat, quæ mutabilitati momentanea, & corruptioni ſubiecta non ſunt. Qui enim veræ reſurrectionis factus eſt particeps ſtabiliter tenens, quod habet, nec ſeneſcit corpore, nec mente variatur, neque à diuinæ contemplationis fruitione diuellitur. Adhæret ei, qui ſemper idem habet eſſe, & incomprehenſibiliter eſt, qui eſt, atque cum illo efficitur vnum, non futuris, aut præteritis paſcitur, quum præſentem poſsideat omnia complectentem. Nam illum vidiſſe vniuerſa didiciſſe eſt. Tanti igitur altitudinem ſacramenti notificauit dicens: Aſcẽdo ad patrem meum, & Ibidem. patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrũ. Se his paucis Deum quum dixiſſet, & hominem, repente diſparuit. Tunc Maria propere ſurgens gradu concito peruenit ad comites. Pergẽtibus itaque mulieribus ſimul apparuit dominus, eaſque dulci allocutione ſalutans inquit. Matt. 28. Auete. Quæ agnoſcentes dominum eſſe, pedes illius tenentes adorauerunt. Earum plane pię deuotioni cõgaudens ſe tangi, ſeque pedes oſculari permiſit. Debuerant prorſus poſt labores diutinæ expectationis, quem quæſierant, videre atque amplecti. Pro huiuſmodi itaque familiaritate lætatæ, mediatorem audiere dicentem: Nunciate fratribus Ibidem. meis, vt in Galilæam eant, ibi videbunt me. Alacri ergo animo iuſſa complentes, quæ viderant, quęque audierant, diſcipulis narrauere fideliter. Nam quemadmodum teſtes, ita dominicæ reſurrectionis ſunt factæ præcones.

Quàm benignus, & miſericors Deus appareat delinquentibus. Cap. XXV.

QVisquis dominicæ miſerationis ineffabiles voluerit inueſtigare diuitias, omnino in ipſa inquiſitione ſuccũbet. Quis (oro) verbis explicet, vel cogitatione attingat, quanta quotidie ingratis, & peccatoribus Deus beneficia conferat? Eiſdem quippe creaturæ omnes pro illius famulantur imperio. Non conſiderat quales ſint, ſed vt grati fiant, & mutentur in melius, ſua illis dona communicat. Illos blãditiis allicit, muneribus ornat, premit flagellis, terret minis, exhortationibus vocat, reuocat indulgentia, charitate trahit, quoniam non vult peccatoris mortem, ſed magis, vt conuertatur, & viuat. Ezec. 18. Nempe immanis non eſt, vt in morientium perditione lætetur, quin potius, vt ſaluentur per pœnitentiam, hominum peccata diſsimulat. Impune tamen contemptores ſuos tranſire non patitur, quo enim latius miſericordiam prærogat, eo diſtrictius delinquentibus infert irã. Hoc Apoſtolus inſinuans inquit: Rom. 2. An diuitias bonitatis & patientię Dei cõtemnis? Secundũ aũt duritiam tuam; & cor impœnitens theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei. Longanimis eſt quippe & patiens miſerationis tempore, ſed iudicii iuſtus & rectus. Quamdiu vitæ indulget ſpatium, facile miſeretur, quum autem iudicat, nemini parcit. Nulli plane in hac peregrinatione, quamuis ſceleſto & infideli ſuam funditus miſericordiã denegat, neque mercedem condignam tribuit delictorũ. Iuſtis autem (teſte Apoſtolo) omnia cooperãtur Rom. 8. in bonum, ſiue tentationes, ſeu infirmitates, aut perſecutiones ſint. Quoties enim preſſuris flagellantur variis, inde vberrimã cœlitus adipiſcũtur propitiationis gratiam. Hinc de iuſtificatis domino aiebat Propheta: Deus tu propitius fuiſti eis, Psal. 98. vlciſcens omnes adinuentiones eorum. Quomodo illis non propitietur Deus, cũ quibus comitatur: In tribulatione vtique comitatur iuſtos, vt illos impræſentiarum eripiat, & glorificet in futuro. Comitatur (inquam) ipſos in negotiis, ne delinquant, in periculis ne cadant, in proſperitatibus ne ſe extollant, in laboribus ne deficiãt in dubiis ne errent, & in huius vitæ itineribus ne æternæ vitę conſolationem amittant. Hoc ſanctarum autoritatibus ſcripturarum, hoc ſanctorum patrum comprobatur exemplo. Direxit

in

in actibus ſuis longæuum. Noe, quem ſolum ſuper terram coram ſe reperit iuſtum. Fuit cum Abraham patriarcha, illumque à Pharaonis, & Abimelech protexit inſidiis. Gen.6. Innocentem Ioſeph ab adulteræ cuſtodiuit amplexu, atque Aegypto prętulit vniuerſæ. In nube, & igne per deſertum ambulauit cũ Moſe, Ibid.11. ac inducatu populi optime roborauit. Citharœdam quoque puerum, ne in ſuperbi regis incideret manus, deſeruit nunquã. Antiquorum patrum geſta cur referam, quum in fine ſeculorum nedum ſpiritualem, verumetiam corporalem ſuis diſcipulis præſentiam exhibuerit? Illis profectò tanquam chariſſimis viſibiliter corporalis apparuit, atque omnem pręcipuæ charitatis præſtitit humanitatem. Nemo ad plenum valet exprimere delectabilem filii Dei conuerſationem, quoad vixit in carne. Nullus ipſius erga fideles ſolicitudinem, familiaremque dilectionem notificare ſufficit. Tanquam vnus illorum erat cum ipſis, imò eorũ minimus, quippe qui non miniſtrari venerat, ſed miniſtrare. Sic afficiebatur ſingulis, quemadmodum mater quędam vnicum amat alumnum. Hunc certe pręcipuum charitatis affectum poſt reſurrectionem ſuam abundantius ſolito inſinuare curauit. In ipſo ſiquidem reſurrectionis, & aſcenſionis interuallo ita dulciter communicauit ſuis, vt charitatis ſagitta, quòd vulneratus eſſet, omnino celare non poſſet. Nam primo reſurrectionis die diſcurrebat huc illuc, nunc ignotus, nunc cognitus. Quandoque prohibebat ſe tangere cupientem, quandoque ſe exponebat, ſuoſque hortabatur, vt tangerẽt, quod non niſi ex quadam redundantia ſuperferuidæ charitatis proueniſſe dignoſcitur. Nempe apparuit Magdalenæ foris ad monumentum flenti, apparuit eidem denuo, ac mulieribus ceteris à tumulo reuertentibus apparuit ſingulariter Petro, viſus eſt, & à diſcipulis in Emaum pergentibus. Equidem hi duo quum graderentur ſimul, & de omnibus, quæ acciderant, adinuicem loquerentur, neſcientibus illis dominum Chriſtum comitem habuerunt. Minime prorſus abeſſe patitur ab eorum, qui de ſe loquuntur, conſortio. Hoc Eccleſiæ ſuæ pollicitus eſt dicens: Matt.18. Vbi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, in medio eorũ ſum. Quod enim ſpoponderat, implere ſtuduit, ſic tamen, vt non agnoſceretur. Solus poſt illorum terga incedens tanquã peregrinus credebatur eſſe viator. Pedetẽtim quippe eorũ ſequebatur veſtigia, audiebat eloquia, obſeruabat corda, & his omnib. delectabatur nõ modice. Aberat, & pręſens erat; videbatur nec agnoſcebatur. Nã illorũ tenebantur oculi ne quis eſſet, intelligerẽt. Differebat ſe manifeſtare illis, vt eoſdẽ de ſcripturis inſtrueret, loquẽdo accenderet, & pro hoſpitalitatis bono largiter remuneraret. Non aũt ab re, orationum vota, amantiũ deſideria, atque deprecantiũ poſtulationes interdũ ſe audire diſsimulat, ſed ad tẽpus ſubducit, vt opportune redeat, ſe nõ intelligere oſtẽdit, vt amplius illuminet, & ardentius inflãmet. Experimento proprio, quod dictũ eſt duo ij didicere diſcipuli. Porrò dũ de mulierum verbis, de viſionib. angelorũ, & de iis, quæ circa ipſum euenerant, ſermocinarentur mutuo, cominus appropiãs ait: Qui ſunt ii ſermones quos cõfertis adinuicẽ ambulantes, & eſtis triſtes? Luc.24. Vniuerſa vtique, quæ contulerant, intellexerat Mediator, & tamen, veluti ſi ignoraret, interrogat, quatenus euangelizandi illis occaſionẽ prębeat, & ipſe poſtmodũ congrue eis ſcripturarũ ſacramenta aperiat. Illũ igitur mox, vt aſpexere terror ſum, fraterni profectus æmulatione ſuccenſi reſpondere dicentes: Ibidem. Tu ne ſolus peregrinus es in Hieruſalẽ, & non cognouiſti, quæ geſta ſunt in illa? Solus ipſe peregrinus erat, qui concupiſcentiã nullã, nilque in ſe coinquinatum habebat. Solus ſine colluuione ſeminis ex traduce Adam ſuſceperat carnem, quoniam verò non erat incola mũdi, tanquã peregrinus apparuit, atque adeptę reſurrectionis gloriã, quæ de mundo commune nil poſsidet, paucis indicauit, quanquã & in eorum mentibus, cum quibus gradiebatur, loquendo peregrinus exiſteret. Talis plane in eorũ oculis videbatur foris, qualis credebatur intus. Interroganti ergo domino Ieſu, quęnam facta fuiſſent, ſimpliciter annunciant Ieſum veritatem incommutabilem de verbo inſtruunt veritatis, & vitæ fonti doctrinæ aquam propinare conantur, non autem egerunt quemadmodum multi, qui ſe Chriſti profitentur eſſe diſcipulos. Intendunt nanque confabulationibus, detractionibus, & iocis, atque omne penè tempus accommodatum illis ad profectum animæ, ad virtutum ſtudia, ad vtilitatem proximorum, & ad vacandum ſibi, cõſumunt, & lacerant. Fitque eorum ignauia, vt inde miſerabiliores fiãt, vnde ſpiritualiter locupletari debuerant. Nempe tanquam agricultores in campo dominico conſtituti ſumus, quatenus opportunis temporibus fructum reddamus iuſtitię, alioquin veluti infœcundæ arbores excidemur, & in ignem mittemur æternum. Nemo ſe excuſet, quoniam ab huiuſmodi exactione nullus liber exiſtet. Cunctis bene operandi incumbit neceſsitas. Quiſque de percepto temporis talento rationem exoluet. Iſta ſi interdum, qui nugis vacant, curioſitati inſeruiunt, ocioſa ſectantur, & terrenis inuigilant lucris, reuoluerent ſecum, non minus cordi, quam ori ſuo prudentem adhiberent cuſtodiam. Vtrunque ad ſeruandam innocẽtiam, & vitę ſanctimoniam neceſſariũ eſt. Quid prodeſt, ſi omni diligẽtia ſerues cor tuum, ſciens quoniam ab ipſo mors, & vita procedunt, & linguæ oſtium abſque vllo temperantiæ obſtaculo viatoribus patere permittas? Vel quæ vtilitas eſt, ſi loquacitatẽ corrigas, ſi ſilentii cenſuram

viriliter teneas,& obſcœnis cor tuum ſinas cogitationibus fœdari? Rectiſsime igitur definiendū eſt,quod nec cordis munditia ſine taciturnitate poſsidetur. Nempe ille quod debet, prudēter loquitur,qui mentis exercitationem habens ſub diuini timoris ferula animi ſui fluctuationem reſtringit. Quis talis eſt,non ſibi parcens parcit, & dum ſibiipſi videtur durus, veniam meretur & gratiam. Imitatur qui huiuſmodi eſt, horum de quibus loquimur, conuerſationem laudabilem. Reuoluebant animo,quæ de domino Ieſu audierant,& viderant; atque de omnibus ſecum tacite conferebant. Hinc eſt, quòd ex cordis abundantiam ſapientiæ eructabāt uerba, & perambulando de iis, quæ acciderant, mutuo ſermocina-

Ibidem. bātur. Quāobrem ad illorū noſtrāmque eruditionem idem dominus affatus eſt dicens: O ſtulti & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti ſunt prophetæ. Incredulitatis quippe eorū duritiam carpit:non vt confundat, ſed vt emendet: atque ad illa quæ dicturus erat, attentiores fierent. Vigilantior etenim quiſque ad percipiēdum admonitionis verbum fit: quum corripitur, quam ſi blāditiis mulceatur. Sic ergo proſecutus

Ibidem. adiecit. Nonne hęc oportuit Chriſtum pati:& ita intrare in gloriam ſuam? Non autem iſta domini verba ita accipienda ſunt, ut ipſe neceſsitate compulſus acquirendæ gloriæ pati voluerit. Ex congruo:nō ex debito, aut neceſsitate paſſus eſt Chriſtus. Opportunum fuit, vt pateretur propter nos:non autem ſibi. Nobis paſſus eſt, qui æternæ morti obnoxii tenebamur. Quamuis aliter ſaluare nos poſſet: voluit tamen per crucis patibulum recōciliari nos Deo, quatenus ex medicinæ difficultate pōdus ægritudinis noſceretur: atque grati efficeremur de munere, quod tanti redemptoris gratia cōdonaſſet. Donauit plane redemptis gratiam, largitus eſt & gloriam. Gratiā inquam, vt agnoſceremus ſapientiam, intelligeremus culpam, diligeremus iuſtitiam, timeremus gehennam, quæreremus vitam. Gloriam verò, vt corporis eius eſſemus membra, & regni ipſius cohæredes. Iure equidem hæreditario cœlorum ipſe

Pſal. 23. poſsidet gloriam, quia filius Dei & filius hominis eſt: ideo diſcipulis ſpecialiter dixit gloriam ſuam, ne per paſsionis ſupplicium ſibi, quod nō habuerat prius, traditum crederetur. Dominus quippe virtutum (Propheta teſtante) ipſe eſt rex gloriæ. Acquiſiuit igitur nobis regnū: atq; quod

Luc. 24. proprium erat, fecit commune. Accendimur tamen per paſsionum tolerantiam alienam nobis gloriam vendicare, quando hæc, quæ à prophetis fuerant vaticinata ſupplicia: Chriſtum pati oportuit:& ſic intrare in gloriam ſuam. Hoc cōmeantibus diſcipulis dominus inſinuare curauit:

Ibidem. quando incipiens a Moſe & prophetis in omnibus, quæ de illo erant, interpretabatur ſcripturis. O quale ſcientiæ lumen, & quantum gaudium recepere diſcipuli, quando legiſlatorem legis teſtimonia diſſerentem audire meruerūt? O beati Apoſtoli, quibus cœlorum fabricator & dominus, non per uiſiones, neque per ſomnia, aut ęnigmata, ſed affatus eſt viuę vocis oraculo. Quomodo nō beati, cum quibus Verbum, quod erat in principio Deus, per quod omnia viſibilia & inuiſibilia facta ſunt ambulauit? Exultent cuncti,& mirentur, ſperēntque in domino, dum Verbum illud, quod angelos in cœlis illuminat, audiunt etiam in terris homines docuiſſe ſcientiam, atque ſacramentorum legis reſeraſſe myſteria. Pręcipuum hoc diuinę miſerationis fuit indicium, vt vnigenitus Dei filius immortalis per reſurrectionem iam factus tam familiariter cum hominibus loqueretur. Mirantur prorſus qui de Deo in bonitate ſentiunt: atque de ipſa admiratione iucundantur deuotione, ſapientia illuminantur,& dilectione ferueſcunt: quum huiuſmodi humanitatis legunt vel audiunt peracta à domino fuiſſe officia. Verum ſi talia abſentes guſtant, cogitet qui poteſt quanta debuerunt ſentire pręſentes. Arbitror uix illos ſe continere potuiſſe, quin in loquentis amplexus ruerent. Inſueta tunc cordis percepere gaudia, quando amore dulci ęterni patris ſecum loquebatur Verbum. De ipſius quippe ore quidam ſpiritualis intelligentię radii emicabant: atque nonnulli cœleſtis nectaris riuuli profluebant, per quos eorum animi ineffabiliter iucundabantur. Nunc caritatis, admirationiſque oculo ſe intuebantur mutuo, nunc ſuſpenſa mente intendebant in eum, tam propter ipſum, qui loquebatur, quàm propter illa, quę proferebat eloquia. Diuinum aliquid in domino ſentiebant Ieſu: tametſi eorum tenerentur oculi, ne agnoſcerent illum. Guſtabat vtique mellifluum ſaporem ſapientię, atque eorum corda diuini amoris cremabantur incendio. Gradiebantur pariter, & nihil pro labore fatigabantur itineris. Temperabat enim pondus vię, quod iuxta ſe habebant pabulum vitę. Tamdiu igitur in hoc amoris perſeuerauerunt ſolatio, quandiu appropinquauerunt caſtello, quo ibant. Illuc uerò quum Luc. 24.

perueniſſent, dominus ſe finxit longius ire. Nihil ad fraudem, nihil ad ſimulationem Veritas egit: ſed pro ſignificatione myſterii. Hoc profecto diſcipulis oſtendit opere, quod Magdalenę expreſſerat Verbo. Mulieri nanque, quę ſolum Mat. 28.

corpus quęrebat exanime, de reſurrectione incredulę inquit: Noli me tangere. Iſtis autem quia à fide erant alieni, nec cognoſcebant quem pręſentem habebant, tanquam in eorum cordibus peregrinum inſinuauit ſe velle longius ire. Significauit pręterea ſe refectione minime indigere corporea, quoniam calcata morte iam effectus fuerat immortalis. Ex oſtentatione igitur corporali ſpiritualem illis indicauit ſcientiam,

tiam, quatenus ſupra paſsibilem humanitatis naturam illum prouectum iam crederent: ipſi verò cœleſtium ſacramentorum adhuc ignari peregrinum hominem Dei filium autumantes, illum coegerunt introire, dicentes: Mane nobiſcū: quoniam adueſperaſcit, & inclinata eſt dies. Hoſpitalitatis illi curam impendere ſatagebant, à quo ſalutis propriæ didicerant monita. Ingrati ne fierent, pro ſpiritualibus corporalia, & pro cœleſtibus pietatis affectu temporalia alimenta apponere cupiebāt. Internis ſiquidem dapibus ſaginati, & charitatis ardore flagrantes, fraternæ dilectionis officia pro ſuo modulo perficere conabātur, ſperabant nihilominus ab ipſo domino, altiora audire, atque chariſmata in conuiuio percipere meliora, ea propter auidi eloquiorum Dei effecti vt ſecum ingrederetur, coegerunt eum. Satisfecit ergo illis, & inſtruxit nos, illi verò exemplo ſuo nobis innuunt, quo affectu, qua pietate, quaue opportunitate noſtro, peregrinos debeamus aduocare hoſpitio. Non enim abhorrendi neq; contemnendi ſunt pauperes, quamuis ſordeſcāt veſtibus anhelitu fœteant, videantur ignobiles, iaceant infirmi, & vlceribus contabeſcant. In ipſis conſiderandus eſt Chriſtus, ſuſcipiendus, atque paſcendus. Se in illis in iudicio fatebitur eſſe receptum, dum dicet: Eſuriui & dediſtis mihi manducare, ſitiui, & dediſtis bibere, hoſpes fui, & collegiſtis me: nudus, & cooperuiſtis me: infirmus, & in carcere, & viſitaſtis me. Nemo ergo in paupere deſpiciat Chriſtum: inopi nullus pietatis viſcera circa egenos claudat, quum ſciat ſe dare Deo, quod tribuit. Quiſque de mammona iniquitatis ſibi amicos faciat, & per manum pauperum viaticum ſuum præmittat cęlo. Recondat nunc in ſinu egenorū, quod redditurus eſt Chriſtus. Meminerit quoſdam propter impenſum humanitatis officium ſanctos angelos, angelorumque dominum ſuſcepiſſe hoſpitio. Conſideret quid fraterna charitas in præſenti, quid valeat in futuro. Exerce te ad pietatem (inquit Apoſtolus) quæ promiſsionem habet eius vitæ quæ nunc eſt pariter & futuræ. Hoc dominus voluit commendare, quum ad diſcipulos illum cogentes humiliter introiuit. Ingreſſus eſt (inquam) non vt cibū caperet, quo non indigebat, ſed vt affectum ſuū erga ſuſcipientes pauperes præmonſtraret. Se quippe diligentes gratanter viſitat, de ſe loquentibus, atque recipientibus ſe cognoſcibilem exhibet. Quamobrem dum diſcumberet cum Apoſtolis præfatis, panem benediceret, frangeret, illiſque porrigeret, eorum aperti ſunt oculi, & quē paulo antè peregrinum hominem eſse credebāt Chriſtum regem fore minime dubitauerunt. In panis fractione potius, quàm in prædicatione agnoſcere meruerunt, quatenus ſicut egeni miſerti ſunt, ita miſericordiam reperirent. Tunc in eis ſententia mediatoris completa eſt, quæ ait: Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Quanto igitur in viſione illa diſcipuli perfuſi ſint gaudio, nemo comprehendit. Illū autem (vt arbitror) dum tenere, atque oſculari ſatagerent, ab eorum oculis repente euanuit. De qua re admiratione perculſi aliquantulum ſiluerunt. Proſtrauerat quippe illos gaudiū cum ſtupore conceptum. Tandem priſtino vigore reſūpto de iis, quæ ſibi acciderant, conferebant, dicētes: Nonne cor noſtrum ardens erat, dum loqueretur nobis in via, & aperiret ſcripturas? Rememorabant qualis eſſet eius effigies, qualis habitus, quàm dulcia eloquia, ſicque viciſsim ſancto ſe inſtigabant amore, verum cordis ſui non ferētes ardorem ſuo conuiuiolo relicto hora eadem venerunt Hieruſalem. Tanto nanque charitatis accenſi ſunt deſiderio, vt cucurriſſe potius, quā meaſse cenſendum ſit. Trahebantur etenim voto & gaudio. Gaudio (inquam) pro dominica viſione, voto autem pro præceptoris reſurrectione nuncianda. Ingreſsi itaque in cęnaculum diſcipulorum multitudinem repererunt, qui mutuo colloquebantur dicētes, quia ſurrexit dominus verè, & apparuit Simoni. Erat ibidem ſtupentiū atque lætantium tumultus non modicus. Conferebant pariter ſub verborum ſuſurrio propter metum Iudęorum. Tunc hi impetrato ſiletio, quę ſibi contigerant, narrare cęperunt, aſtruentes, quomodo in panis ipſum fractione cognouerūt. Fit denuo omnibus exultationis plauſus, lætitiæ vox, & indicibile gaudium. Singulorum mentes, nouo videndi Chriſtum debriantur amore, tenere illum, illi loqui, dilectumque amplecti iam animo ardebant. Aderat tunc pudiciſsima domini mater, quæ grauitate plena voce tacita, mente ſuſpenſa diſcipulorum cōſiderabat eloquium, corporum actus, vultus alacritatem, & puritatem animorum. Iucundabatur de vnici ſui reſurrectione iam certa, gaudebat plurimum lęta ſimplicitate fidelium, præſtolabatur tamen ſecum conferens, quid ſuper his diuina bonitas agere decreuiſset. Erat profecto confidens in domino, quod ſuum puſillum gregem influctuantis fidei ſalo diu ſaluator agitari non fineret.

Mat. 25. — Luc. 24. — Ibid. — Mat. 5.

Qualiter pro conſeruanda ſubditorum pace, ſe habere debeant, qui præſunt. Cap. XXVI.

VNiuerſorum congregationes, familiaſque regentium hoc ineſse debet pectoribus, vt ita ſe vniformiter conueniant ſingulis, quatenus vni, alteri inuidere non liceat. Sic infirmus fouere ſtudeant, vt non negligant fortes, ſicque miniſtrent validis, quatenus ſalutis monita & exhortationis verba opportuno tempore afflictis & imbecillioribus propinare non deſinant. Curam gerant omnium, habeant & ſingulorum. In præcordiis ſuis cunctos charitatis vinculis ligatos teneant, ita vt apud illos nec acce-

acceptio ſit perſonarum, neque particularis affectio, quæ conuenientium animos turbare valeat, ſeu obtutus offendere, alioquin liuoris ac murmurii materiam germinabunt, fientque in ſubditorum laqueum, qui diſponente Deo ad adiuto- Sap. 6. rium conſtituti ſunt. Audiant qui inconſulte regunt, quid de ipſis diuinus ſermo contineat. Iudicium (inquit) duriſsimum fiet in iis, qui præſūt. Verum quemadmodum negligentibus & vitioſe degentibus prælatio efficitur occaſio ruinæ, ita ſolicitis, & prudentibus, atque ſe in humilitate ſeruantibus fit cauſa coronæ. Nempe ad vtilitatem, & decorem, vnitatemque cuſtodiendam in Eccleſia conſtituti ſunt gradus. Non ex dignitatibus aut gradibus diſcernuntur merita, ſe exercentur dona, nec ille apud Deum cenſendus eſt vilior, qui infimum locum tenet, ſed qui virtutibus inferior eſt. Nemo igitur ſecūdum faciem iudicet, neque ex donis apparentibus gratiam metiatur. Non enim dona gratiam, ſed gratia cōmendat dona. Nihil apud Deum intereſt, vtrum quis præſit, an obtemperet. Qui obedientiæ iugo colla ſubiecit, non reiiciat illud, ſed humiliter quaſi Deo & non hominibus famuletur, qui verò præſidet, non intumeſcat, ſed veraciter ſe agnoſcat, atque ſubiectos diligat tanquam fratres & coæquales in Chriſto, eorum ſtudeat militare profectibus non ſibi placeat, pacem habeat in ſe, pacemque in ſuo grege cuſtodiat, quatenus vnanimes ſint, & non ſint in eis ſchiſma, aut æmulationis materia, Non præferat potentiorem infirmiori nec ignobili nobilem, niſi rationabili neceſsitate cogente. Imitetur mediatorem Chriſtū qui propter carnis proſapiam neminem prætulit, neque ob natalium contemptibilitatem vllū repudiauit. Pacificauit vniuerſos credētes in ſe, vt eſſent ſoliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis. Pacem eis dedit, pacemque abiens reliquit, pacem in opere, pacem exhibuit in ſermone, abſque pacis bono ſuos ſtare paſſus non eſt, Hoc ante paſsionē, hoc etiā poſt reſurrectionis Ioan. 14. triumphum euidentiſsime comprobatur. Nēpe ante paſsionis agonē diſcipulis in conuiuio loquens dixit, Pacem relinquo vobis, Pacem meā do vobis. Poſt verò reſurrectionem diſcipulis Ioan. 20. omnibus congregatis apparens inquit, Pax vobis. Apparuerat primo ad monumentū Magdalenæ plorāti, poſt paululum mulieribus à ſepulchro redeuntibus, à quibus ſe teneri, ſuoſque pedes oſculari permiſit, deinde Petro, nouiſsime diſcipulis duobus in Emaū pergētibus. Poterant cæteri audientes iſta vtcunque ſpiritualis æmulationis agitari impulſu, cur ſpecialiter iſtis, & nō ſibi, nam homines erant, nondum de cæleſtibus eruditi, neque prouecti virtutibus, nec Paracleto ſtabiliti. Propterea ne tollendæ pacis Diabolus materiam inueniret, quemadmodum prioribus, ita Diſcipulis reliquis voluit apparere, Quamobrem quum eſſet ſerum die illo, quo reſurrexit, foreſque eſſent clauſæ, vbi erant Diſcipuli congregati propter metum Iudæorum, in medio eorum ſtetit ipſe Dominus Ieſus & ait. Ibidem. Pax vobis. Non enim acceſsiſſe, ſed ſteiſſe perhibetur, quatenus repentinum, inopinatumque ipſius fuiſſe agnoſcamus aduentum. Quoniam verò ſpirituale reſumpſerat corpus, eadem poteſtate qua properauit de tumulo, ad Apoſtolos ingreſſus eſt in cœnaculum. Non oſtium clauſum, non firmati parietes illi obſiſtere valuerunt. Turbatos eorum cernens animos ſolatii verbum eis præbuit dicens, Pax vobis. Non vtique pacem, quæ de mundo eſt, tribuit illis, ſed de cœlo, quæ datur hominibus bonæ voluntatis. Pax hæc bonum eſt optimum, electionis pignus, teſtimoniū ſanctificationis, cordis ſpeculum, ſpiritualis theſaurus, diuinæ filiationis præſagium, innocentiæ cuſtos, delicioſus comes, contemplationis ianua, vitę via, perfectionis origo, directio præſentis peregrinationis, & futuræ fęlicitatis imago non ficta. Hanc ad tempus ex tam inſolito, mirādoque prodigio amiſerunt Diſcipuli. Non enim fide neque ratione valebant capere, quomodo corpus, quod paulo ante fuerat ſepultum, obſtructis foribus introire potuiſſet. Turbata igitur introrſus pace, non ipſum Dominum, ſed viſum ſe arbitrabantur aſpicere. Quid (oro) egiſſent hi, ſi annunciante nemine ſe illis Dominus oſtendiſſet? Per Angelos mulieribus referentibus reſuſcitatū audierant, per veridicos teſtes, qui cum illo ſe locutos fatebantur, credere valebant, & tamen nō veritatem, ſed phantaſma ſe intueri ſuſpicabantur. Verum ob hoc nō eſt commotus Dominus, ſed tanquam verus animarum medicus eorū vulnera duplici remedio ſanare curauit. Occultas namque ipſorum cogitationes detexit ut Deus, & palpandum ſe illis veluti homo perfectus exhibuit dicens, Quid turbati eſtis, & cogitationes Luc. 24. aſcendunt in corda veſtra? Videte manus meas & pedes, quia ego ipſe ſum, palpate & videte, quia ſpiritus carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere. Sicque oſtendit illis manus & latus. Magna profecto fuit noſtri mediatoris dignatio, & certiſsima factæ reſurrectionis reuelatio. Ad amputandum quippe de Diſcipulorum cordibus dubietatis morbum ſe videri atque palpari dedignatus non eſt. Non decorem vultus non claritatem corporis, nō carnis impaſsibilitatem, ſed manuum cicatrices, & lateris fixuram tangendam expoſuit. Nec ab re. Per Diſcipulos quippe nos, illos autem erudiuit per ſe. Nobis igitur non eſt fas aliter ſentire de Chriſto, quàm illi qui viderunt oculis, & digitis tractauerunt. Eorum dubietas credulitatis noſtræ magiſtra effecta eſt. Vt ergo dominicę reſurrectionis idonei fierent teſtes, non ſolum verbis didicere, verumetiam manibus Chriſtū perſcrutati ſunt in Chriſto. Hoc

diſcipulus,

diſcipulus, quem diligebat Ieſus, in ſua cæterorumque perſona inſinuans ait. Ioan. 1. Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod vidimus, quod oculis noſtris perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ. Eandem itaque carnem illud eſſe corpus, quod expirauerat in cruce, ex cicatricibus cognouerunt. Quamuis enim ſpirituale eſſet, quamuis glorioſum, erat tamen viſibile, eratque palpabile, Nam glorificati corporis natura hæc eſt, vt poſſit comedere, poſſit tangi, valeatque videri, quando, à quibus, & in quali voluerit effigie, non autem lædi, non mori, nec obſtaculis impediri, neque terrarum ſpatiis retardari. Voluntatis vtique animæ præſidentis in ſe in omnibus famulatur imperio. Nihil contrarium ſpiritui, nil legi Dei geſtat aduerſum. In uno ſiquidem ſpirituali copulati connubio diuinis ambo laudibus intendunt, & perpetua fœlicitate fruuntur. Hoc more Prophetico Citharœda ſanctus de ſe indicauit, dicens, Cor meum & caro Pſal. 83. mea exultauerunt in Deum viuum. Perfecte cor exultat & caro, quum tranſito hoc mortalitatis ſtatu corpore reſuſcitantur electi, atque in illo cęlorum conuiuio cum Abraham, Iſaac, & Iacob recumbentes hominis Chriſti miniſterio delectantur. Iſto nihil melius in præſenti deguſtatur exilio, nam omnem exuperat ſenſum, ideo Apoſtolus inquit, Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. A ſplendore igitur tāti luminis, & à ſuperueniente gloria reſurrectionis reuerberati Apoſtolorum oculi ipſius Domini pręſentiam perſeuerātes ſuſtinere nequibant. Gaudebant quidem præſentiam, ſed de vera reſurrectione dubitabant. Quamobrē illis adhuc non credentibus, ſed præ gaudio mirantibus, aliud exhibuit ſuæ reſurrectionis indicium inquiens, Luc. 24. Habetis hic aliquid, quod manducetur? Quumque obtuliſſent ei partem piſcis aſſi & fauum mellis, comedit coram eis. O pietatis viſcera, ò mira deſcenſio. Qui nullo indigebat cibo, manducare voluit, factus eſt cum infirmis infirmus vt ſanaret infirmos. Infirmabatur in membris eccleſia, & ne deſperaret de vita, vitæ autor pro ipſa infirmus apparuit, veruntamen quod infirmum erat eius, fortius eſt hominibus, ideo myſtice partem piſcis aſſi & fauum mellis appoſitū manducauit, vt intelligas in parte piſcis aſſi non totum Chriſtum, ſed humanitatem ſolam in paſſionis igne fuiſſe aſſatam, & in fauo mellis eandem reſuſcitatam pro hominum ſalute eſſe donatam. Nam quemadmodum mortuus eſt propter delicta noſtra, ita reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Comedit ergò non pro ſe, ſed pro nobis, quibus conuiuii ſui reliquias prærogauit. Hæ etenim aſpernandę nō ſunt, ſed ſumma cordis auiditate percipiendę. Habent quippe ſaporem ſuauiſſimum & vitalem effectum:

Reliquiæ iſtę de paſſione & reſurrectione Chriſti cogitationes ſunt intimæ, per quas exercitata mens hominis, & in ſapientia docta & in charitate fit feruida. Harum excellentiam reliquiarū Pſal. 75. Propheta contemplatus aiebat. Quoniā (inquit) cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationum diem feſtum agent tibi. Quis mihi det menſę iſtius conuiuij participem fieri. Da mihi Domine, da mihi ò bone Ieſu de micarum reliquiis, quæ cadunt de menſa tua, ne inedia deficiam. Fame periclitor, debilitate conſumor, & reliquiis ſaturari concupiſco, nec eſt, qui porrigat, meæque ſuccurrat inopiæ. Aperi ò pie ſaluator manum tuam omnibus affluentem bonis, & aſtanti catello vel vnam abundantiæ tuæ tribue miculam, ne quem plaſmaſti, pereat coram te cernentibus oculis tuis. Scio enim æterna ſapiētia, quia non mortem deſideras peccatorum, neque lætaris perditione morientium, nequaquā igitur patiaris ò amator hominum hanc creaturem tuam torqueri fame, vitamque finire. Tua vox illa eſt, & prorſus tua, quæ ait, Marc. 8. Si dimiſero eos ieiunos, deficient in via, quidam enim de lōge venerunt. Ieiunus ſum de lōginquis partibus, & de regione vmbræ mortis ego venio ad te, vt cibum de manibus tuis accipiam, non tamē qualemcunque, ſed reliquiarum. Vis enim, & ſic mādaſti, vt colligantur, ne pereant. De ipſis quippe mei ſimiles indigni pręuaricatores & ingrati ſufficienter poterunt ſuſtentari. Filiis quidem lautiora dabis fercula, mihi autē reliquias, eloquiorum (videlicet) tuorum intelligentiā, quæ ſuper meliori meo ſapiunt. Scripturarum enim intellectum per ipſas voluiſti ſignificari reliquias. Præſtitiſti nanque apoſtolis tuis ſapientiæ & intellectus ſpiritum, quatenus per te illuminati de te errantibus in tenebris ſcientiæ lumen oſtenderēt. Hoc minime valuiſſent, niſi tuo afflati eſſent ſpiritu. Quamobrem quum reliquiarum eſſent ſaginati alimento, inſufflaſti in eos dicens, Ioan. 20. Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Tale munus talemque gratiā debuit eccleſia tua accipere abs te Domine ſpōſo ſuo, ne per ignorantiam deuiaret à vero, & per impotentiā iaceret in imo. Erat illi clauis ſcientiæ neceſſaria, vt per ipſam valeret hæreticorum confutare errores, diſcernere vitia, agnoſcere myſteria, imbuere populos, componere leges, prædicare regnum, ſeruare iura, & ſpiritualia chariſmata cuſtodire. Non autem minus poteſtatis indigebat claue, quatenus per ipſam ligandi atque ſoluendi animas autoritatem acciperet. Eſſet proculdubio in plebibus contemptibilis ſine hac, & à ſeculi poteſtatibus opprimeretur, atque ad gubernandam numeroſitatem fidelium, animaſque ſaluandas parum inueniretur idonea. Ornauit igitur illam Chriſtus varietate donorū, & clauium auto-

autoritate, vt ſit conuerſatione ſancta, decora virtutibus, moribus præclara, ſublimis meritis, miraculis potens, cœleſti infuſione ſapiens, vnitate locuples, gratia inſuperabilis, & in conſpectu ſpirituum ſupernorum venerabilis. Permiſit tamen illam ex propria incuria, & voluptate viſibilium ſe plurimum dehoneſtari, atque regia dignitate priuari, non autem abſque irreprehenſibili æquitatis iudicio id illi contigiſſe credendũ eſt. Quæ enim ſponſi ſui contempſit imperium, ſuæque pulchritudinis effecta eſt negligens, merito debuit, & ipſa contemni, quatenus ex proprio ſaltem erudita pudore reſipiſcere, atque ad priſtinum decorem viriliter erecta valeat remeare. Pſal. 118. Prius quam humiliarer (ait Propheta in eius perſona) ego deliqui, propterea eloquium tuũ cuſtodiui. Non aũt ad id, quod fuerat congruentius, reſurgere poteſt, quam ex ſuorum cognitione facinorum, atque deperditatum amore virtutũ. Humilitate ſola quiſque ad honoris verè culmen aſcendit. Nam fortitudine corpora, ſanctitate verò mortalium corda ſternuntur. Eapropter ſancta mater eccleſia, quicquid amiſit in mēbris, requirat in capite, vt fiat corpus vnum perfectũ in membris, ornatum in donis, atque in antiqua gloria reparatum. Meminerit, quod accepit, quatenus ex præteritorum notitia queat metiri præſentia. Reſuſcitatum ſciens caput reſuſcitandum non dubitet corpus. Quamuis enim perenni gloria redimitum ſit caput, non tamen adhuc laborans, & gemens ſuum abhorret corpus. Illud tanquam proprium fouet, & nutrit, ab illo ſe diu abſentare non patitur, quoniam iuxta illud, & in illo eſt. Diſcedit ab eo, vt redeat, reuertitur vt diſcedat. Hoc quotidie in ſpiritu, hoc poſt reſurrectionem ſuam ad tumulum, in via, in domo perfeciſſe cognouimus. In cœnaculo quoque poſitus poſtquam ſe palpari permiſit, poſtquam mãducauit, & inſufflando Spiritum Sanctum Apoſtolis tribuit, ante illorum oculos repente diſparuit. Ioan. 20. Diſpenſante autem illo tũc defuit Thomas, cæteris verò eidem condiſcipulis referentibus, quod reſuſcitatum viderant Dominum, credere renuit dicens, Niſi tetigero digito loca clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Hoc plane non temeritate commotus, neque obſtinatione detentus, ſed pietate impulſus, & agnoſcendæ veritatis deſiderio protulit inflammatus. Equidem pro vniuerſali ſalute fidelium Dei ſapientia electum diſcipulum in dubietatis ſcopulum impingere voluit. Dum enim dubitando palpauit, & palpãdo credidit, de electorum cordibus omnem infidelitatis caliginem confitendo deterſit. Complacuit autem Domino non repente, ſed poſt myſticum dierum numerum titubantem reuocare diſcipulum. Nam octauo ſuperueniente die ianuis clauſis, repetita ſalutatione apparuit. Occultorum igitur præſcius relictis cæteris ad illum, quem erraſſe nouerat, veneratque ſaluandum, proprium direxit ſermonem inquiens, Ioan. 20. Infer digitum tuum, & vide manus meas, & mitte in latus meum manus tuas, ne ſis incredulus, ſed fidelis. Non enim quaſi non poſſet ſua ſanare vulnera, retinuit mediator clauorum fixuras in manibus. Porro qui valuit reuiuificare mortuos, atque de tumulo excitare ſeipſum, poterat etiam ſuas conſolidare cicatrices, quatenus earum nullum appareret veſtigium, maximum tamen ſuæ charitatis in ipſis præbuit documentum. Suæ nanque paſſionis vulnera in corpore ideo cuſtodiuit illæſa, vt haberet, quod exhiberet Patri, & oſtenderet nobis. Patri quippe, vt illum recõciliaret offenſum, nobis verò, vt in corpore iacētes mentes ſurſum erigeret. Opportune tamē ſatis Apoſtolo dubio, qui typũ gerebat eccleſiæ, manus oſtendit, & latus, quatenus in altero creationis, in altero autē beneficiũ redēptionis obiiceret. Ipſius nanque manibus conditi ſumus dicente Propheta, Iob 10. Manus tuæ domine fecerũt me, & plaſmauerũt me. Verũ & de ipſius latere aquã nouimus profluxiſſe & ſanguinē, in quibus omnis redēptionis noſtræ origo ſubſiſtit. Optime ergo ad ſe nos eleuare deſideras tacite redemptionis noſtræ patefecit indicia, per quę ſufficienter proueheremur ad vitam. Quoniam modo congruentius inſtruimur ad ſalutem, quàm conditionis noſtrę meditando initia, autorem, & cauſam: Fecit quippe nos ex limo terrę, vt monitis ſingulis pro humilitate adipiſcenda carnis conſideremus naturam, pro ſapientia agnoſcamus autorem, ac pro morum diſciplina intelligamus & cauſam. Nulla autem ratione redemptionis noſtræ mediatori melius rependimus vices, quàm ſi illum toto corde, totiſque viſceribus diligamus. Amoris quippe debita amore ſoluuntur. Tanti ipſa eſt charitas, vt non niſi ſola recompenſetur charitate. Horum itaq; ſacramentorum altitudinem Thomas, qui merito interpretatur abyſſus, percepit in Chriſto. Dũ enim digito, manuque perſcrutatus eſt Chriſtũ, exclamauit, & dixit. Dominus meus & Deus meus. Veritatem carnis & gloriam deitatis vno cognouit ex tactu. Supra illum prorſus fuit, quod ſenſit in Chriſto. Hinc eſt, quod admirationis & cõfeſſionis prorumpens in vocem inquit. Ioan. 20. Dominus meus & Deus meus. Longe plus inuenit in Domino, quàm quærebat. Cupiebat hominē ſolum tãgere, & in homine agnouit Deum. Verbi quippe maieſtatem, & æternæ candorem ſapientiæ ſuſtinere non valens, grande ex ore ſuo emiſit tonitru cordis indicem & guſtatæ veritatis teſtem. Contemplatus quidem magna, locutus eſt pauca, & tamen in his paucis totum perſpicue complexus eſt Chriſtum. Catholicæ fidei ſublimiter fundamenta compoſuit, ſupra quę omnis eccleſiæ ſtructura perficitur. Laudis etenim

vniuerſa

vniuerſa confeſsio meritum ex mediatoris Chriſti perſona ſortitur, vt (videlicet) in carne verbū, in humanitate ſapientiam, & in homine veritatis credatur Deū eſſe maieſtatis. Hæc eſt fides, quæ gratificat alienos, impios iuſtificat, ditat pios, cōfirmat iuſtos, ſanctoſque lætificat. Totum, quod hominis erat, intelligendo cōfeſſus eſt Thomas, quum diceret, Dominus meus, & Deus meus.
Ibidem. Hac de cauſa ab ipſo ſaluatore laudari promeruit. Quia vidiſti me (inquit) Thoma, credidiſti. Quænā verò eſt Apoſtoli laus, qui credidit, quoniam vidit? nūquid ex viſu tantum fidei adeptus eſt meritum? Si ſolum, quod vidit, credidit, quomodo commendari debuit, quum Apoſtolus di-
Heb. 11. cat, fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, & argumentum non apparentium? Non igitur ex viſu, ſed ex inuiſibilium fide coronam ſibi fidei vēdicauit. Vidit vtique hominem, & credidit Deū, carnis palpauit naturam, & Dei confeſſus eſt ſapientiam. Nequaquam corporis, ſed fidei oculo diuinitatis cernitur altitudo. Sed neque circunſcribitur loco, quæ omnibus eſt in locis. Thomæ igitur fides, quæ ex viſu atque glorificati corporis tactu roborata fuiſſe cognoſcitur, Deo extitit grata, verum longe illa eidem cenſenda eſt gratior, quæ nullo adiuuatur carnali intuitu. Sententiæ huic teſtimonium mediator perhibet di-
Ioan. 20. cens, Beati, qui non viderunt, & crediderunt. Huiuſmodi fides ex auditu concipitur, nutritur ex guſtu, ſed ex apertā viſione perficitur. Perficitur (inquam) non vt ſit, ſed vt conſummata in viſionem tranſeat. Nam quemadmodum intellectus eſt merces fidei, illique tanquam ſpiritualis pediſſequa ſuccedit in via, ita & in patria fides deficit, & remanet viſio, quæ perpetua fruitione ſolidatur. Quandiu ergo peregrinamur à Domino, fide viuimus, iuſtificamur ex fide, per fidem ambulamus, in fide ſaluamur, ſine fide damnamur. Teneamus itaque fidem, in illa creſcamus aſcendendo à viſibilibus ad inuiſibilia, à temporalibus ad æterna, donec reuelata facie Dei glo-
2. Cor. 3. riam contemplantes à claritate fidei in agnitionis transformemur claritatem. Nullum corpora-
Ioan. 20. lium ſenſuum quæritemus in credendo ſuffragiū memores eloquiorum Chriſti dicētis, Beati, qui non viderunt, & crediderunt.

Quàm excellenter ſe intus exerceat, qui diuini amoris ſuccenſus eſt flamma. Cap. XXVII.

QVi diuini amoris ardet incendio, in bonis actibus ſemper occupare ſe cupit. Nunc interius, nūc exercetur exterius. Ocium abhorret ſummopere, veluti charitatis inimicum. Proficiendi nanq; deſiderio ſuccenſus quo magis proficit, eo amplius Deo appropriare conatur. Verecundatur iacere in imis, delectari exterioribus, attolli dignitatibus, & proſperitatibus demulceri. Capiti Chriſto tanquā membrū nobile conformari peroptat, quamobrem ex induſtria ſe deiicit, vt humilitatem ſectetur. Se exercet in arduis, vt virtutes acquirat, ſe affligit in pœnis, vt animal indomeſticum domet, ſe abſcondit ab hominibus, vt ad inuiſibilium contēplationem ſe eleuet. Deo vt amabilis fiat, nō diebus, non noctibus à benefaciendo torpeſcit. Intus quantum valet, deſideriis inflammatur, cogitatione roboratur ſancta, amore paſcitur, meditatione pingueſcit, atque Deo plenus iugiter intra ſe diuinis laudibus occupatur. Efficitur vtique templum ſanctum, dicatum Deo, ornatum moribus pace refertum, intelligentię lumen coruſcū, decorum gratia, puritate nitidū, atque omni veneratione digniſsimum. Vacat Deo, quum habitat ſecum, cuſtoditur à Chriſto, dum foras egreditur, non autem vt placeat ſibi, aut quærat ſua. poſtponit ſe, ſed vt eius cui ſe donauit, perficiat voluntatē. Siue mente excedat Deo, ſiue ſobrius ſit hominibus ſemper Chriſti charitate compellitur. Tenet in penetralibus Chriſtum, & ab ipſo dirigitur, vt in illo permaneat. Quoties elōgatur à Chriſto, non niſi ipſum quærit in ſe. Quærit, inquam, ſedulo, petit humiliter, & perſeueranter pulſat. Pauet prorſus, ne ignorantiæ inuolutus caligine diuinæ voluntatis efficiatur indocilis, atque foras expulſus patrimonio conſumpto porcorum ſiliquas manducare cogatur. Nunquam ſecurus, nunquam quietus exiſtit, quoaduſque redeat in idipſum. Solus ipſe nouit, quid habuerit, quid amiſerit, quid quærat. Nam internarum deliciarum inexpertus quantis mens iuſti affluat bonis, ignorat. Propterea nec pro ſe, neque de alio, ſicut expedit, dolere poteſt. Inſenſibilis quippe effectus ſola, quæ foris ſunt, appetit, in ſolis exterioribus occupatur, nihil, quod non guſtauerit, ipſe approbat, ſenſibus regitur, ſenſibuſque nutritur, totum ſe tribuit, totū ſe diffundit in eo, quod agit. Quid ſit ipſe, quid verſetur in ſe, neſcit. Alienorū factus eſt ſeruus, qui noluit eſſe ſuus. Hinc laboribus, hinc tētationibus variis fatigatur. Theſaurizat, & ignorat cui congreget, quoniam bonum non bene agere conſueuit. Minime autem deſperet, qui huiuſmodi eſt, perſeueret in bono, vt per bonum diſcat benefacere. Non enim in bono occupatos derelinquit Deus, illos ex inſperato & in neſciente caligine viſitare conſueuit. Maximum ſuper hoc in Apoſtolis piſcantibus poſt reſurrectionem elicitur documentum. Quū enim perrexiſſent piſcatum, & per totam noctem nihil prendiſſent, eorum laboribus compatiens mediator ante illos apparuit in littore, atque vt iterum rete iacerent, mandauit dicens. Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis. Nempe illos tota nocte deſudare permiſit, & capere nihil, quatenus in doctrina ſpiritus, per corporale opus eos imbueret. Docuit itaque, quid de ſeſe crederent, quid de ſeipſis intelligere, & qualiter in operibus laudabilibus ſe habere deberent. Nequaquam

quam

exhibebant, atque Deum non propter Deũ, ſed propter ſe dilexiſſe operib. proteſtantur. Hi nimirũ quamuis in carne degant, in aĩa tamẽ mortui eſſe noſcuntur, ſicut de peccatrice vidua dicitur, (1.Timot.) Vidua in deliciis viuens mortua eſt. Præfocati quidẽ in aquis tribulationũ à Chriſto efficiuntur extranei, non aũt ſic patientes, non ſic, qui in electorum computati ſunt ſorte; flagellantur, & tolerãt, virga æquitatis plectũtur, & laudes extollunt, ſe deliquiſſe fatentur, reatus ſui põdus põſant, & humiliter ferunt, nequaquã dubitãt ſe in filiorũ numero cõputandos, quũ tẽporaliter opprimũtur, apoſtolicã admonitionem memoriter tenent, quæ ait, (Heb.12.) Oĩs diſciplina in præſenti nõ videtur eſſe gaudij, ſed mœroris, poſtea vero exercitatis per eã pacatiſſimũ fructũ reddet iuſtitiæ. Et iterũ, Quis filius, quem non corriget pater? Quòd ſi ſine diſciplina eſtis, iã eſtis non filij, ſed adulteri. Iſtiuſmodi ſpiritualib. piſcib. qui vita ſpiritus in Chriſto viuentib. tribulationib. non periclitabantur, aiebat Apoſtolus, Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcõdita eſt cum Chriſto in Deo, (Coloſ. 3.) Hi apoſtolicis retibus capiuntur, vt trahantur ad littus, & offerantur Chriſto. Capiuntur quidẽ, nõ vt in ſeruitutem redigantur, ſed vt in libertatem tranſeant filiorum, & matrem agnoſcant Hieruſalem, quę ſurſum eſt, & eſt libera cum filijs ſuis. Meritò ergo numerus piſciũ, qui capti ſunt, centum quinquaginta tres eſſe perhibentur, quoniã omnes prædeſtinati ad regnum, per ſeptiformis ſpiritus gratiam roborati, decalogi mandata ſeruantes in confeſſione deificæ trinitatis vitæ ſuę diem claudunt extremum. Tales Dei verbi reti inuoluuntur. Audiunt enim verbum per prædicatorum miniſterium, & illud corde retinent, atque centuplum in patientia virtutũ germinant fructum. O quàm bonum Verbi Dei rete ſaluificum, & indiſſolubile, non mortalis artificis manu contextum, ſed Sancti Spiritus ſapientia connexum atque compoſitum. Nequaquam valet humana peritia, & hominum indocta ſcientia facundiæ ſuæ retibus peccantium animas ad prudentiam veri reformare, reuocare ad Chriſtũ, erigere in cœleſtia. Non poteſt cæcus cæco luminis oſtẽdere iubar, neque per iuſtitiæ ſemitas rectũ prębere ducatum. Hoc diuinæ virtutis, & Paracleti proprium eſt opus, qui tangendo mentẽ ſapientiam docet, intellectus infundit lumẽ, reuelat conſilia, fortitudinem tribuit, imbuit ſcientia, pietatem inſerit, atque filialem Domini immittit timorem. Huiuſmodi virtutibus ſanctorũ patrum per Spiritum Sanctum contexta ſunt retia, per quæ capiuntur, quotquot ad æternam prędeſtinati ſunt vitam. Hi nequaquam almi ſpiritus ſcindunt retia, quoniam in vnitate fidei perſeuerant, vnitatem diligunt, vnitatem tota induſtria cuſtodire contendunt, non faciunt ſchiſmata, contentiones fugiũt, & diſcordiarum bella perhorreſcunt. Dociles quippe quum ſint, mites, miſericordes, pacifici, corde mundi, iuſtitiam ſitientes, & in tribulatione patientes, Sancti Spiritus magiſterio interius diriguntur. Non à ſeipſis, ſed gratia Dei fatentur eſſe, quod ſunt; ideo tanquã veri humiles corde, & pauperes ſpiritu cœleſti proteguntur auxilio. Requieſcit namque Deus ſuper humilẽ, & quietum, ſermoneſque ſuos cuſtodientem. Conſueuit præterea non omnib. ſed apoſtolicis tantum viris eloquiorum ſuorum ad capiendas animas retia præbere. Quanquam etenim innumeri reperiantur, qui polluta mente, & iactantiæ cauſa verbum Dei pronuncient populis, incaſſum tamen laborare noſcuntur, quoniã non per ſpiritum, ſed de ſuo corde loquuntur. Solum igitur per diuinam gratiã ad prædicationis electi officium doctrinæ cœleſtis fluenta audientibus porrigunt, atque mundanæ cupiditatis ſitim exhauriunt. Animarum lucris incumbunt, Chriſtum ſimpliciter annunciant, ſpiritualis vitę itinera manifeſtant, & cuique propria rudimenta propinant. Prædicatorem eximium audi, (1. Cor. 2.) Non enim (inquit) loquimur indoctis humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes. Iſtiuſmodi tradita ſunt diuina eloquia, vt quemadmodum in opere, ita & in ſermone potentes ſint. Eſto & tu talis, vt meritò tibi verbi Dei diſpenſatio conferatur. Petrum imitare Apoſtolũ, cui præcipuè Dominus in hac piſcatione mandauit, quatenus referta piſcibus retia ad littus traheret. Nudus quippe quũ in nauicula eſſet, ſuſcepta tunica, per medios fluctus perrexit ad Chriſtũ. Apoſtoli igitur eruditus exemplo, quiſquis ad Chriſtum per prædicationis rete alios trahere concupiſcis, ſta in naui, perſeuera in eccleſia, & catholicæ fidei cõfeſſionem tene, ne in errorum pelago demergaris. Agnoſce quoque te eſſe nudum, infirmitatem propriam confitere, & mentis oculo cæcitatem tuam intuere. Porrò nuditatem tuam fateberis, ſi diligenter diſcuties, qualem te Deus in natura condiderit, quantaque gratuita tibi erogauerit dona. In Adam te conſidera, qui ſuam erubeſcẽdo nuditatem, & latebras fouit, atque ficuum ſibi perizomata fecit, caue tamen ne tu, vt ille ab aſpectu Domini fugias, quin potius cognito, q in littore maneat Chriſtus, non areſcentium foliorum, ſed perpetuæ charitatis ſuccinge te tunica, & nuditatẽ propriã operire ſtudeto. Eſt nãq; charitas indumentum nuptiale, quod multitudinem diluit peccatorum. Hoc quicunque veſtiti ſunt, beati dicuntur, quoniã ipſorũ remiſſę ſunt iniquitates, & tecta facinora. Tali tunica pręcinctus dũ fueris, amore ignito in tribulationum vndas ingredi non expaueſcas, vt ad præceptorem tuum ſtantem in littore valeas properare. (Cant. 8.) Nequaquam patieris naufragium charitatis pallio coopertus, quum ſcriptum ſit, Aquæ multæ

non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Vtique lætus effectus, ac dilectionis tunica circundatus per maris medium tanquam per ſiccum ſecurus incedens, videbiſq; per ſpiritum, (vt olim Hebræi corporaliter) ſpiritualem Pharaonem, ipſiuſque exercitum veluti plumbum demerſum in aquis vehementibus. Tunc tu tam pro conſecuto triumpho, quàm ẽt pro mediatoris præſentia delectabili carminis ſancti ad angelorum, beatorumque cœtum intentionem dirigens huiuſmodi laudis prorumpes Exod. 15. in vocem, Cantemus Domino, glorioſè enim honorificatus eſt, equũ & aſceſorẽ deiecit in mare. Si iſta fideliter geſſeris, ſi amoris cantica in cordis tui thalamo iugiter propſeris, ſi ſponſi cœleſtis veſtigia in hoc myſtico tenueris littore, proculdubio verbi Dei myſterium proximis impertieris vtiliter. Miniſtrabitur quippe tibi in fide virtus, in virtute ſcientia, in ſcientia abſtinentia, in abſtinentia patientia, in patiẽtia pietas, in pietate amor fraternitatis, in amore fraternitatis charitas. Iſta ſi affuerint tecũ, nõ vacuũ, nec ſine fructu conſtituent te in Domini Ieſu agnitione. Recipies quandiu peregrinaberis in corpore, in hoc ſolido littore veræ ſapientiæ, & in contẽplatione perpetuæ fœlicitatis, diuinitatis perſpicuã ſcientiã, humanitatis Chriſti notitiã, nec non fraternæ æmulationis ſpei immarceſſibilẽ coronã. Hæc in leuamen tuæ peregrinationis, fatigationumque tuarum auxilium tanquã primitias poſſidebis, dum verò ad ſupernorum patriam, quo tendis, perueneris, æternam atque ineffabilẽ horũ conſequeris mercedẽ. Iſtã profectò, de qua loquimur, electorũ gloriã apoſtolis in littore cõſtitutis Dominus Ieſus figuraliter præmonſtrauit. Ioan. 21. Sic enim legitur, Viderunt quũ deſcendiſſent ad littus prunas poſitas, & piſcẽ ſuperpoſitũ, & panem, vt in ardentib. prunis diuinitatis notitiã, in piſce ſuperpoſito mediatoris intelligentiã, & in pane appoſito electorũ vnitatem expreſſam fuiſſe cognoſcas. Talis eſt cibus, taleque cõuiuium, quod amicis ſuis Dei ſapientia præparauit in littore. Huiuſmodi in cœlorum regno ſunt diſcumbentium fercula. Dei vtique viſione fruuntur, in qua totius beatitudinis ſumma complectitur. Nempe videre Deum in ſe, atque vniuerſa in illo, non per ænigmata, neque ratiocinando, ſed in ſapientiæ ſplendore, in veritatis radio, in lumine gloriæ, nemo conſtitutus in corpore mortali valet mẽte percipere, atque explicare ſermone. Porrò hæc viſio, & viſionis admiratio vita æterna eſt: de qua viuũt, qui beatè viuunt, per quam omni corporis, & animæ corruptione depoſita deificantur in patria. Reformati non in naturæ ſubſtantia, ſed ex ſupereminenti, quam prius nõ habuerant, gloria, dignitatem ſortiuntur angelicam. Efficiuntur æquales illis, non propter inſtitutionem, ſed ex merito, id verbo in ſuo corpore operante. Quamobrem tanquam grati de munere, nobilitati in corpore, de plenitudine ſaginati, ſuſpenſi pro myſterio in mediatoris ſpecie irreuerberatos tenent obtutus. Non enim valent non delectari illo, quem æqualem ſibi ſuper omnia prælatum conſpiciunt, cuius (videlicet) virtute ſunt conditi, gubernati ſapientia, ſanguine redempti, meritis ſublimati. Obſeruant vtique illum iucundiſſima amoris ſagacitate, quantus in gloria, qualis in decore, quàm honorabilis ſit in regia dignitate. Rapiuntur in ipſum ardentiſſimo dilectionis impulſu, & quadam intimæ charitatis ebrietate liqueſcunt. Se in illo diligunt, & ipſum incomparabiliter plus, quàm ſe. Reciproca namque charitate connexi amoris facibus pariter accenduntur. Prouehuntur illi ad ſumma, dum ipſe inclinatur ad ima. Inclinatur, inquam, ſed nõ à naturali, & diuina dignitate degenerat. Quum ſe cõmunicat, permanet in eo, quod eſt, quoniã in natura verbi ſemper eſt, quod eſt, nullã admittit viciſsitudinẽ, nullamq; gloriæ diminutionem. Proinde in hilaritate tribuit, & abundè cœleſtia largitur, libentius verò ſe. Se dando confert omnia, quoniam in ipſo omnis plenitudo diuinitatis habitat corporaliter. Meritò itaq; ad patrem dum loqueretur, ait, Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Ioan. 17. Hanc plenitudinem contemplationis diſcumbentibus Diſcipulis promiſit in littore, ideoque de illis ſcriptum eſt, quòd nemo diſcumbẽtium audebat eum interrogare, tu quis es? ſcientes quia Dominus eſt; Ioan. 21. quod euidentius in cœnaculo recumbens aperuit, dicens, Pater, Ioan. 17. quos dediſti mihi, volo vt vbi ego ſum, & ipſi ſint mecum, vt videant claritatem meam, quam dediſti mihi.

Qualiter mediante fide per viſibilem mediatoris Chriſti naturam homo ad inuiſibilia ſit prouectus. Cap. XXVIII.

SEmpiternum Dei verbum, dum in plenitudine temporis humanæ mortalitatis naturam ſuſcepiſſet, atque in illa peregrinatorẽ ſe mundo exhibuiſſet, omnem aduentus ſui intentionem ad hoc direxit, vt humanam ſpeciẽ, quæ per culpam ab ingenitæ dignitatis arce ceciderat, ad priſtinam reſtauraret gloriæ celſitudinem, quod congrue agi nequaquam poterat, niſi homo ſpreto commutabili bono incommutabile totis viribus quæritaret. Hoc autem facere quomodo valeret nocens, & viſibilium amore detentus, qui debilitata liberi arbitrij poteſtate ſe in ſeruitutem redegerat vitiorum? Aliena profectò fuerat erigendus manu, qui propria voluntate deliquerat, nec alterius quã eius, a quo plaſmatus, cuiuſque trãſgreſſus fuerat legẽ. Miſſa igitur de ſublimibus cœlorum ſedibus, ſapientia Dei in corpus viſibile mirabili magiſterio ſague

res

res curauit humanos. Miniſtrauit quippe inuiſibilem fidem per aſſumptam viſibilem ſubſtantiã mundo, quatenus à viſibilibus per viſibile ad inuiſibilia inuiſibiliter promoueret. Hinc eſt, quòd adhuc quum eſſet paſsibilis, in elementis & creaturis plurimis, atq; in corporibus hominum miracula exercuit ſine numero, ut eruditi in fide, & purgati per fidem de viſibilibus ad inuiſibilia raperemur. Denique poſt ipſius etiam celebratã reſurrectionem teſtibus præordinatis in multis argumentis apparuit, quatenus eorum adminiculo futuram in ipſo, ac per ipſum, crederent vitam, atq; poſteris prædicarent. Sunt etenim Chriſti miracula diuinitatis illius & immortalis vitæ conſpicua teſtimonia, quæ rationalem mentem de fidei veritate ſufficientiſsimè inſtruunt. Eadẽ namque Proheta contemplatus aiebat, Teſtimo- Pſal. 92. nia tua credibilia facta ſunt nimis. Prorſus nimis, quoniam admirationis ſuæ ſplendore indiuinitatis cognitione per fidei exercitationẽ attollũt, Pſal. 118. vnde & idem alio inquit in loco, Mirabilia teſtimonia tua, ideo ſcrutata eſt anima mea. Per miraculorum itaque viſionem dirigente fide ſimplicium atque incredulorum corda diuinitatis ſcientiam vtcunque percipiunt. Hinc eſt, quòd Paulus ait, Signa data ſunt infidelibus, non fide- 1. Cor. 14. libus. Meritò igitur Diſcipulos adhuc rudes, & in fide dubios poſt multa coram ipſis patrata miracula, atque reſurrectionis exhibita argumẽta Dominum Ieſum increpaſſe cognoſcimus. Apparens ſiquidem illis ſuper montis Oliueti Luc. 24. verticem (ſicut legimus) exprobrauit incredulitatem illorum & duritiam cordis, quia iis, qui viderant eum ſurrexiſſe à mortuis, non crediderant. Minimè quippe arguiſſet eos, ſi tantis conſpectis prodigiis rationabiliter dubitare debuiſſent. Non enim mediatorem ſurrexiſſe, vel in minimo fluctuare licebat, quibus tangendo, edendo, videndo, loquendo ſe inſinuauerat viuere. Increpauit itaque illos tanquam uituperatione dignisſimos, & virtutibus remunerandam aſſeruit eorum fidem, qui nil videndo in ipſum fuerant credituri, ſic inquiens, Signa eos, qui credi- Mar. 16. derint, hæc ſequentur in nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent, & ſi mortiferum quid biberint, non eis nocebit, ſuper ægros manus imponent, & bene habebunt. Quæ fidei glorioſa inſignia, præclaræq; virtutes, quoniam non ab vniuerſis credentibus fiunt, ſpiritualiter potius quã corporaliter intelligenda ſunt. Nempe in ſaluatoris nomine credentes dæmonia eiiciunt, quũ perſuaſionibus ſacris audientiũ corda compungunt, atq; ad reſiſtendum Diabolo viriliter verbo exhortationis accendunt. Linguis loquũtur nouis, dum ipſi introrſus illuminati ſapientiæ dono, aut ſacramentorũ cœleſtiũ arcana patefaciunt, aut diuina carmina publicè, ſeu priuatè ſuaui cordis modulatione decantant. Serpẽtes tunc tollunt, quando per orationis inſtantiã antiqui ſerpẽtis coercent ſæuitiã, ne decipiãt ſimplices, vel quũ eoſdẽ piis redargutionibus ad rectioris vitæ itinera errãtes aduocãt. Non eis nocet, ſi quid mortiferum biberint: dum virtute fidei roborati, atque charitatis flamma ſuccenſi calcãt oblectamenta carnalia, atq; malignorũ ſpirituũ obſcœnis, letalibuſque ſuggeſtionibus cor ſuum cuſtodiẽdo repugnãt. Super ęgros etiam manus imponendo ſoſpitatẽ inducunt, quum virtutum exemplo, & bonorũ operum fœcunditate delinquentium animos ad emendationum inflectunt atque in vitiorũ ſqualore iacentes charitatis manu erigunt, & poſt Chriſtum currere hortantur. Iſta quippe ſunt credentium ſpiritualia ſtipẽdia. Hæc (inquam) ſunt catholicæ religionis ornamenta ſublimia, quæ pro ſpeciali munere prius, quàm cœlos peteret Chriſtus, ſuæ reliquit Eccleſiæ. Voluit namque chariſmatum ſpiritualium coronas pollicendo exponere: quatenus in virtutum ſtadio pugnaturos ad cœleſtia arctius animaret. Talibus igitur donorum gemmis quamuis in membris ſuis decoratam eſſe agnoſcamus Eccleſiam: peramplius tamen ſponſionis gratiam eos, quibus loquebatur, percepiſſe minimè dubitamus. Quum enim honorabilia eſſent Chriſti corporis membra: pręſtantioribus meritò debuere locupletari muneribus. Illis planè datus eſt ſermo ſapientiæ, & ſermo ſcientię linguarum genera, gratia curationũ, & legis, prophetarumque interpretatio. Authoritatem quoque conſecuti ſunt calcãdi omnem virtutem inimici: ipſumque de hominum animabus, corporibuſque fugandi. Sic enim habes: Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſerpentes, & Luc. 10. ſcorpiones, atq; omnem virtutem inimici. Hęc tam pro defenſione catholicę veritatis, quã pro conuerſione gentilis populi ſortiti ſunt. Porrò ipſis quęcunq; promiſerat aſcenſurus, per ſpiritum ſanctum regnando impleuit. O pręceptoris ſolicitudo mirifica: incredulos diſcipulos arguit: & tamen credituris ſpiritualia pollicetur chariſmatã. Vtrunque in ſui hora aſcẽſus exhibuit: & aſcendit. Illos ſiquidem exhortando benedicẽs, & ad æthera ſcandens à terra eleuatus eſt. Ex huius igitur inſueti aſcenſus intuitu aſtantium diſcipulorũ admiratione transfixa ſunt corda: adeo vt ſuimet obliti, qui dicerẽt, ignorarẽt. Erat vtique prodigiũ hoc veneratione digniſsimũ: ab ipſo vſq; tunc mundi exordio minimè fuerat auditum, vt mortalium quiſpiam abſque vehiculo, & ſine adiutorio cœlorum corporaliter ſecreta penetraſſet. Pręceſſerat Enoch ſolus tantùm in il- Gen. 5. la generatione iuſtus repertus: qui angelorum fretus adminiculo de hoc ſeculo in deliciarum tranſlatus extiterat locum. Heliam quoque in 4. Reg. 2. curru igneo ab aſpectibus hominũ legimus fuiſſe ſublatũ: Dan. 14. ſed & Abacuch prophetam nouimus

In momento de Iudæa in Babylonem eſſe deductum. Horum neminem per ſe ipſum, ſed per angelorum miniſterium id egiſſe cognouimus. Solus mediator noſter ex virtute verbi alieno non indigẽs ſuffragio in beatorum manſiones glorioſus intrauit. Psal. 20. Hoc longè antè Citharœdus ſanctus cõtemplans aiebat: Exaltare domine in virtute tua, cantabimus & pſallemus virtutes tuas. In virtute igitur propria cernentibus Apoſtolis, aliiſque quamplurimis ferebatur in cœlum: patẽter quidem, & pedetentim: ita vt intuẽtibus nulla ineſſet de aſcenſu eius ambiguitas? ſurſum autem progrediente illo facta eſt in cœlo lætitia ſingularis. Cõuenit ſimul vniuerſus angelorũ exercitus: vt aſcendenti domino pariter obuiarent. [illegible] Ecce (inquiunt) venit ad templum ſanctum ſuum dominator dominus: en glorioſiſsimus fidelium propugnator proſtratis aduerſariis redit ad propria. Ipſe vtique glorioſæ humanitatis amictus pallio, atque captiuorum ingenti multitudine circunſeptus laureatus incedit. Occurramus obuiã conditori noſtro, nullus tardet, nulliq́ue liceat remanere: omnes vnanimiter, quantum valent, laudis exoluant debitum, ſinguli lætentur in domino, quoniam perditorum ipſe reſtaurabit ruinas ſociorum, atque antiquæ ciuitatis noſtræ mœnia reædificabit eximiè. Rumpamus igitur moras: ecce iam à terra eleuatus, iam penè ab intuẽtium oculis ſublatus eſt. Tũc ingens oritur cum exultatione ſuſurrium: fitque apparatus citharœdorum cœleſtium citharizãtium in citharis ſuis. Adeſt Michael legionum angelicarum princeps gloriſiſsimus, ſingulorum diſtinguens ordines: miraque alacritate diuidens vniuerſos: præcedunt inferiores, ſubſequuntur cæteri iuxta naturæ prærogatiuam, ac meritorum dignitates. Quale ſpectaculum, quàm læta congregatio, quantus exercitus, quæ laudum carmina occurrentium reſonant angelorũ? Iſta profectò non capit ſenſus, intelligentia non attingit, vſus neſcit, ignorat ſeculũ, ætheraque mirantur. Quid multis immorer: Deſcendentibus obuiant aſcendentes, & indiſſolubili colligantur cõpagine vnitatis. Iã enim perlucida ſe oppoſuerat nubes, quæ ab aſpectibus admirantium ac lætantium diſcipulorum ſubtraxerat Chriſtũ. Efficitur cor vnum, eadẽ voũtas, par conſenſus, mutua exhortatio, ęqualis operatio laudis hominum, angelorumque. Singuli abſque vocis ſtrepitu certatim ſingula promunt laudationis præconia: ex alterutris aſpectibus, de concupito conſortio, pro ineffabili gloria cœli ciues terręque lætantur. Vtroſque copulabat parietes precioſus lapis angularis & ſummus. Ipſe verò hinc inde vallatus pſallentium vocibus beatorum maximo cum honore ferebatur in cœlum. A dextris planè ipſius angelorum cunei, & à ſiniſtris patriarcharum, cæterorumque ſanctorum inſtituti ſunt chori, vt viciſsim ſe inflãmarent ad laudem. Tam innumerabilium fretus agminibus angelorum veluti rex potentiſsimus mediator Chriſtus pergebat ad patrem. Pſallebant angeli nimia cum exultatione dicentes: Pſallite Deo noſtro, pſallite: Psal. 46. quibus reſpondebant iuſti. Pſallite regi noſtro, pſallite. Iterumque angeli repetita laude nempe aiunt: Rex omnis terræ Deus. Et iuſti. Quoniam ita eſt, pſallite ſapienter. Tunc modulatis vocibus cõplentes æthera pariter decantabant. Regnabit Deus ſuper gentes: Deus ſedet ſuper ſedem ſanctã ſuã. Sicque in hunc modum aſcendit ipſe Deus in iubilo, & dominus in voce tubæ: prout de illo ſanctus prophetauerat vates. Ingrediuntur denique in cœlum pſallentibus choris, cunctiſque plaudentibus mirabiliter. Dauid ipſe cum cantorib. Hieruſalem citharam percutiebat: alij atque alij organa, tympana, & milia huiuſmodi ſuauiſsimè perſtrepebant: omnium affectus & actus diuinis laudibus intendebant. Porrò tota ciuitas illa feſtiua erat; hilaris, redolens, decora, deliciis referta, occupata in laudibus, erecta in Deum, magnificata honoribus, ſanctificata meritis, prærogatiuis ornata, dilatata bonis, ſtabilita per ſecula, pace ſecura, neceſsitatibus aliena, Deo chariſsima, & ſẽpiterno verbo caſtiſsimè copulata. Per plateas quippe illius, per mãſiões, & vicos ab vniuerſis cantabatur alleluya. Erat præterea in illius medio miræ magnitudinis, atque incõparabilis pulchritudinis thronus innumerabilium ſtellarum ſplendore coruſcus: nec non & angelorũ miliũ claritate ſtipatus. Hunc diuinalis aſpectus, & regia dignitas, atq; indicibilis gloria perornabat. Illuc, vt ipſum tangeret, nemo appropiare audebat: venerabãtur tamen omnes illius artificis ſapientiã, cœleſtem virtutem, effluentem gratiã, æternumque decorem. Equidẽ in principio & ante ſecula hic eleuatus eſt thronus, vt in ipſo Dominus Ieſus ſolus honorabiliter reſideret: quemadmodũ & factum eſt. Nã laudãtibus Deũ cunctis, pariterque pſallentibus, ac vniuerſis o[...]nentibus in eodem glorioſiſsimè collocatus eſt. Tunc millia millium miniſtrantiũ, & decies cẽtena millia aſsiſtentium angelorũ vocem dedere, dicentes Benedictio, & claritas, & ſapientia, & gratiarũ actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo Apoc. 5. noſtro in ſecula ſeculorum, amen. Verum & ipſe ſanctorum cętus dulciſonis iubilationũ clamoribus inquit: Dignus es domine accipere virtutẽ, & diuinitatẽ, & ſapientiam, & gloriam, & honorẽ, & benedictionẽ: quoniam occiſus es, & redemiſti nos in ſanguine tuo; feciſtique nos rẽges & ſacerdotes, & tecũ regnabimus in æternum. Hęc & his ſimilia perſequentes nimia cũ veneratione cadebant in facies ſuas, & ante thronum agni ſuas ſubmittentes coronas immẽſas illi gratiarum exhibebant actiones. Se quidem ab admiratione & laude continere non poterant.

Ema-

Emanabant enim de ipſius mediatoris ſerena facie riuuli nonnulli bonitatis, & clementiæ profluentes de vitæ fonte ſanctæ ciuitatis, quorum qui aderant, inebriati dulcedine pia charitate languebant, ſed & ipſa ſapientia in Chriſto corporaliter habitans, de theſauris diuinitatis ſuæ ſpirituales quoſdam luminis emittebat exterius radios, quibus contemplantes illuſtrati, intelligentiæ ſplendore fulgebant. Trahebantur ſuauiter à Chriſto, ipſumq; aſpicientes vberrimè delectabantur ipſo. Nil planè in illis vacabat à laude, quoniã totũ, quod videbatur ibi, agnoſcebatur laudabile. Ingrediebantur vtiq; & egrediebãtur, & virentia amoris, & laudis paſcua deguſtabant. Arcana myſteriorũ affluenter patefaciebat verbũ, per quæ rediuiuis contẽplationũ gaudiis reficiebantur vniuerſi. Nec faſtidiũ ſatietas, neque pœnã deſideriũ inferebat. Operabatur in illis ipſius verbi potentia, quatenus ineffabiliũ bonorũ capaces exiſterent. Se diffundebat in illos, reficiebat eos non relinquens ſe, ordinabat ſingulos in gradib. ſuis, omneſq; ſecundũ merita diſponebat. Non de minoritate inuidentia, nec de maioritate generabatur elatio. Omniũ omnia cõmunia erãt, quoniam Deus erat in omnibus omnia. In hoc itaque mediatoris conuiuio nuptiali exultationis, & confeſſionis iucundiſſimus percipiebatur guſtus, atque laudantium, ac Deum benedicentium melliflua carmina perſonabant. Cœleſtibus autem cãticis incumbentibus ſupernæ patriæ habitatoribus, diem feſtumque ducentibus adhuc turba diſcipulorũ reſidebat in monte, erectiſque in cœlũ luminaribus mente delectabiliter paſcebatur. Tunc iuxta illos in albis ve- Act. 1. ſtibus duo viri aſtitere, dicẽtes: Viri Galilæi quid admiramini aſpiciẽtes in cœlũ? Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet, quẽadmodum vidiſtis eum euntẽ in cœlũ. O mediatoris præcipua dignatio, ô charitatis viſcera prædicanda. In tanto ſiquidem honoris culmine ſublimatus nunquid oblitus eſt ſtupentium filiorum? Nec pro gaudii magnitudine, neque pro locorũ diſtantia fouere deſiit, quos ſuperſtites in mũdo reliquerat. Ita planè in cœlis lætatur cũ angelis, vt in terris non faſtidiat cohabitare in hominib. (nam delicias ſuas cum filiis hominum eſſe fatetur.) Pro amoris igitur vehementia nõ dedignatur ſummus ad ima deſcendere, vt infimos eleuet ad ſumma. Niſi prius deſcendat ipſe, nunquam erigimur. Eius inclinatio noſtra prouectio eſt. Quamobrem ipſius documẽto diſcamus humilitatem, contemptum ſeculi teneamus, caueamus delectari infimis, & caducis, vt expeditius cœleſtia capiamus: vtraque nequeunt poſſi- Iac. 4. deri. Nam (teſte Apoſtolo) quicunque voluerit eſſe amicus ſeculi huius, inimicus Dei conſtituetur. Moriamur ergo ſeculo, vt viuamus Chriſto. Ille viuere cẽſendus eſt Chriſto, qui cuſtodit legem, aduerſatur diabolo, & mundũ calcat, contemnit viſibilia, odit ſe, diligit vniuerſos, atque mentis affectu bona inuiſibilia concupiſcit. Qui talis eſt, corporaliter moriendo mutatur in melius. Iob 14. Ponet (iuxta Prophetæ ſententiã) radices deorſum, & faciet fructum ſurſum. Erit honorabilis angelis, amabilis Chriſto, lumen ſeculo, vilis ſibi, & chariſſimus Deo. Pſal. 145. Seipſos nanque deiicientes attollit omnipotens, diligẽtes ſe diligit: ipſe ſoluit (dicente Propheta) cõpeditos, illuminat cæcos, erigit eliſos, & diligit iuſtos: præcipua tamen dilectione aduenã, & peregrinũ ipſe cuſtodit: illũ (videlicet,) qui veridica oris cordiſq; definitione cum Pſalmographo ait: Pſal. 38. Aduena ego ſum apud te, & peregrinus ſicut omnes patres mei. Proinde à temporaliũ curis, & ab amore viſibilium alienus effectus in diuina lege meditatur aſſidue. Contẽplationi vacat dulciter, & quieti, fugit hominum conſortia, ſectatur ſapientiã, virtutes poſſidere appetit, vigilat prudenter ſuper ſe, atq; in ſui latitudine cordis delectabiliter occupatus proſtratus corã domino in ſpiritu iugiter propheticum depromit, dicẽs: Pſal. 118. Cãtabiles mihi factæ ſunt iuſtificationes tuæ in loco peregrinationis meæ. Quotidianis ſiquidẽ, & ſpiritualib. in deliciis enutritus per incrementa laudabiliũ actionũ ad maturã pertingit ætatẽ. Solido perfectorũ vtitur cibo tãquã amicus Chriſti, & angelicarum virtutũ feruẽtiſſimus imitator. Sæpe impellẽte charitate in ſponſi ingreditur interiora cubiculi, & æterni ſponſi caſtis potitur amplexibus. Reformatur in ſpiritu, & in ſeipſo iucundiſſime requieſcit. In eadẽ autẽ ſpirituali reformatione irradiatur cognitione, cœleſtium exhilaratur dulcedine, fœcundatur chariſmatibus, interna pace pingueſcit, & dilectione flagrantiſſima vulneratur. Sic viuit Chriſto, viuiẽteſque in ipſo, inquit: Philip. 1. Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Nã mortem carnis aïæ lucrum putat, dum relicto huius ſeculi ærumnoſo exilio in cœleſtis aulæ patriam lætus poſſeſſurus ingreditur, quo Chriſtus pro nobis introiuit, factus pontifex in æternum, ſedenſque ad dexteram Dei in excelſis interpellat pro nobis, noſq; dulciter inuitat ad ſe. Pro nobis (inquam) in cœlorum palatium mediator venit Chriſtus paterno obiiciendo cõſpectui carnis noſtræ naturam cicatricum ſplendoribus coruſcantem. Nos autem inuitat ad ſe, vt ſuaui charitatis ſuæ iugo reficiat nos adhuc peregrinantes à ſe: ideo grãdi voce clamat: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos: Matt. 11. tolliteque iugum meum ſuper vos. Hortatur præterea nos, vt ſemotis terrenarum rerum curis per contẽplationis ocium in ipſo delectabiliter quieſcamus. Ipſius quippe illa vox eſt, quæ ait: Cant. 2. Surge amica mea, ſpecioſa mea, & veni columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ: oſtende mihi faciem tuam,

ſonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis,& facies tua decora. Excitat etiã nos aſcẽdere Mat. 5. ad perfectionis faſtigiũ, inquiens: Eſtote perfecti, ſicut & pater veſter cœleſtis perfectus eſt: quatenus conſummato per virtutum exercitia vitę huius termino, in regione viuorum nos ducat ad patrem, viuificet,& coronet. Clamat itaque de cœlo,& in præcordiorum noſtrorum auribus intonat vehementer. Excitat prorſus ſurditatẽ noſtram, interiorem reparat viſum, & greſſuum noſtrorum ſemitas dirigit in viam pacis. Se ſtatuit ante nos, vt in ipſo agnoſcamus nos,& per illum accedamus ad ipſum, ne nos ſine illo perire contingat. Non enim talis eſt, vt morientium perditione lætetur. Vita quippe eſt, ſine qua vita eterna mors eſt, quæ ducit ad interitum ſempiternum. Quamobrem, ô milites Chriſti, ô amatores veri, & inconcuſſi boni, ô vos qui ſuaue iugum domini, & ipſius onus leue baiulare decreuiſtis, audite intelligentes,& ſapientię verba cor-Baruc. 3. dis aure percipite. Diſcite (oro) vbi ſit ſapientia, vbi ſit prudentia, vbi ſit virtus, vbi ſit lumen oculorum,& pax. Non enim in hoc ſeculo, in quo peregrinamini, reperitur, neque in terra ſuauiter viuentium, in ſublimibus cœlorum mãſionibus habitat: ſolis verò mũdis corde de cœlo reuelatur, paruulis atque humilibus, de quibus dicebat: Mat. 19. Sinite paruulos venire ad me, talium eſt enim regnum cœlorum. Abſcondit autem ſe à mẽtibus Eſai. 1. ſublimium,& ſuperborum neſcientium ſe. Propterea, inquam, humiliamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum à cordibus veſtris, vt ſanctificati digna efficiamini vaſa à ſuperueniente ſapientia. Obſeruat diligenter ſuper quem requieſcat, quem inſtruat,& accendat. Secum theſauros defert cœleſtes, & coronas triumphales roſarum albeſcentium immarceſſibiliumque, vt ipſas ſuis amatoribus largiatur. Quum igitur ſic affabilis, decora, mitis, caſta, beneuola, ſancta, omniumque virtutum candore veſtita, ſibi ſimiles ſuos appetit dilectores. Indignum profectò eſt, vt tam præcelſa, & nobilis peccatoribus ſe communicet,& indignis. Ornate itaque vos moribus, mundate à ſordibus, concupiſcentiis carnis renunciate. Virtutes poſsidere nitimini, cœleſtia diligite præmia, ſi habiles vultis fieri contubernio ſapientiæ. Eſt nanque diuina hæc ſponſa ſpecioſior ſole, & ſuper omnem pulchritudinem ſtellarum, auro fulgentior, precioſior gemmis, balſamo ſuauior, nectare dulcior, pudicitior caſtitate, niue candidior, ſanctior cunctis, elegantior vniuerſis, firmamento ſublimior, abyſſo profundior, mari latior,& orbe capacior. Nempe in cœlo, & in terra ſummum obtinet principatum. In terra etenim habitabili leges condit, diſponit regna, regit populos, ſcrutatur corda, cuſtodit iuſtos, punit delinquentes, exhibet iudicia, clementis imperat, arcet ſpiritus, deprimit elatos, curuat imperia. In ſublimibus verò cœlorum ſedibus angelicis ſpiritibus præſidet. Nam Seraphim ſuccendit charitate, Cherubim veritatis illuminat ſcientia, thronos in iudiciorum ſuorum contemplatione attollit: dominationibus, vt exeuntium miniſteria diſponant, indicit: principatus ad vniuerſi regimen, regnorumque gubernationem præfert, pro coertione immundorum ſpirituum, ne ad vota noceant, inſtituit poteſtates, virtutes in faciendis miraculis ſublimat, & roborat, myſterijs cœleſtibus archangelos imbuit, & ad humana explendum miniſteria angelos ſapientes facit. Hebr. 1. Sunt enim omnes adminiſtratorij ſpiritus in miniſteriũ miſsi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis. Hæc vtique ſapientia quum incomparabiliter virtutibus vniuerſos tranſcendant, & gloria: hominibus tamẽ familiaris exiſtit, atque cum illis ſpirituali connubio copulatur, vnde ait: Prou. 8. Delectabar per ſingulos dies ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum. Ipſam igitur omnes pariter diligamus, veneremur obſequiis, ſequamur votis, muneribus honoremus, efferamus laudibus, canticis ſpiritualibus mulceamus, placemus precibus flectamus ſuſpiriis, oratione vincamus, aduocemus clamoribus, deſideriis capiamus, atque in penetralibus cordis charitatis brachijs ſuauiter amplectemur. In ea ſemper requieſcat mens, amor ferueat, ſubſiſtat virtus, intentio dirigatur, cogitatio maneat, perſeueret,& vita: quatenus per ipſam veniamus ad illam, iungamur illi, illaque beatè fruamur, quæ diuino honore coruſcans, atque immortalitatis candore refulgens in patris ſolio, æquali poteſtate, pari gloria, & inconfuſa maieſtate viuit, & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

DIVI

DIVI LAVRENTII IVSTINIANI

IN OPVSCVLVM DE INTERIORI Conflictu.

PROLOGVS.

MIlitiam vitam eſſe hominis ſuper terram, tam ex quotidiano experimento, quàm ex ſanctarum ſcripturarũ edocemur eloquiis. Quis (oro) naturalis ingenii cõpos hoc non didicit ex ſe in ſe: ſi tamen interdum conſueuit poſtpoſitis cæteris redire ad ſe? In corde prorſus ſentiuntur ſpiritualium fragores bellorum: quoniam intus theſaurus concupitus poſsidetur, dicente Apoſtolo: Theſaurum iſtum abſconditum habemus in vaſis fictilibus. Hinc ſpes illum diripiendi hoſtibus noſtris oboritur: hinc etiam indefeſſa & peruigil à nobis eſt adhibenda cuſtodia, ne expoliemur illo. Grauis quippe, ſemperque lugenda ipſius amiſsio eſſe cognoſcitur, quæ ſolum ex ipſius ignorantia prouenire cẽſenda eſt. Nam tanti quodlibet ęſtimatur, quanti eſſe ſentitur. Proinde inſipientibus & peccatoribus vicina perditio eſt. Beatus planè quem tu erudieris domine, & de lege tua docueris eum in ſpirituali ſtadio præliari. Abs te domine fortitudo, prudentia, & intellectus percipitur, quæ optimè in quotidiano certamine congruunt. Nemo niſi imbutus à te, tuæque gratiæ irradiatus ſplendore, nec perſeuerare in ſtadio, neque victoriæ valet obtinere triumphum. Tibi itaque inhæreat, te aſsiduis orationibus pulſet, tèque poſsideat in ſe quiſquis brauij huius cupit reportare coronã. Te comitante, te pugnãte, te protegente victor exiſtet. Nẽpe per ſe nullus idoneus eſt, vel repugnare in minimis. Ab hac definitionis ſententia nemo diſſentit, qui nouit iſtius militiæ qualitatẽ & cauſam. Horum igitur ne ignari ſimus agnoſcendum eſt cum quibus hoſtibus nos dimicare oporteat, quibus armis muniri debeamus, & quæ merces ſit promiſſa victoribus. Singula prout diuina donabit ſapientia propriis diſſerenda ſunt locis.

DE MAGNANIMITATE VIRILIVM pugnatorum, & qualitate inimicorum, quibus humanum debellatur genus. Cap. I.

VIrilium animorum, atque Chriſto in ſpiritu militãtium proprium hoc eſſe cognoſcitur, ut magis belli, quàm tranquillitatis tempus, & potius exerceri laboribus, quàm ignauia contabeſcere concupiſcant. Nouerunt ſiquidem ocio mediante robur plurimũ deperire virtutum, augeri verò certamine. Verecundum etiam arbitrantur certaminis incumbente articulo ſecedere, bellantiũmque declinare tumultum, atque pugnantibus aliis ipſos puſillanimitate ſuccumbere. Quamobrem magnanimitate accincti & armis, in inimicorum primas irrumpunt acies, ac dimicandi ſibi ipſis neceſsitatem imponunt: glorioſius eſſe autumnantes mori, quàm fugere. Huiuſmodi autem quamuis frequenter vincant, quandoque tamẽ ſuperantur: quoniam feruore ſolo feruntur, non diſcretione: optimum quum ſit vtroque certare. Quod autem in corporali certamine, hoc & in ſpirituali ſepiſsimè euenire contingit. Quamobrem ad eruditionem pugnantium, de interiori conflictu exhibendus eſt ſermo: quatenus ex ſcientiæ adminiculo, etiam pugnandi feruor accreſcat, & eo quiſque fiat de corona auidior, quo indimicandi regulis extiterit ipſe prouectior. Duas itaque, à quibus omne humanum genus in huius vitæ campo militans impugnatur, inimicorum dixerim ſpecies, viſibiliũ, ſcilicet & inuiſibilium. Ex ipſo nonnulli ſunt milites, qui virili luctantes animo, de conflictu glorioſe triumphant. Sunt & innumeri, qui vincuntur, & hoſtium efficiuntur præda, ſeruique emptitii. Nemo tamen eſt, qui certaminis neceſsitatem, ſiue eorum, qui uidentur, ſiue eorum, qui non videntur effugere poſſit. Nempe illorum, qui videri valent, hoſtium, duo ſunt genera, alterum iuxta nos, alterum ſicut nos: ambo importuna, ambo ad ſuperandũ difficillima: primum eſt viſibilis hic mundus, ſecundum quilibet proximus incompoſitus, & in conuerſatione indiſciplinatus. Mundus quippe iſta diuerſimodè, milleque modis nos infeſtare non deſinit, nequam quum ſit, & in maligno conſtitutus, nec inimicis, neque amicis ſuis pacem præſtare poteſt. Nam fœditate abundat, atque iniquitate. Peccato quid turpius? aut quid iniquitate deformius? Porrò inſignis Dei imago ex delicto fœdatur, naturalemque ſuam dignitatẽ amittit, degenerat à ſuo principio, & conſumptioni fit proxima. Quandiu ſine peccati contagione perſtitit homo, amicus Dei, angelorum conſors, & cœleſtis patriæ ciuis fuit: at vbi delinquendo infatuatus eſt, de paradiſo eiectus, mundi iſtius colonus effectus eſt. In ipſo vepres reperit & ſpinas, iniquitates, & mendacia, periuria & odia, rapinas & furta, fraudes & circumuentiones, fornicationes & ebrietates, inuidias & rixas, & horũ milia aduerſus rebellẽ hominẽ, & in homine germinauere peccata. Ex his quid amiſit, quid inuenit, rõnabiliter voluit deplorare. Nã & plorationis locus, & lacrymarum vallis nuncupatur hic mundus: vt in illo degentes nullum uerũ norint inueniri poſſe ſolatium. Inſtabilis eſt, & per momenta decurrens, caſibus plenus, periculis ſeptus, turbinibus agitatus, fluctuationibus anxius, cladibus refertus, diſſenſionibus inquietus, mutationibus deditus, Deo contrarius, cęlo diſtinatus,

tinatus,

Digitized by Google

ſimilis, virtutibus oppoſitus, ſanctitati inimicus & piis mentibus oneroſus. Illas quantum ualet. præmit: tribulationibus inſequitur, aduerſitatibus atterit, nunc diripiendo propria, nunc concupita negando. Verùm ſi probatos nequit malis ſuis ſuperare viros, blanditiis & ſponſionibus deceptoriis eoſdem deprauare contendit: vbique parat laqueos, in omnibus decipulas tendit pedibus innocentum, nunquam impugnandi iuſtos [1.Ioan. 2.] materia caret, Ioanne dicente: Omne quod in mundo eſt, aut concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia eſt vitæ. Nempe per ea, quæ carnalem trahunt concupiſcentiã voluptuoſos: per ea autem, quæ oculorum concupiſcentiam, cupidos: ſed per illa, quæ ad vitę demulſcent ſuperbiam, elatos ſibi ſternit & tumidos. Quid de illius carnali concupiſcentia. Sapiẽs [Prou. 7.] ſub typo impudicæ ſenſerit mulieris, attende. De feneſtra (inquit) domus meæ per cancellos perſpexi, & video paruulos, & conſidero vecordem iuuenem, qui tranſit per plateas iuxta angulum. Et ecce mulier occurrit illi ornatu meretricio ad capiendas animas garrula, & vaga, quietis impatiens: non valens in domo conſiſtere pedibus ſuis, apprehenſumq; iuuenem deoſculatur, & procaci vultu blanditur, dicens: Egreſſa ſum in occurſum tuum hodie, deſiderans te videre, & reperi. Intexui funibus lectulum meum, ſtraui tapetibus pictis ex Aegypto, aſperſi cubile meũ mirrha & aloe, & cinamomo: veni inebriemur vberimus, & fruamur concupitis amplexibus, donec illuceſcat dies. Audiuimus detegentem mũdi pernicioſas voluptates, audiamus, & admonẽtem: quatenus noſcamus quid agere debeamus. [Prou. 7.] Sententiam quippe definiens ſuam, inquit: Nunc ergo fili mi audi me, & attende verba oris mei, nec abſtrahatur in viis illius mens tua, neque decipiaris ſemitis eius: multos enim vulneratos decipit, & fortiſsimi quique interfecti ſunt ab ea. Quid verò de ſeculi diuitibus Apoſtolus Iacobus dicat, intelligamus, ne ſeducamur. Agite [Iac. 5.] nunc (inquit) diuites, plorate, vlulate in miſeriis veſtris, quæ aduenient vobis. Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, veſtimenta veſtra à tineis ſunt comeſta. Aurum & argentum veſtrum æruginauit, & ęrugo eorum in teſtimonium vobis erit, & mãducabit carnes veſtras ſicut ignis. Theſaurizaſtis vobis iram in nouiſsimis diebus. Quid autem de vitæ ſuperbiam ſectantibus Propheta cõmemo- [Pſal. 36.] ret, cordis aure percipiamus, ne inflemur. Vidi (inquit) impium ſuperexaltatum, & eleuatum, ſicut cedros Libani: tranſiui, & ecce non erat: quęſiui, & non eſt inuentus locus eius. Meritò non erat, nec inuentus eſt locus elati & impij: quoniã in lubrico labentis ſeculi pedem ſuum ſtabilire cupiebat. Quærebat poſsidere fugientem, & inhærere cadenti: ſicque cum eodem miſerabiliter corruit. Talis vtique amatorum mundi debuit eſſe finis, ſiue illorum, qui carnis ſectantur illecebras, ſiue illorum, qui à concupiſcentia oculorũ ſe irretiri permittunt, ſeu qui neſcientes ſe, contendunt ambulare in magnis & mirabilibus ſupra ſe. Abutuntur vniuerſi hi donis Dei, & creaturæ inſeruiunt potius, quàm creatori: atque in- [Pſal. 130.] commutabili ſpreto bono, commutabili ſe ſubſternunt. Quis (oro) morte eoſdem non iudicet dignos, qui tam immoderato præſentis ſeculi ebriantur amore, ut temporale præponant æterno, & conditore neglecto, in creaturis fęlicitatis ſuæ conſtituant finem? Non enim rerum ſpes, ſeculique ornatum artifex ſummus producit ineſſe, ut rationalis creatura in ipſis delectationis ſuæ motum figeret: ſed vt erudita in ſpiritu, qui fecit illas veneraretur, & coleret, diſceretq; ex viſibilibus inuiſibilia deguſtare: hoc Apoſtolus inſinuare voluit quando ait, Inuiſibilia Dei à creatura mundi, per ea quæ facta ſunt, intellecta con- [Rom. 1.] ſpiciuntur: ſempiterna quoq; eius uirtus, atq; diuinitas. Tanquam purum ſpeculum creaturarum decor offertur homini, quatenus ex earum notitia diſcat ſe, ſeq; quum agnouerit, contempletur ſuauiter, qui fecit ſe. Optimus hic ordo aſcendentis eſt, ut ex rebus viſibilibus in ſe, & à ſe trãſeat ſupra ſe. Triplex funiculus iſte difficile rumpitur [Eccl. 4.] euentu aliquo, ſi tamen in veritatis poſsideatur lumine. Nullus verò ad diuinitatis valet peruenire ſcientia, niſi ſciat prius ſe. Sed neque quis cenſendus eſt poſſe vti creaturis commendabiliter, ſi non agnoſcat ſe. Tua ergo, ò homo, conſideratio ſe extendat ad ea, quæ facta ſunt, ſiue quę fulgent in cœlo, ſcilicet ſol & luna, & ſtellarum numeroſitas, ſiue quæ per aera volitant, aut in aquis mouentur & viuunt, vel ſuper terram reptant, ſeu germinãtur ex ea, aut in ea ſubſiſtunt. Et in his omnibus materiam, ſpecies, pulchritudinem, virtutem contemplare & cauſam: quatenus patrocinium reperis, atque magiſterium reuertendi ad te. Non vt maneas in te, ſed vt metiaris te, & in ſpeculo conditoris intelligas te, & eum, qui fecit te. Porrò quum hęc diligenter perfeceris, recognoſces te vniuerſis quę patent oculis, cæteriſq; ſenſibus præſtatiorem, ac omnibus eſſe prælatum. Tibi prorſus famulantur iſta, nedum ad neceſsitatis vſum, virtutiſq; profectum, verumetiam ad perpetuę fęlicitatis introitum. Clamant ſingula, clamãt omnia, vt cur facta ſint mentis oculo percipere velis. Nempe non propter angelos facta ſunt, quibus ad conſummationem beatitudinis, laudiſque iucunditatem Dei ſufficit uiſio: in qua perfectè naturam, creaturarumque proprietates, ſeipſos, & qui condidit vniuerſa, cognoſcunt. Reuelata enim facie Dei gloriam contemplantes à claritate in claritatem tranſeunt, & delectabilis admirationis paſcua inueniunt. Hinc eſt quod ſenſibilium non indigent adminiculo, quo mediante aſcendant ſupra

pra ſe nil ignorant, dum ſcientem omnia ſciunt, eorum videlicet, quę ſcienda ſunt. Nõ enim ineffabiles, & infinitos ſapientiæ, ac ſciẽtiæ Dei theſauros hauriunt ad plenum, ſed iuxta beneplacitum illius, qui fecit omnia in pondere, numero, & menſura. Ipſe ſibiipſi tantum cognitus eſt, qui videt ſe per ſe in ſe: neque propter ſe, ipſa dixerim condita eſſe, quæ facta ſunt, & carnis ſenſib. ſubiacent. Quomodo propter ſe arbitrãdum eſt illas eſſe creatas, quum non habeant vnde delectabiliter gaudeant in ſe, aut Deo, qui fecit illas? Nam delectationis lætitia ex obiecti cauſatur notitia. Tantum res quæque diligitur, quãti ęſtimatur eſſe, quamuis gemmæ, ſiue aurum magnipendantur ab iis, qui nouerunt illas: paruipendũtur tamen ab iis, qui nullam de eiſdem habuerũt ſcientiam. Talibus verò ſi ſubingeras quanti ſit aurum, repentè carum tenebitur, quod habebatur vile: hoc vnde niſi ex intellectus iudicio? Tolle ab homine intellectum, & nulla erit rerum diſcretio, nulluſque amor. Hinc delinquentium redarguitur vecordia, qui neſcientes Deum, nec ea, quæ illis prodeſſe poterant, brutorum more tempus omne in carnis voluptate conſumunt. De ipſorum vanitate merito dicitur per Prophetam: Psal. 48. Homo quum in honore eſſet, nõ intellexit: comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Patet igitur, quod ex ſola definitione rationis animę mouetur affectus, qui tunc commendatione efficitur dignus, quum innititur veritati, & tanti quodlibet iudicat, quãti eſt. Hac diſcretionis itaque libra, quũ (excepta natura angelica, atque humana) vniuerſæ careant creaturæ, definiendum eſt illas minimè propter ſeipſas eſſe conditas: illas ergo pro gloria ſua, & pro hominum multifaria vtilitate omnipotens fecit. Vegetatur naque humana caro, dum veſcendis vtitur ad ſobrietatem, dum ſpirando viuit, dũ ſuſtentatur ſolo, dum indumẽtis tegitur, & dum innumerabilibus eius calamitatibus ſubuenitur. Spiritus autem ſenſibus mediãtibus multiplices capit illecebras, oculis namque aſpiciendo diſtinctas elementorum materias, variaſque illorum miratur ſpecies. De his, quæ terra gignit, quot valeat oblectamenta capere, nemo ſufficit enarrare. In virgultis frondoſis, in pomiferis arboribus, in pratis ridentibus, in naſcentibus ariſtis, in florum amœnitate, in roſis, in liliis adinuenit vnde gaudere valeat. Quæque ſpecies iuxta genus ſuum pro innato decore lætitiæ materiam ſubminiſtrat, hoc in volucribus, hoc in animalibus, hoc in reptilibus, hoc in piſcibus inuenitur, ſi tamen dignetur homo conſiderare, quod videt. Quemadmodum igitur viſu, ita ex auditu, olfactu, guſtu, & tactu reperit vnde delectatione paſcatur. Peramplius autem in id, quod habet in ſe, propter quod delectatur, & paſcitur, ſine quo prorſus inſipidus iaceret, & marcidus, ex ipſo quidem trahit delectationem ex ſenſibus, principatur cæteris, atque dignitate præcellit. In hominis enim creatione ſic legitur: Gen. 1. Faciamus (inquit Deus) hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtiis vniuerſæ terræ, omnique reptili, quod mouetur in terra. Vides ne, quam rationabiliter ex ſpeciebus viſibilium ad ſui homo prouehatur notitiam, dum per ſe agnoſcit illa, & delectatur in illis, eademque cognoſcẽdo, ſe cum exultatione videt in ſe, & diligit ſe? Diligit (inquam) non ſe propter ſe, ſed eum, qui fecit ſe. Cur non ſe diligat propter Deum, qui ſe nouit creatum à Deo, & per ſe in creaturarũ ſpeculo illum intelligit admirabilem atque amabilem? Rediens quippe animus humanus ad ſe, ſeque tam ab exteriorum tumultibus ſegregans, quàm à ſordibus delictorum mundans, per ea, quæ facta ſunt, Dei magnificentiam contemplari conatur: ad quam non niſi præueniente gratia, & cordis munditia pertingere valet. Nã quo contemplantis cor efficitur mundius, eo ad capeſcendum cœleſtia magis habile inuenitur, dicente domino. Mat. 5. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Obtutibus namque intelligẽtiæ cœli, terræ, mariumque iuxta virtutem ſuam ſibi ſtatuens machinam, quam in memoriæ cellario videndo repoſuit, nunc artificis poteſtatem, nunc diſponentis peritiam, nũc prerogatam beneuolentiam meditando miratur. Porrò ſi ſuperiorum corporum magnitudinem, decoremque deſiderat, ſi inferiorum numeroſitatem, ſi diuerſitatem ſpecierum, ſi ex qua materia, qui virtute, quomodo vniuerſa ſint condita Deum patrem per verbum ſuum id egiſſe fatetur. Nullius vt tanta faceret, indiguit ſuffragio, nullaq; informi ſeu formata materia: quippe quum omnia ſubſit illi poſſe, dum vult. Hoc Propheta notificauit, inquiens: Eccle. 43. Omnia quæcunque voluit dominus fecit in cœlo, & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis. Quamobrem quando illa, quæ facta ſunt in eſſe producere voluit, dixit, & facta ſunt, mandauit, & creata ſunt. Dixit, inquam, per quem? vtiq; per Verbum ſuum, quod ſibi ſimile ſine initio genuit, conſubſtantiale, & coæternum: quod eſt ipſa increata ſapientia, quæ ſic ait: Eccle. 24. Ego ex ore altiſsimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam: ego quando cœlos præparabat, aderam cum eo cuncta componens: Ab ipſa prorſus omnis ordo vniuerſi emanare dignoſcitur: præceptum illi impoſuit, quod non præteriuit: legemque ſucceſsionis indixit, quam à conſtitutione irrefragabiliter cuſtodiuit. Contraria enim quũ multa ſint in naturis rerum, nullam in ſeipſis cõfuſionem admittunt, id Dei diſponente ſapientia. Nam quamuis in altiſsimis habitet, & in paterno recumbat pectore, præſidet tamen in magiſterio ſuo, in regimine vniuerſi, atque in arte

ſua,

ſuæ, ſingula quanquam praua quamuis deordinata appareant, irreprehenſibiliter gubernat & dirigit. Ab illis quædam caſu tranſire cēſentur, qui iudiciorum Dei arcana non penetrant, & luteas inhabitant domos: qui autem ad libertatem verā filiorum attingere meruere, ſapientiæ Dei altitudinem ſine fatigatione collaudant. Amoto etenim carnis & figurarum velamine, illum ſicut eſt videndo magnificant. Detergunt verò mentis aciem, qui peregrinantur adhuc, & ad quod currunt: & ſi non intelligendo, ſaltem amando perueniunt. Illuc nanque ingreditur amor, quò minimè intellectus appropiat: hoc operante charitate, quæ per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis, in cordibus eſt diffuſa fidelium. Quandiu igitur idem ſpiritus conſiderationis noſtræ actum in creaturarū ſpeculatione attollit, ſe perſpicuè manifeſtat in illis, quendam vtique tunc bonitatis ſuæ in mentibus noſtris infundit ſaporē melle ac nectare dulciorem: per quem omnia animę interiora iubilatione complentur, dum in rebus ſingulis ſtillicidia gratiæ illius ineſſe perpendimus. Nam quemadmodum beatę trinitatis quælibet creatura opus eſſe, ita quoque ipſius imaginem impreſſam geſtare cognoſcitur: quantum etſi percipiamus intellectu, delectabilius tamen deguſtamus affectu: vtrunque autem diuinæ dignationis eſt munus, quę ſe nobis in ſpeculo creaturarum cognoſcibilem exhibet. Per notitiam igitur horum, quæ condidit, nos deducit ad nos: quatenus per eadem erudiat nos, noſq; delectabiliter erigat ſuper nos. Beatum planè dixerim illum, qui in hac lacrymarum valle tales in corde ſuo diſpoſuit aſcenſiones, vt infundente benedictionem legislatore (prout poſsibilitas humana admittit) Deum in Sion mereatur agnoſcere. Nēpe vbi huiuſmodi aſcenſionis ordinatiſsimus abeſt modus, tumor & ſuperbia viget: vbi verò adeſt elatio, ibi proculdubio ignorantia dominatur: quemcunque verò iſta poſſederit, a quo ſit, quid ſit, quid diligere, quidve vitare debeat, reddit ignarum. Talis quippe quum mentis ſit ratione priuatus, & ſola, quæ foris ſunt, videat in carnis concupiſcentia, aut concupiſcentia oculorū, ſeu vitæ ſuperbia, quorum hic mūdus eſt plenus, frequenter illabitur. Nam quemadmodum mundus iſte habentibus ſapientiam ſpiritualis profectus materiam ſubminiſtrat, ita non habentibus, ruinę occaſionem præbet. In ſeculi igitur perſeueret ſtadio, totiuſque vniuerſi aſsiduè conſideret ſpeciem, quiſquis diuinę ſapientiæ irradiatus eſt gratia, de viſibilibus aſcēdat ad inuiſibilia, & per ea quę facta ſunt, omnium cōditorem agnoſcere ſtudeat, illumque diligere, ac diligēdo laudare: quatenus conſolatione repletus & gaudio totis medullis cordis propheticum illud valeat
Psal. 91. decantare, dicendo: Delectaſti me domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. At verò qui horum inexpertus eſt, atque mentis obtuſo lumine ſolum quę in mundo ſunt corporeis nouit ſenſibus, ne ſeculi voluatur in vndis, & concupiſcentiarum voraginibus demergatur, ad ſoliditatem littoris, portuſque tranquillitatem ocyus peragrare conetur. Ibi componat mentem, affectus reformet, cohibeat cogitatus: nec inde facilè exeat antequam virilem animi vigorem induerit, atque futurorum bonorum refectus dulcedine, temporales diſcat repudiare illecebras. Taliter nanque introrſus roboratus in Chriſto ſine labore inimicum fugiens mundum alacri animo propinquabit ad palmam. Maxima etenim victoriæ portio eſt voluptuoſi ſeculi fugiendo declinare materias.

Quod diſcretionis donum præcipuum ſit, atque onerosa iuſtis deteſtabilis vita malorum. Cap. II.

INter præcipua conditoris dona illius erogata militibus diſcretionis gratiam eſſe, aſſeuerare non dubito. Facilè nanque à virtutis tramite deuiat, qui cenſura prudentię neſcit prouidere quod agat. Hoc in terrenis negotiis, hoc in ſpirituali conuerſatione euenire cognoſcitur. Ea propter quamuis omnibus, potiſsimè tamen Chriſto militantibus prudentiæ competit libra. Semper enim in campo dimicant, nunc aduerſus viſibiles, nunc contra inuiſibiles inimicos. Omnis quippe eorum vita ſacro teſtante eloquio militia eſt, quò ſe verterint, impelluntur vt cadant: quod & faciunt niſi iuuentur à domino, habent penes ſe viſibilem hunc mundum laqueis plenū, atque blāditiis, habent & proximos, cum quibus degunt. Non mediocris deeſt pugna piè viuentibus, quum ab inuidis tentantur atque peruerſis; ipſorum nanque operibus malis, venenato ore, ac exemplis peſsimis, ſimpliciter gradientibus euerſionis occaſionem tribuunt. O quàm damnabilis eſt vita malorum, quanta in ſcripturis ſacris nouimus iuſtos à malis ſuſtinuiſſe certamina? Abel à fratre occiſus eſt, Noe à filio Chā illuſum legimus: Abraham, Iſaac, Iacob, Ioſeph, Moyſes, Samuel, Dauid, prophetæque cæteri quis enumeret, quā multa pertulerint aduerſa ab iniquis hominibus? De beato Loth Apoſtolus inquit: iuſtū Loth à nefandiſsimis eripuit: aſpectu .n. & audi- 2.Pet.2.
tu iuſtus erat, habitās inter eos, qui de die in diē animā iuſti iniquis operibus cruciabāt. Mediatoris vita quā importunè attrita ſit malis Iudæorū operibus, Euangeliorum volumina clamāt. Semper bonorum conuerſatio malorum perſecutiones pertulit. Trituratur terra, & vomere ſcinditur, vt germinet: vniuerſæ putantur arbores, vt fęcunditate ſua alimoniam hominibus ſubminiſtrent, in vitæ vtiles purgantur racemi, vt vberiorem fructum exhibeant. Sic aduerſariis veritatis iuſti opprimuntur, & tacent: temporalium

lium damna patiuntur, & diligunt, calumniantur, & obſequia impendunt, benefaciunt odientibus, pro perſecutoribus orant, ſe corporis Chriſti membra eſſe fatentur, conſorteſque ſanctorũ, qui mala perferendo coronam gloriæ perceperunt. Non enim hoſtibus ſuis irrogando mala, ſed æquanimiter patiendo aduerſa, de huius ſeculi ſtadio triumphaliter diſceſſere. Psal. 7. Prophetam quid de ſe dicat, attende, Si reddidi retribuentibus mihi mala, decidam meritò ab inimicis meis inanis, perſequatur inimicus animam meam, & comprehendat, & conculcet in terra vitam meã, & gloriam meam in puluerem deducat. Gloriatur munda conſcientia, ſe nec malum reddidiſſe pro malo, neq; maledictum pro maledicto, quod eſt propriè iuſtorum ac perfectorum opus. Impiorum verò eſt retribuere malum pro malo, interdum malũ pro bono, ſicut de Iudæis per Prophetam Dominus ait, Psal. 34. Retribuebant mihi mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. Matt. 18. Huiuſmodi autem perſecutiones apertæ, operaque nefanda, quanquam longe ſint à congregationibus iuſtorum, minimè tamẽ in ipſis ſcandala deſunt, quę dicente Domino ſunt neceſſaria vt ueniant, quatenus virtus exerceatur habita, aut nondum inchoata initium ſumat. Non enim illa quæ inter iuſtos ſcandala conſueuerunt accidere, ex peruerſa dixerim voluntate contingere, ſed potius ex ſuggeſtione diabolica, ac fragilitate humana, naturarumque diuerſitate, atq; ſimplicitate conuiuentium. Occaſione talium oritur perſæpe ſolicitior cura charitatis, ſuimet ſcientia clarior, & conuerſandi cautela prudentior. Quamuis enim mens pia de malo proficere norit, eſt tamen ſcãdali uitandum offendiculum, ne de bono veniat malum, præcipuè dum veritas dicat, Ibidem. Væh autem homini illi, per quem ſcandalum uenit. Maximã verò illum arbitror ſcandalorum præcidiſſe materiam, qui in collegiis, & cum hominibus degẽs linguam ſuam compeſcere potuit. Eſt nanque magnum malum lingua loquax, plena mortifero veneno. Iacob. 3. In ipſa benedicimus Deum, & homines maledicimus, qui ad illius imaginem ſunt. Ab ea vtiq; detractiones, ſuſurrationes, blaſphemiæ, ſtultiloquia, mendacia, adulationes, falſiloquia, contentiones, & vt complectar breuiter, delictorũ innumerabilia genera cauſantur. Proximorum autem murmuria omnino ſunt à Chriſti militibus declinanda, quæ tanquam acutæ ſagittæ audientium animas penetrare noſcuntur. Aduerſus detractores Dominus per Prophetam profert ſententiam, dicens, Sap. 1. Detrahentem ſecretò proximo ſuo, hunc perſequebar. Huius mali pondus Sapiens conſiderans, inquit, Cuſtodite vos à murmuratione, quæ nihil prodeſt, & à detractione percitæ linguæ, quoniam ſermo obſcurus in vacuum non ibit, os autem quod mentitur, occidit animam. Nempe qui detrahit, ſuã & audientis lædit conſcientiam, atque cui detrahit, percutit famam. O quàm multa ſcandala, & quàm pernicioſa detractioni aſſuetus concitat bella rixas vtiq; mouet, parit odia, pacem diſſipat, dirimit vnitatem, charitatem extinguit ſe, ſuumque interimit fratrem. Peſtis hæc à ſeruis Chriſti omnino eſſe debet aliena. Matt. 18. Si habes (inquit mediator) aliquid aduerſus fratrem tuum, vade, corripe inter te & ipſum ſolum. Non ait, detrahe, lacera, confunde, ſed corripe. Non vt pro ſuſcepta ingiuria vindiceris, ſed ut tuum lucrifacias fratrem. Hanc charitatis regulam multi ſeruorum Chriſti ſe ignorare fatẽtur, dum detractioni proximorum relaxant fræna eo periculoſius, quod ſub zeli ſpecie id actitare videntur. Neceſſe prorſus eſt, vt tales delinquant frequenter. Nemo ſine ſui detrimento poſtponens propria delicta, iudicat, ſeu detegit aliena. Obſeruet tempus, modum adhibeat, mentem purget, emẽdet vitam, deteſtetur vitia, proximos diligat quiſquis Dominum imitari ſe dicit, qui publicè in turbis Scribarum & Phariſæorum detegebat facinora. Nullus veram alieni cordis ualet proferre ſententiam, qui enim peccatorem ſe humiliter recognoſcit, non facilè detractioni vacabit, potius ſuas, quàm aliena accuſabit delicta, metuat peccatum ſuperaddere peccato, & in audientiũ cordibus rãcoris commouere certamen. Ingerit nanq; audientis cordi laborem luctandi, qui per corporis aures verbum detractionis immittit. A detractione & contẽtione liber exiſtat, qui in ſe & in animo proximi pacem cuſtodire deſiderat. Contingit iugiter, vt pro veritate inquirenda ratiocinentur homines, ſed paulatim incaleſcente ingenio introeat tumor, & contentiones accreſcant. Difficile qui humilitate caret, contẽtiones euitat, quę iurgia ſeminant, audientiumq; conturbant animos. Fuge (inquit Apoſtolus Timotheo) 1. Timo. contentiones. Ad nihil enim valent, niſi ad ſubuerſionem audientium. Subuertunt quidem, dum plerunque à ueritate faciunt diſſentire. Ex ipſis nanque hæreſes & opiniones exortæ ſunt falſæ, cordis hoc ſuadente tumore. Qui verus eſt Chriſti diſcipulus tanquam humilitati oppoſitas diſceptationes effugiet, non garrulis cõtendet verbis, nõ clamabit, nõ pertinaciter contradicet, magis alieno, quàm ſuo iudicio credet, circuncidet os ſuum, ne cuiquam cadendi offendiculum ponat, non ſolùm impudica & detractoria, verumetiã & inanes fabulas, ſcurrilia & ocioſa abhorrebit eloquia, tacebit vſque ad tempus, & tantum quod ædificare valeat, auditoribus propinabit. Nouit amator ſapientiæ quantum incõpoſitus ſermo diſſoluat mentem, compunctionẽ diſſipet, ſenſum euertat, mentem fœdet, fiduciã propellat, & Deum offendat. Iſta egregius Pſaltes intelligens orabat, dicens, Psal. 38. Pone Domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circunſtantiæ labijs meis,

meis, ſuam cęterorumque concupiſcens pacem, quando ſermonem proferre deberet, humiliter ſcire poſtulabat. Timebat prorſus ne linguę ſuę occaſione aliis delinquendi fomitē miniſtraret. Conſueuerunt quippe ſancti de proximorum ſalute eſſe ſoliciti. Hinc multa quamuis eis liceat, quia non ædificant, agere deſinunt, Domini ſen-
Matth. 5. tentiam retinent in corde dicentis, Luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cœlis eſt. O quanti pereunt aliorum exempla ſectātes. Nocet plurimum cōuerſatio incompoſita dedu-
Matth. 15. cta in publicum. Quiſque ſibi licere putat quod videt in altero, & tamen ſi cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foueā cadunt. Nempe quemadmodum bonorum multis proficua, ſic & pernicioſa cognoſcitur eſſe vita malorum. Duplici pęna mulctabitur, qui exemplo ſuo proximos pro-
1. Cor. 15. uocat ad peccandum. Sicut enim bonos mores corrumpunt colloquia mala, ita humiliter cōuerſantium corda deprauarit exempla non bona. Quamobrem ſolerter vtrunque Chriſti miles cauere ſtudeat. Verbis namque noxiis & inutilibus nunquam accommodet aures, laudabilibus autē ſemper. Magis conſideret quid audiat, quàm à quo, nam proficua, & Domini eloquia (etiam ſi à malis proferantur) audienda ſunt, atque opere perficienda, pernicioſa verò & impudica (quamuis bonus loquatur) virili repudientur animo. Tunc quippe bonus non eſt, quum mala pronunciat malè. Qui enim malo libenter auditum præſtat, efficitur malus, & qui imitatur delinquentē, diuino iudicio ſe reum facit: Iniquorum ergò cō-
Prou. 1. ſortia ſunt vitāda. Quid ſapiens loquatur, aduerte, Fili mi ſi te lactauerint peccatores, ne acquieſcas eis, ſi dixerint, veni nobiſcum, inſidiemur ſāguini, abſcondamus tendicula contra inſontem fruſtra, omnem precioſam ſubſtantiam reperiemus, implebimus domus noſtras ſpoliis, fili ne ambules cum eis, prohibe pedem tuum à ſemitis eorum, pedes enim eorum ad malum currunt. Non euadet peccatum, qui ſocius eſſe voluerit peccatorum. Quum ergo nemo à peccato immunis ſit, omneſque frequenter delinquant ſermone & opere, ſalubre conſilium eſt, vt quiſquis militans Deo, interdum conuerſationem hominū ſecedendo deuitet. Abhorret quidem humana natura, nec viuendi neceſsitas patitur, vt quis ſēper ſolitarius ſit. Eſt enim homo ſociale animal, & ſimilibus ſibi ſociari deſiderat. Temperanter itaque huiuſmodi eſt cohibendus affectus. Cordi, ori, & ſenſibus imponenda eſt lex, præſideatque in vnoquoque prudentia, quæ mētem Deo, & carnē ſubiiciat rationi, propulſet à domo mentis cogitatus noxios mox vt apparuerint, Prophe-
Pſal. 100. tam meminerit dicētem, In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt diſperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem, proximorum ſibi illatas iniurias æquanimiter tolleret, malorum exempla ſequi formidet, prolata verò inutiliter verba audiendo non audiat, linguæ ſuæ moderamina ponat, corde diſcutiat quod prolaturus eſt ore, curioſitati autem ſenſuū ſtatuat regulam, (Nam ab adoleſcentia homi- Gene. 8.
nes ſemper proni ad malum ſunt) nūc hominū, nunc ſeculi lenocinia quærunt, & graue dominanti ratione excitant bellum, confœderantur eiſdem, & mentis arcem ſimul deprædari conantur. Nequaquam itaque niſi mediante fuga, & virtute prudentiæ ſuperare valebimus viſibiles, de quibus loquimur, hoſtes.

De duplici oculo homini prærogato, nec non carnis et ſpiritus diro certamine. **Cap. III.**

IN principio quādo primus plaſmatus eſt homo, duplicem percepit oculum, vnum carnis, quo viſibilia cerneret, & alterum rationis, quo ſpiritualia agnoſceret atque diuina; vnū vt exerceretur in imis, alterum quo delectaretur in ſummis. Per illū carnis, vt viſibiles poſſet hoſtes aſpicere, aſpiciendo cognoſcere, cognoſcēdo vitare, per illum autem rationis, vt ſpirituales nequitias ſpiritualiter decertantes ſuperare valeret. Prævidens namque Deus hominis caſum antequam fieret, contra viſibiles & inuiſibiles hoſtes armis congruentibus roborauit. Illum quippe in huius vitæ campo militaturum inſtituit, atque lege propoſita ſicut vincenti gloriam, ita victo vtriuſque hominis interitum repromiſit, ſed heu in primo pugnæ congreſſu homo ſeductus peſtifera ſuggeſtione occubuit. In ſui igitur pœnam peccati mundum iſtum, quem tanquam cōditoris acceperat ſpeculum, ſibi ſenſit aduerſum. Factaque eſt humana ſpecies ſibiipſi contraria, quoniam autori omnium noluit eſſe ſubiecta. Hinc quoque ex carnis propagine concupiſcentiarum germen excreuit, atque carnis & ſpiritus bellum ſumpſit initium. Laborioſa prorſus, & ad ſuperandum difficilis eſt carnis illecebra, quæ die noctuque ſpiritui infeſta ſentitur, foris habet cui adhæreat, & contra quem ſæuiat intus, propagatur in carne, coaleſcit in tempore, enutritur in vitiis, neglecta roboratur, & quum dominatur, interimit, nunquā rationis legibus cedit, nunquam ſuperata quieſcit, ſemper floret, ſēper viget, ſemper ſua importunitate decertat, ſerpit cōtinuò vt cancer, ſæuit vt ignis, rugit vt leo, tumet vt coluber, inſidiatur vt latro, cęno volutatur vt aper, ſat nunquam dicit vt infernus, commaculat naturam, & inflammat totum corpus natiuitatis inflammata à gehenna, libidinū pruritus excitat, concupiſcentias mouet, fugat pudicitiā, caſtitatē impugnat, derogat honeſtati, laudat adulterium, ſtupra ſuadet, parat inceſtus, atq; immaculatū thorū violare conatur, confœderatur ventri, vacat iocis, lautiora fercula concupiſcit,

amat

amat crapulam, ſaturatáq; eſuriē patitur, honoribus attollitur, ſeducitur laudibus, laceſsitur iniuriis, mundum diligit, ſeculi oblectamenta ſectatur, ſocietates quærit, læta cupit, & aduerſa naturaliter pethorreſcit, effrænis ſemper, & incōpoſita eſt, de qua criminum millia ebullire noſcūtur.
Galat. 5. Quid de eadem Apoſtolus ſcribit, intellige, Manifeſta (inquit) ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, adulteriū, immunditia, impudicitia, auaritia, quæ eſt idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, cōtentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia. Videsne quam inſuperabilis hoſtis ſit carnis illecebra? Latitat in carne, accendit carnem, & carnis miniſterio vtitur, nunc introrſus debellat mentē noxiarum cogitationum immittens iacula, nūc importunis moribus corporis medullas libidinis mouet incendio, nunc ſenſibus abutitur obſcœna ac delectabilia quæritando. Sæuiſsimus planè tyránus eſt caro, & concupiſcentiarum munitus exercitus. Quis (oro) eſt, qui dominationis illius à ſe reiecerit iugū? Quis tam ſobriè, tamq; pudice vixit, vt in eo crudelis hęc non haberet imperiū? Quis carnē ſua adeo ieiuniis attriuit, & fame, vt ipſius carnis illecebrā poſsideret emortuā? Nemo ſanctior Paulo, & tamen de ea conqueritur, dicens,
Roma. 7. Non enim quod bonum volo, hoc ago, ſed quod odi, hoc operor, nā velle mihi adiacet, perficere autem bonum non inuenio. Video aliam legem in membris meis repugnātem legi mentis meæ, & captiuantē me in lege peccati, quæ eſt in mēbris meis. Captiuus planè ducebatur, dum non voluntariè, ſed coactè legi ſeruiebat peccati. In eo adhuc carnis concupiſcentię vigebant, ſed à mentis repercuſſæ lege minimè dominari valebant. Quamobrem fiducialiter, aiebat, SI enim, quod nolo, illud facio, non ego illud operor, ſed quod inhabitat in me, peccatum, mente enim legi Dei conſentio, & carne legi peccati. Si conflictum hunc patiebatur in ſe Apoſtolus, qui vſque ad tertium cœlum raptus, arcana, quæ homini loqui minimè licebat, fuerat contemplatus, quid nos miſeri de nobis exiſtimare debemus, quos ira ſuperat, liuor occidit, inflat ſuperbia, captiuat ambitio, inflammat libido, vincit gula, cupiditas excæcat, & principandi deſideria premunt? Si certabat electionis vas, carnem ſuam diuerſimodè affligens, ne ſpiritui noceret, quid nos acturi ſumus? Qualiter in ſtadio aduerſus carnis concupiſcentias dimicauerit, audi, Ca-
1. Cor. 9. ſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne forte cum alijs prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Nouerat beatus Apoſtolus carnis inſolētiā, & quàm importunè contra ſpiritum rebellis exiſtat. Ne igitur indignum, indebitumq; ſibi vēdicaret imperiū, caſtigatione prudenti, ſeruituti illam ſubdere ſatagebat. Quid (oro) indignius, quàm vt ſine ratione caro rationali ſpiritui dominetur? Aut quid magis incongruum, quàm vt ille, cui principādi datus eſt honor, inglorius maneat, & ancilla petulanti elatione imperandi miniſterium ſumat? Deteſtanda prorſus, & pernicioſa eſt talis abuſio. Non enim natura hoc docet, neque ſic inſtituit Deus, qui omnia in ſapiētia condidit, fecit ipſe, vt caro ſpiritui, & ſpiritus obtemperaret ſibi. Verum deordinatio, quam in hominibus intuemur, vt ſpiritus carni inhærens carnaliter viuat, non de cōditoris, ſed de peccati lege manauit. In originali ſiquidem delicto cōcepti homines, de peccati ſemine traducem ducūt, fiuntque prius damnati, quam nati. Accepta nanque anima carnis contagione dum infunditur corpori, rea efficitur, & infirma. Rea quippe ob priorum parentum culpam, infirma verò ex corporis indiuidua copula. Hinc plane hominis concupiſcētia habet originem, quæ in carne originaliter, ſed in anima, quæ vitii, & virtutis ſuſceptibilis eſt, tanquam in ſubiecto, formaliter manet. Porrò ex huiuſmodi connexione carnis, anima eſse agnoſcitur infirma ad reſiſtendum motibus, fœda dum maculam trahit ex prurigine carnis, & ſemper ad delinquendum prona. Doleat igitur quiſque pro ſe, gemat pro cæteris, cū legi peccati velit nolit ſe nouerit eſse ſubſtratū. Hoc Apoſtolus conſiderans flebili vociferatione inquit, Infęlix homo, quis me liberabit de Roma. 7.
corpore mortis huius? Libertatem ſpiritus anhelabat naturalem, quam non ad votum, neque in præſenti peregrinatione, ſed in futuro per mediatorem Chriſtum, habiturum ſe credens mox intulit, Gratia Dei per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrū. Quamobrem in ſpiritu propter reſurrectionis ſpem exultans alibi ait, Quum autē 1. Cor. 15.
hoc mortale induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo, qui ſcriptus eſt. Abſorpta eſt mors in victoria. Tunc plane quicunque victoriæ iſtius, beatæ videlicet reſurrectionis, participes erunt, delectabiliter dicent, vbi eſt mors victoria tua? Vbi eſt mors ſtimulus tuus? Patet omnino conſpicuè, quod in reſurrectione iuſtorum, quum tradiderit Dominus Ieſus regnum Deo, & Patri, veram animæ, & corporis conſequenter electi pacem.
Non erit concupiſcentia commixtionis ibi, quia Matt. 22.
homines Angelis ſimiles non nubent, neque nubentur. Non erit fomes peccati, qui cupiditatis ignem foueat in carne, Non animæ infirmitas ſuſcepta ex carne, neque deordinata voluntas corrupta per aīam, ſed perfecta libertas, libera ſanitas, ſanata volūtas, volūtaria ſeruitus, & iucunda laudatio. Interim aūt donec hoc fiet, & quādiu in hoc paſsibili corpore militamus, ad reſecādū carnis cōcupiſcētias adhibēda eſt cura peruigil, ne fortè ſi neglectę permāſerint aduerſus ſpiritū ſupra modū deſęuire cogātur. Semper rediuiua parāt certamina, niſi mox vt ſurgere cęperit, diſci-

plinæ fuerint vigore conſumptæ. Corruptæ carnis hoc ſemper eſt proprium, vt concupiſcentiarum indeſinenter pruritum emittat, per quem laborioſus animæ excitetur conflictus, diuinæ ſentētiæ iſtud nouimus eſſe ſupplicium, vti ſacra teſtantur eloquia, ſic enim primo homini delinquē-
Gene. 3. ti eſt dictum, Terra germinabit tibi ſpinas, & tribulos. Non ſolum de hac elementali terra, verū etiam de humano corpore perhibetur, cui poſt
Ibidem. peccatum dicitur, Terra es, & in terram ibis. Hęc profectò terra quantumcunque virtutibus excolatur, quantumcunque animi cenſura purgetur, in ea quod euellitur, exoritur. Hinc in ſudore vultus vtriuſque panis homo veſcitur alimēto. Dum enim noluit cuſtodire, quod gratis acceperat, cū laboris difficultate inuenire cogitur, vnde paſca-
Pſal. 92 tur. Hoc quippe (ait Propheta) labor eſt ante me donec intrē in ſanctuarium Dei. Labor nempe talis vel maximus eſt, & intolerabilis multis. Potius volunt ſub temporalium curarum deſudare faſce, & exteriorū incumbere negotiis, quàm abdicatis cogitationibus noxiis cordis ſui exercere cuſtodiam. Sicut labore, ita huiuſmodi munditiæ, ac puritatis mercede ſe priuant. Præcipuum quidem & Deo acceptabile opus eſt cordis, vacare munditię, omneſque in ipſarū primordio re-
Pſal. 116. ſecare illecebras. Beatus (iuxta Prophetæ ſententiam) qui tenebit impollutū mētis habitaculum, & allidet paruulos ſuos ad petram. Ad hoc autē quis reperitur idoneus? Quis ſpirituali euaginato gladio ſimul et impugnator & defenſor exiſtit? Quis voluntarium contra ſe bellum indicit? Hoc profectò magnarum eſt mentium, quæ pro adipiſcendis virtutibus vltro ſe exponunt periculis, atque virili animo ingenitas, adultaſq; voluptates diuinæ legi ſubigere moliuntur. Non enim blanditiis, ſed virtutibus carnis lenocinia ſuperantur Nempe ſi immoderatius foueatur, rebellis efficitur. Facilius autem ſi laboribus frāgatur, ſpiritui famulatur. Eſt tamen rationabili caſtigatione, domanda, vt hoſtia viua, ſancta, Deo inueniatur accepta. Neque nobis, vt illam perimamus, ſed vt mundemus indicitur, mundetur à vitiis, virtutibus calcetur, retrahatur à noxiis, & ne poſt cōcupiſcentias eat, ſalubriter refrænetur. Illam quotquot Chriſti ſunt facti diſcipuli, cum concupiſcētiis crucifixere & vitiis. Amor itaque eſt amore vincendus, pro menſura charitatis carnis concipitur odium; vbi abeſt charitas, ibi carnis dominatur pernicioſa libido, iacet ſpiritus, virtus abiicitur & vitia regnant. Duplici ergo ſe cingat affectu, qui concupiſcentiarum carnalium cupit reportare triumphum. Flagret vtique amore virtutis, & corde charitatis pingueſcat dulcedine, virtus etenim, quum vis ſit animæ bene diſpoſitę, quæ ad agendum honeſta, & Deo grata aggreditur ardua, & ęquanimiter aduerſa patitur, omnino ad ſupprimendas concupiſcentias eſſe neceſſaria comprobatur. Nequaquam mediocris dicenda eſt virtus, quando ſpirituales hos hoſtes in carne concretos, adultos ex fomite, atque conſuetudine roboratos, debellare ſufficiat. Proficientium quippe eſt iſtiuſmodi peritia certaminis, qui in ſpiritualis vitæ attriti negotiis, de inimicorum ſpoliis locupletantur aſsiduè. Porrò dum perſeuerando proficiunt, intimę charitatis habitu efficiuntur digni, quæ perfectorū nuptialis eſt veſtis. Hæc quidem quum perfectè abſorbuerit mentem, carnalium voluptatum faſtidiū parit. Nam quemadmodum ſolis præſente ſplendore opacæ noctis propulſantur tenebrę, ita coruſcante anima charitatis incendio, omnis ab ea caligo voluptatis abigitur.

De excellentia diuinæ bonitatis, quę verbo reuelante cognoſcitur. *Cap. IIII.*

Diuinæ bonitati hoc proprium ſingulariter ineſſe cognoſcitur, vt ſolitaria omnino eſſe non valeat. Quod habet abſque remunerationis intuitu præſtat abūdè, ſemper deſiderio flagrat, vt ſe dignos inueniat, caret liuore, & parilitatem non metuit, ideo ſua ſinè diſceptatione largitur. Tantum tribuit, quantum vnumquenque ſuorum capabilem perſenſerit eſſe donorum, minoribus quidem minora, & excellentioribus potiora miniſtrat. Sic tamen cuncta prudentiſsimo cōſilio regit, vt nihil in ea vacuū, nihil in iis quæ agit confuſum appareat. Porrò vtrunque capit mens cœleſtis ſapientiæ erudita magiſterio. Nempe ſiue aſcendit in cœlum, ſiue deſcendit in ima, diuinæ bonitatis veſtigia quærit, ingreditur & egreditur, & vberrima amoris reperit paſcua, non quæ temporum volubilitati ſubiaceant, ſed quæ æternitatis viriditate pingueſcant. Horum ſuauitatis dulcedinem nequaquā carnalis valet attingere homo. Supereminet quicquid videt oculos, & auditus percipit, & humanū agnoſcit, cor diuina tantum iſtud reuelatione penetratur. Quis (oro) ſine infuſione ſuperna generationis verbi indaginem penetrare ſufficiat? Quis ſecretorum Dei arcana, quæ æternaliter in verbo ſubſiſtūt, niſi eodē reſerāte edicere poteſt. Quicquid de ipſis locuti ſunt homines, quicquid angeli ſapiūt, illo manifeſtāte ſētitur. In eo nāq; Coloſ. 2
quum eſſentialiter ſint theſauri omnes ſapientię & ſciētiæ Dei, diuinitatis ſuæ magnalia inſinuat, quibus vult, habet enim ſacramentorū cœleſtiū clauem, vnde illi docere hominem ſcientiam, cōceſſum eſt. Eſt quoq; candor æternæ lucis, & præclariſsimum ſpeculū ſine macula, in quod qui aſpicere effecti ſunt digni, omnium quæ ſunt merentur obtinere notitiam, nam quæcunque facta vel futura ſunt, in ipſo vita ſunt. Ipſum igitur vidiſſe, vniuerſa didiciſſe eſt. Illius nempe viſio creaturarū omniū præbet ſcientiam. Parum eſt quod dico, matutina iſta lux eſt, tribuit matutinā

& me-

& meridianam tribuit lucem, vtrũque in verbo, vtrunque verbum eſt. Cum enim principales rerum formas, quę in diuina intelligentia continẽtur in electorum vi rationali exhibet, illos matutino ſplẽdore irradiat, quum verò eoſdem eſſentiali, & faciali viſione ſua nobilitat, meridiana claritate illuminat. Hanc lucem in Canticorũ Canticis ſponſa aſpicere concupiſcens aiebat, Indica mihi quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie. Vtranque porrò verbi lucem ad tertium cœlum Apoſtolus raptus fuerat contemplatus. Vnde conuerſis diſcipulis ſcribẽs inquit, Multifariè olim loquens patribus in Prophetis, nouiſsimè locutus eſt nobis in filio, qui quum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, ſedet in dextera maieſtatis eius in cœleſtibus. Eſt igitur figura ſubſtantiæ eius, & portat omnia verbo virtutis ſuæ, ita nempe eſt paternæ gloriæ ſplendor, & imago ſubſtantiæ illius, vt nulla omnino ſit inter Patrem, & Filium niſi perſonalis diſcretio. Tanta ſiquidem eſt amborum parilitas, in identitate gloriæ, in ſublimitate maieſtatis, in conformitate diuinitatis, in poteſtatis celſitudine, vt qui videt Filium, videat, & Patrem, quemadmodum ex ore Filij nouimus eſſe prolatum. Gignẽdo quippe dedit ei Pater, vt illi ſit coæternus, conſubſtãtialis, atque conſimilis. Bonitatis ſuæ in ipſum refudit plenitudinem, ei totum communicando quod eſt. Nam ſicut eſt ſplendor diuinæ maieſtatis, ita (ſicut legitur) imago eſt bonitatis illius, ipſius ergo viſionis clara contemplatio æternæ fęlicitatis eſt conſummatio, & perpetuæ pacis tranquilla poſſeſsio, quæ non in paſsibili corpore militantibus ad fruitionem datur, ſed ſuper ſydereas manſiones cum Angelis triumphantibus. Illius tanquam ſpiritualibus, & puro intuitu ſpiritualia ac diuina contemplari valentibus, verbi in quo paternæ bonitatis plenitudo ſubſiſtit, patet matutina atque meridiana lux. Peregrinantibus verò, quibus carnalis viſionis adhuc ſuffragium congruit, veſpertina prærogatur lux, quę in creaturarum cognitione præſtatur. Eſt etenim mundus ſpeculum, & quoddam ſpirituale veſtigium, per quod & ſi ipſa bonitas in originali ſuo fonte percipitur, bonitatis tamen ſuauiſsima ſtillicidia deguſtantur. Vniuerſa quippe quæ ſunt, bonitatem ſui proteſtantur autoris. Bonus bona condidit omnia ſuæ magiſterio bonitatis. Qualia eadem poſsidebat in ſe proprię poteſtatis arbitrio produxit in eſſe, ſingulis ſingula dona cõicans. Sic nanque poſt vniuerſi conſtitutionem ſacra fatentur eloquia. Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Vnde aũt tãta deordinatio in iis valde bonis rebus ſit, quæ à ſummo bono ſunt facta, nõ niſi à voluntate mala dixerim prouenire, quam non fecit Deus, hæc nõ à Deo, ſed à maligno traxit originẽ. Hic Angelus profugus

Cant. 1. | Heb. 1. | Gene. 1.

dum in veritate ſtare noluit, dum conditorẽ ſuũ ſupra ſe humiliter agnoſcere renuit, mali cõmentor fuit. Quandiu aũt in id, quod creatus eſt, ſtetit, nec malũ perpetrauit, nec ſciuit. At vbi auerſus eſt ab illo, qui bonus eſt, & ipſum fecerat bonum, effectus eſt malus, mendacii Pater, malorũ que incentor. Nequaquã niſi deſerto bono malus eſſe valebat. Malus igitur effectus mala multa reperit, quæ donec malus erit, euitare non poterit. O quã beatus futurus erat, ſi in naturali ſua dignitate perſtitiſſet, conditus nanq; fuerat præclarus forma, plenus ſcientia, & cunctis angelis honore prælatus. Sic enim ad illũ Dominus per Prophetã dicit, Tu ſignaculum ſimilitudinis plenus ſapientia, perfectus decore, in deliciis paradiſi Dei fuiſti, omnis lapis pretioſus operimentũ tuum, aurum quoq; decoris tui, & foramina tua in die, qua cõditus es, pręparata ſunt, tu Cherub extentus, & protegens, & poſui te in mõte ſancto Dei in medio lapidum ignitorũ, ambulaſti perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inuenta eſt iniquitas in te, quoniã vero ſuũ à quo tanta perceperat, neglexit autorem, iniquitatis ſuæ mercedem promeruit. De naturæ ſiquidem cecidit puritate, de luce in tenebras, de ſcientia in ignorantiam, de innocentia in culpam, de fęlicitate in pœnam, liberi quoque arbitrii facultatem amiſit, vnde ad priſtinum beatitudinis ſtatũ reparari non poteſt, ſecum etiam tot traxit ad inferos, quot angelos ĩ iniquitatis cõſenſu habuit ſocios, Sedem ſuam ad aquilonem ponere, ſuper aſtra cœli, & nubium altitudinem volare cupiẽs, atque ſimilis eſſe altiſsimo, miſerabiliter cum fautoribus ſuis æternis in tartarum eſt mancipatus ſuppliciis. Ex hoc in Deum odii ardore ſuccenſus tota virtute ſe contra hominem armauit, qui diuinam in ſe gerebat imaginem. Doluit planè, vt illuc ille aſcenderet, vnde ipſe ſuperbiendo deſcenderat. Vtraq; igitur liuoris peſte repletus, ſcientiæ atque diuinitatis altitudinẽ homini malè ſuadendo promiſit. Factus itaque homo eſt malus, dum voluntate mala malo cõſenſit in malum. Nempe qui paradiſi fuerat ciuis, effectus eſt mundi, perpeſſus eſt ærumnas in ſeculo, de terra ſpinas, & tribulos, concupiſcentias in carne, & multiplices defectiones in ſpiritu. Quis ſufficienter explicet vtriuſque hominis calamitates innũmeras? Quis animi, & ſenſus illius edicet miſerias? Horum omniũ mala voluntas eſt cauſa. Hæc planè naturã corrupit, aboleuit legẽ, deiecit Angelũ, proſtrauit hominẽ, cœlũ orbauit, confudit vniuerſũ, irritauit altiſsimũ, & cõpleuit abyſſũ. Hæc prorſus lites excitat, parit odia, rapinas facit, homicidia perpetrat, intorquet blaſphemias, ſupplãtat innocẽtẽ, opprimit pauperẽ, extollit ditẽ, eleuat ſuperbum, contẽnit humilẽ, cõturbat quod pacis, ꝙ iuſtitiæ, ꝙ vnitatis, quod virtutis, quod ſanctitatis. Vbi dominatur illa, abeſt charitas,

Ezec. 28. | Eſa. 14.

ritas,elongatur ſapientia,ignota permanet veritas,ibi cõſilia mala,infatuatum cor,cogitationes nefarię,immoderati affectus,terrenorum amor, principandi libido,mentis confuſio, carentia luminis,neſcientia fraternæ dilectionis, odiũ ſui, & implacabile bellũ, nam quemadmodum proteſtantibus Angelis pacatiſsima pax bonæ volũtatis prærogatur hominibus, ita malæ voluntates perturbationis infelicitas.Secum diſident mali,cupiditatum certamina patiuntur, vitiorũ tentamenta ſuſtinent, atque immundorum ſpirituũ ſpirituales nequeunt euitare inſultus.Factę quippe ſunt iudicante Deo inter Angelicam, quæ cecidit,humanamque naturam,inimicitiæ irremiſsibiles,quæ ex malæ voluntatis ſeminario prodi-
Gene. 3. re noſcũtur. Sic enim deceptori Angelo Deum dixiſſe cognoſcimus, Ponã (inquit) inimicitias inter te,& ſemen illius. Illa cõteret caput tuum, tu inſidiaberis calcaneo illius. Huius igitur draconis quiſquis cupit cõterere caput, reiecto prauæ voluntatis indumẽto, efficiatur bonus,bonũ diligat,ſectetur bonitatẽ, cordis cuſtodiat innocẽtiã, quatenus maligni fraude calcata Propheticũ illud prę ſuauitatis abũdãtia valeat decãtare,
Pſal. 72. Quã bonus Iſrael Deus iis, qui recto ſunt corde?

De impiorum miſeria,& multifarijs dæmonum infeſtationibus. Cap. V.

QVemadmodum vnaquæque res ex ſolis calore vitam trahit, ac lumen percipit,adeo vt abſque illo, nec fœcunditatem habere valeat, nec decorẽ, ita & ſpiritualis natura rationis effecta particeps, nec vitam ſpiritus, neque fœcunditatem poſsidere poteſt, vel ſpeciem, niſi diuina mediante bonitate. Eſt quippe ipſa bonitas immortalis ſumma, ſuique per omnia cõmunicatiua, perfectè,ſimpliciterq; qua qui caret mortuus cenſendus eſt,inutilis,atque deformis.Nullum vitalẽ habet motũ,ſenſumque perpetuitatis nullũ.Iacet in ſe confuſus, ignarus, ac mortis fluctuationibus obuolutus ſterilis eſt,& ſiccitate combuſtus, quoniam cœleſtis roris ſtillicidia minimè ſuſcipere meretur in ſe.Totus deformis,totus maculoſus,& teter opacę noctis, & inextinguibilis gehennæ habitator eſt factus. Hoc nequam homines, hoc maligni ſpiritus ſuo teſtantur exemplo. Ipſi etenim æternæ mortis ſunt filii, & ad interitum prædeſtinati. Quis malorum hominum,& potiſsimè immundorum dęmonum calamitates enodare ſufficiat? Nempe auerſi à luce ſapientię, & à dulcedine diuinæ bonitatis alienati retrorſum impœnitentes effecti ſunt, obdurati in inſipientia, in malo obſtinati, excæcati à vero, deordinati in bono, in virtute infirmati, & à Dei contemplatione excluſi, impia eorum voluntate, atque peruerſa impellente inuidia ad hominum damnationem toto conaminę vacant. Hinc Dei permittente iuſtitia furore bacchantur,fraudes parant, tentationum ſagitta, indeficienter intorquent, ſi quomodo inermes viros transfigere queant. Nemo planè eorum inſidias euitaret,niſi bonita-
tis ac veritatis clypeo muniretur. Protegitur igi Pſal. 90.
tur quiſque iuſtus iuxta Prophetæ ſententiam veritatis ſcuto, vt à timore nocturno non paueat, nec à ſagitta tangatur,quę volat in die. Aut inuoluatur à negotio perambulante in tenebris, vel ſubuertatur ab incurſu & dæmonio meridiano, veritatis ſuffragio non humanæ temeritati talis aſcribenda victoria. Imbecillis per ſe cognoſcitur homo, vt tam procacis aduerſarii valeat ſuperare inſultus. Mortalis tunicæ,& putreſcentis carnis quum ſit confuſione veſtitus, quomodo incorporeum ſpiritum debellare præſumeret? Nullo prorſus ipſe Diabolus molis corporeæ grauatur onere,nullis parietum, carceruve præpeditur obſtaculis, nulla ad tentandum fatigatione laſſatur,ſed ſemper paratus,ſemper accenſus,ſẽperque nocendi auiditate procliuus eſt.Calliditate ad deceptionem hominum vtitur nimia, & fucata arte decertat.Multifariis illuſionum generibus,diuerſiſque tentationũ phantaſmatibus per momenta ſingula, Deo permittente, mentis impellit domum,rationiſque oſtia intrare conatur, vt arbitrij libertate in ſeruitutem redigat, nũc terroribus pulſat, nũc verboſis clamoribus minatur ſupplicia,hoc vt perficiat validius, formas hominũ,reptilium,iumentorũq; varias fingit, in quorum primo aſpectu humana infirmitas plurimũ deterretur,ſed crucis ſignaculo Chriſti inuocato nomine liberatur. Nempe quemadmodum fluit cera à facie ignis,ſic dæmonum argumenta pereunt ab inuocatione nominis Ieſu & mediatoris noſtri. Obſcœna præterea illius contra Deum in humano corde prolata eloquia, & contra ſanctos,ſacramentaque cœleſtia quis enodare valeat? Maledictionis & blaſphemię verbis ſimpliciũ ac ſuperbientiũ flagellat mentes,ſi quomodo eoſdem in deſperationis præcipitet baratrum,verũ huiuſmodi cõtẽptu,atq; animi magnanimitate ſuperãtur. Blãdis interdũ ſuaſionibus, promiſsionibus multis, doloſis rationibus ac ſimulato ſermone iuſtorum animas ad conſenſũ nititur inclinare delicti. Nũc miſericordẽ Deũ, nũc pium patrẽ,nunc placabilem aſſeuerat iudicem.Conſueuit frequenter venenatus hic coluber ſe in lucis trãsfigurare angelum,quãdoq; per viſibilem ſpeciẽ,aliquãdo per viſibilẽ ſuggeſtionẽ. Nouimus ſcripturarum eruditione innumerabilẽ populorũ multitudinẽ diabolo diuinũ exhibuiſſe cultum in cęremoniis,in ſacrificiis,in obſecrationibus, atq; illi in oraculis accommodaſſe fidẽ,mentienti ſe Deũ.Plurimos inſuper ab ipſo mũdi exordio vſq; nunc ſcimus ab arce iuſtitiæ, quã tenebãt cecidiſſe,pretioſũ ignorãtes ſeparare à vili. O quã iugiter etiã iuſtorũ ꝓficiẽtiũq;

ſeducit

ſeducit mentes, vitia ſub virtutum tegendo velamine. Magnus coram Domino, atque perfectus cenſendus eſt ille, qui caſum huiuſmodi interdũ non patitur, qui vt Paulus diaboli aſtutias non ignorat, qui introrſus verbi Dei tanta familiaritate potitur, vt virtutum cenſuram, vel in minimis non relinquat, ſemperque euaginatum diſcretione ſic tenet mucronem, vt naſcentia in corde abſque pietate vitia reſecet. Felicem planè dixerim, quicunque iuſtitię zelum ſine indignatione & crudelitate exercet, proximo compaſsionem abſque priuato amore exhibet, abſtinẽtiæ ſobrietatẽ abſque inanis gloriæ macula cuſtodit, quietique ſanctæ ſine errore vacat. In his, quæ ſpiritualia videntur & bona, conſueuit tortuoſus latitare ſerpens, atq; tentationum tendere laqueos, quos nullus ad plenũ ſufficit euitare. Amicos etenim ſuos Dei ſapientia eorum occaſione in humilitate nutrit, quatenus diſcant quid ex ſe, quidve ex diuino munere valeant. Nam qui in minimis infirmus & infidelis exiſtit, in magnis & ſpiritualibus per ſe quomodo ſtabit? Oculos igitur cordis quemadmodum elatio claudit, ita humilitas reſerat. Rex ſuperborum Diabolus, ſed humilium inhabitator eſt Chriſtus. Nemo autem antiqui hoſtis fallacias (niſi præuia humilitate) in ſapientię cognoſcit lumine. Ipſa ſplendore ſuo fugat tenebras, tentationes detegit, humanæ menti abdita pandit, ſibiipſi hominem cognoſcibilem reddit, atque ſtructuram mali Angeli lucem manifeſtando reprehendit. Dei itaque ſapientiam poſsideat Chriſtum, in humilitatis thalamo quiſquis Diaboli fraudes ſuperare deſiderat, lumen cordis indeficienter foueat, vt penetret abdita, futura proſpectet, & ſimulata cognoſcat. Multifarie malignus ſpiritus, milleq; modis certat, vt vincat. Se ſicut Deum in lucis transfigurat Angelum, ſe interdum totis conatibus opponit certatibus contra ſe dedecus proprium arbitrans ab hominibus ſuperari, nonnunquam etiam fugam ſimulat, & tanquam ſuperatum ſeceſsiſſe videtur, quod pugnandi genus pauciſsimis notum eſt. Heu quoties miles Chriſti belli tempore luctatur viriliter, inimicos inſequitur, vitia reſecat præuidet laqueos, atque virtutum reportat trophæum. Fit pro victoria lętus, efficitur de pace ſecurus, deponit arma, rigorem temperat, & à ſuæ languet cuſtodia, Deo autem permittente ſæpe contingit, vt repentè irruẽtes ſuper ſe ſentiat hoſtes, illiſque ſuccumbat, quoniam non ſicut decuit ſuum honorificauit autorem, ſeu de ſe præſumendo refriguit. Quis (oro) ingratus fuit, & ſpiritualibus eſt locupletatus diuitiis? Quis, inquam, pro ſibi irrogatis muneribus intumuit & ſtetit?
Pſal. 72 Comitantur vt plurimũ ſuperbia & caſus. Deiecisti (inquit Propheta ad Dominum) eos dũ alleuarentur, hoc vtique dicerat ex ſe, quemadmodum alio teſtatur in loco, dicens, Priuſquam humiliarer, ego deliqui. Quoniam verò ante ruinã exaltatur cor, quicunque ſtare concupiſcit, efficiatur humilis, vigilet in ſe, & timoris ſancti maceria ſe piat ſe, ſuper ſui cuſtodia oculos apertos habeat, vt certantem diabolum aduerſum ſe in lumine fidei cernere queat. Prorſus contra leonis huius ſæuitiam maxima eſt adhibenda prudentia. Pugnat quantum poteſt per ſe, pugnat per creaturarũ illecebras. Princeps quippe mũdi qui ſit, heu, quot, quos per ſe non valuit, per mũdi ſeduxit blanditias promittit fęlicitatem diuturnã, diuitias multas, longæuum tempus, carnis voluptates, deliciarum affluentiam, honorum culmẽ prolis fœcunditatẽ, poſſeſsionum fertilitatem, vitæ pręſentis gloriam, & exitus ſecurum finẽ. Nẽpe huiuſcemodi ſpõſionibus carnaliũ mulcet animos, atq; cupiditatis vinculo poſt ſe captiuos trahit. Virtutum autem viros aliter atque aliter impugnat, nunc malorum animos commouet, nũc etiam bonorum mentes ſub boni zelo, irritatur contra illos, fitque diuina diſponente clementia plerunque iſte ſic confuſus conflictus, vt neq; qui impugnatur, neque qui infeſtus eſt, miniſterium iniquitatis agnoſcat. Proſternuntur in hoc certamine multi, inimici fallacias neſcientes. Nam viſibilis quis, inuiſibiles ſub viſibilium ſpecie agnoſcit laqueos? Hoc ex Sancti Spiritus poſsidetur dono, qui ſpirituales facit viros, vt diiudicẽt omnia interiora, videlicet & exteriora, & ipſi à nemine iudicentur. Quicunque tales ſunt (quãquã non ſemper) aſtutias Diaboli non ignorant. Proinde in nullo illi cedere ſatagunt, ſiue dum per viſibiles ſpecies, ſeu dum per carnis inuiſibiles pugnat illecebras. Meritò hi luctatores eximii in perfectorum cenſendi ſunt numero, atque ſanctorum aſcribendi cathalogo, qui calcantes viſibilia, & à proximis illatas iniurias ſuperantes, cõtra ipſum omnium Diabolum incentorem malorum, atque corporis voluptates ſpiritualibus muniti armis viriliter præliantur. Nullo prorſus temporis momento vacant à ſtudio pugnandi, ſicut nunquam hoſtes ſuos dormitare perſentiunt, illuc certandi intentionem dirigunt, vnde inimicorum acies agnoſcunt irruere, in mentis ſublimitate conſiſtunt, ventura proſpectant, ex præteritis metiuntur præſentia, ſicque fit, vt ex vſu prudentiam, ex certamine virtutem, ex ſucceſſu proſpero ſpem, atque ex tentationum multiplicitate ſpiritualem ſortiãtur triumphum. Beati plane quos ſic tu erudieris Domine, ac de multiformi conflictu docueris eos, quatenus in tuo lumine cognoſcant virtutum profectum, vitiorum dominatum, tentationumque victoriam percepiſſe abs te, ex quibus ſuaui quadam cordis modulatione humilitatis carmen valeant de-
Pſal. 144. cantare, dicentes, Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.

De ſpiritualium armorum generibus in interiori conflictu neceſſarijs, & commendatione prudentiæ.
Cap. VI.

IN ſuperiori tractatu tenuis ingenioli noſtri eouſque laborauit intentio, vt debellãtium nos hoſtium diuerſitates agnoſcãtur, & fraudes. Caſſo ſi quidem labore deſudat, quiſquis certaminis introiens campum, ignorat cum quibus debeat habere conflictum. Verum ad victoriæ profectum ſicut vtile eſt ſcire quis certet, ita neceſſarium cenſetur armorum non ignorare præſidia. Horum quippe duo ſunt genera, quædam videlicet defenſiua, & quædam offenſiua. Vnum quo Chriſti præliator ſui vtitur ad munimen, alterum quod tenet inimicus, vt feriat. Altero nanque aduerſariorum effugit ictus, per alterum vero eoſdem vulnerando inſequitur, primum quidem interiorem defendit hominem, ne cæſus cadat: ſecundum autem ſpirituales reprimit hoſtes, ne appropient ſæuiendo, horum profectò ſingula ſpeciali ſunt declaranda ſermone, vt eorum decore inſpecto, quicunque Chriſti ſunt militiæ dediti, terrenis facultatibus abdicatis, ſe ad eadem poſſidenda excitẽt. Nemo etenim abſq; armorum proiectione bellatorum cuneos tutus ingreditur. Nemo inermis perſeuerat in ſtadio. Chriſtianæ igitur militiæ ſe muniat armis quiſquis de aduerſariis cupit reportare triumphũ. In huius itaque peregrinationis campo pugnantib. prudentiæ virtus præ cęteris neceſſaria eſſe probatur. Reliquæ nãque interioris hominis ſtatum ex parte defendũt: iſta autem totum corpus munit, & ornat. Eſt quippe prudentiæ virtus lorica quædã ſpiritualis, & ferrea, quæ rationalẽ mentẽ vndique complectendo circundat: adeo vt nullis eam inimicorum ictibus parere permittat. Ante enim, & retro, à dextris, & a ſiniſtris extendẽs ſe, in omni aduerſariorum inſultu rationalẽ ſpiritum facit eſſe victorem: futura nanque proſpectans maturiorem animæ reddit inceſſum. Quãuis etenim mens cœleſtium amore flammeſcat, quamuis ad brauium ſupernæ vocationis aſcendere velit, quamuis perfectionis apicẽ conetur attingere, operandi tamen modum imponit prudentia, & proficiendi legem indicit. Quis (oro) proprio nõ circumuenitur voto? quis virtutis nõ allicitur pulchritudine? quis guſtato deuotionis poculo non magis magiſque inardeſcit cupiens diſſolui, & eſſe cum Chriſto? Verũ omni ſpiritui docet prudentia non credere: anteriora præuidet, vt perſeuerãtiæ triumphum obtineat. Nouit innumeros ex immoderato præcipitatos impulſu. Quamobrem virtutũ arcem antequam ædificare præſumat iuxta magiſteriũ ſapientię ſedet, proprias metitur vires, operis difficultatem conſiderat, diuturnitatẽ finis attendit, tentationum certamina futura meditatur, ne fortè, & inopinatis tribulationum euentibus inchoatum cogatur intermittere opus. Nautarũ quoque more priuſquam tempeſtates inſurgant, ad prudentię ſe transferunt portum, donec pacato ęquore tranquillitate potiantur optata. Aſcendit profectò mens prouida ſui cacumen ingenii, perluſtrat eminus, ac diligẽti indagatione reuoluit ſecum, vtrum virtuti parentur inſidię, lateat in cogitatione dolus, intentionis ſimplex ſit oculus, atque longanimitatis in ea ſit robur. Hęc quiſquis conſiderare neglexerit, obuiantibus ſibi aduerſarijs ſe opponit inermis, diſcet proculdubio hic talis poſt caſum, quam inconſulte egerit, dum noluit nouiſſima prouidere. Nempe vniuerſorum artifex Deus in humano corpore inſtituit luminaria, quę naturali ſuo officio membris cęteris pręmonſtrarent viam, greſſus dirigerent, & pericula pręuiderent. Quis enumeret quanto careant ſolatio, quantisve ſubiaceant calamitatibus, qui corporali priuati ſunt lumine? Diſce igitur tu, ò rationalis homo, ad Dei imaginem conditus, quanti ęſtimare debeas diſcretionis tibi iudicium pręrogatum. Caue diligenter, ne illud tibi euertat inimicus, ne ſuperbię pernicioſę fumus, ſeu illecebroſę carnis voluptas, aut delictorum opaca nox auferat, quod tibi donauit omnipotens. Intuere igitur nunc, quod ſupra te pacſidet bonum, nunc quod agendum eſt contra te, nũc quod verſatur in te. In his prorſus omnis diſcretionis cenſura conſiſtit. Non ergo dormitet oculus, ne fortè ex incuria pes animę in lubrico poſitus totũ ſpirituale proſternat corpus. Facilè enim adeſt caſus, vbi prudentię deeſt conſilium. Ex pręteritis planè prudens futura metitur. Neque enim ſapiens arbitrandus eſt, qui aut ſine diſcretione futura diſponit, vel abſque diſcuſſione obliuioni pręterita tradit: vtrunque congruit ſapienti, ex magiſterio experientię fit cautus, atque ex cautela efficitur prudens. Erat beata virgo de omnibus, quę audiebat, ſeu videbat in Chriſto conferens in corde ſuo. Nil prudentiſſimę matri de prophetarum oraculis, aut iuſtorum eloquiis, quę pertinebant ad dominum, pręteribat indiſcuſſum. Ad perfectionem itaque prudentię ſpectat tranſacta minime obliuiſci, ſedulaque cogitatione recolere impenſa à Deo beneficia, tentationes pręteritas ſuperata diſcrimina, & multimodos caſus delinquentium. Nempe ingratus quiſque diu ſtare non valens relinquitur ſibi: vt ſciat poſt ruinam conditorem cognoſcere propriũ. Diſcat igitur miles Chriſti in belli ſpiritualis acie conſtitutus Deo gratias agere: quatenus cõtra aduerſarios virtutẽ, in agẽdis prudentiã, & de cœleſtib. donis ſemper potiora mereatur accipere. Diſcat ẽt ex iuſtorũ pręuaricatione prudẽtiã. Plurimũ etenim cõfert ad euitanda propria, aliorũ errata cognoſcere. Porrò ſpiritualis, qui iudicat oĩa, peccantium foueas intuetur, & gemit, agnoſcit eorũ culpã, & in humi-

Luc. 2.

litate

litate ſe deiicit, cõpatitur alienis, & de ſua infirmitate fit pauidus. Gradus quippe in corde ſuo diſponens ex aliorum occaſione in ſui regimine efficitur prudens, Deo humilis, & in cuſtodia diuinæ legis filiali impellente timore deuotus. Accẽditur huiuſmodi bonorum exercitiis ad profectum, ſecumque habitans laudabiliter cuncta cõponit, futura præuidet, vt declinet mala, præteritaque recogitat, vt in ſuo certamine prudentior fiat. Nouit equidem dęmonum fraudes, & quàm pertinaci animoſitate conſueuerint circumuenire improuidos. Hinc ſe ad perferendum proſpera & aduerſa præmunit, quæ nũc à dextris, nunc à ſiniſtris inſidiantur, vt feriant. O quantos quotidie intuemur fœlicibus ſuceeſsibus eleuatos, repentè ad ima deſcendere? Blandiuntur quidem proſpera inſipientium animos: qui ſolum viſibilia poſsidere peroptant, & ſui amore ſuccẽduntur. Mentiuntur fucata arte poſſe præſtare quod nequeunt, temporis diuturnitatem, diuitiarum opulentiam, præeminẽtiam dignitatum, voluptatum ſaturitatem, gaudium mẽtis, beatitudinis arrham, & fruitionem quandam deſideriorũ ſuis dilectoribus pollicentur. Talibus ſponſionibus filios hominum trahunt captiuos poſt ſe, tanquam irrationabilia animalia, inaurato ſuo poculo eoſdem inebriantes heu quàm crudeliter necant. Hoc prorſus minimè valerent, niſi quos perimunt, prius à ſui cognitione diuellerent. Nunquam ſponte homo ſeculi vanitati ſe ſubderet, ſi in veritatis lumine mentis oculos apertos teneret. Principalis igitur iactura diſcedentiũ à Chriſto, & mundi huius ſectantium voluptates hæc eſt, naturalis rationis cenſuram amittere, & falſum pro uero illuſoria delectatione percipere. In hoc profundo dum inciderint, carnis concupiſcentiam, oculorum appetibilia, vitæque ſuperbiam, quibus mundus eſt plenus, non fatigantur inquirere: Fiunt permittente Deo incorrigibiles, ignoti ſibi, ſalutis propriæ inimici, veritatis aduerſarij virtutum detractores, infideles apoſtatę, mendacij teſtes, dæmonum imitatores, vitiorum mundi ciues, à ſanctorum collegio alieni: atque flagitiorum omnium voluntarii ſectatores. Temporalium ſiquidem proſperitate elati, nec Deũ timent, neque ſancta cœlorum agmina venerantur. Quum igitur in labore hominum non ſint,
Pſal. 72.
nec cum hominibus flagellentur, ideo tenet eos ſuperbia, opertique ſunt iniquitate & impietate ſua. Quoniã verò quaſi ex adipe proſperitatis humanæ iniquitates eorũ prodeunt, tranſeunt in effectũ cordis, meditanteſq; nequitiã impudẽter in excelſo loquuntur. Iſtiuſmodi planè ſunt germina fœlicitatis pereuntis exilii, talia imprudentiũ eſſe noſcuntur opera, qui ebriati ſenſibilium voluptate, cœleſtium gaudiorum dedignantur amare promiſſa. Spiritualium verò proſperitatum bona (quæ bona vtique dixerim) quoniam ad profectum boni ab eo, qui ſummè bonus eſt, prærogata creduntur, humanum affectum alliciunt, ſenſus paruulorum ſapido ſuo illapſu ab vberibus lutoſæ carnis euellunt, excellentiæ diuinæ bonitatis lumen infundunt, & conuiuantium in cœlorum regno reliquias deguſtare concedunt. Prudentibus quippe & corde humilibus ſapiunt. Internos nanq; earum animarum ſenſus nutriunt ad amorem, roborãt ad virtutes, componunt ad mores, mentes eleuant, depurant affectus Deo ac hominibus amabiles reddunt, frequenter declinant in humilium thalamos, ſuamque in illis collocant mãſionem. Gratis etenim cum à Deo donentur, grato ſuſcipiendæ ſunt corde. Non ſunt condignæ paſsiones huius temporis, ad guttam minimam diuinæ dulcedinis, quæ præſtatur amantibus. Quamobrem quicunque illo effectus eſt dignus, ſeductoriis ſpiritibus interdicat aditum, ne vmbram ſuo veritatibus tegumento recipiat. Ipſe planè Satanas in lucis ſe transfigurat angelum: ſi quomodo vacantibus Deo, deuotionis auferat fructum. Duplici nanque laqueo illos irretire conatur. In ſanctitatis quidam imagine, tumorem ſuperbię, & adulteræ conſolationis miſcet cœnum: tanquam pro ſingulari vita præcipuum, & commendatione digniſsimum oſtendit incautum. Cæteros moribus, deuotione, & merito præcellere dicit, quatenus honoris cathedram, ſeu paſtoralis inſulæ primatum, vel ſaltem ſummum gradum appetat in cœleſtis regi diſcubitu. Hoc draconis antiqui ſeminarium eſt: hæ, inquam, ſunt immiſsiones factæ per angelum malum: illum videlicet, qui procaciter contra ſuum conditorem erectus aiebat: Supra aſtra cœli exaltabo ſolium meum, in monte teſtamen- Iſai. 14.
ti, in lateribus aquilonis, & ero ſimilis altiſsimo. Nam quemadmodum humilitatem Deus, ita elationem diabolus ſubminiſtrat. Beatus humilis, quoniam ſi diſponente Deo ceciderit ex qualicunque mentis inflatione non collidetur: quia dominus illi ſupponet manum, ne funditus pereat. Superbis enim reſiſtit, & humilibus dat diſcretionis gratiam, vt ſciant ſobriè, & cũ prudentia ſpiritualium gaudiorum tractare affluentiam. Cum prudentia quidem, ne elationis aura illa illecti, in magnis aut mirabilibus ſupra ſe diligant ambulare. Sobriè verò, ne diuinę conſolationis refecti pabulo, propriam cogantur diabolica fraude decepti pręterire menſuram. Temperanter etenim ſpiritualis eſt ſumenda dulcedo, ne ex immoderato guſtu faſtidium generet. Hoc ſapiens inſinuans inquit: Mel inueniſti, comede quod ſufficit, ne cogaris euomere. Nõ igitur ad ſatietatem ſpiritualis eſt ſectanda deuotio, ne ex familiaritate nimia contemptum, aut ex aſsiduitate imprudenti tędium generet. Quis ſapiens intelliget hęc, domini mandata cuſtodiens: vtrarunq; deceptionum effugiet laqueos

pręcunte

præeunte prudentia. Nam & per humilitatē cordis, ſuperbiam, & per diſcretionis libram, tepiditatis ſpiritus collidet decipulam. Latus planè dextrum muniet in proſperis, ne bono vtens malè, efficiatur malus. Muniet & ſiniſtrū ne fatigatus aduerſis, contra ſalutem propriam repugnare videatur. Optimum nanque ſalutis præſidium, ſunt diuinitus irrogata flagella: quemadmodum Heb. 12. Apoſtolico ore dominus teſtatur, dicens: Ego quos amo, arguo: Purgantur electorum palmitū infœcundi rami, vt vberem agricolæ procreent fructuum. Nam qui inculti remanēt, prorſus ſuo exciduntur tempore, & in ignem mittuntur. Maximum itaq; miſerationis diuinæ munus, ac præcipuum humanæ ſpei ſolatium eſt, temporaliter cum Dei filiis aduerſitatibus exerceri: quatenus diſcat qui patitur, compati patientibus, non inſoleſcere ſucceſsibus ſecundis, labentis ſeculi non inhærere delicijs, peregrinationem non amare propriam: & ſe ſupra cæteros non inflare. Difficile dilectionis lege contentus eſt, qui alios proſperitate præcellit. Conſueuit autem qui tribulationibus fatigatur, ſectari humilitatē, priuatam non appetere gloriam, potentium deuitate conſortia, ſalutis monita libenter audire, ſanis conſiliis acquieſcere, & diuinam legē operibus cuſtodire. Bonum (inquit Propheta) quia Psal. 118. humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas. Improbus igitur cenſendus eſt ille, qui eruditus Heb. 12. verbere impatienter tolerat. Vide fili (ait ſcriptura ſacra) ne fatigeris, neque contradictionis prorumpas in verbum, quum flagellaris à Domino. Quis enim filius, quem non corrigat pater? forti equidem animo illata ſunt toleranda conuitia, ſed hilariter paterna ſunt ſuſtinenda flagella. Verùm patientis infirmitas prudentiæ ſemper eſt munienda ſuffragio. Rationi quamplurimum cedit humana debilitas, erigitur beneficiis, mercede ſolidatur. Debita itaque delictorum, bonorum omiſsio, gratiarum numeroſitas, ſanctorum exempla, & promiſſæ fęlicitatis ſedulo ruminād a ſunt præmia. Iſtiuſmodi etenim cogitationibus humana mens in pœnis fit hilaris, & in omni probata virtute ſublimis. In arce quidem prudentię conſtituta futura proſpiciens, & prętерita ſecum pertractans, quemadmodum proſperitatibus eleuari non ualet, ita ab irruentibus nequit aduerſitatibus ſuperari. Regio nanque decorata fulgore in ſe humilis, terribilis hoſtibus, in electorum oculis honorabilis, atque diuino conſpectui ex varietate prudentiæ amabilis extat.

Qualiter per corporales ſenſus, rationalis ſpiritus proficiat atque de ipſius ſpiritus nobilitate præcipua.
Cap. VII.

SIcut vniuerſa animata corpora, quæ vegetantur in terra hominis corpus dignitate præcellit & forma, ita inter eiuſdem corporis membra naturali nobilitate ſupereminet caput: ſenſuū nanque pulchritudine decoratur, per quos corpus omne nutritur & regitur. Sine oculorum adminiculo, quàm multa patiuntur incommoda? Illo quicunque caruerit, plurimum deficit cognitione eorum, quæ in cœlo fulgent, volitant per aera, in aquis natant, mouentur in terra, ſeu gignuntur ex ea. Nam corporea hæc per oculorum cernuntur intuitum: per aſpectum verò eorum decor agnoſcitur. Quod enim de oculorum officio dicitur hoc idem de aurium, narium, ac oris miniſterio patet. Sunt nanque hi ſenſus quidam ſpirituales prædagogi rationis: per eoſdem quippe rationalis ſpiritus optimè prouehitur, nedum ad naturalium ſcientiam, verumetiam ad diuinitatis præclaram notitiam, dicente Apoſtolo: Inuiſibilia Dei à Creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus & diuinitas. Rom. 1. Conſpiciuntur itaque & percipiuntur per ſenſus corporeos quæ facta ſunt, & habent corpus, ſed intelliguntur per mentem & rationem. Subminiſtrant enim ſenſus carnis interiori homini intelligendi materiam. Ipſe verò ſenſuum corporalium perficit dignitatem. Viciſsim ſibi inuicē famulantur, neque abſque partium detrimēto, valet ab alterutris ſeparari. Sacramentum hoc magnum eſt, & conſideratione digniſsimum, vt ſuperior natura ab inferiori iuuetur, quemadmodum à ſuperiori inferior. Eſt planè corporalis natura longè inferior ſpirituali, & actu, & dignitate, & fine. Valet ſine corporali ſpiritualis natura ſubſiſtere: abſque ſpirituali verò corporalis minimè. Tolle à corpore animam, & quid erit corpus? Vtique cadauer fœtidiſsimum, corrupta materia, vas horrendum, & inſtrumentum inutile. Ceſſet virtus, & miniſterium proprium rationalis ſpiritus in humano corpore conſtituti, & videbis hominem deformem, creaturam iumentis inſipientibus ſimilem, brutiſque animantibus ęqualia opera facientem. Nempe omnis hominis pulchritudo, cuncta elegantia humanę ſpeciei, non ex corporali, ſed ex ſpirituali eius natura prouenit. Quod enim datum eſt in prima ipſius inſtitutione, vt videlicet pręeſſet piſcibus maris, volatilibus cœli, & beſtiis terrę, propter rationalem illi pręrogatum eſt ſpiritum huius pręlationis gradum ideo amiſit, quia legem conditoris pręuaricando deliquit. Retinuit quidem in ſe naturę nobilitatem, in diſcretionis iudicio, in amoris priuilegio, in vtriuſque merito, in immortalitatis dono. Perdidit autem autoritatem imperandi, pręſidendi decorem, libertatem operandi, Deumque interpellandi fiduciam. Profectò niſi conferat gratia, reparet virtus, & vitę ſanctitas mereatur, nunquam recuperare valebit. Peccante itaque homine, nec peccatum, neque peccati pęnam euadere poteſt: ſicq; auxilio indiget

alieno

alieno, vt in id, quod fuerat, reuertatur: reuertitur autem ſi per viam alteram in eam, vnde cecidit, redire voluerit regionem. Humiliet ergo ſe, & legem Dei obediendo cuſtodiat, vt efficiatur amicus Dei, angelorum conſors, dominus mundi, poſſeſſor ſui. Nunquam in inferioribus principatum acquiret, niſi ſuperiori ſuo fuerit voluntate ſubiectus. Nempe meriti ſublimitate priuatur, quiſquis Deo extiterit neceſsitate impellente ſubmiſsus. Redde, ò homo rationalis ſuperiori tuo, quod ab inferiori tuo requiris. Sicut inferiorem, ita ſuperiorem te habere cognoſce. Inferior tuus vtique ſub te, & iuxta te eſt. Sub te quippe eſt, quicquid fulget ſub cœlo, ſiue aurum, ſiue argentũ, ſiue præcioſi lapides: quicquid in acquis natat, quicquid de terra gignitur pulcrum viſu, guſtui dulce, odoratui ſuaue, & tactui blandum ac molle. Iuxta verò te, teque inferior eſt, corruptibile corpus, infirma caro, ſenſualitas tua ſine ratione, & abſque diſcretionis iudicio: cui praes ac principaris, tanquam caput in corpore, & velut i ſuperior inferiori. Superior autem tuus ſupra te eſt, ſed non longè à te: quanquam immortalitatem habeat, & lucem inacceſsibilem habitet: tecum tamen ſi aſſenſum præbueris, habitare cõcupiſcit. Noli igitur illum ſpernere, noli abiicere, nec velis illi cordis tui ianuam pulſanti repudii libellum dare, quod non ad eius, ſed ad tui interitum fieret: illum agnoſce, illum venerare, illique obtemperare ſtude. Per ipſum quippe illi famulando antiquam recipies dignitatem. Quicquid enim honoris, quicquid ſolatii te delinquẽte deperiit, præſtantius per ipſum in melius reformabitur. Col. 2. Nec mireris in hoc. Apud ipſum nanque & in ipſo ſunt ſapientiæ theſauri, atque ſcientiæ diuitiæ impredabiles, deliciæ ſpirituales, honores regii, poteſtas æterna, incorruptibile regnum, gaudia perpetua, opulentiſsima ſeſſio, exuberans pax, florida & nunquam deficiẽs ætas, ſocietas ſanctorum, angelorum conſortia, præclariſsimæ manſiones, iucunditas ſine fine, puritas ſine labe, æternitas ſine terminatione, beatitudo vera, cognitio certa, compræhenſio immediata, laus ſonora, perfecta iubilatio, commune præmium, bonum ſummum, omniumque deſiderabilium conuiuium ſine fæcatum. Hæc vniuerſa, & his multa præſtantiora, ſuis dilectorib. impertitur. Illum itaque ama, illiusque te ſponte tribue famulatui, ne cogaris inuitus. Nam velint nolint, omnes ipſius obſequuntur imperio. Gratanter tamen accipiet, gratiamque rependet, ſi hoc ſponte perfeceris. Dabit enim tibi ſua, & libentius ſe. Te nanque exigit à te, vt ſe donet tibi, habitetque in te, non propter ſe, ſed propter te, cui hoc proficit ad ſolatium, prouenit ad meritũ, ſuffragatur ad præmium, communicatur ad gaudium. Quomodo (oro) non gaudebis, quum illũ, qui fecit te, agnoueris requieuiſſe in te: ſe reclinaſſe in te, vt te eleuet ad ſe? & hoc vnde? quibus meritis? quo interpellante? quo teſte? quo modo? quo fine? cuncta hæc amantibus ſuauiter ſapiunt: quoniam in ipſis ſunt amoris prçludia, & diuinç charitatis ſacroſancta cõmercia. Abiecto igitur onere prægrauantis cupiditatis propriis accede pedibus. Accede (inquam) & ſuperiorem tuum agnoſce, ſicut inferiorem agnouiſti, quatenus ita ille præſit tibi in te, quemadmodum tu inferiori tuo prçeſſe deſideras. Suſcipe ſuperiorem tuum, vt inferior tuus ſuſcipiat te. Nunquam inferiori dominaberis, niſi tibi ſuperior dominetur. Tantum tu illi, quantum iſte tibi: Optimus ad regię poteſtatis aſcenſus eſt, vt qui ſeruitutis obſequium ab inferiori cupit, id ipſe ſuperiori ſuo exoluat, prçcipuè quũ hoc expoſcat dignitas, ratio ſuadeat, cogat ſeruitus, clament beneficia, neceſsitasque compellat. Psal. 137. Iſta profecto nulli niſi Deo conueniunt. Nemo te, ò homo, niſi Deus ſuperior eſt. Te prçcellit dignitate, gratis te fecit, à ſeruitute redemit, beneficiis ditauit, & volũtate viuificat. Non dedigneris tanto, taliq; ſubeſſe, non ſpernas illum, quia non ſpreuit te, ſed miſericorditer deſcendit ad te. Excelſus dominus, omnipotens dominus, qui in in altis habitat, humilia reſpicit in cœlo & in terra. Reſpexit planè in cœlo ſancta illa angelorũ agmina, qui ſuperbienti Lucifero minime conſentientes in humilitatis virtute firmiter perſtiterunt. Reſpexit quoque in terra, quando verbũ ſuum de regalibus ſedibus mittens, naturam noſtrç mortalitatis ut aſſumeret voluit, quatenus ſeminecem, vulneratum & nudum ſanando redimeret, ſe tunc cognoſcibilem fecit homini, quum factus eſt homo. Quando verò factus eſt homo, factus eſt frater, magiſter, ſponſus, mediator, redemptor, & caput. Caput igitur tuum ò rationalis homo, agnoſce, ut corpus tuum agnoſcat ſuum. Hoc quomodo fiat, Apoſtolum audi. 1. Cor. 11. Caput (inquit) mulieris vir, caput viri Chriſtus, caput verò Chriſti Deus. Nempe mulier hçc ſenſualitas tua, quç rationis regimine indiget, quoniam non ualet per ſe. Huius tu conſtitutus es caput, ut per te inſtruatur, per te ducatur, per te cohibeatur ab iis, quç non licent ſibi, & domini lege prohibentur. Hçc habet appetitus ſuos qui diuinç voluntati aduerſantur. Hos comprimere debes, & propter hoc principatum ſuper illam adeptus es, tanquam in corpore caput, alioquin abuteris dono tuo, tuaque dignitate priuaris. Aſcende igitur ſuper tribunal tuum rationale, & inordinatis carnis deſideriis impone legem, quam te iubente, te cuſtodiente prçterire non audeat. Hanc vtique ſi errare non vis, diſce à ſuperiori tuo & à capite tuo, ut mulier audire dignetur abs te. Chriſtum Dei uirtutem, & Dei ſapientiam in mẽte tua habeto, & in te ip ſo tãquam in propria ſede reſideat. Sap. 7. Nam teſte eloquio diuino anima

iuſti

iuſti ſedes eſt ſapientiæ. Tibi ipſe dominetur, te doceat, tecum loquatur, caputque tuum veluti ſpiritualis galea ſalutis ab inimicorum protegat iaculis. Hac quippe galea ſi fueris decenter ornatus, corporis animæque tuos cuſtodies ſenſus, non poterit mors habere ingreſſum, vbi vita ſuũ collocauerit domicilium, vbi præſidet ſapientia, vbi rationalis ſpiritus à verbo inſtruitur, hoſtium ſpiritualium non præualent inſidiæ. Interiores nanque ſenſus dirigit, & exteriores à tentatione cuſtodit. Aurium etenim ſepit auditum, ne per il lum detractionis virus, obſcœnorumque verborum introeat languor, & mentis commaculet pu ritatem. Oculorum quoque reprimit curioſitatẽ, ne viſibilium inſpecto decore concupiſcentiarũ carnalium ſagittis cor penetret. Odoratus etiam lenocinia cohibet, quatenus virili cenſura ſeruata ad exteriora blandimenta non defluat. Guſtũ demum componit, & linguam, ne ſub temperan tiæ legibus conſtitutæ diſcretionis metas irrumpere poſsint. O quàm diligenda galeæ huius fida protectio, quę dum in mentis ſublimitate ſeruatur, vtriuſque hominis tentamenta diſſoluit. Interiorem ſiquidem pacem amabili ſpiritus ſuauitate cuſtodit, atque inoffenſo greſſu ſe diligentẽ tollit in altum. Veritatis etenim lumine irradiata mens nec inutiliter profluit, neque in elata cogi tatione tumeſcit, plus ſapere quàm oporteat nolens & in corde humilis, & opitulante gratia fir ſanctitate ſublimis. Ibi plane ſine ſtrepitu eruditur à verbo, atque incerta & occulta diuinæ ſapientiæ eloquia ſpirituali percipit auditu, cœleſtium cantionum modulatione lætatur, ac diuinę laudis aſperſa dulcedine futurę fœlicitatis odore pingueſcit. Charitatis nanque referta amœnitate poſt cõcupiti ſponſi currit odorem, tenet quẽ diligit currit vt capiat, amplectitur ne fugiat: ut placeat laudat, atque ne deficiat in idipſum ſemper exorat. O quanti gemitus, ò quam crebra ſuſpiria promit? Amoris enim concremata incendio, & deuotionis nectare ſaginata modullatum laudis exoluit incenſum: ſicut Deo acceptum, ſic ſibi valde ſaluificum. Hinc repletur os laude, cor eleuatur in iubilum, dilatatur votis animus, & mens æternę lucis candore veſtitur. Efficitur vti que læta pro munere, virtutibus fœcundatur rapitur in cœleſtibus, ſponſique caſtis amplexibus demulcetur. Hęc ſunt ò domine Ieſu mentium te diligentium interna ſolatia, hęc (inquam) ſunt te poſsidentium beata ſtudia, per quę te diligentes, teque ſeruante, & in ſpirituali certamine vincunt, & ad culmen affectionis aſcendũt. Te quip pe in illis pręſidente vt dominus ab immundis ſpiritibus eorum interiora pariter & exteriora defendis. Tuo nanque veluti ſpirituali galea mu niti pręſidio, nec tentationibus ſenſuum cedunt, neque carnis voluptatibus acquieſcunt.

Quòd detrimenta plurima ex ignorantia cauſantur, & de concupiſcentiæ luctu, quæ per fidem ſuperatur.

Cap. VIII.

Animarum quiſquis ſalubriter vult mederi languoribus, morbi naturam cognoſcat & cauſam. Hęc ſi quis ſcire ne glexerit ęgroto non ſoſpitatem, ſed vitę finem inducit. O neſcientiæ quanta ſunt mala, ſub ipſa iacet ratio, diſcretio periclitatur, fluit mens, fugatur humilitas, virtus deperit, fugatur pax, ordo confunditur, diſperditur gratia, & deſideria ſancta concepta frigeſcunt. Studete igitur ò Chriſti milites ſcire quid expedit, propriæ infirmitatis agnoſcite cauſas, quatenus inimicorum veſtrorum valeatis præcauere inſultus. Vbi dominatur ignorantia, ignauia præualet; vbi dormitat cuſtos, ibi aduerſarij vtiq; irrumpere ſolent. Quamobrem ſingulos Apoſtolus de his admonere nos volens inquit: Surge qui dormis, & exurge à mor tuis, & illuminabit te Chriſtus. Improbum plane valdeque verecundum eſt aduerſariis irruen tibus dormitare. Ephe. 5. Quoniam verò quandiu ſumus in corpore, militamus in acie, eligdemus animo, ut in ſpirituali prœlio vtiliter perduremus, ſedula intentione quæramus ſpiritualis belli cauſas, hoſtiumque noſtrorum inſidias. Hæc ex quo domino Ieſu militare curaui, mecum conferendo agnoſcere ſtudui, quanquam in me præualente ſecordia eaſdẽ minime debellare potuerim; quoties turbatus eſt à furore oculus meus, quoties cor meum dereliquit me, toties ab iis turpiter ſuperatus inuenior. Heu perſępe agnoſco quid debeam, ſed effœminatus animus, ac deteſtanda conſuetudine deprauatus, ſibiipſi ſubeſſe compellitur. Video vtique legem aliam in mẽbris meis repugnantem legi mentis meæ, captiuumque me ducentem in lege peccati, quæ eſt Rom. 7. in membris noſtris. Hanc ſpiritualium paſsionũ dixerim cauſam, hanc cunctis vitijs fomitem miniſtrare aſſeuerare non ambigo. Hinc ſpiritualis pugna ſumit originem, hinc triumphandi contra nos inimicorum noſtrorum roboratur audacia. Tolle concupiſcentiam ab homine, & omnia pacata reperies. Vnde lites, vnde contentiones, rapinæ & æmulationes, & talium millia? non ne ex concupiſcentiis, quę militant in nobis? Cuſtoditur lex, pax ſeruatur, nutritur concordia, ſufficiunt propria, nequaquam aliena diripiuntur, ſubeſt caro, ratio dominatur, diliguntur cœleſtia, & fraternus amor augetur, ſi concupiſcentię defuerit languor. Ipſo autem vigente ac pręualente deordinãtur omnia, ſiue corporalia ſiue ſpiritualia ſint. Quamobrẽ omnis diſciplina Chriſtianę profeſsionis non in miraculis faciendis, non in futura prędicendo, non in eloquio compoſito, ſcripturarumque explanatione, ſed in reſecandis concupiſcentiis commendatur. Quantum Chriſtum quis diligat in hoc ſpirituali certamine

mine recognoſcet. Reperiuntur quamplurimi, qui ſua tribuunt indigentibus, corpus abſtinentia macerant, peregrinantur pro domino, laboribus ſe exponunt atque periculis, & tamen proprias concupiſcentias relinquunt indomitas: nihil laborioſum arbitrantur eſſe, quod ſua voluntate perficiant. Qui vult poſt me venire (inquit dominus) abneget ſemetipſum & tollat crucem
Luc. 9. ſuam & ſequatur me. Nempe nil aliud eſt abnegare ſeipſum & crucem tollere, quàm carnalibus deſideriis, quæ aduerſus animam militant, reluctari. In nobis igitur & omnino contra nos pugnare nos docet, ſi cęlorum ęterna cupimus habere promiſſa. Non alienus quęrendus eſt qui feriatur: non bellandi extrinſecus eſt quærenda materia. Intra nos armatus eſt hoſtis, ad renitendum vtique ſemper accenſus. Si coronam cupis
2 Co. 10. reportare victoriæ certam, ſpiritualiter certa. Adeſt in te qui videat, iudicet & coronet. Nempe quemadmodum ſpirituales hoſtes ſunt, cum quibus confligimus, ita ſpiritualia arma. Apoſtolum audi loquentem: arma (inquit) militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed ſpiritualia potentia à Deo: quoniam non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cęleſtibus. Hinc eſt, quod tam pauci reperiuntur, qui in huiuſmodi valeant perdurare certamine. Re, nanq; vera, arduum eſt, vt quis cum inuiſibili hoſte inuiſibiliter velit habere congreſſum. Quis quod nō videt, amat? quis oculis clauſis pergit ad pugnam & tamen ſine viſibili lumine reluctari oportet. Habere autem te decet lumen vt videas: abſque lumine omnino ſuperaberis. Lumen quippe hoc cordis non corporis, mentium non oculorum eſt. In hoc lumine ſpirituales inimicos conſpicis: ſpiritualem te vincente coronam perci-
Ioan. 4. pis. Deus eſt ſpiritus: ideoque in ſpiritu decertandum eſt, ut placeat ei, qui videt in ſpiritu: hoc: vt comprobes verum eſſe, quod dicitur, quid Propheta dicat, attende: Spiritus ante faciem noſtrā Chriſtus dominus. Non eſt hora neque temporis momentum, quo te non cernat Deus tuus. Caue ne ſegniter dimices, ne coram tanto iudice aſtantibus miniſtris angelis ſuccumbas, & triumphi amittas palmam. Nam ſicut glorioſa victoria, ita ignominiæ plenum eſt eſſe deuictum. Duplici quippe pœna mulctatur, qui ex ignauia hoſtibus cedit: damni etenim detrimentum patitur, & ſenſus dolore transfigitur. Quomodo non doleat qui dæmonum captiuus effectus elongatur à Chriſto, & ab vnitate ſeparatur Eccleſiæ? Tanquam inutile membrum pręciditur, & iuſtorum omnium caret ſuffragio. O quàm lugenda iactura eſt neſciri à domino & contubernio priuari ſanctorum. Eſtote (eia) nunc bellatores Chriſti fortes in prælio: & nedum cum antiquo ſerpente, verumetiam contra concupiſcentias veſtras viriliter decertate. Sumite armaturam Ephe. 6.
Dei, loricam videlicet prudētiæ, ſalutis galeam, & ſcutum fidei: quatenus aduerſariorum ignita valeatis extinguere tela: hoc tenete ſcutum: hoc inimicis ſemper opponite. Nuſquam amoueatur, nuſquam à latere veſtro diſcedat, fide ſtate, fide certate. Eſt plane ſcutum fidei impenetrabile, aureum, & nunquam deficiens. Nempe ſi abſque fide viuitis, mortui eſtis. Si ſine fide certatis illico victi eſtis. Eſt enim fides donum Dei cœlitus Chriſti militibus prærogatum ad diripiendū cœlorum regna, debellādumque aereas poteſtates. Sic Apoſtolus Petrus fideles exhortans inquit. Sobrii eſtote & vigilate: quia aduerſarius ve- 1. Pet. 5.
ſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret: cui reſiſtite fortes in fide. Maxima fidei defenſio, quæ contra dęmonum fremitus protegit bellatores, & à viſibilibus ad inuiſibilia rapit, Nempe nil diabolica figmenta ſic reprimit, euadit pericula, tentationes ſuperat, tolerat aduerſa, ſpernere facit ſeculum, diſſoluit lites, donat debita, proximum facit Deo: ſicut fides, quæ per dilectionem operatur. Non illa, quę credit Deum, vel credit Deo, ſed quę credit in Deum. Prima quidem & ſecunda dęmonum eſt & malorum: tertia verò iuſtorum obtēperantium Chriſto. Iſta (inquam) patiens eſt, vbique ſecura, ſemper gaudens, erecta in Deum, & vniuerſa creata tranſcendens. Concupiſcentia nanque viſibilibus paſcitur. Fides autem inuiſibilibus & futuris, ima deſpicis, & eleuatur in ſumma magnanimitate ſua nec mortem metuit, nec cruciatibus cedit: quin potius naturam vincit, viſibilia calcat, pręſentemque vitam exilium arbitratur. O fides catholicę religionis ornamentū, diuinæ legis cuſtodia, ſacramentorum clauis, virtutum genitrix, perpetuę fęlicitatis ianua: amica angelorum, mundi interuentrix, laudabiliumq; operum merces, quàm glorioſa dicta ſunt de te, & quàm pręclara ſunt tuę dignitatis pręconia. Tibi Dei & hominum mediator, verbum vtique ſempiternum, & patri coęterna ſapientia perhibuit teſtimonium. Te patriarcharum & prophetarum oracula multipliciter prędicant: ſuper te ſanctaeum ſcripturarum eloquia ſublimiter operante paracleto fundata ſubſiſtunt. De ſacroſancto diuini conſilii arcano progrediens in electorum illaberis corda, ut de ſacramentorum cœleſtium veritate illos introrſus erudias. Nemo quippe (niſi pręuia luce tua) intelligere valet diuinę maieſtatis celſitudinem, bonitatem & gloriam. Nullus (inquam) abs te reſurrectionem futuram, virtutum cœleſtium gradus, eorumque miniſteria, dona ſpiritus, & ſcripturarum virtutem percipere poteſt. Quid uerò de cœleſtibus loquar, quum nemo ſine te de ſe valeat habere notitiā? Gerit quiſque in ſe rationalem quandam ſpiritualemq;

tualemq; ſubſtantiam, cuius dignitatem nequaquam intelligit, niſi per te: hanc qui nouit diligit. Qui verò nouit, prius credidit, prorſus nunquã ſciret ſi non crederet, dicente Propheta: Niſi crediderítis, non intelligetis. Qua propter quicunque abs te ſunt, non intelligentes ſe, diligunt vanitates & inſanias falſas ſeculi huius, per quas venundati ſub peccato, pergunt ad interitum ſempiternum. Tuo ſiquidem priuati ſplendore, per effuſas vitiorum tenebras circunducti cupiditatum irretiuntur laqueis. Minimè profectò caperentur, niſi ſe prius alienarent a te. Quamobrem amatores Dei, quotieſcunque diabolica contra ſe iacula intorta proſpiciunt, ſcutum tuum viriliter opponentes, perſeuerant illæſi. Si quando luxoſæ carnis illecebra mentem eorum impulerit: ſi temporalium interiorum honorum appetitio fragilitatem humanæ cupiditatis illexerit: ſi corporalium ſenſuum petulantiam viſibilium rerũ attraxerit ſpeties, illico clypeo tuo protecti victores exiſtunt. Ingeris enim illis æternorum notitiam, per quam ſuauiter recreati concupiſcentiarum letalium venena reiiciunt. Sola quippe ſcientia tua futurorum certitudinem præbet. Diceris nanque & es ſperandarum ſubſtantiam rerum, argumentumque non apparentium. Per te igitur fidelis quiſque efficitur victor: quoniã ſine dilectatione & cognitione cęleſtium, nequaquam verus temporaliũ contemptus acquiritur.

Eſa. 6.

Hebr. 11.

Quales eſſe debeant, qui in ſpirituali pugnaturi ſunt ſtadio, & de liberi nobilitate arbitrij.

Cap. IX.

INuiſibili conflictu, ſicut vſus docet, nullus, qui aut confectus ſenio, vel ætate puerulus, ſeu ægrotus corpore, ſiue inermis ſit, pugnaturus progreditur. Tales prorſus abhorret certãdi peritia. Nempe ſi eorũ, quibus nil deeſt, quod ad militarem pertineat artem, pereunt, multi, quid de iis, quibus multa ſuperaddita adſunt incommoda arbitrandum ſit, iudicet ſapiens. Porrò inuiſibilis certaminis viſibile bellum gerit imaginem. Et eadem in iſto, quæ in illo competunt neceſſaria eſſe cenſentur, eo perfectius, quò in ſpiritualibus iactura eſt grauior, pęna prolixior, verecundia manifeſtior, morſque immanior. Quid (oro) temporalium damna (etiam ſi omnium mundalium amiſsio fieret) ęternis diuitiis comparantur? Quid momentaneæ pœnæ inferni ſuppliciis coæquantur? Quid æſtimandum eſt erubeſcere in conſpectu hominum, æquiparatione pudoris, quem in conuentu omnium hominum, angelorumque perpeſſuri ſunt reprobi? Poſtremo interitui corporis quis animæ mortẽ non dicet eſſe diſsimilem? His igitur diligenter attentis, cuncti mortales euigilent, taliaque ad ſui defenſionem habere conentur, qualia in ſpirituali bello opportuna eſſe decernunt vniuerſos quippe in hac mortali carne degentes, luctãdi impellit neceſsitas. Nullus excluditur, nullus ab iſta liber efficitur. Seruus & liber, diues & pauper, nobilis & ignobilis, doctus & indoctus, ſenex & iuuenis, maſculus & fęmina, fidelis & infidelis in ſuæ uitæ primordiis laceſsitur ad pugnandum: inimicitiarum nanque ſecum fomenta deportans, hoſtes ſuos aduerſus ſe promouet ad certandum. Horum plane ſęuitiam formidandam nullus euaderet, niſi gratia cœleſtis protegeret bellaturos. Agit itaque erga vnumquenq; diuinæ bonitatis veneranda dignatio, ut & aduerſarios compeſcat ne noceant, & facinoribus omnibus infra diſcretionis ætatem commiſsis indulgeat. Hoc quippe exigit cenſura iuſtitiæ, ut cui metendi deeſt copia ſenſus, in futuro iudicio deſit & pœna. Ex libero hominis arbitrio, præmii ſeu damnationis pendet cauſa. Qualis fuerit ſingulorum uoluntas, talia præroganter ſtipendia meritorum. Verum illa tantum dicenda eſt libera, quæ rationis ſotiatur examini. Eſt (inquam) voluntas tunc libera quum ſponte conditoris ſubiicitur legi, quum malitię ſeu doli ueneno priuatur, quum vitiorum nexibus abſoluta per amoris ſtudium tendit in Deum. Cęterum quũ diſcretionis caret iudicio, quum peccatis tenetur obnoxia, quum voluptatibus dedita carnis ſectatur illecebras: ſicut nec ſana, ita neque eſſe cenſenda eſt libera. Adultis ergo, qui liberi arbitrii frui ualent dignitate, quemadmodum certaminis labor indicitur ſic triumphus debetur & gloria. Quamobrem quiſquis rationis eſt compos, voluntati ſuę imponat legem, ne per cupiditates ſeculi labentis effrenata diſcurrat. Affectus inquam animę tanquam ſpirituales pedes dirigat in uiam pacis, & in amorem virtutum, vt non aduerſariorum ſuorum irretiatur laqueis, & duplici morte depereat. Habet enim anima pedes ſuos, quibus perſequi, atque ſpirituales poteſt aduerſarios declinare. Affectibus quippe anima mouetur non locis. Hoſtes proculdubio tunc ſuos inſequitur, quum piis affectibus depurata, atque compoſito immiſsiones malas reluctando diſperdit. Eoſdem uero tunc declinare decernitur, quum delictorum materias fugiendo contemnit. Sunt igitur ſpirituales ii pedes deuotionis ac lacrymarum lauacro detergendi, ne polluti amoris cęno fędati cęleſtis ſponſi diſpliceant oculis. Sunt etiam calceamentorum honeſtate regendi, ut in certaminis expeditione ſint proni. Nemo plane gratanter nudis plantis pergit ad ſtadium. Quamobrem quiſquis abſque faſtidio pugnare voluerit, duplici deſiderio tanquam duobus calceamẽtis ſe muniat: quatenus veprũ aculeos, lapillorum punctiones queat inoffenſis pedibus peragrare. In ſiniſtro verò vitiorum ſẽper anhelet fugam. In dextro autem cupiat indeficienter virtutum ſectari geſta. Huiuſmodi cal-

cea-

ceamentorum ornamento ſponſam decoratam fuiſſe cognoſcimus, quando ſponſi voce ei in Cãtico dicitur canticorum. Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia principis. Ornãt quippe & muniunt. In altero quippe dilecti alliciunt oculos. In altero verò à beſtiarum morſibus, & tentationum liberant offendiculis. Nemo diabolo inſidianti calcaneo caput conterit, qui iſtis caruerit. Studeat itaque à corde ſuo vitiorum reſecare illecebras, qui pugnat vt vincat: peccatorum abhorreat cauſas, qui diuinis cupit placere obtutibus. Fœdat prorſus & cupiditatũ compede aſtrictum tenet animæ pedem vitiorum blanda voluptas. De hac quicunque fugerit glorioſiſsime triumphabit: innumeros hæc temeritate armatos debellando proſtrauit. Terga verò vertentibus vix tenuiter manus iniecit. Fugite (inquit dominus) de medio Babylonis. Nouimus iuſtum Loth non niſi fuga mediante de Sodomorum fuiſſe erutum incendio. Libidinis fuga, caſtitatis amore perficitur, humilitatis greſsibus ſuperbiæ laquei declinantur. Iracundiæ fremitus mãſuetudinis moderamine coercetur. Gulæ vtique inordinata voracitas ſobrietatis delectatione cõpeſcitur. Inuidię lethalẽ morbũ, ſine charitate quis ſuperat? Ambitus cupiditatis, & tẽporalium ſitis, cœleſtium prælibatione ſedatur. Verũ & futuræ retributionis certa fiducia ignauiæ torporem expellit. Vitiorum igitur fuga virtutum amore perficitur. Ambo cohærent, nec ab alterutris ſeparari queunt. Nam nec vitium ſine virtutis deſiderio ſuperari, nec virtus abſque vitiorũ contemptu valet adipiſci. Hæc deſideria duo ſunt animæ pedes, quibus omnes vtuntur, qui in ſtadio ſpiritualis certaminis currunt, vt incorruptibilem coronam accipiant. His currebat Apoſtolus non quaſi in incertum, ſed corpus propriũ virtutum ſtudiis edomabat, vt abdicatis vitiis ſpiritui ſubderetur. Nempe ad perfectionis faſtigium, quod triumphus eſt pugnę, virtutum deſiderio impellente pertingitur. Iſto nihil vtilius bellaturis, in ipſo prærogatur gratia, ſpiritualis latet dulcedo, dimicãdi ſubſiſtit peritia: per ipſum quoque additur robur, aduerſariorum debilitantur vires, virtus augetur, ſpe erigitur animus, patentque cœleſtia. Nemo virtutis valet reſerare præconia, atque meritorum ipſius propalare cõmercia. Semper virtutis cõcupiſcentia grata eſt Deo, angelis amabilis, iuſtis proficua. Iſta præcedente ac concomitante ſancti naturam vicerũt, ſuperauerunt dæmones, debellauerunt mundũ, ſubegerunt ſe ipſos, carnis lenocinia contempſerunt, diripuerunt cęlum, coronaſque perpetuas poſſederunt, imitatores facti ſunt Dei: nam dominus virtutum ipſe eſt rex gloriæ. Quid referam amplius? virtutis deſiderium præcellit miraculorum operationem; prophetiæ donum, linguarum genera, interpretationem ſermonum, ſanitatum gratiam, naturalium ſcientiam, & cognitionem cœleſtium, multi talibus ornati perierunt, virtutibus autem nemo. Semper virtutum deſiderio munitus incedat, qui vi cœlorum conatur diripere regnum. Non laceſſet, non deficiet, non dormitabit virtutis amator. Currunt in ſpirituali hoc ſtadio multi, ſed ſolus hic perfectionis accipit brauium. O quàm beatos dixerim amantium pedes, qui per virtutum itinera fœliciter gradientes cœleſtis patriæ deliciis perfruuntur, has poſt agonis ſpiritualis conſummatum opus percipiunt dapes. Non enim eorum eſt labor, inanis in Domino ſi igitur ò Chriſti milites intimæ charitatis concupiſcitis pace potiri, ſi ſupernæ vocationis gloriã feſtinatis arripere, ſi impręდabilibus theſauris ditari concupiſcitis, ſi immundorum laqueos vos euitare delectat, ſpirituales animæ veſtræ pedes ab omni immoderato affectu excutite, interioris deſidiæ vincula ſoluite, & ſeruilis onera timoris abiicite, quatenus ſuperatis hoſtibus, gradu concito ad alta tendentes, amoris hymnum Domino cantare poſsitis. Hoc quippe Propheta futurum in ſe ſperabat quum diceret, Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quaſi ceruorum, & ſuper excelſa mea deducet me victor in Pſalmis canentem. Ceruorum itaque, & vos pedes habete, ſi victoriæ carmen in excelſo charitatis monte cordis cum iubilo decantare nitimini.

Cant. 7.

Hier. 51.

Pſal. 30.

De diuerſis ſpeciebus orationis ſanctę in duplici ſtatu, quietis videlicet, & pugna.

Cap. X.

Dicturus de cætero de iis, quæ ad offendendum inſtituta ſunt armis, de ſagittis ſpiritualibus præſens ſermo percurret. Hoc quippe genus in diuinis voluminibus iugiter nominatur, nec ab re. Eminus nanq; ferit, acute transfigit, celeriterq; emittitur, hoſtẽ debellantem propius nõ ſinit accedere, equum & aſcenſorem frequenter vnico proſternit ictu. Extenſum quis non paueat arcum? Sagittariorũ quis nõ declinet exercitum? Spiritualis hic arcus ſanctæ orationis eſt opus. Sagitte autẽ contra aduerſarios hoc loco directæ ignita ſunt orationis deſideria, & importuna ſupplicationum vota, quæ à Chriſti militibus in cœlum corde tacito deſtinantur. Nempe orationis virtus, qua mentis intentio ad Deum dirigitur, quamuis vnum nomen ſortiatur, diuerſis tamen effectibus exercetur. Alia nanque quieſcentium, atque alia oratio noſcitur eſſe pugnantium. Quieſcentium autem quis ſtatus enumeret, intelliget ſtudia, vota capiet, aſcenſus intuebitur, & meritorum gratiam metietur? Solus iſta nouit, qui rimatur corda, penſat deſideria, ac vniuerſa proſpectat. Diuerſimode tamen ſinguli

vacant Deo, prout Sancti Spiritus magiſterio ducuntur, & ſuaue conditori ſuo orationis ſacrificium exhibent. Eorum etenim quidam proſternati ſuorum recordatione facinorum veniam poſtulantes, compunctionis gemitus & lacrymarum fundunt riuulos, quatenus diuinæ iuſtitiæ ſeueritatem flectant, & prope fiant, qui exigentibus culpis longe eſſe videbantur. Nonnulli verò ſecum tacite pertractantes quanta perceperint dona, ſiue ex creaturarum obſequio, ſiue ex miniſterio Angelorum, Deo gratias agere non deſiſtunt. Sunt etiam plurimi, qui reſtaurationis humanę myſterium, meditando, cernentes inter nos ſenſus ſpirituali delectatione reficiunt, dum ima ſummis & ſumma imis charitatis vinculo copulata cognoſcunt. Reperiuntur quoque ex ipſis, qui hominum conſortia fugientes, cordis ſui ſecreta cuſtodiunt, diuinam in ſe venerantur potentiam, adorant maieſtatem & colunt gloriam. Propterea efficiuntur corde læti, amore feruidi, ac delectatione iucundi, propheticum illud deprehendunt in ſe, quod de ſe idem pronun-

Pſal. 15. ciauerat vates. Prouidebam (inquit) Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commouear. Propter hoc lætatum eſt cor meum & exultauit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe. Vacant plerique Deo per orationis ſtudium, cœleſtium eloquiorum ſacramenta ſcrutantes. Percipiunt ij ſcientiæ lumen, & ſcripturarum ſanctarum notitiam perſpicacem, intellectu nanque viſibilia ſupergredientes gratiæ præeunte ſplendore in lumine fidei perſpiciunt lumen. Inueniuntur quoque aliquot in terra, quamuis in numero pauci, qui corde diuini amoris ſagitta tranſfixi ſuauiter, concremantur delectabiliter, iugiter ſupra ſe feruntur in Deum, laudis obſequium frequenter exoluunt Domino iubilatione permixtum. Cantant, & gemunt, clamant & laudant, quieſcendo tacent, & vociferando diſcurrunt, tenent & quærunt, atque amoris brachiis ſponſum amplexando liqueſcunt. Iſtiuſmodi autem, quoniam hoc non licet habere ſemper, impellente charitate propheticum illud dicentes ingeminant. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando ve-

Pſal. 41. niam & apparebo ante faciem Dei? Præcellunt nouiſſimi in gratia, & dignitate priores, quanquam & interdum permittente Deo primi nouiſſimi fiant. Quamobrem nemo ſibi arroget quod accepit. Hunc omnipotens compunctione humiliat, & illum charitatis exaltat remigio. Nūc planctum pœnitentium conuertit in gaudium, nunc laudantium vota ariditate diſſoluit. Sui aduentus atque diſceſſus inquieſcentium mentibus alternat vices, quatenus nullus erga proximos pro perceptis munerib. inſoleſcere audeat. Qui ſtat igitur ne cadat, videat, atque in humilitate tacentium admonitione firmetur. Nouit Dominus omnium finem, frequenter cecidit qui ſtare videbatur. Et qui quatriduanus fœtebat in vitiis ſi illico reſuſcitatus à Domino euigilauit ad vitam. Opus itaque ſuum perficiant quieſcentes, neminem iudicent, ſe nulli præferant, vt dilectam Deo orationis ſuę exhibeat ſeruitutem. Gaudeant ſe a conturbationibus dæmonum, & à fragoribus ſpiritualium bellorum eſſe remotos. De ipſis arbitror Prophetam ceciniſſe, qui ait. Pſal. 30.

Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum, proteges eos in tabernaculo tuo à contradictionibus linguarum. Hinc eorum orationis puritas, vitę innocentia, contēplatio læta, deuotionis opulentia cauſatur. Non autem ſic qui in tentationum agone contendūt. Iſtorum oratio à quieſcentium eſt longe contēplatione diſsimilis. Eſt nanque quieſcentium oratio humilis, compunctione lacrymoſa, gratiarum actione referta, exultatione iucunda, Dei cognitionę corusca, amoris flamma ſuccenſa, & in diuinis laudibus delectabiliter occupata. Pugnantium verò, quoniam iis vacare non cōgruit, quæ ad pacem ſunt, importuna eſſe cognoſcitur, gemitibus plena, deſideriis ignita, poſtulationibus crebra, ornata fide & ſuperbiæ tumore vacua. Nequaquam ſe valet extollere, qui alieno ſe nouit indigere ſuffragio. Immundorum quippe ſpirituum importunitatem ſentiens preces ingeminat, propriam neceſsitatem detegit, imminens periculum narrat, quatenus cœleſtem placet iudicem, & celerē de perſecutoribus vltionē expoſcat. Tot nanq; ſagittis inimicos ferit, quot deſideriorū preces repræſentat altiſsimo. Læua etenim fidei ſcutum ad defenſionē ſui erectum tenet, & dextera ignita contra hoſtes iacula intorquet. Ad momētum vix intermittit pugnam, ne vel cedat hoſtibus aut orationis præſidium intermittat. Nil profecto ſic terret Leuiathan, ſicut orationis crebra inſtantia, atq; deprecantium deuota ſuſpiria. Aeque orationis quemadmodū gehennæ crematur incendio, fugit ab orantis facie, atq; liqueſcit, ſciens corā illo non poſſe ſubſiſtere. Dei quippe in illo præſentiam videns pugnanti illico terga conuertit. Non enim abeſt Dominus ab oratione bellantium, eorum laboribus cō patiens atq; periculis. Sic enim per Prophetam pollicitus eſt dicens, Inuoca me in die tribulatio- Pſal. 49.

nis, eruam te, & honorificabis me. In mentis igitur arce conſtitutus clamet ille, qui patitur, vt ab aduerſariorum incurſionibus liberatus adiutori ſuo honoris & laudis exhibeat debitum. O mira conditoris noſtri charitatis effuſio, qui nec in tribulatione deſerit, neque ſupplicantium vota cum indignatione repellit. Nunc vulneratis occurrit vt foueat, nunc ſagittas præbet vt feriat. In pugnæ ſiquidem interdum periculo prægrauati ad orationis negligimus properare ſuffragium, efficeremurq; tunc inimicorum præda,

niſi

niſi ducis noſtri præuenti munere & viribus firmaremur in prælio, & ad orandũ informaremur in mente. Ipſe nanque opportune militibus ſuis & virtutem ſtandi tribuit ne deficiant, & orandi affectum ingerit ne ſuccumbant. Vtrunque ſcripturarum teſtimonio comprobatur. Propheta quippe ſanctus Dauid caſus ſui periculum & diuinæ miſerationis cõmendare volens auxiliũ in- Psal. 117. quit, Impulſus euerſus ſum vt caderem & Domi- Roma. 8. nus ſuſcepit me. De orationis verò affectu Apoſtolus ait. Spiritus poſtulat pro ſanctis. Neſcimus autem quid oremus, ſed ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Nemo igitur de victoria diffidat, quum Dei ſecũ manum habeat præliantem, & eius ſpiritum pro ſe præſidium flagitantem. Se erigenti quiſque tantum manum præbeat, & orandi deſiderium non amittat. Aſſueſcat ad refugium implorationis accurrere, quoties inimicorũ ſuorum inſultus patitur. Emineat ſuper ſe & de ſublimitate cœlorum orationis arcu ignitas contra hoſtes ſagittas intorqueat. Diuinum bellatorem ſic facientem attende. Olim in prælio ſtabat populus Hebræorum Amalech debellaturus, Moſes verò ſolus orabat in monte, orante nanque illo Dei populus præualebat, preces autem intermittente Propheta, ſuperabantur Hebræi. Clamabat vocis ad Deum, & in terra certantium roborabatur virtus. Erant profecto orationes Moſi, tanquam ſagittæ potentis acutæ cum carbonibus deſolatoriis. Suis orationibus aduerſarios ſternebat, auxiliabatur ſuis, honorificabat Deum, excelſiſque præconiis orationis merita commendabat. Vatis huius teſtimonio, diſce qui pugnas implorare altiſsimum; diſce non armis viſibilibus ſed oratione certare. Inuiſibiles nanque inuiſibiliter ſuperantur. Falleris omnino ſi corporis fortitudine, ſi virtute propria, aut dimicandi arbitraris te poſſe triumphare peritia, diuino vincis fretus auxilio, animi virtute, & ex orationis inſtantia inimicos inſe- Psal. 43. queris. Prophetam confitentem auſculta, Non enim (inquit) in arcu meo ſperabo, & gladius meus nõ ſaluabit me, ſed dextera tua & brachiũ tuum, & illuminatio vultus tui vtique ſaluabit me ab inimicis meis. Ecce Dei potentiam, prærogatam gratiam, & infuſum affectum ad orationem ſuauiter impellentem. Sta itaque in tui cognitione qui certas ne de te confidẽdo diffidas, prudentiæ lorica, & ſalutis galea, atque fidei protectus clypeo aduerſariorum fallacias & eorum pernicioſa tentamenta deuita. Orationis verò arcu deſideriorum intorque ſagittas. Tibi prorſus appropriare non poterunt, quoniam teſtimonium Propheta perhibente, deſiderium pauperũ exaudiuit Dominus, & præparationem cordis eorum audiuit auris tua Domine. Qui enim orandi præbet affectum, nequaquam orationis meritum, pugnæque triumphum negat.

Quòd vtile ſit diaboli non ignorare aſtutias, & de præconiis longanimitatis Chriſto militantibus opportuna. Cap. XI.

IN ſpirituali certamine, diaboli non ignorare aſtutias plurimum proficit ad ſalutẽ. Cæco nanque in ſtadio deſudanti nulla adipiſcendæ coronæ ingeritur ſpes, ſi cum vidente pugnare contingat. Opportune quippe bellatoribus donatur à Chriſto, vt interiori mentis intuitu ſpirituales ad capiendũ animas percipiant laqueos. Si enim iis qui vident, euadendi magnus labor incũbit, lumine quicunque carebit, quomodo inſidias deteget? intortos declinabit ictus? agnoſcet quẽ feriat? Petat igitur qui pugnat vt videat, cor ſecũ habeat, ne antiqui hoſtis circumueniatur anfractibus, iuxta Domini ſententiam per Prophetam dicentis, Populus meus ſeductus eſt non habens cor, abiit colonus in terram alienam. Grande prorſus periculum eſt, non habere cor. Sine cor- Luc. 15. de adoleſcentior filius, qui peregre proficiſcẽs conſumpto patrimonio ſiliquis porcorum inediam ſuam ſaturare deſiderabat, fuiſſe cognoſcitur. Patris quippe gratiam, ſtolæ primæ indumentum, in manibus anulum, & vituli ſaginati minime deguſtaſſet edulium, niſi ad cor rediens cordis ſui dominium poſſediſſet. Nempe vbi nõ eſt cor, deeſt conſilium, non reperitur prudentia, intellectus hebetatur, iacet affectus, fortitudo ſuccumbit, & longanimitatis tolerantia deficit. Eſt nanque longanimitas amica virtutum, gratiæ aduocatrix, religioſitatis domicilium, fidei ſpeculum, teſtimonium ſanctitatis, ornamentũ catholicæ veritatis, Dei imitatrix, interẽptrix vitiorum, tentationum medicamentum, perſecutrix dæmonum, & ſpiritualis lancea inimicorum arma transfigens. Hæc Chriſti militibus neceſſaria eſſe probatur. Tolle longanimitatẽ bellatori, & illico timore comprehenſus, terga aduerſariis dabit. Si hac operarum quiſq; caruerit, intermiſſo opere repente deficiet. Sanctorũ longanimitatẽ aduerte tu, qui puſillanimitate turbaris. Eorum in tribulatione conſtantiam, ſi diligenter attendas efficieris patiens, & in diuinæ gratiæ expectatione robuſtus. Ipſos imitare, quos diligis, vt ad illorum gloriã pertingere queas, virtute præuia fęlicitatis eorũ cõſequeris faſtigiũ. Tibi labore pœnitentiæ, in vigiliarũ pernoctationibus, in maceratione carnis, in contemptu ſeculi, in orationis aſsiduitate, in pudicitiæ ſanctimonia, in laborum perſeuerantia longanimitatis exempla proponunt. Sæpe nanque inuiſibilium ſuſtentati viriliter temporalium perferebant incommoda. Nouerant eſſe Deum in promiſsione veracem, & ſe ſuſtinentibus ampliſsima dona præſtare. Mentis quoque oculos in æternitatis contemplatione leuantes breue prorſus æſtimabant omne quod trãſit. Nemo igitur æquo animo pręſẽtis vitę tolerabit aduerſa, niſi fidei magiſterio futura

proſpiciat. Aratro terrā ſcindit agricola, cōgregata ſpargit iā ſemina, meſsiū fertilitatē fideli expectatione peroptans lōganimitate fit patiēs, ad anteriora ſe extendendo, efficitur in labore prouidus in promiſsione Dei ſtat mēte ſecurus. Auſtri regina Hebræorū cōdemnabit generationē, quoniā à finibus terræ longanimitate promota Salomonis regis ſapientiā cōcupiuit audire. Seculi huius incolæ terrenarū rerū lucra ſectantis marinis ſe exponunt fluctibus, alienas perluſtrant vrbes, Barbarorū inhabitant oras, montium cacumina trāſeūt, vaſtarū ſolitudinū ardores ferūt, latronū ſe exponūt periculis, ferarū antra perquirunt, inſomnes deducunt noctes, ciborū parcitate tabeſcunt, frigore & nuditate penè pereunt, hominū efficiūtur voluntate captiui, mortis atrocitatem nō metuunt, quatenus aliqui valeant, quod ſpei lōganimitate deſiderāt. Hæc ſūt teſtimonia, quæ in extremo iudicio aduerſus Chriſti milites corclamabūt, iſtorū planè inconſtantiā arguent, accuſabunt teporē, cōdemnabunt vitā, pro paruis magna, pro ſpiritualibus corporalia, pro æternis tēporalia cōmutantiū. Flebilis res eſt, & cum cordis mœrore dicēda, intueri Dei filios ad cœlorū regna vocatos, gratiā parui pēdere, promiſſa negligere, & Dei gloriam nō amare. Hinc adeo refriguit charitas, & religionis elanguit virtus, vt vix ex famulātibus Chriſto vnus reperiatur ex mille, qui voluptatibus abdicatis, carnē ſpiritui, & mētē velit ſubigere Deo. O quā multi in ipſo diuinæ ſeruitutis initio ſuaue iugū reiiciūt charitatis, irritā facientes cœleſtē fidē, & profeſsionis ſanctæ
2. Pet. 2. ſcita ſpernētes. Tales veluti canes ad propriū vomitū redeuntes, & tanquā immundi ſues in luti volutabro denuo reuoluti, cœleſtiū ſe priuant de
Luc. 9. lectatione bonorū. Manū ſiquidē ponētes ad aratrū, ſeque retrouertentes, iuxta Domini ſententiam, regno Dei efficiuntur inepti. Melius profecto fuerat illis veritatis non agnouiſſe viam, quā poſt agnitam abire retrorſum. Sunt quoque innumeri, qui propoſitum religionis arripiunt, mūdum deſerunt, obedientiæ colla ſubiiciunt, deuotionibus vacāt, in Deiq; itinere laudabili exercitatione percurrunt, perſeuerant in eo, quod cœperunt ad tempus, quandiu interiori ſuauitate paſcuntur, irruente autem tentationis articulo, quando nec de cœlo iuſtitiæ Sol radios ſuos mittit in terrā, neq; eorum cor conſuetum deuotionis germen effundit, ad ſpiritualia ſtudia, & ad ſuimet conſequendū victo. iā remiſsiores fiunt. Relaxant oris ſui cuſtodiā, morū deſerunt grauitatem, mentē incultā pernicioſa ocioſitate relinquunt, virtutū habitus, & perfectionis culmē obtinere ſe poſſe diffidunt. Sat eſſe arbitrantur, ſi perſeuerent in clauſtro, ſi delicta priora non repetant, ſi aliena non rapiant, ſi in aperto opere mortaliter, nō delinquant. Quamobrē orationē negligunt, abhorrent pugnā, fugiunt ſanctitatē.

Interdum iſ prioribus deteriores ſunt. De talibus Dominus in Apocalypſi loquitur dicēs. Vtinā eſ-
ſes calidus aut frigidus, ſed quia neq; es calidus, Apoc. 3.
neq; frigidus, incipiā te euomere ex ore meo. Huiuſmodi tanquā iſ, qui reuertuntur ad ſeculū longanimitatis ſuſtinentiā perdiderunt. Nēpe ignauiæ torpore cōpreſsi, & charitate frigidi, & in ſpirituali prælio ſunt infirmi. Nullo aduerſariis virtutis repugnant zelo, quoniam nec gehennæ metū, neq; æternę vitę deguſtāt præmiū, ſola ducuntur cōſuetudine, & plerunq; neceſsitate, atq; ſui rubore cōpulſi, tā illa quę ad diuinū cultū pertinent, quàm ea, quę vtilitatibus inſeruiunt proximorum remiſſo peragunt corde. Vtinā ſaperēt, & intelligerent, ac nouiſsima prouiderent. Forte timore compuncti, vel promotu dilectione ab inſenſibilitatis ſtatu reſipiſcerēt, fierentq; in Dei ſeruitio promptiores. Deteſtandū prorſus eſt hoc hominū genus, qui ſanctitatis prętęrentes imaginē, nec Deo militāt, nec mundi blādimēta perquirunt, ſpiritualis pugnæ ingreſsi ſunt ſtadiū, Chriſtianæ militiæ geſtāt inſignia, corpore currūt cū cæteris, ſi cętera ſtrenuis bellatorib. ſint lōge diſsimiles, ſecuritate torpeſcūt, ſuiq; cuſtodiā deſerūt, arbitrantes pacē vbi nō eſt pax. At verò qui hominis vitā militiā in terra cognoſcūt eſſe, qui diaboli aſtutias non ignorant, qui domeſticū animal ſubigere nituntur rationi, qui adultas cōcupiſcētias deprimere ſatagūt, nunquā deponunt arma, nunquā contra dæmonū tormēta dormitant, Omni quippe tēpore ſedula mēte vigilant, ne repentino incurſu inimicorū diripiantur in prædam, Longanimitatis vibrantē ſemper habēt lanceā, ne ſub diſcretionis velamine rigoris aſſumpti cenſura deficiat. Nempe hæc doloſa tentatio ſeducit multos, euertit incautos, debilitat vires, virtutes ſupplantat, aufert gratiā, extinguit ignē obnubilat viſum, claudit cœlū. Hāc prę cæteris ſuſpectā habeat quiſquis Deo placere cōcupiſcit, mētis propoſitū illæſum teneat, pugnādi affectū vigilē ſeruet, nec carnis ſuaſionib. cedat, rationis iudiciū diligēter examinēt, cōſcientięq; ſpeculū purgatū cuſtodiat. Hæc vtiq; diabolica machinamenta deſtruunt, fallacias detegunt, & Chriſti militem victorē faciunt. Horum autē inexpertus atq; indoctus crebro proſternitur, & ante pugnę terminū vulneratus abſcedit. Sibi nāque cōpatiēs carnis ſuggeſtionib. credit, mortē diligēs elongatur à vita admittēs tenebras à luce deſeritur, pacē contemnens fragores tentationū patitur, orationis trāquillitatē fugiēs penè in agilibus naufragatur ſeculi deuotionis carēs ſuffragio corporis debilitate tabeſcit, ſēſuū deductus illecebris extra ſe vagatur vt profugus, ſpiritus oblectamēta nō habens vētris ſectatur ingluuiē, futurę vitę nō guſtans gaudia præſentibus voluptatibus frui deſiderat. Corporis reſolutionē ſēper metuit, quoniā ad incorruptionis dulcedinē meditando

ditando nunquam aſſurgit. Iſtiuſmodi nanque itinera ſunt diſcedentium à Chriſto, deſerentiũ virtutes, neſcientium ſe, dubitantium in fide, & corde deuiantium,& retrorſum abeuntiũ. Optimum eſt igitur ò commilitones Chriſti longanimitate ſtabilire cor, & ad tolerandum aduerſa ſe viriliter preparare, perſeuerare in acie,& hoſtiũ ſæuitiam non timere. Ferrum, ignem, carceres, mortemque pro Chriſto gratanter excipite, Spe ſurſum animos erigite, & quanta vincentibus ſint in cœlo bona pręmiſſa, ſedulo cogitare. Cõſeruos veſtros iam regnantes aſpicite, & Angelorum Dominum pro vobis interpellare minime dubitate. Ecce attrita eſt via, debilitatus eſt fomes, ligatus eſt coluber, exactoris iugum computruit, templi velum patet, pœnitentia peccata donantur, agni caro comeditur, redemptionis pretium miniſtratur, prærogatur gratia, ſpiritus exuberant dona, diſcurrunt angeli, vota offerunt, teportant merita, reſeratum eſt cęlum, victoriarum coronæ paratæ ſunt. Clamat in cœlo ſapientia, in terra,& in pręcordiis hominum dicens. Vſque
Prou.8. quo paruuli diligitis infantiam? & ſtulti, quæ ſibi ſunt noxia, cupiunt? & imprudentes odibunt ſapientiam? Conuertimini ad correptionem meã, En proferam vobis ſpiritum meum,& oſtendam verba mea. Monentis itaque vocem nolite negligere, nec pręceptoris iugum reiicere, fortes eſtote in bello, in tribulatione patientes, & in aduentus Domini expectatione longanimes, quoniam veniens veniet & non tardabit. Egregium pſal-
Pſal.26. tem ad longanimitatis tolerantiam Chriſti tyronem exhortantem attendite. Expecta inquit Dominum viriliter age, confortetur cor tuum, & ſuſtine Dominum. Vox hęc in mente maneat, verſetur in ore, ut longanimitatis haſta tranſfixis aduerſariis pro adepta victoria lætitiæ carmen ęterno regi ſuauiter decanteris.

Quantum animi fortitudo, & prudentiæ lumen ſpirituali expediat bellatori, ad ſupplantandum Leonis ac Draconis diaboli ſæuitiam. Cap. XII.

EOrum, qui in corporali ſtadio dimicant, quidam fortitudine, quidam verò ingenii calliditate hoſtes ſibi ſubigere moliuntur. Aliqui nanque facilius fortitudine, alii verò facilius arte ſternuntur. Nempe cui ambo hæc ſuppetunt, exigente neceſsitate nunc vno, nunc vtitur altero. Plurimum in bellandi peritia deficit quicunq; tantum altero ſe ſemper exercet. Eandem itaq; regulam fore arbitror opportunam in ſpirituali certamine, quæ in corporali ſuperius memoratur. Vt habeat fortitudinem opus eſt, qui de inimicis triumphare deſiderat, habeat & calliditatem ingenii. Difficile victoriã conſequitur ſi caruerit altero. Nempe aduerſarii, cum quibus conflictus initur, vtroque pollent.
Iob 41. De fortitudine quidem illorum in beati Iob volumine ſic ſcriptum eſt. Non eſt poteſtas ſuper terram, quæ comparetur ei, qui factus eſt ut nullum timeret, omne ſublime videt, ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. De calliditate autem Gene.3. in libro Geneſeos habes ſic. Erat ſerpens callidior cunctis animantibus, quæ erant in terra. Propter fortitudinem vocatur leo, ſicut apoſtoli Petri voce dicitur. 1.Pet.5. Aduerſarius veſter diabolus tanquam leo, &c. Propter calliditatem verò draco denominatur dicente Propheta. Draco iſte, quẽ Pſal.103. formaſti ad illudendum ei, & Apoſtolus. Timeo 2.Cor.11. autem ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua, ita & ſenſus veſtri corrumpantur, & excidant à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Videſne quantum virtus ſit neceſſaria? quantumq; prudẽtia? Nẽpe ſi virtute ſola certare volueris ſine prudentia, verſutus hoſtis calliditate deiiciet te; ſi verò calliditate tantùm, leonis rabies ſuperabit te. Vtrunque habeto. Eſto fortis contra leonis huius ſæuitiam. Eſto prudens aduerſus doloſitatem ſerpentis. Fortitudinem ipſius qui non metuat, quando rugitu ſuo & cauda tertiam partem ſtellarum (ſicut in Apocalypſi legitur) traxit in terram? Calliditatem autem quis non expaueſcat, Apoc.12. qui protoparentes de voluptatis loco in peregrinationis huius depulit regionẽ? Nemo ergo præſumat de ſe, aut per ſe illum poſſe proſternere. In eo confidat, illiuſq; flagitet auxilium leonis, qui de tribu Iuda ſecundum carnem exortus vicit in morte, & reſurgendo triumphauit. Serpẽtis quoque illius vtatur prudentia, qui ſerpentẽ antiquũ crucis ſuſpẽdit in ligno. Ipſe ipſe pro nobis eſt, qui gratiam fortitudinis, & ſagacitatẽ prudentię pręſtat. Vtrunque præcipuus vates intimauit. De fortitudine inquit, Dominus fortitudo plebis Pſal.27. ſuę & protector ſaluationis Chriſti ſui eſt. De prudentia & ſcientia ait, Qui docet hominem ſcientiam. Pſal.93. Alio quodam loco vtrunque cecinit ſententia vnica. Pſal.26. Dominus (inquit) illuminatio mea & ſalus mea, quem timebo? Apoſtolus etiam hæc eadem teſtificatus eſt dicens Chriſtum Dei virtutem & Dei ſapientiam. Igitur contra Dei virtutem quis ſuſtinebit? vel aduerſus Dei ſapientiam cuius malignantis poterunt inſidiæ preualere? Inhæreat itaque Domino Ieſu, fidei brachiis ipſum aſtrictum teneat, qui de hoſtibus ſuis vult reportare coronam, Infirmitatibus noſtris ſemper propitiatur, noſtros ſanat languores, in noſtris certaminibus nobiſcum eſt, vt ſuccumbentibus nobis præbeat opem, atque pugnãtibus vincendi præſidia ſubminiſtret, horũ expertus Propheta aiebat, Dominus mecum eſt tanquam bellator fortis, Hier.20. Nec diffidas de eo quod dicitur, cũ corporalem Deum minime præſentia videas. Adeſt ipſe Dominus nobiſcum potentialiter, ſpiritualiterque, quemadmodum ipſe in Euangelio Mat.28. ait, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Nempe ſecun-

dum carnem ambulas, ſi Dei tui corporalem vis habere præſentiam, Infidelium prorſus & terrena ſapientium eſt iſta cogitatio. Memento quoniam Deus ſpiritus eſt & eos, qui illum vident atque adorant, in ſpiritu & veritate ipſum videre atque adorare oporteat. Quamobrem ſpiritualia ab eo ſpiritualiter ſuffragia quære, atque illum intus tecum loquentem teque docentem intelligere ſtude. Loquitur equidem ad cor hominis dum erudit illum, & reuelat ſe. Non ſuper montis verticem, non in templo, non in aperto campo, ſtellis, cœloque patente ſe manifeſtat Deus, ſed intus rationale cognitionis veritate illuminans, atque concupiſcibile amoris delectatione ſuccendens. Iſta dum percipis in te, locum tuum vide ne deſeras, ſed ſolerti diligentia, ac humillima familiaritate ad cor tuum conuerſus audi, quid tunc in te loquatur Dominus. Facile vocem illius intelliges, non in ſpiritu, nec in cõmotione, neque in igne, ſed in ſibilo auræ tenuis, in aſpiratione, videlicet interna, exultatione humili, & voluntatis ſuæ apprehenſione. Hoc modo, multiſq; aliis olim Deus loquebatur patribus & prophetis, nouiſſimiſq; diebus iſtis quibuſdã etiam fidelibus loquitur gratis. Cæterum cum multis incerta, pluribuſque ignota ſit huiuſcemodi locutio, aliam præſtitit planiorem, in quã erudit doctum & ſimplicem, peccatorem & iuſtum, fidelem & infidelem, infirmum & fortem; hæc pædagogus tuus ſit, hæc ſpirituale ſpeculũ, hæc potiſsime aduerſus aereas poteſtates gladius tuus ex omni parte acutus. Hunc prorſus habeto gladium in ſpirituali tuo certamine. Nũquã à latere tuo, nunquam à tuis amoueatur manibus Gladius iſte diuina eloquia ſunt, quibus aduerſarii noſtri concitantur in fugam, & vſque ad internecionem ſternuntur. Per ipſa nobis loquitur Deus, & nos de omni catholica imbuit veritate. Nullum prorſus dubietatis argumentũ eſt, quod non ſacræ ſcripturæ autoritate ſoluatur. Nulla fraudis Diabolicæ decipula eſt, nullus tentationis inſultus, qui non diuini eloquij medicatione vincãtur, dicẽte Propheta, Super inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo, quia in æternum mihi eſt. Si quando blandiatur caro, ſi arrident proſpera, ſi ſæuit mundus, ſi cõcitentur bella, ſi inſurgant aduerſa, ſi maledicant homines, ſi temporalia deſint, ſi elementa turbentur, ſi peſtis immineat, ſi infirmetur corpus, ſi mortis atrocitas intentetur, præſto ſunt in voluminibus ſanctis apta remedia, quibus imminentes ſoluantur languores animarum. Verbi quippe ſunt verba nos erudientis de iis, quæ ad ſalutem, ſeu inſtitutionem, ſiue ad fidem, ſeu ad diuinam pertinent cognitionem, imperitorum & ſimplicium corda per eadem ſpirituali lacte, & delectatione plana nutrit hiſtoriam, per quam efficiuntur fortes in prælio, & ad perferendos huius peregrinationis labores alacres, adeo vt inimicis ſpiritualibus obuiare non trepident. Gladio accincti & enſe ſanctorum exemplis roborantur & dictis, ſolo namq; literæ contenti ſuffragio argumenta ſubtiliora vltra nil quærunt. Idem nanque profectus ad ſalutem excipitur, quemadmodum enſe, ita hoſtem iugulaſſe palea. Verũ hoc eſt in ſacra pagina valde mirabile ac omni veneratione digniſsimum, vt in vna, eadẽque narrationis ſerie doctus acutus ingenio pariter paſcatur & ſimplex. Simplex quidem literam, doctus verò ſpiritualem ſenſum perſcrutatur in litera. Illectus quippe ſacramẽtorum dulcedine, & allegoriarũ locutione per pulchra profundos non deſinit effodere fontes. Sibi nanque & poſteris ſapientiæ fluenta exhaurit, quatenus carnalis illecebræ ſitim extinguere poſſit. Cæterũ ſpirituali etiam ſe mucrone præcingit quo irruẽte tentationis articulo aduerſariis virili ratione repugnare ſufficiat. Non enim humana ratio per ſe verſutias valet ſuperare diaboli. Quamobrẽ diuina præcipue honoranda clementia nobis ſcripturarum ſanctarum præbuit rudimenta, vt veritatẽ fidei ſuo declararet eloquio, in quo cœleſtis eſſet, qua nutrimur, autoritas, & virtutũ omnium, quam ſequamur perfecta moralitas. Non igitur alienorũ Chriſti diſcipuli magiſterio indigent, vt diſcant morum diſciplinã, cũ totius mortalitatis habeãt præceptorẽ, qui illam verbo docuit & exemplo. Hanc quicunque ſcire voluerit, euangeliorum apices legat, intelligetque per Chriſtum quod naturam tranſcẽdat hominum, philoſophorumq; ſcientiam. Fecit plane quod docuit, docuitq; quod proficeret, quod ſaperet, quod erudiret, quod eleuando accenderet. Decuit prorſus ſempiternum verbum talem eccleſiæ ſuæ prærogare doctrinam, per quã humana mens, quæ per originale delictum deformata ab ingenita dignitatis arce ceciderat, alliceretur exemplis, erigeretur per fidem, reformaretur in moribus, & diuinæ cognitionis ſapiẽtia compleretur. Quadrifario vtiq; hoc ſenſu catholica ſunt referta volumina, adeo vt in eis nil deſit quod ad ſanctitatem ſeu virtutum, ſeu ſciẽtiç pertineat veritatem. Dei nanq; verba penetrãt profunda, rimantur abdita, futura proſpectãt, præterita narrant, pandunt myſteria, certificant de promiſsis, contemplantur diuina, diſponunt humana, damnant vitia, declarant dubia, & hominum ad Deum reuocant corda. Tanti ſunt, quoniam ſancto promulgata ſunt ſpiritu de theſauris ipſius ſapientiæ, eadem referente, quæ ait. Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæ audiet, loquetur, & quæ ventura ſunt, annunciabit vobis, de meo (ait) accipiet, & annunciabit vobis. Ioan. 17. Audiẽdus eſt igitur fideliter ſapientiæ ſermo, qui per ſpiritum ſuum loquitur, ſiue geſta, ſiue myſteria, ſiue moralia, ſiue diuina vnicuique iuxta ſui captum ingenii tribuens intelligentiæ pabulum, ad inter-

Digitized by Google

internos nutriendum ſenſus pro diſcretione boni, & mali, atque ad imbuendum in ſpirituali certamine in ſe credentes. [Pſal. 118.] Nempe teſtante Propheta [Pſal. 117.] declaratio ſermonum illius illuminat, & intellectum dat paruulis. Idem etiam de ſe dicit, Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellũ. Quieſcentes igitur replet ſapientia, & intellectu, conſilio, & ſcientia, pietate, & timore: Certantes verò fortitudine roborat, & erudit magiſterio dimicandi, illis præbens ad vltionem inimicorum, gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Teneat, qui contemplationi vacat, in corde ſuo diuinorum eloquiorum doctrinam, quatenus in ipſa tã quã in ſpeculo præclariſsimo ſe aſpicere introrſus valeat, cognoſcere myſteria, atque meditãdo deguſtare diuina, luce nanque illius præuia minime errare poterit. Verum qui in ſpirituali cõflictu laborat, ad ſui munimen, hoſtiumque perniciem, ſermonis Dei præcingat ſe gladio, illumque euaginatum gerat, vt præ manibus paratum habeat quo aduerſarios irruentes feriat. Hoc plane viſi ſunt cuncti Chriſtianæ militiæ ſtrenui bellatores, præcipue tamen dux noſter Dominus Ieſus prout euangeliorum ſacra narrat hiſtoria. Quum enim poſt baptiſma deſerti ſecreta petiſſet, atque poſt quadragenarium ieiunii dierum expletum numerum eſuriſſet, tentante illum diabolo, vt de lapidibus panes faceret, reſpondit. [Deut. 8.] Non in ſolo pane viuit homo, ſed de omni Verbo, quod procedit ex ore Dei. Denuo dicente [Deut. 6.] diabolo, mitte te deorſum, reſpondit. Scriptum eſt, non tentabis Dominum Deum tuum. Poſtremo eodem diabolo oſtendente atque pollicente vniuerſam mundi gloriam, ſi procidens adora[Ibidem.]ret illum, illicò ait. Vade Satana, Scriptum eſt enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Vides ne, quibus præceptor, & dux tuus in certamine ſuo vſus ſit armis? Valebat poteſtate, poteratque illum rationibus confutare, Non arcu, & ſagitta, nõ iaculo, vel haſta, ſed hoc ſpirituali maluit ipſum gladio iugulare. Quamobrem & tu, qui certas in ſtadio, regis tui fretus exemplo, hoc ſanctarum Scripturarum vtere gladio. Non abs te componas, quod obiicias inimicis, de fontibus ſaluatoris indeficienter ſcientiã hauri, memoriæque reconde, qua aduerſariorũ queas retũdere peruicaciam. Prophetam in hoc imitare, & reſpondebo (inquit) exprobrantib. [Pſal. 118.] mihi verbum, quia ſperaui in ſermonibus tuis. Timent prorſus nequam ſpiritus ſpiritualia tela, cõtra quæ norunt ſe præualere non poſſe. Proderunt vtique tibi diuina eloquia in mente ſeruata, & perſequentur aereas poteſtates, proximorum vtilitati inſeruient, & cordium ſecreta perluſtrã[Hebr. 4.]do mundabunt. Eſt nanque Dei ſermo (dicente Apoſtolo) viuus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertinges vſque ad diuiſionẽ animæ, & ſpiritus, compagumque & medullarũ, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis. Tali igitur gladio verbi Dei ſemper munitus incede, ſi perfectionis triumphum in præſentis vitæ ſtadio adipiſci, atque conſummato vitæ termino immortalitatis gloriam in futuro obtinere deſideras.

Quàm probatum directorem habere ſtudeant, qui peregrinationis huius gradiuntur iter, ſi volunt fœliciter peruenire quo tendunt. *Cap. XIII.*

QVemadmodum ad perficiendum itineris ſui curſum viatoribus cõfert, ſi prouidum directorem habeant, ita & deſudantium in militaribus negotiis ad conſequẽdam victoriæ palmam animum roborat, ſi experto in prælio ſub duce decertent. Primus quam ſæpe errandi laborem euitat. Secundus autem plerunque corporalis exitus euadit pericula, horũ vero carentia errorem pariter inducit, & mortẽ. Hæc quippe quum vera ſint, ſtudeant mortales rationis dignitate capaces, tam peregrinationis ſuæ directorem, quam etiam certaminis ſui ducẽ habere probatum. Nemo prorſus ab hac neceſsitate ſecernitur. Vniuerſi quandiu ſumus in corpore, peregrinamur à Domino, per fidem ambulantes, non per ſpeciem. Si per fidem, ergo in lu- [Hebr. 11.] brico, quia fides argumentum eſt non apparentum. Si autem in lubrico, ergo in ignorantiæ tenebris, in laqueis peccatorum, in mortis vmbra, in ſeculi naufragio, in incredulitatis ſcopulis, & in inuio præſentis exilii. Ecce pericula, ecce cur probatiſsimo directore indigemus. Prophetam ſuper hoc audiamus quid ſentiat, Omnes nos [Eſa. 53.] (inquit) ſicut oues errauimus, vnuſquiſque declinauit in viam ſuam. hoc Pſaltes egregius in ſe ipſo agnoſcens ait Domino, Erraui ſicut ouis, quæ periit, quære ſeruum tuum. Nempe ſi vates hic tantus vtique ſecundum cor Dei diuinitus aſſumptus ad regnum ſe velut ouem erraſſe fatetur, quid nos peccatores imbecilles, & cęci de nobis ęſtimare debemus? Clamemus ex corde [Pſal. 118.] ſinguli, clamemus, & omnes cum Propheta memorato, dicẽtes, Erraui ſicut ouis, quę periit, quęre ſeruum tuum Domine. Si errauerunt omnes, ſi vniuerſi peccauere, quis reuocabit nos in viã rectam, vt eamus ad habitationem ciuitatis noſtrę Hieruſalem, quę ſurſum eſt? Porrò in hac vaſta ſolitudine pertranſeunt ferę ſyluarum, & catuli leonũ rugientes, vt rapiant, & quęrãt à Deo eſcam ſibi. Has quomodo viatores effugient, gradientes in opaco noctis ſilentio, per huius peregrinationis deuia, & ruinoſa itinera? Vtique propter noctis tenebras, luce, propter verò incertã viarum itinera peritiſsimo indigent directore. Vtrunque autem ſpiritualiter intelligendum eſt. Corporaliter enim quomodo accipiendę ſunt tenebrę,

tenebræ, quæ ex quotidiano ſolis viſibilis ortu fugantur atque deficiunt? Aut quomodo localiter erramus, dum viuimus, quum teſtante Domino, Matt. 8. Vulpes foueas habent, & volucres cęli nidos, atque homines ſinguli proprias habent ciuitates & domos ad cohabitandum pariter? Sunt particularia, ſunt etiam hoſpitia communia, in quæ noctis tempore conuenientes homines ſopori ac quieti ſe tradũt. Quamobrem, quoniam ex re diuiua viſibilis ſolis luce noctium tenebræ propulſantur, & mortales ſinguli certas manſiones poſsidere noſcuntur, quod ſuperius dictum eſt non corporaliter, ſed ſpiritualiter debet intelligi. Sunt equidem ſpirituales tenebræ feræ inuiſibiles, & intellectuales errores, quibus plenus eſt mundus. Iſta tantum illi euadent, qui æternæ lucis illuſtrantur ſplendore, atque in veritatis, & pacis itinere deducuntur. Hoc Propheta longęuus, & ſanctus popoſcit, dicens, Lucæ 1. Illuminare his, qui in tenebris, & vmbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Porrò vtrũque Chriſtus eſt, quem quiſquis in veritate poſsidet, nec ambulare in tenebris, neque in erroris deuiatione periclitari poteſt. Eſt quippe lux, quæ minimè iſtis corporalibus videtur oculis, quoniam ſpiritualis, & diuina eſt. Eſt etiam via, quæ nec ipſa carnis pedibus valet calcari, quum ſit tota ſpiritualis, quemadmodum ipſe ait de ſe, Ioan. 14. Ego ſum via, veritas & vita. Et ne quiſquam viam ipſam ſecundum ſenſum carnis acciperet, intulit, Nemo venit ad Patrẽ niſi per me. Lucem igitur ſpiritualem intelligamus eſſe Dominum Chriſtum, quæ ſuo meridiano ſplendore ſupernam illam patriam, omneſque illiuſque habitatores, angelicos videlicet ſpiritus, & beatorum animas Ioan. 1. irradiat, lætificat, & accendit. Non ſolum autem illos, qui in æternitates perpetuas tranſiere, verumetiam omnem hominem venientem in hũc mundum, non autem mundum ipſum, ſed homines tantum illuminat, qui luminis illius perceptibiles ſunt, quoniam intellectualis eſt. De hac Eſa. 9. quippe luce Propheta loquens, inquit, Populus gentium, qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnam, Sedẽtes in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis. Non autem oritur in ſe, ſed cum cordibus manifeſtatur fidelium, oriri dicitur, dicente Pſal. 96. Propheta, Lux orta eſt iuſto, rectis corde lætitia. Quum enim illa occaſum in ſe neſciat, quomodo oriri poteſt? Candor enim eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula, ſplendorque diuinæ maieſtatis, in ſe neque oritur, neque occidit, ſed in nobis. Nobis quidem occaſum facit, quum voluntariè delinquentes peccatorũ inuoluimur tenebris, & ex lucis filiis noctis, & tenebrarum efficimur ſerui. Hunc ſenſum Apoſtolus iuſtifi- 1. Theſſ. 5. catis peccatoribus aperuit dicẽs, Non enim eſtis filii noctis, & tenebrarum, ſed Filii Dei, vt inuoluat vos dies Domini. Oritur autem quando gratię ipſius infuſo nobis lumine, nota nobis in veritate fiunt ſpiritualia atque diuina. De hoc etiã 2. Cor. 4. Paulus inquit, Qui autem dixit de tenebris lucẽ ſplendeſcere, illuxit in cordibus veſtris ad illuminationem fidei. Lux igitur hęc nullam cum tenebris ſocietatem habet, illamque tenebrę cõprehẽdere nequeunt. Fugat prorſus ipſas, arguit & diſſoluit, ipſi nanque oppoſita ſunt. Non enim poſſumus lucis huius eſſe participes, & opera diligere tenebrarum, ſicut neque duobus ſeruire Dominis. Si enim tenebrarum volumus geſta ſectari, proculdubio tanquam oues erramus per deuia ſine luce, abſque duce, & ſine paſtore. Verum ſi abhorremus tenebras, & beſtiarum ſpiritualium per eaſdem diſcurrentium pauemus incurſus, vtique pręeunte ipſa diuina luce, animę pedes dirigemus in viam pacis. Nequaquam ſine hac luce in ſemitis iuſtitiæ, & in viam veritatis, quę ad vitam introire valemus. Hanc profecto viam Propheta peragrare deſiderans, orabat inquiẽs: Deduc me domine in via tua, & ingrediar Pſal. 85. in veritate tua, lętetur cor meum, vt timeat nomen tuum. Hęc nanque via ab omni pollutione eſt munda, ab omni offendiculo libera. Eſt nanque ab innumerabilium angelorũ cuſtodita pręſidio, obſequio, famulata venerata affectu, & laudibus decentiſsimè ornata. Aſcendunt vtique per illam, & deſcendunt nimia cum exultatione lętantes. Nullus planè per eam immundus ingrediens diu perſeuerare valet. Sui nanque rutilatione ſplendoris obtutus illorum reuerberans, velut irrationabilia iumenta, & indigna à ſe reiicit, atque expellit. Quamobrem quicunque illã perambulare decreuerit, ſordida deponat indumẽta, veterem videlicet hominem, & mundis pedibus ſemitas eius gratanter incedat. Delectabitur prorſus in decore illius, & fragrantiſsimo odore reſperſus, atque interius iucundatus, ſolito prõptior effectus, cum Propheta canet, & dicet. Viã Pſal. 118. mãdatorum tuorum cucurri, quum dilataſti cor meum. Innumeris quippe via hęc eſt decorata vernantibus atque coruſcantibus virtutum gemmis, nec non variis ſtrata eſt redolentibus mandatorum floribus: adeo vt qui per illam graditur, errorem pati nequeat, nec fœtorem. Præceptorũ nanque Dei, obedientia introrſus refectus quadam ſpiritus ſuauitate nutritur, ſponſæ illud memorabile dicens: Trahe me poſt te, in odorem Cant. 1. curremus vnguẽtorum, ideſt, pręceptorum tuorum. Cęterum de virtute etiam tranſiens in virtutem tanquam de claritate prouectus in claritatem ſpirituali domini meretur ditari pręſentia. Caueat prouidus omnino viator, ne in dexteram partem declinet, vel lęuam: ſed pręuia ſemper luce à virtutum diſciplina, & mandatorum integritate non deuiet. Iſta planè ſunt ſpiritualis vitę pręclara itinera cœlitus viatoribus demonſtrata, quatenus qua pergant ſufficienter edocti falſita-

tis

tis minimè labantur in tenebras. Nemo igitur mercedem poterit obtinere victoriæ, qui per virtutum callem ambulare neglexerit. Eſt plane virtus peregrinationis magiſterium, qua peruenitur ad præmium. Cupis conſequi præmium? virtutis ſtudia relinquere noli. Proponitur tibi merces, proponitur & virtutis labor. Abſque virtutis annixu ſuperuacuè curris ad prçmium. Virtutis tuæ præmium in hoc tuæ peregrinationis itinere Chriſtus eſt. Quemadmodum ipſe tibi factus eſt via virtutum documenta præbendo, ita factus eſt terminus, ad quem debeas accedere diligendo. Viam ergo noli deſerere, donec attingas quo pergis. Ioan. 12. Præceptorem tuum audi: Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris: ſed habebit lumen vitæ. Superius audiſti quid ſit lux, quidve ſit vita. Diſce igitur humilitatem, quã Chriſtus verbo docuit, & exemplo: diſce obedientiam, quam patri ſuo exhibuit, & matri: diſce charitatem, quam animam ſuam pro te ponendo ſeruauit, virtuteſque cæteras, vt vitæ lumen in te valeas poſsidere: Chriſtum ſequere, Chriſtum imitare, vt ad ipſum peruenias. Nẽpe ſi peruenies, ipſum conſequeris in præmium: intra tamen lętus de mercede effectus, ſecurè cum Apoſtolo Philip. 1. dices: Mihi viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Diem feſtum ages tu, & omnis familia tua: quoniam ingrediente luce fugatæ ſunt tenebræ, introeunte gaudio carnalis conſumptus eſt mœror, infundẽte ſe charitate omnis ſeruilis abſciſſus eſt metus. Tenebis illum brachiis amoris aſtrictum, & dices: Cant. Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. De cætero ſi in veritate hoc fuerit, lux ſpiritualis ſemper fulgebit in habitaculo mentis tuæ, charitatis oleo nutrita, Dei tui iugiter exultabis in laudem, profectibus prioribus oblitus ſemper ad altiora conſcendens. Corporis reſolutionem reputabis ad vitam, atque intimæ charitatis flamma ſucceſus cœleſtis ſponſi ſemper præſentiam cõcupiſces. Hæc vtique ſpiritualis eſt merces, quæ certantibus viatoribus prærogatur. Hoc eſt ſolatium ſpirituale, quod poſt virtutum palmã in huius prærogationis leuamen exhibetur, Chriſtum, videlicet in præcordiis poſsidere lætanter, Chriſtique caſtis amplexibus refoueri. Qualis verò conſummato iſtius vitæ agone victoribus in futuro parata ſit merces, ſequens ſermo percurret.

Quanta dux noſter dominus Ieſus ſit vſus peritia, vt vniuerſum ſibi per milites ſuos ſubigeret orbem.
Cap. XIIII.

QVi præſunt populis, & regni ſolium tenent, quoties pro adipiſcendis prouinciis ſeu pro recuperandis vrbibus iam amiſsis, bella commouere diſponunt, præcones conſueuerunt circunquaque dirigere: ſtipendia larga tribuere, & ampliora dona promittere: quatenus militum ad ſe trahant cateruas, vt congregato exercitu meditata valeant inire certamina. Sicque dominum nouimus egiſſe Chriſtũ, quum ad redimendum captiuum hominem contra aereas poteſtates mundi huius campũ pugnaturus intrauit. Se quippe ad concitandũ bellum veniſſe indicauit, dicẽs: Nolite putare, quod Matt. 10. pacem venerim mittere in terram, ſed gladium. Veni enim ſeparare hominem aduerſus patrem, & filium aduerſus matrem, & nurum aduerſus ſocrum ſuã: & inimici hominis domeſtici eius: Propterea ad roborandum militum animos, vt in prçlio fortes, & in ſubdendis hoſtibus eſſent fideles, miſſa prius per totum orbem Apoſtolica legatione pugnaturis plurima erogauit, auri argentique talenta, ac plura multo ſpopondit, dũtaxat in agone ſibi propoſito viriliter decertarent. Neminem repellit, neminem quamuis debilem, vel pauperem, claudũ vel cęcum reſpuit pugnare volentem. Singulis iuxta eorum qualitates, & virtutes prçbet ſtipendia, officia impartitur, ac dona promittit. Nullius perſonam diſcernit, nullius dignitatem prçponit: ſed tantum pẽſat merita, vota remunerat, & mentis probitatẽ attollit. Denique vnicuique iniungit gradus, negociaque diſponit: quatenus ſcire quiſq; valeat quid accepit, quidve agere debeat, non ignoret. Nouit equidem probatiſsimus noſtrę militię campi ductor, quod nihil ſic nocet exercitui prælianti, illumque conuertit in fugam, ſicut deordinatum aciei habere congreſſum. Nam quemadmodum ordinem dimicandi, vt plurimum victoria ſequitur, ita confuſionem parit inordinata progreſsio. Ducis noſtri in diſponendo exercitum vis audire peritiam? Apoſtolum referentem auſculta: Qui deſcendit (inquit) ipſe eſt, & qui aſcendit ſuper omnes cœlos, vt impleret omnia. Ephe. 4. Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos: quoſdam autem Prophetas: alios verò Euangeliſtas: alios autem paſtores, & doctores ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij, in ędificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatẽ fidei, & agnitionis filii Dei: in virũ perfectum, in menſuram ętatis plenitudinis Chriſti. Non ab re igitur dominus dicitur exercituũ, quum tam ordinatiſsima ſapientię lege, & angelorum miniſteria in cœlo, & officia hominum diſpenſet in terra, vt nihil in ipſius exercitu confuſum appareat: Verum ſi quid in illo indecorũ, ſeu incompoſitum eſt, non ex imperantis imperitia, ſed ex inobedientiũ progreditur vitio. Qui enim creaturarum vniuerſitati legem indixit, potuit, & homini abſque alicuius redargutione de fectibus. Sed ex præuaricatione hominis naturalis ordinis pulchritudo deperiit: vt exigente iuſtitia rebellionẽ ſentiret in imis, qui Dei ſui noluit obtemperare mandatis. Diſponit igitur ſpi-

rituale

rituale certamen exercitui electorũ, illique propria ſingulis ſpiritualia officia diuidit: ira vt nemo ſit, qui non aliqualiter ſublimetur, ſicut officia peculiaria communicat: ſic etiam ſpecialia dona concedit, tanquam catholicæ religionis præclara ſtipendia, quatenus eorum ſuffragio prouecti conſummatæ victoriæ queant celebrare triũphum. Porrò ad vtilitatẽ ſpiritualiũ gratiarũ ſtipendia donat, vt pugnantium quiſque habeat vnde principem ſeculi debellare ſufficiat. Hæc qua- 1.Cor.12. lia ſint Apoſtolus manifeſtans inquit: Alij quidẽ per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum: alteri fides in eodem ſpiritu: alii gratia ſanitatum in vno ſpiritu: alii operatio virtutum: alii prophetia: alii diſcretio ſpirituum: alii genera linguarum: alii interpretatio ſermonum. Hæc omnia operatur vnus atque idem ſpiritus ſingulis militum diuidens prout vult. Diuidit planè ſingulis, vt dimicent, vincant, coronentur, & regnent. Qualiter proprio munere ſanctorũ quilibet ordo pugnauerit, mentis conſideratione noſcamus. Nempe Apoſtolorum chorus ex infuſo ſibi ſapientiæ, & ſcientiæ dono, mundum vniuerſum ſanitatum gratia cooperante, iugo Chriſti ſubigere potuerunt. Loquebantur magnalia Dei guſtu ſapiẽtiæ inebriati. Scripturarum ſacramenta reſerabant ſcientiæ claue, quibus nemo mortalium reſiſtere valebat, reuelata veritate illis teſtimoniũ perhibente, & ſequentib. ſignis. Quod enim voce veridica prædicabant, miraculorũ autoritate robora- Psal.18. bant. Hinc factum eſt, vt in omnem terram exiret ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Conſtituti igitur ſunt principes ſuper omnem terram, quoniam cunctarum gentiũ nationes ad Chriſti obedientiã perducere meruerũt. Quid verò de martyrib. loquar? Nonne per fidei donum, quod ſpecialiter perceperunt, vicerunt regna? adepti ſunt repromiſsiones, an non obturauerunt ora leonum? extinxerunt impetũ ignis? fugauerunt aciem gladii? fortes facti ſunt in bello? caſtráque verterunt exterorum? quomodo tã tam ſtragem inimicorum egerunt? nũ corporis fortitudine id potuerunt? minimè. Fide certaue- Hebr.11. runt, fideq; vicerunt. Nã ludibria, & verbera experti ſunt, inſuper vincula, & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tẽtati ſũt, in occiſione gladii mortui ſunt. Ipſa prorſus corporis morte interueniente aduerſarios ſuperantes, ad fidem, quam confitebantur, innumeros perduxere. Extiterunt prçterea alii propugnatores eximii ad defenſionem Chriſtianæ religionis diuinitus ordinati, ſancti videlicet doctores, & venerabiles patres, qui operatione virtutum, & generibus linguarum atque interpretatione ſermonum ſublimiter decorati, hæreticorum erroribus Eccleſiam mundauerunt. Ij planè præfatis charismatib. inſigniti librorũ multa volumina cõplentes, callẽ veritatis, morum probitatẽ, & viam vitæ hominibus inſinuare ſtuduerũt. In Eccleſię quippe firmamẽto velut luminaria cœleſtia verbum vitę in ſe continentia, fulgentes exẽplo & doctrina ſua, maximã populorũ multitudinem à variis errorib. liberantes vnitati aggregauerunt fidelium. Poſtremò robuſtiſsimus anachoritarum miſſus eſt numerus, qui ſeculi blandimẽta calcantes, eremi deſerta penetrarunt. Diſcretionis nanque ſpirituum armati dono, & ſingularẽ pugnam cũ principib. tenebrarũ habere curauerunt. Superabãt inſuper animi paſsiones, carnis edomabant illecebras, ſpirituales fraudes detegebant: non propriã, ſed æterni regis gloriam quæritantes. Incũbentes quippe orationi, vigiliis inſiſtentes, precib. ac gemitibus cœlum pulſantes, ſe pro muro fidelibus opponebant, arcebantque aereas poteſtates, ne tentationib. ſuis humanum euerterent ſenſum, mactarẽt & perderẽt. Rex itaque noſter Chriſtus prænominatorum militum cõgregato exercitu, aduerſus principes & poteſtates mundi, contra rectores tenebrarum harũ acies ſuas dirigens, ligauit illos, & omniũ munitionũ, quas poſsidebãt, diuiſit ſpolia, abſtulit regnũ, cepit ciuitates, turreſq; ſubuertit, & vinctos quos tenebant, reſtituit libertati, atque ignem copioſiſsimũ circũquaq; diſſeminans, terrena ſuccendit habitacula. Factus eſt igitur principatus ſuper humerũ eius, & vocatur Deus fortis, princeps pacis, & pater futuri ſeculi. Cępit autem regnare ſuper duo regna, videlicet ſuper mõtes Iſraelitarũ, & ſuper colles peregrinantiũ, quos acquiſiuit dextera eius. Meritoq; non ſolũ vocatus eſt Deus fortis, & potens, dominus potens in prçlio, verumetiam dominus virtutum & rex gloriæ. Illi nanque omnis victoriæ aſcribitur laus, quoniã ipſe prior pugnauit, & vicit pro omnibus, atque in omnibus ipſe certabat. Quomodo non certabat in omnib. ſine quo poterãt nihil? Audi ſtrenuum militem confitentem: Non 2.Cor.3. poſſumus (inquit) cogitare aliquid ex nobis, ſed ſufficiẽtia noſtra à Deo eſt. Alibi quoq; de ſe ait: Phil.4. Scio eſurire, ſcio abundare, & penuriã pati, omnia poſſum in eo qui me confortat. Cõfortat vtique verbo, confortat exẽplo, confortat donis cœleſtibus etiam confortat promiſsis. Prorſus deficerent in prælio, ſi non exhortarentur verbis prouocarentur exemplis, roborarentur donis, nutrirenturque promiſsis. Nouit ipſe dux militum imbecillitatem, laboremque certaminis; propterea eos ſuſtentat donis, & paſcit promiſſis. Hinc dilectione feruidi, deuotione ſaginati, beatitudiniſque expectatione exhilarari, ferrum non timent, caſtra non metuunt, præſentia damna non ſentiunt, æternorum præmiorũ delectatione ſuccenſi. Eorum ſiquidem ſuauitate guſtata, affectus incaleſcit, eleuatur mens, ſpiritus exultat in Deo ſalutari ſuo. Cupit ſanè qui percipit illud apprehendere quod videt, illic in-

tereſſe

Digitized by Google

tereſſe quò trahitur, id ſemper habere quo gaudet. Oculo nãque fidei contemplatur ex parte, & in ænigmate regis Chriſti potentiam, regni magnificentiam, regnantium gloriam, ciuitatis illius opulentiam, feſtiuam lætitiam, communẽ gratiam, iucunditatemque perpetuam. Virum enim mutatus in alterum propter ſupereminentẽ maieſtatis Dei agnitam claritatem, in vocẽ exul- Pſal. 83. tationis prorumpens, ait: Quam dilecta tabernacula tua domine virtutum? concupiſcit, & deficit anima mea in atria domini. Concupiſcit, inquã, ibi eſſe, vbi angelorum, & archangelorum gaudent chori: vbi virtutum & poteſtatum exultant ſpiritus: vbi principatus, & dominationes diuinę intendunt viſioni: vbi thronorum Cherubim ac Seraphim ſancta agmina Deo omnipotenti ſuauiſsimum laudis exoluunt ſacrificium: vbi glorioſorum militum animæ angelicis admixtę ſpiritibus pari voto, conſona modulatione cœleſtia promunt cantica ante thronum Dei, & ante ſedem agni, gratias ſemper agentes ei, qui illos in admirabile lumen claritatis ſuæ introire conceſſit: delectabiliter quantum valent, laudant & laudandi inardeſcunt deſiderio. Deficit proculdubio à ſeipſo quiſquis per contemplationem cœtibus admittitur beatorum, & admirans ait: Quãdo veniam ego, & apparebo ante faciem Dei? Magno prorſus affectus deſiderio clamant omnia interiora, quando veniam? Non poteſt non concupiſcere, cum agnoſcit, quod ſummum, quod beatum eſt. Gemit ſe eſſe vbi eſt, & amando deficit ſe non eſſe vbi adeſse ſuſpirat. Cupit diſsolui, & eſse cum Chriſto: eo ardentius, quo clarius, eo fortius, quo ſæpius: eo dulcius, quo purius. Sic nãque affectus amoris vbertim lacrymas fundit: effundit cor, infundens ſe in eum, quem diligit, & videre concupiſcit. Quantus tunc ibi ſit gemitus, quàm alta ſuſpiria, quale incendium, quot charitatis ingeminatę ſonent voces: nemo nouit, niſi qui accipit, nemo accipit, niſi qui viriliter pugnat, humiliter orat, & infatigabiliter perſeuerat. Hic ſolus (quamuis innumeri currant) accipit brauium in cęlo victoribus repromiſſum. Gratanter quidem ſe laboribus ſubiicit tam pro acquirendis virtutibus, quàm pro proximorum neceſsitatibus, quum perpetuam prętoletur pacatiſsimam habiturum ſe eſse quietem: dicente Eſa. 59. Propheta: Si abſtuleris de medio tui catenam, & deſieris loqui quod non prodeſt: quum effuderis eſurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris, tunc orietur in tenebris lux tua: & tenebræ tuæ erunt ſicut meridies: & requiem tibi dabit dominus Deus tuus ſemper, & implebit ſplendoribus animam tuam, & oſsa tua liberabit. Pſal. 4. Hanc requiem, ſe habiturum pſaltes Dauid confidebat, dicens: In pace in idipſum dormiam, & requieſcam. Compunctionis mœrorem voluntariè ſuſcipit domini ſui poſtmodum intraturus in gaudium. Temporalibus bonis ſua ſponte renunciat, hæreditario iure poſſeſſurus veri honoris culmen, impredabileſque diuitias perhibẽte propheta: Quũ dederit (inquit) dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas domini, Corruptibilis corporis ſe exuit indumento immortalitatis ſtolam percepturus in cœlo: mundum totum volenti animo dereliquit: cœleſtium manſionum futurus ciuis & incola: nullus profectò explicet verbis, quãta ſit in cœlis electis repoſita merces. Quod oculus (inquit Apoſtolus) non vidit, nec auris audiuit, ne in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe, & certantibus pro ſe. Pręparauit vtique regale conuiuiũ, & epulas ſẽpiternas, non ad corporum refectionem, ſed animarum. Nulla enim neceſsitate electorũ tunc fatigabuntur corpora, impaſsibilitatis dote, claritatis fulgore, agilitatis munere, & ſpiritualis naturæ virtute decenter ornata. Mutabitur prorſus ipſa hominis natura in alteram: eadem tamen remanente quod eſt. Seminatur (ait Apoſtolus) in corruptione, reſurget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, reſurget in gloria. Seminat in infirmitate, reſurget in virtute. Seminatur corpus animale, reſurget corpus ſpirituale. Ecce altera, ecce ipſa, per ſubſtantiam ipſa: altera verò per gloriam. Idem erit corpus poſt reſurrectionem, eadem membra, ipſa caro, carniſq; ſubſtãtia, dicente Iob: Scio quòd redemptor meus viuit, & in nouiſsimo die de terra ſurrecturus ſum, & in carne mea videbo Deum ſaluatorem meũ, quem viſurus ſum ego ipſe, & non alius & oculi mei conſpecturi ſunt. Noſſe vis ipſius corporis gloriam? Fulgebũt iuſti (inquit diuinus ſermo) ſicut ſol, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent: atque in perpetuũ viuent in cœlis angelis coæquati. Nunquid habet hoc humanum corpus à natura? Prorſus minimè, ſed principaliter ex affluentia capitis, deinde exredundantia animæ corpori cõmunicãs, quod honoris, quod gloriæ, quod plenitudinis, quod fœlicitatis ex diuina viſione percipit. Ipſa nanque eſt, quæ ſempiterno Dei verbo copulata iucundiſsimis amoris nutritur deliciis, introducitur in admirabile, ineffabileque diuini luminis arcanum, in quo de patris æternitate, de verbi generatione, de ſpiritus proceſsione, & amborum oſculo eruditur, & efficitur ex fruitione beata, ex cognitione ſapiẽs & ex charitate ignita & amans. Hinc tranſcendit ſupra ſe, omnemque humanum limitem ſupergrediens, in ſolo cõditoris amore quieſcit, amat dulciter, ardenterque quod intuendo contemplatur: quod videt, laudat: quod laudat, tenet: quod tenet, amplectitur: quod amplectitur, in eo deficit: atque deficiendo liqueſcit. In illo quippe nunc admirando aſcendit, nunc laudando exultat, amoris fertur deſideriis, ſapientię ſplendore fit lumen, Dei adhæſione fit laudans, verbi compre-

Pſal. 126. 1. Cor. 2. 1. Cor. 15 Iob. 19. Sap. 3.

prehenſione fit ſponſa. Ingreditur & egreditur, & ſemper fœcundiora charitatis inuenit paſcua. Experimento ſcit quàm magna multitudo diuinæ dulcedinis ſit, quam Chriſtus dominus exhibet electis atque dilectis ſuis. Aſpicit etiam quàm magna eſt domus Dei, ingẽs locus poſſeſsionis eius, luminoſus, & vniuerſis delectationibus repletus: de viſione pacificatur: de communicatione diteſcit: de ſocietate lætatur: ſecura gaudet, aſſumpta miratur: aſtricta ebriatur: deificata laudat quod olim credidit, videt: quod ſperauit, tenet: quod concupiuit, amplectitur: cucurrit, & cõprehendit: pugnauit, & vicit: pulſauit, & ingreſſa eſt: non egredietur amplius ad labores, nuptiali digna facta conuiuio: non exhibebit vltra pugnam gloriæ diademate coronata: de cætero non fatigabitur in via angelorum ſanctorum aggregata conſortio. Hæc eſt merces quærentium dominum, quærentium faciem Dei Iacob. Hæc inquã, eſt triumphalis victoriæ, corona perpetua, quæ certantibus promittitur, ſed perſeuerãtibus prærogatur. Pro hãc, ò bellatores Chriſti pugnate ſtrenuè, vt ipſam percipere valeatis. Currite donec perueniatis: currite, inquam, vergente ſole ad occaſum, ne præoccupati tenebris inuoluamini, propoſitam vobis mercedem intuemini procul, quatenus in concupiſcentia illius flagret cor & totus virilis coaleſcat vigor. Talis eſt & tanti, vt meritò pro amore eius, homo relinquat omnem mundi ſubſtantiam, deſerat patrem & matrem, ac cunctam carnis progeniem: renunciet vniuerſis voluptatibus, & fugitiuis illecebris. Exponat ſe laboribus & iugo Chriſti ſe ſponte ſubiiciat. Ipſe eſt qui oneratos reficit, peregrinantibus comes eſt, auxiliatur pugnantibus, clamantes audit, exaudit deprecantes, afflictis compatitur, compeditos ſoluit, reuocat errantes, quieſcentes paſcit, fouet infantes, amantes diligit, coronat vincentes Ieſus Chriſtus dominus noſter, qui viuit & regnat cum Patre & Spirituſancto in ſæcula ſæculorum. Amen.

F I N I S.

BEATI LAVRENTII IVSTINIANI TRACTATVS

DE COMPVNCTIONE ET COMPLANCTV CHRISTIANAE PERFECTIONIS.

PARS II.

Ierem.9. QVIS dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, vt mœrore cõgruo militantis Eccleſię damna deplorare ſufficiã? Adeſt prorſus maxima & manifeſta cauſa mœſtitiæ: quum mentis conſideratur intuitu, quid olim fuerit, quidve nunc eſt. Filiorum eſt aucta numero, & depauperata virtute. Extendit palmites ſuos à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum ſuas dilatauit propagines, & à proprio naturali decore eſt plurimum deformata. Lugeãt igitur vnà mecum cuncti, qui diuini honoris zelum habent: ſumantque lamentum, & dicant: Thren.4. Quomodo denigratum eſt aurum? immutatus eſt color optimus? diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in medio omnium platearum? Quæ enim affluebat deliciis, diuitiis abundabat, efferebatur honoribus, fulgebat virtutibus, ſanctitate pollebat, vigebat intus, foris radiabat, donis ſpiritalibus cumulata erat, miraculis coruſcabat, ſapientia ſupereminebat, eloquia differebat myſtica, linguis gentium loquebatur, diſcernebat ſpiritus, cœleſtia penetrabat, degenſque in terris ſuper cœlorum conuerſabatur alta: nunc iacet in imis: languet in membris: in ſceleribus volutatur. Erat profectò talis, vt veneraretur ab angelis, coleretur à ſanctis, diligeretur à Chriſto. Quomodo non diligeretur, quum eſſet vnica, formoſa, ſine macula, auro veſtita, ac margaritis ornata? Illius pulchritudine Dei filius affectus de regalibus ſedibus deſcendens in hoc exilium venit, vt ſibi illam copularet in ſponſam. Copulauit, inquã, & facti ſunt duo in carne vna ſacramento ineffabili & diuino. Hinc effecta ſublimior meritis, nobilitate excelſior, claritate locupletior tanquam ſponſa lætabatur in capite: & veluti honorificata mater decorabatur in membris. Gemit autem & ipſa, quod fuerat, quando adoleſcentię ipſius tempus recolit, quantum delicata in guſtu, & quam chara in deliciis habebatur. Erat prorſus tunc ignita plurimum, lætabunda, & gaudens, vtpote de ſponſi cellario nuper egreſſa. Secum nanque detulerat multa ornamenta, & ampliora illi promiſerat ſponſus: quatenus nec egere poſſet, nec deſpici, neque inuidorum paueret inſultus. Præſtitit vtique illi ſpiritum adoptionis: tribuit claues regni: voluit vt in membris ſuis perfecta fieret, ſeruili timore depoſito. Quamobrem ſolicita erat ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis: ita vt nullum in mẽbris ſuis ſchiſma eſſet: quemadmodum legitur: Erat illis cor vnum, & anima vna. Act.4. Ex hac vnitate charitatis inuicem ſe diligebant, ſe fouebant, exhortationibus accendebant: tanquã in vno compacti corpore, & ſpiritu viuificati. Primitias quippe ſpiritus habuere tunc, & recentè ſacri cruoris effuſione reſperſi ſpiritualiter, ſacramentaliterq; Chriſtum manducare quærebant. Frangebant enim circa domos panes, & ſanguinem vuæ bibebant meraciſsimum. Quo inebriati poculo in populis clamitabant, linguis loquentes variis: ita vt ab infidelibus muſto ebrii putarentur. Erant quidem ebrii, ſed amore, ſed ſpiritu, ſed feruore: propterea effundentes, quod infuderat ſpiritus, hominũ multa millia ſancto calefacientes igne vnitati matris & fidei aggregauere ſanctorũ. Cępit tunc fructũ Chriſto exhibere ſpiritualis gratiæ, quam acceperat, & congregata diſpergere, ac diſperſa congregare. Congregare (inquam) ſtuduit Dei filios, qui diſperſi fuerant, præualente ſermonis Dei fame, & antiqui ſerpẽtis perfidia: illoſq; ſpirituali cibo, & fidei alimento nutrire, quoadusq; coaleſcerent, fierentque robuſti ad perferenda ſeculi aduerſa, quæ mundus ipſe parabat irrogare fidelibus. Metuebat quippe ſuaui iugo colla ſubſternere, quæ veluti indomitũ animal per abrupta dimiſerat vitiorũ. Quamobrẽ ſicut ſæuiens lupus ſe amabat ad extinguendam nouã fideliũ militiam: ita & hæc beata mater congregatos à Chriſto curauit per orbem diſpergere vniuerſum. Deſtinauit illos vtique ſine ſacculo, ſine pera, & abſque calceamentis: ſolùm Chriſtianæ mili-

militiæ armis protectos. Erat profectò ſpeculum mirabile inermes & belligeros viros intueri fide & eloquiis ſacris, atque morum grauitate poten tiam ſæuientis ſeculi ſternere, calcare eius gloriam, contemnere ſeipſos, & autoritate maxima Chriſtus conſtantiſsimè prædicare. Mirabantur proculdubio ſanctorum angelorum agmina, eorum magnanimitatem, copioſam gratiam, mutationemq; dexteræ excelſi: vaſa videlicet prius contemptibilia, facta in honorem & gloriam, & imbuta eſſe repentè omni ſapientia & doctrina. Factum eſt abs te dominè hoc, qui vocas ea, quę non ſunt, tanquam ea quæ ſunt, vt non glorietur omnis caro in ſe, ſed in te, qui præſtas affluenter quibus vis. Lætabatur, inquam, cœleſtis curia, etiam mater Eccleſia: quum prolem nouam ſibi quotidie aſpiceret aggregari non ſine ſudore & filiorum corporali interitu. Debuerat plane triſtari: quum quos genuerat Chriſto, cerneret velut oues laniari, perſequi, & occidi. Dolebat prorſus, quia materna gerebat viſcera: conſolabatur autem de reſurrectione ipſorum effecta ſecura. Nouerat rudem terram ſine labore ſcindi non poſſe, vt fructum germinet: nouerat abſque agone duro, cœleſte brauium acquiri nō valere, præ oculis ſponſi ſui habens paſsionem. Nolebat ergo, vt vulnerato capite membra illæſa perſiſterent. Quamobrem quos dilexerat, Apoſtolicos approbatoſque viros hortabatur, vt perſiſterēt in bello, opus perficerent, perſeuerarent in cruciatibus, prædicarent Chriſtum: & quos poterant, reuocarent ad ſe, quatenus & ipſa illos ſuos exhiberet ſponſo. Factumque eſt adiuuante domino, operante gratia, ſuadente matre, vt mūdus ab idolorum ſeruitute redemptus crederet, confitereturque Chriſti deitatem perpetuā. Veruntamen non ſine magna ſanguinis effuſione hoc actum eſt. Fide nanque certantes athletæ ſancti corpora exponebant, teſtificabanturque per tormenta, quod voce nunciabant. Fiebat autem permittente Deo maxima fidelium ſtrages, effundebaturque ſanguis innoxius, qui clamabat, vt olim Abel pro perſecutorum indulgentia. Prę ualuit ergo oratio ſanctorum. Nam vnde iraſci pro morte iuſtorum debuit Deus: ſe flexit ad veniam piis interpellantibus precibus. O mirabile diuinæ dignationis opus: qui peccatorum non deſiderat interitum: ſed potius vt conuertantur, corrigantur, & viuant. Sæuiebat mundus, nomenque ſanctum, adoptionis filios, germen iuſtum, ſanctificata vaſa ſubuertere cupiebat. Hinc minas, hinc blanditias, hinc inferebat tormenta: vt quos à fide vno non poterat auertere argumento, ageret alio. Quid agis, ò munde? quid baccharis in perditione ſanctorum? Conaris fruſtra, & iniqua perficis. Prius quàm ſæuias, eorum diſcute merita, agnoſce vitam, ſuaſiones audi, cauſaſque diſcerne. Nihil quęrunt abs te, de tuis nil volunt: te cupiunt, te quærunt, te de interitu ſempiterno eripere moliuntur: ignorantiæ compatiuntur tuæ: tuis laboribus conſulunt; ſalutis iter tibi reſerare contendunt: vbi ſis, qua pergis, quò accedere debeas, inſinuare volunt, te diligunt plus quàm ſe, dum exponūt pro te. Quantum vis crucies, quantum vis ſpernas, quantum vis oderis: non diſcedent, à te, niſi audiantur & viuas. Reſipiſce igitur, cohibe furorē, manum retrahe, compeſce linguam; virū aduocatum tuum, & ſta in te, vt audias loquētes tibi. Nūquam amicos habuiſti tales fideles & rectos. Cæteri tua quæſierunt à te: iſti autem te. Crede mihi quoniā poſt eorum cædes, poſt duritiam tuam redibis ad te, ſano conſilio accommodabis aurē, fieſque de infideli fidelis: ac lues poſtea quæ agis patieris tu quoque ſimilia eo animo, quo iſti, quoniam eodem ſpiritu imbueris. Tunc lugebis noxias tuas, & de ſacro ſanguine condigna perſolues. Sicque factum eſt. Nam patientibus orantibuſque ſanctis repentè vox in Rama, audita eſt, ploratus videlicet prædeſtinatorum, & fidelium vlulatus, qui fidei irradiati ſplendore errore agnito proprio conuerſi ſunt: nunciantes quod damnauerant prius. Hac de cauſa diaboli exarſit inuidia, doluit ſe contemni, & Chriſtum coli. Amiſsis igitur vaſis iniquitatis, quibus Chriſtianos inſequebatur, ad callidiora ſe argumenta conuertit. Variis totum penè mundum maculauit erroribus. Quamobrem Eccleſia mater pro filiorum ſalute ſolicita, timens nimium ne ſimplicium & neophytorum macularentur corda, relinquerentque arreptum ſalutis propoſitum, ad eorum robur patrum probatiſsimorum copioſū direxit numerum: qui latratu ſuo tanquam rationales canes, ferales arcerent lupos à grege ouiū dominicarum: illaſque quaſi matres fouerent, hortarentur atque nutrirent. Matres vtique erant conſolationis propinantes lac iis, quos Chriſto genuerant & in Chriſto. Neque enim nutrix aliqua tam ſedulò curam gerit infantis, quàm memorati exhibuere patres. Peruigiles erant ſuper eorum ſalute, quemadmodum Apoſtolus inquit: Heb. 13. Obedite paſtoribus veſtris: ipſi enim peruigilant tanquam rationem reddituri pro animabus veſtris. Nunc lactis, nunc cibi ſolidi, prout eorum profectibus congruebat, animarum alimoniam tribuebant. Nunc inſtigabant ad prælium, nunc certaminibus locum dare docebant. Præmonebant de periculis, illis futura prædicebant: quandoque læta, aliquando eiſdem triſtia prædicabant. Verè in omnibus veluti martyres ſe habebant, nihil proprium quærentes, ſed ſubiectorum commoda. Hinc nouerant gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus, id ipſum quemadmodū corporum matres ſentientes eorum vnū audi, quid dicat: Quis infirmatur (inquit) & ego non infirmor? Quis ſcādali-

dalizatur,& ego non vror? Operabatur vtique hoc in illis charitas, quæ non quærit, quæ ſua ſunt, ſed compatitur corde, docet ex corde, laborat ex corde. Quamobrem tam exuberans, & ſpiritualis per illorum ſtudia exortus eſt fructus. Non enim infructuoſum eſſe valet, quòd ſancta Dei charitas operatur. Accendebatur vtique plebs fidelium eorum orationibus & verbis ad fugam vitiorum, ad contemptum ſeculi, ad virtutum ſtudia, ad tolerantiam paſſionum, ad tentationum certamen, ad dilectionem proximi, ad cognitionem ſui, & ad capeſſendam fęlicitatem ciuium ſupernorum. Eorum vtique nonnulli reperti ſunt, qui tanto proficiendi vtebantur zelo, vt communem conuerſationem, ſocialemque vitam deſerētes ſolitariè degerent: quidam vt indefeſſe pugnarent cum aereis poteſtatibus: quidam vt omni ſe terreno priuarent ſolatio: aliquanti vt ſeruato animi vigore ſecum facilius habitarent: nonnulli vt carnis abdicatis illecebris illam ſpiritui ſubigerent: alij verò diuino amore flagrantes, vt contemplationi cœleſtium commodius die noctuque vacarent. His atque aliis de cauſis habitabiles facti ſunt eremi, montiumque deſerta famulantium Chriſto repleta ſunt, quemadmodū egregius vaticinauerat Pſal-
Pſal. 64. tes. Pingueſcent (ait) ſpecioſa deſerti, & exultatione colles accingentur. Erant planè tunc fęlicia tempora, quamuis tentationibus variis agitata: in quibus feruebat charitas ſeruorum Chriſti complens præcordia. Inerat ardor martyrii, & zelus fidei: vigebat fraterna æmulatio, & proficiendi amore contemnebatur mundus amore cœleſtium, fulgebat virtutum perfectio, & bonorum omnium ſpiritualiū exuberabat cumulus. Ab hac plenitudine gratiarum emanauere collegia cœnobitarum, quorum patres digni memoria, vt multis prodeſſe poſſent, ſtudia particularia deſerentes communem actitauerunt vitam. Sufficiebant prorſus ſibiipſis: ſed vt plurimorum inſeruirent vtilitatibus, regulariter viuere ſtuduerunt, ſcientes proculdubio hanc vitam debilibus ac robuſtis proficientibus ac perfectis eſſe communem. Zelantes igitur honorem Dei, proximorumque ſalutem repleuerunt orbem totum trahentes ad ſui imitationem aſpicientium animos, & audientium corda. Quis (oro) non mutaretur in melius videns diuerſæ ætatis viros: alienarum nationum, naturarum contrariarum ſimul viuere: eundem cibum ſumere: eodem animo, eadēque conuerſari ſub regula? Prorſus humana ſtudia iſta tranſcendunt: diuino totum agebatur munere: qui iuxta Prophetæ vocem habitare facit vnanimes in domo. Minimè id perficere potuiſſent, niſi vno directi fuiſſent ſpiritu: vno ligati charitatis funiculo: in vno myſtici corporis fœdere copulati, atque ſimul in vno capite ſanctificati. Erat in illis ipſe Chriſtus caput Eccleſiæ, qui nobiliora, & ignobiliora membra in ſuo pacificat corpore: ita vt non ſit in ipſis ſchiſma, ſed cōcordia delectabilis, dulcis amor, ſolicitudo continua: communicatio ſine murmure: dona ſine diſceptatione, & vnitas abſque diſcretione. Nempe nec maiori inuidet minor: neque maior minorem contemnit: viciſſim ſibi famulantur: & quod vnus patitur, cuncti pati arbitrantur. Fouent vtique robuſta debilia, & contemptibiliora abundantiori honori habentur. Hoc niſi fieret, eſſet diſcordia, nec ſimul perſeuerare valerent. Hinc verè colligitur, quòd pacis infeſtator, & qui inter fratres iurgia ſeminat, non eſt in corpore: quoniam non diligit vnitatem, quæ corporis huius compago eſt. Segregatus autem à corpore, nō de eodem ſpiritu viuit: nec meritorum ipſius efficitur particeps. Detrimenta hæc metuens quiſque fidelis, & ſapientię capax ſic conuerſari conatur, vt non ſcandalizet vel vnum puſillum membrum credens in Chriſto. Sic ſui adhibet cordis cuſtodiam, orique imponit legē, vt non excidat à charitate Dei, & ab vnitate Eccleſiæ, quod eſt corpus Chriſti: quin potius ſanctorum præcedentium, quantum illi fas eſt, veſtigia imitari ſtudet: qui tanquam præſtantiora membra donis fulgebant: eminebant virtutibus, & infimos quoſque charitatis fouebant affectu. Taliter nanque conuerſantes honorabilem coram principibus & poteſtatibus ſeculi in turbis, & populis reddebant Eccleſiam, adeò vt illam magno venerarentur affectu: illius cenſuræ ſe ſponte ſubigerent: illam donis ac muneribus copioſis efferrent, priuilegia ei dantes, protegentes ipſis libertatem, & omnia quæ ad augmentū religionis, ad fidei defenſionem, ad bonum pacis prodeſſe poterant præſtantes. Erat vtique tunc florida, decora in membris, in chariſmatibus copioſa, deaurato tegmento induta, quod mira varietas virtutum venuſtabat. Emittebat prorſus quandam boni odoris redolētiam de veſtimentis, quæ vniuerſos replebat ſuauitate mirifica. Erat Chriſti bonus odor in omni loco ad Dei gloriam. Sua fragrantia in ſolitudinibus, in montibus, in ſpeluncis, in cauernis terræ, in ciuitatibus, in caſtris, in Eccleſiis, in domibus perſpicue ſentiebatur. In teſtimoniū ſanctitatis ipſius, puritatis internæ, immaculati thori, contemplationis mundę, orationis ignitæ, vigiliarum aſſiduarum, lacrymarum humilium, & virtutum cęterarum velut nemus erat fertile: omnium aromatum copioſum, in quod iugiter ſponſus deſcē-debat, vt videret poma conuallium: etſi mala punica floruiſsent. Illud ęquidem perluſtrans, illiuſ- Cant. 4.
que pulchritudinis captus amore in ipſius ait bat laude: Hortus concluſus ſoror mea ſponſa: hortus concluſus, fons ſignatus, emiſsiones tuę paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus; nardus cum croco, fiſtula, & cinamomū cum

vniuerſis lignis Libani:fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de Libano. Delectabatur planè ſponſus Chriſtus fœcunditate virtutum, iuſtorum illorum ſingulorum ſingula conſiderans geſta. Obſeruabat conſcientiarum mundiriam, orantium frequentiam, lugentium compunctiones, præſidentium humilitatem, ſolicitudinem paſtorum, ſubditorum obedientiam, conuiuentium pacem, pugnantium conſtantiam, amantium ſuſpiria, proficientium ſudores, laudes perfectorum, peregrinantium affectus, & præcipuè erga ſe, mentium charitatē. Iſtiuſmodi ſpiritualibus allectus ſtudiis penes illos commorabatur inſeparabiliter delicias ſuas arbitrans eſſe cum filiis hominum. Hinc eorum profectibus animarus aperiebat manum ſuam, implens eorum animas benedictione, prærogabat affluentiſſimè talenta gratiarum: vtpote multiplicanda in centuplum. Nam ſicut auarus eſt pigris, ita feruentibus cognoſcitur eſſe munificus: præbet libentius, quàm retineat; quæritque cui ad lucrum tribuere poſſit. Illos igitur, de quibus loquimur, quorum præſentia ætas noſtra digna non eſt, aſpiciens rectos corde, humiles ſpiritu, in augmento promptos, ampliſsimè ditabat muneribus ſpiritualibus, qui eadem diſſeminantes, charitatis incendio à fundamentis orbem commouerunt vniuerſum: beatius fore exiſtimātes dare, quàm accipere. Factumque eſt in diuino opere caleſcentibus illis, vt in breui erigeretur tabernaculum fœderis diuinæ miſerationis indicium. Intenta quippe erat offerentium multitudo, vt perficeretur opus inchoatum. Offerebant enim aurum, argentum, æs, ferrum, lapides onychinos, coccum bis tinctum, purpuram, byſſum, caprarum pilos, cedrina ligna, cupreſsina, abiegna, & huiuſmodi huic operi neceſſaria, ſinguli iuxta propriam facultatem. Nec quiſquam prohibebatur offerēt um. Erat vtrique tunc lætitia maxima in cœlis, in conuētu omnium angelorum, mutuoque dicebant. Ecce tabernaculum

Apoc.21. Dei cū hominibus: & habitabit cū eis: & ipſi populus eius erunt: & ipſe cum eis erit eorū Deus. Exultabant prorſus ſupra modū illa beatorū ſpirituū agmina in huius ſpiritualis ſtructuræ fabrica. Viderant per multa annorum curricula cultū verum, honoremque diuinum obliuioni traditū: illumque dæmoniis ac ſimulacris manufactis, argēteis, lapideis, deauratis ab hominib. exhiberi qui Deum ſumma cum veneratione debuerant honorare, diligere, colere, & laudare. Viderant præterea drachmam deperiiſſe decimam: nuperque repertā in ſterquilinio delictorum, & in cœno mūdanæ cupiditatis. Quamobrem congratulabantur mediatori Dei & hominū Chriſto, qui illam quærere ac reperire dignatus fuerat. Gaudebant & reſtauratione futura ipſorum per illos quos iuſtificari quotidie cernebant. Deponebāt

vtrique controuerſiam omnem aduerſus hominem de zelo ſuſceptam. Non enim poterāt illam contemnere ſpeciem, quam aſſumpſerat verbū ſempiternum, vt redimeret, vt pacificaret, glorificaretque redimeret per ſanguinis ſui effuſionē pacificaret Deo per ſui corporis immolationem decreti chirographum cruci affigendo: glorificaret autem ſecum corpus ſuum myſticum prouehendo in cœleſtes manſiones illi ante mundi cōſtitutionem paratas. Neque valebāt non diligere ciues ſuos, æternique regni ſecum cohæredes. Erat tunc iucundū valde in ſpiritu intueri: quibus intelligentiæ lumen datum erat agnoſcere: Deum habitare cum hominibus: angelos cōgaudere hominibus: homineſque amoris inimicitiarum obſtaculis Deū diligere: pro ipſius honore, voluntarie, læranterque ſe morti exponere: ſimul cū angelis religionis & laudis debitū ſoluere: fraternam ſalutem, vt propriā, concupiſcere. Factū profectò erat cœlū nouum, & terra noua, cœleſtia cantica ex tunc reſonare cœperunt. Adorabatur omnipotens pater in ſpiritu, quærebatur in ſpiritu, amplectebatur ſpiritu: & in his talibus lætabatur, iuxta Propheticū illud: Gaudiū etenim domini eſt fortitudo veſtra. Non autē gaudebat Nehe. 8.
propter nos, quaſi efficientes gaudium illud: ſed vtique, de ſe non recenter, tanquam ſi noui aliquid accidiſſet: ſed quod æternaliter, prius quàm eſſemus, de nobis in ſe pręuiderat, atque eſſe voluerat. Niſi voluiſſet, non fuiſſet hoc. Omnia quæcunque voluit ipſe, fecit. Ipſo igitur iubente melliflui facti fuerant cœli. Rorauerunt enim de ſuper, & nubes pluerant iuſtum, apertaque terra germinauerat Saluatorem, quem Pater ob nimiam charitatem, qua humanum dilexerat genus, miſerat in ſimilitudine carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum in carne ſua, cū quo prorſus ipſe, qui miſerat, Pater venit, vt ſecum gratam apud illos, qui diligebant Chriſtum, eiuſque cuſtodiebant mandata, faceret manſionem, prout idem prædixerat mediator. Miſſus præterea fuerat à Patre in nomine filij, Spiritus Sanctus amborū amor & oſculum, quatenus credentium ſancto igne mentes accenderet, erudiretque de omnibus, quæ ad ſalutem congruebant eorum, ac poſtularet pro eiſdē gemitibus inenarrabilibus. Neque enim Paraclestus hic ſpiritus vacuus venit. Donauit nanque ſponſæ eccleſiæ, ſuiſque diuiſit in filiis ſapientiæ donum, vt quod de cœleſtibus credebant, affectu ſapido deguſtarent, atque in illius concupiſcentiam perurgeret. Dedit intellectum, vt arcana ſcripturarum agnoſcerent ſacramenta, & per patientiam & conſolationem earum ſpem haberent obtinendi, quod nouerant. Conſilii præſtitit munus, vt agnito bono & malo, meliori & optimo ſaniorem partem eligerent, & ad perfectionis culmen aſcēderent, quod in cō-

filiorum impletione conſiſtit. Prærogauit fortitudinis donum, cuius adminiculo valerent illatas iniurias, irrogata flagella, potentum blanditias, & ſeculi promiſſa oblectamenta reſpuere. Scientis eos inſigniuit chariſmate, vt luce ipſius præuia exteriorum negotia prudenti circunſpectione miniſtrare ſufficerent, ne ſibi vel proximis minimum ſcandali offendiculum anteponerent. Pietate eorum impleuit viſcera, vt ſe diligerent mutuo, miniſtrarent ſibi inuicem, atque pro dilectionis cuſtodia alter alterius onera portarent. Tribuit timoris filialis donum, quo mediante legem Dei ſeruarent, ſeque agnoſcerent, quid eſſent, non ſe extollerent, ne ſuperbientium & delinquentium ſupplicia paterentur. Inhabitat & ipſe almus ſpiritus corpus eccleſiæ, & ſingula fouet membra. Sanat ſi quod eſt ſaucium, flectit quod eſt rigidum, fouet quod eſt frigidum, & regit quod eſt deuium. Cadenti ſupponit manum, mœſtum lætificat, iuſtum docet, & paſcit famelicum. Prorſus deficeret eccleſiæ corpus in tribulationibus, in proſperitatibus declinaret, iaceret in arduis, & in carnis voluptate deflueret, niſi interuentu & auxilio Sancti Spiritus vniretur capiti, & ipſius ſuauitate aſpergeretur intus, & in huius peregrinationis anfractibus comitatu dirigeretur illius. Huiuſmodi ſpiritualibus monilibus in exordio deſponſationis ſuæ peramplius decorata ſancta mater eccleſia, atque diuinæ conſolationis oleo fota lętabatur in profectibus filiorũ, eoſdem ſemper reuocans ad altiora conſcendere, nolebat eſſe ingrata. Sciebat enim quid acceperat, quid fuerat, quid eſſet. Creuit itaque in numeroſitate ſobolis, in gratiarum augmẽto, in donorum multiplicatione, in lumine veritatis, in perfectione virtutum, quandiu hortantem, exorantemque matrem filii audire voluerunt. Extitit enim ſemper ſupra modum de ipſorum ſalute ſolicita, quatenus illos offerret Deo, atque inferret cœleſtibus. Erat vtique, quum obediretur à filiis, mater pulchræ dilectionis atque timoris, eratque pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata. Tanquam terebinthus extenderat ramos ſuos, ſub quorum vmbra ab æſtu diei, à turbine, & à pluuia protegeret, quos genuerat. Laborauit quandiu potuit, in gremio ſuo nutriuit quos valuit, quamuis id quotidie agere non deſiſtat, eò inſtantius, quò à priſtino feruore plures, & ferè innumeros declinaſſe perſẽtit. A multis quidem annorũ curriculis citra pedetẽtim cœpit rigor virtutum, ac perfectionis norma languere, dietimque fugere, vnde nõ poteſt nõ gemere cõditoris ſui offenſam, dãna propria, atque filiorum interitum. Quæ enim veſtiebatur coccino coccoque bis tincto, nunc lugubrem veſtem aſſumpſit, commutauitque in multis membrorũ ſuorũ iuxta cõminationem Prophetę, pro ſuaui odore fetor, & pro zona funiculus, & pro criſpanti crine caluitium, & Eſaia. 5.
pro faſcia pectorali ſcilicium. Hinc ſe à fletu & lamentis minimè continere valet. Orat aſſiduè, ſi quo modo ad præteritum in præſenti ſe poſſit reformare decorem, quanquam in ſua pene ſupplicatione deficiat, impoſſibile arbitrans ſe poſſe eſſe, quod fuerat. Nec ab re agnoſcens Propheticum illud in ſe eſſe completum, Omnem decli- Pſal. 13.
nauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Declinauerunt prorſus omnes eccleſiæ ſtatus, qui ſpiritualia ſunt myſtici corporis Chriſti membra, ex quibus nonnulli alienati ſunt ab vtero matris ſuę, & loquuntur falſa, aliqui verò abierunt retrorſum carnis deſideria ſectantes, amantes ſeipſos, tẽporalia lucra quærentes, honorum cupidi, ſceleſti, adulteri, & miſeri. Iſta nanque vigent, nedum in inferioribus, verumetiam in mediocribus, & ſublimioribus membris, adeò vt confuſa videantur vniuerſa, vt à planta pedis vſque ad verticem capitis in hoc corpore, ſpiritualis non appareat ſanitas. Attende (oro) diligenter in turbis populorum, & in ſecularibus plebibus, quàm rari in eis ſint, qui diuina mandata cuſtodiant, eccleſiæ ſanctiones ſeruent, contenti ſint propriis, aliena nõ rapiant. Vndique adulteria perpetrantur, fiunt ſtupra, ſacrilegia, homicidia, rapinæ, furta, deceptiones, & horum ſimilia. Quid de his memorẽ? quum diuini nominis reuerentia ſic omnino neglecta eſſe videatur, vt ſanctus exiſtimetur, qui Deum, ſanctos, cœleſtemque non blaſphemat curiam. Superabũdant prorſus in ore hominum mendacia, periuria, iuramenta, detractiones, vaniloquia, impudicaque verba, quæ incompoſitæ mentis indicia notiſſima ſunt. Nequaquam tam incontinenter mortales viuerent, effrænateque loquerentur, ſi in Deum crederent, eum timerent, ipſiuſque iudicium formidarent. Proteſtantur ex iis operibus, quæ aduerſus Dei præcepta perpetrant, membra eſſe putrida, & à Chriſti corpore omnino aliena. Gemit mater eccleſia perditionem iſtorũ, & veluti proprios deplorat filios. Meminit ſe illos per regenerationis lauacrũ genuiſſe: meminit eorum promiſſionum, per quas ſe Diabolo, ſeculi põpis, & flagitiis omnibus renunciaturos ſpoponderunt. Caſum igitur illorũ tanquam vera genitrix deflet, atque illorũ reſurrectionem ſperat cõſequi ſe poſſe per lacrymas. O quantus quotidie lacrymarum imber effunditur coram Domino? O quàm frequentem precum inſtantiam in aula cœleſti per Sanctorum miniſteria Angelorum immaculata hæc Virgo dirigit ad Chriſtum pro ſpirituali peccatorum interitu? clamat in cordium cubiculis, vociferatur in angulis, publicè in eccleſiis materialibus deprecatur, vt diuina miſericordia cæcos illuminet, errantes reuocet, & in delictorum

cœno obrutos ac ſepultos reſuſcitet ad vitam, erigat per gratiam, & vnitatis adducat ad gremiũ Quanto interno exultet gaudio, quum viuos recipit, quos defunctos lugebat, explicari vix poteſt. Nempe ſi de peccarorum conuerſione pœnitentiam agentium maxima lætitia in cœlo exoritur, quantum exhilarari debuit ipſa, quæ genuit? Secundum multitudinem doloris, quem de ipſorum perditione concepit in corde, ita conſolationes in eorundem viuificatione læuificare conſueuerunt animam eius. Non tamen æquè omnibus contriſtatur, ſed iuxta ſingulorum qualitates & gradus. Plus, inquam, dolet in caſu bonorum, quàm malorum, atque in præuaricatione nobilium, quàm ignobilium. Non vt illa ſecundum carnem iudicet, neque vt apud eã aliquã ſit perſonarum acceptio, quum vniuerſos gignat in ſpiritu per fidem & ſanctificationis aquam, Non enim aliud baptiſma in potente operatur & nobili, quam in infimo & ignobili, verũ nec alia vnius quàm alterius fides eſſe cognoſcitur, ſed vna omnium eſt, & in effectu æqualis. Hoc teſtatur Apoſtolus, dicens, Vnus Deus, vna Fides, vnum Baptiſma. Vnus Deus Pater omnium, & in omnibus, & ſuper omnes, qui eſt benedictus in ſecula. Dolet igitur magis (vt dictum eſt) de præuaricatione iuſtorum, quàm malorum, ac de ruina potentum, quàm ignobilium, quoniam maiorem in membris inferioribus iacturam patitur. Debilitantur ſupra modum puſilli in fide, quum qui in eccleſia ſecundum vtrunque ſtatum aliquid eſſe videbantur, redire ad vomitum cernunt, atque malum pertinaciter conſummare. Conſueuerunt tales, qui recidiuum patiuntur, nequius viuere quàm cæteri, qui nunquam agnouerunt veritatem dicente Domino, Quum immundus ſpiritus exierit ab homine, ambulat per loca inaquoſa quærens requiem, & non inueniens, dicit, Reuertar in domum meam, vnde exiui. Et quum venerit, inuenit ſcopis mundatam & ornatam, & tunc vadit & aſſumit ſeptẽ alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreſsi habitant ibi, & ſunt nouiſsima hominis illius peiora prioribus. Nocent autem ſublimiores ſeculi amplius, quum mali ſunt, & in malitia perſeuerent. Quamobrem tam propter membrorum incommoda, quàm propter percũtium potẽtum damna ſancta mater gemit eccleſia, & potiſsimum temporibus his, in quibus abũdante malitia aucta ſunt potẽtum ſcelera. Apud illos vtique auaritię æſtus viget, ſuperbia regnat libido dominatur, gulæ appetitus ſuperat, inflammat inuidia, ira præcipitat, & inanis gloriæ faſtus attollit. Quis non metas ſuæ facultatis inanis glorię faſtu ſeductus excedit? Quis in magnis non ambulat, & in mirabilibus ſupra ſe? Dedignantur ſuperbi apparere, quod ſunt, ideo volunt exiſtimari ab hominibus ſupra id, quod ſunt. Quanta ex his exuberant flagitia, quantum que Deo diſpliceat, ſi ſcirent, qui peragunt, vtique ſi non amore, ſaltem timore reſipiſcerent. Quoniam verò in ſeculo potentes & diuites nolunt intelligere, vt bene agant, ideo permittente Deo ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Vidi (inquit Propheta) impium eleuatum & exaltatum ſicut cedros Libani & ecce tranſiui, & non erat, quęſiui, & non eſt inuentus locus eius. Hoc quum verum ſit, quum propriis quotidie intueatur oculis, quum Deus in auribus ſecularium per ſanctorum admonitiones intonet, mirum videtur, cur non ad ſe redeãt & celerem vtriuſque hominis expaueſcant interitum. Mortuos ſe eſſe fatentur, & fœtere in monumento, vt olim corporaliter quatriduanus Lazarus. Sed vtinam ſicut ille, ita & iſti. Ille profecto non per ſe, ſed ſororum lacrymis, & fide reſurgere potuit, iſti verò nec matris lacrymis, neque gemitibus iuſtorum. Proinde deteſtabilior iſtorum, quàm Lazari mors eſſe cenſetur. Eſt itaque mœror eccleſię vehemens, quum tam innumerabilium filiorum ſpiritualem deploret interitum, & vix reperiantur, qui condoleant, & manum apponere poſsint. Nempe ſi cęcus cęco ducatum prę̃ſtet, ambo in foueam cadunt. Mortuus etiam mortuos ſepelire valet, non autem erigere & ſuſcitare. Hinc eſt, quòd tam pauci reuiuiſcunt. Sunt autem plebium rectores innumeri, quibus ouium dominicarum particularis iniuncta eſt cura, qui taliter conuerſantur, vt nequaquam eorum verbis, quamuis bonis, fides valeat adhiberi. Verbis quippe vtilibus laudabilis vita autoritatem pręſtat. Sed (proh dolor) nec ędificationis eloquia profert moderni temporis clerus. In ipſo enim clero paucisſimi reperiuntur, qui honeſtè viuant, rariores autem qui pabulum ſalutis gregibus valeant præbere fidelium. Nempe Sacerdotum, clericorumque maxima pars dedita iacet voluptatibus, & beſtiarum more quaſi degentium parum ab illa ſecularium illorum cõuerſatio diſtat. Incedunt quotidie per plateas, hinc inde diſcurrunt, theatris & ſpectaculis interſunt, choreis demiſſa omni grauitate ſe miſcent, pudorem reiiciunt, turpiloquiis vacant & nugis, habitu pompatico veſtiuntur, crinibus criſpantibus comam contra Apoſtolicum præceptum, & ſanctiones patrum nutriunt. Qua fronte (oro) redarguere tales poſſunt delicta populorum? Quomodo errantem ad ſemitas iuſtitiæ reuocare ſufficiunt? Negligentes ſalutem propriam qualiter ſuper aliorum ſalute vigilabunt? Alteri vix bonus eſſe valet, qui ſibi nequam eſt. Corrigat ſua, qui proximorum cupit errata corrigere. Iſti autem, de quibus loquimur, parum de ſe, minuſque curant de cæteris. Tanquã à caritate extranei vineam Domini Sabaoth relinquunt incultam, in qua ſurgunt vepres, ſpinæ oriatur, & ſemen verbi ſuffocatur, & in ter-

Ephes.
Matt. 12.
Pſal. 130.
Iob. 21.
Pſal. 36.
O aurea verba mira charitate referta
1. Tim. 2.

Digitized by Google

Psal. 79.

in fœcundam reddunt. Huius profectò vineæ Propheta damna deplorans inquit Domino, Vineā de Aegypto tranſtuliſti, eieciſti gentes, & plantaſti eam. Vt quid deſtruxiſti maceriam eius, & vindemiant eam omnes, qui prætergrediuntur viam? Exterminauit eam aper de ſylua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam. Verum vniuerſa incōmoda hæc à cultoribus exigentur illius, quamuis ipſi palmites à toto minimè excuſabiles ſint. Tradentur nanque æterno cremandi incendio inutiles & infructuoſi, eorum verò cultores maiora luent ſupplicia, quoniam Domini Vineæ neglexerunt honorem in Vinea. His vehementer Dominus comminatur, quum in Euangelio parabolam Patrisfamilias, qui Vineam plantauit, diſſeruit, dicens, Malos malè perdet, & vineam ſuam dabit agricolis, qui fructum reddant temporibus ſuis. Audiunt iſta Sacerdotes, legunt eadem publicè in eccleſiis, nonnulli populo pronunciant, & tamen inemendabiles permanent. Lapideum gerunt cor, obturatas habent aures, ſine intellectu ſunt, ſyllabarum tantum proferentes ſonum, ab omni ſpirituali deficiunt guſtu. Vtinam ſibi ipſis mali eſſent, & aliis conarentur prodeſſe, vt ſi non illorum vita imitabilis foret, eſſent tamen facienda, quę dicerent. Vtroque prorſus carent, nec vitam, neque ſcientiam habentes. Sunt omnes ignari & inſcii, exceptis paucisſimis, & quod deterius eſt, addiſcere non dignantur. Omne tēpus doctrinæ deditum ſe arbitrantur amittere carnis voluptatibus intenti, potius eligunt vagari quotidie & confabulari, quàm ſacrarum ſcripturarum ſe lectioni dare, obliuioni tradentes, quod dicitur, Interroga Sacerdotes de lege. Et illud Propheticum, Labia enim Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt. Ipſi nec interrogare volunt, neque interrogari poſſunt, quoniam idiotæ ſunt. Ad arentem fontem quis perget, vt aquam hauriret? Sic tales aridi non ſolum malum doctrinæ imbrem populis propinant ſitientibus, verumetiam mala conſilia præſtant, quibus plebeculæ moriuntur. Vnde ſuperſtitiones vigent, mandata cōtemnuntur, peccata fiunt, niſi ex incuria Sacerdotum, qui ne temporale amittant lucrum, permittunt ſubditis agere, quod volunt, & contradictionis ſeu correctionis non audent ſermonem loqui? Tanquam canes muti ſunt, non valētes latrare, & veluti mercenarij inutiles videntes lupum venientem, Domini gregem deſerentes fugiunt. Quantum in ipſis eſt, lupus oues rapit, diſpergit, lacerat, & occidit. Sanguis autem earum de iſtorum manibus exigetur, Domino per Prophetam perhibente, qui ait, Si dicente me ad impium morte morieris, & non annunciaueris ei, neque locutus fueris, ut auertatur à via ſua impia, & viuat, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram. Hæc præuidere ac præcauere nolunt, quum poſſent. Non vacāt ſubiectorum profectibus, ſed propriis commodis. Ouium tondent vellera, quum valent, & de ipſis non curāt ouibus, quoniam ad eos non pertinent. Sacramenta, quę gratis & volenti animo miniſtrare debent, non ſine ſpe aut pretio tribuūt, & quod grauius eſt interdū neque ſine pactione. Væh talibus, qui Giezi, imitātes & Simonē rē ſanctā vili vendūt pretio. Propterea iſtis, niſi pœnitendo reſipiſcant, erit perditio. Quod enim ad animarum inſtitutum eſt lucrum, ad tēporalem intorquent quæſtum? neſcientes quòd nil maius acquiri valet, quàm animarum inſudare profectibus, qui ſacramentis mediantibus fiūt. Agunt huiuſmodi mali Sacerdotes talia, & tanquam purgamentum ſeculi habentur exigentibus hoc clericorum demeritis. Qui enim venerarentur vt patres, & veluti optimi Dei miniſtri diligerentur, ſi iuxta gradus ſui viuerent ſanctitatem, deſpiciuntur, & in deterius cadunt, quoniam ſe emendare diſsimulant, & tanquam indomita animalia abſque regimine viuunt. Agūt quod volunt, nulla eos prælatorum cohibēte cenſura. Dum igitur prælati negligunt, laſciuit clerus, & voluptatib. deditus (permittēte Deo) nullam ſuperiori ſuo reuerentiam exhibet. Quis hic nōn doleat? Quis prælatorum non plangat ruinam? Facti planè ſunt in deriſum omni populo, canticum tota die, inſtituti ſunt in acie exercitus Domini ad cæterorum confirmationem & robur, & ipſi ſunt primi, qui fugiunt. In eminentiori quoque reſident gradu eccleſiæ, quatenus in ipſis vniuerſi lumen aſpiciant. At verò vnde lux oriri deberet, denſiſsimę inſurgūt tenebrę. Debet prorſus omnis illorum vita omnium magiſterium eſſe fidelium, atque ſanctitatis ſpeculum. Qualis autem vniuſcuiuſque ſit, patet, quamuis nulli ſpecialiter derogetur, ut nullius vita ſignanter ducatur in publicum, quemadmodum diuinus nos admonet ſermo, dicens, Principem populi tui ne maledicas. A fructibus eorum (ait Dominus) cognoſcetis eos. Vnaquæque arbor ex fructuum qualitate diſcernitur. Non poteſt, qui præeſt, latere, quum palam agnoſcatur. Hac potisſimum de cauſa circumſpectione prudenti eorum componendi ſunt mores, vt nil in eis reprehenſibile videatur. Debent vtique honeſtate fulgere, pietate ornari, humilitate clarere, & charitate flammeſcere. Abſque charitatis incendio quomodo ouium ſibi commiſſarum diligentem poterunt habere cuſtodiam? Nam Paſtor bonus animam ſuam dat pro ouibus ſuis. Hoc prorſus intereſt inter Paſtorem verum, & paſtorem fictum, quòd verus paſtor ouium curam gerens, vtilitatibus earum inſeruit, ab eis non niſi vrgente neceſsitate elongatur, orat incesſanter, & ſi opportunitas expectat, corpus exponit propriū

Marginal notes: Matt. 21. — Agge. 2. Malac. 2. — Ezech. 3 — Exod. 22. Act. 23. — Matt. 7.

pro gregis ſalute; fictus autem, quæ ſua ſunt quærens, quid ad oues pertineat, fugiendo nō curat. Hinc dolendum eſt, atque deteſtādum, quod noſtris inoleuit temporibus. Nam Pontifices & populorum prælati, ſi quando exigentibus culpis plebium peſtilentiam Dominus immiſerit, ſunt primi; qui ſecedunt de loco, & in redeundo vltimi. Hæc conſuetudo eſt ne paſtorum bonorum? Sapit ne aliquid charitatis? Prorſus nihil. Nunquid amicus cenſendus eſt verus, qui quum opē poteſt impendere, fugit? Diuina vltione percutitur populus, & qui Deum precibus reconciliari debuerant, terga vertunt? Deuaſtatur plebs, & calamitatibus plena depaſcitur, & eius directores atque Paſtores fugiunt? Nefas hoc eſt & grāde peccatum. Egit ne fortè ſic Dauid Propheta, quum cladem Deus miſiſſet in populum? Nonne orabat dicens, Ego ſum, qui peccaui ego, ini-
2.Re. 24. què egi. Iſti qui oues ſunt, quid fecerunt? Vertatur (obſecro) manus tua contra me, & contra domum Patris mei. Nonne ſacrificiis & lacrymis altiſsimi placauit iracundiam? Dominus quoque Ieſus quum à turbis Iudæorum & militibus teneri debuit, fugit ne? An non magis inquit, Si ergo me quæritis, ſinite hos abire. Maiorem vtiq; de ſuis, quàm de ſe curam exhibuit. Diſcant igitur Paſtores & Prælati, quum iraſcitur erga populum Deus, non ſe abſentare à plebe, non morientium deſerere turbam, quin potius proſternant ſe coram Deo, & gemitibus & lacrymis diuinam placent vindictam, neceſsitatibus etiam ſubueniant morientium, nec animas ſuas pretioſiores, quam ſe faciant. Animaduertant ſi dux exercitus fugerit, quid acturi ſint hoſtes, vel quāta cæde interficiendæ ſint oues, ſi neglectis illis nihil curauerit Paſtor. Meminerint (oro) qualem per Prophetam Dominus Paſtoribus inuectionem faciat, dicens, Nonne greges paſcuntur à
Ezec. 34. paſtoribus? Vos autem lac comedebatis, & lanis operiebamini, gregem autem meum non paſcebatis, quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, & quod ægrotum, non ſanaſtis; quod fractum, non alligaſtis, & quod perierat, nō quæſiſtis, ſed cum auſteritate imperabatis eis & cum potentia, & diſperſæ ſunt oues meæ, eo quòd non eſſet Paſtor, & factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum, & diſperſæ ſunt. Propterea paſtores audite verbū Domini, Viuo ego (dicit dominus Deus) pro eo quòd facti ſunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium beſtiarū agri, eo quòd non quæſierunt paſtores gregem meum, ſed paſcebant ſeipſos, & greges meos nō paſcebant. Propterea ego ipſe ſuper Paſtores requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare eos faciam, vt vltrà nō paſcant gregem meū; nec paſcant amplius paſtores ſemetipſos. Redeant itaq; ad cor paſtores, nouerint ſe pro ouibus reddituros rationem, taliterque ſe habeant,

vt diuinum valeant euitare iudicium. Dilectionis ſi quid habent erga Chriſtū, in ſubditis exhibeant, dum illum audiunt Petro dicentem, Si diligis me, paſce oues meas. Meas, inquit, quas Ioan. 21.
condidi, quas proprio cruore redemi, quas tibi paſcendas reliqui. Veri igitur paſtoris dignitatē amittit, qui earum curam vilipendit, qui earum neceſsitatibus non miniſtrat. Præfecit nanque Dominus paſtores in plebibus, vt ſubditorum animabus ac corporibus miniſtrarent, nōn autē vt dominarentur. Formam veri paſtoris vis noſſe? Non uenit (inquit) filius hominis miniſtrari, Matt. 20.
ſed miniſtrare, & animam ſuam redemptionem dare pro multis. Attende, qui præes, humilitatem Chriſti, iudicem imitare tuum, quum eſſet magiſter & Dominus, rexque omnipotens, nunquid poteſtate propria vti voluit? Nunquid dominari voluit, & ſubiectos quoſque opprimere? Abſit. Nunc fratres, nunc filios vocauit, vt diſceres tu menſuram tuam non excedere, non inſoleſcere, non inflari. Nempe ſi in veritate præſides, quanto maior eris, humiliabis te amplius. Nam reges Luc. 22.
gentium dominantur earum (inquit veritas) & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocātur; vos autem non ſic; ſed qui maior eſt in uobis, fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator. Hæc temporibus noſtris in codicibus leguntur, rari autem, qui opere perficiant. Nec mirum. Non enim in ouile intrant per ianuam, ſed aliunde tanquam fures. Quomodo aliunde? Ianua humilis eſt, oſtium Chriſtus eſt. Non ingrediuntur per Chriſtum, neque vocantur à Chriſto. Vocatus eſt à Chriſto ille, cui dictum eſt, Sequere me. Hic ſecutus eſt Chriſtū, quoniam vocatus eſt à Chriſto. Qui autem non ſequuntur Chriſtum, quomodo vocātur à Chriſto? Non uocantur, ſed permittuntur. Quoniam verò non vocantur à Chriſto, ideo tam anxiè prælatiores quærunt, dignitates ambiunt, offerunt munera, adhærent potentibus, & quod nequeūt virtute conſequi, pretio exquirunt & prece. Indecorum arbitrantur ſectari humilitatem Chriſti, qui (vt ait Apoſtolus) non ſibi vendicauit honorem, vt Pontifex fieret, ſed qui vocauit eum, dicens, Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Nolūt vocari à Deo, ſed Hebr. 7.
ab hominibus, & vtinam vocarentur. Infulas appetunt, vocari Domini congaudent, & quod diuinum eſt, ò quàm ſæpe arrogant ſibi? Qualem (oro) poteſt fructum producere corrupta radix: Mens cupida honoris auiditate dominandi accenſa, nec Dei gloriam, neque proximorum valet vtilitatibus inſiſtere. Humana & diuina gloria ſimul ſtare nequeunt. Quamobrem propriam negligat, qui illam conditoris concupiſcit. Humilitate honoratur Deus, fide colitur, deuotione amplectitur. Errat prorſus, & Deo diſplicet, qui ſe extollit. Quomodo autem cenſendus eſt hum-

humilis, qui cathedram honoris quærit, qui primatum diligit? qui aliis præeſſe ambit? Fugiendi vtique honores ſunt in hoc ſeculo, quoniam periculis pleni, & ſolicitudinibus referti. *Ioan. 6.* Fugit Dominus, quum illum regem vellent Iudæi conſtituere, fugerunt ſancti, quum regiminis præeminentia offerebatur illis. Nouerant eſſe ſcriptum, *Sap. 6.* Iudicium duriſsimum fiet in iis, qui præſunt. Honoris culmen appetendum eſt, ſed in futura vita, vbi nec adulantium blandientur linguæ, neq; elationis vllus erit fomes. Hic autem ambo vigent, ambo dominantur, adeò vt ab iſtis pręſidẽtium nemo valeat liberari. In præſenti igitur ſeculo honorabilis prælatio eſt, eſſe humilem, propriam agnoſcere vilitatem, latere hominibus, vt à Deo mundior videatur. Altus profectò eſt humilis, & qui ſe veraciter humiliat, exaltabitur. Exaltatur humilis coram Deo, exaltatur & in mentibus rationabilium virorum. Securæ ſunt huius diuitiæ, ſublimes honores, merita multa, incontaminata gloria, & lætitia cordialis. Hęc illi vnde? Ex nitore conſcientiæ, ex teſtimonio ſanctitatis, ex doctrina ſpiritus. Spiritualis enim ſpiritualiter iudicat omnia, animalis autem homo ſicut non percipit ea, quæ Dei ſunt, ſic neq; quæ ſpiritus. Hinc eſt, quòd quę carnis ſunt, ſapiunt, pręeſſe concupiſcunt, & pereũt, quoniam carnis ſenſu ducuntur. Complacent ſibi ipſis, inferiores quoſque deſpiciunt, vt opprimunt, eis dominantur, & egenorum dedignantur ſubuenire inopiæ Verbis apoſtoli non attendunt, *Coloſ. 3.* dicentis, Induite vos ſicut electi Dei viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, & patientiam, ſupportantes inuicem, & donantes vobiſmetipſis, ſi quis aduerſus aliquem habet querelam, ſicut & Dominus donauit vobis. Patres pauperum eſſe recuſant, quoniam indigentium ſubſtantiam attribuunt ſibi. O quanta abuſio eſt Chriſti ditari diuitiis, & Chriſto velle nil tradere. Nonne theſauri Chriſti ſunt facultates eccleſiæ? Vnde temporalia eccleſiis ſunt prærogata ſtipendia? Nonne propter Chriſtum? nonne vt Chriſti pauperibus erogentur? Noli igitur tu, qui pręſides, retinere quod alienum eſt, ne furti reprehendaris in cauſa. Noli, inquam inutiliter & prodigè diſpenſare, quod tibi Chriſti charitas conceſsit ad tempus. Paris nanque periculi eſt facultates recondere & erogare prodigè. Clamabit contra te pauperum nuditas, fames, ſitis calamitateſque cæteræ, quibus congruè poteras opẽ dare. Scitote debitorem omnium facultatum eſſe, quæ honeſto victui tuo ſuperſunt. Quod enim recondis in ſacculo, rubigo conſumet in teſtimonium contra te. *Matt. 6.* Nolite (ait Veritas) theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur, ſed theſaurizate vobis theſauros in cœlo, vbi neque ærugo, neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Abſurdum maximè eſt eccleſiarum prælatos erga inopes tenaces eſſe, quum apoſtolico ſublimati ſint gradu. Nempe ſi diuitibus ſeculi Paulus Timotheo *1.Tim. 6.* ſcribens, præcipit illos facilè tribuere, communicare, theſaurizareq; fundamentum bonum, vt vitam æternam apprehendant, quanto magis apoſtolicis viris, qui amore cœleſtis patriæ terrenarum omnium rerum debent habere cõtemptũ? Cæterũ ſi pro proximorum ſalute animã ſuã dare tenẽtur, cur non magis tẽporalem ſubſtantiam, quæ ad illorum non pertinet alimoniam? Date *Lucæ 11.* eleemoſynam (inquit diuinus ſermo) & ecce omnia munda ſunt vobis. Quomodo (oro) ſubditis, prout debet, poterunt ſuadere, vt pauperibus impertiantur alimoniam, ſi ipſi immiſericordes extiterint? Quemadmodum Dominus Ieſus cœpit facere & docere, ita & Pontifices ac Prælati. *2.Tim. 4.* Argue, ait Apoſtolus, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina. Nũquam valebunt, qui pręſidẽt, ſubditos hortari ad humilitatem, ſi fuerint elati; nec ad patientiam, vel manſuetudinem, ſi iracundiæ reperti ſint ſerui, neque ad proximi dilectionem, ſi inhumani erunt. Virtutibus vniuerſis expedit, vt ſint decorati, qui præſunt, quatenus ſine obiectione eos liceat corrigere delinquentes. Oportet (inquit doctor egregius) Epi- *1.Tim. 3.* ſcopum irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, prudẽtem, pudicum, ornatum, hoſpitalem, doctorem. Angelicam potius quàm humanam debent habere conuerſationem populorum paſtores, alioquin infrænabunt os ſuum, ne audeant loqui. Nõ quod ſibi libeat, ſed quod ædificet, illis quærere congruit. Sint prorſus corde humiles, in habitu viles, in moribus compoſiti, in ſermonibus rari, corpore pudici, in cibis ſobrij, orationibus intenti, vigiliis dediti, & grauitate ſãcta decorati. Hęc ſi adſint, optimè præſidebunt, dupliciq́ue ſublimabuntur honore. Erunt lucernæ in domo Domini accenſæ, quorum ſplendore, qui intus ſunt, illuminabuntur. Erunt quoque ſal terræ, quorũ ſapido guſtu, ac eloquiis mellifluis plebs condietur vniuerſa, alioquin non ſine ſui diſcrimine in cathedra reſidebunt. Præſtantius illis fuiſſet gradum infimum tenuiſſe, quàm pręſidere indignè. Non omnibus datum eſt præeſſe vtiliter. Quamobrem ſolicitus vnuſquiſque ſit de ſe, & quæ ad gradus ſui perfectionem competunt, explere ſtudeat. Qui præpoſitus eſt, prælationis ſuæ ſolerter miniſterium agat, dicente Apoſtolo, Qui præeſt, in ſolicitudine. *Rom. 12.* Qui autem ſubditus eſt, obedientiæ ſeruitutem ſtrenue perſoluat, obediatque ex corde, non conſiderando cui obtẽperet, ſed propter quem, videlicet propter eum, qui factus eſt obediens vſque ad mortem crucis. *Philip. 2.* Qui verò religioſæ vitæ inſtitutionem ſumere elegit, ſanctitatis regulam perficere conetur. Iſtis prorſus tanquam magis à ſeculi curis liberis, atque ab exteriorum

tiorum fragoribus ſegregatis perfectior competit conuerſatio. Nempe excuſabiles ſunt ex parte qui præſunt populis, & in mundi implicantur negotiis, ſi à perfectionis tramite deflectunt aliquãdo operis greſſus, & interdum cadunt locutione immoderata, vel in torporis ignauia, ſeu in quouis veniali delicto, quoniam vicinas habent penes ſe peccatorum materias, quibus mundus eſt plenus. Facilè merentur veniam, operante in illis charitate, quæ multitudinem operit peccatorũ. At verò qui ſpretis tẽporalium delectationibus ſponte Dei ſeruitio ſe manciparunt, atque religionis habitum ſuſcipientes in monaſteriis regularibus, ſiue in collegiis Deo dicatis Chriſto famulari cœperunt, maximus incumbit pudor, ſi ſegniter viuant. Ligatis pedibus volenti currere, nec valenti facilè ignoſcitur, non autem ſic expedito & libero. Hortatus eſt Dominus homines ad mundi contemptum, vt abſque impedimento ad perfectionis poſſent culmen aſcendere. Sed (heu) quàm rarus in præſenti generatione reperitur, qui cupiat eſſe perfectus. Sequuntur (vt plurimum) qui nunc Chriſto militant, voluntates proprias, præter communem ac regularem inſtitutionem perficere volunt nil amplius, & vtinam hanc hilari animo adimplerent. Quæ à ſanctis dicta vel geſta ſunt, impoſſibilia arbitrantur, perficere non curant, ſe emendare diſsimulant, conſuetudine ducuntur, linguam minimè cohibent, continere ventrem expaueſcunt, quando volunt, ſocialiter conuerſantur, omne eis licere putant, quod ipſis libet, vix compunguntur, ab oratione veluti à flagello fugiunt. Huiuſmodi ſpiritus neſcientes doctrinam religionis ac ſanctitatis quandam gerunt imaginem perfectionem protendũt habitu, ſe aſpicientibus ſeculi renunciationem prædicant, & mente ô quàm ſæpe vagantur exterius. Multiplicatus eſt talium numerus, ſed non eſt magnificata lætitia, imò in luctum conuerſum eſt gaudium. Quomodo temporibus iſtis religiones declinauerunt, quæ per tranſacta florebant curricula, optimè ſentiri poteſt. Nec mirum de iis, qui palam vota præuaricantur, nec erubeſcunt, quum etiam apud eos, in quibus ſpiritualis vitæ diſciplina vigere creditur, elanguerit, deuotio, feruor tepuerit, virtuſque defecerit, paucìſsimi reperiuntur, qui velint habitare ſecum. Onus illis videtur importabile ſenſibus corporis legem indicere, atque eorum curioſitatem cohibere. Nã quemadmodum foris ſunt lubrici, ita mente ſunt vacui. Erogantes quippe ſpirituale patrimonium, porcorum cupiunt ſiliquis ſatiari. Refectionem deſerentes internam, foris periclitantur fame. Hos per Prophetam arguit Dominus,
Matt. 15. dicens, Populus hic labiis me honorat, cor autẽ eorum longè eſt à me. Intra nos eſt regnũ Dei, intra nos habitare vult Deus. Ea propter ſegregauit nos à turbis, vt intendere poſsimus ei, qui intendit nobis. Noſtra non vult Deus, ſed nos.
Qualiter autem, audi, Fili (inquit) præbe mihi cor Prou. 23.
tuum. Cor poſtulat noſtrum, ut illud poſsideat, illique ſpiritualiter loquatur. Loquitur enim pacem in plebem ſuam, & in eos, qui conuertuntur ad cor. Videſne, quàm grande malum ſit, & quanta iactura cor ſuum vagari permittere extra ſe? Vbi non eſt cor, neque loquitur verbum, nec habitat ſapientia. Vbi deeſt ſapientia, quid boni eſſe poteſt? & quid mali deficere? Hinc tentationes pulſant, impudicæ cogitationes confundũt, inutiles & ſine intellectu diſsipant pacem, ſpargunt dulcedinem, charitatem frigefaciunt, eneruant conſtantiam, lumen obtenebrant, odia nutriunt, animamque debilitant. Ambulantium itaque in ſpiritu hæc potiſsima regula eſt, ſecum infatigabiliter habitare, internos cõponere motus, cogitationes ordinare, intentiones dirigere atque depurare affectus. Quicunq; de his vacat, pugnat contra ſe. Nemo igitur poteſt eſſe perfectus, niſi charitas zelo ſuccenſus ſeipſum ſuperare didicerit: Nullus abſq; ſui odio perfectè valet triumphare de ſe. Nemo autem laudabiliter poteſt odiſſe ſe, ſi non puro corde dilexerit Chriſtum. Is autem, in quo Chriſti feruet dilectio, hilaris eſt ad proximorum obſequia, in oratione deuotus, in aduerſis fortis, in proſperis humilis, & in omni virtute ſuccenſus. Nunc mundat ſe, nũc aſcendit ſupra ſe, nunc fraterno amore ductus prudenter egreditur extra ſe. Siue mente
excedimus Deo (inquit Paulus) ſiue ſobrii ſumus 2. Cor. 5.
nobis charitas Chriſti vrget nos. Videſnè perſpicuè volentium in ſpiritu militare Chriſto, quam neceſſarium ſi interna exercitatio, & mentis indefeſsa cuſtodia, quæ proculdubio carnis abdicatis illecebris poſsidentur? Porrò vniuerſa patrũ inſtituta, & omnes Chriſtianæ profeſsionis cæremoniæ ad compoſitionem interioris hominis eſſe ordinata noſcuntur. His autem quicunque tãrum inhæſerit, ſpreto interiori exercitio, ligna, fœnum, ſtipulam ſuperædificat, quæ repentè ab
igne tribulationis cõſummantur. Nam quemad- 1. Cor. 13.
modum ſine charitate hominum & angelorum loqui linguis, habere fidem, ſcire omnem ſcientiam, totam erogare ſubſtantiam, nihil prodeſt, ita abſque ſpirituali intelligentia & interiori guſtu exteriores cæremonias exercendo, ad perfectionis non aſcenditur culmen. Nequaquam illa damnabilia ſunt, ſed in ſpiritu exequenda. Nõ enim debent omitti, neque decet illis finaliter inhærere, ſed pro inſtrumento vti, donec homo interior coaleſcat, & roboretur, ſciatque aſcenſiones facere in ſe, & habitare in Chriſto. Tũc ſine lege quæ legis ſunt, facit, & ſibiipſi per inhabitantem gratiam ſufficit ad profectum. Qui talis eſt, ſemper habet vnde creſcat, gradatimque aſcendens ſine tædio certat, ſine repulſa ingreditur, &

abſque

abſque reflectione progreditur. Talibus profectò ſtudiis olim eccleſia gloriabatur in patribus, & cæremoniis Deum honorabat in ſacris, nunc autem ſpecie tenus fulget exterius, & corticem perfectionis oſtendit. Si quid habet boni, quamuis parum comparatione præcedentium temporum introrſus latet. Nam (teſtante Propheta) omnis gloria filiæ regis ab intus in fimbriis aureis. [Pſal. 44.] Intus in fimbriis aureis gloriam ſuam habere perhibetur eccleſia propter eos, qui temporalis gloriæ nitorem ſpernentes in ſuæ puritate conſcientiæ, atque in interiori mentis arcano ſua opera recondentes diuinam gloriam ambiunt, & ſolius conditoris oculis placere concupiſcunt. Hi autem intus deſideriis igneſcunt ſanctis, ſurſum feruntur in cœleſtia vehiculo charitatis, & ſuauitate quadam ſpiritali delectabiliter in Chriſto requieſcunt. Iſtorum ſtudia coràm Deo fulgent, tametſi ab hominibus neſciantur. Sunt prorſus pauci numero, qui interiori exercitio mentis vacent, quoniam carnis operibus, atque curioſitati ſenſuum oppoſitum eſt. Arcta quippe eſt via ſpiritus, quæ ducit ad perfectionem, & poſsidere facit Chriſtum. [Mat. 7.] Verũ illa, quæ carnis voluptatibus indulget, lata eſt, & innumeri per eam gradiuntur. Maxima exuberat in his multitudo eorum (ſcilicet) qui renunciaſſe ſeculo, & Chriſto ſeruire videntur. Tales nanque in ſe fouet eccleſia, ſuiq; ſpiritualibus nutrit alimentis. Illos non reiicit, quamuis tepidos, ſed veluti infirmos mulcet. Præſtolaturque, ſi fortè reuiuiſcant, & ſibi diſpliceant. [Mat. 13.] Admonita ſi quidem à ſponſo Chriſto frumentum & zizaniã pariter ſuſtinet vſque ad tempus meſsis. Tunc combuſtis igne zizaniis triticum purum in cœlorum horreis congregabit. Nunc autem ſinit vtraque creſcere, ne triticum cum zizania eradicetur. Nunc, inquam, gemit præſentis temporis teporem & ſuorum petulantiã membrorum. Quæ enim conſueuit innumeras Deo offerre animas, in quibus iucundiſsimè declinabat Chriſtus, impræſentiarum difficile inuenit, quas offerat. Poterat nempe quadam agitari diffidentia, niſi præmonita antè fuiſſet à Chriſto. [Mat. 24.] Abundauit iniquitas (inquit) refrigeſcet charitas multorum. Refrigiut vtique, & penè extincta eſt. Nam declinauerunt omnes, [Pſal. 13.] ſimulque inutiles facti ſunt. Quamobrem valde pertimeſcendum eſt, ne ſecuri ad radicem appoſita paterfamilias infructuoſas arbores ſuccidi iubeat, atque comburi. [Mat. 3. Luc. 3. Iuel. 2.] Quoniam verò non eſt voluntatis Dei mors impij, ſed magis vt conuertatur & viuat, quotidianis nos aduerſitatibus pulſat, affligit languoribus, tentationibus concutit, cladibus premit, bellorumque crebris inſultibus ſtimulat, vnumquenque hortatur, vt redeat, vt non imminenti voluatur exitio. Clamat præcipuè ad ſeruos ſuos, eccleſiæque miniſtros, à quibus non mediocriter per Prophetam offenſum ſe eſſe cõqueritur. Si inimicus (inquit) meus maledixiſſet mihi, ſuſtinuiſſem vtique, & ſi is qui [Pſal. 54.] oderat me, ſuper me mala loquutus fuiſſet, abſcõdiſſem me forſitan ab eo. Tu uerò homo vnanimis, dux meus, & notus meus, qui ſimul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulauimus cum conſenſu. Iterùmque ad vnitatem eorum ait, [Pſal. 40.] Homo pacis meæ in quo ſperaui, qui edebat panes meos, ampliauit aduerſum me ſupplantationem. Ampliauerunt planè ſupplantationem ignari donorum, atque beneficiorum ingrati. Ipſi prorſus debuerant zelare honorem Chriſti, populorùmque ſalutem, quibus traditæ ſunt cœlorum claues, & reſerata myſteria, atque præcipuæ charitatis prærogata ſunt ſigna. At verò vbi abundauit gratia; ſuperabundauit delictũ. Nam quo eſt gratia cumulatior & ſtatus ſublimior, eo caſus eſt grauior & damnabilior culpa. Quæ verò eſt excellentior dignitas, quàm diuino mancipatum eſſe obſequio, & ſacramentorum Chriſti eſse miniſtrum? Iſtis ob vocationis priuilegium, quæ ſecularibus leuia ſunt, grauiſsima deputantur. Duplici iudicio quando publicè delinquunt, efficiuntur rei, & de proprio ſcelere, & de malo proximorum exemplo. Nam qui mundi interceſsores exiſtunt, quomodo charitatis officiũ complebunt, ſi conſcientia ſordida, & deprecatio fuerit remiſsa? Pudeat igitur nos ſola corporis oſtentatione militare Chriſto, pudeat negligenter viuere, nullam exhibiti amoris rependere vicem. Tales ſimus, quales exiſtimamur, noſtraque profeſsio exigit, non aliud habitus, & aliud conuerſatio prædicet, diuinis intus placeamus obtutibus, & foris hominibus propter Deum. Emendemus in melius, quæ negligenter, ſeu ignoranter peccauimus, quatenus pro reformatione noſtra exultent angeli, & ſancta mater, quæ torpore noſtro doluit lætetur eccleſia. Supponamus manus ruituræ domui, ne cum illa pariter obruamur. Cordis noſtri habitaculum componamus, & procedamus obuiam ſaluatori noſtro. Ad ſpiritualia ſtudia mentem cum humilitate viriliter coaptemus, vt non ſuperuacuè Chriſtianitatis ſuſcepiſse conuincamur inſignia. Id autem quomodo perfici debeat, nedum nobis, verumetiam ſingulis Deo placere cupientibus ſequentia reſerabunt.

Qualiter anima reformetur, & ad perfectionis faſtigium prouehatur.

QVoniam anima rationali in iis, quæ in hoc mundo ſunt condita, nihil eſt excellentius ea potiſsimum, quæ abdicato veteris hominis errore in nouitate vitæ conuerſatur, Deo eſſe cenſendum eſt gratum animarum ſpiritualibus vacare profectibus. Singulare prorſus hoc eſt munus, paucisque conceſſum. In ſecularib. negotiis in mũdi agibilibus, in exteriorum curis ſufficiunt multi: quoniam in ipſis facilè

ſè humana mens delectabiliter occupatur, ſiue cupiditatis impulſu, ſeu lege neceſsitatis vel fortè inanis gloriæ appetitu. Ardentius quippe quiſque humano fauore allicitur, quum id, quod laudabiliter agit, operatur palàm, quàm quum peragit in occulto. Rarus profectò reperitur, qui ſolo teſtimonio contentus ſit diuino. Hoc probatiſſimorum virorum eſt proprium, qui in lumine veritatis introrſus gradientes Deo tantum placere
1.Co.4. concupiſcunt. Talis Apoſtolus erat, cuius iam cõuerſatio in cœleſtibus habebatur, ideo dicebat:
1.Cor.1. Mihi pro minimo eſt, vt à vobis iudicer, ſeu ab humano die: ſed neque meipſum iudico. Et alibi: Gloria (inquit) noſtra hęc eſt teſtimoniũ conſciẽtiæ noſtræ. Hoc idem perficiunt, qui charitate Dei & proximi dilectione ſuauiter accẽſi, omne, quod faciunt, conditoris obtutibus repræſentãt. Nam verus amator illud ſemper conatur perficere, propter quod valeat placere dilecto. Tantò nanque magis quilibet diligi delectatur: quanto ardentius diligit, & eò amplius, quò diligitur, diligit. Habet enim viciſsitudines amor, & abſque communicatione eſſe non valet: quatenus amore reciproco nutriatur. Agnoſcat igitur quiſque à Deo ſe diligi, vt puto cum poſsit amare affectu. Agnoſcat, inquam, amoris illius menſuram, qualitatem, finem, & cauſam: quatenus ipſum affectuoſiſsimè debere diligere non ignoret. Quis diuini amoris ſufficit explicare menſuram? Dilectionis eius quis poteſt edicere qualitatem? Quid autem fine amoris Dei valet eſſe ſublimius? Nihil præterea cogitatur dulcius amoris Chriſti cauſa. Sine modo humanum genus diligit, & abſq;
Ephe.3. menſura: ſua (videlicet) charitate, quæ æterna eſt & immenſa. De hac ait Apoſtolus: vt poſsitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit longitudo, latitudo, ſublimitas, & profundum: ſcire etiam ſupereminentem ſcientiam charitatis Chriſti. Qualitatem charitatis illius vis noſce? Vtique pura eſt, ſimplex & gratuita. Non præuenerunt merita, non interpellauerunt pre-
Tit.3. ces, vt diligeret nos. Non ex operibus (inquit Apoſtolus) iuſtitiæ, quæ fecimus nos: ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit. De charitatis fine quid dicam, quum ipſe vnigenitus Chriſtus ſicut principium, ita & finis ſit,
Apo.1 & 22 ipſo perhibente, qui ait: Ego ſum alpha & ome-
Rom.10 ga, principium & finis. Et Paulus: Finis legis, inquit, Chriſtus eſt ad iuſtitiam omni credẽti. Quo fine dilexerit, Apoſtolum Ioannem audi: Quum dilexiſſet ſuos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos, tradens ſemetipſum hoſtiam patri in crucis ara pro expiatione peccatorum. Cur au-
Rom.4. tem nos diligere voluerit, inquit Apoſtolus: Mortuus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Alibi quoque euidentiorem cauſam amoris eius indicat dicens:
Ephe.5. Qui tradidit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & faceret ſibi populũ acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Et hæc in præſenti. In futuro autem quidem per ipſius dilectionem conſequemur, Petrus Apoſtolus aperit, dicens: Benedictus Deus & pater domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſecundum magnam miſericordiam ſuam regenerauit nos in ſpem viuam per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſsibilem, conſeruatam in cœlis, in vobis, qui in virtute Dei cuſtodimini per fidem, in ſalutem paratam reuelari in tempore nouiſsimo. Vides quàm profunda ſint charitatis Dei myſteria erga homines? Trãſcendũt intelligentiam, ſupergrediuntur dignitatem humanam. Nempe talis eſt amor Chriſti, vt ſi mente tractetur, retineatur corde; & intentione ſedula reuoluatur, affectum accendat, componat mentem, reformet vitam, roboret deſideria, virtutes augeat, & ad reddendum amoris vices prouocet meditantem. Reddat, inquam, non ex pari, ſed iuxta poſſe. Ex pari enim quis amori Chriſti ſatisfacere valeat, tam ratione affectus, quàm ratione actus? Vtrunq; potius (vt ſic dicam) diuinum, quàm humanum eſt. Diuinum tamẽ illum eſſe dixerim & humanum: diuinum, inquam, propter inhabitans & dirigens verbum: humanum autem propter hominis ſuſceptionem. Nullus igitur hominum, ſed neque angelorum Deũ diligere vel operari pro Deo poteſt, quantum ipſe Dei & hominum mediator homo Chriſtus Ieſus dilexit & fecit. Debemus tamen Deum diligere ex toto corde, totiſque viribus, quantum noſtra admittit poſsibilitas: & in illis occupari, quæ ei nouimus fore gratiſsima. Porrò quum multa ſint opera laudabilia, quibus delectatur Deus, præcipuè tamen iis, quæ honorem ſuum & lucra concernunt animarum. Ambo hæc pariter currunt, nec in vita hac valent ab inuicem ſegregari. Honorare quippe Deum congruentius non potes, quàm in hominis anima, quæ diuinã in ſe geſtat imaginem. Illi nanque nec addere, nec detrahere ſufficis. Reliquit in hoc ſeculo ſimilitudinem
ſui (videlicet) hominẽ, de quo dicitur: Faciamus Gen.1.
hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtrã: quatenus omne, quod illi honoris impẽdere volumus, in eius exhibeamus imagine. Non autem ſic intelligendum eſt, vt honorem latriæ, qui ſoli Deo debetur, etiam hominibus impendamus, quod eſt nefas peſsimum: ſed vt dilectionem & honorem, quem Deo ſoluere cupimus, in Dei imagine demonſtremus erigendo illam quãtum poſſumus, de lacu miſeriæ & de luto fæcis: tanquã ſi quis paterfamilias peregrè proficiſcens vnicũ ſibi ſuperſtitem relinqueret domi, mandaretque cunctis omne humanitatis illi præbendum eſſe obſequium. Sic dominus noſter proximos pręcepit diligi ſicut ſe. Dilectionemque ſuam & pro-

ximi vnū eſſe aſſeruit, dicēs: Primū mādatū & maximū i lege ē: (Deut. 6.) Diliges dñm Deū tuū ex toto corde tuo. Secūdū aūt ſimile huic: diliges proximū tuum ſicut teipſum. Dilectio itaque Dei & proximi, quemadmodum vnum mandatum: ita & honoris Dei zelus, & ſalutis animarum deſiderium vnum ſunt de charitatis Dei radice prouenieus. Quod enim in lucro peragis animarum, ſi puro operaris corde, ad Dei honorem perficis, qui in ſua agnoſcitur atque honoratur imagine. Cæterum ſi Deum honorare conaris, non aliter melius, quàm in hominis ſalute poteris actitare. Attende, oro, quid in aduentu ſuo fecerit mediator & nihil in eo reperies, niſi paterni honori, & ſalutis animarum zelum. Ambo hæc infatigabiliter concupiuit. (Ioan. 8. Ibidem) Ego (inquit ipſe) non quęro gloriā meam: ſed eius, qui miſit me. Alibi quoque ait: Ego honorifico patrem meum, & vos inhonoraſtis me. Ignitum autem animarum ſuum zelum centum ouium, & vnius perditę atque repertę parabola manifeſtat. Quantum erga humani generis ſalutem curam adhibuerit inſinuauit, quum hominis deſcendentis ab Hieruſalem in Hierico reſerauit myſterium. Paucis nanque ineffabilem ſui cordis expreſſit ad homines charitatem: quam quiſquis ſufficienter percunctari voluerit, abundantius in factis, quàm in eloquiis recognoſcet. Cur ieiunauerit, orauerit tam ſedulò, lacrymatus ſit frequenter, naturę perpeſſus ſit neceſſitates, frigoris, laſſitudinis, caloris, nuditatis, laboris, fatigationis, doloris, tędij, pauoris, & talia huiuſmodi peccati pœnę ſine delicto, ſi quis inueſtigare voluerit, prorſus propter hominum exemplum, profectumque reperiet. Nam & ipſius prędicationis diſcurſus, peccātium compaſſio, mortuorum reſuſcitatio, languentium donata incolumitas, cęterorumque perpetratio miraculorum, vincula, verbera, conuitia, alapę, ſputa, flagella, aceti, felliſque potatio, crucifixio, & mors nil aliud dictant. Venit tanquam fortiſſimus gigas ad perferenda humani generis debita in carne ſua, prout Propheta teſtatus, dicens: (Eſai. 53.) Vulneratus eſt propter delicta noſtra attritus eſt propter ſcelera noſtra. (Ibidem.) Et per eundem Prophetam inquit: Propter ſcelus populi mei percuſſi eum. Venit, inquam, veluti veriſſimus paſtor ad reuocandas errantes oues, eaſque paſcendas, ſicut per Prophetam alium ait: (Ezec. 34.) Ego requiram oues meas, & liberabo eas de omnibus locis, in quibus diſperſę fuerant: & educam eas de populis, & inducam eas in terram ſuam, in paſcuis vberrimis paſcam eas, & in montibus excelſis Iſrael erunt paſcua earum: ibi requieſcent in herbis virentibus, & in paſcuis pinguibus paſcentur ſuper montes Iſrael. Congruentius quippe aſſumptionis ſuæ nequiuit gratitudinis ſoluere debitum, ac honoris ipſius reformare diſpendia, quàm per reparationem ſpeciei humanę, qua mediante maxima pars eius deperierat glorię, non ſubſtantialis, ſed communicabilis atque oſtenſę. In ipſo & per ipſum hominem nedum redintegratum, atque quod defecerat, perfectum eſt, verumetiam ſuperadditum, operante hoc mediatore Dei & hominum homine Chriſto Ieſu: & in membris myſtici corporis ſui optimè perficiente. Nempe quicquid operabatur Apoſtolus, Chriſtus operabatur in illo: quicquid loquebatur, loquebatur ipſe in Paulo: quemadmodum (2.Cor. 13) idem fatetur, inquiens: An experimentum eius quęritis, qui in me loquitur Chriſtus? Sic etiam vniuerſi ſancti Dei ſpiritu feruidi, donorumque fuere fœcundi. Erant in corpore membra viuificata eodem ſpiritu, quo corpus, capitis ſui zelantes gloriam, & membrorum ſingulorum ſpiritualem profectum. Hinc membrorum virtutibus locupletati in corpore gloria & honore ſublimati ſunt. Contexuere ſibi non vt parentes primi foliorum perizomata, ſed immortalitatis tunicam ſole ſeptemplicius refulgentem, de neceſſitatibus vtique pauperum, de compaſſionibus afflictorum, de iacentium erectione: de victoriis certantium, de peccatorum conuerſione, de ſudoribus proficientium, atque de impenſis beneficiis, profectibuſque iuſtorum. Talibus procul dubiò ſtudiis ſpiritualis ędificatur turris, cuius cacumen cœlorum alta penetrat & tranſcendit. De viuis, inquam, conſtituitur lapidibus, in qua coędificantur, quotquot ſanctorum ſuffragiis laudabiliter in hoc ſeculo conuerſantur. Excolitur etiam domini Sabaoth vinea ſpiritualis, & electi palmites inſerunt in illa, quatenus maturos ex ſe botros procreent, de quibus exprimatur vinum, charitatis incendio cor hominis lętificare ſufficiens. Optimum itaque & acceptabile Deo opus eſt pro honore ipſius vtilitatibus animarum inſiſtere, illarumque continuum fructum ſpiritualē acquirere, non ſibi, ſed domino. Qui enim quicquam ſibi vendicat, quod debetur Chriſto, fur & latro eſt: eo damnabilior, quo Deo chariora prędatur. (Eſai 42.) Honorem ſuum nulli vnquam tribuere voluit, dicens: Honorem meum alteri non dabo. Quamobrem in eo quod agimus, humilitatis ſeruanda eſt cenſura. Altum nil ſapiamus, nihilque aſcribamus nobis, quod gratia cooperante perficimus. Amittimus prorſus laboris meritum, quoties inflamur, & alienam diripimus gloriam. Debet nanque qui gloriatur, in domino gloriari, vt probetur, ditetur, coronetur, probetur eſſe fidelis, ditetur virtutibus, coronetur gratia. Sibi nempe coronam fabricat precioſorum lapidum varietate decoratam, qui proximorum deſudat profectibus, & Deo medullatum exhibet charitatis obſequium: ſi tamen humiliter & recto conſummauerit corde. Non enim minus odibilis eſt elata, quàm obliqua intentio. Vtrunque ad veritatis regulam componendum eſt,

eſt, quatenus qui prodeſt alteri, conditoris munus agnoſcat, & fratris vtilitate congaudeat. In altero quidem humilitatem: in altero verò diuinam in ſe cuſtodiat charitatem, quæ proximum ſicut ſe diligere mandat homini. Rectus hic amoris eſt ordo, vt non plus quàm ſe, nec quantũ ſe, ſed ſicut ſe, quiſque diligat fratrem: eadem (videlicet) charitate, eadem intentionem, eodemque fine. Hinc veriſsima diffinitione colligitur, vt qui odit ſe, ſicut licet, proximum diligere neſciat. Vis audire, quis odit ſe? Propheta inquit: [Pſal. 10.] Qui diligit iniquitatem, odit animam ſuam: Nẽpe animam ſuam, ſeque odiſſe conuincitur, qui quamuis foueat carnem, & ab omni ſe corporis aduerſitate cuſtodiat, quod iniquum eſt, amare cognoſcitur. Quomodo autem alterum laudabiliter diliget, qui ignorat ſe? Diſcat igitur Chriſtianus prius diligere ſe, vt proximum irreprehenſibiliter valeat diligere ſicut ſe. Nam ſuperuacuè laborauit in altero, qui ſuimet curam negligit. Se verò quiſque tunc diligit, quum Deum ex toto corde, & ex omni diligit mente: & propter ipſum cuncta, quæ diligit. Debet igitur ſe diligere propter Deum, qui rectè ſe diligit. Legitimè charitatis regula, & ſane doctrinæ magiſterium ab vnoquoque incipiat, qui diligeret proximum proficue inſtruere concupiſcit. Eſt enim vita laudabilis, & mens compoſita quidam præceptor digniſsimus, qui ſiue taceat, ſiue loquatur, ſemper vtiliter monet. Videſne, qualis eſſe debeat, qui proximorum commodis inſeruit? Parum proficit ſibi, quanquam alteri intendat, qui erga ſe minus ſolicitus eſt. O quàm multos in gremio ſuo nutrit Eccleſia, qui adeò alijs vacant, vt de ſe vix curent. Cordium aliorum latebras quærunt, cogitationum affectionumque percunctantur cauſas: tentationibus proximorum remedia præbere conantur, & ad ſe rarò, aut nunquam ſicut decet, redeunt. Talium non redarguimus ſtudia, ſi recta fiant intentione. Bona faciũt, ſed vtinam bene: zelum Dei habent, ſed non ſecundũ [Matt. 15.] ſcientiam. Quare non ſecundum ſcientiam? Niſi quia non ſecundum legem, neque ſecundum Deum. Non intelligunt dominum dicentem: Quid prodeſt homini, ſi vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Quomodo detrimentum non patitur, qui ſe neglecto immoderatius iuſto aliorum curam gerit? Nullus plus de aliis, quam de ſe debet eſſe ſo- [2 Cor. 5.] licitus. Pro ſe ſinguli rationem reddent. Omnes (inquit Apoſtolus) ſtabimus ante tribunal Chriſti: & vnuſquiſque rationem reddet eorum, quæ geſsit in corpore, ſiue bonum, ſiue malum. Componenda eſt igitur cauſa propria: deinde ſi poteſt fieri, etiam aliena. Placet tantum diuino cõſpectui offerentis munus, quãtum ille, qui offert. Nempe ſi offeras Deo omnes ſeculi diuitias, omneq; genus humanum conuertas ad fidem, & tu ipſe illi diſpliceas, nihil obtuliſti: ſi autem præter te non habeas, quod offeras, plurimum obtuliſti. Quid (oro) obtulit mulier illa ſãcta, quę duo æra minuta in gazophylacium poſuit? Cur à domino plus cæteris commendatur? Non vtiq; propter nummum, ſed ob præcipuum deuotionis affectum. Attendebant, qui tunc aderant, offerentium munera: dominus autem ſingulorum vota: ideo illius, quæ amplius ſanctitate pollebat, prælatum eſt donum. Non enim in nitoribus ſacrificiorum delectatur Deus: neque per adipis vel inſenſi odoramenta placatur: ſed per orationis inſtantiam, cordis munditiã, charitatis fragrantiã, & ſanctitatis vitam. Nõ in ſacrificiis (ait dominus [Pſal. 49.] ad Iſrael per Prophetam) arguam te: neq; ſi eſuriero, dicam tibi: meus eſt enim orbis terræ. Quo autem ſacrificio honorari velit, intulit dicens: Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſsimo vota tua: inuoca me in die tribulationis, eruã [Ibidem.] te, & honorificabis me. Alio etiam in loco diuinus ſermo euidenter exprimit Deum magis vitam hominis approbare, quàm munus. Reſpexit inquit Deus ad Abel & munera eius: ad Caym [Gen. 4.] autem & munera eius non reſpexit. Eſto igitur talis, vt tua non repudietur oblatio. Eſto, inquã, mundus ſanctus: ſitque oculus tuus ſimplex, vt offerentis & oblati libamen ſuſcipiat Deus. Noli de vilioribus rebus hoſtias offerre, ſicut Caym, qui reprobatus fuit. Imitare Abel in ſacrificio, vt illum imiteris in gratia. Eſt quippe ſacrificium iuge & medullatum, quo delectatur Deus: animarum (videlicet) lucrum. Hoc ſic obtuleris rationabiliter, plurimam gratiam conſequeris & gloriam. A te ipſo (ſicut dictum eſt) inchoa: ex te experire, quid in aliis debeas: excole propriam vineam: infructuoſos pręcide palmites: fœcundos ii ſere, vt tanquam bonus agricola patrifamilias expectatum reddas fructus. Te ſi ſpiritualiter excolueris, alios etiam iuuare valebis. Nempe ſingulare conditoris eſt munus poſſe offerre Chriſto, quod diabolus abſtulit, peccatum interemit & mors gratia indiget plurima, charitate feruida, & ſapientia non modica, qui proximorum animas per ſpiritualem profectum ad vitam reſuſcitare conatur. Abſque enim gratiæ adminiculo quis pręſumere audeat poſſe facere quicquam: dicente domino, Sine me nihil poteſtis facere? [Ioan. 15.] Nam quamuis homo à ſe de ſe aliquid boni valeret, nil omnino valet in altero: quoniam libero quiſque vtens arbitrio ſuæ poteſtatis eſt aſſenſum ſuadenti præbere. An non verba poſſumus veluti ſemina iactare: annunciare futuram fęlicitatem, & æterna ſupplicia? Minimè tamen corda compungere, animum flectere interiorem: auditum aperire, affectum promouere, & gratiã infundere. Hæc ſolius Dei ſunt per conſenſum audientis & recipientis. Quemadmodum imber de cœlo cadens terram inebriat, & eam germinare

nare facit: ac dare ſemen ſerenti, & panem ad manducandum: ſic & gratia cœleſtis cum in humanum labitur cor, rigat illud deuotionis dulcedine, madefacit compunctionis rore, & per ſancta deſideria virtutum atque bonorum operum fœcunditatem producit ad publicum: quatenus intuentes agnoſcant non ex infructuoſa arbore, ſed de latente diuinæ benedictionis radice vniuerſa laudabilia geſta prodire. Prorſus humanus inutilis eſt arboris truncus, ſi non intrinſecus Dei gratia operetur. Nemo ergo arroget ſibi, quum ſermones ipſius audiuntur & germinant: ſed conditoris ſui aſcribat gratiæ: quoniam (teſtante Apoſtolo) neque qui plantat, neque qui
1.Cor. 3. rigat eſt aliquid: ſed qui incrementũ dat Deus. Dei enim cooperatores eſſe poſſumus, & miniſtri gratiæ illius: autores autem minimè. Nos inſtruit per ſe, quando proximis bona ſuademus, & per nos illos: ſic quod tam in agente, quàm in percipiente ipſe operatur, vt nullus niſi in domino glorietur: qui ſingulis (prout vult) ſpiritualia dona partitur. Quum ergo non ſit volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei bene agere, poſtulet ab ipſo, quiſquis proximorum ſaluti cupit curam impendere, gratiam huiuſmodi, ne inaniter elaboret. Quumque illam percepiſſe cognouerit, Dei verbum diſſeminet in audientium corde, non pro priuata gloria, neque pro temporali commoditate, ſed pro honore domini, proximorumque profectu: vt ex charitatis fœcunditate conſcientiæ propriæ horrea impleat: & imprædabilibus locupletetur diuitijs. Verum cui talis deeſt charitatis affectus, ſe cuſtodiat, ne à cœli volucribus, ſeu à terræ animantibus diripiatur, quod ſeminat: & ipſe ſine fructu perſiſtat. Duplices hos charitatis affectus arbitror dominum inſinuare voluiſſe, quũ binos ad prædicandum Dei regnum diſcipulos delegauit. Innotuit equidem nemineni debere præſumere erudire alios, qui affectu non fuerit charitatis impulſus. Nemo ad opus hoc ſe debet ingerere: nullus quanquam inſtructus audeat ſua ſponte cæteris præſidere. Prius quiſque mitti atque compelli ſe ſentiat, quàm accedat.
Rom. 10. Quomodo prædicabunt (inquit Apoſtolus) niſi mittantur? Mittuntur autem, qui accenduntur, & imbuuntur, vt pergant. Miſſi Prophetæ, miſſi etiam Apoſtoli fuere à ſpiritu ad lucrandũ animas. Audi qualiter antequam mitterentur, iuſſi ſunt in ciuitate ſedere, & orare, donec induerentur virtute ex alto. Sedentibus itaque illis ac orantibus repentino ſonitu facto, deſcendit ſuper eos corporali ſpecie ſpiritus ſanctus, adeoq; compleuit illorum corda charitatis igne, vt ardoris eius vim ſuſtinere non valentes, prodeuntes ad publicum maxima cum autoritate confluentibus ad ſe prædicarent Ieſum. Illos prorſus paracletus compulit prædicare, quos charitate gemina decorare dignatus eſt. Hac quicũque caruerit, parum aliis, ſibi verò nihil proderit. Abſque igne quis ignem accendet? & ſine charitate quis charitatis officium conſummabit? Ardeat dilectionis flamma ſemper in te: quatenus calore tuo proximorum excutiatur tepor, imò accreſcat amoris incendium: quo præteritarum negligentiarum rubigo deleatur. Poteris planè inflammare cæteros, ſi fueris tu charitatis incendio concrematus. At tu ſi frigeas, ſi torpore iaceas, nullamque honoris diuini, & fraternæ emulationis ſentias famem, quid proferes? quid proficies? Erunt vtique audientium corda lapidea & impenetrabilia, quemadmodum tuum. Eris, inquam, tanquam æramentum ſonans, & cymbalũ tinniens. Habeto itaque geminam charitatem: Dei (videlicet) & proximi, vt eodem, quo tu, repleantur ſpiritu, qui erudiuntur abs te. Habeto etiam prudentiam: non carnis, quæ mors eſt, ſed ſpiritus, quæ eſt vita & pax. Quid (oro) prodeſt repentè congregare diuitias, repenteque diſpergere illas? Multas ſpirituales imprudentia diſſipauit opes: plurimi impertitam ſibi gratiã defectu amiſere prudẽtię. Nempe in reparatione nuper conuerſi magis eſt adhibenda ſolertia, quoniam, virtute & experientia caret, tanquam ab vberibus abſtractus matris. Inualidus quum ſit ad ſolidum capiendum cibum, molli ac delicato alẽdus eſt cibo. Omnibus à peccato ad Deũ redeuntibus tria generaliter congruere dixerim: vt (videlicet) agnoſcant Deũ, agnoſcant ſe, pręſentiſque vitæ peregrinationẽ. Funiculus hic triplex quouis tentationum & tribulationum euctu difficilè rũpitur. Nẽpe vbi diuina abeſt cognitio, ſeculi ineſt delectatio: carnis viget cõcupiſcẽtia: dominatur ignorantia, ſeruituſq; peccati. Quomodo nõ regnet delictũ, quum libertatis deſit ſpiritus? Vbi enim ſpiritus domini, ibi libertas, ibi cordis lętitia, lumen mentis, gratiarũ actio, deſideria ſancta, depuratus affectus, & æternorũ amor. Præualent profectò tenebrę, vbi Dei cognitio nõ eſt.
Deus (inquit Apoſtolus) lux eſt, & in eo tenebrę 1.Ioan.1.
non ſunt vllę. Deficiẽte lumine longè eſt Deus: abſente Deo abeſt vita, abeſt gratia, abeſt pax, abeſt omne bonum. Sicq; peccatũ deſeri nequit, neque exerceri virtus, per quã collata cuſtoditur gratia. Quamobrẽ tu, qui cupis ſub faſce delictorum ſepultas animas erigere, erectaſq; ſeruare: illas ad Dei conuerte notitiã. Inſinuare ſtude eiſdem quàm bonus ſit Deus, quàm dulcis, quàm miſericors, & præſtabilis ſuper malitia hominũ. Modicum laborabis, ſi diuinæ conſolationis, vel parua ſtillicidia deguſtabunt. Nempe anima, quæ ſapit Deum, & charitatis illius flammulam in corde percepit, ſponte, impellente nemine, trahente patre, conſentiente ratione currit ad ipſum. Ipſum diligit, & vniuerſa illius mandata cuſtodit. Præcipua difficultas bene operãdi in diui-

næ cognitionis deficientia eſt. Hic labor (inquit Propheta) eſt ante me, donec intrem in ſanctuariũ Dei, & intelligam. *Pſal. 72.* Non valet omnino præſẽtia contemnere, & inuiſibilia amare, cui necdum datum eſt per fidem noſſe Deum. Per fidem dixerim, non per apertam cognitionem. Quandiu in hoc mortali corpore ſumus, ambulamus per fidem, videmuſque Deum per ſpeculum in ænigmate. Huiuſmodi enim viſionis contemplatio quamuis amantibus & perfectis exigua eſſe videatur: quoniam concupiſcunt ſpeciem: eſt tamẽ incipientibus magna, atque prorſus neceſſaria. Per ipſam quippe renouatur de die in diem, tanquam paruum adultus ablactatur à conſolationibus mundi. Nutritur enim manna abſcondito ſuaui & mellifluo, & de animali, rationalis efficitur. Inſuetis delectationibus paſtus quàm dulcis & rectus ſit dominus, experimento diſcit: Hinc luctus ſeculi conuertitur in gaudium, & interioris hominis domus: quæ negociationis, voluptatis, & diſſenſionis eſſe conſueuerat, fit orationis templum, & ſpiritus ſancti habitaculum. Eò nanque ſpiritualis ſuperabundat lætitia: quò agnitæ veritatis lumen accreſcit, & fidei clareſcit notitia. Ipſa enim præeunte propriæ cognitionis pædagogus exiſtit: & ingerit ſiue de naturali ingenuitate, ſeu de innata infirmitate ſcientiam: per quam augetur & dolor non confundens, ſed corrigens: non deiiciens, ſed attollẽs. Eleuat planè ſui ſcientia in lumine Dei percepta ad implorationem ſuffragij, ad emendationem vitii, ad timorem caſus, ad conuerſationem laudabilem. Quæ verò per immiſsionem agitur Satanæ, deprimit, contundit, debilitat: & ſæpiſsimè deſperatione interimit. Optimum eſt igitur in Dei lumine videre lumen, ne obtutus naturalis caliget, & à recto itinere reflectat animum. Reflectitur, inquam, quum in delictis perſeuerat, & in ſecularibus concupiſcentiis volutatur, quum carnis voluptati habens laxat, & præſens exilium tanquam propriam diligit patriam. Pernicioſus profectò talis eſt amor dum temporalis vita diligitur velut perpetua. Præualet tunc aduerſarius, dominatur vitium, ſubuertitur intellectus, & pene omnis ſancta deprauatur intentio. O quàm deteſtandum eſt, & ab humano ſenſu alienum fluctibus ſuperædificare velle labentibus, per momenta ſingula inhærere cadentibus. Quis in ſecularibus negociis niſi infatuatus & ſtolidus hoc egere niteretur? Quis talia non argueret perpetrantem? Nouit perſæpe qui rationis eſt capax, damnare in altero, quod abhorret a verò, & inconſulte perficitur. Nouit, inquam, quiſque interdum prudentius aliena iudicare, quam ſua. Nemo laudaret inutiliter pecunias diſpergentem: ſed neque vltrò properantem ad interitum: & tamen penè omnes hoc faciunt, & nemo miratur, nec reperitur qui cohibeat huiuſmodi, ſiue redarguat. In hac vita quid precioſius tempore? Nihil æque tam noſtrum, tamque proficuum ad promerendum cœleſtia, quam tempus. Miſericorditer nobis indultum eſt, quatenus per commendabilia opera ipſo mediante vitam mereamur æternam. Hoc optimè nouerunt, quicunque illud amiſerunt. Videmus nihilominus apud vniuerſos nil tempore tractari peius. Magni æſtimant homines, quando infructuoſe illud valent amittere. Hinc eſt, quod vacant iocis, nugis, & negociis inutilibus. Vtinam ſaperent præterita, præſentia intelligerẽt, ac nouiſsima prouiderẽt. Veniet, veniet neceſsitatis hora, quando miſericordiæ claudetur fons, & operandi deerit facultas. Veniet vtique propere, nec tardabit. Tunc prorſus oculos aperiet pœna, quos nunc claudit culpa. Tunc quanti ſit pręſens tempus, noſcetur, non ad meritum, ſed ad ſupplicium. Complebitur quod de ipſis contemptoribus loquitur ſapiẽtia: *Prou. 1.* Vocaui (inquit) & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret: deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis: tunc inuocabunt me, & non exaudiam: mane cõſurgẽt, & nõ inuenient me, eo quòd exoſam habuerint diſciplinam, & timorẽ domini nõ ſuſceperint: nec acquieuerint conſilio meo. Meritò tunc ſine exauditione inuocabũt, quum nũc exorantem audire negligant. Negligunt, inquã, quia agnoſcere diſsimulant, vbi ſunt. Nempe ſi peregrinationem ſuam, & humanæ decurſum naturę mentis conſideratione aſpicerent, omnino reſipiſcerent. Impellit proculdubio mortalitatis lex ad contemptum ſeculi, & ęternitatis amorẽ per defectionis decretum. Viciſsim ſibi humanę ſuccedũt generationes, & more aquę defluentis, ad ęternitatem pergunt. Hinc Sapiens aiebat: Quid eſt quod factum eſt? Vtique id quod fuit. Et quid eſt quod fuit? Id quod futurũ eſt. *Eccl. 1.* Generatio venit, & generatio pręterit: terra autẽ in ęternũ ſtat. Ipſa igitur, quę in ęternũ ſtat, terra mãſionis noſtrę iaciẽda ſunt fundamenta. Hanc pręelegerat Propheta, hanc poſsidere ſperabat, quum diceret: Credo videre bona domini in terra viuẽtiũ. *Pſal. 141.* Et alibi: Portio (inquit) mea ſit in terra viuẽtium. *Pſal. 26.* Vt illius terrę habitatores ſimus, condidit nos Deus. In hac autem viſibili peregrinamur, laboramus, patimur, in bonis operibus deſudamus, quatenus ad illam pertingere valeamus. Per multa tribulationes (inquit Apoſtolus) oportet nos introire in regnum Dei, *Act. 14.* quod eſt viuentium terra, & regnantium cum Chriſto perpetua ciuitas: cuius participatio eius in idipſum. Hanc quęſiuere, quotquot ab initio fuere iuſti: illius ineffabilia & ęterna gaudia odorantes fidei miniſterio. Quamobrem illius ſuauitate illecti mundi oblectamenta, vt ſtercora arbitrati ſunt deſideranter cupientes fęlicitatis ipſius fore participes. Guſtando nouerant, quid quærebant:

bant:

bant: & quærendo amabiliter eius dilectione flagrabant: vnde eorum vnus eiuſdem nimio amore affectus dicebat: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum: quando veniam, & apparebo ante *Pſal.41.* faciem Dei? Verùm ſi interrogaretur, quid ibi eſſet percepturus, alio inquit in loco: Replebimur in bonis domus tuæ, ſanctum eſt tem- *Pſal.64.* plum tuum, mirabilem in æquitate. Qualis autem iſta ſit futura repletio bonorũ domus illius, ait: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & *Pſal.35.* torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen. Ex concupiſcentia torrentis voluptatis domus illius, & vbertate iucunditatis perpetuæ, qui in illa eſt, ad fontem vitæ Propheta peruenire ſitiebat, ſciens ſe debere ſatiari in ebrietate guſtus illius, qui eſt vita æterna, & omnium deſiderabilium perfecta fruitio. Iſta prorſus in ſeculo futuro promittuntur, & in regione viuorum, in terra viuentium, in domo Dei, in ciuitate ſancta ſpirituali Hieruſalem, à qua peregrinamur, quãdiu in huius præſentis exilij viuimus loco. Agnoſcamus igitur nos peregrinos eſſe in hoc mundo, & anhelemus peregrinationis noſtræ taliter curſum perficere; quatenus in illius ciuitatis portas fœliciter intrare valeamus. Non diſcedat à cordibus noſtris huius veritatis myſterium, vt nihil libeat nobis, quod in præſenti videtur delectabile, pulchrum, ſeu iucundum: neque itineris noſtri retardetur profectus imitantes eum, qui ſpiritu Dei plenus gemebunda voce dicebat: Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Ce- *Pſal.119.* dar, multum incola fuit anima mea. De facili nanque ad æternæ patriæ gaudia corda leuare poterimus, ſi huius vitæ intellexerimus nos peregrinos eſſe & aduenas. Hoc hortabatur Apoſtolus inquiens: Obſecro vos chariſsimi tanquã aduenas & peregrinos abſtinere vos à carnalibus *1.Pet.2.* deſideriis, quæ militant aduerſus animam: quæ vtique naturaliter tendit ad ſummam: ad quã poſſidenda condita eſt. Videſne quàm opportuna ſit ſaluandis præſidentibus & ſubditis: ſecularibus & religioſis incipientibus atque perfectis præſentis peregrinationis iſta cognitio, quæ minime haberi poteſt ſine Dei & ſui cognitione? In hac quippe trifaria cognitione omnis perfectionis fundamenta ſubſiſtunt: ſupra quæ non vniformiter ab vniuerſis ſuperædificandum eſt. Aliter nanq; qui ſecularibus negotiis deditus atq; aliter qui ſub diſciplina cõſiliorum cœleſtium ſe Deo dicauit, habere ſe debet. Singuli ſingula ſtatui proprio congruentia ſtudeant adimplere. Nam quod vni competit: plerunque alteri oppoſitum reperitur. Quamobrem qui rei familiaris curæ & exteriorum adminiſtrationi intendit: quoniam nequaquam conſiliorum valet perfectionem ſectari: quia dictum eſt: præceptorum Dei conetur legem perficere: ſine qua ad ſalutem non poteſt attingere, dicente domino poſtulanti: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. *Mat.19.* Nam abſque obedientia hac, vana eſt hominis ſpes, & fiducia temeraria. Prorſus impoſsibile adulto eſt ſine obedientia præceptorum peruenire ad regnum. Magis (ſicut legitur) placet obedien- *1.Reg.15.* tia, quàm victimæ. Nempe per hanc probati ſunt in voluptatis paradiſo parentes primi: quam quoniam minime ſeruauerunt, de regione illa in hoc ærumnoſum exilium fuere depulſi. Legem quoque naturæ habuerunt: qui decalogi præceſſerunt legem. Legem habuit Hebræorum populus: ſub lege etiam conſtituti ſunt, qui in plenitudine gratiæ reperiuntur. Vnde quemadmodum nulla generatio extitit ſine lege, ita ſaluari nequit abſque legis obedientia. Ab hac nulla conditio, nullus ſexus, nulla ſecernitur ætas. Vniuerſale eſt hoc decretum, cui ſaluandi omnes obtemperare coguntur. Diuinæ igitur legi quiſque ſe ſponte ſubiiciat: Eccleſiæ ſtatuta cuſtodiat: ne inordinate degens ordine exigente iuſtitiæ deputetur cruciandus: vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. Lex quidem ſancta & mandatum ſanctum, & bonum eſt, per quod reconciliatur homo Deo: reformat ſeipſum, & rationabiliter viuit: ſupplicium deuitat, acquirit meritum, habilitatur ad gratiam, cuſtoditur à culpa, & perfectioni fit proximus. Porrò quanto quis clarius agnoſcit Deum: tanto ſolicitius legem perficit: vt magis ei placeat, quem agnoſcit & diligit. Vbi enim cognitio Dei eſt: ibi charitas, & vbi charitas, ibi legis cuſtodia. Hæc ab inuicem ſeparari nequeunt. Præceptorem fidelium audi: Si *Ioan.14.* quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit. Docet experientia neminem illi poſſe obtemperare, quem odit: ſed neque illum diligere, quem ignorat. Da igitur agnoſcentem: & inuenies illum amantem, atque voluntariè famulantem. Non enim diſsimulabit: neque præceptori contradicet ſuo, qui fidei illuminatus ſplẽdore Deũ veraciter diligit. Stabit vtique ſuper ſui cuſtodia, nec imperantis prætergredietur legem: & ne propriæ infirmitatis limites tranſeat. Nempe fraternę charitatis, ſuætęque humilitatis ęmulator eſt, cuius exaltatum non eſt cor: neque elati ſunt oculi, qui non ambulat in magnis: neq; in mirabilibus ſuper ſe. Amabilis quippe hominibus, & Deo cariſsimus eſt, qui propriis contẽtus aliena non ambit: nemini nocet: nulli detrahit proximum ſuum ſcandalizare ſeu ſupplantare deuitat. Conuerſantibus nanque in ſeculo peruigil adhibenda eſt cura: ſtatus proprii ne menſuram excedant: quoniam ex hoc caſus innumeri fiunt. Non enim abſque timore mentis agitur, quod conditioni non congruit facientis. Quomodo cenſendus eſt humilis, qui præ cæteris hono-

honorari ſatagit? qui ſapiens in audientium auribus vult videri? qui cultu ornatus incedit pompatice? qui præfert diuitem? & pauperis perſonam deſpicit? qui ſimplicem deridet, & humilium ac manſuetorum conuerſationem abhorret? Hæc & his ſimilia ſicut ſine elatione fieri nequeunt: *Marc. 9.* ita nec abſque ſcandalo proximorum. Qui ſcandalizauerit (inquit dominus) vnum de puſillis iſtis, qui in me credunt, expedit ei, vt ſuſpẽdatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Formidanda eſt iſta ſententia: in firmioribus (videlicet) verbo vel facto ponere offendiculum cadendi. Quod toties agitur, quoties improperiis, fraudibus, verbis mendacibus, detractionibus, impudicis actibus atque operibus malis vacatur. Ex huiuſmodi geſtis (vt plurimum) proximi ſcandalizantur, ſi diſplicent: aut ad faciendum talia prouocantur, ſi placent. Vtroque autem modo væh operanti: quoniam per ipſum ſcandalum venit. Minimè tamen qui imitatur, effugiet iudicium. Nam quæ ſeminauerit homo: hæc & metet. Duplicia verò metet, qui occaſionem aliis præbuerit delinquendi. Hinc ſecularium quam periculoſa ſit vita, percipitur, quorũ conuerſatio ſocialis eſt cum peccatoribus, cupidis, elatis, incompoſitis, & moribus effrænatis. Vndique illis offeruntur ſcandala, & ſcelerũ materiæ, quæ vix à ſpiritualibus & perfectis declinari valent. O quàm ſæpiſsime cadũt vt debiles & cæci: ò quàm frequenter ab extraneis peccata diſcunt, quæ ignorabunt. Malitioſi efficiuntur, impudici, & dyſcoli ſuaſione ac familiaritate delinquentium. Viciſsim ſibi parãt laqueos, & mutua exhortatione loquuntur. *Sap. 2.* Venite fruamur bonis, quæ ſunt, & vtamur creatura, tanquam in iuuentute celeriter. Coronemus nos roſis antè, quàm marceſcant, nullum pratum ſit, quod non pertrãſit luxuria noſtra, vbique relinquamus ſigna lætitiæ: quoniam hæc eſt pars & ſors noſtra. Iſtiuſmodi velut mortui iuxta domini ſententiã ſepeliunt mortuos, & in peruerſitatis tandiu ſubruunt tumulo: donec quatriduani fœteãt: quorum reſurrectio prorſus deſperanda eſt, niſi ipſe mediator grandi voce per ſe illos euigilare percipiat. In hoc etenim profundum malorum ideo dilabuntur: quoniam de ſe nullam habuere notitiam. Poterant quidẽ in ipſo iniquæ conuerſationis exordio faciliter reſipiſcere: ſi ſe quanti eſſent, voluiſſent agnoſcere: & quàm facile humana fragilitas ex fomite originalis delicti ſeu ex inolita atq; adulta peccandi conſuetudine gratiam atque naturalem animæ dignitatem amittat. Hæc per ſe in ſeipſis potius, quàm in libris lympidius didiciſſent. Seipſos autem quoniam intelligere neglexerunt; propterea miſerabiliter perierunt. Verũ quamuis talium ſalus non ſit niſi à domino, funditus tamen deſperanda non eſt. Pro eiſdem orationibus & lacrymis eouſque inſiſtendum eſt, atque diuina miſericordia implorãda: quouſque qui fuerant mortui, audiant interius præceptoris vocem, & reuiuiſcant, & ad ſe redeuntes propria errata deplorent: confiteantur delicta, eadẽque largis eleemoſynis redimant. Nullum prorſus tam graue delictum eſt, quod non eleemoſynis & oratione purgetur. Nam (ſacro teſtante eloquio) *Ecc. 3.* ſicut aqua ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum. Fructuoſa ſatis ad promerẽdam gratiam ſtipendia pro Chriſto pauperibus erogata fore noſcuntur. Ipſa ſupplent defectus largientium, & altiſsimum interpellant. *Ibid. 29.* Abſconde (ait diuinus ſermo) eleemoſynam in ſinu pauperis: & ipſa orabit pro te. Quo mediante, Cornelius gentilis mediatoris gratiam adeptus eſt: niſi eleemoſynis & orationibus? Sic enim habes. *Acto. 10.* Orationes tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in memoriam in conſpectu domini. *Mat. 5.* Beati planè miſericordes: quoniam miſericordiam conſequẽtur. Conſequentur inquam in futuro centuplũ: quod hic ſimplum tribuunt. Cognoſcens quippe dominus mortalium imbecillitatem ad bene operandum præſtitit temporales facultates: quatenus per erogationem earum haberent, vnde poſſent ſibi cœleſtem gloriam vendicare. Da igitur ò homo pauperibus, & ſi nõ totum quod habes: tamen quod potes. Noli petenti auertere manũ, ne à te ſe auertat dominus. Noli deſpicere proximi neceſsitatem, vt & tu non deſpectus iudiceris à Chriſto. Auditurus nanque es. Quod vni ex minimis meis feciſtis: mihi feciſtis. *Mat. 25.* Nunquid in iudicio dicet: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi, quia ieiunaſtis, quia vigilaſtis, quia oraſtis, ploraſtis, &c. Nonne magis quoniam eſuriui, & dediſtis mihi manducare: ſitiui & dediſtis mihi bibere, & hoſpes eram & collegiſtis me, nudus & cooperuiſtis me: infirmus & in carcere, & viſitaſtis me? Nihil aliud qui conuerſaris in ſeculo, exigit à te Deus, quàm vt mandata illius cuſtodias: proximum tuum diligas, & pauperibus alimoniam præbeas. Eroga igitur inopiam patiẽtibus quod tibi præſtitum eſt: vt in cœlo recõdas theſauros imprædabiles. Peregrinationis tuę memento, & præmitte diuitias tuas, quò poſt paululum ſecuturus es. Præſto veniet hora in qua & tu egebis. Nam diues ille, qui Lazaro noluit dare micam panis, petiit in tormentis guttam aquæ: & nec accepit. Victui igitur tuo tuorumq; quod cõgruenter ſupereſt, da egentibus, & ipſis in futuro gaudebis. Diuitibus ſeculi huius (inquit Apoſtolus Timotheo) præcipe non ſublime ſapere, *1. Tim. 6.* neque ſperare in incerto diuitiarum: ſed in Deo viuo, qui præſtat omnia nobis abundè ad fruendum, bene agere, diuites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant vitam æternã. Audiant hæc diuites, quibus tem-

tem-

temporalium bonorum conceſſus eſt vſus, qualiter quove fine facultates debeant poſsidere. Nēpe quod impertiuntur egentibus, ipſorum erit in ſeculo venturo: quod autem retinebunt in ſaeculo, erit extraneorum. Relinquent (inquit propheta) alienis diuitias ſuas & ſepulchra eorum domus illorum in æternum. Relinquent alienis, quod theſarizant, & ignorant cui. O quanto conſultius theſaurizarent ſibiipſis, vt vitam valerent conſequi æternam. Mercari poſſunt pro paruis magna, pro terrenis cęleſtia, & pro temporalibus ſempiterna. Hanc profectò negociationem exercent, qui exilij ſui & labentis vitæ agnoſcunt ſtatum. Hi proculdubio percipientes ſe diu non poſſe tenere, quod habent: in tuto ſubſtātiam ſuam recondunt loco, eò abundantius: quò verius peregrinationis iſtius calamitates ſentiunt. Optime ſibi inſeruiunt & cognitio peregrinationis præſentis vitæ, & larga ad pauperes eleemoſinarū erogatio. Nihil aliud eſt facultates proprias tribuere egentibus, quàm cumulare in cœlo, quod hic poſsidetur in terra. Beatus plane, qui miſeretur & commodat, diſponet ſermones ſuos in iudicio: quia in æternum non commouebitur, ſi in ipſis vſq; ad finem piis operibus perdurabit. Iſta igitur ſunt inſtituta diuina, in quibus Chriſtiana mens ſe ſtudeat occupare, quatenus iuxta ſtatum ſuum poſsit ad perfectionem aſcendere. Nequaquam illi deerit centeſimus fructus, ſi in eo, quo poſitus eſt, legitime certauerit. Nam æquiſsimus arbiter, qui ſingulorum penſat merita, pro diuerſitate vocationum minime virtuti præiudicat. Non enim ex vocatione, ſed ex virtutum operatione quiſque ſanctificatur. Nam coram Deo vna eſt iuſtitiæ libra, quamuis varia ſint ſtatuum exercitia in eccleſia, per quæ fideles animæ quotidie reformantur & creſcunt. Maneat itaque quilibet in ſui ſtatus vocatione, nec conſideret, quid in altero ſeu quid agatur per alterum. Recipiet vnuſquiſque (ait Apoſtolus) mercedem ſecundū ſuum laborem, ſeculo (videlicet) deditus, & diuino ſeruitio totaliter mancipatus. Porrò qui corpore tenetur in mundo, & exteriorum eſt negotiis intentus, conetur (quemadmodum prædictum eſt) mandata diuina perficere, proximum diligere, & peregrinationem ſuam agnoſcere. Qui verò mūdo renuncians Chriſti militiæ ſe fecit aſcribi, indeſinenter elaboret, & diſcat nunc præeſſe, nunc coeſſe, nuncque ſubeſſe pro actionum & temporum qualitate. Talibus etenim aſcendendi atque deſcendendi ſtudiis poterit, & ipſe ad propriæ vocationis perfectionem attingere, ſi tamen in eiſdem perſeuerare potuerit. Diſce ergo tu, qui conditoris amore illectus inuiſibilia bona apprehendere, & ad perfectionem aſcendere ſatagis, id quomodo, quo ordine debeas. Parum utique laborabis, ſi horum ignarus non fueris, qualiter pręeſse, coeſse, & ſubeſſe debeas. Diligenter aduerte, quoniam in his omnis profeſsionis tuę conſiſtit regula, & perfectionis magiſterium. Nunquam coeſſe atque pręeſse valebis, vt congruit, ſi ſubeſſe neglexeris. Ab hoc primo pertingitur ad vltimum. Hoc ſcriptura, hoc ratio, hoc humana te docet experientia. Quum excelſam domum ædificare diſponis, nunquid à culmine ſumis initium? Nonne potius à fundamento? Iacis primo fundamētum, deinde ſuperædificas, & opus perficis: Nunc ſerua ordinem in tua ſpirituali fabrica, ne flantibus auris contrariis, aut inundāte flumine euertatur & corruat. Stabit prorſus immobilis, ſi in humili ſubiectionis fuerit ſoliditate locata. Eſto igitur humilis, eſto ſubiectus, & in ædificatione tua optime proſperabis. Humilitas quippe hęc in actu ſit pariter & affectu, quatenus Deo placeas, & proximis luceas. Nam exteriora homines, interiora verò intuetur Deus. Habeto itaque humilitatem cordis, ſicut docuit Chriſtus. Noli te extollere de donis ſpiritualibus, quibus fortè proximos tuos carere noſcis. Noli te de naturalibus dotibus inflare, ne amittas quod accepiſti, & velut inſipiens proprio mucrone te perimas. Præſtitit tibi diuina bonitas gratis dona naturæ, vt illis vtaris pro inſtrumento virtutum, & augmento meritorum. Caue autem ne elatione tua auferantur à te talenta gratiæ, & in egeſtate deficias. Sic enim definiuit Dominus, Omni habenti humilitatem dabitur, & abundabit, ei autem qui nō habet, etiam quod videtur habere, auferetur ab eo. Deteſtabilis eſt Deo hæc peſtis ſuperbiæ, quæ in momento priuat hominem diuitiis prorogatis. Nulli vnquā pepercit ſuperbienti ſiue in cœlo ſiue in terra. Quod Propheta conſiderans Dominum deprecatur dicens, Non veniat mihi (inquit) pes ſuperbiæ, & manus peccatoris non moueat me. Ibi prorſus ceciderunt, qui operantur iniquitatem, expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare. Quamobrem diligenter recogitet peccator homo, ſi Angelis ſuperbientibus non pepercit Deus, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit in iudicium cruciandos reſeruari, quid perpeſſurus eſt ipſe, ſi aduerſus conditorem cordis ſui ceruicem leuauerit? Humilitatem itaque ſectetur mentis Dei ſui munera pertractes humiliter, vt præſtantiora percipiat, & abundet. Exteriorem nihilominus humilitatem portendat in actu, quatenus in omnibus placere poſſit in Domino. Sit habitu vilis, modeſtus in verbo, circunſpectus in moribus, in illatis contumeliis patiens, mitis in geſtis, in conuerſatione benignus, & in actuſi ſuorum honeſtate conſpicuus. Talis eſſe debet humilitatis diſciplina intrinſecus atque extrinſecus in iis, qui militant Chriſto, quæ eò amplius ſubiectum ſe exhibet poſsidentem, quò fuerit perfectius cuſtodita. Quodam charitatis vinculo pariter aſtringūtur, ita vt ab alterutris nequeāt ſupera-

Psal. 48. Psal. 111. 1. Cor. 3. Luc. 8.19. Psal. 35.

portari. Humilitas enim ſicut ſubiectionem parit, ſic ſubiectio humilitatem. Libertatem omnino fugit humilitas, & ſubiectionem fugit elatio. Importabile onus eſt obedientia ſuperbienti, & humili voluntas propria. Ille igitur veraciter ſubeſſe nouit, qui omnium ſe agnoſcit minimum, omnibus pro Chriſto obtemperare conatur. Subiecti (inquit Apoſtolus) eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, nedum bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis, hæc eſt enim gratia in Chriſto Ieſu. Stat ſubiectus humilis, notus ſibi, iudicatus à ſe, proſtratus omnibus, deuotus Deo, beneuolus fratribus, non contradicit, non murmurat, non iraſcitur, non reddit pro malo malum, neque maledictum pro maledicto, accuſatus tacet, iniuriis laceſsitus orat, tentationibus probatus ſuſtinet, laboribus grauatus miniſterium perficit. Eſt autem ſublimis & humilis, condemnatus & iuſtus, vilis & carus, odioſus, & dilectus, exagitatus & tranquillus, cæcus & videns, ignotus & cognitus, vbique bonus, vbique ſubiectus. Diſcit procul dubio ex cognitione ſui obtemperare aliis, & humiliare ſe. Nam humilitas eſt in lumine veritatis infuſo ſuimet certa cognitio. Ex quotidiana experientia efficitur humilior, ſubiectioni promptior, & in diſponendis propriis aliorumque negotiis prudentior. Eſt nanque prudentiæ virtus, quæ amatorem ſui optime coeſſe facit. Tolle prudentiam, & videbis Chriſto famulantem, nunc proſperitatibus eleuari, nunc plus debito tribulationibus deiici, nunc feruore immoderato currere, nunc ignauia tabeſcere. Et quoniam prudentiæ ignorat cuſtodire regulam, gratiam amittit multam & proximis fit oneroſus. Ad ſeruandam igitur vnitatē charitatis, nil ſic congruit, quemadmodum prudentia, quæ inſtruit opportune, loco, tempore, & negotiis deferre maioribus, non ſe præferre æqualibus, atque minores compaſsionis & fortitudinis ſupportare virtute. Proficientium atque pugnantium hoc ſemper eſt proprium inter blāda & aſpera, inter læta & triſtia, inter fluctuationem animique tumorem, inter tentationes & gratiæ viſitationes vigilare animo, & cogitatus ſuos paruulos allidere ad petrā ſpiritualem. Stant accincti gladiis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos, & tanquam ad bella doctiſsimi ſibiipſis non parcunt, vt diſperdant de Domini ciuitate omnes operantes iniquitatem. In hoc ſiquidem laudabili conflictu eò feruentius perſeuerant, quò ſpecialius diſcretionis ſpirituum donum perceperint, ſine quo in ſtudio virtutum nemo valet eſſe perfectus. Nullus ergo ſibi arroget, quando ſic ſe exercendo triumphat. Munus eſt Dei ad capeſſendum ſanctitatis brauium fidelibus accommodatum. Non enim opus tale nouit agere humana prudentia, quæ ſapit non quæ Dei, ſed quæ hominis ſunt. Præſtat autem diſcretionis hoc lumen ipſa in corde humili inhabitās ſapientia, & reddit illud cautum, prouidum, ſollicitum, ignitum, & ſapiens, vt non inſoleſcat, deficiat, cadat & pereat. Præcipue tamen de futuris erudit, & ſapidum infundit guſtum, quatenus currat ſic, vt comprehendat, in quo comprehenſum eſt. Hinc omne tempus illi conceſſum diſponit ad lucrum ſciens completa ſua peregrinatione minime ad promerendum ſubſiſtere tempus. Beatus planè, cui per irradiationem æternæ ſapientiæ prærogatum eſt in ſenſu cordis ſe in hoc ſeculo peregrinum eſſe. Nam quemadmodum innumeri ſunt, qui in bonis langueſcunt, & carnis deſideria perficiunt, ita & nemo eorum, qui in ueritate ſe in corpore peregrinari agnouerint, quandiu in hac veritate perſtiterit mente, à gratia decidere valebit. Nutritur ignis ſtipula, oleo, & lignis, & æternorum amore huius peregrinationis guſtus. Quiſquis hunc poſsidet, imis & exterioribus vitioſe delectari non poteſt. Affectus enim animus ſuauiter felicitate futurorū bonorum, quam vtcunque exhaurit, inhærere dedignatur labentibus atque caducis. Quamobrem prudentię ſemper vtens gubernaculo Diaboli laqueos, ſeculi oblectamenta, honores fugitiuos carnis illecebras, & quicquid detinere, ſeu itineris ſui valeat impedire propoſitum, reſecat, declinat, & ſuperat. Hinc coeſſe cum proximis ſtudet, deuitat iudicia temeraria, altercationes & rixas amouet, atque ſaluo interioris virtutis habitu omnem ſingularitatem fugit exterius, per quā fraterna ſæpiſsime dirimitur concordia, & amittitur dilectionis præcipuum bonum. Aſsueſcit præterea coeſſe & habitare ſecū, vt mentis queat ſoliditatem adipiſci, quæ eſt omnium virtutum adminiculū ſingulare. Immoderata quippe gaudia & humanum atque ſeruilem pellit timorem. Inanis ſpei leuitatē & doloris lōge à ſe aculeū reiicit, quatenus interna poſsit pace potiri. Quantū valet, mentis perornat domum, cogitationum familiam regit, motus cordis dirigit, corrigitque quicquid eſt altum, quicquid deordinatum, atq; deforme. Cuſtodes inſuper peruigiles conſtituit ſenſibus ſuis propter latrunculorum inopinatos inſultus. Mentis libertatem per ſpiritum conatur acquirere, quæ proximum facit Deo, expeditum in prælio, in negotiis prudentem, alacrem in via, & in quotidiana oratione deuotum, tanquam ratiocinator cupidus aſsidue diiudicat ſeipſum, & in diſcretionis ſtatera opera penſat propria. Nunc compunctionis gemitu, nunc charitatis incendio conſumit imperfectionis rubiginem, quę ex infirmitate carnis accreſcit in mente. Lumine inſuper prudentię latebras in ſe detegit vitiorum, inimicorum inſidias diſsipat, & veluti propugnator egregius vſq; ad internitionem malignos inſequitur. Exhibet quidem ſpiritui corporis habitaculum ſanctificatum, & caſtum, & ſpi-

1. Pet. 2.

& ſpiritum Deo purgatum & mundum. Nempe donec hucuſque perueniat, labores plurimos, & tribulationes ſentit non modicas. Non enim ſublimia donantur gratis, aut vili emuntur pretio. Pſal. 93. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam, inquit preclarus. Pſaltes. Per multas Act. 14. igitur tribulationes oportet nos in regnum perfectionis intrare. Habet prorſus ſpirituale regnũ ipſa perfectio hominis virtutum diuitiis refertũ, gratiarum monilibus decoratum, charitate præfulgida renitens, atque donorum numeroſitate inſigne. In hoc viget pax, erudit veritas, viuificat charitas, regnat amor, habitat ſponſus, aſsiſtunt Angeli, celebrantur nuptiæ, abũdant delitię, laudes reſonant, mulcent carmina, gaudet ſpes, exultat humilitas, oratio nutrit, regit prudentia, fortitudo dominatur, propulſatur timor, & gaudium in Spiritu Sancto percipitur. In hoc nullus immũdus ingreditur, nullus vitio ſus appropiat eidem, ſed virtutis amator, ſuimet impugnator, imitator Chriſti & huius vitæ peregrinus in ſpiritu. Arduum prorſus eſt perfectionis propoſitum, difficilis aſcenſus, & beata comprehenſio. Currunt multi, ſed apprehendunt pauci. Hi autem antequàm perueniant, quò tendunt, deſudant in virtutum certamine, & omnes animi paſsiones ac ſenſualitatis motus ſub rationis redigunt ſeruitutem, ut nihil in eis indomitum, atque indiſciplinatum remaneat, quod fœdet mentem, conſciētiam turbet, auferat fiduciam, affectum deuiet; & diuidat vnitatem, quæ imperfectionis ſunt ſigna, & conſummandæ charitatis impedimenta. Sic itaque ò perfectionis amator exerce te, vt his des libellum repudii, ſic vtriuſque hominis actus compone, vt nil aſcenſum tuum impediat. Nihil in te ſit, quod diſpliceat ſponſo. Præcipue tamen cordis habeto munditiam, quę ex iugi Dei viſione ac familiari eius tibi allocutione proueniat. Hæc nanque viro ineſſe debent perfecto, qui in ſpiritu iudicii & ſpiritu ardoris opera ſua diſponit. Diſponit inquam non ex naturali intelligentiæ acumine, ſed ex aſsidua mentis eleuatione in Deum, atque contemplationis acquiſito habitu, per quem ſapientiæ percipit donum, & ignitum charitatis affectum. Efficitur qui talis eſt, alter quàm fuerat, diuino id operante contubernio. O quàm ſępe tanquàm de cellario pretioſorum aromatum ſponſi accenſus, & doctus ab oratione egreditur? Fulget tunc mens ſapientiæ ſplendore, & cor charitatis incendio concrematur. Vtrunque enim diuina agitur cognitione. Hoc ſuo Moſes teſtatur exemplo, cuius facies ex conſortio ſermonis Dei adeò facta eſt ſplendida, vt minime in illum Hebræorum populus valeret aſpicere, niſi ſuperpoſitum ei fuiſ- 2.Cor. 6. ſet velamen. Porrò ſi (iuxta Apoſtoli ſententiam) qui adhæret Deo, vnus ſpiritus cum eo eſt, quod perhibetur, abſurdum non eſt. Accedite (inquit Propheta) ad Deum, & illuminamini ſapientia, vt poſsitis in veritatis iudicio diſponere Pſal. 33. æquitatem. Munus quippe hoc quoniam agnoſcebat eſſe præcipuum, Dominum vt illud conſequeretur, deprecabatur dicens, De vultu tuo iudicium meum prodeat. Pſal. 16. Nouerat illum errare vix poſſe, cuius mens ex diuino erudita colloquio aut eligeret in ſe, ſeu proferret per ſe ſententiam. Nam inconſulta deliberatio atque elata præſumptio plurimos proſternit in foueam. Quapropter maturæ mentis ſemper incedit greſſu, qui ſecum habitans frequenter ſponſi potitur præſentia. Nec mirum. Dei nanque maieſtas quamuis ex dignatione ſit familiaris amantibus, eſt tamen ex diuinitatis celſitudine cum veneratione colenda. Verus etenim amator quanto magis Deo appropriat, efficitur corde humilior, mente purior, affectu ardentior, & in virtutum exercitatione perfectior. Eſt prorſus hæc perfectionis regula, charitatis norma, & diuinæ cognitionis diſciplina. Efficimur ex his diuinæ conſortes naturę, Angelorumque (iuxta vitæ huius qualitatem) imitatores. Huiuſmodi ſunt profectus perfectorum, tales ſunt aſcenſionis ſpirituales gradus, per quos quotidie & infatigabiliter aſcendunt, quibus poſt luctam vitiorum, adeptumque virtutum triumphum Dei certa in ſpiritu eſt prærogata notitia, verbi connubium oſculum pacis, contubernium ſanctorum, & angelicæ puritatis ſtudium ignitum. Hæc vtique lapſi hominis reparatio atque reformatio eſt, ad quam non niſi præeunte peregrinationis huius ſuimet & Dei cognitione pertingitur. Iaciat igitur fundamentum hoc interni atque arcani luminis viuum & verum quiſquis nuptialem thalamum & ſpirituale Dei templum ędificare concupiſcit. Imploret nihilominus cœleſte ſuffragium, ſine quo omnis humanus labor inanis exiſtit dicente Propheta, niſi Dominus ędificauerit domum, in vanum laborauerunt, qui ędificant eam. Pſal. 126. Facile autem ad ſpirituale peragendum opus pręcelſę perfectionis meretur gratiam, qui exercitationi mentis & delectationi virtutum ſedulam adhibuerit precum inſtantiam. Ipſo nihilominus opitulante, qui penſat vota, coronat merita, confert gratiam, & largitur gloriam Ieſu Chriſto mediatore noſtro, qui eſt Deus benedictus in ſecula.

DIVI

DIVI LAVRENTII IVSTINIANI VENETIARVM Protopatriarchę in Domini ac ſancto rum ſolennitatibus ſermones.

In feſto natiuitatis Domini.

VNaqueque res (quemadmodum vſus docet, & ratio) potius ex ęſtimationis conſuetudine, quàm ex ſui natura cognoſcitur. Imbecille quippe admira Dei capeſſenda opera humanum eſſe videmus ingenium, propterea ſapientię adminiculo indiget ad intelligenda cœleſtia atque diuina, quanquam & ipſa temporalia, quę videntur ab ipſa ſint condita, dicente Propheta Domino, Psal. 103. Omnia in ſapientia feciſti. Condita quidem ſunt ad eruditionem rationalis creaturę, quę peregrinatur in terra, eiuſq; affectum excitandum ad dilectionem ſummi opificis, qui ſpiritualia atque corporalia condidit vniuerſa. Earum autem multa incognita remanſerunt ex infirmitate intelligentię humanę, nonnulla ex ſola aſſiduitate viluerunt. Nonne naturę opera penes homines viluiſſe cernimus? Quis ſeduxit terrę fœcunditatem, & quę ad mortalium deputata ſunt victum, ſpecialia Domini munera eſſe fatetur? Quis ſolis lucem, cęlorum motum, ſtellarum decorem, elementorum virtutem, animatorum, inanimatorumque diſtinctas ſpecies, miniſteria diuerſa, proprietateſque earum largitati conditoris aſcribit? Hoc certe ſi fieret, Deo ineffabiles gratię redderentur. Cęterum deficientibus in homine diuinis laudibus, & gratiarum minime exoluente debito, deeſt quoque gratitudo in illo, tametſi cognitio ſuppetat; efficiturque homo tantorum criminum reus, quantorum beneficiorum conuincitur eſſe ingratus. Iſtud profecto ſi mentis conſideratione mortales aſpicerent, reſipiſcerent vtique, & redirent ad ſe, atq; in cunctis (iuxta poſsibilitatis ſuę virtutem) laudare ſatagerent. Verum magnum non eſt, ſi homo neſciat cętera, quum ſemetipſum ignoret. Nempe ſi naturę ſuę dignitatem intelligeret plùris ſe ęſtimaret, quam facit. Non ſe deijceret in inus, non ſe in exterioribus tam effręnatè diffunderet, nec ſe vitiorum ſeruum faceret, neque petulantis ancillæ ſe ſubiugaret imperio. Suam igitur quoniam non valeat per ſe in ſe nobilitatem agnoſcere, illam vtrumque ex beneficiorum numeroſitate percipiat. Ex parte tamen eidem cognoſcibilis fiet, quamuis in eius plurimũ conſideratione deſudet. Solus ipſam ad plenum nouit, qui cõdidit. Porrò niſi excellentior, quàm quòd apparet extrinſecus exiſteret homo, cæteris nequaquam illum Deus prætuliſſet animantibus. Inuiſibili etenim ſpecie quanquam ſpecioſus & elegantis ſit formæ, infirmus tamen eſt paſsionibus agitatus, aſtrictus neceſsitatibus famis, ſitis, laſsitudinis, caloris frigoris, & huiuſmodi, atque reſolutioni ineuitabiliter obligatus, & morti. Habet autem ſpiritualem naturam in ſe, quæ ex ſua dignitate cunctis præminet creaturis, quæ humanis inſeruiunt ſenſibus. Per hanc quippe vegetatur caro, corpus regitur, viſibilia diſponuntur, arcentur vitia, mores componuntur, diiudicantur omnia, amatur omnipotens, atque cognoſcitur. Hæc nanque quamuis naturali excelſa ſit dignitate, & dona plurima perceperit a Domino, minus tamen prudens ex ſe facta acceptam conditoris legem præuaricando contempſit. Hinc delinquendo grauiter inimicitias aduerſus proprium conditorem inuenit, paradiſi amęnitatem perdidit, creaturarum obedientiam amiſit, & in vtriuſque naturæ mortem incurrit. Cæterũ quoniam in ſe diuinam gerit imaginem, à Deo diligitur, honoratur ab Angelis, & immortalitatis dote coruſcat. Tanti quippe eſt, vt ne periret in æternum, verbum factum eſt caro. Deſcẽdit enim Deus per aſſumptam humanitatem in mundum factus homo, errantem per immenſam ſeculi ſolitudinem quæſiuit hominem, quæſitum reperit, repertumque reconciliauit patri exoluens maceriẽ originalis delicti in carne ſua, per crucis patibulum faciens, vt qui longè fuerat, propè exiſteret, interpellante pro illo eiuſdem mediatoris Chriſti Ieſu effuſo cruore. O Dei mira dignatio, ò inæſtimabilis dilectio pietatis. Qui offenſus fuerat, reconciliationis ipſe interceſſorem deſtinauit; quod illi debebatur, exoluit, & quem pro peccatis placari oportuit, prior peccatores inuitauit ad veniam. Inuitauit inquam antè affectu quam voce, & prius miſeratione quàm carne. Vnde (oro) carnem ſuſcipere voluit, atque hominibus apparere viſibilis? Nonne impellente charitate, miſeratione trahente? Prophetam longæuum & Lucæ 1. ſanctum audi dicentem, Per viſcera miſericordię Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto. Viſitauit inquam nos tanquam ægrotos medicus donãs remedia noſtris opportuna languoribus, vnde propheta inquit, Benedic anima mea domino, Psal. 102. qui ſanat omnes infirmitates tuas. Tanquam præclara venit veritas, vt ignorantiæ noſtræ depellat tenebras, iuſtitiæque aſpicere valeamus lucem, ideo hoc in ſpiritu propheta ſupra memoratus præuidens ait, Lucæ 1. Illuminare iis, qui in tenebris & vmbra mortis ſedent ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Tanquam liberator apparuit ad eruendos nos de tyrãnico iugo diabolicę poteſtatis, propterea aiebat, Matt. 11. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos, Tollite iugum meum ſuper vos, & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Hinc propheta domino dicit, Esa. 9. Iugum exactoris & onus humeri eius ſuperaſti ſicut in die Madiã. Viſitauit denique nos tan-

Digitized by Google

tanquam Pater, vt nos reuocet ad ſe, tribuatque quod conſumpſimus, & in ſuam nos hæreditatē inſtituat. Quamobrem quum nos in Diſcipulis

Matt. 6.

orare doceret, ait, Dicite, Pater noſter, qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum, adueniat re-

1.Pet.1.

gnum tuum. Et Apoſtolus Petrus inquit, Benedictus Deus & Pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſecundum magnam miſericordiam ſuam regenerauerit nos in ſpē viuā per reſurrectionē Ieſu Chriſti ex mortuis, in hæreditatē incorruptibilē, & incōtaminatā, & immarceſsibilē, cōſeruatam in cœlis. His igitur multis aliiſque de cauſis viſitare nos voluit. Vt igitur tam ſingularis viſitationis beneficio non conuincamur eſſe ingrati, accedamus nunc in ſpiritu humiliter, ſi diuinæ miſerationis viſcera agnoſcere cupimus, videbimuſque, qualiter in humanitatem noſtram Dei filius de regalibus ſedibus veniēs, in viliſsimo diuerſorio hodierna die natus eſt. In alto ſiquidē, in gremio (videlicet) paterno ſine initio & ante ſecula genitus manifeſtatur Angelis, glorificatiſque hominibus ſupra alta cœlorum, quibus datur in lumine gloriæ contemplari ſacroſanctæ generationis illius ineffabile, æternumque myſterium, nobis verò adhuc laborantibus & in paſſibili corpore peregrinantibus ab illa ſupercœleſti Hieruſalem, in qua eſt Angelorum frequentia & Deum collaudantium exercitus innumerabilis, puer hodie natus eſt, & Filius datus eſt nobis, cuius imperium ſuper humerum eius, vocaturque admirabilis, Deus fortis, princeps pacis, Pater futuri ſeculi. Verum vt etiam cognoſceretur à nobis, ex alto ortus eſt, & manifeſtatus nobis, non vtique in apparatu regio, non in ſericis indumentis, non obſequentium multitudine vallatus, neq; in imperialibus ædibus vel deauratis cubiculis, ſed ſub tugurio in præſepio reclinatus. Niſi doceret fides prænunciaſſentque Prophetę, & teſtificarentur Angeli, quis crederet vagientem infantem vilibus panniculis inuolutum, iumentiſque irrationabilibus ſociatum, & ſuper

Eſa. 1.

fœnum iacentem Deum eſſe? Bos (inquit Propheta) cognouit poſſeſſorē ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui, populus autem meus non cognouit me. Ad paſtores autem in ipſius natiuita-

Lucæ. 2.

tis hora ait Angelus, Euangelizo vobis gaudium magnū, quia natus eſt vobis hodie Chriſtus Dominus in ciuitate Dauid, & hoc vobis ſignum, inuenietis infantem pannis inuolutum poſitum in præſepio. Et ne dubium vnius Angeli videretur eſſe præſagium, facta eſt cum ipſo multitudo militiæ cœleſtis Deum laudantium atque dicentiū, Gloria in altiſsimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. His teſtimoniis adhibet catholica fides aſſenſum, quoniam vera ſunt. Nam iſta ideò prædicta fuerunt, quia futura erant, propterea prædicata, quia completa. Quamobrem ò dilectiſsimi adeamus cum fiducia, non ad thronum gloriæ, ſed ad diuerſorium humanitatis eius, vt inueniamus gratiam in tempore opportuno. Ibi nanque agnoſcemus exinanitam maieſtatem, verbum abbreuiatū, ſolem carnis nube obtectum, & ſapientiam amoris nimietate infatuatam.

1.Cor. 1.

Sanè quoniam non cognouit mundus per ſapientiam Deum, placuit illi per infirmitatem humanitatis & ſtultitiam prædicationis crucis Chriſti ſaluos facere credentes, vt non in ſeipſa caro glorietur, ſed in Deo, qui omnia operatur in omnibus.

Pſal. 96.

Exultemus ergo, & iucundemur in Domino in noua regis noſtri natiuitate, quoniā (ſicut Propheta canit) hodie notum fecit Dominus ſalutare ſuum, & ante conſpectum gentium reuelauit iuſtitiam ſuam. Lætemur, inquam & cordis ſuaui iubilatione modulemur, quia illuxit nobis dies redemptionis noſtrę, reparationis antiquæ, fęlicitatis æternæ: Apparuit lapis ille angularis, precioſus, ſummus, exciſus de monte ſine manibus, natus de virgine abſque corruptione, qui duos è diuerſo venientes parietes copulauit in ſe. Apparente autem illo, patefacti ſunt cœli, ablata eſt inimicitiarum controuerſia, ſtillauerūt montes dulcedinē, & colles fluxerunt lac & mel. De fonte vitæ ſuauiſsimæ emanauerunt aquæ, quæ imbre ſuo largifluo omnem terræ rationalis ſuperficiem madefecerunt, illamque germinare fecerunt iuſtitiæ germen delectabile Domino,

Pſal. 84.

atque ſuauitatis odorem producere in generatione & generatione. Hodie (quemadmodum egregius Pſaltes inquit) quoniam miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi, iuſtitia & pax in Chriſto oſculatæ ſunt, ideò veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de cœlo proſpiciens Dei & hominum mediatorem mundi huius prouexit in lucem. Nulla igitur deinceps relinquitur nobis cauſa mœſtitiæ, nulluſque diffidentiæ locus, dum Dei noſtri reuocamur ad pacē, ad æqualitatem reducimur Angelorum, & in reſtauratione mœnium ſupernæ Hieruſalem tanquam viui lapides computamur, id mediatoris noſtri humanitate agēte. Lōge quippè excellentius reformamur in illum, quàm conditi fueramus ab illo. In ipſo ergo quoniam ſpes, ſalus, & vita eſt noſtra, diligamus eum puro corde, atque pro poſſe illius veſtigia imitemur. Nobis factus eſt via & in ipſa veſtigia imitanda reliquit. Prorſus errat in via, qui veſtigia impreſſa non ſequitur. Perſeueremus in via alacri animo, veſtigia ſequamur oſtenſa, quatenus præeunte veritate perueniamus ad vitam. Viæ huius vis noſſe veſtigia? Attende Dominum Ieſum infantem in fętenti ſtabulo decubantem, & intelliges illum ſeculi contemptum, paupertatē voluntariam, carnis macerationem, conſtantiam patiendi, humilitatis formam, obedientiæ regulam, diſciplinam charitatis, & virtutum omnium perfectionem tibi præfiguraſſe in ſe. Quum autem vitæ illius incrementa proſpexeris, ſublimio

Lucæ 2.

ra

ra ſemper in eo reperies documenta virtutum. Sic Euangeliſta inſinuans ait, Ieſus autem proficiebat ætate, & ſapientia, & gratia apud Deum & homines. Proficiebat quidem, non vt gratia & ſapientia in dies augeretur in illo, quippe quũ ab inſtanti conceptionis pleniſsime ſapientia & gratia compleretur, imò eſſet ipſa ſapientia, dicẽ- (Eccl. 1.) te ſacro eloquio, Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis. Gratiamq; omnibus largiretur, ſicut legitur, Lex per Moſem data eſt, gratia & veritas (Ioan. 1.) per Ieſum Chriſtum facta eſt. Pontificiebat tamen nobis, perfectiora notificando opera gratiarum, meritorumq;. Perfice itaque ò homo actione ſedulò, quod in ſe tibi agendum eſſe inſtituit. Te veluti magiſter perfectionis erudit in ſe. Aliũ ne quæras illo prouectiorem. Moſi præcipue propter te dictũ eſſe memento, Omnia facito ſecun- (Heb. 8.) dum exemplar, quod tibi oſtendi in monte. Mons iſte ſublimis & ſolidus, coagulatus & pinguis, in quo beneplacitũ eſt Deo habitare, Chriſtus eſt. In eo nanque omnis plenitudo diuinitatis corporaliter habitat, tametſi eundem in anguſto diuerſorio tanquam infirmum & puerum iacere cognoſcas, propter te factus eſt homo, ante te vt fiat in te, qui fecit te. Propter te factus eſt humilis, ante te factus eſt via. Efficiatur ipſe in te pax, iuſtitia, amor & ſapientia. Non enim ſecundum carnem, ſed in ſpiritu illum concipe in te, vt parturias ex te. Fide illũ cõcipe, timore cõcipe (Eſa. 26.) deuotione nutri. A timore tuo (inquit Propheta) cõcepimus & peperimus ſpiritum ſalutis. Eſto deuotus ad Deum, fidelis ad proximum, timore circumſpectus in te, & concepiſti Chriſtũ, non in vtero, ſed in corde. Tunc iubilatione profuſus dices, Et qui creauit me, requieuit in taber- (Eccl. 24.) naculo meo. Natiuitati autem illius humilitatis diuerſorium ſpiritu inter para tuæ vilitatis fœno repletum, in quo diuerſarum virtutum & ſpiritualium meditationum contexe præſepe, vbi requieſcat Chriſtus. Delectatur nanque plurimum commorari in cordibus meditãtium aſsidue ea, quæ ad deuotionem euigilant. Sic enim inquit, (Prou. 8.) Ego ſapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus. Taliter quippe menti tuę compoſitæ iugiter in te Dominum Ieſum ſenties natum. Illum tunc adora, illi famulare, panniculis inuolue & faſcia interdum etiam, ſi tibi amoris præſtatur fiducia, illum amplectere, & charitatis brachiis aſtrictum tene. Huiuſmodi ſpiritualibus exercitiis & occupationibus piis aſſiduus eſto. Maximis nanque exuberabis delitiis, ſi deuotioni reuerentiam, & humilitatem adhibueris pietati. Hæc vt aſſequaris efficacius, humilis ancillæ implora ſuffragium, exemplum diſce, actus diſcute, animum contemplare. Eſt autem Maria ad opitulandum paratiſsima, affectu pia, & humili deuotione præ cæteris decorata, vt pote quæ genuit mente & corpore Chriſtum, & quæ ex conuerſatione illius perſeueranti, de omnibus, quæ ad interioris hominis compoſitionem, morùmque pertinent grauitatem, informari promeruit. Ad præſepe igitur perge, vbi matrem cũ filio, & filium genitricis vbera ſugentem inuenies. Vtrumque poſtulabis, Mariam voce, infantem affectu. Te nanque ore tacentem, vociferantem corde puerulus exaudiet Ieſus. Nam etſi in membris infantilibus ipſum iacere cernas, hominum tamen ſcrutatur corda, vota intelligit, deſideria perficit idem Deus & homo Dei & hominum Mediator Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit, & cætera.

In feſto Sancti Stephani Protomartyris.

IN huius vitæ ſtadio certantibus ad conſequẽdam victoriam ſuffragari cognoſcitur, ſi illis præſidii locus ad declinandos aduerſarios præparetur, in belligerandi labore pręſtetur auxiliũ, virtutis prębeatur exẽplũ, & poſt conſummatũ agonẽ paratũ præmium præmonſtretur. Nempe vbi deeſt confugium, auxilium denegatur, omittitur virtus, & certaminis corona non cernitur, adeſt timor triumphi diffidentia, animi puſillanimitas, caſus frequens, reſiſtendi ignauia, cor frigidum, & tremulę vocis loquela. Vniuerſa hęc Chriſtianę militię inſuperabilis dux atq; legifer noſter Chriſtus Dominus in ſuo ſpirituali certamine militibus pręparauit ſuis, quos ad debellandas aereas poteſtates per omnem terrarum direxit orbem. Peritiam nouerat dimicandi, hoſtium importunitatem, crudelem pugnam, & bellatorum ſegnitiem. Sciebat proculdubio neminem eorum, quos deſtinabat ad prælium, per ſe aduerſum inimicorum inſultus poſſe ſubſiſtere, ſi non diuino munirentur præſidio. Quo (oro) diuerterent, ſiue ad latebras fouendum, ſeu ad reſumendas vires, ſi refugij carerent loco? Quis in arte belli reperitur tam ſtrenuus, vt altero horum, quæ dicta ſunt interdum, non indigeat? Abſcondit ſe Dominus Ieſus à Phariſæorum inſultibus, & egreſſus de templo ſeceſsit. Aliquando etiam ſupra montis cacumen impulſus per medium perſecutorum tranſiens ibat. Quod frequenter verò ad orationis ſeceſſerit portum, euangeliorum textus proloquitur, præcipue tamen paſsionis tẽpore, antequam diſcipulo proditori, armatiſque militibus procederet obuiam. Iſta autem non propter infirmitatem propriam, ſed propter exẽplum, noſtræque imbecillitatis ſuffragium illum ęgiſſe certiſsimum eſt. Deus quum eſſet, quando voluit, quantum diſpoſuit, qualiter præordinauit, paſſus eſt. Non eſt ſapientia, non eſt cõ- (Prou. 21.) ſilium, non eſt fortitudo cõtra Dominum. Quamobrem ſicut ſponte pati venit, ita menſuratè hominum contumelias pertulit. Hinc omnis eius actio, vitæ humanę diſciplina fore probatur. Iugnauit

gnauit

Digitized by Google

gnauit prius, vt ſuis militibus prælia̅di præberet exemplum, præpararet præſidium, conferret auxilium, prærogaret &, præmium. Hæc omnia erga protomartyrem Stephanum nouimus eſſe completa. Illi nanque Dominus non terrenum locauit præſidium, ſed cœleſte. Nouimus, quàm frequenter munitiſsima fugientium de bello ſint inuaſa ab hoſtibus, ignibuſque cremata terrena præſidia. Quod verò Dominus Ieſus fidelibus pugnatoribus ſtatuit, inexpugna-
Pſal. 90. bile eſt, atque inimicis prorſus inacceſsibile. In montibus excelſis ſupra ſiderum manſiones ſtabilitum eſt. Prophetam audi, quid de illo ſentiat, Altiſsimum poſuiſti (inquit) refugium tuũ. In hoc plane quondam commotum eſt præliũ, quoniam quidam incolarum illius aduerſus regem ſuum inſurgentes arcem ſibi diripere moliti ſunt. Qua re contra rebelles exercitibus miſſis eoſdem abiſsi Dominus demerſit in ſtagnũ, huius belli Apoſtolus Petrus cauſam inſinuans &
2. Pet. 2. fidem ait, Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in baratrum tradidit in iudicium cruciandos reſeruari. Ex illo tempore, illo celebrato triumpho pacatiſsimum effectum eſt præſidium illud, adeò vt nullæ aduerſæ poteſtates propius accedere audeant. Quotquot ingrediuntur in illud, quiete potiuntur quàm maxima, bonis exuberant ſpiritualibus, ſempiterniſque deliciis. Fiunt ibi excubiæ indeficientes, non expugnantium aut defendentium, ſed laudantium, Deumque
Eſa. 62. magnificantium. Sic enim legitur, Super muros tuos Hieruſalem conſtitui cuſtodes, qui non tacebunt laudare nomen Domini. O quàm præclarum illud eſſe cognoſcitur, amœnum, & placidum. In illo regnat ſapientia, viget bonitas, fulgẽt veritas, patet Dei maieſtas, gaudent Angeli, lætantur Archangeli, omniſque beatorum ſpirituum iubilat cœtus. Vniuerſi, qui in eo ſunt, diuinæ vacant laudationi. Nulla eſt ibi mœſtitia, nullus pauor, turbatio nulla, ſed beata requies, felicitas ſumma, perpetua ſalus, dulcis concordia, animorum vnitas, conſcientiarum pax, refectio indeficiens, fruitio ſempiterna, iucunda claritas, feſtiua iubilatio, viſio manifeſta, Dei contemplatio, Chriſti amabilis præſentia, ſanctorum contubernium, dies ſine occaſu, agni nuptiæ, cantica laudum, voces gratiarum, nec non & omne, quod placet, quod ſapit, quod ſatiat. Quicquid in eo eſt, diuinum eſt, æternum, immutabile, iucundum & ſanctum. Nulla profectò lingua exprimere, intellectus nullus apprehendere valet præſidij huius ſoliditatem, ſecuritatem, decorem, opulentiam, claritatem, pacem, gaudia, modulationes, vnitatem, ſynceritatem, latitudinemque. Hoc tantum electis patet, qui propter iuſtitiam perſecutiones perferunt, nedum corporales, verumetiam ſpirituales, dicente Domino, Beati
qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, Matt. 5.
quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Hinc eſt, quod ad roborãdos poſterorum militum ſuorum animos in prælio, & perpeſsione malorum mediator noſter ſtrenuiſsimo bellatori ſuo beato Stephano in agone paſsionis poſito iſtius præſidij patefecit introitum. Nam dum ſaxorum crepitantium ictibus feriretur, attollens oculos cœ-
los coram ſe apertos intuens inquit, Ecce ego vi Act. 7
deo cœlos apertos, & Ieſum ſtãtẽ à dextris Dei. O mira conditoris noſtri dignatio, ò profuſa regis Chriſti largitio. Militi ſuo laboranti in ſtadio non exhibuit temporales opes, terrenaq; præſidia, ſed cœlum, & hoc vtique apertum, quatenus plenam poſſet de ingreſſu illius percipere fiduciam, de viſione gaudium, concupiſcentiam de plenitudine, & de adiutorio conſtantiam. Non iacentem, non ſedentem vidit Dominũ, ſed ſtantem, paratum (videlicet) ad ſibi impendendum ſuffragium. Hinc martyris ſancti ſolidata mens, nec perturbata in ſe, neque aduerſus perſecutores eſt vindictæ zelo permota, quin potius ſuperno irradiata ſplendore, ſpirituali præcincta gladio, & virtutum armis circumquaque protecta, etiam percutientium rabiem orando, & immundorum ſpirituum æquanimiter perferendo tormenta, ſuperauit inſultus. Tota quidem cœleſti conſolatione iam plena mundum vniuerſum deſiderio tranſcendebat. Lætabatur quippè protomartyr egregius propulſari è ſeculo, & in paten-
tis cœli introducendus palatium viliſsimæ car- Dan. 18.
nis gratanter tentorium deſerebat immortalitatis ſtolam adepturus in breui. Hominum quoque volenti animo conſortio carere cupiebat, vt ſanctorum Angelorum inferretur cœtibus, lapidantium ſe æqua mente veſaniæ ignoſcebat, ſciens pro certo quod neſcirent quid facerent. Iam enim experiebatur interius, quã magna multitudo ſit diuinæ dulcedinis, quã pro veritate certãtibus nouerat eſſe paratã. Guſtabat inquã, quã ſuauis ſit Dominus, quẽ videbat, agnoſcebat, diligebat, exorabat. Supra modũ cõplebatur gaudio in eius viſione præclara, adeò vt iniuriarũ nullo dolore moueretur. O veneranda tolerantia martyris, quæ in Dei contẽplatione ſic fixa permanſit, vt penitus laceſsi nõ poſſet. Orabat Dominũ, deliteſcentiũ compatiebatur ignorantiæ, obliuiſcebatur ſui cœleſtium illectus dulcedine. Talis prorſus eſſe debuit miles, qui infideliũ primas irrũperet acies, vt nec trepidaret in fide, nec Chriſtũ prædicaret ſegniter, neq; mortis ſententiã formidaret. Magnanimitatis igitur quũ eſſet virtute præditus, ducis ſui eſt imitatus veſtigia, atq; certandi regulã ſecuturis militibus præmonſtrauit. Factus eſt poſteris exemplum patientiæ, fidei magiſter, vitæ annunciator, martyrum primus, hortator præcipuus, Chriſtianæq; profeſsionis ſupe-

ſuperabilis defenſor. Priuilegia nanque huiuſmodi non ex ſe, ſed ex diuino promeruit munere. Nempe prius quum alienus eſſet à fide, Dei præuentus gratia lumen veritatis & Sancti Spiritus ſortitus eſt dona. Quamobrem tanta cum auctoritate in concilio conſtitutus incredulorũ Sacerdotum redarguebat duritiam, legis teſtimonia proferebat, promulgabat Dei gratiam, confitebatur & Chriſtum. Intuebantur quippe (ſicut ſcriptum eſt) omnes, qui in concilio erant, vultũ eius tanquam vultum Angeli ſtantis inter eos. Angeli merito ſpeciem portendebat in facie, qui illorum puritatem geſtabat in corde. Spiritu Sancto vtique repletus eſt, in virum mutatus fuerat alterum. Cõcutiebatur quidem, nec murmurij in eo vox audiebatur, impellebatur nec mouebatur, conterebatur nec frangebatur, euertebatur nec effundebatur. Vincebat enim patiẽdo, arguebat diligendo, confutabat erudiendo. Eius itaque ſanctitatem, gratiæque ſplendorem legis æmulatores nequaquam perferre valentes diræ mortis illum examinauere ſupplicio. Verun tamen diuino ille opitulatus auxilio eo maiora promeruit, quò ab inuidis pro Chriſto tormenta aſperiora ſuſtinuit. In ſublime quippe cęli profectus præſidium, ſociatus ab Angelis, proptioque laureatus ſanguine cum Chriſto glorioſe triumphat. Non ſunt procul dubio condignæ quas pertulit paſsiones ad cœleſtem eidem gloriam prærogatam. Quamobrem ò Chriſti milites tanti propugnatoris fortiſsimi prouocati exemplo viriliter pro Domino etiam nos pugnare non pigeat. Indicta nobis eſt pugnandi neceſsitas. Nã etſi viſibiles perſecutores deſint, inuiſibiles tamen longe non ſunt. Habemus corporis proprij voluptates, habemus vitia concreta in anima, habemus oblectamenta ſeculi, habemus aereas poteſtates, quæ nunquam infeſtare nos deſinunt. Non eſt (inquit Apoſtolus) no- Epheſ. 6 bis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinẽ ſed aduerſus principatus & poteſtates, aduerſus rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus. Eiuſmodi ſunt aduerſarij noſtri implacabiles, contra quos ſpiritualia ſunt arma ſumenda. Corde certandum eſt, cordeque vincendum. Vt verò animoſiores ſimus in bello, ſpirituale nobis propoſitum attendamus præſidium, flagitemus auxilium, imitemur exemplum, quo mediante conſequamur & præmium. Omnia hæc nobis à Chriſto, imò omnia nobis Chriſtus eſt. In ipſo pacem habemus, Pſal. 4. virtutis reperimus exemplum, gratiæ auxilium, & gloriæ triumphum. In pace (ait Propheta) in idipſum dormiam, & requieſcam. Idem quo- Pſal. 120. que. Auxilium meum à domino, qui fecit cœlum & terram. Apoſtolum autem exhortantem audiamus. Imitatores (inquit) Dei eſtote, & 1. Cor. 4. ambulate in dilectione, ſicut & Chriſtus dilexit nos: qui tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis. Quale verò Propheta memoratus ſuum præmiũ eſſe futurum cenſuerit, alio inquit in loco. Tu autem domine ſuſceptor meus es: gloria mea, & Pſal. 3. exaltans caput meum. His igitur aliiſque multis ſcripturarum eruditi teſtimonijs aſpiciamus in autorem fidei, & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem confuſione contempta. Curramuſque ad propoſitum nobis certamen, ſcientes, quoniam alibi eſt municipium noſtrum, hæreditas noſtra, & quod bene viuendo ſperamus. Magnanimitate etiam accendamur protomartyris glorioſi, qui pro Chriſto vſque ad mortem pugnauit, & ſanguinem. Quem enim olim plurimum concupiuit, nunc videt; quod ſperauit, iam tenet. Ipſi nanque eſt coniunctus in cœlo, quem in terra poſitus toto mentis dilexit affectu, Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit, &c.

In ſolennitate Sancti Ioannis Euangeliſtæ.

Singula, quæ à Deo ſunt condita, quãto magis naturalem & proprium ſeruant decorem, tanto amplius commendatione digna cenſentur. Non enim valent proficere in melius, quàm in eo, quod à peritiſsimo vniuerſali ſunt inſtituta artifice. Vidit (inquit ſcriptura ſancta) Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Si quid autem incompoſitum ſeu deforme conſpicitur, nequaquam ex naturæ vel Gen. 3. conditoris prouenit defectu, ſed ex originali primorũ parentũ effluxit delicto. Vt autẽ de cęteris taceã, quales ante peccatũ qualeſve poſt humani generis propagationes extiterint, ſacra teſtãtur eloquia. In ſuæ nanque creationis exordio paradiſi, ipſe Adam delicijs fruebatur. Agnoſcebat ſiquidem Deum: naturalium ſcientiam præclaram habebat: corpus ſpiritui ſubditum, & creaturas inferiores obtemperantes ſibi poſsidebat, deputatuſque colonus fuerat paradiſi, donec completo diuinæ ordinationis decurſu ſine carnis reſolutione in cœleſtibus manſioniſibus cum angelis regnaturus aſſumeretur. Verum quum idem in honore poſitus ſicut debuit, nõ intelle- Pſal. 48. xit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, ſimiliſque illis ſecundum carnis naturam factus eſt. Neceſsitates corporis patitur vt illi, naturæ conſumptionem vt illi, vita terminũ vt illi. Hoc ſentiebat Sapiens quãdo dicebat: Vnus eſt interitus Eccl. 3. hominis & iumentorum, & æqua vtriuſq; conditio. Sicut moritur homo, ita & illi moriũtur, ſimiliter & ſpirant omnia: nec habet homo iumento amplius. Proh dolor, vnico peccati conſenſu immẽſas animę ac corporis ſpirituales amiſit diuitias, ſibique cum dolore vendicat, quod gratis & ſine labore perceperat. Innocentię quippe

can-

cãdorem, immortalitatis ſtolam, carnis incorruptibilitatem: animæ puritatem, contemplationis dulcedinem, ſpiritus libertatem, regnum cœlorum, angelorum contubernium, amicitiam Dei perdidit, ad quæ (quanquam ex parte) maxima cum fatigatione aſſurgit: quemadmodum

Gen. 3. ex inflicta ſententia illi eſt dictum à domino: Terra (inquit) germinauit tibi ſpinas & tribulos: in ſudore vultus tui veſceris pane tuo. Nempe in ſudore vultus conſolationis ac virtutis veſcimur pane, terra cordis & corporis vitiorum ſpinas atque concupiſcentiarum tribulos germinante. Nunquam ab hoc ſpirituali ceſſandum eſt opere: nunquam à tentationum reluctatione quieſcendum. Torporis quidem tempore vitiorum ſeminantur ſentes, & ex exercitationis intermiſſione coaleſcunt: ſecum autem inſpirationis præfocant germen, quoties mens noxio ſopore deprimitur. Merito igitur ab angelis honorandus eſt ille, qui diuina charitatis flamma ſucceſſus infatigabiliter innatas concupiſcẽtias, & adulta vitia vigore mediante virtutum, ex ſe eradicare conatur, atque terram ſui vtriuſque hominis ad priſtinum originalis puritatis reformare decorẽ.

Mat. 19. Huiuſmodi plurimum amatur à Chriſto, qui innocentiæ autor, & puritatis ſemper amator extitit. Sinite (inquit ipſe) paruulos venire ad me, talium eſt regnum Dei. Reddit enim omni cœleſti curiæ odorem mirificum innocentiæ baptiſmalis puritas: ſed peramplius ſpiritualis exercitationis acquiſita ſudore. Hæc nanque commendatur in terris, cumulatur meritis, donis ornatur, effertur præconiis, coronatur in cœlis. Vniuerſa hæc in apoſtolo Ioanne completa comprobantur. Ad apoſtolatus ſiquidem aſſumptus eſt apicẽ, præ cæteris fuit dilectus à Chriſto, Dei genitricem ſuſcepit in matrem: euangelii fluenta percepit in verbo, atq; corporis reſolutionem ſine dolore ſuſtinuit. Puritatem quippe puerilis ætatis vſque ad ſenium cuſtodiuit illæſam, innocẽtiæque nitorem ſeruauit in mẽte. Virgo vtique electus à Chriſto, virgo permãſit in æuũ. Carnis nequaquã cedẽs blanditiis voluptates eius tenebat edomitas: ſenſuum lenocinia ſub diſciplina cenſuræ ſpiritualis cohibẽs, ſicut mentẽ Deo, ita ſpiritui ſubdebat & carnem. Nouerat inſolẽtiã ſenſualitatis, quantum virtuti reſiſtere aſſueta ſit quantumve conditoris ſui legi dedignetur eſſe ſubiecta. Hinc diuinæ charitatis armatus zelo illam atterebat ieiuniis: vigiliarum attenuabat laboribus: ne contra dominũ laſciuiret. Quis (oro) neglexit pœnitẽtiæ ſubire dolores, & continẽter vixit? Quis ſenſibus ſuis curioſitatis frena laxauit? & mentis adeptus eſt puritatem? Vtrũque ad cor

Prou. 31. poris, animæque ſeruandam puritatem neceſſarium eſſe cognoſcitur: vt (videlicet) carnis petulantia, pœnitentiæ maceratione, & lubricitate ſenſuum temperatæ conſtantiæ virtute dometur. Altero horum quicunque caruerit, munditiæ candorem guſtare non poterit. O beata munditia, quæ ſuum efficit poſſeſſorem beatum. Quo-

Mat. 5. modo nõ beatus eſt ille, qui Deum videret? Beati (inquit Saluator) mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt. Vident nunc per fidem cordis illuſtrato intuitu: videbunt quandoque per ſpeciem: diuina ſe illis manifeſtante eſſentia. Tenẽt per fidem veritatis pollicitationem: deficiet autẽ fides reuelata veritate. Interim autem donec ambulamus per fidem, veram in fide radicari æternorum ſpem habeamus: mentis mundemus habitaculum, in quo commorari delectatur ſapientia. Nulla terrenarum rerum cupiditas: nulla ibi voluptatum carnalium reperiatur illecebra, quæ aduentantis ſapientiæ perturbet aſpectum. Candor quum ſit lucis æternæ, & diuinæ maieſtatis ſplendor, atque imago bonitatis illius, abhorret delictorum ſordes, ac vitiorum deteſtatur tenebras. Amabilis illi ſemper eſt innocens, & odioſus immundus. Hinc eſt, quòd amiſſa innocentia protoparentum, eorum nequaquam voluit ſuſtinere pœnitentiam. Diſplicuit prorſus, quod ipſe non fecerat: fœdatamque in illis ſuam agnouit imaginem. Ipſorum vtinam nos erudiamur exẽplo, qui pari ſententia exilii huius flagellamur ærumnis. Priſtinum innocentiæ decorem, puritatiſque indumentum nobis baptiſmatis vnda exhibuit, atque Dei in nos reformauit imaginem. Cæterum lege inolente peccati, carniſque præualente tyrannide ſicut ætate proficimus, ſic in peccati fœtore polluimur, efficimurque deformes & ſqualidi, non aquis iterum mundandi, Pſal. 31.

ſed flammis. Beati plane, quorum remiſsæ ſunt iniquitates, & quorum tecta ſunt peccata. Longe autem beatior ille, cui non imputauit dominus peccatum, nec eſt in ſpiritu eius dolus. Talis ſic mundatus & candidus verbi lætatur contubernio, cœleſtia meditatur, in ſublime attollitur futuræ prænoſcens, quis (oro) ſanctus aſcendit Ioanne altius, qui carnis ac mẽtis integritate fulgebat? Hic geminæ puritatis ſuffragio fultus tanquam ſpiritualis Aquila ſpiritualiter figurata vni Ioan. 1.

uerſa tranſcendens vſque ad æternum verbi ſolium pertingens inquit: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbũ. Hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Quod factum eſt, in ipſo vita erat. Ad indaginem tam ſublimis tamque profundæ veritatis nunquam attigiſset, niſi tractus fuiſſet à verbo, didiciſſetque ab eodem incerta & occulta ſapiẽtiæ diuinitatis ipſius. Didicit inquam non ſolum, quæ ſempiternaliter ſunt, & humanis ſenſibus inueſtigabilia, verumetiam multa, quæ futura ſunt: id reuelante verbo, quod vas ſuum agnoſcẽs mãdauerat, illuſtraueratque. Iſto quippe apoſtolo, prophetarum nemo, de ſtatu militantis ec-

cleſiæ, de perſecutione ipſius, de nouiſsimis temporibus, & de futura felicitate ſanctorum lucidius vaticinatus eſt. Non ab te (ſicut idem commemorat) à Chriſto plus cæteris amabatur, quũ præ cæteris coapoſtolis virginalis puritatis priuilegio polleret. Imitabatur planè adhuc in mortali corpore poſitus angelicam dignitatem, humanam tranſcendebat conuerſationem, mortaliũque conſuetudinem. Non patitur communis vſus, vt carnis integritatem in ætate adulta quis incontaminatam cuſtodiat. Omnes penè perurgentibus voluptatum incentiuis tentationibus cedunt: dumque à carnis infeſtationibus liberari ſe putant, petulantis ancillæ emptitii efficiuntur ſerui. Deteſtanda prorſus eſt iſta libertas, quę ſeruum efficit voluptatis. Illa ſola vera eſt cēſenda libertas, quę pro amore Chriſti virtutibus facit eſſe ſubiectos. Nempe vbi libido dominatur, commendabilis nequit eſſe libertas, vbi ſuperbia cæteráque vitia principatum tenēt, abeſt proculdubio gratia, abeſt Chriſtus & virtus. Simul lux & tenebræ, virtus & vitium, peccatum & gratia, malitia & libertas commorari non valēt.

Galat. 5. In libertatem (inquit Apoſtolus) vocati eſtis videte tamen, ne libertatem detis in occaſionē peccati. Nouerat libertatem ſpiritus perſeuerare non poſſe quādo delictum voluntarie perpe-

Ioan 8. tratur, dicente domino: Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Si autem ſeruus, ergo nō ſuus, ſed eius, cuius eſt ſeruus. Ducitur enim quo non vult ſeruitutis alligatus loris. Nam quantumlibet reluctetur ratio: quantumcunque proclamet conſcientia, nil proficit, quoniam non niſi à libero valet quis ab huiuſmodi ſeruitutis vinculo li-

Ibidem. berari. Hinc dominus Ieſus Iudæis, qui in ſe crediderāt, aiebat, Si filius liberabit vos, vere liberi eritis. Ille plane ſolus inter mortuos erat liber, qui nullum qualiſcunque peccati contagium habuit, quin potius lauacro ſuo electorum omniũ contagia diluit: ſicut Ioannes teſtatur inquiens:

Apoc. 1. Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Liberi igitur liberatoris quærat gratiam, virtuteſque ſectetur, quicunque tyrannicæ ſeruitutis iugum à ſe reiicere concupiſcit, peccatum abhorreat, carnis deteſtetur illecebras, quæ puritati ſanctæ inimicari noſcuntur. Erit profecto glorioſus in cœlo, & ſtola induetur candida, qui proprij corporis integritate ſeruata, inordinatos exterioris hominis ſui reſecuerit motus. Illos nanque comitabitur, de quibus

Apo. 14. in Apocalypſi ſic legitur? Nemo poterat dicere canticum illud: niſi illa centum quadragintaqua-

Ibidem. tuor milia, qui empti ſunt de terra. Nam (reuelante angelo) ij ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt; & ſequuntur agnum, quocunque ierit. Magnum vtique priuilegium eſt dulcis modulationis carmen promere: atque quocũque ierit, imitari Chriſtũ, quod non niſi mēte & corpore virginibus prærogatur. Rara virtus hæc eſt carnis ſuperare naturam, atque libidinum incendia cohibere. Hinc virginum triumphus eorum ſupergreditur merita, qui nolentes vas ſuum in ſanctificatione & honore ſeruare, membra propria conſerunt ſeruire iniquitati ad iniquitatem, atque templum ſancti ſpiritus repleuerunt immunditia ac fœtore luxuriæ. Huiuſmodi nanque quamuis virtutibus cæteris inſignes ſint? ſequi tamen nequeunt Chriſtum virginem virginis filium. Beatus plane hic ſanctus, qui nulla illecebroſæ carnis eſt pollutione fœdatus. De nuptiis quippe vocatus à domino maluit ſpiritui militare, quàm carni. Conuenienter igitur & ipſe in nuptias cœleſtis regis aſſumptus, atque immortalitatis candore veſtitus immaculatorum virginum decantabit hymnum, eò excellentius atque fœlicius: quò illis ſublimius integerrimæ puritatis adeptus eſt palmam. Nam quamuis alia ſit in reſurrectione mortuorum claritas ſolis, alia lunæ, alia verò ſtellarum: differt tamen ſtella à ſtella in claritate. Erit plane apoſtolus iſte tanquam ſidus præfulgidum in futuro cœlorum regno, nedum ex merito acquiſitæ virginitatis, verumetiam ex remuneratione infuſæ ſcientiæ, quàm non ex induſtria, ſed per diuinã fortitus eſt gratiam. Hanc quippe tum pro honore Dei, tum pro animarum ſalute communicans præcipuam apud dominum conſecutus eſt gloriam, quemadmodum de doctoribus ore Prophetico dicitur. Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates. Dan. 12.

Quantos hic eruditione ſua euangelica atque apoſtolica conſutauit errores, qui in exordio naſcentis pullulauere eccleſiæ? Quantos imbuit fide, atque ab anfractibus vitiorum reuocauit ad Chriſtum? Omnes penè Aſiæ fundauit eccleſias, imò vniuerſum eloquiis ſuis catholicis irradiauit mundum. In omnem terrã ſonus prædicationis eius exiuit, & in fines orbis terræ ſcripturarũ illius tuba concrepuit. Meritò in ſtadio militantis eccleſię ſicut ardēs emicuit facula diuini ignis accenſa ſplendore, nō vtiq; ſub modio, ſed ſuper eminens conſtituta cādelabrum. Luxit etenim in ſe virgineo decoratus candore, luxit proximo ſapientię ac ſciētię ditatus eloquio, luxit & Chriſto martyrii examinatus incendio. Illi nanq; teſtimonium, quo ad vixit, exhibuit. Innatas ſiquidē iſte euangeliſta præcipuus corporis voluptates veluti robuſtiſsimus propugnator virginitatis ſuperauit amore, illata verò paſsionis ſupplicia zelo magnanimitatis euicit. Verum de aliorum cordibus adulta vitiorum deſideria ſalutis exhortatione doctrinæ medendo fugauit. Factus eſt (ſecum Dei cooperāte virtute) virgo, martyr, & doctor. Sicq; decertando, patiendo, atq; docendo ad maximũ ſanctitatis prouectus eſt culmē. Tandē maturo

turo

turo confectus iam ſenio in deſſoſſa humo ſe collocans quemadmodum à carnis corruptione extraneus, ita à mortis dolore liberrimus fęlici dormitione migrauit ad Chriſtum. Triplici itaque laureola decenter ornatus omni cœleſti curiæ inſignis apparuit. Nam laborum ſuorũ mercede percepta ineffabilis iucunditatis fruitione potitur, hoc illi præſtante domino noſtro Ieſu Chriſto, qui viuit & regnat in ſecula, Amen.

In feſto ſanctorum Innocentum.

AEque in ſpiritualibus, quemadmodum in corporalibus nouimus euenire negotiis, vt nemo ad perfectionis valeat faſtidium ſcandere, niſi mediante progreſſu. Materialia videmus ædificia conſtrui non repente, ſed paulatim & per incrementa. Pueri quoque ab eruditoribus ſuis, literis imbuuntur, & ex quotidiana aſsiduitate ſtudendi efficiuntur docti. Quiſque iuxta ingenii proprii perſpicuitatem aut ſedulitatem operandi probauit eo, quod cœpit. Humanæ nequaquam infirmitati congruit, vt immediatè operetur. Hoc tamen diuinæ competit maieſtati, cui vniuerſa famulantur ad votum. Ipſe nanque omnia, quæcunque voluit, fecit in cœlo & in terra. Legimus enim in creatione vniuerſi ſic ſcriptum: Dixit Deus, fiat lux, & facta eſt lux, item fiat firmamentum in medio aquarũ, & diuidat aquas ab aquis, & factum eſt ita. Et ſic de cæteris, quæ enarrare longum eſt. Cæterum quum illi omnia ſuppetat poſſe, quum vult, rariſsime tamen in ſpirituali diſciplina & perfectione virtutum quempiam conſummatum effecit, ſine diuturna, laborioſaque exercitatione. Hoc norunt, qui Chriſto in ſpiritu militant. Quàm arcta & difficilis, quantis tentationibus & ſudoribus, caſibus & periculis plena ſit via, quæ ad perfectionem dirigit, nullus recognoſcit, niſi expertus. Hinc tam pauci perſeuerant in ſtadio, pauciores pertingunt ad palmam. Cunctis placet merces virtutis, ſed non æquè certaminis labor. Vtrunque proponitur, roſa & ſpina, virtus & pugna, perſeuerantia operis & præmium laboris. Fallitur prorſus, qui alterum vult ſeparare ab altero. Seruiuit olim patriarcha Iacob annis ſeptem, vt ſpecioſæ Rachelis concupitis potiretur amplexibus, nolens tamen & inſcius, Lyam pro Rachele ſuſcepit, audiuitque, Non eſt in loco noſtro conſuetudinis, vt minores tradamus ad nuptias, imple hebdomadam dierum huius copulæ, & hanc quoque dabo tibi pro opere, quo ſeruiturus es mihi ſeptem annis aliis. Qui legit, intelligat, quoniam myſticum eloquium eſt. In campum quicunque ad pugnandum ingreditur, arma teneat, timorem mortis amoueat, certaminis horam alacriter expectet, propoſitamque concupiſcat mercedem, coronam anhelat reportare victoriæ. Non coronabitur (inquit Paulus) niſi qui legitimè certauerit.

Gen. 1.

Gen. 29.

Pudeat ſeruos Dei ſecularium animoſitatis infatigabilium, mentis ſolicitudinum, laborum penè intolerabilium, famis diſcurſus, vigiliarum, inquietudinumque. Conuincunt profecto teporem eorum, qui Chriſto domino militare videntur. Conſurgent in iudicio cum generatione hac noſtra, & condemnabunt eam, quemadmodum Auſtri regina progeniem Hebræorum. Condemnabunt inquam, non vt in finali examine iudiciaria poteſtate præditi illos iudicent, ſed vtriuſque propalata ſedulitate actionum amatorum ſeculi profeſſorum Chriſti ſolicitudo præcedet, iſtorumque torporem inſinuabit redargutione fore dignißimum, quum re vera oppoſitum eſſe deberet. Nonne innata clamat ratio, & vſus docet, vt tanto ſolicitius res vnaquæque quæratur, quanto pluris eſſe deprehenditur. Aurum videmus præponi argento, argentum plumbo, plumbum luto, gemmãque marmoreis ſaxis. Et hæc vnde? niſi quia pluris æſtimantur? Cur autem in ſpiritualibus & præſtantioribus eadem fieri non videmus? Quare cęlũ plus quàm terra non diligitur? Deus magis quàm creatura non amatur? inuiſibilia & æterna amplius quàm viſibilia & temporalia? Sic cæci effecti ſunt homines, ſic ſenſum euerterunt proprium, vt ſine diſcretionis iudicio præponant magnis parua, ſpiritualibus carnalia, atque caduca cœleſtibus? Quodque deterius eſt, volunt abſque exercitationis prõptitudine æternam obtinere mercedem. Talis quidem abuſio mundi ſeductoribus facile indulgetur, quando qui diuino ſe cultui mancipârunt, hanc ſegniter quærant. Volunt quippe ſine alicuius rei inopia eſſe pauperes, ſine tribulatione patientes, obedientes ſine proprii arbitrii abnegatione, gratia locupletes ſine vlla ſuimet violentia, humiles ſine opprobriis. Virtuteſque cæteras habere peroptant, ita tamen vt ſalua corporis ſoſpitate & mẽtis iucunditate nihil moleſtiæ perferant. Huiuſmodi pondus infirmitatis propriæ, ſuorumque ignorant ſarcinam delictorum. Neſciunt inquã, quam magna ſit multitudo æternæ dulcedinis, quam certantibus pro ſe, ſeque diligentibus, pręparauit omnipotens. O ſi amoris vrerentur incendio, qui Chriſto deſeruiunt: ô ſi virtutum mente perciperent ſuauitatem, indicerent vtiq; ſibiipſis, atque ex magnanimitatis libertate ſe erigerent contra ſe. Nequit verus amor ocioſus eſſe, neque cor nobile iacere in imis, vel dormitare deſidia. Deſiderio fertur, proficiendiq; votis trahitur. Se nihil arbitratur agere, quãuis magna perficiat, ſemper eſt rigidus contra ſe, ſe deiicit, ſe inſequitur, ſeq; contemnendo cuſtodit. O cõmẽdabile virtutis deſideriũ, ô beata charitatis flãma, quàm valide operaris, quã velociter curris, quàm ſępe intus vociferando pertingis, quò cu-

pi's, nunquam tibi ſatis eſt, nunquam etiam inquietè quieſcis. Norunt iſta, qui poſsident te, & poſsidentur à te. Nam teneris & tenes, ſatuitatem infers & famem, amorem & doloris cauſas, quietem & bellum ommoues. Nemo ſufficienter vim tuam explicat, experientia ſola myſteriorum tuorum notitiam pręſtat. Nam abſque guſtu ſcientia foris relinquitur, extra te nequaquam tuam excellentiam valet attingere. Excelſiores cœlo, abyſſo profundior, mari latior, temporumque diuturnitate longior, præ magnitudine ſanctitatis tuæ paucisſimis communicatis. Illis tantum (vt arbitror) qui ſe exponunt periculis, ſubijciunt laboribus, & conſtantisſimè in ſpirituali perſeuerant prælio. Illis, inquam, te familiarem facis, qui mundi ſunt corde, mente humiles, intẽtione recti, cogitatione aſsidui, interioremque ſectantur pacem, atque animi ſanctimoniã. Ceterùm his ſtudiis diuina gratia limitata nõ eſt. Quibus enim largiflua manu ſua communicare atque ampliſsima vult tribuere dona, repente & ſine progreſſu id perficit. Vocauit de rubo Moſem, & ſuorum decretorum conſcium, Pharaonis Deum, & populi ſui ducem fecit. Dauid cuſtodem ouium, prophetam, & Hebræorum regem inſtitui mandauit. Piſcatorem Petrum apoſtolum, & eccleſiæ paſtorem fieri voluit. De Saulo perſecutore, quum illi placuit, in Paulum prędicatorem mutauit eximium. Verum de ijs quid memorem, qui in adulta ætate iã poſiti Dei gratiam meruere, cuum & imbellis infantia hanc largo imbre perceperit? Quantos (quemadmodum ſacra præſentis diei narrat hiſtoria) ab impiſsimo rege occiſos nouimus fuiſſe infantes? A matrum quidem diuulſi vberibus perſecutorum gladijs transfiguntur. O mirandum diuinę miſerationis inicium ac pietate pleniſsimum. Fugientes mulieres latebraſque petentes cruenta lictoris manus inſequitur, atque puerorum vagientium viſcera fundit. Plorat mater, atque vteri ſui prolem amplectitur crine ſuſo: eiulatuque maximo veniam precatur, nullatenuſque conſequitur. Recuſat pro. ſus mater doloris nimietate plena carnifici filium tradere, quem ſinus reciperet Abraæ? Erat mors hæc crudelis & pia, pœnalis & ſancta, quæ ſine conſenſu voluntatis natura renitente donabat cœlum. O Dei noſtri ſtupenda dignatio, quæ nolentes, plorantesſque trãſmittit ad requiem. Sine pugnæ conſenſu hi coronantur infantes. Non interrogati occiduntur, innocentes iugulantur: auferuntur à ſeculo, & conſecrantur Chriſto. Nec corde credebant ad iuſtitiam, neque ore confitebantur ad ſalutem, & tamen martirij adepti ſunt palmam. Ignorabant equidem Dei legem, cœleſte regnum, quid perferebant, & pro quo patiebantur, & nihilominus pœna illa eiſdem computabatur ad gloriam. Vnde hoc? & cur hoc? Nunquid vlla præceſſerunt merita? Nunquid vel matrum ſupplicantium interpellauere ſuffragia, vt talem infantes hi aſſequerentur gratiam? Prorſus minime. Commendare voluit dominus in his pueris miſericordiam ſuam. Gratis (vt ſi dicam) perceperũt brauium fęlicitatis æternæ. Alii laborant toto vitæ ſuæ tempore, alij vſque ad ſanguinem certãt, nonnulli tentationibus, vigiliis, ieiuniis, pernoctationibuſque crebris ſeipſos affligunt, ſicque alii, atque alii ſic deſudant, & patiuntur, vt regni cœleſtis mereantur eſſe participes. Iſti autem non ita. Breuiſsima propter Chriſtum perſecutione ingruente iugulati pariter & coronati ſunt. Abſque vlla perpeſsione malorum, quorũ mundus eſt plenus, à matrum vberibus in æternitates tranſiere perpetuas. Beata planè paruulorum horum conceptionis hora, qui pro Chriſti occaſione ſine voluntatis cõſenſu pati valuerũt. Longe his maiori mercede sũt digni, qui carnis reſolutionem minime interueniẽte illata fortiter pertulere ſupplicia. Multos nãq; nouimus examinatos extitiſſe in pœnis, nec tamẽ morte cõſũptos. Hi voluntate, & ſi non actu, dicendi ſunt martyres, quorum animas quamuis perſecutoris non abſtulerit gladius, palmam tamen non amiſere martyrii. Eſt & tertium martirij genus, quod actu & voluntate perficitur. De hoc nam- *Ioan. 15.* que dicitur: Maiorem charitatem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Nempe mortis neceſsitudo amoris probat incendiũ. Contingit præſepe, vt laborare, pati & pro Chriſto deſideremus occumbere. Cæterum mortis interueniente articulo timoris gladio percuſsi reſilire compellimur. Tecum (inquit Petrus ad Ieſum) paratus ſum & in carcerem & in mortem *Luc. 22.* ire, & tamen ancillæ vnius interrogatione perterritus, quod illum agnoſceret, eum anathematizatione negauit. Diſcipuli præterea, qui prius mori, quàm dominum eundem relinquere ſpopõderunt, quum iniquo tum vidiſſent eum teneri manibus fugerunt vniuerſi. Spiritus igitur quoniam promptus eſt & caro infirma, Ideò tam frequẽter prætermittimus opere perficere, quod deſideranter geſtamus in corde. Erudimur ex hoc, ne quid incõſulte agamus, velimuſque proprias metiri vires antequam Deo promittamus quicquam. Tolerabilius quidẽ eſt à virtute ſine ſponſione deficere, quàm poſt promiſsionem à virtutis deliberatione langueſcere. Vouete (in- *Psal. 75.* quit Propheta) & reddite domino. Laudabile proculdubio eſt, & mercede dignisſimũ deſiderare pati ac mori pro Chriſto dũmodo mature & in ſenſu cordis concipiantur vota illi abſque redargutione congruit appetere ardua, qui nihil negligit ſibi poſsibile. Cæterũ qui ſpernit implere parua, magna & difficilia, quo modo cõſumabit? Facile eſt illi martyrij concupiſcere certamen, qui propriam ignorans infirmitatem, minimè

mè pugnare inchoauit adhuc. At quicunque ſuimet ſunt conſcij, trepidant ambulare etiã corde in magnis ac mirabilibus ſuper ſe. Verum quũ impelli diuino ſe ſentiunt ſpiritu, ardua quæque arripere humiliter confidenterque imperanti ac trahenti obtemperant, ne vocanti Deo conuin-
2.Cor.11. cantur fore rebelles. Non tamen omni credunt ſpiritui ſcientes, quoniam & ipſe Satanas transfigurat ſe in angelum lucis, quatenus minus cautos ſupplantet & perimat. In omnibus igitur cum humilitate eſt adhibenda prudentia, ſiue in affectu, ſeu in opere, ne forte deficientibus viribus compellamur inceptum præcidere opus. Hinc glorioſiſsimorum martyrum magnanimitatis eſt efferenda humilitas, qui ſicut pia, ita aggreſsi ſũt fortia, illo nihilominus eos inuitante ad prælium qui in eorum mentibus gloriæ reuelabat triumphum, Propterea nec minus neque tormentis de victoria certificati valebant cedere. Pugnauere prorſus viriliter, & immortalitatis fęlicem adepti ſunt palmam. Merito igitur cæterorum martyrum præcellunt gloriam, ſiue eorum qui actu & non voluntate, ſeu illorum qui non actu, ſed ſola pro Chriſto voluntate certarunt. Stant illi (quemadmodum ſcriptum eſt) ſub throno Dei,
Gen.4. & clamant dicentes: Vſquequo Deus ſanctus & iuſtus vindicas ſanguinem noſtrum, qui effuſus eſt ſuper terram? Iſti autem ante thronum poſiti procidunt mittentes coronas ſuas ante ſedem Dei, & agni. Illi inquam ſinguli ſingulas recipiunt ſtolas diuino habito reſponſo, vt modicũ ſuſtineant tempus, iſti verò duplicia de manu domini percipiunt, vtpote actu & voluntate victores. Verum quum eorum diſpar ſit in gradibus gloria, vna tamen omnium eſt beata viſio, iucunda dilectio, & æterna comprehenſio. Vna eſt domus, & manſiones multæ. Quamobrem ò chariſſimi de excellentioribus obtinere quæramus. Si tẽporalis ornata & ſpecioſa nos delectat domus, quanto magis ſpiritualis manſio, decora, & cęleſtis noſtrum ſibi debet vendicare affectum? Non minus in ſpiritualibus quam in corporalibus reperiamur cupidi, potiſsime quum iſtę momentaneę & temporales ſint, illæ verò æternæ. Libentiuſque illæ quàm iſtæ præſtentur nobis à domino noſtro Ieſu Chriſto, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum, amen.

In ſolennitate Circumciſionis Domini.

MEdicinæ arte imbuti quoties ad languores curandos vacant, obſeruant tempora, infirmitatumque cauſas, quatenus opportune congrua valeant ægrotantibus præſtare remedia. Maxima recuperandæ ſalutis eſt portio, ſi modus in medendo cuſtodiatur & tempus. Vbi enim diſcretionis deficit libra, concupitæ ſoſpitatis definit eſſe effectus. Hoc in corporibus, hoc & in curandis animabus euenire cõſpicimus, quod in ſpiritualibus à Deo collatis remediis perſpicue claret. Equidẽ ex originali culpa humano generi nouimus ĩfirmitates inflictas eſſe innumeras. Verum (vt prætereã cæteras) hæc, quæ in conceptione contrahitur, quantum obſit, quantumve ſecum ferat exitium, ſancta mater noſcit eccleſia, niſi iſta ſola ſanetur, caſſo erga reliquas labore ſudamus. Ab ipſo quippe ſui exordio diuina clementia eandem abolere curauit, quatenus ſpiritualibus aliis poſſet mederi languoribus. Quid (oro) prodeſt vniuerſa vitare facinora, ſi originale tãtum in nobis perſeueret delictum? Iſtud ſi amoueatur à nobis, cæterorum facile cunſequemur veniam. Ex magiſterio ſapientiæ hoc abſque vllo errore cognoſcimus. Ipſa nãque, quę mortalium genus fecit eſſe ſanabile à mundi conſtitutione, quando humana cœpit propagari ſpecies, vſque ad ſuimet in carne manifeſtatam pręſentiam vana aduerſus hanc peſtem, quę ipſa exhibuit, mandauit cuſtodiri remedia. Tanquam enim peritiſsimus doctor, alia ante legem, alia ſub lege, aliaq; ſub gratia pro iſtius medicamento ſacramenta inſtituit. Dedit quidem ſacrificia, dedit circuncisionem, atque baptiſmatis contulit lauacrum. Seruabit prorſus in ſingulis modum & tempus. Cęterum quoniam ſinę fide impoſſibile eſt placere Deo, neceſſe fuit, vt fides ſemper operaretur in omnibus. Vbi enim deeſt fides, virtus deficit ſacramenti, ſubtrahitur donum, perdurat culpa. Quantumcunque offeras quamuis cuſtodias legem, quanquam lauacri ſalutaris vnda te diluit, ſi abſque fide id facis, peragis nihil. Nequaquam viſibilem tantum actum ſed inuiſibilis fidei à te dominus pręcipuè munus expoſcit. Vtrumque tamen tibi iubet, vt agas, viſibile (videlicet) opus in teſtimonium fidei, & deuotionis inuiſibilis cordis in robur perpetuę charitatis. Nam ſi ad ſignum corporale ſolum attẽdas, ſacrificium & munus Cain Deo obtulit quẽadmodum & Abel. Verum quoniam ad mentis rectitudinem & fidei ſynceritatem intuetur omnipotens, reſpexit (ſicut legitur) ad Abel & mu- Apoc.6.
nera eius, ad Cain autem & ad eius munera minimè. Quamobrem recte colligitur, quod quicquid ad detergendum originalis culpa cõtagium ſiue in ſacrificiis, ſiue per circunciſionem, ſeu per baptiſmum mandatum eſt, totum ob fidei proficeret meritum: interueniente nihilominus obedientia, quę vniuerſis ſupereminet holocauſtis. Hinc mediatoris noſtri non fides, ſed obtemperans commẽdatur humilitas. Quum igitur comprehenſor & beatus eſſet, nullaque originalis peccati fœdaretur macula, voluit tamen pro ſe & in ſe omnia, quæ pro eodem delicto præcepit Deus fieri, habere remedia. Par quippe turturũ aut duos pullos colombarum pro ſe ſacerdotibus voluit exhiberi, ac ſi vt cæteri reus exiſteret.

Vo-

Voluit etiam in Iordanis baptizari alueo per manus Ioannis, vt baptizandi ſe omnibus formam præberet, quam vtique ad delendum originale delictum inſtituere diſponebat, ita vt nemo niſi baptizatus in regni cœlorum aditum introire valeret. De circunciſionis autem ſacramento quid dicam? In tenerrima quidem ætate idem qui circunciſionis mandatum dederat, circuncidi dedignatus non eſt. Non enim illam comminatoriā

Gen.17. formidabat ſententiam, qua dicitur: Omnis anima, cuius præputii caro circunciſa non fuerit, exterminabitur de populo ſuo. Cæterum neque illa, quanquam verus eſſet homo, circunciſione indiguit. Voluit tamen circuncidi, vt veteris legis ſacramenta patribus tradita inſinuaret fuiſſe ſancta, & irrefragabiliter obſeruanda. Obſtruxit nanque detractoribus os loquendi aduerſus Deum iniquitatem, quum legiſlatorem verbo & opere aſpicerent legis mandata compleſſe. Quid (oro) dixiſſent hi, ſi legis diuinitus prærogatæ Chriſtū deprehenderent contemptorem? Iuſtè quidem illum tanquam diuini mandati præuaricatorem perſequi viderentur. Verum quum circuncidi ſe paſsus eſt, calumniandi Iudęis confudit audaciā, & diabolo, ne incarnationis myſterium agnoſceret, velamen impoſuit. Quum enim vt cæteros circunciſionis ſciret dominum paruiſſe præcepto, videretque illum eiulatum emittere, ſanguinem fundere, doloremque pati, purum eundem eſſe hominem arbitratus eſt. Nam ſi illum cognouiſſet dominum glorię, nūquam crucifixiſſet. Vicit ſapientia, diaboli malitiam, conuicitque hæreticorum commenta, qui aſſeuerare non veriti fuerunt Chriſtum non verum corpus de Maria Virgine ſumpſiſſe, ſed fantaſticum, & corporeis tantum oculis viſibile. Nullus ſane dubitare audeat corpus illud non fuiſſe veriſsimum, quod potuit geſtari brachiis, attrectari manibus, circuncidi lapideo gladio, lac ſugere, cibum ſumere, fatigationem ſentire, plorare, incedere, dormire, famem & frigus pati, nudari, flagellari, conſpui, alapis cædi, velari oculis, in ſtipite figi, aceto potari, & ſpiritum exhalare. Verum quippe hominem induit verbum Dei de maſſa Adæ abſque peccato paſsibilem, viſibilem, palpabilem, mortalemque. Alioquin quomodo mediator dici poſſet aut redemptor, ſi carnem minime habuiſſet mortalem? Debuit planè per omnia fratribus aſſimilari, vt miſericors fieret, & fidelis pontifex ad dominum, & repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo paſsus eſt ipſe & tentatus potens eſt & eis, qui tentati ſunt, auxiliari. Vnde alio in loco Apoſtolus inquit: Non enim habemus

ib.4. pontificem, qui non poſsit compati infirmitatibus noſtris per omnia tentatum pro ſimilitudine abſque peccato. Nemo igitur ſcandalizetur in eo, quod Deus manens in homine hominum cōmunicauerit paſsionibus, magis autem miretur, diligat, gratias agat, & imitetur. Miretur (inquā) ſacramentū, diligat Deum, agat grates pro beneficio, imitetur exemplum. Dum circunciditur enim, tibi, ô homo, commendauit myſterium, affectum exhibuit, præſtitit donum, mandatum indicauit. Voluit ſanè (& ſic decuit) vt ille circunci- Deut.10.

deretur in carne, quatenus tu circuncidaris in ſpiritu. Circuncidimini viri Iuda (inquit Propheta) præputia cordis veſtri, & non carnis. Nam ſecundum carnem tantùm neque circunciſio aliquid valet neque præputium, ſed obſeruantia mādatorum Dei, ſecundum ſpiritum verò plurimū. Nempe in ſpiritu carnis ac cordis, ſi vis, potes amputare præputium, non aliud autem, quod tibi natura conceſsit, ſed carnis, cordiſq; concupiſcentiam, quæ præputii figuratur ſub nomine, quæ domino imperante in ſpiritu omnino eſſe circuncidenda cognoſcitur. Si ergo oculos tuos auertis, ne videant vanitates, ne mulieris aſpiciant pulchritudinem in peccati laqueum, neque concupiſcibilia quęque intueantur, oculos circuncidiſti tuos. Si autem obturas aures, ne audiant obtrectatores, obſcœnaque carmina, ſi a nitore & odoramentis voluptuoſis odoratum amoues, ſi a potatione ſuperflua, & à lautioribus ferculis, atque ab omni abundantia ciborum cohibes appetitū, ſi ab vniuerſis muneribus, contrectationibus impudicis, & percuſsionibus, & tactibus noxiis manus excutias, proculdubio in his omnibus aures, nares, os, & manus carnis ſpiritualiter circuncidiſti. At verò ſi in te didiciſti non plus ſapere, quā oporteat ſapere, ſi elationis tumorem propulſaſti, ſi malarum ſuggeſtionum ſuſurria non audiſti, ſi præſentis vitæ lenocinia ſpreuiſti, ſi magniloquia, ſtultiloquia, & blaſphema ſpiritualia uerba non protuliſti, ſi viſibilia & corporalia plus debito non amaſti, vtique cordis tui circuncidiſti præputium, ſic tamen, ut non ob aliud quàm propter Chriſti dilectionem id te intelligas agere. Nam ſi cauſa fauoris humani, aut temporalis cōmodi, vel huiuſmodi ſimile perfeceris talia, incircunciſus computaberis eò deteſtabilius, quò magis actus ſanctos non ſanctè tractare præſumpſiſti. Verum quum vniuerſa hæc pura ac ſyncera coſummaueris actione tantum vt ſoli Chriſto placere te libeat, perfectam necdum circunciſionem percepiſſe te credas. Illa non in præſenti, ſed in futuro aſſequeris, quando mortale hoc abſorbebitur à gloria, & corruptio in incorruptionem mutabitur, ita ut ſit Deus omnia in omnib. Hæc eſt prorſus vera atque futura circunciſio, cuius hæc quam ſiue in carne ſpiritualiter, ſeu in ſpiritu ſpiritualiter habere contendimus, gerit imaginem. Hinc eſt, quòd octauo die, per quem reſurrectio figuratur, celebrari mādatur, ut ſcias te non in corpore, ſed debere circuncidi in corde, atque perfectam carnis ac ſpiritus libertatem non in via, ſed te adepturum eſſe in patria. Tūc 1.Cor.15.

fiet

fiet plenè, quod ſcriptum eſt: Abſorpta eſt mors in victoria. Et hoc non ex nobis, ſed per Ieſum Chriſtum. Ipſe nanq; eſt primogenitus mortuorum, per quem omnes reſurgemus ad vitam. Audi Apoſtolũ dicẽtẽ: Ibidem. Chriſtus reſurrexit à mortuis primitię dormiẽtiũ, quoniã quidẽ per hominẽ mors & per hominẽ reſurrectio mortuorum. Et ſicut in Adam oẽs moriũtur, ita & in Chriſto omnes viuificabũtur. Videſne, quã cõgruè fieri cultello petrino & octauo die circunciſio præcipiebatur, quatenus reſurrectionem conſummatam ſperares per Chriſtum Ieſum: Quamobrem vt ſacramenta hæc in pueri noſtri Ieſu circunciſione prænunciata fuiſſe intelligas, in ipſo circũciſionis articulo vocatum eſt nomen eius Ieſus. Nequaquam nomen hoc accepit à matre, vel ab alio quoquam mortalium, ſed ab angelo prius, quàm conciperetur in vtero. Non enim ab re Ieſus appellatus eſt. Ieſus idem eſt, quod ſaluator. Quis enim ſaluum fecit populum à peccatis eorũ niſi redemptor noſter dominus (ſcilicet) Ieſus nanque vt ſaluaret per ſuum ſanguinem populum, quemadmodum extra portam paſſus eſt, ita & in diuerſorio non ſine ſanguinis effuſione circunciſus. Illuc igitur accede in ſpiritu, & ex cordis intimo compatere patienti, & ploranti, renitenti, atque gementi. Vide, ne gutta quidẽ ſanguinis eius vel minima decidat in terram. Totũ collige, totum ſerua, & tanquam depoſitum ſingulare cuſtodi. Infanti quoque cruentato atque tenello, quod vales, obſequium pietatis impende. Tibi nanque condignam retributionis prorogabit mercedem, in præſenti quidem deuotionis & gratiæ, in futuro autem viſionis & gloriæ. Nempe ſi cui miniſtrabis intelliges, exultabis quippe in ſpiritu, & delectabitur in craſsitudine anima tua, ingeminabiſque in amplexibus piæ deuotionis melliſluum nomen Ieſu. Senties indubitanter amœnitatem quandam ſpiritualem & ſapidam non ſolum in corde, verumetiam in ore, quoties nomen hoc ſanctum à te fuerit cum deuotione prolatum. Habet enim virtutem ſibi adhibitam, quæ affectum lætificat, mentem paſcit, nutrit deuotionem, diſponit ad pietatem animum inuocantis illud. Quamobrem ſi tentaris à diabolo, ſi ab omnibus hominibus opprimeris, ſi conficeris ægritudine, ſi doloribus fatigaris, ſi ſupra vires blaſphemię ſeu deſperationis agitaris ſpiritu, ſi concuteris formidine, ſi dubietate pulſaris, Ieſu nomen edicito, & repente lumen conſequeris & gratiam. In arduis, in periculis, in terroribus, in domo, in via, in ſolitudine, in fluctibus vbicunque extiteris, ſaluatoris profer nomen. Acto. 4. Neque enim aliud nomẽ datum eſt hominibus ſub cœlo, in quo oporteat ſaluos fieri credentes. Illud autem pronuncia non ex ore tantùm, ſed etiam ex corde adhibitis deuotione, fide, & pietate. Nam ſi literarũm tantummodo promas ſyllabas huius diuini nominis, nihil proficies. Cæterum ſi dixeris dominus Ieſus in ore tuo, & in corde tuo confitearis illum verum eſſe Deum, verumque hominem in vnitate perſonæ, ſuauitatis eius fragrantiam ſenties, & pro hac confeſsione ſaluus eris. Nam (Apoſtolo Rom. 10. teſtificante) corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem. Cordis igitur tui prius domino Ieſu affectum præbe, vt recte eidẽ labiorum tuorum confeſsionem exhibeas. Illum Saluatorem tuum, redemptorem tuum, Deum & Dominum tuum, interpellatorem & fratrẽ tuũ, amicum & ſponſum tuum eſſe cognoſce, venerare, & lauda. Eius nomen, tuo non recedat ex ore, ex corde dilectio, ex memoria paſsio, ex mente præſentia, ex cogitatione dignatio, atque ex intentione tuitio. Sic nanque introrſus diſpoſitus circunciſus eris per petram, & Iſraelitico populo ſociatus. Videbis vtique nunc Deum dilectione operante per fidem, donec conſummato huius peregrinationis curſu illum per ſpeciẽ contemplari ſufficias. Tunc quippè circunciſione vera ſpiritualiter completa non ſolum huius nominis Ieſu guſtabis dulcorẽ, ſed & ipſius Domini Ieſu reuelata maieſtate videbis decorẽ, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

In Epiphania Domini.

INter præcipua opera, quæ in temporis volubilitate diuina maieſtas condere dignata eſt verbi incarnatio ſummũ ſortitur locum. In ipſo ſiquidem myſterio Angelicis ſpiritibus mirando magnalia Dei continentur innumera veneratione digniſsima. Nempe ſi Dei Patris omnipotentia conſideretur, ibi profecto elucet, vbi inuincibilis eſt victus, inclinatus ſummus, atque placatus omnipotens, ſi autem ſapientiæ diuinæ inueſtigẽtur arcana, vbi (oro) perſpicacius, quã in illo, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi, contemplantur? Cæterum ſi æternæ bonitatis communicatio & ſpiritualis dulcedinis abyſſus exquiritur, vbi (quæſo) abundantius deguſtatur, quàm in hoc ſacroſancto diuinæ, humanæq; naturæ connubio, in quo paulominus ab Angelis minoratum eſt verbum, & ſupra vniuerſam Angelicam dignitatem, atq; ſupra omne, quod nominatur, non ſolum in hoc ſeculo, verumetiam in futuro exaltatus eſt homo? Idem nanque eſt, qui eleuatus eſt, & ipſe qui minoratur, Deus (videlicet) & homo in vnitate perſonæ, vnus Emanuel, vnus Dei & hominis filius, vnuſque Dei & hominum Mediator amabilis atque colendus, in quo veriſsime omnis plenitudo diuinitatis corporaliter habitat, & omnis gratiæ plenitudo ſubſiſtit propter excellentiam ſingularis perſonæ, vnionis, & capitis. Equidem vniuerſalis eſt illi à Deo prærogata poteſtas

ſtas in cœlo & in terra, ita vt omne illi genuflectatur, cœleſtium, terreſtrium, & infernorum, omniſque confiteatur lingua, quoniã ipſe Dei filius eſt, & hoc per ſingularitatem perſonæ, quæ in ipſo eſt. Percepit inſuper propter verbi vnionẽ oẽm ſcientiæ plenitudinẽ ſupra omnem principatum, virtutem, dominationem, & cherubim, ita ut in verbo ſibi vnito nihil, quod ſciat Deus, ignoret habituali intelligentia, actuali autem prę terita ac futura tanquam præſentia contempletur. De plenitudine autem gratiæ capitis quid dicam, quum vniuerſa perceperit, ſapientiæ (videlicet) & intellectus, conſilii & fortitudinis, ſcientię pietatis ac timoris ſancti chariſmata? Ipſe quippe eſt, qui in eccleſiæ myſtico corpore veluti verum atque ſpirituale caput præſidens quibuſdam mẽbris dedit, vt eſſent Apoſtoli quibuſdam vt Euangeliſtę, alios verò Doctores fecit, alióſq; Paſtores, & hoc donec ſanctorum numerus & miniſterii eccleſiæ conſummetur opus, ut his perfectis occuramus illi in vnitatem fidei & agnitionis illius, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis ipſius, fiatque capitis & corporis copula perfecta, conſummata vnio, & gloria ſempiterna, comprehendat etiam corpus totum in membris ſingulis, capitis ſui gratiam & diuinitatem, quemadmodum comprehenſum eſt, & in verbi ſacratiſſimo thalamo collocatum. Interim autem donec perficiatur, quod ex parte geritur, & agnoſcitur per ſpeculum in ænigmate, per itinera fidei ſub ſpei pollicitationibus, & cum charitatis incendio in hac peregrinatione gradiendum eſt, atque mentis intuitu capitis noſtri Chriſti delectabilis facies requirenda, Orientalium Regum laudabilem ſolicitudinem imitantes. Iſti nanque (ſicut ſacra Euangelii narrat hiſtoria) de remotis terræ regionibus inflammati deſiderio fulgentiſſima illos præeunte ſtella venerunt ad Chriſtum. Num. 24. Scripturarum arioli Balach oraculo eruditi (non tamen ſine gratię ſplendore) ignotũ Regem de Iſraelitica ſtirpe progenitum quærere ſtuduerunt. Sic nanque pronunciauerat ille; & celebri diuulgabatur memoria, quòd oriretur ſtella ex Iacob, & ſurgeret homo de Iſrael, qui dominaretur gentium. Introrſus quippe afflati diuinitus gentilis regis crudelitatem nequaquam veriti natiuitatis Chriſti palam agnita confeſſi ſunt ſacramenta. O beata magorum horum fides & commendabilis percunctatio ſapientium ore prophetico prædicata, quæ Chriſtum meruit videre infantem. Pſal. 71. In Pſalmis nanq; ſic legitur, Reges Tarſis & inſulę munera offerent, Reges Arabum & Saba dona adducent, & adorabunt eum. Reliquerunt etenim Reges hi propria, & ad exterorum tranſiere nationes, vt quem ex reuelatione & ſigno didicerant naſciturum, corporali præſentia etiam aſpicerent natum. Nullum ſanè viderant ab eo miraculum fieri, nullum illos exhortantem audierant, & tamen ex ducatu ſtellę maxima cũ itineris fatigatione Chriſtum regem natum videre atque adorare cupiebant. Ingerebat prorſus noui ſideris claritas ſpirituale in eorum cordibus lumen, cuius illecti dulcedine atque docti gratia trahebantur ad Chriſtum. Verum diuina actum eſt diſpenſatione, quatenus regię ciuitati appropinquantibus illis ſtellæ viſę pręſentia ab eorum dilaberetur obtutibus. Prophetarum verò ex hoc innoteſcentibus Iudęorum principibus Magi imbuti vocibus præcurrente ſidere ad ſtabulum, in quo iacebat Dominus, adiere. Proſtrati igitur ſolo humillimè Deum adorauere in homine, ſapiẽtiam in carne, atque in imbecillitate infantis Dominum maieſtatis, ſuam denum credulitatem muneribus proteſtantur. Regi nanque obtulerũt aurum, thus Deo, mortali autem mirrham. Vnde (quęſo) tanta fides? vnde tam clara diuinitatis beatis iſtis effulſit cognitio? Minime ibidem regius apparatus, non ornatus thorus, non deaurata palatia, non famulantium turba, ſed puerulus vagiens, panniculis inuolutus, fœnum aridum, arctum pręſepe, fętens ſtabulum, & iumenta irrationabilia aſtantia conſpexere. Porrò intus operabatur gratia, loquebatur verbum, ſe manifeſtabat diuinitas, propterea cognouerunt, prociderunt, adorauerunt, & ab Angelo in ſomnis admoniti per uiam aliam ad propria redierunt. Clamat prorſus contra nos iſtorum fides gentilium. Abſentem quęſierunt, & nos pręſentem contemnimus. Hominem regnaturum ſuper Iſrael agnoſcere atque adorare voluerunt, nos autem pręſidentem in cęlo & in terra, nec aſpicere, neque illi famulari dignamur. Reſpicite ò mortales, redite ô pręuaricatores ad cor, currite affectu non corpore, votis non pedibus, vt regem veſtrum in pręſepio inueniatis Chriſtum. Myſticas verò munerum ſpecies deferte vobiſcum, quatenus eidẽ ſpiritualia ſtipendia impendatis. Non terreno eget auro, qui theſauros cõdidit vniuerſos, veſtris nequaquam cupit locupletari diuitiis, qui voluntariam paupertatem elegit, & docuit. Thus denique veſtrum minime concupiſcit vel myrrham, cuius orbis eſt terrę & plenitudo illius. Cęterum qua ratione odoramentis, quæ producuntur ex humo, indigere credatur, quum de ipſius ſpiritualibus indumentis (Propheta perhibente) myrrha & gutta, & caſia largiſſimè profluant? Pſal. 44. In eius ſiquidem ſuauitatis odore filię regum, adoleſcentulęque currentes nimio ſunt charitatis incendio concrematę. Spirituale vtique obſequium atque ſpiritualia diligit munera, quemadmodum vos etiam ſpiritualiter trahit ad ſe. Trahit (inquã) intus per gratiam, quę immutat; per lucem, quę informat; per manifeſtationem, quę tangendo lętificat. Nempe vbi deeſt gratia, iacet homo obuolutus in fœtore facinorum, vbi autem non irradiat ſapientia tenebrarum ſpiritualium caligo do

minatur

minatur, verum vbi nõ erudit fides, mens oppreſſa tabeſcit. Eſt nanque gratia gratum faciens quędam matutina ſtella pręfulgida, quæ electum quenque præcedens corde ducit ad Chriſtum. Abſq; hac procul dubio humanus proſtituit animus, & ſui nunquam iuris eſt compos, nunquam amator ſapientiæ, neque fidelis in Domino. Per hanc verò rationalis mens efficitur ſapiens, de cęleſtibus eruditur, & fide imbuitur, quæ ad Chriſtũ in veritate pergentibus protſus neceſſaria fore noſcuntur. Quamobrem quiſquis ad diuinam deſideras peruenire notitiam, deprecare Deum, ab illoque aſsiduis poſtulationibus flagitare ne deſinas, quatenus interioris tui cordis obtuitu ſpiritualem gratiæ ſuæ conferat lucem, quæ te in huius peregrinationis anfractibus per opaca vitiorum ac infidelitatis deuia minime aberrare permittat, quin potius ipſius præeunte ſplendore te regat per inuia, in dubiis doceat, cuſtodiat in aduerſis, teque tam diu comitetur in ſpiritu, quàm diu pertingas ad Chriſtum, atque poſsidearis ab ipſo. Tunc de illius ſpirituali viſione lætus effectus iugi mentis modulatione immortali regi ſpiritualia vota perſolues. Exhibebis quippe in eius laude ignitum aureæ rutilantis charitatis affectũ, quem concupiti ſponſi tui amabilis formabit præſentia. Hoc planè pretioſum eſt aurum, ignitum, atque probatum, quo locupletatus, qui poſsidet, gratiſsimum mediatori ſuo munus exponit. Nempe quicquid ſine charitate obtuleris, nec acceptabile Deo, neque tibi poterit eſſe proficuum. Habeto igitur charitatem, quæ virtutes cæteras ſua dignitate præcellit. Hæc tuum inflammet affectum, informet mentem, vitam componat, atque erudiat ad orandum. Eſt nanque oratio thus valde proficuum, ſi tamen amoris ſancti fuerit inflammatum incendio. De imò quippe deſcendens ac ſuauiter redolens ante thronum Dei in cœlorum regnum conſcendit. Huiuſmodi thuris

Pſal. 164. vt ad Deum aſcenſus fieret, Propheta nominatiſſimus Dominum flagitabat dicens, Dirigatur Domine oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Cæterum quemadmodum thus, quãuis in ſe ſit optimum atque præcipuum, nullam ex ſe refundit odoris fragrantiam, niſi iniiciatur igni, ita nec orationis incenſum Deo acceptabiliter præſentatur, ſi non charitatis extiterit flamma conſumptum. Iacet protſus oratio, & in ſui corpore dormitat, niſi dilectionis deſiderio ſubleuetur. Vtrunque etenim opportune conueniunt. Nam & ad orandum docet charitas, & in ipſa oratione charitatis flamma nutritur. Sit ergo orantis animus proprię infirmitatis cognitione repletus, atque ad edomandas carnis concupiſcentias ſolerter intentus, quatenus humillimum Dominum auri, thuris, & mirrhæ ſpirituali oblatione lætificet. Nempe rubigine charitatis conſumptum eſt aurum, & orationis fętet incenſum, vbi carnalis dominatur affectus. Ne igitur tepeſcat charitas, nę orationis repellatur intentio, corporis omnino ſunt reſecandæ illecebræ, atque myrrhæ amaritudine condiende. Diuina nanque fiet viſione dignisſimus, quiſquis in hac extiterit triplici exercitatione perfectus. Ex quotidiana denique inſpiratione admonitus per mentis eleuationem aſsiduam & ſingularem deuotionis affectum cœleſtis patriæ cętibus contemplando iugiter inſeretur. In hac profecto Hieruſalem, quæ ædificatur vt ciuitas, conuerſabitur deſiderio, donec depoſito mortalitatis indumento inſeparabiliter ęterni ſponſi Chriſti caſtis fruetur amplexibus. Sic nanque per aliam viam ad ſuam redibit manſionem, in qua una cum ſanctis omnibus fęlicitate gaudebit, id perficiente Domino noſtro Ieſu Chriſto eccleſiæ ſponſo, qui viuit & regnat cum Deo Patre in vnitate Spiritus Sancti Deus, &c.

In conuerſione Sancti Pauli Apoſtoli.

SIngulare diuinæ miſerationis opus ante mentis noſtræ oculos ſancta hodie exhibuit mater eccleſia, per quod maximum ſpei præſidium attulit, dum iuſtificationem perſecutoris impij nobis voluit recitari. Vniuerſos peccatorum multorum nouit facibus eſſe oneratos, per quos in deſperationis merguntur facile profundo. Hinc exemplo vnius innumeros erigere curauit ad ſpem, quatenus animi fluctuationem & metum fiduciæ firmaret anchora, atque labentem & languidum ſua exhortatione reuocaret ad Chriſtum. Nempe in ipſo ſpei noſtræ omnis eſt locanda intentio, omniumque meritorum illi eſt arroganda victoria. Ex ipſo protſus nedum pendet, quod ſumus, verumetiam quod laudabiliter perficere valemus. Non quòd ſufficien-

tes ſimus (inquit Apoſtolus) cogitare aliquid à no- 2 Cor. 3.

bis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Porrò ſi noſtra ſufficientia ex Deo eſt, & nõ ex nobis, de nobis omnino diffidere debemus, confidere autem in Deo, qui ſingulis ſingula impertitur dona virtutum. Nemo gratiarum illius expers eſt. Ad lucrũ exerceamus ſpiritule, quod gratis à Deo accepimus, vt potiora ſemper percipere mereamur. Superuacue magna quis petit, qui parua neglexerit operari. Iuxta ſibi iniunctã gratiam quiſque ſe ſtudeat exercere, & deſperationis medebitur morbo. Conditoris ſui largifluam frequenter manum meditetur, & vix poterit diffidentiæ tabeſcere tædio. Horum, quæ percepiſti à Chriſto, ò homo, aſsidue memorare & inde fiduciæ ſanctæ concipies robur. Qui fecit te ſine te, nunquam te damnabit ex ſe. Creauit quidem te per ſe, vt te reuocaret ad ſe. Noli ergo te auertere ab eo, noli dorſum factori tuo conuertere, ne iuſte iudicatus intereas. Eſto de gratia gratus, vt non ex te damneris ingratus. Vide ne mitiſsimo Domino vltionis debitæ ad-

uer-

Digitized by Google

uerſum te proferas gladium. Non enim ſuo, ſed te tuo percutiet enſe. Tua te coram illo accuſabunt opera, tua te conſcientia iudicabit. Non alterius ſed tumet contra te æquus arbiter teſtimonium quæret. Aduerſarius conſcientia tua tuus eſt conſtitutus à Domino, vt clamet aduerſus te, arguat te, & te quoties delicta perpetrare
Matt. 5. conaris, ab interitu eripiat ſempiterno. Eſto igitur conſentiens aduerſario tuo, dum ex in via, ne forte tradat te iudici, & iudex tortoribus cruciandum. Aduerſatur tibi conſcientia tua ad bonum, zelat profectum tuum, ne in malo deficias. Beata prorſus anima, quæ aduerſarii huius
1. Cor. 4. redargutiones non patitur, quæ perſuaſionibus eius aſſenſum præbet. Talis erat Paulus, quando dicebat, Nihil mihi conſcius ſum. Verum nunquid hoc dicere potuit ſemper? Minime. Poſtquam verò iuſtificatus fuit, poſtquam aduerſario conſenſit ſuo, hæc retulit. Secum Dei cooperante gratia in virum mutatus extiterat alteriũ non quidem ſecundum naturam, ſed ſecundum conuerſationem & ſenſum. Idē perſeuerauit in eſſentia, nequaquam autem idem in vita. Fuerat aliquando fæuiſsimus perſecutor, Chriſtianæ religionis impugnator, & ſanctorum fidelium rabidus oppreſſor. Non enim poterat mellifluum Chriſti audire nomen, profeſſorumque ſuorum
Acto. 9. ſuſtinere præſentiam. Hinc tanquam lupus rapax acceptis à Sacerdotum Principibus & Iudæorum Magiſtratibus Epiſtolis in Damaſcum ad Synagogas pergebat intrepidus, quatenus vinctos in Hieruſalem perduceret, quorquot huius nominis fore noſceret inſignitos. Quis (oro) innocentium non formidaret iſtius perſecutoris animoſitatem? Quis furenti, liganti, trahenti, percutienti nõ expauesceret obuiare Paulo? Proh dolor adhuc aſperium ſanguinem pro tomartyris Stephani geſtabat in veſtibus, adhuc ſanctum lambebat cruorem, & tamen ſitiebat adhuc. Tenuerat lapidantium indumenta, ſaxa porrexerat, omniũque manibus lapidauerat, & nihilominus ſceleribus iſtis grauiora addere peccata durabat. Talia illo agere molienti ingenti luce perfuſus aſſuit Dominus Ieſus, voceque tonanti affatus eſt dicens, Quid agis ò Paule? Cur niteris ſanctis necem inferre? Vt quid diuinum nomen conaris extinguere? deſine (oro) deſine perpetrare talia. Sufficiat tibi, quod hactenus pertinaciter peregiſti. Lapidem duriſsimum nuda
Matt. 21. manu frangere cõtendis. Me vtinam audiſſes dicentem, Qui ceciderit ſuper hunc lapidem, confringetur, comminuet autem, ſuper quem ipſe ceciderit. Me noſſe ſtudeto, doctrinæ meæ veritatem, autoritatem miraculorum, vitæ innocentiam, atque gratiæ plenitudinem, quatenus me diligas, & in me credas, vel forte ſiquid in me redargutione cognoueris dignũ, tuã excuſet ſequitã. Porrò incõſulte agis, & ignorãter inſequeris me. Legis (oro) reuolue volumina, prophetarum ſcrutare oracula. Patriarcharũ rememorare promiſſa, & ſub literæ velamine me latentem inuenies. Exultauit Abraham, vt videret diem meum,
Ioan. 8. vidit, & gauiſus eſt. Prophetæ omnes de aduentu meo vaticinati ſunt, quorum dicta retexere vniuerſa, nimis prolixum eſt. Per legem quoque intelliges meam promulgatam fuiſſe præſentiam. Ne (quæſo) velis maxime tu, qui ex ſanctificato procreatus es genere, negligere gratiam, quam patres tui tanto cupiere cum gaudio. Clamabat quidam eorum, Domine mitte quem miſſurus es,
Eſa. 64. alter verò, vtinam cœlos dirumperes, atque deſcenderes. Vnde & deſiderio fatigatus aiebat, Manda remãda, expecta reexpecta, modicum ibi modicum ibi. Alius autem, Oſtende (inquit) nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuũ
Pſal. 79. dã nobis. Nempe quem illi prænunciantes futurum aſpicere cupiebant, tu verò præſentem cur denegas aduenisse? Veni (inquam) iuxta pollicitationem exhibitam patribus, vt ſoluam iugum captiuitatis veſtræ, & congregem oues, quæ perierunt domus Iſrael, inter quas annumeratum te eſſe cognoſce. Patris igitur beneuolentiam percipe, paſtoris vocem auſculta, vocanti te auditum præbe, te iuſtificare volenti aſſenſum tribue. Eris vtique omni redargutione digniſsimus, æternisque cremandus incendiis, ſi gratiam hanc ſpreueris, ſi non reſipueris à veſania perſecutionis, quam perficere niteris. Hæc vt audiuit Paulus, proſtratus ſolo expauit, contremuitque, & quis ſibi loqueretur, ſecum tacitè conferebat. Locutus eſt Deus (aiebat ſibiipſi) facie ad faciem Moſi, & veluti amicus amico, locutus eſt Abrahæ, Iſaac, & Iacob, locutus eſt Samueli, multiſque patribus. Nunquid & nunc loquitur mihi? Magna prorſus eſt eius vocis autoritas, præclarus ſplendor, virtuſque perualida, quæ ſic proſtrauit, deiecit, & lumine priuauit me. Cæterum ſcio, quoniam nequaquam inſequor Deum, quin potius Dei zelo accenſus Nazareos perſequor, qui contra Dei legem & patrum fidem nouam conantur ſectam inſerere mentibus hominum, atque diuina abolere decreta. Hos tanquam temerarios, horumque conuenticula diſsipare contendo, gratum arbitrans ob hoc Deo exhibere obſequium. Verum quia Dei iudicia incomprehenſibilia ſunt, & plerunque quod humanis oculis rectum eſſe cenſetur, obliquum eſt, ſciſcitabor loquentem ad me, quis ſit. Nempe ſi ludificatio iſta erit, opus peragã cœptum, vt honoris Dei & paternarum traditionum verus æmulator exiſtam, ſi verò reuelatio cæleſtis hęc fuerit, diuino acquieſcã cõſilio. Supra modũ excederet limites, ſi ſub pietatis imagine Deo repugnare ſatagerem. Equidem nouit Dominus, quoniã propter eum arma ſuſcepi, illi potius cupiens placere quã mihi. Hinc fiducialiter interrogabo, atque agnitæ veritati

ritati inſeparabiliter adhærebo. Non minis eedam neque blanditiis, quin opus Dei perficiam. Priſtino igitur reaſumpto vigore inquit, Quis es domine? Vocem tuam audio, comminationis ac exhortationis eloquia tua percipio, te autẽ necdum agnoſco. Quamobrem deprecor te domine, vt mihi, quis ſis, digneris edicere. Cui Dominus clara voce ait, Ego ſum Ieſus Nazarenus, Act. 9. quem tu perſequeris. Prorſus durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare. Et Paulus, Domine quid me vis facere? Introrſus nanque eſt diuino eruditus eloquio, quis eſſet, quem perſequi auderet, propterea vltra repugnare non valuit. Expertus eſt in ſe, quàm itidẽ Dei Verbum ſit potens. Non per milites, non armis, non verberibus ſtrauit hunc incredulorum ducem, quatenus ſciret, Heb. 4. quòd Dei ſermo eſt viuus, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, Nempe ſi totus inſurrexiſſet mundus, Pauli minime valuiſset animoſitatem flectere, euertere ſenſum, intelligentiamque conuincere, verum vt cor illius tetigit verbum, emolliuit mentem eius, ſedauit furorẽ, placauit crudelitatem, mutauit propoſitum, naturam reformauit, docuit rationem, lumine circumuenit, atque ſapientiæ totum nectare ſaginauit. Nam recuperato, quem amiſerat, viſu baptiſmique ſanctificatus lauacro Chriſtum, quem perſecutus fuerat, publicè prædicauit. In ſynagogas etenim Iudæorum ingreſſus legis teſtimoniis & autoritatibus ſcripturarum vniuerſos confutabat affirmans, quoniam hic, qui venit in carne, prædicauit pœnitentiam, promiſit regnũ, Act. 9. in cruce pependit, à mortuis reſurrexit, ac ad cœlos aſcendit, eſt Chriſtus in lege prophetatus. Nemo autem poterat reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui, qui loquebatur in Paulo. Repleuerat enim illum Chriſtus ſapientia, intellectu, conſilio, fortitudine, ſcientia, pietate, ſanctoque timore, adeo vt cuncti, qui eum audiebant, ſtuperent, & mirarentur pro tam repentina cõuerſione. Gen. 49. Viderant eundem paulò ante quaſi rapacem lupum mane prædam capientem, nunc verò veluti ad veſperum eſcas diuidentem. Erat nempe grande miraculum hoc, vt blaſphemus & perſecutor effectus eſſet eximius prædicator. Cuius nanque opus eſt talis, niſi mutatio dexteræ excelſi? Nullus ſane mortalium mutandi liberum arbitrium ſibi valet vendicare potẽtiam, niſi tu Deus, in cuius ditione vniuerſa ſunt poſita, nec eſt qui tuæ queat reſiſtere voluntati. Tu Eſther. 13. enim ô Domine Ieſu, qui verbo tuo ſempiterno cuncta prænoſcis quæ futura ſunt, prius quã fiãt, propugnatorem hunc Paulum delegiſti in laudem gloriæ nominis tui, vt propter nomẽ tuum coram regibus & principibus & gẽtibus, & filiis Iſrael. Vas tibi electionis feciſti, quatenus per illum notificares diuinitatis tuæ maieſtatem ſeculo ignoranti & futuris generationibus. Notus in Pſal. 75. Iudæa tantum eſſe videbaris, & in Iſrael magnum nomen tuum palam profitebatur. Vt igitur etiam gentibus, quæ infidelitatis vinculis tenebantur aſtrictæ, atque per ſuperſtitionem idololatriæ à dæmonibus ludificabantur, tuam reuelares gloriam, veluti de pharetra Satanę, & de ignoranriæ depreſſa caligine hunc eduxiſti in eem earum, quatenus ipſo mediante ſalus fieret ęterna de Iudęę finibus vſque ad extremum terrę. Non plebem tuam, vtique tuam, & non dilectam per ipſius prędicationis altiſonam tubã tuam vocari ſanxiſti. Hinc eſt quòd tam infatigabiliter terrarum ſpacia, maris latitudinem, montium ſolitudinem, vrbium, prouinciarumque peragrabat itinera. Te nanque impellentę, te diligente, te in illo loquente miniſterii ſui curſum implere curabat. Conuertiſti plane ô Domine Ieſu planctum eccleſię tuę in gaudium, quando hunc ab infidelitatis errore reuocaſti ad fidem, atque de Saulo Paulum feciſti. Lugebat quotidie eius interitum, perſerebat laborioſe immanitatis illius ſęuitiam, compatiebatur paruulis ſuis, quos ipſa tibi genuerat, dum latibula peterent, ſpeluncas petrarumque cauernas ob ebullientem perſecutionem nictu inhabitarent martyrij. In cunctis patiebatur vtpote vera mater, quę illos genuerat, nutrieratque. Genuerat (inquam) non ex voluptate carnis, neque ex voluntate viri, ſeu corruptibili ſemine, ſed ex fœcunditate ſpiritus, quem perceperat abs te ſponſo ſuo caſtiſſimo & immaculato. At verò quum placuit tibi mœrori eius, lacrymiſq; finem imponere, atque prodigũ filium inſanientem ad ſinum reducere illius, tu illi inſinuaſti per lucem dans vocem deſuper tonantem & dicentem, Saule Saule quid me perſequeris? Act. 9. Mirum plane loquendi genus hoc extitit. Perſequebatur Paulus tuos, non te, quid autem me perſequeris aiſti? Noueras intentionẽ Pauli, qui profeſſores tuos neci tradere deſudabat. Tui nãque minime habebat notitiam, & tamen tu de te non de tuis conqueri videris. Sacramentum maximum his paucis inſinuare voluiſti. Eſt enim eccleſia tua, quę per vnitatem fidelium congregatur, corpus tuum myſticum, & ſponſa chariſſima, quam vt pudiciſſimo tibi copulares amore, temetipſum tradidiſti in mortem, illam (videlicet) mundans lauacro aquę in verbo tuo patri coęterno, per quod facta ſunt omnia, propter quod ſunt duo in carne vna, & in ſpiritu vno. Quamobrem tui corporis membra amicos (ſcilicet) tuos & ſeruos teipſum nuncupari dignatus es. Quicquid enim illis ſiue boni ſiue mali impenditur, tibi irrogatum eſſe fateris. Nimis vtique honorati ſunt amici tui Deus, quos Deos ac tuos filios conſtituiſti, dicente Propheta, Ego dixi, dii eſtis, & filii excelſi omnes. Huius charitatis Pſal. 81. zelo permotus ſanctis tuis ne Paulus noceret ad

libitum, eundem percuſſiſti, atque ſanaſti. Talem profectò illum feciſti, vt bonitatis tuæ ſpeculum omnibuſq; ad delictorum ſuorum veniam promerendum incentiuum exiſteret ſalutare. Hoc ipſe teſtatus eſt dicens, Fidelis ſermo & omni acceptione dignus, quia Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum, ſed ideo miſericordiā conſecutus ſum, vt in me primum oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam ſuam ad informationem eorum, qui crediturí ſunt illi in vitam æternam. Nullus igitur quamuis innumeris ſit reus criminibus, de tua miſeratione deſperet. Omnium quippe miſereris Domine, & nihil odiſti eorum, quæ feciſti. Diſsimulas peccata hominum, vt pœnitentiam agant, & reſipiſcant ab operibus ſuis malis. Perſecutoris huius & conuerſi pœnitentis animetur exemplo, quem de mortis eruiſti faucibus, ruæque incolumem donaſti eccleſiæ egregium doctorem, ac toti mundo prædicatorem celeberrimum illū inſtituens. Tibi nanque Domine Ieſu ob hoc & pro vniuerſis miſerationibus tuis mortalibus prærogatis ineffabilis ac ſempiternus honor debetur & gloria, qui viuis & regnas cum Patre, & cætera.

1. Tim. 1.

In feſto Purificationis Beatæ Mariæ Virginis.

QVemadmodum ſolis claritas incomparabiliter diſtat à tenebris, ita & à peccatoribus mens pia iuſtorum. Semper ad malum procliui ſunt mali, propriæ voluntatis appetitu ducuntur, & tanquam iumenta indomita per vitiorum præcipitia colliduntur. Maiorum ſanctionibus derogant, virtutum paruipendunt ſemitas, & conditoris lege contempta, diuino imperio ſe renuunt eſſe ſubiectos. Et grā de malum hoc, vnde? Vtique ex tumore animi, ex ignorantia ſui, ex veri neſcientia, atque ex furorum inſenſibilitate bonorū. O ſi animaduerterent quàm properè ſempiternus illis ſuperueniet interitus, profectò reſipiſcerent, moribuſque mutatis conuerterentur ad Chriſtum. Sed nolunt (heu miſeri) intelligere, vt benè agant, quoniam ſibiipſis volūt omne poſſe licere, quod libet. Non autem ſic iuſtorum ac Deum metuentium animus. Propriam nanque elationem euacuare, motuſque ſuos inordinatos ſub rationis redigere conantur imperium, ſe erigunt contra ſe, quatenus ſibiipſis ſubiiciant ſemetipſos, Deū puro venerantur affectu, ſanctorum Angelorum honorant agmina, ſanctos cum Chriſto regnantes iugiter interpellant, proximos ſuos diligunt, virtutes ſectantur, ſpernunt mundum, vitia abhorrent, & mandata vitæ ſedula cordis intentione cuſtodiunt, necnon decreta eccleſiæ ac patrū ſtatuta humili obſeruatione perficiunt. Mediatoris ſiquidē eruditi exemplo ad perfectiora ſem per affectu feruntur & actu. Nam idem legiſlator minime conſtitutus ſub lege legalia propter nos in ſe voluit præcepta ſeruare. Completo quippe quadragenario poſt ſui ortus dierum numero (ſicut ſacrata præſentis ſolennitatis narrat hiſtoria) ad templum maternis voluit manibus deportari, auiculis redimi, & grandæui Simeonis brachiis ſuſtentari. Hoc ipſe, hoc eius mater immaculata virgo perfecit. Venit & illa ad templum, vt purificationis myſteria celebraret. Nequaquam in hac parte tenebatur ſub lege, quippe, quæ non ex virili ſemine, ſed de Spiritu Sancto conceperat prolem. Sic nanque præceptum fuerat in lege, Si mulier ſuſcepto ſemine conceperit filium, quadraginta diebus immunda erit. Leui. 12. Nequaquam ſemen ſuſceperat virgo, ſed ſpiritu fœcunda conceperat redemptorem, ideo purificari non eguit, quæ purificantem hominum ſordes genuit. Vt autem Deum veneraretur in lege, formamque humilitatis ex hoc præberet per legem, legem voluit purificationis implere. Venit igitur ad templum, & ſecum, quem genuit, geſtauit infantem. Ibi planè prophetarum eſt edocta oraculis, ac de futura nati paſsione præmonita, necnon ſanctorum teſtimoniis in fidei veritate roborata. Quod enim ex ſcripturarum autoritate, ſeu ex reuelatione didicerat, & memoriter retinebat, ſenis admonitione percepit, quatenus de myſterio fieret certa, de vnici filij ſui manifeſtatione iucunda, atque de gentium vocatione deuota. Conferente autem ſecum Maria de omnibus, quæ legendo, audiendo, videndo cognouerat ò quantum creſcebat in fide, augebatur meritis, ſapientia illuſtrabatur, magis magiſque charitatis cremabatur incendio. Ex rediuiua ſiquidem ſacramentorum cœleſtium reſeratione promota complebatur lætitia, ſpiritu fœcundabatur, admirabatur nimium, dirigebatur in Deum, & humilis cuſtodiebatur in ſe. Tales prorſus diuinæ gratiæ ſunt profectus, vt de imis eleuent ad ſumma, & de claritate in claritatem transforment. Beata planè mens virginis, quæ per inhabitantem ſpiritum ac magiſterium verbi Dei ſemper in omnibus parebat imperio. Non ſenſu proprio, non ſuo ducebatur arbitrio, ſed quod intus ſapientia innuebat ad fidem, foris hoc corporis miniſterio peragebat. Decebat vtique diuinam ſapientiam, quæ ſibi ad habitandūm domum ędificabat eccleſię, vt de legis cuſtodia, de purificatione mentis, de humilitatis norma & de ſpirituali oblatione Marię ſanctiſsimę medio vteretur. Erat profectò ipſa talis & tanta, vt illi minime reperiretur ſimilis. Erat (inquam) corpore virgo, carne incorrupta, prole fœcunda, virtute perfecta, moribus compoſita, ſanctitate redimita, honeſtate conſpicua, mente pura, corde ignita, animo ſuſpenſa, gratia plena, ſapientia perfuſa, Deo coniuncta, verbo propinqua,

qua, myſteriis diuinis imbuta, Angelorum conſortio cuſtodita, & à Spiritu Sancto abſque temporis interuallo poſſeſſa. Sibi nanque ipſam in ſponſam delegerat ſapientia, in matrem, in ſuam interuentricem mundus, Angeli in dominam, & æternus Pater in filiam. O honor fœminæ, ò excellentia Mariæ, cuius meritorum celſitudine & gratiarum opulentia ſtupet cœlum, natura miratur, & ſancta beatorum ſpirituum venerantur agmina. Non enim capit polus, non concludit orbis, neque attingit creatura, quód Maria ſuſcepit mente, concepit in corpore, geſtauit in vtero, nutriuit lacte, portauit brachiis, fouit in gremio, & eſt amplexata in carne. Super Angelorum, Archangelorumque tranſcendit gratiam, quòd de Mariæ carne verbum factum eſt caro, quod integritate cuſtodita virgo generat, fœcundat ſpiritus, Deum patit fœmina, quòd ſit mater & filia, ancilla & domina, ſupra legem & ſub lege. Nempe ſupra legem illam fecerat gratia, ſed ſub lege humilitas. Virile minime in ſe ſuſceperat ſemen, & tamen veluti immunda legi voluit eſſe ſubiecta. Hinc eſt, quòd aſcendit in Hieruſalem, introiuit in templum, portauit filium, & iuxta Domini præceptum redemit infantem. Quem? quare? pro quo? Infantem (inquit) illum de quo Propheta ait,
Eſa. 9. Puer natus eſt nobis, & Filius datus eſt nobis, cuius imperium ſuper humerum eius, & vocabitur admirabilis, Deus fortis, princeps pacis, Pater futuri ſeculi. Illum (videlicet) qui de paterno ſinu egrediens ſine commiſtione virili, & abſque vlla contagione delicti, ſe mortalitatis noſtræ natura induit, vt (ſcilicet) à dæmonum ſeruitute, & lege peccati, atque damnatione perpetua humanum redimeret genus, quatenus de peccato damnaret peccatum in carne ſua, fieretque omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ, & legi daret teſtimonium, quod eſſet ſancta, conceſſa diuinitus, & ſpiritualiter intelligenda, dum per ſignum viſibile gratiam inuiſibilem prærogabat, offerentium id fide operante.
Luc. 2. Obtulerunt nanque (Euangelio teſtante) pro eo parentes eius par turturum aut duos pullos columbarum. Non aurum, non gemmas obtulerunt pro rege cœlorum, ſed animalia munda, viua, atque volantia, vt myſterium hoc intelligerent eſſe, qui legerent. In turture quippe ſanctæ eccleſiæ per amoris ſacroſanctum connubium Chriſto copulatæ caſtitatem intellige, in columbæ verò ſpecie vnitatem charitatis credentium, quibus eſt cor vnum, & anima vna, præfiguratam agnoſce. Quæ (videlicet) per exhortationem mutuam, ſacramentorumque collationem quotidie ſponſo ſuo ſpiritualis prolis fœcunditatem parere non deſiſtit. Hanc oblationem myſticã ſub eccleſiæ typo beata Maria pro ſuo Deo obtulit vnigenito. Ipſam tu ò fidelis anima imitare. Vt enim ſpiritualiter prificeris, & à delictorum valeas emundari contagiis, in templum cordis tui ingredere. Ibi omnis cogitationis noxiæ atque inordinatæ affectionis, ſedato tumultu Deo per orationis ſtudium ac contemplationis ocium vacare contende. Caſtis illi inhære amplexibus, deuotionis gemitus emitte, amoris prome carmina, & igniti laudis ſacrificium exolue. Eris tunc proculdubio pudiciſſima turtur, cęleſti copulata ſpõſo, eò ſpecioſior, oculiſque illius gratior, quò purius frequentiuſque memoratis amoris præludiis inhærebis. Tui etenim charitate vulneratus inquiet,
Cant. 2. Vox turturis, quæ diuinum vtique mulcet auditum, ſuauemque omni electorum multitudini iucundæ laudis exhibet concentum, in terra noſtra audita eſt. Verum ſi huiuſmodi vocem minime proferre didiciſti, ſi contemplationis delectabilem guſtum necdum mente percepiſti, ſaltem vel columbarum cuſtodi vnitatem, puritatem cordis, atque laudabilium operum perſeuerantiam. Eris procul dubio columba ſpecioſa, ſi fraternam ſeruaueris charitatem, nulli malum pro malo, vel maledictum reddendo pro maledicto, ſed benedicendo maledicentibus, orando pro perſequentibus, atque odientibus benefaciendo. Hoc quippe modo in petræ foraminibus nidificando frequentes dabis gemitus etſi non amoris ac deuotionis, certè compaſſionis & pietatis ex corde patiendo delinquentibus & afflictis. Hi ſunt columbarum pulli gemini compaſſionis (videlicet) & actionis, quos fidelis quiſquis Deo acceptabiliter offerre debet, quatenus a delictorũ ſordibus purificatus ac redemptus deuotæ ſeruitutis oblationem valeat præſtare gratiſſimam. Signanter tamen par turturum aut duos columbarum pullos parẽtes Domini obtuliſſe pro illo diuinus ſermo proloquitur, vt rectè intelligas & contemplationis & actionis Domino placere cõmercia. Singuli etſi nequeũt omnia ſimul, ſingula offerant, meminerintque Mariæ, Marthæq; ſororum Dominum Ieſum opera commẽdaſſe. Affectum in cunctis, quæ agimus, Deus potius attẽdit, quã opus. Quãobrem ſiue per contemplationis ſtudium mente excedimus Deo, atq; vacamus, ſeu per virtutũ incrementa & commendabilium negotiorũ opera proximis noſtris ſobrij eſſe ſatagimus, id taliter perficiamus, vt tantũ Chriſti charitas vrgeat nos. Hæc planè eſt ſpiritualis purificationis accepta oblatio, quę nõ in manufacto, ſed in cordis perſoluitur templo in quod Dominus Chriſtus gratanter ingreditur. Iſtud ſeruorum Dei in ſe quiſq; ædificet, emũdatũ maculis præparet Chriſto, atq; aſſociatus Simeoni pueri'i Ieſu præſtoletur aduẽtũ.
Mal. 3. Veniet nanq; ſi diſpoſitam repperiet mentẽ (quemadmodum vaticinatũ eſt) ad templũ ſanctum ſuũ dominator dominus, nõ in pe-

teſtate maieſtatis, ſed panniculis inuolutus, maternis deportatus in brachiis. Aduentante autem Maria cum filio obuiam eiſdem occurrat in ſpiritu, eiq; miniſteriũ piæ deuotionis exhibeat. Prouectæ ætatis ſenem & propheteſſam Annam pudicitia ac ſanctitate decoratam de infante Ieſu multa narrantes cordis aure percipiat, diiudicet ſingula, & ſedula cogitatione vniuerſa perluſtret. De figuris veritatem eliciat, & de viſibilibus ad inuiſibilia contemplando tranſcēdat. Suſcipiat denuum ſyncero puritatis affectu in ſpiritualis cordis ſui vlnas vagientem infantem, & dicat, Suſcepi Deus miſericordiam tuam in medio templi tui, propterea ſecundum nomen tuum, ita & laus tua in præcordijs meis, & vſq; ad fines terræ. In his igitur amoris præludiis fidei irradiatus ſplendore, charitatiſque ſuauitate refectus, necnon mentis iubilatione debriatus agnito diligentiſſime, quem tenet in brachiis, probati ſenis canticum aſſumat inquiens, Nunc (poſt deſideriorum meorum fatiſcentem ardorem) dimittis ô Domine ſeruum tuum agnoſcētem, confitentem, diligentem, amplectentem in pace, quia viderunt oculi mei ſalutare tuum, illud (videlicet) quod grandæuus patriarcha Iacob aſpicere concupiſcens aiebat, Salutare tuũ, expectabo Domine. Illud inquam, quod Pſaltes egregius feruentiſſimo amore poſcebat dicens, Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis. Planè viderunt oculi mei luminis tui illuſtrati munere ſalutare tuum, quod paraſti ante faciem omnium populorum, lumen ad reuelationem gentium, earum (ſcilicet) de quibus nominatiſſimus Propheta inquit, Gentium populus, qui habitat in tenebris, vidit lucem magnam. Sedentibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis, non qualiſcunque ſed iuſtitiæ & veritatis, quæ vnigenito tuo ô alme Pater plurimum metuende apparente in carne credentibus emicuit vniuerſis, quatenus infidelitatis errore fugato ad agnitionem deitatis tuæ & catholicæ vnitatis venirent ad ſinum. Abs te profectò factum eſt hoc Domine, qui facis de tenebris lucem ſplendere, & vocas ea, quę non ſunt tanquam ea, quæ ſunt. Tu nanque gentium numeroſitatem per filium, tuum conuertis ad gratiam, eundemque manifeſtas ad gloriam plebis tuæ Iſrael, illius quippe, quam non ex carnis & ſanguinis propagatione, ſed ex ſanctificatione ſpiritus, & gratia adoptionis atq; ſacramentorũ regeneratione tuæ maieſtatis acquiſiſti in laudem. Illi etenim ô miſericordiarum Pater & Deus totius cōſolationis ad maximam peruenit gloriam, vt per eam verbum tuum caro fit factũ, atque per ſanguinis aſperſionem lauacro aquæ eodem mundata in verbo ſine macula & ruga affecta ſit ſponſa, tibique angelicis aggregata virtutibus, & ſempiterno tuo copulata verbo laudis ſacrificium exhibere non ceſſet, qui cum vnico filio tuo & Spiritu Sancto viuis, &c.

Pſal. 44. Luce 2. Gen. 49. Pſal. 84. Eſa. 9.

In ſolennitate Sancti Matthiæ Apoſtoli.

Qvemadmodum ſolis radios in ſereno meridie rutilantis quicunque intueri voluerit, retruſus a lumine potius cęcatur, quã videat, ita & qui diuinorũ iudiciorũ conatus fuerit indagare ſecreta, ad eorũ nũquã valet peruenire indaginē. Caligat prorſus humanę acies intelligētiæ degētis in carne, quoties ineffabili diuini ſplēdoris claritate attollitur, atq; arcanas iudiciorum Dei rationes comprehendere molitur, quum omnino inueſtigabilia ſint, dicente Apoſtolo, O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Venerandũ vtique eſt, quod nequit attingi, atq; cum honore colendum. Congruum procul dubio eſt, & ętern ę Dei ſapientiæ digniſsimum, vt agat quędam, quę ſint ignota mortalibus, & Angelicis etiam ſint miranda ſpiritibus. In hoc quippe rationalis natura maieſtatem diuinam intelligentias ſapiētia ſua pręcellere vniuerſas compellitur confiteri, quoniam inacceſſibilem lucem ipſius nemo niſi admiſſus, valet attingere. Hoc in exceſſu mētis raptus Sapiens contemplatus eſt dicens, Omnis ſapientia à Domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante æuum. Arenam maris, & pluuię guttas, & dies ſeculi quis dinumerauit? Altitudinem cœli, latitudinem terrę, & profundum abyſsi quis menſus eſt? Sapientiam Dei pręcedentem omnia quis inueſtigauit? Vnus eſt altiſsimus creator omniũ, omnipotēs rex, potens, & metuēdus nimis, ſedens ſuper thronum illius, & dominans Deus. Ipſe creauit illam ſpiritu ſancto, & vidit, & dinumerauit, & mēſus eſt, & effudit illam ſuper omnia opera eius. Secundũ datum ſuũ prębet illam diligentibus ſe, nempe ſapientię celſitudinem ſempiternam, naturaliq; intelligentię imbecillitatē. Rationalis ſpiritus ac pręrogatiuũ ſapiētię donum luculētiſsime his paucis innotuit. Diſcat igitur rationale animal conſtitutũ in carne pro intellectus ſui nō inflari acumine, quũ ex diuino ſortitus ſit munere, quòd rectè intelligit. Diſcat ſibi minime arrogare, quod alienũ eſt, agnoſcat donũ conditoris, ne repercuſſus à lumine ignorantię tenebris inuoluatur. Nã quemadmodum humilibus ſapientię tribuitur gratia, ita negatur elatis. Eſto ergo humilis, ô homo, in oculis tuis, noli plus ſapere, quã oportet, neq; velis ſecretorum iudiciorum Dei rimari cauſas, vt nō intelligēdo intelligas, & deſipiendo, quod iuſtũ eſt, ſapias. Hic nanque in ſcientia diuinitatis rectiſsimus noſcitur eſſe profectus, vt quanto magis intelligis, minus te ſcire cognoſcas, quum incomparabiliter excedat, quod ſcire nō valeas, id quod tibi innoteſcat eſſe ſciēdum. Quis (oro) percipere ſufficit, quantus & qualis ſit Deus,

Rom. 11. Eccle. 1.

quum

Digitized by Google

quum ſit ineffabiliter bonus, incomprehenſibiliter ſapiens, inſuperabiliter potens? Ipſe ſolus ſeipſum perfecte intelligit per ſe ſine errore & abſque initio. Luc. 10. Nemo (inquit Veritas) filium nouit niſi pater, neque patrem quis nouit niſi filius, & cui voluerit filius reuelare. Reuelat planè filius patris gloriam, diuinitatem, maieſtatemque, nō quid eſt, ſed ſicuti eſt, & quod eſt, dicente Ioanne: 1.Ioan. 3. Cariſsimi filij Dei ſumus, & nondum apparuit, quod erimus, ſcimus quoniam quum apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum ſicuti eſt (videlicet) reuelata facie & cognitione beata. Interim autem donec diuina nobis ſe reuelet eſsentia, non per ſpeculum, neque in ænigmitate, ſed facie ad faciem flagrantes deſiderio videndi ſpeciem humiliter ambulemus per fidē, & non in magnis aut mirabilibus ſuper nos, ne forte veluti indigniſsimi repellamur. Veneremur in nobis opera Dei, quæ nequaquam percipiuntur à nobis. Iuſte factum eſse arbitremur à domino, quod intelligere nequimus, ſcriptum que nouerimus: Pſal. 103. Omnia in ſapientia (id eſt in verbo) feciſti. Si in verbo & per verbum facta ſunt omnia, quis dubitet vniuerſa rationabiliter & abſque perſonarum acceptione hominum etiam electionem eſse perfectam? Ephe. 1. Elegit (inquit Apoſtolus) nos in ipſo (videlicet in verbo) ante mundi conſtitutionem. Elegit (inquam) nō ex operibus iuſtitiæ, quæ nondum feceramus, neque ex ratione humana, quæ nihil ſcit, aut valet cogitare ex ſe, ſed in verbo ſuo, in ſapientia ſua, in ſeipſo. Et hoc non in temporis volubilitate, quando factus eſt homo, ſed ante mundi conſtitutionem, quando non erat homo, quatenus quicūque gloriari voluerint, non in ſeipſis, ſed in domino glorientur. Hæc prorſus vera eſt gloria, ſi gloriemur in domino, non in nobis. In nobis vel de nobis in quo gloriabimur, quum nec bene facere, neque bene cogitare valeamus à nobis? 2.Cor. 12. Libenter (inquit Apoſtolus) gloriabor in infirmitatibus meis. In infirmitatibus ſuis gloriabatur ipſe, vt de collatis donis ſeu acquiſitis virtutib. gloriaretur in domino. Nouerat quid ex ſe, quidve prærogatum illi fuiſset à domino. Dicebat ſe in infirmitatibus gloriari, non quòd gloriam commendabilem de infirmitate adipiſci poſse ſe crederet, ſed vt infirmitatis comparatione manifeſtaret, quantum in ſe Dei illuceſceret gratia. In hoc potiſsimum Dei gratia commendatur in homine, quoniam abſque vllis præcedentibus meritis conceditur gratis, Cæterum ſi bonis præcurrentibus operibus datur ſuperuacue, gratia nuncupatur. Gratia ideo dicitur, quia tribuitur gratis. Quid (oro) meruerat Iacob Eſau natu potior, vt electionis gratia germanum præcelleret ſuum? Iſte dilectus, ille autem eſt à Deo contemptus. Tale etenim oraculum mater ipſorum audiuit, dum ab ortiuos inter ſe certantes ſenſiſset in vtero. Gen. 25. Maior (inquit) ſeruiet minori. Hinc ſucceſsu proſpero adeptus eſt primogenita, & paternam fratri præripuit benedictionem. Verum & per Prophetam dominus conteſtatur: Mal. 1. Iacob dilexi, Eſau odio habui. Nequaquam calumnianda, ſed eſt hæc domini veneranda ſententia. Nihil prorſus Deus abſtulit Eſau, quū illi ſuam præſtare noluit gratiam. Miſeretur cuius vult, & quem vult, illi gratiam non communicando indurat. Tanquā verus figulus de humani generis maſsa aliud vas in honorem, aliud in contumeliam facit, & tamē nemo eſt, qui de illo iuſte conqueri valeat, dum æqua iuſtitiæ lance iudicia ſua vniuerſa diſponat. Hoc præclariſsimus Pſaltes contemplando aiebat: Pſal. 118. Principium verborum tuorum veritas, in æternum omnia iudicia iuſtitiæ tuæ. Nempe dum vnum præponit Deus alteri, nemini derogat, & æquiſsime agit ſua in ſe, id ordinante ſapientia hominibus quidem ignota, Deo autem ipſi ſine ambiguitate notiſsima. Elegit Dauid adhuc puerulum ad regni ſolium cæteris neglectis fratribus dicens Samueli: Acto. 13. Inueni hominem ſecūdum cor meum. Adoleſcens erat, & nil præcipuum pro domino eouſque perfecerat, & tamen ſecundum cor Dei eſse memoratur. Futurorum dominus præſcius, qualis futurus erat, prædicabat, prædicando eligebat, eligendo autem arcana eius iudicia palam exhibebat. Propoſuimus electionem Matthiæ, eam proferamus in medium. Electi ab Apoſtolis ſunt Barſabas, qui cognominabatur iuſtus, & Matthias, vt eorum alter ſubrogaretur pro Iuda, qui dominum Ieſum prodēdo vendiderat, atque ſuſpendens ſe, crepuerat medius. Diuinum autē implorantes ſuffragium orauere dicentes: Tu domine, qui corda omniū noſti, oſtende: quem elegeris ex his duobus vnum accipere locū miniſterii & Apoſtolatus, de quo præuaricatus eſt Iudas, vt abiret in locum ſuum. Datis autem ſortibus cecidit ſors ſuper Matthiā & connumeratus eſt cum vndecim Apoſtolis. Acto. 1. Ordinatiſsimus fuit iſte electionis ordo. Iuxta faciem iudicantes Apoſtoli ſecernunt iuſtum Barſabam & Matthiam. Iuſtus merito fuerat eligendus, & Matthias, qui donatus domino interpretatur, vt ad Apoſtolatus vnus illorum aſsumeretur apicem. Iudicanti igitur ſecundum cor propoſuerunt electionem, quatenus ille qui amborum nouerat corda, quem elegiſset, oſtenderet. Elegerat profecto Matthiam ad hunc gradū dignitatis ante, quàm darentur ſortes, & prius quam fieret mundus. Declarauit autem viſibilis ſors Dei electionem inuiſibilem. Non enim æternum valet peruerti iudicium, quin fiat quod futurum eſse delegerit. Quis non prætuliſset ex his iuſtum cognomento & vita? Et tamen aliter iudicauit omnipotens, cuius iudicia longe ab humanis diſsimilia ſunt. Eſai. 55. Sicut exaltantur cœli à terra, ita exaltatæ ſunt viæ meæ à viis veſtris, & cogitatio-

tationes meæ à cogitationibus veſtris, ait dominus per Prophetam. Non enim elegit Deus Barrabam, ſed Matthiam, atque in Apoſtolatus ordine fecit duodecimum, prius prædeſtinatione, deinde ſorte. Quem elegit prædeſtinatio, perfecit ſors. Nemo tamen hoc Apoſtolorum exemplo ad Dei voluntatem cognoſcẽdam in dubiis vtatur ſortibus. Chriſtianis omnino prohibitæ ſunt, tametſi in veteri permiſſæ fuerint lege, & ſub gratia ab Apoſtolis vſæ. Solerter igitur animaduertendum eſt, quoniam eo tantum tempore ſortes exercuerunt Apoſtoli, quo aberat corporaliter dominus, & ſpiritus ſanctus nedum fidelium corde imbre ſuo repleuerat. Illis adhuc minus perfectis & voluntate Dei non certificatis ſortium conceſſus eſt vſus; at verò veniente ſpiritu & electorum corda donis ſapientiæ intellectus, conſilij, & ſcientiæ replente interdicuntur ſortes, & orationis interpellatio commendatur. Quicquid orantes petitis, credite quia accipietis, & fiet vobis. (Ioan. 15.) Hinc eſt, quòd vnanimiter Eccleſia orare conſueuit, quoties à domino aliquid poſtulandum eſſe decernit, neque melius quàm precibus mediantibus Dei volũtas deprehenditur, ſi tamen effundãtur fideliter, ſyncere, humiliter, perſeueranterque. Cæterum nihil huius glorioſi Apoſtoli datas ſortes electioni præiudicare dixerim, quando Apoſtolos orationẽ præmiſiſſe diuina teſtantur oracula. Ille nanque in hac electione commendauit inquiſitionem ſortium, qui exorantium annuit votis. Neque enim minus Petro & Apoſtolis cæteris Matthias adeptus eſt gratiæ, quamuis in vocationis ordine extiterit vltimus. Eandem plenitudinem ſpiritus, eademque munera ſpiritualia percepit, quæ reliqui. Illum ſuperueniens paracletus charitate compleuit, deditq; vt omnium linguarum generibus loqueretur, miracula faceret, conuerteret nationes, prædicaret Chriſtum, ac martyrii conſequeretur triumphum. Denique cum cæteris coapoſtolis ſuper thronos duodecim tribus Iſrael iudicantibus ſedebit. Nam quemadmodum vna omnium ipſorum eſt Apoſtolatus gratia, ita ſingulorum eorum erit prærogata iudicandi poteſtas. O quàm fœcunda eſt erga milites ſuos æterni regis noſtri laudanda dignatio. Præſtat vtique pro paruis maxima, & pro temporali incommodo gaudia ſempiterna. Centuplicatam reddit terrenam ſubſtantiam egentibus pro ſuo amore diſperſam. Reformatum in melius ſupra modum humanũ reſtituet corpus, quod pro virtutis fuerit zelo conſumptum. Saluatorem expectamus dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui reformabit corpus humilitatis noſtrę configuratum corpori claritatis ſuæ. De rationalis autem ſpiritus retributione quid memorem, dum & ipſe reluctando vitiis, atque appetẽdo cęleſtia, & corpori immortalitatis conſuat tunicam, & ſibiipſi precioſorum lapidum fabricet coronam? Lętitia ſempiterna (inquit ſermo diuinus) erit ſuper capita eorum, gaudium & exultationem obtinebũt. (Eſa. 35.) Exultabunt planè ſancti in gloria, lętabuntur in cubilibus ſuis, quoniam eis pro ſuorum retributione bonorum inerit beata viſio, iucunda dilectio, ęterna comprehenſio, ſecura fruitio, vera libertas, grata ſocietas, imperturbabilis pax, cœleſtis amęnitas, angelica dignitas, plenum gaudium, reſurrectio perfecta, indeſeſſaque laudatio. Hęc eſt ſtellarum duodecim corona perfulgida, quam in regno Chriſti cæteris electis Matthias conſequetur Apoſtolus, eo ſplendidiorem, quo vberiorem manipulum ſortitus eſt gratię. Vniuerſi orbis prælatus eſt populis, hoc Propheta perhibente, qui ait: Conſtitues eos principes ſuper omnem terram. (Prou. 44.) Primatum quippe adeptus eſt gentium, quia prius ſibimet didicit principari. Sic nanque ad veri honoris conſcenditur cathedram, vt ante quis ſibi, deinde nominetur & cęteris. Nunquam aliis benefpręerit, qui ſibiipſi extiterit nequam. Extollũtur Apoſtolorum merita, non quia ſanctis præferuntur omnibus dignitatis gratia, ſed quoniam animarum zelo, honoris Dei, contemptus ſeculi, cęterarumq; virtutum pręcunctis ſublimius inarſere, vtpote propinquiores verbo, & ſpiritualibus donis locupletiores. Nam quod aliis eſt impertituur ex parte, hoc iſtis totum eſt pręſtitum abunde. Maxima proinde fidelibus ad eorum interpellandum ſuffragium fiducia pręrogatur, quum mediatori hominũ ſpecialiſsimo ſint charitatis copulati contubernio. Iam nõ dicam vos ſeruos (ait illis) ſed amicos meos vtique chariſſimos, quia omnia quęcũque audiui à patre meo, nota feci vobis. (Ioan. 15.) Nempe ſi vt amici implorabunt, exaudientur. Tuum igitur ò Matthia Apoſtole, te exorantibus prębe ſubſidium. Accede pro nobis interceſſor ad Chriſtum, quatenus qui te in myſtico, die in hora te computauit duodenũ, nos per te ducat ad ſe Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui beate viuit & regnat in ſe per infinita ſecula ſeculorum, Amen.

In annunciatione Beatæ Marię Virginis.

QVoties intemeratę Virginis Marię prerogatiuam ſanctitatis facundia humanu conatur edicere, quoniam longe ab illius exiſtit meritis, neceſſe eſt, vt ſuccumbat. Melius quippe ſilentio quàm locutione diſſeritur, quum omnis laus eadẽ inferior ſit. Quis (oro) huius virginis gratiam ſufficit enarrare? Ab ipſa nanque ſui conceptione in benedictionibus pręuenta dulcedinis, atque à damnationis aliena chirographo prius eſt ſanctificata quàm nata. In ipſo enim vtero materno iam poſita ſuper illam gratia ſanctificationis effulſit, vtpote

ei

ei quæ electa erat, vt pareret Deum. Nouerat opus ſuum ille, qui fecerat & quale futurum erat, certiſsimè agnoſcebat. Hinc eſt, quod virginem ipſam tam largo imbre ſpiritus irrorauit. Erat planè ſicut à carnis colluuione immunis, ita & ab omni peccati labe extranea: Degebat quidem in carne, conuerſabatur ſupra carnem, carniſque moleſtias neſciebat. Talis profecto erat, vt nulli vſui ſeruaretur, niſi diuino. Quamobrē quum temporis plenitudo veniſſet, in quo vniuerſorum conditor, humanum genus redimere ſtatuerat, hanc præ cæteris reperiens ſanctiorem ſibi præcipuā delegit in ſponſam, ipſam mente, ipſamque corpore cuſtodiuit intactam, vt eſſet, de qua verbū fieret caro, ac mulieris pudor per eam deleretur & culpa. Ad hanc vtique virginem in ciuitatem Nazareth à Deo miſſus eſt Gabriel, quatenus incarnationis verbi eidem tempus nunciaret & modum. Ad virginem quippe miſſus eſt angelus, quoniam angelis ſemper eſt cognata virginitas. Illos puritate imitatur & merito. Ipſis per virtutis ſtudium conformari nititur, vt eandem, quantum poſsibilitas humana admittit, ſibi in via adipiſcatur puritatis innocentiam, Mat. 22. quam cum angelis habituram Chriſtus illi repromiſit in patria dicens: In futuro regno homines non nubent, neque nubentur, ſederunt ſimiles angelis Dei. Interim tamen eſt beata virginitas, quæ venturi ſeculi & æternæ felicitatis primitias prælibat, mortalis naturę tranſcendens limites, & ſummorum ſpirituum veſtigia ſequens, eſt planè grata Deo, vicinaque angelis. Merito igitur angelus ad virginem mittitur, vt nouam gratiam noui partus noua ſalutatione differeret. Viſitationis enim aderat tempus, in quo liberaretur reus, ſapientia corporaretur, deleretur culpa, atque cęleſtis Hieruſalem reædificarentur męnia. Quamobrem lætus paranymphus effectus pro officio: exhilaratus pro gratia, pro obſequio expeditus, in ſolito fulgore veſtitus in humana effigie deſcendit ad virginem. Didicit ſanè ex præſagio, quanta qualiſque erat, ad quam dirigebatur ſalutandam. Luc. 1. Aue (inquit) gratia plena, dominus tecū. Tecum in mente, tecum in ventre, tecum in thalamo, tecum in præſidio. Cæterum hoc non habet abs te, ſed ab illo, qui fecit te, vt naſceretur ex te, paſceretur à te, permaneret in te, atque gratia ſua fęcundaret te. Repleuit enim te, vt fieret in te, poſſesq; veraciter dicere, quod longe antè Eccl. 24. Sapientis ore vaticinatum fuerat de te. Et qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. Magna profecto Mariæ gratia exuberans, atque cōpleta, quę cęlis dedit gloriam, terriſque genuit Deum, gaudium pręſtitit angelis, ſeculoque pacem refudit. Fide docuit gentes, vitiis finem impoſuit, humanę vitę inſtituit ordinem, atque ſpiritualem edidit moribus diſciplinam. Quomodo non eſt Maria iuxta Gabrielis oraculum plena gratia, quę effecta eſt mater Dei, paradiſi ſcala, cęli ianua, interuentrix mundi, dęmonum fuga, peccatorum ſpes, naufragantium portus, maris ſtella, confugium periclitantium, ſolamen laborantium, fluctuantium robur, Dei & hominum veriſsima mediatrix. Ipſius gratię plenitudinem cęleſtis nuncius perſenſit, cognouit, manifeſtauit, & dixit: Aue gratia plena. Salutat illam tanquam ſibi dominam, honoreq; digniſsimam, ac à Deo ſingulariter electam, atque dilectam. Nec aliunde quam a ſalutatione debuit inchoari, quādo per hanc nouę ſalutationis gratiam ſaluatoris mundi pręnunciabatur aduentus. Ad huius igitur angelicæ ſalutationis vocem expauit cor virginis, & in ſeipſa turbata eſt, non ex aſpectu angelico, quaſi inſolito, quippe quum iugiter viſitabatur ab illis, ſed ob excellentiam diuini præſagii, quòd propria merita præcellere videbatur. Conſueuit, nanque humilitas ſicut ſemper ſtare ſub ſe, ita difficile fidem accommodare iis, quæ ſupra eam eſſe cenſentur. Huius igitur prærogatiua virtutis ſpecialiter decorata Maria vt ſe tam officioſiſsime ſalutari, ſe plenam gratia dici, ſe prę cunctis mulieribus ex domini præſentia ſublimari audiuit, tacita ſecum exagitata cogitare cœpit, qualis eſſet iſta ſalutatio. Reuoluebat virgo animo ſingula nuncii cœleſtis verba, ſeque metiebatur in ſe, paruitatem ſuam, Dei altitudinem, profuſam illius bonitatem, matura conſideratione penſabat, nihilque tanti oraculi dignum ſibi ineſſe cernebat, vnde magno cogitationum æſtu intus vrebatur. Hoc autem Deo reuelante vt agnouit Gabriel, humillimo eam demulcens affatu inquit. Ne timeas Maria de iis, quæ à me dicta ſunt tibi. Præcipua quidem ſunt, & humanæ conditionis tranſcendunt metas. Verū quoniam domino diſponente hæc dixi, vide ne paueat cor tuum. Inueniſti gratiam apud Deum; nō Luc. 1. qualemcunque, ſed à ſeculis inauditam, cunctis miranda, efferendam ſupra modum, quæ hominem & angelorum præcedit gratiam, Ecce concipies in vtero, & paries filium, vocabiſque nomen eius Ieſum. Vide vnde tibi tanta proueniat gratia, vt prolem concipias, quæ ſalutem afferat, præſtet veniam, lucem infundat, remedia conferat, vitam donet, & cœlorum patefaciat viam. Erit nanque, quem paries, magnus, & filius altiſsimi vocabitur. Erit planè magnus meritis, magnus poteſtate, dignitate præcelſus, incomparabilis ſapientia, ſanctitate conſpicuus, decorus forma, honore digniſsimus, & omnium chariſmatum largitate perfuſus, ita vt filius vocetur altiſsimi. Iſtud enim nouum nomē, recentemque dignitatem nequaquam ſortietur ex patre, quū ſit illi filius coæternus, Deus de Deo, imago ſubſtantiæ, gloriæ ſplendor, verbumque incommutabiliter manens in patre, ſed eidem tribuetur ex gratia per humanitatis naturam, quam aſſumet

ex

ex te. O præclara ſanctiſsimæ mulieris huius conſtantia, ô fides incuſſa ſuper humilitatis petram fundata. Plenam oraculo angelico Maria præbuit fidẽ ſciens omnia Deum poſſe, quum vult. Prius quantulumcunque fuerat turbata atque perterrita impellente ac diſcernente humilitate metuens ambulare in magnis aut mirabilibus ſuper ſe, nunc autem ex verbis nuncii ſpecialius erudita, nec non charitatis concremata dulci incẽdio pro communi omnium vtilitate requiſiuit dicẽs: Quomodo fiet iſtud, vt concipiam in vtero, & filium pariam, quoniam virum nunquam agnoſcere me duplici ex voto conſtrinxi? Nouerat ſanè irrefragabile mentis ſuæ propoſitum, nouerat neminem Dei bonitatem deſerere benefacere ſimpliciter cupientem, nouerat iſta nunciantem nullo modo poſſe mentiri. Prolatam ergo ſententiam, & animi ſui propoſitum ſibi oppoſita ſciens non dubietatis cauſa modum, miraculumque tanti præſagii audire deſiderans inquit: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco. Eius namque percunctationis occaſione Chriſtianæ religioni quàm maximam fidei autoritatem contulit. Sciſcitata eſt modum, qualiter virginitatis mentis & corporis cuſtodito ſignaculo, id quod aſſerebat, fieret, quatenus ex narratione angelica plebs futura fidelium erudita de myſterio omnipotentiam ſui conditoris agnoſceret, diſceretq; in quem crederet, cuiusve teſtimonii roboraretur adminiculo. Nempe in hoc ſacroſancto incarnationis filii Dei ſacramento interuenit totius trinitatis ſumma dignatio, patris videlicet mittentis autoritas, ſancti ſpiritus veneranda operatio, & ab ipſo verbo humanæ naturę ſuſceptio. Interfuit etiam cęleſtis nuncii vera aſſertio, & virginalis pudicitiæ illibata cognitio. Quis certior eſse valuit de ſe, quàm ipſa, quæ myſterium ſpiritus experiebatur in ſe? Sentiebat gratiam, & incarnati verbi agnoſcebat præſentiam. Quamobrem irreprehenſibilis eſt teſtificatio virginis, prærogatiua ſanctitatis ornatæ, & gratiæ plenitudine fœcundatæ, cuius aſseuerationis oraculo nõ minus quàm angelicõ eſt adhibenda credulitas. Merito igitur tanquam prudentiſsima debuit velle certificari de ſingulis, quod ſibi ſpecialiter inferebatur ab angelo ad fidei profectum, omnibus Luc. 1. poſtmodum fieret notum. Hinc factum eſt, vt referente illa, quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Illico audiuit: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus altiſsimi obumbrabit tibi. Non enim ô Maria de virili ſemine concipies, quemadmodum conſueuerunt cęterę, ſed de ſpiritu ſancto, tuo duntaxat interueniente conſenſu. Superueniet planè paracletus in te ſuo placidiſsimo illapſu, non corporeis capabilis ſenſibus, ſed ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillan- Luc. 1. tia ſuper terram. Veniet inquam idem, & obumbrabit tibi, ſenties gratiam, nec amittes pudicitiã, ſuſcipies filium, qui non violabit ſignaculum, requieſcetq; in vtero tuo tanquam ſponſus in thalamo ſuo. Eris quippe mater & virgo immaculata & nupta, impolluta & pręgnãs, quoniam quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei, non per adoptionis gratiam, ſed per naturam. Illum Dei filium eſse veriſsime confitebitur fides teſtificata à lege & prophetis, quam ideo reuelauit pater, vt veniſse credatur præſens, ſicut vaticinatũ fuerat eſse venturum. Nihilque noui aſtruit fides, quum eundem credit in temporis plenitudine apparuiſse, qui in lege priſca extitit promulgatus. Nam vnus Deus, vnus Dei, & hominum mediator, qui in veteri teſtamento promiſsus patribus in nouo inſinuabitur omnibus, & vocabitur filius Dei. Cæterum ad eruditionem fidei tuæ, futurorumque credentium, quod è vicino contigit, conceptus ſenioris, ſterilisque tibi pando myſterium, quatenus nihil fore eſse impoſsibile cognoſcas. Talia vt ſpiritualiter affatus eſt Gabriel, Mariæ præſtolabatur aſsenſum. Tunc ad Deum totum eſt conuerſum cor virginis, noua irradiatum luce, inſolito charitatis deſiderio liquefactum atque repletum ſyncero piæ deuotionis affectu. Solo igitur mente ac corpore proſtrata humillimè inquit. Ecce ancilla domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. O abbreuiata verba de cellario virginis ſub compendio eructata, quàm profunda ſunt, quàm ſancta, quàm dulcia, quàm ve diligentiſsime meditanda. His paucis perfectionem notificauit. Non eſt in ſermonum ſuperfluitate diffuſa, neque in gratiarum multiplicitate elata. Sciebat ſub diſciplinæ cenſura labia eſse frænanda, nouerat quoque ſanctæ humilitatis vberem eſse mercedem, vtrumque propterea optime cuſtodiuit. In paucis nanque multa, & in magnis expreſſit humillima dicens: Ecce ancilla domini. Iſto vnico reſponſo compleuit cęlum gaudio, angelis omnibus exultationem præbuit, captiuo ſeculo ſpẽ dedit, dæmones vniuerſos exterruit, aſtantem lætum fecit nuncium, ac detentis in inferno patribus libertatis gratiam repromiſit. Affectu quippe auido, extenſis in cœlum manibus, propatulo cordis auditu huiuſcemodi præſtolabantur reſponſum. Erat nempe illis præ libertatis amore diuturna nimis expectatio, pauidaque obſeruatio, ne ob humilitatis virtutem reniteretur virgo, conſenſumque negaret. Verum vt datum à Maria percepere reſponſum, omnes pariter prorumpentes in laudes domino decantauere dicentes: Benedictus dominus Deus Iſrael, quia viſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ. Psal. 71. Reſpondit itaque Maria, quod obtemperanti congruebat humiliter. Neque enim propter humilitatis affectũ obedientiam, nec ut obediret alacriter, humilitatis decuit præterire cenſuram. Vtriuſque igitur virtutis conſtituta in medio demiſso inquit eloquio: Ecce ancilla domini diuino paratiſsima

famulari

ſamulari imperio.Non renuit gratiam,non contradicit oraculo, non vltra exigit informari de modo.Ecce ſe offert,ſe ſubiicit,ſe proſternit altiſſimo,non filiam,non ſponſam,non facturã, ſed domini ſe fatetur ancillam. Quamobrem vt ad ſui gloriam,ſuæque dignationis myſterium ad libitum corpuſculi huius vti valeat inſtrumento: inquit,Fiat mihi ſecundum verbum tuum(videlicet) prolatum à te.Fiat(inquit) mihi, vt concipiam ſine ſemine, pariam ſine dolore,permaneãque virgo abſque pudore,ſecundum verbum illud,per quod pater cœlum creauit & terram, dixitque vt fieret lux,& facta eſt, ſecundum verbũ illud dico, quod in principio apud Deum erat Deus,per quod facta ſunt omnia,& ſine ipſo nihil.Tantum ſiquidem altiſsimo virginis huius cõſenſus placuit, vt mediante ipſius prolatione verborum repente ſancti ſpiritus percurrente virtute verbum fieret caro,& virgo Dei exiſteret genitrix,vt(videlicet) immenſus caperetur,impaſſibilis pateretur, & incircunſcriptus teneretur. Tunc planè completa ſunt præambula figurarũ, documenta ſcripturarum, atque deſideria prophetarum. Tũc ſine manibus de monte exciſus eſt lapis,qui totius orbis ſuperficiem occupauit. Tunc perfecit Deus,vt mulier circundaret virũ quod ſe facturum longe antè per Prophetã pro-
Iſaiæ 11. miſerat. Tũc Aarõ virga floruit,& flos de radice eius aſcẽdit,ſuper quẽ requieuit ſpiritus ſapiẽtię & intellectus,ſpiritus cõſilii & fortitudinis, ſpiri-
Iſaiæ 45. tus ſcientiæ & pietatis atq; timoris domini. Nẽpe tunc rorauerunt cœli deſuper,& nubes pluerunt iuſtum, apertaque eſt terra, vt germinaret ſaluatorem, quem prænunciauerunt Prophetæ, prædixerat angelus:Maria crediderat. Deſcendit(inquam)verbum de paterna ſede diuinitatis ſuæ (nuſquam tamen recedens) in vterum virginis,hominibus vt appareret viſibilis, & ſpem daret laborantibus,peccantibus indulgentiam,diligentibus pacem,atque expectantibus mercedẽ quemadmodum Propheta longè ante poſcebat
Eccle. 36. dicens:Da domine mercedem ſuſtinentibus te, vt Prophetæ tui fideles inueniantur. Tunc denique magnum diuinæ pietatis conſummatum eſt ſacramentum, quod poſtea manifeſtatum eſt in carne, iuſtificatum eſt in ſpiritu,apparuit angelis prædicatum eſt gentibus, creditum eſt in hoc mundo, aſſumptum eſt in gloria, vbi cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat, &c.

In paſsione Domini.

Pſal. 48. AVdite hæc omnes gentes,auribus percipite vniuerſi,qui habitatis orbẽ,quique terrigenæ filii hominum,ſimul in vnũ cõueniant diues & pauper,iuſtus atque peccator,quoniã miſeratiões Dei loquetur os meũ, quatenus benedicere valeat omnis caro nomen ſanctũ eius in ſeculũ & in ſeculũ ſeculi.Accedite inquam non corpore,ſed ſpiritu,expediti tam ab oneribus delictorum,quàm ab exteriorum fragoribus, vt parulo cordis auditu redemptionis humanæ intelligere poſsitis modum & cauſam.Ad vniuerſorum quippe profectum huiuſmodi eſt proferenda materia, quæ compunctionẽ exaggeret, excitet in fletum, immitat lumen, in gratiarũ promoueat actiones, conferat gratiam,& ignem diuinę charitatis vehemẽter accendat. Huiuſmodi ò homo ſpirituales profectus excipies,ſi humili meditatione frequenter reuoluas animo captiuitatis tuæ erumnas, tibique impenſa per crucis patibulum beneficia redemptoris. Nonne quoties in amaritudine animæ tuæ cogitabis, qualem te tuus condidit creator,qualem vt te tuorum ſecerit culpa parentum,cum Propheta clamabis & dices.Miſericordiæ domini quia non ſumus conſumpti, quia non defecerunt nobis miſerationes eius. Merito miſericordiæ diuinæ aſcribendum eſt, quòd poſt Adæ præuaricationem nequaquã natura eſt conſumpta humana, quippe quæ in cęlo & in terra diſpoſitionem diuinam deordinando deliquit. Se enim ſponte ſub myſtici Pharaonis ad conficiendum lateres paleaſque colligendum expoſuit dominatu, Dei in ſe dehoneſtando imaginem, ſe mundi huius ciuem fecit, ſeque viliſsimo terrenarum actionum commercio tradidit,ac ſi vltra nil quæreret.Hinc inolente cupiditate adeò ſpirituales inualuerunt tenebræ,vt ſola viſibilia hominis affectum allicerent.Prôh dolor,quanta deformitas,vt rationalis ſpiritus ſpreto conditoris imperio, neglectiſque cœleſtis patriæ defæcatis conuiuiis, brutorum more fętidiſſimæ carnis ſe ſubderet voluptati. Tali prorſus debuit pęna mulctari,cõtempto genitore ac originalis dignitatis hæreditate conſumpta,qui futurus erat angelorum ciuis, cęlorum incola,& ineffabilis felicitatis poſſeſſor perpetuus.Compatiebatur tamen Dei clementia homini ſe ignoranti miſerrimo,ſuamque dolebat in illo deperire imaginem. Quamobrem ſuadente pietate, humana ſe offerente miſeria, ſanctorumque interpellantibus angelorum agminibus miſit Deus verbum ſuum, vt ſanaret homines, & eriperet eos de interitionibus illorum. Deſcendit itaque ab Hieruſalem in Hierico Samarita piiſsimus, expoliato & vulnerato homini opportuna remedia præbuit, atque proprio iumento impoſito ſemineccẽ Eccleſiæ perducit in ſtabulum. O mediatoris noſtri veneranda dignatio, ò pietatis viſcera conditoris, nec conturbatus iniuria, nec labore deuictus, neque vlceroſi horrore detentus, quin potius charitatis transfixus telo languentis voluit communicare doloribus, vtque ardentius eundẽ alliceret ad amorem,ab illo,pro quo patiebatur, paſſus eſt horrenda ludibria. Clamant igitur ſputa,claui,lancea,irriſiones,& verbera,vt ipſe toto corde, totiſque viſceribus diligatur, qui pro dile-

ctione

ctione tanta ac talia perferre dignatus eſt. A ſuo quippe diſcipulo argẽteis triginta venũdatus eſt à turbis vallatus, atque ſacerdotum principi præſentatus vt reus. Non fugit, non latuit, neque ſe ceſsit, ſed tãquam bellator fortiſsimus vltrò perſecutoribus obuiam procedens ait, Quem quæritis? [Ioan. 18.] Nouerat planè, quem quærerent, voluit tamẽ eorum audire ſermonem, quatenus cognita diuinitate eius ex ſeipſis promouerentur ad fidem, miraculoque erudirentur. Cæterum peruerſa mens in ſui obduratione perſiſtens nec ratione molleſcit, neque flectitur ad pietatem viſione prodigii, ſed quadam obſtinatione damnabili renititur veritati, more aſpidis ſurdæ obturantis aures ſuas, ne incantantium audiat voces. Veluti probatiſsimus medicus dominus Ieſus phreneticantium infirmorum veſaniam perferebat, propterea ſacerdos accuſatus, irriſus, alapaque percuſſus æquanimiter pertulit. Non enim iudicare, ſed pro peccatoribus & à peccatoribus venerat iudicari, atque delinquentes potius manſuetudinem quam ſuperare iuſtitia. Sic nanque decebat, vt qui de cœlorum throno pro omnium ſalute deſcenderat, fieret virtutum vniuerſarum magiſter, non tam verbo erudiendo quàm opere, quatenus omnibus eum imitantibus, illique obtemperantibus eſſet diſciplinæ forma, & cauſa ſalutis æternæ. Hoc Apoſtolus [Heb. 4.] conſiderans inquit: Non enim habemus pontificem, qui non poſsit compati infirmitatibus noſtris tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. In eo nanque, quod tentatus eſt, valet laborantes a tentatione eripere. Tẽtatus eſt inquam, nequaquam autem tentationibus cedẽdo, ſeu aſſenſum præbendo deliquit, quin potius ſuperãdo triumphauit. Nempe in deſerto poſitus à diabolo multipliciter laceſsitus permanſit inuictus. Impiorum quoque datus in manibus præſidique oblatus quanta perpeſſus ſit, quis enumeret flagris quippe eſt cæſus, vociferationibus exprobratus, coronatus ſpinis, purpura indutus, ſceptro arundineo illuſus, ſpretus a rege, remiſſus ad iudicem, necnon vti homicida adiudicatus eſt morti. Illi profectò, qui viuorum & mortuorum conſtitutus eſt iudex, ille inquam, qui in paulominus minoratus ab angelis quum eſſet Dei filius, ſeruilis naturæ forma ſe induere dedignatus non eſt. Ipſa nanque mediante charitatis ſuæ patefecit affectum. Eſt prorſus humanitas illa liber patens, in quo vniuerſi rationis compotes percipere valent, quanto nos Deus complectatur amore. Sola interueniente dilectione æterni patris vnigenitus ludibrio ſe paſsionis expoſuit. Nam nemine cogente ſe patri exhibuit hoſtiam, ſe vt olim Iſaac ſacrificium fecit, ille ligna conciſſa gerendo iſte crucis baiulãdo ſupplicium. O amoris vehementia, ò inextinguibile charitatis incendium? quantũm in Chriſto præualuit, quantave pro hominis redemptione ſuſtinuit? Contemplare (oro) mentis oculo fabricatorem polorum, angelorum dominum, vniuerſique rectorem per ciuitatis medium paſchalis ſolennitatis tempore, quo omnis concurrebat prouincia, vſque ad mõtem Caluariæ crucem propriis humeris deportãtem. Ibi nudatur veſtibus, ſolo ſupinus extenditur, configitur ſtipiti, eleuatur in aera, vt vniuerſo viſibilis appareat populo. Ad hoc ſpectaculum ſingulare pauet cœlum, mirantur angeli, contremiſcit tellus, obſcuratur ſol, natura compatitur, infernus gemit, captiui expectant, lacrymantur iuſti, Mariæque animam doloris pertranſiuit gladius. Erumpant igitur oculi noſtri lacrymarum fontem, mœrore ſaucientur corda, ex intimo pectore alta trahantur ſuſpiria, nemo à gemitibus, nulluſque à fletu ſe contineat. Ab humanitate prorſus alienum eſt ſine dolore & planctu humanitatis fontem conſiderare pendentem. Pependit vtique in ligno, vt præuaricationis vetiti culpam aboleret, damnationiſque auferet chirographum, quod Adam guſtando deſcripſerat. Eius itaque pœna omnium ſalutis extitit cauſa, dum ab iniuſtis iniuſtè innocens percepit indigna. O quàm indignum fuit, vt illuderetur Deus, maieſtas conſpueretur, ligaretur venia iudicaretur creator, denudaretur gloria, in cruce poneretur dominus, cum ſceleratis deputaretur mediator, felle potaretur ſapientia, vita moreretur? Hęc cũcta Chriſto pendente completa ſunt. Tale quippe exhibitæ indulgentiæ dedit indiciũ, per quod peccator ſperaret miſericordiam, fidelis gratiã, ſanctus gloriam. Profuſa charitate nos diligens tribuit magna, atque ampliora ſpopondit. Se nanque crucifigentibus remiſit culpam, eorumque orando excuſauit ignorantiam. Stabat enim in cruce, corde, voceque clamabat ad patrem, Ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Neſciebant planè. Nam ſi cognouiſſent dominum gloriæ nũquam crucifixiſſent. Voluit tamen Deus latere [1. Cor. 2.] in carne, atque hominibus eſſe ignotus, vt pateretur, colaphizaretur, damnaretur, occideretur. Quid igitur ò homo retribues Deo pro omnibus, quæ pro te excepit in homine? Quid rependes pendenti? Quid reſpondebis iudicanti? Interrogabunt te vincula, ſputa, verbera, conuitia, decoloratus ſol, terræmotus, petræ ſciſſę, aperta monumenta inſenſibilitatem tuam arguent, paſsionis inſignia producta in publicum voces ſuas dabunt aduerſum te, diuinæ miſerationis teſtimonium perhibentes. Ipſe quoque latro, qui pendebat ad dexteram doloribus plenus, morti proximus, pro ſceleribus damnatus tuæ infidelitatis duritiam arguet. Quamuis enim vti malefactorẽ Chriſtum confixum aſpiceret, quamuis Iudæorum illum blaſphemantium contumelias audiret, capitaq; mouentium irriſiones intelligeret, orauit tamen deuotus in fide dicens: Domine me- [Luc. 23.]

mento

mento mei, dũm veneris in regnũ tuum. O fidelis confeſsio, ò deuota ſupplicatio, inter latrones crucifixum interpellat, opprobrium hominum & plebis abiectionem factum regem vocat. Morienti ait: Memento mei, dum veneris in regnum tuum. Dicere auſus non eſt: Da mihi regnum, fac me participem tuæ eſſe gloriæ, ſed tantum, memento mei. Indignum eſſe arbitrabatur, vt homo peccator, corde pollutus, alieni raptor in regnum introiret æternum, vbi Chriſtum reuelante gratia triumphaliter regnare cognouit. Prædonis huius ſancti ò catholicæ veritatis profeſſor imitare exemplum, antè quàm venias ad iudiciũ. Corde pendenti domino aſsiſte humiliter, fideliter pete, illumque deuote alloquere, & dic: Memento mei, non tantum vt veniam in regnum tuum, verumetiam vt doloribus compatiar tuis, tuæque communicem paſsioni. Incongruum eſt nempe, vt te patiente, te languente, te moriente ego à cruciatibus illæſus efficiar, potiſsimè quum tui ſim cauſa mœroris. Ego enim ſum, qui deliqui, ego qui meis exigentibus culpis vindictam merui, iuſtitiam Dei irritaui. Conturbaui nanq; cœlum, angelos deſpexi præuaricatus ſum legem, diabolum lætificaui, offendi ſanctos, promiſſa vilipendi, Deoque ſemper aduerſus fui. Tu horum nil egiſti, quum ſis agnus innocens, ſanctus Dei, à facinoribus immunis patri obtemperans, hominumq; ſingularis amator. Tędet prorſus me vitæ meæ, terret me conſcientia, trepidare me cogunt perpetrata delicta, dum te regem gloriæ, decorem regni, vnigenitum Dei, angelorum gaudium in cruce penè expirare conſpicio, aſpernari à perfidis audio, mea perferre ſupplicia cognoſco. O me felicem, ſi pro te mihi daretur interimi domine mi Ieſu. Flendo & mœrens olim ibat Dauid dicens: Quis mihi det, vt moriar pro te fili mi Abſalon? Abſalon fili mi? (2.Re. 18.) Et ego vbertim coram te plorans & gemens ait: Quis mihi det, vt moriar pro te domine mi Ieſu? Ieſu domine mi? lumen oculorum meorum, & baculus infirmitatis meæ? Planè mihi tolerabilior eſſet mors, quàm te intueri coronatum ſpinis, facie cõſputum, rubricatum ſanguine, oculis liuidum, tabe confectum, manibus ac pedibus perforatum, deputatum cum ſceleratis, letoq; propinquum. Nempe angelicus in te ille decor deperiit, regius aſpectus emarcuit, diuina autoritas receſsiſſe videtur. Vt ſol olim facies tua reſplenduit, & nunc in te, ò domine, ſpecies nulla apparet. In monte poſt deuictum, triumphatumque diabolũ tibi miniſtrauerunt angeli, & modo tibi obſcœna ab infidis intorquentur conuitia. Scio, & certiſsimè ſcio, quoniam ſuper te & propter te cœlorum regem natum numeroſus exercitus cœleſtis militiæ officioſiſsime decantauit dicens: (Luc. 2.) Gloria in altiſsimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Vnde nunc opprobria exprobrantium tibi audio, & blaſphemantium te in auribus meis perſonant maledicta? Nonne tu es, qui ſolio diuinæ præſides maieſtatis, vniuerſique machinam perpetua ratione gubernas, atque inter angelorũ hymnidicos choros venerari vt Deus? Tuq; idem es, qui factus es nouiſsimus virorum, virq; dolorum pro ſceleribus populi tui attritus vehementiſsime. Porro contra te videtur turbari cęlum, denigrari ſol, tellus moueri, prouocari homines, dæmonia inſultare, quòdque his maius eſt, genitorem tuum omnipotentem dominum cruciatus negligere tuos, dũ te clamantem percipio, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? (Ioan. 19.) Sic percuſſus es, oneratus doloribus, contumeliis laceſsitus, ac in miſeriarum voraginibus demerſus, ac ſi non eſſes inunctus lætitiæ oleo, nec à contagione delictorum alienus, neque vnigenitus Dei filius. Nempe omnipotentis manus tetigit te, illiuſque ſagittæ transfixerunt te, & indignatio ipſius ebibit ſpiritum tuum. Cęterum & hoc eſt admiratione digniſsimum. Clamauit enim olim Propheta lacus conſtitutus in medio, & à leonum liberatus eſt morſibus, orauerunt tres pueri in fornacis ignem coniecti, & in nullo eos læſit incendium, ingemuit Suſanna presbyterorum teſtimonio condemnata, & ſancto adoleſcente prò ſe decertante coram omni plebe pudicitiæ candore enituit. Hiſne probaris inferior, qui te relictum eſſe fateris? Sãctis omnibus in tribulationibus conſtitutis cęleſte minime pręſidiũ defuit, tibi autem in huius paſsionis articulo ereptionis ſuffragium denegatur? Inundauerunt planè tribulationum aquæ vſque ad animam tuam, raucæ factæ ſunt fauces tuæ præ ſiccitate & laſsitudine, & propterea dixiſti, Sitio. (Ioan. 19.) Nunquid ſitit ſatietas? Sitit ne, qui ſitientium ardoribus refrigerium præſtat? An vitæ fons ſitire valet? Poteſt inquam, quoniam vult. Sitit vtique pereuntium ſalutem, animarum diuinum ſitit honorem, inebriatus amaritudine adhuc duriora ſuſtinere deſiderat, in ſpiritu ſitit charitatis flamma ſucceſſus, ſitit etiam vt verus homo, paſsibilis, mortaliſq;. Quod ſitit, de tuo eſt, quod ſaturat ſitientes, de ſuo. Agnoſce tuum, venerare ſuum, & lauda gratias agens. Quod tuum eſt, in illo dignationis, & poteſtatis eſt, quod verò ſuum eſt, maieſtatis & gratiæ. Dignationis dixerim eſſe, quod natura tua ſe induerit, inter homines conuerſatus ſit, carniſque neceſsitates ſponte pertulerit, ac paſſionis ludibria voluntarie ſubire dignatus ſit. Voluntariè prorſus non coactè, quemadmodum (Ioan. 10.) idem ait, Poteſtatem habeo ponendi animam meã, & iterum ſumendi eam. De hoc & Propheta, (Eſa 53.) Oblatus eſt (inquit) quia ipſe uoluit. Et Petrus, Quum malediceretur, non maledicebat, quum pateretur, non comminabatur. Tradebat autem ſe iudicanti ſe iniuſtè. (1 Pet. 2.) Tradebat (inquit) ſe, vt illius paſsionem agnoſceres fuiſſe ſpontaneam.

Porro

Porro ſi inuita, non ſic Deo grata, tibique non extitiſſet proficua. Verum vt eius muneris intelligas eſſe, quod patitur, ſe quærentibus expoſuit, ſe percutientibus maxillam præbuit, vnde Eſa.50. idem per Prophetam dicit, Faciem meam non auerti ab increpantibus & conſpuentibus in me. Hac dignatione quid dulcius? quid ſublimius? quidve eſſe valet amabilius? Deficit planè ſenſus, ſuccumbit ratio, mens ſtupet, incaleſcit affectus, quum exinanitam cogitat maieſtatem Dei, & filium cruci eſſe confixum. Tranſcendunt iſta humana merita, hominum dignitatem, atque intelligentiam Angelorum. Hinc eſt quod pereuntibus infidelibus verbum crucis ſtultitia eſt, dum voluntarie patitur, ſed iis qui ſalui fiunt, gaudiũ, honor, gratia, & vita perpetua eſt, quoniam diuinæ miſerationis donum, dilectionis pignus, iuſtitiæ debitum, culparum indulgentiam, ſanctificationis ſacramentum, redemptionis pretium, charitatis incendium, cœlorum regnum, ſacroſanctum connubium, & locupletem ſapiẽtiæ theſaurum in ea pura mentis conſideratione latere percipiunt. Quamobrem ardentiſſima cõfeſſione inquiunt, Nos autem gloriari oportet in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem nobis animarum indulta eſt ſalus, reſurrectio futura promiſſa, & vita prærogatur æterna. Merito in illo gloriandum eſt, qui in vltima vitæ ſuæ hora pro hominum redemptione conſtitutus in ligno cõſummatis legalibus ſacramentis, Prophetarumque oraculis cum lacrymis & clamore valido patri ſpiritum reddidit. Abiit quidem ad patrem corpus reſumpturus poſt triduum, vt ſponſæ ſuæ felices manſiones pararet in cœlo. Aſcendit inquam ſubactis hoſtibus tanquam robuſtiſſimus triumphator ad patrem, à quo & nunquam deſcẽdendo diſceſſerat. Venerat enim vt poteſtates debellaret aereas, & eorum diriperet prædã, ſpolia diuideret, captiuorumque animas imperiali dominatione reuocaret ad ſuperos. Hæc planè fuit paſſionis tuæ cauſa Domine Ieſu, vt Dei filios errantes ſicut oues, reduceres ad te vnicum paſtorem verum. Pro ipſis namq; obiiciendo humanam formam, quam geſtabas, ab ipſis ſæuiente diabolos es ſuſpenſus in cruce, in qua expoſito redemptionis pretio, ac deleto damnationis chirographo in ſeruitutem illos tibi vendicaſti perpetuam. Decebat prorſus, quatenus tu in hominibus dominatum ſolus acciperes, qui illos gratuita feceras charitate, manibus plaſmaueras, proprioque cruore redemeras. Hinc o formator & reformator noſter immenſas tibi debemus ſemper exoluere grates, infatigabiliter famulari, exhibere reuerentiam, tuum zelare honorem, concupiſcere gloriam, laudes reddere, prædicare magnalia, beneficia meditari, in ſpiritu aſtare frequenter, teque tota mente, totiſque viribus, ac fragrãtiſſimo amore diligere, qui pius es Pater, Dei & hominum mediator, æternitatis oſtenſor, immortalitatis vitæ largitor, fidelium cuſtos, prædeſtinatarum ouium reparator, reſtaurator cœlorum, mortuorum primogenitus, eccleſiæ ſponſus, lux mundi, ſeculi iudex, via tuta, præclara veritas, ſapientia diuina, incommutabile verbum, ſplẽdor inacceſſibilis, bonitatis Dei imago, vnigenitus Patris, coæternus genitori, cum quo vnà cum Sancto Spiritu regnas in æternum. Amen.

In reſurrectione Domini.

VRbium, prouinciarumque conſueuerũt populi, quoties quicquam ſingularis gaudij, mundanæq; proſperitatis principibus ſuis emerſerit cauſa copioſa lætitiæ portendere ſigna, quatenus ex corde ſiue ex ſola tãtum exteriori oſtentatione eiſdem congratulari noſcantur. Nam charitas vera atque ſyncera affectio hoc ſemper habet proprium, vt ex animo ſtudeat gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Id planè vbi veraciter ineſt, agit indubie; vbi autem abeſt, hoc idem frequenter arte componitur. Hinc eſt, quod præſens ſeculum iniquitate ſuperabundans verum fideliter diligat, ſæpiſſime ignoratur. O quàm iugiter fingit, & ſanctæ charitatis tegmento ſe veſtit. Quum reuera priuata affectione ducatur, videmus quantoties inter cognatos, affines, & notos iſta vigere, adeò vt vix reperiatur, qui proprio amore careat, noritque lętari ex charitate cum lætis, atque plorare cum flentibus. Hęc pręcipua fraternę dilectionis regula penes ſacroſanctam matrem viget eccleſiam. Habet nanque perfectionem ſuã in membris ſingulis iuxta donorum qualitates diffuſam, & eſt ipſa immaculata atque perfecta, quoniam viro ſuo Chriſto per ſpirituale cõnubiũ copulata effecta eſt nupta, mater, & virgo. Virgo quidem propter excellentem ſanctitatis ſuę mũditiam, mater autem ob ſpiritualem fœcunditatem prolis, nupta verò ex ſingulari vinculo charitatis. Didicit planè in membris & capiti conformari ſuo, ita vt in ea ſit cor vnum, anima vna, eadem voluntas, dona communia, & inuicem ſentiendi ęqualis intentio. Facta eſt omnia omnibus, vt vnico ſuo vnicè dilecto lucrifaceret vniuerſos, & eſſet corpus myſticum perfectum in membris, ac capiti ſuo copulatum atq; connexũ. Hinc eſt, quod omnino hoc ſentit in ſe quod in Chriſto Ieſu ipſius ſponſo cœleſti. Illique prout humana admittit fragilitas, in membris peregrinantibus per omnia ſe coaptare conatur. Hoc agit in ſpiritu, hoc euidentibus indiciis perficit foris. Quamobrem in eadem mos inoleuit, vt ſecundum temporum ſtatuta, in quibus eundẽ mediatorem Chriſtum per naturam humanitatis aſſumptam mirabilia egiſſe cognoſcit, eadem in cęremoniis atq; in diuinis officiis rememorare

non

non deſinat, quatenus debilia membra mediantibus exterioribus ſignis ad ſui reuocet cognitionem autoris. Iſtiuſmodi piæ deuotionis ſtudio cum naſcente puero efficitur puer, infantem in cunabulis adorat cum magis, & myſticas munerum ei offert ſpecies. Illum cum genitrice comitatur ad templum, volucribus mundis redimit, & cum Simeone ſene ſanctiſsimo in vlnas ſpirituales ſuſcipiens vagientem exultat & laudat, atque modulationis delectabile carmen decantans ait, Luc. 2. Nunc dimittis ſeruum tuum Domine ſecundum verbum tuum in pace. Quid multa? In cunctis pro perceptorum recordatione donorum ad exhortationem fidelium & proficientium, robur, perfectorumque lætitiam ſponſo ſuo nititur non eſſe diſsimilis. Nempe ad præſens ſermo denunciat, hodierna declarat ſolennitas. In ipſa ſiquidem obortum humano generi nouum eſt gaudium. Ea propter concinunt lætantes chori, organa concrepant, miniſtri altaris veſtiuntur albis, in filiis toto orbe terrarum diffuſa ſancta mater exultat eccleſia, & per vniuerſas plateas & vicos ab omnibus alleluia cantatur. Nullus niſi infidelis & mortuus ab huiuſmodi alacri ſolennitate ſecernitur. Gaudent ſinguli, cuncti, viciſsimque lætantur & dicunt, Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea. Pſal. 117. Hæc vtique eſt dies præclara & celebris, excelſior cunctis, ſanctior vniuerſis, in qua mundi conditor ab inferis reſurgens in corpore victor glorioſiſsimus remeauit ad ſuperos. Hodie inquam mortis deletum eſt antiquum chyrographum, & originalis delicti culpa laxata. Nempe quod ſeminatur in carne, reſurgit in ſpiritu, & humanæ naturæ ignobilitas mutatur in gloriam, virtutem tranſit infirmitas, & pro corruptione Pſal. 115. incorruptionis excellentia prærogatur. Quid ergo ô homo retribues Domino pro omnibus, quæ retribuit tibi? Te Deus tuus reuocauit ad pacem, te duxit ad patrem, te prouexit ad gloriam, te decore induit, teque immortalitatis dote veſtiuit. Corpus quippe tuum renouauit in ſpiritum, vt ſpiritum tuum reformaret in ſe. Angelorum gloriæ te hodie fecit eſſe conſortem, & cœleſtis patriæ tibi tradidit principatum, priſtinæ te reſtituit libertati, & dignitatem originalis conditionis commutauit in melius. Quid inquam retribues Domino pro omnibus, quę retribuit tibi? Mentis tuæ excelſa conſcende, & cunctis, quę inferius ſunt, oblitis, diuinis intende laudibus. Eſt enim ſacrificium iuge, in quo plurimum delectatur omnipotens, & ſeruitutis debitæ honorem Pſal. 49 admittit. Sic nanque per Prophetam inquit, Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quo oſtendam illi ſalutare Dei. De quo (oro) qui iam æternæ fœlicitatis adepti ſunt gloriam, delectantur amplius, quàm in diuinæ maieſtatis laudatione iucunda? Beati (inquit Propheta) qui habitant in domo tua, in ſecula ſeculorum laudabunt te. Illis ergo in hac præcipua reſurrectionis ſolennitate ſtudia tua ſpiritualia coæquare contende, quatenus ita eorũ gaudiis cõmunicare valeas, quemadmodum beneficiis participare cœpiſti. Exultatione igitur exhilaratus & iubilo curre, diſcurre, & omnibus redemptionis beneficia confitere. Feſtino inſuper gradu mentis non corporis ſuſceptis tecum aromatibus pretioſis dominicum viſere cura ſepulcrum. Ibi lacrymas deuotionis effunde, nec vſquam diuertas, donec reſuſcitati Domini veſtigia teneas, contrectes manu, ac lenias oſculis clauorum glorioſa foramina. Illum audi loquentem, agnoſce viuentem, dilige diligentem. Dies iſte tibi ſolennis extat, in qua habita Dominum tuum pertractandi licentia fide locupleteris & gratia. In hoc ſpirituali amoris præludio humiliter perſeuera, quam diu euaneſcat à te, vt in Emaum duobus peregrinantibus Diſcipulis tertius efficiatur comes. Dilecti autẽ tui inebriatus præſentia tumulum relinque vacuum, & abſentem ſponſum ſedula animi meditatione perquire. Age itaq; in ſpiritu, vt poſt ambulantium Diſcipulorum terga ſubmiſſe incedas, dilectumque tuum illis iam aſſociatum aſpicias, ſermocinantium verba auſcultes, & Dei ſapientiam ſub peregrini effigie ſcripturas diſſerentem intelligas. Tunc ſicut & Diſcipulorum tuum amoris face cor ardeat, & eloquiorum ignitorum illius ſagittæ te feriant. Porro ſi fueris eruditus in ſpiritu ex repentina innouatione mentis, ex charitatis incendio, ex ſuauitate ſermonis, atque ex intelligentia ſcripturarum ſponſum tuum agnoſcas eſſe, qui loquitur. Illum autem etſi necdum tanquam Dominum, tamen velut peregrinum in cordis tui hoſpitium compelle, vt intret, & cum exultatione ſpeciali liqueſcente prædulcedine anima humilitatis illi menſulam para. Non enim mercede interiori priuaberis, ſi illum cum dilectione ſuſcipies, iuxta ipſius pollicitationem dicentis, Quicunque recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet, & Marc. quicunque recipit iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti accipiet. Diſcumbentibus quippe cunctis in illo præcipue conſiderationis obtutus fige, mores eius obſerua, eloquia meditare, & prius quàm panem apponas, tecum confer, & dic, Eſt ne iſte ſponſus meus, & Deus meus? Nunquid in habitu peregrinantis, ne agnoſcatur, apparuit? Cæterum ſi peregrinus eſt & aduena, vnde illi tã præclara ſapientia? Quomodo in illo tanta redolet sãctitatis fragrãtia? Cur illo mediante tam vehemens mihi prærogata eſt amoris flamma? Reuixit planè ſpiritus meus, & oia interiora mea ad ſermocinationẽ ipſius cõpleta ſũt iubilo. Præter humanã cõſuetudinẽ hoc in me actũ eſſe fateor. Quantos quotidie peregrinos intueor, quos homines mira prudentia, atque incomparabili eloquentia

quentia præditos audio, & tamen neminem vnquam talia proferentem cōperi, nunquam huiuſmodi exultationem corde percepi. Hæc prorſus mutatio eſt dextræ excelſi. Equidem ſcio, quod ſoli Deo mortalium corda famulantur. Cæteris reſidentibus foris ſibimet ipſe ingrediendi egrediendique retinet poteſtatem. Spirat vbi vult, & quibus placet, nec eſt, qui ſuæ valeat reniti maieſtati. Sentiri quippe poteſt, eius verò ſpiritualis præſentia minime intueri. Quamobrem mirum non eſt, ſi carnales noſtros nūc tegit oculos, nec agnoſci queat, ſi Dominus eſt, quum id etiam frequenter ſpiritualibus agat. Nempe vox illius dilecti mei vox eſt, aſpectus autem hominis peregrini atque ignoti. In tali verò ambiguitate conſtrictus ſcio, quid faciam, vt mihi cognoſcibilis fiat. Conſueuit nanque in refectione prius quàm cibū capiat, appoſita benedicere, panē frangere, ac ſimul diſcumbētibus impertiri. Panem igitur humanitatis cauſa afferam, & qualiter ſe habebit ſolerter obſeruabo. Hoc mihi notiſsimum præſētiæ illius indicium erit. Allatum itaque panem ſuſcipiens mediator manibus benedicendo fregit, appoſuit, atq; apertis diſcumbentium oculis lætus euanuit. Hæc tecum iucundo animo meditando reuolue, te præſentem in ſpiritu exhibe, agnoſcentē, loquētem, contrectantem, gaudentem, mirantemq;. Verum vt omnis hæc dies tibi feſtiua pertranſeat, & (iuxta Prophetam) veſpere, mane, & meridie contēplando ſponſi tui ſuaui præſentia potiaris quemadmodum mane ſepulcrum, ita meridie ſole iam ad occaſum vergēte relinque mēſam, & gradu concito cum ſociis regredieris Hieruſalem. Perges autem ad domum, vbi Maria cum cæteris reſidet, quatenus agnoſcant & ipſi te referante, quod videris. Tūc noctis incumbente crepuſculo lętantibus vniuerſis in medio cœnaculi foribus clauſis Dominum contemplare aſtantem. Dubietatis omnino caliginem abige, vt reſurrectione celebrata valeas gaudere, atque cum ipſo Domino delectabiliter fari, palpare manus, videre faciem, cicatrices tāgere, pacem ſuſcipere, & cum eo omnibus interioribus tuis iubilātibus in ſpiritu epulari. In his exuberantem conſequeris deuotionis dulcedinem, ſi corde mundus, & ſpirituali fueris reſurrectione renatus. Prima nanque reſurrectio eſt peccatorum euaſiſſe tenebras, atque futurorum bonorum deſiderio inflammari, dicente Apoſtolo, Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt, quærite, vbi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens, quę ſurſum ſunt, ſapite, non quæ ſuper terram. (Coloſ. 3.) Verus ergo dominicę reſurrectionis eſt cultor, qui per virtutis ſtudium, & pii amoris incendium mediatori Chriſto inhærere concupiſcit. Huiuſmodi myſtico Chriſti coniunctus in corpore iam reſurrexiſſe ſpiritualiter, iamque cum illo ad cælos aſcendiſſe cognoſcitur, ſicut Paulus inſinuans inquit, Qui reſuſcitauit, & conſidere nos fecit in cœleſtibus cum Chriſto. (Ephe. 2.) Quamobrē ò fideles, qui de Domino in bonitate ſentitis, atque gratiæ illius participes fieri meminiſtis, toto deuotionis affectu reuertimini ad vos, vt congruo ordine exultetis in Domino. Canite tuba in Sion, vocate cœtum, congregate populū, ordinate ſenes, vberaque ſugentes. (Ioel. 2.) Egrediatur ſponſus de cubili ſuo, & ſponſa de thalamo ſuo, quatenus omnes voce cōſona & pari modulatione oris & cordis carmen iucunditatis & lætitiæ pręcinatis dicentes, Hęc eſt dies, quā fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea. Exultemus inquam, quia reſurrexit ipſe; lætemur autem, quoniam reſurgemus & nos. Nempe gigas ille fortiſſimus vigilans de ſepulchro ablatis Gazę ciuitatis Philiſtinorum ianuis mediæ noctis ſilentio futuræ reſurrectionis aſcendit in mōtem. Mortis quidē calcauit imperium, & inferorum clauſtra propria virtute momordit, propter quod læta hodie vbique mater promit eccleſia, Vbi eſt mors victoria tua? Vbi eſt mors ſtimulus tuus? Capitis etenim decore veſtita quam reſurrectionis gloriam accepit in paucis, hanc in extremo tempore nequaquā dubitat ſe habiturā eſſe in omnibus, quemadmodum ore prophetico Dominus pollicitus eſt dicens, (Ezec. 37.) Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris populus meus, & inducam vos in terram Iſrael, & ſcietis, quia ego Dominus quum aperuero ſepulcra veſtra, & eduxero vos de tumulis veſtris populus meus & dedero ſpiritum meum in vobis, & viuetis, & requieſcere vos faciam ſuper humum veſtram, & ſcietis, quia ego Dominus locutus ſum, & feci. Spe igitur futurę reſurrectionis exhilarati chariſſimi ad propoſitum nobis ad incorruptionis brauium percurramus, aſpicientes fidei oculo in autorem & conſummatorem Ieſum, qui in diebus carnis ſuæ certamine pro nobis inito mortem ſuſcepit & vitam. Semel quippe ad euacuanda multorum delicta pro peccatoribus moriens atque reſurgens à mortuis vltra non moritur. Proinde viuorum teſtis, & primogenitus mortuorum, atque regum terræ princeps effectus, prædeſtinatis omnibus reſurrectionis gratiā donauit & gloriam. Igitur (iuxta Prophetæ exhortationem) exultemus in Domino, iubilemus (Pſal. 94.) Deo ſalutari noſtro, præoccupemus faciem eius in confeſſione, & in pſalmis iubilemus ei, qui eſt ſponſus eccleſiæ, & rex benedictus in ſecula ſeculorum, Amen.

In ſolennitate ſancti Georgij Martyris.

QVotieſcunque ad agēda ardua quęque inducimur, opitulamur optime ad id perficiēdum, ſi ratione inſtruimur, vel prouocamur exemplo, ſeu condigna mercede ali-

allicimur. Nempe mercenarius mercede, exemplo rudis, ſapiens verò ad aggredienda difficilia ratione compellitur. Psal. 118. Vocem mercenarij Prophetam exprimentem audi, Inclinaui (inquit) cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum propter retributionem. Exemplo Diſcipulos ſuos adhuc rudes magiſtrum excitantem vis noſſe? Dominum Ieſum obſerua dicẽtem, Ioan. 13. Si ego laui veſtros pedes Dominus & Magiſter, ita & vos debetis alter alterius lauare pedes, exẽplum .n. dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis. De ratione autem quid dicam, quum propterea homo rationale animal dicatur, quoniam ratione dirigitur, ratione flectitur, ratione conuincitur? Porro ſi homo rationi non acquieſcit, aut ea non vtitur, rationalis impropriè nuncupatur, Psal. 48. Hoc Propheta inſinuans ait, Homo quũ in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Iumentis ideò aſſimilatur homo, quia appetitu ſolò trahitur ſenſuum, rationis in ſe iudicio dormitante, per quod appetitus ſenſualis debuerat regi. Subuertitur quippe ex hoc autoris imperium, qui rationem ſenſualitati præeſſe inſtituit. Rectum nanque condidit hominem, quamuis ipſe in multis ſe irrationabiliter immiſcuerit. Fecit enim Deus illum ſic in naturalibus bene compoſitum, quatenus ad obtemperandũ creatori ſuo naturali etiam traheretur impulſu. Caſum præuidens eius voluit exurgendi præſtare remedium, atque obediendi dare ſuffragium. Porro ſola obedientia eſt, quæ iacentem erigit, cuſtodit iuſtum, dirigit innocentem. Vnde (oro) caſus in homine? Nonne ex tranſgreſſione præcepti? Comedit vetitum, quod, ne manducaret, acceperat in mandatum, & factus eſt reus, amiſit innocentiam, perdiditq́; iuſtitiam. Non igitur niſi obedientia mediante fuerat erigendus. Hinc eſt, quod mediator noſter ſicut nouus homo in mundo apparuit, ita, noua præcepta induxit hominibus, quæ quamuis ardua, rationabilia tamen eſſe probantur. Arduum quippe eſt crucem quotidie tollere, & poſt Dominum ambulare. Arduum eſt odiſſe patrem & matrem, fratres & ſorores, propinquos & filios, adhuc etiam & animam ſuam. Difficilia profectò ſunt iſta, & humanum viuendi tranſcendunt vſum. Hoc antiqua neſcierunt tempora, quoniam naturæ ſupergrediuntur ordinem. Gratiæ conueniunt ſtatui, in quo manifeſtantur diuina, promittuntur cœleſtia, atque præcelſa exhibentur. Latorem attende gratiæ, & conſiliorum præceptorem quid dixerit, quidve in ſe ipſe perfecerit, diligenter obſerua. Illum vis noſſe? Ioannem eidem teſtimonium in Euangelio perhibentem audi, Ioan. 1. Lex (inquit) per Moſen data eſt, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. Hic eſt, qui in ſpiritu veniens, ſpiritualia mandata inſtituit, docuitq́;, vt renunciaremus omnibus, ſi eius cuperemus eſſe diſcipuli, verum vt quod inſtruebat verbo, etiã indicaret exẽplo, quicquid docuit ipſe perfecit, atq; ratione firmauit. Egit prudenter, vti diuinam decebat ſapientiã, quæ in carne ideò venerat, vt repararet hominem, & reformaret per gratiã, quod per culpã erat amiſſum. Nouerat opus ſuum ipſe, quod fecerat, quàm pronũ eſſet ad lapſũ, quã cæcum ad lumen, quã tardum ad rationem, quàmve reniteretur ad bonũ. Hinc illum mercede allexit, prouocauit exemplo, atq; erudiuit ſapienter, vt præceptoris minime negligeret obtemperare mandatis. Erudiuit inquam per fidem, per paſsionis tolerantiam prouocauit, atque hominis concupiſcentiam ex cœleſtium promiſsione illexit. Cunctorum autem Deum eſſe fides docet. Niſi fides faueret, hoc ratio denegaret humana. Propterea peritorum fuere quàm plurimi, qui aſſeuerare ſunt auſi mundum æternum eſſe, atque ex nihilo non poſſe fieri aliquid, quod commentum ſancta ab initio anathematizauit eccleſia. Gene. 1. Ioan. 1. Fatetur vtique verum eſſe, quod legitur, In principio fecit Deus cœlum & terram. Et illud, quod per Euangeliſtam dicitur, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt & ſine ipſo factum eſt nihil. Nihil excluſit dicens, omnia per ipſum facta ſunt, præter id, per quod facta ſunt. Cœlum, Solem, Lunam, Stellas, Angelos, Aerem, & quicquid ſpirat per eum, aquas, & omne, quod natat illis, terram, & vniuerſa quæ producuntur ex ea, vegetant, viuunt, & mouentur in ea, ipſum etiam hominem, de cuius creatione mentio ſpecialis habetur, ne inaniter eleuetur ſupra id, quod eſt, velitq́ue plus ſapere, quàm oportet. Gene. 2. Sic enim habet, Formauit igitur Deus hominem de limo terræ, & ſpirauit in illum ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuẽtẽ. Narrat diuinus ſermo Deũ formaſſe hominẽ de limo terræ, ne alium corporis ſui quàm Deum veneraretur autorem, diſceretque, quid eſſet, ne de ſe ſuperbiẽdo præſumeret, qui ſe de limo viliſsimo ſciret eſſe plaſmatũ. Ipſe quoque, qui corpus condidit, animam inſpirauit, quę (videlicet) ipſum viuificaret corpus, rationeque polleret, per quam opificem agnoſceret ſuum, diligeret, coleret, laudaretq́;. Clamat igitur innata hominis ratio, vt illum ex toto corde & ex tota anima diligat, eidẽq; totis viribus famuletur, à quo gratis non ſolum eſt conditus, verum etiam reformatus, atque redemptus. Factus quidem eſt per gratiã, reformatus per aquam, redẽptus autẽ per ſanguinẽ. Ioan. 5. Hic eſt (inquit Ioannes) qui venit per aquam & ſanguinem Ieſus Chriſtus, non in aqua tãtum, ſed in aqua & ſanguine. Dedit .n. homini, vt eſſet & hoc ſine præcedentibus meritis. At quoniam quod perceperat homo, delinquẽ-

do amiſit, non (videlicet) eſſe naturæ, ſeu gratiæ, illum reformauit per aquam baptiſmi, ſeu Spiritus Sancti, de qua legitur, *Ezec. 36.* Dabo vobis (ait Dominus) aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. Atque redemit per ſui effuſionem cruoris, dum penderet in ligno, quatenus certiſsimè ſciret illius ſponte ſe debere mancipari obſequio, à quo percepit, nedum vt eſſet, qui non erat, verumetiam vt reficeretur, & qui perierat, redimeretur. *Pſal. 118.* Erraui (inquit Propheta) ſicut ouis, quæ periit, quære ſeruum tuum. Quæſiuit errantem ad auram poſt meridiem, & in medio luporum reperit, repertumque lauacro regenerauit aquæ, & ſanguine conſecrauit. Hic eſt funiculus triplex connexus à Chriſto, qui ingratitudine ſola dirumpitur. Iſto rationales homines trahit ad ſe. *Ioan. 12.* Quum exaltatus fuero (inquit) à terra, omnia traham ad meipſum. *Oſe. 11.* Et per Prophetam, In funiculo Adam, in vinculis caritatis attraxi te miſerans tui. Recogita igitur ò homo, quis te fecit, refecit, perfecit, & affluentiſſime ſapientiam, exemplum adinuenies atque mercedem, Sapientiam vtique myſterio, exemplum in ligno, mercedem autem in cælo. Hinc ad obedientiam arduorum alacer, ad tolerantiã aduerſariorum fortis, nec minus ad cõtemptum viſibilium eris accenſus. Hæc mentis intuitu ſancti aſpexere martyres, propterea ſpreuerunt ſeculum, paſsiones calcarunt, & imitati ſunt Chriſtũ, qui vſque ad mortem crucis pro nobis obtẽperauit Patri. Ex illis Georgius propugnator eximius extitit vnus. Terrenæ nãque abrenunciauit militiæ, vt Chriſti miles efficeretur egregius, facultates quas habebat diſperſit pauperibus, vt diuitias perennes poſsideret in cœlo, ſuam quoque animam odiuit in mundo, vt in vitam illam cuſtodiret æternam. Repererat pretioſam margaritam latitantem in agro, per quod diſtractis omnibus mercatus eſt eam, Dominum dixiſſe audierat, niſi quis renunciauerit omnibus quæ poſsidet, non poteſt meus eſſe Diſcipulus, *Lucæ. 14.* Prætulit diſcipulatum Chriſti opibus, honoribus, voluptatibus, corpori, & temporali vitæ, ideò intrepidus, armatus, & nudus ſecutus eſt Chriſtum. Non carceres, gladios, fuſtes, vincula, aculeos, tortores, ignem, tyrannos expauit, nec mortem. Nudus nudum Chriſtum attendebat in ſtipite, illius accendebatur exemplo, eiuſque paſsionis doloribus angebatur. O beata mens martyris, quæ nec tribulatione, nec anguſtia, nec plagis, nec laboribus, nec præſentibus, neque futuris à Chriſto valuit ſeparari. *Galat. 2.* Viuebat in carne, & corde cum Chriſto iam pendebat in cruce, ideoque dicebat, Chriſto cruci confixus ſum, viuo ego, iam non ego, viuit autem in me Chriſtus. Longè excellentius Martyr ſic mortuus viuebat in Chriſto, quàm ſi feliciter florens alienus eſſet à Chriſto. Eſt planè quædam beata mors, & quædam vita miſerrima, nedum in futuro, verumetiam in præſenti ſeculo nequam. De futuro nanque ſic habes, *Ioan. 11.* *Pſal. 33.* Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. Et alibi, Mors peccatorum peſſima. Peſſima propterea peccatorum mors dicitur, quia cruciatibus viuit, nutritur flammis, deſperationis mucrone tranſfigitur, mortiſque acerbitate non moritur. Sanctorum autem ob hoc pretioſam eſſe mortem noſcitur, quia miſeriis finem exponit, exilii, perpetuæ felicitati præſtat aditum, immortalitatis tribuit ſtolam, coæquat Angelis, & electos quoſque coniungit Chriſto. Impræſentiarum nempe deteſtanda ſpiritualis quædam mors eſt, quæ eo minus in corpore probatur pernicioſior eſſe, quo proſperis magis ſucceſsibus pollet, abundat deliciis, facinoribuſque repletur. Iacet prorſus tunc anima delictis oppreſſa, & defuncta in ſepulchro malę conſuetudinis cæcata tenebris, conſcientię onere grauata, fœtens in voluptatibus carnis, ſicut de talibus ore prophetico dicitur, *Iohel. 1.* Cõputruerunt iumenta in ſtercore ſuo. Putreſcentes illos appellat non mortuos, vt poſt mortem eoſdem etiam putruiſſe denunciet. Mortis huius horrendę figuram Lazari quatriduani fœtentis in tumulo denunciabat conditio, quæ à ſanctis ideò ſororibus plangebatur, quia ſpirituali carebat vita. Spiritualis nanque & vita vera Chriſtus eſt, quem qui poſsidet, mundo mortuus eſſe cenſetur, & viuus Deo. Hos Apoſtolus fidelibus diſcipulis perhibuit dicens, *Coloſ. 3.* Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cũ Chriſto in Deo. Verum ne iſtam ſecundum carnem, vel ſemper eoſdem appellaſſe mortuos arbitraretur quis, adiecit, Scimus quod quum Chriſtus apparuerit vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria. Vides quàm locuples talis ſit mors, quę vitã cum Chriſto pręſtat ęternam. Sic planè mortuus erat beatus Georgius viuẽs in Chriſto. Mortuus quippe erat vitiis, mortuus erat ſeculo, mortuus erat & ſibi. Niſi taliter fuiſſet mortuus, minime Chriſto viuere potuiſſet. An nõ mortuus erat ſeculo, qui oblatas dignitates & gaudia pro amore Chriſti & ſpe ęternę mercedis repudiauit vt ſtercora? Nonne vitiis erat defunctus, qui laboribus abſtinẽtia, paupertate, virtutibuſque cęteris corpus quotidiana maceratione domabat? De talibus Pauli voce dicitur, *Galat. 5.* Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixere cum vitiis & concupiſcentiis. Quomodo verò ſibiipſi vixiſſe ſanctus iſte dicendus eſt, qui Verbum Dei circumquaquaque diſſeminans Chriſto gloriam audientium auribus inſonabat? Quos valebat auferre Diabolo, lucrabatur Chriſto. Magnanimitate nanque pręcinctus, & charitatis dono ſuffultus coram regibus & terræ principibus Chriſtum libera confitebatur voce. Hinc factum eſt, vt carceri manciparetur, virgis & ſcorpionibus cæderetur, lampada-

padarum vſtionibus cremaretur, laniaretur, torqueretur, perimeretur. In his quoniam viuebat in Chriſto, ſe exhibebat vt mortuum. Nulla planè in illo querimoniæ reſonabat vox. Nullus repugnandi motus, nulla intolerantiæ ſeu murmurii eidem inerat cogitatio, ſed lætus corde, intentione immobilis, deuotus animo menteque tranquillus laudabat Deum, carnificibus compatiebatur, ſe odientes diligebat. Erat prorſus hoc grande prodigium intueri hominem hilari vultu, religioſis ſermonibus intrepido corde gaudere ſuppliciis, & morti ſe ſponte ſubiicere. Cuius hęc immenſa ò Deus eſſe fatenda ſunt opera, niſi tua, qui facis mirabilia magna ſolus? Qui enim cœlum pugillo contines, & terram metiri palmo ſancti tui Georgii poſsidens animam veluti inſenſibilem illum faciebas in pœnis. Exhibuerat ſeipſũ tibi hoſtiam viuentem, ſanctam, atque virtutes redolentem. Iſtius ſacrificium innocentis Abel oblationibus (vt arbitror) prætuliſti, quoniam de ſuis ille, iſte autem holocauſtum ſuum exoluit ex ſe, quanquam & ille ſeipſum innocenter videndo donauerit tibi. Ambo tamen iuſti, ambo tibi gratiſsimi. Ille fratris liuore, iſte autem pro tui nominis glorioſa confeſsione occubuit. Ille decimas & munera tibi fideliter offerebat, iſte verò totum, quod poſsidebat, diſtribuens, egenos & viduas diuitiarum ſuarum fecit eſſe hæredes. Veneratione prorſus dignus eſt, qui vt expeditius ambularet poſt Dominum terrenarum facultatum reiectis oneribus martirii viriliter certamen aggreſſus eſt. Nouerat duobus Dominis ſeruire non poſſe. Illum præpoſuit, illique famulari elegit, cuius iugum ſuaue eſt, onuſque leuiſsimum. Domino nanque, cui obtemperari decuit, amoris quem in tolerantia paſsionis exhibuit, rependere curauit vices. Tanquam bellator pręcipuus arbitratus eſt fore incongruum, vt patiente rege atque pro animarum occumbente ſalute ipſe ſegniter viueret, & ſine certaminis exercitatione deficeret. Frequenter animo illud Euangelicum reuoluebat, Maiorem charitatem nemo habet, vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Quãobrem dilectionem quam habebat ad Dominũ, factis maluit oſtendere, quàm verbis. Redemptorem vtique ſuum non ingratus de munere eſt
Eſa. 53. imitatus in morte, de quo ait Propheta, Sicut ouis ad occiſionem ductus eſt; & tanquam agnus coram tondente voce obmutuit non aperiens os ſuum. Obmutuit planè iſte, & os ſuum niſi orando aperuit, quatenus hoſtia Deo Patri acceptabilis fieret. Nec illi in longanimitate patientiæ inueniretur diſsimilis, qui in crucis perpeſsione ſupplicii, eloquium nullum contradictionis emiſit. Hinc geſtum eſt, vt Domini ſui ſicut ſocius extitit pœnæ, ita particeps illius efficeretur gloriæ, qui in cœleſti regno cum Patre, & Spiritu Sancto triumphat in ſecula. Amen.

In feſto Sancti Marci Euangeliſtæ.

PEragrantibus nobis in huius vitæ ærumnoſo itinere eo maior accreſcit fiducia pertingendi ad patriam, quo ſolidioris autoritatis catholicam munitam agnoſcimus eſſe eccleſiam. Vbi enim viæ dubietas eſt, procul dubio ibi eſt & gradiendi tarditas. Verum aliqualẽ ambiguitatem in orthodoxa fide ineſſe dubitet nemo, hanc qui fundauit non ſuper arenam, neque ſuper arentem locauit terram, ſed ſuper duriſsimam petram (videlicet) ſuper ſe, de quo ait 1.Cor 10
Paulus, Petra autem erat Chriſtus. Nedum ſtabiliuit illam in ſe, verumetiam ſcripturarum teſtimoniis, oraculis Prophetarum, Apoſtolorum prędicationibus, portentis miraculorum, martyrum innumerabilium ſanguine, atq; iuſtorum omniũ aſſertione muniuit. Tali eam inſtituit robore, vt nullus diffideret id confiteri, quod ipſa. Summæ etenim dementiæ eſt aut Prophetarum vocibus, aut Apoſtolorum teſtimonio repugnare. Repugnare dixerim, etſi non vocibus, tamen vita. Sunt planè, qui fatentur ſe noſſe Deum, factis autem negant. Huiuſmodi quamuis vera proferant, mendaces tamen ſunt, non veritati, ſed ſibi. Veritas enim nullius teſtimonio indiget, habet teſtimonium in ſe, cui neque malus neque iniuſtus valet obiicere quicquam. Dat voces ſuas in cordibus omnium ratione vtentium, conuincit illos, & legibus ſuis (velint nolint) facit eſſe ſubiectos. Ipſi nanque veritati peruerſi homines non ratione, ſed ſola voluntate reſiſtunt. Eſt enim humana ratio arbiter quidam æquiſsimus eruditus per legem veritatis, quæ lumine ſuo neminem facit exortem, ſed lucet ſuper bonos & malos, & ſe infundit ſuper iuſtos, atque iniuſtos. Hæc vniuerſos complectitur, ſeruos & liberos, Scythas & Barbaros, mares & fœminas, Iudęos & Græcos, fideles atque Gentiles. Lege quippe ſua veritas non ſolùm, qui ſub lege ſunt, ſed etiam qui ſine lege eſſe creduntur, abſque errore diiudicat. Illos ſibiipſis inſinuat, atque conſcientiæ propriæ facit eſſe notiſsimos. Clamat pro veritate conſcientia ipſius irradiata ſplẽdore in cordibus mortalium; atque iuxta qualitates operum gloriam pollicetur, ſiue minatur ipſa ſupplicium. De hoc Apoſtolus inquit, Quum enim gentes, quæ legẽ Rom. 2.
non habent, naturaliter quæ legis ſunt, faciunt, eiuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationũ accuſantium, aut etiam defendentium, in die quum iudicabit Deus occulta hominum ſecundum Euangelium meum. Vnde (oro) qui ſine lege ſunt, ſibiipſis ſunt lex? Vtique per rationẽ cõſcientia ipſorum iudicante, quę in arcano à veritatis eruditur lege. Nam cõſcientiam aliud intelleſſe

arbitror, quàm rationis iudicium in veritatis lumine propalatum atque diſcuſſum. Hinc rectè colligitur, quod qui conſcientiæ bonæ carent vſu, & conditoris abutuntur munere naturali, introrſus quidem veritatem percipiunt, nolunt tamen intelligere, vt bene agant, eorum (ſcilicet) malitia ſeu voluptuoſæ carnis illecebra ſubuertente arbitrium. Hinc peccati ſerui & liberi efficiuntur iuſtitiæ, taliaque perpetrant, de quibus merito poſt erubeſcant. Beatus planè, cuius naturalis ratio vehiculo ducitur veritatis, eiuſque pulchritudine ſemper allicitur. Porrò non extinguetur in nocte tentationis lucerna illius, neque in huius peregrinationis tabeſcet itinere. Talis profecto fuit glorioſus Euangeliſta Marcus; cuius miræ ſanctitatis præconia, & diri agonis felicem exitum vbique hodie extollit eccleſia. Iſte nanque de tenebris veritatis vocatus ad lucem, eiuſdem veritatis teſtis eſt factus & præco. Nemo ſanè ſufficienter edicit, quanta per hunc erudimenta virtutum, fidei ſacramenta, dona gratiæ, futuræ vitæ indicia, ſtupenda Saluatoris geſta, veritatis teſtimonia ſancta perceperit eccleſia. Iſte etenim eſt, quem Ioannes myſterialiter præuidens ait, Vidi alterum Angelum volantem per medium cœli, habentem Euangelium æternum, vt euangelizaret illud ſedentibus ſuper terram. Angelus verò nuncupatur, quia degens in carne Angelicam ducebat vitam. Quãuis enim cum hominibus conuerſaretur, humana pertractaret negotia, & corporalis vitæ ſuſtentaretur alimonia, mente tamen & deſiderio iugiter ferebatur in cœlum, ita vt cum Apoſtolo diceret, Conuerſatio noſtra in cœlis eſt. Nam quod ſperabat implendum, contemplando atque diligendo guſtabat, ex parte tamen. Nam quandiu ſumus in corpore, peregrinamur à Domino per fidem ambulantes non per ſpeciem. Volaſſe autem perhibetur, vt vndique illum Euangelium ſanctum annunciaſſe oſtenderet. Nempe in omnem terram ſonus eius Euangelii concrepuit, & in fines orbis terræ verba prædicationis ipſius manifeſtata noſcuntur. Magnus volatus iſte eſt, qui per climata mundi alas ſuas extendit. Habet alas quatuor hic Angelus noſter Euangeliſta Marcus, & facies totidem, quemadmodum per Prophetam ſub animalium quatuor figura dicitur, Similitudo quatuor animalium quatuor facies, & quatuor pennæ vni, ſimilitudo autem vultus eorum facies hominis, & facies leonis à dextris ipſorum quatuor, facies autem bouis à ſiniſtris ipſorum quatuor, & facies aquilæ deſuper ipſorum quatuor, & facies eorum & pennæ eorum extentæ deſuper. Mira Prophetæ huius viſio in Euangeliſtis perfecte completa. Singulis nanque Euangeliſtarum quatuor facies ineſſe declarat, ſiue propter eorundem conformitatem in narratione geſtorum Saluatoris, quoniam quod

Apoc.14. Philip.3. Ezech.1.

vnus affatus eſt, diſſeruerunt & cæteri, ſiue propter ſpiritualem intelligentiam facierum atque pennarum, quæ in vnoquoque eorum perſpicuè claret. Per humanam quippe faciem ſuſceptionẽ diſciplinæ, quæ moribus ac virtutibus decoratur, per leonis verò effigiem rugitum prædicationis; quæ doctrina Euangelica mediante perficitur; per bouis autem vultum tolerantiam pœnæ, quæ in carnis maceratione percipitur, atque per aquilæ ſimilitudinem contemplationem præcipuam; quæ per mentis eleuationem exhibetur, agnoſce. Sancto nanque huic ſicut & cæteris Euangeliſtis prærogata eſt ſpiritualis diſciplina virtutum, credita ſunt diuinorum eloquiorum præcelſa rudimenta, donatum eſt crucem quotidie baiulare poſt Dominum, nec non ſecretorum cœleſtium veneranda myſteria contemplando rimari. Hinc notitia veritatis, caritatis ardore, reuelationis aſpiratione, operationis perfectione decẽter ornatus humana tranſcendebat, & tanquam quibuſdam ſpiritualibus pennis ferebatur in cœlum. Abſens ab Angelorum conſortio erat corpore, ſed ſpiritu præſens. Quotidianis laboribus exercitatus veluti ſidus ſplendidiſſimum refulgebat. Dilectus planè Deo & hominibus erat, cuius memoria in benedictione eſt. Similem illum fecit in gloria ſanctorum, magnificauit eum in cõſpectu gentium, ducemque ſui inſtituit populi. Nempe eundem meritis & dignitate Dominus oſtendit illuſtrem. Duplici ſanctus iſte inſignitus eſt ſtola. Habet in eccleſiæ tabernaculo locum non infimum, Apoſtolatuſque cathedra cum Patribus ſublimatur in terra, atque in cœlorum regno Angelorum contubernio ſociatur. Vbique eſt potens, vbique eſt magnus. Potens in miraculis, magnus in donis, potens virtute, magnus honore. An non potens eſt, qui tanta quotidie beneficia poſcentibus præbet? Inuocat illũ oppreſſus, & leuamen ſentit, eius implorat auxilium infirmus, & ſoſpitatem recipit, in mari, in ſolitudine, in periculis inter latronum acies exoratur, & iuxta fideliter poſcentium ſuffragatur vota. Offert enim Deo orationes ad ſe clamantium, atque gementium, ut beneficia conferat. Intercedit & obtinet, compatitur & ſua interpellatione defendit. Suo nunquam fruſtratur voto, quoniam ardenter, quoniam rectè, quoniam precatur humiliter. Felices dixerim, qui tanto propitiantur patrono, talique gubernatore reguntur. In ſancto hoc quemadmodum & in cęteris commendat Deus gratiam ſuam. Per illum enim exhibet beneuolentiam, gratificat munera, preces ſuſcipit, largitur veniam, manum porrigit, delinquentes ſuſtinet, tribuit vitam. Nemo ſanè eſt, quamuis ſanctus, quamuis ſit iuſtus, qui ſanctorum non indigeat patrocinio. Per ſe quis eſt, qui ſufficiat ſibi? Quis eſt, qui non frequenter ruat. Erret ſępe? Orandi interdum fiduciam non

Eccl.45.

auertat

amittat? Quid ſibi expediat, non ignoret, auxilioue non opus habeat alieno? Iſtis ſpiritualibus de cauſis atque aliis quàm plurimis ſuffragia ſunt quærenda ſanctorum. Nonne temeritati aſcribẽdum eſt, vt inter medias inimicorum acies inermis ſolus & tutus incedas? Sanguini tuo tui inſidiantur hoſtes, theſaurum, quem geris, diripere moliuntur; & ſine ſanctorum vis progredi comitatu? Certè ſi robuſtus eſſes & prouidus, minimè hoc audire debueras, quanto minus quum infirmus ſis, ignores aſtutias Satanæ, & tuæ peregrinationis itinera neſcias? Sano igitur conſilio vtere & ſalutis monita diligenter attẽde. Seruos Chriſti, & altiſsimi amicos, potiſsime autem eos, qui præſentis exilii euaſere naufragia, & æternæ patriæ applicuerunt ad portum, tuos interceſſores habere ſtudeto. Ipſi adminiculo ſuo te protegãt, ne extollaris in proſperis, neque frangaris aduerſis, ne ſecuritate torpeſcas, nec deſperatione intereas. Poteris innumera corporis & animæ euitare diſpendia, ſi ſanctorum fueris deuotione affectus. Poterunt equidem, quum reſolutio aderit tua, patrocinari vehementer. Tunc vt noſti, omni humano deſtitutus auxilio Deo permittente aduerſus dæmonum inſultus, qui illo tempore acrius ſæuire conſueuerunt, tibi orationum ſuarum interuentu opitulari valebunt. Beatorum igitur interim amicitia fruere, qui imperturbabili charitate Deo coniuncti ſunt. Illos votis aduoca, deuotionibus venerare, præconiis effer, precibus pulſa, flecte lacrymis, conuince gemitibus, vt itineris tui ſint ſocii, teque ambulantem, quieſcentem, errantem, delinquentem, laborantem, non deſerant morientem. Marcum verò Euangeliſtam inter cæteros præcipuè habeto deuotum. Magni nanque meriti, maximęque eſt autoritatis, vtpote inſignis doctor, præcellus Euangeliſta, ſanctiſsimus vir, glorioſuſque martyr. Tibi ſuis poterit auxiliari orationibus, te ſcripturis inſtruere, exhortationibus inflammare, atque clamoribus euigilare ad vitam. Non enim ab re inter ſancta animalia, quæ ſpiritu fuere pronunciata prophetico, Euangeliſta iſte Leonis gerit imaginem. Quamuis enim ſiue quoniam à Ioannis prædicatione Euangelii ſui exordium ſumpſerit, ſiue quia cæteris clarius ipſe dominicæ reſurrectionis myſteria reſerauit, Leo figuraliter nuncupetur, merito tamen ob rugitum vocis ſuę qua docet pœnitentiam agere, deſerere vitia, repugnare diabolo, futurum deuitare iudicium, atque æternæ gloriæ deſiderare triumphum, ſpeciem deſignatur habere Leonis, cui propter animoſitatis audaciam, & roboris virtutem ac vociferationis impetum inter quadrupedia tribuitur principatus. Confidens igitur iſtius ſancti implora ſuffragium aduerſus aereas, quæ te infeſtare non deſinunt, poteſtates. Nam cõminationibus ac beati Marci orationibus propulſare tranquillitate poteris optata. Tunc ore, cordeque diuinã laudabis clementiam, quę euangelico mediante præſidio fugauit tenebras, confudit hoſtes, ſedauit tentationes, atque in omni contrario euẽtu humiles ad ſe confugientes conſueuit eripere. O Dei noſtri colenda benignitas, quæ peregrinationis noſtræ fautores & ſocios nedum beata angelorum agmina, verumetiam ſanctos in æthera dirigit triumphantes. Hinc ſpirituales Deo promendæ ſunt laudes, gratiarum actiones ſoluẽdę, ac iugiter ſanctorum veneranda memoria, quoniam ſupernorum ciuium interueniente miniſterio mentis excutitur torpor, dubietatis ſcinditur velum, cœlorumque patefiunt arcana, quatenus peragrantibus nobis curſum præſentis exilii via efficiatur planior, tolerabilior pœna, amabilior gratia, & animus in omni calamitate hilarior, mediatoris noſtri nihilominus operante atque cooperante clementia, quæ laboranti ſponſæ ſuę Eccleſię pręſtat gratiam, pollicetur que gloriam, in qua cum ſanctis omnibus collętatur magnifice ęterni genitoris ſui laudans bonitatem viuentis in ſecula, Amen.

In feſto ſanctorum Apoſtolorum Philippi & Iacobi.

IMpenſi beneficij hæc communis eſt ratio, vt nunquam condigna debeat priuari mercede. Aequa miniſterium & merces ſunt ſemper lance penſandæ. Nempe ſi mercenarium requiſieris, illi iniunxeris opus, & poſt conſummatum laborem debitum, eidem, ſtipendium negare volueris, diuina te increpabit lex, innata arguet ratio, propriaque conſcientia aduerſum te acclamabit vehementer. Non alligabis (inquit 1. Cor. 9. Dei ſermo) os boui trituranti, dignus eſt operarius mercede ſua. Diſcis procul dubio ex iis, quæ extra vel circa te fiunt, quid de Deo præſumere, quidve debeas ab illo percipere. Habet agrum, habet vineam, quam tibi tradidit excolendam. Ager iſte ſpiritualis Eccleſia ſancta eſt. Agri huius fertilitatem grandæuus patriarcha Iſaac & ſanctus caligans corpore, mente verò longe pro- Gen. 27. ſpiciens contemplando dicebat: Ecce odor filij mei ſicut odor agri, cui benedixit Deus. In ipſo o quanti redolent virtutum flores, quàm multę fęcundę arbores, & quot inſertæ ſunt vineæ. Porrò in hoc agro charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, moleſtia, continentia, caſtitas, ſobrietas, fortitudo, humilitas, obedientia, iuſtitia, puritas, rectitudo, temperantia, ſpes, ſeculique cõtemptus ineſtimabili fragrant odore, adeò vt in eruditis mentibus eum colentium concupiſcentias excitet ſempiternas. Sunt iuſti quique & ſancti patres diuerſi (ſcilicet) generis ſpiritualia, arbuſta in illo erecta ad ſidera ſemper virentia, folijs diuinorũ elo-

eloquiorum amœna, pietatis & miſericordiæ operibus fœcunda, quæ nequaquam inutiliter terram occupant, ſed iuſtitiæ producunt ex ſe fructum, alia trigeſimum, alia ſexageſimum, alia verò centeſimum. In Chriſto quoque innumeræ plantatę ſunt vineæ, ſingulæ (videlicet) fidelium animæ, quę ratione vnitatis nunc vinea, nunc particularitatis conſideratione vineæ nuncupan-
Cant. 6. tur. Vtrunque in Canticis exprimitur canticorum: Deſcendi (inquit ſpōſus) in hortum meum, vt viderem poma conuallium, vt inſpicerē ſi flo-
Cant. 2. ruiſſet vinea, & germinaſſent mala punica. Alio quoque in loco idem: Ficus protulit groſſos ſuos, vineæ florentes dederunt odorem ſuum. Meritò electorum animæ vineæ vocitantur, dũ Chriſto cohærentes vberes proferunt botros. Chriſti vniuerſæ ſunt animæ. Illi quippe electorum tantum interę ſunt animæ, reproborum verò alienę, quamuis proprię. An non omnes animę ipſius ſunt, quas creauit, & corporibus infudit, quũ voluit? Per Prophetam quid ipſe loquatur, atten-
Ezec. 18. de: Omnes (inquit) animę meę ſunt, vt anima patris, ita anima filij mea eſt, & tamen anima quę peccauerit, ipſa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii. Ac ſi aperte diceret: Propriam animam ſingulis tradidit excolendam. Quę enim fructum exhibuerit, permanebit in me, infęcunda verò & inutilis tolletur, eiicietur foras, & in ignem mittetur, quoniam meam neglexit vineam, quam illi pręſtiti ad operandum. Ex operibus igitur ſuis ſuam valet quiſque metiri mercedem. Aequus arbiter dominus Chriſtus eſt, & debitam operariis ſingulis remunerationem impendit. Bonis quidem cęlorum gaudia, ſceleratis verò gehennę ſupplicia. Neque enim bonis ſemitas iuſtitię deſerentibus, & in malo decedentibus ante acta bona opera prodeſſe, quemadmodum conuerſis peccatoribus & perſeuerantibus in bono præterita delicta obeſſe non poterunt. Sic dominus per Prophetam pronuncians ait:
Ezech. 3. Si conuerſus iuſtus à iuſtitia ſua fecerit iniquitatem, ponam offendiculum coram eo, in peccato ſuo morietur, & non erunt in memoria iuſtitię eius, quas fecerit. Sed etſi peccator conuerſus fuerit à via ſua mala, feceritque iudicium & iuſtitiam, vita viuet, & non morietur. Iniquitatum quippe illius, quas operatus eſt, non recordabor. Hac prophetica ſententia admonentur vniuerſi, vt timeant, & ſtabiliter in bono perduret, qui bonus eſt, qui verò malus, reſipiſcat a malo, & quod bonum eſt, faciat. Qualem enim vnumquẽque vitę reperiet terminus, talem iuſtitię ſtatera penſabit. Quamobrem indeſinenter vigilandum eſt, ne imparatos nos interitus repentinus excipiat, ne ex deſidia torpentes paterfamilias in
Heb. 10. vinea ſua inueniat. Horrendum ſanè eſt incidere in manus Dei viuentis, atq; fructum negligere ſpiritualium vinearum, quas dextera altiſsimi plantauit in agro Eccleſię, ſanguinis ſui emit precio, angelorumque ſepiuit cuſtodia, propter ferarum ſylueſtrium atroces inſultus. Tanto ſiquidem cum ſtudio illas munit, protegit etiam, excoli debere imperat, vt non ſine mercede deficiant, qui in iſtiuſmodi inſtituti ſunt agro. Omnes profectò ad hoc opus perficiendum inuitat, quoſdam tamen vt ſolum propriam, quoſdam verò vt non neglectis propriis etiam exerceant alienas. Vnicuique agricolę vinearum dominus ſecundum ſuum laborem remunerationis impertietur pręmium, dummodo labori operis charitatis coęquet affectum. Eſt nanque charitas retributionis modus, cum quo laborantium menſurantur ſudores. Non enim ęqualiter, ſed iuxta charitatis gradus felicitatis æternę pręrogatur denarius. Hinc eſt, quòd in terra viuentium omnipotentis patris eſt domus, non vna, ſed manſiones multę eſſe perhibentur, quatenus ex manſionum diuerſitate electorum gloria diſpar fore
cognoſcatur. Optime autem, & abſque errore Ioan. 14.
aliquo ſingulorum ſcit Deus merita, & quid quãtùmve quiſque percipere debeat, penſat. Cęterum quemadmodum malis ſupplicia citra condignum, ita & bonis vltra congruum largitur & pręmia. Ardentius tamen coronat, quàm dam- Pſal. 102.
net. Sicut per Prophetam dicitur, quantum diſtat ortus ab occidente, longe fecit à nobis iniquitates noſtras. Quomodo miſeretur pater filiorum, miſertus eſt dominus timentium ſe, quoniam ipſe cognouit figmentum noſtrum. Opportune plurimum volens Vates memoratus diuinę miſerationis commendare affectum, patris ad filios miſerationem expreſſit, quum nemo ignoret erga filios patrem ſęuire non poſſe. Verum ſi contra filios parentes odioſe iraſci nequeunt, valebit Deus, qui verus & naturalis eſt pater? Per Prophetam quid idem loquatur, ad-
uerte: Nunquid (ait) poteſt mater obliuiſci in- Eſai. 49.
fantis vteri ſui? Tamen & ſi illa oblita fuerit, ego tui non obliuiſcar. Qua ratione eorum obliuiſcetur, quos voluntarie genuit verbo veritatis ſuę, condidit gratis, paſsione redemit? Nempe nequaquam obliuiſcitur, etiam quum iraſci vide-
tur. Sic nanque legitur: Quum iratus fueris, miſe- Tob. 3.
ricordię recordaberis. Nam quę ira ab inſipientibus nuncupatur, in Deo miſericordia eſſe cognoſcitur. Flagella quippe quę irrogantur peccatoribus, quamuis de indignationis fonte emanare credantur, prodeunt tamen de radice charitatis. Ego (inquit dominus) quos amo arguo, & caſtigo. Hoc verbere ſe emendatum fuiſſe Propheta commemorans ait: Caſtigans caſtigauit me dominus, & morti non tradidit me. Quamobrem ſiue dominus nos feriat, ſiue muneribus mulceat, ad emendatiorem vitam ſemper nos reuocat, vt non quod vniat, ſed potius in no-

bis reperiat quod coronet. Coronat inquam gratiſsimè vniuerſos timentes ſe, ſanctis verò ſuis duplicia præſtat. Attende (oro) quid tibi hodie proponit Eccleſia. Sanctorum vtique Apoſtolorum Philippi & Iacobi merita commendat & gloriam. Horum Apoſtolorum præcelſa ſunt merita, quibus per ſpiritum datus eſt ſermo ſapientiæ atque ſcientiæ, genera linguarum, ſermonũque interpretationes, & dona cætera, quæ ad conuerſionem infidelium neceſſaria eſſe probantur. Erant planè tanquam luminaria magna perlucida verbum vitæ in ſe continentia, ac in opaco ſeculi huius loco radiantia. Non enim viſibile corporeis oculis exhibebant lumen, ſed mentibus rationabilibus fidei & ſapientiæ agnitionem præbebant, neque in perſuaſibilibus humanę ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus ipſorum erat prędicatio. Annunciabant dominum Ieſum, illiuſque aduentus cauſam eius miraculis confirmando eloquia. Faciebant procul dubio gaudiũ magnum omnibus audientibus inferendo eorũ auribus mellifluum nomen Ieſu, ipſiuſque erga homines dilectionem præcipuam. Conuerſatione ſancta & religioſis moribus ad virtutum ſtudia credentium ędificabant animas. Erat nanq; admiratione ac imitatione digniſsimum aſpicere viros ſapientia decoratos, ſanctitate ſublimes, faciendorum miraculorum virtute inſignitos, amicos Dei, Chriſti diſcipulos, cœleſtis regni pręcones, angelorum conciues, ſordeſcere veſtibus, temporali indigere ſubſtantia, eſurire, ſitire, penurias pati, volenti animo perferre contumelias, ſponte pro honore Dei & animarum ſalute verbera, plagas, carceres, vincula, exilia, aculeos, ferrum, ignes, gladios, varia tormentorum genera, ipſiuſque dirę mortis ſubire ſupplicium. Quippe quum poſſent vnico conſenſu ſublimari honoribus, diuitiis ditari, temporali pace potiri, abundare delicijs, & in hoc ſeculo (iuxta humanę vitæ conſuetudinem) florere feliciter. Delegerũt tamen ob amorem Chriſti ac teſtimonium fidei temporaliter pati, vt futuræ gloriæ mererentur eſſe participes. Nouerant prænominati Apoſtoli duobus dominis ſeruire non poſſe, neque licere vtriuſque ſeculi voluptatibus frui. Propterea ſedula intentione orationi vacabant, emittebant ſuſpiria, lacrymas vbertim fundebant, ieiuniis atterebant corpora, domabant carnem vigiliis, ſuper nuda cubabant humo, æſtu diei vrebantur, & noctis afficiebantur gelu, peragrabant perſolitudines, penetrabant nemora, per prouincias ambulabant & vrbes, marinis ſe committebant fluctibus, per fluminum vada tranſibant, latronum, piratarumq; ſe periculis exponebant, quatenus calcatis mundi illecebris placerent Deo, cœloq; labores præmitterent ſuos. De gemitibus inſuper egenorum, de pauperum inedia, de compaſſionibus oppreſſorum, de lacrymis viduarum, de conuerſione peccantium, de confeſsione iuſtorum, atque de animarum ſalute in ciuitate domini virtutum ſuperna (videlicet) Hieruſalem ſpirituales ſibi diuitias aggregabant, quas non conſumit ærugo, nec demolitur tinea, neque fures fodiunt vel furantur. [Mat. 6.] Hinc iſtorum Apoſtolorum quanta ſint merita, luculenter apparet. Nam ipſorum die martyrii iura ſilent, quieſcunt iudices, fora clauduntur, artificia ceſſant, aperiuntur templa, Eccleſiæ laudibus reſonant, concurrunt populi, vigiliæ celebrantur, omneſque ſanctorum triumphis congratulari videntur. Veridica in eis Vatis probatur eſſe ſententia, quæ domino decantans ait: Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum. [Pſal. 138.] Nimis planè, quoniam non minus in cœlo, quàm in terra laudum efferuntur pręconiis. O ſi poſſes mentis attollere oculos ad ea, quæ ſancti percepturi ſunt à domino, mirareris vtiq; quomodo quum ſit homo putredo & vermis, ad tam ſublime glorię valeat euolare faſtigium. Nempe corporis natura non patitur, vt eleuata in cœlum, atque choris ſociata angelicis viuat in ęternum. Hic eſurire, ſitire, fatigari, cibum ſumere, ſomnum capere, laſſeſcere, infirmari, morique compellitur. Horũ autem nulla ibi pręgrauatur moleſtia. Delitiis animę nutritur corpus, Chriſti iucundiſsima viſione lętatur, fraterna ſocietate congaudet, atq; ſenſuũ amęnitate refectum nihil eſt, quod vltra iã timeat. Abſterget quippe Deus (quemadmodũ legitur in Apocalypſi) oẽm lacrymã ab oculis ſanctorũ, [Apoc. 21.] & mors vltra non erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit vltra, quę prima abierunt, & dixit, qui ſedebat in throno, ecce noua facio omnia. Noua dominus omnia non ab re ſe poſt reſurrectionẽ pollicetur eſſe facturũ. Nã immortalitatis, agilitatis, ſpiritualitatis, & claritatis dotibus humanum veſtietur corpus, & ſeptempliciter ſole ſplendidius erit, anima verò ad ęqualitatem tranſibit angelorum, eadem Dei beatifica viſione fruetur, qua ipſi pari generationis ęternę verbi Dei cognitione gaudebit, atque de ipſo diuinæ bonitatis fonte hauriet ſuauitatis dulcedinem, delectabiliſque amoris abundantiam, ſicut & illi. Inebriabuntur planè ſancti ab vbertate domus Dei, & de torrente voluptatis illius potabunt, atque in eius lumine inacceſsibile & ineffabile videbunt lumen. [Pſal. 35.] Erit eiſdem perenne gaudium, læta comprehenſio, facialis viſio, ſecura tranquillitas, libera poſſeſsio, atque imperturbabile bonũ carens malo, labem neſciens, timorem non ſentiens, ſed intima charitatis exultatione fœcundum. Non vidit oculus, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ in illo futuro cęlorum regno pręparauit Deus diligentibus ſe. [1. Cor. 2.] Ex parte tamen illa in carne dum viuerent, perceperunt Apoſtoli, Chriſto illis reuelante per ſpiritum. Quamobrem eorum ſpecioſitate illecti, atque

ſuccenſi

ſuccenſi vltrò ſe martyrio tradiderunt. Deſide-
rabant vtique flagrantiſsime exire de compedi-
bus cœnoſæ carnis, & tranſire ad Chriſtum, vn-
de vterque eorum ſinguli cordis vociferatione
Pſal. 141. propheticum illud decantabat dicens: Educ ô
domine de cuſtodia animam meam ad confiten-
dum nomini tuo, me expectant iuſti, donec retri
buas mihi tu, qui es Deus benedictus in ſecula,
Amen.

In feſto aſcenſionis Domini.

Coelitus Prophetæ ſancti afflati in ſpiritu
quemadmodum percipere meruerunt,
ita redemptoris noſtri myſteria, quæ ad
humanitatem attinent pro fidelium eruditione,
ſub compendio inſinuare curarunt. Non enim
humano ſtudio, ſed à Deo didicere per ſpiritum,
neque pro ſe tantum, ſed vt poſteris generationi
bus fidei notitia, atque exhibitę charitatis præcla
ra pateret cognitio. An non edificatur plurimum
fides, quum ea, quæ facta conſpicimus prænun-
ciata longe antè fuiſſe cognoſcimus? Hinc futu-
ra prius monſtrata ſunt, vt ſuo tempore comple-
Eccl. 36. ta credantur. Da (inquit vnus Prophetarum) mer
cedem ſuſtinentibus te, vt prophetæ tui fideles
inueniantur. Nempe nulla eſt alia expectantium
merces, quàm vt quod præſtolantur, excipiant.
Prædicabant vates dominum Chriſtum in carne
venturum, & de ſpirituali ſeruitute erepturum
eſſe populum Iſrael. Ob hoc plebium accendebā
tur corda illum videre, & beneficiorum eius par-
ticipes fieri. Quis non merito inardeſceret agno-
ſcere Deum verum, & hominem conceptum ſi-
ne ſemine, natum de virgine, adoratum à genti-
bus, præſentatum in templo, baptizatum in flu-
uio, faciendorum miraculorum poteſtate prædi-
tum, verbum vitæ, prædicantem turbis, à diſcipu-
lo traditum, illuſum, coronatum ſpinis, confixum
ligno, felle potatum, mortuum reſuſcitatum poſt
triduum, cęloſq; aſcendiſſe poſt modicum? Huic
planè tanquam humani generis redemptori om-
nium Prophetarum voces teſtimonium perhi-
bent. In hunc omnium patriarcharum figuræ cō-
cordant, vtpote promiſſum cœlius, & in tempo-
ris diſpoſitione oſtenſum. Quid prophetę de ipſo
Chriſto vaticinati ſint (oro) diligenter attende,
ne de accepto pignore in fide dubius vel inuenia
ris ingratus. Cōceptum quippe virginis & ipſius
partum eorum vnum differentem audi: Ecce (in-
Eſai. 7. quit) virgo concipiet, & pariet filium, & vocabi-
tur nomen eius Emanuel. Gentium ergo ſerui-
tutem Chriſto fidelem agnoſce prænunciatam
Pſal. 71. in pſalmo: Reges Tharſis (ait Pſaltes præcipuus)
& inſulæ munera offerent, reges Arabum & Sa-
ba dona adducent, & adorabunt eum omnes re-
ges terræ omnes gentes ſeruient ei. Cœleſtis pa
tris teſtimonium ſuper ipſum baptizatum ſi ſcire
concupiſcis, obſerua Prophetam dicentem: Vox
Pſal. 28. domini ſuper aquas, Deus maieſtatis intonuit;
dominus ſuper aquas multas. Vox domini in vir-
tute, vox domini in magnificentia. De prædica-
tione & miraculorum exhibitione audi, quid idē
per Prophetam dicat: Spiritus (inquit) domini ſu- Luc. 4.
per me, propter quod vnxit, me euangelizare
pauperibus miſit me, ſanare contritos, remiſſio-
nem prædicare captiuis, cæcis dare viſum, dimit-
tere confractos, prædicare annum acceptum do-
mino, & diem retributionis. Quòd à diſcipulo ſit
traditus, ipſe in pſalmo dicit: Homo pacis meæ, Pſal. 40.
in quo ſperaui, qui edebat panes meos, ampliauit
aduerſum me ſupplantationem. De illuſione
enim ſic legitur: Illuſio factus ſum populo huic, Pſal. 78.
canticum tota die. Quòd ſpinis eſſet coronan-
dus, per Prophetam idem inquit: Spinis peccato- Mat. 22.
rum ſuorum circundederunt me populus hic.
De crucifixione eius Propheta inquit: Vinxiſtis
me, non ſicut patrem, qui liberaui vos de terra
Aegypti, clamantes ante tribunal iudicis humi-
liaſtis me, ſuſpenſum in ligno, tradidiſtis me.
Quod felle potatus ſit, ait Pſalmographus: Et de-
derunt in eſcam meam fel, & in ſiti mea potaue- Pſal. 68.
runt me aceto. De morte ipſius in libro ſapientiæ
habetur: Dixerunt impii, mittamus lignum in pa Hier. 11.
nem eius, & eradamus eum de terra viuentium, &
nomen eius non memoretur amplius. Quòd re-
ſuſcitatus ſit, inquit Dauid: Non derelinques Pſal. 15.
animam meam in inferno, nec dabis ſanctum
tuum videre corruptionem. Ipſe autem in pſal-
mo dicit: Ego dormiui, & ſoporatus ſum, & reſur Pſal. 3.
rexi, quia dominus ſuſcepit me. Aſcenſionem
quoque ipſius Propheta memoratus apertiſsime
pronunciauit inquiens: Aſcendit Deus in iubila- Pſal. 46.
tione, & dominus in voce tubæ. Signanter ta-
men illum aſcendiſſe perhibuit, ne ſublatum vt
Enoch, vel curru igneo vt Heliam raptum fuiſſe
putares. Aſcendit planè non angelico fultus præ
ſidio, ſed poteſtate propria, quemadmodum ore
prophetico dicitur: Exaltare domine in virtute Pſal. 20.
tua; cantabimus, & pſallemus virtutes tuas.
Aſcendit inquam hodie nonnullis ex beatis ſpi-
ritibus mirantibus, atque dicentibus: Quis eſt
iſte, qui venit de Edom tinctus veſtibus de Boſra, Eſai. 63.
formoſus in ſtola, gradiens in multitudine vir-
tutis ſuæ? Mirabantur non modicum, quonam
modo humana natura delicto priorum paren-
tum deprauata, vulnerata, ac de cęlorum exulans
regione illuc tanto cum honore conſcenderet.
Neminem mortalium euſque aſcendiſſe perſpe
xerant, tametſi præceſsiſſent multi, quorum vi-
tam gratiſsimam Deo extitiſſe cognoſceret. Ve
rum vt dominum intellexerunt eſſe Ieſum, feſti- Ioann. 12.
na cum exultatione eidem obuiam proceſſere
dicentes: Benedictus, qui venit in nomine domi
ni. Nemo autem dubitet ſupernorum ciuium vni
uerſa agmina angelorum (videlicet) archangelo-
rum, virtutum, principatuum, poteſtatum, domi-
nationum, thronorum, Cherubim, & Seraphim

domino

Digitized by Google

domino occurriſſe, illumque ineffabilibus ſpiritualium canticorum extuliſſe laudibus, atque vſque ad diuinitatis ſacroſanctum comitata eſſe ſolium. Hanc profectò mediatoris noſtri ſublimẽ gloriam Propheta contẽplatus aiebat: In excelſo throno vidi ſedere virum, quẽ adorabat multitudo angelorum pſallentium in vnum. Ecce cuius imperii nomen eſt in æternum. Pſallebant vtique pariter, & cœleſtem aulam dulciſona modulatione replebant, eorum tamen ſinguli vota propria & præconia ſpecialia depromebant. Nouum planè illic exortum eſt gaudium, inſueta celebrata ſollẽnitas, pax reformata antiqua, regium paratum conuiuium, munera prerogata ampliſſima, atque iubilatione quàm maxima hominum & angelorum ore cõpleta. Erat omniũ vna laudandi voluntas, concors charitatis affectus, eadem contemplationis viſio, ſimul fruitio maieſtatis, atque interminabilis cauſa lætitiæ. Verum quoddam hominibus ſpirituale tripudium infundebatur amoris, dum ſupra cunctam cœli militiam propriam in Chriſto naturam intuebantur euectam. Hinc Chriſtum amplius deguſtabant in Chriſto, atque pręcipuo eidem dilectionis vinculo inhærebant. Ingrediebantur quippe nunc ad cõtemplandas inenarrabilis verbi delicias, eius diuinam generationem, & patris & filij ſacratiſſimum oſculum. Nunc ſupereminentem plenitudinem gratiarum ipſius percipiebant in anima, verbi vnionem, capitis excellentiam, prerogatiuam ſingulis perſonæ, præcelſam ſibi traditam poteſtatem, amoris vehementiam, patilitatis ſcientiam, gloriam deitatis, & dona quędam pręcipua, quæ obtutus nequit humanus attingere. Egrediebantur autem interdũ, & delectabiliter intuebantur humanitatis illius elegantiam, pręclaram formam, radiantem faciem, imperiale decus, & honorabilem ſtatum. Sicque amoris, admirationis & gaudii melliflua in eo inueniebant paſcua. O quanta illic ſingulis lętitia inerat, quàm lęti ducebantur chori, quantus exultationis perſonabat concentus, qualiſve harmonię cœleſtis illabebatur guſtus. Ipſorum nanque vociferatio laudis erat ſicut citharœdorum citharizantium in citharis ſuis. Vniuerſorum etenim pręcipuum opus exiſtebat Deum honorificè magnificare & colere, benedicere & laudare, illique medullitus ac ſyncero venerationis affectu ignitas gratiarum exhibere actiones, copioſius tamen mediatori ipſi, pro quo hæc celebritas tam ſolenniter agebatur. Nam quemadmodum cæteros dignitate excedebat & gratia, ita eius ſpeciale ſacrificium plus reliquis in conſpectu redolebat altiſſimi. Omnem quippe locum replebat fragrantia, ſinguloſque ſuauitate reficiebat & contemplationis iubilo. Dies ille factus eſt præclarior cęteris, ſanctior vniuerſis, ſine occaſu, ſine mœrore, & abſque viciſsitudine. Facundia profectò explicare non ſuppetit, humanus non attingit ſenſus, non capit oculus, neque ingenium penetrat, huius diei quanta ſint gaudia. Coniuncta ſunt ima ſummis, & humana ſunt copulata cęleſtibus. Factus eſt vnus hominum & angelorum paries in Chriſto Ieſu angulari lapide precioſo atque perfecto. Nempe in hoc die tota ciuitas cęleſtis Hieruſalem roſis coronata eſt, reſperſa odoribus, floribus redimita, ornata monilibus, decorata gemmis, auro depicta, & circunquaque ſepta cantoribus, adeò vt per omnes vicos, & plateas, atque ſuper ipſius muros dulciſonæ laudantium perſtreperent voces. Tantus ſiquidem exultationis in eadem effundebatur ſonus, vt etiam diſcipulorum Chriſti corda compleret. Quamobrem pro tam inſolito prodigio & inſueto iubilationis gaudio admirantes ſtupebant, ita vt mutuo ſibi loqui nõ poſſent. Præpedierat quippe linguę officium, delectationis internæ nimietas, & miſta cum admiratione lætitia. Porrò in perſona iſtorum Citharœda egregius decantando dicebat: Quàm dilecta tabernacula tua domine virtutum, concupiſcit, & deficit anima mea in atria domini, cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Merito propter vtriuſque hominis glorificatam in Chriſto naturam cor & caro exultaſſe perhibentur. Vt igitur omnia in omnibus fieret Chriſtus, tota hominis deificata eſt ſpecies, atque ſuper omnem principatũ & poteſtatem feliciter ſublimata. Iſtiuſmodi autem diuini operis irradiata ſplendore ſancta hodierna ſolennitate vndique mater canit Eccleſia: Omnes (inquit) gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis. Vniuerſos in hac domini aſcenſione iubilationis inuitat ad plauſum, quatenus illi gratulentur, & ſe agnoſcant in ipſo, atque quò ille, feſtinent aſcendere. Ipſi ſanè congratulandum eſt, qui in huius peregrinationis campum pugnaturus adueniens poſt mortalis corporis neceſsitates perlatas, poſt vſquequaq; verbi Dei diffuſum ſemen, poſt ignominioſæ paſſionis perpeſſum agonem, poſt tenebrarum principis triumphum exhibitum, poſtque glorioſiſſimæ reſurrectionis conſummata myſteria, viſibilibus oculis in cęli palatium perenniter regnaturus intrauit. Quantum autem rationalis ſpiritus percipiat gaudium, quum ſuæ conſiderationis in Chriſto figit obtutus, nemo ſufficienter explicat verbis. Se quippe vidit in illo, naturam ſuam excellentius, quàm in prima conditione fuerat condita, reformatam agnoſcit in melius, dona comulata, additam gratiam, & ſupererogatam ſibi cum exultatione fatetur gloriam. Hinc gaudet in ſpiritu, corde tripudiat, caritate flammeſcit, exoluit grates, occupatur in laudibus, depuratur mente, meditatione pingueſcit, illucq; feſtinat aſcendere, quò ſponſum ſuum aſcendi-

Pſal. 83.

Pſal. 46.

ſe non dubitat. Aſcendit inquam in huiuſmo-
di caſtiſsimi amoris prȩludio, vbi Chriſtus eſt in
dextera Dei ſedens, non corpore, non vehiculo,
non humano ſuffragio, ſed ſpiritu, ſed cogitatiõ
ne, ſed deſiderio, ſed intentione, ſed corde. Per
ſe nanque concupiſcentia impellente, ferente
voto, ſponſoque trahente rapitur ſuper ſe. Rapi
tur quidem interdum ex ſuperfluente gratia, ex
feruore ſpiritus, ex ſuauitate amoris, ex abundã
tia luminis. Aſcendit autem frequenter virtute
corroboratus, & gratia per ſpirituales, internoſ-
que gradus, vt eius, quem diligit, valeat delecta-
Pſal.83. ri præſentia. Iſtiuſmodi ſtudia ſpiritualia Prophe
ta conſiderans atque commendans aiebat domi
no: Beatus, cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones
in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum in lo
co, quem voluit. Etenim benedictionem dabit le
giſlator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur
Deus deorum in Sion. Videſne, quàm rationabi
liter in corde per diſpoſitos virtutum gradus ad
Dei valeat viſionem aſcẽdi? Verùmne pro igno-
rantia te, quòd non aſcendas, excuſes, præcepto
rem cœleſtem in montis vertice cum diſcipulis
reſidentem, perfectioniſq; monita proferentẽ,
audi quàm diſerte quoſdam ſpirituales inſtitue-
Mat.5. rit gradus. Aperiens quippe os ſuum inquit: Bea-
ti pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum
cœlorum. Beati mites, quoniam ipſi hæreditate
poſsidebunt terram. Beati qui lugent, quo-
niam ipſi conſolabuntur. Beati, qui eſuriunt,
& ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.
Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam
conſequentur. Beati pacifici, quoniam filij Dei
vocabuntur. Beati mundo corde, quoniam ipſi
Deum videbunt. Aſcenſionibus iſtis eouſq; per-
uenit, vt diceret. Beati mundo corde, quoniam
Pſal.83. ipſi Deum videbunt. Propheta quoque ait. Bea-
tus, cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in cor
de ſuo diſponit in valle lacrymarum. Nempe ab
illo videbitur Deus deorum in Sion. Optime
Propheta & dominus Prophetarum quoniã vno
loquebantur ſpiritu, in eadem conueniunt ſentẽ
tia. Quamobrem ſi recto cupis ad cœlum ſcan-
dere ordine; humilitatis iace fundamẽtum, qua-
tenus à domini timore initians terram viuentiũ
hæreditario iure per manſuetudinem & pietatis
affectum valeas poſsidere. Diſce etiam præſen-
tis exilij deplorare ærumnas, atq; diabolicæ frau
dis agnoſcere laqueos, vt lumine in te præeunte
ſcientiæ aſſueſcas eſurire & ſitire iuſtitiam. Hoc
dum tu diligenter perfeceris, diuino fretus cõſi-
lio non ſolum aduerſa perferes fortiter, verum
etiam miſericordiȩ viſcera indues, per quæ gau-
dere cum gaudentibus, atq; veraciter poteris fle
re cum flentibus. In his exercitatus, intellectus
percipies donum, per quod inter nos omnes ani
mi tui compones motus, & arbitriũ tuum ſubij-
cies rationi, fieſq; pacificus, & patris tui cœleſtis
depuratam, quemadmodum eam ſortitus es, ha-
bebis imaginem. Tunc planè ſapientiæ diuinȩ ti
bi ſuauiſsimus exhibebitur guſtus, tunc ſacramẽ-
torum cœleſtium arcana pandentur, atq; immor
talis ſponſi ſpirituali potieris præſentia, quæ pur-
gato cordis proſpicitur intuitu. Beati procul du- Mat.5.
bio mundo corde, qui per ſpirituales aſcenſus
prouecti ſuper ſidera immaculati agni ſpirituali-
ter interſunt nuptiis, & inamabili ipſius delectã-
tur aſpectu. Iſtiuſmodi ò quantis exuberant deli-
tiis, qualibuſue fruuntur gaudiis? Expertum au-
di: Prouidebam (inquit) dominum in conſpectu Pſal.15.
meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne cõ-
mouear, & propter hoc lætatum eſt cor meum,
exultauit lingua mea, inſuper & caro mea requie
ſcet in ſpe. Et hoc illi vnde? quo ſtudio? qua intẽ Pſal.100.
tione? In matutino (inquit) interficiebam om-
nes peccatores terrȩ, vt diſperderem de ciuitate
domini omnes operantes iniquitatem. Cordis
inſinuauit ſe vacaſſe mũditiæ, dũ in exordio per-
nicioſæ vel noxiæ cogitationis ſe reluctatum eſ-
ſe declarat. Hinc planè beatus erat, quoniam
ſui cordis tenebat cuſtodiam, & paruulos ſuos al
lidebat ad petram, nõ ſinens interioris hominis
obtenebrare obrutum. Hinc etiam ad ſupernam
patriam ſe aſcenſurum eſſe ſperabat. Quamobrẽ Pſal.23.
alio in loco quaſi requiſitus, quis aſcendet in mõ
tem domini, aut quis ſtabit in loco ſancto eius,
ſententiam protulit dicens: Innocens manibus
& mundo corde. Iſtius igitur Prophetȩ eruditus
oraculo, atque prouocatus exemplo peruigilem
cordi tuo adhibeto cuſtodiam, ne curis ſeculi, e-
brietate grauetur & crapula, ne inordinato ille
deprauetur affectu, ne maligni ſeducatur fraude
ne vitiorum labe fœdetur, neque carnis ſubuer-
tatur illecebris; Cœleſtẽ quippe quo hodie Chri
ſtus aſcẽdit, corde conſcendens in arcem, ſi mũ
dum ab iis, quæ dicta ſunt, mentis tuæ ſeruabis
intuitum, mediatoris noſtri nihilominus ſuffra-
gante clementia, qui humanitatem noſtram im-
portauit ſideribus, eandemque beatæ trinitatis
collocauit in ſolio, in qua viuit & regnat glorio-
ſus in ſecula ſeculorum. Amen.

In ſolennitate Pentecoſtes.

NAturalis lucis quicunque voluerit cõſi
derare profectũ, ab ipſo ſui ortus pri-
mordio vſque ad meridiẽ tã in lucis
cãdore, quàm etiã in feruore caloris eandẽ ſẽper
augmẽtari cognoſcet. Eo nanque efficacius vim
virtutis ſuæ infundit inferius, quo in ſphȩra ſua
proiecerit altius. Optimè æternȩ lucis hoc gerit
imaginẽ, atque per ipſius viſibilem ſpeciem de in
uiſibilis diuinitatis operatione nos docet. Sunt
quippe creaturarũ ſpecies humani quidã pȩdago
gus ingenii, & conditoris earũ ſpeculũ ſingula-
re. Hoc Apoſtolus expreſsit dicens: Inuiſibilia Rom.1.
Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intel

ſecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque virtus eius & diuinitas. Vehiculo igitur hoc vtatur præclaro, quiſquis cupit ad ſummi Dei peruenire notitiam. Se per ea, quæ videntur, erudiat, donec coaleſcat, & ad ſpiritualem capeſſendum cibum effectus idoneus per ſe ſupra ſe aſcendere norit. Nēpe quemadmodum primus debilium ac neophytorum, ita ſecundus perfectorum eſt conſuetus aſcenſus. Spiritualis enim quum iudicetur à nemine, ſpiritualiter diiudicat omnia, animalis verò, quæ Dei ſunt nequaquam percipiens, ſenſibilium ſuffragio interdum ad ſumma prouehitur. Amoris remigio ſpiritualis quiſque in æternorum contemplatione erigitur, diuinæ cognitionis luce veſtitur, veritatis ſplendore allicitur, ac deſideriorum cęleſtium delectabili ſuauitate pingueſcit. Hæc autem non ad libitum, ſed ad votum diſponentis, trahentis, ac miſerantis Dei perficiuntur in illo. Neque vniformiter operatur in ſingulis, ſed per viciſsitudines & diuerſimode ſuis agit in membris per verbum ſuum coæternum ſibi iuxta eorum gradus, congruitates, & merita. Quæ igitur memorata ſunt, perfectorum ſpiritualis eſt cibus, eorum (videlicet) qui pro conſuetudine ad diſcretionem boni & mali interiores exercitatos habent ſenſus. Incipientes verò, & necdum introrſus adulti ſpirituali lactis ſunt dulcedine nutriendi, atque viſibilium & ſenſibilium exercitatione manducendi. Rei huius vis noſſe myſterium? Reſtaurationis humanæ magiſterium contemplare. Miſit Deus verbum ſuum in mundum, quatenus per viſibilem, quam aſſumpſerat, naturam homines tanquam paruulos de conditoris ſui notitia rudes, ignaros ſui, tentationum inexpertos erigeret, atque firmaret. Hoc primum amabilem humanitatis ſuæ illis exhibuit conuerſationem ſpiritualis diſciplinæ inſtituit formam, diuinorum loquiorum præſtitit pabula, ac miraculorum eoſdem oſtentatione illexit. Cæterum vt ipſos ad altiora proueheret, & de carnalibus ſpirituales, atque de initiantibus perfectos faceret, diſcipulis in vniuerſorum perſona dicebat: Expedit vobis, vt ego vadam, quatenus me deinceps non carnaliter, ſed ſpiritualiter diligatis, ſi enim non abiero, paracletus non veniet ad vos, ſi autem abiero, viſibilem amouendo formam mittam eum ad vos, vt ipſius eruditione promoti ad veritatis perſpicuæ ſcientiam, necnon perfectæ charitatis experiētiam pertingatis. Nempe quod inchoaui ego, ipſe perficiet, atque præſtantioribus donis, quàm hactenus percepiſtis, idem vos dignos efficiet. Verum vt agnoſcas hunc iuſtitiæ ſolem abundantius bonitatis ſuæ radios effudiſſe in hominibus aſcendens veluti in meridie reſedit in cœlo, quàm quum conuerſaretur in terra, quod Apoſtolis ſpoponderat ore, compleuit effectu. Illis nanque paracletum mittendo, vt dixerat, potiora quàm prius ſpiritualium donorum chariſmata prærogauit. Hæc eſt ſolennitatis hodiernæ præcipua cauſa, hæc inquam eſt, vnde tanta conſolatoris præſentia ſancta per orbem terrarum exultat Eccleſia. In Apoſtolis tanquam mater & in filiis dilectionis ſacrum hoc munus ſe admiſiſſe congaudet, atque præterita quaſi præſentia commemorans aduentus almi ſpiritus modum inſinuans ait: Dum complerentur dies Pentecoſtes, eſſentque omnes diſcipuli pariter in eodem loco, factus eſt repente de cœlo ſonus tanquam aduenientis ſpiritus vehementis, & repleuit totam domum, vbi erant ſedentes, appareruntque diſpertitæ linguæ tanquam ignis, ſeditque ſuper ſingulos eorum. Diligenter vniuerſa obſerua. Nihil à myſterio vacat. Deſcendit ſpiritus ſuper vnanimes ſedentes, atque orantes. Venit inquam ſonus ſicut ignis, & tanquam linguæ. Diligit hic ſpiritus vnitatem, amat pacē, diligit etiam concordiam. Hunc ſi ſuſcipere cupis, noli diſſidere cum fratribus, noli diuiſus eſſe in te. Concordet in te voluntas & ratio, caro & ſpiritus, & quicquid poſtulaueris, impetrabis dicente domino: Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à patre meo. Dirime à te lites, contentiones, detractiones, rixas, animoſitates, inuidias, odia, & his ſimilia, in quibus amor fraternus offenditur & deperit. Nempe conglutinat ſpiritus iſte hærentia membra, & myſticum Chriſti efficit corpus. Quę verò ſibi diſſentiunt, ſpernit & deſerit. Vt igitur huius corporis efficiaris membrum honorabile, & almus hic ſpiritus viuificet te, cuſtodi vnitatem, & apud te quietus ſede, pręſtolare eius aduentum corde peruigili, vt te ad ſe ſuſcipiendum paratum inueniat, turbas fuge & publicam conuerſationem declina, dum vales, tumultuoſaq; ſecularium rerum & temporalium facultatum deuita negotia, quatenus amabiliter paracletus veniat, & requieſcat in te. Super quem (inquit per Prophetam dominus) requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem & quietum? Eſto humilis coram Deo & proximo, eſto quietus in te, ſecretum dilige, ſolitudinem quęre mœroris amicam, & placito ſuo illapſu ſanctus ſpiritus deſcendens ad te, te eleuabit ad ſe, atque dignanter habitabit in te. Propheticam ſuper hoc attende ſententiam: Sedebit (inquit) ſolitarius, & tacebit, quia ſe eleuabit ſupra ſe. Et hoc vnde, niſi per orationis exercitium? Optimè ſibi conueniunt quieta remotio, & orationis inſtantia. Nam ſicut publicum corporalis actio, ita ſolitudinis ſecretum exigit contemplatio. Quum contra aduerſarios pugnaret Moſes, aſcendit in montem, quum diuino fruebatur eloquio, montis reſidebat in vertice, nec cœleſtium ſacramentorum rudimenta percepit, niſi poſt ſolitudinis ingreſſum. Diſce igitur ſolus orare, diſce oſtio clauſo cubiculi

Ioan. 16. Act. 2. Mat. 18. Eſa. 66. Tren. 3.

patrem deprecari cœleſtem, quatenus ad te paracletũ dirigat, non vt diſcedat, ſed vt tecum in æternum permaneat. Apoſtolorum te prouocent geſta, illis prerogata te ad hoc accendant chariſmata. Eis nanque cohabitantibus in vnum, reſidentibus, atque orantibus aduenientis ſpiritus factus eſt ſonus, non vt terreret, ſed vt inſinuaret myſtice, quòd in omnem terram audiendus erat ſonus prædicationis eorum, & in fines orbis terræ oris ipſorum verba fuerant diffundenda. Ignis etiam exhibuit ſpeciem, & linguæ figuram detulit, quatenus cordibus igneis ignea promerent eloquia, omniumque linguarum generibus loquerentur. Nonne diuini amoris flammam gerebant in corde, quando iſto calore ſuccenſi à pontificibus Iudæorum grauiſsimè cæſi gaudentes ibant à conſpectu concilij, quoniam pro nomine Ieſu digni fuerant contumelias pati? An nõ vniuerſarum gentium etiam diſerte ſermonibus loquebantur? Sic etenim de illis ſcriptum legimus: Stupebant omnes, & mirabantur dicentes: Nonne ecce omnes iſti, qui loquuntur, Galilæi ſunt, & habitant Meſopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum & Aſiam, Phrygiam & Pamphyliam, Aegyptum & partes Lybiæ, quæ eſt circa Cyrenen, & aduenæ Romani, Iudæi quoque & Proſelyti, Cretes & Arabes? Audiuimus eos loquentes noſtris linguis magnalia Dei. Non enim humanæ hoc induſtriæ eſſe poterat, vt viri Galilæi idiomatis hebraici tantum gnari ſine temporis interuallo, & abſque doctore aliquo cunctarum nationum loquerentur eloquiis. Illius procul dubio magiſterii erat, de quo in ſapientiæ volumine continetur, Spiritus (inquit) Domini repleuit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia ſcientiam habet vocis. Ex repentino igitur profectu Apoſtolorum huius ſpiritus diuinitatis virtutem intellige. Non enim per interualla erudit, quum ſit Deus, & vniuerſa poſsit, quæ vult quamobrem cor hominis illum tetigiſſe docuiſſe eſt. Nempe dum dona ſua infundit, dum humanę menti illabitur, mutat in virum alterum, & Deo reddit amabilem. Carnalem ſiquidem depellit metum, & filialem immittit timorem, crudelitatem amouet, & pietatis erga proximos inducit affectum, præbet in adminiſtratione temporalium & naturalium cognitione ſcientiam, eminus propulſata quæ præcipitat imperitia, facit aduerſa cuncta & ardua tolerare viriliter, ita vt nec ipſam, qui illo ſunt pleni, contremiſcãt mortem, diſcretionem iudicii, & ſana in dubiis ac repentinis euentibus conſilia tribuit. Porrò intelligentiam præſtat, vt profunda ſcripturarum ſacramenta, ſpirituales inſultus dæmonum, & interni animæ motus claro cernantur intuitu. Attollit demũ animum ad diuina contemplanda atque cęleſtia, & grato illapſu ſapidum ſpiritualis deuotionis ſibi obtemperantibus largitur affectum. Certè quicquid virtutis, quicquid gratię, quicquid ſcientiæ, ſiqua prudentia, ſi quod valeamus bonum, ipſo Paracleto donante, ipſo auxiliante perficimus. Fugat nanque tenebras, frangit odia, lites dirimit, componit mores, diſponit negotia, cogitationes regit, purgat affectus, futura prædicit, diſcernit præſentia, agnoſcit vtilia, donat errata, reuocat ad gratiam, perducit ad gloriam. Per illum inſuper (Paulo atteſtante) datur ſermo ſapientiæ, ſermo ſcientiæ, fides, genera linguarum, interpretatio ſermonum, & gratia ſanitatum, hæc omnia ſine perſonarum acceptione ſingulis diuidit, prout vult. O quàm venerandus quàmque colendus eſt artifex iſte omnem habens virtutem, vniuerſorum ſcientiam, & cuncta proſpiciens. Intuere cœlos, ſi ſcire deſideras huius opificis dignitatem, operandi potentiam, diuinitatis gloriam, atque gubernandi prudentiam. Ipſe nanque cœlos ornauit ſideribus decorauit luminibus, virtutibus ſtabiliuit, dicente Propheta, Verbo Domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. De eccleſiæ autem firmamento quid memorem, quum idem ſpiritus ſtellarum rutilantium illud ſpecioſitate replerit? Quot iuſtos & ſanctos habuit, tot ſtellis emicuit. Sic enim legitur, Stellæ dederunt lumen in cuſtodiis ſuis, vocatæ ſunt, & dixerunt, Adſumus. Et luxerunt cum iucunditate ei, qui fecit illas. Attende in hoc ſacramento Abel innocentiam, puritatem Enoch, Noè iuſtitiam, fidem Abraæ, ſimplicitatem Iſaac, longanimitatem Iacob, Ioſeph pudicitiam, manſuetudinem Moſi, Samuelis ſanctitatem, humilitatem Dauid, Heliæ autoritatem, Eliſei zelum, Prophetarum cæterorum virtutes Apoſtolorum charitatem, patientiam martyrum, doctorum ſapientiam, præſulum ſolicitudinem, anachoritarum auſteritatem continentiam confeſſorum, virginum munditiam, conſtantiam continentium, atque iuſtorum omnium laudabilem vitam. Hi vniuerſi ſpiritualia ſidera præfulgida operationem almi huius ſpiritus proteſtantur. Cæterum quamuis hoc pateat ſemper, peramplius tamen in exordio naſcentis claret eccleſię, in quo gratia profuſior, ſtellarum numerus copioſior, manifeſtior ſplendor, & gloria agnoſcitur eminentior. Nequaquam tantum proficere valuiſſet, niſi Sancti Spiritus autoritate id fieret. Eſt enim ſpiritus intelligentię ſanctus, vnicus, multiplex, ſubtilis, modeſtus, amabilis, diſertus, incoinquinatus, certus, ſuauis, amans bonum, qui nullum vetat benefacere, humanus, benignus, ſtabilis, ſecurus, omnem habens virtutem, & vniuerſa diſcernens. Meritò igitur illi ſubeſt omnia poſſe, quum vult. Operatur in ſingulis, operatur in omnibus, ita vt non ſit qui ſe abſcondat à calore eius. In animabus ſe iuſtis infundit per generationes & generationes, & eis Deo reddit amabiles. Nempe nullus à Deo valet eſſe

Act. 5. Act. 2. Sap. 1. 1. Cor. 12. Psal. 32. Bar. 3.

eſſe alienus, quem iſte repleuerit, nullus amicus, quem deſeruerit ipſe. Vaſa propria agnoſcit, & illa inhabitando nobilitat. Neminem prorſus, niſi ſe contemnentem relinquit, nullusque (quãtum in ſe eſt) gratiæ ſuæ cupit ſe eſſe exortem. O quàm multos in delictorum volutabro proſtratos quotidie erigit? ô quàm multos auerſos à Deo filios facit? Ipſe profectò iuſtificat impios, defunctos ſuſcitat, reducit erroneos, cæcos illuminat, paſcit famelicos, ſanat ægrotos, accendit remiſſos, duros emollit, erudit inſcios, damnat ingratos. Optimè humanum, quem inhabitat, ad orandū informat affectum, Apoſtolo perhibente, qui ait, Quid oremus neſcimus, ſed ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. (Roma. 8.) Verum, quoniam quid nobis expediat, ignoramus, implorandum eſt Paracleti huius ſuffragium, atque ex omnibus medullis cordis dirigenda eſt ad illum interioris hominis cuncta intentio, quatenus voce pariter & affectu humiliter clamet, & dicat, Veni Sancte Spiritus, & emitte cœlitus lucis tuæ radium. Veni Pater pauperum, veni dator munerum, veni lumen cordium. Tu nanque es in labore requies, in æſtu temperies, in fletu ſolatium. Quamobrem ò lux beatiſsima reple cordis intima tuorum fidelium. Illabere igitur ad mentes te ſuppliciter flagitantium, ne in præſentis ſeculi ſalo naufragium patiantur, & diripiantur in prædam exactorum crudelium. Deſcende vtique, & tuum vtriuſque hominis poſside templum. Nam teſte Paulo, corpora noſtra templū tuum ſunt. (Luce. 1.) Sed & charitas Dei, quæ tu es, per te in cordibus diffunditur noſtris. Te quippe habemus per te, qui voluntarie deſcēdis ad nos, vt nos maneamus in te, diligamuſque te, ac caſtiſsimis tuis fruamur amplexibus. Cæterum quod poſcimus, vt ad tui gloriam impetremus, fac nos ô amator hominū eſſe ſolicitos, ſeruare vnitatē ſpiritus in vinculo pacis, quemadmodū diſcipulos egiſſe cognouimus, qui dum eſſent pariter in eodem loco, ſederent vnanimes, & orarent, vt tuo efficerentur digni conſortio, hodie per viſibilē formam meruerunt percipere te. Præſtolamur igitur & nos, atque ardētiſsimo deſiderio ac prece pura tuam amabilem imploramus clementiā, vt venias ad nos, & diſſoluas iugum captiuitatis noſtræ, deſque nobis virtutis meritū, ſalutis exitum, nec non perenne præmium in regno cœlorum, vbi cum patre & vnico filio eius triumphaliter dominaris in ſecula ſeculorum, Amen.

In natiuitate ſancti Ioannis Baptiſtę.

QVemadmodum ambulantibus in tenebris & opaca noctis caligine lux materialis neceſsaria eſſe cognoſcitur, ita & in hac peregrinantibus vita, quę merito tenebrę nuncupatur (dicēte Propheta, illuminare iis, qui in tenebris & vmbra mortis ſedēt) (1. Cor. 6.) omnino eſt ſpiritualis habenda. Diſcurrunt nanque in ipſa latrones inuiſi & ſæui, qui retiacula tēdunt pedibus innocentum, vt illos in interitum rapiant ſempiternū. Sunt & diſcrimina innumera animarū, quę niſi ſpiritualis luminis cernantur intuitu, in foueā immaniū obruunt delictorum. Tētationibus quoque eſt plena, ſacro teſtante eloquio, Tentatio eſt vita hominis ſuper terram. (Sapi. 14.) Tētatio vita hominis eſſe perhibetur, vt ſcias in ea nihil mundum, nihil tutum, nihilque cōſpicuum, quæraſque ex hoc lucis adminiculum, quo mediante valeas ſecurius incedere, euitare pericula, ſuperare latrones, & felicitatis poſsidere decorem. Eſt enim lux vera, quæ radios ſuos miſit in orbem, vt omnem hominem proprio illuſtraret ſplendore. Lucet quidem ex ſe vniuerſos illuminare ſufficiens, quanquam innumeri ſunt, qui lucis ipſius ſplendore ſe priuent. Obtunditur planè in aſpectu illius delinquentium acies, & tenebreſcit à lumine, quoniam non ſicut debuerunt, eandem glorificauerunt in ſe. Verum ne quis ob nimium lucis huius fulgorem excuſationis proprię de cōtemptu eius latebras quæreret, binas ſpirituales eadem lux lucernas ardentes inſtituit, quę ambulantium pedibus vitæ huius iter perlucidum exhiberent. Prophetam igitur audi, quid de earum altera fateatur, Lucerna (inquit) pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. (Pſal. 118.) Ardens enim lucerna verbum Dei eſt, præclara, atque conſpicua, tanquam ab æternę veritatis irradiata ſplendore. Hanc tibi præſtitit Deus, vt illius tibi præeunte lumine intellectualium beſtiarum declinares inſultus. Diuinorum igitur eloquiorum vtere ſpeculo. In ipſo enim aduerſariorum tuorum deprehendes veſtigia. Documentis plena ſunt, quoniam verba ſunt verbi, atque æternę ſtillicidia ſapientiæ, quæ arentia corda valent humectare mortalium ad proferendum Deo delectabile iuſtitiæ germen, miſericordię oleum caritatiſque ſuauiſsimum botrum. Quomodo amoris ſancti face non accedet cor tuum, intelligentiamque præſtabunt, quum ignis eſſe noſcantur & lumen? Nūquid alio igne ardebant diſcipuli, cum quibus ipſo die reſurrectionis ſuæ gradiebatur Dominus, ſenſumq; panderet ſcripturarum? Nonne, inquiunt, ardens erat cor noſtrum, quum loqueretur nobis in via, & aperiret ſcripturas? (Luce. 24.) Huius ignis ſentiebat incendium Propheta, quum diceret, Ignitum eloquium tuum vehementer, & ſeruus tuus dilexit illud. (Pſal. 118.) Dilexit planè, quum in ipſius lumine, æternum aſpexit lumen, per quod inflammatum cor gerens carnis concupiſcentias, oculorumque, ac vitæ potuit oblectamenta contemnere. Dum enim futura bona nunciat, quæ non vidit oculus, nec auris audiuit, neque in cor hominum ſuperborum, atque tumentium aſcendere valent, amoris nimietate penetrant cor, & pro æternorum concupiſcētia ſuadent calcare præſentia. Vi-

des, quàm opportunæ Dei ſapientia hanc lucernam accenderit, vt euerſa interiori domo drachmam perditam reperiret? Fugauit quippe de rationalis mentis habitaculo ſpirituales tenebras, vt homo incarnationis ſuæ perciperet ſacramenta, fidei rudimenta cognoſceret, & promiſsionum cœleſtium contemplanda perluſtraret arcana. Charitatis inſuper ignem ingeſsit, quatenus ſancto affectus ipſius arderet incendio, omniſque terrenæ delectationis conſumeretur fæx, ac inferioribus ſpretis rediuiuo amore iugiter ad ſuperiora conſcenderet. O æternæ ſapientiæ veneranda dignatio, quæ lucernæ huius mediante myſterio ſpiritualem reſtaurauit domum, ignorantiæ deterſit caliginem, iacentem excitauit affectum, virtutum itinera patefecit, deformatam reformauit imaginem, rebellemque hominem reuocauit ad gratiam. Iſtius, ergo lucernę agnoſce dona, beneficia venerare, contemplare lumen, ſacramenta perquire, imitare documenta, promiſſa dilige, atque mandata cuſtodi. Tuo non diſcedat ab ore, neq; elongetur à corde. Ipſa cogitatus inſtruet tuos, intentionem diriget, amorem accendet, componet ſenſus, moribus inſtituet formam, pedibus dabit lumen, negotiis imponet modum, ſalutis aperiet aditum, & cęlorum te perducet ad regnum. Illam tanquam oculi pupillam conſerua, in illa meditando aſsiduus eſto. Tibi illam dedit Deus in ſociam peregrinationis tuę, tibi eam præſtitit in augmentum virtutis, tibi ipſam ad eruditionem, & robur ſpei exhibuit, dicente Apoſtolo, Quęcunque ſcripta Rom. 15. ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum, ſpẽ habeamus. Illam inquam tibi contulit, vt te de exilio ad patriam, & de morte excitaret ad vitam. Tibi igitur non ſibi ſacri eloquii lucernam contulit. Hanc quidem tibi, ſibi autem exhibuit alteram. Lucernam etenim ſibi parauit non ad lucem neque ad ſolatium, ſed teſtimonium, ſuique aduentus præſagium, atque diuinitatis indicium. Paraui (inquit Pater per Prophetam) lu- Pſal. 131. cernam Chriſto meo. Lucernæ huius vis habere notitiam? Dominum Chriſtum de Ioanne Baptiſta, cuius hodie natalitius ſolenniter celebratur dies, referantem obſerua. Ille ait, Erat lucerna ar- Ioan. 5. dens & lucens. Et euangeliſta Ioannes inquit de Ioan. 1. eodem, Hic venit in teſtimonium vt teſtimoniũ perhiberet de lumine (videlicet) Chriſto. Lucerna Ioannes eſſe dicitur ob ſuam præcipuam humilitatem, ſuique contemptum. Quũ.n. tantæ eſſet virtutis, vt à populis Chriſtus crederetur, cõfeſſus eſt Chriſtũ, & ſe minime negauit, quis eſ- Ioan. 1. ſet. Qui poſt me (inquit), venit, ante me factus eſt, cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam cal- Ioan. 3. ceamenti. Alibi etiam, Qui habet ſponſam ſponſus eſt, amicus autem ſponſi foris ſtat, & gaudio gaudet propter vocem ſponſi. Noluit plane Ioannes ſe extollere ſupra ſe, ne veritati aduerſaretur, & à gratia conditoris excideret. Verum quoniam in humilitatis ſe ſoliditate firmauit, dona cumulatiora promeruit. Nam quemadmodum Iacob. 4. Deus ſuperbis reſiſtit, ita gratiam ſuam præſtat humilibus. Humilis erat Ioannes & charitatis igne ſuccenſus. Quo nam modo tepere poterat, quum illum gratum faceret gratia, leuaret humilitas, ſanctitas commendaret, prædicaret vita, & deuotionis excitaret affectio; Ipſum in benedictionibus dulcedinis pręuenerat Deus, quum adhuc in materno teneretur corpuſculo. Nam antè fuit ſanctificatus quam natus, priuſque pręnunciatus quàm genitus. Hinc eſt, quod diuinæ gratiæ perfuſus ſplendore ad Redemptoris noſtri latentem præſentiam matris ſuæ exultauit in vtero, magno tripudiauit gaudio, & quod nõdũ valebat voce, exultatione perfecit. Grande prorſus hoc extitit diuinæ miſerationis indicium, vt infans ventris conſtrictus ergaſtulo ſuum agnoſceret Dominum, tenellis lętaretur in membris, ſolemque videret in nubilo. Tunc planè ad ęternę lucis aſpectũ lucerna hęc diuinę charitatis percepit incendium, tunc veri luminis eſt irradiata fulgore, atque gratię liquore completa. Quamobrem de ipſius plenitudine mater eius accipiens ſpiritum fęcundata prophetico, incarnationis verbi ſacramentum in vtero Mariæ conſum- Lucę 1. matum agnouit, exclamauit, & dixit, Et vnde hoc mihi, vt mater Domini mei veniat ad me? Vera fuit iſta confeſsio, humilitate nitens, deuotioneque grauida. Non enim inquit, vnde hoc mihi, vt veniat Dominus meus ad me? ſed ſignanter, vt veniat mater Domini mei ad me. Non enim ad Heliſabeth Chriſtus, ſed Maria in Montana eandem viſitatura perrexit. Venerat autem ad Ioannem Chriſtus in matre, vt pręco iudicem, paranymphus ſponſum, ſeruus Dominum, miles regem, & Baptiſta ſuum intelligeret redemptorem. Propterea eruditus in ſpiritu illum oſtendit digito, baptizauit in alueo, prędicauit populo, & per mortis ſupplicium confeſſus eſt mundo. O pręcurſoris humilitas, o rationalis lucernę inextinguibilis flamma. Non enim humanis eſt extincta feruoribus, neque temporalibus cruciatibus tepefacta, quin potius eo vehementius ardebat interius, quo exteriori amplius agitabatur impulſu. Ardebat ſanè ſibi, Chriſto autem lucere curabat. Hinc eſt, quod circunſtantibus turbis quum Iordanis ſtaret ad ri- Ioan. 1. pam, illum digito pręmonſtrauit dicens, Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. In carcere etiam conſtitutus duos ex diſcipulis ſuis mittens requiſiuit, an ipſe eſſet, qui erat venturus, an alium expectaret: Non quia illum ignoraret, hoc ſciſcitatus eſt, ſed quemadmodum mundo, ita & iis, qui in inferni clauſtris vincti habebantur, eius deſcenſum nunciare

ciare

ciare ſatagebat. Vtrobique diuinitatis ipſius gloriam notificare cupiens præcurſorij ſui miniſterium implere volebat, vt luceret Chriſto, plebémque ei pararet perfectam, Eapropter clamabat, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim vobis regnum cœlorum. Verum exiſtimante populo, & cogitantibus omnibus de Ioanne, ne forte ipſe eſſet Chriſtus, reſpondit, Ego quidem aqua baptizo vos, veniet autẽ fortior me poſt me, cuius non ſum dignus ſoluere corrigiam calceamentorum. Ipſe baptizabit vos in Spiritu Sancto & igni, cuius ventilabrum in manu eius, & purgabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum, paleas autem comburet igni inextinguibili. Videſne, quanta veritatis luce perfuſus erat? Detegebat quidem præſentia, & futura de Chriſto prænunciabat præconia, quatenus perficeret, quod prophetico oraculo Dominus de eodem declarauerat dicens, Ecce ego mitto angelum meum, qui præparabit viam ante faciem tuam. Lucebat igitur lucerna hæc, & tanquam ſidus clariſſimum propinquum ſoli teſtimonium perhibebat. Lucebat inquam, adeo vt fieret humilitatis ſpeculum, magiſterium pudicitię, virginitatis decus, ſapientiæ lumen, æternę vitæ nuncius, innocentiæ forma, norma virtutum, diſciplinæ doctor, præco veritatis, continentiæ exemplar, paupertatis ſpecimen, contemptor mundi, perfectionis oſtenſor, charitatis liber, vitæ via, martyrum decus, patientię faſtigium, & pœnitentiæ propalator. Hanc planè quemadmodum ſuaſit voce, ita exhibuit opere. Sub annis quippe imbecillis ętatis ad deſerti ſecreta Deo militaturus intrauit, ibique hirſutis camelorum pilis indutus, locuſtarum ac mellis ſylueſtris vſus eſt cibo, atq; aquę contentus hauſtu ſuper nuda decubabat humo. Ioanne quis ſanctior? Illius vita quę auſterior? Matris fuerat ſanctificatus in vtero, & ab initio natiuitatis ſuę cuſtoditus à Domino, & tamen eremi habitator effectus multimoda corpus ſuum atterebat inedia. Omnibus etenim virtutibus quum eſſet inſignis, talem a Chriſto promeruit laudem, inter natos (inquit) mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta. Merito nemo in natis mulierum illo dicitur maior, qui fuit mente & corpore virgo, paſſione martyr, doctor prędicatione, ex reuelatione vates, conuerſatione ſanctus, atque imitatione Angelus. Nempe ex diuino eſt conceptus oraculo, de parentibus infœcundis, longæuis, & iuſtis, atque ab eodem, quo Chriſtus prænunciatus eſt, Angelo. Humanę prorſus dignitatis tranſcendere videtur merita, dum commendatur à Chriſto, Spiritu Sancto repletur in vtero. In veteri pręfiguratus eſt lege. Lucerna factus eſt iudicis, ſeculi interuentor, prophetarum finis, vox verbi, & totius mediustrinitatis. Iſtius itaque ſpiritualis lucernæ flammigerum imitare ſplendorem, quę te ęterni

Math. 3.

Ibidem.

Malac. 3.

Matt. 11.

verbi perducit ad lucem. Eſto corde humilis, fraterna dilectione ſuccenſus, laudabilique conuerſatione decorus. Conditori tui gratiam, tuęque infirmitatis agnoſce miſeriam. Te vltimum in ſenſu cordis fatere virorum, quatenus infimo diſcumbens in loco nuptiali merearis ſublimari conuiuio. Ortus tui interdum meditare exordia, vitæ decurſum, pondera delictorum, atque reſolutionis corporis futuram neceſſitatem. Diſces procul dubio ex his non inflari, non magna appetere, neque inaniter ambulare in mirabilibus ſuper te. Eris humilis, diuinoque frueris conſortio, quoniam mentem humilem omnipotens dignanter inhabitat. Te quoque inflammabit de ſe, ſui te amore replebit, te iugiter eleuabit ad ſe, ſuam tibi amabilem exhibebit præſentiam, te reficiet lætitia in luminis ſui glorioſo aſpectu, te pro ſuo beneplacito iubilatione reficiet. In eorum profecto computaberis numero, de quibus Propheta gratulabundus aiebat, Beatus populus, qui ſcit iubilationem, Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iuſtitia tua exaltabuntur. Tunc diuina in te operante virtute lucerna efficieris ardens & lucens. In eius quippe iuſtitia humilitatem, in nominis ipſius exultatione feruorẽ, atque in ſerena vultus eius contemplatione percipies lumen, illud (videlicet) quod de vitæ fonte procedit, qui apud Patrem cum Spiritu Sancto inebriat triũphantes, & regnat in ſecula, Amen.

Pſal. 88.

In ſolennitate ſanctorum Apoſt. Petri & Pauli.

QVamuis in vniuerſi conſtitutione diuinæ charitatis profuſio clareat, quippe quum perlucidis repleuerit corporibus cœlum, aerem volucribus, piſcibus mare, terramque quadrupedibus, reptantibus, ſerpentibus, arboribus pomiferis, diuerſis virgultis, ac vernantibus & redolentibus floribus, præcipue tamen in iuſtificatione hominum cœleſtis operationis ſupereminẽtia patet, eorum (videlicet) qui vel generis carẽt nobilitate, vel delictorum ſunt ſarcina prægrauati. Nulla in his acceptio cernitur perſonarũ, nulla operum laudabilium fęcunditas, per quæ ad miſerendum diuina ſe voluerit inclinare maieſtas. Virtutũ noſtrarum minime Deus indigere cognoſcitur, quum Dominũ virtutum ſit & Rex gloriæ. Non nobilitatem quærit proſapiæ, non ſeculi faſtus, non naturalis acumen ingenii, non eloquentiæ ornatũ, neq; auri, argenti, ac gemmarum locupletem ſubſtantiam, quoniam ipſius eſt terra, & plenitudo eius orbis terrarum, & vniuerſi, qui habitant in eo, vnde Pſalmographus canens inquit, Cõſerua me Domine, quoniã ſperaui in te, dixi Domino Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges. Quamobrem quum nullius ſuffragio

Pſal. 15.

Digitized by Google

egeat, dum quempiam iuſtificat, hoc ipſum gratis facere cenſendus eſt. Verum quia nonnunquam quod Dei eſt, humana ſibi præſumit arrogare temeritas, in iuſtificatione mortalium (vt plurimum) ignobiles peccatores eligere Dei bonitas videtur, & pauperes. Hinc eſt, quod ad nuptiale conuiuium cæci, debiles, claudi, eliguntur & inopes, quodq; his maius eſt, etiam introire coguntur. In hanc Apoſtolus concurrens ſenten-
1.Cor.1. tiam Corinthiis ſcribens aiebat, Videte vocationem veſtram, fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus vt confundat ſapientes & infirma & ea, quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt, deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius, ſed qui gloriatur, in Domino glorietur. Hac potiſsimum de cauſa non ſapientes, nobiles, neq; ſanctitate præditos Dei ſapientia ad ſternendum ſub iugo fidei ſeculum omne voluit habere Diſcipulos, ne religionis gratia humanæ potius quam diuinæ aſcriberetur virtuti, contemptuique haberetur reuelatæ fidei præclariſsimum munus. Dum enim ad prædicationem Euangelii peccatores vocantur & rudes, cœleſtis in illis commendatur gratia, fidei celſitudo, Euangelii veritas, diuinæque
Psal. 8. virtutis autoritas. Illeque merito honoratur, qui per inſtrumenta tam vilia præcellam eccleſiæ ſuę potuit conſtruere domum. Hoc Propheta cõtemplatus in ſpiritu dicebat, Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem propter inimicos tuos, vt deſtruas inimicũ & vltorem. Optime laudem ſuam perfecit Deus, vt Diabolum debellaret & ſeculum, quando ſimplices & peruerſos erudiuit in ſpiritu, atque præcipuos regni cœleſtis voluit eſſe præcones. Quis Petrus, quiſve extiterit Paulus, quorum celebris hodie memoria colitur (oro) diligenter aduerte. Nonne piſcationis arte Petrus humanæ vitæ alimoniam quæritabat? Pauper erat, nõ ſplẽdore nobilitatis inſignis, non ſcripturarum gnarus neq; ingenii acumine pollẽs, & tamen Sancti Spiritus dono pręuentus legem docuit, prędicauit Euangelium, miraculis fulſit, atq; Sacerdotalis dignitatis tenuit arcem. De Pauli verò conditione quid memorem? Crudelis quidem fuit perſecutor eccleſię. Chriſtianorum oppreſſor & hoſtis. Hic talis vocatus à Domino doctor factus eſt gẽtium, necnon Apoſtolatus promeruit gradum. Tantoq; per ipſum amplius glorificatus eſt Chriſtus, quanto magis immaniũ delictorũ fuiſſe agnoſcitur reus. Quamo-
1.Tim.1. brem fidenter loquebatur, Fidelis ſermo, & omni acceptione dignus, quia Chriſtus venit in hũc mũdũ peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſũ, ſed ideo miſericordiam conſecutus ſum, vt in me primum oſtenderet Chriſtus Ieſus omnem patientiam ſuam ad informationem eorum, qui credituri ſunt illi in vitam æternam. Sicque in Dei laudibus prorumpens inquit, Regi autem ſeculorum, immortali, & inuiſibili ſoli Deo honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen. Ambo Ibidem.
igitur gratis iuſtificati à Domino, ambo dum Apoſtolatus adepti ſunt apicẽ, Dei gratiam in ſe exhibuere laudabilem. De imis ſiquidem ad ſumma prouecti glorioſi fidelium omniũ effecti ſũt principes. De ipſis quippe Pſaltes nominatiſsimus longe antè vaticinatus fuerat dicẽs, Pro Pa- Psal.44.
tribus tuis nati ſunt tibi filii, conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Merito oraculo diuino vocati ſunt principes, qui Chriſtianam plebem aduerſus poteſtates aereas pro honore conditoris, cœlorumque regno certare docuerunt. Vt autem eorum magiſterio & tu erudiaris ad prælium, ſacra ipſorum monita diligenter obſerua, Sobrii (inquit Petrus) eſtote & vigilate, quia aduerſarius veſter Diabolus tanquam leo rugiẽs 1.Petr.5.
circuit quærens quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide, ſcientes eandem paſsionem ei, quæ in mundo eſt, veſtræ fraternitati fieri. Alter verò inquit, Fratres confortamini in Domino & in Ephes.6.
potentia virtutis eius, induite vos armatura Dei, vt poſsitis ſtare aduerſus inſidias Diaboli, quia non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus. State Ibidem.
igitur ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti lorica iuſtitiæ, & calceati pedes in pręparatione Euangelii pacis, in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſsitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere, & galeam ſalutis aſſumite, gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Vides quam prudenter & compendioſe ſpiritualia indixere certamina. Cęterum quemadmodum alios exhortati ſunt ad bellum, ita & ipſi vſque ad carnem & ſanguinem dimicauere viriliter. Carnem quippe ſuam atterere ieiuniis, vigiliis domare, fatigare laboribus, attenuare inedia, atque cum concupiſcentiis & vitiis crucifigere ſtuduerunt. Hinc eſt, quod ipſe Paulus de ſe refert 2.Cor.11.
inquiens, In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter, à Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi, ter virgis cęſus ſum, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, in labore & ęrumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate. Sanguinem autem in agone martyrii pro veritate fuderunt, ideoq; teſtes veri effecti ſũt. Teſtes autẽ illos dixerĩ fuiſſe veraces, quoniã de Chriſto, quę teſtificati ſũt verbo, hęc viſione, reuelatione, perceperũt & ſẽſu. Sẽſuũ teſtimoniũ audi, Quod fuit ab initio, quod audiui- 1.Ioan.1.
mus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtrę cõtrectauerũt de verbo vitę & vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, et an-

annunciamus vobis vitã æternam, quę erat apud Patrem,& apparuit nobis. Nam & Paulus de Do 1.Cor.15. Galat. 1. mino inquit, Nouiſsime omnium tanquam abortiuo viſus eſt & mihi. Teſtimonium reuelationis vis noſſe? Notum vobis facio (inquit Paulus) Euangelium, quod Euangelizatum eſt à me, quia non eſt ſecundum hominem. Non enim accepi illud ab homine, neque didici, ſed per reuelationem Ieſu Chriſti. Petro autem ait Do- Matt. 16. minus, Beatus es Simon Bariona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in cœlis. De Chriſti diuinitate & ſcientia fidei per viſionem eruditus eſt Petrus, quando in monte transfigurati Domini gloriam vidit, patriſque vocem allatam à magnifica gloria in nube audiuit dicentem, Hic eſt filius meus dilectus, Matt. 3. 2.Cor.12. in quo mihi bene complacui, ipſum audite. Paulus verò de ſe ait, Scio hominem huiuſmodi raptum in paradiſum, & audiſſe arcana, quæ non licet homini loqui, propterea confidẽter dicebat, Rom. 8. Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neq; virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei quæ eſt in Chriſto Ieſu. Suo igitur teſtimonio catholicæ veritatis fundamenta iecerunt, ſuper quæ omnis ſpiritualis ſtructura creſcit in templum ſanctum in Domino, vnde legitur. Epheſ. 2. Iam non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues ſanctorum & domeſtici Dei ſuperædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum. Felices hos nuncupauerim, qui mœ- Apoc. 11. nia cœleſtis patriæ fundauerunt confeſsione, fabricauerunt moribus, ſanguine dedicarunt. Merito ob ſanctitatis priuilegium de ipſis dictũ eſt, Iſti ſunt duæ oliuæ & duo candelabra lucentia ante Dominum, & habent poteſtatem claudere cœlum nubibus, & aperire portas eius, quia linguæ eorum claues cœli factæ ſunt. Oliuæ eſſe perhibentur, candelabra lucentia ante Dominum, & cœli claues. Aduerte ſingula, & diuinæ excellentiam gratiæ recognoſces in illis. Oliuæ ſunt naturales, non in oleaſtris contra naturam inſertæ, vtique amœnæ, virentes, vberes & fœcundæ. Amœnitatem foliorum in verbis & ſcripturis eorum attendæ, viriditatem in deſideriis cœleſtibus, quibus flagrabant, excipe vbertatem in deuotionis pinguedine, qua intus nutriebantur, intellige, fœcunditatem autem in Iudæorum ac gentium conuerſione mirare. Quis (oro) in epiſtolarum elegantia iſtis fuit amœnior? quis in concupiſcentia æternorum virilior? quis vberior in contemplatione cœleſtium, quisve fœcundior in aggregatione fidelium? Nempe totam eccleſiæ terram ſuis irrigauerunt doctrinis, decorauerunt exemplis, ampliauerunt miraculis, & virtutibus perfecerunt. Hinc candelabra merito nominantur aurea, ductilia, atque ornata. Sapientia quippe tanquam auro fulgentiſsimo rutilabant, vnde Paulus, Sapientiam (inquit) loquimur inter 1. Cor. 2. perfectos, ſapientiam verò non huius ſeculi, neq; principum, qui deſtruuntur, ſed loquimur Dei ſapientiam in myſterio, quæ eſt abſcondita, quã prædeſtinauit Deus in gloriam noſtram, quam nemo principum huius ſeculi cognouit. Propter ſapientiam quoque eis infuſam cœlitus dicebat Dominus, Vos eſtis ſal terræ, vos eſtis lux mundi. Matt. 5. Sale nanque doctrinę & ſapientiæ luce infidelitatis tenebras fugauerunt, & ſapidum ſpiritualis deuotionis exhibuerunt hominum guſtum. Non tamen illos percepiſſe donum arbitrandum eſt fruſtra. Dei nanque non proprio ſpiritu ducebantur. Diuinę enim voluntati obtemperabant in omnibus, ſe deſpiciebant, ſe viriliter ſic abnegabant in ſe, vt eorũ ſinguli dicerent, Viuo ego, Galat. 2. iam non ego viuit autem in me Chriſtus. Beatus planè, cui ſanctę obedientię tantus ineſt amor, vt propriam voluntatem in omnibus ſuſpectam habeat, omniq; humanæ creaturæ propter Deũ ſubiectus ſit. Subeſſe gaudet præeſſe refugit, alieno potius quàm ſuo cedit iudicio, illiuſque conamine toto veſtigia imitatur, qui Patri ſuo pro nobis vſque ad crucis ſupplicium eſt effectus obediens. Tales erant, de quibus loquimur, ſancti, propterea ſeptiformis gratiæ affluenter in ſe ſuſceperant largitatem, vtpote templa Dei mundiſsima, cunctaque virtutum perfectione decenter ornata. Verum quoniam ab eo, qui eſt, dona ſpiritualia ſibi prærogata ſciebant, ideò illi ſubiiciebantur humiliter, obtemperabant fideliter, atque perſeueranter inhærebant agnoſcentes ipſũ eſſe datorem munerum, ſuſceptorem delinquentium, necnon & naufragantium refugium. Zelo inſuper veritatis accenſi ac diuina autoritate ſuffulti linguis ſuis & orationum interuentionibus, quum immineret neceſsitas, clamauerũt ad Dominum, & exauditi ſunt. Quamobrem multos ſanctæ religioni aduerſantes in carnis dederunt interitum, quoſdam pro eruditione credentium, aliquos vt eorum ſpiritus fieret ſaluus nonnullos autem ne a fide debilium auerteret corda, abirẽtque retrorſum. Merito igitur clauium cœleſtis regni poteſtate præditi ligandi animas, atque ſoluẽdi Pontificio fungebantur ipſius, à quo tanta perceperant tantùm gloriam quæritantes. Eia nunc ſancta mater eccleſia exultationionis & gaudii, iubilationis & laudis conuentum age, quæ tantorum principum protectione muniri, & doctorum talium inſtitutione erudiri, tanquam duorum radiantium luminum meruiſti coruſcari ſplendore. Non enim vltra ab hoſtium incurſionibus pauere, nec hæreticorum fallaciis cedere, neque per vitiorum tenebras valebis errare. Horum itaque Patrum imitare virtutes, acquieſce conſiliis, ſententiis crede, tene ſanctitatem, ſuffragia poſce, atque protectionis gaude. Sic ſingula inter ſe

exer-

exerceant membra, vt quemadmodum hi, ita & ipſa oliuæ ſint vberes, amœnæ, atque fœcundæ, quatenus Propheticum illud valeant decantare dicentes,
Pſal. 51. Ego autem ſicut oliua fructifera in domo Dei ſperaui in miſericordia Dei in ęternum, & in ſeculum ſeculi. Sint candelabra valde lucentia nedum intus per charitatis incendium, ſapientiæque nitorem, verumetiam foris pro ædificatione conuiuentium atque videntium. Claues quoque ſint cœli, quatenus orationum interpellatione aſsidua poſsint defunctis vitam, nutantibus robur, lætitiam mœſtis, nec non languentibus animæ præſtare ſalutem, æterni ſponſi tui benigno ſuper hoc interueniente præſidio viuentis in ſecula ſeculorum, Amen.

In feſto Sanctæ Mariæ Magdalenæ.

DIuinæ miſerationis quicunque voluerit inueſtigare diuitias, ſolis claritatem ægris oculis intueri conatur. Prorſus incomprehenſibiles ſunt, & humano intellectui inſcrutabiles. Percipiuntur tamen ex parte tanquam ſolares radii in montium cacuminibus & locis eminentioribus apparentes. Has quippe quum conſiderare volumus, non in ſeipſis ſed in ſanctis & iuſtificatis peccatoribus agnoſcamus. Quamuis enim iuxta Prophetæ ſententiam miſe-
Pſal. 144. rationes eius ſuper omnia opera illius diffuſæ ſint, peramplius tamen in ſanctis & amicis Dei, in quibus locupletioribus donis miſeratio diuina effulſit. Cæteros, nanque ſicut ſanctitate præcellunt, ita & gratia, quæ miſericordiæ conditoris preſagium eſt. Maximam ex his in partem in Chriſti corpore & in congregatione nouimus eſſe fidelium. Verum & in omnibus vnum præcipuum miſerationis exemplum in hodierna celebritate ſacroſancta mater nobis anteponit eccleſia, peccatricis (videlicet) mulieris & ſanctæ. Hæc nanque quum eſſet mente ceca, à demonibus poſſeſſa, onerata ſceleribus, famoſa peccatrix, cęleſti irradiata ſplendore, ad diſcumbentem Dominum miſericordiæ fontem iuſtificanda cucurrit. Cucurrit inquã, quoniam trahebatur interius. Ipſe profecto illam trahebat in corde, qui per Prophe-
Hier. 31. tam loquitur dicens, In charitate perpetua dilexi te, & attraxi te miſerans tui. Quomodo niſi traheretur, accedere valuiſſet, quæ tot funibus erat cõſtricta, quot delictis obnoxia? Sunt enim peccata ſpiritualia vincula, quibus tenetur anima, ne libertate propria potiatur. An non his vinculis quatriduanus fœtens in tumulo legitur fuiſſe cõſtrictus? Ligatum quoque atque gratia diuina ſolutum ſe fatetur Propheta extitiſſe, quum dixit, Dirupiſti Domine vincula mea, tibi ſacrificabo
Pſal. 115. hoſtiam laudis. Non igitur humanum eſt opus peccatorum vincula ſoluere, ſed diuinum, quanquam & homo homines ſoluat, ipſo Domino imperante, atque ſe poteſtatem tradente. Imperauit, nanque Diſcipulis, vt ſoluerent reſuſcitatum & inſtitis circumligatum. Verum & Petro, atque ſucceſſoribus Petri ait, Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cęlis, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Matt. 6.
Soluunt igitur & ligant homines compedes delictorum, illorum videlicet, quos ſoluit prius Dominus, & gratia diuina preuenit. Superuacue prorſus peccatori manus imponitur, ſi non fuerit munere diuino ſolutus. Nempe vbi deeſt compunctio, cordis contritio, peccati odium, ibi nihil operatur ligandi, atque ſoluendi autoritas. Hinc eſt, quod in penitenti & adhuc peccare volenti non eſt tribuenda abſolutio, alioquin qui talem conatur abſoluere, ſeipſum propria autoritate transfigit, ac per hoc abſque profectu alterius ſibiipſi plurimum nocet. Quiſque ergo eccleſię miniſter attendat, vt cooperator gratię eſſe velit, non tributor. Illis tantum imponat manum, vt ſoluat à vinculis, quibus veræ contritionis pręrogatum eſt munus. Quem enim Deus ſoluit interius, humanę ſuſcipiat, poſt confeſsionem exhibitam manum imponat, vino & oleo vulnera tergat, quatenus vtriuſque iudicis benedictione percepta ad propria peccator redeat ſuſcitatus & liber. Talis prorſus in peccatorum ſolutione ſeruandus eſt ordo, vt non ligandi, atque ſoluendi collata poteſtas Sacerdotibus vertatur ad penã. Quemadmodum igitur ſolius eſt Dei laxare facinora, ita eſt etiam ſolutum attrahere. Verbi huius vis noſſe myſterium? Veritatis magiſtrum loquentem auſculta, Nemo (inquit) venit ad me, ni- Ioan. 6.
ſi Pater, qui miſit me, traxerit eũm. Hoc quid clarius? quidve manifeſtius? Illum verò Pater trahit ad Filium, cui vnigeniti ſui diuinitatem inſinuat, atque ſapientię & bonitatis ſuę reſerat fontem. Nonne hoc Maria videre promeruit? nonne Pater illam traxit ad Filium? Traxit inquam Pater, illa autem vbi ipſum cum peccatoribus agnouit diſcumbere, acceſsit ad Filium. Stetit retro ſecus pedes Domini Ieſu, quos (videlicet) vbertim rigauit lacrymis, crine deterſit. Sicque patienter ſuſtinuit, donec ſuorum perciperet veniam delictorum. Maxima profecto fuit huius mulieris fides, vehemens amor, vera compunctio, humilitas ſancta, manifeſtare cognitio, perſeuerantia conſtãs, obedientia velox, magna gratia, & interna attractio. Nempe vt agnouit Dominum, proprium ſcelus abhorruit, ad peccatorum liberatorem acceſsit, conuiuantes non erubuit, non iuſſa intrauit, lacrymas fudit, pedes terſit. Quamobrem veniam, quam poſtulauit, iuſtificata ſuſcepit. Acceſſit, nanque ad medicum ęgra, & receſsit ſana; ingreſſa eſt conuiuij domum innumerabilibus delictis obnoxia, & regreſſa eſt libera; introiuit impudicitię fętore infamis, & exiuit charitatis priuilegio commendata, abiit demum compunctionis mœrore transfixa, rediit autem pro remiſsione

percepta exultationis ſecuritate perfuſa. Erat quippe ipſa, ſed altera; per eſſentiam ipſa; & per gratiam altera. In melius illam reformauit gratia, quàm natura condiderat; per naturam in peccato concepta & conſuetudine mala fuerat infecta famoſa peccatrix, per gratiam verò aboleuit vtrũque. O bona gratia, ô mutatio dexteræ excelſi, qui ſaluum fecit Paulum, & de perſecutore doctorem & publicanum apoſtolum. Ille impudicam exhibuit caſtam, alienam diſcipulam, publicè delinquentem in conuiuio lacrymantem, & in volutabro carnis olim fœtentem charitatis ſuauitate flagrantem. Cuius hæc ſunt opera niſi bonitatis tuæ ô Domine Ieſu, qui miſerationis oculo, quęcunque reſpexeris, abſoluis à crimine, reconcilias Patri, donas eccleſiæ, reples gratia, reddis ſibi, renouas ſanctitate? Nunquam emendatus peccator valeret conuerti ad te niſi manu tua erigeretur, aut tuo erudiretur flagello, ſeu tuo tangeretur amore, vel tuo te videret in lumine. Vniuerſa hęc abs te Maria didicit, & probauit in ſe. Hinc eſt, quod poſt ſpiritualem ſuam reſurrectionem tam inſeparabiliter inhæſit tibi, tuaque eſt perſecuta veſtigia. Præſentiæ nanque tuæ capta dulcedine, tui vulnerata amore, eloquiorumque tuorum auditione accenſa à te diutius ſe abſentare non poterat. O quoties quum ſederet penes te, & ſermones tuos ſuſpenſa mente perciperet, propheticum illud ingeminando canebat, *Pſal. 118.* Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo. Iterumque, Ignitum eloquium tuum vehementer, & ſeruus tuus dilexit illud. O quàm frequenter verbi tui inebriata dulcedine à corporalibus ſenſibus aliena ſe deferens habitabat in te, tibique ſuaui modulatione piæ deuotionis amoris carmina depromebat dicẽs, *Pſal. 72.* Defecit cor meũ & caro mea Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Iſta nanque & huiuſmodi plurima præludia charitatis, quæ nemo intelligit, niſi expertus, nullus experitur, niſi amoris caſtiſſimi ſit ſagitta trãſfixus. Hæc ſancta dum diceret, fundebat lacrymas, emittebat gemitus, deſideriis cremabatur, rapiebatur ſupra ſe, & in Chriſti pectore quieſcebat. Ibi ſpiritualem ſibi conſtruxerat manſionem, in qua tumultus hominum declinãs, & exteriorum fugiens actiones iugiter reſidebat. Ibidem quippe illam fuiſſe tunc arbitror, quum interpellanti ſorori, & de ipſius ocio conquerenti Dominus inquit, Martha, Martha ſolicita es, *Luce. 10.* & turbaris erga plurima. Porro vnum eſt neceſſarium. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Ex illo tempore omni cordis intentione ſtuduit habitare ſecum, locumq; in ſe Domino præparare, quatenus ſicut ipſa in illo, ita ille in ipſa requiei thalamum reperire valeret. Qui enim cum filiis hominum ſuas dicit eſſe delicias, interioris hominis hoſpitium quærit fide compoſitum, puritate nitidum, diuinæ charitatis, cæterumque virtutum varietate decoratum. Nempe tale quum videt, diligit, illuc ſæpe ingreditur, in eo myſteria loquitur, ſedem ſuam collocat, & ſanctæ dilectionis portendit inſignia. Beata planè iuſti anima, quæ ſedes effecta eſt ſapientiæ, quæ *Eccl. 24.* ait ex corde, qui creauit me requieuit in tabernaculo meo, atque pro amoris viciſſitudine illud, *Cant. 6.* quod in Canticorum cantico legitur, veraciter inquit: Ego dilecto meo & ad me conuerſio eius. Talis profecto erat Marię olim impudicę anima, quę toto corde, tota intentione, omnique virtute poſt perceptam ſuorum remiſſionem facinorũ ſe conuertit ad Chriſtum ignita id in ſe operante charitate. Quamuis enim lacrymis domini rigauerit pedes, crine terſerit, frequenter oſculata fuerit minime tamen pro his promeruit indulgentiam, ſed pro dilectione tantum, dicente de illa domino: *Luc. 7.* Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Hanc igitur de qua loquimur, mulierem, cuius etiam hodie natalitia memorantur, tota debemus deuotione ſuſcipere, quæ nobis facta eſt occaſio ſpei, conuerſionis ſpeculum magiſterium pœnitentiæ, deuotionis exhortatrix, & charitatis forma. Inuenit peccator in illa quod agat, iuſtus verò quo gaudeat. Quamobrem, ô peccator, qui emendatioris vitę viam conaris arripere, imitare Mariã, ne differas de die in diem conuerti ad Chriſtum, quin potius quum intus vocaris à domino, eum admonentem audias: *Eſai. 1.* Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, quieſcite agere peruerſe, diſcite benefacere, ſubuenite pupillo, defendite viduam, & venite & arguite me, quoniam ſi fuerint peccata veſtra ſicut coccinum, quaſi lana alba erunt, & ſi fuerint rubra tanquam vermiculus, velut nix dealbabuntur: ſi volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis. Gradu concito perge ad Chriſtum, mente tamen, non corpore, neque pedibus ſed affectibus. In Eccleſiam ingredere, vbi Chriſtus diſcumbit, pro te tuumque præſtolatur aduentum, atque in ſpiritu humilitatis & in animo contrito te pedibus prouolue domini Ieſu, illos laua lacrymis, capillis exterge, oculis leni, manibus contrecta, cõfitere ſcelera, deterge vulnera, reatum accuſa, ſponde conuerſionem, pete veniam, vt plenam conſequaris indulgentiam. Cuncta hæc fideliter facito, corde ſimplici, mente deuota, flentibus oculis, & perſeueranti animo. Nempe ſi his aſſiduus fueris, ſi Mariæ veteris exemplo, & ſi non æqualem gratiam, tamen conſequeris vt illa. Promittentem audi: Si impius (inquit dominus per Prophetam) *Ezec. 18.* egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit vniuerſa præcepta mea, & fecerit iudiciũ & iuſtitiam, vita viuet & non morietur. Omniũ iniquitatum eius, quas operatus eſt non recordabor in iuſtitia ſua, quam operatus eſt, viuet. Nunquid

quid

Digitized by Google

quid voluntatis meæ eſt mors impii (ait dominus) & non magis vt conuertatur à viis ſuis prauis & viuat? Exhortantis igitur acquieſce conſilio, ne te iudicantis ſententia feriat. Diſsimulat nanq; hominum peccata, vt conuertantur & viuant. Non conuerſos autem ex dilatione durius premit. Te ergo ad emendationem prouocet expectantis longanimitas, te trahat ad Chriſtum ipſius oſtenſa bonitas; te peccatricis cita conuerſio, fletus exuberans, impenſa deuotio compungat ad luctum, erudiat ad lamentum, repleta gaudio, inflammet affectum, atque perducat in iubilum. Prius tamen te purget dolor, mundet confeſsio, emendet gratia quatenus te ſapientia diuina poſſideat. Equidem ſecundum multitudinem dolorum tuorum in corde tuo illius conſolationes lætificabunt te, teque ſibi familiarem exhibebūt. Miraberis tunc prorſus quid fueris, quid acceperis, quid eris. Nimium igitur exhilaratus interius, & intima charitate perfuſus magnificabit anima tua dominum, & exultabit ſpiritus tuus in Deo ſalutari tuo, qui eſt glorioſus rex amator hominum, pœnitentiumque ſuſceptor Deus benedictus in ſecula, Amen.

In feſto ſancti Iacobi Apoſtoli.

SAcro nos erudiente eloquio nouimus contigiſſe perſæpe probatiſsimos viros, ſanctitate conſpicuos in ignorantiæ errorem eſſe prolapſos, ex quo nonnūquam magnis criminibus ſe fecere obnoxios. Hoc non ad eorum damnationem, ſed ad humilitatis profectum, poſterorumque eruditionem accidiſſe profiteor. Illorum nanque repentina reſurrectio prelatæ ſententiæ autoritatem præſtat. Cecidit Moſes in fidelitatis velo detentus ad petram Oreb, qui correptus à domino delecti ſui promeruit veniam. Duplicis concupiſcentiæ iaculo percuſſus eſt nominatiſsimus Propheta Dauid, ſed diuino per Prophetam edoctus oraculo proprij ſceleris factus eſt conſcius. Quamobrem emiſsis compūctionis gemitibus, humilitate proſtratus gratiā, quam peccando amiſerat, adinuenit. De Apoſtolo verò Petro quid referam, qui magiſtrum ſuum ſe ſcire negauit? Intuitu autem Chriſti reuocatus ad ſe abhorruit, facinus amare fleuit, atque dominum deprecatus ex corde indulgentiam, quam poſcebat, obtinuit. Longe tales peccando profecerunt in melius, quàm fuerint ante delictum. Nouit dominus opus ſuum, quod condidit. Nouit inquam, quàm prona ab adoleſcentia ſit hominis natura ad malum, quàm ad elationē procliuis, & quàm lubrica ad capeſſendam voluptatem ex ſenſib. Hinc eſt, quod amicis ſuis, vt humilitatis materiam ſubminiſtret, permittit aduerſa contingere, & interdum in grauium incidere foueam delictorum. Agit cum illis vt pater, diſpenſat vt ſapiens, corripit vt iudex, emendat vt dominus, erigit vt miſericors. Nemo igitur quum flagellatur, exagitetur ita, ſe deſperet quū cadit, de ſe præſumat dum ſtare videtur. Nulla prorſus habilior decipula inuenitur ad caſum, quàm elationis cogitatio, quæ aliquando quod non habet, ſe habere præſumit, aut propriis ſe meritis arbitratur habere, quod habet; vel alios deſpicit, qui videntur nō habere, quod ipſa. Hi veranimi ſpirituales ſunt laquei, & verbum Deo odibile in cordibus ſuperborum. Huiuſmodi tamenque laqueos euadunt humilium mentes Deum timentium, proximos non irridentium, amantium puritatem, formidantium ruinam, ſectantium pacem, atque ad perfectionem anhelantium. Hæc Pſal. 23. iuxta Prophetæ ſententiam eſt generatio quærentium dominum, quærentium faciem Dei Iacob. De talium numero poſt ſui admirationem erroris Apoſtolum nouimus extitiſſe, Iacobum, cuius hodie feſtiuitas celebratur. Memoratus ſiquidem Apoſtolus quamuis ſanctus, quanquam Chriſti diſcipulus, per inordinationem in petendo deliquit. Iſtum planè dominus redarguens compeſcuit, noſque ipſius occaſione commonuit. Huius enim Apoſtoli communis eſt error. Quis (oro) tanta ſanctitate, tantaque conſideratione eſt preditus, vt frequenter in poſtulatione inconſulta non prorüat? Quis igitur propria affectione ſeductus malum non arbitretur bonum, & bonum malum? Hinc iuſtorum in petitionibus naſcitur error, hinc ſupplicationum inſtātia perſæpe reiicitur. Luc. 6. Orantium quippe iudicium quoniam boni ac mali neſcientia viget, o quoties fallitur? Mat. 7. Petitis (inquit Apoſtolus Iacobus) & non accipitis, eò quòd male petatis. Nemo credat Dominum vtilium poſtulationum denegare conſenſum. Petite (inquit ipſe) & accipietis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis. [illegible] Ipſe eſt exhortator & redditor. Inuitat ad pretem, & petitionem ſe exhibiturum ſpōdet. Veritas eſt, & neſcit fallere: bonitas eſt, & quod proficuum eſt, negare non poteſt, propterea quū petimus, & non accipimus, noſter eſſe ſentenduſ eſt error. Petimus inquā, quod nocet, quod nondum licet, quod non decet, quod minime expedire cognoſcitur. Iſtæ poſtulantium ſeductiones videntur eſſe communes, quemadmodum ſcripturarum autoritatibus comprobatur. Num Iacobus, de quo nunc loquimur, & germanus illius Zebedei filii, amboque Apoſtoli interpellantes pro eis matre poſtulauere, vt alter ad ſiniſtrā, alter verò eorū collocaretur ad dexterā? [illegible] Nonne memoriæ cōmēdauerāt dominū dixiſſe: Quū ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, iudicaturus ſeculum, oues quidem ponet ad dexteram, hœdos autem ad ſiniſtram, & iis qui ad ſiniſtram ſunt, dicet; Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Quoniam verò quod illis pernicioſum erat, flagitabant, merere

re

Digitized by Google

re à domino, neſcitis quid petatis, neque exaudiri meruerunt. Illos nempe exaudiſſet iratus, ſi quod petierant, tradidiſſet. Negat igitur miſericorditer electis ſuis, quod ſe poſtulanti nocere cognoſcit. Non audire prętereà diſſimulat poſtulantem, quum immature quod cõcupiſcit, expoſcit. Erat nanque Helyas (ſicut legimus) vir bonus & ſanctus, atq; tunc prophetarum eximius, Iezabelis autem hic non ferens iniurias ab aſpectibus hominum perſecutiones atrocitate perterritus ſe repente ſubduxit, ſubter vnam ſedit iuniperum, dominum petiuit, vt moreretur, & ait: Sufficit mihi domine, tolle animam meam, neque enim melior ſum, quàm patres mei. [3.Reg.19.] Non tamen exauditus eſt, quamuis iuſtus & magnus, quoniã quod futurum erat, affectus tædio rogabat vt fieret. Diſtulit quidem, ſed nõ euaſit mortem. Quis eſt homo, qui viuet, & non videbit mortẽ? eruet animam ſuam ab inferis? [Pſal.88.] Longe excellẽtius pro Dei gloria, ſuæque profectu gratiæ ſublatus eſt de ſeculo, & in deliciarum paradiſo locatus, quã vti popoſcerat, quieſcit in domino. Sua tunc ille quærebat non domini, & vt euaderet mortem, mortis cupiebat ſubire ſententiam. Maiora de ipſo quã vellet dominus diſponere cogitãs, eidẽ omnino negauit, quod minime licebat adhuc. Nõ igitur ad poſtulantis libitũ, ſed id ad dominãtis imperium fiet in fine. Qui.n. in pondere, menſura, & numero vniuerſa diſponit, [Sap.11.] ſicut vtilia pręſtat, ita pernicioſa nõ tribuit. Hinc eſt, quod quemadmodum Prophetam, quæ necdum licebant, repulit exorantem, ſic Apoſtolorum principem, quod non decebat, exaudire noluit flagitantem. Dum enim in montis cacumine eſſet cum domino, transformatique gloriam conſpexiſſet ſpirituali inebriatus dulcedine inquit: Domine bonũ eſt nos hic eſſe; ſi vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moſi vnum, & Heliæ vnum. [Mat.17.] Incongrua fuit prorſus iſta petitio. Quomodo decens fuerat, vt mediator noſter, qui redemptionis noſtræ opus completurus aduenerat qui euangelizaturus regnum, ſanitates daturus, moriturus pro populo, reſurrecturus poſt triduũ atque relictis cæteris ad votum Petri collis reſideret in vertice? Dominicæ nanque claritatis iucunditate illectus Apoſtolus delicias ſuas arbitrabatur eſſe magiſtri. Socialis immemor boni, vniuerſorumq; ſalutis charitatis mutuę trãſgreſſus eſt limites. Grande etenim malum priuatus in Petro operabatur affectus. Nondum autem paracleti virtute indutus ex alto, nec gratiam nouerat, neque ſciebat, quod diceret. Sua igitur petitione fruſtratus cùm domino deſcẽdit ad ima. De Paulo autem quid referam, qui quod petiit, obtinere non valuit? Vas quippe electionis erat, vſque ad tertium cœlum rapans arcana Dei, quæ homini loqui non licet, audierat, quod prædicabat Euangelium, Chriſto reuelante didicerat, & tamen reuelationum magnitudine, ne ſupra ſe eleuaretur inaniter, carnis propriæ colaphizabatur aculeis. Iſtos autẽ dum pateretur inuite, vt ab his liberaretur, ter deprecatus eſt dominum. Suum igitur non auditus ad votum, quoniam, eidem ſic expedire ſciebat, Ieſum ſibi dicentem audiuit: Sufficit tibi Paule gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur. [2.Cor.12.] Diſce qui oras, non indignari contra dominum, ſi non exaudiris, dum poſtulas. Apoſtolorum vtique & Prophetarum eruditus exemplo, qui quamuis amici Dei, quanquam eſſent ſanctitate conſpicui: tamen quod inconſulte petebat, accipere nequierunt. Orationẽ ergo tuam formet neceſsitas, humilitas dicet, & ſpiritus flagitet. Triplex funiculus iſte difficile rumpitur. Nempe humilitatem inducit neceſsitas, humilitas verò ſpiritum parit. Super quẽ requieſcit (inquit dominus) ſpiritus meus, niſi ſuper humilem, & pauperculum, & trementem ſermones meos? [Eſai.66.] Delictorum neceſsitas publicanũ direxit ad templum, qui humilitate repletus ad cœlum oculos leuare nolebat, ſed ſuadente ſpiritu pectus ſuũ percutiebat dicens: Deus propitius eſto mihi peccatori. Tuam igitur & tu paupertatem attende, ſcelerum qualitatem, eorumq; numeroſitatem inſpice, omiſsionis pœnam examina, quatenus conſequendæ indulgentiæ neceſsitate compulſus dominum depreceris humiliter. Illi nanque humilium ac manſuetorum ſemper complacuiſſe probatur oratio. Humilis ſis corde, & à tua nunquam mente recedat. Nam etſi tẽporalibus locupletatus ſis bonis, ſi naturalium excellentia polles, ſi ſpiritualium gratiarum multiplicitate exuberes, noli altum ſapere, neque alienis te eleuare diuitiis. Iugiter attende quid fueris, ne ignorantiæ tui ſeducaris errore. Superborum te caſus terreat, atque humiliũ te decor alliciat. Sublimis eſt Deus, & humilia reſpicit, alta autem à longe cognoſcit. Reſpexit enim humilitatem ancillæ ſuæ, vt illam fœcundaret gratia, cumularet meritis, gloria ſublimaret, diſceretque humana temeritas, quantum Deo grata ſit ſancta humilitas. Cæterum quamuis vbique ſit humilitatis cenſura ſeruanda, ampliſsime tamen quum noſtras Deo preces effundimus. Quis tremendam diuinæ maieſtatis non veneratur præſentiam, quam angelorum agmina venerantur & colunt? Quis delictorum face depreſſus iudicantis faciem intueri non paueat? Publicani humilitas orationi tuę magiſterium præſtet. Eſto corde humilis, & charitate ſublimis. Phariſæi vitato tumorem, ne pari ſententia damneris vt ille. Non honoris cathedram, neque terrenum cupias à domino obtinere primatum, ne tanquam indigna repudiata vileſcas. Primum (inquit veritas) quærite regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hęc omnia adiicientur vobis. [Matth.6.] Non auro, non gemmis, non decoratis palatiis, non agrorum fertilitate,

dine alacres, pro mercedis magnitudine in labore conſtantes: Nunquam præſentis vitæ lætitiam tanta magnitudine calcaſſent, niſi alteram beatiorem eſſe certiſsima definitione ſentirent. Futurorum etenim amore ſucceſſi, pręſentium facile contempſere blanditias, atq; atrocium tormentorum iucundo animo pertulere ſæuitiam, dulcedine immortalitatis debriati. Nẽpe ſupra naturã operabantur in corpore ſuper cęleſtium manſionum felicitate illecti. Paſsionis quippe amor reſolutionis deſiderium naturæ tranſcendit limites Neque vſus docet, nec hortatur ratio, vt pro ſpe promiſsionum inuiſibilium velis deſinere eſſe quod es. Nemo voluntarie relinquit, quod poſsidet, niſi pollicitatione firmiſsima teneat longe in melius ſe eſſe commutaturum, quod deſerit. Hinc ſanctorum martyrũ probatur fides, magnanimitas cõmendatur, ac virtus accreſcit. Poterant vnico verbo illas pęnas euadere, præcelſi dignitatibus attolli, carnalibus frui deliciis, & diuitiis abundare terrenis. Vniuerſa tamẽ hæc, vt lucrifacerent Chriſtum, fierentque perpetua, quam nouerant, felicitate participes, arbitrabantur vt ſtercora. Præclara igitur, nimiumque credibilia facta ſunt teſtimonia martyrum, qui catholicam fidem prædicauerunt, verbis approbauerunt, virtutibus ſanguine ſubſcripſerũt, confirmauerunt morte. Magnus prorſus horum teſtium effectus eſt numerus, propugnatorum fidelium glorioſus exercitus. In ipſo ſiquidem honorabilem primatum obtinet leuita Laurentius, cuius hodie meritò ſolennia colimus. Hic incomparabilis extitit ſanctitate, amator Dei, imitator Chriſti, ſanctorum veſtigia ſequens, pater pauperum, egenorum defenſor, ſeruorum Chriſti ſeruus, & bonorum omnium ſectator pręcipuus. Aetate nanque quum eſſet iunior, ſenſus tamen canos gerebat in corde. Non enim carnis ſecutus eſt petulantiam, non terrenarũ facultatũ opulentiã, non ſacerdotalis honoris gradum, quin potius corpus ieiuniis atterebat, vigiliis edomabat, laboribus affligebat, nullam indulgens ſibi requiem ſumebat, ſed tanquam athleta fortiſsimus in pęnitentię quotidianæ ſe ſtadio exercebat, quatenus glorioſum poſſet triumphũ obtinere martyrii. Cupiebat ſane Deo reddere quod acceperat, ſeque viuentẽ, ſanctã, placẽtemque hoſtiam offerre altiſsimo Huiuſmodi nanq; deſiderio affectus quum Romanæ ſedis ad ſupplicium traheretur antiſtes, grãdi poſt tergum proficiſcẽtis vociferatione clamabat. Quo progredetis, ſine filio pater? quo ſacerdos ſancte ſine diacono properas? quid in me diſplicuit paternitati tuę? nunquid degenerem me probaſti? Experire certe, vtrum idoneũ miniſtrũ elegeris, cui cõmiſiſti dominici ſanguinis diſpenſationẽ. Cui cõſummandorum conſortiũ ſacramentorũ credidiſti, huic ſanguinis conſortium negas? Nẽpe ſanctus hic perſpicuo cœleſtis patriæ irradiabatur ſplendore, dum impellente nemine, nulluque interrogante, ſeipſum carnificibus ſponte pandebat. Fidelis quippe inuentus in modico, præſtantiora à domino accipere cupiebat. Precioſam in agro domini repererat margaritam, quam vt ſibi vendicaret in propriam diſtractis omnibus emere ſatagebat. Hinc eſt, quòd Eccleſiæ theſauros, quos erogandos pauperibus acceperat, diſperſit abunde, quatenus expeditius proficiſceretur ad pugnam, eiuſque iuſtitia maneret in ſeculum ſeculi. Nouerat edoctus in fide, quòd quicquid donatur pro domino, per egenorum manus defertur in cęlum. Sciebat inquam dixiſſe Apoſtolum: 2.Cor.9.
Qui parce ſeminat, parce & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Optimus quippe terræ cultor fuit illam bonorum operum ſeminibus replens, atque concupiſcentiarum purgans aculeis, vt centuplicatum in æterna patria reciperet fructũ. Qui enim hic laborare neglexerit, nec ſpiritualibus in pręſenti, neque perpetuis in futuro poterit locupletari diuitiis. Nam etſi non ſint condignæ paſsiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis, à nobis tamen forti animo tolerandæ ſunt. Indignum nanque eſt, vt gratis merces ſempiterna donetur. Si enim quod momentaneum eſt, periculis emitur, ac laborioſa ſolicitudine poſsidetur, quod caret fine, & humanum ſupereminet ſenſum, atq; beatum eſt, torpentibus tribuetur? Pudeat prorſus Chriſtianum crucifixo domino militantem abſque ſudore certaminis triumphum reportare pugnantium. Ducem ſuum aſpiciat, eius cicatrices tangat, vtriuſque hominis dolores agnoſcat, paſsionis intelligat cauſam, quatenus euigilet ad gratiam, animetur ad bellum, roboretur in pœna, eleuetur à carne, conuerſetur in ſpiritu, ſequatur exercitum, perueniat ad coronam. Leuitę quoq; Laurentii imitetur exemplum, qui pro ſui conditoris amore probatus fuit in vita, viſitatus à gratia, examinatus in pęna. Militis huius quis ſufficit enarrare pręconia? Charitatis eius quis valet explicare feruorẽ? Iã.n. manẽs in carne, carnis nil ſapiebat in mente. Totus ferebatur deſiderio ad ea, quæ videbat in fide, contemplabatur animo, dilectione guſtabat, ſpe tenebat, amplectebatur amore. Hic tãto cũ ſtudio martyrũ circuibat cryptas, ſanctorũ lauabat pedes, cęcorum aperiebat oculos, lucrabatur animas Chriſto, atq; flagrabat ardore martyrii. Sicque deſiderii ſui compos effectus eſt, à militibus tẽtus, carceri mancipatus, diſtẽtus aculeo, fuſtibus cęſus, laniatus verberibus, aſſatus incẽdio. O martyris cõſtantia omni honore colẽda, quę tãto vigore emicuit, tãtaq; virtute profecit, vt immaniſsimis nequaquã ſuppliciis cederet, nec atrocibus flecteretur pœnis. O beata mens ſancti, quæ ſe odiendo dilexit, ſe primi

permittendo ſaluauit. Odiuit animam ſuam, quatenus in vitam illam cuſtodiret æternã. Trahebatur prorſus fide, impellebatur charitate, propterea ignem igne, & amorem ſui conditoris ſuperabat amore. Flammis quippe iniectus feruentiſſimo flagrabat affectu. Vehementius nanque longeq; ſuauium charitatis quàm materialis ignis vrebatur incendio. Habet enim calorem ſuum diui-
Cant. 8. nus amor, qui nulla valet aquarum inundatione extingui, quemadmodum in Canticorum legitur cantico: Fortis eſt (inquit) vt mors dilectio, dura vt infernus æmulatio, lampades eius lampades ignis atque flammarum, aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, neque flumina obruent illam. Hic planè ignis almus eſt, quem Chriſtus miſit in terram cupiens vehementer accendi, qui ſuper diſcipulorum illapſus eſt corda, mundumque totum ſuo calore compleuit. Huiuſmodi Laurentius accenſus eſt martyr, cuius nimio ardore caleſcens exterioris ignis non lædebatur incendio. Sic enim in craticula poſitum ipſum dixiſſe cognouimus: Diſce miſer, quia carbones tui mihi refrigerium præſtant. Tantis ſiquidem veræ dilectionis feruebat votis, tamque ignito patienti pro Chriſto deſiderio angebatur, vt pro illatis ſupplicijs refrigerium percepiſſe ſe diceret. O præceps amor, ô charitatis vehementia, quam noſtra ignorat ætas, penetralia noſtra non ſentiunt. Iſte à cordibus noſtris alienus eſt ſyncerus affectus, viget in nobis ô quoties cupiditatis flamma, æſtus libidinis, & furoris incendium quibus igniculus noſtræ charitatis excutitur. Volumus planè exuberare diuitiis, carnis abundare delicijs, atque paſsionum noſtrarum motibus aſſentire. Non ſic nos docuit Chriſtus, ſuo nequaquam ſic erudiuit exemplo. Beatos dicit paupe-
Mat. 5. res ſpiritu, pacificos, nec minus corde, quam corpore mundos. Cupiditatis itaque flammam miles Chriſti quiſque fidelis eleemoſynarum largitione compeſcat, ſenſualitatis petulãtiam carnis maceratione caſtiget, cęſura verò virtutum incõpoſitos animi reſtringat impulſus. Inſigne quippe martyrii genus eſt vitiorum cohibere motus, at-
Psal. 136. que cupiditatum reſecare pruritus. Beatus (inquit Propheta) qui tenebit, & allidet paruulos ſuos ad petrã. Stet igitur in ſua cuſtodia mẽs, omne quod aduerſatur Deo, ex ſe eradicare conetur. Poterit nãque facile corporis ſuperare ſupplicia, ſi ſuimet vendicauerit dominatum. Nam quemadmodum mentis, quam corporis laborioſior eſt pugna, ita glorioſior apud Deum cẽſetur eſſe victoria. Vtroque autem modo certando immortalitatis coronam Laurentius adeptus eſt martyr. Ipſius igitur ſicut concupiſcimus gloriam, triumphum colimus, miramur conſtantiam, ſic imitemur & vitam, quam etſi non valemus ad plenum, nec paſſione poſſumus, ſequamur tamen votis. Nobis pius aderit dominus, qui vires penſat, atque remunerat deſideria Ieſus Chriſtus dominus noſter, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat Deus in ſecula ſeculorum, Amen.

In aſſumptione beatæ Marię virginis.

IN hoc labenti diſcriminoſoque peregrinantes ſeculo Eccleſia ſancta materno ſemper nos fouet affectu, quippe quę ſponſo ſuo immortali per regenerationis nos genuit lauacrum & acceptabilem fecit populum bonorum operum ſectatorem. Nouit planè ipſa, quid fuerit, & ex ſui experientia membrorum debilium infirmitatem agnoſcit. Extitit aliquando illa longe à Deo, à gratia aliena, excluſa à regno, atque à ſanctorum angelorum ſegregata conſortio, ſed abluta eſt, ſanctificata eſt, ac per pacis fœdus ſponſo copulata cœleſti. Quamobrem non ignata ſui, nec ingrata Deo, neque perceptę miſerationis oblita, quantum valet, artis laborat ingenio, vt delinquentium corda reſipiſcant, corrigantur metu, vel dilectione trahantur, ſeu ęterni pręmii magnitudine excitentur. Hinc eſt, quod reſolutionis corporis, viſionis dęmonum, futuri iudicii inferni cruciatus, gehennę inextinguibilis, deſperationis venię, perpetuęque mortis terrorem ingerit delinquentibus. Non quidem vt confundat, quos diligit, ſed vt emendet moribus, exhibeat ſanctitati, reſtituat gratię, conuerſos reddat, atque ad ſenſum reuocet ſpiritus, ac deuotionis guſtum, qui ſolo carnis ducuntur affectu. Verum quoniam nequaquam hęc ſemper, neque omnibus vniformiter proſunt, diebus ſingulis rememorare non deſinit, quanta humanum genus omnipotens pater diligat charitate, qualiterve ob nimium ſui amorem vnigenitum ſuum in ſimilitudinem carnis peccati miſit in mundum, quatenus de peccato damnaret peccatum, & per crucis patibulum amicos faceret, quos in obedientia originalis culpæ conſtituerat inimicos. Etenim quum hoc ſupra naturæ meritum vltra opinionem humanam, angeliciſque ſpiritibus mirandũ eſſe cognoſcat, propterea tamen frequenter proponit Eccleſiis, populis recitat, & audientium auribus infundit, quatenus eorum corda ſancti amoris vrantur incendio. Quem (oro) dilectione non accendat mediatoris exhibita charitas, & aſſumptæ humanitatis profuſa benignitas, atque perpeſſæ paſsionis incomparabilis cruciatus? O ſyncere amor, ô affectus ſpontanee, ô amabilis dilectio redemptionis. Hæc planè ſpiritualia ſalutis ſunt ſemina, quæ in agro humanæ terræ ſparſiſti inculto, vt tibi & laborantibus pro te iuſtitiæ fructificet germen. Hæ inquam ſunt accenſæ faces ignis Sion, cuius caminus eſt in Hieruſalem, quem in memoratam miſiſti terram, vt fortiter arderet. Hoc igne interiora noſtra comple, vt hos repleatur laude, cantetque tota die magnitudinem tuam, & gloriam tuam. Cor autem iubila-

Digitized by Google

iubilatione perfuſum amatoria vota admirationis & exultationis ſine intermiſione depromat. Iſto vtique calore ſancto vre renes noſtros, carniſque incendium, quatenus tibi cœleſti placeamus ſponſo, teque diligamus, ſicut nos amare iuſſiſti. Sanctos quoque tuos, & eorum contubernium, necnon illorum age vt concupiſcamus & gloriam, quemadmodum & ſponſa tua, mater (videlicet) noſtra nos quotidianis exhortationibus animatur. Ipſa nẽpe eſt, quę nos in te tenerrime diligens rediuiuam ſpiritualium gaudiorum materiam ſubminiſtrat. Iugiter ſanctorum nobis proponens ſolennia, quatenus eorum vita excitati & meritis eoſdem non pigeat imitari, quos colimus. Inter præcipua igitur feſta quæ ſancta veneratur Eccleſia, hodierna noſcitur eſſe celebritas, in qua glorioſa Dei genitrix carnis relicta tentorio ad ſidereum cœli prouecta eſt palatium. Maximam prorſus ingerit de hac ſollennitate lætitiam, dum illa, quæ nobis edidit ſaluatorem, tantam ſalutis conſecuta eſt gratiam. Quamuis enim iucundiſsimis quotidie deliciis ſpiritualiter paſceretur, tametſi donis cœleſtibus incomparabiliter ditaretur, his ſupereminet, quod accepit, quippe quę ambulabat per fidem, meruit ſpeciem, & quæ in paſsibili corpore peregrinabatur in terris, hodie cum ingenti gaudio triũphauit in cœlis. Porrò quod concupierat vidit; quod quæſierat, tenuit. Vidit inquam non per ſpeculum in ænigmate, neque mortali carne velatum, ſed facie ad faciem immortalitatis candore veſtitum. Tenuit autem cordis brachiis, & pii amoris amplexibus, quem quæſierat mente naturali impellente affectu, habita conuerſatione excitante, ac ſpiritu interius dirigente. Nam nullus (vt arbitror) ardorem virginis ſufficit explicare, quanto deſideriorum cremabatur incendio, quàm crebris ſuſpiriis angebatur, quàmve ſuauiſsimis cogitationibus exercebatur. Detinebatur tantum in ſeculo corpore, affectu autẽ & mẽte cõmorabatur in cęlo. Ibi erat votis, vbi vnicum ſuum filium eſſe nouerat, vbi fruitio eius habetur in idipſum, vbi beatorũ ſpirituum frequentia in laudem conditoris intendit. Nec ab re. Cenſendũ eſt iugiter nedũ angelica, verum etiam filii virginem fretam eſſe viſione, atque exultaſſe colloquio, tanquã ſanctitate præcipua inſignitam, diuinaque cahritate ſuccenſã, contin[illegible] ſupra ſe mentis contemplatione prouectam[illegible] etenim cœleſtis viſio debebatur, cui incomparabilis gratiæ inerat plenitudo, plena deuotio, ardor continuus, ac puritatis delectabile bonum. Quamobrem reſolutionis carnis imminente articulo, ſicut ab omni mentis & corporis corruptione extitit libera, ita, & à mortis dolore aliena. Nequaquã habuit, quod metueret. Nõ adfuit qui ſe illi opponeret inimicus, nulluſque terreni amoris impulſus, qui virginis egredientem animam retardaret. Quomodo formidare poterat, quę genuit Deum, pacem pręſtitit mundo, & gaudium immenſum intulit cęlo? Totus quippe (vt creditur) feſtiuus angelorum, archangelorum, cæterarumque virtutum Deo famulantium eidem occurrit exercitus. Ibi planè, vbi virgineũ corpus exanime iacens dormitionem acceperat, ſuauis concentus, iucunda laus, harmonia cœleſtis, exortatio mutua, congratulatio hilaris, obſequia ſancta, inſuetæ atque honorabiles celebrabantur exequiæ, ad quas minimè duodenus Apoſtolorum defuit chorus, patriarcharum cętus, numerus prophetarum, & cum cantoribus Hieruſalem egregius Pſaltes, qui vniuerſi modulatione quàm maxima, ac exultatione iucunda citharas percutientes puritati virgineæ dulciſona carmina proferebant. Aderat præcipuè Gabriel cœleſtis paranymphus fulgens & lętus, qui Mariæ deſideratiſsime intendebat honori. Totus quidem ignitus, & feruidus, ſupra modum exultans & plaudens, vnique diſcurrens vniuerſos hortabatur ad virginis feſtum, vt occurrerent ei, ſuſciperent, venerarẽtur & colerent, Nouerat in illa candorem virgineum, priuilegium ſanctitatis, gratiæ plenitudinem, & fęcunditatem prolis. Sui in ipſa pudicitiæ venerabatur thalamum conditoris, ſuumque in ea laudabat dominum. Vniuerſi deniq; filio deferentes matrem, qua poterant, virtute colebant. Supernorum igitur hęc virgo ciuium vallat præſidio cęleſtis patrię lęta domum ingreditur. Eadem quippe ſic feliciter aſcendente aſsiſtentium angelorum factus eſt ſermo admirantium, atque dicentium: *Cantic.* Quęnam eſt iſta, quę candidatorum agminum fulta comitatu aſcendit ad nos, quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata? Nulla pręter eam, quæ humani generis protulit redemptorem, de qua verbum caro factum eſt, tali honore noſcitur digna. Illi prorſus, quæ ventris ſui fętum mortalium Deo reconciliauit ſpeciem, & antiquæ ciuitatis Hieruſalem collapſa reſtaurauit mœnia, numerumque redintegrauit noſtrum, ſingularis illa debetur ſedes, quæ maximè glorię irradiata fulgore omnem angelicã *Ibidem.3* ſupereminet dignitatem. Hanc tanquam virgulam fumi ex aromatibus myrrhę, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarii aſcendentem, deliciiſque ſpiritualibus affluentem honoremus pro poſſe, illique procedamus obuiam, ac gratiarum actionis debitum perſoluamus affectum. Genitricem mox vt filius aſcendentem vidit, eam officioſiſsime ſalutans inquit: Veni de Libano mater mea, columba mea, immaculata mea, formoſa mea, ſuauis & decora tanquã Hieruſalem. Coronaberis de capite Amana, de vertice Senir & *Ibidem.4* Hermon, quoniam olim vulneraſti cor meum ſoror mea, & ſponſa in vno oculorum tuorũ, & in

crine colli tui. Veni inquam, & paratum tibi ab origine mundi percipe thronum. Me quidem ſuſcepiſti in te, me concepiſti, & genuiſti de te, tuo me lacte nutriſti, mihi piæ deuotionis affectu humanitatis obſequia præbuiſti, tuæque mentis templum impolluto decore ſeruaſti. Quare & tu ingredere nunc in vnici tui gaudium, agnoſce quem peperiſti, filium, contemplare diuinitatis meę gloriam, ſublimitatis excellentiã & humanitatis, quam abs te habui, ineffabilem gratiam. Thronum paratum conſcende, coronam gemmis ornatam ſuſcipe, ſtolaque immortalitatis te indue, vt merito ſublimeris in me, quæ me præcipuo dilexiſti charitatis affectu. Equidem volo vbi ego, ibi & tu, eademque fruaris gloria, quanquam aliter. Satis vota tua diſtuli, ſatis te à regno meo abeſſe permiſi. Non vt te negligerem, neq; vt deſideria tua contemnerem, ſed vt cumularem merita, affectum accenderẽ, poſteriſque in te exemplum patientiæ demonſtrarem. Nunc autem certaminis tui feliciter conſummato agone, ideò humanitatis volui vt redderes debitum, quatenus venires ad me, amabilique genitoris mei te exhiberem præſentiæ. Ipſe enim pater amat te, te ſingulari charitate complectitur, æternique imperii ſui potentiam tibi reuelata viſione inſinuare dignatur. Et virgo: Vnde hęc (inquit) mihi, vt Deus & dominus meus tanto cum honore veniat ad me? Quid merui? quid egi? Quo interueniente, quo interpellante factum eſt hoc? Fęminei ſexus ſupereminet dignitatem, humanæque naturæ tranſcendit metas. Nunquid Abraam patre noſtro, cęteriſque patribus maior ſum, quum illorum nemo in tranſitu ſuo talia noſcitur percepiſſe obſequia? Sufficiebant prorſus humilitati meæ abs te olim impenſa beneficia. Sufficiebant ſaltem nunc angelorum ſolatia, vt ipſi me aſſumerent, tuoque offerrent conſpectui. Vt quid ad ancillam dominus, & ad creaturam creator accedere dignatus eſt? Nã etſi tibi ex me carnis ſubſtantiam miniſtraui, quamuis humanitati tuæ famulata ſim, alimoniaque corporali victum præbuerim, tuæque iuxta paruitatis meæ virtutem in cunctis obtemperauerim maieſtati, te tamen Deum meum, plaſmatorem meum, redemptorem meum, regem meum, & dominum meum quanquam ſemper, nunc verò ardentius, humiliuſque confiteor, veneror, atq; adoro. Feci olim, quod debui; & vltra meritum recepi. Certè ſi omnes artus mei verterẽtur in linguas, ſi creaturarũ vniuerſitas, ipſaq; angelorũ agmina exhibitæ in me charitatis pro me gratiarũ actionis vota perſoluere conarentur, debito minus agerentur, quoniã, quòd in vtero meo ſis conceptus, à me alitus, creditus mihi, mecum conuerſatus, obedientiæq; meæ ſubiectus, omnẽ humanũ, ac angelicũ ſupergreditur ſenſũ. Cęterũ ad culmẽ perfectæ dilectionis, glorięq; triumphum, nunc quoque in præclaras manſiones cęlitum tanto cum honore me prouehis. Quid igitur retribuã domino pro omnibus, quę retribuit mihi? Conſuetæ vtique humilitatis abs te erudita eloquia ſumam. Non reclamabo, non renitar, ſed reuerendo quodam mentis aſſenſu voluntati tuę annuens, eademque quando te genui, protuli verba, nunc repeto dicens: Ecce ancilla domini, fiat mihi ſecũdum verbum tuum. Luc. 1. Factum interim erat ſilentium magnũ in cœlo, dũ filius ad matrem, & mater loqueretur ad filium. Vniuerſorum intendebant aures, ſingulorumq; admiratione ſuſpenſa habebatur intentio ſcire cupientium, quales ſpirituales amborum eſſent ſermones, quidve de cœtero ageretur de filio. Non enim huiuſmodi locutio per corporis organũ ſeu linguę officiũ, ſed per ſpiritum in ſpiritu ſpiritualiter proferebatur. Vix ſacra Dei genetrix verba finierat, & ecce honorabiliter, & cũ exultatiõne cunctorum exaltata eſt ſuper choros angelorum in cœleſtia regna. Supra omnem (inquam) principatum, & poteſtatem & virtutem eleuata eſt virgo, tantoque dignitate cęteris eſt effecta excellentior, quanto propinquior erat verbo. Tunc vna omnium in cœlo vox eſt facta lętantium atq; dicentiũ: Benedictio, claritas, ſapiẽtia, & gratiarum actio, honor, virtus, & fortitudo Deo noſtro ſedenti ſuper thronum & agno, qui Apoc. 7. genetrici ſuæ incomparabili pulchritudinis catheorã prærogauit. Porrò pro honore ſantiſſimæ virginis tota ciuitas illa repletur gaudio, dies lætitię agitur, nulluſque à virginis laude reperitur extraneus. O qualis admirationis iubilus, quantus amoris clamor, quàm ignitus venerationis affectus compleuerat vniuerſos per plateas & vicos Hieruſalem. Mariæ prædicabantur præconia, innoteſcebat gratia, patebat gloria, ac nomen perſonabat. Nemo inuidebat illi, quoniam ab eius beneficij nullus reperiebatur immunis. Fructus quippe ventris Marię ciuitatem illam fundauerat ſanctitate, exultatione, & iubilo, adeò vt ſicut lętantium omnium ipſa habitatio fieret. Meritò quicquid honoris, quicquid felicitatis habebatur in ſingulis, totũ exuberabat in virgine. Hauriebat.n. de fonte vitę verbiq; cellario, in quod introducebatur vt ſponſa, nonnulla contẽplationis ſolatia, quę Angelos cunctos lætabãt & ſanctos. Hinc ſanctorum admiratio de Maria. Hinc Angelorum congratulationis affectus effundebatur virginem, ſicque eadem quemadmodum in omnibus, ita lętabatur in ſingulis Domini inenarrabili iubilatione collaudans. Nos itaque in hac lacrymarum exulantes valle pia cum deuotione clamemus ad virginem. Ipſam in eius celeberrima ſolennitate proſequamur votis, ſociemus in canticis, laudibus efferamus, quatenus agnoſcat mater filios, libera captiuos, deliciis cœleſtibus impinguata fa-

meli-

melicos. Conuertat miſericordes obtutus ſuos ad miſeros, deprecetur veniam, & offenſi filii iuſtitiam flectat ad gratiam, donec filius matre pro nobis interpellante iuſtitiam, ſpei præſtet fiduciam, ſpontaneæ ſeruitutis amorem conferat, & pium prærogetur ſynceræ charitatis affectum, quo dirigente & deducente pertingamus ad ipſum, qui hodie genitricem ſuā immortalitatis ſtola, & diuinitatis ſublimauit honore. Hoc facilè obtinere valebimus, ſi interuenientibus eius meritis illius ſectati fuerimus puritatem mentis, & corporis pudicitiam, ſanctimoniam vitæ, & fraternitatis amorem. Iſta ſunt, quæ placent Deo, reformant mores, homines immutant, eleuant de imis, & collocant in excelſis, vbi virgo virginum lætatur cum filio, gloriatur in filio, & pro vniuerſa eccleſia filium deprecatur Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat in ſecula, Amen.

In ſolennitate ſancti Bartholomæi Apoſtoli.

PEregrinantibus nobis, & ad culmen perfectionis anhelare debentibus ſummopere vigilandum eſt quatenus ſpirituali bus reiectis oneribus feſtino gradu ad deſtinatū nobis propoſitum pertingamus. Facile quidem corpore ſuccumbit & mente, qui grauatus ſarcinulis petere alta conatur. Sunt etenim onera quædam ambulantibus in ſpiritu valde contraria, *Matt. 19.* quæ omnino abiicienda ſunt, atque vitanda. Magiſtrum veritatis audiamus dicentem. Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia, quæ habes, & *Luc. 9.* da pauperibus, & veni ſequere me, & habebis theſaurum in cœlo. Quo autem modo, quòve affectu eundem nos imitari deceat, inquit alibi, Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Equidem his paucis aſcendendi ordinem, omnemque perfectionis inſtituit regulam, adeò vt aliunde nil inueſtigare expediat. Hæc ſola militantibus Chriſto Deo appropinquare volentibus inſinuat mēti, informet affectum, componat actus, & profectum ſapiētiæ intelliget inſtruentis. Habet quippe penes ſe perfectionis peritiam, quam optimè nouit in verbo, & conſummauit exemplo. Vtrunque ſyncero congruit eruditori, vt ſanam (videlicet) doctrinam auditoribus proferat, atque proficiat opere quod verbo reuelante didicerit. Ad hoc autem quis idoneus?. Quis tanta pręclarus ſanctitate, vt nihil agere prętermittat horū, quę agenda eſſe cognouit?. Multi prorſus multa facienda ſciunt, pauci quę nouerunt, conſummare conantur. Nullus autem cuncta bona, quę rectè *Pſal. 13.* intelligit, valet implere. Omnes (inquit Propheta) declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Cęterum vt vniuerſos ſub vno agnoſcas, prędicatorem audi eximium, qui aliis verbum admonitionis pronunciās, ne efficeretur reprobus, corpus ſuum caſtigabat, & in ſeruitutem ſpiritus redigebat, quid de ſeipſo dicat, Nam velle (inquit) adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. *Rom. 7.* Non enim quod volo, bonū hoc facio, ſed quod nolo, malum hoc ago, condelector enim legi Dei, ſecundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Quamobrem hanc ſuæ infirmitatis impotentiam ingemiſcens ait, Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Nemo igitur tam eruditus agnoſcitur, tamque perfectus, vt opere valeat exercere, quod didicit intus. Hanc ſolus inter homines prærogatiuam meruit mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, qui quamuis carnē ſumpſerit de Adam, non tamen traducem habuit de Adam. Iſte de Spiritu Sancto abſque virili conceptus ſemine nec in carne habuit, quod rebellaret ſpiritui, neque quicquam in ſpiritu, quod reſiſteret Deo. Totus fuit ſanctus, totus mundus, ac mundans immundos. Omnium perfectam poſſedit ſcientiam, nilque, quod Deo placeret eſſe faciendum, agere deſiit. Porrò magiſter ſummus fuit & doctor, qui quæcunque audiuit à patre, nota fidelibus fecit, ipſiuſque voluntati ſemper in omnibus obediuit. Solus itaque magiſterii tenet arcem, qui omnem perfectionis diſciplinam verbo inſinuat & actu, vnde & diſcipulis, ne falſum ſeu imperfectum docendi nomen appeterent, inquit, Nolite vocari Rabbi, vnus eſt *Matt. 23.* enim magiſter veſter Chriſtus. Vnus quippe, quia vnice plenam inſtruendi ſufficientiam adeptus eſt. Propterea eodem baptizato prius quàm prædicationis initiatet officium, cœlis apertis, deſcendenteque ſpiritu vox deſuper Patris *Matt. 3.* intonuit dicens, Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite. Illum igitur audiamus & nos, qui peregrinantes in corpore etiam à Domino peregrinamur in ſpiritu, quatenus opere peragētes quod docet, abiiciamus onera deprimentia & labores noxios, pertingamuſque ad patriam noſtram cœleſtem Hieruſalem, vbi noſter verus eſt pater, lata poſſeſsio, lætitia ſempiterna, ſumma tranquillitas, grata ſocietas, beata fruitio, & ineffabile bonū. Illuc planè nemo temporalium depreſſus amore valet aſcendere. Proinde Dominus, quum aſcendiſſet docturus in monte, velletque cœleſtis diſciplinę inſtruere normam, non aliunde quàm à contemptu terrenorum exorſus eſt dicens, Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Bona quippe paupertas eſt, quæ diuitiis replet, libertatem præſtat, imitatur Chriſtum, peregrinantes comitatur, perfectionis referat

iter, atque cœlorum regna meretur. Nullus ſine paupertate ſpiritus perfectionis brauium poſſidebit. Hanc ſi obtinere deſideras, vende quæ habes, egentibus tribue, vt Chriſtum abſque retardatione ſequaris. Grauem prorſus à te reiicies faſcem, ſi temporalium adminiſtratione carebis. Verum ſi hoc minime potes, earum affectione te priua, vt expeditus mente guſtum paupertatis ſpiritus aſſequaris & gratiam. Cæterum ſi perfectionis nequis inchoare primordia, curſum illius quomodo coſummare valebis? Si quod à te alienum eſt, non vales abiicere, teipſum qualiter abnegabis? A te diuitiæ & quibuſcunque temporaliter vteris, aliena noſcuntur. Diſce igitur parua deſerere, vt etiam valeas magna. Expeditius tuis renunciabis, quàm tibi, vtrunque ſi cupis eſſe perfectus, tibi mandatur à Domino. Relinque propria, vt abneges te, & ſuaue temetipſum Chriſto exhibeas ſacrificium. Maius Domino non poteris offerre libamen, quàm ſi teipſum ſyncero corde obtuleris. Tribue igitur Chriſto, quod percepiſti ab illo, imò longe præſtantiora ab eo accepiſti, quàm exigantur à te. Tit. 2. Nempe qui tibi ipſi creando te præſtitit, etiam pro te moriendo largitus eſt ſe. Apoſtolum iſta recolētem audi, Apparuit (inquit) gratia ſaluatoris noſtri Dei omnibus hominibus erudiens nos, vt abnegantes impietatem, & ſecularia deſideria ſobrie & pie viuamus in hoc ſeculo expectantes beatam ſpem, & aduentum gloriæ magni Dei, & ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui tradidit ſemetipſum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Repende igitur vices ei, qui dedit ſe, vt te reuocaret ad ſe, qui fecerat te. Verū ſi nunquam ſeipſum tradidiſſet pro te, nunquid non illi debes teipſum, qui condidit te? Tuum nil præſtas, quum donas te. Reddis nanque depoſitum ſuum Domino, quod tibi prærogauit ad tempus. Da gratis atque volenti animo, quod (velis nolis) dabis in poſterum. Nunc quidem pro dato mercedem accipies, in futuro autem reprobationem perpetuam. Porrò commutabis in melius, quod tribues ſponte, indeque vitam conſequeris æternam. Felicius quoque teipſum abnegando poſſidebis in Chriſto, quā ſi te tibi cuſtodire volueris. Cæterum quomodo te conſeruare ſufficies, qui ſenſu cares, virtute deficis, & à te boni quippiam cogitare non vales? Tempora diſcute præterita, & qua ſanctitate, quàve puritate mentis & corporis te tuo redemptori ſeruaſti, metire prudenter. Nempe eo magis degeneraſti à Patre ſuperno, te elongaſti à patria, te hoſtibus ſubdidiſti, quo ſolicitius tui iuris eſſe voluiſti. Memento (quæſo) adoleſcentis filij, qui petito patrimonio ſe abſentauit à Patre, vt libertate propria frueretur, quid acciderit ei. Nonne hæreditate conſumpta atque inopiam paſſus porcorum ſiliquis ſe ſaturare quærebat? Ad ſe igitur reuerſus humiliter deſiit eſſe, quod fuerat, ſe abnegauit prudēter, genitoriſq; ſe ſubſtrauit imperio dicens, Peccaui in cœlum & corā te, non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut vnum de mercenariis tuis. Lucæ 15. Videſne quantum libertas, quantum ei obfuit poſſidere ſeipſum? Nempe quum abnegare ſe cœpit, ſtolam primā, in manibus anulum, calceamenta in pedibus, & ſaginatum in conuiuio vitulum habere promeruit, ſicque ad ſe reuerſus factus eſt proprius, qui eouſque longe progrediens extiterat alienus. Quamobrem adoleſcentuli huius eruditus exemplo aſſueſce redire ad te, atque habitare tecum. In te ſpiritualis eſt lucta, in te certamen geritur, in te ſentitur & gratia. Nunquam abnegare perfecte te poteris, niſi tecum delectabiliter habitare didiceris. Tuas quomodo concupiſcentias abnegare valebis, ſi neſcieris, vel tecum commorari neglexeris? Verum ſi horum neutrum perficere quibis, qua (oro) virtute tolles crucem tuam, vt ſequaris & Chriſtum? Gradus quoſdam ſpirituales tibi conſtruxit ſapientia, quatenus per eoſdē ad perfectionis conſcenderes arcem. Aſcenſionis huius initium eſt, vt relinquas tua, quo quietius habites tecum. Tecum autem habitare voluit, quatenus in te ſpiritualiter diſcas abnegare teipſum. Hoc nempe ſi peregeris diligenter, interioris pacis, atque virtutis illectus dulcedine magni æſtimabis crucem tollere, & ire poſt Chriſtū. Hæ ſunt aſcenſiones in corde ſpiritualium hominum in hac lacrymarum valle peregrinantium poſitæ, quæ perducentes de virtute in virtutem perfectum efficiunt aſcendentem, ac Dei viſione digniſsimum. Per iſtos gradus Apoſtoli, Apoſtolicique peragrarunt viri, qui communes hominum ſemitas deſerentes, via regia imitati ſunt Dominum. Horum vnus beatus extitit Bartholomęus. Porrò quum temporalium diuitiis, corporis voluptatibus, dignitatis celſitudine poſſet affluere, contempſit omnia, vt verus Chriſti efficeretur Diſcipulus. Cœleſtes quippe terrenis & caducis ęterna prępoſuit. Sic enim expeditus in ſeculo, facultatibusque nudatus pręceptoris ſui famulando imperiis vtroque homine ſecutus eſt illum. Tanta ſiquidem dilectionis eidem inhęſit conſtantia, vt nullo perſecutionis emergente Lucæ 22. articulo ſe ab illo ſegregare ualeret. Hinc à Chriſto commendatus audiuit, Vos eſtis (inquit) qui permanſiſtis mecum in tentationibus meis, & ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit Pater meus regnum, vt edatis & bibatis in regno meo, & ſedeatis ſuper thronos iudicantes duodecim tribus Iſrael. O fidelis Saluatoris promiſsio, ò remuneratio locuples conditoris. Reliquit Apoſtolus iſte, quod poſſidere non poterat, & cœlorum conſecutus eſt regnum; honoris primatum in ſeculo habere neglexit, & iudiciariam in ſe-

culi

culi ſine ſortitus eſt ſedem. Tantam denique æterni regis ſortitus eſt gratiam, vt in ſui ſolennitate martyrij omnis fidelium conuentus exultet in Domino. Hodie nanque in vniuerſa eccleſia iura ſilent, lites quieſcunt, artifices vacant, panduntur templa, concurrunt populi, chori concinunt, pauperum turbæ lætantur, nulli ſeruili operi intendere licet, quatenus omnibus liceat glorioſum ſancti huius celebrare triumphum. Nunquam tantum illi præſtare potuiſſet hic mundus, quantum eidem moriendo pro fide largitus eſt

Pſal. 138. Deus. Hoc in ſpiritu propheta prænoſcens iucunda modulatione affatus eſt dicens, Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum. Nimis prorſus iſte honoratus eſt ſanctus, qui de innumerabili hominum multitudine electus a Domino Apoſtolatus adeptus eſt gloriam, factuſque eſt Lux mundi, Sal terræ, eccleſiæ fundamentum, iudex ſeculi, veritatis præco, diſcipulus Chriſti, & ad ſe confugiẽtium interuentor optimus. Vbicunque inuocetur, exorantem audit, votis annuit, præbet ſuffragium, impetrat veniam, ſanitates donat, & be-

Iac. 1. neficia confert, ipſo nimirum præſtante talia, qui in ſuo honoratur Apoſtolo. Non enim in Apoſtolo auxilium imploramus Apoſtoli, tanquam ſit ipſe, qui tribuat. Omne datum optimum (inquit Iacobus) & omne donum perfectum de ſurſum eſt deſcendens à Patre luminum. A Deo vtique conſequimur, quicquid vtile & ſanctum eſt, atque ſaluti noſtrę proficuum, pro nobis tamen interpellantibus ſanctis. Interceſſores noſtri ſunt veluti amici Dei coniuncti verbo, à peccatis liberi, & glorificati cum Chriſto. Facilius pro nobis valent impetrare, quàm nos, qui coinquinati ſumus in luto, erramus in exilio, periclitamur in ſcelere, iugiterque decidimus à ſalutis itinere. Quamobrem omnino ſanctorum patrociniis indigemus, eorum præcipue, quos elegit Chriſtus, commendat gratia, ſuſcepit, & gloria. Ad te igitur o Bartholomæe Apoſtole confugium facientes tuam præcamur ſanctitatem, vt vota noſtra admittas, impetres veniam, vt valeamus adipiſci indulgentiam. Nempe imbecilles ſumus, & ad id promerendum minus idonei. Pauet conſcientia, ſpes fluctuat noſtra ſuorum conſcia delictorum. Cæterum caligat internus obtutus, nec in lumen maieſtatis audet aſpicere. Quẽ enim agnoſcit contempſiſſe Patrem, formidat iudicem. Ea propter o ſanctiſsime fraternitatis amore permotus, diuini honori zelo ſuccenſus, pro nobis precator accede. Accede (inquam) antequam miſericordiæ Sol occidat ſuper nos, & inuoluamur in tenebris, deficiatque ſalutare pręſidium ſedentibus in regione vmbræ mortis. Nempe exitus noſtri præoccupante nos termino quis aderit? quis nos reuocabit ad ſenſum? excitabit ad compunctionem? & ſicut decet, reformabit ad gratiam, quum penè in horæ illius articulo languente corpore iaceat mens, periclitetur ſpes, & omnino torpeat affectus? Conſueuerunt etiam tunc tartareæ poteſtates inſiſtere perſuaſionibus, fraudes componere, terrores immittere, commouere certamina, quatenus egredientes de campo valeant ſecum rapere, mactare, & occidere. Horum igitur vt ſuperare poſsimus inſultus, atque reſolutionis corporis anticipare terminum, tu o Apoſtole Bartholomeæ pro nobis gratiam imprecare, vt mutemus in melius, quæ ignorantes deliquimus, atque mellifluam noſtri redemptoris agnoſcamus largitatem, quæ nos trahat ad ſe, ſuſcipiat, & accẽdat, quatenus ſyncero corde famulemur ei, qui nos condidit propter ſe, dignoſque nos faciat tuis interuenientibus precibus viuere ſibi, & occumbere pro ſe, qui propter nos mori dignatus eſt, Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui cum Patre, &c.

In natiuitate glorioſiſſimæ Virginis Mariæ.

Periti conſueuerunt artifices poſt diuturnam artis ſuæ exercitationem, præcipuum ac ſingulare aliquod fabrefacere opus ad perpetuam magiſterij ſui memoriam, quatenus quod non valeat lingua, inſpecti operis elegantia manifeſtet. Indirecte quidem etiã ſceleſti homines immortales fieri concupiſcũt. Hinc eſt quod poſteritatem ſobolis habere volunt, ampla ædificia conſtruunt, ponunt ſigna, ſua ſigna, vt in generationibus ſibi ſuccedentibus, eorum (ſi fieri poſsit) memoria celebris habeatur. Decipiuntur prorſus hi, quoniam ſuper labentem aquam ędificare conantur. Audiant, Pſal. 111.
id qualiter perficiatur, Prophetam dicentem, In memoria ęterna erit iuſtus, ab auditione mala nõ timebit. Iuſtitiam igitur pro diuinitatis amore ſectetur, qui in cęlorum regno cupit eſſe perpetuus. Nam quemadmodum cadenti quiſquis inhæſerit, vt corruat, neceſſe eſt ita qui adhæret ei, qui ſemper idem eſt, quaſi diuinus factus charitatis vinculo, ac perſeuerantiæ longanimitate deperire non valet. Quomodo deficere dicendus eſt, qui cum Deo vnus factus eſt ſpiritus? Hac quippe perfectæ ſtabilitatis copula ſublimatus nequaquam per carnis reſolutionem deficit, ſed longe mutatur in melius. Verum tunc ſoliditate vera potitur, tunc metu recidiuandi efficitur liber quum reuelata facie Dei gloriam cõtemplatur, quum Angelorum cœtibus inſeritur, quum in ciuitatis ſanctæ Hieruſalem tanquam viuus lapis collocatur ſtructura. Nullo. n. queunt euentu perceptæ beatitudinis ſublimitatem amittere, qui diuinæ viſionis fruitione paſcuntur. Hoc nanque iuſti peregrinantes in corpore Deum in lumine fidei cognoſcunt. Renuunt

in ſecunda tabula Sancti Spiritus dona ſeptem inuenies de quibus Propheta loquitur dicens, Eſai. 11. Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & replebit eum ſpiritus timoris Domini. Vides ſeptenarium numerum ſeptiformis gratiæ Sancti Spiritus in Chriſto per Prophetam fuiſſe expreſſum, vt non dubites tabulas illas lapideas, in quibus decalogi præcepta Dei digito exarata erãt, mediatoris noſtri rationalẽ præfiguraſſe animã, quem vtique mediatorem ſanctiſſima Maria nouem menſibus in vtero geſtauit. Repletus eſt igitur idem ſpiritu timoris non ſeruilis, nec mercenarii, ſed filialis, vt patris alacriter in omnibus pareret imperio. Pietatis, vt deſcendenti ab Hieruſalem in Hierico homini expoliato, vulnerato, ſemiuiuoque relicto compatiens languoribus mederetur. Scientiæ, vt peregrinationis huius ærumnas agnoſcens myſtice ſuper Hieruſalem flens hominibus inſinuaret eſſe plangendum. Fortitudinis, vt calumnias, flagella, ſibique illata fortiter perferendo conuicia fideles ſuos ad tribulationum tolerantiam erudiret. Conſilii, vt eccleſia ſancta optimis inſtructionibus imbuta, ſaluberrimis eius conſiliis commodaret aſſenſum. Intellectus, vt diuinorum eloquiorum reſeratis per illũ myſteriis fidei iugo humana corda ſternerentur, ſapientiæ, vt qui à Domino ſe peregrinari norit, internam conſolationem non iis, quæ ſuper terram, ſed quæ ſurſum ſunt, ſapido charitatis quærerent guſtu. Iſtæ nempe veræ ſunt tabulæ, quas in arcano corpuſculi ſui Maria ſuſcipiens ſuo tẽpore produxit ad publicum, quatenus diceres in illis, quæ ſit voluntas Dei beneplacens, atq; perfecta, affectuq; te impellente conſummares eam. In ipſis igitur lege aſſidue, ac iugiter meditare, vt mentis tuæ renouatus ſpiritu nouum induas hominem, qui ſecundum Chriſtum formatus eſt.

Tunc ſpirituali perfuſus lumine ablato a te ſeruili timore virgam virtutis Chriſti, quæ virginali Mariæ requieuit in vtero, ſufficienter intelligas, ſcies profecto quid verbum, quod erat in prin- Luc. 10. cipio apud Deum, per quod facta ſunt omnia, & in quo vniuerſa, quæ facta ſunt in thalamo vteri Mariæ de carne virginis factum eſt caro. Exinaniuit quidem ſeipſum ſerui formam ſuſcipiens, non tamen amittens diuinitatis gloriam, poteſtatem maieſtatis, æqualitatem patris, verbi æternitatem, candorem ſapientiæ, atque ſplendorem inacceſſibilis lucis. Nã poteſtas illius æterna eſt, Ioan. 1. quæ non auferetur, & regnum quod non corrumpetur. Præfiguratæ virgæ huius excellentiam au- Dan 7. di Prophetam, ſuo vaticinio commendantem, Se- des tua Deus in ſeculum ſeculi virga directionis Pſal. 44. virga regni tui. Hac vtique virga mediante fecit nominatiſſimus Propheta ſigna & prodigia in Aegypto coram Pharaone, & ſeruis illius vniuerſis. Hæc mare diuiſit rubrum, ita vt per Pſal. 77. illud Iſrael filii ſicco tranſirent veſtigio: Hæc non ſola, ſed cum manna & duabus teſtamen- Exo. 15. ti tabulis operante Spiritu Sancto ad poſterorũ memoriam, atque profectum Mariæ geſtatur in ventre. Diſce igitur, qui de Chriſto in bonitate ſentire deſideras, Deum ipſum & hominem confiteri, necnon naturas tres, corporalem (videlicet) ſpiritualem, atque diuinam, in vnam mediatoris Dei & hominum ſine confuſione earum conuenire perſonam. Hinc itaque Mariæ prærogatiua celeberrima prædicatur, quæ non hominem tantum, ſed Deum nobis & hominem generauit, quamobrem rectiſſime Dei genitrix nuncupatur. O beata inter fœminas, cuius gratia hominum ac Angelorum tranſcendit naturam, propterea Angelicus nuncius de cœlo miſſus ad virginem tam officioſiſſimè eam ſalutauit dicens, Aue ſanctiſſima Maria, gratia plena, Dominus tecum. Gabrielis ergo nos erudíti oraculo, quan- Luc. 1. ta, qualiſve ſit, quæ hodie nata eſt, ſalubriter agnoſcamus. Nempe in eius ortu lætati ſunt cœli, decantauerunt Angeli laudes Deo, promulgara eſt pax, humanæ ſpeciei cœpit aboleri opprobrium, atque fugatis tenebris, quæ totum occupauerant orbem, radios ſuos rutilans aurora perfundit. Solis quippe iuſtitiæ vtcunque irradiata fulgure placidum in ſe aſpicientibus præbebat affectum. Quæ enim ſanctificata in vtero, ac ab omni culpæ originalis fuerat liberata contagio, gratiæ plenitudinem, quam mente perceperat, protendebat exterius. Illam profecto adhuc in matris vtero decubantem adamauit verbum, ſibique in genitricem elegit, vtpote ſuperabundanti iam benedictione præuentam, iamque Sancti Spiritus magiſterio deputatam. Ipſam idem ſpiritus cuſtodiuit à carnis colluuione immunem, à libidinis delectatione expertem, à ſeculi amore alienam, atque ab vniuerſorum criminum contagione immaculatam. Tota pulchra, abſque delicto, ſine mentis & corporis deformitate, Deo & hominibus amabilis habebatur. Sanctitatis etenim perlucidum erat ſpeculum, pudicitię ornamentum, virginitatis gloria, humilitatis forma, honeſtatis riuulus, exemplar continentię, ſapientię thronus, magiſtra virtutum, decus hominum, lętitia Angelorum, mundi interuentrix, & ęterni Patris filia prędilecta. Nullus planè mortalium, quamuis donorum cœleſtium numeroſitate ſit prędictus, huic valet virgini coęquari. Patriarcharum vtique Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, omniumque ſanctorum merita Maria beata tranſcendit. Hanc vniuerſa ſupernorum ciuiũ multitudo veneratur, colit, & laudat. Quamobrẽ tota per orbem terrarũ diffuſa ſancta mater exultet eccleſia, quę huius virginis eſt hodie illuſtrata natali. Nemo a laude illius ſecernitur, nullus ab

ab iſtius diei feſtiua iubilatione excluditur: Alternatim itaque pſallant chori, virginum turba lætetur, plebs fidelium gaudio repleatur in Domino, diuinæ in eccleſiis reſonent laudes, ſolennis cęremoniarum exhibeatur cultus, & vbique Mariæ virginis præconia prædicentur. Nos igitur ad honorem huius virginis præcinamus in cõfeſsione, deoque noſtro pſallamus in cithara. Ipſum veneremur in matre, & matrem honoremus in filio, vtriſque vota noſtra fideliter exoluamus, quatenus filium genitrice interpellante pro nobis vincamus mundum, Diabolũ ſuperemus, tentationibus renitamur, conſequamur gratiam, adipiſcamur coronam, atque in regnum introeamus ęternum. Vniuerſa autem hęc vt facilius mereamur, tu ô beata Dei genitrix, virgo fœcunda, cœli porta, delinquentium ſpes pro nobis interuenire digneris. Non te repellet, qui naſci voluit ex te, honorauit te, requieuit in te, teque collocauit apud ſe, qui fecit te Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui cum Patre, &c.

In feſto exaltationis ſanctæ Crucis.

PEr primorum præuaricationem parentũ (ſacro reſerante eloquio) eoſdem cum vniuerſa poſteritate in huius vaſtitatem exilii relegatos eſſe cognouimus. Inde autem exterior homini corporis languores innumeri, labores continui, neceſsitates quamplurimæ, & carnis ineuitabilis reſolutio ſubſecutæ ſunt. Interiori uerò operandi infirmitas, de qua Apoſtolus, Video inquit aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meę, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. (Rom. 7.) Item veri ignorantia & falſi, boni & mali. Concupiſcentia ex carnis ac ſenſuum lenocinio generata, atque nutrita, nec non & malitia, quæ inſtigante maligno & arbitrio conſentiente perficitur. Sicque factus eſt homo ſuis exigentibus demeritis huius mundi incola, profugus, & vagus ſuper terram, contrarius ſibiipſi, & auerſus à Deo. Ipſius profectò eſt lugẽda calamitas, eo amplius quòd ſe ignorat eſſe plangẽdum. Fecit de exilio patriam, naturalique amiſſa dignitate temporalem quæſiuit, momentaneam & non ſuam. Semper proficeret in deterius, atque redigeretur in nihilum, niſi diuino ſuſtentaretur auxilio. Noluit enim Dei miſeratio, quatenus id ex iuſtitiæ rigore congrueret, vt humana ſpecies funditus deleretur, aboleretur que ſui conditoris imago, qua in ſua fuerat inſignita origine. Hæc potiſsima incarnationis verbi cauſa fuit, quatenus per aſſumptum hominem documenta ſaluberrima tribueret Deus, quibus peccator homo amiſſa recuperaret dona, deformatam reformaret imaginem, & cœleſtem, à qua longauerat multum, remearet ad patriam. Hinc eſt quia ſunt ab ipſo mediatore prærogata diuina, vt rationalis mens in omni veritatis ac virtutis inſtrueretur ſcientia. Sacramenta ſunt etiam inſtituta cœleſtia, ut ex prælibatione ſpiritualis dulcedinis interioris hominis ſanaretur infirmitas, reſtauraretur virtus, & concreta malignitas tanquam cera liqueſceret. Voluit prætcrea ignominioſæ paſsionis ſubire patibulum, vt illecebroſa affectione deterſa, concupiſcibilis vis redemptoris ſui tranſiret affectum. Allicitur quippe humanum cor, & charitatis ſuccenditur flamma, quoties cogitatione peruigili agonis huius modum meditatur & cauſam. Quamobrem vt tanti beneficii memoriale in cordibus iugiter reſideret fidelium, mater eccleſia exaltationis ſanctæ crucis annum diem celebrari inſtituit. Hanc ſiquidem ſumma cum veneratione adorat & colit, in qua abolitum eſt originalis culpæ chirographum, atque mutatum decretum damnationis ęternæ. Sapienti enim Saluator noſter vſus conſilio, per lignum crucis vetiti ligni delicta donauit. Agnoſce igitur ô homo amiſſam, per lignũ ſciẽtiæ gratiam, & duplicis mortis exceptam ſententiam, quatenus gratias pro accepta venia Chriſto exhibeas, qui reatus tui debitum crucis exoluit in ligno. Diſce (inquam) crucis ſanctę virtutem, in qua reſtaurationis humanę ſunt conſummata myſteria. Pependit vita, & mors fuiſſe occiſa cognoſcitur. O bona crux, quę decorem de membris Domini ſuſcepiſti, quas tibi laudes, qualiter ve tua digne valeam manifeſtare pręconia? Per te nanq; nobis apertum eſt cęlum, antiquę legis ſunt reſerata ſacramenta, protoparentum eſt ablatum opprobrium, diuinę charitatis pręrogatum indicium, donatę pacis ſignum oſtenſum, atq; amoris Chriſti teſtimonium declaratum. Mediatoris equidem in te operante virtute fugãtur per te dęmones, liberantur ęgroti, mortui reuocantur ad vitam, fides augetur, puſillanimitas propulſatur, roboratur virtus, ſpeſque vtcunque collapſa erigitur. Tu enim Chriſtianę religionis decus, tu ornamentum ſanctitatis, tu militum Chriſti incentiuum quam maximum, & munimẽ inexpugnabile. Tu ducis noſtri vexillum glorioſiſsimum, triumphi ſignum, immundorum ſpirituum terror, clauis inferorum, bellantium fiducia, certaminis ſtadium, victoriæ teſtis, theſaurus amabilis, lignum vitæ, in medio paradiſi plantatum, amœnum, immarceſsibile, ſaluificum, atque fœcundum. (Cant. 7.) Aſcendam (inquit ſponſa de te) in palmam, apprehendam fructus eius. Nempe ſub vmbra tua ab æſtu diei protegimur tempeſtate, turbine, & à pluuia. Ex quo humani generis Redemptor extenſis manibus ac pedibus in te affixus eſt, potatus aceto & felle, illuſus, blaſphematus, vulneratuſque lancea, es honorata ab Angelis, à ſanctis adorata, à regibus & ſeculi principibus, & ambulantibus in ſpiritu venerata, prædicata à doctoribus, magnificata in populis, in eccleſiis & plateis exhibita, & monſtrata. Fuiſti deniq;

a Pro-

à Prophetis prænunciata figuris & ænigmatibus, in lege veteri præſignata, ſublimata à Chriſto, ab Apoſtolis teſtificata, à Pontificibus exaltata, & ab omni plebe fidelium officioſiſsime glorificata. Qui te agnoſcunt, te colunt, ad te ſuſpirant, per te iucundantur, de te mirantur, tibique honoris exoluunt latriam. Aſpiciunt in te mentis oculo, qui pro ſe pependit in te, ſuoque te cruore rigauit. Radios nanque amoris, charitatiſque ſagittas emittis de te, quæ amantium corda transfigunt. Es quippe plena dulcedine, luce perfuſa, dilectione redundans, imitationis exemplar, patientiæ ſpeculum, referta myſteriis, & ſacramentis grauida. Altitudine ſiquidem tua mediatoris Chriſti locupletata meritis tranſcendens cœlos, profunditate autem, qua captiuos patres de locis pœnalibus eruiſti, abyſſos penetras, tua verò longanimitate, qua delinquentium peccata toleras, mundum circuis vniuerſum. De latitudine autem tua quid memorem? In ſinu enim tuæ latiſsimæ charitatis iuſtorum foues animas, & ab exitio liberas damnationis æternæ, Per te nanque, & in te ſpiritualis noſter Noe myſtice humanum genus de aquarum diluuij inundatione ſaluabit. Tua quoque percuſſione de duriſsima petra lateris Chriſti largiſsimæ regenerationis emanauerunt aquę, quæ concupiſcentiæ originalis ardorem temperant. Tua demum immerſione amariſsimæ lymphæ tribulationum præſentis exilii dulcorantur adeò, vt in amore earum perfectorum inardeſcat affectus. In te tanquam in iudiciario throno viuorum ac mortuorum iudex ſalutis, atque interitus ſententiam dedit, documentaque maxima noſtræ redemptionis exhibuit. Nempe pro crucifixoribus ſuis exorauit patrem, dilecto Diſcipulo matrem virginem commendauit, latroni credenti & confitenti largitus eſt regnum. In neceſsitatibus diuinum nos docuit implorare auxilium. Salutis noſtræ ſitim indicauit, veteris teſtamenti promiſſa, humanęque redemptionis myſteria cõſummauit, atque genitoris ſui proprium ſpiritum in manibus commendauit. Quamplurima ſunt & alia virtutum tuarum excelſa præconia, quæ tenuis ingenioli mei ſenſus non poteſt attingere. Imitatores nanque tui, & contemplationi cœleſtium vtcunque vacantes, quoniam frequenter in theſaurorum ſapientię & charitatis Chriſti ingrediuntur arcanum, ſciunt te. Tuæ etenim veritatis claritate irradiati, tuoque ſpiritualis guſtus debriati nectare, ignominiam tuam ſuam ipſorũ gloriam eſſe fatentur. Ex his vnum audiamus,

Galat. 6.

quid dicat, Abſit (inquit) mihi gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. O fidelis ſeruus & opprobriorum Chriſti verus amator, cui viuere Chriſtus erat, & mori lucrũ, qui Chriſtum crucifixum gentibus prædicabat, quàm ſublimiter crucis myſteria agnoſcebat in Chriſto?

Hinc Diſcipulos ſuos cupiebat comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ eſſet crucis huius latitudo, longitudo, ſublimitas, & profundum, necnon & ſupereminens ſcientia charitatis Chriſti, quatenus horum agnitione Chriſto conformarentur crucifixo. Nouerat equidem Apoſtolus vberem eſſe dilectionem, meritiſque locuples crucis myſterium. Ipſum quippe Dominum dixiſſe nouerat, Quum exaltatus fuero à terra, omnia

Ioan. 12.

traham ad meipſum. Trahitur profectò ſuauiter, efficaciterque meditantis animus, quoties ſuſpẽſa cogitatione Domini Ieſu crucifixi paſsionem conſiderat, pendentis (videlicet) affectum, intentionem patientis, paſsionis modum, acerbitatem ſupplicij, perſonamque mediatoris. Cuius (oro) tam ferreum pectus, quod Redemptoris effuſus cruor, lacrymarum irriguus fons, exprobrantium opprobria aſtantium Iudæorum, indicibilis cruciatus patibuli, validiſsimus clamor vulnerati & confixi, exanimati corporis rigor, incomparabilis dolor aſpicientis virginis vnigenitum ſuſpenſum in ligno, non emolliant ad compaſsionem, prouocent ad lamentum, inducant ad planctum, ad deuotionem excitent, & charitate ſuccendãt? Sunt prorſus hæc omnia amoris faculę, & prætioſiſsimę gemmę in ſpiritu militãtium Chriſto. Horum quicunque inexpertus eſt, cęcus quum ſit, & corde hebetatus, eadem vilipendit, & dedignatur mentem in talibus occupare. Nec ab re. Nam

1. Cor. 2.

animalis homo non percipit ea, quę Dei ſunt. Huiuſmodi (heu) quantum plangendi ſunt. Solum quæ carnis ſunt, ſapiunt, Dei magnalia non intelligunt, ſoli æterni illuſtrati ſplendore non vidẽt, vocati non audiunt, excitati non euigilant, & affectuoſiſsime dilecti non diligunt. At verò qui ſunt Chriſti, omnia arbitrantur vt ſtercora, vt ipſum lucrifaciant, carnemque ſuam cum vitiis & concupiſcentiis crucifigunt, ſeculi illecebris cõſolari renuunt, quatenus Chriſti paſsionibus valeant communicare facilius. Hæc ſapit crux ſancta, dum non ad ligni attendunt materiam, ſed ad ſpiritualem ſenſum, ad arcana myſteria, ad fructum vitæ ad redemptoris excellentiam, ad exuberantem gratiam, futuramq; gloriam. Quotidiano ſiquidem filiorum nutriuntur alimento, & ſaginati vituli in cruce allati proficiunt in affectũ. Fit autem nonnunquam, vt in eorum meditatione ſancti ignis adeò inardeſcat flamma, quatenus euecti ſupra ſe, reuelata facie gloriam Dei ſpeculentur, de claritate transformentur in claritatẽ, hoc domini ſpiritu cooperante in eis. Talibus

2. Cor. 5.

illud congruit Apoſtolicum: Et ſi nouimus Chriſtum ſecundum carnem, ſed iam non nouimus. Sibi de ligno crucis contexerunt ſcalam, per quã ordinate aſcendentes ſpirituali in Chriſto mũditate fruuntur. Non enim repẽte conſcendunt, ſed pedetentim, humiliterque introrſus illos dirigente ſpiritu domini Ieſu. Humana ſiquidem

hi.

hoc non agitur voluntate, ſed diuino munere, per quod ſingulis impertiuntur ſingula. Precibus igitur inſiſtendum eſt, & Dei ſuffragium flagitandum, quatenus quotidie nobis ſemper potiora donentur. Contingit enim perſæpe, vt quod nequeunt merita, deſideriorum interpellationes largiantur. Delectatur quippe dominus orationibus ſupplicantium, vt eorum votis annuant, ſi tamen corde ſimplici fundantur, humilique mente ac deuotione fideli. Nempe ſi tria hæc conueniant in orante, de omni re quancunque petierit ſecundum Deum, fiet illi à patre luminum, eiusque filio Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui viuit & regnat, &c.

In feſto ſancti Matthæi Apoſtoli & Euangeliſtæ.

IVdiciorum diuinorum, atque vocationis iuſtorum quiſquis voluerit inueſtigare diuitias, eo magis deficiet, quo ſibi profeciſſe videbitur. Caligat prorſus omne naturale ingeniũ, & inquirendo ſuccumbit nimietate repercuſſum ſplendoris. Quis iudiciorum altitudinem valet attingere, quum Angelicis ſpiritibus inacceſsibilis ſit? Quis diuinę miſerationis ſufficit profunda nudare, atque electionis ſanctorum inueſtigare cauſas? Clamat horum inſcius Apoſtolus & admira-

Rom. 11. tione repletus: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. Quis enim cognouit ſenſum domini? quis conſiliarius eius fuit? aut ſi quis prior dedit illi, & non retribuetur ei? Nempe, cui voluerit, miſeretur, & quem vult,

Rom. 11. indurat, ita tamen vt nullius perſonam accipiat. Nam etſi quem eligit ac præuenit in benedictionibus dulcedinis, id non ex operibus agat iuſtitiæ, neque ex præcedentibus meritis, ſed nimirũ ex ſola gratia atque beneplacito ſuo, quòd quos prædeſtinauit, vocat, & iuſtificat vt glorificet. Quos autem non vocando indurat, ſine indignatione, & abſque vlla perficit iniuſtitia. Nunquid iniquitas eſt apud Deum? aut ſecundum hominẽ operatur? Tu autem (inquit diuinus ſermo) Deus noſter ſuauis & verus es, patiens & in miſericordia diſponens omnia, etenim ſi peccauerimus, tui ſumus ſcientes magnitudinem tuam, & ſi non peccauerimus, ſcimus, quoniam apud te ſumus computati. Recto igitur, inſcrutabili, atque ineffabili iudicio diſponit Deus regimen vniuerſi, atque in ſpiritualibus & corporalibus creaturis irreprehenſibiliter operatur. Tanquam opifex optimus vaſa ſua quædam in honorem, quædam verò facit in contumeliam ſempiternam. Horum ſiquidem velle rationes perquirere, prorſus temerarium eſt, quum venerandæ potius, quàm perſcrutandæ ſint. Eſt ne arbitrandum quempiam ſummorum ſpirituum naturali acumine ad indaginem æternæ ſapientiæ poſſe pertingere, atque oculo ſuo intueri inaceſsibile lumen ipſius, quod in ſe poſsidendo inhabitat? Quod ſi non illi, quomodo id actitare valebit homo puluis & cinis, qui domum habitat luteam, & terrenum habet fundamentum? Ecce ego (inquit) ſum Deus, qui non immutor, ego occidam, & viuere faciam, percutiam, & ego ſanabo. Occidit quippe, & miſericorditer percutit. Quotquot ſanat à culpis, & viuere facit ad gratiam vita ſpiritus. An occiſus & viſicatus eſt Paulus, percuſſus atq; ſanatus? Nunquid ad vitam Matthæus non eſt erectus apoſtolus, atque ſanatus à crimine? Nam quemadmodum perſequendi crudelitas eſt extincta in Paulo, ita auaritiæ cupiditas occiſa in Matthæo deperiit. O felix hęc mutatio dexteræ excelſi, quæ de publicano apoſtolum, & de perſecutorem doctorem eximium fecit. Quis non miretur, exultet, & laudet? Hęc planè pręcelſa diuinæ miſerationis ſunt opera, hæc præclara ſunt æternæ bonitatis teſtimonia, quibus nos ad pœnitentiam inuitat, indulgentiam ſuadet, immittit ſpem, & dilectionem oſtendit. Nulla prorſus in iſtis laudabilia nouimus fuiſſe acta, vt talem ſortirentur electionis gratiam. Erat nanque Matthæus, cuius hodie celebritas ſolenniter colitur, publicanus & turpis lucri publice negociis intentus, alienus à fide, & à ſanctorum ſegregatus conſortio, temporalia quærens, parui pendensq; cœleſtia. Hic vtique talis gratis vocatus à Chriſto audiuit: Sequere me. Signa non viderat, ſalutis non intellexerat monita, nec familiaris Chriſto extiterat, & tamen ad vnam vocantis vocem corde compunctus, mente mutatus, irradiatus fide, atque charitatis transfixus iaculo, repente relictis pecuniis, familia, poſſeſsionibus, ac ſeipſo pręceptoris obediuit imperio. Propterea illius fuit mutatio, atque laude dignisſima prætermiſsa rei familiaris cura, abdicatis Telonii miniſtrationibus, ſe inuitanti dexteram dedit. Agnouit equidem in ſpiritu, quid egerat quis vocaret, quantaue illi prommitterentur in cœlis. Minime habita deſerere valuiſſet, & ſi horum caruiſſet notitia. Gratus igitur effectus pro munere redemptorem ſuo lætus excepit hoſpitio. Beata planè domus, quàm Dei ſapientia viſere dignatur, felix, in quam anima, ad quam deſcendit verbum, vt illã reficiat. Vtinam in cordis mei habitaculum domino meo introire complaceat. O ſi merear videre illum, loquentem audire, ſuſcipere admonentẽ, exhortantem intelligere, & diligere me diligentem, Scio equidem, ſi ad ſeruum ſuum declinare dignabitur, quod habitationis meæ eliminabit ſordes, fugabit hoſtes, tenebras illuminabit, ſedabit rixas, tentationes diſsipabit, atque concupiſcentiarum imbre ſuo mitigabit ardorem. Fiet domus confuſionis, orationis domus, templum oblationis, locus pacis, thalamus ſponſi, & altare laudis. Propelletur dolor, pacabitur conſcientia, exultabit ſpiritus, ferueſcet affectus, interiora iubilabunt, omniaque oſſa mea clamabunt, & dicent:

Deut. 32.

cent: Domine quis ſimilis tui? Quando ſic adipe [Pſal. 62.] & pinguedine replebitur anima mea, & labiis exultationis laudabit os meum? quando, inquam, pro præſentia regis mei, Dei mei, & redemptoris mei reiecto viduitatis indumento nuptiali induar veſte, atque mutato corde lapideo in carneum cantabo lætitiæ canticum, carmen Deo meo, qui ſe inclinabit ad me, vt me erigat ad ſe, oſtendat ſe mihi, accendat ad ſe? Erit profecto dies ille ſingularis, celeberrimus, ſanctus, iucundus, nunquam à memoria abolendus, nullis pro [Cant. 2.] aduerſitatibus obliuioni tradendus. Veni igitur ad me domine, inſinua te mihi, ſonet vox tua in auribus meis, nam vox tua dulcis eſt, & facies tua decora, adeò vt in ipſam angeli proſpicere concupiſcant, adimple præcordia mea lætitia cum vultu tuo, præbe gratiæ tuæ riuum ſuperius & inferius, quatenus ſolenne tibi, corporique tuo ſpirituali valeam præparare conuiuium. Id nanque ad tui gloriam tuorumve profectum vilitas mea conatur perficere. Superuacue tamen nititur, niſi ſubminiſtraueris materiam, præbueris gratiam, deterſeris caliginem, donaueriſque cōſtantiam. Quum igitur omnis ſapientia abs te ſit, domine, atque poſtulanda à te, mitte illam (obſecro) de ſede magnitudinis tuæ, vt mecū ſit, & mecum la- [Sap. 9.] boret. Ipſa etenim quibus libenter veſceris, & quæ tuo myſtico corpori competunt, apponendas delicias largietur. Cæterum (vt arbitror) vt de nobis in nobis, corpus verò tuum eloquiorum tuorum dulcedine ſaginatur. Verumque (ni fallor) te dixiſſe profiteor de corpore quidem tuo diabolo tibi ſuadente, vt de lapidibus panes faceres. Aiſti: Non in ſolo pane viuit homo, ſed de [Deut. 8.] omni verbo, quod procedit ex ore Dei. De te [Prou. 8.] autem inquis: Deliciæ meæ ſunt eſſe cum filiis hominum, non cum qualibuſcunque, ſed potiſſime cum pauperibus, mitibus, lugentibus eſurientibus, ac ſitientibus iuſtitiam miſericordibus, pacificis, mundis corde, & pro iuſtitia perſecutiones patientibus. Hi nanque præcepta tua opere perficientes iuſti dicuntur, & ſunt propterea tua [Prou. 8.] illos manſione nobilitas, dicente ſcriptura, Anima iuſti ſedes eſt ſapientiæ, tuo alis cibo, lacte nutris eloquio roboras, ac communicatione fœcundas. Hinc ſeipſos exhibent tibi humiles, alacres, immaculatos, ignitos, ſapientes, & caſtos. Talibus profecto delectaris virtutibus, huiuſmodi ſtudiis ſpirituale tuum operatur conuiuium, ibi recumbis, vbi apponuntur iſta, non vt noſtro indigeas alimento, ſed vt de noſtra exercitatione læteris. Lætaris planè, ſed in te de te, dicente Pro- [Nee. 8.] pheta: Gaudium enim domini eſt fortitudo veſtra. Attamen vt verum fatear, tuamq; confirmē ſententiam, etiam in proximis paſceris, & quicquid illis recte impenditur, tibi collatum eſſe nō dubito. Quamobrē ſi quid humanitatis, ſi quid moleſtiç irrogatur ſanctis, infertur tibi domino meo, quemadmodum tuo probari poteſt eloquio. Tibi itaque ſicut meipſum tanquam ſpiritualia exhibeo conuiuium, & vtinam in ſynceritate cordis, & in conſcientiæ nitore, in amore virtutis, in flamma charitatis, in holocauſto laudis, in mentis puritate, in delectatione ſapientiæ: ita corpori tuo myſtico propter te diuini ſermonis menſurā paro, hoc te excitante, te inſtruente, & miniſtrante per te. Noſti ò æterna ſapientia imperitiam meam, paupertatem multam, virtutem modicā, & profundam miſeriam neq; eandem abſcondiſti à me, quatenus munus agnoſcam tuum, & gloriari diſcam ſolum in te. Maximæ vtique eſſet dementiæ in tam preclara mei ſcientia mihi arrogare, quod tuum eſt. Scis domine in te coram te loquens, quia non mentior, quanquam forte ex iis, qui iudicant ſecundum faciem, quidam ſentiant aliter. Mea tantum intereſt obtemperare, tua autem palàm veritatem facere, propter quod quamdiu in hoc corporis habitaculo conuerſatus, fuero operam dabo viuere tibi, & perſeuerare in te, tuiſque miniſtrare propter te, prout ipſe mandaueris. Confido equidem, quoniam [Pſal. 30.] abſcondens me in abſcondito faciei tuæ à conturbatione hominum, proteges me in tabernaculo tuo à contradictione linguarum, reſpondebiſque exprobrantibus mihi verbum illud, quod in Matthæi conuiuio Phariſæis murmurantibus, [Matt. 9.] cur cum publicanis & peccatoribus manducares, dixiſti; Euntes diſcite quid eſt, miſericordiam volo & non ſacrificium, non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Non enim dedignari debent iſti, quemadmodum Phariſęi, ſi pro peccatoribus homo factus peccatorum minimo ſupra ipſius meritum gratiæ quantumcunque conferre digneris. Tibi vtique detrahunt quicunque donis tuis minime derogare verentur. Tu nanque es, qui mutorum aperis ora, & [Sap. 10.] linguas infantium diſertas facis. Tu, inquam, ſi per ſubiugale animal Prophetæ veſaniam corri- [Num. 22.] puiſti, mirum non eſt, etſi per rationalem creaturam, quamuis viliſſimam non abhorres fari. Eſt tamen antiquatum malum liuoris morbus, quod etiam apud iuſtos vigere vtcunque conſueuit. Aequanimiter autem tolerādum eſt, intuendumque in te, atque conſcientiæ teſtimonio gaudendum. Veruntamen tuo, ſanctorumque tuorum, qui piè viuentes in te perſecutiones pertulerunt, exemplo vtendum eſt, necnon & Apoſtoli huius glorioſiſſimi, qui quanquam obloquentium audiſſet eloquia in corporali refectione, quam fecit, minime tamen ab humanitatis reſiliuit propoſito, ſed ardentius ſpirituale fidelibus tuis conuiuium præparauit. Nonne quoties in Eccleſiis Euangelium recitatur, quod ſcripſit, toties corpori tuo ſalutarem alimoniam ſubminiſtrat? Paſcit equidem animas eſurientium te, atque pingueſcit in fide, dum infantiam tuam, mores tuos do-

ctrinam tuam, ſolicitudinem, fatigationem, paſſionem, mortem, reſurrectionem, aſcenſionemque earum inſinuat auribus. Magnum prorſus ac ſolenne hoc dicendum eſt eſſe conuiuium, quod in toto orbe terrarum noſcitur eſſe diffuſum. Rediuiuis ſemper nobilitatur alimentis, quoniam nunquam Dei verbum inueteratur, corrumpitur nunquam, quin potius erogatum multiplicatur, prædicatum creſcit, guſtatum nutrit, accendit meditatum, agnitum concupiſcitur, expoſitum, integrum, & intelligentiæ faucibus manſum, permanet incorruptum. Nec immeritò. Quomodo corrumpi poteſt, quod æternum eſt? Quomodo ſimpliciſsimũ diuidi, obtenebrari lumen, immenſum minui, ſpirituale concludi, bonitas turbari infatuari ſapientia, & vita labefactari valet? Nam quamuis literarum ſonitus tranſeat, quamuis vox ſyllabarum prætereat, quanquam illud proferentes deficiat, integrum tamen, incorruptumq; perſeuerat in ſe vita ſpiritus viuificans ad quem tranſit, & in quo manſionem facit, minime nihilominus deſerens prædicantem, niſi ipſe derelinquat illud. Hinc eſt, quod diffunditur per generationes & generationes, & in nullo detrimentum patiens ſempiternum manet. Transfert ſe, & perluſtrans omnia, nullamque viciſsitudinem admittens in ſe ſemper eſt, quod eſt. Hoc nimirum Prophetarum & Apoſtolorum autoritatibus comprobatur: (Eſaia 40.) Omnis caro (inquit Propheta) fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos fœni, flos tranſit, & decor eius deperit, verbum autem domini manet in æternum. (Pſal. 118.) Et Propheta aliàs ait: In æternum domine verbum tuum permanet in cœlo, in generatione & generationem veritas tua. (Heb. 4.) Paulus verò dicit: Viuus eſt Dei ſermo, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagumque & medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis. Omnia enim nuda & aperta ſunt oculis eius. Videtne, quàm excellens, quàmve ſpiritualium delitiarum vberrimum apoſtolus Matthæus corpori Chriſti conuiuium prærogauerit? Præcellit quippe ex ſui dignitate honoris ſeculi terrenas facultates, carnales illecebras, temporalia gaudia, viſibilia cuncta, atque vniuerſa, quæ humanis ſenſibus eſſe ſubiecta noſcuntur. Meritò igitur illum ſacroſancta colit eccleſia, cæremoniiſque effert, interpellat precibus celebritate commendat, atque præclara martyrii eius veneratur inſignia, pet quæ tum talia, tantaque diuinorum eloquiorum percipere rudiméta promeruit. Nequaquam erga ipſum deeſſe debet reuerentiæ cultus, qui & ſeipſum exhibuit Deo, & ſermonis ſacri pro communi omnium profectu ſtuduit eſſe miniſter. Ad rependendum itaque ſancto huic debitum gratiarum actionis obſequium feſtiua hodie exultatione lætemur in terris, illum humiliter votis proſequamur & precibus, quem de carnis erutum ergaſtulo angelorum cœtibus nouimus eſſe permiſtum. Ipſius protſus eſt autor præmii, qui eius extitit cauſa martyrii Ieſus Chriſtus dominus noſter, qui cum patre, &c.

In ſolennitate Sancti Michaelis Archangeli.

DIuina ſapientia quando in mundi exordio hominem condidit, duplices voluit vt haberet oculos, carnis (videlicet) & mentis: per carnales quidem, vt aſpiceret mundum & creaturarum ſpecies, quæ in ipſo ſunt: per ſpirituales verò, vt agnoſceret ſe, & per ſe in Dei contemplatione eleuaretur ſupra ſe. Vtroque enim modo magnam de conditore ſuo poterat captare notitiam. Nempe per creaturarum decorem in cognitionem valebat venire factoris ipſum contuendo per ſpeculum. (Pſal. 91.) De hoc ſuo nos Propheta erudit exemplo, quum inquit: Delectaſti me domine in factura tua, & in operibus manuum tuarum exercebor. Non ait, delectauit me domine factura tua, ſed tu in illa delectaſti, qui talem ipſam feciſti, vt decore ſuo te mihi inſinuares in illa, & delectarer in te. Non mediocrem menti bene compoſitæ delectationẽ confert huius vniuerſi perſpectio, quippe quum veſtigiorum æterni opificis plenum ſit, ſitque exemplar quam optimum trinitatis deificæ. Viluit tamen ex aſsiduitate viſionis apud homines, qui & ipſi caligauerunt introrſus in eis delictorum præualentibus tenebris. Abutuntur vtique eo conuertentes ad vſum voluptatis, quod illis prærogatum eſt ad ſuffragium cognitionis. Fit autem permittente Deo, ſuiſque demeritis exigentibus, vt magna ex parte mentis careant lumine, amittantque ſui ac Dei cognitionem, qui ex dono ſibi præſtito per mundum renuunt intelligere Deum. Nempe quique dum extolluntur, infatuantur, & dicentes ſe ſapientes eſſe, efficiuntur inſipidi, mente profugi, animo infrænati, & à ſe alieni. In honore ſiquidem conſtituti, & non intelligentes comparantur iumentis inſipientibus, & illis efficiuntur ſimiles. Tam diu autem errant per tenebras, & caſſo labore deſudant, quandiu gratis nouo fidei irradiantur ſplendore. Tunc reuelante fide intuentur perſpicue, quod prius per naturale ingenium palpando didicerant. Eſt nanque fides ſola, quæ de inuiſibilibus & cœleſtibus ſcientiam præſtat. Neque diuinam eſſentiam, nec felicitatem perpetuam, neque naturam ſciremus angelicam, niſi fides imbueret. Vt autem de reliquis taceam, quæ humiliter credenda ſunt, beatos eſſe ſpiritus quis naturalis perciperet intellectus, ſi non ſuaderet fides? Eſt autem ſpiritualis angelorum natura in cęlo, quæ in ipſo mundi exordio

dio

dio ab autore omnium condita eſt, non beata, ſed beatificanda, intellectualis ſemper mobilis, arbitrio libera, incorporea, Deo miniſtrans, immortalitatem ſuſcipiens ſecundum gratiam, non ſecundum naturam, in qua (videlicet) eſt eſſentiæ ſubrilitas, intelligentiæ perſpicacitas, liberi arbitrij facultas, atque diſcretio perſonalis. Habet propterea in operando virtuoſitatem, officioſitatem in miniſtrando, & poſt electionem ſiue in bono ſiue in malo immutabilem firmitatem. Ad quod enim ſe vertit, inflexibilis eſt. Hanc Deus condidit mirabiliter, & iuxta incommutabilis ſapientiæ ſuæ legem diſtinxit per ordines, & ſingulis miniſteria propria, actuſque diuiſit & nomina. Non enim vt ſingulatim agnoſcantur, ſpecialia ſunt ſortiti vocabula, quippe quum ſeipſos aliis viciſsim inſinuent, ſed hoc vtique propter nos, qui ob intelligentiæ imbecillitatem per ſenſus erudimur & nomina. Nempe angelorum nouem ſunt ordines, & hæc vocabula ſingulorum (videlicet) ſeraphim, cherubim, & throni, dominationes, principatus, & poteſtates: virtutes, archangeli, & angeli. In primis nanque Deus amat vt charitas, in ſecundis noſcit vt veritas, in tertiis ſedet vt æquitas, in dominationibus dominatur vt maieſtas, in ſequentibus regit vt princeps, in poteſtatibus tuetur vt ſalus, in virtutibus operatur vt virtus, in archangelis reuelat vt lux, & in angelis mittit vt ſpirans. Ex his autem Deo quidam eorum aſsiſtunt, & diuinæ contemplationi inhærendo nullatenus pro explendis miniſteriis egrediuntur foras. Quidam verò ad diuina peragenda myſteria exeunt, ita tamen, vt nequaquam viſione priuentur, quoniam etſi iidem beati ſpiritus circunſcribantur loco, ipſe Deus, qui illorum beatitudo eſt, circunſcriptus non eſt. Vbique etenim quum præſens ſit, & vbique totus, ibi ſe offert, vbi rationalis ſpiritus illum videre dignus efficitur. Nam Luc.23. & latroni ſecum pendenti inquit: Hodie mecũ eris in paradiſo. Impleuit autem, quod ſpopondit, quia diuinitatis ſuæ eſſentiam ei fecit eſſe viſibilem. Nempe quod in latrone egit, hoc in miniſtrantibus angelis perficit. Nihil enim in ipſis eſt, quod illos à fruitione valeat retardare diuina. Nec minus eſſe Deo cenſendi ſunt grati, quum exeunt, quàm quum aſsiſtunt, quoniam vtroque modo conditoris ſui charitate replentur. Miro itaque ordine miniſteriorum ſuorum diſpenſant negocia, diuini honoris & humanæ ſalutis zelo ſuccenſi. Hoc quoque vniuerſum tanta moderatione diſponunt, vt nihil inconſultum, nihilque inordinatum in ipſo pertranſeat. Vnde (oro) hæc elementorum tanta concordia? Vnde corporibus cœleſtibus indicta lex tanto magiſterio perſeuerat? Nonne ex miniſterio angelorum? Miniſtrantium vtique ordinibus iniunctum eſt particulare hoc regimen vniuerſum, ad quod perficiendum nec tabeſcunt tædio, nec labore ſuccumbunt, neque ſeducuntur errore. In lumine quippe ſapientiæ, & per ſuperiorum reuelationem eiſdem cognoſcibilia ſunt cuncta, quæ faciunt. Nunquam humano regimini tam ſapienter intenderent, ſi non erudirentur à verbo, quippe quum hominum cogitationes omnino ignorent. Solus illas nouit, cui omnia nudantur, & patent. Hoc Apoſtolus inſinuans inquit: Viuus eſt Dei ſermo, & efficax, Hebr.4. & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ & ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis, ita vt nulla creatura inuiſibilis ſit ei. Omnia enim nuda & aperta ſunt oculis eius. Hoc quum ita ſit, poteſt angelicam erudire naturam de iis, quę ad regimen pertinent vniuerſi, cuius maxima portio homo eſt. Hinc eſt quòd innumera mala cohibentur, ne fiant? dæmonum malitia coercetur, ne ad libitum noceat; bonorum vita cuſtoditur, ne deficiat; bella, ſeditiones, clades, & huiuſmodi millia diriguntur, ne ſpecies humana depereat; id per angelorum miniſteria Dei operante prouidentia, quæ quandoque per ſe, interdum per ſuos exercet miniſtros. Quis explicare ſufficit, quantum reuerentiæ, honoris, ſeruitutis, dilectionis, laudis, gratiarumque actionis Deo noſtro debeamus obſequium, qui cæteris omiſsis beneficiis, angelicam nobis cuſtodiam prærogauit? Vtique humana deperiret vita, virtus deficeret, iaceret animus, repelleretur oratio ſi non angelico eſſet fulta ſuffragio. Veneremur igitur ſed in domino ciues noſtros, fideliſsimoſque adiutores, & militiæ noſtræ propugnatores egregios. Cooperatores eorum ſimus pro nobis, ne ſuperuacue in nobis laboraſſe videantur. Gaudium etenim illorum eſt fortitudo noſtra. Luc.15. Gaudent planè, quando poſt lapſus pœnitentiã agimus, dicente domino: Gaudium eſt angelis Dei ſuper vno peccatore, pœnitentiam agente. Peramplius verò ſi ſtamus, & impertitã nobis gratiam cuſtodimus, atq; ſalubria eorum monita ſeruamus. Nempe nos inſtruunt in dubiis, protegũt in periculis, ſuſtentant in aduerſis, in proſperis humiliãt, orationes perferunt, reportant gratiã, cumulant merita, & erga nos infatigabiliter miniſteria ſua exercent. Illos itaq; amemus vt nos, pro poſſe imitemur, & veneremur ex corde. Cæterum quamuis omnes cęli milites maximo cum honore debeamus excolere, pręcipue tamen glorioſiſsimum Michaelem cœleſtis exercitus primatẽ & ducem. Veneremur in illo ſublimẽ gratiã, pręrogatiuã ſingularem, pręſtitum miniſteriũ inſuperabilem virtutem, conditoris beneuolentiã, ipſiuſq; bellatoris conſtantiã, in eo tamẽ qui ipſum fecit & nos. Multę ſiquidẽ autoritatis corã Deo inter beatos ſpiritus eſſe cognoſcitur. Noui

ſinus enim in exordio ſupernæ ciuitatis ſanctæ Hieruſalem prælium ibi extitiſſe non minimum. Temerario quidem auſu contra dominum Lucifer in corde ſuo ſe erigens diuinitatis honorem, principandique dominium cōcupiuit ſuimet immoderato amore deceptus. Sibi enim pro muneribus conditoris inconſulte complacuit. Nam cæteros ſpiritus in naturæ puritate, intelligentiæ perſpicacitate,& ſpeciei præcellebat forma. De Exec. 28. ipſo enim ſic ore prophetico dicitur: Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore, in delitijs paradiſi Dei fuiſti, omnis lapis precioſus operimentum tuum, tu Cherub extentus & protegens, & poſui te in monte ſancto Dei, in medio lapidum ignitorum, ambulaſti perfectus in viis tuis à die conditionis tuę: donec inuenta eſt iniquitas in te. Pulchritudinis igitur ſuæ conſideratione illectus, atque cæcatus priuatum dilexit bonum, propriamque excellentiam ſine meritis ambiuit ex ſe, quam fuerat habiturus à domino. Vniuerſorum autem angelorum primatum ſibi vendicare deſiderans maximam in cœlis diuiſionem effecit. Ex hoc pugnæ cauſa, ruina illius, & dæmonum exortus eſt lapſus, dum ſuaſione peſtifera ſpiritibus cunctis cupiditatis ſuæ reſerauit arcanum. Intellectualis quidem fuit iſta locutio, voluntarius verò conſenſus. Quamobrem quotquot incommutabili deſerto bono ſponte commutabili inhæſerunt, è cœli ſunt regione depulſi. Tunc planè in cœlo exortum eſt prælium, tunc cœleſtes ſpiritus non clypeo, haſta, vel enſe, ſed voluntate tantum certauere viciſsim. Sanè in huiuſmodi ſpirituali conflictu cęteris ſpiritibus ſanctis prælatus eſt Michael, quemadmodum Lucifer malis. Sacro igitur referente eloquio factum eſt prælium tunc magnum in cœlo, Apo. 12. Michael & angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & angeli eius, & non præualuerunt, neque inuētus eſt locus eorum amplius in cœlo. Sibiipſis quippe derelicti, qui Lucifero adhærendo deliquerant, quomodo diuinę valerent reniti poteſtati, quæ magnifice cooperabatur in bonis? Tunc à luce diuiſę ſunt tenebrę, atque à peccatoribus ſancti, tūc Lucifer effectus eſt coluber, & maximam ſtellarum partem cauda ſua ſecum detraxit ad inferos, vnde illi per Eſa. 14. increpationem obijcitur à propheta: Quomodo (inquit) de cœlo cecidiſti Lucifer, qui mane oriebaris? Corruiſti in terram, qui vulnerabat gentes, qui dicebas in corde tuo: In cœlum aſcendam, ſuper aſtra cœli exaltabo ſolium meū, ſedebo in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubium, & ſimilis ero altiſsimo: tu autem proiectus es de ſepulchro tuo quaſi ſtirps inutilis, & quaſi cadauer putridum, pollutus & obuolutus cum iis, qui interfecti ſunt gladio, & deſcenderunt ad fundamenta lacus. Ceciderunt vtique apoſtatici ſpiritus (Michaele in eis pręualente atque vincente) de ſtabili bono ad fluxibilitatem, de luce ad tenebras, de ſcientia in ignorantiam, de innocentia in culpam,& de naturę puritate, atque liberi arbitrij facultate in ſupplicium ſempiternū, Iudæ quemadmodum de ipſis per Iudam dicitur. Angelos verò, qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in iudicium magni Dei in vinculis ęternis ſub caligine reſeruauit. Sic prorſus ſic debuere mulctari, qui vniuerſorum conditore neglecto elato animo alienum ſibi conati ſunt vſurpare imperium. Cęterum qui ſuo ſe humillime factori ſternentes contra nequam ſpiritus repugnauere viriliter, non immerito confirmandi, maximoque fuerant honore donandi. Ex libertate igitur arbitrij, qua Deo ſubſiſtere delegerunt, in gratię & glorię repente confirmati ſunt bono, Dei beata fruitione percepta. Hinc ſanctorum angelorum ſublimata ſunt merita, hinc pręcipue glorioſiſsimi Michaelis principatus eſt auctus, & per vniuerſum orbem illius nomen effectum eſt celebre, adeo vt ſupra omnes beatos ſpiritus ſingulari ac intima à fidelibus veneratione colatur. Non autem abs re illum ſacroſancta mater honorat eccleſia, quem ſui ſpecialem & propriū nouit eſſe cuſtodem, interceſſorem aſsiduum, curię cœleſtis principem, atque animarum electorum ſedulum ſuſceptorem. Quamobrem agnoſcant ſinguli, agnoſcant omnes protectorē ſuum, illum laudibus efferant, frequentēt precibus, votis amplectentur, deuotione inclinent,& per emendationem vitę lętificent. Non enim poterit orantes deſpicere, repellere, cōfidentes, declinare amātes, quippe quum defendat humiles, pudicos diligat, diligat innocentes, cuſtodiat vitā, regat in via, perducat ad patriā, vbi ſponſus regnat eccleſię Ieſus Chriſtus dominus noſter, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat, &c.

In ſolennitate beatiſsimi Hieronymi doctoris & confeſſoris.

QVemadmodum reges gentium, quum habitationis ſuę conſtruere volunt palatia, locato prius fundamento columnas erigere conſueuerunt marmoreas, ſuper quas cætera ſtructura firmetur: ita & mediator noſter egiſſe cognoſcitur. Aedificauit namque ſibi domum pulcherrimam ad habitandum, non vtique de ſectis ac quadratis lapidibus, ſed de viuis & fulgentibus precioſis margaritis, quas nec rubigo fœdaret, nec vetuſtas cōſumeret, neque vētorum impulſus infringeret. Talē prorſus decuit ęternā ſapientiā ſibi fabrefacere manſionem, quæ quotidiana nō indigeret reparatione. Tale, inquam, habitaculum Dei filius habere debuit,

debuit, cuius latitudo repleret mundum humanum eius ſpecies affectum alliceret, innumerabilem illius capabilitas contineret plebem. Hoc quis non contemplando miretur & gaudeat? Quis in eo manſiunculam non concupiſcat habere, in quo iuge celebratur conuiuium medullatorum pinguium, atque vindemiæ defecatæ? In ipſo namque ſaginatus vitulus, occiſus & aſſus apponitur diſcumbentibus, vinum quoque meraciſsimum; quo aſtantium lætificantur corda, ibidem abundare cognoſcitur. Non deſunt ibi tympanum & lyra, pſalterium & cithara, quorum modulatione ſonora conuiuantium mentes ſuaui delectatione paſcuntur. Has profecto delicias nullus percipit, niſi ſit mundus, nemo intelligit, niſi purgatus. Spirituales quippe quum ſint, ſpirituali oculo atque ſpirituali ſumendæ ſunt guſto. Beati mundo corde, quoniam domum hanc ingredi, ipſiuſque pulchritudinem aſpicere meruerunt. Hanc à longe Propheta proſpectans aiebat domino: Domine dilexi decorē domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Munda igitur cor tuum, abſterge delictorum ſordes, veſte induere nuptiali, vt ingreſſus in eam pacis ſuſcipiaris ad oſculum, admittaris à ſponſo, & cum conuiuantibus pariter conuiueris. Scito tamen prænoſcens, quod quiſque pollutus ſpiritu, peccandi voluptate deformis, indumento nudatus, ſeu veſte conſciſſus à dominico ſegregatur conuiuio. Nam etſi corpore cum cæteris intraſſe videatur, ſpiritu tamen ac mente ſecernitur. Mortificati quippe membri gerit imaginem, quod ſine vita hæret in corpore, & nullo
Apoc. 21. corporis ſpirituali vegetatur alimento. Habitaculi huius, de quo loquimur, vis noſſe myſterium? Vidi (inquit Ioannes) ciuitatem ſanctam Hieruſalem nouam deſcendentem de cœlo, à Deo paratam, ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. Deinde: Et audiui vocem de cœlo dicentem: ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit in eis, & ipſi populus eius erūt, & ipſe cum eis erit eorum Deus. Vniuerſaque in Chriſto multitudo cōgregata fideliū nunc domus, nunc ciuitas, nunc templum, nunc eccleſia, nunc corpus, nunc Dei tabernaculum nuncupatur. Iuxta ſignificationis exigentiam nominis ſortitur vocabulum, quum eadem res in veritatis ſacramento ſubſiſtat. Iſtius ſpiritualis ædificij fundamen-
Eph. 2. tum Chriſtus eſt, dicente Apoſtolo: Ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctū in domino, in quo & vos ſuperędificamini in habitaculum Dei in ſpiritu ſancto. Illud quippe gē-
Cant. 3. mis precioſiſsimis decorauit, prout regiæ competit dignitati. Columnas inſuper eius (ſicut in Canticis legitur cāticorū) fecit argenteas, reclinatoriū aureū, aſcēſum purpureum, media illud propter Hieruſalē filias, charitate cōſtrauit. Quaobrem quiſquis diuinorū eloquiorū vult haberē notitiam, harum columnarum inhæreat firmitati. Nam eloquia domini caſta argentum igne Psal. 11.
examinatum. Si autem cœleſtis contemplationis deſideras vacare dulcedini, turbarum conuerſationem euita, quietis reclina in thalamum, ſapientiæ ſplendore nitentem. Theſaurus quippe deſiderabilis (ſicut refert ſapiens) requieſcit in ore ſapientis. Verum ſi perfectiora conaris Sap. 21.
apprehendere, Apoſtolorum, Martyrumque ſectare veſtigia, mundi gloriam tuis ſubſternere pedibus, corpus proprium pro honore Dei vniuerſis expone periculis, atq; quadam animi magnanimitate te eleues ſuper te, quatenus virtutibus omnibus decenter ornatus, coram vniuerſorum rege purpuratus appareas. Demum ſi nil horum actitare præſumis, duplicis charitatis planum iter incede, vt inoffenſo pede cum filiabus Hieruſalem in regno cœleſtis aulam introeas. Videſne quam decenter tabernaculum ſuum ſapientia Dei conſtruxit in terris? Singulis iuxta impenſi muneris qualitatem propria & ſpecialis prærogata eſt manſio, vt illud ingredi atque ſuperedificare deſiderent. Alios namque (Paulo Ephe. 4.
atteſtante) fecit apoſtolos, alios Euangeliſtas, alios paſtores, atque doctores ad conſummationem (videlicet) ſanctorum, & in opus miniſterii tabernaculi ſui, quod ipſe compoſuit. In hoc itaque tabernaculo ſpirituali glorioſus Hieronymus ſummum ſortitus eſt locum. Merito quippe illum colit Eccleſia, qui eam ſcientiæ munimine cuſtodiuit, protexit, & docuit. Erat profecto columna argentea, erecta, fulgens, & ſolida. Tanquam columna ſuper baſes aureas fundata mens illius erigebatur in cœlum, cœli alta penetrabat, vt lumen veritatis intueretur in lumine. Nunquam tamen imbrem potuiſſet ex ſe proferre doctrinæ niſi in cœleſtibus & ipſe fuiſſet imbutus. Fons namque ſapientiæ verbum Dei in excelſis eſt, & ingreſſus illius mandata æterna ad illum diligendo propinquās ſapientiæ flucta percepit. Nā ſecundum datum & beneplacitū ipſius præbet illam Deus diligentibus ſe. Non enim talis eſt illa, de qua loquimur ſapientia, vt humano valeat vendicari ingenio. Impetratur precibus, cordis puritate ſuſcipitur, humilitate cuſtoditur.
Nempe in maleuolam animam non introibit ſapientia, neq; habitabit in corpore ſubdito peccatis. Sap. 1.
Tumorem euacuet, criminum fæces abluat, gemitibus dominum deprecetur, qui diuinæ ſapientię cupit veritatem agnoſcere. Quātis (oro) hic ſanctus exhortationibus, quātis profluuiis lachrymarum, quantis vigiliarum laboribus; quāta ve humilitatis virtute mētis ſuę mundabat hoſpitiū, vt dignus ſapientię contubernio haberetur? Nēpe illā concupiuit, quæſiuit, inuenit, & tenuit, atque caſtiſsimis illius eſt potitus amplexibus: vnde tāquam amiciſsimo ſibi incerta & occulta eloquio-

quiorum ſanctorum myſteria reſerauit innumera. Factus planè erat ex aſsidua meditatione ſcripturarum templum Dei, ſapientiæ ſedes, paracliti miniſter, vas mundum, æterni luminis oſtenſor, ſcientiæ magiſterium, atque angelorum imitator. Corpore namque tenebatur in terris, re autem vera mente conuerſabatur in cœlis. Scalā namque ſibi conſtruxerat ſpiritualem, cuius cacumen tangebat cœlos, per quam aſcenſus frequentabat & deſcenſus. Aſcendebat vtique contemplando cœleſtia, ac meditando diuina. Deſcendebat autem, quum exigente cauſa ſibi indulgeret & proximo. Talibus quippe ſtudiis aſſuetus ſingulari inter homines emicuit ſanctitate veluti lampas accenſa, atque perlucida omnem domũ illuſtrauit eccleſiæ. Vbique bonitatis illius radiāte ſplendore nominatiſsimus habebatur. Quis in eccleſiæ gremio Hieronymi non eſt eruditus ſcientia? Quis vitæ illius non eſt ædificatus exemplo? Quis non eſt ipſius implorationibus roboratus? Effectus eſt communis pater, lux mundi, annunciator regni, ſeculi interuentor, ſpeculum ſanctitatis, virtutum forma, & fidelium robuſtiſsimus propugnator. Nempe ſine ſanguinis effuſione glorioſum martyrii triumphum obtinuit. Quod enim carnificis mucrone non pertulit, hoc in ſeipſo caſtitatis amore compleuit. O quoties ego (inquit) in eremo conſtitutus, & in illa vaſta ſolitudine, quæ horridum monachis præſtat habitaculum, Romanis me putabam intereſſe delitiis. Sedebam ſolus, qui amaritudine plenus eram. Horrebant ſacco membra, deformis & ſqualida cutis ſitum Aethiopicæ carnis obduxerat. Quotidie lacrymæ, quotidie gemitus, etſi quando repugnantem me ſomnus imminens oppreſsiſſet, nudą humo vix oſſa hærentia collidebam. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metum tali me carcere damnaueram, ſcorpionum tantum ſocius & ferarum, choris intereram puellarum. Videſne quanta animi ſoliditate viriliter pugnauerit contra ſe? Sibi minime pepercit, vt parceret. Dum enim contra ſe factus eſt crudelis & rigidus, ſuimet effectus eſt triumphator egregius. Hoc etenim eſt ſingulare trophæum carnem ſpiritui, ſpiritumque ſubigere conditori: nunquam Deo quis poterit eſſe ſubiectus, qui menti ſuæ imperare nequiuerit. Hinc eſt, quòd amator Dei debet prius amator eſſe virtutis. Dei namque dilectio in virtutis ſtadio comprobatur. Tolle à corde virtutem, & charitatis ædificium collabetur. 1.Cor.13 Charitas (inquit Apoſtolus) patiens eſt, benigna eſt, non agit perperam, non eſt ambitioſa, non inflatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitatem, congaudet veritati, omnia poteſt, omnia ſperat, omnia credit, omnia ſuſtinet. Charitas nunquam excidit. Aemulemur itaque dilectiſsimi charitatem, quam iſte, de quo loquimur æmulatus eſt ſanctus. Per ipſam quippe fuit mundo ſublimior, diabolo prudentior, ſeipſo robuſtior, morteque fortior. Hac præcipue decoratus tentationibus non ceſsit, non eſt laceſsitus iniuriis, non æmulationibus fractus, non carnis proſtratus illecebris, non infatuatus honoribus, non elatus laudibus, neque laboribus fatigatus, ſed permanſit cordē mundus, humilitate excelſus, puritate conſpicuus, caſtitate inſignis, fortitudine inſuperabilis, autoritate erectus, mente deuotus omniumque virtutum candore veſtitus. Totus planè vitæ illius decurſus Chriſtianę religionis eſt ſpeculum. Iugum etenim domini ab ipſa ineunte ætate portauit, literarum ſanctarum ſectatus eſt ſtudia, ita vt ſcientia incomparabilis haberetur, aridum mũdum calcauit cum flore, domum, patriam, parentes relinquens, Roma egreſſus eremi deſerta penetrauit. Nemo illo in diuinorum eloquiorum explanatione vtilior, nullus contra corpus propriũ ipſo auſterior. Quis in corrigendis ſceleribus fuit eo audacior? ignorabat prorſus homines mulcere blanditiis, neſciebat vitia palliare ſilentio, nimio diuini amoris zelo ſuccenſus. Erat profecto ſicut malorum, ita & ſui acerrimus inſectator. Nam & minima delicta adeò lacrymis rigando tergebat, vt ſi quis non agnoſceret illum, peccatorum maximum Hieronymum eſſe fateretur. Deniq; omne viuendi tempus indultum ſic fideliter cõſummauit, quaſi eſſet quotidie moriturus. Pugnauit quippe fortiter, vixit temperanter, conuerſatus eſt iuſtè, & prudentiſsimè perdurauit. Bonum religionis ſanctæ certamen certauit, curſum peregrinationis ſuæ laudabiliter viuendo conſummauit, fidem rectam domino Chriſto perſeuerando ſeruauit, ſicque in ſenectute bona, plenus dierũ, meritis locuples, celeberrimus ſanctitate obdormiuit in domino, appoſitus ad patres ſuos, aſſociatus angelis, coronatus à Chriſto eccleſiæ ſponſo, qui eſt Deus ſuper omnia benedictus in ſecula ſeculorum, Amen.

In feſto ſancti Lucæ Euangeliſtę.

VArias, quibus mortalium corda poſsidentur, affectiones eſſe eorum, qui rectè ſapiunt, dubitat nemo. Sunt nanq; voluptuoſæ, naturales atque ſpirituales. Voluptuoſæ quippe affectiones magna ex parte generantur, atque nutriuntur ex ſenſibus, naturales in homine pariter originem ducunt, ac inſeparabiliter perſeuerant: ſpirituales verò gratis donantur à Chriſto. Nec eſt, qui earum quicquam virtute propria ſibi vendicare ſufficiat. Creſcunt quidem ac minuuntur iuxta poſsidentium ſolicitudinem, ſiue torporem gratiæ Dei libero cooperante arbitrio. Nullus ad perfectionem virtutum repente conſcendit. Quamuis ſine pœnitentia ſint dona & vocatio, minime tamen abſque liberi conſenſu arbitrii & exercitatione ſedula ſpirituale quis ſortitur affectum. Multis quippe raptu quouis præto-

prærogatur, & tranſit. Hoc quam ſæpe ex percipientis contingit ignauia, dum cęleſte paruipendit munus, & vili æſtimat, quod precioſum eſſe cognoſcitur. Merito autem commendandus eſt ille, qui ſpiritualis affectionis beato calori ardenti, materiam ſubminiſtrat. Ignem (inquit dominus) veni mittere in terram, & quid volo, niſi vt
Luc. 12. ardeat? Caritatis etenim ignem cordibus hominum terrena ſapientium ſaluator ingeſsit, quatenus eius purificati incendio diſcerent amare cœleſtia. Ignem repercuſsit igne, & carnem conuertit in ſpiritum, ſi tamen humana fatuitas non reſiſtit. Valet enim ſicut aſſenſum præbere, ita gratiæ repugnare diuinæ. Magna profecto liberi arbitrij virtus eſt, quæ ſalutis ſeu propriæ damnationis efficitur cauſa, vnde reprobationem ex ſe meretur & laudem. Da igitur operam tu qui gratiæ cęleſtis effectus es particeps, ne tepeſcat ſpiritus, obtenebreſcat lumen, excutiatur flamma, mens deuiet reflectatur intentio, intermittatur opus, dormitet cuſtodia, mutetur affectio, diminuatur gratia, & proficiendi laxetur propoſitum. In his ſi incautus fueris, facile reſiles, & deſides, ſpiritũque mutatum in carnem poſsidebis, prout quibuſdam Apoſtolus admonendo dicebat: Videte, ne quum ſpiritu cęperitis carne conſummemini.
Gal. 3. Tunc quidem ſpiritus transfertur in carnem, quã do ſpiritualis affectio, quæ animę gratia mediante largitur, quæve ſpiritualibus ſtudiis nutriri debuerat, deficiendo captatur ex ſenſibus. Dulcis prorſus eſt carnis illecebra, & naturæ copulata ſolatio. Semper ſpiritui inimicatur, donec & ipſa ſpiritus ſuauitate paſcatur. Tunc ſpiritualis effe-
Pſal. 73. cta pari modulatione iucundum Deo perſoluit obſequium. Hoc in ſe Propheta perſentiens inquit: Cor meum & caro mea exultauerũt in Deũ viuum. Perfectorum hic cibus eſt ſolidus, eorum (videlicet) qui diuini amoris fame ſuccenſi ex viſibilibus nouerunt inuiſibilia deguſtare. At verò qui adhuc infirmus eſt, deuotionis tantum fouendus eſt lacte. Cęterum qui ſua ſe prædominante ignauia, propriove ſeducente tumore ſpiritualis affectionis ab arce ceciderit in regionem longinquam abiens, patrimonio diſtracto carnis petulãtia porcorum more ſectatur. Iſtiuſmodi cõgruit,
Pſal. 48. quod ore Prophetico dicitur: Homo quum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus & ſimilis factus eſt illis. Se namque in honore poſitum non intellexiſſe conuincitur, qui ſuaui domini interiori iugo reiecto tanquam canis ad vomitum ſeculi voluptates, quibus renunciauerat, denuò nõ veretur appetere.
Luc. 11. Exigua talium ſalutis eſt ſpes, qui reſiliunt ab eo,
2. Pet. 2. quod laudabiliter inchoauere, propoſito. Fiunt enim horum poſteriora (domino perhibente) peiora prioribus. Nam præſtantius illis fuerat viam domini non agnouiſſe, quàm poſt agnitam abire retrorſum. Veruntamen de ipſorum nequaquam reſurrectione funditus diſperandum eſt, quamuis difficillimè corrigantur. Quis (oro) deſperet de venia, quando quatriduanus mortuus eſt reuocatus ad vitam? Miſericors & miſerator dominus latæ pietatis ſinu ſuſcipit pœnitentes. Quanquam innumerabilium quis præpeditus ſit onere delictorum, ſi ex cordis cõpunctione clamauerit, admittetur ad gratiam. Quoties (inquit per Prophe Ezec. 18.
tam dominus) ingemuerit peccator, iniquitatum ipſius minime recordabor. O amplectenda, omnique veneratione charitatis Dei noſtri colenda diffuſio, quæ tam facile ex corde contritis præbet indulgentiam, pollicetur gratiam, propriamque obliuioni mandat iniuriam. Verus quippe ipſe eſt pater, qui pœnitentibus filiis ſic propere relaxat facinora. Ratum eſſe fatetur, quod prophetico affatus eſt ore: Nunquid voluntatis meæ eſt Ibidem.
mors impii & non magis vt conuertatur, & viuat? Quomodo interitum valet concupiſcere peccatorum, qui pro peccatoribus dignatus eſt pati? Auerſi igitur à domino, & à ſpirituali collapſi dulcedine, ad dominum conuerti non differant minime gratiam diffidentes poſſe recuperare priorem. Ad hanc vtique non repente, ſed præuia mentis exercitatione ac virtutis propoſito per incrementa proficient. Nõ enim adipiſcitur gratis, quod ex animi torpore deperiit. Iuxta igitur Propetę oraculũ euellant, deſtruant, diſsipẽtque vitiorum innata germina, necnon ſenſuum immoderatam laſciuiam, quatenus gratię interueniente ſuffragio pomarium valeant inſerere, atq; plantare virtutum. Prius tamen mentis eſt ędificãda maceria pro ſylueſtrium coerctione ferarum, quæ per opacas noctis tenebras propriis deſertis luſtris, diſcurrere cõſueuerunt. Suimet igitur nemo cuſtodiam negligat quoniam ſponſi, ad quẽ declinat, eſt hortus, atque cœlorum ibi eſt regnũ. Dicti huius vis noſſe ſententiam? Hortus (inquit ſponſus in Canticorum canticis) concluſus ſoror Cant. 4.
mea ſponſa: hortus concluſus, fons ſignatus, emiſſiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Sponſam verò candem repetentem rem attende: Veniat (ait) dilectus Cant. 5.
meus in hortum ſuum, & comedat fructum pomorum ſuorum. Alibi quoque inquit: Omnia poma noua, & vetera ſeruaui tibi dilecte mi. Cordis Cant. 7.
igitur noſtri habitaculum ſponſi hortus eſſe perhibetur, qui cuſtodiendus, atque ſolerti excolendus eſt cura. Naturaliter quidem fœcundus eſt, & ad ſponſum ſuſcipiendum idoneus, ſi tamen neglectus non maneat. Tanquam ab opifice ſummo conditus bene ſemper naturaliter tendit ad bonum, quanquam ab adoleſcentia hominis ad malum pronus appareat. Cæterum hoc non ex natura, ſed ex colluuione originalis cognoſcitur emanare peccati. Naturalis ſiquidem affectus capax eſt gratię virtutis amator, charitatis receptaculum, cellarium deuotionis, hortus ſponſi, paracliti

paracliti miniſter, atque conſolationum cœleſtiũ deguſtator. Spirituali etenim quandiu prudenter exercetur induſtria, efficitur purior, dilectione ardentior, ſublimior votis, Deo propinquior, intẽtione perfectior, charitate profuſior, gratia plenior, atque ſecuritate alacrior. At verò ſi ex incuria vagetur exterius, ſi voluptuoſæ ac lutoſæ carnis connubio fœdetur, mox ſenſuum lenocinio fretus concupiſcentiarum repletur vepribus, mũdi ciuis & ſeculi amator efficitur, quærit carnem, præſentibus delectatur, honores ambit, facultates cupit, ſectatur vitia, virtutes abhorret, cœleſtia negligit, ſuimet inſidiator exiſtit, ignorat Deum, odit ſe, pudicitiam damnat, atque malorũ omnium ex voto proprio reus eſſe conuincitur. Hic igitur naturalis affectus inter voluptuoſum ac ſpiritualem medium ſortitus eſt locum, quatenus ingeniti arbitrii libertate potitus, mortis ac vitæ haberet imperium. Hinc eſt, quod quiſque ſibiipſi efficitur iudex & teſtis cogitationibus ſibi inuicem accuſantibus, atque in die domini defendentibus. Summopere igitur vigilandum eſt, vt rationis cooperãte ſuffragio naturalis affectus ſemper erigatur in Deum, deuotionisque nutriatur dulcedine nequando effectus inſipidus veluti effrænum animal voluptati carnis intentus, profugus vagetur in terra. Quamobrem orationis, necnon & ſanctarum ſcripturarum alendus eſt pabulo, quo eruditus in ſpiritu quid agere, quidve vitare debeat, non ignoret, vnde in Canticorum canticis ſponſus ſponſam alloquitur dicens: Can. 1. Si ignoras te ô pulcherrima mulierum, egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hœdos tuos iuxta tabernacula paſtorum. Paſtorum etenim tabernacula, prophetarum, apoſtolorumq; ac Euangeliſtarum volumina ſunt, in quibus alimenta virentia, atq; vberrima animarum paſcua continentur. Horum vnum ſanctum Lucam nouimus eſſe paſtorum. Hic quippe fraternæ dilectionis æmulatione permotus, medicus quum eſſet quàm optimus, ſpiritualia nobis prærogauit antidota, per quæ affectionum humanarum mederetur languoribus. Meritò iſte venerandus eſt ſanctus, qui ſalutis monita, atque cœleſtis vitæ pabula miniſtrare non deſiit. Porro triplici affectioni noſtræ, trifariam nobis medicinam exhibuit. Quis voluptati deditus, atq; corporalium ſenſuũ ſuperatus illecebra non valeat reſipiſcere, quum Euangeliſtam hunc qualiter ad iudicium venturus ſit Chriſtus narrantem audierit? Hortatur vtique ad pœnitentiam delinquentes, quoties futura ſupplicia, atque iudicium denunciat eſſe propinquum. Nam timore tantum voluptuoſa coercetur affectio. Diſce igitur, quicunque carnalem ſectaris affectum, ineuitabilem mortis eſſe ſententiam, incertam horam, euentum dubium, ſeueritatem iudicis, perennitatem ſententiæ, horrendum chaos, tartarei carceres, edacitatem inextinguibilis flammæ, pauendum aſpectum dæmonum, atque inconſolabilia inferni fore tormẽta. Iſta nempe ſi cogitabis aſsiduè, immoderatum voluptatis noxiæ temperabis ardorem, voluptuoſumque in naturalem commutabis affectũ. Tunc etenim rationalis effectus Euangeliſtæ noſtri Lucæ eruditus eloquio virtutum ſemitas gradieris intrepidus. Ipſe nanque contemptum ſuadet ſeculi, necnon præſentes illecebras docet eſſe calcandas. In aduerſis prærerea conſtantiam, humilitatem in proſperis, ſpiritus paupertatem, ſ[illegible] miſeriæ, manſuetudinem cordis, morum probitatem, atque virtutem diſciplinam in omnibus hortatur eſſe ſeruandam. Non ab re igitur per Prophetam plenum oculis animal eſſe deſcribitur, quandoquidem prauidenda futura, reminiſcenda præterita, atque prudentiæ intuitu diſponenda docuit eſſe præſentia. In his virtutis magiſterium ac ædificium moralitatis erigitur. Efficitur animus ſeipſo ſublimior, mundo locupletior, diabolo fortior, amator ſapientiæ, Chriſti diſcipulus, angelicarumque virtutum fidelis amicus. Meretur ſiquidem, gratiæ diuinæ comitante ſuffragio guſtum ſuauem obtinere cœleſtium, atque ſpiritualem mentis affectum induere. In virum quippe tranſit perfectum, & in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, dum eiuſdem mediatoris vitæ incrementa conſiderat. Eph. Reperit namque in illo miræ ſuauitatis fragrantiam, exuberantemque fœcunditatem ſpiritus, quæ in contemplantis animo concupiſcentias parturit æternas. Eſt enim ager plenus, vernans, & floridus, omniumque virtutũ nitore perfuſus, qui internos nutrit ſenſus dilectione, cognitione, & gaudio, adeò vt in illo, mentis exercitatione perambulans, nec labore deficere, neque valeat tentationum nimietate ſuccumbere. Hunc quippe benedixit Deus benedictione maxima, atque imbre cœleſti deſuper infuſo madefecit vberrimè, ita vt ab æſtu ſecurus ſit, necnõ à turbine, & à pluuia. Talis nobis debetur terra fœcunda amœna, & pinguis, quæ eſuriem noſtram ſua poſſet fertilitate auferre, fœtorem q; noſtrum ſuauitatis propriæ odore repellere. Huiuſmodi donum Euangelicum nobis Lucas exhibuit, quod noſcitur eſſe medicina languentibus, debilibus robur, periclitantibus ſalus, peregrinãtibus ſolatium, mentium cibus, ſine macula ſpeculum, ſine deformitate pulchritudo, gaudium ſine mœrore, & abſq; defectibilitate, beatitudo perpetua. Horum etenim bonorum miniſter fuit nõ autor. Non enim à ſeipſo, ſed ſpiritus loquebatur in illo, de quo Propheta viſionem animalium atque rotarum, quæ pati ſignificantur ſenſu, inſinuans inquit: Quum ambularent animalia, ambulabant pariter rotæ iuxta illa, & quum eleuarentur animalia de terra, eleuabantur ſimul & rotæ, Ezec. quocunque ibat ſpiritus, illuc eunte ſpiritu & rotæ pariter eleuabantur, ſequentes eum, cum ſi-

bus

tibus ibant,& cum ſtantibus ſtabant,& cum eleuatis à terra pariter eleuabantur, quia ſpiritus vitæ erat in rotis. Hinc glorioſiſsimi Lucæ cæterorumque Euangeliſtarum autoritas præclara oſtēditur, qui quæcunque de domino compilauere Ieſu, ſpiritu ſancto reuelante, fecerunt. Nam quãuis multi (prout idem ſanctus in exordio ſui narrat Euangelii) conati ſint ordinare geſta dictaq; mediatoris noſtri, ipſe tamen prælectus à ſpiritu, tertium in animalium numero ſortitus eſt locum, videlicet vituli, quoniam ſacerdotii legalis dignitatem aſſeruit eſſe abolitam, nono apparente ſacerdote Chriſto Ieſu, de quo Propheta ait: *Pſal. 109.* Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, priſcaſque oblationes in ſpirituales eſſe mutatas. Ipſum itaque imitãdo colamus, cuius laus eſt Euangelii per omnes eccleſias. Illius ſcripta debito cum honore legamus, quem ſpiritus ſanctus nobis præſtitit doctorem eximiũ. Id autem ſtudeamus actitare eò feruentius, quòd de domini Ieſu moribus, doctrina, gloria, necnō & de naſcentis eccleſiæ vniformiter continetur exordio. Nouerat quippe ſpiritu in eo reuelante myſteria nihil ad eruditionem fidei ac diſciplinã morum congruere melius, quam de iis, quæ charitatem nutriunt, inſinuant gratiam, componunt vitam, fidem adaugent, Dei dilectionem commendant in præſenti pariter & in futuro proficiunt inferre colloquium. Sanctum igitur hunc votis efferamus & laudibus, quem orbis totus hodie veneratur & colit. Tribulationibus quidē multis exercitatus, non fractus curſum ſuæ prædicationis expleuit. Diebus namque plenus & meritis in Bithynia felici fine dormiuit in domino. In eius autem conſummatione laudabili exultantibus angelis, apoſtolorum ac ſanctorum martyrum admiſtus eſt choris, quoniam pari carnis mortificatione pro gloria domini martyrii adeptus eſt palmam, ipſo nihilominus dimicante cũ illo, qui eidem perſeuerantiæ gratiam & ineffabilis iucunditatis coronam prærogauit æternam, Ieſu Chriſto domino noſtro, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat, &c.

In feſtiuitate ſanctorum Apoſtolorum Simonis, & Iudæ.

DVplicem nouimus legem inſtitutam eſſe mortalibus, timoris (videlicet) & amoris. Illam quippe timoris ſeruus, illam verò amoris exhibuit dominus. Quæ enim ſeruili coercebat metu, in clangore tubarum, fragore tonitruorum, & fumigatione montis eſt data; quæ autem ex dilectione operatur, in ſpiritu ſancto, in multiplicitate donorũ, & reuelatione cœleſtium fuiſſe prærogata cognoſcitur. Clamat in lege timoris dominus per Prophetam: *Deut. 32.* Videte, videte, quòd ego ſim ſolus, & non eſt alius præter me. Ego occidam, & viuere faciam, percutiam & ego ſanabo, & non eſt, qui de manu mea poſsit eruere. Erudiuit in lege gratiæ vnigenitus Dei patris, vt quum oramus, dicamus: *Mat. 5.* Pater noſter qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum. Præcepit Hebræorum populo Deus, vt ad montem, in quo ipſe cum Moſe loquebatur, nemo accederet ne moreretur. Inuitat in Euangelio Chriſtus, & dicit: *Ioan. 7.* Si quis ſitit, veniat ad me, & bibat, & flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. In lege veteri mandat per Moſen dominus dicens: Maledictus homo, qui non permãſerit in lege voluminis huius. *Deut. 27.* In Euangelio ait Veritas: *Luc. 5.* Non veni vocare iuſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam. Computruit planè iugum à facie olei, abolita eſt legis duritia præ dulcedine charitatis indulta. Hinc Petrus Iſraelitis, & adhuc iudaizare volentibus inquit: Quid tentatis impo *Act. 15.* nere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod nec patres noſtri, neque nos portare valuimus? Sed per gratiam domini Ieſu credimus ſaluari, quemadmodum & illi. Hinc etiam veritas ingentem ſarcinam intuens, hominum ceruicibus eſſe impoſitam materno permota affectu aiebat: *Mat. 11.* Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde & inuenietis requiem animabus veſtris. Quæ (oro) genitrix veteri ſui filiis laborantibus tam blandè loqui poſset, vt illos reuocaret ad ſe, & ab oneribus liberaret, ſicut æterni patris ſapientia? Ipſa vtique mater eſt noſtra honorificata & ſancta, quæ verbo ſuo nos genuit, in vtero aluit, produxit ad lucem, fouet gremio, & nutrit ſpirituali pabulo. Ipſa (inquam) eadem eſt, quæ ſicut olim, ita nunc filios ſuos hortatur redire ad ſe. Quid enim olim? *Prou. 8.* Nunc (inquit) filii audite me, beati qui cuſtodiunt vias meas, beatus qui audit me, qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtii mei, qui me inuenerit inueniet vitam, & hauriet ſalutem à domino. *Mat. 11.* In præſentiarum autem, Venite (ait) ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Vtraq; ſapientiæ vox eſt inuitantis & admonētis. Quiſque igitur pro ſe ſtudeat obtēperare exhortanti, ne audiat ſubſannantem. Illius quippe ſententia eſt, qua dicitur. Vocaui, & renuiſtis, extendi manum meam & non fuit, qui aſpiceret. *Prou. 1.* Ego quoque in interitu veſtro ridebo, quum venerit ſuper vos repentina calamitas. Talis meritò contemptoribus ſapientiæ debetur pœna. Qui neglexerunt gratiam, abiecerunt matrem, diſperſerunt dona, & paruipenderunt cœleſtia. Nempe noluerunt intelligere, vt benè agerent. *Pſal. 35.* Noluerunt (inquam) intelligere terminum ad quem, ſtatum à quo, cauſam propter quam eos ad ſe glorioſiſsima mater inuitat. Precamur autem nos te, ô inclyta mater pulchræ dilectionis, magnitudinis, & ſanctæ ſpei, vt nobis te audire volentibus, tuiſque

& humilis corde, & inuenietis requiẽ animabus veſtris. Hanc ſaluberrimam ſapientię exhortationem glorioſiſsimi apoſtoli Simon & Iudas, quorum dies natalitius hodie in Eccleſia feſtiuè celebratur, mente & corpore audire meruerũt. Seculi quippe blanditias, carnis lenocinia, terrenas facultates quomodo ſpernere potuiſſent, niſi corde & corpore acceſsiſſent ad Chriſtum? Nunquam labores peregrinationis, iudicum minas tormenta carnificum, martyrij ſuperaſſent agonem, ſi non charitatis iugo interioris hominis colla ſtrauiſſent. Defeciſſent abſque dubio in itineris medio, & ingruentibus contra ſe perſecutionum turbinibus, naufragiũ pertuliſſent, niſi tranquillitas animi flante charitatis vento, ingreſsi fuiſſent in portum. Verùm qui illos per ſe vocauit ad ſe, fecit dignos ſe, præſtititque eiſdem tolerantię virtutem, animi magnanimitatẽ, lumen fidei, charitatis guſtum, & perſeuerantię bonum, per quæ ſanctimoniæ prærogatiuam, integritatem vitæ, conuerſationis ſpecimen, principatus honorem, atque triumphum percepere martyrii. Minime autem ad tale per ſe valet humana infirmitas conſcendere gloriæ faſtigium, niſi prouehatur à Chriſto. Poteſt quum virtute animi nititur contra ſe, ſecum nihilominus cooperãte gratia quantulũcũq; ſibi perfectionis meritum vendicare. Nequaquam tamen faciendorum virtutem miraculorum, prophetię donum, æternorum ſuauem ebrietatẽ, & præcelſum ſanctitatis gradum. Hæc quibus vult ſine perſonarũ acceptione largitur omnipotens. Per Prophetã apoſtolos audi confitentes: *Pſal. 46.* Subiecit populos nobis, & gentes ſub pedibus noſtris, elegit nobis hæreditatem ſuam ſpeciem Iacob, quem dilexit. Duplicia igitur non pro peccatis ſuis ſed per mediatoris gratiam percipere meruerunt, principatus (videlicet) & martyrij. Vtrumque præcipuũ conditoris eſt munus, & inſigne erga ſe diuinæ charitatis teſtimonium. Quamobrem omni ambiguitate propulſa: intimo dilectionis ac deuotionis affectu hos, quos colimus, honoremus apoſtolos. Ipſos nobis Chriſtus tanquam duo perlucida luminaria expoſuit pro ſuffragio, exemplo, & gaudio. Suis quippe orationibus ſuffragantur nobis, ne exilij huius periclitemur in via. Exemplis nos prouocant, vt virtutis ac veritatis per ſemitas gradiamur, laborem ſuum inſinuantes nobis inanem non fuiſſe in domino. Hinc replemur exultatione & gaudio, interiori conſiderantes obtuitu, ad quantum humanitas noſtra ſublimata in ſanctis aſcendat æternæ retributionis culmen. Concipimus ex his operandi conſtantiam, ſpei robur, amoris igniculum, futuræq; beatitudinis deſiderium, cupiẽtes corpore diſsolui, & eſſe cum Chriſto, lætari cum angelis, congaudere ſanctis, eorumque iucundiſsimo aggregari conſortio. Hoc autem quoniam ad vota obtinere nõ poſſumus, ſanctorum apoſtolorum horum patrocinia imploremus. Erunt planè illis interpellantibus exaudibiles preces noſtræ, ſi non diffiſi fuerimus, ſi duplici ad orandum non inceſſerimus corde. Repellunt enim dubietas & ſimulatio ſupplicantium petitiones, nec vſque ad præcelſæ maieſtatis Dei ſinũt præſentiam properare, quoniam languent in ſe, & ſpiritualium carẽt alarum remigio. Diſcat igitur fideliter credere, diſcat ambulare ſimpliciter, qui interceſsione sãctorum concupiſcit gratiam obtinere & gloriã, non vtique momentaneam, ſed æternam, quam gratiſsime præbet diligentibus ſe Ieſus Chriſtus dominus noſter, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat, &c.

In ſolennitate omnium Sanctorum.

INter oblectamẽta præcipua, quæ à Deo ſunt prærogata hominibus, ſocialis eſt conuerſatio. Per hanc plurimum leuaminis percipitur, dum mutuæ charitatis onera portantur. Afflicto etenim quid cõfert amplius, quàm æſtus cordis ſui innoteſcere proximo? Hinc ſana conſilia, hortamenta ſalubria, dulcia colloquia, ſancta monita, & iucunda confabulatio. Optimum planè dixerim eſſe præſidium ad tolerandos huius peregrinationis labores, & perferenda ſeculi mala ſocialiter degere. Tolle conuerſationem fraternam, & periculis vitam hominis intelliges eſſe refertam. Vęh ſoli (inquit ſcriptura) quoniam ſi ceciderit, non habet ſubleuantem. *Eccl. 4. Matt. 18.* Nempe vbi vnitas fraternitatis, vbi charitas ſocialis, ibi dominus. Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum ſum, dicit Veritas. Nonne ſuper congregatos diſcipulos deſcendit ſpiritus? An non in cœnaculo ipſo reſurrectionis die fidelibus adunatis apparuit Chriſtus? Diligit vnitatem, nec à fraternitatis elongari poteſt collegio, quippe quum ſit bonitas, & bonitatis ſuæ munera communicare deſideret. Quamobrem corpus voluit habere myſticum, vt mẽbris ſuis ſpiritualia impertiretur dona. Munificus quũ ſit, ſpiritualia ſtipendia propriis cupit erogare militibus eò abundantius, quò illos paratiores reperit. Aggregatam igitur illum in cœlo & in terra nouimus habere militiam, quarum alteram cõcupiſcere, alteram verò tenere debemus. Porrò ad concupitam nunquam attingemus, ſi quam habemus, cuſtodire negligimus. Nam quemadmodum gradientes per vias rectas peruenimus, quò tendimus, ita peregrinantium vnitatem ſeruantes, regnantium fęlicitatem conſequimur. Vtrunque nos docet celebritas hodierna, quam colimus. Hæc nanque pro veneratione ſanctorũ turbis Chriſti templa compleuit, eoſque ad extollendum cęremoniarum cultum fecit vnanimes. Debuit planè fidelium plebs ſyncero deuotio-

nis

nis affectu ſanctorum omnium celebrare triumphos, debuit etiam congaudere regnantibus. Quis (oro) enumerare ſufficit, quanta profeſſoribus Chriſti per ſanctos omnes ſint collata ſuffragia? Documentis nanque ſuis & eruditionibus ſacris ignorantiæ noſtræ depellunt tenebras, Diabolica figmenta detegunt, noſque erudiunt Deum colere, amare Chriſtum, honorare Angelos, dona diuina agnoſcere, deteſtari vitia, virtutes imitari, cordis noſtri latebras quærere, errata corrigere, atque conceſſa ſeruare. Conuerſatione verò ſua laudabili nobis ſuadent mundum ſpernere, contemnere diuitias, carnis petulantiam declinare, ieiuniis macerare corpus, frequentare vigilias, orationi incumbere, fraternitatem diligere, miſerorum calamitatibus compati, ſubuenire oppreſſis, mœſtos conſolari, docere inſcios, errantes reuocare, cibare famelicos, veſtire nudos, viſitare ægrotos, & cætera pietatis opera conſummare, quæ iudicandis omnibus propoſiturus eſt Dominus. De orationum autem ſanctorum adminiculis quid referam? Ipſi prorſus ſine intermiſſione interpellant pro nobis, vt pote aſtantes coram Domino, & agnoſcētes longe clarius, quàm nos diſcrimina præſentis peregrinationis, Diaboli fraudes, quotidianos labores, in quibus premimur & vrimur. Experimento proprio noſtra didicerunt incommoda, ex quo ſingularem erga nos gerunt compaſſionis affectum. Quomodo non compatiantur nobis tenerrime, quum induerint perfecta caritatis viſcera, Dei ac proximi dilectione flammeſcant, videantq; nunc nos fluctuare in dubijs, in tentationibus agitari, nunc caſibus deijci, inflari proſperis, & ſeculi blanditijs irretiri? Mentem vtique haberent ferream, ſi non pietate flecterentur, & diuinam propter nos
Apoca. 5. miſericordiam exorarent. Deprecantur planè pro nobis Deum, quemadmodum in Apocalypſi legitur, Et quum aperuiſſet librum, quatuor animalia & ſeniores ceciderunt coram agno, habentes ſinguli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes ſanctorum.
Apoca. 8. Alio quoque in loco ſic habes, Et venit Angelus videlicet Chriſtus, & ſtetit ante altare habens thuribulum aureum, & data ſunt illi incenſa multa, vt daret de orationibus ſanctorum omnium de manu Angeli coram Deo. Magni conſilij Angelus vocatus eſt Chriſtus, per quem eſſe delatæ
Ephes. 3. referuntur ſanctorum orationes, quoniam (ſicut per Paulum dicitur) per ipſum acceſſum habe-
Hebr. 13. mus ad Deum. Et alibi, Per ipſum offerimus ſem per hoſtiam laudis Deo. Ipſo igitur mediante, ipſo gratificante, & offerente corporis ſui ſuaue orationum incenſum, placatam erga nos diuinā reddit iuſtitiam. Nec mirum, ſi interpellent pro nobis ſancti, ſanctorumque orationes Chriſtus Deo Patri exhibeat, quem ipſe etiam pro nobis
1 Ioan. 2. interuenire dignetur. Sic enim per Ioannem dicitur, Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Aduocatus eſt apud Patrem pro nobis mediator noſter exhibēdo eidem, quam pro noſtræ propitiationis inſtrumento humanitatem induit, cicatricum vulneribus decoratam atque fulgentem. Hinc eſt, quòd omnipotens miſericordiarum Pater, & totius conſolationis Deus eſt factus, vnigenito ſuo illum reconciliare, atq; exorante pro nobis. Quāobrem maxima ex his nobis eſt prærogata fiducia, quum iudicem noſtrum interceſſorem noſtrum eſſe ſciamus, agnoſcamuſque ſanctos omnes pro nobis infatigabiliter exorare. Ciues igitur noſtros, fratres, & coadiutores veneremur, & ſolennem cæremoniarum impendamus honorem. Noſtræ ſolicitudini congaudent, noſtriſque deuotionibus delectantur vtiq; propter nos, quibus proficit ad meritum, quum honorantur in terris. Singuli nanque ſingulas iam ſuſcepere ſtolas iuxta menſuram donationis Chriſti, & caritatis eorum. Has prorſus ſibi contexuere, dum viuerent, degemitibus pauperum, ſuffragijs orphanorum, profluuiis lacrymarum, orationum inſtantijs, pernoctationibus vigiliarum, ieiuniorū attritionibus, cæterarumque virtutum ſpiritualibus ac corporalibus ſtudijs. Quamuis enim ex præuenientis gratiæ munere ſint prædeſtinati atque glorificati, non tamen abſque eorum exercitatione peruigili ad ſanctitatis apicem peruenerunt.
Non eſurient (inquit Diſcipulus dilectus à Chri- Apoca. 7.
ſto de glorificatis ſanctis) neque ſitient amplius, neque cadet ſuper illos Sol, neque vllus æſtus, vt ſubintelligas, quemadmodum eſurierunt, ſitierunt, & reliqua, quæ enumerare longum eſt, ſuſtinuere incommoda. De ipſis etiam per eundem dicitur, Et abſterget Deus omnem lacrymam ab oculis ſanctorum, & iam non erit amplius neque luctus, neque clamor, neque vllus dolor, quę pri-
ma abierunt. Qualis eorum, dum peregrinarentur in corpore, extiterit conuerſatio, Apoſtolus exhortando manifeſtat dicens, Exhibeamus nos (inquit) ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in vigi- Apoc. 21.
liis, in ieiuniis, in caſtitate, in ſcientia, in longa- 2. Cor. 6.
nimitate, in ſuauitate, in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, vt ſeductores & veraces, quaſi morientes, & ecce viuimus, vt caſtigati & non mortificati, quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes, tanquam nihil habentes & omnia poſſidentes. Huiuſmodi virtutum gemmis fabrefacta eſt corona ſanctorum. Talibus prorſus exhortationibus ipſorum eſt ſtola contexta, atque meritorū varietate depicta. Iuſte nanq; (ſi fas eſt dicere) contemnentibus mundum largitur cœlum, volū-

tate

Digitized by Google

tarie ſe crucifigentibus Angelorum gloria prærogatur. Totum, quod poſsident, datur eis ad fruitionem perennis gloriæ tribuiturque, ab eo qui omnia poſsidet. Iniuſtus enim non eſt ille, cui militauerunt ſancti, vt laborum ſuorum debeant priuari mercede. Certauerunt eorum quidam pro veritate vſque ad ſanguinem, corpora expoſuerunt flagellis, perpeſsi ſunt verbera, vincula, & carceres, inſuper lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui verbo Dei teſtimonium perhibentes, nonnulli exhibuerunt ſe hoſtiam viuentem, ſanctam, rationabilem, acceptabilemque, vt facilius triumpharẽt pro adeptione virtutum. Sicque ſinguli ipſorum vt Deo placerent, fierentque futuræ vitæ participes, iuxta ſui gradus congruentiam, ſpiritualia omnipotenti Domino munera obtulerunt. Horum quoniam oblatio immolata complacuit, immortalitatis coronam feliciter perceperunt. Quã tametſi acquiſierint decertãdo, gratis tamen ipſam accepiſſe fatentur. Hoc Propheta de ſe com- Pſal. 102. memorans inquit, Benedic anima mea Domino qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericordia & miſerationibus. Hoc idem Ioannes expreſsius indicauit, quando ſanctos ante thronum Dei, & agni coronas ſubmittentes retulit. Illorum igitur nemo ſibi ſed gratiæ Dei aſcribit, quod habet, cuius dono taliter viuere potuit, vt præmium conſequeretur æternũ. Quãdo (oro) tantum promereri poterat humana fragilitas, vt ad æqualitatem pertingeret angelorũ, eſſetq; ciuitatis ſanctæ Hieruſalem, cuius Deus eſt artifex, perpetuus habitator? Vnde (obſecro) prouenit homini, qui iudicari debuit, vt Angelo- 1. Cor. 6. rum futurus ſit iudex? An neſcitis (ait Apoſtolus) quoniam angelos iudicabimus? Iudicabunt planè ſancti, Angelos, de quibus per Iudam Apoſto- Iud. epiſt. lum dicitur, Angelos verò, qui non ſeruauerunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in iudicium magni Dei in vinculis æterni ſub caligine ſeruauit. Iudicabunt, inquam, Pſal. 149. etiã homines ſicut ore Prophetico dicitur, Exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur in cubilibus ſuis, exultationes Dei in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum, ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, Matt. 19. vt faciant in eis iudicium conſcriptum. Et Dominus, In regeneratione inquit, quum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Hinc eſt, quod ſub altare Dei tanta cũ Apoca. 8. autoritate clamare dicuntur, Vſquequo Deus ſanctus & iuſtus nõ iudicas, & vindicas ſanguinem noſtrum, qui effuſus eſt in terra? Clamat prorſus aduerſus præſcitos ad interitum ſempiternum, vt fiat iudicium, quatenus de gloria manifeſtetur, ipſique ſecundum Prophetæ pollicitationem valeant veſtiri duplicibus. Quamuis enim ſinguli Prou. 31. ſtolas albas perceperint, reſponſumque diuinum audierint, vt ſuſtineant tempus adhuc modicum, donec confratrum ſuorum numerus cõpleatur, deſideranter tamen corporũ ſuorũ gloriã côcupiſcunt, quatenus totus glorificetur homo, ſitq; eccleſia ſancta, quã Chriſtus ſibi elegit in ſponsã corã ſponſo ſuo ſine ruga & macula. Vt igitur ſin- Ephe. 4. guli tranſeant in virũ perfectũ, & menſura ætatis plenitudinis Chriſti, atq; omnia ſit in omnibus Deus, tãto cum ardore futurã carnis ſuæ reſurrectionem expoſcunt. Hanc vtique interioris & exterioris hominis cõſummatã gloriam ſanctis ſuis Dominus repromittit inquiẽs, Comedetis ve- Leui. 26. tuſtiſsima veterũ, & nouis ſuperuenientibus vetera abiicietis. Dominũ itaq; in ſanctis eius laudemus, quibus tã præcipua munera prærogauit. Propter ipſum quoq; veneremur & ſanctos, quibus traditũ eſt triumphale regnũ, iudiciaria ſedes, angelorũ conſortiũ, corporum immortalitas, beata viſio, Chriſti conformitas, ſtellarum claritas, ſecura manſio, grata ſocietas, iucunda fruitio, & diuini luminis ſempiterna cõprehenſio. Quomodo non veneremur illos, quos tanto Chriſtus ſublimauit honore? Illos planè venerantur Angeli, quanto magis & nos? Vide (inquit Angelus ſe Apoc. 19. & 22. adorare volenti) ne feceris, conſeruus tuus ſum & fratrum tuorum, qui ſeruant verba libri huius, legem (videlicet) Dei ſub caritatis compendio & ſacramentis figurarum breuiatam. Nos itaque iuxta modulum paruitatis noſtræ honore cõgruo ſanctorum omnium ſolennia celebremus, vt qui ob temporis præſentis anguſtiam, eorumque numeroſitatem ſingulis nõ valemus ſpecialem cultum impendere, ſaltem vniuerſis perſoluere ſtudeamus eò alacrius, quòd ipſorum multitudo nos prouocat. Magnifice prorſus exultationis nobis materia miniſtratur, quum rediuiua ſanctorum gloria celebranda proponitur. Illiſque nitimur ſociari in terris, quibus æternarum ſedium in cœlis collata eſt ſublimitas. Hæc lætitiæ noſtræ ſit cauſa, vt poſsimus ſyncero deuotionis affectu congaudere regnantibus, illùcque quo gaudent, peruenire feliciter. Nos igitur cariſsimi illos imitari non pigeat triumphos, quos celebrare delectat. Tunc etenim veraciter ſanctos colimus, quum eorum vitam conuerſando imitamur. Imitemur, inquam, viuendo, quos colimus, quatenus præſtante mediatore noſtro ad ipſorum perenne gaudium pertingere mereamur, qui cum Patre & Spiritu Sancto viuit & regnat, & cætera.

In feſto ſancti Martini Epiſcopi.

MAgna pietatis nobiſcum diſpenſatione agitur, quoties ſanctorum patrum ſolennia celebranda occurrunt. Excitant vtique torporem noſtrum, fidem

ædificant, virtutum trophæa erigunt, & ad adipiſcendam cœleſtis Patriæ gloriam notitiam tradunt. Facilè quippe à veritatis reflectitur Calle, qui ſine ducatus adminiculo peregrinationis huius audet peragrare itinera. Verum ſi in ſeculi agibilibus pædagogus exquiritur, vt de ignotis erudiat, quanto magis in ſpiritualibus ſtudijs eadem eſt adhibenda ſolertia, ne à benefaciendi contingat deuiare propoſito? Eò igitur diligentius opportuna in præceptis cuſtodiendis diuina ſunt quęrenda ſuffragia, quomodo in his explendis duriora ac perículoſiora tentationum inſurgunt certamina, atque grauior in eorum præuaricatione iactura ſentitur. Non enim ò homo terrenam, quum delinquis, amittis ſubſtantiam, nō caducos honores, non fęlicitatem labentem, neque huiuſmodi ſimile, ſed Deum, ſed gratiam, ſed pacem, ſed vitam. Iſta dum perdis, efficeris miſer, plenus inopia, peccatorum compediris vinculis, priuaris lumine, ſpiritualibus expoliaris donis, & a ſanctorum excluderis contubernio. Hæc autem quoniam ſpiritualia ſunt, minimè ab inſipientibus præcauentur, fitque vt glorientur, quū malefecerint, & in rebus exultent peſsimis, plangendi rideant, gaudeant dolendi, atque eleuentur in temporali felicitate, damnandi. Vtinam huiuſmodi quales ſunt ſaperent; quàm deſpicienda ſit ſecularis proſperitas, intelligerent, atque nouiſsima reproborū ſupplicia prouiderent. Reatus vtique corrigerent ſuos, repentinum ſuper ſe iudicium formidarent, imparatum euitarent exitum, vt æternæ calamitatis euaderent damnum. Quis (quæſo) ſapiens intelliget hæc, & Domini mandata non ſponte cuſtodiet? Cuſtodiet planè ſapientiæ admonitione permotus, quæ ſuis contemptoribus inquit: Vocaui & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret, deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis, ego quoque in interitu veſtro ridebo & ſubſannabo, quum vobis quod timebatis euenerit, quum irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit, quum uenerit ſuper vos tribulatio & anguſtia, tunc inuocabunt, & non exaudiam, mane conſurgent, & non inuenient me. In cuſtodiendis autem illis de virtute tranſibit in virtutem, atque ſpiritualiū delectationum retributione multa diteſcet. Sublato namque gehennæ metu, alacri corde legis decreta ſeruabit, ſanctorum geſta ſectabitur, vitę pręſentis calcabit illecebras, vt futuris valeat participare delíciis. Nemo enim ſine ęternorum guſto, terrenarum voluptatum poteſt eſſe contemptor, neque patrum valet quis imitari veſtigia, qui ſuperni eorum ignarus eſt pręmij. Hinc nobis proponuntur colendę ipſorum annuę celebritates. Hinc laudabilia illorum acta in eccleſijs recitantur palàm, quatenus nos imitari non pigeat, quos tam ſolenniter honorare delectat.

Prou. 1.

Exemplo quippe ſuo per huius exilij caliginoſū nos dirigunt iter. Tuo facile ò homo, poteras errare iudicio, concupiſcentiis tuis laxare habenas, atque fluctuantis ſeculi perire naufragio, ſi non te ſanctorum erudiſſent eloquia, informaſſet vita, tueretur oratio, & merita prouocaſſent. Age igitur gratias Deo, qui ſanctorum tibi præſtitit lumen, commendauit gratiam, manifeſtauit & gloriam. Mirare in illis ſplendorem ſcientiæ, conuerſationis excellentiam, miraculorum inſignia, dona ſpiritus, contemptum ſeculi, animarum zelum, virtutum profectus, charitatis incendium, & reſolutionis corporis deſideriū ſanctū. Iſti planè ſunt precioſorum lapidum ordines nouem prophetico ſermone deſcripti, quibus perfectionis corona componitur. Hac honorabiliter ſanctus Martinus inſignitus eſt pontifex. Perfectionem quippe illius ſufficienter quis valet edicere? Quis ſanctitatis eius referare præconia? In ipſo ætatis ſuæ primordio contemptor factus eſt mundi, egenorum pater, amator pauperum, religionis cultor, profeſſor Chriſti, pietatis magiſter, fidei præco, humilitatis diſcipulus, ac perfectionis oſtenſor, vnde & angelis Chriſti meruit commendatione laudari. Nempe per operum bonorum quotidie incrementa proficiens, coram Deo & hominibus factus eſt magnus. Nonne ille eſſe cenſendus eſt magnus, qui terrenis omnibus voluptatibus ſpretis, carniſque calcatis illecebris, mente ac deſiderio conuerſatur in cœlo? Magnus erat Martinus animo, etſi exiguus corpore, qui cœleſtium amore ſuccenſus iugi cogitatione ferebatur in Deum. De eo namque ſic legitur: Oculis ac manibus in cœlum ſemper intentus, inuictum ab oratione ſpiritum non relaxabat. O beati viri mens, quæ toto Chriſtum diligebat affectu, quæ nec paſtorali cura detenta, nec negociorum ſecularium adminiſtratione diſtracta, neque vitæ præſentis neceſsitatibus occupata, à Dei poterat amore diuelli. Intendebat ſemper in illum, cui ſe deuouerat, quem in præceptorem ſibi delegerat, protectorem, & ſponſum. Omnes cordis ſui æſtus, tentamenta vniuerſa, & cuncta illi emergentia aperiebat diſcrimina, non ab hominibus, ſed à Deo opportunum flagitando ſuffragium. Hinc nec a diabolo ſuperatus, nec labore laxatus, neque tribulationibus fractus refriguis ſpiritu, vel animum à proficiendi intentione reflexit. Inſinuabat manibus, oculis aſpiciebat in cœlum, vbi cordis ſui repoſitum ſciebat eſſe theſaurum. Eſt enim Chriſtus dominus humilium theſaurus, pauperumque diuitiæ, quæ nō rapit fur, rubigo nō cōſumit, nec tinea demolitur. Theſaurū hūc agnouit Martinus latere in agro, propterea diſtracto patrimonio, erogatiſq; facultatibus emit illū, quatenus ipſo mediāte locuples fieret in æternum. Theſaurum hunc

ſi & tu reperire deſideras, humilitatis mercarē agrum ibique eundem defoſſum inuenies. Eſto humilis corde, in moribus mitis, ſuauiſsimus in verbis ſubditus vniuerſis,& theſauri huius reper- Matt.11. tione gaudebis. Magiſtrum audi: Diſcite (inquit) à me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiē animabus veſtris. Opportune in iſtius poſſeſsione theſauri promiſit requiem, quam terreni minime præſtare queunt. Non enim requiem, ſed perturbationem temporales theſauri tribuunt, mœrorem animi, indeficientem ſolicitudinem, ſitim inextinguibilem, præſentis vitæ 1.Tim.6. amorem, voluptatumque libidinem. Qui volunt (ait Apoſtolus) diuites fieri, incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia & nocua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Quantam verò poſſideant pacem, qui in ſuis penetrabilibus amplectuntur Chriſtum, humana non valet propalare Phil.4. facundia, vnde Paulus de eadem inquit: Et pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras in Chriſto Ieſu domino noſtro. Experimento autem certo diſcimus, quod quiſquis gratia diuina præuentus Chriſtum ſimpliciter interiori ſuo admittit hoſpitio, ambire terrena deſinit, erogat propria, poſſeſſa largitur, inſuper exuberantium paſcitur dulcedine ſpiritualium voluptatum. Et hoc vnde? Vtique ex acquiſitione theſauri, ex adepta requie, ex veritatis agnitione, ex nuptiali arra, ex promiſsione cœleſtium, quam habet in corde, qui poſſidet Chriſtum. Hanc proculdubio hic vir beatus cuſtodiebat in mente, propterea corporis non formidabat mortem, quia tenebat vitam, temporalium egeſtatem non timebat, quū diuitias ſecum haberet perpetuas. Nempe inopia abundabat, in perſecutione gaudebat, ſe deiiciebat in proſperis, ſe confortabat in arduis, ſeque in honoribus deprimebat. Non enim in pontificali gloriatus eſt infula, neque de perceptis elatus eſt donis. Idem perſeuerauit in geſtis, in vilitatis habitu, in ſui contemptu, in compunctione cordis, in aſsiduitate orationis, quod fuerat, quin potius quum in oculis omnium honorabilis eſſet, ipſe ſibimet habebatur vilis. Hæc prorſus, hæc vera humilitatis eſt regula, quæ nunquam fallit. Quò enim amplius humilitatis profeſſor aſcendit, eò magis ipſe deſcendit, & quanto magis diuino appropinquat lumini, tanto perſpicacius gratiam præſtitam & infirmitatē agnoſcit propriam, percepta dona, & occulta facinora. Occulta dixerim alijs, ipſi verò notiſsima. Ex infuſo quippe ac inhabitante lumine interioris domus ſuæ perſcrutatur latebras, motus inordinatos obſeruat, latentia vitia detegit, cogitatus penſat inutiles, & quicquid aduerſatur virtuti, peruigili conſideratione deprehendit. Super his propriæ cognitionis fundamenta locat, indeque humilitatis ſtructuram ædificat, quam humani fauores, dæmonum impulſus, tribulationum inundantes procellę euertere nequeūt, quoniam in imo ſunt poſita. Siue enim laudibus attollatur humilis, ſiue preſſuris exerceatur, ſeu ſpiritualibus chariſmatibus viſitetur, ſemper ſe in humilitate cuſtodit. Expertus nouit, quanta bona, quot gaudia, quales protectus humilitas conferat, propterea pulchritudinis ac amoris illius illectus dulcedine, ab eius ſe nō valet abſentare præſentia. Beatus planè, quem regina virtutum humilitas ſancta inhabitat. Ipſum efficit amicū Chriſti, propinquū cœlo, altiſsimi filium. Quamobrē in ſuis tētationibus adiuuatur, in actionibus eruditur, exauditur in precibus. Clamauit Martinus ad dominum, & de imminentibus ſibi eſt erutus exitiis. Zelo Dei accinctus ſuccidit lucos, euertit templa, dæmonum fregit ſimulachra, eorumque cultores ſtare fecit immobiles. Orando autem reſtituit debilibus greſſum, incolumitatē ęgrotis, & defunctis redonauit vitam. O beatum pontificem virtutibus inſignem, meritis locupletem, rebus paupetē, in miraculis glorioſum, quē colit mundus, venerantur angeli, cœlum poſsidet, honorat eccleſia. Ipſe autem ſacerdotum extitit gemma, veritatis defenſor, propugnator fidelium, pontifex verus, iuſtitiæ tenax, ſpeculum humilitatis, pietatis exemplar, religionis cultor, contemptor ſeculi, amator cœli, imitator Chriſti, orationis forma, decus continentiæ, ſanctorū collega, & martyrum conſors, cuius animam etſi gladius perſecutoris non abſtulit, palmam tamē martyrii non amiſit. Quomodò martyrii gloriam ipſum non habere cenſendum eſt, qui flagrans amore martyrii pro fidei teſtificatione catholicæ terrenorum principum nec expauit potentiam, neque hæreticorum ſæuitiæ ceſsit, quin cōſtanter veritatis propalaret regulam, eorumque confutaret errores. Magnū prorſus eſt hoc martyrii genus vltrò ſe pro Chriſti honore dare periculis, quum ſecedendi etiam ſanctis à domino facultas tribuatur. Contempſit ſanctus hic fugam, malens glorioſe occumbere, quàm ex paſsionis metu humaniter occultari. Toties igitur martyrii promeruit palmam, quoties ſe inimicis fidei diſputando oppoſuit. Perditioni namque illorum compatiens, pietatis telo transfixus, vnitatis eos conabatur reuocare ad gremium. Erat planè & hoc ſingulare martyrium, vt cum infirmantibus in fide, pariter infirmaretur, & cum ſe ſcandalizantibus ipſe quoque compaſsionis vteretur affectu. Audi ſine ferro martyrem ex ſola charitate morietem: Quotidie (inquit Paulus) morior 1.Cor.15 propter gloriam veſtram fratres, quę eſt in Chriſto. 2.Cor.12. Alibi etiam aiebat: Cupio impendi & ſuperimpendi pro ſalute veſtra. Merito itaque ſancto huic martyri non eſt deneganda corona, qui eccleſiarum curam gerēs, ac proximorum ſalutem

zelans nec mori timuit, nec viuere recuſauit. Vnde in reſolutionis corporis articulo conſtitutus flentibus cunctis, qui aderant, ac dicentibus, Cur nos pater deſeris? aut cui nos deſolatos relinquis? ait: Domine ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo pro eis ſubire laborem, fiat voluntas tua. O pontificis ſancti diligens cura, ô propugnatoris eximii inſuperabilis virtus nec labore victi, nec morte vincendi. Gloriam quippe propriam tam pro honore Dei, quàm pro populi ſalute poſtpoſuit. Aeque moriendo perſecutoris in ſe accepiſſet gladium, quemadmodum pro charitate præſentis vitę minimè refugit ſubire incõmoda. Huiuſmodi dilectionis affectum noſtra (heu) omnino ignorat ætas. Laudabilia ſanctorum acta non in viuis, ſed in mortuis tantum codicibus agnoſcuntur. Reliquerunt venerandi patres virtutum ſuarum exempla, paſtoralis officii tradiderunt formam, ſed vix reperitur, qui eam dignetur aſpicere. Quærunt penè omnes quæ ſua ſunt, prouentibus inſiſtunt temporalium, delectantur honoribus, deliciis affluunt, & tanquam ſi futura vita non eſſet, amore viſibilibus hærent. Nulla eis ineſt cura, quis in vico iaceat, quis fame pereat, quis ſcandalizetur, quis eccleſiæ ſtatuta contemnat, quis aliena rapiat, quis dupliciter moriatur, ac ſi pontificali miniſterio nullum onus, nullumque innecteretur periculum, ſic ſegniter, ſic pompatice conuerſantur. Grandis prorſus, nec ſine mœſtitia ad loquendum ſe offert materia, quæ ſub ſilentio prætermittenda eſt, ne detractioni potius, quam aſſertioni veritatis pagina præſens videatur incumbere. Verum talis eſt vita paſtorum, vt per ſe populis ipſa ſit nota, atque deſpecta. Hoc autem omnino non fieret, ſi antiquorum patrum imitarentur exempla. Nequaquam fruſtra hi ad ſanctitatis prouecti ſunt culmẽ, neq; ſine cauſa illorũ cõuerſationẽ colit eccleſia, quippe quũ in omnibus exhibuerit tanquã Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus, in neceſſitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuauitate, in ſpiritu ſancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei. Per arma iuſtitię à dextris & à ſiniſtris, per gloriã & ignobilitatẽ, per infamiam & bonam famam, vt ſeductores & veraces, ſicut ignoti & cogniti, quaſi triſtes ſemper autem gaudentes, ſicut egentes, multos autẽ locupletantes, tanquam nihil habentes & omnia poſsidentes. Iſta namque ſunt, in quibus miniſtrorum Chriſti elegantia comprobatur. Hę ſunt ſpirituales margaritæ pontificum, quibus hic ſanctus emicuit. Reuolue autem vitę illius decurſum & vix ei reperies ſimilem. Cæterum quantæ humilitatis, quantæque perfectionis extiterit, in exitus ipſius hora percipitur, in qua non in ornato cubili, nec in molli ſtratu, ſed in cilicio decubuit

2. Cor. 6.

& cinere. Nam & diabolo ſibi apparenti reſpondit: Quid hic agis cruenta beſtia? Nihil in me omnino funeſtum inuenies. O virum ineffabilem, nec antiqui ſerpentis aſpectu territum, neque conſcientiæ punctione transfixum. Non enim accuſatorem timuit, nec iudicis faciem intueri refugit, quin potius totus ignitus & feruidus erectis ad cœlum luminibus ſibi aſtantibus, atque poſcentibus, vt corpuſculum lateris mutatione releuarent: ſinite inquit, ſinite me fratres cœlum potius reſpicere quam terram, vt ſuo iam itinere iturus ad dominum ſpiritus dirigatur. Iam enim de æterna retributione ſecurus, diuina iam claritate perfuſus cœleſtia contemplando, ingenti cum gaudio de ergaſtulo carnis exire cupiebat. In tali igitur delectabili corporis agone conſtitutus, tandem ſolutus à corpore beatum Deo reddidit ſpiritum. In ipſius autem fęlici tranſitu apoſtolorum cecinit numerus, patriarcharum & prophetarum lætatus eſt cuneus, martyrum ſanctorumque cunctorum gauiſus eſt cœtus, angelorum exultauit chorus, omniumque virtutum cæleſtium pſallentium eidem obuiauit exercitus. Suã dominus ſeruator ſententiam perficit in illo. Eò nanque glorioſius cum beatorum iubilatione ingreſſus eſt in cœlum, quo humilius per ſanctę conuerſationis ſtudium emicuit mundo. Præcelſa nempe ipſius apud altiſsimum merita crebra, quæ per illum fiunt, proclamant miracula. Vitæ itaque ipſius inſignia, humilitatem (videlicet) pręcipuam charitatem ignitam, ſeculi contemptum, indeficientem orationem, lachrymarum riuulos, pietatis viſcera, rectitudinis animoſitatem, rerum penuriam, dilectionem proximi, cæteraſque virtutes infatigabiliter pro poſſe ſectemur. Interuenient proculdubio orantibus nobis corã Deo ipſius grata ſuffragia, quæ nos efficient in bello fortes aſsiduos in prece, pudicos corpore, mente humiles, mundos corde, ſanctitate cõſpicuos, Dei charitate accenſos, conciues ſanctorum, & domeſticos Ieſu Chriſti domini noſtri, qui immortalis eſt rex angelorum gaudium, lux mundi, eccleſiæ ſponſus, patris vnigenitus, cum quo perenniter viuit & regnat in ſecula ſeculorum, Amen.

In feſto Sancti Andreæ Apoſtoli.

MIſerationis diuinæ nemo eſt, qui valeat indagare profundum, quantaue charitate velit Deus omnes homines ſaluos fieri, & ſuæ veritatis peruenire notitiã. Hinc eſt, ꝙ multimode eos inuitat venire ad ſe, nõ ꝙ illorũ obſequio egeat, ſed vt boni ſummi, quod ipſe eſt, faciat eſſe participes. Inuitat inquã vniuerſos, etſi non vniformiter, aliũ quidẽ ſic, & aliũ ſic. Rari autem ſunt, qui illius voces audire dignentur. Clamat ad oẽs innata ratio, quę conditoris intellectualis

lectualis vox eſt, vt illum ex toto corde, omnique virtute diligant, ipſiuſque famulentur imperio, à quo creati ſunt. Toties autem quiſque reatui inobedientiæ obnoxius eſſe conuincitur, quoties vel ad bonum ſuadet ratio, quod non perficitur, vel de perpetrato ſcelere conſcientia vrget. Hæ vocationes vniuerſales ſunt, ita vt non ſit qui à clamoribus earum alienus inueniatur. Sunt & vocationes aliæ, quæ inuitant, vt pulſanti aperiatur domino. Vocatus eſt Saulus tonanti voce de cœlo, qui & claritate circumfuſus corporis lumen amiſit. Eruditus igitur de verbere, & ab oraculo admonitus inquit: Domine quis me vis facere? Quanti quotidie flagellis & tribulationibus attriti vocanti introrſus obaudiunt, & rectioris vitæ mores arripiunt? Vocatus fuit ille atque compulſus, qui prius, quàm præceptoris aſſentiret imperio, ſepeliendi patrem popoſcit inducias. De cæcis & claudis quid referam, qui in nuptiale coacti ſunt intrare conuiuium? Horum ſanè magnus eſt numerus, quoniam (teſtante Apoſt.) ignobilia, & contemptibilia, & ea quę non ſunt, elegit Deus, vt confunda fortia, nequis glorietur niſi in domino. Sunt etiam multi, ad quorũ cor loquitur verbum, eoſque nunc exhortando, nunc ſuadendo, nunc alliciendo ſponte ad ſe ſuſcipiendum inuitat. Fuere autem nonnulli, quibus tam per oraculum vocis quam per aſpirationis myſterium locutus eſt dominus. Ex his nouimus apoſtolorum fuiſſe quam plurimos, qui ad vnius præceptoris vocem imitati ſunt illum. Hoc quemadmodum vocationis genus eſt nobile: ita & obedientiæ commendabilis virtus. Hanc obeditionis formam ſanctus, quem colimus hodie, commendauit Andræas. Vocatus quippe à Chriſto ad vnius iuſſionis eloquium naue relicta & retibus ſecutus eſt dominum. O magna ſancti viri fides, ô obedientia omni veneratione colenda. Needum miracula viderat, ſcripturarum minimè intellectum acceperat, & tamen promptus & alacer totum quod habuit, dereliquit. Dereliquit vtique deordinatã familiam, facultates proprias, nauem & retia, quatenus in auditu auris vocanti annueret. Omnes abſtulit moras, excuſationem nullam adhibuit, nec pro piſcationis ſe labore ſubtraxit, quin potius oblitus infirmitatis propriæ, difficultatis obedientiæ, aſperitatis pœnitentiæ, præſentis vitæ illecebræ vocantis ſe humiliter ſubſtrauit imperio. Conuincit planè ſancti huius promptitudo ac voluntarius famulatus torporem noſtrum, ſurditatem noſtram excitat, imprudentemque noſtram confundit prudentiam. De alto vocat nos dominus, promiſsionibus cœleſtibus inuitat ad ſe, aditum regni ęterni aperuit, proficiendi viam ſtrauit, virtutum ſemitas patefecit, bene viuendi formam indicauit, parauit nuptias in quibus ſaginatum vitulum ac meraciſsimum diſcumbentibus apponit vinum, & (heu) introire negligimus, pro impoſsibilitate excuſationes facimus in peccatis, dilationes petimus, occaſiones quærimus, quibus quibus cauterizata conſcientia conquieſcat. Magna hæc fraus dæmonum eſt, & pernicioſa deceptio, quę ideo agitur, vt incautos ad interitum rapiat ſempiternum. Nonne improbanda eſt iſta dementia, qualiter velis homo ſecurus habitare ſub tecto, cuius ædificii ſtructura te agnoſcente teque aſpiciente, velis nolis, quotidie labitur? Attende (quæſo) incolatus tui cõditionem, carnis præcipue corruptionem, defectibilitatem corporis, decurſum temporis, breuiſsima horarum ſpatia ſibi viciſsim ſine intermiſsione ſuccedentia, incertum finem, ineuitabilem mortis neceſsitatem. Et hæc vecordiam condemnabunt tuam, temerariam ſecuritatem accuſabunt, dum differs conuerti ad dominum, qui te vocat ad ſe. Certè exhortationis illius nequaquam deberes verba negligere, ſi proſperitatibus floreres ad libitum. Securus à mortis eſſes periculo, & poſt indultum tempus promereris & gloriam. Sed contra. Quum tribulationibus inceſſabiliter attereris, animæ & corporis ſubiaceas periculis, difficile erigaris à gratia difficiliuſque pertingas ad gloriam, cur non reſipiſcis? quare non te corrigis, & ſaluberrimis ſapientiæ multipharie te inuitantis non acquieſcis conſiliis? Vnde (oro) quum contradicis quis ſis, quidve iuſte ex hac tua reluctatione expectes? Conditori ſanè repugnas tuo, qui te fecit ex nihilo, ſua te inſigniuit imagine, multiplicibus te ditauit donis, creberrime ab irruentibus te protexit periculis, & his longe pręſtantiora tibi promittit, dummodo ſuaſionibus eius ſanctis annuere velis. Qua frõte, quo animo id agas, obſerua. Obtẽperat illi cœlum, angeli famulantur, elementa obediunt, & vniuerſa quę ſunt viuunt, & ſentiũt, ſibi ab illo inſtituta mandata cuſtodiunt, & tu ſolus ô homo vermis & puluis, ac abominanda putredo iugo ipſius ſpernis colla ſubiicere? Nonne te natura cõuincit, cõcludit ratio, exempla promouent, vt ei obedias, qui ſine te plaſmare dignatus eſt te? Redite igitur ô præuaricatores ad cor, mentis diſperſiones coadunate in vnũ, quatenus quid hactenus fuiſtis, intelligere valeatis. Conſiderate facinora veſtra, quãta omiſeritis bona neglectã gratiã, cęcam fiduciam, elatam contradictionem, perditos dies acquiſita ſupplicia, vilipenſaque pręmia. Aduocaſtis vtique aduerſum vos cœlum & terram, ſanctos & angelos, abyſſos & dęmones. Fecerantque ſatis legi iuſtitiæ niſi Dei bonitas obſtitiſſet. Iam vos oppreſsiſſet interitus, infernus obſorbuiſſet, ignis & ſulphuris excepiſſet chaos, ſi non pro vobis pia mediatoris noſtri ſupplicaſſet humanitas. Ipſe planè eſt, qui non vult peccatoris mortem, ſed vt magis conuertatur & viuat. Hinc eſt, quòd aſſumpſit carnem, ſuſtinuit dura, indigna pertulit ac mori voluit. Veſtram itaq; emol-

Act. 9.

1. Cor. 1.

Ezec. 18.

liat duritiam, erectamque cordis flectat ceruicem exhibita charitas redemptoris, impenſa beneficia, ſuſpenſa vindicta, expectata conuerſio, & prærogata indulgentia, ne (quod abſit) apoſtolica vos Deus ſententia feriat, quæ erga vnũquemque contemptorem eſt expreſſa, quum dicitur: Exiſtimas ò homo, qui facis ea, quæ non
Rom 8.
licent, quia tu effugies iudicium Dei? an diuitias bonitatis eius, & patientię longanimitatem contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum duritiam autem tuam & impœnitens cor theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera eius, ijs quidem qui ſecundum patientiam operis gloriã & honorem, & incorruptionem quærentibus vitam æternam, iis autem qui ſunt ex contentione, & non acquieſcunt veritati, credunt autem iniquitati, ira & indignatio, tribulatio & anguſtia in omnem animam nominis operantis malum. Excipiet vtique reuertentes, pœnitentibus occurrere, dari primam ſtolam, in manibus annulum, calciamenta mandabit in pedibus, atque ſolenne ſupernis ciuibus celebrabit cõuiuium, qui de conuerſione peccantium conſueuere lætari. Quamobrem moras omnes abiicite, malarum conſuetudinum rumpite vincula, vt expeditis greſsibus pergatis ad dominum Andreæ Apoſtoli, cuius natalitia colitis, ſectamini veſtigia, qui vocantis ſe gratiam abſque vlla cunctatione percepit. Non autem illi conſenſit ad tempus, ſed in ea ſemper perſeuerando profecit. Super petram conuerſationis ſuæ ſtructuram compoſuit, Chriſtoque ſic adhæſit ex corde, vt euentu aliquo penitus moueri non poſſet. Nec ab re. Eloquiis namque ſapientiæ erudiebatur aſsidue, ex miraculis quotidianis augebatur in fide, pro diſciplina virtutum in præceptoris amore creſcebat. Hinc factum eſt altiſsimi cum eo cooperante virtute, vt nec pontificum Iudæorum terreretur minis, neque pro illatis flagellis à nominis Chriſti prædicatione ceſſaret. O beata mens ſancti, quam patris & filii inhabitabat diuinitas, fœcundabat gratia, erigebat fides, ſapientia imbuebat, & cœleſtium contemplationum impinguebat infuſio. Nemo ſufficienter potiſsimum poſt immiſsionem paracliti, eius ſpirituale valet exarare profectum. In verbi quippe prædicatione adeò fuit intẽtus, vt de eo totam prouinciam repleret Achaiæ. Nam amoris illius nimietate illectus, penitus ſilere no poterat. Eſt enim inquietans res amor, non contenta limitibus, ſingularitatem non patiens, nunquã dormitans, ſemper operans, euidentiſsimis per ſe manifeſtata indiciis, quæ neſcit modum perſonarum, qualitates non iudicat, temporum ſtatuta nõ ſeruat. Nutritur quidem per ſe in ſe, ex ſeque diffunditur, & in ipſa ſui diffuſione multiplicatur, Semper mouetur, donec ſedẽ reperiat propriam, hanc quũ inuenit, tunc potentior efficitur in opere, in guſtu delectabilior, promptior, in beneficiis, in conuerſatione frequentior. Vileſcunt ei omnia, quæ votis non cõcordant ſuis, ac de amoris forte nõ exeunt. Non timet hoſtes, labores refugit, ferrũ, ignem, carceres, opprobria, famem, ſitim, tormẽta, horrenda ſupplicia, ipſamque mortem non metuit, quemadmodum in Canticis legitur canticorum: Fortis eſt (inquit) vt mors dilectio, dura vt infernus æmulatio, lampades eius lampades ignis atque flammarum, aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam.
Cant. 8.
Cæteris prætermiſsis in beato Andræa hanc veridicam comperimus eſſe ſententiam. Facibus namque charitatis ſuccenſus, nunquid ſacrilegi iudicis minas expauit? An forte crucis recuſauit ſubire ſupplicium? Prorſus minimè. Magnanimitatem huius robuſtiſsimi ducis, imperterritam mentem; paſsionis deſideriũ, ſpiritualeque lumen ipſius ex ſermonibus eius attende. Quum enim duceretur, vt crucis imponeretur patibulo, eandem à longe proſpiciens exclamauit dicens: O bona crux diu deſiderata, & iam concupiſcenti animo præparata, ſecurus & gaudens venio ad te, ita vt tu exultans ſuſcipias me diſcipulum eius, qui pependit in te. Salue ò bona crux, quæ in corpore Chriſti dedicata es, & ex eius membris tanquam margaritis ornata, accipe me ab hominibus, & redde me magiſtro meo, vt per te me recipiat, qui per te me redemit. O præcelſa charitas, virtutum radix, nutrix gratiæ, ſanctitatis magiſtra, religionis ſpeculum, ſtatera meritorum, nuptiale indumentũ, filiorum hęreditas, cœli clauis, animę pabulum, dulcedo mentis, fortitudo certantium, corona glorię, vitę lumen, ſocia veritatis, conſors ſanctorum, angelorum gaudium, legis compendiũ, paradiſuſque delitiarum. Tu decus regium, pręceptorum plenitudo, prophetarum finis, fuga vitiorum, dęmonum terror, cœleſte donum, omniumque delectabilium delectabile ſummum. Nempe ſine te humana deficit virtus, naturale hebetatur ingenium, animę pes claudicat, fides peperit, pręſumit inaniter ſpes, & fraternæ dilectionis vnitas diſsipatur. Te interpellãte, te adiuuante, te cuſtodiente, te promouente efficitur homo in tentatione ſecurus, humilis in proſperis, robuſtus in arduis, magnanimus, ac inſuperabilis in tormẽtis. Nonne hoc in Andræa patet apoſtolo? Lætus namque & glorianter ibat ad crucem. Ad illam aſcendit intrepidus, de qua tanquam de ſpirituali cathedra prædicabat populo, illoſque rogabat, ſuum ne vellent impedire martyrium. Iam enim ſpreto ſeculo proximus erat cęlo & æternæ vitæ deguſtabat delicias. Iamque diuinæ ſapientiæ lucẽ mentis contemplabatur obtutu, propterea præſentis exilii recuſabat

remea-

remeare ad tenebras, corporiſque fatigati perferre incommoda, cupiens diſſolui & eſſe cum Chriſto. O felix anima, quam Dei compleuerat charitas, irradiauerat fides, immortalitatiſque erigebat fiducia, pendebat in cruce, & inimicos ſuos vincebat. Patiebatur, & in illatis pœnis gloriabatur, moriebatur, & intus à domino coronabatur. Planè Apoſtolicum illud in corde dulci modulatione ingeminabat dicens: Bonum certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui. Certauit, inquam, & dirum paſsionis agonem viriliter pertulit, carnaleſque voluptates ſubegit ſpiritui, & ſpiritum Deo, ita vt diceret: Viuo ego iam non ego, viuit autem in me Chriſtus. Hinc ſeruando fidem, vitæ ſuæ curſum fœliciter conſummauit non in molli ſtratu, neq; in corporis deliciis, ſed coram maxima populorum numeroſitatem conſtitutus in ſtipite. Generoſus diſcipulus cœleſtẽ eſt imitatus magiſtrum, parem ignominioſæ crucis vt ille pertulit pœnam, & tanquam athleta fortiſsimus in certaminis occubuit ſtadio. Quemadmodum annunciator, ita factus eſt poſſeſſor Chriſti, ſeculi iudex, fundamentum eccleſiæ, æternitatis oſtenſor. Lõge excellẽtius docuit exẽplo, quã verbo qualis eſſe debeat Chriſtianus, quã vera ſit catholica fides, quã ve præcella fidelium merces. Hunc igitur propugnatorem egregium efferamus laudibus, attollamus, operibuſq; ſequamur. Non nos pigeat pati, neque pro domino pertimeſcamus mori, quoniam quod in præſenti, eſt momentaneum, & leue tribulationis noſtræ, vt in ſublime pondus gloriæ operetur æternæ. Mentis noſtræ oculum fidei adminiculo eleuemus ad ſydera, contemplemurque ſupernæ ciuitatis illius ſanctæ Hieruſalem, in quam apoſtolus Andræas triumphaliter introiuit, quanta ſint gaudia, qualis in ea angelorum frequentia, quæ ſocietas ſanctorum, & quàm delectabilis eius ſit claritas. Nẽpe ibi erudit ſapientia, regnat charitas, veritas fulget, viget æternitas, & immortalitas prærogatur. Ibi ſine mœſtitia, abſque interuallo, & ſine fine feſtiua ſolennitas celebratur. Vna hominum, angelorumque eſt exultatio, fruitio eadem, iucunda ſocietas, perfecta libertas, indiſſolubilis charitas, imperturbabilis pax, ſerenitas ſine nube, puritas ſine labe, diuturnitas ſine corruptione, vita ſine defectione. O Dei ciuitas quàm glorioſa dicta ſunt de te? o regnum pacatiſsimum, id quod ingreditur nullus qui doleat, nemo qui noceat, nullus qui pereat. Omnes in eo ſecuri ſunt, cuncti læti, atque beati. Vniuerſorum ora repleta ſunt laude, corda iubilo, intelligentia viſione, & delectatione voluntas. Beati (iuxta prophetę vocẽ) qui habitant in illo, quoniã in ſecula ſeculorũ laudabũt Deum, & Dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtum, cui eſt honor & gloria, laus & poteſtas, virtus & imperium nunc & ſemper, & in æternum, Amen.

2.Tim.4. Gal.2. Pſal.83.

In feſto ſancti Thomæ Apoſtoli.

RAtio ſuadet, teſtantur exempla, & regiminis exigit ordo vt nonnunquam alius erudiatur pro altero, & nocens pro innocente damnetur. Hoc nequaquam agitur, vt depereat iuſtitiæ lex, & perſonarum exhibeatur acceptio, quin potius vt perficiatur vtrumque. Patitur egrotus, antidoti aſperitatem perferre non valet, conſulentis medici tenuit obtemperare mandatis, paucisſimis inclinatur, & ex his quædam negat, quibuſdam aſſenſum præbet. Nunquid huiuſmodi deſperandus eſt? Nunquid deſerendus? An forte illi miniſtrantiũ ſunt detrahenda obſequia? Hoc ſi fiat, periclitatur charitas, occumbit languidus, ſcandalizantur qui hoc ſciunt, & fratris anima in deſperationis impellitur foueam. Commutatur, aurum pro luto, quadrati lapides pluris æſtimãtur, quàm gemmæ. Verum ſi pro vna tantum anima totum, quod eſt in mundo, appendas, aurum, argentum, metallaque cætera, ſardium, topacium, carbunculum, ſmaragdum, & margaritas omnes, prędia, poſſeſsiones, palatia, ſupellectilem, vrbes, & caſtra, ipſumque mundum, nihil in eius cõparatione dediſti. Prorſus corporalia & ſenſibilia vniuerſa tranſcendit. Quod dicitur, ſi ex te nequis attingere, diſce ab eo, qui creauit cęlum, terra, maria & cũcta, quę in eis ſunt, qui noſcit ſingula quãti ſint, quoniã ſingulis impertitus ẽ, quicquid hẽnt decoris, quicquid virtutis, quicquid ęſtimationis & pręcii. Fecit oĩa per ſe in põdere, numero, & mẽſura, & ſine ipſo factum eſt nihil. Iſte docebit, quãti ſit anima hominis, rationalis videlicet ſpiritus. Illum ipſe magnipendit, qui opus ſuum agnoſcit. Pro eruditione eius vniuerſi fecit hanc machinam, ipſiuſq; eam ſubiecit imperio, ſicut per Prophetam dicitur: Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, oues & boues vniuerſas inſuper & pecora campi, volucres cœli & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris. Subiecit inquam, non vt inhæreat illi, fruitionemque captaret ex illa, ſed vt eruditus per illam aſcenderet ad notitiã eius, qui fecit omnia, illum diligeret, illi inhęreret, illiuſque quandoque viſione beata frueretur. Hoc parentes noſtri conſiderare nolẽtes, inferiori bono inhęrere cupierunt ſummo neglecto. Porrò degenerarunt nimium ab ea, in qua ſunt nobilitate creati. Appetẽtes enim quod eis minimè licebat, non ſolum non conſecuti ſunt quod quærebãt, verum etiam magna ex parte, quod perceperant, amiſerunt, atque adeptione pollicitationis boni incommutabilis ſunt omnino priuati. In illius interminatę ſententię dilapſi ſunt pœnam, quã eis à domino dictum eſt: Ex omni ligno paradiſi comede, de ligno autem ſcientię boni & mali vide ne comedas. In quacunque enim die comederis ex eo, morte morieris. Comederunt, & duplici ſunt morte damnati. Nemo

Pſal.8. Gen.2.

mo

mo ſane ſufficit præuaricationis huius detrimen-
ta narrare. Vniuerſa quæ eorum poſteritas in-
commoda patitur, ab ipſius emanauere radice.
Obtemperaſſet mundus homini, & caro ſpiritui
ſi ſpiritus ipſe ſuo obediſſet autori. Cæterum quo
niam idem inobediendo deliquit, confudit om-
Pſal. 118. nia, & genitoris æterni iram incurrit. Qui extite-
rat prope, factus eſt longè, ita vt diceret: Erraui
ſicut ouis, quæ periit, quære ſeruum tuum. Meri-
to poſtulat, vt quæratur, qui errando perierat.
Eſa. 53. Quis autem illum quæret, cum Propheta dicat:
Omnes ſicut oues errauimus, vnuſquiſque decli-
nauit in viam ſuam? Neminem excludit, nullum
excipit, omnes erraſſe dicit atque periiſſe. Ille
plane errantes, cuius erant, quærit oues: ille in-
quam, qui centum poſſidens dimiſsis nonaginta
nouem in mōtibus excelſis, vbi vberrima & ma-
gna ſunt paſcua, deſcendit, vt errantem quæreret,
inueniret perditam, ſuiſque illam humeris repor
taret ad propria. Quæſiuit eam ſedulo tanquam
bonus paſtor, reperit illam quoniam mediator,
ſuis verò humeris reportauit, quia redemptor.
Ipſo autem remeante cum oue, conuocatis ami-
cis, & vicinis, ſpiritibus (videlicet) beatis illis
Luc. 15. inquit: Congratulamini mihi, quia ouem, quam
perdideram, inueni. Nempe hic verus eſt paſtor,
qui errantem quærendo reperit ouem, ne morſi-
bus pateret luporum, in deſtructionique ferarum.
Ioan. 10. Ipſius paſtoris vocem audi dicentem de ſe: E-
go ſum paſtor bonus & cognoſco oues meas, &
cognoſcunt me meæ, & animam meam pono pro oui-
bus meis. Singula (quæſo) diligenter obſerua,
quatenus à mercenario paſtore verum agnoſce-
re queas. Ego (inquit paſtor) cognoſco oues
meas, & cognoſcunt me meæ, & animam meam
pono pro ouibus meis. Audite hæc ô paſtores,
auribus percipite ô vos, qui animarum præeſtis
regimini, quid paſtor bonus loquatur, quid di-
cat ille, cuius vicem geritis. In terra paſtoralis
officij formam præbet, quam ſequamini, exem-
plum oſtendit, quod imitari debeatis. Dixit e-
nim: Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues
meas, & agnoſcunt me meæ, & animam meam
pono pro ouibus meis. Forma igitur paſtoris ve-
ri eſt, vt cognoſcat oues, & cognoſcatur ab oui-
bus. Exemplum verò eſt, ut quoties opportunū
fuerit, animam ſuam exponat pro ouibus. Vnuſ-
quiſque eorum, qui paſtoralis oneris curam agit
intelligat, quòd paſtor bonus ſingulas, nomina-
timque debet oues agnoſcere, non vt tondeat ſi-
cut mercenarius, ſed vt paſcat eas ſacris monitis
atque eruditionibus ſcripturarum. Sciat, quantū
ſingulæ proficiant, quantumque deficiant. Sicq;
eorum ſaluti inuigilet, vt omnino ſe pro illis ex-
ponat opportune ſeruatis loco & tempore. Non
aliunde exemplum captet, quàm ab ipſo paſtorū
paſtore domino Ieſu, qui perditas quæſiuit & re-
perit oues, ſuoſque à ſeruitute peccati illas cito-

re redemit, vnde Petrus Apoſtolus hoc teſtes
inquit: Non enim corruptibilibus auro vel argē- 1. Petr. 1.
to redempti eſtis de vana veſtra cōuerſatione pa
ternę traditionis, ſed precioſo ſanguine quaſi im
maculati & incontaminati agni Ieſu Chriſti. Ta
li nos voluit redimere precio, per quod diffuſum
nobis ſuæ charitatis inſinuaret affectum, illumq;
toto diligeremus corde, cui nos toti multiplici-
ter obligamur. Nulla igitur ad cognoſcendum
Deum præſtantior forma percipitur, nullum ad
animarum regimen, virtutum diſciplinam, ſcien-
tiam ſui, charitatis profectum, morumque probi-
tatem, efficacius inuenitur exemplum, quàm id,
quod nobis dominus prærogauit Ieſus. Quis vn-
quam ſic regiminis propalauit artem? quis vt ille
paſtoralis curæ formam exhibuit? Noſcit omnes
noſcit & ſingulos tanquam paſtor bonus oues
proprias. Quātum in ipſo eſt, cunctos vult ſaluos
fieri, vniuerſis ſanitatis vult præbere remedia. At
tende (oro) ſacramenta, & quæ ad ſalutem per
tinent animarum. Vllam ne diſtinctionem fecit
bonorum à malis? An vnius fides melior eſt quā
alterius? Prorſus minime. Vnus Deus (ait Apo- Eph. 4.
ſtolus) vna fides, vnum baptiſma, vnum omni-
bus datur baptiſma, eadem fides cunctis creden-
da exponitur. Cur non proficiant vniformiter
omnes, ex nobis contingit, qui vocantis admoni
tionem exaudire contemnimus. Recitatur Euan
gelium in eccleſia, mandata Dei publice promul
gantur, ſacramenta conferuntur gratis poſcenti-
bus. Clamat dominus, Si quis ſitit, veniat ad me, Ioan. 17.
& bibat. Generales exhortationes hæ ſunt, &
communia dona redemptoris noſtri expoſita vo
lentibus. Nuptias fecit, vniuerſale conuiuium in
eccleſia inſtituit, omnes inuitat, vt ingrediantur,
diſcumbant, & comedant. Nunquid patrifami-
lias imputandum eſt, quòd ſe excuſauerunt mul-
ti? Commune beneficium prima inuitatio fuit;
ſpeciale autem ipſa introeundi compulſio. Inui-
tat quidem præſcitos, ſed prædeſtinatos vocan-
do compellit. Quos prædeſtinauit, illos & voca-
uit, quos autem vocauit, illos & iuſtificauit; quos
verò iuſtificauit, illos & magnificauit. Omnes iſti Rom. 8.
ſunt oues, omnes vocem paſtoris audiunt, ipſeq;
cognoſcit ſingulas, & pro eiſdem animā ponit.
De his curam gerit, ne pereant in æternum, ta-
metſi earum multas ad tempus errare permittat.
Errant vtique, & alienorum ſequuntur vocem,
ſed non ſemper. Suo tempore reſipiſcunt, & veri
paſtoris vocem audiunt, atque ad nuptias com-
pelluntur intrare. Compelluntur, inquam, &
voluntariè intrant. Trahit enim ſua vnumquen-
que voluptas. Nempe attractio hæc ſpiritualis
impulſio eſt, attamen voluptate ſe mouente vo-
luntas efficitur. Hoc inſinuare voluit dominus di-
cens: Nemo venit ad me, niſi pater, qui miſit me,
traxerit eum. Veritas namque agnita intellectū Ioan 6.
trahit, inſpecta pulchritudo boni delectabilis
trahit

trahit affectum. Quem (oro) non trahat verbũ, patris incarnata ſapientia, Deique prouidentia, quæ orbem terræ & filios hominum iudicat in æquitate, & regit in iudicio ac iuſtitia? Cæterum ſi creaturarum ſpecies, bonum commutabile, inferiorum delectatio concupiſcentiam allicit & trahit poſt ſe, quid (quæſo) aget creatoris deguſtata pulchritudo, ſummum & incõmutabile bonum, atque cœleſtium cõtemplata dulcedo? Au-
Pſal. 118. di prophetam vtrumque perhibentem: Defecit (inquit) in ſalutare tuum anima mea, & in verbum tuum ſuper ſperaui. Euidentius, efficaciuſq; Apoſtolus Petrus, quando transfiguratum ante ſe vidit dominum, expertus eſt hoc. Ex agnitione quippe & claritatis ſpecie, quã vidit in Chri-
Mat. 17. ſto, effectus præ dulcedine ebrius ait: Domine bonum eſt nos hic eſſe; ſi vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moſi vnum, & Heliæ vnũ. Sanè nullo impellente, & nemine ſibi ſuadente attractus eſt. Audiuimus pro oſtenſa gloria ſine vlla vocis exhortatione, qualiter Petrum ad ſe traxerat dominus. Audiamus nũc, quomodo per humanam vocem, ſuique corporis exhibitionem ad ſui agnitionem reuocauerit Thomam, cuius ſolẽnis celebritas hodie colitur ab eccleſia, quatenus inueniret errantem, ac erudiret & nos. Erant in ipſo reſurrectionis die Apoſtoli ſimul, de-
Ioan. 20. erat coapoſtolus Thomas. Illis clauſis ianuis apparuit dominus, & ſui corporis cicatricibus oſtẽſis, eoſdẽ de ſua reſurrectione commonuit. Hoc
Ibid. Thomæ referentibus cæteris, ipſe, niſi clauorum loca & lateris apertionem tangeret, ſe minime crediturum aſſeruit. Octo poſt hæc dierum euoluto ſpatio, omnibus ſimul reſidentibus ſe Chriſtus indicauit, & omiſsis reliquis vocauit Thomã & dixit: Infer digitum tuum huc, & agnoſce loca clauorum, mitte manum tuam in latus meum, & noli eſſe incredulus, ſed fidelis. Obtemperauit ille, exclamauit, & dixit: Dominus meus, & Deus meus. O paſtoris veneranda ſolertia, ô mediatoris noſtri ſolicitudo non pigra? Thomam vocauerat ſemel, biſque prius vocatione cõmuni, deinde ſpecialiter ad apoſtolatus culmẽ, & tamẽ ſe auertit, paſtoriſq; ſui oblitus vocẽ per infidelitatis latitudinem iam errare cœpit. Agnouit hoc paſtor, quæſiuit errantem, reperit & ad vnitatis reduxit gremium. Agnouit paſtor ouem ſuam, & vt agnoſceretur ab illa, inquit: Infer digitum tuum huc, agnoſce paſtorem, agnoſce dominum, agnoſce redemptorem. Nõ illi exhibuit faciem, non voluit cognoſci per vocem, ſed cicatrices oſtendit vulnerum, per quas ſuæ redemptionis emiſit precium. Ex obliquo illo intulit: Ecce foramina clauorum, ecce indicia paſsionis, quã pro te ſuſtinui. Ex hoc recole, quid pro te dedi, qualiter pro te animam meã poſui. Acceſsi, vt hoc tibi inſinuem, teque reuocem ad me, ne pro infidelitate malè pereas ſine me. Quamombrem aſpice, contrecta, immitte manum, infer digitũ, certum te redde, quatenus meis aſſertionibus credens fidelis efficiaris, & non in dubietate perſiſtas. Recole me dixiſſe: Qui non credit, iam iudi-
catus eſt. Nolo vt pereas, nolo vt à ſiniſtris conſtituaris cum hœdis. De ouibus meis es, te agno Ioan. 3.
ſco prædeſtinatum in me ante mundi conſtitutionem, propterea vocaui te olim. Nunc acceſsi, vt iuſtificatus ex fide tempore congruo glorificari merearis. O ſyncere amor, o magiſtri ſapientia, quæ in apoſtolo iſto paſtoralis officijs inſtituit formam, atque per illius infidelitatem innumeros erudit ad fidem. Vtrumque ſufficientiſsimè nouerat, & magiſterium fidei & prælationis miniſterium. Infirmis per ſe indicauit dominus, qualiter foueri debeant, qualiterque errantes quæri, reperiri, atque baiulari oporteat. Hoc ad paſtoris regimen, hoc ad magiſtri ſpectat ingenium. Maximo artis ſuæ ſtudio Dei permiſit ſapientia, vt hic electus apoſtolus dubius erraret in fide. Non tamen minus ad aliorum quam ad ipſius fuit profectum. Nouerat enim dominus quàm difficile homo abſque cuiuſpiam teſtimonio credulitatem ſuam adhibeat ad ea, quæ ad fidem pertinent. Nouerat inquam, futuræ reſurrectionis quanta ſit altitudo, quæ omnium humanarum rationum tranſcendit limites. Hanc per argumenta quàm plurima approbare curauit. Videri namque voluit, cum ſuis diſcipulis manducare & loqui, atque ab eiſdem palpari & tangi, quemadmodum ſacra euangeliorum narrant volumina, quorum teſtimonio ſancta eccleſia initiatur. Minime namque dubitare fas eſt, quod tantorum teſtium aſſertionibus confirmatus, eorum videlicet, qui audierunt, viderunt, comederunt, & tetigerunt reſuſcitatum atque viuentem. In his præcipuè credulitatem roborat fidelium Thomæ inquiſitio: Ipſe enim ob communem profectum non acquieuit argumentis exhibitis, quibus rationabiliter crediderunt cæteri, ſed periſcrutari voluit manu & digito lateris ac manuum fixuras, quatenus nulla omnino remaneret ambiguitas, quin ipſe eſſet, qui in ligno pendendo expirauerat. Tetigit quidem & exclamauit, Dominus Ioan. 20.
meus & Deus meus. Exclamauit vtique, vt cunctis notificaret ſe, quod quæſierat, repperiſſe. Ipſum verum hominem ac verum Deum eſſe confeſſus eſt. Hominem tetigit, & credidit Deum. Cæterum propter vnitatem perſonæ, quæ in Chriſto eſt, vtrumque & tetigiſſe & crediſſe fatendum eſt. O mira noſtri autoris diſpenſatio ac diligenda benignitas, quæ euidentiſsimis teſtimoniis per vnius incredulitatem vniuerſam voluit erudire eccleſiam. Hinc Thomæ non eſt redarguenda dubietas, quæ illum inquiſitorem fidei noſtræ fecit eſſe ſolicitum. Per ipſum quippe conſummatæ reſurrectionis & veræ diuinitatis in Chriſto certam ſumus aſſecuti notitiam. Quemadmodũ illi,

chrymas fundat, quibus rediuiua quadam reſurrectione reformetur in melius, atque ingenitæ dignitatis ſibi præripiat principatum, quem ipſe ſpiritus minime valet apprehendere, niſi cęleſtis dulcedinis imbre perfuſus, renitentis carnis retundat inſultus, actus regat, ſtimuloſque compeſcat, & magnanimitate animi, caduca ſpernendo cœleſtia diligat. Cæterum magnanimum illum eſſe denuncio, qui renunciat ſeculo, carnis lenocinia calcat, perfectionis arcem conſcendere nititur, atque pro ſui conditoris amore crucem ſuam infatigabiliter baiulare non ceſſat. An non magnanimus ille dicendus eſt; qui ſolo corpore conuerſatur in terris, & contra aereas poteſtates certamen nequaquam veretur aſſumere? Stat magnanimus, imperterritus corde, deſiderio accenſus, lætus animo, fide fundatus, ſpei conſolatione repletus, virtutumque protectione munitus, vt ignea inimicorum tela excipiat, immoderatos corporis ſui reprimat motus, varios rerum euentus ſuperet, ſeipſumq; ſibiipſi ſubiiciat, quatenus obtutibus poſsit placere diuinis, iudiciſq; mereatur gratiam cuncta cernentis. Hinc ſanctitatis aggreditur vias, perfectionis peragrat ſemitas, renouatur ſpiritu, atque charitatis vinculis alligatus, Deum toto corde totiſque viſceribus intra ſuę mentis ſecretum conatur amplecti. Quamobrem beatum illum iuxta prophetæ oraculum eſſe cenſuerim, quem dominus misericorditer ſeculi elegit ex tenebris, & aſſumpſit in filium, quoniam in ſuis atriis ipſum habitare faciet replebitque bonis ſuis ſempiternis, atque fęlicitate perpetua efficiet dignum, quum (videlicet) peregrinationis huius compleuerit curſum, ac momentaneæ vitæ conſummauerit terminum. Interim verò quoniam hominis vita militia eſt ſuper terram, vt variis tentationibus agitetur, neceſſarium eſt. Quis (quæſo) Dei filio ſanctior? Quis à delictorum cõtagionibus illo immunior? Quis virtutibus locupletior? atq; meritorum omnium ſanctitate ſublimior? Et tamen impiorum hominum eſt paſſus inſidias, eorum pertulit verbera, demonumque tormenta ſuſtinuit, vnde Apoſtolus inquit: Heb. 4. Non enim habemus pontificem, qui nõ poſsit compati infirmitatibus noſtris, per omnia tentatum, pro ſimilitudine abſque peccato. Proinde in eo quòd tẽtatus eſt valet eos, qui tentantur, à tentatione eripere, reſtituere libertati, atque gratię condonare. Nemo igitur quum tentatur, deſperet, & à propriæ ſalutis langueſcat fiducia. Tentatum nullus abhorreat, quoniã ex tentatione perficitur virtus, augetur merces, probatur anima, accreſcit ſciẽtia, magnanimitas exercetur, homo interior roboratur, purgantur vitia, & merita cumulantur. Iſta Iacobus Apoſtolus conſiderans inquit: Iac. 1. Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam quum probatus fuerit, accipiet coronã vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Tribulationum & tentationum vtilitatẽ Paulus quoque pronuncians ait: Rom. 5. Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem nõ confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Gradibus ergo ſuis quemadmodum conſummatur virtus, ita cooperante Deo quiſque efficitur ſanctus, atque perfectus. Hoc ſacratum pronuntiant eloquia ſcripturarum, hoc ſanctorum præcedentiũ commendat & vita. Quod vt clarius eluceſcat, ſanctiſsimi Hugonis Epiſcopi Lincolnienſis, cuius hodie ſolennia celebrantur, percurrente calamo vitam proferamus in medium. Hic etenim quũ adhuc eſſet puerulus, ſenile cor gerens, poſt regularem canonicorum inſtitutionẽ, in quã ſtrenuè conuerſatus eſt, vt amplius placeret altiſsimo, ſanctæ religionis Carthuſienſis iugo, ardentiſsimo pro fide ſtudio colla ſubſtrauit. Contempſit quidem ſeculum, reliquit prędia, opes erogauit egenis, omnemque mundi gloriam comẽdabili magnanimitatis virtute calcauit. Præterea corpus ſuum ieiuniorum, vigiliarum, & exterioris operis exercitatione caſtigãs, ipſum prorſus ſpiritui ſeruire coegit. Apoſtolica ſiquidem admonitione edoctus, Rom. 1. ſemetipſum hoſtiam viuam ſanctam, Deo placentem exhibuit. Nouerat plane vberem pœnitentiæ eſse mercedem, delectabilem virtutis fructum, & puritatis donum eſſe conſpicuum. Quamobrem fidei cõſtantia fultus, ac Dei ſapientia repletus tanquam negociator eximius lutum commutauit in aurum, ſpreuitq; præſentia futurorum illectus amore. Hinc ad debellandas corporis paſsiones ad perferenda pro Chriſto conuicia, ad libidinis extinguenda incẽdia ſe, contra ſe, viriliter armauit ad pugnam. Quod vtique dimicandi genus illorum eſt proprium, qui indomitas carnis voluptates pro diuinitatis amore ſub cenſura virtutum conantur reſtringere, de quibus per Paulum dicitur: Gal. 5. Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cũ vitiis & cõcupiſcentiis. Illorum, inquam, eſt proprium proficiendi deſiderio omnem cordis ſui intentionem, vt a ſupernæ vocationis brauium, perfectioniſque attingant faſtigium, in anteriora protendere. Huiuſmodi ſynceræ charitatis poculo ſanctus noſter debriatus, atque ſpiritualis deuotionis alimonia quotidiana depaſtus, de virtute in virtutem ſemper proficiendo ſcandebat glorioſis intus victoriarum laureatus triumphis. Quonam (quæſo) modo in ſpiritualis certaminis campo aduerſus immundorum ſpirituum numeroſum exercitum, contra innatas, adultaſque corporis paſsiones decertare ſuffeciſſet, ſi nõ cęleſti extitiſſet fultus præſidio, ac caſtiſsimi amoris repletus incendio? Minime etenim per ſe in hoc agone valet mortalis infirmitas, quoniam aduerſariis ſuis impar eſt viribus. Quamobrem Dei pia cle-

clementia militibus ſuis quemadmodum præſtat pugnandi cauſam, ita tribuit vincendi præſidium. Agnoſcat igitur homo in tali conflictu propriæ infirmitatis inertiam, inæqualem cum inimicis virtutem, minuſque probatam experientiam. Attollat quoque conſiderationis ſuæ oculum ad Deum a quo vincendi ſortitur auxilium, totiſq; medullis cordis, quoties victor exiſtit, propheticum illud decantando pronunciet dicens: Non nobis Domine, ſed nomini tuo da gloriam. Iterũq;: Impulſus, euerſus ſum, vt caderē & dominus ſuſcepit me. Fortitudo mea & laus mea dominus, & factus eſt mihi in ſalutem. Hæc ſanè veræ humilitatis eſt recta confeſsio, hæc inquam, eſt pugnantium, atque vincentium commendanda cognitio, vt quiſque ſicut bene operandi à Deo accepit gratiam, ita in ſingulis actibus ſuis eidem ſtudeat exhiberi gloriam. Hanc profecto diuinæ laudationis regulam ſanctus didicit Hugo. Nunquam enim ſic proficere valuiſſet in gratia, niſi ſedula mentis exercitatione humilitatis creuiſſet in forma. Nam (ſacro teſtãte eloquio) ſicut Deus ſuperbis reſiſtit, ita conſueuit humilibus præſtare gratiam. Iacob. 4. Ex profectu ergo gratiæ humilitatis virtus, atque ex quotidianis caſibus elationis agnoſcitur eſſe menſura, quod Saulis regis ac ſancti huius certo probatur exemplo, qui ambo humiles, amboque Deo placentes ad regimen ſunt populorum euecti, verum non eodem progreſſu, neq; pari vterque ſunt fine directi. Oblitus quippe propriæ vilitatis ac priſtinæ humilitatis rex eleuatus in concilio, contempto æterni regis imperio, ſe inaniter erigens ſupra ſe factus eſt ex dono deterior, qui debuit eſſe humilior, non autem ſic ſe Hugo pater noſter exhibuit. Eruditus namq; in regulari conuerſatione omnium perfectione virtutum effectus eſt in epiſcopali dignitate deuotior, habitus vilitate deſpectior, erga ſui cuſtodiã vigilantior, atque pro ſalute proximorum feruentior. Subditorum quippe crimina plangebat vt propria, eorum de eccleſiæ patrimonio ſubleuabat inopiam, afflictis compatiebatur ex corde, debiles hortabatur vt pater, ſicque ſingulis ſibi commiſsis miſericordiæ impendebat auxilium, vt illud Iob veraciter dici poſſet: Iob. 29. Benedictio perituri ſuper me veniebat, & cor viduæ conſolatus ſum, oculus fui cæco, & pes claudo, pater eram pauperum, & mœrentium conſolator, flebam quondam ſuper eo, qui afflictus erat, & compatiebatur anima mea pauperi. Ex his & huiuſmodi fraternæ dilectionis ſtudiis fulgentem meritorum cœleſtium ſibi coronam contexit, per quam nedum Deo gratus eſt factus, verumetiam in eccleſiæ domo tanquam matutina ſtella ſanctitatis priuilegio ſupra multos enituit. Eius ſiquidem vita virtutum odore reſperſa, immẽſis miraculis claruit, atque bonorum operum opinione refulſit. Vbique glorioſum nomen reſonabat Hugonis, vndique bonitatis illius clarebant inſignia. Ipſum reges venerabantur vt patrem, clerus ei obtemperabat vt paſtori præcipuo, ægris ſanitatis remedia præſtabat vt medicus: ſicque factus erat omnia omnibus, quatenus omnes Chriſto lucrari valeret. Eccl. 45. Verum quoniam Deum puro ex corde dilexit, ſimilem illum fecit in gloria ſanctorum, magnificauit eum in timore inimicorum, & in verbis ſuis monſtra placauit, glorificauit eum in conſpectu regum & principum, & oſtendit illi gloriam ſuam. In fide & lenitate ipſius ſanctum fecit illum, & elegit ex omni carne. Audiuit quoque vocem ipſius cũ deprecaretur eum, & induxit illum in nube, & dedit illi cor ad præcepta, & legem vitæ & diſciplinę, vt doceret populũ ſuũ mãdata ipſius, erranteſq; reuocaret ad viã ſalutis, religionis & pacis, vt nouã creatori ſuo progeniem acquireret, per quã laus diuina accreſceret, virtutum norma luceret, plebs Chriſtiana proficeret, atque futuræ vitę appareret imago. Propter hęc non delebitur memoria eius de eccleſia Chriſti, & nomen ipſius requiretur à generatione in generationem. Iſta profecto ò domine Ieſu eſt prima ſtola, quã in hac peregrinatione ſanctis tuis tribuis famulantibus tibi in ueritate, & propter te vſque ad mortem ſe humiliando certantibus honorabiles illos reddis, & ſapientia reples, faciſque coruſcare miraculis, vt gratia, quam perceperunt abs te, nota fiat omni populo tuo, glorificentque te habitantem in illis, atque eos imitentur in bonum, quatenus donorum ipſorum mereantur eſſe participes. Es namque pater miſericordiarum, & Deus totius cõſolationis, qui adoptionis filios bonitatis tuę foues in gremio, ſingulis gratiarum tuarum impertiens munera, prout neceſsarium cuique eſſe decernis. Non enim vniformiter illos trahis ad te, neq; oĩbus oĩa prębes, ſed pro libito voluntatis tuę dona largiris, qui lege ſapientię tuę cuncta facis in pondere, numero, & menſura. Hanc quippe gratiarum tuarum diſtributionem Apoſtolus tuus denunciat dicẽs: 1. Co. 12. Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem ſpiritus, & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem dominus, & diuiſiones operationum ſunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Nã vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem, alii quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientię, alii verò ſermo ſcientię ſecundum eundem ſpiritum, alii fides in eodem ſpiritu, alii gratia ſanitatum in vno ſpiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum, hęc autem omnia operatur vnus, atque idem ſpiritus, diuidens ſingulis prout vult. Ex huiuſmodi ſi quidem varietate eccleſię ſponſę tuę veſtis deaurata conficitur, quę à dextris tuis aſtare perhibetur, & coram te ſponſo ſuo rege & domino meritorum diuerſitate decorata refulget. Lętatur quippe in

ſingulis,

ſingulis, quos ſanctificationis generat lauacro, nec ex vnius abundantia in alterius diminutionem ſtringitur: quoniam in omnibus omnia poſſidet tanquam bona mater, & vnica ſpoſa fœcunda & virgo. Non autē ſibi, ſed tibi acquirit filios, neque in ſe, ſed caſtiſsimo charitatis affectu gloriatur in te. Proinde gaudet in omnibus, atque iucundatur in ſingulis, laboratque, vt creſcant in viros perfectos, & in menſuram ætatis plenitudinis tuæ, perueniantque ad te, qui ſuper ſydereas manſiones cum Patre & Sancto Spiritu regnare cognoſceris. Tunc tua illis propalare ſe gloria erit lætitia ſempiterna ſuper capita eorum, gaudium & exultationem obtinebunt, fulgebuntq; tanquam Sol in meridie illuminati abs te, qui vera es lux, quæ omnem illuminat hominem accedentem ad te & credentem in te, tibique adhærentem. Tunc, inquam, vniuerſi, qui tecum erūt, duplicibus veſtientur, vt Deus, vt ſis Deus omnia in omnibus, vt ipſi tecum, ſint vnum ſicut tu es vnus cum patre tuo Deus. Hoc planè quū adhuc in carne eſſes paſsibilis, patri locutus es dicens: Volo, vt ſicut ego & tu vnum ſumus, ita & ipſi vnum ſint mecum, tu in me, & ego in illis, vt ſint conſummati in vnum, qui es beatitudo vera, atque perfecta regnantium in te, qui es Deus benedictus in ſecula ſeculorum, Amen. *Ioan. 17.*

In Dominica de Ramis Palmarum.

QVemadmodū hodierna die ſacri Euangelij patefecit hiſtoria, Hebræorum populus domino Ieſu deſcēdenti de monte Oliueti, vt ingrederetur Hieruſalem, cum ramis oliuarum, ſpatulisque palmarum occurrit obuiam clamans, & dicens. Oſanna filio Dauid, benedictus qui venit in nomine Domini, oſanna in excelſis. *Mat. 21.* Hoc ſanè non fortuitu, neque humana eſt actum induſtria. Nuſquam in ſcripturis diuinis tale quid ſimile legitur, per quod erudirentur hi. Inuſitatum prorſus hoc erat, vt reges huiuſmodi ſublimarentur honoribus, ita vsque ſuſciperentur præconiis. Propterea (ſicut iam dictum eſt) non caſu id geſtum eſt, ſancto præmonente ſpiritu, qui vbi vult ſpirat, & quibus vult, reuelat myſteria. Porro nouo regi nouę venerationis debebātur obſequia, quatenus qui excellebat cæteros dignitate, ab vniuerſis etiam diſcerneretur ſpecialis reuerentiæ forma. Non enim rex gloriæ, & dominus virtutum temporalibus, vt cæteri, debuit ditari muneribus, quū imperio liberrimo vniuerſa poſſideat, dicente propheta: Domini eſt terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuerſi, qui habitant in eo. *Pſal. 23.* Sed neque ſimpliciter ab hominibus honorari, quoniā illi omnes angeli, omnis cœleſtis exercitus famulabatur militia. Illi igitur talis debebatur honor, qui congrueret Deo, taliaq; ſpiritualia obſequia, quæ regiæ ipſius merito conformes fierēt dignitati, quoniam Deus & rex Chriſtus dominus eſt. Eſt quippe Deus verus de Deo patre genitus, conſubſtantialis, coæternus illi, quemadmodum idem pater per Prophetam teſtatur dicens: Tecum principium in die virtutis tuæ, in ſplēdoribus ſanctorum, ex vtero ante luciferum genui te. *Pſal. 109. Eſa. 53.* Quam vtique generationem diuinam alius propheta intuens & annuncians ait: Generationem eius quis enarrabit? Eſt etiam Chriſtus dominus ſpiritualis & verus rex, vnctus nō viſibiliter, neq; materiali oleo, ſed ſpiritu ſancto, queadmodum de eo per Prophetam dicitur: Dilexiſti iuſtitiam & odiſti iniquitatem, propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ cōſortibus tuis. *Pſal. 44.* Vtrūque etenim propalāte paraclito memorati intellexerunt homines. Deum namque venerabātur in homine, quādo tota mentis intentione clamabant, Benedictus qui venit in nomine domini, oſanna in excelſis. *Mat. 21.* Regē verò eundem eſſe fatebantur, quum præmittebant, oſanna filio Dauid. Marcus autem hoc apertius eos dixiſſe declarās inquit: Oſanna benedictus qui venit in nomine domini, benedictum quod venit regnum patris noſtri Dauid, oſanna in excelſis. *Mar. 11.* Sane rex eſt Chriſtus, non vtique militari ſtipatus honore, nō indutus purpura, neque aureo diademate coronatus, ſed ineffabili decoratus gloria, & angelorum innumerabiliū comitatus exercitu, qui omnibus illius obtēperant iuſsis. Hoc ſuæ miniſtrationis officium celebrato aduerſus diabolū triumpho, oſtenderūt in monte, ſicut de eo legitur: Tunc receſsit diabolus ab eo, & angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei, vnde proximus paſsioni Petro ait: An putas, quia non poſsum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quām duodecim legiones angelorū? *Mat. 4. Mat. 26.* Se quoque idem dominus regem eſſe Pilato confeſsus eſt dicens: Rex ſum ego. *Mat. 27.* Verum ne illum talem regem arbitraretur, quales mortales reges ſunt, qui in præſenti ſeculo ad tempus imperāt, inquit: Regnum meum non eſt de hoc mundo, ſi autem ex hoc mundo eſſet regnum meum, miniſtri mei vtique decertarent, vt non traderer Iudæis, nunc autem regnum meum non eſt hinc. Non ait regnum meū non eſt in hoc mundo, ſed ſignanter dixit de hoc mūdo, id eſt qualia ſunt regna iſtius mundi, quę viciſsitudine ſua, perturbationibus, & anxietatibus plena ſunt. De ipſius verò regni qualitate propheta ait. Poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum illius, quod non corrumpetur. *Deut. 4.* Regnat tamen etiam in hoc mundo, dum regit, quos condidit, ſibique ſubiectos ſuum deducit ad regnum, ac reges facit, quemadmodum per Ioannem in Apocalypſi dicitur: Et fecit nos reges, & ſacerdotes, & regnabimus in æternum. *Apoc. 1.* Venit igitur rex noſter humilis ſub carnis fragilitate obtectus in hunc mundi campum cum diabolo pugnaturus, vt illi diriperet domi-

natum, quem in hominibus eo permittente tyrannica temeritate tenebat, noluit autem illum per diuinitatis imperium, ſed per æquitatis ſuperare cęſuram. Hinc ſe ab illo paſſus eſt perſequi, tentari, flagellari, crucifigi, occidique. Quamobrem iuſtitiæ exigente decreto, dum iuſtum peremit iniuſtè, iniuſti principatus, quem ſibi in hominibus vſurparat, amiſit imperium. Hoc igitur aduerſus aereas poteſtates celebrato triũpho regis noſtri ſpiritualis victoriæ ſunt propalata inſignia, præconeſque directi per orbem, qui eadem vniuerſis notificarẽt populis, quatenus ſuum ſpiritualem agnoſcerent regem, illiſque fidelis confeſsionis tributa præſtarent. Totum hoc miſticè ſignificatum hodie fuiſſe cognoſcimus, quoniam futura erat eccleſia congreganda de gentibus, quæ veſtimenta ſua ſpiritualia regis noſtri Chriſti fuerat proſtratura veſtigiis, atque oliuarum frondibus ſanctæ deuotionis vbertate fœcundis trophei ipſius celebratura myſterium. Hoc inquam, quod ab eccleſia myſticè agitur, debet ab vnoquoque fidelium ſpiritualiter exhiberi, ſi tamen non aliter viuere volunt, quàm eo modo, quo Chriſtianæ religionis teſtatur profeſsio. Noſtra igitur (ò fratres) veſtimenta deuote ſternamus in via, ſi gratum cupimus Chriſto laudis offerre obſequium. Verum quoniam omnes duplicibus veſtiuntur, non indumentum ſimplex, ſed veſtimenta Chriſti ſunt ſubiicienda veſtigiis. Eſt quippe corporis, & eſt animæ indumentum, quo fidelis quiſq; Deo militans, ſe debet exuere. Eſt namque terrena ſubſtantia corporis veſtimẽtum ex qua paſcitur, nutritur, & tegitur. Hoc planè liberali affectu exhibendum eſt pedibus Chriſti videlicet pauperibus, qui in Chriſti corpore, quod eſt eccleſia, contemptibilia mẽbra eſſe noſcuntur. Hoc autẽ qualiter ſpiritualiter ſuſcipiat dominus & quã veraciter ſe percepiſſe fateatur, quod pro eius amore erogatur egentibus, in iudicio dicturus eſt iuſtis: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mũdi. Eſuriui & ſitiui, & dediſtis mihi manducare & bibere; hoſpes eram, & collegiſtis me; nudus & cooperuiſtis me: infirmus & in carcere, & viſitaſtis me. Nam quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Videſne quàm ardẽter dominus tuũ abs te cupiat recipere indumentum non quod ſuos nequeat aliunde nutrire egẽtes, ſed vt inueniat in te, vnde tibi bona ſua valeat præſtare cœleſtia? Propter te namque requirit à te, quod præſtitit tibi, quatenus per ea poſsit tibi quandoque etiam tribuere ſe. Da ergo tua, vt illũ, qui te fecit, merearis accipere. Te autem nequaquam volo, vt lateat, quòd nõ omnis ab omnibus eſt eroganda ſubſtantia. Debet namq; qui matrimonio deditus eſt, de propriis facultatibus educare liberos, ſuſtentare familiam, mundique exercere negocia, ac ex opibus ſibi conceſsis iuxta poſsibilitatem communicare egentibus. Meminerint tamen huiuſmodi dixiſſe Apoſtolum: 1.Cor.7. Hoc autem dico fratres, tempus breue eſt. Reliquum eſt, vt qui habent vxores, tanquam nõ habentes ſint, & qui flent, tanquam non flentes, & qui gaudent, tanquã nõ gaudentes, & qui emunt, tanquã non poſsidentes, & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur. Præterit enim figura huius mundi. Volo autem vos ſine ſolicitudine eſſe. Iſta profectò eſt apoſtolica diſciplina, quam in ſeculo viuentibus tradidit. Per ipſam quippe illis minime prohibetur tẽporalium facultatum proprietas, ſed immoderatus coercetur affectus, quatenus ſic terrena bona poſsideant, vt temporalibus ſemper æterna præponant. At vero quicunque renunciantes ſeculo ſanctæ religionis ac paupertatis voluntariæ ſe voto ſtrinxerunt, nihil omnino proprium poſsidere valẽt in terra, quippe quum illis cœleſtis hæreditas ſpondeatur. In horum ſiquidem perſona Propheta cõgratulans ait: Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, Pſal.15. tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi. Non enim amittitur, quod ob amorẽ relinquitur conditoris, ipſo promittente, qui ait, Omnis, qui re- Matt.19. liquerit patrem aut matrem, filios, fratres, aut agros propter nomen meum, centuplũ accipiet, & vitam æternam poſsidebit. Diſce itaque, ò religioſe, nihil proprium habere in ſeculo, vt cęleſtem hæreditatem cõſequi merearis in cęlo. Diſce inquam nedum temporalium facultatum reiicere ſarcinam, verum etiam à te illatum abdicare affectum, ne irrita cenſeatur eſſe profeſsio tua, vt Iudaico animo iterum repetere videaris Aegyptum. Sat tibi ſit monaſteri cõmunis ſubſtantia, de qua vnicuique neceſsaria miniſtrantur abũdè. Ditior prorſus eris, ſi contẽpſeris omnia, quam ſi pecuniarum & gemmarum millia poſsidebis. Memento (quæſo ò monache) qua ſentẽtia Act.5. mulctati fuerint Ananias, & vxor eius Saphira, qui agri venditi ſibi voluerunt retinere particulam. Sic Ananiæ locutus eſt Petrus: Cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te ſpiritui ſancto, & fraudare de precio agri? Nonne manens tibi manebat, & venundatus in tua erat poteſtate? Quare poſuiſti in corde tuo hanc rem? Non es mentitus hominibus, ſed Deo. Parua concupierũt hi, & grauem in ſe mortis percepere ſententiam, vt ſcias, quoniam nõ pecuniarum numeroſitas, ſed immoderatus affectus in iis, qui apoſtolicæ perfectionis regulã profitentur, damnatur à Chriſto. Præbe igitur totũ, qui teipſum dare voluiſti. Vt implearis cęleſtibus, temporalium in te affectum euacua. Porro ridiculum eſt ſpecie tenus & in eccleſiæ facie renunciaſſe terrenis, & cuiuſcunque ſubſtantiæ inhærere ſolatiis. Nunquam conſolationem quis poterit (vt decet) ſentire diuinam, dum quãtulæcunq; rei fuerit inordinato amore detentus. Minime prorſus religioſo con-

ſo congruit quicquam dicere ſuum, vbi omnia omnibus cenſentur eſſe communia. Nónne in exordio naſcentis eccleſiæ legitur vniuerſa iis, quibus cor vnum erat, & anima vna, fuiſſe communia? Huius itaque fraternæ vnitatis regularis obſeruantia gerit imaginem, quæ diuitem nō diſcernit à paupere, ac generoſum non præponit ignobili, ſed ſingulis neceſsaria impertiri iubet, ne liuoris quicquam in Deo famulantibus, ſeu contradictionis germen inſurgat. Rerum quippe vſum tribuit, ſed priuatum damnat affectū. Quamobrem

Religioſe: confid.

prçuaricatores profeſsionis, qui habent propria, vel alienant communia, ſeu abſque ſuperioris licentia mutuo tribuunt conceſsa, tā dure arguit, tā diſtrictè corripit, atque ab vnitatis gremio excommunicando abſcindit. Magna ſiquidem peritia vtitur, dū putridum abſcindit membrum, ne exemplo ſuo corrumpantur & cætera. Ouem quoque morbidam ab ouili reiicit, ne totius congregationis commaculet gregem. Pertimeſce igitur, quiſquis per excommunicationis cenſuram ab eccleſiæ vnitate alienus efficeris, ne in eadem ſentētia corporis & animæ patiaris interitum. Paue ſæuientium beſtiarū incurſus, quæ foris errantes diripere cōſueuerunt. Scito te toties eſſe alienum à Chriſto, quoties per religionis tuæ ſtatuta excommunicaris à prçſule. Noli (quęſo) pro paruis magna, atque pro terrenis commutare cœleſtia. Noli, inquam, pro peritura ſubſtantia participatione carere fidelium. Omnium bonorum, quæ in eccleſia fiunt, communicatione te priuas, ſi excōmunicatus in cordis obduratione perſiſtas. Nam quemadmodum abſciſsū membrum nullo modo vegetatur in corpore: ita inhærens viuificans ſpiritus nutrire non deſinit.

Pſal. 118.

Hoc Propheta inſinuans inquit: Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua. Redi igitur ô excommunicate ad gremium, proprium fatere delictum, expone propria, oſtēde communia, libros, pecuniam, & omne, quod habes in cella abiice, & ante pedes te ſtatue præſidentis, humique proſtratus veniam pete, & impoſitum pœnitentiæ onus amplectere. Elige potius in conuentu fratrum, quam angelorum ruborem accipere. Quid tibi proderit, ſi tuum volueris celare delictum, cum in iudicio palam futurum ſit omnibus? Dic tu iniquitates tuas prius, quam conuincaris in crimine. Age ſponte quod quandoque patieris inuitus. Prophetico admonitus oraculo confeſsionis medelam aſsume, detrimentum vt non patiaris æternum.

Pſal. 31.

Dixi (inquit ille) confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Nunquam niſi confeſsione mediāte, remiſsionem percipies peccatorum. Si deliquiſti, confitere, quoniam exinde veniam conſequeris & gratiam. Solue vincula colli tui ô monache, faſciculos reiice deprimentes, proprietatem prohibitam tibi habere noli, omnibuſque (quemadmodum promiſiſti) ex corde renuntia, vt Chriſti ſeruus fidelis exiſtas. Hoc ſane ſi rectè perficies, veſtē vnam ante tui veſtigia proiicies redemptoris. Cæterum ſi carnem tuam pœnitentiæ flagello mactabis humiliter, ſtrauiſti & alteram. Admonentem apoſtolum audi: Obſecro (inquit) vos fratres per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuētem, ſanctam, Deo placētem, rationabile obſequium veſtrum. Rom. 12.

Obſecrat corpus exhiberi in laboribus, in ieiuniis, in vigiliis, in fame & ſiti, in frigore & nuditate, vt eſse valeat hoſtia viua, ſancta, Deo placens, atque perfecta. Nouerat excellētiſsimus doctor, quàm petulanter aduerſus ſpiritum laſciuiat corpus, quantumcunque virtutis renitatur bono, ſi abſque pœnitentiæ eruditione permaneat; propterea hortatur, vt ſub temperantiæ coerceatur iugo, ipſiuſque immoderata refrçnetur voluptas ne ſibimet ruina efficiatur & animæ. Hoc procul dubio pçnitentiæ magiſterium conditori noſtro gratiſsimum eſt, adeo vt ab illo ſuæ prædicationis exordium ſumpſerit dicens: Pœnitentiā agite, appropinquauit in vos regnum cçlorum. Matt. 3.

Hoc inquam pçnitentiæ exercitium cōmune eſt omnibus ſanctis, qui oculis diuinæ maieſtatis dū placere deſiderant, carnem ſuam, quam naturaliter diligunt, præter neceſsitatē vltimam fouere refugiunt. Per Hebrçorū igitur turbam, de qua Euangelicus hodie ſermo proloquitur, ſignificatū hoc fuiſse cognoſcimus. Veſtimenta illi lana linóque contexta deponunt, ſancti autem omnem terrenarum rerū proprietatem affectumque reiiciunt corpora ſua in redemptoris redigentes obſequium. Illi inquam, oliuarum ramos, frondeſque palmarum geſtabant in manibus, hi autem deuotionis virentem guſtum tenentes, in corde pro quotidianis triumphis in gratiarū ſemper actione conſiſtunt. Hinc ſanctæ ſpei charitatiſque refecti dulcedine iucundum in ſpiritu carmen piæ modulationis exoluunt. Huiuſmodi iubilationis cātico repleri Propheta cupiebat, quum diceret: Pſal. 70.

Repleatur os meum laude, vt cantem gloriā tuam tota die magnitudinē tuam. Quicunque carmen illud didicerunt promere, quantum intimæ charitatis abundent delitijs optime ſciunt. Quamobrem non ſemel tantum, bis, vel ter, ſed die integro id frequēter deſiderant. Non enim valet inferre faſtidium, quod amore complet viſcera, replet cor lumine, deuotione inebriat mentem, ſpiritū exultare cōpellit, ipſamq; venire dilectam in caſtos ſpōſi trahit amplexus. Tunc planè nihil vacat à gaudio, nil pauidū ſpōſç miſcetur affectui. Omnis interioris domus lçtatur familia, atq; cuncta, quç agitur ſapit actio, cordis affatim redūdante dulcedine. Talia interpellante oratione Propheta fuerat expertus, qui ait: Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deū viuum. Porro tunc in Pſal. 83.

Deum viuum cor & caro rectiſsime exultare perhibentur, quum infuſo deſuper diuinæ cognitionis ſplendore amore cor tangitur, ſponſique præſentia adeſſe ſentitur. Ex qua etiam exterior homo participans ſpiritui famulatur, diuina perficit iuſſa, atque miſericordiæ operibus gratanter inſiſtit. De iis qui ad memoratam internæ dulcedinis attigerunt perfectionem, inquit Propheta: Pſal. 88. Domine in lumine vultus tui ambulabunt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iuſtitia tua exaltabuntur, quoniam gloria virtutis eorum tu es. Diſce igitur quiſquis es, qui concupiſcis huiuſmodi amoris experiri prçludia, temporalia cuncta affectu deſerere, & corporis voluptatibus repugnare. Diſce, inquam, iugiter redire ad te, & mentis exercitatione inſiſtere, per quam formata oratio deuotionis ſubminiſtrat guſtum, atque contemplationi aditum pandit. Iſta profecto tunc irreprehenſibiliter (vt arbitror) complere valebis, quum poſt vitiorum dura certamina, poſt immundorum ſpirituum importunos inſultus pro adeptis virtutibus atque ſapientię infuſo ſplendore gratias redemptori tuo exhibere ſtudebis, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat Deus in ſecula ſeculorum, Amen.

Sermo exhortatorius ad conuerſionem & ad emolliendam obdurata corda.

Ioiel. 2. CONuertimini ad me, inquit propheta, imo dominus per prophetam, in toto corde veſtro, in ieiunio, & fletu, & planctu, ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra. Auerſis itaque & peccatoribus loquitur, iis videlicet, qui ſpreto conditoris ſui imperio, neglectiſque diuinę legis inſtitutis ambulant poſt deſideria cordis ſui, & nolunt ſe conuertere, vt ſalui fiant. Illos admonet antequam feriat, illos reuocat ad ſenſum intelligentię, ne contemptores iuſtè damnet. Non eſt talis, vt lętetur in perditione morientium, neque vult peccatoris mortem, ſed potius vt conuertatur & viuat. Diligit facturam ſuam opus manuum ſuarum, amatque imaginem ſuam non ſculptam in marmore, nec in parietibus pictam, ſed quam impreſsit in anima, ſicut ipſe ait: Faciamus hominem ad imagi- Gen. 1. nem & ſimilitudinem noſtram. Hanc in perdita oue centeſima relictis nonaginta nouē in mōtibus requiſiuit. Hanc & in dragma decima abſconſa dilexit, propter quam reperiendam lucernam accendit, euertit domum, omniaque commouit. Solicitudinem omnem exhibuit, vt quod Luc. 15. amiſerat, inueniret. Nouerat ipſe, qui fecerat, quanti eſſet quod perierat. Proinde nō eſt paſſus vt ſub aggere terrenarum voluptatum lateret, deliteſcendoque periret homo, quem ſua ſimilitudine decorauerat, atque ad ſuam condiderat gloriam, quatenus illum agnoſceret, agnoſcendo diligeret, & diligendo ad ipſum quandoque veniret futurus de ſui viſione beatus. Nam per illum ſtatuerat vt angelorum, qui cōtra Deum ſuperbiendo ceciderant, redintegraretur numerus, ac ſupernæ Hieruſalem collapſæ reſtaurarētur ruinæ, quemadmodum Propheta dominum deprecatus eſt dicens: Benigne fac domine in bona Pſal. voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Hieruſalem. Egit autem hoc non neceſsitate compulſus, cum aliter quam per hominem id poſſet perficere, cùm omnipotens ſit, illique ſuppetat omnia poſſe, dū vult, ſicut Pſalmus ait: Omnia quæcunque Pſal. 113. voluit dominus, fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyſsis. Abſurdum profecto eſt credere Deum ſpeciei indiguiſſe humanæ vt angelorum reformaret ordines, qui antequam ipſam plaſmaret, vniuerſa creauit ex nihilo atque ad ſui miniſterium numeroſitatem condidit angelorum, ſicut per Paulum dicitur, Nonne omnes Heb. 1. (inquit) adminiſtratorij ſpiritus ſunt in miniſterium miſsi propter eos qui hęreditatē capiunt ſalutis? Hoc igitur non defectu egit poteſtatis, ſed ex mera ſua ipſius liberrima charitate, quę de largifluo æternæ bonitatis fonte abſque ſuæ gloriæ detrimento ſua ſuis nō deſiit dona concedere. Verum quum homo idem in paradiſo voluptatis locatus fuiſſet, ſeductorique angelo præbuiſſet aſſenſum, in huius peregrinationis exulauit loco, vbi in latrones incidit, qui exuētes eum immortalitatis tunica, ac maxima ex parte naturalibus & gratuitis donis, plagis multis impoſitis illum ſemineccem reliquerunt. Hunc illac præteriēs vidit quidam ſacerdos, qui legis typum tenet, atque nullo medicamento eidem adhibito pertrāſit, quoniam (Apoſtolo teſte) nihil ad perfectum Heb. 7. adduxit lex. Si enim data eſſet lex, quæ iuſtificare poſſet, iam gratia nō eſſet gratia. Potuit enim lex ægrum agnoſcere, inter leprā & lepram diſcernere, illi compati, cum verò minime ſanare. Hæc in porticu Salomonis figurata eſt, quæ languentes in ſe tenere poterat, nequaquam verò curare. Eundem quoque ægrum vidit Leuita quidem illac trāſitum faciens, qui prophetarum in ſe figurabat authoritatem, & nullo impēſo curationis auxilio præteriit. Potuerunt nāque prophetæ iuſtorum merita, peccatorumq; denunciare ſupplicia, ſed veniam nullo modo delinquentibus dare, quoniam & ipſi peccatores erant, & Dei miſericordia ſicut cęteri indigebant. Vnum eorum confitētem audi: Omnes ſicut oues errauimus, Eſa. 53. vnuſquiſque declinauit in viam ſuā. Pſal. 13. Alius verò ait: Dominus de cœlo proſpexit ſuper filios hominū, vt videat, ſi eſt intelligens aut requirens Deum, omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum non eſt vſque ad vnum. Poſtremo Samaritanus piiſsimus, qui & ipſe ab Hieruſalem deſcenderat in Hierico, mox vt languidum iſtum intuitus eſt, ſuper eius miſeria compaſsione permotus, appropinquans

ligauit

ligauit vulnera illius infuſo deſuper compunctionis vino, atque miſericordiæ oleo, ſuoque illum imponens iumento, eccleſiæ duxit ad ſtabulum mandans rectoribus eccleſiarum, quatenus diligentem erga eum curam adhiberent, donec conualeſceret, ſpondenſque ſe illis redditurum, quicquid pro eius ſupererogauerint valetudine. Qui legit intelligat, quoniam hæc parabola reſtaurationis ac redẽptionis humanę modum declarat & ordinem. Deſcendit Dei filius per carnis ſuſceptionem in hoc ærumnoſum exilium factus hominum cuſtos, atque redemptor. Agnouit iacentis vtriuſque hominis calamitatẽ, fouit ſacramentorum remediis vlcera ipſius, portauit ſuper ſe in cruce pendens, omnium iniquitates, ſicut per Prophetam dicitur: Verè lango-
Eſa. 53. res noſtros ipſe tulit, & infirmitates noſtras ipſe portauit. Nos reputauimus eum quaſi leproſum & percuſſum à Deo & humiliatum: ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, diſciplina pacis noſtrę ſuper eum, & liuore eius ſanati ſumus. Solus igitur Deus Dei & hominum mediator homo Chriſtus Ieſu humani generis valuit mederi langoribus, qui peccatum nullum fecit, neque in ore ipſius inuentus eſt dolus. Quamobrem quia ſolus inter mortuos ab omni culpa extitit liber, rationabiliter potuit infirmi vulnera curare, ipſumque priſtinæ reſtituere libertati, quemad-
Ioan. 8. modum in euangelio ipſe ait: Si filius liberauit
Eſa 43. vos, verè liberi eritis. Nam & per prophetam
Eſa. 61. inquit: Ego ſum, qui deleo iniquitates tuas. Per Eſaiam quoque cauſam aduentus ſui ad nos, & effectum denuncians ait: Spiritus domini ſuper me, eo quod vnxit me dominus, ad annunciandum manſuetis miſit me, vt mederer contritis corde, & prędicarẽ captiuis indulgẽtiã, & clauſis aperſionẽ vt prædicarem annum placabilem domino, & diem vltionis Deo noſtro, vt conſolarer omnes lugentes, & ponerem conſolationem lugentibus Sion, & darem eius coronam pro cinere, oleum gaudii pro luctu, pallium laudis pro ſpiritu mœroris. Videſne, ô homo, quid à Deo per mediatorem tuum perceperis? Agnoſce, quæſo, quantum ipſe cuſtos te dilexerit & redemptor, qui tanti te æſtimauit, vt pro tuorũ medela facinorum ſanguine ſuo antidotum faceret, quo tuis vulneribus appoſito ſanareris. Hoc autem egit, quando pro te mori dignatus eſt effuſo in redemptione præuaricationum tuarum proprio cruore, per quem nedum redimeret, verum etiam potaret te, ſuoque inebriaret a-
Pſal. 22. more, quo hauſto lætificatus clamares & dice-
Pſal. 115. res: Calix tuus inebrians quàm præclarus eſt Domine. Quid igitur retribues domino pro omnibus, quæ tribuit tibi? Quid, inquam, proprio rependes autori, qui te quæſiuit, inuenit, atque à dæmonum morſibus te in humeris ſuis baiulãs redimendo ſaluauit? Poteriſne continere te, vt non eius admonitionibus obtemperes, qui te tã ſedulo hortatur, vt redeas, & conuertaris ad ipſum? Noli (obſecro) ad vocem ipſius obſurdeſcere, quemadmodum populus Hebræorum per annos quadraginta fecit in eremo, propter quod offenſus dominus omnem generationem illam peremit in deſerto, prohibuitque (exceptis duobus) ne quiſquam eorum, qui obdurauerunt corda ſua, in repromiſsionis ingrederetur terrã, patribus eorũ lõgè ante promiſſam. Prius verò quã illos percuteret, ſigna ingentia propter ipſos in Aegypto exhibuit, mare rubrum ante eos diuidẽdo ſiccauit, inſequentes omnes pariter ſuffocauit in aquis. Manna de cœlo præbuit, de quo eos annis quadraginta cibauit, quatenus ex perceptis beneficiis, viſiſque miraculis erudirentur ad fidem, diuinis in præceptis implendis promptiores, atque ad tollerantiam aduerſorum exiſterẽt fortiores. Nam Dei clementia conſueuit (vt plurimum) ante electos ſuos beneficiis ad ſe trahere, quàm terroribus, quoniam potius amari deſiderat, quàm timeri. At verò poſt collata munera, poſt reiteratas exhortationes ſi obtemperare neglexerit homo, illum terroribus pulſat, flagellis percutit, variiſque calamitatibus premit, demumque obtenebratum atque obſtinatum damnat, quemadmodum Pharaoni & exercitui eius eueniſſe cognoſcimus. Quamobrem ô præuaricatores redite ad cor, vt poſsitis audire ſonitum pulſantis ſapientiæ, & ad vos introire cupientis. Reuertimini, ò contemptores, ad correptionem; vos, inquam qui à Deo auerſi eſtis, & obduratum habetis cor atque impœnitens. Exorantis & exhortantis ipſius ſapientiæ verba mentis aure percipite, monitiſque eius ſaluberrimis aſſenſum præbete, quę ait: Nunc ergo, filii, audite me, beati qui cuſtodiunt vias meas, audite diſciplinam, & eſtote ſapientes, & nolite abiicere eã.
Beatus vir, qui audit me, qui vigilat ad fores Prou. 8.
meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtii mei. Qui me inuenerit, inueniet vitã, & hauriet ſalutẽ à domino. Quanta dilectione vos inuitet ad veniam, intelligite, quantiſve ſpiritualibus donis vos locupletare deſideret, conſiderate. Emolliat (quæſo) lapideum cor veſtrum illius amoris flãma, beneuolentia reuocet, pulchritudo alliciat, promiſſa erigant, & erogata accendant. Erumpant abſque dilatione oculi veſtri lacrymarum flumina, ingeminentur ſuſpiria, veſtrique gemitus compunctionis iudices cœlum compleãt. Omnis etiam à vobis propulſetur duritia, & pernicioſa deſperatio repellatur, quæ miſericordiæ fontem euacuat, paradiſi ianuas claudit, diuinæ pietatis exiccat viſcera, indulgẽtiæ obturat ſemitas, ſpei fiduciã adimit, atque bonorum omnium plenitudinẽ perdit. Parabolæ patrisfamilias memẽtote, qui contẽptus ab iis, quos ad ſuã inuita-

Luc. 14. uerat cœnam, ſeruo ſuo mandauit dicens, Exi citò in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, cæcos & claudos compelle intrare, vt impleatur domus mea. Niniuitarum poſtremo vos inuitet pœnitentia, informet humilitas, confirmet & gratia. Porro apud Deum nulla eſt irremiſsibilis culpa, quum ex cordis ſynceritate humiliter poſtuletur venia. Quid (oro) in peccatrice iuſtificata fuit, niſi lachrymarum effuſio, animique compunctio? Fleuit poſt negationem Petrus, & priſtinæ reſtitutus eſt gratiæ. Compleuit dominus in his duobus, quod prophetico prædixerat ore: Ezech. 18. Quotieſcunque ingemuerit peccator, non recordabor amplius iniquitatum ſuarum. Quid delinquēti hac promiſsione dulcius? Quid deſperato, & vniuerſorū flagitiorum pleno amabilius? Quidve ad emendationis bonum dici potuit efficacius? Gemat peccator ex corde, pœniteat ex corde, deprecetur ex corde, & exaudietur. Nulla veniæ interueniet mora, vbi compuncta eſt conſcientia, quoniam Dei miſericordia eſt paratior ad ignoſcendum, quàm ad puniendum, dicente Pſalmographo, Pſal. 29. Quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius. Nunquid voluntatis meę eſt mors impij (ait dominus) & non magis vt conuertatur & viuat? Benignus planè eſt & præſtabilis ſuper malitia veſtra, duntaxat non ſit voluntaria neque ex ſtudio perpetrata. Huiuſmodi nullo modo meretur indulgentiam, quoniam quandiu viget in animo, diuinæ aduerſatur bonitati. Cæterum ſi illius pœniteat hominem, parcit Deus, ſi verò perſeueret in ea, punit, tanto grauius, quanto magis patienter tolerat. Nam grauitatem ſupplicij longanimitatis expectatione compenſat. Quamobrem ò tu, qui hactenus in tuis extitiſti ſceleribus obſtinatus, ne differas conuerti ad dominum, à quo auerſus es. Rom. 2. An diuitias longanimitatis & bonitatis eius contemnis? Hoc ſi agis, ſecundum duritiā tuam & cor impœnitens, theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicij Dei. Theſaurizas tu tibi iram, quum deſpicis diuitias bonitatis Dei quę ad pœnitentiam te inuitat, quam minime valebis effugere, ſi neglexeris pœnitere. Nam ſi iuxta Apoſtoli Petri ſententiam 2. Petr. Deus angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit in iudiciū cruciandos reſeruari, tibi ne parcet vermiculo & in proximo morituro? Quæ eſt (oro) dementia tua, vt indignationem Dei non verearis incurrere, gehennę metum non habeas, mortem ſecūdam non expaueſcas, teterrimūmque inferni carcerem ſempiternaliter inhabitare non trepides? vbi vermis eorum, qui aderunt, non morietur, neque eorum extinguetur ignis, ſed ſtridor erit dentium, horrida dæmonum viſio, palpabiles tenebræ, fœtor ſulphuris irreuocabiliſque ſententia. Experire (quæſo) vtrum materialis huius flammę vel ad momentum poſsis, ſuſtinere incendium, ſi mutilationem membrorum, ſi carceris ſqualorem, ſi cætera quæ damnatis irrogantur, ſupplicia. Iſta dum certo experimento cognoueris eſſe intollerabilia, dira, atque humanæ naturæ inimica, reſipiſce, plora, de tuis emenda te criminibus, & fructuoſam age pœnitentiam, vt non te inuoluant peccatorum tenebrę, repentinus non te inuadat interitus, neque iudex omnium oris ſui virga percutiat. Tunc clamabis, & non exaudieris, inuocabis, & non erit qui te liberet. Tibi clauſum erit cœlum, à te ſuffragia fient aliena ſanctorū, ſuper te minime lucebit miſericordiæ ſol, neque pietatis lucerna illuminabit te, quoniam dum poteras, repuliſti eam, tèque gratia ipſius exhibuiſti indignum. Aequalem cum virginibus fatuis excipies ſententiam, quæ nuptiarum obſeratis ianuis ſancto charitatis oleo neglecto, nemineque pro eis interpellante, ante fores poſitæ ingeminantes dicent, Domine, domine aperi nobis. Matt. 25. Hæc autem vniuerſa deuitabis incommoda, ſi ſponſi vocem dicentis audieris: Matt. 24. Vigilate itaque, quia neſcitis diem neque horam. Quamobrem redire ad te ſuadeo tibi, qui hactenus cor impœnitens habuiſti, euigila (quæſo) à grauiſsimo ſomno præteritorum facinorum. Excute omnem à te torporem, ac manu quadam ſanctę ſpei deſperationis vincula ſolue, vt facilius poſsis volare ad Chriſtum, qui extenſis in cruce brachiis ad te amplexandum, aperto latere ad te ſuſcipiēdum, inclinatoque capite ad te deoſculandum tuum nimio cum amore præſtolatur aduentum. Accede igitur ad eum in ſpiritu humilitatis, & in animo contrito ad ipſius te volue veſtigia, eius pedes lacrymis laua, exterge capillis, ac deuotionis vnguento liniens dic: Luc. 15. Pater peccaui in cœlū & coram te: iam nō ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut vnum de mercenariis tuis. Inde autem nullatenus recedas, donec placatum ſenties patrem, recipiaſq; ſtollam primam, in manibus anulum, calceamenta in pedibus, atque ſaginati vituli paſcaris edulio. Tunc confuſionis & mœroris lugubri indumēto depoſito, nuptiali verò veſte ornatus exultationis & confeſsionis carmen decātabis & dices: Pſal. 93. Niſi quia dominus adiuuit me, paulominus habitaſſet in inferno anima mea. De cętero autē effectus iuſtior chariſmata meliora percipies, per quæ ex quotidianis eruditus profectibus ſenties quàm bonus ſit Iſrael Pſal. 72. Deus iis qui recto ſūt corde, qui eſt Deus benedictus in ſecula ſeculorum, Amen.

DIVI LAVRENTII IVSTINIANI DE CHRISTI

Corpore, Sermo deuotiſſimus.

HVmanus affectus, quamuis in ſingulis naturaliter vigeat, eſt tamen ſemper ne tepeſcat, ſeu deficiat funditus, beneficiis nutriendus. Nam quemadmodum materialis ignis incendium pedetentim, niſi vnde nutriri valeat frequēter ſuperadiiciatur, minuitur, ita & mutuus mortalium amor, ſi non crebris beneuolentiæ exerceatur officiis. Sarmentis & oleo accēſa perſeuerat flamma, & dilectionis affectus humanitatis obſequio, eoque dulcius ſe diligentes conglutinat, quò crebrius præſtantiora viciſſim fuerint prærogata ſeruitia. Hinc redemptoris domini noſtri Ieſu charitatis patet ſublimitas. Nam ex impenſis beneficiis, quotidianiſque muneribus ignitæ dilectionis ipſius agnoſcitur vehementia. Dignare igitur ò homo redire ad te, tacitaq; conſideratione perſcrutari, quanta tibi Deus tuus conditor & redemptor prærogauerit dona quatenus ex ipſis intelligas quo te amore diligat, quove te pietatis amplexetur affectu. Hoc ex numero, huc luculenter ex beneficiorum qualitate percipies. Nempe ſi autoris tui dona dinumerare volueris, arenam maris, guttas pluuiarum, & multitudinem reperies ſuperare ſtellarum. Si autem qualitatem attendas, tuam omnino cōditionem, tuaque tranſcendunt merita. Quippe quum vniuerſa ex largiflua opificis ſummi bonitate prouenīant. In huius itaque tuæ meditationis fronte ſtatue ante te, vt corporis tui originem, hanc animæ rationalis ſublimitatem agnoſcas. Quis (oro) te condidit? quis antequam fieres, te produxit ad lucem? Nunquid humano fuiſti procreatus arbitrio? tuorumque parentum conceptus, atque formatus ingenio? Erras prorſus, & à veritatis limitibus nimium deuias, ſi taliter opinaris. Qui enim nequierunt ſe, te quomodo facere potuerunt? Qui enim verbo ſuo ſempiterno condidit omnia, illos pariter fecit & te. Prophetam confitē-

Iob. 10. tem audi: Manus tuæ, inquit, domine fecerunt me, & plaſmauerunt me. Fecerunt vtique prius de limo, deinde plaſmauerunt in vtero, quatenus notificarent vniuerſorum Deum eſſe autorem.

Gen. 2. Vtrunque diuina teſtantur eloquia. De inſtitutione namque primi hominis ſic legitur: Formauit igitur dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem. In perſo-

Iob. 10. na verò cunctorum quid beatus Iob loquatur obſerua: Memento quæſo, quod ſicut lutum feceris me, & in puluerem deduces me. Nonne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut caſeum me coagulaſti? Pelle & carnibus veſtiſti me, oſſibus & neruis compegiſti me. Ipſum quoque dominum per Prophetam eadem perhibentem attende: Priuſquam te formarem, inquit, in vtero noui te. Signanter ait te Hier. 1.

formarem in vtero, ne alium quàm ipſum tui corporis crederes eſſe factorem. Te igitur Deus de humano ac viliſsimo ſemine matris tuæ formauit in vtero, corporis organum diſtinxit per partes, diuiſit artus, ſenſus diſpoſuit, ſinguliſque propria indixit miniſteria, vt non eſſet ſchiſma inter eos, ſed compago indiſſolubilis, amoris vinculum, vnitatis exemplum, dilectionis forma, decus ſapientię, & corporis eccleſię ſimilitudo vel optima. In ipſo autem corruptibilis corporis vaſculo, per quod plurima vales elicere rudimenta virtutum rationalem infundit ſpiritum qui nō ſolum corporis vegetaret organum, verum etiam conditorem proprium intelligeret, atque diligeret. In ipſo Dei fulget ſapientia, quoniam illius præclaram gerit imaginem, quam in creationis ſuæ ſumpſit initio. Quum enim totius trinitatis conſilio Gen. 1.

plaſmari debuiſset homo, dictum eſt: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtrā. Non de corpore ipſius ex limo compoſito dicitur, ſed de intellectuali ſpiritu, qui immortalis effectus eſt, ſpiritualis naturæ inſignis, beatitudinis capax, ęternitatis amator, corpora omnia, ſiue terrena, ſeu cęleſtia ingenita dignitate tranſcendēs. In hac parte idem homo cæteris eſt prælatus animantibus, quæ ſuperficiem habitant terrę, vel in aquis & aere ſentiendo viuunt. Hoc diuinus perhibet ſermo, qui homini formato inquit: Creſcite, & multiplicamini, & replete terrā, & ſubiicite Ibid.

eam & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & vniuerſis animantibus, quæ mouentur ſuper terram. Hinc inſolentia damnatur mortalium, qui in hominibus contra conditoris legē, & iura naturæ volunt ſibi vendicare primatum, quum animantibus ſolum irrationabilibus prærogatiua dominandi eiſdem concedatur ex munere. Cęterum, quia neceſse eſt, vt etiam in hominibus ſint, qui pręſint, & aliis imperent, ne fiat confuſio, quę ex inordinatione cauſatur: Sic pręeſse debent, quibus regiminis onus iniungitur, quatenus humilitatis & humanitatis minime prętergrediantur limites, ſed mortales delictorū faſce obrutos, paſsionib. deditos ſe eſse agnoſcāt, illiſque ſimiles, quibus pręlati ſunt & ſi non officio, ſeu miniſterio, certe tamen natura & conditionis ordine. Non enim aliam calcant terram, alium ſpirant acrem, altera Solis perfruuntur luce, aliumve Deum iſti habent, quam illi, qui gradu inferiores ſunt. Perſępe autem contingit, vt coram Deo meritis præcellant, & præſtantioribus donis ſpiritualibus fulgeant, qui famulantur, quam qui imperare videntur. Non perſonarum acceptor eſt Deus, nec cuiuſpiam conſiderat dignitatem, carnis proſapiam, & honoris pręſidentiam, ſed virtutes, ſed deſideria, ſed cordis ſimplicita-

citatē, ſed innocentiā vitæ. Quaobrē nullus extollat de munere, nemo ex prælatione intumeſcat. Studeat verò quiſquis primatus recte cupit honorem, abſque honoris concupiſcentia aliis ſublimior eſſe virtutibus & cæteris ſanctitate præcellere. Huiuſmodi principandi ardor gratiſsimus eſt Deo, nec tamen hominibus oneroſus, quoniam qui ſic præeminet, ſe cunctorum arbitratur eſſe minorē, ſeque ex humilitate interius deiicit, & ſi non ſemper exterius. Nouit quidem periculum præſidendi, eloquio dicente diuino: Iudicium duriſsimum fiet in iis, qui præſunt. (Sap. 6) Nouit, inquam, infirmitatem propriam, humanam conditionem, elationis iacturam, humilitatis gratiam, ipſiuſque faſtigium. Sciens igitur quoniam ante ruinam exaltatur cor, & abominabilis eſt Deo omnis mente ſublimis, magnopere honoris refugit cathedram, aliis imperare formidat: ſeque, vt honorabiliter eleuetur, humiliat, concupiſcitque ex corde abiectus eſſe coram domino & in oculis hominum, magis quam ex elatione damnatus in faſcibus dignitatum, habitare in tabernaculis peccatorum. Verum iſtiuſmodi, etſi ex impoſito paſtoralis curæ regimine, contingat non habere in terra, præſidentem ſibi vniuerſis nihilominus dominantem Deum fideliter veneratur in cælo, intelligens proculdubio, nedum quod habet, verumetiam ab illo percepiſſe quod eſt. Honora itaque, ô homo, conditoris tui, quam in te geſtas, imaginem, ſpirituale ipſius excole templum, quatenus in te ſuam deputatam ſimilitudinem diligat, reformatam agnoſcat imaginem, atque vnà cum patre ſuam delectabiliter apud te inſtituat manſionem. Ad hoc quippe fecit te, teque ideo dominus Deus tuus præſtitit tibi, non vt tuus, neque alterius, ſed vt eſſes ſuus, tecumq; inſeparabiliter habitaret. Sane ſibi de te retinuit principatum, vt ſemper eum, à quo factus es, decenter honorares: illum timeres, qui ſupra te eſt ipſumque toto corde diligeres, à quo non ſolum creationis excellentiam, ſed & vniuerſi famulatū ſuſcepiſti. Corporū nẽpe cœleſtiū, ſoli videlicet, lunæ, ſtellarumque tibi ſplendorem exhibuit, tribuit miniſterium, obſequium præſtitit, & eorum tibi delectabilem ſatis prærogauit aſpectum, quatenus tot amoris facibus tuum accenderet cor, quo radiantium ſyderum decore tuum oblectaret obtutum, terræ fœcunditatem, pomorum ſpecies, amœnitates nemorum, herbarum virtutes, vernantium roſarum fragrantem ſuauitatem, & florum, concentus auicularum harmonicos, diuerſa quadrupedum genera, proprietates eorum. Et quicquid natat in flumine, viuit in aquis, mouetur in gurgite, ſeu æquoris profunda perluſtrat, inſtituit, vt tibi in alimentum eſſent corporis, tuæ fierent peregrinationis adminiculum, ſolatium vitæ, impenſæ claritatis exemplū, timoris documentum, honoris tui indicium, atq; omnium conditoris ſpeculum valde perlucidū. Bona igitur naturæ, creaturarum munera & vniuerſi ordinem beneficium tuum eſſe cognoſce. Illo vtere ad ſalutem, ad profectum exerce, contemplare pro gaudio. Te vſus doceat, ſuadeat ratio, viſibilia, & inferiora ſui famulatus tibi teſtentur finem, quatenus in illis, dona tui plaſmatoris intelligas, ipſumque intentione aſsidua laudare non deſinas. Dedit itaque inferiora, dedit & ſuperiora, corporalia & ſpiritualia, vt miniſtrent tibi. Sic enim de ſpiritualibus, id eſt angelicis ſpiritibus Propheta loquitur, dicens: Qui facit angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignem vrentem, (Pſal. 103) facit (inquit) ſpiritualem naturam angelos ſuos, videlicet nuncios, & miniſtros in prædeſtinatorum obſequium. De hoc & Apoſtolus ait: (Heb. 1) Nonne omnes adminiſtratorii ſpiritus ſunt in miniſterium miſsi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis? Nequaquam autem propter ſe diriguntur, quoniam eorum nequeunt augeri merita, neque minui, ſed ob ſalutem illorum, qui per gratiam regni cæleſtis hæredes ſunt facti, & perpetuæ fęlicitatis percipiunt donum. Iſtis ſpecialiter angelorum impenduntur miniſteria, ne Satanæ ſeducti aſtutia, ſiue carnis illecti blanditiis aberrent, & a veritatis ſemita greſſus reflectant mẽtis. Hinc eſt quòd eos in huius peregrinationis naufragio, ne periclitentur, protegunt, præbent conſilia ſalubria, deprecantium orationes perferunt, coram Deo offerunt vota, ſupplicationes impetrant, reportant gratiam, torporem excitāt, de ignotis erudiunt, inſtruunt ad certamen, ſpirituales arcent nequitias, excitant ad vitam, atque indeficientem imbecillitati humanæ cuſtodiam exhibent. Cuncta ergo, quæ creata ſunt, ſiue cæleſtia, ſiue terrena homini ad profectum ſunt pręſtita, ipſiuſque eſſe cenſentur. Vnde Apoſtolus hoc denuncians ait: Oīa veſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollo, ſiue Cæphas, ſiue mundus, ſiue vita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura. Oīa veſtra ſunt, vos autem Chriſti. (1. Cor. 3) Perpendiſne, quam honorabiliter ſublimatus ſit homo, cui vniuerſa ſunt tradita? Cęlum, tellus, maria, flumina, elementa & omne quod graditur ſuper terram, ex illa gignitur, aut ſpirat in lymphis, vel viuit in cælis, vt ſunt angeli, archangeli, virtutes principatus, & poteſtates. Vniuerſa hæc hominum ſaluti, & præcipuè prædeſtinatorum inſeruiunt, tametſi ſpirituale ex his ignorent elicere commodum. Nam quemadmodum ſol, quum radios ſuos diffundes per orbem non minus lucem mortalibus ſubminiſtrat, dum ab illius ſplendore ſe ſponte ſubducunt, quàm quum ipſa delectabiliter perfruuntur, ita nec creaturarum numeroſitas à proprio deficit miniſterio, quando rectus earum negligitur vſus, ſicut quum ad gloriam dirigitur conditoris. Nempe quæcunque facta ſunt, impoſitum ſibi exercent miniſterium ea, qua ſibi ab autore indi-

indictum eſt, lege, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit miſericordiæ ſuę imbrem ſuper iuſtos, atque iniuſtos. Nemini ſubtrahunt iniunctum pietatis officium, nullumque diſcernunt peccatorem nec ſanctum, ſed omnibus vniformiter prodeſſe velle noſcuntur, quamuis electis tantum proficiant in charitatis augmentum, Reprobis verò ad ingratitudinis eorum iudicium, eorumque iuſtæ damnationis teſtimonium. Sap. 5. Quamobrem ſicut legitur, pugnabit pro eo orbis terrarum contra inſenſatos. Pugnabit (inquam) miniſterii ſui obiiciendo dona eorumque abuſus improperando delicta. Tantorum igitur criminum illos reos eſſe conuincet, quantorum beneficiorum eoſdem inſinuabit extitiſſe ingratos. Cæterum ſi creaturis male vtendo damnabiliter delinquunt, quid (quęſo) arbitrandum eſt, quando proprium repellunt autorem? Præmeditetur, itaque peccator & malus, quid in iudicio ſuo ſit reſponſurus factori, qui tam pręcelſa, tamque innumera illi creaturarum prærogauit obſequia: Habebit aduerſum ſe creaturarum ſpirituales voces, habebit angelorum, archangelorumq; miniſteria. Illum accuſabunt dęmonia, arguent ſcelera, damnabit conſcientia, Chriſtique iudicabit humanitas. Ipſa eſt, quę irreprehēſibilis equitatis lance quemadmodum ad ęternę patrię manſiones prouehet iuſtos, ſic ad interitum ſempiternum demerget iniuſtos, qui illius neglexerunt gratiam, contempſerunt membra, beneficia conculcarunt. Quamquam enim ex creaturis homo immenſa charitatis ac beneuolentię perceperit dona, peramplius tamen ab ipſo mediatore Dei & hominum Chriſto humanitate mediante ſuſcepit. Porrò quum Deus eſſet, Verbum apud patrem, ſine initio genitum, coęternumque gignēti, propter homines factus eſt homo, vtique viſibiles, paſsibilis, mortaliſque. Non amittens quod erat, factus eſt quod non erat, vt quod perierat, inueniret, ſanaret ſeminecem, illuminaret cęcū, diſcordemque conditoris ſui reuocaret ad pacē. Quamobrem in eius ortu infantilibus membris, quū vilibus adhuc inuolutus eſſet in panis, Luc. 2. exultantes angeli decantauere, dicentes: Gloria in altiſsimis Deo, & in terra pax hominibus bonę voluntatis. In ſignum ergo fœderis ſempiterni humanam, quę inobediendo deliquerat, in vnitate perſonę abſque peccato aſſumpſit naturam, per quam vniuerſę mortalitatis aboleret culpam, eſſet concaptiuus, fieret & redemptor. Redemit plane nos de ſeruitute diaboli, non corruptibilibus auro vel argento, ſed precioſo ſuo ſanguine, quem abundè pro peccatis noſtris effudit in ligno. Sic quippe dilexit nos, vt tanti nos emeret, atque de alienis amicos, & de auerſis faceret filios, ſuoque corpore paſceret, ac proprio cruore potaret. Quod autem ſuſceperat propter nos, in peregrinationis ſolatium, in dilectionis ſignum, in myſteriū credulitatis, in teſtimonium miſerationis, in pignus fœderis, in fraternitatis vinculū, & in precium noſtræ redemptionis exhibuit. Se nanque viſibilem, ſe in altaris menſa manducabilem fecit. O precioſum conuiuium, ò ſacroſanctū myſterium omni admiratione digniſsimum, in quo verus Deus & homo continetur Chriſtus, manducatur, & bibitur. Manducatur (inquam) nec laceratur; bibitur, & minime mutatur, ſed ipſe perſeuerat, vt eſt. Nullum diuinitatis, ſeu humanitatis ſuæ patitur detrimentum, quum dentibus premitur, attrectatur manibus, loco circumſcribitur, mortali copulatur corpori, diuerſiſque in eccleſiis cōſecratur. Eſt enim idem in numero, ipſe in gloria, non mutatus in eſſentia, non minoratus in forma, non multiplicatus in ſpecie, neque paſsibilitati, dum percipitur, eſt ſubiectus in carne. Totum, quod in eo eſt, diuinum eſt, quoniam creata cuncta tranſcendit. Illud corporis non capit ſenſus, ratio non concludit humana, neque mortalium penetrat intellectus. Operatur in eo Verbum, non per angelorum, ſed per miniſterium ſacerdotum, mediante fide, eccleſiæ ſeruata forma, in panis, viniq; ſubſtantia cum ſacramentalium prolatione verborum. Frequentatur autem in eccleſia, vt iuſtis gratiam, peccantibus veniam, debilibus robur, lætitiam mœſtis, diligentibus exultationem, nutantibus ſpem, credentibus pacem, victoriam certantibus, captiuis libertatem, atque defunctis conferat requiem. In ipſo autem theſauri reperiuntur plurimi, munera copioſa ſpirituales delitiæ, mirabilia maxima, ſacra myſteria, Dei, hominiſque perſona. Nō aliud accipit malus, quàm bonus: nec iniuſtus, quàm iuſtus, ſed aliter ſumit. Neque enim ſpiritualiter, ſed tantum ſacramentaliter malus. Bonus autem vtroque modo percipit Chriſtum. Tantæ ſiquidem dignitatis, tantæque excellentiæ eſſe probatur, vt in eo ipſa etiam angelica natura miretur, veneretur ſub accidentibus Chriſtum, diuinam in ſacramento maieſtatem colat. Gaudeatq; vehementer eſſe cum hominibus Deum. Ecce (inquiunt inter ſe) tabernaculum Dei cum hominibus, & habitauit cum eis, & ipſi populus eius erunt. & ipſe cum eis erit eorum Deus. Eſt plane nobiſcum Deus, remotus tamen per ſpeciem, propinquus verò per fidem, & præſens per ſacramentorum ſui corporis & ſanguinis veritatem. Remotum in eo per ſpeciem dixerim Deum, quoniam aliud vides, aliud autem in ipſo eſt. Vides accidentia ſine ſubiecto, quum ibi ſit veraciter Chriſtus Dei & hominis filius. Eph. 3. Quod verò per fidem propinquus ſit, audi. Habitare, inquit Apoſtolus, Act. 17. Chriſtum per fidem in cordibus noſtris. Alibi quoque: Non enim eſt Deus longe ab vno quoque noſtrum. In ipſo viuimus, & mouemur. Quid verò præſentius eſſe poteſt eo, qui ait: Ecce ego vobiſcū ſum omnibus diebus vſq; Matt. 28.

ad

ad conſummationem ſeculi? eius præſentiam vis in hoc ſacramento cognoſcere? Accipite, inquit, & manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Ne igitur errares in fide, & à veritatis ſemita deuians male de Chriſto in hoc ſacramento ſentires, ſe dedit in cibum, quum adhuc eſſet paſsibilis, quum videretur, quum tangeretur, quum agnoſceretur, quum præſens loqueretur. Non aliud quàm corpus meum, inquit, vobis trado, non in aliam mutatum ſpeciem, neque immortale, aut impaſsibile effectum, ſed de ſubſtantia veſtra aſſumptum, quod poſt paululum impiorum tradetur manibus ad ligandum, flagellandū, conſpuendum, crucifigēdum, occidendumque. Hoc vtique corpus, in hoc ſacramento percipimus. Cæterum ad roborandum credulitatem fidelium nullum præter ſe huius inſtitutorem voluit fieri ſacramenti. Non prophetam, non patriarcham, non iuſtum, non angelorum quempiam, ſiue de inferioribus ſiue de medijs, ſiue de ſuperioribus. Ipſe plane illud inſtituit, qui ſemetipſū tradidit, cuius eloquia veriſsima ſunt, cuius ſapiētia falli nullatenus poteſt, cuiusve ſententia mutari nequit, ipſo perhibēte, qui ait: Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt. Quonam modo eſſe valet, vt falſum loquatur veritas, derideat ſapientia, immutetur Deus, qui per Prophetam ait, Ego ſum Deus, qui nō immutor? Hoc eſt corpus meum, inquit Deus, ſapientia & veritas. Nulla igitur humanis mentibus inſeſſe debet infidelitatis ambiguitas, quando Deus ſolus illud perficit myſterium. Nempe qui verbo ſuo potuit vniuerſa creare ex nihilo, valet corpus ſuū abſque ſui detrimento præbere in cibum, quatenus in ipſo maieſtatis ſuæ inſinuaret potentiam, dilectionis affluentiam, ſapientiæ ſuæ theſauros, miſericordiæ viſcera, delectabilemque humanitatis ſuæ præſentiam. Tale profecto munus decebat, vt tribueretur eccleſiæ, quæ ſummæ innititur veritati, ardenter diligit, ſperat promiſſa, inuiſibilibus paſcitur, futura credit, quærit cœleſtia, atque ſempiterno Dei verbo fidei aſcenſum præbet, quemadmodum de ea per Prophetam dominus inquit: Populus, quem non cognoui, ſeruiuit mihi. In auditu auris obediuit mihi. In ſolo quippe auditu auris Verbo obedit ſancta eccleſia de gentibus congregata, quum hoc ſacramentum ſimpliciter credit. Non enim ex viſu, guſtu, odoratu, vel tactu percipitur fides, ſed ex auditu tantum. Auditus autem per Verbum Chriſti perhibentis: Hoc eſt corpus meum. Habet itaque in ſacramento hoc fides fundamentum ſtabile, autoritatem diuinam, virtutem Verbi, oracula prophetarum, figuraſque legales, in quibus credulitatis ſuæ ſpiritualem ſuperædificat domum. Quamobrem nequaquam ambigere fas eſt, vbi tantorum teſtium commendatur aſſertio. Cæterum ſi in ore duorū vel trium teſtium mortalium, qui valent ficta, aut falſa proferre, ſtat omne verbum, iuxta diuinæ legis eloquia, quanto magis in aſſeueratione cœleſtium teſtium, qui nequaquam mentiri poſſunt? Tres ſunt (inquit Ioannes) qui teſtimonium dant in cœlo, pater, verbum, & ſpiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt. Tota ſiquidem beata trinitas, quum inſtitutioni ſacramenti huius teſtimonium perhibeat, ipſius pariter ſacrificij veritatem commendat. Memorare, queſo, quid in Euangelio ſancto pater de cœlo clamet, quidve Apoſtolis dicat de filio ſuo, domino videlicet Ieſu. Hic eſt, inquit, filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipſum audite. His paucis nedum ſacramento venerando, verumetiam Chriſti operibus, cūctiſque ſermonibus ipſius omnipotens pater teſtimonium præbuit. Verbi autem teſtimonium eſt, quando illud paſsioni proximus inſtituit, quando accepit panem in manibus, fregit, & ait: Accipite, & manducate, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Quando etiam per benedictionē ſanctificato vino, quod in calicem fudetat, ait: Hic eſt ſanguis meus noui & æterni teſtamenti, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Spiritus verò ſancti vis noſſe teſtimonium? Ex vaticiniis quippe prophetarū, & priſcę legis figuris id ſufficienter inuenies. Verū ſi in exordio naſcentis eccleſię obſerues qualiter poſt ſpiritus ſancti aduentum ſacramentum hoc frequentari cœpit, proculdubio ipſius paracliti illud teſtimonium fuiſse percipies. Sic enim habes: Quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panes ſumebant cibum cum exultatione, & ſimplicitate cordis collaudantes Deum. Experientia igitur deuotionis ſanctę, & exultatio ſpiritus, quę in ſacramenti huius perceptione guſtatur, notiſsimum almi ſpiritus noſcitur eſse teſtimonium. Porro dum Euchariſtiam accipis, accidentia vides, panis ac vini ſaporem ſentis, vnde, oro, ſi panis & vini ſubſtantia eſt, & non corpus Chriſti, ex hac cibi modicitate & potus tanta in anima & corpore prouenit fortitudo, interioris hominis innouatio, charitatis diuinę feruor, ſpiritualis ſuauitatis iucunda libatio, intimę pacis affluentia, æternorum amor, deſiderium proficiendi, virtutū concupiſcentia, & gratiarum actionis ignita exhibitio? Ex huius ſumptione deuota ceſsant odia, contentiones ſopiuntur, dirimuntur lites, vitia diſplicent, diligitur pudicitia, terrena vileſcunt: efficiturque homo alius, non per naturam, ſed per gratiam, mutatuſque totus in melius. Compeſcit linguam, amat ſilentium, orationi vacat, fraternitatis cuſtodit vnitatem, cordis ſectatur munditiam, & quicquid Deo placere cognoſcit. Iſtiuſmodi ſpirituales profectus non aliunde proueniunt, quam ex ſancti ſpiritus bonitate, Chriſtiq; amabili præſentia, qui in ſui corporis ſacramento tam mirifice operatur, non tamen vniformiter,

ſed

Matt. 26. Matt. 24. Mal. 3. Eſa. 65. Matt. 26. 1. Ioan. 5. Matth. 3. Matt. 26. Act. 2.

Digitized by Google

ſed iuxta diſpoſitionem vniuſcuiuſque ſumentis, ipſiuſque miſerentis Chriſti. Et hic dixerim iuſtis & ſanctis, qui à mortali cõtagione immunes ſunt. Nam immundi ac ſceleſti, quoniam à Deo alieni exiſtunt, horum nil ſentiunt, quin potius ex communione ſancta deteriores fiunt, quod Apoſtolus conſiderans ſingulos quouſque fideles ad congrue ſumendum hortatur inquiens: Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo 1. Cor. 11 edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium ſibi manducat & bibit, nõ diiudicans corpus domini. Iudicium ſibi non domino manducat iniquus & malus, dum ex incuria, ſeu mentis cæcitate à cæteris cibis non diſcernit corpus Chriſti, dum præſentem domini maieſtatem in ſacramento hoc minime veneratur, dũ incredulus, & pollutus præſumit contingere ſancta, atque immaculata myſteria. Iudam imitatur huiuſmodi, qui percepta panis intincti buccella ſceleratior factus à conſpectu veri luminis ſe abſentando fugit ad tenebras, quatenus conceptũ perageret facinus. Hinc eſt quod ſumentes, indigne præ cæteris delicta grauiora committunt, & pertinaciores in malo, atque ad emendationem vitę tardiores ſunt. Quoniam modo in ſceleribus non excellunt alios, dum regem gloriæ, atque vniuerſorum conditorem contemnunt, & irreuerenter tractant: nempe qui tales ſunt, ſi ſacramenta cæleſtia, Chriſti corpus verum, eiuſq; ſanguinem eſſe non dubitant, qua temeritate, quàve impudentia tremendam in ſe nequaquam verentur percipere maieſtatem? Scelus hoc grande eſt, & nefas peſsimum. At ſi increduli ſunt. Deumq; in ſacramento negant eſſe præſentem, quem in cæremoniis colere videntur, verbis fatentur, circunſtantibuſque adorandum exhibent, vtique diabolo peiores cenſendi ſunt, & ſupra modum peccant, dum diuinitatis honorem, modicitati panis, & vini, quantum ex ipſis eſt populis impendere faciunt. Prophani quippe ſunt, & membra Diaboli, qui ob altiſsimi contemptum idolatriæ ritũ inſtituit, per quod totum penè humanum genus à ueri Dei cultura ſubduxit. Propterea horum (niſi reſipuerint) erit damnatio, & in inextinguibilis gehennæ mittentur incendium. Porro tales obduratum habentes cor, obtuſumque mente auditum, quamuis admoniti, quanquam comminatione perterriti, ſeu etiam vtcunque deuotione guſtata prouocati, difficile corriguntur. De ipſis potiſsimum qui diuinam ſortiti gratiam tepefacti ſunt, & inſenſibiliter ſacroſancta tractant myſteria infideliterque, Apoſtolum arbitror dixiſſe, quando ait: Impoſsibile eſt eos, qui ſemel ſunt illuminati, guſtauerunt etiã donum cæleſte & participes facti ſunt ſpiritus ſancti, guſtauerunt nihilominus verbum Dei bonum, virtuteſque ſeculi futuri, & prolapſi ſunt renouari rurſus ad pœnitentiam, rurſus crucifigentes ſibimetipſis filium Dei, & oſtentui habentes. Attamen neque huiuſmodi funditus deſperandi ſunt, quoniam diuinæ bonitatis ac miſericordiæ theſauri immenſi ſunt, incomprehenſibiliaque iudicia. Vocatus eſt Saulus ſæuiſsimus perſecutor, & factus eſt Paulus eximius gentium prædicator. Publicanus Leui alieni raptor electus à domino euangelicę dignitatis, atque apoſtolatus adeptus eſt gradum. Mulier quoque immunda & famoſa peccatrix ſuorũ ſcelerum maculas detergendo chariſsima diſcipula effecta eſt Chriſti. Quamobrem nemo de miſericordia Dei deſperet, neque pro venia conſequenda diffidat. Cæterum nullus de ſe præſumere audeat: nec de omnipotentis Dei bonitate delitеſcendo confidat. Vtrunque malum eſt, Deoque odibile deſerta videlicet humilitate confidere, atque neglecta iuſtitia velle in ſui conditoris miſeratione reſpirare. Regium autem iter eſt, quo ad æternæ fęlicitatis conſcenditur gaudium cum ſpei fiducia diuinis ſemper obtẽperare mandatis. Nã ſpes (prout à ſeniorib. definitum eſt) certa expectatio eſt futurę beatitudinis ex Dei gratia, propriiſque prouenіens meritis. Spera (inquit Propheta) in domino, & fac bonitatem. Iterumque: Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in domino. Superuacue igitur in Deo ſperare conuincitur, qui ſine operum bonorum exercitatione diuina ſe credit poſse fruitione lætari. Iſta duo, bene ſcilicet agere, & ſperare quamuis omnibus, præcipuè tamen ſacerdotibus congruunt, qui ſacris altaribus iugiter aſsiſtens, ſacrificium vituli ſaginati altiſsimo immolant medullatum. Infidelitatis præterea à ſe excutiant albuginem, carnaliſq; concupiſcentiæ detergant maculam, ne gratiſsimum munus Deo offerentes ipſi diſpliceant. Conſciſsis veſtibus, & aſperſis ſanguine, quæ in combuſtione erunt venerandis altaribus appropriare formident, ne vltionem domini promerentes, eſcam vitæ manducent ad mortẽ. Impunis etenim eſſe non poterit, quiſquis myſteria diuina polluta mente tractauerit, Sacro namque, ſicut nouimus, referente eloquio dira animaduerſione percuſſus eſt Oza, qui temerario 2. Reg. 6. auſu inclinatæ fœderis arcæ manum præſumpſit extendere. Porro ſi à domino imperatum eſt Moſi, vt beſtia, quæ montem tangeret, obrueretur lapidibus, diuinum valebit euitare iudicium, quicunque beſtialiter degens ad ſpiritualem Dei montem minime formidabit accedere? Eſt plane Chriſtus mons excelſus & verus, coagulatus & pinguis, in quo Deo optimo inhabitare complacuit. Cui milia milium angelorum aſtare, & decies centena milia miniſtrare perhibentur. Eſt etiam altare, ſuper quod ſacroſanctum Chriſti corpus myſtice immolatur, mons ſpiritualis, ſublimis, atq; præcipuus, in quo patriarchæ Abrahæ filium ſuum offerri iubetur. Quanta autem circa eundem, maxime tempore quo ſacrificium memora-

cuncta obtemperant voluntati. Precellis vniuerſis, concludis omnia, abdita penetras, remota proſpicis, profunda rimaris, attingis à fine vſque ad finem, fortiter & ſuauiter vniuerſa diſponis. Cæterum ſecundum naturam aſſum ptæ mortalitatis eſuriſti, ſitiſti, fleuiſti, tentationes, contumelias, flagella, ſputa, alapas, mortémque perpeſſus es. Illud quippe corpus, quod recubuit in præſepio, Mariæ requieuit in gremio, veriſſimè in hoc tuo ſacramento percipimus. In propria quidem natura, ſed ſub alia ſpecie, non autem abſque maximo ſapientię tuę myſterio. Quis hominum non expauesceret humanam carnem, eiuſque cruorem manducare & bibere? & potiſſimum Dei, & domini ſui innocentis & ſancti? Huiuſmodi eſcam mortalium perhorreſcit natura. Dedit igitur ipſe Dominus carnem ſuam, & ſanguinem ſub eiſdem ſpeciebus, quas humanus appetit guſtus. Atque conficiuntur ex multis, quatenus non ſolum ſacramentum, ſed, & res ſacramenti ibidem figurata noſcatur, quæ eſt corpus Chriſti myſticum ex fidelium numeroſitate compactum. Ibi namque eſt ſacramentum tantum, ſpecies videlicet viſibiles, atque palpabiles. Eſt res tantum, corpus ſcilicet myſticum, quod eſt prædeſtinatorum eccleſia, quæ ad corpus Chriſti pertinet. Verum ſacramentum, & rem ſacramenti dixerim eſſe verum corpus Chriſti natum ex virgine, quod ſumimus ad ſalutē, ſi tamē pertinemus ad illud ſumuſque membra ipſius ſenſificata, & vegetata à ſpiritu eius. Opportunè igitur ſatis ſub panis, & vini ſpecie accipimus ſacramentum hoc, & rem ipſam, id eſt, corpus Chriſti, vt merita aggregentur fidei, quæ argumentum eſt non apparentium. Videt qui ſumit aliquid, & aliud credit, quo nil excellentius, nihil eſſe poteſt maius. Intuetur, inquam, viſibiles ſpecies panis & vini, & ſub ipſis inuiſibilem credit Deum, quòd corpus ſuum nedum in ſolatium, & præſidium peregrinationis noſtræ exhibuit, verum etiam in cibum, pretium, præmiumque. Cibum vtiq; in ſacramento, pretium in cruce, & in cœlo præmium. O ineffabilis dignatio conditoris. O ſtupor indicibilis charitatis. Quis non contremiſcat? quis non cum exultatione miretur ſub accidentibus modicis panis, & vini fideles Deum & hominem manducare, & ſumere? Sane nunquam auſus fuiſſet homo talia petere, ſed neque cogitare, quoniam hoc miſericordiæ opus omnem mortalium ſupereminet dignitatem. Equidem donum iſtud propheta longe ante conſiderans modo cōſueto cum admiratione dicebat: Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator Dominus, eſcā dedit timentibus ſe. Miſericors vtique Dominus in ſe, & noſtri miſerator, corporis ſui ſacramētaliter eſcam præbens ſuorum, quæ præceſſerant, mirabilium ſpecialem nobis voluit exhibere memoriā. Nonne mirabile charitatis indiciū extitit, quòd Iſraeliticus populus ex Aegyptiaca ſeruitute exiturus per eſum agni, percutientis angeli euaderet cladem? Quòd in deſerto idem populus cōſtitutus per annos quadraginta quotidiano mannæ pabulo nutriretur? Quòd Moſi virga percuſſa bis petrā largifluæ adeo emanarent aquæ, vt ſitientis populi ardorē extingueret: Quòd Propheta ſubcinericium comedens panem in fortitudine cibi illius dierum quadraginta perageret iter? Miranda prorſus hominibus, quæ Deus nationi exhibuit Hebræorum, munera extiterunt, vt per ipſa agnoſceretur, coleretur, diligeretur: & tamē vmbræ fuerunt, quas miramur. Peramplius igitur veritatem miremur, cuius illæ vmbræ fuerunt, quatenus credamus, veneremur, & laudemus. Apoſtolum de his diſſerentē audiamus: Nolo (inquit) vos ignorare fratres, quia patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare tranſierunt, & omnes baptizati ſunt in nube & mari: & omnes eandem eſcam ſpiritualē manducauerunt, & omnes eundem potum ſpiritualem biberunt. Bibebant autem de ſpirituali conſequente eos petra. Petra autem erat Chriſtus. Eandem (ait) manducauerunt eſcam, & potum biberunt noui & veteris teſtamenti patres, quanquam in vmbra veteres, & ſub gratia fideles. In veritate plane vmbra erat, quod egreſſurus de Aegypto populus Hebræorum à Domino per Moſem in mandatis accepit, vt familiæ ſingulæ ſumerent agnum anniculum ſine macula, illumque aſſarent, atque de eius ſanguine vtrumque domorum ſuarum linirent poſtem, ne percutiente angelo primogenita Aegyptiorum cum eiſdem pariter interirēt. Vmbræ verò huius vis agnoſcere veritatem? Agnus iſte anniculus abſque vlla contagione delicti Chriſtus eſt Dominus, Dei & hominum mediator, cui Ioannes teſtimonium perhibuit dicēs: Ecce agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi. Hic acerrimo paſſionis igne in crucis ſtipite aſſatus fuit. Hunc per iugem meditationem, ac dilectionem piam habeto in corde. Hunc imitare in opere, quatenus vtriuſque hominis ſpirituales poſtes eius ſint liniti cruore. Ipſum autē cum feſtinatione māducas, ſi charitatis aduſtus incendio eundem ſpirituali atque ſacramentali comeſtione percipis. Neque tibi percuſſor angelus nocere valebit, ſi agni iſtius fueris ſaginatus edulio. Protegent te ſancta myſteria, & inter medios ſeculi fluctus ante myſtici Pharaonis faciem gradieris illæſus. Illum itaque in intellectuali pelago ſuffocatum aſpicies conſtitutus in littore. Tunc lętitię initiato carmine magna cordis cum exultatione clamabis: Cantemus Domino, glorioſe enim honorificatus eſt, equum & aſſeſſorem proiecit in mare. Porrò ſi iuſtificatus in ſpiritu cordis tui aſſiduè tenueris ſolitudinem, non corruptibile manna, ſed incorruptum

Pſal.110.

1.Cor.10

Ioan.1.

Domini corpus ſuauiter habebis in eſcam. Eſt autem caro Chriſti ſuauiſsimum manna de cœlo hominibus prærogatum ad vitam, in quo omne delectamentum, omniſque ſaporis ſatietas continetur. Hoc cibo ſanctificato, hoc cœleſti vite pane, ne peregrinationis huius laſſeſcas in via, neque ſpiritualis mortis ſuccumbas articulo. Pollicitationis Domini memento dicentis: Ioann. 6. Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus, qui manducat hunc panem, viuet in æternum. Hunc igitur vtroque modo manduca, hunc aſsidua ſupplicatione, vt tibi cæleſtis tribuat pater, expoſce dicens: Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Signanter dictum eſt hodie, quatenus ſcias te quotidiano illius indigere ſuffragio. Non enim ſufficit vt illum ſemel accipias. Nam quemadmodum quotidie in altari pro delictis tuis myſtice immolatur, quotidieque delinquis, ita & tu, & ſi non ſacramentaliter, tamen & ſpiritualiter quotidie manducare non dubites, duntaxat peccandi in te minime donetur affectus. Nempe ſi ipſum ſimpliciter credis, ſi abſque mortali peccato viuis, illumque ſuper omnia diligis ſpiritualiter comedis, membrum effectus es myſtici corporis ipſius, & in corpore copulatus es capiti, nutririſque de eodem ſpiritu, quo corpus & pertines ad caput, atque honoraris in capite, quandiu perſeueras in corpore. Verum ſi te diuidis, ſi vnitatem membrorum contemnis, amittis gloriam capitis, & cum præciſis à corpore, ac membris mortuis computaris, quoniam non viuis in corpore de ſpiritu capitis. Tunc quidem etiam manducando non manducas, & ſimilis illis efficeris, qui comedentes tantum corporaliter manna, guſtus ipſius repleti faſtidio, Num. 11. contra dominum murmurauere dicentes: Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? Recordamur piſcium, quos comedebamus in Aegypto gratis. In mentem nobis veniunt cucumeres & pepones, porri & cæpe, & allia. Anima noſtra arida eſt. Nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi manna. Te proculdubio cæleſti dono facis indignum, & ſalubris ſacramenti huius priuas effectu, ſi corde inſipido hoc cæli cum manna manducas. Sic igitur viue, quatenus ſano cordis palato hoc tibi ſapiat, & quotidiana eius refectione pingueſcas. Cæterum vt manna Pſal. 77. in deſerto patribus præſtitum corporis Chriſti ſcias geſsiſſe figuram, Prophetam audi dicentem: Et pluit illis manna ad manducandum, panem cæli dedit eis, panem angelorum manducauit homo. Nuſquam Hebræorum populum legimus angelorum manducaſſe panem, ſed tantum coturnices, & manna. Verum neque angeli mannæ illius veſcebantur cibo, quippe quum pro refectione datum fuerit corporum, quibus illi carent. Sed Chriſtus dominus angelorum dictus eſt panis, non quòd illum ſacramentaliter, ſed ſpiritualiter comedunt. Sane quum humanitatis ipſius excellentiam, gratiarum affluentiam, gloriæ ſublimitatem, vnionem perſonalem, poteſtatem traditam, & capitis prærogatiuam contemplando mirantur, & diligendo fruuntur, eundem ſpiritualiter edunt. At verò homo, qui per fidem ambulat, toties angelorum manducat panem, quoties corporis & ſanguinis Chriſti percipit ſacramenta. Nam, quamuis non eodem modo, quo illi, eundem tamen manducat cibum. Vnus enim Deus, vnus Dei & hominum mediator homo Chriſtus Ieſus. 1. Tim. 2. Illis quidem reuelata facie ſe præbet, hominibus autem per fidem. Verumtamen, quemadmodum de ipſa humanitate Chriſti excellentius lætantur angeli, quam homines fideles & iuſti, ita familiarius Chriſtiana plebs Dei vtitur contubernio, atque præſtantiori veſcitur alimento, quam populus Hebræorum. Hebræis tanquam carnalibus & ſine ſpirituali guſtu datum eſt manna, quod quanquam è cælo plueret, corrumpebatur tamen, ſi in alterum ſeruaretur diem, fidelibus autem incorruptibilis agnus & immaculata caro. Illis eſca, per quam ſuſtentarentur corpora, iſtis panis vitæ, nedum ad roborandum corporalem valetudinem, verumetiam ad multimodum animarum profectum. Illis conceſſa eſt vmbra, iſtis veritas. Illis alimentum de cælo, iſtis cælorum fabricator, & rector. Illis ſapida, atque viſibilis eſca, iſtis inuiſibilis & dulcis dominus. Illis ſolum figura, quę de veritate inſtrueret iſtis veritas ipſa ſub accidentibus tecta, quæ ad ipſam reuelatam proueheret veritatem. Illi per vmbram erudiebantur, vt intelligerent quod percipiunt hi, iſti autem in ſacramento tenent veritatem, quatenus ſe exercendo fideliter tandem eadem ſicut angeli aperta viſione fruantur. Videſne quàm ſapientiſsima dignatione iuxta ſingulorum qualitates & ſtatus, angelis, hominibuſque ſe communicet Chriſtus? Vno cibo veſcuntur omnes, quanquam aliter, atque aliter. Audiſti, inquam, verum eſſe, quod ait Apoſtolus: 1. Cor. 10 quoniam patres omnes noui, ac veteris teſtamenti ſub nube fuerunt, eundemque ſpiritualem cibum manducauerunt. Audi nunc quoque qualiter eundem ſpiritualem biberunt potum, quatenus luculenter intelligas ex myſterio corporis & ſanguinis ſui omnium ſuorum, quæ olim fecit ſub lege, memoriam egiſſe mirabilium, vt dies diei eructaret verbum, & ex ſacramentis gratiæ literæ ſacramenta detegeret. Erat populus Iudæorum in eremo fatigatus ex itinere, & ſitis ariditate laſſatus, adeo vt ipſe, eorumque iumenta deficerent. Aduerſus Moſen, & Aaron propter hoc Num. 20. tumultuoſum exortum eſt murmur, quorum clamorem Propheta non ferens, proſtratus coram domino ipſum deprecatus eſt, vt periclitanti populo, ac murmuranti tribueret aquam. Tunc

impe-

imperante domino Propheta percuſsit bis ſilicē, & repente largiſsimæ emanauerunt aquæ, ita vt ex ipſis cunctus populus biberet, & iumenta. Hoc vmbra fuit, & præſagium futurorum, quæ in mediatore noſtro conſummata ſunt, atque perfecta. Quo verò modo aduerte. Venit Verbum in carne, factus homo prædicauit Euangelium, cæcis reddidit viſum, ſurdis auditum, greſſum debilibus, multiſque languentibus ſanitatem donauit. Iudæorum reprehendit ſcelera, legis doctorum, & maxime ſacerdotum doloſa argumenta confundit. Illius autem increpationes perditi homines ſuſtinere nolētes, neci tradiderunt vitæ autorem, ſuſpendentes in ligno. Verum quum adhuc exanimis penderet in cruce cuiuſdam militis lancea percuſſus in latere, ſanguis exiuit, & aqua. Aqua videlicet in lauacrum originalis culpæ: & ſanguis in precium redemptionis humanæ. Hic plane, quem ſacramentaliter ſumis, noui & æterni teſtamenti eſt ſanguis, quem pro te redemptor tuus effudit abunde. Vt igitur verum eſſe credas, quod dicitur, Sacramenti inſtitutorem obſerua quid dixerit: Accepto nanque calice & benedicto ait:
Mat. 26. Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Nonne conſpicis eundem eſſe cruorem, quem tradit in potum, & aſſeuerat pro remiſsione delictorum multorum eſſe fundendum? O charitatis vehementia, ò inaudita dignatio, ò impreciabile precium. Dederat corpus ſuum in cibum, dare etiam voluit ſanguinem ſuum in potum, ſimul & precium. Conſidera quæſo diligenter ò homo, quanti te Deus tuus æſtimauerit, quantunque dilexerit, Nempe tu contra decretum deliqueras conditoris, perieras velut ouis ignorans quòd pro tuis fueras damnandus ſceleribus, atque æternis incendiis cruciandus. Tuus itaque redemptor & dominus medullari charitate permotus, ne tu perires in finem dato pro te precio, quam tu debueras, mortis excepit ſententiam, & quod non rapuit, exoluit in ligno. Quid ergo exhibebis domino? quid rependes altiſsimo? Equidem non minus pro ſanguinis poculo, quam pro redemptionis debes precio. Vtrunque tamen præcelſum eſt munus Dei, charitatis indicium, tuæque ſalutis antidotum. Semel pro te datum eſt precium, ſed poculum quotidie conſecratur, tibiq; apponitur, vt bibas. Bibas inquam, vt inebrieris, non vino, in quo eſt luxuria, ſed amore, ſed exultatione, ſed iubilo. Inebriat profecto calix ille ſanguinis domini, ex toto corde diligentem alienat à ſe, & copulat Chriſto,
Pſal. 22. quem ſumit. Ipſum dominum audi per Prophetam dicētem: Et calix meus inebrians, quam præclarus eſt? Fœcundum namque ſapientia, fœcundum virtutibus, moribus redimitum, & ſanctitate conſpicuum reddit cum dilectione bibētem.

Quamobrem in Canticorum canticis ad ſaluberrimā eius ſumptionem ſponſus fideles ſuos inuitans, ait: Comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſsimi. Amici illi nuncupantur, qui diuini timoris lege conſtricti, conditoris ſui conantur obtemperare mandatis. Aliena non ambiunt, ſobrie vtuntur conceſsis, miſerentur cum hilaritate, atq; cœleſtibus terrena poſtponunt. Chariſsimi vero ſunt dicti, qui ſpreto ſeculo, calcatis carnis illecebris, toto mentis annixu perfectionis itinera gradientes, cæleſtis ſponſi caſtis fruuntur amplexibus. Hi internis delitiis abundantius locupletati quā primi, charitatis dulcedine frequētiſsime debriantur, dum ſacramentali copula ſponſo ſūt iuncti. O quā beata ab amantibus hora illa cenſetur, in qua perſonaliter ſponſus Chriſtus cordis ingreditur thalamum. Nam etſi nō manifeſte, deſcendit tamen, & ſine ambiguitate ſentitur, eò efficacius ac dulcius, quò ardentius diligitur, magiſque cum deuotione percipitur. An non horam illam dixerim eſſe beatam, in qua diuina maieſtas inclinatur ad hominem, ſe illi cōmunicat, ipſum paſcit & potat, non alio cibo, quam corporis ſui, neq; potu alio, quam proprij ſacrati cruoris? Hoc lōge ante Propheta conſpiciens cum admiratione aiebat: Conſtituit eum ſuper excelſam terram, Deu. 32.
vt comederet fructus agrorum, & hircum cū medulla tritici, & ſanguinem vuæ biberet meraciſsimum. At verò numeroſitatē maximam Chriſtianæ plebis, & potiſsimum ſacerdotum, diuinis ſacramentis abuſurorum eſſe prænoſcens, eius præuaricationem ſubintulit dicens: Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit: Incraſſatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem ſuum, & receſsit à Deo ſalutari ſuo. Dereliquit, vtiq; nō diligēs, ac Dei mandata contemnens. Receſsit autem negligens deuotionis affectum, & ſacramētaliter tantum ſacroſancta myſteria ſumens. Et hoc vnde? Quoniam incraſſatus eſt ſtipēdiis temporalibus, impinguatus delitiis, honoribus dilatatus. Huiuſmodi ſunt qui ſacerdotii gradum quærunt, nō vt in ſpiritu miniſtrēt domino, ſed vt hic acquirant cathedras in eccleſiis, infulas in clero, de prębēdis reditus vberes, & primatus in populis. Iſta dū ſortiuntur, quoniam quæ ſua ſunt quærūt, non quę Ieſu Chriſti, ideo quemadmodū dictum eſt, incraſſantur, impinguantur, dilatantur. Replent marſupia, cellaria, horrea, pecuniis, frumento, vino, & oleo de patrimonio non ſuo, ſed Chriſti, eiuſq; mēbra debilia ſinūt ructuare fame, atq; periclitari inędia. Sane abſq; ſui eſſent periculo, ſi quod victui eorum honeſto & parco ſupereſt, prout debent, communicarent egenis. Non enim poſseſſores, ſed eccleſiaſticarū facultatū diſpenſatores ſunt. Apoſtolum audi: Sic nos, inquit, exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & 1. Cor. 4.
diſpēſatores myſteriorum Dei. Hic iam quæritur inter diſpēſatores, vt fidelis quis inueniatur. Di-

ſpenſatores proculdubio ſunt prælati, plebium præpoſiti, ſacerdotes, & omnes quot clericalem ſibi delegerunt ſtatum. Vniuerſi hi prius in ſe ſtudeant miniſtri eſſe idonei, quatenus miſteriorum Dei diſpenſatores reperiantur eſſe fideles. 2. Cor. 6. Qualis autem miniſter Chriſti exiſtere debeat, Paulus denuncians ait: Exhibeamus noſmetipſos, ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationib. in neceſsitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuauitate, in ſpiritu ſancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iuſtitiæ à dextris & à ſiniſtris, per gloriam & & ignobilitatem, per infamiá & bonam famam, vt ſeductores & veraces, ſicut qui ignoti & cogniti. Quaſi morientes & ecce viuimus, vt caſtigati & non mortificati, quaſi triſtes, ſemper autem gaudentes, ſicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes & omnia poſsidentes. Hæc planè ſub compendio probabilium miniſtrorum Chriſti eſt regula, vt orationi vacent, diuinis die noctuque interſint laudibus, aduerſa mundi æquanimiter perferant, domini voluntatem infatigabiliter compleant, eius concupiſcant præſentiam honoriq; ipſius in cũctis, quæ agunt, intendant, atque ſic viuant, vt quantum in ipſis eſt, irreprehenſibiles ſint. Sic vtique, ſic myſteriorum Dei, ſacramentorum videlicet cæleſtium, ſacri eloquii & theſaurorum pauperum, quos illis Chriſtus acquiſiuit in cruce, diſpenſatores erunt fideles. Illis profecto fidelis diſpenſationis incumbit neceſsitas, quoniam paterfamilias, qui ſingulis talenta impertitus eſt propria, lucrum de talento requiret, & ab vnoquoq; minutiſsimam exiget rationem. Hac de cauſa graue miniſtris eccleſiæ eſt appoſitum onus, grauiſsimaque deſidioſis & malis præparata ſupplicia, humilibus verò & ſanctis incomprehenſibilia pręmia. Nam quanto vniuſcuiuſque maior eſt ſtatus, tanto pernicioſior eſt ruina, eorum maxime, qui ſacroſancta corporis & ſanguinis Chriſti turpiter myſteria tractant. Quamobrem apoſtolica omnes exhortatione admoniti introrſus redeant, ſe ſtatuant ante ſe, ac diligentiſsime probent, mentis detergant, ſi quas inuenerint, maculas deplorent facinora, quatenus ſacramentalis panis ſumptione ſint digni. Meminerint ſe grandem præſentis exilij eſſe peragaturos viam, in qua ne deficiant, reuerenter ſubcinericium accipiãt panem, quem angelus domini myſterialiter 3. Reg. 19 ad caput Prophetæ fugientis appoſuit. An non ſubcinericius panis eſt Chriſtus, qui quum in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinaniuit, formã ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, Esa. 53. & habitu inuentus vt homo? Deformitatem & ſquallorem panis iſtius ſubcinericii Prophetam texentem auſculta: Aſcendet, inquit, ſicut virgultum coram eo, & ſicut radix de terra ſitienti, & non eſt ſpecies ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat aſpectus, & deſiderauimus eum deſpectum, & nouiſsimum virorum, virum dolorum, ſcientem infirmitatem, & quaſi abſcõditus vultus eius, vnde nec reputauimus eum. Quantæ autem fortitudinis ſit, quàmve proficuus ſit, ſub intulit dicens: Ipſe autem vulneratus eſt propter Ibid. iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra, diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & liuore ipſius ſanati ſumus. Panis igitur huius noli deſpicabilitatem ſpernere, neq; refectione abhorrere. Illum in mentis faucibus meditando reuolue, & intelligentię dentibus mande. Nam ſpiritualę tibi prębebit robur, per quod vſque ad mõtem Dei Oreb gradieris alacriter. Nunquam cibum iſtum faſtidies, ſi illum purgato corde percipies. Mentis itaque receptaculum ab omni cogitatione & affectione noxia munda, atque cum humili deuotione domini ſacramenta manducã. Tunc ex ſpirituali valetudine, ex diuina dulcedine, ex cognitione tui, ex feruore ſpiritus, ex interiori cantico, atque deſiderio reſumendi profectum eius elicies. Nequaquam valet eſſe inutilis, quum illum tibi pręſtiterit Deus. Præbuit nãque ſe, vt te eleuaret ad ſe, te nutriret de ſe. Nec aliunde cordis tui famem, ęſtuantemq; charitatis ardorem refrigerare quęreres, quam ex ipſo, qui verus eſt agnus immaculata victima, manna incorruptibile, meraciſsimum poculum, paniſq; angelorum & dominus. Exhibuit, inquam, ſe, vt tuę ſit peregrinationis comes, ignorantię tuę lux, infirmitatis tuę remedium. Tecum habitet, de te lętetur, ſui tecum delitiis perfruatur, quemadmodum in ſapientię volumine teſtatur dicens: Et delicię meę eſſe cum filiis hominum. Non quidem, Prou. 8. inquit, vt ſuas à filiis hominum captet delicias, ſed vt cum filiis hominum cõmunicet proprias. Nequaquam imprudenter arbitrãdum eſt, quòd Deus vllam ab angelis ſeu hominibus lętitię percipiat cauſam, quum eoſdem ſpiritualibus & ęternis faciat exuberare deliciis. Ipſe etenim ſibiipſi gaudium eſt, beatitudo perennis, ſempiternę, eſſentialeſque delitię. Verum ob pręcipuum, quẽ ad homines gerit, dilectionis affectum illis impertiendo proprias eorum ſuas aſſeuerat eſſe delitias. Nonne merito ſuas apud homines eſſe dicit delitias, propter quorum ſalutem de regalibus ſedibus paternę glorię veniens, eorum naturam in vnitate perſonę ſibi copulare dignatus eſt? Talem profecto charitatis exhibitionem, huiuſmodique exinanitionem maieſtatis ignorauit ſeculum, generationes pręteritę neſcierunt, ſtupet cęlum, ipſa natura miratur, venerantur angeli, honorant ſancti, iuſti adorant, dęmones cõtremiſcũt, quoniam totum, quod in ea eſt, ſanctum eſt, inſcrutabile, atq; diuinum. Nunquid diuinum non eſt, quod Verbum caro factum, quod fieret,

per

per quod facta ſunt omnia, habitaretque in nobis, qui ex primorum parentum præuaricatione filij eramus gehennæ? Quod enim Deus factus ſit homo, & ſapientia humanata, ſacramentũ eſt magnũ. Hoc in ipſo mundi exordio vaticinatum eſt, dicente Adam de muliere, quam ex coſta illius dormientis formauerat Deus. Hoc nunc, inquit, os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Propter hoc relinquet homo patrem & matrem & adhærebit vxori, & erunt duo in carne vna. Reliquit homo Chriſtus Ieſus patrem, quando Verbum carnem aſſumpſit ex virgine, exinanuitque maieſtatis formam mortali natura ſuſcepta. Reliquit matrem, videlicet ſynagogam, de cuius patribus ſecundum humanitatem natus eſt; & adhæſit vxori, eccleſię ſcilicet, de gentibus congregatæ, quam ſibi annulo fidei deſponſatã coniunxit in ſponſam. De hoc ſpirituali connubio Apoſtolus loquẽs ait: Viri diligite vxores veſtras ſicut Chriſtus dilexit eccleſiam, qui tradidit ſemetipſum pro ea mundãs lauacro aquę in verbo, vt exhiberet ſibi ſponſam eccleſiam non habentem maculã, neque rugam, aut aliquid huiuſmodi. Huic caſtiſſimæ ſpõſæ nedum in virginali adhæſit vtero, vt eſsent duo in carne vna, verum etiam in corporis & ſanguinis ſui ſacramento, quatenus ſint duo in vno ſpiritu: ſi tamẽ ſpiritualiter mãducetur, quoniã qui adhæret Deo, vnus ſpiritus fit cum eo. Eya igitur nunc lætare mater eccleſia, & cũ vniuerſis filijs tuis exultationis & gaudij conuentum age, quoniam meruiſti fieri mater, & filia, nupta & virgo, fœcunda & caſta, ita vt qui fecit te, naſceretur ex te, & habitaret in te, adeo vt cum omnium admiratione veraciter diceres: Et qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. Meruiſti, inquam, Dei & domini, præceptoris & ſponſi, fratris & redemptoris tui ſaginari carnibus, & ſanguine debriari cum ſobrietatę ſpiritus, & amoris temperantia. Quamobrem de te Pſaltes eximius ſponſo Chriſto cecinit dicens: Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ, filij tui ſicut nouellæ oliuarũ in circuitu menſæ tuæ. In circuitu plane mẽſę altaris filij tui, quos per verbum veritatis genuiſti Deo, ſacratiſsimi corporis domini paſcũtur edulio tã pie, tam deuote, vt in voce pſalmi, in exultatione mentis, in fidei confeſsione, epulantium feſtiuus in aula cæleſti concrepet ſonus. Singulare prorſus dilectionis accepiſti pignus in huiuſmodi participatione myſterii, certãmque de ſponſo tuo præſentiam, cui optime tui amoris æſtus aperire, vota perſoluere, fundere orationes, gracias agere, decantare hymnos, ingeminare preces, exhibere laudes, atq; ſuauiſsima vales piæ deuotionis depromere carmina. Equidem ex quo tanto adhęſiſti ſponſo, corpuſque tuum corpori eius aſſociatũ eſt, affecta es ſpecioſa & ſuauis in delicijs, decora & ornata in veſtibus, venuſta & grata in moribus, ignita & ſanctã in deſiderijs, prudẽs & ſenſificata in cogitationibus, fęcunda & locuples in filijs, ſic dilecta, vt Dei filius affectus de te Canticorũ illud clamet, & dicat: Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te: vulneraſti cor meum ſoror mea ſpõſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorũ, & in vno crine colli tui. Quàm pulchræ ſunt mammæ tuæ ſoror mea ſponſa, pulchriora ſunt vbera tua vino, & odor veſtimentorum tuorum ſuper omnia aromata. Fauus diſtillans labia tua ſponſa, mel & lac ſub lingua tua, & odor veſtimentorũ tuorũ ſicut odor thuris. Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus. Emiſsiones tuæ paradiſus malorum punicorum cum pomorũ fructibus. Hinc meritò exultationis tuæ exurgit cauſa, quòd tã elegantis, tàmque potentis, & immortalis regis amore facta ſis digna, plurimis te idem commendauit præconiis, immenſis ornauit monilibus, cruoreque ſuo interiores tuas rubicũdas effecit genas. Quamobrẽ & tu reciproco amore illius transfixa medullitus, toto corde, tota mẽte, totiſque viribus ipſum dilige, venerare, & lauda. Illi omni tẽpore incolatus tui famulare fideliter, atq; in cunctis quæ agis, placere concupiſce. Nullus te debilitet labor, nulla te fragat aduerſitas, tentatio nulla ſupplantet, vt ab illius te ſubducas imperio. Verum quoniam in medio tui habitare deſiderat, ſpirituale eidem conſtrue templũ, non de ſectis marmoribus, nec quadratis lapidibus, neq; de parietibus pictis, ſed de viuis, & fulgẽtib. gemmis, aureiſq; laminis, quas rubigo nõ tãgat, nec denigret puluis, ſed charitatis purget ignis, morũ diſciplina detergat, & virtutũ decoret varietas. Teipſam deniq; exhibe pudicã, & caſtam in tribulationibus probatã, ſtabilẽ in fide, eruditam in ſcientia, in longanimitate conſtantẽ, diligentem bonum, pacem ſectantẽ, cuſtodientẽ vnitatem, compatientem ex corde, ambulantem in ſpiritu, ſpernentem ſeculũ, cęleſti anhelantem, filioſq; tuos in vniuerſa morũ probitate regẽtem. Nempe quantũ ſponſum tuũ diligas, eruditio inſinuat filiorum. Illorum profectum diligẽtiſsime exquiret à te. Tibi namque illos ideò commẽdauit, tibi tam præcipua prærogauit dona, quatenus eoſdem in religione inſtrueres, excitares ad bonum, erigeres ad cœleſtia, atque exerceres in prælio, ne tanquam ignari & inexperti periclitentur in deliciis, in honoribus inſoleſcant, deficiant in via, tabeſcant fame, & per incuriam pereant. Eſto igitur in membris tuis ſic in charitate compacta, vt capitis non amittas decorem, atque non expolieris de muneribus iam percepit. Sanctifica quoque teipſam, & à ſordibus delictorum emunda, ne (quod abſit) illi, cui placuiſti, diſpliceas ſponſo. Zelo quippe tui captus eſt & abs te, ſe abſentare non patitur. Hinc ſe naſcendo fecit ſocium tuæ peregrinationis voluit habere

Gen. 2.

Col. 5.

Eccl. 24.

Pſal. 127.

Cant. 4.

conſortium, atque præſentis exilii innumeras pariter perferre ærumnas, quatenus ex ſe tui diſceret miſereri. Hebr. 4. Hoc conſpicue Apoſtolus denuncians ait: Non enim habemus pontificem, qui nõ poſsit compati infirmitatibus noſtris per omnia tentatum pro ſimilitudine abſque peccato. Nam ex iis, quæ paſſus eſt, obedientiam didicit, vt fieret omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ. Mira diuiuæ ſapientiæ diſpenſatio, miraque prudentia, vt illius tentationes à tentatione te liberent, eius te ſanet infirmitas, ipſius obediẽtia te obtemperantem faciat, te viuificet mors, te ſpiritualem dies efficiat caro. Quid igitur retribues domino pro omnibus, quę retribuit tibi? Vtique nil habes ex te, vt beneficiorum illius debita recompenſare ſufficias. Verum ſiquid vnde exoluere beneficia valeas, habere te ſentis, ab ipſo prorſus recognoſce, à quo ſunt, quæcunque ſunt ſancta, quæcunque amabilia, quæcunque proficua, quemadmodum Apoſtolus Iacobus perhibet, dicens: Iac. 1. Omne datum optimum, & omne donum perfectum de ſurſum eſt deſcendens à patre luminum. Hoc crede, hoc veraciter confitere, quatenus credulitas hæc ad iuſtitiam, & iſta confeſsio tibi ſit ad ſalutem. Cęterum quamuis facere, aut cogitare nihil poſsis a te, tacebiſne? dormitabis præ tædio? ſeu deprimeris ignauia? Surge, conſurge filia Sion, euigila, & expergiſcere filia Hieruſalem, excute iugum de collo tuo, ſolue faſciculos deprimentes, & puluerem pedũ tuorum abſterge. Non quieſcat pupilla oculi tui amoris & compũctionis erumpere lacrymas per diem & noctem. Non taceant labia tua Dei tui mirabilia prędicare, laudare magnalia, & ſapientię ipſius veneranda enarrare præconia. Diuinæ, quantum vales, intende laudationi. Ipſa eſt, vnde pro tuis potes delictis ſatisfacere. Pro perceptis muneribus euadere liber, placare iudicem, placere dilecto, imitari angelos, ſanctis coæquari, conuerſari in cęleſtibus, euitare laqueos, hoſtes ſuperare, acquirere gratiam, introire in gloriam, Dei in te ornare imaginem, illumque in ſe honorare magnifice. Hoc vnico præ cæteris omnipotens delectatur obſequiis, ſicut per prophetam ipſe teſtatur, Pſal. 49. Sacrificium (inquit) laudis honorificabit me, non vtique labiorum, ſed cordis. Parum proficis ſi voce non corde Deum laudare conaris. Illos imitaris, Eſa. 29. de quibus per Prophetam conqueritur, dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me. Perfectæ laudis regulam ſi ſcire deſideras, audi Citharœdam vatem ex ſe te laudare dicentem, Pſal. 145. Lauda anima mea dominum, laudabo dominum in vita mea, pſallam Deo meo quandiu fuero. Modis omnibus & cuncta, qua valet, virtute Deum ſe velle laudare fatetur, corde videlicet, voce, & moribus. Nouerat quippe vitam ſine vocali benedictione & exultatione cordis, & ſonoram verborum laudationẽ abſque mentis eleuatione, & conuerſatione probata, atque interioris ſacrificium laudis ſine operibus ſanctis, & oratione expreſſã minime placere altiſsimo. Hæc tria ſibi cohærent tanquam funiculus indiſſolubilis. Hæc (inquam) miniſtris eccleſię omnino conueniunt, qui ſacris altaribus aſsiſtentes, iuge Deo laudis impendũt obſequiũ. Sane nullo alio ſacrificio honorificentius laudatur Deus, quàm per altaris immaculatam hoſtiã, quam præcipuè ob diuinę laudis exhibitionem complendam, eccleſię ſuę Chriſtus offerendam inſtituit. Ipſius nanque paſsionis, & humanę redemptionis in ea myſtice celebrantur myſteria, hoc ipſum domino propalante qui ait: Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis. Memoria etenim in oblatione hac agitur illius, quam in ſua paſsione. Dei filius excellentiſsimæ nobis charitatis notam fecit. Qua nulla maior, nulla vtilior, nulla amabilior, nullaque oculis diuinę maieſtatis eſt gratior, dum honorem Deo, angelis contubernium, exulibus cœlum, religioni cultum, iuſtitię debitum, norma ſanctitati, obedientiam legi, gentibus fidem, lętitiam mundo, credentibus gaudium, vnitatem populis ſacramẽtis legalibus finem, initium gratię, virtuti robur, hominibus pacẽ, lucẽ mẽtibus, ſpem laborãtibus, peregrinãtibus viã & peruenientibus tribuit ſpeciẽ. Nẽpe dolores mediatoris noſtri irrogata cõuincia, excepta flagella aceti & fellis, pocula, clauorum, & lanceę vulnera ex rediuiua ſacrificij huius celebratione memorẽtur. Offertur ęterno patri nati aſſumpta humanitas, quatenus agnoſcat ipſe, quem genuit, quemq; pro hominũ ſalute miſit in terras, vt interuentione ipſius delinquentibus veniam, lapſis manum, & iuſtificatis prętoget vitam. Clamat idem redemptor ad patrem, corporis ſui cicatrices oſtendens, quatenus ab ęternis ſuppliciis ſua homines interpellatione cuſtodiat. Aduocatum (inquit Ioan. apoſt.) habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, 1. Ioan. 2. & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi. Vides perſpicuè nullum acceptabilius Deo poſſe offerri ſacrificium exoluendum laudes, ſiue ad exhibendum gratias, ſeu ad impetrandum indulgentiam vel ad gloriam promerendum, quàm corporis & ſanguinis Chriſti ſacroſanctum myſterium. In cuius oblationis hora, quãtum fas eſt credere, aperiuntur cœli, mirantur angeli, ſancti laudant, exultant iuſti, capti viſitantur, compediti ſoluuntur, infernus luget, ſanctaque in ſpiritu mater beata lętatur Eccleſia. Quamobrem recte colligitur, quanta cum veneratione ibi debeat aſtare ſacerdos, cui conſecrandi hoſtias, offerendum incenſum, atque intercedendi pro populo eſt impenſa autoritas. Mediatoris igitur gerit officium, propterea delinquentium omnium debet eſſe precator. Hinc expedit, vt diui-

næ

Digitized by Google

næ ſit laudis amator, religioſus in ſe, humilis corde; & erga proximorum errata compaſsione cōpunctus, quatenus non minus pro ſe, quàm pro cæteris omnipotenti Deo rectæ placationis valeat immolare myſteria. Hanc ſacerdotum regulam Apoſtolus inſinuans, ait: Omnis namque pōtifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus cōſtituitur pro iis, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis, qui condolere poſsit iis, qui ignorāt, & errāt quoniā & ipſe eſt circūdatus infirmitate, & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro ſemetipſo offerre pro peccatis. Magna prorſus & admiranda ſacerdotum eſt dignitas. Maxima illis eſt collata poteſtas. Sua namque prolatione eloquiorum cœleſtium, & ad eorum penè libitum corpus Chriſti de panis tranſubſtantiatur materia, deſcendit de cœlo in carne Verbum, & altaris veriſsimè reperitur in mēſa. Hoc illis prærogatur ex gratia, quod nuſquam datum eſt angelis. Aſsiſtunt Deo, illū contrectant manibus, tribuunt populis, in ſeque ſuſcipiunt. Verum angelorum ſiue aſtantium ſeu miniſtrantium, quoniam vice funguntur, potius angelicam quam humanam debent conuerſationem habere. Hinc ab eſu agni excludebantur in lege incircuncisi, alienigenæ, atque immundi. Nec ab re hoc iubebatur à domino, nequaquam enim congruit, vt quis ſordeſcentibus indumentis, lepra perfuſus, mutilatus membris, ſeu amens effectus regio debeat miniſtrare conuiuio. Cæterum ſi mortalis quiſpiam honoris dignitate ſublimatus famulantium ſibi, infirmorum, & pauperum. Pulchra comparatio abhorret obſequia, quod (quæſo) regnum omnium ſpiritualiter acturus eſt rex? Obſeruat equidem vniuſcuiuſque ſibi miniſtrantis vitam, mentem diſcutit, intentionē penſat, diiudicat effectus, deuotionem videt, rimatur cogitatus, atque iuxta interioris hominis diſpoſitionem exhibitæ miniſtrationis gratificat munus. Hoc dixerim, non vt ex miniſtri meritis huius ſacramenti beneficia pēdeant, quippe quū in myſterio iſto Dominus Ieſus ipſe ſit ſacerdos & hoſtia. Nam quemadmodum ipſe eſt, qui per miniſtros eccleſię baptiſmi tribuit ſacramentum, ſicut Ioanni dictum de illo eſt: Super quem videris ſpiritum deſcendentem, atque manentem, ipſe eſt qui baptizat, ita & per eoſdem miniſtros ipſe eſt, qui corporis & ſanguinis ſui conficit ſacramenta. Plurimum tamen in oblatione altaris conferre ſacerdotis ſancti ſuffragia aſſeuerare nō ambigo; tametſi eius dignitati detrahere, ſiue addere nequeat quicquam. Accedat igitur ſacerdos ad altaris tribunal vt Chriſtus, aſsiſtat vt angelus, miniſtret vt ſanctus, populorum offerat vota, vt pontifex, interpellet pro pace vt mediator, pro ſe autem exoret vt homo. Eximia ſunt hæc, & admiratione digniſsima, quæ ſolum hominibus congruunt ambulantibus in ſpiritu, ſanctificatis corde, & prælectis à domino. Quamobrem nemo præsbyteri ſibi honorem vendicet, tantiq; ſacramenti ſe propria voluntate miniſtrum exhibeat. Chriſti Ieſu humilitatem in hac parte ſectetur. Non enim ſemetipſum clarificauit, vt pontifex fieret, ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te, quemadmodum in alio loco dicit: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Verum ſi Chriſtus Dominus quum eſſet ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, atque cœlis excelſior factus minime pontificem ſemetipſum inſtituit, quid nocentes, infirmi, & inſcij agere in hac cauſa debeat, prudens quiſque conſideret. Hinc quorundam clericorum temeritas cōfutatur, qui nullo ſuadente, nemineque imperante ſacerdotij gradum aſſumunt. Altitudinem miniſterii huius vtinam ſaperent, & intelligerent, forſitan ad illud etiam vocati, atque impulſi ſe acclamarent indignos, non minus Dei, quàm conſcientiæ propriæ iudicium formidantes. At verò quoniam cæci ſunt, tanti officii onus diſcutere neſciunt. Nōne qui ſuimet cognitione carent, arbitrādi ſunt cæci, tanquam ij, qui cernis hebetato intuitu propinqua non cernunt? Quid autem vnicuique ſe ipſo propinquius? Habet profecto quilibet multa in ſe, contra quę propria vociferatur conſcientia, quæ verus eſt teſtis & iudex. Nempe vbi conſciētia damnat, ratio indicat, accuſat vita, humilitas debet adeſſe cenſura. Refugit verò præeſſe humilitas, atque ſacerdotale officium ſubire formidās, ſe ſtatuit ante ſe, & quis, cui, qualiterve miniſtrare debeat, penſat. Talia conſiderando compungitur, & gradu huiuſmodi ſe indigniſsimum arbitratur, Propterea nemo niſi ex ſuperioris obediētia, ſeu ex Dei ſibi notiſsima voluntate compulſus, ordinationi prębere valet aſſenſum. Iſta vtiq; præſumptuoſi, vtpote infirmitatis propriæ ignari, atque diuino cultui & deuotione minus idonei non cogitant. Immoderato affectu gradum hunc ſacerdotii concupiſcunt. Illum per ſeipſos, interdum fucata arte procurant per alios non interpellante pietate, quę humilitati coniuncta eſt, ſed elatione, ſeu cupiditate trahente. Hoc ſi contingat aſſequi non poſſe, quod quærunt, indignantur, dolent, inuident, detrahuntque. Non autem palàm prorumpunt in voces, ne ſuperbiæ vitio ab auditoribus rei iudicentur huiuſmodi, magis humanas facies, quam Dei iuſtitiam perhorreſcunt. Debuerant equidem iudicis cuncta cernētis, formidare præſentiam, qui hominum corda ſcrutatur, & renes, atque obliquam mentium ſuarum compeſcere voluntatem, potiuſque diuino, quàm proprio ſubeſſe examini, quippe quum æquiſsima caritatis lance ſingulorum gradus, officiaque diſponit. Debuerant (inquam) priuatas affectiones habere ſuſpectas, quę animarum frequēter noſcuntur aduerſari ſaluti, dū ſub ſanctitatis imagi-

Hebr. 5.

Hebr. 5.

Pſal. 109.

imagine, quæ ſua ſunt, quærunt. Hinc humiles corde, & Deum timentes quorum mentes diuinæ ſapientię ſunt irradiatę ſplendore, quoties repudiantur in talibus; lętantur introrſus, maximũ humiliationem ſui arbitrantes quæſtum, quoniã alios magis virtutibus, quam dignitate præcellere gaudent. Hi quamuis ambitioſis inferiores ſint gradu, nequaquam tamen meritis. Etſi videantur contemptibiles eſſe exterius, plurimum tamẽ catam Deo ſublimantur interius. Iuxta id quod legitur, quia omnis qui ſe humiliat, exaltabitur. Humilient igitur ſe ſacri altaris miniſtri, & ad eccleſiaſticos tanquam Aaron vocentur gradus. Non præeſſe, ſed ſubeſſe deſiderent, atque ſanctitate non honore cętero præire deſudent. Meminerint ſe ęterni regis vocatos eſſe ad nuptias, proinde ſuperioris diſcubitus in ſe appetitum ſupprimant, nouiſsimumque cum patientia locum teneant, quatenus cum honore ſuperius aſcendere queant, ſcientes quòd non qui ab hominibus honorabilior habetur, ille eſt ſanctior, ſed qui eſt corde humilior, feruentior ſpiritu, ac virtutibus locupletior.

1. Cor. 4. Mihi (inquit Apoſtolus) pro minimo eſt vt à vobis iudicer, aut ab humano die, ſed neque meipſum iudico, qui autem iudicat me, dominus eſt. O mens ſancta ſapientia referta, & humilitate decorata, quæ humanã vilipendens laudem diuino ſe deiiciendo ſubdebat examini. Nil fauorabilem loquentium populorum æſtimabat gloriam, nolens ſuper defluentia aquam cœleſtis

Cor. 5. ædificii fundamenta locare. Nouerat nullius pro altero ante Deum ſufficere teſtimonium, ideoq; aiebat: Omnes ante tribunal Chriſti ſtabimus, & ſic vnuſquiſque pro ſe in die iudicii rationem reddet. Beata planè plurimumque beata humilitas, quæ damnationis minime veretur ſententiam: in ſuis namque negociis proprio ſe priuat iudicio humilis. Cauſas ſuas committit alteri, & nõ quod libet, ſed quod commẽdatur ab alio, implere conatur. Tunc ſecurus incedit, atque futuro intrepidus aſtabat iudicio. Nempe vilis eſt ſibi, & magni ęſtimant à domino. Temporale abhorret culmẽ, & ſortitur ęternum Iſraeli eſt prælatus Saul, non quia ſtaturę inuentus eſt procerę, ſed quoniam

1. Reg. 15 repertus eſt humilis. Quum eſſes (inquit ad eum Prophetę) paruulus in oculis tuis, nonne caput in tribubus Iſrael factus es, vnxitque te Dominus in regem ſuper Iſrael? Excelſus quum ſit Dominus, humilia reſpicit, vt exaltet, & ſpiritualibus fœcundet donis. Reſpexit vtique humilitatem ancillæ ſuæ, propter quod omnes generationes illam prædicauero beatam. Quamobrem ſectemini vos ò milites Chriſti, & pręcipuè cœleſtium ſacramentorum miniſtri militantem, reſecceturque in vobis per vos omnis aſcendendi ambitio. Veſtro intendite miniſterio cum pietate deuotionis, & humilitate cordis. Nullam prorſus maiorem valetis acquirere dignitatem, quàm corporis, & ſanguinis Domini tractare ſacramenta. Hoc vobis ſatis ſit, etiam ſi honoris gradum, atque tranſeuntis gloriæ culmen appetitis, quod reliquis præeminet dignitatibus. Peruigile tantum circa myſterium hoc, ſtudium adhibere, atque pro viribus laborate, vt myſteriorum Dei idonei diſpenſatores ſitis. Ex hoc vtique duplici honore habemini digni, præſente videlicet, & futuro. Honorabunt vos populi, veſtros obſeruabunt mores, imitabuntur vitam, temporaliaque ſtipendia erogabunt tanquam patribus ſuis, animarum rectoribus, intercesſoribus mundi, & altiſsimi ſacerdotibus. Venerabuntur (inquam) vos angeli veluti Chriſti miniſtros, eccleſiarum duces, ſanctorum cohæredes, cœleſtiſque regi præcones. Hi ſunt honores, qui ſanctis ſacerdotibus exhibentur, quorum hæreditas temporalis, & æterna Chriſtus eſt, dicente Propheta: Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei tu es, qui reſtitues hæreditatem meam mihi. Recta igitur adeptio terrenæ Pſal. 15 dignitatis, atque perpetuæ eſt honoris fuga, contemptus temporalium, morum probitas, & æternorum amor. In his quantumcunque profecerint ſacerdotes, quamuis præcelſa polleant ſanctitate, minime inſoleſcant, quoniam presbyteri adhuc in magni ſunt miniſterio. Nam ſi ad hoc angelica inferiora ſunt merita, quid æſtimabuntur humana? Tranſcendit, quicquid eſt, quicquid virtutis, quicquid ſanctitatis non capit ſenſus, non ſcrutatur ratio, mens non attingit humana, quomodo Deus & homo Chriſtus Ieſus ſub panis & vini ſpeciebus ſacerdotum attractetur manibus, & corporali hauſtu altaris percipiatur in mẽſa. Nec immerito. Eſt nanque hoc diuinum opus notiſsimum futuræ felicitatis indicium, ac diuinæ miſerationis præſagium certum omni veneratione colendum. Aeque in altaris ſede, quemadmodum in cœlo colitur Deus, quamuis aliter. Hinc altaris ſacri quanta ſit dignitas, optime comprobatur in quod præſentialiter deſcendit Deus, & in quo ſacramenta cœleſtia conſecrentur. Illius quippe excellentiam olim patriarcha Iacob præuidit in ſpiritu. Quum enim Meſopotamiam pergeret, lapideque capiti ſuppoſito obdormiſſet in via, vidit in ſomnis erectam ſcalam tangentem cœlos, atque angelos aſcendentes per eam, ac deſcendentes, dominumq; ſcalæ ſuperinnixum. Quamobrem expergefactus, & præ magnitudine ſacramenti admiratione comprehenſus ait: Vere Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam. Pauenſque: Quam terribilis eſt (inquit) locus iſte. Non eſt hic aliud, niſi domus Dei, & porta cœli. Videſne quàm longe antè ſacri altaris patriarchæ huic ſini reuelata myſteria? Equidem (vt iſte ait) terribilis eſt altaris locus, in quo angelorum, archangelorumque millia Domino deſcendente aſsiſtunt, quemadmodum myſticè Propheta declarat, dicens: Currus Dei decem millibus multi- Pſal. 67

plex

plex millia lætantium, Dominus in eis in Syna ſancto. Aſsiſtunt planè fruitione beata lætantes, & per ſcalam, quæ in Chriſti humanitate ſignatur, nunc in verbi contemplatione aſcendunt, nunc in ipſius aſſumpti hominis iucunda conſideratione deſcendunt. Nullus verò præter Dominum eidem ſcalæ innixus eſſe perhibetur, quatenus intelligas mediatoris perſonam in feliciſsimo trinitatis ſolio triumphaliter reſidere. Quamuis enim ſecundum naturam aſſumptæ mortalitatis patri ipſe ſit minor eſt tamen verbum, quod caro factum eſt, æqualis gloriæ cum patre, eiuſdẽ naturæ, pariſque potentiæ, ita vt non ſit poſterior tempore, nec virtute inferior, ſed per omnia ſimilis, ſicut idem ait: Ego & pater vnum ſumus, & ite-
Ioan. 10. rum: Qui videt me, videt & patrem: Meritò igitur in altaris ſacri loco, quando diuina tractantur
Ioan. 14. myſteria, Dominus eſt, non figuraliter, ſed verè, eſſentialiterque. Hinc loci huius euidentiſsimè percipitur, quanta ſit dignitas, quantùmve colendus, vbi domus eſt Dei porta cœli, Dominus vniuerſorum, innumerabiliumque angelorum honorabilis frequentia. Deliciarum ſpiritualium affluentiam, loci iſtius Pſaltes egregius contemplatus aiebat: Quàm dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit & deficit anima mea in
Pſal. 83. atria Domini. Cor meum & caro mea, exultauerunt in Deum viuum. Vnde exultauerat, inquit: Altaria tua Domine virtutum rex meus, & Deus meus. Beati qui habitant in domo tua, in ſecula ſeculorum laudabunt te. Hinc etiam dominici altaris qualis debeat eſſe miniſter, claret perſpicue. Nequaquam iuxta fragilitatis humanę menſurã loco debet eſſe diſsimilis. Si itaque pudicus corpore, omni tempore ſecundum Prophetæ admonitionem veſtimenta impolluta cuſtodiens. Sit corde humilis, vt ſuper eum tanquam in proprio habitaculo ſpiritus Domini requieſcat. Per vatẽ
Eſa. 66. nanque ſuum pollicetur: Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem, & quietum, &
Leuit. 19. trementem ſermones meos. Sit conuerſatione ſanctus dicente Domino: Sãcti eſtote, quoniam ego ſanctus ſum. Sit temporalium contemptor facultatum, & à terrenorum ſolicitudine liber, quatenus Deo vacat vacare. Sit deuotione aſsiduus ſecum habitare deſiderans. Tumultus hominum, & maximè ſceleratorum, caueat, ne eorum conuerſatione fœdata mens puritatis decorem amittat, & phantaſmatum colluuione depreſſa, ſolo corpore Deo aſsiſtendo miniſtret. Improbum etenim eſt, atque indignum altaris miniſtrum ea videlicet hora, qua ſacramentorum cœleſtium immolationi incumbit, paſsim per vitiorum, ac cogitationum inutilium vagari campos, qui tota animi intentione debuit in Deum eſſe ſuſpenſus. Spiritualis eſt iſta iactura, per quam pietatis diſsipantur ſparſa iam ſemina, virtutum arbuſta ſiccantur, & ſancti ſpiritus dona paulatim decre-

ſcunt. Sic enim legitur: Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, & aufert ſe à cogitationibus, Sap. 1.
quæ ſunt ſine intellectu. Totus igitur ſacerdos, quum miniſtraturus eſt ſancta, ſe reducat in ſe, omnemque cordis hebetudinem, tumorem animi, ac mentis fluctuationem deuotionis pro poſſe cenſura cõpeſcat, quatenus in ſpiritu Deo ſpiritualiter inhærendo deſeruiat. At verò hoc nunquam perficere poterit, niſi aſſueſcat ambulare in ſpiritu, paſsionum impulſus, ac exteriorum cohibere fragores. Talia profectò eſſe debent ſacerdotum ſtudia, vt ex eorum exercitatione eleuentur ab imis, cœleſti charitate flammeſcant, ſapientiæ pingueſcant guſtu, ſcientiæ magiſterio polleant, atque interioris vnitatis iura cuſtodiãt. Hæc quamuis ſint ardua, miniſtrantibus tamen Chriſto omnino cõueniunt, illis propterea iuxta patrum decreta inhibetur aduerſus hoſtes viſibiles arma arripere, ſecularibus ſe implicare negociis, lucriſque inſidiare terrenis, vt liberius diuinarum eis liceat ſtudiis intendere ſcripturarum, vacareque per contemplationis ocium, & videre quam ſuauis ſit Dominus, necnon per ſpiritualẽ diſciplinam cunctam interioris ſuæ domus familiam in obſequium reformare virtutum. Hinc Domino iubente mandatur in lege, quatenus ſacerdotibus templique miniſtris, quorum Deus eſt portio, decimæ frugum, ac cæterarum rerum, quæ ad vſus hominum ſunt, tribuantur, atque primitiæ, vt à temporalium curis abſoluti ſacri altaris, ſeu verbi Dei, vel animarum regiminis fructuoſius miniſterio occupentur. Si nos (inquit
Apoſtolus) vobis ſpiritualia ſeminauimus, non 1. Cor. 9.
magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus. Neſcitis, quoniam qui in ſacrario operantur, quę de ſacrario ſunt, edunt, & qui altari ſeruiunt, cum altari participantur? Ita & Dominus ordinauit iis, qui Euangelium nunciant, de Euangelio viuere. Hac lege ſolutio indicitur decimarum, quæ nullo modo prætermittenda eſt. Nam damnabiliter delinquunt, quicunq; illas ſoluere contemnunt, quoniam non ſolum de iure poſitiuo, verum etiã de iure diuino mandantur. Quamobrem in ſolutione hac non miniſtri, ſed inſtituentis eſt attendenda autoritas, qui ſimpliciter huiuſmodi legẽ indixit. Læto itaque animo eroganda ſunt facultates egentibus, eccleſięq; miniſtris: Non enim diſperditur quicquid pro Chriſto tribuitur, ſed
reconditur, vt centuplicetur in cœlo. Diuitibus 1. Tim. 6.
huius ſeculi inquit Apoſtolus: Pręcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo, qui præſtat nobis omnia abundè ad fruendum, bene agere, diuites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant veram vitam. Dum igitur ſacerdotibus, ac Deo famulantibus corporalis alimonię neceſſaria impenduntur, ſummoperè vtriuſque

hominis

hominis & ipſi deuitent ocium, ne terrenarum omnium, quas percipiunt, facultatum debitores fiāt. Perniciosa quippe res eſt tabeſcere ignauia Deo dicatos, atque piorum ſubſtantiam vel congregare cupidè, ſeu inutiliter diſsipare. Nam corporalia alimenta etiam ad ſuum manducat iudicium, quiſquis in bonis actibus ſe occupare recuſat. Vt ergo miniſtri altaris conſcientia libera, atque ſyncero corde aſsiſtant altiſsimo, ardenti deſiderio in ſpiritualibus die noctuque inſudent profectibus, orationi vacent, delectentur in Domino, Deo libentius famulentur, quàm ſeculo, ſpiritui potius intendant, quam carni, quatenus officij ſui, ac eccleſiaſtici gradus ſortientes effectum ſacri altaris participatione ſint digni. Dominici quoque corporis & ſanguinis ſacroſancta myſteria maxima cum veneratione frequentent, non ex conſuetudine, ſed ſuauitatis illius illecti dulcedine. In his conueniant gradus & vita, guſtus & quæſtus, pietas & ſcientia, fides & charitas. Iſta ſi adſint, diligentur à Deo, ſublimabuntur à Chriſto, protegentur ab angelis, venerabuntur à populis, viſitabuntur in ſpiritu, ditabuntur donis, complectentur à gratia, beatorum ſociabuntur agminibus, interdumque in cœleſtibus rapientur. His & huiuſmodi amoris ſoci præludiis, præſentis ſeculi vada pertranſibunt, terramque promiſsionis introibunt, in qua iam non abſconditum manna, non ſacramentalis agnus, neque ſub accidentibus percipitur velata maieſtas, ſed amoto velamine, ceſſantibus figuris, ſubtractoque ſpeculo facie Deus videbitur ad faciem, quod eſt ſummum bonum, beata fruitio, vita æterna, gloriæ triumphus, palma victoriç, veris repromiſſa fidelibus per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum, qui cum patre, & ſpiritu ſancto immortalis eſt Deus in ſecula ſeculorum, Amen.

DIVI LAVRENTII IVSTINIANI

Protopatriarchæ Veneti, in librum de Vita ſolitaria.

PROLOGVS.

QVemadmodum nullus à natiuitate cæcus, quamuis naturalis ingenij acumine polleat, non niſi opinatiue valet de coloribus iudicare, ita neque de ſpiritualibus poteſt ad plenũ ſenſũ proferre, quiſquis eorum extiterit inexpertus. Nam & ſi aliorum aſſertionibus eruditus pronunciet veritatem, etiā tamen qui loquitur, tanquam æramentum ſonās, aut cimbalum tinniens. Hinc opportune ſatis quorundam impudentium eſt arguenda loquacitas, qui abſque experimento interioris dulcedinis præſumunt ſolitarie degentium lacerare vitã, arbitrantes eos penitus eſſe inutiles, quoniam foris minime vagantur, neque ſecuris temporaliũ implicant vt cæteri. Quibus hos dixerim ſimiles, niſi cæcis, qui lumine priuati, importunis ſermonibus conantur videntium acta damnare, atque recte gradientum ſubſannare itinera? O ſi interioris hominis ſui haberent notitiam, ſcirent vtique ſolitariæ vitæ excellentiam, quanta eius ſint lucra, quàmve in ſe ſit decora, ſecura & gaudens. Verum cum ignorent ſe, mirum non eſt, ſi etiam remotæ conuerſationis nequeant indagare myſteria. Hac de cauſa illam deſpiciunt, ſequi negligunt, atque obtrectationibus laniare non verentur. Hoc quoque agunt, quoniam ad ipſius aſſequendam perfectionem non ſe vident idoneos, tametſi illam ſanctorum autoritatibus & vita norint eſſe probatam. Tantum quod illis libet laudant, quodque intentioni eorum congruit, præconiis commendare non ceſſant. Status vniuerſos præter proprium deteſtantur, ac ſi illorum tantum eſſet Deus, & non etiam aliorum. Non enim ſtatuũ aut perſonarum acceptor eſt Deus: ſed omnes qui ſimplici corde legis mandata cuſtodiunt accepti ſunt illi. Meminerint huiuſmodi detractores, domini tunicam fuiſſe inconſutilem, atque deſuper contextam per totum. Meminerint, inquam, omnem gloriam filiæ regis eccleſiæ eſſe ab intus in fimbriis aureis, circumamictā varietatibus. Eſt etiam ſpiritus multiplex propter diuerſitatem ſtatuum conditionumque mortalium. Proinde dominus, qui electorum ſuorum nouit naturas & mores, varios diſtinxit in eccleſia gradus, quatenus quod cuique proprium eſt, tribueret ſingulis, faceretque corpus ſuum, quãuis diſcretum in ſtatibus, in vniformitate tamen intentionis charitate compactum. Deſinant itaque qui ſolitariæ vitæ derogant vnitatem ſcindere, & auratam veſtem varietate decoratam, lacerare eccleſiæ. Omnes Chriſto regi ſeculorum immortali,

mortali, & inuiſibili famulantes venerentur & colant, Deum in ſanctis ſuis laudẽt, qui conuerſantes cum hominibus protegit ne cadant, certantes adiuuat, ne ſuccumbant, atque remotè degentes viſitat, ne tepeſcant. Hos per amplius quàm cæteros, ſpiritualibus conſolationibus viſitari credendum eſt, vtpotè qui pro diuinitatis amore cõtempſerunt humanas. Non igitur paruipendendi ſunt, quos Deus ab hominibus ſegregatos interno nutrit pabulo. Verum quamuis videãtur ignoti, & per exteriorem exercitationem corpori eccleſiæ minus proficui: illi tamen multifariè proſunt. Ipſum quippe continuis orationibus vegetant, à tentationibus defendunt, pro delinquentibus deprecãtur, ſuiſque exemplis temporalia docent eſſe ſpernenda. Eadem autem contemnunt, conuerſationes fugiunt, atque remotè viuunt, non ducti ignauia ſeu inedia compulſi: ſed conditoris ſui illecti deſiderio. Vnde in eorum perſo- Pſal.14. na propheta ait: Elongaui fugiens, & manſi in ſolitudine. Expectaui eum, qui ſaluum me fecit à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate. Eſt itaque eorum fuga commendabilis dum declinant noxia, pericula præuident, delictorum euitant cauſas, æterna deſiderant. Deoque inſeparabiliter adhærere concupiſcunt. Hinc ſolitudinis ſecreta perluſtrant, vt Deo vacantes, ab humanis con- Pſal.30. turbationib. diuina ſint protectione ſecuri. Quemadmodum de ipſis pſaltes domino cecinit dicens: Abſcondes eos in abſcondito faciei tuæ, à turbatione hominum, proteges eos in tabernaculo tuo à contradictione linguarum. Quoties per mentis eleuationem contemplationi intendunt cœleſtium ad hominum conturbatione teguntur. Cęterum cum per ſui cuſtodiam munditiæ cordis & puritati conſcientiæ inuigilant à linguarum fiunt cõtradictione ſecuri. Duplici ex hoc teſtimonio ſolidantur, ſpiritus videlicet & conſcientiæ. Ipſe namque ſpiritus (dicente Apoſtolo) teſtimonium reddit ſpiritui noſtro quòd Rom 8. 2.Cor.1. filii Dei ſumus. At verò beatus ille, veridica voce inquit: Gloria noſtra hæc eſt teſtimonium conſcientiæ noſtræ. Securè igitur, & cum exultatione ſpiritus in ſolitudine perſeuerandum eſt. Nõ pertimeſcendę ſunt oblocutiones malorum, neque dæmonum formidandi inſultus. Quoniam de corporali remotione ad requiem, & de ſpirituali quiete, conſummato huius peregrinationis curſu tranſitur ad patriam, ſi tamen vtraque vſq; ad finem laudabili exercitatione teneatur. Quãobrem, vt hoc ſolitudinis profeſſores facilius aſſequantur, pro eorum eruditione, exhortatione, & gaudio, opitulante domino, de vita ſolitaria præſens componendum eſt opus. Verum cum ad id perficiendum imperitia mea omnino non ſuppetat, flexis cordis poplitibus, humiliter ſapientiam expoſco diuinam, quatenus ad ſui gloriam, ſeruorumque ſuorum profectum, vilitati meæ lumen dignetur infundere, quo mediante non veritatis ſemitas deſeram, neque quod ipſa donauerit, deliteſcendo reticeam. Aperi igitur ò ſempiternum verbum ſapientiæ tuæ diuinum fontem, infunde (quæſo) in cor minimi ſerui tui intelligẽtiæ ſpiritualem gratiam, vt ſolitariæ conuerſationis valeam reſerare myſteria, atque donorum ipſius propalare arcana. Erit equidem cum iſtud per me ritè perfeceris, quemadmodum in eadem tibi famulantibus ſtabilimentum maximum, ita largiflue bonitati tuæ perpetuæ laus & gloria.

QVOD EX DVLCEDINE INTERIORIS quietis, & deſiderio diuinæ contemplationis, ſolitaria appetenda ſit vita. Cap. I.

CLamat Propheta in Pſalmis, cõtemplatio- Pſal.54. nis deſiderio ſuccenſus, & ait: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo & requieſcam? Amantis & quietem ſitientis eius ſunt verba. Minimè quidem propter quod requiem quęreret, vbiue quieſcere cuperet expreſsit, & tamen affectu anxio amoris prorupit in verba. Nempe ſi ob auri, argenti, gemmarum, pręciorum ſeu temporaliũ facultatum, vel prętereuntium voluptatum cupiditatem hoc diceret, id facile exprimere valuiſset, quoniam res ſunt, quæ humanis propinquę, ac notę ſunt ſenſibus: ſed ardoris quietis ſuæ non detegens cauſam, præcelſum & maximum indicauit eſse, quod pio gerebat in pectore. Beata quippe huius mens vatis, quæ temporale nil ambiens, conſequi optabat, quod meritò diligeret, videret ſine faſtidio, atqȝ in pace interiori omni ſemoto timore poſsideret. Nouerat in exterioribus bonis pacem non eſse, ſed perturbationes noxias, innumeras curas, deſiderium inſatiabile, ſolicitudines anxias, ac dolorem non modicum. Hinc bonum agnoſcens pręcipuum obtinere poſse interius, quod omni careret malo, & bonis exuberat vniuerſis, anhelo ad id conſequendum deſiderio, trahebatur. Hoc autem eſse quid dixerim. Illud proculdubio quo nihil habetur melius, iucundius amatur, delectabilius tenetur, ſecurius poſsidetur, amplectitur dulcius, fruiturque felicius. Non eſt de terra, neque de cœlo, ſed his omnibus dignitate præminet. Nè cuncta, quæ in eis creata ſunt tranſeunt. Quędam vt non amplius ſint: nonnulla verò, vt mutentur in melius. Cœlum (inquit Dominus) & Matt.13. terra tranſibunt, ignis vtique incendio concremanda. Mutabuntur tamen, quemadmodum per Ioannem dicitur. Fiet cœlum nouum, & terra noua, propterea quoniã vniuerſa, quæ ſub ſole ſunt tranſeunt, propheta memoratus flagrantiſsimo deſiderio anhelabat iſtis poriora percipere, quæ nec tranſire cogerentur, neque reformarentur in melius. Nam quod tranſit, infirmum eſt, quod verò reformatur, imperfectum. Eſt autem aliquid

quid

quid maximum atque præcipuum, quod horum nil patitur, nec deterioratur tranſeundo, neque proficiendo reformatur. Quid de hoc tam præ- Pſal. 101 celſo Propheta expreſſerit audi. Deo namq; ait: Opera manuum tuarum ſunt cœli, Ipſi peribunt, tu autem permanes,& omnes ſicut veſtimentum veteraſcent, & velut amictum mutabis eos,& mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient. Vtique idem ipſe eſt,quia non mutatur, neque detrimentum vllum patiens variatur. Iacob. 1. Sicut per Iacobum dicitur: Apud quem non eſt tranſmutatio,nec viciſsitudinis obumbratio. Et hoc vnde? Quoniam bonum incommutabile eſt, bonum ſempiternum,bonum ſummum, bonum à quo omnia bona, & ſine quo nihil eſt bonum. Boni huius cognitio concupiſcentiam excitat, concupiſcentia delectationem, delectatio ſatietatem,ſatietas fruitionem, fruitio pacem. Pacem inquam,non qualem dat mūdus,ſed illam,de qua Philip. 4. Apoſtolus ait: Et pax Dei,quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras. Quomodo autem pax iſta omnem ſupereminneat ſenſum, idem alio inquit loco: 1. Cor. 2. Quòd oculus non vidit,nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit,quę præparauit Deus diligētibus ſe. Verum vt hoc oſtenderet perceptibile eſſe,intulit: Deus nobis reuelauit per ſpiritum ſuum. Equidē in præſentiarū reuelauit per fidē donec manifeſtet ſpeciem. Tunc non erit reuelatio,ſed viſio,ſed fruitio,ſed reformatio. Nunc verò hæc ipſa reuelatio ex parte fit, quoniam per fidem ambulamus,per fidem inſtruimur,per fidem cognoſcimus. Et hoc quandiu? Donec peregrinamur à Domino,& mortali hoc ſumus in corpore. Hinc eſt,quòd laboramus quærendo, in credendo proficimus,quotidie perſpicacius cognoſcimus, magis,magiſq; ardenter diligimus, vt pertingamus ad id quò tēdimus, & comprehendamus, in quo comprehenſi ſumus. Hanc laboris viciſsitudinē, quam in proficiendo patimur, Propheta inſinuare voluit dicens: Pſal. 72. Hoc labor eſt ante me, donec intrem in ſanctuarium Dei, & intelligam, non per ſpeculum, aut in ænigmate, ſed facie ad faciem. 1. Ioan. 3. De qua intelligentia Ioannes Apoſtolus ait: Cariſſimi,nunc filii Dei ſumus,& nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cùm apparuerit filius,ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eū ſicuti eſt. Interim ergo dum in carne viuitur, interiori exercitationi, contemplationi cœleſtium intendendum eſt,quatenus perſpicacius in agnitione ſummæ veritatis, ſemper proficiat ratio, & in diuinæ bonitatis delectatione affectio. Hæ planè duæ ſunt pennæ ſpirituales deargentatæ columbæ, cuius poſteriora dorſi eius in pallore auri terminari deſcribuntur. His pennis ſpiritualis volatus agitur, quò peruenitur ad requiem, & ad Dei delectabilem guſtū, ipſiuſque ſititur præſentia. Quemadmodum Propheta de ſe teſtatur di- Pſal. 41. cens: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuū, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? Sitis hæc volatus eſt,non localis,non ſonorus,neque viſibilis,ſed interior, & ſpiritualis, refertuſq; dulcedine,per quem quotidie renouatur anima, & de claritate tranſit in claritatem,non à ſe ipſa, ſed tanquam à Domini ſpiritu erudita,atque directa. De huiuſmodi volatu audi quid animalibus volantibus per medium cœlum ſcriptura ſacra teſtetur. Apoc. 4. Non habebant(inquit)requiem die ac nocte,ſed clamabant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum. Talis profectò Dei eſt guſtus, talis eſt cognitio cœleſtium, vt eo efficacius interiores virtutes moueat,quò eluceſcit clarius,dulciuſque ſentitur. Mentem quippe efficit in inquiſitionem ſolicitam, ſitibundam in guſtu, in amore feruidam, & in contemplationem erectam. Quærit nanque vt inueniat, concupiſcit vt teneat, diligit vt creſcat,eleuatur vt quieſcat huculque dum peruenit, delectatione nimia circūfuſa clamat,& dicit: Hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hic habitabo, quoniam elegi eam: Pſal. 131. Bonū namque,quo fruitur,affecta dulcedine, illud nunquam amittere,nunquam minorari deſiderat. Verum ne quis propria ſui æſtimatione fallatur nouerit,iſta, veræ contemplationis,atque diuini guſtus,qui in ſinu quietis interioris ſentitur, abſque ambiguitate,ſigna exiſtere. prouidentiam videlicet habere in moribus, menti vigilem adhibere cuſtodiam, coadunare cogitationes, intētionem recto fine dirigere, ſtudia ſpiritualia ſectari, Dei præſentiam ſpiritualiter concupiſcere,ipſum humili corde diligere,illius ſuper omnia contubernio lætari, in cœleſtibus inardeſcere,atque amabiliter interna pace potiri. Qui talis eſt, à Dei regno alienus non eſt. Quinimo illud ſecum habet, iuxta Domini ſentētiam dicentis: Luc. 17. Regnum Dei intra vos eſt. Huiuſmodi caueat ne infletur,ne tepeſcat,neque iudicet,ne cuiquam calumniam inferat,vt non amittat donum præcipuum quod accepit: facile etenim ſpiritualem iacturam patitur, qui ſui neglecta cuſtodia, alienæ vitæ curioſus inquiſitor exiſtit, qui per exteriora diffunditur, atque immoderata negociis temporalibus occupatur. Sunt igitur ſpiritualia exercitia, ſedula cordis intentione coalenda,ne fauoribus auræ extinguantur impulſu. Sunt etiam corporis ſenſus ſalubriter coercendi, quatenus per mentis eorum occaſione terrena minime valeat colluuione fœdari,necnon & immoderato carnis amore animi eneruari conſtantia. Quamobrem ſolitudo ab his,qui contemplationi vacare deſiderant,maximo eſt amplectenda cum ſtudio, atque indefeſſa ſtabilitate ſeruanda. Quoniam tranquillitatis eſt portus à ſeculi fragoribus alienus, delictorū fuga, gratiarum nutrix, cœli ianua, orationis locus, compunctionis mater, diſcretionis cathedra, meditationis incentiuum, & contemplationis

ſanctæ

ſanctæ auxilium ſingulare. De hac itaque, quoniam vberrima fandi ſe offert materia, de eadem inchoatæ narrationis, ſermo percurrat.

Quid ſit ſolitudo localis, & quàm proficua, quantumve oneroſa, ſi non voluntaria eſſe contingat. Cap. II.

SAcris voluminibus eruditi duplicem ſolitudinem eſſe cognoſcimus, localem videlicet, atque ſpiritualem. Eſt namque localis ſolitudo remotionis locus, ab hominum conuerſatione penitus alienus. Huiuſmodi quamuis corporalibus delectationibus careat, ſeculi ignoret blanditias, carnem fouere non valeat: habet tamen vnde releuetur ſpiritus, cumulentur lucra, & mens in ſui reformatione proficiat, dummodo voluntaria ſit, diligatur ex corde, & veritatis agnitione ſeruetur. Cæterum ſi deſint iſta, carcer eſt horridus, ignauiæ volutabrum, noxiarum cogitationum ſentina, impatientiæ domus, ferarum ſpiritualium habitaculum, & præſentis vitæ diſsipatrix permaxima. Stat, qui localis incola eſt ſolitudinis, & ipſius delectabili caret guſtu, incluſus corpore, ſed mente vagus, profugus ſuper terram extraneus, ſibi viuus & mortuus. Mortuus eſſe cenſetur mundo, & viuit illi. Illum quippe concupiſcit, de ipſo cogitat, ipſumque inhianti ſectatur affectu: Amatores eius beatificat, tanquam fruentes naturæ bonis, & creaturarũ conceſsis muneribus, atque iuxta Domini ſententiam: In vultus ſui ſudore panis veſcantur alimento. Nunquid ſolitariorum tantum eſt Deus inquiunt? Nõnne & ſecularium? planè & ſecularium. Quippe quum miſericordiæ vacare poſsint operibus, cibare famelicos, potare ſitiẽtes, veſtire nudos, miniſtrare ægrotis, aduenas ſuſcipere hoſpitio, ſepelire defunctos, ac in compedibus conſtitutis exortationis præbere ſolatium: iacentes quoque in peccatis admonitionis verbo erigere, conſolari mœſtos, inſcios docere, conſulere dubiis, cæteriſq; inſiſtere actibus, in quibus fraternæ dilectionis exhibentur officia. De iſtis in extremo examine interrogatio fiet. Quid nos iudicanti Domino reſponſuri ſumus, qui nulli horum intendimus? In ſolitudine veluti animalia indomita viuimus, corporalium ſenſuum pene carentes vſu, humanam conuerſationem fugimus, charitatiſque obliti, nobiſipſis ſingulariter vacamus. Vt quid datus eſt viſus, auditus, loquela, olfactus & tactus, ſi eorum negligimus vſum? Equidem in ſolitudinis hoc loco deeſt humana ſocietas, cõfabulatio mutua, ac fraterna exhortatio. Solitudinem no-
Eccleſ.4. ſtram ſacra videntur damnare eloquia, quum dicunt: Vęh ſoli, quoniã ſi ceciderit non habet ſub-
Prou.18. leuantem. Ediuerſo conuerſationẽ & cohabitationem plurimum commendant, dum aiunt: Frater, qui adiuuatur à fratre, tanquam ciuitas munita eſt. Iſtiuſmodi aliiſque innumeris cogitationibus fluctuantes, animo impatientes fiunt, dormitant præ tædio, & ſpiritualem ſolitudinis ſuæ amittunt fructum. Crucem quidem baiulãt, nec moriuntur. In regis paratiſsimo diſcumbunt conuiuio, & fame tabeſcunt: quoniam minime experiuntur quãrę ſint ſolitudinis ſpirituales deliciæ. Porro ſi æqua lance quantum inter vrbium ac ſolitudinis habitatione diſtet, appenderent, non talia corde verſarent. Vbi (oro) componuntur fraudes, iurgia fiunt, iuſtitia deprauatur, pietas perit, adulteria perpetrantur, opprimitur innocens, ſupplantatur ſanctus, peccator laudatur, dominatur ambitio, inanis pollet gloria, vniuerſaque regnant delicta? nõnne in ciuitatibus, in quib. vnuſquiſq; cęteris appetit eſſe potentior facultatib. locupletior, opinione vulgi famoſior, & æſtimari prudẽtior? Hinc lites, hinc detractiones, hinc põpæ vigẽt, quoniã vix reperitur, qui nõ præeſſe deſideret. His oĩno caret ſolitudinis locus, quia ſanctitate affluit, & cęleſtibus exuberat donis. Equidẽ nil aliud dixerim monaſteria in ſolitudinis remotione Deo dicata, quã caſtra Dei, & refugia munitiſsima, ab incurſib. intellectualiũ beſtiarũ valde ſecura. Ad iſta vt plurimum, adulti cõfugiũt, qui ſeculi oblectamẽta deſpiciũt, carnis abhorrẽt lenocinia, facultatib. renũciant tpalib. celeſtiũ amore flagrãtes. Superna ſiquidẽ gratia preuẽti, atq; diuino irradiati ſplẽdore turbarũ declinãt ſtrepitus, delictorũq; materias, & ſolitudinis ſeceſſus quærũt, quatenus margaritã precioſã cœleſtẽq; valeãt aptius cuſtodire theſaurũ. In ea quippe, ſi laudabiliter cõuerſantur, ſẽper potiora percipiũt, ac Deo per amoris vinculũ propinquiores fiũt: ſe nãq; abũdè cõicat degẽtibus in ſolitudine, quẽadmodũ multis patet exẽplis. Vbi (quæſo) propheta ille, qui erat mitiſsimus oĩum hominũ qui tũc morabatur in terra diuinã allocutionẽ primũ audire promeruit. Nũquid in Aegypto, aut in regalib. ędib. Minime: Sed prorſus ĩ eremo, quo hoĩum deerat acceſſus. Sic.n. legitur. Quum autem Moyſes minaſſet gregem ad interiora deſerti: videretque quod arderet rubus, nec combureretur, admiratus ait: Vadam & videbo viſionẽ hanc magnã, quõ rub. ardeat, & nõ cõburatur. Quũ aũt pergeret illuc, ſe Dominum ex nomine proprio vocãtẽ audiuit. Quũq; reſpõdiſſet, adſũ, intulit: Solue calceamẽta de pedib. tuis, locus in quo ſtas, terra ſãcta eſt. Meritò Prophetę à domino myſticẽ mãdatur, vt pedũ calceamẽta deponat, tacitè ĩnuẽs, vt quicũq; ſolitudinis locũ habitare deſiderat, immoderato tẽporaliũ rerũ ſe priuet affectu, quatenus mortuorũ operibus nequaquã terrã polluat ſãctã. Quę eſt.n. participatio lucis ad tenebras? ſanctitatis ad immũditiã? Sãctus quoque ſolitudinis locus eſſe perhibetur in quo Propheta oraculũ cœleſte ad ſe factũ excepit prĩcipatũ populi, faciẽdorũ ſignorũ virtutẽ, pręcepta legalia, cęremoniarũ ſciẽtiã, decreta iudiciorũ, futurorũ notitiã, familiaritatẽ Dei, atq; beatificę viſionis promeruit donũ. An nõ eſt ſanctũ, quũ in eo figuraliter oues nonagita noue fuiſſe dimiſſæ legãtur, donec q perierat, inueniretur à domino?

nonne rectè ſanctus aſſeritur, in quo Hebræorum populus per annos quadraginta typicè cœleſti eſt alimento nutritus? (Ioann. 6.) Sic enim habes: panem cœli dedit eis, panem angelorum manducauit homo, cibaria miſit eis in abundantia. Quod enim populus ille non habuit in Aegypto, eſt cõſecutus in eremo. Qui autem legit intelligat. De Helia verò propheta quid memorem? Angelico namque miniſterio bis panis bucellam accepit, atque in ſolitudine poſitus, corui vnius eſt ſuſtentatus obſequio. Verum quum vehiculo igneo eſſet transferendus à ſeculo, non in vrbibus, ſed cũ diſcipulo pergebat in eremo. Diſce igitur qui ſolitudinem habitas, quanta in eadem exuberent beneficia. Diſce etiam quàm facile ex eremo trãſitur ad cœlum. Prorſus impoſsibile eſt quempiam poſſe perire, qui eo quo debet modo ſolitudinis habitator exiſtat. Recole præterea quanta de Ioanne deſerti incola ſint dicta præconia, qui ſub annis teneræ ætatis ſe ab hominum ſubduxit aſpectibus, ne vel ſaltem leui delictorum macularetur contagio. In eremo idem conſtitutus reuelationes percepit innumeras, verbi Dei populis ad ſe venientibus ſemina ſparſit, Chriſtũ agnouit in ſpiritu, monſtrauit digito, atque Iordanis baptizauit in vnda. Nullus profectò quemadmodum iſte eremi amator fuit, Quamuis enim impellente ſpiritu, & gratia comitante hoc ageret: Sanctorum tamen multorum & Prophetarũ, qui præceſſerant, fuerat eruditus exemplo. De (Hebr. 11.) quibus Apoſtolus inquit: Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti quibus dignus non erat mundus. In ſolitudinibus errantes, & in montibus, & ſpeluncis, & in cauernis terræ. Talibus inſtitutionibus ſacris imbuta eccleſia anachoritarum multitudinem direxit, ad eremum. Completum quidem eſt, quod Propheta longe antè prophetauerat dicens: (Pſal. 64.) Pingueſcent ſpecioſa deſerti, & exultatione colles accingentur. In ipſis memoratis patribus quàm locuples extiterit gratia, ſpiritus multiplex, fœcundæ virtutes, præclara ſcientia, vita probata, celebris eorum fama pronunciat. Lucebant in ſolitudinis firmamento tanquam conſpicua luminaria, adeò vt opacam, laudabilium operum ſuorum ſplendore ſeculi huius, irradiarent noctem. Verum quoniam ingenioli mei ſupereminet vires, cuncta poſſe perſtringere, quæ ſacris in voluminibus Sanctorumque geſtis, de hac dilecta ſolitudine eſſe exarata noſcuntur, quanta per ipſam euitentur mala, quantave immenſa proueniant commoda, iuxta ſibi indultam gratiam, tenuis ſenſus noſter elucidet ſtylus: Erit proculdubio hoc, nedum illam tenentibus perſeuerantiæ cauſa, verumetiam adhuc in mundo degẽtibus, ad ipſam capeſſendam exhortatio pia. Quoniam boni notitia, vehementer concupiſcentiæ virtutem accendit.

Quod ſolerter à corde temeraria ſint reſecanda iudicia. Cap. III.

ALtiſona diuinæ ſapientiæ tuba Apoſtolus Paulus exhortatur, dicens: Nolite, (1 Cor. 4.) fratres mei, ante tempus iudicare, quo adusque veniat Dominus, & qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo. Hoc propterea ſanctus iſte aiebat, quoniam nouerat quàm facilè de factis alienis conſueuerint iudicia fieri. Nouerat, inquam, Deo eſſe odioſum, mentium proximorum velle ſecreta rimari. Cæterùm qui ad plenum ignorat ſe, atque ſui interioris latebras penetrare non valet, quomodo poterit detegere occulta aliorum? Impudentiæ ac temeritatis ſignum notiſsimum eſt, quempiam velle æſtimare ſe ſcire, quod inueſtigare non licet. Quamobrem audite omnes, qui iudicia temeraria agere conſueſtis, æterni iudicis præconem, qualiter vos admonendo coerceat, quave ſentẽtia audaciam repercutiat veſtram, & ad ſobriam humilitatem, ſanaque conſilia reuocet. Quis (inquit) hominum ſcit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in illo eſt? (1 Cor. 2.) Quis (quæſo) non erret in iudicando occulta proximorum, quum frequẽtiſsimè fallatur quiſque in propriis? (1. Tim. 5.) Quorundam hominum peccata (ait Apoſtolus) ſunt præcedentia ad iudicium, quorundam verò ſubſequuntur. Porrò illa delicta præcedere dicuntur iudicium, & abſque ambiguitate iudicari poſſunt, quę manifeſta ſunt. Verbi gratia: Si videris ebrioſum, fornicarium, detrahentem, & liuore blaſphemantem, aliena rapientem, opprimentem innoxios, iiſque ſimilia facientem, quę omnino damnabilia ſunt, & recta nequeunt intentione agi, horum iudicium nequaquam temerarium eſt, quoniam talia per ſe nota ſunt iudicata ex ſe, atque damnata per legem. Huiuſmodi facinora præcedunt iudicium, eademque damnare reprehenſibile non eſt. At verò vbi opus ambiguum eſt, & quo fiat animo ignoratur, definitum iudicium euitandum eſt, ne efficiatur homo temerarię ſententię reus, dum quod rectum eſt, arbitratur eſſe obliquium. Tales Propheta arguens ait: (Eſa. 5.) Vęh qui dicunt malũ bonũ, & bonũ malum, ponentes tenebras lucẽ, & lucẽ tenebras. Deo itaq; cordium ſunt reſeruanda iudicia, qui ſolus ſcrutatur omnia, occulta penetrat, aliiſque ignota cognoſcit. Nihil enim oculus maieſtatis ipſius valet eſſe inuiſibile, (Heb. 4.) quemadmodum de eo Apoſtolus inquit, Viuus enim eſt Dei ſermo, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingẽs vſque ad diuiſionem animę, ac ſpiritus, compagum quoque & medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum, cordis, & non eſt vlla creatura inuiſibilis in cõſpectu eius: omnia enim nuda & aperta ſunt ante oculos eius. Dei igitur gloriam deprędari videtur, quicunq; huma-

narum

natum mentium aſſueſcit arcana perquirere. Ipſi ſoli hominum cogitationes ſicut notæ ſunt, ita iudicandæ ab illo. Quemadmodum legitur: In cogitationibus impij erit interrogatio: ſermonũ autem illius auditio ad Deum veniet, & ad correctionem iniquitatis illius, quoniam auri zelus audit omnia, & tumultus murmurationum non abſcondetur. Idcirco à cordibus famulantium Chriſto proximorum ſunt reſecanda iudicia, quę commaculant puritatem animæ, interioremque perturbant oculum, qui ideò cuſtodiendus eſt, mundus, vt ſyncero intuitu queat contemplari cœleſtia. O quam difficile aſcendit ſupra ſe, quiſquis operibus temerariè iudicando grauatur alienis. Cæterum & ſpiritualiter iudicare ſe neſcit, qui mentium curioſe percunctatur arcana. Suimet opinione inflatus, extraneorũ dãnat errata, qui humilitatis cẽſura debuit corrigere propria. Sanè pertimeſcit humilis perſcrutari mẽtiũ proximorũ ignota conſilia, ſibiipſi vtiliter vacans. Stat infatigabili cura ſuper ſui cuſtodiam, vt motus mentis inſurgentes agnoſcat, omnemque interioris ſuæ domus componit familia. Semetipſũ etiam laudabiliter damnando, diiudicat, quatenus tremendum æterni Dei valeat non formidare iudicium. Apoſtolica ſiquidem edoctus ſententia, ſeipſum ne iuſtè iudicetur, examinat, euaginatumque tenet ſpiritualis cenſuræ gladium vt æſtimationis proprię cogitatus interficiat noxios atque humiliando ſe oculorum inſolentiam premat. Hinc eſt quòd ſibi intendens, cæterorum minimè perquirit errata: negligitque, dum plangit propria, aliena iudicare delicta. Beatus planè humilis, qui omnium arbitratur ſe eſſe minimum ſeque cunctorum voce veridica viliſsimum eſſe fatetur. Iacet in imo, & per gratiam eleuatur in ſummis, atque ſemetipſum vilipendendo deſpiciens, Deo, & hominibus efficitur carus. Inflari quippe neſcit, abhorret detrahere, fratreſq; ſuos iudicare formidat. Cæterum vt memoratos effugiat laqueos, & charitatis mutuæ irreprehenſibiliter iura cuſtodiat, ſolitudinem diligens ſecedit ſponte, incedit ſoliuagus, hominumque conſortia fugit. Nouit enim nauim, quæ abſque interuallo fluctibus marinis exponitur, crebriſq; procelloſi æquoris agitatur turbinibus, detrimentum ſuimet perferre notiſsimum. Huiuſmodi itaque inſtructus exemplo, tutiſsimum ſolitudinis frequenter petit portum, quatenus more peritiſsimi nautæ, ſi quod in exteriori opere detrimentum pertulit, ſe intus humiliter componendo reſarciat. Eſt planè ſolitudo pacatiſsimus timentium Deum portus, qui opportunè à perturbationum fragoribus, cõtentioſiſque diſceptationibus, quæ ex proximorum conuerſatione emergunt, ad ſe confugientem eripit, & reddit hominem ſibi, ac libertati donat ingenitæ, vt valeat, prout expedit Deum quærere, paſsionibus repugnare, ſpirituales debellare nequitias, atque futuræ felicitatis corde deguſtare primitias. O amabilis ſolitudo ab amatoribus Chriſti, ſectatoribuſque virtutum ardenter concupita, quęſita ſedulo, dulciter amplexata. Eò efficacius, quò lucidius theſauros agnouere tuos, atque ſapido cordis palato perceperunt, quàm ſuauis eſt Dominus, & quàm magna ſit multitudo dulcedinis illius, quam abſcondit ſeruiliter timentibus ſe, perficit autem eis, qui ſynceero charitatis affectu ſperant in ſe. Quis (quæſo à te) nouit arcana cœlorum? Quis adeptus eſt prudentiam ſpiritus? Hęc ſane te pręparante, te ſuſcipiente, ſempiternum verbum reuelare dignatur. Quemadmodum per Prophetam teſtatur, dicens: Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius. Ducitur equidem verbi Oſee.2. ſponſa excluſis temporalium curis, tentationum importunitatibus atque moleſtiis vitiorum in ſolitudinem ſpiritualem, vt audiat ſponſum ſibi nũc reuelantem myſteria, nunc amatoria loquẽtem, nunc futura prædicentem, nunc reſerantem ſuperna. Ex hac igitur allocutione verbi, ſapientięque eruditione pręclara, efficitur anima in agendis prouida, fortis in certamine, in aduerſis ſecura, certificata in dubiis, in ſpiritualibus læta, atque interiori pace referta. Ob hos itaque ſpirituales adipiſcẽdos profectus, qui ex ſingulari dignatione prærogati ſunt ſponſę Chriſti, quibuſque militibus congruit interdum è certaminis ſecedere campo, & ſolitudinis captare ſuffragia, quatenus ex re, diuina reformatione mentis, robuſtiores effecti, contemnant ſeculum, vitia reprimant, temeraria deuitent iudicia, compeſcant linguam, iurgia fugiant, ac detractionum venena perhorreſcant, quæ potiſsimum ex iudicandi occaſione proueniunt.

Quòd prudenter proficientes debent vitare contraria, & potiſſimum linguę intemperantiam cohibere.
Cap. III.

LEx mandat prudentiæ, vt quiſque rationis compos iuxta ſibi indultam gratiam, adeptamque virtutem, proficiendi debeat à ſe mouere contraria, ne ex incuria, aſcendendique contẽptu, pullulantibus in ſe vitiis, cogatur non ſine detrimento deſcendere, atq; peccatorũ effici ſeruus, qui potuit fieri iuſtitiæ liber. Chriſti autẽ dilectoribus ad perfectionis alta tendentibus, plurimum linguę miniſterium cognoſcitur aduerſari, quæ (vt Iacobus apoſtolus ait) Ignis eſt Iac.3. vniuerſitas iniquitatis, quę maculat totum operum noſtrorum ſpirituale corpus, & inflammat rotam natiuitatis noſtræ, inflammata & ipſa à gehenna. Nam quemadmodum ſi cenſura virtutum cohibeatur, eſt membrum valde perutile: ita ſi eidem intemperantiæ fræna laxentur, inquietum eſt malum, mortifero plena veneno. Ex ipſa in eccleſiis diuinæ perſoluuntur laudes,

lætantes concinunt chori, gratiarum exhibentur actiones. Sacra eloquia populorum inferuntur auribus. Benedictiones fiunt, & alia quàm maxima proueniunt bona, quæ Deum timentibus ſilentiumque cuſtodientibus minime latent: at ſi ex incuria neglecta permaneat, horis ſingulis delictorum exaggerat faſcem. Frequenter enim prorumpit in verba blaſphemiæ, maledictionis, contradictionis, impugnationis, veritatis agnitę, defenſioniſque culparum, quæ legis diuinæ atteſtatione damnantur. O quot nugas, quot ocioſa verba & ſcurrilia profert. Iſta & ſi non perimunt animam, tamen infirmam reddunt, mentem diſſipant, puritatem fœdant, phantaſmata pariunt, & Deo loquaces homines debitores efficiunt: dicente Domino, De omni verbo ocioſo quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicii. Verum ſi de ocioſis ſermonibus, qui neceſſitate, & pia vtilitate carēt, in extremo examine interrogatio fiet, quid de blaſphemiis, detractionib. mendaciiſq; futurum ſit, prudens, quiſq; conſideret. Sane vbi otioſa & iocoſa abundant eloquia, frequentiſsime audiuntur quoque mendacia. Quàm verò à profeſſoribus veritatis aliena debent eſſe mendacia, perſpicue claret. In eorum namque ſermonibus debet eſſe ſimplicitas copulata prudentiæ, vt non aliud lateat in corde quàm ſonat in ore: debet etiam ineſſe veritas ſapientiæ ſale condita, quatenus nedum pro veritatis aſſertione ædificare, verum etiam valeant ex ſapientiæ rudimento inſtruere. Neutrum horum mendaces diligunt. Refugiunt quippe venire ad lucem, ne redarguti à lumine, deprehendantur in ſcelere. Latebras quærunt, imitantes illum, qui fuit mendacij primus inuentor. Is quoniam in veritate non ſtetit, in eo minime veritas eſt. Prophetæ comminationem audiant mendaces, Pſal. 5. dicentis Deo: Perdes (inquit) omnes, qui loquuntur mendacium. Nec ab re. Quantum enim in ipſis eſt, immortalem, & æternam veritatem (quæ Deus eſt) deſtruere moliuntur. Hoc verò dum agunt, illam in nullo lædunt, illi nequaquā detrimentum inferunt, ſed perimunt ſe, quemadmodum in ſapientiæ volumine continetur. Sic Sapien. 1. enim habes: Os autem quod mentitur, occidit animam. Reſipiſcant igitur ab hac nefaria conſuetudine, deſinant loqui falſa, deſueſcent hominibus ſuadere mendacia, vt veritatis ac gratiæ præſidio fulti, recidant etiam verba inutilia, atque iocoſa. Cohærent ſibi vitia, & viciſsim copulata, ſibi famulantur in malum, adeò vt abſque altero vnum eſſe non poſsit. Porrò quicunque ab ocioſis ſermonibus minime linguam compeſcit, ſæpiſsime turpiloquia, mendacia, blaſphemias, ac detractoria fatur. Qui autem detractor exiſtit, mendax, periurus, ac ſtultiloquius eſt. In vna ſiquidem malignitatis catena, confœderata ſunt vitia in animarum ruinam, ab immundis ſpiritibus fabricatam, atque contextam. Iſta multitudinem magnam illaqueant, vt ſecum ad interitū rapiant ſempiternum. Linguæ autem occaſiones, quę detractioni eſt prona, quantos quotidie doloſitatis ſuæ ſeruos faciunt eſſe emptitios: Grāde profecto malum eſt proximorum oblocutio, pernicioſum atque commune, adeò vt illorum, qui ſocialiter viuunt, vix reperiatur qui liber exiſtat. Nam facilius quiſque aliorum potius quàm propria damnat errata, ſibique mitius indulget quàm cæteris. Aliena prorſus à charitate detractio eſt. Qui proximum ſicut ſeipſum diligit, detrahere neſcit, neque detractoribus libenter præſtat auditum: Cuſtodite vos (clamat ſa- Sapien. 1 pientia) à murmuratione, quæ nil prodeſt, & à detractione parcite linguæ, quoniam ſermo obſcurus in vacuum non ibit. Impium proculdubio eſt oblocutionibus intendere, & rabido ore abſentium lacerare vitam. Mandat Dominus vt qui delinquit, ſeorſum corripiatur, dicens: Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum. Nuſquam autem præcipit vt detrahatur eidem: quoniam detractio ſpirituale homicidium eſt. Quod enim in corpore materialis agit gladius, hoc in anima detrahentium perficit lingua. O quàm frequentes in cordibus murmuria audientium proximorum, quæ optimè vigebat ī Chriſto extincta eſt fama? Equidē triplici ſcelere detractor efficitur reus. Abſentis quippe famam interimit, audientiſque, ac propriam occidit animam. Hinc Dominus aſpera inuectione detractores ſe inſecutum fuiſſe commemorans ait: Detrahentem ſecreto proximo ſuo, hunc perſequebar. Circuncidenda igitur ſunt labia, atque eloquia murmurij, ne contra detractores diuinam exaggerent vltionem. Conſueuit ſanè Pſal. [illegible] hoc vitium etiam vigere in bonis, atque ſub zeli ſpecie iugiter captiuare improuidos. Innumeri ſunt, qui potius in aliis, quàm in ſe zelare diuinum honorem videntur. Zelum Dei habent huiuſmodi, ſed non ſecundum ſcientiam. Rectus autem & commendabilis zeli iſte eſt ordo, vt quiſque prius ſe, deinde corripiat cæteros. Verū qui ſuimet iudex eſt verus, nequaquam erit ſolicitus aliorum iudicando damnare delicta. Quam obrem ò detractor, qui fratris tui obloquendo ſcelera detegis, ad te nunc meus eſt ſermo. Quis te (quæſo) vitæ iudicem conſtituit alienæ? Quis te fratrum tuorum accuſatorem fecit? Quid tua intereſt proximorum propalare facinora? Verum ſi delinquat frater, nunquid te offendit in aliquo? Nunquid honori derogat tuo? Quale (oro) ius habes in proximum, vt tuis velis illum arguere vocibus, atque obtrectationibus lacerare? Deſine vtique detrahere proximo, ſuperiorem enim habet, qui illius vniuerſa, ſiue bona ſeu mala diſcernit. Suo quippe Domino cum bene agit, ſtat, cum verò delinquit, non tibi, ſed ſuo Domi-

no

no cadit. Tu igitur quis es, qui tã improbè, tam manifeſtè, tam procaciter ſeruo detrahis alieno? Noli (quæſo) fratris tui reprehenſibilia acta detegere, ſed potius edicito tua. Redi ad te, & diſcu te te, iudica te, in ſtatera humilitatis appende. Et cum te multis agnoſces obnoxium, hoc tunc age in proximo, quod cupis vt fiat in te. Aduerte diligenter, cui delinquentium errata manifeſtes. Hoc autem tu dum agis, loquelæ tuæ modum impone, veritatem perhibe, mentis motus reſtringe, paſsionibus animi legem indic, ne vitium ſub virtutis te premat imagine. Falleris omnino, & à ſemita charitatis elongaris, ſi te ad obloquẽdum iam ſuſcepta propellit iniuria, ſi trahit liuor, ſi te temeritas ſuadet iudicandi. Conſultius tamen facies ſi linguæ lora inſtituas, ſi ſermonibus prudentiam addas, & cum Propheta dominum de-
Pſal. 18. preceris, & dicas: Pone domine cuſtodiam ori meo, & oſtium circunſtantiæ labiis meis, vt non declinet cor meum in verba malitiæ. Optimè prophetica eruditis ſentẽtia, cuſtodiam adhibere loquelæ, vt non prorumpas in eo quod minimè fari licet. Diſce igitur præmeditari, quomodo loqui debeas. Diſce, inquam, eloquia tua cum diſcretionis lance penſare, potiſsimè dum de abſentibus proximis ſermo occurrit in medium, ne
Iac. 1. te locutum eſſe pœniteat. Eſto (iuxta Apoſtoli Iacobi memorabile dictum) velox ad audiendum, quę ædificent te, tardus autẽ ad loquẽdum quod non expediat. Et ad detrahendum tardior aliorum famæ. Virtutes proximorum omni cum alacritate propalare non ceſſes: vitia verò non niſi neceſsitate impellente, aut ſuadente vtilitate. Alioquin eris fraternæ diruptor charitatis, atque detractionis reus. Beatus planè qui proximum non offendit verbo, nec facile opprobrium accipit aduerſus fratres ſuos. Qui loquitur veritatem in corde ſuo, & de bono cordis theſauro ſemper profert bona. Iſte (vt Propheta teſtatur) habitabit in tabernaculo tuo, & requieſcet in
Pſal. 33. monte ſancto tuo ò domine. Alio quoque in loco Propheta memoratus ait: Quis eſt homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam à malo, & labia tua ne loquantur dolum. Maximum itaque ſalutis indicium eſt, cum cenſura diſcretionis ſermones proferre, eſſeque in loquela rarũ & veracem. Plurima etenim euadit ſcelera, qui æquo moderamine loquendi miniſterium peragit. Nam quemadmodum præciſa radice arboris moles ruit, fructus & ornamenta decidũt foliorum: ita ſi compeſcatur lingua, vniuerſa, quæ ad ipſa proueniũt mala conquieſcunt. Fœdat quippe verboſi mẽtem garrula lingua, tepefacit ignem, lacrymarum exiccat fontẽ, pacis diſſoluis fœdera, compoſitas cogitationes turbat, fraternitatem dirimit, fingit mala, mentitur iugiter, aſsidue detrahit, adulationi intendit, occupatur in nugis, amittit tempus, lites concitat, diſſeminat odia, contentiones parit, extinguit compunctionem, dominique timorem euacuat. Verum nulla effræno ad loquendum ſunt potiora remedia, quam remotæ ſolitudinis ſectari quietem, amare ſilentium, hominum & præcipue loquacium declinare conſortia, delectari in domino, aſsiduaque illius ſpirituali allocutione gaudere, nec non ſupra ſemet vigilare cuſtodiam. Difficile etenim per locutionis immoderantiam à diuina excidit gratia, quicunque in cognitione propria humiliter conquieſcit.

De plaſmatione humani corporis, & qua de cauſa rationali ſpiritui aduerſum ſit.

Cap. V.

IN vniuerſi conſtitutione, humanum corpus à Deo pſalmatum eſſe, atque rationalem ſpiritum in eodem legimus fuiſſe infuſum, vt illud animaret, regeret, atq; nutriret. Nihil enim per ſe valebat ſibi, ſed prorſus erat inutile. Cæterum quamuis fuiſſet formatum ex limo defectibile atque mortale: opus tamen erat mirabile, & per mediatoris gratiam ſuo tempore diuino honori donandum, atque in dignitatem angelicam reformandum. Equidem ſuperiori tamdiu famulatum eſt, quamdiu idem obtẽperauit altiſsimo. At verò ex quo per peccati conſenſum prȩuaricatio diuinæ legis inualuit, corporis tota eſt deordinata compago, factaque eſt nedum ſibiipſi grauis, verumetiam rationali ſpiritui aduerſa, adeò vt caro pugnet contra ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, abſque pacis vlla concordia. Nam caro ſuo naturali impulſu infatigabiliter trahit ad ima, commoda temporalia quȩrit, corporalibus voluptatibus delectatur, viſibilibuſque inhȩrendo fouetur: ſpiritus verò cũ ſua ingenita dignitate perfruitur, corporis ſibi vendicat dominatum, ſemper appetit ſcire, præeſſe deſiderat, proficit ſpiritualium cognitione vel guſtu, immortalitatem diligit, cæleſtis gloriæ culmen ſitit, & Deo vt coniunctus ſit, ſemper exquirit. Caro igitur & ſpiritus dum ſinguli concupiſcunt propria, inimicantur inuicem. Verum hęc merito lugenda res eſt, pauciſque conſpicua, vixque inuenitur, qui velit aduertere, cur facilius ſpiritus carni, quàm caro ſpiritui obtemperet. Debuit prorſus ſpiritus, qui Dei in ſe geſtat imaginem, & ad corporis inſtitutus eſt regimen, dedignari operibus ſe ſubſternere carnis, quum famulatu perpetuo eandem acceperit ancillam. Debuit, inquam, ſolerter cuſtodire ſuæ prælationis imperium, quatenus conditoris lege ſeruata, & indulta gratia, eouſque reformaretur in melius, quo beatæ viſionis fieret dignus. Sed (proh dolor) in honore poſitus, quoniam non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Factus eſt in traductionem inimico-

micorum ſuorum, datuſque in prædam ſpiritualium beſtiarum. Nempe tanquam ſubiugale animal captiuus effectus per abrupta vitiorum huc illucque deducitur. Carnis curam, heu, quàm ſedulo miniſtrat officio, quàm diligenter perficit, quantòve peragit compaſsionis affectu, illam fouet, & nutrit deliciis, quantum valet precioſis exornat veſtibus, ſublimat honoribus, diuitiis terrenis locupletem facit. Omnis eius intentio, cunctaque cogitatio in carnis voluptate verſatur. Equidem obliuiſcitur qualis ſit, quid agat, cui deſeruiat, quid amiſerit, quid inuenerit, extra ſe inſenſibiliter totus effuſus, quò tendat ignorat. Captiuitatem namque propriam neſcit, ærumnas ſuas non ſentit, internam paupertatem minime videt, carnis obuolutus in cęno, quódque his deterius eſt, ſe admonentem ſpernit, corripientem fugit, exhortantem deſpicit, ſeque reuocantem ad ſe audire diſsimulat. Hinc iocis vacat, intendit fabulis, voluptatibus operam præbet, obſcœnis delectatur actibus, gaudet dum malum perpetrat, & in rebus exultat peſsimis. Non reproborum terretur ſuppliciis, neque præmiis afficitur beatorum. Futura ſiquidem negligit gaudia, præſentium inſipientium illectus amore, corruptibilis ac fœtidæ carnis calice debriatus, naturam ſpiritus turpiter peruertit in carnem. Huiuſmodi prorſus debuit pœna mulctari, qui incommutabili ſpreto bono degeneris materię effectus eſt ſeruus, atque adulteræ blanditiis aſſenſum tribuens, cęleſtem nequaquam veritus eſt repudiare ſponſam. O præuaricator æterni conſilii. O diuinæ irriſor ſapientiæ, redi ad cor tuum, reuertere ad iudicium. O, inquam, rationalis ſpiritus, qui æterni regis nobilem in te geris imaginem, reſipiſce aliquantulum, euigila à lethali quo deprimeris ſomno, auditum ſanis para monitis, ne obſtinatione detentus, pereas in æternū. Quamdiu dormis? Vſque quo piger & ingrate dormitabis? Surge (ad te clamat Apoſtolus) qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus.

Ephe.5. Vt quid à tua ingenita nobilitate degeneras? Cur te inferiori proſtituis fœdiſsimo videlicet cadaueri immunditia pleno, concepto in ſceleribus, ſcatenti fętoribus, vermiumque eſcę futuro poſt modicum. Tibi datum eſt principādi imperium, regimen mundi, intelligendi faſtigium, perpetuitatiſque decor. Tu carni pręſidere debes, non illa tibi, ex te honorem illa conſequitur. Immortalitatem reſurrectionis non ex ſe, ſed habebit illa per te. Tu caput illius, ſicut Chriſtus eſt tuum. Tu ſpiritualis naturæ inſignitus es dote, illa corpus eſt fragile, oneroſum, atque mortale. Quid igitur tibi cum carne & ſanguine, vt illis te ſternas, qui angelorum conſortia, & beatæ vitæ poſſeſſurus es gaudia. Non te (quæſo) alliciat carnis illecebra. Non te luxuriæ fœtor illaqueet. Non te ventris voluptas abſorbeat, neque terrenarum rerum te decor emolliat. Cęli pulchritudinem inſpice, ſyderum, contemplare ſplendorem, Solis ac Lunæ famulatum aduerte. Omnibus quæ ſub cœlo ſunt te prętulit Deus. Te quidem fecit per ſe, ſe inſinuauit per te, propter te deſcēdit ad te, atque per ſe te eleuauit ad ſe. Tui itaque redemptoris gratiam, tuę redemptionis precium, & ſalutis donum iugiter meditare. Iſta te erudient de te, te reformabunt in te. Tibi interna allocutione notificent, quid quęrere, quid ſperare, quidve ex corde debeas diligere. Nemo de te melius inſtruet te, quàm ille qui gratis ſine te fecit te. Nouit optimè ipſe facturam ſuam. Meminit, inquam, quanti emerit, vt illam à diabolica ſeruitute erueret, ac libertate donaret. Ex conditore quidem tuo intellige qualis es. Ex precio autem prærogato pro te, redemptoris tui agnoſce munus, tuęque pręuaricationis pōdus. Te quæſiuit ſolicitè, qui errabas ſicut perdita ouis. Te redemit non corruptibili auri vel argenti precio, ſed ſuo precioſo cruore. Te mundauit baptiſmatis lauacro in verbo ſuo ſempiterno, vt te ſibi exhiberet in ſponſam abſque vlla ruga aut macula. Te ſibi deſponſauit in fide, quemadmodum ore Prophetico pollicitus fuerat dicens: Et ſponſabo te mihi in ſempiternum. Ose.2. Et ſponſabo te mihi in iudicio & iuſtitia, & in miſericordia, & miſerationibus. Et ſponſabo te mihi in fide, & ſcies quia ego Dominus. Te demum ſibi amoris vinculo copulauit, ſicut per Prophetam commemorans ait: Ose.11. In funiculis Adam, & in vinculis charitatis attraxi te, miſerans tui. Diligentem igitur te dilige, vocanti reſponde, aperique pulſanti. Caue ſummopere, ne legitimum deſpicias ſponſum, & te exponas adultero, illique efficiaris ſimilis. An ignoras, quòd quemadmodum qui adhæret Deo vnus ſpiritus fit cum eo, ita & qui meretrici adhęſerit, vnum cum ipſa corpus efficietur? Quamobrem da honorem Deo, redeque te illi qui tibi præſtitit te, vt non reperiaris ingrata, & cum extraneis adultereris, pariterque damneris cum illis. Adulterabis profecto ſi te proſtitueris carni, permiſeriſque tibi ancillam dominari. Cæterum vt non declines cor tuum in verba malitię ad excuſandas excuſationes in peccatis, ſordidoq; infatuatus amore, dicas te odiſſe non poſſe carnem, quam dominus fecit, vt tecum ſit, viuat ſimul ac pariter cōuerſetur, tuo dirigatur conſilio, tuiſque ditetur meritis atque eſſe impium eidem naturalia denegare ſolatia. Rom.12. Apoſtolum attende ſic dicentem: Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. Te quàm prudenter inſtruxerit oro diligenter obſeruas. Illius monita nullatenus negligere debes, quoniam te docent, qualiter tuum tibi valeas hoſtem ſubigere, glorioſumque de illo reportare

re

re triumphum. Carnē igitur tuā per ieiunii, ac vigiliarum macerationem, viuam offer hoſtiam, vt ſpiritui repugnare non poſsit. Erit autem tunc ſancta, cum pudicitiæ candore fulgebit. Verum ex morum probitate compoſita, abſque dubio Deo, efficitur placens. Sic verò prudenter hæc vniuerſa perficias, vt rationabile tuum coram domino ſacrificium ſemper appareat. Hoc equidē tunc laudabiliter conſummare valebis, quum ab hominū tumultibus fueris ſegregatus, cùm ſpreto ſeculi luxu, certam, quę ad vitam ducit, peregeris viam, ac diſciplinæ virtutum ſenſibus tuis indixeris legem. Maximam etenim de obtinenda victoria, conſequeris fiduciam, ſi ſponte renunciaueris mundo, remotioris conuerſationis loca delegeris, tibique tecum habitare libuerit.

Quòd dominus Ieſus exhortationis verbo, atque remunerationis promiſſo præſens ſeculum docuit eſſe ſpernendum. Cap. VI.

SCiens Dominus Ieſus viſibilem hunc mundum in maligno poſitum, innumerabilibus laqueis vitiorum refertum, & laudabiliter Deo volentibus viuere eſſe contrarium, ad ipſius contemptum fideles ſuos ſicut exemplo, ita exhortatus eſt duplicis remunerationis promiſſo. Illum contempſit, atque contemptibilem eſſe indicauit. Nullam prorſus eius dignatus eſt habere ſubſtantiam, non agros, non vineas, non oliueta, non prædia, non poſseſsiones, non aurum, non gemmas, neque ad commorandum habitacula, adeò vt diceret: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, vbi reclinet caput ſuum. Tanquam peregrinus in eo vixit & accola, paruiſsimo tantum vſus eſt cibo, vilique coopertus pallio, necnon exanimis factus alieno extitit humatus in tumulo. Nullus illo pauperior, nulluſque illo ditior, paupertatem audiſti, illius quoque diuitias audi: Domini eſt terra & plenitudo eius (inquit Propheta) orbis terrarum, & vniuerſi, qui habitant in eo. Quū igitur poſsideret omnia, eſsetque vniuerſorum Dominus, noluit tamen per regiam dignitatem vel honoris cathedram, inſinuare quis eſſet, quatenus imitatoribus ſuis, humilitatis ſeculique cōtemptus præberet exemplum, & nullus ambire præſumeret, quod ipſe deſpexerat habere. Se regem inſtituere cupientibus declinauit à turbis, perrexitque ſuis crucifixoribus obuiam. Neglexit igitur cum mundo contrahere fœdus, læthiferas illius cōtempſit blanditias, atq; nefarias ipſius fraudes ſic prædicando detexit, vt capitale contra ſe excitaret odium. Meritò Chriſtum mundus amare non poterat, dum malis eius operibus verbo teſtimonium exhiberet & facto, atque ex eodem ſecerneret viros, per quos vniuerſarum in nationibus gentium verbi Dei diffunderetur ſemen, & ſanctæ Eccleſiæ quotidie area repleretur, horreaque cœlorum. Vnde Apoſtolis ipſe Dominus aiebat: Non vos me elegiſtis, ſed ego vos elegi de mundo, vt eatis, & fructum multum afferatis, & fructus veſter maneat. Cæterum vt ſpiritualis hæc meſsis vberior fieret, & auditorum vigor accreſceret, locupletem contempti huius aſſeruit eſſe mercedem dicens: Omnis qui reliquerit patrem aut matrem, aut fratres, aut ſorores, aut filios, aut propinquos, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternā poſsidebit. Duplicem ſponte renunciantibus ſeculo inſinuauit Dominus eſſe mercedem, in præſenti centuplum, & vitam æternam in futuro. Cuius in tali promiſsione non euigilet animus, ac naturalis non accendatur affectus? Currite huc omnes qui terrenas dignitates concupiſcitis, quique diuturnam vultis vitam, & diligitis dies videre bonos: Currite, inquam, & vos qui temporalibus rerum facultatibus ditari deſideratis, & æternæ ſapientię pollicitationes maximas cordis aure percipite, mente retinete, atque tota animi intentione diligite, humilitatem ſectamini, labentis temporis fęlicitatem ſpernite. Vendite quæ temporaliter poſsidetis, & pauperibus erogate, quatenus vobis theſauros congregetis in cœlo, vbi rubigo non conſumit, nec demolitur tinea, neque fures effodiunt vel furantur. Inſuper habeatis vitam ęternam. Sponte relinquite, quod in morte deſeritis inuitè. De neceſsitate virtutē elicite, & de voluntatis libertate mercedem. Nolite (iuxta Ioannis Apoſtoli ſalubrem admonitionem) mundum diligere, neque ea quę in mundo ſunt, quoniam omne quod in mundo eſt, aut eſt concupiſcentia carnis, aut eſt concupiſcentia oculorū, aut eſt ſuperbia vitæ, quæ non ſunt ex patre. In eo indomitę feræ tartareę legiones pertranſeunt, catulique leonum rugientes diſcurrunt, vt rapiant, & quęrant eſcam ſibi. Inſidiantur planè animabus innocentium & deceptionis multifarię laqueos parant nunc ſuaſionibus blandis, nunc falſis promiſsionibus, nunc terroribus vanis, vt imprudentium deludant mentes, greſſuſque ſupplantent, & eorum diſperdant gratiā, atque perpetuæ addicant neci. In ipſo itaque viſibilis mundi ſtadio viſibiliter piratæ diſcurrunt per ęquora. Latrones viatoribus bona diripiunt. Irrumpunt habitacula fures, potentes opprimunt vt inopes. Supplantant doloſi ſimplices, inuidi bonos ęmulatione laceſſunt. In eo nihil rectum, nihil eſt ſanctum, in quo perit iuſtitia, negatur veritas, pax confunditur, ſoluitur lex, ſocietas dirimitur, pręcipitat furor, inimicitię vigēt, nutriuntur odia, iurgia, fiunt, ſęuit crudelitas, impudicitia regnat, committuntur adulteria, ſtupra miſcētur, dominatur ambitio, ſuperbia extollit, crimina euertunt. Inopinati caſus pręmunt, infirmitas atterit, fames cruciat, coercet frigus, frangit egeſtas, dolores dilaniant, carniſque vitam mors furibunda

Matt. 8.

Pſal. 23.

Ioan. 15.

Matt. 19.

1. Ioan. 2.

ribunda pręcidit. Totus ſiquidem quum ſit turbinibus plenus, ille vere cenſendus eſt fęlix, qui Dei gratia præuentus aridum mũdum ſpernit cũ flore. Illius abhorret amicitias, atque remotæ ſolitudinis monaſteria ſancta inhabitat. Porrò huiuſmodi ſic ſegregatus à populis, bellorum fragores non ſentiet, malorum non patietur inſidias, non ſeculi attеretur anguſtiis, non extolletur in proſperis, non deprimetur aduerſis. Nullis mundi euertetur illecebris, nullis honoribus inflatus incedet: ſed dilectę ſolitudinis parietibus ſeptus, ſecurus ſtabit, diuinas lætus exoluet laudes, pacificus ſedebit in cella, atque per contemplationẽ erectus, ſponſi admittetur in thalamum, eritque tanquam mundo mortuus, & viuus Deo, quemadmodum quibuſdã conuerſis fidelibus Apoſtolus ait: Mortui .n. eſtis, & vita veſtra abſcõdita eſt cum Chriſto in Deo. Sanè illi ſpiritualiter iudicandi ſunt mortui, qui mundi delectationibus, voluptatibus carnis, ac viſibilibus cunctis renunciãtes ex corde, & remotiori ſolitudine ſoli Deo viuere decreuerunt. Horum etenim vita quamuis à mundi dilectoribus infructuoſa eſſe cenſeatur, & mortua vtpote in ſeculi agibilibus minus intenta, eſt tamen perutilis atque fœcunda. Latet quidem in terræ viſceribus arboris radix, corporeiſque oculis quando videtur, apparet contemptibilis, atque deformis: & tamen ex eadem prodiit ligni duritia, aſperitas corticis, foliorum amœnitas, redolentia florum, fructuumque dulcedo. Quamdiu hæc viget, arbor germinando fructificat. Ipſa autem areſcente radice, omnis arboris pulchritudo marceſcit, lignumque in fœcundum efficitur, flammarum incendio concremendum. Quicquid autem radicem diximus inuiſibiliter operari in arbore, æquè anachoritarum, Deoque militantium agere in eccleſia arbitrandum eſt vitam. Monaſteriorum, quippe ſeceſſus petunt, in cellularum ſpeluncis latitant, & ſeculo videntur ignoti. Alieníque cum ſint ab occupationibus mundi, & ab illius delectationibus ſequeſtrati, delinquentium tamen peccata orando ſuſtentant. Nam die noctuque diuino aſsiſtunt conſpectui, compaſsionis emittunt gemitus, lacrymas deuotionis effundunt, fraternæ charitatis offerunt vota, quatenus placabilem erga proximorum errata iudicis ſeueritatem reddãt. Fit autẽ orantibus illis in peccantes ęquanimior Deus, ad præſtandum indulgẽtiam pronior, gratior ad ſuſceptionem pœnitentium, ad erogandum dona hilarior, atque ad gloriam condonandam lætior. Sunt igitur interceſſores mundi, ſeculi lumen, virtutum exemplar, ſpeculum ſanctitatis, religionis norma, fidei diſciplina, angelorum ſocii, amici ſponſi, altiſsimi filii. Si tamen concordent profeſsio & vita, conuerſationis ſynceritas, ſeculique contemptus. Eia nunc ò milites & imitatores Chriſti, & Chriſtianæ veritatis oſtenſores pręclari, qui per temporalium abrenũciationem, & remotiorem vitam famulari domino decreuiſtis, perceptam cœleſtis gratię prerogatiuam agnoſcite, munuſque vobis impenſum (quæſo) diligentiſsime cuſtodite, intus ſeruate quod foris exhibetis. Ex corde relinquite, quæcunque deſpexiſtis in opere, ne deaurata ſitis monumenta, parietes dealbati, atque hypocritarum imaginem teneatis. In eo quod laudabiliter inchoaſtis, perſeuerate viriliter, quoniam minimè labor veſter eſſe poterit inanis domino. Reperiſtis precioſiſsimam margaritam in ſolitudinis agro recõditã, atque humilitatis abiectione ſepultam. Læto igitur animo, flagrantiſsimoque amore vendite quę poſsidetis omnem carnis à vobis abdicate illecebram, vt theſaurorum illius valeatis eſſe participes. Laborabitis proculdubio quouſque eius ſpeciem interiorem obtutu cernere, atque ſuauitatis ipſius dulcedinem guſtu ſapido percipere efficiamini digni. Tunc verò cœleſtibus locupletati diuitiis, ac ſpiritualibus delectationibus paſti, iucũdiſsima vobis de cætero remotio ſolitaria fiet. Nam quemadmodum ipſius commoratio ſę inhabitantes à plurimis redimit malis, ita cuſtodita prudenter internis facit exuberare deliciis.

Col. 3.

Quòd corporales ſenſus habere debent edomitos, qui quietem, eiuſque ſpiritualem cupiunt guſtare dulcedinem. Cap. VII.

VOlens Dominus Deus Hebręorum populum in hęreditatis introducere locum, terram videlicet promiſsionis lacte & melle manantem, mandauit vt prius regionis illius debellarent gentes, ſibique ſubiicerent, quatenus vrbes eorum, & caſtra iure hæreditario pacifice poſsiderent. Illorum etenim admonitione nos docuit, qui ſolitariæ conuerſationis loca (terram vtique lacte & melle manantem) incolere elegimus, vt ſciremus neminem in ſolitudinis ariditate pacifice poſſe quieſcere, eiuſque ſuauitatem guſtare, ſi non ante per virtutum cenſurã didicerit ſibi carnalium ſenſuum ſubiugare petulantiam. Iſti ſpiritualem terram, quæ nobis diuina pollicitatione debetur, occupant, nec ſinunt illã fructum germinare iuſtitiæ. Diripiunt namque ſępiſsimè gratiarum ſemina immiſſa per angelos, ne fructificent laudabilium operum germen delectabile Domino, omnibuſque cœleſtis curiæ beatorum agminibus. Euertunt quidem mentis ſenſum, colluuionibus ſuis, & veluti profugam in hac regione vmbræ mortis, atque captiuam ducunt, ſicque inſenſibilem & alienam efficiunt, vt nequaquã ſaluberrimis monitis intẽdere queat. Quis (quæſo) reſerare ſufficiat ad perfectionis faſtigium attingere cupientibus, & ſpirituali in ſtadio ſpiritualiter certantibus, quanta impedimenta, quòtve tentationes horis ſingulis corporalibus excitentur ex ſenſibus? Feneſtrę quippe anima-

rarum ſunt, per quas ſæpiſsime ex incuria, animique torpore lethale virus infunditur. Nõne quoties obtrectantibus damnabiliterque loquentibus, ac ſuggerentibus impudica & noxia aures accommodamus, toties in cordis penetralia diræ mortis fœtor ingreditur? Cæterum ſi fabulis ſcurrilibus, iocoſiſque, vacatur eloquiis, patuloque auditu verba ſuſcipiuntur in animam, nunquid nõ variis cor phantaſmatibus occupatur, & tanquã diuerſis commotum flatibus, huc illucque impellitur, atque paſsionum inuoluitur voraginibus? De oculorum autem quid memorem ſenſu? An non decoræ mulieres, ornatæ vt ſimilitudo templi, auri, argenti, gemmarumque aſpectus, excelſa prædia, depicti parietes, veſtes purpureæ, nitentia ſerta, precioſa monilia, pomiferæque arbores
Gen. 3. concupiſcentiam excitant oculorum? Vidit (inquit ſermo diuinus) mulier lignum, quod eſſet pulchrum viſu, & guſtu delectabile, & comedit, deditque viro ſuo, atque amborum aperti ſunt oculi in culpa, qui innocentiæ candore clauſi tenebantur. Equidem ſi non aſpexiſſet Eua minime concupiuiſſet. Verum quoniam impudicè & incautè vidit, concupiuit, comedit, & corruit. Non igitur intueri licet quod nequaquam licet
2. Reg. 11. concupiſci. Vidit quoque Propheta, homo ſecũdum cor Dei meliorem deambulans in ſolario, atque immodico de illa exardeſcens amore, voluptatis paſsione proſtratus, homicidium pariter & adulterium perpetrare non timuit. O quantis cõcupiſcentiarum ſagittis, ex inordinato oculorum aſpectu, imprudentis transfigitur cor? Trãſmittunt, vtique effrænati intuitus, ad animam corporearum formas rerum, atque concupiſcibilium qualitatum imagines, ſuaque importunitate internam diuidunt vnitatem, ſanctos diſsipant cogitatus, animi rigorem debilitant, tepefaciũt charitatem, compunctionem minuunt, deuotionem fœdant, pacis tranquillitatem turbant, & terreni pulueris in ſufflatione rationalem caligant obtutum. Porrò vbi incontinentes & effrænati ſunt oculi, cogitationum inordinatio adeſt, phantaſmatum numeroſitas, polluta oratio, dormitans intentio, proficiendi defectus, concupiſcentiæ amor, mentis euagatio, indiſciplinatio morum, leuitatis abundantia, quæ eſt notiſsimum incontinentiæ ſignum. Libidinis quippe ſpurcitias beatus Iob metuens, quæ ex incontinenti proueniũt aſpectu, ſibi pudicitiæ indixerat legem, vnde &
Iob. 31. aiebat: Pepigi fœdus cum oculis meis, vt non cogitarem de virgine. Nouerat vir ſanctus calidi hoſtis inſidias, quàm frequenter per exteriorem ſpeciem conſueuit mentis fœdare puritatem, intemperantiam membris adducere, atque caſtimoniæ violare decorem. Hinc aduerſariis obſtruxit aditum, & concupiſcentiis frænum impoſuit, quatenus cor nõ deflueret turpiter in eo, de quo abſque iactura cogitare vix poſſet. Vates quoque ſanctiſsimus oculorum lubricitatem periculoſam nimium eſſe intelligens, obnixè Dominum deprecatus eſt dicens: Auerte oculos meos, ne videant vanitatem, in via tua viuifica me. Psal. 118. Humana vix valet explicare facundia, quantam interiori homini corporalis viſus iacturam inferat. Quò enim ſe diffundit latius, pluraque in ſe ac diuerſa percipit, eò magis nocet, ſi abſque hortationis cẽſura permaneat. Nam quantumcunque videat noua, decora aſpiciat, intueatur multa, minimè ſe refrænando quieſcit. Eccl. 1. Non ſatiatur (inquit ſapiẽs) oculus viſu, nec auris impletur auditu. Cæteri autem ſenſus quemadmodum facilius ſatiãtur, quã hi, quos memorauimus, ita & minus pernicioſi ſunt. Quamobrem viſui, audituique ſolertior eſt adhibenda cuſtodia, ne perefluant, & ſpirituales hebetent ſenſus. Hinc optimè ad eorum edomãdam laſciuiam, remota congruit ſolitudo, quę noxiis carnalium ſenſuum caret fomentis. Nequaquam pecuniarum affluentia, neque pompaticus veſtimentorum apparatus, vel concupiſcibiles corporis oculis reperiuntur ſpecies, quæ intentis valeant damnabiliter affectum allicere. Verum nec ſcurrilitas nouitatum emergentium, non obtrectantium verba, neque impudici, inutiliſq; ſermonis prolatio in aurium concrepat ſenſu. Deſunt etiam cæterorum ſenſuum voluptuoſæ materiæ. Non enim in ſolitudinibus inueniuntur diuerſorum odoramentorum lenocinia, quæ excitant pruritum libidinis, non lautiora ſunt fercula, non ſaporum varietas, quibus ventris ſectari poteſt ingluuies, atque reprehenſibilis intemperies guſtus, neque proprii ſeu alieni corporis immoderatus attactus. Quum potius diuinæ præſentię aſſuetus ſpiritualiter animus, nihil priuatè perpetrare ſinat, quod non etiam in publico liceat. Circunſcribitur ergo in cella oculus, & crebro in terram defigitur, quatenus originem & finem ſuum rationalis homo ex ipſa conſideret. Auertitur denique ab omni ſtrepitu ſonoro auditus, vt in deſideriorum ſuorum clamoribus mens ipſa attentius à domino valeat audiri. Cæterum in quietis eadem conſtituta ſilentio, poteſt delectabiliter audire, quid illi loquatur ſapientia, quoniam frequentiſsime loquitur pacem in plebem ſuam, & ſuper ſanctos ſuos, præſertim tamẽ in eos, qui ob dulcedinem diuini guſtus conuertuntur ad cor. Non enim in tumultibus hominum ſe communicare conſueuit, ſed his qui remoti ſunt, ſicut ſacrarum erudimur teſtimoniis ſcripturarũ. Erant quippe (prout legimus) apoſtoli, cæteriq; diſcipuli poſt Domini aſcenſum in cœnaculi ſecreto incluſi, ſedentes pariter, aſsidueque orantes, Act. 1. ſuper quos ſpiritus ſanctus largo gratiarum imbre in linguarum, ac ignis ſplendore deſcendit. Hoc namque paracletum propterea egiſſe legimus & cognoſcimus, vt diſceremus quantum eidem fraternitatis vnitas, ſilentium, bonum, ſolitu-
dinis

dinis locus, atq; orationis inſtãtia placeat. In huiuſmodi ſpiritualibus ſtudiis occupatis maieſtatis ſuæ exhibuit præſentiam, ſicque cœleſtis regni, ac diuinorum eloquiorum fecit eſſe miniſtros. Vniuerſos ſiquidem horum erudiuit exemplo, quatenus nemo procedere auderet ad publicum atque docendi explere officium, niſi poſt exercitationem quietis, orationiſque ſeceſſum. De hac proficiendi regula, prophetico in pſalmis admonemur oraculo: Vanum, inquit, eſt vobis ante lucem ſurgere, ſurgite poſtquàm ſederitis, qui
Pſal. 126.
manducatis panem doloris. Eandem in ſeipſo Saluator manifeſtauit. Ad Iordanis quidèm fluenta perrexit, baptizatus ex aqua aſcendit, atque deſerti vaſtitatem cum diabolo pugnaturus intrauit, demũ celebrata victoria, prædicationis ſumpſit exordium dicens: Pœnitentiam agite, appro-
Matth. 3.
pinquauit in vos regnum cœlorum. Sana procul-dubio & ſalubris eſt iſta admonitio, vt priuſquàm alios quiſquam prædicator erudiat, diſcat ex ſe quid cæteris debeat. Nec minus exemplo, quam verbo doceat. Contemptibilis prorſus agnoſcitur eſſe doctrina, quã minime laudabilis vita decorat. Ante cœpit dominus Ieſus facere, poſtmo-
Act. 1.
dum verò docere. Compungatur igitur, & à propria temeritate deſiliat, quiſquis ante quietis portum nauigare, atque ſine remigio virtutum prædicationis vela oſtentare voluerit. Equidem ſuperbiæ derentus vento, ignominiæ colliditur in ſcopulos: eritque manis gloriæ ſpeculum, qui ſeipſum erudiẽdo humilitati poterat eſſe virtutum. Optima plane humilis viri eſt humilitatis doctrina, quæ ſine loquendo inſtruat, ſeu commendabiliter tacẽdo quieſcat, ſemper noſcitur eſſe proficua. De theſauro namque ſuo bonorum operum, quæ geſſit rudimenta pronuncians, auditorum animos conuertit ad gratiam. Concordat quippe eius vita cum voce, efficaciterque benedictio diuina ſentitur in opere. Non enim ſub modio, ſed ſuper candelabrum conſtitutus eccleſiæ, vniuerſis lucet, qui in Dei domo ſunt poſiti. Cunctis etenim cum honorabilis ſit, ſoli ſibimetipſe vileſcit. Nunc igitur tacendo quieti intendens, orando iudicem interpellat pro populo. Nunc exortationis eloquia proferens, errantia corda conuertit ad dominum. Fitque, vt ſiue per orationis ocium mente excedit Deo, ſeu ſobriè loquitur hominibus, Chriſti ſemper charitate pingueſcat.

Quare Dominus Ieſus in eccleſia, præſidentium ac prædicatorum gradus, atque cœnobitarum inſtituit loca. Cap. VIII.

POſtquàm dominus noſter Ieſus Chriſtus triumphato mundi huius principe, cœlum glorioſus aſcendit, eccleſiam ſuam mira virtutum omnium varietate decorauit: illamque ſpiritualibus chariſmatibus, ac peruigili angelorum muniuit cuſtodia, adeò vt immundis ſpiritibus ſit valde terribilis. Nec ab re ipſam ſic voluit vndique eſſe protectam. Nouerat enim proſtrato duce, quanta pericula exercitui immineant vniuerſo. Nouerat, inquã, quòd poſt ſuum abſceſſum, quam maximas perſecutiones à mundi principibus, atque à poteſtatibus tenebrarum fuerat ipſa paſſura. Contra quæ humana minime potuiſſet præualere infirmitas, niſi diuino miſericorditer fulcita fuiſſet auxilio. Quis (oro) tam naturali ingenio, animi virtute, aut prærogatiua ſanctitatis eſt præditus, vt non abſque ambiguitate ſuccumberet, ſi cum antiquo aduerſario, ſine ſpirituali ſuffragio eidem permitteretur habere congreſſum? De illo namque ad beatum Iob à domino dicitur ſic: Non eſt poteſtas ſuper ter- Iob. 41.
ram quę comparetur ei, qui factus eſt, vt nullum timeret. Omne ſublime videt. Ipſe eſt rex ſuper omnes filios ſuperbiæ. Vt igitur aduerſus illum inuicta perſeueraret eccleſia, pręclaros in ea cõſtituit duces, qui bellatorum animos, non minus erudirent ad pugnam, quàm animarent ad prælium. Hos etenim tanquam robuſtiſſimos viros in ipſo certaminis poſuit fronte, quatenus aduerſus inimicos pugnarent viriliter, exemplo ſuo excitarent ad bellum, ſuaque protegerent virtute puſillos. Præſidia quoque erexit innumera, ad quæ ſormi dotoſi accederent, & ab incurſibus intellectualium beſtiarũ protecti quieſcerent. Ad ipſa etiam voluit, vt laſſi interdum ſecederent bellatores, vireſque reſumerẽt, ſicque robuſtius de cætero dimicarent. Minime tamen ab his laborantes, & oneratos excluſit, quatenus reiectis faſcibus terrenarum actionum, ſub iugo ipſius interiorem requiem poſſiderent. Sciens itaque dominus, qui vniuerſorum ſalutem concupiſcit, vt pater, arduum eſſe crucem tollere, & ipſum in agone paſſionis imitari, atque per mortem corporis, martyrii ſubire ſupplicium, leuiorem certandi inſtituit modum, quatenus qui mori metueret, ſaltem ſemotus à populi vitiis, & tentationibus, nequaquam reſiſtere recuſaret. Hac de cauſa anachoritarum indixit vitam, & cęnobitarum loca fundauit, vt qui pro Chriſto formidaret occumbere, aduerſus innatas & adultas carnis, & animę paſſiones, aſſueſceret dimicare. O Dei noſtri pia dignatio. O capitis noſtri ſolicitudo non pigra, hortatur dimicantes in prælio manifeſto, eiſque patiendi robur pręſtat, vt vincant. Certantes inſtruit in occulto, vt dęmonum fraudes agnoſcant, atque de ipſis fortiter reluctando triumphent. Martyribus quippe futuræ remunerationis inſinuat gloriam, ſeque glorioſe reuelat in illa. Quod quidẽ clarè patet in Stephano, qui cum Iudæorum obrueretur lapidibus, in cęlum reſpexit & ait: Ecce video cęlos apertos, & Ieſum ſtan- Act. 7.
tem à dextris Dei. Cęnobitis autem ſeipſum manifeſtat in ſpiritu, deuotione nutrit, ne laſſati prętædio

tædio

Digitized by Google

tædio, in monaſterij campo ſuccumbant. Sane quod docuit, pertulit, & quod ſuaſit, ipſe perfecit. Mortem enim, quam pro veritatis defenſione docuit non eſſe timendam, viriliter pro redemptione noſtra ipſe ſuſtinuit. Obſeruantiæ quoque clauſtralis regulam, quam ſanctorum ſuaſit mētibus optime operibus ipſe compleuit. Vtrobique per virtutum ſemitas milites præceſſit ſuos, quatenus abſq; redargutione veraciter diceret: Qui mihi miniſtrat me ſequatur. Sciēdum tamen eſt, quà illum debemus ſequi, nec minus vſquequo, quamve mercedem ſit donaturus ſequentibus. Quis (oro) ſpōte gradiendo ſequitur, ſi ignoret quà? Cæterum quis ſine ambiguitate ſequitur ſi neſciat quò? Vniuerſi autem mercedis remuneratione trahuntur. Magiſtrum igitur audi ſub cōpendio te erudiētem de ſingulis, vt opere ipſum imiteris ardentius. Qui vult (inquit) venire poſt me, abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam, & ſequatur me. De mercede autem ſequentium ſe ad patrem ſic ait: Pater quos dediſti mihi volo, vt
Luc.9 vbi ſum ego, & illi ſint mecum, & videant claritatem meam, quam dediſti mihi, quia dilexiſti me. Docet te ſapientia his paucis per tui abnegatio-
Ioan.17 nem crucem tollere, vt ſcias, quà perſeuerando ſequi, vt non te lateat quò. Orando patrem pro te, vt eius claritatem videre deſideres, quæ futuræ felicitatis eſt merces. Quemadmodum alibi dixit:
Ioan.17 Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolū Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Nemo ab hac imitatione ſecernitur, ſiue eorum, qui vſque ad ſanguinis effuſionem pugnant, ſeu illorū qui contra vitia in ſolitudinis agone decertant. Equidem vniuerſis miniſtrantibus vna ſequendi accertandi indicta eſt lex, inæquali tamen exercitatione virtutum. Diſce igitur qui ſolitariè degis, qualis corporalis, qualisve ſpiritualis tua ſolitudo eſſe conueniat, vt ſcias qualiter pugnare te cōgruat. Nam horum ignorantia frequentiſsimè impellit ad caſum. Diſce, inquam, quid agere, quidve magis aſsiduè debeas cogitare. Vtroque modo vtraque ſolitudo perficitur. Circumſcribe corpus vt iugiter commoretur in cella: nunquā verò permitte niſi neceſsitate cogente, vt vagetur è clauſtro. Porrò ſi ſolitariam vitam ducere decreuiſti, tecum ſolus habitare ſtudeto. Alioquin mentiris, hominibus te eſſe oſtendens, quod prorſus non es. Scito autem quòd cæteris Deo famulantibus conuerſatio humana, quæ tibi magna ex parte ſubtrahitur, late conceditur, duntaxat pudica ſit, diſcreta & vtilis. Pudica, inquam, ne carnali vel ſaltem ſenſuali affectione deſeruiat. Diſcreta autem, vt modum adhibeat, obſeruet mores, ac rematur tempus. Vtilis verò non ocioſis ſermonibus vacet, non intendat locis, non diſſoluat mentem, non tractet noxia, neque proximorum perturbet pacem. Hæc profecto ſi abſint, tibi etiam permittetur ad tempus temperantius tamen, quam reliquis, quorum ſtatus fraternæ conuerſationi non diſcrepat. Igitur prudenter aduerte, ne crebro ad publicum exeas, vt nequaquam diſpergas in patulo, quod in ſolitudinis adunaſti ſecreto. Facile namque amittes quicquid gratiarum cum hominibus degens propalabis incaute. Grandis quamobrem ſenſibus tuis eſt adhibenda cuſtodia, ne amabilem ſolitudinis tuæ diripiant tranquillitatem. Quoties itaque curioſitate ſua mentem tuam nitūtur euertere, non prorſus coercēdi ſunt, ſed ſpiritualiter exercendi. Porrò ſi te concupiſcentia impulerit oculorum, cœlum aſpice, lunæ ſtellarumque radiantem lucem attende, creaturarum ſpecies contemplare, quatenus de corporalibus ad ſpiritualia, atque de viſibilibus ad inuiſibilia ſubleueris. Eſt namque vniuerſi decor, conditoris ſpeculum valde præclarum, in quo opificis ſumma decla-
ratur maieſtas, quemadmodum Pauli voce ſic dicitur: Inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea quę facta ſunt, intellecta conſpiciuntur. Sempiterna quoque eius virtus atque diuinitas. Si aures cupiunt impleri auditu, diuinis eloquiis auditum para, atque rationabilium, ſeu irrationabilium, creaturarum Deum more ſuo laudantium, pias modulationes auſculta. Te quippe ad conſiderationem cœleſtium cantionum excitare valebunt. Si odoribus refocillari deſideras, redolentia prata ingredere, vt vernantium florum fragrantiam ſentias. Ibi plane quadam corporali ſpiritualique ſuauitate illectus, ad eum (qui in canticis Canticorū de ſe ait: Ego flos campi & lilium conuallium) clamabis & dices: Trahe me poſt te, in odorem curremus vnguentorum tuorum. Si ſaporum dulcedinem appetitos tuum, regis tui poculum meditare, cum in exitus ſui hora, Sitio, clamauit in cruce. Nempe concupiſcentiam tuam ſitis eius extinguet: fietque ſermonis illius conſideratione maxima tibi deuotionis occaſio, dum vehementiam ipſius charitatis, ex corporali ſiti annotabis expreſſam. Siticbat quidem in carne, ſed non minus ſalutem tuam anhelabat in corde, quàm vnico ſermone tibi inſinuare curauit. Si ſilentij tædio affectus linguæ fræna laxare concupiſcis, dominum tuum conſona voce laudare ſtudeto, apoſtolicæ admonitionis memor dicētis: In hymnis & canticis ſpiritualibus cantantes, & pſallentes domino Deo veſtro. Tecum autem in hoc delectabili carmine amoris, vniuerſa quæ facta ſunt, excitabis, & dices: Laudate dominum de cœlis, laudate eum in excelſis. Laudate eum omnes angeli eius, & reliqua quæ in eodē pſalmo plenius continentur. Poſtremò ſi te tactus mulcet illecebra, vt aliquid inordinatè contingas, virtutis quodam concepto vigore, plaudendo cantabis: Omnes gentes plaudite manibus, iubilate Deo in voce exultationis. Sic plane ex animali rationalis effectus, concupiſcentiæ nox, quæ creatur ex ſēſibus, ſicut dies illuminabitur, & ſicut tenebrę eius,

Roma.1 Cant.2 Ioan.19 Coloſſ.3 Pſal.148 Pſal.46

ciuis ſanctorum, atque domeſticus Dei? Qui huiuſmodi eſt; de propria ſalute deſperans omniũ Pſal. 58. flagitiorum ſe fontem facit. De ipſis prophetam arbitror dixiſſe in pſalmo: Conuertẽtur ad veſperam, & famem patientur vt canes, & circuibũt ciuitates. An non ad veſperam ſe conuertere cõgruè memorantur, qui deſerta luce veritatis, ſoleque iuſtitiæ, delictorum ſectantur tenebras, & qui lucis filij prius nuncupabantur, nunc noctis eſſe dicantur? Ad veſperam ſe conuertit Adam, quando contra præceptum conditoris vetitum comedendo deliquit. Proinde Dominum inter paradiſi ligna latitantem, non mane neque meridie, ſed poſt meridiem ſacra eloquia illum reperiſſe teſtantur. Optimè in eo veridicam mediatoris noſtri agnoſcitur eſſe ſententiam qua dicit: Ioan. 3. Qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. Sic & iſti dum male agunt, oderunt lucem, noluntq́ venire ad lucem, ne redarguti à lumine, manifeſtẽtur eorum opera mala. Refugiunt ij necdum agnoſci ab aliis, verumetiam propriam erubeſcũt conſcientiam, quoties ſuperno illuſtrantur ſplendore. Propterea non valentes perſeuerare in luce, denſiſsimas ſe conuertunt ad tenebras, famẽque patiuntur vt canes, & circumeant ciuitates, vt vel ſaltem de porcorum ſiliquis ſuam poſsint auferre inediam. Hanc famem filius tandiu paſſus eſt prodigus, quandiu eſt elongatus à patre, ac vbi ad ſe rediens remeauit ad patrem, & ſaginati vituli promeruit eſcam, nullius voluptatis ſenſit eſuriem. Videſne quàm pernicioſum ſit relinquere patrem, Chriſtique hæreditatem impudicè diſtrahere, ocioque tabeſcere? Hinc ſanè circuitio curioſa nõ minus mentis quàm corporis, fames valida, egeſtas cœleſtis alimoniæ, ſocietasq́ue porcorum euenire contingit. Iſta profectò in ſpiritu patitur, quicunque ſe retrorſum conuertens, à Chriſti ſeruorum ſocietate, ſuaque diſcedit vocatione. Illi autem hoc ideò accidere arbitror, quoniam intumuit corde, Deique amiſſo timore ſectatus eſt ocium. Hæc proculdubio ſunt, quæ Deo famulantibus, & præcipuè in ſolitudinis loco degentibus, opportunam ſpiritualis ruinæ materiam ſubminiſtrant. De ſuperbia nanque ſic legimus: Ante ruinam exaltatur cor. Prou. 16. Nam quemadmodum dona cuſtodiens humilitas, perſeuerantiæ tribuit robur: ita elatio diſperdens gratiam, impellit ad caſum. Quis (oro) humilitate deſpecta ſe extulit, & in delictorum fęcem non corruit? Quis inquam de perceptis muneribus elatus, diu perſeuerare valuit? nemini prorſus ſuperbienti iuſtitia diuina pepercit. Per prophetam nanque homini extollenti ſe ait: Hiere. 4. Superbia cordis tui extulit te habitantem in ſciſſuris petrę, exaltantem ſolium tuum, qui dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram? Si exaltatus fueris vt Aquila, & ſi inter ſydera poſueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus. Nunquid aliud quàm ſuperbię tumor extitit cauſa ruinę illius, qui in corde ſuo pręſumendo dicebat: Eſa. 14. Sedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſuper aſtra cœli exaltabo ſolium meum, & ero ſimilis altiſsimo? Porrò ſi iuxta apoſtoli Petri ſententiam angelis peccantibus 2. Pet. 2. Deus non pepercit, ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit in iudicium cruciandos reſeruari, quanto minus luteas inhabitantibus domos, qui terrenum habent fundamentum, & à delictorum tinea conſumuntur, ſi ſuperbierint, non ignoſcet? Noli itaque altum ſapere, tu qui ab exteriorum es ſequeſtratus fragoribus & ſedes in cella, ſed humiliter time. Tibi è vicino imminet elatio, vt labiorum tuorum pręripiat fructus ſuadens tibi, quatenus te arbitreris aliquid eſſe, cum nihil ſis. Cęterum ſi ſapiens fueris, humilis eris in oculis tuis, & te omnium creaturarum in veritatis ſpeculo intelliges eſſe minimum. Senſum quippe hunc cordis aſſequeris facillime, ſi cogitabis aſsiduè quid fuiſti, quid acceperis, quid ex te, quidve ſis effectus per gratiam. Nunquam igitur conſiderationis oculus à tui cognitione caliget, ne forte offendas ad ſuperbiæ lapidem pedem tuum. Nunquam accidię te opprimat languor, vt non ocio tabeſcas atque deficias. Semper quicquam exerce laudabile, ne te diabolus vacantem inueniat, operi manuum temperanter intende. Erit profecto ex hoc tibi ſolitudo tolerabilis, duntaxat illud cum diſcretione perficias. Humana etenim mentis imbecillis eſt acies corruptibilis corporis grauata ſarcinula, vt ſpiritualibus infatigabiliter ſtudiis non valeat occupari. Quamobrem corporali eſt interdum exercitio ſubleuanda, ne ſupra virtutem exercitata ſuccumbat. Sanctorum quippe patrum hac in re erudimur exemplo, ipſi vtique quamuis à vitiis purgati, quanquam die, noctuque in orationibus eſſent aſsidui, horis tamen certis quippiam operis exterioris adimplebant, non lucri cauſa permoti, ſed vt huiuſmodi occaſione exercitij, mentis deuitarent faſtidium, laudabiliter indultum tranſigerent tempus, atque infirmitati carnis diſcretiſsimè indulgerent. Nam quemadmodum ex operis viciſsitudine fragilitatis humanę teneritudo erigitur, ita proculdubio & vnius tantum aſsiduitate torpeſcit. Nunc igitur memorati patres cõtemplationis penna eleuabantur in cęlum: nũc corporali actione tanquã cęteri deſcendebant ad ima. At verò in imis poſiti, nequaquã deſiderio ſublimia deſerebãt, neq; in ſublimib. euecti, humilitatis habitu deſpiciebant humana. In ſũmis nãq; illos orõis prouehebat pietas: ĩ imis

autem operis cuſtodiebat humilitas. Vtrobique maximo vtebantur prudentiæ moderamine, ita vt alieni minime fierent à ſe, cum corporaliter aliquid agerent extra ſe. Ex re diuina vtique exercitatione, eorum ſpiritus renouabant interius, augmentabatur charitas, veritas perficiebatur, & contemplationis amor mentem vehementius perurgebat. In nullo internæ pacis diſpendium ſuſtinebant, quoniam feruore ſpiritus in iis quæ agebant, atque illuminatæ diſcretionis mouebantur impulſu, hic illorum profectus augebatur & gratia, adeo vt adhuc viuentes in corpore, animo conuerſarentur in cælis. Quamobrē ſicut magnum angelis de ſua exercitatione præſtitere ſolatium, ſic & præclarum poſteris perfectioris vitæ reliquerunt exemplum, in montibus, in cœnobiis, in ſolitudinibus, in ſpeluncis, ac in cauernis commorantes petrarum, angelicā potius, quàm humanam ducebant vitam. Ieiuniis quidem macerabant carnem, vigiliis ſæpiſsimè pernoctabant, orationibus vacabant inſtanter, lectioni intendebant ſcripturarum ſanctarum, in diuinis laudibus erant aſsidui, operique manuum ſtatuto tempore deſudabant. Talis profecto eorum conuerſatio fuit, vt ſit mundi ſpeculum, perfectionis forma, norma virtutum, religionis decus, & remotioris conuerſationis rudimentum valde proficuum. Sic nanque ſanctè, ſic omne vitæ ſuę tempus, prudentiſsime dedicauerunt domino, ac ſi eſſent horis ſingulis morituri.

Quanti æſtimandum ſit præſentis vitæ tempus indultum. Cap. X.

VNaquæque res, eo magis diligenda eſt, quo pluris eſſe cognoſcitur, præſtat quippè æſtimationem rei ipſius agnita virtus, quæ tunc apparet amabilis cum primę innititur veritati, & quæſtu ſuo poſſeſſores ſuos locupletes eſſe facit in cœlo. Hinc indulti temporis precioſitas commendatur. Quanti autem ſit, quis corde percipere, quisve humana valet referare facundia? Illud nouerunt optime, qui co carent. Omnem ſiquidem mundi ſubſtantiam, honores prælationum, ſeculi pompam, corporis voluptates, & quicquid ſub cœlo creatum eſt delectabile atque iucundum, pro vnius horę ſpacio, ſi poſſent voluntariè commutarent. In ipſo ſiquidem temporis decurſu breuiſsimo, iuſtitiam placarent diuinam, lætificarent angelos, horrēdam damnationis æternę euitarent ſententiam, proculque dubio adipiſcerentur regna cœlorum. Hi ſunt quibus miſericordia iam fecit occaſum, qui irreuocabiliter in lacum miſeriarum deſcenderunt, vbi nullus eſt ordo, ſed horror ſempiternus inhabitat. Iſtis plane deeſt tempus ad merēdum, ita vt nec per ſeipſos ſibi, neq; ab aliis vllum refrigerationis poſsint captare ſuffragium. Et merito illis nullus locus venię datur ad pręſens, quippe qui oblatam dum adhuc viuerent, percipere noluerunt. Neglexerunt ſibi pręrogatam gratiam, nec vt bene agerent intelligere voluerunt neque vltimi temporis neceſsitatem pręuidere curarunt. Se quippe dederunt voluptatibus carnis, curam in deſideriis, concupierūtque pręſentis vitæ pernicioſa ſolatia, ac ſi nunquam eſſent morituri. Illis contingit quod per beatum Iob dicitur: Tenent tympanum & citharam, & gaudent à ſonitu organi, ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt. Hoc autem vnde illis acciderit, intulit dicens: Qui dixerunt Deo, Diſcede à nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus. Quid eſt omnipotens vt ſeruiamus ei? & quid nobis prodeſt, ſi orauerimus illū? Veruntamen quia non ſunt in manu eorum bona ſua, conſilium eorum longe ſit à me. O qualem fecerunt commutationem, vt videlicet exultarent in exiguo tempore, & ęterno cruciarentur ſupplicio. Quis illorum valet conſiderare iacturam? Duplicia etenim receperunt de manu domini pro vniuerſis iniquitatibus ſuis. Damni pœna torquentur, & ſenſus. Amiſerunt nanque Deum, cęli delicias, angelorum conſortium, merita electorum, agni nuptias, beatam reſurrectionem, immortalitatis ſtolam, & beatam vitam. In his potiſsimum damni conſiſtit pœna. Illis autem addita eſt ſocietas dæmonum, horrendus ipſorum aſpectus, ardor inextinguibilis ignis, ſtridor dentium, palpabiles tenebræ, inrenores lachrymæ, improperiorum vociferatio, intolerabilis ſitis, ſulphureus fœtor, conſcientiæ vermis, carcer abyſsi, euadendi deſperatio, & interminabilis diuinæ viſionis carentia, quæ dolores ſuperemi net vniuerſos. Iſta autem ſi ſaperent & intelligerent, quibus adhuc bene operandi prorogatū eſt tēpus, impenſa gratia, & dilata ſententia. Equidē ſi nouiſsima ſua præuiderēt, nō ſic inaniter viuerent, voluptati ſe darent, proſtituerent vitiis, indulgerent corpori, diabolo obtemperarent, facultates quærerent, mundique peteſtrem cōcupiſcerent gloriam. Verum quoniam futurę nō pręcauent mala, & præſentibus inhærent bonis, cū eiſdem ſimul prętereunt pariterque deficiunt. Sic filii hominum facti ſtulti, iudicantes non recte, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras, malumque dicentes bonum, & bonum malum. Sic, inquam, conſilium negligunt ſapientiæ, veritatis ſubuertunt itinera, ſanctorum monita paruipendunt, abiiciunt gratiam, virtutes deteſtātur: vocantur, & obedire contemnunt: trahuntur, & aſcenſum præbere diſsimulant. Heu quàm mortalium eſt iſta plangenda conditio, deteſtanda cæcitas, infelicitas fugienda? Abutuntur vtique peruerſi homines naturalibus bonis, gratuita dona diſpergunt, & venię tempus

Iob. 21.

ocioſè conuerſando conſumunt. O ſi agnoſcerent quanti æſtimandum ſit, quod ſine conſideratione amittunt. Cæterum quid præcioſius tempore? Quid, quæſo, illo fructuoſius? Quid carius? Quid excellentius? Quidve amabilius? Sed proh dolor, penè ab omnibus nihil habetur vilius, nil tractatur inutilius, nil indignius poſſidetur: nullum temporis momentum præterit, in quo merita non valeant cumulari æterna. Cętera, quæ habemus in mundo à nobis aliena ſunt, tempus autem proprie noſtrum eſt, ſi tamen illo vtimur ad ſalutem. Illud ſiquidem diuina nobis clementia contulit ad plangendum errata, ad pœnitentiam faciendam, ad promerendam indulgentiã, ad virtutes acquirendas, ad multiplicanda merita ad vendicandam gratiam, ad inferni ſupplicia euadenda, & ad æternam gloriam conſequendam. At verò quàm rari ſint, qui veraciter agnoſcant iſta, atque labentis temporis breuitatem fructuoſa ſemper exercitatione diſpenſent. Labitur, inquam, & momentanea adeo defectione diſcurrit, vt nunquam in eo pręſens inuenias. Pręteritum autem reperies & futurum. Quonam tamen modo pręſens nuncupandum eſt tempus, cum id quod pręſens eſſe videtur, tam repentina volubilitate dilabatur, vt illud vel ad ictum oculi retinere non valeas? Tibi igitur quoaduſque mortali hoc peregrinare in corpore, deſtruit pręteritum & futurum, teque ducit ad pręſens. Nam nihil aliud eſt tempus, quàm menſura motus cęlorum. Quamobrem nec in cęlo, neque in profundo abyſsi, quo poſt mortem tenditur, quemadmodum nullus finitus, nulluſq; menſuratus eſt motus: ita nullũ eſt tẽpus, totũ quod ibi eſt, ſiue in cęlo, vbi cũ Chriſto Dei viſione fruũtur beati, ſiue in inferno, vbi cũ apoſtaticis ſpiritibus cruciantur reprobi, ęternum eſt

Apo.10.

fine aliquo fine claudendum. Sic nanque ab angelo in Apocaly. Ioanni dictum eſt: Et iurauit per viuentem in ſecula ſeculorum, quia non erit amplius tempus. Hic ergo vbi eſt hyems & ęſtas, dies & nox, prolixus ſolis decurſus & breuis, tempus eſſe definiendum eſt, pręteritum videlicet & futurum. Si tamen propriè eſſe dici valet, quod aut futurum eſt, aut tranſeundo nuſquam eſt. Mira plane res eſt hęc, & prudenti conſideratione dignißima, quo ordine vitę noſtrę pręterit tempus. Quod enim futurum eſt, nondum eſt: quod verò pręteritum eſt, nuſquam eſt. Quod autem pręſens eſſe creditur, ſic infatigabili labitur motu, vt in eo momentum aliquod nequeat eſſe pręſens.

Pſal.38.

Vitę igitur huius decurſum propheta contemplatus aiebat: Veruntamen in imagine pertranſit homo, ſed & fruſtra conturbatur. Prorſus ſuperuacuè conturbatur homo in aduerſis, atque lętatur in proſperis, dum quoad viuit, in imagine pertranſit. In imagine, inquam, quoniam quicquid in hoc mundo eſt, ſiue boni, ſiue mali, imago eſt futurorum. Sed & merito viuens homo tranſire dicitur, quia nulla penitus temporis ſoliditate firmatur. Hoc Apoſtolus Iacobus aſſeuerans ait: Quæ eſt vita veſtra? Vapor eſt ad modicum patens, & deinceps exterminabitur.

Iaco.4.

De eadẽ beatus Iob inquit: Homo natus de muliere breui viuens tempore, repletur multis miſeriis, qui quaſi flos egreditur & conteritur, & fugit velut vmbra, & nũquam in eodem ſtatu permanet.

Iob.13.

Vtinam iſta intelligere vellent præſentis vitæ amatores, qui nunc ditari facultatibus, nunc eleuari honoribus, nunc humanis fauoribus longe lateque commendari deſiderant. Vt enim celebri memoria habeantur digni, in vrbibus, in caſtris, in ædibus, in parietibus ponunt ſigna ſua, & minime aduertunt miſeri, quod poſt paululum à conſpectu mortalium tanquã puluis, quem proiecit ventus à facie terræ, eorum memoria deletur, & fama. Quamobrem nemo rectius gloria dignus efficitur, nulluſq; magis diuturnam ſui memoriam relinquit poſteris, quàm qui pro amore diuinitatis bonis vitæ huius renũciat vniuerſis, atque ex delectatione virtutum cupit eſſe inglorius. De huiuſmodi per prophetam ſic dicitur: Beatus vir, qui timet dominũ, in mandatis eius volet nimis:

Pſal.111.

Potens in terra erit ſemen eius, generatio rectorum benedicetur: Gloria, & diuitiæ in domo eius, & iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi, & paulo poſt inquit. In memoria æterna erit iuſtus, ab auditione mala nõ timebit. Merito in æterna memoria iuſtus perhibetur futurus, quia memoriam ſuam renuit in terra nominari, quæ tranſit cum habitatoribus ſuis, qui viciſsim ſuccedunt ſibi, dum in ea diu ſtare nõ valeant. Ab auditu verò malo non timebit, quo ad

Mat.25.

interitũ præſcitis dicetur: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Nullatenus timebit iuſtus, quoniam audiuit dominum ſibi loquentem in ſe, illique obtemperauit ex corde. Audiuit, inquam, clamantem & dicentem: Venite ad me omnes qui laboratis, &

Matth.11

onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde & inuenietis requiẽ animab. veſtris. Hac introrſus audita voce reiecit ſarcinam deprimentẽ temporaliũ rerum, & laborioſa negotia fugitiui ſeculi, ſubegitque mẽtis ſuę ceruicem iugo Chriſti, vt ab illo diſceret humilitatem, animęq; ſuæ requiẽ reperiret. Hęc eſt plane iuſti imitantis Chriſtum regula conſummatæ iuſtitiæ, ac perfectionis brauiũ, per quod nomen ipſius in cęlo, in libro videlicet vitę, deſcribitur, nullo euentu, neq; aliqua omnino tẽporis diuturnitate abolendum. Non autem à ſe, nec propriis hoc adeptus eſt meritis, ſed diuina benedictione præuentus, priuſquã deſereretur à ſeculo, illud reliquit ex animo, quatenus promiſſæ quietis, demumque æternæ felicitatis fieret particeps. Nouerat

vtraque, mundi ſcilicet oblectamenta, & ſpiritus gaudia ſimul ſtare non poſſe, propterea omne Pſal. 72. quod in mundo eſt, ſponte contempſit, vt Chriſto veraciter adhęrere valeret & dicere: Mihi adhærere Deo bonum eſt, ponere in domino Deo ſpem meam. Hoc quamuis vniuerſi Deo legitime famulantes proferre queāt, præcipuè tamen in ſolitudinis remota habitatione degētibus cōgruit. Hi etenim nequaquam curis temporalium vacant, non hominum miſcētur tumultibus, non ſenſuum curioſitati inſeruiunt, ſed expediti, ſed liberi, alacres, atque deuoti, mente pariter & corpore diuino mancipantur obſequio: ſi tamen id ſunt, quod eorum profeſſio ſancta demonſtrat. Huiuſmodi temporis precioſitatem agnoſcētes, nunc mente tantum, nunc mente ſimul occupantur & corpore. Nullum tēporis ſpacium (quamuis breuiſsimum) inutiliter tranſire patiūtur, ſciētes de illo coram vniuerſorum iudice diſtrictam rationem eſſe reddendam. Tali ſiquidem ſolitudine, tanquam ſpirituali quodam ſtimulo agitati laudabili ſemper quadam exercitatione proficiunt, & in virum creſcunt perfectum, atque in menſuram ſpiritualem ætatis plenitudinis Chriſti, ita vt omnia omnibus fieri poſsint, ac Chriſto domino lucrifacere vniuerſos.

Quòd virtutibus & ſapientia rationalis ſpiritus ſi exercendo creſcit, & ad perfectionem attingit.
Cap. XI.

HVmanum corpus per varia membra compactum atque diſtinctū, quemadmodum ſi alimentis propriis nutriatur, donec ad maturam pertingat ętatem, vegetatur & creſcit. Aeque & rationalis noſter homo interior, quamuis enim ex conſuetudine mala, atque inolita voluptate diuerſis ciborum generibus caro paſcatur, exiguo tamēn alitur cibo, ſi eius ſolum quis naturali velit ſatisfacere neceſsitati. Nam ſicut legimus, vita hominis eſt panis & aqua, quod ad vtrumque pertinet. His ſanè duobus alimentis materialibus penè exterioris hominis natura vegetatur. Quis pane non veſcitur, & aquæ non vtitur elemento? Hæc diuitibus & pauperibus, infirmis & validis, nobilibus ac ignobilibus congruunt, quamuis ſuper adiiciant alia diuerſis ex cauſis. Cæterum quemadmodū corporis alimonia potiſsimum, ſicut dictum eſt, eſt panis, & aqua ita ſpiritualis animæ cibus Pſal. 103. virtus & ſapiētia eſſe probatur. Eſt quippe virtus (propheta perhibente) panis ſolidus, confirmās cor hominis, & ad bene viuendū omnia interiora mēbra corroborans. Hunc panem myſticè comedit propheta, & aquam bibit, propter quod adeò effectus eſt validus, vt in fortitudine cibi ac potus iſtius, xl. diebus, totidemque noctibus am3. Reg. 19. bularet, donec pertingeret ad montē Dei Oreb. Diſce igitur tu, qui ad ſpiritualem montem perfectionis conaris aſcendere, quibus debeas vti alimentis, quatenus quadraginta dierum peragrare valeas iter. Nunquam euangelicę perfectionis rudimenta & decalogi mandata perficies, ſi non ſapientiæ aqua, & virtutis fueris pane ſaginatus. Virtus etenim eſt bona qualitas mentis, qua bene viuitur, qua nullus male vtitur, quam ſolus Deus in homine operatur. Ex hoc percipe quantum debeas ſine virtute præſumere, atque in ſpirituali perſeuerare certamine. Panem hunc habere deſidera, illumque in tuis orationibus ſicut docuit dominus, expoſce, dicens: Panem noſtrum Matth. quotidianum da nobis hodie. Hodie, inquam, vt ſcias ad vitam animæ panem omnino neceſſariū eſſe virtutis. Verum etiam quoniam indiges ſapientia, ipſam ſimul poſtulare memento. Eſt autē potus ſaluberrimus ſapientiæ aqua, quæ æſtum carnalis concupiſcentiæ & ſitim temporalium voluptatum refrigerat & extinguit. His duobus alimentis iuſtum quemque ſpiritualiter legimus a Deo eſſe refectum. Sic nanque ſcriptum eſt: Ci Eccle. 15 bauit eum pane vitæ & intellectus, & aqua ſapientiæ ſalutaris potauit illum. Sapidus nimirum virtutis eſt panis, qui immortalitatis vitam, & intellectum tribuit benè viuendi. Cæterum delectabilis aquæ ſapientiæ guſtus fore cognoſcitur, quo omnia animę interiora dulcorantur, reficiunturq;. Iſtis duobus ſpiritualibus alimoniis ſpiritus rationalis vegetatur & creſcit, non molle corporea, neque quantitatis extenſione, ſed perfectione virtutum, vetuſtatis ſcientia, ardore fidei, ſapientię infuſione, acumine intelligentiæ, & charitatis augmento. De huiuſmodi incremento interiori audi quid de ſe dicat Apoſtolus: Cum eſſem, inquit, 1. Cor. 13 paruulus, loquebar vt paruulus. Cum autem factus ſum vir, euacuaui quæ erāt paruuli. Proinde alio loco diſcipulos ad ſe imitandum exhortans clamabat: Os noſtrum patet ad vos, ô Corinthii, 2. Cor. 6 cor noſtrum dilatatum eſt, dilatamini & vos. Magna ſiquidem hoc modo efficitur anima, & parua, creſcit quotidiè atque decreſcit, iuxta ipſius ſolicitudinem ac torporem. Sanè cum circa ſalutem propriam vigilat, cum in vitiorū extirpatione laborat, cum tentationibus dæmonum pulſata renititur, cum hominum iniuriis laceſsita humiliter tolerat, cum abhorret perpetrare, quod diuina lege prohibetur: virtutis ita dilatata ſuffragio creſcit, & ad maturam pertingit ætatem, nō tēporis nec corporis, ſed charitatis & meriti. At verò dum ignauia depreſſa tabeſcit, dum cordis mūditiam negligit, dum voluptatibus carnis aſſenſū præbet, dum aduerſis agitata ſuccumbit, profectò decreſcit, decoremque amittit proprium, & nimium contemptibilis efficitur obtutibus ſponſi. Quamobrem intentione debet euigilare perſedula, vniuerſa fugere, quæ ſub obſtant profectui, ne ætate prouecta, ſit exigua mentis, ac minus actione perfecta. Vehemētiſsima quippe animaduer-

maduerſione & aſperrima inuectione ſit digna, quando poſt religionis ſuſceptum onus, poſt monaſticæ conuerſationis exercitium, poſt captum ocium ſolitariæ quietis & pacis reperitur paruula, & adhuc lactis poculo nutrienda, vtpote ad ſolidū percipiendum cibum minus diſpoſita: Apoſtolo (Hebr. 5.) vero teſte: Omnis, qui lactis eſt particeps, expers eſt ſermonis iuſtitiæ. Perfectorum autem eſt ſolidus cibus, eorum qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni & mali. Nempe qui lactis indiget alimento delicatus eſt, & ad ſpirituale lucrum, ac virtutis ſtudium minus idoneus. Huiuſmodi ad perferendum aduerſa eſt debilis, ad aggrediēdum ardua corde puſillus, in exercitatione remiſſus, mente vagus, & perfectionis deſiderio priuatus. Commoda propria, neglectis aliorum, quærit: tentari formidat, renuit pati, ſeipſum immoderatè diligit, & ſalua conſolatione propria Deo ſe realiter obtemperare promittit. Proinde quoniam debilis & delicatus exiſtit, ne ſuccumbat in prælio, ne labore attritus deficiat, ne bene viuendi propoſitum deſerat, opportunè nunc diuini, nūc eſt humanis lactis dulcedine coalendus. Non ſic autem qui ſolido virtutis pane veſcuntur, horū de quibus locuti ſumus ſupergrediuntur mēſuram, tāquam iam ſpirituales effecti, currunt alacri animo ad brauium ſupernę vocationis, vt comprehendant in quo comprehenſi ſunt à Chriſto Ieſu domino noſtro. Spiritualibus namque locupletati diuitiis, virtutūque margaritis ornati, ad omne opus laudabile parati noſcuntur, propterea ſi docent, id ſecundum rationem fidei agunt. Si tribuunt, in ſimplicitate. Si præiunt, in ſolicitudine. Si miſerentur, in hilaritate. Si diligunt, ſine ſimulatione. Si corrigunt cum humilitate. Si proximis humilibus inſeruiunt, cum pietate. Si ſuperioribus famulantur, cum magnanimitate. Nulli prorſus malum pro malo reddunt, neque maledictum pro maledicto: ſed econtrario benedicunt maledicentibus ſe, odientes ſe diligunt, pro perſecutoribus orant, gaudent cum gaudentibus, & cum flentibus plorant, hoc ipſum ſcientes ex corde, quoniam non alta ſapiunt ſed conantur conſentire humilibus, vt ipſi ſe in humilitate cuſtodiant. Sepiunt quoque à detractionibus impudicíſque ſermonibus auditum. Oculos auertunt à concupiſcibilibus mūdi, à lenocinantium odoribus claudunt olfactum. Temperantiæ frænum ori imponunt, atque ab omni voluptuoſo amplexu continent tactum. Virtutum ſiquidem delectatione ſaginati ſemper ad altiora conſcendunt, fiuntque ſublimiores cælo, atque propriis hoſtibus fortiores. Non parcunt ſibiipſis, nullam corpori tribuunt requiem, vt virtutum mereantur aduolare faſtigium. Hac quippe de cauſa ſecularium hominum conſortia fugiunt, vrbium mœnia deſerunt, ſolitudinis ſeceſſum petunt, & cœnobitarum ſe collegiis ſociant. In ipſis tanquam in ſpirituali ſtadio certant, corpus ſubigere ſpiritui, voluntatem proximo, intentionem virtuti, & mentem Deo, quatenus ſpiritualis ſolitudinis queant potiri dulcedine. Tanta ſedulitate ideo pugnant, quoniā perſpicuè ſciūt, neminem niſi poſt virtutū aſſecutam coronam, ſpiritualis ſolitudinis poſſe fruitione lætari. Non enim quod ſpirituale eſt prius, deinde quod carnale eſt datur. Neque ante certamen corona, ſed poſt conſummationem pugnæ, victorię prærogatur triumphus. Seruiuit Iacob annis ſeptem, vt concupitis Rachelis pulcherrimæ potiretur amplexibus, & tamen Lyæ eſt inſcius connubio copulatus. Qui legit intelligat, quoniam pręclarum myſterium eſt & contemplatione digniſſimum. Nemo igitur contubernio ſapientiæ efficitur dignus, ſi non in virtutum ante fuerit exercitatione probatus. Hinc cœnobiorū eſt inſtitutio commendāda, eorum præcipuè, quæ in ſolitudinibus ſita, à populorū ſunt ſegregata tumultibus, quoniam congruam Chriſti militibus pugnandi exhibent facultatem, & ad vacandum Deo cellulæ quietem tribuunt. Nam ſolitaria habitatio ſingulariter quieſcentium cōſequenciæ virtutis prorſus caret ſuffragio. Quonam modo habitatorem ſuum hominem valet virtutis efficere, cum opportuno deficiat exercendæ virtutis miniſterio? Non enim ex deſiderio tātum virtutis perfectio conſumatur, quin potius ad ipſius conſummationem expedit, vt ſimul cōueniant diſpoſitio præparans, habitus informans, operatio præbens, & meritum coronans. Hinc recte colligitur, neminem ad perfectionem poſſe venire virtutum, cui deeſt gratia diſponens, habitus acquiſitus informans, operatio laudabilis probans, & gratificatio charitatis merita noſtra coronans. Superuacuè igitur laborat quicunque ſine præueniente, & cooperante gratia, atque actuali operatione, ex acquiſitis informata habitibus, virtutum ſe arbitratur poſſe obtinere candorem. Valet itaque remota anachoretarum habitatio virum cuſtodire virtutum, minime autem facere. Gymnaſium autem ſpirituale virtutum cœnobium eſt, & famulantiū Chriſto congregata ſocietas. Quoniam ibi virtutum omnium materia ſuppetit, quę magna ex parte anachoretis deficit. Quamobrem patres ſanctiſſimi qui præceſſerunt, extiteruntque generoſiſſimi eremi cultores, prudentiſſima definitione ſanxere, quatenus nullus omnino ab hominum conuerſatione ſequeſtratus ſingulariter degeret, niſi prius laudabiliter foret in monaſtica conuerſatione probatus. Nouerant ipſi memoria digni perpetuam cellulæ commorationem eſſe oneroſam, atq; tentationibus creberrimis agitatam, quibus inexperti facillimè corruunt. Veh, inquit ſcriptura, veh ſoli, quo- (Eccleſ. 4.) niam ſi ceciderit non habet ſubleuantē. Proprio

ſiquidem ductus arbitrio, ipſe ſibimet lex eſt. Po-
teſt extra cellam vagari cum vult, quieſcere, &
manducare ad libitum, dum quodlibet illi licere
ſe putat. Quis, oro, caſus illius temporis amiſsio-
nem, hebetudinem mentis, pollutionem cordis,
actionis inconſtantiam valet exprimere? ſi proba-
tę diſcretionis gubernaculo caret? Nam quemad
modum quicunq; abſq; gubernatore prouido, &
appluſtri, procelloſi ſi æquoris pręſumit nauigare
profundum, facile pręfocatur in vndis ita qui ſine
conſilio directoris experti, & ante virtutum ade-
ptam experientiam, ſolus audet ſolitudinis habi-
tare ſecreta. Prorſus paucorum eſt, qui humano
deſtituti ſolatio, quoad vixerint laudabiliter
queant in cella perſiſtere. Illorum tantum eſſe
hoc arbitror, qui paraclitum poſsident, atque vir-
tute prudentiæ, ac naturali pollent ingenio, qui
2. Cor. 2. vt ait Apoſtolus, non ignorant aſtutias Satanæ,
ſciuntque eſurire, abundare, & penuriam vtriuſ-
que hominis pati. Verum cui deeſt conſolatio
diuina, quæ in oratione humilibus datur, nec di-
ſcernendi, neque tolerandi poſsibilitas adeſt, cor
poralis ſolitudinis frequēter erumpit carcerem,
miſcetur cum hominibus ſponte, & temporaliū
ſe occupatione diffundit. Huiuſmodi nondum
ſpiritualis ſolitudinis guſtauit delicias, neque ſo-
liditate aliqua didicit habitare ſecum, vere quie-
ſcentium tantummodo ſtatum profitetur, geſtat
habitum, protendit imaginem, & inutiliter occu
pat locū. Conſultius, ſatiuſque egiſſet, ſi remiſsio-
ris vitæ ſtatuta delegiſſet, dominique ſententiæ
meminiſſet dicentis: Bonum eſt tibi cum vno
Matt. 18. oculo in vitam intrare, quàm duos oculos haben-
tem mitti in gehennam ignis. Nemo igitur teme
rario auſu, qui mente ſit timidus, affectione frigi
dus, tardus ingenio, dulcedine orationis priua-
tus, virtutibus inops, diabolicarum tentationum
ignarus, ſuimet neſcius & amator, ſanctæ quietis
ſtatum præſumat aſſumere, ne in ſui perniciem
Matt. 22. audiat dicentem: Amice quomodo huc intraſti
non habens veſtem nuptialem? & ligatis pedi-
bus ac manibus luctuoſi ſeculi exteriores coga-
tur exire ad tenebras. Proinde quiſquis in Dei
ſeruitio poſitus, diuinæ ſapientiæ & puræ con-
templationis excelſam turrim conſtruere concu-
piſcit, adhibito ſeniorum conſilio, ſecum recogi
tet tacitus, an ſumptus opportunos ad perficien-
dum habet, ne poſito localis ſolitudinis fundamē
to, ſi ſpiritualem perficere nequeat, immundorū
ſpirituum illuſiones audiat dicentium: En homo
iſte imprudens & epidus, cœpit ædificare,
non poteſt conſummare. Longe itaque laudabi-
lius eſt, fratrum auxilio ſuſtentari, & in cœnobio
perſeueranter obedientiæ perferre martyrium,
quàm in ſolitudinis loco ſingulariter ac remiſſe
viuere: non enim de ſtatus qualitate, ſed de
perfectione vitæ, cuique apud dominum inter-
rogatio fiet.

Quare iuſti tentare permittuntur; & quomodo contra vitia ſingula pugnant. Cap. XII.

SAcratæ legis ius imperat, vt quiſque operū
ſuorum excipiat merita. Verum cum iuxta
Apoſtoli Iacobi ſententiam, delinquamus Iaco 1.
omnes quotidie, congruum omnino eſt, vt quili-
bet ſecundum ſuorum facinorum qualitates, pro
prio ſatisfaciat conditori. Hac quippe de cauſa di
uina miſericorditer permittente iuſtitia renunciā
tes ſeculo, quanquam filij altiſsimi ſint effecti
per gratiam, variis tamen tentationum generi-
bus agitantur. Interdum etiam diuerſis languo-
ribus cruciantur, quatenus huiuſmodi flagellis
eruditi, agnoſcant quid fuerit, purgent quod de-
linquēdo egerūt, mereanturq; per virtutū ſtudia
redire ad gratiam, à qua per culpam inobedien-
do exciderant. Terguntquippe luxuriæ macu-
las, pro pudicitiæ certando virtute. Superbiæ tu-
morem ſe aſsiduè humiliando euacuant. Intēpe-
rantiam gulæ vincunt, corpus attenuando ieiu-
niis. Aeſtus auaritiæ, voluntaria paupertate extin
guunt. Torporis inſultus, ſolicita exercitatione
repellunt. Fraternæ proſperitatis liuorem, ſedulo
ſuperant charitatis obſequio. Cōtrariis denique,
contraria curant, & vitia virtutum operatione
ſupplantant. Iſte plane ſpiritualis eſt gladius, quē
ad dirimendam pernicioſam ſocietatem & pacē,
Dominus Ieſus in terram ſe miſiſſe perhibuit.
Concitauit vtique implacabile bellum carnis &
ſpiritus, vt ex illo interior homo eruditus in pręt-
lio, delictorum veniam, conditoris gratiam, pro-
fectuſque virtutum conſequatur, & palmam. O
quàm commendabilis, quamque beata eſt iſta di
ſcordia, quæ virilem militem ditat meritis, ad pa-
cem reuocat, reconciliat Deo, redit gratię, reſti-
tuit ſanctitati. Iaceret prorſus animus & diuturnę
quietis torperet ignauia, ſi non tentationibus
pulſatus, vitiorùmque permotus aculeis excitare
tur ad prælium. Fit nanque pugnando robuſtior,
vicinior, Deo veritatis oſtenſor, interuentor mū
di, virtutis præco, diabolicarum fraudum cogni-
tor, ciuis cœli, & perpetuus angelorum ſocius.
Maximum eſt igitur ò homo tuæ ſalutis indiciū,
ſi inimicorum inſultus pateris, vitiorum ſentis
aculeos, & non conſentiendo, carnis te pulſat il-
lecebra. Porrò ſi aduerſum te mundus ſæuiat, la-
tret inuidus, diabolus rugiat, obloquatur malus,
inſidiaſque tendat elatus, eſto confides, quoniā
per ſanctorum gradieris ſemitas. Cęterum ſi infir
metur caro, corpus vlceribus compleatur, caput
doleat, hebetet viſus, obturetur auditus, impedia
tur greſſus, mēbraq; ſingula contrahantur, nihi-
lominus lætare & lauda, quoniam emendaris vt
filius, flagellaris vt electus, ad virtutum diſcipli-
nam induceris vt dilectus. Non enim odij, ſed
pręſagium dilectionis eſt iſta correctio. Pręce-
ptorem tuum audi dicentem: Ego quos amo ar- Apoc. 3.
guo. Audi gentium prędicatorem de huiuſmodi Hebr. 12
cor-

correctione quid ſentiat: In diſciplina igitur perſeuerate, tanquam filiis vobis ſe offert Deus. Quis enim filius, quem non corrigit pater? Quod ſi extra diſciplinam eſtis, cuius participes facti ſunt omnes, ergo adulteri & non filii eſtis. Omnis autem diſciplina in præſenti quidem videtur eſſe non gaudii, ſed mœroris. Poſtea autem fructum pacatiſsimum exercitatis per eam reddet iuſtitiæ. Videſne quàm præclarum ſit diuinæ charitatis ſignum, quàmve vberrimum dominicæ diſciplinæ meritum? Videtur vtique imperitis & peccatoribus non eſſe gaudii, ſed mœroris, dum actualiter ſuſtinetur, renitente ſenſualitate, quæ delectationibus præſentibus frui deſiderat. At verò pacatiſsimum iuſtis & innocentibus exercitatis per eam fructum reddit iuſtitiæ, ſentiente hoc rationali ſpiritu, atque conſentiente. Nonne pacatiſsimus iuſtitiæ dicendus eſt fructus, qui omnium exuberat perfectione virtutum? Eſt autem iuſtitia communis virtus, cæterarum ex ſe perferens plenitudinem, complectenſque omnia opera laudabilia ſimul. Nemo igitur rectè cenſendus eſt iuſtus, qui diuinæ legis mandata vel minima, ſeu ſeniorum decreta contemnit. Cæterum ſi quis eleuatur corde, ſi mente polluitur, ſi abſque cauſa ſuo iraſcitur fratri, ſi illius inuidet bono, ſi aliena concupiſcit, ſiue plus debito diligit propria, ſi crapula & ebrietate grauatur, ſi impatienti animo patris diſciplinam, vel illatam contumeliam portat, ſi verboſitati aſſuetus eſt, ſi detractioni intendit, ſi qualiacunque mendacia profert ſi in aduerſis fortitudinem, in proſperis temperantiam, atque in agendis negligit habere prudentiam, iuſtus profectò eſſe non poteſt. Reddit vtique iuſtus cuique quod ſuum eſt proprium, Deo videlicet obedientiam & pietatem, ſibi ipſi innocentiam, & pœnitentiam, proximo autem compaſsionem, liberalitatem & pacem. Diſciplinam igitur patris veri, ad quem clamamus quotidiè, (Matt. 6.) Pater noſter qui es in cælis, nemo deſpiciat, neque per intolerantiam corde fatigetur, cum ab eo corripitur, quatenus exercitatus per illam, atque gratificatus in illa, merita omnium valeat obtinere virtutum. Nullus, vt arbitror, niſi dum ſit attritus flagellis, fructum conſummare poteſt germinatæ iuſtitiæ, virtutumque præcelſam con(Pſal. 10.)ſcendere arcem. Iuſtus inquit Propheta, dominus, & iuſtitiam dilexit, æquitatem vidit vultus eius. Iuſtus ergo ſi eſſe deſideras, mundi oblectamenta contemne, carnis concupiſcentiam fuge, vitiorum abhorre contagia, ſenſuum cohibe petulantiam, malorum deuita conſortia, totaque intentione inquire pacem & perſequere eam, (Pſal. 33.) Quoniam oculi domini (dicente Propheta) ſunt ſuper iuſtos, vt illos cuſtodiat, & aures eius ad preces eorum, vt ipſos ad ſe clamantes de omni tribulatione eripiat. Nuſquam autem conuenientius, quæ memorata ſunt valebis perficere, quàm in remotis cœnobiis ſanctorum Deo dicatis. Nempe ſi in his laudabiliter fueris conuerſatus, quemadmodum multimodam experientiam tentationum, ita ſingularium percipies rudimenta virtutum. Vbi quæſo melius quam ibi miſericordiæ opera, & mutuæ charitatis poteris complere officium, viſitando ægrotos, docendo inſcios, & reliqua quæ ad vtriuſque hominis beneficium ſpectant peragendo? Ibi ſane in gerendis aliorum oneribus, perferendis infirmitatibus, communicandis laboribus, ac tribulationibus ſuſtinendis, optimè patientiæ perficitur virtus. De obedientia verò quid memorem? cum ſine illa in cœnobio nil agere liceat. Ipſa namque vigiliis menſuram imponit, tempus indicit cellæ, operi manuum iniungit miniſterium, ori ſilentium imperat, diuinas inuitat ad laudes, orationi horas debitas ordinat, totumque ſic prudenter religioni concordat, vt humanæ ſaluti nihil congruentius, nihilq; ſecurius cœnobitarum inſtitutionibus conuenire noſcatur. Quoties nanque ſupra vires tentationibus impugnaris, quoties immoderato mœrore deprimeris, fraterno vales vti ſuffragio, quo mediante erigeris ad gratiam, exhortaris ad pugnã, ſolidaris in ſpe, ac ſpirituali conſolatione repleris. Cęterum ex quotidianis caſibus, atque ex cõſideratione eorũ, quos laudabilis vita decorat, te ipſum in humilitate cuſtodis. Habes in eo fratres pariter cõuiuẽtes, cũ quibus onera tua impertiri vales, dũ expedit. Habes & cellã, in qua optimè tibi vacare potes, & Deo. De illo autẽ vltra quid dicam? quid in ipſius laude amplius referam? Eſt namque ſpiritualis turris Dauid angelorum multorum vallata præſidio, atque munitiſsimis ædificata propugnaculis, de qua mille, ſicut legitur, pendent clypei, omnis armatura fortium ad captiuandum vitia, ad debellandum æreas poteſtates, ad ſubiiciendum corpus ſpiritui, atque ad delectabiliter mentem Deo copulandam. Eſt præterea mons præcelſus, fœcundus, coagulatus & (Cant. 4.) pinguis, in quo Deo iugiter, habitare complacet. In ipſo myſticè duas Moyſes ſpirituales recepit teſtamenti tabulas, in quibus quicquid ad cultum Dei, ſiue ad fraternæ dilectionis profectum congruit ſufficientiſsimè continetur. In eo quippe ſuppetit, vnde ſpirituale ſe robur exerceat, vnde ve quieſcentis mens ſemper ad altiora ſe prouehat. Porrò in altero perficitur virtus, in altero verò ſapientia fulget.

Quid ſit ſpiritualis ſolitudo, & deinceps de ea narratio exhibetur.

HAec autem duo, virtus videlicet, & ſapientia ſpiritualem efficiunt ſolitudinem, quę in lumine ſapientiæ, mentis eſt tranquilla poſſeſsio, propter hanc vtique conſequendam corporalis eſt inſtituta ſolitudo, atq; cœnobia remota conſtructa. Quid, oro, prodeſſe

credimus

credimus corporalẽ tenere ſolitudinem, ſi in turbarum tumultibus, in agibilibus ſeculi, in obſcęniſque cogitationibus mens verſetur humana? Non minus cordis, quàm corporis coercendi sũt greſſus, ne terreni pulueris contagione fœdentur. Hinc prudentiſsime, cellulæ eſt ordinata remotio, quatenus in illa vitiorum declinetur materia, quæ foris exuberat. Senſuum vitetur illecebra, cordis ſeruetur munditia, qua mediãte Deus videtur in ſpiritu. Nempe in ea aſsiduè habitare, qui diligit, ſi ceciderit, confidat: quoniam non collidetur, Dominus enim illi miſericordiæ ſupponet manum, ne conteratur & pereat. Nemo ad plenum, narrare ſufficit cellæ præconia, quanta veniant bona, quantaque per illam amoueantur incommoda. Eſt namque cella ſponſi reclinatorium, virtutum cuſtos, tranquillitatis portus, additamentum pacis, medela vitiorum contemplationis locus, tabernaculum fœderis, nuptialis thalamus, portus irriguus, paradiſus deliciarum, cæli ianua, ſchola ſcientiæ, conſcientiæ cathedra, magiſtra ſilentii & ſpiritualis ſcala, vſq; ad polorum alta pertingens. In ea ſi quis abſque torpore perſiſtit, fugit lites, neſcit odia, detractioni non vacat, temeraria iudicia minime facit, abhorret ocium, nec veretur mortem. Eia nunc Chriſti milites, qui voſmet Deo vouiſtis, & pro amore cęleſtium eremi vaſtam ſolitudinem, atq; deſerti antra incolitis, vt ſolitariæ vitæ perfectionem apprehendere valeatis. Cellulæ habitationẽ diligite, illam tenete, illam amplectimini, de ea niſi vrgente neceſsitate rationabili, ſeu corporis impellente infirmitate, vel fraterna ſuadente charitate exire nolite. In ea ſint veſtræ ſpirituales deliciæ, atque interna ſolatia. Ad ipſam ſi contingat vos egredi, reuertimini quàm citius, ne detrimentum aliquod patiamini moram protelando ad publicum. Reuertimini inquam, poſt iniunctum completumque exterioris operis miniſterium, ſiue captatam ſubleuationem fragilitatis humanæ. Equidem ſi ex labore corpus attenuatũ, ſi mens ex importunis fuerit tentationibus fatigata, tribulationibuſque depreſſa, proculdubio congruentem in cellulæ ſecreto reperietis pacẽ. Verũ poſt adeptã requiẽ, poſt interioris ſolitudinis guſtatam dulcedinem, demumque ex lectionis orationisque delectabili ocio, eritis prudentiores, quàm prius in opere, fortiores in prelio, in diuinis laudibus ardentiores, necnõ in arepto ſanctæ religionis propoſito promptiores. Ipſa dextera ac læua pugnare vos inſtruet, voſque reuocauit ad vos & in vobis, vt per vos ſcire noſcatis, quæ ſit voluntas Dei beneplacens atque perfecta. Experimini igitur & guſtate, quàm bonũ, quamve iocundum ſit, nedum ſicut Propheta cõmemorat, ex rationabili, prudenti honeſtaque conuerſatione proximorum fratres habitare in vnum verum etiam in cellulæ remotione quieta

Pſal. 132.

per cordis vigilem cuſtodiam habitare hominem ſecum. Optime vtrunque ad perfectionis, aſcenſum militare cognoſcitur, duntaxat modus debitus, ordo ſeruetur & tempus. Nempe ex conuerſatione mutua perficitur virtus: ſapientiæ autem additamentũ ex interiori inhabitatione ſẽtitur.

Quòd triplicem Deus condiderit ſpiritum, & de ſingulorum proprietatibus. Cap. XIII.

Diuino nos erudiente eloquio, triplicem nouimus Deum ſpiritum condidiſſe: angelorum videlicet, iumentorũm & hominum, ſingulum ſingula propria poſsidentẽ dona. Angelorum ſi quidem ſpiritus eſt ſubſtantiæ ſpiritualis, ex natura mutabilis, ſed contemplatione immutabilis factus, animo impaſsibilis, mente rationalis, felicitate ſecurus, futuri iudicii præſcius, mittendus corpora aerea ſumit, in cæleſtibus commoratur, Dei viſione ſine intermiſsione fruitur. In ea ſubſtantiali beatificatione non amplius creſcens, iuſſus quoque mundum regit, celos mouet, elementa concutit, nequam ſpiritus arcet, populos tuetur & regna, facit miracula, futura prænunciat, humanamque ſpeciem multimoda actione cuſtodit. Hęc quippe dum agit, non labore fatigatur, non indignatione impellitur, non tędio laſſatur, quin miniſterium ſuum perficiat. Quoniam ſiue contemplationi inſiſtat, ſiue circunquaque diſcurrendo miniſtret, reuelata ſemper ſui conditoris viſione lætatur. Iumentorum autem ſpiritus ad hoc tantùm creatus eſt, vt ſubiectum ſibi corpus viuificet & regat. Nullũ omninò pręter id quod habet, ſperat bonum, nullumque formidat malum, ſimul cum corpore moriens atque deficiens. Hominum verò ſpiritus factus eſt vt corpus viuificet, regat & vegetet. Ex natura vtique immortalis eſt, rationalis, paſsibilis, atque mutabilis. Ex gratia, & exercitatione proficit, & quotidiè in cognitione creſcit. Non beatus factus, ſed beatificandus per gratiam, & liberum arbitrium. Cruciandus autem per peccati conſummationem atque conſenſum. Reſumpturus corpus ſibi deputatum, ac cum Chriſto victurus ęternaliter, aut ad gloriam, aut ad ſupplicium, iuxta operum ſuorum merita atque demerita. Porrò quamuis cęteras creaturas, prætérquàm Angelicam, quę illum naturali excellentia antecedit, idem humanus ſpiritus dignitate emineat: valet tamen (licet non ſubſtantialiter) effectiuè quandoque proficere, atque deficere. Sanè quum in medio conſtitutus ſit, Angelis videlicet naturali nobilitate inferior, iumẽtiſq; ſuperior ex affectionũ, & operum qualitate ſe mutans, ſeipſo quandoque (vt ſic dicam) pręſtantior efficitur, atque deterior. Quoties ſincera ratione mouetur in expeditione virtutum, ſupra ſe contemplatione attollitur, cœleſtia appetit, & ideo pręamoris immenſitate vniri concupiſcit, ipſumque ſpirituali

tuali iubilatione laudat, veneratur & colit, proculdubio Angelis coæquatur ex parte. Cæterùm quum immoderato affectu carni inhæret, voluptuoſa quærit, viſibilibus tantùm trahitur, ſectatur vitia, & ſenſu ſuo ſolo regitur, vtique deliteſcendo deſcendit, & brutis animalibus efficitur Pſal. 48. ſimilis. Quemadmodum ore prophetico illi per increpationem ſic dicitur: Homo quum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Meritò irrationabilibus eſt æquiparandus iumentis, quã do ſe negligens carni proſtituit, & voluptuoſa rerum tranſeuntium oblectamenta deſiderat, atque quod debet Deo, impudenter tribuit alienis ſuamque, quam intus gerit, male viuendo deformat imaginem. Profectò diuinis tunc placet obtutibus quum legis decreta cuſtodit, ſeruatque in corde munditiã, ſanctimoniã in moribus, in corpore pudicitiam, in intentione rectitudinem, pietatẽ in cultu, in affectu charitatẽ, atque in cogitationibus ſtudet habere prudentiam. In his quandocunque volũtariè deuiat, alieni efficitur iuris, quoniam ab eo, propter quod conditus eſt, declinat bono. Factus quippe eſt, vt rectus eſſet, innocenter viueret, ſocialem cuſtodiret vnitatem, Dominum diligeret, ipſum ardenter quæreret, illius quandoque fieret fruitione beatus. Quæreret, inquam, non in manufacto templo, ſicut Hebræi, neque in excelſo monte, vt Samaritæ, neque in loco aliquo tãquàm circunſcriptus eſſet, ſed quemadmodũ ſcriptũ eſt: In ſimplicitate cordis quærite illum. Diligeret autẽ ex toto corde, in intellectu videlicet ſine errore, ex tota anima, in voluntate ſine cõtradictione, ex tota mente in memoria abſque obliuione. Frueretur verò reſolutus huius mortalitatis vinculo reuelata ipſius gloria, quam non vidit oculus, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ vniuerſorum bonorum continet affluentiam. Hæc eſt vtique vita illa beata & æterna, quę prædeſtinatis, vocatis, iuſtificatis tribuitur, & glorificatis. In hac igitur peregrinatione non alibi quàm in ſecreto cordis cubiculo à fidelibus quærendus eſt Deus, ſicut nec alibi adorandus. Ibi requieſcere diligit, in illud ipſum reclinare delectat. In euangelio idem ſic perhibet dicens: Si quis diligit me Ioan. 14 ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Cernis ne quid valeat erga dominum exhibita charitas? Quantumq; proficiat ſermonũ illius cuſtodia? Meretur id obtinere, quo nil melius eſſe poteſt, nihil guſtatur dulcius, nihilque carius poſſidetur. Excedit incomparabiliter vniuerſa mundi oblectamenta, precioſas margaritas, probatum aurum, & quicquid in cęlo fulget, vel lapis in terra. Eſto igitur talis, vt ad te deſcendat pater, in teque manſionem facere dignetur ſapiẽtia. Sic cordis tui habitaculum mundũ, ornatum, dilatatum, & clauſum. Mundũ, inquã, ſit à ſordibus polluti amoris, ornatum virtutum floribus, charitate dilatatum, prudentiaque clauſum cuſtodia. Viciſſim ſibi iſta conueniunt, & humanum cor ad ſuſceptionem Dei in ſe efficiũt dignum. Qua autem ratione hoc dictum ſit, quòve ordine fiat, diligenter obſerua. Eſt namque cordis munditia ſpiritualis conſcientiæ nitor lætificans poſſidentem ſe, reddenſque interiorem domum ſecuram atque pacatam. Huiuſmodi mũditiæ decorem Propheta agnoſcens, vt illam conſequeretur, dominum deprecatus eſt dicens: Cor mundum crea in me Deus. Nouerat imagi- Pſal. 50 nem Dei in homine ſine hac clarere non poſſe. Nouerat prorſus imbrem munditiæ non corporis, ſed cordis, non veſtimentorum, ſed conſcientiæ eſſe mercedem, ita vt abſque vllo obſtaculo aſcendere poſſit in montem domini, atque ſine repulſione ſtare in loco ſancto eius. Propterea in ipſius contemplatione ſuauiter admirans, eiuſque donum concupiſcens dicebat: Cor mundum crea in me Deus. Illud plane mundum cor dicitur, quod caret malitia, ſuperbia euacuatum eſt, delectatur de Deo, puro illum contemplatur intuitu. Nihilque admittit in ſe, quod lædat charitatem, conſcientiam fœdet, à vero deuiet, obtutum mentis obnubilet, turbet pacem, diſſipet, vnitatem, & internam commaculet puritatem. O beata cordis munditia, quæ animæ oculos ſpirituali replet lumine, & cognitione cœleſtium. Quid de hoc in laudibus ſponſi ſponſa dicat in Cant. 1 Canticis, audi: Oculi, inquit, eius ſicut columbæ, ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſsima, videlicet ſcripturarum. In quibus duplex oculis binis notitia percipitur, Dei ſcilicet, & ſui. Nam eſt cognitione Dei, deuota anima verbi ſponſi effecta, ſe virtutibus ornat interius, moribus verò ex propria cognitione ſe componit exterius, vt illi placeat, quem per munditiam cernit in ſpiritu. Quanto enim præclarius ſponſi ſui agnoſcit elegantiam, quę filios hominũ præcellit vniuerſos, ipſiuſque miratur celſitudinem, quę angelorum omnium ſuperexcellit dignitatem, tanto magis illi ſe conformare deſiderat, agitque iuxta ſuam poſsibilitatem, vt in ea nihil deforme appareat, quod dilecti ſui offendat aſpectum. Hinc varijs virtutibus quaſi diuerſis vernantibus, ac redolentibus floribus, vndique cordis ſui aſpergit cubile, quatenus ad ſecum morandum, concupitum ſponſi affectũ alliciat. Gratis quippe ipſe ſponſus hoſpitium cordis ingreditur, dum illud perſenſerit virtutũ odoribus redimitum atque ornatum. Veni igitur ò domine Ieſu paſtor bone. Veni, inquam, ò angelorum gaudium, beatorum lumen, periclitantium ſalus, peregrinantiũ via, diligentium amor, & dulcedo quieſcentium, & reclina in habitaculum ſerui tui humiliter inuocantis te. Iam domi-

ne

Digitized by Google

ne apud illum aduesperaſcit dies, & ad occaſum ſol vergit. Iam domus ipſius ruinam minatur præ vetuſtate præteritæ conuerſationis, atque ſordeſcit. Sordeſcit vtique ex intemperantia amoris, ex fœtore facinorum, ex adhæſione luti, ex deordinatione mentis, ac etiam ex originalis colluuione peccati. Sentiat quæſo domine ſuauiſsimam vnguentorum tuorum fragrantiam, quæ vniuerſorum aromatum odorem vincit, adeo vt vbicunque ſe ſparſerint in anima, concupiſcentias excitent ſempiternas. Horum delectatione ſponſa affecta, atque in ſe percipere concupiſcens, ſponſo aiebat in Canticis: Trahe me poſt te, in odorē Cant 1. curremus vnguentorum tuorum: trahe quoque me ò dulciſsime, & amantiſsime domine, & ſi nō ad te, vt videre valeā gloriā tuā & magnitudinem tuā, quam exhibes triumphātibus: atq; regnātib. ſaltē trahe me poſt te, vt tua imitando veſtigia, non reflectam greſſus meos à ſemitis tuis, & ab itineribus ſanctorum tuorum, qui tibi Deo ſuo placuiſſe probantur. Tunc quidem ſi te mihi communicando traxeris me poſt te, mundatus corde, ornatus virtutibus, charitatiſque dilatatus affectu, curram in odorem, nedum vnguētorum tuorum, verumetiam mandatorum tuorum, quemadmodum Propheta ſe cucurriſſe commemorat, Pſal. 118. dicens: Viam mandatorum tuorum cucurri, quum dilataſti cor meum. Porrò ſi dignatione tua fuero dilatatus, corde curram non ſegniter, neq; claudicando, ſed velociter, recte, ardenter, perſeueranterque charitatis aureo ſtimulo perurgente. Charitas nanque eſt ſola, quæ tepefactum, gelatumque accendit cor, attollit, atque dilatat. Accendit dilectione, attolit in cœleſtibus, & deſideriis dilatando amplificat. Quid, oro, valet ardentius inflammare quàm charitas de qua dicitur, Lampades eius, lampades ignis, atque flammarū? Quid attollere poteſt ſublimius, quum Deus ipſe ſit charitas? Quidve dilatare perfectius, quū deſideriis cor replendo dilatet? Sunt quippe deſideria ſancta ſcintillæ ignitæ de charitatis erumpentes incendio. Ea proculdubio ſi quis fuerit vehementer accenſus, præ amoris nimietate, & deſideriorum æſtibus vritur, & ſolidatus mente tribulationum dilatatur impulſu, ita vt penitus cadere nequeat. Audi virum flamma diuinæ charitatis accenſum. Iacebat in craticula, ignitis carbonibus ſuppoſitis cremabatur, & ſic ardebat interius, vt intrepidus diceret: Diſce miſer quod carbones iſti refrigerium mihi pręſtant. Attende & alium meritis non inferiorem huic tribulationi- 1. Cor. 4. bus affectum, nec commotum. Vſque in hanc horam (inquit) eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cedimur, & inſtabiles ſumus. Maledicimur & benedicimus, perſecutionem patimur & ſuſtinemus blaſphemamur, & obſecramus, tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema vſque adhuc. Idem autem alibi: Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribula- Rom. 8. tio, an anguſtia, an perſecutio, an nuditas, an fames, an periculum, an gladius? O præcelſa charitas, quàm dulciter accendis, quàm ſapienter at- Sap. 8. tollis, quàm vehementer dilatas? Attingis à fine vſque ad finem fortiter, & diſponis omnia ſuauiter. Nempe à ſummo cælo egreſsio tua, & occur- Pſal. 18. ſus tuus, vſque ad ſummum illius, propterea non eſt qui ſe abſcondat à calore tuo. Deſcendis miſericorditer, & glorioſe aſcendis, virtutum cæleſtium candore veſtita. Hinc de te, vt arbitror, legimus ſcriptum: Aſtitit regina à dextris tuis in ve- Pſal 44. ſtitu deaurato, circundata varietate. Proinde filiæ regis ęterni in honore tuo delectabiliter intendentes, tuòque decore affectæ, te ambiunt, te concupiſcunt, te venerantur, te laudant, te indeſinenter quærunt, tibi inhærere, tuiſque caſtiſsimis deſiderant frui amplexibus. Agnoſcentes, quanquam ex parte, quantæ in te ſint ſpirituales delicię, delectationes immenſę, iucunda gaudia, refectiones mentis, amoris carmina, modulata cantica, allocutiones internæ, iubilationum vota, cæleſteſque diuitiæ. In te eſt quod placet, quod ſapit, quod mulcet, quod nutrit, quod beat. Omnis profecto ſimul pulchritudo, omniſque gloria tua intus eſt. Quamobrem quotquot tuo irradiati ſunt lumine, te in te, quærunt in ſe, & per ſe requieſcunt in te, tanto dulcius, quanto ſecretius. Non enim amas publicum, neque apprehenderis palam: ſed in cubili cordis per ſpeculum. Ideoque quicunque te cupiunt agnoſcere, te tenere, tuoque potiri ſolatio, in ſuo interiori thalamo optime te reperire valebunt.

Quod ſolerti cuſtodia ſub humilitatis cenſura ſpiritualia dona debent ſeruari, ne ab immundis diripiantur inimicis. Cap. XIV.

NEmo intelligentium recte ambigit ibi maius imminere periculum latrocinii, vbi manifeſtior cognoſcitur eſſe theſaurus. Excitant nanque naturaliter prædonum concupiſcentiam propalatæ diuitiæ, eò vehementius, quò præſtantiores ſunt. Verum quid clarius, aut pluris æſtimandum eſt, quàm gratia diuina, donaque ſpiritualia, quę ſunt mediantibus virtutum acquiſita ſudoribus? Iſta quippe vt rapiantur, indeficienter nobis poteſtates inſidiantur aereæ. Ipſæ etenim tanquam impalpabiles latrunculi peregrinationis noſtræ obſidēt iter quo properamus ad patriam. Quamobrem maxima peruigilique nobis eſt adhibenda cuſtodia, ne bona nobis pręſtita, ſeu acquiſita furentur, noſq; mactent & perdāt. Hinc intra arcanum pectoris noſtri collata, recondenda ſunt munera, atque ſub humilitatis protectione tegenda, quæ cæterarum virtutum eſt mater & cuſtos. Super quem in- Eſa. 66. quit Dominus per Prophetam, Requieſcit ſpiritus meus, niſi ſuper humilem, & quietum, & trementem

mentem, ſermones meos? Requieſcit profectò [Pſal. 112.] amabiliter in humilitatis thalamo humilis Dominus, qui humilia reſpicit, ſicut Propheta meminit in cęlo & in terra. Hanc humilitatis virtutem quemadmodum exhibuit in ſe, ita fideles ſuos eã [Matt. 11.] ſectari docuit, dicens: Diſcite à me, quia mitis ſũ & humilis corde. Si vis perſpicuè ſcire quod dictum eſt, attende humilitatis diſcipulam, quę vniuerſos tam ex gratiæ plenitudine, quàm ex donorum magnitudine ac numeroſitate pręcellit mortales, ex humilitatis adeptione quid conſecuta ſit. Poſtquàm Angelo nunciante, verbum carnem aſſumpſit ex illa vt Emanuel fieret, poſtquàm officioſiſsimè ſalutauit Eliſabet, conditoris ſui pro- [Luc. 1.] rumpens in laudes inquit: Magnificat anima mea dominum: Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo, quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Non ait, reſpexit virginitatem, nõ innocentiam, non virtutes cæteras, ſed humilitatem tantum, vt manifeſtaret quantum præeminere reliquis, quantumve Deo placeret humilitas. Tanti quidem eſt, vt ſi omnes facultates tuas erogaueris, ſi corpus tradideris flammis, ſi peregrinando totum luſtraueris orbem, ſi infirmis miniſtraueris, & veſtieris nudos, ſi pro defenſione catholicæ veritatis vſque ad ſanguinis effuſionem certaueris, poſtremò ſi totam legem compleueris, & in hac ſola offenderis, factus es omnium criminum reus. Nam ſicut abſque charitate, ita ſine humilitate nemo ſaluus efficitur. Cæterum iuxta humilitatis menſuram prærogat Dominus ſuis dilectoribus dona, ſuamq; oſtentat pręſentiam. Vbi enim reclinare diſponit, obſeruat prius vtrũ ſit præſens humilitas, quam cum viderit atque cognouerit, hilariter viſitat, ſuaque lætam facit præſentia. Illam protigit, illam regit, & tanquam familiariſsimè ſe communicat illi. Protegit, inquam, ne tentationibus à diabolo fatigata deficiat, vel à proximo contumelijs laceſsita maledictum pro maledicto reſpondeat, aut flagellis ab ipſo erudita, in murmurationis verba prorumpat. Regit autem, vt non ignorantiæ tenebris inuoluta cadat, ſeu fraudibus ſeducta deuiet, vel ſeculi blanditiis irretita inhæreat. Quantum verò ſe illi benignum exhibeat, quàmve ipſam indulgenter diligat, ſoli humiles nouerunt, qui ſapientiæ contubernio effecti ſunt digni. Eſto igitur mitis in moribus: eſto in cogitationibus humilis, vt non inflatus cadas, ſicut ille qui auſus eſt dicere: Sede- [Eſa. 14.] bo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis, ſuper aſtra cæli exaltabo ſolium meum, & ero ſimilis altiſsimo. Eris plane tunc humilis, ſi ori tuo cuſtodiam, & cordi adhibueris prudentiam. Eſt autem lingua membrum paruum, & magna exaltat, de ſe pompaticè loquitur, nunc inania, nunc ſcurrilia profert & falſa. Illam optime compeſcit humilitas, quæ ſilentium diligit, fugit mendacia, omnemque abhorret tumorem, atque ſolo contenta teſtimonio, cæleſtis gratiæ reſpuit propalare ſecreta. Se etenim prudenter examinat, cordis occulta rimatur, diſcernit ſingula, vniuerſa diiudicat, eoque ſibiipſi efficitur vilior, quò infirmitatis propriæ cogitando fit clarior. Hinc loquacitati temperantiæ loris legem indicit, ne ipſius occaſione mens effluat, diſsipentur cogitatus, turbetur pax, & interioris domus pacata familia laſciuire cogatur, quæ moderante prudentia humilitatis iura cuſtodit. Sic igitur anima erudita in ſpiritu, ſicque aſſueta habitare ſecum ſpiritualis ſolitudinis profectum ſentit. Propterea ſecretum diligit, quærit latebras, mentis tribunal iugiter aſcendit, indeq; repellit noxia, allidit importuna, ſectatur vtilia. Hoc autem ſine motu corporis, & abſq; labiorum perficit voce. Eius ſpirituale ſtudium ſolus ille cognoſcit, qui renes ſcrutatur & corda. Quamobrem ex humilitatis habitu, & adepta puritate, ex decore conſcientiæ, atque ex cordis radiante munditia, Deo efficitur grata, amabilis virtutibus cæleſtibus, & ſẽpiterno Dei verbo ſponſa chariſsima, ita vt prę dulcedine amoris illius in eius laudem prorumpat dicens: Quàm pulchrę ſunt mammæ tuæ ſoror mea ſponſa, pulchriora ſunt vbera tua vino, & odor veſti- [Cant. 4.] mentorum tuorum ſuper omnia arromata. Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus. Emiſsiones tuæ paradiſus malorum punicorum, cum pomorum fructibus. Merito hortus concluſus, atque ſignatus fons anima eſſe perhibetur, quæ cubiculi ſui ſpiritualis ſecreta perluſtrans mundat ſordes, reatus plangit, collapſa erigit, regit affectus, inſurgentes aduerſus rationem componit motus, immundos arcet ſpiritus, ſuoſque adeo prudenter internos cuſtodit ſenſus, vt eorum nulli liceat ambulare poſt carnem. Nonne concluſus hortus, & ſignatus quiſq; fons dicitur in quem deſcendit verbum, & tanquam in ſede propria reſidet ſapientia, ipſum de omnibus imbuens, quæ ad religionis cultum, ad fraternę dilectionis officium, ad virtutum decus, ad morum probitatẽ, & ad ſpiritualis regiminis attinet profectum? Sobrietatem quippe, ſicut legitur, docet, & ſapientiam & iuſtitiam, & virtutem, quibus vtilius nihil eſt in vita hominibus. Docet, inquam, non per opus ſenſibile, neq; per ſonoram, & tranſeuntem vocem, ſed aſpirando agendorum ſcientiam, infundendo veritatis lumen in cordibus ſe poſsidentium, per quod lætificati, atq; roborati valeant conſummare, quod ſalubriter norint eſſe faciendum. Claret itaque perſpicuè, illum rectiſsime horto concluſo, atque ſignato fonti aſsimilari, quem humilitas cuſtodit ne cadat, atque ne delinquendo erret, ſapientia inhabitando erudit. Equidem in ipſo ſpirituali horto, deſideriorum redolent flores & virtutum plantaria, ſanctarum cogitationum fru-

ctificant

ctificant germina, in quibus optime delectatur
ſapientia, quemadmodum ipſa perhibente cogno-
Pro.8 ſcimus. Ego, inquit, habito conſilio & eruditis
interſum cogitationibus. De ipſo quoque fonte
non aperto, ſed ſignato, dulciſsimæ diuinorum
eloquiorum erumpunt aquæ, more exuberantis
fluminis, quæ audientium mentibus inferunt ſa-
Pſal. 45 turitatem & gaudium. Vnde per Prophetam de
huiuſmodi dicitur; Fluminis impetus lætificat ci
uitatem Dei. At verò ne quiſquam temere ſibi
arrogare præſumeret, quod gratis accepit à do-
mino, idem vates admonendo mox intulit: San-
ctificauit tabernaculum ſuũ altiſsimus. Non enim
abs te habes ò homo, vt poſsis cogitare ſacta, ſeu
proferre vtilia. Ipſa profectò, quæ per gratiam
tecum eſt ſapientia, te ad humilitatem monet in-
terius, tuoſq; reformat cogitatus, ne inflatus ela-
tione proruas in delectationem, conſenſumque
peccati. Te præterea inſtruit, vt loquaris quod
2.Cor.3 rectum eſt, & audientes ædifices. Vtrumq; Apo-
2.Cor.13 ſtoli teſtimonio comprobatur: Non quod ido-
nei ſimus cogitare aliquid a nobis, quaſi ex nobis
ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Alio in loco de
ſe inquit: An experimentum quæritis eius, qui
in me loquitur Chriſtus? Caue ergo prudenter,
ne conditoris tui donis abutaris, tibique arroges,
quod diuinum eſt, tecũ ſit humilitas, quę ſe igno-
rat extollere, vt cordis tui cuſtodiat aditum, qua-
tenus inanis gloriæ formica non intret, quæ bo-
nis vniuerſis inſidiari conſueuit. Adſit etiam ſa-
pientia, quæ ſuo præeunte ſplendore te educat,
conducat, atque perducat. Educat quidem de te-
nebris vitiorum: conducat autem per ſemitas iu-
ſtitiæ. Et perducat ad portum tranquillitatis, vni-
tatis & pacis. In quem proſpere ingreſſus con-
fitearis nomini domini vna cum cæteris iuſtis at-
que perfectis. Porrò ad hunc gradũ minime per-
uenire valebis, ſi non tecum affuerit humilitas &
comeauerit ſapientia ſimul. Hæ ambo optime
concordant, & adeò in vna fœderantur compagi
ne, vt alteram nequeas ſegregare ab altera. Nam
ſi humilitatem abſque ſapientia habere volueris,
facile in deſperationis præcipitium rues. Cæte-
rum ſi ſine humilitate ſapientiam te poſſe tenere
credideris, prorſus deſipies, & euectus in altum
ignorantiæ, relinqueris in tenebris. Te itaque de
te imbuat humilitas. De Deo autem illuminet ſa-
pientia, quatenus per humilitatem reuoceris ad
te, atque de te per ſapientiam eleueris in Deum.
Te erigit iſta, ne coinquineris in ſeculo. Illa verò
infirmitatem tuam manifeſtando aperiet, ne prę-
ſumas. Super ſoliditatem igitur humilitatis ſpiri-
tualem domum ſapientia in te ædificare non de-
ſinat, in qua nuptialem valeat conſtruere thala-
mum. In ipſa ſiquidem humilitate omnis ędifica-
tio conſtructa creſcit in templum ſanctum in do
mino. Cohæret quippe cum ipſo ſummo angu-
lari lapide Chriſto Ieſu domino noſtro, qui humi-
litatis & ſapientię præceptor eſt optimus. Vtrun-
que ab illo didicimus, quoniam vtrumque eſt ip-
ſe. Eſt enim ſicut ait Apoſtolus, Dei virtus & Dei 1.Cor.1
ſapientia, per humilitatis virtutem te eleuat de
imis & per ſapientiæ guſtum collocat in excelſis.
Noueris tamen quod nõ abſque labore maximo,
tentationumque certamine, diuina nihilominus
cooperante gratia, virtus poſsidetur humilitatis.
Sapientiæ verò guſtus precum interpellatione do
natur. Sacra (quod dictum eſt) teſtantur eloquia:
contendite, inquit, incarnata veritas intrare per Luc.13
anguſtam portam. Arcta enim eſt humilitatis via,
quę ducit ad vitã, & pauci ingrediũtur per eam.
De ſapientia autem Iacobus Apoſtolus ait: Siquis Iac.1
autem veſtrum indiget ſapiẽtia, poſtulet à Deo,
qui dat omnibus affluenter, & non improperat,
& dabitur ei. Quamobrem ſi viriliter certare vo-
lueris, conſequi poteris humilitatem, ſi verò ora-
re iugiter, ſapientiam. Optimè igitur ad impe-
trandum quod poſcitur, cordis ſuffragatur humi
litas. Nam humilium, & manſuetorum oratio-
nem Deo ſemper placuiſſe probatur. Tanto ita-
que ad conſequendam ſapientiam tua efficacior
erit oratio, quanto in oculis domini inuentus
fueris corde humilior.

De duplici modo orandi, & quibus ſingularis ſpecialiter congruat. Cap. XV.

NIhil his, qui corporalem ſeu ſpiritua-
lem ſolitudinem aſſequi conantur, ſic
expedire cognoſcitur, quẽadmodum
orationis actus, non qualiſcunque, ſed eius, quę
mente perficitur. Nam illa, quæ ex ſola vocis pro-
latione agitur, communis cum ſit, & ab omnibus
exercenda, illis præcipue congruit, qui exteriori-
bus implicantur negotiis & cũ hominibus con-
uerſantur, quorum mens horis pene ſingulis per
diuerſa diſtrahitur. Quę autem in ſpiritu conſum
matur, illorum tantum eſt, qui ſocialem fugiẽtes
vitam, ambulare volunt in ſpiritu, & mundum
cor Chriſto domino exhibere conantur. Iſti ete
nim vigilanter corporalẽ ſolitudinem quęrunt,
qua mediante liberius ac mundius orationi que-
ant inſiſtere. Hoc autem non ex ſe peragunt, ſed
exemplo pariter, ac mediatoris noſtri erudiũtur
oraculo. O quoties ille deſertis populis relictiſ-
que diſcipulis, vt oraret ſolus, ſubiit in montem?
O quàm frequẽter, ſicut legitur, ipſum in oratio-
nibus Dei pernoctaſſe cognoſcimus. Hoc tamen
egit, non vt captaret ſuffragium, quo puriores ad
patrem preces funderet, ſed vt orandi prębere
exemplũ, orationis inſtitueret formam, ſolitudi-
nem commendaret, faceretque quod ipſe docue
rat. Dixerat namque: Tu autem cũ oraueris intra
cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora patrẽ tuũ, & Matt.6
pater tuus, qui videt in abſcõdito, reddet tibi. Sa-
nè omnem ſpiritualis orationis regulã hoc my-
ſtico inſinuauit eloquio. Nõ enim materialis do-
mus tantum, ſed cum orare deſideras, cordis tui
debes introire cubiculum, atque cogitationibus

tuis

cuis portas obſtruere, ne eis liceat vagari exterius, ac mentem ab orationis intentione diffluere. Ibi namque ſolus in ſecreto ſic poſitus patrem tuum orabis in ſpiritu. Spiritus quidem quum ſit Deus, illum in ſpiritu & veritate adorare oportet. Tales profectò adoratores quærit, ex quo ſpiritus ante faciem noſtram factus eſt Chriſtus Dominus. Taliumque vota libenter exaudit, ſe illis offert, ſe eis amabiliter manifeſtat in ſpiritu, eoſque cognitionis ſuę luce irradiat, exultatione replet, accendit deſideriis, ac deuotionis nutrit dulcedine. Interdum etiam ne torpore depreſsi iaceant, vel dubietate confuſi reſiliant, orantium

Rom. 8 infirmitatem adiuuat. Nam quemadmodum Apoſtolus ait, quid oremus, ſicut oportet, neſcimus. Proinde ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Magna prorſus impetrandi tunc eſt habenda fiducia, cum idem ſpiritus, qui poſtulat pro ſanctis, pro nobis etiam in ſpiritu orare dignatur. Diſce hunc orandi modum, qui ex ſpiritus ſancti inhabitatione perficitur. Diſce vbi veræ orationis ſit locus, quid petere, qualiterve debeas poſtulare. Iſta ſi ſcire neglexeris, nunquam orabis in ſpiritu, neque ad amabile contubernium peruenies ſapientię. Tūc quippe oras in ſpiritu, cum repulſis phantaſmatibus, inutilibus cogitationibus, merè purā offers Deo, ita vt abſque repercuſsione conſcientiæ, precum tuarum exhibeas ſacrificium. Tunc, inquā, oras in ſpiritu, cū deſideriorū cęleſtiū calore cor æſtuās, diuinis totū occupatur in laudibus, gratiarūq; actionū vota perſoluit, propter quod interdum iubilo ineffabili completur & gaudio. Huiuſmodi ſanè orandi modus perfectorum eſt, qui ſanctificati per gratiam, atque per charitatis habitum reformati in ſpiritu, terrena omnia, nūc orando, nunc meditando tranſcendunt. Deſideriorum ſiquidem ſubleuati remigio, ſapientia intima delectatione paſcuntur. Ipſa ſola eſt, quæ orationis magiſterium docet, orandi multiplicat vota diuinitatis tribuit guſtum, ſuauitate affectum inebria futuręque felicitatis pandit arcanum. Ipſa, inquam eſt, quæ inuitat cor hominis, ſenſum deprauatum illuminat, proſtratam erigit ſpem, omnemque interioris domus habitatorem reformat in Deum. Porrò infinitus eſt ſapientiæ theſaurus, mellifluus hauſtus, amplexus iocundiſsimus, fructus dulcis, delectabilis amicitia, hæreditas perpetua, ſanctum connubium, immaculatus thorus, quo qui bene vſi ſunt, participes facti ſunt gloriæ Dei. Se namque tribuit quærentibus ſe non ficte, ſeque diligentibus caſte, humiliter, ardenterque oſtendit, & tanquam honorificata mater ſe illis beneuolam facit. Non autem amat fontem, non cupidum, non ebrioſum, non inuidum, non iracundum, non impudicum, non elatum, non corde duplicem, neque

Sap. 1 inania cogitantem. Sic namque de illa ſcriptum eſt: Spiritus ſapientię diſciplinæ effugiet fictum, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu. Gratiſsimè verò manſionem ſuam collocat apud pauperem ſpiritu, moribus mitem, propria aliorumque lugentem facinora, eſurientem ac ſitientem iuſtitiam, miſericordem in proximos, corde mundum, atque mente pacificum. Nec immeritò. Nam in ea nihil eſt coinquinatū, nihil ſordidum vel curuum, ſiue deforme, quin potius eſt ſpecioſior ſole, & ſuper omnem ſtellarum diſpoſitionem, lucique comparata inuenitur prior. Illi ſanè non ſuccedit nox, neque eam occupat caligo obnubilans, quoniam candor eſt lucis ęternæ, & ſpeculum ſine macula, ſplendor diuinæ maieſtatis, & imago bonitatis illius. Imago, inquam, non expreſſa alicubi, nec formata ex aliquo, ſed per aſpirationem generata, coæterna & per omnia ſimilis ei, qui genuit illam ſine temporis initio, ſine ſui detrimento, & abſque cuiuſquam ſuffragio. Quemadmodū ipſa de ſe inquit: Prouer. 8

Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quicquam faceret à principio. Ab æterno ordinata ſum, & ex antiquis antequā terra fieret, necdum erant abyſsi, & ego iam concepta, eram. Cæterum & per ipſam omnia facta sūt, ſiue quę ſuper cœlos ſunt, vt angeli, archangeli, throni, dominationes cæteriq; beatorum ſpiritū ordines, agminaque iuſtorum, ſeu quæ in cęlo fulgēt ſicut Sol, Luna, ac radiātes ſtellæ, ſiue quæ vegetātur in elemētis & viuunt, vniuerſa per illā condita ſunt. Sicut eadem ait: Quando præparabat cęlos, aderam, cum eo eram cuncta componens. Quod autem ipſa de ſe, hoc Propheta teſtatur dicens: Quàm magnificata ſunt opera tua domine, omnia in ſapiētia feciſti, videlicet in verbo tuo ſempiterno, quod genuiſti ante ſecula ex te, per te, in te prout in pſalmis legitur dixiſſe patrē: Prouer. 8 Psal. 103

Eructauit cor meum verbum bonum, verbum vtique nō compoſitum ex literis, vel ſyllabis, vel voce prolatū, ſed ſemper manens, cum illo cūcta diſponens, nulluſque egens, quoniā vnum cum patre eſt dicēte ipſo: Ego & pater vnū ſumus. Tāta ſiquidem gignentis, & geniti eſt ſimilitudo, tātaque parilitas, vt certiſsimè qui viderit filium, videat & patrem, quia vnius eſt naturæ cum illo, vnius ſubſtantiæ, vniuſque poteſtatis, vnius maieſtatis indiuiduæ, & inconfuſę. Veruntamen alia eſt perſona patris, atque alia filii, quamuis par gloria, vna eademque ſit amborum confitenda diuinitas. Pater autem Deus, ſed non de Deo, quia à nullo eſt. Filius verò Deus, de patre Deo, non tamen minor, neque inferior, ſed coæternus, & cōſubſtantialis ei, qui illum genuit: De quo Apoſtolus ait: Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ eius, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis. Propter humanitatis namque aſſumptam naturam, filium Psal. 44 Ioan 10 Heb. 1

ad patris dexteram ſedere perhibuit,nõ propter naturam verbi,quoniam Deus ſpiritus eſt,incorporeus ſimpliciſsimusq́ue. Nam vnus eſt Deus, vnus idemque Dei & hominum mediator,homo Chriſtus Ieſus.In eo ſiquidem natura,qua homo eſt,corporeus, viſibilis palpabilisque eſſe cognoſcitur.Sed in ea,qua Deus eſt,æternus, incorporeus,immenſus atque inuiſibilis fatendus eſt,carnalibus videlicet oculis, qui de ſolis valent iudicare corporeis ſenſib. ſibi notis.Rationali igitur ac intellectuali ſpiritui intelligibilis atque capabilis eſt. Quoniam verbum eſt Dei virtus & Dei ſapientia.Quemadmodum per quendam ſapientem dicitur: Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis,& ingreſſus illius mandata ęterna. (Eccl.1) Vnus eſt altiſsimus creator omnium omnipotens,rex potẽs & metuendus nimis,ſedens ſuper thronum illius dominãs Deus.Ipſe creauit illam Spiritu ſancto, & vidit & dinumerauit, & menſus eſt, & effudit eam ſuper omnia opera ſua. Secundum datum ſuum præbet eam diligentibus ſe.Non inquit ſecundum merita præbet eam,ſed ſecundum datũ ſuum, id eſt ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ,quatenus non ex operibus tuis,ſed pręcipuè ex dantis miſericordia illam conſequi te poſſe confidas. Alioquin gratia non eſſet gratia,ſi ex operibus præberetur. Gratia autem propterea dicitur, quia gratis datur,& ſecundum beneplacitum largientis. (Iac.1) Quamobrem vt datum illius gratiam eſſe cognoſcas, ſic ait Apoſtolus Iacobus: Si quis indiget ſapientia poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei.Hanc igitur vt accipere mereamur poſtulemus in fide. Poſtulemus,inquam,vt non ſolum per fidem in nobis habitare dignetur, verumetiam donum, & inextinguibile lumen ipſius, quo mediante ad ipſam pertingere valeamus. Non enim ad illius cognitionem venimus, niſi ipſa ſe nobis inſinuante ac dirigente nos. Inſinuat nanque ſe nobis, non per ſpeciem aliquã, neque per formam corporalem,ſed cordibus noſtris infundit quoddam ineffabile lumẽ,ſpiritualemque dulcedinem,& ſuauitatem internam,cuius guſtu lætificatur percipientis mens,& amore illius vehementer accenditur,adeò vt cũcta,quæ illi prius placebant,diſplicere incipiant, vileſcãt omnia,quæ ante cara videbantur. Nec ab re talis efficitur. Facultates quippe temporales ac precioſi lapides in æſtimatione illius nihil ſunt. Omne quoque aurum in comparatione ipſius arena eſt exigua, & tanquam lutum arbitrabitur argentum in conſpectu illius. Soli precioſitatem eius nouerunt,qui illa facti ſunt digni. Hinc vniuerſa contemnunt,cuncta,quæ in hoc mundo poſsident ſponte derelinquunt, abnegant ſe, vt contubernio ipſius mereantur eſſe participes. Tanti nanque eſt,& tam decora ſpecie, vt agnita deſpici nequeat,quin potius guſtantis, & videntis in ſe rapit affectum.Nonne amore regiæ dignitatis ipſius is captus fuerat qui dicebat, Super ſalutem, & ſpeciem dilexi ſapientiam,& propoſui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile eſt lumen illius? Hanc vtique amaui,& exquiſiui à iuuentute mea, & quæſiui eam ſponſam mihi aſſumere, & amator factus ſum formę illius, quoniã doctrix eſt diſciplinę Dei,& electrix eſt operum illius. Si diuitiæ appetuntur in vita, quid ſapiẽtia locupletius,quę omnia operatur? Si autem ſenſus operatur, quis horum,quæ ſunt, magis quàm illa eſt artifex? Si iuſtitiam quis diligit,labores huius magnas habẽt virtutes,& ſi altitudinem ſciẽtiæ quis deſiderat,ſapientiam habet, quæ ſcit prætereita,& de futuris exiſtimat, ſcit verſutias ſermonũ,ſigna & monſtra antequã fiant euẽtus temporum & ſeculorum. Specioſiſsimã inſuper huius elegantiam glorioſi cõtemplati ſunt martyres,quĩ venuſto illius dilecti viſu,guſtuque depaſti dulciſſimo,tam alacriter,tamque conſtanter,omnium tormentorum minime formidarũt ſubire ſupplicia. Fateor quoniam regina Auſtri conſurget in iudicio,cum præſente generatione ingrata & tepida,ac damnabit eam, quæ relicto regno venit de finibus terræ audire Salomonis ſapientiam, hominis mortalis & peccatoris. Quid(oro) dicturi ſumus in extremo examine,quando ipſam ſapiẽtiam negligimus agnoſcere, ac in cordium noſtrorum ſuſcipere penetralia? Illa audito rege inquit:Maior eſt ſapientia tua,& opera tua, quàm (3.Reg.10) rumor quẽ audiui.Beati viri tui,& beati ſerui tui qui ſunt corã te ſemper,& audiunt ſapiẽtiã tuam. Nos autẽ minime dignamur opera mirifica aſpicere ſapientiæ,quæ fulgent in cœlo, & in terra. Nam vniuerſi decor, in quo ipſius elucet poteſtas,bonitas,virtus, atque diuinitas,tanquã clariſſimum intellectui noſtro obiicitur ſpeculum, vt ipſam cognoſcamus in illo. Obturamus quoque mentis auditum,vt non ſaluberrima eius monita percipiamus introrſus.Hinc eſt quòd per vitiorum anfractus & ignorantiæ deuia erramus vt cæci, quoniam locutionum ipſius neſcimus myſteria.Dominus autem ſolus eſt,qui docet hominem ſcientiam, quemadmodum ſcriptum eſt: Nemo poteſt ſcire ſenſum domini,niſi ipſe ſapiẽtiam dederit,miſeritque ſpiritum ſanctum ſuum de altiſsimis, qui de his, quæ grata ſunt ei, erudiat illum. Erudit plane humanum cor, illique manifeſtat incerta & occulta ſapientiæ ipſius,dũtaxat vocẽ inuitantis ac pulſantis audire nõ ſpernat. Cuncti igitur, quibus ad intelligendum eſt datum cor docile, ſtudeant redire ad ſe, & in ſe ſpiritualem ædificent ſolitudinem, vt in ea frequenter inhabitent. Orationi vacent aſsiduè, in diuinis meditentur eloquiis, creaturarum cõtemplentur ſpeciem, & potiſsimum diſcant agnoſcere quæcunque illis in ſpiritu loquitur ſapientia.Ne forte (quod abſit) in ſui perniciẽ cogan-

gan-

Digitized by Google

gantur audire ſententiam, quam per Salomonē ſuis minatur contemptoribus dicens: Vocaui, & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo & ſubſanabo, cum vobis, quod timebatis, aduenerit, cum irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam, mane conſurgent, & non inueniet me, eo quòd exoſam habuerint diſciplinam, nec acquieuerint conſilio meo, & detraxerint vniuerſę correctioni meę.

Quantum ſit neceſſarium ſpiritualem ſolitudinem ſectantibus, diſcretionem habere ſpirituum.
Cap. XVI.

OPtimè ad conſequendam, cuſtodiendamque ſpiritualem ſolitudinem, opitulatur diſcretionem habere ſpirituū, quæ ſapientiæ ſpiritu operante percipitur. Non enim valet humani acumen ingenij per ipſum penetrare, quæ ſpiritus ſunt dicente, ſic ſacro eloquio [Sap 9.]: Cogitationes quippe mortalium timidæ, & incertæ prudentiæ veſtræ. Quoniam corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. Cæterum ſi difficile exiſtimamus, quæ in terra ſunt, & quæ in proſpectu ſunt, inuenimus cum labore, quæ in cœlis ſunt, & in verbi latent arcano, atque operatur ſpiritus, quis inueſtigabit? [1 Cor. 2.] Apoſtolus hoc inſinuans ait: Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei. Id ſolum autem poteſt ipſa ſapientia, quæ propter ſui munditiam attingit à fine vſque ad finē fortiter, & diſponit omnia ſuauiter. [Ibidem. Heb.4.] Quamobrē idem Apoſtolus dicit: Spiritus ſcrutatur etiā profunda Dei: alibique: Validum eſt verbum Dei & efficax, & penetrabilius omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagū quoque & medullarū, & diſcretor cogitationū, & intētionum cordis. In eo igitur ꝙ ſcit oīa, & cordium occulta rimatur, abſque velamine valet proculdubio, quibus vult, & quando vult humanarum, naturalium, atque ſpiritualium rerum præbere ſcientiam. Nemo itaque aliunde horum, quæ illum latent, quærat habere notitiam, quàm ab eo, cui vniuerſa ſunt aperta & nuda: Reprehenſibilis & correctione ille dignißimus eſt, qui ab alio quàm à Deo, qui per ſpiritum ſuum myſteria loquitur occulta manifeſtat, reuelat futura, inuiſa cognoſcit, & diiudicat ſpiritualia, ſpirituum diſcretionem arbitratur ſe poſſe percipere. Omnes profectò opinando loquuntur, qui de his, quæ per immißionem, vel per reuelationem, ſeu per infuſionem aguntur in homine, fari volunt, niſi per ſapientię donū diſcernendorum ſpirituum cognitionem habuerint. Nam quemadmodum nullus hominum ſcit, quę ſunt hominis niſi ſpiritus hominis qui in illo eſt, ita & quæ Dei ſunt, nemo cognoſcit, niſi ſpiritus Dei. Quis enim (inquit Paulus) [Rom. 11.] cognoſcit ſenſum domini niſi ſpiritus domini, qui inſtruit eum? Hinc eſt quòd tantum homo ſpiritualis, qui diſcretionis donum percepit ex munere, diiudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur. Proinde dat ſana conſilia, fraudus ſpirituum detegit immundorum, & propria ſingulis tribuit ſalutis monita, hoc in illo ſpiritus operante ſcientia. Quamobrem Apoſtolus (qui ob [1. Cor. 2.] multorum eruditionem ſpecialiter donum hoc fuerat conſecutus à domino) confidenter aiebat: Nos autem, inquit, non ſpiritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis. Quæ & loquimur non in doctis humanæ ſapientię verbis, ſed in doctrina ſpiritus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes. Magni ergo ex hoc periculi res eſſe cognoſcitur, quempiam ſpiritualis ſolitudinis ſtudia, abſque diſcretione hac, ſiue directore perito velle ſectari, pręſertim cum nunc immiſsiones, nunc reuelationes, nunc infuſiones fiant in nobis: Infuſiones videlicet per ſpiritum, reuelationes per angelos, & immiſsiones per ſpiritus nequam, quemadmodum ſcripturarum euidentiſsimè teſtimonio comprobatur. Patet namque perſpicuè, quoniam à Deo per ſpiritum infuſiones fiunt, ex quibus futura & occulta noſcuntur. Sic enim per Prophetam dominus loquitur dicens [Iohel. 2.]: Erit poſt hęc: Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem, & prophetabunt filii veſtri, & filiæ veſtræ. Iuuenes veſtri viſiones videbunt, & ſenes veſtri ſomnia ſomniabunt. Dominus ipſe, in Euangelio ait [Ioan. 3.]: Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, aut quò vadat. Quòd autem reuelationes per angelos perficiantur, multis in locis ſcripturarum ſanctarum narrant volumina, vt claret in Abraham, Loth, Iacob, Moſe, Ioſue, Iepte, Manue, Petro, Ioanne, & in aliis quàm plurimis. De immiſsionibus verò quæ per dæmones fiunt, ait Ioannes in Euangelio [Ioan. 13.]: Et cœna facta cum diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Scariothis. Et in pſalmis propheta inquit [Pſal. 77.]: Miſit in eos iram indignationis ſuæ. Indignationem, iram, & tribulationem, immiſsiones per angelos malos. Cuncta igitur hæc quæ memorata ſunt, quoniam non palam, ſed in ſpiritu ac inuiſibiliter peraguntur, difficillime agnoſcuntur, & vt arbitror à nemine ad plenum neque perfectè. Quis (quæſo) mortalium intelligit, quando immiſsiones facit diabolus, quandovè ad cor angelus loquitur, cum ambo in ſpiritu id pari modo perficiant? Nonne frequentiſsimè ipſe Satanas transfigurat ſe in angelum lucis, falſum pro vero inſinuans, vt imprudentes decipiat, atq; incautos? O quantos quoti-

die legimus, audiuimus, nouimus corruiſſe à propoſito ſanctitatis, quoniam antiqui hoſtis minime agnouere inſidias? Suadent ipſi maligni ſpiritus interdum prolixa ieiunia, immoderatas vigilias, opera manuum, corporalem ſolitudinem, conuerſari aſsidue, inepte gaudere, cōtriſtari ſupra modum, zelum ſine prudentia, compaſsionē abſque iuſtitia, innumeraque alia, quæ de bonorum ſunt genere, cum intentione fallendi. Sciūt namque quòd nihil prodeſt bonum agere, niſi etiam fiat bene. Eo videlicet modo, ea menſura, eo tempore, eaque intentione, qua virtutis nequaquam prætereat limites. Cæterum ſi ieiunaueris immoderatius debito, ſi erogaueris pauperibus non vt expedit, ſi proximis te expoſueris inconſulte, vel boni quippiam perfeceris imprudēter, nil proficies, quin potius delinquendo deficies, eriſque inimicis tuis ridiculus, neglector tui & gratiæ aſpernator, dum bonum agens male, lux tibi computatur in tenebras. Iſta igitur vt ſapienter euites incommoda, vtque euadas venatorum ſpiritualium laqueos, indeſinenter dominū deprecare, vt diſcretionem ſpirituum tibi impertiri dignetur, prudentiæ lumen, donum ſapientiæ, humilitatis affectum, ac timorē ſui. Iſta prorſus ſuum non ſinunt Dei gratia cadere poſſeſſorem. Cæterum quouſque quæ dicta ſunt, percipias efficaciter, Luc. 3. ſenſum proprium fuge, altum ſapere, curioſitatis impetum, tui fiduciam, proximique contemptum, quoniā ſapientiæ dono, quod diſcernit ſpiritualia, hæc aduerſari noſcuntur. Nam teſtante Apoſtolo Iacobo, quę deſurſū eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuaſibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia, & fructibus bonis, iudicans ſine ſimulatione. Habet planè ipſa ſapientia virtutum omnium aggregationem, Dei gratiam, lumen præclarum, quod omnem abigit ignorantiæ caliginem, quæ ſaluti inimicatur animarum. Ipſius igitur ſapientiæ implora ſuffragium, donumque illius ſedula oratione depoſce, dominus quippe ſolus eſt, qui præbet ſapientiam, infunditque humilibus diſcretionis ſcientiam. Sap. 9. Quamobrem accede frequenter ad eum, ipſiuſque ineffabilem clementiā ex totis præcordiis exora & dic: Deus patrum noſtrorum, & domine totius conſolationis & gratiæ, qui ſempiterno verbo tuo perfeciſti vniuerſa, & ſapientia tua ad imaginem tuam creaſti hominem, illumque conſtituiſti, vt dominaretur creaturæ tuæ, quæ à te facta eſt, quæſo da mihi ſedium tuarum aſsiſtricem ſapientiam, vt ipſa mediante diſponam vitam meam, cunctaq; interiora mea ſecundum te, & in directione cordis iudicium faciam & iuſtitiam. Obſecro mi domine, mitte illam de ſede magnitudinis tuæ, vt me in aduerſis protegat, regat in deuiis, erudiat in dubiis, atque in proſperis ne extollar, cuſtodiat. Adde nihilominus huic poſtulationi tuę, obſeruationem mētis, & diſcuſsionem peruigilem quatenus aſſueſcas agnoſcere prudenter, quæcunque verſantur in te. Si enim abſque examine, cogitationibus tuis accommodabis aſſenſū, proculdubio delinques aſsiduè, & ad diſcretionis donum nunquam attinges. Nequaquam immediate chariſmata ſpiritualia largiri conſueuit omnipotens, ſed vt plurimum ex precum importunitate, exercitatione laudabili, atque concepto amore virtutum. Optime tamen opitulatur ad conſequendum diſcretionis lumen interdū collationem habere cum patribus, atque maiorum ſubeſſe iudicio: eorum videlicet, qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionē boni & mali. Non enim omnes ætate longæui, aut confecti abſtinentia, ad præbendum conſilium idonei ſunt. Sap. 4. Senectus autem venerabilis nō diuturna, neque annorum numero computata, cani quippe ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis vita immaculata. Illorum igitur adhære conſiliis, eorumque imitare prudentiam, qui propria edocti experientia, ſecum cooperante gratia, iudicare valent, quæ ſit voluntas Dei, dæmonumq; fallacia. Beatus profecto qui per infuſum lumen adeptam humilitatem, iniūctamque gratiam diaboli minime ignorat aſtutias. Beatior autem ille, cui ex contubernio ſapiētiæ, ex familiaritate Dei prærogatum eſt internas reuelationes atque ſpirituales infuſiones agnoſcere. Has quiſquis neſcit, ò quàm ſępè ſanctorum angelorum monita ſpernit, ac vtilibus exhortationibus reſiſtit incautè? Ipſi etenim angeli ſpiritus ex indicto ſibi miniſterio introrſus nobis loquuntur ſalubria, & de occultis erudiunt, prout expedire cognoſcunt. Psal. 46. Excitant quoque nos, vt oremus iugiter, Deo aſſiſtamus in ſpiritu, atque alacriter pſallamus, & dicunt: Pſallite Deo noſtro, pſallite, pſallite regi noſtro, pſallite ſapienter. Verum cum viderint nos iugis, iocis, delectationibus vacare, & fabulis, pulſantes clamant ad cor, conſcientiamque redarguunt, vt reſipiſcamus, quatenus ad emendatiorem vitam nos reuocent. At verò ſi nos torpentes aſpexerint, agnouerintque diabolicis immiſsionibus prębere conſenſum, in facinoribus turpiter delectari, mente defluere, rixari corde, concupiſcere temporalia, atque alienari à Chriſto, terribiliter intonant, & reſolutionis corporis, extremi iudicii, inferni ſupplicia, ac ęternę calamitatis inferunt cruciatus. Cęterum ſi nos perſenſerint feruentes ſpiritu, domino ſeruientes, in tribulatione patientes, fratrum neceſſitatibus communicantes, ex corde gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus, ſupra modū lętantur, dominumq; laudant. Tūc vota noſtra altiſsimo offerunt, orationes perferūt, aſcendunt & deſcendūt, hortantur & docent, erigūt & protegūt, pręcedūt & cuſtodiunt, reuelant & admonēt nos charitate feruida, ęmulatione ſancta, intentio-

tentio-

tentione pia, exercitatione indefeſſa, dilectione iucunda, atque communicatione ſyncera. Vniuerſa hæc agunt in ſpiritu diſponente patre, verbo inſinuante, dirigente paracleto, trahente pietate, gratiaque cogente. Quis ſapiens mente conſpiciet hæc, & intelliget miſericordias domini? Maximum profectò diuinæ miſerationis indiciũ eſt, quòd cœlorum ad nos deſtinauerit dominus ciues, qui nos in huius vitæ naufragio periclitari non ſinant. Heb. 1. Omnes (vt ait Apoſtolus) miniſtratorii ſpiritus ſunt in miniſterium miſſi, propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis. Quamobrem opportunum ſatis & congruum eſſe arbitror, vt ſancta illorum angelorum agmina veneremur ex corde, obſeruemuſque illos, quando ſuum circa nos exhibent miniſterium, quatenus operum eorum non ſimus ignari & ingrati. Gaudeant & ipſi minime erga nos in vacuum laboraſſe, ſeu cucurriſſe. Noli igitur ò homo tale conditoris tui negligere munus, noli, inquam, cuſtodis tui angeli beneuolentiam ſpernere, paruipẽdere miniſterium, ſuffragium abiicere, & ignorare conſilium. Sta ſuper cuſtodiam tuam. Et dũ oras, legis, ſedes, ambulas, loqueris, vel aliud agis, attende diligenter quæcunque verſantur in te. Tibi aſsiſtunt angeli, à dextris boni, à ſiniſtris mali. Eorum ſinguli, vt te rapiant ad ſe, illiſque conſentias. Boni nanque ſemper ſuadent bona, ad orandum prouocant, excitant ad compunctionem & fletum, Dei ſcientiam ingerunt, timorem filialem docent, pacificant mentem, cogitationes ordinant, ſpei infundunt dulcedinem, occulta pandunt, cuſtodiunt vnitatẽ, legis inſtruũt ſeruare mandata, obtẽperare Deo, ſubeſſe maioribus, pacem diligere, humilitatem ſectari, & cuncta odiſſe, quæ norunt repugnare virtuti. Mali autem ad hoc vigilant, vt confundant rationem, tepefaciant affectum, fœdent mentem, eneruent propoſitum, intentionem polluant, diſsipent cogitationes, ſeu cogitatus, deuotionem auferant bonas impediant actiones, confuſionem faciant impellant ad caſum, & pertrahant per elationis tumorem ad interitum ſempiternum. Proinde in omnibus quęcunque meditaris vel facis, vt malorum angelorum fallacias ſuperes, pertingaſque ad bonorum conſortia, noli altum ſapere, ſed humiliter time. Eſt quippe humilitas diſcretionis magiſtra, quę te de vniuerſis erudire valebit, quę verſabuntur in te, atque ad ſecretum verbi introducere cubiculnm, in quo dignante ipſo ſapientię eius poteris arcana percipere, ſanctique amoris experiri pręludia.

Quòd ſpiritualis guſtus ſapientiæ, omnem præcellit delectationem, quæ ex creaturis percipitur. Cap. XVII.

QVemadmodum Solis claritas, Lunæ ſyderumque præcellit lucem, ita ſapientiæ ſuauiſsimus ſapor omnem quæ ex creaturis ſentitur ſupereminet corporalem, ſeu ſpiritualẽ dulcedinem. Illa etenim, quæ per creaturas percipitur, quamuis humanum affectum mulceat, cordiſque palatum delectet, nequit tamen plenam ſatietatem afferre. Viciſsitudine quippe ſua amantis inquietat animum: qui naturaliter eo quod diligit, frui ſempiternaliter concupiſcit. Merito igitur quicquid Deus non eſt, quoniam imperfectum eſt, dilectori ſuo conſummatam lætitiam præbere non valet. Nam humanus affectus naturaliter potiora ſe appetit, cupitque ſemper ad altiora euſque conſcendere, quouſque pertingat ad id, quo nihil eſt melius. Quis (quæſo) mortalium, eorum videlicet, qui diuino carent guſtu, temporalia ambire deſiit, atq; cupiditatibus ſuis terminum poſuit? Alius quidẽ ſicut videmus terrenis facultatibus, vt locupletetur deſudat: alius labentibus dignitatibus attolli quærit: alius verò voluptatibus carnis ſaturari deſiderat. Sunt etiam innumeri, qui ſcire volũt, omneque indultum tempus in arcana elementa huius mundi, ſiue præteritorum patrum decreta, vel naturalium inquiſitionem expendunt. Horũ autem nemo ad ſatietatem apprehendit, quod quærit, neque valet peruenire, quò tendit. Nam ſi quis omnium mundanarum literarum ſcientiã habuerit, ſi quis vniuerſas ſeculi aſſecutus fuerit voluptates, adhuc in animi ſui egeſtate laborat. Quoniã illo vnico & ſummo caret bono, in quo cunctorum delectationum ſuauitas, omniſque ſcientiæ exuberat plenitudo. Poſſunt vtiq; creaturæ quandam temporalem, ac momentaneam amatoribus ſuis delectationem conferre, ſatiare autem affectum minimè: non enim valet vaſculum haurientibus ſe alium quàm eum quem continet, prębere liquorem. Omnis autem creatura ſiue ſit terrena, ſiue cœleſtis, in eo quod creatura eſt, ſibiipſi omnino non ſufficit. Verum ſi non ſibi, cæteris qua ratione ſufficiet? Propria ſiquidem egeſtate quæque impulſa, ſemper in motu eſt, ſemper apprehendere nititur, quod concupiſcit, quatenus à concupiſcentiæ ſuæ motu conquieſcat. Nam ſicut oculus non ſatiatur viſu, nec auris impletur auditu: ita neque humanum cor cognitionis ac dilectionis affectu. Quęrit anxie, vt reperiat in quo delectabiliter requieſcat. Cæterum ſi cogitando mare perluſtret & aridam, cęlum rimetur & aſtra, cœleſtiumque ſpirituũ vniuerſam contempletur militiam, nec ſic inueniet quo rite fruatur, qualecũq; in horũ cõſideratione quamuis nõ plenã admittit dulcedinẽ. Tantum quippe iocũdatur in iſtis, quãtũ eidẽ veritatis interlucet ſerenitas, quoniã iuxta cognitionis mẽſuram ſpirituale pręſtatur & gaudium. Nõ enim valet quis quicquã diligere, niſi id, quod diligendũ eſſe cenſuerit. Trahitur prorſus humanus affectus ex veritatis agnitione, eò feruẽtius, quò ſtuetu. clarius. Hæc eſt (inquit dominus) vita æterna,

vt cognoſcant te ſolum Deum & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.Non ait,hæc eſt vita æterna,vt diligant te, ſed vt cognoſcant te. Nouerat dilectionem veram ſine conſpicua cognitione eſſe non poſſe. Hinc eſt quòd ipſe prius venit in carne,miracula edidit,& diuinitatis opera prçmonſtrauit inſignia: deinde paracletum miſit,quatenus aſcendēdi ad dilectionem iure ſeruato, antè erudiretur ad fidem,demum intelligendo qui deberet meritò diligere, amoris vreretur incendio Iuſte itaque peccatorum damnatur affectio, dū negligunt prius rationabiliter conſiderare quid diligant.Senſibus corporis credunt, carnis voluptates ſectantur,quoniam diſcretionis recto carent examine. Cumque ſolo viſibilium ducuntur affectu, omnia ſibi arbitrantur poſſe licere, quæ libent. Huiuſmodi omnino falluntur & propriæ affectionis ſatietate priuantur, molientes ex arente fonte aquę ſalutaris haurire liquorem. Redeant igitur tales ad ſe,deſinant beatitudinem quęrere vbi nō eſt agnoſcantque nullam creaturam ſibiipſi ex ſe poſſe ſufficere. Quęque autem non per ſe,ſed gratia ſui conditoris ſecundum propriam naturam fit locuples. Non ergo riuulorum dulcedinem quærat, qui ſatiari deſiderat, ſed fontis illius videlicet de quo propheta canit in pſalmis:
Pſal. 35 Quoniam apud te,inquit domino, eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.Si potum vitæ & ſpiritualis ſuauitatis delectabilem guſtum cupis haurire ex fonte, prçcedat te lumen,tecum ſit ſapientia,ſciens pro certo quòd non niſi præeunte lumine pertingere valebis ad fontem.Comitantur ſimul lumē & fons
Eccl. 1 ſicut legitur: Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis.Fontem quippe illum eſſe dixerim, qui iuſtitiam ſitientibus,& felicitatem ac perpetuam ſatietatem præbet. Quam vtique propheta
Pſal. 16 percepturum ſe commemorat dicens:Ego autem in iuſtitia apparebo conſpectui tuo,ſatiabor cum manifeſtabitur gloria tua.Dei igitur viſio, cæleſtis gloria,verbum patris, reuelata maieſtas, veritas abſque velamine conſpecta,fons eſt vitæ, & torrens voluptatis æternæ. De ipſo indeficientes & lympidiſsimæ ſapientiæ emanant aquæ,quę vniuerſum irrigant paradiſum, nō illum de quo per inobedientiam expulſus Adam,ſed ipſum in quo triumphaliter poſt reſurrectionem ingreſſus eſt Chriſtus,vbi angelorum,archangelorumque cōcinunt chori,vbi virtutes,dominationes,poteſtates regnant,& Cherubim:vbi thronis & poteſtatibus aſſociati ſunt Seraphim: vbi patriarcharum & prophetarum aggregatus eſt numerus: vbi Apoſtolorum, Martyrum,& Confeſſorum gaudet exercitus:vbi pariter omnium electorum animæ iocundiſsima Dei viſione lętatur, Ibi plane cuncti,qui adſunt,affluentiſsime de eodē fonte potati inebriantur ab vbertate delectationis illius, & quadā voluptatis inundatione pingueſcūt, adeo vt prę nimietate exultationis & gaudii ſine vlla intermiſsione conditoris ſui intendant laudibus,charitate flammeſcant,admiratione ſuſpirēt iubilatione tripudient, & conſona illum cordis modulatione glorificent.Non capit ſenſus,oculus non videt,auditus non percipit, neque viatoris attingit animus, quanta ſit totum beatitudo,bonum ineffabile,ſempiterna fruitio,dilatata poſſeſsio,pacata requies,exuberans gaudium,interna refectio,ſpiritualis dulcedo, amotiſque vehementia.Equidem in illa regione diei non ſuccedit nox,ſecuritatem non perturbat metus, neque felicitatem commaculat luctus. Diem quippe illum illuminat iuſtitiæ ſol,qui neſcit occaſū: ſecuritatem autem eius Dei viſio collata confirmat. Fruitio verò ipſius regnantium felicitatem facit eſſe perpetuam. O quàm glorioſa dicta ſūt de te regio ſancta? Sicut lætantium omnium habitatio eſt in te.Ad te ſane ſuſpirat cor meum.In te requieſcit ſpes mea: te ambit affectus meus. Quoniam in te Deus meus,amor meus, ſatietas mea,hæreditas mea,lætitia mea, præmium meū, redemptor meus, dux meus, lux mea, pax mea, propitiatio mea,dominus & ſaluator meus. Qui profecto es indeficiens lumen, ſempiternū verbum, ſapientia patris,angelorum decus,præclariſsimum ſpeculum, imago Dei, inuiſibilis animarum ſponſus,lucerna inextinguibilis,hominū mediator, atque æternæ vitæ almificus fons, de cuius meatu puriſsimo irriguum ſuperius, atque irriguum emanat inferius.Superius quidem vt ſatietatem & vitam, vnitatem & requiem, lumen & pacem, immortalitatem & prçmium, incorruptionem & gloriam,necnon perpetuitatem in cælo triumphantibus afferat & coronam. Inferius verò vt tribuat certantibus robur, oneratis auxilium, leuamen mœſtis, peregrinantibus ſpem, prçſidium lapſis,conſolationem paruulis,humilibus gratiam,fluctuantibus fidem, naufragātibus ſalutem,mercedem ſuſtinentibus, Euangelizantibus verbum, virtutem miniſtrantibus, cohabitantibus concordiam, obedientibus gaudium, erudientibus ſcientiam, atque ęternorum contēplationi vacantibus guſtum. Iuxta ſingulorum capacitatem illabitur de ſuperioribus in corda credentium, & ſe manifeſtat in lumine, nō vtique naturali,ſed ſpirituali atque inſuſo. Quoſdā autem ex ſui benignitate replet ſapientia,nōnullos ſciētia,aliquos fide,quoſdam ſpirituū diſcretione perornat.Quis(quæſo)tentationes varias, & ſeductorii ſpiritus poſſet euitare fallacias, niſi diſcernendi gratiam perciperet deſuper? Verum quis mortalium præſentis exilii ærumnas,vel carnis à ſe poſſet abdicare illecebras,ſi non formata fides futuræ vitæ inſinuaret arcana? Cæterū dono deficiente ſcientiæ, nonne ſuperuacue tradita diuina fuiſſe viderentur eloquia? Poſtremo ſi aliena ab hominibus fieret ſapientia, quonam-

modo

modo contemplando raperemur in cœlum,& in ſpiritu promiſſæ felicitatis primitias ſentiremus? Equidem de ipſo,de quo myſticè loquimur fonte, ad inſtar illius, qui in paradiſo deliciarum eſt poſitus,ſpiritualia quatuor, quæ memorata ſunt, emanant flumina,quæ vniuerſam interioris hominis perluſtrant terram, eamque deſideriorum cœleſtium floribus, virtutum germine,.ac bonorum operum fructibus faciunt eſſe fœcundam.Nequaquam tam vberem humana mortalitas valeret iuſtitiæ afferre meſſem,ſi non verbi Dei ſtillicidiis impinguaretur interius. Nam quemadmodum nix deſcendens de cœlo terram inebriat ac germinare eam facit, datque ſemen ſerenti, & panẽ ad manducandum tribuit, ita & verbum,quod ex ore patris omnipotentis egreditur,cum ſe mortalium infundit cordibus, ad illũ, qui eum genuit, non reuertitur vacuum, ſed in ſe ſuſpiciente fructificat affatim. In incipientibus quidem triceſimum,ſexageſimum in proficientibus,at verò centeſimum in perfectis exhibet fructum. In primis namque vernantem & redolentem producit florem, immaturum fructum gignit in mediis,verũ in vltimis & viſu pulchrum, & guſtu ſuauiſsimũ reddit,atque vberrimum.Deuotionis quippe ſanctæ ſuper illos imbrem infundit, ac ſapientiæ ſuę luce clarificat, vt nec ignorantiæ voluantur in tenebris, neque ſpiritualis ſiccitatis ariditate tabeſcant.Huiuſmodi ſanè ſunt opera tua domine Ieſu ſapientiæ clariſsimum, ac inextinguibile lumen, atque diuinæ dulcedinis viuus ac indeficibilis fons. Tua nanque præſentia delectabili & ſancta,fugas tenebras,noctem repellis,aereas poteſtates coercendo confundis, dulceſcit cor deuotionis fluunt aquę,animus charitate liqueſcit, exultat ſpiritus, inardeſcit affectus, amor eleuatur,iubilat mens,reſonant laudes, vota redduntur, omniſque ſpiritualis animæ vigor lætatur in te. Lætatur, inquam, reperiſſe quem diligit,& in ſe ſponſum ſuſcepiſſe, quem colit. O quantus amor,quam ignita deſideria, qualis locutio, quam pudicus exhibetur amplexus,cum deſcendit ſpiritus,obumbrat paracletus, altiſsimus illuminat, adeſt verbum,ſapientia loquitur,& complectitur charitas. Tunc quippe templum Dei efficitur anima, ſapientiæ ſedes, pudicitiæ habitaculum, arca fœderis,tabernaculum ſanctitatis,ſponſi thalamus,ſpirituale cœlum, benedictionis ager, myſteriorum domus,ſponſa chariſsima, amœnus ortus,nuptiarum locus,atque multis virtutibus conſitus paradiſus. In quem videlicet deſcendit dominus angelorum, & rex gloriæ,non vt ambulet ad auram poſt meridiem, quæratque præuaricatores latitantes inter condenſa lignorum nuditatem propriam erubeſcentes, ſed copulet ſibi chariſsimam ſponſam,amore languentem,deſideriorum floribus fultam, atque malorum punicorum virtutibus ſtipatam, præſtolantem dilectum ſuũ, atque elegantiſsimi ſponſi obſeruantem aduentum. Conſcientiæ ſiquidem puritate refulgens, pudicitię candore veſtita, ac bonarum actionum margaritis ornata nequaquam iudicis formidat aſpectum, ſed concupiti ſponſi deſideratam anhelat intueri faciem, quam contemplari ęſtuant angelorum ipſa beata agmina. Caſtiſsimo verò illius contubernio fungens, quid ab eo percipiat,quid in corde ſentiat,quam vehementer inardeſcat,quomodo ingeminet amoris carmina, amatoriaque prorumpat in verba, ſola, quæ experitur,nouit. Sentiri quidem poſſunt, proferri autem minimè, quoniam ſpiritualia arcana, atq; diuina ſunt, quæ non licet loqui, ne ſponſo diſpliceat,qui zelotypus eſt, cordiſque diligit inhabitare ſecretum.

Quare Dei dona non ſint propalanda, & quæ ſint exercitia mentis, in quibus ſe occupant qui ſpiritualem poſſident ſolitudinem. Cap. XVIII.

EXperiẽtia inſinuante hoc nouimus, quòd ſingula quamuis ſint magna,quantumq; pręcioſa, formoſa, & ſancta, immoderatius tamen debito propalata vileſcunt: Hinc ſpiritualia ſunt ſilentio dona tegenda,ne vilipendãtur ab iis,qui ſolum quæ carnis ſunt ſapiunt. Sunt præterea aliis occultanda de cauſis, ne videlicet inimicis noſtris nota fiant, illaque nobis conentur diripere. Neve inſoleſcat animus, ſeque gloriando inaniter bonum, quod intus percepit, amittat. Iacturam quippe hanc non patitur humilis,neque is, quem ſimpliciter ſecum habitare delectat. Quoniam congregatas ſecum ſpirituales portat diuitias, atque in latiſsimo cordis ſecreto imprædabilis perſeuerat. Prophetæ admonitionem perficit dicentis: Præuaricatores redite ad cor. Paſtoris etiam vocem,introrſus qui ait,Illius præſentiam veneratur in ſpiritu,eiuſque exhortationis iuſſa non negligit. Eſa. 46. Propterea cunctam mẽtis ſuæ familiam in obſequiem redigit Chriſti, nullam foris ſine cauſa vagari permittit,nullamque ocio vacare interius. Maxima proculdubio pace potitur, dum cogitatus ſuos prudenter ordinat,repellit noxia,compeſcit lubrica,abhorret indigna,admittit,gratiam,ſuſpirat ad regnum,renouatur frequentiſsime iuxta apoſtoli doctrinã ſpiritu mentis ſuæ, nouum induit hominem, qui ſecundum Chriſtum formatus eſt,cupit totis viribus cordis tenere munditiam, liberumque à tẽporalium curis ſatagit poſsidere affectum.O quoties cælum pulſat gemitibus,lacrymas amoris fundit, deſiderat corporis reſolutionem, concupiſcit beatam requiem,angelorum poſtulat aſſociari agminibus,cæleſtiſque patriæ gloriam contemplando miratur dicens:Quàm dilecta tabernacula tua domine virtutum, concupiſcit & deficit anima mea in atria domini. Iterumque: Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum poſſeſsionis

Pſal. 83.
Pſal. 25.

alis ſe tormentis exponeret,perferret contumelias,traderetur letho? Cæterum tametſi pro amicis quis audeat mori pro inimicis tamen nullus. Commendat in hoc charitatem ſuam Chriſtus in nobis,quia cum inimici eſſemus, reconciliauit nos Deo per ſanguinem ſuum, quem pro redemptione noſtra abunde fudit in ligno. Iſtud dum ſecum tacite ſponſa conſiderat, imitatur, exultat & laudat, atque rediuiua amoris flamma ſuccenditur,magis magiſque amare deſiderat,ac ſponſo ſuo quantum valet conformari peroptat. Hinc delectatio oritur patiēdi, ardor flagrat martyrii,mortiſque concupiſcentia viget.Hinc quoque ex dilectione pœna, nec non ex amandi delectatione concipitur dolor,dum charitatis actus eſt votis inferior, & amantis affectus ſeipſo eſt minor. Huiuſmodi ſunt ſolitariorum ſpirituales deliciæ, eorum videlicet, qui non ſolum localiter,verum etiam ſpiritualiter ſolitarii ſunt. Qui exercitatione mentis abſque interuallo, & ſine vlla fatigatione intendunt.Hi tam pro amore cōditoris quam pro dilectione virtutis,omnem ſolicitudinem in ſui interioris hominis compoſitione diſponunt,ne ſcilicet eorum tepeſcat ſpiritus ne à veritatis limite deuient, ne inſpirationi diuinæ negligant præbere conſenſum,ne in proximorum dilectione offendant, ne conſcientia onerata peccatis ſpiritui commoueat bellum, ne vel in minimis ſponſi amabilem charitatem offendant.Sane in iſtis atque huiuſcemodi ſtudiis ſpiritualibus ſolitudo commendatur interior, quę cuſtodita fideliter auget meritum, virtutes parit, nutrit gratiam,componit mentem, regit ſenſus, negocia ordinat,intentionem dirigit,fouet affectum, cumulat dona, coæquat angelis, copulat Chriſto. O ſolitudo Deo dicata,quàm amabilis es, & quàm ardenti deſiderio concupita ab his, qui nouerunt te, teque illis delectabilem reddiderunt. Tu nanque humilitatis es ſpeculum,tu diuini amoris cuſtos,tu propriæ cognitionis magiſtra,tu ſcientiæ ſchola,teſtis conſcientię, futuræ fœlicitatis imago, accuſatrix ſcelerum, vitiorum detectrix, veritatis amatrix,innocentię decus,ſecretorum cœleſtium cognitrix,contemplationis pręuentrix, origo compunctionis,cęli ſcala,latitudo maxima,orationis portus,tranquillitatis habitaculum,paſsionum ſpiritualium interemptrix, peruigil mentis cuſtodia, non dormitans affectio,prudentię comes,diſcretionis oculus,latens profectus,dulcedo cordis,ſpei fons, ſponſi cœleſtis receptaculum, Dei & hominum mediatrix. O quàm pręcelſa ſunt pręconia tua, ſolitudo ſancta,tutę diuitię,laudabilis actio, ſucceſſus lętus ſecura poſſeſsio,conuiuium iuge,ac delicata cibaria. Frequentiſsime ſapientię illuſtraris radiis,gaudio perfunderis,eleuaris in cœlum, & pace repleris. Sinum quippe tuum dilatas, & iocundiſsime ſuſcipis humiles,mente pacificos,orationi inſtantes,deuotionis auidos,atque guſto ſapido diuina guſtantes. Suſcipe, quęſo, etiam me errantem ouem, eccleſię filium,adoleſcentē prodigum poſt diſsipatum patrimonium,poſt cōuerſationem fœdam,poſt egeſtatem nimiam reuertentem ad te. Ne me patiaris vagari foras,ocioſis inutiliter cogitationibus occupari,defluere per vitiorum deuia, coinquinari in vanis, atque affectu immoderato viſibilibus inhęrere. Noli obſecro,deſpicere clamorem meum, fœditātē meam horrere, contemnere nuditatem, vilitatemque abiicere. Noli,inquam, hilarem faciem tuam auertere à me, tanquam ab indigno & alieno,neque ſubtrahas te,mihi,quoniam ſemper amator tui fui,te concupiui,te quęſiui,te tenui,teque quantum licuit,cōplexus ſum delectabiliter ardenterque. Nam & ſi te minimè cuſtodiui vt debui,nequaquam tamen debes repellere redeūtem ad te,proprium agnoſcentem errorem, atque ſe emendare volentem. Aperi igitur mihi ô amica mea decora tanquam Hieruſalem, ſuauis in deliciis, plena venuſtate & gratia, ſanctitate & pace,ſplendore & gaudio,iucunditate & iubilo,ſecuritate & ſpe,dilectione & meritis. En ſto ad oſtium tuum, pulſo quotidie gemens & lachrymam,vt aperiatur mihi.Ingrediarque ad te, tuis caſtiſsimis vt fruar amplexibus. Equidem ſcio quòd extra te perſtrepunt bella, tempeſtates inſurgunt, inſidiantur latrones, ſęuit draco, catuli leonum rugientes diſcurrunt, vt rapiant, & quęrant eſcam ſibi,fiunt rixę,pariuntur diſcordię,ſeminantur odia, & vniuerſa perpetrantur facinora. In te autem eſt pax multa, delectabilis manſio,pręclaraque virtus. Pſ. L. 100 De te Pſaltem arbitror dixiſſe in pſalmis:Perambulabam in innocētia cordis mei,in medio domus meę. Non proponebam ante oculos meos rem iniuſtam, facientes pręuaricationes odiui. Non adhęſit mihi cor prauum, declinantem à me malignum non cognoſcebam. In matutino interficiebam omnes peccatores terrę, vt diſperderem de ciuitate domini omnes operantes iniquitatem. Maximis his paucis te commendauit pręconiis, atque per id, quod intus agebat,opera tua Deum diligentibus indicauit,vt illos erudiret habitare in ſe,pugnare contra vitia,mentiſque reſecare ſuperflua, quatenus ex hoc agnoſcerent fructum ſuum,theſauros tuos, & ſpiritualia bona, quibus affluenter exuberas. Tu verò illos proueheres de tenebris ad lucem non corporalem, ſed ſpiritualem, atque diuinam, quę illuminat omnem hominem Ioan. 1 venientem in hunc mundum. Illuminat planè lux ipſa quantum in ſe eſt omnes, quanquam tenebrę eam non comprehendant,quoniam ab illa auertunt ſe, ſicque in propria cęcitate perdurant. Cęterum quotquot eam recipiunt, lucis videlicet ipſius gratia participantes,filii Dei efficiūtur & lux. Non autem in ſe, ſed in domino.

Quem-

Quemadmodum Apoſtolus quibuſdam fidelibus, & ſanctis ait: Fuiſtis aliquando tenebræ, nunc autem lux in domino, vt filij lucis ambulate. Quamobrem, ò Fratres dilectiſsimi, ambulemus & nos in luce hac, vt nos tenebræ minimè comprehendant. Ambulemus, inquam, ſicut propheta commemorat, in innocentia cordis noſtri, diſcutiamus mentium noſtrarum motus, cogitationes quales ſint intelligamus, animarum noſtrarũ perluſtremus latebras, ne ignorantiæ propriæ caligo inuoluat nos. Inuoluit vtique ſuimet ignorantia pedes ambulare cupiẽ-
Prou. 11 tium, nec illos ſinit accedere ad lucem, ne forte redarguti à lumine reſipiſcant, & fiant lux. At verò fruſtra iacitur rete huiuſcemodi, ante oculos pennatorum, eorum ſcilicet, qui ſupra ſuam vigilant cuſtodiam, ne interior ipſorum oculus dormiret, neve in imis mens iaceat, quæ ex ingenita dignitate ſemper appetit ſumma. Hi etenim ſpiritualem in ſemetipſis ædificant ſolitudinem, vt quietius reſidentes verius valeant iudicare ſe, atque ex ſe facilius aſcendere ſupra ſe, cunctaque deſpicere, quæ defluere viderint ſub ſe. Tali ſiquidem exercitatione prouecti, quãuis eorum exterior homo naturæ paſsibilitate corrumpatur, & neceſsitatibus atteratur: interior tamen renouatur de die in diem ob profectum virtutum, orationem aſsiduam, mentis munditiam, ſpiritualem guſtatam dulcedinem, futuramque gloriam, quam promiſit certantibus pro ſe, & quieſcentibus in ſe, atque in ſapientiæ lumine contemplantib. ſe, ſponſus amabilis, ſempiternum verbum, mediator verus Ieſus Chriſtus dominus noſter, qui cum Patre, & Spirituſancto Deus regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

D. LAVRENTII IVSTINIANI in Opuſculum de Contemptu mundi, per cap. xxj. diuiſum.

PROLOGVS.

SAcris literis eruditi, propter Adæ lapſum humanum genus de paradiſo voluptatis, in huius mundi exilium, didicimus fuiſſe depulſum, in quo exterior homo eſurit & ſitit, æſtu vritur, conſtringitur gelu, laboribus fatigatur, debilitate laſſatur, infirmitatibus multifariis diſsipatur, antiquitate ſeneſcit, demumq; mortis ſuperueniente articulo in originis ſuæ lutum conuertitur. Interior verò, nunc inani erigitur ſpe, nunc ſeruili deiicitur metu, inordinato interdum exhilaratur gaudio, nimio quandoque mœrore deprimitur, ad horam æqua diſcretionis lance agenda diiudicat, & poſt paululum denſiſsimis ignorantiæ inuoluitur tenebris. Fitq; vt nunquam ſit ſtabilis, neque in eodem virtutis permaneat ſtatu. Ex huiuſmodi ſiquidem viciſsitudine, quibus ſanæ intelligentiæ datus eſt ſenſus, optime agnoſcunt ſui exilii damna, ſuæque peregrinationis ærumnas, adeò vt propheticum illud iugiter flendo decantent: Heu mihi, quia Pſal. 119
incolatus meus prolongatus eſt, habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. Quis, oro, non deploret ex corde, ſe effectũ eſſe ciuem mundi, iumentorum conſortem, atq; cuſtodem, cum meminerit hominem ad hoc fuiſſe creatum, vt fieret angelorum collega, & incola cęli? O quam gemenda eſt iſta mutatio, meritoque plangenda, quę diuina exigente iuſtitia ſuper Adę filios eueniſſe cognoſcitur. Aequiſsime prorſus pro omnibus ſceleribus ſuis de manu domini recepere duplicia, vtpote qui ſpreto incommutabili bono, adhęſere mutabili', quod innata ratio, impenſa beneficia, promulgata lex fieri omnino obſiſtunt. Hoc autem prę cęteris delictum eſt grauius, quòd cum ita peccauerint, tantiſque miſeriarum ſint attriti generibus, minime reatũ ſuum velint agnoſcere, atque ad pacem priſtinã redire non curent, quũ offenſus ipſe ſit paratus ignoſcere, ac reconciliationis nuncios delegare non ceſſet. Quid prophetæ, quid apoſtoli, quid ſancti doctores, ac prędicatores ſunt, niſi pacis nuncii, pręcones Chriſti, & ſummi regis legati in orbem vniuerſum miſsi, ad emolliendum corda populorum, quatenus Aegypti regione relicta, ad ſupernam Hieruſalem lacte, ac melle manantem aſſentiant properare promiſſam? Vnum eorum audi quid dicat: Pro Chriſti, inquit legatio- 2. Cor. 5
ne fungimur tanquam Deo exhortante per nos. 1. Cor. 3
Obſecramus pro Chriſto, reconciliamini Deo.

Alibi

Alibique:Quid eſt Paulus,quid eſt Apollo. Miniſtri Dei per quos credidiſtis. Omnia igitur prophetarum oracula, omnia Euangeliorum, & Epiſtolarum ſcripta,omnia doctorum volumina,atque prædicatorum verba, hortamenta ſunt Dei inuitantis ad pacem, vitiorum fugam, mundique contemptum. Maxima profecto, ac veneranda eſt omnipotentis Dei iſta dignatio, vt qui præueniri à peccatorib. debuerit, ipſe præueniat,dona tribuat,legatos dirigat,per quos pœnitentibus veniam, gratiam confitentibus, humilibus pacem, pulſantibus aditum, atque de peregrinatione redeuntibus pollicetur & gloriam. Et hoc vnde?niſi quia benignus, & miſericors eſt, atque præſtabilis ſuper malitia hominum, eorum præſertim, qui proprium agnoſcentes reatum,fideliter conuertuntur ad cor,dolent & gemunt, atque ab operibus malis retrahunt pedem ſuum, vt in ſemitis iuſtitiæ de cætero gradiantur, & efficiantur prope, qui fuerant longe. Cæterum quid remotius eſſe cenſendum eſt, quam ſui carere notitia, atque diſtractis naturalibus, ac gratuitis donis, gratiæ egeſtate tabeſcere,huc illucq; per abrupta vitiorum, pro carnis ſaturanda libidine vagari inaniter,more adoleſcentis filii,qui peregrè proficiſcens,diſsipato patrimonio,ob perficiendam impudicitiæ voluptatem,porcorum ſiliquis ventrem implere quærebat? Optime quidem, quod in hoc prodigo actum eſt filio, peccatoribus ſingulis conuenire videtur. Talium totus repletus eſt mundus, qui deſerto genitore cœleſti, atque conſumptis ſpiritualibus donis,conuertuntur ad veſperam præſentis exilii, famemque carnalium voluptatum patiuntur vt canes, nec tamen ſaturari merentur. De eadem verò nequaquam redimuntur inedia,niſi mundi iſtius abdicatis illecebris, ac ſpreto peccatorum conſortio, compuncti,atque mutati in melius,ad patrem cum humilitate remeare feſtinent.Tunc iuſtificationis gratiam,ornamentum fidei,diuinorum eloquiorum intellectum & guſtum,atque immaculati agni ſacro ſancta myſteria in charitate percipiunt, eò abundantius, quò ardentius conuertuntur ad Chriſtum,coaptantur ad bonum,euangelicæ prędicationis currunt ad brauium. Ingens prorſus ab angelis in cœlo fit pro illorum conuerſione lætitia, congratulantibus Chriſto, qui perditam ouem eccleſiæ reportauit ad ſtabulum.Pro horũ quoque emendatione,atque profectu,eruditiſsimi deſudauere patres,necnon innumera librorũ volumina conſcripſerunt,in quibus viuendi regulam,virtutum formam doctrinam fidei,perfectionis diſciplinam, atque de exilio redeundi ad patriam,modum, ordinemque poſteris generationibus prudentiſsime tradiderunt. Iſtorum ſiquidem ſanctorum patrum prouocatus exemplo,& humanæ cæcitatis compaſsione, iam diu, ac frequenter impulſus,quamuis ſeruorum Chriſti ſim minimus,exiguus meritis, imperitus ſermone,atque ſcientia,& tum pro honore Dei, tum pro cõmuni vtilitate fidelium, Opuſculum de contemptu mundi exarare propoſui. Quamobrem naturalis ingenii, ac humanæ ſcientiæ primum reiecta fiducia, paruitatis meæ oculos fuſis precibus attollo ad dominum, à quo laboris ſuffragiũ prouenire confido. Quoniam verbum ſempiternum eſt patris,& indefectibilis ſapientiæ fons, qui clauem habet ſcientiæ,reuelat myſteria, facundiam tribuit atque ſpiritualis intelligentiæ,lumen pręſtat humilibus.

Quantum rationis iudicium, cętera naturę dona pręcellat. Cap. I.

NOuimus inter præclara ornamenta naturalia, quæ diuina bonitas mortalibus præſtare dignata eſt, rationis iudicium, ac diſcernendi acumen arcem tenere. Et quippe donum, quo cæteris vtimur ad ſalutem, virtutum profectum,delectationem vitæ, gloriã conditoris,cumulum meritorum,decorem naturæ fraternę charitatis vnitatẽ, & ad omne, quod eſt vtile,quod delectabile,quod honeſtum. Tolle ab homine rationem, & erit tanquam nauis in medio æquoris,abſque gubernaculo,ac directore. Flatibus etenim nauis impulſa, nunc impetit ſcopulos, nunc illiditur vndis, nunc iactatur in littore, ſui ſemper patiens detrimentum,quoadusque omni ipſius diſſoluta compago, efficiatur inutilis, amittatque propriam formam, transferendi vſum,vtilitatemque commercii. Verum ad hoc demum redigitur vt tota diſsipata, atque deſtructa, vel putreſcat in littore, vel comburendi tradatur incendio. Vniuerſa hæc mala(ſi diligenter perſpexeris) reperies in homine, qui rationis abutitur dono, tantoque deterius quanto deordinatio agnoſcitur maior, iactura grauior, atque deteſtabilior finis. Nauis finis eſt, vt expleto ſuo miniſterio diſſoluatur, hominum verò fine ratione degentium,eſt interitus ſempiternus.Non tamen talis eſt ipſorum naturalis finis, neque originaliter inſtituta conditio. Ad hoc quippe plaſmatus eſt homo, vt proprium cognoſcat autorẽ, agnoſcendo diligat,atque diligendo ſic viuat, vt quandoque illo fruatur, ipſiuſque ineffabili fruitione beatus exiſtat. Cæterum quum ad ipſum cognoſcendũ ex ſe nequaquam idoneus ſit,quippe cum Deus ſit ſpiritus,ſubſtantia inuiſibilis,inacceſsibile lumen, appoſitum eſt ſcientiæ ſpeculum, quatenus ex aſsidua meditatione eius ad eum, qui fecit illum ratiocinando tranſcendat, agnoſcat & diligat. Hac,inquam,de cauſa ſpecialiter homini diſcretionis pręrogatus eſt vſus, vt tam ex creaturarum conſideratione,quam ex intelligentia ſcripturarum, ad vniuerſi conditoris attingat notitiam,& quantum ea,quę facta ſunt, dignitate præcellat, minime ignoret. Vides ne

quam

Digitized by Google

quam præcelſa ſit rationalis intelligentiæ virtus, proficuus vſus, delectabilis fructus, finiſque præclarus? Equidem propter rationem homo æquatur angelis, illiſque bene viuendo efficitur ſimilis tametſi ipſius excellentia necdum in hac parte reſpondeat. Corruptibilis quippe naturæ rationalis ſpiritus, pondere grauatus, nequit ad libi-

Sap. 9. tum ſe ad cœleſtia contemplanda erigere. Sic enim legitur: Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio ſenſum multa cogitantem. Nihil ſimile patitur angelus. Cum enim ſpiritualis naturæ ſit, ab omni eſt labe corruptionis extraneus, præcipuo intelligendi ornatus acumine, necnon effectus ex Dei viſione beatus. Porrò nil naturalis excellentiæ amittit ex tempore, non fatigatur ex vſu, à Dei viſione non præpeditur ex loco, neque per elationis vitium intumeſcit ex meritis, ſed ex quotidiano intelligendi vſu ſemper proficit, illique ſpiritualium accreſcit ſcientia, per quam rediuiua in Deum ſemper cognitione lætatur. At verò rationalis ſpiritus mortalis corporis opprimitur ſarcina, originalis culpæ colluuione infirmatur, ac viſibilium oblectatione retrahitur, propter quæ ſecundum naturæ ſuæ inſtitutionem, nequit eleuari in Deum. Hinc laborat in inquiſitione veritatis & in cæleſtium contemplatione caligat. Verum & ſi de Dei notitia apprehenderit quippiam, repercuſſus à ſenſibus, ſiue propriæ infirmitatis detentus obſtaculo, compellitur remeare ad ſe, & calamitatis ſuæ deplorare ærumnas, ac

Rom. 7. dicere: Infelix homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Nullam prorſus in hoc lacrymabili exilio maiorem percipit lętitiam, quàm quòd ab his neceſsitatibus, quibus in vtroque homine grauatur, inuitè ſe quandoque erudiendum eſſe non dubitat. Hanc ſiquidem ſpem, tam ex pollicitatione domini, quam ex ſacrarum ſcripturarũ

Rom. 8. ſibi vendicat dictis. Sic nanque apoſtolus ait: Vanitati creatura ſubiecta eſt non volens, ſed propter eum, qui ſubiecit eam in ſpe, quia ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Vanitati creatura rationalis (videlicet ſpiritus) non volens ſubiecta eſſe perhibetur, quoniã naturali ſuo impulſu in Deũ tendens, dedignatur volutari in imis, fœtentis corporis curam gerere, irrationabiliumque iumẽtorum opera ſectari. Iſta autem incommoda æquanimiter tolerat, propter eum, qui illam ſubiecit in ſpe, ne diuinæ legi, & ordinatiſsimæ diſpoſitioni conditoris contrariando damnetur. Qui ideò illam iuſtè vanitati ſubiecit, quoniam impoſitæ obedientiæ in primis parentibus noluit eſſe ſubiecta, ſpe tamen ſola erigitur, dum firmiſſime credit, quod cõſummato huius vitæ ſpacio, ipſa creatura vanitati tunc ſubiecta non volens, per mediatorem Dei, & hominum liberabitur ab ipſa ſeruitute corruptionis, & prouehetur in libertatem glorię filiorum Dei, ſcilicet angelorum, qui glorificatæ libertatis felicitate fruuntur. Hanc libertatem angelorum, ſaluator in Euã- Matt. 22.

gelio pollicitus eſt dicens: In regno cœlorum nõ nubent, neque nubentur, ſed erunt ſimiles angelis Dei. Hanc ex parte adepti ſunt ſancti, qui triũphato mundi huius principe in æternitates manſionum cœleſtium tranſiere. Receperunt ſinguli ſtolas primas, poſt reſurrectionem duplicibus veſtiendi. Fide igitur rationalis ſpiritus imbutus, ac ſpei ſubleuatus remigio per amoris vinculum copulatur Deo, non tamen ſic, vt non moueatur de cætero. Aſcendit namque ad Deum quoties aperto cœlo, vocem intellectualem de firmamento ſibi audit loquentem, ſeu quum de cęlorum ſecreto, ſtillicidia diuinę dulcedinis ſuper eum cadunt, faciuntque amoris, iubilationis, & gaudii, ex illo erumpere germen. Tunc verò compellitur deſcendere quum clauditur cœlum, nubes prohibentur pluere deſuper, roſque ſiccatur, qui terram madefacere conſueuerat. Nempe quemadmodum aſcendendo lætatur, ita deſcendendo laborat, atque in ſudore vultus ſui ſpirituali veſcitur pane, quoniam rationis greſsibus incedit ſuper aridam, qui prius affectionis vehiculo amabiliter ferebatur in cęlum. Pergit gemens & rugiẽs, vt quęrat à Deo eſcam ſibi, reuoluens animo quãtis ſolitus erat ſpiritualibus exuberare deliciis. Redditus ergo ſibi, ne ſpirituali fornicatione proſtituatur, ſcientię & potiſsimum diuinorum eloquiorum cogitur quęritate ſuffragium. Eſt quippe ſciptura ſacra, optimum pręſidium, ad exercẽdum, erudiendum, erigendumque in Deum humanum ſpiritum, qui vtique prout memoratum eſt, mole carnis deprimitur, compelliturque iacere in imis. Quis (oro) tantę ſcientię, tantęque cõtemplationis fultus eſt munere, vt poſt delectabilem conſiderationem naturalium ſiue ſpiritualium, non deſcendat inferius? Naturę ſiquidem opera, & diuinarum ſcripturarum ſacramenta, quandiu in meditantis intelligentia fulgent tandiu ſapiunt & rationis ſuauiſsimo nectare palatũ mulcent. At verò dum nube teguntur, nec adeſt ſapientia, quæ arcana reſerat, & occulta manifeſtat, fatigatur inquirentis animus, laſſatur præ tædio, huc illucque diffunditur, & more languentium temporalis delectationis vmbracula petit. Qui niſi diuini timoris cohibeatur loris, facile in immane præcipitium proruit delictorum. Ex hoc infirmitatis ſuæ fit conſcius, & quanquam ex ſe erudiatur de ſe, ſanctarum tamen agnoſcit egere adminiculo ſcripturarum, quatenus per ipſas, & in ipſis diſcat quid ſit ſibi in hac peregrinatione proficuum, atq; meditando intellectus acumen exerceat, qui naturaliter ſemper ſciendi curioſitate allicitur.

Quòd à fidelibus debet agnoſci, quid vtilius debeat ſciri. Cap. II.

QVoniam ex gratuito conditoris munere, naturaliter inſitum eſt homini ſcire, congruum profectò eſt, vt fidelis quiſque velit nedum ſcire, verum etiam prudenter agnoſcere, quid vtilius debeat ſciri. Nam & ſeculi negociatores ſemper inuigilant qualiter commercia ſua vtilius agant. Nempe ſcire optimum dixerim, dummodo non quòd curioſitatem paſcat, ſed ſciatur, quòd ordinet vitam, componat animum, conſcientiam ædificet, proximóque proficiat. O quàm multi fuerũt, & ſunt, qui aut turpis lucri cauſa, vel curioſitatis morbo, ſeu tumore ſuperbiæ ſcire voluerunt, ſuamque poſteris ſtuduerunt commendare ſciẽtiam. Horũ profectò labor, etſi aliis prodeſſe valuit, autoribus tamẽ minime. Perceperunt huiuſmodi temporalem mercedem, & prorſus nil vltra, dum fauores hominum delectabiliter quęſierunt, oſtenderunt ſe eſſe ſcientes, & apoſtolum non intellexerunt dicentem: Scientia inflat, charitas verò ædificat. *1. Cor 8.* Inflat per ſe ſcientia ſine charitatis adminiculo. Charitas ædificat propriam, & aliorum conſcientiam. Quamobrem primum à doctoribus, & eruditis, ſcientiæ eliciendus eſt fructus, deinde cum beneuolentia communicandus eſt cęteris. Quid enim prodeſt homini (inquit dominus Ieſus) ſi mundũ vniuerſum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? *Mat. 16.* Sanè detrimẽtum patitur, quicunque aliis delicioſa parat fercula, & ipſe tabeſcit inedia. Debet ergo qui docet, ex abundãtia propria impertiri audiẽtibus, ſolerterque inſpicere, vt quod erogatur, magis prodeſſe valeat, quam obeſſe. *Mat. 15.* Nam ſi cęcus cæco ducatũ præſtet, nonne ambo in foueã cadent? Cęcus autem ille cẽſendus eſt, qui ex imprudentia, ſeu elatione, amiſſo, aut neglecto ęternæ ſapientiæ ſplendore, per abrupta deuiat vitiorũ, iuſtitiæ deſerit ſemitas, ſuimet caret cognitione, atque verbis ſuis neſcit legẽ indicere. *Eccl. 14.* Nã qui ſibi nequã eſt, cui bonus eſſe poterit? Nemo igitur niſi in lumine ſupernę veritatis ſcire valet quid ipſe agere, quidve alios debeat docere. Poſſunt multi multa ſcire. Aliqui de gubernatione reipublicę, diſpoſitione regnorũ, & ordinatione familię. Quidã de motu cœlorum, ſtellarũ curſu, elemẽtorum qualitate, virtute herbarum, naturis animalium, proprietateque rerum. Nonnulli de elementis mundi, loquendi regulis, diuiſionibus numerorum, dimenſionibus cœlorum, muſicarum cantilenarum rationibus. Alii de ſtatutis ciuilibus, ac decretorum definitionibus. Quidam de differentiis virtutum, diſtinctionibus angelorũ, atque cœleſtium ſecretis plurima didicerunt, & indicauerunt cęteris. Verum hęc quid, quęſo ſciẽtibus proſunt, ſi abſq; charitate permaneãt? *1 Cor 13.* Si linguis hominum loquar, & angelorum (ait Apoſtolus) charitatem autem non habuero, factus ſum velut es ſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero omnem ſcientiam & nouerim myſteria omnia, nihil mihi prodeſt. Noli itaque ô homo ſimpliciter laborare vt ſcias, ſed illa præſertim, quæ te charitate repleant, & in charitate cuſtodiant, atque ad ſummæ & æternæ veritatis notitiam proueh ant. Imprudentiæ arguendus eſt ille, qui quum valeat ex opere ſuo lucrari multa, laborat incaſſum. Nam & qui domum ædificare deſiderat, obſeruat prius, quo in loco fundamenta iaciat, vt ſecutura ſtructura flatibus vel vndis impulſa, perſeueret illæſa. Alioquin labefacta facillime corruet. Cæterũ ſi huiuſmodi peritia vtitur, quicunque ædem materialem conſtruit, hanc qui ſpiritualem ædificat, negligere debet? Prorſus minime. Nam homini ad hoc rationalis accommodatus eſt ſenſus, vt ſpretis inutilibus ſalubria, vilibuſque contemptis, ſemper præſtãtiora eligendo diſcernat. Iſtud equidem ſolidum, imperturbabile, perpetuũ, iucundumque fundamẽtum ſcientiæ dixerim, quatenus quiſque id ſciendum eligat, quod nõ tentationibus cedat, nõ fortuitis caſibus concuſſum cadat, nõ per momenta tranſeundo deficiat, neq; imprudẽter aggreſſũ pœnitudinis dolorem immittat. Quod enim inconſulte agitur, vt plurimũ mœrorẽ ingerit, proſpero caret ſucceſſu, & contrario fine concluditur. Quamobrem beatus, qui ſano cuncta facit cõſilio, qui nec obliqua affectione trahitur, neque corrupta intentione ſeducitur, qui nõ quod libet, ſed quod ſibi licere nouit, opere perficit. Hoc autem, vt arbitror, nemo implere valet ſufficienter, qui tam ſcientię, quam conſcientiæ caret dono. Verum ſi duo hęc in vno cõſentiant rationis iudicio, in omni negotio ſuo, Deo placebunt, quoniam ſcientię, ac conſcientię eſt ipſe largitor. Vtreque vno ex fonte emanant, dummodo in ſua naturali puritate ſubſiſtãt. Viciſſim ſibi famulantur ſcientia & conſciẽtia, & in vno charitatis connexę ſunt vinculo, adeò vt ſine alterutrius diſpendio, ab inuicẽ ſeparari nequeãt. Conſcientiam optime erudit ſcientia, quam ne pręcipitet, & à veritatis tramite deuiet, conſcientia dirigit. *Hæc diligẽter animaduertant ſtudentes mundi & animarum.* Porro vbi abſque conſcientia adeſt ſcientia, fiunt fraudes, obſcœna meditãtur, ſuperbia pręſidet, dominatur cupiditas, veritas agnita impugnatur, ſubuertuntur iudicia, doloſe leges interpretantur, fucata abundant eloquia, & grauiſſima multifarie facinora perpetrantur. At verò vbi ſola eſt conſcientia, frequentiſſime error pręcipitat, tentationes præualent, ſeducit caro, immittuntur phantaſmata, cõfundit dubietas, & in angelũ ſe iugiter lucis transfigurat, vt euertat ſenſum, & ſimplicitatis inuadat ſemitas. Vtrunque quemadmodum innumeris claret exemplis, ita ſanctarum ſcripturarum teſtimoniis comprobatur. Quis (oro) ſcientia ac conſcientia ornatus, dam-

damnabiliter cecidit? Quiſve ſeductus gratiam Dei amiſit? Equidem hincinde vallatus, peregrinationis huius viam pergit intrepidus, hoſtium ſpiritualiũ caſtra ſecurus ingreditur, multoſque viriliter ſternit quiſquis ſcientiæ conſcientię accinctus eſt armis. Arma (inquit apoſt.) militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed ſpiritualia, & potentia Deo, ad deſtructionem munitionum euacuantes per conſcientiæ rectitudinem, omnem altitudinem, extollentem ſe aduerſus charitatem Dei & redigentes per ſcientiæ lumen omnem intellectum in obſequium Chriſti. Nullus ergo Chriſtianæ religionis campum pugnaturus introeat, qui horum caret munimine. Aduerſus ſpirituum immundorum nequitiam, & cõtra impiorũ hominum fraudes, quonammodo pręualere poterit, qui ſcientiæ priuatus eſt lumine? Verum ad debellandum concupiſcentias carnis, ad reluctandum vitiis, ſeculique blanditiis, euaginatus ſemper conſciẽtię tenẽdus eſt gladius. Non qualiſcunque conſcientiæ, ſed eius, quæ rectitudinis, ac charitatis eſt illuſtrata fulgore. Hęc quippe ſola eſt, quæ à Deo meretur laudem. Cæterum ne quis ignorantiæ ſeducatur errore, ſuæ tantum conſcientiæ iudicio credens, de conſcientiæ varietate, in mediũ proferendus eſt ſermo.

2.Cor.10

De diuerſitate conſcientiarum, earumque proprietatibus. Cap. III.

AD æternam vitam pertingere cupientibus vtiliſsimum eſſe ſatis arbitror conſcientiarum diuerſitates agnoſcere, quoniam non omnis conſcientia cõmendabilis eſt. Eſt perturbata. Eſt erronea. Eſt obliqua. Eſt damnabilis, & eſt recta conſcientia. Perturbatam illam eſſe dixerim conſcientiam, quę tentationũ eſt agitata procellis, & phantaſmatum illiditur vndis. Semper enim fluctuat, ſemper eſt dubia. Nunc meditata approbat, nunc laudata condemnat. Huiuſmodi nulla introrſus pace potitur, nulla ſtabilitatis virtute ſolidatur, dum, cui debeat inhęrere fundamento, penitus ignorat. Erronea autem illa dicenda eſt conſcientia, quę diſcretionis non habet regimen, nulloque prudentiæ pollet conſilio. O quoties ſupra vires nititur, atque perfectionis ſemitas ingredi conatur, ſed proprię infirmitatis repercuſſa mucrone mœrore repletur, efficitur anxia, de ſalute dubia, in omnibuſque ſuſpecta, adeò vt etiam ſibi ipſi ſit grauis. Quamobrem deſperationis propinquat ad foueã diffidit de venia, incurrit in lapſus, tabeſcit deſidia, atque inchoata virtutũ opera imperfecta relinquit. Conſcientia verò obliqua illa eſſe cenſenda eſt, quę ſpiritualibus paſſionibus ſeducitur ſibique facit licere, quod libet. Hæc namque ſub zeli ſpecie detractioni vacat, abſentum dilacerat famam, præſentes abſque vlla compaſsione redarguit, & ſi percutere liceret, minime pertimeſceret. Sub diſcretionis quoque velamine iocis vacat, & inania ſine cohibitione profert eloquia. Senſualitati parcit, rationique blanditur, vt illam ſubiiciat ſibi, & faciat ſecum in vno conuenire conſenſu. Proinde vt fictam reperiat pacem, ac diſcretionis repercutiat ſtimulos, quęrit angulos, ſibimet rationes fingit, atque intus reclamante gratia, vt bene agat intelligere negligit. Difficillime iſta corrigitur, quoniam vt plurimum veritatem agnoſcendo delinquit. De damnabili verò conſcientia, quid memorem, quum proprio ipſa ſit reprobata iudicio? Noſcit delictum, ſe peccare fatetur, & tamen vitiorum ſerua effecta emptitia in omnem deſperationis ſe pręcipitat foueam. Nullius ad ſui perditionem ſuffragio indiget, dum totis viribus carnis deſideria conatur perficere. Nullo mortis terretur metu, futurum non pertimeſcit iudicium, atque inferni ſupplicia non veretur. Præſentia appetit, pręſentia diligit, hiſque tanquam famelica, & incompoſitâ repleri concupiſcit immemor, & incredula futurorum. Hęc profecto niſi ſpeciali cęleſtis gratię pręueniatur munere, vſque ad finem incorrigibilis perſeuerat. O quantum à recta conſcientia eſt iſta diſsimilis, quoniam ad malum iſta, illa verò ad bonum ſemper agnoſcitur eſſe procliua. Nam recta perhibetur eſſe conſcientia, quando irradiata diuino ſplendore ſincero rationis examine facienda, ac non facienda diſcernens, ſemper potiora ſectatur. Dei ſiquidem timore, ac internę pacis tranquillitate ſuffulta, regia graditur via, ſpirituſque libertate dirigitur, adeò vt nec propriæ confidentiæ tumore dilatata præcipitetur, ne puſillanimitatis ſtimulis coarctata deliteſcendo ſuccumbat. Nulla igitur recta cõſcientia cenſenda eſt, quam non informat charitas, non confirmat gratia, non dirigit ſapientia. Porro bona conſcientia ſaluat hominem, ſpirituale ingerit gaudium, ſpei dulcedinem roborat, ſerenitatem mentis facit, aſpirationis ſupernæ aſſenſum præbet, obtemperat Deo, fraternam vnitatẽ cuſtodit, abhorret vitia, fugit ſcelera, bonum diligit, ſtudet proficere, præmiaque cœleſtia concupiſcit ardenter. Eſt quippè gratuitum donum, electionis præſagium, teſtimoniũ diuinę miſerationis, atque iſtius peregrinationis, iuſtis ſingulare ſolatium. Sine pœnitentia accipitur, & abſque vllis præcedẽtibus meritis cõdonatur. Hãc qui habet teneat, diligenter cuſtodiat, quoniã ipſa eſt, quæ gratam exhibet animam Deo, ornat hominem, ſerenat mentem, & ſpiritualem reformat imaginem. Eò nanque quiſq; fit locupletior meritis, deuotioni aptior, propinquior contemplationi, quò eſt conſcientia mundior, virtutibusq; ornatior. Tolle hanc ab homine, & inutilis ad merendum efficitur ſibiipſi inimicus, à Deo auerſus, affectione pollutus, cogitatione diſsipatus, diſſolutus in opere, in ſermone incõpoſitus,

tus, à ſanctorum congregatione alienus, virtute priuatus, dubietate plenus, fluctuationibus anxius, obtenebratus corde, circumplexus mœſtitia, charitate tepidus, ac ſpiritualis dulcedinis, quia expers, inſipidus. Iuxta additamentum gratiæ, ſanctitatiſque profectum, conſcientiæ candor elucet, diſtinguitur gradibus, & ex mentis perfectione clareſcit. Exculta quidem per diſciplinam virtutum, & infuſæ gratiæ irradiata ſplendore, internæ aſpirationis fit docilis, receptaculum efficitur verbi, domicilium ſpiritus ſancti, nuptialis thalamus, domus conuiuij, deliciarum locus, atque theſaurorum cœleſtium depoſitorium imprędabile. Ipſum cuſtodit humilitas, illuſtrat ſapientia, decorat pudicitia, componit prudentia, complectitur charitas, atque filialis timoris obfirmatum vectibus, ſacroſancta inhabitat trinitas. Nempe vbi bona eſt conſcientia, adeſt paracletus, ſpirituales allocutiones frequenter fiunt, conſolatio diuina ſentitur, exhortationeſque percipiuntur angelicæ. Verum quoniam ineffabilia ſunt dona ipſius, immenſæq; diuitiæ, ac laus omnis inferior, ſermoni imponendus eſt finis, ne ex laudantis imperitia, illius derogetur præconijs. Dabitur quoque ex ſilentio nobis differendi facultas, quonam modo ad veræ ſcientię queat perueniri notitiam.

De multiplicitate ſcientiarum, & præcipua commendatione diuinorum eloquiorum.
Cap. IIII.

QVEMADMODVM non omnis apud Deum commendabilis eſt cõſcientia, ſed tantum illa, quæ per gratiam erudita, eligenda eligit, & ſpernẽda contemnit, ita & de ſcientia abſque vlla ambiguitate definiendum eſt: ſunt enim quædam, quæ & ſi quicquam contineant boni, & ad aliquid laudabile ordinari valeant, minime tamen à prudentibus ſunt ſectanda. Multiplices nouimus eſſe facultates, in quibus humanum exercetur intellectus, elaboratque peruigili ſtudio, vt ad ſcientiæ perfectionem aſcendat, quæ ſub vniuerſali nomine multa concludit. Quamuis etenim vnum ſit ſcientiæ generale vocabulum, omnes nihilominus complectitur facultates: verbi gratia; Eſt ſcientia humanarum rerum. Eſt ſcĩetia naturalium. Eſt ſcientia liberalium. Eſt ſcientia legalium. Eſt ſcientia moralium. Eſt & ſpiritualium atque diuinorum ſcientia. Harum ſiquidem ſingulæ innumeras in ſe concluſiones continent, quæ omnino ſciendæ ſunt ab his, qui in ipſis proficere concupiſcunt. Verum ſacra pagina tanquam cœlitus per Spiritum ſanctum inſpirata, vniuerſarum ſcientiarum in ſe vberrimè complectitur veritatem, atque de Deo, & de his quæ ad ſalutem neceſſaria ſunt, notitiam præbet.

Cætera autem, quanquam curioſitati humanæ, delectabiliores eſſe videntur, quia (ſicut ſcriptum eſt) Aquæ furtiuæ dulciores ſunt, [Prou. 9.] quamuis falerato ſermone ornatiores appareant, à fidelibus tamen à Deo in ſpiritu militare volunt atq; ad agnitionem diuinæ veritatis peruenire contendunt, poſt ponendæ ſunt, ne lutum auro, & fauo mellis commiſceatur abſinthium. Quæ [2. Cor. 6.] conuentio eſt lucis ad tenebras, vel quæ æquiparatio humanæ ad æternam ſapientiam? Sapit nanque iſta, myſteria loquitur, docet de cœleſtibus, imbuit de fide, eleuat de imis, collocat in excelſis. Aliæ auribus pruritum faciunt, inflant ſupra modum, ſe oſtentant inaniter, ſimplicitati ſanctæ plurimum aduerſantur, ſenſumque euertunt à fide, ne cohæreat Chriſto, & per contemptum mundi ſalui fiant credentes. Ad euitandos igitur huius inductæ humanę ſapientię laqueos, prophetarum oraculis, apoſtolorum ſcripturis, atque eruditionibus ſanctorum, ab vniuerſis ratione vtentibus ſyncera eſt impendenda credulitas, monita, inſtituta ſeruanda, atque ſaluberrima ſunt ſectãda conſilia, quoniam non illi loquebantur ex ſe, ſed ille loquebatur in ipſis, qui omnium eſt artifex, omnem habet virtutem, omnem nouit ſcientiam, nec non diuinitatis ſuę luce vniuerſa proſpectat. Apoſtolum confitentem audi: An experimentum, inquit, quęritis eius, qui in me loquitur Chriſtus. [2. Cor. 13.] Porrò ſi Chriſtus loquebatur in Paulo, cęteriſque ſanctis, illis tanquam Chriſto adhibenda eſt fides, qui verbum eſt ſempiternum, patris ſapientia, pręclara & infallibilis veritas. O quanta eſt diuinarum ſcripturarum authoritas, quantaque ſub literarum velamine obtecta manet veritas. Tota ſancta, tota ſacramentis grauida, tota decorata ſententijs. Nihil in ea ſordidum, nil obliquum, nil vacuum, nihilque reperitur veneratione indignum. Fulget in ſe, intelligentibus ſapit, facit credentes, amantes nutrit, dirigit peregrinantes, neſcientes docet, lętificatque ſperantes. Nam quęcunque ſcripta ſunt, ad no- [Rom. 15.] ſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam & cõſolationem ſcripturarum ſpem habeamus. Quoties itaque ſacras literas legimus, quoties tractantes audimus, Deum intelligamus loquentem nobis, dummodo nõ aliter quàm continet veritas, loquantur. Nam qui inepta proferunt, & quod à ſanctorum autoritatibus diſſentit, prorſus audiendi non ſunt, quoniam ex ſe fantur, & mendacium dicunt, quia omnis homo mendax. [Pſal. 115.] Propterea quicunque non ex proprio ſenſu loquuntur, verba ſua concordant autoritatibus ſcripturarum, in quibus catholicę fidei fundamenta ſancta, incorrupta & incontaminata ſubſiſtunt. Domini igitur pręceptum eſt, vt ſaluandus quiſque teſtimonijs ſe ſubijciat ſcripturarum, credatque indubitanter verum eſſe, quod in eis aſſeritur, quamuis arduum, quamuis difficile ſit, illique ratio humana nulla conſentiat.

ſentiat. Nam iuſtitię rectus ordo expoſcit, vt quemadmodum ex ſcientiæ concupiſcētia Deo primus homo diſplicuit, ita ex neſcientia fidei eidem homines placere conentur. Voluit quippe ille ſcire quod crederet, noſque credere debemus quod etiam ratio humana non penetrat, Heb. 11. quoniam vt apoſtolus ait: Fides eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium. Non igitur intelligamus, vt credamus, ſed credamus primum, vt poſtea quę credimus, intelligere mereamur. Non enim fides intellectus, ſed intellectus, eſt merces fidei. Pſal. 115. Credidi (inquit propheta) propter quod locutus ſum. Crede igitur & tu, vt intelligendo loquaris. Quomodo autem valebis ſyncera mente Rom. 10. depromere, quod verum eſſe diffidis? Corde nanque ſicut creditur ad iuſtitiam, ita ore confeſſio fit ad ſalutem. Tuum eſt credere, quod in ſacris continetur eloquis, Dei autem intellectum pręſtare. Credes autem ſi te humiliaueris. Nam quemadmodum ſine fide de Deo nequit haberi vera notitia, ita abſque humilitate formata non poteſt obtineri credulitas. Ambo conueniunt, nec ab inuicem elongari valent, quatenus inde reſurrectionis ſpiritualis medicina proueniat, vnde pręuaricationis accidit caſus. Ex diuinis ergo ſcripturis, eo vberius diſponente domino, veritatis erumpunt ſtillicidia, quò credendo percipiuntur humilius. Humilitate inueſtiganda ſunt, & pronuncianda humiliter, quoniam elatum fugiunt, & ab eo, qui ſe Iac. 4. procaciter iactat, elongari noſcuntur. Nam ſicut Deus ſuperbis ſe occultando reſiſtit, ita hu- Pſal. 118. milibus dat intelligentiæ gratiam. Quod propheta indicauit dicens: Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis Nam quantum ex ſe illuminat, quoniam lumen eſt ſicut dicitur: Mandatum lucerna eſt & lex lux, ſed ſui intellectum præſtat humilibus. Agnoſcant igitur homines ſacram paginam, nequaquam humani opus eſſe ingenij, prophetas quicquam ex ſe potuiſſe prædicere, ſed hoc ſui 2. Pet. 1. ſpeciale munus eſſe autoris, prout per Petrū ſic dicitur: Non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati loquuti ſunt ſancti homines Dei. Diſcant quoque qui in ea eruditi ſunt, non inflari, non ſe præferre neſcientibus, non abuti conceſſis, neque ſibi arrogare, quod à domino percepere, à quo omnis eſt ſapiētia, & cum quo fuit ſemper, & eſt ante æuum. Prodeſt vtique ſcientia, ſi humilitatis, ſi fidei, ſi charitatis, ſi prudentiæ ſale condiatur, alioquin inſulſa erit, nec ad aliud valebit, niſi vt mittatur foras, & ab hominibus, conculcetur. Non enim obeſſe valet ex ſe, quod à Deo ad bene viuendi inſtructionem, recte diſcernendi, ſalubriterque loquendi, eſt prærogatum mortalibus. Equidem omnia munda mundis, immundis autem & peccatoribus, qui maculant munda, nihil eſt mundum. Quamobrem mūda te ò homo ab infidelitatis caligine, à fumo ſuperbiæ, & à delictorum ſordibus, quatenus in lumine diuinorum eloquiorum, veluti in præclaro ſpeculo erudiaris, non ſolum de naturalibus vel humanis, aut diuinis, veru metiam mundum agnoſcere, ſeculi illecebras ſpernere, temporales dignitates, diuitiaſq; calcare, carnis oblectamēta fugere, expanſos in hac peregrinatione præuidere laqueos, præſentis vitæ pericula deuitare, ſcire vbi ſis, quid poſſit, & horis ſingulis deficiendo quò tendis. Hæc profecto non eſt ignoranda ſcientia, quam diuina probat autoritas, ſanctorum commendant eloquia, mater immaculata ſectatur eccleſia, experiētia laudat, fides confitetur, amplectitur charitas, ſpiritus proteſtatur, approbat ratio, guſtus concupiſcit, propalat ſapientia, & euangelia clamant, & ſeruorum Chriſti circumquaque profuſa collegia imitantur. Hanc proculdubio diſcere valet eruditus & indoctus, ſeruus & liber, diues & pauper, maſculus & fœmina, debilis, & fortis, ingenioſus & hebes, ignobilis ſicut & nobilis. In propatulo eſt propoſita vniuerſis, neglecta à multis, à peccatoribus deſpecta, irriſa à potentibus, ſed venerata à iuſtis, à fidelibus agnita, & in corde humilium, Deumque timentium, tanquam cęleſtis theſaurus collocata. Quamuis autem hæc ex ſeipſa maximis virtutum ſit decorata monilibus, atque probatiſſimorum virorum ſublimata præconijs, nunquam tamen ipſius occultanda ſunt præmia, nunquam eius reticendæ ſunt laudes, quatenus illius excellentia, ac vtilitate inſpecta, ad mundi contemptum animus fidelium aſcendatur, in quo perfectionis regula, & conſiliorum Chriſti diſcipina conſiſtit.

Quanta ſit Chriſtianæ perfectionis, & conſiliorum euangelicorum authoritas. Cap. V.

QVONIAM multifaria ſunt itinera mortalium in hac vita degentiū, atque ſcientiarum documenta innumera, illa præſtantiora arbitranda ſunt, quæ vberiorem non temporalium facultatum, ſed cæleſtium meritorum ſecum afferunt fructum, eoque ardētius ſectanda, quo maioris ſanctitatis ſublimioriſq; excellētię earum eſt author. Hinc Chriſtianæ perfectionis, & conſiliorum euāgelicorum eluceſcit authoritas, quę imitatores ſuos ęternorum bonorum locupletes facit, & ab ipſo conditore omnium, domino Ieſu ſumpſit exordiū, qui verus eſt Deus, Dei filius, de Deo genitus, ſine initio conſubſtantialis, & coæternus ei, qui genuit ante ſecula verbum ſempiternum manens, factus in fine ſeculorum homo perfectus, hominum mediator, atq; redemptor, quatenus humanum genus, diabolica fraude deceptum, reuocaret ad gratiam, à culpa redimeret, erudiret in fide, necnon ſapientiæ ſupernæ illuſtraret ſplēdore, ſicut Apoſtolus ait: In ipſo vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis 1. Cor. 1.

bis

bis ſapientia à Deo, & iuſtitia, ſanctificatio & redemptio. Nouus igitur apparens in aſſumpta humanitate præceptor, nouæ religionis rudimenta inſtituit, ac nouæ vitæ mandata propoſuit, vt abolitis conſuetudinibus antiquis, expoliatoque vetere homine, cum actibus ſuis, noua fierent omnia, & in nouitate vitæ incedere inchoarent mortales, qui eouſque ſolo carnis, ac naturalis rationis ducebantur impulſu. Equidem quod conſuluit ſapientia, ſuaſit verbum, atque conſummauit in opere idem Dei, & hominum mediator, carnalis ſenſus, rationalis intelligentiæ, naturalis ordinis, ſocialiſque vitæ ſupergreditur limites. De contemptu mundi ingeſsit ſcientiam, exemplum præbuit, formam dedit, atque præmiorum illius
Matt. 19. ſublimitatem indicauit dicens: Vos qui ſecuti eſtis me in regeneratione, quum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Et omnis qui reliquerit patrem aut matrem, fratres aut ſorores, aut agros propter nomẽ meum, centuplum accipiet, & vitam ęternam poſſidebit. Maxima prorſus, & mortalitatem noſtrã excedentia pollicetur, quoniam nouerat arduũ eſſe perfectionis aſcenſum, naturæ vincula ſoluere, conſuetudinem vitę mutare, quotidie crucem tollere, in hoc mundo nihil poſsidere, quod ſenſualitatem mulceat fugere, nullam terrenam dignitatem appetere, deſineretque homo per nouæ conuerſationis ſtudium eſſe, quod fuerat, vt inciperet eſse, quod non erat. Porrò iſta, quæ præceſſerant, neſciuere ætates. Cupiebant procreare liberos poſsidere prædia, abundare diuitiis, præeminere honoribus, poſteros in prolis ſucceſsione relinquere, necnon pro ſuorum mercede laborum tantum terrena ſperare. Carnales erant homines tunc, & carnaliter, quæ ſub figurarum velamine dicebantur, percipiebant. Non autem ſic profeſsores Chriſti ambulantes in ſpiritu. Senſum ſpiritualem latentem in litera, ſiue contentum in lege, ſeu prophetarum promulgatum oraculis, vel in euangelio repromiſſum à domino, ſpiritualiter intelligunt, ſpiritualiter implent. Nec ab re. Nam in eorum cordibus paracletum poſsident, qui per timoris donum inſtruit eos diuina mandata perficere; per pietatis, diligere proximum, illiuſque indigentiæ ſubuenire, per ſcientiæ, ſacras literas abſque errore intelligere; per fortitudinis, quęque aduerſa æquanimiter tolerare, per conſilii, diſcernere dubia, aliiſque rectitudinis callem ſalubriter indicare; per intellectus, ſpiritualia diiudicare, & motus animi euidenter inſpicere, & per ſapientiæ, charitate flammeſcere, atque cœleſtia delectabiliter guſtare, prorſus languida, & impotens ad ſectandum conſilia Chriſti ſpecies iaceret humana, ſi non huius ſpiritus roboraretur virtute chariſmatibuſque fœcundaretur. Verum ſuffragata ab ipſo, & erudita per ipſum, aggreditur ardua, præſumit magna, credit, promiſſa, concupiſcit æterna. Hinc eſt quòd tam copioſiſsimus fidelium numerus vtriuſque ſexus, cuiuſcunque conditionis, qualiſcunque ętatis, contempto mundo, ſpretiſque carnalibus voluptatibus, Chriſtianę fidei, ac euangelicę perfectioni colla ſubſtrauit, quemadmodum in exordio naſcentis eccleſiæ claret. Act. 4. Sic enim legitur: Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna. Nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. Hoc autem nequaquam attentare auſi ſunt, niſi poſt ſancti ſpiritus emiſsionem, quem dominus Ieſus miſſurum pollicitus fuerat, antequam cœlos peteret. At verò ſuccreſcente ſpiritus feruore, auctoque credentium populo extiterunt innumeri, qui his minime contenti, altiorem perfectionis gradum apprehendere geſtiuerunt. Quamobrem reſpuentes omnia, honores, voluptates prædia, conuerſationemque ſocialem, vitam ſuam duxerunt in montibus, in ſpeluncis, & in ſolitudinibus vaſtis quatenus commodius illis ſoli Deo vacare liceret. Nonnulli verò humano timore depoſito, neglectis iuſsionibus principium, ſe pro defenſione catholicæ fidei, ad perferendum rerum damna, exiliorum incommoda, ſqualores carcerũ, eculeorũ tormẽta, carbonum incendia, aduſtiones lãpadũ lapidum ictus, flaglorum verbera, ludibria populorum, membrorum mutilationes, & abſciſsionem capitis magnanimiter tradiderunt. Præceſsit inſuper maxima multitudo credentium, qui conſtruentes cœnobia, ordinanteſque collegia, ſemoti à turbarum fragoribus ſimul viuere delegerunt. Horum ſicut vnum erat cor, ita intentio vna, habitus ſimilis, communis victus eademque profeſsio. Qui diuinis die noctuque occupabantur in laudibus, ſacris lectionibus vacabant, orationibus inſtabant, mutuiſque exhortationibus ſe ad virtutum profectum accendebant. Hi omnes ſanctarum ſcripturarum imbuti ſcientia, fidei gratia perfuſi, charitatis debriati dulcedine, necnon & promiſsionum Chriſti allecti magnitudine, facti ſunt contemptores mundi, teſtes fidei, præcones immortalitatis, atque pro præmiorum adeptione cœleſtium inſuperabiles bellatores.

Quòd in præſenti non deſunt, qui ſanctorum præcedentium virtutes imitemur.
Cap. VI.

MAgnarum virtutum eccleſiã in pręteritis generationib. habuiſse viros, qui ſeculũ nõ eſse diligendum operibus & verbis conteſtati ſunt, multipliciter eloquia diuina proclamant. Cæterũ in pręſentiarũ eorũ imitatores nõ deſunt, quanquã pauciores ſint numero, & in donis ſpiritualibus pauperiores, qui vt

illi ſolitariam ducunt vitam, cœnobiorum cuſtodiunt regulas, martyriique ſpiritualis fatigantur agone. Nã & ſi perſonalis minime perſequutor appareat, non tamen deficiunt à diabolo, hominibus, nec à ſenſualitate illatæ moleſtiæ. Ab his nemo iuſtus liber exiſtit, adeò vt verum eſſe probetur (quod ait Apoſtolus) Omnes, qui piè viue- 2 Tim. 3. re volunt in Chriſto Ieſu, perſequutiones patiũtur. Equidem tentationibus varijs inſequitur diabolus ſanctos, vt eos auertat à Chriſto, & ad facinoris conſenſum trahat. Porrò ab hominibus inferuntur rerum damna, homicidia, detractiones atque cõuitia. Cupiditatibus ac voluptatibus blãditur caro, vt ſeculi ſectẽtur illecebras, quod eſt dirum perſequutionis genus. Omnibus quippe his pro amore diuinitatis repugnare viriliter, martyrium perducit ad palmam. Mentium nanque inſpector Deus, non ſolum laborem operis, verũ etiam affectum voluntatis in retributione compenſat. In membris igitur ſuis ſpiritualibus, ſemper triumphat eccleſia, & ad perfectionis nititur aduolare faſtigium. Habet enim ſecum inhabitantem ſponſum, per quem vegetetur vt creſcat. Sane myſticum Chriſti corpus, quod eſt eccleſia electorum, à ſpiritu ipſius viuificatur, & copulatur ipſi Chriſto per fidem, non qualemcunque, ſed quæ per dilectionem operatur, tãquam viua & vegetata à ſpiritu illius, ex cuius fide viuit. Quonam verò modo vegetetur, Apoſtolum audi: Eph. 3. Habitare Chriſtum inquit, per fidem in cordibus veſtris. Quãdiu ergo fidem rectam quis ſeruat, in corde illius habitat Chriſtus, manet gratia, vita vegetat, viuificat ſpiritus, & eſt membrum corpo- Eph. 5. ris eccleſiæ, quam ſic dilexit Chriſtus, vt traderet ſemetipſum pro ea, mundans prius illam lauacro aquæ in verbo, quatenus mundata ab omni ſorde originalis delicti, ſibi exhiberet in ſponſam, non habentem maculam neque rugam. Habet etiam inhabitantem paracletum, quemadmodũ Rom. 5. Paulus ait: Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus veſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Ipſe profectò ſpiritus, corpus eccleſiæ inhabitando viuificat, virtutũ profectibus reformat, & aucta quotidie numeroſa credentium ſobole, myſticis renouat incrementis. Internã ſiquidẽ aſpiratione, catholicę vnitatis trahit ad gremium, & copulat Chriſto, quotquot cœleſti ſunt benedictione participes, quæ comes eſt gratiæ, virtutũ ſocia, index prædeſtinationis, ęternæque fęlicitatis præuentrix fidelis. Trahit, inquam, non violenti impulſu, ſed metu, ſed dilectione, ſed præmio. Nonne quoties tranſactarum mens ducitur in conſiderationem culparum, meminitque quàm innumera, quàm enormia aduerſus Deum ptrata perfecerit, toties timoris tranſfigitur gladio, conſcientia trepidat, ſpes fluctuat, omniaq; interiora mœrore complentur? Secum enim pertractat ineuitabilem mortis ſententiam, pauendam exitus horam, formidabilem aſpectum irati iudicis, dęmonũ tetras ſpecies, inferni barathrum patens, inextinguibilem ignem, immortalem vermem, fœtorem intollerabilem, interminabileque ſupplicium carentiæ viſionis diuinæ. Ex huiuſmodi meditatione conturbatur, compũgitur, conteritur, vociferatur & dicit: Domine Pſal. 6. ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me: Miſerere mei domine quoniam infirmus ſum, ſana me domine quoniam conturbata ſunt oſſa mea. Et anima mea turbata eſt valde, & tu domine vſquequò? Conuertere domine & eripe animam meam, ſaluum me fac propter miſericordiam tuam: Quoniam non eſt in morte, qui memor ſit tui, in inferno autem quis confitebitur tibi? In mortis igitur ac gehennæ diu cogitationibus fatigata, abſque vlla tetardatione, diſponit mutare vitam, mores reformare, opera exteriora corrigere, à mendacijs, detractionibus, eloquijſque ſcurrilibus linguam compeſcere, ſenſus corporeos temperantiæ fræno cohibere, ab inanibus voluptuoſiſque cogitationibus cor reſtringere, animæ affectum ordinare, atque interioris hominis vniuerſos moderati exceſſus. Hęc nónne admiranda operatio eſt ſancti ſpiritus, atque laudabilis mutatio dexteræ excelſi, quæ vertit impios vt non ſint, ſuſcitatque de puluere humilitatis egenos, & de delictorum ſtercore eleuat pauperes, vt poſt emendationis, conuerſionis perſeuerantem famulatum cum principibus in nuptiali conuiuio deſideant, & teneant ſtabilitate perpetua ſolũ cœleſtis glorię beatorũ ſpirituum agminibus ſociati? Beata plane mutatio hæc almi ſpiritus, quæ de attritis contritos, de peccatoribus iuſtos, de alienis filios, & de lugẽtibus per diſciplinam timoris lętos facit. In perſona talium inquit Propheta: A timore tuo domine concepimus, & peperimus ſpiritum ſalutis. Eſa. 26. Per quem vtique tãta dilectionis perfunduntur dulcedine, vt à Dei nequeãt laude ceſſare. Nam ex huiuſmodi mutatione, iuſtificati hominis efficitur animus iucũdus, exultans ſpiritus, mens deuota, affectio ſancta, recta intentio, cogitatio pia ignitũ cor, pudica caro, caſtificatus ſenſus, prolataque eloquia prudẽtię ſale cõdita. Et qui prius timoris funibus trahebatur aſtrictus, nũc caritatis vinculis feliciter ligatus tenetur. Experitur talis, quod peccatrici animę, & conuerſę veraciter ſe facturum per prophetã, dominus pollicitus fuerat dicens: In funiculis Adam, in vinculis charitatis attraxite miſeras tui. Ser. 31. Hoc olim in muliere peccatrice, de qua ſeptem dæmonia eiecta fuiſſe euangelicę veritatis ſermo proloquitur, impletum fuiſſe cognoſcimus. Idipſum etiam quotidie Chriſtum agere minime dubitamus. Multos (ò quàm frequẽter) intuemur ante conuerſionis gratiam voluptuoſi amoris pollutione fœdatos, ſola quę mundi ſunt quęrere, terrena appetere,

re, honores ambire, lucris temporalibus inſudare, lautioribus ſæpe intereſſe conuiuiis, obſcœnis actibus operam dare, æterna bona negligere, & tantum amare præſentia. Poſt conuerſionem ſyncerę charitatis flamma ſucceſſos, renunciare ſeculo, tranſitoria cuncta deſpicere, humilitatem ſectari, ſibi pro illatis contumeliis lætari, erogatis omnibus paupertatẽ diligere, ſobrie viuere, corporis alimoniam quotidie mendicare, caſtimoniam animæ & carnis, tota intentione ſeruare, affectum ſuum ad futura gaudia transferre, atque mundo crucifixos in Chriſto perfectè lætari. Qui munus tale per operationem ſancti ſpiritus, perceperunt à Chriſto ab inde citra, reiecta ſeruilis metus ſarcina, ac lethalium criminum faſce depoſito, ex ſola charitate obtemperãt, amore currũt, dilectione trahuntur, & quod illis ad preferendum intolerabile videbatur, leue efficitur, & cor de dulceſcit. Quoties recogitant quid delinquẽdo fuerint, quid amiſerint, quid per gratiam perceperint, quid ſint, plorant præ gaudio, delectabiliter gemunt, gratias agunt, vota fundunt, & laudis iucundum ſacrificium exoluunt dicentes: Pſal. Quid retribuam domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Nempe hi mortui erant, & reuixerunt, perierant, & reperti ſunt. Pro quorum reſurrectione beata lætatur mater eccleſia, lætantur & angeli congratulantes Chriſto, qui errantem ouem reduxit ad gregem, & prodigum filium porcorum ſiliquis indigentem ſuſcepit ad gratiam, ſtola induit, decorauit anulo, atque ſaginati vituli refecit conuiuio.

Quòd humanus affectus ad operandum plurimum excitetur ſpe præmij. *Cap. VII.*

HVmanus quamuis affectus, metu, ſeu dilectione (prout ſupra notatum eſt) trahatur, peramplius tamen (vt arbitror) ad peragendum opus mercedis remuneratione accenditur, adeò vt nemo reperiatur (quanquam ſanctus & rectus) qui ea carere velit. Vocas mercenarium, illi prēmium polliceris, opuſque iniungis, quod vt perficiat, nunc gelu conſtringitur, nunc caloris nimietate vritur, nunc labore laſſatur, atque tandiu incumbit operi, donec ad finẽ illud deducat. Poſtponit cuncta, deſerit propria, exponit ſe ſciens niſi conſummato exercitio, promiſſam nullo modo obtinere poſſe mercedem. Hoc in mercenario claret, qui ad operandum mercede ſola conducitur. De ſeruo autem tuo quem pecunia comparaſti, ſiue de filio quem genuiſti, quid dicam? Nunquid ipſi abſque mercedis affectione laborant? prorſus minime. Iniungis emptitio tuo qualecunque opus, nihil ei promittis, non pecuniam, non veſtem, non cibaria, non requiem, neque aliud huiuſmodi, illi tantum minaris verbera, ſi laboret ſegniter, ſi ante perfectionem, opus intercidere. Deſudat ille, quantum valet agit, inchoatum nullatenus vult relinquere opus, non vt non amittat precium, ſed vt euadat flagellum. Similiter vt filius tuus, dum iuſſionem tuam audit moras rumpit, vt voluntatem tuam peragat, mandatum perficit, & prompto animo libenter obedit, quamuis vniuerſam quam poſſides ſubſtantiam ſuam futuram eſſe non ambigat. Pluris æſtimat genitoris beneuolentiam, quam facultates ipſas, dilectionemque patris maximã laboris ſui arbitratur eſſe mercedem. Serui igitur retributio, eſt remiſsio ſupplicii. Remuneratio verò filii, paternę charitatis cuſtodita dulcedo. Clarius igitur quam meridiana lux patet, quòd ſinguli, ſiue ſerui, ſeu mercenarii ſiue ſint filii ſuſtentantur retributione mercedis. Hanc ſi abſtuleris, omnia confuſa erunt. Nõ erit qui agriculturam exerceat, quoniam qui arat, in ſpe arat colligendi fructus. Non erit qui transfretetur maria, nec qui ad pugnam pergat, nec qui negocietur, nec qui ſui vel aliorum eruditioni vacet, neque qui reipublicæ iudicia tractet. Vniuerſi iſti ducuntur affectione mercedis, non tamen vniformiter, ſed iuxta quem finem ſe intentio operantis extendit. Hinc eſt quòd non eandem neque æqualem mercedem, qui laborant accipiunt, quoniam non eundem in opere ſuo conſtituunt finem. Qualis intentionis eſt finis, tale proculdubio ſtipendium retributionis erit. Pro temporali temporalis, pro ſpirituali ſpiritualis, & pro cœleſti, retributio cœleſtis impenditur. Videat quamobrem quiſque diligenter operando, quid quærat, quid amet, quid expectet à domino, ne in cordis intẽtione deluſus iſtius vitæ quid ambiat, vt non in fatuarum virginum numéro computetur, quæ ſine charitatis oleo, & abſque mentis rectitudine decedentes, dum diuinam miſericordiam implorarent, ex obliquo dominum audiuere dicentem: Amen dico vobis, neſcio vos. Matth. 25. Illum quippe Deus ignorat, quem reprobat. Reprobat autem omnes qui intentione peruerſa, ſeu affectione corrupta, quicquam temporale, pluſquã ipſum diligunt, atque in laboris ſui præmium habere deſiderant. Fertur igitur quilibet votis, trahiturque delectatione mercedis. Nam quemadmodum ſine ſpe præmii iacet & tabeſcit animus, ita expectatione retributionis erigitur, & ad opus perficiendum accenditur. Prophetam audi Pſal. 118. dicentem: Inclinaui cor ad faciendas iuſtificationes tuas in ęternum, propter retributionem. Mercedis ergo conſideratio, nedum laboris onus tẽperat, verum etiam præbet vim corpori, atque ſpiritui tolerantiam longanimitatis. Hinc eſt quod dominus infirmitatis humanæ conſcius, quum dixiſſet Abrahæ, Egredere de domo tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monſtrauero tibi. Gen. 12. Ne ob aſperitatem, nouitatemque præcepti, hæſitando ad obtemperandum piger exiſteret, illico intulit: Faciamque

te

te in gentem magnam, & benedicam tibi. Benedicam benedicentibus tibi, maledicam maledicẽtibus tibi, atque in te benedicentur omnes cognationes terræ. Quo audito egreſſus eſt, eoque ad obediendum effectus eſt promptior, quò de promiſsione diuina factus eſt ex remuneratione ſecurior. Moyſen quoque quum Hebræorum populum ab Aegyptiaca decreuiſſet ſeruitute redimere, affatus eſt dicens: Vidi afflictionem populi
Exod.3. mei in Aegypto, & clamorem eius audiui, propter duritiam eorum, qui præſunt operibus, & ſciens dolorem eius deſcendi, vt liberem eum de manibus Aegyptiorum. Et educam de terra illa, in terram bonam & ſpacioſam, quæ fluit lacte & melle. Hic ſcripturarum oraculis eruditi, ad ſeculi animamur contemptum. Improperium nobis eſt, ſi non pari affectu, eademque cordis hilaritate, illa perficimus, quæ ipſi, quum procul dubio etiam arctiora agere debeamus. Ipſi quippe audierunt angelos, nos Dei filium præceptorem habemus. Ipſis terrena, nobis promittuntur cœleſtia. Nobis, inquam ſempiternum verbum de regalibus cælorum ſedibus veniens, mandauit di-
Luc.13. cens: Vendite quæ poſsidetis, & date eleemoſynam & habebitis theſaurum in cœlo, ſacculos nõ
Luc.18. veteraſcentes. Iterumque: Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me, & habebis theſaurum in cœlo. Illum ſequi, eidemque in omnibus famulari debemus, etiam abſque vlla ſpe pręmii, quoniam ipſius factura ſumus regenerati per gratiam in
1.Petr.1. ipſo, atque ad vitam prædeſtinati æternam. Hoc apoſtolus Petrus inſinuans ait: Benedictus Deus, & pater domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſecundũ magnam ſuam miſericordiam regenerauit nos in ſpem viuam per reſurrectionem Ieſu Chriſti ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarceſcibilem conſeruatam in cœlis. Attende quæſo, qua ratione, quo pacto, quove debito, Deo obtemperare cogaris. Fecit te quum non eſſes, ſua te decorauit imagine, regenerauit te per baptiſmatis lauacrum, & ſancti ſpiritus ſanctificationem, vt reformaret in ſui ſimilitudinem per peccatum deformatam, tibiq; tribueret hæreditatem quam nequiter viuendo amiſeras. Cęterum vt te ſua largitate accenderet, tibi pręſtitit ſe factus eſt naturę tuæ conſors, comes peregrinationis, tribulationum particeps interceſſor criminum, animæ cibus, præcipuus mediator, robuſtiſsimus adiutor, pręceptor eximius, amator caſtiſsimus, atque liberaliſsimus redemptor. Non enim pro te dedit aurum, non gẽmas, non prædia, non mundum, neque cœlum, ſed proprium cruorem, in crucis moriendo patibulo. Sua quoque bona poſt huius peregrinationis terminum, ſe tibi donaturum ſpopondit non caduca, non terrena, non tranſitoria, ſed diuina, ſed cœleſtia, ſed æterna. Magnum igitur arbitrari noli quũ omnia ſponte deſeris, & te ipſius mãciparis obſequio. Nihil tuum tribuis, nihil proprium derelinquis. Totum quod poſsides, ſiue in pecuniis, ſiue in precioſis margaritis, ſeu in domibus, aut alia quauis facultate, illius ſunt, qui ea cõdidit. Nam domini eſt terra & plenitudo eius, or- Pſal.23.
bis terrarum & vniuerſi qui habitant in eo. Ego de alieno eſt, quod tuum eſſe arbitraris. Depoſitum reddis, excluis debitum, reſtituis donum, quum etiam nihil tibi reſeruando vniuerſa pro Chriſto diſperdis. De tuo autem quid dicam, quũ tu minime ſis tuus? Quomodo tu tuus dicendus es, quum tu non feceris, te neq; ad ſtaturam tuam adiicere valeas quicquam, neque vitæ tuæ vel horæ vnius ſpacium augere? Tu tibi nec formam corporis dediſti, nec rationalem tuam animam infudiſti, neque vitæ terminum ſtatuiſti. Hoc ſi potuiſſes, eſſes procul dubio forma elegantior, genere nobilior, ſublimior dignitate, ſoſpitate hilarior, corpore fortior, vita prolixior, prudentior conſilio, perſpicacior intellectu, virtutibus vberior, incomparabilior ſcientia, loquela facundior, præclarior ſanctitate, excelſior meritis, naturalibus & ſpiritualibus bonis, quàm ſis longe ornatior. Horum nihil adere voluiſti, quoniam tu nequaquam tui author exiſtis. Ille profecto ſine te fecit te, qui ſolo iuſſu, ſiue terrena, ſiue cœleſtia formauit omnia, ſingulis propriam tribuens ſpeciem, donaque diſtincta. Cuncta ergo, quę habes, & id quod naturaliter es, ſicut munus ita tui opus eſt conditoris. Quamobrem ſi ſponte tribuis omnia, ſi exponis te, non ſolum ſimplici famulatui, verum etiam laboribus, carceribus, tentationibus, neceſsitatibus, exilio, cruciatibus & morti pro Chriſto, ad hæc omnia obligaris ex debito, agiſque quod meritò facturus es, dicente domino: Quum omnia feceritis, dicite, Serui inutiles ſumus, quod facere debuimus, fecimus. Nihil exemit qui dicit omnia. Hoc ait Dei filius, hoc ipſa loquitur veritas. Nec aliter eſſe poteſt, quam quod eadem ſua aſſeueratione confirmat. Quum igitur vitæ præſentis incommoda, carnis moleſtias tentationum flagella, perſecutionum importuna odia, ac irrogata conuicia perferre, nec non opibus, mundoq; ſicut ſupra diſſertum eſt, abrenunciare pro Chriſto tenearis ex debito: prouida nunc conſideratione aduerte, qua ratione opera tua grata ſint Deo, quove iuſtitię merito pręmia à Chriſto tibi promiſſa proueniant.

De proprietate, & dignitate liberi arbitrij. *Cap. VIII.*

OPerum noſtrorũ merita ex gratia Dei, liberoque noſtro arbitrio procreari, ſanctorum Patrum probat authoritas. Liberum autem arbitrium eſſe dixerim facultatẽ rationis & voluntatis, qua eligitur bonum gratia exiſtente, hoc autem tantum noſtrum proprium

eſſe noſcamus, cætera autem ſiue naturalia, ſiue gratuita, Dei ſunt munera nobis collata, tam pro ſalutis adminiculo, quàm pro Dei circa nos dilectione propalanda. Præſtitit quippe dominus liberam boni vel mali aligendi facultatem, qua mediante, mercedem iuſtus, improbus autem merito condignum habeat de mali perpetratione ſupplicium. Nemo igitur quum malus eſt, eſſe poteſt excuſabilis. Sed male eligendo fecit malum, luci tenebras & bono præferens malum. Tantæ ſiquidem efficaciæ liberum arbitrium eſſe diſcernitur, vt meritorum, ac demeritorum ſit ſtatera æquiſſima, in qua ſingulorum opera, ab omnipotente & iuſto iudice penſantur, redditurque vnicuique quod iuſtitiæ cenſura diiudicat. Noli itaque ò homo quum delinquis, bonitatem damnare diuinam, quod ſuam tibi minimè prærogauit gratiam, quod ad peccatum impulerit, & bene agendi tibi negauerit poteſtatem. Inique cogitas, dum talia meditaris. Nunquid ſcelerum author eſt Deus? An forte peccatorum fauet voluntatibus malis? Nonne potius illas inſequitur, iudicat, punit & damnat? Vult (quantum in ipſo eſt) omnes ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: quatenus in omnibus reperiat quod coronet. Planè nihil eorum, quæ fecit, odit, quoniam quicquid condidit ſiue in cælo, ſiue in terra, ſeu

Gen. 1. in mari, bonum eſt. Vidit Deus (inquit ſcriptura) cuncta quę fecerat, & erant valde bona. Non poterat bonitas niſi bona facere. Quod verò inter bona quæ facta ſunt, videmus malum, non vtique illud bonus fecit, ſed malus. Nam quemadmodum à bono bona, ita econtrario à malo proueniunt mala. Vis ſcire quis bonus, quis ve ſit malus? De his ſapientiam Dei te erudientem audi: Nemo (inquit) bonus eſt

Matt. 1. niſi Deus. Mali autem inuentor diabolus eſt, propter quod effectus eſt malus, incentorque malorum, adeò vt ab ipſo Lucifero, mali corruptela prodierit. Mali quippe venenum in angelos fudit, ſibique conſentientes apoſtatas fecit & malos, ac per hoc omne emanauit malum, etiam in hominibus malis, qui eis per liberum arbitrium conſentiunt. Vis noſſe quantum ab eodem Lucifero effluxerint mala? In cœlis etenim per ipſum, angelorum ruina, in paradiſo primorum parentum delictum, & in mundo per complices eius vniuerſa perpetrata ſunt mala. Ipſe autem vnde malus? forte quia factus eſt malus? Minimè. A bono conditore ſicut cætera factus eſt bonus. Verum à ſeipſo factus eſt malus.

Ioan. 8. Quo verò modo, ſapientiam attende dicentem: Ille homicida erat à principio, & in veritate non ſtetit, quia non eſt veritas in eo. Quum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur, quia mendax eſt, & pater eius. Homicida erat à principio, ante videlicet quam homo fieret, quando tertiam partem ſtellarum ſuggeſtione ſua traxit de cęlo.

Apoc. 8. Quoniam verò in veritate non ſtetit, ideò veritas in eo non eſt. Hinc eſt quod quum homini ſuadendo vetitum, mendacium loquutus, ex proprijs locutus eſt, quia mendax eſt pater eius. Ex quo igitur in veritate non ſtetit factus eſt malus. Nam à ſeipſo ſine bonitate quis eſſe poteſt bonus? Aut abſque veritate quis vale teſſe verax? Nam quemadmodum ex auerſione à bonitate quiſque efficitur malus, ex veritatis fit mendax, ex ſapientiæ amens: ita ex conuerſione, atque participatione veritatis efficitur verax, ex bonitatis bonus, ex ſapientiæ ſapiens, ex iuſtitiæ iuſtus. Sicque de alijs, quæ commendatione ſunt digna, pro quibus gratiam meretur, & præmium. Omnia autem iſta Deus, nedum ipſe bonus eſt, ſed ipſa bonitas, iuſtitia, veritas, ſapientia, & incomparabiliter melius, ac excellentius quàm dici, vel cogitari poſſit non accidentaliter, ſed ſubſtantialiter, ſed naturaliter, ſed effectiue. Propterea ſicut diabolus à Deo diſcedens factus eſt malus, mendax, tenebroſus, & iniuſtus, ſic & homo: quò enim amplius elongatur à Deo, eò efficitur peior & gehenna dignior. Elongatur, inquam, non coacte, ſed ſponte. Quomodo autem non ſponte, quum intus reclamet conſcientia, condemnet ratio, diſſuadeat cuſtos, retrahat gratia? Cæterum quoniam libero potitur arbitrio peccato conſentiēs, reſcindit conſcientiam, rationem ſubuertit, ſpernit angelum, reijcit gratiam. Iuſto itaque Dei iudicio agitur, vt perpetrato ſcelere, qui prius liber extiterat, efficiatur ſeruus. Cuius? Qui Ioan. 8. facit, inquit dominus, peccatum ſeruus eſt peccati. Ante peccatum liber erat, poſt peccatum verò ſeruus. Mala ſeruitus quæ libertatem ſubuertit arbitrij, priuat meritis, naturalia dona vulnerat, intellectum obnubilat cognitione veri, affectum tepefacit in operatione boni, gratuitis ſpoliat, animam maculat, amaricat conſcientiam, inſenſibilem redit, fomitem excitat, ad peccatum trahit, ad penam obligat, à gloria retardat, Dei amicitiam tollit, & gehennæ filios facit. Mala, inquam, hęc ſeruitus, quę concupiſcentiam accendit, captiuat mentem, aufert gratiam, perimit vitam. Hinc eſt quòd bonum, quod auditus percipit, homo ſuadet, ſcriptura commendat, iubet Deus, diſcernit ratio, nequaquam voluntas aſſequitur, quoniam amiſſa arbitrij libertate, facta eſt ſerua, tot vinculis ligata, quot peccatorum funibus tenetur aſtricta, iacet velut mortua, torporis ſpiritualis quadam depreſſa ignauia, à qua niſi Dei operante virtute liberari non valet. Nec ab re. Quæ enim ſponte cecidit, ex proprio arbitrio nō poteſt exurgere. Imploranda tunc eſt diuina clementia, precibus flagitanda, flectēda lachrymis, placanda gemitibus, pijſque operibus aduocanda. Meritò huiuſmodi deteſtabili ſeruitute mulctatur peccator, qui conditoris ſui ſpreuit gratiam, dilexit culpam, proſtitutus eſt hoſti, præcepta tranſgreſſus eſt, vilipendit conſilia, irritauit

uit Deum, angelos inhonorauit, deſpexit ſanctos, confudit quicquid religionis eſt, quicquid honeſtatis, quicquid decoris, quicquid virtutis, dum pulſanti ad cordis oſtium aperire noluit, ſeque vocantem ſapientiam audire neglexit. Poterat equidem vocatus reſpondere, annuere & obtemperare, fieretque iuſtus, magis magiſque iuſtificatus. Iuſtus dum conſentit gratiæ, iuſtificatus autem magis ex aggregatione virtutum, ex cumulo meritorum, quæ ex liberi arbitrij aſſenſu creantur, Dei nihilominus cooperante virtute, quæ liberum arbitrium adiuuando perficit. Ex liberi itaque arbitrij electione peruerſa, quemadmodum homo delinquit, ita ex electione laudabili efficitur iuſtus, & ad promerendum idoneus. Nam ſecundum arbitrij

Luc. 11. electionem gratificatur opus. Vnde in euangelio veritas inquit: Si oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuum lucidum erit, ſi autem nequam, totum corpus tuum tenebroſum erit. Vide ergo ne lumen, quod in te eſt, tenebræ ſint. O quàm ſalubre conſilium hoc, per ſapientiam hominibus prærogatum. Vide (ait) ne lumen naturale diſcernendi, vel lumen gratificantis gratiæ tibi impenſum, per liberi arbitrij conſenſum, tenebræ ſint, quoniam omne corpus operũ tuorum tenebroſum erit. At vero ſi rectum & nullam habuerit partem tenebrarum, erit lucidum totum, & ſicut lucerna fulgoris illuminabit te. Illuminabit, inquam, propter æternum lumen diuinæ viſionis, quæ tibi debetur in præmium. His paucis vales percipere, vnde virtus generetur merendi. Non vtique quia ieiunaſti, fleuiſti, vigilaſti, laboraſti, peregrinatus es, neque quia veſtiſti nudum, pauiſti famelicum, viſitaſti compeditum, miniſtraſti ægroto, ſuſcepiſti hoſpitem, ſepeliſti mortuum, ſed quoniam ſuadente gratia, liberoque tuo arbitrio conſentiente, iſta ex corde compleſti. Ex corde, inquam, quia voluntarie, libere, ſimpliciter egiſti, vt ſoli Deo placeres, vt obtemperares illi, vt meritum conſequereris, non temporale, ſed æternum, ſed ineffabile, ſed immenſum, quod tibi Dei veneranda maieſtas polliceri dignata eſt.

De excellentia gratiæ gratum facientis.
Cap. IX.

NEMO mortalium credat aliunde humana opera Deo eſſe accepta, quàm per ipſius gratiam, ac liberi arbitrij conſenſum. Non tamen qualemcunque gratiam, ſed per eam quæ iuſtificat impium, illumque facit gratum Deo. Hanc profecto dixerim, principaliter eſſe Deo efficiente, per quam pro ſua laudabili bonitate influere non ceſſat creaturæ rationali vitam ſpiritualem vt bene ſit illi ineſſe gratiæ, quam penitus habere non poteſt ſine ipſo Deo largiente. Porrò gratia iſta in ſcripturis ſacris, nunc donum diuinum, ſine quo nullus poteſt mereri, nec in bono proficere, neque ad gloriam peruenire, nunc charitas nuncupatur, quam Apoſtolus definiens ait: Finis autem præcepti charitas, 1. Tim. 1. de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta. De hac alio in loco inquit: Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Datur, inquam non pro merito, non ab hominibus neque pro ſuſcipientis arbitrio, ſed per ſpiritum ſanctum, qui vbi vult, in quibus, & quando vult, ſpirat. Quamobrem nullus glorietur, nemo præſumendo dicat, ſe hãc ex proprijs operibus percepiſſe, quoniam (atteſtante Paulo) ſine pœnitentia ſunt Rom. 11. dona, & vocatio. Quare ſine pœnitentia? quia nullus ex ſuis illam aſſequitur meritis. Valet proculdubio quis vocatus à Deo, gratiam gratificantem mereri ex congruo. Ex condigno autem nunquam. Cur verò non ex condigno? quoniam bonum quod ex gratia prærogatur, ſummum eſt, inenarrabile, ſempiternum, atque immenſum, pro quo videlicet adipiſcendo, ſi dederit homo vniuerſam mundi ſubſtantiam, ſi immaniſſimis corpus ſuum tradiderit cruciatibus & expoſuerit flammis, ſi ſponte ſe affixerit ieiunijs, vigilijs, laboribus, frigore, æſtu, fame, ſiti, inopia, & nuditate, pœne nihil agit, quoniam quicquid facit, & omne quod patitur, momentaneum eſt, leue, breuiſſimumque in recompenſatione retributionis æternæ, quemadmodum Apoſtolus ait: Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ Rom. 8. reuelabitur in nobis. Cæterum omne quod perficit laudabile, omne quod perfert durum, ſi quid aggreditur arduũ, ſi quid veritatis, ſi quid laboris, ſi quid deuotionis, ſi quid pietatis exercet, totum tenetur ex debito. Hoc tibi ò homo ſuadet ratio, hoc ipſa natura fatetur, ſi velis aduertere à quo, qualis, & propter quid conditus ſis. Nempe qui te creauit, dominus eſt, nõ vnius ciuitatis, non vnius prouinciæ, nec vnius tantum regionis, ſed totius orbis, maris, & fluctuum, quadrupedum, volucrum, ſerpentũ, hominum, angelorum archangelorum cæterorumque ſpirituum beatorum. Dominus quippe vniuerſorum eſt. Fecit autem te ſecundum rationalem animam, ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, vt eſſes ratione ſapiens, vita innocens, dominio potens, vt videlicet præeſſes piſcibus maris, volatilibus cœli, & animatibus vniuerſæ terræ. Subeſſes verò ſibi ſcilicet Deo, & tamquam cætera quæ plaſmauerat, eidem præberes famulatum eò fidelius, eò ardentius, eòque ſolicitius, quò amplius, quam creaturæ reliquæ accepiſti. Nam, innata naturæ lex clamat, vt cui plus donatum eſt, abundantius exigatur ab illo. Tantum etenim ex iuſtitiæ regulis quis debet quantum percepit: totum igitur quod habet homo, & id quod eſt, quoniam accepit gratis, totum debet. Hæc ſanæ ratio potiſſima eſt, vt ex condigno nemo mereri ſufficiat nedum vitam æternam,

verum

verum nec temporalem, quam cum aliis à domino ſortitus eſt donis. At verò ſi de iis, quæ quiſq; in ſemetipſo conſecutus eſt, nequaquam ſatisfacere valet, nec pro eiſdem mereri quicquam ex condigno, quid aſſeuerandum eſt de beneficijs, quæ ab vniuerſitate creaturarum quotidie accipit, quo ab eis famulatur illi iubente domino, nutritur ex eis, per ea eruditur, ex earumque conſideratione de Dei cognitione imbuitur, ſicut ſcriptum eſt: A magnitudine ſpeciei creaturarum, facile earum creatio agnoſcitur. De ſpiritualibus verò quid memorem, quæ pro ſui numeroſitate, dignitate, continuitate humano intellectui omnino incomprehenſibilia ſunt? Pro ipſis nequit ſatisfacere mortalis infirmitas, quamuis ad id perficiendum vtroque homine ſine intermiſſione laboret. Cæterum ſi pro cæteris, quæ prænotata ſunt, ad rependēdum gratias eſſet idoneus, minimè tamen de ſacroſanctæ redemptionis beneficio ſpecialiter ſibi impenſo. Ad eius indaginem non ſolum hominum, ſed & angelorum obſtupeſcit obtutus, atque tacendo exultat affectus. Tantæ ſiquidem ſublimitatis, tantaq; eſt gratia diuina perfuſum, vt ipſius manifeſta cognitio vitam conferre noſcatur ęternam, dicente domino: Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant, te ſolū Deū & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Luce itaq; clarius patet neminem ex condigno vitam poſſe mereri perpetuam. Illam tamen meretur ex congruo mediantibus operibus, quæ ex obedientiæ merito conſummantur. Id autem quomodo fiat, diligēter aduerte. Duplex quippe bonum Deus pręparauit hominibus, vnum videlicet temporale, alterum æternum. Præſtitit primum. Secundū promiſit. Quamobrem duplex præceptum primus homo habuit, vnum naturę ad cuſtodiendū bonum datum, alterum diſciplinæ ad promerendum bonum promiſſum. Quod quidem bonum melius non poterat mereri, quam per puram obedientiam, quę tunc mera eſt, quando præceptum ex ſe obligat, & non ex alia cauſa. Hoc autem pręceptum dicitur diſciplinę, quia per ipſum diſcitur quanta ſit obedientię virtus. Lex ergo obedientię, quę a Deo in paradiſo primis eſt iniuncta parentibus, & quę per Moyſen iubente Deo eſt inſtituta Hebręis, & quę per Chriſtum eſt pręrogata fidelibus, facta eſt merendi ſeu demerendi occaſio, obedientię diſciplina, liberi arbitrii doctrix, index cogitationum, amoris teſtis, deſideriorum cordis propalatrix, & cuſtodita perēnis vitę brauium. Hęc inquam, lex, tametſi per diuerſitatem temporum nomina varia ſortiatur, vnū tamen habet effectum, idemque merendi inſtitutum, excepto, quod legem naturę, atque decalogi in hoc pręcellit lex gratię, quòd obſeruatorē ſuum tranſmittit ad cœlos. Cęterę autem minimè, quoniam, iuſti, qui in ipſis militauerant Deo pręſtolabantur Chriſtum in carne venturum, qui

Sap. 13.

Ioan. 17.

futurus erat primogenitus mortuorum, eccleſię caput Dei, & hominum mediator, redemptorq; antequam nemo dignus fuit transferri cęlo, vtpote abſq; participatione effuſionis ſanguinis ipſius redemptoris, ad id conſequendum nequaquam idoneus. At vbi idem verus Deus, & homo apparuit, euangelizauit, occubuit, reſurrexit, aſcēdit, cum illo quam plurimi aſcenderunt, quemadmodum ſcriptum eſt: Aſcendens Chriſtus in altum captiuam duxit captiuitatem. Poſt cuius admirabilem & glorioſum ingreſſum, cunctis fidelibus legem Dei perficientibus cœlorum reſeratus eſt aditus. Non tamen ſine diſciplina obedientię quis illuc intromittitur, quam ipſe Chriſtus, quum eſſet Dei filius ex his, quę paſſus eſt, didicit, & conſummatus factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis ęternę. Hanc ſiquidem obedientiam experimento operis didicit, hanc conſummatus in cruce compleuit. Propter quod (vt ait Apoſtolus) Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cęleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris. Proinde quiſq; Chriſtianus diſcat à Chriſto iuſſa diuina perficere, & ſancto ſibi tradito obedire mādato. Diſcat, inquam, quantum Deo obedientia placeat, quantæ ſit excellentiæ, quantę virtutis, quantæ gratię, quanti meriti, quàm locuples, quàm honeſta, quàm congrua, quàm proficua, quamve ſaluandis hominibus neceſſaria. Hanc inſtituit Deus, ſcriptura commendat, promulgauit Chriſtus, perfecit opere, commendauit exemplo. Non aliū de ſpiritualia chariſmata conferuntur, virtutes creſcunt, dona cumulantur, perficitur lex, gratificatur anima, vnitas cuſtoditur, patefiunt myſteria, natura reformatur, augetur gratia, promittitur gloria, quàm ex obedientię merito, per quam innocentiā cuſtodiuit Abel, ab hominib. trāſfertur Enoch, à diluuio eſt ſeruatus Noe, conſtitutus pater multarum gentium Abraham, ditatus Iacob, Ioſeph Aegypto prælatus, electus dux populi Dei Moyſes, Dauid vnctus in regem, eruditi prophetę, clarificatus Chriſtus, honorati Apoſtoli, Martyres coronati, vniuerſique glorificati fideles, eò excellentius, quò perfectius ipſam peragunt. Hæc potiſſimum in adultis ſalutis eſt cauſa, comes gratiæ, mater & filia. Hæc ambo pariter currunt, ſibi inuicem famulantur, viciſſim ſua dona communicant, & tanquam riuuli limpidiſſimi ad irrigandum fœcundandumque animæ ſpirituale pomarium, de latiſſimo diuinæ charitatis emanant fonte. Dei ſapientiam hoc atteſtantem aduerte: Nemo inquit, venit ad me (Ecce obediētia) niſi pater qui miſit me, traxerit eum: Ecce gratia. Verum ille per obedientiam venit, quem gratia Dei præuenit, ſicut propheta de ſe commemorans

Eph. 4.

Philip. 2.

Ioan. 6.

Digitized by Google

rans ait: Miſericordia eius præueniet me. [Pſal. 58.] Præuenit vtique, & liberum arbitrium ad obtemperandum trahit, non inuite, ſed ſponte, quia liberum eſt. Quomodo autem trahit pater, & ſponte trahit? Nempe inſinuando dilectionem filii, qua ſe pro hominibus morti dedit, propalando per fidem diuinitatem illius, in qua æqualis & coæternus eſt ſibi. Innoteſcendoque ſublimitatem præmii, quod id filius repromiſit famulantibus ſibi. Iſta dum mens percipit, dum ſpe ſe obtinere confidit, alacri affectu non ſolum ſeruare præcepta, verum etiam contempto ſeculo conſiliorum perfectionem conatur apprehendere. Ecce libera voluntas. Ecce voluntaria ſeruitus. Ecce violentus curſus. Ecce gratuita attractio, per quam à patre ad filium trahitur anima. Ad patrem verò tūc trahit filius, quum obtemperantibus ſibi ſpiritualia dona, dignitates præcelſas, & præmia ſpondet æterna. Filium promittentem audi & trahentem: [Matt. 19.] Vos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione quum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis, & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Et omnis, qui reliquerit patrem, aut matrem, fratres, aut ſorores, aut vxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, cētuplum accipiet & vitam ęternam poſsidebit.

Quòd dominus imitatoribus ſuis ea promittit, quę naturaliter appetuntur. Cap. X.

Diuinam proſus decebat, quę à patre deſcendens, idest in vnitate perſonę, naturam vitiatę ſe mortalitatis aſſumpſit, vt hominum genus, quod per tranſgreſsionem præcepti a Dei gratia, & ab ingenita dignitate ceciderat, obediendo reſurgeret, & ad gratiā proprii conditoris aſcenderet, quatenus in ſui inſtitutione mandati magna promitteret, & talia, quę obtemperare ſibi cupientibus naturaliter appetibilia forent. Quę enim magna & pręcipua ſunt, humanam ad ſe alliciunt concupiſcentiam. Et quę concupiſcibilia, naturalem poſt ſe violenter trahunt affectum. His duobus ſpecialibus oſtenſis ſibi promiſsis, quiſque accenditur ad currendum, quum videlicet illi eximia pollicentur, & quę naturaliter intuentis affectum mulceant. [Pſal. 81.] Nā quę parua ſunt, & vilia, parum mouent, quoniā naturali inſtinctu quilibet concupiſcit magna, vt pote a Deo conditus magnus. Audi quàm magnus: [Matt. 6.] Ego dixi dii eſtis, & filii excelſi omnes. Dominus etiam quum diſcipulos, & per ipſos fideles vniuerſos erudiret ad orandum (inquit) Vos autem quum orabitis dicite: Pater noſter qui es in cœlis. Quę oratio fiducialiter pronunciatur ab omnibus credentibus, adeò vt nullus vereatur patrem vocare Deum. Cęterum quid maius, quidve excellentius, pręrogari hominibus potuit quàm vt fierent dij, atque excelſi filij? Non tamen naturaliter, ſed participatione. Equidem in eo quod participamus per gratiam, quod ipſe Deus habet per naturam, merito nuncupamur dij. Verum quum Dei perficimus voluntatem, quum diuinam in nobis per virtutum ſtudia cuſtodimus imaginē, rectiſsime filii excelſi ſumus. Propter hanc vtique ſpiritualem generationem, [Iac. 1.] qua omnipotēs pater voluntarie genuit nos verbo veritatis ſuę, vt ſimus initium aliquod creaturę ipſius, magni proculdubio ſumus, ad alta tendimus, ſupernaque deſiderantes cœleſtis generationis dignitatem ſeruamus, dedignamurque remunerari paruis, ſentientes nos naturali impulſu ad excelſa proficere. Quamobrem quum quoſdam aſpicimus huius ſeculi vilia ac terrena appetere, anxie quęrere, hiſque infatigabiliter laborando ditari concupiſcere, In huiuſmodi per peccatum natura corrupta eſt, & ab originali ſublimitate delinquendo degenerant. Et effecti ſunt homines, ſectando vitia, qui per virtutum incrementa, erant futuri dij. Quoſdam apoſtolus intelligens degeneraſſe, ſpecialiter redarguens ait: [1. Cor. 3.] Quum ſit inter vos zelus, & contentio, nonne homines eſtis, & ſecundum hominem ambulatis? Homines etiam perhibentur, qui temporalibū lucris inſiſtunt, qui voluptati ac carnis impudicitię deteſtabiliter ſe ſponte proſtituunt, qui delictorum oneribus pręgrauati ſe nequeunt ſurſum erigere, neque diuina, prout expedit, penetrare myſteria de talibus alio in loco idem Apoſtolus [1. Cor. 2.] inquit: Animalis homo non percipit ea, quæ sūt ſpiritus Dei, quoniam ſtultitia eſt illi, at verò ſpiritualis omnia diiudicat. Cæterū quemadmodū deteſtabile eſt ambulare ſecundum carnem: ita econtra excellentiſsimum eſt ſecūdum ſpiritum cōuerſari. Nam degere ſecundum carnem mors eſt, ſecundum ſpiritum verò, lætitia, pax & vita perennis. Ex amborum quippe effectibus quiſque ſemetipſum metiri valet, vtrum in carne, an in ſpiritu militet. Quos apoſtolus euidentiſsime cōmemorans ait: [Gal. 5.] Manifeſta ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia, quoniam qui talia agunt, regnū Dei non conſequentur. Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Aduerſus huiuſmodi non eſt lex. Ex his luculenter apparet, quantum interſit, inter eſſe homines & eſſe deos, atque filios excelſi. Secundum carnem conuerſantur homines, carniſq; perficiunt voluptates. Dij autem incedunt ſecundum ſpiritum, propterea carnem ſuam crucifigunt cum vitijs & concupiſcentiis. Homines terreni patris gerunt imaginem: dij verò cœleſtis. Homines tantum viſibilia quærunt, temporalia ambiunt, voluptuoſa concupiſcunt.

Excelſi

Excelſi autem filii ad ſublimia mente conſcendunt, ſpiritualibus delectantur, cœleſtia deſiderant, ac per hoc tanto maiores ſunt, quanto ardentius iſta corde pertractant, & affectu ſitiunt. Veniens igitur in carne Dei ſapientia, & videns in hominibus Dei deformatam eſſe imaginem, vt illam reformaret, atque ex hominibus faceret Deos, tribuit ſalutis pręcepta, ac perfectionis pręcelſa conſilia, per quę proficientes qui crederent de virtute, irent in virtutem, atque ex animalibus ſpirituales efficerētur, & ſancti. Quos vt ad obtemperandum vehementius accenderet, ea illis ſpopondit in præmium, quæ eos naturaliter ſciebat appetere. Naturali (quæſo) quis non concupiſcit inſtinctu honoris culmen, diuitiarum affluētiam & diuturnitatem vitæ (ſi tamen mente ſit integer, rationis cōpos, & ętate adultus) Quanquā concupiſcentiæ fomes vigere etiam noſcatur in pueris, qui aurum argento præferunt, & precioſis vilia indumenta poſtponunt. Iſte proculdubio cōmunis eſt languor, velle aſcendere, ac facultatibus locupletari terrenis. Si ruricolarum, ſi ciuiū, ſi militum, ſi regum affectum perſcrutari volueris, ſemper inquietum reperies, curis anxium, cogitationibus perturbatum, dum dilatare cupiūt terminos ſuos, aggregare pecunias, dominari infimis, pręire æqualibus, æquari maioribus. Quoniā verò cupiditatis ardent incendio, eò magis temporales diuitias ſitiunt, quò ignorātes præſtantiores & veras iſtis ditantur amplius. Nam cupido Eccl. 14. non minus deeſt quod habet, quam quod non habet. Cæterum ſi hac terrenarum cupiditate carere videantur egeni, ineſt tamen eis fomes, qui quandiu non excitatur materiis, extinctus eſſe putatur: atſi quantulumcunque plus ſolito tēporalis illis augeatur ſubſtantia, repente euigilat, & tanquam coluber tortuoſus erecta ceruice in cordis penetralibus huc illucque diſtenditur. Contingere quoque conſueuit quàm plurimum, vt qui prius gradu inferiores erant, atque rerum abundantia parciores, ſi præferantur cæteris, & proſperitate polleant, cæteris proteruiores fiant, nec non in cumulandis diuitiis prōptiores. Iſtos hydropiſi morbo laborantib. ſimiles dixerim, qui magis ſitim patiendo bibere differunt, tantò amplius repertis lymphis bibunt, eoque auidius ſitiunt, quō licentius bibunt. Porrò ſi fluminis impetum ne naturali meatu defluat, cohibere volueris, hoc valebis ad tempus, demum autem vniuerſis euerſis obſtaculis, neceſſe eſt, vt conſuetum peragat curſum, ac maris quietetur ſinu. Maxima prorſus naturæ vis eſt, quæ nunquam pacē tribuit, niſi proprium, & ſibi inſtitutum attingat finem. Quamobrem (vt prætermittam cætera) nunquam ambitioſo, quemadmodum nec cupido, poterit cupiditatis deeſſe anxietas. Qui & ſi cunctis dominetur populis, atque vniuerſas mūdi poſſideat gazas, nec ſic ambire deſinet, quoniam naturaliter his maiora concupiſcit. Verum de diuturnitatis vitæ appetitu quid referam? Eph. 5. De hoc Apoſtolus inquit: Nemo vnquam carnem ſuam odio habuit, ſed magis eam fouet & nutrit, vtique vt diutius viuat. Hoc nedum hominibus verum etiam naturaliter agnoſcimus ineſſe pecoribus. Vniuerſa quippe animantia vitam propriam ſolerter cuſtodiunt, & ne fame deficiant, ſeu violentia cuiuſquam intereant, nunc reluctando, nunc fugiendo, nunc latebras petendo ſolicita ſunt. Nullum eſt animal, quod eſſe proprium negligat, ſiue paruum, ſiue ſit magnum. Nec mirum, quum & ipſa natura ſedulò vegetabilia quæque ne frigoris nimietate areſcant, terræ fouet in gremio. Quamobrem ſi arbuſta, piſces, volucres, reptilia, quadrupedia, quæ rationem non habent, & quantæ dignitatis ſit eſſe, penitus ignorant, viuere tamen naturaliter deſiderant: vilipendetne homo, qui iſta pręcellit tam intellectus acumine, quam nobilitate naturę? Cęterum quanquam extiterint multi, qui deſperationis furore permoti ſe ſuſpenderint laqueis, pręcipitio dederint, pręfocauerint aquis, ferro iugulauerint, ac diuerſorum ſuppliciorum occiderint violentia, minime arbitrandum eſt huiuſmodi odiſſe vitam. Non enim ſe peremerunt quia abhorrerent vitam, ſed quia inuitè patiebantur pœnas. Deteſtandum profectò eſt tale hominum genus, ſine fide, ſine Dei ſcientia, abſque pietate, abſque miſericordia, & ab omni virtute fortitudinis alienū. Eccleſ. 2. De quibus dicitur: Vęh his qui perdiderunt ſuſtinentiam. Putarunt ſe à diabolo illuſi, temporalem ex repentino interitu effugere cruciatum, & incurrerunt ęternum. Non autem ſanctis martyribus ſic contigit, tametſi occubuerint ſponte, ardentiſsimę ſiquidem charitatis telo ſalubriter vulnerati, pręſentis ſeculi abdicatis illecebris, nec non corporalibus paſsionibus ſtrenue ſuperatis, alacri animo ad futuram vitam ſe transferre ſtuduerunt, pręſtantiores honores, atque precioſiores ęſtimantes diuitias, improperiū Chriſti mundi iſtius quibuſcunque theſauris. Heb. 12. Aſpiciebant quippe interiori oculo in authorem fidei & conſummatorem Ieſum, qui ſpreto pręſentis vitę gaudio, ſuſtinuit crucem confuſione contempta. Intuebantur namque in remunerationem cœleſtem, quam renunciantibus ſeculo idem dominus polliceri dignatus eſt.

Qualis eſſe debet, qui conſiliorum Chriſti cupit eſſe ſectator. Cap. XI.

CONſiliorū Chriſti iſta lex eſt, vt quiſquis ea implere voluerit, omnino ſtudeat abnegare quod ē. Sic ipſū dominū dixiſſe in euangelio legitur: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſū, tollat crucē ſuā & ſequatur me. Luc. 9. Deſinat huiuſmodi per obedientiæ cenſuram

deſiderare præeſſe, & humilis Chriſti imitatione contentus, pro adipiſcendis bonis cœleſtibus eligat in hoc mundo eſſe inglorius. Hanc humilitatis regulam quemadmodum docuit verbis, ita inſinuauit exemplis ipſe, qui ait: Matt. 11. Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde. Propterea volentibus eũ ſuper ſe Iudęis inſtituere regem, ſe occultauit a turbis, cunctis præbens ſingulare humilitatis exemplum, quatenus nemo in hoc ſeculo cuperet eſſe ſublimis. Cæterum redarguens Phariſæorum ſuperbiam, qui in cœnis primos accubitus tenere cupiebant, vniuerſos ad ſectandam humilitatem erudiuit dicẽs: Luc. 14. Quum inuitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco, ne forte honoratior te ſit inuitatus ab illo, & tunc veniens is, qui te, & illum vocauit, dicat tibi, da huic locum, & tunc incipias cum rubore nouiſſimum locum tenere. Sed quum inuitatus fueris, vade & recumbe in nouiſſimo loco, vt quum venerit, qui te inuitauit, dicat tibi: Amice aſcende ſuperius, & tunc erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus: Quia omnis qui ſe exaltat humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur. Hac diſciplina longè ante propheta imbutus confidenter Pſal. 130. aiebat: Domine non eſt exaltatum cor meum, neque elati ſunt oculi mei, neque ambulaui in magnis, neque in mirabilibus ſuper me. O præclara humilitas, quæ profeſſorem ſuum excelſum facit, eoque amplius illum exaltat in ſpiritu, quo magis ſe contemnendo humiliat. Si tamẽ non ficte, ſed corde ſit humilis. Sunt nempe quàm plurimi, qui extrinſecus tantum ſigna humilitatis protendũt in demiſsione vocis, accuſatione ſui, vilitate habitus, ac reſtrictione ſenſuum, quorũ interiora plena ſunt dolo, cogitatio ficta, polluta affectio, atque obliqua intentio. Tales fauores hominum quærunt, ſanctitatis opinionem appetunt, honoris dignitatem, prout illis licere vidẽt, cõcupiſcũt. Horum fucatam nequitiã ignorat ars Chriſti, qui cordis humilitatem inſinuat eſſe ſectandam, omnemque fugiendam hypocriſim, quę cœleſti oſtẽſorẽ ſuum mercede defraudat. Quid, quæſo, prodeſt proximorum voce laudari, & coram Deo fętere luxuria? Florere ad tempus, & reprobari in ſeculum? 1. Cor. 4. Mihi pro minimo eſt (inquit humilis Paulus) vt à vobis iudicer aut ab humano die, ſed neque meipſum iudico, qui autem iudicat me, dominus eſt. Porrò ſicut Deo abominabile eſt omne cor arrogans, ita humilium eum corda delectant, vota ſuſcipit, deprecationem exaudit, vias protegit, ſpiritualique ne ſuperentur, defendit in prælio. Super quem requieſcet ſpiritus meus (ait dominus per prophetam) niſi ſuper humilẽ & quietum ac trementem ſermones meos? Eſa. 66. Hoc pſaltes conſiderans, atque in humilitatis ſinu collocaſſe ſe gaudens dicit: Pſal. 114. Cuſtodiens paruulos dominus, humiliatus ſum & liberauit me. Eſto ergo humilis, non minus in oculis tuis quàm in oculis hominũ, quoniã in faciẽ homines, Deus autẽ intuetur cor. Proinde altiora te nunquã quæſieris, memineriſque ſedulo qualis ſis, vt nõ tua te perdat opinio, fallatve ſciẽtia, faciatq; te præcipitari ſuperbia. Si te prudẽter inſpexeris, diſcuſſeris, agnoueris, nunquã te inſipiẽter eleuando ſuperbies, gloriam terrenam non cupies, temporalem dignitatẽ nequaquã deſiderabis, ſciẽs ĩ ſacro ſcriptum eſſe eloquio: Duriſsimum iudicium fiet iis, qui præſunt. Sap. 6. Nonne temeritatis notiſsimum eſt ſignum, te momentaneum ambire honorem, atque velle gratis multorum baiulare onera, quum nequeas propria? Sat tibi videatur de te rationem reddere, & noli te periculis ingerere, præſidendi ſeductus affectu. Ignoraſne quanti ſit ponderis, humilitatis virtute contempta, nomẽ ſuum iactanter attollere, famam ſibi vẽdicare in terra, & velle ab hominibus vocari Rabbi? quum dominus dicat: Nolite vocari Rabbi. Nunquid non percipis quàm difficile ſit, vt in honoris culmine Matt. 23. poſsideatur humilitas? Hoc attendens dominus, diſcipulis inuicem contendentibus quis eorum eſſet futurus maior, ait: Reges gentium dominãtur eorum, Luc. 22. & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. Vos autem non ſic, ſed qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor, & qui pręceſſor eſt, ſicut miniſtrator. Hinc etiam à cordibus fidelium ſtudens præſidentiæ cohibere impetum, humiles commendauit dicens: Beati pauperes Mat. 5. ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cęlorum. Pauperes ſpiritu nuncupantur humiles, Deum timentes non habentes inflantem ſpiritum (quãquam & rerum temporalium pauperes cẽſendi ſunt eſſe beati.) Vnde beati? quoniã ipſis promittitur regnum cęlorum. Fruuntur nihilominus in præſentiarum ea felicitate, quam mũdi amatores apprehendere nequeunt, dum omnem cogitatũ neceſſitatum corporalium iactant in eo, qui illos nutrire dignatur, iuxta Petri admonitionem dicentis: Omnem ſolicitudinẽ proiicientes in eũ, 1. Petr. 5. quoniam ipſi cura eſt de vobis. Habent enim incorruptibiles opes, theſaurum indeficiẽtem, quẽ non conſumit rubigo, tinea non demolitur, fures non effodiunt, nec furantur. Eò nanque ditiores ſunt, quò in Deum cõfidentiores, qui prouiſor eſt optimus, locupletiſsimus bonis, ac in promiſsione veriſsimus. Sic pollicetur: Nolite Matt. 6. ſoliciti eſſe, quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini. Scit pater veſter cæleſtis, quoniam his omnibus indigetis. Primum quęrite regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Vides quàm diues ſit voluntaria paupertas, quàm ſecura, quã libera? Nõ timet latrones, famis inopiam non veretur, frigus non metuit, protectoris ſui promiſsione munita. Vbicunque ſit, proprias ſecum defert diuitias, plena horrea, opportunos nummos, ac vtenſilia neceſſaria. Si perambulet prouincias, ciuitates

tes

tes perluſtret, ingrediatur caſtra, perquirat prædia, alimentorum prouiſores inuenit. [*Pſal. 36*] Non vidi, inquit propheta, iuſtum derelictum, nec ſemen eius quærens panem, id eſt pane deficiens. Si volatilibus cæli alimoniæ copiam præſtat Deus, negabitne ſperantibus in ſe? Prorſus minime. Tentat tamen nonnunquam illos, non vt deſerat, ſed vt fidem probet, ſpem augeat, & ſpiritus libertatem augeat, quæ ex imminentis neceſsitatis prouiſione cauſatur. Nam quemadmodum ex adhibito remedio ægroti, medici peritia agnoſcitur, ita interdum ex occurrēte inopia, miſerētis Dei prouidētia ſentitur. Salubris profecto eſt iſta penuria, quę lōganimitatē adiicit, caritatis Dei lumē infundit, corpus attenuādo reficit, & iuſti animā mūdo celſiorē facit. Felix, inquā, inopia, quæ interiores vires roborat, ſeculi cōtemptū parit, facultates cęleſtes tribuit, expeditum viatorem facit, ſuumque poſſeſſorem humilitatis virtute redimitū oſtendit. Cohærent ſimul voluntaria paupertas, & cordis humilitas, & optime ſibi famulantur. Paupertatis ſiquidem camino iuſtus examinatus atque probatus efficitur præclarior ſciētia, à vitiis mundior, Deo propinquior, ſanctitate ornatior & corde humilior. Nam ſicut paupertas humilitatem, ita econtrario diuitiarum affluentia tumorem gignit. [*1.Tim. 6.*] Hoc conſiderans Apoſtolus Timotheo ſcribens, inquit: Diuitibus huius ſeculi præcipe, nō ſublime ſapere, neque ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo, qui pręſtat nobis omnia abunde ad fruendū, bene agere, diuites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonū in futurum, vt apprehendant vitam æternam. Bona igitur egeſtas, non rerum, ſed ſpiritus, voluntaria, non coacta, quæ pro Chriſti amore ſuſcipitur cui pollicetur regnum cœlorum, & victus neceſſaria non negantur. Huius dominus Ieſus inſtitutor fuit, qui contemnendarum opum conſilium [*Luc. 14.*] dedit dicens. Niſi quis renuntiauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Omnibus eſſe renunciandum ait, vt nemo diſcipulorum ſuorum quicquā eorum, quæ poſſidet, ſibi retinere præſumat. Interdixit proprietatem, prohibuit habendi affectum, quatenus perfectionis amator, mente & ſpiritu cœlorum alta penetraret expeditus & liber. Plurimum quippe retrahit aſcendentis animum ſolicitudo temporalium, quę cum earum vbertate connectitur. [*Luc. 21.*] Proinde dominus ſuos admonens, inquit: Videte ne corda veſtra grauentur crapula, & ebrietate, & curis huius ſeculi. Erudiuit præceptor eximius imitatores ſuos humilitatis regulam, præbuit paupertatis formam, perfectioniſque viam indicauit, quæ ducit ad vitam. Ex huiuſmodi inſtitutionibus ambitionis temperauit æſtum, voluptatum impulſus repulit, cupiditatis extinxit ardorem, iracundiæ ſedauit fluctus, liuoris venena ſuſtulit, impudicitiæ damnauit illecebras; & corporis ignauiam magnanimitatis virtute docuit eſſe calcandam. Hi profecto ſunt ſpirituales aſcenſus, quos euangelicis viris in hac lachrymarum valle diſpoſuit dominus, quatenus ſubactis vitiis, de virtute, in virtutē, aſcendere queāt, donec reuelata facie intueri mereantur Deum deorum in Sion. Hos quiſquis delegit aſtendere ad ſeculi aduerſa ac diaboli tentamenta perferenda ſe præparet, ne forte improuiſus accedēs ad pręlium, dum dimicare cœperit, fatigatus ſe retro conuertat, & tanquam vxor Loth, ſalis conuertatur in ſtatuam. Meminerit iſte, dominum dixiſſe: Nemo mittens manum ad aratrum & reſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei. Ille etenim retro reſpicere dicitur, qui ex tribulationū perpeſsione, puſillanimis factus, animum ſuum [*Luc. 9.*] denuo ad mundi retorquet illecebras, veluti canis ad vomitum rediens, & ſicut ſus iterum in luti reflexa volutabrum. Quamobrem mortuus mundo arbitrari ſe debet, qui verus domini Ieſu cupit eſſe diſcipulus. Non enim ſpiritualiter viuere poteſt in Chriſto, qui pari renuit aduerſa, negligit repugnare diabolo, ac ſeculi trepidat oblectamenta reſpuere. Sane mors hęc, quę nos Chriſto viuere facit, vita eſt certa, abſcondita ſalus, & reſurrectio ſancta atque iucunda. Qui ſic moritur, viuit. Moritur, inquam, mundo, ſed viuit Deo. Apoſtolum audi: Mortui, inquit, e- [*Col. 3.*] ſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Sed nunquid ſemper? Abſit. Scimus quum apparuerit Chriſtus vita veſtra, tunc & vos apparebitis cum illo in gloria.

De duplici reſurrectione, animę videlicet & corporis. Cap. XII.

Diuinis imbuti voluminibus duplicē ſcimus eſſe reſurrectionem, vnam corporalem, alteram ſpiritualem. Corporalis quidem vniuerſalis erit, & in fine celebrabitur ſeculorum, quando traditurus eſt Chriſtus re- [*1.Cor. 15*] gnum Deo & patri, de qua Apoſtolus ait: Ecce myſterium vobis dico. Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in nouiſsima tuba. Canet enim tuba, & mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent pri- [*Ioan. 5.*] mi, deinde nos immutabimur. Et dominus in euangelio, inquit: Veniet hora, in qua, omnes qui in monumētis ſunt, audiēt vocē filij Dei, & procedēt qui bona fecerūt in reſurrectionē vitę, qui verò mala egerūt, in reſurrectionē iudicii. Spiritualis autē quotidie agitur per dominū Ieſum, qui vtriuſque eſt author, ſicut ipſe ait: Ego ſum reſur- [*Ioan. 11*] rectio & vita. Sane vtranque reſurrectionem pręcedit mors, quoniam nemo reſurgere dicitur, niſi qui prius fuerat mortuus. Hoc Apoſtolus [*1.Cor. 15*] ſuo confirmans teſtimonio, inquit: Inſipiens tu, quod ſeminatur, non viuificatur niſi prius

moriatur. De morte corporali nullus dubitat, quamuis de corporum reſurrectione innumeri. De morte animæ pauci credunt, quam profecto ſi crederent, homines formidarent, eamque euita conarentur, eo ſolicitius, quò deterior eſt iſta, quam illa, eoque prudentius, quò iſta gratia cooperante, caueri poteſt, quum illa prorſus ineuitabilis ſit. Porrò ſpiritualis mortis cauſa peccatum
Iac. 1.
eſt, dicente Iacobo Apoſtolo: Concupiſcentia, inquit, parit peccatum, peccatum verò quum conſummatum fuerit, generat mortem. Quoties itaque homo voluntariè peccat, moritur. At verò ſi gemit ex corde, ipſumque verè pœnitet
Eph. 5.
deliquiſſe, reſurgit. Surge qui dormis, ait gentium prædicator, & exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus. Eſt tamen mors morte pernicioſior, quemadmodum eſt ſcelus vnum altero grauius. Tanto nanque ſpirituali mors lamentabiliur eſt, quanto reatus eſt maior. Cæterum ſicut ſtella differt à ſtella in claritate, ita in iniquitate peccator eſt à peccatore diſſimilis. Sunt qui peccant in corde per conſenſum voluntatis, & reſurgunt in corde per compunctionem facinori. Nondum iſti elati ſunt, nondum hominibus apparent mortui, & nihilominus reſuſcitantur inuiſibiliter ab eo, qui non facies, ſed iudicat corda. Talibus ait
Pſal. 4.
propheta: Quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris, compungimini. Ab hac morte latente quomodo perimatur anima, dominus in
Matt. 5.
dicauit dicens: Qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo. Hæc mors in archiſynagogi filia figurata eſt, quam dominus Ieſus reſuſcitauit adhuc in domo iacentem. Eſt autem alia mors ſpiritualis iſta deterior, quum videlicet quis conſentit in corde, & conceptum facinus conſummat in opere. Negauit Petrus eum anathematizatione dicens quòd non agnoſcebat Chriſtum, poſt quod intuitus a domino & compunctus, foras egreſſus fleuit amarè. Hoc genus mortis filius viduæ deſignauit, qui extra ciuitatem elatus in feretro, minime verò ſepultus eſt, & reſuſcitatus a Chriſto, ac lugenti genitrici reſtitutus. De muliere autem peccatrice famoſa quid memorem, quæ in delictorum volutabro mortua iacebat, atque ſepulta? Hæc eſt mors peſſima, quæ delinquentem ſub conſuetudinis mole obrutum tenet, facitque omne ſalutis conſilium ſibi præerogatum deſpicere, ſicut legitur: Impius quum in profun-
Prou 18.
dum malorum venerit, contemnit. Hanc lachrymabilem mortem, cæteriſque damnabiliorem myſtice Lazarus quatriduanus in monumento fœtens denunciauit. Hunc quum ſuſcitare vellet dominus, vt inſinuaret, quam difficulter huiuſmodi corriguntur, voce magna clamauit. Laza-
Ioann 11.
re veni foras. Vt igitur nemo deſperet de venia, nullusque præſumat de cuiuſpiam vocatione diffidere, hos tres mortuos a ſaluatore noſtro, tam corpore, quàm ſpiritu reſuſcitatos fuiſſe ſacra euangelii narrat hiſtoria, quatenus in ipſis omne peccantium genus inſinuaret poſſe ſaluari. Spirituali itaque reſurrectione quiſquis reſuſcitatus perſeuerauit viuus, immutabitur, & glorioſus erit in reſurrectione ſecunda. In qua (quamuis vniuerſi electi immortalitatis tunica veſtiẽdi ſint atque honore ſublimandi perpetuo) per amplius tamen ſeculi contemptores, qui illuminatæ fidei calore ſuccenſi, pro Chriſto ſe mundo crucifixerunt lætanter. Iſtis equidem vtpote perfectioribus in reſurrectione ſecunda, iudiciaria in vniuerſali examine promittitur ſedes, centuplicata merces, & vita perennis. Hinc clare colligitur, quod qui pro Chriſto cuncta deſpiciunt, non amittunt quod deſerunt, ſed his longe præſtantiora ſuſcipient. Nempe pro humilitate quam amplexi ſunt, gloriam, pro egeſtate imprædabiles diuitias, pro mœrore inenarrabile gaudium, & pro deſpectu mundi, felicitatem conſequentur æternam. O quàm felix eſt iſta mutatio, quam locuples remuneratio, quàmve redemptoris noſtri profuſa largitio. Suadet vt ſponte renunciemus paruis, vt percipiamus immenſa; perferamus dura, vt delectabilia fortiamur; abiiciamus vilia, vt expectemus precioſa; temporalia relinquamus, vt fruamur cæleſtibus; calcemus viſibilia, vt inuiſibilibus nutriamur; tranſeamur affectu præſentia, vt ſempiternaliter poſſideamus æterna. Quamobrem ô amatores ſeculi ad vos meus nũc ſermo dirigitur. Vos inquam, conuenio, vos alloquor, qui præſentis vitæ gaudia votis omnibus ſectari nitimini. En vobis pronunciabo vtilia, inſinuabo præcelſa, quæ ſupra modum humanum affectum alliciunt, naturalemque mortalium reformant imaginem. Si igitur regiis delectamini ſedibus, ſi honoris cathedram concupiſcitis, iuxta æternæ conſilium ſapientiæ, humilitatem diligite, humilitatem apprehendere ſatagite, vt exaltati regnetis in perpetuũ. Si diuitiarum affluentiam deſideratis, ad tempus terrena & caduca deſpicite, & oĩbus in cælis locupletabimini bonis. Si humanarum, ſeu naturalium ſcientiam appetitis, cordis ſimplicitatẽ tenete, & ſapientiæ Dei exuberãtibus replebimini deliciis. Si ſoſpitatem corporis, & vitæ diuturnitatem obtinere vultis, crucem Chriſti ſponte ſuſcipite, quæ perennem vobis ſuauitatem conferre valebit. Non enim vt mundi, Chriſti ſunt gaudia. De ipſis quippe ſic legitur: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, 1 Cor. 2.
nec in cor hominis aſcẽdit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe, ſuperant incomparabiliter omne quod pulchreſcit viſui, guſtui dulceſcit, mulcet auditum, olfactũ reficit, lenocinatur attactum. Re Pſal. 64.
plebimur, inquit propheta, de ipſis in bonis domus tuæ. Quomodo nõ replebuntur bonis qui in ea erunt, quando inebriabuntur ab vbertate domus, & potabũtur torrẽte voluptatis diuinæ? Nihil

hil

hil in illa domo erit deforme, nihil triſte, nil lubricum, vt viciſsitudine varietur. Erit ibi abundantia pacis, dulcedo charitatis, fraternitatis dilectio, communicatio felicitatis, immortalitatis decor, diuinæ viſionis reuelatio, contemplatio verbi, veritatis præclara cognitio, fruitio deitatis, maieſtatis illius comprehenſio, non quanta eſt, quæ ſibiipſi tantum eſt nota, ſed ſicuti eſt, dicente Apoſtolo Ioanne: Cariſsimi, filii Dei ſumus, & nondum apparuit, quid erimus. Scimus quoniam quũ apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eũ ſicuti eſt. Hoc planè eſt omne bonum, quod ſe oſtenſurum Moyſi Deus pollicitus fuerat inquiens: Oſtendam tibi omne bonum. Hæc eſt, inquam, vita æterna, quam ſeculo renunciantibus mediator Dei, & hominũ homo Christus Ieſus promittit dicens: Omnis, qui reliquerit patrem, aut matrem, vxorem, aut filios, fratres, aut ſorores, aut agros propter nomen meũ, cẽtuplum accipiet, & vitam æternam poſsidebit. Porrò vita hęc caret fine, doloris eſt neſcia, mutabilitatis ignara, à quacunque neceſſitate, ſeu infirmitate aliena, quoniam omne quod in illa eſt, totum lucet, totum placet, totum ſapit, totum reficit. Cęterum qui ea facti ſunt digni, quicquid habent, ſine perturbatione poſsident, abſque diminutione cõ numicant, ſine inflatione tenẽt, & abſque vllo faſtidio in pręcordiis ſuis reuoluẽdo cuſt diunt. Contemplando eſuriunt, eſuriendo manducant, manducãdo reficiuntur, refecti eru ctant, non ex intemperantia corporis, neque ex repletionis faſtidio, ſed affluentia gaudii ex nimietate dulcedinis, ſupereminentia charitatis, ex redundantia percepte ſuauitatis, ſicut propheta commemorans ait: Memoriam abundantię ſuauitatis tuę eructabunt. Quid autem? Gratiarũ vtique actiones, cantica laudis, amoris carmina, iubilationis vota, pręconia maieſtatis. Nẽpe ineffabilis claritatis Dei manifeſta cognitio replet ſcientia, confert gaudium, ſatietatem pręſtat, donat pacem, exultationem parit, tribuit vitam. Hęc eſt (inquit ad patrem ſapientia) vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum, & quem miſiſti, Ieſum Chriſtum. Huius almæ cognitionis deſiderio flagrans ſponſa in canticis canticorum ait: Indica mihi quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie? Porrò inter lilia paſcitur, ſicut dicit ſponſa: Dilectus meus mihi & ego illi, qui paſcitur inter lilia, ſed in meridie cubat. Quæ (oro) iſta ſunt lilia, inter quæ paſcitur ſponſus? aut quæ meridies in qua cubare perhibetur? Accubitus iſte, vt arbitror, ſinus eſt patris, generatio verbi, æqualitas gignẽtis & geniti, poteſtatis amborum idẽtitas. Filiũ cõfitẽtẽ audi: Philippe qui videt me, videt & patrem meum. Non credis quia ego in patre, & pater in me eſt: Accubitus iſte ſponſi pacatiſsimus eſt, & nulli ad plenũ notus. In hoc ſacroſancto accubitu nulla eſt tranſmutatio, nulla viciſsitudinis obumbratio, quoniam Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllę. Vnde & per Paulum dicitur: Solus potens, rex regum, & dominus dominantium, qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſsibilem. Propter inacceſsibilem ergo lucem accubitus hic, in quo cum patre & in patre filius requieſcit, meridies nuncupatur. Ad hunc quantulumcunque appropiari poteſt, minimè tamen ingredi. Appropiantibus autem illi, multa collata ſunt gaudia, atque per ſpicua de Deo prærogatur notitia, quę admodum ipſe filius inquit: Pater quos dediſti mihi, volo vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum, vt videãt claritatem meam, quam dediſti mihi, quia dilexiſti me ante mundi conſtitutionem. His paucis, vbi in meridie cubet filius, indicauit nobis. Nunc verò qualia ipſa ſint paſcua, in quibus inter lilia idem Dei filius, & ſanctarum animarum ſponſus paſcitur, prout poterit, explicabit ſermo pauperculus.

Marginal references: 1. Ioan. 3; Exod. 33; Matt. 19; Psal. 44; Ioan. 17; Cant. 1; Cant. 2; Ioan. 14; 1. Tim. 6; Ioan. 17.

Qualia ſint ſpiritualia paſcua, in quibus ſponſus inter lilia paſci perhibetur. Cap. XIII.

DIcturi de paſcuis, in quibus ſponſus inter lilia paſcitur, ad intelligendum ea, carnalis, ac literalis prorſus abigendus eſt ſenſus, quoniam (vt ait apoſtolus:) Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei. Abſurdum quippe & improbum eſt credere dominum Ieſum Dei filium in paſcuis habitare virentibus, in quibus irrationabilium iumentorum greges paſcuntur, atque inter lilia paſci, quę ad tempus floreni, & ad tempus marceſcũt, vt eſſe deſinant. Non enim in manufactis habitat Deus, neque in excelſis montibus, nec in amęnis pratis, ſed in cœlis, non tamen circunſcriptus loco, ſed manifeſtatus in loco, ſicut propheta inquit de electis: Videbunt regem in decore ſuo. Cœlum itaque Deus ſibi delegit in ſedem, ſicut legitur: Cœlum mihi ſedes eſt, in quo angelici ſpiritus circunſcribuntur, niſi in miniſterium diriguntur. Nam ipſi angeli adminiſtratorii ſpiritus ſunt in miniſterium miſsi propter eos, qui hęreditatem capiunt ſalutis. Sic autem mittuntur, vt minimè à Dei viſione deficiant. Præſentem enim vbique habent illum, qui nuſquam deeſt, & ſe quibus vult, vbi, quando, & qualiter vult, reuelata inſinuat maieſtate. Hoc ſi nõ fieret, quãdoque beati eſſent angeli, aliquando non, quod vtique fateri nefarium eſt, & à catholica veritate damnatum. Siue igitur angeli aſsiſtant Deo, ſiue miniſtrent hominibus, nunquam à Dei clara viſione diuelluntur: quoniam ei, qui ſemper vbique eſt, amoris vinculis indiſſolubiliter vniti noſcuntur. In cœlo ſicut ſunt conditi, ita in eodem ſunt æternaliter confirmati, vt effecti ſui cõditoris viſione beati, illum amabiliter laudent ſine

Marginal references: 1. Cor. 2; Eſa. 33; Eſa. 66; Heb. 1.

Apoc. 4. ſine fine dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus dominus Deus exercituum. Verum quoniam ex eorum numeroſitate, maxima multitudo ſuperbiendo collapſa eſt, de humana reſtauranda eſt ſpecie. Illuc ergo hominum tot aſcenſuri ſunt numero, quot confirmati remanſerunt angeli, quatenus quemadmodum pares numero, & æquales in gloria, ita conſona modulatione alternatim diuinā non deſinant ſempiternaliter laudare eſſentiam. Hos etenim parietes duos lapis ille angularis exciſus de monte ſine manibus, de quo ſcri- Ezec. 28. ptum eſt: Ecce ego ponam in Sion lapidem ſummum angularem, electum, precioſum, copulauit, pacem faciens per ſuum ſanguinem iis, qui longe, & per ſe reſtaurans eos qui prope, vt fiat paries vnus inexpugnabilis, congregatio vna, ciuitas vna de viuis & electis lapidibus ordinata, atq; conſtructa, de qua vates cecinit dicens: Hieruſa- Pſal. 121. lem quæ ædificatur vt ciuitas, cuius participatio eius in idipſum. Eſt iuſtus illuminatus ait: Hieruſalem ciuitas Dei confitere Deo in bonis tuis, & benedic Deum ſeculorum, vt reædificet in te tabernaculum ſuum, & reuocet ad te omnes captiuos, & gaudeas in omnia ſecula ſeculorum. Luce ſplendida fulgebis, & omnes fines terræ adorabūt te. Nationes ex lōginquo venient ad te, & munera deferentes adorabunt dominum in te. Portæ Hieruſalem ex ſaphiro & ſmaragdo ædificabūtur, ex lapide precioſo omnis circuitus muri eius: & lapide candido, & mundo omnes plateæ eius ſternentur, & per vicos eius alleluya cantabitur. In hac ciuitate tam pręclara, tam magna, o quanta ſunt paſcua amœna, virentia, vberrima, redolētia, atque iucunda? In ea quocunque te vertas, aſpicies dealbatas oues, candentia lilia, atque paſcentia. Equidem in ſingulis angelorum ordinibus (ſi diligenter attendes) propria reperies paſcua. Tot igitur ſunt paſcua, quot angelorum ordines. Vt autem verius fatear tot ſunt, quot angelorum ſpiritus, animæque ſanctorum: totidemq; paſcentia lilia, quoniam quod in commune ad fruendum datum eſt omnibus, proprium ſingulorum eſt gaudium, & quod quiſque ſingulariter percipit, vniuerſale eſſe cognoſcitur bonum. Nō enim aliquid poteſt ibi eſſe priuatum, quod non fiat commune, vbi tanta eſt vnitas, ſyncera dilectio, perfecta pax, inuidentia nulla, eadem refectio idem lumen, beatitudo ipſa. Nam vnus eſt vitæ fons indeficiens, de quo potantur ſinguli: vna eſt pręclariſſima lux, quæ, omnem regionem illam ſuo ſplendore irradiat: vnus, idemq; cibus ſuauiſſimus, qui electos reficit vniuerſos. Non de alio alius bibit fonte, nec de alia luce illuſtratur alter, neque de eſca alia quis alitur, ſed ſicut in vno omnia, & omnes per vnum, ita ab vno omnia & in omnibus vnum: Non plures verbi, ſed vnum eſt verbum in principio apud Deum, Deus ſine initio, & fine, & tamen ipſe initium eſt & finis, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia. Vnus quoque Dei & hominum mediator homo Chriſtus Ieſus qui paſcit & paſcitur, potat & ſitit. Paſcit quidem diuinitate, quoniam ſapientia ſua cunctos replet Dei cognitione. Nam candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula ſplendor diuinæ maieſtatis, & imago bonitatis illius. Paſcitur autem, inquantum homo aſſumptus, dum ex verbi vnione cognitionis luce perfunditur, comprehendens habituali comprehenſione, quod actualiter cognoſcit Deus, per quam vtique comprehenſionem beatus efficitur, percipiens omnium quæ facta ſunt, ſiue futura ſunt, perfectam ſcientiam adeò vt omnia nuda & aperta ſint ei. Sitire etiam dicitur, quoniam immenſo charitatis incendio, qua præ cæteris repletus eſt, vehementiſſimè honorem patris, diuinam laudem, hominumque ſalutem concupiſcit. Hāc ſitim in cruce poſitus oſtendit, quando inquit, Si- Ioan. 19. tio. Oſtendit & in cœlo dum pro nobis patrem interpellare non ceſſat, propter quod rectiſſime aduocatus nuncupatur. Aduocatum (ait Ioannes 1 Ioan. 2. apoſtolus) habemus apud patrem Ieſum Chriſtū iuſtū, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, Non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro Eccl. 1. totius mundi. Potat verò, quia fons eſt & verbū eſt, ſicut legitur: Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis, ex cuius affluentiſſima irrigatione cœleſtia paſcua germinant, & delectabilem paſcentibus in illis præbent dulcedinem. De hoc ipſo fon- Gen. 2. te figuraliter ſcriptum eſt: Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradiſum. Profecto in omnibus & omnia Chriſtus. Ipſe etenim voluptatis eſt fluuis, vitæ fons, ſalutis poculum, ſitiens charitate, ſitienteſque inebrians. Ipſe, inquam, ſempiternum eſt verbum, increata veritas, patris ſapientia, ſtella matutina, iuſtitiæ ſol, meridiana lux. Ipſe denique angelorum eſt pabulum, grandium cibus, flos campi, lilium conuallium paſcens inter lilia, & liliorum paſcua, atque ouium paſtor. O quàm innumera, quàm fœcunda hic paſtorum ſummus paſtor poſſidet paſcua? Habet quippe in montibus paſcua cæteris cunctis vberiora, in quibus cum angelis & electis paſcitur. Habet & in ſolitudinibus, in ciuitatibus, & toto orbe terrarum, liliorum ac ouium vberrima paſcua, aquis irrigua, fœcunda arboribus, floribus amœna, foliiſque virentia. In ipſa deſcendit quandoque vt paſcatur in liliis & lilia colligat, aliquando vt videat ſi florent vineæ, ſi fructus flores parturiunt, nonnunquam vt introducat oues, eaſque ab æſtu & beſtiarum incurſibus protegat, accubare faciat, atq; ſpirituali reficiat alimonia, quemadmodum per Prophetam ait: Ezec. 34. Ego viſitabo oues meas, & liberabo eas de cunctis locis, in quibus diſperſæ fuerant in die nubis & caliginis, & educam eas de populis, & congregabo eas de terris, & introducam in terram ſuā;

&

& paſcam eas in montibus Iſrael, in riuis & in cũctis ſedibus terræ. In paſcuis vberrimis paſcam eas, & in montibus excelſis Iſrael erunt paſcua earum. Ibi requieſcent in herbis virentibus, & in paſcuis pinguibus paſcentur ſuper montes Iſrael. Pſal. 141. Vides quàm præcipua ſint montium paſcua, illorum videlicet de quibus dicitur: Et cantabunt montes & colles laudem. In ipſis angelorum, archangelorum, virtutum, poteſtatum, principatuum, dominationum, thronorum, cherubim, ſeraphimque beata agmina paſcuntur, & omnipotenti Deo iucundiſsimas exoluunt laudes, patriarcharum, prophetarum, apoſtolorum, martyrum, doctorum, confeſſorum, virginum, omniũque ſanctorum ſociata choris: hoc proculdubio cæteris vberiora ſunt ſecuriora, magiſque læta, quoniam & ſi ſponſus reliqua interdum viſitat, ab his nunquam ſubtrahit præſentiam, qui paſcũtur in illic, quin potius ſe præbet beneuolum, illos paſcit, atq; inter eos tanquam inter lilia ipſe potatur & paſcitur. Tam fœcunda, tamque præclara ſunt iſta montium paſcua, vt paſcentium in inferioribus ouium, earum quædam nonnunquam ad ſuperiora conſcendant, quatenus epulis lautioribus ſaginentur. Tamdiu autem hanc viciſsitudinẽ aſcendendi, ac deſcendendi agunt, donec conſummato vitæ huius termino, purgatiſque delictorum ſordibus, paſcuorum cœleſtiũ digni efficiantur habitatione perpetua in quibus beatitudo perfecta percipitur, & vitæ pabulum Ioan. 10. æternaliter miniſtratur (ſicut dominus ait) Ego agnoſco oues meas, & vitam eternam do eis. Verum quoniam peregrinantibus ouibus ad libitũ ad ſuperiora non licet aſcendere (Ne fame deficiant) paſcua etiam in inferioribus ordinaui, vt habeant & ipſæ vnde nutriantur, laſsitudinem ſubleuent, ac caloris ſancti vigorem acquirant. Angelicis itaque ſpiritibus, & in æternam requiẽ iam aſſumptis hominibus, quemadmodum perpetuæ felicitatis ſuauiſsimum pabulum tribuit, ita iis, qui in hac vita ſunt poſiti, ad reficiendum eorum animas, ſpiritualia paſcua prębet, non tamẽ tam delectabilia, quàm illa, quę in montibus ſũt 2. Cor. 5. conſtituta, quoniam (dicente Apoſtolo) Quandiu in hoc paſsibili ſumus corpore, peregrinamur à domino, per fidem ambulantes, non per ſpeciem. Ambulantibus ergo nobis per fidem figuris paſcimur promiſsionibus ſuſtentamur, & ſcripturarum erudimur eloquiis. Bona paſcua ſunt prophetarum oracula, euangeliorum volumina, apoſtolorum dicta, & ſanctorum patrum ſcripta doctiſsima. Sane in earum meditationibus rationalis reficitur ſpiritus, Dei & ſui cognitione imbuitur, apprehendit myſteria, repletur lumine, atque deuotionis internæ inebriatur dul Pſal. 118. cedine. Tali experimẽto Propheta edoctus ait, Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo. Non ſolum ſpiritus eruditur ſcientia, verum etiam amoris incaleſcit incendio. Sic enim aiebant, quibus (loquente domino) ſcripturarum apertus eſt ſenſus: Nonne cor noſtrum ar- Luc. 24. dens erat in nobis quum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas? Nec mirum ſi diuinorum eloquiorum reſerata ſacramenta, quæ ſub velamine literę teguntur, illuminando accendunt, & & reficiendo dulceſcunt, quum ab ipſo æternæ ſapientiæ erumpant fonte, in quo vniuerſæ ſuauitatis atque intelligentiæ origo ſubſiſtit. De hoc quippe ſic ſcriptum eſt; Omnis ſapientia a domi- Eccl. 1. no Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante æuum. Porrò ſi ſanctarum ſcripturarum arcana obſeruabis humiliter, non humana eloquia, ſed verba Verbi eſſe perſenties. Apoſtolus ſuo hoc teſti- 2. Cor. 2. monio probans, ait: An experimentum quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus? Si igitur in Paulo, ſi in Petro, cæteriſque ſacræ legis doctoribus loquitur Chriſtus, te eorum dicta legentẽ, teque audientem erudit Chriſtus, qui Verbum eſt, & patris ſapientia. Te autem illo docente poteriſne eſſe inſipidus, poteris eſſe ignarus, ſeu ab amoris Dei calore alienus? Apoſtolus Petrus eloquiorum Chriſti alimonia aſſuetus inquit; Domi- Ioan. 6. ne ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes. Quid mirum ſi verba vitæ æternæ Chriſtum habere confeſſus eſt, quum vita ipſa eſſet ęterna, velata in carne, ſed credentibus, ac diligentibus manifeſtata in ſpiritu. Vnum eorum, qui vidit & teſtimonium perhibuit, audiamus, quid dicat: Quod fuit ab initio (inquit) quod audiuimus, 1. Ioan. 1. quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ. Et vita manifeſtata eſt, & vidimus, & teſtamur, & annunciamus vitam æternam, quæ erat apud patrem, & apparuit nobis. Quamobrem ſiue cum per ſe hominibus verbum loquebatur in carne, ſeu quum per miniſterium carnalis linguæ, aut per ſyllabarum formas in codicibus exaratas hominibus loquitur, ipſum audiendum eſt verbum, Eſa 55. & ab eo monita ſunt percipienda ſalutis. Ac per hoc ſi quis veritatis interlucet ſenſus, ſiqua ſpiritualis ſuauitas guſtatur in corde, ſi quid diuini amoris ſentitur in pectore, eiuſdem munus eſt verbi, atque inuiſibilis opus ſapientiæ, quæ rationalẽ animam, veluti ouem propriam introducit ad paſcua, quæ ipſamet plantat, rigat, fœcundat & vegetat. Non enim valet humana facundia, quæ in ſuperficie literæ placet, quoniam ornatu foliorũ eſt tota contexta, internam audientibus pręſtare dulcedinem, neque ſacramentorum cœleſtium prębere notitiam, quæ tactu ſuo hominis vitam immutat. Cæterum ſi quid veri in eadem ſeculari ſcientia lucet, in ipſis tunc ęterna ſapientia fatur, quę quum vult aperit ora mutorum, & linguas infantium diſertas facit. Nemo igitur ſanctarum ſcripturarum tribuit paſcua, rationales introducit oues, & paſcit, niſi ille qui de ſe ait: Ego ſum Ioan. 10.

oſtium

oſtium ouium. Per me ſi quis introierit, ſaluabitur, ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet.

Quantum æternæ ſapientię guſtus, & Dei cognitio operetur in anima.
Cap. XIV.

TAntæ ſiquidem efficaciæ ſuauiſsimus ęternæ ſapientię guſtus, & Verbi Dei reuelata cognitio eſſe decernitur, vt ſi quis abſque deceptione in ſe illam percepit, vlterius mūdo viuere, eiuſque blanditias eſurire & ſitire nō
Gal. 1. valear. Hoc ſuo apoſtolus probat exemplo dicēs: Quum autem placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ & vocauit per gratiam ſuam, vt reuelaret filium ſuum in me, vt euangelizarem illum gentibus, continuo non acquieui carni & ſanguini. Nam quemadmodum oriente ſole noctis caligo depellitur, ita ſe in humani cordis penetralibus diuina luce fundente præteritorum vitiorum fugantur tenebræ, & naturalis puritatis dies ſerena refulget: Ex huiuſmodi gratiæ nouo ſplendore reformatur mens hominis, & virum mutatur in alterum. Diſplicet ei quod ante placuerat, omnia mundi oblectamenta vileſcunt, prędia, poſſeſsiones, diuitias, honoreſque maxima arbitratur incommoda. Carnis inſuper curā voluptuoſa cibaria, ſordeſcentes impudicitię voluptates, ornatus veſtium precioſarum, conuiuiorum, conuiuantiumque laſciuiam, choreas & obſcœna hiſtrionum ioca, & ſi quid eſt aliud, quod ad iſtius ſeculi pertineat illecebras, alacri animo contemnit vt ſtercora, quoniam infiniti ponderis abſcoditum lętatur reperiſſe theſaurum. Quid (oro) precioſius Chriſto, in quo omnes theſauri ſapientię & ſcientię Dei noſcuntur eſſe abſconditi? Porrò ſi illi ęquiparaueris argentum, ſi aurū, ſi gemmas, ſi mundum, ſi ea, quę in mundo ſunt, ſi cęlum, ſiue ea quę ſuper cœlos ſunt, prorſus omnia nihil æſtimabis in comparatione ipſius. In eo quippe inuenies opes immenſas, quę nunquam deficiunt, pręcelſas dignitates, quę inflare non ſinunt, delectationes ſpirituales, quę faſtidire nequeunt, vitę diuturnitatem, ſenectutis, ac corruptionis ignaram, ſonora carmina cœleſtium gaudiorum, ſplendidiſsima conuiuia ciuium ſupernorum, precioſaque monilia internarum gratiarum. Omnium profecto deſiderabilium frueris abundantia, ſi ipſum in cordis tui hoſpitio habebis abſconditum. Reficiet namque te dulcedine, replebit ſapientia, irradiabit ſplendore, exuret charitate, deuotione cibabit, lętificabit ſpe, fide imbuet, ditabit virtutibus, humilitatę attollet, tibique adeò ſe familiarem exhibebit, vt vix te permittat ſeparari à ſe: tecum illum ſenties gradientem, tecum ſtantem, te alloquentem, te cuſtodientem, te erudientem, te dirigentem, teque dilectione caſtiſsima complectentem. Equidem experimento cognoſces verum eſſe quod ait: Et Prou. 8. delicię meę eſſe cum filiis hominum. In tali vtiq; ſancti amoris pręludio iocunditatis, exultans & laudans, tui oblitus & omnium, quę foris ſunt, raptim feſtinus & feruidus dilectum tranſiens, non de vociferaberis & dices: Fulcite me floribus, Cant. 2. ſtipate me malis, quia amore langueo. Et illud Psal. 72. memorabile Pſalmographi: Defecit caro mea & cor meum Deus cordis mei & pars mea dominus in ęternum. Alia atque alia ingeminabis amoris eloquia, plena gaudio, deſiderio ignita, ac ſpiritus ſuauitate referta, quę nemo fari prǽſumeret, niſi informaretur interius per inhabitantem ſpiritum domini Ieſu, de quo Apoſtolus inquit: Quid enim oremus, neſcimus. Spiritus autem poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Quo Rom. 8. nam (quæſo) modo auderet vermiculus homo diuinæ maieſtati, quam vniuerſa angelorum, archangelorumque militia veneratur & colit tam ſimpliciter tamque familiariter inhærere, ſi non alliceretur, traheretur, introduceretur? Nam animæ, quam ſibi delegit in ſponſam, cunctis tremēdam omnipotentiam ſuam occultat, ad hoc tantum, vt ipſa accedat ſecurius, familiarius alloquatur, amplectatur dulcius, amabiliuſque fruatur. Perfecti quidem amoris gradus neſcit modum, menſuram ignorat, reuerentia caret, ſui obliuiſcitur, ad hoc ſolum eſt intentus, vt eius, quem diligit, fruatur præſentia. Ad huius amoris vehemētiam minime dubitādum eſt perueniſſe animam illam, quæ re, non nomine tātum ſponſa dicitur, ob ſpecialem puritatis ſuæ candorem, ſanctitatis ſpecimen, ſolicitudinem actionem, gratiarum abundantiam, ſucceſsumq; virtutum, de qua ſcriptum eſt: Multæ filiæ congregauerunt diuitias, Prou. 31. tu ſupergreſſa es vniuerſas. Nec ab re. Sponſa etenim aſſueta præſentiæ nouis quotidie muneribus animatur ad curſum, crebris ſapientiæ viſitata ſplendoribus euigilat ad præmium, vtpote in paſcuis amoris Chriſti introducta virentibus. Nō autem aliunde, quàm per Chriſtum ad Chriſtum ingreditur, in quo reperit ſatietatem ſpiritus, charitatis latitudinem, ingrediendi & egrediendi propalatum aditum, non quidem alienum ab ipſo, ſed in ipſo. Nam quod ab ipſo alienum eſt, mors eſt; quod vero in ipſo, vita & ſalus. In illo igitur ingreſſu? & egreſſus ad ipſum. Sane ex iis, quæ memorata ſunt, erudiuit nos ſponſa: qualiter per ipſum ingrediatur ad ipſum, qualiave amoris, deuotionis, & laudis, inueniat paſcua. Nunc eadem nos doceat, quomodo per ipſum egrediatur ad ipſum, & in ipſo permaneat. Faſne quaquam eſt credere, vt quæ tam præcipua dilectione fouetur à Chriſto, minime etiam in amoris exercitio proficere debeat, quum rationabiliter plus illa, quàm cæteri, quoniam eſt in charitate prouectior, ac verbo propinquior. Cæterum & hoc indubitanter aſſeuerandum eſt, quòd varia

iuxta introeuntium in ſe diſpoſitionem cõtineat paſcua, alia fœcundiora aliis. Nam ſicut in domo patris manſiones multæ ſunt, æquę de paſcuis ſpiritualibus, quæ in ipſo ſunt, ambigendum non eſt. Alio quippe paſtu nutriendi ſunt nouiter introducti, alio tentationibus probati, atque alio in Mat. 19. amore perfecti. Nam quemadmodum cibus eſt grandum, ita & paruulorum lac. Audi dicentem: Sinite, inquit, paruulos venire ad me, talium eſt enim regnum cœlorum. Quoties igitur ſponſa (de cuius amoris perfectione nunc agitur) eſt introducta in paſcua ob contubernium ſponſi, quẽ vnicè diligit, maximo charitatis exultat tripudio, ſpiritualibuſque introrſus iocundatur deliciis. In his autem dum debriata lætatur, repentè elabitur, & quem cordis dulciter amplectebatur in thalamo, ſe occultando efficitur longe, non prorſus, vt deſerat, ſed vt ex carẽtia dilecti probata ardẽtior fiat. Ex hac quippe ſubſtractione, quã agit ſponſus, profluuium ſubſequitur lacrymarũ, diceſſus à ſponſa cauſa perquiritur, & viciſsitudinis huius damna animo verſat. In huiuſmodi autem meditationem amoris ignis accenditur, inſeparabiliſque dilecti præſentia votis omnibus concupitur. Quæ quum in hac peregrinatione obtineri non poſsit, quoniam triumphantibus prærogatur in pręmium, totis medullis cordis Psal. 41. ſponſa orando ingeminans, ait: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei? Tunc eidem ſic affectę præſentis vitæ incolatus oneroſus exiſtit, cupitque diſſolui, vt incipiat eſſe cum Chriſto. Talium namque deſideriorum eleuata remigio angelicis aſſociatur choris, ciuitatiſque ſupernæ Hieruſalem quanta ſint gaudia, quam lęta ſocietas, iugis ſolennitas, perfecta libertas, beata fruitio, atque ſponſi imperturbabilis vnitas contemplando rimatur. Equidem iſta dum cogitat, fit hilarior ſolito, amore profuſior, cęlo ſublimior, vicinior Deo, ſponſique dilectione feruentior, quoniam pręclariori diuinitatis illius 2 Cor. 5. eſt irradiata notitia. Vnde apoſtolicum illud fidenter valet edicere: Etſi nouimus Chriſtum ſecundum carnem, ſed iam non nouimus. Iſtiuſmodi profecto ſunt paſcua ſponſę, per Chriſtum egredientis ad Chriſtum. Iſtiuſmodi, inquam, ſunt ſacri connubii veneranda commercia, quę qualia ſint, quàm caſta, quàm iocunda, quàmve præcelſa & ſancta, nemo ſcit, niſi quem experientia magiſtrum fecit. Sponſę quippe ſunt paſcua, & perfectorum cibus, qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni & mali. Ad iſta nemo accedit, nulluſque, niſi per virtutum incrementa ingreditur. Quamobrem Chriſti veſtigia quiſquis proficiens imitetur in Chriſto, quoniam ipſius iſta ſunt paſcua, quę ſicut virtutum reſperſa ſunt floribus, ita tentationum repleta ſunt ſpinis. Has ſi proficiens de corde ſuo ſecreto eradicare non deſierit, deliciarum paradiſus, hortuſque efficietur concluſus, ad ſponſi ſuſceptionem conuenienter idoneus.

Qualis eſſe debeat bonus animarum paſtor.
Cap. XV.

Boni paſtoris hoc ſemper eſt proprium, vt ſibi creditas oues pinguia introducat ad paſcua, eaſque ſolerti cura ab incurſibus ſylueſtrium cuſtodiat beſtiarum. Verum & ſi contingat quampiam illarum relicto grege per nemorum deuia ſingulariter incedere, ipſam arcere, vt ſocietur cęteris, ne forte luporum ſęuientium dentibus, vel latronum manus incurrat. Hanc proculdubio memoratam ſolicitudinem Ioan. 10. erga rationales oues verus exhibet paſtor, ille vtique qui ait: Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcũt me meæ. Nec immerito circa ouium ſuarum ſalutem inuigilat, quippe quum pro ipſis de cœlis ad terram deſcenderit, atque in crucis patibulo non recuſauerit mori, quemadmodum ipſe ait: Ego ſum paſtor bonus, Ibidem. & animam meam pono pro ouibus meis. Maxima prorſus paſtoris huius eſt gratia, & non ſicut cæterorum. Quis (oro) eſt qui nolit de ouium ſuarum fructibus ſuſtentari, atque honoris priuati ab eiſdem quæritare mercedem? De hoc Apoſto 1. Cor. 9. lus ait: Quis plantat vineam, & fructum eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte eius non mãducat? De honore autem priuato inquit: Quæ eſt gloria mea, nonne vos ante dominum? Hæc verò quamuis (ſi recta agantur intentione) reprehenſibilia minime ſint, paſtor noſter non quærit ab ouibus: non enim cupit habere aliena, quum affluentiſsime eroget ſua. Honorem quoque nõ priuatum, ſed patris ab ouibus exigit, & hoc ad earum profectum. Nullis quippe eget Deus. Proinde non facultatum munera, non ſacrificiorum cęremonias, non honoris temporalis ſeruitutem, neque terrenum aliquid à mortalibus propter ſe ipſum optare cognoſcitur, quemadmodum per Prophetam teſtatur dicens: Si eſuriero non dicã Psal. 49. tibi meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo eius. Nunquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? Vide autem quid ſequatur, & quid propter te, ò homo, Deus requirat à te. Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſsimo vota tua. Laudis non beſtiarum ſacrificium approbat, & orationis implorationem humilem libenter exaudit. Optima prorſus ſub paſtoris huius protectione ſentitur ſecuritas, cui nemo tribuere quicquam valet non ſuum, nullus inimicorum appropiare audet, nec quicquam de ipſius eripere manu. Habet namque munitiſsima caſtra paſcuis vberrimis plena, angelorum multitudine circunſepta, in quibus ſegregatas à ſeculi rumoribus recondit oues, quas omnes ipſe cognoſcit ex nomine. Nempe hæc caſtra de viuis

&

Digitized by Google

& electis lapidibus ſunt conſtructa, tentationibus & preſſuris, ac piis operibus expolitis. Huiuſmodi ſpiritualia caſtra, non alia eſſe cenſuerim, quam congregationes ſanctas, conuentusque fidelium, Deum timentium, in quibus viget religionis obſeruantia, mandatorum Dei cuſtodia, animorum vnitas, probitas morum, atque euangelicorum conſiliorum laudanda perfectio. Iſta ſunt ouium Chriſti receptacula tuta, iſta inquam, ſunt electorum præſidia, ad quę delectabiliter declinat omnipotens, ſicut ipſe ait: (Matt. 18.) Vbi fuerint congregati duo vel tres in nomine meo; in medio eorum ego ſum. Ad conſolationem quippe ouium, earumque protectionem in medio ſe ſtare perhibuit. Quomodo autem illas protegat, audi (1. Cor. 11) Apoſtolum dicentem: Fidelis, inquit, eſt Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere. Sæuiat leo, inſidietur ſerpens, aduerſarius circumeat, tamen ſuperuacue laborabit. Nam & ſi totus inſurgat mundus, perſecutiones excitet, minetur mortem, ouibus Chriſti nocere nil poterit, illis vtique, quorum nomina in libro vitæ ſunt ſcripta, de quibus inquit Apoſtolus: (Rom. 8.) Quis accuſabit aduerſus electos Dei? Deus, qui iuſtificat; quis eſt, qui condemnet? Chriſtus Ieſus, qui mortuus eſt, imò qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis ergo nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Certus ſum enim, quia neq; mors, neq; angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; inſtantia, neq; futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare a charitate Dei, quę eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Cernis ne quanta gratia, quantaque virtus, collata ſit ouibus ſub famulatu Chriſti degentibus? Non autem ex eis, ſed immobilitas hæc illis ex paſtoris charitate prouenit, qui eas redimit ne pereant, tuetur ne cadant, conſolaturque ne deliteſcendo in via deficiant. Conſolationum ſiquidem ſpiritualium refectione paſcuntur, atq; præpoſitorum exhortationibus erudiuntur quomodo orare, legem meditari, operari debeant, donec conualeſcant, & ad maturam ſpiritus pertingant ætatem. Congruentiſsime enim in conuerſationis ſuę primordio, molli nutriendæ ſunt cibo & humanitatis Chriſti meditationib. ſacris, quæ Neophytorum eſt lac, guſtu quidem delectabile, & ſuauiſsimum hauſtu. Iſtiuſmodi conſolationibus prudentiſsime refouentur, ne eis contemptus ſeculi difficilis & pœnitentiæ ſolitudo ad peragrandum intolerabilis videatur, atque puſillanime effectæ rurſus ad mundi laborioſa commercia redire cogantur. Quoniam abſque interna conſolatione, penè impoſsibile eſt militiæ Chriſti perſeuerare in ſtadio. Hæc proculdubio poſt vocationem à ſeculo paſtoris noſtri prima & ſpecialis eſt gratia, vt famulantibus ſibi veram de ſe fiduciam præbeat, vt guſtando videant quã ſuauis ſit dominus, quàm ve magna ſit multitudo dulcedinis eius, quam abſcondit ſeruiliter timentibus ſe, perficit verò eis, qui ſperant in eo. Talibus profecto, qui nutriuntur pabulis, ad aduerſa toleranda robuſti ſunt, alacres ad bonum, fraternitatis amatores, deuotionum auidi, in oratione aſsidui, contemptores mundi, atque inuiſibilium dilectores. Sunt plane quemadmodum de illis Propheta loquitur, (Pſal. 1.) tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, quod fructum ſuum dabit in tempore ſuo. Et folium eius non defluet, & omnia quæcunque faciet, proſperabuntur. Verum quoniam imbre cœleſti iugiter ab ardore voluptatum vitæ præſentis exiccari nõ poſſunt, ſentire quidem valent carnis incendia, necnon pro mundi iſtius tentari illecebris, minime vero ſuperari, quia inhabitantis & cooperantis in ſe gratiæ ſuffragio muniuntur. Horum in ſe formã Pſaltes expreſsit dicens, (Pſal. 117.) Impulſus euerſus ſum vt caderem, & dominus ſuſcepit me. Fortitudo mea & laus mea dominus, & factus eſt mihi in ſalutẽ. Hinc facile cõſiderari poteſt, quã formidãdus quãq; perditionis procliuius ſit ſecularũ ſtatus, eorũ præſertim, qui peregrinationis ſuę ignari, prætereuntis vitæ oblectamenta ſectantes, peccati mortalis ſunt funibus alligati. Quorum videlicet opera quantumlibet iuſta & pia eſſe videantur, nihil tamen eis ad æternæ vitæ proficiunt meritum. Porrò ſi ad angelicam vitam monaſticæ conuerſationis vocati, tam acerrime à carnis petulantia, mundi fallaci, atque ab humani generis aduerſario infeſtantur, vt vix eorum laqueos euadere queant, quid de his, qui ſeculi luctuoſa negotia tractant, ſe immoderate diligunt, hoſtiumque ſuorum prorſus ignorant aſtutias, arbitrandum ſit, ſapiens quiſque diiudicet. Cæterum ſi ſub directore probato pergentes ad pugnam, armorumque munitione protecti frequentiſsime proſternuntur, interdum etiam iugulati intereũt quonammodo inermes & imperiti certaminis, ducisq; carentes præſidio inimicorum iacula deuitabunt? Nemo igitur ſe decipiat, nulluſque inanis ſpei ſeducatur fallacia, putans in ſeculo facile ſe poſſe ſaluari. (Luc. 13.) Contendite, inquit incarnata veritas, intrare per anguſtam portam, quoniam arcta eſt via, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui intrant per eam. Spacioſa autem eſt via, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui ingrediuntur per eam. Non ait, Intrate per anguſtam portam, ne planus iudicaretur eſſe ingreſſus, ſed ſignanter inquit: Contendite, vt ſanæ mentis quiſque conſideret admodum laborioſum eſſe aditum, per quem ad vitã acceſſus habetur. Hac ſeductoria cogitatione ô quam innumeri quotidie decipiuntur, differentes de die in diem conuerti

uerti ad dominum, arbitrantes ad libitum pœnitentiæ poſſe captare remedia. Qua de cauſa indulta tempora ad emendationem protogant, pulſantiq; ad cordis oſtium domino aperire diſſimulant. Hos etenim vt plurimum repentinus inuadit interitus. In mortis ſiquidem deprehenſi articulo, atque languoris nimietate afflicti, penè nihil aliud quàm de ſe cogitare ſufficiunt, reuoluẽtes animo ſedulo quibus remediis ſuis valeāt mederi doloribus, protelare exitum, recuperare vires, atque optatæ reſtitui ſanitati. Fit autem per ſæpe, vt circa talia occupati interitus ſalutis propriæ minime recordentur, & abſque vlla verę cõpunctionis diſpoſitione deficiant. Nam æquiſsime percutitur hac animaduerſione peccator, vt moriens obliuiſcatur ſui, qui dum viueret oblitus eſt Dei. Ad correctionem igitur delinquentium vnicuique dominus horam mortis voluit eſſe ignotam, quatenus impudentiæ ſecuritate reiecta, quiſque ſe bene viuendo componat, ne imparatus & nudus ante vniuerſalem iudicem pręſentari cogatur. Quid, quæſo, magis pauendum eſt, atque cauendum, quàm de huius ſeculi ęrumnoſo exilio, relicto carnis ergaſtulo exire coactu, nec non de cunctis perpetratis ſceleribus ſingilatim rationem exoluere? Quid inquam, mundi amatoribus æſtimandum eſt fore acerbius, quàm in momento temporis deſerere facultates, corpus, familiam, affines & liberos? Vniuerſa hæc & quicquid poſsidetur in ſeculo, morte interueniente ſurripiuntur.

Quòd ignorantia futuræ vitæ apud mortales viget, ſicut explicari non poteſt, ita nec reticeri debet. Cap. XVI.

QVanta apud mortales de iis, quæ ad futuram pertinent vitam, quæ videlicet neſcienda non ſunt, ignorantia vigeat, nullum valet indagare ingenium, nullaque, quātuncunque prudentis, ſufficienter reſerare facũdia. Sed nunquid ſilendum eſt? prorſus minime. Fandum vtique eſt, etſi non vt materiam decet, tamen prout poteſt humani ingenii indocta ruſticitas, quę dum humiliter, ac recta cordis intentione nititur explicare, quod ſentit, nequaquam laborum ſuorum congrua remuneratione carebit. Nam ſiquis ſitienti aquæ frigidæ prębuerit potum, iuxta domini pollicitationem, mercedẽ non perdet, amitterne qui ſapientię ſalutaris aquam proximo ſuo minime miniſtrare neglexerit? Quicunque igitur gradienti cęco amouerit offendiculum, ne ruat in foueam, tanquam fraternæ charitatis ęmulator vita viuet, nec penitus morietur. Nam quemadmodum pluris eſt anima quam corpus, ita quod pro animarum ſalute impenditur apud altiſsimũ, maioris eſt meriti. Quāobrem nemo gratis prętermittat impertiri proximis, quod ipſe cognoſcit eiſdem fore proficuũ. Nonne ab omni lege charitatis alienus exiſtit, qui quempiam perire intelligens exhortationis verbo quum valeat, ab interitu illo nequaquam reuocare ſtuduerit? Per Prophetam audi quid *Ezech. 3.* dominus dicat: Si dicente me ad impium, morte morieris non annunciaueris ei, neque loquutus fueris, vt à via ſua impia auertatur & viuat, ipſe impius in iniquitate ſua morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram. Porro ſi in prętetitas generationes iuſtus quiſque muto ore tranſire potuit impune non loquendo populis ſalutis monita, vtique non modo. Nam adeo in pręſentiarum futuræ vitæ ſuccreuit ignorantia, vt in cordibus mortalium, fere parietis more deleſcat. Quis (oro) eſt, qui præuidere dignetur quæ ſeu bona, ſiue futura ſint mala? Omnes pene præſentibus intenti ſunt bonis, voluntque temporali ditari ſubſtantia, honoribus ſublimari, exuberare deliciis, ac carnis voluptatibus debriari, quæſtũ maximum arbitrantes tranſitoria poſſe felicitate florere. Vniuerſi hi, cæci ſunt, meritoque plangendi, eo amplius, quo magis momẽtanea ſeculi proſperitas eiſdem ſuccedit ad vota. Vnde iſtos lu- *Iob. 21.* gendos dixerim, ſanctus Iob indicat dicẽs: Quare impii viuunt, ſublimati ſunt, confortatique diuitiis? Semen eorum permanet coram eis, propinquorum turba, & nepotum in conſpectu eorum, domus eorum ſecuræ ſunt & pacatæ, & non eſt virga Dei ſuper illos. Tenent tympanum & citharam, & gaudent à ſonitu organi. Ducunt in bonis dies ſuos, & in pũcto ad inferna deſcen- *Deut. 32.* dunt. Lætantur huiuſmodi quum male agunt, & exultāt in rebus peſsimis, prorſus ignorātes quo male viuẽdo tendũt. Vtinā, iuxta propheticā deplorationẽ, ſaperẽt & intelligerent, ac nouiſsima prouiderent. Prouiderẽt, inquam, nouiſsima, quę peccatorib. ſũt reſeruata ſupplicia. Ipſa plane ſũt quæ timeri debent, ſolertique cura caueri. Si enim tam ſolicite corporalis fugitur mors, vt nemo mori velit, quantum fugi debet æterna? Cęterum ſi momentanea rationabiliter ſunt euitanda tormenta, quę finem habent, quo animo omni fine carentia? Ita proculdubio futurorum gerunt imaginem, non æqualitatem, quum finiti ad infinitum nulla ſit comparatio. Ex iſtis erudimur de illis. Propterea quiſque ſapiens, quum quouis ſiue corporali, ſeu ſpirituali dolore torquetur, conſiderationem ſuam minime tardet erigere ad illos cruciatus, qui in alia vita damnatis pro ſceleribus inferuntur. Quos quum intolerabiles eſſe perſenſerit, reſipiſcat ab iniquitatibus ac ſibimet tranſactarum culparum vltionem inſtituat, ſicque facinora præterita diluat, vt de cætero vltra non peccet. Alioquin deriſor non pœnitens eſſe cenſebitur. Aſſueſcant, itaque ſeculi amatores, eo diligentius futura proſpicere, quo ardentius præſentia quærunt: meminerintque vtriuſque vitæ gaudiis neminem frui poſſe. Hoc ſanctorũ, hoc, *Luc. 6.* inquam,

Matt. 5. inquam, incarnatæ ſapientiæ probat authoritas. Ait nanque: Væh vobis diuites, qui conſolationē habetis in hoc ſeculo, quia in futuro plorabitis & Iac. 5. flebitis. Econtrario: Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Iacobus quoque Apoſtolus inquit: Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miſeriis veſtris, quæ adhæſerunt vobis. Diuitiæ veſtræ putrefactæ ſunt, & veſtimenta veſtra à tineis comeſta ſunt. Aurum & argentum veſtrum æruginauit, & ærugo eorum in teſtimonium vobis erit, & manducabit carnes veſtras ſicut ignis. Theſaurizaſtis vobis iram in nouiſsimis diebus, epulati eſtis ſuper terram, & in luxuriis enutriſtis corda veſtra. Audite ergo nunc audientes, & cordis aure percipite, qui conſolari temporaliter, concupiſcitis, quid per ora ſanctorum, ſpiritus almus de vobis pronunciet. Conuertimini quæſo ad correctionem, antequam veniat ſuper vos repentinus interitus, & in abyſsi baratrum demergamini. Vbi proculdubio nulla à cruciatibus datur requies, ſed dolor ſentitur intolerabilis, ignis vrit inextinguibilis, vermis conſcientiæ viget immortalis, fœtor ſulphuris affligit importabilis, interiores abſque conſolatione vlla ſunt lachrymæ, horridus aſpectus dæmonum, improperiorum ipſorum clamor intonat vehementiſsimus, teterrimus eſt carcer, indiſſolubilia vincula, ſitis exæſtuans, dentium ſtridor, timor ſupplicii, iudicii tremor, peccatorum inordinatus pudor, hebetudo animi, ignorantia profundo ponderoſitas corporis, membrorum laſcitudo, mortis concupiſcentia ſine morte, inuidiæ tabes, diſcerpēs ira odiorum ardens facula, omnis ſpei perpetua extinctio. Et quod his omnibus peius eſt, diuinæ viſionis æterna carentia. Huiuſmodi ſupplicia lōgeque maiora, ad reproborum vltionem, in locis pœnalibus Auerni inſtituit Deus. Quæ ſunt iugiter meditanda, ſedulaque intentione fugiendi. Neque fas eſt ambigere de iis, quę ſacrarum literarum multipliciter pandit authoritas. De quibus ſingillatim diſſerere ocioſum eſt, quum eadem eſſe ſancta indubitanter fatetur eccleſia, Matt. 25. domini Ieſu teſtimoniis erudita. Qui de ipſis futuroque vniuerſali iudicio, luce clarius loquens ait: Quum venerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes angeli eius cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuę, & congregabuntur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicē, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis. Et ſtatuet oues quidem à dextris, hœdos autem à ſiniſtris. Tunc dicet rex iis, qui a dextris erūt: Venite benedicti patris mei, percipite regnum vobis paratum à conſtitutione mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare. Sitiui, & dediſtis mihi bibere. Hoſpes eram, & collegiſtis me; nudus, & operuiſtis me; infirmus, & viſitaſtis me; in carcere, & veniſtis ad me. Dicet & iis, qui a ſiniſtris erūt: Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare; ſitiui, & non dediſtis mihi bibere; hoſpes erā, & non collegiſtis me, nudus, & non operuiſtis me; infirmus, & in carcere, & non viſitaſtis me. Et ibunt hi in ſupplicium æternum. Iuſti autem in vitam æternam. Sane nil apertius, nil verius dici potuit. Reſecuit lites, infidelitatem abſtulit, palam prænunciauit quod facturum ſe nouerat. Vnde dicebat: Amen dico vobis, non pręteribit generatio hæc, donec Matt. 24. hęc omnia fiant. Cęlum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribunt, quin videlicet cōpleantur. Huius quoq; diei iudicii acerbitatē veritatēq; Propheta in ſpiritu cōſiderans inquit: Iuxta eſt dies domini, iuxta & velox nimis. Sophon. 1. Vox diei domini amara, turbabitur ibi fortis. Dies illa dies iræ, dies tribulationis & anguſtię, dies calamitatis & miſerię, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulę & turbinis, dies tubę & clangoris, in igne zeli eius deuorabitur omnis terra, quia conſummationem cum feſtinatione ipſe faciet cunctis habitantibus terram. De ipſo iudicii die propheta alius ait: Psal. 49. Dominus manifeſte veniet, Deus noſter, & nō ſilebit. Ignis ante ipſum exardeſcet, & in circuitu eius tempeſtas valida. Aduocauit cęlos, videlicet angelos de ſurſum, & terram, id eſt, ſanctos diſcernere populum ſuum. 2. Cor. 5. Nullus ergo dubitet, quemadmodum Apoſtolus inquit, omnes nos exhiberi oportere ante tribunal Chriſti, vt recipiat vnuſquiſque prout geſsit in corpore, ſiue bonum, ſiue malum. Quamobrem reuoluat peccator quilibet interdum intra ſe, quid in illo eſt acturus iudicio, quantuſque erit pauor, quum deſuper aderit iratus iudex, ſubtus inferni patens Chaos, coram poſiti teſtes angeli, dæmonia accuſantia, manifeſta ſcelera in libris conſcientiarum compendioſiſsime ſcripta; elementaque turbata. Nam ſicut latere nemini erit poſsibile; ita damnandis apparere intolerabile. Equidem tunc euacuabuntur principatus ſeculi, poteſtates principum, dignitates regiæ, pontificales infulæ, opiniones hominum, fauores populorum, & omne quod altum atque decorum eſt, quoniam de ſolis operibus ſingulorum diſceptatio fiet, quemadmodum in Apocalypſi per Ioannem dicitur: Apoc. 20. Et vidi mortuos magnos & puſillos ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ. Et iudicati ſunt mortui ex iis, quę ſcripta erant in libris, ſecundum opera ipſorum. Quid ergo in illo tremēdo examine acturi ſunt reges, duces, potentes, & nobiles, qui violenter oppreſſerunt ſubiectos, & pauperes, ſibique omne licere voluerunt quod libuit? Tot quippe aduerſus eos inſurgent teſtes, quot perpetrauerunt ſcelera, quotque damnauerunt ac ſpoliauerunt iniuſte. Quid, inquam reſpō ſuri ſunt diuites, qui erga egenorum inopiam pietatis viſcera claudentes, nihil ad ſe pertinere putant

tant quis egeat pane, quis potandus, quis induendus, quis hoſpitio recipiendus, quis viſitandus, quisve ſepeliendus ſit? Nullius neceſsitatem ſentiunt, nullique compati nouerint, dummodo ipſi delicijs affluant, abundent diuitijs, precioſisq; indumentis ornentur. Huiuſmodi cum diuite, qui induebatur purpura & byſſo, & quotidie epulabatur ſplendide, pati ſunt plectendi ſententia. Cæterum de iis quid memorem, qui carnis voluptatibus dediti omnem impudicitiam, immunditiam, ebrietatemque ſectantes, ventrem ſibi conſtituerunt Deum, obſcœnaque corporis oblectamenta felicitatem perpetuam? Nunquid & hi diuinam effugient vindictam? Recepturi profectò ſunt duplicia de manu domini, animæ videlicet & corporis damnationem æternam. Nedum autem ipſi, de quibus ſpecialis facta eſt mentio, verumetiam vniuerſi, qui Dei neglexere præcepta, & ambulare ſtuduerunt poſt deſideria cordis ſui in concupiſcentiis, interminabili cremabuntur incendio. Tunc nullum intercesſorem habituri ſunt, nulloque precio redimendi. Quid igitur illis agendum eſt, quibus adhuc pœnitentiæ tempus prærogatum eſt, atque veniæ locus indultus? Redeant vtique ad ſe, reatus ſuos agnoſcant, propria deplorent facinora, diuinam humillime implorent clementiam, ſanctorumque ſuffragia, atque ſeculo ſponte renuncient, quatenus futurorum bonorum pollicitatione accenſi perſeuerantes in ſtadio, quæ malis parata ſunt, valeant euitare tormenta. Verum qui matrimonio copulati, ſeu carnis, vel ſpiritus infirmitate depreſsi, nequeunt cuncta deſpicere, Apoſtolicam doctrinã, quæ in ſeculo degentibus exhibita eſt, obſeruare [1. Cor. 7.] conentur. Sic nanque legitur: Hoc autem dico fratres, tempus breue eſt. Reliquum eſt, vt qui vxores habent, tanquam non habentes ſint, & qui flent, tanquam non flentes, & qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui emunt, tanquam nõ poſsidentes, & qui vtuntur hoc mũdo, tanquam non vtantur, quoniam mundi huius figura ſingulis horarum momentis præterire non ceſſat.

Quòd valde mirandum ſit, cur credentes alteram eſſe vitam, conuerſationem ſuam non commutant. Cap. XVII.

Mirari prorſus non deſino quonammodo fiat, vt ii, apud quos per fidẽ conſtat alteram eſſe vitam, in qua iuſtis ineffabilia gaudia, & peccatoribus intolerabilia irrogantur ſupplicia, non compungantur iugiter, conſeruationemque ſuam laudabiliter ducant, non qualem commendat mundus, ſed quam approbat Deus, præſertim quum decurrente tempore abſque interuallo quotidie agnoſcant ſe appropinquare letho, atque aſtare iudici, qui falli non poteſt, quum ſapientia ſit, nec terreri, quum ſit omnipotens, nec ſubuerti muneribus, quum ſit ditiſsimus, nec flecti blanditiis, quum æquiſsimus ſit, neque illi quicquam occultari, quum omnia nuda & manifeſta ſint ei, qui nullius perſonam accipit, nullumque delictum impunitum relinquit, ſed cuncta hominum errata diſtricta examinatione diiudicat, ſingulis merita condigna retribuens. Porro cui ſic conceſſum eſt viuere, vt nulli ſceleri reperiatur obnoxius, minime tanti iudicis debet formidare aſpectum, qui ſolummodo deordinata & legibus ſuis auerſa puniendo inſequitur. At verò quis eſt adeò ſuimet ignarus, qui tantam ſibi innocentiam in hac vita arrogare præſumat, in qua ſicut Ioannes ait: Si [1. Ioan. 1.] dixerimus quia peccatum nõ habemus, nosipſos [Psal. 13.] ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Quid de hoc Propheta ſentiat, quidve protulerit, audiamus: Dominus, inquit, de cælo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Quum omnes declinaſſe aſſerat, excluſit neminem quamuis ſanctum, quanquã multipliciter donis ſpiritualibus decoratum. Nã [Rom. 3.] ſicut ſcriptura commemorat, omnes peccauerunt & egent gratia Dei. Si gratia Dei indigent, egeni & peccatores ſunt. Meminerimus, quàm ſeuere dominus in Apocalypſi, de propria ſe ex- [Apoc. 3.] tollentem iuſtitia redarguendo feriat: Dicis (inquit) Diues ſum & locupletatus, & nullius egeo, & neſcis quia tu miſeres, & miſerabilis, & pauper, & cæcus & nudus. Quiſque igitur quandiu in hoc exilio eſt mortalitatis carne veſtitus, ſe peccatorem agnoſcat, delicta ſua confiteatur, deploret & corrigat. Non ſe tegendo excuſet, non ſe iuſtificet, neque ſibi de propria applaudat iuſtitia, ſed fidei oculo futurum proſpectet iudicium & dicat: Non intres in iudicium cum ſeruo tuo [Psal. 142.] domine, quoniam non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Sic humiliter Deum deprecetur fidelis, vt non iudicetur damnandus. Nam infidelis iam iudicatus eſt. Quomodo autem iudicatus? Vtique, quia non credit in nomine vnigeniti filii Dei, quem pater æternus, viuorum ac mortuorum inſtituit iudicem. Ex ſe ergo iudicatus non iudicatur de nouo. Huiuſmodi à fide catholica alienus futurum negat iudicium, Dei iuſtitiam deſtruit, quæ vnicuique reddit iuxta opera ſua. Quamobrem iſte tanquam ſemel iudicatus vitæ præſentis quantum valet oblectamẽta ſectatur, & effræno animo terrena concupiſcit, velletque nunquam de hac vita migrare, vtpote alteram fore non credens. O quam multos titulo Chriſtianitatis tantum nomine inſignitos in ſuo gremio tenet eccleſia, qui apud ſe vniuerſale iudicium, futuram corporum reſurrectionem, inferni pœnas, & paradiſi gaudia fabulas arbitrantur. Nam etſi voce vel cæremoniis exterioribus confitentur ſe Deo credere, factis tamen & cogitationibus negant. Tales procul-

Digitized by Google

dubio nefarii, infideles & deſperati ſunt, aç Deū eſſe non credunt. In quorum perſona Propheta Pſal. 9. ait: Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Optime inſipiens appellandus eſt ille, qui non eſſe Deum, neque alteram vitam aſſeuerare pręſumit. Dicendo verò ſic, negare audet quod gentiles confitentur. Quæ (oro) natio eſt tam aliena à cultu religionis, tamque carnis voluptatibus dedita, quæ non credat Deum eſſe, futuramque vitam? Omnes communiter ſectæ concupiſcentias ſuas arbitrantur alibi abundantius ſe perfecturas quàm hic, vbi deſideria ſua minime implere poſſe ſe vident, quanquam & quæ in futuro fallaciter habituros ſe fingant, non eadem, neque vniformia fore cenſeātur. Aliqui lactis & mellis flumina atque obſcęnis impudicitię actibus operam daturos ſe ſperant. Quidam in cælum aſcenſuros ſe putant, ibique choreas ducere, conſummare connubia, & cætera agere, quæ pertinent ad carnis illecebras. Illa quippe autumant ſibi parata in cęlo, quæ incontinenter amant in ſeculo, nolentes corporis voluptates amittere, ſed augere peramplius. Fuere verò nonnulli, memoratis omnibus prudentiores, qui crediderunt poſt corporis reſolutionem in cælis ſe adepturos perpetuas manſiones, ibique contemplationi vacare debere, quanquam quid ſit cōtemplatio vera, penitus ignorarent. Hi tamen quoniam ratione corporis reſurrectionē minime ceperunt, illam negare auſi ſunt. Sane nimis eſſet difficile ſingularum ſectarum, ſeu hæreſum opiniones enarrare, in quibus alii ſic, & alii ſic, crediderūt futurum. Sed illi cæteris inſipientiores ac viliores ſunt, qui aliam eſſe negant vitam, quàm iſtam, pecoribus, iumentis, hominibus pariterque communem. Supra modum degenerant ab eo, quod conditi ſunt, & ſe irrationabilibus animantibus æquales faciunt, ſicut per Prophetam dicitur: Homo Pſal. 48. quum in honore eſſet non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Quomodo autem non efficiuntur iumentis ſimiles, quum niſi viſibilia cogitare neſciant, & tanquam ſylueſtres feræ tantum quæ carnis ſunt ſapiant, quoniam quod in homine præcellit, coęquant corpori, quod per reſolutionem ſuam in eandem, de qua plaſmatum eſt, materiam redit. Nonne mortalium cadauera terræ condita poſt paululum putrida futura in terræ materiam rediguntur? Excipiunt namque condignam præuaricationis ſuæ mercedem. Nam poſt perpetratum inobedientiæ ſcelus homo primus audi- Gen. 3. uit: Terra es & in terram ibis. Sane qui animæ immortalitatem, atque aliam vitam iſta præſtantiorem impudenti temeritate non eſse concertant, nefarii, atque blaſphemi ſunt, inhonorantes Dei ſapientiam, ipſiuſque iuſtitiam, dum vniuerſa confundenda contendunt, negantque retributionem bonorum & malorum, quæ in pręſenti ſeculo nullo modo perficitur, quoniam alibi complenda ſeruatur. Sæua prorſus ac deteſtanda eſt horum opinio, qui animæ & corporis finem vno eodemque momēto temporis fieri arbitrantur, quemadmodum per ſapientem, non definiendo, ſed ratiocinando dicitur: Vnus interi- Eccle. 3. tus eſt hominis & iumentorū, & æqua vtriuſque conditio. Sicut moritur homo, ita & illa moriuntur. Similiter ſpirant omnia, & nihil habet homo iumentis amplius. Cuncta ſubiacent vanitati, & omnia pergunt ad vnum locum. De terra facta ſunt, & in terrā pariter reuertuntur. Quis ſcit, ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſum, & ſi ſpiritus iumentorum deſcēdat deorſum? Quod ſi eſset, proculdubio deſtrueretur quicquid religionis eſt, quod fidei, quod pietatis, quod virtutis, quod gratiæ. Dei præterea euacuaretur conſilium, hominum ſalus, ſtatera æquitatis, & omne quod ad vitam ſempiternam pertinere dignoſcitur. Porro fatuitatem ſuam à veritate fidei alieni, in tormentis poſiti confitebuntur, quum ſola vexatio dabit intellectum. In quorum perſona in ſapientiæ volumine continetur ſic: Tunc ſtabūt Sap. 5. iuſti in magna conſtantia aduerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt, & qui abſtulerunt labores eorum. Videntes turbabūtur timore horribili, & mirabūtur in ſubitatione inſperatæ ſalutis dicentes intra ſe pœnitentiam agentes, & pręanguſtia ſpiritus gementes: Hi ſunt, quos aliquando habuimus in deriſum, & in ſimilitudinem improperii. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce, quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum eſt. Errauimus itaque à via veritatis & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentię non eſt ortus nobis. Quid nobis profuit ſuperbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuncius præcurrens, & tanquam nauis, quę pertranſit fluctuantem aquam, cuius quum pręterierit, non eſt veſtigium inuenire, neque ſemitam carinę illius in fluctibus. Sic & nos nati deſiuimus eſse, & virtutis quidem ſignū nullum valuimus oſtendere. In malignitate autem noſtra conſumpti ſumus. Talia dixerunt in inferno ii, qui peccauerunt, quoniam ſpes impii tanquam lanugo eſt, quę à vento tollitur, & tanquam ſpuma gracilis, quę à procella diſpergitur, & tanquam fumus, qui à vento diffuſus eſt, & tanquam memoria hoſpitis vnius diei prętereuntis. Sera profecto pœnitudine errorem ſuum agnoſcent, cunctiſque palam faciēt, quando cum iis, qui à ſiniſtris erunt, irreuocabiliter ſententiam damnationis exceperint. Cęterum mirum non eſt ſi qui fidei priuati ſunt lumine, per vitiorum abrupta vagantur, & pereunt, quum quotidiano exemplo diſcamus innumeros eſse, qui veritati catholicę fidei aſsentiunt,

& na-

& naturali pollent prudentia, veluti infructuoſas arbores occupare terram, atque ad bene agēdum omnino eſſe ineptos, quemadmodum de ipſis Propheta ait: Sapientes ſunt, vt faciant mala, bene autem facere neſcierunt. Aduerſus hu- Hier.4. iuſmodi, eloquia ſacra & innata clamat ratio, obteſtans vt ſuperiori ſuo obtemperare debeant ſicut obedientiam ſibi exhiberi ab inferioribus volunt. Nonne beneficia ſibi à Deo impenſa perficiendum diuinam legem eos impellunt, ne tranſgreſſores illius damnentur ingrati? De obedientia verò creaturarum quid memorem, quæ ab earum conſtitutione in nullo à condi- Pſal.148. toris ſui imperio deuiare noſcuntur: Sic de illis Propheta inquit: Stauit ea in æternum & in ſeculum ſeculi, præceptum poſuit, & non præteribit. Quamobrem pudeat homines non eſſe quod deberent, ac repugnare altiſſimo, quum ad bene viuendum illos diuina inuitent eloquia naturalis ratio, collata munera, vniuerſi ordo cuſtoditus ab æuo, hora mortis imminentis ignota, peccatoribus promulgata ſupplicia, atque cœleſtis patriæ iuſtis ineffabilia bona promiſſa. Iſta proculdubio deberent emollire corda adamantina, lapideaque, & ad morum probitatem inflectere, ſi tamen rationis quamtulacumque eis ineſſet ſcintilla. Adeo quippe palam effecta ſunt, vt nedum ſapientibus & peritis, verum etiam ſimplicibus, & ignaris captabilia, ſint, dummodo obſtinato animo, vt Pro.48. bene agant, intelligere nolint. Tunc omnis perſuaſio caſſa, omniſque ratio arbitratur indigna, quoniam in homine completum eſt, quod per quendam dicitur: Impius quum in profundum malorum venerit, contemnit. Sane vbi contempus eſt gratiæ, & vbi agnita impugnatur veritas (quoniam omnis labor ſuperuacuus eſt) ſapientiæ non ſunt ſeminanda eloquia, iu- Matt. 7. xta admonitionem domini dicentis: Nolite ſanctum dare canibus, neq; pro ijciatis margaritas ante porcos, ne ſorte cannes conuerſi elidant vos. Proinde illis tantummodo ſunt propalanda myſteria, qui ſapientiæ conſilijs humiliter acquieſcere volunt, propriamque ſalutem amare noſcuntur. In eis, inquam, benedictio cæleſtis effulget, qui neſciunt reſiſtere gratiæ, corde non audent intumeſcere, dedignanturque præſentia plus amarė quàm Deum, ſed mites ſunt, & ſacris eruditionibus ſimplici corde conſentiunt. Tales nimirum temporalia poſſidentes, ſic ſe in illis exhibent tamquam non poſſideant, ſicque hoc mundo vtuntur tam quam non vtantur, quoniam peregrinos in hoc ſeculo ſe eſſe cognoſcunt. Prudenti quidem conſideratione iugiter meditantur, quomodo ſine retardatione aliqua viſibilia cuncta pertranſeant, quæ quum ſtare videntur, labuntur, ſibique cohærentes collidunt & perdunt. Sed quæ (oro) eſt iſta dementia, vt quis abſque vllo metu luteam velit inhabitare domum, cuius fundamentum nutet, ſint debilitati parietes, putreſcat culmen, lapides quotidie ſingillatim euulſi decidant, & pene horis ſingulis totius ædificij ſtructura ruinam minari cernatur? Quis virum huiuſmodi intuebitur, & non acclamabit eum eſſe delirum? Sed (proh dolor) innumeri ſunt, qui corporalis mortis periculū damnant & fugiunt. Spirituali verò & æterno ſine pauore ſe ingerunt. Quid, præſo, præſentis vitæ incolatus eſt, niſi ſpiritualis quędam domus, qua ad commorandum delegati ſumus à domino? An non quotidie & abſque interuallo domus iſta conſumitur, veteraſcit, caſuique propinquat? Tot (vt dicam) ſubtrahuntur lapides, quot prætereunt dies. Tranſimus ab infantia ad adoleſcentiam; ab adoleſcentia ad iuuentutem, à iuuentute ad virilitatem, à virillitate ad ſenium; à ſenio ad ætatem decrepitam, & tamen eouſque attingunt rariſſimi. Verum qui ſic efficiuntur longæui, quot calamitatibus obuoluantur, quot atterantur languoribus, nemo ſufficienter edicit. Horum profectò vita ſibi ipſis oneroſiſſima eſt, quoniam caligat viſus, eorum obturatur auditus, olfactus amittitur, guſtus fatiſcit, palpitat tactus, fœtet anhelitus, curuantur genua, greſſuumque itinera baculo ſuſtentatur, fiuntque nonnunquam eorum propinquis & notis intolerabiles ad videndum. Singuli ærumnoſæ vitæ ipſorum compatiuntur, & carnis ſine Dei offenſa precantur interitum, non odij, ſed compaſſionis permoti affectu, credentes eorum miſerijs mortem finem eſſe daturam. Et tamen contingit multis, vt de temporali ad ſupplicium tranſeant ſempiternum. Memoratum ſpectaculum coram ſeculi amatoribus poſitum, & heu vitæ corporalis diuturnitatem totis viſceribus concupiſcunt. O cæca mortalium cupido viuendi. O inueterata inſenſibilitas mentis, quò duceris, quò traheris. Aduerte, quæſo, quid velis, quid deliteſcendo exoptes. Deſideras quippe non mori, quod nunquam obtinere valebis. Quis eſt (inquit Pro- Pſal.88 pheta) qui viuet & non videbit mortem? Annorum quoque cum corporis ſoſpitate multa cupis implere curricula, & minime recolis verbum Prophetæ dicentis: Anni noſtri ſicut ara- Pſal. 89. nea meditabuntur, dies annorum noſtrorum in ipſi ſeptuaginta annis. Si autem in potentatibus octuaginta anni, amplius eorum labor & dolor, quoniam ſuperuenit manſuetudo & corripiemur. Experientia aliorum te doceat neminem hic diu poſſe ſubſiſtere. Nam velit nolit quiſque ex hac vita migrare compellitur. Noli itaque amare quod tranſit, ſed neque moliaris rei illi inhærere, quæ labitur. Noli, inquam, concupiſcere inaniter, quod nulli vnquam conceſſum eſt. Non enim in præſenti ſecuio, ſed in cęlo vitę prerogatur ęternitas. Quamobrem ſolicitus eſto, non vt in hac peregrinatione diutiſſime viuas, ſed vt mundi iſtius queas cum ſalute animę appoſita tibi deuitare pericula.

Quòd ſolerter ſtudeant mortales diaboli vitare laqueos quorum hic mundus eſt plenus. Cap. XVIII.

PEregrinationis huius itinera gradientes magnopere ſtudeant venatorum ſpiritualium quibus hic mundus eſt plenus, declinare tendicula, quæ nemo niſi qui illa cognoſcit, euadere poteſt. Verum ad hoc quis idoneus? Quis, inquam, eſt qui dæmonum non ignoret fallacias? Vbique ad capiendas animas retiacula tendunt. In diuitijs, & paupertate. In ſublimitate honoris, & in mūdi contemptu. In voluptatibus carnis, & auſteritate pœnitentię. In crapula, & ſobrietate. In rerum affluentia, & parcitate victus. In loquacitate & ſilentio. In nitore, & ſordibus. In lætitia & fletu. In adminiſtratione temporalium & remotione quieta. In libertate & ſubiectione. In labore & ocio. In occulto & publico. In ſolitudinibus & ciuitate. In debilitate, & corporis ſoſpitate. In vigilijs & corpore. In gloria & ignobilitate. In infamia & fauoribus hominum. Et vt paucis vniuerſa comprehendā, nullus eſt locus, nulla actio, nullaq. perſona, quæ ab ipſorum deceptionibus libera exiſtat, quoniam nequeunt excludi parietibus, nec placari precibus, neq. terroribus coerceri. Quamobrem oculate & maxima cum maturitate incedendum eſt, atq. ab omnibus cum Dei timore viuendum, & poriſſimum ab his, qui ob vinculum connubij, ſeu curam ineuitabilem rei familiaris colligari ſunt ſeculo, quoniam ad caſum procliuiores ac propinquiores eſſe noſcuntur. Equidem vbi bellatorū grauior incumbit inſultus, ſolicitior ad pugnandum debet adhiberi cuſtodia. Cæterum quum æquoris intumeſcunt vndæ, & oborta tempeſtas acrius ſolito deſæuire conſpicitur, prudentius nauigandum eſt, atque portus quæritanda tranquillitas, ne incautum bellatorem interitus, & torpentem nautam marini fluctus inuoluant. Hinc plane animaduertendum eſt, quod in ſolitudinibus, & in cœnobijs à fragoribus mundi ſemotis proprior eſt hominum ſalus, conuerſatio turior, minora pericula rariores caſus, & ab eis celerior reſurrectio, quam in ſeculo, vbi incentiua exurit flamma libidinis, auaritiæ cupido dominatur, & ſuperbiæ faſtus attollit. Quid enim eſt mundus iſte, niſi quidam ſpiritualis venationis locus, in quo tot tenduntur laquei, quot immittuntur tentationes, ſeu ad delinquendum hominibus emergunt cauſæ? Singula tentatio, ſingulus eſt laqueus. Porrò venatores infeſti ſunt aereæ po-

Ephes.6. teſtates, contra quas omnes, qui ſaluari deſiderant, oportet habere conflictum. Apoſtolum audi: Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus. Pugnant hi hoſtes omni calliditate aduerſum nos, vt noſtrum diripiant ſpiritualem theſaurū, quem ipſi homicidæ optime ſciunt latere in nobis. Moliuntur etiam noſtrum impedire iter, ne ſcandamus ad cælum, vnde ipſi turpiter depulſi ſunt. Ob illorum ergo importunitatem nobis certandi eſt in dicta neceſſitas, vt viriliter dimicemus, hortamur ad bellum, certantium nobis proponuntur exempla, victorum merces offertur, præliandique tribuitur gratia. Aduerſariorum ſiquidem pauenda immanitas, ac laqueorum numeroſa pericula dimicare nos cogunt. Chriſtus nos inuitat ad bellum, qui pacem auferre venit & gladium ad præliandum miſit in terram. In eccleſia quotidie martyrum, ſanctorumque recitantur agones, quatenus ipſorum animati exemplis ſcutum arripiamus fidei, gladium ſumamus ſpiritus & ſpei galea, ac patientiæ lorica protecti nullatenus hoſtibus terga vertamus, quin potius viriliter reſtulemur, eosq. orationum iaculis inſequamur intrepide, quoadusq. propulſati diſpereant & pacatum ſentiamus noſtrę mentis habitaculum, atq. ad ſuſceptionem æterni regis decenter ornatum. Ipſo quippe deſcendente ad nos duplici mercede ditamur. Quarum alterā guſtamus in re, alteram verò delectabiliter tenemus in ſpe. Sane ſpei precium ſolus ille nouit, qui accipit, quam locuples ſit, quàmve iucundum. Rem autem ipſam quiſquis in mentis penetralibus humili deuotione diſſimulat, recondit, ne nota hoſtibus fiat, & ob id grauiores patiatur inſidias. Res namque iſta ſpiritualis eſt gratia & ſyncerus pietatis affectus, qui gratuita dignatione à domino prærogatur certantibus, vt robuſtiores, prudentioreſq. fiant in prælio Sine qua gratia proculdubio quicunq. bellare præſumit, ſuccumbit & deficit. In huius igitur mundi ſtadio conſtituti venatorum laqueos, precioſum theſaurum noſtrum, & qua via pergere debeamus ad patriam, intelligere ſtudeamus, quoniam horum ignorantia prorſus ruinæ noſtrę occaſio eſt. Porrò ſcientia iſta communis eſt omnibus, quemadmodum & iactura. Nulli licet talium carere notitia, quoniam nemo eſt, qui à tentationibus liber exiſtat. Nam vniuerſis venatorum parati ſunt laquei, non vniformiter, ſed iuxta ſingulorum qualitatem & ſtatum. Aduerſarij etenim noſtri aſſueti in prælio ſpirituales ſpiritualibus, & carnales carnalibus oppugnant inſidijs. Nullum eximunt, nemini parcunt, nulliuſque pertimeſcunt virtutem. Verum ſi minime veriti ſunt ipſum mundi ſaluatorem appetere, in quo nihil ſuum eſſe ſciebant, cuiuſquàm ne ſanctitatem formidare valebunt? Tantæ ſiquidem verſutiæ ſunt, tantaque perſpicacitate naturalis pollent ingenij, vt cunctorum mortalium facillime ſenſum euerterent, ſi non repercuſſi diuina labefactarentur virtute. Eos quippe ne ad libitum noceant, pro- 1.Cor.10
uidentia ſuperna refellit: ſicut Apoſtolo perhibente didicimus. Fidelis (inquit) eſt Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis,

teſtis, ſed faciet cum tentatione prouentum, vt poſsitis ſuſtinere. Hinc eſt quod ſæuitiam illorum ſentimus, bacchantem furorem nouimus, tẽtationumque perambulamus laqueos, & tamẽ cœleſtinos protegẽte gratia minime ſuperamur: quoniam ſic iuſte diſpoſuit Deus, vt non niſi conſentientibus nobis, laqueos pedibus noſtris iniicere queant. Nam ſpirituales pedes noſtri animæ affectus ſunt. Hos compedibus ſuis irretire contendunt. Quamobrem rerum viſibilium amorẽ affectibus noſtris conantur innectere, quatenus abdicato à nobis noſtro affectu nullum gratum receptaculum habitandi in nobis Deus noſter inueniat, qui per dilectionem & fidem in cordibus hominum cõmorari dignatur. Stupendũ prorſus in nobis geritur quoddam ſpirituale certamen, ſedula conſideratione digniſsimum. In hoc quippe mundo, tãquã ſuperioris inferioriſque regionis conſtituti in medio, ò quàm multiplicia in nobis bella aguntur? Neſciẽtes, ò quantas inſidias patimur, quot de ſupernis ſedibus nobis ſuffragia diriguntur? Suffragatur Deus vt ſaluet, diabolus inſidiatur vt perdat. Concertant ambo, nõ inuicem, ſed in nobis, volentes reportare victoriã. Quamuis Deus omnipotẽs ſit, nulluſq; ipſius poſſit reſiſtere voluntati, non tamen voluntate, ſed æquitate nobiſcum certat, non vt quicquam conſequatur de noſtro, ſed vt nos reuocet ad ſe propter nos, noſque ab interitu eripiat ſempiterno. Certat, inquam, quum ad oſtium cordis pulſat vt ingrediatur, ſpiritualiterque manducemus cum illo & ipſe nobiſcum. Hinc eſt quòd inuiſibilia bona promittit, interna gaudia præſtat, vt nos alliciendo trahat ad ſe, in ſe collocet, & nos de ſe beatos ſemper efficiat. Hac de cauſa mandatum Deut. 6. dilectionis inſtituit nobis dicens: Diliges Dominum Deum tuũ ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota mẽte tua, & ex omnibus viribus tuis. Hoc vnico præcepto, noſter optime ordinatur affectus, coerceturque ne pereffluat, decipiatur, capiatur, ac delictorum cõpedibus alligetur. Nouerat Dei ſapientia, quàm dulcis ſit carnis illecebra, quantumve humana affectio viſibilium amori ſit prona, in quibus innumerabiles occultati ſunt laquei, propterea dilectionem perſuaſit, ac diligendi legem dedit, quatenus luctuoſum amorem diuino compeſceret, & per internum guſtum ab exteriorum delectatione affectum hominis ablactaret, faceretque ex viſibilibus ad inuiſibilia, atque ex temporalibus ad æterna diligenda tranſire. Ex aduerſo diabolus fraudulẽter ſuadet carnis nos debere oblectamenta ſectari, amare diuitias, culmen honoris appetere, cæteraque quærere, quæ ad perfectionem temporalis felicitatis pertinere noſcuntur non ob aliud prorſus, quàm vt euertat incautos, ac viſibilium voluptati ſeruiant, inuiſibilium amore neglecto. Quamobrem ò homo diligenter diſcute cui obtemperare velis, vide ſapiẽter cui ex his duobus ſalubriter tuum præſtes affectum. Ambo illum exigunt à te. Ambo ipſum poſſidere deſiderant. Theſaurus tuus ſpiritualis eſt amor tuus. Quicquid amaueris, violenter te trahit poſt ſe, nec te ſinit ſeparari à ſe dicente Domino: Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt & cor tuum. Matt. 6. Cæterum quia duobus Dominis ſeruire non vales, prudẽtiſsime, quæſo, obſerua cui, ſicut dixi, merito famuleris. Vt igitur agnoſcas quid eligas, diuinam eruditionem attende. Ioan. 10. Fur (inquit incarnata veritas) non venit niſi vt furetur, mactet & perdat. Ego autem veni vt vitam habeant & abundantius habeant. Diabolus fur nuncupatus eſt, qui Dei honorem in homine auferre præſumpſit. Furis itaque huius conſilium abiice, illiuſque agnoſce fallacias. Venit ad te vt tuum furetur theſaurum, ſibique te conſentientem mactet & perdat. Mundi quoque blandimenta contemne, quoniam deceptionum illius refertus eſt laqueis, quos optime ſuperabis, ſi pro Chriſti amore ipſum amare deſieris. Hoc apoſtolica te docet autoritas: Nolite (inquit) diligere mundum, neque ea quæ in mundo ſunt, 1. Ioan. 2. quoniam omne quod in mundo eſt concupiſcentia carnis eſt, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitæ, quæ non eſt ex patre, ſed ex mundo, & mundus tranſit, & concupiſcentia eius. Ecce venatorum ſpiritualium quot ſunt laquei ad capturam animarum per vniuerſum orbem diffuſi. Hos tantummodo euadunt qui mundum ipſum dedignantur amare, illum ſecedendo ſpernunt, eiuſque concupiſcentiis abdicatis Deo in ſpiritu militare proponunt. Nam cæteri ſerui emptitii ſunt, & curarum ſeculi compedibus irretiti, eò arctius, quò immoderatius tranſitoria diligunt, eoque miſerabilius, quo minus propriam captiuitatem agnoſcunt.

Quòd nullus illo miſerabilior eſt, qui quum ſit ſeruus, liberum ſe eſſe arbitratur. Cap. XIX.

QVemadmodum nullus ægrotus eo incurabilior eſt, quàm qui ſanum eſſe ſe putat, ita & captiuo nemo miſerabilior eſt illo, qui arbitratur eſſe ſe liberum. Nullũ iſte Redemptorem quærit, redemptionis preciũ habere non curat, atque captiuitatis ſuæ damna nõ plangit, ducitur, cæditur, trahitur, & inſenſibilis perſeuerat. Quæ (oro) eſt iſta captiuitas, quæ inuiſibiliter, ac inſenſibiliter ita tenet oppreſſum, vt onus ſuũ non ſentiat, neq; damnũ propriũ agnoſcat ipſe qui patitur, impulſuſq; accedat poſt dominum, & ſua ſponte abire ſe credat? Sane propriæ cupiditatis peccator quiſque eſt ſeruus, à qua tenetur preſſus, & perquam iuſte damnatur. O quàm mala, quàm pernicioſa, quàm ve fortis cupiditatis eſt ſeruitus? Trahit ſua vnũquemque voluptas. Quamobrem tot funibus ligatur peccator, tot vinculis detentus trahitur, quot ſecum

deſideriis colligatus tenetur, eoque grauiori ſeruitute atteritur, quò ampliori felicitate attollitur. Quum locupletatur diuitiis, poſſeſsionibus ampliatur, cupiditatis eſt ſeruus, dum voluptati carnis operam tribuit, pudicitiæ libertatē amittit. Si honoribus ſublimatur intumeſcit interius, diaboli captiuus efficitur, quoniam ſicut ſcriptura ſacra teſtatur, ipſe eſt rex ſuper omnes filios [Iob. 42.] ſuperbiæ. Ab huiuſmodi ſpiritualibus funibus quicumque aſtrictus eſt, non niſi gratia cooperante liberatur. Tandiu illuſus ducitur, ac trahitur, quandiù hoc mortali tegitur indumento. Sed quo ducitur? vel à quo trahitur? Ducitur plane per tenebras vitiorum, per illecebras delictorū, per oblectamenta ſeculi. Nimirum cupiditate trahente, impellente voluptate, elatione dominante. Cæterum quandiu memoratæ ſeruitutis ignorat tyrannidem, lętatur quum malefecerit, & exultat in rebus peſsimis, præeſſe gaudet, quotidianiſque ſucceſsibus mundi magis, magiſq; florere deſiderat, nec aduertit miſerrimus ibi maiorem imminere ruinam, vbi gradus eſt altior, & tanto multipliciora, atque indiſſolubiliora fore vincula, quanto deteſtabiliora in homine contigerit eſſe facinora. Tales (quanquam raro) difficile corrigūtur, corrigūtur tamen nonnunquam, quoniam Deo vniuerſa poſsibilia ſunt, qui quos vult de tenebris vocat ad lucem, & ex inimicis & extraneis amicos facit & filios. Correctio quippe iſta malorumque conuerſio agitur operante gratia, & vt plurimum interueniente flagello. Bona gratia, quam ad iuſtificationē impiorum largitur Deus, abſque illis condignis meritis, ſine qua nullus infertur cęlo, & ſanctorum conſortio efficitur dignus. Verum diuini flagelli quis valet enarrare præconia, ipſiuſque reſerare profectus? Munus eſt Dei, filiorū præcipuum ſignum, lumē mentis, peccatorum venia, emendator ſcelerum, origo virtutum, concupiſcentiarum interemptor, ſalus animarum, nutrimentum ſpei, robur fidei, caritatis augmentum, præcurſor veritatis, additamentum ſapientiæ, & paſsionum carnalium antidotum ſingulare. Iſto deficiente multiplicantur delicta, mentis denſatur cæcitas, mūdi inardeſcit cupiditas, & ſuperbiæ accreſcit tinea. Nā quemadmodum continuus ſucceſſus temporalis in diciū damnationis eſt, ita flagelli eruditio, cum patientia, in dubium prædeſtinationis agnoſcitur eſſe [Heb. 12.] præſagium. Propterea Apoſtolus ait: Fili mi noli negligere diſciplinam domini, neque fatigeris quum ab eo argueris. Quem enim diligit dominus, caſtigat. Flagellat autem omnem filium, quē recipit. In diſciplina perſeuerare, tanquam filiis vobis offert ſe Deus. Quis enim filius, quem non corripit pater? Quod ſi extra diſciplinam eſtis, cuius participes facti ſunt omnes, ergo adulteri & non filij eſtis. Omnis autem diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudij, ſed mœroris, poſtea fructum pacatiſsimum exercitatis per eam reddet iuſtitiæ. Videsne Apoſtolico teſtimonio, quàm proficuum ſit diuinum in ſe perferre flagellum? Verum quàm pernicioſum ſit ſine aliqua eruditione in hoc ſeculo feliciter viuere, propheta indicauit dicens: In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagel- [Pſal. 81.] labuntur, ideò tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate & impietate ſua. Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum, trāſierunt in affectū cordis. Hanc propheticam ſententiam ſeculi amatores nunc audiant, qui proſperitatem appetunt momentaneam, nullum flagellum volunt perpeti, nulliſque tribulationibus erudiri. Quin potius ſibi volunt ad vota vniuerſa ſuccedere, efferri honoribus, facultatibus ditari, filiorum dilatari propagine, eſſe incolumes corpore, abundare delitiis, voluptatibus incraſſari, ſicque florere, ac ſi nunquam eſſent morituri. Audiant, inquam, & corde euigilent, formidentque nullam aliam, prę terquam temporalem felicitatem quam habent, eſſe remunerationem percepturos à domino, atque audire: Fili recepiſti bona in vita. Nam ſicut ſemel tantum pro peccatis irrogatur correctio, [Luc. 16.] ita pro virtutibus præſtatur donorū retributio. Quamobrem redeant ad ſe, qui proſperitatibus pollent, diſcātque quàm pernicioſus ſit ſuus ſtatus, quàm breuis lætitia, quam inanis iactantia, quàm propinqua mors, & quantis ſua vita circunſepta ſit laqueis, quàm ſæui aduerſarii, quātum ad ſeducendum callidi, quamque cupidi ad prędandum. Nam omni auiditate latentem (non quidem noſtrum, ſed ad cuſtodiendum accommodatum nobis) moliuntur auferre theſaurum. Iſte theſaurus non eſt auri, non argenti, neque gemmarū, ſed ſpiritualis, inuiſibilis humanis obtutibus, immenſique valoris. De illo quippe ait Apoſtolus: Theſaurum iſtum habemus abſconditum in vaſis fictilibus. [1. Cor. 4.] Verus planè, & ſupra modum precioſus theſaurus eſt rationalis ſpiritus, in luteca carne incluſus, qui nobilem Dei ſui in ſe oſtendit imaginem, præcipue ſi non ſit lethalis peccati colluuione pollutus. Tanti ſiquidem eſt, vt filii Dei redemptus ſit ſanguine, quemadmodum per Petrum dicitur: Scientes, inquit, quòd non corruptibilibus auro & argento redempti eſtis, de vana conuerſatione paternæ traditionis, [1. Petr. 1.] ſed precioſo ſanguine quaſi agni incontaminati & immaculati Chriſti Ieſu. Tunc illius dignitas agnoſcitur tunc quanti ſit recte iudicatur, quum ab originalis delicti abſtergitur macula, quum ingenita libertate potitur, quum gratia ſanctificationis impletur, quum donis ſpiritualibus fœcundatur, cum relectis mundi oneribus per contemplationē in cœleſtia rapitur, & quum per amoris incendium angelicis ſpiritibus ſociatur. Nam quandiu in hoc ærumnoſo exilio temporalium curis agitatur, donec amore viſibilium captiuus tenetur,

tur,

Digitized by Google

tur, quouſque delictorum cœno fœdatur, atque mortalitatis iſtius vinculis alligatur, illius præclara ſublimitas ignoratur. Hinc eſt quod amatores mundi iſto vilipenſo atque neglecto, theſauros ſibi cumulant temporales, amplificant prædia, rura emunt, augmentant reditus, replent horrea, & promptuaria ſua exuberare lætantur. O quàm frequenter pro aggregandis his omnibus ſpoliãt pauperes, rapinas exercent, iniuſta lucra ſectantur, amittunt propria, vt aliena lucrentur. Grauis prorſus eſt iſta iactura terrenam tantum de laboribus ſuis reportare mercedem, ac pro adipiſcendis æternis ſuppliciis conſcientiæ euacuare marſupium. Talium negotiatorum (heu) quantus eſt numerus, quanta cupiditas, quanta ve ſollicitudo. Si diligenter quæſieris vbique eos abundare reperies, adeò vt æſtimetur inſanus, qui huiuſmodi cõtempſerit exercere commercia. Hinc eſt, quòd ſeculo renunciare volentibus tot obiiciuntur obſtacula, perſecutiones fiunt, tenduntur inſidiæ, inferuntur minæ, lacrymæ funduntur, multiplicantur preces, promiſſa exhibentur, venenatæ ingeruntur blanditiæ, doloſæ adinueniuntur rationes, nedum ab amicis verumetiam à parentibus, atque propinquis, vt euertant animos eorum, obnubilent mentes, intentiones mutent, faciantque illos in interitum præcipitare perpetuum. Si verò præualent, exultant tanquam victores capta præda, & veluti feræ peſſimæ in innocentium ſanguine. Lugenda profectò atque pernicioſa nimium eſt iſta victoria. Nunquid Chriſtianæ fidei vult iſta profeſsio? Nunquid do-
Luc. 14. minus Chriſtus ſic docuit? Nonne inquit? Qui non odit patrem, aut matrem, fratres, aut ſorores, propinquos & filios, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Prætulit ſpiritum carni, cœlum mundo, parentibus Deũ, quod eſt optimum pietatis genus. An non quiſq; magis obtemperare debet Deo quam propin-
Deut. 5. quis? Equidem quum non vocat nos Deus, parentibus famulandum eſt, illiſque vitæ ſunt impendenda ſuffragia, necnon honoris reuerentia exhibenda. Sic namque Dominus ipſe mandauit in lege: Honora patrem tuum & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram, quã dominus Deus tuus daturus eſt tibi. Cæterum vocãte nos Deo, gratia nobis ſe infundẽte ſuperna, etiam inuitis parentibus, confugiamus ad Chriſtum, qui verus eſt parens. Quamobrem, ò quiſquis es, qui diuini luminis illuſtraris ſplendore, ſentiſque ad contemptum mundi prouehi à domino, noli præſtitum tibi ſpernere donum, noli obſurdeſcere aperire pulſanti. Surge ocyus, & te volenti erigere, manum porrige. Non te lacrymantium parentum detineat amor, non dulcedo affinium, non amicorum ſupplicatio, non temporalium pernicioſa cupido, neque ſeductoria mundi voluptas. Aduerte, quæſo, ſi mundum diligis, ſi in illo conuerſaris, in quanto diſcrimine viuas. Quocunq; te vertes, concupiſcentiæ ignem accenſum inuenies, quem ſi copulari permiſeris tuo, vret te, & in fauillam rediget. Fuge igitur ſicut tibi ſuadet gratia ad montana cum Loth, & ſaluaberis. Fuge, inquam, ad perfectionis celſitudinem, quæ te docet renunciare ſeculo & omnibus pompis eius, prout in baptiſmatis tui profeſsione ſpopõdiſti. Sane quum ad illud acceſsiſti, vt Chriſtianæ militiæ ſociareris collegio, ac nouæ gratiæ ſtipendia ſumeres, datis fideiuſſoribus, diabolo, mundo, & pompis eius te abrenunciare confeſſus es. Vide ergo ne promiſſum tuum irritum facias, neque fidei tuæ vota diſrumpas. Habebis profecto accuſatores præuaricationis tuæ, habebis veridicos teſtes teſtificantes aduerſum te, habebis iudicem, qui nullius perſonam accipit in ſuæ executione ſententiæ, nulliuſque veretur potentiam. Proinde eſto conſentiens aduerſario tuo, dum in huius peregrinationis es via, ne tradat te iudici, & iudex tortoribus, de quorum manibus nunquam liberaberis, niſi ſolueris vſque ad quadrantem minimum. Aduerſarius tuus promiſsio tua eſt. Quandiu quod ſpopõdiſti, exoluis, nullam tibi moleſtiam irrogat, nullam querimoniam agit contra te. Ex præuaricatione tua tibi efficitur aduerſarius. Noli præuaricari promiſſum, & amicus erit, teſtificabitur pro te, teque victorem ducet ad brauium. Redde igitur quod ſponte promiſiſti. Nemo te inuitum duxit ad baptiſmum, nullus te compulit vouere, nemo te coegit accedere, neque blanditiis inuitauit, libera eſt eccleſia, patet omnibus intrare volentibus. Nullum abiicit, nemini contradicit, ſed vniuerſos; tanquam pia mater, de natorum propagatione ſolicita admittit confugientes ad ſe. Acceſsiſti, libellum repudii recitatum coram te audiſti. Requiſitus an crederes, an diabolo, mundo & pompis illius renunciare velles, voce clara multis præſentibus conſenſiſti, teque promittendo debitorem conſtituiſti. Cauſa tua, vox tua, confeſsio tua agunt contra te, & te reum oſtendent, & te acclamabunt mendacem, ſi obſeruare neglexeris, quod te facturũ eſſe dixiſti: lex vtique quæ tibi obiicitur, communis eſt omnibus, qui Chriſtianæ fidei aſſequuti ſunt gratiam. Aliter neminem admitteret ſancta religio, niſi palam confiteretur, quod tuipſe feciſti. Sano itaque conſilio vtere, cuncta deſpice; vniuerſaq; quæ poſsides, pauperibus tribue, quatenus expeditis greſsibus ad illum valeas properare qui ait: Venite ad me omnes qui laboratis, Matt. 11.
& onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugũ meum ſuper vos & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris: iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meũ leue. Requiem proculdubio reperies opulẽtam, ſi iugum illius ſuaue ſuper te ſponte ſuſceperis. Non te premet, quoniam leue eſt, & portantem

ſe

ſe portat. Fietque quotidiè tibi ex vſu delectabile, ſuaue ex guſtu, atque ex Chriſti imitatione iucundius, propterea accelera, propera, feſtina, & velociter curre ad Chriſtum, qui ſibi famulantibus præmia pollicetur æterna. Te quidem de cœlo deſcendens ſicut ouem errantem quæſiuit in terra. Te extenſis brachiis, aperto latere, capiteque demiſſo præſtolatur in cruce. Iam debita tua ſoluit, iam te patri reconciliauit, ac bonitatis ſuæ tibi patefecit arcana. Te quoque gratanter ad ſuum conuiuium nuptiale inuitat, in ſua te cupit aggregare familia, vt illi iugiter aſsiſtas in ſpiritu, laudes exhibeas, tua offeras vota, preces effundas, ipſiusq; die ac nocte delectabili fruaris præſētia. Porrò ſi illi mundo corde vacare ſtudueris, ſi eum tota mente dilexeris, ſpiritualibus locupletabit diuitiis, ſublimabit honoribus, virtutibus fœcundabit, necnon incerta & occulta ſapientiæ ſuæ tibi reuelare dignabitur, lætaberis quippe in illo, & ipſi complacebit habitare in te. Tunc abſque errore, agnoſces noxias eſſe mundi delicias, fugitiuos honores, extenſos in mundi proſperi- Psal. 102 tatibus laqueos, mortemque vicinam. Agnoſces, inquam, gratiam redemptoris tui, munus prærogatum, inuiſibilia bona promiſſa, atque pro his lętus effectus cantabis, & dices: Benedic anima mea dominum, & noli obliuiſci omnes retributiones eius, qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in miſericordia & miſerationibus, qui replet in bonis deſiderium tuum, renouabitur vt aquilæ iuuētus tua. Huiuſmodi ſacri amoris, ſpiritualiſque deuotionis ſtudiis eruditus, ſine mœrore peregrinationis tuæ iter incedes. Sciens autem hic te ciuitatem non habere manentem, futuram, quæ in cęlis eſt, tota intentione requires.

Qualiter conuerſationem ſuam ordinat, qui in hoc ſeculo peregrinum ſe eſſe cognoſcit.
Cap. XX.

QVilquis ſapit, quod à verè fidelibus opportune ſciendum eſt, minime ambigit ſe in huius vitæ peregrinari exilio, in quo ex quotidiana experientia innumeris ſe conſpicit ſubiacere periculis. Hinc eſt quòd ſeculum hoc amare non poteſt, tanquam horis ſingulis emigraturus ex ipſo. Viatoris quippe more ſe pręparans ſarcinulas ſuas colligit, lauans cum propheta per ſingulas noctes lectum ſuum, & ſtratum ſuum lacrymis humiliter rigans. Porrò ſuper ſui cuſtodiam vigilat, conuerſationem ſuā prouida diſcuſsione gubernat, deordinata ordinat, deiecta erigit, agenda diſponit, ſicque prudēter viuit, ac ſi de proximo moriturus exiſteret. Psal. 41 Beatus, qui ſic vitam ſuam ducit innoxiè, vt æterni iudicis minime pertimeſcat aſpectum. Beatus, inquam qui peregrinationem ſuam ſyncera mēte deplorat, & per amoris incendium iugi deuotione ſuſpirat ad patriam, cum Propheta gemebūdo corde, decantans: Sitiuit anima mea ad Deū fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Huiuſmodi omnia ſeculi oblectamenta contemnit, alta deſpicit, pertimeſcit proſpera, terrenamque ſubſtantiam in pręſentiarum poſsidere refugit, noles tranſeuntium rerum curis, pręter neceſsitatem oneratus incedere. Quāobrem laceſsitus iniuriis patienter tolerat, irriſus iniuſtè interius gaudet, ſpoliatus exterius æterna proſpectat, quemadmodum de quibuſdam Apoſtolus ait: Rapinam bonorum veſtrorum cū Heb. 10. gaudio ſuſcepiſtis, cognoſcentes vos habere meliorem & manentem ſubſtantiam. Nam fidei perſpicuo irradiatus lumine, ciuitatis ſupernæ cuius Deus eſt artifex, cupit eſſe colonus. Propterea per ſpiritualem libertatem generoſus effectus, vniuerſa, quę ſub cęlo ſunt, arbitratur vt ſtercora, quatenus cœleſtium bonorum ipſius, fieri mereatur participatione beatus. Nempe ciuitatis illius excellentiam, angelorum frequentiam, ciuium gloriam, deliciarum, opulentiam, manſionum magnitudinem, atque deſiderabilium omnium exuberantiam admirans inardeſcit, concupiſcit, gemit & ait: Quàm dilecta tabernacula Psal. 83 tua domine virtutum, concupiſcit & deficit anima mea in atria domini. Rurſuſque defluentibus lacrymis & corde liqueſcente, ô quàm glorioſa (inquit) dicta ſunt de te ciuitas Dei, ſicut lætantium omnium habitatio eſt in te. Equidem exilii iſtius mora confectus eo impatientius viuit, quo patriæ cœleſtis gaudia clarius intuetur, atque in eam certius poſt corporis reſolutionem ingredi pręſtolatur. Fit interdum ſpei in illo ſuccreſcente fiducia oneroſum omne, quod humanis ſenſibus famulatur, dum quātum diſtet inter exilium & patriam, cœlum & terram, vitam & mortem, mœrorem & gaudium, veritatem & vmbram, æternitatem & tempus, corruptionem, & incorruptionem, felicitatem & miſeriam, perturbationē & pacem, lucem & tenebras, fide propalante cognoſcit. Proinde igniti deſiderii anxietate permotus, propheticum illud ingemiſcēs dicit: Heu Psal. 119 mihi quia incolatus meus prolongatus eſt habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea. Merito prolongationem incolatus ſeculi iſtius ingemiſcit quicunq; ciuitatis ſupernę claritate inſpecta exilii huius ſpirituales tenebras contuetur. Huiuſmodi tenebras mundi nuncupauerim amatores, de quibus dicitur: Et vita Ioan. 1 erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebrę eam non comprehenderunt. Non erat Chriſtus dominus lux, quę ad hoc deſcendiſſet è cœlo, vt mundum ſenſibilem, & corporeum illuminaret, qui per tanta annorum curricula a ſole viſibili perceperat lumen, ſed ſpiritualis lux diuinum in ſe habens fulgorem, quę rationalem hominis

minis ſpiritum de inuiſibilibus erudiret. Hanc profectò lucem mentes peccatorum infidelitatis tenebris obuolutæ minime tunc comprehendere valuerunt, quemadmodum nec mo-
2.Cor.4. do, ſicut per Paulum dicitur. In quibus (inquit) Deus huius ſeculi (videlicet diabolus) excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat eis lumen euangelij, & ſalui fiant. Nonne rectiſſime amatores ſeculi tenebræ vocitantur, qui Dei cognitione carentes delectatione carnalem, quæ lethale virus eſt animæ præponunt ſpirituali, illáque auidius amplectuntur? An non denſiſſimę tenebræ ſunt, quando toto affectu huic vitæ inhærere ſatagunt, atque in ipſa tanquam in patria florere deſiderant? Quæ tum ex viciſſitudine temporum, tum ex ſucceſſione generationum ſine interuallo vergit ad occaſum, more peregrinantium, qui perambulantes ciuitates & caſtra, nequaquam in eis niſi neceſſitatis cauſa reſidentes naturali impulſu feruntur ad patriam? Nam velint nolint homines, quamdiu in corpore ſunt, per hanc vitam viuēdo pertranſeunt. Nec ſegnius incedit iacens eo qui currit. Omnes inceſſibus paribus gradiuntur ad mortem, quanquam non eadem hora pertingant. Plerunque tamen fit, vt qui futuri arbitrabantur nouiſſimi ſint primi, & primi nouiſſimi. Nam quemadmodum vniuſcuiuſque vitæ incertus eſt finis, ita properandi ad finem manifeſtus eſt curſus, qui nullo euentu, nulliuſque voluntate valet retineri quin defluat, & nihilominus filij hominum adeò effecti ſunt fatui, vt negligant ſibi itineris ſui præparare viaticum, illaque præmittere ante ſe quæ eis peregrinatione completa proficiant. Non enim quę ad vitæ huius vſum conceſſa ſunt ad futurā prodeſſe noſcuntur. Porrò, viaticum, quòd peregrinantibus nobis optime congruit, eſt cordis mūditia, conſcientiæ nitor, deuotionis feruor, compunctionis gemitus, pœnitentiæ labor, vitæ ſanctitas, virtutum merita, interpellationes ſanctorum, eleemoſynarumque largitio pro
Luc.16. Chriſto iuſtis exhibita, dicente domino: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt quum defeceritis, recipiant uos in ęterna tabernacula. Tale viaticum renunciantes ſeculo ſibi præparare ſtuduerunt, propterea feſtinatione tam alacri ſupernę Hieruſalem pertingunt ad patriam. Habentes quippe victum, & veſtitum, hiſque contenti vltra nihil quærunt. Sciunt non decere Chriſtianum in huius peregrinationis via, ſibi theſaurizare diuitias, cuius cæleſtis
Matt. 5. patriæ à domino ſpondetur hęreditas. Nolite (inquit dominus) theſaurizare theſauros in terra, vbi ęrugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt, & furantur. Vbi autem theſaurizandū ſit, mox intulit. Theſaurizate autem vobis theſauros in cœlo, vbi nec ęrugo nec tinea demolitur, neque fures effodiunt nec furantur. Sibi itaque, non poſteris in cœlo theſaurizare deſudant: longe etenim quàm ſeculi amatores prudentiori vtuntur conſilio. Secum proprios perferunt ſudores, diuitiaſque præmittunt ſuas, nolentes in ſua neceſſitate poſiti alienum pręſtorali ſuffragium. Cæterum proprijs theſaurizare liberis, atque nepotibus, nequaquam reprehenſibile eſſe cenſuerim, dummodo theſaurizantem immoderatus cumulandi non impellat affectus: ſicque theſaurizet, vt abſque delicto id faciat, quod eſt rariſſimum, atque difficile. Nam ſi delinquendo acquirit, inſipienter agit. Quid prodeſt (ait veritas) homini ſi mundum vniuerſum lucretur, animæ ve- Matt. 15.
rò ſuæ detrimentum patiatur: Noli igitur ò ſecularibus curis dedite, teipſum perdere, neque animę tuæ detrimentum facere, ob tuorum amorem filiorum. Quantis (quæſo) ob ſuere diuitiæ à parentibus delegatæ? Te aliorum experimentum doceat, te defunctorum parentum hæredum ingratitudo erudiat, te abſentiū damna prudentem faciant. Non te (oro) ſeducat natorum affectio, vt te neglecto, ad theſaurizandum illis omne vitæ tuæ ſtudium impendas. Verum ſi te illis theſaurizare delectat, tibi quoque cum illis theſaurizare non pigeat. De his quæ acquiris, egenis tribue, eroga infirmis, pupillis, & viduis, ut depoſitum tuum in cælo accumules, prophetę exhortationem imitare dicentis: Frange eſurienti panem tuum, & egenos, vagoſque induc in domum tuam. Quū Eſa. 58.
videris nudum operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. Tunc erumpet quaſi mane lumen tuum, & anteibit faciem tuam iuſtitia tua. Præcedat ergo te iuſtitia tua, & antecedant te miſericordiæ opera, quatenus te decedente, te patiēte, te poſtulante adſint. Recole diuitijs egeſtatem, qui guttam aquæ flagitando non meruit, quoniā eſurienti Lazaro panis micā prębere cōtempſit. O quanta dementia eſt futuræ uitę cōgruentes ſibi non aggregare diuitias, magiſque liberos proprios amare, quam ſe? Quid (oro) proſunt defunctis temporalium facultates, affiniumque ſucceſſus, gehennæ incendio cruciatis? Quid, inquam ſolatij conferunt perlati labores pro adipiſcendis dignitatibus, ac magnificanda progenie? Sic namque vani mortales effecti ſunt, vt pluris æſtiment temporalem memoriam, quàm æternam. Hinc eſt quod alta conſtruunt palatia, ſigna ſua parietibus imprimunt, nomenque ſuum in rumoribus popularibus lętantur eſſe diffuſum. Nec aduertunt miſeri in hoc ærumnoſo exilio nullius famam eſſe poſſe perpetuam, quoniam cum decedentibus ipſa pertranſit. Quamobrem ò præuarica tores redite ad cor, reuertimini ad iudicium, ò Eſa. 46.
mundi iſtius habitatores & ciues, atque deſideriorum veſtrorum parumper cohibete ardorē. Prudenti (quęſo) examinatione intelligite errorem veſtrum, & mundi, quē diligitis, illecebroſam fallaciā. Rationales propterea cōditi eſtis, vt verum à falſo, & bonum diſcernatis à malo. Eſa. 5.
Væh (inquit Propheta) qui dicitis bonū malū,

&

& malum bonum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras. Nonne malum bonum, & bonum malum eſſe aſſeritis, quoties ſapientiæ ſalubri neglecto conſilio, atque ſpiritualibus ſpretis conſilationibus, quæ Deum timentibus tribuuntur, impiorum hominum voluptuoſa itinera ſectari nitimini? Nempe tunc tenebras lucem & lucem ponitis tenebras, quũ momentaneam felicitatem ſempiternis preferţis delicijs. Nunquid terrena proſperitas, quum tenetur, non fugit: Nonne labitur dum ſtare videtur? Speciosa quippe tãquam impudiciſſima meretrix apparet in facie, & intus tota eſt defor mis, & ſqualida. Eſt namque in promiſſionibus fallax, & in fallendo veridica. Inſipientium animos blandiendo vulnerat, arridet & ſpoliat, vt amplectatur vocat, & deſpicit. Sibi inhærentes attollit ad horam, honorabiles reddit, & poſt paululum à ſe abijciens eſſe facit inglorios. Vi-
Pſal. 36. di (inquit propheta) impium ſuper exaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani, tranſiui & ecce non erat, quæſiui & non eſt inuentus locus eius. Et hoc vnde? Vtique quoniam in lubrico poſuit pedem ſuum, atque peregrinationis ſuę tenebras arbitratus eſt lucem. Eoque turpius ad ima dilapſus eſt, quò immoderatius ad ſeculi alta conſcendit. Vbi (quęſo) ſunt potentum minæ, imperiales inſulæ, ſceptra regalia, & tyrannorum gloria? Quò, inquam, Crœſi deuenere diuitiæ, magnificẽtia Aſſueri, celeberrima Salomonis fama, ac Romanę vrbis vndiq; profuſum imperiũ? Profecto veluti ſomnium ſurgentium ſublimitas illorum imago ad nihilum redacta eſt. Setiſſet planè ſi in ſolio permanentis ciuitatis collocata fuiſſet. Verum quoniam creuit in tempore, ad tempus enituit atque cum tempore tranſeundo defecit. Defecit prorſus, ac ſi nunquam fuiſſet, nullam poſteris benedictionem relinquens, niſi tenuisſimam in membranis memoriam. Non autem reſurrectura de cętero, quoniam omnis mundi iſtius, ſpecies ignis eſt concremanda incendio, quemadmodum in ſui conſtitutione aqua rum fuit deterſa diluuio. Quamobrẽ quiſq; fidelis, qui in ſanctificationis ſuę lauacro Chriſto militare ſpopondit, tanquam peregrinus & aduena à carnalibus deſiderijs, quæ aduerſus animam certant, ſe potenter abſtineat, perituri ſeculi oblectamenta deſpiciat, & tranſeuntia calcando vniuerſa pertranſeat, quatenus ad ęterna præmia feliciter proficiendo perueniat, nihil proprium cupiat posſidere in mundo, quem experientia teſte innumeris calamitatibus nouit eſſe refertum.

Quantis quibusve præſens vita ſit repleta miſerijs. Cap. XXI.

Peregrè proficiſcentibus tanto gradiendi labor efficitur minor, quanto via, qua pergitur, extiterit planior. Hoc vnico materiali exemplo peregrinantium hominum infatuata redarguitur cæcitas, qui laborioſa vitæ præſentis itinera, dum conſiderare diſſimulant, per ipſam inceſſanter peragrare deſudant. Re quippe vera talis eſt hæc vita, vt intolerabilis debeat eſſe prudentibus, nam inſipiẽtibus ſicut nulla ineſt diſcernendi ratio, itaque neque dolendi. Vndique concupiſcentiarum ſpinis obſita, deceptionum anfractibus dubia, latronibus ſpiritualibus plena, bellorum tumultuoſa fragoribus, atque inimicorum circunſcepta fallacijs, adeò vt iuſtus innocentiam, & humilis corde ſuam difficillime valeat ſeruare mũ-
ditiam. Nonne (ſicut vates commemorat) ob- Pſal. 36.
ſeruat peccator iuſtum, & quærit mortificare eum, pedibuſque ipſius laqueos tendit, vt recta illius ſubuertat itinera, vel de ſubſtantia eius quicquam decipiendo furetur? Semper enim ſceleritatis & infidelibus importabilis fuit vita ſanctorum. Hinc eſt quòd aduerſus eos coniurationes faciunt, rixas commouent, & maledicta diſſeminant, calumniantur ipſorum operibus bonis, famam denigrare nituntur, detrahunt, dilaniant, derogant, & contra illos etiam falſa componunt. Quis, quæſo, innocens inter malos viuere tutus eſſe poteſt, quando Abel germani ſui interemptus eſt gladio, grandęuus Noe à filio deluſus eſt, Eſau Iacob eſt zelatus ad mortem, à fratribus eſt vænundatus Ioſeph, & à Iudęorum pontificibus crucifixus eſt Chriſtus? Nam quotidie frater fratrem, amicus amicum, callida æmulatione laceſſit. Sicque mortalium inoleuit nequitia, nec non terrena poſſidendi excreuit cupido, vt naturæ lex, affinitatis naturale vinculum, amicitiarum iura, decreta ſanctorum, atque fraternæ charitatis mãdata, à Chriſto tradita abolita eſſe videantur. Vbique lites, vbique iurgia, in plateis, in foro, in domibus contentiones, obloquutiones, æmulationes ſunt. Perijt in conuerſatione ſimplicitas, in ſocietate charitas, in actione iuſtitia, in loquutione veritas, & in proximorum neceſſitate pietas, quemadmodum Propheta vaticina-
tus eſt dicens: Nõ eſt miſericordia: non eſt veri Eſa. 4.
tas, non eſt ſcientia Dei in terra. Aſpexi illam, & ecce vacuá erat, & cœlos, & non erat lux in eis. Vidi montes & mouebantur, & omnes colles conturbati ſunt: intuitus ſum & ecce non erat iuſtus, & omne volatile cœli receſſit. Plangenda prorſus eſt huiuſmodi bonitatis carẽtia, atque præceptorum Dei neglecta cuſtodia, quę ex uoluntatum deordinatione prouenit. Hinc eſt quòd latrocinia fiunt, perpetrantur homicidia, falſa proferuntur teſtimonia, violenter opprimuntur innoxij, conſummantur adulteria, inceſtus, fornicationes, ſacrilegia, veneficia, & huiuſmodi. Adeòque ſunt vniuerſa confuſa, vt mundi finis imminere credatur: nam vndique bella ſonant, populi inter ſe dimicant, gens contra gentem, regnum aduerſus regnum, ciuitas cõtra ciuitarem, domus aduerſus domum, & proximus cõtra proximũ diui-

diuiſionis occaſiones quærit. Cæterum quoniã temporibus noſtris forte plus quàm in præteritis generationibus abundauit iniquitas, multorumque refriguit charitas, propterea ſupra modum deſæuiunt clades, frequentant peſtilentiæ, populorum paulatim decreſcit numeroſitas, vrbes habitatoribus deſtituuntur, antiqua dilabuntur mœnia, rura inculta pertranſeunt, atque hominum habitacula inueterata deficiunt. Humanæ præterea vitæ abreuiatus eſt curſus, valetudo defecit, deperditę ſunt vires, & multimodę ęgritudines mortalium atterunt ſpeciem. Porrò quotidie per Dei miniſtros futura prędicuntur mala, diuina flagella crebreſcunt, mundi incolę variis tribulationibus percutiuntur, & (proh dolor) nulla in hominibus agnoſcitur correctio, nulla tranſactarum culparum compunctio, nullumque ad placandum Dei ferientis iuſtitiam captatur remedium. Quin potius peccatum peccato, ſcelus ſcelere, & iniquitate augetur iniquitas. Iam ęternę vltionis in cœlo rutilat gladius, iamque ſecuris ad radicem arboris eſt poſita, vt illam ſuccidat infructuoſam effectam, ramos & folia in faſciculos ad comburendum miniſtri colligunt, quoniã inutiliter terram occupat, fructum opportunum domino ſuo reddere nolens, & tamẽ iſta adhuc diſsimulat videre peccator, adhuc carnalium mẽtes voluptates mortiferas ambire non ceſſant. Qui (oro) huiuſmodi agerent, ſi (vti olim conſueuerat) mundi arrideret proſperitas, vitæ longæuitas, incolumitas corporis, populorum pax, rerumque affluentia ad vota ſuppeterent? Verum quũ tribulationum aquis totus mundus exuberet, quum vitiorum vſu ſorde putreſcat, quum labente tẽpore ad ſui conſumptionem ſine mora percurrat, nequeatque ab hominibus teneri dum volunt, tanta nihilominus in quorundam cordibus mortalium voluptatis viget fames, tantaque fruitionis ſeculi exardeſcit libido, vt naturalis diſcretionis ſtatera ſepoſita, nec Dei iudicium, nec hominum faſces, neque futura ſibi minata expaueſcant incommoda. Equidem reſipiſcere deberẽt, ſi viuendi legem, vitæ conditionem, temporis fluxum euentus rerum, delectationis inopiam, deformitatem ſcelerum, affectus latitudinem, virtutis mercedem, affluẽtiam gratiæ, naturæ bonum, peregrinationis ſtatum, viæ terminum, æternitatiſque vellent conſiderare profundum. Euocant vniuerſa hæc rõnalẽ animã ad cognitionẽ veri, bonique concupiſcentiam, atque ex animali eam intellectualem efficiunt. Quamobrem inexcuſabilis eſt quiſquis ſeculum immoderatè diligit, negligit, ſe futura non præuidet, neceſſaria ſibi in vita futura non aggregat, ac gaudia cœleſtia obtinere non cupit. His de cauſis diſcretionis prærogatum eſt lumen, experientiæ accommodatus eſt ſenſus, necnon donum impertitum eſt gratię. Noli igitur ô homo, prudentiæ paruipendere munus, atque cœleſtis gratiæ erudimenta deſpicere. Noli, inquam, talentum ad lucrum ſpirituale impenſum in terrenis occultare negociis, quatenus ex hoc non à Deo, ſed à creaturis ſolatium tuæ peregrinationis excipias. Te ſolus ille delectet in ſe, qui fecit te. Tuæ ſit ipſe deliciæ, cõſolatio tua, theſaurus tuus, poſſeſsio tua, gaudiũ tuum, lumen tuum, ſapientia tua, finiſque tuus, in quo etiam peregrinando quieſcas. Ipſe nempe ſolus eſt, qui deſideriorum tuorum valet refrigerare æſtus, laudabilia vota perficere, greſſus tuos in ſemitis iuſtitiæ dirigere, animi motus componere, vitam vtriuſque hominis cuſtodire, præbere in certamine vires, conferre gratiam, largiri gloriam, tribuere pacem. Ne velis (obſecro) à mũdo iſta expetere, nec labentem tenere, neque fugientem ſequi. A Deo in te quære quod diligas, quod teneas, quo fruaris, non per campos liquidos maris, non per prata virentia, non in auro, nõ in gemmis, non in fabrefactis ędificiis, non ab hominibus, non ab angelis, neq; ab alia quauis creatura. In te eſt regnum Dei, in te eſt ſapientiæ ſedes, ſponſi reclinatorium, ſpiritus ſancti templũ. Tu nanque es orbe vniuerſo latior, mari profundior, cœlo excelſior, pulchrior ſideribus, precioſior auro, ſole ſplendidior, ſuauior balſamo, niueque candidior, ſi tamen ſis charitate feruidus, humilitate ornatus, meditatione deuotus, fide plenus, cogitatione rectus, deſideriis inflammatus, corde mundus, intentione ſimplex, actione ſolicitus, & morum probitate præclarus. Iſta te faciunt dilectum Deo, colendum angelis, imitandum hominibus, dæmonibuſque tremendum. Quid igitur tibi cum carne & ſanguine, qui diuinam in te geſtas imaginem? Quid, inquam, tibi cum mundo & vitiis, qui ad hoc conditus eſſe probaris, vt cœlum conſcendas, atque cum angelicis ſpiritibus beata Dei viſione fruaris? Sanè prælatus es omnibus, ſi Deo veraciter didiceris eſſe ſubiectus. Tuam quippe excellentiam propheta (Pſal. 8.) admiratus eſt, dicens: Quid (inquit Deo) eſt homo quòd memor es eius, aut filius hominis, quia viſitas eum? Minuiſti eum paulo minus ab angelis, gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubiciſti ſub pedibus eius, oues & boues vniuerſas, inſuper, & pecora campi, volucres cœli, & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris. Dedignare ergo creaturis inordinato ſubeſſe affectu, quũ naturalis tibi à Deo collata dignitas, te cæteris omnibus fecerit eſſe prelatum. Quamobrem mũdum deſpice, terrena cuncta diſperge pauperibus, vt temporali depauperatum ſubſtantia, libera conſcientia imitari valeas Chriſtum: qui (ſicut Apoſtolus ait) quum eſſet diues, effectus eſt pauper, (1. Cor. 8.) vt illius inopia nos diuites eſſe poſſemus. Da (quæſo) Chriſto, quod etiam retinendo, diu poſſidere non vales. Verum quum tua vniuerſa diſtaxeris,

ſtaxeris, minime arbitreris te magna feciſſe. Depoſuiſti quidem onus grauiſsimum, reddidiſti debitum, euaſiſti peccata multa, maxima pericula, importabilem laborem, tentationes varias, atque innumeros diaboli laqueos, quoniam omnia hęc cum temporalibus ac terrenis facultatibus probantur eſse connexa. Vides autem renunciādo ſeculo ne ſis ingratus, inſoleſcas in te, tabeſcas ignauia, & amore tepeſcas. Nam quum Deo obtuleris tua, te quoque gratanter impende. Nimirum parum pręſtitiſti cuncta erogando, ſi neglexeris tribuere te. Te quippe non tua à te exigit Deus: nam ideò admittit tua, vt facilius poſtea recipiat te. Tuis non indiget, vt illa poſcat à te. Nam ſi ea ipſi non dederis, nunquid ſua eſse deſierunt: *Psal. 19.* Si eſuriero (inquit per prophetā) nō dicā tibi, meus eſt .n. orbis terrę & plenitudo eius. Cęterū te cū tuis, & tua propter te requirit à te. Fili (ait) prębe mihi nō aurū tuū, nō prędia tua, nō poſseſsiones, ſed cor tuum. Abiice itaque temporalia tua, & ſeculo ſponte domino tibi ſuadente renuntia, quatenus expeditus & alacer exoneratus, & gaudens propheticum illud pſallendo decantes: Paratum cor meum Deus, paratum cor *Psal. 117.* meum, cantabo & pſallam in gloria mea. Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara, exurgā diluculo. Verum vt huius operis finem faciam, nullum iſto pręſtantius in hac peregrinatione poteris habere conſilium, quam temporalium facultatum proprietatem reſpuere, illecebrarum carnalium a te abdicare affectum, atque diuinæ voluntati te in omnibus ſyncero corde exhibere paratum. Ex hoc triplici ſpirituali bono ſufficientiam, pacem conſequeris & lumen, quo mediante abſque exteriorum inedia, interna pace potitus, exilii iſtius perambulabis tenebras, peruenieſque ad illum, qui ſicut ſcriptum eſt, candor eſt lucis æternę, & ſpe- *Sap. 7.* culum ſine macula, ſplendor diuinæ maieſtatis, & imago bonitatis illius, videlicet Ieſus Chriſtus dominus noſter, cui cum patre & ſpiritu ſancto eſt ſempiternus honor, & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

D. LAVRENTII IVSTINIANI, in de Spirituali interitu animæ Libellum.

PROOEMIVM.

CVm iuxta humanæ viſum prudentiæ deteſtabile plurimum ſit neglectis margaritis & gemmis lapidum, quæ ſternuntur in via curam gerere, longe reprehenſibilius eſſe arbitror, contempta vita animæ, in ſola corporis incolumitate laborare. Verum ad tantam inſipientiam hodiernis temporibus deuoluti ſunt homines, vt omne intelligentiæ ſuæ ſtudium & vniuerſum illis indultum tempus ad promerendum dilectorum ſuorum veniā, in gubernatione, & aggregatione terrenarum facultatum, atque in corporis voluptatibus, & protelatione vitæ ipſius inſtituiſſe videantur, & (proh dolor) circa ſuarum ſalutem animarum, adeptionemque æternæ vitæ penè nil cogitant. Sic degunt tanquam immortales eſſent in hoc mundo, nec aduertunt miſeri vitæ ſuæ terminū prorſus eſſe incertum. O cæca mortalium, & infatuata prudentia, cur caſſo labore deſudas? Cur non proſpicis quid pateris, quid amittis, à quo falleris, quò duceris? Redi (quæſo) ad cor tuum: reſipiſce paululum à viis tuis, ſanoq; dum tibi datur conſilio vtere, ac prudenti examinatione diſcute, vtrum in veritatis luce ambules, an in lubrico cordis tui poſueris pedem. Recogita, inquam, ſi ab ipſo mundi primordio, prout appetis, cuiquam prærogatum ſit ſemper viuere. Obſerua & hoc quantum videlicet ſinguli conceſſum ſit viuere. Quomodo, qua conditione, quo fine. Multipliciter de his experientia tua te ſufficienter erudiet, ita vt nullo præceptore indigeas, præſertim, ſi mortuorum perluſtres tumulos, in ipſiſque, quid iaceat, diligenter inſpicias. Qui in eis ſunt, fuere quod tu. Tu quoque poſt modicum, quod illi, es futurus indubie. Ignoraſne quia mors nemini parcit, neminem veretur, nullum excipit cuiuſcunque conditionis ſit, ſed vniuerſos ſinu ſuo complectitur? Siue mas, ſiue fœmina, ſiue nobilis, ſeu ignobilis, ſiue diues, ſiue ſit *Psal. 88.* pauper: Quis eſt (inquit propheta) qui viuet & nō videbit mortem, eruet animam ſuam de manu inferi? Illam ſi pertulit, quamuis ſponte, qui victor eſt mortis, euadere non poterit, qui obnoxius eſt morti. Si immortalis carnis vitam, morte finiuit, illam valebunt ſuperare mortales? Vt quid ergo ſuperuacuè retinere niteris, quod ſingulis momentis ad reſolutionem vergit? Quantumcunque accuratè epuleris, quanquam ab omni corporali neceſsitate te protegas, tametſi cunctis naturalibus affluas bonis, vitæ tuæ terminum à Deo inſtitutum præterire nequibis. Quamobrem noli magni pendere, vt mortale hoc diu viuat corpus. Neque

que fatigeris nimium, quatenus corruptibile hoc aculeos corruptionis non perferat. Circa ſalutem animæ tuæ, quæ naturali dignitate immortalis eſt, vigila. Illius ſpiritualem vitam negligere noli. Quoniam ſicut ſi eam contempſeris, morte morietur: ita & ſi erga ipſius profectum ſedulum adhibueris famulatū, dupliciter viuit. Viuit etenim quamdiu contra vitia, & peccata luctatur, atque per dilectionis affectum inhæret Deo, qui vera eſt vita. Moritur autem quoties ſe ab eodem auertendo per conſenſum voluntatis, praua dilectione delinquit. Quamobrem ſpiritualem animæ tuæ vitam, quouſque peregrinaris in mundo ô homo, cuſtodire non deſinas, vt ad æternam perſeuerando quandoque pertingas. Nam quemadmodum ſpirituali vita mediante, perpetuam anima tranſit ad vitam: ſic ſpirituali perdurante in morte ſempiterna morte afficitur illa. Hæc igitur animæ mors, quæ à multis negligitur, à multiſque non creditur, valde pertimeſcenda eſt, atque à mortalibus, quibus corporalis mortis eſt indicta neceſsitas, modis omnibus eſt euitanda. Quod vt facilius perficere queant, ad ipſorum profectum, de eadem memorata iam ſæpius ſpecialis tractatus dictandus eſt, quatenus in illo tamquam in ſpeculo legentium ſe vnuſquiſque conſpiciat. Clamet itaque ad vitam antequam finiat vitam, quiſquis mortuum ſe eſſe cognouerit, vt per gratiam reſuſcitatus viuat in vita. Cæterum qui ſe viuere ſentit in Chriſto, nequaquam vitæ ſemitas deſerat, ne forte errando in via, iuſtiſsimè præcipitetur in mortem.

Cum igitur operis huius materiam ex me ſufficienter, vt decet, explicare non valeam, veritatis tuæ ô bone Ieſu qui es via, veritas & vita, paruitati meæ lumen infunde, quatenus nec per errorem ſermonis, neque per delicti conſenſum mortis iſtius voluar in tenebris. Mei verò laboris merces, tua ſit gloria, qui ſingulorum merita penſas, & vota.

QVOD VNIVERSIS REBVS, quę in mundo ſunt, præferenda ſit anima, quę peccando moritur ſpiritualiter, & ſeparatur à Chriſto.

LIBER I.

NAturalis ingenii hoc cēſura exigit, vt tanto vnaquæq; res pluris æſtimetur, ac diligentius cuſtodiatur, quāto magis eſt proficua, illiuſq; amiſsio maiorē poſsidēti iacturā facit. Plurima in hoc mundo, vt cernimus, ab hominibus poſsidentur aurū videlicet, argentū, gemmæ, poſſeſsiones, domus, ſuppellectilia, ſerui ancillę, & huiuſmodi multa. Verū nihil horū tanti appreciandū eſt, quanti rationalis anima, quę vniuerſa ſeculi iſtius creata dignitate præcellit. Porrò ſi diſperdatur aurū, ſi à latronib. diripiatur, recuperari poteſt, quemadmodū cuiuſcunq; conditionis tēporales facultates. At verò anima ſi ſemel amittatur, & aduerſū ſe ſententiā damnationis excipiat vlterius recuperari nō valet, nec prece, nec precio, neq; alicuius ſuffragio, etiā ſi oīs electorū pro ea interpellaret ſocietas. Quid aūt de animaduerſione ęternę damnationis memorē? cū neq; ab ipſa ſpirituali ſeruitute peccati ſe per ſe liberare ſufficiat? Non .n. valet ſeruus propriis viribus ſeipſū, ſeu alios liberare captiuos: ſic nec quis de immundo conceptus ſemine mundare immundos. Verū ſi quiſquā delictorū vinculis cōpeditus abſoluitur, non hoc ſuis aſcribat virtutibus, ſed bonitati illius qui ait: Si filius liberabit vos, verè liberi eritis. Ioan. 8. Nō aūt à captiuo captiuus, ſed ſeruus liberabitur à libero. Sicut Apoſtolus inquit: Itaq; fratres non ſumus ancillæ filii, ſed liberæ. Gal. 4. Qua libertate Chriſtus, nos liberauit. Cæterū vt ſcias neminem niſi Dei filium Deum, & Dominum noſtrum ab huiuſmodi captiuitate liberum eſſe, Prophetam audi: Omnes ſicut oues errauimus, vnuſquiſque declinauit in viam ſuam. Eſa. 53. Et pſaltes ait: Dominus proſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens, aut requirens Deum: Psal. 13. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Quoniam igitur vniuerſi tanquam oues perditę errauerunt, & effecti ſunt inutiles, in obligationes declinauero peccati. Ideo venit ad captiuos liber euangelizare pacem, ſanitatem donare, & priſtinam reſtituere libertatem, quemadmodum longe antè prophetico ore vaticinatum eſt. Sic enim legitur: Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me, euangelizare pauperibus miſit me, Eſa. 61. ſanare contritos corde, prędicare captiuis remiſsionem & cęcis viſum, dimittere confractos in remiſsionem, prędicare annum Domini acceptum, & diem retributionis,

Deſcendit itaque Dei filius homo factus ad homines, qui diabolicæ tyrannidis vinculis captiui tenebantur: illoſque dominationis ſuæ poteſtate liberauit. Non ſolum autem captiuos liberauit, verumetiam mortuos miſericorditer ſuſcitauit. Non, inquam, illos mortuos, qui exanimes iacēt in tumulis ſuo tempore cum corporibus ſuſcitandi: ſed & ipſos, qui adhuc in carne viuentes in ſpiritu ſunt defuncti. Illos verò in ſpiritu dixerim mortuos, qui ob peccati conſenſum, peccandique propoſitum præceptorum Dei itinera derelinquunt. Ipſa, inquam, mors eſt animæ quæ delinquentem à Dei charitate & ſanctorum con- 1.Tim.5 ſortio efficit alienum, de qua Apoſtolus ait: Vidua in deliciis viuens mortua eſt. Verum quamuis corporalis mors ſit ex parte plangenda: ſpiritualis tamen per amplius, quoniam perniciosior eſt, & ſic mortuum ſibiipſi reddit ignorum, vt cū omnes carnis ſuæ expleuerit voluptates, tunc arbitretur ſe viuere, eo iucundius eoque felicius, quò in vitiorum volutabro iacuerit magis obrutus atque ſepultus. Mirandum prorſus eſt hoc cū compaſsione ſpectaculum. Intueri ſcilicet virum iocis deditum, vacantem fabulis, pro adipiſcendis terrenis diuitiis inſudantem, non timentem Deum, neſcientem ſe vltro tendere ad interitum ſempiternum. Peſsima profectò eſt mors iſta, meritoque lugenda, quæ euertit naturæ ordinem, bonum aufer gratiæ, reddit hominem inimicum Deo, à ſeipſo alienat peccantem, ſibique ipſi contrarium facit, tollit merita, ab vnitate diuidit, claudit cœlum, ſeueritatem altiſsimi irritat, repellit angelos, lætificat dæmones, & temporalem mortem, niſi interueniat pœnitentia, efficit perpetuam. Huiuſmodi quicunque incurrerit mortem, non niſi ex gratuita Dei miſeratione, & interpellatione reſurgit ad vitam. Quemadmodum præfigurant illi tres mortui à domino ſuſcitati, de quibus euangelica narrat hiſtoria: Iacebat quippe puella quædam in domo exanimis, tibicinum & turbarum tumultuantium numeroſitate ſtipata: cuius pater acceſsit ad Chriſtum, ſuppliciter flagitans, vt domum ſuam dignaretur ingredi: abiit ille & expulſis incredulis, extinctam tetigit manu, erexit atque vitæ priſtinæ reſtitutam obtulit genitori. Ibat præterea aliquando idem dominus in Naym ciuitatem, & ecce defunctus efferebatur vnicus filius viduę matris, cuius exe- Luc.7 quias comitabantur multi. Plangentis igitur matris, & cæterorum compaſsione permotus mandauit deponi feretrum & iacenti ait: Adoleſcens tibi dico ſurge: qui mox ad vocem imperantis, coram omnibus reſedit: ſicque genitrici ſuę Ioan.11 mœrenti viuus eſt redditus. Fœtebat denique in monumento Lazarus quatriduanus iam mortuus, ad quem reſuſcitandum pergens Saluator aſtantibus populis clara voce protulit dicens: Lazare veni foras, ſtatimque prodiit viuus, qui fuerat mortuus, ligatis manibus & pedibus inſtitis. Iuſsit autem diſcipulis, vt illum ſoluerent, & abire ſinerent. Sicque factum eſt. Humilis igitur ac fidelis poſtulatio patris defunctæ filiæ vitam promeruit. Et contemplationem lacrymarum viduæ matris elatus adoleſcens eidem viuus eſt traditus. Ob amorem fidemque ſororum lugentium, ipſe Dominus quatriduanum fœtidum fratrem abſtraxit è tumulo, quatenus indicaret vniuerſis quantum apud Dominum ſupplicantis oratio proſit. Paret itaque quod vnuſquiſque valet ſponte mori, minime verò ſua voluntate reſurgere. Quonammodo per ſe poteſt reſurgere, qui vitalis gratiæ vegetatione caret, & internorum ſenſuum laudabili priuatus eſt vſu? Adeo vt merito illi coaptetur, quod ſimulacris gentium per Prophetam dicitur: Os habēt & non loquentur. Pſal.113. & 134. Oculos habent & non videbunt. Aures habent, & non audient. Nares habent, & non odorabūt. Manus habent, & non palpabunt. Pedes habent, & non ambulabunt, non clamabunt in gutture ſuo. Solius ergo diuinæ virtutis eſt opus, animam lethali peccato detentam reuocare ad vitā. Hoc verò cum perficitur, gaudent angeli, atque archangeli, omniſque beatorum ſpirituum lætatur ſocietas, dicente Domino: Gaudium eſt in cœlis Luc.15 coram angelis Dei ſuper vno peccatore pœnitentiam agente, magis, quàm ſupra nonaginta nouem iuſtis, qui non indigent pœnitentia. Lætatur, inquam, etiam mater eccleſia, non tamen ea perfectione, eoque contubernio charitatis, quo illi. Quoniam ambulans per fidem, & in corruptibilibus adhuc corporibus degens longe meritis & dilectione inæqualis eſt illis, qui ſingillatim iuſtificatorum ſciunt nomina, quod omnino ignorat eccleſia. Hinc eſt quod pro omnium ſalute ſolicita pro vniuerſis fundit ad Dominum preces, excipiendo neminem, nullumque damnando. Nam ſagenæ comparatur, quæ bonorum & malorum in ſe continens multitudinem, omnes ducit ad litus, quatenus boni in eo ſecernantur à malis. Hoc ipſa nequaquam valet, quamdiu in mare præſentis ſeculi fluctibus agitatur. Veniet tempus cum & ipſa applicabit ad littus, expleto videlicet huius peregrinatiōnis curſu, tunc mittentur angeli, & reprobos ſeparabunt de medio iuſtorum, illoſque mittent in caminum ignis ardentis, ibi erit fletus & ſtridor dentium. Humili igitur freta prudentia abſque perſonarum acceptione cunctos ampliſsimo charitatis ſinu ſuſcipit confluentes ad ſe, in quibus rectæ fidei ſit vocalis confeſsio. Nam de cordis credulitate, quæ iuſtificat hominem, nihil diſcernere audet relinquens huiuſmodi examen ei, cui ſoli ſecreta cordium ſunt nota. Hinc quorundam præſumptuoſorum eſt redarguēda temeritas, qui nedum proximorum opera

diſcutiunt, verumetiam alieni cordis ſe faciunt iudices. Volunt quippe iudicare quales ſint hominum cogitationes, quibus ducantur affectionibus, qua intentione operentur, quóve ſpiritu moueantur, quod omnino non licet. Cum nemo ſcire valeat quid agatur in homine, niſi ſpiritus hominis qui in illo eſt, quanquam perſæpe contingat, quod ſibi ipſi ignotus ſit. Diuinam in ſe tales reflectunt authoritatem, quæ interiorum ſola eſt capax, dum intentionum, cogitationumque abdita penetrare poſſe ſe putant. De his legitur ſic; Ambulabunt in tenebris ſicut in meridie. Porrò quemadmodum in meridie, ita illi in tenebris ambulare diſcendi ſunt, qui mentium proximorum profunda conſilia curioſa inueſtigatione perluſtrant. Et ex hoc iudicia temeraria contingentes, in nocte ignorantia ambulantes, meridiem ſe aſpexiſſe exultant. Tales Apoſtolus redarguens ait: Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, & qui illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. Præcauenda prorſus ſunt à fidelibus iſta iudicia; quæ abſque peccato fieri nequeunt, cum ex quadam cordis, vt plurimum, temeritate proueniant. Ipſi ſoli cordium ſunt humiliter reſeruanda iudicia, qui in æquitate iudicaturus eſt orbem. Luceque ſua ſingulorum hominum latebras intuetur, & ſapientia ſua vniuerſa diſcernit, adeo vt quicquam ei latere non poſſit, dicente Apoſtolo: Viuus eſt Dei ſermo & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ, ac ſpiritus, compagumque & medullarum, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis. Ita vt nulla creatura inuiſibilis ſit ei: omnia enim nuda & aperta ſunt oculis eius. Quamobrem ſicut nemo iudicandus; ita nemo eſt ab homine damnandus, quantumcunque ſceleſtus & malus, quamdiu in hac peregrinatione ſubſiſtit. Quoniam Dei iudicia, quæ erga hominum ſalutem exercentur, incomprehenſibilia ſunt, adeò, vt nullus ſit, qui in eorum conſideratione non claudicet. Nam euenire ſæpe cognoſcimus, vt qui heri nequam fuit, hodie efficiatur bonus. Et qui gehennæ filius exiſtimabatur, in filiorum Dei ſit numero computatus. Ad reſecanda itaque temeraria iudicia, zizaniorum nobis Dominus in euangelio parabolam poſuit, in qua illos compeſcuit, qui ante tempus meſſem illam euellere cupiebant, dicens: Sinite vtraque creſcere, ne forte eradicare volentes zizaniam, pariter cum illis eradicetis & triticum. Sic plane in iudicandis proximorum meritis frequentiſſime contingit, vt damnetur iuſtus, accuſetur innocens, & electus à Deo reprobus exiſtimetur. Quid (quæſo) ante conuerſionem Paulus fuit? Nonne lupus rapax, perſecutor ſæuus, importunus inſidiator, tabiduſque occiſor? De illo quippe ſic legitur: Saulus adhuc ſpirans minarum & cędis in diſcipulos domini, acceſſit ad principem ſacerdotum, & petijt ab eo epiſtolas in Damaſcum ad ſynagogas, vt ſi quos inueniſſet huius viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Hieruſalem. At verò vt proſtratus eſt ſolo, corporis cæcitate percuſſus, vocatuſque de cęlo: Saule Saule quid me perſequeris? agniculo factus manſuetior ait: Domine quid me vis facere? Quis illum gratia Dei arbitratus non fuiſſet indignum, cum vidiſſet eundem diſcurrere, Chriſtianos rapere, ligare, trahere, verberare, occidere? Nihilominus vas electionis erat præcipuum, ad prædicandum nomen Domini coram regibus, & gentibus, & filijs Iſrael. Maximum in Paulo nobis iudicandi neminem præbetur exemplum, qui tanta celeritate, tantaque cum gratiarum abundantia in virum mutatus eſt alterum, factuſque eſt pręclarum lumen mundi, gentium doctor egregius, Apoſtolorum collega præcipuus, ac eccleſiarum ſolicitus gubernator. Erat priuſquam vocaretur Matthæus publicanus, lucris deditus immoderatis, telonio publice inſeruiẽs, ſola quæ mundi ſunt, quęrens, & a ſanctorum contubernio ſegregatus. Hunc vidit Dominus, vocauit ad ſe, in eius domo diſcubuit, traxit è ſeculo, & euangeliſtam fecit. De iuſtificata peccatrice quid memorem, quę inſpirata diuinitus, in meliuſque mutata facinora ſua deplorando correxit? Nam acceſſit ad Chriſtum cum multis in conuiuio reſidentem, ſecus pedes ipſius ſedit, quos lauit lacrymis, crine deterſit, oſculata eſt labijs, liniuit vnguento, nec inde diſceſſit, donec commendata ipſius fide deuota audire promeruit, Fides tua ſaluam fecit vade in pace. Nullus igitur deſperet de ſe, neque diffidat de altero, veniam apud Dominum poſſe reperire, & gratiam. Cum agnoſcit de Saulo Paulum, de publicano Apoſtolum, & de famoſa peccatrice Dei ſapientiam diſcipulam ſibi effeciſſe chariſſimam. Omnes hi viuentes in corpore, mortui in anima erant, & tamen per gratiam reſuſcitati ſunt longe excellentius, quàm prius. Vis noſſe in carne adhuc degentem, in ſpiritu mortuum fuiſſe reſuſcitatum ad vitam? Parabolam adoleſcentis recole, qui conſumpto cum meretricibus patrimonio, famis tabe confectus, pęnitendo ad patrem rediens humaniſſimè exceptus eſt. prima ſtola indutus, ornatus anulo, atque vituli ſaginati eſt cibatus edulio, propter quod inuidus frater maior indignatus, atque correptus à patre audiuit: Gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus fuerat, & reuixit, & perierat, & inuentus eſt. O quantum eſt hęc gratia commendanda, quæ de atrito contritum, de impio iuſtum, & de noxio innocentem facit. Equidem huius gratiæ occaſione offendunt multi & pereunt, trahũturque ad interitum ſempiternum, dum illam putant

Marginal references: Pſal. 81. — 1. Cor. 4. — Heb. 4. — Heb. 4. — Matt. 13. — Act. 9. — Ibidem. — Matt. 9. — Luc. 15.

ad vota ſibi poſſe præſtari. Attendunt quam bonus ſit Deus, quam miſericors, quam ve præſtabilis ſuper malitia hominum, atque ex quotidianis conuerſionibus peccatorum, ipſum erga pœnitentes intelligunt eſſe placabilem, præſertim *Ezech. 18* cum per prophetam pollicitus ſit dicens: Quotieſcumque peccator ingemuerit, non recorda- *Ibidem.* bor amplius iniquitatum ſuarum. Iterumque, Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, & cuſtodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudicium, & iuſtitiam, vita uiuet, & non morietur, omnium iniquitatũ eius quas operatus eſt, non recordabor. In iuſtitia ſua, quam operatus eſt, viuet. Nunquid voluntatis meæ eſt mors impij dicit dominus Deus? Et non vt conuertatur a vijs ſuis & viuat? His atque huiuſmodi ſcripturarum teſtimonijs per quę ineffabilis Dei miſericordia commendatur: nec non ex repentina mutatione delinquẽtium: plurimum ſibiipſis de diuina pietate applaudũt. Et quod in alijs actum fuiſſe conſpiciunt, in ſe quoque ad libitum futurum eſſe non dubitant. Hinc eſt quod tardant conuerti ad dominum, & tanquam de cunctis facinoribus indulgentiam adepturi in fine vitæ, omni ſe proſtituunt voluptati. Fit verò, perquàm ſæpe ex diuino iudicio, vt inopinatis intereant caſibus, & venia careant, qui gratiam ſibi neglexerunt oblatam. Quamobrem ſicut non eſt de miſericordia Dei deſperandum, ita nec de gratia præſumendum. *Eſa. 55.* Quiſque prophetico ſit eruditus oraculo, quo ait: Quærite dominum dum inueniri poteſt, inuocate eum dum prope eſt, pro ſeipſo ſollicitus ſit, & dum habet congruum pœnitendi tempus, non differat de die in diem conuerti ad dominum: ſed incerta mortis hora ſuſpectus vitam ſuam emendet, reatus plangat, imploret gratiam, poſtuletque indulgentiam: ſcriptumque eſſe meminerit de virginibus fatuis, quæ ante ianuam nuptiarum clauſam vocem inge- *Matt. 25.* minantes dicebant: Domine domine aperi nobis audiſſe: Amen dico vobis neſcio vos. Vigilate itaque, quia neſcitis diem neque horam. Quoniam verò ab humanis longe diſtant diuina iudicia, & nemo ſit vtrum odio, an amore ſit dignus, quilibet bonis intentus operibus, cordis humilitatem cuſtodiat, & de propria minime præſumat iuſtitia, ne forte ſi iuſtus eſt, præſumẽdo efficiatur iniuſtus, atque ex elationis culpa prærogatam amittat gratiam. Studeat præterea iudicare neminem, ne ex hoc grauius ipſe iudi- *Matt. 7.* cetur, dicente domino: Nolite iudicare, vt non iudicemini, nolite condemnare, vt non condemnemini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Quin potius ſi quempiam viderit veritatis luce priuatum per anfractus vitiorum deuiando effluere, ac damnabilia perpetrare delicta, eidem compatiatur ex corde, manum ſi vellet, porrigat, exhortationis exhibeat verba, atque pro illo Dei clementiam interpellare non deſinat. Si forte compunctus, alienoque adiutus ſuffragio euigilet, & viuus reperiatur in corpore, qui paulo ante ob peccata ſua tanquam membrum putridum fuerat à ſanctorum congregatione præciſus, & in anima mortuus. Extraneus prorſus à Dei charitate, quæ proximum, vt ſeipſum mandat diligere, ille dicendus eſt, qui proximum agnoſcit in ſceleribus ſuis iacere exanimem, nec non niſi reſipuerit incendijs eſſe deputandum perpetuis, & nullo compaſſionis ſtimulo permouetur. Membra quippe ſumus corporis Chriſti charitate colligata, atque nutrita, propter quod oportet gaudere cũ gaudentibus, & flere cum flentibus. Nam ſi in corpore noſtro mortali vno patiente membro compatiuntur & cætera, vno languente miniſtrant reliqua, quanto magis in eccleſiæ corpore debemus inuicem communicare dona, onera portare, neceſſitatibus ſubuenire, atq; congaudere in proſperis? Porrò in vno quoque noſtrum dominus formam fraternæ dilectionis inſtituit, quatenus ipſa natura nos doceat hoc nos debere agere in proximo, quod eadem in nobis perficit, atque tanquam noſmetipſos ſcire diligere. Naturæ itaque iura violat, diuinæ legis mandata tranſgreditur, humanitatis dirumpit fœdera, quiſquis proximo detrahit, laborantem non adiuuat, cadenti non condolet, errantemq; orando ſeu obſecrando, ſiue increpando ad rectitudinis viam reuocare contempſerit. Nam Dei dilectionem hinc ſe denegare demonſtrat, qui proximorum paruipendit ſalutem, atque in eccleſiæ corpore inutile membrum ſe eſſe fatetur, ſi ſuper mortuam fratris animam nullo mœroris agitetur impulſu. Cæterum ille omnino beatus eſt, qui ex intimis medullis cordis compatiendo cadentibus, omni qua valet, inſtantia eoſdem conatur erigere. Nam ſi apud dominum digna nequaquam mercede carebit, quicũque ſitienti proximo aquæ frigidæ tribuerit potum, quid accepturus ſit, qui defunctæ animæ, ac ſub delictorum mole ſepultæ, ſpiritualis vitæ gratiam à domino obtinere meruerit, ſapiens quiſque dijudicet. Maxima profecto virtus eſt, iuge ſacrificium, acceptabile opus, ſuauiſſimum holocauſtum in conſpectu altiſſimi mirifice redolens, intentione recta, corde humili, & abſque ſui detrimento, ſpiritualibus proximorum vtilitatibus inſeruire. In hoc vera erga dominum probatur eſſe dilectio dicente domino ad Petrum: Si diligis me, paſce oues meas. *Ioan. 21.* Hinc eſt quod ſancti tam infatigabiliter, tamque fideliter animarum incubuere profectibus magnum arbitrantes quæſtum poſſe reddere emendatos Chriſto, quos bonorum omnium aduerſarius fraudulenter abſtulerat. Id verò, vt abundantius perficere poſſent, ieiunijs, ac vigilijs ſeſe attriuerunt. Cum lachrymis & gemitibus in orationibus pernoctauere frequenter. Innumerabilia penè librorum volumina

mina

mina condiderunt, peragrarunt prouincias, maria tranſierunt, vrbes proprias reliquerunt, facultates, propinquos & notos. Ipſum quippe dominum Ieſum imitati ſunt, qui vt humani generis aboleret contagia in crucis ara confixus, proprii corporis effuſo cruore, ſemetipſum Deo patri holocauſtum fecit. Tãti ſi quidem fuit meriti huius ſacratiſsimi ſanguinis ſancta libatio, vt placaret dominum, animaduerſionis æternę mutaret ſententiam, originalis culpæ relaxaret debita, diſperſos Dei filios reuocaret ad pacem, æternitatis aditum deuicta morte reſeraret, atque pœnitẽtes veræ immortalitatis reportaret in gremium. Nec mirum. Si enim ſanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aſperſus, ſicut apoſtolus ait, inquinatos ſanctificat ad emundationem carnis, quanto magis ſanguis Chriſti, qui per ſpiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, Heb. 9. emundabit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſeruiendum Deo viuenti? Hoc vnico ſacrificio fideles redemptionis percipiunt meritum, adoptionis conſequuntur gratiam, & filiorum Dei annumerantur in ſortem. Quotquot modi iſtius ſunt effecti participes, alieni à Deo eſſe non poſſunt. Nam & ſi ab ouili Chriſti ſegregentur ad tempus, quamquam diabolicæ tyrannidis ſeruili iugo premãtur, quamuis venũdati ſub peccato ſe æternę mortis reddant obnoxios, minimè tamen peribunt in fine, quoniam oues ſũt illius ſanguine redẽptæ, qui ait: Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcũt me meæ. Et animam meam pono pro ouibus meis, & vitam æternam do eis. De ipſis ouibus inquit Apoſtolus: Nouit dominus, qui ſunt eius. Alioq; 1. Tim. 2. in loco dicit: Quis accuſabit aduerſus electos Rom. 8. Dei? Deus qui iuſtificat? Quis eſt, qui condemnet? Ieſus Chriſtus qui mortuus eſt: imò qui & reſurrexit, qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. Quis ergo nos ſeparabit a charitate Chriſti? Tribulatio, an anguſtia, an perſecutio, an fames, an nuditas, an periculũ, an gladius? Certus ſum enim quia neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; inſtantiam, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundũ, neq; creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu domino noſtro. Vides quantã efficaciã habeat in prædeſtinatis ouibus mors Chriſti, quãtũq; operetur? Cernis, inquã, hoc ſacrificiũ ſanguinis, quãtũ apud Deũ in cœlis valeat, & quã melius loquatur quã ſanguis Abel. Ille ſiquidem de fratricida condignam expetebat vltionẽ: iſte pro ſuis crucifixoribus indulgentiã poſtulabat dicens: Pater ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Ille reaLuc. 23. tum vnius impunitũ eſſe nolebat. Iſte vniuerſorũ errata diluebat, quemadmodum de eo ſic legitur: Gratia vobis & pax à Deo patre, & domino noſtro Ieſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ. Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in Apoc. 1. ſanguine ſuo. Ille, inquam, in delictis mortuum deſtinati volebat ad interitum æternorum: iſte mortuos reſuſcitare volebat, reſtituere Deo, & coaptare ad gloriam. Nullum ſacrificium iſto magis poterat eſſe proficuũ, per quod agnus occiſus veraciter immolatur & viuit. Occiſus quippe eſt corpore. Immolatus pro ſaluandis & viuit in verbo, ad interpellandum pro nobis. Nã per Ioãnem dicitur: Si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe 1. Ioan. 2. eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Huius profecto venerandi ſacrificii immolati agni figura præceſsit in lege, quando in exitu Iſrael de Aegypto Exo. 12. à Deo per Moyſem iuſſum eſt vt per familias ſingulas agnus anniculus interimeretur, aſſeretur igni atque ab omnibus profecturis cum capite & inteſtinis mãderetur. De cuius videlicet sãguine Hebræorũ poſtes vngerentur, ne tranſeunte angelo, qui Aegyptiorũ primogenita percuſſurus erat, de habitatoribus domorum, in quibus eſſet occiſus agnus, quenquam deuaſtare præſumeret. Quis ſit iſte agnus, qui occiſus manducatur & viuit, Propheta inſinuans ait: Sicut ouis ad occiſio- Eſa. 53. nem ductus eſt, & quaſi agnus coram tondente Hier. 11. ſe ſic non aperuit os ſuum. Ipſe quoque de ſeipſo per Prophetam alium dicit: Et ego tãquã agnus, qui portatur ad victimam, ductus ſum & non cognoui conſilia eorum dicentium: Venite mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium. De hoc eodem agno Ioan- Ioan. 1. nes Baptiſta inquit: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Vidit coram ſe ambulantem dominum Ieſum: omniumque ipſum in ſpiritu agnouit eſſe redẽptorem, & ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Sanè agnus iſte innocens, & immaculatus, qui nullum habet peccatum, tollit peccata mundi, & ſpiritualem vitã dat mortuis quoniam ſolus inter mortuos ab omni contagione delicti extitit liber, adeò ut morti addictos, & in lacum miſeriarum demerſos, gratiæ reuocaret ad vitam. Quemadmodum Propheta Zach. 9. teſtatus eſt dicens: Tu autem in ſanguine teſtamenti eduxiſti vinctos de lacu, in quo non erat aqua. In virtute igitur ſanguinis Chriſti innocentiſsimi & veri agni, ab Aegyptiaca dæmonum ſeruitute liberati ſunt mortui. Et de clauſtro inferorum, qui illum præceſſerunt educti ſunt iuſti, quatenus ſaluator & redemptor noſter defunctorum reſurrectio merito diceretur, & vita. Illorum videlicet, qui non æternaliter, ſed ſpiritualiter detenti in corpore mortui ſunt. Nam his, qui ſine venia deceſſerunt, omnis prorſus reſurgendi ad vitam ablata eſt ſpes. Reſurgent quidem non ad vitam, ſed ad ſupplicium. Omnes, inquit apoſtolus, reſurgemus, ſed non omnes immutabimur. Soli reſuſcitati mu- 1. Cor. 15.

mutabuntur, qui priuſquam peregrinationis huius curſum perficerent, per gratiam & penitentiam reſurrexerunt ad vitam, & adhæſerunt corpori Chriſti per charitatis vinculum, quo ſingula compacta & connexa ſunt membra. Cæteri verò minimè immutabuntur: ſed tantum cum corporibus ſuis reſurgent gehennæ incendio
Matt. 25. concremandi. De quibus dominus ait: Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Merito maledicti vocantur, qui benedictione carent cæleſti, diuino ſuffragio, omnique correctionis fiducia, vtpote qui intelligere noluerunt, vt bene agerent, neque iuxta eruditionem propheticam voluerunt præuidere futura. Carnalium ſiquidem voluptatum debriati dulcedine, tam effrænate viſibilia dilexerunt, vt ſummum & incontaminabile bonum ſpernerent, vocantis abigerent gratiam, ſeque admonentium rudimenta deſpicerent. Quamobrem æternis iuſtiſsimè hi ſunt cruciatibus detendi, qui æterni Dei noluerunt obtemperare mandatis. Immortalem ipſius imaginem turpiſſime fœdauerunt, atque pro vnius momenti ſaturanda ingluuie, epulas contempſere cæleſtes. Talium Eſau gerebat ſimilitudinem, qui modicæ
Gen. 25. lenticulæ deſiderio flagrans, primogenituræ ſibi debitæ non expauit venundare theſaurum. Vnde à fratre quoque illius benedictione prærepta, indulgentiam poſtea, quam cum lacrymis expetiit, obtinere non valuit. Abſque vlla igitur ſpe veniæ & interminabili mulctandi ſunt pœna, atque immortalis patris æquiſsime ſunt benedictione priuandi, qui delinquendi auiditate ſemper accenſi, pro caducis, ac viliſsimis bonis præmia æterna repudiant. O peccantium intemperata voluptas. O mortalium cæca cupido, cur tam pernicioſe ſeduceris? quare ſic vitiorum iugo deprimeris? Redi (quæſo) ad rationis tuæ iudicium, reuertere ad correctionem cordis, diligenter obſerua à quo falleris, quà duceris, quò tendis, quidve agere niteris. Conatis vtique rapidiſsimo curſu defluentem coercere aquam, mariſque ſeculi iſtius tumentem ſedare procellam, dum labentis temporis motum concupiſcis, vt non prætereat, atque corruptibilis carnis voluptuoſa vis fruitione lætari. Tranſit hic mundus & concupiſcentia eius, & illum contendis tenere, ne tranſeat. Quot præteritæ generationes agere voluerunt, quod tu, & minime valuerunt? Quin potius cum defluente pariter & ipſæ collapſæ ſunt. Hæc lex indicta eſt tempori, vt cuncta poſt ſe temporalia rapiat, nihilque firmum ſub ſole ſubſiſtat. Sapientem audi, quid dicat: Quid eſt quod fuit? Ipſum quod futurum eſt. Quid eſt,
Eccl. 1. quod factum eſt? ipſum quod faciendum eſt. Nihil ſub ſole nouum. Nec valet quiſquam dicere: Ecce hoc recens eſt. Omnia temporalia tranſeunt, cuncta ſub ſole creata deficiunt: vniuerſa, quę in terra mouentur; viuendo ſeneſcunt. Dũ igitur temporalia vis ſeu tempus ipſum in terris cohibere ne tranſeat, nequaquam percipis, quia cum labentibus tu quoque pertranſis. Nonne aduertis, quòd tamdiu in hoc deſudas conflictu, ac tua eouſq; cogitatione deluderis, donec corporalis reſolutionis interueniente hora excipiaris de medio captiuus & nudus? Sanè tunc ſtare potuiſſes, tunc ſine mutabilitate, quandoque gaudere, ſi mentis tuę obtutu temporalia cuncta tranſeundo, ęternitatem Dei conſpicere voluiſſes, & ineffabilib. bonis ſupernę Hieruſalem electis omnib. poſt iſtius peregrinationis curſum feliciter donandis, oblectatum eſſet cor tuum, atque pro eiſdem adipiſcendis vniuerſum laboris tui ſtudium expendere delegiſſes. Illa profecto à ſuis dilectoribus, facilius obtinētur, quàm quæ fugitiui ſeculi voluptas amplectitur carius, & dulcius tenentur, ac felicius poſsidētur. Quamobrem ò homo ſi te delectat abſq; vlla viciſsitudine ſubſiſtere, & ſine aliquo interueniente mœrore iocundari, dilige quod ſempiternum eſt, quod beatum, quod immutabile, quod non variatur caſibus, quod non ſubiacet mutabilitati, nec pendet ex aliquo, nec aliquo indiget. Sed ex ſe ęternum habet eſſe in ſeipſo, gaudens de ſe, ſemper eſt quod eſt. Non capiens motum, conſtituens tempus, creaturis vniuerſis tribuens eſſe, immutabiliter mutans omnia, vbiq; pręſens, cuncta cõplectens diiudicans ſingula, perluſtrans abdita, obliqua dirigens, puniens peruerſa, collapſa erigens, remunerans merita, & gaudia ſuperna communicans. Sine cuius lumine verum nemo videt lumen. Sine cuius protectione nullus ſtare poteſt. Sine cuius virtute nemo ſpiritibus immũdis reſiſtere ſufficit. Sine cuius ſuffragio extenſos in hoc mũdo laqueos nullus poteſt euadere. Sine cuius gratia nemini tribuitur laudabiliter viuere. Sine cuius viſione, nullus, valet beatus eſſe. Illi ſi cõcupiſcis ęternaliter viuere, charitatis vinculis inhęrere ſtudeas. Alioquin ſi te elongaueris ab ipſo, quod accepiſti, amittes bonũ & peribis. Sicut propheta de eo loquitur, dicens: Domine qui elongãt ſe Psal. 72.
à te peribunt, perdidiſti oẽs qui fornicantur abs te. Quomodo perdantur, & ad conſumptionem veniant, Idem alio inquit in loco: Ad nihilũ deueniet, tanquam aqua decurrens. Porrò qui ſe elongant à Deo, qui ſummũ & verũ, ac ſempiternũ eſt bonũ, delinquũt, & peccando in nihilum tendunt. Nẽpe queamadmodũ peccatũ nihil eſt, ita qui voluntarie peccat, vergit ad nihilũ, & perſeuerando efficitur nihil non ſubſtantialiter, ſed effectiue. Claret proculdubio quòd vnaquæq; res tanto diutius perdurat in eo quod eſt, quanto ſolidius eſt fundamẽtum cui inhęret, illique efficacius cõformatur. Quamobrem ſicut qui adhęret Deo, vnus ſpiritus fit cum eo, & qui copulatur 1. Cor. 6.
vxori, caro vna dicitur, ita & qui innititur nihilo,

lo, efficitur nihil. Quo nihil eſt infelicius, nihil abiectius, nihil turpius. Vide quàm lugenda, quàm ve pernicioſa eſt peccantium conditio, qui vnde ſtare, ac ſeculi voluptatibus frui conantur, inde miſerabilius corruunt, vt non ſint, ſicut pro-
Pſal. 1. pheta commemorat dicens: Non ſic impii non ſic, ſed tanquam puluis, quem proiicit ventus à facie terræ. Iuſtus è contrario, quoniam contemptis mundi huius fugitiuis, ac deceptoriis bonis
Pſal. 12. figitur in eo, qui eſt, ſemper perſeuerat in bono, nec deficere valet, dicente Domino per prophetam: Qui confidunt in domino ſicut mons Sion, non commouebitur in æternum, qui habitat in Hieruſalem. Quonammodo poteſt deficere, ſeu commoueri, qui ſpiritualis ſuæ domus in excelſo monte, & in petra duriſsima fundamenta locauit? Non in monte materiali, ſicut viſibili, ſed in ſpirituali & æterno, de quo per prophetam dicitur:
Mich. 4 Et erit in nouiſsimis diebus mons domini præparatus in vertice montium, & fluent ad eum om-
Pſal. 67. nes colles. De eodem quoque in pſalmis ſic legitur: Mons Dei mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis. Vt quid ſuſpicamini montes coagulatos? Mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare, in eo etenim Dominus habitabit in finem. Sanè mons iſte cæteris eſt celſior, paſcuis pinguior, delectabilior amœnitate, atque vbertate fœcundior, quoniam in illo vniuerſorum Dominus inhabitare dignatur. Hinc eſt, quòd ſicut propheta commemorat, montes reliqui omnes, videlicet Angeli, & glorificati Sancti, qui ob eorum ſublimem gloriam montes merito nuncupantur, in eius circuitu ſunt, non vt illum protegant, cum per ſe munitiſsimus ſit, ſed vt ex eo percipiant vnde nutriantur, & viuant. Nam quicquid habent quicunque beati ſunt, & de quo lætantur, de monte iſto ſuauiter carpunt, ac de illo amabiliter ad ſatietatem ſumentes æternaliter viuunt. Verũ rationabiliter in circuitu huius ideò montes cæteri ſtare perhibentur, quia tanquam paruuli matrum vbera ſugentes contemplationis diuinæ lacte paſcuntur, à qua ſicut diuelli nolunt, ita nequeunt. Securi quippe de gloria, qua fruuntur, atque per amoris indiſſolubile vinculum illi colligati, qui immortalitatem habet, & viciſsitudinem nullam, ſemper in eo feliciter perſeuerant quod ſunt. Hanc profectò beatorum perpetuam gloriam, ſcelerati homines & vitiis dediti in lumine fidei mentis oculo percipere nequeunt mortua opera ſectantes, & voluptatibus ſe proſtituentes, dãnationis æternæ ac mortuis effecti, qui vitæ eſſe debuerant. Nam poteſta-
Ioan 1. tem dedit filios Dei fieri his, qui in eo voluerint credere. Dedit, inquam, ipſa vita vnigenitus ſcilicet æterni patris, quantum in illo eſt, poteſtatẽ omnibus poſſe per adoptionis gratiam filios eſſe Dei. Sed innumeri extiterunt, & ſunt, qui illius peritiſsimi animarum medici neglexere conſiliũ poſt concupiſcentias ſuas potius eligentes incedere, quàm earum repreſſo ardore, diuinis obtemperare mandatis. O quàm inconſulte, heu quàm pernicioſe, & præter omnem naturalis iuſtitiæ legem, rationalis creatura ſe ſubtrahit ab eo, qui illã cõdidit, cũ aliarũ erudita exẽplo, deberet nedum ſicut cæteræ, verum etiam præ vniuerſis proprio famulari opifici, ut potè quæ plus omnibus quæ ſub cælo ſunt ſortita eſt gratiam. Sed (proh dolor) quæ amplius ſubeſſe debuerat, atque ſolicitius imperantis iuſſa perficere, facta eſt peruicacior, adeò vt nec Deum ſuum timeat, neque gehennæ incendium formidare videatur æternum. Nempe ſi Deum metueret, illiuſque beata viſione priuari expaueſceret, nequaquam tam impudice peccare præſumeret. Nam vbi adeſt timor Dei, abeſt proculdubio delinquendi voluntas, legis præuaricatio, dominandi ambitio præſidendi amor, odium proximorum, terrenarum facultatum immoderata cupido, & quicquid diuinæ aduerſum eſt voluntati. Porrò quemadmodum ex cordis tumore ſuique fiducia, inopinati eueniunt caſus, ſcelerum nutrimenta accreſcunt, ac deſperationis præparatur fouea: ita ex timore filiali & ſancto virtutum merita coaleſcũt, vitiorum rubigo conſumitur, atque propriæ ſalu-
tis maxima concipitur ſpes, dicente Propheta: A Eſa. 26.
timore tuo Domine concepimus, & peperimus ſpiritum ſalutis. Quamobrem rectiſsime cenſendum eſt, neminem poſſe ſpiritualiter mori, in quo diuini timoris ineſt flamma, quę pedetentim ignorantiæ detergit caliginem, peccatorum vincula ſoluit, ſeruilis metus excutit iugum, & ad caſtiſsimi ſuſceptionem amoris mentem ordinat ipſo denique ingrediente ad cor fugatur metus, dubietatis nox opaca clareſcit, exultat ſpiritus, inardeſcit affectus, euigilat animus, omnis hebetatæ mentis priſtinus vigor reuertitur, & efficitur ſpirituali reſurrectione viua, quæ prius ex ſui corporis ignauia abſque vlla ſpe ſepulta iacebat & mortua. Quomodo, inquam, illa non fuit mortua, quæ extrinſecus quidem ſeculi lætabatur in proſperis, carnis ſe voluptatibus immergebat: intrinſecus verò ſui ignara & cæca, ſine aliquo virtutis guſtu inſenſibiliter effluebat? Sanè in illã
complebatur, quod de ſceleratis Propheta loqui Prouer. 2
tur dicens: Lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus peſsimis. Fœtent huiuſmodi more quatriduani Lazari in monumẽto ſepulti, & multorum compediti ſunt nexibus delictorum, à quibus niſi iubente domino & apoſtolica interueniente authoritate nequaquam valent abſolui. Illi nanque ligandi, ac ſoluendi animas, atq; regni cælorum reſerandi aditum eſt collata poteſtas: dicente domino Petro & ſucceſſoribus ſuis: Tibi dabo claues regni cœlorum: & quodcũque ligaueris ſuper terram, erit ligatũ & in celis, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.

.cęlis. Vices enim ſuas animatum paſtotibus Dominus commiſit in terris, ne eccleſia clauium deſtituta potentia, ad pœnitentibus ſalutis impendenda ſuffragia eſſet inualida. Abſoluit quippe eccleſia, ſed iuſſu Domini, quos de ſpirituali morte ad vitam ipſe reſuſcitat. Nam ſuperuacue laborat, dum erigere, ac liberate conatur, quem per grariam Dominus non vocat, compungit & ſuſcitat: Hac de cauſa nullus miniſtrorum ipſius abſoluere audeat quempiam, quem in peccatorum ſordibus adhuc iacere delectat, quoniam non ſolum ligatum non ſoluit, ſed fotte abſolutus ipſe ſe vincit. Nec immerito: abſque enim congruenti ſcientia imprudenter abutitur poteſtate conceſſa. Pariter itaque in ſacerdote ſcientia & poteſtas opportune conueniunt adeò vt minime ſine animatum magno diſpendio vnam nequeas ſeparare ab altera. Quid (quęſo) in abſolutione pœnitentium abſque poteſtate ſoluendi perficere poteſt ſcientia? Valet vtique detegere ſcelera, præbere conſilia, de lege inſtruere, inſinuare quanta pœnitentibus præmia, quantave impœnitentibus in futuro ſint reſeruata ſupplicia. Sua exhortatione ad compunctionem animare, nequaquam verò compeditũ abſoluere. Rurſus ſi adſit poteſtas, ignoret ĩt ſacerdos diſcernere ĩter leprã & leprã, neſciat qualitates criminum, quantumque Deo diſpliceant ſine profectu pœnitentis proprio ſeipſum mucrone interimit. Quamobrem ſacerdos quiſque prius ſtudeat ſcire quam poſſe. Quoniam in illo poteſtatem præcedere debet ſcientia. Nonne eccleſiæ quoddam eſt dedecus inſcium videre preſbyterum, cui vtique congruit erudire populum, & ad ſe confluentibus monita propinare ſalutis? Nam propterea in capite turbarum præſidet, ad hoc cathedralis dignitatis adeptus eſt culmen, vt verbum Dei pronuntiet plebibus, errantibus ſcientiæ proferat lumen, atque de omnibus, quæ ad catholicam pertinent veritatem, rationem competentem ſe interrogantibus reſpõdere ſufficiat.

Deut. 32. Ad ſubditos de prælatis per Moyſen dicitur: Interroga patrem tuum, & tibi annunciabit, maiores tuos, & dicent tibi. Et Malachias inquit: (Cap. 2.) Labia enim ſacerdotis cuſtodient ſcientiã, & legem requirent de ore eius, quia angelus domini exercituum eſt. Hinc quantum in ſacerdotibus ignorantia deteſtanda, quanque pernicioſa ſit corpori eccleſiæ, facile colligitur. Cęterum ſi iuxta domini ſententiam, cæcus cæco ducatum præbeat, nonne ambo in foueam cadunt? Cæcus nedum ille iudicandus eſt, verum etiam elatus, & tumidus, qui curis animarum ante ſe ingerit, quàm ſciat ea, quæ ad illatum regimen minime ignorari expediunt. Sanè vtrumque, ſeu eorũ alterum ſufficit ſacerdotem in interitum obruere ſempiternum, quemadmodùm ſacra teſtantur eloquia. De ignorantia quippe per Prophetam ſic dicitur: Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi. (Oſe 4.) Et alius inquit: Sacerdotes eius contempſerunt legem meam, & polluerunt ſanctuaria mea. (Ezec. 22.) Inter ſanctum & prophanum non habuerunt diſtantiam, & inter pollutum & mundum non intellexerunt, propterea interierunt. Quantum verò ſuperbus quiſque ſit odibilis Deo, ipſe per Prophetam inſinuat dicẽs: (Ezec. 28.) Eo quòd eleuatum eſt cor tuum quaſi cor Dei, idcirco ego adducam ſuper te alienos robuſtiſſimos gentiũ, & nudabunt gladios ſuos ſuper pulchritudinem ſapientiæ tuæ, & polluent decorem tuum. Eleuatum eſt cor tuum in decore tuo, perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo. In terram proieci te, nihil factus es, & non eris in perpetuum. Verum cum ab vniuerſis mentis ſit deteſtanda elatio, præcipue tamen a ſacerdotibus, quibus myſteria ſunt collata diuina, angelorum conſortium, animarum regimen, & totius vrbis principatus, dicente Propheta: Pro patribus tuis nati ſunt tibi filii. (Pſal 44.) Conſtitues eos principes ſuper omnem terram. Ipſi namque propter ſcientię eruditionem dicuntur ſal terræ. Ipſi ob ſanctitatem vitæ luminaria mundi, proinde quilibet ſacerdos ne ad iudicium pergat, cordis tumore depoſito non dedignetur diſcere, quod ad ſufficientiam ignorare ſe videt. Humilis prius non erubeſcat eſſe diſcipulus, vt poſtmodum idoneus valeat eſſe magiſter. Nulli profecto verecundum eſt diſcere, præſertim cui animarum exhibendum eſt regimen, dum conſcientiæ ſuæ, proximorumque innititur euitare periculum, quod ex ignorantia euidentiſsime prouenire decernitur. Tanquam probatus miles armis opportunis ante ſe muniat, quàm campum pugnaturus introeat. Clericorum quippe arma ad debellandum vitia, atque aereas poteſtates diuina eſt lex. His contra diaboli tentamenta, & fraudes dominus Ieſus vſus eſt armis. Propheta quoque de ſe commemorans inquit: Super inimicos meos prudentem me feciſti mandato tuo, quia in æternum mihi eſt. De iſtis ait Apoſtolus: Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed ſpiritualia. Cur autem ſpiritualia? quia non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus. Ad oppugnandũ igitur propria, ſubditorumque vitia miniſter eccleſiæ in diuinis sẽper meditetur eloquiis. Illi quippe parum prodeſt apoſtolica eſſe tantum authoritate ſuffultum, ſi ſacrarum ſcripturarum præſidia deſint, cum ambo in ſacerdote ſimul eſſe cõueniant. Hinc eſt quòd dominus poſt reſurrectionem ſuam diſcipulis in vnum congregatis aperuit ſenſum, vt ſcripturas intelligerent, & ligandi, ac ſoluendi poteſtatem indulſit dicens. Accipite Spiritumſanctum, quorum remiſeritis

pecca-

peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt. Scientiæ igitur intellectum illis pariter & poteſtatem impendit, quatenus non ad perniciem ſe eleuando de poteſtate intumeſcerent, ſed ſcirent quibus, quantòve ad ſoluendum animas manus deberent imponere. Ex manuum ergo impoſitione ſoluendi ac ligandi exercetur authoritas, atque ex ſcientiæ intelligentia inter lepram & lepram diſcernendi habetur facultas. Hæc pauca ſub compendio propterea exarata ſunt, vt non ignoretur qualis eſſe debeat miniſter eccleſiæ, qui regiminis animarum incumbit officio. Ipſeque admonitus ſit, quanta ei in ligando ſoluendoque congruat vti prudentia. Quoniam perſæpe contingit, tum ex defectu ſcientiæ, tum ex poteſtatis carentia, vt ligatum ſoluere, & ſolutum ligare, viuificare mortuum, & non viuentem mortificare cone-
Ezech. 13 tur. Huiuſmodi per prophetam dominus redarguens inquit: Mortificabant animas, quæ non moriebantur, & viuificabant animas, quæ moriebantur. Sibipſi mentitur eorum ignorantia, non domino, qui nequaquam iniuſtitiæ fauet, ſed potius illam puniendo inſequitur. Solerter igitur ſacramentorum cœleſtium diſpenſator inuigilet, vt illum tantummodo ſoluat, quem introrſus per compunctionem, ſiue compunctionis indicium viuificatum à Deo eſſe deprehenderit. Qui ſolus poteſtatem habet vitæ &
Tob. 13. mortis, ſicut ſcriptum eſt: Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit. Veruntamen quotquot in ſpiritu ipſe viuificat ad reſurrectionis indicium, ad obſequium humilitatis, ad exemplum fidelium, ac perceptæ miſerationi teſtimonium, ac pro ſatisfactionis debito imperat, vt ſe ſacerdotibus exhibeant, atque per ſacramentum pœnitentiæ denuò ſtudeant reconciliari altiſſimo. Quamobrem ſicut ad confirmationem clauium Apoſtolis mandauit ſoluere Lazarum: ita leproſo mundato præcepit ſe debere ſacerdoti offerre, necnon ſtatutum ex lege munus exoluere. Quamuis igitur peccati lepram mundet in homine, illumque per internam gratiam excitat de morte ad vitam, nihilominus ad neceſſitatem ſalutis, vult vt confeſſionis integræ interueniat ſacramentũ, quod quiſquis ex contemptu iuxta ſanctorum patrum ſtatuta impedire præſumpſerit, ſaluus omnino eſſe non valeat. Nullus itaque de ſola gratiæ infuſione confidat, nemoque tantum in cordis ſui contritione inhæreat. Quinimo poſt perceptam remiſſionem culparum eccleſiæ accedat ad iudicem, illique cum contritione, pudore, humilitate, ac fletu, omnium delictorũ ſuorum turpitudinem pandat, nullo penitus ex voluntate omiſſo. Quod ſi intentione recta perficiet, proculdubio ex emergente cordis lætitia, quæ ex ſuperuenienti dono prouenit, ſe eſſe reſuſcitatum ad vitam ſentiet, qui paulo antè in mæroris fouea extiterat facinorum nimietate obrutus. Cuius iſta ſunt opera, & à quo hæc repentina mutatio, niſi tua & à te (domine Ieſu) vnico Dei patris filio? Tu enim amator es hominum, conditor & redemptor, qui neminem vis perire, ſed omnes ad veritatis agnitionem, & gratiæ perceptionem pertingere cupis. Charitatem quippe radiantis gratiæ tuæ ob hoc quotidie oriri facis ſuper bonos & malos, necnon ſtillicidia cæleſtis benedictionis pluis ſuper iuſtos & iniuſtos, tametſi ipſorum multi indignos ſe faciant, potius florere malentes in hoc ſeculo, & impudicè viuere, quàm tibi Deo ſuo inhærere, tuiſque ſaluberrimis monitis obtemperare, vt ſalui fiant. Negligunt prorſus ò piiſſime paſtor, animarumque noſtrarum præcipuum medicamentum & medice, conſiderare mirabilia opera tua veneranda & ſancta, quæ pro reſtauratione humani generis, compaſſionis ac dilectionis zelo accenſus, perficere dignatus es. Equidem humanis condolens miſerijs, lugendis calamitatibus, & infructuoſis laboribus, in quibus ad colligendum paleas, lateresque conficiendum ab exactoribus ſpiritualis Pharaonis mortales duriſſime in regionibus Aegyptiacis premebantur, errantes hincinde per vitiorum deuia tanquam oues, rationales quidem ſecundum naturam, ſed irrationabiliter degentes, non habentes paſtorem neque præceptorem, nec ducem, qui eos reuocaret ad veritatis delectabile lumẽ, dirigeret in viam ſalutis æternæ, à laboribus ęrumnoſis ſubleuaret exilij, eriperetque à diaboli ſeruitute tyrannica, dira quippe & amara valde de ſublimibus cælorum ſedibus, in thalamum virginalis vteri, virtutum floribus, ac gratiarum odoribus redimitum, illapſu placidiſſimo deſcendiſti. Quatenus acquiſitionis populum tuis patrocinijs indigentem ſapientię tuæ irradiares ſplendore, faſcibus charitatis accenderes, in iuſtitię deduceres ſemitas, & veram reuocares ad pacem, quam ex protoparentum tranſgreſſione amiſerat, illumque miſericorditer in hęreditatem reſtitueres ſempiternam. O mira charitatis tuę dignatio, ò ineffabilibus pręconijs efferenda clementia. Tu enim, qui (ſicut per quendam ſapientem dicitur) cęlorum contines thronum, abyſſos intueris, terram palmo metiris, non horruiſti ſacratę pudicitię breuiſſimum introire ergaſtulũ perfectus homo factus non ex corruptibili ſemine neq; ex volũtate carnis, neq; ex voluntate viri, ſed per ſpiritum ſanctum patri, & tibi coæternum conditus, atq; plaſmatus, in quo videlicet materno corpuſculo nouem menſium ſpatium perſtitiſti, donec compleretur egreſſionis tuę pręordinatum tempus. Quo decurſo, non in regali palatio, non in ſericis indumentis, non in deauratis parietibus, neque fultus numeroſitate clientum, ſed virgineę ſedulitatis contentus obſequio, reclinari voluiſti intra anguſta diuerſorij, ſupra fœnum pręſepij vt rationabilium fieres pabulum iumentorum in

medio

medio animalium tibi omnipotenti Deo ſuo pro modulo famulantium, præcinentibus nihilominus hymnidicis angelorum choris altiſona & milleflua cœleſtis Hieruſalem cantica, corã te ſuperno rege immortali & inuictiſſimo, atque mirantibus ſupra modum te verbum ſempiternum, incommutabile, immenſum, & incomprehenſibile caro factum, vt habitares in nobis, noſtrarumque fieres particeps miſeriarum, quatenus diſceres experientia referante obedientiam, ac noſtris abundantius compatereris calamitatibus, poſſetque Apoſtolus tuus Heb. 4. fidelibus dicere: Non enim habemus pontificem qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. Vere tentatus per omnia ô Domine Ieſu, in fame & ſiti, in peregrinatione & exilio, in paupertate & egeſtate, in calumnijs & opprobrijs, in perſecutionibus & preſſuris, in irriſionibus & flagellis in contumelijs & plagis, in proditione & venundatione, in potatione aceti & fellis, in perforatione clauorum & lanceæ, nec non in acerrima paſſione crucis, & mortis vitæ tuæ corporalis conſummaſti agonem. Mortem quippe dignatus es ſubire indebitam, vt omnes Adæ filios à debito æternæ mortis erueres. O neceſſarius noſtri redemptoris occubitus, per cuius meritum vniuerſus electorum numerus, de faucibus horrendi interitus ſempiternam reparatur ad vitam. Sanè ſacramentum pietatis & diuinæ miſerationis munus impenſum, in reſuſcitato mulieris Sunamitidis 4. Reg. 4. filio nobis Heliſæus Propheta indicauit: is etenim cum memoratæ mulieris ingreſſus fuiſſet domum, puerumque in lecto iacentem perſpexiſſet extinctum, clauſo ſuper ſe & adoleſcente defuncto oſtio, orauit ad Dominum. Et aſcendit & incubuit ſuper puerũ, poſuitque os ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius, & manus ſuas ſuper manus eius, & incuruauit ſe ſuper eum, & calefacta eſt caro pueri, & rurſus ille deambulauit ſemel, huc atque illuc, & aſcendit, incubuitque iterum ſuper eum, & oſcitauit puer ſepties, aperuit oculos, atque reuixit. Puer hic mortuus humanum ſignificat genus, quod tunc mortis in ſe excepit ſententiam, quum contra conditoris imperium protoparentes iſtius vetitum comedere præſumpſerunt, Gen. 2. immemores diuini ſermonis dicentis: De omni ligno, quod eſt in paradiſo, edite, de ligno autem ſcientiæ boni & mali, videte ne comedatis: in quacunque enim die comedetis, morte moriemini. Huius præuaricationis inflictum vulnus ad vniuerſos poſteros tranſmiſerunt. Cæterum ad ſuſcitandum illos propheta magnus deſcendit in orbem. Ille vtique, de quo per Moyſen dicitur: Prophetam ſuſcitabit Deus de fratribus veſtris ſimilem mei. Et erit, quicunque non audierit prophetam illum, exterminabitur de populo ſuo. Iſte ſuper pueri tunc exanime corpus incubuit, ponens os ſuum ſuper os eius, oculos ſuos ſuper illius oculos, & manus ſuas ſuper manus eius, quum naturam noſtræ mortalitatis aſſumpſit, noſtri per omnia (excepto peccato) effectus ſimillimus. At verò tunc extincti pueri, tantummodo calefacta eſt caro, minimè autem reſuſcitata. Quoniam etſi incarnato Dei verbo, necdum ſpiritualis reſurrectionis humana natura receperat donum, in aſſumente tamen verbo hominem maximam exceperat dignitatem, ab ipſo etiam angelicis ſpiritibus omnino miranda. Mirandam, inquam, cum Deum hominem factum, & hominem in vnione perſonali, ad ſacroſanctum Trinitatis ſolium veriſſime proſpicerent eſſe prouectum. Verum poſt ſalutarem prædicationem pœnitentię, virtutum, ſuppliciorum, meritorumque exhibitam populis, poſt innumerabiliũ miraculorum perpetrationem, in fluctibus, in ſolitudine, in ciuitatibus, in iumentis, & in hominibus, poſt cœleſtium ſacramentorum inſtitutionem reſeratio nem incubuit iterum cũ in crucis patibulo extenſus, atq; confixus ſponte perpeſſus eſt mortem. Equidem tunc qui mortuus fuerat, aperuit oculos, oſcitauit ſepties, atque reuixit. Oculos Pſal. 146. vtique aperuit, cum introrſus fidei refuſus agnouit, quòd magnus eſt dominus, & magna virtus eius, & ſapientiæ eius nõ eſt numerus. Agnouit Pſal. 30. quàm magna ſit multitudo dulcedinis Dei, quam abſcondit ſeruiliter timentibus, & pateſecit ſperantibus in ſe, ac ſe ſyncera affectione quærentibus. Oſcitat autem ſepties, quum di- Pſal. 118. uinis iugiter occupatus in laudibus propheticum illud valet depromere dicens: Septies in die laudem dixi tibi, ſuper iudicia iuſtitiæ tuæ. Oſcitat, inquam, ſepties, cum per ſancti ſpiritus ſeptiformem gratiam repletur timore Dei, ad perficiendum præcepta coeleſtia: pietate ad perferendum per compaſſionem proximorum onera: ſcientia, ad ſobrie vtendum, prudenterque tractandum terrena negotia: fortitudine, ad æquanimiter tolerandum aduerſa & proſpera: conſilio, ad eligendum potiora & perfectiora ſectandum: intellectu, ad perſcrutandum diuinorum eloquiorum arcana myſteria: ſapientia, ad deguſtandum cordis palato dulcedinem ſui conditoris, qua inebriabuntur quotquot ad æternam vitam prędeſtinati ſunt. Reuixiſſe verò tunc rectè dicendus eſt, cum ab alto inuiſibili ſpecie deſcendens paracletus credentium corda veritate ac dilectione compleuit. Nõnne reuixerunt ſpiritualiter illi, qui Dei & proximi tanta dulcedine feruebant vt tormenta appeterent, principum iuſſa deſpicerent, atque per orbem vniuerſum ſaluatoris melliſluum nomen ſalutiſque monita conſtantiſſime prædicarent, quemadmodum prophetico ore dicitur: In omnem terram exiuit ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Pſal. 18. Magnum autem myſterium & perfectę reſurrectionis notiſſimum

ſterium

iudicium eſt, quòd non ſemel tantum, nec bis, ſed ſignanter ſepties oſcitaſſe perhibetur. Toties oſcitaſſe dicitur, quoties de linquendo interiit. Nempe cunctis patet veritatem intelligentibus ſeptem eſſe letalia crimina, quæ quiſquis ſponte perpetrauerit, proculdubio ſpirituali vita priuabitur, & gratia. Horũ tanquam originale principium primatum tenet ſuperbia, quæ eſt peruerſæ celſitudinis appetitus, & dominandi immoderata ambitio. Ex qua germinantur inobediẽtia, diſcordia, hypocriſis, animi pertinacia, inepta lætitia, nouitatum præſumptio, peccatorum defenſio ſimulata confeſsio, & conſuetudo peccandi. Hęc profectò ſicut de ſublimitate cęlorum deiecit Luciferum, & de paradiſo deliciarum expulit Adã: ita quemlibet elatum à diuino conſpectu efficit alienum, dicente beata Virgine: Fecit potentiã Luc. 1. in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Decipula enim diaboli ad capiendum animas, illaſque perdendum eſt: terrenarum facultatum inordinata cupido, quæ & ſeruitus idolorum nuncupatur, dum fiducia & dilectio, quæ erga Deum adhibenda eſt, in pecuniis conſtituitur. De huiuſmodi inquit Apoſtolus: Qui volunt di- 1. Tim. 6. uites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueũ diaboli, & deſideria multa & inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. Verum quid deteſtabilius, quam vt cœleſtibus ſpretis diuitiis, theſaurizent ſibi mortales in hoc mundo facultates, quas ærugo conſumit, demolitur tinea, fures effodiunt & furantur. Nemo facile proferre valet quot fraudes, mendacia, violentiæ, homicidia, oppreſsiones, periuria, impietates & ſcelera ex hac peſte proueniãt. In ſpeluncis & nemoribus ſicarius latitat, vt viatorem expoliet. Transfretat nauta maria, prouincias peragrat negociator, ſe exponit periculis bellator, ſui dominium alienat mercenarius, diebus ac noctibus deſudant artifices, vt temporales ſibi valeant aggregare opes, nec aduertũt miſeri hunc laborem eſſe caſſum, & afflictionẽ peſſimam velle vltra congruentem neceſsitatem cumulare pecunias hæredibus ſuis, qui vt plurimũ illis eò deterius abutuntur, quò ampliores ſunt. Eſt quoque enorme delictum & æternæ mortis filia ventris ingluuies, quæ ex immoderatæ gulæ appetitu prouenit. Non aliunde humani generis primi peccauere parentes, de quibus ſic legitur: Vidit igitur mulier, quòd bonum eſſet lignum, Gen. 3. & ad veſcendum ſuaue, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro ſuo, qui comedit, & aperti ſunt oculi eorum amborum. Cumque cognouiſſent ſe nudos eſſe, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata. Ex gulæ etiam intemperantia, primogenita ſua vẽdidit Eſau, & inceſtus crimen conſummauit Loth. Per hanc quippe natura corrumpitur, libidinis nutriuntur incendia, ſubuertitur ratio, ſcelera panduntur, homicidia fiunt proferuntur ſtultiloquia, detractiones, & verba ſcurrilia, hebetatur mens, maturitas relaxatur, comeſsationes frequentantur & ebrietates, lętitia inepta diſsoluit, immunditia polluit, mors oritur culpa, atque reſolutionis, corporis memoria tollitur. Porrò ex voraci edacitate gulę naturæ finibus non contenta emergit peſtilentia, luxuria quæ ex immundis deſideriis veniens eſt lubrica carnis, & mentis proſtitutio. Hæc cum ſit Marc. 7. mors animę, multifarie perficitur, videlicet per fornicationem, per adulterium, per ſtuprum, per inceſtus, ac per horrendam contra naturam pollutionem. Equidem vitium hoc adeò eſt deteſtabile, vt nedum illud perpetrare, verumetiam de ipſo particulariter loqui verecundum ſit, atque deforme. Quis non erubeſcat propalare obſcœnas contrectationes, colloquia impudiciſsima, meretricia oſcula, mollitiei ſcelera, inſatiabilem voluptatem, commixtiones brutorum, & cętera delicta luxuriæ, per quæ polluitur tellus, elementa contremiſcunt, denigrantur ſidera, cœlũ clamoribus repletur, & in ipſa humana ſpecie ſubuertitur quicquid decoris eſt, quicquid honeſtatis, quicquid rationis, quicquid meriti, quicquid religionis inſeruit gratia, acquiſiuitque virtus. Sanè ab hac matre peſsima nefariæ oriuntur filiæ, ſcilicet, cæcitas mentis, inconſideratio mortis & extremi iudicii, deſideriorum, ac cogitationum inconſtantia, inordinatus amor ſui, præcipitatio operis, odium Dei, affectus præſentis ſeculi, nec non deſperatio futuræ vitæ. Hæc diluuium intulit mundo, & ſulphureo Sodomam & Gomorram concremauit incendio. O quanti poſt laudabilem conuerſationem, frequentes orationes arcta ieiunia, diutiſsimam eremi habitationem, cibi potuſque parcitatem, ſeducti ſpiritu fornicationis, deſerta ac cœnobia relinquentes, atque reiecto ſanctæ religionis habitu, laxantes fręna intemperantiæ gulæ obſcœnis & impudicis luxuriæ actibus ſe immergentes, duplici interitu perierunt? Iſtam igitur animæ mortem illi rationabiliter euadere poterunt, qui ipſius occaſiones fugiunt, principiis tentationis reſiſtunt, carnis deſideria frangunt, corporis abhorrent ocium, corporis reſolutionem recogitant, & præcipue cordis humilitatem poſsidere conantur. Quoniã quemadmodum Deus ſuperbis reſiſtit, ita gra- Iaco. 4. tiam ſuam præſtat humilibus. De inuidiæ autem liuore quid memorem, cum ex natura ſui odium ſit felicitatis alienæ? Ab ipſo quippe tenebrarum principe ſumpſit initium, ſacro dicente eloquio: Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarũ. Sap. 2. Ipſum ſequuntur, qui ſunt ex patre illius. Nullum profectò vitium fraternæ ita ſe opponit dilectioni, quemadmodum iſtud: detractioni ſemper vacat, bonis alienis derogat, cordium occulta diiudicat, dicit (ò quàm ſæpe) bonum malum

& lu-

& lucem tenebras. Torquetur de profectibus laudabiliter conuerſantium, ac de eorum aduerſitate lætatur. Iſte languor tenebroſus impulit Cayn vt fratricidium perpetraret, Iacob filios, vt vænundarent Ioſeph, Saulis animum, vt perſequeretur Dauid, atque Iudæorum perfidiam, vt interimerent Chriſtum. Sicut luculentiſſime in Sapientiæ volumine continetur. Charitatis deniq; fontem exhaurit, ſe poſsidentem torquet grauiter, necnon & odibilem reddit altiſsimo. Hoc etiam dixerim de præcipitante furore, qui eſt motus animi concitatus ad pœnam, atque vlciſcēdi libido. Cur non diſpliceat Deo iræ turbulenta commotio, cum ab eadem naſcantur odia, rixæ, contumeliæ, clamores, blaſphemiæ, indignationes, conuicia? Nam pacem dirimit, vnitatis bono aduerſatur, mentis oculum obnubilat, à cordis hoſpitio paracletum fugat, perceptæ deuotionis dulcedinem ſpargit, atque ſui iuris hominem, eſſe facit alieni. Equidem ignis eſt vrens, qui repentino ſuo impulſu erectam ſupra ſe ſubruit mentem, multoſque ſanctitate, ac opinione præclaros reddit inglorios. Poſtremo de accidia, quæ eſt diffidentia de propriis viribus cum auxilio Dei implendi ardua, minimè reticendum eſt: locum enim ſpecialem inter vitia capitalia ſortitur. Et ab ipſa tanquam à genitrice peſsima, procedunt, malitia, id eſt voluntas machinandi malum alicui, deſperatio propriorum meritorum, ac cæleſtium diffidentia præmiorum, puſillanimitas quoque ex interioris infirmitatis conſideratione orta. Rancor, qui aduerſus proximos inueteratum eſt odium. Torpor animi contra præcepta, necnon mentis euagatio circa illicita. Fortes ipſa accidia deprimit viros & ſpirituali aſſuetos in bello frequentiſsime ex cordis ignauia facit dormitare prę tędio. Ab hac quiſquis fuerit corde poſſeſſus, iudicium diuinum non metuit, legis mandata negligit, ſuamque ſalutem cōtemnere hinc videtur. Illi non placet legere, non libet pſallere, orationi vacare, celebrare ieiunia, nocturniſque faſtidit intereſſe vigiliis. Amittit quicquid deuotionis eſt, quicquid ſpiritualis lętitia, quicquid futurę felicitatis poterat in mente dulceſcere. Et veluti defunctus quodam inſenſibilitatis aggere agnoſcitur eſſe ſepultus. Quonammodo non iſte cenſendus eſt mortuus, qui caret ſpe venię, ſpiritualia vitę deficit motu, omnique interioris exercitationis primatus eſt ſenſu? Ita profecto ſeptē ſunt ianuę, per quas mors intrat & dormientem, atque ingratam interimit animam. Dormientē illam dixerim, quę abſque vlla ſui cuſtodia huc illucque vagatur, ſui neſcia, ignara periculorum quibus mundus eſt plenus. Impauida gehennę, inexperta certaminis ſine Dei timore, ſine pudore, ſine ſpe, ſine miſericordia, & abſque alicuius laudabilis conuerſationis intentione probata. Cęterum ſi cœleſtis ſibi impenſę gratię naturalium, gratuitorumque donorum minimè eſſet ingrata, aduerſum illam nunquam capitalia vitia, ac tenebrarum principes dominatu pręualerent tam diro. Nam quemadmodum ex conſenſu interioris hominis animam ingtediendo necant, ita ex ipſius voluntatis reluctatione aufugiunt. In hominis igitur voluntate mors & vita ſunt poſita, adeò vt ex arbitrio proprio quiſque abſque ambiguitate aliqua viuere dicatur, vel mori. Moritur quidem ſi diabolicis ſuggeſtionibus, ſeu cōcupiſcentiis carnalibus aſſenſum prębet. Viuit autem ſi diuini timoris pręcinctus gladio, Dei ſecum nihilominus cooperante virtute, ſpirituales in ſe aduerſarios inſurgentes debellando interimit, Prophetę eruditus exemplo, qui ait: In matutino interficiebam omnes peccatores terrę, vt diſperderem de ciuitate Dei omnes operātes iniquitatem. In matutino inquit, videlicet in Pſal. 118.
primo internarum ſuggeſtionum congreſſu, ac corporalium voluptatum impulſu de cordis mei thalamo, quod domini ciuitas eſſe perhibetur, cūctorum vitiorum propellebam inſultus. Hęc ſanè ſpiritualis eſt pugna. Hęc, inquam, eſt violentia ſalutaris, quam ſibiipſi iuſtus quiſque indicit, vt animam ſuam in pace poſsideat, virtutum margaritis fulgeat, perfectionis alta conſcendat, atque poſt conſummatos pro Chriſto labores, beatorum ſpirituum cœtibus inſeratur. De hac quippe Saluator ait: A diebus Ioannis regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Rapiunt prorſus dum mente vigilant, corde pugnant, carnem macerant, crebris perno- Matt. 11.
ctationibus orationi inſiſtunt, pietatis operibus vacant, conſcientiam mundant, cœlum gemitibus pulſant, perhorreſcunt vitia, ſeculi oblectamenta fugiunt, & Dei mandata ſedula animi intentione perficiunt. Iſti pro iuſtitia certando vſque ad mortem ſuperbiam humilitate, auaritiam paupertate, caſtitate luxuriam, proximi dilectione inuidiam, ſobrietate gulam, iram manſuetudine, acidię tabem de lectabili conditoris ſui amore ſupplantant. Ecce militum Chriſti pręclara victoria: ecce glorioſum certamen diripientium regna cœlorum, nec non ſpiritualis reſurrectionis teſtimonium verum: quam profecto quiſquis conſequitur poſt compunctionis gemitum, poſt effuſionem lachrimarum, poſt integerrimę confeſsionis vitale antidotum, poſtque conceptam delictorum ſuorum remiſsionis fiduciam, diuinam exultando prorumpit in laudem, Dauidi- Pſal. 115.
cum illud decantans, & dicens: Dirupiſti domine vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis. Ad ſe quoque conuerſus, ſeque humiliter adhortans inquit: Conuertere anima mea in Pſal. 114.
requiem tuam, quia dominus benefecit tibi. Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos à lachrimis, pedes meos à lapſu. Placebo domino in regione viuorum. Maximis ſiquidem gaudiorum

diorum

diorum delitiis fruitur, concepta quoque ſpei pace exultando potitur, quoniam de perceptis muneribus ingratus non eſt. Non ſibiipſi aſcribit victoriam, neque de propria virtute intumeſcit, (Ioan. 15.) dominici memor ſermonis, qui ait: Sine me nihil poteſtis facere. Nouit certiſsime, quòd quandiu in facinoribus degens iacuit mortuus, nihil valuit operari ad meritum. Eo etenim modo peccatoris anima ad æternæ vitæ meritum languet in opere, quo exanime corpus in actione agnoſcitur eſſe inutile. Valet profectò opus bonum exercere peccator, nequaquam verò ex eo proficere quicquam, quoniam ſine gratię humore ſubſiſtit. Nam quemadmodum ex arboris corrupta radice, nil ad humanę vitæ nutrimentum germinatur, ita ex anima capitalium criminum deprauata veneno aſſeuerare non ambigo. Radix quippe ſpiritualis, ex cuius humilitate anima Chriſtiana coaleſcit, & viuit, charitas eſt. Quãdiu in anima iſta perſeuerat, (Rom. 8.) illius opera vllo modo infructuoſa eſſe non poſſunt. Quod ſuo Apoſtolus commendat eloquio: Scimus, inquit, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. Hæc autem radix charitatis, ſi exigentibus culpis hominis exiccata fuerit, penitus arbor efficitur infructuoſa & mortua, atque æternis iuſtiſsimè concremanda incendiis, tametſi intuentibus verborum foliis amœna, aliquibusve operibus bonis appareat eſſe fœcunda. Huic ſententiæ opitulatur, quod per Apoſtolum Paulum (1. Cor. 13) de ipſa dicitur charitate: Si linguis, inquit, hominum loquar & angelorum, charitatem autẽ non habeam, factus ſum velut ęs ſonãs aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meum, ita vt ardeam charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Ex ſola itaque charitate ſingulorum merita cauſantur, ſuffragantur tamen, ſed non ad æternæ vitæ meritum, cætera bona opera ſine charitate, & non bene conſummata. Valent enim ad mitigandum pœnam, quæ iuſte & omiſsione, & præcepti tranſgreſsione debetur, ſi non fierẽt, præſtant temporalia bona, honores videlicet, diuitias, incolumitatem corporis, longæuitatem vitæ, terrenam felicitatem, propagationem filiorum, ſucceſſuſque proſperos. Occupant hominem, nec permittunt operantem ad deteriora labi. Aſſuefaciunt ad bene operandum, delectant mentem, reſtrigunt fomitem, arcent peccati fluxum, atque ad ſuſceptionem gratiæ gratum facientis habilitant cor. Exigua verò vniuerſa ſunt hæc, in comparatione retributionis æternæ. Quia eò dulcius quiſque, ac abundantius perfruetur, quò charitatis affectò extiterit ardentior, atque ſimplicior. Hinc quàm lugenda ſit anima charitatis vita priuata claret conſpicue, quæ nedum cœleſtium bonorum aliena, verumetiam gehennalium ſuppliciorum efficitur digna manet in corpore mortua viuificans illud, ſed coram Deo ſimulacris viliſsimis comparatur, habet intelligendi naturale acumen, quo temporalia & humana prudenter tractat negotia & tamen Dei & ſui caret cognitione, quæ prorſus ſaluti eſſe neceſſaria comprobantur? audit perſæpe internam aſpirationem, clamoremque murmurantis conſcientiæ, minime verò perficit opere diuini admonitionem oraculi. Nullum præterea pro adipiſcendis inuiſibilibus bonis ſpei ſentit odorem, nulloque futurorum malorum pauore concutitur. In adminiſtratione autem, ſeu præſentia ſacramentorum cœleſtium, atque in aſſiſtentia orationis, adeò manet inſipida, vt fœtenti cadaueri pene ſit facta ſimillima. Eòque deterior, quòd guſtando non guſtat, & tremendæ maieſtatis aſtans conſpectui, ſicut à deuotione, ita eſt aliena à metu: nam torporis, atque infidelitatis tenebris obuoluta, Chriſti diuinitatem & fidem ſola oris confeſsione fatetur. In ea videtur eſſe completum, quod dominus de Hebræorum populo (Eſa. 6.) per Prophetam vaticinatus eſt dicens: Excæca cor populi huius, vt videntes non videant, & audientes non audiant, ne forte conuertantur, & ſanem eos. Quamobrem ſpiritualibus ſtudiis prorſus effecta inutilis veluti à corde mortua, foras ſe tota præcipitat, & quicquid habet diſcretionis, quicquid guſtus, quicquid virtutis, in exteriorum fruitione conſtituit. Iam quippe agnoſcens ſe mortuam, terrenis actionibus ſe obruit, gratiæ lucem & æterni ſolis non ferens ſplendorem. Propriæ demum conſcientiæ condemnata iudicio, veniam à Deo ſe poſſe obtinere diffidit. Quid agis ò anima inſenſata & mortua. Mortua, inquam, Deo, ſed viuens ſeculo. Inſenſata virtutibus, & vitiis dedita. Quid (quæſo) cogitas? quò duceris: quò traheris? vt quid adhuc ſpes ſupereſt ſalutis, de propria ſalute deſperas? An ignoras quamdiu corporaliter viuis, & ſi omnium criminum te feceris reum, reſurgendi tamen in ſpiritu, tibi à Deo eſt indicta fiducia? Nunquam ſerò ad dominum reuertitur, de peccatis pœnitens, gemens & plorans. Semper redeuntibus indulgentiæ aditus patet latiſsimus. Ad hoc vt delinquentium erigeret animos per Prophetam inquit (Ezech. 18.) dominus: Conuertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non erit vobis in ruinam iniquitas. Proiicite à vobis omnes pręuaricationes veſtras, in quibus pręuaricati eſtis, & facite vobis cor nouum & ſpiritum nouum. Et quare moriemini domus Iſrael? quia nolo mortẽ morientis, dicit dominus Deus?

Reuertimini & venite. Alio quoq; in loco exhortans ait. Ezech. 18 Quoties peccator ingemuerit, nō recordabor amplius iniquitatum ſuarum. O diuinæ miſerationis ineffabiles diuitiæ. O erga morientium animas incomprehenſibilis affectus. Non præfixit compunctionis tempus, non indixit menſurā, neque conſequendæ gratiæ terminauit locū, ſed ſimpliciter dixit: Quotieſcunque ingemuerit peccator, inſinuans nullum ab eadem miſerēdi finem eſſe impoſitum. Noli ergo ex diffidentia tua immenſæ miſericordiæ Dei abbreuiare mitatem, quę tibi ad indulgendum, quàm tu ad poſcendum veniam paratior inuenitur. Nunquid Dauid, Petro, peccatrici, & pendenti cum Chriſto latroni fuit negata indulgentia? Poſt perpetratum homicidium, peccaui inquit propheta, & illico audiuit: Dimiſſum eſt tibi peccatum tuum. 1 Reg. 15 Negauit Apoſtolus peierando, & anathematizādo, quòd non nouiſſet Chriſtum, & mox ab illo miſericorditer intuitus, & corde compunctus egreſſus foras fleuit amarè. Facinorum ſuorum turpitudinem agnoſcens impudica mulier irrupit, conuiuio recumbentis ſaluatoris pedes tenuit, vbertim rigauit lachrymis, extersit crine, perunxit Math 5. vnguento, & audire promeruit: Fides tua te ſaluam fecit, vade in pace. Pendens in cruce latro & moriens ad dominum conuerſus clamauit, dicens: Domine memento mei dum veneris in re Luc. 23. gnum tuum. Is vix dum verba finierat quando ſibi loquentem audiuit: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo. Solum vt ſui reminiſceretur poſtulabat dominum, qui eadem die æternæ felicitatis adeptus eſt regnum. Pro te tibique ſimilibus iſta ſunt ſcripta, vt erudiaris exemplis, diſcaſque puſillanimitatis coercere metum, ac deſperationis à te abdicare venenum, quo Cayn æterna morte damnatus eſt, & de apoſtolatus apice deiectus Iudas duplici ſe peremit interitu. Quantos audiuimus & quotidie videmus deſperatorum more degentes reſuſcitari ad vitam, deſerere vitia, deteſtari crimina, mutare conuerſationem, pœnitentiam agere, renuntiare ſeculo, religionis ſe voto conſtringere, in fame & ſiti, in frigore & nuditate, in laboribus & ærumnis, ſe ſponte atterere, atque dignos pœnitentiæ fructus, pro ſuis Deo exhibere ſceleribus? Fit pro eiſdem conuerſis angelis Dei gaudium magnū in cœlis, qui de ipſorum propinqua perditione vtcunque gemebant, non dolendo, ſed compatiendo, ſed intercedendo, ſed eorum emendationem anhelando. Concupiſcunt plane compatiendo, & orant indeficienter pro animabus delinquentium, vt conuertantur à viis ſuis, & ſaluę fiant. Verum quid de ipſis angelicis ſpiritibus memorem? Cum de ipſo domino angelorum & 1. Ioan. 2. rege ſit ſcriptum: Si quis peccauerit aduocatum habemus apud patrem iuſtum. Ipſe eſt enim propitiatio pro peccatis noſtris. Non pro noſtris tantum, ſed pro totius mundi. O immenſa Dei bonitas, & ab vniuerſis prædicāda redemptoris noſtri benignitas. Parum illi viſum eſt pro ſalute hominum carnem ſumere, peregrinari in ſeculo, variis tormentorum generibus cruciari, cruorē fundere, atque electorum omnium debitum moriendo exoluere. Superaddidit etiam, vt ſedens in diuinitatis throno, eleuatus ſuper omnem principatum, & poteſtatem, & ſuper omne quod nominatur non ſolum in hoc ſeculo, ſed in futuro, ab hymnidicis angelorum choris glorioſiſsimè magnificatus nequaquam obliuiſcatur noſtri, noſtras non perhorreſcat miſerias, enormia noſtra non damnet facinora, quin potius miſereatur noſtri, patrem deprecetur pro nobis. Illi exceptas pro nobis obiiciat cicatrices, flagella & conuicia, quatenus ex hoc iratum reddat ad indulgendum flexibilem illum, qui per Prophetam inquit: No Ezech. 18 lo mortem peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat. Maximum prorſus & venerandum eſt hoc cœleſte ſpectaculum, pro quo mirantur angeli, omnis beatorum ſpirituum lætatur conuentus, ſtupet cœlum, exultat terra, vniuerſorumque congratulatur turba iuſtorum, cum futurum iudicem ſuum ſciunt eſſe interceſſorem, patrem, fratrem, amicum & ſponſum. Ad illum igitur peccantibus nobis confugiamus, ipſiuſque flagitemus auxilium. Sinum quippe ſuum expanſum tenet, extenſa brachia, apertum latus, reſeratum cœlum ad ſuſcipiendum nos. Redeamus, quæſo, poſt voluptuoſam vitam, poſt profectionem longinquam, poſt diſtractum patrimonium, poſt afflictionem inediæ ad patrem miſericordiarum, patrem vtique noſtrum paratum habentem anulum fidei, internæ puritatis ſtolam primam, calciamenta Euangelicæ prædicationis in affectibus animæ, & ad celebrandum pro reditu noſtro ſolenne conuiuium ſaginatum vitulum repoſitum cuſtodientem. Tunc reuertentibus nobis inuidentibus dicturus eſt. Luc. 15. Epulari, & gaudere oportet; quia hi morti erant, & reuixerunt, perierant, & reperti ſunt.

Digitized by Google

DE SPIRITVALI ANIMAE reſurrectione, quæ per mediatorem Dei & hominum Chriſtum Ieſum fit, gratia ipſius multipliciter operante.

LIBER SECVNDVS.

HVcuſque de ſpirituali interitu animæ, quamuis incultus ſermo percurrit, nunc autem fauente Deo qualiter in vnoquoque iuſtificato ſpiritualis reſurrectio fiat, differendum eſt latius, quatenus opera Dei magnifica, quæ in viuificandis animabus aguntur, propalata legentibus, ſpem veniæ delinquentibus ſubminiſtrent. Neq; fas eſt quempiam de diuina bonitate diffidere, cupientē maxime vias ſuas prauas corrigere, quum teſtante Dei filio mediatore noſtro, non pro iuſtis, ſed pro peccatoribus de cœlis ad terras dignatus ſit ipſe deſcendere. Magni proſus ſolatii, magnumque conſequendæ ſalutis incitamentum eſt, verbum Dei in vnitate perſonę naturam aſſumpſiſſe humanam, & ea pro hominibus geſſiſſe, quę dictante paracleto ſacra euangeliorum patefacit hiſtoria. Huius equidem incarnationis myſteriū inſinuat quàm mirificum, quamque venerādum ſit opus ſpiritualis reſurrectionis, quod non niſi per eundem dominum Dei & hominum mediatorem perficitur, ipſo perhibente, qui ait: Nemo

Ioan. 14. venit ad patrem niſi per me. Exigebat quippe ratio, ac diuinę congruebat ſapientię, vt per ipſum humanum reſtauraretur genus, per quem conditum fuiſſe ſacra teſtantur eloquia. Sic enim Deo

Pſal. 130. patri inquit propheta: Omnia in ſapientia feci-

Ioan. 1 ſti. Ioannes quoque Euangeliſta ait: Omnia per ipſum (videlicet verbum) facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Nempe ſi omnia per verbum facta ſunt, etiam homo per ipſum factus eſt, at-

Gen. 2. que reformatus. Factus quidem eſt ab illo ſicut legitur: Formauit igitur Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in illum ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem. Reformatus verò per gratiam ipſius ſuorumque ſacramentorum virtutem poſt præuaricationem decreti, & auerſionem à Deo, per quam in anima ſubſecuta eſt mors, quæ profecto illam priuat, non ſuo eſſe, quum immortalis ſit, ſed gratia, ſed virtute, ſed vita, ſpirituali videlicet, & æterna. Non ab re igitur dixerim hanc ſpiritualem reſurrectionem, quæ ex iuſtificatione agitur impiorum, eſſe venerandum, quoniam in cunctis operibus vniuerſi ſummum tenet faſtigium. Nam de vniuerſi creatione habes: In principio creauit

Gen. 1. Deus cœlum & terram, & dixit Deus, Fiat lux, & facta eſt lux, & cętera quæ in proprio fonte ordinatiſsime eluceſcunt. Obtemperauit itaque cœlum imperanti lucem ſuam diffundendo inferius. Obtemperauit mare piſces, volatiliaque: producendo ex aquis: iubente Deo germinauit terra herbam virentem, & afferentem germen iuxta genus ſuum, protulitque quadrupedia atque reptilia. Nihil ergo in his quæ condita ſunt, repertum eſt quod creatoris ſui reniteretur voluntati, dicente Propheta: Ipſe dixit Pſal. 32.

& facta ſunt ipſe mandauit, & creata ſunt. Statuit ea in æternum & in ſeculum ſeculi, præceptum poſuit & non præteribit. Non autem ſic in iuſtificatione malorum, ob liberi arbitrii eiſdem poteſtatem indultam, per quam ipſe homo Deo poſſe repugnare cognoſcitur. Quoties (inquit ipſe dominus ad Hieruſalem) volui con- Luc. 13.

gregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? In libro quoque parabolarum ſui contemptoribus Prouer. 1

ſapientia loquitur dicens; Vocaui & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, quum quod timebatis aduenerit, quum irruerit ſuper vos repentina calamitas, & interitus velut tempeſtas ingruerit. Verum quamuis ad inſinuandum hominem Deo poſſe reſiſtere multis diuinorum eloquiorum valeat authoritatibus comprobari, id tamen vnuſquiſque ſufficienter experitur in ſe. Quis (oro) tanta ſanctitate eſt præditus, vt ſæpiſsime aſpirationi non renitatur internæ, aut torpore victus, aut propria affectione ſeductus. O quantis clamoribus introrſus, quantiſve exhortationibus ſacris excitatur peccator, antequam de morte, ſeu ſomno delictorum euigilet? Sed & vigil effectus ò quot blanditiis, quot rationibus, quot promiſsionibus, quot exemplis, quot pulſatur terroribus, ac flagellis, priuſquam peccandi voluntatem abiiciat, & ſyncero animo, atque deliberatione conſtanti, totus diuino mancipetur obſequio. Nec immeritò, tot quippe funibus tenetur aſtrictus, quot ſceleribus prægrauatur, tantiſque ſpiritualibus compeditus eſt vinculis, quantis caducis rebus immoderato inhæret affectu. Captiuatur itaque conſuetudine delinquendi: retrahitur à ſenſualitate, quæ pœnitentiæ iugo colla ſubiicere recuſat: repellitur ſuaſionibus dæmonum, viſibilium detinetur amore: amicorum & affinium diſſuadetur blanditiis. Ex his ergo rectè colligitur, excellentiorem atque incomparabiliter mirabiliorem eſſe animarum reſurrectionem, quàm corporum. Et (ſi fas eſt dicere) longe amplius pro ſalute hominum, quàm in cæterarum rerum procreatione, atque regimine diuinam laboraſſe potentiam. In Pſal. 32.

creatione etenim rerum, dixit, & facta ſunt, mandauit & creata ſunt. Quòd verò pro hominibus laborauerit Deus, ipſum per Prophetam

Eſt. 1. audi: Laboraui, inquit, ſuſtinens. Hoc ſi ad naturam diuinam referas, abſurdum eſt credere Deum quodammodo laboraſſe, cui per quendã ſapientem dicitur: Tu autem dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas, & cum magna reuerentia diſponis nos: ſubeſt enim tibi cum voPſal. 113. lueris poſſe. Pſaltes quoque ait: Omnia quęcunque voluit dominus fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyſsis. Si verò ad humanam reflectas naturam, quæ vnita verbo in Chriſto vna perſona eſt, & laboraſſe & ſuſtinuiſſe cognoſcitur. Laboraſse vis audire? Ibat, inIoan. 4. quit euangeliſta Ioannes, in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar iuxta prædium, quod dedit Iacob Ioſeph filio ſuo. Erat autem ibi fons Iacob, Ieſus ergo fatigatus ex itinere ſedebat ſic ſuper fontem. Quæ verò, aut quanta pertulerit, quis verbis explicet? Illata opprobria, crebra conuicia, illuſiones multifarię, duriſsima verbera, excepta corona ſpinea, dilaniatum corpus, clauis perfoſsi pedes, confixæ manus in ſtipite, fellis potus, lancea apertum latus, & crucis erectum vexillum, qualia à peccatoribus, & pro peccatoribus rex noſter ſuſtinuerit, notificant. Ex difficultate igitur actionis, iuſtificationis altitudo penſanda eſt: ex difficultate igitur actionis gratiæ dono charitatis vehementia metienda. Verum quoniam vehementiſsima, & inſcrutabilis eſt Dei clementia, charitas qua Deus homines diligit, & per quam reſurrectio perficitur animarum, eſt ab his, qui ea effecti ſunt digni beneficiis cęteris pręferenda. Nam quemadmodum exanimato cadaueri nil prodeſt ornatus veſtium, diuitiarum affluentia & numeroſitas filiorum: ita neque in peccatis defunctæ animæ valent naturales virtutes, acquiſita ſcientia, ſeu aliquid eiuſmodi. Quamobrem ſpiritualis reſurrectio tanquam ſaluti omnimodo neceſſaria eſt à cunctis fidelibus appetenda, orationibus imploranda ſanctorum ac iuſtorum interceſsionibus poſtulanda, ieiuniis, eleemoſynis, ac piis operibus infatigabiliter quærenda: quæ tamen à Deo gratis datur, dicente Iacobo: Omne datum optiIac. 1. mum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum. Sed non vniformiter impertitur. Nam in ſpiritu per gratiã quidam ſuſcitantur timore, aliqui flagellis, quidam luce, nonnulli diuini guſtus debriati dulcedine. Qualiter autem ſingula operentur in ſanctarum teſtimoniis ſcripturarum, breuiter perſtringamus. Nemo recte intelligentium ambigat penè innumeros reſuſcitatos fuiſſe, atque quotidie ex metu mortis, ſeu ex timore gehennalium tormẽtorum, ſiue futuri iudicii ſuſcitati ad vitam, Nam ſi temporalis ſupplicii metus immutat hominem & conuertit ad dominum, ſicut Niniuitarum probatur exemplo, quid aget ęterni? Quis eſt, qui vibrante lictore gladium, ſeu paratis variis generibus cruciatuum ad ſe dilaniandum, ad ſe totus non redeat, & vt euadere poſsit, veniam non imploret? Quis, inquam, eſt, qui deficientibus corporis viribus, mortiſque appropinquante hora, non pertimeſcat, & toto corde, vt ab inferni pœnis eripiatur, dominum non precetur? Maxima prorſus timoris eſt vis, præſertim damnationis perpetuæ, quando videlicet permittẽte Deo humanum apprehendit affectum. Omnem ſiquidem interioris domus euertit pacem, præſentis ſeculi delectationem fugat, voluptuoſę carnis coercet ſtimulos, momentaneæ felicitatis blandimenta temperat, temporalemque dolorem ad ſuſtinendum facit eſſe leuiſsimum, dummodo ex tolerantia ipſius præcauere poſsit æternum. Hoc de ſe Propheta indicauit dicens: Ingrediatur putredo in oſsibus meis, & ſubter me ſcateat, vt requieſcam in die tribulationis, & aſcẽdam ad populum accinctum noſtrum. Tantæ Abac. 3. etenim formidinis eſt damnatorum cruciatus, vt nullatenus intelligẽtia naturalis aſpicere queat horret mens, turbatus ſenſus, viſcera quatiuntur, quoties obiicitur animo. Quoniam ſupra naturam, præter vſum, contra votum, voluntatique totum oppoſitum eſt, quod in inferno eſt, non poteſt ſcadere ratio, neque experientia mali, vt tormenta ipſa æquanimiter perferantur. Hinc blaſphemiæ aduerſus dominum, murmurium, iuſtitiæ odium, de beatorum felicitate liuor, mortis concupiſcẽtia, furoris impetus, omniſque conſolationis, ac pacis carentia, damnatorum animabus ineſſe noſcuntur. Iſta dum quiſque prudens ſecum tacitus cogitat, ſuſpirat, gemit, pertimeſcit, ne committatur eiſdem. Quod vt non fiat, ab illicitis ſe abſtinet, potius tamen timore quàm amore. Verum quanquam ad bene viuendum trahatur ſeruiliter, & ſi nõ peccati, gehennæ tamen ſeruus & mortis efficitur filius, atque à cęleſti regno prorſus alienus, dicente domino: Seruus non manet in domo in æternum. Quãdiu Ioan. 8. igitur quis metu temporalis ſupplicii, ſeu æterni ſeruiliter viuit, à filiorum Dei ſegregatus eſt ſorte. At ſi abiecto timore pro ſui conditoris amore, ſiue pro adipiſcendis cœleſtibus bonis id faciat, quod prius egerat pro euitatione pœnarum operante, & cooperante charitate, ęterni patris efficitur filius, ſuperniſque ſedibus dignus. Huiuſmodi mutationem dextera agit excelſi, quoties per formidinis incuſsionem gehennalium flammarum aliquem de attrito contritum, de ſeruo filium, de extraneo amicum facit, & de ſubiectione peccati miſericorditer, ad ſpiritus vult prouehere libertatem. Nam eouſque ipſum metus concutit, quouſque proprium agnoſcat ſcelus, errata deploret, præteritas iniquitates horreat, & interioris hoſpitii maculas tergat, ſemper amouendo à corde, atque opere declinando, quicquid diuinæ legi nouit eſse contrarium.

Porrò

Porrò vt in hoc bene viuendi ſtudio perſeueret, meditatur iugiter corporis reſolutionem, egreſſum animę, tribunal iudicis, ſupplicia inferni, vermem ſcilicet conſcientiæ, palpabiles tenebras, ſtridorem dẽtium, vltricem flammam, horridos aſpectus dæmonum, perpetuum carcerem, & ſulphuris ineuitabilem fœtorem. Meditatur, inquã, vniuerſalis iudicii calamitatem, maximam conflagrationem mundi, elementorum colliſionẽ, aduentum iudicis, paſsionis ſuæ inſignia, accuſationes dæmonum, teſtificationes angelorum, conſcientiarum propalationem, atque dominum Ieſum aduerſus peccatores ſententiam promulgãtem, & dicentem: Ite maledicti in ignem æternũ

Matt. 25. qui paratus eſt diabolo & angelis eius. Beatus plane cui prærogatum eſt in ſenſu cordis iſta interdum cogitare, quia à regno Dei longe non eſt. Nam quamuis terreatur, quanquam ex formidine ipſius interiora collidantur, tandem in bonis operibus perſeuerando reperturus eſt pacẽ: quoniam quemadmodum oriente ſole noctis abigũtur tenebræ, ita poſt purgationem mœroris ſuper ueniente charitate omnis ſeruilis eliminatur timor, & cordis humani vniuerſa interiora clareſcunt, exultatq; animus dum ſperat per infuſam gratiã poſſe euadere quod vrit in flammis, quod horret in tenebris, & quod inferni intolerabiliter ſentitur in vinculis, Deum ex hoc amabiliter laudat, & illi iuxta poſsibilitatem ſuam gratias exhibere non ceſſat. Tantoque ſpirituali lætatur tripudio, quanto prius timoris, ac męroris transfixus fuerat gladio. Experitur in ſe, quod de ſe propheta

Pſal. 93. meminit dicens: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo conſolationes tuę lętificauerunt animam meam. Talis profecto eorum eſt finis, quos miſeratio diuina per correptionem metus de profunda delictorum caligine, ad agnitionis ſuę lucem atque de mortis faucib. ſpiritualem reducit ad vitam. Illos ad horam percutit, vt ſaluet in ſeculum, & impreſentiarum refor

Tob. 13. met in melius. Hanc viciſsitudinem charitatis, quam dominus in ſaluandis agit electis, Anna Samuelis mater expreſsit, dicens: Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit, ſuſcitans de puluere egenum & de ſtercore eleuat pauperem, vt ſedeat cum principibus, & ſolium glorię teneat. Huiuſmodi timoris eruditione correcti, ò quàm ſalubria concipiunt deſideria, conſilia prouida, ſanctos cogitatus, affectus pios, vota caſtiſsima. Ex quibus pariunt laudabilia opera virtutum, germina morum, fragrantiſsimos flo-

Gal. 5. res, & ſpiritus vberes fructus, de quibus Apoſtolus inquit: Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, manſuetudo, fides, ſpes, modeſtia, continentia, caſtitas. Vides quàm fœcundus ſit huius ſancti timoris domini conceptus, quàmque fructuoſus exitus, per quem anima placens efficitur Deo, commendabilis proximo, vtilis ſibi? In ſui quippe exordio doloribus eſt admixtus, ſubnixus ſeruitute, perturbatis cogitationibus plenus, intentione obliquus, ac terræ proximus. At verò infundente ſe gratia paulatim liqueſcit, tanquàm cera à facie ignis, & reddit hominem ſibi, qui paulo antè iuris extiterat alieni. Quamobrem ſanis admonitionibus aſſenſum præbens erigitur ad vitam, qui pernicioſi exactoris iugo grauiſsimo premebatur, atque prima reſurrectionis ornatus ſtola, & ſanctorum deſideriorum fortitudine roboratus, per mandatorum Dei itinera gratanter incedit. Huius beatæ reſurrectionis donum ſe Propheta percepiſſe commemorans ait: Viam mandatorum tuorum cu- Pſal. 118.

curri cum dilataſti cor meum. Nempe vt ex timore reſtringitur cor, & in ſemetipſo torpore frigeſcit, æque ex charitatis pinguedine dilatatur & vritur, propter quod habitus efficitur ad currendum. Currit plane eo velocius, quò ardentius diligit, incedit ſimplicius, cœleſtiaque perſpicacius intuetur. Qui experimento iſta cognoſcit, quod habet teneat, percepta cuſtodiat, anteriora proſpiciat, & bene operando ſemper ad æterna feſtinet, vt perfectæ charitatis attingat ad brauium. Quæ charitas eorum, qui timoris vrgentur ſtimulis, & reſurgunt in ſpiritu, rectus eſt finis. Quoniam in ipſa charitate, ac per ipſam omnium mandatorum perfectio continetur atque perficitur. Quemadmodum pſaltes ait: Omnis conſummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis. Meritò mandatum charitatis latum nimis eſſe perhibetur, quia cætera præcepta complectitur, amicos & inimicos diligit, propinquis, & extraneis beneficia impendit, ardua aggreditur, aduerſa æquanimiter tolerat, ſeculi oblectamenta prudenti reluctatione contemnit. De hac latitudine charitatis inquit Apoſtolus: Charitas patiens 1. Cor. 13

eſt, benigna eſt: Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit, quæ ſua ſunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet ſuper iniquitate, congaudet autem veritati. Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet: Charitas nunquam excidit. Beatus igitur ſicut Propheta cecinit, qui timet dominum, in mandatis eius volet nimis. Potens in terra erit ſemen eius, generatio rectorum benedicetur. Gloria & diuitiæ in domo eius, & iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. Verum non minus illum beatum dixerim, qui à domino corripitur. Quoniam ſi patienter pertulerit, reſurgere atque in filiorum Dei numero computari & ipſe merebitur. Quis Heb. 12.

enim filius (inquit Apoſtolus) quem non corrigit pater? Corrigit planè, ſed cum miſericordia, & menſura. Cum miſericordia, inquam, quoniam quos in filios recipit, illos per fla-

gella ab eorum reatibus emendat, vt patet. Cum menſura verò ne ſupra virtutem grauati deficiãt, vel contra ſui conditoris iuſtitiam per intolerantiam murmurent. Propter hæc diſcipulos ſuos, Apoſtolus hortatus eſt dicens: Fidelis autem Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id quod poteſtis, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poſsitis ſuſtinere. Hinc ſatis recte colligitur quis filius, quiſve adulter ſit. Filius namque flagellis atteritur creberrimis, in tribulationibus variis eruditur, vt ad ſe redeat, à prauitatibus ſuis reſipiſcat, & delictorum obliqua itinera derelinquat, quæ deducunt ad interitum ſempiternum. Adulter autem qui ab æternorum bonorum hæreditate repellendus eſt, aut à flagelli diſciplina immunis exiſtit, aut ſi percutitur, per correctionem vitam à propriis facinoribus minime emendat. Vtrumque claret ſanctarum teſtimoniis ſcripturarum. Fleuit dominus Ieſus (ſicut euangeliorum narrat hiſtoria) ſuper Hieruſalem, quæ florebat deliciis, diuitiis, & pace, & ait, Si cognouiſſes & tu, vtique fleuiſſes, & quidem in hac die, quæ ad pacem tibi: nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Lętabatur Hieruſalem, & lætatur quiſque peccator, cum illi ad vota proſpera cuncta ſuccedunt, ac temporali pace potitur. Atque vt bene agat intelligere omnino diſsimulat, quoniam ignorat, ſeu animaduertere negligit, quæ calamitates in futuro illi infligendæ ſint ſeculo: quas profecto ſi ſciret, fleret, vias ſuas corrigeret, ne cum pereuntibus pariter & ipſe periret. Verum cum ſolum præſentia appetit, contemnitque cõſiderare quanta qualiave ſupplicia delinquentibus reſeruentur in poſterum mundanæ felicitatis debriatus dulcedine, ſe ſperans diu in eo poſſe perſeuerare, quod eſt veluti ſine conſilio, & abſque prudentia, flagitiis indeſinenter ſtudet aggregare peccata. De huiuſmodi inquit Propheta: In labore hominum non ſunt, & cum impiis non flagellabuntur. Ideo tenuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate, & impietate ſua. Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum, tranſierunt in affectum cordis. Quid (quæſo) de diuite in inferni baratro demerſo dicitur? Niſi quia affluebat temporalibus bonis, induebatur purpura & byſſo, & quotidie epulabatur ſplendidè, & mendici Lazari miſereri noluit? Nonnè Salomon rex Iſrael, qui omni voluptati ſe dedit, nihilque carnalis illecebræ ſibiipſi negauit, ex abundantia terrenæ felicitatis corde ſubuerſus, atque alienigenarum mulierum voluptuoſo amore illectus, cultu relicto diuino, diis gentiũ ſacrificia nefanda exoluit? Nihil ſane infelicius felicitate peccantium, quibus tanquam deſperatis ægrotis, quanquam contrarium & morbo incongruum, nil negatur quod libeat. Cæterum & nullum tam euidens perpetuæ damnationis indicium eſt, quàm continuis tranſitoriæ proſperitatis pollere ſucceſsibus, per quos homo in hac miſeriarum valle finem ſuum inſtituit, nolens veluti peregrinus, & aduena, ſed in hoc mundo cupiens conuerſari vt ciuis. Hinc laborioſis ſeculi iſtius negotiis, lenociniis corporis, edacitatibus veneris, obſcœnis impudicitiis, fallacibus honoribus, puerilibus iocis, cæteriſque operibus carnis ardenter tendens, angelorum conſortio, ſpiritualibus donis, ac naturali excellentia ſe facit indignum, dicente Propheta: Homo cum in honore eſſet non intellexit, cõparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. An non iumentis ratione carentibus eſſe cenſendus eſt ſimilis quiſquis incommutabili ſpreto bono incontinenter degens commutabile quærit, atque proprio conditore neglecto, creaturis inordinato cõglutinatur affectu? Huiuſmodi quoniam concupiſcentiarum fere innumerabilium irretiti ſunt funibus, difficilius conuertuntur ad dominum, quàm ii, qui diris flagellati verberibus nullum ſceleribus ſuis finem imponunt. Vtorumque tamen (niſi reſipuerint) proprieta noſcitur eſſe perditio. Nam quemadmodũ quicunque proſperitatibus abundant, & variis chariſmatibus decorantur, ſcientes, quod ex perceptione munerum debitorum etiam accreſcit cumulus, largitori ſuo infatigabiliter obtẽperare coguntur: ita ex temporalis perpeſsione flagelli, vt æternum valeat euitare ſupplicium, quiſque ad coercenda delicta præterita debet eſſe ſolicitus. Porrò præſentium calamitatum afflictio, futurarum gerit imaginem, quæ tanto formidoloſius, tantoque prudentius præcauendæ ſunt, quanto acerbiores, diuturniores, atque intolerabiliores exiſtunt. Hæ etenim quanquam ex originalis pœna peccati, cæterorumque purgatione delictorum iuſtiſsime ſint inflictæ mortalibus, ſua tamen experientia erudiunt abhorrere perpetua. Nemo igitur in impatientiam proruat, dum patitur, neque fatigetur, cum à Deo corripitur, quoniam punitur citra condignum, tametſi incommoda multa ſuſtineat. Aequa diſcretionis lance, & in ſtatera iuſtitiæ appendat, hinc ærumnas, quas perfert, inde delicta quæ fecit, & luce clarius agnoſcet miſericordiam in ſe affluentiſsime ſuperare iudicium. Poterit prorſus ex hoc commoueri ad tolerantiam mali, atque ad meritum diſcet extorquere virtutis, quod ad ſupplicium ſceleris ſibi intelliget eſſe inflictum. Maxima planè diuinæ pietatis miſeratio eſt, dum quoquo modo à Deo fidelis quiſque percutitur: ſi iuſtus eſt, iuſtificatur adhuc: ſi peccatorum fœdatur ſordibus, tribulationis conflatur in igne, quatenus animæ reſoluta rubigine cœleſtis regis conſpectus purgatus appareat. Soli ergo illi merito plangendi ſunt tanquam mortui, qui nec

terren-

1.Cor.10. Luc.19. Pſal.72. Pſal.48.

terrentur minis, neque verberibus emendantur,
Pſal. 34. de quibus per Prophetam dicit dominus: Percuſ
ſi eos & non doluerunt, attriui illos nec compun
cti ſunt. Nam quos præſentia flagella non corri-
gunt, vltrix flamma ęterni comburet incendii. O
quantos quotidie vltio diuina flagellatos & im-
pœnitentes damnat. O quot ex diſciplina patris
rebelliores & deteriores fiunt, dum quod illis da
tur ad conuerſionis adiutorium, ſibi per intolerã
tiam lethale conuertunt in poculum? De talibus
per prophetam dicitur: Væh iis qui perdiderunt
Eccl. 2. ſuſtinentiam. Plane illi ſuſtinentiam perdidiſſe
dicendi ſunt, qui nulla fortitudinis virtute ſufful
ti, flagellantur, & murmurant, quibus ve manet ę-
Hier. 17. ternum incendium, quia iniuſtè iuſtiſsimum Dei
iudicium minime calumniari verentur, ignoran
tes quod quicunque per temporalem correptio
nem non emendantur, duplicibus veſtiuntur, pę
na videlicet tranſitoria, & æterna. Sic nanq; Pro
pheta perhibet dicens: Duplici contritione cõ-
tere eos domine Deus noſter. Verum quid miſe-
rabilius, quàm impreſentiarum æternæ damna-
tionis inchoare ſupplicia, & beatæ vitæ nullã ex-
pectare mercedem? Hinc aperte colligitur quan-
tum patientiæ virtus proſit, per quam animæ fi-
delium cuſtodiuntur, ne aduerſus ſuum murmu-
rent conditorem. Congrue itaque (iuxta Domi-
ni ſententiam) iuſtus quiſque in patientia animã
ſuam poſsidet, quoniam ſui iuris eſt, quandiu pa-
tiens eſt, qui profecto ab arce mentis, cũ per in-
tolerantiam corruit, iuris efficitur alieni, Domi-
Ioan. 8. no atteſtante, qui ait: Qui facit peccatum, ſeruus
eſt peccati. Qui autẽ alterius eſt ſeruus, ſuus pror
ſus eſſe non poteſt. At verò quicunque ſuus non
eſt, non ſeipſum poſsidet, ſed poſsidetur, trahi-
tur, captiuatur, vænundatur, occiditur. Quamob-
rem quicunque animam ſuam poſsidere deſide-
rat, patientię virtutem inconcuſſam teneat, & cõ
tra Deum omnem murmurii commotionẽ à cor-
de ſuo diuellat. Non quid patitur, ſed à quo &
propter quod patitur, diligenter examinet. Nul-
lus profecto percutitur, niſi volente Deo, ſeu per
mittente: nempe ſi voluntarie punit, purgat, ſa-
nat, viuificat: verum ſi permiſsiue, hoc agit iuſtè
quãuis occultè. Quis (quæſo) diuina audeat dãna-
re iudicia, quæ tametſi perſcrutari non liceat, ve-
nerati tamen debent, quoniam æquiſsima ſunt,
dicente Propheta: Iudicia domini vera iuſtifica-
ta in ſemetipſa. Iuſtificantur quidem in ſemetip-
ſis, quanquam nos minime ipſorum profunditatẽ
penetrare ſufficimus. Vis noſſe quod ſi permittẽ
te Deo flagellaris, id Deus tuis exigentibus cul
pis iudicio iuſto irreprehenſibiliter facit? Pro-
Pſal. 18. phetam audi: Omnia, inquit, quæcunque feciſti
nobis, in vero iudicio feciſti, quia peccauimus
tibi, & mandatis tuis non obediuimus. Nun-
quid redarguendus eſt iudex, qui latronum,
& homicidarum punit ſcelera? Nonne magis

foret increpandus, ſi impunita deſereret? Lauda-
mus ciuiles leges, decreta in pretoria & humana
iudicia, quæ condignam malefactoribus retribu-
tionem iubent impendi, & iuſtitiæ Dei detrahi- Pſal. 18.
mus, iudiciaque damnamus, ſi nos delinquentes
inſequitur, ſi noſtris non parcit flagitiis. Quodq;
deterius eſt, perſæpe quod in altero æquiſsimum
eſſe fatemur, per impatientiam reprehendimus,
ſi perficiatur in nobis. Sic fatui ſunt filii hominũ
iudicantes non rectè dicentes malum bonum, &
bonum malum, ponenteſque tenebras lucem, &
lucem tenebras, dum non quod iuſtum eſt, ſed
quod illis placet, commendat; quod diſplicet,
damnant. Non autem ita agunt, qui recti ſunt
corde, & in quibus Dei ſapientia habitat: de-
teſtantur quidem ſcelera, & quicquid diuinæ
aduerſatur iuſtitiæ, cum non minus proſpiciant
in ſe quàm in aliis, imò frequenter peramplius
in ſe. Iuſtus (inquit ſcriptura) in principio accu-
ſator eſt ſui. Verum quantum iuſtitia hęc Deo Prou. 18.
placeat, quantumque iuſtificet confidentem, pro
pheta de ſe teſtatus eſt dicens: Dixi, confitebor
aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu Pſal. 31.
remiſiſti impietatem peccati mei. Sane qui in ſpi
ritu humilitatis ſe peccatorem cognoſcit, non ſe
fallit, non ſe occultat, non ſe excuſat, non ſe iuſti
ficat, ſed proprium confitetur delictum, cordis
ſui latebras ipſe perſcrutatur in ſe, & palam per
confeſsionem facit, quod deforme videt intus,
& diuinæ legi agnoſcit eſſe contrarium, quate-
nus ſuorum valeat percipere indulgentiam cri-
minum, quæ iuſtificatis magis, magiſque iuſtifi-
candis debetur humilibus. Porrò huiuſmodi,
quoniam ſuæ infirmitatis eſt conſcius aduerſus
Deum, cum percutitur, minime ſe turbare au-
det, iuſtitiæ conuictus iudicio, qua gratis effectus
eſt iuſtus. Cæterum nec dum iuſtificatus quiſque
peccator facile per impatientiam prorumpit, & iu-
ſtæ iudicantis Dei ſententiæ derogat, ſi pro ſcele
ribus flagellatur, proclamans ſe iniuſtè damnari.
Cæcitatem quippe iniuſtitiæ ſuæ, eò maiorem eſ
ſe manifeſtat, quò verberibus ſe minus fatetur di
gnum. Equidem ſi flagellati cuiuſpiam iuſta cen-
ſenda eſſet querimonia, illius tantum foret arbi-
tranda, qui nullum prorſus commiſit delictum.
At verò quis tam temerarius, & tam cæcus eſt, vt 1 Ioan. 1.
audeat dicere, nullum ſe habere peccatum? Hoc
qui aſſeuerare præſumit, Ioannem apoſtolum au
diat dicentem: Si dixerimus, quia peccatum non
habemus, noſipſos ſeducimus, & veritas in nobis
non eſt. Propheta quoque inquit. Omnes decli- Pſal. 13.
nauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui fa
ciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Porrò ſi abſ
que contagione delicti, curſum huius peregrina
tionis complere poſſemus, ſuperuacue docuiſſet
Dominus nos orare, & dicere: Dimitte nobis de
bita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus
noſtris. Denique quis Dauid Propheta ſanctior? Matt. 6.
aut

Digitized by Google

aut beato Iob mundior? Nam Propheta ait? [Pſal. 50.] Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam. Et ſecundum multitudinē miſerationum tuarum dele iniquitatem meam. Amplius laua me domine ab iniquitate mea, & à delicto meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt [Iob. 33] ſemper. Tibi ſoli peccaui & malum coram te feci. Sanctus verò Iob inquit: Quid faciam tibi o cuſtos hominum? quare me poſuiſti contrarium tibi, & factus ſum mihimet ipſi grauis? cur non tollis peccatum meum, & quare non aufers [1. Tim. 1] iniquitatem meam? Paulus quoque dicit: Chriſtus venit in hunc mundum peccatores ſaluos facere, quorum primus ego ſum. Vera igitur eſt il- [Rom. 3.] la ſententia, quę ait: Omnes quidem peccauerūt, & egent gratia Dei. Si peccauerunt omnes, nullus euadere poteſt iuſtitiam Dei peccata punientis. Inſipienter. Itaque agit quiſquis de diuina percuſſione turbatur. Nec valet eſſe iuſtus, qui iuſtitiæ aduerſatur. Præterea merendi non ſolum facultatem amittit, verum etiam grauior illi præſens efficitur pœna, & æternum (niſi reſipuerit) minime poterit deuitare incendium. Nullus proinde flagellis eruditus cordis ſui calcaneum cōtra Deum eleuare præſumat, ſed magis humiliter toleret, & gratias agat, gaudeatque ſe in filiorum numero computari, qui frequentiſsimis tribulationibus fatigantur. Flagellantur, inquam, filii iuſtificati quandoq; vt adeptas virtutes exerceant, quæ pugnandi deſuetudine decreſcere cōſueuerunt, interdum vt ex verberibus promptiores fiant, torporemque abiiciant, qui in proſperitatis nutriuntur abundantia. Corripiuntur inſuper, ſed non in furore, vt de commiſsis ſceleribus ſatisfaciant patiendo, vtque illis delinquendi tollatur occaſio. Verum qui necdum per gratiam iuſtificati ſunt, ideò variis tribulationibus feriuntur, quatenus ad ſe redeant, proprias culpas agnoſcant, defleant & relinquant. O quantos nouimus abundaſſe diuitiis, & earum occaſione in maximum mentis decidiſſe tumorem, ac horrenda perpetraſſe flagitia, qui Domino diſponente pauperes effecti, facti ſunt humiles? O quot reprehenſibiliter, & damnabiliter, ſine pudore degentes, poſt perpeſsionem diſciplinæ, ſanctæ conuerſationis ſacri ſunt ſpeculum? Incedebat Saulus tanquam leo rugiens, ſpirans minarum & cædis in diſcipulos Chriſti, vt ſi quos Chriſtianæ religionis reperiſſet viros ac mulieres, ipſos perduceret in Hieruſalem. Iſte dum animo nocendi pergeret circunfuſus lumine, terræ proſtratus, cęcitate percuſſus, atque correctus inquit Domine quid me vis facere? Vides quantum illi profuerunt verbera? meruit gratiam, recepit lumen, repletus eſt ſapientia, factus eſt prædicator, qui paulo antè extiterat perſecutor. Cōſueta ſæpiſsime ad conuerſionem, reſurrectionēque animarum ars Dei eſt flagellis multifariis delinquentes percutere, rationabilis quidē, minime verò neceſſaria. Quis enim eſt qui diuinæ valeat reſiſtere poteſtati? Nihil ex neceſsitate operatur Deus, cui ſubeſt omnia poſſe cum vult. In ſapientia ſapienter vniuerſa diſponit: nam ſi folium arboris abſque Dei nutu non cadit, ſiet ne conuerſio hominum, præſertim cum ipſa gratuita ſit, & ab ineffabili, venerandaque illius prædeſtinatione proueniat? Quos enim prædeſtinauit, [Rom. 8] hos, & vocauit, & quos vocauit, illos & iuſtificauit: ſi prædeſtinauit, hoc non egit in tempore, ſed ante mundi conſtitutionem, neque ex operibus, ſed per meram ſuam miſericordiam, quemadmodum Apoſtolus: Non ex operibus, (inquit) [Tit. 3] iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit. Prædeſtinauit, inquam, ſine vllo medio, non autem ſic iuſtificauit, ſiue viuificauit. Multifarie autem quamuis id agere conſueuerit Deus qualiter animam mortuam per flagella iuſtificet, viuificetque exigente materia ſuccinctus ſermo percurrat. Quem enim [Heb. 12] diligit Deus, corripit, flagellat autem omnem filium quem recipit, nunc in terrenis facultatibus, quandoque in carorum extinctione, in corporū verò infirmitate ſæpiſsime. O quàm ſalubre animæ medicamentum eſt inopia temporalium rerum cum patientia? Quis explicare ſufficit, quanta ex diuitiarum abundantia perpetrentur flagitia? Qui volunt (inquit Apoſtolus) diuites fieri, [1. Tim. 6] incidunt in tentationes, & in laqueum diaboli, & in deſideria carnis, quæ demergunt animam in interitum ſempiternum. Si diuitiarum cupido in tentationes, & diaboli impellit laqueos, quid facient habitæ? Ipſas vt plurimum ſi expendātur, comitantur apparatus voluptuoſus conuiuiorum, hiſtrionum, iocularumque concurſus, impudicitiæ, ornatus ſuperfluus indumentorum, faſtus inanis gloriæ, mentis elatio, & alia multa, quibus carent, qui ad ſufficientiam tantum diuitias poſſident. Verum ſi tenaciter cumulentur, ſecum habent diffidentiam diuinæ prouidentiæ, inſatiabilem aggregandi cupiditatem, timorem anxiū depauperādi, neceſſariorum ad victum parſimoniam, impietatem erga inopes, rapinas, fraudeſque, amorem ſeculi, reſolutionis corporis odiū, in hac vita perſeuerantem, cordis affectum dicēte domino: Vbi eſt theſaurus tuus, ibi eſt cor tuum. [Matt. 6.] Porrò cupidus, ſeruus efficitur diuitiarum, idolorum cultor, contemptor ſui, atque futuræ beatitudinis prorſus ignarus: hanc ſi agnoſceret vtique contemperaret, ſibique in illa per eleemoſynarum erogationem theſaurizaret theſaurum, quem nec demolitur tinea, nec rubigo cōſumit, neque fures effodiunt vel prædantur. Vænalis quippe eſt illa beatitudo cœleſtis, & tanti valet, quantum quis poteſt expendere. Hanc per egenorum ſuſceptionem ſibi vendicauit Abraham,

Iob

Iob per miſerorum compaſsionem, Tobias per defunctorum exequias. Zachæus per diſtributionem dimidii bonorum ſuorum: vidua duobus minutis, alii verò pro calice aquæ frigidæ, & euangelici viri omnia tribuendo. Sicque (vt dictū eſt) tanti valet quantum quiſque cum ſynceritate mentis pro amore diuinitatis impertitur, pauperibus. Sane his omnibus beatiores æſtimandi ſunt pauperes ſpiritu, qui cum nihil habeant, poſsident vniuerſa. Nam à ſolicitudinibus effecti liberi, alacri animo, ac fide non ficta expeditis greſsibus ad perfectionis nituntur euolare faſtigium, quo mediante ſublimiorem cæteris in illa cœleſti patria gloriæ adipiſcantur gradum. Nempe ſi humilitas copulata ſi commēdabilis eſt iſta cupido cœleſtium, imprędabiliumque diuitiarū, quas non humanæ negociationis ſolicitudo anxia, ſed virtutnm ſibi acquirit ſtudioſa perfectio, quæ omnem terrenarum facultatum damnat affectum, veluti ſibi reprehenſibiliter, aduerſantē. His proculdubio caducis diuitiis facile inclinatur humana cupiditas, tanquam quotidiano victui omnino neceſſariis. Cæterum cum diuini timoris careat fræno, cum maximo animæ diſpendio, ac Dei offenſa illis abundare cōcupiſcit homo, cum quibus poſt paululum in immane præcipitium labitur, vel inuitus. Hac quippe de cauſa totis viribus laudandus eſt Deus, atque de ſalute propria concipienda eſt ſpes, cum ab amatoribus mundi temporales auferuntur diuitiæ: quoniam onus tunc per maximum & delictorū perurgens abiicitur materia, efficiturque homo hæres Dei & cohæres Chriſti, dummodo diuinæ voluntati ſe ſponte ſubiiciat. Fit autem ſuperna opitulante clementia, interuenienteque voluntatis conſenſu, vt rerum carentia, quæ prius credebatur eſſe oneroſa, fiat læta, atque iucunda, dū ad capeſſenda cœleſtia erigitur mens, latentemque gratulatur reperiſſe theſaurum. Viridica in hac mutatione apoſtoli probatur eſſe ſententia, de qua dicitur: Quod omnis diſciplina in præſenti quidem non videtur eſse gaudii, ſed mœroris, (Heb. 12.) poſtea autem exercitatis per eam pacatiſsimum fructum reddit iuſtitię. Hoc ſanè in amiſsione tēporalium rerum, hoc iugiter experitur in ſubtractione charorum, quod non ſine veneranda Dei prouidentia geritur, & potiſsimè in his, qui ſaluandi ſunt, atque de ſpirituali interitu ad vitam animę reparandi. Nam quemadmodum qui compediti ſunt, vt quò illis libuerit, gradiēdi habeāt facultatem, neceſse eſt, quatenus à vinculis abſoluantur: ita & ab immoderato ſunt retrahendi affectu quicunque ad Dominum rectis greſsibus appropinquare peroptant. Quis neſciat amorem parentum, & potiſsime filiorum maximū impedimentum eſse Deo ſeruire cupientibus? O quàm innumeros natorum affectus in profundum demerſit abyſsi! Extitere penè ſupra numerum arenę maris. Videmusq; quotidie plurimos (Luxu'ēſt exaggeratio in inſaniā inſanā maximam.) adeò amentes, & carnali inebriatos amore, vt deliberato animi conſenſu, potius damnari eligāt, quam filios ſuos poſt ſe in egeſtate relinquere. Huiuſmodi ſceleſti homines ęquè pernicioſe liberos ſuos diligunt ſicut & ſe: qui enim ſibi nequam eſt, cui bonus eſſe poterit? (Eccl. 14.) Sibi ipſi illi nequam eſſe cenſentur, qui Dei gratia, & regno cęlorum ſponte ſe priuant. Non autem valet ſeipſum diligere, qui Deo ſeu proprię ſaluti pręponit quicquam. Nam clamat lex, eloquia ſacra imperant, creaturę vniuerſę teſtantur, & innata hominis ratio ſuadet, Deum ſuper omnia eſſe diligendum. Verumne ob amorem cuiuſcunque rei negligendum eſt animę bonum? Prorſus minime. Quid (inquit Dominus) prodeſt homini ſi vniuerſum mundum lucretur, animę vero ſuę detrimentum patiatur? (Mat. 16.) Aut quam dabit homo commutationem pro anima ſua? Nihil rationabili anima precioſius, nihilq; poſsidendum eſt charius, quę Dei eſt ornata imagine, Chriſti redēpta ſanguine, atque ſanctorum angelorum felicitate ditanda. Hanc quiſquis ſemel amiſerit, vlterius recuperare non valet, etiam ex ipſa omnium interceſsione ſanctorum. Quamobrem imprudentiſsimi omnino cenſendi ſunt, qui plus formidāt corporalem natorum penuriam, quàm æternum ſuæ animæ cruciatum. O ſi ſapere poſſent, quàm intolerabilis, quàmve vehemens ſit, vtique reſipiſcerent, & affectionis ſuæ intentionem reformarent obliquam. Relinquunt (proh dolor) his diuitias ſuas, qui vix ab inferis illos gutta aquæ ad ſuperos reuocarent. Hæc clarent ex ſuffragiis, quæ pro defunctis fiunt. Verum iuſto id agitur Dei iudicio, vt ille obliuioni tradatur à propinquis & liberis, qui ob eorum inordinatum amorem non erubuit perpetrare flagitia, exercere rapinas, fraudes facere, expoliare egenos, illicita tractare cōmercia, miſeriis inopum pietatis viſcera claudere, atq; per fas & nefas aggregare pecunias. Merito igitur poſt mortem in anguſtiis conſtitutus, ille ab hominum memoria tollitur, qui Deum male viuendo contempſit, plus carnem amauit, quàm ſpiritum, atque munerum largitore neglecto, munus ipſum toto corde dilexit. Donum quippe Dei eſt propagatio prolis, filiorum incolumitas, proſperitas amicorum, necnon carnis præclara progenies. Inſipienter prorſus agit quiſquis charorum affectum præfert Deo, qui gratis eos tribuit, valetque nullo ſibi reſiſtente illos ab hac luce ſurripere. Cæterum claret perſpicue quod maximum recte viuendi infert impedimētum propinquorum carnalis affectio, quam ipſe Dei & hominum mediator modificare voluit dicens: Qui amat patrem aut matrem plus quàm me, non eſt me dignus. (Mat. 10.) Sane huiuſmodi affectionis antidotum ſaluberrimū corporalis mors eſſe probatur, quæ inordinate amantem temporaliter

ter punit. Voluptuoſi amoris diſſoluit fœdera, atque carnis amoto velamine, rationalem ſpiritum Dei viſione efficit dignum. Quamobrem nullus aduerſus Dei ſapientiam quoties per carnis reſolutionem charorum ſuorum priuatur præſentia, murmurare præſumat, neque quod ignorat, arguere audeat, quin potius acceptum pignorum, amicorumque depoſitum humiliter reddat, diſcatque cordis ſui affectum colligere, & illum tota animi intentione diligere, qui mori nõ poteſt cum ipſe ſit vita. Ridiculum profectò eſt, vt quis rem qualemcunque votis omnibus amplectendo retinere conetur, quam per momenta ſingula amittere valet. Nempe diligendi ſunt propinqui, & liberi tanquam res, aliena non propria. Ne forte ſi repetantur, mens abundantiori abſorbeatur mœſtitia, per quam Deo poſsit diſplicere, qui petiit. Meminerit quiſque orbatus liberis, ac terrena nudatus ſubſtantia, ſancti illius, qui audita direptione omnium facultatum ſuarum, atque decem filiorum extinctione cognita, tonſo capite, conſciſsa veſte, mente immobili, & cordis ſeruata innocentia, in terram corruit dicens:

Iob. 1.

Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum. Porrò huius conſtantiſsimi viri verba hi abſque reprehenſione vlla proferre queunt, qui in omni cuiuſcunque tribulationis euentu cuncta diuina nouerunt venerari iudicia, & ſuorum conſcii delictorum minus quam quod merentur, ſe pro ſceleribus ſuis verberatos eſſe fatentur, atque ſub paterna correptione humiliores facti, ex his, quæ tolerant, agnoſcunt quàm fallax ſit mundus, quàm vana ſpes hominum, quam multiplices improuiſi caſus, quàm breuis temporalis conſolatio, & quàm pernicioſa, niſi prudentiſsime regatur, ſit præſens proſperitas. Videſne quã fructuoſa ſit tribulationum vexatio, quæ æquo animo aduerſa patientibus tam pręclarum tribuit intellectum, ſuimetque contemptum? Hinc eſt quod excitati per eam non ſolum damna rerum, interitumq; affinium magnanimitate ſuſtinent, verum etiam proprii corporis cruciatum alacri animo perferre noſcuntur. Tolerabilior quippe eſt terrenarum amiſsio facultatum morte liberorum: at verò propriæ carnis cruciatus præcellit vtrumque. Pellem pro pelle, & omnia, quæ poſsidet (ſicut ſcriptum eſt) dabit homo pro anima ſua, id eſt pro corpore ſuo. Quid (quæſo) proſunt homini opes congregatæ, multiplicataque progenies, ſi doloribus afflictus his frui nequeat? De nullo valet exteriori bono, quod poſsidet, ſolatium capere qui pœnaliter viuit. Nam qui ſibi ipſi oneroſus ſit, cui poteſt eſſe benignus? Cæterum cuius vita laborioſa eſt de quorum poterit felicitate gaudere? Recuperari poſſunt diuitiæ perditæ, obliuioni traditur ſubtractio propinquiorũ, nunquã verò actualis languor corpus attenuãs. Cęterorum facile obliuiſcitur præterquam ſui quiſquis infirmitate depreſſus iacet. Optimum medicamentum ad ſaluandum animas ægritudo corporis eſſe comprobatur. Nempe innumera aufert incitamenta peccandi, delinquenti ſuimet cognitionem præbet, errantem mentem ad ſenſum reuocat, cor prius inſenſibile deuotum facit, dum Deum iugiter interpellare compellit. Maxima denique ſalus ægritudo eſt corporis, quæ compungit animum, ſuperbiendi tollit affectum, impudicitiæ extinguit ardorem, cupiditatis ſitim temperat, appetitum edacitatis frænat, litium contradictiones amouet, liuoris conſumit rubiginem, atq; ſeculi iſtius interdicit amorem. Nullum iſto acceptabilius eſt ſacrificium, ſi tamẽ patiendi deſiderio concremetur. Facile largitur omnia, qui ſeipſum offerre non renuit. Diſce igitur qui infirmaris in corpore, in doloribus gratias agere, quatenus virtus animę perficiatur, accreſcat ſaluti ſpes, augeãtur merita, & ſpiritualis gratia in te locupletior fiat. Diſce, inquam, quantum Deo culpa diſpliceat, quantumque noceat delinquenti. Ex his etiam, quæ pateris, erudiri poteris de futuris, quæ nullo fine claudun tur. Noli (quæſo) abiicere diſciplinam Domini, neque fatigeris cum ab eo corriperis. Si ferrum es, infirmitatis coniectus in ignem, vitiorum amittes ſcoriam: ſi argentum es, variis doloribus examinatus ſplendidior fies: ſi verò aurum, poſt purgationem virtutum decoraberis gemmis. Ne contriſteris, cum multifario languore torqueris, ſed potius gaude ſciens neminem adultum, abſque tribulationum incommodis ad perfectionis alta poſse conſcendere. Intuere Chriſtum in cruce pendentem, irriſum, blaſphematum, felle potatum, vt in paſsionis ipſius cõſideratione tuum valeas linire dolorem. Tecum ſimiliter martyrũ tormenta reuolue, eculeos, verbera, ignem, vngulas, carceres, exilia quatenus in comparatione eorum parua agnoſcas eſse quæ pateris. Demũ ſi potes diuina flagella humiliter ſuſtinentibus promiſsam in cœlo contemplare mercedem, quã nec oculus vidit, nec auris audiuit, quæ nec in cor hominis aſcendit. Quamobrem ſi à carnificib. dilanietur corpus, atteratur verberibus, ardentibus facibus comburatur, conſpergatur vlceribus, exaretur, excorietur, ſuſpendatur, tranſfigatur perimaturq; nec ſic huiuſmodi cruciatus condigni erunt ad futurã gloriã, quæ reuelabitur in nobis. Cæterum ſi ob nimietatem infirmitatis præ doloribus contrahantur nerui, debilitentur greſsus, viſus hebetetur, obturetur auditus, omneque corpus à planta pedis vſque ad verticem capitis repleatur vulneribus, vermeſq; ſcateant, cunctiſq; languoribus fatigetur, tolerabilia ſunt, propter ſupereminentem felicitatem, quæ iuſtis in futura reſurrectione promittitur. Quoniam perennis eſt gloria, & momentaneus dolor. De

Deuota cõſolatio in tribulationibus.

2. Cor. 4.

quo

quo videlicet dolore momẽtaneo Apoſtolus inquit: Quod .n. momẽtaneũ eſt, & leue tribulationis noſtræ in ſublime pondus gloriæ operatur in nobis cõtẽplãtib. nobis, quę nõ videntur, nõ quę videntur. Quoniam quæ videntur, temporalia ſunt. Quæ verò non videntur, æterna. Lætemur igitur quoties per amiſsionem tranſeuntium & periturarum rerum, ſeu per defectionem carorũ, ſiue per temporales languores, manus Domini erudit nos: ſcientes quod non odii, vel deſtitutionis, ſed pręcipuę dilectionis indicium eſt. Pręſertim cum poſt correctionem vitæ ſequitur immutatio. Deut. 32. Ego (ait Dominus per Prophetam) occidam & viuere faciam, percutiam & ego ſanabo. Pius namque pater de emendatione noſtri ſolicitus, nunc peccandi occaſiones amouet, nunc per flagellorum irrogationem facinora perpetrata detergit, quatenus expeditius regni illius mereamur eſſe conſortes. Agit quippe per tribulationes, quod ſponte agere deberet quiſque fidelis. O quam acceptabilis, quantumque cum veneratione excipienda eſt iſta correptio, quæ humiliter exhibet amicum Deo, & gratia mediante reſtituit animæ vitam, quam letalis abſtulerat culpa. At verò cum proficuæ ſint infirmitates & damna, ac ex eorum effectibus reddant tolerantem ſibiipſi emendatum, atque compunctum, atque per eaſdem diuina clementia gratia ſua & ſpirituali vita quotidie efficiat dignos, non tamẽ iſto ſemper remedio ad bene viuendum ſuorum trahit animas electorum. Nam quemadmodum multis terrenis curis, ac carnis voluptatibus intẽdentes per internam vocationem mediante flagello de mortis faucibus Dominus reducit ad vitam: ita quàm plurimos, qui cor non habent elatum, veritatis ſuæ ſplendore irradians ex gehennæ filiis regni ſui gratia cooperante facit eſſe hæredes. Bona planè Domini diſciplina eſt, quæ delinquentium emendat errata, ſed melior eſt diuina lex gratificãtis gratiæ comitata calore, quæ priſtinæ ignorantiæ de notitia Dei repellit caliginem. Illa cum dolore, hæc cum admiratione gaudio copulata percipitur. Vtraque tamen donum eſt Dei, ſed iſtud diuinæ lucis præſtantius. Quoniam efficacius impellit ad Deum, rationabilius allicit, nutrit amplius, & dulcius meditando reuoluitur. Lumen hoc ſibi à Domino tribui Propheta poſcebat, quum diceret: Pſal. 118. Intellectum da mihi & viuam. Illud ſe accepiſſe Apoſtolus fatebatur inquiens: Gal. 1. Quum autem placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris, & vocauit per gratiam ſuam, vt reuelaret in me filium ſuum continuo non acquieui carni & ſanguini. Equidem cuiuſcunque illud excipientis eò celerior eſt conuerſio, quò gratiæ huius lumen eſt clarius, ac delectabile, ſicut legitur, eſt lumen oculis, & rationali ſpiritui fulgentiſsimæ veritatis agnitio. Eſt quippe iſtius veritatis veſpertina, eſt matutina, & eſt meridiana lux quam ipſa ſapientia Dei patris, quę candor eſt lucis æternæ, ſpeculum ſine macula, & ſplendor diuinæ maieſtatis, prædeſtinatorum, & iuſtificandorum infundit mentibus quatenus perſpecta ipſa veritate euigilent, ac reſurgant. Hæc enim ſpiritualis lux non vniformiter mentes illuſtrat, tametſi ab vnico æternæ claritatis fonte emanare noſcatur. Quidam namque, quamuis pauci ſint, in ſuæ conuerſionis exordio meridianæ, plerique matutinę, nulli verò veſpertinę lucis irradiantur ſplendore, per quem lucis efficiũtur filii, & in Domino lux, atque delictorum opacas perhorreſcunt tenebras, ipſo eas pręcedente, ac comitante iuſtitię ſole, qui claritatis ſuę pręſentia omnem ſpiritualis noctis fugat nebulam. Porrò illam veſpertinam lucem eſſe nuncupauerim, quę mundanę fallacię, & temporalis illecebrę cognitionem tribuit, atque contemptum. Hac proculdubio omnes priuati ſunt, qui eccleſiaſticę & ſecularis dignitatis honores ambiunt. Et quotquot in explendis voluptatibus carnis, ſiue in aggregandis diuitiis inardeſcunt: cęci ſunt iſti, & in tenebris ambulant, ac veluti irrationabilia iumenta malarum cupiditatum cathenis, atque inueteratę conſuetudinis funibus irretiri trahuntur. Talium adeò multiplicatus eſt numerus, vt pauciſsimi in comparatione eorum reperiantur, qui ſpirituali libertate ducantur. Pertracta (quęſo) tecum ô homo, & diligenter mortalium intuere ſtudia, & verum eſſe intelliges quod dicitur. Difficillimè diebus noſtris inuenies, quem non delectent humani fauores, & aliis imperandi poteſtas. Omnes penè pręeſſe cupiunt, propter quod humanis potius quàm diuinis formidant diſplicere conſpectibus. Quærunt homines placere hominibus, non conſiderantes Gal. 1. Apoſtolum dicentem: Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem. Et prophetã quoque Pſal. 52. qui ait: Dominus diſsipauit oſſa eorum, qui hominibus placent. Ille profectò ſeruus hominũ comprobatur, qui fauores hominum concupiſcit & ab ore illorum teſtimonium quærit. Huiuſmodi domus impulſa facile collabitur, quoniam caret fundamento petræ, quæ ædificandorum ædificiorum ſpiritualium ſtabilimentum eſt optimũ. De quo Apoſtolus ait: Eph. 2. Ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio cõſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spirituſancto. Et Dominus per Prophetam: Eſa. 28. Ecce ego ponam in Sion lapidem angularem ſummum, electum, precioſum. Propterea Apoſtolus Petrus 1. Pet. 2. fideles hortatur dicens: Vos tanquam lapides viui ſuperædificamini domos ſpirituales. Sanè qui ſuper hanc ædificant petram, quæ Chriſtus eſt, impulſi tentationum turbinibus, perſecutionum inundationibus agitati, prorſus euerti non poſſunt. Ab hominibus quoque nolunt habere

bere mercedem, quæ temporalis eſt, inanis, Deo odibilis, & pernicioſa. Quam qui deſiderant mẽte arbitrandi ſunt cæci, dum ad horã exultantes in lumine inextinguibilium lampadarum veræ lucis diſpiciunt radios. More quippe virginum fatuarum in laudibus hominum, quas amauere confiſi, ſine oleo obuiam procedere ſponſo, atq; nuptialis conuiuij domum pulſare, vt ſibi aperiatur minime erubeſcunt. Maximæ profectò dementiæ argumentum eſt in tranſitoriis quempiam honoribus delectari & credere frui poſſe cœleſtibus. Nam momentaneus honor & laus mortalium, ſuperborum eſt merces, gloria verò ſempiterna humilium. Non enim præeſſe, ſed ſubeſſe humiles concupiſcunt. Humiles autem illos appellauerim, qui ſibiipſis vileſcunt ſe cæteris inferiores arbitrantes, honorum primatus voluntarie fugiunt. Quomodo aliena onera præſidendo deſiderabunt ferre, qui ſupra modum propriis grauati, gemunt? Aſpernantur equidem veri humiles omne quod eſt altum, quod honorabile, quod decorum, quod laudis, quod excellentiæ, quod tranſitoriæ opinionis eſt, valetque humanum mulcere affectum, quoniam diuinis ſe intelligunt ſemper aſtare obtutibus, quibus etiam antequam fiant nota ſunt omnia. Meritò proinde illis debentur æterna, qui temporalia calcant, eliguntque in hac peregrinatione magis eſſe abiecti & inopes, quàm habitare in tabernaculis peccatorum, ac eorum dignitatum ſublimari faſtigiis, necnon terrenis pariter locupletari diuitiis. Deſpiciunt quidem prudenter ad tempus ea, quæ cum tempore tranſeunt, vt gloriam, illaſque obtinere queant diuitias, de quibus in [Pſal. 111.] Pſalmis legitur: Gloria & diuitiæ in domo eius, & iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. Hæc profectò, quemadmodum mentis oculo per fidem cernunt, ita corde concupiſcunt, ac votis omnibus poſsidere contendunt. Nam ſuperuacue iſta ſpiritualia & æterna appeterent, niſi viſibilia & peritura deſpicerent. Bonum lucrum, & beata eſt iſta commutatio, recondere in ſinu pauperum terrena opes, ipſaſque poſtmodum centuplicatas, & in gazophylacio reperire cœleſti, vbi minime rubigo conſumit, latrones non rapiunt, neque illas poſsidentem vllus amittendi conturbat metus. O felix paupertas, voluntarie pro diuinitatis amore ſuſcepta, quàm locuples, quàm læta, quàm iucunda es, quàmque ſecura, latronibus occurris intrepida, egeſtatẽ non metuis, humilitati ſponte obſequeris, cum illa ad æternam pariter graderis vitã. Vnum eſt amborum præmium, vna ſocietas, vnus Dominus, vna profeſsio, vnaque perfectio. Qui vos ab inuicem conãtur diuidere, veſtras ignorant virtutes, atque dulcedinem veſtram nequaquam experti ſunt. De vno ſiquidem fonte liquor veſter ſpiritualis erumpit, & ad eundem diuertit finem, dicente Domino; Beati pauperes ſpiritu, [Matt. 5.] quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. Porrò pauperes ſpiritu humiles, nõ inflatos, ac timentes Deum, nominat qui terrenarum facultatum nil ambiunt. Merito humili regnum debetur cœlorum, quoniam toti mundo renuntiat, omneſque carnis ſuæ à ſe abdicat voluptates, necnon ſub rationis imperio redigit quicquid diuinæ legi aduerſatur. Iſte proculdubio cœleſti fultus præſidio, à tenebris migrauit ad lucem, atque de mortis faucibus per gratiam, de morte tranſiuit ad vitam. Agnouit quippe veſpertino introrſus illuminatus ſplendore mundi proſperitatem eſſe fallacem, temporales facultates caducas, momentaneos honores laqueis refertos, atque carnales voluptates ſupra modum eſſe lethiferas. Quamobrem ipſas ex corde deſpexit tanquam Deo contrarias, ac ſaluti humanæ pernoxias: deſpexit, inquam, eò liberalius, quò clarius intellexit inuiſibilia bona Deum diligentibus in cœlo eſſe parata. Bona profectò lux eſt, quę de peccati morte reſuſcitat animam, & ſeculo cunctiſque pompis illius renuntiare compellit. Melior tamen illa cenſenda eſt, quę radio ſuo nedum ignorantiæ propulſat tenebras, verumetiam penetralibus cordis charitatis ignem accendit. Veſpertina etenim lux exteriorum præbet ſcientiam, contẽptumque. Matutina verò collatorum beneficiorum intellectum præſtat, & guſtum. Nam propterea matutina nuncupatur, quoniam præcedit meridianam, quæ in Dei cognitione ſubſiſtit. Quemadmodum enim lux viſibilis de ſolis claritate generata eundem ſolem proximum eſſe denuntiat in ipſo diei primordio: ita & beneficiorum Dei propalata ſcientia, ad manifeſtam diuinæ bonitatis prouehit notitiam. [Iac. 1.] Sic quidem connexæ ſunt pariter, vt quanquam diuerſa vocabula ſortiantur, vna tamen atque eadem ſit lux. Quis (quæſo) corporalium ſeu ſpiritualium author eſt munerum, niſi is, de quo Iacob. ait: Omne datum optimum, & omne donum perfectũ deſurſum eſt deſcendens à patre luminum, [1. Cor. 4.] apud quem nõ eſt tranſmutatio, nec viciſsitudinis obumbratio? Quid enim habet (inquit Apoſtolus) quod non accepiſti? proinde quicquid habes non eſt tuũ, ſed accepiſti. A quo autem audi. Gratia Dei (inquit idem Apoſtolus) ſum id quod ſum. Gratia igitur lucens eſt radius, à throno Dei procedens, illuminans cor, & diuinæ voluntatis pandens arcana. Deus verò ipſe eſt Sol, non temporaliter factus, non viſibiliter lucens, neque materiali localique curſu peragens diem, ſed æternus, per quem facta ſunt omnia, inuiſibili luce corporalia & ſpiritualia, terrena atque cœleſtia, vniuerſa perluſtrans, immutabili prouidentia ſua mutabilia cuncta diſponens. Idem planè gratuita ſua bonitate matutinam lucem in quorundam iuſtificandorum cordibus oriri facit, quate-

quatenus ex cognitione munerum intelligant quanta à Deo charitate diligantur. Singularis profectò eſt iſta vocatio, quæ in beneficiorum cœleſtium agitur ſpeculo, per quã rationalis ſpiritus à ſuo torpore ſurgere, ac Deum ſuum toto affectu diligere cogitur tot facibus ſpiritualibus irradiatur accenſis, tot amoris caſti ſtimulis agitatur, quot ſunt dona, quæ a domino ſibi noſcit eſſe impenſa. Magna prorſus inſinuatæ huius veritatis eſt vis, & præpotens iſtius lucis eſt virtus, quæ repentino ſuo ſplendore mẽtis diſſoluit torporem, interiores propulſat tenebras, gratiam ſimul confert & vitam. Quocunque conſiderationis ſuæ direxerit aciem, quiſquis illa effectus eſt dignus, reperit quo nutriatur, & a quo trahatur erectus. Nutriunt equidem meditantis exhibita a Deo beneficia, eo ſuauius, eoque dulcius, quò frequentius animo reuoluuntur, & in memoriæ armario reconduntur. Manu quoque quadam ſpirituali iacentem erigunt, & gratitudinis funiculis ad Deum trahunt, a quo eadem percepiſſe cognoſcunt. Nequaquam (vt arbitror) in peccati morte diu iacere valet exanimis, cuicunque ex infuſo lumine donatum eſt beneficiorum numeroſitatem tractare ſecum & corde guſtare. Vocibus nanque ſuis introrſus clamant, vt homo ipſum Deum a quo diligitur, toto corde, totiſque viribus diligat, illique omni, qua poteſt intentione, obediat, ex cuius imperio ei vniuerſa famulãtur. Famulantur, inquam, hominibus non minus
Heb 1. cæleſtia quam terrena. Nemo ſane fidelium dubitet angelos hominibus miniſtrare, dicente Apoſtolo: Omnes adminiſtratorij ſpiritus ſunt, & in miniſterium miſſi, propter eos, qui hæredi-
Matt. 18. tatem capiunt ſalutis. Et dominus in Euangelio, Videte (inquit) ne contemnatis vnum de puſillis iſtis. Dico enim vobis quod angeli eorum in cœlis vident ſemper faciẽ patris eorum qui in cœlis eſt. Vident quippe ita faciem patris, vt ab hominis minime retardentur obſequio, atque ſic in eodem miniſterio occupentur, quatenus a diuinis nequaquam valeant remoueri amplexibus. Horum altero deficiente, aut ad plenum nondum beati eſſent, aut myſterium ſuum, prout congruit, conſummare non poſſent. Vtrunque vero falſum eſſe diuinorũ eloquiorum poteſt authoritate probari. In viſione itaque patris felicitate fruuntur beata, & in charitate conſtituti perfecta nil prætermittunt, quod ſaluti hominum
Pſal. 32. ſciunt eſſe proficuum. Beata gens (inquit Propheta) cuius dominus Deus eorum, & ego beatum populum illum eſſe nuncupauero, quem dominus per angelorum miniſterium in hæreditatem eſt producturus æternam. Maximam profectò reuerentiam noſtris debemus exhibere cuſtodibus, qui tam ſedula nobis charitate miniſtrant, continuis fouent præſidiis, ſpiritualibus exortationibus excitant, ſuis orationibus protegunt, ſuoque miniſterio dæmones arcent, ne ad libitum noceant. Quis (quæſo) niſi angelico fultus eſſet auxilio, tam immaniſſimorum hoſtium valeret ſuperare rabiem, effugere laqueos, tentationes vincere, fraudeſque detegere? Cuſtodia ſiquidem ſua vias noſtras ſæpiunt ne in lapidem offenſionis & petram ſcandali ſpiritualem animæ impingamus pedem. Quemadmodum de quo- Pſal. 9.
libet iuſto Propheta teſtatur dicens: Quoniam angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis, in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Quum igitur ad profectum noſtrum beatorum ſpirituum numeroſos exercitus mulcere noſcamus, mirum non eſt ſi etiam terrena nobis inſeruiũt. Quod vtique non ex humano merito, ſed de exuberantiſſimo diuinæ largitatis fonte emanat, quæ ſic illa inſtituit, vt hominibus debeant eſſe ſubiecta, dicente Propheta: Omnia ſubieciſti Pſal. 8.
ſub pedibus eius, oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi, volucres cœli & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris. Quid igitur ò homo retribues domino pro omnibus, quę retribuit tibi? In miniſterium tuum deputauit Angelos, Archangelos, Virtutes, Principatus, & Poteſtates. In ſolatium tuum fecit corpora cœleſtia, Solem videlicet, Lunam, & Stellas. In obſequium, & victum tuum conceſsit tibi piſces maris, terræ quadrupedia, aeris volucres, & quicquid humus germinat, ſeu de arboribus, procreatur. Sic enim legitur: Omnes piſces Gen 9.
maris manui veſtræ traditi ſunt, & omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum, quaſi olera virentia tradidi vobis omnia. Iterumque: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam. Cernis quanta in creaturis elucent beneficia conditoris, quæ te non minus exemplo ſuo, quam obſequio prouehunt ad Dei notitiam, in qua animæ vita ſubſiſtit, gratia in præſenti, & gloria in futuro? Hæc plane agit matutina lux, quoties de ſuperna cœlorum ſede humanis iuſtificandis pectoribus proprios infundit radios. Cæterum ſi tantum valet matutina, quid operabitur ipſa meridiana? Quis (quæſo) poteſt ſuſtinere calorem eius? Quis illius ſufficit intueri ſplendorem? In ipſa calor immenſus eſt, & inacceſsibile lumen. Accendit profecto, & lucet, hic ſub nube, & in cœlo reuelata maieſtate. Quare hic ſub nube, niſi ob mentis imbecillitatem? Infirma quippe quum ſit, & inualida, diuinum nequit, ſicuti eſt, contemplari ſplendorem. Quod in Apoſtolo Petro notiſſimum apparet, qui in monte conſtitutus, nequaquam valuit transfigurati domini perferre fulgorem. Nam ad ipſius aſpectum (quemadmo- Mat. 17.
dum legitur) mente pariter, & corpore con-

ſternatus in terram cecidit. Verum quando ad hanc lucem agnoſcendam erit idonea? vtique quum deuicta omni corruptione, omnique delictorũ labe deterſa, in immortalitatis gremio, diuina illi manifeſtante ſe gloria, ſecura quieſcet, ſicut Ioannes perhibet dicens: Chariſsimi Dei filii ſumus, & nondum apparuit quid erimus, ſcimus quod quum apparuerit ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Vt igitur hæc meridiana lux conſpicua, & captabilis eſſet hominibus, quæ angelicis ſpiritibus & animabus glorificatis reuelata eſt, ſe ſub aſſumptæ carnis nubecula texit, & ſe hominibus inſinuauit, non omnibus, ſed multis, quibuſdam minus, quibuſdam vero amplius, fide id operante, & gratia. Nam abſque fide, & gratia, nullus lucis ipſius perceptibilis eſt. Fide quippe deterguntur corda, vt Deum videre mereantur, ſicut per Petrum dicitur: Fide purificans corda eorum. At verò tantum quiſque ex fide deformi credit, quantum in ipſo cooperatur gratia. Quamobrem nemo quum per fidem agnoſcit Deum, ſibi credulitatis arroget donum, neque glorietur in ſe, ſed in domino, a quo gratiam conſequutus eſt, vt credat, & credendo videat, atque videndo viuat in ſpiritu, non ſibi, ſed ei ex cuius fide viuit. Nam iuſtus ex fide viuit. Porro iuſtus quiſque propterea viuit, quoniam credit, credit autem, quia videt. Reciproce famulantur ſibi iſta, nec abinuicem ſeparari valent. Nam fides lux eſt ſpiritualis, quæ inter Deum & rationalem ſpiritum poſita ipſum Deum manifeſtat, non tamen reuelata maieſtate, qui videlicet in hac peregrinatione nequaquam niſi fide mediante cerni poteſt. Hanc tamen fidem formatam, de qua loquimur, nullus aſſequitur, niſi per gratiam, quoniam ſupra humanum ingenium eſt, & de inuiſibilibus, ſicut ait Apoſtolus, ipſam eſſe ſperandarum ſubſtantiam rerum, & argumentum non apparentum. Sane illam Deus tribuit quibus miſereri vult quoniam teſtante Paulo: Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei, vt quis credat, & viuat. Quamobrem fidei recta regula, quę ad bene viuendum humanum format affectum ex Deo eſt, qui illam donat ingratis, vt faciat gratos, & agnoſcant eum, a quo ſunt. Sine iſto lumine quis (quęſo) gratificari valet in lumine, quum ſcriptum ſit, Et in lumine tuo videbimus lumen? Videbimus equidem ipſum lumen ſicuti eſt, quamquam etiam impręſentiarum ex parte videamus obtectum, quemadmodum Apoſtolus inquit: Videmus nunc per ſpeculum in ęnigmate, tunc autem facie ad faciem, nunc ex parte cognoſco, tunc autem cognoſcam ſicut & cognitus ſum. Hoc verò quod ex parte cognoſcimus, quamuis in fide ſit lux, tamen meridiana eſt nobis futura, angelis pręſens: quoniam ex quo confirmati, fuere ipſius lucis reuelata præſentia ſunt affecti beati nec per tẽpora aut per agnitionis incrementa ad ipſam prouecti ſunt, quẽadmodum electorum ſocietas, ſed in prima ſui deliberatione arbitrii gratię Dei in illis irradiante candore. In fide igitur ſe nobis lux ipſa manifeſtat, non repente, nec tota, ſed per profectus, iuxta credentium perfectionem fidei, & charitatis affectum. Porro creſcente fide, & incaleſcente corde diuini amoris igne clarificatur viſus, & meridianæ luci mens propinqua efficitur, eò amplius, quò purius credit, & ardentius diligit. De huiuſmodi viſionis progreſſu Apoſtolus de ſe, atque perfectis viris loquitur dicens: Nos autem reuelata facie gloriam Dei ſpeculantes transformamur à claritate in claritatem, tanquam à domini ſpiritu. O quam iucunda eſt iſta vocatio, quæ per meridianam agitur lucem, cæteris nanque tanto eſt efficacior, quanto eſt dignior. Per hanc vocatus eſt Moyſes, quando paſcens gregẽ ad interiora deſerti, in flamma rubi dominum ſe vocantem, vt ad Pharaonem pergeret, audire promeruit. Hac eadem luce dum properaret Damaſcum, vt Chriſto credentes, vinctor Hieruſalem duceret circumfuſus atque vocatus eſt Saulus. Quales vero ambo fuerint, quantave in eis operata ſit lux, eloquia ſacra teſtantur. De aliis autem Apoſtolis, qui ab ipſa meridiana ſunt luce vocati tametſi in carne velata, quid memorem? Tanta ſiquidem ſunt cognitionis perfuſi gratia, vt lux mundi ab ipſa æterna luce ſint dicti. Vt igitur ſub compendio iſtius vocationis, ſeu ſpiritualis reſurrectionis enarrem gratiam, quotquot de excellentia capitis & corporis myſtici, de ſacramento vnionis Dei, & hominis Ieſu Chriſti domini noſtri illuminati ſunt, à luce meridiana ſub nube velata vocati ſunt. Cæterum ſi qui in ſpeculo diuinæ eſſentiæ (ſicut viatoribus datur contemplari) illuminari meruerint, ii nimirum ſimpliciter, & immediate ab ipſa luce meridiana ſunt repleti, reformati, reſuſcitatique. Poſt hanc gratiæ perceptionem non licet reſuſcitato de cætero carnaliter viuere iuxta eloquium domini dicentis: Non videbit me homo, & viuet. Quonam (quæſo) modo valet mundo, carnis illecebris, vel viuere ſibi, qui in præcordiis ſuis ſempiternum verbum excepit, quatenus apud illum perpetuam faciat manſionem? In ipſa ſiquidem ſpirituali cohabitatione cor veritatis agnitione ita refunditur, vt de fallaciis ſeculi, de lenociniis vitiorum, de tentationibus ſpirituum immundorum, de naturalibus & gratuitis donis, atque de vniuerſis, quæ ad ſalutem animæ, & bene viuendi propoſitum, ſpectant, erudiatur abunde, faciatque quod neſcitur à multis, illi eſſe notiſsimum. Quamobrem huiuſmodi potens eſt opere & ſermone inſtruere cæteros, vtpote diuina luce illum comitante, atque regente.

1. Ioan 3. Act. 15. Act. 1. Abac. 2. Heb. 11. Pſal. 35. 1. Cor. 13. 2. Cor. 3. Exod. 33.

Vnde

Vnde Propheticum illud depromere valet & dicere: Pſal. 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. Illuſtratus quippe ſcientia Dei, inoffenſo graditur pede, currenſque viam mandatorum & conſiliorum Chriſti, proficit quotidie de virtute in virtutem, tanquam à domini ſpiritu informatus, atque deductus. Pſal. 88. De iſto, illique ſimilibus Pſalmographus admirans, inquit: Domine in lumine vultus tui ambulabũt, & in nomine tuo exultabunt tota die, & in iuſtitia tua exultabunt, nec immerito. Nam deiformem quandam gerit imaginem mens meridianæ lucis huius aſſueta fulgoribus, propter quod ipſis etiam angelicis ſpiritibus valde agnoſcitur eſſe mirabilis. Cant. 6. Vnde de ipſa viciſsim aiunt: Quæ eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna, electa vt ſol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata? Surgenti quippe auroræ comparatur, propter veſpertinam lucem, quæ exteriorum omnium talem præbet notitiam vt ab eorum minime valeat ſubuerti blanditiis. Pulchra verò vt ſol à Deo eſſe perhibetur, quoniam matutinæ lucis perfuſa radiis, beneficiorũ Dei exultat in lumine. Ob perſpicuam autem veritatis ſcientiam, atque ex concepta familiaritate verbi Dei in intimis penetralibus habitantis congruentiſsime electa vt ſol dicitur. At verò propter meritorum cumulum, perfectionemque virtutum terribilis vt caſtrorum acies, eſſe denunciatur. Cernitne per lucem quanta, qualiave Deus operetur in homine, per quam illum de morte peccati reſuſcitat ad vitam, donans ei claram interiorum & exteriorum, corporalium & ſpiritualium, cœleſtium ac diuinorum ſacramentorum intelligentiam? Verum per hanc lucem, & ad memoratam myſteriorum ſpiritualium notitiam, non omnes vocat, quos primæ reſurrectionis vult eſſe participes, ſed illos tantum, quos ante mundi conſtitutionem per ſe prędeſtinauit in ſe, vt conformes ſint imagini filii ſui, qui candor eſt lucis ęternę, & ipſi ſint lux. Igitur quemadmodum ſuperius dictum eſt, quoſdam metu, nonnullos flagello, pleroſque etiam interna luce, aliquos verò ſpirituali conſolatione inuitatos, & gratiæ ſuæ facit eſſe conſortes. Nam vnus quum ſit ſpiritus Deus, ò quàm multipliciter operatur in anima? Nempe quum timorem incutit ſiue flagellat, iraſcibilem ipſius animę ſanat vim, cęterum quando veritatis ſuæ lucem infundit, fugat tenebras, & rationalem inſtruit, ſi vero delectationem & ſpiritualem dulcedinem prębet, concupiſcibilem ad ſe trahit virtutem, & hanc diuerſimode, videlicet aliquando per ſenſum, quandoque per virtutem, interdum per cęleſtium pręmiorum ſapidum guſtum, prout idem ſpiritus vnicuique cognouerit expedire. Congrue igitur ſatis anima per ſenſuum delectationem ad dominum trahitur, & conuertitur de malo ad bonum. Nec mirum eſt, quod quamuis rationis ſit capax, & ratione dirigatur, mouetur tamen ad creatoris ſui dilectionem per carnales corporis ſenſus: nam prius quod animale, deinde quod ſpirituale factum eſt. Eruditur (quemadmodum nouimus) anima per ſenſus de naturalibus, & de ſpiritualibus etiam plura percipit per eoſdem. Nonne (dicente Apoſtolo) inuiſibilia Dei à creatura mundi, per ea quę facta ſunt, Rom. 1. intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque eius virtus, atque diuinitas? Cęterum ſi tantum pręualet mors, vt per ſenſus ingrediatur ad animam, dicente Propheta: Mors intrat per feneſtras noſtras. Nonne multo magis per ipſas introibit vita, quum potentior ſit vita quàm mors? Hier. 9. Viſitatus quippe modus eſt, vt animalis homo, qui nequit percipere ea, quę Dei ſunt, eleuetur, & moueatur per delectabilia ſenſibus. Hinc eſt quod docente Spirituſancto, in eccleſia Dei inſtituta ſunt organa, hymnorum & pſalmorum cantica, ſacerdotalia indumenta, ornamenta altarium, vaſa aurea & argentea, ac cęremoniarum multifarius cultus, quatenus per hęc catholica commendetur fides, magnifica diuina laus appareat, atque carnalium & infirmiorum mentes euigilent, & ex viſibilibus diſcant inuiſibilia capere. Equidem ſenſibilia omnia, aut ſpeculum ſunt, aut inſtrumentum, quo mediante animalis homo vtens bono naturalis ingenii proficit, creſcenſque in virum perfectum rationalis efficitur. Porro quemadmodum abutentes intellectus dono, ſenſibilia iſta ad carnis lenocinia flectunt, ita & bene vtentes ad Dei delectationem impellunt, ſicut Propheta de ſe teſtatur dicens. Delectaſti me domine, in factura tua, & in operibus manuum tuarum exultabo. Pſal. 91. Nam & ob hoc ſunt cõdita, vt in illis, & per ea nos delectet ipſe, qui fecit illa, alioquin mortis, & peccatorum nobis materiam expoſuiſset Deus, non magiſterium ęternorum. Cuncta enim quę facta ſunt, bene, à bono, & ad bonum ſunt creata: tametſi malus vtatur male, quod non inſtituenti, ſed obliquè vtenti aſcribendum eſt. Nam ipſa mens hominis prius per inordinatum affectum efficitur mala, & poſtea peruerſe vtitur bonis conceſsis. Non eſt malum aurum, & tamen auarus quiſque vel prodigus bono iſto abutitur. Vnus plus debito diligendo, alter vero inutiliter diſpergendo. Hęc non ex malo auri, ſed eueniunt ex male diſponente aurum. Omnis creatura, quę pulchreſcit viſui, mulcet auditum, olfactui redolet, ſapit guſtui, attactuique molleſcit, ſiue in cęlo fulgeat, ſeu natet in vndis, aut moueatur in aere, vel ſit in terra, bona in ſe eſt, & valde bona, ſacro hoc atteſtante eloquio: Vidit Deus cuncta Gen. 1. quę fecerat, & erant valde bona. Bona igitur quum ſint pro ſui conditoris gloria, & ad profectum animæ rationalis ſunt facta, quatenus per cor-

corporalia ad ſpiritualia aſſurgat, & quæ iacet in imis, viſibilium adminiculo progrediatur ad ſumma, atque ex animali ſpiritualis fiat. Rectus iſte aſcendendi modus eſt videlicet, a corporalibus ad ſpiritualia, & a ſpiritualibus ad cæleſtia. Nunquam (vt arbitror) ad vſum, perfectionemque poterit quis euolare virtutum, qui exteriora temperanter tractare neglexerit, prudenter agnoſcere, Deumque ex ipſis laudare frequenter.
Pſal. 83. Gradus iſti ſunt, quos Propheta commemorat dicens: Beatus cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lachrymarum, in loco quē poſuit. Etenim benedictionem dabit legiſlator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion. Signanter inquit: Beatus cuius eſt auxilium abs te, vt nullus ſibi arroget, ſed auxilio Dei, qui benedictionem tribuit. Quoties aſcendit, corde meditando tranſcendit de virtute in virtutem, Deumque laudando in mentis exceſſu contemplari meretur. Quis (quæſo) famem patiens, & per accurrata cibaria tranſiens manducare non appetat? Porro ſenſus corporei viſibilium, & ſenſibilium inſaturabilem patiuntur famem. Sacro hæc pronunciante eloquio:
Eccl. 1. Non ſatiatur (inquit) oculus viſu, nec auris impletur auditu. Quamobrem quod oculus videns pulchra non concupiſcat, auris voluptuoſa audiat, & non lenocinetur, guſtus ſuauia mandat, & temperantiæ metas non tranſeat, manus pertractet mollia, nec caro ferueſcat, diuini muneris eſt officium non humani. Præſertim poſt Adæ lapſum, per quem fomes peccati ſemper viget, indeficienter pullulat, & infatigabiliter concupiſcit, quemadmodum Apo-
Rom. 7. ſtolus de ſe ait: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Vnde tali onere grauatum ſe ſentiens ingemiſcendo clamat: Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Gratia (inquit) Dei per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum. Non vis, non ratio, non virtus, non ſcientia ad plenum ſuperare poteſt hanc peccati legem, quę eſt in membris, & ſenſibus humani corporis in originalis delicti colluuione concepti. Hoc ſolum valet gratia in præſenti ex parte, ſed ex toto in fu-
1 Ioan. 3. turo, quando complebitur quod dictum eſt: Cariſsimi filii Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quod quum apparuerit ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicut eſt.
Rom. 8. Apoſtolus quoque dicit: Omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc, & non ſolum ipſa, ſed & nos primitias ſpiritus habentis intra nos gemimus adoptionem filiorum, redemptionem corporis noſtri. Quoniam, & ipſa creatura liberabitur a ſeruitute corruptionis, in libertatem filiorum Dei. Interim verò quamdiu peregrinantes a domino per fidem ambulamus, & caro ipſa repugnat aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem, virtutum excitatio ad debellandum opera carnis, & ad coercendum voluptates ſenſuum neceſſaria eſt. Hoc proculdubio virtutum vſu quicunque caret, ſeruus efficitur peccati, reus tranſgreſsionis diuinæ legis, iumentis ſimilis, alienus a Dei regno, & gehennæ filius. O bona virtus, quæ cęlorum regno vim facit, illudque ſibi dimicando acquirit. Vbique, & in omnibus virtus commendabilis eſt, & ſine qua commendabile nihil. Nempe ſi corpus ieiuniis domes, ſi tota nocte peruigiles, ſi ęgrotis miniſterium pietatis impendas, ſi cunctas facultates tuas tribuas egenis, & orphanis, ſi peregrinando ſuper terram incedas vagus, & profugus, ſi temetipſum ſponte ſubiicias, ſi ores aſsidue, ſi frequenter gemas, ſi lachrymas indeſinenter funda, vel aliud quippiam ſine virtute agas, nihil ad meritum beatæ vitæ facis. Non autem illam virtutem, de qua loquimur, nuncupauerim, quæ in multitudine armatorum, vel in robore conſiſtit corporis, ſed in qualitate mentis, qua bene viuitur, qua nullus male vtitur, quam ſolus Deus operatur in homine. Nam tanto virtus locupletior eſt, tantoque delectatione fœcundior, quanto in homine profuſior eſt gratia. Porro riuus gratiæ cœleſtis virtus eſt, quoniam in virtutum exercitatione ipſa cognoſcitur. Cui prerogatur gratia, recte viuendi tribuitur virtus quæ in mentis cathedra reſidens ſine laudabili exteriora vniuerſa diſponit. Hoc non valet homo ex ſe, ſed adiutus à domino, qui ſapientiā pręſtat & gratiam. Dominus ipſe eſt, qui præbet ſapientiam & ſcientiam, per quas ordinatur operantis animus, ne prætergrediatur diſcretionis limites, & reperiatur eſſe vitium, quod ſæpiſsime ab imprudentibus virtus eſſe cenſetur. Idem, inquam, dominus etiam infundit gratiam, qua mediante homo perficiat, quod ratio iudicat eſſe faciendum. Altero horum deficiente deſinit virtus. Quonammodo quiſquam vir poterit eſſe virtutum imitator, ſi ex carentia ſapientiæ ignoret, quid ſecundum Deum agendū ſit, ſeu ex gratiæ priuatione, ſi conſummare nequeat, quod perficiendum eſſe commendabiliter ipſe diſcreuerit? Nam probata virtus potiora ſemper eligit, & bonum diſcernit à malo. Nihil in illa obliquum eſt, nil confuſum, nihilque damnabile, ſed iter medium tenens ſecura graditur, cœleſti luminis illuſtrata ſplendore, iucunde quoque dirigitur in Deum, illi tribuens debitum honorem, & gloriam, à quo non ignorat percepiſſe quod habet gaudii, quod ſcientiæ, quod delectationis, quod meriti. Equidem eò abundantius virtus deliciis ſpiritualibus affluit, atque præmiis fœcundatur æternis, quò ardentius per charitatis flammam, ac intentionis re-

ctitu-

ctitudinem, frequentius innititur ſuper dilectum. Nam & anima virtutum gemmis decorata ad dominum conuerſa, illud Canticorum canticum iugiter concinit dicens: Omnia poma noua [Cant. 7] & vetera ſeruaui tibi dilecte mi. Poma quidem vetera habitus, noua verò actus dicit eſſe virtutum. In his duobus quaſi in duplici ligno contexitur ſcala virtutum, per quam ad perfectionem conſcenditur. Hæc proculdubio per illam ſcalam, quam in ſomnis contemplatus eſt ſanctus Iacob, figurata fuit, in qua videlicet aſcendentes & deſcendentes angelos, ipſumque angelorum dominum ſcalæ vidit eſſe innixum. Porro in virtutum ſcala ſpirituali non ſemper aſcendunt viri ſancti, ſed neque deſcendunt, ſed alternatis vicibus nunc aſcendunt, nunc verò deſcendunt, quatenus ex deſcenſione illis ſe extollendi de aſcenſu auferatur materia, nec non per aſcenſum amplius proficiendi eorum incaleſcat affectus. De aſcenſu igitur promptiores, & ex deſcenſu humiliores fiunt. Quis (quæſo) eſt inter mortales tam alacer, tamque in virtutum exercitatione perfectus, vt interdum non intepeſcat, frequenter interiorem non remittat rigorem, iugiter ex diuina diſpenſatione non relinquatur ſibiipſi, ignoretque nonnunquam quæ ſit voluntas Dei, beneplacens, atque perfecta? His præcipue modis deſcenſus ſpiritualis agitur, per quem ad tempus virtutum impeditur profectus, tametſi probatis hominibus eadem impedimenta aſcendendi cauſam vt plurimum ſubminiſtrent, quoniam (Apoſtolo teſte) omnia cooperantur [Rom. 8] in bonum iis, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti, vt ſciamus non ſemper perfectos viros debere vocari ſanctos ſecundum actũ ſed ſecundum propoſitum, quamdiu in charitatis perſeuerant radice, quæ hominem efficit ſanctum. Caritas ergo, quæ cæterarum virtutum eſt mater, vnumquenque ſanctum facit, eoque ſanctiorem quo feruentiorem ipſum exhibet in actione virtutum. Nã regnum Dei non eſt in miraculorum [1.Cor.4] perpetratione, non in prænunciatione futurorum, neque in ſublimitate ſermonis, ſed in virtute, quemadmodum fatetur Apoſtolus Nonne ex documento veritatis incarnatæ nouimus multos in iudicio reprobandos eſſe dicturos: Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, [Matt. 7] & in nomine tuo multa ſigna fecimus? Quiſquis itaque cum Chriſto regnum vult obtinere cœlorum, ex laudabilibus actibus habitus ſtudeat habere virtutum, quæ diuinam in nobis indicant gratiam, noſtramque ad Deum charitatem commendant, veſtem ſibi contexat deauratam, quatenus in diſcubitu nuptiali ornatu fulgeat regio, ſicut illa, de qua figuraliter pſaltes inquit: Aſtitit [Pſal. 44] regina à dextris tuis, in veſtitu deaurato, circundata varietate. Merito illa anima in cœlo varietate veſtita eſſe perhibetur, quæ quoad vixit in carne cum vtriuſque hominis laboribus, ac ſudoribus, per pietatis opera ſobriè, temperanter, iuſteque viuendo, multiplicium virtutum ſibi compoſuit indumentum, non vt gloriam captaret humanam, ſed vt æterni regis grata eſſet aſpectibus. Talibus profecto ornamentis cæleſtis ſponſi affectus allicitur, qui non in ſericis cooperimentis, non in deauratis veſtibus, non in gemmis, vel precioſis monilibus delectatur, quibus mortales reges, mundi principes, atque amatores ſeculi decorantur, ſed in puritate animæ, in cordis humilitate, in ſynceritate fidei, in nitore conſcientiæ, in ſpei longanimitate, in rectitudine mentis, in promptitudine obedientiæ, in feruore charitatis, in magnanimitate tolerantiæ aduerſorum, in deſpectu mundi, in contemptu ſui, in proximi dilectione non ficta, in aſsiduitate orationis, in deuotionis deſiderio, in miſerorum compaſsione, in vnitate ſpiritus, & indiſſolubili vinculo pacis. Nempe in harum virtutum exercitatione quicunque ſolicitior eſt, in regno cœlorum erit locupletior meritis, ſpiritualibus indumentis ornatior, & cœleſti ſponſo acceptior. Qui nullius perſonam accipit, carnis proſapiam non attollit, terrenam dignitatem non præfert, ſed ſanctitatem vitæ, morum probitatem, perfectionemque virtutum. Quos enim in virtutum ſtudio perfectiores eſſe dominus intuetur, ſpiritualis dulcedinis, & cæleſtium præmiorum abundantiori lætificat guſtu. Illis nedum futuro bona ineffabilia pollicetur, verumetiã in præſenti interna dona largitur. Quis valet explicare ſermone quàm dulcia, quàm magna, quàm iucunda, quàmve delectabilia ſint iuſtorum ſecreta, mentis cõuiuia, potiſsimum eorum, qui pro adeptione virtutis animas ſuas obtulerunt Chriſto, & ſe expoſuerunt tentationibus, laboribus, periculis, paſsionibus, & morti? Vos eſtis (inquit dominus [Luc. 22] talibus) qui permanſiſtis mecum in tẽtationibus meis, & ego diſpono vobis ſicut diſpoſuit pater meus regnum, vt edatis, & bibatis ſuper menſam meam in regno meo, & ſedeatis ſuper ſedes iudicãtes duodecim tribus Iſrael. Sane æquitatis cenſura hoc exigit, vt qui totum Deo tribuit, Deum totũ habeat. Hinc eſt quod ſancti martyres, qui ſe realiter diuino mancipauere ſeruitio, ſpirituali debriati dulcedine, tanta valuerunt perferre ſupplicia, futurorum ſiquidem bonorum primitias prælibantes. O quam lęto animo vniuerſorum percurrebant genera tormentorum, perluſtrabant ſolitudines, & horrida nemorum antra, ſolis ſylueſtribus feris habitabilia, ibique degentes, ieiuniis, orationibus, vigiliis, aliiſque cruciatibus carnem redigebant in ſeruitutem ſpiritus. Verum quum pro confeſsione catholicæ veritatis certaminis hora incumberet, nulla eius pœna videbatur grauis prę amoris magnitudine, & conſideratione cęleſtium, tradebant

bant carnificibus corporis membra,& mente copulabantur Deo, impredabilē intus poſsidebāt theſaurum,Chriſtum dominum reconditum habebant in pectore, propter quod inſenſibiles eſſe conſpiciebantur exterius. Quiſque prudēs ex ſe metiatur quanta fuerit Martyrum,Confeſſorū cæterorumq; Sanctorum virtus, quantaq; ſit ſtrenue militantium Chriſto lætitia,qui pro ſolo diuinitatis amore calcant viſibilia, voluptuoſa reſpuunt,blanda contemnunt,ſeque crucifigentes ſeculi huius vniuerſa deſpiciunt. Iſta nunquā valerent perficere, niſi in ipſis conſolatio diuina inſuſa præcelleret pœnam, & inuiſibiliū guſtus dulcedinem ſenſibilium ſuperaret. Quis quæſo,præſentem contemneret vitam, ſi non alteram beatiorem eſſe certiſsima definitione ſentiret? Hinc ex Sanctorum & Chriſto famulantiū teſtimonio fides Chriſtiana probatur eſſe veriſsima,qui pro amore futuræ vitæ, vniuerſa, quæ in mundo concupiſcibilia ſunt, paruipēdenda arbitrati ſunt vt

Rom.8.

ſtercora. Sane vita ipſa quanti æſtimanda ſit,Apoſtolus inſinuans inquit: Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam, quę reuelabitur in nobis. Iterumque, Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit,quę pręparauit Deus diligentib.ſe.Hęc quippe, quę in vita futura reſeruata ſunt prędeſtinatis ad gloriam,omnes claro fidei cernūt intuitu,vt quotquot ſeculo & cunctis pompis eius ſpōte renunciant,& tanquam incolę & peregrini in iſta conuerſantur vita, minime prorſus tā arduū virtutum arriperent propoſitum, ſi non veritatis perſpicua irradiarentur luce, & internę dulcedinis amabili refectione pingueſcerēt.De qua pro-

Pſal.30.

pheta inquit i Pſalmo: Quàm magna multitudo dulcedinis tuę domine, quam abſcondiſti timentibus te,perfeciſti eis qui ſperant in te. Abſcondiſti,ait,timētibus te ſeruiliter, & perfeciſti eis,qui ex pręguſtata delectatione ſperant in te. Merito eadē dulcedo ſpiritualis tribuitur iis, qui ſperāt, quoniam ſicut ex ſpe guſtus,ita ex guſtu ſpei perficitur certitudo.Nemo igitur diffidens valet guſtare & videre quàm ſuauis eſt dominus. Atque nullus ſine prælibatione diuinę bonitatis laudabiliter ſperare poteſt cęleſtia gaudia,quę repromiſit Deus diligentibus ſe.Abſq; vero exercitatione virtutum ad vtranq; nemo pertingit.Poſt virtutum itaque palmam,poſt tentationum ac vitiorum conſummatum agonē verę ſpei ſuauitas infunditur,necnō ęternę beatitudinis myſteria arcana panduntur, quę pro ſua immenſitate contēplantis abſorbent affectū, illumq; replēt gaudio, exultatione & iubilo.Porro nil ſic delectabiliter humanā afficit mentem.Nihil eē ſic à curis & laboribus huius exilii ſubleuat,quemadmodū futurę felicitatis in ſenſu cordis ſperare mercedē. Nā etſi dilatio mœrorem,ſpes tamen lętitiam diligētibus pręſtat, hominemq; in cœleſtia frequenter attollit, eò altius, quò magis ſperat, plus diligit, perſpicacius contemplatur. Quibus datum eſt noſſe myſteria regni cęlorum, ò quantis amoris vtuntur facibus,ſplendoribus replentur ſpiritualibus,charitatis alligantur vinculis, & deſideriorum efficacia dilatantur. Nullus (vt reor) nouit, quid ſit gaudium in Spirituſancto, qui futurorum pręmiorum necdum expertus eſt guſtum. Cętera ſpiritualia bona quamuis amabilia ſint, quanquam cordis delectent affectum, ipſumque totū exhibeant ſibi, minus tamen lętificant, & reformant.Nam communicata bonitas tanto vehemētius accendit, quanto purius à ſuo fonte percipitur,eoque lumen clarius lucet, quò abundātius ſine medio ab ipſo ęterni ſolis ſplendore coruſcat.Hinc eſt quod qui Dei viſione iam facti ſunt digni,conſummata felicitate fruuntur,quoniam ſicut immediate ab ipſo ęternę voluptatis fonte

Pſal.35.

hauriunt potum,ita in lumine diuino inſpiciūt lumen,hoc atteſtante qui ait:Inebriabūtur ab vbertate domus tuę, & torrente voluptatis tuę potabis eos,quoniam apud te eſt fons vitę,& in lumine tuo videbimus lumen.Quanto igitur quiſque huic fonti vitę ſit propior, tanto in pręſenti vita ſapientię luce efficitur clarior, Dei & proximi dilectione feruentior,in expediendis negotiis prōptior,atque in exercendis ſpiritualib. ſtudiis fortior.Et profecto iſte eſt (ſicut propheta comme-

Pſal.1.

morat)tanquam lignum, quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarū,quod fructū ſuū dabit in tēpore ſuo,& folium eius non defluet,& oīa quęcunque faciet proſperabūtur. Suo(inquit)tēpore fructum dabit,inchoatū videlicet in pręſenti,ſed in futuro perfectum.In futuro quippe cū completo prędeſtinatorum numero vniuerſalis facta fuerit reſurrectio, poſtquā electi oēs in ęternitates perpetuas inferentur,tūc nihil erit in homine,quod diuinis non occupetur in laudibus,quoniam ipſe Deus erit omnia in omnibus: rationi vtique plenitudo lucis,volūtati multitudo pacis, & memoriæ fruitio deificæ maieſtatis. Interim vero dum peregrinatur in luce ambulat, & in eadem proficit, dum ratio ſcripturarū ſanctarum nutritur in paſcuis. Sunt enim diuina eloquia ſpiritualia paſcua, in quibus humanus intellectus aſſuetus naturalium,ac diuinarum rerum ſaginatur ſcientia, & per quotidianos ſucceſſus creſcit in virū perfectū,ſenſum literæ commutans in ſpiritum, per quem cū iudicetur a nemine,ipſe tamen ſpiritualis iam factus iudicat oīa, Hoc agens non ſolum ipſe per veritatis notitiam ſapiens, verumetiā naturalis affectio per cognitionis redundantia efficitur læta potiſsimum quando in eiſdem ſcripturarum paſcuis comperit quàm magnus ſit dominus, & laudabilis nimis: & quanta, qualiaue ſint in cęlis repoſita præmia iis,qui ex toto corde,totoque affectu diligunt. Non poteſt non diligere illum qui poteſtate ſua ineffabili oīa creauit,non

ex materia, aliqua, neq; per alicuius miniſteriū, ſed ex nihilo per verbum ſuum, quod non tranſit ſonando, ſed manet in ſeculum ſeculi. Ioan 1. De quo ſcilicet verbo per Ioannem dicitur: In principio erat verbū, & verbū erat apud Deū, & Deus erat verbū. Hoc erat in principio apud Deū, omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Merito per illud verbum facta ſunt quæcunque ſunt, in quo erant priuſquam fierent, ſicut idem Euangeliſta commemorat: Quod factum eſt, inquit, Ibid. in ipſo, vita erat. Erant in illo & tamen per illud facta ſunt. Erant in arce Dei, & in materia & forma quæ ſunt, per verbum facta ſunt. Deo igitur qui fecit omnia nihil eſt nouū, nihil ignotum, nihilque difficile, quippe cum ſola voluntate vniuerſa operetur. Pſal.134. Omnia, inquit Propheta, quæcunque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyſsis. Paulus vero cūcta illi eſſe notiſsima aſſerit dicens: Heb.4. Viuum eſt Dei verbū & efficax, & penetrabilius omni gladio ancipiti pertingens vſq; ad diuiſionem animæ, ac ſpiritus, compagum quoq; ac medullarū, & diſcretor cogitationum, & intentionum cordis, & nulla creatura inuiſibilis eſt ei, oīa .n. nuda & aperta ſunt oculis eius. Cęterum quod nihil illi ſit nouum, Propheta declarat quādo ait: Qui fecit, quæ futura ſunt, & alibi dicitur: Eccleſ.18 & 42. Qui fecit omnia ſimul iſta, multaq; alia dum mens in ſe ratiocinādo de Deo cogitat, ipſum ſummū quoddam intelligit eſſe bonum, ęternum, ineffabile, incomprehenſibile, immēſum, communicabile, delectabilem, perfectumq; quod laudare, amplecti, frui, & cognoſcere vita ęterna eſt. Quemadmodum ipſe perhibet dicēs: Ioan.17. Hęc eſt vita ęterna, vt cognoſcant te ſolum Deum, & quem miſiſti, Ieſum Chriſtum. O quanto charitatis igne etiam in hac peregrinatione meditantis affectus accenditur, cum ſapientię luce irradiatus mētis oculus videt illum, in quē intuentes angeli facie reuelata magis, magiſq; proſpicere cōcupiſcunt. Quanta, inquam, repletur dulcedine anima, dum illum complectitur amoris brachiis, in quo ſunt omnia deſiderabilia, delectabilia, amabilia, dulcia, atq; ſuauia. Inardeſcit profecto, & charitatis quodam vehiculo fertur in cęleſtia. Ibique Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſsorum, omniūque ſanctarum animarum & ſpirituum beatorū miratur gloriam, cupit conſortium, felicitatem veneratur, ac implorat ſuffragium. Sane in hoc contemplationis ocio iucundatur lumine, repletur charitate, attollitur deſiderio, iubilatione pingueſcit: quoniam totū, quod videt, quod ſentit, quod poſsidet, dulciſsimum, concupiſcibile, atque iucundum eſt. Nam tanta ſpirituali locupletatur gratia, vt tunc ſolo corpore in terris, mēte vero ac deſideriis commoretur in cęlis: velitq; ſi fas ſit ei, ſēper in eo eſſe, quod eſt quod dū nō valet, redditur ſibi vt agnoſcat ſe, amplius operetur, conuerſetur prudentius, ardentius diligat. Hinc eſt etiam quod humiliter petit, vt accipiat quærit ſedulè, vt inueniat; pulſat importune, vt ſibi aperiatur denuo, & intret gaudiū Domini ſui, vbi ſe fuiſſe commemorans, reuoluit animo quàm magna ſit domus Dei, & ingens ſit locus poſſeſsionis eius, non habens conſummationem, magnus & immenſus, quantaque illorū ciuium ſit concordia, pax, lætitia, vnitas, beatitudo perennis. Hoc ſiquidem modo quod memoriæ recondidit, tanquam mundum animal ruminando deguſtat non tamen eo modo, eaque delectatione, qua prius. Reliquiis perceptorum alimentorum ſpiritualium paſcitur, & quibuſdam ſtillicidiis ſapientiæ potatur, experiturque verū eſſe, quod per Prophetam dicitur: Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi. Eſa.57. Porro in huiuſmodi ſpiritualibus ſtudiis, tanto quiſque incumbit frequentius, quanto feruentius diligit, guſtat ſuauius, apertius intuetur, ſanctius viuit, familiarius trahitur, ſecretius introducitur, caſtius amplexatur. Nunquam, teſte experientia, cæleſtes epulæ faſtidium ingerunt, quin potius affectum prouocant, & ad rediuiuam refectionem ſui hominis interiora accendunt. Quamobrem quicūque deuotione ſalutari nutritur, ſemper famem edendo patitur, ſemperque vberiora deſiderans Pſal.16. inquit: Satiabor cum apparuerit gloria tua. Ex ſuo igitur deſiderio paſcitur, ſuis votis trahitur, interna delectatione tenetur, ne pereffluat, & voluptuoſis ſeculi iſtius cibariis ſaturari deſudet. Bonus plane deuotionis eſt guſtus, per quem homo elongatur a ſeculo, ablactatur a vanis, reſurgit in ſpiritu, renouatur in mēte, roboratur in via aīatur ad inuiſibilia, allicitur ad cæleſtia. Ex hoc diſcit quid credere debeat, quid quærere, quid ſperare, qd diligere. Nā deuotio proprius eſt animātiū cibus donū humiliū, māſuetorū, merces, ros cęlicus, abſcōditū manna, inuiſus theſaurus, refectio ſalutaris, iucūdiſsimū bonū, ſpirituale cōmerciū, ac futurę beatitudinis pręcurſor egregius. Hāc qui tenet teneat, diligētiſsimeq; cuſtodiat, ne ex ſuimet incuria, vel malignorū ſpirituū fraude amittat. Illi quippe ſupra modū inſidiātur aereæ poteſtates, agnoſcētes minime poſſe perire, qui illā humili exercitatione ſeruarit. Nā per ipſā filialis timor cōcipitur, & coaleſcit, a Deo, vel, hominib. flagella irrogata ſtrenue pferūt, cuſtodiť puritas, veritas intelligitur, Dei caritas guſtať, ſapiētię lumē pcipitur, dulcedoq; cęleſtis in ſuo fōte potať. Hoc nihilominus pficiēte, ac miniſtrāte dño nſo Ieſu Chriſto, qui redēptor eſt noſter, eccleſię ſpōſus, electorū caput, certātiū robur, corona vincentiū, perſeuerantiū gloria, cui cū patre, & ſpiritu ſancto eſt honor, & gloria, laus, & imperiū, nunc, & ſemper, & in ſecula ſeculorū. Amen.

DIVI

DIVI PATRIARCHAE LAVRENTII IVSTINIANI, in librum de Inſtitutione, & regimine prælatorum.

PROLOGVS.

CVM innumera mortales quique à ſuo cõditore percipiant dona, dignum profectò eſt, vt ſinguli gratiarum referant actiones & ad illius, qui gratis cõtulit gloriam, eadem munera accepta miniſtrent. Horum verò altero deficiente, tam vitio ingratitudinis efficiuntur rei, quàm etiam æterno ſupplicio digni. Hac igitur conſideratione præmoniti ſtudeant ſinguli ſemper Deo gratias agere iuxta præſtitorum ſibi menſuram beneficiorum, vt eſſe non deprehendantur ingrati. Nullus prorſus excipitur, nemo ab hac debiti exhibitione agnoſcitur alienus. Quis, oro, valet veraciter dicere ſe nihil accepiſſe à Domino, vnde nec debere illi gratias referre ſe credat? Cæcus quippe eſt & de collatis ſibi meritò priuandus muneribus, qui hoc vllo pacto vel etiam cogitare præſumpſit. Nã ex quo quiſque habet eſſe, viuere, & intelligere, per quod cæterorum capax efficitur beneficiorũ, huius vel ſaltem debitor eſt muneris. Qui .n. non eſt, non viuit, neque diſcernit, Deo non valet gratias agere, quoniam vnde id poſſit, nequaquam accepit. Nemo itaque eſt, qui non debeat iugiter creatori ſuo exoluere gratias, ſiue iuſtus, ſiue peccator, ſeu fidelis, ſiue omnino ſit alienus à fide, ſi tamẽ rationis eſt compos. Nam quiſquis ex ætatis, aut naturę defectu nequit cogitare quę ipſe accepit, minime obligatur altiſsimo reddere grates. Pro talibus vtique ſupplet eccleſia, cũ tam frequenter in diuinis officiis, in celebratione miſſarum, in eccleſiaſticis cęremoniis ingeminat Deo gratias. Hoc (quęſo) breui ſermone quid profertur dulcius, quid auditur ſuauius, quid cogitatur vtilius, quidve rectius in omni actione perſoluitur? Signum quippe ſubiectionis eſt, cognitionis indicium, verbum dilectionis, ſolutionis obſequium, & ſacrificium deuotionis internæ. Equidẽ his omnib. caret bonis quicunq; dedignatur, aut negligit factori ſuo gratias exhibere ex corde. Ex corde, inquã, quoniã vocis prolatio abſque intentione cordis ſuperuacua ſeu inutilis fore cognoſcitur. Hoc ore prophetico Dominus inſinuans ait: (Eſa. 29) Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me. (Luc. 18) Hoc idem Phariſæus, de quo in Euangelio legitur, teſtatur: qui ore exoluebat gratias, & tumeſcebat intus dicẽs: Gratias tibi ago Domine, quia non ſum ſicut cæteri homines auari, raptores adulteri, aut ſicut publicanus hic. Ieiunio bis in ſabbato, decimas do omnium quæ poſsideo. Corde itaque humili & voce Deo exhibendæ ſunt gratiæ pro perceptis ab illo muneribus, eademque ad illius miniſtranda ſunt gloriam. Sane qui aliud quàm gloriam & honorem Dei de ſuo quærit opere, mercenarius eſt. Qui verò gloriam propriam & vulgarem famam, fur & latro exiſtit. Quamobrem noſtri conditoris exercenda ſunt dona, atque ij ſius propterea propalanda ſunt munera, vt ille ſolus honorificetur, qui contulit, quemadmodum ipſe perhibet inquiẽs: (Matt. 5) Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Erubeſcat ergo humana ſuperbia, quæ in hoc ſeculo famam concupiſcit & gloriam, necnon de collatis ſibi beneficiis humanos captat fauores. Confundantur, inquam, vniuerſi, qui animi leuitate commoti, ſeu tranſitoriæ laudis delectatione cæcati, ponunt ſigna ſua, nomenque ſuum vndique diſſeminare peroptant, aliqui corporis robore mediante, quidam ex lepore eloquentiæ, alii ex diuitiarum aggregatione, nonnulli ex ambitione, atque actu imperandi, ſicq; alii quidem ſic, alii verò ſic. Hos autem omnes Propheta increpans ait (Pſal. 52) Dominus diſſipabit oſſa eorum, qui hominibus placent, cõfuſi ſunt, quoniam Dominus ſpreuit eos. Meritò confuſi ſunt, & Deus ſpreuit eos, quia gloriam, quæ ſoli Deo debetur, ſibi arrogantes, de ſe mundo idola fabricare conantur, ſacri eloquii immemores, vbi dicitur: (Pſal. 96) Cõfundantur omnes qui adorant ſculptilia, & qui gloriantur in ſimulacris ſuis. Quod quidem hominibus deteſtabile eſſe debet, ſupra modum verò eſt odibile altiſsimo Deo. Non enim congruit ſeruo ſe ſuo præſumere domino coæquare, neque honorem appetere, quem dominus naturaliter habet. Agnoſcat ergo ſe ſeruum ſeruus, natum ſub peccato venũdatum, atque a domino ſuo redemptum, vt non ſe extollat ſupra ſe, & ſuperbiendo cadat. Suo cõtentus ſit gradu, ſuaque humiliter ſeruitute vtatur quatenus efficiatur liber, Nã qui vere ſeruus eſt Chriſti, prorſus eſt liber, filius, & dominus. Liber inquam, a peccato, quo perpetrato illius quiſque fit ſeruus, dicẽte magiſtro veritatis: (Ioan. 8) Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Filius autem Dei, per adoptionis gratiam, Dominus vero vitiorum, & ſui. O bona ſeruitus, quæ obtemperantem humiliter Chriſto liberum facit, regni coheredem, & principem, eò ſublimiorem, quò humilius abiectiusque famulatur, atque eò glorioſiorem, quò ardentius voluntarie ſe hominibus oſtendit in gloriam, vt nõ ſibi vendicet quod omnino ſuum eſſe non poteſt. Porro huiuſmodi gloriam contemnendo glorioſus efficitur, ſeq; ipſõte deprimendo ſecurus exaltatur. Non enim mẽtiri valet Dei ſapientia, quæ ait: (Luc. 14. & 18.) Qui ſe humiliat, exaltabitur; humiliat, inquit, hic, in hoc videlicet ærumnoſo exilio, in hac peregrinatione, vbi caro aduerſus ſpiritum concupiſcit, vbi aereæ poteſtates theſaurum iuſtorum deprędari moliũtur, vbi

vbi

vbi adulatores carnalium demulcent aures, & in errorem mittunt, vbi reges gentium & populorũ principes dominantur & pereunt, vbi alternis vicibus proſpera ſibi ac aduerſa ſuccedunt, vbi abundant ſuperbia, cupiditas atque voluptas, vbi pax nulla firma, ſecuritas nulla, ſed perturbationes, anxietates, rixe, contentiones, fallaciæ exercentur, & prælia. Exaltabitur proculdubio in futuro, cum tradiderit filius regnũ Deo & patri. Tunc quippe ſine animæ periculo, ſine offendiculo proximi, ſine virtutum detrimento, & abſq; vllo prorſus inimicorum obſtaculo exaltabũtur, qui ſe ſponte & propter Deum humiliter ſubdiderunt, atque conſideratione non ficta ſibimetipſis viluerunt. In præſentiarum igitur intendat vnuſquiſque humilitatem cordis acquirere, quæ in vilitatis propriæ cognitione ſubſiſtit. Studeat, inquam, in omnibus gratias agere, gloriam maieſtatis illius concupiſcere, ipſumque in verbis, in moribus, in conuerſatione & cunctis operibus ſuis exhibere laudabilem. Plane nullum hoc ſacrificium maius, nullaque oblatio eſt iſta acceptior. Per hanc vtique ſancti homines ſpiritualibus chariſmatibus decorati, Deo placere ſtuduerunt, ipſius gloriam, & honorem nominis eius mercedem propriam arbitrantes. Quamobrem prædicationibus, exhortationibus, ſcripturarum explanationibus, paſtoraliſque curæ quotidianis miniſteriis incumbentes ipſum laudabant in ſe in hymnis, in canticis ſpiritualibus, animaſque Chriſto lucrifacere ſatagentes, lapidibus electis & viuis Dei eccleſiam ædificabant, Omnis illorũ actio; totaq; cordis intentio omnipotentis Dei gloriam, atque proximorum vtilitatem mirifice perſonabat. Quiſquis itaque recte viuit in fide catholica, nedum debet Deo de muneribus iam acceptis gratias agere, ſed & oportet illũ erga proximum, quod accepit, fideliter miniſtrare. Vnde & iuſtiſsimum eſſe arbitror ad ſanctorum hominum imitanda veſtigia, me de curæ paſtoralis officio aliquid ſcribere, quã videlicet ſublime ſit quã vtile, quã periculoſũ, qualis eſſe debeat qui præſidet, qualiter ſe exercere, quave intentione opus ſibi creditum miniſtrare. Scio equidem me prolaturum multa, quæ teſtimonium perhibebunt aduerſum me, cum negligam opere plurima, quę doceo adimplere. Sed forte dignabitur Dei clementia etiam me emendare per me, dum ex aliorum eruditione redire curabo ad me, me agnoſcere, me redarguere, meque corrigere. Cęterũ cum hoc minime valeam ex me ipſo, diuinam humiliter ſapientiam implorabo, quatenus ipſa, quæ miſericorditer mundo ſubuenire dignata

Oratio Patris hu milima.

eſt perdito, vilitati quoque meæ gratiam ſuam impertiri dignetur. Ad te ergo ò in altiſsimis habitans in paterno gremio reſidens æterna ſapientia confugio corde humili, affectu pio, oratione deuota, tuum ſemper in inchoando opere flagitando ſuffragium. Intelligis vtique profunditatẽ ignorantiæ meç, ſermonis imperitiam, virtutum carentiã, bene agendi inertiam, morumque meorum deformitatem maximam, quæ vniuerſa ad huiuſmodi peragendũ opus, eſfficiunt me indignum. Veruntamen tu ò meridiana lux, quæ tuo angelicam, humanamque naturam ſplendore lętificas, inſtruis & informas, emitte de ſede maieſtatis tuæ lucem, & veritatem tuam, vt illuminet tenebras meas, tribuatque paruitati meæ caſtorum eloquiorum tuorum intelligentiam, quatenus valeam reſerare, qualem eſſe oporteat, qui paſtoralis officii gradum, ouiumque tuarum miniſterium exercere deſiderat. Tibi enim ò alma mater hoc debetur magiſterium, quæ pro libito tuo aperis ora mutorum, & linguas infantium diſertas facis. Nam cum tibi ſubſit omnia poſſe quę vis, poteris etiam per vilitatem meam glorificare te, & propalare nonnullos ad eruditionem imperitorum. Hoc autẽ non ideo dixerim, vt quos elegeris imbuendos, illos inſtruere nequeas per te ipſam, quaſi miniſterio indigeas alieno, cum pateant tibi omnia, tuoque vniuerſa famulentur imperio. Ipſi quippe beatorum ſpiritus erudiuntur abs te, & de tuis hauriunt theſauris, quoties ad inſtructionem noſtri per te dirigũtur ad nos. Verumetiam quicunque aliquid recte ſapiunt, te docente ſapiunt. Reflecte, quęſo, igitur pietatis tuæ oculos in me, & ſtillicidia gratiæ tuæ irrora in arentem animam meam ancillam tuam, vt reuiuiſcat in te, & proferat ex te germen ſanctum verbi tui ad gloriam tuam, eccleſiæque tuæ profectum. Non enim poterit non prodeſſe quod tu fari iuſſeris per me inſtrumentum, vtique contemptibile atque viliſsimum. Da itaq; mihi, oro, ſenſum verum, cor docile, mentem piam, humilem ſapientiam, ſermonemque rectum & bene ſonantem, vt de erudiente, te promouente, te accedente, te cooperante, vniuerſi qui in ouili tuo congregati ſunt tibi, tam paſtores, quàm rationales greges audiendo intelligant, intelligendo diligant, monitaque tua diligendo perficiant, ad laudem, & gloriam ſemper tuam, qui pro eiſdem ouibus tuis, temetipſum obtuliſti ſacrificium ſalutare, in odorem ſuauitatis Deo patri, qui regnat in ſecula.

Quod principandi ambitio in cælo ſumpſit exordium. Cap. I.

EX vniuerſorum inſtitutione conditoris, cum ſingula quorumcunque animãtium genera ſibi ſimilia appetant, ac cum eiſdem pariter viuere pacemq; ſeruare videantur, mirum profecto eſt, vnde tanta inter ipſum hominum genus ſit diſcordia, tamque multæ lites, atque diſsidia. Nam in ipſo ſui exordio germinauit ęmulatio, ſeminata ſunt iurgia, & bella commota. Adeò autem in hominibus pedetentim cre-

creuerunt odia hominum, vt difficile inueniri valeat, vbi vera ſit pax. Intuemur quippe quotidie regnum inſurgere contra regnum, ciuitatem aduerſum ciuitatem, familiam contra familiã, filium aduerſus patrem, fratrem contra fratrem, & amicum aduerſus proximum ſuum. Et hoc vnde, niſi ex ambitione (vt plurimum dixerim) principandi? Nempe ſi diligenter inſpicias, raro inuenies qui ſubeſſe deſideret præeſſe autem innumeros. Sane pręſidendi hæc peſtis in cælo ſumpſit originem. Ab illo vtique, de quo per prophetam dicitur: In cælum conſcendam, ſuper aſtra cæli exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus aquilonis. Aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimiles ero altiſsimo. Agnouit nanque poteſtatem Dei eſſe maximam, illam ſuperbiendo concupiuit, & concupiſcendo cecidit. Sic plane, ſic debuit è cęlorum ſublimitate deiici, quia ad æqualitatem altiſsimi voluit coæquari. Quæ, oro, hac ſuperba potuit eſſe maior, quæ pernicioſior, quę impudentior, quæ poſtremo damnabilior? Deteſtabilis prorſus fuit iſta præſumptio, quando creatura virtute propria ſuo attentauit aſsimilari autori. Non inquit da mihi Domine, vt quemadmodum cæteris ſpiritibus prætuliſti me pulchritudine, cognitione, ordine, & dignitate, ita quoque præſim vniuerſis. Ex hoc quippe apparebit gratia tua profuſior, & gloria maior. Sed quid ait? Aſcendam ſuper altitudinem nubium, & ero ſimilis altiſsimo. Ego ego ipſe poteſtate mea, & voluntate mea aſcendam, ego ambitione mea ſimilis ero altiſsimo. Nõ deferam factori meo, non expectabo promotorem mei, non inuocabo Deum meum, a quo habeo, & ſum quod ſum, ſed egomet ſublimabo ſolium meum, oſtendam potentiam meam, inſinuaboque excellentiam meam, ne imperfectus videar, & auxilio indigens alieno. Concepit iniquitatem, principatum ambiuit, cęterorumque requiſiuit conſenſum, vt deteſtandæ ſuæ impietatis ſortiretur effectum. Quid agis ô ſceleſtiſsime, quid niteris, quid præſumis? Ignoraſne, quia non eſt poteſtas, non eſt ſapientia, non eſt conſiliũ contra Dominum? Memento miſer quid acceperis, & a quo, propter quid. Nempe gratis tibi collatum eſt, vt ſis forma ſpecioſior, natura generoſior, donis locupletior, cunctiſque ſpiritibus dignitate ſublimior, quemadmodum propheta de te perhibens ait: Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapiẽtia, perfectus decore, in deliciis paradiſi Dei fuiſti. Omnis lapis precioſus operimentum tuum, ſardius, thopazius, & iaſpis, chryſolitus, onyx, & berillus, ſaphirus, carbunculus, & ſmaragdus. Aurum opus decoris tui, & foramina tua in die, qua conditus es, pręparata ſunt. Tu cherub extẽtus, & protegẽs, po ſui te in mõte ſancto Dei. In medio lapidum ignitorũ ambulaſti perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inuẽta eſt iniquitas

Eſa.14.

Ibidem.

Prou.21.

Ezec.28.

in te. Quod autem habes non vtique a teipſo, ſed a Deo patre per verbum ſuum ſpiritu ſancto cooperante, & faciente te, & vniuerſa quæ ſunt, ſicut ſcriptum eſt: In principio fecit Deus cęlũ, & terram, & reliqua, prout ibi ordinatiſsime continetur. Fecit namque te ſine te, non vt permaneres in te, neq; vt te erigeres inaniter ſupra te, ſed vt ipſe te traheret ad ſe, collocaret in ſe, rēpleret, & beatificaret de ſe, non propter te, ſed propter ſe, quoniam miſericordia, bonitas, & charitas eſt. Tu verò ingratiſsime horum immemor præſumpſiſti eleuare cor tuum, & molitus es deprædari gloriam omnipotentis, & æterni Dei, quod minime licebat tibi. Merito igitur, corruiſti, atq; animaduerſionem diuinę vltionis accepiſti, ſicut dominus per Prophetam teſtatur dicens: Ego eieci te de monte ſancto Dei, & perdidi te ô Cherub protegens de medio lapidum ignitorũ, & eleuatum eſt cor tuum in corde tuo, perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo. In terram proieci te ante faciem regum dedi te, vt cernerent te. In multitudine iniquitatum tuarum polluiſti ſanctificationem tuam. Producam ego ignem de medio tui, qui commedat te: & dabo te in cinerẽ ſuper terram in conſpectu omnium videntium te. Verum vtinam tu, ſicut inexpiabilis author fuiſti ſceleris, ita & ſolus rueres. Sed (proh dolor) ſuperbiente, te ſuadente, te cadente, numeroſitatem cæleſtium ſpirituum quàm maximam traxiſti poſt te, filioſque gehennæ illos feciſti, quemadmodum & te. Deformaſti vtique cælum ſyderibus, vaſtaſti muros ciuitatis ſanctæ Hieruſalem, ipſam ruinis labefactaſti, cum cæleſtem patriam habitatoribus minoraſti. Factus igitur es ex hoc horribilis, qui eras pulcherrimus; tenebroſus qui eras in lumine; tortuoſus, qui eras rectus; infirmus, qui eras validus; ſeditioſus qui eras pacificus; blaſphemus, qui eras ſimplex; miſerrimus, qui eras gaudens, æternaliter cruciandus, qui futurus eras beatus. Ad hoc quippe te ſuperbię pertraxit reatus vt fieres auerſus à Deo, alienus ab angelorum conſortio, contemptor gratiæ, diſsipator donorum pater mendacii, inſidiator iuſtorum, criminum incentor, corruptor animarum, iniquorum caput, ſeductor innocentium, origo peccati, peccatorum primus, inimicus pœnitentiæ, pereuntium cruciator, deſperationis pelagus, confuſionis princeps, tentator fidelium, implacabile malum, virus mortiferum, mortis filius, Chriſtianorum aduerſarius, & primorum parentum ad delinquendum impulſor. Liuoris liquidẽ face ſucceuſus ipſorum protoplaſtorum felici innocentiæ ſtatui inuidens, ambitionis venena in eos callidiſsime profudiſti. Porro eodẽ iaculo, eademq; pręſumptionis cogitatione, qua tu teipſũ, illos quoque perimere ſtuduiſti: nam quum mulieri dixiſſes, cur pręcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradiſi, illaque reſpondiſſet.

Gen.1.

Ezec.28.

diſſer, De fructu lignorum, quæ ſunt in paradiſo, veſcimur, de fructu verò ligni quod eſt in paradiſi medio, præcepit nobis Deus ne comederemus, ne forte moriamur, illico fraudolenter aiſti: Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus quod in quocunque dic ex eo comederitis, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dii, ſcientes bonum, & malum. Tu profane & mendax dixiſti in corde tuo: Ero ſimilis altiſsimo: illis verò ſuggeſſiſti, Eritis ſicut dii, ſcientes bonum & malum. Hac plane falſa perſuaſione, hac cupiditate illecti, atque ſerpentis deceptionibus irretiti neglecto Dei præcepto, qui ne comederent, imperarat, conſenſu pariter interierunt & guſtu. Nempe ante ruinā iſtorū exaltatū eſt cor, propriæque mortalitatis immemores, ſibi cōtra dominū diuinitatis voluerunt vendicare honorē. Factum eſt autem, iudicante Deo, vt quemadmodum diuinis legibus & continentiæ mandato obtemperare noluerunt, ſibi ipſis ſe repererūt aduerſos. Quāobrem ſubſecuta eſt tranſgreſsionis culpa, nuditatis erubeſcentia, laborandi neceſsitas, ſpinatū & tribulorum germina, indicibilium deliciarum amiſsio, inhabitatio præſentis exilii, corporalis fames, membrorum debilitatio, frigoris & caloris afflictiua ſucceſsio, mentis hebetudo, veritatis ignorantia, diſcernendi tarditas, tepiditas diligendi, internæ dulcedinis carentia, diuinæ contemplationis obnubilatio, creaturarum inobediētia, languores innumeri, poſtremoque mortis ineuitabile vulnus. Sic profecto, ſic mulctari debuit humana præſumptio, quæ boni, & mali tanquam Deus ambiuit ſcientiam, ſingularíſque præeminentię faſtigium concupiuit. Effecti ſunt itaque diuinæ iuſtitiæ ſpeculum, ac poſteris non ſuperbiendo magiſterium ſingulare, dum inaniter alta petendo, ſe cū dedecore inuenerunt in imis. Nemo igitur primatum cupiat, nulluſque aliis præeſſe deſideret. Cæteris quippe negotiis magis periculoſum eſt regimen animarum, atque ad illud, prout oportet, miniſtrādum difficillime quiſque reperitur idoneus. Verum ſi quis pro ſeipſo rationem reddere nequaquam ſufficit, quanto minus pro ſe ſibique commiſsis? Omnes (inquit Apoſtolus) ſtabimus ante tribunal Chriſti reddituri proculdubio rationem de collatis muneribus, omiſsis bonis, perpetratis criminibus, & de miniſterio credito. Cęterum ad hoc quis ſufficiens eſt, quis ſecurus, quis à redargutione reperitur immunis? Iudicium duriſsimum (inquit ſapiens) fiet iis, qui præſunt. Nempe ſi hoc homines conſiderarent, minime ambirent præeſſe, neque eccleſiaſticæ dignitatis cathedram tanto cū ſtudio quæritarent. Temporibus verò iſtis eorū videtur eſſe infatuata cupiditas, dum aſſiduis præcibus, corporalibus laboribus, pecuniarum pretio, adulatione verborum, ſimulationibus vanis, mercenariorum commercio, amicitiis fictis, & (quod horrendum eſt dicere) etiam cum corporis periculo, & interitu animæ honoris primatū adipiſci deſudant. Huiuſmodi propria affectione ſeducti, ignorantes propria vulnera, dicunt ſe velle aliena curare: in interiori quidem cordis cubiculo ægroti iacent, & curare quærunt extraneos. Mederere, queſo, qui talis es, vlcera tua, exterge cordis tui ſcaturientem ſaniem, rumeſcentem cogitationem, & fętens coram Deo deſiderium principandi, vt tu ſanatus valeas languentibus, teſte experientia, ſpiritualem præbere medicinam. Alioquin dictum contra te eſſe cenſebitur, quod ſcriptum eſt: Medice cura teipſum. Quamobrem noli altum ſapere, ſed depone ęſtimationē tui, & ne audeas præſumere te aliis ſufficienter poſſe præſidendo mandare. Equidem clamat aduerſū te ignorantia tua, dum hoc arbitraris de te, quod nequaquam licet tibi. Non licet, inquam, tibi cōcupiſcere præpoſituram, non congruit teſtante magiſtro de cœlis, deſiderare cathedras in ſynagogis, ſalutationes in foro, primos accubitus in conuiuiis, prælationes in eccleſia, & vocari ab hominibus rabbi. Sunt namque hæc quædam fomenta ſuperbiæ, & imprudentes facillime ad caſum quædam impellentia. Nunquid præceptor noſter appetere talia docuit? Nonne humilitatem potius verbo inſinuauit & opere? Diſcite (inquit) à me, quia mitis ſum & humilis corde. Tantæ ſiquidem humilitatis ipſe fuit, vt quamuis ſplendor eſſet paternę glorię, & figura ſubſtantię ipſius, omniaque portaret verbo virtutis ſuę, ſemetipſum tamen exinaniuit, formam ſerui accipiens, & in ſimilitudinem hominum factus, propter homines hominibus ſubeſſe non tenuit, quemadmodum euangeliſta perhibet dicens: Deſcendit cum illis Maria videlicet & Ioſeph Nazareth, & erat ſubditus illis. Meritò igitur non principandi, ſed obediendi, ſeque humiliandi, dedit in conuerſatione ſua homini normam, imitandique veſtigium. Suaſit quoque in doctrina ſua non primum appetere locum, ſed vltimum tenere, dicens; Cum inuitatus fueris ad nuptias, recumbe in nouiſsimo loco, vt dicat tibi qui te inuitauit: Amice aſcende ſuperius, & tunc erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus. Cōcluſit autem ſic: Quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat, exaltabitur. Quamobrem his eruditionibus informati pugnam debemus viriliter aſſumere contra nos, maximamque cogitationibus noſtris adhibere cuſtodiam, ne nos inaniter trahant ſupra nos. Quoties enim immiſsiones præſidendi nobis fiunt per angelos malos, vel ſuaſiones fiūt per homines bonos, aut ex concupiſcentia carnis, & vitæ huius immoderata affectione, cogitationes in nobis formantur ad propriæ recurramus infirmitatis examen, ad pauendūque extremæ animaduerſionis iudiciū, & omnino deſiderium fugabitur dominandi. In illo

Gen. 3 — Cor. 5 — Sap. 6 — Luc. 4. — Matt. 11. — Heb. 1 — Philip. 2 — Luc. 2. — Luc. 14.

illo quippe die nequaquam erit ſecurior, qui fuerit potentior, ſiue maior erit, qui fuerit honoratior quin potius qui extiterit corde humilior, rebus ſponte pauperior, conuerſatione ſanctior, & hominibus contemptibilior ille prorſus erit in conuentu iuſtorum ſublimior, iudicanti domino propinquior, gloriæ cęleſtis candore ſplendidior, atque diuinæ fruitionis contemplatione beatior. In hac quippe peregrinatione via tutiſsima, per quam ad patriam ſupernam pergitur, eſt humilitas, cognitio ſui, atque contemptus. Per hanc quicunque incedit, occaſiones peccandi, atque diaboli effugit laqueos, qui ab aduerſario ex imperandi ambitione parantur. Nempe qui in imo eſt poſitus loco, quãuis impellatur tametſi in lubrico pedem ponens labatur, funditus perire non Eccl. 13. valet, dicente Propheta: Humilis cum ceciderit, non colliditur, quia dominus ſupponit manum ſuam: at verò qui in altũ conſcendit, etiam nullo impingente, ſi lapſus fuerit, conteretur. Pacatiſsimus ergo, atq; ſecurus eſt humilitatis locus, quo man habitatorem ſuum à caſu protegit, diſponit ad gratiam, & quanquam in præſidentiæ ſublimitate conſtitutum prorſus periclitari non ſinit. Quamobrem quicunque humilitatis celſitudinẽ aſpici deſiderat, prælationis fugiat cathedram, & ambitionem imperandi corde perhorreſcat, prælatorumque conuerſationem pro poſſe, non condemnando declinet quatenus in iudicio humilis domini ſecurus appareat. Latiſsimo quippe ſinu charitatis imitator eum ſuſcipit ſuum, honoris infulas aſpernantem. Porrò humilitatis magiſter & forma, dominus videlicet Ieſus ſciens humanam infirmitatem ignorantiæ caligine obuolutam, ſemper alta cupere, & potius præeſſe, quã ſubeſſe ambire, ſeruis ſuis ac fidelibus vniuerſis indicauit, quàm periculoſum ſit, principum regimen, quamque prælatorum onus graue. Nam irruentibus turbis, & vt ipſum ſibi in regem præficerent, ad ſe venientibus deliteſcendo fugit, ſeque ab eorum aſpectibus occultauit, nõ quidem vt honoris propter ſe magiſtratum formidaret, ſed vt in illo diſcerent, cæteri, quanta ſit in prælatione anxietas, quàm laborioſum pondus, quantumve periculum manifeſtum. Quanta quidem ſit in regimine animarũ anxietas, quis, oro, enarrare ſufficiat, cum ad bene regendum oporteat illum qui præſidet, vniuſcuiuſque ſcire mores, affectiones & vitam, quibus tentationibus exagitetur, quibuſque paſsionibus ſuperetur, quatenus valeat nedum congruentem languentibus ſpiritualem præbere medicinam, verumetiam infirmãtium afflictionibus compati? Debet quidem prælatus gaudere cum gaudentibus, & idipſum ſentiendo flere cum flentibus, atque peruigilem de ſibi commiſsis adhibere cuſtodiam. Sanè ſupra modum laborioſum eſt prælationis pondus, atq; intolerabile, niſi deſuper conſtantiæ & compaſſionis proximorum infundatur gratia, atque zelo ſalutis animarum præſidentis accẽdatur affectu. Equidem hoc poſſe perficere non eſt volentis, neque currentis, ſed tantum miſerẽtis Dei. Ipſe quippe eſt, qui animas fidelium replet compaſſione, fortitudine, compunctione, cognitione, dilectione, & pace. Nam abſque his donis nequaquam (vt decet) peragi valet miniſterium paſtorale. Quiſquis itaque curam proximorum gerẽs his caret, intelligat, quæſo, in quàm magno verſetur periculo. Nempe ſi errantem perſpexerit ouem, nec illi cõpaſſus fuerit, ſi de damno ipſius compunctus non orauerit pro ea, ſi dilectionem erga illam exhortando, admonendo, ſuadendo, increpando, obſecrando, nequaquam oſtenderit, rationem proculdubio de ipſa redditurus eſt domino. Tales vtique paſtores ipſe dominus per Prophetam arguens, inquit. Paſtores audite verbum domini: Viuo ego, dicit dominus Deus, Quia pro eo quod facti ſunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium beſtiarum agri, eo quod non eſſet paſtor. Ezec 43. Neque enim requiſierunt paſtores gregem meum, ſed paſcebant paſtores ſemetipſos, & gregẽs meos non paſcebant, ecce ego ipſe ſuper paſtores requiram gregem meum de manu eorum, & ceſſare eos faciam, vt vltra non paſcant gregem meũ, & liberabo gregem meum de manu eorum. Ex huiuſmodi increpationibus colligitur, quanti periculi ſit regimen animarum, pro quo paſtor ſubiectorum ſalutem negligens, tanta inuectione corripitur, tantaque cum redargutione damnatur. Nec ab re: Nam quicunque ſibimet ſuadens inſufficientiam propriam de ſe præſumendo metiri negligit, & alieni profectus mercede priuatur, & proprio mucrone ipſe ſe perimit. Nam vnde ex omnium ſibi commiſſarum debuit exercitatione ditari, inde ex torporis, atque præſumptionis culpa ad magnam ſpiritus tranſit inopiam. Rem quippe bonam huiuſmodi miniſtrando nõ bene, omni ſe facit confuſione digniſsimum.

Quòd quicunque ad regimen vocatur animarum, prius rectæ intentionis in ſe fundamentum inſtituat, quo mediante ſpiritualis ædificij in Deum ſtructura proficiat. Cap. II.

QVemadmodum peregrinantibus, ſi contingat per ſylueſtria incedere loca, in quibus vel indomitæ latitent feræ, ſeu latrunculi viatores deprædari cupientes obſideant, maxima, vt ſecuri cœptum iter peragere poſsint, adhibenda eſt prudentia: ita & qui ad regimen vocantur animarum, ſumma cum diligentia obſeruare debent, à quo vocentur, quove ad illuc moueantur affectu, quoniam miniſterium difficillimum accepturi ſunt, ad quod vtique nõ elate pro adipiſcenda gloria non lætanter pro adimplendis voluptatibus, nõ cupidè pro aggre-

gatione

gatione diuitiarū accedēdum eſt, ſed humiliter, ſed pauidè, ſed deuotè. Prius quippe humilis conſiderationis, atq; intentionis rectę ſunt iacienda fundamēta, quatenus pręſidentis animus in exequendo ac perficiēdo miniſterio ſibi credito, ſit liber ſitq; ſolicitus. Fundamentū nanq; huius ſpiritualis operis, cōſiderationē humilē, atq; intentionem non obliquā eſſe dixerim, quæ profectò nedum in hoc præclaro negotio, verumetiam in cęteris actionibus noſtris, in quibus ſiue priuatū, ſeu cōmune ſubſiſtit bonū debent formā adhibere virtutis. Nemini quippe illorū, qui Deo in ſpiritu placere peroptant, hanc licet ignorare regulam, vt non ſuperuacue laboraſſe deprehendantur, cum coram tribunali æquiſſimi iudicis domini Ieſu aſtare contigerit, more vtiq; illarum fatuarum virginum, quæ ornatis, accenſiſque lampadibus, obuiam venienti ſponſo abſq; oleo ire præſumpſerunt. Porrò ſi teſtante ipſo cęleſti ſponſo oculus noſter ſimplex fuerit, totū corpus noſtrū lucidum erit; ſi verò nequam, totum corpus neceſſe eſt vt tenebroſum fiat, cōſideret quiſquis ad officium curę paſtoralis vocatur, quàm vigilāter quamq; prudenter oculos intellectuales apertos tenere debeat, vt videlicet ad tam periculoſum negocium in ipſius exordio non ſeducatur affectione blanda, vel pręſidendi obliqua intentione fallatur, torumq; corpus miniſterii huius efficiatur opacum, odibile, & reprobandum. Saluberrimum itaq; conſilium hoc eſt, vt ſummo cum ſtudio omne prælationis deſideriū reſecetur a quocunq; Deo placere cupienti, ſiue doctus, ſiue bonus, ſiue ſit prudens, cum non liceat alicui hominibus imperare. Non .n. natura, ſed infirmitas & ſuperbia fecit hominē hominibus dominari. Nā quale imperium, qualeve dominium Deus dederit homini, diuinum ſuper hoc oraculum audi: (Gen. 1.) Dominamini (inquit Deus primis parentibus noſtris) piſcibus maris, volatilibus cœli, & beſtiis terræ. Nuſquam quippe reperies, quod Deus mandauerit, vt hominibus dominarentur homines. Verum vt homo homines regeret, hoc in diuinis frequentiſsime claret eloquiis. Aduerte (quæſo) quid ſacra veteris teſtamēti narret hiſtoria: (Exod. 3) Erat Moyſes in deſerto paſcēs oues Ietro cognati ſui ſacerdotis Madiā. Vidit aūt quòd arderet rubus, nec cōbureretur, & ait: Vadam & videbo viſionē hanc magnam, quomodo ardeat rubus, & non comburatur. Cumq; appropinquaſſet rubo, ſe vocantem de rubo audiuit dominum, atq; dicentē: Vidi afflictionem populi mei in Aegypto, & clamorē eorū audiui, propter duritiam eorū, qui præſunt operibus: & ſciens dolorem eius deſcendi, vt liberarem eum de manibus Aegyptiorū. Sed veni, mittā te ad Pharaonem, vt educas populum meum filios Iſrael de Aegypto. Cernis ne, quòd non ad dominandum populo, ſed ad ducatum regiminis miſſus eſt Moyſes? Nec mirum: regere quippe charitatis eſt opus, dominari verò ſuperbiæ. De ipſo quoq; domino noſtro Ieſu Chriſto, qui princeps verus erat & rex per Prophetam inquit Deus: (Matt. 2.) Et tu Bethlehem terra Iuda nequaquā eris minima in principibus Iuda: ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Iſrael. Porro, vnus ſolus eſt dominus, qui per Prophetam clamat dicens: (Eſa. 45.) Ego dominus, & non eſt alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem, & creans malum. Ego dominus faciens hæc omnia. De ipſo etiam per quendam ſapientem dicitur: (Sap. 12.) Tu autem dominator domine, cum tranquillitate diſponis nos. Tibi nanq; ſubeſt omnia poſſe cum vis, cæteri autem qui præſunt, eius miniſtri ſunt. Quamobrem qui non miniſtrare, ſed dominari volunt in clero, non proprie domini, ſed raptores & tyranni ſunt, dum non ſubditorum, ſed propria quęrunt cōmoda, diuitiarū videlicet, voluptatis, honoris & famæ. Sanè tales abominatur dominus tanquā raptores honoris ſui, a proximi dilectione alienus, imitatores diaboli & gratiæ contemptores. Vnde nec ipſos ſibi aſtare permittit elatione inflatos, quemadmodum per beatam virginem dicitur: (Luc. 1.) Fecit (inquit) potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. Ab hac ſiquidem ambitione dominandi, quum inter Apoſtolos contentio facta eſſet, quis eorum videretur maior, conſpecuit eos dominus dicēs: (Matt. 20.) Reges gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent inter eos, benefici vocantur. Vos autem non ſic, ſed qui maior eſt in vobis, fiat ſicut iunior; & qui præceſſor eſt, ſit ſicut miniſter. Humilis quippe dominus humilitatem ſubiectionis docuit, atque imperandi affectum prorſus deteſtatus eſt. Erudiuit vtiq; Apoſtolos, & in ipſis vniuerſam eccleſiā ſuam, fideles ſcilicet omnes, vt non deſiderent honoris primatum, neque regiminis cathedram quærant, ſed potius ſubeſſe cupiant, & propriæ vacare ſaluti. Cæterum ſi ad aliquod regiminis miniſterium illos promoueri contingat, hoc nullatenus ex eorum voluntate, ſeu induſtria fiat, ſed tantum diſponente Deo, & præſidentis authoritate ad hoc ſe ſponte inclinante, quemadmodum in Actibus patet Apoſtolorū (Act. 6.) de ſeptem diaconibus, quos elegerūt credentes, confirmauerunt que Apoſtoli, vt miniſtrarent menſis, ſic nihilominus ſpiritu ſancto ordinante, atque volente. Siquidem in veteri teſtamento, quum pontificalem vellet Deus inſtituere dignitatem, cæterorumque miniſtrorum ſuorum diſtinguere gradus, ait ad Moſem: (Exod. 28.) Applica Aaron quoque fratrem tuum ad te cum filiis ſuis de medio filiorum Iſrael, vt ſacerdotio fungantur mihi, faciesque veſtem ſanctam fratri tuo in gloriam & decorem. Verum quum idem Aaron completo miniſterio ſui ſacerdotii iubēte Deo pergeret ad patres ſuos, dominum ſibi loquentem audiuit Moſes, atque dicentem: (Leuit. 8) Tolle Aaron & filiū eius

& duces eos in montem Hor, quumq; nudaueris
patrem veſte ſua, indues ea Heleazarum filium
eius, & Aaron colligetur & morietur ibi. Sic Fine
es, ſic Samuel, ſic patres cæteri, qui Deo placuerũt
non ex ambitione, ſed ex vocatione diuina, ad
eccleſiaſticas dignitates, & ad animarum aſſum-
Ioan. 15 pti ſunt regimen, prout Apoſtolis dominus dicit:
Ego elegi vos de mundo, & poſui vos, vt eatis &
fructum afferatis, & fructus veſter maneat. Hinc
eſt quod tantam animarum meſſem ad aream cõ
gregauerunt eccleſiæ, tantumque populum addu
xerunt ad fidem. Non autem ipſi per ſeipſos talia
agere valuerunt, ſed ille operabatur in illis, & lo
Ioan. 15 quebatur per ipſos, qui ait: Sine me nihil poteſtis
facere. Erant prorſus ipſi inſtrumentũ, per quod
perficiebat opus ſuum Dei ſapientia, ad gloriam
quippe ſuam & profectum illorum, per quos qui
credebant erudiebantur, exhortabantur, dirige-
bantur. Nouit planè dominus quos prædeſtina-
uerit ad opus præcipuum, & laborioſum præla-
tionis miniſterium aſſumendum. Quamobrem
nullus percipere ſibi præſumat honorem hunc,
neque precibus, adulatione, vel precio guberna
dæ plebis onus quærat aſſumere. Solicite cuſto-
diat, quiſq; cor ſuum ab omni tumore ſuperbiæ
atq; præſidendi amore, ſibimet ipſiq; cũ ſilentio
vacet. Taliter verò vitam, moreſque componat
ſuos vt in ipſo habitare dignetur Deus, atq; per
illum tanquam per inſtrumentum idoneum, ſuã
perficere gloriam, quoties, qualiter, & quando il
li libuerit. Infructuoſe quippe miniſterium hoc,
non vocante Deo exercere conatur quiſquis in
eccleſia præſidere videtur, atque honorem Dei
arbitrio ſuo celare ſe putat. Quoniam, quæſo mo
do Deum honorare valet, qui ex obliquo, & ne-
quaquam ſe Deo vocante, rationabilibus ouibus
Ioan. 10 præeſſe deſiderat? Ipſum dominum audi dicentẽ:
Qui non intrat per oſtium in ouile ouiũ, ſed aſcẽ
dit aliunde, hic fur eſt & latro. Quare fur & latro
dicitur? Profectò, quia non per ianuam, ſed per
maceriam ad oues feſtinat accedere. Quis vero
intrat per ianuam? Vtiq; qui intrat per Chriſtũ,
vocatus à Chriſto. Quamobrem quicunq; voca-
tur à Chriſto, & per Chriſtum ad oues ingredi-
tur, ipſum oues audiunt, ipſiq; bene viuendo ob-
temperant. Nec immeritò. Nam in illo paſtorem
verum inhabitantem ſentiunt, atque eundem in
miniſterio prædeſtinato & vocato audiunt loquẽ
tem, docentem, hortantem, allicientem, comple-
ctentem. Nemo igitur aliũde præſumat fructifica
re in eccleſia immarceſsibilem iuſtitiæ fructum,
animarumque profectum, quàm ingrediendo in
ouile per ianuam quemadmodum ipſe dominus,
Ioan. 10 qui ianua eſt, teſtatur dicens: Ego ſum oſtium,
per me ſi quis introierit, ſaluabitur, ingredietur,
& egredietur, & paſcua inueniet. Ingredietur vti
que, vt accipiat internorum ſcientiam, ſpiritua-
lium ſacramentorum guſtum, ſui cognitionem,
charitatis donum, proximorum compaſsionem,
& ad tollerantiam aduerſorum, conſtantiam. To
tus verò chariſmatibus munitus, & confortatus
in domino, egredietur foras, miſſus à Deo ad cu-
ram & regimẽ animarum. Cernis ne quod nullus
arbitrio ſuo adminiſtrationi tãti regiminis ſe de-
bet exponere, niſi prius ſit ipſe vocatus à domi-
no dicente Apoſtolo: Nec quiſquam ſumat ſibi Hebr. 5
honorem, vtique pontificalem, ſed qui vocatur
à Deo tanquam Aaron. Non autem mirum eſt, ſi
Aaron, quamuis iuſtus & ſanctus, non præſumpſit
ſibi vendicare ſummi gradum ſacerdotii, quum
de ipſo vnigenito Dei filio ſic legitur: Sic nec Heb. 5
Chriſtus ſemetipſum clarificauit, vt pontifex fie-
ret, ſed qui locutus eſt ad eum, filius meus es tu,
ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio
loco dicit: Tu es ſacerdos in æternum ſecundum Pſal. 109.
ordinem Melchiſedech. O quantæ redargutio-
nis, quantorumve ſuppliciorũ eſſe cenſendi ſunt
rei, qui nullo eos quærente, nemineque vocante,
primatum pontificalis officii ambiunt, & præſu-
latus honores adipiſci peroptant, nequaquam at
tendentes, quod ſupra modum ab itineribus ve-
ræ humilitatis deuiant, & ab exemplo per ſum-
mum pontificem dominum Ieſum exhibito vni-
uerſis exorbitant. Qui quum verus ſacerdos & cõ
ſtitutus à Deo honorabilis eſſet pontifex, tran-
ſeuntis dignitatis præeminentiam, atque tem-
poralis cathedræ honorem reſpuens, tanquam
ſingularis reuerendiſsimus præſul, crucis tribu-
nal ſemetipſum immolaturus aſcendit. Indicauit
profectò ipſe dominus, quale ſit pontificis mini-
ſterium, qua intentione, quove affectu illud ſu-
ſcipere debeant qui vocantur. Oportet ſiquidẽ
illum, qui animarum præſidendo vult curam ge-
rere, vtique intrare per ianuam miniſtrando, la-
borando, orando, & ſi neceſsitas coegerit, etiam
moriendo animam ſuam dare pro ouibus, quem-
admodum bonus Ieſus dominus & magiſter do-
cuit & perfecit. Docuit, inquam, dicens: Bonus
paſtor animam ſuam dat pro ouibus ſuis. Perfecit Ioan. 10
vero, ſicut ipſe ait: Filius hominis non venit mini Matt. 20
ſtrari, ſed miniſtrare, & animam ſuam dare re-
demptionem pro multis. Et Petrus inquit Chri- 1. Petr. 2.
ſtus paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exem
plum, vt ſequamini veſtigia eius, qui peccatum
nõ fecit, nec inuentus eſt dolus in ore eius. Pau- Eph. 5.
lus quoq; dicit. Viri diligite vxores veſtras, ſicut
& Chriſtus dilexit eccleſiam, qui tradidit ſemet-
ipſum pro ea, mundans lauacro aquæ in verbo.
Tale itaq; debet eſſe paſtoris animarum miniſte-
rium, talis intentio, taliſq; affectus, vt ſine inter-
miſsione, abſque faſtidio, imo alacri animo, & ſi
non actualiter ſemper habitualiter tamen ſe pro
ſalute ſubditorum exponat, & tanquam Deo red
diturus rationem, peruigilem ſupra dominicum
gregem adhibeat cuſtodiam, ipſiuſque procu-
ret profectum iugiter verſando in corde, quem
fru-

fructum valeat de ſuo coram Deo miniſterio reportare. Quamobrem pro ſuæ conuerſationis forma teneat Sanctorum laudabilem vitam, eorum potiſsime qui regendarum animarum ſortiti ſunt curam. Porrò in ipſis conſideret zeli rectitudinẽ in miniſtrando vnicuique iuſtitiam, magnanimitatis conſtantiam in perferendo labores paſtoralis officii, exhortationis aſsiduitatem in releuando puſillanimes, autoritatis fiduciam in corripiendo delinquentes, liberalitatem temporalium in tribuendo egentibus, & ardorem charitatis in animarum ſalutem concupiſcendo. Vnum ex ipſis audi dicentem: Iſtantia mea quotidiana ſolicitudo omnium eccleſiarum. Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis ſcãdalizatur, & ego nõ vror? Idemque: Quotidie (inquit) morior propter gloriam veſtrã, fratres, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Tantã ſiquidẽ huiuſmodi ſancti viri ſitim ſalutis pertulerunt animarum, vt proprii corporis contemptis commodis, vſque ad exaltationem ſpiritus in miniſterio ſibi credito deſeruirent. Hinc quippe factum eſt, vt Dei & proximi dilectione ſucceſi, Deum in ſuo glorificarent corpore, ſuarum mundum replerent odore virtutum, innumerabilium credentium populorum ſanctam fœcundarent eccleſiam, atque ſibiipſis indicibilem in cęlis acquirerent gloriam. Non enim ſempiterna valet carere mercede, quod pro amore Chriſti vtilitati impenditur proximorum.

1.Cor.11

Quòd ſicut ex miniſterio humani corporis rationalis ſpiritus agnoſcitur virtus: ita in eccleſiæ corpore ſancti ſpiritus claret præſentia. Cap. III.

HVmani corporis quicunque prudenter voluerit conſiderare miniſterium, maximum ſpiritualis eruditionis poterit reperire arcanũ, quo mediante fraternę charitatis diſcet ſeruare vnitatem. Nam & ſi in creaturis viſibilibus, quamuis in voluminibus ſacris plurima de proximi dilectione ſint documenta ſublimia, peramplius tamẽ hoc in humano claret corpuſculo. Membra ſiquidem quum in eo ſint multa, variumque inter ſe ſortiantur effectum, atque formę inæqualitas in ipſo agnoſcatur eſſe maxima, quadam tamen diſpoſitione mirabili, omnia vnum vnitatis & pacis deducuntur ad finẽ. Sunt planè in ipſis humani corporis membris quędã, quę ignobilia & contemptibilia eſſe videntur, quędam autem mediocris ęſtimationis, nonnulla vero nobiliora præ cæteris. Nunquid pes, qui deſpicabilior reliquis eſſe apparet, quia adhęret terræ, & ſine reluctatione aliqua verſatur in luto, totiuſque corporis pondus ſuſtinet, ab aliis deſpicitur ſeu contemptu habetur? Similiter & manus quamuis non præemineat in corpore, tametſi in cunctis pene miniſteriis corpori neceſſariis occupetur, num à cæteris minus diligitur membris? Prorſus minime. Quin potius teſte apoſtolo, quę videntur eſſe corporis membra ignobiliora & contemptibiliora, his abundatiorem honorem circundamus. Nam quę honeſta ſunt, nullius egẽt. Quamobrem oculus, qui aliis membris videtur præclarior eſſe & ſuperior, vigilat & pericula præuidet, vt in offendiculũ ailquod nõ impingat pes, vt non ſe ſauciet, totumque pauimento proſternatur corpus. Stat quoque auris in ſublimi, & diligentiſsime obſeruat, ſi forte quid audiat, quod cæteris membris poſsit eſſe obnoxiũ. Nullum profectò membrum ab hac intẽtione reperitur alienum. Pes quippe cæterorum membrorum abſque reclamatione vlla incommoda ferens, ambulandi peragit miniſterium. Manus autem pro reliquorum bono intendit operi. Oculus viſui, & auris auditui. Omnia ſiquidem vnanimiter, mutuoque conſenſu, naturali confœderata ſunt vinculo charitatis. Se quidem in iis, qui aduerſari videntur illis pariter tuentur, ſe diligunt, vbi viciſſim deſeruiunt. Singula quoque vniuerſorũ bonum cupiunt, malum vero declinant, necnon de communi commodo tanquam de proprio collætantur. Non enim labore attrita, non infirmitate laſsata, neque confecta ſenio, mutuæ affectionis intermittunt opus. Siue igitur vnum gaudeat mẽbrum, congaudere noſcuntur & cætera, ſiue aliquod horum patiatur, compatiuntur & ſingula. Cõnectunt vtique ſe, fouent ſe inuicem, & ſuper omnia vnitatis ſeparationem nimium perhorreſcunt. Quamobrem ſi accidat, vt naturaliter, vel ex caſu fortuito ipſorum vnum infirmetur, repente videas adeſſe & reliqua, & vt ſic dicam, illud inter ea cenſetur fore beatius, quo mediante remedium adhibeatur ægroto. In illis nullum inuenitur, quod recuſet laborẽ, quod renuat ſe exponere, quod patienti membro negligat famulari. Cuique etſi deſit poſsibilitas, ineſt nihilominus volũtas promptiſsima miniſtrandi. Magnum profectò eſt myſterium, & digniſsimum veneratione ſpectaculum, intueri videlicet in hoc terreno figmẽto tot membra in officiis diuerſa, diſsimillima in forma, atque omnino à ratione aliena, tã ſedulo, tamque ſibi inuicem miniſtrare, tantaque ſe diligere charitate. Verum hoc quare? Vel hoc vnde? Nunquid propter ſeipſa, aut à ſeipſis perficiunt iſtud? Prorſus minime. Eſt plane ſpiritus inuiſibilis & rationalis, qui humanũ viuificat corpus, & illi tanquã dominus pręſidet, cuius vtiq; imperio vniuerſa corporis mẽbra famulantur, ac cunctũ miniſterii ſui peragũt curſũ, quo proculdubio abſcẽte omnia iacent, atque ad opus aliquod inſenſibilia inualidaque redduntur, vtpote directore ac ductore carentia. Experire, quæſo, quum corpus iacet exanime, quamuis oculi, manus, cęteraque corporis membra ſint integra, & abſque vlla læſione, vtrum valeant audire, videre, guſtare, ambulare, atque palpare. Nam etſi vociſereris tota die, ſi vellices, totumque dilanies corpus, non erit

1.Cor.11

Ibid. ait: Vos autē eſtis corpus Chriſti & membra de membro, in quo fulget gloria Dei, viget fraterna charitas, ſingulorū membrorū clarent dona, virtutum perficiuntur merita, atque cœleſtis patriæ elucet imago. Viciſsim itaque qui præſunt, & qui obſequendo miniſtrant, in vno dilectionis vinculo, & vnitate ſpiritus ſibi cohærent, & inuicē coadiutores ſunt a Deo, vt nequeant ab alterutris ſeparari, nec valeant qui præſunt ſine inferiorib. nec inferiores abſque rectoribus iniunctū laudabiliter complere officium, quippe quū ſint membra in corpore, ſint & caput & corpus. Membra quidem ſunt fideles omnes, tam qui regūt, quàm qui reguntur, corporis Chriſti, quod eſt eccleſia cui ipſe Dominus Ieſus Chriſtus præeſt, tāquam verum, & ſummum caput. Ratione verò miniſterii, qui regiminis ſortiti ſunt curam, caput, & qui ſubiectionis adepti ſunt meritum, congrue myſticum vocandi ſunt corpus, cui videlicet præſidet in ſpiritu dominus, quamuis exterius præſideat homo. Cæterum quemadmodum in humano corpore cęteris caput ſupereminet mēbris, & ſenſum fulget dignitate, eorū videlicet, quorum miniſterio totum corpus ornatur, cuſtoditur, & regitur: ita in corpore Chriſti myſtico, & in qualibet congregatione fidelium qui præſidet, præ cunctis ornatior eſſe debet moribus, virtutibuſque locupletior, ideo vt quantum caput differt a membris, tantum prçlatus debet ſubditos in perfectione præcellere. Vnde oportet, vt non inſoleſcat de collatis ſibi gratiis, non extollatur aduerſus inferiores, non dirimat vnitatem dominici gregis, ſed potius illam exortationibus nutriat, prudentiaque conſeruet. Equidem propter ſeruandam vnitatem præſidentium miniſterium in eccleſia neceſſarium eſſe cognoſcitur, tanquā caput in corpore, ſine quo prorſus cōgregatio quęque cōfunditur, diuiditur & deperit. Nempe vbi deeſt qui regat, vniuerſa confuſa ſunt, deeſt reuerētia mutua, procul eſt pax, legis negligitur cuſtodia, poſtponitur ordo viuendi, morum diſciplina deſeritur, abiicitur norma virtutū, propria dominatur voluntas, atque proprio vnuſquiſque ducitur ſenſu, quo nihil eſt deteſtabilius in conuerſatione religioſa, nihil ad compaginem charitatis cuſtodiendam damnoſius, dirimendamque reperitur habilius. Et hoc quare? Profecto quia tota natura languet humana, nulla in illa eſt ſanitas, nullumque in homine bonum, & nullus

Pſal. 13. bonus. Dominus (inquit Propheta) de cœlo proſpexit ſuper filios hominum, vt videat ſi eſt intelligens aut requirens Deum. Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. Verum quoniam omnes infirmi ſunt, & paſsionibus pleni, quod per ſe nequeunt, expedit vt ſub alieno dirigātur ducatu. Nā ſicut ægrotus corpore, ſi proprio relinquatur arbitrio ſemper ſaluti cōtraria appetit, & ipſe ſuæ mortis eſt cauſa, æquè de ſpirituali cenſendū eſt languido. Cæterū vt hoc clarius eluceſcat paulùper, quæſo, conſidera, quātis ipſa natura humana, atq; eius interior hō ſit attritus infirmitatibus, ſpiritualibuſque paſsionibus inuolutus. Nunc quidem inaniter gaudet, nunc doloribus fatigatur, interdū caſibus triſtatur aduerſis, futurorumque periculorum timore cōcutitur, quandoque tabeſcit ignauia, ac graui liuore deprimitur, nonnunquā vana hilareſcit ſpe, atque his, dę quibus ex corde flere debuerat, omni poſtpoſita grauitate lætatur. Hunc (proh dolor) quā frequenter accendit ira, ſuperbia inflat, detorquet ambitio, ignorantia præcipitat, tenet confuſio, cupiditas trahit, necat voluptas, æmulatio dehoneſtat, deſperatio deprimit, frangit metus, ſupplantat tētatio, & decipit inimicus. Totus quippe lāguet, inceſſanter delinquēdo cadit, iugiter ſibi lethalia concupiſcit, ſæpiſsime ſub omni ſpe fallitur, frequentiſsimæ per inconſtantiā a bono opere iam inchoato reflectitur. Sanè tanquā nauis in pelagi medio conſtituta, vanis, pernicioſiſq; cogitationibus huc illucq; impellitur, nunc attollitur proſperis, nunc verò aduerſis deiicitur, nonnunquā ēt carens omni gubernaculo rationis, per delectationem atque peccati conſenſum lugendæ mortis naufragium patitur. Huiuſmodi & nullę variis infirmitatibus laborantē peritiſsimo medico, atque experto quis dubitet ſpirituali indigere ductore, quatenus ad pacem portumq; ſupernę ciuitatis Hieruſalem queat peruenire incolumis? Hac prorſus de cauſa quādiu mortali hoc peregrinamur in corpore, habemus opus ductore peruigili, cuius ſano conſilio, cuiuſve circunſpecta prudentia, aduerſariorū ſpiritualiū agnoſcamus inſidias, emergentia euadamus pericula, caſus vitemus noxios, carnis fugiamus vitia, adhortemurq; quotidie ad ſtudia, actuſque virtutū. Quis, oro, abſque directore vitiū diſcrimina inexpertus valet peragrare ſecurus? Quis, inquā, ſine præceptore diſciplinam ſpiritualis militiæ addiſcere poteſt? Errat proculdubio, atque de ſe præſumit inaniter quicūque proprio neglecto prçlato, arbitrio, iudicioque ſuo vult cuncta peragere. Quamobrē nullum regnū, nulla ciuitas, nullus exercitus, nulla congregatio, nullaq; familia, ſine rectore eſſe debet, quo videlicet mediāte corrigantur delinquētes, inſtruantur indocti, euigilent deſides, puſillanimes foueantur, dirigātur ſimplices, humiles complectantur, reprimantur ſuperbientes, atque de virtute in virtutem proficientes exerceātur. Hoc quidem experiētia docet, hoc ſanctarū eruditio inſinuat ſcripturarū. Certe quū dominus de Aegyptiaca ſeruitute Iſraeliticū populū liberare decreuiſſet, Moyſem illi præfecit inducē, vt ipſius prouida gubernatione vſq; ad terram cum repromiſsionis adduceret. Poterat planè abſque angelico miniſterio vel humano, pollicitationē patri-

vociferari non ceſſant. Quis, oro, impune tam maximi necnon ineffabilia ſui conditoris valet gratis præſtita contemnere dona? Veniet proculdubio, veniet tempus, quando ipſa Dei ſapientia iudicii ſolium eriget, & ſceleratis, atque ingratis Prou. 1. hominibus prærogata beneficia, & ſui contemptum itidendo obiiciet dicens hoc, quod in illius perſona ſcriptum eſt: Vocaui & renuiſtis, extendi manũ meam, & non fuit qui aſpiceret. Deſpexiſtis omne cõſilium meum & increpationes meas neglexiſtis. Ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, quum vobis quod timebatis aduenerit, quum irruerit ſuper vos repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit, quando venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam, mane conſurgent, & non inuenient me, eo quod exoſam habuerint diſciplinam, & timorem domini non ſuſceperint, nec acquieuerint conſilio meo, & detraxerint vniuerſę correctioni meæ. Quamobrem redeat vnuſquiſque præuaricator ad cor, recogitet annos ſuos in amaritudine animæ ſuæ, corrigat vias ſuas prauas, emendet iuxta prophetæ conſilium in melius, quæ voluntarie ſeu ignorãter deliquit, lachrymis tergat, gemitibus diluat atq; humili confeſsione quotidiana conetur abolere facinora. Diſcat, inquam, die ac nocte lege Domini meditari, reuoluat frequenter animo ſui opera redemptoris, illique ſedulum deuotæ ſeruitutis impendat famulatum, & ſpiritualis laudis atque gratiarum actionis perſoluat debitum, exibeat ſacrificium, offerat holocauſtum. Studeat demum omni ſua induſtria mentem purgare, & habitare ſecum, quatenus ipſi diuina cooperante clementia nedum generalia beneficia, & quę cunctis fidelibus notiſsima propalata ſunt munera, agnoſcere valeat, verumetiam ſpecialia & occulta, quæ ipſe dominus Ieſus pater familias operatur in corde, mereatur experiri myſteria, necnon amoris guſtare præludia. In his proculdubio eruditur anima, quæ hucuſq; vehitur ab eodem Dei filio, intelligere, quã magnus ſit Dominus, qualiter colendus ſit Deus, quàm fortiter omnipotẽs diligendus ſit pater, quàm dulciter cœleſtis amplectendus ſit ſponſus, quàm ſuauiter in cordibus humilium ſanctus requieſcat ſpiritus, quam ineffabile ſit in patre verbum, quàm arcana ſit in iudiciis ſapientia, quamve ſit beata in ſemetipſa, laudanda, atque glorificanda trinitas. Nempe 1.Co.3 iſta docere, interius hominis affectum accendere, diuinæ bonitatis officium eſt, non operis humani. Nam, teſte Apoſtolo, neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incremẽtum dat Psal. 72. Deus. Ipſe ſolus eſt, qui poſsidet corda, mutat, replet, & ſatiat. Poſsidet, inquam, vt Deus, ſicut Propheta clamat dicens: Defecit carò mea & cor meum, Deus cordis mei & pars mea Deus in æternum. Mutat autem de peccatoribus iuſtos, & de inimicis amicos faciens. Replet luce, charitate, exultatione & iubilo. Satiat verò ſeipſum manifeſtans per fidem, & promittẽs ſpeciem, in qua videlicet ſpecie erit homini plena atque perfecta ſatietas, ſicut Propheta ait: Psal. 35. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuę potabis eos. Cæterum ad regendum eccleſiam ſuã, & ad decorem ſapientiæ ſuæ, necnon ad ſuorũ profectum fidelium, ſingulis corporis ſui membris diuerſa impertitur miniſteria, ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ Eph. 4. in laudem & gloriam gratiæ ſuæ, quemadmodum Paulus inquit: Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti: propter quod dicit: Aſcẽdens in altũ captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Dedit quidem quoſdam Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas alios verò euãgeliſtas, alios autem paſtores & doctores in conſummationem ſanctorum, in opus miniſterij & in ædificationem corporis Chriſti. Et hoc quamdiu? Vtique donec occurramus omnes in vnitatẽ fidei & agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Domini itaque Ieſu opus eſt proprium introrſus regere gradus, atque officia diuidere, hominum verò impenſum miniſterium fideliter exercere, potiſſime, quibus datum eſt præeſſe ouibus eius. Maximum quippe diuinæ dignationis eſt munus paſtorali officio, ac dominici gregis regimini deputari. Porrò dominari in populis, ciuitates poſsidere & caſtra, aurum, argentum & gemmas acquirere, domos, prædia habere & nemora, filios procreare & filias, ancillas gubernare & ſeruos, dona ſunt Dei, quæ proculdubio vniuerſa præcellit cura ac regimen animarum. Temporalia quidem bona ſunt illa, defluentis aquæ more labentia, bonis maliſq; communia, iſtud verò ſpirituale eſt donum ſupraque modum proficuum, ſi tamen, prout decet humiliter pertractetur. Quid vtique in hoc mundo charius Deus poſsidere videtur, quam hominum animas? Non enim Deus pater vnigenitum ſuum miſit in mundum, vt principatum ſecularem acciperet, non vt imperii monarchiam teneret, non vt nomen ſuum celebrare faceret, nec vt populorum haberet fauorem, neque vt quicquam terrenum ſibi vendicaret, ſed vt genus perditum recuperaret humanum, & animas hominum originalis delicti lethali colluuione fœdatas, atque diabolica fraude deceptas inſtrueret verbo, informaret exemplo, mundaret lauacro, & cruore ſaluaret. Omnem etenim ſolicitudinem ſuam, omnem laborem, cunctumque ſtudium ſuum, quãdiu ipſe Dei & hominum mediator cum hominibus conuerſatus eſt, pro ſalute, exhibuit animarum. Hoc vtiq; lucrum ſuum, hoc gaudium ſuum eſſe teſtatus eſt. Propter hoc oues nonagintanouem reliquit in deſerto, vt vnam ſolam errantem inueniret & perditam, qua

lætitiam

Digitized by Google

profecto reperta conuocatis amicis & vicinis, vniuerſis videlicet ſpiritibus angelicis, illoſq; ad lætitiam ſecum inuitans ait: Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quam perdideram. Luc. 15. Hanc quippe ouem, vniuerſam ſcilicet eccleſiã, quia ſimul quum aſcendit ad patrem ſecum ferre non valuit, eandem paſtoribus ſpiritualibus traditam recommiſit, quatenus ipſius curam haberẽt, recepturi abſque ambiguitate vlla ab ipſo domino locupletem in cœlo remunerationem, ſi diligenter erga illam ſuum perfecerint miniſterium, ſi verò pernicioſe ac ſegniter ſupplicia ſempiterna. Iuſtiſſime quidem quicumque pro proximi ſui ſalute ſedula ex charitate occupatur obſequio, mercedem in futuro percipiet copioſam, quoniam diuinæ legis præcepta ſeruauit, & Chriſto domino miniſtrare curauit. Nam quicquid proximo impenditur, hoc ipſi domino Ieſu ſine dubio præſtatur, eodem perhibẽte qui ait: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Mat. 25. Quamobrem ſi quis eſurientem pauerit, ſitienti potum dederit, veſtierit nudum, egenos & vagos humanitatis cauſa introduxerit in domum ſuam, ægrotantem viſitauerit, in carceribus conſtitutos aluerit, & defunctorum corpora tradiderit ſepulturæ, quæ omnia exhibentur corporibus morituris, ſi talis, inquam, domino famulari dicitur, & in cœleſti patria fauore perpetuæ immortalitatis ditatur, quantam qualemque felicitatis gloriam in regeneratione promiſſam adepturus ſit, qui doctrinæ pabulo & ſanctarum eruditione ſcripturarum famelicam cibauerit animam, fluctuantẽ ſano conſilio roborauit, errantem ad veritatis viam reuocauerit, conſolatus fuerit mœſtam, tentationibus ac calamitatibus oppreſſam ſubleuauerit, in deſperationis profundo iacentem erexerit, delictorum mole obrutam ac mortuam ad vitam lacrymarum, orationumque ſuffragio ſuſcitauerit cogitare quis poteſt? Tantorum ſiquidẽ meritorum huiuſmodi efficietur particeps, quantarum laudabilium actionum ipſe extiterit cauſa. Hinc animaduertendum eſt, quantæ ſublimitatis, quantuncunque ad cœleſtem promerendum beatitudinem habile ſit paſtorale officium, tametſi multi periclitentur in illo, quod vtique nõ diſpenſatori aut officio imputandum eſt, ſed illo male vtenti. Nam quemadmodum, ſi medicus ſaluberrimam ægroto conferat medicinam, & ille medici neglecto conſilio, atque nullo medicinæ ſuſceptæ congruente ordine ſeruato à vita deficiat, non medico, ſed languido obiicienda eſt culpa, ita non Deo diſponenti, ac tribuenti regimen animarum, ſed prælato abutenti omnium criminum inde ſequentium eſt inferenda calumnia. Vinum quippe bibere non eſt malum, illud verò intemperanter ſumere vſque ad ebrietatẽ hoc pernicioſiſſimum eſt. Poſsidere quoque diuitias, quæ pro poſsidentium egenorumque neceſsitatibus à Deo impertitæ ſunt, minime peccatum eſt. Verum ſi inueneris diuitem pecunias ſibi præſtitas hiſtrionibus erogantem, in ſuperfluitate veſtimentorum, in ciborum lauta epulatione, in voluptatibus carnis, in numeroſitate ſeruorum, in cantatorum, cantatricumque modulationibus illas prodige diſpergentem, audebiſne dicere Deum male egiſſe, quoniam huiuſmodi viro terrenas impertitus eſt facultates? Bonæ ſũt diuitiæ ad ſuffragium diuitum, peccatorumque redemptionem miſericorditer prærogatæ, quibus qui male vtitur, bonum non bene tractans efficitur malus, delictorumque multorum obnoxius. Sic quippe cura animarum bona eſt in ſe, ab ipſo ſummo inſtituta & præordinata bono, ad laudem, vtique ſuam, ad mutuam exercendam dilectionem, ad profectum virtutum, ad meritorũ additamentum, ad decorem fidei, ad perfectionem corporis ſui, & ad ſingulorum membrorum vnitatem ſeruandam, quam profecto curam quicunque, prout decet, adminiſtrare neglexerit, malus eſt, & pene innumerabilium criminum eſſe cenſendus eſt reus, quoniam precioſum domini theſaurum nedum multiplicare deſpexit, verumetiam illum diſperſit, atque furibus, homicidis, & ipſius domini inimicis, quantum in ipſo fuit, diripiendum expoſuit. Accepit, inquam, vineam, vt vepres ex eadem euelleret, infructuoſas arbores eradicaret, illam coleret, ſepibus propter ſpiritualium incurſus ferarum circundaret, in illa plantaret vineas, fructuoſas inſereret arbores, & ſemen verbi Dei ſpargeret, vt produceret ſpirituale germen delectabile domino, ſed (proh dolor) ex ipſius incuria delictorum ſentes profert, inculta manens, & latronibus diripientibus patet. Eſa. 5 Vnde de ipſa merito dominus per Prophetam dicit: Expectaui vt faceret vuas, fecit autem labruſcas. An non malus & nequam, qui paſtorale officium indignus præſumpſit accipere, illudque negligenter exercuit non Dei gloriam, nec animarum profectum, neque vel ſaltem propriã ſalutem quærens, ſed tantum priuata commoda, & de prælatione honorem temporalem? Debuerat profecto formidoloſam illam comminationem aduerſus paſtores animarum prolatam corde retinere, quam dicitur: Ezec. 34 Væh paſtoribus Iſrael, qui paſcunt ſemetipſos, lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod craſſum erat occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis. Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, & quod ægrotũ, non ſanaſtis, quod fractum fuit non alligaſtis, & quod perierat non quæſiſtis, ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia. Et diſperſę ſunt oues meę, eo quòd non eſſet paſtor, & factę ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri, & diſperſæ ſunt. Errauerunt greges mei in cunctis montibus, & ſuper omnem faciem terrę diſperſi ſunt, & non erat qui requireret. Ii i Iem. Propterea paſto-

res

res audire verbum Domini: Ecce ego ipſe (ait
Dominus ſuper paſtores) requiram gregē meū,
ne paſcant amplius paſtores ſemetipſos. Et libera
bo gregem meum de ore eorum, & non erit eis
vltra in eſcam. Nihil itaque pericoloſius, quàm
regiminis animarum onus ſuſcipere, & terrena
lucra ex eodem ſolummodo quæritare. Perdit
qui talis eſt animam ſuam, & ſuorum (quantum
in eo eſt) animás ſubiectorum, negligentia vtiq;
ſua, exemploque ſuo, ac abuſione temporalium.
Plane oportebit illum ſupra gregem ſibi com-
miſſum ſolicite excubare, & non minus ſalutem
eorum, quorum exercet curam, quàm propriam
anhelare. Nam nihil aliud eſt paſtorale officium,
quàm pro ouibus ſibi commiſsis animam pone-
re. Debuerat, inquam, ſanctitatis & laudabilis cō-
uerſationis exemplum oſtēdere, quatenus quod
non valebat verbo, inſtrueret facto, humilitatē,
patientiam, charitatem, proximi dilectionem, ſe-
culi contemptum, deſpectum ſui, cæteraſque vir
tutes, quibus fides Chriſtiana decoratur in ter-
ris. De temporalium verò adminiſtratione quid
memotem? Nam ouium Chriſti paſtores terrena
rum vtique ſunt diſpenſatores facultatum, quas
viui tribuūt cum pietate, defuncti autem relique
runt pauperibus erogandas, vt exinde aliquod
ſuffragium conſequi poſſent. Clamant igitur pau
peres aduerſus diſpenſatores malos, oſtendunt-
que domino nuditatem ſuam, alimentorum ino-
piam, frigoris afflictionem, calamitates plurimas,
& in excelſo in auribus diuinæ iuſtitiæ quin aſcē-
dant illorum voces nemo dubitet. Vociferantur
pariter & defuncti, ſitibunde expectantes oratio-
num refrigeria egenorum, quibus impertiendæ
ſunt eleemoſynæ, quæ profecto quum minime ſē
ciant, querelantur coram Deo ad exterminium
eccleſiaſticas diſpergentium facultates. Hinc ſū-
mopere animaduertendum eſt, quàm ſit odibile
Deo fraternæque dilectioni contrarium necnō
præſulibus pernicioſum temporales redditus ha-
bere opulentos, & ipſos clauſis viſceribus pieta-
tis tenaciter poſsidere, qui ſibi de redemptione
captiuorum, de pupillorum ſuſtentatione, de mi
ſeriis inopum, & infirmorum neceſsitatibus po-
tuiſſent coronam gloriæ, ac perpetuæ immorta-
litatis intexere. Taceo de illis, qui bona pauperū
in pompis ſuperfluis, in vanitatibus ſeculi, in pha
leris equorum, in vaſis argenteis & deauratis, in
veſtibus precioſis, in conuiuiis opulentis, & his
ſimilibus, quæ moderate tamen congruunt regi-
bus ac principibus ſecularibus. De iſtis profecto
grandis, & ad loquendum profuſus occurrit ſer
mo. Sub ſilentio autem præterire, iſta nunc vo-
lo, ne quis arbitretur me potius detractioni, quā
vitiorum deteſtationi vel legentium, audientium
que profectibus inſiſtere, quāquam iſta talia ſint,
quod ipſamet nemine aduerſum ſe teſtimonium
perhibente in condemnationis contra ſe voces
erumpant. Quoquo autem modo ſit, verum eſt,
quod dicit Apoſtolus: Omnes, inquit, ſtabimus 2. Cor. 5.
ante tribunal Chriſti, & vnuſquiſque recipiet
prout geſsit in corpore, ſiue bonum, ſiue malum.

De duplici giudicio generali videlicet, & particulari. Cap. V.

DVplex eſſe futurum iudicium, generale
videlicet, & particulare nullus eorum
qui catholice viuit & recte credit, am-
bigit. Quod autem generale ſit futurum iudiciū,
noui ac veteris teſtamenti plurima oracula con-
fitentur. Dauid quippe ait: Iudicabit Dominus Pſal. 95.
orbem terræ in æquitate, & populos in veritate
ſua. Eſaias: Dominus (inquit) veniet ad iudi- Eſa. 3.
cium cum ſenatoribus populi ſui. Daniel quo- Dan. 12.
que dicit: Multi, qui dormiunt in puluere terrę
euigilabunt, alii in vitam æternam, alii in oppro-
brium, vt videant ſemper. Ipſe verò dominus
Ieſus iudex & teſtis, de quo iudicio nullus aper-
tius locutus eſt, ait: Quum venerit filius hominis Matt. 25.
in ſede maieſtatis ſuæ, & omnes angeli eius cum
eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ, &
congregabuntur ante eum omnes gentes, &
ſeparabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat
oues ab hœdis. Et ſtatuet quidem oues à dex-
tris, hœdos autem à ſiniſtris, & dicet rex iis, qui
à dextris erunt: Venite benedicti patris mei,
poſsidete paratum vobis regnum à conſtitutio-
ne mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi man-
ducare: hoſpes eram, & collegiſtis me: nudus,
& operuiſtis me: infirmus, & viſitaſtis me: in car-
cere eram, & veniſtis ad me. Concludenſque
ait: Et ibunt in ſupplicium æternum, iuſti au- 2. Tim. 4.
tem in vitam æternam. Paulus ſimiliter Timo-
theo ſcribens dicit: Teſtificor corā Deo, & Chri
ſto Ieſu, qui iudicaturus eſt viuos & mortuos per
aduentum ipſius, & regnum eius. Sunt & alia pe-
næ innumera teſtimonia, quæ de hoc futuro lo-
quūtur iudicio, de quo profecto dubitare nequa-
quam fas eſt, imò qui illud non crederet, ſaluus
eſſe non poſſet. Vnus quippe eſt ex articulis fidei
ſaluti prorſus neceſſarius. Sic enim vniuerſa in Mar. 13.
toto orbe terrarum cantat eccleſia: Aſcendit ad
cœlos, ſedet ad dexteram Dei patris omnipoten
tis, inde venturus eſt iudicare viuos & mortuos.
Quòd igitur hoc iudicium futurum ſit, certiſsi-
mum eſt, quando verò, omnino ignoratur. Sic
enim ait Dominus: De die autem illo nemo ſcit,
neque angeli, ſed pater ſolus. Iterumque: Sicut Matt. 24.
erant (inquit) in diebus Noe ante diluuium co-
medentes, & bibentes, & nuptijs vacantes vſque
ad eum diem, quo intrauit Noe in arcam, & non
cognouerunt, donec venit diluuium & tulit om-
nes, ita erit & aduentus filii hominis. Apoſtolus
etiam: Dies, inquit, domini quemadmodum fur 1. Theſſ. 5.
in nocte veniet. Voluit autem hunc hominibus
eſſe ignotum, vt ad vigilandum ſingulas cautas fa
ceret

teret generationes. Fiet igitur hoc vniuerſale iudicium antequam prætereat generatio hæc, domino teſtimonium perhibente, qui ait: Non *Matt. 24.* præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Quod *Ibid.* vt efficacius confirmaret, intulit: Cœlum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribũt. Particulare autem iudicium quotidie agitur. Nam quamprimum quis de corpore egreditur, fit de illo iudicium, & condignam operum ſuorum *Apoc. 2.* recipit mercedẽ, ſicut in Apocalypſi dominus per Ioannem inquit: Ego ſum ſcrutans renes & corda, & dabo vnicuique veſtrum ſecundum opera *Hier. 17.* veſtra. Et hoc de iis, qui credunt. Qui enim infideles ſunt, minime iudicantur, quemadmodum dominus noſter Ieſus Chriſtus ait: Qui non credit, inquit, iam iudicatus eſt, quia non credit in nomine vnigeniti filii Dei. Quum igitur ſine fide impoſsibile ſit placere Deo, claret procul dubio, quòd infidelium opera, grata Deo eſſe non poſſunt, ſed ſunt per ſemetipſa damnata, quàobrem non indigent diſcuſsione, ſed ſupplicio. Illorum itaque in hoc particulari iudicio iudicanda ſunt acta, qui legem habuerunt, & perſtiterũt in fide. *Rom. 2.* Audi Apoſtolum teſtificantem hoc: Quicunque enim ſine lege peccauerunt, ait, ſine lege peribunt: & quicunque in lege peccauerunt, per legẽ iudicabuntur. Iudicandus itaque eſt vnuſquiſque, non ex alieno teſtimonio, ſed ex conſcientiæ propriæ, & ineuitabili veriſsimoque operum ſuorum teſtimonio. Tanta ſiquidem cuique eſt innata naturalis æquitas, vt ipſe ſibi ipſi verus ſit iudex & teſtis. Nam etſi in hoc corruptibili corpore ſeculo quamdiu viuitur, in multis eſſe videatur aliena, non tamen penitus eſt extincta, præpeditur vtique ex immoderata affectione, tegiturque ex emergẽtibus delictorum tenebris eo amplius, quo grauiora ſunt, & legi Dei magis cõtraria. Ab hoc quippe priuato & particulari iudicio, nemo excluditur, ſiue infidelis, ſiue fidelis ſit. Infidelis nanque ſine ſuorum operum diſcuſsione damnatur, naturæ legis æquitate conuictus: fidelis verò opera producuntur ad medium, & ſcriptæ legis teſtimonio, aut approbantur ſecundum Deum *Pſal. 42.* facta, aut reprobantur. De hoc vtique iudicio diſcretionis inquit Propheta: Iudica me Deus, & diſcerne cauſam meam de gente non ſancta. Hoc quippe iudicium futuri eſt temporis, non præſentis, quando videlicet quiſque conſummato huius peregrinationis decurſu, condigna operum ſuorum aſſecuturus eſt præmia. Tunc ſanè iuſtis aggregata in cælo merita tribuentur, peccatoribus autẽ perfecta iuſtitiæ lance ſupplicia exhibebuntur æterna. In hac autem peregrinatione non ſic. Nam frequentiſsime iuſtis viris, & diuinæ legis præcepta ſeruantibus, ſe continentibus à voluptatibus carnis & ventris, à rapinis, lucris prohibitis & diuitiarum cupiditatibus, nulli reddentibus malum pro malo, neque maledictum pro maledicto, ſeq; ab omni mendacio, linguaq; detractionibus cohibentibus, eleemoſynam facientibus, orationique vacantibus, permittente Deo aduerſa eueniunt multa, infirmitates variæ, damna creberrima, adeò vt ipſorum iuſtitiæ obliuioni traditæ eſſe videantur. Econtrario, ò quot ſunt ſceleſti & nequiſsimi homines, elati corde, moribus incompoſiti, auari, raptores, pauperum oppreſſores, abſque compaſsione, ſine miſericordia, ſuſurrones, mendaces, maledici, vaniloqui, impudici, incontinentes, gulæ dediti, Deo odibiles, mandatis diuinis non obtemperantes, neq; eccleſiæ ſacerdotibus obedientes, quibus penè ad vota proſpera cuncta ſuccedunt, ac ſi eorum vita altiſsimo ſemper eſſet accepta. Sanè quum bona bonis, & mala debeantur malis, omnis videtur periclitari iuſtitia, quando mala bonis, & bona a Deo irrogãtur malis, & hoc apud illos, qui ſecundum carnẽ ſapiunt, & humana æſtimatione Dei iudicia metiuntur, opinantes bonum diuinæ eruditionis flagellum malum, & malum terrenæ felicitatis eſſe bonum. At verò quibus ineſt mens ſana, qui claritate fidei illuminatos habent oculos, mundoq; cordis intuitu futura, & æterna proſpectant, aliter arbitrãtur. Nempe huiuſmodi quum intuentur peccatores florere honoribus, facultatibus abundare, & temporalibus bonis pacifice frui, nequaquam Dei reprehendunt ſapientiam, neque fælici eorũ inuident proſperitati, quin potius contemnunt, atque deſpiciunt illa tanquam exigua bona tranſitoria, periculoſa, atque viliſsima, quæ profectò vt plurimum iniquis, quibus in regione viuorum nulla eſt portio, pro ſuorum tribuũtur mercede meritorũ, quemadmodũ beatus Iob teſtatur dicens: Quare ergo impii viuũt, ſublimati ſunt, *Iob 21.* cõfortatiq; diuitiis? Semẽ eorũ permanet corã eis, propinquorũ turba, & nepotũ in cõſpectu eorũ. Domus illorũ ſecuræ ſũt, & pacatæ, & nõ eſt virga Dei ſuper illos. Tenẽt tympanũ & citharã, & gaudent ad ſonum organi, ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto ad inferna deſcendunt, qui dixerũt Deo, Recede a nobis, ſemitam viarum tuarum nolumus, quis eſt omnipotens, vt ſeruiamus ei, & quid prodeſt nobis ſi orauerimus eum? Cæterum ſicut iuſti ad contemptum erudiuntur ſeculi conſiderata proſperitate malorum, ita ad tolerantiam accenduntur tribulationum, quoties intuentur iuſtos diuerſis aduerſitatibus vapulare, memoriter in corde retinentes, quod legitur: Aurum probat fornax, homines autem receptibiles examinatio tribulationis. De *Ezec. 17.* quo etiam Sapiens ait: Fili mi noli negligere diſciplinam domini, neque fatigeris quum ab eo *Heb. 12.* argueris. Quem enim diligit Dominus caſtigat, flagellat autem omnem filium quem recipit. Saluberrima igitur eſt iuſtorum diſciplina, per quam ſua purgant facinora, exercentur ad virtutes, a carnalibus voluptatibus ablactantur, protegũtur a caſibus,

à caſibus,& à tentationibus liberantur, diſcuntq; Deum diligere,calcare terrena,promiſſa ſperare & amare cœleſtia,eò ardentius, quò vehemētius flagellantur,quoniam impiis temporalia, Deum verò timentibus bona pro ſuis laboribus præſtantur æterna, quod vtique luce clarius in Euangelio de parabola diuitiis epulonis & vlceroſi patet *Luc.16.* egeni: Fili(inquit Abraham ad locupletem)recepiſti bona in vita tua, & Lazarus ſimiliter mala. Hic autem hic conſolatur,tu verò cruciaris.O vtinam terrenarum rerum amatores, atque illecebrarum ſectatores carnalium per fidem & veritatem ſaperent quam pernicioſa ſit præſentis vitæ proſperitas, ac in lumine ſapientiæ intelligerent quàm reuerenter,humiliterque ſuſcipienda ſit diſciplina eruditionis paternæ, nec non quam diuerſa bonis & malis ſint in futuro ſeculo meritorum ſtipendia reſeruata præuiderent.O,inquam, vtinam perciperent ignorantiæ ſuæ errorem, tēporalem vtique ſucceſſum tanquam bonum, cui inhærendum ſit,nequaquam appeterent, neque correptionem tribulationis,quamuis aſperam ſuſcipere formidarent,reminiſcentes potiſsime A- *Heb.12.* poſtolici ſermonis dicentis:In diſciplina(inquit) perſeuerare,tanquam filiis offert ſe Deus. Quis enim filius quem non corripit pater? quòd ſi extra diſciplinā eſtis,cuius participes facti ſunt omnes,ergo nō eſtis filii, ſed adulteri. Omnis quidem diſciplina in præſenti non videtur eſſe gaudii,ſed mœroris,poſtea autem fructum pacatiſsimum exercitatis per eam reddet iuſtitiæ. Porrò ea,quæ dicta ſunt, ſi ſano cordis palato guſtarentur,profectò nec extollerentur in proſperis, neque deficerent in aduerſis,ſed regio quodam graderentur itinere,futuroque ſeipſos iudicio prępararent,atque more prudentium virginum accenſis lampadibus ſuis venienti ſponſo obuiam per- *Mat.24.* gerent.Beatus ſeruus(inquit dominus Ieſus)quē quum venerit dominus eius, inuenerit vigilātē. Et ego beatū ſimiliter illum nūcupauerim ſeruū, qui nedum de propria, verumetiam de proximorum ſuorum ſalute eſt ſolicitus.Illum dico,quem cōſtituit dominus ſuper familiam ſuam,quaſi paſtorem ſuper gregem ſuum, & toto poſſe ſibi cōmiſſorum ſpiritualibus incumbit profectibus,quatenus abſque terrore, ruboreque, iudicis valeat aſtare conſpectui. Nam cuicunque paſtori de ouibus ſibi creditis interrogatio fiet,ſi videlicet illas corripuit,ſi inſtituit,ſi direxit.Corripere quippe debet paſtor ſubditos ſuos, quoties delinquūt non tamen pariformiter, ſed iuxta menſuram delicti,ſecundum qualitatem perſonarum, ſeruato nihilominus modo & tempore, interdum cum manſuetudine,quandoque cum autoritate.Hanc *Tim.3.* vtique correptionis viciſsitudinem Paulus Timotheo ſcribens inſinuat, dicens: Argue,obſecra,increpa cum omni patientia & doctrina.Tito *Tit.2.* autem inquit, Loquere, exhortare, & argue cum omni imperio.Equidem in iſtis duobus diſcipulis rectores docet animarum,quanta cum diſcretione redargutionum oporteat verba proferre,quam profectò qui ſeruare negligūt,vnde medelam vulneribus apponere debent,inde frequētiſsime animabus lethale vulnus infligunt.Debet igitur paſtor ſpiritualis ſic prudēter corripere, ita gregem dominicum ſapienter inſtruere diſciplinam regularis conuerſationis, legalis obſeruantiæ,grauitatis moram, vitæque laudabilis ne vllū quidem ex ignorantia aberrare contingat. Omne poſtremo illius ſtudium ſit oues rationales dirigere,vt domino ſeruiant in ſynceritate mentis, in cordis humilitate,in charitate non ficta,in conſcientię puritate,in amore virtutum, in aduerſorum tolerantia, & in irreflexibili perſeuerantia boni. Horum paſtoribus congruit omnino habere notitiam, vt ex ſe erudiant ſubditos, illorumque ſine relaxatione quærāt profectus, quatenus abſque querela ſummo paſtori aſsiſtāt intrepidi. Admoneat igitur paſtor,terreat,mulceat,feriat, inſtruat,conſulat,diligatque domini gregem, vt ſufficientem communi iudici de ſua villicatione perſoluat rationem. Nam quantum in ipſo eſt, ſi operari non deſinat & monere,coram vniuerſali domino liber erit à crimine, totumque iudicii pondus tranſmittet ad oues, quemadmodum ad perſonam boni paſtoris dominus per prophetam *Ezech.3.* loquitur,dicens:Si nunciāte te ad impiū,vt à viis ſuis conuertatur,& non fuerit cōuerſus à via ſua, ipſe in iniquitate ſua morietur, tu verò animam tuam liberaſti.Væh autem paſtori,qui ouiū Chriſti curam abiecerit, ipſaſque ex ignauia ſua periclitari permiſerit.Morientes morientur oues, illaſque dominus de manu paſtoris requiret. Sic enim legitur:Speculatorem(inquit dominus per *Ezech.33.* prophetam ad paſtorē) dedi te domui Iſrael. Si me dicente ad impium,impie morte morieris, & nō fueris locutus,vt ſe cuſtodiat impius à via ſua, ipſe impius in impietate ſua morietur, ſanguinē autem eius de manu tua requiram. Iuſtus dominus vtrunque damnat,paſtoris videlicet taciturnitatem,& ouium negligentiam. Nam paſtorem circa regimen animarum tepeſcentem & mutū, iuſtitiæ gladio ferit, ſanguinemque pereuntium de manu eius requirit, & nihilominus ipſas oues (etiam eorum tacente paſtore)minimè ab interitu liberat.Duplici quidem contritione atteritur paſtor,dupliciſque iudicii efficitur reus,ſui videlicet,& ouium perditione,præſertim earum,quæ ex ipſius conuincuntur periiſſe incuria. At verò quælibet ouis proprium portabit iudicium, cum intelligere non vult,vt bene agat. Habet quippe quæque ouis intus ſe exhortantem ad bonum,tametſi qui paſtoris gerit vices ſileat, & nullam erga ſalutem ouium ſolicitudinem præſtet. Eſt vtique vnus verus & ſummus paſtor,qui nūquā dormitat,nunquam ab ouium fatigatur cuſtodia,quē

ſe

ſe daturum per prophetam longe ante dominus pollicitus eſt, dicens: Et ſuſcitabo ſuper oues paſtorem vnum, qui paſcet eas, ſeruum meum Dauid. Ipſe paſcet eas, & ipſe erit eis in paſtorem. Ego autem dominus ero eis in Deum, & ſeruus meus Dauid princeps in medio eorū. Ego dominus locutus ſū. Paſtor iſte de quo loquitur ſermo diuinus, non eſt ille Dauid, qui ad tēpus vt homo regnauit ſuper Iſrael, ſanctoq; officio ſuo requieuit i pace, ſed dominus noſter Ieſus Chriſtus. Ipſe eſt ſpiritualis Dauid, paſtor verus immortalis princeps, rex gētiū, vniuerſorūq; dominus, qui manu forti pugnauit cōtra diabolū, & qui tyrānicam poteſtatē exercebat in mūdo, illū eiecit de ſolio, vulnerauit acriter, eius abſtulit arma, ſpolia diuiſit & cathenis victū tetris inferni carceribus mācipauit. Per prophetā quoque idem loquitur ſic: Ego paſcam oues meas, & accubare eas faciam. Quod perierat requiram; quod abiectum eſt, reducam; quod confractum fuerit, alligabo; quod infirmū erit, conſolidabo; quod pingue & forte, cuſtodiā, & paſcam illas in iudicio. De ſemetipſo in Euangelio idē ſic ait: Ego ſum paſtor bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ, & animā meā pono pro ouibus meis, & vitam æternam do eis. Nullus à paſtoris huius ſecluditur cura, quoniā vnumquenque paterna dilectione requirit. Ipſū n in Apocalypſi audi dicētem: Ego ſto ad oſtiū ſcilicet cordis, & pulſo. Si quis aperuerit mihi, cœnabo cum illo, & ille mecū. Hanc profecto internā paſtoris vocē, hanc ſpiritualem admonitionē qui ſpernit moritur; qui verò audit, viuit, paſcitur, & protegitur ab æſtu, turbine, & à pluuia. Quamobrem in ouiū arbitrio poſitū eſt aperire, & non aperire, paſtorem imitari vel eum contemnere, proficere i ſpiritu aut deficere, adeò vt quęlibet inexcuſabilis ſit ouis, etiam illa, quæ non habet præceptorem exterius, qui eam dirigat, corrigat, & doceat. Maxima ex hoc (quod dictum eſt) colligitur ſummi cura paſtoris, necnon contēnentium ouiū graue periculū, quæ cordis obturantes aures exhortantem ſpiritu præceptorem audire diſsimulant. Quid, oro, reſponſuræ ſunt domino, vel quā de contēptu gratiæ, quæ offertur illis, excuſationem habebunt? Nempe eruditæ ſunt per legē, tam quæ de cœlo data eſt, quàm per innatā communem omnibus. Deputatæ ſunt ſub cura paſtorum, introrſus per aſpirationē, & foris per Euāgelium. Illas ad ſe vocat ſapientia, & dicit: Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Tollite iugum meū ſuper vos, & diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiē animabus veſtris. Iugum .n. meū ſuaue eſt & onus meum leue. Quid domino noſtro benignius? quid iſta ſua exhortatione vtilius? Promittit quidem pro laboribus temporaliū negotiorum ſe daturum requiem, & pro oneribus carnalium voluptatum animabus ſibi famulantib. ſpiritualem exhibiturum refectionem, dūmodo tollant ſuper ſe ſuaue iugū obedientiæ ipſius, diſcātque ab illo in moribus eſſe mites, & corde humiles. Iſta plane ſalutis, pacis, & vitæ munita quicūque a ſe repellit, certiſsimum eſt, quòd æterno appropinquat interitui. Propterea audiant vniuerſi, reſipiſcant ſinguli a facinoribus perpetratis, reiiciant quoque a ceruicibus ſuis importabile exactoris iugum, lætiſsimoque corde piiſsimi paſtoris veſtigia imitentur, ipſius ſuauiſsimum accipiāt iugum, & leuiſsimum onus portent, neque quandiu vixerint, ab illius inhæſione deficiant, quatenus exilii huius quotidiano certamine valeant & ipſi cum ſanctis angelis & electis iuſtis in cœleſti patria, & loco paſcuæ voluptatis æternæ feliciſsima fruitione lætari, quemadmodū ouibus ſuis polliceri dignatus eſt, dicēs: Ego liberabo oues meas de cunctis locis, in quibus diſperſæ fuerant, & educam eas de populis, & inducam eas in terram ſuam, & paſcam eas in montibus Iſrael, in riuis, & in cunctis ſedibus terræ. In paſcuis vberrimis paſcam eas, & in montibus excelſis erūt paſcua earum. Ibi requieſcent in herbis virentibus, & in paſcuis pinguibus paſcentur in ſempiternum.

Deut. 18. Ezec. 34. Ibid. Ioan. 10. Apoc. 3. Mat. 11. Ezec. 34.

De affluentiſsima atque Chriſti bonitate excellentiſsima. Cap. VI.

DIuinæ bonitatis clementiā, affluentiſſimamque redemptoris noſtri largitatem nemo eſt qui enarrare ſufficiat, & ſi hominum & angelorum loquatur linguis. Omnem quippe humanum ſupereminet ſenſum, omne iuſtorum tranſcendit meritum, omnemq; angelicam præcellit virtutem. Nam vniuerſa, quæ facta ſunt, ſiue viſibilia, ſeu inuiſibilia eſſe habēt ab illa, terminantur in ſe, atque preordinatam menſuram poſsidēt. At verò iſta, de qua loquimur, profuſa Dei & redemptoris noſtri bonitas, ſe in cunctas latiſsime transfundit generationum generationes, ſemper nihilominus in ſemetipſa abſq; ſui in aliquo diminutione integerrima, atque beatiſſima perſeuerās. Quamuis enim lucidiſsimos ſuę claritatis in cordibus filiorum hominum emittat radios, quanquam iucundiſsimos dulcedinis ſuę riuulos in prędeſtinatos ad vitam indeficientem diſtillare non ceſſet: cōmunicatione tamen nullatenus decreſcit, non fatigatur actu, neque ſibi famulantium, ſeque laudātium numeroſitate efficitur glorioſior. Equidem ſeipſa per ſeipſam, & in ſeipſa diſponit ſingula, nullius indigens ſuffragio, nulliusve conſilio. Nam etſi pro explendis ęterni conſilii legibus quoſdam dignetur habere miniſtros, nequaquam tamen cogente id agit neceſſitate, ſed propria ſemetipſum gratuita inclinante clementia ad laudem vtique & honorē nominis ſui, & ad profectū tam illorum, quibus miniſterium impertitur, quam etiam eorum, quibus miniſtratur. Quamobrem ſiue beatiſsima agmina ſpirituum beatorum, qui ad protectionē, inſtructio-

ctio-

ctionem,exhortationem,gubernationemque eorum ſunt miſsi, qui æternæ hæreditatis adepturi ſunt gloriam, ſeu rationabilium ouium Chriſti paſtores atque rectores,quibus totius eccleſiæ diſtributum eſt regimẽ, omnes ordinati ſunt in miniſterio ab ipſa,per quam cæleſtia ac terrena, corporalia & ſpiritualia, temporalia ſempiternaque facta ſunt,& ſine qua prorſus nihil. Nullus igitur inſoleſcat, nemo propriis arroget meritis, ſuæq; aſcribat virtuti, quum ad hoc Dei perficiendum aſſumitur opus, ſed diuinam bonitatem, ſuique gratiam in ſe recognoſcat autoris, & dicat: Gra- 1.Cor.15 tia Dei ſum id quod ſum. Et vere: Nam omne datum optimum, & omne donum perfectum deſur- Iac.1. ſum eſt, deſcendens à patre luminum. Proinde qui paſtoralis officii ſortitus eſt regimen, non infletur honoribus, nec de ſe præſumat, quoniam videt ſe cæteris eſſe prælatum,quin potius humilior fiat, mentemq; ſuam ad percipiẽdum opportuna miniſterii ſibi crediti dona toto diſponat conamine. Quid, oro, prodeſt cathedram honoris accipere,& nullum ex illa meritum,ſed ſolum ſibimetipſi iudicium vendicare? Quid, inquam,in hora exitus proderit aſpectis mortalium fuiſſe honorabilem, ſi Deo fuerit odibilis? In hac quippe peregrinatione non ſeductorios honores, neq; fallaces debent ſibi fideles theſaurizare diuitias, ſed tantum virtutes, quibus præmia retribuuntur æterna. Hic igitur laudabili inſiſtendum eſt actioni, hic vt placetur Deus, totis elaborandum eſt viribus, hic nempe vt cuique augeatur gratia, multiplicentur dona, accreſcāt merita, orandum eſt iugiter, interpellandum gemitibus, pietatis actibus obtinendum. Quapropter qui fidelium populorum præſunt regimini, non pro accepto glorientur beneficio, ſed ex eo quęrant fructum nō temporalem,& perfunctorium, ſed verum, ſed iucundū,ſed imprædabilẽ,ſed æternum. Omni inſuper qua valent induſtria, à ſe abdicent, quę ſibi aduerſantur, altum, videlicet ſapere, æſtimationem ſui, proximi contemptum, mentis hebetudinem, delectationem pręſentis vitæ, metū mortis immoderatamq; terrenarum rerum curam. Iſta profecto ſunt, quæ præſidentium in captiuitatem redigūt mentem,nec patiuntur, vt decet, credito illos intendere miniſterio. Verum vt de his, quæ dicta ſunt, prætermittam cætera quid(oro)eſt indecentius prelato, quidq; pernicioſius, quàm ex inordinato affectu, ſpiritualibus poſtpoſitis ſtudiis,& neglecta animarum cura, temporalibus vacare lucris,& terrena tantummodo negocia corde ver- Luc.21. ſare? Videte(inquit dominus)ne grauentur corda veſtra crapula, & ebrietate,& curis huius ſeculi. Nouerat ipſe ſaluator, quanta cordibus hominum inordinata temporalium ſolicitudo inferat, detrimenta, quæ profecto eſſe debent munda, vt Deum videant, agnoſcant ſe, ſeque poſsideant in ſe. Proinde fidelibus ſuis, ac ſeruis ſuis illum per arctam perfectionis viam imitari cupientibus clamat dicens: Vendite quę poſ- Luc.12. ſidetis,& date eleemoſynam,& ecce omnia mūda ſunt vobis. Hortatur quippe, vt vendant vniuerſa,quę habent,diſtribuant egentibus; quicunque illum lęto animo, mundo corde, ac liberis mentis greſsibus, ſequi deſiderant ad ardua virtutum certamina, atque ſublimia euangelicæ perfectionis conſilia, quæ procul dubio ſtatui congruūt prelatorum. Ipſi planè tanquam veri diſcipuli Chriſti, veritatis præcones, apoſtolici viri, mūdi luminaria, contemptores ſeculi, debent in eccleſia ſine redargutione conuerſari, exemploq; ſuo præbere formam cœleſtis conuerſationis, ſpiritualis vitæ normam, ac humanis moribus diſciplinam, ita vt dominico gregi, cui præſunt, fiant imitatione digni, quod quidem agere nequeunt, niſi ſe in altum mentis per abdicationem temporalium facultatum conſtituant, quatenus ſicut dignitate, & loco præeminent cæteris, ita mentis puritate, ac libertate ſpiritus ſibi commiſſos præcellāt vniuerſos. Nempe indignum eſt, vt qui ad eruditionẽ, correctionemq; inſtitutus eſt aliorum, habeat ipſe reprehenſibile aliquid, vnde ſit merito corripiendus. Nam oportet (inquit Apo- 1.Tim.3. ſtolus) epiſcopum irreprehenſibilem eſſe. Quonam, quæſo, modo poterit, ſibi creditos ad mundi adhortari contemptum, à lenociniis abſtrahere vitiorum, atque à cupiditate temporalium diuellere facultatum, ſi ipſe amator extiterit ſeculi, ſi vitiis deditus, terreniſque negociis inuolutus? Sublimis profecto prælatorum eſt ſtatus, qui ſibi congrue miniſtrantes à curis eximit exteriorum, & diuinæ illos dedicat ſeruituti. Cęterum ſi indigne tractetur, nihil illo pericoloſius, nihilque deformius. Pericoloſa res eſt aliorum curam aſſumere, pro peccatoribus ſe fideiuſſorem conſtituere, & miniſterium negligere, lucra animarum non quęrere, mercenariis proprias vices cōmittere, ſe abſentare ab ouibus, nec curare quę erret, quę infirmetur, quę pereat, quę deuoretur a feris, quęve aſportetur a furibus. Pericoloſa, inquam, res eſt, vt in prelationis culmine poſitus, qui totius ſanctitatis debet refulgere decore, atq; grauitatis morum inſigne pręferre, ipſe pereffluat in exterioribus, in aggregādis diuitiis inhiet, in colendis poſſeſsionibus, colligendiſq; frugibus intendat,& tāquam paterfamilias, cui incumbit regimẽ vxoris, liberorum, ſeruorum, gregum ouiū ac iumentorum, tota die huc illucque diſcurrat per plateas & nūdinas, per agros & nemora. Decet prorſus eum qui regimini pręeſt animarum, mundana negocia fugere, occupationes ſuperfluas vitare, propria relinquere, ſibi pręſtita pauperibus erogare, quatenus diruptis terrenarū actionū vinculis, valeat ab exteriorū tumultibus ſubtractus redire ad ſe, diſperſas cogitationes reuocare in vnum, amiſſas reparare vires, flere de-

licta, omiſſa lugere, vitiorum diluere maculas, mundare conſcientiam, mentis faciem ornare, cordis cubile cœleſtium deſideriorum odore reſpergere, & ſacris meditationibus charitatis ignē accendere, ſicque gemitibus, ſuſpiriis, ac votis deprecari Deum, atque omnium agminum ſpirituū beatorum interpellare ſuffragia, vt ſuis orationibus ſapientia repleatur ad ſibi commiſſam dirigēdam plebem, ad diſcernendum inter bonum & malum, verum & falſum, ad fugiendum laqueos tentationum, deceptionumq; fallacias, quæ præparantur ab iis, qui per fas & nefas nituntur obtinere quæ volunt, & ad reſiſtendum diabolo, pōpis ſeculi, & voluptatibus carnis & ventris. Nam ſi qui ſibiipſis tantum vacant, cum difficultate emergentes euadunt caſus, quid in variis innumerabilibuſque occupationibus illigati facient? iudicet qui recte intelligit. His itaq; rationibus prorſus arbitror præſidentibus aliis fore neceſſarium, ſe interdum ab exteriorum fragoribus elongare, orationique deuote inſtare, quatenus liberi ipſi in ſe, libere vtilitatibus inſeruiant proximorum, atque de limpidiſſimo & pacatiſſimo interioris hominis fonte, ſaluberrimam diuinorum eloquiorum ad ſe confluentibus aquam valeant propinare, recte conſulere, agendaque iudicare prudenter. Nam quemadmodum quum turbatū eſt mare, procellis concitatum & ventis, profundum illius, & quod in ipſo mouetur, humanus nequaquam valet perluſtrare aſpectus: ita quoque accidit menti mundialibus negociis, curiſque exterioribus immoderatius debito inuolutæ. Porro frequentiſſime agitatur, impellitur, diſperditur, anxiatur, obtenebratur, captiuatur, perturbatur, ſicut ſanctiſſimæ mulieri hoſpitalitatis miniſterium ſedulè perficienti, ac de ſorore eius, quæ minime illam adiuuabat, conquerenti, ſaluator

Ioan. 10

notificauit dicens: Martha Martha ſolicita es, & turbaris erga plurima, porrò vnum eſt neceſſarium. Equidem in ipſis perturbationibus & ſolicitudinibus, pluſquam in rebus honeſtis ac piis animæ denſatur obtutus, & non valet, prout expedit, ſe homo agnoſcere, motus internos diſcernere, cohibere paſſiones, ac errata corrigere, quę omnia proculdubio, vt ſunt præſidentibus in promptu & actu, ſunt neceſſaria. Ipſorum quippe officium eſt, ſpiritualibus ſubditorum mederi infirmitatibus, atque eorum vitam pro poſſe reformare in melius, quod nequaquam mali agere ſufficient, niſi id prius diſcant ex ſe. Sane quū Apoſtolus, qualis quantæque perfectionis eſſe debeat epiſcopus, Timotheo ſcriberet, inquit inter cætera: Domui ſuę bene præpoſitum. Intulitque:

1. Tim. 3

Qui autem domui ſuæ præeſſe neſcit, quomodo eccleſiæ Dei diligentiam habebit? Quod vtique non minus ſpiritualiter, quàm corporaliter intelligendum eſt. Nempe ad hoc ſpirituale regimen ſicut decet exemplum, opus eſt diuinæ opitulationis & ſpecialis gratię habere præſidiū, ocium etiam ab exterioribus ad tempus, in agendis prudentiam, in vitandis periculis & exceſſibus præmeditationem, mentis tranquillitatem humilitati innixam, & ſpiritualis profectus æſtuātem affectum. Expedit, inquam, in regimine conſtituto, vt vitam ſuam honeſte & ſine ſcandalo ducat, gregi ſibi credito eccleſiaſtica ſacramenta libenter miniſter, pudicitiam diligat, nulli pro poſſe noceat, propriis contentus nullius ſubſtantiam concupiſcat, nemini malum pro malo reddat, debitum diuinæ laudis tā publice, quàm priuate ſoluat, neceſſitatibus corporalibus contentus, nec voluptuoſa neque prohibita quærat, proximorum pacem nutriat, Deo magis quàm hominib. placere peroptet. Sufficiūt quippe ea, quę dicta ſunt, diuina cooperante miſericordia ad ſalutem eorum, qui curæ paſtorali ſunt dediti, ſi eadem opere peragant, non tamen perfectos efficiunt. Perfectorum namque exercitia, illorum videlicet, qui in prelatione ſunt poſiti, & paſtorali officio ſine redargutione intendunt, ſublimia ſunt humanamque tranſcendunt virtutem: huiuſmodi ſiquidem Apoſtolorum, ſanctorumque patrum vitam in omnibus imitantur. Contemnunt quippe omnia, & cuncta, quę habere poſſunt, impertiuntur egenis: corpus ſuum attenuant ieiuniis multis, prolixis vigiliis, orationibus aſſiduis, creberrimis pernoctationibus, fame, ſiti, frigore, nuditate, laboribus, egeſtate: ſibi commiſſis ouibus infatigabiliter vacant, & vt illis prodeſſe valeant, ſeipſos poſtponunt: verba vitę colloquendo, exhortando, prędicando, diſſeminare non ceſſant, vt animas Chriſto lucrifaciant domino: cum autoritate & fiducia veritatem annūciant, facies regum, & huius ſeculi principū minime formidantes, pro eadem etiam ſeipſos periculis exponentes, parati ſubire carceres, exilium, tormenta, damna, & mortem, quoniam illis viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum. Maledicuntur & benedicunt, perſecutionem patiuntur & obſecrāt, opprobriis, irriſionibus, contumeliis laceſſuntur & æquanimiter ſuſtinent, memoriter Chriſti pollicitationē retinentes, quæ ait: Beati eritis quum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos mentientes propter me; Gaudete & exultate, quoniā merces veſtra copioſa eſt in cælis. Sane tanquam ſtrenuiſſimi æterni regis milites ſibi complacent in neceſſitatibus, in tribulationibus, in ſeditionibus, in carceribus, in plagis pro nomine Ieſu, intus quoque Dei charitate flammeſcunt, & proximi compaſſione vruntur, adeò vt pro præuaricatione delinquētium, pro egenorum afflictione, pro oppreſſione innocentium, & pro calamitatibus miſerorū gemant, lugeant, crucienturque eo acrius, quò amplius diligūt agnoſcūt verius, ac frequētius audiunt. Se nanq; Chriſto cōformā-

Matt. 5.

Digitized by Google

tes in proximo cum gaudentibus gaudent, flent cum flentibus, cum infirmātibus infirmātur, affliguntur cum afflictis, & cum periclitantibus pariter periclitari videntur, quotidie viuentes moriūtur, & moriendo viuunt, hoc cum illis Dei cooperante charitate, cuius inſpirationibus afflati, nūc per ſuaue cōtemplationis ocium mēte excedunt, & ſenſibilium phantaſmatibus à memoria ipſa fugatis aſsiſtūt Deo, diuinas in ſe depromūt laudes, iucunda modulatione canentes: Pſal. 83. Quàm dilecta tabernacula tua domine virtutum, concupiſcit, & deficit anima mea in atria domini. Repetenteſque proclamant: Pſal. 41. Quemadmodū deſiderat ceruus ad fontes aquarū, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Nunc vero ſponſo caſtiſsimis pii amoris inhærentes amplexibus toti delectationis nimietate liqueſcūt, ſingulis pene horis ipſius amabilem in ſpiritu venerantur præſentiam. Interdū autem infuſa repente gratia noui luminis irradiātur ſplendore. Nonnunquam etiam humili exultatione lætantur. Fitque vt alternatis aſcendendi in Deum, & deſcendendi ad vtilitatem proximorum vicibus nec tepeſcant in opere, neque à mētis exercitatione deficiant, ſed aſcendendo transformentur de claritate in claritatem, ac deſiderio in deſiderium, deſcendendo autem proficiāt de virtute in virtutem tanquam à domini ſpiritu in vtroque edocti, directi & paſti. Hoc verò agitur non ex arbitrio ſuo, ſed illo moderante atque diſponente, qui docet hominem ſcientiam, dirigit in veritate ſua, ſeque diligentes deliciis paſcit ſupercæleſtibus, donans ſingulis prout vult, cui nequaquam fas eſt dicere, Quare feciſti ſic? Omnia nanque quæ facit, in ſapientia & æquitate ordinata ſunt, ideoque laudanda, ſummaque cum veneratione colenda ſunt, quin potius ille in eis, qui per verbum ſuum ſibi coæternum condidit vniuerſa, qui nunc attollit, nunc humiliat, nunc exercet ambulantes in ſpiritu, vt creſcant in virū perfectum, valeantque inſtruere cæteros, & veluti luminaria in firmamento eccleſię apparere lucētia, quemadmodum longe ante per prophetam vaticinatum eſt ſic: Dan. 12. Qui autem docti fuerint, inquit, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, tanquam ſtellæ in perpetuas æternitates.

De ſpiritualibus luminaribus, quibus illuſtratur & decoratur eccleſia. Cap. VII.

QVoties quis in tenebris ambulantibus vult præbere ſolatium, viarum inſinuare diſcrimina, accenſa luminaria in ſublime ſtatuit, eademq; exponit in publicum, quatenus in offenſo pede valeant peragrare, quò tēdunt. Hoc per ſemetipſam in humanitate aſſumpta, hoc per Apoſtolos, doctores, & prædicatores ſuos, coæterna Deo patri perfecit ſapientia, atque quotidie id agit in ſpiritu. De corporali quidē illius pręſētia per Prophetā dicitur ſic: Eſa. 9. Populus, qui erat in tenebris, vidit lucē magnā, ſedētibus in regione vmbrę mortis lux orta eſt eis. De ſpirituali autem quid? Erat, inquit Euangeliſta, lux vera, quæ illuminat omnē hominem veniētē in hunc mundum. Ioan. 1. Quotquot enim illuminati ſunt, & agnitionem percipiunt veritatis, ab ipſo veritatis lumine illuſtrantur, ſicut quibuſdā conuerſis Paulus ait: Fuiſtis aliquando tenebrę, nūc autem lux in domino, vt filii lucis ambulate. Epheſ. 5 Ad ſuos etiam diſcipulos ipſa veritas & ſapientia inquit: Vos eſtis lux mundi. Mat. 5. Vtique illuſtrati ab eadem per ſpiritū ſanctum, atque in excelſo eccleſiæ gradu conſtituti, tāquam ſpiritualia ſidera in firmamento micantia ad illuminandum eos, qui in ignorantiæ tenebris ambulant, quemadmodū de ſeipſo Apoſtolus dicit: Epheſ. 3. Mihi, inquit, omnium ſanctorum minimo data eſt gratia hæc, in gentibus euangelizare inueſtigabiles diuitias Chriſti & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramēti abſconditi à ſeculis in Deo, qui omnia creauit, vt indicat principibus & poteſtatibus in cęleſtibus per eccleſiam multiformi ſapientia Dei ſecūdum præfinitionem ſeculorum, quā fecit in Chriſto Ieſu domino noſtro. Alio quoque in loco fidelibus ait: Phil. 2. In medio nationis prauæ & peruerſæ, inter quos lucetis tanquam luminaria in firmamēto, verbum vitę continentes. Hæc quippe luminaria ſpiritualia, ſanctos videlicet Apoſtolos, doctores, & paſtores eccleſiæ ipſe dominus Ieſus Dei virtus & Dei ſapientia non in imo neque ſub modio, ſed poſuit ſuper candelabrum, vt luceāt omnibus, qui in domo ſunt, Mat. 5. nō minus doctrina quā vita. Scientia & cōſciētia in prælato eſſe debent. Decet profecto doctores & dominici gregis paſtores ſtare in alto, & doctrinam veritatis præbere cunctis audire cupientibus & hoc tam mēte quàm corpore. De talib. per prophetā audi quid dicat: Eſa. 40. Aſcende, inquit, ſuper montem excelſū tu, qui euangelizas Siō, clama in fortitudine, qui annuncias Hieruſalem. Dominus quoq; ipſe cū plurimas ad ſe videret confluere turbas, aſcendit in montem, ibiq; ſedens docebat eos dicens: Mat. 5. Beati pauperes ſpiritu, quoniā ipſorū eſt regnū cęlorū. Hoc quippe ſuo exēplo inſinuauit expreſſe paſtores conſtitutos eſſe debere in ſublimi virtutū, atque plebē ſibi creditā de iis, quæ ad illius ſalutem pertinent, diligenter inſtruere. Porro altero horū deficiente, ad explendum, ſicut decet, paſtorale miniſterium, minus reperiuntur idonei. Cōſciētia ſine ſcientia inſipida eſt: ſcientia verò ſine cōſciētia periculoſa. Nā vbi deeſt doctrina, hortamenta vt plurimum deſunt cęleſtia, conſilia ſana, & diuinarū monita ſcripturarū. Cæterum cui præſto eſt ſcientia plurima, & ſacræ legis intelligentia perſpicua, deſitq; illi bonitatis opinio, virtutū experiētia, Dei ac proximi flagrantia, parum ſibi & cęteris proficit. Si linguis hominum, inquit Apoſt. loquar & angelorum, 1. Cor. 13 caritatē autem non habuero, factus ſum velut ęs ſo-

nans aut cymbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam, & nouerim omnia myſteria, & omnem ſcientiam, charitatem autem non habeam, nihil ſum. Quantam verò autoritatem præſtet doctrinę vita laudabilis & experientia diuturna virtutum, inſinuat mundi conuerſio, & numeroſitas aggregata fidelium. Non enim per eloquentiam, profunditatemque humanæ ſcientiæ, ſed per virtutũ exempla, contemptum videlicet terrenorum, voluntariam paupertatem, parcitatem victus, veſtiũ nuditatem, tolerantiam tormentorum, & pro ſalute animarum, laborum perpeſsionem aſsiduã Apoſtoli domini ſucceſſoreſque illorum fundauere eccleſiam. Sane fragantiſsimum odorẽ ſanctitatis ipſorũ ſignis ſequentibus diuina nihilominus cooperante clemẽtia orbis vniuerſę Chriſtianæ religionis iugo colla ſubegit. Parum profecto profuiſſet verborum falerata facundia, niſi in prędicatoribus Chriſti concurriſſet & vita. Non autem minus ædificant bonorum operum exempla, quam verba. Cæterũ vbi conueniunt ſanctitas vitæ & veritatis prædicatio, ibi multiplex animarũ exuberat fructus. Quamobrem quicunque vtiliter gregi dominico præeſſe deſiderat, prius conuerſationem ſuam virtutibus ornatã habere ſtudeat, ſicque verbum Dei cũ omni fiducia loquatur ad plebem. Prius, inquam, conuerſationem habeat ſanctam, quę illi ad ſalutem neceſſaria eſſe cognoſcitur, poſtea vero eloquia diuina pronũciet. Nam ſine prædicatione poſſunt ſaluari qui præſunt, abſque vita vero laudabili minime, quanquam etiam approbata conuerſatio, & irreprehẽſibilis vita prædicatio efficaciſsima eſſe cenſenda eſt. Sermo ſiquidem ſapientię & ſcientię, quo ad populum fit exhortatio, donũ eſt ſpiritus ſancti, ornamentum prelationis, munuſque ſpecialiter impenſum, tam ad profectum accipientium, quam etiam audientium, quo profecto quicunque caret, ſic tamen laudabiliter viuere conetur, vt ipſius conuerſatio cunctis ſit incitamentum bene viuendi, prçclarumque virtutis exemplum, quatenus teſtentur opera, quod non valet lingua, quamuis prçſulis lingua à colloquiis diuinis nullatenus tacere debet, quominus veritatem ad ſe confluentibus annunciet vniuerſis, & ſi non publice, ſaltem priuate. Ab hac vtique priuata prędicationis forma, ac verbi Dei pronunciatione, de qua in conſequentibus dicebatur, prçſul nullus excipitur. Quiſquis igitur regimini præſidet animarum, & catholica eſt imbutus ſcientia curet ſummopere, ne talentum ad lucrum ſibi prçſtitum ſub terra recondat. Caueat, inquam, ne taceat, nève ſilentio tegat, quod ad proferendum in publicum prerogatum eſt illi. Sibi quippe per Prophetam dictum eſſe non dubitet: Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuã, & annũcia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorũ. Clamare vtique non deſinat ad plebẽ, atq;

Eſa. 58

admonere ipſam, vt agnoſcat conditorem ſuum, de perceptis donis gratias agat, delicta commiſſa defleat, & lugenda non faciat, & hoc quidẽ non perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in doctrina ſpiritus, vt Chriſto lucrifaciat animas, quas proprio ipſe cruore redemit. Sũt nãque multi verbum Dei adulterantes, qui non, ſicut decet, corde humili, intẽtione recta, deſiderio ſalutis animarum, ſtudioque inſinuandæ veritatis ſermocinantur ad populum, ſed vt quanta ſciant, notificent audientibus. Hi profecto ſuperbiæ inflati ſpiritu, dum fauores tranſitorios quærũt, laudes hominum concupiſcunt, ſapienteſque vocari gloriantur, tantò magis coram Deo efficiuntur ingloríi, quanto amplius humanis commẽdationibus delectãtur. Odibilis plane Deo res eſt ex ſermonibus ſacris vulgarem famam appetere, Chriſtoque neglecto quẽpiã in affectibus mortalium ſe velle imprimere. Talis vtique ſpiritualis adulter eſt, ſui conditoris raptor gloriæ, & animæ ſuæ crudeliſsimus interemptor. Porro ab iis, qui erudiũt populos, prædicãdus eſt Chriſtus, atque mẽtibus fidelium inſerenda ſunt, annunciandaquę vniuerſis quanta pro humani generis redemptione veneranda perpeſſus ſit Dei & hominum mediator, paupertatem videlicet in ortu ſuo, fugam illius in Aegyptum, tentationes in eremo, fatigationes in prædicando, vigilias in pernoctãdo, vẽditionem à diſcipulo, irriſiones, alapas, ſputa, flagella, conuicia, falſa teſtimonia, ſpineam coronã: aceti & fellis potationem, vulnera clauorum & lanceæ, ſacratiſsimæque crucis mortem turpiſsimam, quatenus ex horum conſideratione agnoſcant, quantum Deo peccata diſpliceant, quę tantis fuerunt expiationibus purganda, & compuncti ad emendationem vitæ redeant, intelligãtque quam ſint ab ipſo Domino ardentiſsima affectione dilecti, qui ab æterna damnatione illos ſua morte redemit, & facibus amoris accenſi diligentem toto corde ſe diligant. Nihil profecto in prædicationibus debet agi frequentius, quam opus redemptionis humanæ memoriæ commendare fidelium. Illo equidem nihil meditanti & amanti ſapit dulcius, nil pœnitentem ad lamenta & lacrymas trahit efficacius, nilq; ad æquanimiter huius mundi aduerſa tolerãdũ accẽdit fortius. Eſt quippe ſpiritualis cibus & ſupercęleſte manna, quod cuicũq; ſtatui, & cuicũq; cõgruit perſonę. Hoc ſane alimento Paulus Apoſtolus refectus aiebat; Nõ enim arbitratus ſum me ſcire aliud inter vos quã Ieſum, & hunc crucifixũ. Ideq; Cruci, inquit Chriſti cõfixus ſum, viuo autẽ ego, ſed nõ ego, viuit autẽ in me Chriſtus. Hinc eſt quòd in epiſtolis ſuis & in prędicationibus tã crebertime ingeminat nomẽ domini Ieſu, cõmemorãs ipſius paſſionẽ, mortẽ, reſurrectionẽ & gloriã. Porro in exhortationibus ſuis inſonabat auribus, cordibuſq; audiẽtiũ inferre nitebatur magnũ ſacramẽtũ pie

1. Cor. 2.

Gal. 2.

Digitized by Google

tatis Chriſti, quod manifeſtatū eſt in carne, iuſtificatum eſt in ſpiritu, apparuit angelis, prædicatum eſt gentibus, creditū eſt in hoc mūdo, aſſumptum eſt in gloria. Sane quod pronunciabat, nō ad ſui iactantiam, ſed pro Dei gloria & audientium proferebat vtilitate. Nō de fabulis poetarum, neque de philoſophorum codicibus, ſed de pręclariſsimo prophetarum hauriebat fonte. Hoc idem Apoſtolus egit Petrus, hoc coapoſtoli eius cæteri, atque vniuerſi doctores eccleſiæ, qui ſpiritu Dei afflati verbum ſalutis fecerunt ad populos. Tanquam ſpirituales & veri paranymphi non ſemetipſos commendabant, vt ipſi diligerentur, & poſt ſe traherent oues, ſed Dominum prædicabant Ieſum, qui legitimus eſt ſponſus, ſoluſque præ omnibus diligendus veluti paſtor bonus, qui animam ſuam poſuit pro ouibus ſuis, & pro grege ſuo mori dignatus eſt. Hæc profecto intentio prædicatorum & vniuerſorum, quibus animarum legata eſt cura, debet ineſſe cordibus, vt honorem Dei quęrant, debitum ſuum ſoluant, profectumque ſpiritualem ex miniſterio ſuo altiſsimo offerāt. Quod quidem vt efficacius peragant, non ex proprio ſēſu; vt hæretici, nec curioſe tanquam elati, neque temporali commodo ſicut mercenarii, ſed ſanctarum ſuffultam autoritatibus ſcripturarum humiliter, plane, efficaciter, & recte ſanam proferant doctrinam, quæ vtique valeat promouere auditorum mentes ad amorem Dei, præbere intelligentiam ſacramentorum Chriſti, informare vitam ad imitationem ſanctorum, aperire ſenſum ad indaginem diſciplinæ ſpiritualis, erudirentque fideles ad cognoſcendam veritatem eorum, quæ in futuro expectanda ſunt ſæculo. In his tota lex pendet & Prophetæ, omniſque eccleſiaſtica doctrina ſubſiſtit. Si diuinorum quidem Euangeliorum volumina, ſi ſacrorum canonum inſtituta, ſi orthodoxorum patrum reuoluantur ſcripta, nihil aliud docent, nunc quippe palam, nunc verò in myſterio. Palam namque propter ſimplices, in myſterio autem propter eruditos, cuique tamen iuxta captum ſuum, inſinuantes veritatem, vt nullus excuſabilis eſſe poſsit apud Deū, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Studeant igitur rectores eccleſiarum Chriſti in prędicationibus ſuis annūciare Chriſtum, deteſtari vitia, commendare virtutes, malignorum ſpirituum detegere fraudes, & præſentis peregrinationis doceant euitare diſcrimina, & hoc agant non in ſublimitate ſermonis, neque in oſtenſione verborum, ſed in doctrina ſpiritus, & in ſynceritate cordis trahente charitate, introrſus ſancti ſpiritus cooperante virtute, ſine qua prorſus omnis facundia, omniſque ſcientia infructuoſa eſſe cognoſcitur: ea verò diſponente & regēte auditores docibiles fiunt, & ipſorum ad ſuſcipiendum verbū emolliuntur corda, præparātur ad bene viuendum, compunguntur ad lacrymas ſuorum recordatione delictorū, ſpretiſque carnis lenociniis accendūtur ad amorem virtutum, ad contemptū ſeculi, ad perferendum aduerſa, ad aggrediendum ardua, ad ſperandum cæleſtia. Prędicatorum autem lingua ipſo paracleto aſsiſtente, efficitur erudita in ſapientia ad loquendū verbum Dei, ſiue fictione & faſtu, cum omni modeſtia & grauitate, ſicut decet ſanctos, abdicando vtique à ſe omne vaniloquium & ſcurrilitatem, quæ colloquiis diuinis prorſus miſceri non debent. Quæ, oro, conuentio eſt lucis ad tenebras, veritatis ad leuitatem, compunctionis ad riſum, Chriſti ad Belial? Sane reprehenſibile valde eſt in eccleſiis Chriſti & in ſanctorum locis, in quibus poſt ſudores ſecularium negociorū poſt occupationes rei familiaris, poſt diuerſarum perturbationes actionū, poſt multifariā diſsipationē mētis, poſt tumultuoſā fluctuationē inutiliū cogitationū, poſtque illecebras corporaliū voluptatū cōfluit multitudo fidelium ad percipiendum eccleſiaſtica ſacramēta, & audiēdū ſalutis monita tanquā ad refectionē ſpiritualē, & ad portū pacatiſsimū, atque ad ſcholas diſciplinæ cęleſtis, vt ibi recitētur fabulæ poetarū, geſta gētiliū ac vaniloquia, quibus mediātibus aſtantes prouocentur ad plauſū, nec nō diſſoluātur in riſū. Hoc & Apoſtolus Timotheo ſcribens, arguit dicēs: Solicite cura teipſū probabilē exhibere Deo, operariū incōfuſibilē, recte tractantē verbū veritatis. Profana autē & inaniloquia deuita. Multū enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorū vt cancer ſerpit.

1.Tim

Vbiq; igitur & potiſsime in locis Deo dicatis tractanda ſunt ſancta, ac ſaluti animarum vtilia, & quæ tam audientes, quam loquentes ædificent ad bene viuendum, quod vtique figuraliter dominus Moſi mandauit, inquiens: Solue calceamenta de pedibus tuis, terra in qua ſtas, ſancta eſt.

Exod.4.

Inſinuās proculdubio, quod nihil terrenum, nihil mortuum, nihilque, quod ad temporale pertineat cōmodum, ſeu ad mentis promoueat leuitatem, in templo Dei loquendum ſit, præſertim à prædicatoribus, quorum labia eſſe debent munda & ſanctificata, verba verò matura, circunſpecta, atque ignita, quatenus (quantum in ipſis eſt) valeāt auditorum corda diuini amoris igne ſuccendere ac veluti cum quadam ſpirituali ſagitta acuta ſalubriter penetrare. Nam, perhibente Apoſtolo, viuus eſt Dei ſermo & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionē animæ ac ſpiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & intētionum cordis.

Heb.4.

Sunt præterea (ſicut propheta commemorat) eloquia Dei ignita vehemēter, ideoq; ex charitate prolata ignorantiæ fugant tenebras, & dilectionis immittunt flammam.

Pſal.11.

Hoc diſcipuli duo in die reſurrectionis domini ambulantes, ſecumque domino Ieſu loquente teſtati ſunt, quādo repleti gaudio dicebant: Nonne cor noſtrū ardens

Luc.24.

erat in nobis, cum loqueretur nobis, & aperiret ſcripturas? Hoc in actibus legitur Apoſtolorum, quando prædicante Petro, quinque millia hominum Chriſto domino crediderunt. A prælatis igitur & prædicatoribus de regno Dei, & diuinarũ eruditionibus ſcripturarum, prædicandum eſt fidelibus populis, vt diſcant quid credere, quid agere, quóve tendere debeant, ne in huius vitæ itinere laſſati deficiant, & errent per deuia vitiorũ, incidantque manus hoſtiles, & aereas poteſtates quæ furantur, mactant & perdunt. Curent itaque paſtores dominicarum ouium ſupra gregem ſibi creditum vigilare, atque loquendo in publicum, ſi ineſt eis euangelizandi gratia, plebem illis cõmiſſam admonere non ceſſent. Verum quoniam non omnibus tale prærogatum eſt donum, ſaltem priuate ad ſe accedentes informent, prout cuiq; ad ſalutem propriam expedire cognouerint.

Quod more medicorum qui præſunt, ſtudeant in priuatis locutionibus congruam animarum medicinam audientium præbere languoribus.
Cap. VIII.

Medicinæ artis periti hoc habẽt propriũ, vt non omnibus æqualiter, ſed ſingulis diuerſa, prout expedire perſpexerint, impertiantur medicamẽta languoribus. Nũc quippe ferro, nunc cauteriis, ſæpe verò variis vtuntur vnguentis. Interdum ægrotantes ciborũ attenuant parcitate, nonnunquam autem exquiſita alimentorum qualitate ſuſtentant. Naturam vtique ſingulorum attẽdunt & vitam, iuxta vniuſcuiuſque neceſsitatem remedia tribuunt, quæ ad conſequendam ſanitatẽ iudicauerint eſſe opportuna, non voluntati propriæ, ſed infirmantiũ reſtaurationibus conſulentes. Cæterum ſi tanta pro redintegranda corporum mortalium ſoſpitate medicis ineſt ſolertia, quanta in ſanandis paſſionibus animarum vigere debeat cura præſulibus: Qui legit intelligat. Quò enim præſtantior eſt anima corpore, natura diuturnitate, officio & moribus eo ſolicitior in reparatione ipſius eſt adhibenda prudentia. Non plane pro ſanandis corporibus, ſed pro ſaluandis animabus Deus factus eſt homo, & inter homines conuerſatus eſt, hominis paſsiones ſine peccato ſuſcepit, atque hominum languores voluntarie ipſe portauit. Hinc legi-
Luc. 10. tur quod homo quum ab Hieruſalem deſcendiſſet in Hiericho, & in ſpirituales incidiſset latrones, qui eum ſpoliatum, vulneratum, ſemiuiuumque reliquerunt, iaceret in via. Samaritanus quidam proprio eundem hominem iumento impoſitum portauit ad ſtabulum, vino oleoque appoſitis, atque prærogatis ſtabulario duobus denariis ægroti curam huic mandauit. Nempe hoc Dominus Ieſus de ſe verbo pariter inſinuauit & facto. Quanta ſiquidem rectoribus animarum pro ſalute ipſarum debeat ineſſe vigilantia, ſuo quod dictum eſt, demonſtrauit exemplo. Dedit nanque formam, legem ſtatuit, ſpiritualibuſque paſtoribus quibus animarum iniunctum eſt regimen, indixit neceſsitatem, vt ipſi faciant, quod Dominũ ſuum egiſse cognoſcunt. Quamobrem tanquam ſpiritualis medicus debet eſse prælatus, & iis qui ad ſe conueniunt, ſacris eruditionibus opportuna præbere remedia. Maximo itaque diſcretionis moderamine conſideret mores, ſtatus, & ſingulorum qualitates, quatenus cuique valeat loqui, quod expedit. Porro ſi huiuſmodi diſcretionis caruerit libra, ſubiectorum augebit potius quam minuet paſsiones, fietque iuſtiſsime vt vnde ex ſuo miniſterio debuit a Deo expectare mercedem, inde alicuius caſus reus efficiatur & debitor, quoniã emiſſa imprudẽter verbi ſagitta, vulnus vulneri, & languorem addit ipſe languori. Quare ne inſipiẽtium ſuccũbat iudicio, nec plus iuſto ſilentium teneat, neque vt garrulus, laxato linguæ moderamine, grauitati, ac prælationi loquatur indigna. Igitur tanquam ſpeculum virtutis, veruſque ſapiẽtiæ diſcipulus ac diſciplinæ cæleſtis oſtenſor, iuxta ſancti Prophetæ poſtulatio- Pſal. 38.
nem, ponat cuſtodiam ori ſuo, & oſtium circunſtantiæ labiis ſuis, quatenus illud aperiat proferẽdo quod decet, claudat verò compeſcẽdo per diſcretionis cẽſuram, ne loquatur, quòd vel audiẽtium maculet mentem, vel abſentium lædat famam. Facile nanq; in his labitur, quiſquis ſermonibus ſuis negligit imponere fræna. Proruit nanque huiuſmodi ò quàm frequẽter in verbis ſcurrilibus, in turpiloquiis, in mẽdaciis, in ſuſurrationibus, in detractionibus, quæ obloquentium dehoneſtant famam, & coram Deo faciunt eſſe cul- Sap. 1.
pabiles, dicente Sapiente: In cogitationibus enim impii erit interrogatio, ſermonum autem illius auditio ad Deum veniet, quoniam auris zeli audit omnia, & tumulus murmurationis non abſconde- Ibid.
tur. Vnde idem infert exhortando: Cuſtodite igitur vos (ait) à murmuratione, quæ nihil prodeſt, & à detractione parcite linguæ, quoniam ſermo obſcurus in vacuum non ibit, os verò, quod mentitur, occidit animam. Cæterum quum lingua prudenter exercitata, ſit decor animæ, conſcientiæ ſpeculum, index cogitationum, charitatis vinculum, nutrimentũ pacis, honor hominis, honeſtatis exemplar, morum decus, reconciliatrix hominũ, amica ſapientiæ, ſpiritualis vitæ magiſtra, fraternæ dilectionis cuſtodia, nulli oneroſa, omnibus ſemper amabilis, vniuerſiſq; proficua, ipſam, qui animarum præeſt regimini, ſingulis debẽt gubernare momentis, quatenus nihil loquatur indiſciplinatum, nihil reprehenſibile, nihilque quod ſit perfectioni aduerſum, ſed totum veritati innixũ conſonum rationi, Chriſtianæ religioni conforme, atque prudenti examinatione diſcuſſum. In communi ſiquidẽ locutione ſtudeat deteſtari vitia, & cõmendare virtutes. Superbis quippe inſinuet, quãtum odibilis ſit Deo elatio, hominibuſ-

que

que contraria. Hæc profecto à ſuo cōditore fecit apoſtatare Luciferum, ipſique conſentientes de cæleſtibus ſedibus præparatis eiecit, inuoluit tenebris, gehennalibusque retruſit in flammis. 2.Pet.2 Sic enim legitur: Angelos, qui non ſeruauerunt ſuũ principatum, ſed dereliquerunt ſuum domiciliũ, in iudicium magni Dei vinculis æternis ſub caligine reſeruauit. Verum ſi ſuperbientibus angelis nequaquam pepercit Deus, ſed à facie gloriæ ſuę æternaliter repulit, tolerabitne hominem contra proprium ſe extollētem opificem? Quæ, oro, ineſt homini cauſa eleuare inaniter ſe ſupra ſe, & præter omnem iuſtitiæ regulam diuinum ſibi vel ſe vſurpare honorem, cum idem dominus per prophetam clamet & dicat: Honorem meum ne- Eſa.42 mini dabo? Summa hæc dementia eſt voluntas reproba, ſui ignorantia, intolerabile vitium, virus peſtiferum, ruina patens, repulſio gratię, animæ, interitus, omniumque origo malorum. Nihil plane ſic dirimit pacem, fraternum turbat amorem, introducit lites, commouet bella, ſuſcitat odia, quemadmodum altum ſapere, quod proculdubio neceſſe eſt, vt abdicet à ſe quiſquis deſiderat placere Deo, lætificare angelos, ſanctos imitari, ſpiritualibus locupletari donis, ornari virtutibus, ſuperare tentationes, acquirere gratiam, in vita Dei proficere, mandata ſeruare, perſeuerare in ſanctitatis propoſito, & immortalitatis gloriam perenniter poſsidere. Non licet prorſus Chriſtiano, ſiue pro naturalibus dotibus, ſeu pro ſucceſſibus temporalium, vel pro ſpiritualibus chariſmatibus ſe extollere, quoniam vniuerſa hæc Domini Dei noſtri ſunt dona, quę profecto ideo gratis dantur, vt percipientem, illaque tractantem humiliter largitori ſuo efficiāt gratum, atque ad promerendum potiora magis, magiſque diſpoſitum. Iac.4 Nam ſicut teſtante Iacobo apoſtolo Deus ſuperbis reſiſtit, ita abſque vlla ambiguitate humilibus dat gratiam. Matt.11 Hinc exhortandi ſunt elati ad deponendum cordis tumorem & ſui æſtimationem, ſectandumque veſtigia humilitatis, quā humillimus ſaluator noſter docuit dicens: Diſcite a me, quia mitis ſum, & humilis corde. Phil.2 Quam etiam proprio commendauit exemplo, quemadmodum Apoſtolus de illo inquit: Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo. Humiliauit ſemetipſum vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod vtique Deus exaltauit illũ, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomē. Quamobrem pudeat ſeruum ſuperbire, ſeque inſipienter extollere ſupra ſe, quādo vniuerſorum regem & dominum exinanitum videt vſque ad ſuſceptionem ſeruilis formæ, vt doceret ſeruum humilitatem quam ex debito ſeruilis conditionis ſeruare tenetur. Nam idem ſeruus excepta naturali & perpetua ſeruitute, pro qua vtiq; multipliciter ſuo famulari obligatus eſt domino, etiā vænundatus eſt ſub peccato, factusq; eſt ſeruus peccati & corruptionis, à qua videlicet niſi per gratiam ſui redemptoris minime ſe valet ſeruitute redimere. Nimium itaque a propria cognitione, & a laudabili virtutum ſtudio, communique deuiat lege naturæ, quicunque ſuperbiæ inflatus ſpiritu renuit humiliare ſe Deo, ipſiuſque præceptũ ſeruare, cui profecto cuncta, quæ facta ſunt, ſiue ſupercæleſtes ſpiritus throni ſcilicet & dominationes, principatus, poteſtates, atque virtutes, ſeu cæleſtia corpora ſol, luna, & ſtellæ, ſiue quæ vegetantur in terra, aut gradiuntur ſuper terram, vel mouentur in aquis, obtemperant, quibus omnibus perhibente Propheta pręceptum poſuit, & non præteribunt. Pſal.48 Hinc hominum contumacia, hinc merito inobedientium redarguitur ſuperbię vitium, dum creaturis cęteris proprio autori famulantibus ipſi ſe extollentes eidē negligunt eſſe ſubiecti. Igitur in elatis bonus animarum paſtor ſuperbię deteſtetur vitium, humilitatiſque quantum valet, attollat pręconia, quatenus reſipiſcentes a malo efficiantur humiles, & Deo, hominibuſque dilecti. Cupidis verò & auaritię face ſuccenſis quantum ſaluti fidelium cumulandi amor, aggregandique diuitias ſit contrarius, enarrare non ceſſet. Eſt quippe auaritię ęſtus commune malum, ſitis inextinguibilis, infidelitatis filia, mater impietatis, idolorum ſeruitus, radix criminum, & deſiderium inquietum, per quod exercentur rapinę, fraudes excogitantur, committuntur furta, ſceleraque complentur innumera. Econtrario diuitiarum contemptus perfectionis eſt via, cęli ſcala, receptaculum pacis, Chriſti imitatio, ſpes futurę fęlicitatis, ſpirituale gaudium, theſaurus inuiſus, imprędabilis gemma, precioſa margarita. Incedit vtique paupertatis amator inter latrones ſecurus, per deſerta lętus, intra vrbes & caſtra intrepidus, non aggregat nummos, non emit olиueta vel vineas, domos non ędificat, torcularia non parat, neq; horrea replet frumento, ſola domini Ieſu pollicitatione contentus, qui ait: Matt.6 Nolite ergo ſoliciti eſſe dicentes: Quid mãducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hęc omnia gentes quęrunt. Scit enim pater veſter quia his omnibus indigetis. Quęrite ergo primum regnum Dei, & iuſtitiā eius, & hęc omnia adiicientur vobis. Pius dominus qui ſuorum dignator curam habere ſeruorum, illorumque potiſsime, qui ſpretis facultatibus ſeculi in Deo tantum fiduciam habere noſcuntur. Fidelis, inquam, dominus tota animi intentione colendus, qui relinquentibus omnia, ſeque ſequentibus, in regeneratione quum ipſe iudicaturus viuos, & mortuos ſederit in ſede maieſtatis ſuę, ſedes iudicantium populos, & centu-

plum

plum, pro terrenis facultatibus pauperibus erogatis, atque vitam repromittit æternam. Luc 12. Quamobrē Ibid. itidem exhortando, inquit: Nolite timere puſillus grex, quoniam cōplacuit patri veſtro dare vobis regnum. Vendite quæ poſsidetis, & date eleemoſynam. Facite vobis ſacculos, qui non veteraſcūt, theſaurum non deficiētem in cælis, vbi tinea nō corrumpit, & quo fures non appropiant, & furantur. Nihil plane hac exhortatione melius, nihilq; vtilius, quam dare videlicet Deo gratis, quod ad vſum & ad tempus præſtitū eſt, & ex hoc præmia tam immenſa, tamque ſublimia recipere in hoc ſeculo pariter & in futuro. Hoc nempe vere theſaurizare eſt, propriaſque poſsidere diuitias, abſcondere ſcilicet eleemoſynam in ſinu pauperis, terrenam ſubſtantiam erogare egētibus, frangere eſurienti panem, peregrinos in hoſpitium ducere, veſtire nudum, ac neceſsitatem patientibus facultates hilariter miniſtrare. Bona ſi quidem negociatio hæc eſt, quæ miſericordem in momento diuitem facit & in tuto collocat acquiſita, atq; Deum in die neceſsitatis & mortis reddit homini placatum. Iſta profecto intelligens iuſtus ille miſericordiæ operibus ſemper intentus quum reſolutioni corporis appropinquaſſet, filium ſuū
Tob. 4 admonendo dicebat: Ex ſubſtantia, inquit, tua fili fac eleemoſynam, & noli auertere faciē tuā ab vllo paupere. Ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies domini. Quomodo poteris, ita eſto miſericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue ſi exiguum tibi fuerit, etiam exiguum impertiri ſtude. Præmium namque theſaurizas tibi bonum in die neceſsitatis, quoniam eleemoſyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animas ire in tenebras. Fiducia erit magna corā Deo eleemoſyna omnibus facientibus eam. Nihil plane ſic vitam commendat diuitis, & illum exhibet charum Deo, atque aptum facit regno cœlorum, quemadmodum ſectari humilitatem, ſe cunctis præbere affabile, pauperibus & afflictis opem ſufficienter impendere, & pro his omnibus ſolam à domino in futuro ſeculo expe-
1.Tim. 6. ctare mercedem. Hoc Apoſtolus Timotheo ſcribens, inquit: Diuitibus huius ſeculi præcipe non altum ſapere, nec ſperare in incerto diuitiarum, ſed in Deo viuo, qui præſtat nobis abundè, hæc omnia ad fruendum, bene agere, diuites fieri in operibus bonis, facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant vitam æternam. Hæc, & huiuſmodi, qui ſupra gregem domini inſtitutus eſt, amatoribus, poſſeſſoribuſque diuitiarum intimare curet, vt ſeminando temporalia, ſpiritualia, & æterna metant: carnis verò voluptatibus deditis, commendando pudicitiam, carnis vitium deteſtentur. Iſto namque quid turpius? Quid eo verecundius perpetratur: Latebras quippe ſemper quærit impudicus, propriæ iudicio redargutus conſcientiæ. Clamat vtique aduerſus incontinentem conſcientia, tanquam contra tranſgreſſorē legis, contemptorem Dei, interemptorem ſui, occiſorem proximi, naturæ corruptorem, direptoremque honoris alieni. Poteritne eſſe impunis, qui tantorum reus eſt criminum, & ſancti ſpiritus templum violare præſumit? Neſcitis (inquit 1. Cor. 6. Apoſtolus) quod corpora veſtra templum ſunt Spiritus ſancti? Si quis autem Dei templum violauerit, deſtruet illum Deus. Timeat itaque huius ſeueritatem ſententiæ carnalis ſectator illecebræ. Redeat ad ſe, & ſeipsū de iis, quæ turpiter geſsit, puniat de præterito, atque corrigat de futuro. Iudicet quippe ſe antequam iudicetur à domino, quoniam horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis. Ipſe namque Propheta ſcelus hoc diluuii aquas inundare fecit, per quam & in qua oē genus animæ viuentis exceptis iis, qui in arca ſaluati ſunt, interemiſſe cognoſcitur. Ipſe, inquam, huiuſmodi delicto detentos Sodomæ & Gomorræ, vicinarumque vrbium habitatores ſulphureis flammis inuoluit, nouas quoque quotidie vindictas immittit, & (proh dolor) nec ſic tranſgreſſores ſed ad ſe emendandum conuertunt, ſed potius infatuantur, obcecantur, indurātur & pereunt, ſicut Propheta de talibus lamentabiliter ait: Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo. Quod nihil aliud eſt dicere, quam carnales Iohel. 1
homines iumentorum more degentes in luxuriæ fœtore vitam finierunt. Quamobrem beatus homo, qui poſt carnis petulantiam non abiit, & qui ſacræ virginitatis hortum concluſum, fontemq; ſignatum Chriſto domino inuiolabiliter conſecrauit. Ipſe proculdubio in nuptiali & æterno ſpōſi conuiuio lætabundus & gaudens, cantās & laudans, agnum ſequitur quocunque ierit, vna cum beata Maria virgine virginis matre, reginaque virginum choris virgineis ſociata, ſicut idem ſpōſus dominus Ieſus per diſcipulum virginem perhibet dicens: Hi ſunt, inquit, qui cum mulieribus Apoc. 14
non ſunt coinquinati: virgines enim ſunt & ſequuntur agnum quocunque ierit. Hi empti ſunt ex omnibus primitiæ Deo & agno, & in ore ipſorum non eſt inuentum mendacium, ſine macula enim ſunt ante thronum Dei. Verum huius quoque beatitudinis generationem caſtam cum claritate futuram participem dubitet nemo, quæ videlicet quia neſciuit thorum in delicto, habebit tamē & ipſa vberem continentiæ ſuæ mercedem, etſi non tam locupletem quàm candidatarum virginum exercitus glorioſus. Singulis quippe cōdigna donabitur gloria pro qualitate mentis, pro menſura virtutis, pro labore certaminis, & pro ardore charitatis. Nam apud æquiſsimum iudicem noſtrum nulla cognoſcitur eſſe perſonarum acceptio, ſed operum ſingulorum retributio vera. Propterea ſummi regis miniſtri & animarum paſtores cunctis ad ſe accedentibus in

priuatis

priuatis locutionibus ſalus ſatagant rudimenta præbere, hortari videlicet ſuperbos ad humilitatem, honoris & præſidentiæ cupidos ad contemptum ſeculi & æternorũ concupiſcentiam, auaros & diuitias aggregantes ad erogandum egenis, in cœliſque theſaurizandum, carnis lenociniis intentos ad caſtratis pudicitiam ſectandam, ventris, & gulæ voluptatibus deditos, ad ſobrietatis & temperantiæ bonum amplectendum. Prouocent inſuper iracundos, ad manſuetudinem, inuidos, ad fraternam dilectionem, accidiæ tabe depreſſos, ad magnanimitatem & ſpem, puſillanimes, ad longanimitatem, diſcordes, ad pacem, perturbatione agitatos, ad tranquillitatem, perſecutionibus fatigatos, ad tolerantiam, infirmitatibus debilitatos, ad patientiam, crudeles, ad miſericordiam, diſſidentes, ad vnitatem, dubitantes, ad fidem, loquaces, ad moderationem linguæ, mendaces, ad proferendã veritatem, timidos, ad conſtantiam, præuaricatores, ad obedientiam, vitiorum prauitate detentos, ad emendationem vitæ, atque laudabilium operum exercitatione probatos, ad perſeuerantiam boni, quæ omnium, eſt corona virtutum. Cuique igitur impertiatur admonitionis ſanctæ medicamentum ſalutare, ita vt quiſque gaudeat ſpiritualem de ipſorum cõuerſatione habere profectum. Curent præterea ſibi commiſſos ad compunctionem excitare & lacrymas, illiſque inſinuando quàm ineuitabilis ſit huius corporis reſolutio, quàm incerta ſit huius hora, quàm formidoloſa, quàm plena doloribus, anxietatibus circundata, tentationibus periculiſque permixta, potiſsimum iis, qui dum viuerent & tempus ad promerendum haberent, neglexerunt gratiam, ſeque proſtituerunt voluptatibus carnis, repleuerunt proſperitatibus mundi, peccatis ac vitiis voluntarie ſubegerunt, quibus profectò niſi per contritionem veram, & gemitus charitatis ex corde pœnitentiam egerint, ſempiternus manet interitus inextinguibilis gehennæ ignis, frigus intolerabile, ſtridor dentium, fœtor immaniſsimus, immortalis vermis, horridus aſpectus dæmonum, teterrimus inferni carcer, amiſſæque gratiæ cruciatus immenſus. Cæterum ne ob huiuſmodi formidoloſam commonitionem abundantiori abſorbeatur triſtitia, vel metu deprimantur, ſtudeant ipſi qui præſunt, oues ſuas interdum accendere ad futura bona, quæ in cœlis promiſſa ſunt, ſperanda, quę nec oculus vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis aſcenderunt, quoniam pro ſui immenſitate, delectabilitate, iucunditate, ſuauitate, ſatietate, & æternitate, ineffabilia, ac incomprehenſibilia ſunt, tranſcenduntque omnem ſenſum carnis, omnem quoque intellectum angelicum vel humanum, ad quorum vtique inueſtigandum arcana, ſublimia enarrandum, atque profundiſsima perſcrutandum, facundia humana non ſuppetit, ſcientia acquiſita non attingit, cunctorumque mortalium ratio innata non aſcendit. At verò quum quòd corruptibile, quod terrenum, quod temporale, quod ex parte eſt, euacuabitur, ſuccedetque quod ſpirituale, quod cœleſte, quod æternum, quod perfectum eſt, tunc omni prorſus mortalitate conſumpta, omnique ignorantiæ deterſa caligine, erit de Dei clara cognitione, beata fruitio, de angelicorum ſpirituum ſocietate iucunda connexio, de ſanctorum omnium contubernio exuberans glorię communicatio, & de adepta perpetuę immortalitatis corona, pleniſsima cum exultatione gratiarum actio, quæ vniuerſa ſicut nulla intermiſsione deficiunt, ita nullo fine claudentur. Talibus igitur ſermocinationibus, talique diſciplina ſapientię, debet qui pręeſt animarum regimini, hortari bonos, arcere malos, docere inſcios, męſtos ſolari, indiſciplinatos corrigere iacentes erigere, ſolidare nutantes, admonere vitioſos, paruuloſque dirigere, quatenus de ſingulorum profectibus, & ipſe proficiat. Sic verò officium erudiendi prudenter exerceat, vt etiam delinquentium infirmitatibus compatiatur ex corde, atque eorum neceſsitatibus ex charitate ſubueniat.

Quòd exemplo eorum, qui corporaliter infirmantur, debent ſpirituales paſtores ſubditos delinquentes cum compaſsione corrigere. Cap. IX.

IIs, qui corpore infirmantur, nihil ſic congruit, nihilque ſic animam eorum mulcet, quemadmodum ſi ipſorum verbis adhibeatur credulitas, illorumque infirmitatibus intelligant ſibi compaſsionem exhiberi ex corde. Nẽpe ſi omne circa ipſos perſoluere ſtudueris dilectionis obſequium, ſi vniuerſa eiſdem impenſius miniſtraueris neceſſaria, parum illis feciſti, ſi nõ etiam querelis eorum, lamentationibus, eorumque doloribus, te erga illos compaſsione cognouerint eſſe affectum. Porrò hoc illis placet, hoc eorum dulcorat mentem, delinit dolorem, fragilitatemque ſuſtentat. Equidem ſi incolumes exiſterent, huiuſmodi ſuffragiis nullatenus indigerent. Cæterum quia languoribus oppreſsi ſunt, doloribus fatigari, atque humanis conſolationibus, quę ſanis ſuppetunt, omnino priuati, ideò exhortationibus piis conſolandi ſunt, blandis ſermonibus alloquendi, dilectionis obſequiis ſubleuandi, atque cum omni humanitate, manſuetudine, ac compaſsione ſuſtinendi, tractandiq;. Hoc quippe ægrotantium in carne exemplo, hac corporalis exercitationis forma, proximis inſinuata pro Chriſto, optime animarum paſtores erudiuntur, vt cum omni humilitate & patientia, cũ charitate & compaſsione curam exerceant ſibi commiſſam, quatenus tentationibus exagitatos, vel paſsionibus ſuperatos, aut propriæ conſcientię ſtimulis condemnatos, ſeu delictorum ſuorum

aggero

aggero obrutos, atque deſperatione ſepultos va leant verbis conſolatoriis erigere, exemplis ſolidare, ſaluberrimis conſiliis inſtruere, ſpiritualiter Rom. 15. que ſanare. Hanc vtique regiminis formam paſtoribus Apoſtolus notificant ait, Debemus autẽ nos firmiores, imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobiſmetipſis placere. Etenim Chriſtus non ſibi placuit, ſed (ſicut ſcriptum eſt) improperia improperantium tibi ceciderunt ſuper Pſal 68. me. Nempe paſtores veri quum ſibi commiſſos viderint delinquere, & Dei præcepta contẽnere, nequaquam dedignatur, non illos deſpiciunt, neque à ſe repellunt, quin potius compatiuntur illorum caſibus, orant pro eis iugiter, & coram Deo lacrymas fundunt. Imitantur quippe dominũ Ieſum, qui quum aſpiceret ciuitatem Hieruſalẽ affluentem deliciis, diuitiis opulentam, vniuerſis facinoribus plenam, conſpiraturam in ipſius mortẽ & effectum habituram ſuæ peruerſiſsimæ volũtatis, atque ex hoc deſolationi proximam ſuper illũ Luc. 19. fleuit & dixit: Si cognouiſſes & tu: & quidem in hac die quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondi Ioã c. 11. ta ſunt ab oculis tuis. Fleuit quoque Lazari mortẽ qui peccantium ſpiritualem figurabat interitum, & lacrymantibus eius ſororibus ſupra modũ cõpaſsione permotus & ipſe lacrymatus eſt. Alio in tempore cum maximam intueretur hominum Mar. c. 8. numeroſitatem ſequentem & inedia fatigatam, tanquam piiſsimus paſtor, miſereor (inquit) ſuper turbam, quoniã ecce iam triduo ſuſtinẽt me, nec habent quod manducent, & ſi dimiſero eos ieiunos, deficient in via. Quamobrem multiplicatis quinque panibus non minus ſpirituali, quàm corporali eoſdem refecit alimonia. Nemo igitur dubitet, quin quæcũque ipſe dominus Ieſus Dei & hominũ mediator geſsit in carne, vel docuit verbo, ſeu per Apoſtolos & doctores, ſancto ſpiritu dictante mundo indicauit, ad informandam, erudiendamque eccleſiam ſuam ſcripta ſint. Propterea paſtores, qui præſunt dominico gregi, ipſum dominum imitantes, non vt principes, neque ſicut domini, ſed tanquam patres, & paſtores veri ſe habere debent, compatiendo cadentibus, & firmos æquanimiter ſupportando, conſiderantes vtique infirmitatem propriam, quoniam & ipſi vicini ſunt caſui, & ad omne perpetrandum facinus Gal. 6 proni. Sic & Apoſtolus admonet dicens: Vos qui ſpirituales eſtis, huiuſmodi inſtruite in ſpiritu lenitatis. Conſidera temetipſum, ne & tu tenteris. Nempe ſi ipſe dominus cuius vniuerſæ ſunt oues, compatitur delinquentibus, & ad ſe per pœnitentiam redeuntibus nunquam miſericordiæ claudit viſcera, poteritne ſubſtitutus & ſeruus cum auſteritate, humanitate poſtpoſita, gregem ſibi creditum diſperdere, opprimere, dilaniare atque necare? Talibus quippe cõminatur dominus per Pro- Pſal. 13. phetam dicens: Nonne ſcient omnes qui operantur iniquitatem, qui deuorãt plebem meam, ſicut eſcam panis? Reprehenſibile prorſus eſt, vt ſub pio patre & domino dominari debeat durus ſeruus, ſceleribuſque repletus. Non enim pariformiter paſtores animarum, & reges gentium, ac ſeculares principes ſubditos gubernare oportet. Sane principibus cum terrore licet regere, eccleſiaſticis verò præſulibus cum charitate & lenitate illis tanquam dominis, iſtis autem vt patribus. Illis cum ſeueritate punire, iſtis verò cum moderatione & mentis compaſsione corrigere. Illis iugulare & perimere, iſtis autem omni crudelitate ſemota, delinquẽtes reuocare ad vitam, nõ vt liberius peccent, ſed vt emendentur, & viuant in ſpiritu, ſaluique fiant. Regibus quippe atque principibus corporum, vrbium ac populorum data eſt à Deo poteſtas, viris verò eccleſiaſticis animarum iniuncta eſt cura. Circa igitur profectum animarum, reformationem morum, vitæque emendationem eorum quibus ſpiritualiter præſunt, paſtores inuigilent, nunc minis terrendo, nunc demulcendo ſermonibus blãdis, interdũ ratione perſuadendo, interdũ autoritate mandando, aliquando puniendo, nonnunquam parcendo miniſterium ſuum perficiant, ita tamen vt non quod ſibi placeat, ſed quod commiſsis ſibi ſit vtile, pio ſemper quærant fraternæ charitatis amore. Hoc profecto tunc Chriſti ſecũ cooperante virtute agere valebunt, cum plebem fidelium in viſceribus ſuſcipient charitatis, & vnũquenque complectẽdo compaſsionis brachiis tanquam fratrem & filiũ diligent, & veluti cohæredem, & comparticipem futurum cœleſtis regni fouere atque adiuuare curabũt. Maxime verò in hoc charitatis & cõpaſsionis affectu neceſſe eſt illi vti prudentia, ne facilitas veniæ ſubditis occaſionẽ tribuat delinquẽdi. Notent hac verba puſillanimes atque ignaui prælati c. vt clericorũ, vbi gl. de vit. & hon. cl. c. eſt iniuſta, 23. q. 4. ideo ſolitis delinquere nõ debet cõcedi facilitas veniæ. l. 3. C. de epiſ. aud. Nam quemadmodum peccanti compatiendum eſt, atque humanæ fragilitati miſericorditer ignoſcendum, æque ſunt ſcelera punienda, ac corrigẽda errata. Alioquin ſub velamine pietatis compaſsioniſque ſpecie, periclitaretur iuſtitia, quæ viriliter ab iis qui præſunt, exerceri debet ac diligi, ſicut in libro legitur ſapientiæ: Diligite (inquit) Sap. 1. iuſtitiam, qui iudicatis terram. Debent itaque paſtores animarum ſemper miſericordiam ſeruare in corde, & iuſtitiam miniſtrare in opere, iuxta tamen qualitatem perſonarum, grauitatem criminis, intentionis peruerſitatem, conditionem temporis, ac perſeuerantiam mali. Sic itaque ſe habere debet in cunctis, vt nec iuſtitia compaſſionem repellat, neque compaſsio iuſtitiæ regulas prætermittat. Nam iuſtitia ſine compaſsione crudelitas eſt, & compaſsio abſque iuſtitiæ rectitudine ignauia & puſillanimitas iudicanda. Ambæ quippe cohærent ſimul, ambæ in præſidente ſunt neceſſariæ, adeò vt ſi altera ipſarum deſit illi, nequeat eſſe perfectus. Hanc vtique ſententiã ſuo dominus Ieſus commendauit oraculo, quum de homine deſcendente ab Hieruſalem in Hie- Luc. 10. richo,

cbo, & à latronibus vulnerato loqueretur: Tranſiens (inquit) quidam Samaritanus miſericordia motus alligauit vulnera eius vinum & oleum infundens, per vinum videlicet iuſtitiam, & per oleum miſericordiã & compaſsionem ſignificãs.
1.Cor.5. Hanc regulam Apoſtolum Paulum tenuiſſe legitur. Tradidit nanque aliquãdo virum, qui grauiſſimum perpetrauerat facinus in interitum carnis, vt iuſtitia ſuum ſortiretur effectum, & tamen paulo poſt eidem compatiens ex multa tribulatione & cordis anguſtia cum lacrymis ſcribens hortatur illos, apud quos iſte deliquerat, vt parcerent illi, iniuriamque donarent, ne abundantiori triſtitia abſorberetur huiuſmodi, & ſupra virtutem fatigatus, illum in deſperationis foueam diabolus præcipitaret. Eandem ſiquidem corrigendi formam imitentur prelati. Primo quippe moneant, deinde terreant, poſtremo verò puniant delinquentem, niſi fortè peccatum ſit publicum, quod
1.Tim.5. prorſus palàm puniri oportet, dicente Apoſtolo: Peccãtem coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant. Aut ſi delictum ſit adeò graue & enorme, quod omnino correptione indigeat, nulla præuia admonitione facta. Quamobrẽ qui præeſt, maxima debet eſſe diſcretione ornatus, taliter ſe in regimine habere, vt quando expedit, miſericordiam faciat, & quoties vrgens exigit cauſa, iuſtitiam exerceat, ita duntaxat, vt miſericordia ſemper emineat, & ſuperexaltet iudicium, præſertim propter id, quod ſcriptum eſt: Iudicium ſine
Iac.2. miſericordia eſt illi, qui non facit miſericordiam. Sane vtraq; virtute dignum eſt, vt polleat paſtor quoniam vtraque a domino commendatur. Beati
Mat.5. inquit, miſericordes, quoniã ipſi miſericordiã conſequentur. Sed & beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Miſericordibus nanque futura repromittitur gloria, quando in extremo iudicio iis, qui operibus miſericordiæ intẽderint, dicturus eſt: Venite benedicti pa-
Mat.25. tris mei, poſsidete regnum, quod vobis paratũ eſt ab origine mundi, quod vtique regnum ex Dei miſeratione donatur, qui opera noſtra ex largi-
Pſal.88. flua ſua bonitate gratificat. Vnde hoc propheta proſpiciens in ſpiritu exultans ait: Miſericordias Domini in æternum cantabo. Iuſtitiam verò ſitientibus & eſurientibus, illam ſaturitatis in cœlo pollicetur mercedem, de qua proculdubio Propheta ſanctus loquitur dicens:
Pſal.16. Ego autem in iuſtitia apparebo conſpectui tuo, ſatiabor cum manifeſtabitur gloria tua. Merito igitur miſericordes & iuſti cœleſti remuneratione ditantur, quoniam tanquam filii adoptionis & gratiæ Deum, & dominum ſuum imitantur, qui prorſus miſericors eſt, & miſerator, & iuſtus, imò miſericordia ipſa & iuſtitia, quemadmodũ de ipſo Deo & domino noſtro Ieſu Chriſto eloquia ſacra teſtantur. De miſericordia nanque ſic legitur:
Luc.1. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto. De iuſtitia verò Apo- 1.Cor.1.
ſtolum audi: Ex ipſo autẽ vos eſtis (inquit) in Chriſto Ieſu, qui factus eſt ſapientia nobis à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio. Porro quod verbum caro factum ſit, quod idem Deus & homo natus de virgine, in præſepio reclinari voluerit, quod die octauo circuncidi, quod maternis nutriri vberibus, foueri ſinibus, amplexibus ſtringi, obtemperare mandatis, quod peregrinari in Aegyptum, in Iordane baptizari, tentari in eremo, per omnes ciuitates Iudæorum euangelizare regnũ Dei, cæcis viſum reddere, ſurdis auditum, iacentibus greſſum, & mortuis vitam, totum hoc opus miſericordiæ fuit. Cæterum quod ligari, flagellari, collaphizari, conſpui, crucifigi, & occidi dignatus ſit, iuſtitiæ effectum eſſe dubitet nemo. Præceſſerunt miſericordiæ opera, deinde iuſtitiæ in illo ſubſecuta ſunt, ſicut longe ante Propheta vaticinatus eſt, dicẽs: Miſericordia & veritas præcedẽt faciem tuam. Idemque: Miſericordiam (inquit) & Pſal.88.
iudicium cantabo tibi domine. Hoc ideò dictum Pſal.100.
eſt, vt ſcias ipſum libentius ignoſcere, quàm punire. Nam paratiſsimus ſemper eſt ad parcendum, ad feriendum verò (ſi fas eſt dicere) tardus, & piger, & peccata diſsimulans. Hinc eſt quòd antequam iuſtitiæ ſuæ rigorem effundat, præmonet, & æquanimiter delinquentium emendationẽ expectat. Hoc quippe in veteri, hoc in nouo legitur teſtamento hoc in nobis quotidiano claret experimento. Equidem priuſquam diluuium inferret mundo, quanquam corrupta eſſet omnis terra coram Deo, & plena iniquitate, tametſi ſcelera horrẽda, quæ ab hominibus perpetrabantur, diuinam erga illos prouocarent iuſtitiam, adeò vt Deum pœniteret feciſſe hominem, voluit tamẽ vniuerſos ante multorum annorum curricula ex arcæ fabricatione eſſe præmonitos, quatenus ex longanimitate hac à viis ſuis delinquentes conuerterentur iniquis. Nempe quum Sodomorum & Gomorreorum ſcelera in auribus domini ſabbaoth clamarent, & de cœlo expeterent vltionẽ (erant vtique aggrauata nimis) antequam ipſos peccatores nequiſsimos inſolito, inauditoque damnaret ſupplicio, Abrahæ locutus dominus; Deſcendam Gen.18.
(inquit) & videbo, vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint, an non eſt ita, vt ſciam. Quantorum oraculis Prophetarum Hebræorum multoties præmonitus eſt populus, vt ab iniquitatibus reſipiſceret ſuis, priuſquam ſub poteſtate venundaretur gentium, inimicorumque ſuorum daretur in prædam? Arguebat quidem illos, eis minabatur vt pater, ipſoſque interdum corripiebat vt filios, ne poſtmodum impœnitentes deleret vt hoſtes, quoniam miſericors & miſerator eſt, longanimis & multum miſericors. Ipſius itaque miſerationem Propheta inſinuare volens admirans ait: Non ſecũdum peccata noſtra fecit dominus Pſal.102.
nobis, neque ſecundum iniquitates noſtras retribuit

buit nobis. Quoniam ſecundum altitudinem cęli à terra corroborauit miſericordiã ſuam ſuper timentes ſe. Quantum diſtat ortus ab occidente, longe fecit à nobis iniquitates noſtras. Quomodo miſeretur pater filiorũ, miſertus eſt dominus timentibus ſe, quoniam ipſe cognouit figmentũ noſtrum. Hinc etiam ipſe Dei filius per carnis ſuſceptionem præſentiam ſuæ diuinitatis mundo
Luc. 13. oſtendens, tam pie ad Hieruſalem inquit: Hieruſalem, Hieruſalem quę occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſsi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alis, & noluiſti? Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Dicit inſuper ſe ſtare ad oſtium, videlicet cordis humani, & pulſare per internas inſpirationes, vt ſibi per
Prou. 8. conſenſum aperiatur. Delicias quoque ſuas fatetur eſſe cum filiis hominum, & in ipſis perambulare, atque cum eiſdem eſſe vſque ad conſummationem ſeculi, vtique vt illos hortetur ad bonum, vt à tentationibus eruat, vt erudiat in certamine, vt à caſibus protegat, & vt ſaluet in fine. Maxima prorſus conſequendæ veniç, atque adipiſcendæ gratiæ oboritur cauſa, quando Dei maieſtas, ſummaque poteſtas, quam in cœlis cum tremore & admiratione adorant angelorum, archangelorũque virtutes, necnon innumerabilium ſanctorũ omnium venerantur agmina glorioſa, in terris verò creaturæ vniuerſæ omnipotentiſsimo illius famulantur imperio, ſpontanea dignatione reuerendæ bonitatis ſuę tam dulciter, tamque familiariter ſe inclinat ad homines, non vt olim in Sina monte in igne, & ſonitu tubæ, ac coruſcationum terrore, ſed vt pater, magiſter, & ſponſus, in ſynceriſsima charitate, plenus benedictione, & ſpiritualibus chariſmatibus refertus ſemetipſũ communicat diligentibus ſe, ſeque ardentiſsima affectione poſcentibus dona ſua tribuit, facitque illos dignos ſe. Obſeruat quidem ipſe accuratiſsime (vt arbitror) & ſingulorum corda fidelium diſcurrẽdo rimatur, & quotquot viderit carnali voluptate polluta, aut inordinato ſui amore depreſſa, terrenarum cogitationum inuoluta caligine, odii vel liuoris veneno reſperſa, in ea nequaquã reclinari dignatur. Verum ſi quæ perſpexerit pudicitiæ eſſe nitore candidata, conſcientiæ puritate ornata, diuerſarumque virtutum floribus redimita, ac domini timoris ſeris obſtructa, feſtine reclinat illuc, atque perpetuam in illis (quantum in eo eſt) collocat manſionem. Sic verò in ipſis amabiliter habitat, vt minime negligat quærere quos imparatos, & delictorum catenis aſtrictos præteriiſſe videbatur. Nã iterum atque iterum cordis pulſare ſecreta non ceſſat, ſi quomodo ei aperiatur. Pius quũ ſit, nolitque mortem peccatoris, ſed vitam, tanquam verus pater & paſtor rebelles flectere ad lamenta pęnitentiæ, atque in tenebris vitiorum deliteſcentes veritatis ſuæ lumine irradiare non deſinit. Operatur ſiquidem iſta in ſpiritu, vt ſpiritus, qui iacet proſtratus in carne, agnoſcat in lumine captiuitatem ſuam, & (quanquam neceſsitate cogente) erubeſcat ſeruire naturæ mortali, corruptibili, atque fœtenti, quum ſit ipſe ſpiritus intellectualis, & nunquam moriturus, ſed reſoluto ergaſtulo corporis perpetua felicitate glorificandus, ſi tamen pro ſui conditoris amore vẽdicare ſtudeat ingenitam libertatem, diuinæ legis mandatis obtemperet, ſecularibus abrenunciet pompis, carnemque (prout decet) ſibi famulari compellat. Hæc profecto, quoniam ardua & præcelſa ſunt, adimplere non valet, niſi micantis gratiæ præeunte & comitante fulgore, procedentis vtique ab indeficientiſsimo fonte voluptatis ac bonitatis æternæ. Quæ quidem gratia non ex mortalium meritis, ſed ex Dei noſtri mera liberalitate donatur, dicente Propheta, Domine Pſal. 29.
in voluntate tua pręſtitiſti decori meo virtutem. Quamobrem qui needum illa effectus eſt dignus videns ſe verſari in tenebris, atque vitiorum cõpedibus adhuc eſſe detentum, totis medullis cordis (quantum valet) cũ propheta clamet & dicat: Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiã in Pſal. 12.
morte, ne quando dicat inimicus meus, pręualui aduerſus eum. Mitte (obſecro mi domine) manũ tuam de alto, & libera me de manu filiorum alienorum, necnon ab iis vinculis ferreis quibus exigentibus culpis meis aſtrictus teneor, quatenus tibi Deo meo, & liberatori meo, corde mundo, & impollutis labiis aſtare valeam, & tam pro infuſo ſplendore gratificantis gratiæ, quàm pro adepta libertate perceptę veniç cum gratiarum actione iucunda humilique modulatione cantare & dicere: Diligam te domine fortitudo mea, dominus Pſal. 17.
firmamentum meum & refugium meum, & liberator meus, Deus meus adiutor meus, & ſperabo in eum. Cęterũ qui ipſam (de qua loquimur) gratiam fugatis ignorantię tenebris, diruptiſque delictorum catenis in animę ſuę ſuſcepit penetralia, toto illam veneretur affectu, omni ſolicitudine nutriat, ſtudioque cuſtodiat. Nutriat (inquam) ſacris lectionibus, deuotis meditationibus, orationibus aſsiduis, piis gemitibus, deſideriiſque cœleſtibus. Cuſtodiat autem infatigabiliter actibus intendendo virtutum, exercitationi mentis, & diſcretioni ſpirituum, ne per incuriam animi cordis habitaculum ſpirituales irrumpant latrunculi, ſpiritualiaque furtim ſurripiant ſemina, quæ cœleſtis agricola ex largiflua ſua bonitate ſuorum inſpergit cordibus ſeruulorum. Hoc verò ita humiliter agat, vt nõ inflatus in ſe præſumat de ſe, quin potius diuino ſciat ſe indigere ſuffragio, atque à Deo ſe nedum habere quod habet, verum etiam ſciat ſe eſse quod eſt. Nam quemadmodum ignorantia pręſumptionem, & pręſumptio inducit caſum, ita ſcientia humilitatem, & humilitas augmẽtum parit gratiæ, additamentum luminis, perſeuerantiam

rantiam

rantiam boni, ſpei delectabile gaudium, deſiderium proficiendi, guſtum ſapientiæ, fidei conſtātiam, amorem patiendi, exultationē ſpiritus, mentis rectitudinem, iuſtitiæ zelus, ſitimque virtutū. Horum verò bonorum omnium nutrix & cuſtos eſt oratio munda, humilis, piusque ſanctæ deuotionis affectus.

Quòd per meritum reconciliationis factæ per Chriſtum de exilio reuocamur ad patriam. Cap. X.

QVoties quis ob ſuorū demerita delictorū à propria exul efficitur patria, & profugus per regiones vagatur exterorū, ſecurius quandoque valeat ad eandem redire, interceſsione prorſus indiget aliena, quæ tanto proculdubio efficacior, atque vtilior exiſtit, quanto qui intercedit maioris eſt autoritatis, ſublimiorisque meriti. Hinc humanæ reconciliationis ad Deum æſtimari debet efficacia, ad quam vtique perficiendam non vnus ex patriarchis, aut ex prophetis, neque vnus ex excellentioribus choris angelicarum deſtinatur virtutū, ſed vnigenitus Dei filius patri coæqualis, conſubſtantialis, & coæternus. Miſsi quippe ab ipſo penè mundi initio fuerunt patriarchæ, miſsi etiam Prophetę, ſed tantū vt pręcones & nuncii eius, qui in temporis plenitudine erat venturus, quatenus eorum exhortationibus ſacris plebium mentes informarent ad fidem, & roborarent in ſpe ſummi Dei & mediatoris Dei & hominum, quem pro humani generis redemptione, & propitiatione ad Deum vaticinabantur eſſe venturum. De cuius profecto conceptione mirabili, natiuitate, manifeſtatione, perſecutione, fuga, baptiſmo, tentatione, prędicatione, miraculis, virtutibus, moribus, paſsione, irriſione, cōtumeliis, flagellis, morte, reſurrectione, & aſcēſione, tam conſpicuè, tamque diſtinctè prophetauerunt, vt non futura, ſed pręterita narraſſe videātur. Illorum itaque aſſertionibus, eorumque oraculis pleniſsima adhibenda eſt fides, quippe quū illa, quę futura pronunciabant, humano nunquā potuiſſent capere ingenio, per quod vix propinqua, atque pręſentia iudicantur. Solius namq; Dei eſt proprium, ſicut pręterita, ita ſcire futura, & cui voluerit reuelare, in cuius verbo vniuerſa nuda & Heb. 1. aperta ſunt, ſicut ait Apoſt. de ipſo vnigenito loquens: Qui quum ſit ſplendor (inquit) glorię, & figura ſubſtantiæ eius, portāſque omnia verbo virtutis ſuę, purgationē peccatorū faciens, ſedet ad dexterā maieſtatis in excelſis, tanto melior angelis effectus, quanto differentius prę illis nomē hęreditauit. Solum igitur quum Dei hoc ſit occulta & remota prędicare, quoties prophetico ſpiritu 2. Petr. 1. ventura prędicuntur, diuinę potius quàm humanę autoritati eſt prębenda credulitas. Nam (teſtante Apoſt. Petro) non humana voluntate eſt allata aliquando prophetia, ſed ſpiritu Dei reuelante locuti ſunt ſancti prophetę: Miſsi itaque ſunt ſancti viri ſpiritu prophetico prędicti, vt domino Chriſto teſtimonium perhiberent, & animę æquiorem facerent populum Hebręorum in expectatione eius, qui ipſorum patribus fuerat longe antè promiſſus. Ad quod vtique declarandum, mox vt ille promittebatur apparuit, Prophetarum deſierunt oracula, dicente domino: Lex & Prophetę vſque Matt. 11. ad Ioannem Baptiſtam. Miſsi quoque ſunt angeli, non vt redimerent, ſed vt miniſtrarent, notaque facerent recōciliationis ac redemptionis opera futura per Chriſtum. Hinc eſt quod ante ipſius aduētū toties patribus veteris teſtamēti locuti ſunt angeli, Abrahæ videlicet, Iacob, Moſi, Ieptæ aliiſq; multis, ſicut ſacrarū denūciāt volumina ſcripturarū. Poſtremo ad Zachariam, atque Mariā angelus deſtinatus eſt Gabriel, qui pariter effectus nuncius eſt & teſtis. Ad hoc quippe vnus de ſublimioribus à Deo ſpecialiter miſſus eſt nuncius, vt autoritatem venientis regis, incarnationis myſterium manifeſtaret modum, diuinitatis quoque exhiberet præſentiam atque virtutem. Quę videlicet egit, vt virgo ſacratiſsima fide conciperet, & Verbum caro fieret, vnus Emanuel, Deus & homo, vna perſona, vnus Dei & hominum mediator homo Chriſtus Ieſus. In cuius profecto ortu ineffabili audita eſt teſtium angelorum, cœleſtis ſcilicet militię innumerabilis multitudo Deū conſona modulatione collaudantium atque dicentium: Gloria in altiſsimis Deo, & in terra Luc. 2. pax hominib. bonę volūtatis. Merito igitur pacē hominib. annunciauerunt angeli, quādo Dei filiū, filiū hominis factum cū obſtupefactione maxima, in pręſepio pannis inuolutum in medio iumentorum irrationabiliū cōſpexerunt, quemadmodū Eſaias Prophetauerat dicens: Puer natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, cuius imperium Eſa. 9. ſuper humerum eius, & vocabitur nomen eius admirabilis. Deus fortis, princeps pacis, pater futuri ſeculi. Alioque in loco: Cognouit (in- Eſa. 1. quit) bos poſſeſſorē ſuū, & aſinus præſepe domini ſui, populus autem meus nō cognouit me, & Iſrael nō intellexit. Hunc proculdubio eſſe angeli intellexerunt, quē Deus per ſāctos Prophetas in ſcripturis ſanctis humani generis promiſerat Saluatorē. Quāobrē pacē in terris adeſſe teſtati ſūt. Pacē, inquā illā, de qua Apoſtolus ait: Ipſe eſt pax Eph. 2. noſtra, qui fecit vtraque vnum, medium parietē inimicitiarum ſoluens in carne ſua, legem mandatorum decretis euacuans, vt conderet in ſe vnū nouum hominem, pacem faciens iis, qui longè, & pacē iis, qui prope. Hanc vtiq; pacem, poſtquam per ſacroſancti ſanguinis ſui effuſionē, cōſummauit in ligno, ſatisfaciens pro delictis omnium prędeſtinatorum ad vitam, affigenſq; noſtræ chirographum damnationis in cruce, & palā aereas ſuperās poteſtates triūphauit in ſemetipſo, per vniuerſū voluit propalari orbē per legatos ſuos, ſāctos videlicet Apoſtolos ſuos, quos ſpiritu

ritu ſancto repleuit, tradiditque illis omniũ ſcientiã linguarum, quatenus tanquam veri teſtes annunciarent in gentibus inter Deum & homines pacẽ per Chriſtũ fuiſſe firmatã, & reſumpta fiducia, ſeruiliq; ablato timore, cum gaudio reuerterentur ad patriam, quippe qui diſperſo patrimonio egentes ac famelici ſeruierant opprimentibus ſe, atque per tẽpora longiſsima in regione errauerant aliena. Cæterum vt illorum prædicatio maioris eſſet autoritatis, acceperunt huiuſmodi pacis præcones faciendorum miraculorum eximiam poteſtatem, ſicut illis ab ipſo domino fuerat imperatum atque promiſſum. Nam prius quã

Mar. 16. cœlos peteret, mandauit illis dicens: Euntes in mundum vniuerſum prædicate euangelium omni creaturæ, qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Signa autem eos qui crediderint, hæc ſequẽtur. In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, ſerpentes tollent. & ſi mortiferũ quid biberint, nõ eis nocebit. Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Et dominus Ieſus poſtquam locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cœlum. Illi autẽ profecti prædicauerunt vbiq; domino cooperãte, & ſermonẽ confirmante ſequẽtibus ſignis. Vnde tum ex eruditionibus angelicis, tum ex oraculis Prophetarũ, tum etiã ex prædicatione, vita, & miraculis Apoſtolorum, atque ſanctorum, veritas Chriſtianæ religionis, & redemptio facta per Chriſtum, adeo eſt effecta notiſsima, vt nequaquã teſtimonio aut probatione indiget. Nam eccleſiam catholicam cõſpicimus poſt perſecutiones martyrum, poſt falſa hæreticorum dogmata, ita ſuper firmiſsimã petram in pace eſſe fundatam, decoratam cæremoniis, ſacramentis munitam, Deo famulantium agminibus inſignitam, patrumq; orthodoxorum eruditionibus & ſententiis roboratam, vt fidei planũ factũ ſit iter, ac bene viuendi cunctis fidelibus libera ſit tributa facultas. In ſingulis deniq; congregationibus tanquã militum duces inſtituti ſunt præſules, quorum exhortationibus & doctrinis eorũ corda animentur ad ſpiritualem pugnam, informenturq; ad cultum veri Dei, & legalium obſeruantiã mandatorũ, quibus mediantibus, cœleſtis vitæ pertingant ad palmam. Inſtituti, inquã, ſunt plebibus epiſcopi, atque paſtores, veluti mediatores Dei & populi, quatenus piis ſuis intercelsionibus, orationumque ſuffragiis, diuinã iuſtitiã erga delinquentes faciant eſſe placabilem. Nam quoties populus ſpirituali ſeu corporali fatigatur in prælio, ſi quando diuina præcepta grauiter peccãdo tranſgreditur, quamdiu æquiſsima animaduerſione percutitur, ad orationis debet prælatus aduolare præſidium, ibique corde compunctus, proſtratus corpore, compaſsione plenus ignitus charitate, lachrimiſque ſuffuſus, deprecari dominum, angelorũ ſanctorumq; omniũ interpellare ſubſidiũ, vt eorum ſupplicationibus Deo valeat plebem ſibi recõciliare cõmiſſam. Porro quum Moyſes, qui prælatorum typum præfigurabat, iubente Deo debellare vellet Amalech, accepta Dei virga in manibus aſcendit ſuper verticẽ collis, ibique Ioſue pugnante inferius, extenſis ad cœlum manibus, erectiſq; luminibus ſine intermiſſione preces fundebat pro populi ſalute ad dominum, nec prius ab oratione ceſſauit, quàm perfectum de hoſtibus reportaret triumphum. Vnde Exo 17.

ad futurorũ eruditionem illi dominus tunc mandauit dicens: Scribe hoc ob monumentum in libro, & trade in aurib. populi. Ioſue quoq; eiuſdẽ Moyſi ſucceſſor, & ipſius populi dux, quum ciuitatẽ expugnaret Hay, videretq; quod à viris habitatoribus urbis cæſus Iſrael terga vertiſſet, ſtatim corã arca domini proſtratus orauit, dicens: Heu domine Deus, quid voluiſti traducere populum Ioſu 7.

iſtum Iordanem fluuium, vt traderes in manus Amorræi, & perderes? Mi domine quid dicam, videns Iſraelem terga vertẽtem? Cui oranti inquit dominus: Surge. Cur iaces pronus in terra? Peccauit Iſrael, & præuaricatus eſt pactum meum. Surge, ſanctifica populum. Quo ſanctificato, progreſsus ad pugnam, illos Ieſue hortabatur ad bellum. Verum neque iſte, ſicut nec Moyſes, manũ, quã in ſublime orãdi cauſa portexerat, cõtraxit, donec vrbis habitatores interficerentur vniuerſi. Cæterũ de Ezechia rege Iuda, quid memorẽ, quem Senacherib Aſſyriorum rex cũ ingenti pugnatorum multitudine obſideret Hieruſalem aſſũpto ſecũ Eſaia Propheta vſq; ad cœlũ lacrymis orando vociferatus eſt. Ambobus, itaq; perſiſtentibus in prece, miſit dominus angelũ ſuum, qui percuſsit omnem virum robuſtum, & bellatorẽ & principem regis Aſſyriorum, reuerſuſq; eſt cũ Parali. 2. c. 32.

ignominia in terram ſuam. Porrò quicunq; vniuerſa, quę in ſacris reperiuntur voluminibus, & ad rem hanc pertinent, indagare voluerit, abſq; ambiguitate vlla cognoſcet ſanctos viros in omni eorum preſſura in perſecutionibus, in tentationibus, in periculis, in dubiis, in cunctis emergentib. aduerſis, præuia ſemper, comitãteq; oratione, diuinũ flagitaſſe auxiliũ. Nec aliũde prorſus quã à Deo debet quis implorare ſuffragium, quippe quũ creatura quęlibet nequeat ſibi ipſi pręſtare, quo indiget, quoniã infirma eſt, neq; alicui quicquam tribuere quod ſuũ eſt, quum nihil habeat quod non acceperit, ab illo, qui eſt, & impẽdit omnibus, poteſtq; omnia, atque vniuerſa perluſtrat, quamuis abdita & ignota ſint angelis ſeu hominibus. Ipſe profecto ſolus colendus eſt, ipſi ſupplicandũ, ad ipſum confugiendum, & in ipſo tota noſtra collocanda fiducia, quoniam bonus, pius, miſericors & compatiens eſt, atq; paratiſſimus præbere homini quæ petit, quæ tamen ſint bona, ſint cõgrua, ſint ſaluti ſuę neceſſaria. Vnde Matt 7.

hortatur dicẽs: Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis. Oĩs, qui petit

(inquit)

Digitized by Google

(inquit) vtiq; humiliter, fideliter, perſeueranterque, accipit; qui quærit inuenit, & pulſanti aperietur. Quamobrem prælatus ſit in oratione aſsiduus, & poſtulet pro ſe ipſo à Deo, qui omnibus dat affluenter, & non improperat, ſapientiam ad guſtandum cœleſtia, ne mens illius delectationibus terrenis inhęreat. Flagitet intellectus lumen ad penetrandum ſacramentorum arcana, immũdorumque ſpirituum deceptiones fallaces euitãdas, ne noxiarum opinionum labatur inuolucro. Conſilii donum exquirat, ad apprehendendum, inſinuandumque quid pernicioſum, quid ve proficuum ſit, tam ſibi quàm cæteris ad ſe accedentibus, ne petra efficiatur ſcandali, & in illam impingant qui ſimpliciter gradiuntur. Fortitudinis cõſtantiam poſtulet ad tolerandum perſecutiones & bella, quæ à dæmonibus pariter & hominibus inferuntur iis, qui in Chriſto pie conuerſari deſiderant, ne puſillanimitate frangatur, & eliſus ſuccumbat. Scientiæ ſenſum ſibi infundi deprecetur aſsiduè ad prudenter tractandũ ſicut propria, ita & aliorum negocia, ne vnde proficere ac prodeſſe debuit, inde dãnetur. Pietatis affectum expoſtulet ad compatiendum, ſubueniendumque calamitatibus egenorum, & periclitantium preſſuris, ne pro miniſterio fraternæ dilectionis ſibi credito iudicium aduerſum ſe ipſi reportet. Timoris filialis gratiam in oratione deſideret, vt nõ frangatur in aduerſis, neq; eleuetur in proſperis, ſed humilitatis & rectitudinis conſtitutus in medio, tranſcendendo temporalia, ſemper futura & æterna proſpectet. Petat quoq; pro cæteris eadẽ dona, pro illis præſertim, pro quorum effectibus eidem iniuncta eſt cura. Oret (inquam) pro communi eorum ſalute, vt videlicet compuncti propria errata cognoſcant, vt ignoſcatur illis, vt gratiã conſequantur, & cõuertantur ad dominum, vt de tenebris eruantur, & transferantur ad lucẽ, vt de morte peccati reſuſcitati perſeuerent in vita. Verum ſi fame, ſi gladiis, ſi peſte plectantur, tunc ſine intermiſsione incumbat precibus, ſeq; pro populo opponat ferienti, ſi quo modo valeat iudicis ſęuientis mitigare ſententiam. Sic namq; Moſem feciſſe, ſic egiſſe Aaron, ſic Dauid ſacra

Num. 11.

narrat hiſtoria. Quum enim eſſet ortũ murmur in populo Hebręorũ contra dominum, quaſi dolentiũ pro labore itineris, iratuſq; dominus miſiſſet ignem in eos, & deuoraſſet extrema caſtrorũ, orauit Moſes dominũ, & abſorptus eſt ignis. Alio quoq; in tẽpore quum idem populus propter eos, qui perierãt in ſeditione Choræ, Dathan, & Abiron murmuraſſet, velletque Moſem & Aaron interficere, accẽſus eſt ignis domini, & deuaſtabat populum, quod cum cerneret Moſes, compaſſione

Num. 16.

commotus dixit fratri ſuo: Tolle thuribulum, & hauſto igne de altari mitte incenſum deſuper, & pergecito ad populum, vt roges pro eo, iam enim egreſſa eſt ira à domino, & plaga deſæuit. Quod quũ feciſſet Aarõ, & cucurriſſet ad mediam multitudinẽ, quam iam vaſtabat incendiũ, obtulit & thimiama, & ſtans inter mortuos, & viuentes, pro populo deprecatus eſt, & plaga ceſſauit. Dominus pręterea quũ peſte maxima proſterneret populum Iſrael, Dauid in oratione poſitus ad dominum clamauit dicens: Ego (inquit) ſum

Parali. 21

qui peccaui, ego iniq; egi: iſti, qui oues ſunt, quid fecerũt? Vertatur (obſecro) manus tua cõtra me, & contra domum patris mei. Vnde prophetico admonitus oraculo ædificauit ipſe Dauid altare domino, & obtulit holocauſta & pacifica, & repropitiatus eſt dominus terræ, & cohibita eſt plaga ab Iſrael. In his vtique ſingulare eccleſiaſticis perſonis præbetur exẽplũ, vt videlicet quum aduerſus plebẽ iraſcitur Deus, nõ fugiant, neq; formident, ſed de domini miſericordia cõcepta fiducia, orõnis incenſo, & cõpaſsionis thimiamate, ſuperpoſitis carbonib. charitatis, oblatiſq; ſuper altare ſanctæ eccleſię holocauſtis, atque pacificis pro expiatione cæſorũ, atq; delinquentiũ iuge ſacrificiũ ſpiritualiũ odoramentorũ altiſsimo offerant, reddantq; vleiſcentẽ ſe iudicẽ ſua interuẽtione placatũ. Ad hoc proculdubio præficiuntur plebibus, ob hoc paſtorale illis miniſterium traditur, vt ipſas verbo erudiãt, & bene viuendi exemplis informent, vt pro illis orent aſsidue, offerantque pro earum ſceleribus Deo grata libamina, quemadmodũ Apoſtolus perhibet dicens, Om-

Heb. 5.

nis (inquit) põtifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus cõſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis, qui condolere poſsit iis, qui ignorant & errant, quoniã & ipſe circundatus eſt infirmitate. Et ideo debet quemadmodũ pro populo, ita ẽt pro ſemetipſo offerre pro peccatis. Diſcant ergo qui præſunt, quotidie obſecrare pro populo, diſcãt (inquam) dominici corporis ſacroſancta myſteria iugiter immolare pro plebe. Nihil profecto hoc ſarificio acceptabilius Deo patri pro recõciliãdis peccatoribus, nihil pro expiandis ſceleribus, pro captiuis fidelib. redimẽdis vtilius ĩ eccleſia offerri poteſt, quippe quũ ſit memoriale efficaciſsimũ illius excellẽtiſsimę charitatis, quã ipſe dominus Ieſus Chriſtus in vltima cęna paſchæ celebraturus oſtendit, quamq; in crucis patibulo moriẽdo notã fecit, & in ipſo idẽ dominus quotidie myſticè immolatur, qua quidem immolatione à vitiorum purgamur ſqualoribus, mundamur ab infidelitatis tenebris, Deo reconciliamur per mortem filii eius, quã myſteria ipſa venerãda reſtantur, gratificamur angelis per Chriſti contubernium, paſcimur verò Chriſti corpore, potamur ipſius ſanguine, quo redempti ſumus, ditamur ſpiritualib. chariſmatibus, vnimur Chriſto domino per amoris contubernium, incorporamur Chriſti corpore myſtico, perficimurq; virtutibus, ipſo vtique dirigente & cõmunicante, quem ſumimus. Ipſis pro-

Digitized by Google

fecto pontificibus ac ſacerdotibus licet non tantum ſemel in anno, neque per ſortes, vt olim in veteri teſtamento, ſed diebus ſingulis introire ſancta ſanctorum & tam pro ſeipſis, quam pro populi reconciliatione offerre hoſtiam laudis diuinæ maieſtatis obtutibus, in præſentia, vtique ſanctorum angelorum aſtantium & Deum pariter collaudantium, atq; deprecãtium quum ipſa immaculata peraguntur ſacrificia, vt quod minus miniſtri ipſi ſufficiunt per ſeipſos, eorum interceſsionibus obtinere mereãtur. Nequaquam verò dubitandum eſt, eoſdem beatos ſpiritus cõſortes & cooperatores eſſe miniſtrorũ eccleſiæ, dum ſacramenta tractant cœleſtia, ſi tamen fideliter, ſi humiliter, ſi deuotè, ſi piè miniſtrent. Maxima prorſus ac veneranda ſacerdotum, atque præſulum ſpiritualium cognoſcitur eſſe autoritas, quibus datum eſt cœlum aperire & claudere, corpus Chriſti conficere, immaculata Deo offerre ſacrificia, orationis pro peccatoribus fundere ac inter Deum & homines mediare. Sublimis vtique eſt hæc dignitas, miranda poteſtas, ſingulare officium, donum ſpeciale, miniſterium vtile, communeque bonum iuſtis & ſanctis, ac Deum timentibus, dominoque intentione recta, necnon mundo corde famulantibus. Cæterum quẽadmodum omnia munda ſunt mundis, & ſancta proſunt ſanctis, ita è regione coinquinatis ſceleribus, & elatis ad iudicium miniſtrant ſancta.

Hier. 11. Non enim valent munda mundare immundos, domino per prophetam perhibẽte, qui ait: Quid
1.Cor.11 eſt quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa? Nunquid carnes ſanctæ auferent à te iniquitates tuas? Et Apoſtolus: Qui enim manducat (inquit) & bibit indignè, iudicium ſibi mãducat & bibit. Hinc aperte colligitur, quòd non ſolum quid offeratur, ſed qualis ſit qui offerat, intuetur omnipotens, ſicut eloquia ſacra teſtantur,
Gen. 4. quibus dicitur: Reſpexit dominus ad Abel, & ad munera eius: ad Caym autem, & ad munera eius non reſpexit. Grata profecto ſunt munera, orationes placabiles, acceptæque laudes, quas quotidie ſancta mater Deo reddit eccleſia. Verum ſiunt proculdubio gratiora, ſi miniſtrorum mens ſit deuota, cor humile, affectus ignitus, ſancta cogitatio, obſequium rationabile, oculus interior rectus, cuſtodia cordis non dormitans, loquela compoſita, & irreprehenſibilis vita. Quamobrem qui præſunt plebibus, & qui in eccleſia curam gerunt animarum, toto ſtudio elaborent placere Deo, & ſine querela cum hominibus conuerſari, quatenus ſiue orationi intendant, ſiue obſecrationes pro populo fundant ad cœlum, ſeu ſacro altari afferant miniſteria veneranda, accepta ipſorum ſint munera, poſtulationes placidæ, & efficaces preces, creſcantque eorum merita, non minus de profectibus eorum, quàm de ſuarum exercitatione virtutum.

Quòd ad inſtar eorum, qui tempore belli vrbium excubias faciunt, ſuper intendant præſulos dominicis gregibus, & de ſe perfectionis lumen exhibeant. *Cap.* XI.

EXperientia teſte didicimus, vt quando ciuitas aliqua obſidetur ab hoſtibus, illicò turrium murorumque deputantur cuſtodes, qui alternatis vicibus die ac nocte excubias celebrent, inimicorũ inſidias detegant, ſuaq; prævidentia aduerſarios faciant ſemper eſſe ſuſpectos. Horum ſiquidem aſſertionibus magna præſtatur credulitas, atque ſub illorum non dormitanti prudentia omnis ciuium multitudo tranquillitatis bono, animique pace potitur. Ad nutũ profecto ipſorum innoteſcit aduenientium numerus, inſultus inimicorum, terrentur incolæ, euigilant deſides, puſilanimes confortantur, militeſque excitantur ad pugnam. Nam etſi pauci tales ſint numero, ſunt tamen primi præſidio, adeò vt abſq; eorum diligentia nullatenus ciuitas ab irruentibus hoſtibus poſsit eſſe ſecura. Eſt quippe hæc myſtica ciuitas eccleſia ſancta fideliũ in Chriſti nomine cõgregata, de qua Ioan. in Apoc. Apo. 21.
ſic ait: Vidi ciuitatem ſanctam Hieruſalẽ nouam deſcendentem de cęlo, a Deo paratam, ſicut ſpõſam ornatam viro ſuo. Hæc vtique inceſſanter ab iniquis hominibus fatigatur, qui tanquam zizania commixta tritico cum iuſtis ſocialiter conuerſantur in ea. Hæc, inquam, ciuitas à malignis ſpiritibus implacabiliter debellatur, dicente A- Eph. 6.
poſtolo: Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitię in cęleſtibus. Ad huius itaq; vrbis defenſionẽ, cuſtodiã & pacẽ inſtituti ſunt præſules, quorũ ſolertia, ſpeculatione, charitate, atq; prudentia emergentia ſedãda ſũt ſcandala, ac peſsimorũ virorũ vitia corrigenda, dæmones verò attendi, propalandæ eorum ſunt fraudes doloſa, ac ſub ſpecie boni palliata cõſilia diſsipãda, ſpiritualeſq; ipſorũ prędicẽdi inſultus. Quæ profecto eò certius & rectius faciunt, quò altius cęteros mentis eleuatione tranſcendunt, clariuſque per contemplationis ocium intuẽtur cœleſtia. Ipſos quippe decet aliis hominibus eſſe perfectiores, atque per diuturnæ exercitationis ſtudiũ calcare vitia carnis, à ſe abdicare voluptates mũdi, illecebras deſpicere, viſibilia ſpernere, & ad inuiſibilia toto mentis anhelare affectu, vtpote qui debent iter virtutum, vitæ ordinem, & veritatis lumen oſtendere. Nam ſi qui præcedere alios debent, ipſi errore falluntur, & à recto virtutum calle, atque ſpiritualis vitæ deuiant diſciplina, quæ cæterorum erit conuerſatio? Et ſi qui dati ſũt, vt veritatis lumẽ inſinuẽt, ipſi ſũt tenebræ, quis erit tenebras ſequentiũ finis? Magna quippe prælatorũ dignitas, ſed maius eſt pondus. In alto gradu ante oculos hominum poſiti ſunt, oportet quo-

quoque vt in ſublimi virtutũ culmine ſint erecti coram oculis cuncta cernentis, alioquin non ad meritum, ſed ad proprium præſunt iudiciũ. Quid, oro, æſtimanda eſt dignitas commendata exterius, ſi ob præſidentium demerita à Deo ſit reprobanda interius? Aſcendat igitur ſanctæ ciuitatis ſpeculator interius, viſibilia, & temporalia calcãdo exterius, quatenus in excelſo poſitus, & per ſe eruditus de ſe valeat iis, qui in imo poſiti ſunt, & terrenis inhiant lucris, atque temporalibus implicantur negocijs, viam vitæ oſtendere, quam profecto inferius iacendo non poteſt. Quonam (quæſo) animo, qua fronte, qua autoritate audebit peccantium redarguere vitia vitiorum amator? aut de ſpiritualibus loqui cupiditatum carnalium ipſe ſectator? Quamobrẽ Epiſcopus & quiſque ſpiritualis paſtor, cui dominico gregi incumbit ſemper intẽdere, in ſublime perfectionis maneat, agat ipſe quod doceat, & de ſe laudabiliter viuendo inſinuat quod imitatione ſit dignum, vt abſque vllo rubore cum hominibus conuerſetur exterius, & corde mundo coram Deo aſtare poſſit interius. Vtrunque enim fidelis paſtor exercere debet in actu, ſuo tamen loco & tempore, vt ſemper in vtroque proficiat. Diuinæ ſiquidem contemplationi ſibi interdum vacando inhæreat & de æternę bonitatis fonte tunc hauriat, quod poſtea exhortando effundat ad plebem. Porro ſi intus cor torpeat, ſi cœleſtis dulcedinis guſtu careat, ſi inutilibus cogitationib. diſtrahatur, ſi terrenarum rerum affectus deprimatur, ſi tentationum turbinibus tanquam paruulus quatiatur, vtique quod docendo profert ex ſe, inſulſum eſt, frigidum eſt, aridum, atque ad promouendum audientium mentes prorſus inualidũ. Nã quemadmodũ de vno, eodẽq; fonte nõ põt effluere dulcis, amaraque aqua: ita nec inſipidũ cor promere valet verba flammantia. Cæterũ ſi fuerit poſt teporem ſancti ſpiritus inſperata viſitatione, charitate feruidum, humilitate pium, deuotione ſęcũdum: tunc procuidubio ignitas eloquiorum cęleſtium emittit faces, ſacramẽtorũ arcana reſerat, atque ex accepta diuinæ benedictionis abũdãtia, ſpiritualia quædam de ipſo odoramenta prorumpunt. Tũc quippe paratus & iis operatur præter naturam ſupra virtutẽ, repẽtino impulſu, inuiſibili- Ioan. 3. que motu, ſicut ſaluator indicauit, dicens: Spiritus vbi vult ſpirat, & vocem eius audis, & neſcis vnde veniat, aut quò vadat. Tunc vtique mente orandũ eſt, tunc cõſentiẽdũ eſt aſpiranti, promouenti, dirigẽti, ſicut ſcriptura ſacra teſtatur: Si ſpiri- Eccl. 10. tus, inquit, poteſtatem habens aſcenderit ſuper te, ne dimittas locum tuum, ſed illi conſentias. Sic enim olim ſpiritus cordibus inſiliens Prophetarum faciebat choros ducere, deſerta luſtrare, futura prædicere. Sic idẽ ſpiritus quũ arca Dei portaretur, in iubilo ſancti regis Dauid mẽtẽ complectens, fecit illum corã omni multitudine populi Iſrael nudatum veſtibus pulſare organa, totiſque viribus ſaltare ante ipſam fœderis arcam. Vnde redargutus ab vxore, quòd ſe nudatus coram ancillis ſuis dehoneſtaſſet regiam dignitatem, eodẽ repletus ſpiritu cum autoritate reſpondit: Viuit dominus, quia ludam ante dominum, qui elegit 2. Reg. 6. me, vt eſſem dux ſuper populum Iſrael. Ludam & vilior fiam plus quàm factus ſum, & ero humilis in oculis meis, & cum ancillis de quibus locuta es, glorioſior apparebo. Sic in exordio naſcentis eccleſię, quieſcentibus apoſtolis pariter & orãtibus, repentino de cœlo ſonitu facto, deſcendit ſpiritus ſanctus, repleuitque domũ totam & corda aſtantium, adeo vt impetu ſuo exirent, & verba vitæ diuerſarum nationum populis cum fiducia prædicarent. Nempe hic almus ſpiritus qui in illabitur, infundit lumen, immutat corda, delet facinora, firmat dubios, erudit ignaros, eleuat de imis, & collocat in excelſis. Huic qui præſidet in eccleſia conſentiat, illique in ſe receptaculum paret, veniẽtẽ ſuſcipiat, introeuntem amplectatur, quoniam ſine ipſo poteſt nihil, & cum ipſo omnia, & omni qua valet vigilãtia, illius ad ſe obſeruet aduẽtũ. Nã quemadmodum pertrãſit negligẽtẽ & ſemetipſum deſerentẽ, ita ſe deſiderãtem, ſe expectantem, ſe vocãtẽ, ſe quemet cuſtodiẽtẽ viſitat, fouet, eleuat & informat. Viſitat (inquam) pręſentia ſua, qua nihil ſentitur dulcius, ſuauiuſque guſtatur, propter quod roboratur animus ad quęque perferẽdum aduerſa, ſicut in ſanctis Apoſtolis & martyribus credimus eſſe completum, quos nec ignis, nec gladius, nec carcer à Chriſti valuit dilectione diuellere. Vnde ipſorum vnum audiamus: Quis (inquit) nos ſeparabit à charitate Chri- Rom. 8. ſti? Tribulatio? an anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an periculũ? an gladius? ſicut ſcriptũ eſt quoniã propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus vt oues occiſionis. Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos. Cer- Ibid. tus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque poteſtates, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura aliqua poterit nos ſeparare à charitate Dei, quę eſt in Chriſto Ieſu domino noſtro. Nõ enim tãtã aliunde cõſtantiã patiendi percipere valuiſſent, quàm ab inhabitante in eorum cordibus ſpiritus ſancti virtute, prout Apo- Rom. 5. ſtolus confitetur dicẽs: Quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò ſpem, ſpes autem non cõfundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Nempe hic ſpiritus, ſicut quẽ ſua viſitatione effecit dignum, roborat in aduerſis, ita ſua protectione fouet, ne extollatur in proſperis, neve demergatur in vitiis. Fouet, inquam, illũ quibuſdam ſpiritualibus alis ne ab æſtu vtatur libidinis, vel ab impetu rapia-

tur furoris, ſeu ab aliquo lethalis abſorbeatur, morbo peccati. Quis, oro, in hac inuolutus fæce corruptibilis corporis, à laqueis ſpiritualium venatorum potuiſſet euadere, ſi non ab hoc ſancto ſpiritu eſſet eruditus & fotus, quum videlicet quotidie humanam mentem, nunc mundi illecebra, nunc ventris ingluuies, nunc vitæ huius immoderatus tenet affectus? Suũ quippe pertimeſcẽs caſum, propheta inimicorum horum conſtitutus in medio, ſe ab hoc ſpiritu protegi expoſcebat dicens: [Pſal. 16.] Cuſtodi (inquit) me domine, vt pupillam oculi, ſub vmbra alarum tuarum protege me à facie eorum, qui me afflixerunt. Sane quem protegere & fouere dignatur, interdum etiam eleuat ad cœleſtia, ipſum vtique replendo ſplendore, admiratione & iubilo. Quum enim ſpiritu operante ad Deum contemplandum admittitur, quibuſdamque omnipotentiæ, ſapientiæ, bonitatis, æternitatis, maieſtatis, & gloriæ illius irradiatur ſplendoribus, non poteſt non mirari eò amplius, quò familiarius introducitur in ipſum ſecretum latiſſimum, ac clarius illuſtratur de iis, quæ tantũmodo ſingulariter dilectis cœleſtibus panduntur myſteriis, quamuis id tempus, quo talibus fruitur deliciis comparatione cognitionis, delectationis inhæſionis, & pacis, quibus in cœleſti patria beati ſunt ſancti, prorſus modicum ſit momentaneũ & in puncto pertranſiſſe videatur, tum propter hoc corruptibile corpus, quo, velit nolit, grauatur anima, & deprimitur ſupra modum, ſpiritualia & diuina cogitare deſiderans, tum quia guſtus ipſe, qui tunc ſentitur in corde, adeo eſt delectabilis, atque lætificans, vt quanquam diuturnus ſit tẽpore, præ ſuauitate dum ſubtrahitur, iudicatur eſſe breuiſsimus. Cæterum quantum cunque prætereundo tenuiter prælibetur, guſtusque idem cõtemplantis affectum complectendo pertranſeat, replet tamen mentem iubilo & ineffabili gaudio quo videlicet diſponente cõtemplantem coram Deo aſtare facit in ſpiritu, & ſpiritualia promere cantica, amatoria carmina, exultationis voces, gratiarum actiones, diuinas laudes, ſpõſique præconia cordis iubilatione cantare. In his itaque mens ſupra ſe eleuata, & pluſquam dici poſsit, illecta, in nuptialem cœleſtis ſpõſi introducitur thalamũ, ibique qualia, quantave ab ipſo ſpõſo percipiat, nouit ipſa quæ experitur. Informatur vtique tunc de quibuſdam pro ſe in ſe, de nõnullis verò eruditur pro aliis. Quædã etenim cõmunicãtur il- [2. Cor. 12.] li, cæteris minimè cõmunicãda, ſicut Apoſtolus de ſe inquit audiſſe verba, quæ non licebat homini loqui. Propheta quoque quũ multa vaticinando dixiſſet, nonnulla in ſemetipſo ſilentio tegens [Eſa. 24.] ait: Secretum meum mihi. Nequaquam prorſus dubitandum eſt plura occulta myſteria, quædamque ſecreta cœleſtia ſanctis viris propalari per ſpiritum, quæ profecto illis manifeſtari non licet quoniam vel ad inſtructionem ſolummodo ipſorum, vel in ſignum teſtimoniumque ſingularis ſignis innoteſcunt dilectionis. Verum illa, quæ ædificare poſſunt audientes, ſeu Dei gloriã in hominibus accreſcere, quãuis reuelẽtur introrſus, ſunt (vt arbitror) cũ humilitate & deuotione dicenda, interueniente nihilominus rationabili cauſa, ſeruatoque congruo modo & tempore, ne forte transfigurante ſe Satana in angelum lucis, inter triticum ſeminante zizania, ſuſceptæ gratiæ fructus diripiatur ab homine. Ad huiuſmodi igitur euitandum pericula, informatur mens præſidentis in contemplationis eleuatione ſuſpẽſi de omnibus, quæ ad ipſius ſpectant ſalutem, atque diſcernendorum ſpirituum ornatur gratia, ſpiritu ſancto vtique hoc agente, atque donante, quemadmodum Apoſtolus perhibet dicens: Alii quidẽ [1. Cor. 12.] datur per ſpiritum ſermo ſapientiæ, alii ſermo ſcientiæ, alii fides in eodẽ ſpiritu, alii diſcretio ſpirituum. Vnde & in alio loco inquit: Non enim ſpi- [1. Cor. 2.] ritum huius mundi accepimus, ſed ſpiritum, qui à Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis. Sanè hoc ſpeciali munere redimitum eſſe decet, qui pontificali ſublimatus eſt cathedra, & curam habet animarum, vt ſiue quum per orationis ocium mente excedit Deo, ſeu quum per iniunctum miniſterium proximorum incumbit vtilitatibus, ſciat diſcernere inter lucem & lucem, inter lucem & tenebras, inter tenebras & tenebras. Cæterum ad hoc nullus repetitur idoneus, niſi quem ſpiritus veritatis intus docuerit, & repleuerit ſapientia, intellectu ac conſilio, feceritque familiatem verbo per caſti amoris cõnubium, per deputationem mentis, per orationis aſsiduitatem per iuge deuotionis ſacrificium, per cordis humilitatem, atque quotidianum laudabilium actionũ aſcenſum. Quamobrem expedit, illi qui paſtorale gerit officium, Dei iugiter orando aſtare conſpectui, & nũc pie interuenire pro populo, nunc humiliter ſupplicare pro ſe, & ſi detur interdũ Deo adhærere in ſpiritu, debet ſua vota offerre, prout idem paracletus tangendo mentẽ imbuerit. Ipſe profecto (Paulo atteſtãte) eſt, qui poſtulat pro ſan- [Rom. 8.] ctis, facitq; interpellare Deum gemitibus inenarrabilibus. Denique qui regimini populorum ſpiritualiter præeſt, & horum, quæ dicta ſunt, caret experientia, in ſuis, ſuorũq; laboribus, dubietatibus, periculis, tentationibus, ac preſſuris, ad quẽ confugiet, quẽ cõſulet, cuius ſe protectioni ſubiiciet, aut à quo valebit habere auxilium? Nam (ſa- [Pſal. 45.] cro proclamante eloquio) Deus noſter refugium eſt & virtus, adiutor in tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis. Auxilium quoque noſtrum à [Pſal. 120.] domino, qui fecit cœlum & terram. Porrò iſta intelligens vir ille mitiſsimus, qui populi Hebræorum effectus eſt ſpiritualis paſtor & rector, orationis frequentiſsime ſtudio aſtabat in monte, ibique inſiſtendo precibus, & cum domino tanquã amicus cum amico, facie ad faciem loquens ſua vota

vota promebat, atque pro plebe ſibi commiſſa veniam intentiſsime flagitando, humili poſtulatione impetrabat à Deo, quod populi flagitia denegabant. Equidem & idem ipſum dominum ſibi colloquentem audiebat, erudientem vtique illum qualiter populum regeret, iudicium inter virum faceret, ſacrificia ordinaret, ſacerdotibus, leuitis, cæteriſque miniſtris deputandis officia diuideret, arcam fœderis inſtitueret, holocauſtomatum vaſa faceret mundari, vniuerſaque perficeret, quæ diuino cultui ipſe dominus volebat eſſe diſpoſita. Factum quippe eſt, vt Dei ac populi fieret mediator, & decalogi legem digito Dei in tabulis lapideis exaratam accipere mereretur, ſecuturis paſtoribus tranſmittens exemplum, vt aſſueſcant & ipſi orationis cacumen aſcendere, & in illo coram Deo aſtare, & pro populo diuinũ ſuffragium impetrare, pro ſe quoque ſanctarum poſtulare intelligentiam ſcripturarum, atque ſapientiam ad erudiendum, regendumque plebes ſibi commiſſas. Quis enim valet per ſe ipſum perſoluere debitum paſtoralis officii, niſi introrſus ſit imbutus, in ſpiritu roboratus, atque directus? Porrò quum negociũ hoc humanam ſuperemineat ſufficientiam, ponant qui præſunt, omnem ſpem in domino, iactent ſuos cogitatus in illo, poſcantque ab eo, quod ſibi ad hoc vtiliter peragendum neceſſarium eſſe cognoſcunt. Hauriant ſitibundo corde de theſauris ſapientię, orationis inſtantia diſciplinam morum, quam ſeruent, inebrienturque ab vbertate eius, & torrente voluptatis illius, quatenus quadam ſpiritus ſobrietate ſic ebrii deſcendendo ad plana, ac proximis miniſtrando eructent verbum vitæ, verba & documẽta ſalutis. Erunt quippe tunc ſic confortati in ſpiritu, conſtantes ad perferendum, nedum proprios, verum etiam aliorum labores, & ad tolerãdum quæuis aduerſa, atque reſiſtendum diabolo & tentationibus eius. Fallitur profectò quiſquis opus hoc periculoſum & grande abſq; deuotionis pabulo, & orationis præſidio (prout decet) conſummare ſe poſſe putat. Laſſatur prorſus in opere, & in via deficit, ſi ab interna maneat refectione ieiunus. Quamobrem rectores animarum ſummi paſtoris Chriſti veſtigia imitentur. Interdum nanque declinent tumultus hominum, fragoreſque exteriorum actionum, quæ proculdubio diſtrahunt animum, & rapiunt per diuerſa. Redeant verò ad ſe, & ſubeant orare in monte, poſt cuius vtique orationis exercitium denuo reuertantur ad opus, quatenus pro ſpirituali conſolatione percepta in labore ſint alacres, ſint in adminiſtratione ſoliciti, & in omni ſua exercitatione deuoti. Viciſsim quippe ſibi famulantur actio corporalis, & deuotio mentis, & pariter ab eccleſiaſticis debent paſtoribus exhiberi. Sanè in Gen. 29. veteri teſtamento legimus Iacob geminas germanas habuiſſe vxores, quarum altera videlicet Lya deformis erat, & oculis lippa, ſed fœcunda. Rachel verò pulcherrima, ſed ſterilis, & tamen earum vir quamuis iuniorem diligeret arctius, vtrarumque nihilominus amplexibus vtebatur. In nouo quoque teſtamento ſorores fuiſſe nouimus Mariam & Martham ſanctitate plurimum cõmendatas, quarum vtique altera fideliter actionis miniſterio intendebat: Maria autem deuotionis ocio inhærebat, & tamen teſtante euangelio ambarum opus dominus Ieſus verbo commendauit & facto, vt videlicet ſciat eccleſia, nec interiorem exercitationem Mariæ ſine Marthæ miniſterio plenam, neque Marthæ ſtudium abſque ſpirituali Mariæ guſtu eſſe poſſe perfectum. Nõ igitur ſufficit pręlato & curam animarum habenti, neglecto deuotionis affectu plebis miniſterio ſine intermiſſione inſiſtere, quum & ipſe debeat ſabbatizare pro ſe, neque expedit illi ſic intendere ſibi, vt proximorum vtilitatibus poſtponat incumbere, quum paſtorale officium ſit animam ſuam pro proximi ſalute exponere. Dei itaque & proximi qui ſpirituali pręeſt regimini, opus eſt vt ſit charitate ſuccenſus, necnon interiori ac exteriori exercitatione ornatus, quatenus contemplationis alis per amorem Dei eleuetur ad ſumma, atque per dilectionem proximi compaſsione motus, prudenter deſcendat ad ima: ita duntaxat vt in omnibus, quæ laudabiliter agit, non proprium, ſed diuinum quærat honorem.

Quòd ſit crimen aliena furari, quàmque deteſtabile honorem Dei, & gloriam hominum ſibi velle prærípere. Cap. XII.

NOn mediocre inter cętera cognoſcitur eſſe delictum, quum quis res furtiue diripit alienas: nam lex diuina prorſus hoc prohibet dicens: Non furtum facies. Leges quoq; municipales maxima cum auſteritate hoc Exod. 20. vetant, variaque trãſgreſſoribus infligunt ſupplicia. Mandant quippe vnumquenque de eo, quod poſsidet, eſſe debere contentum, atque proprio, non de alieno ſe ſuſtentare ſtipendio. De labore Gen. 3. & in ſudore vultus tui (inquit ſermo diuinus) & non de alieno veſceris pane tuo. Nempe de ære aliorum, non de ſuo vitam ſuam alere deſiderat, qui fraudulenter aliena furatur, meritoque duplici eſt contritione plectendus, dum diuinæ pariter & humanæ præuaricator eſt legis. Porrò ſi imperiales, humanęque leges aliena minime deprędari prohiberent, quanta homicidia, quotve in hoc ſeculo oppreſsiones quotidie fierent? Quis poſſet in laboribus propriis eſſe ſecurus? Quis ſine animi perturbatione, mortiſque metu ſolitarius habitare valeret? Nempe in ciuitatibus, in caſtris, in foro, in ruribus, in nemoribus tremenda imminerent pericula, vndique diſcurrerẽt prædones, die noctuque inſidias pararent, vt inuaderent, diriperent, percuterent, necarent.

Nam

Nam ſi legibus, comminantibus præcipientibus, punientibus iſta ſceleſti quique perpetrare nõ ceſſant, quod fieret, ſi abſque vlla impunitate homines arbitrarentur ſibi iſta licere? Laudabili proinde à Deo, & ab hominibus æquitate ſancitum eſt vt nullus quoquo modo auferre aliena præſumat quatenus facultates ſuas intrepide quiſque poſſideat. Laborare, ſerere, terræ fructus colligere, artificia vſui humano neceſſaria exercere, negociationes licite facere, ac etiam incumbente neceſsitate mendicare, mandant leges atque concedant, vt retrahant homines à rapinis, & furtis. Nam quemadmodum grãde malum eſt alienam ſubſtantiam rapere: ita laude digniſsimum de labore proprio, iuxta cuiuſque conditionem, quotidianum victum cum temperantia quæritare. Labores (inquit propheta) manuum tuarũ quia manducabis, beatus es, & bene tibi erit. Cęterũ ſicut magna fruitur pace, qui ſuis ſumptibus, propriaq; induſtria viuit, ita econtrario diuerſis anxietatib. communibusque terroribus perurgetur quicunque nititur rebus ſublatis ſe damnabiliter ſuſtentare. Habet profecto intus accuſatorem & teſtẽ, qui nunquam dormitat, nunquam eum quieſcere ſinit. Nunc ruborem immittit, nunc metum, nũc laqueo, igne, ferro, nunc ſuppliciis illum terret ęternis. Sicq; fit iuſto iudicio Dei, vt nec quietus, nec valeat in ſe eſſe ſecurus. Nec abre. Nã virtutis fructus gaudium, & vita, vitiorum autẽ confuſio atque interitus. Sed & modicum cum bonitate acquiſitum, multæ iuſto diuitię ſunt, opes verò immenſæ cõgregatę eum fraude & furto, peccatori egeſtas & pęna. Modicum quidem eſt melius (inquit propheta) iuſto ſuper diuitias peccatorum multas, vtique cum iniquitate adeptas. Clamant quippe eorum ſcelera ad Deum, vociferantur vehemẽtiſsime calamitates egenorum, quia à raptoribus calumnias patiuntur, & introeũt eorum voces in aures domini Sabaoth, qui oppreſſorum ſemper eſt conſolator atque defenſor, opprimentium verò ac aliena diripientium inſecutor & redditor. Inſequitur enim illos conſcientię ſtimulis, ſupplicii metu, tentationum aculeo, infirmitatiſque flagello, vt ſe agnoſcant, compungant, eouſque conuertat & puniat. Reddit autẽ, non conuerſis, & in ſua iniquitate perſeuerantibus, interdum quidem temporalem confuſionẽ, in fine verò damnationem perpetuam. Cæterum ſi tantorum criminum effectus eſt obnoxius coram Deo, duplicique pęna mulctandus, qui terrenam proximi ſui ſubſtantiam furtiue ſurripit, vel violenter extorquet, quanti ſceleris arbitrandus eſt reus, qualive animaduerſione in hoc ſeculo pariter & in futuro æquiſsime feriendus, qui diuinum furari præſumit honorẽ, & quod ſolius eſt Dei, ſibiipſi nequiter vendicare conatur: Sanè huiuſmodi tenebrarum principem imitatur, qui (teſtante Propheta) in corde ſuo auſus eſt dicere. In cælum aſcendam, ſuper aſtra cœli exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti in lateribus aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſsimo. Imitatur, inquam, illũ, qui dominum Ieſum Dei filium dum tentare auderet, vniuerſam mundi exhibuit gloriam, atque ab eodem ſe adorari popoſcit dicens: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me, Vnde illico repercuſſus audiuit: Vade retro Satana, ſcriptum eſt, Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies. Illius quippe temeritatem repulit ſanctarum autoritate ſcripturarum, & quem adorare debeamus, cuive noſtræ ſeruitutis obſequium impendere, illum reprimendo nos docuit. Non igitur licet nobis in hac peregrinatione honorem appetere, non licet (inquam) gloriam temporalẽ ambire, quum ſcriptum ſit: Regi autem ſeculorum immortali, & inuiſibili ſoli Deo, honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen. Nempe neſcit Deum, & ſemetipſum prorſus ignorat, qui ante oculos hominum honorabilis apparere deſiderat. Vtique ſi ſciret Deum à quo omnia, per quem omnia, & in quo omnia, qui vniuerſa, quæ ſunt, fecit ex nihilo, cuius cuncta famulantur arbitrio, & quem angelorum, archangelorumque innumerabilis colit exercitus, ipſi ſoli deferri cõcupiſceret, ipſumque corde venerando, & ore laudando timeret. Denique ſi ſemetipſum agnoſceret, profectò ſe humiliando deprimeret, neque præ ſui cordis confuſione oculos ad cœlum leuare præſumeret, quemadmodũ publicanus ille euãgelicus, qui reatus ſui compũctione perteritus, pectus ſuum percutiendo dicebat: Deus propitius eſto mihi peccatori. Non enim poteſt non gemere, neque honorem prætereuntem non fugere, qui propriæ infirmitatis eſt conſcius, propriæque cõditionis eſt gnarus. Quomodo (quæſo) valet ſe continere à gemitu, qui mẽtis oculos in ſemetipſum reflectens videt ſe denſiſsimis ignorantiæ reuolutum in tenebris, diuerſarum cupiditatum irretitum vinculis, noxiarum cogitationum agitatum procellis, variis tentationum perturbatum generibus, atque innumerabilium delictorum vinculis aſtrictum. Qua, inquam, ratione humanæ laudis gaudebit attolli fauoribus quiſquis conditionis ſuæ initium conſiderare ſtudet & finem? Sanè homo in peccatis natus de viliſsimo conceptus eſt ſemine, productuſque in lucem in huius peregrinationis calamitatibus plorando ſe intuetur aſtrictum. In ipſo ſiquidem ſui ortus primordio, ſicut rationis, ita vſu caret, ſenſuumque membrorum officio, adeò vt alieno in omnibus indigeat ſuffragio gubernari. Nullũ profecto inter quadrupedia, atque reptilia ad ſe tuendum illo minus eſt validum, & ad ſe nutriendum minus eſt aptum, atque ad ſe mouendum minus eſt forte. Si eſurit, ſi ſitit, ſi dolet, ſi patitur, ſi aliquo naturæ ſolatio eget, vagiẽdo lacrymas fundit. Nam neceſsitatum ſuarum eiulatus, & fletus indices

Margin notes: Pſal. 127. (beside "quotidianum victum"); Pſal. 36 (beside "lius (inquit propheta)"); Eſa. 14. (beside "In cælum aſcendam"); Matt. 4. (beside "ab eodem ſe adorari"); 1. Tim. 1. (beside "uiſibili ſoli Deo"); Luc. 18. (beside "nim poteſt non geme-")

iudices eſſe probantur, ſicque fit, vt pedetentim creſcente eadem corporis magnitudine pariter augeatur & pęna, multiplicentur ærumnæ, paſſiones crebreſcant, ingeminentur mala, incommoda grauiora emergãt, donec ſuprema veniat dies in qua (velit, nolit) debitum humanæ cõditionis exoluat. In illa quippe die, quam vana omnis corporis pulchritudo, quamque fallax ſit ſeculi huius proſperitas, abſque rationis ambiguitate percipitur. Nam repente corporis totius elegantia, faciei decor, flos iuuentutis, incolumitatis bonũ ſurripitur. Caligat quoque viſus, auditus obturatur, odoratus deficit, amittitur guſtus, languet attactus, membrorumque cęterorum debilitatur vſus, atque vno eodemque momẽto vniuerſa corporis ſpecies tãquam arbor pulcherrima fructus, florumque amœnitate fœcunda præciditur, & efficitur, quod paulo ante mouebatur, diligebatur, amplexabatur, cadauer fœtidiſſimum, viſui horribile, exercitationi immobile, plenum ſqualore, pallore reſperſum, non reſeruationi, ſed etiam ab amicis & propinquis voluntarie ſepulturæ tradẽdum. Porrò humani corporis conditionem, proſperitatem, & finem dominus inſinuare volens, [Eſa. 40.] inquit ad prophetam, Clama, & dixit: Quid clamabo? Et dominus iterum: Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius tanquam flos agri. Exiccatũ eſt fœnum, quia ſpiritus domini ſufflauit in illud. Vere exiccatum eſt fęnum, & vere fęnum eſt populus. Nempe quemadmodũ exiccato fęno marceſcit ipſius fęni pulchritudo, florumque redolẽtia: ita deficiente humano corpore, mundana illi deficit gloria, veſtimentorum cultus, gemmarum pompa, diuitiarum iactãtia, generoſa ſoboles, popularis fauor, dignitatum faſtus, regni ambitio, imperandi autoritas, pręſidentium eminentia, atque dominantium honor. Tunc quippe luce clarius patet, quàm breue id fuit, quod repente tranſiit, quàm contemptibile, quod in puncto aruit; quàm deteſtabile, quod mors abſtulit; quamve initabile, quod velut vmbra aufugit. Tũc, inquã, carnalium amatoribus voluptatum, terrenarumque cupidis facultatum, ac apparentium honorũ ſectatoribus innata clamat ratio, vt quandiu viuunt, & operari licet, ſapiant ſeculi iſtius vitare fallacias, intelligant quoque qualiter Deo ſeruiẽdo ſpirituales valeant pręlibare delicias, atque in ſenſu cordis ſtudeant, quæ pręparata ſunt impiis, æterna prouidere, & deuitare ſupplicia. Quãobrẽ beati proculdubio illi cenſendi ſunt, in quorum cordibus ſplendor gratiæ cęleſtis effulgens fugat tenebras, & lumen Dei, ſuique cognitionem infundit. Ij proculdubio quandiu in hoc lumine, veritatis aſpiciunt lumen, nec vitæ huius irretiũtur blanditiis, neque cuiuſcunque dignitatis ſubuertuntur illecebris. Hoc quippe lumine quãuis omnes in regimine conſtitutos, præſertim tamen eccleſiaſticæ dignitatis viros decet eſſe repletos.

Non enim cathedra paſtoralis officium eſt honoris, ſed oneris, non ſecuritatis, ſed periculi, non quietis, ſed laboris, non terreni commodi, ſed ſpiritualis, non tẽporalis præmii, ſed æterni. Propterea quod humanę laudis, quod vulgaris opinionis, quod tranſitoriæ gloriæ, quod momentaneæ eſt conſolationis, ab iis, qui pręſunt, forti contemnẽdum eſt animo, atque honoris Dei ſtudio viriliter inſiſtendum, priuato prorſus honore ſemoto. Nam fures & latrones ex miniſterio ſibi iniũcto gloriam propriam ex eodem vendicare conantur. Verum maxime infidelitatis indicium eſt in hoc ęrumnoſę peregrinationis decurſu de quotidianis laboribus, ſpreta Dei gloria, laudes expectare humanas, [Pſal. 52.] quum ſcriptum ſit: Deus diſſipabit omnia oſſa eorum, qui hominibus placẽt, confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos. Nempe qui huiuſmodi errore ducuntur, à fide alieni eſſe arbitrandi ſunt, quemadmodum dominus Ieſus Phariſæis proteſtatus eſt: [Ioan. 5.] Quomodo (inquit) poteſtis vos credere, qui gloriam abinuicem accipitis, & gloriam, quæ à ſolo Deo eſt, non quæritis? Nõ enim ſimul conuenire poteſt, vt quis honorem Dei, & ſui quærat. Sibi hæc omnino aduerſantur. Cæterũ ſi totus honor Deo tribuitur, cuius profecto eſt, quæ (oro) portio de eodem debetur homini? Attamen ſi forte aliquid agat, quod ſit laude dignum, id prorſus non eſt ſuum, neque valet ex ſe, ſed ex ſingulari dono ipſius, qui dedit illi, vt poſſit. Ipſum donorum largitorem audiamus dicentem: [Ioan. 15.] Sicut palmes non poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos, niſi in me manſeritis, quia ſine me nihil poteſtis facere. [1. Cor. 3.] Paulum quoque Apoſtolum eadem confitentem intelligamus: Nõ poſſumus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Idemque: Quid enim habes, quod non accepiſti? & ſi accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Porro qui quod habet accepit, illi vtique debet honorem exhibere & gloriam, à quo habet quod habet. Quamobrem non ſine detrimento noſtro, atque diuini honoris præiudicio poſſumus quicquam tractare de noſtro, quum nõ dum laudabilia opera, ſi qua nobis ſunt, verũetiã nos non ſimus noſtri, ſed illius à quo facti ſumus, per quem ſuſtentamur, in quo viuimus, de cuius bonitatis plenitudine gratis percepimus gratiam, qua operante, & cooperante perficere valuimus bonum, quod egimus, cuius etiam lauacro mundati, precioque gratificati ſumus atque redempti, dicente Apoſtolo: [1. Cor. 6.] Empti eſtis precio magno, glorificate & portate Deum in cordibus veſtris. Glorificate, ait, Deum, non vos. Quid verò mirum ſi Deum glorificare debemus, non nos, quum ipſe vnigenitus Dei filius dominus noſter Ieſus Chriſtus [Ioan. 8.] de ſeipſo dicat: Ego non quæro gloriam meã, eſt qui quęrat & iudicet. Si ego glorifico meipſũ, gloria mea nihil eſt. Eſt pater meus, qui glorificat

cat

cat me, quem vos dicitis, quia Deus veſter eſt. Et
Ioan. 17. idem: Pater (inquit) venit hora, clarifica filium
tuum, vt & filius tuus clarificet te. Clarifica me tu
pater apud temetipſum claritate, quã habui priuſ
quam mundus eſſet apud te. Nuſquam reperies do
minum Ieſum glorificaſſe ſeipsũ, ſed ſemper glo-
riam referre patri, quamuis patris honor & glo-
ria ſit etiam filii, qui eſt coæternus, conſubſtantia
lis, & coæqualis ei, qui initialiter genuit illum. Pu
deat itaque hominem, qui eſt terra & cinis, putre
do & vermis, ſe extollere, & in præſenti ſeculo
gloriam quærere, quum ille, qui Deus eſt, in die-
bus carnis ſuæ quandiu cum hominibus conuer-
ſatus eſt, omne humilitatis exemplum, volunta-
riumque honoris ac mundi contemptum in habi-
tu, in ſermone, in moribus, & in omni ſua conuer
ſatione exhibuit, vt ſuis daret formam virtutis, di
ſcerentque ab illo non appetere honoris altitu-
dinem, quæ claros deiicit in profundum abyſſi;
ſed humilitatis viam quæ vtique in futuro humi-
les exaltat in cælis. Huius itaque ſpiritualis diſci-
plinæ eruditus magiſterio domini præcurſor quũ
Matth. 3. tantæ eſſet ſanctitatis, vt Chriſtus exiſtimaretur à
multis, interrogatuſque vtrum eſſet Helias, an
Propheta, noluit affirmare quod illi erat hono-
ris aut famæ, ſed tantum: Ego, inquit, vox claman
tis in deſerto, parate viam domini. Quid hac re-
ſponſione humilius? & quid verius? Teſtimoniũ
Ibidem. verò domino perhibens, omnemque illi honorẽ
reddere volens, ait: Qui poſt me venturus eſt, ip-
ſe eſt qui ante me factus eſt, cuius ego non ſum di
gnus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti. Qui
Ioa. 1. 3. habet ſponſam, ſponſus eſt, amicus autem ſponſi,
qui ſtat & audit eum, & gaudio gaudet propter vo
cem ſpõſi. Hoc ergo gaudium meum impletum
eſt. Illum oportet creſcere, me autem minui. Qui
Ibid. de terra eſt, de terra loquitur, qui de cœlo venit,
ſuper omnes eſt, & quod vidit & audiuit, hoc te-
ſtatur, & teſtimonium eius nemo accipit. Vniuer
ſa quippe hæc ad gloriam & laudem Chriſti ſuæ-
que humilitatis cuſtodiam protulit. Paulus quo-
que Apoſtolus in cunctis ſuis prædicationibus &
epiſtolis, Chriſti non propriam annunciabat glo
2. Cor. 4 riam. Vnde & dicebat: Non enim prædicamus
noſmetipſos, ſed dominum Ieſum, nos autem ſer
uos veſtros propter ipſum. Hinc eſt quod tanta
cum autoritate tãquam ſeruus legitimus, ac fide-
lis paranymphus coram regibus, principibus, &
populis non expaueſcens vincula, carceres, verbe
ra, nomen domini prædicabat. Quamobrem non
in honoribus, non in hominum laudibus, non in
virtute miraculorum, non in ſecretorum cœle-
ſtium reuelatione, neque in ſpiritualium abundã
tia chariſmatum, ſed in infirmitatibus ſuis gloria-
2. Cor. 12 batur, quemadmodum ipſe teſtatur dicens: Si
gloriari oportet, non expedit quidem. Libenter
tamen gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabi
tet in me virtus Chriſti, propter quod complaceo

mihi in infirmitatibus meis, in contumeliis, in ne
ceſſitatibus, in perſecutionibus, in anguſtiis pro
Chriſto. Totus namque inhærebat Chriſto, totã-
que vitam ſuam Chriſto dedicauerat, propterea fi Phil. 1.
ducialiter aiebat: Mihi viuere Chriſtus eſt, & mo-
ri lucrum. Quare abſit mihi gloriari, niſi in cruce
domini mei Ieſu Chriſti, per quem mihi mundus
crucifixus eſt, & ego mundo. Cæterum non ſolũ
Pauli, ſed ſi omnium ſanctorũ geſta vel dicta per-
curras, neminem illorum inuenies priuatam quæ
ſiſſe gloriã, aut popularia huius mundi præconia,
ſed tantum Dei honorem, illiuſque propagatio-
nem laudis & gloriæ, atque ſpiritualem ſalutem
animarum. Huic tamen nequaquam aduerſatur
ſententiæ, ſi quidam ſanctorũ viſi ſunt propriam
zelaſſe famam. Id verò minime propter ſe egerũt
ſed prorſus pro gloria Chriſti, vt videlicet in ip-
ſis non minueretur gloria Dei, quæ aliquantulum
minorari videtur in terris, quando iis qui ab ho-
minibus lumen eſſe creduntur, & per iuſtitiæ in-
cedere ſemitas, ex operibus minus rectis, ſeu ex
oborta infamiæ macula ab illis, qui exteriora iudi-
cant, tenebræ eſſe arbitrantur. Hinc eſt quod ac cu
ratiſsime ſancti & amici Dei famam ſuam impol-
lutam laudabiliter conuerſando cuſtodire conan
tur, non (vt dictum eſt) pro ſeipſis, ſed pro honore
Dei, proximorumque ſalute. Qui vtique ædificã-
tur in bono, & promouentur ad bonum, conſide
rantes commendabilia acta eorum, atque diuinã
laudant bonitatem, quæ præſtat homini vnde ip-
ſa laudetur. Nam & veritas in Euangelio hoc inſi
nuare voluiſſe videtur, quum dicit: Sic luceat lux matt. 4.
veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra
bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cælis
eſt. Petrus quoque inquit: Conuerſationem ve- 1. Petr. 2.
ſtram habentes bonam inter gẽtes, vt in eo quod
detractant de vobis tanquam de malefactoribus,
ex bonis operibus vos conſiderantes glorificent
Deum & patrem in die viſitationis. Claret igitur
perſpicue, quod omnes, qui ambulant in veritate
& Deo in cordis ſimplicitate famulantur, nõ pro
priam ex iis, quæ laudabiliter agunt, quærũt glo-
riam, ſed conditoris ſui, de cuius vtique munere
agnoſcunt ſe irreprehenſibiliter viuere. Alio-
quin nec ſancte neque laudabiliter viuere dicen-
di ſunt, imò potius inique & damnabiliter, ſi ope
ris ſui mercedem in ore inſtituunt laudantiũ. Vn
de Apoſtolus in ſe & de ſe deteſtans ait: Si adhuc Gal. 1.
hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.
Falluntur prorſus qui aliter ſentiunt, tribuuntq;
homini quod ſolius eſt Dei. Homo quippe boni
inſtrumentum eſt operis, artifex autem ſolus eſt
Deus. Loquebatur Apoſtolus Paulus ſapientiam
inter perfectos, ſapientiam vtique non huius ſe-
culi, ſed in myſterio abſconditam, quã nemo prin
cipum huius mũdi cognouit. Nunquid ipſe? Pror
ſus minime. Nam inſtrumentum erat. Artifex ve
rò quis? Vera, ſempiternamque Dei ſapientia do

minus Ieſus, ſicut idem Apoſtolus fatetur: An experimentum, inquit, quæritis eius, qui in me loquitur Chriſtus? Locuti profecto ſunt Prophetæ, locuti ſunt Apoſtoli, ſanctique doctores, operati etiam ſunt ſancti martyres & amici Dei mirabilia, & quæ humanæ virtutis omnem tranſcēdūt facultatem, ſed in ipſis & per ipſos Chriſtus, qui eſt Dei virtus & Dei ſapientia. Virtus, inquam, in operando, ſapientia autem in loquendo, vt videlicet ipſe ſit omnia in omnibus tanquam caput in corpore, & vita in homine, quatenus qui gloriatur, in domino glorietur. Quamobrem, ſi qua laus, ſi qua virtus, ſi qua veritas, ſi qua bona famæ opinio reperitur in homine, totum aſcribendum eſt præſentiæ Chriſti, gratiæ, virtuti, bonitati & ſapiētiæ eius, qui agit in homine, quicquid in eccleſia

1.Cor 2 redolet ſanctitatis odorem. Quod Paulus intelligens ait: Chriſti bonus odor ſumus Deo, in omni loco. Non autem pariformiter: nam aliis odor vitæ ad vitam, aliis odor mortis ad mortem. Vitæ, inquam, iis qui ædificantur, glorificant Deum, & ſalui fiunt. Mortis verò iis, qui pereunt, qui ſcandalizantur, detrahunt, virtutumque opera interpretantur non recte, & vnde debuerant reformari ad bonū, inde deteriores fiūt. Vide, quæſo, odorē fragantiſsimū factū vtique Iudæis, aliis odorē vitę ad vitam, aliis odorem mortis ad mortem, dominum dico noſtrum Ieſum Chriſtum. Miracula faciebat, loquebatur cœleſtia, & tamen alii dicebant quia bonus eſt, alii verò non, ſed ſeducit turbas. Nec mirum ſi hoc Iudęis contingit, qui carnales erant, & ſecundum carnem de Chriſto ſapiebant, quando etiam diſcipulis id legitur accidiſſe. Quum enim ipſe dominus corpus ſuum in cibum ad manducandum, & ſanguinem ſuum in potum ad bibendum ſub ſpecie panis & vini ſe daturum polliceretur, multaque de ipſo ſacramento altaris loqueretur, quę ſpiritualiter intelligenda erant, nonnulli eorum, qui audiebant, & ſecundum carnem ſapientes non credebant, ſcandalizabātur, ſicut ſcriptum eſt: Ex hoc

Ioan.6. (inquit Euangeliſta) multi diſcipulorum abierūt retro, & iam non cum illo ambulabant. Odor nāque bonus iſtis non credētibus factus odor mortis ad mortem, credentibus autem hic odor fuit odor vitæ ad vitam. Vnde diſcedentibus incredulis, quum ad duodecim dixiſſet dominus, an & ipſi vellent abire, referti hoc ſuauiſsimo odore vitæ, ad vitam reſponderunt: Domine ad quem ibi-

Ibid. mus? Verba vitæ æternæ habes, & nos credimus & cognouimus, quia tu es Chriſtus filius Dei. Nā quemadmodum de ſingulariſsimo odore, ſacratiſsimoque refectionis alimento perierūt infideles, ita qui veris promiſsionibus æternæ ſapientię cordis aſſenſum fide præbuerunt, illius odore recreati, pio affectu, vitam in ſe percipere meruerunt æternam. Verum quum nemo ſit tam ſanctę conuerſationis, tamque irreprehenſibilis vitæ, vt non etiam de ipſius bonis operibus ſcandalū patiatur, ſupereſt vt quiſque, & potiſsimum prælati, quorum conuerſatio declara ad publicum tanquā lucerna ſuper candelabrum eccleſiæ conſtituta, omnibus debet in exemplum lucere virtutis, ſtudeant omni, qua valent induſtria, morum grauitate niteſcere, quatenus pro bonis eorum actibus Deus laudetur in illis, & dominicę oues quotidie ædificentur, in meliusque proficiant, atque in ipſis veluti in ſpeculo agnoſcant quid agere, quidve illas ſperare oporteat.

Quòd præteritorum laudabili geſta virorum, plurimum proficere cupientes ad virtutum prouocent ſtudium. Cap. XIII.

QVantū excitent ad virtutum ſtudia virtutum exēpla eos, qui Deo placere volunt, atque virtutibus ornati peroptāt, quiſque ſapiens ſufficienter intelligit. Erigitur namque humana fragilitas, & opportune corroboratur in opere exemplis maiorum, atque quotidie animatur ad melius prętcrito. ū patrū rememoratione virtutis. Hinc factū eſt diuinę diſpenſatione clemētię, atque humanę exercitatione prudentię, vt tam ſolerter, tamque copioſe probatiſsimorum tradita ſint memorię geſta vitorum, adeò vt in quolibet virtutis genere laudabilia reperiantur exempla quàm plurima, quibus ad eadem imitandum plurimum exhortentur, qui audiunt. Taceo interim de iis, qui extra eccleſię gremiū fuerunt, & de illis etiam, qui vnius ſummi & veri Dei fide recta caruerunt, quorum eximiorum operum pręconia ab eruditiſsimis, famoſiſque viris pene innumerabilia miro eloquentiæ, & narrationis ordine exarata ſunt, per librorum volumina. Quis (oro) poteſt calamo vel lingua exprimere fidei lumen, longanimitatem ſpei, ardorem charitatis, cordis innocentiam, iuſtitię zelum, hoſpitalitatis ſtudium, amorem fraternitatis, pudicitię conſtantiam, toletantiam laborum, animi mititatem, dilectionem inimicorum, patientię robur, humilitatis exempla, loquendi autoritatem, integritatem morum, vitęque perfectionem iuſtorum, qui Deo tota mētis intentione placere ſtuduerunt? Diſcurre & perlege ſacrarum paginas ſcripturarum, & intelliges exigua & indigna eorum laudibus eſſe quę dicuntur, & ſanctis illorum operibus multum imparia. Sunt nanque venerandæ, imitandæque ipſorum virtutes in literis annotatæ, tanquam luminaria in opaca noctis caligine viatoribus expoſita, qua ſine offenſione pergere, & ad quem ſuæ peregrinationis finem intentionem ſuam ſiſtere debeant. Quis vero per ignota itinera nocturno tempore, feriſque ad prædam capiendam diſcurrentibus, valet abſque luce, & comite perambulare ſecurus? Quotquot enim nati ſunt, aut quotidie naſcuntur in hac regione mortalium, ingrediuntur

infirmitate carnis, neque pro libito voluntatis intueri valent, ſaltem ſtellarum ſpiritualium luce comitante per obſcuram noctem præſentis vitæ gradientes, & inimicorum inuiſibilium inſidias, & intellectualium latebras beſtiarum euadere, atque agnoſcere queant, necnon in ipſis tanquam in clariſsimis ſpeculis proprias poſsint infirmitates inſpicere, errata corrigere, bonaque inchoata perficere. Nam quemadmodum Sap. 7. ipſa veritas & ſapientia (ſicut legitur de illa) candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula, ſplendor diuinæ bonitatis, & imago claritatis illius: ita ſancti & amici Dei per vinculum amoris ſynceriſsimæ charitatis, per ipſam & in ipſa effecti ſunt lux, atque eandem operibus imitando, ſpeculum quoddam perfectionis eius apparent. Verum ex grauitate morum, eloquiorum ſapientia, ſenſuumque puritate quidam gratia ſupercœleſtis, ac infuſi luminis, inſitæque bonitatis in eis ſplendor effulget, & quædam ſpiritualis imago futuræ vitæ, & felicitatis æternæ, quæ ex interioris hominis reformatione procedit, de qua 2. Cor. 3. videlicet ſpirituali reformatione lucis, & gratiæ inquit Apoſtolus. Nos autem reuelata facie gloriam Dei ſpeculantes transformamur de claritate in claritatem, tanquam à domini ſpiritu. Optime igitur in moribus elucet Sanctorum gratia, doctrina, & diuinitas Chriſti Dei & Domini noſtri, eò perſpicacius, quò perfectius degunt. Ideoque congrue ſatis in ipſis veluti in nobilioribus membris myſtici corporis Domini, & lucidioribus ſtellis eccleſiæ debemus vitæ noſtræ exemplum capere, vtpote qui Deo famulantur interius, nobis verò fulgent exterius. Illorum ſiquidem virtutes & opera ad vtilitatem ſcripta ſunt poſterorum, atque rationabiliter memoriæ commendata, quatenus teſtimonio ipſo Chriſtianæ Religionis clareſcat veritas, atque eorundem exemplo nutriatur incipientium teneritudo, & roboretur ſoliditas perfectorum. Ex hoc itaque factum eſt cunctis fidelibus ſingulare documentum, vt quiſque inueniat ſpirituale pabulum, quo vegetetur & creſcat. Nempe ſi quis virtutum deſiderio flagrans cupit eſſe perfectus, apoſtolorum, apoſtolicorumque virorum geſta conſideret, eorum fidei conſtantiam, contemptum ſeculi, charitatis zelum, ſalutis animarum commendabilem affectum, prædicationis authoritatem, orationis inſtantiam, amoremque martyrii: & inde hauriet vnde accendatur, atque proficiat. Verum ſi quis corporis infirmitate attritus, vel tentationum aut tribulationum doloribus fatigatus, nec impatientia fractus, neque animi puſillanimitate depreſſus eſt, & ex hoc magnum ſe coram Deo eſſe arbitratur perlegat tolerantiam, & acerbiſsimas glorioſorum martyrum paſsiones, & omnino propriam deponet æſtimationem, fietque corde humilior, atque ad æquanimiter aduerſa ſuſtinendum magis magiſque conſtans. Denique ſi cui placet mentis puritate, integritate corporis, pudicitiæque candore niteſcere, cogitatione inſpiciat ſacrarum virginum iucundos exercitus, ex ipſiſque maximam agnoſcet extitiſſe numeroſitatem quæ ignem, ferrum, beſtias, vincula, pertulerũt & carceres, ne virginalem, quam Chriſto domino conſecrauerant, amitterent puritatem. Harum ſiquidem mirabilibus exemplis, honorabilibuſque triumphis excitabitur vehementer ad amorem continentiæ, caſtimoniæque pudorem. Poſtremo ſi quem delectat moribus laudabilibus eſſe ornatum, atque virtutum exercitatione inſignem, ſanctorum pręſulum intueatur in ſpeculo. In ipſo plane agnoſcet, quomodo debeat ſeruire Deo, qualiter cum hominibus conuerſari, qua menſura corpus atterere ieiuniis, macerare vigiliis, quibuſve ſtudiis propriam componere vitam. Equidem in illis totius elucet forma virtutis, charitatis flamma, puritatis decor, humilitatis norma, deſpectus diuitiarum, paupertatis amor, ſpei gaudium, fidei lumen, & quędam pręcipuę ſanctitatis imago. Nihil prorſus in eorum conuerſatione reperies incompoſitum, nihil reprehenſibile, nihilque inordinatum. Verba quippe ipſorum plena ſunt ſapientia, ſummęque diſcretionis ſale condita. Corporales quoque eorum ſenſus prudentiſsima ſanctę grauitatis aſtricti tenebantur cuſtodia ne per illos ad animam ſpiritualis introire poſſet interitus. Lugebant inſuper tanquam veri paſtores, ſicut propria, ita populorum facinora. Exhortabantur pigros ad pugnam, & deſidioſos ad virtutum ſtudia prouocabant. Colligebant vagos, nudos veſtiebant, alebant pauperes, & neceſsitatibus egenorum de eccleſię facultatibus veluti Chriſti diſpenſatores ſtrenui, fideliter miniſtrabant. Sacris pręterea inſtabant lectionibus, in orationibus crebro pernoctabant, & ſaluti animarum flagrantiſsime incumbebant, ſtudentes Chriſto reddere quod diabolus fraudulenter abſtulerat. Porrò honoris Dei ſupra modum erant cupidi, diuinis in laudibus iugiter occupati, paſtoralis curę miniſterio intenti, ſuarumque ſpiritualium paſſionum accuratiſsimi medici. Quotidie ac continue exercitabantur, & ex ſe erudiebantur, qualiter alios inſtruere oporteret. Nam iis, qui pręſũt, ſingulare documentum regiminis eſt ſeipſos diligenter agnoſcere, contra ſe introrſus viriliter dimicare, motus animi inordinatos componere, & prius velle facere, quàm alios docere. Hoc profecto in illis erat pręcipuum, de quibus loquimur pontificibus ſanctis, non minus videlicet inſtruere vita quàm verbis, neque ſegnius ſibiipſis quàm cęteris virtutum legem imponere. Alioquin quonammodo Deo placere potuiſſent, ſi ſuimet cura neglecta, aliis iugum ſanctę

conuerſationis conati fuiſſent inferre, quod ipſi prorſus portare recuſarent? Illorum quippe ſanctitas, non in opinione erat hominum, nec in fucata perſuaſione ſermonum, neque in ſimulata oſtentatione operum, ſed intus coram Deo ſubſiſtebat in perfectione virtutum. Quamobrem tanquam vaſcula plena ſpiritualium gratiarum, fragrantiſsimarumque referta odore virtutum, foris ſpargebant quod commendationis, quod ędificationis, quod reuerentię, quod ſanctitatis, quod meriti. Vnde nihil in eis perſpici poterat fictum, nihil fraudulentum, nihil odibile, nihilque redargutione dignum. In ipſorum itaque clariſsimo ſanctimonię ac perfectionis ſpeculo pręſentis temporis deformitas eluceſcit. In hoc vtique deſtituta prorſus cernitur eſſe tota vita ſanctorum, & ſolummodo operum illorum excellentia reſeruari in ſcriptis, quod (proh dolor) non eſt ſine mœrore, & lachrymis cogitandum, atque dicendum. Quis (oro) fidele cor gerens valet ſe continere à gemitu, quum intelligit inde erumpere impietatis tenebras, vnde iuſtitiæ lumen fulgere debuerat, atque illos per latitudinem ſecularium voluptatum paſsim effluere, quos errantes oportuerat exemplo ſuo reuocare ad gratiam, ſuiſque admonitionibus erudire, vt per viam incederent arctam, quæ ducit ad vitam. Quod vtique malum longe ante futurum eſſe proſpiciens Propheta deplorat dicens: Quomodo obſcuratum eſt aurum, immutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij in capite omnium platearum? Merito quidem non ſolum hic Propheta, qui in perſona gemit eccleſiæ, verumetiam fideles quique, qui myſtici corporis Chriſti ſunt membra, trahere debent ex intimo corde alta ſuſpiria, quando illos, à quibus congruit exemplum bene viuendi, necnon ſalutis percipere monita, intuentur per abrupta vitiorum palam vagari, & ſecularium principum ornamenta ſuperflua abſque vllo honeſtatis rubore, ſeu conſcientiæ ſectari aculeo. Plane ex hoc emergit grande detrimentum eccleſiæ Dei, digneque lugendum. Efficiuntur namque contemptibiles, atque inglorii, qui ſumma cum veneratione debuerant à plebibus honorari tanquam diſcipuli Chriſti, duces populi mundi interceſſores, pręcones veritatis, paſtores dominici gregis, & fidei catholicæ teſtes. Hinc in cordibus aſpicientium oritur contemptus clauium eccleſiæ, futuræ incredulitas vitæ, inobedientia eccleſiaſticarum ſanctionum, & ſacrarum vilipenſio ſcripturarum. Hinc pontificalis deridetur autoritas, capitis & membrorum ſcinditur vnitas, populorumque augentur ſcelera, dum arbitrantur ſibi cuncta licere, quæ à ſuperioribus ſuis ſpiritualibus agni cognoſcunt, & ſuper hęc omnia illorum vitam diffamare non deſinunt. Ita ne (inquiunt mutuo) ſunt iſti noſtrarum paſtores & patres animarum, quorum inſtitutionibus & exemplis noſtram debeamus vitam corrigere, quorumque actus imitari? Taliſne fuit doctrina Chriſti, cuius vicem hi gerunt in terris, taliſve ſanctorum patrum conuerſatio, quorum iſti ſuper cathedram ſedent? Illi profecto eorum atteſtantibus operibus ad noſtri eruditionem literis commendatis paupertatis amatores fuerunt: iſti diuitiarum. Illi facultates ſuas impertiebantur egenis, orphanis & viduis: iſti adulatoribus, attinentibus, & famulis. Illi corpus ſuum attriuerunt ieiuniis, vigiliis, & laboribus: iſti verò illud nutriunt ſomno, comeſſationibus, & quiete. Illi contemptores extiterunt honorum ac dignitatum: iſti autem appetitores, ſeduliquc inquiſitores. Illi humilitatem prętendebant in habitu, geſtis, & moribus: at verò iſti elationem in veſtibus, comitatu, oſtendunt & pompis. Illi ſectabantur veſtigia Chriſti: iſti autem ſeculi. Illi cæleſtia bona deſiderabant: iſti verò toto (vt cernitur) corde inhærent viſibilibus, & terrenis. Nempe hęc & huiuſmodi oblocutiones, detractiones, & confabulationes (& vtinam mendaciter) quotidie audiuntur in plateis, ac populorum circulis, quæ prorſus in maximum redundant opprobrium clericalis honeſtatis, & ſingulare dedecus Chriſtianæ religionis, necnon & flebile detrimentum animarum. Equidem quum hoc notiſsimum ſit, quòd prælatis, & viris eccleſiaſticis prærogata ſit à Deo poteſtas ligandi, atque ſoluendi, miniſteriumque populos inſtruendi & corrigendi, ſacramenta ſancta, conficiendi ac miniſtrandi, liquet profecto quòd illis ſubtracta reuerentia, & opinione bonitatis omne etiam eorum nihilipenditur curæ exercitium, quamuis non in qualitate, & vita miniſtrantis, & offerentis, ſed in voluntate ac diuinitate domini noſtri Ieſu Chriſti ſacramenta inſtituentis, & perficientis vniuerſa eccleſiaſtica ſubſiſtat autoritas. Quamobrem ſolerter præſules animarumque paſtores ſtudeant non minus pro aliis, quàm pro ſe ipſis paſtorale officium ſine Dei offenſa & ſcandalo proximorum explere, ſequet tanquam Chriſti exhibere miniſtros, 1. Cor. 6. quemadmodum Apoſtolus hortatur dicẽs: Adiuuantes hortamur, ne in vacuum gratiam Dei accipiatis. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies ſalutis. Nemini dantes vllam offenſionem, vt non vituperetur miniſterium noſtrũ, ſed in omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in tribulationibus, in neceſsitatibus, in anguſtiis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus, in laboribus, in vigiliis, in ieiuniis, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuauitate, in ſpiritu ſancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei. His paucis expoſuit Apoſtolus qualis eſſe de-

beat

beat miniſter Chriſti, & myſteriorum Dei diſpẽſator fidelis. Ipſe quoque dominus Ieſus prælatos, & eos qui regimini præſunt animarum inſtruens ad rectè viuendum, ait: Vos eſtis ſal terræ, quod ſi ſal euanuerit, in quo ſalietur? Ad nihilum valet vltra, niſi vt mittatur foras, & conculcetur ab hominibus. (Matt. 5.) Iuſtiſsime quippe infatuatum ſal, illi videlicet per quos informandi & condiendi ſunt cæteri, ſi incontinenter & contra legem Dei viuentes euanuerint, & à perfectione ſuæ vocationis & ordinis deuiauerint, prorſus ad nihilum valent vltra, niſi vt per irreuerentiam, & contemptum de ſubditorum eiiciantur cordibus, atque per detractiones ab hominibus conculcentur. Ex qua profecto eiectione & conculcatione parum Deo grati, & hominibus efficiuntur accepti. Supereſt igitur, vt quiſquis paſtoralis officii ſortitus eſt dignitatem, præcipue pro honore Dei, cui debet ſanctitatis & obedientię perpetuum exhibere famulatum deinde ob decorem & ſublimitatem regalis ſacerdotii, cui competit ſapientiæ & bonitatis habere amictum, præterea ob profectum eccleſiæ, & maximè eorum, quorum ſpecialis eidem commiſſa eſt cura: poſtremoque propter ſalutem propriam, ad quam conſequendam ſicut habet gradum, ita oportet illum laudabili conuerſatione fulgere, totis viribus, ſummaque cum vigilantia elaboret coram Deo mundare cor, & interioris hominis omnia reformare deformia, atque in eccleſiæ facie illis honeſte rebus vtendo, quæ ſtatui ſuo opportuna eſſe intellexerit, reſecare ſuperflua. Studeat præterea grauitatem cuſtodire in agibilibus, in verbis, & moribus: ita vt in eo nihil appareat inordinatum, aut puerile, ſed prorſus quædam ſit virtutum imago ſanctitatis, atque maturitatis ſpeculum, in quo videlicet quicunque aſpexerit, agnoſcat vnde ædificetur ad bonum: ipſeque laudetur in illo, qui vniuerſa, quæ laude ſunt digna, largitur. Ita tamen cuncta, quæ memorata ſunt, peragat, vt corde ſemper ſit humilis, & quum expediens fuerit, ad ſubiectorum profectum ſit autoritate ſublimis, quatenus dilectione ac veneratione appareat dignus.

Quòd ex colluctatione carnis, & ſpiritus vita hominis ſuper terram cognoſcitur eſſe militia.

Cap. XIIII.

QVïſquis rectè intelligit, veriſsima definitione fatetur verum eſſe, quod ſacra teſtantur eloquia, militiam videlicet eſſe vitam hominis ſuper terram. (Iob. 7.) Nam hoc vel quantum attinet ad diſceptationes & iurgia, quæ quotidie inter ſe pro temporalibus rebus aut variis opinionibus gerunt homines, vel quantum ſpectat ad humanæ decurſum vitæ, quæ continue labitur, & per ſingula horarum momenta nullo præpediente obſtaculo more labentis aquæ ſuũ decurrit ad finem, facillime probari valet. Sed eſt contradictio alia, & quædam ſpiritualis pugna, quę communis eſt omnibus, & à qua nullus eſt liber, maſculus vel fœmina, peccator vel iuſtus. Hęc namque quamuis excitetur à carne, & vegetetur per carnem, atque agatur in carne, ſentitur etiam in corde, & in corde cognoſcitur, maxime ab ijs, qui conuertuntur ad cor, vt illud cuſtodiant, mundent & colant. Tales quippe ſententiam ipſam eſſe veram aſſeuerant, edocti tam experientia quotidiana, & in corpore proprio, (Gal. 5.) quam etiam apoſtolica eruditione, quę ait: Spiritus concupiſcit aduerſus carnem, & caro aduerſus ſpiritum, vt non quęcunque vultis, illa faciatis. Iſta profecto licet vniuerſalis ſit lex, non tamen pariformiter omnes tenet aſtrictos, ſed diuerſimode, ſecundum cuiuſque menſuram virtutis & gratię. Sunt enim qui proſtituunt ſe voluptatibus carnis & ventris, & tanquam iumenta irrationabilia reiecto Chriſti iugo, poſtpoſitoq; Dei timore, carnis deſideria perficiunt in cõcupiſcẽtiis ſuis. Hi nimirum quamquam ad tempus lętari videantur & corporaliter viuere, coram tamẽ Deo & in ſpiritu mortui ſunt, ſicut Apoſtolus de vidua, voluptuoſa teſtatur dicens: (1. Tim. 6.) Vidua (inquit) in deliciis viuens, mortua eſt. Tanquam .n. membrum putridũ, & à Chriſti corpore pręciſũ huiuſmodi cenſendi ſunt. Sunt & alii ab his diſsimiles, qui carnis quidem concupiſcentias ſentiunt: ſed operibus minime conſentiunt. Tales quippe certant, ne ſuccumbant, & veluti minus perfecti interdum ſuperantur, quandoque verò vincunt. Tandiu autem iſti gratia Dei ſecum cooperante corpus ieiuniis, & vigiliis affligẽtes, in hoc ſpirituali ſtadio perſeuerant, donec aſſueſcant certamini, & ſpiritus pręualeat operibus carnis, & virtus vitio dominetur. Proficiẽtes vtiq; vocandi ſunt iſti, qui cum ſudore luctantur, ne opera carnis peragant, ac ne actu perficiant, quod caro male ſana & rationis ignara faciendum eſſe blanditur. Sunt verò aliqui, quamuis non multi numero, comparatione cæterorum, in omni virtute probati, atque perfecti, qui pro conſuetudine exercitatos habent corporis & animæ ſenſus. Hi quidem pugnam ſentiunt, ſed impugnatori nequaquam etiam in paruis voluntatis aſſenſum præbent, tum quia & ſpiritus ſancti inhabitante gratia ſunt edocti, tum quia charitatis ſunt vehementiſsima flamma ſuccenſi: quæ profectò illos roborat in certamine, ad profectũ virtutis impellit, mentem trahit ad Chriſtum, & meritorum coronat triumphis. Huiuſmodi tametſi ſtudeant carnem redigere ſub poteſtate ſpiritus, perfectam tamen de ipſa nequeunt reportare victoriã quãdiu in hoc corruptibili degunt corpore, quoniam eorũ ſpiritus ſemper ſtimulis carnalib. perurgetur.

Vnde Apoſtolus de ſe loquens ait: Video aliam legem in membris meis reſiſtentem legi mentis meæ, & captiuum ducentem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Nam etſi ſpiritualis homo & ſanctus mente & ſpiritu ſeruiat legi Dei, carne tamen cogitur, velit nolit, legi ſubeſſe peccati. Quod, vtique illi non adſcribitur ad caſum ſeu pœnam, ſed potius ad meritum & coronam, atque virtutum cuſtodiam, quæ præuia humilitate perficitur. Hinc eſt quòd ſancti viri in ſpiritu ambulantes, omniaque ſua interiora diiudicantes, in continuo conflictu ſunt carnis & ſpiritus. Nam caro ſemper ad ima procliuis, & proprias anxia explere voluptates, ſola quæ carnis ſunt, ſuggerit, concupiſcit, & quærit. Spiritus verò naturali ſuo inſtinctu cæleſtia & æterna appetens, Deoque placere deſiderans, carnales ſub rationis imperio cohibet paſsiones, & tantum quæ ſunt virtutis, honeſtatis, & meriti abſque vl-

Gal. 5. la tergiuerſatione ſectatur. Vnde & Apoſtolus dicebat: Qui autem ſunt Chriſti, carnem ſuam crucifixerunt cum vitiis & concupiſcentiis. Hæc plane militia, & ſpiritualis, de qua loquimur, pugna, quæ in conſpectu veri & æterni iudicis cordis ſecreta cernentis geritur, filios Dei à tenebrarum filiis cognoſcibiles facit. Nam qui te-

Ibid. nebrarum ſunt filii, carnis proculdubio opera perpetrant, quæ perhibente Apoſtolo ſunt, fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, comeſſationes, ebrietates, & his ſimilia. Qui verò Dei ſunt filii, apprehendere ſatagunt fructus ſpiritus, qui ſunt charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Nempe Dei filii tanquam ſtrenui bellatores quodam ſpirituali vigore præcincti, ſuper mentis ſuæ vigilantes cuſtodia, omnes animi ſui inordinatos motus, ſingulaſque ſuggeſtiones immiſſas in eorum corda per angelos malos, vniuerſaſque illecebras carnales impellentes ad facinus, in ipſorum initio quum ſe mentis repræſentant in ſpeculo, reprimendo compeſcunt, iuxta

Pſal. 136. prophetæ admonitionem, quæ dicit: Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos ſuos ad petram. Idemque myſticè inquit: In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt diſperderem de ciuitate domini omnes operantes iniquitatem. In hoc quippe ſpirituali certamine tanto quiſque ſolicitior, tanto robuſtior, tantoque feruentior eſt, quanto Chriſti charitate ardentior, & in ſui cognitione exiſtit exercitatior. Perfectorum ſi quidem eſt actualis iſta congreſsio, quę ſingulis fere momentis promouetur interius, potiſsime quum non deſint tentationum cauſæ exterius. Hinc plane prælatorum ſtatus quàm ſublimis, quantæque ſit perfectione agnoſcitur. In medio namque fragorum eſt populi, in clamoribus litium ſecularium, in perturbationibus negociorum temporalium. In quibus vtique comitante Dei timore, erectaque ad cælum mente, ac cordis apertis luminibus, & collocata in profundo humilitatis cogitatione, prudentiſsime, ſemper incedendum eſt ad euitandum caſus, atque criminum occaſiones, quæ annexæ ſunt illis, & præcipitare conſueuerunt incautos. Beata prorſus vera humilitas, quæ in ſui iugiter cognitione verſatur. Hæc profecto ſi efferatur laudibus, ſi pręſtet honoribus, ſi dignitatibus ſublimetur, nunquam à proprię infirmitatis conſideratione reflectitur. Hęc inquam, humilitas ſancta eſt religionis ſtabilimentum, condimentum orationis, fomentum charitatis, ſalutis medium, compunctionis incentiuum, ornamentum pręlationis, & totius forma virtutis. Tolle ab eo, qui pręſidet, humilitatem, & domus illius fundamentum reperies in arena locatum, quod vtique aquarum innundatione, aut ventorum inſufflatione quaſſatur. Totam quippe miniſterii ſui intentationem in hominum opinione conſtituit, maximumque ſe pati arbitratur detrimentum, ſi in aliquo (etiam iniuſte) ipſius fama lędatur, nequaquam intelligens, quod parum prodeſt ab hominum ore laudari, & diuino damnari iudicio. hinc eſt quod humilis pręlatus, quamuis regiminis autoritatem exhibeat exterius, interius tamen ante ſe iniquitates ſuas & errata conſtituit, quatenus earum conſideratione viriliter repercutiat omne, quod eſt altum, quod blandum, quod obliquum, quod carnale, quod fœtidum. Nempe in mentis ſuę cathedra ſedet, vt iudex, & nunc conſcientię proprię teſtimonium quęrit, nunc operum ſuorum imperfectiones diiudicat, interdum delictorum ſuorum arcana rimatur, nõnunquam verò aduerſum ſe ſentẽtiam proferendo ſe deprimit, vt videlicet humilitatem teneat, quæ eſt interpellatrix gratiarum, virtutum cuſtos, & precioſiſsima corona pontificum, ſine qua proculdubio nullus in dignitatis culmine poſitus valet eſſe ſecurus. Porrò innitentem ſibi ſuſtentat, ne corruat, ſe quærẽtem conſolatur ne deficiat, ſeque amplectentem erudit ne iudicando ſe præcipitet. Da, quæſo, præſulem corde humilem, ipſumque inuenies conſtantem in opere, lætum in corde, in ſermone eruditum, compoſitum in moribus, in ſe pacificum, iucundum in facie, in regimine prouidum, & in omni ſua actione diſcretum. Redarguit quidem ſine paſsione, delinquentes punit ſine vindicta, abſque vlla crudelitate terret elatos. In publico quoque conſtitutus coram aſtantibus apparet vt dominus, ſed ante Deum humilitate proſtratus iacet vt ſeruus. Denique iniuſtis non flectitur precibus, nec illatis iniuriis frangitur, neq; temporalium promiſsis mouetur, ſed cun-

ſta, quæ agit, matura gubernatione diſponit. Habet quippe paracletum præſidentem in ſe, dirigentem ſe protegentem, atque docentem. Quamobrem ipſius fultus præſidio nullum ex eius ore profert mendacium, nullum contra conſcientiæ rectitudinem facit iudicium, nulliuſque potentis pertimeſcit aſpectum. [Num. 12.] Sic namque egit Moſes, qui (ſicut legitur) erat mitiſsimus hominum, qui tunc morabantur in terra. [Exod. 5.] Accepto ſiquidem Dei mandato intrepidus introiuit ad Pharaonem regem Aegypti, & dixit illi: Vſquequo non vis ſubiici mihi? Dimitte populum meum, vt ſacrificet mihi: ſin autem reſiſtis, & non vis dimittere eum, ego inducam cras locuſtas in fines tuos, quæ operient ſuperficiem terræ, vt comedatur id quod reſiduum fuerit grandini. Sic Helias [3 Reg. 18.] propheta. Quum enim audiſſet regem Acab ſibi improperantem & dicentem: Tu ne es Helias, qui conturbas Iſrael? illicò cum autoritate reſpondit: Ego non conturbo Iſrael, ſed tu & domus patris tui, qui dereliquiſtis mandata Domini, & ſecuti eſtis Baalim. Sic Domini præcurſor, quo nullus inter natos mulierum ſurrexit maior, [Matt. 6.] Herodem arguebat inquiens: Non licet tibi [Act. 7.] accipere vxorem fratris tui. Sic Stephanus in cōſilio ſeniorum poſitus confidenter aiebat: Dura ceruice, & in circuncisis cordibus, & auribus, vos ſemper reſtitiſtis ſpiritui ſancto, ſicut patres veſtri, & vos. Quem prophetarum non ſunt perſecuti patres veſtri? Et occiderunt eos, qui prænunciauerunt de aduentu iuſti, cuius vos nunc proditores & homicidæ fuiſtis, qui accepiſtis legem in diſpoſitione angelorum, & non cuſtodiſtis. Profectò hi omnes, quanquam eſſent corde humillimi, & ſanctitate præclari, opportunitate tamen exigente, & ſancto ſpiritu introrſus concitante ſuperborum ac principum audaciam reprimebant, nullum ex hoc humilitatis ſuæ diſpendium patientes, quin potius illius celſitudine decidiſſent, ſi ſe offerente materia reiecto iuſtitiæ zelo, ſub humilitatis velamine veritatē reticere voluiſſent. Non igitur humilitas in aliquo læditur & potiſsime in paſtoralis officii regimine conſtitutis, ſi ſeruatis modo, loco, & tempore corripiendi, atque imperandi exerceatur autoritas. Alioquin quomodo poterit cenſura pontificalis miniſterii laudabiliter exequi, ſi perpetrata facinora ſub ſilentio impunita prætereant: Decet prorſus præſulem, vt ſit in corrigendis vitiis pie ſæuiens, in fouendis virtutibus auditorum animos demulcens, in tranquillitate ſeueritatis rigorem non deſerens, atque in humilitatis cuſtodia regiminis autoritatem non negligens. Sane iſta duo, humilitas videlicet & autoritas in eo, qui animarum eſt curæ deditus, viciſsim ſibi optime famulantur. Nam humilitas ſine autoritate præſulem contemptibilem reddit: autoritas verò abſque humilitate ipſum ſubditis efficit intolerabilem, atque crudelem. Verum ſi vtræque congruo exerceantur tempore, præcepto rem exhibent commendabilem, atque gratiſsimum. Aduerte (quæſo) mediatorem noſtrum, qui nos ſingulatiter humilitatem docuit dicens: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, [Matt. 11.] qualiter alternatim iſta perfecerit. Quum enim frequentiſsime Scribarum, & Phariſæorum pateretur inſidias, vt illum caperent in ſermone, illique conuiciarentur, & calumniarentur ipſius operibus ſanctis, aſſerentes quòd in Beelzebub dæmoniorum principe dæmonia eiiceret, non eſt indignatus, neque eos ſubſanando repulit, quin potius nunc ratione, nunc ſcripturarum autoritate, nunc fraudes eorum detegendo conuicit, & cum eſſet Deus, voluit tamen humiliter hominum maledicta perferre. Cæterum quum vidiſſet oues & boues in templum fuiſſe allatas, quod minime licebat, facto, præter conſuetudinem, de funiculis flagello, cum autoritate maxima oues eiecit, & boues cathedraſque vendentium & columbas euertit, ac numulariorum æs effudit, & ait: Auferte iſta hinc, & nolite facere domum patris mei domum negociationis. [Ioan. 2.] Tātæ ſiquidem poteſtatis fuit iſta correptio, vt nullus ex omni ipſa multitudine repugnare præſumeret. In miraculis igitur & prædicationibus autoritatem oſtendebat vt Deus, ſed in illatis ſibi conuiciis, in flagellis, in perſecutionibus in ſputis, in cruce exemplum perfectæ humilitatis cunctis fidelibus reliquit vt homo. Summum itaque paſtorem cęteri imitentur paſtores. Debiles quippe in opere, infirmos in fide, in tribulatione nutantes, delictorum mole depreſſos, atque compunctos corde cum humilitate ſuſcipiant, inſtruant in ſpiritu lenitatis, & charitatis complectantur affectu. Clamat nempe ipſe paſtorum Dominus cum manſuetudine exhortando: Venite (inquit) ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, [Matt. 11.] [Matt. 19.] & ego reficiam vos. Paruulos quoque ad ſe trahens, affatus eſt dicens: Sinite paruulos venire ad me, talium enim eſt regnū cœlorū. Contradicentes verò eum ſuperbia, & ſimpliciū innocētiam fraudolenter deprauare ſatagentes, cū autoritate qui præſunt, increpent atq; deterreant. Nā idem dominus noſter Ieſus Chriſtus māſuetus & pius Scribarum & Phariſæorum malignitatē, ac hypocriſim publice arguendo damnauit inquiens: Væh vobis Scribæ & Phariſæi hypocritæ, qui deuoratis domos viduarum ſimulantes lōgas orationes, propter hoc maiorem accipietis damnationem. Iterumque: Væh vobis Scribæ & [Matt. 23.] Phariſæi, qui ſimiles eſtis ſepulcris dealbatis, quę foris apparent hominibus ſpecioſa, intus verò ſunt plena oſsibus mortuorum, & omni ſpurcitia: ſic & vos foris quidem paretis hominibus iuſti, intus autem pleni eſtis hypocriſi ac iniquitate. Ad populum, cauete, inquit, vos à fermento [Matt. 16.]

Phariſæorum, quod eſt hypocriſis. Exemplo igitur domini edocti paſtores ſub humilitatis ſpecie timeant ſilentium tenere, maximè aduerſus veritatis impugnatores, & contra illos, qui fraudulẽter incedentes, ſub imagine ſanctitatis innocentium animas conantur euertere, quoniam grauiſſimum ex taciturnitate ſua iudicium reportabunt: Nam de manibus ipſorum ſanguis pereuntium requiretur, & in numero aſcribentur mercenariorum, qui videntes lupum venientem fugiunt, dantes vtique occaſionem illi, quatenus ex ficta humilitate ſua dominicas diſsipet, atque diſperdat oues. Sanè aduerſus huiuſmodi deceptores, ac veritatis inimicos redargutionis eſt exercenda poteſtas, vt inuectione verborum territi, vel etiam (ſi opus fuerit) flagellis edomiti reſipiſcant, eorumque emendatione cæteri corrigantur. Porrò Apoſtolus Paulus cum Barieu magum veritati, quam ipſe prædicabat, pertinaciter repugnare conſpiceret, iuſtitiæ zelo accenſus apoſtolicam autoritatem exercuit dicens: O plenę omni dolo & omni fallacia fili diaboli, & inimice omnis iuſtitiæ, cur non deſinis ſubuertere vias domini rectas? Et nunc ecce manus domini ſuper te, & eris cæcus non videns ſolem vſque ad tempus. Act. 3. Cæterum ſi abſque vlla ipſi ſupplantatores, de quibus loquimur, reprehenſione pertranſeant, procul dubio deteriores efficiuntur, atque ad quodque facinus procliuiores, ita vt pedetim incorrigibiliores fiant. Quamobrem ſolerti cura dum recens eſt vulnus atque ſanabile, congruum medicamentum, & opportunum remedium præſul adhibere non ceſſet, & nunc leniter, nunc blande, nonnunquam humiliter, nunc rationabiliter ſpiritualem ægrotum erudiat: interdum etiam ſi expedire cognoſcit, aſpera commonitione concutiat, vt vel ſic reiecto ſuperbiæ ac malignitatis veneno ſpirituali reſtituat ſoſpitati. Argue, obſecra, increpa, opportune, importune, inquit Apoſtolus. 2. Timo. 3. Hinc clare colligitur, quòd non vno, eodemque medicamento animarum ſunt medendi languores, ſed iuxta ſingulorum qualitates ſunt impertienda remedia. Neq; debet ſemper qui præſidet, humilitate, nec in omnibus vti autoritate, ſed alternatim, nũc vnã, nũc exhibeat aliam, prout cuiq; expedire cenſuerit. Sane cum mitibus & ſimplicibus ſe paſtor humiliter gerat, quandiu in propria ſimplicitate perſeuerant. At vero ſi ſuadente diabolo, aut ſubuertente malitia ab innatæ bonitatis itinere declinare inchoauerint, tunc & ipſe qui regit, diſciplinæ rigorem aſſumat, & regiminis grauitate ſeruata, errantes ad cor ſuum reuocare ſtudeat, vt intelligant vnde exciderint: & cum autoritate compeſcat, quos humilibus perſuaſionibus in mentis ſuæ ſynceritate cuſtodire non valuit. Superborum verò vulneribus (quoniam acriora sũt apponenda remedia) iuſtitiæ contra eos prælatus ſe zelo præcingat, ſatagatque illos minis, terroribus, atque conuitiis proprii reatus ad compunctionem inflectere, amonitionisque verba cum cordis benignitate ſuſcipere. Denique ſi viderit eos ex increpatione molleſcere, ſeque accuſando diſtricta animaduerſione mactare, tunc humilitatis, & charitatis promat eloquia, ne forte deſperationis cadant in laqueos, qui ab aduerſariis ſub compunctionis ficto velamine tenduntur incautis. Sciat itaque qui in eccleſia pręſidet, ſe (cauſa exigente) per autoritatem attollere, ſciat etiam ſe humiliare prudenter, ne & ipſe circumueniatur à Satana, qui mille fallaciarum generibus militantibus Chriſto inſidiari non ceſſat. Beatus plane cui per ſapientię ſpiritum datum eſt, illius non ignorare aſtutias. Hic profecto abſque vlla ambiguitate poterit proprię multorumque eſſe cauſa ſalutis, ſecum in ſpiritu diuina cooperante clementia, quæ omnes vult ſaluos fieri, & ſingulis iuxta cuiuſque capacitatem bonitatem bonitatis ſuæ dona largitur. Hoc quippe diſcernendorum ſpirituum munus præcipuum à Deo ille, qui Chriſti paſtor eſt ouium, humiliter poſcat, quatenus prius ſemetipſum regere, deinde proximorum ſine errore valeat tractare negocia.

Quòd ſicut cæci corpore propter occurrentia incommoda indigent ductore: ita, & qui in regimine pręſunt, opus habent ſapientia. Cap. XV.

MAximo vtiq; huius peregrinationis, humanęq; conuerſationis carere ſuffragio, necnõ multiplicibus noſcitur ſubiacere periculis, quiſquis oculorum priuatus eſt lumine. Quis inopinatos enumeret caſus, atque quotidiana diſcrimina, quæ cæcis conſueuerunt accidere? Hac quidem de cauſa quum incedunt, nutant, palpant, impingunt, gemunt, niſi pręſidio ſuſtententur alieno. Nam ſingulare cęcis remedium eſt, fidelem habere ductorem, quo docente, quo prænunciante, atque dirigente ex parte agnoſcant pręſentia, deuitent pericula, pergãt lęti, ſecurique maneant. Sanè gaudent accepiſſe in altero, quo ipſi priuantur, tametſi hoc ſit modicũ, atque breuiſsimũ. Hoc Tobia ſancto atteſtante, qui angelo dixit: Quale gaudiũ erit mihi, qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video? Tob. 5. Cæterum ſi tanta illi, quibus corporale denegatum eſt inſpicere lumen, patiuntur incommoda: quãta ſuſtineant, qui ſpirituali carent luce, quis valet edicere? Sed ſi directore indigent, qui de ſeipſis tantummodo ſoliciti ſunt, quanto magis qui ad animarum prælati ſunt regimen? Iſtos profecto oportet habere ductorem, non viarum ſed morum, non corporum ſed animarum. Iſtos, inquam, decet eſſe oculis plenos ante & retro, ſicut ſancta quatuor animalia per prophetam fuiſſe memorantur, quatenus ſuos, ſuarumq; ouium

ſpiri-

ſpirituales agnoſcant greſſus. Ad hoc quippe non ſuppetit naturale ingenium, niſi illuſtretur interius luce ſapientiæ, quaſi quodam pædagogo & duce, & corroboretur per ſpiritum ad tam ſublime miniſterium peragendum. Hoc nanque Salomon (Deo inſpirãte) cognouit, qui cum effectus eſſet rex ſuper Iſrael, humiliter dominum deprecatus eſt dicens: Et nũc (domine Deus) tu regna- 3.Reg.3. re feciſti me ſeruum tuũ pro patre meo Dauid: ego autem ſum puer paruus, ignorans ingreſſum & exitum meum. Et ſeruus tuus in medio eſt populi, quem elegiſti, populi infiniti, qui numerari & ſupputari non poteſt præ multitudine. Dabis ergo ſeruo tuo cor docile, vt iudicare poſsim populum tuum, & diſcernere inter bonum & malũ. Errat proculdubio quiſquis per ſe hoc perficere poſſe præſumit. Humiliet itaque ſe, qui talis eſt, & cognoſcat ſeipſum à ſeipſo non ſufficere pro ſeipſo, & multominus pro multis, intelligatq; ſapientiæ indigere ſuffragio: quam vtique non ab Iacob.1. hominibus, neque in ſcripturis, ſed à Deo impetrare poteſt, quemadmodum (Apoſt. Iacobo propalante) didicimus. Si quis indiget ſapientia (inquit) poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluẽter, & non improperat, & dabitur ei. Hac ſi quidem exhortatione admonitus quiſquis ad regiminis eſt honorem aſſumptus, onereque grauatus, corporis & cordis flexis genib. ſeſe ſtatuat ante Deũ & humili prece, deuotaque ſupplicatione diuinã clementiam fideliter depoſcat, dicens: Deus om- Sap.9. nipotens pater domini noſtri Ieſu Chriſti, & domine miſericordiæ, totius conſolationis & ſpei: qui feciſti omnia verbo tuo tibi coæterno, & ſapientia tua conſtituiſti hominem, vt dominaretur creaturæ tuæ, quæ à te facta eſt, vt diſponat orbẽ terrarum in æquitate & iuſtitia, & in directione cordis iudicium iudicet, da mihi ſedium tuarũ aſsiſtricem ſapiẽtiam, & noli me reprobare à pueris tuis, atque ſegregare à ſanctis tuis, veriſque rationabilium ouium tuarum paſtoribus, qui tibi in hoc opere placuerunt ante me. Tu enim ſcis (ô bonitas ſempiterna, & ad te confugientiũ tutiſsimum refugium, & gaudium ſingulare) quia homo infirmus & ignarus ſum, atque minor ad intellectum iudicii & legum. Tu verò (Domine) me elegiſti in pręſulem & ducem populi tui, vt ipſum ad te dirigam ſummum paſtorem: & (quantũ in me eſt) introducã in paſcuis virentibus ciuitatis tuæ Hieruſalem cœleſtis, teque laudet cũ cœtibus ſpirituum beatorum in æternum. Nunc autem (dominator domine) ſcio atque confiteor, quia tecum eſt ſapientia, quæ nouit opera tua, & tunc affuit, cum orbem terrarum faceres, & ſciebat quid placitum ſit in oculis tuis, & quid directum in præceptis tuis. Mitte illam (quæſo clementiſsime Domine) de cœlis ſanctis tuis, & à ſede magnitudinis tuę, vt mecum ſit, & mecum laboret, vt ſciam quid acceptum ſit coram te omni tempore. Scit namque illa omnia & intelligit, & deducet me in operibus meis ſobrie, & cuſtodiet me in ſua potentia, acceptaque erunt opera mea, & ipſa mediante diſponam populum tuum iuſtè, & dignus ero gratia tua, & conſortio ſeruorum tuorum, qui in hoc miniſterio tibi laudabiliter ſeruierunt. Hęc & his ſimilia non cum ornatu verborum, neque humana hominum ęſtimatione & laude, ſed ſolum vt placeat Deo, vt proficiat proximo, vt conſcientię ſatisfaciat debito, & vt conſpectui diuino irreprehenſibilis appareat, in oratione poſitus petat humiliter, deuote, atq; fideliter. Nempe oratio humilis quodam ſpirituali alarum remigio euecta, ſine vllo impedimento cœlos penetrat. Deuota autem charitatis contubernio ſociata ſummi ęterni regis lęta ſe pręſentat obtutibus. Quę verò abſque hęſitatione in fide fundata eſt, nequaquam repelli poteſt, quin potius conſequitur quod iuſte popoſcit, ſicut ipſa ſapientia polliceri dignata eſt, dicens: Amẽ amẽ Mat. 11. dico vobis, quicquid orãtes petitis, credite, quia accipietis, & fiet vobis. Poſtulet (inquam) orando non ſemel tantum, vel bis, ſed quotidie, ſed frequenter, ſed quoties fuerit opportunum. Nã quẽadmodum oportet iugiter vt pręſul iudicet, ita expedit, vt ſępiſsime oret. Oret vtique ne circumueniatur à proximo, ne ſeducatur à ſeipſo, & ne ſubuertatur ab amore priuato. Hinc optime colligitur, quam ſit neceſſarium pręlato donum percipere ſapientię, vt ſpirituales hos euitet laqueos, quos nemo effugit, qui caret ſapientia & rectitudine iudicandi. Nullus verò arbitretur hoc, quod dictum eſt, perfunctorium eſſe, vel leue, cum proprium ſit eorum, qui in animarum ſunt regimine conſtituti, in lumine ſapientiæ reddere cuique quod iuſtum eſt, damnare videlicet reum, & innocentem abſoluere ſyncero libramine æquitatis. Nam qui præeſt, minime dubitet, quin quali menſura iudicii ſubditorum geſta menſus fuerit, tali ab vniuerſorum iudice Deo remetiatur eidem. Hoc quoque naturæ innata lex clamat, vt id quiſque proximo ſuo impendat, quod ſibi ab alio fieri concupiſcit, caueatque alteri facere, quod nollet ipſe ab alio ſuſtinere. Ab hoc vtique naturali, ſanctoque iudicio nullus qui rationis ſit cõpos, excipitur, ſiue fidelis, ſiue ſit alienus à fide. Iu- Pſal. 95. dicabit (inquit propheta) orbem terræ in æquitate, & populos in veritate ſua, tamen aliter, & aliter. Nam qui ſub lege ſunt, & qui catholicam tenent fidem, per legem proculdubio iudicabũtur, nedum datam, verumetiam per innatam. At verò infideles, qui nullo mandato, nulloque legis ordine diriguntur, iudicabuntur quidem non per datam, quam ignorant, ſed per innatam naturæ legem, quatenus nulli querelari liceat de iuſtiſsi- Mat. 16. mo reuerendiſsimoque Dei iudicio, qui reddit vnicuique (ſacro teſtante eloquio) ſecundum opera ſua. De hoc quippe duplici iudicio apoſtolus

Rom. 2. lus Paulus apertiſsime ſcribit, dicens: Quicunque enim ſine lege (vtique data) peccauerunt, ſine lege peribunt. Et quicunque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur. Quum enim gentes, quæ legem (ſubaudi datam) non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, huiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationum accuſantium ac defendentium in die, quum iudicabit Dominus occulta hominum ſecundum Euangelium meum per Ieſum Chriſtum. Patet itaque, quòd tam illi, qui legem acceperunt datam, quàm illi, qui ſine ipſa ſunt, & ſub lege degunt naturæ, omnes per legem iudicabuntur à legislatore, qui legẽ gratiæ dedit & naturæ, vt omne os obſtruatur ad excuſandum excuſationes in peccatis, fiatque omnis mundus ſubditus Deo, ſi tamen velit conditoris ſui obtemperare mandatis. Quoniam verò omnes errauerunt, & datam, ſeu innatam tranſgreſsi ſunt legem, ſicut propheta teſtatur dicens: Omnes declinauerunt,
Pſal. 3. ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum non eſt vſque ad vnum, ideò vniuerſi indigent gratia ſaluatoris Ieſu Chriſti, qua videlicet mediãte in futuro valeant ſaluari iudicio, quod nullus poteſt, niſi luce illuſtretur ſapientiæ. Hæc (inquã) quũ ex ſua naturali bonitate ſe per generationẽ & generationes diffundat in cordib. filiorũ hoĩum, ſupereſt, vt quiſque pro ſeipſo Dei gratiã, & æternæ lumen ſapientię implorare ſolicitus ſit, quibus præeuntibus & comitantibus internas abiiciat tenebras, quæ ex propria nutriuntur voluntate & ſenſu. Quamobrem dominici gregis paſtores & qui præſunt populis, peruigilent, ne ſuo innitantur ſenſu, propriaque non ducantur volũtate, ſed humiliter (ſicut dictum eſt) flagitent, quatenus artifex omnium ſapientia cordium eorum inhabitet penetralia, & ipſa in illis regat, & iudicet, tribuatque eiſdem intellectum, ne circumueniantur à proximo, quod præſulibus perſæpe contingit, potiſsime iis, qui ſyncero gradiuntur mentis affectu. Porro qui ſimpliciter incedit, & nulli fraudem meditatur inferre, hic circumueniri poteſt, circumuenire autem minime. Neſcit enim fingere, ignorat mentiri, non audet veritatem tegere, neque falſitatem argumentis fallacibus defenſare. Hinc eſt quòd fugit lites, abhorret iurgia, trahi ad iudiciũ metuit, potiuſque ſibi inferri vim patitur, quàm ipſe cuiquam irrogare vindictam, dominici memor ſermonis, qui ait: Qui vult à
Mat. 5. te auferre tunicam, da ei & pallium: & qui te angariauerit mille paſſus, vade cũ illo alia duo. Nõ autem ſic cupidus, non ſic fraudulentus ex corde duplex. Verbis ſiquidem fallacibus, fucatiſq; ſermonibus cupidus, in negocio fratrem ſuum circũuenire conatur, immemor vtique, quod eſt humanitatis, quod honeſtatis, quod naturę, quod legis, quod gratiæ. Alienum quippe ſe eſſe à charitate verbis pariter & operibus proteſtatur. Quomodo (quæſo) eſſe valet in charitate, qui ſe legi charitatis opponit, quæ mandat, vt quiſque proximum ſuũ, ſicut ſeipſum diligere debeat: Quomodo eſſe in charitate dicendus eſt, qui proximo ſuo ſatagit inferre malum, ipſiuſq; dolore auferre ſubſtãtiam, quum lex charitatis pręcipiat, vt qui videt proximum ſuum indigentem, pietatis nequaquã viſcera claudat, ſed illi de propria facultate ſubueniat? Cupidus verò nedum ſua non tribuit, ſed intentat ſurripere aliena, tanquã non ſit Deus, qui quærat & iudicet. Deſiderat ſiquidem auarus de ære alieno, proximorumque ſudoribus ſuum implere marſupium, & ſitim propriæ cupiditatis extinguere, ignorans ipſe cęcus & miſer, quod cum aggregatione diuitiarum affectus etiam augeatur habendi. Non enim ex cumulatione pecuniarum, ſed ex aſperſione & erogatione auaritię ſanatur ęgritudo. O quàm deteſtabile malum Deo odibile, ac hominibus intolerabile terrenarum facultatum immoderata cupido. Spoliat quippe impotentem, egeno non miſeretur, eſurientem fame perire ſinit, inopem & ſine tecto errare patitur, non parcit viduæ, pupillo non ſubuenit, languido neceſſaria non miniſtrat, oppreſſo opem non impendit, compedito humanitatis beneficium non oſtendit, & ſemimortuo non compatitur proximo. Quid plura? Supplantat ſimplicem, iuſtitiam deprauat, ſubuertit iudicium, iudicantiſque animum circumuenire molitur. De viro autem fraudulento quid memorem? Sermonibus namque illius non facile pręſul credat, dum iudicat. Conſueuit vtique aures iudicantis blandis mulcere adulationis eloquiis, pietatis inſerere verba, compaſsionem oſtentare in geſtis, quum intus ſit plenus nequitia, ſimulatione & dolo. Obſeruat quaſi leo in ſpelunca ſua, ſi quomodo iudicem capiat in ſermone, & ſi illum callida locutione decipere poſsit. Quęrit pręſulis intellectum captiuare rationibus fictis, iniquitatis effectus ipſe captiuus. Denique dum vult tenere, tenetur, & dum fraudem meditatur inferre, ipſe decipitur ab eo vtique, qui deceptionis ſuę calliditate priorum parentum noſtrorum abſtulit gloriam, illoſque expoliauit candore innocentię, puritatis bono, domino creaturarum, habitatione paradiſi, angelorum cõſortio, felicitate cœleſti. Propter quod effecti ſunt inimici Dei, ſibiipſis cõtrarii, coloni mundi, agrorum cultores, ſuper terram profugi, delictorũ obnoxii, corporis ſerui, iumentorum ſimiles, velint nolintque mortales. Tales profecto fructus, taliſque merces eſt ſubſecuta fraudis inuentoris ac ſeminatoris ex fraude. Hoc ſiquidem lethale virus, ex quo humanum omne deordinatum eſt genus, antiquus coluber quotidie in cordibus iniquorũ infundere non deſinit, vt quod minime per ſe va-

let.

let,hoc per membra ſibi ſubiecta perficiat. Nam quemadmodum ſancti & iuſti membra ſunt Chriſti: ita ſcelerati & infideles ſunt inſtrumenta diaboli. Hinc prudenter admonentur paſtores eccleſiæ & in regimine conſtituti, vt fraudulentorum obſeruẽt diligentiſsimè venenata colloquia, quæ vt cancer ſerpũt,& veritati ſemper obſiſtũt. Porro cum difficultate talibus credenda eſt veritas,niſi ſit in propatulo, & ipſa ſibiipſi conſpicuũ teſtimonium reddat.Tunc quippe non fraudulẽto veritatem loquenti,ſed ipſi veritati credulitas adhibetur,cui tunc reſiſtere, & quam voluntarie oppugnare,nihil eſt aliud,quam contra ſpiritum veritatis blaſphemiæ verba proferre,quod vtiq; delictum ipſa in carne diſſerente veritate, nec in
Matth. 12 hoc ſeculo,neque remittitur in futuro.Quamobbrem fraudulentus cõſideret & malignus, in quale profundum deſcenderit criminum,& pertimeſcat, atque ad ſe reuerſus reatum ſuũ cognoſcat, ſuſpiret,ploret,& ab errore ſuo reſipiſcat, antequam illi miſericordiæ occidat Sol. Nullum quippe eſt tam graue peccatum,quod non humilitate lachrymis,& vera compunctione tergatur,dicẽ-
Ezech. 18 te domino per prophetam: Quotieſcunque peccator ingemuerit(vtique ex corde) non recordabor amplius iniquitatũ ſuarum.Fleuit Dauid peccatum homicidii & adulterii dicens: Peccaui Do
2.Reg. 12 mino,& mox audiuit:Ablatum eſt peccatũ tuum à te. Plorauit Ezechias fletu magno,quod perpetrauerat facinus,&meruit indulgentiam,inſuper prorogatus eſt illi numerus dierum vitę eius, & de manu regis Aſſyriorum eſt mirabiliter liberatus.Benignus eſt enim ſpiritus veritatis & ſapientiæ,qui pœnitentibus libenter ignoſcit, & magniloquum ſibique detrahentem eruit à perditione, ſi tamen compũctus animo conuertat maledictionem in benedictionem, impugnationem in confeſsionem,in planctũ duritiam,elationem in humilitatem, malique propoſitum in adoptionem virtutum.Recogitet ergo præſul ex his,quæ dicta ſunt,dum in tribunali reſidet iudicantis,quã peruigilem, quamve prudentem ſeipſum eſſe oporteat,ne à fraudulentis circunueniantur & corde duplicibus,qui veritatem in mendatium commutare moliuntur,& non quod iuſtum eſt,ſed prorſus quod volunt,perſuadere iudicibus verborum importunitate conantur,quod minime licet fidelibus, Deumque timentibus. Cęterum quamuis cunctis iudicibus miniſtrare iuſtitiam poſcentibus incumbat neceſsitas, peramplius tamen animarum dixerim imminere paſtoribus.Ipſis planè tanquam cęteris perfectioribus congruit per regiam iuſtitię incedere viam,nec à dextris,neque à ſiniſtris mentis greſſus ex eadem vllatenus declinare.Decet pręterea illos legalium inſtitutionum ſcientia, & ſanctorum patrum eruditionibus eſſe imbutos,atque iuxta earum formam ſuas dictare ſententias. Abſurdiſsimum ſiquidem eſſe videtur,vt quis ſpreto totius ęquitatis magiſterio, velit ex arbitrio ſuo ac ſenſu proprio nouas condere leges, ritus peregrinos inducere, ac ſi antiquorum patrum ſit ipſe magiſter, atque illa corrigere, quę ſancto dictante ſpiritu tanta cum maturitate ſunt ſcripta. Nam quæcunque à prophetis vel ſanctis doctoribus,viriſque catholicis ſunt in libris memoriæ commendata, vtique ad communem fidelium,minuſque peritorum eruditionem ſunt ſcripta:quatenus in dubiis habeant, quibus credant,in obſcuris,per quos inſtruantur, in aduerſis,cui innitantur,& in cognitis,per quæ magis,magiſque roborentur. Maximum quippe robur mentis exhibetur prælato,cum id,quod agit, aut profert ſanctarum comprobatur autoritatibus ſcripturarum. Tunc quidem incedit ſecure,operatur intrepide, loquitur confidenter. Non quærit angulos, excuſationes non meditatur,teſtimonio non indiget alieno,cõtentus proprio.Gloria noſtra(inquit Apoſtolus)teſtimoniũ 2.Cor. 1
eſt conſcientiæ noſtræ. Hinc recte colligitur, optimum & laudibilis vitæ eſſe indicium, conſcientiæ quieta poſſeſsio,quam ſi ab eccleſiaſtico paſtore abſtuleris,nihil eius miniſterio grauius, nihil laborioſius, nilque damnabilius reperitur. Nam ſi quieſcit, vrgetur,ſi comedit,corroditur,ſi graditur,cruciatur. Et hoc fit,ſi aliqua ſpes ſalutis in eo ſubſiſtit.Verum ſi gratiæ priuatus eſt vita,horum nil patitur, quin potius ſibiipſi applaudit de Dei bonitate, plus iuſto cõfidit præmia ęterna,ſi tamen ea eſſe credit, abſque vlla ambiguitate habiturum ſe ſperat, quanquam nõ ſpes, ſed magis iſta ſit dicenda præſumptio, quoniam à diffinientibus ſpes dicitur eſſe certa expectatio futuræ felicitatis proueniens ex gratia Dei, & ex multitudine meritorum,quæ ex bonorum operũ aggregatione generatur. Gloria igitur iudicantis,& pręſulis eſt conſcientiæ puritas,cordis mũditia,rectitudo mentis,vitæ innocentia,ſpes beatitudinis ſẽpiternæ,quæ proculdubio ex ſapiẽtiæ cõtubernio,veritatiſq; agnitione inchoantur,nutriuntur & creſcũt.Quamobrem paſtor animarũ deuotione humili,votis ignitis, & aſsiduis precibus donum ſapientię imploret ab ipſa Dei ſapientia,atque ad iudicium diſcernendum intellectũ & prudentiam, vt non fallatur à fraudulentis ac duplicibus, & pro veritate faueat falſitati, quod prorſus abſque ſui detrimento fieri nequit, tametſi volũtarie non ipſe delinquat. Debuerat quippe,quod non poterat proprio,alieno ſaltem inueſtigare conſilio,atque intelligentiam poſtulare à domino,qui humiliũ,ſeque timẽtiũ ſupplicationes clementer exaudit. Curet pręterea qui pręeſt, conſcientiam in conſpectu Dei ab omni dolo & ſimulatione habere purgatam,corpuſque à carnalis illecebrę colluuione deterſum, vt diuinę ſapientię inſeparabili dignus habeatur conſortio,quoniam ſacro teſtante eloquio,In male-

Sap. 1. volam animam non introibit ſapientia, neque habitabit in corpore ſubdito peccatis. Igitur quum ipſa ſapientia candor ſit lucis æternę, & ſpeculum ſine macula, ſplendor diuinę bonitatis, & imago maieſtatis illius, ſitque ſpecioſior ſole, & ſuper omnem ſtellarum decorem, lucique comparata inueniatur prior: ſit etiam vapor virtutis Dei, & emanatio quędam claritatis omnipotentis Dei ſyncera, nihilque in eo coinquinatum, nihil inueniatur immundum, ſed totum lucidum, quod nõ obumbratur; totum ſanctum, quod non deprauatur; totum purum, quod non corrumpitur; totum compoſitum, quod non deordinatur; totumque laude ac veneratione digniſsimum, quod nõ minoratur, congruum eſt, vt qui in præcordiis ſuis habitare illam deſiderat, ac claritatis illius illuſtrari ſplendoribus, ſpiritualique ipſius iucundiſsimo delectari contubernio, atque caſtiſsimi eius frui amplexibus, ſtudeat mundare conſcientiã ab omni face peccati, nec non a mentis ſuæ habitaculo per cẽſuram virtutum amouere quod carnale eſt, quod fictum, quod cupidum, quod indiſciplinatũ quod altum: ſicque ornatus & mundus oret iugiter, illam deprecetur vt veniat, pro ardentiſsimo que affectu eius concupiſcat præſentiam, atque intenta cogitatione ipſius obſeruet aduentũ, ne forte ſi vocata veniat, & non reperiat vacantem, vigilantem, expectantem, diligentem, indignata amplius non reuerſura pertranſeat. Denique ſi mox vt pulſauerit, illi aperiatur, hilariter ingreditur, confabulatur, delectatur, cõglutinatur eò fortius, quò ardentius excipitur, eò dulcius quò humilius tenetur, eò iucũdius quò familiarius amplexatur affectibus charitatis, deſideriorum votis, ſanctisq; amoris præludiis. Exultet itaque in ſpiritu, lætetur in domino, gratias immenſas agat omnipotenti Deo, qui tanto dignus effectus eſt hoſpite, tali cõuiuio, tamq; caſtiſsimo ac venerando connubio. Poteſt quippe tunc merito cum vocis modulatione, atque cordis iubilatione cantare & dicere: Ecce quam quæſiui, video; quam concupiui, teneo; quam habere ſperaui, aſtringo; illique ſum coniũcta ſpiritu, quam toto corde, tota mente, omniq; virtute dilexi. Sanè quiſquis proficiendo hucuſq; peruenit, ſi in hoc ipſum frequenter redire ſtuduerit, poterit ipſa comitante, dirigente, poſsidente, protegente, & docente ſapientia rectum ex ore ſuo proferre iudicium, ſumet nihilominus peruigili ſeruata de cætero cuſtodia.

Sap. 6.

Quàm callide diabolus perſecutus fuerit Chriſtum, et quotidie ipſius paſtores impugnet eccleſiæ. Cap. XVI.

ANtiqui hoſtis & generis humani aduerſarii hoc habet longæua conſuetudo pugnandi, vt caput potius quam membra, duces exercitus potius quàm militum turmas, & paſtores libentius quàm ouium greges oppugnare conetur. Intelligit namque ipſe homicida quòd languente capite membra quoque cętera hebetentur, corpuſque languẽdo deficiat. Percipit idem tortuoſus coluber, quod bellatorum duce proſtrato, mox vniuerſa militum multitudo in fugam verſa paſsim cæſa diſsipatur, atq; occufunditur. Nouit, inquam, quod paſtore percuſſo ouium armenta exterrita per deuia quęque ſparguntur. Caput eccleſiæ honorabile quippe & ſummum, duxque Chriſtianæ militiæ, atque rationabilium ouium præclariſsimus paſtor & pontifex, per cuius ſapientiam, dilectionem, & gratiã vniuerſale corpus militantis eccleſiæ protegitur, gubernatur, & regitur, eſt dominus noſter Ieſus Chriſtus, Deus verus, Deique & hominum mediator. Hunc ſiquidem ſtrenuiſsimum ducẽ, pręceptoremque fidelium dum adhuc in carne eſſet paſsibili, & cum hominibus conuerſaretur, quàm fortiter, quàm frequenter, quamque hic ſeditioſus & mẽdax impugnauerit importune nunc per ſeipſum, nunc per membra ſibi ſubiecta, ſacrorũ Euangeliorum narrat hiſtoria. Nequaquam ab ipſius infeſtatione quieuit, quoadusque illum in crucis patibulo crudeliter, ignominioſeque vitã (ipſo tamen volente) finire coegit. Cernebat vtique fraudulentus apoſtata hunc incomparabilis eſſe potentiæ in faciendis miraculis, irreprehenſibilis conuerſationis in moribus, admirabilis doctrinæ in prædicationibus, & in omnibus operibus ſanctitatis laudabilis, ita vt ſuarum fragrantiſſimo odore virtutũ poſt ſe innumerabilẽ vtriuſque ſexus traheret multitudinẽ, ſingularem perfectionis inſuetæ inſtrueret vitam, nouamq; Deo fideliter famulaturam aggregaret familiam. Quamobrem expaueſcens ne ipſe eſſet, per quem (prophetarum prænunciantibus oraculis) ſaluandus erat Iſrael, nationes gentium ad fidem veri Dei ducendæ, Euangelium ſanctum prædicandum, mundus à diaboli ſeruitute redimendus, expoliãdus infernus, aperiẽdum cælum, ipſum omnium electorum ante mundi conſtitutionẽ in illo prędeſtinatorum glorioſa reſurrectione replendum tentauit illum, perſecutus eſt, irriſit, flagellauit, crucifixit, occiditque, quatenus ipſo interempto cuncta pariter aboleret bona, quæ per ipsũ, & ex ipſo fieri pertimeſcebat. Nam præciſo capite, mẽbra vniuerſa prorſus inutilia & abiecta redduntur. Fefellit autẽ eum ipſius doloſa opinio, atque ad nihilum redacta eſt illius meditata nequitia. Vnde enim per capitis extinctionem corpori etiam voluit mortem infligere, inde per reſurrectionẽ capitis membris & corpori maior eſt aucta virtus maius decus, amplior gloria, ſuperabundantior gratia, diuturnior vita, & beatitudo largitate perennis. Reſurgente ſiquidem capite reſurrexit corpus in ſpiritu, in fine etiam reſurrecturum in carne, aſcenſurum in cęlum, & cum capite regnaturum in patria. Interim verò corpore viuente in ſpiri-

ſpiritu,& ſpiritualiter adhærente capiti,corporaliter autem peregrinante à capite, & militãte in ſeculo,ſicut tunc non defuerunt, ita nunc minimè deſunt corpori(credentium videlicet multitudini) quotidiana certamina. Quamobrem ad corroborandum ſpiritualium animos bellatorũ, & ad protegendum in ouili ſanctæ eccleſiæ dominicum gregem ouium rationabilium, inſpirante ipſo capite inſtituti ſunt,ſuper fidelium ſpiritualẽ exercitum præſtantiſsimi duces, atque cœleſtis diſciplinę eruditiſsimi paſtores, quorum vtique ſolerti ducatu, prudentique magiſterio aduerſariorum reprimantur vires, repellatur audacia, fraudes detegantur, ac fidelium mentes eorum ſpirituali pabulo nutriantur & viuant.Porrò quã continua ſit hæc pugna, quàm fortis, quamque periculoſa,quis enarrare ſufficiat?Sentiuntur quidam aduerſarii in corde,nequaquam verò videntur,quoniam inuiſibiles,& ſpirituales ſunt, dicente Apoſtolo:Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum contra ſpiritualia nequitiæ in cęleſtibus. In hoc quippe ſpirituali certamine, & aduerſus huiuſmodi ſæuiſsimos hoſtes non armis corporalibus,ſed oratione,ſed fide, ſed virtutibus dimicandum eſt, atque cum ſobrietate vigilandum, quemadmodum Petrus Apoſtolus hortatur dicens:Sobrii eſtote & vigilate, quia aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens,circuit quęrens quem deuoret,cui reſiſtite fortes in fide.Reſiſtant itaque rugientibus inimicis, qui Chriſtianæ religionis inſignia ferunt, vigilent (inquam) oues Chriſti,peramplius verò duces atque paſtores, quoniam illis ſupra modum infeſtus eſt aduerſarius. Totis ſiquidem viribus maligni ſpiritus euertere moliuntur animos eorum,qui in eccleſia præſunt regimini plebium,nunc palam,interdum verò occulte,prout opportunum illis eſſe cenſuerint. Exterius vtique eiſdem occaſiones obiiciunt delinquendi,honoris videlicet, diuitiarum,deliciarum,cupiditatis & carnis. Interius autem omnium ſuggeſtiones multifarias vitiorum aliquando voluptuoſas,& patenter malas,vt plurimum verò doloſas,& ſub ſpecie boni atque colore virtutum,eo fraudulentius,eoque ſubtilius, quò magis illos agnouerit ambulare in ſpiritu, exercere virtutes,delectari in bono,pluribuſque prodeſſe. Aduerſus igitur huiuſmodi tẽtationes mens præſulis ſit ſemper erecta, parata vtique ad reſiſtendum,ſcuto protecta fidei, atque ſpirituali præcincta mucrone virtutum,quamuis callidus hoſtis contra propugnatores viriles, ac eruditos ad prælium frequenter nolit habere congreſsũ. Sit quoque vigilans (ſeruata cordis ſui indefeſſa cuſtodia) vt ſcilicet non circumueniatur à Satana,neque à ſemetipſo fallatur.Sed ad hæc quis idoneus? Profectò qui ſub ſpiritus ſancti magiſterio eſt conſtitutus. Idẽ nanque ſpiritus quem replet & poſsidet, docet viriliter pugnare aduerſũ ſe,cordis perſcrutari latebras,carnis concupiſcẽtias agnoſcere, internos, inordinatoſque animi reſecare motus, vt ſicut ſpiritui caro,ita ſpiritus obtemperet Deo. Hic enim quamuis illuſtretur ſapientia & intellectu, quanquam omnem erga ſe ſibi poſsibilem adhibeat curã intelligẽdi quæ verſentur in ſe,quæve oriantur ex ſe, minimè tamen ſufficit ſe ad plenum cognoſcere, ſeque mũdare.Quis autem natus in tenebris, & relegatus in carcerem poteſt de coloribus iudicare? Quis, inquam,de immundo conceptus ſemine, & effectus immundus valet immunda mundare?Quum igitur ex fomite originalis peccati in vnoquoq; homine concupiſcentiarum ſpinæ & tribuli germinent vitiorum,neceſſe eſt, vt quiſque quãuis ſanctus,tametſi chariſmatibus ſpiritualibus decoratus, & potiſsimum eccleſiaſticus præſul, poſtulet introrſus lucem ſpiritualem vt videat, ſalutariſque compunctionis humiliter flagitet aquam, vt quantulumcunque, etſi nõ totus mundus fiat. In ſui quoque inquiſitione nullatenus deficiat, neque in cordis emundatione tepeſcat. Quærat vtique in luce veritatis & ſapientiæ diligentiſsime vulpeculas ſpirituales latenter ingredientes ad cor,affectiones videlicet blandas,carnales, atque priuatas, quę viriles etiam conſueuerunt eneruare animos, illecebroſos exagitare motus, obnubilare intellectum,conſcientiam fędare, regiminis authoritatem deprimere, corrigendi audaciam tollere, famam pręſidentium maculare, ſcandalaque multipliciter pullulare. Decet prorſus paſtores eccleſię omnes ſyncera affectione diligere, atque in hominibus eorum amare virtutes,illoſque amplius, quos gratia commendat & vita.Nulla in ipſis ſit perſonarum acceptio,nullaque fœdi amoris colluuio,egenum & locupletẽ, ignobilem ęque & nobilem paterna charitate ſuſcipiant. Meminerint admonitionis apoſtoli Iacobi dicentis: Fratres mei nolite in perſonarum acceptione fidẽ habere domini noſtri Ieſu Chriſti gloriæ.Etenim ſi introierit in conuentum veſtrum vir habens aureum annulum in veſte candida, introierit & pauper in ſordido habitu, & intendatis in eum,qui indutus eſt veſte præclara & dicatis,tu ſede hic bene, pauperi autem dicatis,ſta illic,aut ſub ſcabello pedum meorũ, nonne iudicatis apud voſmetipſos, & iudices facti eſtis cogitationum iniquarum? Porrò ſi legem perficitis regalem ſecundum ſcripturam, diliges proximum tuum ſicut teipſum,bene facitis.Si autem perſonas accipitis,peccatum operamini, redarguti à lege quaſi tranſgreſſores. Recipiendi igitur ſunt ſinguli hilariter,& dilectionis vinculis aſtringendi iuxta cuiuſque qualitatem pariter & neceſsitatem. Non præponendus eſt diues pauperi,quia locuples,ſed quia magis infirmus,& forte

Eph. 6.

1.Pet.5.

Iac. 2.

tē minus patiens:ita tamen vt nulla fiat pauperi iniuria, nullumque eidem inferatur ſcandalum; quoniam væh homini, qui ſcandalizauerit vnū de puſillis pauperibus in Chriſtum credentibus. Aequaliter itaque egeno & diuiti ſatisfaciat præſul, quia communis eſt pater, nemineinque à ſe patiatur abire vacuum atque mœrentem. Deniq; ſermonem veritatis charitate conditum gerat in ore: affectum verò fraternum abſque vlla carnis infectione geſtet in corde. Alienata prorſus ab illo omnis eſſe debet immoderata affectio, quæ facile à iuſtitiæ calle deuitare compellit. Mulcet quippe amantis animum, allicit, ſuperatque: ita vt dilecto etiam, quod Deo minus eſt placitum, denegare non audeat. Sanè qui huiuſmodi affectione reducitur, legem ſibiipſi neceſsitatis indicit, inordinati amoris effectus prius ipſe captiuus. Caret ſiquidem vero rationis iudicio, in eo amore ſuadente, atque vincente. Ducitur ſæpiſsime, trahitur, cathenatur, cæcaturque conſcientia intus accuſante, atque clamante, quoties plus iuſto conuerſatur cum eo, quem diligit, lætatur & dolet: ſi verò quod non decet importune qui diligitur ipſe rogauerit, conſentiendo recuſet, ſimul conſcientia diſſentiente & lingua. Onerosum profecto intus certamen patitur, ratione, affectioneque inter ſe acriter dimicante. Interdū vult & non vult, terminat & reuocat, placere appetit & diſplicere formidat, cadit pariter & reſurgit. Nempe ſi rationi aſſenſum præbet, affectionis ſtimulis intolerabiliter perurgetur. Si autem reiecta ratione affectio dominetur, futurum timet iudicium, gehennæque æterna ſupplicia. O graue iugum intemperantiæ, immoderatæque affectionis ſuper filios Adam à die exitus è ventre matris eorum, vſque in diem introitus matris omnium, quam fortiter premit, quantoſve in interitū perditionis emergit? Non autem ſic ſapientiæ iugū. Illud quippe intemperantiæ ponderoſum eſt, ſed ſapientiæ leue. Illud aſperum, hoc ſuaue. Illud damnabile, hoc ſanerum. Illud illecebroſum & fœtidum, hoc iucundum & redolens. Illud mœrorem præſtat, hoc gaudium. Illud poſtremo interitum, hoc verò vitam tribuit ſempiternam. Et (proh dolor) abundantior eſt numerus eorum, qui intemperantiæ, quàm qui ſapientiæ iugo mētis colla ſubmittunt. Nec mirum, quum ipſa ſapiētia atteſtetur ſpacioſam eſſe viam, quæ ducit ad perditionem, multoſque ambulare per eam, nec non arctam eſſe viam, quæ ducit ad vitam, paucoſque intrare per eam. Teſte quippe experientia facilius quiſque afficitur operibus carnis, quā ſpiritus, quoniam obiecta ſenſibus carnis viſibilia & in propatulo ſunt: quæ verò ſpiritus eſſe noſcuntur, inuiſibilia & ſpiritualia, quæ per purificātem fidem mente percipiuntur. Quamobrem paſtores animarum tanquam cæteris perfectiores, ſapientiæque luce repleti, nedum impudici amoris opera, verumetiam inordinatæ affectionis motus de cordis ſui debent reſecare habitaculo, vt impollutum ſit & ſanctum, dignumque ad ſuſcipiendum in ſe Dei verbum, quoties in illud eidē reclinare libuerit. Sint quoque ad laudabiliter perficiendum miniſterium ſibi iniunctum expediti & liberi, vt videlicet cum authoritate valeāt iniuſta neganda negare, atque honeſta poſtulata concedere, omni prorſus priuato amore ſemoto. Indignum profecto eſſe arbitror, vt regimini, potiſsimum eccleſiaſtico deditus, cordis ſui libertatem tribuat alienis, quum nullus pro ſe, ſed per ſeipſum coram Deo ſit rationem ipſe de credito ſibi prælationis officio redditurus. In negotiis quidem communibus & quotidianis naturali ſe regat prudentia, cunctaque diſponat prout ſecūdum Deum, & rectum bonæ æquitatis iudicium terminauerit eſſe faciendum. In rebus verò dubiis, & materiis arduis conſilio vtatur alieno: ita tamen vt prius matura conſideratione diſcutiat qualis ſit ille, quem conſulat. Non enim omnibus recte conſulendi prærogatum eſt lumen. Sunt quippe multi, qui ſibiipſis tantum ſufficiūt, & ſunt qui ſibi prodeſſe valent & cæteris. Diſcernendum itaque eſt, cuius ſit hærendum conſilio, cuiuſve nullo modo parendum. Contemnenda ſiquidem ſunt iniquorum hominum cōſilia, qui ſpretis mandatis cęleſtibus in foueam ingentiū ſe præcipitant delictorum. Nam (perhibente domino) qui ſibi nequam eſt, cui bonus eſſe poterit? Sed & malignus & ſceleſtus quomodo ſana valet aliis præbere, quum ſibiipſi recte non conſulat? Eccl. 14 In maleuolam (inquit Sapiens) animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Sap. 1 Liquet profecto ex hoc, quòd ſicut malus & ſcelerate viuens caret ſapientia, ſimiliter etiam priuatus eſt dono conſilii: hoc eadem ſapientia aſſerente, quæ ait: Ego ſapientia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus. Prou. 8 Quamobrem paſtores ouium Chriſti neglecto adulantium conſilio, qui tacita veritate votis poſtulantium ſe conformare nituntur, ſpretiſque doloſis, ac nequiter viuentibus conſulant timentes Deum, ac religioſe degentes, ſcientes leges atque decreta maiorum, qui à mētis rectitudine, nec prece flectantur, nec precio, neque proprio pertinaciter inhæreant ſenſui, ſed ſint dociles, & prolatæ ab aliis humiliter acquieſcāt veritati, ſuaſque cum modeſtia, animi tranquillitate & honeſtate verborum proponant ſententias, abdicatis omnino à ſe concertationibus atque clamoribus quæ procul dubio inſipientium arma eſſe noſcūtur. Porrò in conferendis beneficiis, officiiſq; impertiēdis, ſummopere vigilet, ne propria affectione fallatur. Diſcutiat ſemper cui regiminis exhibeat onus. Nō potentis perſonam, nō clarā progeniē, non amicorum preces, non ſupplicantium adulationes attendat, ſed literatum ſufficien-

tiam,

Digitized by Google

tiam, honeſtatem vitæ, bonorum teſtimonium, conſcientiæ rectitudinem, atque morum probitatem. Iſta profecto ſunt, quæ reddunt virum eccleſiaſtica idoneum dignitate, nõ quidem ad plenum, ſed quãtum patitur humana fragilitas. Quis enim curæ deditus paſtorali valet ſine redargutione ſatisfacere debito, quum nullus ſit, qui pro Eſa. 64. ſeipſo in toto ſufficiat, dicente Propheta: Iuſtitię noſtræ tanquam pannus menſtruatæ? Grande prorſus onus, negocium multarum vigiliarum, pauendumque miniſterium eſt regimen animarum, & heu penè reperiuntur innumeri, qui ſe ad hoc arbitrantur idonei. Quęrunt quippe illud ò quot & quales opportune, & importune, per propinquos, amicos, & notos, quod procul dubio nequaquam facerent, ſi quanti eſt periculi, veraciter intelligerent. Falluntur vtique qui hoc concupiſcunt, aut ſui elata opinione, vel vana honoris ambitione, ſeu immoderata diuitiarum cupiditate. Reiiciendi ſunt tales, & tanquã indigni ſpernendi, quia cæci, fures, & prædones ſunt. Cæci quidem, quoniam inſufficientiam ſuã metiri neſcientes id attentare præſumunt, quod ſancti cæleſtibus chariſmatibus redimiti totis viribus recuſarunt. Fures verò dum honores de re eccleſiaſtica appetunt, quos Dominus in euange- Matth. 23. lio prohibuit dicens: Nolite vocari ab hominibus rabbi. Non enim licet Chriſtianum hono- 1. Tim. 1. rem deſiderare, quum ſcriptum ſit: Soli Deo honor & gloria. Quamobrem quicunque honoribus ac dignitatibus ſublimari concupiſcit, quod tantummodo Deo congruit, ſpiritualis cenſendus eſt fur. Prædones autem illos dixerim, qui eccleſiarũ bona, quæ excepto honeſto victu & aliis eccleſiæ ſeruientibus neceſſariis, debentur egenis, cumulare, vel attinentibus impertiri non deſinunt. Debent itaque beneficia iuxta ſanctorum patrum decreta conferri nolentibus, onuſque illorum & infirmitatem propriam humiliter agnoſcentibus. Cæterum quoniam tepeſcente charitate fidelium, atque ab antiqua perfectione gradu eccleſiaſtico ſupra modum deficiente: adeo vt paucisſimus ſit illorum numerus, qui promoueri non appetant, ſoliciteque id quærant, longe autem rationes qui de ſe factis promotionibus renitantur: expedit eis, qui præſunt regimini, iuris relaxare rigorem, illoſque qui etiam præeſſe deſiderant præficere, quos intelligunt propriæ animæ non omnino poſtponere curam. Nam qui ſalutem negligit propriam, ſaluti aliorum quomodo poterit eſſe intentus? Iniquis igitur & incontinenter degentibus, regiminis animarum nequaquam committendum eſt miniſterium, quanteque pro eiſdem interueniant preces, quemadmodum nec lupis gregum cura mandanda. Lupi quidem corpora animalium, iniqui autem depaſcunt animas exemplis malis, conſiliis peſsimis, nefandis operibus, atque exhortationibus impudicis ad malum, quod vtique horrendum eſt dicere, & horribilius perpetrare. Omnium quippe horum criminum prælatus eſt particeps, qui ſcienter propria ductus affectione promouet indignum. Non autem ſic quando falſis atteſtationibus fallitur, aut oſtentationibus ſeducitur fictis. Totum ſiquidem tunc onus portabunt teſtificator & fictus, ipſeque præſul (vt reor) immunis erit à pœna, ſi tamen pro informatione habenda, qua valuit, vſus eſt diligentia. Non enim omnibus debet omnia credere, quum mundi amatores Deum minime timentes, nec mentiri erubeſcant, nec ſimulare formident, nec blandiri deſinant, neque vt vota ſua ſiue iuſta, ſiue iniuſta ſint, queant perficere, peccare verentur. Qui profecto quum paſtoris mentem non poſſint arte mutare vel prece, hanc nituntur ſuperare muneribus, quæ ſacro teſtante eloquio, iudicum corda cæcare conſueuerunt. Aduerſus itaque huiuſmodi machinamenta malorum, cõſtans & arma- Exo. 23. Deut. 16. Eccl. 20. tus ſit præſul, ne ipſius euertatur affectio, atque cupiditate deuictus in eo conſentiat, quod conſcientia nequaquam ſibi licere proclamat. Nullã quippe excuſationem in hoc proſtratus poterit habere certamine, quum contra illum conſcientia teſtimonium reddat, atque cupiditas. Grande prorſus & penè inexpiabile eſt hoc facinus, quãdo videlicet rationales Chriſti oues auarus paſtor vænales facit, illaſque ſub iniqui mercenarii tradit regimine, qui pro mammona iniquitatis mercede conducit animas, quæ nullo valent comparari precio, nulloq; æſtimari theſauro. Quę (oro) ſpes alicuius ſpiritualis poteſt haberi profectus, quando res tanti valoris, quæ nõ niſi ſacratisſimo immaculati agni valuit cruore redimi, pro vilisſimo auri vel argenti exponitur nummo? Quid (inquam) acturi, quidve Domino Ieſu ſummo pontifici, optimoque paſtori reſponſuri ſunt eccleſiarum præſules, quando proprias in medio ouium disſipatarum ipſe Dominus quæſiturus eſt oues? Longe ſiquidem tunc erunt adulatores loquentes falſa, atque familiares, propinqui & noti inania pollicentes. Non vtique aſtare tunc poterunt, qui armis protegant, qui teſtificatione defendant, qui attollant laudibus, qui gratiam quærant, & qui in tantæ neceſsitatis hora ſubueniant. Nihil profecto proderunt opes acquiſitæ, honores habiti, præteritæ voluptates, apparatus ſuperflui, numeroſitas ſeruulorum, vulgaris rumor, clara progenies, decora familia, veſtimentorum cultus, vaſa argentea, & deaurata ſupellex. Solus quiſque prælatus egreſſus de corpore ante tribunal Chriſti procedet redditurus rationem, ſi eccleſiaſtica beneficia miniſtris idoneis contulit, ſi ad ſacros ordines clericos iuxta Sanctorum patrum decreta promouit, ſi curæ animarum exhortando, arguendo, admonendo, corripiendo ſolicitus fuit, ſi iuſtitiam ſine per-

perſonarum acceptione litem habentibus miniſtrauit, ſi facultates eccleſiæ pauperibus fideliter erogauit, ſi afflictis, oppreſsis, laborantibus, ægrotis, captiuis, viduis, orphanis, & peregrinis ſecundum poſsibilitatem ſuam opem dedit, ſi exemplum bene viuendi de ſe præbuit, ſi continenter, ſi parce, ſi temperanter, ſi humiliter, ſi modeſte vixit, ſi corporis infirmitates, diaboli tentamenta, à proximis perſecutiones, detractiones, damna, & irrogata conuicia æquanimiter tolerauit. De ſingulis quibuſque operibus, de prolatis ſermonibus, de cogitationibus vanis, obſcœnis, & peſſimis, de obliquis intentionibus & nefariis, de inordinatis, illecebroſis, voluptuoſiſque affectionibus eidem interrogatio fiet. Nihil prorſus totius vitæ eius decurſus tranſibit indiſcuſſum, atq; inultum. In hoc itaque tam tremendo examine nihil ſic præſulem exhibebit ſecurum, quemadmodum præcedentia merita virtutum actibus comprobata.

Quòd exemplo ducis exercitus viſibilis incumbit ſpiritualibus paſtoribus, Dei populum ſpirituali gubernare in prælio. Cap. XVII.

VSus quidem docet, vt quoties contingat duos ſimul dimicare exercitus, miles pro ſe ſit quiſq; ſolicitus, qualiter videlicet illæſus hoſtes poſsit euadere, illos etiam inuadere, deprædari, atq; ſubigere. Singuli propria tractant negocia, & pro ſua laborant ſalute. At verò totius dux exercitus præter ſuã, gerit omniũ curã. Prouidet namq; quibus ipſe exercitus alatur cibis, quibusve vtatur equorũ ſtramẽtis. Secũ tacitus cogitat de vniuerſorũ idemnitate, quomodo ſcilicet valeat aduerſarios decipere, aduerſus illos inſidias ponere, diſsimulare fugã, ac ſuperare incautos. Cæteris quippe ludentibus, prandentibus, vagantibus, dormientibuſque ipſe clam inimicorum perluſtrat caſtra, ſi forte eos improuiſos reperiat, inuadat, trucidet, & diſperdat. Omnis profecto induſtria pro tuitione exercitus tã in inſtituendis excubiis, in mittendis exploratoribus, quàm in mutandis cuſtodibus ex ipſius animi ſagacitate dependet. Ad illius quoq; imperiũ mouẽtur caſtra, acies dirigũtur certamẽ geritur. Ipſe nẽpe in hora cõflictus hortatur trepidos, vrget pigros, robuſtos accendit, retrogradiẽtes impellit, deordinatos ordinat, & cũ pugnantib. deſiderio, & adhortationibus pariter & ipſe concertat. Quod aũt de viſibili eſt dictum exercitũ, hoc de ſpirituali & inuiſibili cenſendum eſſe non ambigo. Porrò iſtum ſpiritualẽ exercitũ congregationẽ dixerim omniũ eſſe fideliũ, qui in eccleſia tanquã in cãpo ſub diuerſis gradibus, diſtinctis videlicet agminibus ſunt ordinati ad bellũ aduerſus aereas poteſtates: quæ profecto mille modis, occultisq; machinationibus, fraudibus innumerabilibus, & implacabili crudelitate die noctuque Dei caſtra oppugnare non deſinunt. Ad quorũ ſiquidem defenſionẽ, inſtructionem, & regimen inſtituti ſunt ſpirituales duces, animarum videlicet paſtores, atque rectores, quatenus ipſorum ſalubri prouiſione, exercitatione laudabile, admonitione ſancta, cęleſtiq; ſapientia plebs tota credentium, quæ per ſe minus eſt valida ad pugnandum, animetur indeficienter, iugiter erudiatur, protegatur orationibus, atque ad certaminis perſeuerantiam conſiliis ſalutaribus roboretur. Iſtis prorſus incumbit cunctarum gubernatio eccleſiarum, omniumq; tradita eſt cura fidelium: quibus quemadmodum aſcribitur ad meritum vniuerſorum corona vincentium, ita eregione pereuntium de ipſorum manibus requiretur ſanguis: ſi tamen erga eorũ ſalutem reperti fuerint deſides atque vitæ monita eiſdem inſinuare neglexerint, Propheta atteſtante qui ait: Si non annunciaueris impio iniquitatem ſuam, ipſe in peccato ſuo morietur: ſanguinem autem eius de manu tua requiram. Ex his igitur, quę dicta ſunt, claret perſpicue, quanta ſufficientia, quantaque in regimine animarum debeat eſſe ſolicitudo paſtorum. Expedit quidem illis, vt habeant cognitionem inimicorum, ſubditorum, & ſui. Inimicorum quippe, vt ſciat cum quibus eos certare oporteat, quũ ſint ſpiritus inuiſibiles, intellectuales, callidiſsimi, aſſueti ad bellum, pleni omni iniquitate atq; fallacia: qui profecto vincuntur, nõ corporis fortitudine, non humana prudentia, non virtute armorum, non armatorum multitudine, non imperandi dominio ſed gratia Dei, orationis inſtãtia, humilitate cordis, lachrymarum effuſione, deuotione mentis, fidei conſtantia, pietate animi, & ignito charitatis affectu. Horum planè ſpiritualium hoſtium quicunque ignorat aſtutias, non valet de ipſis reportare trophæum. Quis, oro, poteſt inimicum ſuperare, quem non videt, neſcitq; qua arte decertet? Ipſi quidem maligni ſpiritus non corporis aſpiciuntur obtutu, ſed mentis: impugnantque nos non viſibilibus armis, ſed minis, ſed importunitate, ſed promiſsione, ſed fraude. Iſta quippe ſi ignorẽt qui præſunt, quomodo ſubditos de ipſorum poterunt præmonere verſutiis, atque tentationibus liberare? Tanquam ſpeculatores ſunt in alto conſtituti prælati, vt debeant vigilare, circunquaque proſpicere, motus, deceptiones, inſultuſque aduerſariorum cognoſcere, illoſq; arcere clamoribus, propulſare gemitibus, orationibus debellare, & ſubditis eorum machinationes in imo poſitis reſerare: quatenus & ipſi intellecta eorũ fallacia, nunc fuga, nunc valeant reluctatione eorundem infeſtationes euadere. Cœterũ ſi ipſi, qui cæteris lumen inſinuare debuerant, mente ſint cæci, nec vociferari ſciãt, irruent procul dubio hoſtes, & facient maximam animarum depopulationem ad ſpeculatorum vtique ſpiritualẽ perniciem. Quamobrem expedit

Ezech. 3.

illis,

Digitized by Google

illis, vt ſuper Dei plebem tota mentis intentione peruigilent, ne de ipſis dictũ videatur, quod Dominus per Prophetam de ſpeculatoribus conqueritur dicẽs: Speculatores populi mei omnes cęci, vniuerſi canes muti nõ valentes latrare, videntes vana, & dormientes, & amantes ſomnia, & canes impudentiſsimi neſcierunt ſaturitatem. Ipſi paſtores ignorauerũt intelligentiam, omnes in viã ſuam declinauerunt, vnuſquiſque ad auaritiam à ſummo vſq; ad nouiſsimum. Superintendant igitur rã aduerſus malignorum ſpirituum inſidias, vt ipſas diſsipare, ac aliis detegere queant, quàm etiam vt proprias agnoſcãt oues: quatenus ſciãt cuiq; oportunum præbere conſilium, congruum impertiri officium, neceſſariumque præſtare ſolatium: quod quidem optime facere valebunt, ſi ſpiritualis diſciplinę ſint imbuti magiſterio, ſint quoque viri virtutum, nouerintque ex ſuarum examinatione cogitationum iudicare de aliis. Nam (teſte Apoſtolo) ſpiritualis homo omnia diiudicat, & ipſe à nemine iudicatur. Iudicat profectò recte, ſi ſancte viuit, ſi ambulat in ſpiritu, ſi virtutes tenet habitu, & exercet actu. Nam ſine virtutum experientia non valet præſul æſtimare virtutes, neque in regimine eſſe perfectus. Eſt enim virtus corona pontificum, lucerna paſtorum, perfectionis ſpeculum, magiſterium religionis, terror dæmonum, interitus vitiorum, ornamentum hominis, pediſequa gratiæ, ſpiritualis theſaurus, & bonum animarum rectoribus perneceſſarium. Tolle hanc ab homine, & iumentis nequaquam erit diſsimilis. Ducetur ſiquidem affectibus carnis, mentis ratione ſemota. Virtus quippe, quamuis commune ſortiatur vocabulum, tot nihilominus habet vocabula, quot ſunt virtutes. Ex quibus quædam infunduntur à Deo, & ad Deum dirigunt: quædam verò acquiruntur vſu aſsiduo, & per exteriores diſcernuntur actus. Sed vt veræ ſint, Deoque acceptæ, ac meritoriæ ptorſus vitæ beatæ, neceſſaria quidẽ eſt infuſio gratiæ & charitatis, quæ omnium eſt vita virtutum. Alias non formatæ, ſed informes eſſe probantur. Quæ itaq; infunduntur, theologicæ; quæ autem acquiruntur, cardinales nuncupantur. His nempe omnibus decet præſules, atque animarum patres eſſe ornatos, prout ſeriatim inferius elucebit. Oportet profectò, vt qui alios de his, quæ ad fidem pertinent, inſtruere debent, ſicut eccleſiaſtici ſunt paſtores, etiam ſint ipſi in fide fundati alioquin omnis eorum doctrina, omniſque ſtructura periclitabitur, & omnino corruet. Nam fides cæterarum virtutum fundamentum eſt, ſuper quod eccleſia fundatur catholica Domino dicente ad Petrum, qui ipſum confeſſus fuerat eſſe Chriſtum Dei filium: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Super confeſsionem fidei quoquot ſalui fiunt, prius ædificantur. Accipit autem quotidie ædificium hoc augmentũ ſpirituale, ſuppoſito videlicet ipſo ſummo lapide angulari Chriſto Ieſu, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino. Fundamentum igitur ſalutis in Chriſtianæ fidei confeſsione ſubſiſtit: cuius vtiq; oſtenſores, prędicatores, & propugnatores eſſe debent, qui præſident. Oſtenſores (inquam) in contemptu mundi, in deſpectione honorum, in erogatione diuitiarum, in maceratione carnis, in diſciplina virtutum. Prędicatores autem ignaros erudiendo de iis, quæ oportet credere, & ad ſalutem ſunt neceſſaria: terrendo etiam ſuperbos, futurum illis inſinuãdo iudicium, inextinguibilem flammam, vermem immortalem, interminabileque inferni ſupplicium. Propugnatores verò rationibus confutando, incredulos æquanimiter perferendo aduerſa atque ſpirituum immundorum viriliter tentamenta vincenda. Vniuerſa quippe hæc fides docet, quæ iuxta Apoſtoli ſententiam eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, & argumentum non apparentum. Sanè fides illum, quem replet, eleuat ab imis, ac viſibilibus, & collocat in excelſis, vbi ſunt bona inuiſibilia, ineffabilia, & ſempiterna, quæ promittit Deus credentibus in ſe, atque renunciantibus viſibilibus, corruptibilibus, temporalibus, terreniſque. Quum enim infundatur à Deo, & purificet corda credẽtium, dicente Apoſtolo Petro, fides purificans corda eorum, nõ poteſt non inſinuare cęleſtia. Porro quum fides manifeſtet gloriam Dei, quam ipſe omnipotens, & miſericors Dominus prępatauit fidelibus ſuis ſe diligentibus, conuincitur quiſque rationis capax omnia caduca & momentanea contemnere debere bona, quę profectò in comparatione æternorum ſunt tãquam lutum fœtidiſsimum, abominabiliſque materia. Eſt denique fides ſydus præclariſsimum in corpus electorum emiſſum de cœlis ad inſinuandam veritatem, quæ niſi mediãte ipſius luce attingi non valet. Hinc eſt quòd eos, quib. infunditur, in viros alteros mutare videtur, tribuẽs illis in corde lętitiam, ſcientiã in mente, exultationẽ in voce, diſciplinã in morib. nouitatẽ in ſenſu, in creaturas quoq; poteſtatẽ, atq; virtutem, quemadmodũ Apoſtolus perhibet dicẽs: Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſsiones, obturauerũt ora leonum, extinxerunt impetum ignis effugauerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum, acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos. Magna prorſus eſt fidei authoritas, quę dęmonibus imperat, cęlum aperit, placat Deũ, angelos aduocat, inclinat ſactos, orationes exaudibiles facit, acquirit gratiam, meretur gloriam. Ex his colligitur, quàm multum paſtoribus ſpiritualib. ſit neceſſaria fides, quos oportet pro ſalute animarum crebris cęlũ pulſare gemitibus, aſsiduis inſtare orationibus, ſe periculis expo-

Eſa. 56. 1. Cor. 2. Matt. 16. Ephe. 2. Heb. 11. Act. 15. Heb. 11.

nere, pati pro iuſtitia minime formidare, mortẽ ſi opus fuerit nullatenus recuſare, hilarique animo pro æternis bonis temporalia commutare. Quamobrem qui animarum curam ſuſcipiunt, debent totaliter ſe Deo committere, omnemq; ſolicitudinem in illo ponere, qui credentibus in ſe corporis neceſſaria miniſtrat, ſpiritualia dona cõmunicat, æterna promittit, angelicaque eos tuetur cuſtodia, dicente de viro iuſto propheta: Quo-
Pſal. 90. niam angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis: in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Debent inſuper ſpei gaudio eſſe repleti, ſi tamen laudabilium operum ſint multiplicitate fęcundi. Nã ſicut ex ſcelerum perpetratione in deſperationis mœſtitiam immergitur; ita ex virtutũ exercitatione in ſpei quiſque exultatione prouehitur. An nõ exultet in ſpiritu, cui accepto gratiæ pignore cęleſtia repromiſſa ſunt præmia? Spes (inquit Apoſt.)
Rom. 5 non cõfundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritumſanctum, qui datus eſt nobis. Datus eſt enim, vt fragilitatem humanam ſua roboret præſentia. Roboratur (inquã) ad perferendum omnia mũdi huius aduerſa, dum in lumine fidei agnoſcit ipſo reuelante ſpiritu paſsiones huius temporis non eſſe condignas ad futuram gloriam, quæ reuelabitur his, qui pro Chriſto contra vitia viriliter pugnant. Nõ enim valet imbecillitas humanæ conditionis ſine ſpe remunerationis aggredi ardua, ſeu aſpera pati. Hĩc eſt
Luc. 9 quòd dominus noſter Ieſus Chriſtus quum dixiſſet: Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me, ne fidelium mentes tollendę crucis, ſeque imitandi aſperitate aut tędio frangerentur, illico poſt dies octo ductis ſecum ſuper excelſi verticem mõtis Petro, Iacobo & Ioanne, ante illos transfiguratus apparuit, factaque eſt facies eius ſicut ſol ſplẽdida, & veſtimenta ipſius candida tanquam nix, vt ſuę claritatis fulgore manifeſtaret quanta in vẽturo ſeculo ſe ſequentium animarum & corporũ futura eſſet gloria, quæ profecto figuraliter in candore veſtimentorum, & vultus irradiatione monſtrata eſt. Bonus Dominus, qui ex ſua ineffabili clementia non aurum, non gemmas, nõ prędia, neque tranſituram gloriam iſtius periturę vitę, ſed ſemetipsũ, quo proculdubio nihil melius, nihil iucũdius, nihilque beatius eſt, imò ſine quo nihil bonum, nihil iucũdum, nihilque poteſt eſſe beatum, ſibi ſeruiẽtibus promittere dignatus eſt: qua videlicet promiſsione futura & ęterna mens iuſti ſpe erigitur, & exultatione repletur, & gaudio eò amplius quò dulcius deuotione nutritur, atque interius ſpirituali viſitatione ad contemplandum cœleſtia familiarius eleuatur. Nam ęternorum guſtus ſupernę felicitatis ſpem parit & auget. Non enim amatoribus ſeculi, neque delictorum oneribus pręgrauatis beatę immortalitatis delectatio prærogatur, ſed humilibus, ſed Deum timentibus, ſed carnis voluptatibus reluctantib. diuinaque mandata tota animi intentione perficientibus. Iſtis quippe tanquam chariſsimis filiis, ac fidelibus ſeruis, pro ſuorum quadam remuneratione laborum communicãtur interna gaudia promiſsionum cęleſtium, propter quas pace, conſolatione, reficiuntur & ſpe: quæ profecto ſpes eſt (ſicut à definientibus ſcribitur) certa expectatio futuræ felicitatis ex Dei gratia & meritis propriis proueniens. Quis, oro, abſque ſpirituali ſolatio vel ſpe retributionis præſumit perſeuranter aduerſum ſemetipſum atq; poteſtates aereas decertare? Nam quemadmodum ſine cibo corpus debilitate langueſcit: ita etiam abſque deuotionis guſtu anima à perfectionis exercitatione torpeſcit. Hinc eſt quòd figuraliter populus Hebræorum egreſſus de Aegypto, & ad terram promiſsionis proficiſcens cæleſti alimento nutritur, ne laſſatus inedia, vel labore itineris ad Aegypti concupiſcentias corpore, vel animo remearet. Nouit ſiquidem piiſsimus pater noſter & Dominus quàm laborioſe ad virtutum alta conſcendimus, quàmque facillime ad vitiorum profunda defluimus. Propterea donis ſuis frequenter nos viſitare dignatur, vt vel ſaltem experientia eruditi intelligamus etiam in hac peregrinatione militantibus Chriſto ſpiritualia non deeſſe ſolatia, ac per hoc non deſiſtamus in boni operis ſtudio perdurare. Nempe conuincit ex hoc diuina bonitas ſectatores carnalium voluptatũ, qui ſpretis internis delectationibus ſibi gratis oblatis exteriores ad ſui perniciem cũ animi anxietate quæritare non ceſſant. Poſſent vtique iucundius delectari in Domino, quàm in ſeculo, atq; abundantius ſpiritus, quàm carnis, ſi vellent, frui deliciis. Nec mirum. In Domino quippe ſunt quęcunque cor hominis delectare ſufficiunt. Nã delectatio-
nes (ait Propheta) in dextera tua vſque in finem. Pſal. 15.
Non delectatio vna, ſed delectationes in dextera (inquit) tua, vt intelligas omnes in illo eſſe delectationes, quæ nedum ad tempus præſens, verumetiam ſatient, vſq; in finem. Inchoantur profecto hic & prælibantur ex parte: ſed in æternitate perficiuntur, quando reuelata facie ipſe Deus videbitur ſicuti eſt, quod vnica ſententia memoratus Propheta protulit, dicens: Delectare in Do- Pſal. 36.
mino, & dabit tibi petitiones cordis tui. Delectare igitur ô homo non in ſeculo, non in vanitatibus falſis, nõ in voluptatibus lutoſi corporis, ſed in Domino de ipſo videlicet meditando, ipſum laudando, ipſi gratias agendo, ipſiuſq; mandata tota mentis intentione ſeruando, quandiu in carne viuis, quouſq; peregrinaris in corpore, & per fidem ambulas, videlicet per ſpeculum in ænigmate. Delectare (inquam) in Domino, quia creator tuus eſt, a quo plaſmatus es; redemptor tuus, per quem reformatus es; ſpes tua, quam concupi-

ſcas;

ſcas,gaudium tuum in quo exultes,corona tua,de qua glorieris,merces tua,de qua diteris;finis tuus ad quē ſuſpires;vita tua,per quam viuas; lux tua, per quā illumineris;via tua,per quā gradiaris;pax tua,in qua requieſcas;&ſapientia tua à qua erudiaris. Planè ſi ſic in præſentiarū delectaris in domino,vt præter illum non ſit quod deſideres, dabit tibi,& ipſe in quo delecteris in regeneratione futura,in reſurrectione mortuorum, in ſeculi renouatione , & in viuorum regione petitiones cordis tui. Nihil tunc tibi, quod concupiſcas, negabit,quando totaliter tibi tribuet ſe. Se quippe dando, ſeque tibi, ſicuti eſt, manifeſtando donabit protſus tibi omnia,quia in ipſo ſunt omnia. Quicquid deſiderabis,quicquid poſtulabis,quicquid corde conceperis, & in illo erit,ipſumq; habendo conſequeris,& conſequendo beatus eris. Verum antequam ad hanc pertingas beatitudidinem, quę futura eſt, oportet vt irreflexibiliter curras in ſpe comitante fide atque ducente. Niſi ipſa tecum fuerit, teque ad cœleſtia quò properas,perduxerit,nunquam illuc attinges, ſed veluti cęcus & demens prorſus per denſiſsimas huius pręſentis exilij ſpirituales errabis tenebras,atque in deceptionem intellectualium incides beſtiarū de quibus propheta ait:Poſuiſti tenebras,&facta

Pſal. 100 eſt nox,in ipſa pertranſibunt omnes beſtię ſyluę catuli leonum rugientes, vt rapiant, & quęrant eſcam ſibi. Cęterum ſi ipſius fidei luce poſt has, de quibus loquimur,tenebras illuſtreris in corde

Ibid. procul dubio fiet tibi, quod memoratus propheta adiecit,dicēs:Ortus eſt Sol,& congregati ſunt & in cubilibus ſuis collocabuntur. Exibit homo ad opus ſuum,& ad operationem ſuam vſque ad veſperam.Equidem à ſplendore huius cęleſtis ſyderis vitiorum fugantur tenebræ, & ſpirituales aduerſarii latebras ſuas petunt,propter quod ille qui paulo ante carebat lumine,& vinculis tenta totis tenebatur aſtrictus, ad opus Dei peragendū efficitur videns & liber:in qua profectò libertate quantò ſolicitius operatur,tantò amplius creſcit in ſpe percipiendi præmia ſempiterna,ſibi famulantibus à Deo fideliter repromiſſa. Ex huius itaque promiſsionis ac ſpei guſtu delectabiliter efficitur charitatis affectu:quæ videlicet charitas quamuis in hac peregrinatione ſit fidei cooperatrix &ſpei,cæteris tamen deficientibus duabus ipſa ſola tanquam maior & excellentior perſeuerat in patria.

Quantum homo cæteras creaturas dignitate pręcellat. Cap. VIII.

VNiuerſas creaturas viſibiles hominem multiplici præcellere dignitate dubitet nemo. Cum enim Deus faceret omnia,ſolo ea creauit verbo,ſicut ſcriptum eſt:In principio creauit Deus cœlum & terram , dixitq;,fiat lux,& facta eſt lux,fiat quoq; firmamētū in medio aquarū. Germinet terra herbā virentē,& faciētē ſemen,& lignum pomiferū.Fiant luminaria in firmamento cœli,& diuidant diē ac noctē, ſintq; in ſigna & tempora,& dies & annos,vt luceāt in firmamēto. Producāt aquę reptile animæ viuentis,& volatile ſuper terrā ſub firmamēto cęli.Producat terra animā viuētē in genere ſuo,iumenta,reptilia, & beſtias terræ ſecundū ſpecies ſuas.De homine autē quid? Faciamus(inquit)ho- Ibidē

minē ad imaginē & ſimilitudinē noſtrā, & præſit piſcibus maris,& volatilibus cęli,& beſtiis terrę, omniq; reptili,quod mouetur in terra.Et creauit Deus hominē ad imaginē & ſimilitudinē ſuā.Ad imaginē & ſimilitudinē ſuam fecit illum. Et hoc ſecundum ſpiritum rationalem & interiorem hominem. De corporis autem creatione ſic legitur: Formauit igitur dominus Deus hominem de li- Vbi ſup.

mo terræ,& inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ,& factus eſt homo in animam viuentem. Verum vt hominis prærogatiua ab homine noſceretur,cum Dominus feciſſet Adam,velletque ei dare adiutoriū,nec ſimile illi in vniuerſis,quę Deus fecerat,creaturis inueniretur, non de alia materia,ſed de ipſo formatum eſt. Immiſſo ſiquidē à Domino ſopore in Adam, & eo dormiente ablata eſt vna de coſtis eius, & ex eadem formata eſt mulier ſimilis decoris,paris excellentiæ,æqualiſque dignitatis. Sanè in ipſo creationis ſuæ exordio Chriſti & eccleſiæ initiata ſunt ſacramenta, per quæ quantum cæteras(vt dictū eſt)gratia,dignitate,& fine tranſcendat, luculenter apparet. Cuncta enim,quæ facta ſunt,quāuis bona,& valde bona ab ipſo ſummo bono creata ſint, nequaquam tamen vt agnoſcant quid , & à quo, atque ad quem facta ſunt, accipere meruerunt. Vt verò de aliis taceam, vniuerſa, quæ fulgent in cęlo, ſicut ſunt ſol,luna,ſtellæ & firmamentum, acceperunt vtique ſplendorem, incorruptibilitatē, virtutem,perpetuitatem,& nihilominus quamuis iſta ſint pręcipua,decora,atque ſublimia,minus tamen ſunt,quàm ſi intelligerent quid , ad quem, & à quo facta ſunt. Porrò non valent gaudere de eo quod ſunt,quia nequeūt intelligere à quo, & ad quem facta ſunt. Facta namque ſunt non propter ſe,vt videlicet delectentur in ſe de eo,quod ſunt, & à quo ſunt,ſed ad laudem conditoris ſui , & vt exerceant,erudiant, lætificent, accendantque eos,qui ipſas intuentur, non corporali oculo,ſed intellectuali, quo vtique etiam inuiſibilia agnoſcūtur , quemadmodum Apoſtolus teſtatur

dicens:Inuiſibilia Dei à creatura mūdi per ea quę Roma. 1.

facta ſunt,intellecta conſpiciūtur, ſēpiterna quoque virtus,atque diuinitas. Nēpe ſi inuiſibilia & cęleſtia per viſibilium & terrenorum intelligentiam cognoſcuntur,multo magis ipſa perſpiciuntur viſibilia. Facta igitur dicimus eſſe viſibilia & ſenſibilia propter hominē , ad laudem tamen & gloriam illius,qui fecit hominem. Non propter hominem (inquam) tanquam finem, ſcilicet vt

homo earum ſit finis, aut illis vtatur pro fine, ſed vt hominem perducant ad finem, miniſtrent homini, illumque exerceant. Miniſtrent quidem neceſsitati corporis, ſine quibus non poteſt in hac peregrinatione viuere. Exerceant verò intellectum pariter & affectum, quandiu per fidem ambulat ipſe homo, & videt per ſpeculum. Equidē ad ſuſtentationem corporeæ infirmitatis, quæ oriuntur de terra, & procreantur de arboribus, vel viuunt ſuper terram, ſeu vegetantur in aquis, à en 9 Deo ſunt præſtita, ſicut ſcriptum eſt: Omnes piſces maris (inquit dominus ad Noe) manui veſtræ traditi ſunt, & omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum: quaſi olera virentia tradidi vobis omnia, excepto quòd carnem cum ſanguine nō comedetis. Claret profecto euidentiſsimè, quoniam corpore hominis deficiente mortali, definet pariter & viſibilium creaturarum vſus, atque 1.Cor.15 miniſterium. Quod vtique fiet, quando corruptibile hoc corpus induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, cum mors abſorpta fuerit in victoria, lætusque homo ipſe cantabit: Vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt ſtimulus tuus? Nempe cum vtroque homine beatus effectus angelorum cœtibus adnaſcebitur, tūc quantæ homo idem ſit dignitatis, quantumve gratia, ſublimitate, & gloria cæteras præcellat viſibiles creaturas, luculenter apparebit. Ad hanc quippe gloriam futuram, & in cœlis promiſſam non peruenitur, niſi per meritum redemptionis factę per Chriſtum, cooperante virtute charitatis, quę virtutes informat & dirigit vniuerſa. Vtrūque prorſus eſt neceſſarium ad ſalutem, vt videlicet quiſque ſaluandus redimatur, gratificeturque. Redimitur ſiquidem per ſanguinem immaculati agni Chriſti Ieſu domini noſtri, a ſeruitute diaboli; qua peccatorum vinculis captiuus tenetur, ipſo Ioan. 8. Domino dicente: Qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati, à qua prorſus ſeruitute non valet, niſi per eum, qui ſolus eſt liber, abſolui. Illum videli- Psal. 86. cet, qui per Prophetam ait: Factus ſum ſicut homo ſine adiutorio inter mortuos liber. Liber quidem à delicto, liber à corruptione, liber à debito. Hinc nāque liber captiuos redemit à ſeruitute diaboli, peccati & mortis, & ſpirituali reſtituit libertati, facta tamen prius debiti, quo tenebantur aſtricti, ſatisfactione condigna. Quæ vtique quamuis in ſe efficaciſsima & ſpontanea fuerit, ſuum tamen nequaquam niſi in iis, quos infuſa gratos efficit charitas, ſortitur effectum. Sola igitur charitas eſt, quæ gratum reddit hominem Rom. 5. Deo, de qua Apoſtolus ait: Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Denique ad hanc acquirēdā non ſuppetit naturale ingenium, nō humana induſtria, neq; acquiſita ſciētia. Poteſt homo ſe ad illā ſuſcipiendam diſponere, valet pro eadē Deū iugiter orare, illā tamen minime potens eſt propriis impetrare meritis: infunditur, gratis datur, à Deo donatur, ideò gratia vocatur. Nempe non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei illam tribuere. Infundit namque eam Deus quibus vult, non per ſpeciem aliquā, quia nō eſt corpus, nec per vocem, quia non eſt ſonus, ſed inuiſibiliter, ſpiritualiter, repente & voluntarie. Hanc quippe non videt oculus, auris non percipit, non odoratur olfactus, neque attrectat manus. Guſtus ſolummodo eam ſentit, non palatum oris, ſed affectio cordis. Eſt profectò quidam ſpiritualis ſapor, & quædam dulcedo maxima, quæ omnes animę virtutes reficit, confortat & promouet. Infunditur (inquam) placido motu, completque affectum recipientis delectatione, exultatione, & iubilo, adeò vt præ dulcedine illius faſtidio ſit quicquid prius placebat in ſeculo, & de temporalibus proſperitatibus arridebit. Nec mirum, nam quemadmodum diuinæ bonitatis eſt gratuitum donum, ita diuini amoris mellifluum præſtat guſtum, quo nil expetitur dulcius, nil amplexatur charius, nilque familiarius poſſidetur. Reciprocus planus eſt amor iſte, & præ cæteris amantem coniungit amato. Nam mutuus creaturarum ad creaturas affectus copulat ſe pariter diligentes corpore, conuerſatione, moribus, & dilectione ſibi viciſsim exhibita. Charitas verò cōglutinat volūtates, ſpiritus & affectus. Teſtimoniū audi ſcripturarū: Deus (inquit Ioānes) charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Non enim manet (inquit) cum Deo, quod agit 1.Ioan. 4. creaturarum amor, ſed in Deo ſpiritualiter amabiliterque, atque efficit vnum, ſicut Dominus ad patrem ait: Tu in me & ego in illis, vt ſimus conſummati in vnum. Hinc charitatis quanta ſit ſublimitas, quantave efficacia percipitur, cum Deū in homine, & hominem in Deo eſſe facit vinculo caſtiſsimi, piique amoris. Parum dixi, cum hominem in Deo manere charitate mediante perhibui, quoniam ipſum hominem etiam Deum facit, ſacro hoc aſſeuerante eloquio: Ego (inquit Psal. 81. propheta) dixi, dii eſtis, & filii excelſi omnes. In quanto dignitatis proueh ātur culmine, qui charitatis inſigniti ſunt munere, quis nō miretur, quādo dii & filii excelſi nominantur, nō quidē eſſentialiter, quia vnus tātum eſt Deus, ex quo omnia, ſed nuncupatiue & per participationem: Nuncupantur enim filii dicēte Domino, cū oratis, dicite: Pater noſter qui es in cœlis. Participant autem Matth. 6. diuinitate, & fiunt dii, quando (ſicut ait Apoſtolus) qui adhęret Deo, vnus ſpiritus fit. Vnus quip- 1.Cor. 6. pe ſpiritus factū cum Deo, in quo habitat Deus, o quàm excelſus & quàm potens eſt: Apoſtolū au- Phil. 4. di: Omnia (inquit) poſſum in eo, qui me confortat. Valet profectò ille, in quo eſt charitas, ſine qua non eſt Deus, ignē, ferrum, vincula, carceres, feras ſuperare, & mortē. Vnde (quęſo) ſanctis martyribus tanta virtus, tantaque conſtantia? Nun-

quid

quid ex ſe? Prorſus minime. Inhabitantem ſibi habebant Deum, profuſa erat in eorum præcordiis charitas, diuinoque erant amore ſuccenſi, propterea tam dira, tam diuturna, tamque intolerabilia humanæ fragilitati potuerunt perferre ſupplicia. Defeciſſent proculdubio in paſſionis agone, ſi abſque Dei amore certaſſent, maxima ſiquidem eſt charitatis vis, quæ in martyribus di-

Cant. 8.

micando naturā vincit. Fortis (inquit Sapiens) vt mors dilectio, dura vt infernus æmulatio. Lápades eius lāpades ignis, atq; flāmarū. Aquę multę nō potuerunt extinguere charitatē, nec flumina obruent illam. Fortis quippe vt mors eſſe charitas dicitur, quia quem perfecte abſorbuerit, facit vitam diligendo perpetuam corporalem morte nullatenus formidare. Ignis atque flammarum illius lampades fore perhibētur eſſe, quia ignitas, quibus infunditur, efficit mentes, in quo vtique ſalutari igne decoctę, ſonorę fiunt, & ſolidę, adeo vt nullius tribulationis impetu, nulliusve perſequentis impulſione frangantur, vt ſi impingāt homines hominem flamma charitatis adustum blaſphemiis, irriſionibus, perſecutionibus, terroribus, minis, damnis & morte illius mentis habitaculum ſuper petram charitatis fundatum, nequaquā euertere, neq; à Dei amore diuellere queāt. Audi ſtrenuiſsimum bellatorem virgis cæſum, lapidibus percuſsum, naufragium paſſum, maris profundo immerſum, attenuatum fame, frigore afflictum, nuditate dehoneſtatum, perſecutionibus attritum, ſed vehementiſsimo charitatis

Rom. 8.

ardore accenſum, quid dicat: Quis nos (inquit) ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an perſecutio? an fames? an nuditas? an periculum? an gladius? Certus ſum, quia neq; mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque poteſtates, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque altitudo, neque fortitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu domino noſtro. O charitas ſancta, quanta ſunt præconia tua, quàm præclara tua ſunt teſtimonia, quanta laus, quanta gloria, quantę diuitię, quanta dulcedo, quanta virtus, quantaque eſt poteſtas in te. Te quippe interpellante, te ſuadente, te impellente Deus pater filium ſuum vnigenitum, coæternum, coæqualem, ſibique conſubſtantialem miſit in mundum, vt rationalem naturam, quæ inobediendo perierat, per aſſumptam mortalis carnis ſubſtantiam repararet, ſicut ſcri-

Eph. 2.

ptura ſacra fatetur dicens: Propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos Deus, miſit filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatum in carne ſua. Ipſe quoque dominus Ieſus de te plenus, crucis non renuit ſubire patibulum, vt eos, quos vinculis tuis in ſe retinebat aſtrictos, redimeret à ſeruitute peccati, ſuoque ſacratiſsimo cruore mundaret, Ioanne hoc perhibente, qui ait: Gratia vobis & pax à Deo patre, & à Domino Ieſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis, & primogenitus mortuorum, & Apoc. 1. princeps regum terrę, qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Porro qui te habet in ſe, æquo animo aduerſa patitur propter te, nihil aſperum arbitratur confortatus a te, nihilque amat extra te, ſed omnes diligit in te, & per te proximum diligit ſicut ſe, ſeque amat in te. Te gerit in corde, te amplexatur in ſe, per te erigitur ſupra ſe, per te requieſcit in te, ſe exercet propter te, foris occupatur per te, & intus reficitur a te. Te ſyncera affectione tenentem in ſe comitaris ò beata charitas, tuas cum ipſo exiſtimans eſſe delitias, æque delectaris de illo, ſicut ille de te, imò longè tu dulcius, multoque familiarius, quá ipſe, quia tu profuſius, tu iucundius, tu ſanctius, tu fortius diligis. Nam amor tuus quo diligis, abſque vlla eſt macula, & nihil habet priuatum in ſe. Nunquam enim deſeris quem diligis, niſi ipſe prior derelinquat te, quin potius te deſpicientem, teque fugientem, ò quam frequenter ſermonibus piis, blandiſque inſequeris exhortationibus, ac promiſsionibus magnis conaris illum reuocare ad te, tanquam ſi illo egeres, poſſeſq; eo mediante proficere? Hoc autem ex naturali tua agis clementia, qua omnes homines in latiſsimo gremio tuo collocare deſideras, nō quidem propter te, quæ vniuerſis affluis bonis, ſed propter illos, quos trahere vis ad te, vt ipſos de te beatos facias in te. Tu enim (quantum in te eſt) cunctis benefacere, teque communicare non deſinis, dummodo ſe non ſubtrahant a te, quæ conſueuiſti de inimicis amicos, de captiuis liberos, de ſeruis filios, de peccatoribus facere iuſtos. Nulla prorſus mortalium linguas, tuas ſufficit explicare laudes, ò ſancta & diuina charitas. Tu namque es corona regni, tu gloria ſupernorum, tu mundi reconciliatrix, tu peccatorum venia, tu via vitæ, tu cœli ianua, tu nuptialis veſtis, ſine qua nemo thalamum cœleſtem ingreditur. Tu merita exquiris, tu metiris opera, tu largiris præmia. Nempe quicunque Deo placuerunt, qui cunque laudabiliter vixerunt, te agente, teque cooperante id valuerunt. Et vt paucis de te multa complecta, tu in cœlo regnas, tu dominaris in terra, tu in electorum cordibus principatum tenes. Cum igitur vniuerſis Deo famulari cupientibus prorſus neceſſaria ipſa charitas fore cōprobetur, peramplius tamen eccleſiaſticorum virorum, quibus animarum iniuncta eſt cura, debet ineſſe pręcordiis. Horum ſiquidem officium in Dei ac proximi dilectione pręcipue fundatum eſt. In miniſterio namque proximi, charitas Dei oſtenditur, atque in eadem Dei charitate, proximi quanta ſit dilectio exhibetur. Vtraque enim affectio, Dei videlicet & proximi ſibi cohæret, & de vno eodemque charitatis manat fonte, adeo vt nec

Deus

Deū ſine proximo, neque proximus ſine Deo recte diligi queat. Duo quippe præcepta ſunt dilectio Dei & proximi, in quibus tota lex pendet, & prophetæ, & tamen ipſa duo pene vnum ſunt, Deut. 6. dicente Domino: Diliges dominum Deum tuū ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex omni virtute tua. Hoc (inquit) eſt primum & maximū mandatum. Secundum verò huic ſimile eſt, diliges proximum tuum ſicut teipſum. Nō eſt idem ſed ſimile. Non eſt idem in opere, ſed ſimile: quia ambo de charitate, & in charitate. Charitas in corde: effectus vero charitatis conſiſtit in opere. Radix profecto eſt charitas, fructus autem radicis eſt opus bonum. Sane vbi viget radix charitatis, fructus laudabilium germinat actionum. Cæterum cum exercitium ſpiritualium paſtorū principaliter circa curam & ſalutem verſetur proximorum, expedit vt in eorum cordibus radix viuat charitatis. Tolle de corde præſulis charitatē, & nihil reperies in illo coram Deo commendatione dignum. Quamuis ſua eroget, quanquam verbum Dei vbique diſſeminet, tametſi vtilitatibus proximorum incumbat, nil prorſus illi proficit ad ſalutem: quoniam ſolum Deus illud appro- 1. Cor. 13. bat opus, quod de radice intelligit aſſurgere charitatis. Apoſtolum audi: Si linguis (inquit) hominum loquar & angelorum, charitatem autem nō habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens: & ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia & omnem ſcientiam: & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil ſum: & ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & ſi tradidero corpus meū ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt. Poteſt vtique qui ſine charitate eſt, aliis prodeſſe, ſibi verò minime ad meritum futuræ vitæ, inquam proculdubio quiſquis charitatem non habet, introire non valet. Quamobrem paſtor vt ſui mercedem non amittat laboris, Deum ex toto corde diligat, atque pro ipſius amore ouibus ſibi creditis ſolicitè miniſtrare non deſinat. Paſcat illas verbo, paſcat exemplo, paſcat terrena ſubſtantia. Sic dominus Ieſus Petro mandauit di- Ioan. 21. cens: Petre amas me? Paſce oues meas. Hoc profecto trina repetiuit interrogatione, vt ex trina confeſsione Petri, ter ab eodem factam aboleret negationis culpam. Voluit propterea ipſe Dominus & magiſter ex huiuſmodi repetitione paſtoris inſinuare paſtoribus, quatenus ouibus ſub regimine ſuo conſtitutis deberent corporibus morituris alimoniam temporalem, animabus ſemper victuris doctrinam ſpiritualem, atque earum moribus exemplo ſuo bene viuendi diſciplinam præbere moralem. Porro qui talibus pabulis paſcit gregem dominicum, bonus eſt paſtor, & charitatis dono repletus. Huic niſi infunderetur deſuper, non poſſet ipſe effundere. Nam vt effundatur, prorſus à Deo infunditur charitas, eoque largius infunditur, quò effunditur liberalius. Si communicatur, augetur, & creſcit: ſi verò non erogatur, nequaquam multiplicatur, ſed tepeſcit, & deficit: Erat tempore Heliſæi prophetæ mulier quedam vidua cum liberis ſuis debitis obligata, atq; 3. Reg. 17. à creditoribus ſupra modum oppreſſa. Hæc ad virum Dei acceſsit, omneſque animi ſui eidem reſerauit anguſtias. De mandato itaque prophetæ ſancti accepit à conuicinis mutuo vaſa non modica, ſeque cum filiis ſuis clauſit domi. Habebat ipſa in vaſculo parum infuſi olei, illudq; quā primum effudit, multiplicare perſpexit, atque tādiu effuſum à muliere creuit in doliis, quamdiu vas, in quo infunderetur, non defuit. Deſtitit effundere, & ſtetit oleum. Intelligant qui præſunt in eccleſia, quid iſta ſignificent. Diſcant effundere proximis, quod acceperunt infuſum. Non ſint auari retentores, effundant omnibus, gratis tribuant, quod ad effundendum gratis acceperunt. Non timeant amittere, quod ex charitate effundunt. Hoc tantum formident, reſeruare videlicet in ſe, quod effundere oportebat. Equidem hoc boni paſtoris ſemper eſt proprium, indeficienter ſcilicet effundere, & hilariter communicare. Effundere vtiq; doctrinam, effundere charitatem: communicare autem ſua, dare ſeipſum, nihilque reſeruare ſibi, quod effundere poſsit ad lucrum. Charitas quippe ocioſa atque priuata eſſe non valet. Operatur indeſinenter intus, & cœleſtibus flagrat deſideriis, piiſque mouetur affectibus. Foris verò proximorum vtilitatibus, actionibusque ſanctis ſemper intendit. Siue mente excedimus Deo (inquit Apoſtolus) ſiue ſobrii ſi- 2. Cor. 5. mus vobis, charitas Chriſti vrget nos. Vrget plane charitas amoris ſibi vinculis alligatum aſcendere & condeſcēdere, acquirere & diſpergere, gaudere, & flere, abundare & penuriam pati, ſuperari & vincere, diſcurrere, & quieſcere, ſicque omnibus omnia facere, vt Chriſto domino lucri faciat vniuerſos. Hæc profecto eſt ſpiritualis meta, ad quam paſtores animarum, alacri animo, prudenti conſilio, perſeuerantique debent intentione feſtinare, vt perfectionis brauiū apprehendere queant. Hi enim ſi mente ſciant ſe tranſcēdendo, actualiter ad Deum aſcendere, atq; proximorum infirmitatibus ad tempus condeſcendere, & cætera, quæ memorata ſunt, voluntarie, & in ſenſu cordis peragere ſemper, poterunt (prout decet) miniſterium paſtorale perficere. Denique vniuerſa, quæ perſtrinximus, ſub compendio docet charitas de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta. Quæ quidem Deo exhibetur, ſi ab eodem donatur. Si exerceatur creſcit, ſi operatur meretur, ſi verò negligitur deficit. Nec ab re. Nam ipſa charitas ignis eſt, quem Dei & hominum mediator, miſit in terrā volens vt arderet, nec conſumeret. Ne igitur cœleſtis

iſte

iſte ignis extinguatur, expedit vt diligentiſsime nutriatur, nō quippe materialibus ſarmentis, ſed ſpiritualibus votis, ſed deuotionibus quotidianis, ſed internis virtutibus, ſed operibus ſanctis, quæ profectò virtutes ſpiritualia ſunt ornamenta paſtorum.

Quòd exterior ornatus non reddit hominem gratum Deo, ſed interior, qui in virtutum conſummatione ſubſiſtit.

Cap. XIX.

QVisquis nouit ſpiritualiter diiudicare omnia, abſque ambiguitate intelligit, quòd exteriora ornamenta nequaquam commendant nos Deo. Si enim commēdarēt, qui alii eſſent gratiores, quàm mulierculę, quę in gēmis, in tortis crinibus, in precioſis indumētis, & in millibus huiuſmodi tota ſe animi intentione componunt? & vtinam non ad ſui multorūque perniciem. Iſta ſi Deo placerēt, Propheta eadē à filiabus Iſrael illis intendentibus dominum ablaturum non comminaretur, dicēs: Esa. 8. Auferet Dominus in die illa ornamentum calciamētorum, & torques, & monilia, & mitras, & diſcriminalia, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & ſpecula, & ſyndones, & theriſtra. Et erit pro ſuaui odore fętor, & pro zona funiculus, & pro criſpanti crine caluitium, & pro faſcia pectorali cilicium. De ornatu verò regum, & principū ſeculi quid memorem? Hæc omnia ad faſtum pro acquirenda mundi gloria, & ad ſectandam carnis petulātiam fiunt ab iis, quibus ſola, quę carnis ſunt, ſapiunt, qui nihil aut parum de futura vita, & ſuppliciis intelligūt ſempiternis. Cæterum qui fidei oculo ventura proſpectant, cuncta exteriora ornamenta variæ ſupellectilis, vaſorum aureorum, pretioſarum veſtium, gemmarum fulgentiū ſuperfluorum apparatuum, conuiuiorumque frequentium contemnunt, tanquam minus Deo grata, virtutibusque contraria. Nam quemadmodū qui fide integra de operibus bonis credunt retributionem à Deo eſſe faciendam, voluptatibus, diuitiis, & honoribus ſponte renunciant: ita cōtrario qui poſt hanc vitam nullam ex actibus ſuis expectant mercedem, temporalia oblectamenta carnis, & mentis ſedula animi intentione conſequi concupiſcunt. Nempe iſti viſibilia & præſentia quærunt, illi inuiſibilia & futura. Iſti momentanea & permixta lætitia, illi autem ſempiterna, ac perfectiſsima felicitate frui deſiderant. Iſti in tempore volubilitatis, illi verò in conſummatione æternitatis exultare volunt. Iſti mūdi dilectoribus, illi autem ſoli Deo placere ſatagunt. Iſti denique in obſcœnitate vitiorum, illi verò delectātur in adeptione virtutum; ipſas quoque habere ſtudent eò ſolicitius, eoque perfectius, quò clarius formatæ fidei ſplendore irradiantur, ſanctæque ſpei iucundius replentur, atque ardentius facibus diuinæ charitatis vruntur. Nam tres memoratæ virtutes à Deo gratis infunduntur in hominem, vt per hominem diuino munere perficiātur & cæteræ. Perficiantur (inquam) non in ſe, ſed vt Apoc. 1. per earum actus interiores habitus earundē perficiantur in homine, ipſo vtique homine adiuto diuinitus ſe diſponente atque agente. Diſpoſitionem quidē ipſam in homine ad virtutes perficiendum neceſſariam eſſe non ambigo: quam vtique diſpoſitionem eſſe intelligo, cum quis diligenti ſolicitudine nititur declinare à malo. Hoc autem initium eſt iuſtificati hominis cupiētis virtutum arcem aſcēdere, ſine quo minime ſubſiſtit virtus. Quamuis enim ex cōmuni gratia, & ex dono naturæ bene à Deo inſtitutæ, valeat homo declinare à multiplici malo, & facere quædam bona moralia: meritorias tamen virtutes, atque perfectas, ſine Dei munere ſingulari, & abſque maximo labore, vſuque certandi aduerſus ſemetipſum in ſemetipſo non poteſt acquirere. Nempe in corde paſsiones germinant atque fructificant, ſicut veritatis magiſter teſtatur dicēs: De corde (inquit) Mat. 15. exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemię. Porrò expedit, vt in ſe his reſiſtat germinantibus motibus, qui virtutes adipiſci deſiderat, alioquin niſi reprimantur, de feſtucis efficiuntur trabes. In ſui nanque exordio debiles ſunt, in progreſſu fortes, ſed in conſummatione inſuperabiles. Beatus quippe (ait propheta) qui tenebit, & alli- Psal. 136. det paruulos ſuos ad petrā. Sanè qui mox vt paſsiones vitiorū in corde ſuo pullulare perſenſerit, cōtra eaſdem viriliter pugnat, facillime ſuperat, ſuperandoque exercitatior inuenitur. In exercitatione autem proficit, proficiendo verò ſpirituales aſcenſionū gradus diſponit in corde ſuo: per quos vtique aſcendit quotidie de virtute in virtutem, donec ſentiat Deum deorum reclinantē, in ſe colloquentem, & cohærentem ſecum, tanquam cum amico amicum, & cum ſponſa pudicitiæ ſponſum. Ad hanc profectò caſtiſsimi amoris verbi, & animæ familiarem copulam non niſi mediantibus peruenitur virtutibus, videlicet tam illis, de quibus iam dictum eſt, quàm etiam illis quas propter ſuī præeminentiam, atque ſtabilitatem cardinales vocamus, quæ reddunt animam meritis ſublimem, atque ipſam efficiunt in ſe ſtabilem, cæteriſque virtutibus exornatam, quoniā ab illis tanquam à ſtipite vniuerſæ conſurgunt. Harum proculdubio virtutum ornatus congruit paſtoribus, qui in diuinis laudibus, & in priuatis orationibus, nec non in ſacris altaribus, dum ſacroſanctam dominici corporis oblationem offerunt, altiſsimo frequenter aſsiſtunt. Spiritualem ſiquidem harum virtutum ornatum in veteri teſtamento arbitror fuiſſe expreſſum, cū dominus ſacerdotales veſtes, reliquoſque ornatus Aaron pontificis mandaret vt fierent, dicens: Rationale Exod. 28. quoque iudicii facies opere polymito, quadrangulum

Digitized by Google

gulum erit,& duplex,menſuram palmi habebit, tam in latitudine,quàm in longitudine: poneſq; in eo quatuor ordines lapidum,incluſique erunt auro per ordines ſuos.Porrò rationale hoc,quod tam prudenti artificio, miroque ornatu mandatur vt fiat,mentem ſignificat cuiuſcunque pontificis, quæ quadrangulata eſſe debet, & duplex. Quatuor ſcilicet cardinalibus virtutibus,prudentia,temperantia,fortitudine, & iuſtitia ſtabilita, non minuſque operę exercitata,quàm votis,quæ profectò in omni ſua actione diſcretionis debet habere menſuram.Sit quoque precioſorum lapidum,diuerſarum ſcilicet virtutum,deſideriorum cęleſtium,vtilium cogitationum,ac intentionum laudabilium quadriformi diſtinctione decorata. Qui lapides ad ſui perfectionem ornatus, ſint auro incluſi,id eſt, charitatis virtute connexi atque compoſiti. Talibus ſiquidem ornamentis fulgeāt præſules in corde ante dominum,polleantq; virtutibus,vt honorabiles appareāt in eccleſia Chriſti ad gloriam vtique Dei, proximi ædificationē, ſuique profectum paſtoralis officii. Quod eò magis ipſis & dominico proderit gregi, quò amplius eorum vita virtutibus irradiata lucebit.Non quærat exteriores ornatus veſtium,equorum,domorum, epularumque, quoniam nullo horum vſus eſt dominus. Vilibus namque veſtitus eſt indumentis,deſpecto inſedit aſello, diſcipulos piſcatores habuit,panem,piſces,& fauum mellis manducaſſe legitur, domum nequaquā poſſedit pro-
Pſal. 23. priam,quamuis ipſius terra eſſet, orbis terrarum, & vniuerſi, qui habitant in eo.Nihil prorſus quæſiuit altum, nihil delectabile,nil pulchrum,vt humano exterius placeret aſpectui,quatenus imitatoribus ſuis ſuo inſinuaret exemplo, temporalia ornamenta omnino eſſe contemnenda, illaque ſolum appetenda,quæ animam reddunt interius diuinis obtutibus gratam.Denique Propheta re-
Pſal. 18. ferente didicimus, quòd omnis gloria filiæ regis ab intus in fimbriis aureis circumdata varietate virtutum. Intus quippe eſt mentis puritas, cordis innocentia,conſcientiæ gloria, claritas ſapiētiæ,pudicitiæ candor,ſtatera iuſtitiæ, fidei lumē, futurorum bonorū ſpes,dulcedo charitatis, orationis guſtus,contemplationis admiratio,amoris oſculum,munditiæ decor,animi tranquillitas,tribulationum conſtantia,& temperantiæ regimē. Hæc plane & his ſimilia ſpiritualia ſunt ornamēta,quæ commendant nos Deo. Iſtiuſmodi igitur ornamentis componant ſe pręſules,cardinaleſque præcipue fulgeant virtutibus,vt valeant, cui famulantur,placere altiſsimo.Porrò in eligendis vtantur prudentia,temperantia verò in vtendis, in tolerandis autem fortitudine, atque in diſtribuendis iuſtitia ſplendeant. Eſt quidem prudentia eccleſiaſticis paſtorib. prorſus, neceſſaria, nō minus in propriis,quàm in ſubditorum negociis. Nam prudentia bonarum rerum & malarum deſcribitur eſſe vtrarumque ſcientia. Hæc quippe ex ſingulari Dei dono principaliter acquiritur, dicente ſcriptura: Dominus dat intelligentiam, Iob. 32.
atque prudentiam,per ſemetipſum illam non ſufficit apprehendere homo. Valet quidem multa ex naturali ſcrutari ingenio,poteſt plura nefanda & Deo odibilia meditari,bona verò minime. Apoſtolum audi: Nō poſſumus(inquit)cogitare a- 1. Cor. 3.
liquid à nobis quaſi ex nobis,ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt.Iactet ſe ſuperbus quiſque,& dicat:Sapiens ſum,prudens ſum, nullius egeo doctrina. Valeo aliorum & mei cordis ſecreta rimari, agnoſco fallacias hominum, dæmonum aſtutias non ignoro; naturas rerum & abdita cœlorū penetrare poſſum.Neque ſi iſta narrando verum diceres, prudens eſſes. Sed decipit te æſtimatio tui,opinio tua mendax eſt,ſi prudens fores,in veritate te agnoſceres,te humiliares,te nihil eſſe ar-
bitrareris. Qui putat(ait Paulus)ſe aliquid eſſe, Gal. 6.
cum nihil ſit,ipſe ſe ſeducit. Intellige quia ille ſe ſeducit,qui putat ſe aliquid eſſe,cum ſit nihil. Si nihil eſt,videat ſi de nihilo gloriandum eſt. Vtique etiam de nihilo dixerim gloriādum eſſe,ſed in domino, qui quoties vult, de nihilo facit aliquid.Quamobrem ipſi ſoli gloria,qui de illo, qui ſe nihil eſſe arbitratur, facit aliquid. Nam qui aliquid eſſe ſe credit, ſeducitur à ſeipſo, & nihil efficitur,quia elatus,quia cæcus, quia ſui ignarus eſt.Profectò ſi prudens eſſet,non longe diſcederet à ſe,non ſe elongaret à ſe,perquireret ſe in ſe & ex ſe etiam remota metiretur à ſe.Quoniam verò caret prudentia,ignorat quoque ſe. Si ſe in ſe neſcit,quomodo à ſe remota percipiet?Qui enim propinqua,& quæ in ſeipſo verſantur,non videt à ſe diſtātia qualiter intuebitur?Diſcat igitur qui virtutem vult poſsidere prudentiæ, ſe ante Deū humiliare,nihilque ſe eſſe agnoſcere, quatenus ex hac humili & vera confeſsione,non corporis ſed intellectus recipiat lumen. Prima ſiquidem prudentiæ regula eſt,propriæ nihilitatis in ſenſu cordis,& veritatis lumine clara confeſsio. Nam quemadmodum Deus ſuperbis reſiſtit,ita humi- Iaco. 4.
libus dat gratiam. Dat quippe Deus humilibus gratiam diſcretionis,atque prudentiæ, quæ cæterarum virtutum eſt auriga & nutrix. Sicut enim cęcus de coloribus iudicare nō poteſt, ſic neque de virtutibus valet exiſtimare imprudens. Nec mirum. Cum enim prudentia(ſicut dictum eſt) ſit bonarum,malarumque rerum ſcientia,rationalem vim animę dirigit,vt diſcernat inter bonum & malum,inter bonum & melius, inter malū & peius. Quamobrem qui prudentiam non habet, neque diſcretionem habere valet,quę videlicet, cum ſpirituale ſit lumen,ignorantię errores pellit & tenebras. Secunda verò prudentię regula eſt,iugiter habitare ſecum.Qui enim recedit a ſe prorſus ignorat quid agatur in ſe, quidve procedat ex ſe. Horū verò ignorātia eſt delictorū ma-

ter,nutrix vitiorũ,virtutũ inimica, cõtẽptrix gratię,prudẽtię aduerſaria,omniũq; penè malorũ origo. Prudẽtię itaq; decoratus virtute frequenter ad ſe rediẽs,& ſecũ habitãs,tanquã iudex amator iuſtitię tribunal ſuę mẽtis aſcendit, diligentique examinatione ſui cordis cogitationes diſcutit, animæ affectus,intentiones mentis, & cunctos internos animi ſui penſat motus, vt intelligat verũ boni ſint,an mali,& ad quam declinent partem, vtrum ad dexteram an ad ſiniſtram: ſicque erudiẽte introrſus prudentia, ſuperflua reſecat,pellit noxia,obliqua dirigit,detegit fraudulenta, obſcura diſcutit,& voluptuoſa perſequitur. Cæterum expulſis hoſtibus de adepta victoria, ac pace ſuſcepta iucundus effectus & lętus refert Deo gratias, diuinas pro modulo ſuo promit laudes,viresque reſumit animi eò fortius, quò verius agnoſcit periculum,virtutem diligit,munus intelligit. In tali ſiquidem cõſiſtorio ſpiritualiter exercitatus quotidie fit in pugna ſagacior, in examinatione prudentior,in regimine doctior,ita vt ex ſe alios inſtruere valeat de qualitate vitiorum,de tentationum varietate,de modo pugnandi, de certandi vtilitate,de inimicorum inſidiis,de armorum generibus, & de præclara commendatione prudentiæ, quæ profecto nedũ interiori ſtatui hominis, verumetiam exteriori cõſulit,eligendo vtilia,honeſta, & ſancta: pernicioſa verò atque impudica ſpernendo. Huius igitur laudabilis prudẽtiæ quiſquis perſuaſiões ſequitur,à veritatis tramite prorſus deuiare non poteſt,quoniam in ea nihil coinquinatum eſt,nihil obliquum,nihilque deforme ſed omnia in ipſius luce clareſcunt. Docet quippe de naturalibus,de humanis,de ſpiritualibus,& de diuinis,quoniam veritati ſummæ, æternæque ſapientiæ coniuncta eſt,atque de ipſarum lumine
Prouer. 3 percipit lumen. Beatus homo (inquit ſcriptura) qui inuenit ſapientiam, & qui affluit prudentia, vt intelligas ſub diuerſis nominibun rem vnam ſignificari,quod expreſsius propheta inſinuãs ait: Diſce vbi ſit ſapientia, vbi ſit prudentia,vbi ſit lumen oculorum,& pax. Vbi ſapientia ibi dixit eſſe prudentiam,quanquam interdum ſapientia tantummodo pro guſtu diuinarum, prudentia verò pro rerũ humanarũ ſumatur intelligentia. Verũ inquãtum omnem ſalubrem cognitionem comprehendit prudentia, ſapientia & prudentia vnũ ſunt. Hanc vtique (de qua loquimur) prudentiã, qui præſunt,habere conẽtur: quatenus ſciãt quid ſibiipſis,quidve aliis conſulant. Sũt quippe qui ſibiipſis tantum,& non aliis, & ſunt qui aliis, & nõ ſibiipſis proſunt. Vtrunq; autem iis,qui pręſunt, & curam habent animarum,congruit. Pro ſalute nanque proximorum propriam non debent negligere: ſed neque ſic ſuæ intendere,vt proximis prodeſſe deficiant. Sane hoc medium ſeruare docet prudentia,aliud inſinuans tempus eſſe quietis & aliud laboris,aliud ſibi & aliud vacandi proximo, aliud loquendi & aliud tacendi, aliud contemplationis dulcedini inſiſtendi, & aliud de virtutibus alios erudiendi. Horum ſiquidem omnium expedit præſulibus habere experientiam, pariter & ſcientiam, ſi prodeſſe cupiunt potius quam pręeſſe. Prodeſſe namque magni eſt oneris,plurimę fatigationis,vigilarum multarũ,pręclarę virtutis, & meriti incomparabilis: præeſſe verò ſolum honoris eſt temporalis miniſterium, ignauiæ reprehenſibilis,damnabilis ocii,carnalis illecebræ,ineuitabiliſque iudicii. O bona, commendabiliſque prudentia, quæ ſemper ſuadet tẽperanter tenere medium,atque in medio delicia rum corporalium honorum, & terrenarum facultatum innocenter degere. Quis (oro) valet ſine eruditione prudentiæ per temperantiam,inter voluptates pudicitiam,inter ſuperfluitates abſtinentiam, atque inter honores cordis ſeruare munditiam? Fallitur prorſus quiſquis prudentiã ſine temperantia,& temperantiam abſque prudẽtia exercere poſſe ſe credit,cum prudentia informet rationem,temperantia verò cohibeat voluptatem. Quamobrem non eſt dicendus prudens, qui concupiſcentię appetitum refręnare non valet,ſed neque poteſt temperanter viuere, qui lumine caret prudentię. Mediante ſiquidem prudẽtia temperantiæ virtus perficitur, quemadmodũ virtutes cæteræ. Amoue ab homine rationem,& erit brutis animalibus ſimilis. Prophetam audi:
Homo (inquit) cum in honore eſſet non intelle- pſal 48.
xit, cõparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Vt igitur non ſit iumentis ſimilis poſt concupiſcentias ſuas gradientibus,prudentiam habeat,& naturali ratione vtatur ad bonum atque per virtutem temperantiæ inordinatos carnis & ſpiritus reſtringat impetus. Nam temperãtia à ſapientibus dicitur eſſe rationis in libidinẽ, & alios non rectos animi impetus firma & moderata dominatio. Sane temperantia eſt,quæ ſecum comitante prudentia voluptuoſos corporis reſecat appetitus,neque illos permittit ad libitũ principari. Stat temperantia ſemper mucrone erecto parata ad repugnandum carni & ſanguini, atque pro caſtitate vſque ad mortem certare non deſinit. Carnis quippe incentiua corporis maceratione caſtigatur, vt illam ſubiiciat ſpiritui, ſpiritumque virtuti. Triumphare profecto nititur de inimicis ſuis cum inimicis ſuis, quando ardorem libidinis per pœnitentiæ dolorem extinguit. Viriliũ
prorſus eſt mentium aduerſus corpus proprium Eph. 5.
decertare, cum ſcriptum ſit: Nemo carnem ſuam odio habet,ſed magis eam fouet & nutrit. Cæterum vt huiuſmodi fomenta ac blandimenta quiſque abiiciat,expedit vt mentem ipſius ſpiritualis affectus,qui amore naturali ſit vehementior, dulcior,atq; vtilior,introeat,dominetur, poſſideatque. Non enim poteſt quis ſuperare ſeipſum, niſi Cant. 8.
à potentiori ſe, ipſe iuuetur. Vincit quippe dilectio

quid agat, introrſus ſe roboret, ne tribulationibus impulſus & euerſus ruat. Roboret, dico, ſe virtute fortitudinis, quæ (prout ab eruditiſſimis viris diffinitur) eſt amor omnia tolerãs, propter id quod amatur. Hæc profectò virtus paſtoribus eccleſię perutilis eſt, his potiſſimum, qui ſanctorum vitam cupiunt imitari. Stant quippe in alto tanquam ſignum ad ſagittam, & in medio fragorum huius ſeculi ſunt poſiti ad communem omnium vtilitatem. Sunt etenim veluti ſcopulus vndarum circumquaque impulſione colliſus. Nam ſi quis æger eſt mente, ſi quis in dubijs fluctuat, ſi quis violenter opprimitur, ſi quis facultatibus ſpoliatur, acceſſum ad eum habere pro conſilio atque opportuno auxilio poteſt. Sane homicidæ, incendiarij, raptores, ſicarij, piratæ, proditores, venefici, periuri, adulteri, virginum ſtupratores inceſtuoſi, ſacrilegi, filiorum oppreſſores, percuſſores parentum, votorum tranſgreſſores, præuaricatores legum, atque eccleſiaſticarum contemptores ſanctionum, ſpirituale ab eis quærunt præſidium, nec non ad illos tanquam ad portum tranquillitatis & pacis confugere fatagunt. Non autem miſero, non mœſto, non egeno, non orphano, non peregrino veri paſtoris clauditur ianua. Pater prorſus omnibus, diuitibus & pauperibus, nobilibus & ignobilibus lætis & triſtibus, eruditis ac rudibus, pariterque ignotis & notis. Cum infirmantibus mente infirmatur, cum afflictis affligitur, cum periclitantibus periclitatur, & cum mœrentibus ſimul ipſe triſtatur. De tentationibus autem dæmonum quid memorem? Illis namque ſemper infeſti ſunt, nouaſque aduerſus eos quotidie parant inſidias. Nunc intrinſecus ipſis ſuggerunt blanda, nunc aſpera. Conantur ſiquidem mentis eorum in adminiſtratione iuſtitiæ emollire rigorem. Hortantur enim ficte ad compatiendum delinquentibus, & iniuſta poſcentibus, ne proterui videantur, immiſericordes atque inflexibiles. Talis quippe perſuaſio in cauſa publica, & peccato notorio fraudulenta, & pernicioſa eſt, prorſuſque ſpernenda, quoniam tunc compaſſio charitatis in iudicãte latere debet in corde: zelus verò rectitudinis ad aliorum correctionem eſt exercendus in opere. Cæterum ſi in huiuſmodi tentatione aduerſarius minime præualere ſe conſpicit ad alia ſe argumenta conuertit. Iuſtitiæ quidem vigorem in crudelitatem ſubruere nititur, quatenus omni humanitate ſemota ipſum tyrannica impietate percutiat. O quantos in cathedra poſitos nequam ſpiritus per incontinentiam ſtrauit, quos ab itinere æquitatis facere aberrare non valuit, præſertim ſi videat illos vacare ocio, intendere nugis, carnis ſuæ curam in deſiderijs perficere, nihilque illi ſubtrahere in comeſſationibus lautis, delicatis potibus, mollibuſque ſtramentis. Tunc quippe ſic effęminatos cernens eoſdem de victoria ſecurus effectus perſuaſionibus malis, ſuggeſtionibus blandis, obſcœnis cogitationibus, voluptuoſiſque delectationibus impugnare nõ ceſſat. Tanto autem facilius ipſos ad conſenſum ſceleris, ac perpetrationem delicti trahit, quanto latius voluptatibus dediti, atque terrenis negocijs inuoluti ſola, quæ carnis ſunt, ſapere geſtiunt. Non enim ad libitum ſuum conſentiendum eſt corpori, neque ipſius ſatisfaciendum deſiderijs, quin potius eſt ieiunijs caſtigandum, infrænandum vigilijs, laboribus domãdum, ſobrietate regendum, ſpirituique ſubdendum, ne in volutabrum luti, & profundum luxurię proprium deijceat aſſeſſorem. Viriliter igitur reſiſtat præſul ſpirituum tentationibus malignorum, & ſui domeſtici hoſtis blanditias perhorreſcat, atque omni peritia cor ſuum ipſe cuſtodiat. Fidei præterea ſcuto ſe protegat, charitatis lorica ſe induat, patientiæ ac longanimitatis ſe muniat galea, necdum ſpirituali mucrone aduerſarios ſuos repercutiendo deuincat. Minime prorſus, quamdiu in hac peregrinatione degitur, indulgendum eſt carni, neque terrenis delectationibus inſiſtendum, quia non dormitat aduerſarius, ſed inſidiatur callide, & præſto eſt vt feriat, mactet, & perdat. Quamobrem ò paſtores qui in delicijs corporalibus, quotidianis conuiuijs, carniſque voluptatibus enutrimini, euigilate. Expergiſcimini (inquam) vos, qui in eccleſia ſublimati dignitatibus, elatione inflati, ambitioſi honoribus, fama cupidi præeſtis animarum regimini, & antiquum inſidiantem vobis, & populo obſeruate ſerpentem. Accingimini lumbos mentis veſtrę fortitudine, & corde eſtote parati, vt reſiſtatis diabolo & tentationibus eius. Abijcite (quęſo) ſuperflua omnia temporalium facultatum, vt expeditiores ſitis ad bellandum. Intendite vobiſmetipſis & vniuerſo gregi: in quo (vt ait Apoſtolus) ſpiritus ſanctus poſuit vos epiſcopos Act.10. regere eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo; quatenus bonam de miniſterio vobis credito poſſitis reddere rationem.

Non enim eſt nunc tempus gaudij ſed mœroris, nec quietis ſed exercitationis, nec pacis ſed pugnę. In hoc quippe exilio tanquam aduenę relegati eſtis, non vt exulteris in ſeculo, ſed laboretis in vinea, & quotidiana veſtra, lugeatis delicta, atque cœleſtem ſuſpiretis Hieruſalem ciuitatem ſanctam matrem omniũ electorum. Quamobrem quamdiu peregrinamini in corpore, ſi aliquod in vobis lumen eſt fidei aut ſpei ſolatium, vel charitatis ſcintilla, ad pręmia debetis anhelare æterna, & pro ęruminis, ac vitę huius calamitatibus non triſtari, vniuerſaq; carnis oblectamenta tanquam pernicioſa, & ſaluti veſtrę contraria forti animo deſpicere. Nõ enim poteſtis frui bonis pręſentibus & futuris. Promiſit nanque dominus cęlorum regnũ non diuitibus, ſed pauperibus, non dominantibus, ſed mitibus, non ventris voluptatibus deditis, ſed iuſtitiam eſurientibus ac ſitientibus, non

gaudentibus, ſed lugentibus, non obſcenis cogitationibus inuolutis, ſed corde mundis, non rixantibus & ſuperbis, ſed pacificis, non temporali felicitate florentibus, ſed propter iuſtitiam, & domini noſtri Ieſu Chriſti dilectionem, perſecutionem patientibus. Erratis prorſus, & à via quæ ducit ad vitam, ſupra modum elongati eſtis fugitiuos ambiendo honores, ſeculi pacem, opinionemque vulgarem. Non enim hæc ſtatui veſtro, neque Chriſtianæ competunt religioni, cuius profeſſores eſſe debetis, oſtenſores atque factores. Quid dicent qui à vobis debent inſtrui, & per vos deduci ad Chriſtum, ſi aliter quàm quod clamant euangelia, vos agere perſpexerint? Profectò aut ſacra vera eſſe negabunt eloquia, aut conuerſationem deteſtando veſtram irridebunt vos, pro nihiloque habebunt. Vtrunque ſiquidem malum eſt, quoniam in altero eſt aſpernatio fidei: in altero verò vilipenſio præſidentis, paſtoraliſque dignitatis. Nempe horum vos rei eſtis malorum, & digno plectendi iudicio. Reſipiſcite igitur (oro) quicunque eſtis, ab his, quæ vobis agere prohibita ſunt. Sanctorum imitamini geſta, in quorum cathedris ſedetis, ſuſcepiſtis officium, nomenque tenetis. Fient alioquin hæc in teſtimonium pariterque iudicium vobis, qui prophanaſtis ſancta, ſcandalizaſtis eccleſiam, conſcientiam neglexiſtis, abieciſtis ſapientiam, animas interemiſtis, egenorum bona dilapidaſtis, fœdaſtiſque, quod honoris, quod religionis, quod ædificationis, quod authoritatis, quod meriti, quod decoris: Quamobrem emendate (iuxta propheticam eruditionem) in melius quæ ignoranter vel leuiter, ſeu doloſe peccaſtis, ne ſubito præoccupati die mortis, quæratis ſpaciũ pœnitentiæ, nec illud inuenire poſſitis. Sumite conſtanter cum humilitate cordis lamẽta compunctionis & gratiæ, voſque fortitudinis virtute ad mundi huius perferendum aduerſa viriliter præparate: quoniam conuerſis ad Chriſtum duriora conſueuerunt veritatis inimici excitare certamina, dolentes vtique ſe amiſiſſe, quod antè pacifice poſſidebant. Verum nihil horum vereamini habentes protectorem dominum Ieſum, qui vos ſupra id, quod poteſtis, nequaquam tentari patietur, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt ſuſtinere poſſitis. Proſpiciet quippe laborem veſtrum, patientiam, longanimitatem, humilitatem, fiduciam, perſeuerantiamque, & pro his omnibus coronabit vos, ſi tamẽ virtuti fortitudinis etiam iuſtitiam aſſociare curabitis: quæ communis eſt virtus, cæteras in ſua exercitatione complectens. Nam à ſapientibus dicitur eſſe habitus animi cum communi vtilitate ſeruatus, vnicuique ſuam tribuens dignitatem. Sane communem iuſtitia attendit vtilitatem, redditque ſingulis quod eorum eſt proprium, ſuperiori quidem obedientiam, pari autem æquitatem, inferiori verò diſciplinam, omnibus autem veritatem & fidem.

Porrò præ cęteris eis, qui præſunt, congruit amare iuſtitiam, quemadmodum in libro continetur ſapientiæ. Sic enim legitur: Diligite Sap. 1. iuſtitiam qui iudicatis terram. Nam præſul amator iuſtitię obtemperat legi, Dei pręcepta cuſtodit, proximum diligit, nemini nocet, cunctis prodeſſe quærit, dirimit lites, fugit iurgia, tolit odia, afflictis compatitur, largitur propria aliena non diripit, ſimpliciter graditur, pacem ſectatur, loquitur veritatem, hominis perſonam non accipit, rem alterius non concupiſcit, Deum colit, honorat ſanctos, veneratur iuſtos, parentibus defert, vniuerſiſque humanitatis pręſtat obſequium. Nempe ſi iudicat, hoc agit in ęquitate, ſi iraſcitur cum charitate, ſi punit cum pietate, ſi miſeretur cum hilaritate, ſi tribuit cum ſimplicitate, ſi ſe corripit cum ſeueritate. Vbique & in omnibus diuinis obedit mandatis, Deum habens pre oculis tanquam inſpectorem & iudicem. Quamobrem illi cordis deuotione frequenter intendit, illi iugiter in oratione aſſiſtit, ipſi ſua exoluit vota, gratiarum exhibet actiones, piaque religione famulatur. Nam etſi ex officio imperat ſubditis, Deo tamen per humilitatẽ nititur ſemper eſſe ſubiectus. Ex ſeipſo namque eruditur, quid altiſſimo debeat. Quã enim ab inferioribus exigit obedientiam, eandem creatori & domino ſuo ipſe rependat, quanquam diſparſit cauſa, in cuitabilis vrgeat neceſſitas, incomparabilis autoritas, ſummaque id requirat poteſtas. Fit autem iuſto interueniente iudicio, vt quemadmodum Dei præcepta paſtor adimplere negligit, ita & ſua deſpiciantur à plebe. Reddat igitur qui pręſidet, ſuperiori ſuo obedientiæ debitum: pari verò ſuo ęquitatis cenſuram oſtendant, adeo vt nolit ipſum honore pręcellere, ęſtimatione præire, vincere cultu. Studeat tamen per humilitatem cordis, charitatis affectũ, mentis deuotionem, animique conſtantiam, atque cæterarum exercitatione virtutum fieri abſque vllo tumore Deo propinquior, donis locupletior, meritiſque ſublimior. Equidem inter pares commendabilis eſt iſta certatio, atque virtutum æmulatio, vt altero cupiat eſſe perfectior, dummodo id prudenter, & abſque vllo fraternæ charitatis fiat offendiculo, neque affectu mercenario, aut priuatæ gloriæ cupiditate, ſed ſolũ pro honore Dei, à quo ſumus quod ſumus, atque pro proximi ædificatione, quia deſiderare debemus eſſe quod ſumus (ſi tamen aliquid ſumus) non in nobis, ſed in domino. His exceptis quę memoratę ſunt cauſis, Dei videlicet, charitatis & proximi, periculoſa valde eſt aſcendendi, proficiẽdiq; contentio, quoniam vt plurimum inanem gloriam aut leuitatem, ſiue hypocriſim ſapit, quę procul omnino à cogitationibus præſulũ eſſe debet, quos plus quã cæteros iuſtitiã in corde exercere oportet & opere. Maximo qdẽ diſcretionis moderamine cõgruit eis habere in omnibus, in verbo, in conuerſatione,

tione, in moribus, vt (quantum in ipſis eſt) nulli ſcandalum, neminiq; præbeant occaſionem delicti: Apoſtolum imitantes, qui ait: Placete per o'ia o'ibus, ſicut & ego omnibus per omnia placeo, nō quærens quod mihi eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant. Pro communi igitur vtilitate, & ad ſingulorum profectum tam æqualium, quàm minorum ſe paſtores animarum prudenter exerceant, temperātèr viuant, tolerent fortiter, iuſtitiæq; regulam ita cuſtodiant, quatenus per ipſos honoretur Deus, ad bonum excitentur proximi eccleſia gaudeat, lætificentur angeli, vniuerſiſq; ſanctorum cœtus exultet in domino. Cæterum vt hæc ipſis mediantibus fiant, ſtudeant in lumine prudentiæ intelligere, quæ ſit voluntas Dei beneplacens, atque perfecta: qualiterve ſibi commiſſos debeāt regere, leges diſponere, diuidere officia, dignitates impertiri, ordinare gradus, ſingulorum qualitates agnoſcere, conuerſari cum omnibus, præuidere pericula, tentationes diſcernere, vitare caſus, corpus proprium gubernare, virtutes acquirere, exercere dona, & carnem rationabiliter ſubiugare ſpiritui. Sciant quoque cæleſtis gratiæ opitulante præſidio vitam ſuam modeſte ducere, motus animi inordinatos cohibere, carnis impetus reſtringere, ſenſualitatis petulantiam domare, viſum ab aſpectibus voluptuoſis auertere, ac obtrectationibus auditum obſtruere, à murmurationibus linguam compeſcere, tactū a lenociniis impudicis refrænare, cum grauitate incedere, rationabiliter loqui, ſobrie cibum ſumere, circunſpecte conuerſari, omnes interioris, exterioriſque hominis actus ſub diſciplina moderari virtutum. Aduerſa inſuper omnia, damna videlicet rerum, parentum exitia, diſcrimina propinquiorum, opprobria, contumelias, irriſiones, verbera, carceres, vincula, exiliū, perſecutiones, paupertatem, famem, ſitim, nuditatem, languores, tentationes, pericula, caſus, & mortem pro amore Dei, & creditarum ſibi plebium vtilitate ſtrenue, fortique animo (cauſa tamen vrgente legitima) tolerare. Poſtremo in cunctis operibus ſuis iuſtitiam exercentes, ad brauium mercedis perpetuæ valebunt feliciter peruenire. Hæc profecto eſt virtus, quæ ornat mentem, conformat Deo, & virtutes gratificat vniuerſas. Prudenter quidem diſcernere quæ agenda ſunt, corpus & facultates moderate diſponere, aggredi viriliter ardua parum prodeſt, niſi fine debito hominis intentio dirigatur. Quamobrem ille præſul merito dicendus eſt iuſtus, qui Deo cogitationum, actionumque ſuarum perpetuum exhibet famulatum, atque proximo ſuo in omnibus honeſtis ac piis neceſſitatibus eius ſedulum præſtat dilectionis obſequium: quive vniuerſis ſtudet prodeſſe in conſiliis, exhortationibus, admonitionibus, & exemplis, atque in cunctis operibus ſuis, fine etiam ne trāſire conatur. Nempe huiuſmodi ad morem eſt fluminis de loco voluptatis ad paradiſū irrigandum effluentis, ſeque in partes quatuor diuidentis. Omnis quippe cordis illius intentio, totuſque eius vitæ decurſus in virtutibus quatuor ordinatur, de quibus per ſapientem dicitur: Sobrietatem, & ſapientiam docet, & iuſtitiam, & virtutem: quibus nihil vtilius eſt in vita hominibus. Beatus itaque vir paſtorali fungens officio, quem tu domine in veritatis tuæ lumine introrſus erudieris agnoſcere quæ fallunt, vitare, quæ alliciūt, tolerare quæ premunt, atque de lege tua doceris eum, populum tuum in iudicio & iuſtitia gubernare. Iſte profecto vita viuet & non morietur: ſi tamen non inſoleſcat, neque propria æſtimatione infletur, ſed humiliter ex beneficiis ſibi collatis ſempiternaliter Deo ſe debitorem eſſe cognoſcat.

1. Cor. 10

Sap. 8.

Quod grande ſit malum ſit ingratitudo, quæ maxime perfectionis retardat aſcenſum. Cap. XXI.

Ingratitudinis vitium aſcendendi ad ſublimiora virtutum impedimentum eſſe quam maximum dubitet nemo. Conſpicimus quotidie multos honoribus decoratos huius occaſione ad ima repente fuiſſe deiectos. Grande prorſus malum eſt ingratitudo, quę diuinę bonitatis exiccat fontem, hominum beneuolentiam diminit, ſpoliat donis, dignitate priuat, elationem parit, infert cæcitatem, amicos deſpicit, conturbat pacem, diſſeminat ſcandala, detractiones fouet, nutrit iurgia, odia auget, ſeque poſſidentem corā Deo & hominibus facit inglorium. Nonne deteſtabile virus ingratitudo exiſtit, quæ aduerſus benefactorem ſuum cordis ceruicem erigit, perceptorum obliuiſcitur munerum, atq; eorum, quæ mereri poterat, reddit indignum? Quis (oro) cuiquam ingrato, beneficiaque ſpernenti cupit aliquod humanitatis præbere obſequium? Nēpe hoc ipſum vſus docet, confirmat ratio, experientia manifeſtat, iura clamant, eloquia diuina teſtantur, natura inſinuat, declarant bruta animalia, atque ſinguli confitentur mortales. Confitentur, inquam, iuſtum beneficia denegare ingratis. Reprehendunt quoque vniuerſi ingratitudinem erga ſeipſos exhibitam: propriam verò quam ipſi cōtra Deum exercent, minimè ſaltem intelligere curant. Magnipendunt quidem exigua, quę ſibi ſunt illata ab aliis: maxima verò & innumerabilia, quę quotidie irrogant, nullius æſtimāt, ad hoc proculdubio impellente ingratitudine, ignorantiaq; ſupina. Redi quamobrem ò homo ad te, & te erige contra te, quemadmodum aduerſus proximum tuum. Recogita quæ præbes proximo, & quę indeſinēter tribuit tibi Deus. Diſcute, inquā, diligēter quę agis cōtra dominū, & quæ fiunt tibi, & tunc cæcitatem tuā, cordiſq; tui tortuoſitatē agnoſces. Poteris quippe ſic reſpicere ab inſolētia tua, atq; in ſemitis iuſtitiæ tuæ dirigere greſ-

ſus,vt ſis rectus corde,& iudices iudiciũ in ęquitate,tuam ingratitudinem corrigas,necnon ęqua iuſtitiæ lance cauſam Dei contra te,tuam quę ad uerſus proximum apprehendas. Noli(quæſo)pluris arbitrari offenſam proximi in te,quàm tuã in Deum.Et ſi non vis illam fateri maiorem, confitere ſalté eſſe æqualem, quatenus talis erga Deũ eſſe valeas,qualem erga te proximum tuum deſideras, quum longe meliorem, multoque perfectiorem te oporteat eſſe in Deum, quàm proximum in te:& hoc ratione conditionis, comparatione inæqualitatis, reſpectu debiti, intuitu muneris, cauſa numeroſitatis, atque præeminentiæ. Ex his conſiderationibus profecto illuminabuntur tenebrę tuę,& agnoſces quàm obliquus,quã iniuſtus, quàm ingratus, & quàm cæcus ſis erga creatorem tuum,redemptorem,gubernatorem, & dominum. Porrò ſi conditionem tuam & Dei attendas ò homo, intelliges quia tu vilis es, ſeruus peccati, videlicet corruptionis & mortis. Ille autem magnus dominus & rex omnipotens 1. Tim. 6 metuendus nimis de quo Apoſtolus ait: Rex regum & dominus dominantium, qui ſolus habet immortalitatem, & lucem habitat inacceſsibilẽ. Tu puluis & cinis, vermiculus plenus doloribus, fœtoribus,infirmitatibus atque miſeriis.Ille verò creator vniuerſi,gubernator, atque diſpoſitor,ſicut ſcriptũ eſt:Tu domine feciſti cęlum & terrã, & quicquid cęli ambitu continetur: dominus vniuerſorũ tu es. Alibique: Tu autem dominator virtutis cum tranquillitate iudicas,& cum magna reuerentia diſponis nos. Subeſt enim tibi quum Act. 13. volueris poſſe. Tu, inquam, debito indicibili obligatus, tum ex innumerabilium perpetratione delictorum,tum ex perceptorum diſsipatione bonorum. Ille verò ſolus liber, quia à nullo habet quod eſt, quin potius quicunque habet aliquid, ſiue in cælo ſicut angeli & ſancti, ſeu in terra veluti iuſti & in bonis moribus, vitam ducentes,ab ipſo habent totum quod eſt commendationis, quod honoris,quod meriti.Sic enim legitur:Om Psal. 103. nia à te expectant, vt des illis eſcam in tempore, dante te illis colligent, aperiente te manum omnia implebuntur bonitate, auertente autem te faciem turbabuntur.Auferes ſpiritum eorum & deficient,& in puluerem ſuum reuertentur. Emitte ſpiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciẽ terræ. Tu ò homo ſi quid tribuis ſeruo tuo, amico,vel proximo,parum præbes,& de alieno,non de tuo. Quid enim habes, quod non accepiſti? Nempe nudus egreſſus de vtero matris tuæ, ſed haud dubium quin nudus exibis è ſeculo.Ille autem totum quod erogat,de proprio largitur,ſiue temporale, ſeu ſpirituale aut ęternũ ſit Domini namque eſt terra, & plenitudo eius, orbis terrarũ,& vniuerſi qui habitant in eo.Sed & qui in cęlis regnãt,de ipſius hauriunt fonte voluptatis,ſicut ſcriptũ eſt a Propheta:Inebriabũtur ab vber- Psal. 35. tate domus tuæ,& torrente voluptatis tuæ potabis eos. Tu paucis obſequiũ humanitatis impendis,tuiq; ſimilibus:ille verò omnib. bonis videlicet ac mali, iuſtis & peccatoribus, infidelib. atq; fidelibus. Sic .n. habes: Oculi omnium in te ſperãt domine, & tu das eſcam illorum in tempore Psal. 144. opportuno; Aperis manum tuam, & imples omne animal benedictione. Et ipſe dominus inquit: Luc 6. Eſtote miſericordes, ſicut & pater veſter miſericors eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos,& pluit ſuper iuſtos,& iniuſtos. Tu vilia & caduca præſtas, ille excellentiſsima & ſempiterna. Quid enim illo excellẽtius? Seipſum quippe tribuit tibi in cibum & potum, vt intelligas tibi non potuiſſe prębere quicquã melius,aut quicquam maius. Reuolue(quæſo)animo,quid in hoc ſpiritualis ac cæleſtis cibi & potus ſacramento percipias. Non enim taurorum aut hircorum, vt olim Hebræorum populus manducas carnes. Nõ denique manna de cælo miſſum patribus in deſerto ſumis, ſed immaculatum agnum, innoxiũ, incorruptum, in crucis patibulo pro tua multorumque ſalute oblatum. Accipis(inquam)veram carnem, & Chriſti corpus verum de ſpiritu ſancto conceptum, ex Maria virgine natum, pro te traditum,flagellatum, & mortuum; quod vtique in cælo adorant angeli, archangeli, dominationes,principatus,atque virtutes, in terra verò venerantur fideles,reuerentur dæmones, conficiũt ſacerdotes, corda lætificat, ſanctificat animas, corpora caſtificat, purgat affectus, mẽtes replet, informat opera, conformat Deo. Hoc plane eſt ſacramentum vnitatis, vinculura pacis, conſortium charitatis, expectationi ſacrificium, deuotionis oblatio,honoris delatio, exhibitio fidei,pabulum ſanctitatis, atque immolatio pietatis. Totum, quod de illo dicitur, minus eſt eius laude: quoniam ſpirituale,ſupercæleſte,atque diuinum eſt, & nihilominus prærogatum eſt tibi ò homo in cibũ, in cõſortium, in præſidium, in remediũ, in ſolatiũ, in gaudiũ,& poſt hanc peregrinationẽ promiſsũ in præmiũ. Quid igitur retribues domino? Quid(oro)tuo repẽdes autori pro his beneficiis,quę ſub cõpendio memorata ſunt? Metire illa,quę exhibes proximo ex his,quę à tuo ſuſcipis conditore, & certa definitione intelliges ſupra omnẽ ęſtimationẽ illa diſtare,qualitate,dilectione & numero. Valebis profecto ex hoc agnoſcere erga proximũ inſolentiã tuam,aduerſus verò Deo ingratitudinẽ tuam, ipſius autẽ circa te ineffabilem charitatem & gratiam. Quamobrem quiſque apud ſe recogitet, quid illi Deus contulit, vt valeat & ſcire, quod eidem retribuat, de quibuſve gratiarum debeat actiones exoluere. Nemini quippe licet, quid illi Deus dederit ignorare. Talis ſiquidẽ ignorãtia, ſi volũtaria fuerit & craſſa, nullũ excuſat, nullumq; excipit, ſed omnes quos poſsidet, iuſta animaduerſione cõplectitur ſecũdum

dum

dum cuiuſque conditionem, intelligentiam, donorumque menſuram. Hinc præſulum pondus agnoſcitur, hinc ſi in vitio ingratitudinis fuerint deprehenſi, claret quanta ſint diſtrictione mulctandi. Quemadmodum enim præ cæteris ſunt honore, miniſterio, ac poteſtate prælati: ita debito ſunt maiori aſtricti. Grādis quippe honor eorum eſt, ſicut Petrus Apoſtolus ait: Vos autem ge-

1. Pet. 2. nus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis. Maxima quoque illis indulta poteſtas, quum regni cælorum teneant claues, ligandi, ſoluendique ſint autoritate præditi, atque totius eccleſiæ ſpirituale poſsideant regimen. Quàm verò præcelſum eorum ſit miniſteriū, perſpicue claret, quum nequaquam in terrenis negociis, ſed in eccleſiaſticis & cæleſtibus diſciplinis, in diuinorum meditatione eloquiorum, in animarum gubernatione & cura, in ſacramentorum adminiſtratione verſetur. Nempe totum hoc illis cedit ad meritum, ſi prudenter, ſi fideliter, ſi humiliter pertractare ſtuduerint. Prudenter quidem, vt ſciant diſcernere inter leprā & lepram, vt creditas agnoſcant oues, vt ſolerter intelligāt, qui in ordinibus, & dignitatibus promoueri ſint digni. Fideliter autem, vt non priuatam quærant gloriam, temporalia lucra non appetant, contra equitatem & conſcientię rectitudinem poſtulantibus minime annuant, atque ab incepto virtutis propoſito ſe nullatenus flectant. Humiliter verò, corde videlicet, conuerſatione, & voce. Copioſum ſiquidem apud Deum eſt præſidentis meritum, quando in ſublime dignitatis euectus, honoribusque fulcitus exterius humilitatem ſeruat in corde, & Dei beneficia, propriamque infirmitatem in ſpeculo veritatis agnoſcit. Porrò ille corde cenſendus eſt humilis, qui vilitatis ac fragilitatis ſuæ conſcius quicquid interius, atque exterius laudabiliter agit diuinæ totum arrogat bonitati, quæ cui vult bene operandi virtutem impertiri dignatur. Hinc eſt quòd quamuis in cęleſtibus meditando iugiter conuerſetur quanquam illi ſecretorum myſteriorum arcana pandātur, licet fulgeat conſilij dono, tametſi valeat cuncta emergentia ſibi aduerſa viriliter tolerare, habeatq; diuinorum eloquiorum ſufficientem ſciētiam, afflictis quoque præbendo vtriuſque ſubſtātiæ alimenta opportuna compatiatur ex animo, nec non vt filius timeat Deum, neſcit tamen inflari: quoniam chariſsima talia ab illo ſe percepiſſe fatetur, de quo Propheta inſinuans ait: Et

Esa. 11. repleuit eum dominus ſpiritu ſapientiæ & intellectus, ſpiritu conſilii & fortitudinis, ſpiritu ſcientię & pietatis, & repleuit eum ſpiritu timoris domini. Hoc quippe ſpiritualis luminis irradiatus ſplendore quanto præſtantiora recipit dona, & quanto excellentiora peragit opera, tanto de ſe ſentit abiectius, Deoque ſe obligatiorem agnoſcit, dum ſe videt charitatis & impenſi ſibi muneris vices illi nullatenus poſse rependere. Anxius ſiquidem reuoluit mente quid accepit, quid præſtitit, & quid valeat. Quocunque ſe vertit, miratur, ſuperatur, & gemit. Porrò ſi beneficia ſibi collata conſiderat, ſuper arenam maris multiplicata fatetur. Miratur vtique terram, pontum, æthera, volatilia, quadrupedia, arbuſta & de humo germinantia, ipſos agrorum cultores, negotiatores, ſapientes, potentes & nobiles, peccatores, pęnitentes & iuſtos, ſolem, lunam, & ſtellas, angelos, archangelos & ſanctos in ſuum præordinatos eſſe obſequium pro tempore, pro diſpoſitione, pro qualitate, pro neceſsitate, pro forma, & ſi non actu, habitu tamen, miniſterio, & fine. Sane in hac admiratione pro numeroſitate, pro ordine, pro intentione, pro merito à ſeipſo ſuperatur & gemit, minimè inueniens vnde largitori ſuo ſatisfacere queat, potiſsimum oculo fidei proſpiciens, qualis quantuſque ſit ille, qui hæc vniuerſa inſtituit. Omnis nanque cœlorum militia, vniuerſaque creatura, quæ ſub cælo eſt, ipſius famulatur imperio: poteſtas quoque eius poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum, quod nō corrumpetur. Nam dominatur à mari vſque ad mare, & à flumine vſque ad terminos orbis terrarum. Regnum verò eius, regnum eſt omnium ſeculorum, & dominatio eius in omni generatione, & generatione. Sapientia autem ſua pro ſui claritate & gloria perluſtrat abdita, cordiumq; ſecreta rimatur, de qua videlicet inquit Apoſto- Heb. 4.
lus. Viuus eſt Dei ſermo & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagum quoq; & medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis, & non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius. Omnia enim nuda & aper- Ibid.
ta ſunt oculis eius. De ipſius verò profuſa bonitate, quæ replet cœlum, confirmat angelos, lætificat ſanctos, coronat iuſtos, pęnitentibus parcit, delinquentes ſuſtinet, & vocat errantes, ò quā dulcia, quàmve ſuauia meditando deguſtat. Toties ſiquidem in admirationem ducitur quoties contemplatur patris patientiam, quę per verbum ſuum cuncta creauit ex nihilo, ipſiuſque verbi ſapientiam, quæ vniuerſa gubernat & regit, atque amborum dilectionem, quæ omnia viuificando cuſtodit. Verum in ipſa ſua admiratione ſuperatur, dum non valet apprehendere quem videt, nec tenere quem diligit, neque poſsidere quo frui concupiſcit, quoniam ſupereminet quicquid videri poteſt, teneri, ac capi, quanquam videatur fide, ſpe teneatur, poſsideatur charitate, non tamen ad votum amantium, ſed ad certantium & peregrinantium ſolatium, atque profectum. Gemit autē interim donec perficiatur quod imperfectum eſt patienter, humiliterque, pręſertim ſui met vilitate inſpecta. Nequaquam enim valet nō gemere qui ſui interioris hominis notitiam ha-

bet, quum totus langueat, totus fœteat, totus iaceat, nullaque in illo ſit ſanitas, nulla virtus, ſufficientia nulla. Nam propter ſui imbecillitatem oportet vt nutriatur conſolationibus, ſuſtentetur promiſsis, dirigatur luce, & peruigili prouidentia conſeruetur. Alioquin in tentatione deficit, cadit in ſcelera, errat in fide, & in ſpiritu moritur. Vbique & in omnibus diuino indiget præſidio, ſępiſsime etiam humano conſilio, quippe qui per
Ioan. 15. ſe nequit ſuffragari, ſibi dicẽte Domino: Sine me nihil poteſtis facere: Beatus qui huiuſmodi veritatis illuſtratus eſt lumine. Non enim longe eſt à ſalute. Initium namque ſalutis agnitio infirmitatis eſt propriç. Nam quemadmodum qui corpore patitur, & ignorat quo detineatur languore, curari non valet: ita & de animæ ægritudine ſentiendum eſſe non ambigo. Quomodo (quæſo) poteſt quis elationem mentis euellere, qui neſcit ſe eſſe ſuperbum? Cupiditatem quoque terrenarum facultatum quis habilis eſt reſecare ex animo, qui ſe arbitratur illicite concupiſcere nihil? Gulæ etiam intemperantiam cohibere quis ſufficit, ſi ipſius voluptati non intelligit ſe eſſe procliuum? Carnis denique incentiua domare quis pręualet, ſi impudicitiæ ſtimulis an impugnetur ignorat? Nemo igitur vitiis opportuna ſtudet adhibere remedia, qui eorundem morbo carere ſe putat. Hoc plane Phariſæus ille inſinuat, qui tumorem cordis ſui non videns, ſeque præ cæteris iuſtum eſſe pronuncians, è templo condemnatos abſceſsit. At verò Publicanus peccatorum ſuorum agnitione compunctus, ſurſumque ad cęlum oculos leuare non audens, ex humili iuſtificatus confeſsione, lætus remeauit ad propria. O delictorum ter beata confeſsio, quæ placat Deũ, cœlum pandit, reconciliat impios, tergit ſcelera, conſcientiam mundat, fugat vitia, tribuit veniam, auget gratiam, ſpondet gloriam, quàm dulcis, quàm amabilis, quam fœcunda eſt, ſi tamen ſit humilis, ſuique ſit conſcia criminis, non facta palàm & verbo tenus, ſed in corde coram Deo, vbi tantum ſunt iudex & reus. Quæ namque ſolum fit voce, ſeu ante ſacerdotem, ſiue in publico parum prodeſſe arbitror, niſi de cordis conſideratione & contritione procedat. Intus igitur fiat diſcuſsio, cordis interrogatio cogitationis, intentionis ventilatio, accuſatio ſceleris,
Pſal. 4. compunctioniſque ſatisfactio, ſicut Propheta hortatur dicens: Quę dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini. Hæc quippe confeſsio nedum facinora grauia à tribunali abſcondit iudicis, verumetiam leuia & minutiſsima, ſine quibus vita hominis, quantumcun-
Eccl. 7. que iuſti & boni, eſſe non poteſt, ſicut diuina
1. Ioan. 1. teſtantur eloquia: Non eſt iuſtus qui non peccet. Et Ioannes: Si dixerimus (inquit) quòd peccatum non habemus, noſipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Talis profecto confeſsio proprie pręſulibus, animarumque paſtoribus cõgruit, tanquam cęteris perfectioribus, atque in ſpiritus exercitatione doctioribus, qui letalibus prorſus debent carere delictis, & ſolum (citra tamen conſenſum) delectatione, cogitatione, verbo, omiſsione delinquere. His nempe, de quibus loquimur, venialia crimina apparere debent grauia, tum propter cordis munditiam, quam totis viribus illos ſeruare oportet, tum propter ignitum charitatis deſiderium, quo accenſi iugiter feruntur in Deum: per quod videlicet amans Deo conglutinari deſiderat, à quo prorſus (niſi interuenientibus delictis) ſeparari non valet, quemadmodum Propheta manifeſtat, dicens: Eſa. 59.
Peccata veſtra diuiſerunt inter vos & Deum. Hinc eſt quòd qui ardentius diligunt, rarius peccant, cautius viuunt, incedunt accuratius, velocius ſurgunt, clarius agnoſcunt, atque crebrius coram Deo ſe humiliando accuſant. Non enim poſſunt extollere ſe aduerſus humilem & proclamantem conſcientiam, quę homines ſemper redarguit ſanctos, quòd ſint de pręrogatis ſibi beneficiis ingrati, in virtutibus quoque acquirendis minus ſolicitii, actuali deuotioni non ſemper intenti, curę corporis plus debito proni, ad lapſum procliui, proximorum compaſsioni rigidi, & à vitiorum, carniſque concupiſcentia frequenter illecti. Quanto enim magis proficiunt ſpirituali exercitatione, & appropinquant Deo, eo amplius in conſcientiæ ſpeculo deformitatem ſuam agnoſcunt, illiſque apparẽt nuda & aperta omnia, quæ verſantur in corde. Quamobrem prælati tanquã cæteris humiliores inſiſtant puritati conſcientiæ, cognitionique propriæ, quam profecto ſi diligẽter inſpexerint, etiam ſi mortuos ſuſcitent, nullatenus ſe eleuare valebunt. Intelligãt quid ex gratia, quidve habeant à natura, & quid ſit per culpa. Nempe in his humilitatis ſubſiſtit fundamentum ſolidum, impollutum, Deoque gratiſsimũ: quo proculdubio ſi caruerint qui præſunt, quanto maiora & ſublimiora opera in oculis perfecerint hominũ, tanto amplius in lubrico ſunt, & corã diuina bonitate fętidi, quę ſingulorũ corda rimatur. Sint itaque affectu mites, & corde humiles, vt nõ de collatis ſibi ſpiritualibus donis intumeſcant & pereant, quantumcunque virtutibus polleãt, quantave fulgeant ſanctitate, etiam ſi prophetico ſint præditi ſpiritu, miraculorumque faciendorum inſigniti munere, ſe omnino qui agunt vel proferunt bona, fateantur non eſſe, ſed ipſum in illis, qui vniuerſa laudabilia operatur in omnibus, ſine quo prorſus nemo aliquid commendatione dignum valet cogitare, vel facere. Nouerint quoque eo meliora illos promereri chariſmata, quo de ſe viliora perſenſerint. Nam deſcendendo aſcendunt, ſeque damnando iudicium diuinum euadunt, dicente Apoſtolo: Si noſmetipſos 1. Cor. 11.
diiudicaremus, non vtique iudicaremur. Beata &

Deo

Digitized by Google

Deo grata humilitas ſacerdotum atque pontificum gemma, quæ in tuto loco merita ſua incontaminata cuſtodit, atque ſolius Dei fulta teſtimonio perituras neſcit appetere laudes. Nempe cœlo vicina, mundoque ſublimior, voluntarie calcat altum ſapere, multum poſſe, carnaliter viuere, ornatè loqui, exterius apparere, dignitate attolli, aliquidque neceſsitate excepta in præſenti ſeculo poſsidere. Scit etenim cui famuletur, quod ſperet, quà pergat, quò tendat, quē diligat, & ſequatur. Propterea perſeuerat in laboribus læta, in tentationibus ſecura, pacifica in contumeliis, in dubiis fida, circunſpecta in proſperis, in agēdis prouida, atque in aduerſis intrepida. Luce quippe ſpirituali præuia graditur in hac peregrinatione ſēper anxia, Deum ſitiens, lacrymas fundens, iugiter orans, ſe abſque intermiſsione condemnans, nulli nocens, proximoque compatiens. Quamobrem non deeſt illi de cœlo ſuffragium, neque ab homine auxilium, quoniam Deo & hominibus nititur eſſe ſubiecta. Obtemperat quidem (ſi valet) omnibus, cunctos reueretur, diligit vniuerſos neſcit fallere, contradicere timet, non audet detrahere, nec præſumit quicquam agere, quod poſſit alicui inficere mentem, propriam lædere conſcientiam, fratribus inferre ſcandalum, diuinum maculare honorem. Denique hæc beata (de qua loquimur) & ſancta humilitas exhibet præſulem poſſeſſorem ſui acceptum Deo, hominibus catū, dignum cœlo, angelorum ſocium, præditum ſanctitate, religionis ſpeculum, receptaculum paracleti, contemptorem mundi, diabolique victorē. Nec ab re. Nam de omni ſua ſpirituali exercitatione, labore, vel opere nullam temporalem gloriā, ſeu terrenum commodum, ſed mercedem tantum ſperat æternam.

Quòd rationis & intellectus donum, vniuerſa naturę humanæ ornamenta pręcellit.
Cap. XXII.

INter præcelſa naturæ ornamenta, quæ à Deo humano ſunt collata generi ratio, & intellectus præcipuum ſortitur locum. Quid (oro) prodeſt cuicunque regis filio in ædibus imperialibus eſſe genitum, gemmis auroque ornatum, atque deliciis omnibus nutritum, & ratione carere? Da quempiam abundantia cunctarum affluere voluptatum, ſublimatum dignitate, honore & gloria locupletatum, poſſeſsionibus, margaritis, pecuniis, & familia, cui tamen deſit diſcernēdi iudicium, quid inquam, ex vniuerſis his conſolationis excipiet? Nempe iſtiuſmodi viro locupletior, honorabilior, ac lętior eſt vir pauper & ſapiens: Nihil prorſus rectū, nil laudabile & merito dignum abſq; rationis examine valet homo peragere. Nam intellectus principatur in hominibus, & per eundem negocia cuncta diſponuntur in terra. Equidem ipſo diiudicante, & æquitatis ſtatera penſante imperialia edicta, municipalia iura, ciuitatum leges, atque populorum inſtituta ſunt regimina: Per illum quoque armigerorū diriguntur caſtra, ordinantur acies, certamina fiunt, capiuntur vrbes, obſidentur mœnia, ſuperantur hoſtes, & in captiuitatem diriguntur inimici. Naturę denique ex intellectus acumine, vehiculo carinarum, ſe vndarum tumentium, procellarum que ſequentium exponunt periculis, exterarum nationum perluſtrant prouincias, ignotas regiones quęrunt. Barbarorum confinia petunt, multifarias negociationes exercent, ſeque de ciuitate in ciuitatem, & de loco quęſtus cauſa ad remotiſſima transferunt loca. Poſtremo ex ipſius induſtria artifices, cæmentarii, fabrique lignorum grādia conſtruunt palatia, ædes fabricant, māſiones diuidunt, metiuntur ſpacia, cubicula collocāt, magnaque peritia varias ædificant manſiones. Quid multis immorer? Omne quippe quod eſt in hoc mundo compoſitum, vſuique humano deditum, hominis adinuenit induſtria, intellectuſque perfecit aſtutia. Sibi præterea ratione mediante vendicare conatur, quod in ſua creatione delinquendo amiſit. Redigere nanque volucres cœli, piſces maris, feraſque ſyluestres ſub ſuum quotidie decertat imperium, quę quoniam omnino ſunt rationis expertes, partim arte, partim deceptionę falluntur. Tanquam enim princeps in hoc mūdo, nedum irrationabilium creaturis, verumetiā in hominum nititur homo propria calliditate vēdicare imperium: & (proh dolor) aliorum ſeruus delinquendo ipſe efficitur. Nempe vniuerſa, quę in negociationibus, in artificiis, in certaminibus, in innumerabilium actionum generibus idē per corpus operatur exterius, prius illa præuidendo & diſponendo exercet in corde, quæ profecto ſi bona ſunt, laudabilique ordinatione munita, etiā antequam deducantur in actum remunerationis retributione ſunt digna, ſi vero mala, aſperrimo prorſus ſunt plectenda ſupplicio. Nam arbiter Deus cogitationum & cordium iudex, intentionem hominis rimando diiudicat. Non ſolū quid faciat, ſed quid agere velit, pēſat. Quamobrem in cunctis operibus ſuis quicunque animæ ſuæ ſalutem exoptat, intētionis ſuæ componat obrutum, & ad illum, quem diuina lex mandat, dirigat finē vt non caſſo labor deſudet. Parum quippe prodeſt in alto dignitatis reſidere faſtigio, populorum multitudinis pręeſſe regimini, ardua tractare negocia, cum principibus & regibus familiariter conuerſari, ſanctitatis atque ſcientiæ celebre nomen acquirere, & obliqua intentione hoc agere. Cæterum intellectus pollere acumine, ratione multa comprehendere, naturę ſecreta mente luſtrare, & ex his temporalem expectare mercedem, quid, oro, in anguſtia neceſsitatis extremę valet prēſtare ſolatii? Nam etſi qui talibus inſigniti ſunt donis, tranſitoriaque proſperitate lętantur,

tantur, hominum ventoſa confabulatione laudẽtur, diuino tamen reprobantur iudicio, eo durius, quo facilius præ cæteris ſimplicioribus proprium quibant errorem agnoſcere. Porrò quemadmodum mitius puniendus eſt ille, qui parũ aut nil videns, ſe inimicorum tradit manibus, quàm qui perſpicue intuẽdo hoc agit: ita minori eſt deterrendus flagello, qui hebetem diſcretionis habens ſenſum, non rectà à ſemetipſo intentione decipitur, quàm qui naturali ingenio, atque acquiſita clarens ſcientia, reiecto à ſe ſapientiæ & prudentiæ iugo, æternæque felicitatis retributione neglecta, præſentis vitę momentanea oblectamenta ſectatur, immemor ſiquidem ſuppliciorũ, quę piger ſeruus excepit, pari vt ille tranſgreſsione detentus pręſtitum talentum ingenii ſibi prærogatum ad lucrum nequaquam occultare expauit. Non enim rationalis ideò factus eſt homo, vt ſeculi huius fallaces diuitias, honores, voluptates quęrat, & gaudia, ſed vt humiliter, temperanterque viuens, ac diuina pro poſſe mandata cuſtodiens, ſempiterna ſanctis prędeſtinata pręmia poſsideat. In regeneratione quippe futura iuſtorum, pręſentis exilii curſu laudabiliter conſummato, decet hominem eſſe beatum: quandoquidem nec caro ſpiritui, nec ſpirituales nequitię bonis, neque mundus vltra aduerſabitur Deo. Quamobrem indubie decipiuntur, quicunque ante pręordinatum tempus conantur tranſitoria ac perpetua pariter felicitate lętari. O quantus horum eſt numerus, quantaque multitudo. Porrò in huiuſmodi errore, facilius prudentes labuntur quàm ſimplices, quod vtique pręter naturam eſſe contingit. Nam veritatis & rationis qui perſpicacitatem habet intellectus, magis eſt capax, quam qui eſt rudis ingenii, & ad diſcernendum tardus, & nihilominus oſtenſę ſibi expeditius iſti quàm illi aſſentiunt veritati. Quod profectò in his, qui diuino ſunt mancipati obſequio, luculen-
1. Cor. 1. ter apparet. Hoc quippe Apoſtolus inſinuans, inquit, conuerſis ad Chriſtum: Videte enim vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: ſed quę ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia huius mũdi elegit Deus & contemptibilia, & ea quę nõ ſũt vt ea quę ſunt deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius. Porrò talis, de qua loquimur, repugnantia, ex elatione prorumpit humana. Dedignatur namque, qui ſibi ipſis videntur ſapientes, ſtulti iudicari pro Chriſto immemores prorſus apoſtolicę admonitionis dicentis: Si quis in vobis videtur eſſe ſapiens, ſtultus efficiatur, vt
1. Cor. 3. ſit ſapiens. Et qui terrenarum facultatum locupletes ſunt, erubeſcunt mendicare pro Chriſto, qui cum eſſet diues, egenus pro nobis factus eſt, vt illius ditaremur inopia. Et qui in ſeculo hoc honorabilis eſt, aſpernatur opprobria, contumelias & maledicta perferre pro Chriſto: qui cum male diceretur, non maledicebat, cum pateretur, non comminabatur, ſed tradebat iudicanti ſe iniuſtè, æquanimiter irriſiones, flagella, ſputa, & alapas ſuſtinens. Hinc eſt quòd pauci ſunt cæterorum comparatione, qui velint abnegare ſeipſos, cruces ſuas ſponte tollere, & Chriſtum dominum imitari in aſperis. Penè omnes qui Chriſtiani vocãtur, catholicæ religionis vti gaudent priuilegio, minime verò ſtudent inſtituta perficere. Sancto præterea gloriantur inſigniti nomine, ipſius autẽ nominis effectum habere recuſant. Frui denique anhelant temporali proſperitate, ſeque decipientes arbitrantur conſecuturos eſſe ęternam (ſi tamẽ ipſos credere illam fore aſſeuerare ſit licitũ). Quonam (quęſo) modo aliam eſſe vitam credere quis poteſt, qui pręſentem toto affectu diligit, aut pręmia valet in cœlo ſperare promiſſa, qui voluptatibus carnis inſeruit, atque facultatibus nititur abundare terrenis? Nempe quiſquis veraciter bona credit eſſe inuiſibilia, debet proculdubio fidei ſuę efficaciam ex contemptu oſtentare pręſentium, nec non ſi quis non ficte ſperat obtinere cęleſtia, oportet à ſe prorſus abdicare terrena, quatenus profeſsio ſuę credulitatis, ſpeique ſynceritas non in nomine, ſed efficaciter inſinuetur ex opere. Eia nunc anima mea ſume lamentũ, fluãtque oculi tui fontem lacrymarum, nec ceſſent plorare per diem & noctem præſentem militãtis eccleſiæ ſtatum. Hęc quippe tempore pubertatis ſuæ quando afflante ſpiritu, omnemque terræ ſuperficiem vberrime irrigante ſuo cęleſti copulata eſt ſponſo, tota erat ſpecioſa, ſuauis nimis, & rutilans, induta vtique regalibus veſtimentis pręnimia odorum aſperſione fragrantibus, choris etiam comitata virgineis glorioſorum martyrum vallata agminibus, anachoritarum aſsiduis protecta orationibus, venerabilium præſulum fulta pręſidiis, prædicatorum erudita doctrinis, virtutibus aſſociata cœleſtibus, atque fidelium populorum repleta cateruis. Erat, inquam, perfecta in fide, ſpe hilaris, charitate feruida, deuotiõe plena, orationi intenta, ieiuniis & vigiliis vacans, rebus pauper, & locupletata donis, contempta aſpectibus hominum, ſed obtutibus grata diuinis. In ſe quidẽ cęleſtis diſciplinę rudimẽta mõſtrabat, per ſuos autẽ circũquaque ſalutis æternę, & incorruptibilis vitę diffundebat eloquia. Principũ ac tyrannorũ nequaquam formidabat imperium, Dei ac ſponſi ſui freta auxilio. In cunctis, quæ agebat, erat in ſermone potens, & fortis in opere, adeo vt nulla corporis pro Chriſti amore expaueſceret tolerare ſupplicia. Degebat quidem in carne, & cõuerſabatur in ſpiritu, corpore tenebatur in terris, ſed ſponſo ſuo ſpiritu copulata & mente, cogitatione & affectu reſidebat in cęlo. Nunc verò impræſentiarum conuerſum eſt gaudium in

luctum, ornatus in deſpectum, in deformitatem ſpecioſitas,in voluptatem ſobrietas, pudicitia in luxum, virtutes in vitia, ſeculi contemptus in pompas,in diuitias paupertas, zelus honoris Dei in quæſtum priuatæ gloriæ, guſtuſque æternorum in amorem præſentis vitæ. Facta quippe eſt tanquam grex ſine paſtore, & veluti populorum numeroſitas abſque directore & duce: quanquam introrſus illi præſideat verus paſtor & dux qui proculdubio nouit quotquot redemit,& præordinauit ad vitam. Porrò qui illam ex miniſterio ſibi credito regere & defenſare debuerant ipſam impugnant moribus indecentibus,prauiſque ſcandalizant exemplis. Quamuis enim ſint multi,qui paſtoralis officii cathedram teneãt,pauci tamen reperiuntur hoc tempore,qui ouili Chriſti ſicut decet,curã adhibeant.Omnes penè quæ ſua ſunt,quærunt,non quæ Ieſu Chriſti. Non vt proſint,ſed vt præſint.Promoueri non dico,expectant, ſed quod deterius eſt, prece, ac precio, ô quanti quærunt,ſolicitant,atque mendicant?Huiuſmodi non vt paſtores intrant per oſtium in ouile domini, ſed tanquam mercenarii per maceriam perituri. Ingrediuntur vtique,vt propria acquirant commoda. Vnde mirum non eſt,ſi neglecta ouium cura priuatis incumbũt affectibus. Ex his quippe ſunt quidam, qui honores ambiunt, aliqui diuitias appetunt, nonnulli corporis inhiãt voluptatibus.Omnium profectò horum intentio tota obliqua eſt, tota damnabilis, Deoque ſupra modum agnoſcitur eſſe aduerſa.Quomodo nanque abſque ſui præiudicio, atque diuina offenſa valet honores concupiſcere homo putredo, & vermis, quos Dei filius exemplo ſuo ſpernere inſinuauit & verbo? Non enim elationis,ſed humilitatis magiſterium ſe ſequentibus debet præbere,qui præſidet.Ex contemptu ſiquidem mundi, & humilitatis forma Chriſti ædificatur eccleſia. Nam ideo creuit, ſuaſque à mari vſque ad mare dilatauit propagines,quia præceptoris ſui & ſponſi eſt imitata veſtigia,qui temporalem calcauit gloriam,terrenaſque diuitias. Hinc eſt quòd Apoſtoli,ſanctique pontifices in eccleſiæ firmamento tanquam ſtellæ rutilantes ſunt, quia extiterunt corde humiles,virtutibuſque referti. Nequaquã vt in præſentiarum ſibi aggregauere diuitias,ſed potius vt illas cælo reconderent diſperſerunt, & tribuerunt egenis. Sciebant proculdubio illas eſſe non ſuas,ſed ad erogandum præſtitas. Nã pauperum, pupillorum, & viduarum ſunt eccleſiarũ reditus,quos vtique deprædantur, qui eoſdem in alios illicitos conuertunt vſus. Diſſueſcant itaque ſpirituales paſtores cumulare diuitias, ſeque ventris voluptatibus dare, quod ſibi ſuperabundat, egeſtatem patientibus impertiri non ceſſent. Subtrahant ſibi ſuperflua, vt neceſſaria miniſtrent egenis. Indignum quippe eſt,& ab omni humanitate alienum,vt præſules,qui miniſtri ſunt pauperum,illorum ſibi vſurpent facultates,ipſique mẽdici ſi rigore, fame, & nuditate periclitentur, lautiſſimis iſti quotidie perfruantur conuiuiis, precioſiſſimiſque veſtibus induantur. Decet vtique ipſos, qui regimini incumbunt animarũ, pluſquã cæteros parce viuere, temperanter vti conceſſis, corpus propriũ macerare ieiuniis vigiliis attenuare,ac fatigare laboribus,vt in ſpiritus tranſeant libertatem, diſcantque ex miniſterio ſibi impenſo non quæſtum terrenæ facultatis, aut inanis gloriæ lenocinia quærere,ſed animarum lucrum, totius mundi theſauro concupiſcibilius,excellentiuſq;. Deſiderent igitur, non vt amatores huius ſeculi vulgarem famam,temporales opes, oblectamentaque carnalia,ſed tanquam ſpirituales viri,& imitatores ſanctorum,imperium Chriſti,contemptũ ſui,humilitatem cordis, atque imprædabiles virtutum diuitias. Voluptatem autem maximam arbitrentur vſque ad mortem certare pro iuſtitia,eripere animas de captiuitate diaboli,peccatores ad pœnitentiam reuocare, egenos & oppreſſos de manu potentium liberare,reconciliare diſcordes docere inſcios,lætificare mœſtos, exhortari certantes,puſillanimes fouere,adiuuare laborantes, atque ad brauium cœleſtis patriæ currentes infatigabiliter animare. Et hæc quo ad proximi dilectionem. Deum verò ſtudeant ex toto corde,& ex tota anima,& ex tota mẽte diligere, dominumque Ieſum in præcordiis charitatis amplecti, de ipſo iugiter cogitare,in rebus arduis,in negociis ambiguis ad ipſum mente confugere, eius conſilium poſcere,patrociniumque flagitare, vniuerſa præter libitum emergentia propter ipſum æquanimiter tolerare,in ipſo gaudere, cum ipſo ratiocinari,ad ipſum omnem cordis ſui intentionẽ dirigere,extra ipſum nil quærere, nil concupiſcere, ſed ſolum in ipſo iucunde & amabiliter delectari,propter ipſum iugum ſeruitutis regiminis oneroſum valde conſtanter perferre, nec propterea aurum,dignitates,mortalium præconia, ſoſpitatem corporis, vitæ longæuitatem,carniſque illecebras ab eodem pro remuneratione expetere, quæ cuncta ſeculi huius amatores ambiunt, ſed tantum animarum anhelare profectum, honoris Dei additamentum, virtutum augmentum, ſpiritualis gratiæ incrementum,& gloriæ Chriſti fieri inſtrumentum,ipſo tamen infundente,deducente,& cooperante, atque conſummata iſtius vitæ peregrinatione æternam cum Chriſto in cœlis habere mercedem. Nempe alienũ eſſe debet ab omni vero paſtore mercenariorum ſequi affectus, qui ſolum quæ in terra ſunt, ſapiunt, optantque, & abſque retributione faciunt nihil. Ex ſyncera ſiquidem charitate congruit eccleſiaſticis rectoribus ſeruire, & præceptoris ſui dilectionem pro laboribus propriis affectare, pluriſque honorem Dei æſtimare quàm ſuum, Nã Deo potius quàm ſibi debent viuere,& quemadmodum proprium,

ita

ita & ſubdito, uſpiritualem fructum appetere: quatenus in vtroque perfectę legem charitatis adimpleant. Nullum quoque (ficut ſupra memorauimus) pro miniſterio ſuo in hoc ſęculo expectent præmium, ſed fidei oculis cum mētis deliberatione temporalia calcent, terrena deſpiciant, contemnant blanda, viſibilia tranſeant, æterna proſpiciant, & cœleſtia petant, intelligantque quòd nequaquam Deus condiderit hominem, vt in creaturarum dilectionem finem ſuum ſtatueret, ſed vt in earum ordinatiſsimo vſu Deum agnoſceret, agnoſcendo diligeret, diligendo ad illum quandoque perueniret, qua peruentionę eſſet ipſius viſione atque fruitione beatus. Quamobrem vniuerſi rationis compotes, & potiſsime paſtores animarum, ita peregrinationis ſuæ curſum, atque operum ſuorum intentionem dirigere ſtudeant, vt ad huius fruitionis feliciſsimæ brauium, de qua loquimur, pertingere queant, quoniam quicquid in hoc mundo cenſetur eſſe glorioſum in illius comparatione abiectiſsimū eſt, quicquid generoſum contemptibile, quicquid decorum deforme, quicquid precioſum viliſsimum, quicquid voluptuoſum deteſtabile, quicquid iucundū lacrymabile, quicquid pacificū fluctuoſum, quicquid purum coinquinatum, quicquid ſuaue fœtidiſsimum, quicquid diuturnum breuiſsimū, quicquid ſtabile momentaneum, quicquid concupiſcibile protſus deſpiciendum. Plane nec explicare lingua, nec auditus percipere, neque intueri valet oculus, quanta ſit in ipſa fruitione lux, quantum bonum, quanta pax, quàm magnum gaudiū, qualis amęnitas, quæ ſatietas, quātus iubilus, quā mellifluę laudes, quātęve gratiarum reſonent actiones. Porro in illa nihil eſt turbidum, nihil formidoloſum, nihilque contrarium, quoniam Deus cum hominibus, homines cum angelis, atque cū hominibus homines ineffabili copulati ſunt charitatis affectu: ipſo videlicet in angelis atque hominibus pręſidente Deo, qui eſt omnia in omnibus, à quo, per quem, & in quo ſunt, quod ſunt, & percipiunt, quod deguſtant ſatietate perfecta, viſione beata, felicitate continua, refectione ſuaui, deſiderio ignito, amore reciproco, admiratione maxima, oſculo ſancto, atque reformatione perēni. Toti quidem in totum, & ſinguli ſe diffundūt in ſingulos, quoniam ab vno, & de vno, necnon in vno effecti ſunt vnum. O chara beatorū vnitas, grata ſocietas, multiplicata fraternitas, communicata lętitia, indiſſolubile vinculum, & dilectionis amplexus, quàm dulciter delectaris, quā fortiter inhęres, quàm amabiliter iucundaris, non vtique in te, ſed in illo qui creauit te, & perduxit te ad ſe, vt te beatificaret in ſe, illumque agnoſceres & laudares non per medium, nec per interuallum, neque ad tempus, ſed ipſum in ipſo facialiter, actualiter, ſempiternaliter. Equidem ineffabilis illa viſio, viſioniſque fruitio tibi reuelata in cęlis, nec tibi variatur viciſsitudine; neque ipſam per ſpeculum in ęnigmate contemplaris, ſed limpidiſsime ſicuti eſt, quemadmodum Ioannes apoſtolus manifeſtat dicens: Chariſsimi, filii Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus. Scimus quòd cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. *1. Ioan. 3.* Ex hoc igitur nec de ipſius Dei viſione faſtidis, nec de ſimul fruentium ſocietate inuidię face ſuccenderis, neque fatigaris in laude, ſed ſemper alacris, ſēper ſuſpenſa, ſemper in laudandi deſiderio, perſeueras. Amando quoque concupiſcis, concupiſcēdo miraris, admirando inebriaris, ebria verò plus laudas in ſenſu, admiraris in iubilo, in idipſum requieſcis in pace perpetua, ſecura, pacatiſsima, imperturbabili. O triumphantium cum Chriſto eccleſia ſanctorum ſine ruga, & macula, quantas debes medullares actione gratiarum, & Deo odoramenta perſoluere; qui te de hoc ſeculo nequam gratis eripiens, fecit te dignam ſe, vt illius gloriā reuelata contempleris facie, illum ex toto affectu diligas ipſiuſque diuinitatis maieſtatem, quamdiu eſt laudando glorifices, honores, & colas, atque de eo ęterna fruitione lęteris. Quamobrem in tanta felicitatis profuſione locata (quęſo) memor ſis noſtri, quia adhuc peregrinamur in via incerti vtrum peruenire mereamur ad patriam. Preces continuas porrige pro nobis ad eum, quem laudas, vt & nos tuo digni quandoque habeamur conſortio, perſoluamusq; debitum ſacrificium laudis in conſpectu ſummi & veri Dei, qui eduxit de mortuis paſtorem magnum ouium in ſanguine teſtamenti æterni Ieſum Chriſtum dominū noſtrum, qui cum Patre & Spiritusſancto viuit & regnat in ſecula ſeculorum. Amen.

D. LAVRENTII IVSTINIANI Patriarchæ, in librum de Obedientia.

PROLOGVS.

QVum mecum tacitus reuoluerē animo aliquid ſcribere, quo mediante gloria Dei, & animarum exuberaret profectus, in maximo me fateor cōperiſſe conflictu diuerſarum cogitationum inūdatione colliſum. Hinc etenim laus conditoris, fraternus amor, impenſum ſpiritualis gratiæ talentum, & accommodati ocij exercitatio laudabilis ſuadebat vt ſcriberem. Inde verò repellebat profunda imperitia, ingenium hebes, occupationes aſſiduæ, virtutumque carentia, fluctuabam, timebam, angebat, diuina tandem (vt Iacob. 1. arbitror) aſpiratione roboratus, atque exhortationis apoſtolicæ memor dicentis, Si quis indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei, cunctam puſillanimitatem, & omnē de corde meo abegi metum: fiduciam autem concepi in redēptoris noſtri proflua largitate, qua polliceri dignatus eſt dicens: Matt. 7. Petite & accipietis, quærite et inuenietis, pulſate & aperietur vobis, mentiſque ad illum erexi intuitum humiliter flagitās, quatenus ipſe, qui quotidie in præcordijs fidelium veritatis lumen ſplendeſcere facit, dignetur quoque ignorantiæ meæ ſuæ candore ſapientiæ propulſare tenebras, necnon ea recte fandi ſufficientiam præbere, quæ tam legentibus quàm audiētibus proſint, ſine tamen elatione, abſque ſimulatione, & ſine errore: nam paris eſſet periculi cum ſui detrimento alios inſtruere, & proprio quempiam ſe velle mucrone perimere, hoc excepto, quòd in altero anima, & in altero iugulatur corpus. Scio quidem, & optime ſcio, quemlibet ſuperuacue laborare, qui de ſuis viribus prę ſumendo reiecto humilitatis gubernaculo diſciplinæ ſpiritualis normam palam conatur ingerere. Non enim humanæ facundiæ, ſed ſancti ſpiritus hoc opus eſt proprium, qui quoties vult aperit ora mutorum, & linguas infantium diſertas facit. Ab ipſo ſiquidem almi ſpiritus fonte ſapientiæ & ſcientiæ emanant riuuli, 1. Cor. 12. quemadmodum apoſtolus Paulus teſtatur inquiēs: Alij nanque per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij verò ſcientiæ ſecundum eumdem ſpiritum alteri fides in eodem ſpiritu, alij prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum. Nequaquam igitur aliunde, quàm ab ipſo paracleto veritatis lumen, ſapidumque ſecretorum cæleſtium guſtum Sap. 7. percipere ſe poſſe quis credat, quippe quū de eodem ſcriptum ſit: Omniū eſt enim artifex omnem habens virtutem, omnia proſpiciens. Ipſe nanque claritatis ſuę luce perfulgida prophetarum corda repleuit, fecitque vt futura prędicerent myſteriorum arcana panderent, & ęternæ beatitudinis gaudia reuelarent: ipſe inquā apoſtolorum illapſus mentibus, illuminauit ſcientia corroborauit in fide, accendit charitate, cunctiſque perfecit virtutibus, ita vt ab eodē directi pręcedentes ad publicum ſine timore annunciarent Chriſtum, diuini nominis prædicarent gloriam, ſacrorum eloquiorum ſacramenta detegerent, naſcentis eccleſiæ fundamenta iacerent, atque nouæ conuerſationis rudimenta monſtrarent, non minus verbo quàm opere. Denique quotquot àb ipſo mundi exordio aliquid commendatione dignum, ſiue de naturalibus, ſeu ſpiritualibus vel diuinis pronunciarūt atque ſcripſerunt; id eodem ſpiritu intus erudiente confortante & comitante agere valuerunt. Cęterum quicunque abſque illo hæc facere præſumpſerunt, vtique hæreſes condiderūt narrauerunt fabulas, & ſcandala ſeminarunt, nullam prorſus de ſuo labore reportantes mercedem, nec ab re. Voluerunt namque docere alios quod minimè didicere, ad hoc illos impellente elatione, non gratia, quæ profecto datur, humilibus, non elatis, ſicut ſcriptum eſt: Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Iac. 4. Hanc quippe gratiam intelligentiæ ſcripturarum idē ſpiritus ſanctus præſtat humilibus, qui quantacunque ſcientia polleant, neſciunt ſibi arrogare quod ſciunt, ſed ab illo ſe percepiſſe fatentur, qui docet hominem ſcientiam, & in cordibus humilium myſteria. Loquitur inquam, quia paratos eos ad audiendum intuetur omni ſuimet æſtimatione ſemota. Stat vtique cor humile in ſui cuſtodia, vt ſpiritum ad ſe venientē intelligat, ſibique in ſe loquentem agnoſcat, Prophetæ eruditus exemplo, qui ait; Audiam Pſal. 84. quid loquatur in me dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam, & ſuper ſanctos ſuos & in eos qui conuertuntur ad cor. Vox enim eiuſdem ſpiritus dulcis eſt, iucunda & vera, dubietatem fugans, amouens tenebras, altumque ſapere omnino diſpergens, exultationem pariens, fiduciam tribuens, accendens ignē lumen oſtendens, & humilitate replens. Vocis ipſius auditor & eidem obtemperans, ò quàm ſecurè incendit, quàm frequenter admonetur, quàm iugiter conſolatur & quàm ſæpe in ſe præſentiam ſui veneratur autoris. Nemo niſi expertus nouit, quantæ iſtiuſmodi ſint deliciæ, qualia hincinde proferantur eloquia, quàm ſuauia ingeminentur amatoria carmina, quamve caſtiſſimi ſentiantur amplexus. Non enim poſſunt non proferri vtilia, & veritati innixa, quando quidē idem paracletus ſpiritus ductor eſt doctor & dator. Ductor, inquam, ne à virtutum ſemitis quem poſſidet, deuiet. Doctor autem, ne à diuinorum eloquiorum ſententijs adiſcrepet. Dator verò, ne à contubernio ſanctorum pro donorū inopia elatus ruat. Sua namque preſentia mentem ornat virtutibus, ſapientiæ complet

plet

plet ſplendoribus, intellectum præbet ſcripturarum, conſilij diſcretionem largitur, fortitudinis conſtantiam præſtat, humanarum rerum ſcientem facit pietatis affectum tribuit, timoris domini perfundit reuerentiam, atque ſpiritualibus chariſmatibus roborat. Quamobrem hunc almum ſpiritum in ſuis ſtudeat penetralibus cuſtodire quiſquis cupit laudabiliter viuere, prudenter fari, intuſque deuotione pingueſcere. Veni igitur ſancte ſpiritus, & in corde meo emitte cęlitus lucis tuæ, radios. Veni, inquam, & da mihi (obſecro) viliſſimo ſeruo tuo, vt te erudiente, teque dirigente valeam obedientie ſanctæ, & & voluntariæ ſubiectionis reſerare præconia. De hoc quippe (tametſi inexpertus, & rudis ſum) tractare inſtitui, vt cognoſcant tui, qui pro te illius ſubegerunt humiliter ſe iugo, quàm neceſſaria, quàm vtilis ſit, quanta cum ipſa aſſociata ſint dona, quantaque ſectatoribus eius promiſſa ſint præmia. Erit ſi quidem (vt reor) horũ notitia ſub ipſa, & pro ipſa, certantibus proficua valde, quippe quum pugna ſit grauis, aduerſarij multi, diuturnus labor, & incerta victoria. Nam certare in ſtadio, & ſpiritualis milinę ignorare modum, tempus, & inimicorum fraudes, magni periculi res eſt. Cæterum ad hæc quis idoneus, niſi tu in ſecreto cordis ipſum docueris vel repletum de te inſtruxeris? Tu nanque domine ad libitum tuum de impio iuſtum, & de ignaro repente & ſine mora doctum facit. Abs te igitur expectabo. O ſanctificator animarum, vt aperias mihi theſauros ſapientię tuę, & reuelas ſitienti te: quæ per me apprehendere nequaquam valeo. Scio vtique Prophetam (I. Pſal. 118.) de ſe dixiſſe. Os meum aperui, & attraxi ſpiritum, quia mandata tua deſiderabam. Aperiam quamobrem & ego os meum, tu verò clementer infunde ſpiritum, & mentem renoua benedictione cæleſti, quatenus tibi ſint grata, legentibus quoque proficua, atque inter homines honoris tui additamentum maximum.

QVÆ SIT NATVRÆ Lex & de Ipſius effectibus.

CAPVT I.

SAcro nos inſtruente eloquio triplicem legem cognoſcimus à Deo prę rogatam eſſe mortalibus: naturæ videlicet ſeruitis, & gratiæ. Lex quidem naturæ à bono cõditore homini bene plaſmato innata eſt, qua mediante, & dirigente ad bene viuendum ipſum inſtitueret, & ad autorem ſuum intelligendum informaret, atque ad proximum ſuum vt ſeipſum diligendum animaret. Hæc nanque lex naturæ non in lapideis tabulis, non in exaratis membranis, neque in depictis parietibus, ſed in cordibus eſt ſcripta mortalium: eorum videlicet, qui rationis capaces ſunt. Hoc quippe Propheta iuſtum. virum deſcribens teſtatur: Os (inquit) iuſti meditabitur (Pſal. 36.) ſapientiam, & lingua eius loquetur iudicium. Lex Dei eius in corde ipſius. Sane ab huius legis obuerſantia nullus excipitur ſiue Iudæus, ſiue gentilis, ſiue catholicus ſit: nam omnes complectitur, omnibus loquitur, vniuerſoſque di iudicat: ita vt nemo qui ipſam tranſgreditur, excuſabilis ſit apud Deum, qui nullius perſonam accipit, ſed cunctorum cordiũ ſecreta rimatur. Quo (quæſo) modo valeat ſe quis coram Deo excuſare, aut velamen ignorantię prætendere, cuius cogitationes introrſus pro illo, ſeu aduerſus illũ perhibẽt teſtimonium? dicente Apoſtolo: Quũ (Rom. 2.) enim gentes, quę legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt, eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium illis redẽte conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationum accuſantium, aut etiam defendentiũ in die, quum iudicabit Deus occulta hominum ſecundum euangelium meum per Ieſum Chriſtum. Porrò huius legis admonitionem, coertionem, ſeu correctionem quiſque frequenter audit in corde, quãuis audire diſſimulet more aſpidis ſurdę obturantis aures ſuas, vt non audiat vocem incantantis, & venefici incantantis ſapienter. Verum illud aſpide deteriorem dixerim, quia aſpis quod agit & obturat auditũ ex inſtinctu naturæ facit: iſte verò ſanctis perſuaſionibus legis ex deliberatione peruerſæ renititur volũtatis. Aſpis homini, ſed homo aduerſatur Deo, qui per hominẽ in homine loquitur homini. Aſpis reſiſtit, vt proprium tueatur corpus: homo aurẽ repugnando ſuam iugulat animã: Aſpis poſtremo ſine prohibitione fugit: homo vero contra mandatũ ſui agit autoris. Merito igitur à ſeipſo condemnãdus eſt homo, quia ſibiipſi & Deo factus auerſus noluit in cubili cordis ſui intelligere, vt bene ageret. A ſeipſo (inquam) condemnãdus eſt, dum ingenitę rationis cõuictus teſtimonio reum coram Deo, necnon naturalis legis prę uari-

uaricatorem ſe fuiſſe abnegare non poteſt. Tanta ſiquidem huius legis eſt virtus, tamque ipſius præclara veritatis aſſertio, vt nulla aduerſus illā ſufficiat excuſatio, nullaq; latebra tergiuerſationis appareat. Cæterum etſi contradicit lingua, cōſcientia tamen aduerſus trangreſſorem vociferatur, quod legis inſtitutor offenditur, iuſtitia innata obliquatur, opus Dei à ſuo conditore ſubtrahitur, naturæ dona diſsipantur, deordinaturque quod eſt vtile, quod rectū, quod honeſtū, quod ſanctū. Rationabiliter itaque delinquēte homine turbatur mens, vrget conſcientia, amittitur ſpes: quia nō ea qua debet, graditur via, neq; ad illæ ad quē plaſmatus eſt, tendit finem. Nam ideò factus eſt homo, vt Deū agnoſceret, cognoſcendo diligeret, diligendo illi obtemperaret, & obtemperā do quādoque frueretur & beatus eſſet. Talis quoque eſt conditus, vt ſi naturæ in ſe ſeruaſſet bonum, ſuiq; dona cuſtodiſset autoris, opitulante gratia per ſe dirigeretur ad Deum, fieretque de Dei viſione perfectus in gloria. Verum dum illi ſubeſſe renuit, dumq; ipſius conditoris dona diſpergit, amittit vtique quod acceperat, & Dei inimicus efficitur, qui illi famulando potuerat eſſe chariſsimus. Abdicat quidem à ſe (quantum ex ſe eſt) naturæ bonum, quanquam diuina bonitas ipſum ex toto nullatenus deſerat. Ad illius cordis ianuā, ò quā frequēter pulſat, quā multiplicibus eundem allicit beneficiis, quàm aſsiduis inquietat terroribus, quā aſperis perturbat minis, quàmve dulcibus attrahere molitur eloquiis, ſed eo durior cōſueuit ſequi vindicta, quo benignior extitit expectantis & vocantis ſapientiæ longanimitas. Hoc quippe ipſius ſapientiæ verba teſtantur, quæ contemptoribus ſui loquens: Vocaui (inquit) & renuiſtis, extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret, deſpexiſtis omne cōſiliū meū, & increpationes meas neglexiſtis: ego quoque in interitu veſtro ridebo, & ſubſannabo, quū vobis quod timebatis, euenerit. Quum irruerit repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit, quando venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam, mane conſurgēt, & non inuenient me, eo quod exoſam habuerint diſciplinam, & timorē domini non ſuſceperint, neque acquieuerint cōſilio meo, & detraxerint vniuerſæ correptioni meæ. (Pro. 1) Porrò nemo ab huiuſmodi vocatione ſe excuſare ſufficit, quum intus clamet, & ad cor emolliendum omnis illius dirigatur intentio. Cor quidem hominis Dei quærit ſapientia, in quo amoris eſt ſedes, illudq; poſcit inquiēs Fili præbe mihi cor tuum. (Pro. 2) Nouit profectio ipſe qui condidit, quoniam ex ipſo mors & vita procedūt: nā quoties malas & impudicas concipit cogitationes, toties mors de ipſo progreditur, hoc veritas ſuo perhibet teſtimonio: (Mat. 15.) De corde (inquit) exeūt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ. At verò ſi ſancta & vtilia meditatur, vitam proculdubio ex eodem emanare probatur. Nam & beata virgo ſedula cogitatione quę audiebat, videbatque de filio ſuo, conferebat in corde ſuo. Propheta quoq; clariſsimus, aſcenſiones dicit virum iuſtū diſponere in corde ſuo in valle lacrymarum, quatenus de virtute proficiendo in virtutum videre mereatur Deum deorum in Sion. Quamobrem omni cuſtodia ſeruandum eſt cor ab vniuerſis illecebroſis, noxiis, ocioſis cogitationibus & affectionibus mundum, atque ſub naturalis legis diſciplina cohibendum, quæ profecto lex duobus innititur mandatis: vni videlicet prohibitionis, & alteri præceptionis. Prohibitionis, inquam, iuxta id quod ſcriptum eſt: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. (Mat. 7.) Præceptionis vero, ſicut dominus in Euangelio innuit dicens: Quęcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis ſimiliter. (Luc. 6) Hoc quippe naturalis ratio quam optime docet, vt ex nobis ipſis inſtruamur, quid erga Deum, quid erga proximū agere, aut quid, ne illi offenſam præbeamus, vitare debeamus, ſi tamen eadem ratio, rationaliſque ſpiritus ſit liber, & à peccati ſeruitute alienus. Non autem à qualicunq; delicto, ſed ſolum à letali, per quod contra faciem delinquentis, vitę clauditur ianua. Nam eſſe ab omni peccato immunem nulli datum eſt rationis vſum habenti, ſacro hoc perhibēte eloquio: Quis (inquit) gloriabitum caſtū ſe habere cor, aut mūdū eſſe à peccato? Eſſe verò à reatu mortalis culpę alienū cōceditur multis: illis videlicet quos gratia iuſtificationis pręuenit, comitatur, & cōpeſcit, ne poſt carnis ambulēt deſideria, & ne ingenitæ rationis abiiciāt legē, fiātq; tanquā equus & mulus, quibus nō eſt intellectus. Qui enim tales ſunt, diuinā in ſe agnoſcāt gratiā, collatum munus exerceant, potiora cōcupiſcant ſtudeantque nedum naturæ legem perficere, verum etiam decalogi præcepta ſeruare, quatenus de bono tranſcendendo in melius præſtantiora charitatis chariſmata percipere mereantur.

De prærogatiuis naturæ, quas per inobedientiam amiſit homo, & de lege ſeruili. Cap. II.

IN prima ſiquidem humani generis inſtitutione talis à Deo factus eſt homo, vt diſcretionis haberet iudicium, atque liberam eligendi qnod vellet, acciperet facultatem. Semen quippe virtutis gerebat in corde, diuinæ prorſus miſerationis indicium, necnon adipiſcendæ gloriæ incentiuum maximum. Inhærebat nanque illi naturæ bonum: ipſa ſcilicet lex, quę aſsiduis & optimis illum ſuaſionibus ad ſui amorem hortabatur autoris. Decebat proculdubio Dei ſapientiam taliter ſuam inſignire imaginem, doniſque eandem decorare gratuitis, vt naturali impulſu Deum quęreret, atque iniuncta ſibi mandata ſeruaret. Nam quem-

admodum cuncta, quæ Deus fecerat, ab initio erant nedum bona, ſed & valde bona: ita & homo. Hinc rectè colligitur, quòd in ſui creatione cōpellebatur homo ad diligēdum Deum, ipſum colendum, honorandumq; tanquam bonum perfectū, ſummum, æternum incommutabile, necnō & finem, ad quem naturaliter ſuſpiraret, in quo requieſceret, quo frueretur, & de quo beatus eſſet. Hoc ſi negamus, deterioris cōditionis, imperfectioriſq; naturæ quàm cætera, quæ valde bona ſunt condita, hominem extitiſſe fatemur: quod quidem apud perſonas graues ratione vtentes, ſapientia ac ſcientia præditos aſſeuerare ridiculū eſt, potiſsimè quum in diuinis voluminibus legamus eundem piſcibus maris, cœli volatilibus, & beſtiis terræ fuiſſe prælatum. Quod quidem propheta admirans ait: Pſal. 8. Quid eſt homo quod memor es eius, aut filius hominis quoniam viſitas eum? Minuiſti eum paulo minus ab angelis, gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, oues & boues vniuerſas, inſuper & pecora campi. Volucres cœli, & piſces maris qui perambulant ſemitas maris. Cæterum quum notiſsimo percipiamus experimento, ipſum hominē principādi cæteris animantibus collatum ſibi amiſiſſe honorem, non originalis gratiæ, ſed inobedientiæ potius non intelligimus fuiſſe defectum, quippe qui male ſuadenti vxori maluit obtemperare quàm Deo. Hinc eſt quod in humano corpore commota eſt pugna carnis contra ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem. Hac proculdubio ex cauſa pęnaliter eſurimus & ſitimus, frigore atterimur, deprimimur ſomno, laſsitudine fatigamur, variis, importuniſque languoribus cruciamur, ſenio tabeſcimus, & poſtremo īeuitabili neceſsitudine læti deficimus. In anima verò mœrore afficimur, timore angimur, lætitia immoderata diſſoluimur, deſideriorum carnalium æſtibus agitamur, Caligat præterea intellectus, ſenſus hebetatur, affectus dormitat, interioriſque hominis rectitudo obliquatur. Sicq; vtriuſque hominis excreuit infirmitas, vt propheticum illud in eo pleniſsimè impletum eſſe agnoſcatur, quo dicitur: Eſa. 1. Omne caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas; vulnus, liuor, & plaga tumens non eſt circūligata, nec curata medicamine, neque fota oleo. Vniuerſa vtique mala hæc, conflictus videlicet carnis & ſpiritus, naturæ deordinatio, peccati fomes, creaturarū rebellio, intemperies temporū, elementorum immoderata turbatio, pauor mortis, malignorū ſpirituum inſultus, tentationum iacula, corporis reſolutio, atq; omne, quod terret, quod premit, quod vrit, quod homini aduerſatur, ex inobediedietiæ abſq; ambiguitate radice prouenit. Sanè nihil horū ante mandati trāſgreſsionē ſentiebatur in terra, nihilq; contradictionis verſabatur in homine, quinimo pacis dulcedo exuberabat in corde, lux diuina reſulgebat in mēte, pudicitiæ bonū redolebat in carne, ſenſuum quoque ac membrorum vnitas cuſtodiebatur in corpore. Poſtquam verò conditoris ſui primus homo contempſit imperium, amiſit innocentiā, perdidit gratiam, priuatus eſt pace, incidit in tenebras, carnis ſenſit aculeos, diſcordiam eſt perpeſſus in membris, atque proprię nuditatis rubore confuſus, Dei vocem ſe vocantis ferre non valuit. De loco igitur voluptatis mox excluſus, atq; pellicea veſtitus tunica, in hoc ærumnoſum ſpinarum & tribulorum expulſus eſt ſeculū, in quo panem in vultus ſui ſudore ſibi vendicare compellitur, qui prius deliciis affluebat vberrimis quodq; deterius eſt, ſic vſus delinquēdi ex ipſius primi parētis pœna peccati effluxit ad poſteros, vt ad libitum ſibi arbitrentur licere quod velint. Hinc mortalium malitia adeò in prima ætate excreuit in terra, vt præſcelerum immanitate omnipotens Deus omne hominum genus (exceptis paucis) aquarum inūdatione deleret, verum nec ſic reſipuit homo, neq; ſe a ſui conditoris offenſa reflexit; quin potius humana poſt diluuiū multiplicata ſpecie pariter eſt aucta iniquitas. Naturæ ſiquidem lege neglecta nullo legis datæ eruditus magiſterio, nulloq; ad bene viuendum directus præcepto, præceps ad malū ducebatur vt ſeruus, poſt concupiſcentias ſuas trahebatur vt cæcus, atque peccatorum ſuorū depreſſus, vt viliſsimū tractabatur mancipiū. Tanta deniq; eſt ignorantiæ ſui tenebris obuolutus, vt etſi non oris, cordis tamen voces ad cęlū promeret inquiens: eſt qui obtemperet, dummodo ſit qui iubeat. Ne igitur ſub excuſationis ſuæ homo velamine tegeretur, lex in tabulis lapideis exarata digito Dei exhibita eſt quatenus inexcuſabilis apud Deum eſset, ſi paruipenderet mandata ſeruare, conuinceretur que nedum ex innata, verum etiam, ex data ſibi lege præcepti, quę profecto lex, vt nō charitatis, ſed oſtenderetur eſse timoris, in fulgure, clāgore, & fumigāte mōte repleto terroribus Iſraelitico prærogata eſt populo, qui & genere, & ritu, & fide, & habitatione à cæteris ſegregatus erat gētibus. Sane lex ipſa quoniam nō in ſpiritu, ſed in ſola litera ſubſiſtebat, ſui trāſgreſsorē obedientiæ inſinuabat fore obnoxium, minimè tamen erigebat ad gratiam. Premebat quidem ex ſui aſperitate atque duritia cordis ceruicem, ſed non adiuuabat. Terrena cupientibus, & carnem ſapientibus temporalia promittebat, quemadmodū in Deuteronomio nouimus ſcriptū: Si cuſtodieritis (inquit Dominus) mādata, quæ ego præcipio vobis, & feceritis ea, vt diligatis dominum Deū veſtrū & ambuletis in omnib. viis eius adhærentes ei, diſperdet Dominus oēs gentes iſtas ante faciem veſtram, & poſsidebitis eas, quæ maiores & fortiores vobis ſunt. Omnis locus quē cal- Deut. 11.

cauerit

cauerit pes veſter, veſter erit: à deſerto & libano, & flumine magno Eufrate vſque ad mare Occidentale erunt termini veſtri, nulluſq; ſtabit cõtra vos. Porrò lex eadem ſcripta notificabat quid eſſet faciẽdum, tanquam ſpiritualis pædagogus, peragendi verò, quæ mandabat, nequaquam virtutem & gratiã miniſtrabat. Plena erat intus myſteriis, & grauida ſacramentis literæ obtectis velamine, nam vniuerſa illa ſacrificiorum, animalium, volatiliumq; pręcepta, necnon oblationes turturum, columbarum, agnorũ; ouiũ, vitulorũ, olerum, herbarum, horumque ſimilium ſpiritualiter intelligebãtur, quãquam ab illis, quibus data eſt, corporaliter, ſenſibiliterq; fieri oporteret. Carnali ſiquidem populo, & carnaliter intelligẽti carnalium cæremoniarum inſtituta ſunt ſacrificia, quatenus in iis occupatus atque detentus ad idololatriæ non efflueret ſcelus, propter quod frequentiſsime (ſicut legitur) ira Dei illum eſt profuſa in populum. Non enim ſanguine irrationabilium iumentorum delectatur omnipotens, Pſal. 49 dicente propheta: Nunquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo? Cõplacet autem ſibi de contritione gementium, de orantium deuotione, ac etiam oblatione laudan- Pſal. 50 tium. Sacrificium Deo (inquit propheta) ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatũ Deus Pſal. 140 non deſpicies: idemque ait: Dirigatur domine oratio mea ſicut incenſum in conſpectu tuo. Sacrificium laudis (ait per eundem prophetã ipſe dominus) honorificabit me. Iſta verò omnia vnica Pſal. 49 complectens ſententia inquit: Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſsimo vota tua: inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Patet quamobrem ex iis, quę dicta ſunt, quòd quicquid in lege ſeruili ad ritum pertinet ſacrificiorum corporalium, atque in cæremoniis viſibilibus præceptum eſt populo illi, in figura, & 1. Cor. 10 ad eruditionem noſtri, in quos (dicente Paulo) fines ſeculorum deuenerunt, ſunt præſtita, vt diſcamus ex corporalibus ſpiritualia, atque ex ſenſibilibus cæleſtia elicere. Non .n. licet nobis, qui verã fidẽ confitemur, ſequi occidentem legi lite- Hebr. 10 ram, quę (teſtante Apoſtolo) vmbram habebat futurorũ bonorũ, ex quo ſpiritus ante faciẽ noſtrã factus eſt Chriſtus dominus: qui videlicet declarando veritatem, quæ latebat in litera, atque ſacramenta adimplendo, quæ in prophetarum oraculis ignota manebant, ſpiritualis intelligentiæ ipſius fecit nos eſſe capaces. Plane hoc figuraliter oſtenſum eſt, quando in cruce mortuo domino velum tẽpli ſciſſum eſt à ſummo vſque deorſum. Quamobrem poſt eius reſurrectionem inſufflauit in diſcipulos, illiſque dedit intellectum, vt ſcripturas intelligerẽt, atq; palã omnibus prędicarent. Hinc eſt quòd ipſa veritate in carne apparente, moriente, reſurgente omnis legalis obſeruantiæ cæremonialis ritus ceſſauit, quatenus perſpicue cognoſcamus, nos à iugo ſeruilis conditionis eſſe liberatos per ipſum mediatorem noui Teſtamẽti Ieſum Chriſtum, qui per ſpiritum ſanctum obtulit ſemetipſum Deo immaculatũ, & mũndauit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis ad ſeruiendum in vitæ nouitate Deo viuenti, quod Paulus manifeſtat dicens: Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore; Rom. 8 ſed accepiſtis ſpiritũ adoptionis filiorum, in quo clamamus, abba Pater. Gratias igitur agamus redemptori noſtro, qui cõputreſcere fecit iugũ legis à facie olei, quod quidem minimè portare valuerunt, qui ſacrificiis inſiſtebãt legalibus, & terrenis nutriebantur promiſsionibus. Agamus (inquã) ex omnibus medullis cordis debitas gratiarum actiones ei, qui vniuerſa præcepta legis & prophetarum compendioſiſsime ſub legem redegit charitatis & gratiæ, quatenus tanto quiſque fiat ad illam perficiendam aptior, quanto extiterit in Dei & proximi dilectione profuſior.

De lege charitatis, quæ tempore gratię per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum eſt data fidelibus. Cap. III.

PAtris familias hoc ſolet eſſe proprium, vt alia ſeruo, alia verò imperet filio. Seruo quidẽ dura imponit & aſpera: filio autẽ ſuauia impertitur, & blanda. Cum imperio dominatur ſeruo: ſed filio cũ charitate loquitur. Seruo denique pro mercede quotidiana neceſſaria corpori prębet ſtipendia: filiũ verò omniũ bonorũ ſuorũ facit hæredem. Sanè quicquid operis quicquid laboris aut præmii vendicat ſeruus, totum à patre gratis filio prærogatur. Hęc, quę dicta ſunt, agunt mortales mortalibus, atque carnales domini carnalibus ſeruis ac filiis, non autem ſic Dominus vniuerſorum & pater apud quem nulla eſt perſonarum acceptio, nulla generis vel dignitatis eſt pręlata cõditio, ſed in illo ſunt omnes creati ab ipſo gubernati, atque directi: quos quidẽ vult (quantũ in eo eſt) ſaluos fieri, & ad veritatis agnitionẽ venire. Hinc eſt, quod ſolẽ ſuũ oriri facit ſuper bonos & malos, & ſuper iuſtos & iniuſtos pluere facit. Hinc etiam eſt, quod laborantibus in vinea ſingulis vnum mercedis impertitus eſt pręmiũ. Neminem gratię ſuæ Deus exortem reddit, nullum ſpernit, nullumq; reiicit credentem in ſe & accedentem ad ſe. Nam & ſi iuxta temporum qualitates hominibus diuerſos ſacrificiorum indixerit ritus, præcepta ediderit varia, leges viſus ſit ordinare diſsimiles: vna tamen eſt inſtituentis intentio, vt ſaluentur omnes, & erudiantur ſinguli ad recte viuendum, & ſuo famulandum autori, interueniente & cooperante nihilominus fide, non qualicunq; ſed quæ iuſtificat impium, & per dilectionem operatur, ſine qua (dicente Apoſtolo) impoſsibile eſt placere Deo. Porrò pro adiutorio ſalutis mortaliũ diuina Heb. 11 clementia in eorũ cordib. ab ipſo ſuę creationis

initio legẽ naturæ inſtituit fidei fundamẽto ſubnixam, quæ accedere ad Deum volentes, ſeque ſaluare cupientes compellit credere vnum Deũ eſſe,& quia inquirentibus ſe remunerator ſit. Verum ſuccedentibus ſibi generationibus, hominũque ſupra modum pullulante malitia pene apud omnes obliuioni prorſus eſt tradita,adeo vt oblitterata eſſe videretur. Cæterum vt ſuorum haberet notitiam delictorum,& peccans per mandatum iuſto iudicio tranſgreſsionis ſuæ debitas lueret pęnas, per ſeruũ ſeruilis data eſt lex,quæ præ ſuorum multitudine mandatorũ præmebat, conuincebat,puniebat,nec iuſtificabat. Iſtius quoq; legis onus grauiſsimum minime illi quibus prærogata fuit,ferre valuerunt, quemadmodum apoſtolus Petrus quibuſdam ſuadentibus conuerſos ad Chriſti fidem circuncidi debere,& legem ſeruare Moſi,inquit: (Act. 15.) Quid ergo tentatis denuo imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorũ, quod neque patres noſtri,neq; nos portare potuimus: ſed per gratiam Domini Ieſu credimus ſeruari, quemadmodum & illi. Quamuis enim multi ſub ipſa lege poſiti grati fuerint Deo,& perpetuã regni cælorum expectarent gloriam:nequaquã tamen ex operibus legis id meruerunt,ſed per fidẽ (Roma. 4.) Apoſtolo hoc conteſtante,qui ait:Ei vero qui nõ operatur,credenti autem in eum,qui iuſtificat impium,reputatur fides eius ad iuſtitiam ſecundum propoſitum gratiæ Dei. Idem quoque in alio loco euidentius declarans ait: Iuſtitia autẽ Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes,& ſuper omnes, qui credunt in eum. Ex his igitur patet manifeſte,omne meritũ, & omnem ſpem humani generis Deũ (Gal. 4.) in ſuo conſtituiſſe filio,ipſumque feciſſe mediatorem,atque hominum redemptorem. Quamobrẽ in temporis plenitudine (Apoſtolo perhibente) Deus pater miſit filium ſuum natum de muliere, & factum ſub lege, vt per victimam ſui corporis, & legem charitatis,eos qui ſub lege erãt,redimeret,ſibique in adoptionis filios aggregaret. Idem quoque vnigenitus cõdolens infirmitati hominũ cernenſque quod ex legibus naturæ & literæ ſalutem conſequi minime valebant æternam,charitatis legem inſtituit,quę nedum gratiam conferret ad promerendum veniam,verũetiam à morte ęterna eriperet,atque ſe cuſtodiẽtẽ diuina fruitione facere eſſe beatum. O lex ſancta, & ſuaue mãdatum gratiæ exuberatione refertũ,per quod donantur debita,merita cumulantur,bene agendi ſubminiſtrantur vires, virtutes accreſcunt, infernus obſtruitur,& cælorum regna panduntur. Præceptum quippe hoc domini(quemadmodum propheta commemorat)lucidũ eſt in ſe, mentis illuminans oculos,atque onus eſt nõ premẽs,ſed roborans,non męſtificans, ſed lętum faciens, nõ faſtidiens,ſed inebrians,non mortificans,ſed coronans. Hinc eſt quod huius mãdati ac legiſlator inſtitutor & autor,Dominus videlicet noſter Ieſus Chriſtus humanæ ſalutis deſiderio flagrans (Mat. 11.) vociferando aiebat. Venite ad me omnes,qui laboratis & onerati eſtis ſub faſce legalium mandatorum,& ego reficiam vos: Tollite iugum meum charitatis ſuper vos & diſcite à me qua regula, quo ordine, qua menſura Deũ & proximũ diligere debeatis, & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt,& onus meum leue. Nempe tam ſuaue eſt,vt ſe baiulantem non permittat ſentire fatigationem ; atque tam leue, vt de ſe oneratum portando ſuſtẽtet. Morte carnis quid acerbius?& tamẽ de ea legimus ſcriptũ: (Cant. 8.) Fortis eſt vt mors dilectio,dura vt infernus ęmulatio. Perferre vincula,carceres, aduſtiones lampadarum,diſtenſiones aculeorum,excoriationes corporum,inciſiones membrorum, exilium, opprobia,contumelias quis non horrendo pertimeſcat: (Rom. 8.) Et nihilominus (ſacro perhibente eloquio) aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem,neque flumina obruere illam,quoniam lampades eius quę coruſcant in cordibus poſſidẽtiũ charitatem, ſunt lampades inextinguibilis ignis ſancti & æterni,atque flammarum erumpentium de camino ſupernæ ciuitatis Hieruſalem. Audi harum lampadarum incendio concrematũ. Quis (inquit)nos ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio,an anguſtia,an perſecutio,an fames, an nuditas,an periculũ,an gladius? Et paucis interiectis intulit: Certus ſũ enim:quia neq; mors,neq; vita,neque angeli,neque principatus, neque poteſtates,neque virtutes,neque inſtãtia,neque futura,neque fortitudo,neque altitudo,neque profundum,neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu domino noſtro. Hunc profecto charitatis ignẽ Dominus noſter Ieſus Chriſtus in ſuo ſecũ duxit aduentu, quemadmodum ipſe fatetur dicẽs: (Luc. 12.) Ignẽ veni mittere in terrã,& quid volo niſi vt ardeat?Hoc quippe claruit quando congregatis in vnũ diſcipulis, & promiſsionẽ ſibi factã præſtolãtibus veniente ſpiritu ſancto, qui vtique charitas, amor & ignis eſt,tanquam ignis in figura linguarũ ſuper eoſdẽ apparuiſſe deſcribitur. Nempe per ignẽ qui ſẽper ſurſum tẽdit,ipſos in Dei dilectione, vehemẽter accendit: verum per linguarum ſpecies eos repleuit ſapientia & omnium ſermone linguarum,quatenus proximi charitate inflammati, electorum animas per diuerſarum nationum regiones vſquequaq; diffuſas,eccleſiæ reuocaret ad gremium. In his quippe duobus præceptis, dilectionis videlicet Dei & proximi,tota lex gratię cognoſcitur eſſe innixa. Reſecauit ſiquidẽ ipſe gratiæ legiſlator numeroſitatem legalium mandatorum,& ſub his paucis compendioſe cõcluſit. Dũ enim aliquãdo interrogaretur quod mãdatum eſſet maius in lege,ipſum ſic reſpõdiſſe legimus: Diliges dominũ Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota mente tua, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus

bus tuis, hoc eſt primum, & maximum mandatũ. Secundum autem ſimile huic eſſe comprobauit dicens: Diliges proximum tuum ſicut teipſum, & intulit: In his duobus mandatis tota lex pẽdet & prophetæ. Tantæ vtique efficaciæ, tantæq; virtutis ſunt iſta duo charitatis præcepta ab ipſo domino Ieſu commendata atque exhibita, vt abſq; illis nemo ſaluari, atque cum ipſis nullus valeat omnino damnari. Quam verò opportunum ſit, quàm neceſſariũ quamve vtile Deum amare, & proximum, clamat innata ratio, & lex ipſa naturę: adeo vt nec infidelis ab hoc alienus ſit debito. Nẽpe ſi legẽ ſcriptam inſpicias, idipſum in ea intelliges eſſe præceptum. Porrò vtraq; lex ex dilectione perficitur: quæ profectò in obdientię virtute fundatur. Cæterum obedientiæ virtus, quæ ad mandatorum legalium exercitationem extenditur, nequaquam ſine dilectione completur: ſed neque charitatis affectus abſque gratiæ iufuſione donatur. Quamobrem lex gratiæ, quæ per Chriſtum inſtituitur, vniuerſa præcepta cõplectitur: ſiue quæ naturaliter inſita ſunt homini, ſeu quæ per Moſem Hebræorum data ſunt populo. Nullus itaque ab obedientiæ ſubiectione excipitur, qui bonorum particeps cupit eſſe cęleſtiũ, dicente domino: Si vis (inquit) ad vitam ingredi, ſerua mandata. Inſinuat quippe tacite hanc eſſe, quę cõſummat legem, ſalutẽ præſtat, & præmia largitur. Ipſa quoque obedientia hortatur omnes, vt obtẽperent conditori ſuo, exorat ſingulos ad ſuſcipiẽdum iugum ſuum, cunctiſque ſuæ liberalitatis ramos expandit. Hęc ab ipſo creaturarũ primordio ſedem ſuã collocauit in cœlo, ſuiſque cultoribus, angelicis videlicet ſpiritibus auxit gratiam, acquiſiuit gloriam, contemptoribus verò ſuis perpetui incendii calamitatem inflixit. In paradiſo denią; deliciarum minimè defuit, ampliſsima prioribus parentibus dona promittens, ſi ſuis vellent adhærere conſiliis. At verò illi bene ſuadentis monita aſpernantes, in hoc ærumnoſo & mortali ſunt depulſi exilio, à quo nequaqnã niſi ea mediante ſunt reuocati ad patriam. Nempe claues hæc habet cęlorũ, & ſibi obſequentibus aperit ianuas: quatenus gaudiis ſuo tempore perfruãtur æternis. Clamat (inquam) in eccleſia, & in latitudine platearũ: clamat etiam in cordibus vniuerſorum tanquam ad filios mater, vt ad illam confugiant, & illã agnoſcant, illam diligant, eidẽq; famulẽtur, quoniã magnus eſt fructus eius, ſi tamẽ eo modo quo fieri debet, exerceatur in opere.

Matt. 19.

Quare à Deo, & hominibus inſtitutę ſunt leges.

Cap. IIII.

IN præcedẽtib. quidẽ vt potuimus: imò vt ipſe Dominus, qui ſe poſcentibus infundit ſapiẽtiam & paruulis tribuit intellectum dedit, de triplici lege, naturæ ſcilicet, literæ, & gratiæ, quas ab ipſo mundi initio Dominus humano indixit generi pauca perſtrinximus, vt oſtenderemus quanta ipſe vniuerſorum conditor ſuos diligeret charitate, qui nolẽs aliquem perire, congruũ letali eiuſque morbo medicamentum apponere dignatus eſt. Homo ſiquidem ne de ligno ſcientiæ boni & mali guſtare pręſumeret, mandato accepto, obtemperare recuſans inobedientię vitio factus eſt reus: ſicque merito eſt mulctatus à Domino, vt de voluptatis loco, & innocentiæ ſede deiectus, in vultus ſui ſudore corporalis victus alimoniam quæreret, carnis incentiua ſentiret, atque duplicis mortis ſententiam prorſus vitare nõ poſſet. Supra modum igitur quum ex inobedientię crimine humana ſit inordinata natura, propter ipſius tranſgreſsiones innumeras, data eſt lex quatenus per contrarios limites legi obtemperando perueniret ad gratiam. Sane per obedientiam pręceptorum reconciliatur quiſq; Deo, ſpiritui famulatur caro, ſocialiter cohęret proximo, & virtuti ſubiicitur animus. Tolle hanc de medio, & nulla erit erga Deum reuerẽtia, nullus religionis cultus, nulla inter homines pax, nulla ſecuritas, nulla dilectio, nullus laborũ fructus, nulla ciuium vnitas, nullumque morum decus: ſed continue vigebunt lites, iurgia pullulabunt plurima, orienturque contentiones, ęmulationes, detractiones, homicidia, adulteria, ſtupra, rapinę, oppreſsiones, veneficia cęteręque vitiorũ peſtes, quę Dei indignationẽ aduerſus eaſdem perpetrantes acriter concitare noſcuntur. Porrò propter has coercendas (exceptis legibus diuinitus hominibus pręrogatis) tot legum volumina, tot ſanctiones imperiales, tot eccleſiaſticarum canonum decreta, tot ſtatuta municipalia, tot prouinciarum, caſtrorumq; ordinationes sũt conditæ. Nullus locus, in quo habitent ratione vtentes, nullum collegium, nulla familia caret lege, ob hoc pręcipue vt inordinatæ voluntatis cohibeatur appetitus, & ſub obedientię virtute firmetur. Ad erudiendam quoque hominum ignorantiam, & in viis manuducendam iuſtitiæ infuſa eſt mortalib. paucisſimis ſapientia, quæ deſurſum eſt ad condẽdum leges, qui videlicet clariſsimo fulgentes ingenio, quæ ſit voluntas Dei percipere valuerunt. Nam quædam leges ſanctę & bonę ſunt, illæ vtique quę abſque vlla animi paſsione, & reſpectu priuati inſtitutæ ſunt cõmodi ab iis, qui Deum & iuſtitiam habere prę oculis, nihil aliud quam honorem Dei, atque vnicuique quod ſuum eſt reddere quærentes, volentes per eaſdẽ pacem præbere hominibus, atque inter homines eandem nutrire, ſceleribuſque fræna imponere. Hinc præclare colligitur, quòd legum inſtitutores cuiuſcunq; conditionis extiterint, ſiue gentiles, ſiue catholici, inquantum protulerunt recta & iuſta inſpirationem diuinitus accceperunt. Nam veritas à quocunq; propaletur, veritas eſt. Nõ .n. poteſt corrũpi, nõ poteſt denigrari, neq; ſiue tractetur à bono, ſiue à malo detractetur,

valet violari. Semper autem fulget in ſe, ſemper in auditorum recte viuentium clareſcit cordibus, ſemperq; in ſua ſede beata coruſcat. Radios quippe emittit ſuos, & ad ſe ſuſcipientem ingreditur, ſeque contemnentem in propriis tenebris perſeuerare permittit. Quamobrem vere colligitur, quòd tandiu quiſq; in voraginem mergitur vitiorum, atque æternæ vitæ luce priuatur, quamdiu ab ipſa veritate ſe conſtituit alienum. Voces impiorum, & ſero pœnitentium audiamus: Errauimus à via veritatis, & iuſtitiæ lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis. Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, & ambulauimus per vias difficiles. Viam autem Domini ignorauimus. Quid nobis profuit ſuperbia? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Tranſierunt omnia illa, quę voluptuoſe geſsimus tanquã vmbra, & tanquam nuncius præcurrens, & tanquam nauis, quæ pertranſit fluctuantem aquam, cuius quum præterierit non eſt veſtigium inuenire, neque ſemitam carinæ illius in fluctibus. Aut auis, quæ tranſuolat in aere, & nullum inuenitur argumentum itineris, ſed tantum ſonitus alarum verberans leuem vẽtum, & ſcindens per vim itineris aerem: ſic & nos nati continuo deſiuimus eſſe, & virtutis ſignum nullum valuimus oſtendere: in malignitate autem noſtra conſumpti ſumus. Veritatis igitur & iuſtitiæ deſertio ad quem perditionis finem adducat, ex his, quæ dicta ſunt in perſona delinquentium, manifeſtiſsimæ comprobatur. Cohærent quippe, & ſibi inuicem famulantur iuſtitia & veritas. Nullus namque eſſe cenſendus eſt iuſtus, qui veritatis ſe paruipendit intueri in ſpeculo. Sed neq; veritatem agnoſcere ille dicendus eſt, qui iuſtitiæ æquitatẽ in cõſcientię ſuę nõ videt arcano. Veritas quemadmodum fulget in corde: ita iuſtitia ipſa lucem manifeſtat in opere, præcedit illa, iſta ſubſequitur, inſinuat illa quid, qualiterve fieri debeat: iſta verò veritatis ſanctę erudita oraculo, nec ad dexteram, neq; ad lęuam ſe flectens mandata ſibi indicta adimplere conatur. Opus namq; iuſtitię eſt obtemperare legibus, illis pręcipue, quę de theſauris prodeũt veritatis, & veritati ſubnixę ſunt. Nam quę iniuſtitiam ſapiunt, & ęquitati aduerſantur, non vtique leges, ſed oppreſsiones vocãdę ſunt, quoniam nihil in ſe continent veritatis. Hinc eſt quòd qui populis præſunt, & ſuo ſtatuta condunt arbitrio, domini & tyranni nuncupantur. Hi nimirum extorquent violenter egenorũ & ſubditorum facultates, exaggerãt pędagogia, inuſitataque ac importabilia adinueniunt grauamina, vt valeant aggregare nummos, bella gerere, dilatare dominium, inimicos & conuicinos ſubigere, ac propria (in ſui tamen quandoq; perniciem) deſideria maligna perficere. Talibus (ſi impune agere liceat) non eſt acquieſcendũ, dummodo ex traſgreſsione periurii, ſeu quauis alia

Sap. 5.

Dei non emergat offenſa, quæ nullatenus ex aliquo corporali, vel temporali eſt perpetranda cõmodo. Diuino quippe quæ ab iniquis inique, & contra iuſtitiã fiunt, ſunt relinquenda examini, in quo ſingulorum diſcutientur corda, detegentur conſilia, & facinora punientur, dicente Apoſtolo: Nolite ante tempus iudicare quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc erit laus vnicuique a Deo. Interim igitur æquanimiter potentium & malignorum oppreſſiones, damna & iniuriæ perferendę ſunt, quę maximum ipſas humiliat patienter patiẽtibus, & remunerationẽ æternam, quę iuſtis promiſſa eſt ex pectantibus, offerunt fructum. Legibus denique diuinis atque humanis eſt à Chriſti fidelibus obtemperandum diligenter, vt non quis inobediẽtiæ vitio condemnetur. Porrò nouimus ipſum Deũ & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum legis doctorem, atque latorem voluiſſe pro ſe & Petro tributum ſoluere, quum prorſus ab eodẽ debito eſſet liber, ne exactoribus ſcandalum irrogaret, ſuo indicans exemplo, quantũ ſit obedientię humilitatis bonum commendabile, quod ob Dei & proximi dilectionem impenditur. Nam quiſque pluris ęſtimare debet proximi pacem, quàm temporale lucrum: nec non Dei voluntatem propriæ præponere affectioni. Conſentiendum proinde eſt legi diuinæ tota animi intentione, obtemperandum eſt etiam humanæ, ſi tamen ſancta, ſi pia, ſi eſt honeſtati ſubnixa. Superioribus quoque eſt præcipue famulandum alacriter, ac etiam vniuerſis (ſi fieri congrue poteſt) quemadmodum apoſtolus Petrus hortatur dicens: Subiecti eſtote oẽ humanę creaturę propter Deum, ſiue regi quaſi pręcellenti, ſiue ducibus tanquam ab eo miſsis, ad vindictam malefactorum laudẽ verò bonorum, hæc eſt gratia in Chriſto Ieſu domino noſtro. Magna proculdubio, & omni commendatione digniſsima eſt legum cuſtodia, atq; ſenioribus pro Deo exhibita obedientiæ reuerẽtia, ad quam profecto perſoluendam plurimum opitulatur beneficiorum Dei aſsidua meditatio.

1. Cor. 4

1. Pet. 2

Quòd ex collatis beneficijs ſibi à Deo, obligatur homo ſuo obtemperare autori. Cap. V.

Clamat innata ratio, vt quiſq; ſe illi ſpõte ſubiiciat, à quo habet vt ſit. Humana ſiquidẽ natura quũ à Deo ſit cõdita, & per eundem actualiter in eſſe ſubſiſtat, ex neceſſario quodam iuſtitiæ & æquitatis debito, mandatis ſui obligatur obedire autoris. Nam etſi innumera sũt homini prærogata beneficia, quibus ad famulandum Deo aſtringitur: tamen ex hoc ſolo, quòd ab illo habet eſſe vſque ad mortem eidem obtemperare tenetur. Hinc naturæ lex vnumquenque diuinorum præuaricatorem præceptorum conuincit in corde, hinc cogitationes accuſantes ſentit in conſcientię ſecreto peccattor, ita con-

conſpicue & recte, vt nullo accuſatore indigeat, quippe quum ipſum aduerſum ſe ſit teſtis, accuſator, & reus. Hãc plane exactionem interni examinis, hanc conflictationem iuſtitiæ & veritatis patitur & percipit iuſtus & nocẽs: diues & pauper, prælatus & ſubditus, infirmus & ſanus. Quamobrem ſicut nemo eſt, qui ſe abſcondere valeat à calore eius: ita nullus inuenitur, qui nõ debeat Deo eſſe ſubiectus. Hæc profecto eſt ſanctæ obedientiæ radix immortalis: hoc (inquam) eſt religioſæ ſeruitutis delectabile germen, quod quilibet eo complectitur charius, ſolicitiusque ſectatur, quo lucidius Deum agnoſcit, atque deuotius beneficia ſibi ab ipſo collata perpendit. Eia nunc expergiſcere ô homo, amoue ignorantiæ velamẽ à corde tuo, excute iugum delictorum tuorum deprimens te, & reuolue animo quanto vales prudentius, quãtoque particularius, quam magna, quam præclara, quam proficua, quamve innumera dona tibi tuus contulit Dominus, tuusque quotidie non ceſſat exhibere Saluator. Quamuis enim delinquas grauiter, quanquam in multis offendas frequenter, tametſi te voluntarie ab illo auertas: nunquid ſuarum ſtillicidia gratiarum cohibet, ne pluant ſuper te? nunquid Solis, Lunæ, Stellarumque ſplendorem abſcondit, vt nõ ſuper te luceãt, atq; radios diffundant? Porrò terra germinat fructũ ſuum, arbores diuerſarũ ſpecierum poma producũt, virgulta quæq; ad tuũ fœcunda ſunt vſũ, & (proh dolor) intelligere diſsimulas, à quo iſta percipias. Tibi cũcta famulãtur elemẽta, nubes de cęlo imbrẽ opportunũ ſpargũt, dies diei & nox ſuccedit nocti, vt tibi cũctiſq; viuentibus præſtẽt gaudiũ, tribuãt alimentũ, leuent faſtidium, & prębeant exemplum & ſine ſenſu, & abſq; guſtu torpeſcis & iaces. Poſtremo illo ordinante, iubente, atque dominante tibi ſeruiunt angeli, miniſtrant archangeli, vniuerſæque cęlorum obſequuntur virtutes, tuam quærentes ſalutem, tuumq; cupientes profectum, tuam beatitudinem anhelantes, & neque ex his te conuertis ad illum, qui ſua bonitate antequam eſſes ſe conuertit ad te. Nempe quum non eſſes, non erat qui reſiſteret, obaudiret, renueret, & tamen ipſe ſine te dignatus eſt facere te: te quoque exiſtente, præuaricante, fugiẽte expectauit patienter, vt pœnitentiam ageres, vt rectiores vitæ mores componeres, & vt à ſceleribus tuis te voluntarie cohiberes. Quid plura? O quàm frequenter ad cordis pulſat oſtium, vt ingrediatur ad te, tecum maneat, in te conquieſcat, ſuiſque te participem faciat eſſe deliciis. Inſequitur quippe te, quaſi tuo ipſe dominus indigeat famulatu, & tanquam ſine te nequeat eſſe beatus: quum reuera tu abſque ipſo non dico non valeas eſſe beatus, ſed neque eſſe quod es. Nam totum quod habes, ab illo habes, à quo eſt quicquid eſt: qui videlicet verbo ſuo ſempiterno, ſibique conſubſtantiali, ac coęterno fecit vniuerſa quę ſunt, ſint materia, ſine motu, ſine tempore, abſque ſuffragio, ſicut propheta commemorat dicens: Quoniam ipſe dixit & facta ſũt, ipſe mandauit & creata ſunt. Parum namque dixi Pſal. 32. te ab illo totum habere quod habes, addo & hoc te ab ipſo habere quod es. Quod enim es fecit ille qui eſt. Cęterũ qui fecit te ſine te, quęret ne te propter ſe? Prorſus minime dicente propheta: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorũ non eges. Pſal. 15. Quęrit itaque te propter te ſua illũ promouent bonitate, quę quantum in ipſa eſt, vult omnes ſaluos facere, & ad ſui agnitionem venire: quatenus agnoſcendo illi obtemperent, & obediendo remunerentur, a beati fiant, non de alio quàm de ſeipſo, qui eſt ſummum bonum, incommutabile, ineffabile & ſempiternum. Redi igitur ad te, & totis viribus totaque animi intentione famulare illi propter ipſum, quia bonus, quia miſericors, quia pius & clemens eſt, qui ſe tibi abſque vllo merito tuo prębet in patrem, in ſocium, in cibum, in pręmium. In patrem, inquam, quoniam te creando, non qualicunque te inſigniuit forma ſed ad ſuam fecit imaginem atque ſimilitudinẽ, vt ipſum diligeres ex toto corde, ex tota anima, ex omnibuſque viribus tuis, atque ab eodem expectares hęreditatem quam promiſit diligentibus ſe, quam non vidit oculus, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Nihil enim terrenũ nihilque carnale promittere voluit, vt ſcires patrem te habere in cœlis, cui orando fiducialiter dicis: Pater noſter, qui es in cœlis, ſanctificetur nomen tuum: Matth. 6. qui vtique filiis ſibi obtemperantibus, ſempiterno ſuo dignos exhibet eſſe conſortio. Quod quidem vt crederes purius, ardentiuſque diligeres, ſe tibi indiſſolubili charitate dedit in ſocium: quum videlicet tuam verbum, quod erat à principio apud Deum, & per quod facta ſũt omnia, quę in cęlis & quę in terris ſunt, in vnitate perſonę aſſumpſit naturam, in qua vtique non eſt dedignatus eſurire, ſitire, fatigari, flagellari, colaphizari, irrideri, conſpui, facie velari, ſpinis coronari, felle potari, crucifigi, & cruciatu immaniſſimo occidi. Non enim in ſua, in qua æqualis eſt patri, ea quę dicta ſunt, potuit pati natura, quoniã impaſsibilis, inuiſibilis & immortalis eſt. Tuam ergo in illo agnoſce naturam, tuamque venerare carnem, in qua factus eſt per te paſsibilis, viſibilis, & mortalis: nec non tuæ peregrinationis indiuiduus comes, ſicut ipſe ait: Ecce ego vobiſcũ ſum omnibus diebus vſque ad conſummationẽ Matt. 28. ſeculi. Hanc denique vnionem diuinæ, humanæque naturæ inconfuſam, inſeparabilem, ac inuiſibilem, quæ eſt in Chriſto in vnitate perſonæ, ſacramentum quoque ſpiritualis copulæ Chriſti, & eccleſiæ, diuinus ſermo tibi reſerare voluit, quando de Adæ latere formata mulier oſtenſa eſt illi, quam vtique quum vidiſſet, ait: Hoc nunc os ex oſsibus meis, & caro de carne mea. Gen. 2. Quamobrem relin-

relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori, & erunt duo in carne vna: quod videlicet Apoſtolus apertius declarans inquit: Sacramentū hoc magnum eſt, dico inter Chriſtum & eccleſiam. Ipſam proculdubio carnem, quā Dei filius aſſumpſit de te, quando verbum caro factum eſt, & habitauit in nobis, eandem tibi præbet in cibū quemadmodum ipſe teſtatur dicens: Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in illo. O ſocietas vera Chriſti & eccleſiæ, ô indiſſolubile vinculum vnitatis, capitis ſcilicet & membrorum, ô edulium ſingulare carnem vtique comedere ſaluatoris, atque per illam manere in ipſo, & ipſum in ſe habere manentem. Huic cœleſti alimento ſaginato talique ſociato conuiue quis poteſt nocere? quis (inquam) vim inferre, quis fraudis venena infundere, quis mutuæ charitatis fœdera violare, quis paci intimæ ſuauitatem tollere, aut reciprocæ dilectioris quis valet ipſo domino præſente ac recumbente intus ſoliditatem euertere, vel turbare? Tunc quippe angelorum ſpirituales celebrātur excubiæ tunc fortis armatus aduerſus aereas poteſtates, ne violenter irrumpant, cordis cuſtodit atrium, ſi tamen ipſum cuſtodiat & non inſoleſcat de munere, nec torpeſcat ignauia, neque ex ſpirituali percepta dulcedine ſecuritate præſūpta, ab interna exercitatione deficiat. Nā quemadmodum vt ardeat ſemper opportuna fomentis nutriendus eſt ignis: ita vt perſeueret in corde deuotis orationibus virtuoſiſque operibus Chriſti excitandus eſt amor. Iugiter quippe meditandum eſt, ſaluator noſter quanta nos charitate dilexerit, qualia pro nobis pertulerit, quove nos dignatus ſit redimere precio. Hoc namque conuerſis fidelibus apoſtolus Petrus inſinuare volens dicebat: ſcientes quod non corruptibili auro vel argento redempti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternæ traditionis, ſed precioſo ſanguine, quaſi agni incontaminati & immaculati Chriſti, & Paulus: Empti (inquit) eſtis precio magno, glorificate & portate Deum in corpore veſtro. Sane ex difficultate curationis, languoris magnitudo percipitur, atque ex preci, exhibitione ſpiritualis ſeruitutis quam ſit graue onus agnoſcitur. Porrò ipſe Dei & hominum mediator homo Chriſtus Ieſus nullum aliud pro electis ſuis voluit exponere preciū, quàm gratis præbere ſe ipſum, vt aduerterent, quanta eos charitate diligeret. Antiquæ ſiquidem damnationis aboleuit chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, illudque affixit cruci, reconciliando nos Deo per ſanguinem ſuum, necnon expolians (ſicut Apoſtolus commemorat) principatus & poteſtates, traduxit confidenter palàm triumphans illos in ſemetipſo, fecitque de captiuis liberos, de inimicis chariſſimos, atq; de alienis patris ſui

Ephes. 5.

Ioan. 6.

1. pet. 1.

Col. 2.

cœleſtis adoptauit in filios. Totum namque hoc ſui meritū effecit cruoris, quem pro prædeſtinatis, effudit in preciū, quatenus eiſdem ſe poſtmodum charitate gratuita exhiberet in præmiū. Nō enim decebat, vt aliud quàm ſeipſum pro hominibus offerret in præmium, quatenus Deus omnia, eſſet in omnibus, & ſine quo nullatenus valebat eſſe beatus. Quid igitur retribuet homo redemptori & domino ſuo pro omnibus, quæ retribuit ei? Calicem vtique obedientię ſalutaris accipiat, cūctiſque mandatis ipſius parere conetur, nedū innumerabilium beneficiorū aſtrictus debito, verū etiā vniuerſarum creaturarū eruditus exemplo.

Quòd omnia, quæ à Deo facta ſunt, etiam quę eidem aduerſari videntur, ipſius ſubduntur imperio. Cap. VI.

DEus & dominus noſter quemadmodū ſempiterno verbo ſuo cūcta creauit ex nihilo: ita poteſtate ſua vniuerſa proprio regit imperio, adeo vt nulla excipiātur quæ non illi famulentur, ne ea quidem, quæ maieſtati eius aduerſari noſcuntur. Sunt quippe dęmones, qui in cælo conditi aduerſus illū in ipſo ſuo eī ca tionis exordio pręſumpſerunt eleuare ceruicem. Audi prophetam quid de eorū principe, qui donis ac dignitate eminebat cæteris, ſenſerit. Aſcēdam (inquit lucifer) in cœlū, ſuper aſtra cœli exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti in lateribus aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſſimo. Cordis elationem percepiſti, caſum quoque aduerte? Veruntamen ait, ad infernum detraheris in profundum lacus, qui te viderint inclinabuntur, teque proſpicient. Nunquid iſte eſt, qui turbauit terrā, qui cōcuſſit regna, qui poſuit orbem deſertum, & vrbes eius deſtruxit? Omnes reges gentium dormierūt in gloria, vnuſquiſquę in domo ſua, tu autē proiectus de ſepulcro tuo quaſi ſtirps inutilis & ſanie pollutus, & obuolutus cum iis, qui interfecti ſunt gladio, & deſcenderunt vſque ad fundamenta lacus. Alium præterea prophetam quid de eodem per ſpiritum intellexerit, auſculta: Tu ſignaculū (inquit) ſimilitudinis, plenus ſapientia, perfectus decore, in deliciis paradiſi Dei fuiſti. Omnis lapis precioſus operimentum tuum. Tu cherub extentus & protegens, poſui te in mōte ſancto Dei, in medio lapidum ignitorum ambulaſti, perfectus in viis tuis à die conditionis tuæ donec inuenta eſt iniquitas in te. Polluiſti ſanctificationem tuā, producam & ego ignem de medio tui qui comedet te, & dabo te in cinerem ſuper terram in cōſpectu omnium videntium te. Hunc plane tenebrarum principem quotquot ſuperbiendo imitati ſunt, apoſtatæ angeli effecti ſunt, atque æterni incendii cruciatibus mancipati: Hi nanque quanuis natura ſint immortales, ingenio acutiſſimi, doctiſſimi experientia, & virtute potentes, inuiti nolen-

Eſa. 14.

Ezech. 28.

nolentesq; obtemperant domino, nec quicquã niſi eo permittẽte aut iubẽte, agere queũt, Quęrebãt ſiquidẽ (prout euãgeliſta teſtatur) dũ à domino pellerẽtur ab hoĩe, introire porcos, quod nihil me (niſi prius ab eodẽ poteſtate obtenta) cõplere potuerũt. Petiit deniq; Sathã (ſacro referẽte eloquio) vt ſanctiſsimũ tẽtaret Iob, permiſsũ eſt illi (eo intacto) omnem ipſius præripere facultatem. Iob. 1. Quumque in hac tentatione robuſtiſsimus athleta perſeueraſſet immobilis, popoſcit denuo vt feriretur in corpore, quem profecto à planta pedis vſque ad capitis verticem diriſsima plaga percuſſit. Fefellit plane diabolum ipſius doloſa temeritas, dum enim patientiſsimum virum in petendo curauit euertere, eundem iuſto Dei iudicio glorioſiſsime coronauit. Hinc antiqui hoſtis impotentia patenter oſtenditur, hinc etiam aperte colligitur, quod dum facinus aliquod mali cõtra dominum perpetrare videntur, ipſius nolenter obſequuntur imperio, qui ſecreto ſuo conſilio ſẽper bonum de commiſsis exceſsibus dignatur elicere. Hæc plane eſt diuinæ bonitatis ſingularis regula: hæc, inquam, eſt iudiciorum Dei incomprehenſibilis altitudo, atque arcana ſapientia, quę ad bonum, malorum hominum, immundorumque ſpirituum (ipſis ignorantibus) vtitur inſtrumẽto. Quæ quidem in Iuda, Iudæorum principibus, in regibus, ac tyrannis Chriſti eccleſiam perſequẽtibus, innumeriſque aliis, quos enumerare longũ eſt, manifeſtiſsime comprobatur. Quamobrem claret conſpicue, quòd ſceleſti & peccatores non vtique ſpõte, ſed prorſus coacte diuino parẽt imperio. Cæterum ſi peruerſi & in reprobum traditi ſenſum proprio famulantur autori, dum illius peragunt iudicia, eiuſque iuſtitiam profitẽtur, quid de iuſtificatis hominibus, beatificatiſque ſpiritibus animaduertendum ſit, qui legit, intelligat. Vna quippe omnium de quibus loquimur, eſt intentio, votum ſimile, æqualis conſenſus, domini videlicet vniuerſalis iuſſa complere, tametſi homines nunc infirmitate ſuperati, nunc fragilitate deuicti, nunc ignorantia depreſsi, interdum etiam ſub virtutis imagine deluſi, legis mandata pręuaricando pręterẽãt. Velle quidem illis adiacet, perficere autem, prout dignum eſt, nequaquam valent, captiuante eos in neceſsitate peccãdi lege peccati, quę eſt in membris eorum, quę vtique legi mentis & rationis indeſinenter aduerſati cognoſcitur. Vnde merito non illis, ſed peccato inhabitanti in carne ipſorum huiuſmodi aſcribuntur tranſgreſsiones, quę potius ex infirmitate, quam ex voluntate patrantur. Laborandum itaque ab omnibus eſt, totiſque conatibus inſiſtẽdum diuina ſeruare pręcepta, ſi in vitam concupiſcunt introire ęternam. Cęterum quod ex ſeipſis nequeunt aliarum creaturarum erudiantur atque accendantur exemplo. Quamobrem diſce ò homo ex iis, quæ te inferiores ſunt, tuo domino famulari. Pudeat te, qui es Dei inſignitus imaginẽ & ratione decoratus ab iis, quę ſenſu carent & ignorant dominum, ſuperari. Suſpice (quęſo) cœlum, & intuere diligenter quanto ordine, quanta menſura, quantave perſeuerantia cœleſtia corpora, & ſtellarum numeroſitas, quę in cæli firmamẽto ſunt ſitæ, curſum peragant ſuum. Legem quippe ſibi ſemel impoſitam nec paruo quidem tẽporis momento prætereunt. Sol namque ſplendore ſuo decorat diem, fugat tenebras, corda lætificat motuque ſuo diuidit horas, ſua verò virtute terrę radices penetrat, eaſque germinare facit, necnon vniuerſa, quę in illa vegetantur & viuunt, Deo iubente fouet & nutrit. Luna quoque noctis opacitatem clareſcere facit, & peregrinantibus atque nauigantibus luce ſua ſolatium præſtat non modicum. De ſyderum autem rutilantium operatione quid memorem, quum & ipſa corporibus inferioribus multiplices diffundant effectus? Firmamenti verò quis in hac mortali carne detẽtus harmoniacum valet ſuſtinere concentũ? omni quippe inferiori mobilitate mobilius, cæterorum radiantium corporum decore præclarius, atque cũctorum organorum modulatione ſuauius, ordinatiſsimo motu mandatum ſibi traditum pręterire non poteſt. Hyems denique & æſtas, autũnus & ver, dies & nox, calor & frigus, inſitos ab autore ſuo complent actus. Vniuerſa quidem hę, etſi naturalem vſum interdum, vel ſibi indictam legem variare videantur, id nequaquam ex obedientiæ tranſgreſsione, ſed ex diuina potius diſpoſitione prouenire dignoſcitur. Hinc eſt quod dimicante aduerſus Gabaonitas Ioſue à domino obtinuit precibus, vt nequaquã ad occaſum ſol prius vergeret, quã de ſuis ſe hoſtibus vindicaret. Hoc namque poſteris fuit memoriale maximum, quatenus diſcerent, quàm exorabilis ſit Deus, & iuſtorum preces omnipotens quàm clementer admittat, ſic enim legitur: Stetit ſol in medio cęli, & Ioſ. 10. non feſtinauit occumbere ſpacio vnius diei. Nõ fuit ante nec poſtea tam longa dies, obediente domino voci hominis & pugnante pro Iſrael. Denique quum excreſcentibus ſupra modum in mũdo ſceleribus vellet dominus omne hominũ genus aquarum inundatione perimere, pręter naturę vſum cœli cataractas apertas fuiſſe perhibetur quarum exuberante abundantia (exceptis iis paucis, quos arcę clauſura protexit) omnis viuens anima moriendo defecit. Gen. 19. Sic Sodomitarum & Gomorreorum populi ad exercendũ interitũ ignis & ſulphuris copioſa congeries è cęlo dilapſa, quę omnes pariter vna hora conſumpſit. Hoc nimirũ iubenti domino obtemperantibus creaturis geſtum eſt, quę ad corripiendum impiorum facinora ad nutum ſuo famulantur autori, ſicut ſcriptũ eſt; Pugnauit pro eo orbis terrarum contra inſenſatos. Sap. 5. Hinc plane inuſitatę de cęlo tempeſtates, elementorum concuſsiones, fragorẽs turbinum,

nu.n.procellarum ſeuitia, maris tenebroſa commotio, euerſiones vrbium, terrę ſterilitas, peſtes hominum, iumentorumque & horum ſimilia abſque numero, quæ nunc generaliter in quibuſdā regionibus & locis, nonnunquam ſpecialiter (teſte experientia) peccatis exigentibus prouenire noſcuntur. Dignum profectò eſt, vt quos diuina beneficia gratis collata non corrigunt, hos varietates temporum, clades diuerſę aſperitates bellorum, calamitatum preſſuræ, atque tribulationes multifariæ ad ſui prouehant cognitionem erroris. Diſcantque à ſuis prauis voluptatibus abſtinere, necnon in afflictione poſiti Deū timere, quē in tranquillitate conſtituti nequaquam voluerūt agnoſcere. Idem namque eſt pater & dominus, quemadmodum perhibet dicens: Patrem nolite (Mat. 23.) vocare vobis ſuper terram, vnus eſt pater veſter qui in cælis eſt. Alio verò in loco: (Ioan. 13) Vos vocatis me (inquit) magiſter & domine, & bene dicitis: Sum etenim. Nempe quum per præuenientē gratiam, internas conſolationes, inſolita tribuit dona, atque per creaturarum cōtinuum famulatum humanam allicit mentem, id proculdubio agit vt pater. Cæterum quum terret minis, tētationibus flagellat, premit aduerſitatibus, & tam è cęlo quā de terra inopinatis concutit ſignis, iſta profectò operatur vt dominus. Vtrunque verò alternatim perficiendo ſiue beneficiis mulceat, ſiue flagellis corripiat, ſemper diligit. Ipſum audi dicentē: (Luc. 6) Eſtote miſericordes ſicut & pater veſter miſericors eſt, qui Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Itēque: Si vos quū ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis pater veſter cęleſtis dabit ſpiritum bonum petentibus ſe? de correptione autē quid? (Apoc. 3) Ego (inquit in Apoc.) quos amo, arguo, & Paulus (Heb. 12) ait: Fili mi noli negligere diſciplinā domini, neque fatigeris dum ab eo argueris. Quem enim diligit dominus, caſtigat: flagellat autem omnem filium, quem recipit. in diſciplina autem perſeuerate, tanquā filiis offert ſe Deus; quis enim filius, quem non corripit pater? Quòd ſi extra diſciplinam eſtis, cuius participes facti ſunt omnes, ergo adulteri & non filii eſtis. Quum itaque corpora cæleſtia & terreſtria, animata atque inanimata, peragunt inſitum ac naturalem curſum ſuū, ſeu pro exequenda iuſtitia in puniendis, corrigendiſque peccatoribus vſitatum pręferre videntur effectū: proprio obediunt conditori, & tacite hominibus innuunt, quantum & ipſi domino ſuo debeant eſſe ſubiecti, qui vniuerſis viſibilibus præeminent dignitate naturę, multiplicitate donorum, atque promiſsione cæleſtium.

Quòd occulta & veneranda ſunt Dei iudicia. Cap. VII.

SVperiori tractatu vt potuit ſermo incultus, compendioſe diſſeruit, qualiter cęleſtia ac terreſtria corpora iuſſa diuina perficiant. Nam etſi quantulumcunque illi percipiantur eſſe contraria: iudiciorum tamen ſuorum, velint nolint, peragunt æquitatem. Nihil in cęlo & in terra fieri ſine cauſa nemo ambigat. Verum quū eorū, quæ fiunt, rationes ab hominibus agnoſci nequeāt, prorſus venerādæ ſunt, quoniā verę, rectæ, ſanctæ, atque inſcrutabiles ad plenū exiſtūt. Cur floreat proſperitate peccator (errans vt ouis quę periit) ad tempus conuertendus in finem: aut quare iuſtus tribulationibus atteratur diuerſis, & puſillanimis effectus iuſtitiæ ſemitas deſerat, quis apprehendere valet: Quòd vnus nullo ſuo pręcedente merito iuſtificetur, aſſumatur è ſeculo, & diuino mācipetur obſequio, & alter relinquatur in tenebris delictorum vinculis irretitus, quis nō miretur? Iudicio profectò Dei ſunt iſta, & millia iis ſimilia propoſita humanis aſpectibus, quæ miranda ſunt potius quam diſcutienda, quoniam in iis caligat ſenſus, hebetat intellectus, ratio deficit, repercutitur animus. Hoc Apoſtolus conſiderās, admirando prorupit & ait: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius. (Rom. 11) Quis enim nouit ſenſum domini? aut quis conſiliarius eius fuit? aut quis dedit illi & retribuetur ei? Propheta quoque in hunc ſenſum deductus (Pſal. 18) inquit: Iudicia domini vera iuſtificata in ſemetipſa. Non dicit iuſtificata ab hominibus, nō ab angelis, neque ab archangelis, ſed ſignanter ait in ſemetipſa, vt ſcias ipſa eſſe recta & irreprehēſibilia, iuſtificata vtique apud eum, qui in verbo ſuo & ſapientia ſibi coæterna diſponit cuncta priuſquā fiant, nihil incognitum, nihil indiſcuſſum, nihilque inordinatum relinquens, ſed omnia ſuo tempore præordinato perficiens in pondere, numero, & menſura qualiter fieri debent: quanquam aliter arbitrentur qui carnales ſunt, & carnaliter Dei opera metiuntur: Qui autem ſpirituales ſunt, & ſpiritualiter diiudicant omnia, nequaquam de iis quæ intelligunt, ſcandalizantur, ſed Deum in omnibus laudant, venerantur & colunt; vniuerſaque iudicia ipſius eſſe vera pronunciant. (Pſal. 118) Prophetam obſerua confitentem: Iuſtus (inquit) es domine, & rectum iudicium tuum. Iuſtus vtique eſt, quum vnicuique reddit ſecundum opera ſua. Rectum verò iudicium ſuum eſſe perhibetur, quū miſeretur cui voluerit, & quē vult indurat, mortificat quoque & viuificat, deducit ad inferos & reducit, abſq; vlla prorſus perſonarum acceptione. Hinc quippe à rectis corde peruerſi, à Deum timentibus Deum contemnentes, & ab impiis & iniquis iuſtificati diſcernuntur & pii. Nam iſti humile cor habentes de Deo in bonitate ſentiunt, & in cordis ſimplicitate quærunt illum: illi autem tanquam elati & cæci iniuſtum Deum eſſe opinātur, & nihil eum de rebus humanis curare fatentur. Huiuſmodi dæmonibus ex parte aſsimilātur, atque ex parte brutis animalibus coæquantur, dū ſolum

ſolum viſibilia appetunt,& tantum ea,quæ carnis ſunt,ſapiunt. Horum perſonam propheta expreſſit, qui ait: Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deos. Conſidera prçterea quid ſapiens de talibus ſentiat: Sap. 2 Dixerunt (inquit impii apud ſe non rectè cogitantes: Exiguum & cum tędio eſt tēpus vitę noſtrę, & non eſt refrigerium in fine hominis, & non eſt agnitus qui reuerſus ſit ab inferis: quia ex nihilo nati ſumus,& poſt hęc erimus tanquam ſi non fuerimus, quia extinctus cinis erit corpus noſtrum,& ſpiritus diffundetur tanquam mollis aer, & tranſiet vita noſtra tāquam veſtigia nubis,& ſicut nebula diſſoluetur,quę fugata eſt à radiis ſolis,& à calore illius aggrauata. Venite ergo fruamur bonis, & vtamur creatura tanquam in iuuentute celeriter, Coronemus nos roſis antequam marceſcant,nullum pratum ſit, quod nō pertranſeat luxuria noſtra. Vbique relinquamus ſigna lætitiæ,quoniam hæc pars noſtra,& hęc eſt ſors noſtra. Iſta vtrique ſeculi amatores, voluptatumque carnalium ſectatores intra ſemetipſos imprudentiſsime pertractantes, ac definiētes demoliuntur(quātum in ipſis eſt) & diſsipant,quod bonitatis eſt,quod ſapientiæ,quod miſericordiæ, quod æquitatis,quod gratiæ. Malorum quoque condigna ſupplicia, & præmia negant promiſſa iuſtorum. Vtinam tales præterita ſaperent, & intelligerent pręſentia, ac nouiſsima prouiderent, profectò ab errore ſuo reſipiſcerent, & Deum in cunctis iudiciis & operibus ſuis laudarent, glorificarentque. Ioan. 5 Qui facit(ſicut ſcriptum eſt) magna,in ſcrutabilia,& abſque numero,eorum quædā ordinans & per ſeipſum dirigens, multa quoque per ſpiritualem creaturam inuiſibilem quidē nobis, ſibi autem perfectè notiſsimam. Ipſe nanque ad ſui gloriam angelicam condidit naturam, quam vtrique diuiſit in ordines, diſtinxit in ſpecies, diuerſificauit in donis, & in miniſteriis deputauit, dicente Apoſtolo: Heb. 1 Nonne omnes adminiſtratorii ſpiritus ſunt in miniſterium miſsi,propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis? Verum ex eorū numeroſitate maxima quidam exeunt vt miniſtrent, cæteri verò autoris ſui gloriam contemplā do aſsiſtunt,ſicut propheta in ſpiritu ſe vidiſſe teſtatur dicens: Millia millium miniſtrabant ei, & decies cētena millia aſsiſtebāt ei. Sic tamē exeūt qui miniſtrant, vt nequaquam vel ad momentū Dei careant viſione beata. Et taliter qui aſsiſtunt conditoris ſui diuina ſpecie perfruuntur, vt arcana Dei conſilia, quæ illis reuelanda inferioribus demonſtrantur, minime miniſtrare deſiſtāt,quod ſacrarū probatur autoritatibus ſcripturarū. Omnis ſiquidem illorum beatorum ſpirituum multitudo in nouem ordines diſtinguuntur, ex quibus ſuperiores quatuor, dominationes videlicet, throni,cherubim, ac Seraphim aſsiſtere, reliqui verò miniſtrare perhibentur. Angeli nanque hominū intendunt cuſtodię, eorumque ſaluti, ipſos erudiendo,exhortando,protegendo,& deprecariones,orationes, ac illorum vota diuino cōſpectui fideliter offerendo inuigilant. Archangelis autē cura eſt hominibus reuelare myſteria,atque cœleſtia reſerare ſacramenta,non ſingula,ſed excellentiora & ſublimiora,quemadmodū in Michaele,& Gabriele paret archangelis. Nam quotieſcunque aliquid magnum manifeſtatur faciendū per vnum archangelorum id agitur. Porrò ad declarandum Dei gloriā,& promouendam hominum fidem,ſpirituales ſunt inſtitutæ virtutes:quę creberrima(domino iubente) perficiunt miracula,ex quibus diuina pandatur autoritas. Sunt prçterea angelicæ ordinatæ poteſtates, vt apoſtaticos coerceant ſpiritus, illorumque compeſcant virtutem,ne fidelibus noceant, quantum obeſſe deſiderant. Principatuum denique ad hoc intentus eſt ordo:vt videlicet cæteris miniſtrantibus ſpiritibus principentur, atque eos de iis,quæ agēda ſunt,doceant. Diuinę ſiquidem contemplationi inhærentes,de fonte ſapientiæ verbi hauriunt ipſius beneplacitum voluntatis, quod ſibi ſubiectis agminibus manifeſtent. Per hos igitur miniſtrantium angelorum ordines, quos compendio ſe perſtrinximus, Dei colendiſsima bonitas humani generis regimen, atque ſalutem inuiſibiliter operatur miro ordine,modo ineffabili, ſcientia certa,& incomprehenſibili charitate. Mortalium quippe lāguet ingenium,& in diſponēdarū magnarum rerum prudētia ambiguitate caligat, niſi ſanctorum angelorum atque archangelorū erudiatur oraculis. In mundi quoque huius periclitantur anfractibus,necnon & diuerſarum tentationum immundorum ſpirituum ſuperantur inſidiis,ſi non per ſpirituales Dei nuncios roborentur. Ipſorum nanque miniſtrantium agmina beatorū ſedulo officio & dilectione ſyncera aſsiſtunt nobis orantibus, intereſſunt pſallētibus de noſtris gaudentes profectibus propheta hoc atteſtāte qui ait: Præuenerunt principes coniuncti pſallētibus in medio iuuencularum tympaniſtriarum, Verum ſi quando operibus miſericordiæ & deuotionis ſtudio vacare nos viderint,mira exultatione lætantur, eaſdem diuino præſentantes cōſpectui:quemadmodum Tobię ſancto ab angelo Raphaele dictum fuiſſe legitur: Tob. 12. Quando orabas(inquit)cum lachrymis,& ſepeliebas mortuos, & relinquebas prandium tuum, & mortuos per diem abſcōdebas in domo tua,& nocte ſepeliebas,ego obtuli orationem tuam domino. Cornelio quoq; in actibus apoſtolorum perhibetur dictum fuiſſe ab angelo: Orationes tuę & eleemoſynę tuę aſcēderunt in memoriam in conſpectu domini. Act. 10. Erat enim vir timens Deum cum omni domo ſua, quamuis gentilis, faciens eleemoſynas multas plebi, & deprecans Deum ſemper. Aſsidua ſiquidem vigilantia ipſi angelici ſpiritus comitantur nos in periculis, in laboribus, in infirmitatibus, in ne-

nati ſumus. Attende, quæſo, mira huius medici opera, fecit lutum ſemel ex ſputu, & cęco nato reddidit viſum, digitos in auriculã poſuit & pręſtitit auditum, ſanauit paralyticos, leproſos mundauit, iacentes erexit, mutis loquelam, & mortuis iuſſu ſuo largitus eſt vitã. Superfluum poſtremo arbitror eſſe verbis inſinuare dominum Ieſum ſummum, & ſapientiſsimum eſſe magiſtrum, quũ euangelia ſacra ipſius documentis ſint plena, atque quotidie in eccleſiis per orbem circunquaque diffuſis illius monita populis denuncientur: quibus pro ſui reuerentia obedientiæ aſſenſum decet impendere, atque nullatenus contradicere. Demum de exemplis per quæ ad noſtri obedientiam promouemur conditoris, quid memorem, quum videlicet tot ſint exempla, quot creaturæ ſunt factæ, non in ſingulis ſemel: ſed multipliciter in ſingula? Taceo de ſegetibus, de arboribus, de volucribus, de piſcibus, de iumentis, de corporibus cæleſtibus, de angelis, archangelis, cæteriſq; ſpirituum beatorum ordinibus: de quibus in ſuperioribus capitulis diſſertũ eſt, quã ſedulo, quam efficaciter perficiendo opus miniſterii ſibi crediti diuina impleant iuſſa, & exemplo ſuo ad ſui homines famulatum erudiant ſaluatoris. Proferatur itaq; nunc ad publicũ Dei & hominũ mediatoris exemplum, qui ſicut cęteras, ita obedientiæ virtutem dicto pariter commẽdauit & facto. In ipſo ſiquidem tanquam pręclariſsimo ſpeculo obedientiæ fulget imago, verę que ſubiectionis forma conſpicitur, adeò vt nuſquam pro documento mentis ſit acies diuertenda, quippe quũ in illo virtutis huius reperiatur copioſa perfectio, eo affluentius, quo eius perſona eſt dignior, vberior gratia, & meritorum numeroſitas locupletior. Tãtus nempe ac talis eſt ille de quo loquimur, vt digniſsime omnis ipſius prædicetur actio, & in cũctorum fidelium exponatur exemplum, quum idem ſit Deus & homo in vna perſona. In ea profecto natura, qua Deus eſt conſubſtantialis, & coæternus eſt patri, genitus ante tẽpora, de Deo Deus, de lumine lumen, de omnipotente omnipotens, gignenti coæqualis, ſine initio, abſque diſsimilitudine, ſine motu, continens omnia, perluſtrans ſingula, vniuerſa complectẽs: per quem vtiq; facta ſunt, quę ſunt, ſiue in cęlo ſiue in terra, & in quo vita ſunt, quæcũq; facta ſunt, nõ materialiter, nec localiter, neq; tẽporaliter, ſed eſſentialiter, ſed incircunſcripte. Non enim, quæ facta ſunt, de ipſius eſſentia creata ſunt: ſed in ipſo priuſquã fierent per ipſum vita erant, hoc Euangeliſta perhibente, qui ait: Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factũ eſt nihil, quod factum eſt, in ipſo vita erat. *Ioan. 1.* In ea itaque natura, qua Deus eſt, nullã obedientiæ dedit formam, nullumq; ſubiectionis mundo reliquit exẽplum, quum ſit cum patre & ſpiritu ſancto vnus Deus, vna ſubſtantia, vna identitas, vna poteſtas, vnaque maieſtas, cui flectitur omne genu, omnis lingua cõfitetur, & omnis creatura collaudat. Verum in ea natura, quam in vnitate perſonæ verbũ aſſumpſit: quæ videlicet natura erat viſibilis, palpabilis, paſsibilis, & mortalis, omnem obedientiæ perfectionem oſtendit: ita vt vita eius ſit exemplar imitabile, obedientię magiſterium, norma virtutum, ſubiectionis regula, & obſequendi via, per quam quicunq; graditur, periclitari non poteſt, ſicut ipſe ait: Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumẽ vitę. *Ioan. 8.* Quis enim, oro, tã fideliter, tã perfecte, tamq; perſeueranter diuinę voluntatis iuſſa peregit, quemadmodum mediator Dei & hominũ homo Chriſtus Ieſus, qui peccatum nunquam fecit, & nulla penitus in obedientiæ tranſgreſsione deliquit? Quamobrẽ *Ioan. 8.* Iudæis fiducialiter aiebat: Quis ex vobis arguet *Ioan. 17.* me de peccato? Et patri: Ego, inquit, te clarificaui ſuper terram, opus cõſummaui, quod dediſti mihi vt faciã. Nẽpe ſicut patris obedientiam, ita ſemper eſt zelatus honorem & gloriam, verbo, prædicatione & opere. Porrò quum oues, boues, columbas vendentes, & nummularios ſtare in templo (quod minime licebat) aſpiceret, flagello reſticulis facto maxima cum autoritate eiecit dicens: Auferte iſta hinc, & nolite facere domũ *Ioan. 2.* patris mei domũ negociationis. Lazarum quoq; reſuſcitaturus fremens in ſemetipſo præmiſſa oratione inquit: Pater gratias tibi ago, quoniam *Ioan. 11.* audiſti me, ego autẽ ſcio quia ſemper me audis, ſed propter populũ, qui circũſtat, dixi, vt credat quia tu me miſiſti. Ad Iudæos ſimiliter loquens *Ioan. 8.* ait: Ego glorifico patrẽ meũ, & vos inhonoraſtis me. Sane ſi vniuerſa Euangeliorũ percurras volumina, luce clarius intelliges filiũ Dei in ea forma, qua minor eſt patre, gloriã zelaſſe paternã, illãque patefeciſſe miraculis, locutionibus declaraſſe, atque ipſius voluntatem in cunctis ſuis actionibus perfeciſſe. Hinc eſt quòd in Iordanis flumine à Ioanne Baptizato paterna vox teſtimoniũ illi perhibuit dicens: Hic eſt filius meus dilectus, *Matt. 3.* in quo mihi bene complacui, ipſum audite. Hoc idem in columbæ ſpecie viſibilis ſpiritus ſanctus inſinuauit hominibus hunc eſſe innocentem, iuſtum & ſanctũ à prophetis prænunciatũ, qui humani generis aboleret facinora. Id profecto per eum nequaquam fieri potuiſſet, ſi vel minimum pręuaricationis habuiſſet contagium. Quis enim ignorat, quòd immundus quilibet nequit mundare immundos? ſed neque ſeruus debito obnoxius valet ſibi ſimiles reddere libertati? Venit igitur dominus Ieſus teſtimonium habens à patre & ſpiritu ſancto, à lege & prophetis, ſpiritu, aqua, ſanguine à labe peccati mundare immundos, atq; ſeruitute diaboli per crucis ſuæ myſterium in ſe liberare credẽtes: quatenus etiam obedientię ipſius interueniente merito, fieret omniũ electorum caput, & vniuerſalis princeps, cui fle-

flecteretur omne genu, quemadmodum Paulus Philip. 2. teſtatur dicens: Chriſtus factus eſt pro nobis obediens vſque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomẽ, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia dominus Ieſus Chriſtus in gloria eſt Dei patris. Dignum profectò fuit, vt ſicut idem homo Chriſtus Ieſus in omnibus & præ omnib. obtemperauit Deo: ita illi vniuerſa famulentur, illum colant, & laudent. Obediens itaq; fuit Deo, voluit etiam propter nos obtemperare parentibus, quas vtique meritis, virtute præcellebat & Luc. 6. gratia. Sic quippe legitur: Deſcenditque cum illis Nazareth, & erat ſubditus illis. Debitum quidem eſt obedire maiori: virtus verò eſt obſequi æquali, ſed omni eſt commẽdatione dignißimũ, quum quis ſponte inferiori ſe exhibet famulum. Nempe quamuis ratione generationis humanæ beata virgo Maria homine aſſumpto eſſet ſuperior, quia mater, ſupra modum nihilominus & incomparabiliter genitrice ſua ille erat ſublimior quia Emanuel, quia mediator, quia redẽptor: plenus vtiq; ſapientia, plenus gratia, plenus veritate, plenus Deo: ita vt de plenitudine eius acciperent vniuerſi, etiã ipſa, quæ genuit. Quum igitur omnium chariſmatum ſpiritualiũ adeo eſſet plenißimus, vt abſq; vlla ſui diminutione in cũctos ipſe transfunderet gratiam, dignatione tamen quàm maxima pro eruditione noſtri voluit obtẽ Heb. 5 perare Mariæ. Didicit nanque (ſicut Apoſtolus commemorat) ex iis quæ paſſus eſt, obedientiam: quatenus omnibus obtemperantibus ſibi fieret cauſa ſalutis æternæ. Nemo quippe ambigat dominum Ieſum quum adhuc in puerili eſſet ætate, obſequia præſtitiſſe Mariæ, ipſique Ioſeph tanquã verum hominem promouentem matrem, & virtutes exercẽtem, non ſibi aggregando meritum, ſed nobis, quibus datus eſt, natus, atque exhibitus. Auxit (inquam) merita in exercitatione virtutũ, non vt ex numeroſitate efficaciora fieret, ſed vt ex difficultate atque diuerſitate operum, amoris ſui erga nos inſinuaret vehementiam, nec nõ virtutum omnium tribueret magiſterium. Obediens itaque fuit patri cæleſti, obtemperauit parentibus, legis mandata compleuit: quatenus obedientiæ neceſsitatem, perfectionemque commendaret & meritum, diſcerentque vniuerſi neminem adultum & diſcretione vtentem, abſque obedientiæ virtute poſſe ſaluari: quæ profectò qualis eſſe debeat, ſequentia declarabunt.

De duplici obedientia, neceſsitatis videlicet & voluntatis. Cap. IX.

Duplicem eſſe obedientiam, per quam quiſque ſaluandus regnum cęlorum ingreditur, qui rectè intelligit, veriſsime confitetur. Eſt nanque obedientia neceſsitatis, & eſt voluntatis. Neceſsitatis quippe, vt ſine ipſa nemo ſaluari valeat. Voluntatis verò non ſic. Poteſt vtique homo ad ſalutem pertingere ſine obedientia, de qua loquimur, voluntatis: verum ad perficiendum eandẽ neceſsitatis obedientiã, vt meritum habeat apud Deum, expedit vt volũtate libera peragatur. Nam ſi coactus quis aut metu compulſus obtemperet, caret prorſus commẽdatione, atque mercede. Seruus quippe eſt eiuſmodi, & ſeruiliter famulatur, vnde minime de ſuo opere meretur laudem. Dominum audi dicẽ Ioan. 8. tem: Seruus (inquit) non manet in domo in æternũ. Tolle à ſeruo minas, amoue flagellum, nullas aduerſus eum proferas contumelias, & illico videbis ipſum inſoleſcere, tabeſcere ocio, iniurioſa verba promere, præcipienti repugnare, bonũque inchoatum omittere, tam diu operatur, quã diu ſollicitudinum calcaribus perurgetur, nullo affectu trahitur, nullo beneuolentiæ amore conſtringitur, nulloque charitatis vinculo alligatur: fugam meditatur arripere a cõſpectu domini ſui, ſubiectionis iugum a ſe conatur excutere, vt libertate concupita potiatur, malumq; omne perpetrare deſiderat, ſi ei liceat impune tranſire. Sane vniuerſa, quę de emptitio ſeruo commemorata ſunt, illi ineſſe conſpicies, qui ſolũ metu mortis, aut futuri terrore iudicii, ſeu horrore gehennalis incendii, aliquid boni operari videtur. Vellet profectò (quantum in ipſo eſt) vt non eſſet iudex, non lex, non pœna, non carcer, non mors. Quamobrem abſq; affectu operis ſolo malignitatis exagitatus affectu, deſtruit totum quod eſt religionis, quod honeſtatis, quod iuſtitiæ, quod ſanctitatis, quod virtutis, & quod denique meriti. Condemnatur vtique a ſemetipſo qui talis eſt, etiam nullo aduerſus cũ palã teſtimonio perhibente: tametſi actiones nonnullas exterius agat, quæ de genere bonorum eſſe cenſeantur. Poteſt quippe talis homo, qui videt ſecundum faciem, nequaquam autẽ Deus, qui corda perluſtrat. Viuus eſt .n. Dei ſermo (inquit Apoſtolus) & effi- Heb. 4. cax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſq; ad diuiſionẽ animæ ac ſpiritus, compagum quoq; ac medullarũ, ac diſcretor cogitationum & intentionum cordis, & non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius: omnia autem ſunt nuda & aperta oculis eius. Quamobrem ea, quæ fiunt iuxta intentionem operantis, & ipſius voluntatem metitur omnipotens, æquus & verus arbiter, redditq; ſingulis prout eorum interioris hominis ſiue ad bonum ſiue ad malum ordinatur affectus. Hinc eſt quòd obedientia, quæ dicitur neceſsitatis, ſi nõ perficiatur voluntate informata charitate & gratia, Deo nullatenus placet. Habet quidem meritum, ſed non apud Deũ. Habet (inquam) meritũ, non cęleſte, neq; remunerationis æternæ, ſed tranſitorium & temporale, ſicuti eſt propagatio ſobolis, terrenarum multiplica-

tio facultatum, honoris faſtus, præeminētia magiſtratus, corporalis incolumitas, popularis fauor, & ſucceſſus diuturnus proſperitatis viſibilis & caducæ: interdum etiam gratiæ gratis datæ additamentum diſponens homines ad percipiendum, ac promerendum gratiam gratum faciētē. Hęc plane momentanea bona etſi hominibus carnaliter viuentibus placeant, & concupiſcibilia atque magna eſſe videantur: in comparatione tamen retributionis æternæ exigua ſunt, viliſſima, male vtentibus pernicioſa, & nullius æſtimanda. Quonam (quæſo) modo magnipendendum & amandum eſt ab homine id, quod eſt illo inferior conditione, dignitate, & fine: quod videlicet amittitur frequentiſſime, inuite relinquitur, valetque cremari igne, à latronibus deprædari, corrumpi à tinea, atque rubigine deuaſtari? Hoc volens

Matt. 6. inſinuare Saluator aiebat: Nolite theſaurizare vobis theſauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. Theſaurizate autem vobis theſauros in cælo, vbi nec ærugo neque tinea demolitur, & vbi fures non effodiunt, nec furantur. Theſaurizat profecto ſibi in terra vilem & momentaneum theſaurum, qui obedientiæ ſpreto bono timore ſuppliciorum ſuperatus, vel commodi temporalis amore illectus perficit ea, quę prohibet Deus, ſub fucatæ colore virtutis ſibiipſi pueriliter blandiendo. Contingit enim perſæpe, vt quis obliqua intentione deceptus bonum aliquod agat non bene, propter quod fit vt vnde ſe arbitretur placere Deo, eidē magis ipſe diſpliceat. Obtemperandum itaque eſt Deo, eiuſque parendum mandatis, illis vtiq; quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria: non ſegniter, nō coacte, non ſeruiliter, nec mercenariè, ſed corde recto, intentione non ficta animo volenti, ſtudio ſedulo, alacri mente, ignito affectu, cōſtanti propoſito, diuturno labore, opere indefeſſo, atque ſolicitudine peruigili. Quiſquis igitur hæc, quæ memorata ſunt, adimplere deſiderat, nequaquam tranſgreſſoribus ſupplicia minata conſideret, nō propriæ infirmitatis imbecillitatē perhorreſcat, neque præuaricantium grauiſſimos expaueſcat caſus, vt non puſillanimitate frangatur, quin potius malo eruditus alieno, ſe humiliter Deo proſternat, & fidei oculo ipſius bonitatē erga ſe exhibitam fidenter inſpiciat, atque iugiter reuoluat animo quanta naturalia, corporalia, ſpiritualiave dona perceperit ſupra meritum, pręter votū, & vltra condignum. A ſe quoque recognoſcat boni nil poſſe, ac rectum nil velle. Quamobrem tota intentione, totoq; conamine confidat in domino, qui ſicut poſuit neceſſitatē in mandato, & laborem in præcepto: ita & ad exequendum illud præbet auxilium, virtutem tribuit, præſtat intellectum, ſeq; diligentibus promittit præmium. Non enim ignorat vtilitatem figmenti noſtri, & concupiſcentiam per peccatum & pro pœna peccati nobis inflictam: qua ad viſibiliū amorem etiā nolentes impellimur. Hac quippe de cauſa illa imperat, quibus obligamur ex debito, atque prouocamur exemplo. Sane non ſunt impoſſibilia, ſed neque valde grauia, ſi in peragendis illis deliberata adhibeatur voluntas. Cęterum ſi qui hominibus famulantur aut neceſſitatis aſtricti vinculo, aut exiguo obligati precio, tam aſpera, tamq; cōtinua perferunt onera quanta (oro) ſuſtinere debent aduerſa pro Chriſto homines diuinis obſequēdo mādatis? Ineſt vtiq; cunctis, qui Deo obedire ſatagūt, neceſſitas, quam profecto dulcorat charitas, opitulatur gratia, & præcipientis lętificat autoritas. Ipſum dominum audi dicentē. Tol Matt. 11

lite (inquit) iugū meū ſuper vos, & diſcite a me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiē animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Mira res ſuauitate pleniſſima, & veritate ſuffulta iugum enim & onus præceptum vocat, quod quidem iugū dicit eſſe ſuaue, & onus leue. Amoue dilectionem ab animo obedientis, & illico ſentiet mandatū eſſe iugum aſperrimum, atque onus grauiſſimum, & prorſus intolerabile. Ex regione propone legem amanti, & nullo preſſo onere, nulloq; tędio affectus obtemperabit alacriter. Premit itaque obedientiæ iugum, & nullā redolet ſuauitatem, ſi abſq; deuotionis baiuletur guſtu: ſi verò cum charitate portetur, ſe gerentem ſuſtentat, fatigationem tollit, laboremq; in delectationem commutat. Hoc nimirum ſenſerat qui dicebat: Computreſcet iugū Eſa. 10.

à facie olei. Quum enim charitas Dei, quæ oleo comparatur in cordibus diffunditur fideliū, quū dulcedo ſpiritualis replet mētem, tunc quicquid antè difficile & oneroſum in mandatis videbatur, iudicatur tolerabile, & nullius prorſus graua menti, id agente charitate, quę omnia ſuſtinet. Hoc ſuo Iacob patriarcha exēplo indicauit, qui vt Rachelis concupito potiretur connubio, annis ſeptem obediuit Laban, vnde ſcriptum eſt: Serui Gen. 29.

uit Iacob pro Rachele ſeptem annis, & videbantur illi pauci dies prę amoris magnitudine. Huiuſmodi quippe viri ſancti exemplo inobedientia noſtra contunditur, & propriæ voluntatis noſtrę tenacitas condemnatur. Die noctuque ille ęſtu vrebatur & gelu, fugiebatque ſomnus ab oculis eius, vt mulierem corruptibilem & mortalem habere poſſet in coniugem & (proh dolor) nos vt Dei fruamur amicitia, vt delectemur cōtubernio ſapientię, vt ſanctorum angelorum digni efficiamur conſortio, vt ęternæ beatitudinis participes ſimus atque cunctorum cum Chriſto regnantiū cohęredes, tempore ſpirituali quodammodo dormitantes nec terremur minis, nec rationibus mouemur, nec beneficiis incaleſcimus, neque promiſſionibus perurgemur. Pudeat nos ab huius ſeculi amatoribus ſuperari, qui vt ſua vota perficiant, ſuiſque ſuperioribus famulentur, ex-

ponunt læto animo corpus periculis, & animam proditioni. Nempe conſurgent tales nobiſcum in iudicio, & merito condemnabũt nos, qui ſecundum faciem, & non in ſpiritu militamus. Deducent nanque ad publicum, & obiiciẽt nobis quos perpeſsi ſunt labores quotidianos, animi anguſtias, inanem ſpem, & diuturna certamina. Quam obrem euigilemus corde, & mentis aciem erigamus ad dominum Deum noſtrum poſcentes humiliter clementiam eius: quatenus ſolita miſeratione tranſacta, dignetur noſtra indulgere facinora, conferre gratiam, dominantem nobis propulſare inertiam, vt tanquam aquila mente & ſpiritu renouati exhibeamus illi de cætero voluntariam ſeruitutem, atque obedientiam veram charitatis flamma ſuccenſam, intentioni rectæ innixam, prudentiæ luce perfuſam, cõſtantiæ virtute decoratam, necnon perſeuerantiæ bono circunſeptam. Equidem ſi talis fuerit, erit proculdubio acceptabile ſacrificium, præcipuum munus, immaculata hoſtia, oblatio ſancta, victima ſalutaris, atque thymiama fragrantiſsimum, dummodo nõ ignoret, cui obtemperare oporteat.

Quòd vnum ſit principium, cui obedire oportet; Cap. X.

QVisquis rectè ſapit, vnum agnoſcit eſſe principiũ, à quo & per quod facta ſunt omnia, ipſum vero à nullo: Ita tamen ipſum dixerim eſſe principium vt ſit ſine initio, & talem eſſe finem, vt omnino ſit ſine fine. Principium vtique à quo omnia: & finis in quo omnia. Ipſum audi dicentem: Ego ſum α & ω, principium & finis. Alibi quoque idẽ: Ante me (inquit) non eſt formatus Deus, & poſt me non erit, quoniã mihi curuabitur om ne genu. Curuabitur quidem quia ab ipſo habet vnde ſit, vnde rectè ſapiat, & vnde bene velit. Sane ſunt multæ & innumeræ creaturæ, quę ab ipſo tantum ſunt, nec tamẽ valẽt rectè ſapere, neq; bene velle. Huiuſmodi quod acceperũt pulchrũ eſt, delectabile, vtile, rectè videlicet ſapiẽtibus & bene volentibus, quã uis nõ ſibi, & tamen modo ſuo factorem ſuum honorant, venerantur, colunt, laudantque, ſicut ſcriptum eſt: Laudate Dominum de terra dracones & omnes abyſsi, ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum quę faciunt verbum eius: mõtes & omnes colles, ligna fructifera & omnes cedri, beſtiæ & vniuerſa pecora, ſerpentes & volucres pennatæ. Peragũt enim vniuerſa hæc id, propter quod creata ſunt, & ſuo famulantur autori: nullã vero de obſequio ſuo conſequentia mercedem, quia rationis & liberi arbitrii carent dono, à quibus omne demeritũ procedit & meritũ. Iſta quippe principium à Deo habent, vt ſint, & finẽ in ſe, quia deficiẽte corpore pariter deſinũt eſſe quod ſunt. Sola igitur rationalis creatura, quæ liberam habet voluntatem, poteſtque bonum aut malum diſcernendo eligere, eſt, cui ex æquitate iuſtitiæ

Apoc. 22. & 21.

Eſa. 43.

Pſal. 148

remuneratio debetur & pœna. Quod vt congrue fiat, neceſſe eſt vt immortalis ſit, & finiri non valeat. Hæc quippe, de qua ſermo habetur, quum ſpirituales naturaliter poſsideat oculos, per quos verum à falſo, bonum à malo, pernicioſum ab vtili, atque lucẽ queat diiudicare à tenebris, debet prorſus agnoſcere, cui illam obtemperare oporteat. Hoc nanque ſi ignorauerit, à quo (oro) ſuorum ſperabit mercedem obtinere laborũ? Teſte autem Apoſtolo; Accedẽtem ad Deum oportet credere quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit. Decet itaque ratione vtentem credendo agnoſcere Deum ſolum eſſe vnum, cui cordis & corporis debeat flectere genua, latriæ honorem impendere, orationis gemitus fundere, deſideriorum ſuorum vota pandere, deuotionis ſacrificium exhibere, obedientiæ ſeruitutem exoluere: & tam pro his quàm pro cæteris aliis bonis ab eo bene geſtis, repromiſſam ab eodem in futuro ſeculo expectare mercedem. Decet (inquam) illũ, qui Deo appropinquare, ipſiuſque mandatis obtemperare concupiſcit, prius quidem credere ipſum eſſe, per quem omnia, & nos cum illo, & in quo omnia, & nos in illo. Deinde agnoſcere illum non reuelata facie, ſed per ſpeculum vtique creaturarum, & in ænigmate ſcripturarum ſacrarum, in quibus præeunte & comitante fide magnam de Deo poterit habere notitiam. Nam inſinuante Apoſtolo; Inuiſibilia Dei a creatura mũdi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciũtur, ſempiterna quoque eius virtus & ſapientia. Verũ ſine fide prorſus videndo non videbit, & nequaquam intelligendo cognoſcet, ſicut de quibuſdã dicit Apoſt. Qui quum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum. Dicentes enim ſe ſapientes ſtulti facti ſunt. Nec mirum. Non credendo, ſed ratiocinando & per diſcurſu Dei conati ſunt agnoſcere maieſtatem & ſapiẽtiam, quæ nõ niſi credendo percipitur, dicente propheta: Niſi credideritis, non intelligetis. Nã fides (vt ait Paulus) eſt ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium; eſt etiam ſydus clariſsimũ & matutina lux deſcendens à patre luminũ, & ſe cordibus infundens mortalium, conſpicuam deſpiritualib. & inuiſibilib. præbens notitiam, perluſtrans ſplendore ſuo ſcripturarũ myſteria, & cęleſtiũ arcana ſacramenta, tribuenſq; de Deo intelligentiã, non ſicuti eſt, ſed quia eſt. Nã quãdiu ſumus in corpore, ſicut memoratus ait Apoſt. peregrinamur à domino, per fidem ambulantes, non per ſpeciem. Quando autem per ſpeciem? Quãdo corruptibile hoc induerit incorruptionẽ, & mortale hoc induerit immortalitatem, erit q; mors ab ſorpta in victoriam, atque eidem inſultando dicemus? Vbi eſt mors victoria tua? vbi eſt mors ſtimulus tuus? Tunc etenim ablatũ erit ſpeculum, tunc ænig-

Heb. 11.

Rom. 1.

Ibid.

Eſa. 6.

Heb. 11.

2. Cor. 5.

ænigmata erunt completa, tunc fides erit conſummata per ſpeciem,& ſpes totaliter mutata in rem.Tunc,inquam, verificabitur quod ait Ioannes Apoſtolus: 1.Ioan 3. Chariſsimi nunc filii Dei ſumus, & nondũ apparuit quod erimus.Scimus quoniam quum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicut eſt. Interim autem in lumine ambulemus fidei, & in ſplendore vultus eius, ne infidelitatis & elationis voluamur in tenebris, credamus ſimpliciter diuinis oraculis,& teſtimoniis veritatis prænunciatis per fidẽ, & in eadẽ luculentiſsime declaratis. In ipſis ſiquidem humiliter credendo confitebimur Deum eſſe,illiuſque omnipotentiam,ſapiẽtiam,bonitatẽ, ſimplicitatem,ęternitatem,iuſtitiamq; laudabimus,magnificabimus,atque colemus. Nec aliunde quàm ab ipſo Deo id perficere nos poſſe arbitremur, qui per fidem hominum corda purificat,vt agnoſcãt ipſum Deum & dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, quem Deus pater ideo miſit in mũdum, vt humanum genus, quod per peccatum protoplaſtorum neglectis cęleſtibus & inuiſibilibus,prorſus terrenis & viſibilibus inhærebat, miracula faciendo,prędicando diuina,futura pręnunciãdo, ſuadẽdo vtilia,operando ſancta, aſpera perferendo, & ſuſtinendo indigna, ad agnitionem vnius & veri Dei informaret per fidem,& in fide roboraret. Sic plane erudiendus,ſic homo,qui iacebat in tenebris, & erat morti obnoxius, per mediatorem Dei & hominum hominem.Chriſtum Ieſum fuerat erigendus, vt lumen videret in lumine, & vitam poſsideret in vita. Vtrunque enim eſt dominus Ieſus,& vtrumque ab ipſo conſequi poſſe ſperamus in ipſo. Eſt quippe lumen verum natum de lumine, in quo videmus lumen. Eſt & vita vitalis de vita genitus, atque in ſe credentibus tribuens vitam. Ipſum lumen audi de ſe dicẽ- Ioan.8. tem:Ego ſum lux mundi,qui ſequitur me nõ ambulat in tenebris, ſed habebit lumẽ vitę,& Ioannes: Ioan 1 Erat(inquit)lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Paulus de hac ipſa luce ſcribens ait: Hebr.1. Qui quum ſit ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ eius, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ. In ſapientiæ quoque Sap.7. volumine ſic legitur: Candor eſt enim lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula, ſplendor diuinæ maieſtatis,& imago bonitatis illius.Nempe ſi candor lucis,ſi ſpeculum ſine macula,ſi ſplendor gloriæ,vtique & lumen, non quidem materiale, nõ productũ in tempore, non variabile, nec viciſsitudinis ſuſceptibile, ſed ſimpliciſsimum de patre Deo æternaliter generatũ, ſemper idem manẽs quod eſt propter nos tamẽ carnis nube obtectũ, vt à nobis captabile fieret, eſſemuſque lumen in ipſo,ſicut Apoſtolus quibuſdã iuſtificatis teſtatur Rom.13. dicens:Fuiſtis enim aliquando tenebræ,nunc autẽ lux in domino, vt filii lucis ambulate. Alio deniq; in loco exhortans ait: Eph.5. Nox pręceſsit,dies autẽ appropinquauit.Abiiciamus ergo opera tenebrarũ, & induamur arma lucis, ſicut in die honeſte ambulemus. De lumine agnouimus lumen natum,in tenebris refulgens,& tenebras fugans,in quo quiſquis veritatẽ intuetur, videt lumen. Audiamus ſimiliter vitã de vita genitũ mortuos viuificantem. Ego ſum(inquit ipſe)via veritas, & vita,nemo venit ad patrem niſi per me. Ioan.14. Idemque alibi ait: Ego ſum reſurrectio & vita, qui credit Ioan 11. in me, etſi mortuus fuerit,viuet: & oĩs qui viuit, & credit in me nõ morietur in ęternũ.A quo aũt habeat vt ſit vita & tribuat vitam, obſerua. Sicut enim pater habet vitam in ſemetipſo, ita dedit & filio vitam habere in ſemetipſo, id eſt, genuit filium vitam habentem in ſemetipſo, ſibi per omnia coæqualem, eiuſdem naturę eiuſdemq; ſubſtantiæ:ita vt ſit vnum cum patre, & qui videt filium, videat & patrem.Nam patris & filii vna eſt diuinitas,vna maieſtas, vna poteſtas, vnaque eſſentia,indiuiſa,inconfuſa,incommutabilis.Cæterum quemadmodum pater genuit filium vitã habentem in ſemetipſo, æque etiam viuificantẽ mortuos. Ipſum filium de ſe pronunciantem veraciter audi: Ioan.5. Sicut enim pater ſuſcitat mortuos & viuificat:ita & filius quos vult,viuificat. Viuificat proculdubio gratiam infundendo, & iuſtificando per fidem,& in fide copulando ſibi, vnde Apoſtolus nonnullis gratificatis,& iuſtificatis, atque copulatis agebat: Col.3. Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo,quum autem apparuerit Chriſtus vita veſtra,tũc & vos apparebitis cum illo in gloria. Quamobrem nemo aliunde lumen diuinæ agnitionis,& vitam veram,quæ Deus eſt,ſe percipere poſſe arbitretur, quàm ab illo, de quo Ioãnes apoſtolus ait: Ioan.1. Quod factum eſt,in ipſo vita erat,& vita lux hominũ,& lux in tenebris lucet. Ex hoc vtiq; per fidẽ Chriſti gratificantẽ.Nam pater non iudicat quenquã, ſed omne iudiciũ dedit filio,vt omnes,qui honorificãt patrẽ,honorificent filiũ.Hoc autẽ eſt iudiciũ,quod dedit pater filio, vt videlicet omnes in eum credant, & pari honore deferant filio ſicut & patri,ex qua vtiq; credulitate vitam conſequãtur æternam.Sic enim idem filius ait: Ioan.3. Sic Deus dilexit mundum,vt filium ſuum vnigenitum daret, vt omnis,qui credit in illum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.Eadem quippe credulitate, eadem reuerentia, eademque obedientia debetur miſſo, quæ exhibetur mittenti, potiſsimum quum ipſe, qui miſit pater ſuper baptizato filio de cælo clamauerit,dicens: Matt.3. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene cõplacui, ipſum audite. Eſt igitur dominus noſter Ieſus Chriſtus ab vniuerſis omni cum honore colendus,quum ipſe verus ſit Deus, cui pater & ſpiritus ſanctus diuinitatis teſtimoniũ reddiderunt, & quẽ Deũ eſſe proclamarũt angeli, prophetæ prænunciauerũt,prędicauerũt apoſtoli, teſtificati ſunt martyres, at-

que per orbem terrarum pariter omnis adorat, laudat, ac confitetur eccleſia. Quam vtique idem ſuſcepit in ſponſam, mundauit lauacro, ſanguine redemit, quemadmodum Apoſtolus perhibet dicens: Viri (inquit) diligite vxores veſtras ſicut dilexit eccleſiam, & ſemetipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret: mũdans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid eiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata. Huic tanquam caput præſidet corpore myſtico. Hanc fouet & nutrit, viuificat in ſpiritu, regit influxibus, in aduerſis protegit, conſulit in dubiis, locupletat meritis, virtutib. replet, decorat chariſmatibus, & contra omnes aduerſarios inſuperabilem facit, quoniam ſuper ipſam fundata cõſiſtit. Tanti ſiquidem roboris, tantæque autoritatis eſſe dignoſcitur, vt malignis ſpiritibus non ſuccũbat, mundi nõ cedat principib. quin potius eidẽ ipſi colla ſubiiciant, mandatis eius obſequãtur, miniſtris honorem deferant, & ſacramentis eius indigeant, ſine quibus ſaluari nullatenus valent. Nam & ligare poteſt & ſoluere, cælum aperire & claudere, ſicut Petro veritas promiſit dicens:

Matt. 16. Tibi dabo claues regni cęlorum, & quodcũque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cælis. Nec immerito, quum ipſe & illa vnum effecti ſint corpus & caro vna ſicut ſacra pandunt eloquia. Quum enim de latere dormientis Adæ eſſet formata mulier, atque eidem vt nomen imponeret delata, inquit: Hoc nunc os de oſsibus meis, & caro de carne mea, propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori, & erunt duo in carne vna, quod Apo-

Eph. 5. ſtolus declarans ait: Sacramentum hoc magnum eſt, dico inter Chriſtum & eccleſiam.

Quòd Deus ſit ſpiritus, & patribus antiquis cognoſcibilem per miniſterium ſe exhibuerit angelorum. Cap. XI.

Deum ſpiritum eſſe & non corpus diuina docet ſcriptura, quæ ab ipſo prolata fuiſſe noſcitur. Veritas enim clamat in

Ioan. 4. Euãgelio: Deus ſpiritus eſt, & qui adorant eum, in ſpiritu & veritate adorare oportet. Quamuis enim in rubo loqueretur ad Moſem, & in caligine, atque in columna ignis per noctem, & in nube per diem populum præcederet Iudæorum: nõ tamen corporalis, aut materialis eſt ignis, neque columna vel nubes, ſed ſpiritus ſimpliciſsimus, & corporeis oculis inuiſibilis: qui vtique per angelum loquebatur in igne, plebemque ſuam comitabatur in columna & nube. Talis quippe ſubſtantiæ eſt Deum, taliſque naturæ, vt nec videri, nec audiri, neque palpari carnalibus valeat ſenſi-

Pſal. 5. bus, ſed ſpiritualib. quã optimè, & in ſpiritu. Verba mea (inquit propheta) auribus percipe domine, intellige clamorem meum, intende voci orationis meæ rex meus & Deus meus. Idemque: Audiã (ait) quid loquatur in me dominus Deus, quo Pſal. 84.
niam loquetur pacem in plebem ſuam. De ſpirituali guſtu & viſu memoratus propheta dicit: Guſtate & videte, quoniã ſuauis eſt dominus. In o- Pſal. 33.
dorem vnguentorum tuorum currimus, loquitur ſponſa in canticis canticorum, quod ad odoratũ Can. 1.
pertinet. De tactu dicit Ioãnes: Quod audiuimus quod vidimus, & manus noſtrę contrectauerunt 1. Ioan. 1.
de verbo vitæ. Nempe quotieſcũque locutus eſt per humanam vocem Deus, aut ſe inſinuauit per figuras, hoc per miniſterium egit Angelorũ, vel per oracula prophetarum, in quibus & per quos ſuam hominibus notificabat voluntatem. Quamuis enim quibuſdam ſanctis viris per ſe loqueretur in corde, propter infirmitatem tamen ſpiritus & carnis corruptionem, quæ ſpirituali aduerſatur locutioni, & ab intellectuali diſſentit viſione, per vates ſuos, & ænigmata vniuerſitati effatus eſt. Quamobrem ipſa diuina clementia humanæ cõpatiens infirmitati, illiuſque perditioni opportuno volens occurrere remedio, verbum ſuũ, quod erat in principio apud Deum, incarnari ſtatuit, vt verus Deus, & homo per aſſumptũ corpus ſe manifeſtaret hominibus, atque per ſacri ſanguinis ſui effuſionem de perditione æternæ damnationis, qua tenebantur, reſuſcitaret ad vitam. Deciderat prorſus humana natura per primi hominis præuaricationem in maximam Dei & ſui ignorãtiam, & ea, quæ carnis ſunt, & eius percipiuntur ex ſenſibus, ſolummodo ſapere videbatur, necnõ totam ſe in creaturarum profuderat voluptatem. Proinde ne ſẽper homo erraret vt cęcus, ne perniciosè ſe excuſaret vt infirmus & inſcius, & ne ſemper à Deo eſſet alienus & mortuus, quando temporis plenitudo aduenit (ſicut Apoſtolus cõ- Gal. 4.
memorat) miſit Deus filium ſuum natum de muliere, & factum ſub lege, vt errantem per abrupta vitiorum reuocaret in viam, quę de ſe ait: Ego ſum via, nemo venit ad patrem, niſi per me. Vt Ioan. 14.
etiam imbecillem, & ignorantem veritatis irradiaret ſplendore, & vt in delictis mortuum reſuſcitaret ad vitã, non angelos, non prophetas, ſed propriũ deſtinauit filium, vt ipſum audiremus, ipſiq; obediremus in filio. Hoc Apoſtolus denũ- Hebr. 1.
ciauit dicens: Multifarie, multiſque modis olim Deum loquens patribus in prophetis, nouiſsime diebus iſtis locutus eſt nobis in filio, quem conſtituit hæredem vniuerſorum, per quẽ fecit & ſecula. Tã quidẽ ſublimis, & tantæ incomprehenſibilis excellentiæ, eſt diuina eſſentia, vt à nemine in hoc exiſtente mortali corpore ſicuti eſt, agnoſci queat, quemadmodum Moſi faciẽ ſuã videre cu- Exod. 33.
pienti, & ſuſcitanti dixit: Non videbit me homo, & viuet & Ioãnes, Deum (inquit) nemo vidit vnquã, niſi is, qui eſt in ſinu patris, & ipſe enarrabit Ioan. 1.
nobis. Maxima ex ijs verbis erga hoĩes Dei cha-

ritas

ritas,maxima apud homines,& in hominibus domini noſtri Ieſu Chriſti intelligitur eſſe autoritas, quando illo loquente & conuerſante cum hominibus Deum loqui, & conuerſari minime dubitamus. Hoc longe ante propheta in ſpiritu præuidendo præcinerat inquiens: Hic eſt Deus noſter

Pſal. 71. Bar. 3. & non æſtimabitur alius ad illum: hic adinuenit omnem viam ſcientiæ, & dedit eam Iacob puero ſuo, & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt,& cum hominibus cõuerſatus eſt. Prænunciatum iſtud ideo fuerat, quia Moſi extitit ante promiſſum. Quum enim ardẽtiſſime poſceret, vt Deus illi oſtenderet gloriam ſuam, reſpondit do-

Exod. 33. minus: Non videbis faciem meam: nõ enim videbit me homo & viuet. Ecce (inquit) locus eſt apud me,& ſtabis ſupra petram, quumque trãſibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam te dextera mea donec tranſeam, rollamq; manum meam, & videbis poſteriora mea, faciem autem meam videre non poteris. Quoniam igitur reuelatam Dei gloriam intueri nequeũt mortales, vnigenitum ſuum Deus pater miſit in ſimilitudinem carnis peccati vt de peccato damnaret peccatum in carne ſua, & patrẽ homines venerarentur in filio,& filium in patre ſimiliter colerent, nec minus filio, quàm patri obedire deberent. Verum quoniam indecens erat, vt verbi humanitas per ipſius reſurrectionem totaliter glorificata, viſibilis & palpabilis commoraretur in ſeculo, ne ab illo arbitrarentur ſe homines eſſe de-

Matt. 28. relictos, duplici eis ſe communicaturum præſentia eſt pollicitus dicens: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſe-

Matt. 18. culi. Alioque in loco: Vbi (inquit) fuerint congregati duo vel tres in nomine meo, in medio eorũ ego ſum. Hoc profecto abſque ambiguitate agit in ſpiritu, hoc idem in ſuo myſtico operatur corpore, quemadmodum perſequenti Saulo ait: Saule

Act. 9. Saule quid me perſequeris? Non enim Paulus Chriſtum perſequebatur in carne, qui iã regnãs in cælo prꝗſidebat & in terra, ſed membra illius & corpus, quod eſt eccleſia, & nihilominus ſe perſecutionem ſuſtinere fatebatur, ob hoc quod caput & corpus, Chriſtus & eccleſia vnum ſunt. Vnde qui negligit mandaris parere eccleſiæ, Chriſto

Luc. 10. famulari recuſat. Sic enim ipſe ait: Qui vos audit, me audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit, & qui me ſpernit, ſpernit eum qui me miſit. Omni profecto hæc vnio eſt commendatione digniſſima, quæ membra cõglutinat corpori, corpus capiti, caput

Ioan. 17. Deo, id nimirum peragẽte mediatore Dei & hominum homine Chriſto Ieſu, qui ait patri: Pater volo vt vbi ego ſum, & ipſi ſint mecum, & videãt claritatem, quam dediſti mihi: tu pater in me & ego in illis, vt ſimus conſummati in vnum. Hoc quippe vnum non fit per corpus in corpore, ſed per ſpiritum corpus vegetantem atque regẽtem. Nam ſpiritus eſt, qui viuificat membra in corpore,& corpus ornat in membris, necnon membra exercet in corpore ad gloriam Dei, decorem corporis, vtilitatemque membrorum in ſe vnitatem ſeruantium, donec totum corpus in membris colligatur ad caput, atq; in capita reformetur in Deũ ſitque omnia in omnibus Deus. Interim autẽ quãdiu peregrinatur corpus in hoc ſeculo, caput ipſum corpus fouet, nutrit & regit. Fouet (inquam) deuotione, atque promiſſione. Nutrit ſacramentorum alimento, & pabulo ſcripturarum. Regit vero, ſe ſpiritualiter communicando corpori, ac miniſteria varia diuidendo in membris, ſicut Apoſtolus ſcribens ait: Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem: alij quidem per ſpiritũ 1. Cor. 12

datur ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritũ, alteri fides in eodem ſpiritu, alij gratia ſanitatũ in vno ſpiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarũ, alii interpretatio ſermonum. Nam ipſum caput ſicut in corpore præſidet, ita ſingulis operatur in membris, ſine quo languent membra & inutilia fiunt, dicente illo: Sine me nihil poteſtis facere. Ioan. 15.

Hinc quanta ſit vnitas Chriſti & eccleſiæ, capitis & membrorum euidenter exprimitur, quum nũllatenus ſine Chriſto eccleſia, & abſq; capite mẽbra ſubſiſtere valeant, ſicut inquit Apoſt. Vnum 1. Cor. 12

corpus multa habet membra, omnia autem corporis membra quum ſint multa, vnũ corpus ſunt, ita & Chriſtus. Etenim in vno ſpiritu omnes nos in vnũ corpus baptizati ſumus. Et paulopoſt, Vos (ait) eſtis corpus Chriſti, & membra de membro. Nemo itaque quantumcunque ſit ſanctus, plenus chariſmatibus, & virtutibus præditus, valet per ſe abſque membrorum cõmunicatione ſtare. Quãuis enim membrum vnum in naturalibus & gratuitis ac acquiſitis donis ſit prꝗſtantius altero, nequaquam tamen debet inſoleſcere, & quæ ſibi videntur membra inferiora deſpicere, quoniã plerunque ea, quæ humanis contemptibiliora & viliora arbitrantur eſſe aſpectibus, Deo clariora & digniora exiſtunt. Non enim gradus, ſed merita virtutes proximum Deo faciunt. Quamobrẽ mẽbrum, quod eſt gratia locupletius, erga cętera debet eſſe humilius, & ad miniſtrãdum promptius. Communicatio quippe donorum, & proximorũ compaſſio conglutinant in corpore membra, capitique ſuo gratificant. Hinc eſt quod dona varia caput diuiſit in membris, & ſpiritum vnum infundit in corpore, vt nõ ſit ſchiſma in membris, quin potius ſi patitur vnum, compatiantur & cętera, & ſi gaudet vnum, congaudeant & reliqua, quod veræ vnitatis & charitatis eſt ſignum notiſſimũ. Verum vt non confundantur inuicem membra, & dilanient corpus, quemadmodũ caput per ſpiritum dona diuiſit in membra, æque in corpore & in membris diſtinxit gradus, vt alii præſint in regimine, alii laborent in prædicatione, alii miniſtrent egentibus, alii orationi vacent, alii ſuperiori-

rioribus humiliter deſeruiant, hoc Apoſtolus inſinuans ait: Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti, & ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem prophetas, alios verò euangeliſtas, alios autem paſtores & doctores ad conſummationem ſanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & in agnitionem filii Dei, in virum perfectum, in menſurā ætatis plenitudinis Chriſti. Quoadusque igitur corpus hoc myſticum perficiatur in omnibus membris ſuis, & occurrat capiti ſuo glorioſum, & immortalitatis ſtola veſtitum, expedit vt membra quæque miniſteriū exerceant ſibi traditum, ſimpliciter & cum charitate in membris egentibus & infirmantibus, agnoſcāt que ſe erga caput agere quod in membris exoluerint, ſicut idem perhibet dicens: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Nequaquam enim acceperunt membra talenta gratiarum, niſi ad erogandum tam pro ſui quàm pro proximorū vtilitate, ſicut patet in ſeruo nequam à Deo reprobato, qui ſine lucro pecuniam ſibi præſtitam domino reportauit. Voluit nanque dominus corpus ſuum ægrotare in terra, vt viciſſim ſibi membra famulentur, & ipſe reperiat, vnde membra remuneret, quæ illi fideliter ſeruierunt, atque iuſtiſſime puniat, quæ id facere neglexerunt. Sunt nāque membra, quæ indigent terrenæ ſubſtantiæ & corporalis præſidii, quædam opus habent eruditione, nonnulla conſilio, & pene vniuerſa inſtitutione atque ducatu. Propterea, quæ abundant diuitiis, impertiantur egentibus, quæ conualeſcunt & robuſta ſunt, deſeruiant languentibus, quę ſacris imbuta ſunt paginis, inſtruant neſcientes, quæ pollent ſapientiæ & conſilii dono, hæſitantibus & pauidis conſulant, quæ verò in regimine pręſunt, ſubiectorum ſpiritualibus incrementis incūbant, ſubdita verò pręlatorum mandatis obtemperent. Sic quippe fiet, vt mēbra digniora, & quę præcellere alia videntur in corpore, munera ſibi pręrogata inferioribus participando, atque ſuperioribus inferiora humiliter inhęrendo efficiatur corpus totum in membris ſuis capiti gratum, atque per obedientię meritum Deo deuotum.

Ephe. 4. Matt. 25.

Quòd neceſſarium ſit in eccleſia eſſe qui præſint. Cap. XII.

QVemadmodum bellatorum exercitus ad pugnam pergentium ſi experto careat duce, & ignoret cui obedire debeat, in deriſum vertitur inimicorum: æque & caſtra fidelium membra videlicet famulantiū Deo cupientium confunduntur adinuicem, ſi eis, qui pręſideat, deſit, & qui negocia opportuna præcipiat in qualibet cōgregatione deficiat. Hinc eſt quòd redemptor noſter poſt reſurrectionem ſuam, glorioſamque aſcenſionem ad cęlum principem in terra vicem ſuam gerentem voluit habere in eccleſia, cui ligandi & ſoluendi, ordinandi ac diſpēſandi pleniſſima ineſſet poteſtas: quemque omnes venerarentur vt præſulem, ad quem vniuerſi confluere valerent vt ad patrem, apud quem robur, firmamentum, & totius eccleſiæ eſſet autoritas, necnon claues regni cęlorum, contra quas inferi ianuæ nullatenus præualerent. Huius ſiquidē apoſtolicæ ſedis arcem, huiuſque eccleſiæ catholicę monarchiam apoſtolus Petrus primus accepit, quando Dei filium eſſe dominum noſtrum Ieſum Chriſtum confeſſus eſt dicens: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Quamobrem ab eodem domino audire promeruit: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portę inferi non pręualebunt aduerſus eam, & tibi dabo claues regni cęlorum, & quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cęlis, & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cęlis. Hanc quoque poteſtatem ſortiti ſunt quotquot poſt illum electi canonice in ipſa cathedra reſederunt, qui reſpectu cęterorū ſummi ſunt nuncupati pontifices. Iſtis vtique tanquam Chriſti vicariis totius eccleſię eſt attributa facultas, conferendi videlicet beneficia, peccata ſoluendi, pręſtandi gratias, eccleſię ſpirituales theſauros diuidendi, inſtituendi per ciuitates epiſcopos, & per prouincias metropolitas ordinādi, congregandi concilia, decreta faciendi, infringendi, atque modificandi. Ipſis profecto ſummis pontificibus omnis eſt deferendus honor, ſingularis reuerentia, obedientia ſumma. Quicquid indixerint peragendum, quicquid prohibuerint cauendum, pro lege ſuſcipiendum eſt. Cœteri præſules certis deputati ſunt præeſſe in locis, iſtis verò vniuerſalis eccleſiæ incūbit regimen. Magnus proculdubio honor eſt iſte, præcelſa dignitas, autoritas veneranda, priuilegium pręcipuum, vni tātum ex omni hominum numeroſitate pręrogatū ſed onus quàm maximum, officium laborioſum, miniſterium vigiliarum plenum, & ſarcina pene intolerabilis, necnon cura ad quam (vt expedit) peragendam humanę non ſuppetunt vires. In ipſis ergo & in cęteris eccleſię paſtoribus, ſicut gradus eſt ſublimis & ſingularis poteſtas: ita morum grauitas, virtutum integritas, ſapientię & ſcientię claritas, atq; totius ſanctimonię debet ineſſe ſynceritas. Cęterum ſi forte cuiquam eorum, qui in hac paſtorali reſident cathedra, vitę non ſuppetat ſanctitas, minime tamen eſt illis ſubtrahenda ſubiectio, quippe quum non perſonę, ſed dignitati ſic principaliter deferendum. Chriſto ſiquidē in pręſidente, & præſidenti propter Chriſtū omnino obtemperandum eſt, quia non à Petro petra, ſed Petrus à petra ſumpſit initium, cognomē, autoritatem, & gloriam. Ipſe namque dominus Ieſus per ſeipſum, ipſe in paſtoribus ouium ſuarū principatum gerit: propterea nemo dedignetur

Matt. 16.

ſubie-

ſubeſse etiam homini malo, cui imperandi eſt prærogata poteſtas, quoniam (ſicut Apoſtolus fatetur) omnis poteſtas à Deo eſt, & qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit. Nam malus ſi bonum præcipiat, & quod rectum eſt, ab inferioribus exigat, proculdubio eidem obedire oportet, 1.Pet.2. dicēte Petro apoſtolo: Serui ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tātum bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis, hæc eſt enim gratia in Chriſto Ieſu domino noſtro. Eſt hęc (inquam) gratia, vt non inſpiciamus perſonam imperantis, ſed in pręcipiente, dominum, cui famulari expedit, & à quo obedientię noſtrę debemus ſperare mercedem. Nam ſi ſola pręſidentis & pręcipientis attendatur perſona, neceſse eſt vt obedientia claudicet, et pręmium minuatur. Nempe ſi pręlato bono & bonum mandanti obediatur propter ſe tantum, habebit quidem obediens gratiam, ſed non apud Deum, qui renum & cordium ſcrutator eſt optimus. Nō enim approbat opus, quod obliqua intentione peragitur. Obliquum verò dixerim quicquid ob aliud principaliter quàm propter Deum efficitur: videlicet pro affectione perſonæ, pro amore temporalis quæſtus, pro cupiditate humanę laudis, & pro timore inextinguibilis gehennę. Verum ſi mali paſtoris etiam bonum imperantis ſolummodo conſideretur perſona, interiora nequaquam deerunt iudicia aduerſus paſtorem, nō reluctatio voluntatis, neque rationis proclamatio. Nam nec innata ratio, neque natura patitur, vt quis ſceleſto ſe ſubiiciat viro, niſi coacte, ſeu à malo in malum. Quamobrem recte definiendū eſt, quòd præcipua noſtri cordis intentio propter Deum in prælatum bonum honeſta mandantem ſtatuenda eſt, ſi congruam à Deo de laboribus noſtris cupimus reportare mercedē. Cæterum ſi non licet ei, qui Deo placere deſiderat, ſolam paſtoris boni conſiderare perſonam, ipſiuſque exequi voluntatem, quanto minus mali? Deo itaque in homine & pręcipiente per hominem ſēper cum reuerentia parendum eſt, ſiue bonus ſiue malus ſit ille, qui loquitur. Nēpe ſi ſecundum Deū & quod diuina lex fieri iubet, loquitur ille, qui pręſidet, non eſt ipſe qui loquitur, ſed ſpiritus ſanctus, qui veritatem docet, & teſtimoniū perhibet veritati. Porrò quemadmodum non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, æque nec loqui, nec facere. Dirigenda eſt igitur acies mētis primo in Deum, deinde in id, quod pręcipitur, poſtremo in eum, qui iubet. Deus ſiquidem eſt ille in quem, à quo & in quo finē noſtrarum debemus inſtituere actionum, ſi laudabiliter ac meritorie viuere peroptamus. Super hoc fundamento noſtri operis eſt iacienda ſtructura, vt domino acceptabile fiat. Fundamentū (inquit 1.Cor.3. Apoſtol.) aliud nemo ponere poteſt, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Ipſum diligamus, ipſum teneamus, in ipſo colloceīmur & collocemus, propter ipſū operemur, ſicut Paulus admonet dicens: Omnia quæcūque facitis in 1.Cor.10 verbo & opere, in noīe domini noſtri Ieſu Chriſti facite. Obedire itaq; debemus domino noſtro Ieſu Chriſto, & hominibus propter illum, ſed nullatenus contra illum. Contra illum profecto obtēperat, qui ea, quæ mādatis ipſius aduerſantur, obediendo complet. Non eſt huiuſmodi obedientia commendanda, verum neque audiendus eſt, qui talia imperat. Deo potius quàm hominibus obedire oportet. In re nanque ſancta, in re iuſta & licita qui obedit, Deo & hominibus famulatur. In opere verò nefario, in actu prohibito & iniquo quicunque obtemperat, hominibus deſeruit, nō Deo. Iſtiuſmodi viros Apoſtolus exprobrat dicens: Libenter (inquit) ſuffertis inſipiētes quum 2.Cor.11 ſitis ipſi ſapiētes. Suſtinetis enim ſi quis vos in ſeruitutem redigit, ſi quis deuorat, ſi quis accipit, ſi quis extollitur, ſi quis in faciem vos cædit. Talib. obſequendum minime eſt, quia non in illis loquitur ſapientia & veritas. Non enim ſunt paſtores, ſed raptores, ſed deceptores, ſed peremptores. Sibi obediri volunt, non Chriſto. Poſt ſe etiam conantur ſimplices trahere, & nouas cōdere leges, propriamque gloriam in ore hominū quærere. Porrò quemadmodum mala ſuadentibus & quæ aduerſus Dei legem & ſacra dogmata ſunt, non eſt præbendus auditus, neque adhibenda ſubiectio: ita regione eſt prorſus obediendum humiliter iis, quæ iubet dominus, & catholica commendat eccleſia, etiā ſi malus ſit ille qui pręcipit. Hoc Saluator noſter inſinuat dicens: Super cathedrā Moſis ſederunt Scribæ & Phariſæi, quę dicunt fa Matt.23. cite, quæ autem faciunt, facere nolite. Non enim qui ſermonem diuinū proferat, ſed quid per miniſtrum verbi proponatur caute obſeruandū eſt. Nā veritas à quocūq; promulgetur & ſuadeatur, veritas eſt. Non poteſt corrumpi, non poteſt mutari, nec vllo modo valet in ſemetipſa variari, ſed manet inconcuſſa, præclara, & ſpecioſa. Proinde eſt diligenda pure, ſuſcipiēda reuerenter, amplectenda dulciter, fortiter tenenda, efficaciterque opere adimplenda. Nulli tamē dubium eſt, quin ipſa veritas placidius ingeritur, auditur attentius & eidem obeditur libentius, ſi à viro bono, quam ſi præcipiatur à malo. Etenim qui præſulem malū loquentem aut imperantem audit, tacite apud ſeipſum ratiocinando dicit: Vt quid iſte alium docet, & ſe ignorat? Extorquet ab aliis obedientiæ virtutem, quum ipſe ſit vitiorum ſectator. Impo- Matt.23 nit ſubditis onera grauia & importabilia, & ipſe more Phariſæorum non vult illa digito ſuo mouere. Ex iis & huiuſmodi cogitationibus obediētis animus præpeditur, ne ſicut decet, obtemperet. Nō autem ſic, ſi imperat bonus. Allicitur nāque obediens ad peragendum bonum, quod iubet prælatus bonus: tum amore virtutis, tū etiam ex bonitate mandantis. Nam bonitas & virtus na-

turaliter à malis diligitur impellente inſito naturæ bono ad diligendum bonum,& contra malum reclamandum, quod vtique naturæ bonũ, ex ſui bonitate, Deus qui fecit omnia valde bona, ſeminauit in homine. Hoc quippe ſemen boni ſuffocari quidem poteſt ſentibus delictorum, vel diaboli tentationibus valet ne fructificet impediri, minime tamen diuelli atque extingui. Præſtitum eſt quidem in adiutorium hominis,& in teſtimonium aduerſus hominem: vt videlicet per ipſum trahatur ad bonum,& coerceatur à malo. Hęc eſt profectò gratia generi humano à Deo gratis data nullis præcedentibus meritis, cui quiſquis obedit ex corde, cooperante miſericordia redemptoris noſtri, Deo gratus efficitur. Porrò huic gratię obedire cupientibus non eſt ſegniter dimicãdũ, habent enim ſpirituales hoſtes, & domeſticum aduerſarium inſidiantem ſibi. Habent (inquã) peccati fomitem, peccandi conſuetudinem ſibi continue reſiſtentem, ſed nequaquam expaueſcant, neque diffidant, diuina præcepta pro poſſe impleant, prælatorum ſuorum monita ſeruent, eorũ præſertim, qui verbo docent & opere,& ſub quorum ducatu illorum cura dirigitur. Iis namque puro affectu obſequendum eſt, quo cum vita laudabilis eſt, conuerſatio imitanda, doctrina ſancta ſolicitudo indefeſſa, fides recta,& zelus ĩſidet animarum. Ad hoc apoſtolica exhortatio inuitat Heb. 13. dicens: Obedite præpoſitis veſtris,& ſubiecti eſtote illis, ipſi enim inuigilant, quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris. Optimum ſane conſilium ſuper aliorum humeros onera propria imponere,& alterum pro ſeipſo apud Deum inſti- 1. Cor. 3 tuere debitorem. Omnes (ait Apoſtolus) ſtabimus ante tribunal Chriſti, vt recipiat vnuſquiſque quę geſsit in corpore, ſiue bonũ ſiue malum. Ab hac prorſus diſcuſsione & huiuſmodi diſtricto examine verus liberatur obediens, qui cuncta ad arbitrium peragit imperãtis, ſuumque velle ac nolle in manu ſponte ſtatuit præceptoris. Hoc autẽ quale ſit bonum, quantive apud Deum ſit meriti, ignorant qui ſecularibus ſunt implicati negociis, curæ rei familiaris vacant, quos in cumulandis cõſeruandiſve terrenis facultatibus quotidie deſudare oportet. Iſtis proculdubio ſufficit ad ſalutem prælatis ſuis debitum obedientiæ honorem impendere, eorumque decreta ſeruare: & ſi quas neceſsitates perferunt, alacri animo miniſtrent. Nam dignum eſt, vt qui ſpiritualia tribuit, terre- 1. Cor. 9 na recipiat. Sic & Apoſtolus ait: Si miniſtrauimus vobis ſpiritualia, non eſt magnum ſi carnalia ve- Mat. 10. ſtra metamus. Et Dominus: Dignus eſt (inquit) Ioſ. 13. operarius mercede ſua. In lege quoque ſcriptum eſt: Tribui autem Leui non dedit poſſeſsionem, ſed ſacrificia & victimæ Domini Dei Iſrael, ipſa 1. Cor. 9 eſt hæreditas eius. Alioque in loco: Nõ alligabis Ibid. os boui trituranti, quod Paulus exponens dicit: Nunquid Deo cura eſt de bobus? ſed propter nos dictum eſt, vt qui annunciat Euangelium, de Euangelio viuat. Qui enim animarum præſunt regimini, illique ſacramenta miniſtrant, necnon, & qui verbum Dei prædicant palam, debent ſuſtentari ab iis, pro quorum ſalute vigilant. Subditorũ quippe abundantia decet, vt præpoſitorum impertiatur inopiæ, quatenus ſine triſtitia miniſterium ſuum exoluant. Exhibeant igitur qui alligati ſunt ſeculo, ſpiritualibus patribus animarum ſuarum temporalium rerum ſtipendium, & tanquã miniſtris Chriſti, ipſius in terra vicem gerentibus debitum præbeant obedientiæ famulatum, non quidem vt hominibus, ſed vt placeant Deo quoniam, teſtante propheta, Deus diſsipat oſſa eo- Pſal. 52 rum, qui hominibus placent, confuſi ſunt, quoniam Deus ſpreuit eos. Verum ſi quid minus correctum aut redargutione dignum in eis perſpexerint, damnare vereantur propter id, quod ſcriptũ eſt: Tu quis es, qui iudicas ſeruum alienum? ſi ſtat Rom. 14 ſuo domino ſtat,& ſi cadit, ſuo domino cadit. Diſpliceat illis malum quod in paſtore intuentur, ſi tamen manifeſtum malũ eſt, nec excuſari poteſt, eccleſiaſticæ deferant dignitati. Eliciant ex ſpinis lilium, granum ex ariſtis, ex metallis cæteris aurum, atque ex humanis paſtoris actibus delectabile Deo obedientiæ germen. Diſcant denique ab ipſo non quod facit, ſed in quibus eidem obedire oporteat.

Quomodo per arcam Noe eccleſiam figuratam fuiſſe cognoſcitur. Cap. XIII.

SAcra narrat hiſtoria, quòd ab ipſo mundi exordio quum cœpiſsent homines multiplicari ſuper terram, creuiſsetque eorum malitia coram Domino nimis, adeo vt omnis caro corrumperet viam ſuam,& eſſet tota humani cordis intentio prona ad malum omni tempore, atq; Deum pœniteret hominem feciſse, velletque aquis diluuii vniuerſam perdere creaturam, ipſum Deum patriarchæ Noe mandaſse atque dixiſse; Fac tibi arcam de lignis læuigatis, in qua manſiũ- Gen. 6 culas facies & triſtega, bitumine liniens, vt excreſcentibus vndis omne ſemen animæ viuentis ſaluetur tecum in illa. Hoc veritatem & figurã fuiſſe dubitet nemo. Veritas quidem fuit opere completa ſicut diuina fantur eloquia, ſed poſt multorum annorum curricula reuelante Spiritu ſancto per os prophetæ ſanctiſsimi prolata. Figura quoque extitit militantis eccleſiæ, quam ſpiritualis & præfiguratus Noe, Dominus videlicet noſter Ieſus Chriſtus ſanguinis ſui effuſione fundauit, cõgregauit, ſanctificauit, atque redemit. Extra illã quiſquis fuerit, delictorum ſuorum ſubruetur in vndis. Refugii ipſa eſt locus, requietionis portus ſalutis habitaculum, delinquentium receptaculũ, vitæ ianua, remiſsionis diuerſorium, templũ orationis, ſacramentorum domus, pœnitentiæ ſpes, fidei norma, magiſtra veritatis, Chriſti ſponſa, rena-

renaſcentium mater, columna immobilis, hortus concluſus, deliciarum paradiſus, nuptialis thalamus, columba dealbata, regina ſpecioſa, immaculata virgo, & æterni patris prædilecta filia. In ipſa ſiquidem tãquam in arca ſpirituali inſtitutæ ſunt intellectuales manſiones, diuiſi ſunt cohabitantium ſtatus, diſtincta officia, miniſteria diuerſa, profeſsiones multifariæ, dona varia, gradusq; inęquales ad vnum tendentes & in vnitate compoſiti ac compacti, hoc vtique charitatis obediẽtia *Pſal. 44.* faciente. Eſt nanque (ſicut de eadem legitur) regina aſtans à dextris ſponſi in veſtitu deaurato circundata varietate, quæ profecto varietas reddit illam decoram in ſe, Deo amabilem, ſponſo chariſsimam, admirabilem angelis, & ſpiritib. nequã terribilem veluti caſtrorum aciem ordinatã. Sunt quippe in illa, qui conuerſantur in ſeculo & militant Deo, qui diuino repleti timore innocenter cum hominibus degunt, Deo conſcientiam offerunt mundam, temporalia bona, quæ poſsident, ſine voluntaria ſui conditoris offenſa miniſtrant, quemadmodum Apoſtolus quoſdam ſeculi curis *1. Cor. 7.* deditos hortatur dicẽs: Reliquum eſt, vt qui vxores habent, tanquam nõ habentes ſint, & qui flẽt, tanquam non flentes, & qui gaudent tanquã nõ gaudentes, & qui emunt tanquam non poſsidentes, & qui vtuntur hoc mundo tanquam non vtãtur. Horum profecto magna eſt numeroſitas diſcreta ab inuicem, ſicut gratiarum diuerſitate, ita & exercitatione virtutum. Sunt etiam alij deſiderio & vita præſtãtiores iis, quos memorauimus qui abdicatis à ſe omnibus mundi illecebris non ſolũ carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis crucifigere ſatagunt, verum etiam viriliter dimicãt cõtra aereas poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpirituales nequitias in cœleſtibus. Omnes profecto videlicet tam illi, qui ſecularibus negociis implicantur, & cum mundi dilectoribus conuerſantur, quam ii, qui ſeculo renunciantes ſub diſciplina regularis obſeruantiæ altiſsimo famulantur, oportet ſuper ſe volũtariæ obedientiæ iugum accipere, ſi futuræ beatitudinis cupiunt regnum intrare. Eſt quippe obedientia cæleſtis aulæ ſalutare & patẽs oſtiũ, per quod electus quiſque ingreditur. Cæterum quum hæc virtus ſit communis vniuerſis prædeſtinatis ad vitam, habet tamen itinera diſcreta, quibus per ipſam peruenitur ad requiem. Alia nanque obediẽtiæ lex indicitur iis, qui poſsidẽt propria, & Deo placere conantur: atque alia proponitur iis, qui volunt eſſe perfecti. Vtrunque etenim Saluator noſter commendando indicauit. Nam quum quidem (ſicut Euangelica narrat hiſtoria) acceſsiſſet *Matt. 19.* ad dominum & eundem interrogaſſet dicẽs: Domine quid faciendo vitam æternam poſsidebo? illicò audire promeruit: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Hæc omnia quum ſe iſte à iuuentute ſeruaſſe perhibuiſſet, mox dominus intulit: Vnũ (inquit) tibi deeſt ſi vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me, & habebis theſaurum in cœlo. Primis ſiquidem licet abſque immoderato affectu poſsidere quæ habent propria: ſecundis autem incumbit neceſsitas renunciandi propriis facultatibus & pro Chriſto abnegandi ſeipſos. De illorum itaque differendum eſt ſtatu, qui commorãtes in ſeculo, ad propriæ ducuntur arbitrium voluntatis, nihil tamen à lege diuina prohibitum perpetrare ſatagẽtes. Talium profecto eſt repleta eccleſia, qui cum reprobis admiſcentur tanquam cum zizania triticum. Nam ſimul ad eccleſiam pergunt, cohabitant ſimul & pariter ſacramenta percipiũt quamuis inæquali affectu & guſtu. Hominibus quippe ignoti ſunt, Deo autem manifeſti. Nam ipſe nouit qui ſunt eius, & qui ad interitum ſempiternum, qui verò ad vitam ſint prædeſtinati perpetuam. Ante enim quàm extrema veniat iudicii dies, priuſquam vniuerſalis fiat reſurrectio mortuorum, permixti ſunt in eccleſia electi & reprobi, ſicut in arca diluuii tempore animalia immunda & munda, & ſicut lolium puro grano ſociatũ. Tunc nanque quum dominus ſedebit in throno maieſtatis ſuæ, ſeparabuntur abinuicem: tũc qui ad dexteram & qui ad ſiniſtram collocandi ſint, eluceſcet indubie. Interim autem vnicuique debet ineſſe ſolertia peruigil taliter viuendi, vt mereatur collocari ad dexteram. Quanquam enim hoc ex mera Dei proueniat gratia, dicente Paulo: *Eph. 2.* Gratia Dei ſalui facti eſtis & non ex vobis, neceſſe tamen eſt, vt in adultis interueniant opera de radice charitatis prodeuntia, vt in opportuno tempore miſericordiam capiamus. Hoc teſtatur dominus, qui iudicaturus viuos & mortuos conſtitutis ad dexteram dicturus eſt: Venite benedicti patris mei, poſsidete paratum vobis regnum à *Matt. 25.* conſtitutione mundi: Eſuriui & dediſtis mihi mãducare: ſitiui & dediſtis mihi bibere: hoſpes eram & collegiſtis me: nudus eram & operuiſtis me: infirmus & viſitaſtis me: in carcere eram & veniſtis ad me. Hac de cauſa bonitas Dei noſtri præcepta dedit tam veteri populo quàm ſub nouo teſtamẽto poſito: & vt opere impleantur indixit, quatenus interpellante iuſtitia, quæ reddit pro actibus bonis mercedem, miſericordiæ nihilominus ſociata quiſque ſaluetur obediens. Mandatorũ igitur obſeruantia ad beatitudinem tendere deſiderantibus eſt prorſus neceſſaria: eorum videlicet, quæ in lege mandantur, & corroborantur ſua autoritate à domino, atque illorum, quę ſancta in cõciliis ſanctorum patrum per pontifices ſummos, ordinauit eccleſia. Non autem omnia, ſed legalia quippe pręcepta illa dixerim eſſe ſeruanda, quæ in duabus lapideis tabulis Dei digito ſcripta fuere, & moralia nuncupantur. Ex his namque tria ad cultũ Dei, reliqua verò ad proximi dilectionẽ dirigunt homines. Porro ex prioribus mandatis

mone-

monemur, Deū ex toto corde, ex tota anima & ex tota mēte diligere, ſanctificare ſabbatum, atque Dei nomen in vanum nequaquam aſſumere. Ex ſequentibus autem, videlicet in iis, quę ad proximi attinent dilectionem, compellimur honorare parentes, vt ſimus longæui ſuper terram: non occidere, non mœchari, non furtum facere, non falſum proferre teſtimonium, non deſiderare domum, neque concupiſcere vxorem proximi noſtri, nō ſeruum, non ancillam, non bouem, non aſinum, neque omnia quæ illius ſunt. Horum ſiquidem mandatorum quamuis obſeruantia ad conſequendam ſalutem ſit opportuna: minime tamen eorum tranſgreſſio eſt ſemper pernicioſa atque mortalis. Habent enim gradus ſuos, habent limites, quos præterire non licet: habent etiam intelligentiam ſpiritualem & veram, per quam operarius quiſque iudicatur & regitur. Hoc ſi non eſſet, nullus profecto fieret ſaluus. Quis (oro) valet Deū ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, ſicut iubetur, diligere? Perficitur iſtud mandatum in patria, vbi mortale corpus hoc immortalitatem, & corruptibile hoc induet incorruptionē vbi anima Dei cognitione, dilectione, & fruitione beata, erit de Deo plena, in Deo conſummata, & cū Deo indiſſolubiliter copulata. Nūc autē cor phantaſmatibus agitatur, cogitationibus, vanis & interdum etiam pernicioſis impellitur, laceratur, allicitur, ſeducitur, proſternitur. Anima verò fœdatur deſideriis noxiis, illecebroſis, terrenis atque ſuperfluis. Mens quoque oblitis cæleſtibus, quam frequentiſsime inhæret plus debito cōtra vetitum, & præter honeſtum temporalibus curis, negociis ſecularibus, & fugitiuis honoribus, quæ omnia mandati præuaricatores efficiūt, nedum ſeculares homines, verūetiā ſpirituales viri, quorum conuerſatio debet eſſe in cęlis, & eorū mens ſolum tractare cœleſtia. Quādiu igitur lex peccati dominatur in homine, à peccatorum labe nullus valet eſſe immunis, quamuis ſanctus, quamuis iuſtus ſit, atque perfectus. Hoc propheta gemebūdus expreſsit dicens: Nemo mūdus a peccato, etiam infans, cuius vita vnius diei eſt ſuper terram. Alius verò inquit: Omnes declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnum. (Pſal. 13.) In diligendo itaque Deum ex toto corde ſecundum formam mandati, in proferendo ipſius nomen minus reuerenter quam deceat, in ſabbatum ſanctificando ſicut præcipitur, quis non inuenitur reus? Cæterū quemadmodum in iis mandatis, quę ad pietatem & Dei pertinent cultum, omnes tranſgreſſores ſunt, æque & de illis, quę ad proximi ordinant dilectionem, abſque ambiguitate ab vniuerſis fatendum eſt. Quis enim proximum ſuum eo modo, ea intentione, eoque puritatis affectu, quo iubetur diligi, complectitur: Quis, quæſo, in hoc non claudicat mandato inmoderata victus affectione ſeu intentione obliqua ſeductus, ſiue vtilitate priuata attractus: Quis, inquam, erga proximum interdū iræ non agitatur ſtimulis, vel facibus non mouetur inuidiæ, aut rancoris veneno non tangitur? Magna prorſus res eſt & laude extollenda, quotidie conuerſari cum proximis, & iudicandi illos nequaquam in corde bella ſentire, maxime quum ſcriptum ſit: Proni ſunt ſenſus hominis ad malum ab adoleſcentia ſua. (Gen. 8. Oſe. 11. Pſal. 18.) O quoties in hoc mandato delinquimus & ignoramus. Delicta, inquit Propheta, quis intelligit? Et quia nemo ad plenum id valet, illicò adiecit: Ab occultis meis munda me Domine, & ab alienis parce ſeruo tuo. Cæca ſiquidē mens, & quæ propria infirmitate depreſſa calligat, non poteſt cordis ſui ſecreta rimari, neque motus diſcernere, ſed nec ipſos corrigere. More labentis aquæ, & tanquam folium quod à vento rapitur, huc illucque dirigitur, vult & non vult, nūc perſpicacitet intuetur, nunc ignorantiæ inuoluitur tenebris, interdum ſanctis igneſcit deſideriis, & repente arctatur ignauia, aliquando patiēs inuenitur, nedum ad rerum damna & conuicia, verumetiam ad contumelias & verbera: poſt paululum verò ita impatiens efficitur, vt non ſolum aliorum moueatur verbis, ſed & ſolus ſibiipſi & aduerſum ſe turbatus exiſtat. Nonnunquam charitatis quadam flamma ſuccenſus, dulcis vinculo dilectionis complectitur vniuerſos, breuis autem horæ poſtea tranſacto ſpacio neminem videtur velle agnoſcere, ſed neque ſemetipſum amare. Sæpe roboratus interius puro affectu diligit inimicos, & pro ſuis etiam perſecutoribus deprecatur: demum verò redditus ſibiipſi ſcandalizatur pro minimis, etiam aduerſus quos tenerrime diligebat. Crebris itaque dæmonum impulſionibus agitati, diuerſiſque propriæ infirmitatis paſsionibus ſuperati, qui abdicatis à ſe mundi illecebris, ſpretaque ſecularium hominum cohabitatione mutua, Deo per internam quietem vacare nituntur, frequentiſsime mandati huius præuaricatores exiſtunt. Cæterum ſi Deo dicati, & contra ſemetipſos ac vitia dimicantes perfectionis arcem conātur aſcendere, dilectionis proximi trāſgreſſores ſunt: quid, oro, de iis dicendum eſt, quorum conuerſatio cum ſeculi amatoribus & in hoc ſeculo eſt: in quo vtrique vigent adulteria, fornicationes, furta, fraudes, falſa teſtimonia, iræ, rixæ, æmulationes, homicidia, veneficia, oppreſsiones, periuria, oblocutiones, detractiones, mendacia, irriſiones, omnium peccatorum genera? In ipſo ſiquidē abūdāt ſcelera, & quæ diuinę inimica ſunt legi. Frater ſupplātat fratrē, vir proximo ſuo inſidiatur, & amicus in negociis circūuenit amicū. Hæc ſcelera ideò perpetrantur, quia proximi dilectio, quæ malū nō operatur, deficit, & amor Dei & hominū tepeſcit in corde. Da diligentē Deū, etſi nō ex toto, vt præcipitur, corde, tamen ſuper omnia: da etiam fratrem ſuum mutua affectione amantem,

tem, & agnoſces enormia, quæ prolata ſunt, in illo deeſſe peccata. Quamuis enim iuſtus quiſque in multis delinquat, & aliquãdo in Deũ, aliquando verò peccet in proximum: non tamen ſic efficitur reus, vt totaliter amittat gratiam, perdat iuſtitiam, & ab eccleſiæ ſe dirimat vnitate. Sunt nãque qui ex infirmitate, & ſunt qui ex ignorantia, & ſunt qui ex deliberata malitia atque peruerſa voluntate offendunt. Illi profectò ſoli inobedientiæ ſunt plectendi ſupplicio, qui mandato Dei neglecto proprias perficiunt voluntates, paſsionib. ſuis ſcienter aſſenſum præbent, & deſideria ſua à lege prohibita diuinis iuſsionibus anteponunt. Tales quippe iuſti eſſe non poſſunt, dum delectationibus ſeculi & carnis intenti deſideriis, plus ſibipſis quam Deo placere conantur. Non autem ſic vir iuſtus Deum timens & innocenter viuẽs. In omnibus vtique ſtudet obtemperare altiſsimo & ſedulum eidem ſubiectionis ac reuerẽtiæ exoluere famulatum. Nunc illum precibus & donis, nunc laudibus & gratiarum actione honorificat, frequẽter eleemoſynis & carnis maceratione, atque pietatis operibus inſiſtendo illum ſibi placabilem reddit. Vbique & in cunctis negociis ſe exhibet præſentem Deo, diuina ſibi proponit præcepta, & qualiter Deum, qualiterve proximum ſicut ſe diligere valeat, ſedulò meditatur. Scit enim vniuerſam legem atque prophetas ſub hac Dei, & proximi dilectione ſubſiſtere. Hinc eſt quòd ſummopere cauet, ne aliquod proximo ſuo ponat offendiculum, obiiciat ſcandalum, aut delinquendi occaſionem tribuat: quæ omnia latori legis charitatis plurimum aduerſantur, atque ſaluti hominum nocentur eſſe contraria. Verum ſi ſæpiſsime tanquam homo vænundatus ſub peccato dilectionis præcepta tranſgreditur, non hoc voluntate peragit peruerſa, ſed potius ignorantiæ, vel infirmitatis, ſeu malæ conſuetudinis ductus impulſu: à quo vtique ſuperatus quemadmodum multa vi mala, quæ facit, delicta vitare non poteſt, ita bona plurima quæ eſſe facienda diſcernit, perficere nequit. Fit autem ex hoc vt iuſtus quiſque dum intelligit in membris ſuis eſſe legẽ, quæ repugnat legi mentis ſuæ & rationi, captiuat que eum in lege peccati, quæ eſt in membris eius, ſibiipſi interdum efficiatur onerotus, ac gemebũdo corde apoſtolicum illud promat & dicat: Infelix homo quis me liberabit de corpore mortis (Rom. 7.) huius? Propter eum tamẽ, qui illum nutrit in ſpe, etiam nolens voluntarie neceſsitatem patitur delinquendi, non quia peccare eidem libeat, ſed quoniam naturæ corruptæ ſtimulos nequaquam à ſe valet abiicere. In hoc itaque conflictu carnis, & ſpiritus virtutum & vitiorum, infirmitatis & gratiæ iuſtus viriliter dimicando plus iuſtificatur adhuc, atque in obedientiæ virtute quotidie creſcens ad perfectionis celſitudinem perſeuerando conſcendit. Aggreditur nanque ardua, perfert aſpera, oblitiſque præteritis ſe ad anteriora extendit, vt tam diuinæ legis, quàm eccleſiæ ſanctæ mandata cuſtodiat.

De duobus conuiuijs nuptialibus, in qua non niſi per Chriſtum fidelis omnis ingreditur.
Cap. XIIII.

NVptialis conuiuii delicias guſtare cupiẽtibus opus eſt, vt illis aperta ſit ianua qua ĩtratur. Nã aliunde quiſquis ingreditur, fur, & latro eſſe cognoſcitur. Eſt quippe cõuiuium æternæ refectionis omnium deliciarũ affluentiſsimum, quod paratum eſt iis, qui in hac peregrinatione laudabiliter conuerſantes in bonis operibus & Deo gratis vitæ ſuæ terminum cõpleuerunt. In hoc (inquam) conuiuium nullus immũdus, nullus ingreditur vitiorum ſorde pollutus. Nam ſicut in illo omnia lucent, omnia placẽt, omnia cõditorem ſuum laudant, venerantur, & colũt ita vniuerſi qui recipiũtur in illud, oportet vt ſint ſancti, ab omni delictorum macula mundi, quatenus conformes efficiantur conuiuantibus cæteris, angelicis videlicet ſpiritibus, qui nullo vnquã ſe peccati coinquinauere contagio. Huius ſiquidẽ conuiuii ianua Chriſtus eſt, quemadmodum ipſe perhibet dicens: Nemo venit ad patrem niſi per (Ioan. 14.) me. Eſt & alius cõuiuii locus, in quo exuberant deliciæ ſpirituales multæ, ſed non ſimiles prioribus & æternis. Porrò reficiunt iſtæ ad tempus conuiuantium mentes, minime verò ad ſatietatem. Saтiabor (Pſal. 16.) (inquit propheta de æternis) quũ apparuerit (Pſal. 35.) gloria tua. Idemque ad Deum in ſpiritu loquẽs ait: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te eſt fons vitæ. De temporalibus autem & ſpiritualibus inquit Sapientia: Qui me edunt adhuc eſurient, & qui bibunt adhuc ſitient. (Eccl. 24.) Hinc eſt quòd dicimus domino: Panem noſtrum quotidia- (Matt. 5.) num da nobis hodie. Nam & manna quamuis de cœlo daretur, ſingulis tamen diebus opus erat vt colligeretur: quatenus tacite peregrinantibus in hoc ſeculo, tanquam in deſerto ambulantibus inſinuaretur, vt ſine intermiſsione cibum potumque ſpiritualem quærerent, nequaquam de priori ac ſumpto contenti. Quamuis enim guſtata deuotio, & ſapientiæ aqua potata interiorem nutriant hominem, & à carnalibus voluptatibus alienum faciant, non valent tamen ita ſufficientiam præſtare famelico, vt denuo non eſurire ac ſitire cogatur. Nec ab re. Nam quamdiu ſumus in corpore peregrinantur à Deo, per fidem ambulantes, non per ſpeciem. Quod enim in hoc præſenti apponitur conuiuio aut ſub literæ velamine, vel ſub ſacramentorum inuolucro, ſiue ſub figuratum exhibetur myſterio. Quamobrem neceſſe eſt, vt id quod percipitur, meditando & ruminando mandatur, atque guſtu quodam delectabili glutiatur, non tamen ad libitum affluenter. Iuſtum

quippe eſt, vt alia ſit eorum, qui in hoc ærumnoſo degunt exilio, atq; alia eorum, qui cum Chriſto in cœlis regnant ſpiritualis refectio. Illa namq; quæ conuiuantibus offertur in patria: quoniam in propatulo eſt & reuelata Dei viſione donatur, ſumitur ſine labore, necnon cum omni ſuauitatis delectatione guſtatur. Hinc eſt quòd fruẽtis deſiderium ſatietate repletur, admiratione mens, & affectus iubilo, Propter quę ſine ceſſatione Deum laudat, benedicit, glorificatq;. Tanta ſiquidem exuberat dulcedine, & tam ignito amore eleuatur in ſui amorem conditoris, & ſpiritualiter requieſcit in eo, vt neque explicari verbis, & cogitatione comprehendi. Hoc (vt arbitror) Apoſtolus exprimere voluit, quando dixit: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit dominus diligentibus ſe. [1. Cor. 2.] Non autem ſic illa, quę prębet iis, qui in hoc mundo viatores ſunt, quamuis ſpirituales ſint, & ſui conditoris præcepta cuſtodiant. Sapit quidem quum prę ſto eſt, & quum ſubtrahitur affectuoſe quæritur. Si quid autem de ea guſtatur, excitat potius deſiderium quàm quietet. Nã ſpiritualis dulcedo, quæ à deuotis mentibus prætereundo ſentitur, concupiſcitur quidẽ vt maneat, augeatur, perficiaturque, quoniam longe excellentiora, dulciora, ac prę ſtantiora eſſe noſcuntur illa, quę eos latet, quàm ea quæ parent: hoc vtiq; reuelante fide, quæ in cordibus electorum per dilectionem operatur. Oportet igitur illos, qui in carne mortali ſunt & militant Deo, per fidem incedere, in fideq; ſtare, ſi cupiunt prębibare quales ſint ſpirituales delicię, quæ in nuptiali conuiuio præſentis exilij Deum diligentibus apponuntur. Nempe quemadmodum nemo ad perceptionem æternorum gaudiorum dapumque cęleſtium niſi per Chriſtum ingreditur: ita neque ad intelligẽdum atque guſtandum ſacramenta eccleſiaſtica, quæ fidelium ſunt latentes deliciæ, & in eccleſiæ triclinio inſtituta miniſtrantur. Audi ipſum dominum vtrunque dicentem: [Ioan. 10.] Ego (inquit) ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſaluabitur, ingredietur, & paſcua inueniet. Ingredietur vtique in eccleſiam per me credendo me eſſe Dei filium, patris verbum ſine initio genitum, per quod facta ſunt omnia, & à quo iuſtificantur quotquot ſaluandi ſunt virtute ſacramentorum, & fide, & in ipſis ſpiritualia inueniuntur paſcua. Porrò in ipſis ſacramentis quemadmodum latent diuina opera: ita & delectationes immenſæ, præcelſa dona, veritates innumeræ communicantur pure credẽtibus, accedentibus non ficte, ardenter diligentibus, ac deuote ſumentibus. Horũ ſiquidem fructus, taliumque merces eſt, conſummato prę ſentis exilij agone, exire de corpore, & ſupernorũ ciuiũ intereſſe deliciis, atq; diuinę contemplationis paſcuis virentibus ſaginari. Ad hæc verò nullus ingrediendo admittitur, niſi qui prius in eccleſiam ingreditur, in Chriſtum credat, ſacramentiſq; cęleſtibus ſanctificetur, muniatur, perficiatur. Hæc enim eſt Chriſtianæ religionis regula, vt quiſquis ſaluari deſiderat, credat abſque ambiguitate vera eſſe, quæ per dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtum honorabilẽ, & ſummum cunctorum pontificũ pontificẽ ſunt inſtituta ſacramenta, & per epiſcopos ac ſacerdotes eius in eccleſia quotidie miniſtrantur: quæ videlicet ſicut nequeunt à malis pollui, ęque non valent à bonis augeri: quoniam non in miniſtrantium meritis; ſed in Chriſti inſtituentis virtute ſubſiſtunt. Ipſe eſt .n. lapis viuus, & petra angularis, ſupra quam ſpirituale eccleſię ędificium conſtructum eſt: in qua videlicet eccleſia oſtium, per quod ad ęternã ingreditur vitam, eſt inuiolabiliter collocatum. Ipſe (inquam) dominus Ieſus eſt, qui per lauacrũ regenerationis ſaluandos purgat à crimine, reconciliat Deo, coęquat angelis, copulat eccleſię, tranſmittit ad regnum. Huic veritati Ioannes Baptiſta teſtimonium perhibuit dicens: Qui miſit me baptizare, ille mihi dixit: Super quem videris [Ioan. 1.] ſpiritum deſcendentem, & manentem, ipſe eſt, qui baptizat, & ego vidi, & teſtimonium perhibui, quia hic eſt filius Dei. Quamuis enim miniſter viſibiliter infundat aquam, proferat verba & corpus abluat: ipſe tamen dominus inuiſibiliter originalis culpę aufert debitum, confert gratiam, nouamq; inſtituit creaturam. Verbo ſiquidem ſuo, per quod facta ſunt omnia, ſanctificat aquam, & de elemento efficit ſacramentum, per quod credentes & renati diuinę fiunt conſortes naturę. Hoc quicunq; caruerit, gloriam Dei videre non poterit; quemadmodum ipſe inſinuat dicens: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non intrabit in regnum cœlorum. [Ioan. 3.] Quantacunq; igitur quis morum polleat maturitate, aut operum bonorum numeroſitate clareſcat, laborat vtiq; ſuperuacue, & nihil ei prodeſt ad vitã, ſi non ſacroſancta baptiſmatis ablutione mundetur, ſi nõ mãdatis obedit eccleſię, & ſi nõ corporis, & ſanguinis Chriſti veneranda myſteria ſumit. Ipſe namq; ait: Niſi manducaueritis carnẽ filii hominis, & biberitis eius ſanguinem, nõ habebitis vitam in vobis. [Ioan. 6.] Adultis quippe hęc loquitur, & ratione vtentibus, quibus ab eccleſia indicta eſt lex, vt vitæ percipiant pabulum, ſi gaudiorum cœleſtium cupiunt eſſe participes. O mirabilis filii Dei dignatio, ò noſtri ineffabilis dilectio redẽptoris, quàm dulciter, quàm fortiter, & quàm ſapienter homini cõpaſſus es perdito. Ad abolendam vtiq; originalis delicti maculam, ob quam ęternę mortis idẽ homo factus eſt noxius, lauacrum ſanctificationis ſanxiſti, vt omni veteris hominis languore ſanato, omnique corrupti fermenti contagione deterſa, fiat templum mundum, & gratiſſimum tuę receptaculum maieſtatis. Verum ne peregrinationis huius attritus

labo-

laboribus & ærumnis præ laſsitudine in via deficiat, ſacratiſsimo corporis tui alimento ſatiaſti. Non enim ò æterna ſapientia corruptibili mãna, non taurorum aut vitulorum carnibus ſicut eos, qui ſub lege erant populum tuum nutrire voluiſti: ſed de te agno innocentiſsimo animarum cibo, & ęternę vitę ſpirituali edulio. Non (inquam) ſemel tãtum ò melliflua bonitas, ſed quotidie te immolari, teque ſumi complacuit tibi, quatenus ſicut ex culpæ debito, ac quotidianis facinoribus ſine ceſſatione ad ima dilabitur, ita ſacramento tuo refectus, tua roboratus virtute, gratiæque tuę dulcedine recreatus corde & affectione eleuatur ad ſumma. Merito ſiquidem per te erigitur ad te, & de ſe tranſit in te, dum pura mente, fide nõ ficta, deuotione ignita, atque humili pietate in ſe ſuſcipit te totum, Deum verum, vitæ verbum, ſplendorem gloriæ, beatorum præmium, angelorum dominum, candorem æternæ lucis, & ſine macula ſpeculum ſempiternum. Qua (oro) ratione nõ transformatur totus in te, quum te, quem diligit, quem concupiſcit, in ſe tenet, amplectitur, veneratur, & laudat? Non cœlum tunc cogitatione aſcendit, non cœleſtia meditatur, dum delectabili tui potitur præſentia, tua allocutione liqueſcit, tuo amore ſtringitur, tuo reficitur corpore, & tua charitate flammeſcit. Tamdiu igitur ò domine Ieſu, tibi dilectum in hoc ſpirituali charitatis permittis exercere præludio, quandiu in hoc oneroſo detinetur exilio, diuinitatis tuę eidem regis gloriam, & tuæ potentiam tremendæ maieſtatis abſcondis. Quomodo enim præſumeret vermiculo vilior, te vniuerſorum dominum contrectare manibus, pollutiſque deoſculari labiis, quando longæuus ille patriarcha ſanctiſſimus Deum rogaturus aiebat: Loquar ad dominum meum, quum ſim puluis & cinis?

Gen. 18.

Dignatio quippe eſt iſta quàm maxima, vt cum Deo ſuo peccator homo tanquam cum amico confabuletur, illique cordis ſui æſtus pandat, & vota perſoluat. Cõputruit plane iugũ à facie olei, cõmutatus eſt ſeruilis timor in amoris canticum, & facti ſũt propè qui aliquando fuerunt longe, in hoc ſpirituali, iucundiſsimo, & ſacroſancto cõuiuio: quod quotidie in eccleſia à ſacerdotib. miniſtratur. Miniſtratur (inquam) & diuinæ offertur maieſtati ob memoriam charitatis eximiæ, quã Dei filius pro ſalute hominũ in crucis patibulo exhibere dignatus eſt. Nullus profecto valet humano explicare eloquio, quàm locuplex fructus, quantave ex huius oblatione ac perceptione ſacramenti ſpiritualia exuberent dona. Reconciliatur quippe peccator Deo, iuſtus autem iuſtificatur adhuc, lętificantur angeli, cumulantur merita, facinora remittuntur, augentur virtutes, reſecantur vitia, diaboli machinamenta ſuperantur, ſanantur ęgri, eriguntur lapſi, debiles refocillantur, famelici ſaturãtur, & defuncti fideles iſtius ſacramenti liberantur effectu. Operatur quidem in membris corpori myſtico cohęrentibus, & in charitate connexis. Nã pręciſis, & ab hoc corpore alienis ſacramentalis ipſa ſuſceptio, ad damnationem potius quàm ad ſalutem prouenire dignoſcitur, dicente Apoſtolo:

1. Cor. 11.

Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus domini. Quamobrem exhortando pręmonuit: Probet, inquit, ſe homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Probet vtique ſe de propriis reatibus compungendo, atque peccatorum pura ſe confeſsione mundando.

Quòd efficax ſit ad promerendum veniam cordis contritio, oriſque deuota confeſſio. *Cap. XV.*

Eſa. 1.

LAuamini (inquit dominus per prophetam ſaluandis) mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis. Non corporis ablutionem, ſed cordis cõmendat, pręcipitque munditiam. Aqua nanque corporales abolet maculas: ſpirituales verò delictorũ cõfeſsio ſalutaris. Hoc propheta intelligens dominum deprecabatur dicens:

Pſal. 50.

Aſperges me hyſſopo & mundabor: lauabis me & ſuper niuem dealbabor. Nouerat quippe non ſui eſſe arbitrii rectã ac Deo placitam de propriis facinoribus cõpunctionem habere, neque innocentiæ mentis ad libitũ obtinere candorem. Hoc ſpeciale eſt munus, ad profectum & meritum prærogatum electis. Nam clamor vocis, motus labiorum, verbalis cõfeſsio, tunſio pectoris, corporis inclinatio, & plura huiuſmodi ſunt quæ valet ex ſe coram Deo quiſque peragere, minime tamen humilitatem cordis, piæ compunctionis gemitum, & gratum faciẽtis charitatis poſsidere ſuſpirium. Hoc nãque ſolius Dei eſt opus. Præuenit enim gratia ipſius prædeſtinatos ad vitam, conuertit auerſos, veritatiſque infundit lumen habitãtibus in regione vmbrę mortis. Hinc vera ſuimet cognitio, hinc peccandi diſplicentia, & peccati horror emergit. Nempe quos vocat & iuſtificat gratia, replet dolore, compunctione, & gemitu, facit quoque vbertim lacrymas fundere, pœnitentiæ lamenta proferre, ſanctæ, puręque confeſsionis adiumenta ſuſcipere. Pręclarũ ſiquidẽ cęleſtis gratiæ indicium, atq; iuſtificati hominis medicamẽtũ quã maximum eſt delictorum humilis & deuota confeſsio, illa videlicet, quæ pro offenſi conditoris dilectione perficitur. Hoc ideo dixerim, quia non omnis eſt fructuoſa cõfeſsio. Quę enim ex ſolo imminẽtis mortis timore geritur, aut ſimulata intentione promitur, inutilis eſſe probatur. Sit igitur voluntaria, ſit recta, ſit humilis, ſit integra, ſit manifeſta, ſit lacrymoſa. Talis profecto ſi fuerit, placat Deum, lętificat angelos, ſerenat conſcientiam, criminum exoluit debitum, veniæ ſpem nutrit, ſeruilis

metus coercet ſtimulos, præſtat gratiam, præbet auxilium,immundorum ſpirituum propulſat fraudes,cęlum reſerat,reuelat myſteria, eleuat de terrenis,& prouehit in excelſa.Nemo plane explicare ſufficit verbis, humilis, veræque confeſsionis quanta ſint merita, quale gaudium, quantuſque ſpiritualis ſit in ea profectus.Dixi(inquit Propheta)

Pſal. 31.

confitebor aduerſum me iniuſtitiam meā domino, & tu remiſiſti impietatē peccati mei. Nullum quippe eſt tam graue delictum, quod non contritione, atque confeſsione tergatur. Negauit Petrus Dominum,fleuit amare,& illico reſtitutus eſt gratiæ. Facinora ſua in cruce confeſſus eſt latro, & poſt paululum cœlorum adeptus eſt regnum. Coram domino mulier peccatrix ingemuit, pro reatib. ſuis lacrymas fudit, pedes ipſius plorando lauit, crine deterſit, vnguento perunxit, & mox audire promeruit;

Matt. 9.

Mulier remittuntur tibi peccata tua. Magnum profecto eſt charitatis indicium, & præcipuum ſalutis humanæ remedium, atq; venerādum humilis confeſsionis ſacramentum, quod iubente domino in eccleſia noſcitur inſtitutum.In multis namq;& multimode omnibus quotidie delinquētibus dignatus eſt idem dominus Ieſus,tanquam peritiſsimus medicus,paterque piiſsimus,hoc ſingulare peccatorū vulneribus exhibere antidotū:quatenus illo vterentur fideles,quoties diuinæ legis iuſſa deſpiciēdo prętereunt.Quamuis enim ſola ad reconciliādum animam Deo ſufficiat cordis contritio, eſt tamen prorſus neceſſaria etiam oris confeſsio, quæ ſuo tempore,modo cōgruo,& ſacerdoti vero eſt peragenda.Cordis ſiquidem contritio ſemper eſt exercenda poſt lapſum,crebriſq; aſſocianda gemitibus,ac bonis operibus decoranda.Oris autem pia confeſsio eſt perficienda, ſicut edocta per ſpiritum ſanctum ſancta mādat eccleſia, quā proculdubio quanto quis exercuerit frequētius, tanto erit Deo propinquior,ſui interioris hominis perſcrutator clarior, ad virtutum exercitia alacrior,ad reſiſtendum peccato robuſtior,ad miſericordiam promerendam aptior,atque ad percipiendum chariſmata meliora ſine ambiguitate habilior. Porrò ſi amicus irrogās amico iniuriam ſibi illum reconciliare feſtinat,retardabitne homo culpam propriam accuſando detegere, quū lethaliter delinquit in Deum?Peccatorum namque aſsidua confeſsio charitatis eſt index, humilitatis germen,gratię radius,electionis pręſagiū, conſcientiæ decus, compunctionis filia, ſpei mater, orationis præcurſor, & reſolutionis corporis expectator intrepidus.Nemo quippe valet ſacramenti huius propalare præconia,laudabiles enarrare effectus,& quantum homini conferat edicere gratiam.Purgat ſordes,relaxat facinora,infundit lumen,& efficit de inimico chariſsimum.Huius ſacramenti miniſter eſt homo; ſed indulgentiæ largitor eſt Deus. Corporis auditum præbet ſacerdos: dominus autem ſcrutator eſt mentium: iuxta doloris menſuram præſtatur & donum. Illum plane ſoluit ſacerdos,quem præuenit gratia, confeſsio manifeſtat: Fœtebat in monumento Lazarus quatriduanus, vocatus à domino ſurrexit, exiit foras, & ab apoſtolis ſolutus liber eſt abire permiſſus. His paucis verbis erudimur, quid in hoc ſacramento miniſter,quid confeſsio,quidve in ſpiritu ſummus operetur ſacerdos. Ipſi quippe domino Ieſu in ſacerdotis perſona peccatorum ſunt vulnera aperienda,& palā dicenda, non ſub velamine, neq; ſub ficta palliatione verborum. Contritus namq; vere quemadmodum ei diſplicent delicta quæ fecit:ita cum rubore & mœrore accuſator eſt ſui,non alteri,ſed ſibi culpam obiicit.Ego(inquit)ſum qui peccaui,ego Deum meū offendi,conſcientiam propriam fœdaui, contēpſi legem, gratiam repuli, vitiis & dæmonibus me ſubegi,libertatem amiſi ſponte,& nemine cogēte deliqui. In his verbis cōpunctus ex corde pectus ſuū tundit, fundit lacrymas, emittit ſuſpiria, preces ingeminat,orat ex corde,aduocat ſāctos, angelos interpellat,ac Deo cum gemitibus errata commiſſa cōfitetur. Tātiſper verò proſtratus in humili poſtulatione perſeuerat,donec erga ſe dominum ſentit eſſe placatum. Nam diuina clementia nequaquam ſinit pęnitentem, & veniam humiliter flagitantem vacuum ab oratione diſcedere,dicente propheta:

Pſal. 50.

Cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Quot vtique in publicano patet humiliato, qui quum præ ſuorum confuſione delictorum in cœlum non præſumeret intueri, pectus ſuum oculis in terram demiſſis percutiendo aiebat:Deus propitius eſto mihi peccatori:

Luc. 18.

vnde de templo iuſtificatus exire promeruit. Fit autem perſæpe redemptoris noſtri ſe infundente atq; cooperāte miſericordia, vt poſt lapſum vero pęnitenti augeatur gratia maior quā habuerat,addatur ſpes gloriæ,atq; præclarior largiatur eidem de Dei bonitate cognitio,ita vt impleatur quod Apoſtolus ait:

Rom. 5.

Vbi abundauit delictum,ſuperabundent & gratia.Hinc delinquentium corda corroborantur in fide,& accēduntur ſui dilectione conditoris,qui cadentes erigit,ſoluit compeditos, pęnitentes viſitat, indulget cōfitentibus, necnon ad ſe humiliter redeuntes ad gratiam minime ſuſcipere dedignatur. Hoc ipſe profecto teſtatur,qui pro exhortatione peccantium, ſeque lacrymabiliter accuſantium, prodigi filii poſt conſumptionem patrimonii ad patrem reuertentis, & pii genitoris eundem cum hilaritate recipientis, parabolam proponere dignatus eſt.Cuius (oro)peccatoris ferreum pectus ad cōpunctionem non emolliant narrationis iſtius eloquia ſancta, in quibus affluentiſsime elucet, quantæ apud Deum ſit efficaciæ ſacrificium hominis culpam propriam agnoſcentis, facinora confitentis, & indulgentiam ex animo ſyncero

à do-

à domino ſupplicantis. Intelligitur præterea ex eadem patabola, quàm facilis ſit diuina benignitas ad ignoſcendum, quam miſericors ad compatiendum, & quam profuſa ad tribuendum. Quo-
Ezec. 18. tieſcunque (inquit dominus per prophetam) peccator ingemuerit, non recordabor amplius iniquitatum ſuarum. Mira res, mirabiliſq; miſericordia Dei & redemptoris noſtri. Gemit peccator intra ſe, doletq; perpetraſſe delictum, & confeſtim placatur altiſsimus. Confitetur errorem ſuũ, & ex hoc acquirit veniam. Non præfigitur tranſgreſſoribus certum tempus ad pœnitendum, nõ aditus negatur ad poſcendam indulgentiam, neque numerus ſtatuitur petitionum ad remiſsionis gratiam promerẽdum. Quoties (ait) ingemuerit non recordabor. Si ſemel, ſi bis, ſi decies, ſi cẽties, ſi millies illum peccaſſe pœnituerit, iniquitatum ipſius nequaquam memor ero. Hoc inſinuare voluit ſaluator noſter, quum Petro interroganti ſiuſque ſepties fratri aduerſum ſe delinquenti
Matt. 18. indulgere deberet, reſpondit inquiens: Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ad ſeptuagies ſepties: tacite videlicet ſignificans, vt quoties veniam petit, toties ignoſcat. Quod autẽ Petro Dominus indicauit eſſe faciendum, hoc ipſum agere erga miſericordiam flagitãtes dubitet nemo.
Luc. 6. Nam ipſius Domini eſt vox illa exhortationis, quæ ait: Eſtote miſericordes ſicut & pater veſter miſericors eſt, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos. Quantæ autem ſit miſericordiæ, quantæ pietatis, quantæq; circa delinquentes ſit clementiæ, quæ lingua proferre, quisve capere valet intellectus? Quamobrem inexcuſabilis eſt apud Deum quiſquis voluntarie peccat, & in delinquendo perſeuerat potiſsime, quum Dei bonitas ſit ad ignoſcendum paratiſsima, & ad percipiendum remiſſionem criminum via effecta ſit lata. Sinum nam que ſuum in perſona Domini ad ſuſcipiendos omnes toto terrarum orbe diffuſa ſancta mater expandit eccleſia. In ipſa ſiquidem pro ſalute vniuerſorum inſtituta ſunt ab eodẽ Domino ſacramenta: quędam vtique neceſſaria, nonnulla verò valde proficua. In eadẽ (inquam) eccleſia ſancti ſpiritus chariſmata largiuntur, ſapientiæ videlicet & intellectus, conſilii & fortitudinis, ſcientię & pietatis, atque timoris domini. In ipſa præterea ſpiritualia dona diuiduntur per ſpiritum, di-
1. Cor. 12 cente Apoſtolo: Alii quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alii ſermo ſcientiæ ſecũdum eũdem ſpiritum, alteri fides in vno ſpiritu, alii gratia ſanitatum in vnó ſpiritu, alii operatio virtutũ, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii verò interpretatio ſermonum. Verum in eadem etiam miniſteria impertiuntur à domino in ſingulis prout expedire cognoſcit. Ad ipſius vtique eccleſiæ regimen atque decorẽ
Eph. 4. quemadmodum Apoſtolus perhibet: Et ipſe (inquit) dedit quoſdam quidẽ Apoſtolos quoſdam autem Euangeliſtas, alios verò Prophetas, alios autem paſtores & doctores ad coſummationem ſanctorum, in opus miniſterii, in ædificationem corporis Chriſti. Ipſa denique eſt hortus deliciarum concluſus, & cœleſtium militum vallatus cuſtodia, ad quem quotidie ipſe Dominus ingreditur, imò in quo continue commoratur vt ſpõſus, currens atque diſcurrens, aſpiciens per feneſtras & proſpiciens per cancellos, perluſtrans corda, & ſingulorum cogitationes diſcernens, vota penſans, & acta diiudicans. Elatos quoq; præteriens declinat ad humiles, mites promiſsionibus futuris ſuſtentat, eſurientes iuſtitiam laudabilium operum pabulo nutrit, lugentes errata propria ſpei dulcedine conſolatur, mundis corde, ſe communicãdo inſinuat, pacificos tanquam filios charitate complectitur, patientes verò perſecutionem & perſetentes aduerſa cæleſtium gaudiorum expectatione confirmat. Eſt poſtremo ipſa eccleſia domus ſpiritualis, quam ſibi ædificauit ſapientia ad habitandum: in qua columnas erexit ſeptem argenteas, virtutes ſcilicet ſeptem in ſacro eloquio multipliciter commendatas, quæ nec veteraſcunt tempore, nec debilitantur onere, neque mouentur impulſu, quoniam in petræ ſoliditate locatę ſunt, ſicut & domus ipſa, quemadmodum Petro dicitur: Super hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Mat. 16. Hinc eſt quòd flantibus tentationum ventis, impellentibus tribulationũ aquis, aduerſariiſque debellantibus, licet quantulumcunq; agitati videantur, infirmitate tamẽ confeſsionis ſuæ laudabiliter perſeuerat. In hac vtique domo nuptiale conuiuium quotidie præparatur, ſaginatus diſcumbentibus apponitur vitulus, & calix vino meraciſsimo plenus, organa inſuper, & diuinorum eloquiorum cantilenæ iugiter ſuauiſsima modulatione promuntur, adeò Eſa. 62. vt de illa dictũ eſſe videatur, quod legitur: Super muros tuos Hieruſalẽ conſtitui cuſtodes, qui die ac nocte non tacebunt laudare nomen Domini. Quod quidem patet in nocturnis vigiliarum celebrationibus, in priuatis deuotarum orationum vocationibus, in piarum imbrium lacrymarum coram Deo humiliter fuſis, in gemitibus cæleſtium deſideriorum inenarrabilibus frequenter emiſsis, & in plurimis cæremoniarum eccleſiaſticarum ritibus, in quibus ſacroſancta Deum laudando, colendo, & venerando penè ſine intermiſsione occupatur eccleſia. Edocta quidem à ſpiritu ſancto, nunc diuino honori, nunc animarũ vacat profectibus, rectis in cunctis incedens greſsib. vtpote ęternę ſapientię directa magiſterio, quę illi poteſtatis, & ſcientię tradidit claues. Nã per poteſtatẽ cœlum reſerat, & claudit, ſeculi principib. reſiſtit & fauet, ligat & ſoluit, ita vt ratum habeatur in cęlo quicquid in terra ipſa peregerit. Scientię quoq; tanto eſt irradiata ſplendo-

re, vt valeat leges condere, ſtatuta firmare, ritus nouos inſtituere, & edicta ſancta mandare. Quã obrem tantæ eſt authoritatis apud Deum, tantique meriti, vt pari ſit pœna plectendus, qui eccleſiæ ſicut qui Dei iuſſa vilipendendo tranſgreditur. Diuinis itaque necnon eccleſiæ (quæ errare non poteſt) eſt obtemperandum præceptis, quæ conferunt gratiam, dona cumulant, augent merita, & promittunt gloriam. Qui enim iu mandatorum Dei obſeruatione viriliter obediendo certauerit, ad conſiliorum profectionem Deo aſpirante proficiendo conſcendet.

Quòd æquè in ſpiritualibus exercitiis, ſicut in corporalibus neceſſaria ſit lux. Cap. XVI.

Ambulantibus in via per opacas noctis tenebras prorſus neceſſaria eſt lux. Nam ſine luce irradiante peragrare prata floribus plena quid libet? Per ſemitas quoque incedere rectas, & ignorare quà pergitur quid prodeſt? potiſsimum quum tenduntur inſidiæ, & pericula incedentibus latent, quæ abſque luce proculdubio vitari nõ valent. Hoc in corporalibus itineribus, hoc etiam in ſpiritualib. exercitiis patet. Nam ſpiritualis quis ſine ſpirituali lumine effugit laqueos? quis (inquam) aetearum poteſtatum inſidias, & fallacias innumeras inimicorum inuiſibilium agnoſcit ad plenum, niſi ſapientię ſit ſplendore perfuſus? Non ſufficit naturalis acumen ingenii, ſi non introrſus erudiatur à verbo. Nec immerito. Mole namque corruptibilis prægrauatus corporis, ac infirmitatis propriæ obuolutus caligine, nequit ſpiritualiter ſpiritualia Sap. 9. iudicare. Nam (ſicut ſcriptum eſt) Corpus, quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit ſenſum multa cogitantem. Hinc opus eſt vt ſuperiori erigatur auxilio, manuducatur exemplo, & magiſterio reformetur. Iſta quum præſto ſunt, etiã ſupra modum proficiendo laborat. O quam rari ſunt, qui ſpirituales re & nomine cenſendi ſint. Vocabulum hoc denunciatione ſortiuntur multi: effectum verò ipſius pauci. Spirituales viros illos arbitror eſſe dicendos, qui carnales habentes edomitas voluptates carnem ſpiritui, mentem rationi, deuotioni affectum, intentionemq; animi æternæ ſubſternunt dominio ſapientiæ. Hæc quippe eſt regula diſciplinæ cæleſtis, hæc, inquam, eſt ſpiritualis forma virorum in carnę & ſupra naturam ſpiritualiter conuerſantiũ, & quotidie proficientium in idipſum. Ad hanc capeſſendam neceſſe eſt, aſsiduis macerari vigiliis, creberrimis inſtare precibus, orationibus penè vacare continuis, ſuique cordis infatigabili vigilare cuſtodiæ. Nullus ad hunc, de quo loquimur, perfectionis aſcendit gradum repente, ſed poſt ſudores, poſt tẽtationes plurimas, poſt varia hominũ, dęmonumq; certamina, & poſt adeptas pro Chriſto virtutum palmas. Nam etſi ſint nonnulli, qui viſitãte gratia interdum, & ad tempus in actibus aliquibus ad culmen perfectionis attingant, in eo tamen minimè perſeuerant; ſibi nanque ipſis redditi fluctuant, vagãtur, impelluntur, cadunt. Sine radice quippe virtutum quum ſint, & certãdi experientia careant, opus eſt vt ad ima deſcendant. Huiuſmodi autem nequaquam diffidant, neque deſperent. Quoties enim relabuntur, & cadunt, velociter ſurgant, deſiderio proficiendi incaleſcant, pugnandi animoſitate roborentur, orationi ardentius incumbant, cordiſque humilitatem ſummopere obtinere peroptent. Fiet nanque diuina in illis cooperante clementia, vt ex vſu proficiant, ex actu cognoſcant, ex viſitatione diligant, atq; ex magnanimitate perueniant, duce ſemper & comitante ſapientia, ſine qua humana iacet virtus, hebetatur ſcientia, deficitque cõſtantia. Ipſa vtiq; eſt, quæ apparens in carne exẽplo ſuo, atque eruditione veriſsima perfectionis viam, & ſanctæ religionis ſemitas patefecit dicẽs: Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia, quę habes, & da pauperibus, & ſequere me. Mat. 19. Alioque in loco: Qui vult (inquit) venire poſt me, abneget Luc. 9. ſemetipſum, & tollat crucem ſuã, & ſequatur me. Conſulentis quippe, non præcipientis eſt talis iſta ſuaſio. Hortatur ſiquidem eos, qui ſuo cupiũt digni eſſe conſortio, abnegare ſeipſos, crucẽ ſuã tollere, ipſumq; pro poſſe virtutibus imitari. Arduum profecto eſt, vt quis velit abnegare quod eſt, cunctas à ſe abdicare corporis voluptates, propriã libertatem vendere, & alieno ſe realiter ſubdere arbitrio. Nẽpe diſcipulorum Chriſti eſt iſta congreſsio, qui cœleſti benedictione pręuenti, & ſpirituali luce perfuſi, atque dulcedine diuina repleti, pro ſui conditoris amore carnem ſuã cum vitiis, & concupiſcentiis crucifigere non verentur, animam ſuam periculis exponere nõ formidant, & voluntatis ſuæ motus ſub obedientiæ diſciplina cohibere contendunt. Horum propugnatorum magnus eſt numerus, tametſi comparatione cæterorũ ſit valde exiguus. Nec mirum. Humanas prorſus ſupergreditur vires, & fragilis naturę nequaquam imbecillitas patitur, vt morti ſponte ſe quiſquam ſubiiciat. Mortẽ vtique hanc nuncupauerim, quando homo adhuc in carne degens ſe in ſpiritu arbitratur eſſe defunctum, ſuamq; odit animam, vt in æternam vitam illam ipſe cuſtodiat. Præclarum proculdubio eſt iſtud ſpectaculum, gratiſsimum Deo, beatiſsimis ſpiritibus omnino mirandum, atq; ab iis, qui rationales ſunt, extollendum laudibus, operibuſque ſectandum, ſi tamen inuitati ſunt, ſi adiuti, ſi tracti. Ad nuptiale conuiuiũ (ſicut legitur) inuitati ſunt multi, ſed quoniam tracti minimè extitere, alius Matt. 22. in villam, alius verò ad negociationem proficiſcẽs, ſe excuſãdo ęterno priuauere cõuiuio. Porrò parum eſt ſpirituales inuitari ad nuptias, niſi quis adiuuetur atq; trahatur. Adiuuatur (inquã) quum gratis donatur velle: trahitur autẽ, quãdo

coope-

cooperante gratia etiam tribuitur poſſe perficere: Ioan. 6. Magiſtrum veritatis audi dicentem: Nemo venit ad me, niſi pater, qui miſit me, traxerit eum. Trahit nanque pater ad filium conferendo gratiam, infundendo lumen, præbendo guſtum, & manifeſtando ſe. Iſta quippe ſi deſint, qui inuitati ſunt, remanent foris, & excluduntur à regno. Trahi profecto à patre non eſt volentis, neque currentis, ſed ſolius ipſius miſerentis. Hoc propheta inſinuare volens, de patribus veteris teſtamenti loquens ait: Non enim in gladio ſuo poſſederunt terram, Pſal. 43. & brachium eorum non ſaluauit eos, ſed dextera tua & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam cõplacuiſti in eis. Inuitatus itaque quis ad nuptias gaudeat, conſentiat, & oret, vt cum effectu trahatur. Inuitatus (inquam) à domino, vt omnibus, quæ poſſidet, renunciet, & vt abneget ſemetipſum, tollat crucẽ ſuam, & ſequatur Chriſtum. Quanquam ſupra vires, ſupra naturam, & laborioſiſſimum eſſe videatur, non contradicat vocanti, nec reſiſtat gratiæ, neque trahentem repellat, quin potius gratias agat, aſſenſum tribuat, crucemque baiulando contra ſe viriliter dimicando decertet. Agat, inquam, gratias Deo, quia gratis vocatur, non vtique ab hominibus, non ab angelis, ſed à Deo, nec qualicunque vocatione, ſed ſancta, ſpirituali, ſed cœleſti, de qua Apoſtolus ait: Qui vocauit nos in ſortem ſanctorum in lumine. Vocantur plane multi ad fidem dicente domino, quòd multi ſunt vocati. Illorum tamen ſic vocatorum pauci ſunt, qui huiuſmodi, de qua agitur, vocatione ſint digni. Cõmunis eſt illa: iſta verò ſpecialiſſima. Primis nanque præcipitur, vt ſeruent mandata ſi volunt ad vitam ingredi, ſecundis autem conſulitur, vt vendant vniuerſa, quæ habent, & pauperibus tribuant, ſi cupiunt eſſe perfecti. Primis licet vxorẽ habere, procreare liberos, educare parentes, familiam regere, poſſeſſiones emere, conſtruere prædia, negociationem exercere, & pecunias moderate aggregare. Secundis verò vniuerſis iſtis renunciare per exhortationem indicitur, vt locupletem theſaurum ſibi in cælo acquirant. Primis vita tantum æterna promittitur ſecundis autem iudiciaria ſedes, merces centuplicata, & gaudia pollicentur æterna, ipſa veritate aſtruente quę ait: Amen dico vobis, quòd vos, qui Matt. 19. ſecuti eſtis me, in regeneratione quum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim iudicantes filios Iſrael & omnis, qui reliquerit patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut fratres, aut ſorores, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Maxima prorſus eſt iſta promiſſio: quæ omnibus ſeculi ſupereminet dignitatibus, cunctas temporales præcellit facultates, atque vniuerſa viſibilia oblectamenta tranſcendit. Aequiſſimum profecto fuit, vt ſaluator noſter Dei virtus & ſapientia nihil tranſitorium, nihilque, quod ſit commune bonis & malis profeſſoribus ſui pro eorum offerret remuneratione laborum, ſed quod præ ſui magnitudine, delectabilitate, excellentia, & perpetuitate contemplãtis & agnoſcentis affectum alliceret. Hoc in ſpiritu propheta deguſtando indicauit dicens: Quam magna multitudo dulcedinis tuæ, quam abſcõdiſti timentibus te, perfeciſti autem eis qui ſperant Pſal. 30. in te. Idemque expreſſius declarando ait: Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos: quoniã apud te ẽ fons vitę Pſal. 3. & in lumine tuo videbimus lumen. Hæc profecto ſunt ò domine Ieſu ſtipendia Chriſtianę militiæ, hæc, inquam, ſunt donatiua, quæ ſpondes tuis erogare militibus, qui ſpreto peregrinationis huius carnali lenocinio, calcatis proſperitatibus ſeculi, abrenunciatiſque temporalibus diuitiis, tibi famulatũ continuo miniſtrare non ceſſant. Non enim arbitrantur ſe amittere, quod egentibus largiuntur, nec aliquo egere pertimeſcunt, quum gaudeant propter te penuriam pati. In te aſpiciunt, in te delectãtur, de te diteſcunt, tuoque eruditi exẽplo minime verentur perferre neceſſitates, incõmoda, opprobria, damna, vincula, exilium & carceres. Eligunt quoque affligi potius cum ſeruis tuis fame, ſiti, frigore, & nuditate, quam temporalis felicitatis habere iucunditatem, atque meliores diuitias exiſtimantes omni theſauro terreno improperium tuum. Hoc autem, ò pie ſaluator, nequaquam actitare præſumerent, niſi introrſus vocarentur, & traherentur à te: nam quos prędeſtinaſti in te ante mundi conſtitutionem, vtique vocas ſuo tempore, vt ſint ſancti, imitẽturque te, nõ corporali greſſu, ſed mente, deſiderio, conuerſatione, & motibus. Oſtendis nanque te illis in lumine formatæ fidei, & quam dulcis, quamve multæ miſericordiæ ſis diligẽtibus te, te quęrentibus ac famulantibus tibi donata tua communicando manifeſtas. Luce ſiquidem irradiati diuina atque inſueta delectatione refecti, te nihilominus illos alliciente, trahente, vinciente mutantur in viros alteros & induunt nouum hominem, qui ſecundum te formatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis. Hinc eſt quòd tuo flagrantes amore, tibique tota intentione placere cupientes, voluntate ſpõtanea ſanctę religionis ac perpetuę ſeruitutis iugum tuum ſuauiſſimum aſſumunt, ſibique nullatenus parcentes ad tempus, vt tuo fine fine iucundiſſimo & diuino fruantur aſpectu. Hac denique de cauſa quotidianis conatibus aduerſus proprias reluctantur voluntates, crucem ſuam gratanter baiulant, & ſequuntur te præceptorem ſuum, paſtorem, & ducem. Tu verò pręſidium tutiſſimum efficeris illis, tu in illis perambulas, & in eorum pręcordiis delectabiliter requieſcis, quemadmodum Sapientis ore manifeſtaſti dicens: Et delicię Prou. 8. meę eſſe cum filiis hominum. Non enim hoc aſſeritur, vt homines aliquas tibi ò ęterna ſapiẽtia, va-

valeant

leant conferre delicias,quippe quum tu omnium ſis origo deliciarum, affluant tibi, & effluant abs te,ſed quoniam ex naturali tua bonitate delectaris tuas cum filiis hominum communicare delicias,tanquam mater, quæ vnicum diligens filiũ, ſibi complacet in filio dum ei blanditur,ipſum fouet & nutrit,propriaſque filii arbitratur eſſe delicias:ſed longe diſsimilis eſt ab humana affectione tua dilectio. Humana nanque affectio priuata ſemper quærit commoda, ſuas ſatagit perficere voluptates,præſentia lucra ſectatur,difficile futura proſpectat, ſenſibus ducitur carnis,ſenſibilium que amore pingueſcit.Tua verò dilectio,ò charitas ſempiterna, te poſsidentem iis omnibus efficit celſiorem. Gratuito nanque amore diligis, gratis gratum facis, temporalia oblectamenta calcanda eſſe oſtendis,ſpiritualia dona tu tribuis,ad cæleſtia mentem erigis, atque præmia inuiſibilia ſperare accendis. Quamobrem qui te ſuſcipere merentur in ſe,tuis ſaginantur voluptatibus, teq; imitari deſiderant,ſe tibi in holocauſtum offerũt atque propter te in obedientię agone luctantur, vendunt ſua,ſuos deſerunt, ſeque pro adipiſcenda ſpiritus libertate alieno ſubſternunt arbitrio.

Quanta pernicioſa incommoda ex mala, & quàm maxima ſpiritualia lucra ex bona proueniant voluntate. Cap. XVII.

NIhil excellentius homini ratione vtenti proprio eſt condonatum arbitrio,ſi tamen ſit charitatis dono formatum. Nam cælorum noſſe curſus, ſtellarum virtutes indagare,omnium naturalium rerum quid prodeſt habere ſcientiam,ſi à charitatis munere hominis voluntatem cõtingat eſſe alienam? Præceps quippe nunc per abrupta impellitur vitiorum, ſibi arbitratur omne licere quod libet,ſuas tanquam effrenum animal poſt concupiſcentias pergit, toto Dei timore ſemoto.Lętatur quoque in proſperis, ſupra modum deiicitur in aduerſis, exultat quum malefecerit,in ſuis facinoribus gloriatur, carniſque deſideria implere peroptat. Pernicioſa prorſus res eſt voluntas,quæ caret dilectione,& nulla virtutis cẽſura reſtringitur.Ab hac vtiq; oriuntur homicidia,adulteria,fornicationes,ebrietates,veneficia,irę,rixę,inuidię,fraudes,detractiones, cõtẽtiones,ęmulationes,diſsẽſiones,& quicquid diuinę legi aduerſatur.Hęc eſt quę è cęlo deiecit angelos,de paradiſo expulit protoparentes, deordinauit orbem,ſubruit vrbes,regna euertit, cõcitauit bella,lites commouit, diſſeminauit ſcandala. Pro hac immiſſę ſunt clades,fames conualuerunt ſterilitates fuerunt,in ſole, luna & ſyderibus frequenter apparuerunt ſigna. Tolle malam voluntatem ab hominibus,& vbique abundabit pax, vigebit concordia,florebit religio,profluet gratia, charitas imperabit. Nam quemadmodum omniũ malorum ſeminarium eſt voluntas mala: ita è regione bona cunctarum eſt origo virtutum. Non enim poteſt eſſe alienus à Deo neque à cęlorum regno extraneus,cui ineſt bona voluntas, quę hominem amicum reddit altiſsimo,charum angelis,fratribuſque beneuolum.Hęc cumulat merita acquirit gratiam, aduerſarios ſuperat, fugat dęmones,tentationes vincit, tolerat dura, temporalia ſpernit,ſperat futura,cõcupiſcit æterna.Hęc nanque haberi nequit ad libitum, ſed pro beneplacito largitur autoris. Ego (inquit) ipſe ad
Moſem,miſerebor cui voluero,&clemens ero in Exo. 33.
quem mihi placuerit. Paulus quoque ait:Non eſt Rom 9.
volentis neque currentis,ſed miſerantis Dei. Nã Mal. 1.
cui vult miſeretur:& quem vult indurat. Dilexit (ſicut ſcriptura commemorat) Deus Iacob, Eſau
autem odio habuit. Indurauit etiam cor Pharao- Exo. 11.
nis ne dimitteret populum, quamuis tanta vidiſſet miracula atque prodigia. Et econtrario mulieris meretricis ad ſuſcipiendos exploratores Hebræorum emolliuit animum. Tanquam verus figulus & potens de eadem maſſa luti aliud vas in honorem,& aliud vas facit in contumeliam: ita vt non ſit,qui poſsit reſiſtere ei, ſed neque reſpõdere illi. Vocat enim quem vult,& flectit ad percipiendum gratiam, & quem non tangit, relictus in propria,etſi inchoet bonum,minime perſeuerat in illo. Singulariſsimum itaque diuinæ clemẽtiæ eſt beneficium, quum liberi arbitrii facultas ſe inclinat ad bonum,& voluntarium ſuo conditori exhibet famulatum: dumque quis nequaquã communi lege contentus,arduũ contemptus ſeculi propoſitum non formidat arripere, & obedientiæ crucem quotidie tollere, atque poſt dominum ambulare non renuit. Magnarũ eſt prorſus mentium iſta congreſsio: earũ videlicet,quas in benedictionis ſuæ dominus præuenit dulcedine,cæleſtiumque præmiorum promiſsione ſuſtẽtat.Nouit enim ipſe opus,quod condidit, quam ſit procliue ad noxia,quam ad caſum facile,quàm ad diligendum viſibilia pronum, quàm ad peragendum ſpiritualia lucra infirmũ,necnon ad propria perficienda deſideria quam ſit accenſum. Quamobrem vt tantis redemptor noſter animarum remedia pręberet languoribus,tantiſque obuiaret periculis peccatorum, dum cum hominib. conuerſaretur in mundo, contemnendarum facultatum,fugę ſeculi, parentum ac propinquorũ odit, atque proprii abdicationis arbitrii conſiliũ dedit, intelligens neminẽ duobus poſſe dominis obtemperare fideliter.Teſte nanque experientia didicimus,quòd ſecularium aſsidua conuerſatio, & temporalium negociorum ſolicitudo anxia,nec non libertatis effrænatus vſus occaſionem maximam tribuit delinquendi,eoque vehemẽtius impellunt ad malum,quò ardentius diliguntur.Sunt enim terrena omnia minus caute eis vtentibus ſpirituales laquei, & ſeductoria quædam oblectamenta fidelium,quæ ſeparant à Deo,& copulant

mundo. Quamobrem magiſter veritatis perfectionis volens inſinuare itinera, atque ad ſe poſſidendum locum demonſtrare tutiſsimum, omnibus quæ habentur, renunciandi conſilium ſuaſit, nec non regularis obſeruantiæ obedientiam in eccleſia circunquaque indixit: quatenus ſeruorum ſuorum animos prouocaret ad prælium, atque animaret ad præmium. Magna profectò fuit erga nos Dei noſtri dignatio, omnique veneratione colenda huiuſmodi inſtitutio, ad peragendũ perfectionis opus cælitus prærogata. Sciebat enim redemptor noſter totius ſanctitatis magiſter quanto cum labore virtutum tendit ad arcem, qui ſecularium actionũ ſolicitudine prægrauatus iacet in imis. Nouerat (inquam) quantum afferat impedimentum temporalium facultatum immoderata retentio, propriæque voluntatis inordinatus affectus. Propterea veluti pia mater pro ſuorũ anxia ſalute liberorum formam indicauit, viam ſtrauit, atque religionis ſanctæ rudimenta exhibuit: quatenus diruptis peccatorum vinculis, reiectiſq; terrenarum rerum curis, necnon abdicatis à ſe propriæ libertatis motibus, fideles quique introrſus excitati Deo militarent ardentius, pugnarent fortius, expeditius currerent, atque ad concupitã palmam facilius peruenirent. Iis & aliis (vt reor) ex cauſis in eccleſia ſunt inſtituta monaſteria, ac famulantium Chriſto vndiq; conſtructa cœnobia. Ipſa nempe ſunt præſidia munitiſsima, ſanctorum angelorum vallata cuſtodiis, ignitarumque orationum roborata ſuffragiis. Nemo planè explicare ſufficit, quanta ſimul cohabitantes in eis ſanctitate præfulgeant, quanta mentis pace fruantur, quanto cordis quotidie repleantur gaudio, quam ſecure viuant, quàm dulciter cõuerſentur, quam familiariter ſibi mutuo deſeruiant, quàm opportunis ſe exhortentur temporibus, & quam efficaciter orationibus iuuent. Nec mirũ. Corpus quippe vnum myſticum collegium vnumquodque efficiunt, compactum ex membris, viuificatum ex capite, ſanctificatum per ſpiritum. Hinc eſt quod vno patiente membro compatiuntur & cætera: atque vno lætante vniuerſa congaudent. Cooperatur nanque in illis idem ſpiritus, qui illa conglutinat, eiſdemque ſpiritualia largitur chariſmata: ad vtilitatem vtique corporis & membrorum, quem-
1.Cor.12 admodum Apoſtolus denuncians ait: Vnicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem: alii quidẽ per ſpiritum datur ſermo ſapiẽtiæ, alii ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum, alteri fides in vno ſpiritu, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum. Nunquam enim poſſet eſſe tanta ſpiritualis fœcunditas in corpore, nunquam in membris tãta vnitas charitatis, niſi gratia efflueret a capite, &
Pſal.132 per ſpiritum transfunderetur in membra. Hoc propheta contemplatus ait: Ecce quam bonum, & quam iucundum habitare fratres in vnum. Sicut vnguentum in capite, quod deſcendit in barbã, barbam Aaron, quod deſcendit in oram veſtimenti eius, ſicut ros Hermon, qui deſcendit in montẽ Sion. Merito rem bonam & iucundam aſſerit fratres habitare in vnum, volens commendare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, per quam vtique ſpiritualis vnctio capitis deſcendit in barbam corporis congregati in ſpiritu, emanatque vſque ad oram veſtimenti, inſinuans nullum membrum eſſe corporis vel minimum, aut extremum, quod huius ſanctæ ſit vnctionis expers. Quod enim vni prærogatum eſt membro, commune fit cæteris, & quod deeſt vni, reperitur in altero. Diuerſitate ſiquidem gratiarum, quæ ſunt diffuſæ in membris, efficitur corpus perfectum, ornatum virtutibus, compoſitum moribus, ſanctitate præclarum, & diſciplina venuſtum. Cæterum hoc corpus myſticum, congregatio videlicet quæque fidelium, eò in tentationibus, quæ diabolo ſuggerente aut fragilitate impellente illi proueniunt, robuſtius pugnat, atque glorioſius vincit, quò charitatis & vnitatis vinculis arctius alligatur. Compago vtique & vnitas membrorum exhibet corpus potens, Deo amabile, & inuiſibilibus aduerſariis terribile atque inſuperabile, ſi tamen non ſibi arroget quod habet; ſed illi, cuius dono eſt quod eſt. Nam quemadmodum confeſsio humilis, & propriæ infirmitatis vera cognitio Chriſti ſeruum in omni certamine fortem & ſecurum facit: ita econtra elata iactãtia, & ſuæ inſufficientiæ reiecta ſcientia reddit poſſeſſorem ſuum pronum ad malum, in prælio debilem, virtutibus egenum, Deo, ſibi ipſique valde contrarium. Hinc clare patet, quàm ſecurus ſit ſtatus ſeruorum Chriſti in congregatione degentiũ quibus vnum eſt cor, anima vna, & omnia ſunt cõmunia, non minus corporalia quam ſpiritualia. Nam in illis ſi quis corporaliter ægrotat, propriũ habet miniſtrum, qui ei die noctuque deſeruit. Si quis alimento ſeu tegumento indiget, habet qui illi neceſſaria tribuit. Si quis tentationibus vexatur, habet qui eidem orando, atque exhortando ex corde compatitur. Si quis fluctuat dubitatione aliqua vel infidelitatis mucrone transfigitur, peritorum fratrum, & maxime ſeniorum probatiſsimorum rudimenta cuſtodiat, & liber exiſtet. Si quis ingenii caret acumine, & ignorat futura cogitando proſpicere: reperiet prorſus in illis quem conſulat. Si quis diuinorum eloquiorum ſacramẽta per ſe penetrare non valet, à Deo prius ſapientiam poſtulet, necnon prouectiorum acquieſcat ſententiis, & ſapiens fiet. Conſiderare quippe ſẽper quiſque valebit in altero, vnde poſſit ipſe proficere. Verum & propriæ infirmitatis diligens perſcrutator facile agnoſcit bonum, quo ædificetur in altero, atque in ſe malum, pro quo ſibi ipſe diſpliceat. Hoc vtique non tam vitia quàm virtutes operantur in bonum ſpiritualibus viris: ſimpliciter ambulantibus, pariter conuiuentibus, & ſub obe-

obedientiæ diſciplina Deo in cœnobiis famulantibus. Ipſa plane futuræ vitæ imaginem tenent, dũ qui in illis commorantur, ſocialiter viuunt, vicisſim ſibi miniſtrant, priuata dona communi vtilitati exponunt, ſub eodem habitant tecto, in ſimul altiſsimo perſoluunt laudes, cibum vna hora in vnũ congregati capiunt, exercitia communia peragunt, & (quod commendabilius eſt) ad vnius præceptoris imperium ſuas abnegant voluntates. Nã quemadmodum Deus in hoc vniuerſo, & in cælo diſtributis gradus, miniſteria diuidit, dona ſua pro libito cuique impartitur, & omnia operatur in omnibus: ita qui præſidet in monaſterio ſuo modo, ſuoque arbitrio cuncta diſponit, non tamen pari æquitatis diſcretione vt Deus. Nam Deus in vero iudicio, certa lege, mentura irreprehenſibili, ſynceriſsima dilectione, & immutabili vniuerſi moderatrice ſapientia. Homo autem quamuis ſit ſanctus, doctus & prudens, ò quàm ſæpe in iudicando fallitur lege contempta, quàm frequenter propria voluntate ducitur; inordinata affectione victus, interdum paſsione trahitur, atque obliqua animi intentione deceptus mouetur. Nec mirum.

Mich. 10.

Quis enim (inquit propheta) ſimilis erit Deo in filiis Dei? Aequari nanque Deo impoſsibile eſt iis, qui hominibus præſunt: illum tamen eos imitari oportet ſectando iuſtitiam, miſericordiam impartiendo, exercendo prudentiam, patientiam exhibendo, atque charitatis viſcera erga pœnitentes innuendo, reuocando errantes, inſcios docẽdo, puſillanimes confortando, erigendo cadẽtes, inimicos amando, ſe omnibus omnia faciendo, vt Christo domino lucrifaciant vniuerſos. Quæ quidẽ vt aſſequi valeant, præeſſe ſtudeãt cum humilitate, cum pietate conentur prodeſſe, necnon ſibi creditum miniſterium cum omni cordis tranquillitate perficiant: Dei poſtremo & non priuatam gloriam quærant, ſibiq; non propter ſeipſos, ſed propter eum, cuius funguntur officio, à ſubditis obtemperari concupiſcant.

Quantum eluceat Chriſtiana religio in iis, qui ſeculo renunciantes ſub diſciplina regularis obſeruantiæ degunt. *Cap. XVIII.*

INter cætera, quæ gloriam Dei in terra prædicant, & catholicam fidem infidelibus hominibus commendabilem reddunt, eſt ſocialis vita fidelium, eorum præcipue, qui ſpreto perituri ſeculi luxu, abdicatiſque à ſe diuitiarum, honorum, & carnis illecebris in monaſteriorum clauſtris voluntariæ ſeruitutis ſe perpetuo dedicarũt voto. Quis (oro) diuinam bonitatem & ſapiẽtiam ineffabilem laudum non extollat præconiis, quũ vtriuſque ſexus viros pene innumerabiles intuetur iuuentutis florere decore, corporis ſoſpitate potiri, terrenarum facultatum abundare affluentia, poſsidere agros, vineas, domos, ſeruos & ancillas, parentum, amicorum, affiniumque generoſitate clareſcere, ſponte renunciare ſeculo, illius pompas ſpernere, propinquos omnes relinquere atq; ſub ignoti quodammodo viri diſciplina per obedientiæ exercitium Chriſto domino militare? Hoc quippe humanæ cõſuetudinis & communis vitæ ſupergreditur limites. Non enim naturalis pignorum affectus patitur, vt contemnamus eos, qui nos genuere, & in hanc viſibilem mundi iſtius produxerunt lucem. Non, inquam, lex cordibus innata mortalium ſuadet, vt deſerta vrbe propria, vniuerſis relictis conſanguineis, coæuis adoleſcentulis, familiaribus & notis, peregrinari per alienas ædes remoras, peragrare prouĩcias, ciuitates, & caſtra non vno duobus vel tribus annis ſed toto vitæ ſuæ decurſu, atque ſpontaneà deliberatione pati famem, ſitim, frigus, & nuditatem; corpus quoque attenuare vigiliis, macerare ieiuniis, laboribus exponere, quotidiana alimentorũ domare inedia, & quod iis omnibus maius eſt, propriæ voluntatis debellare affectus. Nam natura ipſa trahit, vſus docet, impellit humana fragilitas, allicit ſocialis amor, mutua inclinãt obſequia, dulciſsimumque domeſticorum, & maxime propinquorum contubernium cogit, vt quilibet rationis compos in illo, in quo natus eſt, habitet ſolo, ſuorum affinium fruatur conſortio, propriarũ opum curam & delectationem capiat, necnon arbitrii ſui ſectetur illecebras. Cæterum quum iis contraria actitari conſpicimus, aut ex metu mortis, aut ex certa cognitione prætereuntis & fallacis ſeculi, ſiue ex bonorum id agitur ſpe validiſsima futurorum: quam vtique ſpem nemo niſi præuio fidei lumine guſtare permittitur. Hæc nanque, de qua loquimur, fides nequaquam ex humano arbitrio, ſed ex Dei miſerantis, trahẽtis, cuſtodientiſque munere poſsidetur. Donum quippe eſt diuinitus prærogatum, gratificans hominem Deo, de ſeruo liberum, de inimico amicum, & de gehennæ filio æternorum bonorum facit eſſe hæredem. Hanc denique commendauit Apoſtolus, quando antiquorum patrum mirabilia geſta narrauit dicens: Sancti per fidem vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſsiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetũ ignis, fugauerunt aciem gladii, fortes facti ſunt in bello, caſtra verterunt exterorum, accepertũt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos. Iſtius fidei glorioſiſsimi martyres irradiati ſplendore, flagrãtiſsima charitate pro Chriſto perpeſsi ſunt ignẽ, carceres, vincula, flagella, tormenta, opprobria, exilia, damna, & mortem. Huius (inquam) fidei anachoritæ ſancti claritate perfuſi deſerta repleuerunt, perluſtrauerunt ſolitudines, cõſtruxerũt cœnobia, in quibus diuinis intenderent laudibus, crebris vacarent orationibus, operi manuum opportuno inſiſterent tempore, congregarentque in vnum Dei filios circunquaque diſperſos, atq; inuiſibilium inimicorum latentes laqueos ſuperarent.

Heb. 11.

rent. Intelligebant profecto ipſi diuinitus inſpirati ſeculum hoc carnis concupiſcentia, oculorum lenociniis voluptatum, & vitæ ſuperbia eſſe refertum. Intuebantur quotidie homines ire per abrupta vitiorum, Dei legem negligere, eius mandata deſpicere, præſentium delectationum oblectamenta ſectari, terrenis lucris, fugitiuis honoribus impudicitiis pernicioſis, ac ſecularibus curis incũbere, quæ vtique alienum à Deo, ignotum ſibiipſi & à virtutibus auerſum, ſui efficiunt amatorem. Non enim in vnum conueniunt, neque ſimul ſtare valent lux & tenebræ, vanitas & veritas, virtus & vitium, dilectio Dei & ſeculi, opera carnis & ſpiritus, tẽporalis vitæ gaudiũ & futuræ. Quamobrem vt debitum pietatis cultũ exhiberent Deo, vt vitiorum paſsiones reprimerent, quæ de peccati fomite & carnis prurigine indeſinenter ebulliunt, vt proprias compeſcerent voluntates, à quibus pabulum ſumit omnis origo delicti, talibus pro Chriſti amore ſe mãcipauere ergaſtulis. Hac intentione laudabili, hoc ritu viuendi ſancta illuſtratur eccleſia. Non enim deſunt temporibus iſtis, in quibus abundare iniquitas, & multorum cernitur refrigeſcere charitas, qui ſanctorum patrum (etſi non eodem feruore charitatis) veſtigia imitentur. Sunt nanque (ſicut patet conſpicue) diuerſæ Chriſto domino famulantium congregationes, quæ licet ſint in habitibus diſtinctæ, variæ in conſtitutionibus, & in cæremoniis diſcretæ, vna tamen intentione glorificãdi Deum, & proximum lucrifaciendi, vnoque fine cęleſtem patriam conſequendi ſe exercendo deſudant. In hac ſeruorum Chriſti numeroſitate permaxima, quę toto pene terrarum orbe vſque quaque diffunditur, ò quot vtriuſque ſexus prȩcipua eminẽt ſanctitate, quot ſingulari deuotione, & orationis aſsiduitate pingueſcunt, quòtve virtutũ magnanimitate decorantur? Alii nanque humilitatis ſtudio, aliqui patientię conſtantia, quidam mentis puritate, nõnulli zelo rectitudinis, aliqui Dei & proximi dilectione, plurimi verò cęteros religioſę conuerſationis ſingularitate præcellunt. Omnes ii ſine æmulatione fraterna, & abſque cordis elatione, ſecundum menſuram fidei, & gratiæ eiſdem collatę certant placere Deo, quotidie proficere, & talentorum ſibi præſtitorum lucra cumulare. Iſta dum commendabiliter agunt, aduerſus ſe diabolum prouocant, qui ſucceſsibus laudabilibus ſeruorum Chriſti vehementer affligitur. Hinc liuoris face accenſus, noua, inſuetaque diebus ſingulis excitat bella, tentationeſque diuerſas immittit; vt illos per delectationem, conſenſumque peccati cadere, vel ſaltem in propoſito tepeſcere faciat, quod quidẽ in via Dei eſt periculoſiſsimum, atque damnabile, ſicut angelica admonitione dicitur: Vtinam calidus, aut frigidus eſſes, ſed quia neque calidus neque frigidus es, incipiam te euomere ex ore meo. Ad hãc profecto

Apoc. 3.

ſpiritualem immundorum ſpirituum pugnam Apoſtolus exhortans ait: Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus mũdi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cęleſtibus. Ab iis quippe aduerſariis inuiſibilibus nemo liber exiſtit, domino ſic diſponente, qui vt materiam præbeat promerendi, vt proficiendi in virtutibus anſam offerat, & vt adipiſcendi gratiam, occaſionem tribuat in aduerſis ſeruos ſuos acriter nequam ſpiritus infeſtare permittit, non tamen ad inimicorum libitum, ſed iuxta ſuorum virtutem cuiuſque fidelium, dicente Paulo: Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis, ſed faciet cum tentatione prouentum, vt poſsitis ſuſtinere. Non autem eſt mirum, ſi ipſe aereæ poteſtates milites Chriſti proſternere ac debellare conantur, quum è regione ipſi eoſdem die, noctuque conculcare nõ deſinant. Quid enim aliud dixerim eſſe religioſorum monaſteria, & Deo famulantium loca, quàm ſtadia militaria, atque ſpiritualia caſtra pugnãtiũ? In illis nanque in corpore, per corpus, in ſpiritũ bellum geritur. In ipſis (inquam) non viſibilia, ſed inuiſibilia tela exercentur. Arma (inquit Apoſtolus) noſtra non ſunt carnalia, ſed ſpiritualia potẽtia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti. Nonne in eiſdem frequentiſsime deuotionis lacrymæ, compunctionis gemitus, ſuſpiria pietatis, compaſsionis & charitatis ad Deum inceſſanter effunduntur vota: quæ profecto cõtra hoſtes noſtros ſpirituales ignita ſunt iacula, per quæ eorum proſternitur virtus, debilitatur audacia, deteguntur fraudes, & tentamenta ſuperantur. Sanè quod religionis, quod ſanctitatis, quod vnitatis, quod in eiſdem agitur laudis, glorificat Deũ, lætificat angelos, prodeſt iuſtis, terret dæmones, patrocinatur ſeculo, & peccatores ad pœnitentiã flectit. Et quidem rationabiliter. Nam cũcta, quæ in ipſis geruntur, redolẽt ſanctitatem, præſentia domini ſaluatoris id perficiente, qui ait: Vbi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, in medio eorum ſum. Hinc eſt quod tanta aduerſus malignos ſpiritus, qui in monaſteriis degunt, virtute decertant, tot reportant triumphos, tãtaque laudabilium operum multiplicitate coruſcant. Ibi paupertas voluntaria primatum tenet, atq; perfectionis eccleſiæ quam in ſuo exordio actitabat præbet imaginem, de qua legitur ſic: Omnes etiã, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia, poſſeſsiones & ſubſtantias vendebãt, & ponebant precia ante pedes Apoſtolorum, & diuidebant illa omnibus, prout cuique opus erat. Hæc planè eſt veræ paupertatis forma, imò impredabilium theſaurorum locupletatio maxima, eorum videlicet, qui renunciant ſeculo, ſua erogant

Eph. 6.

1 Cor. 10

2 Cor. 10

Mat. 18

gant

Matt. 19. gant, vt Chriſto domino liberius famulētur. Dominum pollicentem audi: Omnis, qui reliquerit patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut fratres, aut ſorores, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſsidebit. Quid (oro) locupletius, quàm nihil habere, & omnia poſsidere? carere rebus ſuperfluis, & vti neceſſariis? proprium ſpernere patrimoniū & Chriſti eſſe hæredem? Monaſteriorum quippe reditus theſauri ſunt ſaluatoris, & eleemoſynarum fideliū pia ſuffragia, qui deprædari nequeūt, neque conſumi rubigine, neque tinea demoliri. Ii profecto communes fiunt omnibus in communi viuentibus, & impertiuntur non ad libitū, ſed pro neceſsitatis cōpetentia. Non ſecernitur perſona diuitis, non potentis ſtatui defertur, ſed prout cuique expedit, erogatur: quod eſt opus diuinum, commendatio gratiæ, charitatis officium, & naturę exemplum. Sumit plane humanum corpus ciborum nutrimentum quod quidem pro ſingulis quibuſque diuiditur membris ſine diſceptatione & zelo, prout natura ipſa congruere nouit. Hoc quippe, de quo tractatus, voluntariæ paupertatis genus reddit animum a curis ſecularibus liberum ad ſe cognoſcendum, ſecumque habitandum aptiſsimum, ad vacandum orationi paratū, in parcitate lætum, in communicatione hilarem, in periculis ſecurum, & in omni virtutum exercitatione diſpoſitum, eò amplius quòd poſſeſſorem ſuum eximit de mundo, à tumultibus ſecularium negociorum ſegregat, & ſanctæ religionis reſeruat in tumulo. Ibi enim illum requieſcere facit ab æſtu carnalium deſideriorum, & à tentationum eripit turbine, à viſibilium voluptatum illecebris, à fragoribus ſeculi, à diaboli laqueis, & ab immanium delictorum multiplicibus caſibus. Nemo proculdubio explicare valet, quanto repleatur gaudio, quāta potiatur pace, quibus ſpiritualibus reficiatur deliciis, quantis ſępiſsime internis recreetur conſolationibus, & quot diuinis quotidie illuſtretur ſplendoribus, qui deliberato animo, & cæleſti inſpiratione afflatus renunciat ſponte ſeculo, ſecedit in clauſtro, & militat Deo, nihil terrenum ambiēs, nihil temporale poſsidens, nihilque quod amorem ſuum vendicare queat, omnino reſeruans. Huiuſmodi cooperante illi gratia carnem ſpiritui, mentem rationi, animum ſapientiæ, & affectum ſubiicit Deo. Eſt quippe clauſtrum, hortus concluſus, paradiſus deliciarum, thalamus nuptialis, cubile immaculatum, virtutum ſchola, tabernaculum fœderis, reclinatorium ſpōſi, bellatorum ſtatio, ſanctitatis domus, caſtitatis cuſtos, pudicitiæ firmamentum, religionis magiſterium, & obedientiæ ſanctæ ſpeculum ſingulare.

Quòd multi & varij ſint ſtatus, & opera famulantium Chriſto. Cap. XIX.

DEo placere cupientium quemadmodum diuerſi ſunt ſtatus: ita multifaria eorū ſunt opera. Sunt enim qui coniugali vinculo copulati præcepta diuina cuſtodiunt, ſua quæ poſsident, retinent, ex iis partem pauperibus largiuntur, familiam ſuam in Dei timore erudiunt, diuinis alacriter interſunt officiis, verbum Dei libenter audiunt, & quicquid altiſsimo gratū eſſe credūt, ex affectu cordis perficere moliūtur. Sunt & alii vtriuſque ſexus copioſi numero, & ſāctitate conſpicui, qui vitam cœlibem ducentes, operibus miſericordię ardenter incumbunt. Iſti profecto egenorum curam habentes, tam de propriis, quàm de aliorū facultatibus nudos veſtiunt esurientes paſcunt, potum tribuunt ſitiētibus, ęgrotis miniſtrant, carceribus detentos viſitant, defunctorum corpora ſepeliunt, atque omne morituris corporibus humanitatis impertiuntur obſequium. Exiſtunt quoque nonnulli, qui æmulatione fraternę ſalutis accenſi ſolantur mœſtos, erudiunt ignaros, nutantes roborant, reuocant errātes, conſulunt dubiis, paruulos pabulo verbi Dei alunt, deſperatione depreſſos hortantur, & delictorum mole obrutos ad ſpem veniæ pro poſſe trahūt. Repetiuntur prętereaquam plurimi, qui exteriorum miniſterio poſtpoſito, nunc in eccleſia diuinarum eloquia ſcripturarum audiēdo, nūc eccleſiaſtica frequentando ſacramenta, interdū domi ſecretę ſedendo orationi, meditationi, lectionique sacrę incumbentes, ſibiipſis per ocium ſanctum vacare ſtudent. Omnes iſti quāuis Deo agnoſcantur eſſe gratiſsimi, ſi illa, quę faciunt, pura ac recta intentione operentur, conſiliorum tamen gloriam minime aſſequuntur, dum ſuarum rerum, proprięque voluntatis adhuc poſseſsionē retinent. Quamuis enim operibus ſanctis inſiſtāt, quanquam pręcepta diuina cuſtodiant, à tramite nihilominus ſummę perfectionis alienos ſe eſſe intelligunt. Clamat namque totius ſanctitatis dominus & magiſter, & dicit: Qui non renunciauerit omnibus, quę poſsidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Quamobrem cuidam, qui diuina ſe à iuuentute ſua omnia dixerat impleſſe mandata, Matt. 19. ait: Vnum tibi deeſt, ſi vis perfectus eſſe, vade & vende omnia, quę habes, & da pauperibus, & veni & ſequere me. Pręcepta quippe ſeruare, cunctorum fidelium eſt, ęternam vitam habere cupiētium. Temporale verò rerum dominium, & proprię voluntatis à ſe pro Chriſto abdicare arbitriū Matt. 19. prorſus eſt perfectorum: eorū videlicet, quibus dominus dicit: Vos, qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, in regeneratione quum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim iudicantes duodecim tribus Iſrael. Aſcenſus hic difficilis eſt, labor multus & ſublime faſtigium, ſed merces maxima & remune-

audi dicentis: Omnis, qui reliquerit patrem vel matrem, vxorem aut filios, fratres & ſorores, & agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternā poſſidebit. Vides quàm locupleti ditentur fœnore, qui voluntariam deligētes paupertatem ſeculo renunciant, & obedientiæ crucem pro domino nequaquam baiulare formidant. Bonus dominus, pius pater, & præceptor ſummopere colendus, per ſe & in ſe contēptus ſeculi diſciplinam exhibuit, commendabilis paupertatis normam præbuit, atque obedientiæ ſanctæ exempla indicauit. Cæterum ne documenta huiuſmodi infructuoſa, & perſuaſio talis, ab iis, qui carnem ſapiunt arbitraretur eſſe inutilis, ſectatoribus ſuis ineffabilia bona ſpopondit. Hæc Apoſtolus inſinuare curauit quum dixit:

1 Cor. 2. Quod oculis non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Iſta quoque propheta in ſpiritu contemplatus aiebat domino:

Pſal. 30. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, domine, quam abſcondiſti timentibus te.

Pſal. 64. Alioque in loco dicit: Beatus, quem elegiſti & aſſumpſiſti, inhabitabit in tabernaculo tuo. Replebimur in bonis domus tuæ, ſanctum eſt templum tuum, mirabile in æquitate. Talia quippe ſunt, tam præcelſa, tam iucunda, tamque concupiſcibilia, vt mens in eorum contemplatione deficiat, & tamen in ipſorum adeptione vehementer inardeſcat. Hinc ab eorum amatoribus omnis labor paruus, omne pondus leue, omniſque diuturnitas eſſe cenſetur momentanea, iuxta exemplum Iacob, qui vt concupitæ Rachelis

Gen 29. potiretur amplexibus, annis ſeptem ſeruiuit Laban, quia (ſacro referente eloquio) videbantur illi dies pauci præ amoris magnitudine. Hinc tanta militantium Chriſto exercuit multitudo, hinc regularis obſeruantia ſumpſit exordium, atque cœnobitarum tam multa aggregata ſunt agmina, in quibus Chriſtianæ perfectionis veritas, conſiliorum ſublimitas, nil poſſidendi libertas, ſpontaneæque ſubiectionis refulget magnanimitas. Nam quemadmodum in præcedenti capitulo diſſertum eſt, quid aliud monaſteria quàm robuſtorum virorum aduerſus ſeipſos dimicantium nuncupauerim caſtra? Ibi nanque contra malignos ſpiritus implacabile geritur bellum, ibi vitiorum germinantium eradicantur ſentes, ibi virtutum omnium, & maxime obedientiæ ſanctæ inſtitutio patet. Non tamen in cunctis reperitur monaſteriis, ſed ſolum in illis, in quibus ſacræ religionis perficiuntur vota. Sunt quippe multa cœnobia, quæ non ſanctorum habitacula, ſed latronum ſunt dicendæ ſpeluncæ, ſpectacula dæmonum, & officinæ vitiorum.

Qui legit intelligat. Vbi enim quiſque priuata quærit commoda, pecunias cumulare non deſinit, nec curat, vtrum quis fratrum ſuorum patiatur famem, frigore crucietur, infirmitate langueſcat, dummodo ipſe abundet ſuperfluis, ibi proculdubio religionis deſtructus eſt cultus, vbi (inquam) viget impietas, & negligitur fraterna dilectio, vbi impellente cupiditate fiunt ſacramenta venalia, rapinæ clam exercentur, diſſeminantur rixę, iurgia frequentantur, concipiuntur æmulationes, detractiones, oblocutiones & mendacia proferuntur, ibi prorſus deeſt timor Dei, zelus animarum, charitatis bonum, proficiendi deſiderium, contemptus ſui, orationis guſtus, religionis delectatio, dulcedo virtutum, conſcientiæ pax, ęternorum ſpes, & futuri iudicii metus. Non enim ſimul conueniunt gehennæ pauor & ſeculi voluptas, certa prēmiorum cęleſtium expectatio & vitiorum lethalis illecebra, diuinę legis operoſa affectio & celebratę profeſſionis ſpontanea prępuaricatio, deſiderium poſſidendi nil proprium & marſupium plenum habere nummorum, pręceptis profiteri ſe velle obtemperare maiorum & indeſinenter deſideriorum ſuorum incubare libidini. Falluntur prorſus qui ſine operibus de ſolo habitu & religionis ſibi applaudunt nomine. Non enim de titulo profeſſionis, nec de dignitatis faſtigio, neque de ſanctitatis imagine, ſed de mandatorum obſeruantia de obedientia regulę, de perfectione virtutum, de cordis munditia, de actione laudabili, de miniſterio pietatis, & de gratiarum Deo exhibita ſolutione ante tribunal ęterni iudicis cuique religioſo & eccleſiaſtico viro interrogatio fiet. Aduerſus inobedietes Chriſti miniſtros, defunctorum eleemoſynę, monaſteriorum reditus, ſanctorum patrum inſtituta, commendabilis ſecularium vita, ficta bonitatis oſtenſio, conſummato huius peregrinationis termino vehementiſſime acclamabunt. Non erit tunc fructuoſa pœnitentia, non compunctio ſalutans, non locus venię, non merendi tempus, ſed diſcuſſionis, ſed iuſtitię, ſed iudicii, ſed vltionis. Tunc quippe aperientur ſingulorum libri, tunc conſcientia erit teſtis & iudex, tunc religioſus inobediens, auarus & petulans ſero intelliget quid omiſerit, quid contempſerit, quid egerit, quid perdiderit. Torquebitur vtique indicibili mœrore ſe pretermiſiſſe benefacere, & opere neglexiſſe implere quod vouit, dicente propheta: Vouete & reddite domino Deo veſtro, Pſal. 75. omnes, qui in circuitu eius affertis munera. Conſcientię quoque immortali vretur verme, quum reuoluet ſecum quàm impudenter conditorem ſuum, precepta cęleſtia, oblatam gratiam, & admonitionem ſalubrem paruipenderit audire fraternam. Mœroris inſuper toties confodietur gladio, quoties facinorū ſuorum meminerit, obſcenitatis atq; voluptatis carnis, edacitatis ventris, cupiditatis temporalium facultatum, cęterorumque vitiorum ob momentaneam delectationem viliſſimum ſe fecerit ſeruum. Hinc ſupra modū cruciabitur animo ſe propter nefandiſſima car-

nis opera amiſiſſe viſionem diuinam, contubernium angelorum, ſanctorum conſortium, eccleſiæ ſuffragia, meritorum iuſtorum participationē, naturę dona, adiutorium gratiæ, & fructus dignos pęnitentiæ. Cæterum ad ſuæ damnationis cumulum videbit iudicem contra ſe iratum, dæmones ad ſe rapiendum paratos, atq; inferni gehennalis flammam ordinatam ad ſe æternaliter concremandum. Tunc plane confuſus & miſer percipiet damnum ſuum, vnde præ confuſione, præ deſperatione & metu nequaquam oculos audebit leuare ad Deum, ſciens miſericordiæ præteriiſſe tempus, quod ocioſe, voluptuoſe, pernicioſeque viuendo conſumpſit. Ad vos igitur nūc ò miniſtri eccleſiæ, & clauſtrales viri, meus ſermo dirigitur, qui ſolo habitu, ſoloque nomine Chriſto domino militatis, qui facies veſtras oſtētatis hominibus, & terga vertitis omnium conditori, & veſtro. Satis vobis videtur quod delicta veſtra mortalibus lateant, non magnipendentes quod ſunt Deo notiſſima, qui ſingulorum iudicabit errata, dicēte Apoſtolo: [1. Cor. 4.] Nolite ante tempus iudicare quoadusq; veniat dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium, & tunc laus erit vnicuique à Deo. De vobis dominus Ieſus ſententiam promebat, quum hypocriſim Phariſæorum increparet dicens: [Matt. 23.] Væ vobis ſcribæ & Phariſei hypocritæ, qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ foris apparent hominibus ſpecioſa, intus verò ſunt plena oſſibus mortuorum, & omni ſpurcitia. Cultum quidem religionis in cæremoniis, per quas minus illuminati irretiuntur, exhibetis foris, cū intus vigeant deſidiæ, ęmulationes, iurgia, elationes, & ſectæ. Quæ (oro) vobis conſolatio eſſe poteſt, teſtimonium ab hominibus quærere, & habere, qui profecto iudicant ſecundum faciem, & quæ foris ſunt, cum introrſus aliter conſcientia clamet? Gloria noſtra, ait Paulus, non eſt hominum, [2. Cor. 1.] ſed teſtimonium conſcientiæ noſtrę. Fatuę virgines, quæ ſecum oleum minime detulerunt, nonne cum redargutione depulſæ ſunt? Nihil illis conſcientiæ teſtimonium profuit alienæ, ſua illis contra ſe vociferante. Non alienum os, ſed veſtra Deo gratificent opera. Abiicite, quæſo, tenebrarum opera quādiu dies eſt, deponite onus grauiſſimum proprietatis, ſpopondiſtis paupertatem, exoluite, ſufficiat vobis habere ad neceſſitatem indumenta & victus. Fiduciam veſtram [Matt. 6.] erigite in eo, qui pollicitus eſt dicens: Nolite ſoliciti eſſe animæ veſtrę, quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini. Scit enim pater veſter cæleſtis, quia iis omnibus indigetis. Primum igitur quęrite regnum Dei & iuſtitiā eius, & hęc omnia adiicientur vobis. Nam quemadmodum eſt liberalis promiſſor: ęque eſt fideliſſimus redditor. Fiet iuxta ipſius ſponſionem, ſi ta- [Matt. 13.] men verbis illius adhibeatis fidem. Cęlum, inquit, & terra tranſibunt, verba autem mea non pręteribunt, videlicet vt non fiant. Conſiderate diligenter qualiter quod promiſit, perficere inchoauit. Monaſteriorum prouentus ſparſim per orbem fundatorum quid ſunt, niſi bona Chriſti ſeruis propriis facultatibus renunciantibus neceſſaria: illis propterea pręparata, vt diuinis commodius valeant vacare obſequiis intereſſe laudibus, orationibus inſtare, curis ſecularibus omnino remotis? Ablata eſt à vobis omnis proprietatis excuſatio, quum ſit vobis communis & fraternus victus oblatus. Guſtate obſecro, & videte, quam ſit bonum & iucundum fratres habitare in vnum, eſſe vnanimes, omniaq; omnibus eſſe cōmunia. Guſtate, inquam, nedum quàm ſit bonū nihil poſſidere, verumetiam quàm ſit delectabile, continenter viuere, ſeque, prout Deo vouiſtis, ab omni carnis pollutione mundare. Hęc quidem continentię lex quamuis cunctis ſit indicta fidelibus, vobis tamen peramplius, quibus gradus eſt altior, ſtatuſque perfectior. Carnem quippe à ſordibus, contagionibus, & illecebris, mentem autē à noxiis, voluptuoſis, moroſiſq; cogitationibus, atq; affectionib. blandis, peruigili cura & incōtaminata ſeruare debetis, quatenus corpore & corde caſtimonię mundati, ac pudicitia ornati, Deo aſtare intrepidi, Deumque puro intuitu cernere valeatis, ipſo hoc aſſeuerante, qui ait: Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt, [Math. 5.] & in alio loco ſermo diuinus ait: Mundamini, qui fertis vaſa domini. De obedientia verò quid memorem, ſupra quam vniuerſa religionis eſt fundata perfectio? Hanc profecto contemnitis, huic libellum datis repudii, ac ſi eſſet pernicioſa, & ſaluti veſtrę contraria. Ipſam eſſe incipiētium inſtitutionem: ipſam pro regula nouitiis aſſeritis eſſe tradendam. Quod vobis libet, quod iudicio veſtro diſcernitis, hoc vobis licere arbitramini. Lex veſtra voluntas eſt propria, non cōſcientię rigore formata, ſed abuſu malo, cōſuetudine peruerſa, & vtinam non etiam ignorantia craſſa, de qua propheta dicit: [Pſal. 35.] Noluit intelligere, vt bene ageret. Quod quidem eſt nefas peſſimū, inſanabilis languor, abiectio gratię, & perditionis ęternę indicium. Reſipiſcite ò pręuaricatores, redite ad cor, reuertimini ad correctionem omnes vos, qui abiecto obedientię ſanctę iugo proprię voluntati fręna laxatis, nequaquam agnoſcentes, quod in pręcipitium mortis properatis ęternę. Vt quid nitimini contra ſalutem veſtram? Cur vobis ipſis facti eſtis perſecutores & hoſtes? Tenetis gladium, quo feriamini; venenum ſumitis per quod occumbatis. Nam voluntas propria virtus lethale eſt gladius bis acutus, omnium malorum radix, nutrimentum facinoris mali, pręuaricationis origo, ſuperbię nutrix diaboli inſtrumentum, inimica virtutum, ſubuerſio cordis humani, diſſipatrix gratię, & porta gehen-

gehen-

gehennæ. Hanc igitur, quæ tantorum malorum eſt cauſa, atque tam horrendus hoſtis, fugite quęſo, odite, inſequimini, & necate, non materiali mucrone, nec corporali robore, ſed ſpirituali certamine, oratione aſsidua, deſiderio ignito, humilitate cordis, & obedientia pura. Hęc quippe obedientiæ virtus de vitiis vniuerſis & volūtate propria triumphare vos faciet, ſi illam, prout veſtrę congruit vocationi, opere adimplere curabitis.

Quòd quemadmodum in humanis negocis, ita & in virtutibus diſpoſiti ſunt gradus, per quos ad earum perfectionem aſcenditur. Cap. XX.

QVemadmodum in humanis negociis, vt puta in ciuitatum regimine, in adipiſcendis ſcientiis, in exercendis męchanicis artibus, in rebus militaribus, diſtincti ſunt gradus, per quos aſcendere oportet, qui in illis proficere cupiunt: ita de virtutibus idem cenſendum eſt. Habent nanque virtutes initium, habent progreſsum, habent & finem, ſed tamen ſine fine. Finem dixerim perfectionem earum, qui finis nunquam ceſſat ab actu proficiendi, vt perfectæ fiant, & in ipſa ſua perfectione coaleſcant. Phil. 3. Hoc inſinuare volens Apoſtolus ait: Fratres ego me non arbitror comprehendiſſe, vnum autem: quæ quidem retro ſunt, obliuiſcens, ad ea verò quæ ſunt anteriora extendens meipſum, ad deſtinatum proſequor brauium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Ieſu. Quicunque ergo perfecti ſumus in Chriſto Ieſu, hoc ſentiamus. Videſne Paulum plenum ſpiritu ſancto, perfectione atque virtute ſe minime arbitrari eſſe perfectum? Quamobrem currebat, & ſe ad altiora extendebat, ac perfectiora exercebat, quatenus comprehenderet in quo & ipſe comprehenſus erat à Chriſto Ieſu. Hac quippe eruditione ſacra admonemus, vt in adeptione & vſu virtutum numquam, quod actum eſt, credamus eſſe ſatis. More defluentis aquæ ex infirmitate noſtra ſemper ad ima dilabimur, niſi ſancti ſpiritus adiuti ſuffragio, facibuſque amoris illius accenſi, atque ſtudioſa exercitatione virtutum trahamur ad ſumma: Hoc diuina eloquia, hoc innata ratio, hoc ſanctorum exempla, hoc diuturna experientia docet. Nemo igitur præſumat in virtute ſua poſſe proficere, ſed quiſque de Dei bonitate confidat, cuius auxilio imbecillitas humana ad virtutum excelſa conſcendit, dicente propheta: Psal. 83. Beatus, cuius eſt auxilium abs te domine: aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lacrymarum, in loco quem poſuit. Etenim benedictionem dabit legiſlator, ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion. Ex diuino itaque prouenit munere (humano nihilominus concurrente arbitrio) quod homo corruptibili carnis indumento veſtitus ſe erigit aduerſum, & virtutum arcem apprehendere nititur. Regnū cœlorum, inquit Dominus, vim patitur, & violenti rapiunt illud. Matt. 11. Et ego virtutum perfectionē ex diuturno certamine & ſuimet abnegatione reor cum difficultate tamen, adipiſci poſſe, & obedientes vſque ad mortem fideliter ad illam tādem glorioſe pertingere. Non igitur ſegniter agendum eſt, neque leuiter progrediendum eſt contra ſe, vt virtus, iam inchoata perficiatur. Intus eſt hoſtis, introrſus parantur inſidiæ, vt euertantur ſenſus, ſeducatur cor langueſcat volūtas, tenebreſcat mens, & pugnandi teſcat affectus. Quamobrem intus certandum eſt, atque ſuper ſua eſt vigilandum cuſtodia ne dormitet intentio, & ne interioris hominis confundatur obtutus, nequeatque intueri qua pergere, aut quo fine ſtudiū ſuę debeat ordinare militiæ: quoniam in iis omnium ſtabilitas eſt fundata virtutum. Verum (vt de cęteris taceā) quonam (quæſo) modo obedientię virtus, de qua nunc tractare ſuſcepimus, poterit obtineri, ſi ipſius qualitas, initium, profectus ignoretur, & finis? Alia quippe (vt diſſeratur planſus) incipientium, alia proficientium, atque alia eſt perfectorum obedientia, quanquam eadem eſſe noſcatur. Eadem vtique eſt in re, in nomine, in intentione, in fructu: ſed alia eſt in deliberatione, in moribus, in ſoliditate, in affectu. De ſingulis ergo, quamuis incultus, quamuis ineruditus, quāuis inexpertus ſermo percurrat: & vtinā ſicut affectus, & opus. Neophitorum & in via ſpiritus inchoātium obedientia oportet vt ſit ſimplex, & abſq; vlla mentis deliberatione. Hoc propterea dixerim, quia ſub alieno incipiens eſt erudiendus magiſterio. Nam quum exiſtat cęcus & prorſus inexpertus eorum, quæ illi agere congruit: quomodo proprio debet committi arbitrio? Nam quemadmodū in itinere quis pergēs ignoto, ne erret, à recto calle eget ductore: ęgroto ne diuturno lāguore fatigatus à vita deficiat, opus eſt medico: adoleſcēti idiotæ, ne in ſua perſeueret ignorantia, accommodandus eſt pędagogus: ita & in via Dei nouiter imbuendo, ne fallacis Satanę ſeducatur & pereat, ſpiritualis ei adhibēdus eſt, pater, qui diſcretione ſit prouidus, experiētia probatus, ordinatus moribus, grauitate maturus, decoratus honeſtate, ſanctarum ſcripturarum gnarus, auſterus in ſe, proximo cōpatiēs, orationi aſsiduus, corde mitis, eloquio verax, & in omni (ſi poſsibile eſt) ſpirituali diſciplina prouectus. Hinc facile colligitur, quàm periculoſus, quāve pręcipitio propinquus ſit ſtatus corū, qui ſine duce, ſine experientia, & abſq; alterius cōſilio arduum ſolitariæ profeſsionis ſolū proprio dirigente arbitrio aggrediuntur iter. Sed de iſtis alias. Incipientes itaque in ſuæ conuerſionis exordio ab omnium pariter conuiuentum ſunt ſegregandi conſortio: eorum excepto, quos pręceptoris diſcretio duxerit cōcedendos. Nam facillime labitur, & difficulter informatur adoleſcentis

animus, qui huc, illucq; diſcurrens diuerſa cum fratribus profert eloquia, & varia percipit documenta virtutum: quippe quàm multifarii ſint humani cordis affectus, naturæ hominum difformes, diſparesque intentiones. Quamobrem ab vno tantum quilibet incipiens eſt erudiēdus magiſtro: quem oportet illius, qui inſtruendus eſt, habere notitiam priſtinæ conuerſationis, corporalis valetudinis, naturalis complexionis, & quotidiani exercitii. Ipſum prætereà latere nō debet, quales ipſius ſint cogitationes, quibus tentationum ſtimulis agitetur, quibusve deuotionibus reficiatur. Et ita de vniuerſis interioris & exterioris hominis actibus & geſtis, ſermonibus & affectibus illius imbutus exiſtat, ac ſi eſſent propria. Horum etenim ſi ſpiritualis pater neglexerit habere notitiam, prorſus ſuperuacue laborabit, & nunquam incipiens ad perfectionem ſua manuductione pertinget. Sunt quidem nouitii in via Dei tanquam arbuſcularum virgæ tenerrimæ, quæ ad poſſidentis libitum huc illucque abſque contradictione flectuntur: at verò ſi induruerint, nequeunt ad ſe conantis emollire, votum accedere. Franguntur vt plurimum potiuſquam flectantur: ſi voluerit eas quis violenter ab innata rigiditate transferre. Quod enim prius videbatur eſſe faciliimum, artificis interueniente ignauia prorſus eſt effectum indomitum. Qui legit intelligat. Proinde magnum ſupra ſe pondus arbitror illos ferre, qui introducendorum nouitiorum ſuſcipiunt regimen, ſi detenti pigritia, ſeu experientia minus imbuti, aut diſcretionis virtute priuati eoſdem neglexerint arguere, corrigere, erudire, exhortari, & nutrire. Vinea quippe ſpiritualis domini ſabaoth eſt inchoantium noua plantatio, quæ, vt fructum afferat, ſolerti eſt excolenda peritia. Nam ſi inculta remanſerit, dilatat quidem palmites ſuos: ſed nulla vtique botrorum vbertate fœcundos. Proinde de omni ſedulitate exercendi ſunt in religione rudes, ne pereffluant, ne torpeant, ne obdureſcant, ne ſuo innitantur ſenſui, proprioque ducantur arbitrio: ſed tanquam diuino oraculo ſuo in omnibus credant pædagogo, & ipſius in cunctis obtemperēt voluntati. Nolint diſcernere quare, ſed quid præcipiat: illo neminem iudicent ſanctiorem, prudentioremque; ipſum pure diligant, ipſum venerantur: ipſi tota deuotione famulentur. Aperiāt denique illi ſimpliciter ac ſine excuſatione omnes cogitationes ſuas, intentiones, deſideria, delicta, & geſta. Ad eundem accurrant frequenter, veluti ad nutricem infans, vt ab illo doctrinæ & conſolationis ſuſcipiant nutrimenta, atque ſpirituali lacte paſcantur. Ab eo erudiantur qualiter, quando, & vbi orare debeant, quid meditari, quid legere, quid operari. Similiter quantum dormire, quantumque eos abſtinere liceat. In eo omnino ſit eorum velle, & nolle, atque vniuerſa (ſi poſsibile eſt) ad imperium peragant præceptoris. Hęc profectò ſi fideliter adimplebunt, lætanter incedent, ſecure quieſcent, diligentur a cunctis, protegentur ab angelis, & viſitabuntur a Domino. Nihil illis apparebit aſperum, nihil arduum, nihilque impoſsibile. Sine oculis vtique replebuntur lumine, ſine diſcretione ornati erunt ſapientia, ſine voluntate erunt refecti gratia, eò abundantiori quò liberius ſe ſubiicient, necnon pro Chriſti amore ardentius abnegabūt ſe, nihil ſibi penitus reſeruantes. Hæc plane eſt paupertas ſpiritus, quæ diuitem in Chriſto facit. Hęc eſt ſeruitus vera, quæ mentis tribuit libertatem. Hæc eſt expoliatio veteris hominis, quæ veſtem confert nuptialem: qua quiſquis meruerit eſſe indutus, cęleſti proculdubio dignus erit conuiuio. Hæc (inquam) eſt via regia, quæ ambulantem in ſe perducit ad requiem: in qua videlicet via nullæ (niſi propriæ voluntatis) latent inſidiæ, & ad quam nullis immundorum ſpirituum patet acceſsus, quoniam multorum angelorum noſcitur eſſe vallata præſidiis. Nam per ipſam peragrāti, & currenti dicitur: Quoniam angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Pſal. 90. In manibus portabunt te ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Beatus profectò ille dicendus eſt, qui in ſuæ conuerſionis exordio ſimplicis obedientiæ fundamenta locauit, qui ſpiritualis patris prudenti gubernatione dirigitur, qui nullum contradictionis verbum promit ex ore, nullam reluctationis cogitationem gerit in corde, nullumque ſimultatis aut triſtitiæ ſignum oſtendit in opere, qui veridica poteſt aſſertione dicere, primum Deo, deinde ſuo præceptori: Paratum cor meum Deus, paratū cor meum. Huic Pſal. 56. plane quotidianæ cumulantur coronæ, non florum redolentium & marceſcentium, neque gemmarum coruſcantium atque nitentium, ſed meritorum ſpiritualium, gaudiorumque cęleſtium, non in hac peregrinatione percipiendorum, ſed in ſuperna beatorum patria, quo fures non appropiant, vt deprædentur. Ibi ſiquidem nunc veluti in tutiſsimo reconduntur loco, victori de corporis carcere egredienti, poſtea præſentandi. Gaudeant igitur huiuſmodi bellatores & exultent in domino, pugnent viriliter, & in obedientię perſeuerent agone, ſcientes pro certo quòd eorum labor non eſt inanis in domino. Cæterum nequaquam contenti ſint ſtare in eo quod ſunt. Quamobrem vt ſuo placeant conditori, vt ſibi creditum cum lucro talentum exhibeant Chriſto, vt de ſtatu incipientium ad proficientium valeant pertingere gradum, ſe prorſus humiliando coram Deo, arbitrentur agere nihil, necnon pluris quàm ea, quę faciunt, iudicent eſſe, quę reſtant.

Quòd

Quòd comparatione amatorum temporalium facultatum ſerui Dei redargutione ſint digni.
Cap. XXI.

TErrenarum facultatum cupidus & amator quanto abundantiores cumulauerit theſauros, eo magis in aggregando ſuccenditur: & quemadmodum ambire non deſinit, ita quoque pecunias cumulare non ceſſat. Nam hydropico ſimilis, quo plus habet, eo amplius habere deſiderat. Non percipit miſer, quo graditur, ignorat animæ ſuæ languores, & intelligere diſsimulat, qualis ſibi poſtmodum cõſtituatur finis. Vtinam ſacri admonitionem vellet audire eloquii dicẽtis: Psal. 75. Dormierunt ſomnum ſuum, & nihil inuenerunt viri diuitiarum in manibus ſuis. Vtinam vel quotidianis erudiri dignaretur exemplis. Nam forſitã reſipiſceret. Verum tantis cupiditatum irretitus eſt laqueis, tantiſque temporalium actionum inuolutus eſt curis, vt ne queat ſanum aliquod ſuſcipere conſilium, nullũque de alieno damno captare profectum. Luc. 11. Regina auſtri (inquit dominus) ſurget cum generatione iſta, & condemnabit eam, 3 Reg. 10. quia à finibus terræ venit audire ſapientiam Salomonis: & ego dico, quòd ſeculares viri ſolum tranſitoria bona ſectantes, ſurgent in iudicio cum ſeruis Dei, ex ſua cordis ambitione, redargutione illos eſſe dignos oſtendent, tanquam ſolicitudine & affectione inferiores ſe. Nec immerito. Iſti namque ſibiipſis minime parcentes, ſe exponunt periculis, ſe laboribus macerant, ſeque (quod eſt formidoloſius) gehenne faciunt filios, vt humanis attollantur honoribus, cæteros pręcellant laudibus, momentaneis fruantur voluptatibus, atque terrenis ditescant opibus. Illi verò cęleſte vocantur ad regnũ, & penè adire recuſant, pro acquirendis virtutibus exhortantur ad pugnam, & vt plurimum pati formidant, ſpiritualibus & corporalibus à domino ſine interuallo reficiuntur alimentis, nihilominus frequentiſsime interiori, exteriorique exercitatione langueſcunt. Hinc eſt quòd tam pauci reperiuntur temporibus noſtris, qui alacri animo & ſpontanea ſeruitute valeant, imo velint ſubeſſe aliis, carnem vigiliis, ieiuniis, & fatigationibus affligere, ſe à fabulis, iocis, & infructuoſis conuerſationibus ſubducere, cor è vanis & pernicioſis cogitationibus, mentemque à terrenis ac immoderatis creaturarum abdicare affectionibus, vacare orationi, lectioni inſiſtere, cohibere linguam, & virtutum ſtudio ſe perſeueranti intentione totaliter accommodare. Sunt quippe multi, qui in primordio renunciationis vitæ ſecularis arduum religionis propoſitum volenti, accenſoque animo aggrediuntur, obedientiæ iugum humili corde ſuſcipiunt, ſe deſpectui haberi, palam argui increpationibus duris morderi, necnon vilioribus exercitiis occupari lætantur. Ii nimirum quandiu interni deſiderii ſuccenduntur igniculo, quouſque deuotioni s lacte nutriuntur, currunt velociter, ſimpliciter obtemperant, & domino ſedulo famulantur. At vbi huiuſmodi ſpirituales viſitationes, illis diſpenſatione fuerint ſublatæ diuina, tentarique cœperint vt probentur, niſi ſibiipſis virili concertatione vim fecerint, repente tepeſcunt, inchoata opera laudabilia intermittunt, paulatimque contemnunt, conceptum virtutis rigorem exercere negligunt, corporali fatigationi indulgent, atque mentis cuſtodiæ incumbere minime curant: Velociori ſiquidem greſſu quàm aſcenderant, 2. Pet. 2. deſcendunt tales, & fiunt (ſi non diuina illis auxilium præſtet clementia) eorum nouiſsima peiora prioribus: meliuſque illis fuerat (iuxta apoſtolicã ſententiam) viam veritatis non agnouiſſe, ac virtutum arduum iter non initiaſſe, quam poſt agnitum & inchoatum retroſum ire. De talibus, quorum Luc. 8. acta patientiæ radices non habent, dominus teſtatur, quia ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Conſultius profectò egiſſent mediocri deliberatione ſpiritualem arripuiſſe diſciplinã, quàm reſilire à ſancto propoſito, quod incipere præſumpſerunt. Nempe debuerant proprias prius metiri vires, mentis experiri conſtantiam, & certaminis peragendi diuturnitatem, auſteritatem, atque perſeuerantiæ difficultatem agnoſcere. Debuerant (inquam) etiam ſe exponere mortis periculo, pluriſq; animam ſuã æſtimare, quàm corpus, ne ſuſceptum ſponte imperfectum omitterent Dei opus, memores Saluatoris noſtri perhibentis: Luc. 9. Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei. Sunt quoque alii (prædictis tamen pauciores) qui ſicut commendabiliter incipiunt, ita & perſeueranter proficiunt. Nam obedientiæ virtutem, quam deſiderio toto amplexati ſunt, inconcuſſa mentis ſoliditate cuſtodiunt. Supra petræ vtique firmitatem domus ſuæ fundamenta locarunt. Hinc eſt quòd flantibus tentationum ventis, irruentibus tribulationum aquis, perſtrepentibus ſeculi iſtius procellis perſeuerãt immobiles. Probantur quidem, ſed minime ſuperantur, flagellantur & non deficiunt, vruntur nec ſcandalizantur, vitiis impelluntur & viriliter reluctantur. Intelligunt namque ſuadente experiẽtia, & innata acclamante ratione, quòd nequaquam valet coronari miles, niſi legitime dimicauerit, atque virtus nequit perfici, ſi non infirmitate exerceatur. Norunt profectò eſſe ſcriptum, Sap. 3. Aurum probat fornax, viros autem receptibiles examinatio tribulationis. Ibidem. Alibi pręterea legitur: In paucis vexati, in multis bene diſponẽtur, quoniam Deus tentauit eos, & inuenit illos dignos ſe. Tanquam aurum in fornace probauit eos, & quaſi holocauſta hoſtię accepit eos Sãctorũ & patrum pręteritorum, ac diuinorũ eloquiorum inſtruũtur oraculis: nemiuẽ videlicet ad pefectio-

nis faſtigium abſque ſpiritualis deſudatione conflictus vitiorumq; ſubacto exercitu poſſe cõſcẽdere, ſuorum Deo ad coronam hoc permittente ſeruorum, qui ideo ſinit ipſos variis vexari tribulationibus, non vt de illorum delectetur pœnis, ſed potius vt earum occaſione de hoſtibus ſuis victoriam obtinendo triumphent. Horum ſiquidem conflictu vitiorum, horumque ſpiritualium inimicorũ aculeis nequaquã vult pius dominus & magiſter incipientium corda pulſari, ne tędio aut puſillanimitate proſtrati, ſiue aduerſariorum calliditate deluſi, more vxoris Loth retro aſpicientes ſalis traſformentur in ſtatuã. Illos quippe inſueto gaudio primũ, & inexperta ſpiritualis lactis nutrit dulcedine, quatenus guſtato cęleſtiũ deliciarũ pabulo dediſcant ſeculi iſtius nequã oblectamenta diligere, atq; alliciantur illa ſolũmodo toto mentis affectu quærere bona, quę cordis tãgant penetralia, & eadem veritatis perfundant luce, delectatione repleant, inferant ſatietatem, ſecuritatem præbeant, tribuantq; ſalutem. Difficile ſiquidem relinquitur quod in hoc mũdo ſenſibiliter ac delectabiliter poſſidetur, ſi non potiora illis, quæ ante habebantur, percipiantur oblectamenta. Hac potiſſimum de cauſa ſpiritualibus incipientes, & in via Dei nouitii reficiuntur conſolationibus, & deuotionibus recreantur, non tamen vniformiter, neque ad recipientium libitum, ſed prout bonitas diuina ipſis expedire cognoſcit. Ablactantur autem tempore ſuo à cibo paruulorum, vt proficiãt, & in virum perfectum creſcant, quamuis ipſi reluctentur, ſeque in eiſdem, quæ ſentiunt, velle remanere proclament. Nec ab re id actitare arbitrandi ſunt. Quis (oro) tranquillitati mentis, ſpirituali dulcedini, ſponſi præſentiæ, cæleſtium viſitationum guſtui, atque æternorum aſſuetus prælibationi pręmiorum, nõ eadem cum mœrore & nolens derelinquat? præſertim cum manifeſte cognoſcat, ipſum oportere crucem tollere, tribulationum calicem ſumere, tentationes diuerſas perferre, dura & aſpera ſuſtinere, atque abnegare quod eſt, vt eſſe incipiat quod nec dum eſt. In hac denique probatione certaminis vitiorum, ac adeptione virtutum tranſit ſeruus Chriſti ſtrenuus, & obedientiæ agone conſtitutus, de ſtatu incipientium ad proficientium gradum, necnon viriliter dimicando de animali rationalis efficitur. Nam teſte Apoſtolo, 1.Cor.15 Prius quod animale, deinde quod ſpirituale & rationale eſt. Animalem ideo nuncupauerim incipientem obedientem, quoniam abſque diſcretionis, rationiſque iudicio alieno dirigitur arbitrio, alienoque conſilio vtitur, præueniturq; vſique à Deo gratis protectus gratia, præmunitus ſpiritualis patris orationibus, exhortationibus, eruditionibus, & exemplis. Qui ſi vel Dei permiſſione, vel ex induſtria, antequã rationis vſum habeat, & pugnandi quantuluncunque incipiat aſſueſcatq; internæ dulcedinis pati eſuriem, facillime tepeſcit, ac pedetentim reflectitur ad communem viuẽdi habitum, id ſuadẽte diabolo, qui proſperis noſtris ſemper inuidet ſucceſsibus, & carnis concupiſcente illecebra. Cæterum ſi comitãte & Dei cooperante gratia præceptoris mandatis obtemperet, non multo interiecto tempore proficientium poterit aſſociari agminibus, qui prorſus carnem ſpiritui, mentem rationi, animũ virtuti indeſinenter ſubigere moliuntur. Hic eſt ſpiritualis conflictus, qui Chriſti militem efficit glorioſum, & in quo proculdubio abolentur facinora, purgantur vitia, affectus probantur, clareſcunt virtutes, & merita cumulantur. Optimum etenim ad detergendum ſcelera medicamẽtum eſt, quum quis, ne peccato conſentiat, pœnitentię laborem ſuſcipit, & compunctionis emittit lachrymas, renuitque de cętero perpetrare, quod ipſum poſtea dolendo pœniteat. Luctatur quidẽ diuinę obtemperare legi, ne iterum labatur in crimen, & fit cęleſti concomitante pręſidio in eodẽ certamine, vt ſuorum liber nedum efficiatur compedibus delictorum, verumetiam purgetur à vitiis, quę voluptuoſe viuendo aduerſus ſalutẽ propriam ipſe cõtraxit. Huiuſmodi namque purgatio, hęc pugna, quę de propriorum delectatione gignitur vitiorum, quamuis laborioſa & periculis circumſepta, atque diuturna eſſe videatur; maximum tamen (ſi ęquanimiter toleretur) iuſtitię affert fructum, dum mẽbra, quę conſueuerãt ſeruire iniquitati ad iniquitatem, exhibeãtur ſeruire iuſtitię in ſanctificationẽ. In hoc, inquã, memorato agone experitur proficientis affectus, vtrum pro ſeipſo, aut pro priuato commodo vel amore ſuum diligat conditorem. Porro ſubtractio temporalis vtilitatis, ſiue guſtatę deuotionis inſinuat homini, quo domino ſuo famuletur affectu. Sic enim Iob ſanctus probatus eſt, dicente Sathan: Iob.1 Nonne vallaſti domũ eius, & oẽm ſubſtãtiã eius per circuitũ? ſed tange cuncta, quę poſſidet, & videbis niſi in faciem benedixerit tibi. Sic Tobias piiſsimus cęcitate percuſſus, & poſtea ſoſpitate, diuitiis, & generis poſteritate ornatus. Sic & quoquot Deo placere meruerũt tentati ſunt; de quibus longũ eſt de ſingulis eorũ perſtringere. Probatum ſe fuiſſe Propheta manifeſta dicẽs: Pſal.16. Probaſti cor meum, & viſitaſti nocte, igne me examinaſti: & non eſt inuenta in me iniquitas. Tentatione itaque quemadmodum proficientis declaratur affectus ita & perficitur virtus. Quam obrem inaniter profeciſſe in virtute ſe arbitretur, qui tentationum experientia caret. Verum & virtus ſicut aduerſitatibus laceſſita roboratur, atque ſine exercitatione lãgueſcit. Exercet vtiq; virtutem à Deo permiſſa aduerſitas, quę eandẽ tãto exhibet clariorem, quãto robuſtior in vitiorum reluctatione cõſiſtit. Bona igitur & amplectẽda tribulationis eſt pugna, quę virtutũ coronam

nam

nam intexit, Paulo perhibente, qui ait: Rom 5. Tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò ſpem: ſpes autem non confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Vides ne quot ex hac tribulationis radice virtutum germinant fructus? Amara quidem in ſui initio cenſetur tribulationis experientia, ſed locupletem in illa examinatis præſtat mercedem, vnde Apoſtolus: Heb. 12. Omnis autem (inquit) diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudii, ſed mœroris: poſtea verò fructum pacatiſsimum exercitatis per eam reddit iuſtitiæ. Iuſtitiæ quippe fructus virtutum ſunt opera, quæ tribulatione ac vitiorum impugnatione mediante perficiuntur. Quæ videlicet eo fructuoſiora, & Deo magis redduntur grata, quò virtutes perfectiores exiſtunt. Equidem omnium virtutum, quæ laborioſe, & cum difficultate peraguntur, maxima radix eſt obedientia ſancta, charitatis dono decorata. Quæ profectò charitas vt Deo hominem gratum faciat, gratificatúmque cuſtodiat, eundem conſcientiæ ſtimulis inceſſanter impellit ad obſeruantiam diuinæ legis mandatorũque cœleſtium, ad debellandum vitia, ad reſiſtendum diabolo & ſuggeſtionibus eius, ad virtutum perfectionem conſequendam, & prorſus ad vitandũ vniuerſa, quæ Deo intelligit eſſe odioſa, atque opere complendum cuncta, quæ maieſtati eius amabilia eſſe diiudicat. Hæc eſt ſpiritualis proficientium diſciplina: hoc, inquam, eſt ſtadium intellectualis certaminis, eorum, qui obedientiæ accenſi deſiderio, atque charitatis iaculis vulnerati ad perfectionis brauium conuolare feſtinant.

Quanta bona charitatis virtus operetur in homine.
Cap. XXII.

Coloſ. 3. CHaritas quippe quum Apoſtolo perhibente perfectionis ſit vinculum, proculdubio quos replet ad vnitatem prouehit, nec eſſe valet charitas, vbi viget diſſidium. Nam de diſcipulis, cæteriſque fidelibus, poſt aduentũ ſancti ſpiritus, quos Dominus perfuderat charitate quid dicitur? Act. 1. Multitudinis autem credentium erat cor vnum & anima vna, nec quiſquam eorũ, quæ poſsidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. Cæterum antequam charitatis donum illis tribueretur, perſæpe ab inuicem diſſentiebant. Nam quadam vice (ſicut legitur) Mat. 20. quum duo ex eiſdem poſtulaſſent, vt vnus ad dexteram, alter verò in regno Chriſti ad ſiniſtram collocaretur, & hoc ad cæterorum deueniſſet notitiam, grauiter de duobus iſtud petentibus ſcandalizati ſunt. Iterum facta eſt (ſicut textus declarat Euangelicus) inter ipſos apoſtolos contentio quis eorum eſſe maior videretur, propter hoc magiſter optimus eis præcipuam tradidit humilitatis formam dicens: Qui voluerit inter vos eſſe maior erit omnium ſeruus. Ex his claret manifeſtè, quantum ad vnitatem charitas, & quantum charitatis priuatio ad diuiſionem inflammet. Colligit quidem charitas, & ſibiipſi reddit mentem, ordinatque hominem ad illum, propter quem creatus eſt, finem eò verius, ſublimius, atque perfectius, quò vehementius vrit, replet abundantius, conglutinat efficacius. Verum priuſquam ad ipſum perueniat finem, frequenter humanus languet affectus, intellectus obtunditur, obliquatur intentio, virtus deficit, caligat ratio, ſibique ipſi homo efficitur grauis. Quærit (oh) quoties lucem, & incurrit tenebras, deſiderat operari magna, & ſuccũbit in minimis, aggreditur ardua; & poſt puſillum eadem imperfecta relinquit? in tentationibus fluctuat, formidat in dubiis, in aduerſis cedit, gloriatur in donis, eleuatur in proſperis, & veluti harundo vẽto expoſita huc illucque raptatur, requiem quærens, & ipſam nuſquam reperiens. Nec mirum. Caret enim perfectione ſua, ad quam niſi pertingat, quietem nequaquam habere valet, & ad quã dum peruenit, pacem poſsidet & ſatietatem, atque extra illam non eſt quod vltra concupiſcat. Nempe perfectio hæc, & finis iſte, de quo loquimur, Deus eſt. Ipſum audi: Ego (inquit) ſũ Alpha Apoc. 1. & omega: principium & finis. Principium vtique per quod, & finis in quo, & ad quem. Omnia (ait Ioan. 1. Ioannes Euangeliſta) per ipſum facta ſunt. Per quod ipſum? prorſus per verbum, quod erat in principio apud Deum. In principio namque erat Deus verbum, & verbum principium erat. Non in principio tantum erat, ſed ipſum principium erat, per quod facta ſunt quæcunque ſunt, ſiue viſibilia, ſiue inuiſibilia, ſeu cæleſtia, ſeu terrena. Quicquid igitur factum eſt, per verbum principium Ioan. 8. factum eſt. Verbi teſtimonium de ſe perhibentis agnoſce: Ego (inquit Iudæis) principium qui & loquor vobis. Principium quippe ſine initio eſt verbum, per quod, ſicut legitur, fecit Deus cœlum & terram: non tamen eo verbo vſus eſt tanquam inſtrumento materiali, ſine quo nõ poſſet formare Deus ea, quæ condidit, ſed neque ſicut qui coadiutoris indiget, ſed per ipſum, quod eſt virtus eius, ſapientia eius, imago eius, ſplendor gloriæ eius, & figura ſubſtantiæ eius, fecit Deus, quæ facta ſunt. Quid de ſe per ſapientem dicat aduerte: Prou. 8. Dominus, ait, poſſedit me in initio viarum ſuarum antequam quicquam faceret à principio: necdum erant abyſſi & ego iam concepta eram, & poſt modicum: Quando præparabat cœlos aderam, quando certa lege gyro vallabat abyſſos. Quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum, quãdo circundabat mari terminũ ſuum, & legem ponebat aquis, ne tranſirent fines ſuos? Quando appendebat fundamenta terræ cum eo eram cuncta componens. Erat profectò cum patre, coæternus cum æterno, cum genitore genitus, Deus verus cum Deo vero, componẽs omnia, propter quod principium dicitur. Dicitur etiam finis; in quo ſunt

omnes

omnes theſauri ſapiētię Dei abſconditi, & in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter & in quo capiuntur omnia & ſunt, tanquam in arte opificis perfectius, excellentiuſque, quā in ſeipſis, & ad quem tēdere, & ſuſpirare debet quiſquis rationis eſt capax, cupitque eſſe beatus. Non enim beatitudinem ipſam aliunde obtinere poſſe ſe credat, quam in eo, & ab eo, qui eſt fons ſapientiæ, verbum vtique Dei in excelſis. Fons, inquam vitæ, de cuius torrente voluptatis inebriantur quotquot perpetuæ felicitatis effecti ſunt digni, nedum illi, qui iam peruenerunt: verumetiam & qui adhuc peregrinantur anhelare debent ad illum pertingere fontem, ſicut propheta de ſe perhibet dicens: Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuū, quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Ipſum quippe totis viſceribus deſiderare fontem, ad ipſum infatigabiliter cum exultatione mentis currere feſtinent, qui in hoc mortali degunt corpore, & per fidem ambulant, quatenus ex illius guſtu carnalium voluptatum in ipſis temperetur æſtus. Præbet namque poſtulantibus ſe ſatietatē quādam ineffabilem, quæ mundi huius illecebras ſitire non ſinit. Sic nāq; mulieri Samaritidi ſpopondit dicens: Qui biberit ex aqua, quam ego dabo, non ſitiet vnquam, ſed fiet in eo fons aquę ſalientis in vitam æternam. Da mihi (quæſo) ò Domine Ieſu haurire, ac percipere aquam ſapiētię ſalutaris de te vitæ fonte, vt vltra ſeculi iſtius oblectamenta non ſitiam. Comple mi Saluator & Deus interiora mea ſaturitate tua, pace tua, veritate tua, ſapientia tua, bonitate tua, iucunditate tua, charitate tua, ſplēdore tuo, vt te ſolum videre, te tenere, teque amplecti cupiam: tibi placere, tibi famulari, tibique in omnibus obtemperare deſiderem, non perfunctorie & ſegniter, nō ſeruiliter & mercenarie, ac propter me, ſed propter teipſum, ſicut illi, qui facie ad faciem contemplātur te, & de te beati ſunt: & quemadmodum qui peregrinātur abs te, & tamen in lumine fidei perfectę quærunt te. Ii nimirum nō ſenſu carnis ducti, neque vitiorum impugnatione promoti tibi obtemperant, ſed in humilitate cordis, in feruore ſpiritus, in deſiderio animæ, in orationibus crebris, in quotidianis ieiuniis, in laboribus plurimis, in corporis caſtitate, in puritate mentis, & in omnium ſtrenua exercitatione virtutum. Nempe huiuſmodi tanquam perfecti viri renouantur ſingulis pene horis ſpiritu mentis ſuæ, & induūt nouum hominem ſecundum Deum formatum. Progrediuntur quoque de virtute in virtutem, transformanturque de claritate in claritatem, quatenus quantum poſsibile eſt, configurentur imagini increatę, ad cuius imaginem creatos ſe eſſe cognoſcunt. Horum ſiquidem conuerſatio, quanquam inter homines eſse videatur, affectu tamen

Psal. 41.

Ioan. 4.

& cogitatione frequentiſsime in cœlis eſt. Nam etſi opportune tractent humana negocia, quamuis corporis neceſsitatibus temperanter deſeruiant, ſpiritu nihilominus diuinæ contendunt ſe exhibere præſentiæ, prophetam imitantes, qui dicit: Prouidebam dominum in cōſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi ne commouear. Student præterea toto poſse habitare ſecum, noxiarum, inutiliumque cogitationum vitare tumultus, motus animi inordinatos componere, affectus mentis erigere, intentionem ad Deum dirigere, nihilque intra ſe indiſcuſsum relinquere, intelligentes cūcta cordis ſui penetralia diuinis patere obtutibus, quemadmodum Apoſtolus notificans ait: Viuus eſt Dei ſermo & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus, compagū quoque & medullarum, & diſcretor cogitationum & intentionum cordis, & nō eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius, omnia autem ſunt nuda oculis eius. Virtutum denique habitus in proficientium concertationibus iam adeptos exercent actu. Minima etiam delicta arbitrantur maxima præ amore & proficiendi deſiderio. Hinc nullam ſibipſis præſtantes requiem, nullum pene temporis momentum inutiliter prætereuntes nunc Deo, nunc proximo, nūc ſibi vacare nituntur. Vbique grauitatem prætendunt in moribus, hilaritatem in facie, diſcretionē in factis, in ſermonibus ſapientiam, in ſenſibus, diſciplinam, ita vt redoleant ſanctitate, ſintque quoddā religionis ſpeculum, in quo quiſque ſimpliciter intuendo, merito valeat ædificari in bono, atque animari ad bonum. Ex affluentia poſtremo gratiarū eiſdem collatarum, ex diuina allocutione, quam in oratione poſiti quotidie agunt, atque ex cordis munditia per quam lætificantur, & Deū laudāt, ſe aſpicientes replent gaudio, & ad ſe diligendū alliciunt. Nec ſine cauſa. Quos enim Dei ſapientia veritatis ſuæ ſplendore illuſtrat, quoſve Spiritusſanctus inhabitando conſolatur, chariſmatibus ornat, fœcundatque virtutibus, non poſsunt non amari, venerari, & coli, præſertim quum in humilitatis ſoliditate collocati neſciant inflari, nec ſibi arrogare valeant quippiam boni, quum veriſſime intelligant non à ſe, ſed Dei gratia eſse quod ſunt. Quamobrem ſe in cordis contritione deiiciunt, ſemper ſe accuſant, ſe debitores Deo fatentur, tum pro quotidianis exceſsibus, tum & pro bonorum amiſsionibus, & pro acceptis corporalibus, ſpiritualibusq; muneribus. Hinc quoque pro rependenda viciſsitudine charitatis à domino multipliciter ſibi exhibitæ, ſe occupant in bono, ſe accendūt in ſpiritu, ſibique minime parcunt, vt conditoris ſui obtemperent voluntati, quam non in codicibus quærunt, neque ab hominibus ſciſcitantur, ſed per internam aſpirationem, per familiaritatem verbi, per contubernium

Psal. 15.

Heb. 4.

ſapien-

Digitized by Google

ſapientiæ, & per irradiationes cæleſtes, in lumine veritatis, in conſcientiæ puritate, & in purgati intellectus percipiunt ſpeculo. Iſti profecto, de quibus loquimur, ſpirituales & perfecti viri, quẽadmodum incipientes, & proficientes pręcellũt in numeroſitate donorum, in gratia largiori, in prolixiori experientia, in ſanctiori conuerſatione, & in perſpicaciori cognitione: ita & in obedientiæ perfectione, quamuis in exteriori actione, non ſicut primi videantur eſſe ſubiecti. Non enim in motu corporis, nec in operum multitudine, neque in ęſtimatione humana, ſed in feruore charitatis, in rectitudine intentionis, in diſcretionis menſura, & in obſequendi deſiderio, virtutis obedientiæ, veluti & cæterarum perfectio cõmendatur. Hoc autem ſolerter conſiderandum eſt, quòd viri ſancti atque perfecti non pariformiter, neque in vno, eodemque perfectionis gradu ſemper inſiſtunt. Interdum quippe Dei moderante ſapientia in quoſdam decidunt lapſus, & ab arce perfectionis dilabuntur in tranſgreſſiones inchoantium, quatenus propriæ infirmitatis eruditi experimento, ſe ſolicitius in humilitatis & obedientiæ cenſura coerceant.

Quòd operum Dei arcana myſteria minime ſint curioſe ſcrutanda. Cap. XXIII.

OPerum omnipotẽtis & æterni Dei quiſquis curioſe indagari prǽſumpſerit cauſas, & arcana myſteria, tanquam temerarius retũdetur, [prou. 25.] ſacro atteſtante eloquio. Quòd ſcrutator maieſtatis opprimetur à gloria. [Eccl. 19.] Nã humano ſenſui prorſus inſcrutabilia ſunt, hoc Salomone perhibente, qui ait: Deus ſolus iuſtificat, & manet inuictus rex in æternum. Quis ſufficiet enarrare opera eius? Quis enim inueſtigabit magnalia illius? Quum igitur incõprehenſibilia ſint, pudeat vermiculum homũculum illa diſcutere, atque perquirere quæ in verbo Dei ſibi coæterno, & in ſecretiſſimo ſapientiæ eius latent conſilio, & tantum ipſi ſunt nota, & quibus idem reuelare voluerit. Sufficiat homini credere ipſa eſſe iuſtiſſima, atque omni cum ratione diſpoſita, dicente Propheta: [psal. 103.] Omnia in ſapiẽtia feciſti, tametſi eadem minime percipere queat. De cæteris verò vt taceam operibus mirabilibus, quis (oro) valet rimando intelligere, cur iuſtorum quidam ad tempus permittantur cadere, & in criminib. maximis ruinam facere, quorum conuerſatio apud Deum commendabilis, & coram hominibus irreprehenſibilis cenſebatur? Erat profecto Moyſes [Num. 12.] mitiſſimus omnium, qui tunc morabantur in terra, vniuerſo populo Hebræorum prælatus, ſecretorum Dei cognitor, ita vt facie ad faciẽ cũ domino loqueretur, legis diuinę lator, Dei & plebis Iſraeliticæ mediator, inter prophetas nominatiſſimus, & nihilominus hic tantus & talis cũ germano ſuo ſacerdote ſummo in infidelitatis proruit foueam, hoc diuino permittente ſuo ſecreto, ineffabilique iudicio, vnde dominum aduerſus ſe iratum audire meruerunt: Quoniã non credidiſtis mihi vt ſanctificaretis me coram filiis Iſrael, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis. Erat quoque Dauid omnium excellentiſſimus prophetarum, vir vtique ſecundũ cor Dei, de cuius ſemine per repromiſſionem ipſi factã naſciturus erat Chriſtus. Hic ex Dei permiſſione iuſtiſſima, hominibusque ignota, vnius mulierculæ illectus concupiſcentia adulterium & homicidium nequaquam perpetrare formidauit. Quid multa? Negauit ter apoſtolorum princeps dominum ſuum vnius ancillæ voce perterritus, oblitus magnalium, quæ ab illo conſpexerat fieri, immemor etiam humanitatis ſibi prę cęteris exhibitæ. Metu denique mortis reliqui proſtrati Apoſtoli magiſtrum in ſæuiſſimorum manibus deſerentes inimicorum nemine perſequẽte fugerunt. Horum ſiquidem, & illis ſimiliũ prǽuaricationes ſunt profecto documenta fidelium ſunt etiam diuina potius veneranda, quam perſcrutanda iudicia. Eruditur tamen quilibet catholica inſignitus religione de ſe minime debere præſumere, quamuis ſpiritualibus ornatus ſit donis, virtutibus clareſcat, ſcientia polleat, miraculiſque coruſcet. Diſcat præterea non altum ſapere, ſed timere, quum Deus (quemadmodum legitur) ſuperbis reſiſtat, & humilibus præſtet gratiam. [Iac. 4.] Nam ſi Lucifer in cœlo factus, chariſmatib. maximis præditus, nulloque ſuadente in elatione ſe eleuans, pariter cum omnibus, qui ipſi adhęſere, in malum è cœlo expulſus in lacus profundiſſimum baratrum deiectus eſt, quid de homine viliſſimo puluere, & putreſcente cadauere poſt paululum in nihilum redigendo, ſi ſe erexerit ſupra ſe, volueritque ſibi diuinam vſurpare gloriã, ſe aliquid eſſe arbitrando, quum per ſe & ex ſe nihil exiſtat, faciendum ſit, iudicet qui iſta legit, & audit. Quamobrem experientia alieni imbutus mali qui ſtat, aut ſtare ſe putat, ruinam pertimeſcat, & eò magis caſum metuat, quò præ cæteris potiora ſe intelligit percepiſſe chariſmata, quoniam qui ex eminentiori corruit gradu, vehemẽtius alliditur, grauiuſque delinquit. Timeat poſtremo quiſque de ſe, ne ex repentino tentationis impulſu, ſeu ex diuturno ſpirituum immundorum inſultu eneruetur mens à ſui ſtabilitate propoſiti, & deſeratur ſibi: diſcatque ex proprię infirmitatis lapſu præuaricantibus compati, atque de ſublimi virtutum faſtigio diuina permiſſione ad ima fluentibus. Nihil enim ſic à diuinorum operum, iudiciorum cæleſtium, fraternæque trãſgreſſionis, curioſo ſcrutinio ſuperbum retrahit animum, quemadmodum debilitatis propriæ manifeſta cognitio, quæ profecto non ſinit mentem extollere, neq; de alterius caſu gaudere. [Rom. 11.] Proinde ſuadente Apoſtolo, qui ſtat, videat ne cadat,

cadenti

cadenti compatiatur ex corde, pro illo orationẽ fundat, exhortationis manum ei (ſi valet) porrigat, ſeque ſtabilientem in bono, ac cuſtodiẽtem à crimine laudet iugiter, & ipſi totis viribus gratias agat, quoniam laudabiliter viuere nõ eſt vo- 1. Cor. 10 lentis, neque currentis, ſed ſolius miſerẽtis Dei, qui cui vult miſeretur, & quem vult, indurat. Indurat quidẽ non impellendo ad facinus, ſed gratiam continendo, per quam perficitur virtus, & omne opus commendabile conſummatur. Itaq; ſicut non licet ei qui fratrem ſuum, aut probatũ virum cadere conſpicit iudicare, æque non decet delinquentem grauiter, vel palam deſperare & à ſpe diuinæ miſerationis ſe alienum facere. Nempe nihil hac deſperationis confuſione deteſtabilius, nihilq; ad promerendum veniam perniciosius. Superbiæ nanque filia eſt, diuinæ bonitatis inimica, indulgentiæ diſsipatrix, compunctionis aduerſaria, meritorum intercẽptrix, vitiorum nutrix, ſpiritualis profectus impedimentũ, reconciliationis obſtaculum, & malorum multorum additamentum quam maximum. Incipiẽtes quoque interimit, vulnerat proficientes, & conturbat perfectos. Aduerſus igitur hanc ſpiritualẽ peſtem ſe Chriſti muniant milites, quoties ex improuiſo aliquod enorme committunt crimẽ, vel in tentationibus repente deficiunt, aut ab incœpto feruore langueſcunt, ſeu forte ab aſſueto deuotionis guſtu totaliter permittente Deo alieni fiunt. Tunc quippe fortitudine, & prudẽtia egẽt non modica. Fortitudine, inquam, ne puſillanimitate frangantur, atque ex hac prorſus deſperatione ſuperati, in vniuerſorum ſcelerum ſe immanitatem præcipitent, & inſanabiles fiant. Prudentia verò quatenus propriæ fragilitatis non ſint immemores: cuius videlicet obliuio hominẽ ad quodcunque facinus facit eſſe procliuum. Se denique tunc prudenti examinatione diiudicent, ſi aliquod occulte perpetrauere delictum, ſi ex collatis ſibi à Deo muneribus eorum intumuit cor, & in ſui æſtimatione complacuit, quod quidem peccatum ſpiritualis eſt cauſa ruinæ, ſacro hoc atteſtante eloquio: Pro. 16. Ante ruinam (inquit) exaltatur cor. Et quemadmodum propheta de ſe narrans, Pſal. 118. ait: Priuſquam humiliarer ego deliqui: propterea eloquium tuum cuſtodiui. Miſericorditer enim dominus fideles ſuos erudiens, variis eos ſinit tẽtationibus agitari, interdum etiam nonnullis criminibus irretiri, quatenus quàm infirmi ſint ſe agnoſcant per culpam, necnon proprias vires metiantur in prælio, atque experimento edocti diſcant non inflari, ſed ſemper Deum timere, ac de ſe abiectè, humiliterque ſentire. Hæc nanque cognitio humilis, diuino aſſociata timori, amiſsã reparat gratiam, confitentem reconciliat Deo, ad indulgentiam erigit lapſum, ſpe roborat animum, pœnitenti cœlum aperit, certanti ſubminiſtrat vires, intermiſſas germinare facit virtutes, replet gaudio, charitatem accendit, veniam tribuit, compunctionem parit, conſcientiæ trãquillitatem ingerit, aggregat merita, atque ad bene operandum ſe poſsidentem euigilando diſponit. Confidat humilis, quoniam ſi permittente Deo Pſal. 6. ceciderit, non collidetur, quia dominus illi ſupponet manum ſuam, nec ipſum diu patietur iacere proſtratum. Cæterum ſi a ſpiritibus fuerit vexatus immundis, nequaquam deſperet de gratia, neque de auxilio ſibi affuturo diffidat, propheta perhibente, qui ait: Quoniam angelis ſuis man- Pſal. 90. dauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus viis tuis: in manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Super aſpidem & baſiliſcũ ambulabis, & conculcabis leonem & draconem. Verum ſi ab vſitato proficiendi calore tepere ſe ſenſerit, inchoata virtutis opera minimè peragere negligat, memor propheticæ exhortationis dicentis: Expecta dominum, viriliter age, confor- Pſal. 26. tetur cor tuum, & ſuſtine dominum. Poſtremo ſi ab inimicis, & peruerſis hominibus iniurias, contumelias patiatur & damna, æquanimiter perferendo, præſidium opportunum præſtoletur a domino, iuxta oraculum Pſalmographi concinentis: Salus iuſtorum a domino, & protector eo- Ibidem. rum in tẽpore tribulationis: & adiuuabit eos dominus, & liberabit eos, & eruet a peccatoribus, & ſaluabit eos, quia ſperauerunt in eo. Quamobrem in omni viciſsitudine diuinę diſpenſationis, in omni repentino emergente caſu, atque in vniuerſis, quomodo libet irruentibus aduerſitatibus, Chriſti ſeruus, & quiſque propriæ ſalutis amator, ad dominum tota intentione confugiat, ſeque accuſando vt ſibi auxilium præbeat, ipſum humiliter deprecetur. Nam in afflictione poſitos Saluatoris noſtri celeriter conſueuit exaudire clementia. Ipſius quippe vox illa eſt per pro- Pſal. 49. phetam dicentis: Inuoca (inquit) me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Summopere vero in obedientiæ agone conſtituti, & in tribulationis camino examinati caueant retro cedere, & incœptum exercitium ſpirituale deſerere, ne aereis poteſtatibus, ac intuentibus hominibus ridiculum fiant, cunctorumque præteritorũ laborum amittant fructum. Nautarum ipſi erudiantur exemplo, qui ſpumantis æquoris, flantiumq; ventorum impetum formidantes, nequaquam ab inchoato nauigationis itinere intentionis ſuæ reflectunt obtutum. Nam procellarum tempore irruente, imminentia ſtudent vitare pericula, claſſemque à naufragio eripere, & ſeipſos à pelagi voraginibus liberare. Nempe pacato mari, proſperis ſpirantibus ventis, deperditas reſumũt vires, ſecuri efficiuntur, & alacres gratiarum pro tranſacto diſcrimine Deo referunt actiones. Debilitatos denique reficiunt artus, exultationis & gaudii promunt voces, atque priorum incommodorum obliti terroribus optatum tranquillitatis

portum

portum captare feſtinant. Quod enim nautæ corporaliter, hoc Chriſti milites in agone probati ſpiritualiter actitare conentur. Aſſueſcant vtique intus abundare delicijs & penuriam pati: eſurire & guſtare, quàm ſuauis eſt dominus, gaudere in domino, & triſtari propter dominum, temperanter tamen omnia & cū ſobrietate ſpiritus, ne prætergreſſo virtutis medio imperfectionis labātur inuolucro, & inde deſcendere cogantur ad ima, vnde ad ſumma aduolare debuerant. Beatus plane ille dicendus eſt vir, qui ſapientię ſpiritu redimitus & gratia, ſic quum probatur & examinatur tribulationis incendio, diuinæ conformis eſt voluntati, quemadmodum quum interna conſolatione perfunditur, & cui proſpera, & aduerſa pariformiter militant ad profectum. Hic profecto cum Apoſtolo Paulo fiducialiter in domino
Rom. 8. gloriari poteſt ac dicere: Quis me ſeparabit à charitate Chriſti? Tribulatio? an anguſtia? an perſecutio? an fames? an periculum? an gladius? Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque poteſtates neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundū, neque creatura alia poterit me ſeparare à charitate Dei, quæ eſt in Chriſto Ieſu domino noſtro. Hęc eſt perfectionis meta, ad quam pertingere decertent qui famulantur altiſsimo, & obedientię brauium aſſequi concupiſcūt, vt videlicet in omnibus diuinæ conformes ſint voluntati, atque in nullo deliberatione ſpontanea ab ipſius diſpenſatione diſſentiant, nihilque ab eodem procedente velint curioſe ratione diſcutere, ſed vniuerſa tanquam ęquiſsime geſta humili deuotione percipere: ita vt veridica aſſertione propheticum illud promere poſsint: Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum.
Pſal. 72.

Quibus indicijs Dei ſeruus merito commendetur. Cap. XXIIII.

QVemadmodū in humanis negocijs ex exterioribus ſignis, vt plurimum fiunt nota interiora, quę latent, ſic in ſpiritualibus exercitijs euenire dubitet nemo, poſsūt quippe fieri multa ſimulata intentione, quæ aliud apparēt extrinſecus, aliud verò introrſus exiſtūt, aliterque ab humano, atque a diuino, aliter cenſentur eſſe facta iudicio. Veruntamen huiuſmodi geſta, imò talium autores operum diu latere
Luc. 12. non valent, dicente domino: Nihil opertū, quod non reueletur, & occultum, quod nō ſciatur. Ex hac vtique præmiſſa admonitione eruditur quiſque fidelis, pudice viuere, ſimpliciter conuerſari, cordis ſimulationem fugere, & non minus Dei quam hominum præſentiam expaueſcere. Non enim poteſt voluntarie delinquere, qui diuinam coram ſe meditatur adeſſe maieſtatem. Quis (oro) tam ſuperbus, tantoque inſano captus eſſet amore, vt ante ſibi aſsiſtentem iudicem ipſius pręſumeret iuſſa contemnere? ſtatuta violare? decreta negligere? Hinc humana quanta ſit redargutione digna temeritas, patenter aduertitur. Vbique ſiquidem & abſque vlla dubietate præſens eſt dominus, ſingulorum acta intuetur, cordium ſecreta rimatur, cogitationum, affectionum & intentionum perluſtrat arcana, atque vniuerſa ſine errore aliquo perſpicacius, ac excellentius ipſi ſūt nota quàm eis in quorum mente verſantur, & nihilominus miſeri mortales cupiditatis voluptate illecti, infidelitatiſque caligine obuoluti, minimè formidant ipſius diuinitatem offendere, potentiam deſpicere, indignationem incurrere, iuſtitiam prouocare, vilipendere legem, præuaricari mandata, ſicque impudenter delinquere, ac ſi abolita eſſet iuſtitia, deeſſet iudex, cunctaq; facinora remanerēt inulta. Porrò grauiter peccat, & tamen lætantur quum malefaciunt, & exultāt in rebus peſsimis. Prou. 2. Cæci ſunt, & ad interitum pergunt, & nihilominus arbitrantur ſe ambulare in luce, & facillime peruenire ad vitam. Temporalibus voluptatibus, & æternis ſperant ſe frui poſſe delicijs, necnon quemadmodum in hoc ſeculo, ita poſt hanc peregrinationem credunt florere in cælo. Iſta mortalium pernicioſa opinio, illuſione plena, ignorantiæ caligine circunſepta ò quot fallit, quot interimit, quotve ad æternū ſupplicium trahit? Spondet denique huiuſmodi cogitatio falſa, vt vera diripiat, proponit carnalia, vt ſpiritualia auferat, corpori ſuadet illecebras, vt animæ ſurripiat gratiam. Hoc totum ex veritatis ignorantia, ex defectu fidei, ex charitatis priuatione, ex carentia deuotionis, interdum ex ſuggeſtione diaboli, atque ex obedientiæ tranſgreſſione accidere perſpicuum eſt. Da ſummæ veritatis ſplendore illuſtratum, da formatæ fidei gratia purificatum, da perfectæ charitatis nuptiali indumento veſtitum, da deuotionis ſanctæ ſuauitate refertum, da diſcretionis ſpirituum dono redimitum, da poſtremo obtemperantem Deo, & cęleſtia, atque ſuperiorum præcepta ſeruantem, & agnoſces huiuſmodi mundum ſpernere, carnis oblectamenta vitare, necnon abhorrere quod tēporaliter arridet, quod eſt honoris, quod gaudij, quod voluptatis, & quod ſeculi. Omnia quippe hæc paruipendit, & arbitratur vt ſtercora, vt lucrifaciat Chriſtum, in quo cunctis his meliora abundantius, delectabilius, fructuoſiuſque ſe percepturū eſſe nō dubitat. Quamobrē ſeipſū humiliat, ſe cōpūgit, ſe cōterit, ſeq; tāquā ſeruū emptitiū facit, ne dum ſuperioribus atq; æqualibus, verūetiā ex corde obediēdo minoribus, iuxta Apoſtoli exhortationē dicentis: 1. pet. 2. Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum. Hęc profecto eſt Chriſtianæ diſciplina militiæ: hoc (inquam) eſt veræ dilectionis ad Chriſtum notiſsimum ſignum: ſeculi videlicet illecebras fugere, humilitatem

tatem non minus mente quàm habitu exteriori ſectari, Deo atque hominibus ſeruitute voluntaria famulari, & hoc quidem non ad tempus, neque in proſperitatibus tantum, ſed in tentationibus, in aduerſitatibus, in perſecutionibus, in longanimitate vſque ad mortẽ. Talibus ſi quos perſpexeris ornatos virtutibus, atque moribus ſpiritualibus decoratos, hos venerare, cole & dilige, tanquam Dei ſeruos, imitatores Chriſti, Spiritus ſancti habitacula, vaſa ſanctificata, angelorũ conſortes, cæli ciues, paradiſi incolas, cæleſtis præcones regni, interceſſores ſeculi, mundi luminaria, micantes ſtellas, veritatis oſtenſores, amatores ſapientiæ, oppugnatores diaboli, vitiorum inimicos, zelatores virtutum, contemptores ſui, Euangelii teſtes, ſaltem terræ, necnon Dei & hominũ mediatores optimos. Precib. quippe ſuis, lachrymis, gemitibus, ieiuniis, vigiliisque, die, noctuq; pro Chriſtiano interpellant populo, & diuinam placant iuſtitiam, quæ ob ſcelera maxima ac horrenda crimina, quæ videlicet in contemptũ Dei & proximi committuntur, tam palam, quam occulte perpetrantur, quotidie ad iracundiam prouocatur. Nequaquam enim humani generis iniquitates tam æquanimiter ſuſtineret omnipotens, ſi non ſanctorum interceſsionibus flecteretur. Prætereo quàm exaudibilis, quantæque ſit efficaciæ 1.Ioan.2. mediatoris noſtri actualis oratio, de qua ſic teſtatur Ioannes Apoſtolus: Si quis (inquit) peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum: & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris autem tantum, ſed pro totius mundi. Taceo quantum ſit vtilis catholicæ plebi ſupplicatio indeſinenter Deo oblata ſanctorum, qui conſummato feliciter huius vitæ curſu aſsiſtunt illi, ipſius actuali fruitione beati. Nam (prout fas eſt credere) ſine intermiſsione iuge pro nobis domino orationum exhibent ſacrificium, quemadmodum in Apocalypſi Ioannes Apoc.5. inſinuat dicens: Et quum aperuiſſet librum, quatuor animalia & vigintiquatuor ſeniores ceciderunt coram agno, habentes ſinguli citharas & phialas aureas, plenas odoramentorum, quę ſunt orationes ſanctorum. Quis (oro) explicet verbis, quantum proſint eccleſiæ Dei preces iuſtorum, qui adhuc in hoc mortali degentes corpore, peregrinantur a domino: eorum potiſsimum, qui renunciantes ſeculo, ſui redemptoris ſe mancipauerunt obſequio? Hi nimirum diuinis dum interſunt laudibus, in oratione frequentiſsimis pernoctationibus incumbentes, iuſtitiæ Dei rigorem in dulcedinem pietatis immutant. Horum ne (quæſo) poterunt repelli ſuffragia, quorum conuerſatio Deo acceptiſsima eſt? quorum obſecrationibus delectatur dominus? quibuſue indiſſolubilibus charitatis vinculis cõnexus eſt Chriſtus? prorſus minime. Nam quemadmodum ipſi accepti ſunt Deo, ita eadem eorum ſunt ſupplicationes gratæ, tanquam cohæredum Chriſti, ſpiritualiaque ipſius myſtici corporis membra. Adhærentes ſiquidem illi per compaginem charitatis, & vnum cum ipſo effecti contemni nequeũt, neq; ab illius gratia propulſari, tametſi mũdus aliter arbitretur. Non enim quanti ſint meriti, quãtumque apud Deum eorum approbata ſit vita, percipere valet: quippe qui ſolum quæ carnis ſunt, ſapiat, ignoretque ſecundum ſpiritum iudicare. Nempe teſtante domino, ſicut nõ poteſt Mat.7. arbor bona fructus malos facere, neq; arbor mala fructus bonos facere: æque mũdi amatores nõ valent ſpiritualia opera ſpiritualiter diſcutere atque diſcernere. Hinc eſt quòd eorum, de quibus loquimur, conuerſationi detrahunt, vilipendunt perſonas, ſocietates erubeſcunt, quietis ociũ damnant, fugamque illorum è ſeculo, ac renunciationem affinium & propinquorum derident, ipſos arguentes tanquam ignauos, inutiles, puſillanimes, & viles, & quaſi non præſumentes poſſe victum ſibi neceſſarium ex induſtria vẽdicare. Verum ſi recte ſaperent, atque prudenter diſcuterent, prorſus intelligerent ſeruos Chriſti maxima appetere atque difficiliora, quàm ea quæ in ſeculo agere contempſerunt, aggredi opera. Inſuper eoſdem nequaquam ex animi imbecillitate, ſed ex ſola cordis magnanimitate domum, parentes, facultates, carnis illecebras, & omnia mundi oblectamenta relinquere. Ob hoc ſiquidem renunciant ſeculo & voluptatibus eius, vt facilius expeditiuſque regnum conſequantur æternum: quod vtique, perhibente domino, à diebus Ioannis Baptiſtæ vim patitur, & violenti diripiunt illud. Mat.11. Abiiciunt præterea cuncta terrena, quæ poſſident, quatenus diabolo robuſtius, cum quo dimicaturi ſunt, reſiſtere queant. Sciunt enim Apoſtolum dixiſſe: Eph.6 Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnẽ & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtib. Poſtremo à curis ſecularibus ideò ſe elongant, vt quietius, ac liberius vacare Deo, ſibiipſis vigilantius intendere, necnon carnis deſideria valeant cohibere: quæ profecto ſingulis pene horarum momentis in corde germinant, & ſpiritui aduerſantur. Sic enim legitur: Gal.5 Spiritus repugnat aduerſus carnem, & caro aduerſus ſpiritum. Hæc autem inuicem aduerſantur, vt non quæcunque vultis, eadem faciatis. Tanquam igitur Chriſti veri diſcipuli magiſtro cæleſti obtemperant, qui ait: Luc.14 Qui non renunciauerit omnibus, quæ poſsidet, non Ibid. poteſt meus eſſe diſcipulus. Idemque perhibet dicens: Qui venit ad me, & non odit patrem & matrẽ, vxorem & filios, fratres & ſorores, adhuc autem & animam ſuam, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Nam ipſe dominus & magiſter, quod verbo docuit, perfecit & opere. Contempſit etenim mundum, & vniuerſa, quæ mundi ſunt, quũ ſua

eſſ at,

eſſent, valeret illa pro libito ſine delicto diſponere. Non eſt vſus honore regio, quum verus eſſet rex regum, & dominantium dominus: quin potius ſerui formam, habitum, miniſteriumq; ſuſcepit, quemadmodum Apoſtolus narrans ait: Phil. 2. Qui quum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiẽs, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuẽtus vt homo. Humiliauit ſemetipſum, factus eſt obediens vſq; ad mortem, mortem autem crucis. Non vtique domum propriam habere voluit, non agros, nõ poſſeſsiones, non ancillas, non ſeruos, ſed tanquam peregrinus in hoc ſeculo naſci elegit in ſtabulo, reclinari in præſepio, in Aegyptum fugere, eſurire, ſitire, fatigari, tentari, perſequi, à diſcipulo venundari, diutiſſime verberari, colaphis ignominioſe cædi, coronari ſpinis, ſputis deturpari, in ſtipite affigi, aceto potari, in cruce mori, & lancea vulnerari. Omnia mundi huius aduerſa perferre dignatus eſt, & reſpuere proſpera, quatenus exẽplo ſuo erudiret homines, quid diligere, quidve Matt. 5. ſpernere deberent. Denique ipſum admonẽtem quid dixerit audiamus: Beati (inquit) pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum: Beati mites, beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiã: beati miſericordes, beati mundo corde, beati pacifici, & beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorũ. Non commendauit diuites, neque amplectẽdas ait eſſe terrenas facultates, ſed potius abiiciendas, non appetendas dignitates, non gaudia vana quærenda, non corporis voluptates ſectãdas, non ambiendos dominandi faſtus, non generis nobilitatem propalandam, neque temporalẽ felicitatem docuit eſſe tenendam. Vniuerſa, quæ mũdi amatores poſſidere cõcupiſcunt, vilipẽdẽda eſſe monſtrauit, atque illa, quæ ipſi pati formidant, alacriter toleranda eſſe monſtrauit. Errare ſiquidem non valuit quum ſapientia ſit, nec mentiri poteſt quum veritas æterna ſit: ſed neque fallere quum ſumma ſit bonitas. Merito itaque non irridendi, ſed prorſus venerãdi ſunt ſerui illius, qui adhærentes ei, ipſiuſque imitantes veſtigia, mundo renunciant, & à ſe abdicant ſecularia negocia atque ſub obedientiæ ſe iugo proſternunt, quatenus quæ ex propriæ radice voluntatis emergunt, deuitent incommoda, necnon qualis, quantuſque delectationis & pacis ex eadem obedientiæ virtutis exuberet fructus, percipere queant.

Quòd innumeri ſunt, qui falſa deluſi opinione delinquunt. Cap. XXV.

PRæter cætera a Deo collata munera hoc etiam bonum naturaliter eſt inſitum hominibus, vniuerſa videlicet abhorrere pœnalia, vtilia verò ſemper deſiderare & læta, potiſsimum ſi qualitatem earum guſtu didicerit. Sunt tamen innumeri, qui naturalis rationis paruipendentes donum, ac pecudum more degentes ſectantur noxia, & à lege Dei prohibita, quæ æterno ſunt plectenda incendio, proficua verò & ſancta deſpiciunt, quæ pacem præſtant & vitam. Hi carnis opera perficientes in concupiſcẽtiis ſuis, arbitranteſque iuxta prophetæ ſententiam malum bonum, & bonum malum ac ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ignorantiæ deterẽ Eſaia 5. ti caligine, pœnitẽtiæ deteſtãtur bonũ, & ſe perniciosorũ criminũ tradũt illecebris. Suadẽt nãq; huiuſmodi ſibiipſis, etiã diabolica ſuggeſtione deluſi, vt delinquãt liberius, mãdati tranſgreſſionẽ graue nõ eſſe peccatũ, ſed facile remiſsibile, atq; poſſe pro ſuo beneplacito quum voluerint, redire ad veniam. Ignorãt prorſus, qui tales ſunt quãti ſit ponderis peccare in Deum, ipſiuſque præcepta negligere, quòdve facinus operetur in homine, necnon quanta exigente iuſtitia ex ſuo reatu Deut. 32. delinquens plectendus ſit pœna. Vtinam (inquit ſanctus propheta de talibus) ſaperent, & intelligerẽt, ac nouiſsima prouiderent. Ex horum neſcientia primus circumuentus eſt homo, dum ex ligno vetito, de quo ne comederet præceptũ acceperat, guſtare præſumpſit. Pluris quippe æſtimauit vxori diſplicere quam Deo, diuinamq; bonitatẽ ad reatus ſui indulgentiã iudicauit facillime eſſe flectendã. Hoc ideo arbitratus eſt, quia nõdum iuſtitiæ rigorem expertus fuerat, nondũ quantum omnipotens Deus inobedientibus aduerſaretur, agnouerat, nullam adhuc reluctationem in carne, nullam ab ipſis creaturis contrarietatem perſenſerat, proinde in ſui, ſuæque poſteritatis exitium factus eſt ad delinquendum procliuis, quid ex hoc ſecuturum eſſet ignorans. Cõſenſit itaque, guſtauit, & periit. Pro hac ſiquidem diuini præuaricatione præcepti penè deordinata ſunt omnia. Hinc enim de optimo voluptatis loco expulſus eſt homo, & ferarum effectus eſt ſocius, mundi iſtius incola, terræ procreãtis ſpinas, & tribulos cultor, & duplicis mortis obnoxius. Hinc etiã hebetata eſt memoria, affectus refriguit, caligauit ratio, multiplicatæ ſunt ærumnæ, infirmitates auctæ, conualuerunt paſsiones. Hinc deniq; ſpiritui reluctatur caro, ipſius crebreſcũt ſtimuli concupiſcentiæ pullulant, tentationes germinãt bella gerũtur in corde, & ſibiipſi ſupra modũ homo factus eſt grauis. Hac quoque de cauſa diluuii inundauerunt aquæ, ignis de cœlo deſcẽdit, peſtilẽtiæ ſunt immiſſæ innumeræ, plurimæ ciuitates euerſæ, prouinciæ per orbem dilaniatæ, populi circunquaque diſperſi, ſanguis velut torrẽs effuſus eſt. Et vltra quid memorẽ: Omnia profectò, quæ diuinæ legi aduerſãtur, ab hoc inobedientiæ fonte emanare noſcũtur, quæ videlicet apoſtolus ſub appellatione operũ carnis enumerãs ait: Gal. 5. Manifeſta autẽ ſunt opera carnis, quæ ſũt fornicatio immũditia, impudicitia, luxuria, idolorũ ſeruitus, venæficia, inimicitiæ, cõtentiones, æmulationes,

iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, comesſationes, ebrietates, & his ſimilia. Non valet explicare ſermo, non humana proferre facundia, neque intellectus percipere, quanta mala ex primi hominis præuaricatione emerſerint. Nempe quicquid deformitatis, quicqid flagitij, mœroris, & incommodi humanū patitur genus, ex inobedientiæ delicto prouenisſe conſpicuum eſt: pro quo vtique corporis & animæ vita intelligitur eſſe priuatum. Sub hoc proculdubio damnationis vinculo vniuerſi ex Adæ ſemine propagati cōcepti ſunt, adeò vt prius efficiantur damnati quàm nati, quemadmodū in perſona omniū de ſe propheta perhibet dicēs: [Psal. 50] Ecce .n. in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis cōcepit me mater mea. Sanè ſicut ab hac animæ fœditate nullus eſt liber, ita nemo tam ſanctus, tam innocens, tamq; acceptisſimus Deo, qui corporis reſolutionē euitare valuerit, prout propheta euidētisſime meminit dicēs: [Psal. 88] Quis eſt homo qui viuet, & nō videbit mortē? eruet animā ſuam de manu inferi? Neceſſitas hęc cōmunis eſt, lex irrefragabilis, & æquisſima complectēs omnes, & neminē ab ipſo mūdi initio vſq; ad finē excipiens. Ab iſtiuſmodi tamē neceſſitatis improperio, & ab hac pœna peccati ſolus mediator Dei & hominū homo Chriſtus Ieſus cognoſcitur fuiſſe libertimus. Quamuis enim ex Adæ ſecūdum carnē procreatus ſit ſemine, nequaquā tamē in iniquitate cōceptus, nec in peccato mater eius genuit ipſum. De ſpiritu quippe ſancto interueniente fide, maternoq; obediētiæ ſanctę conſenſu in virginali cōceptus eſt vtero, plenus gratia, plenus ſanctitate, plenus ſapiētia, [Colo. 2] plenus diuinitate. Nā in ipſo (ſicut ait Apoſtolus) habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. Non autē ad hanc plenitudinē per virtutum exercitia, nec per incrementū corporis, neq; per interualla peruenit tēporū, ſed in vno eodemq; momento homo perfectus formatus eſt, à verbo in vnitate perſonali aſſumptus: ita vt Emmanuel veraciter nuncuparetur, & eſſet æqualis vtiq; patri ſecundū diuinitatē licet ſecundū ſuſceptā humanitatem omnino eſſet inferior. In ea ſiquidē forma, qua minor eſt patre, tanquā verus homo, & veram carnē habens, erat proculdubio pasſibilis atque mortalis, non impellente neceſſitate vt cæteri, ſed ſpōte ac voluntarie. Quod enim eſuriuit, quod fleuit, quod doluit, quod triſtitiam pertulit, hoc ex mera ſui egit dignatione, vt quantū nos diligeret, quanti delicta noſtra eſſent ponderis, qualis & quàm magna noſtra eſſet infirmitas, ex remedij difficultate notificaret. [Esa. 53] Voluit nāque (ſicut Propheta commemorat) noſtros ferre languores, & infirmitates noſtras ſine culpa portare, quatenus nos gratos ſuo faceret patri, noſq; ſibi copularet in fratres, atq; ſuo qualiter noſmet ipſos exhibeamus ſacrificiū Deo, erudiret exemplo, quod minime posſet, ſi pati ipſe recuſaret. Paſſus eſt igitur increpationes duras, contumelioſa verba, flagella duriſſima, opprobria turpisſima, cruciatus aſperrimos, excogitata ludibria, inſuper & ipſum ignominioſū crucis patibulū, quod ſolum ſceleratis ac viliſſimis hominibus debebatur. In his itaq; pasſionis agonib. conſtitutus nō contradictionis eloquium protulit, non redargutionis verbum, non impatientiæ aliquod oſtendit ſignū, ſed quemadmodū Propheta inſinuat, Sicut ouis ad occiſionē ductus eſt, & quaſi agnus [Esa. 53] coram tondente ſe obmutuit, & non aperuit os ſuum. Alio quoque in loco idem propheta de ipſo mediatore in propria eius perſona, opprobria voluntarie ab eodem percepta exprimere volens inquit: Corpus meū dedi percutientibus, [Esa. 50] & genas meas vellētibus: faciem meam nō auerti ab increpantibus & conſpuentibus in me, & ideo non ſum confuſus. [Hier. 11] Alius denique propheta hoc īſinuās ait: Et ego quaſi agnus māſuetus, qui portatur ad victimā, & nō cognoui conſilia eorū aduerſum me dicentiū: Venite mittamus lignū in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium. Porrò quod vltrò ſe nemine impellente obtulerit, ſed ſolo ſalutis noſtrę deſiderio, & patris trahente obedientia, qui illum miſerat, vt mundo propalaret veritatem, ſicut ipſe dicit: Ad [Ioan. 18] hoc quidē natus ſū, & ad hoc veni in mundū, vt teſtimonium perhibeam veritati. Idem de ſe declarat ait: Poteſtatem habeo ponendi animam [Ibidem] meam, & iterum ſumendi eam. Iterumque: Ego (inquit) ſū paſtor bonus, & cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ, & animam meam pono pro ouibus meis. Nempe quum pasſionis tempore ſacerdotum principes cum multitudine armatorum veniſſent, vt illum caperent, interrogatique fuiſſent, quem quærerent, & reſpondiſſent, Ieſum Nazarenum, & ipſe diceret, Ego ſum, ceciderunt retrorſum in terram, vocis illius tonitruū nequaquam ſuſtinere valentes. Poterat tunc proculdubio (ſi vellet) abſcedere, ſed noluit, quia venerat hora, quā prędixerat, in qua gentibus traderetur ad illudendū, flagellandū, & crucifigendū. Luce igitur clarius patet tam exēplo eius ſermonumque ipſius teſtimonio, quàm prophetarū oraculis, & aſſertionibus ſanctorum, quod ipſe redēptor noſter nulla vrgēte neceſſitate ſemetipſum omnibus perſecutionibus, contumeliis, & neci expoſuit, ſed ex ſua pura dilectione, vt videlicet nos recōciliaret Deo patri, ac pro noſtris iniquitatibus ſatisfaceret, nos quoque ad cælorum proueheret regnum, atque nobis rectè viuendi modum præberet & formam. Tanta ſi quidem apud Deum illius aſſumpti hominis fuit autoritas, ſicque eiuſdem ſummæ maieſtati complacuit obedientia, tantiq; ipſius pasſio extitit meriti, vt humanum genus redderet iuſtificatum Deo, quod originale primi hominis delictum ęternę mortis fecerat eſſe obnoxium, dicente Apoſtolo: Si .n. [Rom. 5]

in vnius(inquit)delicto mors regnauit, per vnũ multo magis abundantiam gratiæ & donationis & iuſtitiæ accipientes, in vitam regnabunt per vnum Ieſum Chriſtum. Igitur ſicut per vnius delictũ in oẽs homines in cõdemnationẽ: ita & per vnius iuſtitiã in oẽs homines in iuſtificationẽ vitę. Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita & per vnius obeditionẽ iuſti conſtituuntur multi. Conſtat procul dobio, quòd quemadmodum ex primi inobedientia, & tranſgreſsione parentis emanauit peccatũ, & mors in mundum: æque ex obedientia & 1.Cor.15 ſanctitate mediatoris Chriſti collata eſt gratia, iuſtitia & vita. Quamobrem idem memoratus Apoſtolus alio in loco dicit: Sicut per hominem mors, ita & per hominem reſurrectio mortuorum: & ſicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificantur. Hinc profecto colligitur aperte, quanta humano generi prærogata ſint beneficia per Dominum & Saluatorem noſtrum Ieſum Chriſtum, quem Deus pater miſit in mundũ, vt eriperet nos de poteſtate tenebrarum, & transferret in regnum gloriæ claritatis ſuæ, ſeruata tamen prius æquitate iuſtitiæ, & præuaricationis Adæ debito ſatisfacto, qui æternæ mortis & apoſtatæ angeli eum omni ſua poſteritate perpetuum ſe fecerat ſeruum. In huius itaq; captiuitatis ærumnam tunc incidit, quum de ligno vetito contra ſui mandatũ conditoris guſtare præſumpſit. A qua profecto ſeruitute per ſemetipſum nequaquã ſe valebat eruere, quoniã arbitrii proprii merito ſe libertate priuarat. Quãobrẽ quũ alieno indigeret auxilio, nec quiſpiã de illius inueniretur ſemine, qui ad priſtinam ei donandam libertatem eſſet idoneus, quippe quũ ſinguli damnationis huius vinculis eſſent aſtricti, tãtiſper ipſũ humanum genus ſub exactoris peſsimi iugo iacere oportuit, donec Deus in carne appareret & homo, qui à peccati debito omnino eſſet immunis, poſſetq; delicta aliena ſoluere, & merita propria largiri. Dum igitur (ſicut legitur) medium ſilentiũ teneret omnia, & nox in ſuo curſu mediũ Sap.18. iter perageret, omnipotens Dei verbum de regalibus ſedibus veniens, mortalitatis indumẽto obtectum, in huius vitæ ac peregrinationis campũ cum antiquo ſerpente pugnaturum ingreditur. Hũc namq; hominem Chriſtum quum ipſe Leuiathan cęteris mortalibus ſanctiorem eſſe conſpiceret, illumque perciperet carnem habere paſſibilem, tẽtationibus eum aggreſſus eſt plurimis, quatenus certo probaret indicio, vtrum Dei an hominum exiſteret filius. Explorauit ſiquidẽ interrogationibus, ſcripturarum ſanctarum perſuaſit autoritatibus, ſeculi quoque illum allicere blãditiis voluit, & nihilominus ſapientię ſplendoribus repercuſſus, deluſus, atq; ſuperatus abſceſsit. Quid in multis immorer? Prędicationũ deniq; regni cęleſtis, miraculorum diuinorum, irreprehẽſibilis conuerſationis, incomparabiliſque ſanctimonię illius non ferens pręconia, eundem tandem vociferantibus turbis tanquam reum mortis ſuſpendit in ligno. Hinc factum eſt, vt exigente iuſtitia ipſe, qui primum captiuum tenuerat hominem, hominis Dei efficitur ipſe captiuus. Pro hac ſiquidem, quam iniuſtiſsime idem Deus & homo Euangelizando regnum cęlorum, ſanãdo languidos, ignaros erudiendo, & patri ſuo æterno obtemperando perpeſſus eſt mortem, tale abſq; vlla ambiguitate promeruit præmium, quale, priuſquam pateretur, minime poſsideret. Alioquin ſine cauſa, aut abſque mercede aliqua gratis crucis ſupplicium pertuliſſe videretur. Nõ .n. illum à diaboli ſeruitute per ſanguinis effuſionẽ, & meritum paſsionis erui decebat, qui ab ipſius erat omnino poteſtate liberrimus, ſed neque ab originalis culpæ, vel cæterorum delictorum fuerat vinculis abſoluendus, quum ab omni reatus macula prorſus eſſet immunis, propter quod ab æternæ damnationis ſententia, quæ peccatoribus ex Adæ ſemine procreatis infligebatur, nequaquam illum eximere oportebat. De beatitudine verò ſupernæ felicitatis quid memorẽ, qua à ſuę cõceptionis initio fruebatur in verbo? Horum itaque quæ perſtrinximus, profecto idem de quo luoquimur, Dei & hominũ mediator nullius indigebat, quũ omniũ bonorum & gratiarũ locupletiſsimus eſſet. Voluit tamen vt ea, quæ ſibi ex æquitatis debebantur cenſura, ſuæ traderẽtur eccleſię, quã ſibi fędere & charitate perpetua aſſociarat in ſpõſam, ſicut Apoſtolus narrat, dicens, Eph.5. Viri(inquit) diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit eccleſiã, & ſeipſum tradidit pro ea, vt illã ſanctificaret, mundans eã lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam eccleſiam, non habentẽ maculã, neq; rugã, aut aliquid eiuſmodi, ſed vt ſit ſancta atque immaculata. Accepit itaq; eccleſia ſancta, quæ eſt omnium fidelium & prædeſtinatorum congregatio de manu ſponſi, domini, & redemptoris ſui ornamenta ſpiritualia, chariſmata precioſa, donaq; cęleſtia, pro ſigno exhibitę pacis, pro indicio traditę libertatis, pro teſtimonio ſynceriſsimę charitatis, pro ſolatio ærumnoſæ peregrinationis, & pro pignore futurę glorificationis. Ex his ſiquidẽ & eorum effectibus in tentationibus roborata, in infirmitatibus adiuta, refrigerata in pęnis, in perſecutionibus cõſolata, erudita in actionibus, conſulta in dubiis, in proſperis cuſtodita, atq; in omni negocio temporali ac ſpirituali imbuta, ſpõſo ſuo, mẽte, & corpore, obedientiæ, deuotionis, & laudis veſpertinum offerens ſacrificium, deſeruire non ceſſat. Quoties .n. ſecũ meditãdo pertractat quid fuerit, quid meruerit, quidve perceperit, repletur gaudio, amore ſuccẽditur, afficitur deſideriis, & in gratiarum actione pingueſcit. Nititur deniq; pro poſſe tantæ charitati, tantisque multifariis

beneficiis vices rependere. Cęterũ quum, prout cupit & intelligit, perficere ad plenũ nequaquã valet, ſe in membris ſuis humiliat, ſe accuſat, ſe damnat, ſe ſubiicit, vt vel ſaltem ſic iuſtificata illi placeat, cui perpetuo famulatu ſe tota deuouit.

Quòd meritò commendatione ſint digni, qui in obedientiæ agone perſeuerant.
Cap. XXVI.

QVum Chriſtianæ perfectionis, atq; obedientiæ ſanctæ propoſitum ſit oneroſum & arduum, meritò illi colẽdi ſũt, qui illud perſeueranti mentis rigore tenere decertant. Quamuis .n. interdum ex animi fragilitate, ſeu cordis tepore labantur, minime tamen arbitrandum eſt, eoſdem congreſſus ſui coronã amittere voluntatis deliberatione in proprio robore perſiſtente. Angelorum quippe conditio eſt, non poſſe peccare, quoniam apoſtatantium ſpirituum confirmati poſt lapſum, à ſummi boni fruitione non valent declinare obtutũ: cuius videlicet aperta contemplatio perfectæ beatitudinis, & imperturbabilis ſecuritas eſt certa poſſeſſio, hominũ verò natura, quum ſit corruptibilis carnis indumẽto veſtita, originaliſq; delicti colluuione fœdata, quãdiu peregrinatur à domino, ſemper eſt procliuis ad malũ, in virtutũ cenſura inſtabilis, ad caſum facilis, corporalibus ſpiritualibuſque infirmitatibus circumſepta, ſibiq; ipſi effecta omnino contraria. Sæpiſsime namq; concupiſcit noxia abhorret vtilia, pernicioſa amplectitur, libenti inhæret, viribuſque inſequitur, veritate contempta. O mortalium lugenda conditio, quæ quum ſit exul à patria, exultat in via; quum ignorantiæ ſit tenebris obſeſſa, ſe arbitratur ambulare in luce; quum delictorum ſit funibus irretita, ac ignobili ſeruitute depreſſa, libertatis ſe putat bono potiri. Hinc profectò eſt, quòd tam anxie deſudat abundare diuitiis, attolli honoribus, vulgari fama laudari, voluptatibus frui, tanquam ſi altera præter hanc, non eſſet vita, neque faciẽda eſſet malorum & bonorũ retributio digna. Hic profectò morbus, & huiuſmodi inoleuit conſuetudo delinquendi, ex carentia formatæ fidei, & ſumet inordinato amore, ex priuatione charitatis Dei, ex vſu peruerſæ conuerſationis, ex perceptorum ignorantia beneficiorum, atq; ex inſenſibilitate humanæ redemptionis per dominum Ieſum Saluatorem noſtrum exhibitæ. Porro ſi fidei lumen, ſi contẽptus ſui, ſi charitatis donũ, ſi ſapiẽtiæ grauitas, ſi gratiarũ notitia, & operum Chriſti guſtus in cordibus vigeret mortaliũ, iugiterq; meditando eorundem verſarentur in mente, excitarent vtiq; torpentiũ animos, elatos proſternerent, cohiberent cupidus, voluptuoſos terrerẽt, & à peccandi voluntate cõpeſcerent vniuerſos. Semina quippe æternitatis ſunt hęc, vitę populũ, animarũ medela, cęleſte manna, liber veritatis, paradiſus deliciarũ, in quẽ introducũtur qui ſpretis ſeculi pompis, & abdicatis à ſe carnis illecebris, per obedientię virtutem ſe Deo ſacrificant, nõ ſemel tãtũ, ſed quoties ſe offert materia, repugnat voluptas, voluntas impellit. Hoc namq; eſt, [Luc. 9.] quod Saluator noſter indicauit, dicens: Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſũ, tollat crucẽ ſuam & ſequatur me. Magna profectò res eſt abnegare ſe, tollere quotidie obedientiæ crucem, & ſequi Chriſtum. Excedit ſiquidem humanas vires, atque paruitatis noſtræ ſupereminet facultatem. Quamobrem nemo iſtius pugnæ ingrediatur [Luc. 9.] ſtadium, nulluſque abnegationem proprii arripere præſumat arbitrii, niſi ſit præuentus à gratia, interius ſit deuotione nutritus, ſanctiſque afflatus deſideriis, & cõſtantię dono roboratus, ne forte cani ad vomitum redeũti efficiatur ſimilis; quem quidem noſcitur eſſe pernicioſiſsimum dicente domino: Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei. Quamobrẽ ad hoc nũ vocatus certamẽn proprię cõſcius infirmitatis, ſecedat humilis, miretur, vereaturq; pugnãtes aduerſus ſemetipſos, tanquã contra capitales hoſtes, nulla ſibi prorſus impertientes requiẽ, vt obedientiæ perfectionem (quã tũ imbecillitati poſſe datur humanæ) aſſequi valeant. Vocatus autem non repente aſſenſum præbeat, ſed prius certificari de ipſa vocatione conetur, vtrum à Deo ſit infuſa an aliunde immiſſa. Ipſe namque Satanas frequenter ſe lucis transfigurat in angelum, quatenus imprudentes & minus cautos ſub virtutũ ſpecie illudat, atque proſternat. Non enim omni ſpiritui eſt credendum, neque cuncta deſideria quæ bona in ſe eſſe cenſentur, ſunt opere perficienda. Probate (inquit Apoſtolus) ſpiritus ſi ex Deo ſunt. Hanc quippe [1. Ioan. 4.] diſcernendorũ ſpirituũ regulã nequaquã cõtemnant, quid ad mundi contemptum, & ad obedientiæ glorioſum vocantur conflictum. Verum neq; ipſi eandem ſe habere confidant. Rara vtiq; virtus eſt, & paucißimis collata, illis videlicet, vt arbitror, qui ſunt corde humiles, mente puri, atque tentationibus variis diutiſsime probati. Donum quidẽ Dei eſt, & à ſancto prerogatũ ſpiritu, non minus ad aliorũ quàm ad recipientiũ vtilitatem: Apoſtolo hoc inſinuante qui ait: Vnicuiq; datur [1. Cor. 12.] manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem. Alii quidem per ſpiritũ datur ſermo ſapientiæ: alii ſermo ſciẽtiæ ſecundum eundem ſpiritum, & poſt pauca. Alii diſcretio ſpirituum. In rebus igitur arduis, & præſertim in renunciatione ſeculi, & in arripienda inſtitutione noua nullus ſibi in re propria credat: ſed eorum acquieſcat cõſilio, qui ex diuturna colluctatione vitiorũ, & adepta virtutum corona (ſpiritus in ſe nihilominus operãte ſapiẽtia) diſcretione pollent, ac proximorum dilectione flãmeſcunt, atq; religioſorum morum grauitate clareſcunt. Porrò qui tales ſunt, citate vix poſſunt,

ſunt,

ſunt,quum videlicet non niſi oratione preuia,& conſiderata perſonarum qualitate, ſpiritusq; ſancti directione ſententiā ſuam proferant.Ipſi etenim tanquam veri humiles,& ſub paracleti diſciplina eruditi, nolunt ex proprio ſenſu loqui, ſed quod diuinæ iudicauerint eſſe placitum voluntati:quam vtique excluſa affectione priuata, interuenientibus quoque ignitis precibus, intelligere ac perſcrutari conantur.Hoc quippe Propheta figuraliter expreſsit, quum diceret:Et quū fieret vox de firmamēto,animalia ſubmittebant alas ſuas, vt videlicet perſpicacius, atque quietius internę aſpirationis effectū intelligere valerēt. Nā qui à ſemetipſo loquitur, frequenter ſententias proferendo precipitat, ſibiq; cohęrētes errare facit.Quāobrē oportet neophitū,& ad ſeculi contemptū vocatū ſeniorū ſe mancipare cōſilio, eorū ſcilicet, qui ſint opere & eruditione probati, qui nequaquam propriæ religionis commoda ſeu augmentum, ſed animarū lucra perquirant. Ipſis namque cuncta ſui cordis arcana patefaciant ante deliberationē de ſe faciendam.Ipſis(inquam) referant corporis valetudinem, mentis conſtantiam, deſideriorum æſtus, propoſiti perſeuerantiā & vniuerſa,quæ ad vtriuſque hominis attinēt qualitatem,quæ profecto conſultorem grauē, & idoneum minime latere conueniunt. Hęc ideo dixerim,vt cum omni maturitate cōſultatio fiat, quæ veluti ſpiritualis ædificii fundamentum ſoliſsimum eſſe decernitur.Nam ſtatus & nouæ inſtitutionis inconſiderata mutatio commendabilem raro ſortitur effectum,profectuſque ſingularis maxima in illo cū difficultate colligitur. Porrò ſi in illa ſtatus mutatione,quę accuratiſsima,& cū probatiſsimorū virorum conſilio atq; exhortatione peragitur,tentationum impugnationes, & ſpirituum immundorum non deſunt inſultus, &pericula innumera,ex ea,quæ pręcipitanter ac inconſulte perficitur, quid rationabiliter ſequatur,prudens diiudicet lector.Non igitur vocatus per ſpiritum & internam gratiam ad ſeculi contemptum,mundialiumque facultatum renunciationem opus hoc grande nequaquam præſumat arripere, ne retro aſpiciendo, vt olim inſipiens mulier, ſalis vertatur in ſtatuam. Curet diligēter facinora commiſſa deflere, totiſque viribus deſinat lethalia perpetrare delicta, atque diuinæ legis,& mandatorum eccleſiæ ſit obſeruatione cōtentus, memineritque pollicitationis Domini dicētis: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Et illud:Bonum eſt tibi debilem vel claudum ad vitam intrare, quā duas manus vel duos pedes habētem mitti in ignem æternum. Vocatus autem aſpiratione cælesti, abſque cunctatione renunciet vitiis,ac conſuetudinibus malis.Perſeuerante verò gratia,& incaleſcente deſiderio,necnon ad cordis oſtium pulſante Domino (patrum ſpiritualiū nihilominus interueniente conſilio)ſanctum diuini famulatus, & obedictię regularis aggrediatur propoſitum.Ea vtique intentione, eoque decreto, vt in eodem vſque ad vitæ terminū perdurare contendat. Pueriles quidem deponat mores,animique lubricitatem à ſe abdicet, quatenus tentatus & ſpirituali exercitatus in bello, mediāte perſeuerantia, valeat coronari.Eſt quippe perſeuerantia triumphus pugnantium, laborātiū merces, charitatis indicium,virtutum palma, ſcala cęlorum, paradiſi porta, meta currentium, tribulationum finis, ſpiritualium interemptrix ferarum,inimicorum ruina,miſerorum ſpes,miſeriarum terminus, initium vitæ, religionis decus, Chriſtianæ perfectionis teſtimonium, & æternę ſalutis imprędabile brauium.Huius ſiquidem virtutis dono quiſquis caruerit, gehennæ filium ſe eſſe inſinuat,dum opus ſanctum perficere negligit,& plus ſe quam Deum diligere notificat. Nēpe ſuper omnia diligendus eſt Deus, & incolumitati corporis, ac propinquorum amori, atque vniuerſis ſeculi iſtius illecebris præferendus. Nihil prorſus Chriſto domino famulanti difficile, nihil arduum, nihilq; æſtimandum eſt aſperum. Non ab eodem tētationes ſunt formidandæ diaboli,non inopinati caſus,non principum minæ, non carnis incommoda, non languores corporis,non victus aut indumentorum inopia,nō poſtremo ipſa mors, quæ præſentis vitæ terminum ponit.Cuncta namque hęc menti bene compoſitæ, & militi ſpirituali legitime certandi optima ſunt inſtrumenta virtutum: in quibus probatur charitas,animi declaratur conſtantia,ſancta perficiuntur deſideria,cumulātur merita,debita ſoluuntur,& humani pectoris arcana pandūtur. Nā qualis apud ſe ſeruus Chriſti maneat,perſeuerantia manifeſtat.Perſeuerantia(inquam)tribulationum, preſſurarum, iniuriarum, infirmitatum, perpeſsioniſque malorum. Quæ enim ex cordis ignauia, ſeu temporalium neceſsitatum ſeruatur metu,ab hominibus quidem,qui exteriora iudicant qualemcunq;, ſed à Deo nullam meretur laudē.Spōtanea vtiq; eſſe debet,fide irradiata, accincta fortitudine, confœderata charitate, ſpe roborata, & cęleſtis gratię tote ſuffulta: quæ videlicet nec pertimeſcat pati, nec aduerſa refugiat,neque præſentia bona immoderate diligat, ſed interiori oculo inuiſibilia ſolum, & æterna proſpectet. Huiuſmodi nanque exercitatione laudabili coaleſcit, & tribulationibus indeſinenter erudita perficitur, quemadmodum ignis, qui eò vehementius accenditur,quò apertius ventorum eſt expoſitus flatibus. Tali ſiquidem perſeuerantis conſtantiæ affectu,taliq; ardore charitatis glorioſiſsimi martyres decorati fuiſſe noſcuntur,qui attriti verberibus, compedibus conſtricti,mancipati carceribus,flammis exuſti dilaniati aculeis, ferarum morſibus traditi, diuerſorumque tormentorum generibus cruciati, ſanctæ propoſitū

Matt. 19.
Matt. 18.

fidei minime reliquerunt. Pari quoque magnanimitate ſpiritus, quamuis conflictu diſsimili venerandi patres, qui in cœnobiis degebant, certauere viriliter. Hic quippe obedientię iugum humili corde ſuſcipientes, illud nullis aduerſitatibus fracti conſtantiſsime baiularunt. Intelligebant enim virtuoſum opus condigna prorſus carere mercede, quod nequaquam perſeueranti fuerit ſtudio conſummatum.

Quòd nullus (niſi ex ordinato progreſſu) ad perfectionem cuiuſcunque artis attingere valet.
Cap. XXVII.

NEminem ad cuiuſcunque perfectionē artis vel operis, niſi præuio, ordinatoque progreſſu poſſe peruenire, & humanus viuendi vſus, & quotidianus naturæ decurſus atque diuina pariter teſtantur eloquia. Quis (oro) in corporalibus operibus, miniſteriiſque viſibilibus ad plenum arte ſua eruditus efficitur, ſi non diuturno exercitio in eadem occupatus, ac etiam prouectione alterius magiſterii fuerit ante præmonitus? Quis (inquam) niſi cum labore prolixo infatigabilique aſsiduitate legendi, & iugiter meditando quæ legerit, necnon eum eiuſdē facultatis profeſſoribus conferendo, ad faſtigiū ſcientiæ, perfectionemque philoſophiæ valet attingere? Equidem & tempore, & ſtudio, & induſtria, & perſeuerantia mediantibus, humanus acquitur intellectus, & efficitur ſapiens. Solus quippe Deus, cui ſubeſt omnia poſſe quum vult (de
[Psal. 133.] quo etiam Propheta ait: Omnia quæcunque voluit dominus fecit, in cœlo & in terra, in mari & in omnibus abyſsis) abſque temporis interuallo, ſtudio, vel induſtria, docet pro ſui beneplacito hominem ſcientiam, & eruditiſsimum facit. Hoc profecto quod dicimus, in apoſtolis claret, qui quum eſſent naturali rudes ingenio, humana priuati facundia & acquiſita ignari ſcientia, repente in illis ſpiritus ſancti operante virtute diuinarum ſcripturarum, linguarum omnium, cunctorumque myſteriorum cœleſtem pleniſsimam habuere notitiam. Hoc idem patet in prophetis quibus ad libitum ſuum inſiliens ſpiritus Dei, faciebat illos futura prædicere, & ſecreta reuelare magna-
[2.Pet. 1.] lia domini. Quod Apoſtolus Petrus euidēter perhibet dicens: Non enim humana voluntate aliquando eſt allata prophetia, ſed ſpiritu ſancto in-
[Sap. 9.] ſpirāte locuti ſunt ſancti Dei homines. Et Sapiēs inquit: Senſum tuū, ô domine, quis nouit? niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris ſpiritum ſanctum de altiſsimis? Diuinę vtique potentiæ nulla imponitur lex, nulluſque operandi terminus, quemad-
[Heſt. 13.] modum in libro Heſter legitur: Domine rex omnipotens in ditione tua cuncta ſunt poſita, & nō eſt qui tuæ poſsit reſiſtere voluntati. Tu feciſti cælum & terrā, & quicquid cæli ambitu continetur: dominus omniū es, & nō eſt qui reſiſtat maieſtati tuæ. Nā quod ſup. memorauimus, iuxta cōmunem viuendi curſum actitari perhibemus, ſeruata ſemper gloria æternæ maieſtatis, quę per ſpiritum ſuum quando vult, & quibus vult, abſq; mora aliqua, ſapientiæ ſcientiæ ſermonem, linguarū genera, interpretationes ſacrorum eloquiorum diſcretionemque ſpirituum impertitur. Viros ſiquidem quos ad perfectionis faſtigium, atq; ſingularem ſanctitatis prærogatiuam eligere dignatur, abundanter ſpiritualibus replet donis, multiplici perfundit gratia, cæleſti decorat ſapientia, & laudabili conuerſatione ſanctificat. Cæteros verò ſibi famulantes permittit per incrementa proficere, & paulatim virtutum actibus non ſine labore inſigniri, iuxta illud: In ſudore vultus tui [Gen. 3.] veſceris pane tuo. Quamobrem ſolerti ſtudio & ſolicitudine indefeſſa, ab iis, qui diuinæ ſunt dediti ſeruituti, & ardenter cupiunt ad virtutū perfectionem ſcandere, nec non obedientiæ coronam adipiſci, viriliter propulſandum eſt ociū, mētis detergenda inertia, atque abiicienda puſillanimitas, patiendi, quatenus læto animo, & ignito corde, perſeuerantique conſtantia inchoatū Dei opus, ac certamen inuiſibile aſſumptum glorioſe valeant conſummare. Porrò cogitationib. rectis humana eſt exhorranda fragilitas, & deuotis orationibus, operibus bonis, deſideriiſque cæleſtibus aſsidue confouenda: ne videlicet tepeſcat in via, ne deficiat in laboribus, ne in tentatione ſuccumbat, ne carnis ſuperetur illecebris, ne ſeculi huius voluptatibus irretiatur, ne fallacibus promiſsionibus euertatur, ne curis inutilib. implicetur, atque præ omnibus ne inceptum obſequium ſpiritualis militiæ deſeratur infectum. Quid (oro) prodeſt velociter cucurriſſe in ſtadio, & ſtatutum metæ terminum ab inchoato itinere declinaſſe? Quid, inquam, vtilitatis cōfert domus profunda ieciſſe fundamenta, murorum parietes erexiſſe, tecti culmina collocaſſe, & ipſi operi ī non expleto finem imponere? Iactantur in terræ glebas ſemina, germinant, florent, fructus edūt, ſed vſui nequaquam proſunt humano, niſi ad cōpletam generis ſui maturitatem attingant. Reuolue, quæſo, tecum, diſcute ſingula, & diligentiſſime perſcrutare, quæ vel naturaliter producuntur ex humo, aut vegetantur in aquis, ſeu per aera volitant, & perſpicue intelliges, vniuerſa per quendam inſitum à ſuo conditore progreſsū ad proprium decurrere finem. Nempe virtutum finis, quibus homo in hac exercetur peregrinatione, vt placeat Deo, & ad Dei reformetur imaginem, prorſus caret fine. Propterea quandiu idē homo mortalis naturæ eſt indumento veſtitus, neceſſe illi eſt, vt virtutum non deſerat actus, ne quādo ipſos intermittendo, retro proſpiciendo perefluat. Habent tamen virtutes ipſæ gradus ſuos: per quos ſpirituales viri earundē zelatores inceſſanter aſcendunt, habent & incremēta pro

pria, in quibus tanquam in ſpeculo intueri valēt vtrū proficiant, an ve deficiant. Proficiunt aūt eò verius, eoq; perfectius, quò ardētius currunt, prudentius conuerſantur, ſolicitius viuunt, intelligunt clarius, habitant ſecum frequētius, Dei bonitatem deguſtant ſuauius, de ſeipſis quoque ſentiunt vilius, atque in iis, quæ memorata ſunt, ſpiritualibus ſtudiis perſeuerant efficacius. Quamobrem in huiuſmodi agone, ac virtutum vſu (ſicut dictum eſt) vſque ad mortem incumbendum eſt, atque in eodem magnanimiter perſiſtendum, quoniam ſolum in illo perſeuerantibus victoriæ corona donatur, quemadmodum beatus Apoſtolus [2.Tim.4] de ſe ſcribens teſtatur: Bonum (inquit) certamen certaui, curſum conſummaui, fidem ſeruaui, de reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi in illa die iuſtus iudex. Pro adipiſcendis igitur virtutibus, & præcipue, de qua loquimur, obedientiæ virtute certandum eſt, quæ profecto poſſeſſorem ſuum efficit gratum Deo, hominibus charum, animo lætum, regno cęlorum aptū, ſpirituali expeditum in pugna, & ab onere voluntatis propriç omnino liberum. Hæc namque voluntas propria eſt, quæ euertit rationis iudicium, lites excitat, nutrit odia, pacem dirimit, naturæ vincula ſoluit, mutuæ dilectionis fœdera rumpit, contemnit leges, mandata tranſgreditur, & diſsipat pariter quod Dei, quod gratiæ, quod honeſtatis, quod meriti, quod virtutis. Propria ſiquidē voluntate nil arbitrandum eſt eſſe deterius, nihilque illa homini pernicioſius. Ipſa namque ſemper ad peragendum vetita procliuis eſt, necnon indeficienter vitiorum germina parit, fouet, & perficit, niſi obedientiæ falce reſecentur, & per virtutum cenſuram à cordis habitaculo depellantur. Quod quidem magnarum eſt mentiū, earum videlicet, quæ ex diuino munere, ex lumine infuſo, ex dimicandi vſu, ex puritatis affectu, & ex longanimitatis conſtantia internos exercitatos habens ſenſus ad diſcretionem boni & mali. Horum ſiquidem ſpiritualium ſtudiorum carent experientia, qui carnis ſunt voluptatibus dediti, curæ familiaris extendunt actionibus, reipublicæ vacant regimini, atque mundi iſtius compediti ſunt nexibus. Illorum tantummodo exercitium eſt, iſta ſpiritualia tractare cōmercia, qui pro ſui amore conditoris, & pro perfectione capeſſenda virtutum, mente renunciantes ſeculo, & ab eodem ſe etiam corpore elongantes, diuino mancipantur obſequio. Vnde in talium perſona Propheta exclamat dicens: Elongaui fugiēs, [Psal.54] & manſi in ſolitudine, expectabā eum qui ſaluū me fecit à puſillanimitate ſpiritus & tempeſtate. Audiant itaque hæc pauperes ſpiritu, euangelii æmulatores, religionis profeſſores, & contemptores ſui, & lętentur. Obedientiæ ſuaue iugum teneant, & amplexentur leuiſſimum Chriſti onus: ſolitudinis quoque aſperitatem deuotionis deguſtatione lenificent. Aſſumptum deniq; pro domino rigorem ſeruent, & ſanctorum pręcedētium patrum imitentur veſtigia. Exiguus erit eorum labor, breuis via, conatus facilis, ſed quies pacatiſsima, opulentus fructus, & copioſa merces. Intueantur (quæſo) tales, de quorum ſtatu tractatur, nauigantium diurnos, nocturnoſque ſudores, tumentis ęquoris procelloſarumque tempeſtatum voragines, diſcurrentium hincinde ſęuiſsimorum piratarum diſcrimina, quę ſingulis pene horarum momētis more ſuo vicinam mortem eſſe denunciant, & nihilominus ſpe futuri incertique lucri accenſi, propoſitum nauigādi corde conceptum inchoare atque perficere minime verentur. Hoc idem bellatores ſtrenui pro acquirendis inimicorum ſpoliis, & pro obtinenda certaminis victoria actitare noſcuntur. Id ipſum etiam honoris temporalis, ac dignitatum eccleſiaſticarum cupidi, vt votorum ſuorum ſortiātur effectum, infatigabiliter agunt. Nam ſerui nō erubeſcunt fieri hominum, vt hominibus dominentur, necnon ſe in vilibus & abiectis humiliāt rebus, vt in conſpectu hominum exaltentur, atq; obedientes extrinſecus videntur in opere, vt imperare cęteris ad tempus queant. Quod autem, ipſi, de quibus locuti ſumus, peragunt homines, hoc idem mercatores pro aggregandis diuitiis: hoc demum cuiuſcunque generis cęmentarii pro addiſcendis artibus exercere deſudāt. Sępiſſime verò euenire conſueuit, vt indeſinenter laborent, & tamen operis ſui fructum minime aſsequantur. In lubrico quidem proſperitatis tranſitorię mentis pedem figere molientes, ſemper anxii deſideriorum ſuorum finem quęrunt, nec inueniunt. Vmbram quoque poſitam coram ſe pro veritate tenere ſe ſperant, quę profecto abſque vlla ceſsatione dilabitur. Fit autem, permittente Deo, ac ſuis id delictis exigentibus, vt ſic vana affectione deluſi, non niſi in eorum vitę termino vltimo conſtituti, proprium fateantur errorem, quę vtique cognitio ſicut impellente infirmitate anxia percipitur eſſe & trepida: ita etiam ęternę ſalutis eſt dubia. Non autem ſic qui Chriſto domino famulantur. [Rom.8] Nam etſi laborant quamdiu viuunt, ſciunt tamen non eſſe condignas huius temporis paſsiones ad futuram gloriam, quę reuelanda eſt eis. Si carnis renūciant voluptatibus, ſpiritualibus quotidie reficiuntur alimentis. Si propinquorum amicorumque delectabile contubernium ſpernunt, domini promiſsionibus conſolantur dicentis: Omnis, qui reliquerit patrem aut matrem, vxorem vel filios, fratres & ſorores propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam ęternam poſſidebit. Si demum proprias cū difficultate pro Chriſto abnegant voluntates, interna proculdubio pace fruuntur, exuberante in eorum cordibus virtutis dulcedine, quę poſſeſſorem ſuū abſque fructum eſſe non patitur. Sua-

dus eſt magnus. Hanc profectò aſcendendi ac 2 Cor. 5. deſcendendi regulam Paulus de ſe inſinuans ait: Siue mente excedimus Deo, ſiue ſobrii ſimus vobis, charitas Chriſti vrget nos. Porrò impellente Chriſti dilectione valet ſpiritus, ſpiritualiſque homo (ſeruato virtutis rigore, & obedientiæ ſanctæ propoſito) aſcēdere infatigabiliter, atq; deſcēdere. Vtrunq; enim mādatur à domino. Nā cuidā interrogāti præceptorē noſtrū dominū Ieſū, quod Deut. 6. eſſet maius legis mādatū, reſpondit: Diliges dominū Deū tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omni mente tua. Hoc eſt primū & maximum mandatum: ſecundū verò eſt huic ſimile: Diliges proximū tuū ſicut teipſum. Et intulit dicens: In his duobus mandatis tota lex pēdet & prophetæ. Per dilectionē quippe Dei aſcenditur, & per proximi charitatem deſcenditur. Horum ſiquidem præceptorum obediētia eſt ianua, per quam ingreditur: eſt etiam ſcala, per quam aſcenditur atque deſcenditur. Porrò verus obediens diuinæ charitatis cupiens adimplere præceptum, non poteſt non aſcendere. Aſcendit autem eò celerius, eoq; altius, quò perſpicacius credendo intelligit quam potēs, quam ſapiens, quā bonus, quam dulcis, quam miſericors, quam glorioſus, quam liberalis, & quam verax in promiſſionibus ſuis ſit ille, qui præcipit. Horum profectò cognitio, horumque guſtus aſcenſus eſt, Ioan. 17. viſio verò eius, qui præcipit, vita æterna eſt. Hæc eſt (inquit filius ad patrē) vita æterna, vt cognoſcāt te ſolum Deum, & quem miſiſti, Ieſum Chriſtū. 1 Cor. 13. Cognoſcant (inquam) non per fidem, aut per ſpeculum in ænigmate, ſed facie ad faciem ſicut eſt, 1 Ioan. 3. quemadmodum Ioannes Apoſt. perhibet: Chariſſimi filii Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus: ſcimus quod quum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Hinc eſt diligendi Deum finis, qui promittitur peregrinantibus, obtemperantibus, & diligentibus. Peregrinantibus (inquam) in carne mortali, per fidē que ambulantibus, donec attingant ad ſpeciem. Obtemperantibus autem diuinæ legi, ſtatutis eccleſiæ, & ſuperiorum ſuorum mandatis. Laborātibus verò in euellendo, diſſipando, deſtruendo & extirpando de cordibus ſuis vitiorum germina & delictorum ſpinas, atque virtutū fructuoſa arbuſta inſerendo ac plantando. Diligentibus quoque Deum de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta. Quamobrem donec ad ipſum finē promiſſum perueniatur, toto corde, omnique diligentia incumbendum eſt, vt Dei charitas per gratiam inchoata, in nobis quotidie creſcat, magis, magiſque augeatur. Augetur autē per ſacrarum aſſiduum ſtudium ſcripturarum, per humilis orationis inſtantiam, per frequentem innumerabilium beneficiorum Dei meditationem, per ſpiritualem domini creatoris noſtri in corde excogitatam præſentiam, & per futuræ gloriæ rememorationem, quæ electis omnibus promittitur, atque donatur in cœlis. Ex huiuſmodi ſiquidem meditationibus ignis diuini amoris exardeſcit, & vehementer accenditur, ita vt potens ſit cunctam mundialis, carnaliſque affectus detergere rubiginem, atque diuinam in homine clarificare imaginem, quæ temporalium rerum inordinata dilectione fœdatur. Ceterum quum viri ſancti ſpiritualibus exercitiis intenti nequeant pro libito ſe eleuare ad ſumma, quippe cum ex carnis paſſibilitate, ex ſenſuum, ſenſibiliumque vſu, ex immundorum impugnatione ſpirituum, necnon ex neceſſitate quotidiani victus, etiam inuiti & renitentes, deprimantur ad ima, hoc Dei bonitate illis eſt præſtitum, vt quod actualiter non valēt exercere in Deum, id propter eum ſufficiant exhibere in proximo. Nam Deum diligere & proximum idem præceptum eſt, par meritum, eadē affectio, æqualis finis, quamuis ad hoc peragendū diuerſa ſint opera. Inuiſibilis enim cum ſit Deus & ſpiritus ſimpliciſſimus, inuiſibiliter, ſpiritualiterque, ac in cordis ſimplicitate eſt diligendus, quærendus, contemplandus, amplectendus, atq; colendus. Proximus verò quum ſit formæ viſibilis eiuſdemque ſpeciei qua nos, puro nihilominus vt Deus diligendus eſt corde, atque illi tantummodo propter Deum ſimiliter famulandum. Eſt vtique pro illo orandum, illi compatiendum, & cum eodem in collatis ſibi beneficiis gaudendū, ſicut monet Apoſtolus dicens: Gaudere nos oportere cum gaudentibus, & flere cum flentibus Rom. 12. idipſum inuicem ſentientes. Eſt præterea exhortandus ad bonum, erudiendus de iis quæ ignorat in aduerſis ſedulo conſolandus, conſulendus in dubiis, de ſuis facinoribus corrigendus, necnon de futuris periculis amicabiliter præmonendus, tempore tamen congruo & ſermonibus opportunis, vt dilectionis fraternæ mandatum perficiatur, per quod vnicuique iubetur proximum diligere ſicut ſe. Quod videlicet vt operibus comprobetur, de terrenis facultatibus idē proximus eſt paſcendus, potandus, veſtiendus, hoſpitio recipiendus, infirmitate, & carceribus detentus viſitandus, atque corporali morte conſtrictus ſepulturæ tradendus. Hoc profectò tam ſpiritualia quàm corporalia, quæ ſuperius ſub compendio memorata ſunt, miſericordiæ opera verus obediens, obedientiæque amator, quamuis nō ſemper actu, rectæ tamen intentionis habitu, ac pio charitatis affectu propoſſe adimplere conatur. Porrò in iis, quæ Dei ſunt, pro adipiſcēda nutriēdaque deuotione latiſſimam ſibi intelligit eſſe paratam viam, paſcua appoſita vberrima, varia delectabilium alimentorum condita fercula, cæleſtiū ſacramentorum veneranda ac propalanda myſteria, atque ſupernæ Hieruſalem Deo obtemperantibus repromiſſa ineffabilia gaudia. In iſtis namque ſpiritualibus ſtudiis iuxta poſſibilitatem ſuā,

& quan-

& quantum ſibi licere cognoſcit, iniunctæ obedientiæ & peracto fraternæ dilectionis miniſterio, & exuto propriç voluntatis ſordidiſsimo ac oneroſo veſtimento, ſumptisque columbæ dealbatæ deargentatis pennis ingreditur poſt laborē in requiem, & locum tabernaculi admirabilis vſque in montem Dei: in quo millia millium miniſtrant illi, atque decies centena eidem perhibentur aſsiſtere, laudantes & benedicentes eum, qui in throno maieſtatis ſuæ reſidens glorioſus, vniuerſos ſibi adhærentes ſua beatos facit præſentia ſapientiæ ac veritatis æternç replet ſplendoribus, ſuæque bonitatis & charitatis ſuauitate lætificat. In hoc ſiquidem monte coagulato & pingui, in quo eſt angelorum innumerabilis frequētia, atque ſanctarum animarum, & iuſtorum ſpirituum inexplicabilis candidatorum exercitus: in hac (inquam) ſuperna patria ciuitatis nouæ Hieruſalem plena gaudiis, & inextinguibili luce perfuſa, ſe vidēdum ſicuti eſt, manifeſtat Deus: quç profecto manifeſtatio ſatietatem perfectam, & ſine faſtidio confert, quietem pacatiſsimam tribuit, iubilationem perpetuam ingerit, beatitudinem æternam parit, & diuinæ laudis deſideria rediuiua, ac iucunda immittit. Sane ciuitas illa (ſicut Apoc. 21. ſcriptum eſt) non eget ſole, neque lunæ aut ſtellarum claritate, qua irradietur vt fulgeat, quoniā agnus ipſe, qui occiſus eſt, ſuo illam ſplēdore illuminat: nec immeritò. Sap. 7. Candor namque eſt lucis æternæ, ſpeculum ſine macula, iuſtitiæ ſol, & ſplēdor diuinæ maieſtatis. O ciuitas ſancta Hieruſalem, quàm glorioſa dicta ſunt de te, quanta gaudia percipiuntur in te? Qui enim ſemel introducuntur in te, de te nunquam egreſſuri vident regem in decore ſuo, ſine initio æternum, ſine cōtradictione omnipotentem, filium illi conſubſtātialem, & per omnia in maieſtate, in bonitate, in æternitate, in poteſtate, in gloria ſimilem, ſine principio, ſine tēpore, ſine detrimēto, & ſine fine genitū, atq; Spiritumſanctum ab vtroque procedentē, & vtroſque complectentem, tanquā charitatis indiſſolubile vinculū, pacis ſuauiſsimū oſculum, mutuique amoris amplexus beatiſsimus. Vident (inquam) trinitatem ſanctiſsimam, patrem, verbum, & ſpiritumſanctum, Deum vnū, in perſonis diuiſum, coæternum in ſubſtantia, in potētia æqualem, indiſcretum in operatione, & in voluntate concordem. Pro qua videlicet viſione eorum ratio repletur veritatis lumine, eorum volūtas flagrantiſsima exuberat charitate, eorumque memoria actu vnico illi inſeparabiliter inhærendo qui eſt, beata fruitione ſatiatur. Huic quoque ſacratiſsimç trinitatis viſioni deificæ additur illis contemplatio alia conſimilis Dei & hominis Ieſu Chriſti domini noſtri humanæ ſpeciei, quæ vtique totam ciuitatem cæleſtis ipſius Hieruſalē, cohabitantiumque in eadem innumerabilē multitudinem lætificat, paſcit & inebriat. De illius ſiquidem plenitudine gratiarum, de diuinitate ipſius æterno fonte torrēs profluit voluptatis, quo inebriantur omnes vſque ad ſatietatē exultatione quadam ſobria ſitis perpetuæ. Introducuntur quippe ad verbi cōtemplationem per ipſum, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei, & in eodem admirabili cum exultatione intelligunt rerum cauſas, exiſtentium proprietates, aſsiſtentium gloriam, officia miniſtrantium, & quam verius, quamque perfectius vniuerſa, quæ ſunt in ipſo viuunt, quàm in ſe. Se denique in illo aſpiciunt, ſicut & ſingula, & ſinguli in illo mutuo diligunt ſe, dilectione ſancta, communicatione beata, indiſſolubili charitate, pace perenni, non minus quam ſe, quoniam omnia in omnibus eſt qui eſt, & in ipſo omnes vnum ſunt. Egrediuntur quoque ad contemplandam humanæ ſpeciei ipſius mediatoris præclariſsimam formā ſupra cunctos hominum filios decoram, de qua profecto emanant clementiæ, bonitatis, dilectionis, grauitatis, venerationis, & pacis indeficientes riuuli: necnon quidam diuinitatis ineffabiles radii, atque in æterni luminis veritates innumerabiles, quibus omnibus reficiuntur vniuerſorum affectus intuentium ſe, quem vtique amoris igniti complectuntur deſideriis, efferunt laudibus, ſpirituali modulatione glorificant, & gratiarum exhibitione honorant, confitentes ſe ab ipſo eſſe, quòd ſunt ipſius iuſtificati gratia, redempti ſanguine, charitate ſaluati, atque glorificati meritis, qui eſt eccleſiç ſpōſus, fidelium caput, certantiū robur, viç dux, vitç ianua, legiſlator, obedientiç forma, obedientium merces, perſeuerantium corona, atq; regnantium prçmiū Ieſus Chriſtus dominus noſter, qui cū Patre & Spirituſancto viuit in ſe, & dominatur in ſecula ſeculorum. Amen.

DIVI

D. LAVRENTII IVSTINIANI Venetiarum Protopatriarchæ in Opuſculum de Humilitate.

EXORDIVM.

Clamat in lege veteri Deus per Moſē populo Hebrꝗorum, & in euangelio imperat Saluator noſter dominus Ieſus Chriſtus, vt quiſque proximū ſuū diligere debeat, ſicut ſe. Hoc ſiquidem pręcepto admoniti, cūctis impellimur prodeſſe, omnibuſque ex corde benefacere, atque eidem nō minus ſpiritualia, quam corporalia impendere commoda. De corporalibus quippe obſequiis proximis noſtris pręſtitis vel negatis in extremo iudicii magni die vniuerſalis diſceptatio fiet, dicēte domino: Quum venerit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, Matt. 25. & omnes angeli eius cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuę, & congregabūtur ante eum omnes gentes, & ſeparabit eos ab inuicem, ſicut paſtor ſegregat oues ab hœdis: & ſtatuet quidem oues à dextris ſuis, hœdos autem à ſiniſtris: & tunc dicet iis, qui a dextris eius erūt: Venite benedicti patris mei, poſsidete paratum vobis regnum a conſtitutione mundi. Eſuriui .n. & dediſtis mihi manducare: ſitiui & dediſtis mihi bibere; hoſpes eram & collegiſtis me; nudus & operuiſtis me; infirmus & viſitaſtis me: in carcere eram & veniſtis ad me. Tunc dicet & iis, qui a ſiniſtris eius erūt: Diſcedite a me maledicti in ignē ęternum, qui paratus eſt diabolo, & angelis eius. Eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare: ſitiui, & non dediſtis mihi potum: hoſpes eram & non collegiſtis me: nudus eram, & non cooperuiſtis me: infirmus, & in carcere, & non viſitaſtis me. Et concluſit: Ibunt hi in ſupplicium ęternum iuſti autem in vitam ęternam. Cęterum ſi tam accurate de operibus miſericordię exhibitis corporibus morituris interrogatio fiet, quid de ſpiritualibus pro ſalute animarum immortalium communicatis proximis ſeu neglectis agendum ſit, a domino ſuo loco & tempore, qui legit, intelligat. His itaque pręmiſsis inſtruitur quilibet rationis capax proximum ſuum diligere, illius neceſsitati pro poſſe curam impendere, facultates proprias cū eo impertiri, eūdem exhortari, cōſolari, docere, corrigere, ipſiusq; ſaluti cū dilectione ac vigilanter, quantū accommodatur auditus, inſiſtere, quatenus fraternę charitatis pręceptū perficere queat. Huiuſmodi ſactis īſtitutionib. impulſus atque cōpunctus, quēadmodum propria accuſante conſcientia, & præ confuſionis infirmitatis ac ſpiritualis paupertatis meæ loqui pertimeſco: ita tacere non valeo. Terret namque me propheticū illud memoriale, quo peccatori à Deo ſilentium indicitur, ne contra ſeipſum loquatur inquiens; Peccatori autem dixit Deus: quare tu enarras iuſtitias meas, Pſal. 49. & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Vt verò verbum Dei confidenter pronunciem, idem propheta de ſe loquens & me & mei ſimiles tacite hortatur dicens; Iuſtitiam tuā non abſcondi in corde meo, veritatem tuam & ſalutare tuum dixi, non abſcondi miſericordiam tuam & veritatem tuam à concilio multo, quam obrem tu ò domine ne lōge facias miſerationes tuas à me. Hinc talium diuinorum eloquiorum imbutus oraculis, ac etiā proprię inſufficiētię onere depreſſus, inde verò fraternæ ſalutis ſtimulis accenſus, necnon paſtoralis officii obſtrictus debito, cui dicitur: Clama neceſſes, quaſi tuba Eſa. 58. exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum: elegi confiſus in Dei & ſaluatoris noſtri ineffabili clementia pro communi legentium & audientium vtilitate potius imperitiam detegendo meam calamo percurrente loqui, quam in ſilentio mecū habitando tacere. Loquar itaque non minus mihiipſi, quam cęteris. Scio enim & palàm teſtificor me ſalubri indigere admonitione, atque efficaci opus habere medicamine: eius (videlicet) de qua fari inſtitui, humilitatis virtutis, quoniam ſuperbiæ morbo laborare me fateor. Aperiam igitur os meum, vt illud impleat ipſe, qui docet hominē ſcientiam, & præſtat intellectum poſcentibus ſe. Ipſum quippe volo habere præceptorem meum, ſermonum meorum inſtitutorem, correctorem ignorantiæ meæ, meęque linguæ diſſertorē, quatenus quæcunque in hoc opere ex illa proceſſerint, ſint prolata recte, ſale condita, veritati innixa, & virtutum diſciplina contexta. Sine ipſa qui alios conatur inſtruere, prorſus à ſemetipſo decipitur, nec ſibi nec aliis prodeſſe valet, quum ſapientia careat, quæ de ſurſum eſt, & à ſolo Deo donatur, dicente Apoſtolo Iacobo: Iaco. 1. S quis indiget ſapientia, poſtulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat, & dabitur ei. Per quem itaque loqui dignatur ipſa Dei virtus & ſapientia, dominus (videlicet) noſter Ieſus Chriſtus, ille ſagittas immittit ignitas cum carbonibus deſolatoriis, myſteria quoque pandit cœleſtia, per quæ rationalis potentia ſummæ veritatis irradiatur lumine, atque ſapientiæ pingueſcit dulcedine. Nam eloquia illius (perhibente propheta) Pſal. 118. ſunt eloquia caſta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplū. Propterea potens eſt, peccatorum conſumere rubiginem, cordium ſecreta rimari, immutare ſe in percipientium mentes, rectas bene viuendi inſinuare ſemitas, vitæ ianuam oſtendere, & futurę retributionis, quanta ſint gaudia, lucidiſsime declarare. Nec immerito. Nam (teſte Apoſtolo) Heb. 4. ipſe Dei ſermo viuus & efficax eſt, penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſque ad diuiſionē

animę

Digitized by Google

QVOD PERNICIOSVM ET Deo odibile ſit ſuperbiæ vitium. Et qualiter, ac quibus gloriandum ſit. Cap. I.

QVum multa ſint vitiorum genera, quæ naturale humanæ ſpeciei decorẽ obnubilant, prę omnibus ſuperbię languorẽ id agitare aſſeuerare nõ ambigo. Eccl.10. Initiũ omnis peccati, inquit diuinus ſermo, eſt ſuperbia. Hæc eſt proculdubio, quæ aduerſatur Deo, & hominẽ à ſuo facit apoſtatare autore. Hęc autem ab angelis exordiũ habuit, ipſosq; in cęlo bene cõditos poſſedit, euexit, & ſtrauit. Nã illorũ principis prophetica illa vox eſt: Eſai.14 In cælum conſcendã, ſuper aſtra cæli exaltabo ſoliũ meũ, ſedebo in mõte teſtamẽti in lateribus Aquilonis, aſcendã ſuper altitudinẽ nubiũ, ſimilis ero altiſsimo. Huius quoq; peſtifero elationis veneno non ſolus ipſe Lucifer infectus eſt, Ezec.28 de quo alius Propheta ait: Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, perfectus decore in deliciis paradiſi Dei fuiſti, in medio lapidum ignitorum ambulaſti, perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inuenta eſt iniquitas in te, verũ & omnes ſpiritus illi, quã nequiſsimo ac damnabili ſuperbię ipſius inhærere conſenſui. Voluerunt enim ſibiipſis per ſeipſos vendicare principatum regni, atque beatitudinis obtinere faſtigium, ignorantes vt cæci, quia nemo niſi humilitate & ſubiectione præuia ad huiuſmodi perpetuæ felicitatis poteſt triumphum aſcendere. Ipſe nanque cuius ſunt theſauri diuitiarum cæleſtiũ ſapientiæ, bonitatis, ſatietatis & gloriæ ſolus eſt ſcala, per quam ad ipſum cælorum ſcanditur regnum. Ipſe ianua, per quam ingreditur quiſque præordinatus ad vitam, in ſancta ſanctorum ad videndum Deum facie ad faciem, & ad contemplandam ipſius maieſtatem, æternitatem, diuinitatem, in quo eſt omne bonum, cunctorumq; deſiderabilium ſumma fruitio. Aliunde præter quã Ioan.10. per Chriſtum, qui ait: Ego ſum oſtiũ ouium, per me ſiquis introierit, ſaluabitur, ingredietur, & egredietur, & paſcua inueniet, quicunque intrare conatur, neceſſe eſt, vt cadat, ſicut illi, de quibus 2.Pet.2 Apoſtolus Petrus perhibet dicẽs: Si enim Deus angelis peccantibus non pepercit, ſed rudentib. inferni detractos in tartarum tradidit in iudiciũ cruciandos reſeruari. Potiò iſti nequam ſpiritus quamuis in cælo conditi, naturali acumine ornati, gratiaque præuenti cordis erigentes ceruicẽ contra vniuerſorum dominum ab arce cęleſtium manſionum auulſi in incendium ſunt demerſi æternum. Quid aduerſus homines ſuperbientes acturus ſit Deus, elati diiudicent. Sacro vtique atteſtante eloquio ſemper Deus ſuperborũ contriuit iactantiam. In paradiſo nãque poſitus homo, celſitudinem diuinitatis concupiuit: ſcientiam boni & mali appetiit, quamobrẽ de loco voluptatis expulſus, innocentięq; cãdore nudatus, huius peregrinationis factus eſt incola, ęrumnis plenus, & gehennę filius. Porrò viri ſuperbi & nequam, Gen.11 qui ſicut ſacra narrat hiſtoria, turrim ędificare moliti ſũt, quę cęli alta penetraret, cõfuſione referti ſunt, atq; linguarũ ita varietate diuiſi, vt nequaquã inuicẽ ſe intelligere poſsẽt. Pſal.105 Dathã & Abyron, qui contra dominũ, ipſiuſq; prophetã murmurii ediderũt voces, aperto terrę hiatu cũ ſuis in infernũ deſcenderunt viuẽtes. Pretermitto retexere tumorẽ cordis eorũ, quos hac peſte redargui ſermo diuinus fuiſſe pollutos, quantas de ſua elatione luerint pęnas. Horũ caſũ Propheta cõſiderãs, dominũ depręcabatur dicẽs: Pſal.35 Nõ veniat mihi pes ſuperbię, & manus peccatoris non moueat me. Ibi ceciderũt qui operãtur iniquitatẽ, expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare. His quippe præmiſsis ſolerter animaduertendum eſt, quãta apud Deũ humilitatis virtus commendatione ſit digna, quæ ſuperbię vitio totaliter oppoſita eſſe cognoſcitur. Proinde de ea loqui vtiliſsimum eſt ipſam præconiis veris extollere honorificum, illiuſque qualitatem, celſitudinem, ac decorem inſinuare mortalibus eſt opus pulſimum, & Deo acceptũ: eiuſdem verò inſtitutionem, & perfectionem corde cuſtodire, & moribus viſitatum viuẽdi ſupergreditur modum. Nam, experientia teſte, pauci reperiuntur numero in comparatione cæterorũ, qui ſaltem naturali exagitati impulſu præeſſe potius non ambiant, quàm ſubeſſe, laudari magis appetant, quàm deſpici, atque plus concupiſcant ab hominibus boni exiſtimari, quàm mali. Hæc proculdubio ſunt ſuperbię germina, hæc (inquã) elationis ſunt filię, quę niſi ſedula coercearũt diſciplina virtutũ, ex quotidiano accretũ vſu, & ex filiabus ſpirituales efficiũtur matres, necnõ ex tenerrimis arbuſtis arbores ingẽtes fiũt, ita vt volucres cæli, aereæ (videlicet) poteſtates in eis nidificent, & proprios nutriant fœtus. Talis ſiquidem eſt vitiorum natura, vt indeficiẽter augeantur, & in deterius vergant, ſi non in ortus ſui principio reſecentur: antequam radicem in humano corde defigant. Quàm verò difficile ſit, & quàm laborioſum poſteaquam adoleuerint, & in conſuetudinẽ ſuos redegerint actus; eadem ſuperare, & ſub virtutum cenſura compeſcere optime ſciunt ſpirituales viri, qui iudicant omnia, & in ſui cordis cuſtodiam inceſſanter incumbunt. Pſal.136 Hos vtique Propheta laudans ait: Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos ſuos ad petram. Quamobrem aduerſus ſuperbiæ vitium eos viriliter dimicare oportet, qui humilitatis deſiderant obtinere virtutem. Intelligant nanque quantum elatio ſit odibilis Deo, quam oneroſa hominibus, quam ſe poſsidẽti pernitioſa, quantum virtutibus aduerſetur, quam crebris ſubiaceat caſibus, quãrorum malo-

rum in præſenti ſit ipſa origo, & quantum poſt hanc vitam grauiſsimis, æternisq; ſit plectẽda ſuppliciis. Horum ſiquidem, quę ſub cõpendio perſtrinximus, quiſquis certam voluerit habere notitiã, prorſus non poterit venenum non abhorrere ſuperbiæ, quæ gratia Dei hominum reddit indignum: proprio ac naturali priuat arbitrio, euacuat meritis, ſubiicit ſeruituti, & gehennæ efficit filium. Probat hoc diuina autoritas, hoc ſanctorum oracula prophetarum; ſeque ſupra ſe erigẽtiũ ruina notiſsima. Cui (oro) ſuperbienti aliquando pepercit Deus? quis cæleſtia præcepta cõtemniens, & in eandem pertinacia perſeuerãs, veniã promeruiſſe cognoſcitur? Non elatis & de præſumentibus ſed delicta ſua humiliter confitentibus impertit Deus gratiã. Saulus quippe, qui quamuis ignorans, Dei perſequebatur eccleſiã, & de ſe ſupra modum pręſumebat, diuina proſtratus voce, nequaquam antè erectus eſt, quàm reatũ ſuũ humiliter confiteretur, & obedientiam ſponderet dicens: Domine quid me vis facere? Namque admodum Deus ſuperbis reſiſtit: ita econtrario humilibus dare gratiam perhibetur. Non enim mirum eſt, ſi Deus ſuperbis repugnat, cum per tumorum mentis ſibiipſis, quod Dei eſt proprium, vendicare conentur. Multa quidem beneficia, innumerabiliaque dona, tam corporalia, quam ſpiritualia diuinam bonitatẽ gratis hominibus contuliſse perſpicuum atque notiſsimum eſt. Nuſquam verò in ſacris legitur voluminibus honorem ſuum dominum præſtitiſse mortalibus. Videte (inquit idem per Moſen) quòd ego ſum ſolus, & non eſt alius præter me: ego occidam & viuere faciam: percutiam & ego ſanabo, & nõ eſt qui de manu mea poſsit eruere. Per Prophetam quoque alium audi, quid dicat: Ego dominus (ait) & non eſt alter, formãs lucem, & creans tenebras, faciens pacem & creans malum: ego dominus faciens omnia hęc. Quum igitur proprium elati cordis ſit velle præeſse: humanam ardentiſsime appetere gloriam: ſibi quod aliorũ eſt honoris, laudis, commendationis, & famæ arrogare, atque loquaci & mẽdaci interdum aſsertione propalare, quæ ſibi ad decus & laudẽ prouenire diiudicat: euidentiſsime patet omnia hæc vniuerſali domino, eiuſque gloriæ eſse contraria. Ipſe namq; ſolus eſt extollendus laudibus, veneratione colendus, exorãdus precibus, quotidianis virtutũ exercitiis placandus, amplectendus votis, totiſq; animę viribus diligẽdus. Errat profecto, & ab humanitatis itinere ſupra modum deuiat, quicunq; cõcupiſcit aſpectibus hominũ honorabilis apparere, cũ Apoſtolus dicat: Regi ſeculorũ immortali & inuiſibili, ſoli Deo honor & gloria in ſecula ſeculorum. Suo quippe non alieno debet quiſque gloriari. Inanis eſt gloria, quę de alieno ære, indumẽto, ſeu alio quouis munere ad tempus collato poſsidentẽ attollit. Nam quũ voluerit ille, qui dedit, ad libitũ valet auferre. Quamobrem proprio nõ alieno dixi eſse gloriandũ, ſi tamen tale ſit illud, vt merito quis debeat gloriari. Abſit autem, vt de ſceleribus vel de perpetratis criminibus cõmẽdari debeat homo, qui ratione dirigitur, ſicut ij, quos Propheta redarguens ait: Gloriãtur cum malefecerint, & exultant in rebus peſsimis. Non enim peccata honorabilẽ, ſed prorſus delinquentem reddunt inglorium. Hæc plane eſt vera ſententia: quamuis aliter Propheta ſentire videatur, quum dicat: Laudatur peccator in deſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur. Vtrunque recte prolatum eſt, licet inter ſe diſsidere appareant. Laudatur vtique peccator, quum proſperatur in via ſua, quum floret ad tempus, quum honoribus ſublimatur, quum humanis effertur laudib. quum locupletatur diuitiis, quum voluptatibus carnis impinguatur, & tranſitoriis bonis repletur. Laudatur, inquam, ſed ab iis, qui ſolum ea, quę carnis ſunt, ſapiunt, & qui inuiſibilia eſſe non credunt, atque alteram vitam eſse negant: necnon & ab illis, qui futurorum, ęternorumque bonorum ſpe carent, tantummodo terrenis & inuiſibilibus inhærentes. Huiuſmodi profecto non poſsunt non laudare quod diligunt, quod quærunt, quod ambiunt, & quod finem ſuum eſse conſtituunt. Horum quippe laus quũ nulli ſit veritati innixa, nulla ratione roborata; nulloque ſano directa iudicio tanquam perniciosa, veluti falſa, & ſicuti inanis & breuiſsima eſt omnino ſpernenda, atq; calcanda. Quid Propheta de peccatorũ ſentiat gloria, audi: Vidi, inquit, impium ſuperexaltatum & eleuatum ſicut Cedros Libani: tranſiui, & ecce non erat: quæſiui, & non eſt inuentus locus eius. Idemque ait: Et adhuc puſillum & non erit peccator, quæres locum eius, & non inuenies. Patet igitur ex his, quod peccatorũ laus vel gloria mõmentanea eſt, temporalis, atque delenda. Laudato autem nullam confert gratiam, beneficium nullum. Pari enim tempore laus laudatusque deficiunt, dicente propheta: Periit memoria eorũ cum ſonitu. Imprudentiſsimum itaque eſse dixerim, de alieno quempiam velle gloriari. Intelligat quòd ſuum eſt, & palam cognoſcet nulla dignum eſse laude. Noſtrum nanque eſt proprium poſse peccare, de nobis præſumere, temporalia & aliena concupiſcere, à Deo mentis obtutum auertere, & in deſperationis baratrum noſmetipſos præcipitare. De quo autem & in quo ſit gloriandum, Apoſtolus docet dicens: Qui gloriatur (inquit) in domino glorietur. Quare verò in domino? Quoniam ab ipſo percipimus totum, quod dignum eſt gloria. Obſerua, quæſo, à quo habeas, vt ſis vt rationalis ſis, vt ſis cęleſtis vocationis particeps, eccleſiæ mẽbrũ, ſacramentorũ Dei capax, cohæres Chriſti & Angelorum conſors. Reuolue (inquã) quis innumera tibi cõtulerit bona naturę, & gratię munera. Aduerte à quãta per regene-

Act. 9. Deut 32. Eſa. 45. 1. Tim. 1. Prou. 2. Pſal. 9. Pſal. 49. Ibidem. 1. Cor.

rationis lauacrum ſis ſeruitute liberatus: quo redemptus præcio, quo cæleſti quotidie alimento nutritus, quo meraciſſimo vino potatus, quo cuſtode protectus, quo amore dilectus: quantis beneficiis ſpiritualibus & temporalibus aſtrictus, quantiſque ineffabilibus promiſſionibus & æternis gaudiis animatus, atq; allectus. Hæc ſi diligenter conſideraueris, compunctus præ admiratione Pſal. 115. necnon præ dulcedine ebriatus cum Propheta clamabis: Quid retribuam domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Rurſumq; ingeminabis quod memoratus Propheta alio in Pſalmo decantans Pſal. 113. ait: Non nobis domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Nempe his duobus breuibus verſiculis ſuperborum atteritur frons, & alta ſapientium ac de ſe præſumentium deprimitur inſipientia eorum (videlicet) qui de alieno ſibi vendicant gloriam, & conditoris ſui de ipſius donis non formidant vſurpare honorem. Tales ſi recte ſaperent, intelligerent vtique, quòd ſi quid poſſunt Ioan. 14. boni agere, ab illo habent, qui dicit: Sine me nihil poteſtis facere. Si ſciunt quicquam commendatione dignum, ab eo percipiunt, qui ait: Spiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunq; dixero vobis. Inſtruit paracletus, & docet hominē ſcientiā, tribuit intellectum, ſapiētiam, atq; conſiliū. Si volunt, & deſiderant, quod Deo placeat, & non aliunde id ſe habere arbitrētur, quā ab illo, qui iuſtificat impios, conuertit errātes, ſoluit compeditos, cæcos illuminat, eliſos erigit, & reſuſcitat mortuos. Ipſe profecto dominus eſt bonitatis fons, & omnium largitor bonorum: qui nemini ex debito, ſed vniuerſis præſtat gratis beneficia ſua, quemadmodum Apoſtolus Ioan. 1. Iacobus teſtatur inquiens: Omne datum optimū, & omne donum perfectum de ſurſum eſt deſcēdens à patre luminum. Nam etſi noſtra laudabilia remunerat opera, hoc non agit ex debito, niſi inquantum ex mera ipſe ſe debitorem voluit facere liberalitate: quatenus aliquid eſſet in homi- Pſal. 102. ne, vnde à iuſto, iuſte, remuneraretur Deo. Confitentem audi Prophetam: Benedic anima mea dominum, & noli obliuiſci omnes retributiones eius, qui ſanat omnes infirmitates tuas, qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te miſericordia & miſerationibus. Coronat vtique te, nō ex meritis, aut in operib. tuis, ſed in miſericordia & miſerationibus ſuis, vt agnoſcas, nō per tua merita tantum, ſed per ſuas miſerationes poſſe ſal- Tit. 3. uari. Hoc & Paulus ſuo affirmat teſtimonio dicens: Apparuit benignitas & humanitas ſaluatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos: ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit. Ceterū ſi in extremo iudicii magni die videtur remunerare miſericordiæ opera in proximorū neceſſitatibus exhibita: ipſa quippe minime abſque ipſius gratia, quæ gratum facit, & charitate efficit dignum, fieri potuiſſet. Vt autem ſcias quæ dicuntur veritati eſſe innixa, Apoſtoli obſerua ſententiam: Rom. 5. Charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum ſanctum: qui datus eſt nobis. Subintellige itaque ipſam charitatem nobis eſſe infuſam, non ex operibus, ſed per ſpiritum, vt gratia ſit gratia. Sic enim ex operibus (ait Paulus) iuſtificatur homo, ergo gratia iam nō eſt Rom. 3. gratia. Gratia ideo vocatur, quia gratis datur, ſi gratis datur, non ex merito recipientis, ſed ex liberalitate tribuitur largientis. Vnica autoritate Apoſtolum confirmare ea, quæ dicuntur, necnō inanis gloriç damnare elationem diligenter aduerte. Quid enim habes (inquit) quod non accepiſti? Et ſi accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Et alibi: Non eſt (ait) volentis neque currētis, ſed miſerentis Dei, qui cui vult miſeretur, & quem vult indurat. Rom. 9. Et quemadmodū figulus pro libito aliud vas de eadem maſſa facit in honorē, aliud in contumeliam. Quum igitur ab ipſo domino nedum habeamus quod accepimus; verum etiam quod ſumus, illum debemus ex toto corde diligere, illi gratias agere, ipſiuſque gratiam & miſericordiam confiteri. Non autem inflari ſicut Phariſæus, qui voce gratias referebat, & corde ſupra Publicanum ſe extollebat ante Deum, qui ſolus cordium ſecreta rimatur. Quamobrem de tēplo non iuſtificatus, ſed potius reprobatus egreſſus eſt, quia ſui munus non cognouit authoris: ſe procaciter laudauit, atque aduerſus proximum ſuum ſe mendaciter iactitauit. Multos iſte ſuo erudiuit exemplo. Docuit enim quā ſolerter debeamus ſuperbiam fugere, qua humilitate Deo gratias agere, qua intentione opera, quæ in ſe ſunt laudabilia, facere: nullumque poſtremo (quamuis peccatorem) temerarie condemnare. Inſinuauit (inquam) audientibus cæcitatem mentis propriæ, & magiſter effectus eſt ſalutis alienæ. Quamobrem diſcamus ſinguli, diſcamus omnes vitium abhorrere ſuperbiæ, & euitare altum ſapere; atque toto conamine ſectari humilitatem, quç omnium eſt radix, ac magiſtra virtutum.

Quòd ſit ſuperbia fugienda, & ſectanda humilitas, quæ in ſui vera cognitione fundata ſubſiſtit. Cap. II.

IN præcedenti capitulo, & in opuſculi huius exordio (prout dominus donare dignatus eſt) tractauimus quantū ſuperbię vitium ſit graue quantū Deo odibile, quam pernicioſum exiſtat illud ſectantibus & quam ſolicite ſit cauendum. Ex quibus profecto claret, quod illud elationis vitium quanto magis diuinæ aduerſatur bonitati, & ſaluti hominum agnoſcitur eſſe contrarium, tāto è regionis humilitatis virtus eſt grauiſſima Deo, necnon cælorū regno ſe poſſidente efficit aptum, omniūq; gratiarum ſuſceptibilem; & diſpenſatorem idoneum. Hæc quippe

humilitas quum ſit vniuerſarum radix, ac magiſtra virtutum, à cunctis, dominum metuentibus, eſt amplectenda, ac pro totius laudabilis conuerſationis eſt fundamento locanda, non verbo tenus, neque ex ſimulatione extrinſeca, ſed intrinſecus in corde, vbi ſedes ipſius ſita eſt: radix viget, magiſterium exercetur, & diriguntur opera, ipſo iudicante, atque conſpiciente, qui ſcrutatur corda, & ſingulorum cogitationes, ac ſecreta rimatur, quem non fallit opinio, non decipit ſimulatio, elatio aut poteſtas non terret, neque mutat auerſio. Nam per ſe ſibiipſi ſufficit, ſibi placet, in ſe videt omnia, per ſe diſponit vniuerſa, & æquitatis lance cuncta diiudicat: nullius eget ſuffragio, nullius indiget, nulliuſque commendatione clareſcit: de ſe beatus eſt, in ſe plenus Deus, eſſentialiter bonus, ſapiens, potus, iuſtus, & miſericors. Non patiens ex alterius malo detrimentum aliquod, neque additamentum ex bono, ſed ſemper idem permanens, ſine motu mouens omnia, ſine defectu regens ſingula, & ſine labore ſuſtinens vniuerſa, ſe quoque communicans abſque diminutione, ſe abſque coërcitione inclinans, ſine perturbatione iraſcens, & prorſus abſque perſonarum acceptione dona ſua impertiens: non quærit ab hominibus pecudum hoſtias, non auri, non argenti munera, non incenſi & thymiamatis ſacrificia, non eſcarum corporalium abſtinentiam, non rerum temporalium penuriam, nō carnis macerationem, non vigiliarum longitudinē, non indumentorum aſperitatem, non prolixitatem orationis, non poſtremo contemptum ſui, ſed vt humiliter & in veritate cognoſcat ſe. Hæc quippe, quæ ſuperius memorata ſunt, quamuis laudabilia ſint, & quanquam de genere ſunt bonorum, per ſe tamen non valent, per ſe non conferunt gratiā, & nequaquā per ſe ſufficiunt ad ſalutem. Habilitant quidem ad gratiam ſuſcipiendā, præparant ad obtinendum veniam, valent ad mitigandam Dei iuſtitiam, ſuffragāturq; ad promerendum miſericordiam. Hinc profecto non ſunt contemnenda, non prætermittenda, neq; velut inutilia vilipendenda. Valent, proſunt, ſapiunt, delectant, ſi humilitatis condimento ſociētur. Nam quantacunque quis videatur ſanctitate pollere, fulgere ſcientia, ornari moribus, cæteros humana æſtimatione præcellere, minime illa debet omittere, ſed potius eadem conſtanti perſeuerantia exercere, niſi fortematuro ſit confectus ſenio, vel corporis languore detentus, ſeu nimia debilitate depreſſus. Tunc quidē actu intermittenda ſunt, & deſiderio amplectenda, atq; ex parte pro poſſe ſectanda (ſeruata nihilominus diſcretionis regula, necnon humilitatis cenſura, quæ nō præſumit ambulare in magnis, neque ſe oſtentare inaniter in mirabilibus ſuper ſe.) Humilitatis enim virtus diſcretionis limites nō egreditur, propriæ infirmitatis optimo erudita magiſterio.

Nā humilitatis diffinitio eſt ſuimet hominis certa cognitio. Hæc profecto ſui cognitio eſt fundamentum ſolidiſsimū & ſtabile, ſupra quod humilitatis ſtructura locata eſt, augetur, atque perficitur. Hæc (inquam) eſt ad ſalutem hominis prorſus neceſſaria, ſine qua delictorū cōtritio eſſe nō valet, quæ eſt indulgentiæ mater, peccatorū conſumptio, delinquētiū ſpes, ſpiritualis reſurrectionis ianua, medicina cæleſtis, animarū lauacrū, deſperationis interitus, deſperatorum portus, vitæ fons, Dei & hominū mediatrix. Nēpe qui ignorat ſe, neſcit compungi, ſe humiliare dedignatur; & quum ſit delictorum vlceribus plenus, incolumem ſe eſſe arbitratur: medicū non quærit, ſanitatis remedia ſpernit, charitatis monita non admittit, & tandiu lethali morbo deprimitur, quandiu in ſui cæcitate perdurat. Auget ſic perſeuerans peccatum peccato, & de tenebris tranſit ad tenebras. Obdureſcit quotidie amplius, & lætatur, quum malefacit, atque exultat in rebus peſsimis. Deridet ſimplices, puſillos ſupplantat, innocentes perſequitur, contemnit humiles, prouocat iuſtos, & ſe pro Chriſto ſubiicientes ipſe condemnat. Bonum dicit eſſe malum, & malum bonum, tenebras lucem, & lucem tenebras eſſe fatetur. Sicque fit, vt ipſe ſibiipſi efficiatur inimicus, crudelis hoſtis, & inſidiator continuus. Impoſsibile prorſus eſt fari, quāta ex ſui ignorātia proueniāt mala, quot inopinati emergant caſus, quot tentationes inſurgant, & quàm grauia perpetrentur facinora. Profecto qui ignorat ſe, ignorat Deū, & ab eodem ipſe ignorabitur. Hoc in virginibus fatuis patet, quæ cordium ſuorū ex ſui ignorantia extinctis lampadibus pulſantes diuinæ miſericordiæ ac nuptialis conuiuii ianuam audire meruerunt: Amen (dico vobis) neſcio vos. Mira res. Matt. 25
Qui ſcit omnia, illos nō cognoſcere ſe perhibet, qui ignorāt ſe. Cognoſcit quidē eos in culpa, ſed ignorat ad veniā. Nā qualeſcunq; peccator latebras quærat, quantalibet ſpiritualia ſeu corporalia abdita opaca perluſtret, a diuino non valet ſe occultare cōſpectu, dicēte Propheta: Et dixi, inquit, forſitan tenebræ cōculcabūt me, & nox illuminatio mea in deliciis meis: quia tenebræ nō obſcurabūtur à te, & nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ eius, ita & lumē eius. (Pſal. 138) Latere poſt præcepti præuaricationem arbitratus eſt Adam, & tamen Deū ambulantem ad auram poſt meridiem audiuit dicentem: Adam vbi es? (Gen 3) Latentem reperit, & interrogātem vbi eſſet, ipſe intellexit. Nō enim de loci tantum qualitate ſciſcitatus eſt dominus, ſed nuditatis turpitudinem, & ignorantiæ ſuæ tenebras ex obliquo eidē delinquēti obiecit. Detentus verò in culpa vtinā vel tūc agnouiſſet ſe, vtinā reatus ſui trāſgreſsionem confeſſus eſſet humiliter: quoniam ſeipſum poſteritatemque ſuam liberaſſet ab exitio. Verū ad hoc illū ſui prouexit ignorātia, vt culpæ ſuæ occaſionē impingeret

ret domino, qui proprium ſimpliciter abſque excuſatione aliqua debuerat accuſare delictū. Quamobrem diſcant qui audiunt, & alieno erudiantur exemplo non ſe quum peccant, defendere: neq; tergiuerſatione vlla facinus proprium leuigare, ſed illud coram Deo ipſiuſque vicario palam cōfiteri, & ſicut perpetratum eſt, pandere, necnon ſibimetipſis culpā inferre: Hęc profecto ſe agnoſcentium in veritate eſt diſciplina optima, ſe videlicet condemnare, ſe peccatores intelligere, ſe cæcos, ſe infirmos, ſeque ad omne malum procliuos exiſtere abſque vlla dubitatione ſentire. Hinc timent caſum, præuaricationem metuunt, exigua, quantum valent, delicta deuitant, indiſciplinatorum hominum cōſortia fugiunt, ſuperborum colloquia obaudiunt, atque amatorum ſeculi deſideria vana eſſe non dubitant: vnde ſic in cunctis ſe caute cuſtodiunt, ac ſi eſſent quotidie morituri. Claret igitur ex his quàm operatoria, quamque ad ſalutem ſit neceſſaria cognitio ſui, quę pręſtat lumen ad cognoſcēda huius peregrinationis pericula, & ſpirituales mundi iſtius laqueos calcandos, quos proculdubio percipere ac ignorare conuincitur, qui ignorat ſe. Quamobrem beatum eſſe dixerim, qui de ſe non qualē cunq;, ſed veram cognitionē habere meruerit.

Quòd ex rationis recto vſus cæteris homo emineat animantibus. Cap. III.

RECte intelligentibus conſpicuum eſt hominem propter rationis vſum cætera præcellere animantia: quoniam per ipſam diſcernere valet inter bonum & malum, inter maius bonum & minus bonum, inter malum & malum: quod minime poſſunt diiudicare, qui ratione carent. Hoc quippe donum ideo a Deo eſt inſitum, & homini prærogatum: quatenus vero iudicio intelligat, quid ſit honeſtum, quid illi ſit vtile, quid pernicioſum: quid aduerſum, quidve neceſſarium. Quæ quum agnouerit, ſtudeat tunc, quod honeſtum, & quod eſt vtile, diligere: odiſſe vero quod eſt pernicioſum: quod autem aduerſum eſt fugere, & quod neceſſarium ſibi eſſe cenſuerit, tota intentione, totaq; animi virtute perficere. Iſta quicunque ſcire aut operari neglexerit, non rationalis, ſed potius animalis nuncupandus eſt, dum præcipuum ſui conditoris conculcat beneficium, & naturæ donum diſſipat, & cognoſcēdi delectationem amittit. Eiuſdem maxima vtilitate ſe priuat, atque rationis dignitate
Pſal. 48. omnino alienum ſe facit, dicente Propheta: Homo quum in honore eſſet, non intellexit, cōparatus eſt iumentis inſipientibus & ſimili factus eſt illis. Iumentis merito cōparantur inſipiētibus, qui voluptate ſeducti ſpreto rationis bono, ſenſibus deſeruiunt carnis, viſibilibus inhærent, & terrenis tantum inhiant commodis: nequaquam cogitantes, quid pariat talis affectus, quid carnis lenocinia, quid viſibilium amor operetur in homine: qualem contemnant dominūm, cui aduerſario famulentur, & quo mucrone ſe feriant. Hinc per abrupta vitiorum ſe ſponte pręcipitant: hinc per denſiſsimas ignorantiæ vagantur tenebras, & in ſæuiſsimorum hoſtium incurrunt manus, qui eos deprędantur, captiuos ducunt, venales faciunt, vulnerant, mactant & perdunt. Taliū (heu) quantus eſt numerus, qui ſe videre arbitrantur, & cęci ſunt: putant quoque ſe per rectas iuſtitiæ incedere ſemitas, & prorſus à veritatis deuiant regula, ſperantque hic & in futuro delectabiliter viuere ſeculo: minime memoriter retinentes dominum dixiſse: Væh vobis, qui nūc conſolationem habetis: quoniam plorabitis, & flebitis. Abraham etiā Luc. 6.
(perhibent domin[illegible]) diuiti epuloni byſſo & purpura dum viueret, veſtito dixiſse legitur: Recordare fili, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus Luc. 6.
ſimiliter mala, nunc autem ille lætatur, tu verò cruciaris. Redemptor denique noſter fideles Matth. 5.
accendere volens ad contemptum humanæ proſperitatis, & ęquanimiter aduerſa perferendum in hoc ſeculo, inquit: Beati qui lugent, quoniam conſolabuntur. Merito lugentes beati fore enunciantur, qui exilii huius agnoſcentes ærumnas, & infirmitatis propriæ conſcii nequaquam valēt gaudere, intelligētes in quibus verſētur laqueis, quibus ſubiaceant periculis, quantis obligati ſint debitis, & quàm variis quotidie ſint attriti laboribus. Hi profecto rationales eſſe cēſendi ſunt, qui ambulant in luce, & in ſui vera cognitione perſiſtunt. Veram ideo appellauerim, quia ſe in ſplendore veritatis intuendo cognoſcunt. Nā nō omnis ſui cognitio apud Deum meretur laudem: ſed illa tantum, quę cęlitus per gratiam à Deo donatur, cuſtodit legem, obtemperat domino, & humilitatem parit. Sunt nanq; qui carnis ſe tantum agnoſcunt intuitu, & in corporis ſui complacēt decore. Hi proculdubio quum humanis ſe exponūt aſpectibus quantū valent, precioſis ſe induūt veſtibus, muliebri cultu ſe ornant, fimbriis vtuntur æqualibus, nil volunt in eis apparere deforme, nil ſordidum, nilq; agunt virile, ſed puerorū more ſe palpant, inſpiciunt, excolunt, magnificant, & quantum ſibipſis placent, tantum ab hominibus intueri, honorari, ac laudari cōgaudent. Quemadmodum enim carnem ſapiūt, carnis oblectamenta ſequuntur, ita in his, qua foris ſunt, ſe abſq; rationis gubernatione fundentes fugitiuā tenere vmbram, & flātem auram in ſinu ſuo colligere moliuntur. Esa. 40. Hos propheta admonēs ait: Vox dicentis, clama, & dixi, quid clamabo? Omnis caro fęnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri. Exiccatum eſt fęnū, & flos eius decidit: quia ſpiritus domini inſufflauit in eo: vere fœnum eſt populus. Exiccatum eſt fęnum, & cecidit flos: verbū autem domini ſtabit in æternum. Hæc comparatione quid verius, quid manifeſtius, dici potuit? Floret vtique in iuuentute caro, carnaleſque viri

in incolumitate, in agilitate, in choreis, iocis, & plauſibus, in cõuiuiis, in cãtilenis, in tympanis & organis, in voluptatibus, in conuerſationibus, in lætis, & proſperis. Toto poſſe debriantur in illecebris corporalibus, & præſentibus gaudiis, quaſi nunquam tranſituris, ſed permanſuris ad vota. Non diebus, non noctibus ceſſant indulgere laſciuię, quãrum eis licet, quantum valent, quantũque illis offertur materia. Omne tempus, quo in talibus ipſis vacare non datur, ſe arbitrãtur amittere; ſine intellectu, ac more irrationabilium iumentorum, & tãquam effrænata animalia, atq; veluti ſerui emptitii trahuntur, vænũdantur, quotidieq; moriuntur. Tandiu verò illuduntur, & à ſeipſis aberrant, quandiu ſani ſunt, temporalibus ſucceſsibus pollent; ſi autem repẽtinus languor irrepſerit, ſi febrium calor, ſi capitis, ſtomachi, oculorum, dentium, cęterorumq; membrorũ acerrimus ſuperuenerit dolor: tunc proſternuntur lecto, emittuntur ſuſpiria, audiuntur gemitus, funduntur lachrymæ, aduocãtur medici quæruntur remedia, ingeminantur clamores, pallet facies, vox rauca efficitur, debilitantur crura, iacẽt brachia, minuitur robur, & omnis valetudo priſtina, ac ętas florida in vno oculi ictu deperiiſſe videtur. Quicquid prius mulcebat auditũ, delectabat olfactũ, oculos alliciebat, & guſtui ſapiebat, prorſus tunc in faſtidio habetur. Cæterum ſi ad cor ſuum eos tunc redire conceditur, ſi supernę quãtulumcunq; gratiæ irradientur ſplendore, ſi naturalis diſcretionis vtantur examine, clare & abſq; vlla ambiguitate percipiunt, quã contẽptibilis ſit gloria mundi, quã deceptoriæ ipſius blanditiæ, & quàm illius exiſtant mortiferæ voluptates. Agnoſcunt (inquam) quàm fragilis ſit carnis pulchritudo iuuẽtus fallax, inanis lætitia, ſoſpitas breuis, fugitiua ætas, incerta vita, & ineuitabilis mors. Dat vexatio ſola intellectum, præbet infirmitas ſenſum, oculos aperit allata aduerſitas, quos obtectos ignorantiæ caligine terrena proſperitas poſsidebat. Huiuſmodi ſi contingat eos de infirmitate conualeſcere, diuina nihilominus ſuffragante clementia poſſunt ex animalibus rationales, & ex carnalibus ſpirituales fieri (vera interueniente pœnitentia, & antiquis à ſe criminibus abdicatis.) Sunt quoque qui ſe naturali diſcretione cognoſcunt, nec vltra progrediuntur. Diſcunt quippe ex vſu rerum, ex humanorũ agilitate negociorum, atque ex quotidiana hominum conuerſatione de ſe habere notitiam, ſecum ratiocinari, in ſui cordis arcano tractando diſcutere, diſcuſſa iterum meditari, perſcrutari contraria, perquirere vtilia: ſicque nunc aliena, nũc propria recogitare negocia. Meditantur quonam modo ſuas debeant expendere facultates, proprium valeant augere patrimonium, agrum agro copulare, fabricare domos, prædia emere, negociationẽ exercere, necnon cæteros præcellere honore,

Ecc. 1

vulgari fama, arte loquendi, diſputandi verſutia, calliditate ingenii, humana prudentia. Ex his vtique qui tales ſunt, maiorem dietim aſſueſcũt de ſeipſis percipere intelligentiam, & clariorem de naturali ſui conditione, affectione, volũtate merentur habere notitiã. Hęc namque de qua loquimur, carnis ab Apoſtolo prudentia nuncupatur, & ſeculi iſtius ſapientia: quę profecto inimica eſt Deo, ſpirituali vitę contraria, veriſque virtutibus prorſus oppoſita: quoniam caret formata fide, falſa innititur ſpe, & ab illa, quæ nunquam excidit, eſt à charitate aliena. Nam teſtante Apoſtolo charitas patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non agit perperam, nõ inflatur, non eſt ambitioſa, nõ quęrit quę ſua ſunt. Hęc autẽ, de qua loquimur, carnis prudentia, impatiens eſt ad perferenda aduerſa prona ad irrogandum mala, & maledictũ pro maledicto reddendum, æmulatione plena, iniquitate doloſa, elatione referta cupida elationis, propriis & priuatis commodis ſemper intenta. Hæc (inquam) carnis prudentia tametſi exerceatur in corde, ratione dirigatur, & exteriora opera cum diſcretione perficere videatur: ſolum tamen ea, quę mũdi ſunt, ſapit: pręſentia diligit, carnẽ fouet, corporis ſoſpitati inuigilat, cupiditati deſeruit, inardeſcit uoluptare, gulæ appetitum pro poſſe ſectatur, fugit triſtiã, lęta amplectitur, vaniloquiis, ſtultiloquiis, ſcurribilibuſque inſiſtit ſermonibus, & (vt paucis multa comprehẽdam) exaltari inaniter, hominibus placere, tẽporalibus bonis abũdare, carnalibus delectationibus repleri: quoadufq; illi datur in hac peregrinatione degere, nititur; immemor quid in alia futurum ſit vita, quam vtrum eſſe credãt, rationabiliter ambigendum eſt. Nequaquam enim arbitrandum eſt eos, qui huius carnis prudentiæ ſectatores exiſtũt, poſſe tam effręnate viuere, ſi alterã iudicarẽt eſſe vitã, in qua iuſtis pro actionib. piis merita, & peccatorib. pro perpetratis facinorib. condigna reddentur ſupplicia. Cętetũ ſi futurã huiuſmodi opinãtur fore vitã, vt licẽtius proprias peragãt voluptates, & carnis deſideria delectabilius complcãt: eorũ quidã inani ſemetipſos deludũt ſpe, nõnulli vero crudeli ſe deſperatione interimũt. Confidunt primi ad libitum poſſe pœnitere, atq; diuinam miſericordiam quotieſcunq; voluerint, promereri iuxta pollicitationẽ domini per Prophetam ex corde pœnitentibus factam. Sic enim legitur; Quotieſcunq; peccator ingemuerit, non recordabor amplius iniquitatum ſuarum. Et illud. Nunquid voluntatis meæ eſt mors impii (dicit dominus) & non magis vt conuertatur a viis ſuis, & viuat? Hac temeraria freti fiducia, & cęca ſeducti ſpe indulgentię, laxant habenas voluptati, & omne (quantum illis fas eſt) ſuadẽt ſibi licere quodlibet, nõ conſiderantes ignotum eſse ſibi mortis diem, & nullam de pręſumpta ſe miſericordia ſecuritatẽ habere: necnon innumeros ob

Rom. 8

1. Cor. 13

Ezech.

Ibidem.

hanc

Digitized by Google

hanc optatam & minime obtẽtam ſpem abſque pœnitentia migraſſe de corpore. Secundi vero timoris domini ſe iugo reiecto, ac conſequẽdæ gratię amiſſa fiducia, atque de propria omnino diffidentes ſalute in cunctorum ſe pręcipitant voraginem vitiorum: irremiſſibilia ſua arbitrantes fore delicta. Aduerſus tales Apoſtolus ſcribens ait: An diuitias bonitatis, patientiæ, & longanimi- Rom. 2. tatis Dei contemnis? Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit: ſecundum duritiam autem tuam & cor impœnitens theſaurizas tibi iram in die iræ, & reuelationis iuſti iudicii Dei, qui reddet vnicuique ſecundum opera ſua. In talium numero extitiſſe Caim, qui fratrẽ ſuum interemit, cognouimus, qui dixit: Maior eſt iniquitas mea, quàm vt miſericordiam mereat. Gen 4. Vniuerſi quippe ſiue ii, qui abſque mandatorũ Dei obſeruatione ſperant temerarie in extremo vitę ſuæ termino indulgentiam conſequi, ſeu illi, qui omni carent ſpe veniæ, quantocunque naturali ingenio polleant, qualicunque humanarũ rerum prudentia clareant, quãtalibet terrenæ facultatis, vel dignitatis, ac popularis famæ gloria floreant: iudicandi ſunt prorſus ignorare ſe, & nullam de qua loquimur habere de ſe notitiam, quæ profecto à Deo largitur gratis, & in ſpeculo cernitur conſcientiæ, atque ab iis, qui gratis iuſtificati ſunt, diligentiſsime cuſtoditur.

De duplici oculo carnis & rationis, atque de luce, ſolis videlicet & ſapientiæ. *Cap. IIII.*

DVplicem oculum in ſui creatione hominem percepiſſe, carnis (videlicet) & ſpiritus, id eſt, rationis, eorum, qui ſane intelligunt, dubitat nemo: hoc etiam atteſtante experientia, & manifeſta huius veritatis inſpectione. Carnis nanque oculum ideo accepit homo vt corporales & ſenſibiles inſpiceret creaturas: rationis vero, vt videret ſe: vterque autem oculus neceſſe eſt, vt perfundatur luce, quatenus valeat exercere ſe ad illum finem, ad quem inſtitutus exiſtit. Cæterum quemadmodum rationis oculo noſcitur eſſe præſtãtior; ita & lux, qua illuſtratur rationis intuitus, incomparabiliter & ſupra modum eminet ſuper lucem, qua carnalis irradiatur aſpectu. Lux ſiquidem, qua mediãte corporales diſcernuntur ſpecies, & humanum delectant aſpectum, à ſolis hauritur ſplendore, veritates autem, quas ſpiritus rationalis intelligit, ab ipſius æternæ ſapientiæ & verbi fonte emanant. Verum ſicut ſolari deficiente luce, & ad occaſum ſuum poſita imminet noctis caligo, & tenebreſcunt oculi, atque obiecta illis corpora quamuis in ſe ſint pulchra, quanquam ſint in ſe coruſca, amœna, & placida: minime tamen eorum qualitates, eorumque varietates percipiuntur & formæ; æque non ſe rationali creaturæ communicã-te ſapientia ipſa, per abrupta vitiorum errat, ignorantiæ inuoluitur tenebris, in diſcernendo claudicat, fallitur in iudicando, & in deliberãdo decipitur. Oculus carnis vt appoſita ſibi, qualia ſint, videat, neceſſe eſt vt ſit ſanus, careat albugine, puluere nõ fœdetur, nec pariete, aut aliquo occupetur obice, ſed expeditus, liber, & abſque vlla macula pari modo vt rationis oculus veritatis luce ſit capax, à morbo lethalis culpæ debet eſſe immunis, à carnalis opere voluptatis alienus, à terrenarum actionum turbinibus ſequeſtratus, & ab omni prorſus malignitatis cogitatione ſemotus. Solis quippe lux quũ a cæteris corporis ſenſibus ſit omnino extranea, oculis tamen carnalib. eſt capabilis, ſapientiæ verò lumen rationis oculo ſolum eſt capabilis, ſapientiæ verò lumen rationis oculo ſolum eſt perceptibile. Lętificat plurimum aſpectum corporeum ſolaris claritas, tanquam illi prorſus neceſſaria: quoniam illum naturali priuat vſu, & innato hominem videndi facit carere ſolatio: Tob. 5 dicẽte Tobia cæco & ſancto: Quale gaudium eſſe mihi poteſt, quum in tenebris ſedeam, & lumen cæli non videam? Verùm ſi a rationali oculo ſapientia longe ſit, infatuatur vtiq; homo, & a ſuo degenerat principio, atque a proprio aberrat fine. Aſpicere non valet oculus, nec etiam ſibi præſentia diſcernere, ſi non aperiatur & conſenſus interueniat voluntatis. Pari modo rationalis oculus ſpiritualis lucis nequaquam eſt capax, niſi per liberi conſenſum arbitrii ſe offerat ſeque ſubiiciat. Stat ſol viſibilis dũ oritur, in propatulo, & lucem ſuam per orbem vniuerſum diffundit, & in ſingulos (quantum in ipſo eſt) ſuos immittit radios, completque omnes ſplendorib. qui eoſdem percipere volunt. De ipſa autem inuiſibili ſapientia, quid Sapiens dicat, audiamus: Prou. 1 Sapientia (inquit) foris prędicat, in plateis dat vocem ſuam, in capite turbarum clamitat, in foris portarum vrbis dat vocem ſuam dicens; Vſquequo paruuli diligitis infantiam, & ſtulti, quę ſunt ſibi noxia, cupiunt? Conuertimini ad correctionem meam. En proferam vobis ſpiritum meum, & oſtendam verba mea; quia vocaui, & renuiſtis extendi manum meam, & non fuit qui aſpiceret; deſpexiſtis omne conſilium meum, & increpationes meas neglexiſtis; ego quoque in interitu veſtro ridebo & ſubſannabo quũ vobis quod timebatis aduenerit, quum irruerit ſuper vos repentina calamitas, & interitus quaſi tempeſtas ingruerit: quando venerit ſuper vos tribulatio & anguſtia; tunc inuocabunt me, & non exaudiam: mane conſurgent, & nõ inuenient me, eo quòd exoſam habuerint diſciplinam, & detraxerint vniuerſæ correctioni meæ. In eodem quoq; volumine ipſa ſapientia oẽs ad ſe audiendũ & ſuſcipiendum exhortationis eloquia melliflua alio in loco promens ait: Nunc ergo filii audite me: beati qui Prou. 8 cuſtodiũt vias meas: audite diſciplinã & eſtote ſapien-

piētes, & nolite abiícere eā. Beatus vir, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & obſeruat ad poſtes oſtii mei: qui me inuenerit, inueniet vitā, & hauriet ſalutē à dño. Delectabilis eſt lux ſolis oculis carnis pro ſui ſplēdore atque decore ſed lōge delectabilior eſt ipſa ſapiētia, quæ cādor deſcribitur eſſe lucis æternæ, & ſpeculū ſine macula: ſplendor diuinæ maieſtatis, & imago bonitatis illius. Hinc ſole perhibetur eſſe ſpecioſior, & ſuper omnem pulchritudinem ſtellarum, atq; luci comparata inuenitur prior. De ſe quoque vt vniuerſos ad ſe diligendum alliciat, pronunciat dicens: Tranſite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis adimplemini: ſpiritus enim meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum: memoria mea in generatione ſeculorum. Qui edunt me, adhuc eſurient, & qui bibunt me, adhuc ſitient: qui audiunt me nō confundentur, & qui operantur in me, non peccabunt: qui elucidant me, vitam æternam habebunt. In ſole denique oculis carnalibus viſibili patent claritas, candor, & calor, & latēt virtutes quamplurimæ. In ipſa, de qua loquimur, ſapiētia, ſole vtique inuiſibili & æterno eſt ſpiritus intelligētiæ, ſanctus, vnicus, multiplex, ſubtilis, diſertus, mobilis, incoinquinatus, certus, ſuauis, amās bonum, acutus, qui nihil vetat benefacere, benignus, humanus, ſtabilis, ſecurus: omnem habens virtutem, omnia proſpiciens, & qui capiat omnes ſpiritus intelligibiles. Maxima profecto ſunt huius creati ſolis præconia, & effectus penè innumeri. Sapientiæ verò increatæ effectus & laudes quis humana valet explicare facundia, vel mente percipere? Doctrix eſt enim (ſicut legitur) diſciplinæ Dei, & electrix operum illius. Si diuitiæ appetuntur in vita, quid ſapientia locupletius, quæ omnia operatur? Si autem ſenſus operatur, quis horum, quæ ſunt, magis quàm illa, eſt artifex? Si iuſtitiam quis diligit, labores huius magnas habēt virtutes. Sobrietatem enim & ſapientiam docet, & iuſtitiam, & virtutem: quibus nihil vtilius eſt in vita hominibus. Et ſi multitudinem ſcientiæ deſiderat quis, ſcit præterita, & de futuris æſtimat, ſcit verſutias ſermonum, & diſſolutiones argumentorum, ſigna & monſtra ſcit antequā fiāt, & euentus temporum & ſeculorum. Vterque quippe oculus, carnis (videlicet) & ſpiritus quamuis in ſe alter plurimum diſtet ab altero, conditi tamen ſunt, vt ſibi inuicem famulentur, & Deū ſuo modo vterque glorificet. Nā ſicut ipſe Deus eſt principium per quod, ita & finis, ad quem facta ſunt omnia. Quamobrem meritò plectendus eſt æterno ſupplicio, qui percepto abutitur beneficio, & inde ſuum offendit largitorem, vnde ipſum humiliter laudare debuerat. Sane carnalis oculus ideo prærogatus homini, vt rationali deſeruiat, & eidem ad cognoſcendum Deum, intelligendumque inuiſibilia ſe inſtrumētum exhibeat: hoc Paulo atteſtāte, qui ait: Inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque virtus eius atque diuinitas. Quoties igitur homo reiecto rationis gubernaculo, et clauſo ſpirituali obtuto reflectitur ad ea, quæ foris ſunt per aſpectum carnis, vt ex ipſis voluptatis captet illecebras, & delinquendi oblectamenta requirat, toties contra ſui legē agit authoris. Non enim vt concupiſcantur tantus fulgor, tantus odor, tantuſque in creaturis eſt inſitus decor, ſed vt per ipſas cognoſcatur, & laudetur ille, qui fecit eas. Nam latitudo firmamēti, rutilatio ſtellarum, ſolis claritas, lunæ ſplēdor, elementorum ſpecies, volatilium genera, & in aere eorum diſcurſus, necnō innumerabiles piſciū qualitates, quæ per fluminum & æquoris natant aquas, quadrupedia, reptilia, & iumentorum tam variæ formæ, quæ mouentur ſuper terram, fructiferæ pomorum arbores, quæ in temporibus ſuis diuerſos producunt fructus, ſuaues guſtui, aſpectui delectabiles, pulcherrimos in ſe, & odore fragrantes, herbarum virentes plantę, florum & olentia prata, roſarum liliorumque candentia germina, vinearum fœcundi palmites, aquarum fluctū, & fontium ſcaturientes riui, ex quibus terra irrigatur, vt madefacta fructificet, educatque ſingulorum generibus iumentorum, quæ mouētur, & viuunt ſuper eam, pabula & nutriméta, quibuſque eorum congrua, hominibus verò cibaria illis ad vſum præſtita, quid aliud vniuerſa, quæ memorata ſunt, ſuo modo clamant, quàm ſui laudē conditoris, qui eas propterea creauit, vt in illis cognoſcibilis appareret rationali ſpiritui per miniſterium carnalium oculorum, quorum aſpectu manuducitur ratio, & eruditur ad intelligentiam diuinæ potentię, ſapientiæ, bonitatiſque tanquā in pulcerrimo ac peclariſſimo ſpeculo, necnon in ſpirituali libro digito Dei conſcripto? Inſinuant namque ſe intuentibus imbuiſſe principium, nō quidem à ſeipſis, ſed ab illo, qui eſt ſine principio, imò omnium creaturarum principium, origo, & cauſa, de quo legitur: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Nam quicquid fulget in cęlo, viuit in terra, mouetur in aquis, & habet eſſe in ſe, per verbum Dei & Dei ſapientiam facta ſunt, quemadmodum ore propheticō dicitur: Quàm magnificata ſunt opera tua domine, omnia in ſapientia feciſti, impleta eſt terra poſſeſſione tua. Meritò igitur vniuerſa, quę ſunt, ſui poteſtatem, ſapientiam, & bonitatem atteſtantur authoris, eiuſque famulantur imperio, qui eadem fecit quando voluit, & qualia ſibi cōplacuit, non otioſe, non inaniter, nec ſine cauſa. Exercet namque intellectum per viſibiles creaturas, & de inuiſibilibus inſtruit eum (mediante tamen fide) quę eſt ſperandarum ſub-

Sapien.7. Eccleſ.24 Rom.1. Pſal.110. & 103 Hebr.11.

ſubſtantia rerum, & argumentum non apparentium.

Quantis quibuſque mediis Dei ſapientia reuocet hominem ad ſeipſum, vt cognoſcat ſe.
Cap. V.

IAcentē quempiā infirmū vel debilē, & in terra proſtratū, qui ſe nullatenus per ſeipſū poſſit erigere, ſiquis humanitatis cauſa ſuppoſita manu eleuare ſatageret, pietatis ac religioſitatis proculdubio eſſet dignus præconio, tāquā verus Dei cultor, & fraternæ ſalutis amator. Nihil enim tam pium, tamque religioſum eſt, quam proximum ſuum pro Chriſto ſicut ſeipſum diligere, illi in neceſſitatibus ſuis miniſtrare, ſolatiū mutuæ conuerſationis, cohabitationis & exhortationis eidem impendere, atque fratris incōmoda, infirmitates, dolores, & damna vti propria exiſtimare. Hoc antiqua lex præcipit, hoc nouę legiſlator verbo docuit, opereque perfecit. Ipſe namque hominem ſemineçem (humanum videlicet genus) à latronibus vulneratum, iacentem, Luc. 10. & omni ſuffragio deſtitutum reperit, medelam vini & olei vulneribus eius exhibuit, ſuper proprios humeros tulit, ſtabulario vt curam illius gereret, mandauit, & ſi quid ſupererogaret pro ægroti ſoſpitate, eidem reſtituere ſpopondit. Ipſe (inquā) Dei & hominum mediator homo Chriſtus Ieſus dū in carne eſſet paſſibili, lāguido homini miniſtrauit, corporis & ſanguinis ſui alimēta præbuit, dolores illius tulit, lāguores portauit, pro eo lacrymas fudit, orauit frequenter, pernoctauit iugiter, quàm ſæpe ingemuit, debita ſoluit, & ne in perpetuum moreretur, ipſe in crucis patibulo ſponte occubuit. Hoc nāque quamdiu eſt peregrinatus in mundo, præ pietatis & amoris magnitudine, pro homine egit in corpore, nunc verò in ſpiritu quid pro eodem operetur, aduertite. Stat quidem (ſicut ipſe teſtatur) ad cordis oſtium, frequentiſsime pulſat, vt illi aperiatur, ſuā cupiens exhibere notitiam. Veritatis quoque lucē nequaquā ceſſat infundere, nūc palā per creaturarū ſpeculū, & oracula ſcripturarū, nūc in ſpiritu per miniſterium angelorum, & fidei claritatem, quatenus ex his mediis ipſum reuocet ad ſeipſum, aſſueſcatque habitare ſecum, & cognoſcere ſe, atque per ſe, & in ſe trahat ad ſe, & copulet ſibi. Nouit enim ipſa artifex & doctrix ſapientia, quot diuerſarum tentationū foris perſtrepēt bella, quot intellectualium beſtiarum rugientium ac ſæuientium diſcurrant agmina, quot concupiſcētiarum carnis, & oculorum elationis in hac vaſta, deſolata & ſterili huius ſeculi ſolitudine ad decipiendas animas tenſi ſint laquei, necnon quā cæcus, infirmus, & nudus idē homo ſit, facilis ac pronus ad caſum, atq; quàm innumeri ſine timore, ſine prudētia, ſine ſui cognitione, & abſq; humilitatis virtute quotidie in immaniū labātur foueā delictorum. Nouit (inquam) omnes hos aduerſarios quamuis ſint acerrimi in dimicando, in tentando ſeduli, in alliciendo blandi, & in perimendo concordes, minime autem poſſe vim facere, delectationem inducere, & ad peccati conſenſum nolentem trahere. Valēt vtique à Deo permiſsi concupiſcibilia quæque imaginationi offerre, & decoras ſpecies corā illo formare, quatenus per eaſdem concupiſcentiam accendāt, euertant rationem, & ſuperent volūtatem, in qua liberi collocata eſt ſedes arbitrii, virtutum ac vitiorum finis, vitæ & mortis ianua, promerendi ac demerēdi lex, Deoque placendi vel diſplicendi indicta facultas. Hinc patet perſpicue, quòd nemo mortaliter peccat inuitus, nulluſque niſi volens inimicorum ſuorum ſpiritualium ſeruus efficitur. Aequus enim arbiter Deus viriliter certantibus proponit victoriæ palmam, & pro ſuo amore aduerſus obiectas voluptates, & hoſtium inſidias inſatiabiliter dimicantibus promittit cœlorū regnū, ęternęque felicitatis gloriam pollicetur, vt volūtarium eidem exhibeant famulatum, è regione autem deſidioſis, meticuloſis, fornicariis, ſeculi amatoribus, & voluntarie delinquentibus ſtagnū ignis & ſulphuris aduerſariis poteſtatibus paratū ſe daturum comminatus eſt. Spondet profectò præmia maxima, vt ad opus bonum & virtutum ſtudia ſuos euigilet: ſupplicia verò ſempiterna commemorat, quatenus peccatores & in ſe credentes à malo coerceat. Vult enim totius bonitatis dominus infirmum hominem mortalis corporis pondere grauatum, iacentemque erigere, illuminare, allicere, terrere, vt redeat ad cor, inſpiciat ſe, atque intelligat extra ſe nil eſſe tutum, nihilque liberum, ſed cuncta eſſe laqueis plena, ſolicitudinibus referta, vallata tribulationibus, permiſta ſcandalis, pacemque eandem non niſi in ſe poſſe percipere. Nam quamdiu vagatur extra ſe, tentatur, turbatur, decipitur, impellitur, deprædatur, vulneratur. Cæterum quum ad ſe tranquilla mente reuertitur, agnoſcit ſe eſſe infirmum, cæcum, egenum, & nudum more adoleſcentis filii petulantis & prodigi, qui conſumpto patrimonio & fame confectus in ſe reuerſus proprium humiliter agnouit errorem. Nemo plane niſi quum veraciter redit ad ſe, valet ſufficienter intelligere qualia ſint quæ foris ſunt, ſed neque ſe. Poteſt vtique homo per ſenſus carnis ſonoras percipere organorum voces, formas rerum, odorum fragrātias, ciborum qualitates, corporumque mollities, quod quidem cætera valent animantia, nequaquam autem intelligere, neque de eiſdem recte iudicare, niſi per ſe in ſe. In ſe quippe viget ratio præſidet intellectus, pollet conſilium. In ſe ipſe, homo veritatis illuſtratur radiis, & ſapientiæ contubernio dignus efficitur. In ſe paracleti eruditur magiſterio, diuinorum eloquiorum ſacramēta rimatur, & cęleſtium gaudiorum arcana perluſtrat.

ſtrat. In ſe (inquam) & per ſe cognoſcit ſe. Qua profecto cognitione nil melius, nil vtilius, nil ſecurius, nil excellentius, nihilque in ſui conditoris donis æſtimandum eſt charius. Quid (oro) prodeſt ſcire curſus ſyderum, herbarum vires, vim ventorum, ſpecies iumentorum, naturæ ſecreta, & ignorare ſe? Horum quidem ſcientia inflat, ſed ſui met ædificat, primum ſe, deinde cæteros. Valet vtique quæ inflat ſcientia alios instruere, & multa quæ ab indoctis ignorantur, reſerare. Sed

Mat. 6

(perhibente magiſtro cæleſti) quid prodeſt homini, ſi per elationem cordis vniuerſum mundum lucretur, animæ verò ſuæ detrimentum patiatur? Non nobis præcipitur, vt propria ſalute neglecta alios ſaluare docendo ſtudeamus, ſed proximum ſicut nos iubemur diligere, Prius nos, deinde proximum amare debemus, pariter & inſtruere. Nã his qui alios erudiunt, & ſe bene viuendo nõ cor

Psal 49

rigunt, audi quid Propheta loquatur: Peccatori (inquit) dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuũ? Tu verò odiſti diſciplinam, & projeciſti ſermones meos retrorſum. Exiſtimaſti inique quòd ero tui ſimilis, arguam te, & ſtatuam contra faciẽ tuam. Non damnat diuinus ſermo ſcientiam, ſed ſcientem & docentem corripit, qui ſe contẽpto & inſcio cæteros erudire præſumit. Laudabilis eſt ſcientia, & omnino neceſſaria ad ſeruandam iuſtitiam, ad componendum mores, ad erudiendos ignaros, ad corroborandum & dirigendum conſcientiam, de Dei dono proueniens, Deum inſinuans, rationem informans, illuminans intellectum, & de ſeipſo ſe neſcienti notitiam præbẽs. Cæterum quanto in ſeipſa commendabilior eſt ſcientia, & neſcientibus vtilior, tanto ea male vtẽtibus, illamque peruerſe interpretantibus, & prauis moribus dehoneſtantibus, atque per eandẽ non recte agnoſcentibus intelligitur eſſe perniciosior; quoniam ipſius teſtimonio conuincuntur, ipſiusque iudicio rei efficiuntur. Iudæis ſola ſcientia gloriantibus Apoſtolum Paulum audia-

Rom. 2

mus, quid dicat: Si tu Iudæus cognominaris, & requieſcis in lege, & gloriaris in Deo, & noſti voluntatem eius, & probas vtiliora, inſtructus per legem confidis teipſum ducem eſſe cæcorum, lumen eorum, qui in tenebris ſunt, eruditorem inſipientium, magiſtrum infantium, habentem formam ſcientiæ & veritatis in lege. Qui ergo alium doces, teipſum non doces, Qui prædicas non furandum, furaris. Qui dicis non mœchandum, mœcharis. Qui abominaris idola, ſacrilegium facis. Qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras. Nomen enim Dei per vos blaſphematur inter gentes: ſicut ſcriptum eſt. Diſcat itaque quiſque ſcire, ſed prius ſe, quamuis non ad plenum, ad neceſſitatem tamen. Neceſſitatis illã dixerim ſui cognitionem eſſe, quæ cohibet à peccato, peccantem compungit, Dei timorem ingerit, peccati diſpicentiam parit, facit abominari vitia, & vniuerſa pro poſſe fugere, quæ ſunt in lege Dei prohibita. Hoc eſt donum Dei ſingulare, iuſtificans impium, gratum faciens Deo, formans conſcientiam, de ſe homini notitiam tribuens, ſalutis immittens ſpem, & humilitatis virtutem ædificans. Hæc vtique de qua in medium ductus eſt ſermo, ſui cognitio neceſſitatis, quamuis ex diuina proueniat gratia, nec ad libitum, neque haberi poteſt ad plenum. Niſi enim infundantur ſapiẽtiæ lumen, & cooperetur gratia, quis valet cogitã do cordis ſui occulta rimari? quum Paulus dicat:

2.Cor. 3

Non poſſumus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Si enim ex Deo nequaquam pro libito habetur, verùm neque ad plenum, quis (oro) eſt tantæ ſubtilitatis, tãtæque exercitationis, vt abſque interuallo, & ſine vlla mentis euagatione in ſui cordis valeat vigilare cuſtodia, intelligatque cogitationum ſuarũ immiſsiones, qualitates & cauſas, ex quibus propriæ cognitionis perfectio tota ſubſiſtit? Solus quippe Deus cogitationum, intentionum, & affectionum humani cordis ſcrutator eſt verus, induſbius cognitor, & redditor iuſtus. Non enim pro arbitrio noſtro aut æſtimatione dijudicat nos, ſed in æquitate occulta noſtra veritatis ſuæ producit ad lucem, noſque nobis interdum inſinuare dignatur. Quamobrem ſi qualemcunque de nobis cupimus habere notitiam, ſolerter ſtudeamus redire ad nos, & habitare nobiſcũ, quatenus valeamus agnoſcere, quid verſetur in nobis, quales cogitationes, qualeſque noſtræ ſint affectiones, quibus pulſemur tentationibus, quibus paſſionibus perturbemur, quibusve inſpirationibus promoueamur. Horum ſiquidem niſi irradiante rationẽ ſapientia, ni cooperante gratia, niſi per ſpiritum prudentiæ dono infuſo, necnon mens didicerit habitare ſecum, ſufficienter non poterimus habere notitiam. Hæc quippe ſunt, quibus humilitatis iacitur fundamentum, opus dirigitur, atque Deo donante perficitur.

Quòd exempla negociatorum rerum temporalium, virtutum ac humilitatis amatores in ſui debent cordis exercitatione, cognitione atque cuſtodia ſemper inſiſtere. Cap. VI.

PRudentium negociatorum temporalium rerum, hoc eſt proprium, infatigabili cura ſecum in cordis ſecreto prius, quàm ad exteriorem deueniant actum, ſua tractare negocia. Impellente quidem cupiditate aggregandi diuitias ſæpe cogitant, quanta, qualiave ſint bona quæ poſsident, quomodo aut quibus argumentis valeant, quæ habent, vẽdere, emere, quæ non habent, & ſemper lucri cauſa. Circa hoc multiplicant cogitationes, accenduntur deſideriis, partem noctis in ſomnem ducũt, in die huc illuc diſcurrunt, ſupputant tempora, mente peragũt

prouincias, obuiant periculis obiectis, atque ſedula intētione inutilia ſecum gerunt certamina. Ordinant quæ agenda ſunt, & quæ facta ſunt, vt indelebiliter recondant memoriæ, & reuiſere valeant, calamo ſcribunt. Nemo prorſus explicare ſufficit eorum cogitatus, inordinatos affectus, anxietates plurimas, occupationeſque innumeras. Obliuiſcuntur ſui, & penè ſalutis propriæ efficiūtur immemores præ nimio amore terrenarum facultatum, quas, velint nolint, relicturi ſunt poſteris. Iſtorum itaque diligentiam ac ſtudium, etſi nequeunt ſuperare, ſaltem imitari conentur negociatores commerciorum ſpiritualium, zelatoreſque virtutum, & potiſsimum humilitatis ſanctæ amatores, quibus ineſſe debet ſolicitudo maxima inhabitare ſecum, & ſuper cordis ſui vigilare cuſtodia, indeque depellere noxia & vtilia cuſtodire, reſecare ſuperflua & ingerere neceſſaria, terrena reſpuere & aduocare cæleſtia. In corde nanque cum ſæpe immiſsiones fiant per angelos malos; ſicut de domini proditore legitur: cum diabolus miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Scariotis: ab ipſo quoque cogitationum

Ioan. 13.

fallaciæ plurimæ, vt illud euertere valeant. Nonnunquam etiam in lucis ſe transferunt angelos malum occultādo ſub ſpecie boni, vitiaque ſub virtutum velamine inſinuando. Opus eſt ad diſcernendum talia gratia Dei, atque diſcretione non modica. Nolite (inquit Apoſtolus) omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi à Deo ſunt.

1. Ioan. 4.
1 Pet 4.

Et Petrus: Nolite (ait) peregrinari in feruore ſpiritus, qui vobis ad tentationem fit. Quamobrem recte colligitur, quòd ille, qui facile credit, frequenter labitur, ſeducitur ſæpe, & caret prudentia: quę vtique debet in cordis reſidere cathedra & cordi adhibere cuſtodem, qui neminem (ſi poſſibile eſt) abſque conſenſu prudentiæ introire patiatur. Cæterum cum difficillimum ſit cogitationum inſultus à cordis oſtio pro libito abigere, earumque importuna interdum non ferre certamina, opportunū eſt valde, vt apud ſe quiſque Deo placere cupiens inuigilet, & intelligere conetur ipſarum qualitates, originem, autoremque. Nā cogitationes aliquando initium habent à Deo, quandoque à diabolo, nonnunquam à nobis per corporaliū ſenſuum inſtrumenta percepta, quæ interdum bonę, & ſæpe ſunt malæ. A Deo ſiquidem nunc per ſeipſum, nunc per angelorum miniſteriū ſuggeſtiones fiunt optimæ, & inſpirationes ſanctæ promouentes ad bonū, rationi ſēper vtilia, & proficua ſuadentes, atque rationem ipsā allicientes ad cognitionem boni, delectationē, atque conſenſum. His quippe dum ratio aſſenſū voluntarium præbet, exhibet mentem templum Dei: paracleti domum, & æternæ habitaculū ſapientiæ, quemadmodum per Sapientem ipſa teſtatur: Ego (inquit ſapientia) habito in conſilio: & eruditis interſum cogitationibus.

Pro. 8.

Si vero inſatuetur cor, & ſe deſerens, verbique relinquens magiſteriū, meditetur vana, pernicioſa cogitet, ſecūq; terrena & voluptuoſa pertractet, proculdubio amittit gratiā, repellit ſapientiam, & contubernio paracleti ſe facit indignum. Sic enim legitur: Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictū, & auferet ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu.

Sap. 1.
2 Cor. 6

Nec mirum. Quæ enim (vt ait Apoſtolus) participatio iuſtitiæ cum iniquitate? aut quæ conuētio Chriſti ad Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? quis autem conſenſus templo Dei cum idolis? Vos enim eſtis templum Dei viui, ſicut dixit dominus, quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo, & ero illorum Deus, & ipſi erunt mihi populus. Quamobrem omnis eſt adhibenda diligētia, quoties Dei ſapientia lucis ſuæ ſplēdore, ſuaque ſpirituali preſētia rationale cordis noſtri replet, cogitationes format, & affectum inflammat vt ipſa nobiſcum habitet, nos poſsideat, nos inſtruat, noſq; cuſtodiat. Niſi enim ipſa prius deſeratur à nobis, ſi non vilis aut faſtidioſa habeatur eius pręſentia, ſeu intumeſcat cor, vel ad exteriora pereffluat, minime ipſa recedit: quippe cū eſſe cum filiis hominum ſuas dicat eſſe delicias. Nam etſi interdum à corde ipſa prius ſe abſentare videatur, nequaquam tamen id agit, vt deſerat. Probat quidem, eruditq; illud: vt ſe agnoſcat verius, diligentiusque cuſtodiat, necnon vt dona, quę ante ſe habere ſentiebat, & amiſit, eadem quęrat ſolicitius, & cum inuenerit teneat fortius, diligat ardentius, ac ſuauius amplexetur. Siue ergo ſapiētia Dei dignetur per deuotionis guſtum, veritatis notitiam, atque ſpiritualem allocutionem ſuā inſinuare pręſentiam, ſeu ſe ſubtrahendo ad horam dereliquiſſe videatur, ſemper facit, vt proſit. Nunc enim ad compunctionem promouet, nūc prorumpere facit in lachrymas, interdum replet exultatione & gaudio, atq; in gratiarum excitat actiones. Nonnunquam etiam inſueto cor cęleſtium promiſsionum perfundit lumine, eleuatq; ab imis & collocat in excelſis. Aliquando vero in tanto iubilationis tripudio affectum rapit, vt ſe cor continere nō valeat, quin amatoria promat carmina, cantica eructet ſpiritualia, ſponſi melliſluum ingeminet nomen, ſponſum amplectatur in corde, necnon in his caſtiſsimi amoris pręludiis, effuſis lachrymis, emiſſiſque gemitibus laudis quoque prorumpat in voces. Ineffabilia prorſus ſunt & veneratione digniſsima ea, quę Dei ſapientia humilium, & ſecum habitantium, ſeque cuſtodientium operatur in cordibus, non pro arbitrio volentium, aut currētium, ſed ſolius ipſius miſerentis, quę quando vult, quomodo illi placet, & quibus ipſa dignatur eligere, ſe communicat, ſe tractabilem & gratam facit, nullum obſeruans tempus, nullo circunſcripta modo, nullius coacta meritis, nullaque lege compulſa. Pro ſuo quippe beneplacito imperat vt Deus, terretve vt domi-

dominus, docet vt magiſter, cohabitat vt frater, nutrit vt mater, protegit vt cuſtos, hortatur vt pater, blanditur vt amicus, amplexatur vt ſponſus, illuſtrat vt veritas, præuenit vt bonitas, ſe manifeſtat vt lux, loquitur vt verbum, dulcorat vt ſapientia, ſalutemque præſtat vt vita. Nemo (vt arbitror) niſi ſit imbutus ab illa, illiusque ſpirituali ſit alligatus connubio, horum, quæ dicta ſunt, valet myſteria arcana perſtringere, voces, affectuſ-
1. Cor. 2. que ipſius agnoſcere, acceſſus & receſſus eius cauſas rimari. Ad hoc intelligendum quanta opus ſit gratia, quàm neceſſaria ſit prudentia, & quàm opportunum ſit non vagari extrinſecus, ſed habitare ſecum, qui legit intelligat. Nam (perhibente Apoſtolo 1. animalis homo non percipit ea, quę Dei ſunt: ſpiritualis tantum homo, qui diiudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur, in quo habitat Chriſtus, per ſpiritum ſcrutatur etiam profunda Dei: nouitque diſcernere, nedum quæ à Deo donata ſunt ei, verumetiam Satanæ non ignorat aſtutias. Ipſe nanque tortuoſus coluber nouas meditatur fraudes, inſuetaſque parat inſidias, nunc fugam ſimulando, nunc mulcendo leniter, nunc vera dicendo: interdum quoque minas infert, atque tetras & horridas ingerit ſpecies, verba interſerendo blaſphemiæ. Sæpiſsime etiam ſe in angelum transfigurat lucis, malumque ſub tegumēto boni perſuadens, vt neophitorum & puſillorū euertat animum. Deceptionis nonnunquam laqueos tendit, & tenebras (quātum illi fas eſt) cordi infundit, atque rationali oculo obicem conatur immittere, ne a ſpiritualibus viris ipſius dete-
pro. 2. gantur argumenta, præſtigiaque ſoluantur, ſed (iuxta ſapientis ſententiam) fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum, eorum (videlicet) qui habitantes ſecum ſupra ſui cordis vigilant cuſtodiam, pro poſſe negocia exteriora deuitant, proximorum conuerſationem fugiunt, interiora diiudicant, ſpiritualia cogitant, & contemplantur cæ-
Tren 3. leſtia. Horū profecto perſonas & ſtudia Propheta ſignificauit dicens: Sedebit ſolitarius, & tacebit, quia leuabit ſe ſupra ſe. Leuant vtique de quibus loquimur, ſolitarii ſedentes & tacentes ſe ſupra ſe non per elationem & mentis tumorem ſicut ille, qui dixit in corde ſuo: Sedebo in monte teſtamenti in lateribus Aquilonis, ſuper aſtra cæli exaltabo ſolium meum, ſimilis ero altiſsimo, ſed per cordis munditiam, orationis frequētiam, meditationis ſtudium, deuotionis guſtum, atque deſiderium æternorum, eò ſublimius, eoque ſecurius, quò ſedent quietius, orant ardentius, viſitātur crebrius, rapiuntur dulcius, ſeque agnoſcendo cuſtodiunt arctius. Talibus ſiquidem exercitiis occupati vt turris efficiuntur Dauid, ædificata cum propugnaculis, ex qua mille pendent clypei, omnis armatura fortium. Merito tanquā tur-
Cant. 4. ris Dauid perhibetur eſſe mens eorū, qui introrſus intra cordis ſecreta reſidentes, & ſe ſupra ſe frequenter erigentes, ſemperque retroſe aſpiciētes, atque mundantes, etiam ad ſenſuum corporalium ianuas, ſpirituales excubias ponunt pro ipſius tuitione atque defenſione, neminem aduerſariorum introire patientes, qui valeant eius puritatem corrumpere, obnubilare lumen, intētionē euertere, deprauare ſenſum, & voluptuoſas, perniciosaſque ſuggeſtiones ingerere. Sepiunt ſiquidem aures ſuas, & firmiſsimis diuini timoris obſtruunt ſeris, ne detractionum & obſcœnatum voluptatum ac blaſphemiarum horribilium, ſeculariumque fabularum per eaſdem audiant verba, & commaculetur cordis eorū puritas, repleaturque phantaſmatibus impudicis & cogitationibus immundis. Oculis quoque apponunt cuſtodiam, ne ſpecies intueantur, quæ ad concupiſcendum eas emolliant animum, pudicitiæ virtute decoratum. Memores quippe ſunt dominici ſermonis dicentis: Qui viderit mulierem ad concupi- Matt. 5.
ſcendum eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo. Sunt enim aures, oculi, & ſenſus cæteri ianuæ, per quas niſi diligentiſsime obſeruentur, ad animam ſpiritualis ingreditur mors, quod pene innumerabilium exemplis, qui diuina ſunt trāſgreſsi pręcepta, necnon multarum probari poteſt autoritatibus ſcripturarum, quas breuitatis cauſa prætereo, cum etiam eruditis & intelligentibus viris noſcātur eſſe notiſsima. Has profecto ianuas, quicunque ſub diſcretionis cenſura coercet, tentationes plurimas abigit, interioris hominis tenet munditiam, affectu ſepiſsime eleuatur in Deum, delectabiliter vacat ſibi, & cordis ſui cogitatus conſcientiæ contuetur in ſpeculo. In corde nanque bonæ in eodem originem cogitationes habent, & malæ. Porrò quemadmodum bonus homo de theſauro ſuo profert bona & malus mala: æque de cordis arcano cenſendum eſſe non ambigo. Cor quippe, in quo habitat Deus, ſapientia reclinat, infuſa eſt charitas, fides viget, nutritur ſpes, cæteræque ſunt radicatæ virtutes, cogitationes proculdubio ex ſe parit bonas, deſideria ignita, cōſilia vera, affectus pios, gemitus humiles, atque deuotionis dulcia vota. Hoc propheta præcipuus exprimere voluit dicens: Quoniam cogita- pſal. 75.
tio hominis confitebitur tibi, & reliquię cogitationis diem feſtum agent tibi. Hoc idem indicauit ſapiens, quando ait: Mens iuſti tanquam iuge pro. 15.
conuiuium, in quo (videlicet) conuiuio diuinorū eloquiorum deguſtantur alimenta, inſtituta formantur moralia, ſacramenta contemplantur myſtica, virtutum meditantur magiſteria, redēptionis patefiunt myſteria, ſupernorum prelibantur gaudia, amoris promuntur cantica, pacis percipiuntur oſcula, primitię hauriuntur ſpiritus, idq; interdum ſentitur ex Dei munere, quod carnalis auris non valet percipere, aſpicere oculus, nec lingua diſerta fari, neque humanum guſtare palatū, quoniam ſpirituale eſt, pręcelſum, ineffabile, atque

que diuinum. In hoc (inquã) humilis mentis cõuiuio ò quàm ſæpe diſcumbere dignatur ſapientia, non vt ipſa alimenta in eo appoſita ſumat, ſed vt abſque ſui diminutione eroget, propria deliciis plena, nectareque referta, quarum vſu interni roborantur ſenſus, & ipſa mens renouatur de die in diem, creſcit, & proficit in virum perfectum, adeo vt eandem non ſicut prius ſecũdum carnem cognoſcat ſapientiam, ſed verbum in principio ſine initio de patre genitum, ipſi conſubſtantiale, coęternum, carne paſsibili indutum propter nos, quatenus ſuo nos mũdaret lauacro, cruore redimeret, morte ſaluaret. Huiuſmodi profecto ſunt quotidiana perfectorum virorum & humilium cor deſercula, eorum, ſcilicet, qui ambulant, in ſpiritu, qui ſpirituali verbi Dei effecti ſunt digni connubio, qui immemores eorum, quæ retro ſunt, ſe ad anteriora extendunt, & brauium proſequentes ſupernæ vocationis vt apprehendant in quo & apprehenſi ſunt, fiantque adhærentes ei vnum in vno per vnum. Impiorum autem & peccatorum conuiuia ab his ſunt longe diſsimilia. In eorum quippe mentibus obſcœnæ verſantur imagines, voluptuoſa & carnalia pullulant deſideria, temporalium rerum inordinatus viget affectus, cogitationes malæ generãtur, blaſphemiæ, odia, æmulationes, ex quibus profecto fiunt homicidia, fornicationes, detractiones, rixæ, contentiones & his ſimilia, quæ in interitũ præcipitant ſempiternum. Vniuerſa prorſus hæc aliena ſunt ab iis, qui ſecum habitãt, & cordis ſui innocentiæ ac puritati inſiſtunt. Vigilant enim, diſcutiũt, formidant, pugnant, abiiciunt pernicioſas, noxias, & inutiles cogitationes procul, cũ oriuntur in corde, ne Dei templum maculent, & faciant ipſum eſſe pollutum Prophetam imitantes, qui myſtice de ſe loquitur dicens: In matutino interficiebam omnes peccatores terræ, vt diſperderem de ciuitate domini omnes operantes iniquitatem. *Pſal. 118.* Sciunt namque eadem etiam ex parua morula allicere animam ad delectationem carnis, conſenſumq; peccati, atque ex inde maxima cum difficultate poſſe diuelli, vt non prorumpat ad actum, ex quo animæ mors ipſa ſubſequitur. Hunc delinquẽdi progreſſum Apoſtolus Iacob. *Iacob. 1.* indicauit inquiens: Nemo enim cum tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur. Deus enim intentator malorum eſt, ipſe autem neminem tentat. Vnuſquiſq; tentatur à concupiſcentia ſua abſtractus & illectus. Deinde cũ cõcupiſcentia cõceperit, parit peccatũ, peccatũ verò cũ conſummatũ fuerit, generat mortẽ. Spirituales itaque, de quibus loquimur, viri tanquam munditiæ zelatores, amatores virtutum, & ſtrenuiſsimi bellatores obſeruant ſuarum primordia cogitationum, vt intelligant earum qualitates & cauſas, quatenus totum peccati corpus in ſuo ortu tenerrimum ſpiritualis diſciplinæ mucrone transfodiant prius, quàm adoleſcat, & ad maturam delinquẽdi proueh atur ætatem. Hęc itaque eſt diſcernendarum cogitationum regula, hæc (inquam) eſt ad ſe cognoſcendum compendioſa formula, vt vnuſquiſque ab exterioribus (quantum fas eſt) feriatus negociis maneat apud ſe, & veluti iudex in cathedra ſedens, omni qua valet, prudentia agnoſcere ſtudeat, quales ſint cordis ſui cogitationes, quales ſuggeſtiones, qui inſultus, & a quibus qualeſve affectiones. Nam qui hęc diiudicare ignorat, prorſus vera ſui caret notitia, nec poteſt ad plenum ac ſufficienter purgare ſe euellere vitia, deſtituere aduerſariorũ machinamẽta, conſuetudines malas diſsipare, & noxia a corde deſideria diſperdere, virtutes verò ædificare atq; plãtare. Cũ .n. virtutes & vitia ſimul nequeant ſtare, quemadmodũ lux & tenebræ, amarũ & dulce, ſanitas & infirmitas, mors & vita, neceſſe eſt, vt quicunque cupit poſsidere virtutes, prius vitia ſuperet, & vſum eorũ a ſe repellat: quod (videlicet) nequaquam fieri valet, ſi ambarũ deſit experientia pariter & ſcientia. In incertum profecto currit, & aerem verberat, qui deſudat in adeptione virtutũ, & non aſsueſcit habitare ſecum. Sicut enim omnis gloria filię regis abĩtus per prophetã eſſe perhibetur, *Pſal. 44.* ita econtrario omnis deformitas, & confuſio filię Babylonis ab intus fore dubitet nemo. Quid (oro) pulchrius, quid glorioſius iuſti mẽte, in qua habitat Deus, abundat gratia, Dei elucet imago, & ſancti ſpiritus ſuauiter deguſtantur fructus, quos Apoſtolus commemorans ait: *Gal. 5.* Fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas? E regione quid fœdius, quidve contemptibilius corde peccatoris, in quo vtiq; mãſionem facit diabolus, dominantur vitia, concupiſcentiæ germinant, impudica ſcaturiunt deſideria, cogitationes peruerſæ exuberant, & opera nefaria peragi meditantur? Totum quod in eo eſt, obliquum eſt, terrenum, deordinatum, indecorum. *Luc. 8.* Et ſi interdũ conſcientia motus, ſiue gratia præuentus reddit ad ſe, & aliquid concipiat boni, cito euaneſcit, quoniam ſuffocatur a ſpinis, ſeu a cœli volucribus deuoratur, ſiue ſupra petram areſcit, quoniã radix charitatis in illo deeſt. Tanquam infructuoſa arbor floret quidem extrinſecus temporalium rerum ornata floribus, aut verborum foliis referta, intrinſecus autem coram Deo areſacta, & inutilis eſt præcidenda & flammis perpetuis concremanda. Ad hoc ideo venit, quia neglexit conſiderare ſe, & compunctionis ſarculo circa cor terram fodere, atque humilitatis pinguedinem in ipſius radice collocare. Hæc vtique humilitatis virtus eſt, quæ decorem præſtat animæ, fructum profert vitæ reſtituit hominem ſibi, necnon veram de ſe facit habere notitiam.

ſpiritualia in eo geruntur certamina, hebetatur intellectus,affectus frigeſcit,languet virtus,fides nutat, ciicitur animus, euigilant tentationes, & omne interioris hominis robur debilitatur,adeò vt à planta pedis vſque ad verticem capitis nulla in eo ſit ſanitas. Hoc Propheta conſiderans conſitendo domino infirmitatem ſuam ipſum deprecabatur dicens:Humiliatus ſum vſquequaque domine, viuifica me ſecundũ verbum tuum. Alibi quoque per quendam ſcriptum legitur:Humiliatio tua in medio tui. Non inquit humilitas tua, ſed ſignanter humiliatio tua, quatenus ſcias inter humiliationem & humilitatem plurimum diſtare. Nempe humilis quiſq; humiliatus eſt, nequaquã autem è diuerſo quilibet humilitatis eſt humilis. Humiliatio namque ex diuina interdum agitur diſpenſatione per ſe, aliquando verò per alios: nonnunquam ex perpetrati pœna peccati, nunc proprii, quandoque alieni. Non valet humani(vt arbitror)acumen ingenii, neque diſertiſſimus orator lingua explicare ad plenum vel calamo, quot modis, ſiue quibus ex cauſis permittente Deo humana in genere humiliata ſit ſpecies, & ſinguli particulariter quotidie humilientur. Quæuis aduerſitas, quæcunque infirmitas quælibet tentatio, ſiue à diabolo, ſiue à carne, ſeu irrogetur ab homine, omnis labor, omnis dolor, omnis mœror, omniſq; illata perſecutio humiliationis eſt cauſa. E multis exemplum vnum producã in medium, vt vera noſtra eſſe credatur aſſertio, quanquam ex propria quiſque poſsit erudiri experientia. Paulum apoſtolum quanta pertulerit incommoda, quibus humiliatus eſt, referentẽ audiamus: In laboribus, inquit, plurimis, in carceribus abundantius, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter: Ter virgis cæſus ſũ, ſemel lapidatus ſum, ter naufragium pertuli pro Chriſti nomine: Nocte & die in profundo maris fui, in itineribus ſæpe, periculis fluminum, periculis latronũ, periculis ex genere, periculis ex gẽtibus, periculis in ciuitate, periculis in ſolitudine, periculis in mari, periculis in falſis fratribus in labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & ſiti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate. De donis vero ſpiritualibus, & Dei reuelationibus, in quibus cæteris præeminebat, obſerua, quid dixerit: Ne magnitudo, ait, reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meę angelus Satanę, qui me colaphizet. Cæterum ſi, ne præ multitudine gratiarũ extolleretur Paulus, qui aiebat: Nihil mihi conſcius ſum, & gloria noſtra teſtimoniũ eſt cõſcientiæ noſtræ, & in quo habitabat ſpiritus ſanctus, & chariſmata exuberabãt ſpiritualia, & per quẽ Dei ſapiẽtia loquebatur, humiliationẽ ſuſtinuit carnis, & tentationũ certamina, quid de ſe cæteri arbitrari debeant, qui corpore corruptibili veſtiti patiuntur, velint nolint, in carne famem, ſitim, frigus, calorem, laſsitudines, ęgritudines, & vexationes maximas ex quotidianis occupationibus, & naturæ neceſsitatibus in mẽte verò ignorantiæ, infirmitatis & cõcupiſcentiæ aculeos perferunt? Qui legit, excogitet. Hæ ſiquidem innumeræ humiliationis materiæ, quæ partim ex primorum parentum pœna peccati, partim pro perpetratis ſceleribus, ſeu vitandis, partim autẽ pro exercitatione virtutũ vel meritorum additamento nobis eueniunt: Deo optime diſpenſante, noſtramque ſalutem miſericorditer procurãte efficiũtur proculdubio nobis valde proficua, ſi tamẽ æquanimiter & patienter eadem toleremus gratias agentes Deo & domino noſtro Ieſu Chriſto, qui mediantibus his aduerſis nos erudire ac humiliare dignatur. Hunc profectum ſpiritualem in ſeipſo perſenſerat Dauid, quando domino pſallendo dicebat: Bonum mihi, quia humiliaſti me, vt diſcam iuſtificationes tuas. Vere ex huiuſmodi humiliationibus mens iuſti nedum diſcit quam bonus, quàm pius, quàm miſericors, quàm ſapiens, & quàm potens ſit dominus, verumetiam quantum ipſe ſit noxius, quàm debilis, quàm vilis, quàm pauper, quàm pronus atq; propinquus ad caſum. Nempe ex ipſis congruentiſsime cognoſcit Deum, & cognoſcit ſe. Hanc ſpiritualem diſciplinam Apoſtolus didicerat, cum dicebat: Libenter igitur gloriabor in infirmitatib. meis, vt inhabitet in me virtus Chriſti. Et in alio loco ait: Propter hoc cum placeo mihi in neceſſitatibus meis, in plagis, in carceribus, in ſeditionibus pro Chriſto. Hæc profecto eſt perfectorũ conſummata virtus, non ſolum aduerſa multimode ac qualitercunque emergentia patienter ferre, ſed etiam cum gaudio, & mentis exultatione, atque gratiarum actione imperturbabiliter ſuſtinere, quod robuſtiſsimum militem, virumq; ſanctiſsimum beatum (videlicet) Iob egiſſe non ignoramus. Is quippe opulentiſsima à diabolo nudatus ſubſtantia, orbatus filiis, & à planta pedis vſq; ad verticẽ capitis vlcere percuſsus peſsimo, ſciſſa veſte, ac capite tõſus, pronus in terram corruens dominum adorauit, & benedixit dicẽs; Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ & nudus reuertar illuc: dominus dedit, dominus abſtulit, ſicut domino placuit, ita factum eſt: ſit nomen domini benedictum. Et intulit ſermo diuinus: In omnibus his non peccauit Iob labiis ſuis, neque ſtultum aliquid contra Deum locutus eſt. ¶ Saluberrima proſſus medicina diuinitus erogata ad animarũ profectum eſt humiliatio memorata, ob quam licet peccatores & iniqui ex ignorantiæ atque impatientiæ vitio deteriores ſiãt, perfecti tamẽ, & Deũ diligentes, ac timentes dietim de virtute aſcendunt in virtutem meritorumq; ſuorum non mediocriter aggregant cumulum. Hoc apoſtolus Paulus ſuo perhibuit teſtimonio dicens: Omnis diſciplina in pręſenti quidẽ non videtur eſſe gaudii, ſed mœroris, poſtea verò exercitatis

Pſal. 118. Mich. 6. 2. Cor. 11. 2. Cor. 12. 2. Cor. 4. Pſal. 118. 2. Cor. 6. Iob. 1. Heb. 12. Heb. 12.

per eam pacatiſsimum reddet fructū iuſtitiæ. Minus autem perfectis, & mandata diuina ſeruantibus, necnon pro adipiſcendis virtutibus adhuc deſudantibus, ipſa diſciplinę humiliatio eſt medicina quàm optima, dum interioris hominis deregit vulnera, ad ſimul facit eundem deuenire nouitianus, quæ ſanitatis intelligitur eſſe origo, atq; ad humilitatem acquirendam medium ſingulare.

Quibus modis quiſque valeat ad perfectionis alta conſcendere. Cap. VIII.

TEſte experientia didicimus neminem poſſe ad ſumma conſcendere, niſi per media congrua. Hoc in humanis negociis, hoc in philoſophiæ ſtudiis, hoc in virtutum certamine, hoc etiam in ſpiritualis patet diſciplina militiæ. Diſcurre ſingula, & verū reperies eſſe, quod dico. Quis cuiuſcunque operis artifex valet eſſe peritus ſine quotidiana occupatione eiuſdem? Quis, inquam, ſtrenuus bellatorum dux, aut liberalium artium doctor, ſeu ſpiritualis diſciplinę cōmendabilis magiſter efficitur abſque labore, ſolicitudine, doctore, atque prudentia? Hæc quippe ſingulis, quæ memorata ſunt, recte conueniunt. Laboribus vtiq; continuis exerceatur, & ſolicitudinis ſtimulis agitetur, pręceptoris imbuatur peritia, necnon prudentiæ munere decorari ſtudeat quiſquis in omni cuiuslibet conditionis opere deſiderat eſſe perfectus. Da delicatum virū, qui corpus nutriat, laborare perhorreſcat, & pati formidet, & talem percipies ſub puſillanimitatis iugo preſsū ſemper perſiſtere. Intuere quoque pigrum, & in Dei opere negligentem, & intelliges huiuſmodi in ſuis actionibus deficere, atque vitam ſuam in tēporali ac ſpirituali egeſtate

Prou. 24 finire iuxta Sapientis ſententiam, quæ ait: Per agrum pigri hominis tranſiui, & per vineam viri ſtulti, & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant ſuperficiem eius ſpinæ, & maceria lapidū deſtructa erat: quod cum vidiſsem, poſui in corde meo, & exemplo didici diſciplinam. Quamobrem pigrum redarguendo intulit dicens:

Prou. 6 Vſquequo piger dormies? vſquequo de ſomno reſurges? Parum (inquam) dormies, modicū dormitabis, pauxillum manus conſeres, vt quieſcas, & veniet tibi quaſi curſor egeſtas tua, & mendicitas quaſi vir armatus. Conſidera denique præceptoris rudimenta ſpernentem, & aduertes cōſpicue eū ſemper diſcentem, nunquam autem ad culmen ſcientiæ pertingentem. Poſtremo prudētię luce priuatum ambulanti cæco equo ſine loris, & carinæ abſque gubernaculo ſimilē eſſe nō dubites. Optima vtique media ſunt ea, quæ diximus ad perfectionis faſtigium dirigentia perſeuerantem in actu, ſi tamen veluti fundamentum operis adſit virtutis affectus. Sane exiguus labor intolerabilis eſt, ſolicitudo marceſcit, doctor deſpicitur, & infatuatur prudētia, ſi ab humano corde proficiendi amor abſiſtat. Nā amanti ardēter nihil videtur eſſe difficile. Fortis (inquit ſapientia) eſt vt mors dilectio, dura vt infernus æmulatio, lampades eius lampades ignis atque flammarum, aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, neque flumina obruent illam. Hoc quippe in peregrinantibus, in nauigantibus æquora, in bella gerentibus, in mechanicis artificibus, in literas diſcentibus, in negociatoribus, in conſultoribus legum, in profeſſoribus iuris, in animarū rectoribus, in prælatis eccleſiarum, in famulantibus Chriſto, in ſpirituali agone certantibus ineſſe reperies. Eſt namque ignitus amor vis quædā laboranti ſubminiſtrans vires, ociari non ſinens, neque permittens quieſcere, aggrediens ardua, dura perferens, donec concupitæ rei dilectatione fruatur, quemadmodum cōtigiſſe patriarchæ Iacob ſcriptura diuina cōmemorat. Hic etenim quamuis die noctuque æſtu vreretur & frigore, ſomnuſque ab oculis eius aufugeret, ſeruiuit tamen annis ſeptem, vt Rachelis connubio potiretur, illique præ amoris magnitudine dies pauci eſſe videbantur. Porrò in omni opere, & in omni negocio tam ſpirituali quam humano principatum tenet amor, & perſeuerantiæ impertitur conſtantiam ad perfectionis arcem pertingere ſatagenti. Diligat vtique ardenter, nec ſibi parcat, virtutū, & pręcipue, de qua loquimur, humilitatis amator. Currat velociter nō greſſu corporis, ſed affectu mētis, atq; ab expertis erudiri non erubeſcat: prudēti vniuerſa, quæ agit, moderatione cōpenſans. Sciat quoq; nullatenus perfectionis coronam poſſe mereri, niſi legitime ipſe certauerit. Regnum cœlorum, humilitatis (videlicet) virtus,

à diebus Ioannis (inquit Dei & hominū mediator) vim patitur, & violenti rapiunt illud, non deſidioſi, non puſillanimes, non ſuimet amatores, ſed dimicantes intrepide, indefeſsi operarii, corde magnanimes, & contemptores ſui eandem diligendo pręripiunt. Nec ab re humilitatis virtutem cœlorum regnum eſſe perſtrinxi: tum quia ipſa eſt ianua, per quam ad cælorum introitur regnum, dicente domino: Niſi conuerſi fueritis, & Matt. 11

efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnū cælorum: tum quia humilium regnum perhibetur eſſe cælorum, quemadmodum ore veritatis prolatum eſt inquiētis: Beati pauperes ſpiritu (id Matt. 18

eſt humiles non habentes inflantem ſpiritū) quoniam ipſorum eſt regnum cælorum: non ait, quoniam intrabunt in regnum cælorum, ſed ſignanter dixit, quoniam ipſorum eſt regnum cęlorum, vt ſcias quā grati ſint humiles Deo, & quam facile hęreditatem adipiſcantur æternam, ad quam prius quàm migrēt de corpore, ipſam poſsidere dicantur. Quamobrem & Saluator ait: Regnum Matt. 5

Luc. 17 cælorum intra vos eſt. In cordibus quippe humiliū regnum cælorū eſſe narratur, quia ſicut in cælo Deum non localiter neque circunſcripte, ſed eſſentialiter, potentialiterq; eſſe confitemur, ſa-

cio

cro hoc per prophetam pronunciante eloquio Eſa.66. ac dicente: Cælum mihi ſedes eſt, & terra ſcabellum pedum meorum, ita & in cordibus humiliũ eundem eſſe non ambigimus. Sic enim polliceri Ibidem. dignatus eſt dicens: Super quem requieſcet ſpiritus meus, niſi ſuper humilem, & quietum, ac trementem ſermones meos? Cernis ne quàm ſublimis, quàm præcelſa, quàm commẽdabilis, & quã diligenda ſit humilitatis virtus, quæ poſſeſſorem ſuum efficit templum Dei & ſanctitatis habitaculum, in quo tanquam in loco ſibi placito vniuerſorum dominus delectabiliter requieſcit, & ad quem iucundè ſe humiliando declinat. Sanè cũ vnigenitus Dei patris filius, verbum (videlicet) quod erat in principio apud Deum, in beatiſsima diuinitatis ſuæ ſede cum patre & in patre requieſceret, velletque à patre miſſus, & ab eo nunquã diſcedens in temporis plenitudine pro ſalute hominum naturam noſtræ mortalitatis aſſumere, nõ regiam ſtirpem, non mentem ſanctificatã in vtero, non integritatem carnis, non pudorem virgineum, ſed præcipue virtutem humilitatis adamauit in virgine, quemadmodum ipſa Deo iam plena, verbo fœcunda, in ſpiritu exultans teſtata eſt Luc.1. dicens: Quia reſpexit humilitatem ancillę ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Erant tunc mulieres multæ innuptæ, decoratæ moribus, præclaræ ſanctitate, orationi aſſiduæ incumbentes, Deo placentes, die noctuq; altiſsimo famulantes, ſed humillima eligitur, in cuius vtero per operationem ſpiritus ſancti ſacratiſsima diuinę humanęque naturę ſunt celebrata myſteria, prophetarum completa oracula, cõſummatę figurę, & euacuata ænigmata. Porrò dũ eſset rex (ſicut legitur) in accubitu ſuo, paternę (videlicet) glorię gremio, nardus ſemper virens, ſemper florens, candore rutilans ſuauiſsimũ ſanctę humilitatis emiſit odorem, & ad ſe attraxit principem maieſtatis regię, atque ſacerdotalis dignitatis diademate inſignitum, vt non ad tempus, ſed perpetuam ſecum faceret manſionem. O mira dignatio conditoris, qui cum eſset omnipotens, ſumme bonus, plenus ſapientia, beatus de ſe & in ſe, matrem tamen elegit humilem, quatenus in illa omnes inſtrueret, quantum illi eſset accepta humilitas. Matrem tantum vnam voluit habere, de qua carnem ſumeret, & in qua tanquã verus homo humiliter decubaret: multas cupit habere in ſpiritu, quę illum in ſe commorandum humilitate alliciant. Pręſto ſemper eſt accerſitus humiliter in humilium corde recumbere, quanquam ipſe ſit ſummus. Excelſus, inquit propheta Pſal.137. dominus, & humilia reſpicit corda, vt in ipſis requieſcat, illis conferat gratiam, largiatur dona, ſuamque exhibeat pręſentiam: alta verò & elata a longe cognoſcit. Non enim patitur ſuperbos appropinquare ſibi, nec ſecum aliquod vult habere conſortium. Cognoſcit quidem illos, ſed à longe, vt redarguat, vt corripiat, vt emendet, & ipſi agnoſcant ſe, erubeſcant de ſe, compungantur in ſe, & diſpliceant ſibi. Hoc autẽ quare? Quoniam nõ eſt voluntatis eius mors impii, ſed vt magis cõuertatur, & viuat. Hinc aliquãdo flagella ingeminat, elatis nonnunquam etiam perſecutiones accedere, & languores varios eiſdẽ euenire permittit, quibus edometur eorum carnis voluptas, tollatur oculorũ concupiſcentia, & vitæ ſuperbia conteratur, quę vniuerſa humilitati aduerſantur, & de cordis habitaculo humilẽ redemptorẽ repellunt, redduntq; animã ignobilem, contẽptibilem, & Dei copulatione indignam. Dei quippe iuſto cũ homine iudicio agitur, vt quanto amplius per tumorem mentis ſe altius erigat, tanto magis in imo deſpicabilius iaceat. Econtrario autem eo honorabilius humilis coram Deo prouehatur ad ſumma, quo per vilem ſui æſtimationẽ ſe vilipendendo magis collocat in profundo, quod facile diuinarũ ſcripturarum comprobatur oraculo. Erat vtique Saul prius, quã pręficeretur 1.Reg.15. in regẽ, electus & bonus, ita vt in filiis Iſrael non eſſet illo vir melior: poſtea verò, quàm regni ſuſcepit moderamina, cœpit paulatim inſoleſcere, & ceruicẽ cordis erigere, quamobrem diuini præcepti præuaricator effectus, à propheta Samuele audire promeruit: Nonne cum eſſes paruulus in oculis tuis, caput in tribubus Iſrael factus es, vnxitque te dominus regem ſuper Iſrael? Et paucis interpoſitis adiecit dicens: Pro eo quod abieciſti ſermonẽ domini, abiiciet te dominus, ne ſis rex. Cæterum cum non omnes humiles exterioribus ſublimentur honoribus, atque ediuerſo ſuperbi quique minime in conſpectu hominem videantur in glorii (id Dei ſapientia ordinatiſsime diſponente) elucent tamen nedum coram Deo, verumetiam ante oculos eorum, qui ſpiritualiter diiudicant omnia, atque æternæ veritatis ſunt illuſtrati ſplendore, & humilium gratiam, necnon ſuperborum contemptum. In humilibus quippe inhabitantis ſpiritus Dei fulget præſentia, & redolent quandam cordi innocentiam ſanctitatis odore ſociatam: atq; cæleſtis conuerſationis imaginem, in elatis autem totum oppoſitum eſſe cognoſcitur. Conſultius itaque eſt ac eligibilius introrſus per humilitatem Dei ac proprię conſcientiæ gaudere teſtimonio, quàm exterius ad tempus per elationem humana opinione atque temporali dignitate florere.

Quòd ſicut ſuperbi dignitates temporales & popularem ambiunt famam, ita humiles eaſdem fugiunt tam aliorum, quàm ſui redemptoris exemplis & admonitionibus eruditi. Cap. IX.

Habent ſuperbi & ſeculi amatores hoc proprium ſecularium dignitatum, ſeu (ſi diuino ſint mancipati obſequio) paſtoralis miniſterii principatum ambire, præeſſe cæteris, omnes præcellere, vulgari fama gau-

dere, opera quæ agunt (ſiqua ſunt commendatione digna) proferre ad publicum, ore proprio ſe laudare, interdum mendaciter, & conſciētia reclamante, in præſenti ſeculo abūdare diuitiis, carnis illecebras concupiſcere, & ſi facultas adſit, etiam eaſdem opere cōſummare: quid verò poſt corporis reſolutionem habituri ſint, nullatenus cogitare. Choreas quoque ducunt, celebrant nuptias delicata amici & ſibi ſimilibus parant, in iocis, fabulis, ſcurrilibuſque verbis ac temporis amiſsione ſumunt dies ſuos, & niſi miſericordię manus ſuper eos extēdatur, & redeant ad ſe, reatuſq; ſuos agnoſcant, atque ipſos contra domini præcepta deliquiſſe ex corde pœniteat, in puncto ad inferna deſcendūt. Horum ſiquidem proſperitas quemadmodum in terrenis & momentaneis rebus eſt poſita: ita repente labitur, & velut vmbra fugit, necnon tanquam non fuerit, obliuioni cito mandatur, quod Propheta ſua atte-
Pſal 36. ſtatione confirmans ait: Vidi impium ſuperexaltatum, & eleuatum ſicut cedros Libani, trāſiui & ecce non erat, quæſiui & non eſt inuentus locus eius. Non autem ſic humiles, & mundi iſtius contemptores. Omnem quippe quantum valent, & corde deſpiciunt, & corpore atque conuerſatione declināt huius vitæ ſublimitatem & gloriam, non conſiderantes honoris præeminentiam, ſed in ipſo exteriori faſtigio aduertunt latens periculum, inceſſabilem curam, neceſsariam ſeruitutem, quotidianos labores, laqueos innumeros, breuitatem gloriæ, imminentem exitum, incertū finem. Sciunt præterea de ſibi impēſo miniſterio diuino ſubiiciendos eſſe examini, & de ſingulis negociis rationem reddituros coram Deo, qui non poteſt terreri, aut flecti minis, quia potentiſſimus eſt, nec valet ſeduci falſis perſuaſionib. vel mendacibus verbis, quia ſapientiſsimus eſt: nequit quoque ſubuerti muneribus, ſeu promiſsionibus vllis, quia ditiſsimus eſt. Cognoſcuntur inſuper ab eodem vniuerſa, quæ ab hominibus geruntur, ſine perſonarum acceptione, & abſque aliqua generis ſiue dignitatis diſcretione æqua lance penſari, eoque ſingulos duriora ſupplicia eſſe paſſuros, quo erga ſubditos crudeliores, inhumaniores circa pauperes, atque in ſe per tumorem fuerint altiores. Recogitant poſtremo regū, principum, & tyrannorum præteritam gloriam decidiſſe vt arboris foliū, decurriſſe vt fluminis torrentem, ac defeciſſe vt dormientes ſomnium & breuiſsimam apud mortales poſt illorum exitum remanſiſſe memoriam, quæ profecto nil eis contulit, nil profuit, nilque complacuit. Sui denique pertractant ſecum vitam redemptoris ab iis, quos ſupra memorauimus, longe diſsimilem. Ipſe nanque quum verus eſſet imperator, pontifex ſummus, princeps regum, cunctorum dominus, cæli ac terræ gubernator ac conditor, parentes nihilominus ſecundum carnem voluit habere pauperes, apud vulgus ignobiles & infirmos, ſed coram Deo locupletes gratia, decoratos virtutibus, meritiſque ſublimes. In ortu ſuo quamuis multitudo militiæ cæleſtis mira cum iubilatione, gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis cecinerit: reclinari tamen voluit non in molli ſtratu aut coopertorio deaurato, ſed ſuper fœnum aſperrimum in præſepio iumētorum, in diuerſorio collocatus tanquam egenus & aduena, ignotus & vilis quatenus contemptū doceret mundi, & exemplum præberet humilitatis à ſuis profeſſoribus imitandum: in progreſſu verò ſuæ conuerſationis omnis tēporalis dignitatis ſpōtanea abrenunciatio, necnō virtutis huius præclara elucet imago. Nam quum populus Iudæorū cernēs miracula, quæ in iis qui infirmabantur, faciebat, ſuper ſeipſum regem præferre meditaretur, latenter aufugit, inſinuans per hoc regnum ſeculi iſtius non eſſe appetendum, ſed regnum Dei eſſe quęrendum, quod in futuro ſeculo humilibus pollicetur. Illos profecto honores illaſq; cathedras dignitatū veritas ambiri ſuadet, quę carent metu, finem non habent, & abſq; peccato, ac ſine vlla inuidētia poſsidētur: ad quas non erumpit hoſtis, non appropiat tentator, neq; elatus ingreditur. Imitatur igitur humilis diſcipulus magiſtrum ſuum cæleſtem, in quo omnium fulget diſciplina virtutum, omnis religionis forma, omnis inſtitutio ſanctitatis, omneque ſapientiæ documentum, ita vt qui deuiat ab eo quod inſtruxit verbo, & opere conſummauit, in tenebris ambulet, gradiatur in interitum, patiatur inſidias, ſępeque tentationibus ſuperetur. Ipſe namque lux eſt indeficiens, cuſtos non dormitans, inuincibilis virtus, veritas non errans, imperturbabilis pax, & ſine termino vita: cui proculdubio obtemperare eſt debitum, famulari ſalus, ſequi merces, videre gaudium, laudare iubilus, atque frui beatitudo perfecta. Quamobrem maxima dixerim redargutione dignum, æternoque merito plectendum eſſe ſupplicio, quiſquis tanto pręceptori tam vtilia imperanti, & tam ineffabilia præmia pollicenti obedire neglexerit, illū imitari contempſerit, atque audire diſsimularit, pręcipue quū Deus ſit operatus in homine. Dei virtus ſit humiliata pro homine, Deique ſapientia ſit locuta per hominem, vt (videlicet) eundem hominem de ignorantiæ eriperet tenebris, de ſpiritualis ſeruitutis excuteret vinculis, de peccatorum ſolueret debitis, de vitiorum erueret retibus, necnon de mortis æternæ liberaret faucibus. Sane nihil propter ſe ipſe dominus Ieſus egiſſe cognoſcitur, quippe quum nullius egeat, ſed propter hominem, qui inobediendo perierat, atque ab ingenita dignitate ſuperbiendo ceciderat. Hinc ſe humiliādo Dei filius propter hominem ſerui ſuſcipiens formam, & patri vſq; ad mortem obediēs factus, humilitatis monita ſalu-

bria

bria exhibuit dicens: Diſcite a me quia mitis ſũ, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Diſcite (inquit magiſter cœleſtis & veritas, quæ non mentitur) a me non perpetrare miracula, non futura prædicere, non ſupra mare ſicco ambulare veſtigio, ſed mundum ſpernere, carnis illecebras abhorrere, honores fugere, dignitates ac primatus cõtemnere, ne ſimiles Phariſæis ſitis, qui amant primos accubitus in cænis, in ſynagogis cathedras, ſalutationes in foro, & ab hominibus vocari rabbi, quæ vniuerſa habere cõ cupiſcũt ſeculi iſtius dilectores, qui ignorãt Deũ præuaricant legem, neſciunt ſe, & præferunt viſibilia inuiſibilibus, carnalia ſpiritualibus, temporalia æternis, atque terrena cæleſtibus. Diſcite præterea a me tolerare aduerſa, pati conuicia, opprobria ſuſtinere, contumelias patienter audire, non reddere malum pro malo, neque maledictũ pro maledicto referre, ſed econtrario maledicẽtibus benedicere, orare pro perſecutoribus, atque pro inimicis veſtris veniam poſtulare. Ego enim a meis perſecutoribus eadem æquanimiter perpeſſus ſum pro vobis, contumelias, videlicet, irriſiones, obiectiones falſas, flagella, ſputa, alapas, coronam ſpineam, potum fellis, & ignominioſam mortem crucis, quia mitis ſum & humilis corde. Me imitamini, veſtigia mea ſequimini, nõ eorum, qui terrena ſapiunt, magna appetunt, ſublimia quærunt, ſi mei vultis eſſe diſcipuli, moribus eſtote mites, & humiles corde. Hęc plane ſũt inſtituta mea, quæ præbeo vobis: hæc exempla mea quæ relinquo vobis: hæc, inquam, pręcepta, quæ mando vobis, vt ea memoriæ commendetis, & opere perficiatis, quoniam in ipſis eſt exuberans iuſtitiæ fructus, copioſa merces pax mea, via ad vitam, & ianua, quæ perpetuum introducit ad regnum. Per hanc quippe humilitatis & contẽptus ſeculi, necnon crucis baiulandæ poſt dominũ anguſtam ianuam intrare contendite, vt pertingere valeatis ad vitam. Nam quamuis arcta in ingreſſus ſui principio eſſe videatur deſidioſis, puſillanimis, & ſe immoderate diligentibus, patientibus tamen voluntarie, Deũ ex toto cordeamãtibus, proficiẽdi deſiderio accenſis, Chriſti imitatoribus, atque humilibus quotidie efficitur latior, & via planior. Nec ab re. Nam experientia ſectãdæ humilitatis, virtutum vſus, & perferendæ crucis aſſuefactio reddit iugum Chriſti ſuaue & onus leue præ dulcedine guſtatę deuotionis, & perceptione internæ quietis, quæ communicatur humilibus, & pro domino viriliter decertantibus. Non enim impius & immiſericors eſt Deus, vt obliuiſcatur laboris & fatigationis ſeruorum ſuorum, qui ſingulis pene horis dimicant, vt carnem ſubiiciant ſpiritui, animum virtuti, & mentem Deo, oderuntque ſponte animam ſuam in hoc mundo, vt in ſeculo illam valeant poſſidere futuro.

Luc. 16.

Quòd Chriſti militibus ſit indicta pugnandi neceſſitas, & perſeuerantibus palma victorię reſeruata, necnon quales ſint, cum quibus oporteat eos habere aggreſſum. Cap. X.

QVemadmodum cũ hoſtibus viſibilibus confligentibus duplex eſt appoſita cõditio, pugnandi ſcilicet neceſſitas, & victorię palma: ita & Chriſti militibus in eccleſię cãpo aduerſus aereas & inuiſibiles poteſtates bellãtibus eadem eſt indicta lex. Vt igitur ſciamus, cũ quibus inuiſibile nos oporteat habere certamen, Apoſtolum audiamus, quid dicat: Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinẽ, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpirituales nequitias in cæleſtibus. Tales ſiquidem ſunt aduerſarii cum quibus inducitur nobis habere congreſſũ vt nullatenus velint nobis eſſe placabiles. Quãto enim magis conſpiciunt nos deſudare in bello, aut præ nimio labore, ac animi puſillanimitate in acie prælii non poſſe perſiſtere, tanto amplius erga nos robuſti fiunt, atque in noſtro exitio promptiores, Non cedunt metu, non terrentur minis, non ſpiritualibus verberibus conquieſcunt, quin potius laceſſiti indignantur acrius, repulſi contẽdunt accedere propius, proſtratique nobis inimicantur vehementius, de noſtris congratulantur malis, & noſtris gloriantur caſibus, quantum in ipſis eſt, omni pene hora certamina commouẽt, tendunt laqueos, inſidias parant, tentationes inferũt quatenus tædio affecti, ſeu fraude, aut virtute ſuperati ſuos nos faciant eſſe captiuos. Illorum ſiquidem importunitas, eorumque ſæuitia certãdi nobis neceſſitatem imponit, quos eo facilius vincimus, quò ardentius de Chriſti bonitate fidentes contra eoſdem audaciores ſumus. De Dei & domini noſtri Ieſu Chriſti ſuffragio, & non de propriis viribus fiduciam habere debemus, quum hoſtes noſtri ſint fortiores nobis, callidiores & aſſuefactiores in prælio, ſublato à nobis alieno pręſidio. Nam ex nobiſipſis infirmi ſumus, ignari, inexperti (comparatione eorum) & ad caſum proni. Quamobrem ex medullis cordis gratias agere debemus redemptori noſtro, ſi qua in nobis eſt reſiſtendi virtus, ſi quod lumen eorum aſtutias diſcernendi, ſi quod tolerandi robur, & ſi quod deſiderium proficiendi. Omne quippe datum optimum (ſicut ſcriptum eſt) & omne donum perfectũ de ſurſum eſt deſcendens a patre luminũ, apud quẽ non eſt tranſmutatio, neque viciſſitudinis obumbratio. Ab ipſo quidem nedum habemus quod ſumus, verumetiam quod intelligimus, valemus, & laudabiliter volumus. Ipſe nanque vires miniſtrat, prębet auxiliũ, pręſtat deſiderium, proponit precium, pollicetur & pręmium. Imprę ſentiarum etenim profert precium, quod tribuat: in futuro autem pręmiũ, per quod beatos faciat. In pręſẽti (inquam) requiem largitur poſt labores: in futuro vero

Iac. 1.

rò beatitudinem retribuit poſt triumphum. Non coronabitur (inquit vas electionis) niſi qui legitime certauerit. Proinde pugnare non deſinat, qui coronari affectat, ſed neque humiliare ſe renuat, Luc. 14. quiſquis victoriæ palmam expectat. Qui ſe humiliat (ait veritas, quę non mentitur) exaltabitur. Humiliat vtique ſe in præſenti, exaltabitur in futuro, de imis ad ſumma, & de terris ad cœlos conſcendet. Hęc profectò virtus humilitatis, de qua ſermo nunc agitur, via eſt, quę poſt peregrinationē ducit ad patriā. Hęc, inquam, eſt corona regia decorata gemmis, margaritis ornata, auroque contexta: quam dominus Ieſus poſt agones duros cōmilitonibus ſuis largiri dignatur. Non quidem ignibus, non ingratis, neque dimicare formidantibus, ſed vſque ad ſanguinem decertantibus, patientibus, & perſeuerantibus prærogatur. Bellatorum quippe corona eſt non mortalis manu artificis fabricata, ſed ſudoribus iuſtorum, necnon ſummi opere, ac munere conditoris. Nempe qui verbo ſuo vniuerſa creauit ex nihilo, hāc per ſui eloquiū verbi dignatus eſt componere, ornare, atque contexere. Quantis illam extulerit præconiis, quibuſve lapidibus aſſociatam eſſe oſtenderit precioſis ſedens in monte, & diſcipulos docēs teſtificatus Matt. 5. eſt dicens: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorū eſt regnū cęlorum. Locuturus enim multa de legalibus inſtitutis, de virtutibus moralibus, & de beatitudinibus futuris ab ipſa humilitate tanquā à radice cęterarumque cuſtode virtutum exorſus eſt fari: Beati (ait) pauperes ſpiritu, videlicet, humiles, timentes Deum, & non habentes inflantē ſpiritum, cuius profectò eſt proprium mentem in ſublime attollere, diſtendere, decipere, & proſternere. Non aliunde Dei ſapientia, quàm ab humilitate inchoare debuit, ipſam pro aliarum fundamento virtutum in imo conſtituens. Nouerat quippe ille qui loquebatur, quòd ſuperuacuè ędificat virtutum actus, qui humilitatis caret fundamēto, atque illam abſque hac virtute minime poſſe perſeuerare ſtructuram, quę flantibus ventis, & quotidie impinguentibus vndis impellitur ad ruinam. Fundamentum (inquit Apoſtolus) aliud ne- 1. Cor. 3. mo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, Matt. 11. quod eſt Chriſtus Ieſus, qui ait: Diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde. Videſne quàm congrue, quam prudenter & optime de virtutibus ſermonem habiturus ab humilitate ſumpſit exordiū quatenus agnoſceremus illam reliquarum, ſicut dictum eſt, fundamentum eſſe virtutum, atq; ſpiritualem coronam pugnantium, in qua diſponendę eſſent & cæteræ, prout ipſius verbi narrationis ordo declarat: Quum enim dixiſſet: Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum, Matt. 5. repente intulit inquiens: Beati mites, quoniā ipſi hæreditate poſſidebunt terram. Mites ſunt, qui detractiones, contumelias, damna, & opprobria ab hominibus illata æquo perferunt animo, non remurmurantes, neque reddentes malum pro malo, vel maledictū pro maledicto, ſed in bono vincentes malum, dominum & præceptorem ſuum imitantes, qui ſicut ouis ad occiſionem ductus eſt, & tanquam agnus coram tondente ſe, ſic non aperuit os ſuum. Submiſſa mites loquuntur voce, humanitatis & charitatis verba edunt, ignorant contradicere, renuūt de ſibi obiectis excuſari: in moribus quoque circunſpecti ſunt, in inceſſu maturi, in bonis proximorū creduli, & in obſequiis eorum ſemper parati, diligentes ex corde ac de humilitatis theſauro, quod gerunt in mente, amabilia atque vtilia promentes, non minus verba quàm opera. Iſtis quidem peracto certamine terrę poſſidenda pollicetur hæreditas, non huius, quę ſpinas & tribulos germinat, & quę reptilibus ac iumentis, iuſtis & peccatoribus eſt communis: ſed illius, quam Propheta videre cupiebat, quum diceret: Credo videre bona domini in terra viuentiū, Pſal. 26. in qua (videlicet) nulla erit rixa, nulla aduerſitas, nulluſque hoſtis, contra quem pugnare oporteat ſicut in hac, in qua degimus, confligimus, & ploramus: vnde poſt mites beati etiam dicuntur qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Lugentes beati rectè humiles nuncupantur: qui enim pro amiſſione coronę, aut pro illatis iniuriis, ſeu pro qualibet cauſa plorant humana, nequaquam cenſentur eſſe beati, ſed infelices & miſeri. Humiles verò quum redeunt ad ſe & diſcutiunt, quales ſint, quantis ſint onerati peccatis, quot aſtricti vinculis, quam multis beneficiis obligati, necnō in quali ſint detenti cuſtodia, compunguntur que, ſuſpirant, gemunt, vbertimque prorumpunt in lachrymas Prophetæ exemplum tenentes, qui dicebat: Lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lachry- Pſal. 6. mis meis ſtratum meum rigabo. Lugent itaq; frequenter humiles, & interioris cubiculi ſtratum rigant, vt delictorum ſuorum maculas tergāt & cōpunctione flebili debita ſoluant, ac malæ conſuetudinis nexus dirumpant, valeantque cū Propheta cantare: Dirupiſti domine vincula mea, tibi ſa- Pſal. 115. crificabo hoſtiam laudis. Cæterum quum peregrinationis ſuæ miſerias meditantur, & cœleſtis Hieruſalē conſiderant gaudia, necnon ab his ſe abeſſe conſpiciunt, ex humillima deuotione commori, ac tacite reſoluti inſtrum ingeminant dicētes: Quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes a- Pſal. 41. quarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus: ſitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei? Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi eſt Deus tuus: Conuerſique ad dominum inquiunt: Educ de cuſtodia animā meā ad confitendum nomini tuo. Meritò igitur humiles taliter lugentes conſolationem à Deo promiſſam cum exultatione indubitatæ ſpei expectare debent, de qua in Apocalypſi per Ioannem ſic ſcribitur: Et abſterget Deus omnem lachrymam ab Apoc. 2. oculis

oculis eorum; & non erit amplius neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra, quæ prima abierunt. Et dixit qui ſedebat in throno: Ecce noua facio omnia. Pro hac ſiquidem deguſtata parumper futura cõſolatione refecti robuſtiores quàm prius erant efficiuntur in bello, & ad percipiendum chariſmata meliora, atque ad conſequendum brauium perfectionis virtutum humilibus deſtinatum, fiunt quotidie promptiores. [Matt. 5.] Quamobrem congrue poſt lugentium ſtudiũ ſub infertur à domino: Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur. Nempe illi eſurire & ſitire iuſtitiam dicendi ſunt, qui virtutum afflati amore, & proficiendi deſiderio animati errata corrigunt, amplectũtur ardua, & quę retro ſunt obliuiſcentes ad anteriora ſe exercendo extendunt, corpus ſuum fame, ſiti, frigore, & nuditate conterunt, vigiliis, ieiuniis, laborib. attenuant, nullam ſibi, quantum eorum naturæ valetudo admittit, impertinentes requiẽ præ ſui dulcedine conditoris, & adeptione virtutum. Omni quippe tẽpore in omni negocio cuſtodiæ ſuæ inuigilant, nihil indiſcuſſum, nihil prætermittẽtes inordinatum, quod à virtutum diſciplina diſcordet. Tanquam acerrimi bellatores aduerſariis ſuis nunquam terga vertunt, nunc cum viſibilibus decertantes. Eſuriei nanque & iuſtitiæ ſiti accenſi, nil ſe eſſe arbitrantur, atque nihil rectũ agere, quod non ſit redargutione digniſſimum, tametſi quotidie proficere ſatagant, ſitque eorũ conuerſatio cæteris norma iuſtitię, religionis forma, ſanctitatis ſpeculum, & perfectionis exẽplar. In eiſdem humilitatis ſuadente virtute, profeſſores quò ſunt ditiores meritis, gradu ſublimiores & feruentiores charitate, eò ſe exiſtimant viliores, infirmiores, atque minores. Ex hac itaque humili conſideratione ſui vehementius inardeſcũt iuſtitia ſaturari. Quod quia in hac peregrinatione obtinere ſufficienter iuxta eorum vota nequeunt, domino depromunt cum propheta & dicunt: Ego autem in iuſtitia apparebo conſpectui tuo, ſatiabor quum manifeſtabitur gloria tua. [Pſal. 16] Interim vero bonis operibus ac miſericordiæ actib. inſiſtunt, quatenus promiſſæ mercedis adipiſcantur gloriam. Sic enim poſt eſuriem, ſitimque iuſtitiæ ſubintulit dominus: [Matt. 5.] beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Optimum profecto opus eſt egenorum & inopum calamitatibus miſereri, illis auxilium præſtare, nec non in paupere Chriſtum dominum cibare, potare, veſtire, hoſpitari, ac viſitare. Nam ſeculum in extremo tempore iudicaturus poſtquã à dextris poſitis ouib. dixerit, Venite benedicti patris mei, poſſidete regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi: eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare: & reliqua, quæ in euangelio pleniſſime continentur, concludet ſic: [Matt. 5.] Amen dico vobis, quandiu vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Magna dignitas pauperum Chriſti perſonam gerere, ipſiuſque imaginem exhibere in ſeculo. Merito igitur miſericordiam conſequetur à Chriſto, qui Chriſtum veneratur in paupere & illi humanitatis præbet officium, qui eius non abhorret ſordes, perſonam non deſpicit, nec vilipendit ſtatum, ſed honorat vt dominum, famulatur vt Chriſto, amplectitur vt fratrem, eumque diligit tanquam regni conſortem. Nempe æterni regis filii ſpirituales nuptiæ non de diuitibus, potentibus, regibus, principibus, doctoribus aut nobilibus repleti fuiſſe referuntur, ſed de perſonis ſecundum ſeculi opinionem infimis atquę abiectis. Sic enim legitur dominum dixiſſe: Exi cito per vicos & exitus viarum, & cęcos [Luc. 14] claudos, pauperes, ac debiles compelle intrare, vt impleantur nuptiæ meæ. Et Paulus: Videte, inquit, [1. Cor. 1] vocationem veſtram fratres, quia non multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potẽtes, non multi nobiles, ſed quę ſtulta ſunt mundi elegit Deus, vt confundat ſapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortes: & ignobilia huius mundi & contemptibilia elegit Deus & ea quæ non ſunt, vt ea quę ſunt deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius. Maximam ſiquidem fiduciam conſequendæ miſericordiæ in futuro ſeculo habere debent, qui cũ humilitate cordis & pietatis affectu interioris ſui hominis munditiam cuſtodientes erga egenos & inopes iuxta poſſe, quoad viuunt, humanitatis obſequia exhibere non ceſſant domini perficientes mandatum, qui ait: Facite vobis amicos de [Luc. 16] mammona iniquitatis, vt quum defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula: quæ profecto ſicut humilibus & miſericordibus, ita & mũdis corde promittũtur à domino, quum dicit: Beati mũ[Matt. 5.]do corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Opportune ſatis in hac ſpirituali humilitatis corona diuerſarum gemmarum, id eſt, virtutum, varietate decorata inſeritur etiam cordis munditia, quæ Deum conſummato feliciter huius præſentis exilii termino videre merebitur. Nam quemadmodum in certamine ambæ copulatæ ſunt, atque in eadem ſede humani cordis reſident, & perficiuntur: æquè & amatores ſuos in regno cælorum pariter faciunt eſſe beatos. Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum: & beati mundo corde, quoniã ipſi Deum videbũt, quod idem eſt. Nam eſſe in regno cælorum nihil aliud eſt, quàm videre Deum. Quæ proculdubio viſio atque cognitio vita ęterna eſt, perhibente domino: Hæc eſt, inquit, vita ęterna, vt cognoſcãt te ſo[Ioan. 17.]lum Deum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. Mũditia itaque cordis eſt ipſum cor liberum cuſtodire ab omni cogitatione & affectione polluta, noxia, obliqua, atque elata. In quo enim iſta quę memorata ſunt, vigent ac verſantur, infectum eſt, deforme, maculoſum, & cæcum: vnde minime

valet

valet Deum cernere, qui ſolum propter ſui fulgorem atque candorem à mũdis cordibus intuetur. Sicut autem in animam maleuolam non ingreditur ſapientia, ita eadem non conſpicitur à ſceleſtis & ſuperbis hominibus corda fœda & voluptuoſa gerentibus: quoniam illis auerſa eſt eiuſdem ſapientiæ claritas, prout ſolis iſtius viſibilis oculis ægris odioſa eſt lux. Quamobrem ſtudeat mundare cor nedum à pernicioſis & obſcœnis cogitationibus, ac affectionibus: verumetiam ab inutilibus & vanis, quiſquis fructus & muneris huius munditiæ particeps eſſe deſiderat. Cæterũ quum iſtius virtutis merces perfecta in futuro ſeruetur, ſicut per Prophetam de electis dicitur: [Eſa.33.] Quia videbunt regem in decore ſuo: poteſt tamẽ in hac vita ex parte vtrunque guſtari & videri per ſpeculum in ænigmate fide mediãte, qua purificãtur corda fidelium, & oratione aſsidua, quæ reddit animam præſentem Deo, atque ſedula exercitatione virtutum, quæ faciũt ex frequẽti vitiorum ac tentationum triumpho bellatorem egregium interna pace potiri: quod propriè humilium, & filiorum Dei eſt gloria. Proinde poſt cordis munditiam prudentiſsime additum eſt: Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Pacifici non incongrue cẽſendi ſunt illi, qui omnes cordis ſui & corporis inordinatos affectus, ſeu motus rationis ſubiiciunt ſeruituti: ſemper gladium ſpiritus tenẽtes euaginatum aduerſus aereas poteſtates: minime templum Dei maculare permittentes, corporiſque membra ſub temperantię loris cohibentes, ne veluti iumẽta indomita per illicita vagentur, efficiaturque mens, quæ debet eſſe pace referta, tumultuatione concuſſa. Porrò dominus noſter, qui eſt vera pax, illãque ex hoc mundo diſceſſurus & aſcenſurus ad patrem dedit diſcipulis ſuis tunc præſentibus, & futuris reliquit: pacem diligit, & in pacificorum libentiſsime reclinat habitaculo, atque cum eiſdem moram trahens non modicam bonorum ſuorum ipſos facit hæredes. Filiis quippe paterna debetur hæreditas, maxime humilibus diligentibus, patri obtemperantibus, & cum eo continue commorantibus. [Luc.15.] Nam filius iunior, de quo euangelicus textus eloquitur qui peregre profectus voluptuoſe degens conſumpſit patrimonium, quamdiu abſens ſtetit à genitore, filii dignitatem amiſit: quũ verò in ſe reuerſus proprium agnouit errorem, quod perdiderat, recepit addito ſibi annulo, præſtitis calceamẽtis, & occiſo pro ipſius reditus gaudio, vitulo ſaginato, quæ vniuerſa ſunt gemmę filiorum, & ornamenta præcipua. Quamobrẽ beatus nuncupauerim eſſe pacificos, qui in hoc ſeculo poſt laborum ſpiritualiũ certamina, pacis gaudium deguſtant intrinſecus, tanquam hęreditatis æternę primitias: quam vtique hæreditatem perfecte conſequẽtur, quum peruenerint ad requiẽ ſempiternam, & illis veluti chariſsimis filiis Dei manifeſtabitur gloria, dicẽte Ioãne Apoſtolo: Chariſsimi filii Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus: ſcimus quòd quum apparuerit, ſimi- [1.Ioan.3.] les ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Ad hanc viſionem Dei filiis atque humilibus in cælo reuelatam triumphaliter etiam intromittuntur, qui cõmunicant Chriſti paſsionibus, & pro veritate & iuſtitia perſecuti lętanter occumbũt. Propterea poſt pacificos beatos dominus eſſe aſſeruit, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cęlorum. Commendat dominus his paucis verbis dilectionem, quam erga ipſum gerimus, perſecutiones pro iuſtitia ſeruanda magnanimiter perferentes. Commendat inſuper martyrum conſtantiam, qui vſque ad tolerantiam immanium tormentorum, ac ſanguinis effuſionem pro veritate certarunt. Beatos demum fideles quoſque eſſe denunciat, qui ſe vt à delictis & facinoribus immunes cuſtodiant, patiẽter Dei illata ſibi flagella, diaboli tormenta, tentamenta diuerſa, & proximorum tolerant irrogata conuitia: ſine quibus probationibus quamdiu domino famulantur, eſſe non valent: hoc Apoſtolo perhibente, qui ait: Et omnes qui [2.Tim.3.] pie volunt viuere in Chriſto Ieſu, perſecutiones patiũtur: interdum viſibiliter, inuiſibiliter ſemper: de quibus viri patientes & humiles (fauente Chriſti gratia) victoriam aſſequuntur. Beata plane humilitas ſancta, & omni commendatione digniſsima, quæ in ſe continet, & Deo gratos facit, atque de ſe decoros & honorabiles reddit pauperes ſpiritu, animo & moribus mites, lugentes laudabiliter, eſurientes & ſitientes iuſtitiam, miſericordes erga proximos, mundos corde, mente pacificos, & perſecutiones pro iuſtitia patientes. Hos quidem in hac vita ad perfectionem dirigit, & in futuro ſeculo cum Chriſto domino glorioſos facit.

Qualia eſſe debeant ornamenta mulierum ſecularium; & qualia fidelium animarum. Et de qualitate virtutum, ac earum ſpirituali aſcenſu atque deſcenſu. Cap. XI.

CONſueuerunt mulierculæ minus prudentes, & ſolum ea, quæ carnis ſunt, ſapientes, quum humanis exponere ſe volunt aſpectibus, tota ſe ornare induſtria, precioſis induere pro poſsibilitate veſtibus, fulgentibus margaritis ac gemmis componere, vnguentis & aromatibus delinire, fucatis etiam coloribus interdũ facies deturpare, conantes ex hoc diuino operi ſuperaddere peritiam, quaſi qui vniuerſa creauit, neſcierit putreſcenti humano corpuſculo & viliſſimo ſtercori congruentem tribuere formam, quod quidem eſt ſcelus nefandiſsimum, temeritas maxima, deteſtanda præſumptio, & delictum penè inexpiabile. Non illis ſat eſt Dei imaginem ſua voluptuoſa impudentia deformare, niſi pecca

to adiiciant peccatum, & Dei ſupra ſe æternam aduocent vltionem. Quid enim eſt aliud earum damnabile opus, quàm ſpiritualia intexere retia & laqueos carnales tendere ad capiendas, perdẽdaſque inſipientium animas, atque ad euigilandam concupiſcentiam dormitantem: necnon ad accendendum ardorem libidinis, qui in medullis corruptibilis corporis conquieſcit? Tãtorum ſiquidem criminum ipſæ ſunt reæ, quantorum animos ex ſua petulanti voluptate in conſenſum prouocant carnalis illecebræ. Non enim in exteriori tantum homine modeſtus & laudabilis eſſe debet mulierum ornatus, ſed etiam in interiori, vt ſuo, qui in cælis eſt, placeant conditori. Apoſtolum Petrum quid de vtroque ornatu mulieri-
1.Pet.3 bus inſinuet, audiamus: Similiter & mulieres (inquit) ſubditæ ſint viris ſuis, vt etſi qui non credũt verbo, per mulierum conuerſationem ſine verbo lucrifiant, conſiderantes in timore ſanctam conuerſationem veſtram: quarum extrinſecus non ſit capillatura, aut circundatio auri, aut indumenti veſtimentorum cultus, ſed qui abſconditus cordis eſt homo, in incorruptibilitate quieti, & modeſti ſpiritus, qui eſt in con-
1.Tim.2 ſpectu Dei locuples. Hoc idem ſentiens Apoſtolus Paulus ait: Similiter & mulieres in habitu ornato, cum verecundia & ſobrietate ornantes ſe, non in tortis crinibus, aut auro & margaritis, vel veſte precioſa, ſed quod decet mulieres promittentes pietatẽ per opera bona. Patet igitur, quod mulieribus omnis ſuperfluus & meretricius apparatus interdicitur, per quem ad concupiſcẽtiã earum inflammari valeant intuentium corda. Ornare ſe, vt viris propriis placeant, cum verecũdia & ſobrietate licet illis. Nam vir & mulier in matrimonio copulati, mutuo ſe debent diligere, atque vt inuicem ſibi complaceant, ſe poſſunt ornare (cum honeſtate tamen & ſobrietate, ſicut dictum eſt) quia vna caro ſunt, prout Chriſtus & eccleſia. Debet quoque mulier viri ſubeſſe imperio, quemadmodum anima fidelis domino Ieſu Chriſto. Indiſſolubiliter mulier per ſacramẽtum matrimonii coniungitur viro perhibente domi-
Mat.19 no: Quos Deus coniunxit, homo non ſeparet: ſed longe efficacius, rationabilius, indiſſolubiliuſque anima per charitatis vinculum proprio conglutinata eſſe compellitur autori: verum ſi mortali viro maculoſo & peccatis onerato, vt placeat mulier, conceditur illi ſe decenter ornare, quanto magis animæ Chriſtianæ congruit, vt ſuo accepta ſit ſponſo immortali, omnipotenti, omnique dignitate ac virtute perfecto? Cæterum qualis eſt iſte ſponſus, talia eſſe oportet ornamenta ſpõſæ: quæ profecto nequeunt eſſe condigna, niſi largiantur à ſponſo. Per ſe enim ſponſa infirma eſt, pauperrima, ignobilis, deformis, & ſupra modum à ſponſo cæleſti longe diſsimilis: quamobrem ſola ſponſi dignatio & ſpontanea illius bonitatis affectio ipſam prouehit, vt ſponſæ vocabulum, gradum ſortiatur & actum. Quæ vniuerſa in momẽto amittit, ſi ſpreta humilitatis virtute, & propriæ vilitatis cognitione neglecta de ſibi collatis beneficiis ſuperbire præſumpſerit. Tunc quidem de ſponſa efficitur ancilla, de chariſsima aliena, & de propinqua omnino remota. Hinc aperte colligitur, quãtę efficacię ſit quantũque ſublimari à Deo, & ſpiritualibus ditari muneribus, atq; chariſmatibus mereatur ornari humilitas ſancta, quę ſi animę fideli ſit copulata, ipſam vnigenito Dei filio coniungit in ſponſam: ſi verò ab eadem ſit longe, repudiatam & adulteram facit. Quum enim animam quum Dei ſapientia hac virtute inſignitam eſſe perſpexerit, non poteſt contemnere, neque præterire, quin ad illam declinet, ſuamq; in eadem collocet manſionem, necnon plurimis exornet virtutibus, quarum actu & vſu nunc delectabiliter eleuetur in Deum, nunc vtiliter cõuerſetur cum proximo: ac etiam ſic per ipſas humana diſponat negocia, & mores corrigat, quatenus Deo & hominibus amabilem ſe reddat. Sũt quippe quædam, quæ gratis à Deo diuinitus infundũtur, & ſe poſsidentes in vniuerſorum conſtituũt finem, & ſunt nonnullæ, quæ non ſine labore humanaque induſtria acquiruntur, & cum ipſis atq; pro ipſis certantes dirigũt ad Deum, qui eſt creaturarum omnium finis. Porrò quæ infunduntur, theologicæ: quæ verò acquiruntur à viris eruditiſsimis, cardinales nuncupantur. Cęterum quanuis earum virtutum diuerſi ſint actus, vna tamen eſt intẽtio, connexio vna, & idem finis: vt (videlicet) placeat Deo, ipſeque Deus agnoſcatur, diligatur, quæratur, inueniatur, & diſceſſuri ab ipſo in ipſo feliciter maneant. Sunt nanque virtutes, de quibus loquimur, latiusque locuturi ſumus, dona ſponſalia, precioſa monilia, & gemmæ cæleſtes, quæ in fragilitatis remedium, peregrinationis ſolatium, pugnæ auxilium, medium promerẽdi, & patrocinium triumphandi à ſponſo ſunt prærogata huiuſmodi humilibus. Nam quemadmodum ipſi humiles ſe deprimendo deſcendũt: ita virtutum eis ſcala tribuitur, vt aſcendant. Aſcendunt vtique poſtea, ſi tamen deſcendant prius. Deſcenſus primum ad conualles fit, deinde aſcẽſus ad montes. De conuallibus tranſit anima ad montes, & de cognitione ſui proficit ad intelligẽtiã Dei: atq; de virtutib. moralibus mediantib. infuſis ad notitiã trahitur diuinarũ. Quod figurali-
ter dominus perhibens ait: Quũ fueris inuitatus Luc.14
ad nuptias, recũbe in nouiſsimo loco, vt qui te inuitauit, dicat tibi, amice aſcende ſuperius. & tũc erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus. Cur verò ipſam propoſuerit parabolam, ſubnectis inquiens: Quia omnis qui ſe exaltat, humiliabitur:
& qui ſe humiliat, exaltabitur. Propheta quoque Psal 126
idem expreſsit, quando ait: Vanum eſt vobis ante lucem ſurgere: ſurgite poſtquam ſederitis, qui

manducatis panem doloris. Scala quippe hęc ſpiritualis, quæ impertitur humilibus, vt aſcendant ſeptem virtutibus quaſi ſeptem gradibus eſt compacta, & per eandem quotidie ſe exercendo perfectiores fiunt, & ad ſublimiora conſcendũt. Sic enim de ipſis humilibus, & de ipſis virtutum gradibus Propheta commemorat dicens: Beatus cuius eſt auxilium abs te Domine, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lachrymarum, in loco, quem poſuit. Etenim benedictionem dabit legiſlator: ibũt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion. Meritò nanque benedictionem legiſlatorem humilibus aſcēſum in corde ſuo per virtutum gradus in conualle plorationis ordināntibus dare perhibetur, vt ſciamus ipſas virtutes, non ex eorũ operibus, ſed per illius gratiam aſſecutos eſſe, qui ſine pœnitentia vocat, & iuſtificat impios, & abſque perſonarum acceptione cui vult ſua dona largitur. Vocat (inquam) gratis: quatenus vocati pro viribus laborantes gratificentur adhuc, & mereantur ſemper potiora percipere, atque de virtute tranſcendendo in virtutem in ſpeculo contemplationis digni efficiātur Deum agnoſcere. Non aliunde igitur quàm de virtute progrediētur ad virtutes, vt perfecti fiāt. Nunquam virtuti ſemitas deferunt: nuſquam reflectunt cordis greſſum, quamuis non ſemper æquali curſu, & eodem ignito deſiderio. Nam & ſanctus patriarcha non aſcendentes tantum angelos per ſcalam, quam in ſomnis vidit, aſseruit, ſed aſcendētes & deſcēdētes: quatenus indicaret virtutum viros (qui angeli non incongrue nũcupantur) interdum trahente gratia, & impellente deſiderio, atque virtutum ſuadente vſu aſcendere: corruptibili verò aggrauante corpore, & animæ deprimente languore, ac tribulationum turbine quatiente, necnon humanorum negociorũ cogente neceſsitate, ſæpiſsime etiam contra voluntatem propriam oportere deſcendere. Nempe in huiuſmodi alternationum aſcendēdi & deſcendendi vicibus virtutes probantur, virtutum multiplicantur actus, perficiuntur earum habitus propria eluceſcit cognitio, atque commendāda humilitas meritis amplioribus fœcundatur. Claret itaque ex his, quę dicta ſunt, virtutum vſum nequaquam eſſe negligendum, aut ex arbitrio poſtponendum, earum (videlicet) quæ partim infunduntur, partim verò cum ſudore & temporis diuturnitate diuina cooperante gratia acquiruntur. Nam quemadmodum quandiu in hoc mundo viuitur, & donec terra noſtra ſpinas & tribulos germinat iuxta maledictionem prioribus parētibus ob eorum præuaricationem inflictam: atque quouſque expoſiti ſumus certamini diuerſarum tentationum, quarum huius exilii incolatus eſt plenus, nũquam deeſt pugnandi materia: ita infatigabiliter & maxima cum diligentia ineſſe nobis debent ignita virtutum deſideria. Noſtro ſiquidem protoplaſto dictum eſt: In ſudore vultus tui veſceris pane tuo: nobis autem dicitur, vt in labore ſpiritus adipiſcamur virtutũ panem, per quem confirmatur cor hominis, corroboratur rationalis mens, deperditæ reparantur vires, augetur gratia, veritatis infunditur lumen, atque proficiendi ſemper in melius prærogatur & virtus.

Pſal. 83.

Gen. 3.

De duobus donorum ſpiritualium generibus, quæ communicantur fidelibus. Et quibus gradibus perficitur virtutum ſcala, quæ ad Dei cognitionem perducit. Cap. XII.

DVo eſſe ſpiritualium donorum genera, quæ fidelibus ſeruis & amicis charisſimis dominus largiri conſueuit, ſanctarum erudimur teſtimonio ſcripturarum, quorũ alterum ad decorem, alterum verò pro recipientiũ vtilitate impenditur. Priora quippe dona, quæ impertiuntur ad ornatũ, perſuadēt intuētibus & intelligentibus hominem eſſe ſanctum, ſpiritualibus muneribus plenum, Deo dilectum, & cũ eodem intima charitate coniunctum: poſteriora verò ſanctum ſui efficiunt poſſeſſorem, proprio acceptiſsimum conditori, meritiſque cæleſtibus valde locupletem: tametſi nō ſit ſemper hominibus notũ. Ad decorem namque eccleſiæ, multorũque profectum, necnon ornatum percipientium tribuitur aliquibus ad tempus quorundam faciendorum miraculorum dona: nonnullis manifeſtatio futurorum, non omnium, ſed aliquorum quibuſdam autem ſacrorum interpretatio eloquiorum, & his ſimilia. Hæc quidem (vt dictum eſt) oſtendunt, ſed non faciunt ſanctum, & Deo charum. Nam aliquibus malis hominibus cognouimus eadem fuiſſe conceſſa, & nihilominus reprobos extitiſſe, dicente domino: Multi (inquit) dicent mihi in illa die: Domine nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & ſigna multa fecimus? Et dicam illis: Amen dico vobis, neſcio vos, diſcedite a me operarii iniquitatis. Prædixit quoque multa futura poſteris Balaam, & tamen reprobatus eſt. Prophetauit Cayphas pontifex, & in infidelitate deceſsit. Miracula complura fecit Iudas, & demum laqueo ſe ſuſpendit. Huiuſmodi hominibus nihil ad ſalutem proferunt talia beneficia pręſtita, audientibus vero & legentibus plurimum. Admonentur quippe tacite, vt non quærant dona, quæ facile inflant, & demulcent imprudentium corda, ſed potius vt concupiſcant, & a Deo poſtulent virtutes, quæ ædificant primum ſuſcipientes, deinde alios, & reformant interioris hominis ſtatum, latenterque fructificant, foris autem ædificant (ſeruata tamen opportunitate modi, tēporis & actionis, quæ vniuerſa in ipſis conuenire debēt, vt perfectę ſint) Diuina ſiquidem ſapientia humanam prænoſcēs fragilitatem, quàm pro-

Matt. 7.

Ibidem.

na(videlicet)ſit ad caſum,& quā procliuis ad admittendas popularis famæ leues auras,paucis impertitur curationum ac faciendorum miraculorū dona, atque prædicendi futura intelligentiam, tanquā minus ad ſalutem neceſſaria,imò periculoſa ſupra modum, vbi deeſt humilitatis virtus, quæ pro beneficiis ſibi prærogatis ſuperbire neſcit. Nam donorum aggregatio quemadmodum elatis eſt ruinæ occaſio: ita humilibus virtutum multiplicitas efficitur perfectionis materia. Porrò reuertentibus ad dominum diſcipulis,& cum gaudio referētibus, quòd dæmonia illis ſubiiciebantur,ab eodem eruditi audierunt: *Luc.10.* Nolite gaudere,quia ſpiritus ſubiiciuntur vobis: gaudete autem, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis:inſinuans his donis non eſſe lætandum,quæ poſſūt bonis & malis eſſe communia, ſed illis, quæ tribuuntur electis: quibus mediantibus ad regnum cœlorum peruenitur. Non enim ſigna facere,neque futura ante prænunciare quàm fiant,gratificat nos Deo,ſed virtutes ſub humilitatis cenſura cuſtodire. Verum nihil prodeſt nos hominibus apparere laudabiles, ſi proprio diſpliceamus autori. Quamobrem tota animi intentione ſtudeamus humilitatem ſectari,quæ cæterarum eſt cuſtos virtutum: flagitemus quoque aſsiduis precibus cū omnium interceſsione ſanctorum noſtri clementiam redemptoris, vt infundat nobis virtutum cæleſtium gratiam, & potiſsime lumen nō qualecunque, ſed formatæ fidei: per quod valeamus contemptis viſibilibus inuiſibilia intuendo diligere. Sane abſque hoc lumine amoris glutino viſibilibus inhæremus,terrena quærimus,temporalibus inhiamus, & tanquam cæci per affectū viſibilium huc illucq; diſtrahimur. Sola fides eſt, quæ de inuiſibilibus, cæleſtibus,& æternis notitiam præbet,& ſupra id,quod natura capit humana, apprehendit ratio, ſenſus percipit carnis, facit aſcendere atq; ea credendo intelligere, quæ non valet aſpicere oculus, nec auris audire,neq; cor hominis penetrare. Nā ipſa fides,quę pandit arcana,& de inuiſibilibus docet,humano,nequit haberi ſtudio, neque laboribus acquiri, ſed cælitus infuſa, cui vult, donatur à domino:Poteſt .n. per ſanctarum intelligentiam ſcripturarum(quę profecto verba ſunt verbi, & æternæ eloquia ſapientiæ)confirmari fides, augeri & roborari, nō tamen ſic, vt non valeat quotidie in credētis corde clarior apparere. Nam donec veniamus ad ſpeciem,oportet nos ambulare per fidem, & ambulando in fide proficere. Cum venerit (inquit *1.Cor.13* Apoſtolus)quod perfectū eſt,euacuabitur,quod ex parte eſt.Quod vtiq; eſt fides,quæ totaliter eſſe deſinet,cum facie ad faciem cōtuebimur illū, quē in fidei lumine ex parte agnoſcimus. Agnoſcimus(inquā)per imagines rerū,per teſtimonia ſcripturarū, per miraculorū prodigia, per rationes naturaliū, per ſāctorū reuelationes,&per infuſas veritates inuiſibilium (non tamē ſine fide) quæ(ſicut ait Apoſtolus) eſt ſperandarum ſubſtātia rerum, & argumentū non apparentum.Nam vbi eſt manifeſta viſio, non dicitur fides, ſed cognitio: fides autem eſt de rebus remotis à ſenſibus,& ad quas non attingit ratio, niſi in lumine *Eſa.6.* fidei,dicēte Propheta:Niſi credideritis, non intelligetis. Eſt itaque fides pędagogus humani intellectus,index inuiſibilium,& ſpei comes. Nam ab eodē fonte diuinæ largitatis ambæ procedūt, & pariter circa inuiſibilia ſe exercēt. Sic .n. ſpes ipſa à ſapientibus diffinitur. Spes(inquit)eſt certa expectatio futuræ beatitudinis proueniens ex gratia Dei,& meritis. Abſque gratia quippe Dei humana opera grata eſſe nō poſſūt,ſe neq; meritis digna. Cæterū vbi gratia deeſt,& merita, ſpes vera nullatenus ſubſiſtit.Hinc recte colligitur in cordibus infidelium & peccatorū ſpei virtutē eſſe non poſſe, quamuis videantur ſperare futura. *pſal.36.* Spera in Deo (inquit Propheta)& fac bonitatē, vt ſciamus vanā eſſe ſpē, quæ ſine bonorum operum exercitatione concipitur. Quamobrem gaudeat humilitas ſancta,lætentur,& corda humiliū, quę verę ac formatę fidei irradiata ſplendore, atque laudabilium operum meritis decorata futura in cęlis gaudia, nequaquam valent non ſperare promiſsa,concurrēte ſimul ac cooperāte charitate, quę in eorum diffunditur corda per ſpiritū ſanctum,qui gratis à Deo donatur electis quā (videlicet) Apoſtolus diffiniēs ait: *1.Timo.1* Finis autem pręcepti charitas de corde puro,conſcientia bona,& fide non ficta. Per hanc vtique diligimus Deū tāquā ſummū bonū,ineffabile, incommutabile,ſempiternum atque perfectum, & proximū noſtrum ſicut nos in ipſo, ad quem eò ardentius ſuſpiramus,& deſideramus accedere, quò ipſum amamus purius,guſtamus dulcius,clarius intelligimus,amplectimur ſtrictius. Cum enim non ſit longe ab vnoquoque noſtrum, quoniam in ipſo ſumus, viuimus & mouemur: abeſt nihilominus tepidis,infidelibus,& elatis.Sic vero ab his remotus eſt, vt ablato obice paratus ſit accedere propius interpellante charitate, qua prius quàm eſſemus, dilexit nos. Porrò ſi diligimus ardenter, *Ioan.14.* nobiſcum eſt,& ab eo diligimur. Ait namque: Si quis diligit me,ſermonem meum ſeruabit,& pater meus diliget eum,& ad eum veniemus,& māſionem apud eum faciemus. Diligimur(inquam) vt diligamus.Non enim diligeremus,ſi non ante diligeremur. Charitas ipſius noſtrę dilectionis ē efficiens cauſa,quemadmodum & cęterarū, virtutum,quę nequeunt niſi illo præſtante poſſideri, ſed neque eſſe perfectę, aut commendatione dignę. Nam charitas eius, qui (ſicut dictum eſt) per ſpiritum ſanctum infunditur in cordibus noſtris,alias informat virtutes, & meritis locupletes reddit.Quamobrem conſtat quòd linguam habere diſertiſsimam,futura pręnunciare, ſecreta ſcire my-

re myſteria, cuncta temporalia bona pauperibus erogare, montes transferre per fidem, & corpus proprium flammarum incendiis tradere abſque charitate prorſus nihil prodeſt. Reliquæ ſiquidē virtutes exercētur in via, quemadmodum & iſta, acquirunt meritum, proficiunt vſu, & in via deficiunt: ſola vero charitas perſeuerat in patria. Ex viſione namque deſinit fides, ex adeptione concupitæ mercedis tollitur ſpes, ex comprehenſione autem ac fruitione diuinæ gloriæ conſummatur, atque perfecta efficitur charitas, nequaquam tamē augetur vel creſcit, aut mereri valet, prout
1.Cor.13 agit in via, in qua (perhibente Apoſtolo) omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet: in patria verò nihil horum perficit, ſed eorum fructu paſcitur,
Eccl. 4. & nutritur. Hic profecto funiculus harum trium virtutum, qui difficile rumpitur, compedita tenet humilium corda, nec patitur illa extolli, aut à virtutum tramite deuiare, quin potius eleuat ad ſumma, & coniungit Deo, facitque guſtare gaudia ſempiterna pro ſuſtentatione laborū, atque ærumnarum præſentis exilii, eo amplius quo magis ſunt in humilitate fundata. Viciſsim enim ſibi famulantur memoratę virtutes, & optime cum humilitate conueniunt. Nam fides vera, ſpes certa, & charitas ſyncera ſine humilitate nequeunt cuſtodiri, quemadmodum iſte abſq; illis exerceri non poſſunt. Da credentem pure, & reperies ipſum eſſe corde humilem, animaduerte ſperantem non ficte, & cognoſces illum non altum ſapere, poſtremo quære recta animi intentione Deum, & proximum diligentem, & humilitatis virtutem in eo eſſe conſpicies. Eſt quidem hæc virtus ornamētum, & cuſtos nedum earum virtutum, quæ ſuperius narratę ſunt, verumetiam illarum, quæ à catholicis, & eruditis viris cardinales nominantur: per quas vtique humana cōuerſatio laudabiliter ducitur, corriguntur mores, reſecantur vitia, carnis ſuperantur illecebræ, fortiter tolerātur aduerſa, & appetūtur honeſta. Quis (oro) abſque humilitate dicendus eſt prudens, valetque ad rationis normam, quæ cogitat, & quæcunque agit, vniuerſa dirigere, ac nihil præter rectum velle vel facere, cum elatio, quæ humilitati opponitur, & aduerſatur, neq; Deo neque hominibus poſsit eſſe ſubiecta, cupiat ambulare in magnis, principari deſideret, ſibiipſi applaudat, concupiſcatque talem ſe æſtimari à cæteris, qualem ſe eſſe ipſe diiudicat. Non valet quiſquam veraciter arbitrari de aliis, qui ſuperba cogitatione deceptus ignorat ſe. Virtutis prudentiæ hæc ordinata eſt regula, vt vir prudens prius diſcat ſubeſſe Deo, ſibiipſi legem ſtatuere, & ſe humiliter agnoſcere, quatenus poſsit alios, & illa, quæ agenda ſunt poſtea, prudenti examinatione diſponere. Nā oculū, qui debet ſibi obiecta conſpicere, oportet macula carere, atq; velamine, vt lucis ipſe ſit particeps, alioquin tenebris inuolutus, frequēter errare cogetur. Nēpe in lumine prudentiæ diriguntur virtutes reliquæ, conſilia cordium, motus animorum, efficiturque mens rationalis rationis capax, nihil pœnitendum appetit, & in nullo legem moderationis excedit: ſed ſub iugo diſcretionis cupiditatem domat, quod vtique eſt temperantiæ opus. Iſta quippe virtus inſtruit hominem, carnis fugere voluptatem, & omnem abominari incontinentiam, diligere caſtimoniam, pudicitiam ſeruare, cohibere ſenſus à cunctis illicitis actibus, qui valeant fœdare mentem, puritatem maculare, violare corpus, & animum ab intentione caſtitatis inchoatæ reflectere. Hinc gulę appetitum refrænat, ciborum abundantiam reſecat, delitias ventris odit, & in conuiuiis conuiuantium laſciuiā deteſtatur, tribuit naturę, quod ſatisfaciat neceſsitati, communibusque contentus alimoniis exquiſita nō quęrit fercula, coquorum arte condita, quę oris palatum liniunt, ventrem replent, inducunt crapulam, hebetant intellectum, euertunt ſenſum, ſoſpitatem auferunt & interimunt caſtitatem. Qui hac virtute eſt pręditus, neſcit inflari, neque quod Dei eſt ſibi inaniter arrogare valet. Honorem tribuit Deo, cuius dono effectus eſt continens, legem imponit voluptati aduerſus ſe viriliter dimicando, nec minis territus inimicorum, nec carnis ſeductus illecebris, neq; de propriis confiſus viribus, arduum virtutum certamen aggreditur, ſed quadam animi magnanimitate pręuētus, & gratia, blanda & aſpera aduerſa ſimul, & proſpera fortitudinis virtute tolerare contendit (ſeruata cordis humilitate, quę cognoſcit diuino ſemper ſe indigere ſuffragio) Humilis ſiquidem ſuę infirmitatis nō ignarus, quamuis ſit virtutis fortitudinis accenſus deſiderio, moliaturq; toto conamine cęlum diripere, ſeipſum vincere, ſubigere vitia, laborioſa cuncta emergentia conſtanter pati, atque pro ſui cōditoris amore, ac virtutum zelo paratus ſit perferre ignem, ferrum, carceres perſecutiones, contumelias, opprobria, irriſiones, damna, flagella, & mortem, frequenter tamen coram Deo in oratione proſtratus auxilium flagitat ab eo, & robur ad reſiſtendum diabolo, ad pugnandum fortiter, & in agone ad magnanimiter perdurandū. Quemadmodum enim humilitas pauidum, & oratio ſecuū, ita & fortitudo per orationem humilem adepta militem Chriſti facit eſſe audacem. Nā & dominus noſter Ieſus Chriſtus corde humillimus cū vellet ad certamē paſsionis accedere, prius humiliter diutiſsimeque vt calix, qui illi ad bibendum tradebatur, transferretur orauit: deinde tanquam bellator robuſtiſsimus perſecutoribus ſuis ſe vltro obiiciens: verbera, conuicia, crucisque ſupplicium conſtanter excepit. Suo magiſter veritatis & redēptor noſter nos erudiuit exēplo, quatenus in arduis, in oneroſis, & in difficillimis negociis noſtrę fragilitatis humiliter

memores

memores ad tutiſsimum orationis portum confugientes diuinum imploremus præſidiũ, cuius gratia, cuiuſque adiutorio nedum ad perferenda aduerſa & grauia fortiter, verumetiam ad iuſte viuendum, & cuique, quod ſuum eſt, alacriter tribuendum, ſalubriter promouemur, quod vtique agit iuſtitiæ virtus humilitatis vinculo copulata. Nulla etenim virtus rectius efficaciuſque exhibet honorem Deo, proximo dilectionem, & culpam ſibi, quàm humilitatis virtus. Humilis namque vilitatis & paupertatis ſuæ optimè conſcius ſi quod agit bonum, ſi quod rectum cogitat, ſi quod concupiſcit honeſtum aut commendatione dignum, totum gratiæ Dei ipſiuſque bonitati adſcribit, cuius munere intelligit ſe eſſe, quod eſt, neenon Ioan. 15. per ſe valere nihil, dicẽte domino: Sine me nihil poteſtis facere. Hoc credere, hoc confiteri eſt Deum laudare, honorare, & colere: proximo verò reddere debitum eſt ipſum diligere ſicut ſe, non tamen quantum ſe: pro ipſo orare, ipſi humanitatis in neceſſitatibus ſuis obſequium pro poſſe impendere, relaxare ei debita, nequaquam illi ſcandali occaſionem præbere, non de ipſo vindictam expetere, non illi detrahere, nec quicquam mali eidem ex deliberato cõſenſu arrogare, quæ profectò omnia ſunt humilium & manſuetorum vota, qui nolunt quenquam vel in minimo lædere, nec irridere, neque ſupra aliquem ſe extollere, ſed delectabiliter aliis ſubeſſe, atque famulari. Nam ſuimet pondere grauati cæterorum recuſant ſarcinas ferre. Hinc ſuadente humilitate propriam infirmitatem ſtatuunt ante ſe, delicta fletu & cõpunctione diluunt, & aduerſum ſe exoluũt pœnas, quatenus de perpetratis facinoribus ſatiſfacere queant. Hoc quippe facientes, iugiter iuſtitiæ diſciplinam tenent, fortiter contra vitia decertant, temperanter degunt, prudentiæ regulã ſeruant, & in profundam humilitatis vallem ſe accuſando deſcendunt. Deſcendunt (inquam) in ſe per hos virtutum gradus, quos ſub compendio in cultu perſtrinximus, atque per fidem, quę ſpei innixa ex charitate operatur, humilitatis ſcalam procurrendo aſcendunt ad Dei contemplandã viſionem in fide, quæ pugnantibus viriliter promittitur in cęlo futura in ſpecie. Quamobrem humilitatis dulcedine atque vtilitate illecti, omni, qua valent, induſtria elaborant virtutem ipſam congruentibus mediis proficiendo poſſidere.

Quibus conſiderationibus humilitatis virtus nutr.tur, & creſcit. Cap. XIII.

ADepturus quis theſaurũ grãdẽ in ſublimi collocatũ arce, ad quẽ obtinẽdum difficilis ſit acceſſus, & aduerſarii multi, vti opus eſt magna prudentia labore nõ modico. Theſaurus, quippe, de quo loquimur, humilitatis eſt virtus, quæ profectò licet ſit parua apud ſeipſam, & humanis oculis contemptibilis eſſe videatur, oppugnatoreſque habeat plurimos, atq; crudeles, in excelſo tamen virtutum eſt ſita, & ad ipſam maxima cum difficultate pertingitur. Ad illam vtique capeſſendam nõ valet elatus aſcendere, non curis temporalibus præpeditus, non lethalium peccatorum vinculis aſtrictus, neque huius ſeculi immoderato amore detentus. Libera namque cum ſit, expeditos quærit habere poſſeſſores, quæ inferioribus nequaquam contenti ſuperiora & æterna concupiſcant, necnon per eandem ſtudeant deſcendendo aſcẽdere. Ad ipſius quidem humilitatis contubernium quiſquis peruenire deſiderat, eiuſque familiarem præſentiam in ſecreto cordis ſui thalamo indiſſolubiliter cuſtodire, illa inhianter facere contendat, quæ ſunt humilitati copulata atque connexa. Diſcat ante omnia humilitatis amator propriæ infirmitatis habere notitiam, & frequenter habitare ſecũ. Hęc incipiẽtium, hęc proficiẽtiũ, necnon & perfectorum communis eſt regula, quam qui ſectari neglexerit, verus humilis prorſus eſſe non poterit. Nam quemadmodũ ad ſuſtentãdũ corpus humanum neceſſarius eſt cibus, ad tranſfretãda maria opportuna eſt nauis, necnon ad diſcernendũ colores & corpora expediẽs eſt lux: æque ad adipiſcendam cordis humilitatem ſuimet debet cuique ineſſe cognitio, quæ non raptim aut per longa cõſiderationis interualla, ſed per iugem ſecũ commorandi habitum (Dei eo operante gratia) poſſideatur in mente. De hac quidem materia, quoniam longo ſermone ſuperius diſſertũ eſt, impræſentiarum decreui nil ſcribere. Patet quippe veritas iſta, & ab intelligentibus ac in ſpiritu ambulantibus negari nõ valet. Eſt enim luce clarior & ſole ſplẽdidior, atque ita rationali creaturę nota & propinqua tãquã ſi contrectaretur manu, digitoque perſcrutaretur. Expertus profectò vim diiudicat verbi, propterea corde credit, ore confitetur, & palàm voce pronunciat, vnde de hoc ſatis. Aſſueſcat igitur humilitatis diſcipulus, necdũ propria infirmitate agnita, habitare ſecum, verũetiam peccatorum ſuorum frequenter cogitare, quàm innumerabilis ſit numerus, quã graue pondus, quãtiſque ſint tempore ſuo purganda ſuppliciis. Quis (oro) in hac conſideratione ſuſpenſus non metuit? quis non cõpungitur? quis nõ emittit gemitus? lacrymiſque repletur? quis (inquam) mentis ſuæ compos reuoluens ſecum quanto tẽpore, quibus modis, qua intentione praua, quam voluptuoſe, quàmve ardenter deliquerit ſpreta Dei præſentia, quæ vbique adeſt, & ſingula intuetur: contempta ipſius lege, quæ prohibet perpetrati illicita atque nefaria, neglecta eius iuſtitia, quæ nihil prætermittit inultum, oblita iudiciorum illius præteritorum ſeueritate tremenda non contremiſcat, non ſe humiliet, humique, ſaltem corde, proſtratus non petat veniam, miſericordiam non imploret, emendationem non

ſpondeat, atque pro agenda pœnitentia viuendi inductis humilitate non requirat? Inſipientium prorſus, deſperatorum, infideliũque eſt nolle iſta cogitare, quæ veriſsima ſunt, diuina autoritate roborata, digito Dei conſcripta, ſanctorum teſtimoniis confirmata, prophetarum oraculis promulgata, & multis tam iuſtorum, quàm peccatorum exemplis propalata, atque digeſta: humiles verò hęc ſcribunt in corde, de ipſis ſępiſsime meditantur, ac memoriter tenent percipientes ex ipſis fructum ſpiritualem non modicum, Dei & ſui clariorem notitiam, humilitatiſque ſingularem profectum. Non enim poſſunt ſe extollere, ac mentis ceruicem erigere, qui innumerabilium, obſcœnorumque criminum ex præterita conuerſatione reos ſe eſſe cognoſcunt. Quamuis miſericordem ſciant ſe habere patrem, intelligant tamen eundem eſſe & iuſtum, miſericordem vtique humilibus, elatis verò iuſtum. Vt ergo iudicis ſeueritatem effugiant, facinora antea acta fletibus, gemitibus, & humilibus acclamationibus aduerſum ſe prolatis diluunt, quotidianiſque pœnitentiæ operibus tergunt. Verum vt paternę benedictionis aſſequantur gratiam, quæ prærogatur humilibus, præſtita ſibi beneficia recogitare frequentant. Pertractãt quippe aſsidue ſecum diuinæ bonitatis ineffabilem charitatẽ erga ſe gratis ac nullis meritis præcedentibus exhibitam. Nam ipſis minime exiſtentibus credunt, & confitentur ſe ad conditoris ſui formatos eſſe imaginem, rationales, beatitudiniſque capaces, aqua & ſpiritu regeneratos, necnon in filiorum Dei numero aggregatos, fideles de fidelibus & cum fidelibus nutritos, Chriſti carne cibatos, ac ſacratiſsimo cruore potatos, ſacramentorum eccleſiæ participes effectos: de fide & Dei regno imbutos, atque ad nuptiale conuiuium eſſe humaniſsime inuitatos. Rememorantur præterea in immane delictorum præcipitium ſæpiſsime decidiſſe, indeque Dei munere repẽte fuiſſe erutos. O quoties experti sũt diuina gratia extitiſſe præuentos, eleuatos poſt caſum, atque ne caderent eruditos, ſui cordis domino pulsãte ad ianuam. Dignatur enim, quemadmodum ipſe teſtatur, ſtare ad oſtium interioris domus, & vt ſibi aperiatur pulſare aſsidue. O mira clementia redemptoris, ò inenarrabilis dilectio pietatis, ĩclinat ſe medicus ad ægrotum, ad ſeruum dominus, ſummus ad infimum, creator ad creaturam, diues ad pauperem, pater miſericordiarum ad miſeriarum filium tabe, inediaque conſumptum, vt iacentem erigat, reficiat famelicum, cæcum illuminat, reuocet errantem, reconciliet prodigum, & mortuũ reuiuiſcere faciat. Taceo proferre in mediũ ea, quę verbũ Dei per aſſũptã humanitatem egit in carne, quę profecto ſunt dilectione plena, charitate ignita, virtutibus fœcunda, humilitate conſpicua, necnon admiratione digniſsima. Prætermitto ſigillatim dicere, quanta per angelicos ſpiritus, cælorumque virtutes humano generi ſunt prærogata obſequia. Ipſi nanque (Apoſtolo perhibente) ſunt adminiſtratorii ſpiritus in miniſteriũ miſsi propter eos, qui hęreditatem capiunt ſalutis. Aſcendunt quippe à nobis ad Deum, noſtras orationes perferunt, offerunt vota, opera noſtra denunciant, gratiam ampliorẽ impetrant, & quantum valent, nos Deo gratificant: deſcendunt verò alacres & feſtiui ad nos fructum deprecationum noſtrarum deportantes ſecum, atque actionum laudabilium condignam mercedẽ. Nos hortantur, nos inſtruunt, nobis conſulunt, cautoſq; nos reddunt, non loco, non tempore ab inchoato vacant miniſterio, noſtrum ſemper deſiderantes profectum, ac Dei gloriã infatigabiliter quęritantes. Nedum autem beatorum ſpiritus charitate, ſapientia, & ſalutis animarum zelo, præditi noſtræ, ſicut dictum eſt, vtilitati deſeruiunt, verumetiam creaturæ cæteræ his inferiores gratia, dilectione, & opere, ſuo etenim modo à Deo inſtitutæ famulantur nobis diuino obſequentes imperio, noſtram quoque reprehendunt elationẽ, qui negligimus conſiderare creatoris noſtri bonitatem, donorum numeroſitatem, ac vilitatem noſtram, videlicet, quis, quid, & quibus. In hac quippe triplici meditatione mens rationalis intenta prorſus ſtupet, atque in humilitatis virtute ſolidatur. Nempe ſi diligenter ſapientis autoritatem inſpicimus, præ admiratione deficimus. Ipſe namque eſt, qui vniuerſa ſuæ potentiæ iuſſu creauit ex nihilo, & ſapientię ſuæ conſilio gubernat, & ordinat, necnon bonitatis ſuæ dulcedine ſuſtentat, & fouet. Ipſe, inquam, eſt, à quo omnia, per quem omnia, in quo omnia, quo nihil eſt dulcius, nil maius, nil ſpecioſius, nihil cognoſcitur fortius, guſtatur iucundius, tenetur charius, ardẽtius concupiſcitur, amatur purius, delectabilius poſsidetur, ampleſtiturque ſuauius, cuius delicię nunquam faſtidiunt, diuitiæ nõ decreſcunt, theſauri non deficiunt, dona non minuuntur, nec gloria finitur: quem diligere gaudium eſt, laudare iubilus, intelligere ſalus: in quem credere vita eſt, in quem ſperare æterna merces, quem, ſicuti eſt, inſpicere exiſtit beata fruitio. Hunc de quo loquimur, non capit ſenſus quia ſpiritus eſt, non profert lingua quia ineffabilis eſt, non percipit intellectus quia lux inacceſsibilis eſt, non anguſtat terminus quia immenſus eſt, non includit locus quia incircunſcriptibilis eſt, ſed neque variãt caſus quia immutabilis eſt, ſemper idẽ eſt, quod eſt, ſine initio æternus, ſine fine omnipotens, abſque cõparatione ſummus, ſine viciſsitudine beatus, ſine falſitate verax, ſine crudelitate iuſtus, ſine blanditiis miſericors, & abſq; ſui detrimento bonus. Præſtat ſiquidẽ beneficia ſua iuſtis & peccatoribus, bonis & malis, fidelib. & incredulis, amicis & inimicis, adultis & infantib. electis & reprobis adeò

Heb. 1.

adeo vt nullus donorum eius participatione valeat eſſe immunis, quorum vtique nonnulla ſunt communia vniuerſis, & intelligentibus ſunt in propatulo atque notiſsima, quædã verò ſunt ſpecialia prærogata non omnibus, ſed multis tã bonis quã malis, de quibus particulariter retexere & enodare ſingula laborioſum prorſus eſſet atq; difficile, aliqua ſunt ſingularia data vnicuiq; plus & minus pro beneplacito tribuentis, dicente Apoſtolo: Alii quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alii ſermo ſcientiæ ſecundum eundẽ ſpiritum, alteri fides in eodem ſpiritu, alii gratia ſanitatum in vno ſpiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem ſpiritus diuidens ſingulis, prout vult. Quid, quantumque quiſque ab vniuerſorum percipiat domino, ſolũ notum ei eſt, qui præbet, cui nuda & aperta ſunt omnia, & ex parte illius, cui donum impenditur. Audeo nanque dicere, neminem eſſe corruptibili carne veſtitum, qui ad plenum intelligat, quid ipſe amiſerit, tum ratione incomprehẽſibilitatis excellentiæ largientis, tum etiam reſpectu multitudinis beneficiorum atque recipientis paruitatem, quæ omnia humanum ſuperexcedunt intellectum. Nam quò tribuentis perſona eſt dignior, eò ſumentis perſona eſt obligatior, oportetq; erga benefactorem ſuum eſſe humiliorem. Quamobrem redeat homo ad ſe, & oculo fidei intueatur, quantus ſit Deus, à quo habet, quæcũq; amabilia, vtilia, & honeſta poſsidet, ad cuius cum repercuſſus indaginem a lumine pro ſuæ gloriæ diuino ſplendore attingere negat ad id, quod quærit, ſe quantum valet humiliet, vilitatemque propriam confitendo ipſum laudet, veneretur, & colat, non ſolũ pro ſeipſo, qui omni dignus eſt laude, verumetiam in donis ſuis maximis & præclaris, quæ ſibi indigniſsimo ac contemptibili ſunt collata vermiculo, ſuamque excedunt menſurã. Quæ enim comparatio creatoris ad creaturam? & Dei ad cinerem & fauillam? Quid eſt autem Deus? Bonum vtique ſummum, incommutabile, ineffabile, & æternum. Quid verò homo? Prorſus putredo, puluis, & vermis. Si attendamus in primo homine ad eius originem, nonne de limo terræ plaſmatus eſt? Sic enim legitur: Fecit igitur Deus hominem de limo terræ, & ſpirauit in eo ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem. Verum ſi ad communem cæterorum hominum procreationem inſpicimus, quid illo vilius? quid deſpicabilius? De viliſsima quippe eſt conceptus materia, in carcere vteri materni concluſus cum dolore patientis & naſcentis periculo, non ſine vagitu & lachrymis in huius mundi productus exilium, atque eodem temporis momento, quo inchoat viuere, mori incipit. In iſtius vtique vitæ decurſu ad mortem quantas quotidie patiatur calamitates, quot ſuſtineat paſſiones, quibus corporis ſubiaceat periculis, quàm variis & inopinatis ſit expoſitus caſibus, humano non valet explicare eloquio. Taceo de ægritudinibus febrium, dolorum, vulnerum, cęterorumque mẽbrorum afflictionibus, ex quibus alternatis lãguoribus ſingulis pene horarum momentis cruciatur atteritur, flagellatur: ita vt præ nimiis, diuerſiſque preſſuris vita hominis merito appellanda ſit mors, eò verius eoque flebilius, quò idem homo, qui viuendo occumbit, & in miſeriis verſatur gaudens, necnon quid patiatur, ignorat, more eorum, qui tranſeuntes per nundinas, plateas, & ioca ad extremum lætanter ſupplicium pergunt nihil cogitantes, neque formidãtes, quàm durus eos poſt paululum maneat cruciatus. Lugenda prorſus eſt mortalium iſta conditio. Diſsimulat enim homo intelligere, qualis ſit, quò peregrinetur, quid patiatur incommodi, non minus in ſe quàm extra ſe, quò tendat, quidve de illo futurũ ſit, vt valeat in hac vita abſque contradictione lętari. Nauigat per hoc mare magnum & ſpacioſũ, expoſitus eſt periculis intellectualium piratarum tument proceloſi æquoris vndæ, naufragiumque minantur, mortemque imminere denunciant, & infelix homo indultum ſibi ad bene operandum tempus amittit inſipienter, poſt tergum reiicit & obliuioni tradit ſe mortalem eſſe, & citiſsime moriturum, atque ante æquiſsimi tribunal iudicis domini noſtri Ieſu Chriſti eſse ſtatuendum, excepturumque ſententiam aut damnationis æternæ, aut ſalutis perpetuæ: quod quidem formidoloſum eſt, & ſupra modum tremendum ſolummodo cogitare, præſertim cum (ſacro perhibente eloquio) nemo ſciat vtrum odio an amore ſit dignus. Certus quippe eſt vniuſcuiuſque finis, incertus verò terminus, & ſententia dubia, vtrum à dextris an à ſiniſtris in futura vita & regeneratione facienda, eſt quiſque locandus. Propterea beatus ille cenſendus eſt, qui ſemper eſt pauidus, & qui omni qua valet induſtriá corde vigilat, & per interiorem cõſiderationẽ frequẽter tractat ſecũ nedũ illa, quę ſuperius memorata ſũt verũetiam per exteriorem conuerſationem atque actuũ ſuorum diſciplinam ſe exercere virtuoſe ſtudet, necnon veraciter humiliare conatur.

1.Cor.12.

Attende quid; Deus. quid homo

Prou.28.

Quòd rationalis homo debet præmeditari finem, ad quem operum ſuorum intentionem dirigat, & quis verus ſit finis. Cap. XIIII.

Peregrinantes in hac præſẽtis vitę vaſtiſsima ſolitudine oportet nos non ignorare quò tendimus. Nam ambulare quotidie, non pręmeditato noſtri itineris fine, imprudẽtiſſimum eſt. Hoc quidem irrationabilium iumẽtorũ eſt proprium, ſenſu (videlicet) carnis nõ ratione moueri, pergunt vtique & ignorant quò. Il-

lis autem indulgendum eſt, nobis verò minime. Carent quippe diſcretione & iudicandi inſtrumento, non corporali, ſed ſpirituali. Quod eis natura, imò inſtitutor naturæ, & conditor nõ dedit, exercere non poſſunt, homo verò non ſic. Rationalis eſt factus, cæteris prælatus creaturis, æqualis angelis ſecundum interiorem hominem, Deo tamẽ incomparabiliter, & omnino inferior: quãuis ipſius ſit inſignitus imagine, atque ſimilitudine decoratus, quam profecto tunc honorat, & diligit, cum virtutum eſt imitator ac cultor, operaque ſua ad ipſum, quem ſuadet ratio, virtus exigit, compellit debitum, præcipit Deus, deducit finem. Non autem illum dico finem, quo perficiũtur opera, & complentur, ita vt oĩs nil deſit; ſed neque ipſum aſſero finem, in quo vniuerſæ conſummantur virtutes, de quo Apoſtolus ait: [1.Tim.1.] Finis autem præcepti eſt charitas de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta: de quo, videlicet, Propheta narrans inquit: [Pſal.118.] Omnis conſummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis. Eſt verò alius finis verus, perfectus, & non habẽs finem, quemadmodum nec principium. Finis iſte immenſus eſt, & nulla conſummatione coarctatur, quin potius in ipſo conſummantur omnia, cõtinentur, & viuunt, quia eſt omnium vita, cuncta viuificant potentialiter & effectiue, vt ſint, quod ſunt. Finis hic Deus eſt, qui de ſe teſtatur dicẽs: [Apoc.1.] Ego ſum alpha & omega: principium & finis. Ad hunc vſque finem, qui Deus eſt, debet homo vniuerſa opera ſua dirigere, non quòd horum indigeat, ſed vt ei placeant, approbentur ab illo, mercedeque munerentur æterna. In hoc, inquam, fine mentis eſt erigenda intentio, conſideratio formanda, ſtatuendus amor, collocanda ſpes, fides roboranda, metiendæ virtutes retributio quærẽda, & beatitudo optanda. Nã aliunde hanc ſperare vanũ eſt, & in incertum currere, atque ad concupitam rem nunquam pertingere. Ipſe profecto eſt via, ipſe finis, ipſe merces, ipſe retributor, ipſe gloria. Omnia ſiquidem in ipſo, omnia ab ipſo & vniuerſa ipſe, quem ſiquis poſſidet, habet omne bonum, & ad quem qui ſimpliciter tendit, ipſo duce, directore, gubernatore, ac adiutore peruenit. Vox quippe illius eſt: [Ioan.14.] Nemo venit ad patrem niſi per me. [Ioan.10.] Alio quoque in loco: Per me ſiquis introierit, inquit, ſaluabitur, ingredietur et egredietur, & paſcua inueniet. Vides finem, ad quem ſuſpirare debeas, cernis & oſtium, per quod ingredi te oporteat, ne fur & latro eſſe deprehendaris. Optimus eſt finis, & oſtium patens. Curre velociter, propera, feſtina, & omnẽ rũpe moram, ingredere donec dies eſt, & lucet tibi meridiana lux. Si piger fueris, ſi infidelitatis ſomno depreſſus ambulare neglexeris, caue ne contra te, quemadmodum aduerſus fatuas virgines, claudatur ianua, & ſerò ingeminãdo clames, domine domine aperi mihi, audiaſque cum mœrore: ignoro te. Finis itaque, ad quem pergere oportet, ſicut dictum eſt, Deus eſt: oſtium verò, per quod introitur, Deus, Dei & hominum mediator eſt homo Chriſtus Ieſus: via verò per quam inceditur, ipſe idẽ eſt, qui & oſtium, vtrunque ſe eſſe aſſeuerat. [Ibidem.] Ego ſum, inquit, oſtium, ego ſum via. Nunquam intrabis per oſtium, ſi per viam incedere contempſeris. Via enim ad oſtium dirigit, & per oſtium ad finem ingreditur, in fine vero pax, gaudium, beatitudo, & ſatietas percipitur. Satiabor (inquit cæleſtiũ contemplator) [Pſal.16.] cum apparuerit gloria tua. Via, qua pergitur, humilis eſt, humilitatem inſinuat, humilitatemque commendat. In ipſa humilitate, quæ reperitur in via, & quam imitari debemus, nihil eſt altum, nihil curuum, nihil illecebroſum, nihilque quod carnem ſapiat, quod mundo placeat, quod terrenum aliquid concupiſcat, ſed totum quod in illa eſt, glorificat Deum, redolet ſanctitatem, intuentes ædificat, & ſeculi cõtemptum docet. Porrò iſtius virtutis profeſſores eruditi ab ipſa omnem fugiunt dignitatẽ, omnem abhorrent faſtum præſentis vitæ, & quicquid poteſt allicere humanum affectum ad delectationẽ tranſeuntis gloriæ, eligentes cum propheta potius abiecti eſſe in domo Dei, quam habitare in tabernaculis peccatorum. [Pſal.83.] De ſe nanque ſuſpecti ſunt, de ſe diffidunt, & de ſe formidant agnoſcentes ſe eſſe infirmos, in tentationibus debiles, ad lapſum faciles, & ad elationem pronos. Hinc eſt quòd honorari renuunt, laudari metuunt, necnon & conuerſationem potentium, eccleſiaſticorum prælatorum, ſeculi huius ſapientum, & eorũ, quos vulgaris fama, multitudo diuitiarum, officia magiſtratuum extollunt, & felices eſſe oſtendunt, quãtum eis licet, declinant (ſeruata nihilominus erga ipſos ſubiectione & reuerentia congrua, ſciẽtes apoſtolum Petrum fidelibus ſic ſcripſiſſe: [1.Pet.2.] Subiecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue regi quaſi præcellenti, ſiue ducibus tãquã ab eo miſſis ad vindictam malefactorũ, laudem verò bonorum, hęc eſt enim gratia in Chriſto Ieſu domino noſtro.) Deferunt quidẽ dignitati, & præſidenti in illa obtemperant, verum vt ſaluti propriæ conſulant, ipſorum potentum ſocietatem, colloquia crebra, lauta conuiuia, & mores deuitant, arbitrantes ex talium frequentatione puritatem ſuam facillime poſſe corrumpi. Fugiunt quippe humanam gloriam, & temporalem ſublimitatem, quam eis non licet neque ambire nec quęrere. Futuri ſeculi ſempiterna gaudia, ineffabiles voluptates, & honorabiles dignitates expectant, propterea præſentis exilii proſperitatibus ſponte renunciant. Sciunt nãque præſentis atque futuri ſeculi neminem frui poſſe deliciis, quamobrem ſe macerant, ſe affligunt, ſeq; humiliant domini Ieſu imitantes veſtigia. Ipſe etenim præceptor cęleſtis in omni conuerſatione ſua humilitatis exemplum præbuit. Vt igitur prætermittam

mittam

Digitized by Google

mittam cætera, nuſquam legimus ipſum familiaritatem habuiſse cum regibus, principibus, vel mundi magiſtratibus: neque eorum interfuiſſe conuiuiis quin potius abdicatis à ſe illorum conſortiis, turbis, ac populis, mediocribus & infimis, & vtriuſque ætatis verbum Dei prædicaſſe, corporis alimoniam tribuiſſe, potentiæ ſuæ exhibuiſſe miracula, atque eum eiſdem regnum æternum denunciando peragraſſe ciuitates, vicos, caſtella, deſerta & maria: ſed neque prohibuit ad ſe accedere debiles, claudos, pauperes, cæcos, ſurdos, leproſos, vexatos, & pueros. Omnes confugientes ad ipſum ſuſcipiebat vt filios, vniuerſiſque impertiebatur vitæ verba, ſalutis monita, ſanitatum beneficia, & præclara documenta virtutum. Humilis præceptor & dominus humiliter amplectebatur paruulos, abiectos, & mœſtos. Non ſolũ admittebat vt alienos & aduenas, verumetiam horum ſimiles in diſcipulos elegit & ſocios. Porrò ſi apoſtolorum ante vocationem illorum conſiderentur geſta, genus, & mores, cognoſcuntur fuiſſe pauperes, ex manuũ induſtria victum quæſiſſe, natione ſecundum carnem extitiſſe ignobiles, ſine genealogia, abſque literis, rudes ingenio, incompoſitos moribus & tales quos mundus pene dedignabatur aſpicere, aut nominare. Huiuſmodi Dei ſapientia elegit in diſcipulos, vt ſeculi ſapientiam, & ſuperborum elationem per eoſdẽ proſterneret, atque conuinceret. Quod ſuo Paulus

1. Cor. 1. lus conuerſis ſcribens confirmat teſtimonio: Videte (inquit) vocationem veſtram fratres, quia nõ multi ſapientes ſecundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, ſed quæ ſtulta ſunt mundi, elegit Deus, vt confundat ſapientes, & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia, & ignobilia huius mundi & contemptibilia elegit Deus, & ea quæ non ſunt, vt ea quæ ſunt, deſtrueret, vt non glorietur omnis caro in conſpectu eius. Vocauit itaque mediator noſter Deus humilis & redemptor, ſicut euangelica narrat hiſtoria, apoſtolos viros per omnia ad mundi conuerſionem, & ſeculi conuincendos errores, per ſeipſos inhabiles, vt ipſe qui elegit, eorum operum autor eſſe crederetur. Succedentibus autem temporibus vſq; impræſentiarum inglorios pro maiori parte, & ignobiles à communi hominũ ſegregat conuerſatione, & ſuo mancipat famulatui, necnon diuerſis ornat virtutibus, quatenus ipſi intelligentes quid fuerint, in humilitate ſe ſternant; intuentes verò eorum commendabilẽ vitam non vocatis, ſed vocãti tribuant gloriam. In hoc ſiquidem ſectatorum Christi comprobatur humilitas (videlicet) ſi ipſi quemadmodũ (eorum dominus) declinant potentium ac ſuperborum conuerſationem & geſta, & adhærentes humilibus in moribus, actibus, atque veſtitu conformes fieri nituntur eiſdem, humilitatis ſiquidem poeſſſſorse, in moribus ſunt modeſti, circunſpecti, tractabiles, mites, compoſiti in ſermone, omnique honeſtate redimiti: in veſtitu verò ſuperfluitates cunctas reſecant, muliebremque ornatum omnino deuitant, per ipſum agnoſcentes carnis nutriri petulantiam, & Chriſti ſeruis nequaquam congruere, in quibus mundi debet elucere contemptus. Nam precioſus indumentorum apparatus ad hoc repertus eſt, vt ad concupiſcẽtiam ſeu ad humanam alliciat gloriam tam deferentium quam intuentium animas, quę creaturarum decore atque ſenſuum carnalium voluptate paſcuntur. Ad ignominiam quippe & tenacitatis vitium ſibi adſcribi arbitrantur nobiles ſecundum carnem diuites, & elati, ſi non præ cæteris ſumptuoſius veſtiantur & eminentiores atque laude digniores æſtimentur, non intelligentes quòd verus cultus hominis in virtutum ſplendore ſubſiſtit. Caro namque precioſis ac deauratis indumentis cooperta, monilibus ornata, ſertiſque præclaris compoſita quid aliud eſt, quàm caro fœtida, corruptibilis, necnon ex omni corporis meatu ſcaturiens in ſaniem, fœtorem, horridum, & corruptam materiam, quam non valet ſuſtinere viſus, olfactus percipere, neque ipſa hominis natura perferre? Talis cum ſit, neceſſariis eſt tegenda indumentis, pro qualitate & ſtatu perſonarum, modeſte nihilominus, vt arceatur illius neceſsitas, & ſuperfluitas præcidatur, tollaturque ambitio & inanis iactantiæ gloria. Porrò ſi indumentorum faſtus non eſſet damnatus, de Luc. 16. epulone diuite purpura & byſso veſtito, ac in inferno ſepulto Saluator noſter nequaquam in prędicationibus ſuis intexuiſset hiſtoriam econtrario quoque non commendaſset Ioannem, qui de Matt. 3 Mar. 1. pilis camelorum tegumẽto vtebatur. Claret procul dubio, quod quemadmodum indumenta precioſa & vana ſuperbiam, ita & vilia atque abiecta humilitatem pariunt. Nemo cum ſordidis veſtibus, & conciſis procedit ad publicum, vel cæteris conuerſationibus commiſcetur nobilium, vt ex ipſis gloriam captet humanam. Nam (perhibente domino) qui mollibus induuntur, in domi- Matt. 11. bus regum ſunt. Vilis habitus & incultus ſponte delatus approbatum eſt humilitatis indicium, in iis (videlicet) qui carnalibus à ſe abdicatis illecebris, ſeculi contemptum in ſua cõuerſatione portendunt, quorum vtique vita ita debet irradiare virtutibus, vt nihil in eis dignum redargutione appareat. Quadam decet eos eſſe mediocritate contentos, atque diſcretionis libra vniuerſos actus, habitus, mores, ſermoneſque diſcutere, quatenus ſingularitatis exterius effugiant notã, & humilitatis cenſuram in corde cuſtodiant. Cõgruit quippe, vt verus humilis, quantum humanę fragilitati fas eſt, ſit in omni virtute perfectus, interiora ſua coram Deo ſic ordinet, vt proximum etiam ſua exteriora ędificent. Nam præter illa, quæ ſuperius memorata ſunt, oportet humilem

lem

Digitized by Google

lem labia habere circuncisa, veracem linguam, diſciplinataque eloquia. Nihil profecto ſic decorem humilitatis euacuat, quemadmodum effrenata lingua oblocutionibus, procacibusq; aſſueta
Luc 6 ſermonibus. Bonus homo (inquit magiſter veritatis) de theſauro ſuo profert bona. Et ego dico, quòd vir humilis, verba profert ſale condita, veritati innixa, pudica, compoſita, vtilia, manſueta & dulcia. Nempe in illo non inuenitur duplicitas, non fraus, non meditata calumnia. Quod gerit in corde, & fari licet, ſimpliciter proferre ex ore ſine verborum phalera, & abſque vllo mendacio, nequaquam detractionibus vacat, non contentionibus inſiſtit, non fabulis, non nugis, neq; ſermonibus ſcurrilibus intentus eſt. Nouit vtique quòd ex his vanis collocutionibus frequentiſſime offenditur Deus, præuaricatur lex, ſcandalizatur proximus, diſſoluitur animus, coinquinatur mens, frigeſcit charitas, tempus amittitur, hebetatur intellectus, tepeſcit oratio, emergunt iurgia, oriuntur lites, veritas impugnatur: ſilentii cōtemnitur rigor, & cuſtodiæ interioris domus frena laxātur. Porrò amator Dei, virtutum zelator, & humilitatis cultor omnem ſui conditoris quantum valet, declinat offenſam cogitationis, delectationis, locutionis, & operis. Quamobrem ori
Pſal. 38 ſuo (iuxta Prophetæ ſententiam) peruigilem adhibet cuſtodiam, vt non delinquat in lingua ſua, & ex illa, in quæ non licent, verba prorumpat, & potiſſime iactantiæ, quæ profecto in loquentis ore ſordeſcunt, commaculant conſcientiam, &
Prou. 27 opera laude digna deturpant. Alienum (inquit Sapiens) nō tuum os, laudet te. Extraneum prorſus ab humilitatis extat virtute propriæ commēdationi inſiſtere, & alienæ laudis operum ſuorū expectare mercedem. Qui enim à Deo cognoſcit percepiſſe bonum quod habet, largitoris muneris, & nō ſuimet debet concupiſcere gloriam, alioquin alienæ rei deprædator eſſe conuincitur: & inde per culpā ſupplicium meretur, vnde gratiam valebat adipiſci & gloriam. Beata plane humilitas, quæ ſolius Dei contenta teſtimonio, quod honoris, quod commendationis, quod gratiæ, quod virtutis, quod gloriæ, habere ſe conſpicit, totum ſuo tribuens redemptori, non minus voce quàm corde, cum Propheta depromit di-
pſal. 113 cens: Non nobis domine, non nobis, ſed nomini tuo da gloriam.

Quòd pernicioſa ſit ingratitudo, & de diuerſis ſpeciebus fucatæ humilitatis. Cap. XV.

EXperientia teſte, necnon innata ratione ſuadēte didicimus, nihil ſic aduerſari ſuſcipientibus in virtutum exercitatione, atque in omni laudabili bono proficere, quemadmodum ingratitudo, quæ ignorat debitas Deo perſoluere laudes, chariſmata percepta agnoſcere, & ſe in propriæ vtilitatis æſtimatione humiliter cuſtodire. Quod enim Dei eſt, quodque gratis accepit, arrogat ſibi tanquam ſi eſſet propriū, & à ſeipſo quod eſt. Obliuiſcitur, qui ingratitudinis lethali morbo tabeſcit, dominici ſermonis, quem ad inferendam humanis mentibus humili-
tatis virtutem veridico protulit ore, cum ait: Si- Ioan. 15
cut palmes nō poteſt fructum ferre à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ſic nec vos, niſi in me manſeritis. Ego ſum vitis, vos palmites: qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia ſine me nihil poteſtis facere. Priuate quidem quum vult ingratitudo de alieno laudari renuēs conſiderare quid ſit, & quid poſſit à ſe: merito quod ſibi donatum eſt, amittit: necnon & iis, quæ nondum accepit, ſed reddit indignam. Diſperdit vtique repentè aggregatas cum ſudore maximo ſpirituales diuitias: obſtruit contra ſe oſtiū diuinæ bonitatis; miſericordiarum Dei exiccat fontem, & chariſmatum cæleſtium communicatione ſe priuat. Non autem ſic humilitas vera. Nam quò amplius potiora admittit beneficia, & quò magis ſe ditari cognoſcit ex munere, eò ardentiores gratiarum Deo exhibet actiones, coq; ſolertius ſe fatetur ingratam, & cordis ſui diligētius ſecreta rimatur. Nouit quidem erudita per gratiam, multifarias ſub tegumento humilitatis latere inſidias, multoſque hac occaſione fuiſſe deceptos. Non omnis, qui in ore aut in exterioribus geſtis humilitatem oſtēdit, humilis eſt: ſunt enim quidam viri elati & ſubdoli, qui humilitatē portendunt in facie, & adulantia verba promūt ex ore quorum interiora plena ſunt fraude, atque odio reſperſa veneno. Hi profecto quanto magis ſe humiliare videntur, tanto deteriores ſunt, cautiuſq; vitandi. Ad hoc quippe humilitatem fingunt, vt ſuſpicionis ab audientium animis amoueant cogitatus, & poſſint eò validius ſimpliciū corda mollibus penetrare eloquiis, quò ſub humilitatis velamine eadem purius prolata eſſe cre-
dantur. Loquuntur (inquit Propheta de talibus) pſal. 27
pacem cum proximo ſuo, mala autem in cordibus eorum. Hac fucata humilitate, machinationibus prauis, doliſque referta, ò quoties aduerſus Dei ſapientiam humana eſt vſa malitia? O quàm ſæpe ſcribæ & Iudæorum Phariſæi liuoris flamma ſuccenſi verbum, quod erat paſſibili carne veſtitum, in quo vtique omnes theſauri ſapientię &
ſcientiæ Dei latebant abſconditi, meditati ſunt Prou. 21
fallacibus interrogationibus in ſermone deprehendere, ac veraciter accuſare: ſed, ſacro perhibente eloquio, non eſt ſapientia, non eſt prudentia, neque conſilium contra dominum. Parabāt inſidias, & detegebantur: componebāt fraudes, & elidebantur: interrogabant dubia & eludebantur: teſtimonia proferebant ex lege, & confutabantur. Repercuſſi quidem à lumine verbi non valebant ferre ſplendorem. Quando enim ambulantes in tenebris, & malitia obcæcati ſuſficerent circuire ſapientiam, quę propter ſui mun-

ditiam pertingit vſque ad diuiſionem animę & ſpiritus: ſcrutatur cogitationes & cōſilia cordiū, latebras penetrat mētium, & deſideriorum arcana perluſtrat. Arguebantur, confundebantur, repellebantur, nec corrigebantur: quoniam veritatem ipſam falſis obiectionibus deliberato animo oppugnare nitebantur: quod iuxta eiuſdem ſententiam ſapientiæ eſt peccatum irremiſsibile, nec nō inexpiabile ſcelus. Huiuſmodi homines dolo ac ſimulatione repleti, qui vt commodius ſuum ſupplantent proximum, humilitatis virtutem oſtentare conantur, difficile emendantur: verumtamen apud Deum nihil impoſsibile eſſe probatur. Eſt & aliud hominum genus, qui ſub imagine humilitatis ſanctitatem fingunt, Deo autem latere non poſſunt. Omnem iſti adhibent diligētiam, quatenus humiles eſſe appareant, ſeculi cōtemptores, ſectatores virtutum, orationi dediti, paupertatis amatores, ieiuniis macerati, attenuati pœnitentia, & corpore ob ſpiritus nimium feruorem confecti. Laudes hi tales dum quærunt humanas, æternæ remunerationis efficiuntur expertes. Pro breuiſsima & inani voluptate, delicias commutant perpetuas. Inſipientes prorſus huiuſmodi ſunt, qui abſque fructu carnem affligunt, & ſine ſpe veniæ gratiam ſe percepiſſe inſinuant. Mentiuntur hominibus, ſed non Deo, qui nouit eorum cogitationes eſſe vanas. Iſtud, de quo loquimur, hypocritarum genus, plus quàm cæteros inſecutus eſt dominus: eorum cauterizatam conſcientiam patefecit populis, atque æternum ſupplicium illis manere teſtatus eſt, dum
Iac. 1. tranſitoria ſunt mercede contenti. Sepulchris deauratis, dealbatis parietibus, nubib. ſine aqua, infructuoſis arboribus, cæcis errantibus, excluſis à regno, & à proprio conditore ignoti aſsimilati ſunt iſti. Nam aliud oſtentant in facie, aliudque gerunt in corde. Fingunt quod non ſunt, atque à ſemetipſis deluſi cęteros fallere arbitrantur. Quāuis enim hi damnatione ſint digni, minus tamen ſunt pernicioſi, quàm primi. Reperiuntur & alterius conditionis viri, qui per interualla temporis, magna videntur eſſe humilitatis virtute ſuffulti, & nihilominus, abſque perſeuerantiæ radice ſubſiſtunt. Diuina ſiquidem diſpenſante ſapiētia, iſti de quibus ſermo prorumpit in medium, ſi aliqua aduerſitate probentur, repente mutati eſſe videntur in melius, frequentant plus ſolito eccleſias, monaſteria viſitant, à ſeruis Chriſti orationum ſuffragia poſtulant, abiecto induuntur habitu in loquela, in voce, in moribus humilitatem inſinuāt, nō fictè, ſed ex corde: nō vtiq; ex vera humilitatis virtute proſtrato, ſed ex tribulationis nimietate attrito. Huiuſmodi quum ſolido fundamento careant, tempore aduerſitatis credūt, ſuccedente verò proſperitate ab inchoata humilitate recedunt. Tanquam immundi canes ad vomitum redeunt, & veluti irrationabilia animalia luxurioſæ carnis obſcœna opera, nequaquam repetere erubeſcunt. Fiunt (vt plurimum) talium geſta nouiſsima peiora prioribus, atque difficilius, quā cæteri ad humilitatis itinera diriguntur. Nequaquam tamen eorum eſt deſperanda ſalus Dei ad
ipſorum corda interdum pulſante clemētia: quæ 1.Tim. 2.
omnes homines vult ſaluos fieri, & ad proprii agnitionem erroris humiliter peruenire. Neminē enim pœnitentem repellit nullum confitentem reſpuit, nullique cum humilitate cordis veniam poſtulanti miſericordię viſcera claudit. Ipſius quippe eſt vox illa Prophetę dicentis: Nolo mortem peccatoris, ſed vt magis conuertatur & vi-
uat. Toties namque Deus præteritorum obliui- Ezec. 18.
ſcitur facinorum, quoties homo aduerſus conditorem ſuum ſe deliquiſſe humili confeſsione fatetur. Eſt & alius hominum penè innumerabiliū ſtatus, qui ſolo exteriori ſigno qualemcunque portendunt humilitatem, ignorantes prorſus virtutis huius excellentiam. Hi ſecundum ſeculi cōditionem ſunt infimi, genere ignobiles, poſſeſſionibus & domibus nudi, pecuniis & rebus pauperrimi, induſtria & manuum ſuarum labore ſe ac familiam propriam ſuſtentantes. Dignitates non ambiunt, honoribus ſublimatis non inuidēt, ſibi ęqualibus ſine rubore ſociantur, vilibus teguntur indumentis, ſuis facultatibus, quamuis exiguæ, contenti: neſciunt alienas concupiſcere opes, arbitrantes tantum victui ſuo neceſſaria ſibi poſſe ſufficere. Quamuis autem iſti apud ſeculi amatores nullius videantur eſſe momenti, nulliuſque valoris, regimini tamen vniuerſi prorſus neceſſarii ſunt, quod conficitur & gubernatur per diuerſarum qualitatum vtriuſq; ſexus viros: quemadmodum ex membrorum varietate humanum compactum eſt corpus. Nam ſi totū corpus oculus eſſet, qui eſt cęteris membris nobilior, vbi auris, manus, vel pes? Aequè ſi totum auris, vbi (quęſo) eſſet os, oculus, aut reliqua membra, & ſic de cęteris? Temperauit verò ſummus artifex humanum corpus, & per membra diſtinxit, impertituſque eſt vnicuique eorum miniſterium proprium, ad ſuam ac cęterorum vtilitatē: ita vt nullum ipſorum ex dignioribus valeat dicere inferiori ſe: tui non indigeo, neque miniſterium tuum opportunū eſt mihi. Copulauit enim membra omnia, & in vno amoris glutino adeò coniunxit, vt quicquid moleſtię infertur vni cęteris omnibus (teſte experientia) illatum fuiſſe videatur. Nempe in hac republica vniuerſi huius viſibilis decet omnino, vt eadem ſit varietas hominum in ipſa degentium. Si omnes intenderent regimini ciuitatum, ſi cuncti vacarent negociationi, quis artificia vſui neceſſaria humano peragerent? Prętereà ſi vniuerſi inſiſterent doctrinę, ſeu negociis militaribus ſe aptarēt: quis (oro) nauigationi ac maris periculis ſe daret? ſiue in agriculturę operibus, pro colligendis ſegetibus,

ſpar-

ſpargendiſque ſeminibus deſudaret? Diſpoſuit quippe per ſapientiam ſuam Deus mortaliū genus, & per gradus exercitia, ſtudia, & conditiones multimodas ita ordinauit, vt ſibi mutuo famulentur abſque liuore, & ſe inuicem diligant, tanquam vnius corporis membra, & ſub vno capite Chriſto exiſtentia, atque nullatenus deſpiciant ſuperiores minimos, iuxta ipſius capitis domini Ieſu ſententiam dicentis: Videte ne contē-
Matt. 18. natis vnum ex his puſillis, qui in me credunt: dico enim vobis, quòd angeli eorum ſemper vidēt faciem patris veſtri, qui in cœlis eſt. Docet itaque cæleſtis magiſter, nequaquam ſpernendos eſſe pauperes & puſillos huius mundi in ipſo credentes: tum quia ſub angelorum ſunt dediti cuſtodia tum quia alieni minime à Dei ſunt regno. Nam tales facile oblatam ſibi admittunt gratiā: carētque (vt plurimum) multis vitiis, quæ in diuitibus & in huius vitæ proſperitatibus ſe extollentibus abundare conſueuerunt. Si enim in rebus tranſitoriis potentibus diſpares eſſe cenſeantur: natura tamen, fide, promiſſionibus, & gloria conſortes & comparticipes illis ſunt. Non temporalis poteſtas, nō terrenæ facultates, non humana laus neque quæ inflat ſcientia, ſed charitas, quæ ædificat, & Deo gratum facit: humilitasque cordis, quæ profectò exaltat, & in cœlum dirigit, necnō virtutes reliquæ, quæ a domino probatæ ſunt, ſuo hominem commendant autori. Eſt denique maxima multitudo virorum ac mulierum (memoratis tamen ſuperioribus paucior numero) quæ veræ humilitatis in multis imaginem gerit: minime verò eandem cum affectu aſſecuta eſt. Ipſi quippe, de quibus ſermo nunc agitur, quadam naturali inſigniti ſunt lenitate, & ad bonum proni, tranquilli exiſtunt in ſe, pacem diligūt, diſſenſiones fugiunt, atq; alicui malè inferre perhorreſcunt. Huiuſmodi pro maiori parte naturaliter ſunt rudes ingenio, ad diſcernendum cogitationes, affectiones, ac negocia tam aliena quàm propria tardi, & minus idonei. Naturæ quoque donis (niſi corrumpatitur, & ſeducantur) vtuntur ad bonū, non tamen bene: quemadmodum faciūt veri humiles, qui ſcienter & in ſenſu cordis, tanquam ſpirituales diiudicant interiora ſua: ita vt penè nulla indiſcuſſa præterire patiantur. Ducuntur ſuperius memorati ad id, quod honeſtum eſt, potius impulſu naturæ, quàm virtutis guſtu. Propterea etſi apud homines mereantur laudem, dum non ſe extollunt ſupra ſe, nequaquā tamen apud Deū adipiſcuntur humilitatis palmam, quæ certantibus magnanimiter donatur à Chriſto qui cordiū & animorum ſcrutator eſt verus, atque in miſericordia & miſerationibus ſuis opera noſtra coronat. Coronat, inquam ſudores & labores noſtros quos patimus abnegantes noſmetipſos, noſtrumque veterem hominem cum actibus ſuis expoliātes, vt ipſo qui ſecundum Deum creatus eſt, nouo induamur in iuſtitia, ſanctitate & humilitate. Non enim valemus in nouum reformari hominem, niſi abiecto vetere, qui ſola, quę carnis ſunt, ſapit, cupit & quærit. Quæ cuncta humilitati aduerſantur, quæ vtique humilitas, quod eſt Dei, quod Roman. 6
ſpiritus, quod ſanctitatis, quod virtutis, ſentit, deſiderat, ſectatur cum vitiis & cōcupiſcentiis carnem ipſam in crucis ſpiritualiter affigendo patibulo. Hanc quippe ſpiritualem luctam, & hunc dimicandi modum ignorant, qui non virtutis ſtudio ſed naturæ inſtinctu ac munere humiles eſſe arbitrantur ab iis, qui tantummodo carnis obtutu acta exteriora metiuntur. Non autem in cultu extrinſeco, aut in corporis motu, ſed in arcano cordis, humilitatis virtus radicata ſubſiſtit.

Quòd per ſpeculum creaturarum rationalis ſpiritus, de ſpiritualibus ſufficientiſſime eruditur, dummodo prius diſcant cognoſcere ſe. Cap. XVI.

MVltæ ſunt res viſibiles, atque corporeæ à Deo creatæ: ex quarum conſideratione rationalis ſpiritus, de ſpiritualibus & inuiſibilibus ſufficienter imbuitur. Nec mirum, quum ipſa creatura viſibilis ſpeculū quoddam inuiſibiliū eſſe noſcatur, in quo elucet quædam imago cæleſtium, & ſui potentia, ſapientia & bonitas autoris, dicente Apoſtolo: Inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intel Rom. 1
lecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus, atque diuinitas. Cæterum ſi fide mediāte cęleſtia & diuina, quæ remotiſſima ſunt, in hoc & per hoc intuentur creaturarum ſpeculo: quanto magis ſpiritualia, quę nobiſcum & in nobis ſunt, intelligi poterunt? (ſi tamen interioris oculi mūda ſit acies.) Per ſenſus enim corporis eruditur animus: & quotidie fit doctior dirigente experiētia ratione, quæ abſque alterius adminiculo prorſus iacet, nec valet ſe eleuare ad ſumma. Quamobrem oportet vt rationalis homo ex ardua exercitatione (non tamen ſine labore) ad ſpiritualiū perueniat intelligentiam ſacramentorum, incipiat verò à ſe. Nam ſi ignorauerit ſe, cui nil propinquius, qualem de abſentibus & remotis poterit habere notitiam? Diſcat igitur ſcire ſe: quatenus de cæteris habita poſtea vera ſcientia aſſueſcat non inflari, neque ſe erigere ſupra ſe, & amittat lumen qualecunque, quod percepit, ſibique ipſi contrarius fiat. Qui autem abſque humilitate, quæ de propria gignitur cognitione, vniuerſarum ſcientiarum eſt imbutus peritia: prope nihil dicendus eſt ſcire, quoniam veræ ſcientię caret fundamēto, quod in humilitatis virtute locatur. Quid (oro) prodeſt ſcire multa, & de eadem inaniter eleuati ſciētia, ipſumque ignorare, à quo eruditus es ſcire quod ſcis? Omnis ſapientia (inquit Eccles. 1
Sapiens) à domino Deo eſt, & cum illo fuit ſemper, & eſt ante æuum. Omnis, ait ſapientia, vt agnoſcas

ſcas

Digitized by Google

ſcas totum ab eo accepiſſe, quod ſcis. Quid enim 1.Cor 4. habes (inquit Paulus) quod non accepiſti? Si autẽ accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Sũmę prorſus eſt ſignum dementię, ſuperbiæ vitiũ, atque iudicium graue, ſibiipſi Dei gloriam vendicare, necnon de alieno intumeſcere. Quod quidem agit, qui ignorat ſe, & eſt humilitate nudatus. Omnis proinde induſtria, omneque ſtudiũ ineſſe debet ſcire volẽtibus: vt (videlicet) cognoſcant primum ſe, & non altum ſapiant, neque in ſua ſibi complaceant ſcientia, ſed timeant, donũ confiteantur, & largitori gratias agant, & dicãt: Gratia Dei ſum, id quod ſum. Iſta ſi ignorauerit ſcientiæ amator, aut ex cordis tumore confiteri paruipenderit, quanto plus fuerit inſtructus ſciẽtia, tanto acriori dignus erit iudicio: quoniã ſcriptũ eſt: Scienti bonũ & non facienti, peccatũ eſt illi. Et merito. Si.n. delinquit peritus, ſi legẽ trãſgreditur, ſi poſt concupiſcentias ſuas defluit, reclamante conſcientia hoc facit: quę ſcientię illuſtratur lumine, & gratię pręuenitur ſplendore. Nam ignorans ſi peccat, maxima ex parte ſuę excuſatur neſcientię, dummodo non ſit ſupina & craſſa: quoniam tunc prorſus inexcuſabilis eſt, & ignorãtem facit ignorari: ſciens autem & doctus nulla tergiuerſatione abſoluitur, quoniam bene agere omnino nòn vult. Ab hoc profecto morbo & ab hac ſententia eripitur humilis, & ſecurus fit, tantoq; humilior efficitur, quanto eſt doctior. Scientia ſiquidem humilitati aſſociata, ornamẽtum eſt hominis, religionis decus, pręclarum lumen, ſtabilimentum fidei, magiſtra virtutum, cęleſtis regni pręco, lucerna in tenebris, dux in via veritatis index, errorum detectrix, ſpei incentiua charitatis comes, & ad omne opus bonum prochuis & ductilis. Quemadmodum enim humilis totaliter non poteſt eſſe ignarus: ita & ſuperbus non valet eſſe eruditus. Poteſt vtique ſcire multã, ſufficit inſtruere plurimos: ſed quia non agnoſcit ſe, atque contemnit veritatis ſcientiam, quã intelligere odiſſe conuincitur. Hoc Propheta teſtatur, quum dicit: Peccatori autem dixit Deus, Pſal. 49. Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? tu verò odiſti diſciplinam, & proiecisti ſermones meos retrorſum. Quonam (quæſo) modo ſuperbus peccator dicendus eſt eruditus, qui diſciplinam ex prauis moribus, quos agit, deprehenditur odiſſe virtutum, necnon eloquia diuina à ſe abiicere ac repellere? Quid de talibus pronunciet Sapiens, audiamus: Prou. 1. Sculti vſquequo ederint ſapientiam? Hinc clare colligitur hominem elatum & nequã nulla Sapien. 1. tenus eſſe poſſe ſapientem, quod euidentius alio in loco exprimitur ſic: In maleuolam animã non introibit ſapientia, neque habitabit in corpore Prouer. 2 ſubdito peccatis. Verum nequis cauſetur, & dicat aliud eſſe ſapientiam, & aliud de qua loquimur, eſſe ſcientiam, Sapiẽtis ſententiam intelligat, dũ ait: Si enim ſapientiam vocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentiæ, & quæſieris eam quaſi pecuniam, & ſicut theſaurum effoderis illam, tunc intelliges timorem domini, & ſcientiam Dei inuenies: quia dominus dat ſapientiam, & ex ore eius ſcientia & prudentia. Vna quippe res, quæ qualemcunque quamuis videatur ſignificationem habere diuerſam, ex vnius tamen diuinitatis ore emanare perhibetur. Nempe quicquid ſpirituale intelligendo ſapimus, ſi quid rectum prudenter diſcernimus, omne quod verum ratiocinãdo ſcimus, ab illo haurimus fonte, de quo ſcriptum eſt: Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis, & ingreſſus illius mandata ęterna. Vnus eſt altiſsimus, omnipotens, creator, rex potens, & metuendus nimis, ſedens ſuper thronum illius, & dominans Deus: ipſe creauit eam ſpiritu ſancto, & vidit, & dinumerauit, & menſus eſt, & effudit illam ſuper omnia opera ſua, & ſuper omnem carnem. Secũdum datum ſuum præbet illam diligentibus ſe. Patet conſpicue, quòd omnis veritas, ſiue ſit cogitando reperta, ſeu orãdo infuſa, aut ſcienter prolata, ab ipſo procedit, qui per Sapientem teſtatur de ſe dicens: Meum eſt conſilium & æquitas: mea Prou. 8. eſt prudentia, mea eſt fortitudo: per me reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt. De ipſo quoq; Apoſt. Paulus ait: Nõ quòd ſufficiẽtes 2.Cor. 13 ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Quocunque.n. nomine nuncupetur veritas, à Deo infunditur, ſiue ſapientia, aut prudentia, ſeu ſcientia nominetur. In ſacris tamen voluminibus tria hæc ſapientiæ, prudentiæ, & ſcientiæ vocabula inueniuntur varios inter ſe & contrarios habere effectus. Nam de ſapientia, inquit Apoſtolus: Sapientiam loqui 1.Cor. 2. mur inter perfectos, non ſapientiam verò huius ſeculi, neque principiũ huius ſeculi, qui deſtruũtur: ſed ſapientiam loquimur in miniſterio, quæ abſcondita eſt, quam pręd eſtinauit Deus ante ſecula in gloriam noſtram, quam nemo principũ huius ſeculi cognouit. De prudentia verò dicit: Nam prudentia carnis mors eſt, prudentia autẽ Rom. 8. ſpiritus, vita & pax. Alioque in loco: Prudentia Ibidem. carnis inimica eſt Deo: legi enim Dei non eſt ſubiecta, nec enim poteſt. De ſcientia deniq; idem Apoſtolus aſſerit dicens: Qui autem ſecundum Ibidem. carnem ſunt, quę carnis ſunt, ſapiunt: qui verò ſecundum ſpiritum ſunt, quæ ſunt ſpiritus, ſentiũt. Alibi præterea expreſsius ipſius ſcientiæ differẽtia prænotatur: Bonitatem (orans Propheta do- Pſal. 118. minum ait) & diſciplinam, & ſcientiam doce me. Et Sapiens: Vani ſunt omnes homines, in quibus Sap. 13. non ſubeſt ſcientia Dei. E regione Apoſtolus dicit: Scientia inflat, charitas verò ædificat. Colligi- 1.Cor. 8 tur itaque ex his veram & commendabilem ſapiẽtiam & ſcientiam nullatenus habitare poſſe in mentibus tumidis, ſed ſolum humilium. Sic namque in Prouerbiis legimus ſcriptum: Vbi fuerit ſu Prou. 11. perbia,

bene agendum. Nam hoc humilibus eſt inſitum: verbum (videlicet) ſalutis libenter audire, retinere memoriter, & opere conſummare.

Quòd aliter pueri & rationales viri, & aliter ſpirituales res æſtiment, atque de multiplici vtilitate humilitatis. Cap. XVII.

CONſueuit humanus affectus, vnamquanque rem eo ardentius diligere, eoq; ſolicitius, vt ipſam aſſequatur quærere, quo clarius quanti eadem ſit precii, quantæ vtilitatis, & quantæ cognouerit virtutis. Inſenſati quippe & pueri, quoniam diſcretionis carent iudicio nec fulgorem auri, neque gemmarum caripendunt valorem. Similiter herbarũ proprietates, & morum grauitatem, ac ſcientiæ lumen pro nihilo ducunt, quia ignorãt quid in eis lateat cõmendatione dignum. Rationales verò viri, & ætate adulti, quibus harũ ineſt ex parte ſcientia rerum, atq; diiudicandi rectitudo, magnipendunt ſingula, illiſque tanto amplius afficiuntur, quanto magis intelligunt, ea eſſe proficua. Falluntur tamen iſti quàm ſæpe immoderato amore ſeducti, & præcioſiora minoris, pluris autem viliora æſtimantes, non diligenda plus diligunt, amãda contemnũt, temporalia interdum ſpiritualibus, terrena cæleſtibus, & diuinis humana præponũt:
Eſa. 5. dicuntque (iuxta Prophetę oraculum) malum bonum, & bonum malum: amarum dulce, & dulce amarum. At verò ſpirituales viri, qui ſapientiæ, quæ de ſurſum eſt, pudicæ, pacificæ, modeſtæ, ſuadibilis, bonis conſentientis, & iudicantis ſine ſimulatione ſunt diſcretione ornati, & in quibus
Prou. 8. ipſa vera ſapientia Dei per ſapiẽtem perhibetur habitare in conſilio, & eruditis intereſſe cogitationibus, difficile decipiuntur, quia pene omnia diſcutiunt, & probant interiori examine, quæ admittenda, & quæ ſunt depellenda. Nonnunquã autem (quamuis raro) diſpenſante ipſa commorãte in illis ſapientia ad eorum profectum, necnon maiorem propriæ cognitionis & humilitatis occaſionem permittuntur in eligendo potiora errare, atque dubitare quid melius: nequaquam autẽ totaliter deſeruntur. Nam repentè redeunt ad ſe, ac ſe in ſpiritu coram domino humiliter proſternentes ſuam fatentur ignorantiam, & ſe deliquiſſe accuſant. Quamobrem apud ſe humiliores fiunt, in diſcernendo prudentiores, promptiores in orando, & in puritate ſeruanda cautiores. Deſpiciunt quoque ex animo cuncta exteriora, quæ ſibi blandiri & arridere videntur, vt adipiſcantur theſaurum in cordis agro latitantẽ. Vilipendunt ſemper fallacem mundi gloriam, fugitiuos honores, facultates terrenas, carnis illecebras, ſociale gaudium, & omnes corporis voluptates: quatenus attentius vacent ſibi quietius habitent ſecum, & facilius humilitatis precioſiſsimam margaritam quęrendo inueniant, repertamque poſſideant. Agnoſcunt quippè ipſam incomparabilis eſſe precii, vtilitatis immenſæ, donorum ſpiritualium locupletem, gratiarumque cæleſtium refertam. Hæc namque virtus ſe poſsidentium orationes Deo facit eſſe gratiſsimas. Nequaquam enim valet repelli deprecatio, quæ eſt humilitatis ſale condita: aſcendit ſurſum fragrantiſsimo odore reſperſa, vſque ad conſpectũ maieſtatis ęternę, per angelorum miniſterium delata ſanctorũ: ſicut per Ioannem in Apocalypſi legitur ſcriptũ: Et habebat phialas aureas plenas odoramẽtorũ, quæ ſunt orationes ſanctorũ. Nã & orationem atque ſacrificiũ patriarchæ Abrahę, qui prędictus humilitatis virtute ſe eſſe puluerem & cinerem fatebatur, odoratus eſt dominus in odorem ſuauitatis. Publicanus denique, qui præ ſuorum confuſione delictorum, & humilitate cordis oculos ad cælum minime audebat attollere: ſed orationẽ fundens, pectuſq; percutiens aiebat: Deus propitius eſto mihi peccatori, in domũ ſuam lætus rediens de tẽplo diſceſsit iuſtificatus à domino. Humilium ſupplicationem Propheta cõprobare volens aſſerebat: Reſpexit in orationem humilium, & non ſpreuit preces eorum. Pro clariori verò commendatione promulgarę veritatis illico adiecit: Scribantur hęc in generatione altera, & populus qui creabitur, laudabit dominum. Iudith præterea ſancta in oratione proſtrata dicebat: Nõ eſt in multitudine virtus tua domine, neque in equorum viribus voluntas tua: nec ſuperbi placuerunt tibi ab initio, ſed humilium & manſuetorũ tibi ſemper placuit deprecatio. Magna prorſus eſt efficacia orationis humiliũ, quæ nullo peccatorum compedito vinculo, nullo aduerſarum poteſtatum retenta obſtaculo penetrat cælum, & cæleſtis curię lętificat ciues, atque diuinæ bonitatis meretur adire præſentiam: quæ (videlicet) rogat humiliter, fidenter loquitur, ac importunè poſtulat ſpiritus ſancti impulſa ſuffragio: qui pro ſanctis gemitibus inenarrabilibus interpellare perhibetur. Nunquam enim humiliũ mens, quæ ſemper accuſatrix eſt ſui, præſumeret tam familiariter in oratione cõferre cum domino, tamq; dulcia fari eloquia charitate accenſa, ſuauitate melliflua, fiducia plena: ſi nõ promoueretur à ſpiritu, erudiretur à verbo, traheretur à patre. Quum autem trahitur, & in ſecretum caſti amoris introducitur thalamum, non vt ancilla cum domino, neque vt amica cum amico, ſed tanquam cum fratrueli chariſsima, & ſponſa iucundatur cum ſpõſo: qui vtriq; locutionis modus, atq; affectus nõ cogruit creaturę peccatrici, debitrici, languidæ, & peregrinanti erga Deum, dominũ, creatorem & iudicem ſuum, qui omnĩ veneratione, honore, laude & actione gratiarum eſt dignus. Nam ineffabilis & ſuper humanum intellectum eſt inæqualitas iſta: perditi, videlicet, ad redemptorem, iniquiſsimi ad ſummũ bonum,

Apoc. 5. Gen. 8. Luc. 18. Pſal. 101. Ibidem. Iudic. 9.

-num, ignorantis ad ſapientiam: & nihilominus, vt humilibus auſum præbeat poſtulandi, vt confidentiam tribuat appropiandi, & vt occaſionem præſtet diligendi atque ſperandi: non vult inſinuare quod eſt. Se quippe occultat, ſpeciem ſuam tegit, maieſtatis ſuæ potentiam celat, ſeque ſub ſeruili forma exinaniendo humiliat: quatenus puſillos foueat, nutriat in ſpiritu paruulos, & amplexetur humiles, ipſosque in omni ſua tribulatione exaudiendo cuſtodiat. Exaudit, inquã, Deus humilium preces, eosque protegit, ne ab inimicorum iaculis vulnerentur, atque cuſtodit, vt nõ in tentationibus conſtituti deficiant. Permittit tamen illos nonnunquam diuerſimode tentari, & interdum in momento ruere: minime autem perſeuerare poſt caſum, ſed repente exurgere, ſicut (Pſal. 36.) propheta de viro iuſto teſtatur dicens: Quum ceciderit, non collidetur, quia dominus ſupponit manum ſuam. Huiuſmodi tentatio non permittitur fieri ad mortem, ſed potius ad eruditionẽ, & humilitatis augmentum: quoniam ipſe dominus gratiæ ſuæ adhibet manum, quatenus cadem ſe compungendo euigilet, & humiliando reſurgat quod beato Petro Apoſtolo contigiſſe Actuum Apoſtolorum narrat hiſtoria. Quum enim ſe iurando, & anathematizando, ſuum negaſſe præceptorem agnoſceret, ab eodem miſericorditer intuitus, & ad ſe ex mœrore reuerſus, reatum pro- (Matt. 26.) prium humiliter intelligens foras egreſſus fleuit amare. Ex hac igitur tẽtatione, & ex hoc caſu Apoſtolus didicit, de ſe non præſumere, didicit proximo afflicto compati: didicit & aduerſum ſeipſum ſapienter iraſci. Qui enim antequam tentaretur, ignorabat ſe, optime poſt lapſum non ſolum Dei bonitatem erga ſe, verumetiam quàm infirmus & debilis eſſet, cognouit. Quamobrem dixerim, nequaquam perniciolum eſſe tentari, ſed tentationi conſenſum præbere, atque in eodẽ animo obdurato perſiſtere. Tentatus eſt Abraham longæuus & ſanctus, & per multas tribulationes probatus amicus Dei effectus eſt. Sic Iſaac ſic Iacob, ſic Ioſeph, ſic Moſes: necnon & vniuerſi qui Deo placuerunt, per multas tribulationes tranſierunt fideles. Difficillimũ prorſus eſt abſque tentationis probatione humilitatẽ ſeruare: quũ proſperitatis ſucceſſus potenter ad elationẽ impellat. Si hoc non eſset, minime Dei clemẽtia quos diligit, tam ſedulo tribulatione mediãte at- (Heb. 12.) gueret. Iſtud Paulus percipiens Hebræis ſcribẽs, aiebat: In diſciplina perſeuerare tãquam filiis vobis offert ſe Deus. Quis enim filius, quẽ nõ corripit pater? quod ſi extra diſciplinã eſtis, cuius participes facti ſunt omnes, ergo adulteri, & nõ filii eſtis. Intulit verò poſt modicum, quantæ ſit vtilitatis erudiri per tribulationes à domino. Omnis, inquit, diſciplina in præſẽti quidẽ nõ videtur eſſe gaudii, ſed mœroris: poſtcà verò fructum pacatiſsimũ exercitatis per eam reddit iuſtitiæ. Fructus hic pacatiſsimus, de quo loquitur Apoſtolus virtutũ cõfirmatio eſt, atq; adeptio. Efficitur nãq; per diſciplinã exercitatus, corde humillimus, mẽte robuſtus, ſpe lætus, charitate feruidus, ſpiritus ſancti ſecũ cooperãte præſentia, quæ nõ ſpernit humilẽ, neque derelinquit diſciplinã domini æquanimiter perferẽtem. Hoc Apoſtolus Iacobus (Iacob. 1.) cõſiderans dicit: Beatus vir qui ſuffert tẽtationẽ, quoniã quum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quã repromiſit Deus diligentibus ſe. Non valet quis humano explicare eloquio, quantæ ſit vtilitatis, quanti meriti, & quàm ſit Deo gratum nõ altum ſapere, tribulationes irruentes perferre ſortiter, illatas contumelias tranquilla mente pati, & humiliter emergẽtia quæque aduerſa propriis peccatis adſcribere. Nam humilis ſemper ſe arbitratur duriora mereri, quàm patiatur: quãobrem patienter aſpera ſuſtinet, gratias in tẽtationibus agit, ſoluit per pænitentiam debita, errata per fletum diluit, cõtemnit ex deliberatione præſentia, & fidei oculo futura proſpectat. Conſiderat vtique ſuorum immanitatem facinorum, ſpiritualium inimicorum ſæuitiam, iudicis irati ſententiam, & præparata reprobis æterna ſupplicia. Iſta dum cogitat, ſuſpirat, gemit, dolet, compungitur corde, conſternatur mente, reſoluitur in lachrymas, & domino ſupplicat humiliter dicens: Miſerere mei Deus, ſecundum magnam miſeri- (Pſal. 50.) cordiam tuam: & ſecundum multitudinem miſerationum tuarum, dele iniquitatem meam. Equidem humilitati ſemper eſt copulata compunctio quæ de ſuorum gignitur memoria delictorũ. Nequaquam enim valet, non compungi humilis, quoties reuoluit animo, quàm grauiter peccauit: quibus modis, quàm obliqua intẽtione ſui tranſgreſſurus eſt mandata redemptoris, obſcœna & turpia cogitando, infructuoſa & vana meditãdo, concupiſcendo terrena ac noxia diuina lege prohibita: amittẽdo in his tempus, mentem diſsipando, repellendo atque conſcientiam reclamãtẽ cõtra ſalutẽ propriã temerarie obdurãdo. Porrò dum ad ſe ſecum tacitus meditatur indulta tẽpora ad promerendam veniã, ad agẽdã pœnitentiam, ad ſubigenda vitia, ad reſecanda ſcelera, ad augenda merita, & ad gloriam cõſummato huius peregrinationis curſu conſequendam, gemitus compunctionis & humilitatis lamẽta ex intimis medullis cordis emittit. Dum enim deuotiſsime in talibus occupatus lachrymatur vbertim, ac humiliter orat, reconciliationẽ quã poſtulat, efficaciter obtinere cõfidit, rememorans illud propheticum dictum: Sacrificium Deo ſpiritus contribu- (Pſal. 50.) latus, cor contritum & humiliatum Deus nõ deſpicies. Saluberrimam quoq; Iudith mulieris pudiciſsimæ exhortationem pertractat ſecũ, quæ ait: Humiliemus illi animas noſtras, & in ſpiritu cõtrito & humiliato ſeruiẽtes illi dicamus flẽtes domino, vt ſecundũ voluntatem ſuam ſic faciat no-

biſcum

biſcum miſericordiam ſuam: & ſicut cõturbatũ eſt cor noſtrum in ſuperbia eorum,ita etiã de noſtra humilitate gloriemur. Tamdiu verò in hoc exercitio ſpirituali humilis ac deuotæ compunctionis inſiſtit, donec pacẽ in cõſcientia ſentiat, Pſal. 50. mens repleatur lætitia,& exultent cum Propheta in domino oſſa humiliata. Meritò quippe poſt perceptam indulgentiam criminum, poſt ſalutarem compunctionis mœrorem, poſt abolitã culpam tranſactę nequitiæ per confeſſionem humilem, & poſt deterſam fœditatem interioris hominis, per lachrymarum affluentiã humili redditur pax,donatur tranquillitas, fiducia pręſtatur, corq;illius exhilaratur,gaudet animus, gratias agit affectus,accreſcit deuotio,lumen infunditur, & luctus in exultationem mutatur: quemadmodum Propheta decantat,dicens: Pſal. 125. Qui ſeminãt in lacrymis,in exultatione metent:euntes ibant,& flebant mittentes ſemina ſua:venientes autem venient cũ exultatione, portantes manipulos ſuos. Sanè iuxta menſurã compũctionis & charitatis tribuitur humilis remiſsionis peccatorum certitudo,additamentum gratiæ, lætitię abundantia: prout Propheta memoratus perhibet de ſe, in-Pſal. 93. quiẽs: Secũdũ multitudinẽ dolorũ meorũ in corde meo, conſolationes tuę lętificauerunt animã meam. Nõ ſinit Deus humiles diu in mœrore tabeſcere, teſtante Paulo, qui ait: Qui conſolatur 2. Cor. 2. humiles,conſolatus eſt me in aduentu Titi,Ipſos profectò viſitat ne deficiant, erudit ne deuient, cuſtodit ne pereant,& liberat ne ſuccumbãt.Cuſtodiẽs(inquit Propheta)paruulos dominus,hu-Pſal. 149. miliatus ſum,& liberauit me.Beati planè veri dicendi ſunt humiles, qui diuina protecti clemẽtia innumeros intellectualium euadunt laqueos venatorum in huius peregrinationis itinere contẽſor ſuorum reponentes theſauros meritorum in abſcõdito cęleſtis patrię cellario:quo fur non appropiat,vt effodiat,& furetur eos. Nouerunt ſiquidem inter latrones, auro & gemmis onuſtos peragrare minime poſſe ſecuros.

Quales eſſe debeat comites itineris,& de autoritate Chriſti & eccleſiæ, quantumque Chriſti ſeruis ſit neceſſaria humilitatis virtus.

Cap. XVIII.

AMbulantibus in hac vmbræ mortis regione,in qua diuerſarum ſpecierũ venenata diſcurrunt ſpiritualia animalia, vt opportunos ſibi rapiant cibos,nil tutius, nilq; valet eſſe vtilius,quàm itineris ſui comitẽ habere fidelem,atque peritum.Horum deficiente altero ſocietas quęque cognoſcitur eſſe ſuſpecta & dubia. Quid(oro)commeãtibus poteſt eſſe ſolatii, quũ mutua inter illos deeſt dilectio,quę prorſus ex ſimul pergẽtiũ alterutrius cõcepta infidelitatẽ ſopitur?Quam(quæſo)ſpem valet habere pertingẽdi,quo cupit accedere, qui viarum ignatus, inexpertũ peregrinationis,qua gradiendum eſt, habens comitẽ per ſingulas penè horas,an rectè incedat,dubitare compellitur?Maximũ profectò impedimẽtũ pertingẽdi ad finẽ in quocũque negocio eſt ipſa dubietas, quę operandi adimit vires,robur debilitat mẽtis,cogitationibus fluctuationem ingerit, errãdi parit metũ, gradiendi retardat affectum, & inopinati inſultus ſuſpicionẽ ambulãti immittit. Cæterum quod in via materiali contingit pergentibus, hoc in ſpirituali vita degentibus euenire diffinio:in qua propter inflexibilis veritatis ęternum fundamentum in ea locatum cuncta,quę tam ex cauſa infidelis, & imperiti ductoris, quàm etiam occaſione dubietatis emergunt contraria,tolluntur è medio.Nulla plane in confeſsione catholicæ religionis,& inſoliditate Chriſtianæ fidei perſiſtentibus debet ineſſe erroris hęſitatio,nulluſque infidelitatis metus: quippe quum eccleſia ipſa ſupra firmitatẽ petræ duriſsimæ ſit in veritate fundata,atque diuinę autoritatis, & innumerabilium penè ſanctorum exiſtat atteſtatione ſuffulta. Ipſe namque Deus Dei & hominum mediator homo Chriſtus Ieſus quũ eo interrogante,quem illum eſſe dicerent homines,reſpondiſſetque pro omnibus Petrus: Tu es Chriſtus filius Dei viui, illico adiecit: Beatus es Matt. 16. Simon Bariona,quia caro & ſanguis non reuelauit tibi,ſed pater meus qui eſt in cœlis: & ego dico tibi,quia tu es Petrus,& ſuper hanc petram ędificabo eccleſiam meam. Vide quanti ſit roboris,& quantæ firmitatis eccleſię, fundamentum. Pater reuelauit Petro confeſsionem diuinitatis Chriſti:idem verò Chriſtus ſuã ſuper hanc Apoſtoli cõfeſsionem, eccleſiam ſe fundaturũ eſſe aſſeruit: cuius teſtimonio nihil eſt firmius, quũ ſit æterna,quæ nullatenus errare valet. Liquet igitur Chriſtianam religionem,quã credit, colit,ac confitetur eccleſia,eſſe veriſsimam, & quicquid agit,vel prędicat,prorſus indubitabile eſſe,quoniam plurimorum eſt circunſepta aſſertionibus teſtiũ.Fides nanque catholica ſanctorum,eſt prę nunciata ac fulta oraculis:qui niſi ſancto afflati fuiſſent ſpiritu, nequaquam potuiſſent futura tã quam præterita,tam euidenter edicere.Ab apoſtolis quoque eſt prædicata, necnon innumeris roboratis miraculis. Beatorũ inſuper milliũ martyrum vtriuſque ſexus,cuiuſcunque ætatis,diuerſarum nationum,atque ſtatuum variorum eſt ſanguinis effuſione,& horribilium tormentorũ perpeſsione confirmata. Virorum denique probatiſſimorum,qui paracleti magiſterio erant imbuti, ſapientia & ſcientia illuminati,& virtutum exercitatione perfecti, eſt atteſtationibus declarata. Quis,oro,ſufficit enarrare,quot millia anachoritarũ,monachorũ, religioſorumq; virorũ ac mulierũ,qui ſponte ſeculũ ſpreuerũt,carnis calcarunt illecebras,& Chriſti crucẽ vſque ad mortẽ infatigabiliter baiularunt, huius fidei definitionibus

nibus conſenſerunt? Quamobrem temerarium ac redargutione dignißimum eſt velle rationibus humanæ ſapientię, aut dubiis infidelitatis cogitationibus improbare fidem: necnon eccleſiæ decreta cōtemnere, quæ tantorum ſanctorum teſtium ſunt autorizata ſententiis. Chriſtianis itaque viris nulla debet prorſus ineſſe errandi ambiguitas, cum eccleſiæ mandatis obtemperat, quæ *1. Tim. 3* (vt ait Apoſtolus) eſt columna & firmamentum veritatis, in qua via eſt habilis, lata, ſecura, & fulgida, quæ ducit ad vitam. In ipſa præterea miniſtrātur, & percipiuntur ſacramēta ſalutis, animarum medicamenta, infirmitatum ſpiritualium remedia, peregrinationis huius ſubſidia, remißionis peccatorum dona, & æternæ vitæ pabula inſtituta, & prętrogata per dominum Ieſum, Deum verum, ſacerdotem magnum, pōtificem ſummum, gratiarum largitorem, mediatorem pium, fideliſſimum comitem, atque itineris huius peritißimū ducem: quem profecto quiſquis ſequitur, deuiare non valet, non ambulare in tenebris, nec carere indulgētia, nec in via deficere, neque vita priuari. Propterea gaudeant & omnes in domino, exultent fideles, & præſertim ſerui Dei, ac diuino mancipati obſequio: quoniam datum eſt illis ſub tali, tantoque duce & principe militare. Iſte proculdubio eſt ille inuictißimus propugnator, qui armatū fortem (videlicet) diabolū atrium poßidentem in pace ſuperauit, illius diripuit ſpolia, arma in quibus confidebat, abſtulit: eundemque cum rubore nimio de ſua ſede eiecit. Iſte, inquā, ille eſt dux ſtrenuus, qui morte ſua debellauit aereas poteſtates, & nos abſoluit de vinculis tenebrarum & mortis, tranſtulitque in regnum claritatis ſuæ, de quo Apoſtolus dicit: *Ephe. 2* Et vos cum eſſetis mortui in delictis, & in præputio carnis veſtræ, cōuiuificauit, condonans vobis omnia delicta, delens quod aduerſus nos erat chirographū decreti, quod erat contrarium nobis, & illud tulit de medio affigens illud cruci: & expoliās principatus & poteſtates tranſduxit confidenter, palam triumphans, illos in ſemetipſo. Equidem ad aſpectum illius ducis mota eſt terra, fugati ſunt aduerſarii, curuati montes, colles inclinati, proſtrati ſuperbi, humiles ſublimati, ſubditus mundus, & ſpoliatus eſt tartarus. Nullus hoſtis, nulla poteſtas, nullum regnum præualere poteſt aduerſus eum. Agit quicquid vult, indurat, quos diſponit ſine paßione deſerere: & vt ſibi placet, illorū miſeretur, quia pius eſt, in promißis fidelis, & in iuſtitia rectus. Delinquētibus quoq; compatiens eſt, pœnitentibus parcens, redeūtibus ad ſe latißimum charitatis & indulgentię aperiens ſinum, nutantibus ſpem tribuens, ſtantibus ſpiritualia beneficia impertiens, atq; in eo perſeuerātib. præmia æterna promittēs. Quamobrē ò Chriſti milites, & Deo famulantiū vniuerſa agmina pugnate viriliter, reſiſtite fideliter, perſeuerāter ſtate: nulla vos demulceat voluptas, nullus ſuperet labor, tentatio nulla deterreat, iter veſtrum non retardet aduerſarius, propoſitum veſtrum non immutent minæ, fidem veſtram carnis non ſupplantet infirmitas: curſum veſtrum terrenarū actionum non impediant vincula, magnanimitatemque veſtram, nulla prorſus frāgat aduerſitas: imitemini ducem veſtrum, ſequimini præceptorē: ſaluberrimis eius obtemperate monitis, votis annuite, exhortationibus aſſenſum prębete: profectum vtiq; veſtrum quærit, ſalutem, cō cupiſcit, renouationem expectat: vt quemadmodum exhibuiſtis olim membra veſtra ſeruire in iniquitati ad iniquitatem, ita nunc iuxta Apoſtolicam doctrinam exhibeatis eadem ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. *Rom. 6* Nam vobis nō licet de cætero curam carnis facere in deſideriis, non affectum alligatum tenere in diuitiis, *Rom. 13* nec fructum immortalitatis anhelare in liberis & propinquiis: neq; ſublimitatem terrenæ gloriæ appetere in honoribus, quæ omnia gentes quæ ignorant Deum, & futuram eſſe vitā deridēt, poßidere peroptāt, quin potius oportet vos ſectari iuſtitiā, miſericordiā, pietatem, obedientiam, patiētiam, paupertatem, manſuetudinem & humilitatem potißime, quæ virtutes vniuerſæ elucent in capite & duce veſtro: ab ipſo etiam commendatæ ſunt vobis, atque præceptæ. Non eſt æquum, vt per aliud iter princeps gradiatur exercitus, & per aliud milites (ſi tamen deſiderant immortalitatis & glorię coronam percipere, quam iam aſſecutus eſt dux, & ſuis commilitonibus pollicetur.) Nēpe propter pugnam datur victorię palma, quę profecto eminet ſuper laborē certaminis, dicente Apoſtolo: *Rom. 8* Nō ſunt condignę paßiones huius temporis ad futuram gloriam, quę reuelabitur in nobis. Pręcedit quippe conflictus, ſubſequitur verò triumphus. Non coronabitur (inquit Apoſtolus) quis, niſi legitime certauerit. *2. Tim. 2* Quamobrem imprudēs iudicandus eſt, qui abſq; pugna ſperat obtinere victoriā. Audi dominū dicētem: Qui ſe humiliat, exaltabitur. *Luc. 14* Pugna ſiue ſtadium certaminis eſt humilitas, merces verò humilitatis eſt exaltatio, non impręſentiarum, quo tempore vſq; ad mortem eſt pro humilitate, & cū humilitate pugnandum, ſed in futuro. Equidē in hoc ſeculo nihil reperitur tam precioſum, quod pro congrua remuneratione Chriſti ſit militibus erogandū. Et meritò. Si enim ſponte renunciant ſeculo, ac blanditiis eius, & relinquunt vniuerſa, quę poßident, necnon abnegāt ſemetipſos, quid vltra expectare debēt pro ſui mercede laboris? Alibi promde ipſorū eſt reſeruata exaltationis corona: de qua vtriq; (concedente domino) ſuo loco dicetur. Ad vos igitur ò Chriſti milites, meus iterum ſermo dirigitur. *Ad christianos exhortatio* Dimicate (quęſo) viriliter aduerſum inuiſibiles hoſtes, & contra vos humiliemini, nedū ſub potēti manu Dei, verūetiā ſub omni huma-

na

Digitized by Google

na creatura, propter Deum: vt vos exaltet in tempore viſitationis. Vobis profectò competit humilitatis virtus, vos vtique decet eſſe ſubiectos. Profeſsio veſtra, ſtatus veſter, veſtra promiſsio quid aliud, quàm humilitatem inſinuat? Habitationes veſtrę in communi à ſecularibus domibus ſegregatę, cellularum carceres anguſti, incompoſiti, & pauperrimi in ſtramentis, ac vtenſilibus prorſus vos ad humilitatem inuitãt. Vide indumẽtũ ab iis, quibus vtuntur mundi amatores, omnino diſsimile; pannus rudis, ſordes in veſtibus, inculta cæſaries, pallor in vultu, demiſſum ſupercilium, vox tenuis, communis refectio, & in omnibus obedientiæ diſciplina, vos humiles eſſe debere proclamant. Denique opera exteriora, exercitia contemptibilia, miniſteria fratrum, iniuncta officia, officinarum mundatio, deterſio ſordium, & cætera his ſimilia, quæ ſeruis Chriſti facienda occurrunt, & prætermitti nullatenus licet: humilitatis proculdubio inſtrumẽta exiſtũt. Taceo quàm magnum ſit humilitatis incentiuũ in diuinis officiis, & in quotidiana refectione, atque in mutuis collationibus ſeniorũ domini noſtri Ieſu Chriſti admonitiones audire: & perfectionis exempla, ſanctorum geſta, ac anachoritarum certamina legere, martyrum paſsiones, omniumque ſecundum euangelicam vitam patrum regulas, & fidelium laudabiliter conuerſantium inſtitutiones recolere: atque eorundem actibus & dictis, cum animi deuotione fidem accommodare. Prætereo poſtremo narrare dirã ac formidabilem ſententiam, quam in ſacris voluminibus legimus inflictam fuiſſe ſuperbis. Non enim Lucifero, non apoſtaticis ſpiritibus, denique primis parentibus minime indultum eſt. Omnes pariter vno iuſtitiæ mucrone transfixi, dehonorabilibus ſuis ſedibus propulſi ſunt. Porrò ſi ſuperbientibus ac peccantibus angelis non pepercit Deus, ſed rudentibus inferni detractos in tartarũ tradidit in iudicium cruciandos reſeruari, euadere ne valebunt elati homines, qui luteas habent domos, terrenum inhabitant fundamentum, & veluti à tinea quotidie conſumuntur? Prorſus minime: quin potius cò maioribus quiſq; iuſte ſuppliciis eſt plectendus, quò plura ac præſtantiora percepit beneficia, & ſublimiori eſt exaltatus faſtigio, necnon efficaciori ad ſe humiliandum impulſus eſt auxilio. Facile (vt reor) indulgendũ eſt ſecularibus viris, & potiſsimum illis, qui clara ſecundum carnem fulgent progenie, diuitiis & facultatibus locupletantur terrenis, ampla ac generoſa ſunt decorati familia, atque magiſtratus, & dignitatum ſunt honoribus ſublimati ſi ad ſe extollendum proni, & ad humiliandum ſe videantur eſſe difficiles. Materiis huiuſmodi vrgentur maximis ad præſumendum de ſe, ac extollendũ ſe; cum quotidie procedant ad publicum, cũ grauibus & honorabilibus conuerſentur perſonis, atque negocia tractent ciuilia & ſecularia, quæ ex ſui natura & vſu, intellectus obnubilant aciẽ, concupiſcentiæ accendunt ardorem, & præire, & cæteros ambire faciunt animos infirmorum. Cæterum cum ab his omnibus Chriſto famulantes ſint liberi, illisque non liceat diſcurrere per plateas, deambulare per forum, nobilium inuiſere palatia, negotiationes agere, ocioſorum intereſſe nugis: ſed potius habitare in clauſtro, prout ſtatus & profeſsio eos inuitat: reſidere, dum licet in cella, in exercitiis ſe occupare vilibus, ſilentii cuſtodire rigorem, diuinis vacare laudibus, orationibus communibus & priuatis inſiſtere, cõpunctioni & cõtemplationi operam dare, ſuper cordis vigilare cuſtodia, profectui proximorum, & potiſsime cohabitantium (moderate tamen, & abſque ſui detrimento) intendere, reprehenſibile & pernicioſum eſt illis ſpreto ſui cõditoris exẽplo, oblitisque præcedentium ſanctorum morib. exhortationibus, atque virtutibus vanam appetere gloriam, dignitates ambire, & relicta humilitatis regula ſe in ſe, necnon etiam ſupra cæteros imprudentiſsime ſuperbire, et ex hoc laborum ſuorum fructum amittere, in Dei indignationem incurrere, ac ſeipſos æterna mercede priuare. Conſiderent ſerui Chriſti, et qui in ſpiritualium virorum ſorte ſe eſſe arbitrantur, quale iudicium, & quàm graue pondus ſuper ſe gerant: ſi non ſint coram Deo in corde humiles, & in veritate agnoſcant ſe. Merebuntur profectò audire, quod in Canticorum Canticis, ſponſus per exprobrationem ſponſę ſe neſcientis protulit, dicẽs: Si ignoras te ò pulchra inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorũ, & paſce hędos tuos iuxta tabernacula paſtorum. Merito qui diuino eſt mancipatus obſequio, & cui ineſſe debet ſui cognitio, tanquam perſona, quę quotidie in ſe diuina tractat eloquia, & ſpiritualia præ cæteris in ſua vocatione percepit chariſmata, atque ſuperno lumini propius mente accedit: à ſeipſo eſt eiiciendus foras, necnon in ſecularium hominũ eſt conſortio deputandus: vt paſcat hœdos ſuos, cogitationes (videlicet) & affectiones ſuas, iuxta tabernacula, non paſtoris Chriſti, ſed paſtorum: qui lucris terrenis & ſecularib. negociis, ac propriis inſiſtunt commodis, nihil de futura vita penitus cogitãtes. Ne verò qui domini Ieſu ſunt ſeruitio dedicati, parui arbitrentur eſſe detrimenti: quòd ſe ignorantes, foras ad paſcendos hędos ſuos exire cogantur, reminiſcantur adoleſcentis filii, qui patris pręſentiam negligens, atque in regionem longinquam peregre proficiſcens (quod vtique eſt ſe elongare à ſe) conſumpto diſtractoq; patrimonio voluptuoſe degẽdo egere cępit, ac periclitari fame: quã profectò expellere nõ valuit, niſi ſe humiliãdo rediret i ſe, propriũ reatũ agnoſceret, patriſq; proſtratus veſtigiis veniã humiliter flagitaret; diſcãt igitur ſinguli Chriſto famulãtes

2. Pet. 2

Cant. 1

Luc. 15

diſcant fideles omnes qui Deum timent, ex hac parabola ſaluatoris noſtri domini Ieſu Chriſti eruditi de ſe non præſumere, nec foras extra ſe vagari inaniter; ſed ſedulo habitare ſecum: ſe abſq; deceptione agnoſcere, cordis humilitatem diligere, ipſam opere & cogitatione ſectari, eandemque nullo tempore, & nulla ratione deſerere, (ſeruato ſemper veræ diſcretionis moderato libramine.) Nam virtus hæc, quemadmodum & cæteræ, diſtinctos habet in ſe gradus, quorum aliqui congruunt incipientibus, quidam verò proficientibus, nonnulli autem noſcuntur conuenire perfectis: de quibus, quantum dominus donare dignabitur, legentibus inſinuare curabo.

Quare in mundo exorta ſit diuerſitas linguarum, & quòd per humilitatis virtutem ad Deum aſcenditur. Cap. XIX.

IN diuinis legitur voluminibus, quòd cũ Deus ob immanium multitudinem delictorũ, quæ excreuerant in terra, corruperantque omnem carnem, ita vt abiret vnuſquiſq; poſt concupiſcentias ſuas, deleſſetque aquis diluuii cunctũ humanum genus, excepto Noe, & qui erant de familia eius recluſi in arca, quidam viri increduli, ſuperbi, & peſſimi de oriẽtali regione venerũt qui temerario auſu præſumpſerunt turrim excelſam conſtruere, quę prę nimia ſublimitate cælorum cacumen attingeret, quatenus ipſa mediante ante quàm per vniuerſas diuiderentur regiones, nomen ſuum celebre facerent. Horum quippe ſuperbiam immiſſa in eos confuſione linguarum, vt nequaquam ſe intelligerent mutuò, contriuit omnipotens, atque proſtrauit, quatenus diſcerent poſteri non ſe extollere contra dominum, ſed potius ſe humiliare, & in omnibus diuino ſubeſſe imperio: conarenturque non per viſibilem turrim ex terrena ſubſtantia, & elata hominũ voluntate compactã, atq; fundatam, magis verò per inuiſibilem turrim humilitatis ſanctæ à Dei filio cõmẽdatam verbo opereq; confectam cæli alta penetrare. Nam quemadmodum non in manufactis habitat Deus, quia ſpiritus ſimpliciſſimus eſt: ita neq; per materiale ædificium, neque per gradus corporales ad ipſum aſcenditur, ſed in ſpiritu & per virtutes gradatim, aſcenſusq; quos Dei clementia cooperante ſeruorum Chriſti in corde ſuo vnuſquiſq; componit, ſicut Propheta ſãctus in pſalmo teſtatur dicens: Beatus, inquit, vir, cuius eſt auxilium abs te domine, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle lachrymarũ in loco, quem poſuit: etenim benedictionem dabit legislator, ibunt de virtute in virtutẽ, videbitur Deus deorum in Sion. Vides quam conſpicue & patenter Propheta memoratus aſſeuerat nequaquã per ſenſibiles gradus, ſed per virtutes, quæ in corde diſponũtur, ad Deũ eſſe aſcendendũ, non localiter aut corporaliter, ſed ſpiritualiter. Nempe tranſierunt vmbræ & futurorũ imagines, quę fuerant à ſanctis prophetis pręnunciatę in lege, poſtquam veritas de terra orta eſt, & ſpiritus ante faciem noſtram Chriſtus Dominus factus eſt homo inter nos verbum cum patre æternaliter permanens ante nos. Quamobrem non eſt opus aſcendere Hieruſalem, neque in excelſum montem, vt ſimus viciniores Deo, & ab eodẽ orationes noſtræ & vota audiri efficacius mereantur. Excelſus namq; eſt dominus (ſicut ſcriptum eſt) & humilia reſpicit. Propterea quanto quiſq; corã Deo inuenitur eſſe humilior tanto illi intelligitur eſſe propinquior: tametſi in imo iaceat, & in infimo reſideat loco. Non enim vbi maneat corpus, ſed vbi requieſcat & ſe collocet cor, intuetur Deus. Valet vtique ſe homo in pauimento proſternere, poteſt ſe veſtire cilicio, & cubare in cinere, ac compunctionis eiulatus emittere, pectus tundere, ſeque peccatorem fateri, & nihilominus corde intumeſcere, altum ſapere, & ante oculos iudiciis cuncta cernentis inaniter ſuperbire. Vniuerſa hæc, quę perſtrinximus, in ſe bona ſunt, & ad exteriorem pertinent hominẽ, poſſuntque fieri tam obliqua quàm intentione recta, atque bonis & malis eſſe communia. Bona quippe cenſentur, cũ ſyncera, immaculataq; agũtur intentione, vt, videlicet, placeant Deo, ad cõpunctionẽ emolliant, necnõ vt torpentem euigilent mentem, ac etiam vt humilitatis virtutem conferant: mala verò tunc exiſtimanda ſunt eſſe, cum peruerſa & obliqua perpetrantur intentione, vt, ſcilicet, humana ex ipſis captetur opinio, & tranſitoria laus, vt temporale obtineatur commodum, atq; vt timore impellente gehennę ſupplicium euitetur ęternum. Quacumque enim parte ipſa interioris hominis dirigatur intẽtio, eadẽ opera aut vituperationẽ à Deo meretur, aut laudem. Hoc humilitatis præceptor inſinuare voluit dicens: Lucerna corporis tui eſt oculus tuus, ſi oculus tuus ſimplex fuerit, totum corpus tuũ lucidũ erit: ſi autẽ nequã fuerit, etiã corpus tuũ tenebroſum erit. Hæc ideo dicta ſunt non vt improbentur, & exteriora redarguantur geſta, ſed vt operantis animus efficiatur prudẽs & doctus, velitq; componere affectum ſuum, ac mentis oculum eleuare ad Deum pure & recte, dum agit bonũ, ne perpetua remuneratione priuetur, domino perhibente de talibus, Amen quippe dico vobis, perceperunt mercedem ſuam. Quamobrẽ obſeruent incipientes diligenter, quę dicta ſunt, & prudenti conſideratione diſcutiant quomodo, quave intentione iaciant fundamenta humilitatis: quæ licet ſint in cordis collocãda ſecreto, debet tamen eiuſdem ſtructura virtutis apud illos in exteriori exercitatione clarere, cũ ſint adhuc rudes ſpiritu, careant experientia, lippoſque habeant oculos, & ad diſcretionem boni, ac mali minus agnoſcãtur eſse idonei. Nõ .n. quæ profi-

cientibus,

Gen. 11. — Pſal. 83 — Pſal. 1 — Matth. 6 — Ibidem.

tientibus, congruunt & perfectis, ſed illa quæ ſtatui ſuo competunt, imitare debent & facere. Nã quemadmodum immaturus fructus arboris & ante tempus euulſus nec ſapit, nec nutrit: ita neque opus ſine modo & tempore peractum augmentum validum poteſt præſtare virtuti. Omnia igitur cum diſcretione & menſura facienda ſunt opera, vt laudabili fine claudantur. Quamobrem oportet, vt incipiẽtes, qui ad capeſſendam humilitatis virtutem ſunt amore ſuccenſi, in ſuæ conuerſionis exordio, & priuſquam ad maturam proficientium ſpiritualem pertingat ætatẽ, obedientiæ colla ſubiiciant, ipſamque pure & abſque vlla diſcuſsione perficiant. Nihil enim ſic humilitati aduerſari cognoſcitur, ſicut propriæ voluntatis ambitioſa libido, quæ profecto euertit hominis ſenſum, & intellectus claudit oculos: illoſque nequaquam intueri permittit, quod eſt verum, ſanctum, honeſtum, ac vtile. Facit vtique rationis præcipitate iudicium, dum ad id, quod libet, concupiſcentiam trahit more irrationabilium iumẽtorum, quæ ſine loris & moderatione ducuntur, quò naturalis impellit inſtinctus. Hanc quippe propriam voluntatem humilitatis amator compeſcere ſtudeat, hanc reſecare conetur obedientiæ cooperante cenſura, vt non inſoleſcat, & ex vſu peruerſo inueterata & ad extirpandam illam omnino impoſsibile eſſe videatur. Nam ſicut in primordio ſpiritualis certaminis facillime vincitur: ita ex progreſſu conſuetudinis maxima cum difficultate ſuperatur. Beatus proinde dicendus eſt ille, qui ipſam, ne laſciuiat, tenet obedientiæ diſciplinam alligatam, eamque humilitatis virtute affectus viriliter allidit ad petram, vt non paruuli ex eadem procreati aduerſus conditorem ſuum præſumant eleuare ceruicem. Optime quippe ſimul conueniunt, & viciſsim ſibi inuicem famulãtur obedientia & humilitas, adeo vt humilitas ſine obedientia, & abſque obedientia vera nequeat eſſe humilitas. Ambę virtutes iſtæ, quàm opportune in noſtro mediatore conuenerint, & quàm efficaciter eaſdem exercuerit, Paulus exhortãdo Philip. 2. manifeſtat inquiens. Hoc enim ſentite in vobis, quod et in Chriſto Ieſu, qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuẽtus vt hõ: humiliauit ſemetipſũ factus obediens vſq; ad mortẽ, mortẽ aũt crucis. Cæterũ vt eũdẽ virtutum fructum exprimeret, & quantum Deo placerent, notificaret, intulit: Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomẽ, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cęleſtium, terreſtrium, & infernorum. Tantæ ſiquidẽ autoritatis exemplo eruditi incipientes, vt humiles efficiantur, obedientes eſſe ſtudeant, denique operã abnegare, quod ſunt. Non enim ſuperuacue laborabunt, ſi harum virtutum vſui etiam ſpontaneum ſuimet contemptum addiderint. Porrò humilitatis præcurſor & obedientiæ conſocius, eſt rudis & abiectus exterior habitus, atque deſpecta & vilia lætãtur exercere obſequia: quæ profecto ad ſui hominem adducunt cognitionem, ac etiam humanæ laudis irriſorem efficiũt. Verũ cum nullus nouũ hominem, qui ſecundum Deũ creatus eſt, induere valeat, niſi prius eum ſuis actibus expoliauerit Col. 3. veterem, expedit vt Chriſti tyrunculis, quæcunque ſibi honorabiliora & pulchra eſſe videbãtur in ſeculo, pro Chriſti dilectione & aſſecutione humilitatis arbitretur vt ſtercora. Non enim ſimul conglutinantur, neque ſtare poſſunt antiqui mores & in Chriſto noua conuerſio, quoniã ſupra modum ſibi inuicem aduerſantur, & contrarii ſunt. Hoc ſaluator noſter figuraliter expreſſit, cum diceret: Neque mittũt vinum, nouum in Matth. 9. vtres veteres, alioquin rumpuntur vtres, & vinũ effunditur, & vtres pereunt: ſed vinum nouum in vtres nouos mittunt, & ambo conſeruantur. Vtres quippe veteres, in quibus vinum nouũ imponi prohibetur, ſunt antiqui mores ex carnis concupiſcentia, & ſeculari conuerſatione procreati, ex quibus, videlicet, protrahuntur, ac generantur malę vitiorum ſoboles, vt ſunt ornatus cultus, elatus inceſſus, ſecularium adhęſio, conuerſatio indiſciplinatorum, linguę procacitas, detractio frequens, contentiones & iurgia crebra, comeſſationes & crapulę, ſeditiones & rixę, & his ſimilia: quę proculdubio non debent miſceri nec queunt copulari cum fructibus ſpiritus, quos Paulus enumerans ait: Fructus autem ſpiritus eſt Gal. 5. charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia continentia, & caſtitas. Nulla prorſus congruentia eſt inter opera carnis & fructus ſpiritus, quem dominus per Prophetas ſuos ante aduentum ſuũ credituris fidelibus mittere pollicitus eſt tanquã vinum nouum & feruidum in vtres nouos atque idoneos. Sic enim legitur: Poſt hęc effundam Iohel. 2. ſpiritum meum (dicit dominus) ſuper omnẽ carnem, & prophetabunt filii veſtri & filię veſtrę, ſed & ſuper ſeruos meos & ancillas in diebus illis effundam ſpiritum meum. Quæ omnia apertiſsime & palàm in exordio naſcentis eccleſię poſt aſcenſum Saluatoris noſtri, ſicut ipſe promiſerat, completa ſunt, & quotidie ſuccedentibus ſibi fideliũ generationibus peraguntur, tametſi non ſint per ſigna viſibilia manifeſtata, elucent tamen in conuerſatione famulantium Chriſto, quemadmodũ Ezech. 36 per Prophetam alium idem dominus teſtatur dicens: Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris, & dabo vobis cor nouum, & ſpiritum nouũ ponam in medio veſtri. Patet ſicut meridiana lux, quòd ea, quę vatum oracula prænunciauerunt, per dominum prophetarum conſummata

fuerunt,

Digitized by Google

fuerunt, & dictio perficiuntur, non in omnibus, ſed in iis tantum, quos tanquam vtres nouos vino nouo replet, atque lætificat. Ii profecto abiecta vetuſtate ſecularis vitæ in nouitate vitę ambulant in ſpiritu, & per virtutū opera priſtinos mores ſatagūt reformare in melius. Hinc eſt, quòd inchoantes viam Dei pro adipiſcenda ac obtinēda humilitate laboribus ſe ſubiiciunt, ſe exponūt periculis, ſeque cum gaudio ægrotantium corporaliter impendunt obſequiis, amant quoque lætanter perferre opprobria, ſuſtinere contumelias, audire conuicia, & interdum etiam verbera pati, ſcientes pro certo, quòd quemadmodū frumenti granum non valet ſeparari à paleis, nec olei pinguedo ab oliua diuelli, neque congelatus humor a ſtomacho languido abſque ſudore amoueri maximo: æque humilitatis virtus obtineri nequaquam poteſt ſine labore ac ſpirituali certamine, quippe cum opus ipſum ſupra naturam eſse intelligatur. Naturam, inquam, nō quam author noſter condidit valde bonam, ſed quam deordinauit inobedientia, vicit concupiſcentia, deiecit elatio. Nempe ſupra naturam eſt ſuperare cupiditatem, & totum, quod poſsidetur, pauperibus erogare, concupiſcētiam carnis cohibere, & pudicitiam mente & corpore cuſtodire, ventris ac gulę appetitum reſtringere, & corporis vires parcitate ciborum & ieiuniorum cenſura domare, irę impetum compeſcere, & manſuetudinis tranquillitate animum ad pacem coaptare, ſuperbiæ faſtum repellere, & humilitatis virtutem in cordis ſui penetralibus efficaciter retinere. Hoc vtique eſt incipientium crucem tollere, dominū Ieſum ſequi, & abnegare, quod ſūt, quatenus quod necdum ſunt, eſſe incipiāt. Hoc, inquam, eſt (iuxta apoſtolicam ſanctionem) 1.Cor. 5 expurgare fermentum vetus, & nouam conſperſionem immittere; quod, videlicet, fieri minime valet, niſi cum ſolicitudine, tolerantia mali, & perſeuerantia boni: quæ proculdubio neceſſaria ſunt incipientibus vt attingant, ad quem currunt, humilitatis finē. Iſte eſt funiculus triplex, qui difficile rumpitur, quoniam in vnum optime conueniunt. Quis, oro, Eccl. 4 impiger prę ſolicitudine eſſe poteſt, ſi neſciat emergentia mala æquanimiter ſuſtinere, atque in bono inchoato conſtanter inſiſtere? Vel quis eſt tanto affectus deſiderio patiendi, vt non in aduerſis frangatur, ſi non ſit perſeuerans in bono, & in aſſumpto opere deſit eſſe ſolicitus? Poſtremo quis audeat ad cuiuſcunque virtutis culmen poſſe conſcendere, ſi ſit dormitans & piger, & aduerſa fortiter patiendi amore frigeſcat? Vniuerſa ergo quæ ſuperius narrata ſunt, ſtudeant incipientes exercere in opere, ſi cupiunt in humilitatis virtute ad proficientium percurrere gradum.

Quòd vita hominis ſuper terram cognoſcitur eſſe militia, necnon quibus ſignis incipientium, quibus ve proficientium agnoſcatur humilitatis.

Cap. XX.

IN longinquam & alienam peregrinātibus regionem, atq; ad propriam redire cupiētibus vt ſui ſint deſiderii compotes, opus eſt magna conſtantia. Porro vbi conflictus & inimicorum viget ſæuitia, ibi ineſſe debet animi fortitudo, quę proculdubio prębet robur corporis, & certantibus vires affluētiſsime ſubminiſtrat. Nā Tob. 5 vitam hominis eſſe militiam ſuper terram ſacra teſtantur eloquia, fides docet, & experientia manifeſtat. Quātę in huius exilii peregrinatione ſint pugnæ, quot aduerſariorum acies, quot inſidiarū genera; & quot ſpirituales extenſi ſint laquei, nemo valet explicare ſermone. Apoſtolum Ioannem, quid de hac re dicat, audiamus: Nolite, in- 1.Ioan. 4 quit, fratres diligere mundum, neque ea, quę in mundo ſunt, quoniam omne, quod in mundo eſt, aut concupiſcentia carnis eſt, aut concupiſcētia oculorum, aut ſuperbia vitæ. Quales verò ſint hoſtes, cum quibus oporteat habere cōflictum, Paulus apoſtolus notificans ait: Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed Ephes. 6. aduerſus principes & poteſtates, aduerſus rectores tenebrarum harū, contra ſpiritualia nequitię in cęleſtib. De qualitate pugnę ſic legitur: Caro Galat. 5. repugnat aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem: hæc enim ſibi inuicem aduerſantur. Propheta quoque laqueos intellectualium venatorum ad ſe capiendum extenſos fuiſse commemorat inquiens: Laqueos parauerūt pedibus meis, Psal. 56 & incuruauerunt animam meam, foderunt ante faciem meā foueam, & inciderunt in eam. Equidem ab huiuſmodi laqueis idem Propheta ſe à domino erutum fuiſse perhibet dicens: Quoniā Psal. 90. ipſe liberauit me de laqueo venantium, & à ver- Psal. 123. bo aſpero. Et in alio loco: Anima inquit noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venātiū, laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. Ad effugiēdas quippe horum impugnationes hoſtiū, ac ſpirituales laqueos, diuino indigemus auxilio, mentiſq; conſtantia, cum certe aduerſarii noſtri ſint implacabiles, certamen continuum, & inuiſi laquei. Quamobrem nullatenus intermittendus eſt dimicandi vſus, nec relaxanda animi conſtantia, neq; propellanda vincendi fiducia. Hęc nam que præſtant pugnandi robur, perſeuerandi deſiderium, atque audaciam triumphandi. Formidoloſus verò & puſillanimis, quiſque in primo progreſſu certaminis meditatur fugam, pauet vmbram, perſtrepentium foliorum timet motum, efficiturque ſibiipſi ex propria puſillanimitate contrarius. Iſtiuſmodi difficillime & raro victoriæ pertingunt ad palmam, maximoque cum labore perdurant in ſtadio. Tales quemadmodū in ſacris voluminibus continetur, aduerſus Madianitas

Digitized by Google

dignitas coercuit dominus proficiſci ad bellum, atque notificauit eoſdem corde eſſe degeneres, necnon tanquam tepidos ex ore domini eſſe vomendos. Hos vtique dum aereæ poteſtates aſpiciunt, ſecum velle inire certamen derident, & ſubſannant, peneque dedignantur cum illis habere congreſſum, ad libitum præſumentes cum illis futuros eſſe victores: non autem ſic, dum cōtra conſtantem virum arripiunt conflictum. Inſequuntur quippe ipſi maligni ſpiritus dolo pleni, arte præliandi inſtructi, & experientia docti conditionem certantis, pugnandi audaciam, exercitationis prudentiam, & præcipue humilitatē cordis. Porro ſi ex ſignis exterioribus, vel ſpiritualibus immiſſionibus, ſeu alio quouis modo, aut indicio in aliis iā experto perceperint Chriſti militem, ſine orationis ſuffragio, prudentiæ gubernaculo, & abſque mentis conſilio de ſe præſumere, & propriis viribus confidere, velleque repente ad alta conſcendere, audaciores fiunt, & ad cōfligendum promptiores: intelligentes debilitatē hoſtis, certandi imperitiam, temeritatem animi & ignorantiam ſui. His etenim conſiderationib. eruditi, tentationum crebra intorquent iacula, parant inſidias, tendūt laqueos, & ad illos impellendum ad caſum nouas fraudes ac deceptoria meditantur argumenta, nunc palàm, nūc ſub boni & fucato colore virtutum. Non autem impugnando multum laborant, cum ipſi, contra quos decertant, ſibiipſis aduerſi ſint, ſecumque geſtēt inſidiatores & hoſtes. Nam mentis elatio & confidentia ſui præuaricationis nō mediocris eſt cauſa, ſacro hoc atteſtante eloquio: Ante ruinam (inquit) exaltatur cor. Et propheta de ſeipſo: & ī perſona incipientiū fatetur dicens: Prius quam humiliarer (vtique per caſum) ego (ſuperbiendo) deliqui, propterea (eruditus abs te: & humiliatus in me) eloquium tuum cuſtodiui. Equidem incipiētes, et necdum per ſui agnitionem inſtructi per tranſgreſſionem virtutum mentis aperiunt oculos, & de fragilitate ac propria infirmitate doctiores effecti humilitatem ſibi eſſe neceſſariā arbitrantes ipſam amplectuntur deſiderio, & exercēt in opere, tametſi ſuſtineant tentationes, labores, et lapſus ſe interdum eleuando inaniter ſupra ſe, atque plus debito præſumendo de ſe. Non igitur mirum eſt, ſi diabolus ſagittis ſuis ignitis impetit eos, ſi puſillanimes facit, ſi euertit ad tempus, et ſi cum eiſdem libenter congreditur. Nam quemadmodum gaudet certare cū paruulis, ac de propria virtute fidentibus: æque trepidat habere cōflictum cum adultis in ſpiritu, & de ſe humiliter ſentientibus: quorum vtique ſpes ſuperandi inimicos ſuos & perſeuerādi magnanimitas tota in Dei bonitate locata eſt. Huiuſmodi etenim in proficientium adſcribendi ſunt numero, qui omnem animi ſui intentionem dirigere ſtudent in Deū, atque veraciter intelligere ſe prorſus nihil

prou. 16.

pſal. 118.

poſſe ex ſe iuxta ſaluatoris noſtri ſententiam dicentis: Sicut palmes, inquit, non poteſt facere fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite, ſic & vos, niſi in me manſeritis. Hinc qualecunque ſanctæ humilitatis inchoant videre lumen, & ſufficiētiæ propriæ abiicere pondus, ex quotidiana eruditi exercitatione pugnandi experiuntur pro certo, quid ex ſe, quidve ex diuino valeant munere. Experientia quippe tentationum mentis aſſociata conſtantiæ optima eſt magiſtra virtutū ſpeculum infirmitatis propriæ, & humilitatis mater, ſine qua nemo poteſt ad perfectionis faſtigium peruenire. Per hanc proficientes acquirūt decertandi habitum, aſſueſcunt habitare ſecum, atque diſcretionis ſpirituum gratiam promerentur accipere, dum alternatim multimodis vexantur agitationibus, terrētur periculis, paſſionibus impelluntur, deſeruntur ad tempus, eriguntur per gratiam, corroborantur in fide, & deuotione paſcuntur. Cæterum cum virtutis certamē laborioſum ſit, & tentationi propinquus ſit lapſus, magnanimiter tamen reluctandum eſt, quoniā mediante exercitatione huiuſmodi ſpiritualis miles Chriſti in pugnādo fit cautior, in humilitate prouectior, in ſui cordis cuſtodia vigilātior, atque in propriæ debilitatis conſideratione feruētior. Nequaquam enim ſicut incipientes, ſed longe perſpicacius, verius, & humilius proficientes agnoſcunt ſe. Incipientes quidem poſt caſum de ſe inicientur habere notitiam. Nam dum labūtur in tētationes, dum à ſuis paſſionibus ſuperātur, & dū in antiquis ac pernicioſis conſuetudinibus reflectuntur) præter maiorum cōſilium, & perficiēdi deſiderium) tunc nemine illis inſinuante atque docente palàm intelligunt quales ſunt, nō tamē ad plenum. Oculos quippe eorū, quos clauſerat elatio & ignorantia ſui, aperit culpa. Sic parentes primi poſt præuaricationem mandati & vetiti eſum propriam agnouere nuditatem, ac de ſe erubeſcentes latebras petierunt, ex quibus, niſi reuocati fuiſſent à domino, egredi minime præſumpſiſſent. Per manifeſtam itaque tranſgreſſionem, & certamina notiſſima, necnon frequentes lapſus incipientes humilitatis fundamenta iaciunt, & quātum illis neceſſaria ſit virtus hæc (experientia teſte) perpendunt, quæ nec fallitur, neque fallere nouit. Hoc vnico, iuxta conſiliū meū, vtantur remedio, ſi cupiunt aſcendere, & in vacuum non laborare, deſperationem fugiāt, & puſillanimitatem abiiciant, (etiam ſi decies, vel cēties in die caderent.) Toties repetant pugnam, & animoſitatem reſumant, atque progrediendi concipiant audaciam, quoties delinquunt. Pius enim cum ſit dominus & miſericors, militū ſuorum compatitur laboribus, & in eorum bonis cōplacet deſideriis, eoſdemque (ſi perſeuerauerint in bello) auxilium flagitantes diu deſudare non ſinit. Ipſum per Prophetam iuſto in anguſtia cōſtitu-

Ioan 15.

ſtitu-

ſtituto audiamus dicentem: Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Iterum- *pſal. 46* que: Clamabit ad me & ego exaudiam eum, cum ipſo ſum in tribulatione, eripiam eum, & glorifi- *Pſal. 90.* cabo eum. Crebro itaque diuinæ miſericordiæ pulſent ad ianuam, frequenter in oratione corã Deo ſe ſtatuant, effundant tam cordis quàm oculorum lachrymas, vulnera interiora detegãt, proprios confiteantur reatus, quales ſint, conditori ſuo ſe offerant, & in ſuis quotidianis concertationibus ac tentationibus opportunum de cælo implorent præſidium. Hæc profectò eſt incipẽtium lex, vita tuta, doctrina cæleſtis, ſpiritualis medicina, & experientia certa, quæ non ſolum initiãtibus congruit, verumetiam proficientibus eſt valde vtilis. Quis eſt enim qui non tentetur, quamuis perfectus eſſe videatur, atque ſæpiſsime non labatur ſaltem in venialibus criminibus, quæ prorſus euitari non poſſunt, perhibẽte Ioan- *1. Ioan. 1* ne, Si dixerimus quòd peccatum non habemus, nosipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt? Quandiũ in carne corruptibili ſumus, carnis incentiua patimur, carnis aculeos perferimus. Poſſunt vtique cohiberi, ne procedant ad opus, valẽt etiam reſtringi, vt non in delectationis conſenſum trahantur, nequaquam verò totaliter propulſari queunt, vt quantulumcunque inficiant, quæ profectò macula ſeu infectio magna proficientibus atque perfectis eſt humilitatis occaſio. Perfectum audiuimus (Paulũ dico confitentem, *Rom. 7.* ac conquerentem.) Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? Hoc autem vt proprijs non arrogaret viribus, repente intulit: Gratia Dei per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum. Si igitur ex actibus exterioribus & paſsionum impulſibus atq; manifeſtis lapſibus incipiẽtes metiuntur, ſe conſiderant, quales ſunt, ſeque humiliando atque accuſando profitentur. Proficientes verò ex motibus cordis, ex animi affectibus, ex innatis infirmitatibus, & ex reluctantibus naturæ neceſsitatibus hoc idem, quod de incipientibus dictum eſt, peragunt. Sentiunt vtique (velint nolint) legem in membris ſuis eos captiuantem in lege peccati contra voluntatem legis mentis ſuæ & rationis: quæ, videlicet, lex mentis per gratiam Dei & verum virtutum delectatur in lege Dei, in cordis munditia, in pudicitia corporis, in moribus ſanctis, in diuinis eloquijs, necnõ in omni diſciplina ſpirituali, & exercitatione laudabili. Aduerſus tandem legem peccati ipſi proficientes ſemper erecti ſunt, indefeſsi inuigilant, vt illius ſtimulos reprimant, germina reſecent, carnis illecebras ſuperent, quod minime facere valent, niſi aſſueti ſint habitare ſecum, & diſcernẽdorum ſpirituum diſciplina prouecti. Hos *Cant. 3.* exprimere voluit ſermo diuinus, cum in Canticis canticorum voce eccleſiæ in laude ſponſi dicitur: En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſsimis Iſrael omnis tenentes gladios & ad bella doctiſsimi, vniuſcuiuſque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos: ſanè opus hoc memoratum magnarum eſt mentium, earum vtique, quæ proficiendi quotidie flagrant deſiderio, ſibi ipſis nequaquam onera laborioſa imponere formidant, vt placeant Deo: cui militant, & de ciuitate domini corde, videlicet, ſuo diſperdunt omnes operantes iniquitatem. Ad hoc peragendum ſemper ſunt in procinctu dimicandi, & ſe armis ſpiritualibus muniunt. Nã *Epheſ. 6.* iuxta apoſtolicam admonitionem ſuccingunt lũbos ſuos in veritate, iuſtitiæ loricam induunt, pedes ſuos muniunt in præparationem euangelij pacis, ſcutum fidei ſumunt, in quo valeant ignea inimici tela extinguere, galeamque ſalutis percipiunt, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei: ita vt per omnem orationem & obſecrationem orantes in omni tempore in ſpiritu & in ipſa vigilantes ſemper in omni inſtantia, eò ſolicitius, quò verius agnoſcunt per ſeipſos in hoc interiori agone perſeuerare non poſſe, niſi eis gratia diuina ſubminiſtret vires, infundat lumen, accendat affectum, deuotionem ingerat, augeat charitatem. In tali conflictu poſiti nequeunt infirmitatem propriam negare, quam profectò ſenſibiliter intelligunt ſibi in eſſe tam in carne, quàm in mente: ex cuius experientia ſe coram Deo ex corde humiliant, & in ſui æſtimatione vileſcunt ante ſe, habitum quoque quendam veræ humilitatis paulatim & per tempora acquirũt, per quẽ duce gratia Dei perfectorum ſtatui appropinquant, in arrepto ſpirituali propoſito perdurantes, conſiderantes aſsiduè, nedum quid ſint, verumetiam quid deſit illis, quod apoſtolum Paulum egiſſe cognoſcimus, quãdo aiebat: Quæ qui- *Phil. 3.* dem retro ſunt obliuiſcens, ad anteriora me extendo ad brauium proſequens ſupernæ vocationis. Porrò in hoc veritatis lumine, ad quod minime appropiant incipientes, patens pelagus & humilitatis panditur iter, quod nullo clauditur fine. Quis namque valet apprehendere, quid ſpiritualis exercitationis, quidve virtutis humilitatis deſit illi, cum ambæ vſque ad vitæ terminum infatigabiliter cuſtodiendæ ſint, & quælibet earum ſemper ſit aſcendendi præparata materia, atque in eiſdem non profeciſſe defeciſſe ſit? Proficientes igitur ad perfectionis faſtigium percurrentes nequaquam iis, quas habent contenti virtutibus ad illas, quas necdum adepti ſunt, inceſſanter anhelent. In operatione ſiquidem illarum virtutum, quas Chriſti athleta proficiens ſe diiudicando habere diſcernit, pro humilitatis ſtudio prudenter precioſum à vili, ab obliquo rectum, & à laudabili, reprehenſibile ſeparans, precioſum vtiq;, rectum, & laudabile attribuat Deo, reliqua verò veraciter adſcribat ſibi. Verum in earum aſſecutione quibus ſe carere conſpicit,

Digitized by Google

omnem adhibeat diligentiam, ac cunctum cordis ſui apponat conatũ, quatenus efficiatur ipſarum participatione dignus. Nouerit tamẽ, quòd quanto certius agnoſcit ſe tanto amplius à virtutum perfectione intelligit ſe eſſe remotum, hoc in illo humilitatis operante effectu: quæ profectò virtus quò magis augetur in homine, eò facit de ſe iudicare abiectius. Hinc eſt, quòd ſemper accuſator eſt ſui, arbitratur ſibi plurimum de eſse peruenire, quò tendere nititur. Hinc etiam fertur votis, amotis ſtimulis perurgetur apprehendere ſatagens humilitatis decorem, margaritam abſconditam, theſaurum inuiſum, atque quoddam ſingulare bonum, quod videlicet, intuetur mente, contrectatur manu, affectu complectitur, vnde fit vt bonum, quod poſsidere cõcupiſcit, illi appareat remotius, quo vt ipſum teneat, currit velocius, agnoſcit clarius, diligit vehementius. Mira res & conſideratione dignisſima. Quotidie ſolicitius ſe exercet, & nihil agere putat ſe, proficit de bono in melius, & in deterius ſe declinare fatetur, donis ſpiritualibus dietim locupletior efficitur, & pauperrimum ſe eſse videt, mentis libertate fruitur, & ſui corporis ac vitiorum ſeruum ſe eſse proclamat. Hoc autem de ſe cõfitetur non animi leuitate impulſus, nec ignorantiæ caligine obuolutus, neque tentationis vel deſperationis nimietate ſuperatus, ſed veritatis ſplendore illuſtratus, atque humilitatis diſciplina imbutus. Nam quamuis bona nonnulla ſe agere cernat, & mala quàm plurima vitare cõſpiciat, totum tamen hoc diuinæ tribuit maieſtati, quæ ex mera propriæ bonitatis clementia ſui operis efficit inſtrumentum, cohibetque ipſum per gratiam, ne in immaniũ ſcelerum præcipitiũ ruat, quoniam per Prophetam de ſe ſcriptum eſſe reminiſcitur: Niſi quia dominus adiuuit me, paulominus habitaſset in inferno anima mea. (pſal. 93.) Beata profectò humilitas ſancta, quæ quoties cõpellit proficientem redire ad ſe, notificat illi ipſum procliuum eſſe ad omne facinus, nihil eum agere, quod redargutione careat, ſi amota pietate iudicetur, nihilque boni poſſe à ſe, ſed ſemper Dei indigere auxilio. Docet poſtremo illum rogare Deum, & condemnare ſe, obliuioni tradere perpetrata bona præterita, & ſe ſolicitius ad futura agenda extendere, atque nullatenus in ſeipſo confidere, ſi tamen deſiderat à patre luminum chariſmata meliora percipere.

Qualis ſit virtutum amator, & quàm ſedule Chriſtum imitari conetur, cuius vita omnium virtutum eſt ſpeculum. Cap. XXI.

Virtutum amore inflammatus quò magis in illis proficit, eò amplius proficere ſtudet, labores quippe non metuit, fatigationes non ſentit, non magnipendit damna, iniuriis laceſsitus gaudet, contumeliis affectus exultat, necnon quaſſatus interdum exterius, quãdoque interius pacem habet, impingitur quoq; vt cadat, & robuſtius ſolidatur, maledicitur & benedicit: perſecutiones patitur & ſe exhibet Deo hoſtiam mundam, rationabilem, atque viuentẽ. Imitatur ſiquidem, hæc agens præceptorem ſuũ redemptorem, & dominum Ieſum, de quo per apoſtolum Petrum ſcriptum ſic legitur: Chriſtus, (1 pet. 2.) inquit, paſſus eſt pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt ſequamini veſtigia eius, qui quum malediceretur, non maledicebat, quum pateretur, non comminabatur. Tradebat autem iudicãti ſe iniuſte, qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, vt peccatis mortui iuſtitiæ viuamus, cuius liuore ſanati ſumus. Ipſius domini exemplo pro imbecillitatis ſuæ poſſe ſe conformare nititur, illius virtutum veſtigia imitari omni, qua valet, intentione deſudat. Non prophetarum ad id peragendum quærit oracula, non apoſtolorum rudimenta cunctatur, neque martyrum geſta meditatur. Tenet ante ſe redẽptoris ſui apertum codicem, in quo legendo aſsidue, & meditando frequenter, virtutum vniuerſarum repetit diſciplinam. Eſt namque vita domini Ieſu liber vitæ, exemplar verum, perfectionis ſpeculum, forma recte viuendi, perlucida via, religionis magiſterium, cunctarumque norma virtutum. In ipſo vtique fulget paupertatis virtus, quam adeo conſtanter in exemplum fidelibus præbuit, vt non agros, nec domum, neque pecunias poſsideret, quin potius tãquam peregrinus in ſeculo & nudus viator naſci voluit ſub tugurio alieno, in præſepio reclinari, ac vilibus vagiẽdo inuolui panniculis. Mori inſuper voluit non in domo propria, non in molli ſtratu inter manus diſcipulorum, ſed in crucis aſperrimo ſtipite, in medio duorum latronum, atque eo defuncto corpus in ſindone aliena opertum, etiam in monumentum non ſuum delatum eſt. Porrò ſi percurras vitæ eius ſtatum, hanc virtutem ipſum perfecte ſeruaſse perpendes, (Luc. 9.) vnde dicebat: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet vbi reclinet caput ſuũ. Nempe in illo ſi obedientia quæritur, ipſum patri æterno obedientem vſque ad crucis patibulũ extitiſse clareſcet, non ſolum cæleſti patri, verũ etiam parentibus ſecundum carnem: Mariæ (videlicet) & Ioſeph obtemperauit pleniſsime. Sic enim legitur: Et deſcendit cum illis Nazareth, & (Luc. 2.) erat ſubditus illis. Verum ſi manſuetudo inſpicitur, illo nullus manſuetior fuiſse cognoſcitur, in cuius perſona Propheta commemorat dicens: Et ego, inquit, quaſi agnus manſuetus, qui portatur ad victimam, & non cognoui conſilia eorũ aduerſum me dicentium: Venite mittamus lignũ in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & non memoretur nomen eius amplius. Tantæ ſiquidem fuit manſuetudinis, vt ſe à diabolo

bolo tentari permitteret, & ab eodem portari ſuper templi pinnaculum,& ſuper excelſum montem ferri. Cæterum quum aſcenderet Hieruſalē, & à turbis illi obuiam cum ramis oliuarum &palmarum frondibus procedentibus clamaretur,Oſanna filio Dauid,benedictus qui venit in nomine domini, non in equo phalerato, neque armigeris aut ſeculi potentibus ſtipatus inceſsit, ſed aſello paruulo inſedit, quemadmodum longe ante de ipſo fuerat vaticinatum. Sic enim ſcriptum Zach 9 Ioan. 12. eſſe nouimus: Noli timere filia Hieruſalem, ecce rex tuus venit tibi manſuetus ſedens ſuper pullū aſinæ & filium ſubiugalis. De miſericordiæ autē virtute quid memorem,quum Propheta in pſal- pſal. 110. mis præcinuerit de ipſo, inquiens: Memoriam fecit mirabilium ſuorum miſericors & miſerator dominus eſcam dedit timētibus ſe? Meritò quippe miſericors & miſerator eſſe perhibetur, qui vtramque hominis ſubſtantiam,corporalem, videlicet,& ſpiritualem,quotidiano reficit alimento. Ipſe namque eſt,qui (ſicut in euangelio legitur) turbas hominum corporali cibauit pabulo, ad inſinuandam vtique ſuæ diuinitatis potentiā, ſuæque humanitatis ineffabilem miſericordiam. Vniuerſum vero mortalium genus, cæterorumque animantium ſpecies quis nutrit, niſi ipſe,de pſal. 144. quo Propheta ſic teſtatur:Oculi omniū in te ſperant domine,& tu das eſcam illorum in tempore opportuno: Aperis tu manum tuam,& imples omne animal benedictione? Quod autem in ſe credētes ſpiritualiter reficiat,in ſacramento ſui corporis & ſanguinis, quotidiana traditione patet. Ioan. 6. Caro, ait,mea verè eſt cibus,& ſanguis meus verè eſt potus, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinē, in me manet,& ego in illo. Ampliſsimam quoque miſericordiam ſuam notā facere curauit,quum parabolam hominis deſcē- Luc. 10. dentis ab Hieruſalem in Hierico & à latronibus vulnerati prædicauit,quem profecto motus miſericordia ſuſcepit, ipſius vulnera adhibito illi vini &olei medicamento alligauit,atque ſuo ſuperpoſito iumento perduxit ad ſtabulum mandans ſtabulario,vt ipſius curam gereret opportunam.Prætermitto breuitatis cauſa, quantam præbuerit miſericordiam ſuper iis,quos teſtantibus euangeliſtis a diuerſis languoribus eripuit corporaliter, quantoſque quotidie iuſtificando ſpiritualiter gratos Deo efficiat.Patientię verò ſi quis vult erudiri virtute, ipſius mediatoris noſtri meditando diſcurrat vitam,& potiſsimum illius acerbiſſimæ paſsionis agonem. Intelliget nāque omnes martyres ipſum hac virtute præcellere. Charitas verò quantum in illo eluceat, redemptionis Iſa. 53. noſtræ indicat effectus. Ipſe quidem languores noſtros tulit,infirmitates portauit,&nos ſuo liuore ſanauit.Cæterum vt ab æterno,quos ad vitam prædeſtinauit perpetuam,liberaret incēdio, corporaliter mori dignatus eſt,non qualicunq; morte,ſed turpiſsima morte crucis,quę ſolū ſceleſtiſſimis hominib. debebatur. Hanc charitatis ſuę vehementiam inſinuare volens inquit: Maiorem Ioan. 15. hac dilectionem nemo habet,vt animā ſuam ponat quis pro amicis ſuis.Alio quoque in loco ait: Sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos, & animam meam pono pro ouibus meis. Humilitatis autē ſanctæ affluentiſsime in illo reſplendet perfectio,ita vt humilitatis eius cęterorum mortaliū Gen 18 nullatenus ſit coęquanda humilitas.Humilis fuit Num 12 Abraam,qui quum loqueretur cum angelis,ſe eſſe puluerem ac cinerem nominauit. Humilis ēt extitit Moſes,dē quo legitur,quòd fuerit mitiſsimus omnium,qui tunc morabantur in terra. Dauid præterea ſingulari humilitate emicuit,qui di- pſal 130 cebat: Domine non eſt exaltatum cor meum,neque elati ſunt oculi mei, neque ambulaui in magnis,neque in mirabilib. ſuper me.Et in alio pſalmo: Vide(inquit)humilitatem meam &laborem pſal. 24 meum,& dimitte vniuerſa delicta mea. Iterumque: Vide, ait,humilitatem meā,& eripe me,quia legem tuam non ſum oblitus.Marię verò matris ipſius redemptoris & domini noſtri quanta fuerit humilitas,humano nequit explicari eloquio. Nā quò præ cæteris fuit plena gratia,aucta meritis,& ornata virtutib. eò extitit humilitate præcellior, ita vt plus cunctis diligeretur à domino,& ab omnibus beata prædicaretur, quemadmodum ipſa de ſe perhibuit dicens: Quia reſpexit humilitatē ancillæ ſuæ,ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, Digne prorſus beata prædicatur à cunctis,ab vniuerſis honorifice commendatur,& maximis effertur laudibus, quæ humilitate ſua genitricem Dei meruit nuncupari,et eſſe. Nam lucem ſempiternam edidit mundo,hominibus præſtitit pacem, peccatoribus genuit vitam, pœnitentibus tribuit veniam, iuſtis auxit gratiā, vitiis finem poſuit, virtutibus præbuit diſciplinā, et antiquis patribus patefecit gloriam.Hæc profecto immaculata mater et virgo, quanquam incōparabilis fuerit ſanctitatis,necnō plus cæteris humilitate præfulſerit, humilitati tamen Chriſti æquiparata deformis eſſe videtur et ſqualida,ſicut Cant. 1. voce ſponſæ in Canticis canticorum ex perſona ipſius exprimitur: Nolite,inquit,me conſiderare quod fuſca ſim,quia decolorauit me ſol. Nempe ipſa virgo beatiſsima, & reliqui ſancti ac iuſti, qui hac humilitatis virtute claruerunt,ſpirituales extiterunt lucernæ accenſæ,illuminatæ vtiq; per gratiam quantulamcunque lucem de ſemicantes Dominus verò noſter Ieſus Chriſtus ſol eſt iuſtitiæ, & ſplendor ęternę lucis, non illuminatus ad tempus, neque interpollatim propter verbi prę-ſentiam rutilans,aut accidētaliter coruſcans, ſed ex patre genitus, lumē ſempiternum de lumine ſine initio,ſemper fulgens,nunquam diminutionem ſentiens,neque detrimentum vllum admittens. Cęteri denique ſancti(quemadmodum di-

ctum

enim est) propter humilitatis virtutem lucernæ eſſe memorantur, intus quidem ardere charitatis flamma, foris autem ob maximam virtutum prærogatiuam lucere denunciantur. Ardent quippe, ſed non à ſe. Niſi enim ſe humilient, & ad percipiendam gratiam per humilitatem ſe præparent, nequaquam ardere intrinſecus valent. Porrò quãto amplius vileſcunt apud ſe, & magis contemptibiles oſtendunt ſe, tanto ad ſuſcipiendum oleum, per quod charitatis virtus exprimitur, capaciores fiunt, atque eo profuſius lucent, quo abundantius charitatis fomento exuberant. Ardent ſiquidem: ſed non ſemper, caleſcunt inſuper, minime autem pro ſuæ libito voluntatis. Exponuntur interdum ad flatus tentationum, & ad turbinum ac tempeſtatum fragorem, per quos nonnũquam (ſecum Dei cooperante gratia) accenduntur vehementius. Sæpe verò (permittente domino) tædio, ſeu importunitate tentatoris, vel procellarum nimietate ad tempus extinguuntur: ita vt ad dominum clamare cogantur, ac dicere: Pſal. 68. Saluum me fac Deus, quoniam intrauerunt aquę vſque ad animam meam, infixus ſum in limo pro- Pſal. 25. fundi, & non eſt ſubſtantia. Illudque: Vre renes meos & cor meum domine. Eſt namque charitas ſpiritualis ignis, quo mediante ad dilectionẽ Dei & proximi, & ad virtutum amorem humanũ accenditur cor, necnon in aduerſis ad tolerantiã Cant. 8. roboratur. Nam in Canticis canticorum de ipſa charitate ſic legitur: Fortis eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio. Lampades eius lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem. Nempe his lãpadibus charitatis inflammati extiterũt ſancti in cordis ſui ſecreto eãdem humiliter collocantes, ac etiam humilitatis, cæterarumque virtutum nutrimento fouentes. Quamobrẽ ſicut amoris igne coram Deo arſerunt in ſe: æque morum diſciplina pro ædificatione proximorum vtiliter coruſcarunt. Religionis quippe præclarum ſpeculum ac diuini cultus quandam portendebant imaginem, per quam ad bene viuendum alliciebant conſiderantes illos, tanto vehementius, quãto ardentius proficere cupiebant. Equidem in hoc perlucido ſpeculo, & vita ſanctorum perfecti viri frequenter ſe inſpiciunt, & pro conſequenda humilitate ſe illis diligenter æquiparant, opera ſua metiuntur in ipſis, & quid deformitatis, quidve imperfectionis habeant, perſcrutantur, & optime diiudicant ſacrarum eruditi magiſterio ſcripturarum, & ſanctorum ipſorum exercitatione irreprehenſibili, necnon experientia propria, quæ nequaquam profecto falli poteſt, ſi abſque paſſione affectionis diſcernat, quod raro in viris ſpiritualibus ac perfectis contingere conſueuit. Nam gratiæ Dei & donorum cæleſtium locupletes ſunt, ſpiritu quoque Dei aguntur, diriguntur que ab inhabitante in eis verbo, necnon diſcretionis lumine illuſtrati ſingula, quæ in illis verſantur, vident etiam minima atque leuiſſima, dicente Apoſtolo: Spiritualis homo omnia diiudicat, & ipſe à nemi- 1 Cor. 2. ne iudicatur. Alio præterea in loco id expreſſius ipſe manifeſtat inquiens: Perfectorum autem eſt Hebr. 5. ſolidus cibus, eorum qui pro conſuetudine exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni & mali. Hoc ideo congrue ac prudenter facere valent, quia difficulter rariſſimeque cogitationes ſuas extra ſe vagari patiuntur. Nam nec amoris magnitudo, nec conſcientiæ rectitudo, nec virtutum vſus, neque concupiti præſentia dilecti, qua perfruuntur habitu, & actu frequenter deguſtãt, diſperſionem ipſam nullatenus fieri ſineret. Sciũt namque quantum ambulantibus in ſpiritu noceat, & quantum diſpliceat ſponſo, qui in latitudine, & cordis munditia cubare delectatur. Quod, videlicet, perfecti intelligentes viri per charitatis dulcedinem ſua dilatant corda, atque per mentis ſuæ cuſtodiam internæ inſiſtunt munditiæ agnoſcentes pro certo, quòd quemadmodum omne malum & quodcunque vitium, ita econtrario omnis virtus & omne commendabile bonum originem ſumit à corde, ſacro hoc perhibẽte eloquio ac dicente: Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quo- Prou. 4. niam ab ipſo mors & vita procedunt. Quamobrẽ prima eorum intentio, necnon ſtudium ſingulare eſt habitare ſecum, puritati mentis vacare, & ambulare in lumine non Solis viſibilis humanis aſpectibus, ſed illius, de quo legitur: Vobis timen- Deut. 17. tibus nomen meum orietur ſol iuſtitiæ, ſine cuius lumine, nec Dei, nec ſui, nec veri ac falſi, neque virtutis aut vitii certam poſſunt habere notitiam. Hinc eſt, quòd tam ſolerter lucernas ſpirituales ſuperius memoratas proponunt ſibi, ſe per eaſdem illuſtrant, ſe agnoſcunt, ſeque corrigendo humiliant, quatenus æterni Solis fiducialius ſe præſentent aſpectibus. Ipſe quippe ſol nequaquam patitur ſibi aſtare elatos, ſed ſuo illico repercutit lumine, ſuoque illos ſplendore obnubilat, humiles verò bonitate ſua trahit ad ſe, & ſua claritate irradiat, adeò vt per hanc participationem lucis & ipſi efficiantur lux, non in ſe, ſed in domino, quemadmodum quibuſdam iuſtificatis fidelibus Apoſtolus inſinuanter ait: Fuiſtis aliquando Ephes. 5. tenebræ, nunc autem lux in domino. Et dominus Matt. 5. noſter: Vos eſtis (inquit apoſtolis) lux mundi. Hęc profecto lux humilitatis virtutem parit, & exhibet hominem propinquum Deo, & tanto amplius reddit illum humilem, quanto per ſui communicationem clariorem facit. Reciproca ſiquidem familiaritate ſibi deſeruiunt humilitas & lux. Nam humilitas ſe cognoſcit per lucem, & in luce manifeſta ipſi fiunt vniuerſa, quæ latent: ob quã profecto detectionem humilior quiſque efficitur. Lux verò ipſa quò magis infunditur intellectui & rationi, eò efficacius euacuat altum ſapere, propriam referat infirmitatem, & Deum per-

ſpicacius cognoſcibilem exhibet: quę proculdubio cognitio veram gignit humilitatem, nutrit & perficit. Porrò in hoc lumine conſummatæ humilitatis percipitur lumen, & eò fit quiſque in humilitate perfectior, quo per cordis puritatẽ eſt huic luci vicinior, atque per charitatis dulcedinẽ Deo familiarior. Sane cooperante humilitate Dei cõtemplando gloriam per lucem in fide trãsformatur de claritate in claritatem in via, donec in patria pertingat ad ſpeciem, in qua vtique ſolis gloriam in ſuo eſſentiali ſplendore contuendo, & non quantus, ſed ſicut eſt, videndo cognoſcet etiam humilitatis ſublimitatem pręclariſsimam, & præcelſam, quæ non niſi in lumine gloriæ ad plenum intelligi poteſt.

De diuerſitate & vnitate corporalium ſenſuum, necnon de vtilitate & effectibus corporalis & ſpiritualis lucis. Cap. XXII.

IN humano corpore Dei poteſtate & voluntate de limo terræ plaſmato diuerſos patet ineſſe ſenſus, qui quamuis varios in ſe effectus habeant, in vno tamen naturalis amoris conueniũt vinculo, ſibi inuicem obſequuntur, mutuaque viciſsim ſibi dilectione famulantur: quod quiſque habet proprium facit commune, & quod priuate poſsidet, ad cæterorum impertitur vtilitatem ſine perturbatione, abſque liuore, & omni amoto odio, ita vt ſibiipſi facere arbitretur id quod agat in altero. Nam quanquam vnus ſit præſtantior altero, efficiuntur nihilominus ſingula eorum dona communia omnibus, hoc diſponente vniuerſorum authore, qui nullo modo vult, vt fiat ſchiſma in corpore, ſed ſi patitur vnum, compatiantur & reliqua, atque cuncta gaudeant, ſi vnũ lætatur. In ſolo quippe actu diuiſa ſunt, in pari verò fine copulata. Aliud namque eſt officium aurium, aliud autem oculorum eſſe cognoſcitur, necnon narium, guſtus, & tactus. Delectatur quidem tactus mollitie corporum, guſtus verò dulcedine & ſuauitate ſaporum: odoratus autem ab odoramentorum fragrantia ſatietatem admittit, auditus in vocum ſonoritate & concentu harmonico conquieſcit, ſed viſus in creaturarum decore & ſpecierum varietate infigitur, lucis id operante medio, ſine qua prorſus iacet in tenebris, infructuoſus permanens atque inutilis. Per ſe quippe ipſe oculus nihil videt, nihilque diſcernit, tametſi pręſentes illi ſint formæ pulcherrimæ, & concupiſcibiles ſpecies. Hoc igitur ſenſus iſte præ cæteris ſenſibus indiget medio, hoc inquam, vt ſuo fungatur officio, opus habet ſuffragio. Tolle lucem ab oculo, & toto corpori offendiculum pones, quã ſi in tenebris conſtituto exhibueris, reliqui mox reficientur & ſenſus. O bona lux in te decora, per te amabilis, ex te deſiderabilis, quis tuas valet explicare laudes, tuaque enarrare præconia? quis tuas poteſt virtutes pandere, necnon tuos multiplices reſerare effectus? Te namque abſente diſcurrunt latrones, domos inuadunt fures, ſylueſtres feræ luſtra propria deſerunt, catuli leonum per nemora & ſolitudines deambulant rugientes, vt quærant eſcam ſibi, homines verò ratione vtentes in ſuis recluduntur habitaculis, & veluti inutiles cõquieſcunt, ſi tuo careant medio. Porrò ſine te proditiones fiunt, perpetrantur adulteria, & ſcelera nefandiſsima peraguntur, te verò coruſcante, te claritatem tuam per orbem diffundente, patent omnia, agnoſcuntur ſingula, vniuerſaq; more ſuo exultare videntur, iter inchoatum viatores arripiunt, ſpem ægri aſſumunt & vires, egrediturque vnuſquiſque ſecurè & intrepidè ad opus ſuum vſque ad veſperam, ſocialiter viuit, fiducialiter conuerſatur, hilariter ſe manifeſtat, & procedit ad publicum, palàm loquitur, & tanquam rationale animal negocia ſua pertractat. Equidem quod per ſenſum carnis viſibilis ac materialis lucis perceptibilem agi perhibetur, hoc per rationalem ſpiritum lucis intellectualis capabilem perfici dubitet nemo, eò excellentius, delectabilius, & vtilius, quò ſpiritualis actus, & ſpiritualis lux præcellit corporalem atque viſibilem. Sane quũ rationalis mens æternæ ſapientiæ, & ſupernæ veritatis illuſtratur ſplendore, repente immundorum ſpirituum deteguntur fraudes, tentationum cognoſcuntur laquei, ac conſcientiæ arcana clareſcunt; agnoſcit homo ſe, inuiſibilia credit, ſperat promiſſa, diligit ſempiterna, diſcernit dubia, eloquia diuina intelligit, ſacramenta veneratur, mundum ſpernit, calcat voluptates, corpus domat, odit ſcelera, vitia perhorreſcit, virtutes amat, & omne quod eſt ſimplex, quod rectum, quod vtile, & quod Deo gratum. Profecto mediante lumine ſpiritualia guſtat, ſpernit carnalia, temporalia paruipendit, & concupiſcit cæleſtia. Hac luce nil dulcius, nilque amabilius, quæ fugat vitia, hoſtes ſuperat, depellit tenebras, rationem informat, reſtituit mentem ſibi, & illam facit Deo eſſe propinquam. Non enim valet quis niſi per lucem agnoſcere ſe, qualis ſit apud ſe, ſed neque appropiare domino, qui eſt (ſicut legitur) lux, & in quo nullę ſunt tenebrę, quin potius ipſe illuminat tenebras, dicente Apoſtolo: 2.Cor. 4. Qui enim facit de tenebris lucem ſplẽdeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris. Lucet quidem in tenebris, quamuis interdum eandem minime intueri queant ipſam repudiantes, & illius participatione ſe exhibentes indignos. Verum quotquot ipſam humiliter ſuſcipiunt, coruſcare facit lumine, germina procreare virtutum, vitę verba edere, viſibilia tranſcendere, et inhętere cæleſtibus. Hęc profecto ſunt perfectorum opera, hęc ſpiritualia verè humilium ſtudia, qui non per

lapſus

lapſus, nec per affectus impellentes ad caſum, neque per imperfectiones laudabilium actionum, ſed in ſplendore æternæ lucis, & in mundiſsimæ ſpeculo veritatis diiudicando ſe, & ſe prudenter inſpiciendo humiles, fiunt, eoque humiliores, quò efficiuntur viciniores verbo. Nam iſtiuſmodi per amoris copulam, per ſimplicitatem cordis, & per contemptum ſui illuminantur à verbo, & in verbo percipiunt lumen, quod difficillimè valet extingui. Adhærẽdo ſiquidem illi, in quo sũt omnes bonitatis ſapientiæ & ſcientiæ theſauri, quonam modo poſſunt relicto lumine verſari in tenebris, quum ab eodem lumine trahantur ad lumen? Trahuntur quippe ad lumen, ſed non in lumine, quod vtique præ ſui immenſitate, claritate, & decore inacceſsibile eſt mortalibus peregrinantibus, gementibus, & in corpore corruptibili habitantibus. Famulo namque ſuo Moſi, qui lucẽ ipſam, ſicuti eſt, in propria claritate videre poſcebat,
Exod. 33. inſinuauit dicens: Non videbit me homo, & viuet. Nempe viſio iſta, & huiuſmodi ingreſſus in lumine ineffabili, æterno, ac beato reſeruatur
Matt. 25. in patria, & humilibus Deo fideliter obtemperãtibus repromittitur, quemadmodum idem ait: Euge ſerue bone & fidelis, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium domini tui. Nam lux iſta, quæ communicatur viatoribus ad diligendum, & poſsidẽdum, & illa, in qua comprehenſores ingrediuntur ad fruendũ, vna eſt, quamuis diuerſimodè ſe manifeſtet. Eadem
Prou. 8. Eccle. 24. profecto eſt ſapientia, quæ ait: Ego ſapiẽtia habito in conſilio, & eruditis interſum cogitationibus. Et illa, quæ dicit: Ego in altiſsimis habito, & thronus meus in columna nubis. Quæ enim ſe teſtatur habitare in conſilio, & eruditis intereſſe cogitationibus agnoſcitur, & à viatoribus contuetur per fidem, & guſtatur in corde, cæterum quæ ſe perhibet in altiſsimis habitare, videtur per ſpeciem, & aperta viſione conſpicitur. Non eſt altera & altera, ſed ipſa & eadem, aliter tamen ſe peregrinantibus exhibet, & aliter regnantibus propriã reuelat gloriam, iuxta vniuſcuiuſque ſtatum et captum ſe tribuens contemplandam. Quo
1.Tim. 6. nam vero ipſa (ſicut ait Apoſtolus) habet immortalitatem, et lucem habitat inacceſsibilem, ideò viatoribus, quibus inualida ad cernendum lu
Sap. 7. men gloriæ ipſius eſt acies mentis, quæ vtique in ſubſtantia ſua candor eſt lucis æternę, et ſpeculũ ſine macula, ſplendor diuinæ maieſtatis, et imago bonitatis ipſius patris, ſe præbet cognoſcibilem per creaturarum ſpecies, et per ſacramenta ſcripturarum, et per figurarum ænigmata, non ſicu
1.Ioan. 3. ti eſt, ſed quod eſt. Declarat autem Ioannes Apoſtolus quando et a quibus videbitur, ſicuti eſt: Filii (inquit) Dei ſumus, et nondum apparuit, quid erimus. Scimus quòd quum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt. Apoſtolus verò Paulus tam peregrinantium quàm triumphantium lucis huius viſionem notam facit, quum ait: Videmus nunc per ſpeculum in 1.Cor. 13
ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognoſco ex parte, tunc autem cognoſcam, ſicut et cognitus ſum. Prima quidem viſio præſentis temporis eſt, ſecunda futuri: prima communicatur in via tanquam donum et medium, quo pertingatur ad ſecundam, quę promittitur in patria. Sanè quę datur in via, non palàm exponitur, neque vniformiter pręrogatur ſicut ſolaris lux, quę miſericorditer communis eſt bonis et malis, ita ad viſum ſicut ad vſum, ita profecto lux, de qua ſermo agitur, tantum impertitur electis, quatenus eadẽ pręeunte et comitante pertingant ad patriam, reprobis verò aliquibus pręſtatur ad tempus, nequaquam autem perſeuerat in finem, non ex defectu aut diminutione lucis, ſed exigentibus demeritis eorum, quibus ipſa facit occaſum. Stat namque ad cordis oſtiũ parata ingredi, dummodo aperiatur ei. Nempe qui per deliberatum mẽtis cõſenſum ipſius digni ſunt contubernio, irradiantur ſplendore eius, et erudiuntur de multis et pręcipue de ſe, plus tamen et minus iuxta beneplacitum illius, et ſuſcipientium diſpoſitionẽ. Nam quãuis in ſe ęterno et ineffabili coruſca ſit lumine, et nullum ſui pati valeat detrimentũ, aut viciſsitudinis obumbrationem, diuerſimode tamen, ſicut prætactum eſt, lucis ſuæ radios manifeſtat. Quibuſdam enim præbet notitiam de apertis inſinuans illis quam fallax ſit mundi gloria, pernicioſi honores, opes contemnendæ, paruipendenda proſperitas, vita quam ſit breuis, certa mors, et mortis hora incerta. In hoc vtique lumine compellitur homo redire ad ſe errantem agnoſcere, ſe corrigere delinquentem, ſe exitui carnis propinquum humiliare, et ſe conditori ac iudici ſuo cum cordis compunctione proſternere, atque abdicatis à ſe cunctis ſeculi huius illecebris diuino ſe perpetue mancipare obſequio. Aliquibus verò de iis, quæ latent, et in diuinis ſub velamine literę ſunt occultata eloquiis, infundit lumẽ, quarum intelligẽtia humano nequit hauriri ingenio, niſi ille (qui habet clauem Dauid, ape- Apoc 3
rit et nemo claudit, claudit et nemo aperit) reſerauerit, quemadmodum diſcipulis poſt reſurrectionẽ in vnũ cõgregatis egiſſe legitur. Sic enim habes: Et aperuit illis ſenſũ, vt intelligerent ſcri- Luc. 24
pturas. Idem profecto eſt, qui docet hominẽ ſciẽtiam in momento, quũ vult, et paruulis humilibus tribuit intellectum, reuelat myſteria, et ſacrarum ſcripturarum pandit arcana, necnõ producit ad lucẽ, quæ myſtici ſermonis latent inuolucro. Per hos namque inſtruit plebem ſuã, dęmonũ manifeſtat laqueos, atque iuxta prophetæ teſtimonium, ambulantibus in regione vmbrę mortis, vt greſſus ſuos dirigant in viam pacis, oſtẽdit lumen. Non poteſt congruo explicari ſermone, quanta documenta moralia, quot allegoriarum

ſenſus, quàm multa ſacramenta cœleſtis patriæ, quę in voluminibus ſacris obtecta ſunt, per ſapientiam verbi loquentis in humilium cordibus patefacta clareſcant. De oraculis prophetarum quid memorem, quæ plena ſunt oculis, ſacramẽtis grauida, figuris inuoluta, ac referta ænigmatibus? Quę profecto vniuerſa ipſi Vates niſi diuino illuſtrati ſplendore dicere nõ valuiſſent. Futura enim reuelante ſpiritu veritatis tanquã præterita intuẽtes, interdum etiam præterita ac ſi præſentia recolentes ad eruditionem fidei, & ad corroborãdos, in ſpe puſillorũ animos inſinuare curarunt. Quodque eſt admiratione digniſsimũ, nonnulla eorũ, quæ narrãt, & in ſuperficie plana ſunt ad intelligẽdũ, & profundiſsimę veritatis in ſe cõtinẽt lumen. Ex qua re paruuli hiſtoriæ lacte nutriuntur, & intelligentes atq; doctiſsimi nequeũt ad plenum ſpiritualem in eiſdem latentem ſenſum elicere. Nec mirum. 2.Petr. 1. Non enim (vt ait apoſtolus Petrus) voluntate humana allata eſt aliquãdo prophetia, ſed ſpiritu ſancto illuminati locuti ſũt ſancti Dei homines. Quamobrem ex eorum dictis augetur fides, accreſcit reuerentia, irradiatur ratio, nutritur mens, affectus accenditur, ſacrorũ eloquiorũ clareſcit autoritas, & humilitatis virtus in ſapiẽtiæ luce perficitur. Sunt & alii fideles corde humiles, & huius æterni luminis ſplẽdore perfuſi, quamuis illiterati & rudes, quibus omnipotẽtis Dei clemẽtia interdũ ſecretorum cæleſtiũ præbet notitiã potius experiẽtiæ guſtu, quã rationis indagine. His etenim nunc ſub velamine figurarũ, nũc per internã cognitionẽ reuelat plurima ſapientiæ ſuæ occulta myſteria, partim ad aliorũ vtilitatem, partim ad recipientiũ conſolationẽ atque profectum. Verbum hoc non latet omnino eos, qui orationis & contẽplationis exercitio die noctuque intẽti ſunt. O quoties huiuſmodi diuina ſe illis cõmunicante bonitate per exceſsũ mẽtis & deuotionis abũdãtiam eleuãtur ſupra ſe, præter corporaliũ ſenſuum vſum, & in cæleſtiũ cõtẽplationẽ rapiũtur, atq; in ſpeculo fidei cum admiratione, exultatione, & gaudio cõſiderant, vt poſſunt, cæleſtis regis potentiã, æternitatem, bonitatem, & gloriam, regni magnitudinem, claritatem, pacem regnantium vnitatem, mutuam communicationem, fruitionem & lucẽ. Sane ſicut ſpirituali ſplendore, ita iubilatione in hoc arcano mentis exceſſu replentur, qui tali gratuito digni effecti ſunt dono, adeò vt minime ſe valeant continere. Quamobrem exultante ſpiritu ſecum promunt, & dicunt; Psal. 83. Quàm dilecta tabernacula tua domine virtutum, concupiſcit & deficit anima mea in atria domini. Beati qui habitant in domo tua domine, in ſecula ſeculorũ laudabunt te.

De diuina verbi generatione, & excellentia Dei & hominis Chriſti, quæ humano ad plenum non poteſt explicari eloquio. Cap. XXIII.

QVisquis increatæ lucis ad plenum conatur decorẽ naturalẽ promere, ſeu præconia illius excelſa narrare, prorſus ſuperuacue laborare cõuincitur, ac ſi maris arenã dinumerare, vel æquoris vndas in paruulo vaſculo concludere niteretur. Quum enim ambæ res apud homines impoſsibiles eſſe videantur (fas eſt dicere) facilius numeraretur arena, & maris vndę coarctarẽtur in vaſe, quã increatæ lucis effectus, & laudes humana poſſent reſerari facundia. Limitato ſiquidẽ numero arena, termino quoq; & mẽſura Deo notiſsima inſtitutæ ſunt aquę. Diuina verò lux & ſapiẽtia Dei ſine initio, abſque vlla mẽſura, ac fine de paterno ſplendore ſummi cõditoris eſt genita: de lumine lumen; & de Deo Deus, gignẽti per omnia coæqualis, in poteſtate, æternitate, bonitate, & diuinitate. Vnde quemadmodum ille, qui genuit, eſt ineffabile bonũ, inacceſsibile lumen, inſuperabilis virtus, incomprehẽſibilis maieſtas, diuinitas ſumma, mirãda æternitas, ita & filius ab eodem genitus, qui ait: Ego Ioan. 10. & pater vnum ſumus, & qui videt me, videt & patrem. Nam ipſe in patre, & pater in illo tanquã ſplẽdor in igne, & lumẽ in ſole quanquam longe incomparabilius & excellentius. In ſola differunt perſona, quia alia patris, & alia filii perſona, & tamen amborum eſt vna ſubſtãtia, par gloria, æqualis poteſtas, eadẽque eſſentia. Et licet pater à nullo, filius verò à patre ſit genitus: non tamen anterior eſt pater filio tempore, nec autoritate maior neque ſapientia ſublimior: quum in illa ſumma inenarrabili, & ſempiterna generatione non ſit motus temporis, ſed incommutabilis æternitatis permanentia, non ſit maioritas vel minoritas: ſed diuinitatis æqualitas, ſubſtantiæ identitas, poteſtatiſque parilitas. Non cognitionis aut ſcientiæ gradus, ſed perfectiſsima notitia, vna amborum ſapientia: vnum lumen, idem actus. Quod enim agit pater, operatur filius: & quod diſponit filius, perficit pater, ſicut filius inquit: Vſquemodo pa- Ioan. 5. ter meus operatur: & ego operor. Nam teſtante Apoſtolo: filius eſt Dei virtus, & Dei ſapientia. 1.Cor. 1. Quamobrem quemadmodum Deus pater abſq; virtute & ſapientia agere valet nihil, æquè & ſine filio, qui eſt illi ſimilis, & per omnia æqualis, prout Paulus perhibet dicens: Multifarie, multiſ- Hebr. 1. que modis olim Deus loquens patribus in prophetis, nouiſsime locutus eſt nobis in filio: quem cõſtituit hæredem vniuerſorum, per quẽ fecit & ſecula: qui quum ſit ſplendor glorię, & figura ſubſtantiæ eius, portanſque omnia verbo virtutis ſuæ, purgationem peccatorum faciens, ſedet ad dexteram maieſtatis eius in excelſis. Ex his declaratur filii præeminentia, in operando potentia, cum patre coæternitas, coæqualitas, coeſſen-

tia,

tia, quam procuIdubio carnis non capit ſenſus, diſertiſsima nō exprimit lingua, non attingit humana ratio, neq; vlla creata valet ad plenum percipere intelligentia, tametſi prout poteſt, totis viribus illam conetur agnoſcere, de ipſa loqui, & in eadem in ſpiritu delectabiliter requieſcere. Nam ſibiipſi illa ſumma & ęterna eſſentia eſt nota, capabilis, acceſsibilis, & reciproca: beata in ſe, de ſe, à nullo habens quod eſt permanens in ſe non localiter, ſed eſſentialiter: ſe communicans ſine diminutione, ſe diffundēs ſine diſperſione, ſeque infundens ſine contagione: Equidem totū quod dicitur de illa, quod cogitatur, quod agnoſcitur, eſt hauſiſſe de tota maris latitudine, & pro funditate paruiſsimam guttulam in comparatione ſublimitatis, latitudinis, longitudinis, & profundi illius, quod prorſus eſt inſcrutabile, atque immenſum. Dignatione igitur ſua inenarrabili, & bonitate ſua ſempiternaliter veneranda, recolenda, atque miranda, quod eſt mortalibus inuiſibile & incomprehenſibile, fecit Deus pater ex parte eſſe viſibile, atq; intelligibile, quando verbum, quod in principio erat apud patrem, caro factum eſt, & habitauit in nobis, ſicut Propheta [Pſal. 134] inſinuat dicens: Hic eſt Deus noſter, & non æſti- [Baru. 3] mabitur alius ad eum. Hic adinuenit omnem viā diſciplinæ, & dedit illā Iacob puero ſuo & Iſrael dilecto ſuo. Poſt hæc in terris viſus eſt, & cum hominibus conuerſatus eſt. Hoc idem Ioannes [Ioan. 1] apoſtolus pronuncians ait: Quod fuit ab initio, quod audiuimus, quod oculis perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de verbo vitæ, & vita manifeſtata eſt, & apparuit nobis. Erat ſiquidem in principio vita occulta in patre & lumine, poſtea verò veniente temporis plenitudine, per humanum reuelata eſt corpus, & in paſsibili eſt agnita carne, tanquam per lucernam lumen, & in ſpeculo facies: factaque eſt viſibilis, cognoſcibilis & palpabilis. Nec aliunde clarius, neq; in re aliqua manifeſtius percipitur ipſa vita ac increata ſapiētia, quā in ipſo myſterio incarnati verbi, & in perſona eiuſdem Dei ac hominis, atq; Dei & hominū mediatoris hominis Chriſti Ieſu. In hanc quidē perſonam duæ conueniunt naturæ, ambę diſtinctę, ambęq; perfectæ: vna (videlicet) diuina, altera humana. Diuina vtique ex patre ſine matre ęternaliter genita: humana verò de matre ſine patre in tempore nata ſine cōmixtione virili, & abſq; colluuione peccati. Vna quippe perſona in duabus naturis plena Deo, plena gra- [Coloſ. 1] tia, plena muneribus. Audi Apoſtolū de his diſſerentē: Gratias (inquit) agentes Deo patri, qui eripuit nos de poteſtate tenebrarū, & tranſtulit in regnū filii dilectionis ſuæ, in quo habemus redēptionē in remiſsionem peccatorū, qui eſt imago Dei inuiſibilis, primogenitus oīs creaturæ quia in ipſo cōdita ſunt omnia, in cęlo & in terra, viſibilia & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates omnia per ipſū & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes & in ipſo cōſtāt omnia: et ipſe eſt caput corporis eccleſię, qui eſt principiū, primogenitus ex mortuis, vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens, qui in ipſo cōplacuit omnē plenitudinem diuinitatis habitare corporaliter, et per eū recōciliari omnia in ipſū pacificās per ſāguinē crucis eius, ſiue quę in cęlis, ſiue quę in terris ſunt. Quid (oro) excellentius de ipſo Deo et homine Chriſto Ieſu, aut quibus verbis plenius, vel à quo efficacius proferri potuerunt hęc, quę ſuperius memorata ſunt, quam ab apoſtolo Paulo, qui per reuelationē habuerat, quę prędicabat, & in quo ipſa Dei ſapientia loquebatur: qui etiam vſque ad tertiū cælum raptus diuinam, ſicut eſt, contēplatus eſt eſſentiam, atque arcana meruit audire verba, quę nemini loqui licent? Nullum profectò maius eſt teſtimonium ac credibilius, quàm illius, qui ex certa ſcientia fatur. Sanè domino noſtro Ieſu Chriſto teſtimonium perhibet pater, cum dicit: Hic eſt filius meus, in quo mihi bene complacui, [Mat. 3] ipſum audite. Ipſe quoque filius de ſe tam verbo quàm opere, quis ſit, fatetur dicens Philippo: Philippe qui videt me, videt & patrem meum. Non [Ioan. 14] credis, quia ego in patre, & pater in me eſt? De operibus verò Iudæis inquit: Opera quæ ego fa- [Ioan. 5] cio in nomine patris mei, ipſa teſtimoniū perhibent de me. Quòd ſi mihi non creditis, operibus credite ſaltem. Spiritus autē ſanctus domino Ieſu tunc teſtimonium reddidit, cum eo baptizato in columbę ſpecie ſuper illū deſcendit, & māſit. In die verò Pentecoſtes palā in ſono, in igne, & linguis apparens perſonam mediatoris Dei & hominum, mundo vniuerſo indicauit. Ioānes denique Baptiſta, teſtimonium Chriſto exoluens ait: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mun- [Ioan. 1] di, ipſe eſt, de quo dicebā vobis: Qui poſt me venit, ante me factus eſt, quia prior me erat: & qui miſit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quē videris ſpiritū deſcēdētē manētē, ille eſt, qui baptizat in ſpiritu ſancto. Et ego vidi, & teſtimoniū perhibeo, quia hic eſt filius Dei. Ioānes poſtremò euangeliſta, quid de ipſo promat, audiamus: Et verbū (inquit) caro factū eſt, & habita- [Ibidem.] uit in nobis, & vidimus gloriā eius, gloriā quaſi vnigeniti à patre, plenū gratię & veritatis. Hęc profectò memorata teſtimonia cōmēdāt perſonā Dei & hominis Chriſti, in qua naturę erant duę, verbi (videlicet) & hominis, ita vnitæ atq; indiſſolubiles, vt vna nullatenus ſeparari poſset ab altera: & nihilominus ſic diſtinctę, vt verbū operaretur, quod verbi eſt, & homo ageret, quod hominis erat, nec verbū ſine hoīe, neq; faceret quicquā homo ſine verbo. Remaneretq; verbū in ſui natura impaſsibile, immortale & inuiſibile, homo verò paſsibilis, mortalis atq; viſibilis. Cōmunicabat quippe ſe verbum homini tāquam in ſup-

lugebat exitia, et mala perferentium, ſuſtinebat incommoda tanquam pia mater, verus ſponſus, redemptor præcipuus, diligentiſsimus mediator glorioſusque comprehenſor. In verbo nanque videbat omnia, agnoſcebat ſingula, ſeque vnum effectum eſſe cum illo humillime gaudebat. Gaudebat, inquam, quum in corpore eſſet paſsibili in ea parte ſuperiori, in qua viget intellectus, ratio dominatur: quemadmodum & nunc cum omni mortalitate conſumpta in dextera Dei patris ſedet vniuerſa corruptione deuicta. Nō enim poſt aſcenſionem eſt auctus in gloria, quippe quum reuelata illi deitatis eſſentia veluti comprehenſor perfectus eſſet, etiam in carne paſsibili ex ipſius viſione beatus, hoc excepto, quòd corpus illud & idem ſpiritus in ea parte, qua poterat pati, omnino, impaſsibilis eſt effectus. Per reſurrectionis itaque gloriam cuncta rationalis ſpiritus paſsibilitate deterſa aſſumpſit corpus incorruptibile, ſpiritale, glorioſum & impaſsibile. Prærogata denique eſt illi aſſumpto hominis iudiciaria autoritas, atque creaturarum omnium plena poteſtas, quemadmodū ipſe teſtatur: Data eſt (inquit) mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. (Mat. 28.) Ex his ergo vniuerſis euidentiſsime colligitur, quantas homo idem dominus noſter Chriſtus Ieſus in vnitate perſonæ à verbo aſſumptus aſſumenti Deo laudes & benedictiones exoluat, quantum honorem & affectum exhibeat, vel quas gratiarū ineffabiles, ignitas, immenſas, humillimaſque referat actiones, quum ſe in diuinitatis videat throno reſidere, cunctis præeſſe angelis & archangelis, atque ab eiſdem officioſiſsime adorari, venerari & coli: necnon ex ipſius donorum plenitudine ſpiritus ſingulorum participare beatorum. Pro huiuſmodi beneficiis & aliis quàm plurimis, quæ humanus intellectus etiam lumine gloriæ perfuſus non valet attingere verum neque archangelorū quiſquam ad plenum, ſed ſolum Deo & ipſi ſunt nota, quāta ſit idem homo humilitatis perfectione præditus, quàm humillime Deo ſit reuerentię timore ſubiectus, implicite ac ſub nube aliquid modicum ratione percipitur. Quemadmodum enim præ cęteris creaturis eſt donis locupletior, ſapientia clarior, felicitate ſublimior, & Deo propinquior, in cuius vtique lumine optime ſe cognoſcit eſſe, quod eſt: ita eſt in humilitate excelſior. Quę profecto humilitas (vt ſæpe dictum eſt) in vera ſui cognitione ſubſiſtit.

Qualis ſit elationis fructus. Et quam humilitatis ſanctæ, tam in præſenti, quam in futuro ſit merces.
Cap. XXIIII.

HVmilitatis magiſter, ceterarumque virtutum perfectiſsimus inſinuator & autor dominus noſter Ieſus Chriſtus, fideles quoſque ad deteſtationē elationis, quę omnium vitiorum eſt nutrimentum & caput, atque humilitatis ſanctę ad ſectandūm veſtigia inſtruere volens, vtrarumque elationis (videlicet) & humilitatis fructum manifeſtare curauit & meritū dicens: Qui ſe exaltat humiliabitur: & qui ſe humiliat, exaltabitur. (Luc. 14. Prou. 29.) Vis ſcire ſe extollentium qualis ſit fructus? Ante ruinam (ait Sapiens) exaltatur cor. Superbię quippe fructus eſt caſus. Prophetā audi, quid de ſuperbientis Luciferi commemoret lapſu: (Eſa. 14) Quomodo cecidiſti de cęlo Lucifer, qui mane oriebaris: corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo: In cęlū conſcendam, ſuper aſtra cęli exaltabo ſoliū meū ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis, aſcendam ſuper altitudinem nubium & ſimilis ero altiſsimo. Non ob aliud idem angelus profugus cum iis, qui adhęſerunt illi, de propriis expulſi ſunt ſedibus, niſi quia ſe temerarie extulerunt, & aduerſus conditorem ſuum ſuperbię leuauere calcaneum. Horum caſum Propheta conſiderans tremefactus & humiliatus dominum deprecatur inquiēs: Non veniat mihi pes ſuperbię (Pſal. 35) & manus peccatoris non moueat me. Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem, expulſi ſunt, nec potuerūt ſtare. Hoc ipſum notificare voluit Dei humilis ancilla & mater, quum ait in cantico: Fecit potentiam in brachio ſuo, diſperſit ſuperbos mente cordis ſui. (Luc. 1) Veridica igitur eſt ſaluatoris noſtri ſententia, qua dicitur: Qui ſe exaltat, humiliabitur. (Luc. 14) Cęterum hoc non repugnat à vero, quāuis multi & penè innumeri videantur elati & ſuperbi ad tempus florere in ſeculo, dignitatibus & honoribus ſublimari. Non valet mentiri veritas, neque aliter fieri poteſt, quàm quod ipſa teſtatur. Non enim ait: qui ſe exaltat, humiliatur, quod eſt pręſentis temporis: ſed humiliabitur, quod eſt futuri, quanquam ipſa exaltatio momētanea ſit: humiliatio maxima, quę etſi ab omnibus carnalibus ſic minime eſſe iudicetur, pater tamen Deo, à cuius conſpectu omnis arrogans repellitur, & in proprio ſuperbię fætore iacet proſtratus & ſordidus. Hæc profecto humiliatio eò deterior, atque inſanabilior eſſe cognoſcitur, quò eſt occultior, & illum latet, qui humiliationis illius faſce deprimitur. Nam ignotus languor etiam inſanabilis eſſe conuincitur. Quamobrem ſicut qui ſe exaltat inaniter, & in pręſenti (quēadmodum dictum eſt) & in futuro humiliabitur: ita econtrario iuxta domini pollicitationem, qui ſe humiliat, exaltabitur. Aequale nanque opus pari ſtatera penſatur. Audeo autem dicere, quòd diuina clementia pronior eſt ad ignoſcēdum, quàm ad puniendum, dicente propheta: Quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius. Nempe naturale & proprium Dei (ſacro teſtante eloquio) eſt miſereri ſemper & parcere: necnō miſericordia eius iudicium ſuperexaltat, atq; excedit. Hinc eſt, quòd ipſe affluētius humiliter poſcentibus largitur dona, quam delinquentibus

ſup-

ſupplicia irroget. Teſtimonium ſcripturarum ſacrarum audi. Quoties peccator ingemuerit (inquit dominus per prophetam) non recordabor amplius iniquitatum ſuarum, & veritas ipſa in Euangelio: Petite (ait) & accipietis, quęrite, & inuenietis, & pulſanti aperietur. Propheta quoq; domini miſerationes propalare volens, ait: Vulgo dicitur, ſi dimiſerit vir vxorem ſuam, & recedens ab ea duxerit virum alterum, nunquid reuertetur ad eam vltra? nunquid non polluta & contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cũ amatoribus multis, tamen reuertere ad me (dicit dominus) & ego ſuſcipiam te. Per prophetam etiam alium hoc idem ipſe dominus indicat dicẽs: Nũquid voluntatis meæ eſt mors impii, & non magis vt conuertatur & viuat? Ex his & aliis quamplurimis diuinorum eloquiorum teſtimoniis, & autoritatibus colligitur paratiorem eſſe Deũ ad indulgendum, quam ad errata puniendum, atq; liberaliorem ad beneficia conferendum, quàm ad illa tenaciter retinendum. Lætentur itaq; mãſueti moribus & corde humiles, necnon in domino abſque dubietate confidant: quoniam non ſolum in futuro exaltabuntur ab vniuerſorum cõditore & principe, verumetiam impręſentiarum, non temporali exaltatione aut honore viſibili, ſed ſpirituali & intrinſeco, qui eſt ſecurior, delectabilior, locupletior, quietior, ac diuturnior. Nã exaltatio apparens & momentaneus honor, qui bonis & malis valet eſſe communis, quis poteſt explicare ſermone, quantis ſit ſolicitudinibus circũſeptus, ſuperfluis agitatus curis, periculis inuolutus, oneratuſq; peccatis? Internus verò ab omnibus contradictionibus, quæ memoratæ ſunt, prorſus eſt liber. Nam humilium honor & eorundem exaltatio eſt gratiarum cumulus, additamẽtum donorum, conſcientiæ pax, cognitionis lumen, exultatio ſpiritualis, orationis munditia, rectitudo mentis, fidei conſtantia, compaſsionis affectus, compunctionis ſtudium, ſpei robur, charitatis incendium, internorum guſtus, proficiendi deſiderium, virtutum ſitis, & futurorum præmiorum expectatio certa. Hi proculdubio ſunt imprędabiles humilium theſauri, precioſiſsimæ gemmæ, indeficientes diuitiæ, honores ſublimes, pręclariſsimæ dignitates, arcanæ deliciæ, ſponſi munera, ornamenta nuptialia, & ſpiritualia ſponſæ cellaria: in quæ non intrant ſuperbi, deſides non admittuntur, non ingrediuntur immundi. Sanè per hæc tanquam per ſpirituales ianuas ſponſus accedit intro ad ſponſam, ipſam inſtruit, illique communicat pręſentiam ſuam, non per corporalem ſpeciem, neque ſicuti eſt, ſed per lumen fidei per irradiationem intellectus, per deuotionis guſtum, per exultationis iubilum, per amoris tripudium, per pacis oſculum, per dilectionis amplexum. Tunc quidem propter ipſius ſponſi præſentiam illuc non appropiat aduerſarius, nec miſcetur extraneus: quoniam multorũ vallata eſt mẽs excubiis angelorum. Tunc, inquam, humilis anima effecta eſt Dei tẽplum, ſedes ſapientiæ, thronus verbi, paracleti domus, thalamus nuptialis, arca fœderis, propitiatorium deauratum, tabernaculum ſanctitatis, locus requietionis, paradiſus deliciarum, cõcluſus hortus, fons ſignatus, terrenum cælum, habitatioque cæleſtis. Mirantur equidem ipſi beatorum ſpiritus dignationem Dei ſpõſique dilectionem: qui ob ſponſæ conſolationem exuto diuinitatis candore, & exinanita (vt ſic dicam) ſempiterna verbi gloria ſe in fragili vaſculo habitare inclinat, non vt rex potens: nec ſicut vniuerſorum dominus, neque tanquam viuorum & mortuorum iudex, ſed veluti cum infirma infirmus, cum parua minimus, humillimus cũ abiecta, & cum pauperrima egenus. En (aiunt mutuo) quæ diſparilitas hæc Dei (videlicet) & hominis, creatoris & creaturæ, domini & ancillæ, diei & noctis, ſapientiæ & ignorantiæ, verbi & animæ. Supereminet prorſus iſta ſpiritualis copula humanum intelligere, proprium velle, ſociale viuere. Nam munus eſt cæleſte gratia redemptoris beneuolentia ſponſi, amoris prærogatiua, & præcipuæ charitatis priuilegium ſingulare: quod quidem præſtatur humilibus corde, ſe in veritate agnoſcentibus, ſe contemnentibus, & qui tanquã infructuoſæ arbores, mancipia viliſsima, vaſa inutilia, cadauera fœtida ſe eſſe arbitrantur. Hęc proculdubio anima, ad quam tam officioſe, tam humiliter, & tam delectabiliter noſter ingreſſus eſt dominus, niſi eſſet humilitatis virtute decorata, puritatis nitore veſtita, cæleſtium deſideriorum flammis accenſa, orationis aſsiduitate coruſca, & erga ſuæ mentis cuſtodiam indeficienter intenta nequaquam ſpirituali & arcano verbi digna eſſet connubio: quod vtique donum non prærogatur omnibus ipſi verbo famulantibus, non multis ſed rariſsimis: quemadmodum in Canticorũ Cãticis ſponſi voce perhibetur: Sexaginta (inquit) ſunt reginæ, octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus: vna eſt columba mea, perfecta mea, vna eſt matris ſuę, electa genitricis ſuæ: viderunt eam filiæ Sion, & beatiſsimam prædicauerunt, & reginæ laudauerunt eam. Vna dicitur eſſe columba, tum propter paucitatem animarum ad hunc pertingentium ſtatum, tum quia talis animę ſicut vnice diligit: ita à ſponſo vnice diligitur. Quamobrem illum audit ſeſe introrſus vocantem: Surge, propera amica mea, formoſa mea, columba mea in foraminibus petrę, & in cauerna macerię: ſonet vox tua in auribus meis. Vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Ipſa verò allocutione illius effecta languidá prę amore dicit: Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt: faſciculus myrrhę dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur: botrus cypri dilectus meus in vineis Engaddi. Sponſus autem

Ezech. 18 · Matt. 7. · Hier. 3 · Ezech. 18 · Cant. 6 · Cant. 2.

ſponſę

ſponſæ laudes ingeminas, vt peramplius dilectionis flamma ſuccedat, ait: Fauus diſtillãs labia tua ſoror mea ſponſa, mel & lac ſub lingua tua, & odor veſtimentorum tuorum ſuper omnia aromata: hortus concluſus, ſoror mea ſponſa, hortus concluſus, fons ſignatus, emiſsiones tuæ paradiſus malorum punicorum, cum pomorum fructibus. Et illa dulcedine plena non capiens, inquit: Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus: teneo illum, nec dimittam. Sanè in hoc contubernio caſtiſsimi amoris ſponſi & ſpõſæ, non niſi mutuæ proferuntur colloquia charitatis, dilectionis carmina, præludia ſanctitatis, quæ humana non conſueuit auris audire, oculus videre mortalium nec in cor carnaliter ſapientis aſcendere. Humilium ſunt quippe deliciæ, abſconditum manna, mel in fauo, & cum lacte vinum mixtum: quo hauſto lætificantur corda ſumentium, & interna deuotione recreantur: quatenus eiſdem tolerabiles huius peregrinationis labores fiant. Facile namque in via deficerent, ſi non ſpirituali interdum reficerentur pabulo, lacte nutrirentur, roborarentur viſitatione, erudirentur alloquio, & delectabili reciproci amoris vinculo tenerentur. Cæterũ pro augmento fidei, pro ſpei amplioris capienda fiducia, pro charitatis, reliquarumque ſuſtentatione virtutum, ò quã ſæpe huiuſmodi rapiuntur ſupra ſe, & introducuntur per exceſſum mentis in locum taberna- Pſal. 41. culi admirabilis vſque ad domum Dei, vt & intellectu percipiant, & deguſtẽt affectu, quam magna ſit multitudo dulcedinis domini, quæ abſcõdita eſt elatis, & ſeruiliter metuentibus, atq; promiſſa ſperantibus in eum, humilibus, perſeuerantibus, & Deum puro corde diligentibus. Hęc ſiquidem eſt hęreditas filiorum, quę certantibus in hac lachrymarum valle in cælo tribuitur poſt triumphum, vbi reuelata facie Dei gloria contẽplatur: quod profecto eſt ſummum bonum, gaudium ſempiternum, inenarrabilis lætitia, perfecta ſatietas, imperturbabilis pax, vera libertas, ſecura fruitio, refectio indeficiẽs, actualis iubilus, & interminabilis laudatio, quam non intermittit caſus, non tollit inimicus, nec alternat tempus, neque adimit actus: quoniam firma, ſtabilis & ęterna eſt. Nam quicunque gloriæ illius effectus eſt particeps, non habet quod metuat, vnde doleat, de quo dubitet, & vltra quod ſperet: quoniã ſemper fruitur præſentia illius, quem laudat, quẽ diligit, quem colit, quem amplectitur, quem cognoſcit. Nempe eius cognitio vita æterna eſt, amplexus illius beatitudo maxima ipſius dilectio delectatio ſumma, eius laudatio, ineffabile gaudiũ, atque præſentia ipſius cunctorum bonorum firma poſſeſsio. Ad hanc quiſque introducitur, ingreditur in paſcua virentia, quæ non marceſcũt, in delicias ſuaues, quæ nunquam deficiunt, in ſapientiæ theſauros: qui non depereunt, in veritatis ſplendores, qui nequaquam obnubilantur, in regionem viuorum Deum inceſſabiliter laudantium, in ciuitatem Hieruſalem æterni ſolis illuſtratione præfulgidam, & in ſanctam Sion mille millium angelorum agminibus decoratam: necnon ſanctorum omnium choris decenter ornatam: qui vniuerſi vna voce, pari modulatione, intentione conſimili Deum ignito affectu, quantum valent, laudant, dicentes: Benedictio, claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, virtus Apoc. 7. & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum, amen. Coronas ſuas ſinguli ſubmittentes ante ipſius maieſtatis perpetuũ thronum. Id etenim, quod honoris, quod venerationis, quod laudis offerunt conditori, plenum eſt charitate, humilitate ſubnixum, admiratione permixtum, ſatietate perfuſum, & fruitionis auiditate feruidum. Bibunt quippe & ſitiunt; ſaturantur, & eſuriunt, ſuperabundant, & repleti concupiſcunt. De vbertate ſiquidem voluptatis æternę inebriantur delectabiliter, ſapienter & ſobrie haurientes de vitę fonte diuinę dulcedinis potum, & de lumine beatificę viſionis inextinguibile lumen: quemadmodum Propheta commemorans confitetur domino: Inebriabũtur (inquit) ab vbertate domus Pſal. 35. tuę, & torrente voluptatis tuę potabis eos: quoniam apud te eſt fons vitę, & in lumine tuo videbimus lumen. O beata ebrietas ſobrietate referta, quę pro ſui exuberatione & guſtu ſumentem eleuat in Deum: & coniungit Deo, vt fiant vnum in idipſum. O fons vitę, qui apud Deum eſſe denunciatur: de quo vtique vniuerſi, qui in cęleſti ſunt prędeſtinati conuiuio: abſq; vlla ipſius fontis diminutione percipiunt ad ſatietatem beatã atque perfectam. Pſal. 41. Hunc enim fontem idem Propheta ardentiſsime cupiebat, quum diceret: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciẽ Dei? Expreſsius autem qualis iſte ſit fons, ſapiens indicauit, quando ait: Fons ſapientię verbum Dei in excelſis. Ioan. 1. De hoc verò verbo Ioannes euangeliſta teſtatur: In principio erat verbum, & verbũ erat apud Deũ, & Deus erat verbum: hoc erat in principio apud Deum: omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil. Non abre igitur tanto cum deſiderio de ipſo verbi fonte Propheta inebriari poſcebat. Sciebat namque vltra ſitire non poſſe, quiſquis ex illo vitę fonte potaret: ſed neque ambulare in tenebris, qui in verbi ſplendore aſpiceret lumen. Cant. 1. Quamobrem in Canticorum Canticis ſponſa eodem ſpiritu, quo Propheta repleta ait: Indica mihi, quem diligit anima mea: vbi paſcas, vbi cubes in meridie. Meridies iſte eſt manifeſta viſio, & diuinę eſſentię aperta cognitio: quę (perhibente domino) eſt electorum perpetua merces. Ioan. 17. Hęc eſt (inquit dominus & redemptor noſter) vita ęterna, vt cognoſcant te ſolum Deũ, & quem miſiſti, Ieſum Chriſtum. In hoc meridie cogno-

cogno-

cognoſcitur in verbo pater, in genitore filius, & ab vtroque emanatio, proceſsio, & amplexus, in tribus (videlicet) perſonis vna ſubſtantia, vna deitas, par gloria, æqualis poteſtas, & indiuiſibilis vnitas, pater, verbũ, & ſpiritus ſanctus: vnus Deus ſine initio, æternus, immẽſus, beatus. Hanc quippe cognitionem ſummæ & indiuiduæ trinitatis & vnitatis pollicitus eſt dilectoribus ſuis: qui nõ ex neceſsitate, neque coacte: ſed ſcienter, voluntarie, & cum charitate ſe agnoſcendo humiliant. Sic enim ait: Qui autem ſe humiliat, exaltabitur,

Luc. 18

Vtique in regno cœlorum eò altius, eòque glorioſius: quò ſe cognouerint verius, purius humiliauerint, abiecerint amplius. Audiant humiles, corde percipiant, & exultent in ſpiritu: quum intelligunt, quam præcelſa, & quàm maxima præmia in futuro illis repromiſſa ſunt ſeculo: ſi tamẽ in inchoato perſtiterint opere. Studeant quotidie in hac humilitatis virtute proficere ipſum imitantes regem, qui abiecto onere carnalium, & regalium indumentorum, coram domini arca nudatus, exiliens & exultans vxori ſibi obiicienti reſpondit: Ludam & vilior fiam coram domino: qui elegit me potius, quàm domum patris tui. Prouocentur denique pro exemplis, pro beneficiis animentur, & pro muneribus trahantur. Sanè innumerabilia penè ſunt exempla ſanctorum, qui verbo hanc commẽdauerunt, & opere: horum, namque primus & ſingularis eſt Chriſtus, qui depoſito diademate regio, atque maieſtate exinanita diuina, ſub ſerui li forma, ac natura mortali in omnibus, quæ egit & docuit, perfectæ humilitatis exhibuit regulam, diſciplinam præbuit, & exempla monſtrauit: ita vt nullus repertus ſit illo humilior, manſuetior moribus, ad perferendum contumelias, & opprobria promptior: necnõ ad contemptum mundi, & ſui ardentior. Quamobrem ſicut ſe humiliando, ac deſpiciendo ſuperauit incomparabiliter vniuerſos: æque honoris, ſublimitatis & gloriæ ſuper omne nomen illi donatum eſt nomen, cui cœleſtium, terreſtrium & infernorum humiliter flectitur omne genu. Porrò quod dignitatis, quod exaltationis, quod prę-mii pręceſsit in capite, iuxta cuiuſque humilitatis & charitatis menſuram cęteris ſequetur in membris. Perſeuerantes namque in vnitate corporis pariter, cum corpore exaltabuntur in capite. Quum corpus ipſum in ſuis perfecte fuerit membris: tunc cum capite & ſponſo ſuo glorificata eccleſia, atque ſine macula & ruga effecta introibit in nuptiale thalamum: & in cæleſtis regni manſionem clariſsimam, ęterni ſolis illuſtratam ſplendoribus: necnon angelorum agminibus decentiſsime perornatam, quatenus agnoſcat; quanta ſit gloria, quàm Dei & ſponſi ſui ſit tremenda, honoranda, atque laudanda maieſtas, quę illam tam ſacro ſancto dignam fecit eſſe connubio: per quod cum ſponſo vnum facta eſt corpus, & caro vna ſicut primus homo teſtatus eſt. Nam quum de vna ex coſtis ipſius Deus mulierem plaſmaſſet: illamque eidem, vt nomen imponeret, obtuliſset, ait: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea: quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhęrebit vxori, & erunt duo in carne vna.

Geneſ. 2

Quod Paulus declarans quid ſignificet, inquit: Sacramentum hoc magnum eſt, ego dico inter Chriſtum & eccleſiam.

Eph. 5

Innuit enim Apoſtolus Chriſtum & eccleſiam cooperante fide & mediantibus ſacramentis ab ipſo mediatore inſtitutis, vnum corpus myſticum factum, & carnem vnam: tum propter duarum naturarum, diuinę (videlicet) & humanę indiuiſibilem copulam: tum propter redemptionem per ſanguinis effuſionem in cruce conſummatam, ipſo pendente ex animo: ex cuius latere tanquam dormiente Adam, ſanguinis & aquę ſacramenta fluxerunt. Hanc ſiquidem ſacramentalem vnionem, atque glorificationem Chriſti & eccleſię poſt modicum futuram idem redemptor paſsioni proximus patrem alloquens inſinuauit dicens: Et ego claritatem, quam dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut & nos vnum ſumus: ego in me, vt ſint conſummati in vnum. Hæc vtique clarificatio quam dominus Ieſus ſuę ſatetur dediſſe eccleſię, inchoatur in hac peregrinatione per fidem in iuſtificatis credentium cordibus, augetur verò in membris ſingulis poſt conſummatum huius vitę agonem: quum defęcata omni labe peccati beatorum cœtibus inſeruntur: perficietur autem in toto, quum in reſurrectione futura eccleſia mater & ſponſa, abſque vlla macula, tota formoſa: & iucunda, atque in ſuis filiis perfecta ſponſo ſuo Chriſto aſſociabitur: vt ſit caput & corpus vnum in idipſum plenum decore, immortalitate veſtitum, claritate pręfulgidum, fruitione beatum, confirmatum in gloria, in charitate, in veritate, in ęternitate, in pace, in laude, in exultatione, in admiratione, in gratiarum actione, in lumine, in quò quiſque Deum quo agnoſcit verius, eò intelligit clarius, ſe nihil eſſe ex ſe, ſed ab eo, & in eo eſſe, qui eſt omnia in omnibus, & in ſingulis totus, Deus & vniuerſorum dominus, qui eſt vita perennis, indeficiens lux, incommutabile bonum, virtus inſuperabilis, pręclariſsima ſapientia, communicabilis bonitas, veritas infallibilis, ſuperamabilis charitas, qui gratuita dilectione humilium vota reſpicit: deprecationes exaudit, inhabitat corda, labores penſat, & coronat merita, pro eiſdem interpellante eccleſię ſponſo, humilitatis pręceptore, & humilium gloria Ieſu Chriſto domino noſtro, qui cum patre & ſpiritu ſancto viuit & regnat Deus in ſecula ſeculorum, Amẽ.

DIVI LAVRENTII IVSTINIANI

Venetiarum Protopatriarchæ in opus cui titulus De perfectionis gradibus.

PROOEMIVM.

Rationalis creaturæ (videlicet) hominis, hoc à vere intelligentibus noſcitur eſſe proprium, vt ſemper proficere appetat, & nunquam ab inquiſitione torpeſcat. Ducitur enim ad huiuſmodi proficiendi ſolicitudinem naturali impulſu, quo mediante pertingat ad ſui cognitionem finis, atque in eodem delectabiliter conquieſcat. Ad hoc namque ipſe homo eſt conditus, vt potiora ſemper obtinere concupiſcens, perueniat quandoque ad id, quo nihil eſt melius, quod eſt ipſe Deus: in hac quidem peregrinatione per fidem, & in futura vita per ſpeciem. Propterea quandiu hoc mortali & corruptibili eſt conſtitutus in corpore, nequaquam ocio debet torpere damnabili, aut tabeſcere mentis inertia: ſed ſine intermiſſione iuxta fragilitatis humanæ virtutem operi intendere: non qualicunque, ſed neceſſario congruo, atque proficuo: interdum corpore, prout negocij opportunitas exigit, expoſcit qualitas, requirit tempus: ſemper verò mente, nunc intentione recta, nunc cogitatione ſancta, nunc affectione interueniente ignita. His quippe medijs laudabile quodcunque ac gratiſſimum Deo perficitur opus, Nam actio, quæ per corpus fit, niſi memoratis, ſeu quibuſdam eorũ agatur medijs, quamuis mortalium approbetur iudicio, parum aut nihil prodeſt. Nam quemadmodum arbor ſi vireſcat folijs, floribus redoleat, ſiue immaturis fœcunda ſit fructibus, & amœna in ſe eſſe videatur: radicem verò vegetantem minime habeat, infructuoſa eſſe cenſenda eſt: ita & opus quodlibet ſi interna virtute ac charitatis dilectione informatum non eſt, æternæ vitæ prorſus merito caret. Nempe in corde veræ virtutis formatur habitus, præuia nihilominus intentione, cogitatione & affectione laudabili, cooperante pariter charitate, quæ eſt donum Dei, virtutum forma, norma iuſtitiæ, laborum merces, mentium decor, aduerſa tolerantium robur, peregrinationis huius ſolatium, atque in bono perſeuerantium palma. Tolle hanc, & nulla eſt virtus. Non prodeſt martyrium, non fides, etiam ſi montes transferat, non omnium erogatio facultatum: nõ poſtremo abſque ipſa promeretur apud Deũ laudem prophetia atque cœleſtium ſecretorum ſcientia. Cæterum ſi adſit charitas, efficit cor mundum, conſcientiam bonam, rectam intentionem, cogitationem diſciplinatam, & affectum pium. Hęc quippe omnia aguntur intus in mente, irradiante Deo, erudiente ſapientia, cõſcientia iudicante, & dirigente prudentia. Equidem ex his, quę memorata ſunt, verum eſſe colligitur, quod per Prophetam de anima eccleſiaſtica (Pſal. 44.) proficiendi amore ſuccenſa perhibetur: Omnis (inquit) gloria eius filiæ regis ab intus. Foris namque virtutis imago cernitur humanis ſenſibus nota: intus verò habitus virtutum, charitatis incendium, & perfectionis diſciplina ſeruatur. Quamobrem quiſquis in ſpirituali exercitio cupit perfectionis culmen attingere, iuxta Prophetę admonitionem, aſcenſionis ſibi in corde ſpirituales componat gradus, per quos de virtute proficiens in virtutem ipſum Deum ex parte comprehẽdere valeat, à quo pleniſſime comprehenſus eſt. Id autem nequaquam viribus proprijs agere ſe poſſe arbitretur. In illo fiducię ſuę iactet cogitatum, qui docet hominem ſciẽtiam, dat intellectum paruulis, pręſtat inuocantibus ſe auxilium, certantibus tribuit fortitudinem, & perſeuerantibus glorię brauium pollicetur. Hi ſiquidem ſpirituales aſcẽſionis virtutum gradus, quoniam nequaquam noti ſunt omnibus, illos diſtinguere atque ordinare curabo, non vt per eoſdem ad perfectionis alta peruenerim: quippe quum ſim delictorum grauatus oneribus, peccandi compedibus alligatus, ignorantię obuolutus tenebris, & plurimorum defectuum conſuetudine depreſſus: ſed vt iuſtitię ſemitas alijs inſinuando, ex aliorum profectibus gratiam merear obtinere à domino: necnon redire & ego valeam ad me, ac in conſcientię ſpeculo deformitatem meam agnoſcere: errata corrigere, & erubeſcere de me: qui non ſum talis, qualis eſſe deberem, qualemque me eſſe arbitrantur, qui ſecundum faciem hominum merita metiuntur: quum ſolius Dei ſit proprium cordium ſecreta rimari, atque arcana diſcutere, ex quibus mors & vita prodire noſcuntur. Hoc vtique opus, quod inchoare propoſui, omnes meas ſupergreditur vires, ſufficientiamque paruitatis meę prorſus excedit. Quamobrem ad te ò ſapientię fontem, & Dei verbum, quod in paterno diuinæ maieſtatis lumine habitare illocaliter crederis, mentis attollo aciem, preces offero, ac recte loquendi, & de tua bonitate pie ſentiendi flagito gratiam, quatenus nihil obliquum, nihilque quod ſempiternę tuę veritati ſit aduerſum, proferam incõſultum. Hoc profecto peragere ualebo, ſi tuę ſplendore ſapientię irradiaueris me, & dignum me feceris conſortio ſpirituali gratuito atque diuino. Nam abſque te, nec initiatur, neque inceptum laudabiliter perficitur opus. Aggrediar igitur tuo fretus auxilio propalare mediante calamo, quod cor de te aſpirante concepi. Tu verò domine eſto dux verbi, ſermonis autor, & ſcientię largitor pręſidendo in me, meque amabiliter collocando

ries, inundationes aquarum, grandines, tempeſtates, tragores æquoris, euerſiones vrbium, prouinciarum incommoda, ſtrages hominum tam crebro emergũt, niſi occaſione peccati? Nam ex ipſius pęna in humanis corporibus vigẽt febres, dolores capitis, obrurationes aurium, oculorum & luminis amiſsio, fœtor anhelitus, cruciatus vẽtris, ſtomachi rep'erio, humorum ebullitio, libidinis ardor, lepra, ſcabies, podagræ, illorum, cordis, pulmonis, & iecoris paſsiones, & penè innumerabilia morborum horum ſimilium genera, quæ profecto vniuerſa minime accidiſſent, ſi peccatum eſſe deſiiſſet. Poſtremò corporis reſolutio dira, gehennale incendium, dentium ſtridor, inconſolabilis fletus, palpabiles tenebræ, demonũ horridus aſpectus, deſperatio venię, cruciatus perpetuus, vniuerſale iudicium, extremaque animaduerſio iudicis, nequaquam eſſent facięda, ſi pręcepti tranſgreſsio defuiſſet. Pro eodem demq; deordinatum eſt cælum ceciderunt angeli, de paradiſi amœnitate expulſi fuere primi parentes, inũdauerunt diluuii aquæ: in fauillam redactæ ſunt Sodoma & finitimæ ciuitates; ſubmerſus eſt in mari rubro Pharao: in ſeruitutẽ ſæpe traditi ſunt filii Iſrael: crucifixus eſt dominus, atque in diuerſis temporibus iudicia facta ſunt maxima. Nihil profectò in hac vita ſic metuendum eſt, quemadmodum peccatum, quod nequaquam vitari valet, niſi de illo, ipſiusque ſpeciebus habeatur noticia. Cæterum quum de illis ad profectum legentium & audientium aliqua perſtringere velimus, ſciendum eſt, quòd aliud eſt peccatum originale, aliud mortale, aliud verò veniale. Peccatum quidem originale illud eſſe dicitur, quod nec ab opere nec à natura, ſed cõtrahitur ex vitio, & priorum tranſgreſsione parentum, transfunditurq; in carnem animam: in carnem quidem materialiter & originaliter, in animam verò formaliter, tanquã in ſubiectũ. Ab hoc quippe originali delicto nullus excipitur, præter illam, quæ genuit mũdi ſaluatorẽ: vnde gemens Propheta aiebat: Ecce enim, in iniquitatibus conceptus ſum, &

Pſal. 51. in peccatis cõcepit me mater mea. Et alio in loco

Iob. 25. ſcripturarum legitur: Nemo mundus eſt à peccato, etiam infans, cuius vita vnius diei eſt ſuper terrã. Per hoc efficitur quiſq; obnoxius æternę dam-

Ephes. 2. nationi, ſicut Apoſtolus perhibet dicẽs: Eramus & nos filij iræ, quemadmodum & cæteri. Sed neque vllus valet ab hac ira liberari, niſi per gratiã mediatoris Chriſti interueniẽte fide, & regenerationis mediante lauacro. Porrò ex huius occaſione delicti dupliciter homo fit reus, & ſui debitor conditoris, culpæ (videlicet) & pœnæ. Culpa ſiquidem, quæ macula eſt, totaliter (ſicut dictum eſt) per baptiſmi aboletur ſacramentum: pœna verò, quę fomes ſiue peccati pronitas, vel lex peccati appellatur, remanet poſt baptiſmum quantũ ad actum & motum cõcupiſcentię teſtante Apoſto-

lo, qui ait: Non enim quod volo bonum, hoc facio, ſed quod odi malum, hoc ago. Si enim quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Cõdelector enim legi Dei ſecundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me ſub lege peccati, quæ eſt in mẽbris meis. Aduerſus hãc peccati legẽ oportet nos infatigabiliter dimicare, ne in hoc, quod gerimus, mortali regnet corpore, & trahat nos ad cõſenſum mortalis culpæ. Nã peccatum mortale eſt cõſenſus in delectatione motuũ carnis, qui ex deliberatione oritur rationis. Eſt etiam cõſenſus in opus illicitũ & in ea, quæ ſunt diuina lege, necnõ eccleſiæ ſanctione prohibita. Patet igitur ex his mortale peccatum non poſſe conſummari, ſi non interuenit voluntarius conſenſus rationis. Ipſe namq; conſenſus interioris hominis obtinet pricipatũ, & eũdẽ aut iuſtitiæ, aut peccati efficit ſeruũ: hoc domino inſinuãte, qui ait: Si oculus tuus ſimplex fuerit, totũ corpus tuũ lucidũ erit: ſi autẽ nequam fuerit, ẽt corpus tuũ tenebroſum erit. Ad quã itaq; partẽ ſe flexerit huiuſmodi conſenſus, poſt ſe trahit animæ libertatem. Si enim ad bonum ſe verterit, ipſam animã facit Dei templũ eſſe, gratię receptaculũ, & ſanctorum cohæredem; ſi verò ad concupiſcentiam carnis, ad amorem ſeculi, & ad illecebras vitiorum ſe proſtituit, eandẽ reddit captiuã diaboli, mortis filiam, & gehennæ ſtipulam. Hoc paucis Sapiens indicauit, inquiens. Omni cuſtodia ſerua cor tuum, quoniam ex ipſo mors & vita procedunt. Porrò ſi à tali conſenſu cor cuſtoditur impollutum, nunquam ſinet animam peccati obdormire in morte. Quamobrẽ quiſquis lethalem hunc ſoporem euadere concupiſcit, ſtet ſupra ſui cordis cuſtodiam, & obnoxias ſuggeſtiones, quæ nunc a diabolo, interdum a fomite, qui viget in carne, initium habent, gladio ſpirituali interimat, ne ex ipſis delectatio voluptuoſa ebulliat, quæ ex ſui mora inficit mentem, & ad cõſenſum obortis infidelitatis, & inſenſibilitatis tenebris rationem impellit. Hinc ſeruus efficitur homo peccati, alienus a Deo, diuiſus a ſorte ſanctorum, ſemotus ab vnitate fidelium, expers theſaurorum Chriſti & eccleſię, ſibimetipſi contrarius, atque ad promerẽdum omnino inhabilis. Equidẽ in hoc genere mortalis delicti non facile labitur, neq; in eodẽ repente ruit, vt ab illo captiuus teneatur, quiſquis ab eo liber exiſtit: quoniam rẽtatum de illo gratia adiuuat, reclamat cõſcientia, monet cuſtos angelus, commendabilis vitę conſuetudo renititur, terret gehẽnæ metus, contradicit ratio, ſceleris minatur obſcenitas, & in futuro iudicio peccata manifeſtãda cõfundũt. Nõ aũt ſic veniale peccatum, quod non malitia, nec animi deliberato conſenſu, ſed (vt plurimum) ex ignorantia, & ſæpiſsime ex fragilitate, atq; delin-

Rom. 7. — Luc. 11. — Prou. 4.

quendi conſuetudine perpetratur. Nam veniale ideo dicitur, quia facile meretur veniam. Hominem quippe quamuis vſq; ad reatum perpetuę mortis non grauet, meretur tamen pęnam. Ideo namque puniri meretur, quia ſemper eſt à voluntate mouente, vel permittente, ſeu non prohibẽte. Cęterum etiam in hoc differt a mortali, quia peccatũ veniale eſt libido, ſiue voluptas in creatura citra Deum: mortale verò eſt libido, aut voluptas ſupra Deum, ſeu ęque Deo. Porrò licet veniale delictum ſe perpetrãtem ęternę mortis nequaquam faciat reum, maculat nihilominus animam, feruorem charitatis minuit, potentias animę in bonis operibus debilitat, retardat a gloria, & ſæpe fit peccati mortalis occaſio (videlicet) ex cõſcientia: quia quicquid fit contra cõſcientiam (etiã erroneã) ędificat ad gehennã. Ex diſpoſitione quoq; labitur facile quis in mortale. Dum .n. homo per frequentem lapſum abſq; vllo timore venialia peccata cõmittit, diſponitur ad mortalia. Quamobrem quiſquis cupit placere Deo, & per virtutum ſtudia anhelat ad perfectionis culmen aſcendere, omni, qua valet, induſtria conetur nedum mortalia, verumetiam venialia vitare peccata: tametſi ſine delicto veniali, nemo diu perſiſtere queat. Cęterũ cũ ſpirituales viri Deũ timẽtes, ipſiuſq; mãdata ſeruantes cooperante in illis gratia poſsint abſq; peccato mortali degere, oportet tamen eos ſemper ſub virtutum diſciplina incedere, cũ (ſacro atteſtante eloquio) nullus ſciat: vtrũ odio vel amore ſit dignus. Quod vtiq; Propheta confirmãs dominũ deprecatur inquiens: Eccl. 9. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda pſal. 50. me domine, & ab alienis parce ſeruo tuo. Reſtat itaque, fidelis quilibet frequenter ac precibus humilibus à Deo poſtulet lumen ſapientiæ & intellectus: quo mediante valeat delictorum ſufficientem, ac neceſſariam habere notitiã, quatenus inoffenſo animæ pede ſpirituales effugiat intellectualium venatorum laqueos, quorũ hic mundus 1. Ioan. 2. eſt plenus: dicente Ioanne: Nolite diligere mundum, neque ea, quę in mundo ſunt; quoniam omne, quod in mundo eſt, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcẽtia oculorũ, aut ſuperbia vitæ. Iſti etenim concupiſcentiarum laquei quanto cognoſcuntur clarius, tanto odio habentur efficacius, diſplicent amplius, atque ardentius impugnantur.

Quantum ſit deteſtabilis voluntarie delinquentium cæcitas, & in qualem peccatorum miſeriam dilabantur. Cap. II.

QVemadmodum ex cuiuſcunque rei bonitate ac vtilitate agnita amor, & ipſã poſsidendi affectus accenditur: ita econtrario ex inſita prauitate atq; mortifera eius conditione inſpecta odium ad eandem generatur & rancor. Hinc apertè colligitur, quanta ſit voluntarie peccantium ignorantia, & quàm magna illorũ ac pernicioſa ſit cæcitas, quandoquidẽ ſecundum Prophetæ oraculum, gloriantur cum prou. 2. malefecerint, & exultant in rebus peſsimis. Et in pſalmo legitur: Quoniã laudatur peccator in de- pſal. 9. ſideriis animæ ſuæ, & iniquus benedicitur. Sanè ſi huiuſmodi haberent cor docile, & in eis æternæ veritatis clareſceret lumen, prorſus debuerãt peccando & poſt conſummatum ſcelus cõtriſtari, lugere, & gemere: quoniam nihil ſic humanæ aduerſatur ſaluti, à Deo ſeparat, & dirimit a ſocietate ſanctorũ, quemadmodum delictorum immanitas, atque indiſciplinata conſuetudo peccandi: quã totis viribus, & cũ omni prudentia debet fugere amator Dei, virtutis ſectator, gratię cupidus, cæleſtium contemplator, & propriæ ſalutis zelator. Nam voluntaria conſuetudo delinquendi inhabilem reddit hominem ad bene agendum, procliuum ad malum facit, exhibet culpæ obnoxiũ, & deordinat naturæ bonum, dona gratiæ, virtutum merita. Quid (oro) hac ſeruitute infelicius? quid grauius? quid pernicioſius? quid deterius? Nam omniũ ipſa eſt incentiua criminum, vniuerſorum vitiorum nutrix, atque capitalium peccatorum rea. Superbiam quippe auget, inanem fouet gloriam, cupiditatem accendit, in pudicitiã cõplectitur, plauditur gulæ, faces inuidiæ parat, iræ impetum promouet, necnon laudabiliter operãdi propoſitum calcat, abhorret totum, quod eſt virtutis, quod commendationis, quod compunctionis, quod honoris & quod gratiæ. Præceps delictorum ruit in foueam, effrænis ducitur poſt carnis concupiſcentias, contemnit maiorum admonitiones ſacras, patrum decreta ſubſannat, & iniquis æterna ſupplicia præparata non metuit. Inſiſtit iocis, fabulis delectatur, & plauſu manuũ mentis leuitatem oſtendit, & quantum ei licet, iucunda voluptate potitur. Caret quoque grauitate, non vtitur conſilio, pericula nõ præuidet, præſentia bona diligit incredula futurorũ. Hinc tota intentione & omni, qua valet, induſtria, qui ab hac voluntaria delinquẽdi cõſuetudine poſsidentur, imitari conatur deteſtabilẽ impiorũ hominũ conuerſationẽ, de quibus in ſapientię volumine ſic legitur. Dixerunt impii apud ſe non recte co- Sap. 2. gitantes: Exiguum & cum tædio eſt tempus vitę noſtræ, & nõ eſt refrigerium in fine hominis, & nõ eſt, qui agnitus ſit reuerſus ab inferis, quia ex nihilo nati ſumus, & poſt hæc erimus, tanquã nõ fuerimus, quia extinctus cinis erit corpus noſtrũ, & ſpiritus diffundetur tanquam mollis aer, & trãſibit vita noſtra tanquam veſtigia nubis, & ſicut nebula diſſoluetur, quæ fugata eſt a radiis ſolis, & a calore illius aggrauata: & nomen noſtrum obliuionẽ accipiet per tempus, & nemo memoriã habebit operum noſtrorum. Venite ergo, & fruamur bonis, quæ ſunt, & vtamur creatura tanquã a iuuentute celeriter: vino precioſo & vnguentis

tis

Digitized by Google

tis nos repleamur, & non prætereat nos flos temporis, coronemus nos roſis, antequã marceſcãt, nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra, vbique relinquamus ſigna lætitiæ noſtræ, quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors. Profectò ex his patet, quòd quicunque hac voluntaria & deliberata peccandi conſuetudine poſsidetur, nec Deum metuit, nec vllo pudore detinetur, nec indulta tempora ad peragendam pœnitẽtiam car ipendit, neque extremum vitæ ſuæ conſiderat diem, ſed arbitrans ſibi totum licere, quod vult, morriferas has proprias nititur perficere voluptates, tanquam equus & mulus, quibus non eſt intellectus. Vtinam corde retineret apoſtolicam ſententiã, quę ait: An diuitias bonitatis Dei, & patientiæ, & longanimitatis eius contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiã te adducit? Secundum autem duritiam tuam & cor impœnitens theſaurizas tibi iram in die iræ & reuelationis iuſti iudicii Dei, qui reddit vnicuiq; ſecundum opera eius. Ad hanc vtique delinquendi neceſsitatem impellitur huiuſmodi contemptor diuinæ miſericordiæ, quia intelligere diſsimulauit, quantum Deo ſit odibile peccatum, quãtaque mala infligantur animę propter illud in pręſenti, & quàm magna in futuro ſint reſeruata ſupplicia. Sibiipſi denique blanditur compunctionis gratiam ſuadens ſibi ſe poſſe obtinere ad libitũ, immemor diuinorum eloquiorum dicentium: Vigilate, quia neſcitis, qua hora dominus veſter venturus ſit, ſero, an media nocte, an galli cantu, an mane, ne eum venerit repente, inueniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico, vigilate. Et illud: Scitote, quoniam ſi ſciret pater familias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non fineret perfodi domum ſuam. Ideò eſtote parati, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet. Tantopere veritas Dei his verbis hortatur ad vigilandum, & ſingulis horis in bonis operibus perſiſtendum: ſciens quòd nihil ſic reddit hominem tardum ad bene operandum, atque in ſceleribus perdurantem, quemadmodum ad beneplacitum conſequendæ veniæ ſubdola & vana fiducia. O quantos decepit hæc peſtis, quantoſque huiuſmodi inconſulta ſpes deiecit in tartarum. Dei bonitatem ſemper arbitrantur eſſe paratam ad impertiendam pœnitentibus miſericordiam, ſicut ipſa per prophetam pollicetur inquiens: Quotieſcumque peccator ingemuerit, non recordabor amplius iniquitatum ſuarum. Vera prorſus eſt iſta ſententia (videlicet) quando compunctionis commẽdabilis ad Deum ſynceri emittuntur gemitus, & amplius non peccandi ineſt homini deliberata voluntas, quæ proculdubio ex cognitione delicti, necnon ex peccati diſplicentia Dei cooperante gratia ſumit originẽ. Hac deficiente diſplicentia non verus pęnitens, ſed cenſendus eſt eſſe quiſque deriſor. Nam

Rom. 2.

Matt. 24.

Ezec. 18.

Deo gratus pœnitens, & ex corde compunctus lachrymis, gemitibus, orationibus ieiuniis, & carnis multimoda maceratione prætetita nititur abolere delicta: & omni, qua valet, virtute atque prudentia cordi ſuo peruigilem adhibet cuſtodiam, ne turpibus, pernicioſis, vaniſque polluatur cogitationibus, noxiis ac terrenis occupetur affectibus, efficiaturque templum coinquinatum & ſordidum, quod eſſe debuerat mundum, atque ſanctificatum, tanquam verbi Dei receptaculum, nuptialis thalamus, & ſapientię thronus. Ori quoque & ſermonibus ſuis modum ponit, & ſub diſcretionis cenſura ſe refręnat, non vt ſemper taceat, ſed vt quod expediat, ædificetque, loquatur, grauitatem ſummopere ſtudens tenere in verbis, in moribus, & in operibus ſingulis, ac ſi diuino aſtaret conſpectui, ſciens pro certo nedum de magnis & lethalibus ſceleribus, verumetiam de venialibus & minimis criminibus ab omnibus iudicandis rationem in vltimo examine eſſe reddendam: iuxta Saluatoris ſententiam dicentis: De omni verbo ocioſo, quod locuti fuerint homines, reddent rationem in die iudicii. Ex hac ſiquidem conſideratione verè pœnitens compungitur ſæpe, corde conteritur, & interdum etiam prorumpit in fletum, ac renouatur in ſpiritu ſuę iuuentutis delicta rememorans, intelligens quàm multa fuerint, quàm obſcœna, quàm Deo odibilia, ſibique contraria. Fit autem ex hoc diuina in eo aſpirante clementia, vt aduerſum ſe ſanctę humilitatis lamenta ſuſcipiat, pœnas ſibi inferat, & ſibi diſpliceat eò vehementius, eòque laudabilius, quò clarius ac humilius agnoſcit infirmitatem propriã, cõuerſationẽ prętetitam, ſuam pronitatem ad lapſum, amiſſam gratiam, & materias pręparatas ad culpam. Nempe in hoc veritatis ſpeculo ſe intuendo facile prę confuſione ac deſperatione deficeret, niſi ex aduerſo cogitaret quam pius, quàm miſericors, quàm ſuauis, & quàm pręſtabilis ſuper hominum nequitia ſit dominus, qui neminem pęnitentem, confitentem, ſe accuſantem, humiliantem, ſeque corrigere cupientem deſpicit vel repellit. Ex hac profectò conſideratione exhilaratus corde & deuotionis perfuſus dulcedine rectioris vitę ſemitas, atque commendabilioris vitę inſtituta aggredi de cętero meditatur, ne ingratitudini obnoxius, ſibique à Deo derelictus tranſactarum culparum iterum labatur in foueam. Non enim ambigit à domino veniam mereri poſt caſum, ſi purę confeſsionis cum compunctione animi, & mentis deliberatione, ac cordis humilitate exceperit ſacramentum, iuxta Prophetę oraculum dicentis: Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Nullum quippe eſt tam graue delictum, quod ſi diſpliceat, non oris confeſsione tergatur.

Matt. 12.

Pſal. 31.

Quibus de cauſis Dei filius carnem aſſumpſit, & per ſacramentorum inſtitutionem quanta ſit operatus pro ſalute hominum. Cap. III.

Diuina clementia, quę ex ſua naturali bonitate, quantum in ſe eſt, neminẽ vult perire, compatiens humanæ naturæ, quæ, videlicet, per Adæ lapſum ab ingenitæ dignitatis ſublimitate exciderat; eandem ſua dignata eſt ſubleuare præſentia. Veniens quippe verbũ in temporis plenitudine de regalibus ſedibus à patre miſſum, cooperante ſpiritu ſancto & immaculata ac ſacratiſsima conſentiente virgine, carnem ex eadem aſſumpſit mortalem peccati quidẽ expertem, omniſque corruptionis immunem. Apparuit vtiq; inter homines verus homo, paſsibilis, palpabilis, viſibilis, & mortalis, habens in ſe omnes ſapientiæ & ſcientiæ Dei theſauros, atq; totam diuinitatis plenitudinem corporaliter inhabitantẽ, tanquam verus Deus à patre ęternaliter genitus, quatenus mediante doctrina ſua cæleſti, miraculis innumeris, ſacris moribus, ſpirituali diſciplina, ac inſtitutione nouę legis, & inſuetę conuerſationis perfectione mortalium illuminaret corda, agnoſcerentque in ſpeculo fidei (& experientia teſte) peregrinationis ſuæ ærumnas, infirmitatẽ propriã, animæ vulnera, diram exactoris diaboli tyrannidem, & onus grauiſsimũ damnabiliũ delictorũ. Intelligerent præterea vbi iacerent, quid paterentur, quò tenderent, quid am ſerint, quid diligere, quidve quærere, ac deſiderare deberent. Nam rari & cęterarum comparatione pauciſsimi reperiebantur (nec ij ſine illuſtrante gratia) qui ea, quę memorata ſunt, in ſenſu cordis & in luce perciperent veritatis. Venit igitur dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei filius ac Dei & hominum mediator tanquã doctor ſummus, veritatis magiſter, & flagrantiſsimus zelator animarum ſecum deferens gratiarum cæleſtium inundantes riuulos, atque donorum ſpiritualium fluenta pleniſsima, vt arẽtia hominum irrigaret corda, emolliret ad pœnitentiam, & dirigeret ad ſalutem. Venit, inquam, ſicut peritiſsimus languẽtium animarum medicus, confecitque medicamenta ſpiritualia, eccleſiaſtica (videlicet) ſacramẽta, quatenus fideliter ac digne illi vtentes ex gehennæ atque iræ filiis efficeret Dei filios, & ſibi perpetuos cohęredes. Languidi quippe erant cũcti mortales, & incurabili laborabant morbo, atque ad occaſum mortis æternæ ſine ceſſatione vergebant, tametſi exterius ſibiq; ipſis & incolumes eſſe, & ſpiritualiter viuere arbitrarentur, quod quidẽ infirmitatis & mortis lugendũ eſt genus. Hoc nempe dominus Phariſæis loquens inſinuare curauit inquiens: Si cæci eſſetis, vtiq; apud vos non haberetis peccatũ, ſed quia dicitis, quoniã videmus peccatum veſtrum manet. Propriæ ſiquidem infirmitatis conſcius medicum quærit, medicamenta opportuna ſanitati concupiſcit, cõtraria odit, vt valetudinis valeat conſequi bonũ. *Ioan. 9.*

Vis ſcire quantis calamitatibus, quantiſque languoribus ſpiritualibus vniuerſum humanum genus teneatur aſtrictum? Omnes (inquit propheta David) declinauerunt, ſimul inutiles facti ſunt, non eſt qui faciat bonum, non eſt vſque ad vnũ. *Pſal. 13.* Alius quoque propheta ait: Omnes nos errauimus, vnuſquiſque declinauit in viam ſuam. *Eſa. 53.* Hinc eſt, quòd nemo inueniebatur, qui auxilium de cælo flagitaret, & peteret, exceptis paucis cęterorum comparatione, qui introrſus per gratiam illuminati, & ſpiritu diuino afflati proprios agnoſcentes morbos ſuos medicum poſcebant tam pro ſe, quàm pro populis, vt deſcenderet, & corũ ſanaret languores, quorum teſtimonia ſunt in diuinis voluminibus pręclara atq; notiſsima. Quãobrem vt nullus ſibi ſuiſque meritis & medici ad aduentum atque medicamentorum ſpiritualium impertiendam cælitus arrogaret gratiam, in temporis plenitudine ſoli Deo nota propria impulſus bonitate, miſericordia & pietate ex inſperato verbũ Dei, quod erat apud patrem, deſcendere, humanamq; naturam aſſumere dignatum eſt, ſacro hoc perhibente eloquio: Dum medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu mediũ iter perageret, omnipotens ſermo tuus à regalibus ſedibus venit. *Sap. 18.* Silebant prorſus cuncta & idololatriæ mortalis peſtis atq; ignorantiæ caligo totum pene occupauerat orbem, quãdo iuſtitiæ ſol ex alto oriens, bonitatis ac claritatis ſuę radios ſuper vniuerſam effudit terram, diſſoluens teporẽ mentium, & infidelitatis fugans tenebras, atque animarum vulneribus neceſſaria ſecum ferens remedia, nõ incredulis, ſed pro futura fidelibus. Porrò ad medendam originalem culpam baptiſmatis inſtituit ſacramentum, medicamentum primum, & tanquam cæterorum fundamentum, fidei ſignaculum, lauacrum ſalutiferum, & æternę vitæ ianuã, abſq; quo nullus illuc ingreditur, ipſo domino atteſtante, qui ait: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & in ſpiritu ſancto, non intrabit in regnum cælorum. *Ioann. 3.* Ad quotidiana verò crimina de regenda pœnitentiæ ſunt collata remedia. Cæterum ad corroborandã debilitatem interioris hominis per pœnitentiã iam ſanati, corporis & ſanguinis ſui alimonia idem dominus noſter Ieſus Chriſtus Dei & hominum mediator impertiri dignatus eſt: reliqua autem ſacramenta in eccleſia inſtituta ſunt ad confirmandum, ad præſeruandum, ad erudiendum, & ad futuram vitam prępārandum. Tria ſiquidem ſacramenta, quæ prius memorata ſunt (videlicet) baptiſma, pœnitentia, & euchariſtia humanæ ſaluti prorſus neceſſaria eſſe probantur. Omnibus quippe ſaluãdis baptiſma aut ſanguinis, ſeu flaminis, ſiue fluminis ſuſcipere neceſſe eſt. Nam quamuis tria baptiſmata eſſe videantur, vnũ tamen effectũ ſortiuntur, & vnum ſunt dicente Ioãne apoſtolo: Tres ſunt, qui *1. Ioan. 5.*

teſti-

teſtimonium dant in cælo, pater, verbum, & ſpiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt. Et tres ſunt, qui teſtimonium dant in terra, ſpiritus, ſanguis, & aqua, & hi tres vnum ſunt. Adultis verò & ratione vtentibus pœnitentiæ & corporis Chriſti ſacramenta negligere non licet, ſi ſaluari deſiderant. Cæterum baptiſmatis ſacramentum ſemel aſſumptum nullatenus reiterari licet, quoniã originale delictũ per id ipſum abolitum nequaquã vltra contrahitur. At verò mortalis ſeu venialis culpa, in quã ob fragilitatem & innatam concupiſcentiã facile quiſque impellitur, atq; collabitur, quoties acciderit, toties per pœnitentiæ medicamentum ab anima amoueri poteſt. Per Prophetam dominum exhortantem audi? Quoties (inquit) peccator ingemuerit per veræ lamenta pęnitentiæ, non recordabor amplius iniquitatum ſuarum. Altaris autem ſacroſancta myſteria non frequenter ad libitum, ſed ſanctitatis interueniente munditia ſemel tantum in die valent aſſumi. Nam quotidianus cibus eſt, vnde & in oratione dominica dicimus. Panem noſtrum quotidianũ da nobis hodie. Non enim hoc petimus, vt ipſum ſacramentaliter quotidie nos accipere oporteat, ſed ipſius effectum, & quod eſt ſpiritualiter ſignificatum in eo, plus verò & minus. Frequentius ac rarius iuxta cuiuſque fidei magnitudinem, conſcientiæ puritatem, actualem deuotionem, gratię affluentiam, atq; ignitum charitatis affectum percipi congruit. O beata pœnitentia ad ſalutem interioris hominis diuinitus impenſa, quanta eſt virtus tua, & quàm efficax eſt medela tua? Nullũ planè eſt tam graue, tamq; enorme facinus, quod non deleatur effectu. Te enim vnigenitus Dei filius in exordio ſuæ prædicationis commendauit dicens: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cęlorum. Te pręcurſor illius, quo inter natos mulierum (inſinuante veritate) nullus ſurrexit maior, verbis ſimilibus hominibus prędicauit. Tu es refugiũ humilium, contritorum leuamen, veniæ porta, ſpes indulgentię, propriæ agnoſcendæ infirmitatis magiſtra, terror dæmonum, virtutum nutrix, gratiarum cuſtos, orationis incentiuum, lachrymarum origo, conſequendæ miſericordiæ præcurſor, amica angelorum, & ſpiritualis diſciplinæ norma præcipua, ſi tamen interioris, & exterioris operis ſis exercitio decorata. Duplex namq; es, & duplici ſtudio conſummaris, vt poſsis eſſe perfecta. Aliquando enim interius, aliquando exterius, aſſociata nihilominus interioris exercitio operaris. Interiorẽ namque pęnitentiã illam eſſe dixerim, quæ eſt de iure naturali, & fit corã Deo in arcano conſcientię Propheta perhibente, qui ait: Quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris, cõpungimini. Alio quoq; in loco idem propheta inquit: Dixi, confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Hęc vtique & ſi non actualiter, habitualiter tamen ineſſe debet homini iuſtificato, cui ſemper conuenit diſplicentiam habere peccati. Exterior autem pœnitentia illa, quæ propriæ ſacramentum eſt, oris confeſsione agitur coram ſacerdote, & ad ipſius arbitrium imponitur, adhibita (videlicet) contritione cordis & ſatisfactione operis. Nam parum homini confitenti delicta ſua eſſet vtile ſe peccatorem acclamare, ſi abſq; animi mœrore id faceret, ſi vlterius, non peccandi propoſitum non haberet; ſi iniunctam ſibi ſatisfactionem negligeret adimplere. Funiculus enim hic triplex quem admodum difficile rumpitur, ſi ſtudioſe ſeruetur, ita caret virtute & gratia, ſi ex incuria diuidatur. Verus quippe pœnitens ex cognitione atq; peccati odio conteritur in ſe, erubeſcit pro ſcelere, ſe coram Deo humiliando accuſat, ſacerdotis genibus ſe proſternit, facinora perpetrata promit, modum exprimit, cordis intentionem detegit, tempus conſummati delicti & numerum confitetur, atque peccatorum ſuorum turpitudinem non abſcondit. Quum enim non homini ſed Deo, cuius perſonam gerit ſacerdos, aſtare ſe credit, nihil valet occultare, quod fecit, ſciens pro certo, quòd nullatenus dignus eſt venia, ſi nõ reiecto pudore palàm & prout deliquit, peccata ſua enumerauerit. Clamat profecto intus ratio, conſcientia vrget, impellit compunctio, per cuſtodem angelum hortatur gratia, vt purè ſimpliciter, integrè, apertè & diſtinctè confiteatur, vt non ſuperuacue laboret, curratq; inaniter & abſque delictorũ remiſsione triſtis abſcedat. Nam quemadmodũ ficta & ſcienter celato ſcelere imperfecta oris cõfeſsio parit in corde mœſtitiam, aufert indulgentię ſpem, & confuſionem immittit, ita econtrario humilis, integra, verecunda, & compunctione referta animum replet gaudio, agilitate quadam lætificat confitentem, de Dei bonitate fiduciam præbet, vlterius nõ peccandi deſiderium gignit, orandi accendit affectum, gratiarum ad Deum ingeminat actiones, ſatisfaciendi ſubminiſtrat vires, & ad euchariſtiæ ſacræ ſumptionem acuit guſtum. Conuenienter quidem poſt confeſsionem delictorum integerrime factam, & poſt ademptam per eandem puritatem, lucem, & pacem ſacramentalis refectionis ſubſequitur fames. Nam non niſi per internam munditiam cœleſtis panis percipitur ſapor. Sumitur enim hic vitæ panis ſacramentaliter etiam a peccatoribus atque criminibus oneratis, nequaquã tamẽ ſentitur ab ipſis, quàm magna, quàmve delectabilis, ac ſuauiſsima ſit illius manducationis dulcedo. Panis angelorũ eſt iuſtis, ſed manna abſconditum peccatoribus. Quotidie qui per gratiã ſunt iuſtificati, reficiunt, mundanturque à ſordibus delictorum, & creſcunt in ſpiritu; qui verò in cœno carnis ſe volutantes cœleſtia ſacramenta edere ac frequentare præſumunt, in ſui perniciem quotidie deteriores

Ezech. 18
Matth. 6
Matth. 3
Pſal. 4
Pſal. 31
Eccleſ. 4

1.Cor.11. riores fiunt, dicente Apoſtolo: Qui enim manducat & bibit indigne; iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus domini. Non autem voluntarie delinquentes mundantur ex huius ſacratiſsimi receptione ſacramenti, ſed potius gra- Hier.11. uantur, Propheta hoc perhibente, qui ait: Quid eſt quod dilectus meus in domo mea fecit ſcelera multa? Nunquid carnes ſanctæ auferent à te iniquitates tuas? Prorſus minime. Quamobrem quicunque feſtinant ad perfectionis alta conſcẽdere, interioris hominis ſui per compunctionis gemitum, confeſsionis medicamentum, & amoris incendium, maculas tergant, adhibita nihilominus corporalibus ſenſibus indefeſſa cuſtodia.

Quot generibus ſpiritualium inimicorum, & quot tentationum laqueis ſit hæc vita referta.
Cap. IIII.

PEregrinationis vitæ huius quiſquis voluerit indagare diſcrimina, inimicorum genera, tentationum ſpecies, numeroſitates laqueorum, & peccatorum lapſus, prorſus neceſſe eſt, vt in ſua conſideratione deficiat, præcipue cum vita hæc horum vniuerſa ſit plena. Horis quippe ſingulis in cunctis actibus, in omnibus negociis, & in quibuſque locis (ſi diligenter inſpicias) reperies quid cauere, quid metuere, quid reſpuere, & cum quibus hoſtibus pugnare te oporteat. Equidem intra nos vigent concupiſcentiæ, bella geruntur, aduerſarii ſunt ſpirituales, hebetatur mens, obnubilatur intellectus, cogitationes perturbant, conſilia deſunt, alternatur intentio, trigeſcit affectio, deliberatio nutat, interdum quæ diſplicebant, placent: & poſt paululum, quæ grata erant, odio habentur, ſicque interior homo tanquam nauis in medio pelagi conſtituta, diuerſarum procellarum impulſionibus agitata, naufragioq; propinqua obtunditur, deprimitur, attollitur, & periclitatur. O quã ſæpe malignorũ ſpirituũ deceptionibus circunuenitur, blanditiis fallitur, fictiſque rationibus ſuperatur. Nec mirũ, Cor.11. quum (atteſtãte Apoſtolo) ipſe Satanas transfigurat ſe frequẽtiſsime in angelũ lucis, ſe contegendo quis ſit, tentationũ laqueos cõturando, ac malũ ſub ſpecie boni ſuadendo. Nemo prorſus, niſi ſapientiæ irradiatus ſplendore, & ſpiritus ſancti magiſterio eruditus, gratiæq; Dei virtute roboratus valet hoſtes huiuſmodi debellare nequiſsimos. Aduerſus hos exhortando ad pugnam fide- Ephes.6. les Paulus inquit: De cętero, fratres, confortamini in domino, & in potentia virtutis eius. Induite vos armatura Dei, vt poſsitis ſtare aduerſus inſidias diaboli, quia nõ eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinẽ, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harũ contra ſpiritualia nequitię in cęleſtibus. State ergo ſuccincti lũbos veſtros in veritate, & induti lorica iuſtitiæ, & calceati pedes in præparatione euangelii pacis, in omnibus ſumentes ſcutum fidei, in quo poſsitis omnia tela nequiſsimi ignea extinguere, & galeam ſalutis aſſumite, & gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei. Hęc profecto arma nedum contra aereas poteſtates, verũ etiam aduerſus ſingula, quę ſuperius interiora sũt memorata certamina, optime congruunt, dummodo prudenti vtantur conſilio, & humilitatis cẽſura teneantur, intellectis nihilominus inimicorũ inſidiis, paſsionũ motibus, ac tentationum qualitatibus. Extra nos verò quot ſint decipulę impellentes ad caſum, quot laquei extenſi, quantaq; delinquendi materia, quis narrare ſufficiat? Porrò multitudo deuiãtium ab itinere veritatis, propriaſq; ſectantium voluptates inſinuant, quales iſte mundus, quantis refertus periculis, & quibus aduerſariorum generibus circunſeptus, paucis verbis Ioannes apoſtolus inſinuauit inquiens: Nolite diligere mundũ, neque ea, quę in mundo 1.Ioan.2. ſunt, quoniam omne, quod in mundo eſt, aut eſt concupiſcentia carnis, aut concupiſcentia oculorum, aut ſuperbia vitę, quę non ſunt ex Deo. Iſta quippe viſibilia, quorum hic plenus eſt mundus, humanis ſe obiiciũt ſenſibus, qui veluti quędam animarum ſunt ianuæ, per quas vel mors ingreditur vel vita: Quum enim mentem hominis ad concupiſcentiã ſui alliciãt, & ad delectationẽ peccati trahant atque conſenſum, mors per has proculdubio ianuas intrat ad animam. Cęterum ſi earundem viſibilium ac corporalium rerum intellecta, atque guſtata dulcedine in ſui laudem mens eleuetur conditoris, tunc vita per ipſas ianuas introiſſe cognoſcitur. Ad hoc namque viſibilia ipſa ſunt creata, vt deſeruiant homini, illũque excitent ad laudem, atque ſui agnitionem opificis, quod apoſtolus Paulus euidenter manifeſtat, cum dicit: Inuiſibilia Dei à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, Rom.1. ſẽpiterna quoq; eius virtus atq; diuinitas. Magna proinde & infatigabilis corporalib. eſt adhibenda cuſtodia, atq; ſub virtutũ ſunt cenſura regendi, præſertim cũ in propatulo multa ſint, quę ipſos prouocent ad malũ, facileq; idẽ in exteriora pereffluant, & tranſitorię delectationi inhęrere naturaliter appetant. Qui enim pro ſuo libito, & abſque Dei timore, ac delinquendi metu eoſdem patitur euagari plurimorum criminum prorſus efficitur reus. Quanta ex incontinentia oculorum proueniant mala, quis valet explicare? Cõcupiſcẽtię vtique incentiuum ac libidinis fomes oculorum eſt petulantia. Aſpexit Eua vetitam ar- Gen.3. borem, fructum illius concupiuit, comedit, & periit, nec tranſgreſsionis ſuę malo cõtenta, quod inobediendo guſtauerat, tradidit viro, ſicque ambo ęternę mortis nedum effecti ſunt filii, verumetiam vniuerſos pręuaricationis ſuę pœnam tranſmiſerunt ad poſteros. Hinc fames, ſitis, ęgritudinũ innumerabiliũ afflictio, carnis aduerſus ſpiritum

ſpiritum &ſpiritus contra carnem inſuperabiles pugnæ, mortis corporis ineuitabilis neceſsitas, perpetuæque damnationis animarum ſupplicia habuere principium. Hinc quoque bellorum tumultus,ciuiũ diſsidia, ſubuerſiones prçliorũ, deuaſtationes vrbium,regnorum tranſactiones,regum inſidiæ,& (vt paucis multa concludam) totius orbis calamitates emanaſſe noſcuntur. Nempe ſi ipſa Eua cunctorum genitrix procaciter ſuadente ſerpente lignum ſcientiæ boni & mali cõtra vetitum non fuiſſet intuita, nequaquam obedientiæ decretum damnabiliter præteriiſſet.Propheta denique ſanctus, & homo ſecundum cor Dei, quoniam abſque diſciplinæ gubernaculo oculos ſuos effluere permiſit, intuẽs mulierẽ cum proprio viro ludentem,veſano amore correptus, atque libidinis ardore ſuperatus, adulterii & homicidii iaculo ſpirituali ſe morte peremit. Nõ autem ſic Dei ſeruus beatus Iob, cui ſimilis temporibus ſuis minime reperiebatur in terra,egiſſe co- Iob. 31. gnoſcitur:Pepigi(inquit ipſe) fœdus cum oculis meis,vt non cogitarem de virgine. Intelligebat quippe homo ſanctus ſapientia & virtutibus plenus impudici aſpectum oculi noxiis cogitationibus cor maculare,& delectatione inficere,atque ſæpiſsime ad peccati conſenſum impellere. Quãobrem vt mala hæc omnia ſuperaret reſiſtendo virtutis cenſura,ac etiã diuini timoris ſtudio corporalium luminum procacitatem coercebat,quæ ſemper viget, frequenter etiam affectum continentium virorum euertit,& in impudicitiæ præcipitium trahit. Membrum eſt oculus lubricum, inſtabile, ſemper noua inſpicere cupiens, & inſpecta repetere, huc illucque reflectitur curioſitatem ſuam implere volens nec valens, vacantis animi ſibi connectit ignauiam, atque in propatulo rerum expoſitus,mentis intentionem rapit, diſsipat prudẽtiam, cogitationes ſine intellectu reddit,niſi ſubiiciatur ſapientiæ iugo,& intentæ conſiderationis refrænetur arbitrio. Meritò igitur ille commendandus eſt vir,qui vigilanti cura ita ſe vtiliter exercet in mente,vt nedum inſatiabilem oculorum appetitum grauitatis virtute ſubſternat,verumetiam aurium auditum à noxiis verbis auertat. Sunt namque reuera hi duo ſenſus,videlicet,auditus & viſus ad rectè gubernandum difficiliores cæteris,quoniam, ſacro perhibente eloquio, nec oculus ſaturatur viſu, neque auris impletur auditu. Cæterum nemo dubitat, quin vbi importunior eſt hoſtis, ibi proculdubio reſiſtentia eſſe debeat validior, vigilantiorque apponenda cuſtodia.Nam,experientia teſte, cum aures abſque vllo obſtaculo pateant,& homo ſociale ſit animal,neceſſe eſt ex quotidiana conuerſatione vt audiat ſermocinationes colloquentũ virorum ac mulierum, quæ (vt plurimum) ſunt vanæ,ocioſæ,ſcurriles,impudicæ,permiſtæ mendaciis,adulationibus, priuatis laudibus,detractionibus,blaſphemiis,fraudibus,plauſibus, & iocis.

Porrò ex deprauata conſuetudine & inordinata mente reperiuntur pauci in comparatione cæterorum,qui linguæ ſuæ legem ponant,eloquiis familiaribus prudentiæ menſuram adhibeant,& ædificationibus ſermones proferant. Nam qualia ſunt à loquentibus verba prolata,tales in audientium mentes formantur cogitationes. Nempe ſi ſancta ſunt,ſi caſta,ſi vtilia,ſi prudentiæ & ſapientiæ ſplendore clareſcunt,nonnunquam compungunt auditores, & inducũt ex ſui cognitione ad fletum,interdum ipſi replentur gaudio,veritatis luce irradiantur,& deuotionis ſuauitate paſcuntur.O quàm ſæpe fide illuminantur,exhilarantur Pſal. 17. ſpe,& charitatis ſtimulis perurgentur. Nec mirũ. Quum enim eloquium domini, iuxta Prophetæ teſtimonium, ſit vehementer ignitum, dignum profectò eſt,vt humiliter,intenteque audientium corda faciat eſſe ignita.Hoc experti ſunt diſcipuli illi,cum quibus poſt reſurrectionem gradiente domino Ieſu atque ſacrarum ſcripturarũ, quæ de ſe loquebantur, myſteria pãdente mutuo ſermocinantes cum exultatione dixerunt: Nonne Luc. 24. cor noſtrum ardens erat,cum loqueretur in via & aperiret nobis ſcripturas? Verum ſi incompoſita,ſi impudica,ſeu detractoria, vel vana,quæ audiuntur,ſunt verba, à Dei lege ac bonorum morum grauitate aliena,proculdubio inficiunt animum,virtutis rigorem emolliunt, diminuũt gratiam, mentis lumen obnubilant, & conſcientiæ puritatem commaculant. Ob hoc itaque nobis Deus tribuit auditum, quatenus ipſo mediante corde intelligeremus eloquia diuina & ſancta,& per eadem inſtrueremur de iis,quæ ad ſalutẽ pertinent reiiciendo inepta, virtutibuſque contraria. Quod autem de viſu & auditu dictum eſt, hoc de cæteris arbitrandum eſt ſenſibus, tametſi non ſint ita procliui ad lapſum, neque adeo ad coercendum,regendumque difficiles. Nõ enim oneroſum nobis valde eſt carere odoramentis, quæ perfunctorie ſatis mulcent odoratum, & cito afferunt faſtidium, dum ad libitum haberi & hauriri nequeunt.Non autem ſic guſtus,quo mediante humanitas noſtra nutritur & viuit.Quotidie namque cogimur cibum ſumere, & alimentis corporalibus(etiam inuiti)ſaturari,quæ profectò alimenta ſi palato ſapiunt, auidius percipiuntur.Hinc reperta ſunt tam varia ciborum fercula ſaporumque genera miro ſtudio & arte compoſita,quę validis & ſanis prorſus arbitror eſſe prohibita, infirmis verò atque valde debilibus, quibus ob corporis intemperiem omnis oblatus eſt guſtus, talia temperanter ſumpta licere non dubito. Quũ enim tunc naturaliter appetat noxia & ſibi opportuna faſtidiant, congruũ eſt, vt illis indulgeatur,& lautiora tribuantur cibaria, quoadusque reſtaurentur,& incolumes fiant. Non enim parum corporum & animarum aduerſatur

ſaluti

ſtoletur donum obtinere ſapientiæ, quo mediãte valeat guſtare, quàm ſuauis eſt dominus, & quàm magna multitudo ſit dulcedinis eius: quã vtique abſcondit ſeruiliter timentibus ſe. Manifeſtat verò per ſpiritum in illo recte ſperantibus. Ipſe namque eſt, qui robur tolerantiæ tribuit in aduerſis, atque laudabilium virtutum laborioſa ſtudia perſeuerantiæ perducit ad palmam. Hæ quippe virtutes ſunt, quę Chriſti militem probãt in prælio, in ſtadio dirigunt, & conſummant in opere. Nempe ex ipſarum quotidiano vſu efficitur quiſque perfectus. Nequaquam autem illas apello virtutes, quæ impugnatorem militum numeroſitate aut congregatarum diuitiarum, & aliorum qualiuncunque bonorum temporalium fœlicitate, ſiue in corporis vel membrorum omnium ſoſpitate, fortitudine, & agilitate ſubſiſtũt, ſed quæ in hominis rationalis mente formãtur, & opera concepta interius atq; exterius inchoata laudabili fine perſiſtunt. Sic enim virtus, de qua hic tractatur, à ſapientibus eſſe diffinitur. Virtus (inquiunt) eſt bona qualitas mentis, qua bene viuitur, qua nullus male vtitur, quam ſolus Deus in homine operatur. Ipſę profecto virtutes hominem efficiunt rationalem, & à cunctarum dirimunt ſorte beſtiarum. Illę ſolo ſenſu ducuntur carnis, & naturali impelluntur inſtinctu. Homo autem virtutis amator & gratiæ cooperator ratione trahitur, charitate informatur, boni & honeſti delectatione allicitur, bellũ quoque ſibiipſi indicit, diuturnumque certamen aggreditur in quo non licet inimicis terga vertere, neque in propria virtute confidere. Nam in primo cõgreſſu eſt abdicanda fiducia ſui & propria cognoſcẽda infirmitas puſillanimitate reiecta, quæ certandi debilitat vires, ſpem tollit, & aduerſariis audaciam præſtat. Ad Deum itaque virtutum ſectator mente confugiat, auxilium de cælo poſcat, robur perſeuerandi ab eo imploret, qui huius certaminis inſpector eſt, adiutor, coronator, & merces. Prophetam aduerte, quid dicat, quid cõfiteatur,
Pſal. 17. & quem prędicet. Diligam (inquit) te domine fortitudo mea, dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus, Deus meus, adiutor meus, & ſperabo in eum, protector meus & cornu ſalutis meæ. Laudans inuocabo dominum, & ab inimicis meis ſaluus ero. Quàm elegãter, quàm aperte, & quàm vere Propheta iſte homo vtique ſecundum cor Dei inſinuat virtutum dilectionibus, quem ſuum debeant defenſorem intueri, in quem ſperare, & ad quem confugere, & de cuius bonitate pręſumere. Superuacue prorſus pugnando deſudat, qui pro acquirendis virtutibus ac ſuperandis hoſtibus abſque ſpe cæleſtis ſuffragii & humilitatis virtute ad ſpirituale certamen congreditur. Memoratũ quoque Prophetam Dei bonitatem in patribus veteris teſtamenti confitendo & laudando quid dicat, audiamus: Deus auribus noſtris audiuimus, patres no- Pſal. 43.
ſtri annũciauerunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum & in diebus antiquis: manus tua gentes diſperdidit, & plantaſti eos, afflixiſti populos, & expuliſti eos. Nec enim in gladio ſuo poſſederunt terram, & gladius eorum non ſaluauit eos ſed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniã cõplacuiſti in eis. Idẽ autem alio in pſalmo quid de humilitate loquatur, intellige. Cuſtodiens (ait) paruulos dominus Pſal. 114.
humiliatus ſum, & liberauit me. Oret igitur in ſpiritu frequenter, & de propria virtute ſe humilians diffidat, quiſquis de inimicis ſuis triumphare deſiderat. Aduerſarii ſiquidem, qui nos infeſtãt, diabolus & caro ſunt. Iſti ſuis nunquam deſinũt nos oppugnare inſidiis, nuſquam deſunt iaculare ſagittis. Quanta autem importunitate diabolus nos ſuperare ac mactare conetur, apoſtolus Petrus fideles hortando ad pugnam perhibet inquiens: Sobrii eſtote, & vigilate, quia aduerſarius 1. Petr. 5.
veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærẽs quem deuoret, cui reſiſtite fortes in fide. De lucta verò carnis cõtra ſpiritum Paulus admonet dicens: Caro cõcupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpi- Galat. 6.
ritus aduerſus carnem, vt non quæcunque vultis, eadem faciatis. Porrò ipſe diabolus & angeli eius ſpiritus nequam, qui nos impugnant, & veluti rugientes leones nos deuorare, ſecumque ad gehẽnæ incendia rapere moliuntur, acerrimi bellatores ſunt: aſſueti ſunt ad præliũ, inuidiæ liuore ſuccenſi, nocendi nimia malignitate referti, non diebus nec noctibus (Deo nihilominus permittẽte) nos ſuggeſtionibus malis, allocutionibus blãdis, cogitationibus noxiis, inuiſibilibus laqueis, falſis promiſsionibus, terroribus inſuetis, atque crudelibus minis Chriſti, ſanctorumque eius nituntur nos priuare conſortio. His itaque viriliter reſiſtere debemus, noſq; ſpiritualibus armis munire virtutum, iuxta Apoſtoli Pauli hortamenta dicentis: Ephes. 6.
Accipite fratres armaturam Dei, vt poſsitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare. State ergo ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti lorica iuſtitiæ, & calceati pedes in præparatione euangelii pacis, in omnibus ſumentes ſcutũ fidei, in quo poſsitis omnia tela nequiſsimi ignea extinguere, & galeam ſalutis aſſumite, & gladiũ ſpiritus, quod eſt verbum Dei, per omnem orationem & obſecrationem orantes in omni tempore in ſpiritu, & in ipſo vigilantes. Valent vtique memorata arma virtutum (Dei pro nobis & in nobis cooperante gratia) nedum defendere ab incurſibus ac tentationibus ſpirituum immundorum, verumetiã ab obſcœnis & pernicioſis operibus carnis, quæ (eodem præfato perhibente Apoſtolo) Galat. 5.
ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, comeſſationes, ebrietates, &

his

his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut & prædixi. Hæc profecto omnium peccatorum ſunt germina, vitiorum occaſiones, & eadem peragentium damnationis æternę teſtimonia certa. Hęc, inquã alienant animam à Deo, priuant gratia, auferunt merita, diuinę dulcedinis tollunt guſtũ, conſcientiæ quietem turbant, fugant ſpem veniæ, deſperationis foueam parant, ſapientię obtenebrant lumen, opera de ſe bona commaculant, delinquentem diuimunt ab vnitate fidelium, gehennę efficiunt filium, & cęleſtis regni faciunt eſſe exortẽ. Iſta igitur qui Chriſti ſunt, intelligentes carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis ſuis crucifigẽtes, ieiuniis attenuant, domant laboribus, vigiliis terunt fame, ſiti, frigore & nuditate debilitãt, virtutum flagellis verberant, concupiſcẽtiasq; ſuas ſibi dominari non ſinunt. Plurimum deniq; quũ laborioſus ſit iſte congreſſus, diuturna pugna, & bellatores rari, qui huius ſpiritualis luctę velint perſeuerare in ſtadio, ab iis, qui cupiunt eſſe victores, diuina, vt ſuperius dictum eſt, ſunt imploranda ſuffragia, necnon de viribus ſuis propria abdicanda fiducia, quæ radix eſt criminum, ſuperbię filia, fomes vitiorum, inimica virtutum, gratiarum diſsipatrix, & ſanctę humilitatis prorſus aduerſaria. Cęterum cum difficillimum ſit, iuxta domini exhortationem, quotidie crucem tollere, ſeipſam abnegare, carnis illecebras ſternere, deſideria illicita vincere, motus inordinatos cohibere, cælibem vitam ducere, ſanctorum imitari veſtigia, & ſecundum ſpiritum ambulare in ſpiritu (pro cõſequendis tamen ſempiternis, & inuiſibilibus gaudiis, quæ præparauit Deus diligentibus ſe) ab iis, qui Chriſto militant, & fide formata futura proſpectant, oneroſa nequaquam ſunt arbitranda, ſed leuia. Nam, atteſtante Apoſtolo, non Rom. 8 ſunt condignæ paſsiones huius temporis ad futuram gloriã, quæ reuelabitur in nobis. Labor quippe magnus merces vero laboris prorſus maxima. Virtutum itaque ſpiritualem patiatur eſuriem, certare mente & corde non ceſſet, ſe debellanter & audacter impugnet, quiſquis de virtute proficere in virtutem, & ad perfectionis nititur alta conſcendere, atque Deum per cordis munditiam videre peroptat.

Quòd ſpiritualis lux ſit neceſſaria ad cordis munditiam conſequendam, deque illius excellentia & effectu. Cap. VI.

QVemadmodum commeantibus in nocte per ignotas regiones, ſeu difficiles ſemitas, vel itinera à latronibus occupata, atque circunſepta periculis, prorſus neceſſarius eſt dux: ita peregrinantibus in regione vmbræ mortis (videlicet) in hac vita, quæ tentationibus, ſpiritualibus laqueis, ignorantiæ tenebris, & diuerſorum inimicorum inſidiis eſt referta, opportuna eſt lux, non illa, quæ naturalibus fomentis nutritur, vt ardeat, ſed neque illa, quæ ſolis, lunæ, aut ſtellarum ſplendoribus irradiat terram, corporeiſque inſpicitur oculis, atque communis eſt pecoribus, volucribus, & hominibus, ſed quæ rationali communicatur creaturæ, fide percipitur, mentis puritate cernitur, gratis à Deo infunditur, & deſuper verbo inſpirante donatur. Nam (dicente Iacobo apoſtolo) Omne datum opti- Iac. 1 mum, & omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à patre luminum. Quamobrem quũ ipſe ſit lumen, & æterni genitor luminis, merito ab ipſo, & non ab alio ſpiritualis lucis percipit lumen, quiſquis vere illuminatur, nec quantum in ipſa luce eſt, quenquam ſui participatione facit expertem, quemadmodum Ioannes apoſtolus in- Ioan. 1 ſinuans ait: Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Non enim imputabitur illuminanti, quum quis memorata caret luce, ſed eandem minime recipienti, atque à ſe repellenti, qui illius contubernio ſancto ſeipſum reddit indignum, dum cordis oculos auertit ab illa, & delictorum deliteſcit in tenebris, ipſas tenebras magis diligendo quàm lucem. Lucem ipſam audi dicentem: Omnis qui male agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt Ioan. 3 non arguantur opera eius, quia mala ſunt. Nempe ſicut ęgris oculis corporalibus odioſa eſt viſibilis lux: æque animæ peccatrici & peccatorũ in delectatione obrutæ ſapientiæ diuinæ oneroſum eſt lumen, quoniam radiorum illius fulgentium capax eſſe non valet. Sic enim legitur: In maleuo- Sap. 1 lam animam non introibit ſapientia, neque habitabit in corpore ſubdito peccatis. Hoc idem Ioannes apoſtolus inſinuare volens, inquit: Et Ioan. 1 lux in tenebris lucet, & tenebrę eam non comprehenderunt. Proinde neceſſe eſt, vt ſcelerum abhorreat tenebras, delinquendi occaſiones deuitet, & iniquorum declinet conſortia, mundet pręterea cor nedum à pernicioſis & noxiis cogitationibus, verumetiam à vanis & inutilibus, quicunque cõcupiſcit ęternę ſapientię irradiari ſplẽdoribus. Nam ſemper pręſto eſt & parata ſe communicare poſcentibus, omnes quoque pręuenit donis, excitat clamoribus, & pręoccupat promiſſis. Sic enim habes de illa ſcriptum: Sapientia fo- Prou. 1 ris pręedicat, in plateis dat vocem ſuam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarũ vrbis pro- Ibid. fert verba ſua dicens: Vſquequo paruuli diligitis infantiam, & ſtulti quæ ſibi ſunt noxia, cupiunt, & imprudentes odibunt ſcientiam? Conuertimini ad correctionem meam, en proferam ſpiritum meum vobis, & oſtendam verba mea. In euangelio quoque inquit ad Hieruſalem: Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina Mat. 23 congregat pullos ſuos ſub alas, et noluiſti? In Apocalypſi etiam quid ipſa ſapientia loquatur, ob- Apoc. 3 ſerua: Ego (ait) ſto ad oſtium, vtique cordis, et pulſo. Si quis audierit vocem meã, et aperuerit mihi ianuam,

ianuam,introibo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum. O ſapientia ęterna,incommurabile verbum,& ſplendor paternę glorię. O, inquā, meridiana lux, in qua nullę ſunt tenebrę, in qua contemplantur, quęcunque facta ſunt, & eſſentialiter vniuerſi exiſtunt ſapientię & ſcientię Dei theſauri, quam profecto inſpicere fœlicitas eſt, quam cognoſcere vita beata eſt, cui inhęrere perpetua requies eſt, quam laudare ineffabile gaudium,quam ex toto corde diligere ſummum bonum, cui famulari eſt ſemper viuere, cuius pulchritudinem intueri eſt ſempiterna fruitio, iucūditas plena,perſeuerans iubilus,ſuauitas immenſa,perfecta lętitia,immortalis vita, & conſummata ſatietas.Quis apprehendere valet, & enarrare ſufficit,quanta erga hominum ſalutem tua ſit charitas,ſolicitudo indefeſſa,peruigil cura, ac materna compaſsio? Equidem parum tibi fuit pro illis mortalem naturam ſumere,humanitatis perferre incommoda,eſurire,ſitire,flere,laborare,peregrinari,pati contumelias,ſuſtinere opprobria,derurpari ſputis, ſpinis coronari, flagellis cędi, iniuſte damnari,configi clauis,aceto potari,cum ſceleratis deputari, & poſtremo in crucis patibulo morte turpiſsima vita priuari. Cęterum vt indicibile tuę dilectionis inſinuares arcanum, & ad te per amoris vinculum & beneficiorum cumulum per abrupta vitiorum, & denſiſsimas delictorum tenebras errantium mortalium attraheres corda, quotidie per aſpirantem gratiam, & veritatis lumen,atq; internam vocem,quam nemo intelligit niſi qui audit mente,& ſecum habitare conatur, necnon per ſpirituale experimentum cum Propheta veraciter poteſt dicere: Psal. 84. Audiā quid loquatur in me dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem ſuam, & ſuper ſanctos ſuos, & in eos,qui conuertuntur ad cor. Interioris hominis pulſas ad ianuam non propter te,qui nullius eges ſed pro illius bono, qui ſine te nihil agere poteſt boni,nec eſſe bonus,neque ſummi boni,quod tu es,habere conſortium.Quamobrem tibi pulſanti per obedientię virtutem ſpiritualis habitaculi ſui patefaciat aditum,quatenus pro libito tuo ingredi valeas. Pulſet nihilominus & ipſe ad oſtiū tuū per orationis inſtantiam, æternorumque deſiderium,necnon per tuam in ſpiritu iugiter meditatā preſentiam, atque per cordis dulcem guſtatam munditiam.Hęc plane eſt theſaurus intus abſconditus,hęc,inquam,eſt precioſa margarita cum ſolicitudine & ſudore reperta, pro qua cuſtodienda debet ſapientiæ amator & perfectionis cupidus diſtractis facultatibus vniuerſis, ac etiam abdicatis à ſe illecebris carnis, ipſam in interioris hominis habitaculo collocare,& omni,qua valet, induſtria poſsidere. Eſt enim ipſa cordis munditia iuge conuiuium,deliciarum internarum ianua, hortus concluſus diuerſarum virtutum arboribus cōſitus,præclarum ſpeculum, in quo cognoſcuntur animarum maculæ,deformitates vitiorum,tentationum laquei,inimicorum inſidiæ, peccatorum pondera,lapſus criminum,& diſpoſitiones ſingulorum.Per eandem donum cordis munditiā percipere valet homo, quantum in via Dei proficit, quantum deficit,quid poteſt per gratiam,& quòd nihil ſufficit boni operari ex ſe. Diuina præterea intelligit ſibi gratis collata fuiſſe beneficia, diſcitque pro eiſdem Deo gratias agere,Deum laudare,orare frequenter, mentem ad cæleſtia ſurſum erigere,conditori ſuo, ac ſibiipſi intendere, ſanctarum ſcripturarum myſteria prælibare, infuſionum ſpiritualium arcana ſentire, futurę vitæ promiſſa ſperare, ſupernorum ciuium concupiſcere gaudia,atque cum eiſdem per amoris incendium, cordis iubilum,pacis oſculum,& charitatis indiſſolubile vinculum contemplando miſceri.Nemo prorſus explicare valet quanta bona,quanta chariſmata ſpiritualia, & quot gaudia ex munditia ipſa proueniant.Dat quidem pacem, ſecuritatē tribuit,fiduciam coram Deo pręſtat, pacatam reddit conſcientiam,eleuat de terrenis, prouehit in cœleſtia,& ad bene operandum, recte viuendū, & vtilia cogitandum ſe poſsidentem excitat. Nequaquam ſinit ipſum vagari extra ſe,non meditari inania,nec ſuperflua appetere, neque innoxiis immorari.Supra modum autem obſcœna deſideria & voluptuoſæ carnis perhorreſcit incendia, atque mulierum illecebroſa phātaſmata, quę ſiue per immiſsiones immūdorū ſpirituū, ſeu ex corruptę ſenſualitatis emergūt petulātia, abigit repēte à ſe, & manu ſancti deſiderii mox, vt cordi ſe offerunt,valide allidit ad petram.Non enim permittit aliquid pollutum aut immundū in mentis ſuę penetralia ingredi, ne inficiatur,& perdat pudicitię nitorem,corporis caſtitatem, & animę angelicam puritatem.Hinc quoque ſenſibus peruigilem adhibet cuſtodiam, auribus quidem obturat auditum,ne turpia & vana percipiant eloquia Apoſtolicę eruditionis eruditus ſentētia,quæ ait: Corrumpunt bonos mores eloquia mala. 1. Cor. 15 Oculis imponit legem,ne aſpiciant, quod illi minime licet concupiſcere. A lenociniis odoramentorum auertit olfactum,& à multitudine ac voluptate c[illegible]borum per ſobrietatis regulam coercet guſtum, ſciens ex ſaturitate et crapula libidinis æſtuare pruriginem. Tangere poſtremo deuitat omne, quod mulcet tactum, vt non voluptatum carnalium labatur in foueam. Grauia denique delicta nedum ei perpetrare non libet, verumetiam leuia & minuta,ſine quibus mortalis vita non ducitur, ſolerter declinare conatur,agnoſcens, pro certo quòd nemo criminibus prægrauatus ad perfectionis valet euolare faſtigia. Intelligit præterea quòd viri ſancti venialia paruipendendo contumnare peccata paulatim prolabuntur in grauiora,& a virtutum tepeſcunt vſu, quotidieque procliuiores efficiuntur ad caſum. Quamobrem illum

lum arbitror eſſe beatum, qui quandiu à domino peregrinando degit in corpore, per cenſurā diſciplinę ſpiritualis omni cuſtodia ſeruat cor ſuū & in cunctis negocijs ſuis interius diſponendis, vel peragendis exterius in lumine fidei, & ſapientiæ ſplendore Dei præſentiam meditatur in ſpiritu: Pſal. 15. prophetamque imitatur, qui ait: Prouidebam dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear, propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe. Nihil quippe reor eſſe ſic efficax ad internam adipiſcendā munditiam, & ad virtutum arcem conſcendendā, nec non ad conterendas carnis delectationes, quę aduerſus animam militare noſcuntur, quēadmodū cogitare ſe aſtare ſēper ante oculos iudicis cuncta cernentis. Tali profecto ſtudio & huiuſmodi frequentata meditatione acquiritur cordis mūditia, tenetur, poſsideturque, cooperante nihilominus diuina miſericordia, & mediatoris gratia, quæ perficit opera noſtra, Illa gratificat in te, vt placeant ſibi. Nam abſque ipſa languet virtus noſtra, tepeſcit affectus, hebetatur intellectus, interiores caligant oculi, & omne mentis robur aufugit. Hoc veIoan. 15. ritas ipſa teſtatur, dum dicit: Sicut palmes nō poteſt ferre fructum à ſemetipſo, niſi manſerit in vite: ita & vos, niſi in me manſeritis. Hoc idem Pau2 Cor. 3. lus ſuo cōfirmat eloquio: Non quòd ſufficientes (inquit) ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Flagitet itaque à Deo cordis munditiam, ſiquis caret illa, eandem verò qui habet, vt oculi ſui pupillam cuſtodiat. Verum vt ipſam illæſam & incontaminatam ſeruet, omni cum diligentia ſecum habitare peruigilet.

Quòd propter aduerſariorum calliditatem & cordis noſtri infirmitatem, debet in Chriſti militibus peruigil ineſſe conſtantia. Cap. VII.

Militantibus Chriſto, & ad virtutum perfectionem attingere cupientibus magnanimitatis oportet ineſſe conſtantiam. Vbi enim ſunt hoſtes infeſti, necnon & lucta penè continua, ibi eſſe congruit ſolicitudo non dormiens, prudentiæ lumen, pugnandi audacia, deſiderium patiendi, mentis puritas, & cooperans gratia. Quantæ fortitudinis, quantæque calliditatis ſint aduerſarij, qui nos impugnant, decla-Iob. 41. rat dominus ad Iob loquens: Non eſt (inquit) poteſtas, quæ comparetur ei ſuper terram, qui factus eſt, vt nullum timeret. Omne ſublime videt, ipſe eſt rex ſuper vniuerſos filios ſuperbiæ. Calliditatem quoque ſuam in primorum noſtrorum debellatione parētum inſinuauit, quum dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus, ne comederetis de omni ligno paradiſi: & mulier reſpondiſſet, de fructu ligni, quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus ne comederemus, neq; tangeremus, ne forte moriamur. Illico ſubintulit: Nequaquā moriemini: ſcit enim Deus quòd in quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dij ſcientes bonum & malum. O calliditas maxima: Diuinitatis honorem, boni, malique ſcientiam inſipienti mulieri fallaci ac mēdaci perſuaſione promittens ambos innocentiæ candore priuauit, interiori expoliaui gaudio, de paradiſi amœnitate expulit & temporalis & æternæ mortis aduerſus eos illata ſententia huius ærumnoſæ peregrinationis fecit eſſe colonos. Nō eſt paſſus ipſe mendax, ac mendacij pater, elationis atque ſeductionis inuentor illuc eoſdem aſcendere, vnde ſuperbiēdo miſer miſerabiliter ipſe ceciderat. Foras namque de paradiſo voluptatis vtrique eiecti corpus proprium ſibi hoſtē effectum eſſe ſenſerunt. Hinc aduerſus captiuam animam carnis concupiſcentiæ pugnare cœperunt, hinc pro huius tranſgreſsione inobedientiæ ſibiipſi rationalis ſpiritus hominis factus eſt inſidiator & hoſtis. Amiſso namque ſcientiæ lumine, & creaturarum cognitione perfecta, ignorantia Dei & ſui repleta eſt tenebris, & quæ cæteros precellebat dignitate & gratia, vitiorum effecta eſt ſerua, inanis, profuga, omniumque infirmitatum ſpiritualium contagione oppreſſa, ita vt propheticum illud dictum ſpiritualiter eidem congruere videatur: Omne caput languidum, & om-Eſa. 1. ne cor mœrens, à planta pedis vſque ad verticē capitis non eſt in eo ſanitas, vulnus, & liuor, & plaga tumens non eſt circumligata, nec curata medicamine, neq; fota oleo. Verū (vt de cęteris infirmitatibus illius, quæ innumerabiles ſunt, taceam) quid humano corde fugacius? quid ve (niſi ſit diuina bonitate adiutus, præuētus gratia, & virtute roboratus) illud valet ratione ſubigere, à ſentibus vitiorum mundare, & noxiarū cogitationū tentationibus liberare, quū dominus dicat: De Mat. 15. corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, & blaſphemię, quæ omnia coinquinant hominem? Hoc quippe humanum cor appetere atque euertere conatur diabolus illuſionib. malis, immundis phantaſmatibus, ſuggeſtionibus blandis, & voluptuoſis delectationibus, vt ad conſenſum delictorum impellere queat. Sic vtique proſtrauit cor Iudæ, & de apoſtolatus ſublimitate deiecit, egitque arte ſua, quatenus cupiditatis ſagitta vulneratus cunctorum viliſſimo precio venderet dominum, atque deſperationis veneno debriatus ſuſpendens ſe laqueo miſerabiliter interiret. Quamobrem cum omni diligentia cuſtodiēdum eſt cor, & timoris diuini obſtruendum eſt ſeris, necnon caſti amoris eſt alligandum vinculis, ne laſciuiendo perefluat, & per ſenſus carnis ſe circunquaque diffundens nullatenus ad ſe redire ſufficiat. Quum verò difficile ſit idipſum impollutum ſeruare, norunt, qui ambulare volunt in

ſpiri-

Digitized by Google

ſpiritu.O quantis ſudoribus,quàm crebris violen tiis, quantaq; ſolicitudine illos laborare oportet? Nempe quum tenetur,elabitur, quũ cuſtoditur, aufugit, quum quęritur,vix reperitur, & quũ ad ſe conſiderãdum inducitur, repentè ſe vertit ad alia, more aſpidis ſurdę obturantis aures ſuas, ne audiat incantantiũ voces. [Pſal. 57.] Diſcurrit per creaturarum numeroſitatem, delectatur in earum decore,illecebriſque ipſarum inhærere concupiſcit: & niſi conſideratione repẽtinæ ac inſperatę mortis, aut infernalis gehennę terroribus agitetur, efficitur velut equus & mulus, cuj ad cognoſcendum periculoſi ſui ſtatus errorem non eſt intellectus,neq; ſuppetit virtus. Equidem hinc inde per loca arida,& inaquoſa perambulans, vt optatam ſuę voluptatis adinueniat requiem, illamq; minime reperiens ad ſe,etiam cum rubore redire compellitur. Imitatur vtique filii prodigi formam,qui accepta,quæ illi contingebat,patrimonii portione,longe diſcedens a patre, longiuſq; recedens a ſe,omni prorſus incontinenter viuendo facultate conſumpta, poſt validę famis inediam, & poſt ſiliquarum porcorum concupitam eſcam, nec ad ſaturitatẽ habitã, ad genitoris ſui gratiã corde cõpunctus, & lachrymarum imbre perfuſus ſe proſternendo, propriumque delictũ [Luc. 15.] humiliter confitendo clamauit: Pater peccaui in cęlũ & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus:fac me ſicut vnum de mercenariis tuis. Nulli quippe ſit dubium, quin quoties peccatrix anima reatum ſuum agnoſcens, & compũcta de cętero ex corde non peccare diſponens,ad Deũ per confeſsionem humilem veniam flagitando conuertitur: benigne ſuſcipiatur, amplectatur miſericorditer,ſpei ſtola pręcingatur,annulo fidei deſponſetur.Intelligenſque pro ſalute ſua vitulum ſaginatũ fuiſſe occiſum, ſupra modũ ſe cõfundẽdo exultet,ſeq́, increpando lętetur, & omni qua valet, deuotione, Dei erga ſe exhibitam dilectionem laudare, illique ex intimo cordis affectu gratiarum actiones offerre non ceſſet. O quã efficax eſt ad promerendam gratiã, ad aſſequendam indulgentiã ad pacẽ obtinendam, ad moderandam Dei iuſtitiam, atque ad illius in ſe paternam charitatem guſtandam, delictorũ pro priorum certa cognitio,deteſtatio criminum, ac etiam ad ſe renouandum in ſpiritu deteſtabilis, & deliberata intentio. Hoc proculdubio nequaquam fieri poteſt, niſi peccator Dei miſericordia præueniatur: & per liberi arbitrii ſpontaneum conſenſum ad ſe redire non tardet. Porrò neque ſemel aut bis egiſse hoc ſufficit:ſed toties iu faciendum eſt, quoties homo aliquo enormi crimine ſenſerit ſe eſse grauatum. Ad ſe itaq; redeat, lapſum ſuũ recogitando defleat, ſibiipſi diſpliceat, vt Deo placeat, & corde compunctus [Pſal. 50.] cum Propheta clamet ac dicat: Miſerere mei Deus ſecundũ magnã miſericordiam tuã, & ſecũdum multitudinem miſerationum tuarum dele iniquitatem meam: Amplius laua me ab iniquitate mea,& à peccato meo munda me: quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. Meretur quidem indulgentiam obtinuiſſe à domino, ſi humiliter orabit iuxta ipſius pollicitationem per prophetam dicentis:Quotieſcũque peccator ingemuerit, non recordabor amplius iniquitatum ſuarũ. [Ezec. 18.] Ex guſtu ſiquidem perceptę venię,ex dulcedine pacatę conſcientię, necnõ ex propoſito de cætero non delinquendi nedum aſſueſcet per mœrorem compũctionis redire ad ſe: verumetiam per internam exercitationem delectabiliter habitare ſecum, quod quidem neceſſariũ eſt in via Dei proficere cupientibus.Nam quemadmodum qui extra domum corporalis habitationis nulla in eadem relicta cuſtodia per nundinas & plateas vagatur,variasque cum amicis confabulationes peragit,facillime latronum patitur inſultus,rerumque ſuarum, quæ in ea ſunt abſque vllo obſtaculo ſuſtinet prædam:æquè quicunque mentis ſuæ domiciliũ ſine ſpirituali examinatione foras per inanes,obſcœnasque cogitationes vagando deſerit,non mediocre damnum incurrit. Vanum eſt cor hominis & inſcrutabile (inquit ſermo diuinus) & quis cognoſcet illud: Ego (ait dominus) [Hiere. 17.] ſum,qui ſcrutor renes & corda,& qui reddo vnicuique ſecundum opera ſua.Porrò ſi inſcrutabile eſt cor, etiam ab illis,qui ſpiritualiter iudicant omnia,quomodo ſcrutari poterit ab eis, qui omni virtutum neglecta cenſura, per exteriora quæque inutilia cogitando diſcurrunt? Qui legit,intelligat.Quamobrem quicũque deſiderat ad perfectionis culmen per virtutum gradus aſcendere quantum hodierno tempore patitur humana fragilitas,atque delectabiliter & humiliter in ſpiritu habitare,ſecum exteriores actiones, & potiſſimum ſecularia negocia,ſecularium que conuerſationem,quantum ei licet,abſque ſcandalo proximi & obedientiæ ſanctæ detrimento deuitet. Senſibus prætcrea corporis & eorũ concupiſcentiis, quæ ſupra modum humanam alliciunt mentem,impellunt,et euertunt,peruigilem adhibeat continentiæ cenſuram,ne petulanter naturali abutatur impulſu, et inſatiabili quodam trahatur affectu.Cogitationibus denique nedũ voluptuoſis ac noxiis,verumetiam inutilibus, leuibus,et irrationabilibus ita legem imponat,vt dicat malis, recedite,et recedãt:bonis verò,venite,et veniãt. Quod ſi hoc ad libitum poſſe difficillimum ſit, et penè impoſsibile, ſicut Apoſtolus de ſe ſatetur inquiens: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meę, et captiuantem [Rom. 7.] me in lege peccati,quę eſt in membris meis, decertet tamen toto conatu eaſdem diutius nõ morari in ſe,quatenus ex prolixa mora delectationẽ non patiãt,et ad peccati cõſenſũ impingant.Nã

quemadmodũ igniculus paruus, ſi non extinguatur, valet magnam lignorum comburere ſyluam: ita neglectæ cogitationes, quæ vel ex concupiſcẽtiis, vel ex operibus pullulãt carnis, ſeu ex immũdorum ſpirituum immiſsionibus admittuntur, niſi de cordis habitaculo in earum primo congreſſu propellantur, inficiunt, & in peccatorum ſeruitutem imprudentem, & dormitantem animã pertrahunt, ipſamque ſpiritualibus per tempora aggregatis diuitiis priuant. Expedit itaque ſecum habitare volenti, vt omni ſtudio, omnique prudentia ĩtelligere aſſueſcat, quales cogitationes ipſius verſentur in corde, quæ intentiones voluãtur in opere, & quæ affectiones in vſu, & quotidiana exercitatione poſsideant mentem. Hæc qui ignotat, aut conſiderare diſsimulat, ſi cõpugatur ex charitate, vel ex conſuetudine aliquid boni agat ſaluari quidem poteſt, nequaquam verò ad perfectionem valet aſcendere, neque diu ſecum laudabiliter commorari. Inſtitutus eſt propheta à Deo

Ierem. 1. vt prius euellat, deſtruat, diſperdat, & diſsipet: deinde vt ædificet, & plantet. Superuacue prorſus ædificare nititur, ac plantare virtutum pomiferas arbores, & virentium herbarum odorifera geſta, qui vitiorum & concupiſcentiarum ſentes & germina, de cordis ſui agro non conatur extrahere.

Luc. 8. Domini nanque ſententia eſt, quod exortæ ſpinæ ſeminatum in corde ſuffocant verbum, illudque fructum debitum procreare non ſinunt. Vigilet ergo ſuper cuſtodia ſua, conſiderationi propriæ cognitionis intendat, deuotioni denique ſecum habitando vacet quiſquis per humilitatis virtutem, & vilitatis ſuæ agnitionem vult in ſpiritu proficiendo aſcendere.

Quòd pernicioſa ſit mentis elatio, & quòd ad obtinendam humilitatem incipientium, proficientium, & perfectorum quotidiana ſint ſtudia. Cap. VIII.

QVum multa ſint peccatorũ genera, quæ illa operantes alienos à Deo, & perpetuę gehennę efficiunt filios: ſuperbię tamen vitium principatum tenens primum obtinet locum, tanquam radix, & vniuerſorum criminum potiſsima cauſa, ſacro hoc atteſtãte eloquio ac dicente: Initium omnis peccati eſt ſuperbia.

Eccl. 10. Hæc quippe exordium habuit in cælo, nõ ex ſuggeſtione vel alicuius impulſu, ſed ex ſemet in mente Luciferi ambitionem germinans imperãdi. Intelligẽs nãq; ipſe nequiſsimus ſe à Deo cõditũ, atque præ cæteris ſpiritibus angelicis donis, ac pulchritudine eſſe inſignitum, dominandi ẽt concupiſcens celſitudinem ſimilis voluit eſſe altiſsimo. Nam Prophetæ præclariſsimum ac ſingularem ipſius decorem narrantis, detegentiſque illius ſuperbiam, ac ſupplicium perhibentis iſta ſunt verba: Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus

Ezec. 28. ſapientia, & perfectus decore in deliciis paradiſi Dei fuiſti. Omnis lapis precioſus operimentum tuũ. Sardius, topatius, iaſpis, chryſolitus, & onyx, berillus, ſaphirus, carbunculus, & ſmaragdus, aurũ opus decoris tui. Tu Cherub extentus & protegens poſui te in monte ſancto Dei in medio lapidum ignitorum: ambulaſti perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inuenta eſt iniquitas in te: & eieci te de monte ſancto Dei, & perdidi te ò Cherub protegẽs de medio lapidũ ignitorum, & eleuatum eſt cor tuum in decore tuo: perdidiſti ſapientiam tuam in decore tuo: producam ego ignem de medio tui, qui comedat te: & dabo te in cinerem ſuper terram in cõſpectu omnium videntium te. Quemadmodum enim ipſe præ cunctis creaturis pro ſibi a Deo multiplicibus gratis collatis beneficiis, factori & largitori ſuo gratiarum innumerabiles actiones exoluendo ſe humiliare debuerat, ita è regione ab autore vniuerſorum dorſum ſuum auertit, & amore principandi ipſius ambiuit honorẽ, cæteroſq; ſpiritus voluit habere ſubiectos, ac venerari vt Deus. Sic enim ſuperbiæ tumore inflatus (Propheta perhibente) locutus eſt: In cęlum conſcẽ- Eſa. 14. dam, ſuper aſtra cæli exaltabo ſolium meũ: ſedebo in monte teſtamenti, in lateribus Aquilonis: aſcendam ſuper altitudinem nubium, ſimilis ero altiſsimo. Mox autẽ idem Propheta condigne retributionis temeritatis huius maximę ſubintulit ſupplicium inquiens: Verũtamen ad infernũ detraheris in profundum laci: qui te viderint, ad te inclinabuntur, teq; proſpicient. Nunquid iſtę eſt qui conturbauit terrã, qui concuſsit regna, qui poſuit orbem deſertum, & vrbes eius deſtruxit? Tu autem proiectus es de ſepulchro tuo quaſi ſtirps inutilis, & ſanie pollutus. Se quippe erigens ſuperbiendo nedum aduerſus Deum, verumetiã contra ſeipſum de propria ſede cum dedecore & iactura quàm maxima effectus eſt diabolus æternæ damnationis filius, gehennę ſtipula, incẽtor criminũ, hominũ inſidiator, apoſtaſię principiũ, & apoſtatantium ſpirituũ caput & cauſa. Quod .n. conceperat nequiter, perſuaſit cæteris. Verũ quotquot illi adhęſerunt, conſentiendo in momento cum eodem pariter perierunt. Sic namq; debuit mulctari ſpirituũ immundorũ elata pręſumptio. Sic (inquam) diuinam decuit ęquitatem à conſpectu clementiæ, & glorię ſuæ propulſare ingratos, proprięq; conditionis ignaros, quatenus ex inflicta ſibi damnatione & irreparabili caſu fierent omnibus non ſuperbiendi exemplum, nec ſe ſupra ſe in magnis ac mirabilibus erigendi, neque ſe inebriare deſiderio principandi, quæ profecto quum ſint elationis germina, nequeunt inulte tranſire. Nã (perhibente apoſtolo Petro) Deus angelis peccãtibus nõ pepercit: ſed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit in iudicium cruciãdos reſeruari. Quamobrẽ diſcant, qui luteas habent domos, & corruptibile ac mortale corpus inhabitant erudiri ex ruina ſpirituum immundorum, non altum ſapere,

non

non dignitates ambire, honores non quærere, nec deſiderare præeſſe: ſed potius ſubeſſe, & miniſtrare aliis magis, quàm velle ſibi ab inferioribus miniſtrari. Quum enim difficillimũ ſit in ſtatu medioeri, & infimo ſuperbiæ opera fugere, & per humilitatis virtutem contra ambitionis cogitationes, ac ſtimulos reluctari: imprudentiſsimũ eſſe arbitror vltro quempiam ſe velle periculis apoſtatandi à Deo exponere, aliorum oneribus ſe neglecto ſubigere, cathedras paſtoralis officii optare, ſeculares magiſtratus præcibus mendicare, & popularem famam. Sentẽtia namque incarnatæ veritatis appetentiã prçeminentię deteſtã-

Luc. 14. tis, humilitatemq; docentis hęc eſt: Quum inuitatus (inquit) fueris ad nuptias, recumbe in nouiſſimo loco, vt qui te inuitauit, dicat tibi: Amice aſcende ſuperius & tunc erit tibi gloria coram ſi-

Matth. 11 mul diſcumbentibus. Alio quoq; in loco: Diſcite (ait) a me, quia mitis ſum & humilis corde. Humilis ſiquidem magiſter humilitatẽ inſinuauit in verbis, in operibus, in moribus, in miraculis, in reſponſis, in cõtumeliis, in iniuriis, in opprobriis, in verberibus, in flagellis, in paſsione, in cruce, & in morte. Nempe in omnibus, vbiq;, & in omni tẽpore humilitatis exemplũ præbuit, vt innoteſceret cunctis, quãtum virtus ipſa placeret Deo, quàm vtilis & neceſſaria eſſet hominibus ſaluari volentibus, cupientibuſq; in ſpirituali exercitatione proficere. Incipientibus prorſus, proficiẽtibus atque perfectis congruit ineſſe humilitas, ſine qua iſtorum quilibet in vanum currit, ac ſupernacue elaborabat. Cognoſcũtur tamẽ ad ipſã virtutem acquirendam, exercendã, & conſeruandam, aliæ eſſe incipientium cogitationes & opera, alia proficientiũ certamina, atq; alia ſpiritualia perfectorum ſtudia. Hi namque gradus quamuis aſcenſionis in corde diſtinctas habeant actiones, ſub eodem nihilominus humilitatis militant duce, vna cœleſtis gratiæ indigent luce, vnaq; ęternæ fęlicitatis fruuntur mercede. Nempe ad adipiſcẽdã, de qua loquimur, humilitatis virtutẽ nouis, & rudibus Chriſti tyronibus ineſſe congruit per deſiderium & vſum ſeculi contemptus, & ſui, deſpectus habitus, vilitatis amor, incultus ſermo, redargutionum ſitis, ſpiritualis patris reuerentia, & præcipue obediendi ignea affectio. Nihil enim ſic humilitati aduerſatur, quẽadmodum ſibipſi credere, ſuperiori ſuo verbo, & cogitatione contradicere, propriæ voluptati applaudere, illamque actu velle perficere. Hęc quippe eſt, quæ nutrit ſuperbiam, facit hominem altum ſapere, caligat mentis aciem, ne veritatis lumẽ aſpiciat, compunctionis initia perturbando deuaſtat, repellitq; aſcendere cupientẽ, ne ſe humiliãdo proficiat. Qui verò ſpiritu Dei aguntur, roborantur gratia, & conſequendæ virtutis deſiderio flagrant, incedunt ſimpliciter, ſe exponunt laboribus, contumeliis, & verberibus nullã ſibi dãtes requiem, nullãq; exterius conſolationem quærẽtes: luctum arbitrantes magnum crucem tollere, carnem macerare, aduerſum deſideria illicita pugnare, concupiſcentias emergentes conterere, & ſeipſos abnegare quod ſunt, vt reformati in melius incipiant eſſe, quod necdum ſunt. Tandiu verò eos oportet in hoc ſpirituali, oneroſo ac quotidiano perſeuerare conflictu, donec diuinę lucis irradiari ſplendore virtutis percipiãt guſtum, & proficiendi amore flammeſcant proficiẽtiũ ſectando veſtigia: qui toto conamine intra ſe collecti per quotidiana virtutũ exercitia ſpiritu, & ratione ducuntur. Hæc ſiquidẽ ſunt incipientiũ ſtudia, atque laudabilia opera, quę humilitatis virtutem pariunt, mentemque parumper ad ſui cognitionem excitant. Quæ profecto cognitio ſanctæ humilitatis eſt optimum & ſtabile fundamentum, prout (domino concedente) inferius apparebit. Hanc vero, de qua ſermo tractatur, humilitatis virtutem vt apprehendere proficientes, tenere, & in ipſa proficere queant, totis viribus contendant habitare ſecum, quatenus ex aſſidua conſideratione motus cordis, mentis latebras, cogitationum qualitates, deſideriorum affectus, immiſsionum impulſus intentionem rectitudinis in operando, pondus verborum in loquẽdo, grauitatis, circunſpectionẽ in conuerſãdo diſcernere & cognoſcere valeant. Non enim infirmitatis proprię poſſunt eſſe eruditi, neque in humilitatis perfectione multum proficiendo aſcẽdere, ſi ea quę ſupra memorata ſunt, ſcire aut opere complere neglexerint. Nã quemadmodũ medici corporum ſi ægrotantium infirmitatum ignorauerint qualitates & cauſas, nequaquã valent ſanitatem conferre languentibus: ita non intelligentes initia, & paſsionum impetus, quæ vel ex innata infirmitate, ſeu ex continua delinquendi conſuetudine de peccati lege dominante in carne, verſantur in mente, ſufficiunt virtutũ medicamenta in ſpiritu præbere certantibus. Sapientẽ Chriſti militẽ exhortantem ad ſuę mentis cognitionẽ, internarũq; paſsionum indefeſſã Prou. 4. indaginẽ, quid loquatur, aduerte: Omni (inquit) cuſtodia ſerua cor tuum: quoniam ex ipſo mors & vita procedunt. Nemo igitur animi torpore depreſſus, qui ſecum habitare paruipendit, ad virtutum ſublimiora faſtigia conſcendere valet. Virilium animorum opus eſt iſtud, qui aduerſariis dedignantur vertere terga, qui pugnare nõ metuunt, certandi peritiam norunt, ſciuntque nullum (niſi legitime dimicantem) pro virtutum adeptione poſſe coronari. Quæ profecto virtutes formãtur in corde coaluntur in corde & cõſummantur in corde (ipſo vtique cernante & coadiuuante, qui cordium & intentionum ſcrutator, & corouator eſt ſolus.) Stat quippe Dominus tanquã explorator callidus, & ſingulorũ ſeruorũ ſuorũ inſpicit corda, atq; quo affectu quiſq;

ducatur, qui deliberatione, vt illi placeat, moueatur quove ſtudio exerceatur, vt creſcat in ſpiritu, vt perſeueret in ſtadio, vt efficiatur humilior, vt virtutibus cæteris ſit locupletior, vt ad reſiſtendū vitiis promptior & ad percipiendū charismata meliora paratior, paterno intuetur affectu. Nec mirum. Nam profuſior eſt ipſa diuina clementia ad ſua hominibus erogandum ſpiritualia dona, quàm ad eandem admittendū ipſi ſint proni. Hinc eſt quòd eoſdem allicit beneficiis, promiſsionibus trahit, dilectione tuetur, angelorū miniſterio roborat, ſacro erudit eloquio, ſuaque apud illos commorando lætos facit præſentia, ipſo perhibente, qui ait: Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & pater meus diliget eū; & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. (Ioan. 14.) Hoc namque pro maximo viri ſancti munere arbitrantes, perfectæ humilitatis currentes ad brauium ipſius in omnibus pro poſſe meditātur præſentiam, prophetico etiā edocti oraculo, qui quantum ex hoc ipſe profecerit inſinuans inquit. (Pſal. 15.) Prouidebam dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam à dextris eſt mihi, ne commouear. Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea, inſuper & caro mea requieſcet in ſpe. Equidem incipiētes ex exterioribus actionibus, in quibus occupantur, humilitatem ſe poſſe apprehendere confidunt, proficientes verò infirmitatem ſuam ex perfectione virtutum, necnō ex quotidiana vitiorum impugnatione mentientes, vilitatem propriam ſibipſi celare non valētes, ſe coram Deo humiliando proſternunt, ſua accuſant facinora, atque ſe filios gehennæ eſſe fatentur, ſi Dei ab illis remota pietate iudicētur. Ex hac proculdubio humili confeſsione ſe condemnando minime iudicantur, deſcendendo in hac miſeriarum ſuarum conſideratione aſcendunt, fiuntque, quo ſe viliores agnoſcunt, humiliores: dumque ſe arbitrantur deficere, abſque elationis contagione proficiunt. At verò perfecti, quorum in præſentiarū exiguus eſt numerus, iam mūdo ex corde mortui, quibus etiam crucifixus eſt mundus, quamuis operentur magna, aggrediantur ardua, perferant aſpera, innocenter viuant, virtutibus polleant, coruſcent miraculis, terrena deſpiciant, inhiantique affectu concupiſcant cæleſtia: veritatis tamen lumine illuſtrati ſe nihil ex ſe eſſe proclamant, atque ex Dei gratuita bonitate, ſi quid ſunt, ſyncera humilitate fatentur eſſe, quod ſunt. Norunt ſiquidem ſe conditoris vniuerſorum eſſe inſtrumenta electa per gratiā, quæ proculdubio niſi exercerētur à domino, tanquam cæteri iacerent interiori habitu vacui, memoriter retinentes quod Dominus ait: (Ioan. 15.) Sine me nihil poteſtis facere. Illud quoque Apoſtoli Pauli dictū omni cōmendatione digniſsimū crebro reuoluunt animo: (2. Cor. 3.) Nō quòd ſufficiētes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. Idemque: Qui putat ſe aliquid eſſe (inquit) quū nihil ſit, ipſe ſe ſeducit. (Gal. 6.) Hinc eſt, quòd tanquā veri humiles nequeunt ſe extollere, tum quia in omnibus, quę laudabiliter agunt, Dei non priuatā quærunt gloriā Deoque gratiarum exhibent actiones, qui illis, & per illos operari dignatur, huic veritati eorum conſcientia teſtimonium perhibente, tum etiam quia præteritorum ſanctorum, cum Chriſto regnantium acta & mores aſsiduę meditantes, in eorū comparatione ſe viliſsimos arbitrantes, ſeruoſq; ſe inutiles ex corde iudicantes, prę humili confuſione, ad cęlum oculos leuare non audent. Conſiderāt namque ignitam illorum charitatem ad Deum, ſynceram dilectionem ad proximum humilitatē in proſperis, in aduerſis patientiam, in orationibus, inſtantiam, magnanimitatem in laboribus, paupertatem in abundantia, in agendis prudentiam, in conſiliis ſapientiam, in illatis iniuriis pacem, in tentationibus conſtantiam, in bene operando perſeuerantiam, ſibique minime in omni commendabili exercitatione parcentes, vt Chriſto lucrifacerēt vniuerſos. In huiuſmodi quippe meditationibus ſe ipſos, quales ſint metientes nō parum in humilitate proficiunt, peramplius tamē quū in vitę Chriſti immaculato ſpeculo interioris hominis aciē figunt. In tali vtiq; ſpeculi Chriſti contemplatione omnium apparet reprehenſibilis cōuerſatio ſanctorum imperfecta perfectio, virtus infirma, exigua gratia, lux indigna, & vita culpabilis. Eo namq; qui perfecti nuncupantur, ſe exiſtimant nequiores, & ab humilitatis cęterarumque virtutum perfectione remotiores, quo frequentius actu & habitu reuoluunt mente, qualis fuerit ipſius mediatores Dei & hominum hominis Chriſti Ieſu, cum hominibus forma viuendi: quę profecto ex ſui ſingulari excellentia, exēplaritate, perfectione, & gratia illā contemplantes replet admiratione, perfundit iubilo, exhilarat ſpe, in fide roborat, ſuccēdit dilectione, erudit de moribus, de agēdis informat, decorat prudentia, atque per proprię infirmitatis cognitionem certam humilitatis ſanctæ celſitudinem inſinuando prouehit ad coronā. Fit verò ex huiuſmodi cōſideratione, vt ſibiipſis diſpliceant, & ſe aliquid fuiſſe exiſtimaſſe erubeſcant, nihilq; cōmendatione dignum omni tumoris elatione euacuata teſtētur. Hinc quoq; ad capeſſendam humilitatis perfectionem efficiuntur lætiores, ad imperfectionis proprię notitiā clariores, & ad vniuerſa tolerandū aduerſa paratiores, proculdubio intelligentes hmilitatis virtutē, abſque patiētię exercitatione nullatenus eſſe poſſe perfectā.

Quantum detrimentum inferat ocium, & diſſuetudo corporaliter ac ſpiritualiter dimicandi. Cap. XI.

Viriliū pugnatorū nihil ſic dignoſcitur eneruare virtutem corporiſq; inferre ignauiā: quēadmodū diuturna quies & ho-

& hoſtium nullam expectare moleſtiam. Nempe ex hoc hebetatur animus, tepeſcit audacia, certandi euaneſcit peritia, magnanimitas patiendi admittitur, languet fortitudo corporis, cunctorumque membrorum aptitudo marceſcit. Sicut enim aqua, quæ caret decurſu, & iacet in foueis, putreſcit, & humano vſui aliena efficitur, repleturque animalibus venenatis & noxiis: ita & corpus ocii tabe confectum, concupiſcentiarum ac voluptatũ carnalium parit, & nutrit inſaniam. Hoc ſi eſſe naturalis ſuadet ratio, experiẽtia quotidiana teſtatur, atque antiquarum rerum geſta, & Romanorum pandunt hiſtoriæ. Idem namq; quãdiu aduerſarios, cũ quibus confligerẽt, perturbarũt donec qui eos ad bella laceſſerẽt, habuerũt viriliter dimicantes cũctarũ gentium meruerũt eſſe victores. At vbi defuerunt, qui eos irritarent ad pugnam, patique virtute arcerent in prælio, veluti feræ indomitę, & venenata animalia ſoporata ad tempus bella excitauere ciuilia: in quibus omni naturali pietate ſemota, omnique amicitiarum lege turbata, atq; confuſa proprii cruoris effuſione, effecti ſunt rei, Ex ocio quippe & diſſueſfactione certandi inteſtinum exortum eſt prælium: per quod vtique dominandi eſt debilitata potentia, priuata regnandi eſt introducta tyrannis, ipſorum circunquaque eſt dilaniatum imperium, euerſio facta eſt vrbium, prouinciarum diſſidium maximum, ciuiumque Romanorum ſtrages innumerę. Porrò ad corroborandum ea, quæ dicta ſunt, Hæbreorum geſta, quæ diuinorũ eloquiorum authoritate ſuffulta ſunt, proferantur in medium. Liberati ſiquidem Hæbrei ab Aegyptiaca ſeruitute, tranſitoq; mari rubro pedis ſicco veſtigio, vt promiſsionis terram patribus pollicitam, & a peccatricibus gentibus occupatam hæreditate perpetua poſsiderent, ne ignauia tabeſcerent, ſeque ipſos prauis moribus interimerent, gladiiſque conſumerent, alienigenarum gentes, per quas exercerentur ad pugnam, ſecũ degendo funditus (Deo diſponente) exterminatę nõ ſunt. Ad propellandã igitur corporis ſegnitiẽ, cuſtodiendamq; certandi peritiã, & nutriendam audaciã redigendi aduerſarios in ſeruitutẽ, necnon ad inſinuandum per hoc corporales cõgreſſus, viſibilia bella & certamina, quę inuiſibiliter & ſpiritualiter populo Dei credituro ex gẽtibus, & in eccleſia congregando, tam contra aereas poteſtates ſeculiq; potentiã, quàm etiam aduerſus vitia, carniſq; concupiſcentias fuerant exercitanda, reliquis Chananęorum, Amoreorum, cęterarumq; gentium a Dei cultu omnino alienarũ in medio Iſraelitici populi cohabitaſse deſcriptũ eſt. Hoc Apoſtolus ſuo cõfirmat eloquio. Nolo (inquit) vos ignorare fratres, quòd patres 1.Cor. 10 noſtri oẽs ſub nube fuerunt: & omnes mare tranſierunt, & omnes in nube & mari baptizati ſunt. Et poſt Paulũ: Omnia (ait) illis in figura cõtingebant. Scripta autem ſunt ad correctionem noſtram, in quos fines ſeculorũ deuenerunt. Quamobrem ſicut illi populo quæcunq; acciderunt, in veritate, & ſub figura cõtigerũt, ita in nobis quotidie peraguntur, diuina hoc diſpenſante ſapientia, quę ea, quę futura ſunt, & audientes poſſunt inſtruere, nunc palàm, nunc per figuras, & ęnigmata reuelare dignatur. Ad erudiendam igitur & exercendã plebem ſuam, quam effuſo proprio cruore redemit, Iſraelitę gẽti populũ alienum à fide (prout memoratum eſt) voluit eſſe infeſtũ, quatenus diſcerent ſe humiliare, diſcerent in neceſsitate conſtituti auxilium de cęlo poſcere, diſcerent aduerſarios reluctando debellare. Porrò quęcunque in diuinis voluminibus ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt: vt per patientiam & conſolationem ſcripturarum ſpem Rom. 15. habeamus. Carnalis ille populus viſibiles & carnales patiebatur hoſtes, & pro rebus viſibilibus pugnare cogebatur: nos verò, quibus ſpiritus eſt ante faciẽ noſtrã Chriſtus dominus, ſpiritualiter cũ inimicis ſpiritualib. pro rebus inuiſibilib. & ęternis certare oportet, quẽadmodũ Apoſtolus nos admonet dicẽs: Nõ eſt nobis collu- Ephes. 6 ctatio aduerſus carnẽ & ſãguinem: ſed aduerſus principes & poteſtates aduerſus mundi rectores tenebrarũ harũ, cõtra ſpiritualia nequitię in cęleſtibus. Alibi aũt armis, quibus nos cõtra pręfatos hoſtes muniri cõdecet, rememorãs ait: Arma mi- 2.Cor. 10 litię noſtrę nõ carnalia: ſed ſpiritualia potentię à Deo. Quãobrẽ ſicut impugnatores noſtri inuiſibiles viſibilib. ſunt robuſtiores, nequiores, callidiores, & ad nos ſubigendũ prõptiores: ęquẽ ad reſiſtendũ eiſdẽ congruit nos eſſe cęteris dimicãtibus corporaliter vigilantiores magnanimiores, & ad obtinendã victoriã fidentiores, nõ ex nobis, ſed propter illũ, de quo Propheta inquit: Dominus illuminatio mea, & ſalus mea, quẽ ti- Psal. 26. mebo? Dominus defenſor vitę meę, a quo trepidabo? Si conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebunt cor meũ: ſi exurgat aduerſũ me pręliũ, in hoc ego ſperabo. Et quemadmodũ ſpiritualiũ & diuinorũ, amiſsio prę miorũ, eorumque iactura eſt maior, quàm qualiumcunq; rerũ temporaliũ ac viſibilium, ita ad repellendum aduerſarios decet nos eſſe ſpiritualibus armis (videlicet virtutibus) inſignitos: fidei clypeo tectos prudentiæ lorica munitos, humilitate decoratos, & patiendi amore accenſos, atque proficiendi deſiderio roboratos. Verum quum lucta hęc ſit diuturna, & laborioſus congreſſus, ab hoc certamine amouendi ſunt puſillanimes meticuloſi, elati, deſides, ſeculi amatores, ſectatores voluptatum, & terrenarum facultatum poſſeſſores. Inimicorum ſiquidem reliquiæ, quæ ad erudiendum, & ad laceſſendum nos ad conflictum, nobiſcumque habitare permiſſę ſunt, atque alterna viciſsitudine numquam ſinunt nos eſſe ſecuros, aliquę

grinatione, ex qua emanauit peccatum, & terra ex pœna delicti primorum parentum ſpinas & tribulos germinare inchoauit, cœpitque homo in ſudore vultus ſui corporalem alimoniam quæritare, iſta ſuppetunt commoda: ſed alibi ſuperabundant, & tribuuntur. Hic planè ęterna præmia quę electis pollicentur intuentur per fidem, ſpe amplectuntur, & in charitatis oſculo curſim ac tenuiter prælibantur. Hic, inquam, quandiu corruptibili indumento tegitur homo, oportet pati famem, ſitim, ægritudines, perſecutiones, tentationes, & calamitates varias, quæ vniuerſa quanquam non ſimul, tamen alternatis viciſsitudinibus & caſibus diſpenſatione irrogantur diuina ad exercitationem virtutum, vitiorumque rubiginem detergendam. Nam ſimul illata imbecillitatem humanam prorſus opprimerent, per interualla vero temporum Dei bonitate miſericorditer agente euenire permiſſa æquo poſſunt animo ſuſtineri. Hoc Apoſtolus inſinuare volens aiebat: Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari [1.Cor.10] ſupra id quod poteſtis: ſed faciet cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere. Tanquã pius pater erudit nos verberibus & flagellis, vt emendet, excitet, exerceat, cuſtodiat, compeſcat à malo, ac in bono enutriat. Nouit cordis noſtri vulnera, carnis petulantiam, pronitatem ad peccandũ, in bene operando inconſtantiam & ad ſeculi oblectamenta ſectanda nos ſemper eſse paratos. Quamobrē veluti indomitis animalibus, nos tribulationum loris infrænat, terit oneribus, minis terret, promiſsionibuſque ſuſtentãt, quatenus apertis interioribus oculis, infuſoque fidei lumine intelligamus diſcrimina noſtra, infirmitatē propriam, & præſentis exilii ærumnas, vertamur ad patrem, atque aduerſa cuncta perferamus patienter, humiliter, alacriter, & perſeueranter: ſcientes, & ex corde confitentes, quòd in comparatione demeritorum, ſcelerum noſtrorum (interueniente Dei iuſtitia) vniuerſa quæ patimur, quamuis intolerabilia eſſe cenſeamus, parua ſunt, tum ratione diuinæ æquitatis, quæ iuxta criminũ grauitatem infert condigna ſupplicia, tum etiam ex conſideratione retributionis æternæ, quam patienter aduerſa tolerantibus Deus ſua bonitate [Matt.19] promittere dignatus eſt. Sic enim ait, Vos qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, vtique in tribulationibus pro iuſtitia perſecutiones ſuſtinendo centuplum accipietis, & vitam æternam poſsidebitis. Idem: [Matt.5] Beati eritis, quũ maledixerint vobis homines (inquit) & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos mētientes propter me: gaudere & exultare, quoniã merces veſtra copioſa eſt in cœlis. Paulus quoque Apoſtolus veritatis præco, & tuba altiſona Chriſtianæ [Rom.8] religionis fideles adhortans ad perferēda æquanimiter pręſentis vitę mala elamat dicens: Non ſunt condignę paſsiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Alioque in loco ait: Omnis diſciplina in pręſenti quidem [Heb.12] non videtur eſſe gaudii, ſed mœroris: poſteà verò fructum pacatiſsimum exercitatis per eam reddet iuſtitię. Quod enim patimur, temporale eſt: quod autem expectamus, ęternum. Quod toleramus, ſine interuallo rapitur & deficit: ſed quod nobis ſpondetur, abſque timoris viciſsitudine, ęternaliter perfruemur. Promiſſor noſter Deus nõ poteſt fallere, quia veritas eſt: nec valet retractare aut negare quod ex ſua mera liberalitate pollicitus eſt, quia charitas & iuſtitia immutabilis. Cęlũ (inquit) & terra trãſibũt, verba autē mea [Luc.21] non pręteribunt. Gaudeat igitur Chriſtianus, iucundetur in domino, quiſque catholicę religionis profeſſor, quum tribulationis igne probatur: memineritque ſcriptum eſſe per Iacobum apoſtolum ſpiritu ſancto dictante: Omne gaudium [Iaco.1] exiſtimate fratres mei, quum in tentationes varias incideritis, ſcientes, quòd probatio fidei veſtræ patientiam operatur: patientia autem opus perfectum habet, vt ſitis perfecti & integri, in nullo deficiētes. Et poſt paululum infert: Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam quũ probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Quum itaque corona vitæ promittatur intentatione & tribulatione laborãtibus, & Deum diligentibus: ſupereſt, vt quilibet fidelis & Chriſto militans, læto animo perferat, quæcunq; illi emerſerint aduerſa, ſiue ſint à Deo permiſſa, ſiue à proximo illata, ſeu à nequam ſpiritibus promota, aut à carnis vel ſpiritus ſint infirmitate generata, ſperans ſe in regeneratione futura, cum angelis & ſanctis omnibus copioſiſsimam habiturum remunerationem poſt triũphũ. Non autem viribus ſuis præſumat id poſſe percipere, inſtet precibus aſsiduis, gemitibus ſynceris quotidianis lachrymis, & operibus bonis. Nequaquam enim repelli poterit, ſi fide integra in oratione perſeuerando, ſpretiſque vniuerſis negociis ſecularibus, diuino ſe totum mente & corpore manciparit obſequio.

Quòd conſulte renunciandum ſit ſeculo, & conſiliorum iter initiandum: & qualis forma veræ peregrinationis ſit Chriſti fidelibus inſinuata.

Cap. X.

AGreſſurus quis quoddam arduum opus vtrum ad id perficiendum eſſe cēſeatur idoneus, etſi non valet proprio metiri, conſilio debet alieno. Nam magni periculi rēs eſt, grauis iacturæ, & confuſionis non modicę initiatum opus ante conſummationem imperfectum deſerere. Huiuſmodi documentum ab ipſa Dei ſapientia pronũciatum fuiſſe euangelicus textus proloquitur: Quis (inquit eadem) volens [Luc.14] turrim ædificare, nonne prius ſedens computat ſumptus, qui neceſſarii ſunt, ſi habet ad perficiendum

dum

dum ea, ne poſtea quam poſuerit fundamentũ, & non potuerit perficere, omnes incipiant ei illudere dicentes: hic homo cœpit ædificare, & nõ potuit conſummare? Turris quippe hæc ſpiritualiter ædificanda contemptus eſt ſeculi mente, & corpore pro Chriſto aſſumptus, necnon virtutũ perfecta adeptio. Porrò terrena cuncta deſpicere, eſurire, & penuriam pati, poſt diuitiarum & deliciarum affluentiam toto vitę ſuę tempore crucem tollere, & pro conſequenda virtutum perfectione, quotidianum ſibiipſi bellum indicere, vel ſeque nedum præceptorum, verumetiam conſiliorum Chriſti hortamenta ſectari, prorſus opus eſt arduum, maturaque deliberatione inchoãdũ atque inceptum, nulla ratione, nulliuſque perſuaſione (excepta dũtaxat neceſsitate manifeſtiſſima) deſerendum, ſtante incarnati Verbi ſententia, *Luc. 9.* quæ ait: Nemo mittens manum ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei. Hanc formidoloſam, magnipendendamque ſententiã multi tædio victi, aut inconſtantia ſuperati, ſeu fallaci confidentia decepti pro minimo ducentes, initiatã Chriſti militiam ex toto reiecto ſuaui iugo ſapientiæ retrorſum aſpicientes, tanquã immundi canes ad vomitum redeunt. Sunt etiã plurimi primis numero non pauciores, qui retẽto priſtino religionis habitu, ſuique inordinato amore proſtrati, ſpreto rigore virtutum, necnon amiſſo ſpiritus feruore, ipſis diuinitus elargito remiſsioris conuerſationis itinera gradiuntur: ſibi ſufficere arbitrantes, ſi ex ſola præceptorum obſeruatione, vitam valeant obtinere perpetuam, *Matt. 19.* iuxta domini pollicitationem dicentis: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Hi profectò mente frigidi, corde cæci, deuotione vacui, nequaquam conſiderare volunt, quantum amiſerint gratiæ bonum, & quàm inconſulte primitias ſpiritus pro nihilo duxerint pro exiguo corporis ocio, & breuiſsimo certamine patiendi, nequaquã intelligentes, quòd grauiores ac periculoſiores perferunt tentationes, qui in via Dei negligẽter viuunt, quàm qui cum feruore ſpiritus aduerſariis reſiſtendo luctantur. Nam (experientia teſte) nemo libenter cum milite audace congreditur: potiſsimum ſpiritus nequam, qui optime norunt quàm ſit viriliter bellantium crebra victoria, & quantis precioſis monilibus illorum ſit ornata corona. Suffodiuntur quoque rubore non modico, dum ipſi maligni ſuperantur à carne gubernata per ſpiritum: & inuidiæ liuore ſuccenſi minime patiuntur, quantum in ipſis eſt, per virtutum gradus quotidie proficientem eſſe perfectum. Hac quippe de cauſa ſæpe intermittũt pugnam vt ceſſet victoria, & bellatorum tepeſcat magnanimitas. At verò generoſi milites quamuis non decertent actu, habitu tamen & deſiderio ſemper ſunt ad pugnam parati. Deficientibus quidem ſpiritibus immundis in ſtadio, minime tamen deſunt concupiſcentiarum aculei, aduerſus quos gladiũ ſpiritus euaginatum tenent: necnon mentis intẽtionem erectam atque peruigilem, quatenus naſcentes paruulos in ſui ortus primordio potẽter allidant ad petram. *Pſal. 136.* Denique in hoc congreſſu, vt ad perſeuerandum reperiantur idonei, ſecundum Saluatoris noſtri conſilium relicto proprio & naturali ſolo, ſpretis parentibus & amicis, erogatiſque pauperibus vniuerſis facultatibus ſuis, tanquam athletæ robuſtiſsimi exonerati ab omnibus, nudi ac ſpiritu ebrii Chriſtum amplectuntur in cruce confixum. Nec mirum. *1. para. 15.* Si enim Propheta Dauid diuinò repente afflatus ſpiritu coram omni populi multitudine in conſpectu ancillarum ſuarum reiectis regalibus indumentis, & toto nudatus corpore non erubuit ante arcam fœderis ſaltare, fabricatam ex ligno & puriſsimo obtectam auro in futurorum figuram: quanto magis ſeruus Chriſti ſanctæ religionis cultor, charitatis facibus inflammatus, & ſpiritus ſancti virtute impulſus abrenunciatis cunctis carnis illecebris, humanarumque rerum affectione nudatus, fidei oculo & puro mentis intuitu contemplando dominum noſtrum Ieſum Chriſtum coronatum ſpinis, verberibus flagellatum, deturpatum ſputis, potatum felle, ſanguine aſperſum, abſque ſpecie & ſine decore in crucis ſtipite confixum, totoque corpore denudatum: non ſicut patriarcha Noe, *Gen. 9.* qui ex vini immoderato hauſtu temulẽtus effectus, detectus aſpectibus filiorum pudenda exhibuit, ſed tanquam Dei & hominum mediator pius, pontifex ſummus, ſacerdos verus, & innocentiſſimus agnus obtulit corpus ſuũ Deo patri hoſtiam viuentem, ſanctam & immaculatã in ara crucis pro reconciliatione humani generis: quod delinquendo & inobediendo perierat, veluti ebrius amore ſe totum pro ſui redemptoris dilectione humiliet, & cuncta præſentis vitæ oblectamenta ſponte reſpuat, & aduerſa ſuſtineat ſuum imitando præceptorem, qui mortem crucis pertulit confuſione contempta. Talis quippe decebat ad inſinuandam perfectionis, & ſeculi contemptus diſciplinam vniuerſis credẽtibus, vt eſſet præceptor, taliſque ad detergenda generis humani facinora: & ad exhortandum æquanimiter, cum gaudio pati contumelias, perſecutiones, ſupplicia, & mortem propter iuſtitiam congruebat: vt eſſet nobis pontifex ſanctus, innocẽs impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & cęlis *Heb. 7.* excelſior factus: qui nõ haberet neceſsitatẽ quotidie offerre, quemadmodum ſacerdotes: prius pro ſe, deinde pro populo. Hoc enim ipſe dominus Ieſus Chriſtus fecit ſemel ſe offerendo. Quã obrem quum idem dominus noſter Ieſus Chriſtus ſacerdos & pontifex, tantæ ſit autoritatis, tãtique meriti, vt penetrarit cęlos, & ſedeat à dextris Dei ſemper viuens, ad interpellandum pro nobis: teneamus ſpei noſtrę cõfeſsionem, adea-

muſque

muſque iuxta Pauli Apoſtoli exhortationem, cũ fiducia ad thronum gratiæ eius, & miſericordiã conſequamur, & inueniamus gratiam in auxilio opportuno. Non enim talis eſt, vt non poſsit cõpati infirmitatibus noſtris: quoniam quum in carne eſset paſsibili, & cum hominibus conuerſaretur, fuit tentatus per omnia pro ſimilitudine abſque peccato. Hæc quippe eſt conſequẽdæ veniæ [pſal. 102.] noſtra fiducia: tum quia optime cognoſcit figmẽ- [pſal. 77.] tum noſtrum, quoniam puluis ſumus, ſpiritus vadens & non rediens: tum etiam quia experimento didicit, quàm laborioſa eſt hæc vita, quàm oneroſa caro, quàm periculoſi laquei, quàm infeſti hoſtes, quàm facilis deſcenſus, atque ad virtutes quam ſit difficilis aſcenſus. Ipſe, inquam, eſt om- [1. Ioan. 2.] nis ſpes noſtra: quoniam (ſicut Ioannes ait) ſiquis peccauerit, aduocatum habemus apud patrẽ Ieſũ Chriſtum, qui interpellat pro peccatis noſtris: & non tantum pro noſtris, ſed etiam pro totius mundi. Habentes igitur in cœlo dominũ Ieſum Deum noſtrum redemptorem, aduocatum & iudicem, erigamus nos toto affectu ad ipſum precibus & gemitibus, ipſius ſuffragium poſtulantes. Habemus etiam eundem in hac peregrinatione itineris noſtri conſortem, quemadmodum ipſe [Matt. 28] teſtatur: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſeculi, quamquã aliter & aliter. Regnantibus namque cum illo eſt præmium, quo fruuntur, & per quod beati ſunt: peregrinantibus verò ſpeculum eſt, & omniũ bonorum exemplar: & præcipue ad perfectionis alta attingere anhelantibus, ſicut Moſi perfectorũ [Exod. 25] perſonam tunc gerenti dictum eſt: Omnia (ait dominus) facito ſecundum exemplar, quod tibi oſtendi in monte: non vtique lapideo vel ligneo ſed quod fuit exciſum ſine manibus: impleuitq; vniuerſam latitudinem terræ: de quo Propheta inquit in pſalmo: Mons Dei, mons pinguis: mõs [pſal. 67.] coagulatus & pinguis: vt quid ſuſpicamini montes coagulatos? Mons, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo. Et ne quicquam materiale ſuſpicaretur de hoc monte tam eximie commendato, adiecit: Currus Dei decem millibus multiplex millia lætantium, dominus in eis in Sina ſancto. Porrò ad aſcenſum huius montis. Propheta alius omnes hortatur, dicens: Venite, aſcẽdamus ad montem domini, & ad domum Dei Iacob: & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis eius. Nequaquam ſuper montem alium aſcendẽdum eſt, quam ſuper hunc: in quo eſt cunctarum forma virtutum, morum decus, & diſciplina perfecta viuendi. Nam quicunque perfecte renunciare vult ſeculo, & tamquam peregrinus in hoc mundo conuerſari & eſſe deſiderat, imitetur exẽplar exaratum in monte hoc, in humanitate (videlicet) Chriſti. Ipſe namque mediator, non agros, neque domos voluit poſsidere in terra: ſed tamquam aduena pauperrimus ſuſtentari digna-

tus eſt ære, & eleemoſynis alienis. Hoſpitium nullũ habuit, ita vt diceret: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: filius autem hominis non [Luc. 9.] habet, vbi caput ſuũ reclinet. Quãobrẽ nũc in iſtã, nũc in illã ĩgrediebatur domũ, vt panẽ ſumeret: non tamen gratis. Accipiebat corporalem cibũ, & ſpiritualem impertiebatur animæ alimoniam. Percurrebat per ciuitates villas & caſtella, Dei verbum circunquaque diſſeminans: nullum per hoc tribuẽs humanitatis ſuæ refrigerium, vllum in labore ſolatium, nullumque ad peragendum opus Dei & patris exequendam voluntatẽ temporis interponebat ſpacium. Vnde quum ex itinere feſſus quadam die ſederet ſuper fontem, expectaretque diſcipulos, qui in ciuitatem perrexerant, vt non aliquid refocillationis, ſed tantũ vt panes emerent, dixiſſentque ad eum: Rabbi [Ioan. 4.] manduca, reſpondit: Ego alium cibum habeo mãducare, quem vos neſcitis. Meus cibus eſt, vt faciam voluntatem eius, qui miſit me. Cibus verò quem eſuriebat, & manducare cupiebat, erat ſalus animarum crediturarum Samaritanorũ, quos ſciebat ex relatu mulieris de ipſo teſtimoniũ perhibentis venturos eſſe ad ſe. Nempe quemadmo- [pſal. 41.] dum ceruus ſitiens deſiderat fontes aquarum: ita & incomparabiliter efficacius, idem mediator ſingulis horis ſalutem ſitiebat animarum. Hinc eſt quòd tali vacans operi non dedignabatur cũ publicanis & peccatoribus conuerſari, & cibum ſumere: quamquam Phariſæi & Legis periti, cæci & inuidi talia deteſtarentur conuiuia. Mallebat [Mat. 9.] enim diuinorum eloquiorum medicinam præbere languentibus, quàm carnalium & incredulorũ & ſe perſequentium ſcandala & oblocutiones euadere. Omne ſiquidem illius ſtudium erat reddere ægrotantibus ſanitatẽ, cæcis mente & corpore lumen, & ignorantibus præclara ſalutis mõnita: quibus mediantibus peccare deſinerent, & ad Dei ac ſui cognitionem venirent, præſentis vitæ blandimenta reſpuerent, & æternæ fœlicitatis gaudia peroptarent. Ad hæc vti exequenda nunc de regno Dei, nunc de futuro iudicio, & æternis ſuppliciis, interdum palam, aliquando & plurimũ in parabolis, de virtutibus, de moribus, & de vitiis loquebatur, non ſolum erudiens tunc audientes, ſed futuros in illum credituros tãquã ſui myſtici corporis membra: et hoc in die quando cum hominibus conuerſari licebat. De curſo verò die in oratione pernoctabat patrẽ pro peccatoribus exorando, vigiliis prolixis corpus atterendo: ita vt ſibiipſi pro perficienda humani generis redẽptione nullatenus indulgeret. Poſtremò autem vt ſe in hoc mũdo aduenam eſſe oſtẽderet, atque peregrinantibus de ſe exemplar imprimeret, non in ciuitate, aut propria domo, vel inter cognatos naſci voluit, ſed in aliena patria, in ſtabulo iumentorum habitaculo, & ſuper fœnũ cubare præſentibus boue & aſino, prout fue-

rat

rat per Prophetam præcognitum, qui ait: Bos cognouit poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini ſui. Poſt paululum verò Herodis declinans immanitatem, qui ipſum necare moliebatur, vt homo purus à parentibus eſt in exilium deportatus: ibique tanquam ignotus peregrinatus eſt tē- Mat. 2. pus non modicum, non ſine rerum penuria; quēadmodum alienigenis pauperibus euenire conſueuit. Quale verò exemplum in morte reliquerit, mortalium non valet apprehendere ſenſus: quum in cruce veluti reus, blaſphemus, & latro laceſsitus iniuriis, opprobriis ſaturatus patri ſpiritum reddere voluerit. Totus itaque vitę illius decurſus nihil aliud eſt, quàm irreprehenſibilis, & perfectiſsima quędam omnium perfectionum Heb. 13. forma, necnon magiſterium Chriſtianæ religionis optimum, atque tutiſsimum exhibitum peregrinantibus vniuerſis agnoſcentibus, ſe hic ciuitatem non habere manentem, ſed per fidem & dilectionem futuram quærentibus. In hoc igitur præclariſsimo ſpeculo veræ peregrinationis, perfectioniſque virtutum ſe cognoſcendo proficiētes & aſcendentes inſpiciant, componant & corrigant, imitenturque non de pari, ſed pedetētim, & quantulumcunque noſtri veſtigia redemptoris: quærant quæ ſurſum ſunt, vbi ipſe eſt in dexte- Cor 3. ra Dei ſedens: ſapiant quæ Dei ſunt, non quæ ſuper terram, ſi ſectatores illius eſſe affectant, & peregrinatores non fictos parati ſemper inueniantur ad euadendum huius procelloſi æquoris formidoloſa naufragia: obliuiſcantur præteritorū, & ſe ad anteriora protendant proſequentes curſum peregrinationis ſuę perſeueranter, vt ad brauium ſupernæ vocationis attingere queant, reiiciant à ſe cuncta terrena, quæ poſsident, veluti ad regionem longinquam peragrantibus periculis, & laboribus valde refertam, diuinæ ſe totaliter ſubiiciant voluntati, ſiue aduerſa emergāt ſiue proſpera. Nam maximum impedimentum eſt ad perfectionem aſcendere cupientibus, proprio incumbere ſenſui, propriamque velle perficere voluntatem, quæ perſępe priuata affectione ſeducitur, inconſulta deliberatione fallitur, & ab regio itinere obliquatur. Suo velle, & ſuo renuncient nolle, quatenus Propheticum illud Pſal. 72. valeant ex corde cantare: Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum. Hæc autem, quæ memorata ſunt, vt poſsint cum effectu proficiendo peragere, obediētiæ ſe iugo proſternāt, quæ vere peregrinantium cognoſcitur eſſe indiuidua comes.

Quòd ſit neceſſaria prudentia ad cæteras virtutes adipiſcenda, & de obedientia ac ipſius quibuſdam gradibus. Cap. XI.

QVicunque aſcenſum difficile inoffenſo pede peragrare diſponit, non inconſulte, neque præcipitanter, ſed paulatim & per gradus interiecto temporis ſpacio conatur aſcendere: alioquin debilitantur corporis vires, tremunt genua, anhelitus deficit, importabilis exiſtimatur gradiendi labor, & ad peragendum inchoatum iter, etiam animi fortitudo langueſcit. Nam ſicut moderatus labor cum diſcretione ſuſceptus potius roborat corporis vires, quàm eneruat: ita & animus inordinati feruoris ſtimulis agitatus, vnde propere ad ſui finem deſiderii ſe poſſe peruenire lætatur, inde retrogrediendo labitur, & affectus tædio inceptum opus intermittere cum rubore compellitur. Hac vtiq; ratione manifeſte colligitur, quàm neceſſaria in via Dei proficere cupientibus ſit prudētia: non carnis & terrena, quæ inimica eſt Deo: ſed quæ deſurſum eſt, quæ profectò eſt pudica, modeſta, pacifica, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordia & operibus bonis: iudicans ſine ſimulatione, & ad rationis normam, quæ cogitat & quæcunque agit, vniuerſa dirigens, & præter rectum nihil faciens aut volens: quoniam diuinæ ſapientiæ illuſtratur candore. Hæc quippe agenda moderatur, & ex pręteritis metitur præſentia: & futura præuidendo diſponit, atque ſpirituales per quos aſcendere ad virtutes proficiendo valeat, ſibi in corde componit gradus. Nam quemadmodum qui corporalem qualemcunque altitudinem nituntur attingere, materialem ſibi contexunt ſcalam gradibus plurimis diſtinctam, atque compactam: per quam ſecurius atque commodius proficiſci valeant: ita & hęc prudentia, quæ optime intelligit neminem repente ab imis ad ſumma in ſpirituali militia abſque congruo medio poſſe conſcendere. Scala namque hęc diſciplina catholicæ religionis eſt ſpiritualibus decorata virtutibus, quæ amatores ſuos prouehunt ad regna cœlorum. Huius verò ſcalæ gradus ſingularum virtutum, diuerſi ſunt actus. Non enim pariformiter exercentur virtutes, ſed vnaquæq; propria habet media, & ſibi conuenientes actus, qui nequaquam ab earum profeſſoribus ignorari debent. Quum autem virtutes ipſæ conſiſtant in medio, prorſus deluduntur qui cordis puſillanimitate depreſsi, vel inordinato feruore impulſi, virtutum neglecto hoc medio ad earundem perfectionem peruenire poſſe ſe putant. Bonum eſt ſal (ait incarnata Sapientia) ſi tamen infatuatum non fuerit, & ad omnem penè rem condiendā Math. 5. perutile. Bona eſt ſimiliter prudentiæ virtus, & in quocunque opere opportuna. Moderatur nāque virtutes reliquas, & earum eſt adiutrix congrua. Humanum inſuper informat intellectum, vt nolit plus ſapere, quam ſapere oporteat, ſed ſapere ad ſobrietatem. Irreprehenſibile denique eſſe inſinuat ita intelligere nil velle, quemadmodū curioſe ſcrutari, quod ſcire minime prodeſt. Vox illius eſt: Altiora te ne quęſieris, & ſublimiora te ne ſcrutatus fueris, quia ſcrutator maieſtatis Prou. 25.

opprime-

opprimetur à gloria. Hæc poſtremo virtus intellectum dirigit & illuminat ad diſponendos cæterarum virtutum gradus. Obedientia verò voluntatem ordinat & coercet, excitatque mentem in doctrina ſpiritus & poſſeſsione virtutum (hoc nimirum ſuadente prudentia.) Vtrumque enim obeſt militantibus Chriſto, & indiſcretus ad indiſciplinatus proficiendi amor, necnon hebetata & aſcendendi tepefacta voluntas. Vtrique huic ſpirituali morbo medetur obedientia ſancta voluntarie pro Chriſti charitate ſuſcepta. Nam obedientia eſt voluntatis proprię abnegatio, proprii ſenſus impugnatio, atque alieni arbitrii delibera ta ſubiectio. Hæc namque, quæ memorata ſunt, quamuis negligentibus & tepidis grauia, & quaſi impoſsibilia eſſe cenſeantur, Deo tamen placere ſatagentibus, atque ad conſequendam virtutū palmam dilectione flagrantibus delectabilia eſſe creduntur. Hæc quippe notificare voluit Dominus Ieſus omnium virtutum præceptor & auctor, quum fideles ſuos exhortando dicebat: Venite ad me omnes, Mat. 11 qui ſub faſce propriæ voluntatis laboratis & onerati eſtis, & ego exemplo meo dulcedine mea, auxilio meo, & promiſsionibus meis reficiam vos tollite iugū meum (videlicet) obedientiæ, quod pro vobis pertuli, ſuper vos, diſcite quoque à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris: iugū enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Mira res, quomodo dicatur iugū eſſe ſuaue, quod premit, & cum labore fertur, & onus quod ex ſe graue eſt, pronūcietur eſſe leue. Niſi veritas, quę mētiri non valet, hoc promeret, prorſus incredibile cenſeretur, ſed ſententia hæc Saluatoris noſtri ſi prudenter conſideretur, veriſsima eſt, & abſque vlla ambiguitate laudanda. Interroga (quæſo) pi- Hier. 48 grum ſeruū, qui opus Dei facit negligēter, quid de hoc ſentiat, & mox reſpondebit, obedientiæ iugum eſſe importabile, & onus grauiſsimū, quū nullam det homini requiem, nullam tribuat diſcurrendi libertatem, nullamque explendarum voluptatum naturalium ſeu carnalium præbeat facultatem. Da verò amantem & in via Dei proficere anhelātem, & clamabit ex corde: Nihil hac locutione verius, nilque potuit proferri ſuauius, quoniam iugum hoc propriæ deterit petulantiā voluntatis, & onus iſtud portat ſe amabiliter baiulantem. Nempe qui præſentis exilii oblectamēta ſectatur, & carnis curam in deſideriis explere conatur, iugum ipſum tanquam grauiſsimum, & ab omni trāquillitate alienum reiicit à ſe, illique nullatenus vult eſſe ſubiectus. Qui verò renūciat cunctis, quæ poſsidet, & fidei intuitu futura præmia, quæ promiſſa ſunt imitantibus Chriſtū, proſpicit cum ſpiritus alacritate, illud complectitur ex quotidiana fructus ipſius ſuauitate refectus. Laborem quippe omnem exiguum & breuē arbitratur præ conſideratione ineffabilis magnitudinis cęleſtium gaudiorum, quę in futuro obedientibus pollicentur, & conſolationibus ſpiritualibus, quę illis in hac peregrinatione donantur. Eruditur deniq; & accenditur apoſtolicis eloquiis quę Chriſti obedientiam commendādo ſic aiū t: Chriſtus factus eſt pro nobis obediens vſque ad mortem: mortem autem crucis. Quantam autem remunerationem contulerit Deus humanitati illi à verbo ſuſceptę pro obedientia ipſa, illicò indicauit dicens: Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper Phil. 2 omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur, cęleſtium, terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia dominus Ieſus in gloria eſt Dei patris. Magni prorſus obedientię virtus apud Deum eſt meriti, dummodo ſub ipſa ſponte ac viriliter militetur. Nemo ab illa ſecluditur, nulluſque eorum, qui animę ſuę ſalutem deſiderat, ab eius ſeruitute efficitur alienus, omnes recipit, omnes fouet, omnibus ſe diligentibus materno congratulatur affectu, perſonam nō reſpicit, ętatem non ſpernit, conditionem non ſecernit, cuiuſcunque ſit generis ſtatum ſibi famulantium non improbat, ſed ſingulos pura affectione commendant. Alia ſiquidem viris ſecularibus rei familiaris curam gerentibus mandata proponit, alia religioſis, qui ex voluntaria profeſsione diuino, quo ad vixerint, ſe māciparunt obſequio atque aliam viris probatis atque perfectis, qui ex diuturna & commendabili conuerſatione exercitatos habent ſenſus ad diſcretionem boni & mali, obtemperandi Deo & hominibus ſtatuit obedientiæ regulam, ſingulis autem iuxta cuiuſq; charitatis gradus perpetuæ fœlicitatis præmia pollicetur: Acceſsit quidam ad dominum Ieſum Chriſtum diuitiis & poſſeſsionibus locuples, typum ſecularium gerens (ſicut euangelica narrat hiſtoria) & requiſiuit, dicens: Domine quid faciē- do vitam æternam poſsidebo? Mat. 19 Et dominus: Si vis (inquit) ad vitam ingredi, ſerua mandata, nedum diuina & in tabulis lapideis digito Dei ſcripta, verumetiam ab eccleſia Spiritu ſancto dictante ſancita ſubintelligitur. Pari namque modo delinquunt, qui legis & eccleſiæ tranſgrediuntur præcepta. Talibus conceditur licite pecunias, agros, & familiam poſsidere, atque cum Dei timore & abſque rectæ conſcientiæ læſione tam priuata, quàm publica tractare negocia. Obtemperent præceptis diuinis, & eccleſiaſticis obediant inſtitutionibus, & ab eis vltra nil petitur: excepto quòd ſecundum ſuarum abundantiam facultatū portionem congruam impertiātur egenis. Iſtos ſimiliter dominus hortatur ex perſona omnium, vni ſic dicens: Mat. 5 Eſto conſentiens aduerſario tuo, dum es in via, ne tradat te iudici, & iudex tortoribus cruciandum. Aduerſarius iſte ſermo diuinus & lex eſt. Huic conſentimus, quum ea, quæ iubet, opere obediendo perficimus, ita vt nō ha

habeat, de quo nobis coram vniuerſorum iudice querelam tranſgreſsionis obiiciat. Hæc vtiq; mandatorum obſeruantia ſub compendio dicta eſt lex obedientiæ fidelibus ſecularibus tradita, & ſaluti eorũ prorſus neceſſaria, ſine cuius adimpletione nemo faciem Dei ſibi placatam videre merebitur. Religioſis autem & iis, qui nequaquã mandatorum Dei ſeruata lege contenti ſublimiora & perfectiora chariſmata apprehendere moliuntur, tanquam viris magnanimis, & charitatis iaculis transfixis arctiora & fortiora præcepta non præcipiendo, ſed potius conſulendo proponuntur. Ipſis namque ſub perſona vnius à domino perhibetur: Si vis perfectus eſſe, vade, & vẽde vniuerſa, quæ habes, & da pauperibus, & veni, & ſequere me: & habebis theſaurum in cælo. (Matt 19.) Excelſa (quamuis rara) virtus eſt, quæ ſpretis mũdi diuitiis, calcatis honoribus, & voluptatibus abdicatis lætum facit ſectatorem ſuum, ſubditum Deo, fide inſignem, in tribulatione patientem, in aduerſis gaudentem, humilem in proſperis, contemptorem viſibilium, & ad inuiſibilia capeſſenda currentem. Porrò virtutem hanc nemo aſſequitur, niſi qui quanta ſit multitudo diuinę dulcedinis in ſeculo venturo Chriſti imitatoribus fideliter repromiſſæ ſyncero deuotionis guſtat affectu. Nullus (inquam) id quod ſupra naturam eſſe cognoſcitur, & præter communem viuendi vſum perſeueranter adimplere valet, niſi Dei gratia pręueniatur, & à patre trahatur ad filium, & à filio trahatur ad patrem, quemadmodum filius ipſe teſtatur: Nemo venit ad me: niſi pater, qui miſit me, traxerit eum. (Ioan. 6.) Idemque filius alio in loco ait: Nemo venit ad patrem, niſi per me, (Ioan. 12.) oſtẽdens patrem & filium vnius eſſe naturæ, vnius ſubſtantiæ, vniuſque poteſtatis: patrem quoque nihil operari ſine filio, & filium abſque patre nihil agere, ſicut multarũ probari poteſt teſtimoniis ſcripturarum. Trahuntur vtique a patre ad filiũ conſiliorum ſectatores, quum ipſi mediatori homini Chriſto Ieſu, quanta ſit prærogata autoritas, poteſtas, claritas, gloria, & ineffabilis gratia, fidei manifeſtatur in ſpeculo, ex qua profecto inſinuatione accenduntur facibus charitatis, & deſideriorum ſtimulis impelluntur ad imitandum illum, & ipſi obtemperandum in omnibus, vt fœliciſsimo digni habeantur aggregari conſortio, mereãturque conſummato huius exilii laborioſo certamine, promiſsionum ipſius cœleſtium eſſe participes. Quamobrem præceptoris & ſpiritualis patris ſe ſubdunt imperio, & profeſsionis ſanctę (obedientia mediante) iugo ſe ſponte obiiciũt. Hinc propriæ voluntatis abnegationem pati, famem, nuditatem, irriſiones, cellularum carceres tentationes, & ſi qua ſunt humanitati eorum cõtraria, dura, & noxia, pro nihilo ducunt, ſcientes laborem ipſorum momẽtaneum inanem nequaquam eſſe in domino. In hoc igitur agone pugnantes ſpiritualibus locupletantur donis, ita vt gratia Dei & experientia duce nedum ſibi ipſis ſufficiant legem imponere aduerſus animi paſsiones, inſultus dæmonum, & hominum prauorum inſidias, verumetiam aliis ſaluberrima prębere monita, ſana pręſtare cõſilia, atque infirmis, tẽtatis, & rudibus ſpiritualia alimẽta tribuere. Huiuſmodi ſi ad regimen promouentur animarũ, obedientię regulam non minus ſolito tenent, patrũ & ſeniorum decreta cuſtodiunt, religionis cæremonias ſeruant, orationi, lectioni, operi manuũ, ſilentio, & cęteris laudabilibus ordinationibus, necnon fraternę conuerſationi temporibus congruis ita vacant, vt habitus virtutum in ſe poſsideant. Foris earundem exerceant actus ad ędificationem intuentium, fiantque exemplum religionis, ſanctimonię, & imitationis ſimul viuentibus & remotis, non vt per hoc honorificentur ab hominibus, ſed vt glorificetur in illis & per illos Deus, qui eis gratis donauit eſſe, quod ſunt. Iſta, quę memorata ſunt, obedientię inſtituta religioſis pręrogata ſi diligenter perficiantur ab eis, nõ ſolum in obedientia, ſed etiam in reliquis virtutibus facient illos proficere, & quotidie fieri meliores, clariores fama, viciniores Chriſto, & viliores ſibi. Perfectorum verò obedientia & eorum, qui pręlationis fungitur officio, eſt mandatorum Dei & eccleſię indefeſſa cuſtodia, virtutum omnium vſus (pro qualitate tamen perſonarum, negociorum, & temporum) pręeſſe ex miniſterio aliis, & vniuerſis ex cordis humilitate ſubeſſe, ſic facere omnia omnibus ob compaſsionis & pietatis zelum, vt omnes lucrifaciant Chriſto, ſua facere communia egenis, captiuis, & orphanis: ſuper omnia autem & in cunctis velle intelligere, quæ ſit voluntas Dei, quid ſibi intus influat ſapiẽtia, quid recta ſuadeat conſcientia, & quid boni dictet ratio, atque illa exercere in opere, quę ſuo cognouerint placere autori, & virtutibus minime eſſe contraria: corpus denique ſubigere ſpiritui & mentem Deo, ita vt iuxta conatum humanę fragilitatis valeant ſyncero charitatis affectũ dicere: Et qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. (Eccleſ. 24.) Hęc vt complere poſsint, orationi vacẽt iugiter, inſiſtant precibus, deuotionis effundant lachrymas, gemitibus multis diuinę bonitatis & clementiæ pulſent ad ianuam perſeueranter atque humiliter, memineritque pollicitationis domini dicentis: Petite & accipietis, quærite & inuenietis, pulſate & aperietur vobis. (Matt 7.) Omnis enim, qui petit; accipit, & qui quęrit inuenit, & pulſanti aperietur.

Quod

Quòd quilibet homo quandiu in humanis degit, alieno ſuffragio indiget, & de vtilitate, deque orandi modo, atque orationis ſublimitate. Cap. XII.

HVmanam quiſquis diligenti conſideratione voluerit indagare miſeriam, eãdem proculdubio alieno ſemper intelliget indigere ſuffragio. Quis, oro, tanto naturali pollet ingenio, vt interdum dubietate perplexus, fraterno, non clarificetur conſilio? Quis, inquã, tam robuſtus corpore, & membris incolumis, vt opus non habeat alieno obſequio? Intuere, quæſo, dignitate fulgentes, poteſtate inflatos, præclaros dominio, & regia ſeu imperatoria maieſtate inſignes, & reperies huiuſmodi eo præ cæteris amplius ſibi miniſtrantium indigere famulatu, quo maiori ſunt ſublimati honore, amplioriq́ue ſunt regimine occupati: ſicque diuina diſponente ac permittente ſapientia ad ipſorum eruditionem, & ſuperbiam deterrendã, vt ſubiectorum ſuorum in aliquo ſint ſubditi, & ſibi obſequentium ipſi ſint ſerui. Ordinatione itaque Dei, qui ſapienti conſilio & irreprehenſibili lege cuncta gubernat, ſic cum hominibus actum eſt, vt nullus quamuis potens, diues aut naturalibus donis ornatus exiſtat, ſibiipſi ita ſufficiat, vt valeat veraciter dicere: Ego nullius egeo auxilio, neque alicuius cogor ſuſtentari adminiculo. Oportet enim & ſic impellit neceſsitas, & charitatis lex imperat, vt aliena onera compatiendo ex corde & (ſi valemus) impertiendo præſidium noſtra eſſe arbitremur, vt mutuæ dilectionis iura *Galat. 6* ſeruemus, Paulo hoc perhibente, qui ait: Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti. Ad hanc legem perficiendam quotidianis inſtruimur documentis: ſcripturarum teſtimonijs conuincimur, & membrorum corporis noſtri hortamur exemplo. Patet quippe, quod vnumquodque membrum ſicut eſt diſtinctum à cæteris, ita habet proprium à reliquis diſcretum officium. Videt oculus, aures audiunt, olfaciunt nares, os guſtat, palpant manus, & pedes ambulant. Quamuis dignior ſit oculus pede, in ſuperiori & præſtantiori corporis loco poſitus, & à multis periculis tutus: pes verò in inferiori & viliori, calcet lutum, impingat in lapides, & omnes corporis pondus ſuſtentet & regat, nunquid inter illos eſt emulatio aliqua, aut contemptus, vel priuata elatio? Præuidet oculus, ne pes in quoquã offendatur obſtaculo, ne labatur in foueã, ſeu aliquid patiatur incommodi: pes autem oculo pari famulatur affectu. Porrò quod de oculo & pede dictũ eſt, hoc de cæteris ſentiendum eſt mẽbris. Omnia ſe diligunt, omnia ſibi inuicem obſequũtur, nobilius ignobilius non deſpicit, neque abiectius honorabiliori inuidet, quin potius ſi cõtingat aliquod ipſorum incommodũ pati, reliqua exponũt ſe iuxta cuiuſque officium, quatenus pro poſſe languenti ſubueniant. Nemo ſe eximit, vel excuſat. Pes quippe currit ad miniſtrandum, manus ad opus opportunum peragẽdum & contrectandum, oculus ad inſpiciendum, quid ſit vtile, aureſque ad remedia proficua, & percipiendum queq́; noxia intenta noſcuntur. Non diebus non noctibus mutuum ſibi intermittunt præbere auxilium, tanto ſunt naturalis amoris vinculo colligata. Ex hoc miro & laudabili corporis noſtris ſpectaculo erudimur ad ſeruandam vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, atque ad nos inuicem diligendum, ac in omnibus adiutorium tribuẽdum ſingulari hortamur exemplo. Nam quemadmodum in humano corpore mẽbra ſunt multa, quæ *Rom. 12* diuerſos habent actus, ita quiq; fideles in Eccleſia congregati vnum myſticum corpus efficiunt in Chriſto Ieſu, & ſinguli alter ſunt alterius membra. Quamobrem congruum & valde opportunũ eſt, vt viciſsim ſeruiamus nobis, & communicemus dona, quæ ad vtilitatem proximorum nobis à Deo per ſpiritum prærogata ſunt, perhibẽte Apoſtolo: Vnicuique (inquit) datur manifeſta *1. Cor. 12* tio ſpiritus ad vtilitatem: alii quidem per ſpiritũ datur ſermo ſapientiæ, alii ſermo ſcientiæ, ſecundum eundem ſpiritum, alteri fides in eodem ſpiritu, alii gratia ſanitatum in vno ſpiritu, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii diſcretio ſpirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio ſermonum. Hęc autem operatur vnus atque idẽ ſpiritus diuidẽs ſingulis, prout vult. Si igitur chariſmata ſpiritualia impertiũtur nobis à Deo, vt illa participemus cũ proximis, magno prorſus eſt plectendus ſupplicio, quiſquis eandem non habentibus cõmunicare neglexerit, præſertim cũ corporis huius, cuius membra ſumus, caput ſit Chriſtus tam honorabile & tam ſanctum, qui (videlicet) corpus ſuum viuificat, regit, & nutrit, atque ſingulis iubet membris, vt proximos ſuos tãquam ſui corporis membra diligant ſicut ſe, & in neceſsitatibus ſuis compatiendo miniſtrent. Cæterum cum fideles quilibet, qui ſunt membra corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, ſuffragio (quẽadmodum memoratum eſt) indigeant alieno, & nullum membrorum valeant proximo ſuo impẽdere, niſi quod perceperunt à capite Chriſto, in *Colo. 2* quo ſunt oẽs theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei, & omnium gratiarum abundat plenitudo, ſuper eſt, vt quiſque in neceſsitatibus incumbentibus recurrat ad illum, & oratione mediante opportunum poſcat auxilium. Orauit Moſes in montis *1. para. 4* cacumine conſtitutus, & orationis armis dimicãdo, Amalechitarum populum ſuperauit. Oratio- *Ioſue. 10* ne ſua Ioſue ſolẽ firmauit, ne ad occaſũ vergeret donec Gabaonitarum victoriam conſummaret. Precibus ſuis Anna ſterilis Samuelẽ prophetam *1. Reg. 1* & ſanctum impetrauit in filium. Iudith pudiciſsima mulier poſt precum inſtantiam capta fiducia *Iudith. 13* crudeliſsimi Holofernis caput abſcidit. Heſter humilis & deuota orõne præmiſſa Hebręorũ po- *Eſter. 16.* pulum

pulum ab incumbenti tunc liberauit exitio. Dauid ſanctiſsimus dum peſtilentiæ clades Angelo percutiente acriter deſæuiret in plebe, humiles ad dominum ſupplicationes effundens, perpetrati ſceleris vltionem mitigare promeruit. Ezechias rex Deo acceptus, cum ipſum corporaliter mori oportere audiſſet, maximo lachrymarũ imbre effuſo interpellantibus precibus, vitę ſuæ prorogationem obtinuit. Heliſeus quoque Dei zelo ſuccenſus, extinctum puerum ipſiuſq; orationibus ſuſcitatum, merenti genitrici tradidit incolumen. Daniel ætate iuuenis, ſed grandæuus moribus, & ſpiritu plenus ſupplicatione emiſſa atrociſsimus leones mãſueſcere fecit. Tres pueri manibus ac pedibus compediti, ardentis fornacis cõiecti in medium, Deũ laudantes pariter & deprecantes: per eandem deambulauerũt illæſi. Ne autem in multis immorer probatiſsimorum virorum retexendo exẽpla, omnes ſancti in propriis & aliorum anguſtiis, tentationibus, periculis, & negociis publicis ac priuatis, & in quocunq; euentu ſemper ad orationis tranquillum portum accurrunt de cælo poſcentes auxilium, indeque aſſequũtur, quod indubia poſtulant fide. Sic enim pollicitus eſt dominus dicens: Amen dico vobis, quicquid orantes petitis, credite, quia accipietis, & fiet vobis. Magna prorſus eſt orationis virtus diuino cõſpectui oblata per Angelos ſi tamen ſit charitate ignita, fide plena, intentioni rectæ ſubnixa, humilitate ſociata, à delictorũ ſordibus impolluta, boniſque operibus decorata. Hæc placat Deum, lætificat Angelos, redolet ſanctos, penetrat cęlos, poſtulata reportat, terret dæmones, aduerſarios ſuperat, immutat homines, vires reparat, roborat mentem, cor illuminat, propinquam reddit animã Deo, deuotionem parit, deprecantem cõplet dulcedine, diſperſas cogitationes & ſe frequentantem ſecum delectabiliter habitare facit. Nullus perfecte enarrare ſufficit, quàm potens ſit aſsidua iuſti oratio, quàm neceſsaria cunctis, & quantum ad perfectionem venire anhelãtibus omnino ſit congrua: Audeo etiam dicere, neminem abſque illa poſſe ad ſalutem pertingere, cum ſalus ipſa ex Dei miſericordia & oratione mediante donetur, Pſalmiſta hoc inſinuante, qui ait: Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & miſericordiam ſuam à me. Præuenit .n. gratia eius miſericordia, quæ gratis iuſtificat impium, quem vtique prædeſtinauit Deus ante mũdi conſtitutionem. Ex ſua igitur mera bonitate antequam eſſemus, prædeſtinauit & gratificauit nos in dilecto filio ſuo, vocauit per gratiam, & iuſtificauit in miſericordia, ex qua profecto iuſtificatione acceptabilis efficitur oratio noſtra. Totum itaque bonum noſtrum operandi bene & orandi, ſicut decet, miſericordiæ Dei ad adſcribendum eſt, & non meritis noſtris, quæ abſq; gratia eius nihil ſunt, Apoſtolo hoc de ſe atteſtãte, qui ait: Gratia Dei ſum id quod ſum. Et ad Timotheum ſcribens: Non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundum miſericordiam ſuam ſaluos nos fecit. Oratio igitur ſine gratia languet & iacet coadiuta autẽ à gratia prodeſt multũ, auget gratiã, corroborat iuſtificationẽ, & impetrat miſericordiam, qua obtenta oratio fit purior, & frequentius exercetur. Iſta nouerunt, qui orationis guſtum & deuotionis affectum percipere meruerunt. Hoc ideo dico, quia non omnis, qui orat, ad orationis altitudinem peruenit. Habet .n. gradus, per quos ſpirituales viri aſcendunt, & Deo chari & propinqui fiunt, non corpore, ſed mente. Corpore namque Phariſęus Deo propinquus erat in templo orans & ſe iactans: corde verò longinquus, quia ſuperbus. Publicanus autẽ, qui præ humili confuſione oculos ad cœlum erigere non audebat, ſeque pectus tundendo peccatorẽ eſſe fatebatur, Deo propinquus ac præſens erat. Nam Deus ſe deprecantium ſiue voce ſiue mẽte cordis humilitatem intuetur & approbat. Itaque non locus, ſed affectus ad orandum eſt eligendus. Verborum quoque ornatus in oratione vocali, quæ Deũ obſecrãdi primũ ſortitur gradum, non eſt appetendus, ſed cordis munditia, ſyncera fides, prolatio poſtulantionũ ſimplex, deuotio pia, diuinæ præſentiæ cõſideratio certa & obtinendi, quod petitur, indubia ſpes. Hęc profecto ſunt ſpiritualia ornamenta orationis non minus mentalis quàm verbalis, quę aſtantium coram Deo & ſua offerentiũ vota debent ineſſe pectoribus, vt acceptabiles efficiãtur & grati. Sunt namq; qui prolixas obſecrationes vocales faciũt, & quid proferãt, nequaquam intelligũt, cum diuerſarum cogitationum diſtrahantur inuolucro. Hos per Prophetam ſub figura populi Hebræorum dominus redarguit dicẽs: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt à me. Inſinuat quippe dominus, vt quemadmodum in oratione mouentur labia, verba formantur, & Sancti Spiritus promuntur eloquia: ita intẽdat mẽs, affectus euigilet, & alienę excludantur cogitationes, quatenus tã interior homo, quã exterior laudabiliter diuinis occupetur in laudibus, valeatq; cum Apoſtolo dicere: Pſallam ſpiritu, pſallam & mente, orabo ſpiritu, orabo & mẽte. Quaſi dicat: Lingua promulgabo cęleſtia verba: ſenſus verò latẽtes in litera, & ſacra myſteria mentis intelligentia guſtabo. Equidem vtroq; modo eccleſia orationis & laudis ſua Deo vota perſoluit, ſuoſq; filios ad id peragendum proprio hortatur exemplo, ac blanda eruditione inuitat, dum mellifluis hymnis, choreizantium pſalmodiis, deuotiſsimis cæremoniis, ſolemnitatibus ſacris, ſacramentorumq; frequentationibus piis, & die, noctuq; diuinis occupatur in laudibus. Ex quibus omnibus per exteriorem actum & organorum ſonum auditorũ demulcet aures, ac ꝑ hoc infuſo deuotio-

Marginal references: 2 Reg. 24; 4 Reg. 20; 4 Reg. 4; Dan. 14; Vbi ſup. 3; Mar. 11; Pſal. 65; 1 Cor. 15; 2 Tim. 1; Luc. 18; Eſa. 29; 1 Cor. 14

nis

nis nectare mentes eleuat ad cæleſtium concupiſcentiam gaudiorum, necnon ad conſequendã ſocietatem ciuium ſupernorum. Commendabilis prorſus & ſupra modum cognoſcitur experimento certo eſſe perutilis vocalis oratio, quæ ianua eſt, & manuductrix ad deguſtandam mentalem, & in ſpiritu exhibitam orationem de qua do- Ioan. 4 minus mulieri Samaritanæ ait: Mulier crede mihi, quia venit hora & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. Nã & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Hic plane orandi modus totus ſpiritualis eſt, & corã Deo ex cordis affectione formatus, nõ ex induſtria, quem procul dubio Spiritus ſanctus in obſecrantis mente infundit, & ad poſtulandum inſtruit, quemadmodum Apoſtolus manifeſtat dicens: Spiritus adiuuat infirmitatem noſtrã. Nam quid oremus, ſicut Rom. 8 oportet, neſcimus. Spiritus autẽ poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui aũt ſcrutatur corda ſcit quid deſideret ſpiritus, quia ſecũdum Deum poſtulat pro ſanctis. Quicquid in hoc orãdi modo petitur, faciliter obtinetur Spiritu ſancto cooperante in corde ſupplicãtis, & eundẽ erudiente, & abſq; vlla dubitatione ad obſecrandũ impellente. Cęterũ cũ interdũ (non tamen ſine diſpenſatione diuina) orantis mens effecta deuotione ſterilis relinquitur ſibi, expedit, vt ipſa ſe erigat, & ad Deum deprecandũ excitet, nõ ſemper vniformiter, ſed diuerſimode, prout trahi ſe ſentit. Interdum namq; ex ſuorum rememoratione delictorum in oratione compungitur, & præcordis compunctione prorumpens in lachrymas nunc interiores, nunc verò exteriores, cõteritur in ſe Deo humiliter veniam flagitãdo. Nam iſte orandi modus etſi non habet deuotionis dulcedinem, habet tamen humilis cõfeſsionis fructum, & emendationis deſiderium, de quo perſępe oboritur gratiarũ exhibitio ſancta, quæ nequaquã abſq; delectatione perficitur. Nonnunquam aũt orantis intentio allicitur ad conſiderandum quę & quanta percepit a ſuo cõditore, naturalia, corporalia, & ſpiritualia beneficia, quæ profecto ex ſua multitudine innumerabilia, & ex ſua magnitudine incõpræhenſibilia eſſe noſcuntur. In hac quippe exercitatione meditãtis affectus charitatis ardore ſuccenditur, cõpelliturq; corde ſemper interdũ verò voce in laudem Dei & gratiarũ actiones ſui prorumpere largitoris. Nec mirum eſt. Nam ſi ad dantis reſpicit diuinitatem, bonitatẽ, charitatem, & gloriam non valet non mirari, laudare, & dicere: Vnde hoc mihi viliſsimo & omnium creaturarum minimo? & quare tanta tã præclara, tamq; ſingularis actualiter per ſe & per creaturas ſuas rationales & irrationales ipſo iubente & ordinante gratuita largitur dona? Longe quoq; plura & multo his præſtantiora, excellentiora & beatiora in futuro firmiſsima aſſeueratione pollicetur (ſi tamen vſque ad vitæ meæ conſummationem in ipſius timore & dilectione perſeuerare curabo.) Verum ſi ad propriæ vilitatis, ignorantiæ, & ingratitudinis profunditatem horrendã conſiderationis ſuę reflectit intuitum, ſe gehennæ filium & omnibus ſuppliciis proclamat eſſe digniſsimum. In deſperationis verò barathrum prorſus irrueret, niſi diuinæ pietatis & immenſæ miſericordię illius, qui neminem vult perire, nutriretur præſidio, per quod ſpe roborata & repleta gaudio gratias referendo ſui conditoris debriatur amore. Nullus prorſus explicare valet in hoc caſtiſsimi amoris prçludio, & in hoc ſpeculo beneficiorum Dei, quanta puritate mẽs in oratione poſita, & in eorũ conſideratione intenta ſe coram Deo humiliando proſternat, quantũ ſibi vileſcat, & ſe accuſet, quã ve frequenter de perpetratis criminibus, omiſsis bonis, neglectis inſpirationibus, diſsipatis muneribus, & conſumpto tẽpore ad promerendã veniã, augendã gratiã, & conſequendã gloriã gratis ſibi impenſo indulgentiã & miſericordiam deſiderando ex intimo contriti cordis depoſcat affectu. Inſcrutabile quippe eſt ad cogitandũ, & omnino ad loquendũ inenarrabile, quãtis modis, quibus eloquiis ſpiritualibus, quãtis ſplendoribus veritatis, quantaq; deuotione, dulcedine, ac delectabili familiaritate animæ Deo aſsiſtenti & oranti in ſpiritu æterna ſe communicet ſapientia ad ipſius animæ profectum & gaudium. Nec ab re. Nã eiuſ- Prou. 8 dem ſapientiæ illa ſunt verba: Et delectabar (inquit) per ſingulos dies ludens coram illo omni tẽpore, ludens in orbe terrarũ, & deliciæ meæ eſſe cũ filiis hominũ. In Canticis quoq; canticorũ animam ſibi charitatis vinculis alligatam quàm Cant. 2 dulciter inuitet accedere ad ſe, & ſecum cohabitare, ſic legitur: Surge, propera amica mea, formoſa mea, immaculata mea, & veni columba mea in foraminibus petræ, & in cauerna maceriæ, oſtẽde mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis vox enim tua dulcis, & facies tua decora. In his denique allocutionibus ſacris animæ præ nimio amore languenti à verbo prolatis in corde interdum fit, vt humillimæ deuotionis ipſa ſuauitate referta, ac ſponſi ſui delectabili inebriata præſentia, quem in ſecretiſsimis præcordiis deſideriorum tenet aſtrictum, ò quàm ſæpe prorumpit in fletum, ò quantas ad ſponſum promit laudes, & gratiarum actiones emittit, quàm melliflua profert amoris cantica, non ex induſtria meditata, ſed ex flagrantiſsima charitate prolata, ſpiritu ſuggerente, non carne, in quibus reciproci amoris amplexibus copulata nonnunquã ineffabili quodã ita repletur iubilo, vt ſopitis corporalibus ſẽſibus & cũ ſpõſo vnũ effecta in ſpiritu abũdantiſsimaq; pacis & gaudii iucunditate profuſa ſe cum tacitè cantet, & dicat: Vulnerata charita-

te ego ſum, quoniam quem diu quæſiui, iam video:& quem cõcupiui, teneo, nec dimittam. Ad ſponſum verò conuerſa, & ante ipſum corde proſtrata non minus humiliter & verecundè, quàm confidenter ait: Vulneraſti cor meum dilecti mi, Cant. 4. vulneraſti cor meum, non in vno oculorum tuorum, ſed in præſentia maieſtatis tuæ, & in decore vultus humanitatis tuæ, quæ eſt plena gratiarũ, gaudiorum, ſplendorum, & delectationũ: in qua deſiderant Angeli proſpicere, & quam laudare, honorare, ac illos glorificare delectat. Vnde (quæſo) mihi, & quare mihi, qui ſum puluis & cinis, caro fœtida, & vermium eſca, peccatis onerata, priuata lumine, ingratitudine referta, ſupplicijs digna, & à te meritò repudianda? Tandiu igitur in his & huiuſmodi ſacris collocutionibus, amatorijs canticis, venerandis amplexibus, mutuiſque aſpectibus cum ſponſo ſponſa tripudiat, iucundatur, iubilat, exultat, & laudat, quandiu repente ſponſus illabitur, & ipſa mœrore ſauciata relinquitur ſibi deſtituta ſolatio, priuata gaudio, & lachrymis madefacta vberrimis, gemitibuſque aſſociata crebėrrimis, cui profectò nihil aliud tunc libet, quàm flere, & ſecum voluere, ac meditari, quæ audiuit, quæ vidit, quæ guſtauit, & quæ dixit: ſicque ex reliquijs cogitationum diem feſtum ducit, præcipue conſiderans, ſi quomodo poſſet redire in idipſum, quod paulo ante fuerat, quod quidem breuiſsimum extitiſſe & citiſsime tranſiiſſe videtur. Intelligit autem nequaquam hoc per ſe aſſequi valere, perhibente Apoſtolo: Non Rom. 9. eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei. Qui profectò iuxta beneplacitum ſapientiæ ac bonitatis ſuæ nunc humiliat, nunc exaltat, prout cuique expedire cognoſcit. Quantum verò in ipſo eſt, diſponit ſic viuere, ſic ſe gubernare, ſic orationi inſtare, & precibus ſponſi pulſare ad ianuam, quatenus importunitate quadam laudabili iterum in nuptialem thalamum introduci mereatur. Cęterum cum ſciat vota ſua ex nulla congruentius alia virtute quàm ex Dei & proximi charitate poſſe perfici, Apoſtoli fultus teſtimo- 1. Cor. 13 nio, qui de ipſa charitate eximia præconia narrans ait: Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens: & ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia: & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam: & ſi diſtribuero omnes facultates meas in cibos pauperum: & ſi tradidero corpus meũ, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt: Deum toto corde, tota mente, 1 Cor. 3 totiſq; viribus, & proximum ſuum ſicut ſeipſum diligere orando & operando inſtituit, ſperans indubia oratione mediante, quæ charitatis ſpiritualis eſt nutrix, poſſe proficiendo attingere, & ad quod concupiſcit aſcendere.

De prærogatiuis animæ per virtutum exercitationem ad perfectionem tendentis: necnon de excellentia charitatis Dei & proximi. Cap. XIII.

PSaltes egregius & propheta clariſsimus (videlicet) Dauit rex Iſrael & Dei ſpiritu plenus cum contemplatus fuiſſet multa, & futura more prophetarum tanquã præterita narraſset, inter cætera ſtatum & prærogatiuã deuotæ animæ proficientis, & ad perfectionem per virtutum exercitium aſcendere ſatagentis, & appropinquantis paucis manifeſtauit inquiẽs: Omnis gloria eius filiæ regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietatibus. Magna prorſus Psal. 44. huiuſmodi animæ ſunt iſta præconia, gradus ſublimis, honorabilis decor, & prolatio vera, non per corporalem exhibita ſpeciem, ſed per ſpiritualem ornatum expreſsa, neque hominibus, qui ſecundum carnem iudicant, nota: ſed manifeſta ei, qui cordiũ ſecreta veritatis & ſapientię ſuæ luce rimatur, hoc Paulo atteſtãte, qui ait: Viuus eſt Dei ſermo, & efficax, & penetrabilior omni gla- Heb. 4. dio ancipiti pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus: compagumque, & medullarum; & diſcretor cogitationum & intentionum cordis, & non eſt vlla creatura inuiſibilis in conſpectu eius; omnia autem nuda & aperta ſunt oculis eius. Illius animę de qua habendus eſt ſermo, admirãda eſt laus, tũ quia regis filia nũcupatur, nõ qualiſcunq; tẽporalis & mortalis regis, ſed illius, qui pro ſui ſingulari excellẽtia & diuinitate in ſacris voluminibus vocatur (& eſt) Rex regum & Dominus dominãtiũ: diciturq; ſolus habere immortalitatẽ, & inacceſsibilẽ inhabitare lucem, de quo etiam ſic legitur: Vnus eſt altiſsimus creator Eccleſ. 1. omnipotens, rex potens & metuendus nimis, ſedẽs ſuper thronum illius, dominans Deus; tũ etiã quia inſinuatur gloria ipſius intus latere in corde, quo non valent latrones viſibiles irrumpere, & theſauros abſconditos deprædari, neque inuiſibiles (niſi permittente Deo) inuadere: tum demũ quia varietate circundata eſſe perhibetur. Cæterum ſi anima vna tantũ dote & prærogatiua deco- Psal. 44. rata cõmendabilis eſſe cenſenda eſt, quanto magis hæc omniũ prædictarum ornata fulgoribus? Quid, oro, dignius? quidve honorabilius eidem conferri poteſt, quàm eſſe æterni regis filiam, cui ex Patris liberalitate necnon ex vinculo atq; affinitate ſpiritualis generationis, de qua Apoſtolus Iacobus: Voluntarie genuit nos verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ eius, pater- Iacob. 1. na debetur hæreditas, quæ eſt ineffabilis, opulentiſsima, impredabilis, incorruptibilis, in cœlis cõſeruata, atq; repoſita ſi tamẽ per reciprocam dilectionem filialem ipſa præbuerit reuerentiam, paternisq; in omnib. pro poſse obtẽperauerit iuſſionib. Porrò ſi filia eſt, debet cordis aures paratas tenere, & audire, iuxta propheticã admonitionẽ, quid ei loquaf pater, quid iubeat dominus, &

quid

Digitized by Google

quid prohibeat iudex. Nam obſeruantibus illum frequenter per miniſtros, interdum ad ſe loquitur ad cor tanquam bonus pater, dominus & magiſter, quatenus horum exhortationibus ad profectum ſpiritualem, eos incitet et aſcenſum. Non enim congruit paternę dignitati filios habere degeneres, ingratos, et deſides, qui ſicut ille adoleſcens luxurioſus et prodigus neglecto patris cõſilio, honorabilique conſortio peregre proficiſcens, conſumpto patrimonio, voluptuoſe degẽs fame ac labore attritus ad genitoris beneuolentiam cum rubore redire cogatur. *Luc. 15.* Oportet nanque, vt hæc anima, de qua loquimur, quæ ſummi regis eſt filia, dona naturalia et ſpiritualia ſibi prę rogata ad ſui patris gloriam, propriumque profectum exerceat, et decorem internum, conſcientiæ candorem, atque puritatem mentis, cordiſq; munditiam vigilanti obſeruatione cuſtodiat, in quibus proculdubio omnis ipſius regiæ dignitatis gloria ſubſiſtit et laus. Nam quemadmodum in exterioribus grauitate morum, et irreprehenſibili decet illam cõuerſatione eſſe redimitam: ita in arcano cordis ſui thalamo ornatiorem illã cõgruit eſſe cæteris, quoniam non exteriora opera tãtum, quę bonis, maliſque communia ſunt, ſed habitum mentis dominus intuetur et cor, cupitque illud auro mundiſsimo, charitate videlicet, præclara, ac precioſiſsimis virtutum margaritis, cogitationum ſanctarum floribus, atque deſideriorum cœleſtium odoramentis eſſe perornatũ, non vt huiuſmodi pulchritudo illi quicquam cõferat, qui eſt omnium bonorum, vniuerſarumq; gratiarum poſſeſſor, largitor et dator: ſed vt ex hoc occaſionem habeat præſtantiora eidem prærogare chariſmata, atque receptaculum reperiat mundatum et comptũ, ad quod precibus et charitate inuitatus accedat. Delectatur nanque animas dilectione ſauciatas, et ſuum callide obſeruantes aduentum, necnon æternorum gaudiorũ contemplatione iugiter intendentes, ſibique vacantes viſere in ſpiritu, ac placido ac repentino lætificare illapſu, atque diuinorum verbi ſui theſaurorum eiſdem pro beneplacito ſuo ac ſingularum captu, diſpoſitione et gradu, myſteria reſerare ſecreta. Non enim pro libito amantium et poſcentium fit irradiatio talis, et tunc communicata dulcedo, ne ex aſſuefactione vileſcant, ſeu ex nimia familiaritate ſe extollant, ſicut Apoſtolus de ſe teſtatur dicens: *2. Cor. 12* Ne magnitudo reuelationũ extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, qui me colaphizet. Quanto ſiquidem reuelationes ĩfuſę et deuotiones collatę crebriores et maiores ſunt, ſi in anima, cui illa communicatur, deſit humilitas, quæ omniũ gratiarũ atq; virtutũ eſt cuſtos, ex ſui natura eleuant, & minus ſtabilẽ ac incautã mentẽ ad caſum elationis impellũt. Quãobrem regis filia, de qua agitur, erudita per ſpiritum omnem gloriam ſuam, cunctas diuitias, vniuerſa cantica amatoria laudis, & quicquid eſt delectabilis familiaritatis cum ſponſo, quod deuotionis, quod gaudii, quod gratiarũ actionis, quod exultationis & pacis deguſtat, totum intus nedũ recondit in corde, vt ſint ignota hominibus atque aereis poteſtatibus, quæ theſauros publice oſtenſos, ſeu imprudenter cuſtoditos deprædari vel ſaltem inficere conſueuerunt: verumetiam in abditis præcordiis ſui igniti pectoris & in fimbriis aureis, quibuſdam, videlicet, cogitationibus flagrantiſsimę charitatis ſolum Deo & ſibi notis, ex quibus ſecum tanquam rationale animal ruminando, in ipſius dulcedine ſuauiſsima conquieſcit. Talibus ſiquidẽ ſpiritualibus depaſta alimoniis, huiuſmodique quotidie orando & meditando interioribus exercitiis occupata, atque verbo ſe illi caſtis communicante amplexibus, cęleſtia etiam interſerendo colloquia, nuptialem ſibi cõtexit veſtem diuerſarum virtutum: necnon multiplicum gratiarum mira uarietate decoratam, qua mediante induta, ac ſponſi oculis grata effecta, omni ſeruili pauore depoſito, in nuptialem thalamum cunctorum cum admiratione ſupernorum ciuium læta introeat, atque cum recumbentibus in illo opulentiſsimo & ſacro conuiuio, Deumq; iucundiſsime & ſine fine laudantibus, altiſsimum magnificando, ſponſumque ſuum venerabiliter complectendo & ipſa recumbat nullatenus ex illo egreſſura per ęuum. Interim autem dum peregrinatur à domino, dum corruptibilis naturę indumento contegitur, dumque tentationibus, infirmitatibus, ac variis aduerſitatibus, et procellis laborare cõpellitur, circa exercitia ſancta virtutum ſe abſque intermiſsione occupare non ceſſat. Charitatem verò, quę reliquarũ virtutum cognoſcitur eſſe regina, mater, ac nutrix, totis aſtringit viſceribus, omnique ſtudio poſsidere deſiderat, ſine qua carnem macerare ieiuniis, corpus tradere flammis, miniſtrare languentibus, cibare famelicos, ſitientes potare, veſtire nudos, hoſpites colligere, carceribus intruſos viſitare, et defunctos efferre ſepulchris, prorſus nihil proficit ad ſalutem. Hęc profecto charitatis virtus eſt, quę fidelem animam facit proximã Deo, copulat angelis, coęquat ſanctis, diuinis illuſtrat ſplendorib. ſpiritualibusq; replet muneribus. Iſta (inquam) virtutes gratificat, cęlũ aperit, orationes exaudibiles reddit, & diuino exhibet acceptas cõſpectui: fidẽ parit, roborat ſpẽ, cor lętificat, pręcepta cuſtodit, oneroſa ex ſe leuia facit, tribulationes cum gaudio perfert. Nẽpe morte eſt fortior, adamãte durior, melle dulcior, nectare ſuauior, ſole ſplendidior, pulchrior aſtris, cęlo ſublimior, abyſſo profundior, terra latior, & omni tẽporis volubilitate anterior. Sublimitatẽ, dignitatẽ, & gloriã illius nullus valet ſermo explicare: nullus intellectus capere, nulluſque mens ipſius arcana penetrare. Nec mirum, cum Ioannes apoſtolus de ipſa ſic

1. Ioan. 4. dicat: Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Hoc quippe, quod dicitur Deus charitas eſt, de ipſius ſubſtantia dictum eſt, quia charitas Dei & Deus vnum eſt, quoniam totum, quod in Deo eſt, Deus eſt, ſed aliud eſt Deus ſecundum eſſentiam, aliud dona ipſius, quæ rationali communicat creaturę. Secundum eſſentiam ipſe ſeipſum ſibiipſi cõmunicat in generatione & proceſsione. Pater nãq; cũ generat filiũ, ſe cõmunicat filio in ipſa generatione ineffabili, diuina, coæterna, & ſibi conſubſtantiali: Pater verò & Filius in proceſsione Spiritus ſãcti, qui amor Patris, & Filij, oſculũ & amplexus amborũ, ſuo ſe cõicat ſpiritui, qui eſt idẽ, qđ Pater & Filius in ſubſtantia, eſſentia, bonitate, potentia, ſapientia, ęternitate & maieſtate: nõ tamẽ in perſona. Nã quamuis Pater, Filius, & Spiritus ſanctus vnus ſit Deus inſeparabilis, inconfuſus, & immenſus, nõ tamen vna perſona, quoniã alia eſt Patris perſona, alia Filij, alia Spiritus ſancti, non tamen vna anterior tempore altera, aut poſterior; nec maior vel minor, neq; fortior ſeu debilior eſt, ſed per omnia ſibi æquales ſunt, ita vt totæ tres perſonæ vnus ſit Deus verus, omnipotẽs, ſummus, perfectus, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus, concordes in voluntate, pares in omnipotentia, clementia, virtute, & charitate. Quod.n. operatur Pater, operatur Filius, & Spiritus ſanctus; & quod ſcit Filius, ſcit Pater, & Spiritus ſanctus: quod autem vult Spiritus ſanctus, ſimiliter vult Pater & Filius. Nẽpe in hoc diſtat Pater à Filio & Spiritu ſancto, quia Pater a nullo eſt, Filius verò tantum à Patre eſt genitus: Spiritus ſanctus ab ambobus procedit. Hæc eſt beata trinitas, Pater, & Filius & Spiritus ſanctus, nõ tres Dij, ſed vnus Deus: quem in cœlo adorant omnes angeli, throni, principatus, dominationes, atq; virtutes, vniuerſi quoq; prædeſtinati in libro vitæ, ſcripti, redempti, ac glorificati laudãt, benedicũt, & gratias agunt Sanctus, Sanctus, Sanctus pari & conſona voce clamãtes: a quo, per quẽ, & in quo facta ſunt omnia viſibilia & inuiſibilia, ſpiritualia, & corporalia, temporalia & æterna, & ſine quo factum eſt nihil. Quamobrẽ ſicut creaturæ omnes ab ipſo factę ſunt: ita & nos non ſolũ ab ipſo facti ſumus, quod ſumus, verumetiam quia diligimus. Nequaquã.n. diligeremus, niſi diligeremur. Diligimus (inquã) quoniã ipſe prior dilexit nos. Nã charitas, qua Deũ diligimus, ab ipſo eſt, & ipſe illam nobis tribuit per ſpiritum ſuum, quemadmo-
Rom. 5. dum Apoſtolus fatetur inquiens: Charitas autem Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per ſpiritũ ſanctum, qui datus eſt nobis. Infunditur igitur ab
1. Tim. 1. ipſo, vt illum diligamus, non qualicumque dilectione, ſed de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta: neque ex parte, vt aliquid cum illo diligamus, vel quantũ illũ, ſed illũ propter illũ, & cętera per illum, & in illo, & minus illo, quod fieri nullatenus valet, niſi illum (iuxta pręceptum nobis in lege prærogatum, & ab ipſo domino in euangelio confirmatum) diligamus ex toto corde, ex tota anima, & ex omnibus viribus noſtris. Deut. 6. Mat. 22.
Hæc profecto eſt forma, qua Deum diligere debemus, videlicet, vt cogitatio noſtra ſemper intenta ſit cogitare de illo, nec vſquam ſe diuertere ab illo contra illum impudica, noxia, facinoroſa, inutilia, & à lege prohibita cogitando, & in eiſdẽ immorando voluntarie & ex corde. Nam ex fragilitate, vel infirmitate, ſeu ex neglecta mẽtis cuſtodia in talibus inclinari nõ amittitur charitas, ſed tepeſcit, & ad caſum efficitur prona, erigitur autẽ, & ad priorem redigitur ſtatum, cum interior homo gratia Dei præuentus recogitans reatum ſuum compunctione vulneratus vbertim lachrymas fundit, & veniam à Deo ex humilitate depoſcit. Ex hoc itaq; contritæ mentis ſacrificio totus reuiuiſcit ſpiritus, qui ex mœrore languebat: atque ex ſuperuenienti paracliti dono, gaudio, & charitate perfuſus (experientia teſte) verũ eſſe cognoſcit, quod de ſeipſo Propheta cecinerat dicens: Concaluit cor meũ intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis. Ad ſe deniq; re- Pſal. 38.
diens & Dei bonitatẽ in ſe operantẽ rememorãs totus eleuatur in Deũ, ac omni qua valet, affectione coniungitur Deo, ita vt deſiderio pii amoris ignitus, & vnus cum illo ex huiuſmodi adhæſione ſpiritus eius effectus, diuinæ inſiſtat cognitioni, diuiniſq; occupetur in laudibus. De Deo nãq; plenus necnon ex Dei in ſe lætificatus præſentia non niſi ea, quę Dei ſunt, poteſt tunc cogitare diligere, guſtare, atque percipere. In his profecto charitatis aſſuetus affectibus, & ab huiuſmodi delectabilibus vinculis frequenter aſtrictus, quendam habitum amoris Dei acquirit, per quem impellitur amabiliter cogitare de Deo, puris & inenarrabilibus Deum exorare gemitibus, ipſum totis viribus in ſuis retinere præcordiis, nulliſq; ab eiuſdem caſtis amplexibus ſeparari aduerſis. Verum quum in ſuo nequaquam reſideat arbitrio Dei ſui iucundiſsima ac concupita ſpirituali frui præſentia, ad proximi dilectionem cordis ſui intẽtionem reflectit: præſertim cũ interrogatus dñus, quod eſſet maximum mandatum in lege, & reſpondiſset: Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex Luc 10.
omnibus viribus tuis: intuliſsetq;, Secundũ huic ſimile eſt Diliges proximum tuũ ſicut teipſum, concluſit ſic: In his duobus mandatis tota lex pẽdet & prophetæ. Et Apoſtolus: Qui diligit proxi- Rom 13.
mum, legem impleuit. Nam nõ occides, non mœchaberis, non furtum facies, non falſum teſtimonium dixeris, & ſi eſt aliud mandatum in lege, in hoc verbo inſtauratur: Diliges proximum tuũ ſicut teipſum. Plenitudo autem legis eſt dilectio. Mandatũ quippe diligendi Deum, & pręceptum diligendi proximum dominus ſimul eſſe perhibuit,

hibuit, quoniam amborum tranſgreſsio eſt omnino damnabilis. Nemo verè poteſt Deum diligere, qui proximum non diligit ſicut ſe, ſed neque abſque Dei dilectione valet quis rectè proximũ amare. Cohęrent vtique ſibi dilectiones iſtæ, nec queunt ab inuicem ſeparari. Nam quamuis Dei charitas proximi dilectione videatur eſſe dignior non tamen eſt vtilior, quoniam pari curſu tẽdũt in Deum, parique remuneratione clareſcunt. Veritate hoc atteſtante, quæ in extremo examine electis dictura eſt: Mat. 25. Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratũ eſt ab origine mundi: Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare: ſitiui, & dediſtis mihi bibere, & reliqua miſericordiæ opera, quæ in euangelio continentur. Adiecitque: Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Inſinuans eundem charitatis Dei & proximi eſſe fructum, eandemque mercedẽ. Cæterum cum dicatur præceptum dilectionis Dei & proximi eſſe ſimile, non tamen eadem ratione, neq; ęquali mẽſura diligẽdus eſt proximus, qua diligẽdus eſt Deus. Proximus nãq; à nobis amandus eſt, quia eſt eiuſdẽ naturę ac ſpeciei, qua nos, creatus ab eodẽ patre, cõſecutus eãdẽ fidẽ conſors futurus eiuſdẽ glorię particepsq; factus eiuſdẽ gratię, & ad ipſius dilectionẽ nos coercẽte mãdato. Deus verò propter ſeipsũ amandus eſt, quo nihil meliu, nihilq; eſt excellẽtius, cum nedum ipſe ſit bonus, verũ etiam ſit ipſa bonitas, potẽtia, ſapientia, iuſtitia, charitas, pax, dulcedo, pulchritudo, æternitas, beatitudo, & gloria. Ipſe (inquam) omnium eſt origo bonorum, cũctorum largitor munerum: gratiarum diſtributor, fons luminum, cordium ſcrutator, formator corporum, creator animarum, eorum vita, ſalus, ſanctificator, redemptor, protector, cuſtos, amator, principium, finis & merces: quam non intuetur oculus, auris non percipit, nec cuiuſcũq; mortalis attingit intellectus. Quas ob res & innumeras alias, quas humani imbecillitas nullatenus capit ingenii, non ſicut noſmetipſos, prout proximum diligere iubemur, ſed plus quàm nos, imò nos propter ipſum ſine modo, abſque menſura, ſine interuallo, & pure ac ſimpliciter abſque propriæ cõſideratione mercedis. Nã maxima prorſus & omnium laborũ noſtrorũ opulentiſsima remuneratio eſt charitas ſola, qua diligimus Deum noſtrum, noſtraque illi eſt grata dilectio, quoniã & quod ſumus, & totum quod valemus intelligere, & laudabiliter operari, pati, & concupiſcere, ab illo habemus: illique etiam ſi millia annorũ viueremus, ex debito ordinatę iuſtitiæ, continuũ & ſolicitũ, etiã vſque ad ſanguinis effuſionẽ, & omnis perpeſsionem generis tormẽtorum eidẽ obligamur impendere famulatũ, & vltra ab ipſo nihil petere. Hoc quippe dominus & redemptor noſter ad humilitatem exhortari nos volens, expreſsit dicens: Quum omnia feceritis, dicite, quia Luc. 17.

ſerui inutiles ſumus: fecimus enim, quod facere debeabmus. Igitur ſiquid boni agimus, ſiqua beneficia, ſi aliquam remunerationem, temporalem vel ſpiritualem, ſeu æternã pro operibus noſtris recipimus, totum bonitati, liberalitati, & charitati eius adſcribendum eſt: qui ſponte & ex mera dilectione, vt ad bene agendum nos inuitaret, ſe pro gratiis & donis, gratis nobis ab ipſo collatis, noſtrum facere voluit debitorem. Clamemus itaque omnes, clament & ſinguli ex medullis cordis, & ex deſideriis flagrantiſsimæ charitatis, & cum propheta dicant: Quid retribuam domino Pſal. 115. pro omnibus quæ retribuit mihi? Calicem vtique ſalutaris accipiam, perferamque pro amore illius, qui tantum dilexit me, labores, tentationes, languores, illuſiones, verbera, vincula, carceres, & quæque mihi poterunt infligi aduerſa. Scio enim quòd nihil horum (Dei mei in me perſeuerante charitate) valebit me ſeparare à dilectione Chriſti. Rom. 8. Certus denique ſum, quia ipſo me protegente, dirigente, atque fouente, neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque inſtantia, neque futura, neque altitudo, neque latitudo, neque profundum, neq; creatura aliqua poterit me ſegregare ab amore ipſius quoniam (ſacro perhibente eloquio) Fortis eſt, vt mors dilectio, dura vt infernus æmulatio. Cant. 8. Lampades eius, vt lampades ignis atque flammarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatẽ, nec flumina obruẽt illam. His & huiuſmodi ignitis affectibus charitatis anima, quę præ nimio ſui cõditoris amore Chriſti ſpiritualis effecta eſt ſpõſa, atque ad perfectionis celſitudinem inhiãdo de virtute proficit in virtutẽ, valet equidẽ quę ſuperius memorata ſunt, ſecura mente depromere, necnon cum propheta cantare: Pſal. 17. Diligam te domine fortitudo mea, dominus firmamentum meũ, & refugium meũ, & liberator meus, Deus meus, adiutor meus, & ſperabo in eum: protector meus & cornu ſalutis meæ, & ſuſceptor meus. Nam diuinis intus occupata in laudibus, hymnis & ſpiritualibus canticis: foris verò in proximorum exercitata neceſsitatibus, igni charitatis Dei & proximi indeficienter fomenta congrua non ceſſat infundere. Nam Deum contemplatur in Deo, ſpõſum autem ſuum contuetur in proximo, cuius amore mellifluo ipſa vulnerata charitate langueſcit.

Quòd ex conſideratione creaturarum, & in ſcripturarum ſpeculo ſummi artificis claret peritia, & qualiter Deus operatur. Cap. XIIII.

QVum ex vniuſcuiuſque artificis opere eiuſdem peritia agnoſcatur, quę quamuis ex exteriori miniſterio intuẽtiũ clareſcat aſpectibus, longe tamen excellentius in operantis mente enitet, quid de Deo noſtro ſũmo, & vniuerſorum opifice perfectiſsimo ſentiẽdum

dum

dũ ſit,facillime cõprehẽdit,quiſquis fabricam viſibilium creaturarum carnis oculis, necnon inuiſibilium formas & ſpecies intuetur, quę in lumine fidei, & ſacrarum ſpeculo ſcripturarum parũ per elucent,obtutibus rationalis animę,quę ſecũ ratiocinando ſpiritualiter ſibi obiecta diiudicat. Nam quod mortalis artifex agit extrinſecus,quã quam peritiſsimus in arte ſua eſſe cenſeatur, imperfectè tamen operatur: quemadmodum & ipſe imperfectionibus plenus exiſtit.Quod verò operatus eſt Deus,& indeſinẽter perficit,tã viſibiliter quã inuiſibiliter oĩ perfectione,oĩq; bonitate ornatũ eſt,ſicut ſcriptum eſt: Et vidit Deus cuncta quę fecerat,& erant valde bona. Gen. 1 Non ſolum in mundi exordio,quando ex nihilo creauit omnia,eaque tunc fecit verum etiam illa quę agit, valde bona eſſe noſcuntur, quoniam per verbum & ſapientiam ſuam vniuerſa operatur non indigẽs materia, neque forma aliqua: quia voluntas ſua ſufficiens illi eſt materia,& ipſe pulcherrima ſibiipſi eſt forma. Voluntate namque agit omnia. Propheta inſinuante,qui ait:Quoniam ipſe dixit & facta ſunt:ipſe mandauit, & creata ſunt. Psal. 32 Alio quoque in loco ſic legitur:In voluntate tua domine,vniuerſa ſunt poſita:& non eſt qui tuæ poſsit Heſt. 13 reſiſtere voluntati:tu enim feciſti omnia, cęlum & terram, & vniuerſa quæ cœli ambitu continentur,dominus vniuerſorum tu es. Quomodo autẽ dixerit,& per quem fecerit omnia, Propheta declarat,inquiens: Verbo domini cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. pſal. 32 Per verbũ igitur ſuum,filium vtique ſuum, quem genuit æqualem ſibi ante ſecula,per quem fecit & ſecula, & creauit vniuerſa, de quo Apoſtolus ſcribens ait: Heb. 1 Multifarie multiſque modis, olim Deus loquens patribus in prophetis,nouiſsime diebus iſtis locutus eſt nobis in filio: quem conſtituit hæredem vniuerſorũ, per quem fecit & ſecula: qui quum ſit ſplendor gloriæ,& figura ſubſtãtiæ eius portanſque omnia verbo a virtutis ſuæ:purgationem peccatorũ faciens, ſedet ad dexteram maieſtatis in excelſis.Patet itaque Deum cuncta operari per verbum ſuum,ſapientiam ſuam,potentiam ſuam, voluntatem & bonitatem ſuam (videlicet) per ſeipſum: non ex materia aliqua corporali & corruptibili per alium,quàm per ſe facta. Nã etſi in materia aliquid operatus eſt,vel operatur:etiã ipſa ab illo ex nihilo creata eſt,quoniam(perhibẽte Ioanne Apoſtolo)Omnia per ipſum facta ſunt Ioan 1 & ſine ipſo factum eſt nihil.Et in principio Geneſis ſic ſcriptum eſt:In principio,id eſt in verbo,fecit Deus cœlum & terram,vtique ex nihilo.In illo plane principio,qui in euangelio ait:Ego principium,qui & loquor vobis. Ioan. 8 Cæterũ quemadmodum ad creandum vniuerſa, quæ facta ſunt, ipſe (ſicut dictum eſt)ſufficiens eſt ſibi materia:ita eſt etiam irreprehenſibilis, & ſpecioſiſsima forma non formata ab aliquo,nec de aliquo,nec in tempore,neque per interualla,ſed ſempiterna, incõmutabilis,indefectibilis,perfectiſsima, beata permanens in ſe, & viuens in ſe omnium vita, ſicut Apoſtolus ſupra memoratus fatetur dicẽs: Quod Ioan. 1 factum eſt,in ipſo vita erat tanquam in artifice arca,& in mente cogitatio:longe excellentius, valdeque perfectius,coruſcans & viuens in ipſo,quã ipſa creatura in ſe:quæ profectò creatura eſt imago quędã & forma viſibilis & intellectualis, illius inuiſibilis,ineffabilis,ſempiternalis, & inuariabilis formæ,in qua cognoſcuntur omnia, & vniuerſa clareſcunt,ſiue ſint angeli,ſiue virtutes,dominationes,principatus & poteſtates. Nam & ip ſa natura angelica, & quicquid in cœlo fulget, & mouetur in aere:quicquid vegetatur in terra,ſeu natat in aquis, vel humanis ſubiacet ſenſibus, illius formę cœleſtis,quæ Deus eſt,intelligitur eſſe veſtigium,opus,& ſpeculum.Nam qui ſine initio eſt,& à nullo habet quod eſt,cuncta quæ factã ſunt,creauit in tempore: vnde ipſe principiũ eſt, autor,cõſeruator & gubernator omniũ & ſingulorum, quæ ſunt. Verum cum ipſe Deus ſit talis naturæ,vt mortalibus in propria ſubſtantia videri non poſsit: ſed hoc ſolummodo in cœleſti reſeruatum ſit patria, vt interim humanus ſuſtentetur intellectus,& de Deo aliqualem per fidem valeat habere notitiam;obiectum eſt illi decor creaturarum & ſpeculum,quatenus, ex conſideratione ipſarum manuducatur ad intelligentiam conditoris earum, Sap. 13 Rom. 1 ſacro hoc referente eloquio:A magnitudine(inquit) ſpeciei creaturarum facile earum creator agnoſcitur.Et Apoſtolus:Inuiſibilia(ait) Dei à creatura mundi per ea,quæ facta ſunt,intellecta conſpiciuntur,ſempiterna quoque eius virtus,atque diuinitas. Clamant enim vocibus ſuis homines,ad cognitionem Dei excitantes, & dicunt: pſal. 94 Ipſe fecit nos,& non ipſi nos. Ve rum quum ex peccato,& pœna peccati rationalis animæ caligauerit viſus,auditus obduruerit,elanguerit guſtus,ſpiritualiſque hebetaue rit ſenſus ad capeſsẽdã inuiſibilium ſcientiam viluerint quoque ipſe creaturæ ex continuo & inordinato earundem abuſu hominibus,vt illos Deus à torpore mentis excitaret,& de inuiſibilibus,& cœleſtibus,per viſibilia & ſenſibilia erudiret ob ineffabilem bonitatem ſuam, & charitatem nimiam, qua humanũ dilexit genus,verbum ſuum, per quod facta ſunt vniuerſa,in temporis plenitudine miſit in terras, vt fieret caro(videlicet)vt caro,id eſt homo,aſſumeretur à verbo, non vt verbum mutaretur in carnem,ſed eſſet Deus & homo, vnus Chriſtus, vnaque perſona, Collo. 2 in qua habitaret omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: eſſentque cuncti theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi, necnõ vniuerſorum exuberaret abundantia meritorum & gratiarum, quantum natura creata & facta, ſimpliciſsimæ & increatæ naturæ vnita capabilis exiſteret. Cæteris namque creaturis datus eſt ſpiri-

tus

tus ad menſuram, & collecta ſunt gratiarum dona, atque propria in Chriſti corpore (quod eſt eccleſia) ſunt diſtincta miniſteria, prout largienti beneplacitum eſt Deo, quemadmodum Apoſtolus declarat ſic: Vnicuique (inquit) noſtrum data eſt gratia, ſecundum mēſuram donationis Chriſti. Propter quod dicit: Aſcendens Chriſtus in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus. Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primum ad inferiores partes terræ? Ibidem Qui deſcendit ipſe eſt, & qui aſcendit ſuper omnes cęlos, vt adimpleret omnia: & ipſe dedit quoſdam quidem apoſtolos, quoſdam autem prophetas: alios verò euangeliſtas, alios autem paſtores & doctores ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterii: in ædificationē corporis Chriſti: donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filii Dei in virum perfectum, & in pſal. 67. menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Ipſi verò homini Chriſto nequaquam ad menſuram datus eſt ſpiritus, ſed prorſus omnis plenitudo, ita vt natura humana, quæ propter priorum parentū præuaricationē facta fuerat deformis, inualida, ignorans, & totaliter expulſa à gloria, per Chriſtū digna efficeretur vniri verbo, & eſſe vna perſona, in confuſis tamen permanentibus ambabus naturis, agente verbo, quæ verbi ſunt, non ſine homine: & faciente homine, quę hominis ſunt, non abſque verbo ſe communicante ipſi aſſumpto homini in omni plenitudine gratiæ: de cuius profectò plenitudine, & exuberantia decoratū eſt corpus eccleſiæ cunctarum perfectione virtutum: ita tamen vt quod deeſt membro vni, reperiatur in altero: & ſi quid deficere videatur in corpore, pleniſsime & affluētiſsime eſſe agnoſcatur in capite. Non ſolum autem omnem gratiarum & donorum ipſe Chriſtus Deus & homo habuit plenitudinem, verumetiam meritorum indicibilem abundantiam multiplicibus rationibus. Merebatur ſiquidem, non tantum quia homo, ſed etiam quia Deus. A tempore quoque ſuæ conceptionis mereri inchoauit per habitum perfectiſsimæ charitatis, & per exercitium omnium virtutum: quod quidem meritum, non tantum ſibi, ſed etiam impertitus eſt nobis. Pro omnibus quippe operibus ſuis, quæ ex libero procedebant arbitrio, meruit ſibi vitam æternam iam habitam, nobis autem habendam. Acquiſiuit denique nobis veniam delictorum, gratiam merendi, ſtolā carnis & immortalitatis, & cæleſtis gloriæ nobis introitum patefecit. Quamobrem totum, quod habemus, meriti, quod virtutis, quod intelligentiæ, quod fidei, quod ſpei, quod charitatis, quod gratiæ, & quod gloriæ, adſcribere debemus ipſi redemptori noſtro, & mediatori Dei & hominum homini Chriſto Ieſu, qui ob noſtræ cōformitatem & aſſumptionem naturæ, factus eſt nobis frater: quū ex natura verbi noſter ſit Deus & dominus, quem toto corde, cunctiſque animę noſtræ potentiis debemus diligere, colere, venerari, laudare; cuique gratiarum ineffabiles perſoluere actiones: necnon omnibus ſermonibus, exhortationibus, & atteſtationibus ſuis indubitatā fidem adhibere, & pleniſsimam: quum ſit verus & fideliſsimus teſtis, mētiri neſcius: narretq; vniuerſa quæ loquitur in euāgeliis tāquam Deus, & Dei filius miſſus à Patre veritati perhibere teſtimonium, et palā facere, quę in prophetarū et ſacrarū ſcripturarum voluminibus latebāt in volucro. Ante enim quàm Dei ſapientia fieret homo, & cum hominibus conuerſaretur in homine, intelligebantur à paucis explicite indiuiduæ trinitatis parilitas, trium perſonarum diſtinctio, eſſentiæ vnitas, æqualis poteſtas, vna maieſtas, vnaq; diuinitas Patris & Filii & Spiritus ſancti: incarnandi verbi myſterium, incarnationis fructus, redemptionis modus, indiſſolubilis charitatis vinculum: Chriſti & eccleſiæ ſacramentum atq; ſpirituale connubium. At verò Dei filio apparēte in carne, & per aſſumptum hominem loquente, ac pro hominibus paſsionis ludibria, flagellantium ſe verbera, acerbiſsimæ mortis dira, & intolerabilia ſupplicia patiente: iſta quæ ſub obtectis ænigmatibus, à prophetis fuerant propalata ita ſunt facta notiſsima, vt per eccleſias populis publice prędicentur, confiteantur ab omnibus, & ab vniuerſis fidelibus venerentur. Nomen inſuper domini Ieſu, quod penè erat ignotum, adeò effectū eſt celebre, & tam honorabiliter ſublimatum, vt in hoc nomine omne genu flectatur cęleſtium, terreſtrium & infernorum; nullumque aliud datum ſit nomē ſub cęlo, per quod oporteat ſaluos phil. 2. fieri credentes, quàm hoc. Act. 4. Vexillum deniq; crucis, quod iniquis & ſceleratis hominibus deputatum erat ad ſupplicium, ex quo idem Saluator pependit in illo, in tanta creuit venerationem, vt ab vniuerſis colatur Chriſticolis, & ſingulorum imprimatur frontibus: muniaturque ex illo pectus, factum etiam ſit tutamen in cunctis periculis, terror dæmonum, credentium ſalus, robur debiliū, principum gloria, arma populorum, nutantium ſpes, fiducia pugnantium, clauis cęli, peccatorum venia, occaſio meritorum, oſtenſor miſerationis diuinæ, pretium redemptionis humanę, Chriſtianæ militiæ decus, patientię ſpeculum, humilitatis exemplar, obedientię norma, forma iuſtitię, charitatis experimentum, victorię brauium, lignum vitę Chriſti ſanguine rubricatum: cunctarumque virtutum margaritis ornatū. In ipſo quoque Dei Filio & domino Ieſu Chriſto eſt fundata eccleſia mira graduum, & officiorum varietate decorata, atque donorum ſpiritualium multiplicitate inſignita (prout Apoſtoli Pauli claret teſtimonio ſuperius memorato) fides catholica propagata: aggregata populorum turba, Deū die noctuque conſona voce, pari voto ac ignito affectu lau-

laudantium, laudabilibuſque operibus eidem famulantium, necnon bonitati ſuæ gratias agentiū qui in vnigenito Filio ſuo diuinę conſortes eſſe naturæ, cohęredes regni, & comparticipes glorię concupiſcunt. Sacramenta poſtremò Eccleſiæ, in quibus ſalutis humanę eſt ſubſtitutus effectus, ab eodem incarnato verbo quędam ſumpſere principium, quędam authoritate ipſius roborata exiſtunt. Quę enim ipſe inſtituit, vitam beatam conferunt dignè ſumentibus: infidelibus autem & indignis interitum ſempiternum. Sapientiam Dei in homine loquentem de baptiſmo, quid dicat, audiamus: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non intrabit in regnum cælorum. Cæterorum quippe ſacramentorum baptiſmus eſt fundamentum & ianua: per quam introitur in Eccleſiam, & ab Eccleſia tranſitur ad regnum. Abolentur namque per hoc ſacrum lauacrum originale delictum: & vniuerſa (ſi qua ſunt) perpetrata facinora, facit præterea eo ablutum gratum Deo, Eccleſiæ filium, ſanctorum contubernio dignum theſaurorum Chriſti participem, innocentiæ candore veſtitum, æqualem Angelis, myſticique corporis Chriſti membrum viuum. Porrò qui eo caret, palmes eſt præciſus à vite nullum gratū Deo ferens fructum: ſed igni perpetuo, æternaliter cōcremandus. Verum quod de baptiſmatis ſacramēto dictum eſt, hoc de euchariſtiæ ſacroſancto myſterio ſentiendū eſt: de his duntaxat dicō, qui ſunt rationis capaces, & ad diſcretionis attigere ætatem: qui vel per infidelitatem, ſeu per inſenſibilitatem, & mentis hebetatum torporem panē vitæ contemnunt ſumere: de quibus Saluator ait: Niſi manducaueritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis. Pueris ſiquidem & diſcretionis carentibus huiuſmodi non eſt indicta neceſſitas. Abluti enim lauacro ſancto, ſanctificato, per verbum etiam abſque huius perceptione ſacramenti in fide ſaluantur Eccleſiæ. Nam quemadmodum ſine materiali alimento, corpus viuū diu permanere nō valet: ita proculdubio abſque hoc cęleſti pabulo rationalis anima charitate priuata ſpirituali vita, & viuificante gratia vegetari nequaquam poteſt, neque opus dignum æterna remuneratione peragere: tametſi corpus ipſum ſacramentaliter videatur aſſumere, non ſine animę ſuæ detrimento maximo, dicente Apoſtolo: Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus domini. Studeat igitur quiſque fidelis eſſe in corpore Chriſti membrorum viuum per charitatem compactum atque connexum, quatenus de eodem ſpirituali cibo, quo corpus ipſum vegetetur, paſcatur nutriatur & creſcat à capite ſuo cooperante in corpore, quod eſt Eccleſia, quam ita dilexit, vt traderet ſemetipſum pro ea mundans illam lauacro ſanguinis & aquæ in verbo, vt exhiberet ſibi ſpecioſam Eccleſiam non habentem maculam, neque rugam, neque aliquid eiuſmodi. Illam denique non ſolum mundauit lauacro aquę in verbo, verumetiam ab æterno exitio proprio cruore redemit per verbum. Parum quippe profuiſſet ei lauari lauacro aquę in verbo, niſi per illud verbū, per quod mundata fuerat, eſſet quoque redēpta. Per lauacrum ſiquidem mundationis, & per redēptionis myſterium effecta eſt Eccleſia ſponſa formoſa abſque macula & ruga. Optimè namque in hoc opere ſanctificationis Eccleſiæ conſummato per verbum conueniunt aqua & ſanguis ſe in illis Sācto infundente ſpiritu verbi cooperatore. Nā perhibente Ioanne quum penderet in cruce corpus exanime domini Ieſu redemptoris noſtri, fuiſſetque lancea tranſfixum, vt oſtenderetur, quanti eſſet precii opus paſsionis, & qualem, quantumque in ſe haberet effectum, continuò exiuit ſanguis & aqua, inſinuans ex hoc dominus ſalutis humanę myſterium eſſe completum. Mūdamur quidem in aqua ab omni ſorde peccati, ſicut per Prophetam dominus pollicetur inquiens: Effundā ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omni inquinamēto carnis, & ſpiritus, & dabo vobis ſpiritum nouum. Redimimur verò per ſanguinis effuſionem ab omni ſeruitute diaboli, delictorū & mortis, Apoſtolo Petro atteſtante, qui ait: Scientes quòd non corruptibili auro vel argento redēpti eſtis de vana veſtra conuerſatione paternę traditionis, ſed precioſo ſanguine, quaſi agni incontaminati & immaculati Chriſti. Et Ioannes in Apocalypſi inquit: Gratia vobis & pax ab eo, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt, & à Ieſu Chriſto, qui eſt teſtis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terrę, qui dilexit nos & lauit à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. Luce igitur clarius patet, quòd reconciliamur Deo, mūdamur ab iniquitatibus, & à ſeruitute redimimur per Ieſum Chriſtum Dei Filium & dominum noſtrum: & per ſacramenta ab ipſo initiata atque ſtatuta copulamur, & conglutinamur corpori eius myſtico & de ſpiritu eius viuimus, efficimurque ex inimicis amici, ex ſeruis liberi, ex exulibus ciues Angelorum, & ex alienis filii & hæredes. Per eundem poſtremò fiduciam habemus accedēdi ad Deum, porrigendi ſupplicationes, impetrādi poſtulata, conſequendi veniam, gratiam promerendi, & perueniendi ad gloriam. Quamobrem ipſum totis viſceribus diligamus: ita vt corde in hiſtibus ei, ſpirituales promamus laudes & gratias, & mentis noſtræ hoſpitium mundum ab omni peccati labe ſeruemus. Lingua inſuper noſtra ipſius magnificet nomen, maieſtatis illius enarret præconia, beneficia ſibi collata non taceat, & exhortationis verba proximis ſecum conuerſantibus minime ſileat. Opera denique noſtra ita fine ornata virtutibus, vt coram hominibus luceant, & per ipſa glorificetur Deus, qui operatur in nobis: & ad imitandum etiam qui viderint, prouocen-

Ioan. 3.

Ioan. 6.

1. Cor. 11.

Eze. 36.

1 Petr. 1.

Apoc. 1.

centur, nullam ex his temporalem expectantes mercedem, ſeu tranſitoriam laudem: quemadmodum hypocritæ & ſeculi deſiderant amatores. Sufficiat nobis pro præſenti remuneratione laboris, quem in bene agendo vtcunque patimur, laus diuina, profectus proximi, conſcientiæ nitor, virtutis exercitatio, vitiorum fuga, & futuri iudicii infuſa ſecuritas. Securus prorſus & intrepidus in extremo examine coram iudice iudicaturo aſtabit, qui nullam diuinę gloriæ rapinam exercuit, nullūque in laudabiliter operando priuatum concupiuit honorem, cum Propheta pſallens & dicens:
Pſal. 113 Non nobis domine nō nobis, ſed nomini tuo da gloriam. Illi profectò honor, laus omnis debetur & gloria, qui cum in forma Dei eſſet, vt Patri proprium exhiberet honorem, ſemetipſum vſque ad ſuſceptionem paſsibilis ac ſeruilis naturæ exina-
Phil. 2 niuit, factus eidem obediens vſque ad turpiſsimā crucis mortem. Ob quam cauſam Deus illū exaltauit ſuper omnes Angelos, thronos, dominationes, principatus, atque virtutes: deditque illi omnem plenitudinem poteſtatis in cœlo & in terra, nec nō vniuerſale iudiciū facere, quia Dei Filius,
Iſa. 45 & Filius hoīs eſt: donauit quoq; illi nomē, quod eſt ſuper omne nomen, cui cœleſtium, terreſtriū, & infernorum omne flectatur genu. Meritò namque eidem omne flectitur genu, vniuerſaque curuantur imperia tanquam Filio Dei, regi regū, eccleſiæ capiti, redemptori prædeſtinatorum, cunctarum largitori gratiarum, & omnium beatitudini ſanctorum: quem vniuerſi (& pręcipue fideles) pio debent venerari affectu, ipſiuſque deſiderare frui præſentia: non per ſpeculum in ænigmate, neque per fidem, ſed facie ad faciem, vbi cum Patre regnat in gloria.

Quòd naturaliter homo appetat ad altiora conſcendere, & quòd Dei iudicia non ſint ſcrutanda: qualiſque & ad quid homo ſit conditus.
Cap. XV.

MOrtalibus hęc eſt naturaliter innata cupido, vt ſemper ambiant ad alta cōſcēdere, & hoc vnicuique iuxta gradum proprium. Quidam enim ex aggregatione temporalium facultatum arbitrantur ſe earum abundātia cæteros æſtimatione præcellere: nonnulli autem ex adeptione dignitatum et magiſtratuum, ſeu ex adminiſtratione officiorum putant ſe hominibus laudabiles eſſe; aliqui verò ex acquiſitione ſcientiæ et eloquentiæ faſtu dantes operam, plus ſcire quàm reliqui, quatenus inflati & tumidi admiratione in turbis digni appareant: alii ſimiliter ſic, & alii ſic, prout proprius cuiuſq; obliquus & inordinatus trahit affectus. Talis profectò appetitus aſcendendi rationabiliter in hominū mētibus ab autore ſuo inſitus eſt, qui optimo, irre-
Sap. 11 prehenſibili, inſcrutabilique conſilio vniuerſa creauit in pondere, numero et menſura: tametſi multa, quę facta ſunt, et quotidie fiunt, videantur eſſe confuſa, et ratione carere: quod quidem ex cęcitate iudicantis, nec intelligentis prouenire noſcitur. Quis (oro) cognouit ſenſum domini?
aut quis conſiliarius eius fuit? Quis (inquam) alti- Rom. 11
tudinem ſapientię eius, et arcanas iudiciorum Dei cauſas perſcrutari pręſumpſit, et impune pertranſit? Sapientem audi quid dicat: Altiora te
ne quęſieris, et profundiora te ne ſcrutatus fue- Prou. 25
ris, quia ſcrutator maieſtatis opprimetur à gloria. Meritò opprimetur à gloria, et tenebreſcet à lumine, qui ſecretorum Dei profunda iudicia, quę illi ſoli ſunt nota, et quibus ex parte reuelare voluerit, indagare atque conatur agnoſcere. Nititur nanque ad hoc attingere, ad quod Apoſtolus Paulus peruenire non valuit, quum ait:
O altitudo diuitiarum ſapientiæ et ſcientię Dei, Rom. 11
quam incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, et inueſtigabiles vię eius. Aciem mentis in claritate luminis ſempiterni figere cupiens, et minime valens illico reuerberatus, cōfeſſus eſt iudicia Dei prorſus eſſe inſcrutabilia. Propheta quoq; in hūc ſenſum deductus, iquit: Iudicia Dei abyſsus mul-
ta. Admonemur igitur ex his quę dicta ſunt, ipſa Pſal. 36
diuina iudicia potius debere venerari, quam curioſe aut pręſumptuoſe rimari: et toto corde cōfiteri eadem eſſe veriſsima iuſtificata vtique in ſemetipſa, Sapiente hoc atteſtante, qui ait: Omnia,
quę feciſti nobis domine, in vero iudicio feciſti, Sap. 11
quia peccauimus tibi et mandatis tuis non obediuimus. In Daniele quoque propheta ſic legitur:
Benedictus es domine Deus patrum noſtrorum Dan. 3
et laudabile et glorioſum nomen tuum in ſecula quia iuſtus es in omnibus, quę feciſti nobis, et vniuerſa opera tua vera: et vię tuę rectę, et omnia iudicia tua vera. Iudicia enim vera feciſti iuxta omnia, quę induxiſti ſuper nos, et ſuper ciuitatē ſanctam patrum noſtrorum Hieruſalem, quia in veritate et iudicio induxiſti omnia hęc propter peccata noſtra. Sunt itaque (ſicut dictum eſt) iudicia Dei non ſcrutanda, ſed veneranda: opera verò eius prorſus intelligenda, quatenus ex opere ſapientiam artificis cognoſcamus, cognoſcendo diligamus, diligendo ad ipſum quandoque peruenire valeamus. Non enim fruſtra idem vniuerſorum artifex fecit nos ratione capaces et gloria cupidos. Per rationem quippe (mediantibus creaturis, ſanctarumque ſcripturarum eloquiis) ad qualemcunque pertingimus Dei notitiam, per-
hibente Apoſtolo ac dicente: Inuiſibilia Dei à Rom. 1
creatura mundi per ea quę facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus at-
que diuinitas. Et propheta: Declaratio ſermonū Pſal. 118
tuorū illuminat, et intellectum dat paruulis. Per appetitum autem ſublimitatis et honoris impellimur ad deſiderandam et conſequendam celſitudinem cęleſtis glorię: quę in futuro promiſſa eſt perſeuerantibus in bono, laudabiliterque viuentibus.

tibus. Cęterum quum ex carentia guſtus diuinę bonitatis, atque ex priuatione ſpei ęternorũ prę miorum hebetata ſit ratio: necnon grauata mole corporeę fragilitatis ad inuiſibilia, per viſibilia perquirendum elanguerit, denique appetitu adipiſcendæ gloriæ in cęlis repromiſſæ fidelibus, exul homo ſupernæ patriæ: & ciuis mundi huius effectus tanquam rationis lumine priuatus, atque in fidelitatis inſēſibilitate obrutus ac ſepultus ſe ad quærendum delectabiliterque poſsidendum viſibilia bona, & temporalia oblectamenta conuertit abutendo donis naturalibus & gratuitis, atque ſui conditoris deturpando imaginem, quam gerit in anima: quæ ideo talis eſt facta, vt in ipſa eluceat diuinæ bonitatis affluentia: & per ipſam glorificetur imago Dei inuiſibilis: verbũ (videlicet) ſempiternum ante omnia ſecula genitum ex Patre, ad cuius imaginem idē homo rationalis eſt conditus, quemadmodum diuina fatentur oracula. Sic enim in illius creatione Deum dixiſſe legi-

Gen. 1.

tur: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. Declaratur ex hoc humanæ naturæ ſublimitas, quum quodam in creatione ſua, Deus ſit vſus conſilio. Nam dum faceret cęteras creaturas, ſiue cœleſtes, ſeu terreſtres, dixit: Fiat lux, & facta eſt lux: fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis, & factum eſt ita: fiant luminaria in firmamento cęli, & factũ eſt ita: & ſic de reliquis, prout in mundi per Moſem exordio deſcribitur. Quum verò ad formandum hominem veniſſet, inquit: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, inſinuans ex hoc totius trinitatis in ipſius hominis plaſmatione concurriſſe conſilium: dicēdo ſiquidem, faciamus, diſtinctionem indicat perſonarũ, ſingulariter autem imaginem memorans, ſubſtãtiæ denunciat vnitatem. Tres namque ſunt perſonæ, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus: vna verò eſſentia indiuiſibilis, & inſeparabilis & nō vna perſona, & vna imago, non tres imagines. Nã Filius Patris eſt vera imago: & eſt tam propria, tam æqualis, tam ſimilis, vt veraciter & catholice dicatur: Qui videt Patrem, videt Filium, Ipſum Filiũ, quid Philippo poſtulanti, vt eis Patrem oſtende-

Ioan. 14.

ret, dixerit, audiamus: Tãto (inquit) tempore vobiſcum ſum, & non cognouiſti me? Philippe qui videt me, videt & Patrem meum: nō credis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt: Et ad Iudæos lo-

Ioan. 10.

quens ait: Ego & Pater vnum ſumus, quod vtiq; homo dicere nequaquam valet: quamuis ad eius ſit formatus imaginem, quum aliud ſit eſſe imaginem, aliud ad imaginem eſſe. Eſſe nanque imaginem, indicat parilitatem eandem, eandemque ſubſtantiam ita expreſſam & propriam, vt nō poſſit ſeparari, neque perſona vna eſſe valeat ſine alia, aut altera agnoſci abſque altera. Hoc inſinua-

Ioan. 8.

re voluit ipſe vnigenitus, quãdo dixit: Si cognouiſsetis me, & Patrē meũ vtiq; cognouiſsetis. Ad imaginem verò eſſe conditum, qualemcũque indicat exemplaritatem prorſus ab eſsentia imaginis alienã, quãuis ſimilē: ſicut res illuminata ab iſ luminante lumine, & creatura à creatore. Erat quippe Ioannes Baptiſta præcurſor Saluatoris (prout idem teſtatur Dominus) Lucerna ardens & lucens, non tamen lux. Apoſtolũ Ioannem audi, quid de hac dicat lucerna: Fuit homo miſſus à Deo, cui nomē erat Ioãnes: hic venit in teſtimonium, vt teſtimoniũ perhiberet de lumine. Non erat ille lux, ſed vt teſtimoniũ perhiberet de lumine. De luce autem intulit loquens de Chriſto Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Si omnem hominē, ergo & Ioannem. Quum enim dicat omnem hominem, nullus excipitur, vt nemo glorietur ſe lucē eſſe niſi in domino: quemadmodũ quibuſdam conuerſis Apoſtolus ſcribens ait: Fuiſtis enim ali-

Ephes. 5.

quando tenebræ, nunc autem lux in domino. Solus igitur dominus Ieſus Dei filius lux eſt, qui de ſeipſo veraciter ait: Ego ſum lux mundi. Cæteri autem, qui vtcunque lucent, ab hac luce recipiūt

Ioan. 1.

lumen. Idem itaque mediator dominus Ieſus, quemadmodum ſolus eſt lux, quæ neſcit occaſum, & nullam recipit viciſsitudinem tenebrarũ: æquè ſolus eſt perfectiſsima & ęterna Patris imago, de qua ſic legitur: Candor eſt enim lucis ęter-

Sapien. 7.

nę, & ſpeculum ſine macula, ſplendor diuinę maieſtatis, & imago bonitatis illius. Alii quippe homines, qui ad imaginem Dei formati dicuntur, ſimilitudinem quandam ab ipſa imagine perceperunt. Hinc ratio innata homini naturaliter concupiſcit illuminari ab ipſius ęternę ſapientię luce, quod ī hac peregrinatione ex parte incipitur, & in futuro perficitur, perhibente Apoſt. Ex par-

1. Cor. 13.

te cognoſcimus, et ex parte prophetamus. Quum autem venerit quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt. Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, quod eſt ex parte: tunc autem facie ad faciem. Hac vtique ratione appetitus aſcendēdi inſitus naturaliter huic creatæ imagini, trahit illam ad concupiſcentiam vniendi ſe increatæ imagini tanquam principio, à quo, et fini, ad quē condita eſt. Ex his nanque colligitur, quòd rationalis creatura naturaliter tendit in Deum, neq; in aliqua re (præterquam in Deo) oblectari perfectè et ad ſatietatem valet (ſi tamen naturæ dignitatem ſeruauerit: quam profectò quum deprauaueris, neceſſe eſt vt per inania et tranſitoria ſe diffundat gaudia, quoniam abſque alicuiusrei delectatione nequaquam viuere poteſt.) Quamobrē immenſas gratias ſuo referat conditori, quiſquis verbi Dei et æternæ ſapientiæ irradiatus ſplendore ſe peregrinari in veritate cognoſcit à domino totiſque ignitæ charitatis deſideriis flagrantiſsime beatiſsima illius concupiſcit frui præſentia. Nempe qui talis eſt, et ad gradum hunc (diuina ſibi opitulante clemētia) peruenire promeruit,

tan-

tanquam huius ſeculi aduena patienter degens ſui corporis reſolutionem inhianter expectat, cuncta ardua & aſpera ęquanimiter patitur, non eleuatur proſperis, nec frangitur aduerſis: quæcunque temporalia habet, ſolum ad vſum & neceſſitatem poſsidet, & hoc vtitur mundo, tanquam non vtatur: ſi infirmatur, gaudet: ſi perſecutionē ſuſtinet, gratias agit: ſi ipſi maledicitur, ipſe bene dicit: ſi attollitur laudibus, humiliando ſe deiicit: ſi damnis afficitur, illud beati Iob memorabile dictum animo reuoluit dicens: Nudus egreſſus ſum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc: Dominus dedit, dominus abſtulit: ſicut domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen domini benedictum: ſi facultatibus abundat, cum pauperibus impertitur: ſi neceſſariis eget, non cōtriſtatur, quo
philip. 4. niam cum apoſtolo Paulo nouit abundare, eſurire, ſitire, & penuriam pati, ſi periculis inuoluitur, ad orationis confugit ſuffragium, auxilium de cœlo à Deo expoſcens: ſi tentationibus agitatur reluctando viriliter exultatione repletur Iacobi Apoſtoli exhortatione admonitus, qui ait: Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam quum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe, ſi ſubtractis ſpiritualibus delectationibus mente efficitur ſterilis, ſpei ſe magnanimitate confirmat cantans & dicens; Expecta dominum, viriliter age, conforte
pſal. 26. tur cor tuum, & ſuſtine dominum, ſi ex ſuperueniente gratia exhilaratur animo, humilitatis ſe grauitate corroborat: ſi orationi vacat, Deo in ſpiritu aſtare ſe putat amouendo à corde noxias & ſuperfluas cogitationes: ſi diuinarum ſcripturarum lectioni intendit, ſpiritualem ſenſum ſub velamine literæ conatur elicere: denique ſi ex inhabitante cordis penetralia verbi præſentia ſponſi caſtis potitur amplexibus, conditoris ſui amore flammeſcens, ſi ſupra ſe cęleſtia meditando attollitur, charitatis liquefactus dulcedine, ſupernorum ciuium concupiſcit aggregari conſortio, ſitque illi tunc onerosus ſui corporis incolatus, diſſolui cupienti & eſſe cum Chriſto. Nam etſi ipſū manere in carne vtile quantumcunque eſſe videatur, cum Chriſto regnare multo melius eſſe arbitratur. Conſolatur autem ſeipſum, & huius peregrinationis ęrumnas forti tolerat animo me
Rom. 8. mor Apoſtolici ſermonis dicentis: Exiſtimo enim, quòd non ſint condignæ paſsiones huius tēporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Nam expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. Vanitati enim creatura ſubiecta eſt non volens, ſed propter illum, qui ſubiecit eam in ſpe, quia ipſa creatura liberabitur à ſeruitute corruptionis in libertate gloriæ filiorum Dei. Scimus enim, quòd omnis creatura ingemiſcit & parturit vſque adhuc: nō ſolum illa, ſed & noſipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei expectātes redemptionē corporis noſtri. Eſſe namque cum Chriſto in patria deſideranter concupiſcit tanquam multo melius, ſed peregrinari in carne ex deliberatione complectitur. Præponit enim diuinam voluntatem ſuæ, potiuſque illi cupit placere, quàm ſibi: cui in omnibus deſiderat obtemperare mādatis, atque ab ipſius nullatenus diſcrepare conſiliis. Nouit quidem ex dilatione ſui incolatus nequaquam ſui poſse præſentiam conditoris amittere indubitata ſpe propriæ ſalutis roboratus de Dei bonitate & fiducia, cū Paulo dicens: Scimus enim quoniam ſi terreſtris domus 2. Cor. 5. noſtra huius habitationis diſſoluatur, quod ædificationem habemus ex Deo, domum non manufactam æternam in cęlis. Nam & in hoc ingemiſcimus habitationem noſtram, quę de cęlo eſt ſuper indui cupientes (ſi tamen veſtiti, & nō nudi inueniamur. Nam & qui ſumus in tabernaculo iſto, ingemiſcimus grauati, eo quòd nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri, vt abſorbeatur quod mortale eſt à vita. Hinc eſt, quòd futuræ reſurrectionis ſpe fretus in vniuerſis ſibi occurrētibus, ſiue proſperis, ſeu aduerſis virtuti coaptat mentē, ſicque cōuerſatur in carne ſui cordis intendens cuſtodiæ, quaſi quotidie moriturus frequenter nihilominus propheticum illud decātās in ſpiritu: pſal. 41. Quemadmodū deſiderat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus: Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei.) Viuit planè in corpore ſeruiens Deo, & miniſterio ſibi credito vacat exterius: interius autem non ſolum à noxiis, & inutilibus cogitationibus inordinatiſque affectibus, propriā mentē excutit, verūetiā quantū illi fas eſt, ab occurrētibus neceſsitatibus ſuis, & aliorum ſe liberare contendit, vt expeditus inueniatur ad meditādā quæ Dei ſunt. Hominū denique cōſortia, quæ ex mutua cōfabulatione mētis maculant puritatem, & variis replēt phātaſiis, pro viribus declinat quærendo ſolitaria loca mœroris & orationis amica diuino hortatus oraculo. Cant. 2. Ducam (inquit dominus) eā animam (videlicet) deuotioni inſtare cupientem in ſolitudinem, & loquar ad cor eius, non in tumultibus hominum, neque in ſragoribus actionum, ſed in ſolitudine tranquillitatis & pacis. Dominus ad cor loquitur & diuinorum eloquiorum, cęleſtiumque bonorū arcana myſteria reuelat. Horum ſiquidem eruditus experientia, horum affectus dulcedine, iuxta gratiam ſibi traditam, & ſpiritu impellēte, qualia ſint ſupernorum ciuium gaudia, quanta ſint 1. Cor. 2. præmia, meditatur & mente complectitur. Nam etſi (perhibēte Apoſtolo) oculus non vidit, auris non audiuit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparauit Deus diligentibus ſe: tamen (reuelante ſpiritu) aliquo modo noſtra deguſtauit, non qualia aut quanta ſunt, ſed quantum humana infirmitas intelligere poteſt, & quārum Deo libet com-

communicare. Paulus quippe, qui vſque ad tertiũ cœlum raptus eſt, & de Dei eſſentia, & illius gloriæ magnitudine, arcana vidit & audiuit, quæ [2.Cor.12] non licet homini loqui, ſic ait: Siue in corpore, ſiue extra corpus, fuerit, neſcio, Deus ſcit. Quid de huiuſmodi gloria dicere poteſt, quĩ ĩ mortali conſtitutus eſt corpore, & in terra conuerſatur, veluti ciuis & incola? Ipſe quoque Ioannes in cœna recubuit ſupra pectus domini Ieſu, & inde [Ioan.1] verbi hauſit generationem, quam poſtea eructauit dicens: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deũ, & Deus erat verbũ. Nihil particulariter de ipſa dixit, ſed tantum quæ in futuro manifeſtãda ſunt, nobis enarrauit inquiens: Cha[1.Ioan.3]riſſimi nunc filii Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus: ſcimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Quid nos carne inuoluti, & ſanguine de tãta re præſumere debemus? Si enim de iis, quæ quotidie cernimus, audimus, & manu cõtingimus, vix pauca agnoſcimus, quid de inuiſibilibus & cæleſtibus iudicare debemus? Qui legit intelligat, Nã quod de ipſis credendo confitemur, per ſcripturas ſacras (docẽte ſpiritu ſancto) didicimus, necnõ per vnigenitum filium Dei in ſinu Patris exiſtẽtẽ, qui in carne apparẽs enarrauit nobis, nunc per parabolas, nũc ſub verborũ cõpẽdio imbecillitate noſtra aliter nõ apprehẽdẽte, eodẽ vnigeni[Ioan.3]to atteſtãte, qui ait: Si dixi vobis terrena, non creditis: quomodo, ſi dixero vobis cęleſtia, credetis? Ipſa ideo gloria à Deo fidelibus promiſſa, quamuis propter immenſitatem, eiuſq; ſuauitatẽ, ſicuti eſt explicari non valeat, tamen quid ſit, taceri nõ debet ad exhortationem illorum, qui ſpernentes viſibilia & tẽporalia bona inuiſibilia & cęleſtia, quę omnem ſenſum ſuperant, cõſummato huius peregrinationis agone obtinere non dubitãt, verbo Dei hoc pollicẽte, quod ait: Celũ & terra trã[Mar 13]ſibũt, verba autẽ mea non præteribunt. Nẽpe gloria illa, quæ pro remuneratione laborũ pro Chriſto in terra certantium donatur in patria, Deus eſt, quo nihil melius eſt. Poſtulante namque Moſe dominum, vt manifeſtaret ſe illi, audiuit: Oſtẽdam tibi omne bonũ, id eſt meipſum. Non enim potuit aut rectius, aut verius, aut efficacius diui[Exo.33]nę maieſtatis gloria explicari, quã dicere: Oſtendam tibi omne bonũ. Totum quod eſt fęlicitatis quod ſatietatis, & quod delectationis, hoc vnico verbo comprænenditur Bonum hoc à nullo habet, quod eſt, quia naturaliter eſt, quod eſt. Ab ipſo autem, ſiqua ſunt bona, condita ſunt ſiue in cęlo, ſiue in terra, non ex ſe bona, ſed a bono bona, quia bonus nõ poteſt niſi bona facere. Contẽplatio igitur huius ſummi boni, quod Deus eſt, vita æterna eſt, beatitudo indeficiens, & ſempiterna ſatietas. Hoc bonũ quiſquis ſicuti eſt, intueri meruerit, ab eius amplexibus diuelli nõ poterit: quoniam replebitur admiratione, dilectione ſapientia, gaudio, ſecuritate, pace & laude, dicente, Propheta: Beati qui habitant in domo tua domine, in ſecula ſeculorum laudabunt te. [Pſal.83] Laudabunt (inquit) & nunquam à laude repeſcẽt aſpicientes in eum omni laude digniſſimum, in quo ſunt omnia laudabilia, deſiderabilia, & amabilia, quoniam quod in eo eſt, Deus eſt: lex iuſtitiæ, infallibilis veritatis, bonitatis indeficiens latitudo, cuncta complectens, ſapientia vniuerſa perluſtrans, & ſublimitas omnia creata tranſcendens: quem agnoſcere vita ęterna eſt, quem diligere gaudium ineffabile eſt, quem laudare iucundiſſimum eſt, et quo frui beatificum carens mœrore, timore, dolore, dubitatione, varietateque. Nam ad hoc bonum contemplandũ electus quiſque ideo ſumitur, vt intrans in gaudiũ domini ſui vltra non egrediatur foras, ſed tranquillitate perpetua potiatur, dicente verbo Dei. Volo pater, vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum, & vt eos, quos dediſti mihi, non perdam ex illis quẽquam, tu pater in me, & ego in illis, vt ſimus conſummati in vnum. Quid maius promitti potuit? quid beatius tribui, quàm ſicut pater in verbo, ita verbum eſſe velit in nobis per annexum amoris, & vinculum charitatis, non per naturam, ſed per adoptionem, qua Deus pater in filio ſuo nos gratificare dignatus eſt, regni ſui comparticipes faciendo? Hęc eſt hęreditas filiorum Dei patris mandata cuſtodientium, eſſe (videlicet) cũ Chriſto, & patris præſentia potiri, ipſumque facie ad faciem contemplari: videre etiam Chriſtum in patris dextera in humanitate noſtra reſidentem, eleuatum ſupra omnes angelorum, archangelorum, thronorum, dominationum, virtutum, cherubim & ſeraphim choros: cunctorumque ſanctorum, patriarcharum, prophetarum, & electorum omnium decore veſtitum: ipſam quoque ciuitatem ſanctã Hieruſalem ſuo pręclariſſimo fulgore illuſtrantem, ita vt nullo alio indigeat lumine, quum ipſe agnus Dei ſit lux indeficiẽs, inextinguibilis, atque perpetua: in cuius verbi lumine ſinguli percipiunt lumen, Deumque glorificant & venerantur. Non enim poſſunt non laudare illum: per quem ſunt creati, confirmati ac redempti. Nam ab illo confirmati ſunt angeli, & electi quique ad tantam prouecti ſunt gloriam, interueniente per effuſionem ſanguinis redemptione, & ipſo Dei filio pro hominibus interpellante, patrique oſtendẽre vulnerum cicatrices, pręcipuũ ſuę dilectionis indicium. Eadem nãq; ratione, & eodẽ affectu Dei filius indutus, humana natura coli debet et honorari, quo pater ipſe, quoniam per ipſum et in ipſo ſunt omnia, fiuntque ſingulorũ electorum gaudia, communia omnibus, et omnia ſingulis: et ſe quilibet bonum illud habere in ſeipſo putat, quod agnoſcit in alio eſſe propter cõiũctionẽ amoris, quę ſibi mutuo gerũt in Chriſto: quorũ ipſe eſt caput. Inuicem quippe ſe diligunt in charitate perfecta: omni qua poſſunt virtute eum collaudant, & plus quàm poſſunt, lau

dare

dare cupiunt: quoniam incomparabiliter longe plus quàm intelligunt, ipſum fatentur eſſe laudãdum. Omne illorum igitur deſiderium eſt, omniſque actio contemplari, laudare illum, & transformari in illum, magis illum quàm ſe diligẽtes. Psal. 35. Hinc ſitiunt, & ab vbertate domus Dei inebriantur potantes ad ſatietatem de torrente voluptatis æternæ: quæ affluentiſsime emanat de fonte vitæ, de quo ſcriptum eſt: Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis. Eccl. 1. De hoc quippe vitæ fonte ſcaturiunt indeficienter riuuli ſapientiæ ſuauiores omni nectare, & omni ſplendore clariores, ex quibus ipſi beati ſpiritus recreati quadam ſobria ebrietate replentur omni lumine, & ſuperabundant gaudio, Deo ſibi omnia exiſtente in omnibus, qui eſt benedictus in ſecula. In hac profectò contemplatione cæleſtium pręmiorum perfecti quique nonnunquam rapiuntur: quoniam quæ retro ſunt obliuiſcentes, ſeque ad anteriora extendentes brauium proſequuntur ſupernæ vocationis, vt apprehendant, in quo comprehenſi ſunt, & guſtando intelligant, quæ deſiderãdo ex Dei promiſsione poſsidere ſemper expectant. Qua ſiquidem expectatione per patientiam & tolerantiam aduerſitatum emergentium efficiuntur quotidie fortiores: nunc Dei gloriam, prout poſsunt & illis præſtatur, ſpeculantes, nunc reluctando viriliter de virtute proficiunt in virtutẽ, gradatimque ſtudent ad altiora & perfectiora conſcendere (expectantes nihilominus corporis reſurrectionem, quatenus iuxta ſua vota poſsint videre in Sion Deum deorum.) Psal. 83. Hic planè peregrinantium, & ad perfectionem per virtutum ſcalam aſcendentium eſt vltimus gradus, patienter (videlicet) viuere, & ad cęleſtis patrię brauium ardentiſsime pergere: vt ad Deum poſsint fęliciter peruenire, eumque ſicuti eſt videre, qui eſt omnium origo bonorum, bonum ineffabile, vitæ fons, lux indeficiens, pugnantium fortitudo, corona vincentium: & cum ipſo regnantium gloria, qui trinus eſt Deus permanens in ſecula ſeculorum. Amen.

FINIS.

DIVI LAVRENTII IVSTINIANI Venetiarum

Protopatriarchæ, opus de Incendio diuini amoris, nunquam antea in lucem editum feliciter incipit.

PROOEMIVM.

QVoniam infinitis penè laqueis circunſepta eſt humaua fragilitas, id maximè videndum eſt, quomodo & hoc labilis vitę curſu cautè ambulemus. Neq; fieri poteſt, vt tot illecebrarum nexus, qui ſinguli nō modo caſum, verumetiam præcipitium comminantur, oculis noſtris cerni queant; niſi diuina lampade præuia inuiſibiles tùm Diaboli, tùm etiam carnis & mundi inſidias detegamus. Id itaque miſericordis ac piiſsimi Dei munus eſt; nec aliundè niſi ab ipſo id petere debemus; cum ipſe ſit fons, & origo omnium bonorum. Quicquid habet boni, quicquid poteſt, & vult homo, non niſi ab ipſo; cuius potentia creata ſunt omnia: per cuius ſapientiā ordinatè perſeuerant vniuerſa. Vnde in omni petitione, exercitatione, & fine. Primò ad ipſum erigenda eſt acies interioris noſtri hominis: vt videat in ipſo quid ipſe velit. Quod minime valemus, niſi ſit purgatus animus ab omni fęce peccati, per quod labefactatur viſus noſter. Vndè neceſſe eſt, vt qui vult Dominum, & Dei voluntatem cognoſcere mundet ſe, & tunc poterit accedere ad montē ſanctum eius; in quo data eſt ſpiritualis lex, & exemplar totius diuinæ voluntatis præmōſtratum eſt: Ita quod nemini liceat, ſe excuſare, quia reuelatum eſt. Nam olim Patribus Deus per enigmata, & in latibulo; nunc verò per Verbum ſuum vnigenitum, & coæternum loqui miſericorditer dignatus eſt: Nec ſolum loqui, ſed formam vitæ, ſcripturarum arcana, & ſacramentorum myſteria, atque cœleſtis patriæ triūphalem gloriam miro modo, & verbis propalauit & factis. Quare diſruptis vinculis peccatorū; depoſitis curis labentium rerum, omni cum ſolicitudine accedamus ad dominum Ieſum, in quo eſt plenitudo omniū bonorum, & perfectio omnium virtutum; & per ipſum aſcēdamus ad Deū: quoniam ipſe ait: Nemo venit ad patrem, niſi per
Ioan. 14. me. Vt cū ad ipſum peruenerimus, iucundemur,
Psal. 35. & inebriemur ab vbertate domus ſuæ. Interim verò dum promiſſam nobis gloriam expectamus non ſolum contemplari, ſed etiam verbis, quibus poſſumus altitudinem diuinæ Maieſtatis extollere non ceſſemus. Aggrediamur itaque diuino ſuffragio adiuti aliquid in hoc libello conſcribere, vnde ſapientiam eloquiorum Dei, exemplar vitæ, & incendium charitatis, necnon magnificētiam & gloriam Magni Dei, quam promiſit Deus diligentibus ſe, aliquantiſper cernere, ac degnſtare poſsimus. Per quę ęſtus vitiorum, certamina tentationum, & aculeos laborum facilè ſuperemus. Ipſo pręſtante, qui nos creauit, & viuit in ſecula. Amen.

Quomodo libenter debet homo paſſionem Chriſti meditari, & quàm ſit vtilis eius meditatio. Cap. I.

CVrrite gentes vndique, & miramini erga nos charitatem Dei; erga ipſum cæcitatem, & malitiam noſtram. Sicut filius Dei voluit inſeparabiliter coniungi naturæ humanæ: quanto libentius deberet anima noſtra ſibi inſeparabiliter copulari? Si enim filius Dei voluit tanto feruore charitatis, ſic viliſsimos cineres ſibi vnire; quantò auidius deberet vnuſquiſque homo, ad ipſum recipiendum cor ſuum aperire: Quæ eſt veſania hæc, quod hoc negligit homo, & vult potius ſtercoribus adhærere: Non .n. aſſumpſit Dei filius carnem, vt homo carni adhæreat, ſed ſicut ipſe in carne exiſtens, carnem afflixit, ac carnalia contempſit, & anima eius ſemper Deo patri adhæſit; ſic homo carnem mortificet, & ſemper ſe dirigat ad diuina. O mirabilis cæcitas hominis, quę cōſiſtit ex anima & carne: Etenim cum anima ſine comparatione ſit nobilior carne, totum tempus ſuū expendit in carnis prouiſione, ſiue in his, quæ caro requirit, & animam ſuam negligit; ac ſi non eſſet; nec ipſam paſcere, nec ipſam nutrire, nec in ſummo bono quietare ſtudet; cum tamen leuius hoc delectabilius, & ſuauius ſine comparatione valeat impetrari: Vbique enim ſe offert homini Deus, nec aliud ab eo, quam filij mortem requirit; homo autem carnalia deſiderat: nam carnalibus ſe ſubdit, & carnis beneplacita innititur adimplere; Deo autem ſuo ſe ſubdere, cum omni exercitatione beneficiorum collatione, & interna inſpiratione contemnit; & in proprio bono non vult facere voluntatem Dei. Certè (ſi anima non eſſet peior omni animali) Deum cui ſimilis eſt, deberet ſuper omnia diligere, & de cæteris non curare. Si ergo ò anima carnem diligis, nullam carnem ames niſi Ieſu Chriſti: Hæc pro te, & pro totius humani generis ſalute, ſuper aram Crucis fuit oblata. Eius ergo paſsionem in corde rumines tota die, ac nocte. Hæc autem paſsionis Chriſti continua meditatio mentem eleuabit; & quid agendum, quid meditandum, quidve ſentiendum ſit, indicabit: Te deindè ad ardua inflammabit, te vilificare, & affligi faciet affectare; te tam in ſermone, quàm in cogitatione & opere regulabit. O paſsio deſi-
derabilis, ò mors amabilis. Quid mirabilius, quā Pulchra Antithe-
quod mors viuificet, & vulnera ſanet? Sanguis ſis.
eius album facit, & mundat; nimius dolor nimiū amorem adducit. Aperitio lateris cor cordi coniungit. Sed adhuc mirari ne ceſſes: quia Sol ob-

ſcuta-

Digitized by Google

curatus plus ſolito illuminat; ignis extinctus inflammat; Paſsio ignominioſa glotificat. Sed & hoc mirabile eſt, quod Chriſtus in cruce ſitiens inebtiat, nudus exiſtens virtutum ornamentis nos ornat. Sed & eius manus ligno clauate nos ſoluunt: Pedes cōfoſsi nos currete faciunt: emittens ſpititum vitam inſpirat; In ligno decedens, ad cœleſtia vocat. O paſsio admirabilis, & amabilis: quæ ſui meditatorem alienat, & nō ſolum Angelicum reddit, ſed diuinum: Nam per meditationem commotans in Chriſti tormentis, ſe ipſum non videt, ſed in ſe Deum intuetur: Conſpicit etiam dominum ſuum paſſum; & dum ſecum vult crucem bajulare, ipſe in corde portat, cœlum, terramq́ue pugillo tenentem, & pro ipſo leuiſsimè ſuſtinet omne onus. Vult ſecum coronati; & ſpe gloriæ coronatur. Vult ſecum in ligno ſine veſtimentis frigere; & nimio amoris ardore ſuccenditur. Vult ſecum acetum guſtare, & vino inenarrabilis dulcedinis potatur. Vult ſecum in cruce exiſtens ſibi illudi, & ipſe ab Angelis honoratur, & à beata Virgine in filium adoptatur: Cum Chriſto volens triſtari, lætatur; ſecum volens affligi cōſolatur: Cum patiente vult pati; & nimium iucundatur. Cum Chriſto vult in cruce pendere, & eum dulciſsime Chriſtus amplexatur: Secum vult faciem mortis pallore perfuſam inclinare, & eius caput Chriſtus eleuans ſuauiſsime oſculatur. O mors amabilis, ò mors delectabilis; ò cur loco crucis illius non fui? vt Chriſto manibus, & pedibus fuiſſem conclauatus? Certè dixiſſem ipſi Ioſeph ab Arimathia, nō auferas ipſum à me, ſed me cum ipſo ſepelias in ſepulchro: non enim volo ab ipſo amplius ſeparari. Sed ſi hoc non poſſum facere corpore, ſaltem hoc volo mente: Bonum eſt enim ſecum eſſe; & in ipſo volo tria tabetnacula facere, vnum in manibus, vnum in pedibus, & vnum in latere. Ibi volo quieſcere, & dormire, orare, & omnia facere, pertractareq́ue mea negotia. Ibi loquar ad cor eius, & ab ipſo, quod voluero, impetrabo; ſicq́ue faciens dulciſsimæ eius Matris ſequar veſtigia; cuius animam paſsio filij pertranſiuit. Securè de cętero ipſam alloquar vulnetatus. O amantiſsima vulnera Dei mei Ieſu Chriſti. O beata lācea, ò quàm beati claui, qui aperitionē huiuſmodi facere meruerunt. O ſi fuiſſem loco lanceæ, exite de Chriſti latere amplius noluiſſem: Dixiſſem enim. Hæc requies mea in ſeculum ſeculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. O filij hominum ſtulti, & tardi corde, cur tardatis intrare per apertas vulnerū portas ad poſsidendū Dei filiū, ſummum bonum, candorē lucis æternæ, & ſplendorem diuinæ Maieſtatis? O anima ad imaginē Dei facta, quomodo te potes amplius cōtinere? Ecce ſpōſus tuus dulciſsimus, pro te vulneratus, iam factus glorioſus, te cupit amplecti, & tibi dulciſsima oſcula elargiori, & ad ipſum negligis feſtinare? Nam præ nimio amore ſibi aperuit latus, vt tibi ttibuat cor ſuum: Sibi etiam voluit pedes, & manus vulnerari, vt cum ad ipſum perueneris, ſic tuæ manus intrent per ſuas, ac pedes tui in ſuos, vt ſibi inſeparabiliter coniungaris: ſic enim ei vinctus, admiraberis ſuper tuam, & aliorum habitum cæcitatem: Gaudebis nihilominus ſuper tantam dulcedinem, quam tu ſenties; inflammabetis etiam in tantum cot tuum, vt quaſi materialitet coneris habitare in vulneribus Chriſti. Inebriaberis enim nimia dulcedine, & feruote, & vix ad aliud poteris inclinare. O domine, vulneta corda noſtra ſaxea: Vulnera mentes congelatas; Inflamma adamantina pectora, vt præ amote liqueſcant. Nam tu vita noſtra es, & in omni labore requies. Tu gaudium noſtrū, tu lumen, tu pax, tu firma ſpes. O domine Ieſu, qui ſic nos amaſti, vt non tibi parceres: Inebria ergo domine Ieſu cor noſtrum felle, abſcinthio, & myrrha, vt ſolum tua vulnera ſentiamus. Transfigant cordis intima tua conuitia, flagella, & vulnera: nec ſit aliquid in nobis, quod non perfundatur paſsionis dolore. Iugiter meditetur cor noſtrum, quæ pto nobis paſſus es: O domine amabilis, & dulciſsime Ieſu; ſcilicet, peregrinationem, fugam, famem, & ſitim, calores, frigus, tentationes, horrores, perſecutiones, obſeruationes, vincula, flagella, illuſiones, & dolores. O ſtupenda dignatio, ò laudanda promiſsio, ò prædicanda paſsio. Conſpuitur gloria, condemnatur iuſtitia, Iudex iudicatur, offenſus criminatur, innocens condemnatur, Deus blaſphematur, Chriſtus conculcatut, vita occiditur, Sol obſcuratur, Luna denigratur, ſydera diſperguntur; & hæc omnia tolerat patienter vt agnus. A viliſſimis maximus, à multiſsimis ſapientiſsimus, ab impijs ſummè pius. A ſanie fœtidiſsima ſplendor æternus. Et hoc verè incogitabile eſt, quod amor te ſibi mortem inferentes, liberet: Hæc ſunt ò domine Ieſu, hæc quippè, quæ nobis contuliſti in exemplum, in remedium, in pretium, in gaudium, vt ſauciati amore in odorem taliū curramus vnguentorum, & paſcatur affectus noſter dilectione tua, quæ omnē ſuperominet creaturā.

Hic totus in Crucifixum abſorptus, hominē q; prorſus exutus videtur eſſe Autor.

Luc. 2.

Pſal. 131.

Verba animæ clamantis contra duritiam ſuam, quia non ſentit paſſionem dilecti Ieſu domini ſui, & quomodo pro zelo amoris ſe hortatur ad pœnas, vt poſſideat crucifixi Ieſu vulnera. *Cap. II.*

EIa nunc expergiſcere anima mea, induere fottitudine; exalta vocem tuā; audiat cœlum, teplcatur terra clamoribus tuis; omnibus pateant occulta tua; introeat in aurib. Dei Sabaoth lamentum tuum, vt fiat in te aliqua ſalutis ſpes: Nā peccati cōfeſsio via ſalutis ē. Educāt oculi mei fontē lachrimarū, nec de cętero detur requies ſpiritui meo; veniāt gemitus, audiantur

Digitized by Google

placare, ſcio, quid faciam; contra me ipſum armabo me, & ero contra me ipſum crudelior, & ſæuiſsimus iudex, & vindex. Afficiam me vndique pœnalitatibus, & anguſtijs, & me tanquam lutum fœtidiſsimum conculcabo. In mea conculcatione, & deriſione, ſiue à me, ſiue ab alijs illata, lætabor, & exultabo. Hoc ſit mihi theſaurus delectabilis, & ſuper amabilis, ſcilicet, ſuper me pęnas, & opprobria congregare, & intimo corde diligere, qui mihi in hoc facto adiuuent, omnem conſolationem præſentis vitæ horrebo. Credo firmiter, quod ſi ſic fecero, vniuerſa quamuis à me offenſa, ad mei potius compatiendū, quàm ad iudicandum inclinabo. Aperietur ſuper indignum & miſerrimum pietatis theſaurus, & à ſua gloria illuſtrabor. Exuar veſtimentis viduitatis, & clara veſte fulgebo; propter nimiam clementiam Domini, & Dei mei ornabor monilibus, & in eius ſponſam aſſumar. Intrabo ſecum in cubili eius, reſoluar in ipſum, & præ nimio amore Fiam vnus ſpiritus cum eo. O mira, & inenarrabilis mutatio dexteræ tuæ, domine Deus meus. Ad quid retardor implerę quæ dixi? quomodo capiunt ſomnum oculi mei, aut quietem corpus meum, donec perueniam ad diu deſideratum dominum ſponſum meum? Currant ergo vndique flagella, & opprobria, & me nequiſsimum introducant ad meum Ieſum. Solus honor diuinus, & mea abiectio requiratur à me. Scio enim quid faciam, Dei mei intrabo vulnera, & in eius dolores, & opprobria transformabor quantum potero. Eius paſsione opprobrijsſima induar, tanquam veſtimentum regale, & nihil requiram niſi quæ ſunt conformia huic paſsioni; cętera vero abijciam quaſi ſtercus. Quis autem creaturarum poſt me amplius audeat clamitare, ſi fuero hac veſte indutus? Tam Chriſti paſsio pro me, ſi neceſſe fuerit contra omnia militabit. Non erit, qui contra me nutrire audeat; ſi Chriſti ſtigmatibus fuero conſignatus. Vbique, & ſemper habitabo in illis, vt quaſi in caſtro ſecurus ſim ab omni incurſu maligno. Ornabo ergo genas meas Chriſti cruore, & ero amabilis Deo, & mūdo, & laudabilis. Beatorum conſortio, clama-
Iſaia 63. bunt, & dicent. Quis eſt iſte formoſus in ſtola ſua? quis eſt hic, qui glorioſe incedit laureatus ſanguine Crucifixi? O beata vulnera, ò locus deliciarum. De ipſo enim lateris medio fons omnis dulcoris, & ſuauitatis emanat. Ibi inebriatur homo dulcedine indicibili, & mira amœnitate alienatur à ſe, & ſuper excellenti deuotione ſoporatur in Chriſto, & ibi inter amplexus requieſcit Dilecti.

Verba inebriatę mentis, & prę amore de ſe dolentis, propter quod in ſponſi amplexibus copulata, & ſe capere non valens, vt magis, magisq; igneſcat, ad ſponſum, quem tenet, dirigit orationem. Cap. III.

Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt. O mira & inextimabilis virtus amoris; Deum inclinat ad terram, & mentem eleuat ad patriam, & animam ſimul conglutinat ad gloriam. Deum facit hominem, & hominem facit Deum. Temporale facit æternum, immortalem occidit, & mortalem immortalem facit; Imum excelſum facit, inimicum facit amicum, ſeruum facit filium, abhominabilē glorioſum. Frigida facit ignea, obſcura facit clara, & dura facit liquida; nam anima mea liquefacta eſt. O verbum amabile, ò verbum nimium delectabile. Ego viliſsimus & nequiſsimus ſeruus tuus, ò domine Deus meus, qui non ſum dignus etiam aliqua tua creatura nominari, nec eſſe: quia nimis nefandiſsimus ſum: quomodo ſum tibi tanto vinculo charitatis colligatus, vt ad verbum tuum fuerim amore liquefactus? O ardor amoris, qui intima mentis in Deum effundis; nam adamantina erat anima mea, & intima eius nimis ſolidata, nunc amore liqueſcit, nunc extra ſe exijt, & in Deum totaliter diffundit; proprium locum reliquit, & in Deum recurrit; abſorbetur à Deo, & obliuiſcitur ſui. O amor quid retribuā Galat. 2.
tibi, quod me feciſti diuinum? Viuo ego iam non ego viuit verè in me Chriſtus. Inenarrabilis eſt, ò amor virtus tua. O amor qui lutum transfiguras in Deum; Quid ergo te potentius? quid dulcius? quidve iucundius? quid nobilius? Obſecro, ò amor, qui terrena ponis in cœlis, deficio tui memor. O amor, qui nos facis languidos, & ſponſi noſtri amplexibus ſuſtentari; O deſiderabilis amor, qui ſummis delicijs reples egenos: O anima mea ſi liquefacta es ad flatum eius, quomodo nō es abſorpta cum intras per vulnera eius, & peruenis ad cor ipſius? Si liquefacta es ad verbum eius, quomodo ſuſtines amplexum eius? Aut certè, ſi liquefacta es ad loquelam eius, quomodo præ amore viuis, & non deficis cum veſceris carne, & ſanguine illius? Sed ò mira res, quàm mira dulcedo, & ſtupenda iucunditas, vt quam non meremur nominare, poſſumus maſticare. Nunc vereor eſſe ancilla, & facta ſum cariſsima in delicijs. Quid eſt hoc? neſcio, capere neſcio, ſed obſtupeſco. Iucundor delectatione, inebrior exultatione. Sed quid merui? quid feci? vt mihi tanta beneficia exhiberes? Te perſecutus ſum, & in te collocatus ſum; Tuam faciem conſpui, & tu mihi oſcula tribuiſti; Te vulneraui gladio, & tu me vulneraſti amore: Te repleui dolore, & tu me repleſti gaudio, & exultatione, ò mira mutatio dexteræ excelſi. Non ergo mirum, ſi ad verbum tuum liquefit cor meum, immo totus de cœtero accen-

accendar, & totaliter liqueſiam, vt in te totaliter ſemper effuſus, nihil præter te audiam, aut videã; vel in aliud cogitata, vel dicta, vel facta tranſeãt vllo modo; Immo mirum videtur, quomodo nõ ſimus ſic intenti ad te, quod omnia ignoremus præter te. Si te habemus, quid amplius volumus? In te quieſcat mens noſtra, vt à te nec modicum ſeparemur. Stultiſsimum eſt, iucundiſsimum locum exire. Quomodo audemus niſi dulciſsimum ſponſum aſpicere, ne ſubtrahatur à nobis? Quid quæſo, mouit nos aliud intueri? nonne cœtera ſunt ſtercora? Et hoc ſummum, & magnum bonum? quomodo non omnia fœtent à præſentia tanti boni? O ſtultitia, & vanitas hominum im-

Iſa. 46. piorum. Redite præuaricatores ad cor. In vobis eſt Regnum Dei, & pro ſanie fœtidiſsima inſanitis. In vobis certe eſt Deus veſter. Conuertimini ad Deum, confirmamini in ipſo; hoc contenti ſitis, & hæc ſit portio veſtra: nam mihi adhærere

pſal. 72. Deo, modò, bonum eſt, & ponere in domino Ieſu crucifixo ſpem meam, ſingulare gaudium: Ipſi enim aperiam cor meum; & omnis æſtus cordis mei reſerabo. Non habebit affectus meus requiem, donec introducam ipſum in me ipſo, cui inter amplexus, & exultationes mutui amoris gemebundo ardore charitatis clamabo, & dicam. Transfige domine Ieſu Chriſte dulciſsime medullas animæ meæ ſaluberrimo vulnere amoris tui. Vulnera viſcera animæ meæ vera fraterna, & Apoſtolica charitate, vt verè langueat, ardeat, & liqueſiat anima mea ſolo ſemper amo-

pſal. 83. re, & deſiderio tui. Concupiſcat, & deficiat anima mea in atria tua, cupiat diſſolui, & eſſe tecum. Da, vt anima mea, te ſolum ſemper eſuriat, panem vitæ cœleſtis, qui de cœlo deſcendiſti, panem Angelorum refectionem animarum Sanctarum; panem noſtrum quotidianum, & ſuper ſubſtantialem, habentem omnem dulcedinem, & omnem ſaporem, & omne delectamentum ſuauitatis, & in quem deſiderant An-

1. pet. 1. geli proſpicere. Te ſemper eſuriat cor meum, & comedat, & dulcedine tui amoris repleantur viſcera animæ meæ. Te ſemper ſitiant fontem vitæ, fontem aquæ viuæ, fontem ſcientiæ, & ſapientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, & vbertatis domus Dei. Te cor meum ſemper ambiat, te quærat, te inueniat, ad te tendat, ad te perueniat, te meditetur, & de te loquatur, et omnia operetur ad laudem, et gloriam dulciſsimi, et glorioſiſsimi nominis tui; vt mihi ſit cibus meus, refectio mea, et ſuſtentatio mea; In quo firma ſit ſemper mens mea cum humilitate, et diſcretione, cum dilectione, et delectatione, cum facilitate, et affectu, cum patientia, et pace, cum profectu, et perſeuerantia vſque in finem; vt tu mihi ſis ſemper ſolus tota ſpes mea, fiducia mea, diuitiæ meę, delicię meę, delectatio mea, gaudium meum, iucunditas mea, requies mea, tranquillitas mea, pax mea, odor meus, ſuauitas mea, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, amor meus, meditatio mea, ſuſtentatio mea, expectatio mea, refugium meum, auxilium meum, conſilium meum, patientia mea, ſapientia mea, profeſsio mea, theſaurus meus, hęreditas mea; In quo ſolo, firma fixa, et radicata immobiliter ſit ſemper ſpes mea, et amor meus, et cor meum. Amen.

Dulcis conſideratio ineffabilis dignationis Dei circa domini Ieſu paſſionem, quam ardens anima conſiderans mirabili charitatis fragrantia, dirigit ad dilectum orationem, vt communicet paſsionis perpeſſas in ipſa: Necnon, & beatę Virgini allocutio iuxta crucem lachrimanti. Cap. IIII.

O Domine mi Ieſu Chriſte, ò vere dulcis amator, ò amantiſsime mi ſponſæ fac lutũ ex ſputo, & lini oculos meos, vt qui cæcus ſum, valeam videre vulnera tua. Introduc me domine, quamuis indignum famulum tuum in Gazophilatium veri templi, vt intueri valeam, quid, quantumque in cruce pro nobis patri obtuleris. Fortaſſe anima mea quamuis à te vero ſponſo multis iniquitatibus viduata offerret ibi duo minuta. Recipe me domine, Luc. 15.
quamuis prodigum filium ad comedendum vitulum ſaginatum, aſſatum in cruce. O vere Magiſter bone, doce me theſauros ſapientiæ beatiſsimæ mortis tuæ. Iterum, atque iterum domine aperire digneris latus tuum mihi nequiſsimo famulo tuo, vt oculi, qui depredati ſunt animam meam, in tuo latere videant gloriam tuam. O bone, ò pie, ò dulcis Ieſu nimis ſaxeum eſt cor meum, niſi molliatur ſanguine tuo; nimis diſtractum eſt cor meum, niſi colligatur in latere tuo. O bone Paſtor ego ſum illa ouis, quæ perijt, & errauit, pro qua in cruce poſuiſti animam tuam; Ecce ego, agnoſce eam, & introduc eam in caulas vulnerum tuorum, & tua paſsione cuſtodi diligenter: nam ſine tua morte morior, ſine tuis vulneribus vulneror, ſine tuis conuitijs conuitior, virga non ęquitatis, ſed iniquitatis flagellor: Et quia neſciui in tua paſsione beatiſsima commorari, ſum quaſi ad nihilum redactus; quia ignominiam crucis dimiſi: Ecce totus ſum ignominioſus effectus: quia ſtultitiam crucis dimiſi ſtultiſsimus factus ſum: quia infirmitatem paſsionis dimiſi infirmus factus ſum: quia à doloribus aculeorum tuorum receſsi, ſpinis concupiſcentiarum confixus ſum. Quid dicam? niſi vt aperiatur cor meum doloribus tuis, quod apertum fuit nefandiſsimis vitiis. Niſi enim ſciat latitare in vulneribus tuis à latronibus plagis impoſitis ſpoliatur. Nam contra ſuperbiam, & alia vitia fœtidiſsima ẽ medicina paſsio tua domine Ieſu. Nã cõtra ſuperbiã ẽ eius humilitas, cõtra vanagloriã eius vilitas, cõtra auaritiã, eius nimia largitas: ipſa

eſt,

Digitized by Google

eſt, quæ aures ſepit, ne audiant vana vel praua; Oculos claudit, ne aſpiciant nociua, vel mortifera. Os obſtruitur ne in guſtu, vel lingua offendat. Nares obturat, ne cor odoriferis delectetur. Manus ligno affigit, ne extendantur ad tactus, vel opera vitioſa. Pedes conclauat Cruci, ne inutiliter diſcurrant. Ipſa fouet mutuam dilectionem, eleuat ad ſupernam contemplationem. Hanc ergo Domine acerbiſsimam, & ignominioſiſsimā paſsionem, da mihi in ſponſam vinculo indiſſolubilis charitatis. Super omnes conſolationes, & delitias adamaui eam; & tamen alia ſuperinducta repudiaui eam: Nunc venio, & requiro eam; nec mecum Domine agas iuſtitiæ rigorem, ſed tuę clementię diſpenſationem. Hanc ergo da mihi Domine, quia ego hanc amaui, hāc dilexi, hāc totis viſceribus concupiui. Ipſa ſola mihi ſufficiet, & ſola medullitus reficit. Ipſa in hac vita eſt vita mea, conſolatio mea, deliciæ meæ; Ipſa eſt lex, & ſapientia mea; Ipſa me reducit, adducit, & conducit. Sine ipſa deuio, ſine ipſa à portu ſalutis declino. O bone, ò pie, ò dulcis Ieſu Chriſte, nihil aliud à te peto in via iſta, niſi vt ſim ſemper tecum perfectè crucifixus in Cruce. Certè dulciſsime Ieſu nolo viuere, niſi moriar tecum. Aut ergo da mihi mortem corporalem, aut in corde meo mihi imprime mortem tuā. Heu mihi, quia natus ſum, niſi Dominum meū amplectar in cruce, & requieſcam in vulneribus eius. Hanc tuam Beatiſsimam paſsionem volo, hanc peto, hanc totis viſceribus concupiſco, & omnibus medullis. Pro ipſa abrenuntio omnia, me ipſum relinquo; nam ſanguis tuus inebriat me, & dolores tui occidunt cor meum. Domine pro me feciſti cœlū, terram, Solem, Lunam, & Stellas, ignem, aerem, & aquam, aues, piſces, beſtias & reptilia, arbores, flores, herbas, & olera, aurum, argentum & vniuerſa metalla, colores diuerſos, & lapides pręcioſos: Sed quis hæc quęſiuit de manibus tuis? Sine petitione, ſine inſtantia, hæc nobis dediſti. Et tota die affligo animam meam, petendo ignominioſam mortem tuam & vix aliquam guttulā valeo impetrare. Scias mi Domine, quia omnia mihi vileſcunt: Pro ipſa omnia tibi reſtituo, & da mihi vulnera tua. Hæc ſuper cœlum ambit cor meum, ſuper fidem mihi refulgent; ſuper Solem illuminant intellectum meum; ſuper ignē accendunt affectum meum; ſuper aerem fęcundant ſermonem meum; ſuper aquam emolliunt animum meum, ſuper terram ſtabiliunt affectum rectum. Hæc auibus & piſcibus velociora fructibus ſuauiora, arboribus, oleribus, & floribus amœniora: auro, argēto, & lapidibus pręcioſis pręcioſiora. Imò certè, hæc in comparatione tuæ Beatiſsimæ paſſionis nihil, & vanitas ſunt. Hanc volo Domine, hanc volo, hanc tribue mihi vxorem. Non peto pulchritudinem cœli, ſed ignominiam tui, Non mundi diuitias, ſed tuas anguſtias. Cito mihi Domine tribue eam. Iam amplius nolo, nec poſſum differre: Conſentiat in me, quia conſentio in eam; & erit charitas cōſumata: Intret cor meū vulnera tua, & ipſa intrent in intima mea, & erit matrimonium conſumatum. Sed quis ego ſum Domine, vt à te ſponſam audeam petere, quam ſolum tuis intimis amicis coniungis? Sed quamuis nihil, & vanitas & deteſtabilis ſanies ſim, præſumo tamen ſemper de tua clementia immenſa: Et licèt non habeam puritatem & ſanctitatem Matris tuæ mundiſsimæ, vt ſecum digne compatiar: Latronis tamen prauitatem habeo, vt tecum ad latus crucifigi debeam: Magis Domine in hac vita deſidero cum latrone tecū in cruce aſcendere, quàm cum Petro, Iacobo, & Ioanne in montem Transfigurationis aſcēdere. Magis ad præſens mihi placet videre te oculo mentis laniatum, conſputum, quàm transfiguratum. Et ſi non ſum tanquam velum nobiliſsimum in templo, vt in morte tua ſcindar, ſum tamen fętidiſsimum monumentum, vt ad aperitionem tui lateris, aperiri debeam. Quid in me quæris Domine? Si in morte tua petræ ſciſſæ ſunt, ego ſum durior omni petra: ſi enim terra mota eſt, & ego terreniſsimus ſum: Quid ergo iniquitatis in me deeſt, vt non indigeam tua morte? Et ſi cœleſtis non ſum, vt tibi compatiendo nequeam cum Sole obſcurari; tamen infernalis conuerſationis ſū, vt à te debeam in hoc triduo mortis tuæ viſitari. Non ergo te retrahat iniquitas mea Domine, quia mihi hanc nobiliſsimam ſponſam ſolā ignominioſam mortē tuam inſeparabiliter mihi eius deſiderio æſtuanti coniungas: Ipſa enim eſt pulcherrima mulierum omnium, ideſt excellentiſsima omnium gratiarum. In ipſa fuit ſummus electus Dei; ſumma Dei dignatio, ſumma ad nos Dei diffuſio: In ipſa ſumma Dei prudentia, & ſapientia percuſsit ſuperbum: Summa Dei potentia animas traxit de inferno ad cęlum. Et ſumma Clementia placauit hominem Deo: Cuius violetum colorem amplectuntur Confeſſores; Cuius roſeum ruborem amplectuntur Martyres in charitate feruentes: quia ibi fuit ſumma humilitas innocentiſsima, & excellentiſsima charitas. Cuius purpureum colorem admirantur Angeli; Ad eius flagrantiſsimum odorem, ſuſcitātur mortui. Ad eius ſuauiſsimum tactum roborantur infirmi. Ad eius dulciſsimum guſtum reficiuntur, & conſumantur perfecti. Talis eſt ò filij, & filiæ Hieruſalem, ſponſa mea, amica mea, & omne deſideriū animæ meæ. Ipſa inimicum meum diabolum ſuperat; me à mundo immundo alleuiat, & meam carnem caſtigat. Mihi ergo gloriari abſit niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Magna mihi Gal 6. gloriatio Domine, quod pro me cęlum ſydera, & alias creaturas feciſti; ſed multo ſine comparatione mihi maior gloriatio, quod pro me formā ſerui accipiens factus es ſimilis mei. Magna mihi glo-

gloriatio, quod tot beneficijs me gubernas, & nutris; ſed ſine comparatione maior mihi gloriatio quod pro me eſuriſti, & ſitiſti; & fatigatus ſuper fontem ſitiens ſediſti; & multa pro me incommoda ſuſtinuiſti, & paſſus fuiſti. Magna mihi gloriatio, quod me cũctis animantibus præpoſuiſti; ſed ſine vlla cõparatione maior mihi gloriatio, quod pro me te Dominum vniuerſę creaturę vni puellæ virgini, & fabro ſubdidiſti. Maxima mihi gloriatio, quod ſi amicus tuus fuero, me honoraturus es in cœlo tuo; ſed ſine comparatione maior mihi gloriatio, quod pro me peſſimo inimico tuo conuitiatus, conſputus, & multipliciter es illuſus immundo cœno. Magna mihi gloriatio, quod ſi iuſtus fuero, me ditaturus es in Regno tuo; ſed multo mihi maior gloriatio; quod pro me peccatore in extrema paupertate pependiſti in crucis ligno. Quia quantum ad guſtum, cum ſitires, acetum habuiſti & fel; quantum ad operimentum, nudum corpus habuiſti: quantum ad recubitum, non habuiſti vbi caput tuum reclinares; Immo corona ſpinea fuit puluinar tuum: Pro me, inquam, tui contemptore, & pleno omni abhominabili ſanie, plenus inenarrabilibus anguſtijs, & doloribus, atque morte tui peſsima condemnatus es in monte Caluariæ, atque cum latronibus es crucifixus, & cum impijs deputatus fuiſti. Mihi ergo abſit gloriari, niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti: In quo enim debeo gloriari, niſi in ſummo Dei mei honore, in ſumma erga me dilectione, quæ pleniſsimè reperiuntur
psal 115. in cruce? Si enim precioſa eſt, inquit Propheta in conſpectu Domini mors Sanctorum eius, qui patiuntur, & moriuntur pro Chriſto, quanto magis debet eſſe precioſa in cõſpectu noſtro mors Domini noſtri Ieſu Chriſti? Sed heu, heu Chriſtum iterum clamantem, & dicentem, longe feciſti notos meos à me, poſuerunt me abhominationem ſibi. Nolite chariſsimi Fratres, nolite fugere, nolite Chriſtum crucifixum in medio latronum relinquere. Redite, & eamus, & moriamur cum illo. Eamus & cum Ioanne ſectemus Dominam noſtram, & ſtemus iuxta Crucem cum illa. Compatiamur ei: nam in amaritudine poſita eſt, Alloquamur ei, ſi fortè audiat nos. Humillima eſt; & forte quod non poteſt dolor, faciet humilitas; quanquam intra dolores, & clamores occupata ſit, Dicamus, inquam, nec taceamus, dicamus planè ipſi Mariæ. Vnus loquatur pro omnibus, & omnes pro ſingulo, dicamus ei. O dulciſsima Mater noſtra vbi ſtas. Nunquid iuxta crucẽ? Immo certè, in cruce es. Sed hoc differt: quia filius in corpore, tu autem in corde crucifigeris; necnon & vulnera per eius corpus diſperſa in tuo corde ſunt vnita. Ibi Domina lanceatum eſt cor tuum, ibi clauatum, ibi coronatum ſpinis, ibi illuſum, exprobratum contumelijs plenum; demum aceto, & felle potatum. O Domina glorioſa cur veniſti imolari pro nobis? nunquid non ſufficiebat nobis paſsio Filij tui, niſi crucifigeretur & Mater? O cor amoris, cur verſum eſt in globum doloris? Aſpicio Domina mea cor tuum, & iam non cor, ſed myrrham & abſinthium, & fel video: Quæro mortem Dei, & inuenio ſputa, flagella & vulnera; quia tota eſt verſa in iſta. O Maria, amaritudine plena, quid feciſti? Cur feciſti vas ſanctitatis, vas pœnalitatis? O Domina mea quare modo non es ſolitaria in Camera tua, quia ad Caluariæ locum veniſti? Non eſt tua conſuetudo Domina mea ad talia ſpectacula properare: Cur nõ tenuit te pauor muliebris? Cur non tenuit te horror facinoris? Cur non te tenuit turpitudo loci & clamoris vehementia? Hæc non conſideraſti Domina dulciſsima, quia cor tuum eleuatum erat à te; Prę dolore non erat in te; ſed in afflictione filij in vulneribus vnici in morte Dilecti: Non conſiderauit cor tuum vulgus, ſed vulnus; non præſſurã, ſed fixuram, non horrorem, ſed liuorem. Reuertere Domina, reuertere ad locum priſtinum, ne cum Paſtore percuſſo, te Matrem, & Dominam amittamus. Cur vna hora priuabor vtroque regimine? Sed vt puto iſta audire non potes: quia amaritudine plena es. O mira res, totus Chriſtus crucifixus eſt in intimis viſceribus cordis tui. Sed ò vulnerata Domina vulnera cor meũ, & in meo corde renoua paſsionem: Cor tuum vulneratum coniunge cordi meo, vt tecum Filij tui paſsione vulnerer. O Domina mea, ò mater pijſsima, ſi mihi non vis dare Filium tuum vulneratum, ſaltẽ, quæſo, mihi tribue filij vulnera, quæ in te ſentio, illuſiones, & contumelias. Quæ enim Mater, ſi poſſet, nõ auferret libenter à ſe, & à ſuo filio paſſiones, & in ſuo poneret ſeruo? O quam Beatus eſſem, ſi poſſem ſaltem vobis vulneribus ſociari. Nam hodie, quid maius ò Domina, quam habere cor vnitum cordi tuo aperto, & Filio tuo perforato? nonne cor tuum plenum eſt gratia? Et ſi apertum eſt, quomodo non diſcurrit gratia illa in cor ſibi vnitum? Et ſi Filius tuus gloria eſt Beatorum, quomodo ſi eſt perforatus non emanat illius dulcedo gloriæ in cor ſibi coniunctum? O Domina præclariſsima, & mater pijſsima, quarè mihi, quod peto non tribuis? Si te offendi, pro iuſtitia cor meum vulnera. Si tibi ſeruiui, nũc pro mercede peto vulnera. Vbi eſt Domina, vbi eſt immenſa pietas, & charitas tua? quare mihi facta es crudelis, quæ ſemper fuiſti benigniſsima? non peto à te Domina mea chariſsima Solem, neque ſydera, ſed vulnera. Quid eſt hoc, quod ſic de iſtis vulneribus es auara? Aut alme Domina auferas vitam corporalem, aut cor meum vulnera. Verecundum, & opprobrioſum eſt mihi videre Dominum meum Ieſum Chriſtum vulneratum, & te Dominam meam Matrem ſuam vulneratam, & me viliſsimum ſeruum ſuum pertranſire illæſum. Certè ſcio, quid faciam. Hic tibi ſine intermiſ-

miſ-

miſsione cum clamore & lachrymis,tuis pedibus prouolutus poſtulare non deſinam, & tibi ero ni mium importunus: Aut hoc mihi tribues, aut ſi percuſſeris, non recedam; ſed tantum ſtabo, & tua vulnera ſuſtinebo, donec ero vbique vulneratus. Neque enim aliud,niſi vulnera à te pero. Si autem ſine percuſsione blandiri volueris,ipſæ blanditiæ cor meum vulnerabunt tuo amore. Si autem nec quicquam feceris; tamen cor meum vulnerabitur triſtitia,& ſic à te ſine vulnere non recedam.

Dulciſſima proclamatio æſtuantis animæ, quæ cum nimis ſit amore perfuſa, ſentiensq; ſe ſibi contrariam miro deſiderio contra ſe profert lamentationem.

Cap. V.

Quis dabit animæ meæ virtutem,& oculis meis lumen veritatis, ac linguæ infanti facundiam ad enarrandum magnalia diuinæ charitatis; Quanquam omnis laus, omnis impar ſit laudantis affectus, tua digne promere præconia.O cœleſtis,& excelſus amor: quis enim gloriabitur, ſine defectu ad plenum magnitudinẽ tuę dilectionis, & ſuæ profunditatem miſeriæ reſerare, cum vtriuſque materia mortalibus ſit inſcrutabilis?Certè Domine Ieſu abiſſus abiſſum inuocat; non tamen,donec huic carni fragili ſpiritus copulatus fuerit, cor ancillæ tuæ, quod tu dulcis amor repleſti deſiderio ignito,tuæ laudis tacebit gloriam,& ſuæ miſeriæ ignominiam.Quare piè,de cœtero,Domine laxabo habenas amori, vt quid de te, quid ve de ſe ſentiat,manifeſtet. Redibo totus ad me,& animam meam ornabo moribus, vt dominium meum introducam in me, & doceat me laudare ſe,& ibi ſecum de cœtero requieſcam. Ibi loquar ad cor eius,& æſtus meos,cogitationesq́ue pandam.Cantabo illi Cantica amoris, & lætitiæ, & melodiçens ei piè, alliciam eũ,vt faciat manſionem in me. Dicam ergo, ſcio mi Domine,ſcio, quod pluſquam ego,me diligis; De me ergo nõ curabo, ſed ſolum tuis inhærebo delicijs. Non enim poſſum intendere tibi, & mihi, & ideò tu Domine pijſsime intende infirmitati meæ,vt ipſam ſubleues, & ego intendam tuæ bonitati, vt in ipſa delecter.Et quamuis tecum lucrer nimis, & tu mecũ nihil; ſcio tamen,quod libentius mecum habitas,& me conſeruas, & promoues, quã ego tecũ tua perfruar bonitate. Vnde hoc?Certe vt video me odi,& tu me diligis:Si autem velle diſcutere ò Domine Deus meus, per omnia tuæ dilectionis ſigna deficerem: quin nec bona naturæ,nec bona fortunæ, nec bona gratiæ,nec bona gloriæ, Si hominum & Angelorũ linguis loquerer, exprimere valerem. Et ideo ijs tacitis in tuum Filium reſpirabo aliquantulum Pater æternæ.Quanta fuit erga hominem tua dilectio, Deus meus,qui eum tantũ dilexiſti,vt velles hominem eſſe Deum, & Deum hominem appellari? Quid enim amplius ei facere potuiſti, quàm quod eum tibi inſeparabiliter vniſti? Quid dicã? De ſexu fragili ipſum naſci voluiſti, & Filiũ Virginis nominari.Multum quippè domine exaltaſti genus humanum ſecundum vtrunque ſexũ; qui tibi ęqualem filium voluiſti hominem eſſe & filium mulieris. Non hoc dilectionis ſignum erga Angelos oſtendere voluiſti.Mirum eſt certè, quod præ amore tui corda filiorum hominũ non ſcinduntur. Quid aliud Deus habuit facere, quã eum peccabamus nos in profundũ inferni proijcere,& aliam creaturam nobiliorem in inſtanti creare. Quanta fuit iſta Dei dilectio, quod poſt lapſum dignatus eſt nos quçrere, tam benigne, & poſt noſtram offenſam,nos amplius,quã prius exaltare. Nũquid exaltationem meruit culpa noſtra?Certe non:ſed ne amplius fugeremus humanam naturam tibi vniri voluiſti. Mira videtur tui dilectio Deus meus, amor meus, gaudium meũ, & exultatio cordis mei;qui te odientes diligis,& exaltas.Si ergo nos,qui ſumus nihil, tantum diligis qui es ſummus; quomodo nos miſeri te non diligimus qui es ſummum bonum, & omne bonum,gaudium Angelorum, & refectio animarũ Sanctarum? O excellens charitas,ò amor morte fortior,quanto nos dilexiſti affectu?O cor meditantis, quomodo in tam excellenti dilectionis affectu non deficis prę amore?Quomodo tacet lingua,& oculi non emanant fontem lachrymarũ? quare omnia oſſa prę ardore non clamant? Domine quis ſimilis tui? quid aliud in hoc voluit Deus, niſi nos ſuo inebriare amore? Quanta eſt ergo Creatoris noſtri dignatio,quod tantum deſiderat nos per dilectionis vinculum colligari? quomodo poteſt cor hominis aliud cogitare? Vt ergo nos ſic exaltares, voluiſti domine Ieſu paruus naſci; vt nos beſtiales per peccatum cęleſtes faceres,voluiſti inter beſtias in pręſepio collocari?O mira diuinę bonitatis diffuſio, ò deteſtabilis noſtrorum excęcatio oculorum; O glacies,non cor,cur non liqueſcis ad hunc calorem? Heu mihi, neſcio per quam viam Deus nos amplius requiret, ex quo per has nos non habet. Sed quid dicam? Chriſtus,qui eſt receptaculum expulſorum, voluit fugere in Egyptum; Vnde hoc pro me faciens ſuum mihi manifeſtaret amorem, vt ad eum, ſcilicet, fugerem perſequutus. O Deus meus, miſericordia mea,lumen cordis mei,bene video, quod es meus totus, & me vis totaliter poſsidere. Taceo quippe amantiſsime domine vitę tuę proceſſus, qui totus dilectione plenus eſt, & venio ad alapas, & ſputa: Certe hoc dilectionis ſignum cor hominis nõ ſufficit cogitare. O Deus vitę meę,Deus cordis mei, & pars mea, quare à creatura tua, quã in momento delere poteras,ſic vilia tolerasti? nempe tua nimia dilectio

hoc

hoc placite voluit ſuſtinere. O cor pluſquã lapideum, ò cor non cor, cur non accenderis ex amore? lapis calore Solis ſolutus in æs vertitur, & tu ad tanti calorem Solis immutabilis perſeueras? Vnde ergo es lapideum non carneum. O cor nequiſsimum, ò cor inmaniſsimum, ò cor infidelisſimum; ò duriſsimum cor, cur ſic te odis, cur ſic te laceras, & conſumis? cur ſic te fortiter diligentem non diligis? ò crudeliſsime cor, cur plus quã vitam mortem amas? cur te quærentem non recipis? O lapides, ò creaturæ inſenſibiles flete veſaniam cordis mei. Certe domine, ſi odires me, ex quo Deus meus es, & ſolus refugium meum protector, & gubernator meus, diligere te deberem; quanto magis cum me diligis tantum, & tuis beneficijs ſequeris fugientem? Nam tantum me diligis vt te pro me odire videaris? Nõne tu Iudex hominum voluiſti pro me iudicari? & mortẽ turpiſsimam, & grauiſsimã ſuſtinere? O Deus meus, laus mea, & robur meum, quid mihi amplius facere voluiſti? Aut mihi dicito, quid mihi amplius facere potuiſti? Diligam te domine fortitudo mea, firmamentum meum, & iubilatio mea. Sonet vox tua in auribus meis; quoniam eloquium tuum dulce eſt, & facies decora. Quod ſi domine aſpectus tuus ſolus inebriat, quanto magis paſſio tua glorioſa, ignominia grauiſsima, & acerba mors, quam ſuſtinuiſti pro me? Et quis hoc de manu tua requirebat? Cur tibi curæ fuit de tam viliſsima creatura? Nam ſi me redimere volebas, aliter facere potuiſti? ſed ſic facere voluiſti, vt nos omnes tuo inflammares amore. O amor, & deſiderium cordis; ò dulcedo, & ſuauitas mẽtis. ò ardor, & inflammatio pectoris; ò meridiana lux & claritas oculorum; ò aurium ſymphonia; ò hoſtia ſuauiſsima Deo patri: O melliflua guſtatio ſanguinis fluxus. O amantiſsima palpatio lateris; ò anima mea, vita mea, viſcera corporis mei; ò medulla oſsium, vegetatio carnium, ſanctificatio organorum intellectus inſpiratio, exultatio mea, deliciæ meæ, ſatietas mea, & amor meus, Deus meus. Cur non ſum totus in tuum conuerſus amorem? quare eſt aliquid in me, niſi amor? quid amore dulcius? quid ſecurius? quid ſuauius? quid auidius capitur? quid iucundius poſsĭdetur? Cur non ſum ab eo illaqueatus & captus? quare ſagittis ejus non eſt cor meum transfixum? Cur non clamo quotidie gemens; Vulneraſti cor meum Deus meus, vulneraſti cor meum. Vndique circundat me amor tuus, & neſcio, quid ſit amor; ſed heu mihi cur inſenſibilis ſic maneo? Cur vanitas, plus quàm veritas me allexit? Cur creaturæ iniquitas magis quã Creatoris benignitas me attraxit? Cur ſtercoris odium magis quàm Redẽptoris mei amorem ſingularem adamaui? O quãtum dilexiſti hominem Deus meus. Non ſolum enim pro ipſo in cruce pati voluiſti; ſed etiam ipſum apud inferos viſitaſti, & tecum ad ſuperos reduxiſti. Nonne pro ipſo Domine potuiſti mittere aliquem Angelorum, niſi ipſos extraheres per te ipſum? Cur vbique vis hominem ſociare? cur in omni loco vis cum homine habitare? quid habet in ſe, niſi vilia, homo iſte? quare diligis ſic intensè? Poſtquã reſurrexiſti voluiſti adhuc quadraginta diebus homini apparere? ſecumq; glorificatus veſci voluiſti, & pacem ei donans, te palpabilem tribuiſti; ſed ò Domine nonne ſufficiebat homini, quod pro ipſo fueras crucifixus? An ignorabas, quod de tam excellenti dono paſsionis tuæ futuri eramus ingrati? & quod illi, quos ſpeciales habueras, fuerant increduli? quomodo potuiſti amplius nos intueri? O quam mirabilis eſt dilectio tua Domine Ieſu; qui antequam aſcẽderes in cœlum, dimiſiſti homini poteſtatem, vt te, qui velit, habeat in Altari; & tuo corpori taliter nos incorporare voluiſti, & ſanguine potare præcioſo, vt ſic tuo inebriati amore, tecum vnũ cor, & vnam animam haberemus inſeparabiliter colligatam. Hoc eſt certe, quod vis, hoc eſt, quod deſideras Deus meus. Hæc eſt mea redemptio dulcis Domine, quod & miſericorditer concede. Amen.

[Psal. 17.]

Pia lamentatio ſponſæ conquerentis de ſe, quod elongauerit à domino ſuo, illaqueata per corporis ſenſus dulcedinem, & pulchritudinem creaturarum; Veniam in fine humiliter ſupplicando. Cap. VI.

ANima quæ Deum diligit, quæ veri luminis illuſtratione clareſcit, & quæ labentium rerum vanitatem in veritate cognoſcit in ſolo Deo quietem habet. Nec aliunde ſui animi æſtum extinguere valet, quã ex prælibatione fontis vitæ, de quo Beati inebriantur inenarrabili dulcedine, quã norunt experti. Nec ad id pertingitur, niſi prius viſibilibus renuncietur affectu: quia quæcunque alia, & cuncta, quæ ſenſibus videntur, imprudentibus laqueum animæ exiſtunt. Ideo quotiens domine Ieſu vitæ meæ decurſum conſidero, fateor quia grauiter perhorreſco. O domine Deus vitæ meæ, quot tẽpora effluxerunt, in quibus ſine fructu vixi. Coram te, quomodo ſubſiſtam? quomodo ad te leuare potero faciem meam in illo magno, & terribili examine, quando enumerare iuſſeris omnes dies meos, quærens fructum in eis. O mi amantiſsime domine Deus meus, cur intermiſi, te non verſari omni tempore in corde meo, & te nõ cõplecti à me tota mente, ac in tua dulcedine delectati? Omnia interiora mea vbi tunc erant, quando tecum non erant, cum à te omnis creatura habeat, quicquid habet deſiderabile & delectabile? Heu, heu domine, confiteor corde proſtrato, quia decor creaturarum decepit oculum meum & nõ aduerti: quia omnibus creaturis ſpecioſior tu es: quibus tantummodo vnam guttam tuæ inextimabilis pulchritudinis communicaſti? quis

enim

enim ornauit cœlum ſyderibus, terram plãtis & floribus, aerem volucribus, aquam piſcibus, homines diuerſis coloribus in corpore, & in mente variis virtutibus? Nonne clementiſsime, & pulcherrime domine per te illa cœleſtium agmina Angelorum variis donis ſunt ornata? Nõne per te Seraphim ardet dilectione Cherubim cognitione, tuis donis iudicant Throni; De tuis muneribus dominantur Dominationes; Ex inclyti tua virtute præſunt Principatus; Ex tua poteſtate dæmones arcent poteſtates; Ex tua profunda potentia miracula faciunt virtutes; Ex tuo præcepto tibi obediunt Archangeli, magnis nunciando maiora; Angeli nunciando vero minoribus minora. Sed quid ſunt hęc omnia? Certè tuæ pulchritudinis modica ſcintilla. O bone Ieſu, fons vniuerſæ pulchritudinis, ignoſce mihi miſero: quia tuam pulchritudinem tam ſero cognoui: tam tarde amaui: propterea miſerabiliter oberraui. Dulcedo quoque creaturarum decepit guſtum meum, & non percepi, quod melle dulcior es; quid enim ò æterna charitas eſt dulcedo, & delectatio creaturæ, niſi quædam demonſtratio *Psal. 30.* dulcedinis tuæ, quam abſcondiſti timentibus te? Vnde dulcedo creaturarum ò amantiſsime Ieſu, ad tuam æternam dulcedinem nos inuitat, ſed ò dulciſsime domine, modo agnoſco quod omnis dulcedo tibi contraria, mihi fuit magna miſeria. Et tu miſericordiſsime domine, omnes iniquas delectationes meas amariſsimis reſpergens amaritudinibus, docebas me per flagella: quod ſi vellem ſine amaritudine delectari, non poſſem, niſi in te domine, quod minime intellexi, ideo peccaui. Decepit, Deus meus, odor creaturæ olfactum meum, & neſciui, quod odor tuus, ò domine Ieſu, ſit ſuper omnia aromata. O pie Ieſu, fons odoris & odor ſuauitatis, cuius fœcunda amœnitas, facit indeſinenter currere poſt te, infatigabiliter laborare. Parce mihi, quod tam ſero agnoui te, & tam tardè in odorem vnguentorum tuorum *Cant. 1.* cucurri. Decepit etiam ſonus falſus creaturarũ auditum meum, nec ſenſi quam dulcia faucibus electorum tuorum eloquia tua, quam ſuauia auribus amicorum tuorum conſilia tua, quam leuia manibus Sanctorum tuorum mandata tua. O bone Ieſu, ſapientiæ initium, Auctor ſcientiæ, conſcientiæ cuſtos, gratiæ elargitor, electorum dux, certantium fortitudo, mœrentium conſolator: peccatorum venia, Beatorũ merces, cœli ianua, & totius Beatæ Trinitatis theſaurorũ elargitor; fac me vel modo audire vocem tuam, ſonet, precor te domine, vox tua in aurib. meis. Scis enim Deus meus, cum quanta amaritudine recogito, quod vox illa miſerrima fefellit me cantantium, *Sapien. 2.* & dicentium. Venite fruamur bonis, quæ ſunt ſuper terram: Coronemus nos roſis antequam marceſcant, & nos non prætereat flos temporis huius vino precioſo, & vnguentis nos impleamus: vbique relinquamus ſigna lætitiæ noſtræ. Hanc vocem domine, audiui, nec intellexi: quoniam hæc omnia vana ſunt. Quid enim domine hæc vana profuerunt amatoribus ſuis? Sed inter hæc omnia, tu amãtiſsime Deus ſemper mihi aderas, vocem tuam ſalutiferam audiui, inſpirationem tuam ſanctam ſenſi, nec conſenſi. O quoties mihi illud conſilium plenum charitate inſpiraſti; Peccaſti, quieſce, deſine, erubeſce; ad quem ego miſer aliquando verba ſomnolenta reſpondi. Domine ecce me, ſine paululum, ſtatim à vanitate quieſcam; & hoc modicum non habebat modum, vt paululum in longum ibat; vocem quidẽ audiebam tuæ occultæ inſpirationis, ſed vitam: non corrigebam, & ſic ad inferos deſcendebam, ſed cõplacuit tibi ò Rex meus, & auxiliator meus eripere me, ne in æternum ſeparer à te. Quod vt tibi factori meo manifeſtius profitear infelicitatis meæ errorem, cum non ſufficerent hæc omnia ad cumulum damnationis meæ. Heu domine mundana mollicies tactum meum nimis miſerabiliter decepit, & ignorari ò bone Ieſu, quã ſuauis eſſet amplexus tuus, quam honeſtus tactus, quam delicioſus conuictus. Nam te cum amauero mundus ſum, cum tetigero caſtus ſum, cũ accepero virgo ſum. Tuus enim ò dulciſsime Ieſu amplexus non maculat, ſed mundat: tuus enim attactus non inquinat, ſed ſanctificat. Quantũ habet anima mea domine ſuauitatis, quantum dulcedinis, quantum gaudii, & iucunditatis, quando læua tuæ æternæ ſapientiæ meæ orationi, & dextera tuæ clementiæ & dulcedinis amplexatur affectum meum. Heu me quid vnquam tam dulce, tam ſuaue, & tam ſalutiferum experiri poteſt, quàm inter brachia tanti ſponſi requieſcere inter oſcula tanti Regis tam feliciter obdormire. Hanc dulcedinẽ ſenſerat anima deuota, quan *Cant. 1.* do optabat dicens. Oſculetur me oſculo oris ſui. Nunquid has delicias non erat experta anima deuota quando orabat ardens, & iam penè deficiens prædilecti ſui concupiſcentia, dicebat in Canticis. Quis mihi det te fratrem meũ ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te ſolũ *Ibid. c. 8.* foras, & deoſculer te &c. Quæ per cognitionem dulcia ſunt, ſed quanto magis per affectum. Vnde oro te domine, fac me guſtare per affectum, quod percipio per intellectum. Et licet domine, vſque nunc errauerim quærens delectationem abſque te, tamen totis viſceribus concupiſco redire ad te. Ne me, oro, repellas, ſed da gloriam nomini tuo, & tuam noli delere imaginẽ, quam creaſti & ſanguine redemiſti: Solicitè quęſiſti, & gaudenter in humeris reportaſti. O Deus vitæ meę, heccinè diſperdes hãc ancillam tuam, pro qua tanta feciſti: Memento quęſo: amoris tui, laboris tui, & operis tui: Multiplica miſericordias

tuas,reuoca prodigum, vt cognoſcant omnes pariter,te patrem eſſe miſericordiarum, & neminē vis perire. Adiuua me domine, audi me domine, reuoca me domine ad te, reſtitue te mihi, vt donec vixero, poſsim tuas laudes ex ore meo proferre, & miſericordias tuas in æternum cantare, quas mecum tu clementiſsime domine facere voluiſti,liberans me multipliciter ab inimicis rugiē ribus preparatis ad capiendum me, elongatum à te,apud quem eſt tuum refugium contra inſurgentes aduerſarios. Nec de hoc contentus fuiſti ò Deus laus mea, & plena lętitia cordis mei, ſed eripuiſti me de faucibus abyſsi, & de profundo peccatorum lacu,& in quo ſine te detinebar captiuus,vt traderer cruciatibus ęternis; vbi nemo te laudat Deus meus. Aperi mi pulcherrime, & miſericordiſsime domine labia mea, vt pro his & aliis beneficiis, quę mihi contuliſti, quę prę multitudine, & magnitudine narrare nequeo, poſsim tuas laudes proferre ex intimis & ignitis medullis pręcordiorum meorum, & hic apud te, quò tendit cor meum, & cōcupiſcit anima mea, poſsim ſacrificium laudis offerre, per quod tua domine honoratur Maieſtas, ſicut te inſpirante canit Propheta dicens. Sacrificium laudis honorificabit me: ſed plenè, Beati qui habitant in domo tua domine, quia in ſeculum ſeculi laudabunt te.

Pſal. 49. Pſal. 83.

Prolatio pulcherrima graduum charitatis, necnon, & eorum effectus, quos mens iam conſumata, atque perfecta per contemplationem proſpexit, atque guſtauit. Cap. VII.

NVnc adeſto mihi Deus meus, quē quęro, quē diligo, quem corde, & ore, & qua virtute valeo, laudo atque adoro: Mens enim mea deuota, & tuo ſaluberrimo amore ſuccenſa, tibi ſuſpirans, tibi inhians, teque ſolum videre deſiderans, nil habet dulce, niſi de te loqui, de tua charitate audire, & pio affectu ī tua quieſcere charitate: nam amor tuus domine cordis palato ſapit, ideo iucunde eum pronuntio dilectoribus tuis: nam à charitate vulneratus ſum, ipſa de ſe fari cogit me. Quis eā dignè laudabit? quis illius eximia pręconia poterit referare. Si hominum linguis loquar & Angelorum, vtique parum loquar. Excedit humanam facūdiam ſupereminet Angelicam dignitatem. Herete tamē animo omnes qui cōcupiſcitis illam, anhelate ad illam, qui ambitis illam. Beati qui audiunt me, & qui vigilant ad fores meas &c. qui me inuenerit, īueniet vitā, ait ipſa cęleſtis charitas. Magna charitas, & magna opera eius, alios vulnerat, alios ligat, alios lāguidos, alios deficere facit: audi à charitate vulneratū. Vulneraſti cor meū ſoror mea ſpōſa vulneraſti cor meum. Audi ligantē charitate. In funiculis Adam traham eos in vinculis charitatis, charitate languentem audi. Filiæ Hieruſalem ſi videritis dilectum meū, nunciate ei, quia amore langueo. Deficientem vero in charitate, auſculta Prophetam. Defecit in ſalutare tuum anima mea, & in verbum tuum ſuperſperaui. Maxima ſunt vulnera tua ò charitas ter Beata, quę infligis, cum cor hominis, mentemque penetras, affectum etiam tranſuerberas aculeo igniti amoris: in tantum, vt deſiderium ſui ęſtus cohibere, vel diſsimulare omninò non valeat. Deſiderio ardet, affectu ęſtuat, anhelat ingemiſcens, & profundè longa ſuſpiria trahens. Nam vulneratę animę ſigna ſunt gemitus, & ſuſpiria. Qui autem vinculis tuis, ò ſuauis charitas ligantur, nunc acrius vruntur, nunc occupationum ſuarum occaſione retardantur: ſed iterū poſt modicum ęſtuās amor feruentior redit, animumque inflammatū vehementius vrit. Sępe itaque recedēs, ſemperque maior rediens paulatim animum emollit, viresque exhaurit, donec plenè animum ſibi ſubiiciat, iugique memoria totum occupet; ita vt non liceat ei aliud, quam de dilecto cogitare. Quod cum factum fuerit, illico languidos faciens irrūpit charitas, quę omnem affectum excludit: quoniam nihil, pręter vnum, diligit: Nihil omnino languēti animę prę amore ſatisfacere poteſt pręter vnum. Vnum enim amat, vnum ſitit, vnū cōcupiſcit. Ad ipſum anhelat, in ipſum ſuſpirat, in ipſo inardeſcit, in ipſo requieſcit, ſolū eſt, in quo reficitur ex quo ſatiatur. Nihil dulceſcit, nihil ſapit, niſi hoc vno condiatur. Quicquid vltrò ſe offert cito reiicitur, ſi ſuo affectui non militat. Sed quis huius affectus tyrannide dignè deſcribatur? quomodo omne deſiderium expellit, omne ſtudium excludit, omne exercitium opprimit: quod ſuę concupiſcentiæ deſeruire non proſpicit. Quicquid agat intolerabile videtur, niſi in vnum finem deſiderij ſui concurrat, cum frui poteſt eo, quod diligit, omnia pariter ſe habere credit. Si enim eo non frui poteſt, corpore tabeſcit, corde deficit, conſilium non recipit, rationi non acquieſcit, nullam omninò conſolationem admittit. Cum vero in his ſancta charitas mentem exercitauerit, tunc ſubintrat amoris magnitudo, qui deficere facit: nam huic animæ ęſtuanti nihil poteſt ſatisfacere deſiderio, quicquid agat, deſiderium ardentis animæ non ſatiat. Sitit & bibit; nec tamē ſitim ſuam extinguit; ſed quò amplius bibit, eò amplius ſitit; auida animæ ſitis non ſedatur, ſed irritatur pro voto ſuo, dum voto fruitur. Et quis digne huius animæ charitatem, & amoris vehementiam penſare ſufficiat? quid quæſo, eſt, quod cor hominis profundius penetret, acerbius eneruet? quid quæſo, moleſtius, cum ſitim ſuam nec reſiſtendo temperare, nec inebriando poſsit extinguere? Sicque fit, vt cum talis animæ æſtuantis deſiderij ardorem anhelat, quicquid ſibi fiat, non poteſt omnino remedium vel conſolationem afferre; & ſæpe amor in inſaniam vertitur,

prouer. 8. Cant. 4. Oſe 11. Cant. 5. Pſal. 118.

titur, niſi mira prudentia, prudentiq́ue cōſtātia eius impetus refrenetur. O amoris excellentia, ô vehementia dilectionis, ô charitatis violentia, ô amoris & æmulationis ſupereminentia: quāta eſt excellentia amoris, quæ omnem alium affectum excedit: quanta, quæſo, vehementia dilectionis, quæ mentem quieſcere non permittit. Quanta, obſecro, violentia charitatis, quę omnem affectū alium violenter expellit? quanta ſupereminentia ęmulationis, cui omnino nihil ſufficit. Mutuus namque intimę charitatis affectus inter fœderatos pacis vincula aſtringit, & illam indiſſolubilē perpetuandamque ſocietatem gratam, & iucundam reddit. Sed tu o charitas chara, o amor ſanctus, edicito mihi tuo dilectori, qualiter aliqui dilectorum tuorum aliter ſitiant Deum, aliter ad Deum, aliter in Deum, aliter ipſum Deum.

Sitire Deum, ad Deum in Deum & ipſū Deū quid ſit.

Sitit anima Deum, quando viſitationem ſpiritualem Dei deſiderat, & quæ ſit illa intima dulcedo, quę mentem hominis inebriare ſolet, guſtare incipit & videre, quàm ſuauis eſt dominus. Sitit anima mea ad Deum, quando per contemplationis gratiam ſupra ſe eleuari, & Regem in decore ſuo videre deſiderat. In Deum anima tunc ſitit, quando per mentis exceſſum tota in Deum tranſire concupiſcit. Sed in ipſum Deū tunc anima ſitit, quando animus ſuo arbitrio nihil relinquit, ſed totū ſe domino committens, nunquam cogitat, quæ ſua ſunt, ſed quæ Ieſu Chriſti. (philip. 2.) In primo itaque gradu, ſpiritus ille ſupra mel dulcis intrat animā & dulcedine ſua inebriat eam; intantū, vt habeat mel, & lac ſub lingua eius, (Cant. 4.) & fiat ſæuus diſtillās labia illius; memoriam abundantiæ ſuauitatis eructabunt, qui huiuſmodi ſunt. (pſal. 144.) Hæc eſt illa conſolatio, quę abrenuntiantes ſeculo primo excipit, & in omni perfectione ſolidare conſueuit. Hic eſt ille dulcor ſpiritualis, qui quaſi modo genitos infantes ſemper ſolet lętare, & ad perfectum robúr paulatim perducere. Sed prius deponat amorem mundi, prius de corde ſtudeat deponere omnē amaritudinem; ne degenerem conuiuam, dedignentur ciues Angelici: & tunc ſatiabitur interna dulcedine: Nam amor Dei quanto omnem alium affectum vincit, tanto crebrius, atque vberius animam ęterna iucunditate reficit. Sub hoc gradu mens ſugit mel de petra, oleumque de ſaxo duriſsimo. (Deut. 32.) Sępe etiam deſcendit dominus de cœlo, & viſitauit ſedentes in tenebris, & vmbra mortis. Sæpe gloria domini replet tabernaculum mentis; ſic tantum præſentiam ſuam exhibet dominus, vt faciem ſuam minime oſtendat. Dulcorem ſuum infundit, ſed dulcorem ſuum non oſtēdit. Itaque ſuauitas eius ſentitur, ſed ſpecies non cernitur: & quamuis appareat dominus in igne, tamen magis accendente quàm illumināte: quia accendit affectum, mūdum illuminat intellectū. Vnde fit, vt ex frequenti viſitatione audeat ampliora præſumere, & poſtulare dicens. Si inueni gratiam in oculis tuis, oſtende mihi te ipſum. Et licet ex deſiderio intimo hoc petatur, non tamē ſtatim percipitur. Oportet ſanè ardenter petere, diligenter quærere, fortiter pulſare, & perſeueranter inſiſtere, ſi optata volumus obtinere. Cū vero mens cum magno deſiderio, & ardenti ſtudio ad diuinæ cōtemplationis gratiam proficit, ad ſecundum gradum amoris pertingit, quando meretur per reuelationem reſpicere, quod oculus non vidit, nec auris audiuit &c. In hoc gradu contemplationis ſuis alis anima ſuſtollitur ad altitudinē nubium, ita vt de reliquo dicere poſsit. Conuerſatio noſtra in cœlis eſt. (philip. 3) In quo cœlo videre poteſt illum Solē, ſub quo ardent illi Angelici ſpiritus, qui Seraphim .i. ardentes dicti ſunt. Solem itaque iuſtitiæ videre poteſt in hoc contēplationis cęlo, cui dicit. Nō erit tibi amplius Sol ad lucendum per diem, neque Lunę ſplendor illuminabit te, ſed erit tibi dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam ſuam. Tunc anima experientię edocta magiſterio, gemēs prę amore pſallit. Quoniā melior eſt dies vna in atrijs tuis ſuper millia. (pſal. 83) Hęc iucūditas ſemel guſtata, nec præſens faſtidiri poteſt, nec abſens obliuiſci; vnde anima ab illo lumine deſcēdens & ad ſeipſam rediens, quaſdā ſecū reliquias cogitationū trahit, ex quib. reficitur, ſicut ſcriptū eſt. Et reliquiæ cogitationum diē feſtum agent tibi. (pſal. 75) Sed quæ erit iucunditas in ipſa viſione, ſi tanta delectatio eſt in eius recordatione? Hæc itaq; diuini luminis reuelatio, reuelationiſq; admiratio iugi recordatione ita animū inſolubiliter ligat, vt expertā iucūditatē obliuiſci nō valeat. Et ſicut in primo gradu deguſtata ſuauitas affectū transfigit, ſic in ſecundo inſpecta claritas cogitationē ligat, ita vt nil aliud cogitare poſsit. Tertius itaq; amoris gradus eſt, quando mens hominis in illum rapitur diuini luminis abyſſum, ita vt omnium exteriorum oblita, tota tranſeat in Deum ſuum. Tūc plenè ſopitur carnaliū deſideriorū turba, & quicquid moleſtiæ eſt in animo, abſorbetur à gloria: fitq; ſilentiū in cœlo, quaſi media hora. Dūq; mens à ſeipſa alienatur; & ad diuini arcani ſecretarium rapitur, ab illo incēdio diuini amoris vndiq; circūdatur, intimè penetratur, vſquequaque inflāmatur; ita vt ſeipſam penitus exuat, & diuinū quendā affectū induat, & aſpectę pulchritudinis cōflagrata amore, tota in aliā gloriam tranſeat. Et ſicut ferrū in ignis incendio morā faciēs, primò incaleſcit, poſtea in ſe ignis ſimilitudinē trahens, incandeſcit, donec liquefiat; ita anima diuini amoris incēdio abſorpta, æternorumque deſideriorum vndique circumſepta, primò incaleſcit, poſtea incandeſcit; tandemque tota liqueſcit. Audi eiuſmodi igne, & internorum deſideriorū æſtibus ardeſcentes. Nōne cor noſtrū ardens erat de Ieſu, dū loqueretur nobis in via; (iſa. 24.) nōne & illi ex circūfuſa deitatis flamma, velut inſpecta gloria incande-

Cor. 3. ſcunt, qui reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes in eandem imaginem transformãtur à claritate in claritatem, tanquam à Dei ſpiritu? Audi animam diuinę locutionis ignem liquefactã. Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt: ſtatim enim vt ad illum internum diuini arcani ſecretum admittitur, præ admirationis magnitudine, iucunditatis abundantia, in ipſum, qui loqui- Cor. 13. tur, tota reſoluitur. Dum incipit audire, illa arcana verba, quæ non licet homini loqui, & intelligit incerta & occulta diuinæ ſapiẽtiæ manifeſta- Cant. 2. ri ſibi: ſicque in illũ liquefacta, quem diligit ait. Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo. Cum igitur anima taliter diuino fuerit igne decocta, medulliter emollita, penitusque liquefacta, quid iam ſupererit, niſi vt proponatur ei, quæ ſit voluntas Dei beneplacens, atque perfecta, & informetur quadam virtutis formula? nã ad omnem diuinæ voluntatis nutum, ſpontaneo quodam deſiderio, ſe ipſam accommodat. Vnde eiuſmodi animę proponitur forma humilitatis Philip. 2. Chriſti. Cui dicitur. Hoc enim ſentite in vobis, quod & in Chriſto Ieſu; qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe ęqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit &c. Hæc eſt forma humilitatis Chriſti, quã ſequi debet, qui quartum gradum poſsidere deſiderat charitatis. Maiorem charitatem nemo habet, quam vt animam Ioan. 15 ſuam ponat quis pro amicis ſuis. Ad ſummũ gradum charitatis proſecerunt, qui animam ſuã ponunt pro amicis ſuis. Et qui dicere poſſunt vera- Gal. 2. citer illud Pauli dictum. Viuo ego iam non ego, viuit verò in me Chriſtus. Ad impaſsibilitatem venit, qui in hoc quarto gradu fiducialiter dicit. 2. Cor. 13. Quis infirmatur & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? In neceſsitatibus, in 1. Cor. 13. carceribus, in plagis pro Chriſto complacet, qui huiuſmodi eſt. In hoc gradu charitas patiens eſt, benigna eſt, non æmulatur, non quęrit quę ſua ſunt: Omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat. In tertio gradu anima in Deum glorificatur. In quarto propter Deum humiliatur. In tertio conformatur diuinę charitati. In quarto vero Chriſtianæ humanitati. In tertio quaſi in forma Dei eſt. In quarto ſe ipſum exinanire incipit formam ſerui accipiens, vt omnes lucrifaciat Chriſto Ieſu domino noſtro. Amen.

Digniſſima commendatio diuinę charitatis, quam pia anima, ea plena, geſtit extollere; quanquam in ipſius excellentiſſima laude ſuccumbat. Cap. VIII.

SIcut ſcriptura docet. Vera amicitia non eſt ſi in Deo fundamentũ non habet. Ea propter cum amicitia Dei donum ſit, iuſtum eſt, vt qui ex dono Dei diligit, nil præter Deum aut propter Deũ diligat, vt illuc flumina defluãt vnde fluunt: ne riuus à ſuo fonte degeneret, qui de plenitudine gratię affluenter emanat. Nam ſi quidem vnice & ſingulariter veram amicitiã profitemur, per quã nos Deus amicos vocare dignatus eſt; ſi eius præcepta fecerimus. Vos inquit amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ præcipio vobis. Ioan. 15 Hæc Dei amicitia eſt charitas, qua nos dilexit ante mũdi cõſtitutionem, & elegit in filio ſuo dilecto. Ipſa charitas eſt fons omniũ bonorũ, omniũq; donorum, quæ nobis à munificentia cęleſti proueniunt. Hæc oĩs amor legitimus, ordinẽ formãq; ſortitur; nec ordinata poteſt eſſe aliqua mẽtis affectio, niſi ab ea cauſam, modum, & ordinẽ mutuet. De hac ornatiſsima charitate, ſapiẽtia in libro ſui modũ dicit. Ab æterno ordinata ſũ. Hęc Prou. 8. ordinata à Deo ordinat Angelos in miniſteriis ſuis. Hęc ſtudia, & exercitia iuſtorũ diſponit ĩ profeſsionib. ſuis. Sine hac amicitia inter hoĩes ordinata eſſe nõ poteſt. Ipſa eſt via, & vita virtutũ. Ipſa eſt via, qua oſtenditur iter ſalutare Dei, de qua Eſaias dicit. Ambulabunt hac via qui liberati fue- Iſa. 35. rint, & redẽpti à domino, & venient in Syon cũ laude, fugiet dolor, & gemitus, lętitia ſempiterna ſuper capita eorũ, gaudiũ, & exultationẽ obtine- Iſa. 51. bunt. Ipſa eſt lumen, oẽs ſenſus hoĩs, & affectus clarificans, vt diſcat homo, vbi ſit lumen oculorũ & pax. Charitas eſt oleũ, quod oĩ liquori ſupernatat, quod illuminat, quod omnẽ aſperitatẽ propria ſuauitate lenificat. Hoc oleo vncti Apoſtoli atq; Martyres ſuauiſsimã reputabant mortis aſperitatẽ. Charitas nõ ſolum mortis, & ſuppliciorũ amaritudinẽ ſuauificat, ſed ẽt ipſam mortem potentiſsima virtute mortificat. Nonne Chriſti charitas peremptoria mortis erat? Cũ ipſe dux vitæ mortem comminaretur, dicens per prophetã; ò mors ero mors tua. Dilectio.n. morte fortior eſt. Oſe. 13. Cum.n. mors vitam eripiat temporalem; nos charitas introducit in æternam. Hæc eſt ſpecioſiſsi- 3. Reg. 1. ma, quæ Dauid ĩ ſua frigiditate calefaciebat. Qui .n. verſantur in operibus mortis refrigeſcẽre charitate cognitione paſsionũ Chriſti denuo recaleſcunt. Hæc eſt nubecula, quæ ad præces Heliæ magnam exercuit pluuiam. Cum.n. aliquis ex to- 3. Reg. 18. to corde Deũ diligere incipit, non ſolũ ad amicos, ſed ẽt ad inimicos beneuolentiæ ſtillicidia, & gratiæ fluenta diffundit. Nimirũ charitas eſt oleum viduæ, quod continuũ ex ſui diſtributione ſuſcipit incrementum; linguæ Angelorũ, linguæ hominum, ſuſtentatio pauperum atq; Martyrum ſine charitate nihil ſunt. Prophetia prędicit, ſciẽtia comprehendit, fides ẽt ſi montes transferat, quicquid fit ſine charitate non valebit. Sine charitate nihil poſſunt prodeſſe; nihil vero cũ charitate obeſſe. O ſtupor, ò excellẽtia charitatis. Charitas eſt lex vitæ, diſciplina morum, pax conuiuentium, gloria cõcordium, criminum abolitio, legis plenitudo, ſacræ ſcripturæ compendiũ, præceptorũ Dei conſumatio, virtutum virtus & bonorũ impletio meritorũ; Omnia mãdata vitæ, oĩa iuſtitię opera, referuntur ad eã. Ex hac ſuũ ſortiuntur effectũ, operũ cõmẽdatio perfectę oĩum vel

deuo-

deuotæ;& ab ipſa tanquã ab arbore fructus, tanquam ramus à vitæ pendent tota lex & Prophetæ. Sicut enim fructus ab arbore ſuum recipit alimentũ,donec ad matutitatẽ veniat; ſic boni operis fructus,ſic ſancta deuotio,ſic omne quod pie agitur ſuum à charitare recipit initiũ,& progreſſum. Denique ſi velis virtutum naturã examinare,ſubtilius;quid eſt temperantia niſi amor? quẽ nulla voluptas allicit: Quid prudẽtia,niſi amor, quem nullus error ſubducit? Quid fortirudo,niſi amor,qui nulli aduerſitati ſuccumbit? quid iuſtitia,niſi amor qui,quod ſuum eſt, vnicuiq; diſtribuit?Charitas eſt quędam luminoſa dies quietis, tranquillitaris, & pacis. Et nunc quæ eſt ancillæ tuæ expectatio,niſi tu domine?Si forte hanc Reginam virtutum merear poſsidere per te, & in ipſa ad modicum requieſcam cum regibus,& cõſulibus,qui ædificant ſibi ſolitudines, & replent domos ſuas argento; Vtinam mihi detur te ſanctam poſsidere chariratem: nam animæ tenenti te imperrurbabile tribuis gaudium. O quam beati qui ingrediuntur locum tabernaculi tui admirabilis atque in voce exultationis,& confeſsionis contemplantur ſpeciẽ decoris tui. Tu enim ò excellentiſsima charitas rota pulchra es,& macula nõ eſt in te. Tu nanque Corona Regni cœleſtis: Tu dyadema ſpeciei in manu Regis. Tu in cœlo regnas,in terra dominaris. Tu poſsides omnia,reples omnia, ſuſtentas omnia. O charitas plena delicijs,diuitijs,& hononbus, quam dulciter capis iugo tuo ſancto; quam glorioſe illaqueas quã ſuauiter premis,quam fortitet ſtringis,quã delectabiliter ornas,quã ſapienter erudis. Tuo amore vulnerarus ſum. Tua ſuauitate tefertus,tua pulchritudine captus;tua dulcedine inebriatus, tuis amplexibus aſtrictus. Vim patior à te,nec ſine re me eſſe vis. O felix charitas, ò diuinus amor,ex quo naſcitur ſtrenuitas morum,puritas affectuũ, ſublimitas intellectus, deſideriorũ ſanctitas; operum claritas,virtutum fęcunditas,merirotum dignitas,reple cor meum,vt non ſapiat niſi te. Affectum meum,vt nõ iucunderur niſi in te; Os meũ vt non loquatur niſi de te; Da mihi quæſo,vt omnibus narrem mirabilia tua. Aperiam theſauros tuos,vr augeatur numerus ſeruorum tuorũ. Quapropter fratres,ſectamini charitatem,dulce,& ſalubre vinculum mentium, ſine qua diues eſt pauper,& in qua pauper diues eſt. Hæc in aduerſitatibus tolerat,in proſperiratibus temperat,in duris paſsionibus fortis,in bonis operibus hilaris; in tẽtatione tutiſsima; in hoſpitalitate latiſsima; intra veros fratres lætiſsima; intra falſos patientiſſima. In Abel ſacrificio grata. In Noe per diluuiũ ſecura; In Abrahæ peregrinatione feliciſsima: In Moyſe inter iniurias leniſsima, In Dauid mãſuetiſsima: Caſta ĩ Suſanna; In Paulo libera ad arguẽdũ; In Petro humilis ad obediẽdũ; In Chriſtianis deuota ad confitendum: In Chriſto diuina ad ignoſcendum: Audite quid de hac Paulus loquatur altiſsima ruba Dei. Si linguis hominum loquat,inquit, & Angelorum,charitatem aurẽ nõ habeam factus ſum velut æs ſonans,aut cymbalũ tinniẽs. Si habuero propheriam, & ſcieto omnia ſacramenra,& omnem ſcientiam, ſi habuero fidẽ,ita vt montes rrãsferam,ſine charitate, nihil mihi prodeſt. O charitas,ò amor,ò ſuauitas,oſculum,& amplexus. Quis introiuit potenrias tuas? quis inueſtigare poteſt diuitias tuas? O altitudo ſacramentorum charitatis Dei. O laritudo, ò ſublimiras,ò profunditas,ò charitas, cibus ſuauiſsimus,quæ mæſtos lætificas: feſſos alleuias,debiles toboras. Laudat cœlum, exultat terra,mirantur Angeli,celſitudinem tuam. Tu enim es animarũ gaudium, prophetiæ virtus, Sacramentotum ſalus, ſcientiæ ſolidamentum,fidei fructus, diuitiæ pauperum,& viuentium vita. Sola es,quam felicitas non extollit, quam conſcientia non pungit. Inter opprobria ſecuta es,inter odia benefiea, inter iras placida,inter inſidias innocens,inter iniquitates gemens,in veritate reſpirans;ò dulcedo amoris,ò amor dulcedinis,ò charitas Deus meus tu es vira mea,qua viuo. Spes mea,cui inhæreo, gloria mea,quam adipiſci deſidero. Tu mihi cor tene,mentem tege,intellectum dirige. Affectum erige,animum ſuſpende, & in flucta pleniſsima ſupernæ voluptatis,iucunditatis,& felicitatis, ſpiritum te ſitienrem trahe, vt ſicut nunc ex parte, ita tũc plenè re poſsideam,& te fruar in æternũ. 1.Cor. 13

Rememoratio diuinorum munerum, quę deuota mens recolit, ne ſit ingrata. Maximè circa Domini Ieſu Chriſti paſſionem, in qua monſtrata eſt mortalibus plenitudo dilectionis. Cap. IX.

AVdite cœli, & auribus percipe terra, quantum magnificauerit Deus nobiſcum miſericordiam ſuam? Et quis hominum eius ſummam, & ineffabilem gratiam cõſiderauit? Quis de fonre tantæ dulcedinis guſtauit,& non amauit? nõne ſubiecta eris anima mea ei? quare non effundis in Deũ vniuerſos affectus quos dirigis ad vanitates & inſanias falſas? Præterit tempus, ad finem ptoperas,nec conſideras, quantum magnificauerit te dominus Deus tuus. Quare tabeſcis, quare rota die mœrore conſumeris. Reuertere, reuertere ſunamitis, teuertere ad Deum tuũ, diuulſa mea,dilacerara mea, perdita mea,ſed Chriſti graria ſuſcitata,Ieſu paſsione redempta. Cur,quęſo,diligis aliquid præter illum, qui tam benignè, tam miſericotditer à tot miſerijs re redemit? Aſsidua meditatione reuolue qualiter vnigenitus Dei patris,cum eſſet ſplẽdor gloriæ & imago ſubſtantiæ eius, poſt exinanirionem vſque ad formam ſerui,poſt famẽ, & ſitim,poſt laſsitudinem & lachrymas, poſt vincula, fel, & acetum; poſt flagella & ſpineam coronam, poſt clauos, & lanceam; pro ſalute tua, quandoque pependit in cruce. Crucis equidem

cornua in manibus eius, ac de illis pius ille ſamaritanus tuis vulneribus vinum, & oleum infudit. Porrò abſcondita erat ibi fortitudo eius, & in amaritudine mortis dulcedo illius. Dicēte Eſaia. Vere abſconditus Deus tu es Hieruſalem Saluator. O mira & ſtupenda dignatio, ò laudabilis, & prædicanda diuinæ miſericordiæ compaſsio: A ſeculo non eſt auditum tale myſterium, nec vnquam mortalibus propoſitum fuit tale ſpectaculum, vt pro peccatoribus iuſtus, pro ſceleratis innocens, pro condemnatis manſuetiſsimus traderetur. O extimabilis dilectio pietatis, vt ſeruus redimeretur vnigenitus morti traditus eſt. Admiremur, gratulemur, amemus, laudemus, adoremus, quoniam per Redemptoris noſtri mortem, de morte ad vitam, de tenebris ad lucem, de exilio ad patriā, de corruptione ad incorruptionis gloriam, de luctu ad gaudium vocati ſumus. Nec eſt, qui conſideret, proh dolor, aut imitetur exemplar conſumatæ iuſtitiæ, quod nobis in monte hoc, in Chriſti victorioſiſsima paſsione monſtratum eſt. Nonne Chriſtus dominus noſter, Rex noſter, ſponſus & magiſter noſter, amicus & frater noſter, Creator & Redemptor noſter affligitur omni genere pœnarum in omni parte ſenſuū, & ab omni ſtatu hominum? Rex illuſit, præſes iudicauit, Diſcipulus vendidit, Apoſtol reliquerunt Pontifices, Scribæ, & Phariſæi tradiderunt, Gentiles flagellauerunt, turbæ condemnauerunt, & milites crucifixerunt. Et quid plura? Saluator manſuetiſsimus noſter nullis aduerſantium hoſtium tentamentis potuit à noſtræ ſalutis cura reuocari. Propterea ad te loquor ò anima mea, quam recompenſationem, quasve gratiarum actiones reddes factori tuo? Audi, quæſo quid loquatur tibi ſponſus tuus, audi querimoniam lachrymabilem, quam ipſe tibi pro tua obiicit ingratitudine, non indignatione commotus, ſed tua charitate vulneratus: Cum eſſes longe, ego ad te veni, vt redimerem te; Cum inter montes & ſyluas errares, quęſiui te. Inter lapides, & ligna inueni te, & in humeris meis portaui te, Patri meo reddidi te; laboraui, ſudaui, caput meum ſpinis expoſui, manus meas clauis obieci; lancea latus meum aperui, ſanguinem pro te fudi tot quot non dicam vicibus aſperitatibus laceratus pro te: Et heu tu propter peccatum tuum te diuertis à me. Quare me fuges, & aſpectum meum veretur cor tuum? Non vt occidā quæro te, nec te mihi arbitror inimicum. Nunquid nō ſum ego pater tuus, qui poſſedi, & creaui te. An non agnoſcis ſponſum tuum pro amore tuo liuoribus vulnerum tabeſcentem? Amoris indicia intuere in latere, & contrectare clauorum cicatricis in manibus, & noli eſſe ingratus. Abiiciēdus eſt timor, vbi tot fulgent dilectionis inſignia; ad hoc ad te venio, vt mecum te traham ad patrem: ibi enim manifeſtabo gloriam meam tibi. Ibi te ornabo lapidibus pręcioſis: Indicibili claritate induam te. Cum illic fueris, inter hinnidicos Angelorum choros collocabo te, & eorum frueris inenarrabili gloria. Habitabo in te, & glorificabo te & bonum tuum nemo tollet a te: quia ego ſingulari amore diligo te. Noli ergo hanc vilipendere gratiam, noli repudiare charitatem inuitātis amici. Ego quoque contemnam te in die neceſsitatis tuæ, ſi me clamantem ad te deſpexeris; nec erit, qui te de manu mea tunc eripiat. Dum tempus ergo adeſt, age bonum, & me ad iracundiam noli prouocare. Nihil enim tam charitati meę contrarium, quam internæ inſpirationi non accommodare conſenſum. In tanto enim exuberanti beneficio, quo te prouocat pie ſponſus tuus, in tanto cumulo gratiarum quo te largitio diuina obruit. Vide, ò anima mea, ne ingrata ſis: Ingratitudo enim eſt peremptoria ſalutis. Ipſa eſt flatus aſpidis, virus animi, vredo virtutum, ventus peſtilens, & aura corrumpens ſtillicidia gratiæ, & rorem deſiccans pietatis, & miſericordiæ. Adhuc alloquor tibi, ò mens mea, vt intenta meditatione reuoluere non ceſſes quantum pro receptis beneficijs debeas Redemptori. Nihil enim ſatis eſt dictum, quod ſemper eſt dicendum, atque continua recordatione replicandum. Eras illi grauiſsimo creditori Angelo Sathanæ tot debitis, quot peccatis vinculo Chirographi obligata, nec ſoluta eras. Dei autem filius ſponſus tuus pietate permotus, quæ non rapuerat, pro te ſoluit; & vt dignatio fieret propenſior, & gratia vberior non delegauit alium debitori, ſed dedit animam ſuam in cauſam ſoluti. Cum enim ille Angelus transfuga, te in deteſtabilem peteret ancillatum, Chriſtus litem contra te propoſitam fecit ſuam; & poſt productiones diuerſas legis, teſtium, oraculorum, prophetarum, & ſignorum, tandem ſanguinem allegauit, & obtinuit allegatio illa tuæ ſententiam libertatis. Super calculo ſmaragdino ſcriptæ ſunt litteræ in membrana corporis crucifixi, & firmatæ oſculo miſericordiæ, & veritatis, iuſtitiæ & pacis occurrentium ſibi. Denique impreſſum eſt ſigillum, plaga ſcilicet lateris, quam in pretium Redemptionis noſtræ, & placationem congruam iugiter exhibet ante oculos patris. Adhuc vel extat titulus cauſæ inſcriptus in tantæ charitatis memoria. Sciaſque quod ſi te ingratam reperiet tanti beneficij, à te exiget diſtrictiſsimè rationem; vereorque ne quandoque indignatiſsimè tibi dicat. Tolle manum tuam, & mitte in latus meum. Mitte digitos tuos in fixuram clauorum, & vide quanta paſſus ſum pro te. O ingrata, & crudelis impietas: nonne putas Deum de tot, talibusque collatis beneficijs pœnitere? Si ea viderit per ingratitudinem periiſſe? Propterea oratio noſtra ſæpe repellitur, & hoc ipſum pia diſpenſatione Dei agitur: vt qui de iis perceptis beneficijs ingrati ſumus, ex noua

largi-

Iſa. 45.

Deut. 32.

largitione cæleſtium munerum non oneremur grauitate culpæ ingratitudinis. Cum enim datur beneficium, perditum reputatur, ſi nõ proſequitur actio gratiarum. Quare non exaudiri nobis expedit, potius quàm ad cumulum damnationis noſtræ ingratitudinis obtinere quod cupimus. Vide quæſo, qua compenſatione, quo merito, ſummę reſpondeas Trinitati. Tradidit pro te Pater vnigenitum filium ſuum in mortem, tradidit & filius ſe ipſum pro tua ſalute mortem. Datus eſt tibi

Rom. 5. Spiritus ſanctus dicente Apoſtolo. Quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritũſanctum, qui datus eſt nobis. Vide nunc anima mea, quanto te amore diligat Deus tuus, æternus, omnipotens, & immenſus, cuius magnitudinis non eſt finis. Cuius ſapientię non eſt numerus. Cuius pax exuperat omnem ſenſum, à quo, & in quo ſunt omnia viſibilia, & inuiſibilia cœleſtia, & terreſtria. Sane ſi eum diligis hoc facis ex debito, ſic te diligit facit gratuito. Attende celſitudinẽ cęli & magnitudinem firmamenti, & modicum lutũ in locis paluſtribus. Talis eſt, & adhuc diſpar cõparatio tui ad Deum, ſicut luti ad cœlũ. Quæ eſt enim collatio tui ad Deum ineffabilem & incomprehenſibilem? nihil enim ad menſuram meriti ei tribuere poſſes, ſiue ad retributionem eorum quæ pro te ſuſtinuit, ſiue quæ tibi gratis cõtulit; ſi te millies mille annis in gehennali incendio cruciares.

Iucunda progreſſio cæleſtium donorum, quæ magnifica Dei clementia contulit hominibus bonę voluntatis; ex quibus datur clara notitia Dei ſui, & repletur cor dulci ſpe, & flagrantiſſima charitate. Cap. X.

O Altitudo diuitiarum ſapientię Dei, quã incomprehenſibilis eſt charitas ipſius & innumerabilia beneficia eius. Quis cognoſcit ea, aut quis eorum celſitudinem indagare potuit? quis dedit aliquid domino, vt retri-

Rom. 11. buatur ei? nonne omne datum optimum, & om-

Iaco. 1. ne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à patre luminum, & à pleniſſimo miſericordiarũ fonte? tribuit, nec improperat, nec aliud ab homine, quam confeſsionem exigit, & dilectionẽ; quanquam ad hoc nemo plene idoneus. Confitere anima mea domino, quoniã bonus, quoniã in ſeculum miſericordia eius: nã vnigenitũ ſuũ tradidit pro te in morte, vt agnoſcas in ipſo eius charitatem & tamen hoc parum ei fuit. Adiecit plura alia munera, quæ in loco hoc peregrinationis meæ, mihi cantabilia facta ſunt. Aduerte igitur ò anima mea, & auribus attentis diligẽter audi, quæ dicitur: quia ſuauiſsimo amore reſpenſa ſunt. Circũſcriptis omnibus, quæ ad diſpenſationem Incarnationis, Paſsionis, & Mortis dilecti tui Ieſu diuina bonitas pro te fieri voluit. Reuolue nunc tuæ mentis aciem, & diligenter attẽde, quanta tibi tuus cœleſtis contulit ſponſus, vt tuum ſibi vendicaret amorem: Nec ſibi pepercit propter te. Hæc omnia tibi ſua nõ denegauit. O amor, ò liberalis charitas, ò veneranda Maieſtas quę tãta cauſa amoris? quid merui? quid feci? quid poſſum? premunt me dona tua; vbique mihi ſe offert dilectio tua; Ades pręſẽtia, gubernas me tua ſapientia: Patientia ſuſtines, bonitate trahis, & charitate accendis. Quocũque me verto, te aſpicio. Si aſcendo in cœlum, ibi te video; Prçmiũ laborum meorum, finem deſideriorum meorũ, & felicitatem omniũ ciuium ſupernorum. Si deſcẽdo in infernum ades; vt iudex, vt rex magnus, & potens; ibiq; grandi voce admones me, quanta paſſurus ſim, ſi non amauero te. Si ad opera manuũ tuarũ conſideranda me dedero, prorſus intueor quod vniuerſitas mundi de mandato tuo mihi obſequitur. O anima mea, o mens mea percipe, quia omnis natura tuis famulatur obſequiis, cœlum, terra, mare, & quę in eis ſunt tuis pariter neceſſitatibus, & oblectamentis inſeruiunt. Annua temporum reuolutio, flores fructusq́, arborum, & herbarum rediuiua renouatione reformat, atque labentibus, & repullulãtibus antiquatis germinum, continua Deo munera circuitus iſtorũ ſubminiſtrat. Recognoſce ò anima, quod quandoque non eras; Gratis tibi contulit eſſe, omnibus illis te pręferens, quę de non eſſe produxit. Adiecit tibi ſpeciem, & cuius eſſentia de nihilo prodierat, per gratiam Saluatoris ipſe re ſua imagine inſigniuit, & ſimilitudine; Adhibuitque cũ ſimilitudine viram, vnde tãta, & tam gratuita dignatio & beneficiorum inaudita largitio, vt fieres ad imaginem, & ſimilitudinem eius, niſi vt ſi mile eum diligeres, & ei, qui tam gratuita dignatione dilectionis præuenit, charitate te multa cõformares: Lauda ergo anima mea dominũ omni virtute, qua vales, & medullarum tuarum interiora exhibe ad diligendum, qui diligere te dignatus eſt; nihil tamen in te reperiens, quod amaret. Ex quo exuberans amoris oritur incendium ſuauiter cremans, delectabiliter amplectens, & ſufficienter irrigans plantarium ſponſę l[illegible]guentis, quę pręamore nimio inter ſpõſi amplexus requieſcens tota reſoluitur in ipſum, dicens ex corde. Vulnerata à charitate ego ſum; fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo. Hãc tu ò anima mea imitare. Hanc ſic affectum tibi in exemplum propone, vt ſi vitam fueris imitata, cõſequaris & gloriam. Ama ergo & tu ſignaculum tuum, & imaginem tuam, vt expreſſa in te forma tui Creatoris appareat, eique te fide & charitate conforma, & in memoriam gratiarum beneficia eius iugi meditatione recogita; amator tuus, & ſponſus ad hoc exhortatione prophetica te inuitat. Pone inquit, me ſignaculum ſuper cor tuum, & ſuper brachium tuum, ac ſi dicat. Pone memoriale tuum in corde & brachio, id eſt in corpore & opere, vt depoſita imagine terreni hominis imaginẽ cęleſtis portes. Pone me ſuper cor tuũ,

vt ſignaculum fidei, vt amoris exemplum, vt deliciarum Paradiſum, vt tot ius tuę iucunditatis theſaurum. Aduerte ò anima mea, quę dicuntur dulciſsima .n. ſunt, quę dicta ſunt, & ſuper mel dulciora quę dicẽda ſunt. Multiplicauit in te Deus dona ſua: Adiecit nanque pulchritudini tuę viuere, ſentire, atque diſcernere; & in omnib. quę eius munificentia contulit & gratia indigentiã tuam anteceſsit. Deſponſauit te fide, copulauit charitate, ornauit varijs virtutibus, & plurima te compoſuit venuſtate; foris decorauit ſenſib. quaſi quibuſdam gemmis: te verò interius quaſi naturali pulchritudine ĩſigniuit. Nouit ſpõſus tuus quis ornatus competentior tibi eſſet. Ideoq; dedit quod te decuit, in tãtum vt propter hoc etiã ipſe te diligeret, qui hoc dedit. Sanè inſana es, ſi eum mediocriter amas, qui te tanto amore pręuenit; qui tanta & tam precioſa largiens, maiora ẽt diligentibus ſe pollicetur quę nec oculus vidit, nec auris audiuit: quorum extimatio in cor hominis non aſcendit, ex cuius munere penſare teneris quantum ſit diligendus, qui tantum diligit, vt iam non temerarium tantum, ſed etiam nefandum debeas reputare, non ſolum diligentẽ non diligere, ſed tanti tamque pręcellẽtis, tam potentis amorem, totis viſceribus, totis interiorib. pręcordiisque non amplecti. Omnium eſt ſponſus tuus filiorum hominum ſpecioſiſsimus, & elegãtiſsimus. Ama ergo illum, ama dilectum tuũ, ama Regem in decore ſuo, Regẽ virtutum, plenũ gratia, & veritate, Coronatum gloria & honore dominum Maieſtatis. Concupiuit equidem Rex decorem tuum, & munera quibus te ornare dignatus eſt, & in tuũ amorem eius inclinare affectũ. Amat te in muneribus ſuis: ſi enim habes aliquod bonum, illud intellige donum Dei eſſe. Verbum Apoſtoli eſt. Quid habes quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis? Si de aliquo gloriaris, quaſi illud à te ipſo acceperis, & non à Deo, furaris Deo quod ſuũ eſt, honorem alterius tibi rapis. Te in alienam gloriã præſumptuoſe intrudis. Vide ergo, ne vnquã obrepat ingratitudo. Stude reuoluere ĩceſſanter te tua iniquitate perditam, ipſius miſericordia recuperatam. Studeas modis omnibus, quibus potes, placere Deo, qui talem te dignatus eſt facere vt placeres. Vtinam te ipſam recognoſceres, vt tui gratiam conditoris in tuæ pulchritudinis inſpectione probares. Porrò oculus cuncta videns, ſe ipſum non vidit, Ideo faciem tui cordis quandoque in ſpeculo propriæ rationis attendas, ne tuæ facias iniuriam dignitati. Quod equidem facis, ſi vis tibi abiectiora proponere, & ea, quæ decorẽ imaginarium habent, tibique quæ in veritate pulcherrima es, coæquare. A tua dignitate nimis enormiter, & ignominioſe te deiicis, ſi tranſitorias & inanes rerum pulchritudines appetis, vel miraris. Mundus nimirum propter te factus eſt, ideo mundum non ames, quia mundus non te eſt dignus, cũ ſis eo longe dignior & Sole, & Luna, & omnib. creaturis. Omnia quippe tẽporalia ſuæ pulchritudinis defectus agnoſcunt; tu nec labore deficis, nec palleſcis ægritudine, nec marceſcis ſenio, nec morte tabeſcis: quocirca ſi aliquid diligis in hoc mundo, ſumma temeritas eſt; niſi forte ea ſic diligere velis vt tibi ſeruitia vt munera ſpõſi, vt amica enxenia, vt beneficia Domini; nec iſta diligas cũ illo, ſed propter illum: Per iſta illũ, & illũ diligas ſuper iſta. Degenerabis equidem in amorem meretricum, ſi plus amas dantis munera, quam amantis affectum. Donanti enim iniuriam facis ſi recipis dona & dilectionis viciſsitudinem non rependis. Dilige te illi & illũ tibi. Dilige ipſum vt eo fruaris, & in eo ponas affectiones tuas, vt cum dilexeris feruẽtius, affectuoſius diligaris. Hic amor ſanctus eſt, nihil habens ſordidũ vel impurũ: ſed in Dei recordatione dulciſsimus eſt; oẽs mundi ſupergrediens delicias, & quodã modo ex natura ſtabilitatis tuę ęternus. Illud aũt iugiter cogita, quod quãtò differentius pręeminentior eſt eſſentia eius fragilitate humana, tantò ſuauius, & incomparabiliter dulcius, & delectabiliter diligit, & diligitur quã homo Angelus aurum, ſeu ſanitas, vel quæcũque alia, quibus corda hominum diſtrahuntur. Nec te ab eo minus credas diligi, ſi quibuſdam animantib. terræ tecum pariter beneficium Solis, & Lunæ gratiæ ſuæ cõicat dona. Nimirũ quæcũq; illis dona ſunt, propter te donata eſſe non dubites. Vt .n. tibi ſeruiant vniuerſa ipſa de diuina bonitate, ſibi neceſſaria dona recipiũt, ſine quibus eſſe, aut ſeruire non poſſunt. Nunquid ideo videretur circa te dilectio ipſius intenſior, ſi tibi ſoli oĩa cõtuliſſet? nũquid beatior eſſes, ſi ſola hæreditates in mundo & oĩa, quæ in eo ſunt ſine vllo ſocialis vitæ ſolatio poſsideres: quod ſi ẽt de malorũ hominũ ſocietate cauſares, ſcias proculdubio, quod diuina diſpenſatio hominũ malorũ vitã facit in tuũ militare profectũ. Malorũ ſiquidẽ ſocietate, hi, qui boni ſunt, in melius exercentur; docentur ẽt affectare virtutes, & alia dona Dei, quibus iſti carent. Deniq; cum viderint malos ruere in interitũ de ſuæ ſalutis expectatione cũ ſit affectus eorũ, & in munerib. diuinis, quorũ cũ ipſis nulla eſt cõicatio, ſequitur deuotior exhibitio gratiarũ. Cũ ergo oĩa tibi cooperentur in bonum, id eſt mali in exercitiũ, & boni in ſolatiũ fiant, nõ putes minus à Deo diligi, quaſi ſingulariter te non amet, qui tantũ amoris quadã ſingularitate te amat, dũ bonos, & malos in vſum tuæ familiaritatis inflectit. Cumq; iure, & debito charitatis velles oẽs alios tecũ æternæ beatitudinis eſſe participes, tua bona voluntas bonũ alienum tibi facit proprium: Cõicatione charitatis beatitudini tuę beatitudo accreſcit. Sic ergo amor ex ipſa cõicatione ſingularis eſt, dũ nihil ex pluris participatione

1. cor. 4.

tione

tione minuitur;&in alijs diffuſus,in omnes totus in ſingulis reperitur. Te itaque ſingulariter diligit,qui nihil ſine te diligens,alia pro te diligit:licèt.n.amor diffundatur in plures, tamẽ eſt in ſingulis totus,vt omnes vnicè diligens, ab omnib. vnicè diligatur. Propterea hic amor non priuatus, ſed vnicus ſolus, non ſolitarius, cõmunis & in diuerſis eſt;nec vſu deficiens,nec tempore ſeneſcens,nec participatione decreſcens.Repone ergo in theſauro memoriæ ac inceſſanter,quę tibi à Deo donata ſunt,meditare, vt nec de nõ acceptis præſumas, nec vnquam ſuper acceptis in gratiarum actione laceſcas,& deficias.Quocũq; enim te vertas,tibi diligens & ſolicitus prouiſor exiſtit tuus ſponſus. In intentionibus,in meditationibus in verbis,in conſilijs,in operib. in proſperis,in aduerſis,foris,& intus eſt gratia eius,& in omni tribulatione remedium:ſanat nanq; infirmum:Reducit erroneum, corripit delinquentem,conſolatur afflictum,erigit lapſum,triſtẽ lætificat:Nec diu vacillare ſuſtinet delinquentem, & diffidentẽ. Merito ergo ô anima mea erige te ad ipſum,& eum cum omni virtute tua dilige, & lauda. Exerce te vt offeras coram ipſo medullatũ ſacrificium amoris,& ardoris exultationis & laudis,vt exercitata in his,quando requietionis tuę extrema dies venerit, ſic purgata,& affecta læta bunda,& gaudens admiſcearis cætibus ſupernorum ; cum quibus & tu promas dulciſona cantica in honorem Regis æterni, cui digne debetur omnis honor;quem contemplantes cœlici ciues mira capti admiratione, illecti ſuauitate reſperſi dulcedine depaſti iubilatione,repleti gaudio,copulati charitate,abſorpti lumine, alienati ebrietate magnificãt magnifice,adorãt cũ tremore glorificãt,& extollũt laudãt & gratias referũt viuẽti ĩ ſecula ſeculorũ,nõ capiẽtes ſe prę magnitudine admirationis,& gaudij quod cõcipiũt miſericorditer ab illa,& p illã fruitione viſionis magni noſtri Dei,quẽ diligit aĩa mea,& regnat in æternũ.

Aeſtuans vociferatio vulnerati cordis contemplantis ſponſum ſuum in cœleſtem Hieruſalem regnantem, per quã anhelans ſe illi copulari, exhortatione melliflua ſe ipſam prouocat ad eum ſuſcipiendum, cum ad cor languidum intraturus, pulſauerit. Cap. XI.

pſal.4. QVemadmodũ deſiderat ceruus ad fontes aquarũ, ita laudare te cupit anima mea. Deus meus,& Redemptor meus ſanctus,& glorioſus Ieſus fons, & eſſentialis origo omnium bonorum viſibilium, & inuiſibiliũ. Tribue mihi domine vt laudet te cor, lingua, & omnia oſſa mea. Dilata ô melliflue amor mentẽ meam,& attolle intuitum cordis mei, vt vel rapida cogitatione, ſpiritus meus attingat te æternã ſapientiam,ſuper omnia manentem, & ſuauiter omnia diſponentem. Diſſolue diſſolue,pie domine,me à vinculis, quibus conſtrictus teneor, vt relinquens omnia iſta,feſtinem ad te : En ſtat ad hoſtium pulſat,& obſecrat,vt ei aperiatur. Iube ergo ô tu amator hominum, pulſanti aperiri miſero, vt liberis greſſibus, & flagrãti corde laudet te,requieſcat in te,& reficiatur de te; tu.n.es panis vitæ:tu lumen claritatis æternæ:tu lætitia cæleſtis Hieruſalem:tu decus & honor omnium diligentium te:tu ſplendor mẽtium,tu,& vita animarum te laudãtium,& virtus cordium, atq; medullarum te quærentium. Ne tardes aperire domine: ecce ad te conuerſum eſt cor meum. Da domine lapſo manum,collige errantem,& amãtem exaudi. Quæſo,piiſsime vocantem te ne deſeras,qui priuſquàm vocarem te, quæſiſti me; vt ego filius ancillæ tuæ te quærerem,quærendo inuenirem,& amarem. Quæſiui & inueni domine. Poſsidere te cupio, & in ſecreto cubiculi cordis mei tecum commorari deſidero. Da ergo te mihi Deus meus,& redde mihi te. Tuo enim amore ardeo:tua dulci memoria delector. Et quãuis indignum ſit domine,vt in me omnium ſeruorũ tuorum minimo requieſcere debeas; ſcis tamen ô ſalus vitæ meæ, quod nihil præter te ſatiare me poteſt. Omnia deſipiunt mihi pręter te,ĩ quo poſui deſiderium,& amorem meum. Ne,quæſo te, derelinquas me,ne peream, & irrideant me inimici mei. Mitte domine manuum tuam de alto, & repone me iuxta te,& non erit qui exterreat. Sopitis enim cunctis, quæ me præmunt, in pace tua quieſcam. Ibi enim auditus,viſus cæteriq; ſenſus abundabunt delicijs omnibus. Pręcipue vero o laus mea excelſa & dulcis mi domine accendetur cor meum igne tuo ſancto, charitate tua,iucunditate tua,ſuauitate tua quæ caſta, & munda eſt, & te diligã dulciſsimũ,& pulcherrimũ ſpõſũ cũ oĩ virtute,& intẽtione, cũ reuerẽtia & tremore;habẽs te in lingua,in corde meo,te prę oculis ſẽper,&vbiq; ita vt in me nullus adulterinis amorib. pateat locus. Iccirco ſuper cuſtodiã meã ſtabo vt vigilãtib. cordis oculis nõ reflectar à te. Pſallã tibi ſpiritu,pſallã & mẽte,& totis virib. te factorem & Redemptorẽ meum laudabo: In pręſenti quidẽ miſeria ſolo corpore ero, cogitatione aũt & deſiderio vbi tu es theſaurus meus deſiderabilis,& inextimabilis cõmorabo. Vbi nulla pugna, nulla indigẽtia,nullus timor,nulla pęna,ſed pax ſumma,charitas plena,iubilatio & laus Dei æterna,ſecuritas ſine fine, gaudium ĩ Spiritu ſancto. O æterna requies,o beata vita,o feliciſsima beatitudo Deus meus. O regnum cœlorum,o regnũ omnium ſeculorum, in quo datur facie ad faciẽ intueri regem Chriſtum in decore ſuo,in Maieſtate Patris regnãtem,in diademate redimitum quo coronauit eum mater ſua,in die deſpõſationis & lætitiæ cordis illius circundatum gloria & honore,quẽ adorant oẽs Angeli,laudãt, & benedicunt, Vident & videre deſiderant:vbi tanquã verus Sol iuſtitię mira pulchritudinis ſuę claritate oẽs reficit electos:non.n.egent Sole, vel Stellarum ſplendore:quia ipſe eſt ſplendor paternæ gloriæ,& ẽt claritas cęleſtis curiæ. O verbum patris,

tris,ò dñe Ieſu, laudet aĩa mea te, ſine habitu oĩa
Cant. 1. cõtinẽtẽ,oĩa ſine ĩdigẽtia creantẽ:vbiq; ſine ſitu pręſentẽ. Sonet vox tua in aurib. meis. Ne pręte reas cęcũ ſecus viã clamãtẽ. O ſereniſsime,ò pulcherrime,ò lumẽ vero, totũ cęlũ & mũdũ illuminãs,illumina me vt ĩtelligã te,vt diligã te vt fruar te amore beato & ſẽpiterno:amãdus.n.es tu dñe Deus meus,amãdus es pp te ipsũ,& amplius quiſque debet te diligere,quã ſe ipsũ. Diligẽdus es,ò fons amoris & totius ſuauitatis finis,ſed nullus poteſt amare niſi prius à te amet:ama ergo me Deus meus,vt amẽ te. Niſi dilexeris me,non te amabo; nec te plene potero amare, niſi habuero cor mũdum,& pace repertũ. Per ipsũ.n. Deũ pacis te eſſe guſtabo. Da ergo mihi ò amãtiſsime dñe cor mũdũ & pacificũ,vt te poſsim laudare dũ viuã. Prępara mihi ò rex vniuerſę terrę hoſpitiũ cordis ad ſuſcipiendũ te. Da mihi cor ſerenum, manſuetũ, & honeſtum,vt iucunde deſcendas ad me:ò ſerena lux, manſueta veritas, & honeſta charitas. Si
philip 4. enim aſcenſum prębuero gratię tuę,pax tua,quę ſuperat omnẽ ſenſum ſeruabit me, replebit cor meũ,& augebit donũ ſuũ:ò pax vera Deus meus pax ſerena,pax quieta,pax pręduIcis, reple interiora mea: ò Hieruſalem & viſio pacis,vbi nõ turbatur mẽtis oculus,nec ſtatus cordis. Vbi quies ęterna floret,concordia viget quàm glorioſa dicta ſunt de te:ò vrbs pacis,ciuitas Syõ,ciuitas Dei ſancta,& pacifica,quã magna eſt dulcedo & ſuauitas tua: quàm magna multitudo deliciarũ tuarum. Contines.n.totum,quod delectat, quod redolet,quod illuminat,quod beatificat:vbi verus animarum ſponſus dominus meus Ieſus (vt vtinã totus meus) rutilat. Vbi cibus regius ciuibus eius quotidie ſoluitur. Vbi ipſe Rex pacificus propter multitudinem ciuium,& propter venuſtatem ſui copioſius placet. Vbi Angelorũ cunei in ſui Regis honore melliflua promunt cantica. Loquere ergo domine, quia ardet charitate ſeruus tuus, pręſtolatur anxiè aduentum tuum,vt diſſoluas vinculum peregrinationis ſuæ. Excitabo de cœtero cor meũ ĩ excubijs tuis dñe,vt cũ veneris ad illud cõfeſtim aperiat tibi. Eya nũc ò cor meũ, ò meus collega prępara te feſtiuè, & occurre in occursũ ſpõſi tui veniẽtis ad te:ſecũ.n.hẽt theſauros incõparabiles,quos tibi daturus eſt, ſi ĩ eius amore reperiet te accẽſum:ſurge ĩquã amore beato,ſurge cõſurge feſtiuo aĩo,& lętãter in occursũ Regis ęterni. Ecce pręſto eſt iã prę forib. manet circũſpiciens,quis, qualiter,& qua alacritate ei occurrat. Propera,rumpe moras,ò cor meum eumq; ſuſcipe in hoſpitio tuo, ad oſculum pacis in amplexibus charitatis. Eya rumpe tarditatẽ,accede ad ipſum in ſplendoribus Sanctorum cum virtutib. cęlorum comitatus eſt, in ſimplici,& iucunda facie in canticis pij amoris,in nutibus exultationis ſuſcipe illum:talibus.n.delectatur obſequijs,illucque quã properè declinat. In thalamo ſecreto, ĩ ſereno mentis, in interiori cubili deduc ipſum, vt in ipſo reclinet ĩ meridie. Adeſt.n. Deus tuus adeſt noua feſtiuitas,adiũt delicię,adeſt gaudiũ, adeſt iubilus: foris præſtolabũtur miniſtri Angelici venerantes cubiculum Regis & ſponſę. Vide ergo ò cor meũ ne ſine te diſcedat ſpõſus, ne donaria ſua auferat; reuoluere ad pedes eius,amplectere veſtigia ſpõſi: Dic ei cũ vehemẽtia charitatis: tenui te dilecte mi, nec dimittã te, donec oſtẽdas mihi gloriã tuã, vbi paſcis,& cubas ĩ meridie.

Pulchra deſcriptio incipit,in qua accenditur anima ad amorem Chriſti, & de illa ſuperna Hieruſalem ad quam ſuſpirare debet mens noſtra totis præcordijs deſideriorum ſuorum. *Cap.* XII.

Spes mea Chriſte Deus: hominum te dulcis amator
Lux, via, vita, ſalus, pax & decus omne tuorum,
Omnia, pro quorum voluiſti ferre ſalute
Carnem, vincla, Crucem, ſpinas, mortemque, Sepulchrum
Poſt tres inde dies deuicta morte reſurgens
Diſcipulis viſus nutantia corda reformans
Luce quater dena cœlorum ſumma petiſti
Viuis in æternum viuis & per ſecula regnas,

Tu es Deus viuus & verus, Pater meus ſanctus Dominus meus pius, Rex meus magnus, Paſtor meus bonus, Magiſter meus vnus, adiutor meus optimus, dilectus meus pulcherrimus. Panis meus viuus, Sacerdos meus in ęternũ. Dux meus ad patriã, lux mea vera, dulcedo mea sãcta, via mea recta, ſapientia mea pręclara, ſimplicitas mea pura, cõcordia mea pacifica, cuſtodia mea tota, portio mea bona, ſalus mea ſẽpiterna, miſericordia mea magna, patientia mea robuſtiſsima, victima mea immaculata, redẽptio mea facta, ſpes mea futura, charitas mea perfecta, reſurrectio mea glorioſa, vita mea ęterna, exultatio & viſio mea beatiſsima, & ſine fine mãſura, te deprecor, ſupplico & rogo, vt per te ambulẽ, ad te perueniam, in te quieſcam, qui es via, veritas & vita, ſine qua nemo venit ad Patrẽ: te.n.deſidero dulciſsimum,& pulcherrimũ dominũ: ò ſplẽdor paternę gloriæ, qui ſedes ſuper Cherubim & intueris abyſſos, lumẽ veridicũ, lumẽ illuminans, lumen indeficiẽs, in quẽ deſiderãt angeli proſpicere; ecce cor meũ corã te, diſcute tenebras eius, vt amoris tui claritate plenius perfundatur. Da mihi Deus meus te redde te mihi. En amo te,& ſi parũ eſt, amẽ validius. Nõ poſſum metiri, vt ſciã quantũ deſit mihi amoris, ad id quod ſatis eſt, vt currat vita mea in amplexus tuos, nec auertatur, donec abſcõdatur in abſcondito vultus tui. Hoc tamẽ ſcio, quia malè mihi eſt pręter te, non ſolũ extra me, ſed in me ipſo, & oẽs copia, quæ Deus meus nõ eſt, mihi egeſtas eſt. Bonũ nãq; quod neq; in melius, neq; in deterius cõmutari poteſt, tu ſolus es, quia ſimpliciter ſolus, cui nõ eſt aliud viuere, aliud beatè viuere. Oẽ quod viuit,& beatè viuit, non debet, niſi gratiæ tuæ. Et ideo nos egemus tui, nõ tu noſtri, quia ſi oĩno nõ eſſemus, nihil tibi deeſſet ad bonum, quod tu es: tibi itaq; Deo noſtro ſemper adhærere neceſſe habemus, vt per continuum auxilium gratiæ tuæ, ſanctæ, piè, & rectè viuere valeamus. Pondere ſiquidem fragilitatis noſtræ

deor-

deorſum trahimur, dono tuo accendimur, & ſurſum ferimur, inardeſcimus, & imus; aſcendimus, aſcenſiones facimus, & cantamus canticum graduum, Igne tuo bono inardeſcimus, & imus: quo iam ſurſum imus ad pacem Hieruſalem: quomodo iucundatus ſum in his, quæ dixerunt mihi, in domum domini ibimus; illicque collocauit volūtas tua, vt nihil velimus aliud, quam permanere illic in æternum: ſed quia dum ſumus in corpore peregrinamur ad te domine, non habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquiramus.

Heb. 13. Noſter municipatus in cęlis eſt, & ideo duce gratia tua ingredior in cubile cordis mei, & canto tibi amatoria, Rex meus, & Deus meus, gemens

Pſal. 118. inenarrabili gemitu ī loco peregrinationis meę, vbi cātabiles factæ ſunt mihi iuſtificationes tuæ, Et recordās Hieruſalem, extendo me corde ſurſum Hieruſalem patriam meam, Hieruſalem matrem meam, teque ſuper eam regnatorem, illuſtratorem, patrem, tutorem, patronum, rectorē confiteor. Caſtas & fortes delicias, & ſolidū gaudium, & omnia bona ineffabilia præparata eſſe affirmo; quia ſummum, & verum bonum ibi. Nō auertā me, donec in eius pace matris charißimę inueniar: vbi ſunt primitię ſpiritus mei; colligens totū quod ſum à diſperſione; & deformitate hac. Et conformes atque confirmes in ęternum Deus meus, miſericordia mea. Hæc domus tua Deus non terrena, neque lutea, nec vlla mole corporea particeps æternitatis tuæ, quia ſine labe manet in æternum. Statuiſti eam in ſeculum ſeculi, præceptum poſuiſti, & non præteribit. Non ta-

Eccle. 1. men tibi Deo coęterna, quia nō ſine initio facta eſt, Prior quippe omniū creata eſt ſapientia, non itaque tu illa ſapientia, patri Deo planè coæterna & coęqualis, per quam creata ſunt omnia, & in quo principio factum eſt cœlum &c. ſed profecto ſapientia, ſpiritualis, ſcilicet natura, quę contemplatione luminis, lumen dicitur & ipſa, quāuis creata ſapientia. Sed quantum diſtat inter lumen illuminans, & lumen quod illuminatur, tantum differt inter te ſumma ſapientia, quę creas, & ipſam, quę creata eſt. Sicut inter iuſtitiam iuſtificatiuam, quę tu Deus noſter es, & iuſtitiam, quę iuſtificatione facta eſt. Nam & nos dicti ſumus iuſtitia Dei patris in te filio eius domino noſtro, teſte Apoſtolo.

De dignitate Angelicę naturæ. *Cap. XIII.*

DIcito, quia prior omnium creata eſt quędam ſapientia mens rationalis, & intellectualis, caſtę, ſcilicet ciuitatis tuę, matris noſtræ quę ſurſum eſt, & libera eſt, & ęterna in cœlis. Quibus cœlis niſi qui te laudant cęli cœlorum? quia hoc eſt cœlum cęli domino. Et ſi nō inuenimus tempus ante illam, quę creaturam tēporis antecedit, quia prior omnium, à quo facta ſumpſit exordium, quamuis non temporis; quia nondum erat tempus. Ipſius tamen conditionis ſuę, vnde iſta eſt abs te domino Deo noſtro, vt aliud ſit, quam tu, licet nec ante illam, nec in illa inueniamus tempus: Eſt enim idonea videre faciem tuam ſemper, nec vſpiam deflectitur ab ea; quo fit, vt nulla mutatione varietur: Ineſt tamen illi mutabilitas, qua tenebreſceret & frigeſceret niſi amore grandi cohærens tibi ſemper luceret, tanquam meridies, & ferueret ex te. Denique iā caſto amore, cohæret tibi Deo vero, & verè ęterno, vt quamuis non ſit tibi coæterna: in nullius tamen varietates, & viciſſitudines temporis à te reſoluatur, & defluat; ſed in tui ſolius veriſsima contemplatione requieſcat. Quoniam tu Deus diligenti te, quantum præcipis, oſtendis te, & ſufficit ei. Vnde non declinat à te, nec à ſe, ſed ſemper in eodem ſtatu manet; te indeſinenter vidēdo, te indeſinenter amando verum lumen, & caſtum amorē. O beata iſta & ſublimis natura, creaturarum maxima beatæ inhærendo ſemper beatitudini tuæ. Felix hæc, & nimium felix, te ſempiterno inhabitatore, atq; ſuo. Nec inuenio quod libentius appellando exiſtimem cœlum cœli domino, quam domum tuam contemplantem delectationem tuam ſine defectu egrediēdi in aliud mentem puram concordiſsime vnam, ſtabilimē tum pacis beatorum ſpirituum. Vnde in cęleſtibus ſunt iſta cœleſtia. Vnde intelligat anima, cuius peregrinatio longinqua facta eſt, ſi iam ſit tibi; ſi iam factæ ſunt lachrymæ eius panes; ſi iam petat vnam, & hanc requirat, vt inhabitet in domo tua per omnes dies vitę ſuę; & quę vita eius, niſi tu; Et qui dies, niſi ęternitas tua? Sicut anni tui, quia nō deficient. Hic ergo anima intelligat, quę poteſt, quam longe ſuper omnia ſit ęternus; quando domus tua, quę peregrinata non eſt, quamuis tibi non ſit coęterna indeſinenter, & indeficienter cohęrendo tibi nullam temporum patitur varietatem, teque perſeuerantiſsima charitate diligit, hauriens mutabilitatem ſuam, nuſquam, & nunquam exit te ſibi pręſentem, ad quē toto affectu ſe tenet, non habens futurum, quod expectet, nec in pręteritum traiiciens, quod meminerit. Per nullas vices variatur, in nulla tempora extēditur? O domus luminoſa, & ſpecioſa, dilexi decorē tuum, & locum habitationis glorię domini mei poſſeſſoris, & fabricatoris tui. Tibi ſuſpiret peregrinatio mea nocte ac die, tibi inhiet cor meum, tibi intendat mēs mea; Ad ſocietatem beatitudinis tuę peruenire deſiderat anima mea; dico enim qui fecit te, vt poſſideat me in te; quia ipſe fecit, & me; Immo tu die, & roga vt me dignum faciat participationis glorię tuę; ſanctam enim ſocietatem tuam, & mirabilem pulchritudinem tuam nō per meritum requiro, ſed per ſanguinem eius quo redemptus ſum adipiſci non deſpero: tamen adiuuent me merita tua, ſubueniant paruitati meę ſanctæ, & puriſsimę orationis

tiones tuæ, inefficaces apud Deum eſſe non poſſunt. Erraui, fateor, ſicut ouis perdita, & incolatus meus prolõgatus eſt: atque procul proiectus ſum à facie domini Dei mei in hanc exilij cæcitatem; Vbi expulſus à Paradiſi gaudijs deploro quotidie mecum ſuper miſerias captiuitatis meæ lugubre carmen, ingenteſque lamentationes: dũ recordor tui Hieruſalem; dum ſtant pedes mei in atrijs tuis ſancta Syon: nec dum interiora tua conſpicere in propatulo valens, ſed in humeris paſtoris mei, ſtructoris tui, ſpero me reportari tibi, vt tripudiem tecũ inenarrabili gaudio, quo lætantur illi, qui tecum ſunt coram ipſo Deo & Saluatore noſtro; qui diſſoluit inimicitias in carne ſua, & pacificauit omnia, quæ in cœlo ſunt, & quæ in terra, ſanguine ſuo. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit vtraque vnum, qui duos ex aduerſo venientes coniungens in ſe, beatitudinis permanentem felicitatem; pari modo, & eadem menſura, ſe nobis daturum promiſit dicens; Erunt ęquales Angelis Dei in cœlis. O Hieruſalem domus Dei æterna poſt dilationem, tu eſto lætitia & cõſolatio mea. Dulcis memoria tui beati nominis ſit releuatio mœroris tædiorumque meorum. Tædet enim me valde vitæ huius, & iſtius ærumnoſæ peregrinationis.

De miſeria præſentis vitę. *Cap.* XIIII.

Vita hæc, vita miſera, vita incerta, vita laborioſa, vita immunda, vita domina malorum, Regina ſuperborum, plena miſeria & erroribus, quæ nõ eſt vita dicenda, ſed mors, in qua momentis ſingulis morimur per varios mutabilitatis defectus diuerſis generib. mortium. Nunquid ergo, quod viuimus in hoc mundo dicere poſſumus vitam, quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exſiccant, aera morbidant, eſcæ inflant, ieiunia macerant, ioca diſſoluunt, triſtitiæ conſumunt, ſolicitudo coarctat, ſecuritas hebetat, diuitiæ iactant, paupertas deiicit, iuuentus extollit, ſenectus incuruat, infirmitas frangit, mœror deprimit, & his omnibus malis mors furibunda ſuccedit, ſimulq; gaudiis iſtius miſeræ vitæ ita finem imponit, vt eum eſſe deſierint, nec fuiſſe putentur? Mors iſta vitalis licet his, & alijs ſit reſperſa amaritudinibus, (proh dolor) quàm plurimos finis, ſuis capit illecebris, & quantos ſuis promiſsionibus falſis decipit. Et cum ita ſit per ſe amara, & falſa, vt etiam ſuos cæcos amatores latere non valeat; tamen infinitam ſtultorum multitudinem aureo calice, quem in manu habet potat, & prorſus inebriat. Felices illi, & ipſi rari, qui familiaritatem eius effugiunt, perfunctoria gaudia ſpernunt, ſocietatem abiiciunt, ne eum pereunte deceptrice, quandoque perire cogantur.

De Beatitudine vitę ęternę.

O Tu vita, quam præparauit Deus iis, qui diligunt eum: vita vitalis, vita beata, vita ſecura, vita tranquilla, vita præclara, vita munda, vita caſta, vita ſancta, vita ignara mortis, neſcia triſtitiæ; vita ſine labe, ſine corruptione, ſine perturbatione, ſine varietate, & mutatione, vita totius elegantiæ & dignitatis pleniſsima; vbi non eſt aduerſarius, & impugnans. Vbi nullæ peccati illecebræ, vbi eſt amor perfectus, & nullus timor, vbi eſt dies æternus, & vnus omnium ſpiritus, vbi Deus facie ad faciẽ cernitur, & hoc vitæ cibo mens ſine defectu ſatiatur, libet me tuæ intendere claritati, delectant me bona tua auido corde quantum plus poſſum deſiderare, & mecum conſiderare. Tuo enim amore langueo, tuo vehementer deſiderio ardeo, tuaque dulci memoria admodum delector, libet in te cordis oculos attollere, ſtatum mentis erigere, affectum animi conformare, libet ſanè de te loqui de te audire, de te ſcribere, de te conferre, de tua beatitudine & gloria quotidie legere, & lecta ſępius ſub corde reuoluere, vt ſic poſsim ab huius mortalis & perituræ vitę ardoribus, periculis, & ſudoribus ſub tuę vitalis aurę dulce refrigerio tranſire & tranſiens in ſinu tuo feſſum caput dormiturus vel paululũ declinare. Huius rei gratia ſanctarum ſcripturarum, amœna prata ingredior, viridiſsimas ſcientiarum herbas exarando carpo, legendo comedo, frequentando rumino, atque congregando tandem in alta memoria ſede repono, vt tali modo tua dulcedine guſtata, minus miſerrimę iſtius vitæ amaritudines ſentiã. O tu feliciſsima vita, ò regnum verè beatum carens morte, vacans fine, cui nulla tempora ſuccedunt per ęuum. Vbi continuus ſine nocte dies neſcit habere tempus. Vbi victor miles illis Hymnidicis Angelorum Choris ſotiatus cantat Deo ſine ceſſatione canticum de canticis Syon nobile, perpetua caput amplectente corona. Vtinam conceſſa mihi eſſet peccatorum venia, moxque hac carnis ſarcinia depoſita, vt in tua gaudia veram quietem habiturus intrarem; & tuæ ciuitatis præclara, atque ſpecioſa mœnia coronam vitæ de manu vitę accepturus ingrederer, vt illis ſanctiſsimis choris intereſſem: vt cum beatiſsimis ſpiritibus gloriæ conditoris aſsiſterem, vt præſentem vultum Chriſti cernerem, ſicque nullo metu mortis affici, ſed de incorruptione perpetuæ gloriæ lætari ſine fine potuiſſem.

De felicitate animę bene diſpoſitę.

Felix anima, quæ terreno reſoluta corpore libera cœlum petit, ſecura eſt, & tranquilla. Non timet hoſtem, nec mortem. Hæc enim ſemper præſentem cernit, quæ indeſinenter pulcherrimum dominum concupiuit, quem dilexit, & ad quem tãdem læta, & glorioſa

perue-

peruenit. Hanc vero tantæ beatitudinis gloriam nulla dies minuit, nullus improbus poterit auferre. Viderunt eam filiæ Syon, & beatiſsimam prædicauerunt Reginæ, & concubinæ laudauerunt eam dicentes: Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto, delicijs affluens, innixa ſuper dilectum ſuum? Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata? quàm læta exiit, feſtinat, currit, cum dilectum ſibi dicentem, audit attentis auribus, ſurge amica mea, ſpecioſa mea, & veni. Iam enim hyens tranſiit, imber abiit & receſsit. Flores apparuerũt, tempus putationis aduenit; vox turturis audita eſt in terra noſtra, ficus protulit groſſos ſuos; florentes vineę odorem dederunt. Surge propera amica mea, formoſa mea, colũba mea in foraminibus petrę, in cauerna maceriæ; oſtende faciem tuã mihi, ſonet vox tua in auribus meis. Vox tua dulcis & facies tua decora. Veni electa mea, ſpecioſa mea, columba mea, immaculata mea, ſpecioſa mea. Veni & lætaberis in conſpectu meo cum Angelis meis, quorum ſocietas à me tibi promiſſa eſt. Veni poſt pericula, & labores: intra in gaudium domini tui, quod nemo tollet à te. Cant. 8.

Pia oratio ad Sanctos in Patria glorificatos.

FElices Sancti omnes Dei, qui iam pertrãſiſtis huius mortalitatis pelagum, & peruenire meruiſtis ad portũ perpetuę quietis, ſecuritatis & pacis. Securi & tranquilli, ſemperque feſtiui, atque gaudentes eſtis; Obſecro per charitatem Dei ſecuri eſtis de vobis, ſoliciti eſtote de nobis. Securi eſtis de veſtra immarceſſibili gloria, ſoliciti eſtote de noſtra multiplici miſeria. Per ipſum vos rogo qui vos elegit, qui tales fecit, de cuius pulchritudine iam ſatiamini: de cuius immortalitate iam immortales facti eſtis: de cuius beatiſsima viſione ſemper gaudetis, eſtote iugiter memores noſtri: ſubuenite nobis miſeris, qui adhuc in ſalo huius vitæ circumſlantibus agitamur procellis. Vos portæ pulcherrimæ quæ in magnam ſurrexiſtis altitudinem, adiuuate nos vile pauimentum longè inferius iacens. Date manus, & erigite iacentes ſupra pedes, vt conualeſcentes de infirmitate fortes efficiamur in bello. Intercedite, & orate conſtanter, atque indeſinẽter pro nobis miſeris, multumque negligentibus peccatoribus, vt per veſtras orationes veſtro ſancto conſortio coniungamur: quia aliter ſalui eſſe non poſſumus; ſumus namque valde fragiles & nullius virtutis homuntiones; animalia vẽtris & carnis mancipia, in quibus vix probitatis apparet veſtigium; & tamen ſub Chriſti confeſsione poſiti, ligno crucis ferimur; nauigantes per hoc mare magnũ & ſpacioſum, vbi ſunt reptilia, quorũ non eſt numerus, vbi ſunt animalia puſilla cũ magnis, vbi eſt draco ſæuiſsimus ſemper paratus ad deuorandum, vbi ſunt loca periculoſa, Scylla, & Charybdis, & alia innumerabilia, in quib. naufragantur incauti & in fide dubij. Orate dominũ, orate piiſsimi, orate omnia agmina Sanctorũ, & vniuerſus cœtus Beatorum, vt veſtris precib. meritisq; adiecti, ſalua naue & integris mercib. peruenire mereamur ad portũ perpetuæ quietis, cõtinuæ pacis, & nũquã finiendæ ſecuritatis. O mater Hieruſalẽ ciuitas ſancta Dei chariſsima, ſponſa Chriſti, te amat cor meum, pulchritudinẽ tuã nimirum ddſiderat mens mea, quàm decora, quã glorioſa, quàm generoſa tu es? tota es pulchra & macula non eſt in te. Exulta & lætare filia Principis, quia concupiuit Rex ſpeciẽ tuam, & amauit decorem tuum. Specioſus prę filiis hominũ, ſed qualis eſt dilectus tuus ex dilecto, ò pulcherrima Dilectus tuus candidus, & rubicũdus, electus ex millibus: ſicut malus inter ligna ſyluarum, ſic dilectus inter filias: ſub vmbra illius quẽ deſideraui; ecce læta ſedeo, & fructus eius dulcis gutturi meo. Dilectus meus miſit manum per foramẽ & venter meus intremuit ad tactum eius. In lectulo per noctem quæſiui, & inueni. Teneo, nec dimittam, donec introducat me in domum tuã, & in cubiculum tuum. O glorioſa genitrix mea, vbi enim dabit mihi dulciſsima vbera tua abundantius & perfectius, et ſatiabit me ſatietate mirifica ita vt nec eſuriam, nec ſitiam in æternum. Felix anima mea, & vltra quam dici poteſt felix, ſi intueri meruero gloriam tuam, beatitudinem tuã, pulchritudinem tuam, portas, et muros tuos, plateas tuas et manſiones tuas multas, nobiliſſimos ciues tuos et fortiſſimũ Regem tuum; Dominum tuum in decore ſuo. Muri nãque tui ex lapidibus precioſis; portę tuæ ex margaritis optimis, plateę tuæ ex auro puriſſimo, in quib. iucundum Alleluia, ſine intermiſſione concinitur. Manſiones tuæ multæ quadris lapidib. fundatæ, ſaphyrs cõſtructæ, et auro coopertæ quas nullus ingreditur immundus, nullus inhabitat inquinatus. Specioſa facta es et ſuauis in deliciis tuis mater Hieruſalem. Nihil in te tale, quale hic patimur, qualia in hac vita miſera cernimus. Non ſunt in te tenebrę, neque nox, aut quælibet diuerſitas temporũ. Non lucet in te lux lucernæ, aut ſplendor Lunę, vel iubar ſtellarũ, ſed Deus de Deo lux de lumine, ſol iuſtitiæ ſemper illuminat te. Agnus candidus, et immaculatus, lucidus et pulcherrimus eſt lumẽ tuum, Sol tuus, et claritas tua, et omne bonum tuum huius Regis indeficiens contemplatio. Ipſe Rex Regum, in medio tui, et pueri eius in circuitu eius. Ibi Hymnidici Angelorum chori. Ibi ſocietas ſupernorum ciuium. Ibi dulcis ſolemnitas omnium ab hac triſti peregrinatione redeuntium ad tua gaudia. Ibi Prophetarum prouidus chorus. Ibi iudex Apoſtolorum numerus. Ibi innumerabilium Martyrum victor exercitus. Ibi Confeſſorum ſacer conuentus. Ibi veri et perfecti Monachi. Ibi ſanctę mulieres

Margin notes: [illegible] (beside "Intercedite"); Pſal. 103. (beside "quorũ non eſt numerus"); Cant. 4. (beside "tota es pulchra"); Pſal. 44. (beside "Specioſus prę filiis"); Cant. 5. (beside "qualis eſt dilectus")

quæ voluptates ſæculi & ſexus infirmitatem vicerunt. Ibi pueri & puellæ quę annos ſuos moribus tranſcenderunt. Ibi ſunt oues & agni, qui iam huius voluptatis laqueos euaſerunt. Exultant omnes in proprijs manſionibus, diſpar gloria ſingulorum, ſed communis eſt lætitia omnium: plena & perfecta ibi regnat charitas: quia Deus eſt, omnia in omnibus quem ſine fine vident, & ſemper videndo in eius amore ardent, amant & laudant laudant & amant. Omne opus eorũ laus ſine defectione, & ſine labore. Felix ergo ego, & vere in perpetuum felix, ſi poſt reſolutionẽ huius corpuſculi audire meruero illa cantica cœleſtis melodiæ, quæ cantantur ad laudem Regis æterni, ab illis ſupernæ patriæ ciuibus, beatorumque ſpirituum agminibus. Fortunatus ego, & nimium beatus ſi & ego meruero cantare ea, & aſsiſtere Regi meo, Deo meo, & cernere eum in gloria ſua, ſicut ipſe polliceri dignatus eſt dicens. Pater volo quos dediſti mihi, ſint mecum, vt videant claritatem meam, quam habui apud te antequã
Ioan. 17. mundus fieret, & alibi. Qui mihi miniſtrat me ſe
Ioan. 12. quatur, & vbi ego ſũ illic & miniſter meus erit. Et iterum. Qui diligit me, diligetur à Patre meo,
Ioan. 14. & ego manifeſtabo ei me ipſum.

De præmio electorum. Cap. XVI.

NAm præmium electorum eſt videre Deum, viuere cum Deo eſſe cũ Deo qui erit omnia in omnibus; Habere Deum qui eſt ſummum bonum. Et vbi eſt ſummum bonum, ibi eſt ſumma felicitas, ſumma iucunditas, vera libertas, perfecta charitas, æterna ſecuritas, ſecura æternitas. Ibi eſt vera lætitia, plena ſcientia, omnis pulchritudo, & omnis beatitudo eſt ibi pax pietas, bonitas, lux, virtus, honeſtas, gaudium lætitia, dulcedo, vita perennis, gloria, laus, requies, amor, & concordia dulcis: ſic cũ Deo beatus erit, in cuius conſciẽtia peccatũ inuẽtũ nõ fuerit videbit Deũ ad volũtatẽ, habebit ad voluptatẽ fruetur ad iucũditatẽ, in ęternitate vigebit, ĩ veritate fulgebit, ĩ bonitate gaudebit; ſic habebit permanẽdi æternitatẽ, ſic cognoſcẽdi facultatem, & requieſcendi felicitatem: Ciuis ſiquidem erit illius ſanctæ ciuitatis, cuius Angeli ſunt ciues, Deus Pater templum: Filius eſt eius ſplendor: Spiritusſanctus charitas. O ciuitas cœleſtis, mãſio ſecura, patria totũ continens, quod delectat, populus ſine murmure, incolę quieti ho
Pſal. 86. mines nullam indigentiam habentes, quàm glorioſa dicta ſunt de te ciuitas Dei. Sicut lætantiũ omnium habitatio eſt in te. Omnes lætantur in lętitia, & exultatione: Omnes delectantur de eo cuius aſpectus benignus, facies decora, eloquiũ dulce, dilectabilis ad audiendum, ſuauis ad habẽdum, dulcis ad perfruendum. Ipſe per ſe placet, per ſe ſufficit ad meritum ſufficit ad præmium; nec extra illum quærũt aliud aliquid, quia in illo totum inuenitur, quicquid deſideratur, ſemper libet illum aſpicere, ſemper habere, ſemper in illo delectari, & illo perfrui; in illo clarificatur intellectus & purificatur affectus ad cognoſcendam & diligendam veritatem. Et hoc eſt totum bonum hominis, noſcere ſcilicet & amare Creatorem ſuum. Quid ergo ad nos attinet inſania vitiorum, ſitire, abſcinthium huius mundi, ſequi naufragium vitæ præſentis, pati infortuniũ; impie tyrannidis ferre dominium, & non magis conuolare ad Sanctorum felicitatem, ad Angelorum ſocietatem, ad ſolemnitatem ſupernæ lætitiæ, & ad iucunditatem contemplatiuæ vitæ, vt puſsimus intrare in potentias Domini, & videre ſuperabundantes diuitias illas bonitatis eius. Ibi vacabimus, & videbimus quam dulcis eſt domi- Pſal. 30.
nus, & quàm magna multitudo dulcedinis eius. Videbimus ſplendorem gloriæ, & decorem Sanctorum, & Regiæ poteſtatis honorem. Cognoſcemus Patris potentiam, Filij ſapientiam, Spiritusſancti benigniſsimam clementiam; & ità habebimus notitiam illius ſummę Trinitatis. Nũc corporeas per corpus videmus imagines, & corporeo ſpiritu cernimus, tunc autem ipſam veritatem puro mentis intuitu videbimus. O beata viſio, videre Deum in ſeipſo, videre in nobis, & nos in illo felici iucunditate, & felicitate iucunda, quicquid deſiderabimus, totum habebimus, nihil amplius deſiderantes, & quicquid videbimus, amabimus in ipſo amore, beati dulcedine amoris & ſuauitate contemplationis. Hæc erit ſumma illius felicitatis, quoniam intelligetur in ſuo puro eſſe, ſancta Trinitas. Comprehendetur modo incomprehenſibili beata Trinitas, & patebunt arcana diuinitatis. Videbitur, & amabitur Deus, & hæc viſio delectabit totum cor hominis implens, & ſatians. Vna erit omnium lingua, iubilatio inceſſa. Vnus affectus, amor æternus. Patebit veritas, implebit charitas, & erit integra corporis & animæ ſatietas. Fulgebit, ſicut Sol humanitas glorificata. Quieta erit, & concors carnis & ſpiritus ſanitas. Angelorum et hominum vnum gaudium erit, vnum colloquium, et vnum conuiuium. Non languebit amor, nec liquefiet delectatio præſentibus omnibus bonis non erit dilationis afflictio, quoniam beneficia diuinæ Maieſtatis erunt omnibus præſentia. Et erit in commune omnium omnipotentia, ſapientia, pax, iuſtitia, et intelligentia. Non erit in illa Patria diuerſitas linguarum, ſed pacifica, et concors concordia morum et affectuum. In torrente illius voluptatis nil vltra appetetur: ibi enim eſt cumulus felicitatis ſupereminens gloria et ſuperabundans lætitia, quam certantibus in veritate et perſeuerantia Chriſtus Ieſus benedictus in ſecula donabit. Amen.

Laudes diuinæ excellentiæ, in quibus anima contemplans illuſtratur veritatis lumine, & accenditur charitatis igne. Cap. XVII.

Benedic anima mea dominum, et omnia quæ intrà me ſunt nomini ſancto eius. Benedic anima mea domino et noli obliuiſci omnes retributiones eius. Benedicite domino omnia opera eius in omni loco dominationis eius. Benedic anima mea dominum, laudemus dominum quem laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Poteſtates, cui Cherubim, et Seraphim inceſſabili voce proclamant, Sanctus, Sanctus, Sanctus. Iungamus voces noſtras vocibus Angelorum Sanctorum, et communem dominum laudemus pro modulo noſtro. Illi enim laudant dominum puriſsime, et inculpabiliter, quia ſemper inhærent contemplationi diuinæ, non per ſpeculum, ſed facie ad faciem. Quis enim dicere, vel cogitare ſufficiat, qualis ſit in conſpectu Dei omnipotentis illa Beatorum ſpirituum cœleſtiumque virtutum innumerabilis multitudo, quæ ſit in eis ſine fine feſtiuitas viſionis Dei, quę lætitia ſine defectu, qui amoris ardor non crucians, ſed delectans; quod ſit in eis deſiderium viſionis Dei cum ſanctitate, et ſatietas cum deſiderio. In quibus nec deſiderium pœnam generat, nec ſatietas faſtidiũ parit. Quomodo inhęrendo ſummę beatitudini ſint beati, quo modo coniuncti vero lumini facti ſint lux, quomodo ſemper aſpicientes incommutabilem Trinitatem, mutati ſunt in incommutabilitatem? ſed quando illam Angelicę dignitatis celſitudinem comprehendere poterimus, qui nec ipſius animę noſtrę natura inueſtigare valemus? Qualis eſt iſta tam fortis, tam infirma; tam parua, tam magna quę rimatur ſecreta, et cęleſtia contemplatur, atque humanis commodis multarum artium perita perſpicaci ingenio adinueniſſe probatur? qualis eſt iſta, quę tam multa de cęteris cognouit, et ſe qualiter facta ſit, prorſus ignorat?

De natura animę.

Licet enim nonnulla ambigua à quibuſdã ſuper eius originem proferantur, inuenimus tamen eã eſſe quendam intellectualem ſpiritum per Creatoris potentiam immortaliter iuxta modum ſuum viuentem, mortale corpus, quod ſuſtinet viuificantem, mutabilitati ſubiectum, obliuioni deditum, quem timor afficit, lętitia extollit. O mira res omnique ſtupore digniſsima. De Deo quippe Creatore omnium, qui eſt incomprehenſibilis et ineffabilis, excelſa et mirabilia nimis omni remota ambiguitate legimus, loquimur, et ſcribimus. De Angelis autẽ et animabus, quicquid dicimus non tam euidenter probare poſſumus. Sed tranſeat ab his animus et tranſeat omne, quod creatum eſt, currat, et aſcendat, et volitet, et pertranſeat in eũ, qui creauit omnia, quantum poteſt oculos fidei dirigat. Faciam gradus accenſionis in corde meo et per ipſos aſcendam ad Deum meum qui capiti meo deſuper manet. Quicquid viſibiliter cernitur, quicquid ſpiritualiter imaginatur forti manu ab intuitu mentis procul remoueatur. Solus intellectus purus incedens, et ſimplex rapido volatu ad ipſum perueniat conditorem Angelorum et animarum, et omnium rerum. Mens iſta beata, quę ima deſerit, ſumma petit qui ponit in arduis ſemen ſuum, & de ſummis rupibus contemplatur Solem iuſtitiæ Aquilonis obtutibus: nihil enim tam pulchrum, atque iucundum quàm ipſum Solem, mentis intuitu & cordis auiditate contemplari Deum, & miro modo inuiſibilem cernere inuiſibiliter, ſicque aliam non iſtam lucem. Lux iſta, quæ loco clauditur, tempore finitur, noctiũ interruptione variatur, & quam communem cũ vermibus, & pecoribus habemus, in comparatione illius ſummæ lucis, nõ eſt illa lux dicenda, ſed nox. Quanquam autem illa ſumma & incommutabilis lux vera, lux indeficiens, lux Angelorũ à nemine conſpici in hac vita poſsit, quod ſolum præmium reſeruatur Sanctis in cœleſti gloria: illud tamen credere, intelligere, ſentire, & ardenter inhiare, quodammodo illud cernere eſt, atq; tenere. Sonet itaque vox ſuper Angelos & homo intenta mente contempletur Deum verbis, quibus poteſt, ſuas illi dicat laudes. Iuſtum nanque eſt, vt creatura laudet Creatorem. Ipſe enim nos ad laudandum ſe creauit, qui noſtris non indiget laudibus. Eſt virtus incomprehenſibilis nullius indigens ipſa ſibi ſufficiẽs. Magnus dominus noſter, & laudabilis valde. Hunc itaque mens diligat, lingua canat, ſcribat manus, atque in his ſtudiis Sanctis fidelis animus ſe totum exerceat: huius, videlicet cœleſtis luminis ſuauiſsimis dapib. Vir deſideriorum & cęleſtium contemplator aſſiduè reficiatur, vt hoc cœleſti pabulo ſaginatus clamet clamore magno; clamet medullis cordis, clamet in iubilo, & ardentiſsimo mentis deſiderio dicat. Summe, omnipotentiſsime, miſericordiſsime & iuſtiſsime, ſacratiſsime & præſtantiſsime, pulcherrime & fortiſsime, ſtabilis & incomprehenſibilis, inuiſibilis videns omnia, immortalis, incircũſcriptus, nuſquã finitus, inextimabilis, ineffabilis, inſcrutabilis, immobilis tangens omnia, inueſtigabilis, metuendus, atque terribilis, honorandus, atque horrendus, venerandus, atque reuerendus, nunquam nouus, nunquam vetus innouans omnia. Semper agens, ſemper quietus, colligens & non egens. Omnia portans ſine onere, omnia implens ſine concluſione, omnia creans, protegens, nutriens, & perficiẽs, & quęrens cum nihil deſit tibi; Amans & æſtuans, zelans & ſecurus es. Pœnitet te et non dolet, ira-

ſceris et tranquillus es. Opera mutas et non con-
ſilium, recipis et quod inuenis, nũquam amiſiſti.
Nunquam inops et gaudes lucris, nunquam aua-
rus et vſuras exigis, ſupererogatur tibi vt debeas:
et quis habet quicquam non tuum? Reddi debita
nulli debens: donas debita nihil prodens, qui ſo
lus viuificas omnia: qui creaſti omnia, qui vbique
es, et vbique totus, qui ſentiri potes videri non
potes, qui nunquam dees et tamen ab iniquorũ
cogitationibus longe es, qui nec ibi dees vbi lon
ge es: quia vbi non es per gratiam ades per vindi
ctam. Qui omnia tangis, nec tamen omnia æqua-
liter tangis: Quædam enim tangis vt ſint, nec ta-
men vt viuant et ſentiant: quædam tangis vt ſint
viuant et ſentiant, nec tamen vt diſcernãt. Quæ-
dam vero tangis vt ſint viuant, ſentiant et diſcer-
nant. Et cum tibi nunquam diſsimilis, diſsimili-
ter tantum tangis diſsimilia. Qui vbique es præ-
ſens et inueniri vix potes. Quem ſtantem ſequi-
mur et apprehendere non valemus. Qui tenes
omnia imples omnia, circumplecteris omnia, ſu
perexcedis omnia, ſuſtines omnia: Neque enim
ex alia parte ſuſtines, et ex alia parte ſuperexce-
dis: neque ex alia parte imples, atque ex alia cir-
cũplecteris. Suſtinendo ſuperexcedis, et ſuper-
excedendo ſuſtines. Qui doces corda fidelium ſi
Sap. 8. ne ſtrepitu verborum: qui attingis à fine vſque
ad finem fortiter, et diſponis omnia ſuauiter: qui
locis non diſtenderis, nec temporibus variaris,
nec habes acceſſus, nec receſſus, ſed habes lucẽ
inacceſsibilem, quam nullus hominũ videre po-
teſt. In te manes quietus, vbique circuis totus;
non ſcindi enim, vel diuidi poteris: quia vere v-
nus es: nec in parte efficeris, quia totus totum
tenes, totum imples, totum illuſtras et poſsides.
Huius videlicet myſterii immenſitatem profun-
ditatis mens humana concipere non poteſt; nec
oratoria lingua narrare, nec diffuſi ſermones,
nec bibliothecarum volumina queunt explica-
re. Si totum mundum libri repleant, nullo mo-
do ſcribi poteris, vel concludi; quoniam tua ſciẽ
tia inenarrabilis, & vere incomprehenſibilis eſt:
Qui es fons lucis diuinæ & Sol claritatis æternę.
Magnus es enim ſine quantitate, & ideo immen
ſus. Bonus es ſine qualitate, ideo verè & ſummè
bonus; & nemo bonus niſi tu ſolus. Cuius volun
tas opus eſt, cuius velle poſſe eſt: qui omnia ex
nihilo creaſti, quæ ſola voluntate feciſti. Qui om
nem creaturam tuam abſque indigentia poſsi-
des, & ſine labore gubernas, & abſque tædio re-
gis, & nihil eſt, quod perturbet ordinem impe-
rij tui, vel in ſummis, vel in imis; qui in omni lo-
co ſine loco haberis, & omnia contines, ſine am-
bitu, & vbique es ſine ſitu & motu. Qui nec mali
auctor es quod facere non potes. Qui nullus
commotionis animi tempeſtate turbaris, nec to
tius terræ particula tuum regnum eſt. Nulla fla-
gitia vel ſcelera probas, aut imperas: nunquam
mentiris, quia æterna veritas es, cuius bonitate fa
cti ſumus, & iuſtitia pœnas luimus & clemen-
tia liberamur; nam nihil cęleſte, nihil igneum,
vel æthereum, & terrenum: nihilque quod cor-
poris ſenſus attingat pro te colendum eſt. Qui Heb. 1.
verè es quod es: qui ſemper idem ipſe es & anni
tui non deficient. Hæc & alia multa docuit me
ſancta mater Eccleſia, cuius factus ſum membrũ
per gratiam tuam. Docuit me ſanè, te ſolum &
vnum Deum; non eſſe corporeum, vel paſsibi-
lem, vel palpabilem; nihilque de ſubſtantia tuá
vel natura vllo modo eſſe violabile, atque com-
mutabile, aut compoſitum vel fictum. Et ideo
certum eſt corporeis oculis te non poſſe conſpi-
ci, ſed nec ab vllo mortalium in propria eſſentia
aliquando potuiſſe videri. Hinc & inde paten-
ter datur intelligi, quod vnde Angeli te intuen-
tur, inde & nos poſt hanc vitam videbimus, ſed
nec ipſi profectò te viderè poſſunt, ſicuti es.
Nulli denique alij tota niſi tibi ſoli nota eſt om-
nipotens Trinitas. Tu vero es vnitas Deitatis
perſonarum pluralitate multiplex. Numerabili-
ter es innumerabilis, ac idcircò menſurabilitate
immenſurabilis. Non enim ſummæ bonitatis,
quæ tu ipſe es, profitemur originem ex qua om-
nia, per quam omnia, in qua omnia: ſed eius
participatione dicimus bona omnia. Nam tua
diuinitas ſemper caruit, ac caret materia; licèt
non careat forma; forma ſcilicet informata, for-
ma formatum, forma formatiſsima, quam dum
imprimis, quaſi ſigillum rebus ſingulis eas ſine
tui augmenti, vel decrementi mutabilitate, pro-
culdubio à te facis differri. Quicquid in natura
creaturarum eſt, creatura tua eſt. O vna Trini-
tas & trina vnitas Deus, cuius omnipotentia om
nia poſsidet, & regit, & implet quæ creauit. Nec
enim ideo te implere omnia dicimus, vt te con-
tineant: ſed vt ipſa potius à te contineantur: nec
particulatim imples omnia, nec vllatenus ita pu-
tandum eſt, vt vnaquæque creatura pro magnitu
dine portionis ſuæ capiat te, id eſt maxima maius
& minima minus; dum ſis potius ipſe in omni-
bus, ſiue omnia à te: Cuius potentia concludit
vniuerſa, nec euadendi potentiam tuam quis a-
ditum inuenire poteſt. Qui enim placatum te nõ
habet, nunquam euadet iram tuam ſicut ſcriptũ Pſal. 74.
eſt. Neque ab Oriente, neque ab Occidente, ne- Pſal. 138.
que à deſertis montibus, quoniam Deus iudex
eſt, & alibi. Quo ibo à ſpiritu tuo, & quo à facie
tua fugiam?

De laude Indiuiduę Trinitatis. Cap. XVIII.

IMmenſitas Diuinæ Maieſtatis tuæ iſta eſt,
vt intelligamus te intrà omnia, ſed non in-
cluſum: Extra omnia, ſed non exclu-
ſum. Et ideo interior es, vt omnia contineas:
ideo

ſideo exterior es, vt incircumſcriptæ magnitudinis tuæ immenſitate omnia concludas. Per id ergo, quod exterior es, gubernare omnia demonſtraris: omnia enim concluduntur in te, non locali magnitudine, ſed potentiali præſentia. Inſeparabilis ergo naturæ tuæ vnitas, ſeparabiles nō poteſt habere perſonas: quia ſicuti es Trinitas in vnitate, & vnitas in Trinitate, ſic ſeparationem non potes habere perſonarum: Nominantur quidem illæ perſonæ aliquando ſingulæ; ſed ita te voluiſti Deus Trinitas inſeparabilem oſtendere in perſonis, vt nullum tibi nomen ſit in qualibet perſona, quod ad aliam ſecundum non referatur relationis. Ita ſicut Pater ad Filium, & Filius ad Patrem; ſic vel Spiritusſanctus ad Patrem & Filium veriſsime refert. Omnia verò nomina, quæ ſubſtantiam, vel potentiam, vel eſſentiam tuam ſignificant, vel quicquid proprie dicitur Deus, omnibus perſonis æqualiter conueniunt; vt Deus magnus, omnipotens, æternus, & omnia quæ de te Deo naturaliter dicuntur. Non eſt ergo aliquod naturæ nomen, quod ſic tibi Deo patri conuenire valeat, quod aut Filio tuo, aut Spirituiſancto conuenire nequeat. Dicimus te Patrem naturaliter Deum eſſe, ſed naturaliter eſt Filius Deus, naturaliter eſt Spiritusſanctus Deus; non tamen tres Dij, ſed vnus naturaliter Deus, Pater, Filius, & Spiritusſanctus: iccircò inſeparabilis es ſancta Trinitas in perſonis ſenſu, intelligenda: quãuis in voce ſeparabilia habeas nomina: quia plurale numerum naturæ nominibus nullatenus recipis: In hoc enim oſtenditur perſonas non poſſe diuidi in ſancta Trinitate quæ vnus Deus verus eſt; quia cuiuslibet perſonę nomen ſemper ad alteram reſpicit perſonam. Si Patrem dico, oſtendo Filium: ſi Filium nomino prædico Patrem: ſi Spiritumſanctum appello, alicuius eſſe ſpiritum neceſſariè eſt intelligi, id eſt nomine Patris, & Filij. Hæc eſt enim vera fides veniens de ſacra Doctrina. Hæc eſt certa fides Catholica & orthodoxa, quam me docuit in ſinu matris Eccleſiæ Deus gratia ſua. Inuocat itaque domine te fides mea, quam dediſti mihi propter bonitatem tuam ad ſaluationem meam. Fidelis autem anima ex fide viuit, tenet in ſpe, quod videbit in te.

Laudes naturæ Diuinę Magnificę.

SVmma Trinitas, virtus vna, & indiſcreta Maieſtas Deus noſter. Deus omnipotens, confiteor tibi ego vltimus ſeruorum tuorum & exiguum membrum Eccleſiæ tuæ; Confiteor, & honorifico te debito ſacrificio laudis, pro ſcire, & poſſe, quod mihi tantillo donare dignatus es. Et quia exteriora munera mihi deſunt quę poſſunt offerri, ea, quæ in me ſunt vota laudationis ex dono miſericordiæ tuæ: ecce libens, atque ouans offero tibi de fide non ficta, & conſcientia pura. Credo ergo te toto corde Rex cœli & terræ domine, & ore te confiteor Patrem, & Filium, & Spiritumſanctum, in perſonis trinum, in ſubſtantia vnum, verum Dominum omnipotentem, vnius ſimplicis incorporeę, inuiſibilis, & incircumſcriptæ naturæ; nihil in te maius, aut minus habentem, ſed per omnem modum ſine deformitate perfectum, ſine quantitate magnum, ſine qualitate bonum, ſine tempore ſempiternum, ſine morte vitam, ſine infirmitate fortem, ſine mendacio verum, ſine loco vbique totum, ſine fine vbique pręſentem, ſine extenſione cuncta complectentem, ſine cōtradictione vbique occurrentem, ſine motu omnia tranſcendentem, ſine ſtatu intra omnia manentem, ſine indigentia omnia creãtem, ſine labore omnia regentem, ſine tui initio omnia mirabilia facientem. In magnitudine infinitum, in virtute omnipotentem, in bonitate ſummum, in ſapientia ineſtimabilem, in conſiliis terribilem, in iudicijs iuſtum, in cogitationibus ſinceriſsimũ, in verbis veracem, in operibus ſanctum, in miſericordiis copioſum. Erga delinquentes patientiſsimum, erga pœnitentes pium, ſemper idem ipſum æternum, ac ſempiternum, immortalem, atque incommutabilem: quem nec ſpatia dilatant nec breuitas locorum anguſtat, nec receptacula vlla coarctant, nec voluntas variat, nec neceſsitudo corrumpit, nec mæſta perturbant, nec læta demulcent. Cui nec obliuio tollit, nec memoria reddit, nec præterita tranſeunt, nec futura ſuccedunt: cui nec origo initium, nec tempora incrementum, nec caſus finem dabit, ſed ante ſecula, & in ſeculis, & per ſecula viuis. Et eſt tibi perennis laus & æterna gloria; ſumma poteſtas, & ſingularis honor, perpetuum regnum, & ſine fine imperium per infinita, & indefeſſa, & immortalia ſecula ſeculorum. Amen.

Hic anima ignita ardore charitatis, & vulnerata pro amore eructat laudes, & preces fundit Deo ſuo, quem cognoſcit per fidem, & in quo quieſcit per amorem. Cap. XIX.

INuocat te Deus meus caſta conſcientia, & ſuauis amor fidei meæ, quem diſcuſsis tenebris ad veritatis intelligentiam perduxiſti; & quæ à ſtulta ſeculi amaritudine eripuiſti, atq; adhibitam tuæ dilectionis charitatem iucundam mihi, & mellifluam reddidiſti. Inuocat te Trinitas Beata, vox clara, & ſincerus amor fidei meę, quē ab ipſis enutriens cunabulis illuminaſti ſemper per illuſtrationem gratiæ tuæ, & quem adaugens confirmaſti in me per documenta Matris Eccleſiæ. Te inuoco beata, & benedicta & glorioſa vna Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritusſāctus, Deus, dominus, Paraclytus, charitas, gratia, communicatio, genitor generans, genitus, lumen ve

rum ex lumine. Vera illuminatio, fons, flumen, irrigatio;ab vno omnia per vnum omnia,in vno omnia. A quo, per quem,in quo omnia,viuens vita viuentium viuificator. Vnus à ſe,vnus ab vno, vnus ab ambobus. Verax Pater, veritas Filius, Veritas Spiritusſanctus. Vna Pater, Filius,& Spiritusſanctus eſſentia,vna virtus, vna beatitudo. A quo, per quem, in quo beata ſunt omnia, quæcunque beata ſunt. Deus vera,& ſumma vita, à quo,per quem, in quo viuunt omnia, quæcunq; verè,& beatè viuunt. Deus omne bonum,& pulchrum,à quo, per quem, in quo beata & pulchra ſunt omnia. Deus,cujus nos fides excitat,ſpes erigit,charitas iungit. Deus,qui peti iubes,& inueniri facis,& pulſantibus aperis. Deus,à quo auerti,cadere eſt,ad quem cõuerti ſurgere eſt;in quo manere conſiſtere eſt. Deus,quem nemo amittit niſi deceptus, nemo quærit, niſi admonitus, nemo inuenit,niſi purgatus. Deus,quem noſce viuere,cui ſeruire regnare eſt,quem laudare ſalus, & gaudium animæ eſt;te labijs & corde, omniq; quã valeo virtute,laudo,benedico,adoro, tuæq; clementiæ & bonitati, pro vniuerſis beneficijs tuis gratias ago,hymnum gloriæ tuæ cano. Sanctus. Sanctus. Sanctus. Te inuoco o Beata Trinitas, vt venias in me,& templum facias dignum gloriæ tuæ. Rogo Patrem per Filium, rogo Filiũ per Patrem,rogo Spiritumſanctum per Patrem, & Filium,vt omnia vitia elongentur a me,& omnes virtutes ſanctæ plantentur in me. Deus immenſe,à quo omnia, in quo omnia facta ſunt viſibilia, & inuiſibilia, qui opera tua extra circundas,& intrà reples,ſuprà regis,& infrà fers;custodi me opus manuum tuarum, in te ſolummodo ſperantem,in tua miſericordia confidentem: cuſtodi me quæſo, hic, & vbique,nunc,& ſemper, intus & foris,antè & retrò,ſuprà & intra,circum circa; ita vt nullus pateat locus inſidiis inimicorum. Tu es Deus omnipotens,cuſtos,& protector omnium ſperãtium in te; ſine quo nemo eſt tutus,nemo de periculis liberatus. Tu es Deus, & non eſt alius Deus præter te, neque in cœlo ſurſum,neque in terra deorſum,qui facis mirabilia magna, & inſcrutabilia, quorum non eſt numerus. Te decet laus,te decet hymnus, tibi omnes Angeli,tibi cœli & vniuerſę poteſtates hymnum dicunt, & laudes indeſinenter concinunt, vtpote Creatori creatura,ſerui domino,Regi milites dicunt. Te ſanctam,& indiuiduam Trinitatem omnis creatura magnificat. Omnis ſpiritus laudat;Tibi Sancti,&humiles corde,tibi ſpiritus & animæ iuſtorum, tibi omnes ſuperni ciues, & cuncti Beatorum ſpirituum ordines gloriam & honorem ſuppliciter adorantes concinunt ſine fine,laudant te domine illi ſuperni ciues magnifice,& mirabiliter. Laudat te homo magna portio creaturæ tuæ, ſed & ego peccator homuntio deſiderio magno te cupio laudare, amare te opto amore præcipuo, Deus meus,vita mea,fortitudo & laudatio mea,dignare me laudare te. Da mihi lumen in corde, verbum in ore, vt cor meum meditetur gloriam tuam,& lingua mea cantet tota die laudes tuas. Sed quia non eſt pulchra laus in ore peccatoris, & quia vir labiis pollutus ego Eccle. 15. Iſa. 6. ſum munda obſecro,os meum ab omni inquinamento;ſanctifica me ſanctificator omnipotens interius,& exterius,& fac me dignum laudib. tuis. Suſcipe benigne & acceptabiliter de manu cordis,de mentis amore,ſuſcipe ſacrificium labiorũ meorum,fiat acceptabile in conſpectu tuo, & aſcendat ad te in odorem ſuauitatis:memoria tua ſancta, & dulcedo tua beatiſsima poſsideat totã animam,atque in amorem inuiſibilium rapiat eã tranſeat de viſibilibus ad inuiſibilia, de terrenis ad cœleſtia,de temporalibus ad æterna;tranſeat & videat viſionem mirabilem. O vera charitas,& vera veritas,& cara ęternitas,tu es Deus meus,tibi ſuſpiro nocte, ac die, tibi inhio, tibi intendo, ad te peruenire deſidero. Qui nouit te,nouit veritatem,nouit æternitatem. Tu veritas ſuper omnia præſides,quem videbimus ſicuti es, cum pertranſierit hæc vita mortalis & cæca in qua dicitur nobis,vbi eſt Deus tuus, & ego dico domine vbi es? Reſpiro in te paululum, cum effundo ſuper me Pſal. 41. animam meam in voce exultationis,& cõfeſsionis ſoni feſtiuitatem celebrantis: & adhuc triſtis eſt,quia relabitur,& fit abyſſus,vel quando potius ſe ſentit abyſſum adhuc eſſe. Dicit ei fides mea,quam accendiſti in nocte ante pedes meos. Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, lucerna pedibus meis verbũ Pſal. 41. pſal. 118. tuum. Spera,& perſeuera,donec pertranſeat nox mater iniquorum,donec pertranſeat ira domini, cuius fuimus aliquando filij: fuimus enim tenebræ,donec pertranſeat iſtud tempus, in quo adhuc ſumus in corpore propter peccatũ mortuo donec aſpiret dies,& remoueantur vmbræ: Spera in Deo,mane aſtabo, & contemplabor. Semperque confitebor illi. Mane aſtabo, & videbo ſalutare vultus mei, dominum meum, qui viuificat mortalia corpora noſtra,propter inhabitantem ſpiritum eius in nobis,vt iam ſimus lux, dum adhuc ſalui facti ſumus, & filij lucis, & diei non noctis,neque tenebrarum. Fuimus aliquando tenebræ nunc autem lux in te Deus noſter: & tamen adhuc per fidem,nondum per ſpeciem;ſpecies quæ videtur,non eſt ſpecies. Laudant te domine illi populi angelorum tuorum immortales & glorificant nomen tuum cœleſtes virtutes,quæ non habent opus legere ſcripturam noſtrã hanc vt cognoſcant te ſanctam & indiuiduam Trinitatem: Vident enim faciem tuam ſemper & ibi legunt,eligunt,& diligunt; ſemper legunt & nunquam præterit quod legunt. Eligendo, & diligendo

gendo

gendo ipſam incommutabilitatem conſilij tui, non clauditur codex eorum, nec plicatur liber eorum, quia tu ipſe illud habes, & es in æternum. O beatæ nimium illæ virtutes cœlorum, quæ laudare te poſſunt ſanctè, & puriſsimè, cum nimia dulcedine, & ineffabili exultatione. Inde laudāt, vnde gaudent, quia ſemper vident, vnde gaudere valeant, & laudare. Nos ergo molè carnis preſſi, & procul à vultu tuo in hac peregrinatione poſiti, atq; per mundanas varietates diſtenti, dignè laudare nequimus, niſi per fidem, & non per ſpeciem: Illi vero Angelici ſpiritus per ſpeciem, & non per fidem. Hæc enim cauſa facit vt multo aliter te laudemus, quàm illi: ſed licèt diuerſis modis laudes dicamus tuas, tu vnus Deus es creator omnium, cui ſacrificium laudis in cœlo & in terra offertur. Peruenturi tamen ſumus miſericordia tua ad eorum conſortium cum quibus te ſemper videbimus, & ſine fine laudabimus. Tribue domine, vt donec in hoc fragili corpore poſitus ſum laudet te cor meum, laudet te lingua mea, & omnia oſſa mea dicāt, domine quis ſimilis tui? pſal. 34. tu es Deus omnipotens quem trinum in perſonis vnum in ſubſtantia colimus. Adoramus Patrē ingenitum, Filium de Patre vnigenitum, Spiritumſanctum de vtroque procedentem, & in vtroque permanentem, ſanctam, & indiuiduam Trinitatem, Vnum Deum omnipotētem. Quod cum non eſſemus, potentes feciſti nos, & cum perditi eſſemus culpa noſtra, pietate, & bonitate tua mirabiliter recuperaſti nos. Ne ſinas nos (obſecro) eſſe ingratos tantis beneficijs, & indignos tam multis miſerationibus. Te deprecor, ſupplico, & rogo auge fidem, auge ſpem, auge charitatem. Fac nos per gratiam tuam ſemper, & in fide ſtabiles, & in opere efficaces, vt per fidem rectā, & condigna opera ad vitam te miſerante perueniamus æternam; vt ibi videntes gloriam tuam ſicuti eſt adoremus Maieſtatem tuam vt dicamus pariter, quos dignos feceris videre pulchritudinem tuam. Gloria Patri qui creauit nos: Gloria Filio qui redemit nos: Gloria Spirituiſancto qui glorificauit nos: Gloria ſummæ & indiuiduę Trinitati, cuius opera inſeparabilia ſunt, cujus imperium ſine fine manet. Te decet laus, te decet hymnus, tibi debetur omnis honor, virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum. Amen.

Affectuoſa laudatio, & digniſſima gratiarum actio in conſideratione humanitatis Chriſti, qua contemplantis mens in Deum eleuatur, & ipſi Chriſto per amorem vnitur. Cap. XX.

HVcuſque omnipotēs Deus, cordis mei inſpector & ſcrutator cōfeſſus ſū oīpotentiā tuæ Maieſtatis, & Maieſtatē omnipotētiæ tuæ. Nunc autem qualiter humano generi in fine ſeculorum ſubuenire dignatus es, Rom. 10 ſicut corde credo ad iuſtitiam, ita ore coram te confiteor ad ſalutem. Tu quidem Pater Deus ſolus nunquam legeris miſſus; De Filio tuo, ita ſcribit Apoſtolus. Cum venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum. Cum dicit, miſit, ſatis Gal. 4. oſtēdit, quod in hunc mundum miſſus aduenit; cū de Maria ſemper virgine natus, verus, & perfectus homo in carne apparuit. Sed quidem de illo Euangeliſtarum præcipuus ait. Ioan. 1. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt. Illuc vero miſſus eſt per humanitatem, vbi ſemper fuit, & eſt per diuinitatē. Quam videlicet, miſsionem opus totius ſanctæ Trinitatis toto corde eſſe credo, & ore confiteor. Quomodo nos amaſti Pater ſancte bone, quantum nos dilexiſti pie conditor; qui ēt Filio proprio non pepercisti, ſed & pro nobis Rom. 8. impiis tradidiſti illū: phil. 2. Subditus tibi ille vſque ad mortem, Col. 2. mortem autem Crucis fuit: Tollens ſcilicet Chirographum peccatorum noſtrorum, & affigens illum cruci, crucifixit peccatum, & occidit pſal. 87. mortem. Ioan. 10. Viuens ille inter mortuos liber fuit; poteſtatem habens ponendi animam ſuam pro nobis. Igitur victor & victima, & ideo victor, quia victima, pro nobis tibi Sacerdos, & ſacrificium; & ideo Sacerdos quia ſacrificium. Merito mihi ſpes valida eſt in illo quia ſanabis omnes languores per eum, qui ſedet ad dexteram tuam, & interpellat pro nobis. Languores quippe mei domine magni ſunt, & multi; multi ſunt, & magni. Habet enim in me multa princeps mundi huius, ſcio, et confiteor; ſed rogo te, libera me, per ſedentem ad dexteram tuam, Redemptorem noſtrum, in quo nihil ſuum potuit inuenire; Per ipſum me viuifica, qui peccatum non fecit, nec dolus inuen- 1. pet. 2. tus eſt in ore eius. Per ipſum caput noſtrum in quo non eſt macula, libera membrum eius, licet exiguum et infirmum. Libera me, quæſo, à peccatis, vitiis, culpis, et negligentiis meis. Reple me tuis Sāctis virtutibus, & fac me bonis pollere moribus; fac me in ſanctis operibus propter nomen tuum perſeuerare, vſq; in finem ſecundum tuam voluntatem. Deſperare nanque potuiſſem propter nimia peccata, & infinitas negligētias meas, niſi verbum tuum Deus caro fieret, & habitaret in nobis: ſed deſperare iam nō audeo, quia cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus per mortem Filij tui; quanto magis nunc ſalui facti per eum? Rom. 5. Omnis nanque ſpes, & totius fiduciæ certitudo mihi eſt in precioſo ſanguine eius, qui effuſus eſt propter nos, & noſtram ſalutem. In ipſo reſpiro & in ipſo confiſus ad te peruenire deſidero, non habens meam iuſtitiam, ſed eam, quæ eſt ex filio tuo domino noſtro Ieſu Chriſto. Rom. 10. Vnde clementiſsime & benigniſsime amator hominum Deus qui per Chriſtum Ieſum filium tuum dominum noſtrum, cum perditi fuiſſemus culpa noſtra, mirabiliter recuperaſti nos. Gratias ago pietati tuę, & multas tibi gratias refero, ex totis præcordiis meis, qui propter tuam inenarrabilem dilectionem,

nem, qua nos miſeros, & indignos mirabili bonitate amare dignatus es: miſiſti eundem vnigenitum tuum de ſinu tuo ad publicum proficuum noſtrum, ſaluare nos peccatores, tunc, cum eſſemus filij perditionis. Gratias ago tibi pro ſancta Incarnatione, & Natiuitate eius, & pro glorioſa Genitrice eius, de qua ipſe carnem aſſumere dignatus eſt propter nos, & noſtram ſalutem; vt ſicut verus Deus ex Deo, ita verus homo ex homine eſſet. Gratias tibi ago pro paſsione & cruce eius, & pro morte, & Reſurrectione eius, pro Aſcenſione eius in cœlum, & ſede Maieſtatis eius ad dexteram tuam. Ipſe enim quadrageſimo die poſt Reſurrectionem ſuam, videntibus diſcipulis aſcēdens ſuper omnes cœlos ſedenſque ad dexteram tuam Spiritumſanctum, ſecundum promiſſionem ſuam in filios adoptionis effudit. Gratias tibi ago pro ſacratiſsima illa effuſione ſanguinis eius, quo ſumus redempti: ſimul & pro ſacroſancto, & viuifico myſterio corporis & ſanguinis eius, quo quotidie in eccleſia tua paſcimur, potamur, abluimur, & ſanctificamur, & vnius ſummæ Diuinitatis participes efficimur. Gratias tibi ago pro hac tua mira, & inenarrabili charitate, qua nos indignos ſic amaſti, & ſaluaſti per vnicum,
oan. 3. & dilectum Filium tuum. Sic enim dilexiſti mundum, vt vnigenitum tuum dares, vt omnis, qui credit in ipſum non pereat, ſed habeat vitam æ-
oan. 17. ternam, vt cognoſcamus te verum Deum, et quē miſiſti Ieſum Chriſtum per fidem rectam, et condigna fidei opera. O immenſa pietas, ò inæſtimabilis charitas, vt liberares ſeruum Filium tradidiſti: Deus factus eſt homo, vt perditus homo de poteſtate dęmonum erueretur. Quam benigniſſimus amator hominum filius tuus Deus noſter; cuius piis viſceribus non ſatis viſum eſt, vt ſe inclinaret factus homo de Maria virgine, niſi etiam ſubiret crucis ſupplicium, et effunderet ſanguinem propter nos, et noſtrā ſalutem. Venit pius
c 19. Deus, et bonitate ſua, venit quęrere, & ſaluum facere quod perierat. Quæſiuit ouem perditam, quęſiuit, & inuenit, & humeris ſuis reportauit ad caulas gregis. Pius dominus, & verè multum mitis Paſtor. O pietas, ò charitas, quis audiuit talia? Quis ſuper tanta viſcera miſericordiæ non obſtupeſcat? quis vero nō miretur? quis verò non col-
h. 2. lætetur propter nimiam charitatem tuam, qua nos dilexiſti? Miſiſti Filium tuum in ſimilitudinē carnis peccati, vt de peccato damnaret peccatū; vt nos efficeremur iuſtitia tua in ipſo: ſed quid tibi retribuere poſſumus. Ipſe eſt verus agnus, agnus inquam immaculatus, qui abſtulit peccata mundi; qui mortem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparauit. Quid ergo Deus noſter, retribuere poſſumus pro tantis beneficiis miſericordiæ tuæ? quas laudes, quasve gratiarum actiones? Etiam ſi illa Beatorum Angelorum ſcientia & potentia nobis foret, nihil tamē dignū tantæ pietatis tuæ recōpenſare valere mus. Si certè omnia mēbra noſtra verterētur in linguas ad rependendas tibi laudes debitas, nequaquam ſufficeret exiguitas noſtra. Supereminet enim omnem ſcientiam tua inextimabilis charitas, quam oſtendiſti nobis, indignis bonitate & pietate tua. Filius nanque tuus Deus noſter non Angelos, ſed ſemen Abrahæ apprehendit, aſsimilatus nobis per omnia, abſque peccato. Humanam itaque non Angelicam naturā ſuſcipiēs, & eam ſtola ſanctæ Reſurrectionis & immortalitatis glorificans, vexit ſuper omnes cœlos, ſuper omnes choros Angelorum, ſuper Cherubim & Seraphim collocans ad dexteram tuam. Hanc autem laudant Angeli, adorant Dominationes, & omnes virtutes cœlorum tremunt ſuper te hominem Deum. Hæc mihi, nempè tota eſt ſpes mea, omniſque fiducia. Eſt enim in ipſo domino Chriſto vniuſcuiuſque noſtrum portio, & caro, & ſanguis. Vbi ergo portio mea regnat, me regnare credo; vbi ſanguis meus dominatur, dominari me ſentio; vbi caro mea glorificatur, glorioſum me eſſe cognoſco. Quamuis peccator ſim de hac communione gratiæ non diffido. Et ſi peccata mea prohibent, ſubſtantia mea requirit; & ſi delicta propria me excludunt, naturæ communio nō repellit. Non enim tam immitis eſt dominus, vt obliuiſcatur hominis, & non meminerit ipſius, quem geſtat ipſe, & quem cara mater ſuſcepit, eius cauſa non me requirat. Mitis certe & valde benignus eſt dominus Deus noſter, & diligit carnem ſuam, membra ſua, viſcera ſua. In ipſo Deo & domino noſtro Ieſu Chriſto dulciſsimo, & benigniſsimo, atque clementiſsimo, in quo iam reſurreximus, iam ad cœlos aſcendimus, iam in cœleſtibus conſedemus: Caro noſtra nos diligit. Habemus enim ſanguinis noſtri prærogatiuam in
ipſo, ſumus autem membra eius, & caro eius. Ipſe Eph. 4.
deniq; eſt caput noſtrum, ex quo totum corpus
compactum eſt, ſicut ſcriptum eſt: os ex oſsibus Gen. 2.
meis, & caro de carne mea, et erunt duo in car- Eph. 5.
ne vna, et nemo carnem ſuam odio habuit, ſed fouet, et diligit eā. Myſterium hoc magnum. Ego
dico in Chriſto et Eccleſia, ait Apoſtolus. Gra- Ibid.
tias itaque ago tibi labiis et corde, et omni qua valeo virtute, infinitæ miſericordiæ domine Deus noſter pro omnibus miſerationibus tuis, quibus mirabiliter nobis perditis ſubuenire dignatus es per eundem Filium tuum Saluatorem noſtrum, et recuperatorē, qui mortuus eſt propter
delicta noſtra, et reſurrexit propter iuſtificationē Rom. 4.
noſtram; et nunc viuens ſedet ad dexteram tuā, et interpellat pro nobis, et ſimul tecum miſeretur: quia Deus eſt ex te Patre coæternus, et conſubſtantialis tibi per omnia. Vnde in perpetuum poteſt nos ſaluare: ſed ſecundum id, quod eſt ho
mo, ex qua parte minor te eſt, data eſt ei omnis Mat. 28.
poteſtas in cœlo et in terra, vt in nomine Ieſu phil. 2.

omne

omne genu flectatur cœleſtium, terreſtrium, et Act. 10. infernorum, & omnis lingua confiteatur, quia dominus Ieſus eſt in gloria tua. Deus Pater omnipotens, Collor. 2. ipſe quidem conſtitutus eſt à te Iudex viuorum, & mortuorum. Tu vero non iudicas quenquam, ſed omne iudicium tum dediſti Filio tuo, in cuius pectore reconditi ſunt omnes theſauri ſcientiæ, & ſapientiæ. Ipſe autem teſtis, & iudex eſt, quem nulla peccatrix conſcientia effu- Heb. 4. gere poterit: omnia enim nuda & aperta sũt eius oculis. Ipſe ſanè, qui iniuſte iudicatus eſt, iudicabit orbem terræ in æquitate, & populos in iuſtitia. Benedico ergo nomen ſanctum tuum in æter- pſal. 97. num, & glorifico ex toto corde meo, omnipotẽs, & miſericors dominus, pro illa inenarrabili & mirabili coniunctione Diuinitatis, & humanitatis in vnitate perſonæ, vt non alter Deus, alter homo eſſet, ſed vnus idemq; Deus & homo, homo & Deus, ſed licèt mirabili dignatione Verbũ caro factum ſit; neutra tamen ex duabus naturis in aliam mutata eſt ſubſtantiam, Trinitatis myſterio, quarta non eſt addita perſona, vnita quippe eſt non confuſa verbi Dei, hominisq; ſubſtantia, vt in Deum, quod ex nobis ſuſceptum fuerat perueniret, & illud, quod nunquam non fuerat, idẽ ſemper quod fuerat permaneret. O mirabile myſterium, ò inenarrabile cõmercium, ò mira ſemperque miranda Diuinæ propitiationis benignitas, ſerui digni non fuimus, & ecce filij Dei facti Rom. 8. ſumus, hæredes quidem Dei, cohęredes autem Chriſti. Vnde hoc nobis? & quid nos ad hoc? ſed rogo te clementiſsime Pater Deus, per hãc ineffabilem pietatem, & bonitatem, & charitatẽ tuã, vt dignos nos facias multis & magnis promiſsionibus eiuſdem filiitui domini noſtri Ieſu Chriſti. Eccle. 7. Manda virtuti tuæ, confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis; perfice, quod cæpiſti, vt ad plenam gratiam tuæ pietatis peruenire mereamur. Fac nos per Spiritumſanctum intelligere, & mereri, & debito ſemper honore venerari hoc magnum pietatis myſterium, quod manifeſtatũ eſt in carne, iuſtificatũ eſt in ſpiritu, apparuit Angelis, prædicatum eſt gentibus, creditum eſt in mundo, aſſumptum eſt in gloria. O quantum ſumus debitores tibi domine Deus noſter, tanto redempti precio, tanto ſaluati dono, & tanto adiuti beneficio. Quantum à nobis miſeris es timendus & amandus, benedicendus, & laudandus, et glorificandus. Tibi nempe debemus omne quod poſſumus, omne quod ſapimus, omne quod viuimus, qui nos ſic amaſti, ſic ſaluaſti, ſic ſanctificaſti, ſic ſublimaſti: ſed quis habet quicquam non tuũ? Tu domine Deus noſter, à quo cuncta bona procedũt propter te, & nomen ſanctum tuum da nobis de bonis tuis, vt de tuis donis, ac datis ſeruiamus tibi, & in veritate placeamus, atque debitas quotidie laudes rependamus tibi pro tantis beneficiis miſericordiæ tuæ: non enim aliunde poſſumus placere, nec ſeruire tibi, niſi de tuo munere. Omne datum optimum, & omne donum per- Iaco. 1. fectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum, apud quem non eſt tranſmutatio, neque viciſsitudinis obumbratio. Domine Deus noſter, piè Deus, bone Deus, Deus omnipotens, Deus ineffabilis, & incircumſcriptæ naturæ inſtitutor omnium rerum, & domini noſtri Ieſu Chriſti Pater, qui eundem dilectum Filium tuum miſiſti de ſinu tuo, ad publicum proficuum noſtrum ſuſcepit vitam noſtram, vt nobis donaret ſuam, eſſetque perfectus Deus ex te Patre, & perfectus homo ex Matre; totus Deus, totus homo, vnus idẽque Chriſtus, æternus, & temporalis, immortalis & mortalis, Creator & creatus, fortis & infirmus, nutritor & nutritus, paſtor & ouis, temporaliter mortuus, & tecum viuens in æternum. Suis dilectoribus vitæ municipium promittẽs dedit, & nobis dixit, quodcunque petieritis patrem in Ioan. 16. nomine meo dabit vobis. Per ipſum Sacerdotem & verum Pontificem, & bonum paſtorem, qui ſe obtulit in ſacrificium tibi, ponere animam ſuã pro grege ſuo: te ergo per ipsũ, qui ſedet ad dexteram tuam, & interpellat pro nobis redemptorem noſtrum, & aduocatum. Pietati tuæ, & bonitati ſupplicio, clementiſsime, & benigniſsime amator hominum Deus, vt des mihi cum eodem Filio tuo, & Spiritusancto, & in omnibus benedicere, & glorificare, cum multa cordis contritione & lachrymarum fonte, cum multa reuerentia & tremore, quia, quorum vna eſt ſubſtantia, vnũ eſt & datum: ſed quia corpus, quod corrumpitur Sap. 9. aggrauat animam, excita (quæſo) torporem meũ tuis ſtimulis, & fac me ſtrenuè perſeuerare in pręceptis, & laudibus tuis die ac nocte. Tribue vt cõcaleat cor meũ intra me, & in meditatione mea pſal. 38. exardeſcat ignis. Et quia ipſe tuus vnicus natus dixit: nemo venit ad me, niſi Pater, qui miſit me, traxerit eum, & nemo venit ad Patrẽ niſi per me, Ioan 6. obſecro, & ſuppliciter rogo, trahe me ſemper ad ipſum, & ipſe tandem perducat me ad te illuc, vbi ille eſt in dextera tua ſedens; vbi eſt ſempiterna vita, & ſempiternè beata. Vbi eſt amor perfectus, & nullus timor. Vbi eſt dies ęternus, & vnus omnium ſpiritus, vbi ſumma & certa ſecuritas, & ſecura tranquillitas, & tranquilla iucunditas, & iucunda felicitas, & felix æternitas, & æterna beatitudo, & beata tui ſine fine viſio, et laudatio. Vbi tu cum illo, et ille tecum in communione ſancti Spiritus æternaliter, ac ſempiternaliter viuis, et regnas Deus, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Humi-

Humilis confeſſio peccatoris, & indigni laudatoris. Cap. XXI.

IGnoſce Domine, ignoſce pie, ignoſce miſeriis, & multæ imperfectioni meæ: Noli me reprobare, quod audeo ego famulus tuus, vtinā vel bonus, & nō ēt inutilis & malus. Et ideo valde malus: quia omnipotentem Deum noſtrū terribilem & nimis metuendum, ſine cordis contritione, & lachrymarum fonte; ſine debita reuerētia & tremore, benedico, & adoro; ſi enim Angeli adorantes tremunt mira exultatione repleti; ego peccator, dum tibi aſsiſto, laudes dico, ſacrificium offero, cur non paueo, vultu nō paleo, labiis tremo, toto corpore inhorreſco; ſicq; obortis lachrymis coram te indeſinenter lugeo? Volo, ſed non valeo, quia neque quod deſidero, me cum vehementer admiror, dum te terribilem nimis oculis fidei cerno. Sed quis hoc ſine ope gratiæ tuę? Vniuerſa enim ſalus noſtra, magna miſericordia tua. Miſerum me, quomodo ſic inſenſata facta eſt anima mea, vt non terreatur terrore magno; dum ſtat ante Deum, & ſuas illi decātat laudes? Miſerum me, quomodo ſic indurauit cor meum, vt oculi mei indeſinenter non producāt flumina lachrymarum, cum ſeruus ſermocinatur cum domino ſuo? Qui factus eſt ex limo cum illo qui omnia fecit ex nihilo? Ecce domine pono me ante me, & quicquid in ſecretis de te ſentio inſinuabo fraternis auribus. Tu diues in miſericordia, & largus in præmiis. Da mihi de bonis tuis vt ſeruiam tibi ex eis. Non enim aliunde poſſumus ſeruire & placere tibi, niſi de tuo munere. pſal. 118. Cōfigeque timore tuo carnes meas. pſal. 85. Lætetur cor meum vt timeat nomē tuum. Vtinam te timeret Iob. 31 peccatrix anima mea, quomodo ille qui dicebat, Semper enim quaſi tumentes fluctus ſuper me, timui dominum: Dator enim omnium bonorum Deus: Da mihi inter laudes tuas fontem lachrymarum, ſimul cum cordis puritate & mentis iubilatione vt perfectè diligens, & dignè te laudans ipſo cordis palatu ſentiā guſtem, & ſapiam, quā pſal. 33. pſal. 88. pſal. 83. ſuauis es domine, ſicut ſcriptum eſt. Guſtate & videte quoniam ſuauis eſt dominus. Beatus vir, qui ſperat in eo. Beatus populus qui ſcit iubilationem. Beatus cuius eſt auxilium abs te; aſcenſiones in corde ſuo; diſpoſuit in valle lachrymarum in loco quem poſuit. Mat 5. pſal. 83. Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Beati qui habitāt in domo tua domine in ſecula ſeculorum laudabunt te.

Incipiunt preces ardentis deſiderij, vt fidelis anima Chriſtum ſolum poſſit amare. Cap. XXII.

IEſu noſtra redemptio, amor, & deſiderium: Deus de Deo, adeſto mihi famulo tuo. Te inuoco, ad te clamo clamore magno in toto corde meo. Te inuoco in animam meam. Intra in eam. Apta eam tibi, vt poſsideas eam ſine macula, & ſine ruga. Mundiſsimo namque Domino, mundiſsima debetur habitatio. Sanctifica ergo vas tuum quod feciſti, de malitia euacua, & imple gratia, & plenum conſerua, ita vt digniſſimum habitationis efficiatur templum hic, & in æternum. Dulciſsime, benigniſsime, amantiſsime, chariſsime, pretioſiſsime, deſideratiſsime, amabiliſsime, pulcherrime. Tu dulcior melle, lacte, & niue candidior, nectare ſuauior gemmis, & auro precioſior; cunctiſque terrarum diuitiis, & honorib. mihi charior. Quid dico Deus meus vna ſpes mea, grandis miſericordia mea? Quid dico dulcedo felix, & ſecura? quid dico dum talia dico? dico quod valeo, ſed nō dico quod debeo. Vtinam poſſem talia dicere, qualia illi hymnidici Angelorum chori. O quàm libenter me in tuis laudibus totum effunderem. O quam deuotiſsima illa cœleſtis melodiæ cantica ad laudem & gloriam nominis tui in medio Eccleſiæ infatigabilis perorarem. Sed quia talia non poſſum, nunquid tacebo? Veh tacentibus de te, quia mutorū ora reſoluis, & lingua infantium facis diſertas. Veh tacentibus de te: quoniam ipſi loquētes muti ſunt, cum non tuas dicunt laudes. Sap. 10. Quis te dignè laudare poteſt ineffabilis virtus & ſapientia Patris? & quomodo vlla inuenio verba, quib. ſufficienter te valeam explanare cunctipotens, & omniſcium verbum. Dicam interim quod valeo donec iubeas me venire ad te, vbi poſsim dicere quod te decet, & me oportet. Et ideo rogo ſuppliciter, ne reſpicias tātum ad id, quod modò dico, quantum ad id quod dicere opto, cupioque cum deſiderio magno. Te decet laus, te decet hymnus, tibique debetur omnis honor. Scis ergo occultor, cognitor Deus, quod non ſolū terra & omnib. quæ in eis ſunt, tu mihi charior, ſed etiam ipſo cœlo, & omnibus quæ in eo ſunt. Quæ enim tranſitoria ſunt, amanda non ſunt. Amo te Deus meus, amo, magis, magiſque amare te cupio. Da mihi vt amem te ſemper, quantum volo, quantum debeo, vt tu ſola ſis tota intentio, & omnis meditatio mea. Te meditor per diem ſine ceſſatione: te ſentiam per ſoporem in nocte: te alloquatur ſpiritus meus. Tecū fabuletur mens mea, lumine ſāctę viſitationis tuę illuſtretur cor meū, vt te rectore, te duce ambulem de virtute in virtutem; tandem videam te Deum deorū in Syon. pſal. 83. Nunc quidem per ſpeculū in enigmate tunc facie ad faciem, vt cognoſcā te ſicut cognitus ſum. 1. Cor. 13 Beati mundo corde, quoniam ipſi Deū videbūt. Mat. 5. pſal. 83. Beati qui habitant in domo tua domine in ſecula ſeculorum laudabunt te. Rogo itaque te domine per omnes miſerationes tuas, quibus de morte æterna liberati ſumus, mollifica cor meū durum, & lapideum, ſaxeum, & ferreū, tua ſacratiſsima potenti vnctione, & fac me per ignem cōpunctionis coram te omni hora hoſtiā viuā fieri.

Fac

Fac me in tuo conſpectu cor contritum, & humiliatum ſemper habere. Fac me ex tuo deſiderio huic mundo funditus extingui, & tranſeuntium rerum obliuiſci, præ magnitudine amoris & timoris vſq; adeò, vt de temporalibus nec lugeam, nec gaudeam, nec metuam aliquid temporale, nec diligam. Nec blandis corrumpar nec aduerſis concutiar. Et quia tua valida eſt, vt mors, dilectio abſorbeat quæſo, mentem meam ab omnibus quæ ſub cęlo ſunt ignita & melliflua vis amoris tui, vt tibi ſoli inhæream, ſola tuæ ſuauitatis memoria paſcar. Deſcendat domine, deſcendat in cor meum odor tuus ſuauiſsimus. Ingrediatur amor tuus mellifluus. Veniat mihi tui ſaporis mira & inenarrabilis flagrantia, quę ſempiternas in me ſuſcitet cōcupiſcentias, & ex corde meo producat venas aquæ ſalientis in vitā ęternam. Immenſus es domine, & ſine mēſura debes amari & laudari ab his, quos precioſo ſanguine tuo redemiſti. Amator hominum clementiſſime benigniſsime domine, & æquiſsime iudex,

Ioan. 5.

cui omne iudicium dedit Pater, ſapiētiſsimo tuæ æquitatis iudicio diſcernis hoc rectum, & iuſtum eſſe, vt filij huius ſeculi, noctis & tenebrarū præſtantiori deſiderio, virtute, atque ſtudio diligant & quærant perituras diuitias & fugitiuos honores, quam nos ſerui tui diligamus te Deum, per quem facti & redempti ſumus. Si enim homo hominem tanta diligit dilectione, vt alter alterū vix patiatur abeſſe, ſi ſponſa ſponſo tanto amore nectis cōglutinatur, vt præ magnitudine amoris nulla perfrui valeat requie, chari ſui abſentiam non ſine magno mœrore ferēs; qua ergo dilectione, quo ſtudio, quo feruore anima, quam deſponſaſti tibi iuſtitia, & fide & miſerationibus debet te diligere Deum verum, & pulcherrimū ſponſum qui nos ſic amaſti, & ſaluaſti, qui pro nobis tanta feciſti? Quanquā autem hæc infima habeant ſuas delectationes, ſuoſque amores, non tali modo delectant ſicut tu Deus noſter. In te enim delectatur iuſtus, quia amor tuus ſuauis & quietus eſt; nā pectora quæ poſsidet dulcedine, ſuauitate, & trāquillitate replet. E contra amor ſeculi carnis anxius, & perturbatus animas certe quas ingreditur, quietas eſſe non patitur: ſemper enim ſuſpicionibus, vaniſque timoribus ſolicitat eas. Tu itaque delectatio es rectorum, & merito, quia quies eſt apud te valida, & imperturbabilis vita. Qui intrat in te, intrat in gaudium domini ſui, & non timebit amplius, ſed habebit ſe optime in optimo

pſal. 131. pſal. 22.

dicens. Hæc requies mea in ſeculū ſeculi, hic habitabo quoniam elegi eam, & illud. Dominus regit me, & nihil mihi deerit, in loco paſcuę ibi me collocauit. Dulcis Chriſte Ieſu reple, quæſo, ſemper cor meum inextinguibili dulcedine tua, & continua recordatione, adeò vt ſicut flāma vrens totus ardeam tui amoris dulcedine, quā & aquæ

Cant. 8.

multæ in me non poſsint vnquā extinguere. Fac me dulciſsime domine amore & deſiderio tuo deponere pōdus omnium carnalium deſideriorum, & terrenarum concupiſcentiarum grauiſsimam ſarcinam quæ impugnant, & impetunt miſeras animas, vt poſt te expeditius in odorē vnguentorum tuorū currens, vſque ad tuæ pulchritudinis viſionem efficaciter ſacrandus, quam totius,

Cant. 1.

te quoque duce merear peruenire. Duo .n. amores alter bonus, alter malus, alter dulcis, alter amarus, non ſe ſimul in vno capiunt pectore: & ideo ſiquis præter te diligit alium, non eſt charitas tua Deus in eo. Amor dulcedinis, & dulcedo amoris, amor nō crucians ſed delectās; amor ſincerè & caſtè permanens in ſeculum ſeculi; amor qui ſemper ardes, & nūquam conſumeris: Dulcis Chriſte bone Ieſu charitas Deus meus, accende me totum igne tuo amore tuo, ſuauitate, & dulcedine tua, iucunditate & exultatione tua, voluptate & concupiſcentia tua quæ ſancta eſt, & bona, caſta eſt & munda, tranquilla eſt & ſecura; videlicet vt tota amoris tui dulcedine plenus totus flamma charitatis tuæ ſuccenſus, diligam te Deum meū ex toto corde meo, totiſque medullis præcordiorum meorum, habens te in corde, in ore, præ oculis meis ſemper, & vbique ita vt nullus in me pateat locus adulterinis amoribus. Audi Deus meus, audi lumen oculorum meorū, audi quæ peto, & da quæ petam, vt audias pie, & exorabilis domine, ne efficiaris mihi inexorabilis propter peccata mea, ſed propter bonitatem tuam ſuſcipe preces famuli tui, & da mihi effectū petitionis & deſiderij mei, intercedente & orante & impetrante Glorioſa Genitrice tua domina Maria, cum omnibus ſanctis. Amen.

Vir deſideriorum & cęleſtium contemplator gemit quotidie dicens, ſe ibi non eſſe, vbi dilectum ſuum mereatur videre, ſicut ſcriptum eſt. Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto. Cap. XXIII.

phil. 1.

O Chriſte domine verbum Patris, qui veniſti in hunc mundum peccatores ſaluos facere; rogo te per indulgentiſsima miſericordiæ tuæ viſcera, emenda vitā meā, meliora actus, cōpone mores, tolle de me quod mihi nocet, & tibi diſplicet. Da quod noſti tibi

Iob. 14.

placere, & mihi prodeſſe. Quis poteſt facere mūdum de immundo conceptum ſemine, niſi tu ſolus? tu es Deus omnipotens infinitę pietatis, qui iuſtificas impios & viuificas mortuos, qui mutas peccatores & non ſunt. Tolle ergo de me, quicquid tibi diſplicet in me. Imperfecta mea plurima viderunt oculi tui. Mitte quæſo manum pietatis tuæ in me. Coram te domine eſt ſanitas & infirmitas mea. Illam præcor ſerua, iſtam ſana; ſana me domine & ſanabor, ſaluum me fac & ſal-

Hier. 17.

uus ero. Tu qui infirma ſanas & ſanata cōſeruas, qui ſolo nutu reſtauras vniuerſa, diſrupta, & collapſa. Oro te per te, ſana me. Si enim dignaris in

agro tuo ſeminare bonũ ſemen, neceſſe eſt prius vt manu pietatis tuæ ſpinas euellas vitiorũ meorum. Dulciſsime, benigniſsime, amãtiſsime, Reuerẽdiſsime, precioſiſsime, amabiliſsime, pulcherrime infunde, obſecro, multitudinem dulcedinis tuæ, & charitatis pectori meo, vt nihil terrenum, nihil carnale deſiderem, vel cogitem, ſed te ſolũ amem, te ſolum habeam in corde meo, & in ore. Scribe digitu tuo in pectore meo, dulcem memoriam tui mellifluі nominis, nulla vnquã obliuione delendam. Scribe in tabulis cordis mei voluntatem tuam, & iuſtificationes tuas, vt te immẽſæ dulcedinis dominum, & pręcepta tua ſemper, & vbique habeã præ oculis meis. Succende mentem meam igne tuo illo, quem miſiſti in terram; & voluiſti vehementer accendi, vt ſacrificiũ cordis contriti, et ſpiritus cõtribulati, obortis lachrymis tota die offeram tibi, propter te dulcis bonæ Ieſu ſicut deſidero, ſicut tota mente peto. Da mihi amorem tuum ſanctum et caſtum qui repleat, teneat, totumque poſſideat, et da mihi euidens ſignum fontem lachrymarum irriguum iugiter emanantem, vt ipſæ quoque lachrymæ tuũ in me teſtentur amorem. Ipſæ prodant, ipſæ loquantur quantum te diligit anima mea. Dum præ nimia dulcedine tua nequit ſe à lachrymis temperari. Reminiſcor pie domine illius bonæ mulieris quę Reg. 1. ad tabernaculum pro filio rogatura venit, de qua ſcriptura refert, quod vultus poſt lachrymas et preces non ſunt amplius in diuerſa mutati. Sed memor tantę virtutis, tantæque conſtantię dolore torqueor, et verecundia confundor, quia me miſerum nimis, iacere deorſum intueor. Si enim ita fleuit, et ĩ fletu perſeuerauit mulier, quę quęrebat filium, quomodo in planctu perſiſtere debet anima, quę quęrit et amat Deum, et ad eum peruenire deſiderat; quomodo gemere et flere debeat talis anima nocte et die, quę præter Chriſtũ nihil velit amare? Miſera quippè eſt, ſi non ſunt factę ei lachrymę panes, die, ac nocte. Reſpice ergo et miſerere mei, dolores cordis mei multiplicati ſunt. Da mihi conſolationem tuam cęleſtẽ, et noli ſpernere peccatricem animam, pro qua etiam mortuus es. Da mihi quęſo, lachrymas ex tuo affectu internas, quę peccatorum meorũ poſſint ſoluere vincula, et cœleſti iucunditate ſemper repleant animam meam. Venit quoque mihi in mentem alterius mulieris, mirã deuotionem, qua te in ſepulchro iacentem amore pio quęrebat, Ioan. 1. quę recedentibus diſcipulis de ſepulchro, non recedebat: quę ſedebat triſtis et mœrens, et diu multumque flebat, et ſurgens multis lachrymis, iterum, iterumque antra ſepulchri, vigilantibus oculis, explorabat, ſi fortè alicubi te videre poſſet, feruenti deſiderio quęrebat. Iam certè ſemel et iterum ingreſſa ſepulchrum viderat, ſed nimirum amanti ſatis non erat. Virtus enim boni operis perſeuerantia eſt. Et quia pręceteris dilexit, et diligendo fleuit, et flendo quęſiuit, et quęrendo perſeuerauit, ideo prima omnium te inuenire, te videre, te alloqui meruit. Et non ſolũ hoc, ſed etiam ipſis diſcipulis glorioſę Reſurrectionis tuę prænunciatrix extitit, te pręcipiente, et clementer monente. Vade dic fratribus meis, vt eant in Galileam ibi me videbunt. Si igitur ita fleuit mulier, et in fletu perſeuerauit, quę viuentẽ cum mortuis quęrebat, quę te manu fidei tangebat; quomodo plangere et in planctu perſiſtere, et flere debet talis anima, quæ toto corde diligit, teque toto deſiderio videre concupiſcitur? Solum confugium, & vnica ſpes miſerorum, cui nũquam ſine ſpe miſericordiæ ſupplicatur: mihi hanc gratiam pręſta propter te, & propter nomẽ ſanctum tuum, vt quoties de te cogito, de te loquor, de te ſcribo, de te lego, de te confero, quoties tui reminiſcor, tibi aſſiſto laudes pręces, & ſacrificium offero, toties obortis lachrymis in cõſpectu tuo copioſe & dulciter fleam, ita vt efficiantur mihi lachrymæ panes, die, ac nocte, tu pſal. 41. quidem Rex gloriæ, & omnium virtutum Magiſter docuiſti nos verbo & exemplo gemere & flere dicens. Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur. Mat. 5. Tu fleuiſti defunctum amicum, & lachrymatus eſt valde ſuper perituram ciuitatem. Rogo per illas tuas beatiſsimas lachrymas, & per omnes miſerationes, quib. mirabiliter nobis perditis ſubuenire dignatus es, da mihi gratiam lachrymarum, quam deſiderat, & à te petit anima mea: quia ſine dono tuo non poſſum habere eã, per Spiritumſanctum tuum, qui dum corda peccatorum mollit, ad fletum compungit. Ioan. 7. Da mihi gratiam lachrymarum, ſicut dediſti patrib. meis, quorum veſtigia debeo imitari, vt plangam te in omni vita mea, Ibid. ſicut illi te planxerunt nocte ac die. Propter merita & orationes eorum, qui tibi placuerunt, & deuotiſsime ſeruierunt, miſerere mei miſerere mei ĩdigni ſeruituri, & da mihi gratiam lachrymarum. Da mihi irriguum inferius, & irriguum ſuperius, vt ſint mihi lachrymæ meæ panes die, ac nocte, Mal. efficiarque in conſpectu tuo Deus meus per ignem compunctionis holocauſtum pingue, & medullatum, & matutinum totũ in ara cordis mei, & tanquam pinguiſsimum aſſumas tibi in odorem ſuauitatis. Da mihi irriguum fontemque perſpicuum, in quo lauetur aſſidue illud inquinatum holocauſtum: licèt enim me tibi totum obtulerim, opitulãte gratia tua, in multis tamen quotidie offendo propter nimiam fragilitatem meam. Da mihi ergo gratiam lachrymarum, Benedicte Deus & amabilis, præcipuè ex multa dulcedine amoris tui, & commemoratione miſericordiarum tuarum. Præpara hanc menſam in conſpectu tuo famulo tuo, & da mihi eam in poteſtatem, vt quoties volo, ſatier ex ea. Tribue proprietate & bonitate tua, vt iſte felix tuus inebrians & præclarus ſanet ſitim meã,

vt in

vt in his inhiet ſpiritus meus, & ardeat mens
mea in amore tuo, oblitus vanitatis & miſeriæ.
Audi Deus meus, audi lumen oculorum meo
rum. Audi quæ peto, & da quæ petam, vt exau-
dias pie & exorabilis domine ne efficiaris mi-
hi inexorabilis propter peccata mea, ſed pro-
pter bonitatem tuam ſuſcipe preces ſerui tui,
& da mihi effectum petitionis, et deſiderij mei
precibus & meritis omniũ Sanctorum. Amẽ.

Hic optat ardore nimio mens pia dominum, & humiliter rogat, vt diuinæ gratiæ fulta præſidio hi conſtanter valeat agere, quæ Apoſtolus dicit. Si conſurrexiſtis cum Chriſto &c. Cap. XXIIII.

IEſu Domine, Ieſu bone, Ieſu pie, qui
mori dignatus es propter peccata no-
ſtra, & reſurrexiſti propter iuſtificatio
nem noſtram; reſuſcita me de ſepulchro vitio
rum & peccatorum omnium, & da mihi par-
tem quotidie in reſurrectione prima, vt in re-
ſurrectione tua merear veraciter portionem
percipere. Dulciſſime, benigniſſime, amantiſſi-
me, chariſſime, pretioſiſſime deſideratiſſime
amabiliſſime, pulcherrime aſcendiſti in cœlũ
cum triumpho gloriæ tuæ, & ſedes ad dexte-
Can. 1. tam patris; rex potentiſſime trahe me ſurſum
ad te, curram per te in odorem vnguentorum
tuorum, curram & non deficiam te trahente,
me currente. Trahe os ſitientis te animę in ſu-
perna affluentia internæ ſatietatis. Immo tra-
he me ad te fontem viuum, vt inde pro captu
meo bibam, vnde ſemper viuam Deus meus,
vita mea tu enim dixiſti ore tuo ſancto, & be-
Ioan. 7. nedicto. Si quis ſitit, veniat ad me & bibat. O
fons vitæ, da ſitienti animę ſemper bibere ex te
Ibid. vt ſecundum ſanctam & veridicam promiſſio
nem tuam de ventre fluant aquę viuæ. Fons vi
tæ reple mentem meam torrentem voluptatis
tuæ, & inebria cor meũ ſobria ebrietate amo-
ris tui, vt obliuiſcar quæ vana ſunt, & terrena,
& te ſolum iugiter habeam in memoria mea
ſicut ſcriptum eſt. Memor fui Dei & delecta-
Pſal. 76. tus ſum. Sed da ſpiritum tuum Sanctum, quẽ
ſignificabant aquæ illæ, quas ſitientibus datu-
rum te promiſeras. Da quæſo, toto ſtudio &
omni deſiderio tendere, quo te aſcendiſſe poſt
reſurrectionem die quadrageſimo credimus,
vt in præſenti miſeria ſolo quidem teneat cor-
pore, tecum autem ſim cogitatione ſemper &
deſiderio, vt ſit cor vnum, vbi tu es, theſaurus
meus deſiderabilis, multũque amabilis. In hoc
enim magno huius vitę diluuio, vbi circunſtan
tibus agitamur procellis & non inuenitur fir-
ma ſtatio, & locus eminẽtior, vbi pes columbę
Gen. 8. aliquatenus valeat acquieſcere, nuſquam tuta
pax, nũquã ſecura quies, vbiq; bella & lites, vbi
que hoſtes, foris pugnę, intus timores: & quia
2. cor. 7. altera pars ſumus cœli, altera terræ, corpus,
quod corrumpitur aggrauat animã: idcirco a-
Sap. 9. nimus meus, ſocius meus, & amicus fatigatus
de via veniens, languet, & iacet, diſcuſſus at-
que laceratus ab ipſis per quas tranſiuit vani- Luc. 11.
tatibus, eſurit, & ſitit valide non habeo quod
ponam ante illum, quia pauper ſum & mendi-
cus. Tu domine Deus diues omnium bonorũ
& da pium ſuperuæ ſatietatis opulentiſſime
elargitor, da lapſo cibum, collige diſperſum,
reintegra ſciſſum. En ſtat ad Oſtium & pulſat. Luc. 1.
Obſecro per viſcera miſericordiæ, quibus viſi-
taſti nos oriens ex alto. Aperi pulſanti miſero
manu pietatis tuæ, & iube propitiabili digna-
tione tua, vt ingrediatur ad te, quieſcat in te,
reficiatur de te viuo cæleſtique pane, quo ſa-
tiatus, reſumptiſque viribus ad ſuperiora con-
ſcendat, & de hac valle lachrymarum penna
ſancti deſiderij raptus ad cęleſtia gaudia voli-
tet. Aſſumat domine rogo, aſſumat ſpiritus Pſal. 54.
meus pennas, vt aquila volitet & non deficiat Pſal. 23.
volitet & perueniat vſque ad decorem domus
tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ, & ibi ſu
per menſam refectionis ciuium ſupernorum
paſcatur de occultis tuis in loco paſcuæ iuxta
fluēta pleniſſima. Requieſcat in te Deus meus
cor meum. Cor mare magnum & ſpacioſum Pſal. 103.
tumens fluctibus. Tu, qui imperaſti ventis &
mari, & facta eſt tranquillitas magna, veni, & Mat. 8.
ingredere ſuper fluctus cordis mei, vt tranquil-
la & ſecura fiant omnia mea: quatenus vnum
bonum amplectar te dulce lumen oculorum
meorum, & complectar te ſine tumultuan- Pſal. 161.
tium cogitationum cęca caligine. Confugiat
domine mens mea ſub vmbra alarum tuarum
ab ęſtibus cogitationum ſeculi huius, vt in tui
refrigerij temperamẽto ſancto lętabunda can- Pſal. 4.
tet & dicat. In pace in idipſum, dormiam & re-
quieſcam. Dormiat obſecro Deus meus, dor-
miat memoria mea ab omnibus malis, iniqui-
tatem odiat, iuſtitiam diligat. Quid enim pul-
chrius, quidve dulcius eſt, quam inter tene-
bras huius vitę, multaſque amaritudines diui-
nę dulcediui inhiare, & ęternę beatitudini ſu-
ſpirare? Illicque tenere mente, vbi vera gaudia
haberi certiſſimum eſt. Dulciſſime, benigniſſi-
me, amantiſſime, chariſſime, pretioſiſſime, de-
ſideratiſſime, ambilisſime, pulcherime quan-
do te videbo? quando apparebo ante gloriam
tuam? quando ſatiabor de pulchritudine tua?
quando educes me de iſto carcere tenebroſo,
vt confitear nomini tuo; ita vt deinceps non
compungat? quando tranſibo in illam admi-
rabilem & pulcherrimam domum tuam, vbi
ſonat vox lętitię, & exultationis in tabernacu-
lis iuſtorum. Beati qui habitant in domo tua Pſal. 83.
in ſecula ſeculorum laudabunt te. Beati & ve-
rè beati quos elegiſti, & aſſumpſiſti in illam
cœleſtem hęreditatem. Ecce ſancti tui domi-
ne florebunt ante te ſicut lilium: replebuntur Pſal. 35.
enim ab vbertate domus tuę, & torrente volu
ptatis tuę potabis eos: quoniam tu es fons vitę
& in nomine tuo videbimus lumen. Vſque

adeò, vt ipſi videlicet lumen illuminatum per
Pſal. 83. te Deum lumen illuminantem, ſicut Sol reful
Pſal. 3. geant in conſpectu tuo. Quàm mira, quàm pul
chra, quàm acceptabilia ſunt domus tuę habi-
tacula domine Deus virtutum, concupiſcit in-
trare in eam hęc peccatrix anima mea. Domi-
ne dilexi decorem domus tuę, & locum habi-
tationis glorię tuę. Vnam petij à Domino hāc
Pſal. 41. requiram, vt inhabitem in domo Domini om
nibus diebus vitæ meę. Quemadmodum deſi-
derat ceruus ad fontes aquarum, ita deſiderat
anima mea ad te Deus, quando veniam & ap-
parebo ante faciem tuam? quādo videbo Deū,
quem ſitit anima mea? quando videbo eum in
terra viuentium? In iſta terra iumentorum vi-
deri non poteſt mortalibus oculis. Quid faciā
miſer homo grauedine & compede mortali-
tatis meę aſtrictus? quid faciam? Dum ſumus
2. Cor. 5. in corpore, peregrinamur a domino. Non ha-
Heb. 13. bemus hic ciuitatem permanentem, ſed futu-
Pſal. 119. ram inquirimus; Noſter autem municipatus
Pſal. 54. in cęlis eſt. Heu mihi, quia incolatus meus pro
lungatus eſt. Quis dabit mihi pennas ſicut co-
lumbę, & volabo, & requieſcam? Nihil mihi
tam dulce, quam cum domino meo eſſe, mihi
Pſal. 72. adhęrere Deo bonum eſt; Da mihi domine,
1. cor. 6. donec his fragilibus aſſiſto membris, tibi adhæ
rere, ſicut ſcriptum eſt. Qui adhæret Deo, vnus
ſpiritus eſt cum eo. Præbe mihi rogo contem-
plationis pennas, quibus indutus ſurſum voli-
tem ad te. Et quia omne ſiniſtrum deorſum
iacet tene mentem meam ne ad ima tenebro-
ſę vallis corruat, ne interueniente vmbra terrę,
à te Sole iuſtitiæ ſeparetur, & obducta tenebra
rum nebula, prohibeatur alta reſpicere. Iccir-
co ſurſum tendo, ad pacis, gaudij, luciſq; dele-
ctabilem, & ſereniſſimum ſtatum. Tene cor
meum manu tua, quia ſine te ad altiora non
rapitur. Illic feſtino, vbi ſumma pax regnat, &
iugis tranquillitas rutilat. Tene & rege ſpiritū
meum & aſſume illum ſecundum volūtatem
tuam, vt te duce aſcendat in illam regionem
vbertatis, vbi pacis Iſrael in æternum pabulo
veritatis; vt ibi vel rapida cogitatione attingā
te ſummam Sapientiam, ſuper omnia manen-
tem, cūcta ſcientem, & omnia gubernantem.
Sed volitanti ad te animæ, multa ſunt, quæ ob
ſtrepunt. Iuſſu tuo domine conticeſcant mihi
omnia. Ipſa ſibi ſileat anima mea, pertranſeat
omnia quæ creata ſunt. Tranſcendat ſe, & per
ueniat ad te, atque in te ſolo Creatore omniū
oculos fidei figat. Tibi inhiet, te meditetur, ti-
bi intendat, te contempletur, te ſibi ante ocu-
los ponat, te ſub corde reuoluat ſummum &
verum bonum, & gaudium ſine fine manſu-
rum. Multæ ſunt denique contemplationes,
quibus animas deuota tibi mirabiliter inhære
re ſtudet, ſed in nulla earum requieſcit, & dele
ctatur anima mea; ſicut quando te ſolum co-
gitat, & contemplatur. Quàm magna multitu Pſal. 30.
do dulcedinis tuæ domine, quam mirabiliter
inſpiras cordibus amatorum tuorum. Quam
mira ſuauitas amoris tui, qui perfruuntur illi
qui præter te nihil diligunt, nihil quærunt, nil
etiam cogitare concupiſcunt. Felices illi qui-
bus tu ſolus ſpes es, & omne opus oratio, bea- Thren. 3.
tus qui ſedet ſolitarius, & tacet, & ſtat ſuper cu
ſtodiam ſuam iugiter nocte ac die, vt adhuc in
hoc corpuſculo, fragili poſitus prelibare valeat
aliquatenus dulcedinem tuam. Rogo te per il-
la ſalutifera vulnera quæ paſſus es in cruce pro
ſalute noſtra, è quibus emanauit ille precioſus
ſanguis, quo ſumus redēpti, vulnera hanc ani-
mam peccatricem, pro qua etiam mori digna
tus es. Vulnera eam igneo & potentiſſimo te-
lo tuæ nimiæ charitatis. Viuus eſt Dei ſermo,
& efficax, & penetrabilior omni gladio ancipi
ti. Tu ſagitta electa, & glaudius acutiſſimus
qui durum ſcutum humani cordis penetrare
tua potentia vales. Confige cor meum iaculo
tui amoris, vt dicat tibi anima mea, charitate
tua vulnerata ſum; ita vt ex ipſo vulnere amo-
ris tui vberrimæ fluant lachryme die ac nocte.
Percute domine, percute, obſecro hanc duriſſi
mam mentem meam pia & valida cuſpide di-
lectionis tuæ, & altius ad intima penetra poten
ti virtute; & ſic da capiti meo aquam immen-
ſam, & oculis meis infunde verum fontem la-
chrymarum iugiter manantem, ex nimio affe
ctu, & deſiderio viſionis pulchritudinis tuę; vt
lugeam die ac nocte, nullam in præſenti vita
recipiens conſolationem, donec te in cœleſti
thalamo merear videre dilectum, & pulcherri
mum ſponſum meum Deum, & dominum
meum. Vt ibi videns glorioſam, & amabilem,
& pulcherrimam faciem tuam, omni dulcedi
ne plenam cum his, quos elegiſti Maieſtatem
tuam ſupplex adorem. Et illo tandem cœleſti
repletus iubilo, et ineffabili gaudio ęternę exul
tationis exclamem cum diligētibus te dicens.
Ecce quod concupiui, iam video, quod ſpera-
ui, iam teneo quod deſideraui iam habeo. Illi
ſum nanque in cœlis iunctus, quem in terris
poſitus tota virtute dilexi, tota charitate am-
plexatus ſum, toto amore inhæſi. Ipſum lau-
do, benedico, adoro, qui viuit & regnat in ſecu
la ſeculorum. Amen.

Finis Tractatus de Incendio Diuini Amoris.

RERVM

RERVM AC VOCVM
IN HIS D. LAVRENTII IVSTINIANI
OPERIBVS TRACTATARVM INDEX,
Iuxta Alphabeti ordinem conſcriptus.

A

ABEL innocentiam quomodo cuſtodiuerit fol.336.2.40
Abeũtiũ retrorsũ itinera 243. 1. 3
Abnegare ſe, vires humanas excedit 428.4.10
Abnegãdi ſeipſum ratio 285.3.47
Abraham cur multarum gẽtium pater conſtitutus fuerit 336.2.43
Abrahæ fidei commendatio 9.2.48
Abraham beatitudinem quomodo ſibi vendicauerit 358.4.58
Abraham in ſacrificando vigilantia 72.2.23
in abſolutione peccatorum, qualis ordo ſeruandus 280.4.20
Abſtinentiæ bona 38.17.commendatio commoda 38.4.30. abſtinentiæ temperies adhibenda 39.4.20
Acidiæ deſcriptio & mala 354.3.24
Actionis robur in ſpe remunerationis includi 173.47.
Actionum temporalium iugum excutiendũ 48.2.3
in actionibus tẽporalibus & exterioribus exercitijs ſeruũ Chriſti nõ ſe totaliter occupare debẽt, ſed ſe partim actioni, partim deuotioni tradere 79.3.1
Accuſatores in extremo iudicio 4.2.7
Adam ſuo lapſu, quibus priuatus ſit 1.1.12.arbitrij proprij libertate quando ſe priuauit 428.1.31 cur Deus cũ omni ſua poſteritate, tunica pellicea & carne corruptibili contexuerit 54.2.40
Adæ culpa an fuerit Euæ grauior 91.4.50. Deo quomodo diſplicuerit 332.3.2. ante peccatum conditio 250.4.38. paradiſi colonus quandiu deputatus fuerit ibid. peccando quę perdiderit 259.4.56
Adamus immortalitatis gloriam ſi voluiſſet, non amiſiſſet
Adami peccati cauſa 26.3.15
Adiutorium homini quotuplex ſit datum 9.4.23
Admiratio quid ſit 3.1.12
Aduerſari Deo omnia quæ videntur, ipſius ſubduntur imperio 406.4.15
Aduerſarius noſter in hac via 346.2.22
de aduerſarij victoria, qui ſecurus eſſe poſſit 96.2.38
Aduerſarij humani generis 259.3.43
Aduerſariorum generis humani fortitudo 243.2.1 calliditas ibid. poteſtas 437.2.1
Aduerſa æquanimiter ferenda 25.4.24. patienter ferre qui ignorent 26.1.48. occurrẽtia reuerenter excipientia 98.1.28. cuncta, quæ in hoc ſeculo homines patiuntur, an ſint diuinæ iuſtitiæ opera 131.3.38. cur Deus amicis ſuis contingere permittat 281.3.54 quæ quę peccatis proprijs adſcribere quanti ſit meriti 451.4.15. & ſeq. perferendi exemplum 471.4.8. & ſeq.
in aduerſis fruſtra homo conturbatur, atque in proſperis lætatur. 320.1.55
Aduerſitas oculos aperit 435.3.39
Adulantium mos 35.1.42
Adulatores vitia ibid.
Adulatoribus, quibus modis reſiſtẽdum ſit 88.1.22
Adulteria vbi perpetrentur 313.2.8
Adulteriorum principium 92.3.6
in adultis ſalutis cauſa 336.2.48
Aduocatus omnium 31.4.14
Aedificaturo quæ ſint neceſſaria 177.1.1
Aedificium ſpirituale 291.1.48
Aedificij ſpiritualis ſolidum fundamentũ 130.1.44
Aedificiorum conflagrationem, an Deus immittat 131.2.57
Aegritudines an à domino irrogetur 492.1.10
Aegrotantes in carne, quomodo tranctãdi 377.2.30 & ſeq.
Aegrotantium fiducia 195.1.32. mos 170.3.24
Aequanimitatis indicia 33.3.45
Aequitas quid ſit 15.2.56
Aequitatis ſtatera 86.4.19. omne iudicium rectum, quid extinguat 127.1.39
Aeris intemperiem an Deus immittat 131.2.56
Aetas nulla ab obedientia legis ſecernitur 255.2.18 noſtra dilectionis fraternæ ignara 296.3.14
Aeternitatis ſemina 428.3.47
Aeterna quibus donãtur, tranſitoria negantur. 372 1.4.& ſeq. quibus merito debeantur 360.3.27
Aeternę retributionis gloria iuxta charitatis menſuram condonatur 85.2.1
ab æternorũ deſiderio, qui non impediãtur 34.4.56 & ſeq.
Affectio ſeductoria 128.2.48. fraternæ charitatis, inæſtimabilis apud Deum meriti 140.4.10
Affectionis iugum quàm ſit graue 390.3.35 ordinatio 14.1.45. temporalium abdicatio 36.2.2 propriæ ſanctitate, cur omnes priuentur 327.3.17
Affectioni humanæ triplici, medicina triplex exhibita 292.3.45

Affectionem humanam inter & diuinam differentia 98.3.55
Affectiones interioris hominis inordinatę, quomodo ſub rationis imperio ſint deprimendæ 91.2.20. quomodo noſcantur 186.1.37. voluptuoſæ, naturales, ſpirituales vnde generentur 291.4.45
Affectionum ad cultum Dei pertinentium diuiſio 15.3.47. humani cordis, ſolus Deus eſt indubius cognitor 437.4.22
Affectus humanus non niſi ex diuino guſtu ſatiatur 147.2.29. creaturis non ſatiatur 327.2.4. ad operādum, ſpe præmij plurimum excitatur 334.1.33 multipliciter ad operandum allicitur 408.3.49. naturalis veri & boni, per peccatum debilitatus, qualiter reſtauretur 91.4.20. paternus in filium 158.1.44
Affectus diuiſio 20.4.27. diuini cum humano collatio 158.2.8. humani excitatio 205.3.40. & 292.2.56. & ſeq.
Affectum duplicem cuilibet homini in eſſe naturaliter 91.4.25
Affectum in cunctis quæ agimus Deus potius attēdit quàm opus 266.2.43. carnalem ſectantis iudicium 292.3.49. ſpiritualem nemo ſine conſenſu liberi arbitrij ſortitur 291.4.57 & ſeq.
Affectus non diuitiæ damnantur à Chriſto 301.4.49
Affectus quid temperet 39.4.58
Afflictiones viribus humanis non ſuperari,
Agendi bene, vnde manarit infirmitas 439.4.14
Agnus veriſſimus 180.1.11
Agni immaculati figura 351.2.14
Agnoſci à fidelibus quid debeat 331.3.32
Agon ſpiritualis 423.4.11
Agonia quid ſit 3.1.28
Agricolæ docti prudentia 69.1.16. cæleſtis peritia 155.1.49 & ſeq.
Agricolæ purgationem æquo animo ferendam 155.3.22
Agricolarum longanimitas 241.3.1
Alieni generarum pauperum exemplar 473.2.54
Alimentum carnale capiendi modus 78.4.22
Alimentum cæleſte 406.3.16
Alimenta corporalia, ad ſuum qui manducet iudicium 311.3.6
Alimenta diuina 76.4.10
Alimonia ſpiritualis 320.4.28
Allocutiones myſticę quibus pandantur. 152.2.45
Altaris immaculata hoſtia 309.4.9 dominici qualis debeat eſſe miniſter 311.1.31. ſacro ſanctum myſterium ſemel in die tantum ſumendum 465 1.18
Altarium ornamenta, cur ſint in eccleſia inſtituta 362.2.20
Altum ſapientis mala 376.1.1
amabilis hominibus & Deo chariſſimus. 255.2.49
bene amare quid ſit. 19.3.15
amare beatius quàm amari 22.1.19
amari quàm timeri ſemper omnipotenti Deo magis placuiſſe 71.1.40
vt amatur quis à Deo, quæ ſint illa quæ operanti conferant 20.3.10
amantis Deum affectus 328.2.40. & ſeq.
amantis affectus ſeipſo minor 329.1.16
amantem non ſcientem diligit omnipotens 70.3.20
amantium cibus proprius 364.2.40
amatoris veri natura 257.2.18
ad Amatorem perfectionis exhortatio. 256.2.2.45
amatorum ſeculi ſedulitas 261 2.12. Dei ſeruorum corporem redarguit ibid.
Amatorium ſine medicamento, ſine herba, ſine veneficij carmine 22.2.10
Ambitio vbi dominetur 313.2.10
Amicitia quadrupliciter offenditur 19.2.18
Amicitiam quæ diſſoluant 22.1.41
in amicitia qui recti & fideles 32.2.11
amicitiarum cauſæ multifariæ 203.3.6. compaginem contentionibus diſſolui. 66.4.16. puritas ex conditione præmij commendatur 118.1.48
amicus fidelis qui ſit 22.3.49
amicus verus 33.2.50
amici plurimi quomodo faciendi 22.2.8. Dei qui appellati 126.1.33
amicorum Dei dona 118.3.22
amittitur facile quicquid ſine diligentia cuſtoditur 114.4.19
Amor quomodo initietur, nutriatur, & perficiatur 93.4.27. Amor Dei. 15.3.57. perfectus. 21.2.4. diuinus quantum vtilitatis conferat. 19.2.1. mutuas exigit amoris vices. 118.2.44
Amor ignitus.
Amor perfectus nihil habet priuatum. 85.3.26. pernicioſus. 254.3.41. priuatus quantæ ſit iacturæ. 141.1.35. proximi pro amore ſapientiæ impenſi. 128.1.22. purus vires vndeſumat. 17.1.10. ſpiritualis. 143.2.32.
Amor triplex, carnalis, videlicet, ſenſualis, & ſpiritualis. 142.4.5
Amor verus. 111.1.35. vnde cognoſcatur. 91.1.50
Amoris ardentioris indicium 127.3.4. ars ex magiſterio verbi diſcitur augmentum 202.1.57. caſti exercitia 150.4.13. Chriſti teſtimonium Chriſti varij effectus & ſublimitas 130.1.10
Amoris deſcriptio 157.1.27. diſcreti æqualitas 22.2.43
Amoris, dilectionis, charitatis differentiæ & diſtinctiones 20.3.40
Amoris diuini erga vnumquenque indicia 406.2.20. & ſeq. encænia 77.4.32. fortitudo. 297.4.10 qui ſuccenſus eſt flamma, quàm excellenter ſe intus exerceat 228.1.49 gradus & incrementa 20 1.22. incendio ardentis opera 228.1.49. præconia. 437.1.11. præludia 239.2.4. ſignum 24.3.6. vetum 20.2.58
Amoris Dei vtilitas 19.1.44
germina Amoris ſpiritualia 160.4.17
Amoris indicium 103.4.12
Amoris legitimi lex 87.2.25. ſigna 91.2.47
Amoris lex 132.4.37. magnitudine comprehenſi, diu quieti eſſe nō poſſunt 223.1.7. naturalis diuiſio. 20.4.2. rectus ordo 253.3.5. origo vbinam ſit 130.6.28. fons ibid. perfecti indicium 137.1.2 proprij impetum cohibendi ratio 87.3.18. rerum temporalium mors 17.2.38
ſine amoris ſolatio aliquo, neminem viuere. 118.2.2
Amoris ſpecies quatuor 19.4.56. ſpeculum 116.3.34
ſpiritualis forma 120.2.27. æquiſſima ſtatera 150.4.4. vehementia quomodo prærogetur 147.3.26. vnde colligatur 114.1.40. indicium ibid. vehementis indicia 224.2.54 veri commendatio 17.2.1. natura 89.1.12. vincula 150.1.36. negocium iucundum ibid. iura inter peccatores nequeunt legitime ſeruari ibid. cuiuſuis rei origo 463.3.53

Digitized by Google

Amori pecuniæ quàm vilis ſit omnis affectus.
ad Amorem voluptatis refrænandum conſiderationes,quæ mentem iuuant. 10.3.47
Amore ſenſuali ſanctos repletos fuiſſe
Amorræorum reliquias in medio populi Iſraelitici, cur dominus habitare voluerit. 471. 1. 43. & ſeq.
Anachoritarum robur 245.4.7
Anachoritarum vita,cur indicta. 317.4.43
Beati Andreæ magnanimitas. 297.4.20
Angelus Domini, an vnicuique noſtrum etiam minimo adſit. 21.4.14
Angeli natura. 330.3.11
Angeli Satanæ aſtutia. 65.2.48
Angeli profugi lapſus. 236.2.1
Angelum proprium, ſingulis hominibus eſſe deputatum. 100.1.31
Angeli ante Chriſti aduentum cur toties patribus locuti ſint. 379.2. 12. an Chriſtum comedant. 307.3.55. mortalibus cur miniſtrent. 304.4.28. nihil prætermittūt quod ſaluti hominum ſit proficuum. 361. 1. 49. & ſeq. in quibus ſint ſimiles,& diſſimiles. 126.2.15
Angelorum apoſtatarum natura. bonorum miniſterium. 32. 1. 48. cœtibus præſentibus,indecorum eſt negligenter pſallere. 72.4.33. noſtri indefeſſa cuſtodia. 55.3.13. cognitio. 289. 4.53. conditio. 428.3.18. dignitas,atque cœleſtis Hieruſalem gloria. 71. 4. 52. gloria quibus prærogetur. 295.1.1. animarumque æqualis gloria. 94.2.50. gaudium. 290.2.40. erga nos miniſteria. ibid. imitatores ex quibus efficiamur. 257.2.23. lapſus, de humana ſpecie reſtaurandus lætitia. 161.2.41. malorum fallacias ſuperandi ratio. 327.1.46
Angelorum miniſteria. 290.1.9. miniſteria, ad humanæ naturæ cuſtodiam, cur adhibita. 100. 1.31. monita ſalubria. 326.4.33. & ſeq. natura. 289.4.57. naturam non aliter, quàm cuiuſcunque vermiculi Deum creaſſe. 73.3.29. numeroſitas,diſtinctis ordinibus condita. ibid.pro animabus delinquentibus orationes. ordines,& officia. 290.1.13. opus. 190.3.4. erga genus humanum opera. 326 4. 32. & ſeq. poteſtas, & miniſterium. 117.2. 42. rationalemque naturam, cur diuina maieſtas condiderit. 138.3.40. ruinæ origo. 57.2.18. ſpirituum ſubſtantia. 322.4.15
Angelos noſtros protectores eſſe venerandos. 95.1. 6. ad humanam eſſe cuſtodiam deputatos. 117. 1.22.quid ſtrauerit. 433.1.16
ab Angelis homo an honoretur. 257.4.19
Angelicæ naturæ an datum ſit plurimis in locis eſſe. 134.3.17
Angelicam conuerſationem tenere conentur,quotquot cœleſti domino gratiſſimum deſiderant exhibere famulatum. 72.1.26
Angelicam potius quàm humanam quoſdam ducere vitam. 82.3.37
Angelicorum ſpirituum habitatio. 136.2.51. erga genus humanum vigilantia. 408.2.57
Anima quid ſit. an repleri poſſit. 8.4.6
Anima Chriſti ſponſa re non nomine. 340 4 31
Anima Chriſtum quoties neget. 195. 4. 1. delinquens voluntariè non copulatur ſponſo. 158.4. 48. fœlix quæ dicenda. fidelis qualiter ad pugnam accendatur, & de inimicis habere triumphum erudiatur. 94. 3. 43. quomodo inſtruatur. 141. 2. 49. lactis particeps, iuſtitiæ ſermonis eſt expers. 321. 1. 7. quomodo mundetur, & purgetur. 156. 1. 15. quibus nutriatur. 11. 2.25. occupari repleri autem non poteſt. 30. 3. 28. à parte ad filium quomodo trahatur. 336.3.4. apud Deum in quanto ſit precio. 298. 2. 30. quomodo proficiat. 21. 1. 44. qualiter reformetur. 252. 2. 20. delectationis auida, an rerum qualitate, vel varietate ſatiari poſſit. 11. 1. 44. ſapientiæ ſponſa, quomodo efficiatur. 86. 4. 23. quæ merito verbi ſponſa debet nuncupari, qualis eſſe debeat. 105. 1. 1. ſolicitudine creſcit, torpore decreſcit. 320. 4. 41. quibus ſtudijs exerceatur, vt ad perfectionem veræ iuſtitiæ attingat, & quæ ſit ipſius perfectio. 15.4.35. de ſpiritualibus quomodo erudiatur. 361. 4. 54. quando Templum Dei efficiatur. 328. 1. 46. ad verbum ſuſcipiendum, quomodo dilatare ſe debeat. 110. 1. 13. vniuerſis rebus, quæ in mundo ſunt, præferenda. 349.2.1
Anima peccatrix filio prodigo aſſimilatur. 469 1.18
in Anima quam multipliciter Deus operetur. 362. 1.46
Animæ affectiones quomodo polluantur. 128. 2. 42. amore perfecto feruentis opera. 137. 1. 17. ancora. 29. 2. 25. aures. 105. 3. 40. Chriſti ſponſæ lapſus. 59. 3. 17. charitatis affectu priuatæ deſcriptio. 335.2.3. & ſeq. cibus. 70. 1. 29. ſalutificus. 182.4 53. ſpiritualis. 320.3.49. Deum diligentis qualitates quatuor. 19. 4. 20. dormientis deſcriptio. 354. 3. 51. gratiam fortitæ ſtudia. 328.4.31. fructus. ibid. improuidæ teſtimonia. infirmitas. 41.4.46. & ſeq. languorum remedia. 243.3.50. lucri cupidæ cæcitas. 28.1.3. medicamentum ſalubre.358.4.26. mors. 396.3.54. quibus modis perficiatur. 354. 2.1.nutrimentum. 78.4.37
Animæ orando,Deo aſſiſtentis cum æterna ſapientia familiaritas. 476. 2. 29. pes. 170. 2. 31. pedes ſpirituales in peccatum lapſæ remedium. 63.4. 39. prædilecta ſingulariter munus. 113.2.2. ad perfectionem tendentis præconia. 476.4. 1. & ſeq. prærogatiua per virtutum exercitationem ad perfectionem tendentis. ibid. præſidia vbi poſita. 6.3.29. prudentis ſtudia. 14.2.42. purificatio ſpiritualis. 266.2.1.rationalis ornamentum. 110.3.21. regimen. 116. 3. 24. reſurrectio. 338. 2. 34. robur omne quæ extinguant. 71. 1. 4. ſenſus ſpiritualis. 106. 2. 40. ſpeculum. 44 4. 50. quæ ſponſæ vocabulo digna ſit, deſcriptio. 105. 2. 47. in ſpiritu eruditæ ſtudium. 324. 2. 11. non tentatæ pericula. 55. 3. 33. ante verbi notitiam ſtatus. 107. 3. 2. verbi connubium affectandis præcipua regula. 107. 4. 33. & verbi amoris familiaris copula. 395.2.40. vincula. 115.3.28. vita. 349. 1. 2. & ſeq.mors ibid. 349. 2. 3. vita in quo ſubſiſtat 351.2.41
ad Animam acceſſus quà pateat. 87.4.19
Animam qui ſemel amiſit, vlterius recuperare, etiam ex ipſa omnium interceſſione ſanctorum non valet. 359.2.23. rationalem, hominis carnem & Dei verbum, ſimul Deum dici. 102.1.1. 10.lethali peccato detentam, ſolius Dei eſt reuocare ad vitam. 349.3.36. ad ſapientiam recipiendam,quid deſponat. 108.3.8
Animæ vt in virtutibus creſcant, quomodo purgandæ & dirigendæ. 60.2.14. & ſeq.
Animarum cum Chriſto regnantium in cœleſti patria felicitas.83.2.30.cibus proprius. 96.3.25. quibus Deus delectetur deſcriptio. 477. 1.37. duces cur inſtituantur. 91. 1. 3. fructus vbi multi-

multiplex exuberet.374.3.22.& ſeq. languoribus mederi, volentis officium.339.4.4. lucris intendere, non cunctis prodeſt. 108.4.36. medicamentū ſpirituale triplex.195.1.30. verus medicus.226.4.36. paſcua vberrima.292.3.37. paſtores notantur.249.4.33.& ſeq. præſules, medicinæ artis peritis aſſimilantur.375.3.20. principatum nullus ſibi vendicet. 108.4.41
ad Animarum regimen quicunque vocatur, prius rectæ intentionis in ſe fundamentum inſtituat, quo mediante ſpiritualis ædificij in Deum structura proficiat. 366.4.43
Animarum regimen quanti ſit laboris, & periculi. 366.3.37. regiminis onus ſuſcipere, & terrena lucra ex eodem ſolummodo queritare quàm ſit periculoſum. 371. 1. 5. regimini præfectum quæ deceant. 373.2.53. qui præeſt, qualiter docere debeat. 376.3.50.& ſeq.
ad Animarum regimen exemplum efficax. 298. 3.56
Animarum rector qualis eſſe debeat. 352. 3. 16. & ſeq.
Animarum rectoris auctoritas. 387. 1. 45. & ſeq. miniſtri Chriſti auctoritas. ibid. quanta debeat eſſe ſufficientia. 391.4.22. rectorem qualem eſſe oporteat. 92.4.25. rectorum omnium in die iudicij examen. 391.2.38. & ſeq. officium.69.4.2. rectoribus quanta pro ipſarum ſalute debeat ineſſe vigilantia. 375. 3. 57. tanquam Chriſto obediendum. 80.2.18. ſanctarum cum Chriſto, & in Chriſto regnantium fœlicitatis, & amoris caſti latitudo vnde cognoſcatur. 85.3.33. ſaluti curam impendere quàm Deo ſit gratum.
ad Animas ſaluandum optimum medicamentum. 359. 4.2
Animalia an ad iuſtitiam pertinentia doceant. 15.1.2
Animalis quis nuncupandus. 435.1.46
Animales quandiu illudantur, & à ſeipſis aberrent. ibid.
Animus ad agnitionem veritatis, quibus fiat robuſtior. 96.3.44
Animus amoris vehementia comprehenſus quieſcere nequit. 223.1.3. ad cœleſtia contemplanda, qualiter ducatur. 93.1.35. quomodo ad vim intimæ contemplationis rapiatur. 46. 2. 56. in conuiuio carnali, ſpirituali conſideratione exercendus. 79.1.41. diaboli laqueis quando captiuus teneatur. 115. 2. 42. in quibus exercendus. 49. 3. 14. iniuſtus cur in peccatum trahatur. 33. 2. 20. preſſuris varijs purgatus, ſpirituali gaudio repleri meretur. 167.1.38
Animi concitati furor, qualiter valeat demulceri. fortitudo ſpirituali bellatori ad ſupplantandum Leonis, ac Draconis diaboli ſæuitiam, quantum expediat. 243. 1. 40. fortitudinis fructus. 110.3.57. inſtabilis vera indicia. 33.4.14. motus ineruditorum pernicioſus. 97.1.26. motus interiores, cognitu difficiles. 96.4.24. petulans familia, ad ſpiritus vnitatem quomodo coercenda. 91.2.26. præſumptio. 14.1.5. pugnantis vires vbi reparandæ. 99.3.17
ex Animi torpore quod deperijt, non acquiritur gratis. 292.2.26. vacillantis ſignum. 33. 2. 4. virtutem homo quomodo experiatur. 24.4.26
Animo fortis quis. 110.3.56
Animum timidum quid faciat. 2.4.45. inuiſibilibus, carnem autem viſibilibus enutriri. 87.4.30 momento temporis immutare ſolius eſſe Dei. 112.1.10
Animi quot modis purgentur. 167.1.50
Animorum dulce vinculum contentione diſſipari. 66. 4. 17. virilium, atque Chriſto in ſpiritu militantium proprium quid ſit. 232. 1. 52. opus. 470.2.48
ad Animos fidelium exercendos, ex ſuperna diſpenſatione, in hoc aereo loco conſtitutus eſt diabolus. 66.2.39
Animoſitas malorum inſcrutabilis nocendi, vnde originem trahat. 196.2.25
Antidotum ſpirituale. 95.5.56
Antiochum quid peremerit. 27.4.30
Apoſtatandi caſus, & initium. 90.4.23
Apoſtatatio humani generis vnde initium habuerit. 132.1.47
Apoſtoli quare extiterint commendabiles. 149. 3.48. quandiu cum illis fuit dominus, an ſpiritum intus loquentem intellexerint. 152. 2. 53. in fide debiles. 223.2.50. cur à Deo fuerint honorati. 336. 2.46. ad monumentum veniunt. 223.2.54
Apoſtolorum auctoritas. 247. 2. 8. merita cur extollantur. 267. 4. 24. ad monumentum aduentus. 223.3. 44. principem ad Chriſtum negandum, qua arte diabolus induxerit. 66.3.23. virtus. 245.3. 24. Apoſtolicorumque virorum geſta, pijs eſſe conſideranda. 385.1.45
Apoſtolis ſapientiæ, & intellectus ſpiritum, cur Deus præſtiterit. 227.2.35. altiorem perfectionis gradum, an aliqui apprehenderint. 333. 2. 17
Apoſtolatus culmen. 142.1.38
Apoſtolicæ dignitatis auctoritas. 115.4.17
Appetitus ſenſualitatis quid mortificet. 110.3.34
Appetitus aſcendendi ad alta rationabiliter in hominum mentibus à Deo cur ſit inſitus.
Appetitum ſcientiæ, & ſapientiæ amorem, an homo intus habeat. 158 4.7.
Appropiare Deo volentem nullus eſt qui inhibeat 129.4.29
Aqua ſapientiæ. 138.3.1
Aquæ in ſacramento efficacia. 104.1.7
Aquarum inundationes, an Deus immittat. 131. 2.56
Aquis qui ſe præfocat, an vitam oderit. 337.2.23
Araonis lapſus. 425.1.58
ad Aratrum manum mittentium varia conditio. 472.3.17
Arbiter æquiſſimus. 273. 2.33
Arbitrium hominis quando ſit liberum. 156.4.15
Arbitrij liberi proprietas. 334. 4. 51. definitio. ibid.
Arbitrij humani quæ ſint, & contra. 416.2.27
Arbor inutilis. 439.2.47.& ſeq.
Archana ſpiritualia, & diuina ſentiri poſſunt, at non proferri. 328.2.12
Archangelorum officium. 408.2.3
Architecti in reſtaurando ædificio prudentia. 181. 3.52
Arcus ſpiritualis. 241.2.45
Ariolandi artis initium. 92.1.30
Ars Dei ad animarum conuerſionem. 358.4.1
Artis cuiuſcunque diſcendæ ratio. 122.3.5
Arma quibus Chriſtiani milites veſtiantur. 88. 3.18
ab immundis ſpiritibus quomodo auferantur. 123.3.2. ſpiritualia. 240.1.22
Armorum ſpiritualium genera, in interiori conflictu neceſſaria. 237.3.1
Aſcendendi rectus ordo. 168.2. 16. modus rectus. 362.3.3
Aſcenſionis ad perfectionem initium. 285.4.25

Aſcenſus ſpirituales. 338.2.3
Aſpide homo deterior. 402.4.44
per aſſiduitatem quomodo homo peccet. 11.4.28
Athletarum Chriſti robuſtiſſimorum deſcriptio. 472.3.55
Auaritia iuſtitiæ non eſt capax. 27.4.55
Auaritiæ æſtus extinguendi ratio.321.4.21.deſcriptio. 376.2.30
Auditus delectatio. 457.3.44
Auditum cur Deus nobis tribuerit. 466.2.32
Auferre aliena, laudabili à Deo & ab hominibus æquitate, prohibitum. 382.3.6.& ſeq.
Aurium auditum quid ſepiat.239.3.12.circunciſio. 262.4.23.ſepimenta. 438.4.8.& ſeq.
Aurum ignitum probatum in Apoc.3. quid ſignificet. 127.4.38
Aurum, argentum, & gemmas acquirere, dona ſunt Dei. 370.2.32
Auri inter metalla cum charitate comparatio. 16.4.12.thuris & myrrhæ ſpiritualis oblatio. 263.4.42 gemmarumque venas ac loca, cur homines perquirant. 92.3.5. commendatio. 127.4.20. & ſeq. cum charitate collatio ibidem, & argenti munera, Deus ab hominibus non quærit. 434.3.26
Autoris ad Deum oratio. 1.4.47
vt auxiliemur omnibus, mirum exemplum. 475.1.36
Auxilium à Sanctis an ſit implorandum. 286.1.32. & ſeq.

B

BAptiſmatis Sacramenti finis. 464.4.35
Sacramentum reiterari an liceat. ibid.
Baptiſmata ſint tria. ibid.
Baptiſmi inſtitutio. 31.2.18. efficaciæ deſcriptio. 479.3.15
Baptizari in Iordanis aluco cur Chriſtus voluerit. 262.3.1
Babylonis turrim quid euerterit. 27.4.28
Beatitudo cæleſtis an ſit venalis. 358.4.56
Beatitudo lætitiæ an vna omnibus ſit futura. 18.4.38
Beatitudinis, Deus neminem vult eſſe expertem. 94.1.5.futuræ in hac vita præſagium
à Beatitudinis arce qui non poſſint defluere. 86.3.50
Beatitudinis æternæ myſteria arcana, quando & quibus pandantur. 363.3.50
Beatitudinem futuræ incorruptibilitatis quis prælibet. 12.1.15
Beatitudine priuata, hominem ſanctarum ſcripturarum teſtimonio ſe priuaſſe. 91.4.49
Beatus quis. 2.1.55. in altera vita æquè paruus & magnus erit. 94.3.27. qui vigilat ad fores &c. explicatur. 111.2.5. in hac vita quis dicendus. 435.1.25
Beatorum, dum peregrinarentur in corpore conuerſatio. 294.4.40. gloria diſpar. 94.2.36. & ſeq. vnitas. 401.3.48
Beatos varijs tentationibus agitari, eſt neceſſarium 300.1.36
Bellis ciuilis Romanorum cauſa. 471.1.13
Bella inter gentes, & regna à dæmonibus concitari. 117.2.37
Bellatori omni præſidium eſſe neceſſarium. 258.4.18
Bellatorum corona.442.3.11.induſtria. 209.2.32
Bellatoribus ſtrenuiſſimis quid interdum accidere ſoleat. 190.4.23
ad Bellatores Chriſti exhortatio. 246.4.1
Beneficium Dei commune & ſpeciale. 298.4.38
Beneficium noſtri conditoris præcipuum. 435.1.47
Beneficia Dei quadrupliciter diſtincta. 31.1.42
Beneficia à Deo dolenter nemo optauit qui non impetrauerit. 48.2.25
Beneficia ſua Deus, cur mortalibus communicet. 49.4.6
Beneficia diuina gratis collata quos non corrigunt, dignum eſt vt calamitatum preſſuræ ad ſui prouehant cognitionem erroris. 407.3.8
Beneficia in Eccleſia quibus conferenda. 391.1.37. eccleſiaſtica quibus conferenda. ſeq.
Beneficia humano generi quanta per Chriſtum ſint prærogata. 427.3.48. & ſeq. diuina humano nequeunt explicari eloquio. 430.3.26. Deus nemini ex debito confert. 434.1.34
Beneficiorum à Deo impetratio. 6.1.51. corporalium conſideratio. 31.2.53. Dei neminem eſſe expertem. 98.1.34. homini à Deo collatorum enumeratio. 304.1.45. & ſeq. Dei erga genus humanum deſcriptio. 406.1.18
Blanditiarum origo. 92.3.6
Bonitas Chriſti affluentiſſima atque excellentiſſima. 372.4.25
Bonitas Dei immenſa. 355.4.1
Bonitas diuina quid ab omnibus requirat. 6.3.20. in homine vnde commendetur. 141.2.52
Bonitas argumentum inſigne. 186.4.5
Bonitas diuinæ excellentia, quæ verbo reuelante cognoſcitur mira & iucunda diſpenſatio ſaluti humanæ prorſus neceſſaria. 54.2.38. Dei erga peccatores deſcriptio. 46.1.18
Bonitatis proprium. 124.4.35
Bonitatem diuinam plenius amore, quàm timore capi. 71.1.35.ad reatus indulgentiam, cur multi facillime poſſe flecti iudicent. 427.2.11. & ſeq.
Bonitatem, corporis oculo non inſpici. 100.4.14
Bonus, malorum euitat conſortia. 162.1.29
Bonus cum malis nemo ſecurè habitat. 194.2.48
Bonus & malos diligendos eſſe. 81.1.24
Bonum qui ſe intuetur facere non poſſe quod vult, non deſperet, ſed pugnet. 97.3.35. infra & ſupra nos collocatum. 109.2.30. vbi reperiatur ibid. & malum, qui ſibi inuicem communicent. 118.2.18.iucundiſſimum. 364.2.42
ex boni appetitu, quàm multa homines ſubierunt pericula. 92.2.51
Boni & mali ignorantia. 119.1.37
Boni ſemen in impio ſuffocari poteſt, extingui non 413.3.5.& ſeq.
Boni ſublimitas vnde commendetur. 193.1.38
Bonum duplex hominibus Deus præparauit, primum præſtitit, ſecundum promiſit.336.1.32. aliquod non bene agi. 410.1.50
Bona omnia terrena Chriſtiano eſſe contemnenda. 26.1.18
Bona quæ rectè intelligimus, an implere valeamus 285.1.55
Bona à Deo, mala à nobis. 394.4.6
Bonorum conuerſatio ſemper malorum perſecutiones pertulit. 233.4.53. omnium fundamentum.7.2.3.finis.16.3.3. retributio, in præſenti ſeculo, nullo modo perficitur. 322.1.7
Bonis temporalibus qui gloriatur, damnabiliter ſe extollit. 286.3.20

C

CAeci in Eccleſia qui. 391.1.22
Cæcitatis genus peſſimum. 128.4.3
Cæcitatis ſpiritualis indicium maximum. 384.3.37
Cælum quibus dominus largiatur. 294.4.58
Cæli porta. 92.2.14
Cæli ſcala. 376.2.36
Cælorum ianua. 161.2.38
in cælorum regione quis beatior. 86.4.17
Cælorum regnum quibus proueniat. 7.3.8 cui pateant. 16.2.2. corporaliter ſecreta qui penetrarint. 230.2.53
Cæleſtis aula quos ſuſcipiet. 10.4.44. gratia, ſola hominis malitia propulſatur. 61.3.30. patriæ ſtatum in congregationibus Deo dicatis, & vniformiter viuentibus perſpicue elucere. 56.4.44
ad cæleſte regnum via facillima & optima
Cæleſti benedictione indignus. 45.3.8. gloria indignus. 63.4.21
in cæleſti honore maior. 7.2.44
Cæleſtia qui facile amittant. 92.4.40. gaudia, quanta ſint ignorari. 95.1.33
ad cæleſtia qui læto ſemper animo tendat. 96.2.4. an quis mortalium in hac vita eleuetur. 381.3.14
Cæleſtium ſecretorum arcana quis attingat. 93.1.32. cognitio. 312.4.13. bonorum qui cupit eſſe particeps, Deo obediat. 405.1.24
Cæremoniarum legalium efficacia. 404.1.10. multifarius vſus cur ſit in Eccleſia inſtitutus. 362.2.20
Calamitatis futuræ certum indicium. 24.3.11. humani generis origo. 287.3.24
in calamitate æterna miſerior. 163.3.37. calamitates an à Deo irrogentur. 472.1.11. & ſeq. narrantur vitæ Chriſti à conceptionis exordio ad ſpiritus emiſſionem. 471.3.43. & ſeq.
Calculus candidus. 156.2.14
in campo dominico cur ſimus conſtituti. 225.2.41
Chananeæ mulieris fidei commendatio. 9.2.3
Canes muti. 250.1.48
Cantica ſub verborum cortice arcana habere ſacramenta. 72.3.24. & ſeq.
Captiuo nemo miſerabilior eſt illo, qui arbitratur ſe eſſe liberum. 345.2.39
Caput cur cætera corporis membra naturali nobilitate ſupereminent. 238.4.1
Charitas vnde oriatur, & quam ſit neceſſaria. 16.2.20. propter ipſius effectus quàm ſit ad ſalutem neceſſaria. 16.3.35. quanto ſit cæteris virtutibus commendabilior ibid. quid ſit. 20.3.49. cum auro confertur. 127.4.19. Dei vbi oſtendatur. 394.2.54. deſcribitur. 162.2.34. erogata detrimentum non patitur. 140.3.28. quibus exercitationibus proficiat. 21.1.20. & fides funiculus triplex. 153.2.7. filios Dei à peccatoribus diſcernit. 17.2.20. in nobis erga Deum quibus prouocetur vnde generetur. 120.2.7. hominem Deum facit ſacra atteſtante ſcriptura. 393.4.40. incipit à ſeipſo explicatur. 437.2.54. interpretatur. 286.4.54. meritis non interpretatur, ſed gratis à Deo datur
ſancta ex ſui dignitate, cur alias virtutes præcellat. 261.3.12. cur pauciſſimis communicetur. 17.1.13. in Spirituſancto vnde oriatur. 158.3.19. quàm ſit vtilis. 17.2.11
Charitatis abyſſus. 95.4.28. affectibus aſſueti conditio. 477.4.34. & ſeq. actus votis inferior. 329.1.15. affectus duplices. 254.1.36. alimenta. 49.4.43. amicæ dux. 15.1.51. amiſſæ reparatio. 41.2.32. commendatio. 21.1.1. & 323.3.32. conſummandæ impedimenta. 257.1.33. conſummatæ fructus. 177.2.14. regula ibid. Dei augmentum. 431.1.51. erga genus humanum profunda myſteria. 252.4.13. & ſeq. perfectio. 127.1.15. ſigna. 20.2.5
Charitatis diuinæ indicium. 13.4.25. meditatio. 131.4.19. profuſio vbi clareat. 279.2.34. ſacroſancta commercia. 239.2.5. ſignum præclarum. 322.1.9. certum teſtimonium quid exhibeat. 122.2.26
Charitatis deſcriptio. 203.4.21. diffinitio. 16.3.13. diuitiæ diuinis hiſtorijs figuratæ. 101.4.46. domini Ieſu immenſe præclarimma teſtimonia. 369.4.50
ſine charitatis dono, an quis poſſit obtemperare domino. 150.3.57
Charitatis dulcedo quando præfocetur. 140.1.57. exemplar. 17.2.32. excellentiæ commendatio. 456.3.52. flamma beata. 261.2.56. myſteriorum notitia vnde ibid. flamma vbi eluceat. 385.2.22. fortitudo. 17.3.15. fraternæ commendatio. 121.1.5. diruptor. 315.1.34. æmulator. 255.2.46
Charitatis incendium quàm tepeat. 190.1.18. incendio quando cor concremetur. 257.1.51. indicium. 429.2.9. internæ in proximum affectio. 54.1.57. latitudo. 357.2.33
Charitatis lex, quæ tempore gratiæ per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum eſt data fidelibus. 404.2.22
ad charitatis & gratiæ legem implendam aptior 404.2.20
Charitatis legitimæ regula 253.3.25. norma 257.2.22. cum patre comparatio 17.4.20
Charitatis perfectæ argumētū 74.2.6. ignis 128.1.49 probatio ibid. ſigna & operationes 21.1.20. nuptiali indumento veſtiti conditio 246.3.14
Charitatis perfecto 21.1.25. præceptum 17.3.50. præconia 66.4.53. & ſeq. præluda 281.1.39. prærogatiua 197.4.50
ſub charitatis prætextu qui ſeducantur 79.3.39
ad charitatis profectum exemplum efficax 298.4.13 regula 122.1.1. ſalubre adminiculum 160.4.56. ſanctæ incrementa 142.2.18. terminus 23.1.36
Charitatis ſcutum impenetrabile 143.2.46. ſeruandæ mandatum 140.1.12. omnibus fidelibus inſigne exemplum 142.1.5
ſub charitatis ſpecie multos ſeduci 81.1.54. ſpeculum 161.2.35. ſublimitas 477.2.53. ſyncerææ indicium 270.4.1. veſtimentum nuptiale 17.4.5. vinculum 17.4.2. in quo nihil ſit proprium 118.2.17. virtus ex virtuoſis progreſſibus, quàm luculenter eluceat 17.3.43. quanta bona operetur in homine 424.1.34. virtutis fructus 477.2.43. vnitatem ſeruandi modus 256.3.35. zeli exempla 385.1.48. zelo immoderato, cordis immunditiam quàm plurimos amiſiſſe 108.4.1.7. zelatorum prudentia 61.4.30
Charitatem cœleſtem in ſe quis occidat 66.4.24. quid ſuffocet 115.1.12
à charitate legis obſeruatio non ſeparatur 255.2.34
ſine charitate alijs prodeſſe, nobis verò minime poſſumus 394.3.36
Carmina diuina attenta intentione ſunt ruminanda 72.3.35.
Caro contra ſpiritum, cur ſine vlla pacis concordia pugnet

pugnet. 315.2.32
Carnis amor pernicioſus. 53.2.54
Carnis concupiſcentiæ an in Paulo viguerint. 235. 1.35. corruptæ proprium. 235.3.2. deſideria ſectantes pacem ignorant. 153.4.46
Carnis gloria, & excellentia poſt reſurrectionem. 83. 1. 13. incentiua totaliter propulſari à perfectis nequeunt. 455. 3. 21. lenocinia quomodo ſuperanda. 235. 3. 37. & ſeq. natura nulla ratione odio habenda. 54. 3. 23. naturam quis immutet, eiusque voluptates mortificet. 87. 3. 37. oblectamenta repudiantium ſtatus. 44. 2. 50. operibus cur quiſque facilius afficiatur quàm ſpiritus. 390. 3. 52. petulantiam domandi ratio. 260. 1. 57. prudentia. 115. 2. 56. & ſeq. ac ſpiritus dirum certamen. 234. 4. 16. & ſeq. & ſpiritus ſeparatio terribilis. 213.4.50
Carnis cum ſpiritu pugnæ origo. 87. 2. 35. & ſequen.
Carnis ſubſtantiam non eſſe negligendam. 82. 1. 34. & ſeq.
ſub Carnis velamine cur Dei ſapientia munera ſpiritus celare diſpoſuerit. 54.3.3
Carnis vitia quomodo extinguenda. 39.1.18
Carnis voluptatibus deditorum in die iudicij ſententia. 343.1.9
Carnem humanam cur Deus aſſumpſerit. 406. 2. 40. & ſeq.
Carnem ad miniſterium ſpiritus eſſe accommodandam. 87.3.33
contra Carnem pugnaturi munimenta. ibid.
Carnem poſt reſurrectionem totam ſpiritualem effectam iri. 83.1.40
Carnem ſpiritui quid ſubigat. 110.3.30
Carnem contra ſpiritum quid rebellare faciat. 11. 2.15
Carnalis amor. 142.4.56
Carnalium paſſionum antidotum ſingulare. 345. 3.42
Carnalia vitia quomodo extinguantur. 10.2.50
Caſtimoniæ exempla. 385.2.3.& ſeq.
Caſtimoniæ gradus. 11.4.44
Caſtitatis commendatio. 376. 4. 32. cuſtos. 420.3.53
Caſtitatem quibus modis valeat homo incorruptam cuſtodire. 11.3.17
Caſtra Dei. 313.2.19
Caſtra pugnantium ſpiritualia. 341.3.3
Caſus commendabilis. 114.3.55
Caſus in homine origo. 272.1.34
ad Caſum habilis decipula. 281.4.4
ad Caſum quod diabolus præparat, Deus ad triumphum quomodo vertat. 65.4.46
Cathedræ non deſiderandæ. 366.1.52
Cathedras officij paſtoralis optare eſt imprudentiſſimum. 470.1.10
Cayphæ malignitas. 196.3.40
Cellæ commendatio. 322.3.6
Certamen ſpirituale conflictui viſibili aſſimilatur. 46.1.10
Certamen ſpirituale deſcribitur. 386.1.53
Certaminis inuiſibilis imago. 240.3.42
in Certamine ſpirituali diaboli aſtutias non ignorare vtile. opportuna regula. 243. 1. 51. quibus rationibus ſpiritus humanus roboretur. 98.3.30.& ſeq.
ad Certamina ſpiritualia viros perfectos callide à diabolo obſeruari. 65.4.50
Certantium robur. 52.1.8
Certantibus in vitæ huius ſtadio vtile refugium. 258.4.16
Chananæorum reliquias in medio Iſraelitici populi cur dominus habitare voluerit. 471. 1. 51
Chariſmata ſpiritualia quæ ſapientiæ amatoribus prærogantur. 152. 2. 20. cur nobis à Deo impertiantur. 475.2.30
Cherubim. 117.4.54
Chriſtus ad nos quotidie quomodo accedat. 112. 3. 21. in Caluariæ monte cur fuerit glorificatus. 336. 2. 14. vbi commorari delectetur. 258. 3.41 conſpuatur ſpiritualiter quando. 205. 3. 2. in cruce irriderur, & maledicetur. 212. 1. 4. crucifigitur. 209. 1. 15. Deo ante ſecula Deus coæternus. 8. 3. 47. Deus patri coæternus. 325. 2. 52. dux noſter quàm peritè contra Rectores tenebrarum ſuas acies direxerit. 245. 2. 4. Eccleſiam quantum diligat, ex conſideratione vnionis carnis & ſpiritus euidenter elicitur. 52. 3. 27. in horto. 188. 3. 17. in ligno cur pependerit. 269. 4. 20. humanæ miſeriæ condolere, quomodo didicerit. 103. 3. 46. in humanitatem qualiter venerit. 258. 1. 17. ligatur ac cæditur. 204. 2. 10. irridetur ibidem incolatus ſui tempore quid præmonſtrauerit. 141. 3. 13. Ieſus quando vocatus ſit. 263. 1. 15. cui ibid. paſcit & paſcitur. 339. 4. 3. an patrem & matrem reliquerit, vt ſponſæ ſuæ adhæreret. 180. 3. 10. in ſacramento an ab omnibus ſumatur. 134. 4. 49. tentari cur ſe permiſerit an timuerit naturaliter. 4. 3.33. quos ad ſe trahat. 141.1.17
Chriſti amor. 150.2.19
Chriſti in nos amoris vehementia. 269. 3. 57.& ſeq. amore nihil dulcius. 95. 4. 22. baptizari, prædicationis, à diſcipulo traditi, ſpinis coronandi, illuſionis, crucifixionis, felle potati, mortis, reſuſcitati, aſcenſionis teſtimonia. 275. 3.11. & ſeq. caro carnaliter manducata non prodeſt. 286. 4. 18. in cœlum aſcenſio. 230. 2. 43. corpus de cruce deponitur. 218. 2. 46. in cruce cruciatus. & immania ſupplicia. 409. 4. 42. Dei & hominis excellentia. 459. 2. 48. & ſeq. dilectio vnde probetur. 162. 2. 49. ante mortem ad diſcipulos exhortatio. 144. 4. 40. fratrem hominem, quid efficiant. 27. 1. 12. gaudium. 370. 2. 56. generationis ſacroſanctæ ineffabile æternumque myſterium, quibus detur contemplari. 258. 1. 23. gratiæ & ſapientiæ plenitudo, eiuſque & Eccleſiæ ſpiritualis copula. 102. 4. 1. humanitatis diuerſorium. 258. 2. 1. humilitatis commendatio. 40. 3. 10. & ſeq. in Chriſti ludibrio quanta lateant myſteria. 205.1.43.& ſeq.
Chriſti natiuitatis loci deſcriptio. 37.2.10
Chriſti paſſionis cauſa. 270. 3. 40. meditatio. 8. 4. 35. paſſionem meditantium triplex ſtatus. 58.1.25
Chriſti Saluatoris noſtri paupertas. 35.3.1
cum Petro colloquium. 143.4.10
Chriſti pulchritudo, poteſtas, ſapientia, diuitiæ, regni moderamina, familiaritas. 150.2.20. amoris vtilitas ibid. fructus ibid. & eccleſiæ ſacramentum. 53.4.6. ſagittæ, quibus aduerſarium transfixit. 96.2.21
Chriſti ſcientia & ſapientia. 103. 3. 53. ſerui qui circa quæ mentis ſuæ principaliter dirigere debeant intentionem. 61. 2. 4. ad tartaream inferi manſionem deſcenſus. 219. 4. 40. & ſeq. veſtimenta diuiduntur. 211. 1. 31. vitæ in terris fructus. 10. 4. 29. decurſus enarratio. 472.4.23.& ſeq.

Chri-

Chriſto famulantibus meditationes neceſſariæ. 75.3.8
Chriſtum pro nobis, non tamen ſine nobis, contra ſpirituales nequitias inire certamen. 68.2.14
Chriſtum concipere, parturire, nutrire qualiter debeamus. 258.3.28
Chriſtum Deus ſine tempore genus. 8.3.47. Iudæi cur occiderint. 4.3.51. in paupere nemo deſpiciat. 226.1.30
Chriſtum ſemper perſecutum fuiſſe ſub ſacramenti accidentibus totum eſſe. 77.3.6. dentibus non atteri. ibid.
Chriſtum ſequi, virtutibus etiam inſignes qui nequeant. 260.4.10. ſequi paruitatis humanæ ſupereminet facultatem. 428.4.10. ſequentium dimicandi genus proprium. 300.2.37. ſequentium re non nomine opera. 340.4.31
à Chriſto qui adiuuentur. 7.3.36. qui magis commendetur. 56.3.23. qui excludantur. 150.4.49
Chriſtiani titulo quàm multi. 343.2.52
Chriſtiano ſine orationis munimine nihil agendum. 46.4.38
Chriſtianorum doctrina. 245.1.15. fructus. 340.3.20. & ſeq. per totum. hæreditas. 100.2.46. re & nomine regula. 417.3.46. prælia duriſſima. 10.2.57. in hac peregrinatione viaticum. 347.1.35
Chriſtianis militum induſtriam eſſe imitanda. 56.1.14
Chriſtianæ perfectionis, quanta ſit autoritas. 332.4.30
Chriſtianum nomen qui fruſtra ſortiatur. 11.1.18
Chriſtianitatis excelſa profeſſio. 142.3.39
Cibus ſpiritualis. 374.4.47
Cibi repletio quæ mala adferat. 396.3.32
poſt cibum magnam eſſe adhibendam ſui cuſtodiam ne ſupereffluat mens. 78.1.3
Ciborum abundantiæ refectio. 445.4.14. exquiſitorum voluptatis mala. 406.3.1. fercula arte compoſita quibus prohibita. 466.2.50
Cibis an vtentur in vita beata Sancti. 393.3.17
Circunciſio perfecta. 262.4.7. & ſeq. vera, atque futura ibid. cur octauo celebrari mandatur. ibid.
Circuncidi cur Chriſtus dignatus ſit. ibid.
Ciuitatis ſupernæ gloria. 92.1.35. & ſeq.
Ciuitates per angelos regi. 117.3.16. poſſidere & caſtra, dona ſunt Dei. 370.2.30
Clarificationis Chriſti exordium
Claritatis Dei emanatio ſyncera. 116.3.40
ad clauſtrales viros ſermo. 421.3.14
Clauſtri commoda. ibid.
Clementiæ diuinæ beneficium ſingulariſſimum. 418.4.27
in clero qui non miniſtrare, ſed dominari volunt, raptores & tyranni ſunt. 367.2.15
Clericorum, ad debellandum vitia arma. 352.4.57
in codicibus diuinis omne quod patet & quod latet qui teneat. 16.4.17
in Cœnaculo quid actum fuerit. 179.1.15
Cœnobia quibus ex cauſis ſint conſtructa. 419.1.25. quorum exemplum inſtituta. 62.4.51. in quem finem conſtructa. 50.4.35. multa, non Sanctorum habitacula, ſed dæmonum ſpectacula. 421.1.52
Cœnobitarum collegia vnde emanarint. 248.1.37. loca cur ſint inſtituta. 317.4.43. inſtitutionis commendatio. 322.1.57. & ſeq.
Cogitatio ad domandam carnem perutilis. 39.2.43
Cogitatione vana iuſtos, & ſanctos pollui. 120.1.7
Cogitationes eruditæ. 438.1.58. ſine intellectu. ibid. noſtræ vbinam ſint ponderandæ. 141.1.37. neglectæ igniculo non extincto aſſimilantur. cur peccatorem in conſcientiæ ſecreto accuſent. 405.4.57
Cogitationes extra ſe vagari qui rariſſime patiantur. 457.2.10. hominum an Angeli ignorent. 290.2.9. in animo cur verſemus multiplices. 92.1.21. humanas inter & diuinas differentia. 98.3.34. noxias quis ad plenum deuitet. 110.1.32. prauas quid remoueat. 40.1.2
Cogitationum caſtarum origo. 38.3.44. diſcernendarum regula. 439.2.2. immiſſiones, qualitates, & cauſas intelligere, quanti ſit momenti. 439.1.53. & ſeq. inſultus quomodo abigendi. 438.1.38. & ſeq. origo, qualitates, auctor. ibid.
Cogitationum primordia diligentiſſime obſeruanda. qualitates diſcernere, quàm ſit Chriſtiano vtile. 470.2.24. voluptuoſarum tabes. 119.4.27
Cogitationibus ocioſis omnes obnoxios eſſe. ibid. voluptuoſis, noxijs, inutilibus, leuibus, irrationabilibus legem imponere, quàm ſit vtile. 469.2.47
in Cogitationibus ſuis qui decipiantur. 70.1.8
Cognitio Dei. 15.3.36
Cognitio ſui quanta ſecum adferat commoda. 437.2.40. & ſeq. vnde emergat. 416.2.41. quàm ſit ad ſalutem neceſſaria. 435.1.20. & ſeq.
Cognitio præſentis peregrinationis omnibus ſaluandis opportuna. 255.1.42. & ſeq.
Cognitio vera ſui, in quo conſiſtat. 120.2.1
Cognitionis diuinæ conſideratio vbi repoſita. 123.2.31. diuinæ diſciplinæ. 257.2.22. naturalis, & accidentalis diuiſio. 5.3.50
Cognitionis propriæ perfectio, ex quibus conſiſtat. 437.4.18. & ſeq.
Cognitioni ſpirituali, ac diuinæ quis habilior. 167.1.3
ad ſe Cognoſcendum compendioſa formula. 439.2.4. & ſeq.
Cognoſcere ſeipſum. 382.4.28
Collegia Chriſto famulantia, quorum exemplo inſtituta. 62.4.52
in collegijs Deo dicatis moderatè modeſteque cum proximis propter multa, quæ in eiſdem conuerſationibus eueniunt pericula, conuerſandum eſſe. 80.3.40
In Collegijs ſeruorum Chriſti aſſiduam, & priuatam conuerſationem interdicendam eſſe. 81.2.31. & ſup.
Colles lac, & mel quando fluxerint. 258.2.24
Colloquiorum humanorum deſcriptio. 466.2.7
Comeſſationum principium. 92.3.10
in Comeſſationibus quæ deteſtanda. 79.1.4
Commercium ſpirituale. 364.2.43
Commilitoni Chriſti corona. 442.3.11
Commodi & incommodi ignorantia. 119.3.7
Commodo proprio qui ſe priuent, vt cæteris proſint. 102.4.40
Commoda priuata, iura dilectionis ignorant. 96.4.41
Commutatio beata. 360.3.43
Compaſſio quid. 16.1.23

Compun-

Compunctio de proprijs facinoribus recta non eſt noſtri arbitrij. 416.2.27
Compunctionis veræ notiſſima indicia. 210.1.38
Compunctionis & complanctus Chriſtianæ perfectionis initium. 247.4
Conceptionis noſtræ conſideratio. 41.4.13
Concionatoris officium. 392. 2. 10. quanta debeat eſſe ſufficientia. 450.4.34. ſolicitudo ibid. veri efficacia. 491.4.2.& ſeq.
Concionatorum in die iudicij examen. 392.2.14 ſub compendio regula. 308.3.22.& ſeq.
Concupiſcentia hominis originaliter, & formaliter, vbi maneat. 235.2.20
Concupiſcentiæ fomes an in pueris etiam vigeat. 337.1.18. humanæ nullus eſt finis. 327.2. 16. luctus quæ per fidem ſuperatur. 239. 4.2. turpitudinem præcedentia & conſequentia. 10.3.28
Concupiſcentiam quid edomet. 99.4.5
ſine concupiſcentia an aliquis viuat. 168.4.18
Concupiſcentiæ. 189.4.38
Concupiſcentiarum in carne procreatarum conſideratio. 68.2.22. fons. 120.1.18. germen vnde excreuerit. 234.4.49. multa genera ibid. motus quomodo reprimendi. 91.2.18. riuos quid reſtringat. 1.4.22
Concupiſcentias quid frænet. 39.4.58
Concupiſcentijs carnalibus mortificatis, quàm congruum ſit corpus prudenter diſcreteque tegere, & qui hoc negligunt in plurimas contrarietates decidere. 11.4.10.& ſeq.
Concupiſci, quod non licet, intueri nequaquam licet. 317.1.25
Concupiſcibilem hominem cur Deus fecerit
Concupiſcibilium multiplices ſpecies. 168.4.27
Condemnationis vel abſolutionis ſententia aduerſus ſingulos ante reſolutionem corporis, an à Deo proferatur. 65.1.30
Conditio nulla à legis obedientia ſecernitur. 255. 2.18
Conditionis humanæ deſcriptio. 321.4.37. & ſeq. propriæ gnarus. ibid.
Conditoris beneficia in creaturis quanta eluceant. 361.2.20. noſtri mira charitatis effuſio. 141.4.52. donum præcipuum. 233.4.22. ſpeculum valde lucidum. 304.4.1
Conditorem quid negare faciat. 27.4.18
Contra conditorem ſuperbire quid ſit. ibid.
Conditorum à Deo conditio. 259.4.24
Confeſſio qualis eſſe debeat. 77.1.11. non omnis fructuoſa. 416.2.51. qualis eſſe debeat. ibid. an ſit ad ſalutem neceſſaria. 353.1.44
Confeſſionis commendatio. 110.2.32. commoda. 76.4.45. delictorum præconia. 399.3.35. humilis vtilitas. 115.4.6. veræ merita. 416.2.54
Confeſſionem debere eſſe ſpontaneam. 77.2.8
Confidentia aduerſaria,& præſumptuoſa. 29.4.18
Confidere de ſe quàm fatuum. ibid.
Confitendi modus à cunctis ſeruandus. 465. 2. 3. & ſeq.
Confitendi peccata modus. 416.4.13
Conflictus interior. 232.1.16
Conflictus ſpiritualis. 424.1.30
Confuſum nihil reperiri quod Deus creauerit. 129 2.20
Connubij Chriſti,& animæ explicatio. 137.2.18
Connubij ſacri veneranda commercia, quæ nemo ſcit, niſi quem experientia magiſtrum fecit. 341. 1.47
Conſcientia quid. 273.2.58
Conſcientia perturbata. 331. 3. 34. & ſeq. erronea. ibid. obliqua. ibi. damnabilis. ibid. recta. ibid.
Conſcientia, & ſcientia ſibi inuicem famulantur 331.2.40. robur. 44.4.51
Contra conſcientiam qui facit, ædificat ad gehennam. 64.3.16
Conſideratio interior triplex, per quam ad propriæ infirmitatis clarè deuenitur notitiam. 1.18. 1.50
Conſiderationis noſtræ, tum ex parte corporis, tum ex parte animæ vtilitas. 41.4.7
Conſiderationis vis, effectus,& vtilitas. 14.1.45
Conſilij ſpiritus in Chriſto efficacia. 287.1.25
ad conſilium præbendum qui idonei. 326.4.20
Conciliorum Chriſti qui cupit eſſe ſectator, qualis eſſe debeat. 337.2.50
Conſiliorum euangelicorum authoritas. 332.4.36 iter eſſe initiandum. 472.2.44
Conſilijs quorum nos committere debeamus. 88. 2.53
Conſilijs vtilibus ſemper parendum. 79.4.5
Conſolatio integra. 29.4.54
Conſolationis diuinæ participes. 301.4.56
Conſolationis corporalis indeſinens abdicatio. 15. 3.20
Conſortia in diſciplinatorum deuitanda. 195.3.40
Conſtantiæ habitus, & diſcretionis lumen, vnde exoriantur. 136.2.21
Conſuetudinem ſemper ad id quod reliquit, reflecti 97.4.8
Contemplatio ſolitudinis ſecretum diligit. 277.2 52
Contemplationis commendatio. 73. 4. 47. genus dulciſſimum. 124.1.20. gradus. 48.3.20. primus. 123.1.11. ſecundus ibid. tertius ibid. quartus ibid. quintus ibid. orationis finis. 48.3.20. gradus diuerſi, quibus animus ad ſummæ Trinitatis notitiam ducitur. 123.1.11.& ſeq.
ad contemplationis montem acceſſus. ibid.
Contemplationis oculus. ibid.
Contemplationis veræ ſigna. 312.4.28
Contemplationi cœleſti vacandi ratio. 191.2.5
Contemplationi contraria. 46.2.3.& ſeq.
Contemplationi ſine præcedente verbo, an quis vacare poſſit. 141.1.20
ad Contemptores, vt ad correctionem redeant, admonitio. 303.2.1.& ſeq.
Contemptorum Dei, & deriſorum ſupplicij tempus. 56.1.47
Contentio, diabolicum figmentum. 66.4.45
Contentionis incommoda. 66.4.11.& ſeq.
Contentioni vacare malum peſſimum. ibid.
Contentiones qui difficile euitent. 234.2.36
Contentioſi mala. 66.4.18
Continentia quæ quàm optimum præbet adiutorium homini, vt in priſtinum reformetur ſtatum, vnde per peccatum ceciderat, locum in ordine fructuum ligni vitæ poſſidet primum. 9. 3. 31.& ſeq.
Continentiæ commendatio. 376. 4. 32. exempla. 385.1.33. diffinitio. 10. 1.13. virtus ex quibus clareat ibid. inimica. 11. 4. 10. gradus & perfectio ibid. finis ibidem
Continentiam quibus modis valeat homo incorruptam cuſtodire. 11.3.8. tenere qui non valebit. ibid.
Contraria an vniri poſſint. 53.3.46
Contrectationum obſcænarum exordium. 91.3.6
Contritionis efficacia. 15.4.53
Contumacia hominum redarguitur. 376.2.19
ad Contumeliam acclamanti victoria quæ ſit. 25. 1.34
Contumeliarum ſuſtinentiæ vtilitas. 42.36

Digitized by Google

Conuerſatio Deo grata. 81.3.34
Conuerſatio incompoſita in publicum deducta, quantum noceat. 234.3.12
Conuerſationis laudabilis adiutorium. 77.3.41
in conuerſationibus proximorum innumeros caſus latitare. 80.4.5
Conuerſis noniter ſpiritualium guſtus delectationum neceſſarius, propter quod debent introduci ad vitam, & paſſionem Chriſti meditandam. 58.1.25
Conuiuentium vinculum. 95.4.32
Conuiuium iuge. 468.1.56. magnum, in toto terrarum orbe diffuſum. 289.3.3. nuptiale. 179.2.57. ſacroſanctum. 416.1.44
ad Conuiuium quos Deus inuitet. 92.2.11
ad Conuiuium cœleſte qui admittentur. 111.3.29
ad Conuiuium nuptiale cur cæci, & claudi introire cogantur. 279.3.7
à Conuiuio dominico qui ſegregentur. 291.1.29
Conuiuia duo nuptialia, in quæ non niſi per Chriſtum fidelis omnis ingreditur. 415.2.4
conuiuia læta vnde ſumpſerint principium. 91.3.11
Cor humanum quibus diſſoluatur, & recolligatur. 35.1.25
Cor humanum peccatorum tenebris inuolutum Dei ſecreta rimari non poteſt. 63.1.42. an inſerutabile ſit ſpiritualiter iudicantibus omnia. 469.2.30
Cordis adita duplici teſtimonio patere. 160.4.16 oſtium ibid. affectus in amati præſentia, leges non ſeruat. 84.4.31. attentis ſignum notiſſimum. 72.3.45. auditor non vocis eſt Deus. 46.3.45. contritio ad promerendum veniam efficax. 416.2.14. ſola contritio, ad reconciliandam animam Deo, ſine oris confeſſione an ſufficiat. 416.3.28. cuſtos. 438.1.16. cuſtodiæ vacantium conditio. 471.3.34. & ſeq. elati proprium. 434.3.40. ficti humilitatem opetientis opera. 125.2.22. & ſeq. amiſſam gratiam quid reparet. 110.2.28
Cordis greſſus non minus quàm corporis coercendi ſunt. 322.3.4. habitaculi interioris ornamenta. 110.4.21. impœnitentis ſupplicia. 303.3.35. & ſeq. erga Deum ingrati indicium. 77.2.9. lætitia cui debeantur. 71.3.52. mala. 110.2.8. motus conſideratio aſſidua, quanti ſit pro momenti. 470.2.23. munditia ſola, nos Deo amabiles reddit. 82.3.54. munditia vnde nutriatur. 190.1.10. quomodo poſſideatur. 225.3.3. vnde proueniat. 247.1.40. quid ſit. 323.2.23
Cordis mundinæ vtilitas. 20.3.15
ad cordis munditiam percipiendam optimum medicamentum. 110.1.44. lumen ſpirituale quàm ſit neceſſarium pie volentibus viuere. 467.3.58
ex cordis munditia quanta bona proueniant. 468.1.55. cordis natura 261.2.51. oculum ad Deum qui fruſtra erigat. 45.2.5. oculos quid claudat & reſeret. 237.1.23. ornamentum ſpirituale. 110.2.56. in proximum pietas. 54.1.41. ſimplicitas & duplicitas. 33.2.54. teſtimonium. 90.4.50
Cor impollutum ſeruare, quàm ſit vtile. 468.4.53. cuſtodire. ibid.
ad cor hominis Deus quomodo loquatur. 243.3.9
in corde cuius Chriſtus habitet. 333.3.30
Corde deuiantium itinera. 243.1.2
Corde humano nihil incomprehẽſibilius. 202.1.15
ex corde mors & vita. 403.1.54
Corde ſentiri quædam quæ ore non poſſint proferri. 93.1.25
Corde ſimulato gradientes an diu latere valeant. 208.3.12
in corde quod dulciter verſatur frequenter ex ore profertur. 224.1.57
Cordium dilectio inuiolabiliter ſeruanda. 142.1.21 iudicia Deo ſunt reſeruanda. 313.4.47. ſecreta quibus indicijs noſcantur. 160.4.6. corda audientium loquendo quis transfigat. 161.1.32. non corpora, affectum animi, non linguæ motum pſallentium requirit omnipotens. 72.3.8. huius ſeculi princeps quibus excæcauerit. 86.4.40
Cornelij fidei commendatio. 9.2.20. cornelij gentilis opera. 408.2.50
Corpus Chriſti indigne ſumentium pęna. 306.1.10 ſpiritualiter quotidie manducandum eſſe. 307.3.20. in cæna quomodo comederint Apoſtoli. 184.3.10. humanum cætera creaturarum corpora dignitate præcellere. 81.3.56. infirmari quibus de cauſis dominus permittat. 24.4.35. & ſeq. myſticum cur Deus habere voluerit. 369.1.20. & ſeq.
Corpus an idem numero ſit plurimis in locis. 134.3.16
Chriſti non phantaſticum fuiſſe vnde probetur. 262.3.35. Chriſti in Sacramento Euchariſtiæ an tangatur. 134.3.8. corpus ſuum in Sacramẽto, an nobis Deus in cibum præbuerit. 305.3.6. Chriſti omnes qui ſumunt, an manducent. 134.4.52
Corporis Chriſti membra. 369.1.1. Chriſti ſacramenti commendatio. 76.4.37. glorificati natura. 227.1.10. humani contemplatio. 116.2.20 Cuncta membra actuum ſuorum reprehenſibiles motus habere. 69.1.33. membrorum mutua officia. 54.1.6. copula, amor, vnitas ibid. noſtri miſeriæ conſideratio. 42.2.12. mortalis ſarcinæ laborioſæ incommoda. 471.3.16. myſtici Chriſti membra ſpiritualia omnia, declinaſſe. 249.2.12. paſſiones abſtinentia edomat. 96.1.43. reſolutionem concupiſcentibus quid contemplandum. 93.4.47. reſurrectio. 338.2.34
de Corporis poſt reſurrectionem beatitudine. 87.3.50. & ſeq.
Corporis ſenſus ſalubriter coercendi. 312.4.47
Corporis ſpiritus. 368.2.46
Corpori Chriſti myſtico, quomodo copulemur. 479.4.41
aduerſus Corpus proprium decertare, virilium eſt mentium. 395.2.50
Corpus à viuificante ſpiritu eſſe alendum. 82.2.15
Corpus noſtrum in vtero Deus, non mater format. 304.2.5. ocio deditum, aquæ putreſcenti aſſimilatur. 471.1.9
de Corpore exire ſecure cui detur. 16.2.3
Corpore infirmi, qualiter tractandi. 377.2.30
Corpora cœleſtia, ac terreſtia, qualiter iuſſa diuinæ perficiant. 407.2.6. & ſeq.
Corporum moleſtiæ quomodo ferendæ. 25.1.40
Corporaliter quandiu homo viuit, etſi omnium criminum ſe fecerit reum, reſurgendi tamen in ſpiritu, ſibi à Deo indicta eſt fiducia. 355.2.45
Corporaliter viuentes coram Deo in ſpiritu mortui. 386.3.21
Corporalis Chriſti præſentia, an ſit in Sacramento. 135.1.6
de Corporalibus ſpiritualia elicienda. 138.3.56
Corporeis ſenſibus an Deus pateat. 129.3.22
Correctio quæ vis, non odij, ſed dilectionis eſt indicium. 321.4.55
in Correptione magna adhibenda eſt prudentia. 190.2.21
qui Corrigantur difficile. 345.3.56
Crapulæ incõmoda. 38.3.35. mala. 445.4.19. & ſeq.
Creatura quæ vis, ſiue terrena, ſiue cœleſtis ſibi ipſi non ſufficit. 327.2.38

Creaturæ

Digitized by Google

Creaturæ conſideratio 31.3.5
Creaturæ rationalis prudentiſsimus ordo 155.4.11
Creatura hominē plus allici, quam creatore 95.1.30
Creaturæ Dei quibus nociuæ 39.1.36
Creaturæ omnes ſibi iniunctū homini exhibent miniſterium 109.4.33 & ſeq.
Creaturarum cuilibet iuxta ſpeciem ſuam, particularia dona conceſſa 99.2.12. dulcedo plenam ſatietatem non affert 327.2.4 omnium finis 442.2.28 illecebræ abſque ſapientiæ guſtu humano cordi venena transfundunt 174.4.44. numeroſitas ſoli aſſimilatur 304 4 50. obedientiam cur homo amiſerit 257.4.15. viſibiliū vſus an in altera vita futurus ſit 393.3 18. ad Deum amandū voces 18.2.15 cōſideratio, ſūmi artificis peritiā oſtēdit 478 2.50
Creaturas omnes cur Deus creauerit 436.4.10. omnes peccatoribus famulari 224 4.18. ad vſum nō ad fruitionem fuiſſe conditas 143.1.18
in creaturis Deum laudabilem apparere, præcipuè in humana creatura iuſtificata 73 2.30
in creaturis omnibus maxima penuria 171.2.53
qui facile credit, frequenter labitur 438.1.32
an credat quis inuite 170.2 40
Credere Deo, Deum, & in Deum 5.4.56
Credere quid quiſque negligat 221.1.1
Credentes alteram eſſe vitam, cur conuerſationem ſuam non mutent 343 1 43
Credulitas quid 15.3.41
Credulitatis profeſsio 400.4.26.
Crepuſculum ſpirituale quibus Chriſtus primum pateſecerit 89.3.16
Crimina lethalia ſeptem 354.1.5
Criminum fomes 26.3.14. propriorum deteſtatio 469.1.45 rad x 467.3.23
Criminibus prægrauatus ad perfectionis non euolat faſtigia .468 2.53
Cruciatus cruciatibus ſuperari 99.3.31
Cruciatus natura cur pati formidet 213.4.55
Cruciatib. æternis qui iuſtiſſime deterendi 351.3.20
Crucifigentium carnem cum vitijs & concupiſcentijs conditio 471.3.36
Crucis myſteria 288.1.58. verbum cur ſit pereuntibus ſtultitia 270.3.14. ſanctæ vexillum quare ſit mundo manifeſtatum 209.2.20
Crucem incipientium tollere exercitia 454.3.7
Crudelitatis opera 101 2.28
Cubile immaculatum 420.3.50
Culpa apud Deum an vlla ſit irremiſſibilis 303.3.6
Culpę quod eſt, quam ſępe tribuatur naturæ 87.4 6
Culpæ humanæ grauitas 41.4 55
à culpæ mortalis reatu eſſe alienū, conceditur in hac vita multis
Culpæ occaſio 108 4.46
Culpæ originalis mala 262.2.3. fomitis incommoda 471.3 24
Cultus Deo debiti diuiſio 15.3 34
Cultus hominis verus 448 2.17
Cupiditas inordinata 14.1 10
Cupiditatis humanæ modus qualis 26.3.6
Cupiditatis voluptuoſæ habitaculum 115.1 17
Cupiditates hominum diuerſæ 168.4 10
Cupiditatibus nullus eſt terminus 327.2.16
Curioſitas turpis 13.3.53
Curſus violentus 336.3.14

D

Dæmones, omne genus humanum abolere ſtudent 117.2 41
Dæmones homineſque malos ſapientiæ ſubeſſe imperio 201 2.4
Dæmonum fallaciæ 344.3.8. terror 479.2.41. fraus magna & pernicioſa deceptio 297.2.4 lapſus origo 290.3.24 infeſtationes multifariæ 236.3.27. malitia inſcrutabilis, & mortalibus prorſus ignota 64.1.10
Dæmonum veneratio vnde orta 92.1.30
per dæmones ſigna fieri 517.2.19
à dæmonibus angeli homines liberant
de dæmonibus malignis, trophæum certaminis reportare concupiſcenti quid ſit agendum 88.2 16
Dæmoniorum vices, in congregationibus Deo dicatis qui gerant 65.3.31
Damnationis animarum principium 466.1.3. indiciū 345.3.46. futuræ præſagium notiſsimum 467.3.4 perpetuæ euidens indicium 357.3.58
Damnat Deus ex ſe neminem 264 2. 3
Damnari qui non poterit 98 2.57
Damnandus ab homine nemo 350.1.37
Dānati an homines prius fiāt quā nati 154.2 30
Damnatorum cruciatus 356.4.20
Danielis oratione hebeteſcunt feræ 44.4.1
ſobrietas 38.4.20
Dauid in regem cur vnctus fuerit 336.2.44
Dauidis ſumma humilitas 43.2.46. lapſus 281.3.40. & ſeq. patientiæ commendatio 25.1.27
Debilitatis humanę deſcriptio 425.1.45.& ſeq.
Debitum naturale 21.3.26
Debita omnibus reddenda 200.3.34
Decalogi legis & gratiæ differentia 336.1.54
Deceptionum laquei qui effugiant 238.2.49
à deceptionibus diaboli nullus locus, nulla actio, nulla perſona libera exiſtit 344.3.6
Decimarum ſolutio 311.2.28
Decipula qua diabolus primū hoīem irretiuit 23 3.5
Deformium, vel incompoſitorum in rerum natura cauſa 259 4.31
Delectabilium mala 147.2.43
Delectationis creaturarum rectus ordo 175.1.24
Delectationi ex ſenſibus ſpirituali, ſolitarijs quando vacandum 318.3.6
Deliberatio inconſulta plurimos proſternit in foueā 257.2 10
Deliciæ ſpirituales, quæ in nuptiali conuiuio præſentis exilij Deum diligentibus apponūtur 417.2.34
Deliciæ temporales an in ſpirituali delectatione vigere poſſint 11.3.3
Deliciarum paradiſus 95.4.29
Deliciarum ventris odium 445.4 15. ianua 408.1.56
Delicijs qui exuberent maximis 258.3.51. viuentibus incommoda 38.3.32
Delictum nec in hoc ſeculo, nec in futuro remittendum 389 1.15 nullum tam graue, quod non eleemoſynis & orationibus purgetur 255.4 6. tā graue quod non contritione, atque confeſſione tergatur 416.3.10
ad delictum originale delendum, quæ Deus inſtituerit 262 2.22
Delicta quotidie deflenda 167.4 9

Delicta propria, quandiu in hac vita ſumus, ſunt deploranda 343.2 32. vniuerſa vbi regnent 313.2.6. & ſeq.
Delicta propria non aliena eſſe manifeſtāda 77.1.50 aliena detegere, an ſit Chriſtianum 234.2.18
Delictorum beata confeſſio 399 3.35
in delictorum grauium foueam, cur Deus ſuos interdum incidere permittat 281.3.56
Delictorū volūtaria perpetratio, vbi abſit 122.4.55
ad delictorum noſtrorum ſatisfactionem poſt hanc vitam nihil eſſe, quod vel vnius horæ ſpacium nobis poſſit indulgere 68.1.23. propriorum cognitionis fructus 469.1.26
Delinquat nemo vt locupletiorem habeat gratiam 114.4 12
in delinquendi audaciam & diſſolutionem adducto, quid faciendum ſit 64 2 31. neceſſitatem qui impellantur 464 1.21
Delinquendi conſuetudo vnde inoleuerit 428.3.43
Delinquētiū peccata, cur Deus diſſimulet 459.4.25
Delinquentium voluntarie cæcitas quantum ſit deteſtabilis, & in qualem peccatorum miſeriam dilabantur 463.3.50. & ſeq.
Delinquentibus quàm benignus & miſericors Deus appareat 218.4.11
Delinquentibus voluntarie, ſtagnum ignis & ſulphuris ſeruatur
Dementia ſumma 376.1.16
Dementiæ ſummæ ſignum 450.1.4. magnæ ſignum euidens 34.3.21. maximæ argumentum 360.3.10
Demetendi lex
Denarius non æqualiter, ſed iuxta charitatis gradus fœlicitatis æternæ prorogatur 274 4.7
Deordinationis in rebus valde bonis origo 236 1.54
Deprædari aliena diuinis, imperialibus, humaniſque legibus prohibitum
Deprecationis humilis exempla 451.1.40. & ſeq.
Deprecandi regula
Deſcendendi & aſcendendi regula 431.1.1
Deſeratur à Deo quis 180.2.43
Deſideria cuncta quæ bona eſſe cenſentur non ſunt opere perficienda 428.4.34
Deſideria noſtra vbinā ſint probāda 145.1.38. ſācta dilatione creſcūt 48 2 18. quid multiplicet 40.1.1
Deſideriorum origo 56.3.25
Deſideriorū affectus cognoſcere quam ſit vtile
Deſideriorum ſuorum qui calorē tēperent 169.1.4
Deſperandum nemini de Dei miſeratione 30.2.24
Deſperatio ex quibus generetur 71.1.4
in deſperatione foueam vt Chriſti ſerui ruant, quàm diligenter conetur diabolus ibid. mœſtitia vnde oriatur 392.3.16. morbo medēdi ratio 254.2.47
Deſperationis venenum ab omnibus mortalibus abdicandum 355.3.36
Deſperationem anima, quibus modis vitare poſſit 64.1.49. in minimis etiā eſſe deteſtandam 71 1.6
Deſperationem mens verbo Dei erudita, quibus modis repellat
Deſperatorum portus 434.4 10
Detractio à charitate aliena 314.4.11
Detractionibus aſſuetus, à charitate exciſum ſe fatetur 66.3.41
Detractor triplici ſcelere efficitur reus 314.4.29
Detractoris impietas 66.3 35
Detractoris opera 314.3.55. & ſeq.
ad detractorem ſermo 314 4 46. & ſeq.
Detractore in collegijs Sanctorum nihil pernicioſius 81.1.39
Deuotio ſpūalis, an ſit ad ſatietatē ſectāda 238.2.54
Deuotionis dulcedinis cupidus terræ cultori aſſimilatur
ſub deuotionis germine, quando deceptionis lateat coluber nectare quàm plurimos, inconſultè vacantes proximis, ſpoliatos eſſe 108.4.17. ſanctæ teſtimoniū 77.3.40. ſuauitate referti cōditio 245 4.52
Deuotionem quid extinguat 115.3.12
Deuotionem abſque vita nihil proficere 77.3.31
Deus quem diligat 116.3.47 vbi agnoſcatur perſpicacius 124.1.34. quanto nos amore complectatur 299.2.50. & ſeq. à quibus apprehendatur 46.1.40 ad quid nos condiderit creauit æqualiter omnia 73.2.35. quib. delectetur 253.4.10. & ſeq. ab homine quibus cauſis diligendus ſit 18.4.54. quomodo ibid quàm ſit exorabilis 407.2.37. flagellatus cur dicatur & mortuus 102.1.38. iuſtus & ſapiens quibus ſapiat 2.3.32. vbi habitet 339.2.36. humanam cur aſſumpſerit naturā 93 2 13. ab hominibus quid quærat 434.3.26. ad hominem quomodo ingrediatur 6.1.56 quomodo inueniatur 48.2.7 vbi ſe manifeſtet 243.3.13. medico aſſimilatur quid oderit & puniat 27.4.39. vbi, & quomodo quærendus 323.1.28. cur peccatores amauerit, & amet 53 4.36. vbi reperiatur facile 130.1.27. vendicat neminem ſibi imperioſe 121.3 30. quomodo videbitur 267.1.12. quibus modis omnes homines ad ſe vocet 297.1.7. & ſeq.
Dei verus amator 19 4.18. amatoris opera 396.3.8. & ſeq. benignitatis cōmendatio 98.1.33. cognitio triplex 121.2.49. cognitio quantum operetur in anima 340.3.5. noſtri inenarrabilis charitas 66.3.1. charitatis erga homines deſcriptio 406.1 19. & ſeq. clementiā omnibus mirabili prouidentia præſto eſſe 99.2.31
in Dei correctione qui ſoli deficiant 25.1.17
Dei cum diabolo, certaminis locus 345.1.16. & ſeq. filius 124 4.43. filiorum donum 17.4.15. hortamēta ad pacem inuitantis 329.4 45. & ſeq. imitator eximius 60.4 32. iugū qui excutiant 27.4.23. irā, oratione ſuſpendi 44.4.40. mirabilia opera corporalia & ſpiritualia 96.3.4. myſteria quibus propalanda 344.1.40
ad Dei notitiam perueniendi vehiculum 277.1.2
in Dei oculis qui viuat 42.2 4
Dei opera, matura meditatione cogitanda 99 2.20 patris erga nos benignitas 407.3.26. & ſeq & patrisfamilias diſſimilitudo 404.2.25 & ſeq. vſq; 36
Dei pietas labēti homini ab innocētię ſtatu, qualiter triplici ei lege, peccati remedia contulit, atque in temporis plenitudine miſit vnigenitum ſuum, vt verbo & exēplo fideles ad contēptū mundi, & virtutū palmā accenderet 50.2.14 potentiā, iuſtitiā, ſapientiāq; perire, an quis deſideret 27 3 44. præſentia corporalis & ſpiritualis 374.2.1 & ſeq. ſapientia quos refugiat 97.2.12. ſapiētia, cur humanā aſſūpſerit naturā 101.2.6. ſapientiæ opera ſunt ne mortalib. vel angelicis ſpiritib. oīa nota 266.4. 20. via ardua & inſidiatoribus plena 56.4 39

Digitized by Google

Deo & hominib. qui diſpliceant 160.4.35. quæ placeant 127.3.38. qui placere non poſſit 162.1.58
qui totum tribuit, Deum vt totum habeat, æquitatis cenſura exigit 363 2.45. quiete qui non vacent 34 3.58. quis vicinior 163.3.32
Deo vim quid faciat 114.3.11. ſenſuum officia, ac humani corporis membra, an inſint 100.4.13
Deum qui amet 15.4 4 amare caſte 20.1.17
ad Deum cognoſcendum exemplum efficax 298.4 9
ad Deum conuerti, in Deum redire quid ſit 8.3.31
in vniuerſis creaturis conſpici 123.1.36. in Decalogo mandatum dilectionis non timoris poſuiſſe 71.1.44. non diligit qui ei non obedit 150.4 3
apud Deum cur nullus quanti ſit meriti, diiudicare poſſit 91.4.14
Deum eſſe omnis creatura teſtatur 12 1.1.56. nō eſſe, iniuſtum, impotentem, ſeu inſipiētem eſſe, an ſint qui velint 27.3.38. exhortantem qui non audit, ſubſannantem audiet 293.2 44
Deum eſſe finem cauſamque vniuerſorum 86.3.1
eſſe ſpiritum, & patribus antiquis cognoſcibilem per miniſterium angelorū ſe exhibuiſſe 411.3.38
habere & poſſidere quid differant 130.1.52. humanam habere formam, cur ſacra atteſtantur eloquia 100.4 36. loqui per hominem, & habitare in homine quid ſit 450.3.17
Deum in homine viſum eſſe 101.3.9
an Deum ſicuti eſt viſuri ſimus 121.2.48
à Deo quò quiſque arctius amatur, eò durius in præſenti flagellatur 120.4.38
à Deo auerti, exire quid ſit 8.3 33
à Deo qui reijciantur 27.4.25
cum Deo vnus ſpiritus qui fiat 28.3.46
Diabolus quàm callidè perſecutus fuerit Chriſtum, & quotidie ipſius paſtores impugnet
Diabolus generi humano quomodo ſēp aduerſatus ſit & potiſſimū poſt aduētū Chriſti, fideliū populū triplici tentationū inſecutus ſit ſpecie 62.2.22
Diabolus primum hominem quonam argumento de loco deliciarum deiecerit 66.3.20. vt inſtrumento multoties vtitur hominibus ad eos tentandum, qui in congregationibus degunt, & ſimpliciter atque virtuoſe conuerſantur, vt illos impellat ad caſum 66.2.27. & ſeq.
Diabolus mulierem quibus modis allexerit 9.4.37
omnia omnibus quomodo fiat, vt omnes lucrifaciat 66.1.41. quibus præualeat 12.2.6
Diaboli aſtutias quid ſuperet 12.4.33. aſtutias non ignorare quàm ſit vtile 242.2.4. conſilia 64.3.18
fraus maxima 66.3.18
diabolus ī genushumanū truculēta ſeueritas 62.3.40
Diaboli iaculum 17.2.45. impotentia 407.1.16. importunitates vt nos ſuperet deſcribūtur 467.2.18
eidemque reſiſtendi ratio ibid. inſidiæ omni tempore præcauendæ 66.2.40. inſtrumenta 389.1.3
iugum ab ipſo mundi initio, vſque ad temporis plenitudinem qui euaſerint 154.2.47
Diaboli laqueos, quorū hic mundus eſt plenus, mortales ſtudeant vitare 344.3.46. & ſeq. miniſteriū, cōtentioſū operari 66.4.19. ſtratagema 237.1.40
ſuggeſtiones periculoſiſſimæ 199.3.51
Diaboli tentationes quomodo ſuſtinēdæ 25.2 10. in tentationibus inferendis prudentia 344.4.33. tyrannis aduerſus genus humanū 161.3.6. liuor ibid. mēbra ibid. vires 236.4.20. & ſeq. vires fractę 55.4.21
Diabolo cultus diuinus exhibitus 236.4.53
Diabolum ſub ſanctitatis velamine, inſidias imprudentibus tendere 81.1.16
Diabolica aſtutia 203.1.20
Dies nouiſſimus qualē vnūquenq; cū de hoc ſeculo egreditur, talem in reſurrectione iudicat 42.2.34
Diei iudicij ſupplicia horrenda
Diē vltimū aſſiduè meditari, quàm vtile ſit 42.2.23
Diffidat de altero nemo, neque de ſe deſperet, veniā apud Deum poſſet reperire 350.2.36. & ſeq.
Diffidentiæ medendi ratio 264.2.50
Dignationis diuinæ munus maximum 370.2.28. diuinæ opus mirabile 247.3.47
in dignitatis culmine qs valeat eſſe ſecurus 386.4 42
Dignitate eccleſiaſtica qui dignus 391.1.3
Dignitatibus nemo expletur
an diligat Deum homo, quibus ſignis cognoſcatur 20.2.6
an diligant ſe omnes 22.4.2
non diligit ſe, qui nequiter viuit 80.4.23
an diligamus Deum quomodo cognoſcere poſſimus 150.4. 2
Diligere Deū ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mēte, an quis in hac vita poſſit 414.3.19. ſeipſum qui non valeat 359.2.10. proximū qualiter debeamus 54.1.5. quib. rationib impellamur 432.1.14
Diligere ſicut ſe, & quātū ſe, quid differat 446.1.19
Diligi à Deo omnes pariter 186.1.1. & ſeq.
Diligendi modus expreſſus 141.4.28. Deum formæ deſcriptio 477.4 5
Diligendum quomodo ſit 22.2.30. & ſeq.
ad diligendum Deum quæ ſint quæ vehementer hominem accendant 18.2.4
ad diligendum proximum quibus exemplis & documentis homo excitetur 21.3.6
Diligenti Chriſtum ardenter, nihil difficile 150.3.9
Diligentium Deum ſpecies quatuor 19.4.57
Diligentium Deum ordinata intentio 140.2.46
Dilectio quid ſit 20.3.46
Dilectio Dei dilectionis noſtrę cauſa efficiens 154.3.38. inſcrutabilis & veneranda 185.4.46. & ſeq. naturalis 128.1.9. propria ibid. remiſſa ibid. polluta ibid. vera inter quos oriatur 23.1.30
Dilectio vitæ, lignum ſpirituale 203.4.50
Dilectionis Chriſti in nos indicium 481.4.50
Dilectionis Dei præſagium 321.4.56. præcipuum indicium 360.1.11. probatio 291.3.48
Dilectionis diuinæ euidens ſignum 25 3 1. fraternæ forma, in vnoquoque noſtrum inſtituta 350.4.20
fraternæ regula 270.4.32
Dilectionis lex 140.1.13
Dilectionis mandatum explicatur 161.1.57. qua de cauſa Deus nobis inſtituerit 345.1.35
Dilectionis modus quem erga proximum habere debemus 22.4.35. & ſeq.
Dilectionis mutuæ emolumenta 21.4.35. incrementa 142.2.18
Dilectionis noſtræ cauſa efficiens 445.2.51. nutrimentū 95.4 30. pfectio 23.1.33. regula 161.2.38
veræ ad Chriſtū notiſſimum ſignum 426.2.57
ad dilectionem creatoris ſui, anima per carnales corporis ſenſus monetur 362.1.57. mutuo ſeruandā ſingulare exemplum 4 5.1.33 & ſeq.

Dilectionem Dei homo ex beneficiorum numeroſitate agnoſcere valet 157.1.11. Chriſti exhortatione 479.4.48
Dilectionem fraternam quis frangat 66.4 23. ex operibus probari. 160.4.25
Dilectione charitatem cognoſci 142 1.52
in dilectione Dei qui maneant 158.3.13
Dilectione diuinitatis quod agit nō amitti 140.3.19
Dilectione ſimulata multos perire 81.1.54
Dilectori ſuo quicquid Deus non eſt, conſummatam lætitiam non præbet 327.2.10
Dilectoribus Chriſti linguæ miniſterium contrarium 314.2.47
Dilectum Deo hominem quæ faciant 348.2.33
Directores animarum opus habent ductore
Diſcedentium à Chriſto principalis iactura 233.1 32
Diſcedentium à Chriſto itinera 243.1.2
Diſciplina cognoſcentium ſe in veritate 434 4.40. Apoſtolica 301.4.10
Diſciplina cæleſtis mari aſsimilatur 97.2.21. omnis Chriſtianæ pfeſsionis, in quo cōmēdetur 239.4.54
Diſciplina ſpiritualis 449.2.26 & ſeq.
Diſciplinæ cæleſtis norma 285.2.53. Dei patris erga genus humanum ratio 472.2 2. dominicæ meritum uberrimum 322.1.10
Diſciplinæ incarnati verbi fundamentum 142 1.35 medicina 440 2 49. præceptum 336 1.42
Diſciplinę veriſsima concupiſcentia 115.2.2
in diſciplinam & perfectionem monaſticæ conuerſationis prologus 49 4 2
in diſciplina ſpirituali, an Deus quempiā, ſine laborioſa exercitatione, cōſummatū effecerit 261.1.33
Diſcipuli carnales 192.1.50
Diſcipuli Chriſti indicia 234 2.44
Diſcipuli Chriſti quomodo agnoſcantur 142 1.30
Diſcipulorum incredulitatem, cur Chriſtus carpat 225.3.19
Diſcipulis cur ſe Chriſtus manifeſtare diſtulerit 225.1.54
Diſcipulos, fœmina virtute ſuperat 223.3.39
Diſcipulatus Chriſti, quouis regno pſtātior 574.4 17
Diſcordia commendabilis ac beata 321 4 33
Diſcretionis diffinitio 13.2.1
abſque diſcretionis diſciplina omne quod agitur, diu perſeuerare non valet 81.4.42
Diſcretionis donum eſſe præcipuum 233.4.18. examen cur ſæpe fallatur 170.3.30. iudicium quanti æſtimandum 237 4.22. lumen in corde humili quin præſtet 246.4 1. regula, omnibus Deo militantibus tenenda 318 3.31. & ſeq.
Diſcretionis ſpirituū dono redimiti cōditio 426.2.41 vſus cur ſit homini prærogatus 330.2.54
Diſcretione naturali præditorum ſtudia 435.3 46
Diſpenſatoris fidelis officium 386.1.1
Diſpenſatorum Chriſti opera 385.2 per totam.
Diſpoſitio ad virtutes perficiēdū neceſſaria 395.2.7
Diſſenſionum inter homines origo 161.2.27
Diſſidentiæ ſeminarium ibid.
Diſsidiorum ciuilium origo 466.1.5
Diſſuetudo dimicandi corporaliter & ſpiritualiter quantum noceat 470.4 55
Ditiores erogādo qui fiant 502.4.43. in ſpiritualib. temporalibus aſsimilantur 57.1.16
Diuitis moleſtiæ 25.1.56
Diuitem neceſſe eſſe plurimis indigere 96.2.53
Diuites de quibus reprehendantur 36.4.38
Diuitum menſæ execrabiles 38.4.56
Diuitum & pauperum lex 140.1.23
Diuitum ſententia in iudicio extremo 343.5.7
ad diuites exhortatio 342.3.2
Diuitiæ an ſine amore valeant poſsideri 34.4.2 imprædabiles 201.1.6. ſpirituales 161 2.46
Diuitiarū amator Deo adhærere nō poteſt 299.4.24
Diuitiarum deſpectus vbi eluceat 385 2.23
Diuitiarum incommoda 35.4.28
Diuitijs qui ſponte renuncient 395.1.41
Diuitias cumulare quam ſit ridiculum 34.4.44
Diuitias & paupertatem qui ſibi inuicem commutent 118.2.15. poſsidere non eſt peccatum ſpinas eſſe acutiſsimas 205.2.3
Diuitijs abūdare, cur tā anxie hō deſudet 428.3.38
Diuitijs ſpiritualibus in præſenti, & perpetuis in futuro, qui non locupletabitur 283.2.21
Diuina nunquam curioſè rimanda 91.3.15 an ſint humano quærenda ingenio 177.4.6
Diuinitatis arcana quibus manifeſtentur 151.2.36 armarium 123.1.43 Chriſti conſpicua teſtimonia 230 1.15. honor 161 2 40. imago 110.2.22
ad diuinitatis præſidia acceſſum eſſe, non inhabitationem 99 1.48
Diuinitatis vera ſcientia 113.1.39
in diuinitatis ſcientia rectiſſimus profectus 266.4 54 ſcientiam vnde habeamus 178.4.28. claram ſcientiam quid præſtet 122.4.2
Diuinitatem eſſe incomprehenſibilem 113.2.54
Docere officium explere, quando & quibus liceat 317.3.6
Docendi genus nobile, & ad alliciendum animos incentiuum 541 2.42
Docentis officium 335.1.4
Doctor verus quis cenſendus meritoque colendus 141.2.56
Doctoris facundia ſonoræ votum dulcedini aſsimilatur 44.3.19
Doctrina contemptibilis 317.3.22
Doctrina optima inferius ibid.
vt dominaretur hominibus an homo ſit Inſtitutus à Deo 205.2.51
Dominari hominem hominibus, an Deus iuſſerit 367 1.35
Dominandi prærogatiua animantibus ſolum, non hominibus homini conceſſa 304.2.38
Dominus Ieſus cur tentatus ſit, pugnauerit, & vicerit 25.2.21
Dominus erga fideles ſuos, quomodo agat
Dominus ante ſuorum oculos cur ſe transfigurare voluerit 26.2.10
Dominus vnus ſolus 367.2.7
Domini gaudium 223.4 50
Domino qui placere appetunt quibus ſe debeant occupare ſermonibus 69.1 4
Domini reconciliatio 15.3.23
Domini qui nuncupentur 405.3.49
Domus ſpiritualis conſtruendæ oratio 177 1.1
Domos, pdia & nemora hēre dona sūt Dei 370.2.32
Donum ſingulare 437.4 3
Doni diuinæ pietatis conſideratio 8 4.55
Dona aliorum qui putet eſſe ſua 104.3 45

Dona conditoris ad ſalutis adiutorium homini prærogantur 157.1.36
Dona Dei an ſint propalanda 328.2.18
Dona excelſa,q̄ cariſsimis Deo prerogātur 152.2.20
Dona an gratiam commendent 226.3.21
Dona ſpiritualia, ſenſibus corporalibus non patent 100.4.15. non repentè, ſed per incrementa virtutum Deus largitur 152.2.23. ſolerti cuſtodia ſub humilitatis cenſura ſeruari debent, ne ab immundis inimicis diripiātur 323 4.34. ſpiritus ſancti in virtutū adeptione, quàm ſint neceſſaria 466.3.30
Dona virtutum ſolius Dei eſſe 129.4.18
Donorum Dei meditatio 406.1.18. participatione nemo immunis 447.1.1
ex Donorum qualitate, gradus agnoſcitur militantium Chriſto 118.1.46
Donorum ſpiritualium genera duo 444.4.10
Donorum ſublimium indignis quis
vt Dona viciſsim communicemus mirum exemplum 475.1.36.& ſeq.
Donis ſpiritualibus quis nunquam locupletabitur 74.4 49.
Dormientibus an malum imputetur 27.4.3
Draconis antiqui ſeminarium 238.2.31
Dubietatis nullum argumentum quod non ſacrę ſcripturę autoritate ſoluatur 243.3.40
in Dubiis Deus iuſtos cur comitetur 224.4.49
Ductore, an Chriſti eccleſia in hoc mundo opus habeat 369.2.30
Dux noſter dominus Ieſus quanta vſus ſit peritia, vt vniuerſum ſibi per milites ſuos ſubigeret orbem 245.1.51
Dux ſpiritualis viſibili aſsimilatur 391.3.21
Ducis Hebræorum autoritas 90.1.48
Ducis noſtri Chriſti potentia deſcribitur 452.3.16
Ducem ſpiritualem qualem eſſe oporteat 90.4 25
Duces ſuper fidelium ſpiritualem exercitū, cur ſint inſtituti 390.1.10
Dulcedo interna 115.3.5
Dulcedo ſpiritualis quæ à præcepta Dei cuſtodientibus ſentitur 415.3.24

E

EBrietas beata 401.4.13
Ebrietatum principium quando fuerit 92.3.10
Ebriorum ſpiritu deſcriptio 472.4.11
Eccleſia per arcam Noe quomodo fuerit figurata 413.4.30
Eccleſia Chriſti vnde ædificetur 401.1.37. cur à mari vſque ad mare ſuas dilatauerit propagines ibid. frumentum & zizaniam pariter vſque ad tempus meſſis ſuſtinet 252.1.33. cur mater dicatur 104.1.12. ſponſa immaculata, corpus Chriſti ibid.
Eccleſia mater & virgo 270.4.38
Eccleſia nunc ſpecietenus fulget exterius 252.1 4 ſponſa formoſa, abſque macula & ruga quomodo ſit effecta 479.3.58
Eccleſiæ autoritatem & ſcientiam eſſe tributam 104 2.7. autoritatis exempla 387.1 50. & ſeq.
Eccleſiæ & Chriſti autoritas 452.1.43 & ſeq. capitis & membrorum connexio 192.4 14. ſacramentorū initium 393 2.28. ſocietas 406.3.11
Eccleſiæ Chriſti vnitas
Eccleſiæ & Chriſti vnitatis figura 217.4.3. claritas 461.4.26
Eccleſiæ clauium contemptus origo 385.3.50. corporis decus 479.2.47
in eccleſiæ corpore an aliquid ſit propriū 156 2.37
Eccleſiæ Dei detrimentum grande 385.3.43. in exordio deſponſationis ſuæ ſpiritualia monilia 249 1.28. & ſeq. ad fouendos debiles conſolandum miſeros, languoresq́; curandos, triplex remedium 105.1.51 & ſeq. ianua 479.3.16. membra, ſingula ſancti Spiritus fouet 249.1 17. membra, membris corporis aſſimilata 49.2.36. & ſeq.
Eccleſiæ militantis figura 413.4 49
Eccleſiæ miniſter non tributor gratiæ, ſed cooperator 280.4.18. miniſtri officium 353.1.12
Eccleſiæ miniſtrorum ſub cōpendio regula 308.3.6 & ſeq. miniſtris omnibus conuenientia 309.4.5
Eccleſiæ catholicæ monarchia 412.4 9
Eccleſiæ naſcentis imago 302.1.3. & ſeq.
Eccleſiæ primitiuæ perfectionis imago 420.2.50 pubertatis ſuæ ſtatus 400.4 31. præſentis conditio ibid. ſtatus omnes declinaſſe 249.2.12. theſauros pauperibus eſſe erogandos 251.1.44
ad eccleſiam oratio 180.3.21
Eccleſiam vbi Chriſtus ſibi copulauerit 104.1.3
erga eccleſiam ſuam dominus Ieſus, quantam ſolicitudinem gerat, quantaq́; pro illius ſit operatus ſalute 369.3.42. & ſeq.
in eccleſia Dei, incerta iudicia 104 3.35
in eccleſia neceſſarium eſt eſſe qui præſint 412.3.46
Eccleſiarum prælati notantur 250.4.28
Eccleſiarum præſulum in promouendis animarum rectoribus officium 390.4 53.& ſeq.
Eccleſiarum reditus cuius ſint 401.1.50
Eccleſiaſtica autoritas, an in qualitate miniſtrantis conſiſtat 385.4 40. autoritati, quibus de reb. ante tribunal Chriſti, iterrogatio fiet 421.2 23.& ſeq.
Eccleſiaſticæ facultates pauperibus ſunt erogandæ 371.1 26
Eccleſiaſtica beneficia, quibus conferenda 391.1 37
Eccleſiaſticarum perſonarum, quum Deus populum fame, gladio, peſte affligit, officium 380.1.40
ab eccleſiaſticis paſtorib. q̄ debeāt exhiberi 382.1.56
Edulium ſingulare 406.3.13
Egeni diuites effecti hydropicis ſimiles 337.1.44
Elatio ſubiectionem fugit 256.3.3
Elatio quantorum malorum ſit origo 433 2.55
Elationis fons 11.3.57 fructus qualis ſit 460.1.51 germina 450.4 51. incentiuum 42 1.37. occaſio continuo ſucceſſu paratur 113.3 44. venenum quàm ſit peſtiferum 433.1.21
Elatus nullatenus poteſt eſſe ſapiens 450 1.52
Elati ad humilitatem, an ſubditos hortari poſſint 251.2.22
Elati & humilis conditio 441.4.25. & ſeq.
Electio diuina præcedit electorum merita 173.3.6
Electio an ſit comprehenſibilis ibid. effectum quando habere cœperit ibid.
Electio vnde originē habeat, & quādo ſit facta ibid.
Electionis gratia nullis actis acquiritur 288.4.21 magnum indicium 57.1.52. ordo ordinatiſsimus 267.2.41
Electionem Dei, an hominum merita præcedant 160 1.27
Electi vt ad veram perueniant Hieruſalem, quibus indigeant 89 1.58

Electi animæ & corporis veram pacem an in hac vita conſequantur 235.2.45
Electorum vnumquenque tentationibus ac mundi preſſuris, quandiu Deus exerceri permittat 175.3.36. poſt reſurrectionem conditio 246.2.10. deſiderium omne 482.1.3. magiſterium 161.2.42. ſocietas 17.3.40. virtus quando eluceſcat 95.2.7
Electis Dei in hac peregrinatione, ſine diſciplina viuere non congruit
Electis munus ſpeciale prærogatum 416.2.30
eligit Deus neminē ex præcedētibus meritis 288.3.35
eleemoſynæ commendatio 255.4.8
eleemoſynæ præconia 376.3.5.& ſeq.
elementorum ac corporum cęleſtium regimen cui iniunctum 290.1.58
eloquii diuini cōmendatio 243.3.35. efficacia ibid.
Eloquia diuina quantum domino placeant 70.2.18
Eloquia domini à malis plata, an ſint audiēda 234.3.26. cū anima & animę cū Deo ſpiritualia 476.2.14
Eloquia noſtra diſcretionis lance penſanda 315.1.24
Eloquiorū diuinorū præcipua cōmendatio 332.2.31
Eloquiorum ſapientiæ efficacia 140.4.42
Enoch cur in cęlum tranſlatus fuerit 336.2.41
Epiſcopi officium 251.2.39.& ſeq.
Epiſcopi plebibus cur ſint inſtituti 37?.3.45
Epiſcoporū noſtri ſeculi negligētia 296.3.20.& ſeq.
Epulæ cœleſtes 364.2.24
Epulæ temporales & cœleſtes 39.3.17
Epularū carnaliū & ſpiritualiū differentia 78.2.30
Epularum varia fercula vnde ſumpſerint principium 92.3.10
Errantes qualiter quæri, reperiri, & baiulari oporteat 299.2.16
Errata aliorū facilius quiſque potius quàm propria damnat 314.4.10
Errores quid detegat 99.4.6
Errorum latebras ſapientia detegit 96.2.48
Erubeſcentia quid ſit 2.4.46
Erudiatur ne alius pro altero 298.2.4
Erudientem cæteros, ſe contempto, Deus corripit 437.3.17
Erudientium ad iuſtitiam multos, merces 260.4.33
Eruditionis ſpiritualis maximum arcanum
Eſcarum corporalium abſtinentiam Deus ab hominibus non quærit 434.3.28
Eſſentiæ Dei certa notitia 126.4.36
Eſſentiam Dei ſempiternam, ſe ad humani generis inclinaſſe ſalutem 102.1.47
Eſurientium in altera vita præmium 94.3.20
Euāgelicę perfectionis ſoliū vnde probetur 142.1.39
Euengeliſtarum fructus
Euchariſtiæ effectus & præparatio, necnō multiplex conſolatio, qua potiuntur qui ad illam dignè accedunt 76.3.30
Euchariſtiæ inſtitutio 31.2.12
Euchariſtiæ myſterium 305.2.6
Euchariſtiæ perceptio ſine cōfeſsione an ad ſalutem proficiat & dignitas 77.2.38
Euchariſtiæ Sacramentum 184.4.17
Euchariſtiæ ſpirituales effectus 305.4.42. abſq; eius perceptione qui ſaluētur i fide eccleſię 479.3.37
ad Euchariſtiā pcipiēdā pręparatio 184.4.50.& ſeq.
Examinis interni exactio iuſto & nocenti communis 406.1.4
in examine extremo quis aſtabit ſecurus coram iudice 480.1.8
Exaudiri à Deo qui non mereantur 48.3.1
Excommunicati, vt ad eccleſiæ gremium redeant, admonentur 302.1.38
Exēpla Chriſti 442.1.16.& ſeq. validiora quam verba 7.3.19
Exercitatio excelſa 87.2.16
Exercitationis tentationum vtilitas 30.2.38
in exercitatione ſpirituali incipiētiū ſtudia 470.2.13
Exercitia ſpiritualia 258.3.50
Exercitia ſpiritualia, ſedula cordis intentione coalenda 312.4.45
in exercitijs ſpiritualibus æquè neceſſaria eſt lux, ſicut in corporalibus 417.3.13
Exercitus ſpiritualis viſibili aſsimilatur 391.3.21
Exiſtimationis humanæ præſumptio 111.2.50
Experientia quando fallat 457.1.52
Ezechias, oratione, ſanitati reſtituitur 44.3.28

F

Facie ad faciem Deum videre quid ſit 267.1.12
de facinoribus proprijs compunctionem habere rectam, non eſt humani arbitrij 416.2.28
Facultas boni vel mali eligendi libera 335.1.5
Facultates temporales, cur Deus mortalibus præſtiterit 255.4.23
Facultatum mundi amatores, pijs ſpiritualiter imitandi proponuntur 438.1.11
ad facultatum mundialium renunciationem vocati officium 429.1.16.& ſeq.
Facultatum munera à mortalibus Deus non optat temporalium proprietatem an Deus prohibeat 301.4.12. terrenarum immoderatæ cupidinis mala 338.4.11.& ſeq.
Facultatibus terrenis nemo ſatiatur 327.2.18.&ſeq.
Fama vulgari laudari cur homo deſudet
Famam propriam nemini licet zelare 383.4.10
Fama temporalem, vt ſuperbi ambiunt: ita humiles fugiunt 441.2.54.& ſeq.
Fames an à dño irrogetur 465.4.57. origo 472.1.10
Familiaritatem cum regibus, cum principibus, cum magiſtratibus nunquam Chriſtus habuit
Famulari Chriſto cupiēti viriliter neceſſaria 55.1.49
Famulanti Chriſto nihil æſtimādū arduū 429.2.22
Famulantium Chriſto ignauia 242.3.28
Famulantium Chriſto ſtatus varij 420.4.1
Famulantium Deo triplex ordo 96.3.1. domino mūdo corde autoritas 380.3.25
Famulatus obſequium omnibus exhibendum
Faſciculus amoris 138.1.18
Fatigationis temporalis exemplorum vtilitas 25.3.17
Felicitatis diuinæ notiſsimum indicium 310.4.35. humanæ conſideratio 11.1.25
ad felicitatem perpetuam ſcala 433.1.36
Felicitate in hac vita, quib. frui permittatur 87.1.49
Felicitate peccantium nihil infelicius 357.3.54
Ferculorum, coquorum arte conditorum incommoda 445.4.17
Fermentum vetus purgare quid ſit 454.3.36
Ferro qui ſe iugulauerunt, an vitā oderint 337.2.25
Fides catholica vnde vniuerſalis dicatur 7.4.27. an vna ſit numero vel genere ibid. Chriſti vnde acceperit teſtimonium ſeq. vt ſit perfecta ſeptem ſunt neceſſaria ſeq ſine charitate an poſſit eſſe 6.1.14

Fides Chriſtiana vnde probetur eſſe veriſsima 363. 3.17. vbi deficiat 228.1.34
Fides formata neceſſaria 6.1.7
Fides humano non acquiritur ſtudio 445.1.42. homini quæ conferat 7.1.6. cur lumen à propheta appelletur 5.1.50. & ſeq. vbi meritum habeat ibid. pugnantibus tripliciter Chriſtum oſtendit & ſeq.
Fides recta 177.3.41. quæ ſola apud altiſsimum laudem promereatur 152.3.38
Fides ſola de inuiſibilibus & cęleſtibus ſcientiam pręſtat 289.4.50
Fidei & cognitionis differentia 445.1.35
Fidei charitas 282.4.49. confirmatio 8.1.35. commendatio 240.2.8. & ſeq. conſtantiæ exempla 385.1.46
Fidei Chriſtianæ veritatis efficacia 445.1.20. excellentia 183.4.1. diffinitio 5.3.20. firmæ duo neceſſaria 6.4.26
Fidei formatæ cõmendatio 5.3.22. fructus 282.4.26 gratia purificati conditio 426.2.38. fulcimentum 6.4.32. fundamentum ſolidum 123.2.11
Fidei informis duplex cognitio & diſtinctio 5.3.38. lumen vbi eluceat 385.2.24. merces perfecta 299.3.32. meritum quid poſsideat 223.3.1. noſtræ vota 346.2.14. oculo qui ventura proſpectent 352.1.49. oſtenſores, prædicatores, propugnatores 392.2.5. efficacia ibid. autoritas ibid. oſtium cui ſit apertum 92.2.37. pediſſequa 161.2.39. fidei perfectio vnde venuſtetur & cognoſcatur 9.1.35. coronæ regiæ aſsimilatur ibid.
Fidei recta regula 361.3.44
Fidei robur 17.3.15
Fidei & ſcientiæ differentia 332.3.2. & ſeq.
Fidei, ſpei, & charitatis vinculum 445.3.17. ſolidum fundamentum 148.2.12
Fidei veræ recta confeſsio 170.3.13. virtus virtutis commendatio duplex 5.1.4. & ſeq.
ex fidei virtute quanta bona homini augeantur, & quantum proficiat 6.4.40
Fidei vnitas vnde probetur 7.4.18. vnitatis commendatio ibid. vtilitates 6.4.40
Fidem Chriſtianam ſolam veram eſſe, quibus rationibus oſtendatur 6.4.20
in fide dubitantium itinera 243.1.3
in fide incipientium cibus, & exercitia 90.3.22. rudimenta ibid.
in fide perfectorum cibus, exercitia, gradus, inſtituta rudimenta ibid. proficientium exercitia ibid.
Fidelis quis dicatur 6.3.13
Fidelium opera ſolùm in extremo iudicio iudicabuntur 371.3.30
Fidelium vitæ ſocialis ſtatus 419.2.33
Fiducia infidelis 25.4.5
Fiducia in Spirituſancto vnde oriatur 158.3.20
Filius Dei qui nuncupandus 112.4.56
Filius Dei ad patrem profecturus, qualem diſcipulis exhortationem exhibuerit 144.4.38. quibus de cauſis carnem aſſumpſerit 464.3.1
Filij remuneratio 334.3.21
Filium Dei, hominem quid faciat 7.2.8
Filium Dei crucis ignominiam paſſum cur eccleſia dicat 148.4.37
Filij Dei qui merito ſint & vocentur 151.1.12
Filiorum Dei nota 117.2.20
Filiorum Dei gloria 443.3.25
Filiorum eſt cum exultatione domini percuſsionem tolerare 120.4.33
Filijs Dei quid in hac vita agendum 88.4.58. & ſeq.
Filios Dei à filijs diaboli quid diſcernat 17.2.20
Filios procreare & filias, ancillas gubernare & ſeruos dona ſunt Dei 370.2.32
Finis triplex 16.3.51
Finis in omni re videndus 48.3.26. eorum qui beatã vitam in fauoribus eſſe iudicarunt 83.3.30
Finis hominis naturalis 330.2.40. ſingulorum omnibus mortalibus ignotus 65.1.35. verus quis 447.3.58. & ſeq.
Finem, rationalis homo præmeditari debet, ad quẽ operum ſuorum intentionem dirigat ibid.
Flagelli diuini præconia 345.3.36
Flagella illata cur patienter ferenda 25.4.28
Flagitiorum omnium fons 319.1.3
Flens ad Deum nemo acceſsit, qui non, quod poſtulauit, acceperit 48.2.30
Fluuius voluptatis 1.2.30. aquæ viuæ ibid.
Fœderis tabernaculum 420.3.51
Fœminarum illecebroſa phantaſmata dormienti, an ſint peccato obnoxia 12.1.3
Fœminarum ſanctarum ad monumentum aduentus 223.3.14. forma ſpũalis virorũ in carne 417.3.42
Fortitudinis diffinitio 397.1.4
Fortitudinis ſpiritus in Chriſto efficacia 287.1.22
Fortitudinis virtus deſcribitur 110.3.54
Fraudes vbi componantur 313.2.6
Fraudulenti mala 388.4.32
Fundamentum totius exterioris hominis 128.3.7
Furor omnis ſanctitatis inimicus 106.1.30
Furoris deſcriptio & fructus 354.3.11
Furorem quid nutriat 66.4.20
Fur an æquo animo furetur 15.1.1
Furis metus & terror 382.3.20
Fures in eccleſia qui 391.1.25
Furari aliena quàm graue ſit crimen 382.2.31
Furtum quàm graue ſit peccatum 382.2.48. duplici contritione dignum ibid.
Furtorum inter homines origo 161.2.27
Futura tanquã pręterita prudẽti examinãda 94.4.36
Futura antequam fiant prænunciare, bonis & malis eſt commune 444.4.34
Futurorum cognitio vnde oriatur 49.2.53
Futurorum imago 320.2.1

G

Galea ſpiritualis 239.3.22
Gaudium domini 133.4.15
Gaudium ſpirituale quomodo præſtetur 327.2.54
Gaudium in Spirituſancto vnde oriatur 158.3.20
Gaudium in ſpiritu quid ſit, an quis nouerit 363.4.7
gaudio diuino quis dignus efficiatur 158.3.53
Gaudia cæleſtia quis ſperare poſsit 363.3.45
Gaudia interna cæleſtium promiſsionum, quibus communicentur 392.4.6
Gedeonis humilitas 41.1.34
Gehennæ filij qui 196.2.18. opera 467.2.54
Gentium vniuerſa multitudo ad fidem an fuerit conuerſa 149.3.38
Gentium à Dei cultu omnino alienigenarum reliquias

quias,cur dominus in medio populi Iſraelitici habitaſſe permiſerit 471.1.53
an Generatio aliqua ſine lege extiterit 255.2.16
Generationis ſpiritualis efficacia 336.4.6
Generationes præcedentium an ſocialem duxerint vitam 140.1.53
Genitricis Dei & domini noſtri commendatio
Genus humanum ad quid conditum 102.2.56. diuinum antiquæ nobilitatis penè ex hominum memoria deletum 107.2.17
Generis humani nobilitas 298.2.33.& ſeq conuitio 447.1.44
Geſta laudabilia virorum præteritorum plurimum proficere cupientes, ad virtutum prouocant ſtudium
Gladius ſpiritualis 243.4.17
Gladius ſpiritualis quem in terram dominus Ieſus miſit 321.4.26
Gladius bis acutus 420.4.54
Gloria inanis vbi polleat 313.2.10
Gloria futura,quibus reuelabitur 392.3.27. ſanctorum perfecta 124.4.7
Gloriæ diuinæ deprædator quis ſit 88.1.16. futuræ primitias,an iuſti in hac vita ſuſcipiant 92.4.58
Gloriæ incommoda 35.4.54
ad gloriæ ſubſtantialis gradum excellentiorem qui non aſcendant 86.3.50
ad gloriæ ſupernæ triumphum via
Gloriam Dei nemo impunè ſibi vendicauit
Gloriam Dei qui deprædentur
Gloriam Dei & hominum velle ſibi præripere, quã ſit deteſtabile 382.2.31
Gloriam & honorem in hac vita qui appetit, Deum neſcit, & ſemetipſum prorſus ignorat
ad gloriam introitus 16.1.58
Gloriam nemini licet appetere 383.2 & ſeq.nõ quęrentis certa indicia 41.4.35
Gloria ſempiterna dignus quis 61.2.14
Gloriandum qualiter & quibus ſit 433.4.2
Glorificati ſtolas vnde ſibi contraxerint
Goliam quid proſtrauerit 27.4.29
Gradus in eccleſia,cur ſint conſtituti 226.3.15
& aſcenſiones, quas diſponunt humiles in cordib. ſuis in hac lachrymarum valle 126.2.47
Gradus ſpirituales 285.4.36. à præceptore inſtituti 276.3.22.quos in hac lachrymarum valle,ſpiritualis homo in corde ſuo ſtatuere debeat 430.4.22
Gratia gratum faciens 186.2.2. generi humano gratis data Dei qui ſe priuent 152.1.31. naturam oppugnat 92.1.29
Gratiæ definitio 14.3.26. cæleſtis indicium præclarum 416.2.47
Gratiæ Dei appropinquãtis bonum ſignum 42.4.36
Deo ineffabiles,cur non reddantur 83.2.23. in nos deſcriptio 446.3.30
Gratiæ lex 293.2.2.lumen quis repellat 66 4.23.nõ eſt elatus capax 450.3.2
Gratiæ gratum facientis efficacia 264.1.2. excellentia 335.3.44.opera mirabilia 105.1.45. & ſeq. ſuæ exortem Deus neminem reddit 404.2.46
Gratiam ampliorem qui mereatur 28.2.12. nulli Deus ſubtrahit 92.4.2. Deus quibus impertiat 433.3.14.Dei amiſſã recuperãdi modus 292.2.23
Gratiam cæleſtem omnibus,non tamen æqualiter ſe communicare 82.3.31
Gratiam gratificantem. an quis mereatur ex cõgruo 335.4.16.homo ſibi collatã,cur amiſerit 403.4.6
de gratia Dei non eſt præſumendum 350.3.29
Gratiæ cæleſtes 124.1.4
Gratiarum actio 47.2.46
Gratiarum fundamentum 186.2.28
Gratiarum ſpiritualium multitudine qui ditentur 50.4.46
Gratias altiſsimo quis nõ obligetur reddere 364.3.21
Grex, Chriſti qualiter tractandus
Gulæ appetitus frænum 445.4.14. ingluuiẽ Chriſti ſeruis eſſe edomandam 78.2.11. inordinationis mala 35.4.45.inordinata voracitas quomodo cõpeſcatur 241.1.25. mala 354.1.54
Guſtus delectatio 457.3.41
Guſtum quid componat 239.3.20
Gymnaſium ſpirituale 321.2.44

H

Habentis Deum in hac vita conditio 17.1.43
non habitat Deus in manufactis 453.3.43
Habitare,manere in Deo quid ſit 8.3.32. ſecum in exercitatione ſpirituali quãti ſit momẽti 470.4.31
Habitare ſecum qui non aſſueſcit, fruſtra in adoptione virtutum deſudat in via Dei proficere cupientibus,quàm ſit vtile 469.2.15
Hab tantium ſecum conditio 471.3.34. & ſeq.
Hæreditas quæ certantibus in hoc mundo, in cœlo tribuatur 461.1.36.& ſeq.
Hæreditatis æternæ primitiæ 156.2.8
Hæreditate domini qui priuabuntur 23.2.25
Hæreſes qui condiderint 402.2.18
Hæreſum de vita futura opiniones
Hebræorum in Aegypto corporalis captiuitas, quid præfigurauerit 86.4.26. populus ad terram promiſsionis proficiſcens, cur cæleſti alimento nutritus ſit 392.4.18
ad Hebræis gentes alienigenas funditus exterminari cur Deus non permiſerit 471.1.37
Heliæ lapſus 282.1.7
Herbarum virtutis curioſa percontatio, vnde ſumpſerit exordium 214.1.3
Heſter ſobrietas 38.2.33
Hieremiæ oratio 46.2.33
B.Hieronymi Scala 291.3.7
Hieruſalem ſanctæ deſcriptio 431.3.17
Holocauſtum Deo gratum 119.4.46
in holocauſtis quæ fuerint præfigurata 134.2.49
Homicidium ſpirituale 314.4.24
Homicidiorum inter homines origo 161.2.27
Homo vt agnoſcat ſua mala,an doctore indigeat 88.3.52.cęteras creaturas quantum dignitate pręcellat 393.1.53. ex collatis ſibi à Deo beneficijs,obligatur ſuo autori obtemperare 405.4.44. qualiter à dignitate ſua naturali degeneret 152.1.13
Homo quibus rebus ad diligendum Deum excitetur 18.2.8. & ſeq.
Homo quomodo factus ſit malus moleſtus cur ſibipſi eſſe debeat 87.2.45. cur appetat naturaliter ad altiora aſcendere 480.1.37.in prima humani generis inſtitutione cur factus ſit 480.3.7 qualis à Deo factus ſit 403.3.46

Homi-

Hominis culpæ cum diaboli collatio 41.4.56. erudi-
tio atque erectio 411.1.28
Hominis exterioris & interioris conditio 329.4.10
Hominis interioris exercitia 84.2.44. & ſeq. in hac
vita conditio 465.3.18
Hominis lapſi reformatio 257.2.33. induſtria 440.
1.50. lugenda conditio 428.3.33. natura dupli-
ci fulget dignitate 100.4.5. opera qualia ſint de-
ſcriptio 439.3.30. originis cauſa & finis 129.3.36
& ſequent.
Hominis veteris expoliatio, quæ veſtem confert nu-
ptialem 422.4.14. virtus vnde decoretur
Homini malo an ſubeſſe debeamus 412.3.50
Homini quid ſit meditandum 19.3.57. vt pro ſuo ar
bitrio valeat & poſsit proficere in melius, aut in
deterius labi, an datum ſit 86.3.44
Hominem Deus qualem fecerit 9.4.31. cæteris ani-
mantibus cur Deus prætulerit 257.3.54. effici ta
lem quales ſunt cum quibus verſatur 42.3.26
Hominem de limo terræ, cur Deus formauerit 222.
2.39. quid iuſtificet 14.3.22. ad ſeipſum, quantis
quibuſque medijs Dei ſapientia reuocet, vt ſe co-
gnoſcat 437.4.4. vnicum & non plures, cur Deus
formauerit 21.3.30
Homines vani qui 124.8
Hominum genus ad quid conditum 102.2.36
Homines hominibus cur Deus voluerit eſſe prælatos
369.2.42. & ſeq.
ab Hominibus quid Deus quærat 434.3.26
Honeſtatem quid denigret 90.4.21
Honor & gloria nõ hominibus ſed ſoli Deo 382.3.56
ad Honoris veri cathedram aſcenſus 267.4.20
Honorem appetere in hac vita non licet 382.4.15
Dei velle perripere, quàm deteſtabile ſit ibid.
Honoribus qui ſponte renuncient 395.1.41
Honores quid vincat 7.2.40
Honoribus attoli, cur tam anxie homo deſudet 438.
3.38
Hortus concluſus 430.3.17
Hoſtia immaculata
Hoſtias pecudum ab hominibus Deus non quærit
434.3.26
Hoſtiis Deus qualibus promereatur 16.1.17
Hoſtis humani generis, opus difficile aggredienti aſ-
ſimilatur 66.2.30. pugnãdi cõſuetudo 389.3.54
Hoſtium humani generis, duo genera 232.2.29 nul-
lam expectanctis moleſtiam detrimenta 47.1.1
nos debellantium fraudes 237.1.33. Chriſti mili-
tum aſtutiç 442.2.16. & ſeq.
Hoſtiũ & pugnæ Chriſtianorũ deſcriptio 454.4.24
b. Hugonis Lincolnienſis vita 300.2.14
Humanitatis imbecillæ præſidium 98.4.10
Humiliate ſe nequiter explicatur 125.3.14
Humiliatio humanç ſaluti quã ſit neceſſaria 32.3.29
Humiliatio inuita 125.4.15
Humiliationis & humilitatis differentia 440.1.14
Humiliatiõis materia 439.4.14. pediſſequa 127.2.52
Humilis natura 188.1.3. veri ſtatus deſcribitur 448.
1.43. & ſeq.
Humili onus importabile, propria voluntas 256.3.5
Humiles qui ſint 40.2.35. dignitatis altitudinem ab
horrent 42.4.11
Humiles ſemper caſum verentur 108.4.54 à Dei ſa
pientia nunquam contẽnuntur 118.4.48. ſubeſſe
non preeſſe concupiſcunt 360.3.15
Humilium cordis quotidiana fercula 439.1.14 cur
ſus & meta 44.1.8. familiaritas humilitate parit
42.3.20. fructus 445.4.48. gloria 443.4.1. honor
450.3.33 mana abſconditũ 461.1.16. ſimplicitas
Deo, quàm peritorum tumor gratior 127.2.37
theſauri imprædabiles 460.3.43
Humilitas quanta commendatione apud Deum ſit
digna 433.2.21. cordis quomodo acquiratur 446
2.17. deſcribitur 256.3.24
Humilitas ficta 43.1.19. vnde generetur
quibus neceſſaria 450.25.4. qua ſedulitate ſectãda
40.3.51 & ſeq. plena, pfecta 42.2.35. eſt ſectãda
quæ in ſui vera cognitione fundata eſt 434.2.45
quàm ſit ſublimis & præcelſa 441.1.14 ſubiectio-
nem parit & ſui cognitio, ſicut ſolis ſplen-
dor & calor, vno ſunt vinculo copulatæ 439.3.5
Humilitas vera & ficta ipſiuſque exercitatio & per-
fectio 124.4.33 & ſeq. theſauro in ſublimi arce
collocato aſſimilatur 446.1.51. & ſeq.
Humilitatis acquiſitio 42.1.28. amator quis
ac virtutum amatores, exemplo negociatorum re
rum temporalium, in ſui debent cordis exercita-
tione, cognitione, atque cuſtodia ſemper milita-
re 437.4.47. & ſeq commendatio 49.2.32. diffini
tio 434.4.1 diſcipuli officium 446.2.40. doctrina
456.1. & ſeq effectus multiplices 41.2.1. excellen
tia verbis & exemplis Saluatoris noſtri, aliorumq́;
Sanctorũ nota 40.3.6. exemplar 456.4.23. & ſeq.
exemplum præcipuum ſeq. exemplum paſtorib.
imitandum 441.4.19. exempla 461.3.29. & ſeq.
Humilitatis fictæ opera 125.2.22. & ſeq.
Humilitatis fundamentum ſolidum 399.4.38. funda
mentum, quib iaciatur 437.4.40 ſtabile 470.2.17.
gaudia 290.2.8. genus primum ſecun-
dum ibid. tertium ſeq. gradus primus 43.3.29. &
ſeq. ſecundus ibid. tertius ibid. quartus ibid. quin
tus ibid. ſextus ibid. indicium 42.3.51. indicium
approbatum 448. teſtimonium inſigne 42.4.14.
locus pacatiſsimus lux vnde emicet
95.3.18
Humilitatis beatæ Mariç cõmendatio 41.1.6. & ſeq.
materia ſeq. norma 385.2.23. perfectio 40.2.57.
perfectio ſumma 40.3. per totam ibid.
Humilitatis perfectæ habitus vbi perficiatur 126.4.
35. exercitia ibid. præconia 387.2.31. & ſeq. præ
cipuum ſignum 42.3.14. regula vera 296.1.46
Humilitatis ſanctæ æmulator 255.2.46. certum in-
dicium 450.4.1. merces quanta ſit in hoc, & in fu-
turo ſeculo 460.1.51. ſanctiſsimç deſcriptio 40.1.
20. virtus ibid.
Humilitatis & ſapientiæ concordia 324.3.41. ſpe-
cies quadruplex 43.1.10. gradus ibid.
Humilitatis veræ deſcriptio 448.3.8. & ſeq. genera-
tio 457.3.2. præconia quæ in Chriſti miniſterio
pulcherrime elucent 181.3.50
Humilitatis virtus in hoc ſeculi ſtadio pugnaturis,
quàm ſit neceſſaria 88.1.46. Deo gratiſsima 434.
2.55. quibus cõſiderationib. nutriatur & creſcat
446.1.50. q ſit ſeruis Chriſti neceſſaria 452.1.44
per humilitatis virtutem ad Deum aſcenditur 453.
3.26 vtilitas 30.3.24
Humilitatẽ fingẽtiũ varia hominũ genera 448.4.27
& ſeq. ad ſalutem eſſe neceſſariam 111.3.25
ad hu-

ad humilitatem quibus conſiderationibus homo per uenire poſſit 41.3.52. vtrum quis poſſideat quibus indicijs cognoſcatur 42.3.20
qua humilitate Deo gratias debeamus agere 434.2. 23. & ſeq.
Hydropiſim ſpiritualiter pati 168.4.24
Hymnorum cantica, cur ſint in eccleſia inſtituta 362 2.20
Hypocriſis vnde ſumpſerint exordium 92.3.18
Hypocritarum genus execrabile 449.1.14

I

IAcob filiorum vitium 67.2.3
B. Iacobi Apoſtoli lapſus 281.4.50
Iactura omnibus communis 344.4.40
Iacturam ſpiritualem facile patitur, qui alienæ vitæ curioſus inquiſitor exiſtit 312.4.41
Iacula ignita 420.2.34
Ianua regni cælorum 440.4.41
Ianuæ ſeptem, per quas mors intrat, & dormientem, atq; ingratam interimit animam 438.4.20. & ſeq.
ad ianuá interioris hominis cur Chriſtus pulſet 467. 4.57. & ſeq.
Ideæ in Deo ante mundi conſtitutionem, an fuerint 124.1.46
Idolorum cultura vnde manarit 92.1.30. & ſeq.
Ieiunij bona 38.2.16. commoda 46.2.44
Ieſu nominis literarum ſyllabæ tantummodo prolatæ, an quid proficiant 263.2.1
Ignis qui ardet, nec conſumitur 395.1.1
Ignauiæ torporem quid expellat 241.1.29
Ignis inferni an ſpiritus cum corporibus cremet 116. 1.16
Ignis cũ caritate collatio 16.4.21. ſpũalis 457.1.27
Ignis columna, quæ in eremo, Dei populum pręcedebat, quid ſignificet 89.2.47
Ignem in terram cur dominus miſerit 71.1.54
Ignorantia damnabilis & confuſione digna 127.1.19 diſpenſatiua ibid. hominum opinione reprobata ibid. inutilis, ſed inexcuſabilis ibid.
Ignorantia ſui quàm ſit pernicioſa, quę in concitato animo dominatur 170.32.22. ſui oculos clauſos aperit culpa 455.2.37
Ignorantiæ craſſæ deſcriptio 119.2.30. & ſeq.
Ignorantiæ diuiſio 13.4.38. errorem quid detegat 119.1.37. genus peſſimum 127.1.36
Ignorãtiæ humanæ deſcriptio 111.2.40. mala
ex ignorantiæ ſeculo, quid mortales educat 89.2.40
ex ignorantia, detrimenta plurima cauſari 239.4.1
ex ignorantia ſui, quanta proueniant mala 434.4.12
Illuſionis ſpiritualis myſterium 202.3.17
Imago conuerſationis cæleſtis 441.2.43
Imaginis Dei in homine reformatio 127.1.15
Imaginẽ Dei in nos, quid reformauerit 260.2.30. eſſe, & ad imaginem eſſe conditũ differũt 480.3.51
in imaginatione cõtẽplatio quãdo verſetur 48.3.50
Imbecillitatis humanæ proprium & ſeq.
Imitatoris Chriſti ſtudia 257.1.22
Imitatoribus ſuis dominus ea promittit, quæ naturaliter appetuntur 336.3.28
ad imitatores Chriſti exhortatio 316.3.57
Immiſſiones ſpirituales quomodo intelligendæ 10 3.14. an in nobis fiant 326.1.54. earum impulſus diſcernere, quàm ſit vtile 470.2.25
Immortalitatis beatæ delectatio, quibus prærogetur 392.3.57. & ſeq. coronã q ſint pcepturi 294.4.54 gaudiorum genera duodecim 9.3.7. ſpes certa 130.1.47. ſtola qui donabuntur 139.1.41
Imperandi affectum dominus deteſtatus eſt 367.2. 34. autoritatem, cur homo amiſerit 195.3.55
Imperij Rom. dilaniati cauſa 471.1.13
Imperium hominibus quale Deus dederit 367.1.37
Impietatis tenebræ inde erumpunt, vnde iuſtitiæ lumen fulgere debuerat
Impiorum gaudij finis 168 1.32. de Dei operibus iudicia 408.2.43. & ſeq.
ex impiorum iuſtificatione laudabilis apparet Deus 54 3.52
Impiorũ mẽtis conuiuia 439.1.23. miſeria 236.3.27
Impiorum proſperitatis conditio 441.2 54
Impijs cur tpalia bona Deus tribuat 371.4.25. & ſeq.
Improbus quis cenſendus
Improbi indicium 42 3.49
Improuidus quis 24 2 22
Imprudentiæ magnæ indicium 14.1.19
Imprudentiæ mala 13.1.10
Imprudentiæ ſignum notiſſimum
Imprudentiæ notiſſimum teſtimonium 57.3.10
Imprudentium opera 238.1.18
Impudici indicium 42.3.48
Impudicorum conſortia eſſe aſpernanda 81.1.30
Impudicos & criminoſos, ſpirituales Deo promere iubilationes magni periculi rem eſſe 72.1.28
Incarnationis verbi cauſa potiſſima 287.3.51
Incauti ad interitum à dæmone, quomodo rapiãtur ſempiternum 297.2.6. & ſeq.
Incenſum ſuauiſſimum Deo qui adoleat 16.1.37
Inceſti ſacrificia Deus ab hoĩb. non quærit 434.3.27
Incentiuum concupiſcentiæ 465.4.50
Inceſtus principium 92.3.7
Incipientium in fide lex, vita tutã, doctrina cæleſtis, & experientia certa exercitia 454 3.33. inſtitutã, cibus 90.3.23
Incolæ in hac vita ſe agnoſcentis conditio
Incolarum huius ſeculi longanimitas 242.3.9
Incontinentiæ notiſſimum ſignum 317.1.46
Incredulitatis exemplum 164.2.12
Indifferentia
Indulgentiæ ingratus 30.4.56
Indulgentiæ ſolus Deus largitor 416.3.57
Indulgentiam pœnitenti Deus nõ denegat 355.3.12
Indumentum, cibum, potum, cur à nobis Deus requirat 301.3.47
Indumentorum precioſus apparatus, quorſum inuẽtus 448.2.8
Inexcuſabilis apud Deum quis 417.1.34
Inferni ignis an ſit corporeus 116.1.16. pœna ibid. locus ibid. oſtia referantur 220.3.23
Inferni ſupplicia 319.4 23. & ſeq.
In inferno degentium colloquia 343.4.28
Infidelis an ſit inexcuſabilis, ſi Deũ nõ diligat 18.2.16
Infidelium cogitatio 243.3.2
Infidelium & à Deo alienorum finis 85.4.7
Infideles in extremo iudicio, cur non iudicabuntur 371.3.14
Infidelitatis iudicium maximum 383.2.12
Infirmi & validi alimentum 320.3.45
Infirmorum interni motus 96.4.32
Infirmitas humana à paucis intelligitur 113.3.45

Infirmi

infirmitatis humanæ deſcriptio 369.2.3. medicamentum optimũ 65.3.16. myſterium & ſeq.
infirmitatis propriæ conſideratio triplex 118.1.51
conſcius 382.4.35
infirmitatis ſanatio
infirmitati humanæ immediatè operari non congruit 261.1.22
infirmitatem pro pœna peccati, Deus in ſuis permittit dominari 97.2.49
Infirmitates ex voluptatibus multa generari 38.3.26
infirmitates natura cur pati formidet 213.4.56
infirmitatum humani generis origo 262.2.4
infuſiones ſpirituales quibus pandantur 152.2.33
à quibus percipiantur 14.3.35
ingenij acumen quid obnubilet 200.4.57
ingenij humani ad opera Dei capeſſẽda imbecillitas 257.3.12. naturalis acumen, ad aerearum poteſtatum inſidias fugiendas non ſufficit 417.3.25. rudis expeditius aſſentit veritati, quàm qui perſpicacitatem habet intellectus 400.3.36
Ingratitudo malum grande, quæ maxime perfectionis retardat aſcenſum 398.2.20. quàm ſit perniciosa 448.3.50
ingratitudinis vitio, quis obnoxius habendus ſit 67.3.42.
inhumani an ad proximi dilectionem poſsint ſubditos hortari 251.2.24
inimicitias inter humanam & angelicam naturam, quis poſuerit 236.3.14
inimicus humani generis quot modis ſanctis ſtudiis aduerſetur 60.1.7
Inimici multifarii à quibus peregrinantes impugnãtur 87.2.1.& ſeq.
inimicorum noſtrorum triumphandi contra nos, audacia vnde roboretur 230.4.43. conditio, inſidiæ, locus 471.2.25. rabies quo armorum genere conteratur 88.3.19. ſpecies à quibus omne humanum genus in huius vitæ campo militãs impugnatur 232.2.20
Inimicorum ſpiritualium fraudes ſpiritualiũ nullus, niſi volens ſeruus efficitur 437.2.15. ſpiritualium ruina 429.2.11. qualitas quibus hominũ debellatur genus 232.2.4
Inimicis an teneamur inferre mala 121.4.51. quæ illis debeamus ibid.
Inimicos vincendi forma 121.4.40
de inimicis triũphare deſiderãti neceſſaria 243.1.54
Iniquitas quibus non ſit in ruinam 355.2.54
Iniquitatis exterminium 35.4.19
Iniquitates generis humani, cur omnipotens ſuſtineat 426.3.25
Iniquitatum omnium radix & receptaculum 110.2.5. & ſeq.
ab iniquitatibus quomodo mundemur 469.1.30
Iniquus ſibi non domino mentitur 196.4.43
Iniqui, lupis in quo ſint ſimiles 391.1.56
Iniquorum conſortia eſſe vitanda 234.3.33. proſperitas 168.1.21
ab iniquis quæ inique fiunt, diuino ſunt relinquenda iudicio 405.4.3
Iniuſtorum mortis qualitas 15.2.8
Innocens vbi opprimatur 313.2.9
Innocentiæ priſtinum decorem quid nobis exhibuerit 260.1.29
Innocentiæ cordis ac puritatis inſiſtentium conuiuia 438.4.48. & ſeq. indicium certiſſimum 130.3.40
Innocentiæ interioris teſtis 3.1.5. præco 162.1.11
ad innocentiã ſeruandã quid ſit neceſſariũ 225.2.53
Inobedientiæ reatui quoties quiſque obnoxius eſſe conuincatur 297.1.3
Inobedientiæ ſupplicio plectendi 415.1.10
Inobedientium vitium redarguitur 376.2.19
Inquiſitionis ſedulæ ſublime faſtigium 223.3.3
Inſani indicium 42.3.49
Inſipientium ſocietas 14.1.20
Inſipientium arma 390.4.52
Inſpirationis germen quoties præfocetur 260.1.18
Inſtituta Chriſti 442.1.30. diuina in quibus mẽs humana ſit occupanda 256.1.26
in inſtitutione noua accipienda, nullus ſibi credat 428.4.52
Intellectus vt ad Deum ſapienter diligendum peruenire queat, quot modis captiuetur 19.3.47
Intellectus humanus vnde acuatur 3.1.47. humanus quomodo in virum perfectum creſcat 363.4.46
Intellectus per quos gradus ad veri & ſummi Dei cognitionem prouehatur 91.2.11
Intellectus humani acumen, quomodo ſeducatur 170.3.39 certaminis ſtadium 423.4.11. & ſeq.
Intellectus donum vniuerſa naturæ humanæ ornamenta præcellit 400.1.40. & ſeq. inſtructio ibid.
Intellectus ſpiritus in Chriſto efficacia 287.1.28
Intellectus ſtabilitas 33.3.35
Intellectui veritas, quomodo ſe cognoſcibilem præbeat 136.3.33
Intelligentia quid ſit 12.2.52
Intelligentiæ rationalis virtus 330.4.10
Intelligentiæ ſpirituale lauacrum 129.1.4
ad intelligentiam Dei aſcenſus 120.2.5
Intelligentiam fides præcedit 332.3.9
Intelligẽtiæ ſpirituales quibus infundatur 152.2.33
Intemperantiæ iugum quàm ſit graue 390.3.35
Intentio animi quid ſit 84.2.38
Intentionis hominum ſcopus 135.4.42
Intentionis mentis prouida gubernatrix 130.2.15
Intentionis rectæ emolumentum 223.3.2
Intentionem rectitudinis in operando diſcernere, quàm ſit vtile 470.2.25
Intentionũ cordis Deus ſolus eſt cognitor 437.4.21
ad interitum homo non plaſmatus 330.2.40
Interpellandi Deum fiduciam, quando homo amiſerit 238.4.54
Intueri non licet, quod concupiſci non licet 39.2.39
Intuitus effrænati mala 317.1.18
Inuidiæ fructus & mala 354.2.50
Inuidię lethalis morbus, quomodo ſuperetur 41.1.26
liuor vbi facile reperiatur 62.2.33. morbum ſuaſione diaboli non egere 67.2.28. ſcelus immane ibid. vitium & mater 21.4.43
Inuitati omnes cur non ingredientur, diſcumbant & comedant 298.4.35
Iob oratio 113.4.55
Iob an innocenter humiliatus fuerit ibid.
Beatus Ioannes corporis reſolutionem, an ſine dolore ſuſtinuerit 260.1.39. & ſeq. carnis petulantiam quomodo domuerit ibid. angelicam dignitatem imitatus ſit ibid.
Sanctus Ioannes Baptiſta, cur lucerna eſſe dicatur 278.3.50

Ioannis Baptiſtæ commendatio 33.4.29
B. Ioannis integritatis commendatio 200.2.41
Ionam belluæ marinæ quid deuorandum expoſuerit 27.4.32
Ioſeph Aegypto, cur prælatus fuerit 336.2.44
Ioſephi charitas 103.1.12
Ira domini cur portanda 25.4.34
Ira oratione placatur 44.4.40
Iræ paſſio pernicioſa 106.1.56
ad iram animi excitari placādam medicamentum validum 205.4.28
iram Dei contra ſe, qui aduocet 75.3.37
Iracundi ad patientiam & manſuetudinem, an poſſint ſubditos hortari 251.2.24
Iracundiæ fremitus quomodo coerceatur 241.1.23
Irriſionis Chriſti vilipendium 252.1.38
Itineris comites quales eſſe debeant 452.1.43
Itinera vitæ ſpiritualis præclara 24.4.57
Iudæ deſperatio 187.2.37
Iudæ inhumanitas 191.3.30
Iudæ hypocriſis 186.4.52. ruina cui aſcribenda ibid.
Iudam proditorem quid interfecerit 30.2.24
Iudæi à veritatis pabulo ieiuni cur remanſerint 136.3.43. cur excuſationem de peccato ſuo non habeant 163.4.18
Iudæorum domus, cur ſit deſerta derelicta 165.1.39 & ſeq. horrenda nequitia 197.2.10. & ſeq.
Iudæorum ſacerdotum vitium 67.2.14
Iudex ſibiipſi, cur quiſque efficiatur 292.3.20
Iudicis extremi poteſtas 116.1.33
Iudicis oratio 388.1.30
Iudicem quid deceat 200.4.50
Iudices in populo Iſraelitico, cur Deus eſſe voluerit 369.3.5
Iudicum officium 200.4.54
Iudicat Deus non aliter, quàm ſecundum quod quiſque vixerit 65.1.27
Iudicat Deus nullum antequā de corpore exeat ibid.
Iudicare proximum nemini licet 350.1.5
Iudicabuntur omnes, in extremo iudicio, ſecundum opera 342.4.30. & ſeq.
Iudicium quid tollat 150.4.10
Iudicium diſcretionis 371.3.44
Iudicium duplex generale, videlicet & particulare 371.2.8. cur dominus voluerit hominibus eſſe ignotum 371.2.57
Iudicium extremum antecedentia concomitantia 3.3.58
Iudicium rectum qui proferre poſſit 389.3.47
Iudicium ſpiritualis hominis 84.2.7
Iudicij extremi conſideratio 3.3.59. deſcriptio 342.4.13
Iudicij ſalubris comminatio 196.1.28
Iudicio futuro, cur omnia incerta referuētur 91.4.16
Iudicio proprio non fidendum ſed eis cui conſulendi diuinitus, conceſſum eſt donum 88.2.34
in iudicio extremi ordinis differentia 8.4.25
à iudicio particulari nemo excluditur 371.3.38
Iudicia à corde ſunt ſolerter reſecanda 313.4.1
Iudicia diuina veneranda, non inueſtiganda 95.3.4
Iudicia Dei non curioſe rimanda 480.2.26
occulta ſunt veneranda 407.3.54
Iudicia temeraria 350.1.46
Iudiciorum diuinorum lumen, mortalibus inacceſſibile 173.1.40
Iudiciorum Dei arcana nulli fas eſt rimari
Iudiciorum Dei incōprehenſibilis altitudo 407.1.23
Iudit ſobrietas 38.2.29
Iugum Chriſti 293.4.5. quibus rationibus ſuaue ſit 18.1.38. quid ſuaue reddat 442.1.48
Iumentorum ſpiritus 312.4.32
Iumentis cur aſſimiletur homo 272.1.20
Iumentis inſipientibus qui comparentur 435.1.51
Iurgia vbi fiant 313.2.7
Iurgiorum in humana ſpecie origo 161.2.27
an iuſtificet mortales dominus, ſine vllo medio 358.1.49
Iuſtificari qui non poterit 2.2.2
Iuſtificationis altitudo, vnde penſanda 356.3.26
in iuſtificatione mortalium, quales homines Deus eligat 279.3.11
Iuſtificati hominis medicamentum quàm maximum 416.2.48
Iuſtitia quid ſit 322.1.20. vbi deprauetur 313.2.7 vnde pullulet 14.3.17
Iuſtitia regis 15.2.20
Iuſtitia virtutes omnes, cur circuire dicatur
Iuſtitiæ conſummatæ brauium 23.1.38. deſcriptio 14.4.17. diffinitio 14.4.3. diſciplina 446.1.35 eſuries felix excellentia quibus effectibus luculenter appareat 14.3.39. ibid.
Iuſtitiæ fructus 424.1.12. libra vna corā Deo 256.1.34
Iuſtitiæ opus 405.3.42
Iuſtitiæ in Chriſto opera 378.2.3
Iuſtitiæ operū conſideratio 3.2.58. regula 110.4.39
Iuſtitiæ veræ curſus & perfectio 16.1.4
Iuſtitiæ veræ opera 15.2.1
Iuſtitiæ vbi nullum ſit veſtigium 28.1.4
Iuſtitiæ virtus quot comprehendit in ſe virtutes, quę ordinant ad proximum, ad ſeipſum, & ad Deum arti aſſimilatur 15.2.50
Iuſtitiæ virtutis diuiſio ibid. virtutis ſplendor & effectus ibid. zeli exempla 387.1.7
Iuſtitiæ qui aduerſaſ, nō valet eſſe iuſtus. 358.3.20
Iuſtitiam ſeruare dupliciter à natura ſcilicet, & à ſcriptura admonemur 14.4.40. veram qui habeant
Iuſtus quis appellari poſſit 14.4.35
Iuſtus quis rectè cenſendus 322.1.22
Iuſti in hoc mundo conditio 315.1.17. gubernaculum 17.2.55
Iuſti memoria 320.2.28. imitātis Chriſtū regula ibi.
Iuſti mors qualis 15.2.3
Iuſto quædam communicantur, quę alijs communicare non licet 381.3.49
Iuſtum virum quid deceat 110.4.39
Iuſti qui 289.1.42. conſolari & proſperari, cur reformident an Deum poſſideant 130.1.52
Iuſti omnes & veritatis profeſſores, cur à mūdi amatoribus perſecutiones perferant 163.2.9
Iuſti quare tentari permittuntur, & quomodo contra vitia ſingula pugnent 321.4.1
Iuſtorum cōuiuia ſecreta, quā delectabilia 363.2.35 corda quàm ſuauiter verbi Dei reficiātur eloquio 140.4.13 & ſeq. fletus finis 168.1.17. intentio ordinata 140.2.46
Iuſtorum conſummata iuſtitia 166.2.53

Iuſtorum merces futura 220.4 44.& ſeq.
Iuſtorum miſericordia
Iuſtorum opus 234.1.16.in petitionibus error 281.4.30
Iuſtorum preces quantum proſint eccleſiæ 426.3.45. tormentorum immania genera paſſi 155.2.53. & ſeq.
Iuſtorum omnium votum ſimile,æqualis conſenſus.407.1.38
Iuſtis omnia cooperantur in bonum,explicatur 224.4.42
Iuſtis qualiter merita compenſentur 92.4.34

L.

LAbia circuncidenda 314.4.34
Labor quis laudem mereatur 28.3.28
magnus,ſed laboris merces maxima 467.3.38
Laboris præmium ab operis perſeuerantia non ſeparatur.
Laboris temperatio 215.3.43
Laborem in hac vita breuiſſimum, maxima recompenſari mercede 95.1.11
Labores inordinatos eſſe fugiendos 39.2.8
ad labores huius peregrinationis tolerandos,optimũ præſidium 394.2.26
in laboribus,cur Deus iuſtos comitetur 224.4.53
Lactenutriendis quid meditandum 93.4.36
Lacrymæ humilis potentia 48.2.29
Lætitia præſentis temporis quomodo agenda. 3.2.28
Lætitiæ cauſam Deus ab angelis aut hominibus, nullam percipit 308.4.39
Languidus ſpiritualis, ægroto corpore aſſimilatur 369.2.2
Lapis exciſus de monte ſine manibus, quando apparuerit 258.2.19
Lapidi honoris exhibiti origo 92.1.33
Lapidum præcioſorum ordines nouem,prophetico ſermone deſcripti
Lapſi hominis reparatio 257.2.33
Lapſum frequentem,& conſiderationem,propriam ſpiritu triſtitiæ aſſuetis eſſe pernicioſam 71.1.2
Laquei omnibus parati 344.4.43
Laquei venantium ſpirituales 281.4.9
Laqueis,deſperationis furore, qui ſe ſuſpenderunt, an vitam oderint 337.2.26
Laqueis in homine cuncta ſunt plena 437.2.35
Laſciui indicium 42.3.48
Latria quid 15.3.32
Laudationis harmoniam omnia,quamuis in naturis contraria,efficere 99.2.23
Laudis diuinæ efficacia 137.3.34
Laudis perfectæ regula 309.3.50
Laudis ſacrificium, non beſtiarum Deus a mortalibus optat 341.2.48
Laudem qui captat humanam inaniter laborat 286.3.16
Laudibus diuinis inſenſibilis quis 96.4.38. & ſeq. qui interſunt & Deo pſallunt,quales eſſe debeant,& quod plurimum congaudeant ſancti angeli in alacritate pſallentibus. 71.4.51
B. Laurentius Iuſtinianus, Dei in ſe miſerationes referat 30.4.7. agonis Chriſti formulam, cur ſcripſerit. 178.1.43
B. Laurentio Iuſtiniano ſapientia Dei quomodo apparuerit 171.3.20
Leuia ex longo vſu fieri difficillima 97.4.30
Leuiathan quid terreat 241.4.38
Lex Dei an cunctis debeat eſſe nota 158.4.53. & ſeq.
Lex duplex mortalibus inſtituta 293.1.47. fraternæ dilectionis,cunctis Chriſti membris impoſita 140.1.12.naturæ,cur vnumquenque in corde conuincat 405.4.55. peccati & condemnationis, à qua nemo præter Chriſtum excipitur 427.3.26. & ſeq.in tabulis lapideis, Dei digito cui ſit exarata 403.4.35.
Lex triplex mortalibus à Deo prærogata 402.4.4
Legis diuinæ cuſtodia. 240.2.37. notitia vnde habeatur. 96.2.28. æmulatorum doctrina.142.3.20. & ſeq.
Legis naturæ effectus. 402.4.7
à legis obedientia,neminem excludi. 255.2.16
abſque legis obedientia nulla generatio ſaluabitur. ibid.
Legis obſeruatione, homo Deo reconciliatur. ibid. peccati incommoda. 471.3.14. & ſeq. & prophetarum præcepta vniuerſa, ſub legem charitatis & gratiæ redacta. 404.2.18. ſcriptæ vis ibid. temporum omnium vnus effectus. 336.1.53
Legi diuinæ,qui non obtemperant,Deum oderunt.
Legi peccati,an quis velit nolit, ſit ſubſtratus. 235.2.27
Legem adimplere qui poſſit. 16.2.34. cur Deus dederit. 92.3.56
Legem diuinæ ſapientiæ non eſſe imponendam. 98.1.7.qui ſolicitius perficiat. 255.2.31.ſeruantibus, cur remunerationis mercedem Deus promiſerit. 92.4.20
Lege charitatis ſola,ſalutem conſequimur. 404.3.44
Leges ad quid diſpoſitæ. 200.3.45
Legum ſanciturum cauſa. 26.3.18
Legibus,an à Chriſti fidelibus,ſit obediendum humanis.
Lege qui aboleat. 200.4.55
Libamen domino maximum. 285.3.20
Libatio grata. 137.3.35
Liberalitatis vtilitas. 20.3.21
Liber vitæ. 456.2.24
de libro vitæ qui deleantur. 206.2.14
Libri ſacri an veri ſint,qui dubitent. 65.2.8
Liberi & propinqui quomodo diligendi. 359.3.14
à liberis & propinquis, qui iuſto Dei iudicio obliuioni tradantur. 359.2.34
Liberi per Chriſtum facti, an ab eo deficere poſſint. 89.1.9
Liberum arbitrium, cur Deus homini præbuerit. 109.2.40. an à Deo trahatur: 336.3.4. mutandi potentiam, nullus mortalium ſibi vendicet. 265.1.48
Liberi arbitrij dignitas: 334.4.51. vnde commendetur. 156.4.14. dignitatem, quatenus homo delinquendo amiſerit. 219.1.7. & ſeq. ſedes. 437.2.11. virtus an ſalutis, vel propriæ dominationis efficiatur cauſa. 292.1.15
Libertas deteſtanda. 460.3.15. vera quæ cenſenda. ibid.
Libertatis aut condemnationis iudicium, qui non aſſequantur. 27.4.6
Libertatem fugit humilitas. 256.3.3
Libertatem Chriſti veram eſſe appetendam. 55.1.49
Libidinis fomes. 465.4.50. fuga quomodo perficiatur. 241.1.21
Libidinum incendia,cohibentis priuilegia. 260.4.3
Libidines quid refrænet. 110.3.33
Ligandi atq; ſoluendi poteſtas,vbi nihil operetur.380.4.11
Lignum ſcientiæ boni & mali. 1.2.28. vitæ ibid. in paradiſo. 19.4.11
Lignum vitæ quibus ſit. 12.4.3
Ligni vetiti delicta,per lignum crucis donata. 287.4.19
Ligni vitæ fructus. 1.3.2
in ligni vitæ fructibus quæ virtus tertium gradum promereatur.14.3.10.quartum ſortiatur. 23.1.37
in ligni vitæ fructibus, quæ nam virtus ſecundum locum teneat. 12.1.23. quæ virtus quintum locum teneat. 26.2.45.& ſeq.ſextum ibid.ſeptimum ibid. octauum ibid. nonum ſeq.decimum ibid. vndecimum ibid. duodecimum teneat locum. ſeq.
Lignum vitæ fructuum locum vltimum, quæ virtus poſſideat. 49.2.1.& ſeq.
in ligni vitæ ordine, fructus tertius & quartus. 16.2.9.& 22
Ligni vitæ radicis effectus, quæ virtus gerat. 5.1.40. fructus immarceſſibilis. 12.1.12
Ligno honoris exhibiti origo. 92.1.33
Lingua refectionis tempore,quibus religanda. 78.4.55
Linguæ effrænis mala. 69.2.1. & ſeq. intemperantia prudenter

denter proficientibus cohibenda. 314.2.37
ex linguæ lapſu maxima oriri Chriſti ſeruis detrimenta. 69.1.3
Linguæ loquacis mala. 234.1.40
Linguæ oſtia quando apperienda
Linguæ pernicies inquietum malum, nequitiarum riuuli. 69.2.10. prudenter exercitatæ præconia. 376.4.43
Linguam optimè compeſcit humilitas. 324.1.58. taciturnitati prius quàm ſermocinationi aſſueſcendam. 106.3.23. ab vtilitatibus interdum ſermonibus cohibendam. ibid.
Linguarum diuerſitas in mundo, cur exorta ſit. 453.3.15
Linguoſus, ad malum ſemper pronus, & ruinæ propinquus. 506.3.35
Literæ intelligentiæ, veritatis in ſacris ſcripturis apprehenſio. 136.3.48
Literales lex. 293.2.10
Litium inter homines origo. 161.2.27
Liuoris infirmitas hominibus inſanabilis. 67.1.32
Liuorem fraternæ proſperitatis ſuperandi ratio. 321.4.23
Loci ſtabilitatis & mobilitatis effectus. 33.3.54
Locutionis inconſideratæ peſtis. 69.4.35
Longanimitas deſcribitur. 242.2.30
Longanimitatis Dei erga peccatores deſcriptio. 406.1.15. & ſeq.
ad longanimitatis tolerantiam exhortatio. 242.4.33
Loquacitatis inanis, & præſumptuoſæ mala. 69.2.54
Loqui qui rectè ſciat. 13.4.7
Loqui publicè quos deceat. 69.3.38
Loquendi benè regula. 160.4.52. materiam indeficientem ſeruos Dei inuenire. 70.2.53
ad loquendum effrænatio remedia. 315.2.3
Loth commendatio. 233.4.47
S. Lucæ doctrina. 292.4.7. & ſeq. mortis locus. ibid.
Lucernæ, pedibus ambulantium huius vitæ iter perlucidum exhibentes. 274.2.23. ſpirituales. 456.4.49
à lucta ſpirituali qui remouendi. 471.2.52
Luctatores eximij in profectorum numero cenſendi. 237.2.34
Lugentium in altera vita præmium. 94.3.20
Lumen diuinorum iudiciorum mortalibus inacceſſibile. 173.1.40
Lumen fidei formatæ. 445.1.30
Lumen verum à quibus ſit viſum. 89.4.43
Lumen Chriſti effectus. 89.3.23
ad lumen trahi, & in lumine à Deo differunt. 458.1.14
de lumine in lumen qui proficiſcatur. 91.3.52
Luminaria ſpiritualia, quibus illuſtratur & decoratur eccleſia. 374.1.50. & ſeq.
Lux quid ſit. 138.3.49. matutina, meridiana ibid. duplex, ſolis & ſapientiæ. 436.1.30
Lux naturalis æternæ aſſimilatur. 276.4.46. quàm ſit neceſſaria. 417.3.14
Lux ſpiritualis quomodo oriatur cum occaſum in ſe neſciat ibid. in hac vita peregrinantibus neceſſaria ad cordis munditiam. 467.3.47
Lux veſpertina. 360.2.10. veritatis æternæ, ab reprobis impertiatur. 458.2.12
in lucis angelum, diabolus quibus ſe transfiguret, & vitia ſub virtutum ſpecie ſuadere continue nitatur. 66.1.35. beatorum præſentis & futuræ declaratio. 458.5.45. & ſeq.
Lucis diuinæ commendatio. 89.2.57. & humilitatis familiaritas reciproca. 457.2.51. excellentia, quæ à mundis corde cernitur. 164.2.41. increatæ excellentia quæ humano non poteſt explicari eloquio. 458.8.1. & ſeq.
Lucis matutina excellentia & effectus. 467.3.46. meridianæ efficacia. 361.3.10. ſpiritualis excellentia, & qualiter ad ipſius perueniatur notitiam. 88.3.46. & corporalis vtilitas. 457.3.17. temporalis virtus. 164.2.49. veræ fructus. 89.2.2
Lucem veritatis habentium ſigna. 136.4.14. cuius homini Chriſtus non ceſſat infundere
Lucem munibilem, quibus Deus oſtendat. 10.2.3
Luciferi caſus lapſus. 460.2.
Luxuriæ delicta deteſtabilia. 354.8.9. & ſeq
Luxuriæ maculas tergendi ratio

M

Macerationem carnis Deus ab hominibus non quærit. 434.3.3
Magiſtratus ſeculares precibus mendicare eſt imprudentiſſimum. 470.1.1
Maieſtatis diuinæ præclariſſimum ſpeculum. 175.1.8
Maieſtatem cœleſtem ac ſe accedentes fouere. 71.1.3
Maledictorum figura. 212.8.5
Malignitatis effectus. 197.4.5
Malignorum oppreſſiones, æquanimiter ſunt ferendæ. 405.4.11
Malitia crudelis, & deteſtanda. 27.3.4
Malitiæ, quæ nullam mereatur veniam, deſcriptio. 302.3.33. & ſeq.
Malitiæ inuentor. 62.4.
Malus an poſſit eſſe excuſabilis. 335.5.8
Malum, hominem per ſe poſſe, non autem bonum, ſine Dei adiutorio. 107.2.4
Mali Deum quomodo perſequantur. 163.2.1
Mali an ad libitum malum perficiant. 201.2.
Malorum vita deteſtabilis, iuſtis oneroſa. 233.4.1
per malos Deus loquitur. 148.2.2
Malum vnde emanarit. 335.1.3
Mala bonis, & bona malis, in hac vita à Deo, cur irrogentur. 371.4.15. & ſeq
Mala præſentia quem non corrigunt, ad ſequentia perducunt. 25.1.10. ſua qui ament. 11.2.41. omnia terrena Chriſtiano ferenda. 26.5.2
Malorum omnium cauſa potiſſima. 50.4.30. origo. 395.1.2. remedium. 29.3.16. omnium radix ſeminarium 418.3.58. vltimum
ad Mala vitæ præſentis, æquanimiter perferanda exhortatio. 471.3.4
Mandatum dulcedine & delectatione plenum. 142.4.20 & ſeq. mercede exuberantiſſimum. ibid
Mandatum vetus quando infirmatum. ibid
Mandati Dei tranſgreſſionem, non eſſe graue peccatum cur multi ſibi ſuadeant. 427.2.1
Mandati ſanctio, cur ſtatuta ſit. 140.2.19. Deum & proximum diligendi declaratio. 477.4.4
Mandato nouo, fueritne aliquid ſimile in vniuerſa veteris legis lectione. 140.1.34
Mandatum domini qui poſſit perficere. 16.2.33. mandata cur contemnantur. 250.1.44. prohibitionis, & præceptionis. 403.2.1
Mandata ſpiritualia. 272.1.58. an ſint alia religioſis, quàn ſecularibus propoſita. 424.2.2
Mandatorum obſeruantia, ad beatitudinem tendere deſiderantibus, eſt prorſus neceſſaria. 414.2.47. ſine quo nemo faciem Dei ſibi placatam videre merebitur. 474.3.3. & ſeq.
Mandatorum traditorum cauſa. 26.3.1
Manna abſconditum. 14.3.36. & ſeq. cœleſte. 428.3.58 ſpirituale ſuauiſſimum. 386.3.58. à ſuauiſſimum. 307.3.2
in Manna quæ fuerint prænotata. 134.2.4
Manſiones in cœlis, an locis ſint diſtinctæ. 145.3.
Manſiones in domo patris, cur ſint multæ. 274.4.2
Manſuetudinis definitio. 22.1.48. exemplar. 459.2.5
Manſuetudinis vtilitas. 20.3.1
Manſuetorum merces. 364.2.4
Manſuetorum, & humilium vota. 446.1.2
Manuum circunciſio. 262.4.3

B. Marcus,

b. Marcus cur leonis gerat imaginem 274.1.52
ſuper Mare mundi huius qui ambulare poſſit 2.4.24
Margarita præcioſa 468.1.49
Mariæ Magdalenæ fidei commendatio
Mariæ Magdalenæ fides 280.4.44. & ſeq. ſpiritualis reſurrectio ibid.
b. Maria an concepta ſit ſine originali peccato 97. 2. 53. 154.2.48. & 463.1.40. 287.2.3.
Beata virgo Maria, à filio quid didicerit 41. 1. 16. genuit Chriſtum mente & corpore 258.3.58. an quem genuerit Deus verus & homo fuerit 286. 4. 36. genitrix, cur Dei nuncupetur ſeq. manna ſuauiſſimum in ſe continuit 286. 3. 54. cur purificationis legem impleuerit. 265.4.19
B. Mariæ beatitudinis cauſa 6.2.1. virginis donorum enumeratio 101.3.22. fidei commendatio 265. 4.33. virginis gratiæ commendatio 267. 4. 50. & ſeq. ſanctitatis commendatio. 265.4.47
B. Mariæ Chriſtus, cur obtemperauerit 409.3.31
B. Martini perfectio 295.4.17. vitæ inſignia ibid.
Martyr ſine ferro moriens ibid.
Martyres cur fuerint coronati 336.2.46. ſine ferro & flamma, quomodo eſſe poſſimus 24.1.12. ſeculum, cur ſpreuerint 272.3.28. ſupplicia tanta, cur voluerint perferre 363.4.47. cur tot & talia paſſi ſint 7.2.54. tormenta illata quando ſuperarit 99.4.34. voluntate non actu qui 261.4.23
Martyrum ac ſanctorum agones, cur in eccleſia recitentur 344.4.13. Chriſti geſta enarrantur 471.3.44. & ſeq. facta fortia 99.2.38. & ſeq. geſta pijs ſunt conſideranda 285. 1.45. mentes emollire ac flectere, quo medio diabolus curauerit 66.3.25. victoriæ cauſa 282.3.2
Martyrum ſanctorum virtutis & conſtantiæ origo. 394.1. 1. & ſeq.
Martyrij certamen concupiſcere, cui ſit facile 261.4.57
Martyrij genus inſigne 283.1.42. genera tria 261.4.26
B. Mater Chriſti de omnibus quæ ad interioris hominis compoſitionem, morumque pertinent grauitatem, vnde informata ſit. 258.3.55. & ſeq.
Matris cum charitate comparatio 16.4.47
Matrem tantum vnam in carne Chriſtus habere voluit, multas in ſpiritu, cur velit 441.1.45. & ſeq.
Matrimonij inſtitutio 31.2.22
Matthiæ & Berſabę ad apoſtolatum electio 267.2.30
Medendi peritia, vnde ſumpſerit principium 214.1.4
Mediator noſter an aliquid ignorauerit 103.4 6. ceruo aſſimilatur 473.2.25
Mediatoris Chriſti agon triumphalis 177.1.3. ad paſſionis ſupplicium perferendum magnitudo 188.3.1
Mediatoris noſtri manſio 290.4.50
per Mediatoris Chriſti naturam viſibilem, qualiter mediante fide, homo ad inuiſibilia ſit prouectus 229. 4. 38.
Mediatoris officium 90.1.47. zelus & poteſtas 103.1.53
Medicamentum ad detergēda ſcelera optimum 423.4.15
Medicus verus 226.4.36
Medicorum cum animæ paſtoribus comparatio 60.1.55
Meditatio 47.2.21. eius genera tria & ſeq.
Meditatio omni Chriſtiano neceſſaria 446.3.46
Meditationis attentæ fructus 130.1.39. & ſeq.
Membrorum Chriſti concordia 248.2.1. & ſeq.
Membrorum corporis & proximi dilectionis ſimilitudo 22.4.58. corporis concordiæ deſcriptio 368.1.36
Membrorum eccleſiæ officia 42.3.29
Mendacis pœna 314.3.38
Mendicare, incumbente neceſſitate, leges conceduor 382. 3.10
Mens carnalis ſpiritualis intelligentię myſteria non capit 136.3.45
Mens eleuata ſupra ſe, in noptialem cæleſtis ſponſi introducitur thalamum 381. 3.44. hominis, quomodo efficiatur mala 262.3.44. humana delicijs temporalibus aſſueta; quomodo illis ſe priuari patiatur 58.1.55. humana in pœnis, quibus fiat hilaris 238.3.43. inquieta, ſermonibus ſapientiæ, an erudiatur 145.1.50
mens quibus inſtauretur 2.3. 10. inuiſa & noua, cur ſemper quærat 211.3.55. ſapientiæ ſplendore, quando fulgeat 257.1.50. lumen veritatis, quomodo percipiat 59. 2.22. quomodo moriatur 11.4.4. polluatur ibid. mundialibus negocijs inuoluta, mari turbato aſſimilatur. 373.3.37.
mens quando optime occupetur 137.3.52
mens pia ſolis claritati aſſimilatur 265.3.30. quomodo roboranda 3.1.30. à ſoliditate quando non decidat 94.4.38. veritatis lumine irradiata 239.3.27. voluptatum amatrix quibus exaggeretur incommodis 11.1.43
mentis abſcondita, cuncta quid manifeſtet 31.1. 11. affectio diligenter examinanda 127. 3. 28. ſtatus circunſpectè componendus ibid. charitate affectæ qualitas 16.4.25. claritas qualiter reformetur 129.1.10. contritæ ſacrificij fructus diſciplina 130. 2. 13. orationis funiculus, ibid. diſperſionis coaduuatio 44.4.55. domicilium qui per inanes cogitationes deſerit, cui aſſimiletur 469. 2. 16. & ſeq. in elatione ruina 29.4.2
mentis eruditæ robur 71.1.5. exercitia in quibus ſe occupant qui ſpiritualem ſolitudinem poſſident 328.2. 19. & ſeq.
in mentis habitaculo, quando vitiorum contentio oriatur 251. 4.10. & ſeq. mentis hebetudinis origo. 38. 2, 12
mentis impudicæ ac frigidæ indicium 120.4.22. reprobæ ibid. impudicæ indicium notiſſimum
mentis innocentia, pro aliorum commodis, ne perdatur cauendum 108. 4.10. lumine cur homines careant, ſui Deique cognitionem amittant 289. 4.38. & ſeq. oculum quid obnubilet 66.4.22. ad orationem diſpoſitio 46.1.43. pacatæ virtus & indicium 51.3.33. prauę mala 33.3.20. ſoliditatis vera indicia ibid.
in mentis pomerio contemplationis receptacula quis ædificare valeat 110.1.54
mentis pugna quàm corporis laborioſior 283.3.50. rationalis cibus proprius 136.4.33. ſplendore veritatis illuſtratæ felicitas 457. 4. 28. tentationes variæ 111. 4. 45. tranquillitas 293.4.41. temperatiuæ virtutæ, decoratæ fructus 110.3.36
menti ſuæ qui imperare nequit, Deo nunquam poterit eſſe ſubiectus 291.3.36
menti ſuæ qui imperare nequit, Deo nunquam poterit eſſe ſubiectus 291.3 46
mentem quid conſeruet 2.4.21. ad contemplanda cęleſtia gulæ appetitu impediri. 38.1.25. qualem dominus diligat 58.2. 42. qualem omnipotens dignanter inhabitet 279.2.13
mentem ſimplicem a domino viſitari 74.4.50
mentium arcana qui curioſe percunctatur, ſpiritualiter iudicare ſe neſcit 313.4.13. diligentium Chriſtum interna ſolatia 239.3.50
mentium iuſtarum de legis diuinæ autoritate teſtimonium 86.4.56
mentium magnarum exercitia 430. 1. 36. opus 108.4.42. eſt voluntarium contra ſe bellum indicere 235.3.32
mentium Sanctarum proprium 193.1.18
mercatorum ſtudium, pijs in ſpiritualibus imitandum proponitur 437.4.44
merces certaminis 94.4.12
merces æterna ſine exercitationis promptitudine non acquiritur 261.2.31
merces ſempiterna, an gratis donetur ſpiritualis iuſtorum peregrinantium 91.4.23
merendi per carnis conſumptionem copia adimitur 86.4. 25. virtus vnde generetur 335.3.31
merendi ſeu demerendi occaſio ſeq.
ad merendum tempus, quibus deſit 319.3.57
meritume ſit Chriſtus tanquam homo & Deus 479.1.40

Meritum quid augeat. 16.4
Meritum omne & demeritum, vnde procedat. 410.3.53
Meritum omne generis humani. 404.3.3
Meritum gratiæ qui euacuet. 27.4.2
Meriti ſublimitate qui priuetur. 239.1.8
Merita an diſcernantur ex dignitatibos aut gradibus. 226.3.16. omnium ex perſeuerantia iudicanda. 98.1.53. vnde originem habeant. 173.3.8
Merita ſingulorum, vnde cauſentur. 355.1.42. vnde defluant. 181.3.34
Meritorum noſtrorum cauſa efficiens. 173.3.17. principium & finis. 120.4.11. ac demeritorum ſtatera æquiſſima. 95.4.31. occaſio. 479.2.45. officina. 161.2.38
Merita hominum cuncta, cur Deus reliquerit his incerta. 104.3.39
Metallo honorem homo, cor exhibuerit. 92.1.33
Metus damnabilis. 30.3.5
Metuentium Deus animus. 265.3.46
Michaelis de ſpiritibus apoſtaticis victoria. 290.4.1. principatus. ibid.
Miles Chriſti quid agere, & qualiter in ſpirituali certamine ſe habere debeat. 190.4.21
Miles ſpiritualis viribili aſſimilatur. 391.3.50
Militis Chriſtiani exercitia. 56.1.15. generoſi deſcriptio. 472.3.55
Militi ſpirituali nihil æſtimandum difficile. 429.2.22
Militem ſtrenuum quæ efficiant.
Militem Chriſti quid commendabilem reddat. 94.4.8 ad pugnam pergentem quæ delitate faciant. 70.3.51. quæ virtutes in ſtadio probent. 467.1.12. & ſeq.
Milites Chriſti aſſimilantur. 425.4.46
Militum Chriſti aduerſarij
Militum Chriſti arma. 95.4.44. & ſeq. munita præſidia. 76.3.56. in pugna ſpirituali gradus. 386.2.4. & ſeq. præclara victoria. 354.4.43
Militibus Chriſti pugnandi neceſſitas indicta. 442.2.1
ad milites Chriſti exhortatio. ſermo. 452.4.55
Milioa ſpiritualis deſcribitur. 326.2.50. & ſeq.
Militiæ Chriſtianæ arma. 100.3.29. ſtipendia. 418.2.13
Militiam Dei aggreſſus caueat, ne repentè ſe ad exteriora exercitia transferat. 79.3.30
Militare Chriſto in ſpiritu volentium exercitatio. 251.3.23. & ſeq.
Militare duobus contrarijs ſimul non poſſe. 79.2.25
Militantes Chriſto, quibus ſpiritualibus ſtudijs ſe exercere debeant, vt ad perfectionis faſtigium attingere queant. 85.1.54. regum mortalium miniſtris conferuntur.
Militantium Chriſto, & triumphãoum conditio. 57.1.26
Militanoum Chriſto officium. 61.3.34
Militanoum non rectè Chriſto quadruplex ſpecies. 202.1.13. Chriſto ſtrenuè quanta ſit lætitia. 363.3.7
militantium in Eccleſia tria genera. 1.3.27
Militantium regi æterno ſtudium. 72.1.10
Militantibus Chriſto qualis debeat eſſe extrinſecus, & intrinſecus humilitatis diſciplina. 256.2.54. longanimitatis opportunæ præconia. 242.2.30. in hac peregrinatione ſpiritualia non deſunt ſolana. 392.3.28
Mllirantibus Deo, diſcretionis regula tenenda. 318.3.27
Miniſter domini Ieſu verus qui ſit. 28.2.10. Chriſti qualis eſſe debeat. 308.2.58
Miniſter verbi, ſi quem iniquum ſcienter promoueat, illius omnium criminum ſit particeps. 395.2.2. & ſeq.
Miniſtri Chriſti corona. 392.1.26
Miniſtri Chriſti officium à Paulo deſcriptum. 385.4.48
Miniſtri Chriſti oratio qualis eſſe debeat. 380.1.3. populo fame, peſte, gladijs afflicto, officium. ibid. quanta debeat eſſe ſufficienoa. 391.4.22
Miniſtri Dei, quos abſcluere à peccatis debeant. 352.3.9
Miniſtri iniqui, lupis aſſimilantur. 391.1.55
Miniſtri mali opera. 385.3.21. & ſeq.
Miniſtrum Eccleſiæ Chriſti concertationes & clamores non decent 390.4
Miniſtri verbi notantur 249.4
Miniſtrorum Dei negligentia 296.3.14. elegantia in q bus comprobetur ibid. verbi erudiendi officium & ma 376.3.45. Chriſti pondus vnde agnoſcatur 399 30. poteſtas maxima ibid. meritum ſeq. gemma ſequ eccleſiæ culpa gratiſſima 252.2
ad Miniſtros eccleſiæ ſermo 421.3.
Miniſterium in eccleſia præſidentium, cur ſit neceſ rium 369.1
Mioiſterium Chriſti quibus committendum 391.1.
Miniſterij Chriſti vituperij origo 385.3.
Miracula per angelos fieri 117.1.46. & ſeq. quæ ſunt cenda ibid. operandi virtus, quibus conferatur ib
Miracula facere, bonis & malis eſt commune 444.4.
miſerantium in altera vita præmium 94.3.
miſerationis diuinæ ineffabile diuitiæ 355.3.3. diuitiæ v inueſtigandæ & conſiderandę 280.3.19. maximum i dicium 155.4.17. pietate pleniſſimum 261.3.37. mun maximum 238.3.14. ſingulare opus 241.4.3. myſter 195.1.18. præſagium certum 310.4.
miſerationis Dei teſtimonia 378.2.
miſerationum Dei commendatio 460.2.
miſeriæ origo 26.3.
miſeriarum terminis 419.2.1
miſericordia Dei, quomodo præcedat & ſequatur hom nem 12.3.24. falſis rationibus, quomodo obtinebit 64.2.6. ineffabilis commendatur 350.2.54. & ſeq.
miſericordiæ conditoris præſagium 280.3.32. Dei er peccatores deſcriptio 406.1.15. exemplar 456.3.13. co mendaoo 460.2.5
miſericordiæ opera 163.2.5
miſericordiæ in Chriſto opera 378.2.1
miſericordiam Dei implorare quoties peccatorem opo teat 469.1.52. quo latius Deus prærogat, eo diſtricti delinquentibus iram infert 224.4.3
ad miſericordiam Dei promerendum ſuffragantia 43 3.39. & ſeq.
de miſericordia Dei, cur nemini ſit deſperandum 306.21 & ſeq.
mitium in altera vita præmium 94.3.2
modeſtia 22.1.2
mœror vbi locum non babeat 71.2.
mœroris cauſa Paulo quæ fuerit 440.2.5
mœrorem & gaudium qui ſibi inuicem communi cent 118.2.2
monacho nihil proprium in ſeculo 301.4.1
monachum diabolus, quo vitium præcipitem trahat ma ximè ad mortem, & perducat 28.1.1
moncahorum ſtatus, quàm ſit ſecurus 419.1.30. & ſeq
ſub Monaſterij diſciplina poſitos, prorſus decere ſilen oum 69.4.2
in Monaſterio qualis eſſe debeat habitantium mutua & fraterna conuerſatio 80.3.4
monaſteria cur ſint erecta 50.4.3
monaſteria in eccleſia, quibus ex cauſis inſtituta 418.4 43. & ſeq.
monaſteriorum commendatio ſequentibus prouentu ibid.
monaſteria ocioſis, nihil prodeſſe 68.1.42. & ſeq
monaſticam conuerſatiooem deſerentium ſtatus 52.2 20
montes dulcedinem, quando ſtilauerint 258.2.2
morborum omnium in humano corpore cauſa 463.1.5 & ſeq.
mores ſimulari vnde ſumpſerint principium 92.3.1
morum argumentum ex minimis cogooſci
morum bonorum denunciator 162.1.1
ad morum probitatem exemplum efficax 298.4.1
mores inueteratos abolere, difficillimum 97.4.1
moribus a fidei confeſſione nõ eſſe diſcordandũ 153.1.5
moriens æquiſſimè obliuiſcitur ſui, qui dum viueret oblitus

Digitized by Google

tus eſt Dei. 342.1.16
erga morientium animas ineffabilis Dei affectus. 355.3.4
Mori in corpore pro domino qui poſſit. 17.2.43
Mori deſiderare pro Chriſto, quando laudabile ſit. 261.4.50. & ſeq.
Mori ſpiritualiter. 208.3.3. vnuſquiſque ſua ſponte valet, reſurgere verò minime. 349.4.12
Mori vel viuere ex arbitrio proprio quiſque dicitur. 354.4.8
Mortales quanta ſint in cælis repoſita gaudia cur neſciant 85.2.36. cur tam incontinenter viuant, & effrænate loquantur. 249.2.38. ad alta conſcendere, cur naturaliter ambiant. 480.1.38. cur non reſipiſcant, & ad ſe redeant. 257.3.40
Mortalium cæcitatis deſcriptio. 34.3.24. conditio. 447.1.44. & ſeq.
Mortalium præcipua dignitas. 129.3.25
Mortalium genus cæcum. 171.3.5. inſolentia damnatur. 304.2.35
Mortalium occupationes cæcitate eſſe inuolutas 109.2.4. pernicioſa opinio. 426.2.26. ruinæ occaſio. 344.4.38
Mortalium omnium tenebræ. 119.2.3. prudentia cæca & infatuata. 348.4.25
Mortalibus & immortalibus ſeruire, an quis valeat. 128.4.24
Mortalitatis noſtræ naturam, cur Chriſtus induerit. 266.1.33
Mors naturæ munus neceſſarium. 42.3.1
Mors duplex pro tranſgreſſionis pœna inflicta. 153.3.57
Mors crudelis & pia. 261.3.45
Mors morte pernicioſior. 338.3.16
Mors omnium peſſima.
Mors & vita in hominis poteſtate. 354.4.7
Mors ſpiritualis, qua ad animam intret. 438.4.22
Mortis diræ fœtor, quoties in cordis penetralia ingrediatur. 317.1.5. horam cur vnicuique dominus voluerit eſſe ignotam. 342.1.18. ianua. 437.2.12
ex Mortis iugi memoria, quæ commoda conferantur. 42.1.43
Mortis neceſſitatis remedium. 79.2.55
neceſſitudo amoris probat incendium. 261.4.30
Mortis ſpiritualis cauſa 338.3.8. figura. ſeq.
Mortis ac vitæ imperium, an naturalis affectus habeat. 292.3.19
Mortem eſſe præcauendam. 79.2.50
poſt mortem qui meritò ab hominum memoria tollatur. 359.2.41
Morte qui plectendus. 232.4.8. æterna, qui morte plectendi. 152.1.26
Morte hominem plus allici, quàm vita. 95.1.31
temporali & æterna, hominem dignum quid efficiat. 27.4.38
Mortui in ſpiritu. 349.3.10
Mortuorum tria genera inferius. ibid.
Moſes oratione hoſtes ſuperat. 44.3.50. populi Dei dux, cur electus fuerit. 336.2.42
Moſis abſtinentia 38.2.22. charitas 103.1.43. fidei commendatio. 9.1.41. humilitas. 281.3.36
Motus inordinatos quid temperet. 110.3.33
Mulieres ad ſepulchrum fideles efficiuntur. 223.2.47
Mulieres dominicæ reſurrectionis præcones. 224.4.8
Mulierum Sanctarum erga Chriſtum amoris vehementia. 223.1.18
Mulierum ornamenta Deo non placent. 395.1.20
qualia eſſe debeant. 443.4.40
Muliebri ſexu diabolus frequentiſſime abutitur. 194.4.2
Muliebria arma. 203.1.3
Mundari qui non mereatur. 30.4.58
Mundati à peccato officium. 156.1.15
Munditiæ candorem guſtandi ratio. 260.2.1
Mundus non eſt ab æterno 272.2.20. cur ſit ſpernendus 316.1.20. quos ſolos decipiat. 162.1.51
Mundi amatores, cur theſauros temporales ſibi cumulent. 346.1.3. ſpiritualia opera non valent diſcernere. 426.4.13
Mundi bona omnia quid tollat. 7.2.10
ante mundi conſtitutionem, cur Deus non elegerit. 267.1.32
Mundi contemptorum natura. 441.3.24
ad mundi contemptum vocati officium. 429.1.41
Mundi fallacis deſcriptio. 5.2.3
Mundi huius gloria, quàm ſit contemptibilis. 435.3.32
oblectamenta & ſpiritus gaudia, ſimul ſtare non poſſunt. 320.3.1
Mundum qui ſpernant, 426.2.44
in mundo omnia à nobis præter tempus aliena
Mundorum in altera vita præmium. 94.3.21
Munus acceptabile. 137.3.35
Munus diuitibus & pauperibus commune. 54.1.51
Munus ſingulare & Deo grariſſimum. 252.2.56
Munerum à Magis Chriſto oblatorum explicatio. 263.4.37. & ſeq.
Munera ſua cur Deus eroget. 86.1.9
Murmurationis mala. 234.1.5
Mutatio almi ſpiritus beata. 333.4.25
Myſterium magnum, & veneratione digniſſimum. 368.2.39
Myſteria oratione aperiuntur. 44.4.21. per angelorum myſteria aperiri. 117.1.52
Myſteria Dei ſecreta & profunda iudicia, cur penetrare contendamus. 92.1.24
Myſteriorum domus. 179.2.56

N

NArium circumciſio. 262.4.30
Nati ex Deo qui. 17.2.25
Natum in nobis Ieſum, qualiter ſentire poterimus. 258.3.45
Natiuitatis Chriſti meditatio. 132.2.33
Natiuitatis humanæ conſideratio. 41.4.7
Natiuitatis loci Chriſti deſcriptio. 37.2.7
Natiuitati Chriſti diuerſorium qualiter à nobis parandum. 258.3.36
Natura per Adamum corrupta, quomodo reformetur. 92.4.16
Natura amatoris veri. 257.2.17
Natura nullo modo odio habenda. 54.3.23. in ſalutis adiutorium accommodata. 99.3.43
Natura intellectualis duplex. 138.4.20. humana ad diuinitatis thronum euecta. 161.3.44
Naturæ angelicæ homo, quomodo ſimilis reddatur. 10.1.49
Naturæ decus 161.2.34. debilitati ſpirituala remedium valde proficuum. 195.2.25. deordinatio, cui ſit adſeribenda. 100.1.23. deformitatem quando Deus reformare curauerit. 140.1.49
Naturæ exemplum. 420.3.18. & ſeq. noſtræ ſoli licere mereri & demereri. 86.3.53
Naturæ humanæ myſteria ſacratiſſima. 441.1.31. deſcriptio. 472.1.27. & verbi vnio. 479.1.25. opera penes homines viluiſſe. 257.3.24. ſublimitatis declaratio. 458. ornamenta præcelſa. 400.1.41. præceptum. 336.1.36. prærogatiuæ, quas per inobedientiam homo amiſit 403.2.43. tribuere quod ſatis eſt, quam ſit difficile. 87.4.13
Naturæ diuinæ in Chriſto declaratio. 149.4.12
conſortes ex quibus efficiamur. 257.2.23. humanam in vnitate perſonali vnum fieri. 101.1.52
Naturæ diuinæ humanæque ſacroſanctum myſterium. 131.4.46. & humanæ in Chriſto declaratio. 458.4.20. & ſeq.
Naturæ humanæ poſt diluuium conditio. 403.4.23. conditionis conſideratio. 447.1.48. conſideratio.

125.1.44. legantia. 129.3.26
Naturæ humanæ infirmitates 369.1.48. ſpirituales paſſiones inferius. ibid.
Naturæ noſtræ conditio 171.1.25. conditionis ſtatus quàm multiplici motu varietur 19.2.2. ſpecies in genere quot modis,& quibus ex cauſis humiliata ſit. 440.1.23.& ſeq.
Naturam noſtram, cur Deus aſſumpſerit. 406.2.38
Naturæ tres in Chriſto. 287.2.9
Naturalis decor, vbi elucear. 99.4.28
Nautarum in tempeſtate mos. 237.4.1
Negatio deſperati viri. 196.1.1
Negociatio bona. 376.3.20
in negocio omni tam ſpirituali quàm humano principatum tenet amor. 440.4.22
Negociorum ordinatio. 14.2.9
in negocijs, cur Deus iuſtos comitetur. 224.4.52
Negociatorum diligentia, cum prudentia, pij proponitur in ſpiritualibus imitanda. 437.4.43
Neminem Chriſtus reſpuit pugnare volentem. 245.2.19
Neophiti officium. 429.1.16
Neophitorum obedientia. 422.2.28
Nequam ſibiipſi qui ſint. 359.2.7
Nequitiæ ſpirituales, cur ſæpè pugnam intermittant. 472.3.33
Nequitiarum ſpiritualium tentationes. 344.3.56
Neſcientia diſpenſatiua. 127.2.47
Neſcientia ſui, quàm pernicioſa,& ad omnes facinus procliua. 95.3.34
Neſcientiæ mala. 239.4.8
Neſcientium ſe itinera. 243.1.2
quid neſcire Deum valeat. 138.1.55
Nobilis ac ignobilis alimentum. 320.3.45
Nobilium & ignobilium lex. 140.1.23
Nobilium in iudicio extremo ſententia. 343.1.8
de nobilium præuaricatione, quàm ignobilium, cur plus doleat Eccleſia. 249.3.27
Nobilium in veſtimentis ſuperbia damnatur. 448.2.30
Nec nobilitatem, nec gradus in cælis remunerari. 85.2.2
Nocens, an pro innocente damnetur. 298.2.4
Noe arca Eccleſiæ figura 47.4.57. à diluuio, cur ſeruatus fuerit. 336.2.42
Nomen Chriſtianum qui merito ſibi aſſumat. 11.1.21
Nomen Dei quibus Chriſtus manifeſtauerit. 171.2.15
Nominis Chriſti virtutis deſcriptio. 479.2.28.& ſeq.
Norma cunctarum virtutum. 456.2.26
Notitia Dei vera. 113.1.55
Notitia ſui vera qui prorſus careat. 439.2.11
Notitiam de ſe qui non habeant. 436.1.25
Notitiam noſtri habendi ratio. 437.3.32
Nouitij in via Dei. 422.3.6
Nouitiorum in exordio vocationis ſtudia. 58.3.39.ſeq. rudimenta & fundamenta. ibid.
Nouitiorum ſui religione officium. 422.3.39.& ſeq.
Nouitiorum introducendorum regiminis ratio. ibid.
Nouitijs, diabolus malorum inuentor quæ ſuadeat. 60.1.10
Numerus ſeptenarius ſeptiformis gratiæ Sancti Spiritus in Chriſto per prophetam expreſſus. 287.1.7
Nuptiæ ſpirituales. 417.4.52
ad nuptias ſpirituales vocati. 443.2.10
Nutrimentum pijs ſaluificum. 70.1.29

O

Obediendi norma. 366.2.38
ad obediendum ſibi, quàm multipliciter nos alliciat dominus. 406.2.13
Obedientia ad ſalutem neceſſaria. 26.2.48. reprehenſibilis triplex ſeq. quæ abijcienda ibid. commendabilis duplex ibid. vera quæ exigat. 34.2.9. paradiſum aperit 92.4.7. quàm Deo placeat. 154.1.42
Obedientia duplex, neceſſitatis, videlicet, & volunt 409.3.54. humilitati iungitur. 454.1
ſub obedientiæ agone in monaſterijs decertare pro c mino eligentium officium. 70.3.
in obedientiæ agone qui perſeuerant, merito commen tione ſunt digni. 428.
Obedientię Deo, ab omnibus meritò debitę, varia exe pla. 409.2.6.& ſ
Obedientiæ diffinitio. 26.3.33. efficacia. 474.1.3.& ſ
ſine obedientiæ diſciplina nemo in cælum intromittit 336.2.13. exemplar. 456.2.44. & ſeq. effectus multip ces. 27.1.1. efficacia gradus, & profectio. 28.1.54.& ſ gradus tres. 409.3.17. & ſeq. mandata cur Deus inſ tuerit. 92.3.55. obſequia Deo vera quando reddantur 28.2.57. radix immortalis. 406.1.6. repugnantia 26.4.6. ſpecies duplex ſpeculum præclariſſimum. 409.1.29
Obedientiæ Sanctæ ſpeculum ſingulare. 420.3.54. virt quanti ſit apud Deum meriti. 474.2.15. virtus. 57.2.3 virtutis dignitas, ex quibus clareſcat. 27.1
ad obedientiæ virtutem exemplis inſenſibilium creatur rum, Angelorum & Chriſti, quomodo prouocentu mortales. 27.1.1
abſque obedientiæ virtute, neminem adultum & diſcre tione vtentem ſaluari poſſe. 409.3.5
Obedientiam Chriſtus vnde didicerit. 26.4.4
ad obedientiam regularem vocati officium. 412.2.2
in obedientia qui perfectus cenſendus. 28.1.4
ſub obedientia qualiter ſe exercere debeat, quiſquis in i ſis congregationibus laudabiliter militare voluerit 56.4.44
Obedientis orationis efficacia. 27.1.4
Obedientium perſona myſticè præfigurata. 208.2.4
in oblationibus quæ fuerit præfigurata
Oblectamentum præcipuum à Deo hominibus prærc gatum. 294.2.15
Oblectamenta noua qui ſemper meditentur inuenir 97.1.4
Obſequio alieno, cur nemo ſit qui non inuigeat. 475.1 2.& ſeq.
Obſeruantia quid ſit. 14.4.2
Obſeruantiæ regularis exordium. 421.1.3
Obſtinati, vt ad Deum conuertantur, admonentur. 303 3.36
Obtemperare Deo, cur omnes teneamur. 334.3.40. quo modis omnes conſtringamur. 408.3.5
Obtemperare contra Chriſtum quid ſit. 413.2.
Obtrectatores reprehenduntur. 314.4.32
Otium quantum detrimentum adferat. 470.4.54
Occupationes piæ. 258.3.50
Occupationum ſpiritualium fructus. 47.3.54
Oculus carnis & rationis. 131.4.55
Oculus carnis vbi neceſſarius 131.4.56. duplex homini prærogatus. 234.4.18
Oculus duplex, carnis & rationis 436.1.34. an per ſe videat. 437.3.52
Oculi natura deſcribitur. 406.1.32
Oculorum rationis, cur homo acceperit. 132.1.16
Oculis carnis mentis, quo lumine ſint irradiandi, ne obdormiant in morte peccati. 462.3.10
Oculorum aſpectus inordinati mala. 317.1.12
Oculorum circunciſio. 262.4.18.& ſeq.
ex oculorum in continentia, quanta proueniant mala. 465.4.48
Oculorum concupiſcentiæ 69.1.40. curioſitatem quid reprimat. 239.3.15. cuſtodia. 438.4.14
qui odit ſe, proximum diligere neſcit. 253.3.10
Odibilis Deo & hominibus quis. 184.1.6
Odij inter homines origo 161.2.27. cuiuſcunque rei cauſa. 463.3.53
Odio neminem à Deo haberi. 186.1.12
Odium qui pariat. 66.4.20

Oua

Odia inter amicos, & affines a dæmonibus conſutari. 117.2.39
Odor flagrantiſſimus. 137.3.36
Odoratus lenocinia, quid cohibeat. 239.3.17
Odoratus delectatio. 457.3.42
Olei cum charitate comparatio. 16.4.4
Omnipotentiæ Dei conſideratio. 3.3.27
Onus Chriſti, qui leue reddat.
Onera ambulantibus in ſpiritu valde contraria. 285.1.27
Opificis æterni veſtigia. 289.4.30
Opiniones falſa deluſi, qui delinquunt, ſunt innumeri. 427.1.51
Opinionum cur mundus ſit plenus. 92.1.28
Oppreſſiones an Deus permittat. 131.2.55
ſine opprobrijs, an quis humilis ſit. 261.2.38
Opus Dei præcipuum. 263.2.30
Opus Deo gratum. 253.2. 37. optimum Deo grauiſſimũ. 462.1.33. præcipuum, & acceptabile. 235.3.25
Operis cultus. 15.4.19
Operis diuiſio. 1.4.41
Operi manuum ſancti ſtatuto tempore deſudabant. 319. 3.25
Opere plenius doceri, quàm ſermone. 7.3.20
Opere perficere, cur tam frequenter prætermittamus, quod deſideranter geſtamus in corde. 261.4.44
Opera bona, an Dei electionem præcedant. 160.1.28
Opera Dei miranda. 54.4.41. non iudicia eſſe intelligenda. 480.2.42
Opera famulantium Chriſto. 420.4.1
Opera gratiæ veneranda, non inquirenda. 105.2.23
Opera humana, cur ſint Deo accepta. 335.3.48. in ſe laudabilia qua intentione facienda. 434.2.34
Opera miſericordiæ ſpiritualia, & corporalia. 432. 1.28. & ſeq.
Opera miſericordiæ in extremo iudicio, cur Deus coronanda promittat. 434.1.47
Opera naturæ, quorſum condita. 257. 3. 18. quantumuis bona abſque Dei miſericordia nihil ſunt. 475 3.55. & ſeq.
in operum exteriorum aperto ædificium erigentes, & non in interiori homine fundamenta virtutum iacientes, caſſo labore deſudare. 82.4.8
Operum laudabilium merces. 140.2.40
Operum ſuorum quiſque excipiet merita.
noſtrorum merita, ex gratia Dei, liberoque noſtro arbitrio procreari. 334. 4.53. ſingulorum apud Deum retributio vera. 376.4.56
ſine operum bonorum exercitatione, an qui diuina poſſit fruitione lætari. 306.2.26
Operum bonorum exempla quãtum ædificent. 374.3.20
Operum Dei archana myſteria, minimè curioſe ſcrutanda. 480.2.41
Operum diuinorum myſteria. 105.1.4
Opera ſpiritualia cur homo faſtidiat. 129.3.1
de operibus ſolis, in extremo iudicio diſceptatio fiet. 342. 4.44. & ſeq.
in operibus exterioribus, & neceſſitatibus proximorum, ſeruorum Chriſti officium. 79.3.1
ex operibus ſuis ſuam valet quiſque metiri mercedem. 274.3.32
Operari multa non adhibita intentionis rectæ cuſtodia, parum prodeſſe. 84.1.57
benè operandi inſuperabilis vigor, quibus cogitationibus roboretur. 68.4.51
Operandi benè excellentia. 156.4.14
bonum noſtrum omne non meritis noſtris, ſed Dei miſericordiæ ad ſcribendum. 475.3.55
benè operandi an cunctis incumbat neceſſitas. 225.2.46
benè operandi præcipua difficultas. 254.2.58
Operandi libertatem quando homo amiſerit. 238.4.53
Operationis cœleſtis ſupereminentia vbi pateat. 279.2.42
cur orauerit Chriſtus. 324.4.49
Orare ſpiritu. ſeq.
Orandum vbi, in quo loco, & quo tempore. 46.3.14
& quomodo ſit. ſeq.
Orandi documentum. 189. 1.48. modus ibid. modus, & tempus. 73.2.31. & ſeq. modus duplex, & quibus ſingularis ſpecialiter congruat. 324.4.28. modus. 475.1.2. & ſeq. ſpiritualis. 475.2. 48. ſublimitas. 475. 1.2. vtilitas ibid.
ad orandum tria loca congrua. 46.3.30. non locus, ſed affectus eligendus. 475.4.22
Orantis animum quæ vigilantem efficiant. 75.2.53
mentis deuotione effectæ ſterilis remedium. 476.2.28
Oranti quid agendum ſit. 48.1.44
Oranti mente quæ accidant. 476.2.47. & ſeq.
Orantes qualiter ſe habere debeant ante oratione. 73.2. 28. & ſeq.
Orantes tacentes, vt plurimum dominus viſitare dignatur. 69.3.20
Orantes varios inſultus pati, ipſorumque remedia. 73.2. 28. & ſeq.
Oratio quæ execrabilis. 169.2.55
Oratio inutilis. 45.1.32. in auribus Dei inexaudibilis. ſeq. propera. ibid. ſaluti contraria. ibid. præſumptuoſa. ibid. ridiculoſa. ibid.
Oratio deprecantis, vt perfecta ſit quæ debeant concurrere. 48.1.30. noſtra quando fiat Deo acceptabilis. 475.3. 28. quomodo decipiatur. 96.2.44
in orationis actu prudentiam eſſe adhibendam. 48.1.38
Orationis bonum. 73.2.26. diffinitio ſeq. diffinitiones. 44.3.5. dignitas ibid. effectus & laudes. 72.1.32. & ſeq.
per orationis exercitium, de multi iugo aſcenſu in Deum tractatio. 73.2.28
Orationis finis ſeq. gradus. 475.4.11. horas ſpiritus maligni obſeruant. ibid. humilis & Dei beneficia recognoſcentis efficacia. 476.1.36
Orationis humilium efficacia. 451.3.10. ianua ſpiritualis. 130.2.24. impedimenta quę faciant illam non exaudiri a Domino. 45.2.40
Orationis mentalis exercitatio, & profectus. 129.2.1
Orationis mundæ efficacia. 130.2.44. ornamenta ſpiritualia. 475 4.29
ad orationis portum, cur Chriſtus frequenter ſeceſſerit. 258.4.46
Orationis prolixitatem, Deus ab hominibus non quærit. 434.3.31
Orationis ſanctæ diuerſæ ſpecies in duplici ſtatu: quietis videlicet & pugnæ. 241.2.34. ſacrificium ſinguli diuerſimode Deo exhibente ibid. ſpecies duæ earumque diuiſiones. 46.4.45
Orationis ſpiritualis alæ. 130.3.12. ſtudium quàm ſit precioſum. 129.4.4. virtus. 475.3.27
Orationis virtus quibus effectibus eluceat. 44. 3.16. ſeq. vocalis non intellectæ iudicium. 475.4.23. vtilitas. 476.1.5. & ſeq.
ad orationem præparatio duplex. 45.1.12
Orationem exorabilem, quid reddat, ibid. de ijs quæ diſponunt animum, & exorabilem reddunt, ibid. vocalem non ſemper eſſe repudiandam. 76.1.10. ab ea quando ceſſandum. ibid.
poſt orationem quid Chriſtus egerit. 191.1.49
in oratione qui Deo vocare volunt, quales eſſe debeant. 45.1.1
in oratione qualiter homo ſe habere debeat. 74.2.50. quæ perquirenda. ibid.
de oratione iudicium qui reportent. ſeq.
in oratione qui nullum percipiat fructum, ſeq. qui non repellantur. 472.2.39
Orationum forma. 282.2.14. & ſeq. genera varia. 46.4.53
Orationum vota, cur ſe Deus interdum audire diſſimulet. 225.1.58
Orationes noſtras eſſe exauditas, quomodo intelligere poſſimus. 585.1.21

Oratoribus

Omtotibus veris, omnem locum, & omne tempus conuenire. 74.2.49
Orbis totius calamitatum origo. 466.1.8.& ſeq.
ad ordines ſacros,qui promouendi. 391.2.4.& ſeq.
Organa in Eccleſia, hymnorum & pſalmorum cantica, cur ſint inſtituta. 362.2.46
Origo bonorum omnium. 482.2.18
Originis noſtræ conſideratio. 41.4.10
Originalis pœna delicti. 97.2.49
pro originalis culpæ contagio detegendo, quæ Deus inſtituerit. 262.2.46.& ſeq.
Ornamenta ſpiritualia. 395.3.48
Ornamenta animarum fidelium qualia eſſe debeant. 443.4.41
Ornatus exterior non reddit hominem gratum Deo, ſed interior qui in virtutum conſummatione ſubſiſtit. 395.1.7
Os qui regat,ac temperet. 38.3.49
Oris circuncifio. 262.4.26. cultus. 15.4.6. deuota confeſſio ad promerendum veniam efficax, cordiſque contritio. 416.2.14
Otium fugiendum. 39.1.56. in clauſtro viuentibus eſſe fugiendum, 67.2.43. & ſeq. charitatis inimicum. 228.1.52
Otij ſtudioſi vtilitas. 47.3.51
Otioſum nihil feciſſe Deum in natura. 71.3.33
Ouis quælibet cum perit,an ſint inexcuſabilis. 372.3.37
Oues Chriſti quomodo fiant vænales. 391.2.28
Ouium Chriſti paſcua varia. 341.1.3. paſtores, terrenarum facultatum ſunt diſpenſatores. 371.1.23
paſtorum in die iudicij examen. 391.2.54
in ouium arbitrio poſitum eſt, paſtorem imitari, vel eum contemnere. 372.3.34
Oues paſtor,cur agnoſcere debeat. 298.3.45
ad oues Chriſti regendas,qui promouendi. 391.1.38
in ouile domini per maceriam intrare. 401.1.23

P

Pabulapiorum. 394.3.55
Palatum fames excitet,non ſapores. 39.4.10
Palmes nullus ab ipſo mundi exordio reperitur, qui non tribulatione purgatus ſit. 155.2.20
Panis in euchariſtia,an in corpus conuertatur. 134.2.55
Panis quotidianus. 465.1.21
Panis vitæ ſacramentaliter a peccatoribus etiam ſumitur. 465.2.49
ſub panis ſpecie in Sacramento quid ſit. 185.4.3. & vini accidentibus,quid fideles manducent. 307.1.31
Paracletus vbi agnoſcatur. 124.1.19
Paracletus quid. 150.3.53
Parracleti diſciplina,qui dignus efficiatur. 91.3.16
ſine Paracleti gratia, an quis poſſit diuina cuſtodire præcepta. 150.3.43
Paracletum quibus Deus mittat. ibid.
Paradiſus ſpiritualis,quibus pateat. 2.1.33
Paradiſi amœnitatem,cur homo perdiderit. 257.2.25
Parentes primi a ſuæ celſitudinis arce, cur corruerint. 52.1.44
Parentum quandiu in mundo ſumus, nos eſſe debitores. 27.1.24
de parentum nobilitate,an quis ſit laudandus. 40.4.10
Parentum in liberos eximia charitas. 53.2.14.& ſeq.
Parentibus,cur Chriſtus obedierit. 409.3.13
Parturire,nutrire Chriſtum,qualiter debeamus 258.3.28
Paruulorum ſpiritu cibus. 432.3.16
Paſcua piorum varia. 341.1.2
Paſcua ſpiritualia.339.4.43. qualia ſint,in quibus ſponſus inter lilia paſci perhibetur. 339.2.21
Paſſio paſſione vincitur. 99.3.31
Paſſionis Chriſti meditatio, quid in contemplantis animo efficiat. 8.4.50
Paſſionis Sacramentum. 188.35
Paſſionem Chriſti meditantes, qualiter diabolus conetur decipere. 58.1.28. meditantium triplex ſtatus. ibid.
Paſſionum acerbiſſimarum exempla. 385.1.55
Paſſionibus Chriſti communicãdum eſſe.63.4.22.& ſeq.
Paſſiones carnis, & animæ domitas tenentes, ſapientiæ dapibus ſaginantur. 152.2.27.& ſeq.
Paſtor animarum medico confertur. 60.23
Paſtor bonus animarum,qualis eſſe debeat. 341.24
quid exercere debeat. 380.4.36.& ſeq.
paſtor iuſtus. 398.1.50
Paſtor,ornatus veſtium,equorum,domorum,epularumque non quærat. 395.3.25. promouere quos debeat. 391.1.48. qui præcepta Dei negligit,fit iuſto iudicio, vt ſua deſpiciantur a plebe. 397.4.30. & ſeq. ſubditos ſuos qualiter corripere debeat. 372.1.50. quantis ex comparatione viſibili,debeat eſſe fultus virtutibus. 396.4.14
Paſtoris animarum officium. 367.1.23
Paſtoris boni proprium. 394.4.24. in conferendis beneficijs officium. 390.4.53. corona. 393.1.1. lucerna. ibid. examen coram Chriſto in die iudicij. 390.4.12. fidelis, & infidelis opera. 385.4.1.& ſeq.
Paſtoris ianua,quibus patere debeat. 397.1.24. iudicis officium. 389.1.42
ex paſtoris mali vita, qualia oriantur ſcandala. 397.3.12. & ſeq.
Paſtoris mentis typus. 394.3.16.& ſeq. ne cadat munimenta, 396.4.41
Paſtoris negligentis duplex contritio, & iudicium. 372.2.48. oratio qualis eſſe debeat. 380.1.3. patientia. 398.1.34.& ſeq. in perſonis accipiendis officium. 390.2.37. prudentia in corrigendo. 377.4.34. & ſeq. ſimplicis, & fraudulenti differentia. 388.3.43. & ſeq. taciturnitas a domino damnatur. 372.2.44
Paſtoris veri dignitas, forma. 250.2.52. & ficti differentia, ibid. animarum regiminis cura, & forma a Paulo tradita. 377.3.4. interna vox. 372.3.31. victus ratio. 396.3.27. vitæ totius decurſus nihil tranſibit indiſcuſſum,atque inultum. 391.3.16. in vitijs corrigendis officium. 386.4.51.& ſeq.
Paſtori ornamenta temporalia ſunt omnino contemnenda. 395.3.36. ſpirituum diſcernendorum munus a Deo petendum. 387.4.22
Paſtori malo,an ſubeſſe debeamus. 412.4.50
Paſtorem ouium Chriſti concertationes, & clamores non decent. 390.4.51. imitari,vel contemnere,an ſit in ouium arbitrio poſitum. 372.3.34
à paſtore vero quid alienum eſſe debeat. 401.2.50
Paſtores animarum quid prædicare debeant. 377.1.1. an facultatum terrenarum ſint diſpenſatores. 371.1.24. cęcis qui aſſimilentur. 387.4.27. diuitias cumulare deſiſcant. 401.1.52. notantur. 249.4.41. & ſeq. ouibus tria debent. 394.3.50. plebibus,cur ſint inſtituti. 379.3.45
Paſtores ſpirituales ſubditos delinquentes, qualiter corrigere debeant. 377.2.27. abſque vita laudabili non ſaluantur. 374.3.31
Paſtorum auctoritatis,& humilitatis exempla. 386.4.46. & ſeq.
Paſtorum confeſſio. 399.4.1. doctrina qualis eſſe debeat. 376.2.22.& ſeq. examen in die iudicij. 391.2.37. meta ſpiritualis. 394.4.41. notitia qualis eſſe debeat. 372.2.19 ornamenta ſpiritualia. 395.1.4. ſub compendio regula. 308.3.22.& ſeq. in regimine animarum, quanta ſufficientia, quantaque debeat eſſe ſolicitudo. 391. 4. 4. & ſeq. vita,cur ſit populis nota,& deſpecta. 296.3. 33. voluptas maxima. 401.2.18
Paſtorum bonorum conſuetudo. 250.3.8
Paſtorum ſuperborum,& humilium conditio. 441.2.50. & ſeq.
Paſtoribus Eccleſiæ vaſa argentea, & deaurata, an liceat habere. 371.1.48. fides quam ſit neceſſaria 392.1.47. & ſequent.

Paſtoribus ſpiritualibus incumbit, exemplo ducis exercitus viſibilis, Dei populum ſpirimali gubernare in prælio.391.3.21.& ſeq.viuendi ratio præſcribitur.401.2.6.& ſeq.
Paſtores Eccleſiæ de animarum regimine ab Angelis inſtrui. 117.3.18
aduerſus paſtores negligentes formidoloſa comminatio. 370.4.45.dæmonium tentatio. 397.1.30
Paſtores in plebibus cur Deus præfecerit. 250.4.9
ad paſtores Eccleſiæ admonitio. 389. 1.4. qui in delicijs corporalibus viuunt,exhortatio. 397.2.24.& ſeq.
à paſtoribus in extremo iudicio,quid expoſcetur. 125.3.8
Paſtoralem miniſterium,quàm ſit laborioſum.366.3.45. officium quantæ ſublimitatis, quantumque ad cœleſtem promerendum beatitudinem habile ſit.370.3.43.& ibid.
Paſtorale gerenti officium quid expediat. 381.4.36
Paſtoralis miniſterij finis. 380.2.24
Paſtoralis officij debitum qui perſoluat.382.1. 21. quid ſit. ibid.
Paſtoralis officij graue crimen 69.4.6. & ſeq. formam ab Apoſtolis traditam, noſtri vix dignantur aſpicere. 298.3.40
Pater ſpiritualis qualis eſſe debeat. 422.2.40
Patris opera. 123 4.30. gloriam filius, quomodo reuelet. 267.1.6.& ſeq.& filij vna diuinitas.41 1.2.19.cum filio æternæ ſubſtantiæ declaratio. 458.4.20.& ſeq.
Patrisfamilias prudentis proprium. 369.3.46
ad patrem quomodo fideles trahat filius. 336.3.16
Patrum antiquorum vita. 296.3.36.& ſeq.
Patribus cur ſint locuti Angeli. 379.2.12
Patriæ cœleſtis contemplatio. 124.1.20
ad patriam via. 442.3.10
Patiendi ſpeculum.7.3.16.meritum. & ſeq.
Patiens verè qui ſit. 23.4.1
Patientia medicinæ aſſimilatur. ſeq.
Patientia omnium tribulantium voluntaria. 15.3.22
Patientiæ actus. 23.3.26. diffinitio. ibid. excellentia.ſeq. exemplum ſolidum.212.2.43.exemplar. 456.3.48. genitrix.23.3.16.& ſeq. patientiæ gradus, ſeq. finis. 24.1.41.& ſeq.
Patientiæ fundamentum,quomodo collocandum. ibid. perfectio. ſeq.
Patientiæ perfectæ vera victoria. ſeq.
Patientiæ ſtatus differentes. ibid.
Patientiæ virtus quibus modis exerceri ſoleat. ibid.
ad patientiam adipiſcendam via. ibid.
ad patientiam quod conſiderationibus vehementer homo præparetur. ibid.
Patientiam quæ nutriant. ibid.
Patrocinijs Sanctorum,an indigeamus. 286.1.38
Pauidus qui ſemper eſt,beatus. 447.2.40
Beatus Paulus de Chriſti diuinitate, & ſcientia fidei per viſionem eruditus. 280.1.2
Beati Pauli alimentum. 374.4.49
Diui Pauli conuerſio.264.4.31.inconſulta petitio.282.2.4.& ſeq.
B.Pauli ante vocationem conditio. 279.3.45.& ſeq.
in Paulo reuelationis teſtimonium. ibid.
Pauperis & diuitis alimentum. 320.3.45
Pauperis vlceribus contabeſcentes,& anhelitu fœtidi,cur non ſint contemnendi. 226.1.22
Pauperum conſolatio vera. 35.2.45. & ſeq. in altera vita præmium. 94.3.20
Pauperum pupillorum,& viduarum reditus. 401.1.50. alienigenarum exemplar. 473.2.54
Paupertas animam ad quantam perfectionem deducat. 35.3.42. & ſeq. ad contemplationis erectionem vtilis, ſeq.ad euangelicæ prædicationis promulgationem vtilis. ibid.
Paupertas felix. 360.3.47
Paupertas ad iucunditatis internæ per fruitionem vtilis. 36.2.48. ad virtutis exercitium vtilis, ibid. laudabilis. 214.3.53
Paupertas ſpiritus, quæ diuitem in Chriſto facit. 422.4.12
Paupertas voluntaria,quibus amplectenda. 34.4.49
Paupertatis amatorum bona,quibus ditentur. 34.4.22 amor vbi eluceat.385.2.23.bonum.35.3.24.diffinitio. ibid.exemplar verum. 456.2.40.& ſeq.
Paupertatis formam quam Chriſtus ſeruauit,& Apoſtolis ſeruandam inſtituit.37. 2.2. & ſeq. gradus primus, ibid.ſecundus ibid.tertius. ibid.
Paupertatis perfectio,& perfectionis celſitudo. ibid. pulchritudinis deſcriptio, ibid. ſectatorum bona quibus ditentur.35.1.26.vtilitas. & ſeq.
Paupertatis voluntariæ beatitudo.51.3.40.fœlicitas.
Pax cum quibus nulla firmanda. 64. 3. 40. vbi non reperiatur. 153.4.51.& ſeq.
Pacis amatores qui ſint. deſcriptio.23.2.30. receptaculum. 376.2.36
ad pacis ſectatores oratio. 171.3.15
ad pacem quomodo perueniatur. 23.2.40
Pacem qui dirumpat.66.4.8. in homine quid impediat. 99.4.31
Pacem pater quando nobis donauerit. 158 4.25
Pacem creatura nulla,ſui dilectoribus præſtat. 171.2.54
Pacificorum in altera vita præmium. 94.3.21
Peccat nemo moraliter inuitus. 437.2.15
an peccet quis reclamante conſcientia. 450.1.20
Peccandi conſuetudo voluntaria, quam ſit deteſtabilis. 463.3.50.diſplicentia,vnde emergat. 416.2.42
Peccandi neceſſitas vnde emanarit. 439.4.13
Peccantium gaudium. 168.1.21. omne genus poſſe ſaluari. 338.4.3
Peccator ad Deum, quomodo conuertatur. 281.1.17.vbi laudetur.313.2.9. opus bonum an exercere valeat. 355.1.11
Peccatot nullus temerè contemnendus. 434.2.36
Peccatoris anima eo modo ad æternæ vitæ meritum languet in opere, quo examine corpus in actione agnoſcitur eſſe inutile. 355.1.8
Peccatoris,iaculo deſperationis transfixi,confugium. 64.2.24
Peccatoris fructus. 160.3.18
Peccatoris vires,vbi reparentur. 98.4.40
Peccatori non eſſe deſperandum. 105.2.25
Peccatorem,cur cogitationes in conſcientiæ ſecreto accuſent. 405.4.57.& ſeq.
Peccatorem ad ſui cognitionem nunquam attingere. 120.1.46
ad peccatorem,emendatioris vitæ viam arripere conantem,exhortatio. 281.2.26
Peccatores qui meritò plangendi. 357.4.58
Peccatores a quibus laudentur. 433.4.19
Peccatorum affectio,cur iuſtè damnetur. 327.3.11
in peccatorum cordibus pax non reperitur. 153.4.46
Peccatorum laus,& gloria. 433.4.37
Peccatorum,& iuſtorum ſtatus. 168.1.34
Peccatorum ſocius non euadet peccatum. 234.3.32
Peccatoribus & ingratis, quanta quotidie Deus beneficia conferat. 224.4.15.& ſeq.
Peccatoribus an dare prohibeamur. 15.3.8
ad peccatores,vt in tempore reſipiſcant,exhortatio.297.2.11. & ſeq. vt Dei erga ſe clementiæ recordentur, exhortatio. 406.1.16
erga peccatores bonitatis Dei enarratio. ibid.
ad peccatores ab inanimatis ſumpta exhortatio.ſeq.
à peccatoribus abeſt ſapientia.139.2.15.an ſacramentaliter ſumatur corpus Chriſti. 465.2.49
Peccatum irremiſſibile. 303.3.27
Peccatum mortale ſine voluntatis conſenſu, non conſummari. 463.2.16
Peccatum nihil eſt. 156.3.22

Peccatum proximi non publicandū, ſed celandū. 54.2.7
Peccatum vincendi ſingularis fiducia 98.3.26. quæ mala inuexerit.161.2.50.ſeuerè corripiendum. 98.2.41
Peccatum nullum tam graue, quod non humilitate, lacrymis & vera compunctione tergatur. 389.1.22
ſine peccati colluuione, an quis conceptus præter Chriſtum fuerit. 439.4.1
Peccati deſcriptio. 462.4.37. excuſatio vbi nulla 22.2.5. excuſationis motbus vnde originem ſumpſerit. 217.2.50.& ſeq.
Peccati fomes quid appelletur. 463.1.56. generatio & gradus.45.3.48.arbor quomodo exiccetur.ibid.gradus.33.2.21.horror vnde emergat. 416.2.42
Peccati lex.439.4.47.lex quid appelletur. 463.1.56. magnitudo.30.2.8.mala. 462.4.41. & ſeq. malorum enumeratio. 462.4.62. & ſeq. medicina vnde petenda. 6.3.30
Peccati mortalis deſcriptio. 463.2.12. mortalis & venialis differentia.463.3.7.oblectamenta, quam ſint verſuta & quàm laborioſe fugiantur. 87.4.10. omnis initium.433.1.11.origo. 439.4.13
à peccati originalis culpa præter Chriſtum, an quis immunis fuerit. 97.2.50 & 427.3.26.& 439.4.1
Peccati originalis deſcriptio.463.1.34.pœna. 143.1.23
à peccati pœna ſolus mediator liber. 427.3.25. an quis præter eum fuerit immunis. 163.4.46
Peccati pernicies.463.42.2.pronitas quid appelletur.463.1.56. recidiuatio & frequens caſus. 30.2.43. ſeruus homo,quomodo efficiatur. 463.2.20
Peccati ſupplicium miro modo, Dei operante clementia, in ſalutis adiutorium conuerſum. 54.3.16
venialis deſcriptio. 463.3.8
Peccato quæ contradicere ſoleant. 463.2.51.& ſeq.
Peccatum ſe nullum habere, quis audeat dicere. 358.2.46
Peccatum noſcere, beatitudo eſt. 462.4.34
Peccato, quibus ſimus priuati. 259.4.55.& ſeq.
à peccato eſſe immunem nulli datum eſt rationis vſum habenti. 403.2.28 439.3.53.&
à peccato redeuntibus tria generaliter congruere. 254.2.29
à peccato originali, quis excipiatur. 463.1.40
Peccato mortali detentum, ſolus Deus ad vitam reuocat. 349.4.23
ſine peccato veniali, an quis perſiſtere queat. 463.3.24
Peccato affectus naturalis quam debilitatus ſit. 91.4.22. & ſeq.
Peccata quibus fiant neceſſaria. 11.2.39
Peccatorum ablutio pleniſſima, quando obtineatur. 17.2.50.abſolutio cui deneganda.280.4.13.germina. 46.7.312.indulgentiam à Deo, qui non impetrent. 303.3.28
à peccatorum labe, an quis valeat eſſe immunis. 414.3.39
Peccatorum origo.26.3.13.radices præcipuæ. 35.4.45
Peccatis & iniquis operibus, quomodo Deus aduertetur. 64.3.2. quæuis calamitatum genera adſcribenda. 451.4.14
Peccata confitendi ratio. 435.1.3. & ſeq. abſoluendi ordo diſſolui non mæſtitia, ſed dilectione 71.1.37. hominum, cur Deus diſſimulat. 224.4.28. refrenandi ratio. 97.4.48
de peccatis homo pœnitens gemens & plorans, nunquam ſerò ad dominum reuertitur. 355.2.48
Pecuniæ obedire, quam pernicioſum ſit & fuerit
Pecuniam congregare conantí accidentia 35.4.48
Percuſſionis myſterium. 193.3.16.& ſeq.
Perditio hominis vnde. 30.1.32
Peregrinari in veritate, qui ſe agnoſcit, ſapientia irradiatus eſt ſplendore. 480.4.53
Peregrinanti in hac valle, quæ aduerſa occurrant.23.2.46
Peregrinantium inimici multifarij, à quibus impugnentur.86.3.4.& ſeq. triplicem ſtatum & proprium cuique ſpiritualem eſſe ducem. 90.1.40. & ſeq. exemplar. 473.2.54.gradus vltimus.482.2.14. iuſtorum merces. 91.4.20.& ſeq.ſolatium. 95.4.39
Peregrinationis humanæ comes indiuidua. 88.3.38. huius ſolatium maximum. 123.2.26. huius leuamen optimum. 154.3.40.& ſeq.huius qui iter gradiuntur, probatum directorem habere ſtudeant, ſi velint feliciter peruenire quo tendunt. 244.2.10.& ſeq.
Peregrinationis veræ forma, qualis ſit per Chriſtum fidelibus inſtituta. 472.2.45
in Peregrinationis itinere præmium. 245.1.24
in Peregrinatione hac, qualiter ſponſa fruatur ſpirituali verbi præſentia. 135.4.40.& ſeq.
Peregrinum in hoc ſeculo ſe agnoſcentis exercitia. 256.4.10. & ſeq. conditio. 480.4.54. & ſeq. ſeculo, qui ſe eſſe cognoſcit, qualiter conuerſationem ſuam ordinet.346.3.40
Peregrinorum ſpiritualis ſepultura. 199.4.41
ad Peregrinos huius vitæ exhortatio. 255.1.23
Pereuntes propria voluntate perire. 187.4.33
Perfectio quomodo innoteſcat. 120.3.54
Perfectio ex deſiderio virtutis non conſummatur. 321.2.29.ſanctorum vbi imperfecta appareat. 470.4.28
ad Perfectionis alta tendentibus, linguæ miniſterium plurimum aduerſatur. 214.2.48. ſine tribulationibus nemo conſcendet.359.4.32. conſcendere, quibus modis quiſque valeat. 440.3.9.& ſeq.
aſcendere cupientis officium. 469.2.34
Perfectionis amatoris exercitatio. 256.1.27
ad Perfectionis arcem conſcendendi gradus. 285.4.23
Perfectionis aſcenſus difficilis. 257.1.24
ex Perfectionis Chriſti comparatione, clara ſanctorum decoloratur virtus. 162.3.20.& ſeq.
Perfectionis Chriſtianæ propoſitum. 428.3.10. teſtimonium ſeq. clariſſimum ſeculum. 385.1.16. coronæ compoſitio. 295.4.16
ad Perfectionis culmen aſcenſus. 251.4.49
Perfectionis culmen cupientis opus. 462.2.12. euangelicæ ſolium, vnde agnoſcatur. 142.1.39. quanta ſit authoritas. 332.4.36
ad Perfectionis faſtigium volucri curſu, & indubitanti animo anhelantis aſcendere officium. 70.3.55. qualiter anima prouehatur. 252.2.48. paulatim aſcendendum. 261.1.27. attingere cupientibus impedimenta. 316.4.54. tendentis affectus pernicioſus quantum noceat.52.2.10.gradus. 256.1.50. omnis fundamenta. ibid.indicia.85.1.49.& ſeq. iter aggreſſus montium altitudinem aſcendendi aſſimilatur. 70.3.30. itinera. 419.1.2.& ſeq.meta ſeq.
ad Perfectionis montem aſcendentis alimentum. 320.3.58
Perfectionis præcelſæ gratiam qui mereatur. 257.2.44. regula. 121.4.50. regula, & conſiliorum Chriſti diſciplina.382.4.45.& ſeq.ſpeculum præclariſſimum. 473.3.21
in Perfectionis ſtadio, cur tam pauci perſeuerent. 261.1.39.ſtatus. 26.2.36
ad Perfectionis ſtatum quibus liceat accedere. 52.3.36
Perfectionis via. 376.2.36.& ſeq.
Perfectioni legis obſeruatione homo ſit proximus. 255.2.29
ad Perfectionem via. 25.3.33. aſcenſionis initium. 285.4.25
ad Perfectionem prudentia decoratus, tardè ſemperque proficiens, ſuo tempore attingit.82.4.50. aſcendere cupienti impedimentum maximum. 473.3.39
Perfectionem amantis actus. 84.2.45. virtutum apprehendentium conditio. 471.3.36. & ſeq.
ad Perfectionem attingere, & ſeculo renunciare volenti, quid faciendum. 52.3.26.& ſeq.
ad Perfectionem virtutum, an quis repentè conſcendat. 291.4.54. aſcendentium per virtutum ſcalam gradus vltimus.482.2.14.tendentis officium. 429.4.16
ad Perfectionem cuiuſcunque artis, nullus niſi ex ordinato pro-

Digitized by Google

te progreſſu attingere valet. ibid.
Perfectus in obedientia qui cenſendus.28.1.38.in hac vita verè quis. 26.2.24
Perfecto viro quæ ineſſe debeant. 257.1.38.& ſeq.
Perfecti,quid ſentire debeant.89.1.26.fortiores quotidie, quomodo efficiantur.482.2.5. an Deum habeant, vel poſſideant. 130.1.51
Perfecti viri, an ſancti debeant vocati ſecundum actum. 363.1.35
Perfectorum cibus ſolidus.227.1.23.& ſeq. actualis congreſſio.386.3.54.conſideratio.470.4.10.exercitia. 191. 2.26.de ſe iudicium.470.3.35 meditationes.470.4.24. orandi modus.325.1.20.ornamenta.152.2.26. patientia. 126.2.5. perſonam in veteri teſtamento, qui geſtauerit. 473.1.32
Perfectorum qui in prælatione ſunt poſiti,exercitia. 373. 4.21.profectus. 257.2.25
Perfectorum virorum ſpeculum. 457.1.45. ſtatus in via. 83.2.33.& ſeq. ſtatui appropinquantium exercitia. 455.4.32.veſtis nuptialis.235.4.9.virtus conſummata. 440.2.52. perficere quodlibet quàm periculoſum ſit. 26.3.3
in Periculis cur Deus iuſtos comitetur. 224.4.50
Peritus reclamante conſcientia peccat. 450.1.20
de Permiſſione diuina,ratio non eſt inueſtiganda.95.3.4
Perſecutionis dirum genus. 333.3.15
Perſecutiones patientium præmium.94.3.22.an a domino irrogentur.472.1.14. malorum bonos ſemper pertuliſſe. 233.4.53
Perſecutores cur ſint amandi. 25.4.54
Perſeuerantia hominis,futuræ meſſi aſſimilatur.33.3.13. & ſeq.dimicandi in hoc carnis, & ſpiritus conflictus, quàm ſit neceſſaria. 471.3.38
Perſeuerantiæ bonum. commendatio.32.4.50. diffinitio. ibid. vtilitas multiplex.ibid. præconia. 429. 2.8.& ſeq.
Perſeuerantiæ quæ aduerſentur. 33.1.50.& ſeq.
ad Perſeuerantiam adhortatio. ſeq.
Perſeuerantiam hominem tenere quam multa ſint quæ præpediant. ibid.
de Perſeuerantia hominis,quibus indicijs poſſit rationaliter præſumi, quæ quanto magis in vnoquoque concurrunt, tanto fortiorem ipſum exhibent ad perſeuerandum. ibid.
Perſonæ Dei,& hominis Chriſti teſtimonia. 459. 2.20. & ſeq.
Perturbationes hominis finem ſuum ignorantis.
Peruerſitatem hominum Deo militare. 54.4.4
Pedes Chriſti. 301.3.34
Peſtis ſpiritualis. 425.3.25
Peſtilentiam an Deus immittat. 131.2.54
Petendi an nobis inſit facultas. 129.4.21
Petitiones ſupplicantium,quid repellat. 294.2.5
S. Petrus ad ſui cognitionem,quomodo deuenerit. 95. 3. 21. ante reſurrectionem dominum ſenſuali amore, non ſpirituali, dilexit. 144.1.38. de Chriſti diuinitate, & ſcientia fidei per viſionem eruditus. 280. 1. 12. proprio lapſu,quid didicerit. 451.3.32
B. Petri ante vocationem conditio lapſus. 279.3.38. & ſeq.incongrua petitio. 282.1.38. pedum lotio. 181.4. 56 zelus immoderatus. 192.2.36
B. Petrum ex tentatione longe ſalubrius, quàm ex eruditione magiſtri profeciſſe. 95.3.28
B. Petrum cur ter dominus rogauerit,an ſe diligeret. 394. 3.46
in Petro reuelationis teſtimonium. 280.1.10
Petulantiam quid mitiget. 110.3.34
Phantaſmata illecebroſa fœminarum dormienti, an ſint peccato obnoxia. 12.1.2
Pharaonem quid ſubmerſerit. 27.4.31
Phariſæorum malignitas. 193.1.44
Phariſæorum fucata humilitas. 448.4.41
Phariſæorum vitium. 67.1.14
B. Philippi ignorantia. 147.4.10
Philoſophiæ ſtimulus,quomodo conteratur. 6.2.28
Philoſophiæ veræ ſumma principia. 122.1.55
Pietas vbi pereat. 313.2.8
Pietatis definitio. 14.4.20
Pietatis diuinæ ſacramentum conſummatum. 269. 1.44. diuinæ maxima miſeratio. 357.4.51
Pietatis genus optimum.346.1.38. magnum opus. 178. 2.48.præconia.437.1.13.& ſeq.ſacramentum magnum. 162.4.58
Pietatis ſpiritus in Chriſto efficacia. 287.1.17
Pietatis zelum in cunctis ſeruare difficillimum. 98.2.44
Pius,quibus de claritate in claritatem transformetur. 96. 3.48
Piorum in patria felicitas. 83.2.34
Piorum,& ſanctorum ſpecialis virtus. 17.2.17
Piorum de Dei operibus iudicia.407.4.10. & ſeq. prima intentio. 457.2.28
Piorum natura. 265.3.46.& ſeq.
Piorum,& impiorum ſtatus. 168.1.16
Pios in hac vita ignorantiæ non carere caligine. 89. 2. 7. omnes a mundi exordio tribulatione eſſe purgatos. 155.2.20
Pilati ignorantia. 206.4.28
Piſcatorum commendatio. 6.2.31
Piſcis prunis ſuperpoſitus. 229.3.37
Placere hominibus qui quærunt, Chriſti ſerui non ſunt. 360.2.36
Plangendus ne ſit Chriſtus. 208.4.21
Plangendi meritò qui. 357.4.58
Plaſmatio humani corporis,& qua de cauſa rationali ſpiritui aduerſetur. 315.2.13
à Plebe qui iuſto Dei iudicio deſpiciantur. 296.3.34
Pœna,oculos aliquando aperiet,quos nunc claudit culpa. 254.4.16
Pœnarum omnia genera,an Chriſtus in cruce pertulerit. 214.2.10.& ſeq.
Pœnitere ſe poſſe ad libitum,qui confidant. 435.4.45
Pœnitens verè & Deo gratus deſcribitur. 464.2.1
Pœnitenti verè quæ Deus largiatur. 416.4.36
Pœnitentia exterior & interior. 465.1.49
Pœnitentiæ commendatio.98.3.5.efficacia. 465.1.16. magiſtrorum Deo gratiſſimum. 302.2.22. exercitium omnibus ſanctis commune. ibid. remedia ad libitum non capiuntur. 342.1.1
Pœnitentiam agendi tempus, homini poſt hanc vitam deficit. 68.1.21
Præſentiam protoparentum cur Deus ſuſtinere noluerit. 260.2.24
Pontificis mali opera. 385.3.20.& ſeq.
Pontificis miniſterium quale ſit. 367.4.33. quibus Chriſti fame,gladio,vel peſte afflictis,officium. 380. 1. 40. & ſeq.
Pontificis ſummi auctoritas. 422.4.20.& ſeq.
Pontificis ſummi in die iudicij examen.391.2.37. in promouendis animarum rectoribus officium. eod.
Pontificis notantur.249.4.35.& ſeq. cur contemptibiles efficiantur. 385.3.44
Pontificum corona.392.1.25.malignitas. 193.1.44
Pontificum ſanctorum opera.385.2.20.& ſeq.ſpirituales margaritæ. 253.2.53
Pontifices in populo Iſraelitico, cur Deus eſſe voluerit. 369.3.5.& ſeq.
Pontificalis officij primatum qui ambiunt, quantorum ſuppliciorum cenſendi ſint rei.367.4.19.& ſeq. auctoritatis deriſionis origo. 385.3.54
Pontificali ſublimatum cathedra quali munere redimitum eſſe deceat. 381.4.36.& ſeq.
Populorum multitudo,quibus modis allicienda. 140. 4. 15.& ſeq.
Populorum prælati notantur. 250.3. 4. & ſeq. regimini ſpiri-

ſpiritualiter præfecto quid expediat. 381.4.44
ſcelera vnde augeantur.385.3.55.arma. 479.2.43
Porta aurea.6.1.56.ferrea. ibid.
Poſſidentium Chriſtum beata ſtudia. 239.3.50
Poſtulationes deprecantium, cur Deus interdum audire diſſimulet. 225.1.58
Poſtulationibus vtilibus, dominus conſenſum non denegat. 281.4.36
Potentium in die iudicij ſententia.343.1.8. oppreſſiones æquanimiter an ſint ferendæ. 405.4.11
Poteſtates aereæ,an quantum velint hominibus noceant 117.2.24
Poteſtatum angelicarum officia. 408.1.53.& ſeq.
Præceptore ſpirituali cunctos egere. 90.2.37
Præceptionis perfectio. 16.3.11
Præceptum duplex Adam habuit. 336.1.35
Præcepta Chriſti. 442.1.32
Præceptorum Dei obedientia ad ſalutem adulto neceſſaria.255.2.1. dulcedo quanta ſit obſeruantibus ea. 415.3.11
Præceptis qui non obtemperat, inaniter Deum diligit. 152.4.6
Præceptis Dei obtemperandi ratio. 410.1.33.& ſeq.
Præcepta,cur Deus indixerit. 92.3.55
Præcepta Dei adimplere,non eſt impoſſibile. 410.2.4
cuſtodientium hæreditatis deſcriptio. 469.3.12
Præcipitio qui ſe dederunt,an vitam oderint. 337.2.26
Præconia popularia nemini licet appetere. 383.2.5
Prædeſtinationis æternæ rationabile argumentum. 162.1.13.altitudinem non eſſe inquirendam.173.2.51. indubium præſagium.345.3.49.tentatio quàm pernicioſa ſit.64.4.18.in hac vita teſtimonium. 95.1.46
de Prædeſtinatione,diaboli ſuggeſtiones. 65.1.20
ex Prædeſtinatione infidelitatis venenum, quomodo oriatur. ibid.
Prædeſtinata beatitudine,quomodo homo ſe priuet. 91.4.49
Prædeſtinatus exitio æterno ante mortem,an quis ſit.
Prædeſtinati,& vocati,oculis corporalibus aſſimilantur. 32.4.51.cur Dij merito nuncupentur. 176.6.11
Prædeſtinati,atque glorificati, an ſine exercitatione peruigili,ad ſanctitatis apicem peruenerint. 294.4.28
Prædeſtinati ante mundi conſtitutionem. 418.2.31
Prædeſtinatorum cauſas curioſa percunctatione non eſſe inquirendas. 173.2.52
Prædeſtinatorum Eccleſia. 307.1.26
Prædeſtinatos ignorat diabolus. 62.4.27
Prædicantium Dei verbum officium. 374.3.40.& ſeq.
Prædicationis officium, quibus & quando ſumendum ſit. 317.3.6
Prædicationis Apoſtolorum poteſtas.
à Prædicatione priuata nullus præſul excipitur. 374.3.46
in Prædicationibus quid frequentius agi debeat. ſeq.
Prædicatorum conditio. 229.1.34.& ſeq. examen in die iudicij. 391.2.53. gradus in Eccleſia, cur Dominus Ieſus inſtituerit. 317.3.50. omnium intentio, qualis eſſe debeat. 375.1.18. ſub compendio regula. 308.2.55.& ſeq.
Prædia,domos,& nemora habere,an dona ſint Dei. 370.2.30.& ſeq.
Prædiorum ſubuerſionum principium. 466.1.5
Prædones in Eccleſia qui. 391.1.33
Perfectorum populis conſuetudo. 245.1.54.& ſeq.
Prælatio,quibus efficiatur ruinæ occaſio. 226.3.10
Prælationis ambitio,vnde ſumpſerit principium. 92.2.53. munus quàm ſit laborioſum. 366.3.44. miniſterium qualiter aſſumendum,ſeq. eorum qui funguntur officio obedientia. 474.4.26
in Prælatione quanta ſint mala. 366.3.43.& ſeq.
Prælationes in Eccleſia non deſiderandæ. 366.2.18
Prælatus capiti aſſimilatur.369.1.13.officio abutens languido,Medici conſilium negligenti aſſimilatur, ſeq.ad animas tegendas,quos promouere debeat. 391.1.47
Prælati officium.366.3.53. oratio qualis eſſe debeat. 380.1.3.& ſeq.
Prælati humilis conditio. 387.1.43.& ſeq.
Prælati,eccleſiaſticarum facultatum non poſſeſſores, ſed diſpenſatores. 308.3.1
Prælatorum,& maiorum iudicio ſubeſſe qui non poſſit. 27.3.20. Eccleſiæ ruina. 250.1.30. conuerſatio, an ſit declinanda. 366.3.28. corrigendi ſubditos forma. 377.4.9.& ſeq. officium. 304.2.44. quanta debeat eſſe ſufficientis. 392.4.3
Prælatorum ſtatui congruentia. 773.1.35. & ſeq. ſtatus quantæ ſit perfectionis. 386.4.28.& ſeq.
Prælatorum typus. 379.4.2
Prælatis,de ſibi ſubditis,reddenda Chriſto ratio. 60.2.55
Præmeditationis deſcriptio, qua Deo militantes ne à dæmonibus decipiantur,ſunt muniendi. 51.4.32
Præmij æterni area. 29.3.26
Præmij cauſa vnde pendeat. 240.4.18
Præmia bonis vltra congruum Deus largitur. 271.4.26
Præmia qui conſequentur æterna. 294.4.58
Præpoſiti alijs officium. 90.4.24
Præpoſitorum Chriſti omnium officium. 60.3.5.& ſeq.
Præpoſitura non concupiſcenda. 366.1.37
Presbyterum videre inſcium, eſt Eccleſiæ dedecus. 352.3.34.
Presbyteris dignitatem, nemo ſibi vendicet. 310.2.2
Præſcitorum & prædeſtinatorum differentia. 298.4.40
Præſentia Dei,vbi fulgeat. 441.2.40
Præſidendi decorem,cur homo amiſerit. 238.4.54
Præſidendi periculum. 304.3.11
Præſidendi origo. 365.3.10
Præſidentes quibus ad perfectionem pertingant. 1.3.40
Præſidentium gradus, cur ſine in Eccleſia inſtituti. 317.3.50. mentem ad captiuitatem, quæ redigant. 373.1.45. officium. 1.3.45. officium magni eſſe periculi, eiſque ſolerter conſiderandum, qualiter circa vnumquenque ſe habere oporteat: qua via ſibi commiſſos ad perfectionem dirigunt, multaque illorum qui vtiliter præſint, eſſe merita. 60.1.46.& ſeq.
Præſidij diuini deſcriptio. 259.1.25
Præſidia,in quibus pugnantis animus ſe collocare valeat. 99.1.42.& ſeq.
ad Præſidia diuinitatis,quibus pateat acceſſus. ibid.
Præſul,vide,Miniſter,Paſtor,& Prælatus
qui Præſunt alijs, qualiter ſe in humilitate cuſtodire atque iudicare debeant. 200.1.31.& ſeq.
qui Præſunt qualiter pro conſeruanda ſubditorum pace, ſe habere debeant. 226.2.45.& ſeq.
qui Præſunt more medicorum, ſtudeant in priuatis locutionibus, congruam animarum medicinam audientium præbere languoribus. 375.3.20
vt Præſint Eccleſiæ multi, ſed vt proſint non quærunt. 401.1.18
Præeſſe qui non poſſit vtiliter. 201.1.20
Præeſſe qui concupiſcunt, an à Chriſto vocentur. 250.4.32.refugit humilitas. 310.2.31
Præeſſe qui non deſideret, vix reperitur. 360.2.31
Præeſſe,cur omnes cupiant. 360.2.33
Præſumptio elata,plurimos proſternit. 257.2.12
Præſumptio deteſtabilis.365.3.22.deteſtanda. 443.4.36
Præſumptuoſi vitia. 27.3.12
Præuaricationis origo. 421.4.56
Præuaricationis cauſa. 455.1.32
Præuaricatores,vt ad cor redeant,admonentur. 303.2.30
Preces attentè fuſæ. 48.1.58
in Precibus qui exaudiantur. 157.2.57
Principandi ambitio vbi ſumpſerit exordio. 365.2.48
Principis exercitus,& militum idem ter. 452.4.29
Principes,cur ſint ordinati. 200.3.47
Principium gloria. 479.2.43. in oppidis pacificè poſſidendis prudentia. 69.1.8. ornamenta Deo non placent.

cent 395.1.34. & ſeq.
Principes tribuum, & familiarum in Iſraelitico populo, cur Deus eſſe voluerit 369.3.5. & ſeq.
Principium vnum cui obedire oportet 410.3.24
Probationem peregrinantibus eſſe neceſſariam 155.3.55
Probatiſſimos viros ſine delicti contagione, vitæ ſuæ curſum non poſſe conſummare 98.2.51
Probitatis vis 22.1.39.
Proborum virorum gloria proprium ibid.
Prodeſſe alijs qui valeant 108.4.21
Prodeſſe maioris meriti eſt, quàm præeſſe 296.2.6
Prodigium inauditum, omniumque nouitatum ſingulare 241.3.40
Profectus ſpiritualia 440.2.15
Profeſſionis monaſticæ præuaricatores admonentur 302.1.7
Profeſſioni Chriſtianæ contraria 100.3.39
Proficiēdi ſolicitudo naturaliter homini innata 462.1.10
Proficientes prudenter debent vitare contraria 314.2.38
Proficientium in fide gradus primus 4.2.462.4.17
Promerendi lex 437.2.12
Promiſſa humano generi à Deo facta quantum proſint 157.1.17
Properè agitur, quod libenter auditur 11.4.22
Prophetæ à Deo cur fuerint eruditi futura tanquam præterita, quomodo narrent 459.3.32
Prophetarum vocibus, aut apoſtolorum teſtimonio repugnare ſummæ eſt dementia autoritas 302.4.43
Propugnatores fidei 392.2.15
Propinquior quis Deo 453.4.13
Proſperis qui fruſtrà lætentur 320.1.56
Proſperitas temporalis, ſecuturæ calamitatis eſt initium 168.1.8
Proſperitas mentis oculos obtegit 435.3.39
Proſperitatis pericula 25.3.18
Proſperitatum ſpiritualium bona 238.1.57
in proſperitatibus cur Deus iuſtos comitetur 224.4.54
prouinciarum ducum prudentia 61.2.46
Prouincias per angelos regi 117.3.16
erga proximi dilectionem, quæ ſeruanda 22.3.38
charitatis, & Dei fructus idem 478.1.17
Proximi dilectio 53.4.53. dilectione an Dei charitas ſit vtilior 478.1.7. verus amor 128.22. charitas perfecta à Verbo in euchariſtiæ ſacramento exhibito 133.3.26. pax cuius lucro præponenda 405.4.26
Proximo amabilem, quæ nos reddant 22.1.15
Proximo reddere debitum quid ſit 446.1.13
Proximum amare quibus rationibus incitemur 21.3.6 quomodo & quibus exemplis debeamus ibid. qui rectè diligat ibid. pluſquam ſeipſum qui diligant ibid. pij cur tam ardenter diligant. 477.4.27. qualiter vnumquemque diligere oporteat 52.3.28. Deo quid nos faciat 97.4.2
proximi qui 21.3.27
proximi vnde vt plurimum ſcandalizentur. 255.3.7
Proximorum compaſſio, munus Deo acceptum 127.3.12. conuerſationis incommoda 471.3.9. cura quàm ſit periculoſa 366.4.10. delicta an ſint celanda 54.2.6. oblocutio grande malum 314.4.6. profectibus deſudare, quàm Deo ſit acceptabile 253.2.38
Proximorū perſecutiones quas ferre debeamus 25.1.20
cum proximis conuerſationis deſcriptio
prudens inſipientium euitat conſortia 162.1.28
prudens quis 395.2.23
prudentes facilius labuntur, quàm ſimplices 400.3.32
prudentium ſimplicitas 14.2.40
prudentia qui ſolus polleat 80.4.53. in quo verſetur 111.1.2. ad cæteras virtutes adipiſcendas, quàm ſit neceſſaria 473.3.54
prudentia & ſapientia viciſſim ſibi inuicem famulantur 114.2.17. in omnibus cum humilitate eſt adhibenda 261.1.10
prudentia carnis 13.4.45. terrena ibid. diabolica ib.
prudentiæ adipiſcendæ optimum initium
commendatio 237.3.2. Deo famulantibus neceſſariæ enarratio 61.2.40. deſcriptio 395.355. diffinitio 12.2.40. dignitas & decor quibus effectibus pateat ibid. diuiſio ibid. effectus laudabilis ibid. excellentia fructibus arboris aſſimilatur ibidem.
prudentiæ humanæ doctrinam qui conterat 6.2.28. libra Chriſto militantibus, quàm ſit neceſſaria 233.4.28. lumen quantum ſpirituali bellatori expediat, ad ſupplantandum diaboli ſæuitiam 243.1.40
ad prudentiæ perfectionem homini cupienti venire quæ ſint neceſſaria 14.1.31
ad prudentiæ perfectionem ſpectantia 237.4.44
prudentiæ perſuaſiones 396.1.29. præconia ibid. regula 445.3.52. regula prima ibid. ſecunda ibid. ſcala & ſcalæ gradus 473.4.30
prudentiæ virtus cunctis Deo famulantibus neceſſaria, per quam ſingulis horis proprias debent diuidere actiones: & quid cuilibet operi, vt perfectum ſit, competat 61.2.40
prudentiæ quàm multa ſint, & quæ ſint illa, quæ non mediocriter aduerſantur 13.4.22
prudentiam quid reddat commendabilem ibid.
pſallentium mentes à terrenis negotijs & cogitationibus purgandas eſſe 72.2.48.
pſalmodia alacris, qua plurimum angeli gaudent ibid.
pſalmodiæ ſacrificium Deo offerentium officium ibid.
pſalmodiæ diffinitio ibid.
pſalmorum cantica, cur ſint in eccleſia inſtituta 362.2.20
pudicitiæ commendatio conſummatio 12.1.11. firmamentum 420.3.53. gradus ſex 11.4.44. lampas 3.1.6. zelatorum eruditio 11.3.14
pudicus incontinentium erubeſcit ſocietatem 162.1.30
puerorum mos
puerorum trium in fornace oratio 46.3.23
pugna carnis & ſpiritus dira 234.4.15
pugna ſpiritualis vnde ſumat originem ibid.
pugnæ aduerſus tenebrarum rectores præparatio 52.1.23. & ſeq. carnis & ſpiritus origo 87.2.33. & ſeq.
pugnæ ſpiritualis, qui victor exiſtat 91.2.46
ad pugnam ſpiritualem ordinatio 14.2.22. qui ſecurus accedat 96.2.6. diffidentiam ſui victoriam ſub miniſtrare 94.4.45
à pugna ſpirituali nullus liber 386.2.56
pugnare non deſinat, qui coronari exoptat 442.3.3
pugnandi Chriſtianis in dicta neceſſitas 259.3.33
ad pugnandum optima præmonitio 171.4.42
pugnantium oratio 241.2.46. triumphus 429.2.8
pugnatorum virilium magnanimitas, quibus humanum genus debellatur 232.1.50. virtutes quomodo eneruentur 470.4.57
pugnatoribus fidelibus, quale dominus Ieſus præſidium ſtatuerit 259.1.10.
pulcritudo omnis hominis vnde proueniat 238.4.42
puniri hominem per quæ delinquit 82.1.20
purificatio ſpiritualis 266.2.1
purificationis ſpiritualis accepta oblatio ibid.
puritatis decor vbi eluceat 385.2.22.
puritatis indumentum quid nobis exhibuerit 260.2.29
puſillanimitatis conſilium 195.4.14

Q

QVærentium dominum merces fol. 246. col. 3. lin. 17
Quies diuturna quantum noceat 470.4.58
Quietis exterminium 96.2.1
Quietis pericula 25.3.17
Quietis internæ perceptio, quibus communicetur 443.3.44

Quietem ſpiritualem, eiuſque dulcedinem, qui guſtare cupiunt, corporales ſenſus edomitos cur habere debeant. 316.4.27
Quieſcentium oratio. 241.3.39

R

RAdix peccati præcipua fol.35.col.4.lin.45
Radix ſpiritualis, ex qua anima coaleſcat. 355.1.27
Rancoris cuiuſcunque rei cauſa. 463.3.58
Rapinæ legibus diuinis & humanis prohibitæ. 382.3.12
Raptores in Eccleſia. 367.2.16
Ratio diſciplinæ Dei patris erga genus humanum deſcribitur. 472.1.1.& ſeq.
Rationis amiſſionis origo. 38.2.12. donum, vniuerſa naturæ humanæ ornamenta præcellit. 362.3.48
Rationis iudicium, cur homini datum. 109.2.42. iudicium quid euertat. 170.3.26. iudicium quantum cætera naturæ dona præcellat
Rationis pedagogi ſpirituales. 238.4.13. vehiculum. 132.1.1
ex Rationis vſu recto, cæteris amantibus quomodo homo emineat. 435.1.27
Rationem quid confundat. 66.4.21
Rationem hominis, ſapientiæ ſplendore illuſtratam, ſpiritualem eſſe regulam. 84.1.40
Ratione capaces, cur nos Deus fecerit
Rationalis ſpiritus patria. 162.2.41
Rationalem vim ſpiritualiter ſapientia appetit. 99.3.45
Rationale animal, quid diſcere debeat. 266.4.43
Rationales qui. 435.2.29
non Ratiocinando, ſed credendo, Dei ſapientia agnoſcitur. 410.4.38
ad Reatus indulgentiam, cur Deum flecti facile multi putent. 427.2.26
Reconciliationis humanæ efficacia. 379.1.18
per Reconciliationis factæ meritum per Chriſtum, de exilio reuocamur ad patriam
Rectitudinis zelus 98,2.21
ſine Rectore an Eccleſia in hac peregrinatione eſſe poſſit. 369.2.45
Rectorum animarum officium. 381.4.36.& ſeq.
Rectum homo quod vult, cur non agat. 109.2.48
Redargutionis regula. 190.2.10
Reditus temporales pauperibus non erogare, quàm ſit pernicioſum. 371.1.40
Redemptionis humanæ naturæ ordo. 303.1.8. declaratio. 479.4.20.& ſeq.
Redemptoris noſtri benignitas immenſa. 355.4.1 largitas affluentiſſima. 372.4.27. clementiæ deſcriptio. 446.3.46. vitæ deſcriptio. 441.3.53.& ſeq.
Refectio ſalutaris. 364.2.42
ante Refectionem, qualiter ſeruorum Chriſti præmunienda mens ſit, & in ipſo diſcubitu, quales eſſe oporteat, qui Deo placere deſiderant. 78.1.1
Refectiones ſpirituales. 415.3.3
an reformati excellentius ſimus, quàm conditi fuerimus. 258.2.42
Refugia munitiſſima ab incurſibus intellectualium beſtiarum valde ſecura. 313.2.20
Regentium familias, & cõgregationes officium. 226.2.48
Regiminis onus qui ſubeunt, quomodo præeſſe debeant. 304.2.43
Regiminis, his qui præſunt ſingulare documentum. 385.2.49
ad regimen animarum vocati officium. 366.4.53
in regimine animarum, quanta ſit anxietas. ibid.
in regimine animarum conſtitutio quid expediat. 373.4.6.& ſeq.
ex regimine ſpirituali terrena lucra quæritare, quàm ſit periculoſum. 371.1.5
in regimine qui præſunt opus habent ſapientia, ſicut cæci corpore, indigent ductore. 387.4.18
Reginæ Auſtri longanimitas. 242.3.6
Regiones exteras ignotaſque, cur homines peragrent. 92.3.2
Regnum qualiter poſcendum. 282.2.57. huius ſeculi non eſt appetendum. 441.4.19
Regnum cœlorum, cur merito debeatur. 360.4.5
Regni cœleſtis ſignaculum. 17.2.15. cœlorum clauis. 120.4.8
Regnum cœlorum diripiẽtium glorioſum certamen. 354.4.44. cœlorum obtinere volentis ſtudium. 363.1.49
Regnum cœlorum, quibus dominus promiſerit. 397.2.55
Regnum Dei qui non conſequentur. 54.3.36. cui pateat. 16.2.2. quibus proueniat. 7.3.8
Regnum Dei intra ſe qui habeant. 312.4.37
in regno cœlorum, & Eccleſia Chriſti cæteris fulgentiores. 126.1.45
Regno cœlorum qui ſponte ſe priuent. 359.2.8
in regno cœlorum locupletior. 363.2.23
regno Dei indignus eſſe qui conuincatur. 56.1.34
Regnorum tranſactionum origo. 466.1.6
Regna cœlorum qui poſſidebit. 17.2.15. corporaliter qui penetrarint. 230.2.52
Regere charitatis opus, dominari ſuperbiæ. 367.2.1
Regula diſcretionis. 318.3.16
Regula incipientium, proficientium & perfectorum in fide. 446.2.19. perfectione
Religio Chriſtiana, quantum eluceat in ijs, qui ſeculo renunciantes ſub diſciplina regularis obſeruantiæ degunt. 419.3.42.& ſeq.
Religionis definitio. 14.4.19. magiſterium. 420.4.53
Religionis catholicæ autoritas. 183.4.1
religionis catholicæ ornamentum. 240.2.36. catholicæ ornamenta ſublimia. 230.2.17
Religionis Chriſtianæ dignitas. 174.1.54. Chriſtianæ fundamentum indiſſolubile vnde cognoſcatur. 84.1.38. regula. 415.4.3. teſtes veriſſimi. 471.4.10
Religionis Sanctæ rudimenta. 419.1.10
Religionis omnis forma. 441.4.28
in religione rudes, qualiter exercendi. 422.2.19
religioſo viro, quibus de rebus ante tribunal interrogatio fiet. 421.2.23.& ſeq.
Religioſis obedientiæ inſtituta prærogata. 474.3.7
ad religioſos ſermo. 421.3.14.& ſeq.
Remedium pro omnium facinorum ſatiſfactione generale. 98.2.47. triplex quod Dei poteſtas homini libenti contulit. 50.2.15. & ſequent contra morum in fide incipientium. 54.3.55.& ſeq.
Remedijs locus quando eſſe deſinat. 29.4.14
Remuneratio & pœna, cur ſoli rationali creaturæ debeantur. 412.3.26.& ſeq.
in Remunerationis ſpe, actionis robur includitur. 173.4.8
Renuntiare perfecte ſeculo volentis exemplar. 473.1.52
Renuntiandum conſultæ eſſe ſeculo. 472.2.44
Reproborum de vniuerſali Eccleſia vox. 104.4.12
Repletio ciborum quæ mala adferat. 396.3.27
Repugnare Deo an homo poſſit. 356.2.24
Rex vnaquæque vnde cognoſcatur. 257.3.8
Rerum omnium vſum non damnat dominus, ſed priuatum affectum. 302.1.11. temporalium vilitatis & inſtabilitatis conſideratio. 51.2.5.& ſeq. temporalium penuriam, Deus ab hominibus non quærit. 434.3.29
Reb⁹ ſingulis generaliter eſſe, cur Deus tribuerit. 86.3.35
Res alienas furtiuè diripere, non mediocre delictum. 382.2.34
Rebus viſibilibus cibo, potu, veſtimentis, &c. an vtentur in beata vita ſancti. 393.3.28
de Reſilientibus à fide, an ſit funditus deſperandum. 292.1.53.& ſeq.
ad Reſipiſcentiam exhortatio. 297.2.10
Reſiſtere hominem Dei voluntati vnuſquiſque ſuf-

ficienter experitur in ſe 356.2.26. quæ videntur, ipſius iuſſa exequuntur
Reſtaurationis humanæ enarratio 134. 1.36. parabola 303.1.8
Reſurget nemo corporaliter & ſpiritualiter, qui non vtroque modo mortuus fuerit 338.2.35
Reſurgendi ad vitam, quibus ablata ſit ſpes 351.2.55
Reſurrectio duplex, animæ videlicet & corporis 338.2.34
Reſurrectio ſpiritualis, qualiter, in vnoquoque iuſtificato fiat 356.1.13
Reſurrectionis autoritas in quo declaretur 8.2.32
Reſurrectionis Chriſti teſtimonia 275.4.27
Reſurrectionis dominicæ verus cultor 271.3.53
Reſurrectionis ſpiritualis varij modi 356.3.38. ſpiritualis medicina, vnde proueniat 332.3.24
Retributionis futuræ gloria, quomodo condonetur 83.4.20. & ſeq.
Retributione æterna, qui dulcius ac abundantius perfuentur 355.1.56 & ſeq.
Reuelationes oratione fiunt 44.4.21. per angelorum miniſteria reuelari 117.1.53. an in nobis fiant 326.2.23. infuſæ quales animus eleuent 471.1.51
Reuerentia quid ſit 4.4.51
Rex Chriſtus regibus humanis aſſimilatur 290.4.45
Regis cæleſtis potentiam in ſpeculo fidei qui conſiderent 458.3.42. milites probatiſſimi 471.4.10
Reges qui meliores, & prudentiores exiſtimentur, 12.4.25
Regum officium 205.2.57.& ſeq.
Regum terrenorum in vrbibus pacifice regendis prudentia 69.1.6. & ſeq. in adipiſcendis prouincijs conſuetudo 245.1.54. & ſeq. huius ſeculi in extremo iudicio ſententia 342.3.45.& ſeq.
Regum Orientalium commendabilis ſolicitudo 263.3.50.& ſeq.
Regum ornamenta Deo non placent 395.1.34. & ſeq. inſidiarum origo 466.1.7
Regibus gentium ædificantibus, mediator noſter aſſimilatur 290.4.46
ad Reges terræ, & gentium principes adhortatio, 172.3.45.
Ritus obſeruantiæ cæremonialis legalis finis 774.1.28
Rixas qui concitet 66.4.20
Romanorum belli ciuilis cauſa 471.1.13
Rudibus & illiteraris ſecretorum cæleſtium notitiã, quomodo Deus præbeat 458.3.28.
Ruina omnibus communis 344.4.40
Ruinæ principium 108.4.47
Ruinæ proximus quis 141.1.42
Ruinæ ſpiritualis cauſa 425.2.41.& ſeq.
ante Ruinam exaltatur cor 43.1.53

S

SAcerdos ſacramenti dignitati detrahere aut addere, an quicquam queat 310.1.51
Sacerdotis mali munus an Deo placeat
in ſacerdote poteſtatem, ſcientia præcedere debet, 352.3.33.
Sacerdotes, cur nec vitam ſe dignam, nec ſcientiam habeant 249.4.34. & ſeq. notantur ſeq. cur tamquam purgamentum ſeculi habeantur ibid. eccleſiaſticarum rerũ non ſunt profeſſores, ſed diſpenſatores 308.2.54
Sacerdotum dignitas ſequen. examen in die iudicij, 351.2.53. & ſeq. malignitas 193.1.45. impudicitia ſtoliditas 219.4.4. indumenta cur ſint in eccleſia inſtituta 362.2.21. pars maxima iacet voluptatibus dedita 249.4.38. ex ſacerdotum incuria, quæ mala procedant ibid.
ſacerdotum gemma 400.1.1. poteſtas 310.4.14. regula ibid.
ſacerdotum ſanctorum honores ſeq.
ſacerdotum ſpiritualium autoritas 380.3.16
ſacerdotes in populo Iſraelitico, cur Deus eſſe voluerit 369.3.16.
in ſacerdotibus quantum deteſtanda, & eccleſiæ pernicioſa ſit ignorantia 352.3.48
ſacerdotij Chriſti dignitas 184.2.32
ſacramentum quid ſit 121.3.18. an iuſtificet ibidem. euchariſtiæ ſumere, quibus ſit neceſſe 479.3.35
ſacramentum ſeculis præcedentibus ignorum 176.4.13
ſacramentum magnum & conſideratione digniſſimum 238.4.27. verum & res ſacramenti 307.1.27
ſacramentum vnitatis 398.4.32
ſub ſacramenti accidentibus Chriſtum dentibus non alteri 77.3.10. ſpeciebus qualiter Chriſtus ſit ibid.
ſacramenti tranſmutatio, an ſit tranſmutabilis 134.3.24. & ſeq. beneficia non ex miniſtri beneficus pẽdent. 310.1.41. baptiſmi finis 465.1.7. corporis & ſanguinis Chriſti verba, quomodo intelligenda 384.1.39
in ſacramento baptiſmi aquæ efficacia 144.1.7
in ſacramento euchariſtiæ, an ſint accidentia ſine ſubiecto 134.3.2
in ſacramẽto quomodo Deus nobiſcum ſit 305.2.46
an corpus impaſſibile percipiamus ibid.
de Sacramento, Patris & Filij & Spiritusſancti teſtimonia ſeq.
in Sacramento, an panis & vini ſubſtantia ſit, & non corpus Chriſti ib. ſub ſpeciæ panis quid ſit 185.4.1. & ſeq. alia credi quàm videri 307.1.35. voluntariè delinquentes grauantur, non mundantur 495.3.4. qui Chriſtum ſumant 134.4.49. & ſeq.
Sacramenta duo potiſſimum ſaluberrima, tanquam preſidia ſpiritualia pugnantibus neceſſaria, per quæ tribuitur vulneribus peccatorum ſalus, & robur pro preparatione virium deperditarum, dominus Ieſus in ſtadio militantis eccleſiæ inſtituit 76.3.30. corporis & ſanguinis domini 134.3.39
Sacramenta eccleſiaſtica 217.4.12. eccleſiaſtica, an ratione comprehendi poſſint 121.3.4
Sacramenta cæleſtia, cur ſint inſtituta 287.4.1
Sacramenta an poſſint à malis pollui, vel à bonis augeri 415.4.10
Sacramentorum confeſſionis, & euchariſtiæ effectus 76.3.25. ſacramentorum inſtitutio 31.2.8
Sacramentorum auxilio omnes egere 76.4.57
Sacramentorum regenerationis humanæ origo 104.1.5
Sacramentorum cæleſtium notitiam, vnde eccleſia ſortita ſit 173.4.49. efficacia. 135.3.20. & ſeq.
Sacramentorum diſpenſator qualis eſſe debeat 353.1.24
Chriſti & eccleſiæ initium 393.2.28
ad Sacramentorum ſpiritualium intelligentiam perueniendi ratio 449.4.42
per Sacramentorum inſtitutionem, quanta Chriſtus pro ſalute hominum ſit operatus 464.3.2. & ſeq.
Sacramenta legalia, cur dominus Ieſus perficere voluerat 179.4.40. & ſeq.
Sacramenta ſine ſpe, precio, pactione à ſacerdote eſſe miniſtranda 250.2.6. & ſeq.
Sacrificium per quod omnia mundãtur peccata 16.1.52
Sacrificium Deo gratum ſeq.
Sacrificium pauperibus & diuitibus commune verbo ſuauiſſimum 108.3.44. expectationis 398.4.33. maximæ apud Deum efficaciæ 416.4.56
Sacrificium legalium efficacia 404.1.7
in Sacrificijs legalibus quæ præfiugrata ſint 134.2.47.
Sagittæ ſpirituales 241.2.46
Saluari, an quis poſſit, etiamſi Deum non poſſideat 130.1.56.
Saluari neminem per merita tantum, ſed per Dei miſerationes
Saluandus quis ſit, quiſque damnandus, nemo diſcutiat 173.3.1. videre cupienti aſſimilatur
Saluandi omnes legi diuinæ obtemperare coguntur 255.

355.2.17.
Salus humana in vniuerſis,quæ Dei ſapientia per aſſumptum hominem inter homines geſſit, procurata fuit 150.1.14. & ſeq.
Salutis argumenta,quę ſancti patres in ſpirituali certamine frequentarint animarum reſtaurandæ optimum initium 170.3.47 conſequendæ magnum incitamentum 356.1.23
Salutis indicium maximum 315.1.45. monita vniuerſis præberi optimum præſidium
Salutis recuperandę maxima portio 262.1.55 ſpem ex cordibus peccatorum, qui conentur extinguere 65.1.23.alienæ magiſter 434.2.38
Salutis æternæ impredabile brauium 429.2.115.
Saluti humanæ neceſſaria 183.4.4
Saluti humanæ nihil eſt neceſſarium,quod non in Chriſti humanitate reſplendeat 459.4.8
Salutem noſtram per quos Deus operetur 55.3.7 Deus non ſine nobis operatur 158.3.37
Salutem ſuam quiſque prius, deinde aliorum quærat 108.4.37
Salutem diligenti, quid ſit agendum 118.1.34
Salutem propriam negligentes ſuper aliorum ſalute non vigilant 249.4.50. & ſeq.
ad Salutem quid ſit neceſſarium 393.3.33. per ſe, ex genere bonorum, quæ non ſufficianr 434.3.35
Salute propria qui certus efficiatur 113.2.6
de Salute nullius diſſidendum eſt 193.3.40
pro Salute hominum,cur longe amplius diuina potentia laborauerit, quàm in cæterarum rerum pro creatione atque regimine 356.2.53
Salutationes vnde ſumpſerint principium 92.3.17
Saluus ſine ſui agnitione nemo fiet 96.4.16
Sanctimoniæ clariſſimum ſpeculum 385.3.14
Sanctionum eccleſiaſticarum inobedientiæ,origo ib. ſanctitatis diſciplina quibus congruat 78.4.56. totius ſtabile fundamentum 95.4.33. habitaculum 441.1.10. imago vnde ſumpſerit principium vbi eluceat 385.2.21. omnis inſtitutio 441.4.29.
ſanctitatis pabulum 398.4.34. ſpirituale tabernaculum 179.2.58
ſanctitatis teſtimonium 162.1.11.
ſanctitate viri conſpicui, in ignorantiæ errorem prolapſi 281.3.36.& ſeq.
ſanctitate prædıtus,an interdum aſpirationi renitatur diuinæ 356.2.30
ſanctus vbi ſupplantetur 313.2.9
ſancti an deprecentur pro nobis Deum 294.3.37
ſancti mortis naturalem pauorem, qualiber ſuperauerint 218.4.46. an pœnarum & exitij metu caruerint ibid.
ſancti viri in ſcala virtutum, quomodo aſcendant & deſcendat 363.1.14.& ſeq.
ſanctorum acta non in viuis,ſed in mortuis tantum codicibus agnoſci 296.3.16. auxilium an ſit implorandum 280.1.20. cantica cui adſcribenda 72.3.22. in hac vita conditio 63.3.28
à ſanctorum conſortio qui non excidant 157.2.30
ſanctorum corpora quomodo reſurgent 19.2.57
ſanctorum gloria perfecta, cum verbo & per verbum regnantium 124.4.7.
ſanctorum martyrum fidei probatio 283.1.17
ſanctorum mors, cur ſit præcioſa in conſpectu domini 272.4.8. opera 191.2.25. patrum conuentus 70.1.22. & ſeq.
ſanctorum patrocinium 273.4.55. an ſit nobis neceſſarium 286.1.38
ſanctorum præcedentium virtutes, an in præſenti ſint,qui imitentur 333.2.50
ſanctorum præteritorum geſta quantum piè viuentibus proſint 384.2.13. proficiendi amor & inordinatus affectus plurimos periclitari fecerunt 141.3.35. in hac vita ſtatus
Sanctorum ſuffragia. 32.3.7. virtus commendabilis. 193.1.16.& ſeq.
Sanctis viris occulta quædam myſteria, per ſpirituum propalantur, quæ alijs manifeſtare non licet. 381.3.55
Sanctos,cogitatione vana pollui. 120.1.7
Sanctos,an venerari debeamus. 295.2.17.quando veraciter colamus. ibid.
à Sanctis nullum donum, ſed à Deo omne ſaluti proficuum conſequimur. 286.1.30
Sanguinis in Sacramento efficacia. 104.1.8
Sanitatis indignus. 30.4.57
Sapientia quid ſit. 108.2.36.& ſeq.
Sapientia vbi imperet.201.1.40.quos fugiat. 139.2.35
Sapientia ſoli aſſimilatur.436.3.5.ſole delectabilior.ibid. & ſeq.
Sapientia diuina vbi conſpiciatur. 89.3.20. quantum ſupra nos euigilet,quis indagare valeat. 95.2.17
Sapientia Dei & indeficiétia,vnde clareant.112.3.18.Dei in carne veniens,quid vniuerſos docuerit. 173.1.41
Sapientia hominis vera. 14.1.7
Sapientia animam,quomodo doceat. 314.2.47
Sapientiæ & gratię Chriſti plenitudo deſcribitur.102.4.1
Sapientiæ additamentum,vnde ſentiatur. 322.4.6
Sapientię affectus in ſuos filios.158.2.12.contubernium, quibus denegetur. 87.2.17. contubernio, quis dignus. 321.2.17
Sapientiæ Dei dapibus qui ſaginentur. 152.2.30
Sapientiæ diuinæ occulta,cui reuelentur. 91.3.25 diuinæ magiſterium. 97.3.21
Sapientiæ diuinæ ſpeculum. 116.3.35.diuinæ perfecta teſtificatio.149.3.47. Dei myſteria arcana,quæ nemo,niſi ſpirituali illius ut alligatus connubio, intelligit. 438.3.6.& ſeq.
Sapientiæ dicende modus congruus. 160.4.55.documentum omne in quo fulgeat. 441.4.29
Sapientiæ domus.116.3.50. donum.153.2.47. effectus & laudes. 436.3.31
Sapientiæ æternæ guſtus quantum operetur in anima. 340.3.4.æternæ ſtillicidia. 278.2.36. cupienti irradiari ſplendoribus neceſſaria. 467.4.36
in Sapientiæ eloquia qui edoceantur. 96.2.29
Sapientiæ eloquia,vbi non ſint ſeminanda. 344.1.34
Sapientiæ exhortatio ſaluberrima. 294.1.2
Sapientiæ guſtus gratis tribuitur. 147.3.31. precum interpellatione donatur. 224.4.8
Sapientiæ guſtus ſpiritualis, omnem præcellit delectationem,quæ ex creaturis percipitur. 327.1.53
Sapientiæ guſtum,vnde Eccleſia ſortita ſit. 173.4.48
Sapientiæ incerta & occulta, quibus Chriſtus reuelet. 141.1.18
Sapientiæ incontaminatæ amatores. 91.3.4
in Sapientiæ inuentione,quæ neceſſaria. 114.3.4
Sapientiæ iugum. 390.3.39
Sapientiæ legibus vniuerſa gubernari. 116.2.1
Sapientiæ loquendi regula. 145.4.30. lux in quorum cordibus ſe diffundat.193.2.9.regula. 96.2.31
Sapientiæ ſermonibus mens inquieta non eruditur. 145.1.49.ſedes propria. 109.3.11.& ſeq. ſplendore quando mens fulgeat. 257.1.50
Sapientiæ in ſancta ſcriptura ſignificatio varia. 450.2.31
Sapientiæ ſpiritualis eruditio. 121.1.4
Sapientiæ ſpiritus in Chriſto efficacia. 287.1.30
Sapientiæ tabernaculum.122.2.15.theſauros reperire deſideranti,quid faciendum. 41.3.24
Sapientiæ vtilitas. 20.3.13
Sapientiam Dei veram,qui percipiant. 152.1.42
Sapientiam Dei impetrandi ratio. 291.2.45
Sapientiam Apoſtoli in ſuis docentem penetralibus, quando perſenſerint. 152.1.40
Sapientiam omnia tranſcendentem, non extra nos eſſe quærendam. 109.3.13

Sapien-

Sapientiam humanam, cur Deus ſtultam fecerit ſeq.
ſapientiam cur Deus det ibid. qui prudenter quærat ibid.
ad ſapientiam recipiendam diſpoſitio 108.3.7
ſapientem ad libitum fieri neminem 116.3.57
ſapientes & cordati qui vulgò appellentur. 114.2.33
ſapientum mundanorum & ſpiritualium deſcriptio 450.4.18.& ſeq.
non ſapores, ſed fames palatum excitet 39.4.10
ſaporum genera arte compoſita, quibus prohibita 466.2.48.& ſeq.
ſathanæ impotentia 406.4.56. & ſeq. membra 133.3.38
ſaturitatis mala 466.3.3.& ſeq.
ſaulis ante regnum & poſt conditio 441.2.21
ſcala Hieronymi 291.3.7
ſcala quam in ſomnis vidit ſanctus Iacob, quid ſit 92.1.52. quam Iacob in ſomnis vidit, cuius ſummitas cælos tengebat, angeloſque in ea aſcendentes & deſcẽtes 126.2.50. perfectionis 96.4.30
ſcala è cœlo demiſſa 141.4.40
ſcala virtutum, quæ ad Dei cognitionem perducit 444.4.10
ſcalæ ſpiritualis ſeptem gradus
ſcandala inter iuſtos, an accidant 234.1.26. ex male præſidentium vita qualia oriantur 397.3.10. & ſeq.
ſceleratos quomodo Deus inſequatur 382.3.23. & ſeq.
ſceleſti homines, in quo peritos artifices imitentur 286.2.30
ſceleſtis in hac peregrinatione, cur cuncta penè ad vota ſuccedant 371.4.7
ſcelus nullum tam immane, quod non cordis compunctione deleatur 98.3.6. immane ibid.
ſcelus nefandiſſimum 443.4.55. inexpiabile 449.1.9
ſcelera quibus non ſint in ruinam
ſcelera proximorum tanquam propria deflenda 167.4.55
ad ſcelera detergenda medicamẽtum optimum 423.4.15
ſchiſmatum origo 92.1.28
ſcholaſticorum puerorum orationes, cur non exaudiantur 45.3.24
ſcire vtiliter & contra 91.2.51
ſcire an quiſque debeat, & cur 111.3.45
ſcire nihil qui conuincatur 138.1.53
non ſcientem, ſed amantem diligit omnipotens 70.3.20
ſcientia an inter ſancti Spiritus dona computetur 111.3.32
ſcientia quando vtilis ibid.
ſcientia acquiſita an homo egeat, vt ſe agnoſcat 120.1.43
ſcientia omnibus communis 344.4.39
ſcientia humana de minimis neſcit rationem reddere. 111.2.58
ſciẽtia naturalis, cur animum reddat inſipidum 147.3.30
ſcientia an ad ſalutem ſit neceſſaria 111.3.26
ſcientia neceſſaria quæ 437.3.28
ſcientia in mentibus tumidis nullatenus habitat 450.2.55
ſcientia in Spirituſancto vnde oriatur 158.3.44
ſcientiæ diuinitatis origo. 178.4.28
ſcientiæ fundamentum perpetuum, atque imperturbabile. 331.2.20
ſcientiæ guſtum an malus habere poſſit. 123.2.22
ſcientiæ ſpiritus in Chriſto efficacia. 287.1.30
ſcientiæ in ſcriptura ſancta varia ſignificatio. 450.2.45
ſcientiæ veræ regula ordinatiſſima. 138.1.56
ſcientiam humanam, veram eſſe ignorantiam. 111.2.37
ſcientiam à ſcientiæ guſtu differre. 123.2.20
ad ſcientiam deperditam reparandam, mandatum charitatis, per mediatorem Chriſtum fuit inſtitutũ. 158.4.1
ad ſcientiam ſui exemplum efficax. 297.3.30
ſcientiam abſque temporis interuallo, ſolus Deus docet. 429.3.30
ſcientia, abutentibus ea quàm ſit pernicioſa. 437.3.36
ſcientiarum multiplicitas. 332.1.44.& ſeq.
ſcripturæ ſacræ commendatio vis. ibid.
ſcripturæ ſacræ commoda. 123.1.42.& ſeq.
ſcripturæ ſacræ ſtudij vtilitas. 33.3.28.& ſeq.
ſcripturæ diuinæ, claium effugiunt. 332.3.30
ſcripturarum ſacrum declaratio vnde oriatur. 49.4.42.& ſeq. per totum.
ſcripturarum diuinarum ſacramenta. 330.4.40
ſcripturarum ſcientia vnde noſcenda. 116.4.19
ſcripturarum ſacrarum vilipenſionis origo. 385.3.52
in ſcripturarum ſpeculo ſummi artificis peritia, quomodo clareat & qualiter operetur ibid. 478.2.50.& ſeq.
ſcripturas ſacras qui intelligant. 136.3.50
ſecretorum vnde oriatur reuelatio. 49.2.52
cæleſtium arcana quis attingat. 93.1.32
ſectarum cur mundus ſit plenus. 92.1.25
ſectarum da futura vita opiniones. 343.3.10
ſectatorum Chriſti deſcriptio. 447.4.20
ad ſecularis vitæ priſtina opera, qui redeant. 66.1.53
ſecularium ſtatus. 453.1.49
ſecularium vita, quàm ſit periculoſa. 255.3.24
ſeculum præſens locum eſſe veniæ. 82.2.50
ſeculum præſens, dominus Ieſus exhortationis verbo, atque remunerationis promiſſo ſpernendum eſſe docuit. 316.1.18
ſeculi amatores quibus ad contemptum mundi exhortentur. 51.1.13.& ſeq.
ad ſeculi amatores exhortatio. 41.4.46. oratio. 338.4.30
ſeculi amatorum de Dei opibus iudicia. 408.1.20.& ſeq.
ſeculi amatorum ſuperbia. 441.2.54
ſeculi contemptus exempla. 385.1.33
ſeculi futuri gloriæ figura. 392.3.51.& ſeq.
ſeculi gloria, cum mentis innocentia, non poſſidetur. 129.1.20
ad ſeculi vomitum redeuntes. 102.3.5
ſeculo renuntiare volenti, quid agendum. 52.3.37.& ſeq.
ſeculo, qui renuntiare volunt, vt prudenter præmeditentur ſtatus loci, perſonarumque conditiones, cum quibus Deo militent, ne à dæmonibus decipiantur, noui & veteris teſtamenti docemur admonitionibus. 51.4.40.& ſeq.
ſeculo, quicunque renuntiare diſponit, vt Chriſti ſeruitutem aſſequatur, in ſuo primordio conuerſionis, triplici excitatus adiutorio omnem à ſe debet metum repellere. 54.3.52.& ſeq. renuntiare cupienti exercitia & arma. 55.4.50.& ſeq.
ſecurus qui ſolus incedat. 141.1.47
ſedere à dextris patris, cui datum. 8.1.41
ſeditiones in ciuibus à dæmonibus concitati. 117.2.38
ſeditiones an Deus permittat. 131.2.55
ſegnities quid ſit. 2.4.39
abſque ſemine virili, an quis præter Chriſtum conceptus fuerit. 439.3.58.& ſeq.
ſennacherib quid incremerit. 27.4.31
ſenium natura, cur formidet. 213.4.57
ſenſui proprio incũbere quàm ſit pernicioſum. 473.3.40
ſenſum proprium abdicandi ratio. 28.3.14
ſenſus duo reliquis ad gubernandũ difficiliores. 466.1.46
ſenſuum cuſtodia. 11.3.56
ſenſuum lenocinium refrænare debent, qui Deo ſtrenuè militare cupiunt. 71.2.56
ad ſenſuum corporalium ianua, ſpirituales excubiæ. 438.4.3
ſenſuum corporalium vnitas, & diuerſitas. 457.3.17
ſenſuum ſpiritualium cibus. 70.1.29
ſenſibus corporalibus ſpiritualia dona non patent. 100.4.15
ſenſus exercitatos ad diſcretionem boni, & mali, qui habeant. 71.2.40
ſenſus quinque refrænandi ratio. 318.2.8
ſequi Chriſtum qui nequeant. 260.4.10
ſermocinationum colloquentium hominum deſcriptio. 466.1.55
ſermonis contentioſi pernicies. 66.4.12. Deo accepti com-

commendatio 69.3.5.ocioſi mala 314.3.16
Sermonibus vtilibus, an ſit interdum abſtinendum.106.3.30
Sermonis inordinati flagitia 161.1.4
vt ſeruiamus viciſſim nobis mirum exemplum 473.4.21.& ſeq.
in ſeruitio Dei tanto vnuſquiſque ſit promptior, quanto timore & amore fuerit locupletior
Seruitiorum fictorum principium 92.3.16
Seruitus Chriſti ex mundialis ſeruitutis comparatione comprobatur 54.3.54.& ſeq.
Seruitus mala 154.2.16
Seruitus vera, quæ mentis tribuit libertatem
Seruitutis Iacobi eloquium myſticum 261.1.53. Chriſti comprobatio
Seruitutis tyrannicæ iugum reijciendi ratio 266.1.35
Seruus Chriſti regi terreno pacis auido aſſimilatur 691.81
Seruus Chriſti ſecundum Deum quum delinquit, dolere ſtudeat, & ſemper in domum iuxta Apoſtoli ſentētiam gaudere diſponat 70.3.24.& ſeq.
Seruus Dei quibus indicijs merito cōmendetur 426.1.39
ſeruus diaboli nemo niſi volens fit 437.2.15
Serui Dei fidelis & prudentis officium 59.2.41.& ſeq.
Serui retributio 335.2.34
Seruo Chriſti tentationum inſultus eſſe ſuprimendos. 95.1.17
Seruo Dei ad perfectionem tendenti neceſſaria 69.1.23
Seruo Dei indignum, à guſtu ſpei diuinæ deficere. 70.4.26.& ſeq.
Seruum Chriſti conari debere vt triſtitiam, quæ multorum malorum, & præcipuè deſperationis cauſa exiſtit, a ſe abijciat, ibid.
Seruum Chriſti in omni certamine, quid fortem, & ſecurum faciat 419.4.35.& ſeq.
Seruo liberum ſe arbitrante, nullus eſt miſerabilior. 345.2.39
Serui Dei, amatorum temporalium facultatum comparatione, redargutione, cur ſint digni 423.1.2
Serui Chriſti difficiliora aggrediuntur opera, quàm amatores mundi 426.4.24
Seruorum Chriſti charitas 248.1.30. exercitia exteriora 79.3.33
Seruorum Chriſti in operibus exterioribus officium ibid. in operibus exterioribus & proximorum neceſſitatibus officium ibid.
Seruorum Chriſti ſtudia 127.3.54. in congregatione degentium ſtatus 419.2.33
Dei Seruorum exercitia 61.4.3. lucrum ibid. torpor redarguitur 261.2.2.& ſeq.
Seruis Chriſti quæ ſint ſummè neceſſaria 452.2.17
Seruis Chriſti collegialiter viuentibus, pernicioſum eſſe ocium, quod magnopere deuitare debent, plurimis ſuaſionibus & exhortationibus, necnon qualiter illud declinare debeant 167.2.42. ingluuiem eſſe edomandam 78.1.33.& ſeq.
Seruos Chriſti, cum magno affectu debere ſilentij virtutē diligere, & linguæ lapſum toto poſſe vitare, per quē maxima animæ oriuntur detrimenta, & in quibus occupare ſe debeant ſermonibus, qui domino placere appetunt 69.1.1
ad ſeruos Chriſti exhortatio & ſeq.
ſexus nullus a legis obſeruatione ſecernitur 255.2.18
ſigna an magica arte fiant 117.2.17
ſigna facere, bonis & malis eſt commune 444.4.34
ſignorum operatio ad quid proſit 149.2.21.& ſeq.
ſilentium extremum fugiendum 69.4.40
ſilentij rigorem, vbique ſeruare paucorum eſt 80.1.57. virtus, laudabiliſque locutio deſcribitur 69.2.40. & ſeq.
ſilentij virtus, an ſit ſemper tacere ſeque regum iter ibidem.
ſilentium negligentem, peccatorum laqueos vitare non poſſe. ibid.
Similitudo Dei quomodo difformetur in mēte. 128.3.52
Simplicitas inutilis, an Deo diſpliceat. 127.2.28
Silentium ſolicitudo. 168.4.11
Sitis origo. 465.4.57. an irrogetur à domino. 472.1.14
Sobrietas, quomodo & quibus medijs acquiratur. 39.1.40
Sobrietatis celſitudo. & ſeq.
Sobrietatis commendatio. 96.1.46
ſobrietatis commoda. 39.3.41.& ſeq.
ſobrietatis deſcriptio. ibid.
ſobrietatis exemplum. ſeq.
ſobrietatis perfectio, quibus modis teneatur. ſeq.
ſobrietatis virtus. ibid.
ſobrietatis virtutem obtinere concupiſcentibus, quæ ſint euitanda ibid.
ad ſobrietatis virtutem acquirendam multis ſuaſionibus nos hortari. ibid.
ſobrietatem cur homo exercere debeat. ſeq.
ſobrius ebrioſorum erubeſcit ſocietatem. 162.1.30
ſocietas Chriſti & Eccleſiæ. 400.3.4
ſocietas naturalis nihil habet proprium. 102.4.35
ſodomæ iniquitas. 11.3.31
ſolis viſibilis natura. 164.2.44
ſolis claritati mens pia aſſimilatur. 265.3.28
ſolis radij diuinorum iudiciorum indagationi aſſimilantur. 266.4.4
ſolis præconia. 436.1.30. & ſeq. & ſapientiæ lux deſcribitur. ibid.
ſoliditatis vera indicia. 333.19
à ſoliditate mens quando non decidat. 94.4.38
ſolitarij mors. 318.43
ad ſolitarium exhortatio. ibid.
ſolitariorum ſpirituales deliciæ. 329.1.17
ſolitudo corpus, non corporis paſſiones edomet. 96.1.42. corporalis quorum inſtituta. 322.2.56
ſolitudo ſemper amanda, non ſemper tenenda. 96.1.30
ſolitudo corporali exercitio interdum ſubleuanda. 319.2.38
ſolitudo interior 329.1.31. & ſeq. Deo dicata. ibid. eius præconia. ibid.
ſolitudo localis quid ſit, & quam proficua, quantumve oneroſa, ſi nō voluntaria eſſe contingat. 313.1.4.& ſeq.
ſolitudo ſpiritualis quid ſit. 32.2.51
in ſolitudinis loco de gentibus, opportunam ſpiritualis ruinæ materiam, quæ miniſtrent. 319.2.43
in ſolitudinis loco, cui liceat viuere. 321.3.15
ſolitudinis commendatio. 310.4.50.& ſeq.
ſolitudinis ſolatia ſpiritualia. 318.1.37.& ſeq.
ſolitudinem poſſidentium exercitia. 328.2.18
ſolitudinem fruſtra qui teneant. 96.1.36.& ſeq.
ſolitudinem in ſeipſo ædificandam. ibid.
ſolitudinem ſpiritualem ſectantibus, quantum ſit neceſſarium diſcretionem habere ſpirituum. 326.1.13
ſoluendi, atque ligandi poteſtas vbi ſit vana. 280.4.12.& ſeq.
ſonus ſpiritus aduenientis factus Apoſtolis in vnum cohabitantibus quid ſubindicet. 277.3.6.& ſeq.
ſophiſmatum origo. 92.1.28
ſortibus in dubijs, an liceat Apoſtolorum exemplo vti. 267.3.6.& ſeq. cur ipſi ſint vſi. ibid.
ſpecies humana cur ſibijpſi facta ſit contraria. 234.4.36
ſpectaculum cœleſte maximum, & prorſus venerandum. 355.4.20.& ſeq.
ſpeculum omni carens imperfectionis macula. 141.3.15
ſpeculum perfectionis. 456.2.25. maieſtatis diuinæ. 141.3.15
ſpeculum virtutum omnium. 456.1.51
ſperare fruſtra in Chriſto. 306.2.26
ſpes deſcribitur. 113.1.21
ſpes Deo militantibus per neceſſaria. 28.4.10. quædam maledicta ſeq. lubrica ibid. vana ibid. falſa, vera. ibid.
ſpes immortalitatis. 130.1.46

Spes omnis humani generis. 404.3.33
Spes impij. 343.4.46
Spei in Deo ponendæ fulcimentum. 15.3.52
Spei definitio,& charitatis vinculum. 445.2.12
Spei filia. 15.3.21
Spei gaudium vbi eluceat. 385.2.24
Spei humanæ præcipuum ſolatium. 238.3.15
Spei precium cui cognitum. 344.4.25
Spei veræ ſuauitatem, quando homo conſequatur. 363.3.49
Spei virtus. 28.4.10. & ſeq. diffinitio ſeq. effectus varij, per quos ditantur qui illam poſſident ibid. virtutis quę ad cognoſcendum proficuæ ſunt, ſpecies quinque ſeq.
Spei virtuti quæ plurimum aduerſentur. ibid.
de Spei virtute qui ſecure gaudeant, ibid. virtutem mens, quæ nutrire deſiderat, quo modo in Deo, in beneficijs Dei,& in ſanctorum ſuffragijs ſe exercere debeat ſeq.
Spem quid pariat. 17.3.24
Spiraculum vitæ quid ſit. 9.4.4
Spirituale bonum quomodo conſpiciatur, deguſtetur, comprehendatur, concupiſcatur,& teneatur. 92.3.23
Spiritualis homo deſperationem quomodo repellat. 112.1.50
Spiritualis quæ Dei ſunt, quomodo percipiat. 93.2.5
Spirituales re & nomine rari. 417.3.38
Spirituales in hac vita deliciæ. 84.4.1
Spiritualium opera. 321.1.30
Spiritualium nequitiarum inſidiæ in nos odium. 52.1.25 & ſeq. ibid.
Spiritualium inexpertus, à natiuitate cæco aſſimilatur. 311.4.8. & ſeq. guſtus triplex nouiter conuerſis neceſſarius. 58.1.25
Spiritualia temporalibus lucris eſſe præponenda. 79.4.37
in Spiritualibus qui locupletior. 17.1.16
Spiritus ex quibus coaleſcat, & quomodo ad perfectionem aſcendat. 6.4.40
Spiritus ex qua recreetur, & quando corpori infundatur. 126.3.54. corporis Eccleſiæ ſpiritui aſſimilatur. 368.3.23. ibid.
Spiritus humanus, quibus conſiderationibus in ſpirituali certamine roboretur. 126.3.54
Spiritus rationalis, iumentorum ſimilis, quomodo efficiatur. 87.4.35. rationalis qualiter per corporales ſenſus proficiat, ipſiusque nobilitas præcipua. 238.3.53. rationalis in hac vita quibus ſuſtenteur. 157.1.14. rationalis, virtutibus, & ſapientia ſe exercendo creſcit, & ad perfectionem attingit. 320.3.27. rationalis, per creaturarum ſpeculum de ſpiritualibus, quomodo ſufficienter erudiatur. 449.4.16
S. Spiritus ſuper quos deſcendat. 277.2.17. quot dona hominibus adferat. 466.4.18. & ſeq.
Spiritus in carnem quando transferatur. 292.1.23
Spiritus aduentum ſentiri, ſed vnde veniat neſciri. 111.2.24. & ſeq.
Spiritus & carnis affectus varij connexio, ibid. pugnæ cauſa. 315.2.43. & ſeq.
Spiritus dona. 153.3.4
S. Spiritus dona, in Eccleſia ignota. 104.3.35
Spiritus humani ante peccatum donum. 132.1.27
Spiritus intelligentiæ. 166.4.22. fructus. 91.2.40
Spiritus rationalis natura. 330.3.6. rationalis refectio. 340.1.53
Spiritus ſancti dona. 177.3.41. & ſeq. opera. 123.4.32. in anima admiranda operatio. 333.4.25
Spiritus Dei in ſuis præter naturam opera. 381.1.46
Spiritus præſentia, arboris fructibus aſſimilatur. 368.4.6. an aliter in eccleſia, quàm in vnaquaque fidelium congregatione præſideat ibid. ruditiſſimo patrisfamilias aſſimilatur. ibid.
Spiritui carnem quid reddat ſubditam. 11. 2.19. cur corpus aduerſetur. 315.2.43
Spiritui gratiæ contumeliam qui faciat. 27.3.58
Spiritui quæ prodeſſe poſſunt, cur odibilia iudicantur. 65.3.4
Spiritum filijs ſuis Deus, quàm multipliciter infundat. 31.3.23
Spiritum dominus cur carni & luto paſſibili ſociauerit. 54.2.41
Spiritum ſine carne beatum ad plenum non eſſe. 82.2.22. & ſeq.
ad ſpiritum alium, aut fidem patres, qui Chriſti præceſſerunt aduentum habuerint, quàm qui eundem ſecuti ſunt. 221.3.28
Spiritum Deus condidit triplicem. 322.4.8
in ſpiritu adultis quid animo voluendum. 93.4.40 adultorum alimentum. 432.3.16
in ſpiritu ambulantium alimenta. 142. 2. 16. conditio regula potiſſima. 351.4.16
Spiritu tepidos & ad orandum pigros, cur Deus tentari permittat. 75.2.8
Spiritus beati, miniſtrorum Eccleſiæ ſunt conſortes. 280.3.12
Spirituum aduerſariorum minæ. 55.3.32
Spirituum officia. 201.3.5. habitatio. 136.2.51
Spirituum beatorum natura. 289.4.57. miniſteria ibid. beatorum ordines & officia. 408. 1. 40. bonorum monita quàm ſint vtilia. 327.1.29
Spirituum diſcernendorum regula. 428.4.37. & ſeq.
Spirituum immundorum nequitiam, Deo militare. 54.4.5. fraudes quando detegantur. 457.4.29
Spirituum malignorum contra mortales odij cauſa. 88.2.4. tentandi artes. 65.3.37
Spirituum ſingulorum proprietates. 322.4.8
Spirituum diſcretio, ſolius Dei donum eſt. 326. 3.42. & ſeq.
Spirituum in cælo prælium. 290.3.31
Spiritibus, aereæ poteſtates, an ſint ſubditæ. 117.2.24. vniuerſa eſſe ſuppoſita
Sponſa, quibus gradibus prouehatur ad fruitionem verbi. 107.1.30
Sponſa qualiter ſui cordis habitaculum præparare debeat ad ſuſcipiendum Verbum, & ſpirituales excubias celebrare. 109.2.1
Sponſa abſentante ſe ſponſo, quos ſpirituales profectus ardenter conſequatur. 113.2.32
Sponſa in quibus ſe congruis locis, negocijs, & temporibus occupet. 127.3.56. in hac peregrinatione qualiter verbi pręſentia fruatur. 135.4.46
Sponſæ aures. 105.4.4. oculi. ibid. & ſeq.
Sponſæ Chriſti eloquia,& opera. 128.3.1. vita. ibid.
Sponſæ deſcenſionis gradus, quos penes ſe recondit. 126.3.2
Sponſæ & filiorum Dei differentia. 141.2.18
Sponſæ exercitium. 108.3.54
Sponſæ exultatio. 130.4.15. & ſeq.
Sponſæ facies. 106.3.5. os ibid. lætitia. 120.2.40. lingua. 106.3.43. cor ibid. elegantia. ibid.
Sponſæ Chriſti mediationes. 84.4.1. & ſeq.
Sponſæ munus. 113.2.2. munus ſponſo gratiſſimum. 129.1.33. & ſeq. amore perfecto repletæ, opera. 137.1.11. & ſeq. ornamenta. 444.1.53. proximis opem ferendo, prudentia.
Sponſæ ſpiritualia ſtudia. 127.1.6. in thalamum nuptialem introductæ voluptas. 479.2.14. & ſeq. veſtis quibus contexi debeat. 477.2.19. votorum perfectio.
Sponſam per meditationem de curſus vitę, incarnati verbi plurimum in amore proficere. 131.2.28
Sponſus ne veniendo pertranſeat, quid faciendum. 111.1.30
Sponſi amor non incaſſes. 118.1.44. alternationis acceſſus,& diſceſſus cognitio narratur. 111.2.28
Sponſi amplexibus qui dignus fiet. 95.1.13. cognitio, ipſiusque acceſſus,& diſceſſus alternatio. 111.2.28
Sponſi connubium quibus denegetur. 87.2.16

Digitized by Google

ad ſponſi cubiculum ſecretius qui admittatur. 91.3.24
ſponſi cubiculum qui intrare merebuntur. 94.3.13
ſponſi elegantia. 93.1.36
ſponſi cæleſtis receptaculum. 329.1.50
ſponſi inuitantis monita, non negligenda. 94.1.4
inter lilia paſcua. 339.4.46
ſponſi ac ſponſæ munera, quibus cognita. 118.4.2. et ſponſæ thalamus. 101.3.15. & ſponſæ beata vnio. 126.4.25.
eloquia ſpiritualia. 476.2.27
ſtadium certaminis ſpiritualis. 45.4.42
in ſtadio corporali dimicantium conditio. 243.1.43
huius ſeculi pugnanti quæ ſint neceſſaria. 88.1.46
in ſtadio ſpirituali pugnaturi, quales eſſe debeant. 240.3.32
in ſtadio ſpirituali certantibus impedimenta. 316.4.56
ſtatera ſpiritualis. 140.3.47. meritorum æquiſſima. 95.4.31
ſtatus cœleſtis in congregationibus qualiter repreſentetur. 46.4.50.& ſeq.
ſtatus hominum miſeria. 135.4.47
ſtatus meditationum triplex. 58.1.27
ſtatus vniuſcuiuſque quanto eſt maior, tanto ruina perniciſior. 308.3.40. veræ humilitatis deſcriptio. 448.2.44. ſtellæ ſpirituales. 384.4.45
B. ſtephanus iniuriarum dolore aliquo an motus ſit. 259.2.41. angeli ſpeciem, cur in facie portenderit. 259.2.41
ſtephani fidei commendatio. 9.2.28
B. ſtephano in ſtadio laboranti, quid Chriſtus exhibuerit. 259.2.14
ſtola immortalitatis qui donabuntur. 139.1.42
ſtola prima, quam Chriſtus ſibi in hac peregrinatione famulantibus tribuit. 300.4.24
ſtolas Sancti vbi ſibi contexuerint. 294.4.55
ſtomachi repletionis incommoda ſpiritualia. 396.3.32
ſtudium mercatorum pijs imitandum proponitur. 435.3.48.& 438.1.11
ſtudia regi æterno militantium. 72.1.19
ſtudia coram Deo fulgentia. 25.1.18. pij neceſſaria. ſanctorum qualiter diabolus impugnet. 60.1.7
ſtudia ſpiritualia. 49.3.3.& ſeq.
ſtudia ſpiritualia, per quæ quiſque ſeruorum Chriſti metiri poteſt, quantum profecerit. 84.1.12.& ſeq. per totum cap.
ſtudijs ſpiritualibus occupatis, Deus ſuam exhibet præſentiam. 317.3.2
ſtudijs ſpiritualibus, qui frequentius incumbat. 364.2.20
ſtupor quid ſit. 3.1.21
ſtuprorum principium. 92.3.7
ſubditorum officium. 251.2.52
ſubeſſe pauci, præeſſe innumeri volunt. 365.3.9. improbis an debeamus. 412.4.50. humiles non præeſſe cupiunt. 360.3.14
ſubiectio humilitatem parit. 256.3.2
ſubiectionis regula. 409.1.30
ſubiectionem quid fugiat. 256.3.3
ſubiectorum ſub compendio regula. 1.4.15
ſubiectorum vitia, qui poſſit redarguere. 10.1.6
ad ſubiectorum regimen eruditio. 190.2.7
ſublimia gratis non donari. 257.1.3
ſubſtantia omnis, an ſit nomine Chriſti ab omnibus eroganda. 301.3.54
ſubſtantiæ diuinæ qualitas æternæ patris cum filio declaratio. 459.1.21.& ſeq.
ſubſtantiam alienam rapere grande malum. 382.2.31.& ſeq.
in ſudore vultus tui, an nobis vt Adamo dictum ſit. 444.4.2
ſuffragium imbecillitatis humanæ. 258.4.41
ſuffragium non aliunde prorſus quis, quàm a Deo implorare debet. 379.4.44
ſuffragio alieno quilibet homo quandiu viuit, quomodo indigeat. 475.1.1.& ſeq.
ſuffragia Chriſti pro nobis, ac merita. 31.3.43
ſuffragia per ſanctos Chriſtianis collata. 294.3.4
ad ſumma neminem, abſque ſui læſione, repente conſcendere. 82.4.49. nullus niſi probatus prouehitur. 94.3.47
ſunamitidis filij reſuſcitati ſacramentum. 353.3.30
ſuperbia ignorantiam generat. 106.2.3
ſuperbia intolerabilis, & ſumma. 43.2.33
ſuperbia quantum a lege naturali deuiet. 376.2.20.& ſeq.
ſuperbia cur ſit fugienda. 434.2.44
ſuperbiæ comes fomenta. 366.2.24. certum indicium. 42.3.17. peſtis, quàm Deo ſit deteſtabilis. 256.2.31
ſuperbiæ tumorem euacuandi ratio. 321.4.18. vento detentus, in ignominiæ ſcopulos collidetur. 317.3.29
ſuperbiæ vitium quàm pernicioſum, Deoque odibile. 433.1.2
ſuperbiam, quàm ſolerter debeamus fugere. 434.2.33.
non ſuperbiendum eſſe magiſterium ſingulare. 366.1.35
ſuperbienti onus importabile, obedientia. 256.3.4
ſuperbus non valet eſſe eruditus. 450.1.46
ſuperbi ſicut dignitates temporales ambiunt: ita humiles eaſdem fugiunt. 441.2.54
ſuperborum merces. 360.3.13
ſuperborum rex. 237.1.24
ſuperbis in peccatum cadere, vtile. 47.1.36
ſuperiori tanquam Chriſto obediendum. 80.2.10
ſuperſtitiones vnde vigeant. 250.1.43
ſuperſtitionum adinuentio vnde manarit. 92.1.91
ſupplicationis humilium exempla. 451.1.45. locus 40.3.19. modus ſeq. 73.3.18.& ſeq. 375.1.2.& ſeq.
ſupplicio æterno plectenda, cur homines ſectentur. 427.2.10.& ſeq.
ſupplicio æterno qui merito plectendus. 441.4.40
ſupplicia æterna ſunt iugiter meditanda. 342.3.38
ſupplicia quanta qualiave reſeruentur delinquentibus in poſterum. 356.4.20.& ſeq. peccati quomodo ſint in ſalutis adiutorium conuerſa. 54.3.16
ſupplicia malis citra condignum Deus largitur. 274.4.25
æterna. 319.4.22. 377.1.40
ſuſannæ memorabile exemplum. 198.1.56
ſydus in futuro cœlorum regno præfulgidum. 260.4.23

T

Tabernaculum fœderis. 420.3.51
Tabulæ lapideæ quid præfigurarint. 287.1.10
Tacere qui prudenter ignorat, loqui fructuoſe neſcit. 69.3.53
Taciturnitas in quibus damnanda. 372.2.42
Taciturnitatis efficacia. 25.1.33.& ſeq.
Taciturnitatis ſola natura quæ declinentur. 69.2.22
Taciturnitati prius, quàm ſermocinationi linguam aſſueſcendam. 106.3.22
Tactus delectatio. 457.3.40
Talentum ſpirituale penes ſe repoſitum quis retineat. 127.4.7
Tela inuiſibilia. 420.2.24
Temeritas humana quanta ſit redargutione digna. 426.2.3
Temeritas maxima. 443.4.55
Temeritatis humanæ confuſio. 40.4.40
Temeritatis nota. 86.2.47
Temeritatis ſignum notiſſimum. 313.4.16
Temperantiæ actiones quando mens operetur. 110.3.50
Temperantiæ deſcriptio ſeq. virtutis fructus. ibid.
in Tempeſtate nautarum conſuetudo. 237.4.1
Tempeſtates mari à dæmonibus concitari. 117.2.37
Templum Dei non lapidum ſtructura compoſitum. 109.3.20
Tempus ad merendum quibus deſit. 319.3.57
præter tempus omnia in mundo à nobis eſſe aliena. ibid
Tempus inutiliter qui nunquam conſumat. 91.3.47

Tempus

Tempus quid ſit. 320. 1.30. Chriſtianis quanti æſtimandum. 254.4.9. & ſeq. poſt mortem nullum eſſe. 320. 1.32
Tempus præſens, an aliquid nuncupandum ſit. ibid.
Tempus vitæ præſentis indultum, quanti æſtimandum ſit. 319.3.34
Temporalem ſubſtantiam cœleſtibus facultatibus præponi. 55.1.37
Temporalia viſibilia eruntne ſanctis in vita beata neceſſaria. 393.3.17
ex temporalium facultatum, inordinato amore quanta exuberent peccata. 52.4.54
Temporalium occupatio periculoſa. 47.4.15. ſitis quomodo ſedetur. 241.1.28. ſolicitudo quanta ſit ſarcina. 34.3.3
Temporalium rerum amator, perfectionis viam non apprehendit. 299.4.15
Tenebræ, verbi lucem non recipiunt. 119.2.3
Tenebræ corporales, & ſpirituales. 244.3.1. mundi. 346. 4.50
Tenebræ omnium mortalium. 119.2.25. & ſeq.
Tenebrarum filij. 386.3.27. impietatis ſcaturigo.
Tenebrarum princeps. 406.4.54
contra tenebrarum rectores, quàm prudenter Chriſtus acies ſuas direxerit. 245.2.4
Tentari ſupra vires neminem permittit Deus. 66.2.49
Tentari electorum neminem ſupra id quod poteſt diuina prudentia permittit. 71.3.27
Tentari vltra humanas vires, an Deus, quoſdam permittat. 98.1.20
Tentari non eſt pernicioſum. 451.3.37
Tentationum inſultus oratio proſternit.
Tentatio dormienti, qualis occurrere ſoleat. 12.1.3. & ſeq.
Tentatio Dei. 25.3.45
Tentatio cæteris periculoſior. 67.1.26
Tentatio nulli niſi ignauo, tepido, & reſiſtere nolenti, nocet. 98.1.17
Tentatio doloſa. 242.4.35. pernicioſa. 65.1.20
Tentationis beatitudo periculoſiſſima. 25.3.49. & ſeq.
Tentationis fructus. ibid.
Tentationis nullus eſt inſultus, qui non diuini eloquij medicatione vincatur. 243.3.4
Tentatione nemo caret. 97.3.40
in Tentatione nemo niſi volens ſuperatur. 437.2.14
Tentationes Chriſtianis, quàm ſint vtiles. 95.3.16
Tentationes variæ. 65.4.46. & ſeq.
Tentationes Deo famulantium, earundemque remedia. 97.1.40. & ſeq. per totum.
Tentationes an ex diuina diſpenſatione procedant. ibid.
Tentationes piorum variæ. 112.1.1. & ſeq. per totum.
Tentationum fomentum. 97.1.37
Tentationum fructus. 65.4.21. & ſeq.
Tentationum multimoda genera, quæ ſeruis Chriſti à diabolo inferuntur, & de ipſarum remedijs. 64.1.1. & ſeq.
Tentationum genus horrendum. 195.4.45
Tentationum laquei quando cognoſcantur. 457.4.29
Tentationum multitudo, & remedia. 105.2.56. & ſeq. multiplicatio. 30.2.28. ſpecies triplex. 62.2.23
ad tentationum pugnas animæ præparandæ. 24.4.15
Tentationum ſingulorum deſcriptio. 96.3.2. & ſeq.
Tentationum victoria vnde percipiatur. 237.2.49
Tentationum multiplex vtilitas, & ad earum tolerantiam multimoda exhortatio. 300.1.50. & ſeq.
Tentationum ſpiritualium notitia, Chriſtiano neceſſaria. 96.4.30
Tentationes varias à Deo permitti. 71.3.6. grauiores qui perferant. 472.3.39. omnes æquo animo eſſe ferendas. 472.3.39. omnes æquo animo eſſe ferendas. 472.1.19. & ſeq.
contra tentationes acerrimus præliator qui ſit. 96.3.7
ad tentationes euitandas ordo pulcherrimus. 189.4.32
Tolerandas exhortatio. 62.2.25. & ſeq.
in tentationibus omnibus ſpirituum immundorum, quid faciendum ſit. 65.3.50. & ſeq.
Tentationibus qui nunquam ſint carituri. 96.3.56
Tentatoris opus & inſidiæ. 64.4.17. & ſeq.
Tentati ſunt quotquot Deo placere meruerunt. 423.4.44
Terra, herbam virentem de qua fons irrigauit ſuperficiem terræ, quando germinauerit. 132.2.29
Terræ ſterilitatem, an Deus immittat. 131.2.56
Terram ſpiritualem lacte & melle manantem poſſidendi ratio. 316.4.38
Terrarum nouitas an iuuet. 33.4.11
Terrena ſapientium cogitatio. 243.3.3
Teſtes in extremo iudicio. 4.2.35
Teſtimonium Chriſtianæ perfectionis. 429.2.141
humilitatis inſigne. 42.3.51
Teſtimonium ſolo diuino, qui contentus ſit, rarus reperitur. 252.3.6
Teſtimonia quæ clamabunt aduerſus Chriſti milites in extremo iudicio. 242.3.18
Thalamus nuptialis. 420.3.48
Thalami ſponſi, & ſponſæ deſcriptio. 101.3.15
Thalamum ſpiritualem ædificare concupiſcenti fundamentum. 257.2.36
Theatrici luxus vnde ſumpſerint principium. 92.3.19
Theſaurus immenſi valoris. 345.4.35. in ſublimi collocatus humilitati confertur. 446.1.52
Theſaurus inuiſus. 364.2.41
Theſauri imprædabiles qui. 460.3.43
Theſauri ſpirituales vbi condendi.
Theſauri à mundi amatoribus cur cumulentur. 346.1.4
Thomas cur in dubietatis ſcopulum impegerit. 227.3.50
B. Thomæ dubietas an ſit redarguenda. 229.2.54
Thuris, myrrhæ, auri ſpiritualis oblatio. 263.4.37
Thymiamatis ſacrificia Deus ab hominibus non quærit. 434.3.27
Timentis dominum præmia.
Timentium Deum pacatiſſimus portus. 314.1.52
Timere Deum quid ſit. 2.2.50
Timor domini conceptus quid pariat. 2.2.18
Timor filialis. 4.4.37. reuerentiæ ibid. humanus ibid. mundanus ibid. ſeruilis ibid. initialis ibid. ex quibus conſiderationibus incutiatur cordi humano. 3.1.40. naturalis. 4.3.18
Timoris domini deſcriptio. 2.2.5. diffinitio. ibid.
Timoris diuini fructus ibid ſeruilis diuiſiones. ibid.
Timoris diuini efficacia. 352.2.17. diuini, quàm fructuoſus ſit exitus. 357.1.57
Timoris donum. 11.2.33
Timoris efficacia. 2.2.16. eruditione correctorum ſtudia. 357.1.47
Timoris ſpecies, atque perfectio. 4.3.13
Timoris virtus. 33.2.35
Timoris multiplex vtilitas. 2.2.36
Timoris damnationis æternæ vis ac fructus. 356.4.20. & ſeq.
Timoris mundani cruciatus. 4.3.50
Timoris ſpiritus in Chriſto efficacia. 287.1.15
Titulus Chriſti in Cruce, explicatur. 210.3.33
ad tolerantiam longanimitatis exhortatio. 243.1.5
Tobias beatitudinem quomodo ſibi vendicauerit. 359. 1.1
Tormenta pij quomodo ſuperarint. 99.4.34
Tormentorum omnium perpeſſionem, quomodo Deo nulla etiam mercedis ſpe debeamus. 478.1.54
Torporis inſultus repellendi ratio. 321.4.22
Trahi à patre ad filium quid ſit. 474.3.40
pro tranſgreſſionis pœna mors duplex inflicta. 153.3.57
Tranſubſtantiatio an ſit artificialis, accidentalis, vel ſubſtantialis. 134.3.25
ad tribuendum Deus paratior, quàm homo ſit ad flagitan-

tandum. 129.4.33
Tribulationis tentatio. 124.2.18
in tribulatione cur Deus iuſtos comitetur. 224.4.50
Tribulatione afflicti officium. 425.3.25. & ſeq. pios omnes ab ipſo mundi exordio eſſe purgatos. 155.2.20
Tribulationum diſtinctio. 24.4.1.& ſeq.
Tribulationum exercitatio. 175.3.37. fructus quid reprimat. 6.3.34
Tribulationum origo. 26.1.15
Tribulationum vexatio quàm ſit fructuoſa. 359.3.38
Tribulationum vtilitas. 300.2.2.& ſeq.
per tribulationes erudiri, quantæ ſit vtilitatis. 451.3.40.& ſeq. omnes æquo animo eſſe ferendas. 472.1.10
Tribulationibus fatigati opera. 238.3.23
Tributa an ſit deneganda. 200.3.34
Trinitatis ſummæ tota maieſtas vbi reluceat. 124.1.16
ad Trinitatis notitiam gradus. 122.3.1.& ſeq.
Trinitatis ſanctæ opera. 123.4.30. & ſeq. beatæ perſonarum declaratio. 477.3.3.& ſeq.
Trinitatis opera indiuiſa. 123.4.33. proprietas diſcreta. 148.4.50.& ſeq. ibid.
Trinitatis ſpeculum. 132.1.2
qui triumphet perfectè de ſe. 251.4.23
Triumphandi ratio de inimicis. 467.2.13
Triumphantium in Chriſto conditio. 57.1.26.& ſeq.
Triumphum de inimicis ſpiritualibus habendi ratio. 9.4.3.42.& ſeq.
Triumphum ſpiritualem qui ſortiantur. 237.3.28
Triumphare de inimicis volentibus neceſſaria. 243.1.51.& ſeq.
Triſtitia irrationalis & ſuperabundans, peſtis peſſima. 70.4.9.& ſeq.
Triſtitia nimia abijcienda. ibid.
Triſtitiæ nimiæ incommoda. 30.2.57. ſpiritu aſſuetis lapſum frequentem conſiderationemque propriam eſſe perniciofam. 71.1.1.& ſeq.
Triſtitiam deprimentem, Deum non approbare, nec omnem reprobare, ſed ſolum illam quæ charitati aduerſatur. ibid.
Trophæum ſingulare. 291.3.44
Turbatus cur fuerit Chriſtus. 186.3.2
Turris ſpiritualis qualiter ædificetur ſtudijs. 253.2.28. ædificationis ratio. 472.3.4
Typus mentis eorum qui præſunt. 394.3.16
Tyranni qui nuncupentur. 405.3.49
Tyrannis an ſit obediendum. 405.3.57
Tyrannidis Rom. cauſa. 471.1.26
Tyronis noui Chriſti exercitatio. 59.4.46
Tyrunculorum Chriſti diſciplina. 454.2.20

V

VAcare Deo volentis officium fol.45. col.1. lin.1.& ſeq.
Vanitas deteſtanda. 13.3.53
Vas ſuum poſſidere in honore, quomodo vnuſquiſque poſſit. 10.3.7
Vaſa aurea & argentea in Eccleſia, cur ſint inſtituta. 362.2.22. an Pontifices & Epiſcopos habere deceat. 371.1.46
Vatum oracula. 458.3.4
Venas auri cur homines perquirant. ſeq.
Venatorum ſpiritualium laquei. 326.3.21
Venatorum ſpiritualium tendicula. 344.3.9
Vendicare ſibi Dei gloriam, quàm periculoſum ſit. 125.1.19
Venditionis Chriſti myſterium. 199.4.17
Venenum omnibus peccatoribus fugiendum. 355.1.16.& ſeq.
Veniæ conſequutio fiducia noſtra. 473.1.8
Veniæ locus quibus non erit 343.45
Veniæ ſpes vbi ſit
ad veniam promerendam cordis contritio efficax. 416.2.14
ad veniam redire poſſe cum velint, cur multi ſibi perſuadeant. 427.2.14.& ſeq.
veniam nullus deſperare debet 29.3.4
ad veniam obtinendam præparantia 434.3.39
de venia an quis deſperare debeat 137.2.43
de venia an alicui peccatori ſit deſperandum 292.2.2
Venia carebunt, qui gratiam ſibi oblatam neglexerunt. 350.3.27
Ventris ingluuiem laſciuire, quid impediat 110.3.35
Ventris ingluuiei mala 354.1.46
Ventris ſeruorum conditio 78.3.58
Ventris vſus eritne in vita beata 393.3.18
Ventura veritatis ſpiritus, quando annunciet 21.2.54
Verbum vbi agnoſcatur 124.1.19
Verbum per carnem cur ad hominem venerit 92.4.18
Verbum non in carnem conuerſum, aut mutatum 101.4.47.& ſeq.
Verbum vt caro fieret quando definitum 141.3.50
Verbum vbi habitet 112.4.53 perſeueranter ibid.
Verbum per contemplationis ocium, qualiter valeat inueniri 115.2.20.& ſeq.
Verbum vbique totum ibid.
Verbum abbreuiatum 121.1.32
Verbum Dei an ſonet 131.3.33
Verbi altitudo à quo percipiatur 89.2.53
Verbi, & animæ præludia 108.4.48.& ſeq.
in verbi ſacri, & animæ connubij materia, omnem carnalem intelligentiam eſſe amouendam 101.1.6
Verbi, animæ, & carnis Chriſti myſteria. 459.2.40.& ſeq.
Verbi vehementem amorem experientia ſola cognoſcit 111.4.13
Verbi amor legitimus, quibus indicijs in ſponſæ præcordijs adeſſe cognoſcatur 120.2.13
Verbi bonitas vbi ſentiatur 116.2.50
de verbi bonitate non diffidendum 120.3.31
Verbi connubij conſummatio 86.4.22 connubij vis 111.4.29
ad verbi conuiuium, quomodo accedendum 92.2.10
Verbi diuini commendatio 243.3.52 & ſeq. vt lites ſeq.
Verbi dilecti fruitionem non eſſe in præſenti vita perfectam 96.3.43
Verbi exemplar 99.3.36.& ſeq.
Verbi generatio diuina 458.4.1 receptaculum. 179.2.56
hortamenta verbi ſublimia 141.2.46
Verbi imago
per verbi incarnationem, vt humanæ redemptionis celebraretur myſterium, miro diuinæ æquitatis iudicio actum eſſe 178.2.4.& ſeq.
Verbi incarnati myſterium 459.1.23.& ſeq.
Verbi incarnati diſciplinæ fundamentum 142.1.35
Verbi inſtrumentum 99.3.32
Verbi iter, per quod ad cor gradiatur 152.3.37
Verbi lumen 108.1.45
Verbi magiſterium in tentationibus intelligi 95.2.18
ex Verbi natura an Chriſtus nobis ſit frater 479.1.58
Verbi præſentia, quomodo intelligatur 112.4.18
Verbi præſentia, quando recedat 114.4.50
Verbi præſentiæ argumentum notiſſimum
Verbi præſentiæ quid perhibeat teſtimonium ibid.
Verbi præſidia 98.4.38.& ſeq.
Verbi receptaculum 109.3.25
quomodo dilatanda ibid.
Verbi ſedes 99.3.53
Verbi ſponſa, qualis eſſe debeat 11.5.12
Verbi ſponſa 113.4.29
Verbi ſponſæque allocutiones mutuæ 106.3.90
Verbi templum 99.3.82
Verbum amantis conditio 96.3.42
Verbum carnem factum, in hominibus habitaſſe. 101.3.11

Verbum ſuum Deus carne indutum,cur miſerit. 109.2.52.& ſeq.
ad Verbum ſuſcipiendum, quæ ornamenta ſint præparanda ſeq.
Verbum acceſſiſſe,quomodo cognoſcatur 112.2.51
Verbum eſſe ſponſum, ſponſam humanam eſſe naturam 101.1.58.& ſeq.
Verbum Dei tractantis officium 205.3.27
Verbum Dei populis,qui incaſſum pronuncient. 229.2.12.& ſeq.
Verba ſcurrilia vnde ſumpſerint principium 92.3.10
Verba ſpiritualia interna 105.3.23
Verborum Dei aſſiduæ meditationis vtilitas 33.3.40
Verborum vanorum mala, pondus in loquendo diſcernere,quàm ſit vtile 466.2.8.& 470.2.26
Verba quæ approbet dominus 70.3.44
Verba Dei amatoria, anima ſola quæ experitur nouit. 328.2.11
Verboſi exemplum 161.1.19
Verboſi mala 315.1.53
Verecundia quid ſit 2.4.55.& ſeq.
Veritas quid ſit 14.4.29
Veritas Chriſtianæ fidei,ex quibus pateat. 8.2.37.& ſeq.
Veritas mortalibus quomodo innoteſcat 136.3.32
Veritas quomodo intelligatur 151.1.24.& ſeq.
Veritas per malos prænunciatur 211.1.26
veritas nullius indiget 273.2.26
Veritas iuſtitiam præcedit 405.3.38
Veritatis amantium fructus 340.3.48
Veritatis auctoritas 123.2.12
Veritatis Catholicæ teſtimonia 65.2.40.& ſeq.
ad Veritatis cognitionem,qui magis appropinquent. 101 4.40.cognitæ indicia 406.3.38
Veritatis cognoſcendæ aditus,quibus pateat 92.2.38
ad veritatis contemplationem,qui admittuntur. 175.4.18
Veritatis in cor illabentis efficacia 136.4.20
Veritatis ignotæ ſcientiam qui percipiant 201.4.40 lumen quando mens percipiat 59.2.21
Veritatis liber 428.3.58
Veritatis lumen lucem habentium ſigna 136.4.20
Veritatis mater 17.3.10
ad veritatis notitiam qui admittantur'
Veritatis origo 450.2.21 an ſacris ſcripturis apprehenſio 130.3.48
Veritatis profeſſores, cur à mundi amatoribus perſecutiones perferant 163.2.10
Veritatis profeſſoribus loquacitas aduerſatur. 304.2.19
Veritatis à reo prolatæ efficaciæ 430.4.32.& ſeq
Veritatis rerum ſine cauſarum cognitione perceptio. 6.1.50
Veritatis ſemitæ 136.1.54
Veritatis ſplendore illuſtrati conditio 426.2.37
Veritatis æternæ ſpeculum 136.2.23
Veritatis ſummæ ſcientia,vbi eniteat 123.2.40
Veritatis ſupernæ illuſtrati bona 457.4.28
Veritatis teſtimonia 164.3.38
à Veritatis tramite, qui facilè deuient 318.3.36 itineribus qui longe effecti ſint 466.3.57
Veritatis verbo qui paſcatur 147.3.17
Veritatis veſpertinæ, matutinæ,'& meridianæ lux 360.1.58
Veritati qui expeditius aſſentiat 400.3.37
Veritati teſtimonium credibile qui perhibeat 133.4.21
Veritati an malus, vel iniuſtus poſſit obijcere quicquam 273.2.27
Veritati rudis ingenij expeditius aſſentit, quàm ſapiens 400.3.37.ibid.
Veritatem contentione occultari 46.4.13
Veritatem habentium fructus 136.4.13.& ſeq.
Veritatem omnem quando paracletum inſtruat 166.4.15.& ſeq.
Veritatem quis dicatur agnoſcere 405.3.34 cuiuis Chriſtus non ceſſat infundere 457.1.41
Veritatem diuinæ ſapientiæ agnoſcendi ratio 291.2.51 intellectus humanus per ſe capit, ſed non adimplet 466.3.46
Veri ignorantiæ origo 92.1.12
ad Veri cognitionem Dei ſapientia hominem docuit duobus modis intellectum erigere ibid. cognitionem perueniendi gradus ibid.
de Veri appetitu ibid.
Veri & falſi ignorantiæ origo 287.3.35
Vera profetentes,& tamen mendaces qui 273.2.24
Veſtimentum diuitum,cur Deus damnet 448.2.36
Veſtimentum Chriſti veſtigijs, quale ſubſternendum. 301.3.28.& ſeq.
Veſtimentorum Chriſti diuiſorum intelligentia 211.2.50.& ſeq.
Veſtimentorum vſus 448.2.8 factus damnatus à Chriſto ibid.
Veſtis perfectorum nuptialis 235.4.10
Veſtem nuptialem quid conferat 422.4.14
Veſtium ornatus quid indicet 42.3.34 an paſtores,pontifices,& epiſcopos deceat 394.3.25.& ſeq.
Vetita aſpicere,quàm pernicioſum ſit,& fuerit 391.2.28 & ſeq.
Vexatio quando dabit intellectum 343.4.21
Vexillum æterni regis, quando verè ſit erectum 209.4.21.& ſeq.
Via abeuntium retrorſum 242.3.39
Via qualis eligenda 79.2.39
Via cur nobis Chriſtus factus ſit 294.1.46
ad gloriæ ſupernæ triumphum 62.3.44
Via in hac peregrinatione tutiſſima 366.3.9
Via ſine errore 96.4.19
Via perfectionis 376.2.36
Via grandis,& paucis nota 141.1.55
Via ab omni pollutione munda 244.4.23
Via ad Deum accedendi regia 130.1.45 ad patriam 442 3.10
Via regia per quam incedendo ad perfectionis ſublimitatem prouehimur 141.4.32
Via regia, quæ ambulantem in ſe perducit ad requiem. 422.4.16
Via ad vitam quibus ſit anguſta 442.1.35.& ſeq.
Via regni cœleſtis facillima,& optima
Viæ ad perfectionem pericula, quibus ſint cognita 261 1.36
in viam paradiſi lucerna 13.1.13
Viam Dei inchoantium exercitia 454.3.7.& ſeq.
in Via Dei negligenter viuentes grauiores, ac periculoſiores perferunt tentationes, quàm qui cum feruore ſpiritus aduerſarijs reſiſtendo luctantur 472.3.34 & ſeq. proficere deſideranti quid ſit faciendum 55.4.48 prudentia quàm ſit neceſſaria 473.4.13
Vias ſuas cupientem corrigere, nefas eſt de Dei bonitate diffidere 356.1.17
Viaticum ſpirituale præſentis exilij 135.3.36
Viatorum conſuetudo, & commendabile propoſitum. 48.3.21
Viatoribus certantibus ſpirituali,merces 245.1.43
Victorum palma 17.3.39
Victoribus conſummato iſtius vitæ agone, qualis merces in futuro parata ſit 245.1.48
Victoria plena 2.4.48
Victoria pernicioſa 346.1.30
ad Victoriæ coronam qui pertingant 88.2.25
Victoriæ coronam anhelantis inſtitutum 261.1.58 corona ſolis perſeuerantibus datur 430.1.12 palma perſeuerantibus reſeruata 442.2.2
Victoriæ portio maxima 233.4.15
Victoriæ ſpiritualis magnam eſſe partem, vincendi deſiderium 91.1.36
Victoriæ triumphalis corona perpetua 246.3.20

Digitized by Google

Victoriam ſine pugna obtineri 100.3.37
Poſt victoriam qualiter exultare ſoleant bellatores 207.3.41
Victoriam in ſpiritualibus, abſque pugna nemo obtinebit 452.4.40
Videre Deum inſequi mereantur
an videatur in hoc mundo Deus
Viduarum redditus 401.1.50
Vidua beatitudinem, quomodo ſibi vendicauerit. 359.1.3
Vigilare in ſui cordis cuſtodia, magnæ eſt exercitationis 437.4.17
Vigiliarum longitudinem Deus ab hominibus non quærit 434.3.29
Vilitas mortalium deſcribitur 125.2.1.& ſeq.
Vilitatis propriæ inſigne teſtimonium 42.4.13
Vincula ſpiritualia 280.3.56
Vincula peccatorum ſpiritualia 356.2.43
Vindicationis definitio 14 4.25
Vindictæ genus optimum 121.4.4
ſub Vini & panis accidentibus quid fideles manducent. 307.1.56
Violentia ſalutaris 347.1.20
ſine Violentia ſuimet, an quis gratia locuples ſit 261.2.38
Viri imperium vſurpatum 195.3.54 deſperati negatio ibid.
Viri ſpiritualis, ſancti & perfecti ſtudia 424.3.50. & ſequent.
in Virum perfectum humanus intellectus, quomodo creſcat 363.4.46.& ſeq.
Viri rationales aliter & pueri, & aliter ſpirituales res æſtimant 451.1.4
Virorum geſta laudabilia quantum bonis proficiant 384.2.13
Virorum ſpiritualium pondus, quàm ſit graue
Virorum in carne ſpiritualis forma 417.3.48
virorum vanorum natura deſcribitur 12.4.8
Viros iuſtos quid deceat 110.4.39
Virginitatis commendatio 376.4.31.& ſeq.
de Virgine intemerata, abſque peccati macula, an quis præter Chriſtum natus ſit. 439.4.1.& ſeq.
in virginum fatuarum numerum computandi 96.4.50
Virginum ſacrarum exercitus, pijs cogitatione ſunt inſpiciendi 385.2.5
Virtus quid ſit 320.3.50
Virtus apud cœleſtem regem quæ ſummum mereatur faſtigium 40.1.12
Virtus vnde formetur 141.2.50
Virtus vnde perficiatur. 322.4.5. quomodo poſſideatur 91.1.48
Virtus quomodo putetur vitium abſque ſermone an proſit 141.2.47
Virtus ſicut ex miniſterio humani corporis rationalis ſpiritus agnoſcitur: ita in Eccleſiæ corpore Sancti ſpiritus claret præſentia 368.1.30
Virtutis bonum ignorari 95.1.34
ad virtutis conſummationem qui attingat 28.3.22
Virtutis culmen in quo conſiſtat 14.1.40
Virtutis decor 162.1.12
Virtutis commendabile deſiderium 261.2.56
Virtutis deſiderij præconia 241.1.47
Virtutis documentum 193.2.9
Virtutis efficacia. 362.4.2.& ſeq. diffinitio 467.1.22
Virtutis forma 385.2.21
Virtutis fructus. 382.3.29. mortalium decor 382.3.29
Virtutis palmam qui non apprehendet 91.2.2.& ſeq. eius commendatio ibid.
Virtutis perfectio 423.4.50
ad Virtutis perfectionem via 95.2.11
Virtutis perfectæ exercitium 35.4.1
Virtutis præconia 193.1.15
Virtutis probatio 24.2.25
Virtutis profeſſorum deſcriptio 447.4.20
Virtutis raræ ſpeculum. 91.2.11. ſedes 3.1.11
Virtutis teſtimonium 94.4.12
Virtutem ſine tentationibus non perfici conſequendi primus congreſſus 95.1.50. 467.1.38
à virtute deficere, quando ſit tolerabile 261.4.47
in virtute non profeciſſe, in vanum eſt cucurriſſe 48.3.33
Virtutes an bonis & malis poſſint eſſe cõmunes 17.2.18
Virtutes cardinales 394.3.8
Virtutes theologicæ, & cardinales 444.2.29
Virtutum actus, qui ſuperuacue ædificet 442.3.39
inter pares æmulatio laudabilis 397.4.42
in virtutum adeptione & perſeueranti exercitatione, Spiritusſancti dona, quàm ſint neceſſaria
Virtutum amator, ſui ſit diligens inquiſitor 96.4.20
amatoribus rerum temporalium negotiatores imitandi proponuntur 438.1.12
Virtutum amore inflammatus, quàm ſedulo Chriſtum imitari conetur 96.4.18
Virtutum aſcenſus, & deſcenſus ſpiritualis 443.4.43
Virtutum brauium 161.2.36
Virtutum cardinalium fructus 15.2.50
Virtutum cardinalium ornamentum 445.3.36
Virtutum cauſa 2.4.2
Virtutum cenſura vbi ſolicitior ſeruanda 79.2.16 conſummationis ornatus interior vbi ſubſiſtat 395.1.8
Virtutum conſideratio rebus viſibilibus aſſimilatur
Virtutum omnium corona 377.1.24
Virtutum culmen qui conſequantur 90 2.38
Virtutum dignitas vnde comprehendatur 27.1.4
dilectorum officium 467.1.50
Virtutum dona ſolius Dei eſſe
ad Virtutum diſciplinam exemplum efficax. 298.4.1[illegible] & ſeq.
Virtutum exempla, quantum eos qui Deo placere volunt excitent ad virtutum ſtudia 384.2.14
Virtutum finis 44.2.31.& ſeq.
Virtutum fundamentum imputribile 181.4.3
Virtutum gradus ſublimis excelſa exigit ſtudia. 105.2.36.& ſeq.
Virtutum narrationis vtilitas 1.3.20
Virtutum nouerca 11.3.34
Virtutum omnium origo 418.4.1
Virtutum perfectio
ad Virtutum perfectionem, ſine tentationum ſcientia nemo aſcendet 96.4.17
ad Virtutum perfectionem, quis perueniat 321.2.34
Virtutum primogenita 6.3.31
Virtutum qualitatis deſcriptio 443.4.42
Virtutum radix 442.2.30
Virtutum ſcala quibus gradibus perficiatur 444.4.10
Virtutum omnium ſpeculum 456.1.51
Virtutum ſpiritualium dignitas vnde appareat 10.1.26
Virtutum ſpiritualium officium 408.1.52.& ſeq.
Virtutum viri, angeli nuncupantur 444.3.32
Virtutibus acquirendis, quàm ociando, & dormitando minus eſſe laboris 97.1.58.& ſeq.
Virtutibus vniuerſis mandatum nouum prælatum
ad virtutes aſcenſus difficilis 56.3.50
Virtutes omnes cur iuſtitia circuire dicatur 15.2.52
Virtutes deſerentium itinera 243.1.2
Virtutes perfectas, quomodo homo acquirat. 395.2.13. & ſeq.
in Virtutibus diſpoſiti ſunt gradus, per quos ad earum perfectionem aſcenditur 422.1.12
Viſibilia an ſint ſanctis in beata vita vſui futura. 393.3.18
Viſibilium vanitatem, ac inuiſibilium veritatem, quæ res homini efficaciter oſtendat 5.1.36
Viſibilibus affectu qui adhæret quantum à naturali dignitate degeneret 174.4.35.& ſeq.

de

Google

de viſibilibus inuiſibilia elicienda 138.3.57
Viſibilibus quomodo vtendum ſit pio 465.4.34
Viſitare genus humanum, cur Deus voluerit 258.1.1
Viſus delectatio 457.3.45
Vita beata quæ ſola dicenda ſit 83.3.58.& ſeq.
Vita commendabilis abſque ſermonis exhortatione, an erudiat 140.4.22
Vita contemplatiua in quibus preemineat actiuę. 47.3.15
Vita vniuſcuiuſque qualis fuerit talis erit & ſententia. 65.1.32
Vita interioris, exteriorisque hominis, ſuper quas virtutes verſetur 110.4.57
Vita hominis vnde cognoſcatur eſſe militia ſuper terram. 386.1.42
Vita malorum iuſtis oneroſa
Vita & mors in hominis poteſtate 354.4.7
Vita præſens, quantis quibuſue repleta ſit miſerijs 347.3.53
Vita æterna quibus promiſſa. 397.2.55. an credi vel inueſtigari debeat. 121.2.51. quid ſit 364.1.34
Vita ſolitaria an ſit appetenda 312.2.15
Vita virorum probatiſſimorum 123.2.32
Vita hæc quot generibus ſpiritualium inimicorum, & quot tentationum laqueis ſit referta 465.3.15
Vita actiuæ alienæ curioſus inquiſitor, in quæ mala incidat 312.4.42
de vitæ beatæ felicitate ſub compendio 9.1.31
Vitæ beatæ inchoatio 20.2.1
Vitæ beatæ ignorantia vnde inoleuerit 83.3.10
Chriſti in hoc mundo enarratio 473.1.55
Vitæ contemplatiuæ diffinitio 47.3.37. actiuæ ibid.
Vitæ correptio quàm ſit vtilis 360.1.21
Vitæ decus 3.1.10
Vitæ æternæ deſcriptio 9.2.54
Vitæ æternitas, non in præſenti ſeculo prærogatur. 344.2.54. finis incertus 347.1.27
Vitæ fons 2.4.20.& ſeq. 461.2.31
Vitæ futuræ ciues fieri, qui dedignentur 80.4.43
Vitæ futuræ ignorantia, quantum apud mortales vigeat 342.1.32. incredulitatis origo 385.3.51. oſtium 122.2.1
Vitæ futuræ ſtatus 73.1.24.& ſeq.
Vitæ humanæ varia conditio 78.3.4. diſciplina 258.4.58
Vitæ humanæ miſeria 41.4.10. inimicorum enumeratio 232.2.20
Vitæ ſancta 437.2.12
Vitæ & mortis imperium, an naturali affectus habeat 292.3.19
in vitæ huius itineribus, cur Deus iuſtos comitetur 224.4.50.& ſeq.
Vitæ liber 456.2.24. lignum 1.2.33.& 12.4.3
Vitæ laudabilis optimum indicium. 389.2.23
Vitæ occultæ in patre reuelatio 459.1.34. præſentis mala æquanimiter perferenda 471.4.46
Vitæ huius præſentis conditio 384.3.9
Vitæ præſentis & futuræ gaudijs nemo frui poteſt 342.2.57
ad vitæ reſipiſcentiam exhortatio 281.2.26
contra vitæ præſentis illecebras, validiſſimum medicamentum 87.4.45
Vitæ præſentis peregrinatio 86.3.3
Vitæ præſentis pericula 87.1.41
Vitæ pabulum 428.3.57
Vitæ huius ſeculi difficultas 129.3.42
Vitæ ſolitariæ officium 318.1.37. ſpiritualis itinera. 244.4.56
Vitæ ſublimitas, an omnibus vna ſit futura 18.4.39
ad vitæ ſanctimoniam ſeruandam, quid ſit neceſſarium 225.2.53
Vitæ tam ſanctæ nemo eſt, quin de ipſius bonis operibus ſcandalum patiatur 384.1.57
Vitæ termini memoriæ vtilitas 42.2.10
Vitæ terminum nemo præterire poteſt 348.4.56
in Vitæ termino vltimo, ſalutis æternæ cognitio, quibus ſit dubia 430.2.39
in Vitæ extremo termino, qui indulgentiam temerariè conſequi ſperent 436.1.17
Vitæ voluptuoſæ mala 35.4.54
Vitam oderintne qui ſibi vim inferunt 337.2.55
poſt Vitam hanc, nihil homo ſuorum augere poteſt gratiæ, meritorum 67.4.30
Vitam æternam, nec temporalem, nemo ex condigno meretur. 335.4.57. an Chriſtus ſibi meruerit. 479.1.30
Vitam hominis militiam eſſe ſuper terram 232.1.18 454.4.12
Vitam malorum eſſe damnabilem 233.4.19
Vitam ſocialem, an generationes præcedentes duxerint 140.1.& ſeq.
Vitam eſſe aliam, quis credat 400.4.18
Vitam eſſe alteram, qui non iudicent 435.4.37
Vita minus quàm morte homines allici 95.1.18
de Vita Deus vnumquenque non præterita, ſed de fine iudicat 29.3.50
in Vita hac, an quis Deum habeat 17.1.37
de vita futura ſectarum opiniones 343.3.10
in vita æterna, quis dignitate ſublimior 104.4.48
præſenti an quis ſit beatus 435.1.25
Vitium ſpirituale 62.2.27
Vitia quando turpiſſima 41.3.9
Vitiorum dominatus vnde cognoſcatur 237.2.53
finis. 437.2.11. fructus. 382.3.39. natura. 433.2.43. occaſiones 467.3.3
Vitiorum opportuna remedia 399.3.13
ad Vitiorum ſcopulos, cur homo velut amens collidatur 129.3.12
Vitiorum ſentes quando ſeminentur 260.1.16
Vitiorum ſentina 114.4.54
à Vitiorum tempeſtate totam vitam quid defendat. 40.1.5
de Vitiorum tenebris in diuinæ cognitionis lumen vocati officium 88.4.52
Vitiorum tentamenta, an fiant virtutum inſtrumenta 65.4.20.& ſeq.
Vitijs qui deditus eſſe non valeat 89.2.35
Vitijs quomodo reſiſtendum 97.4.36.& ſeq.
Vitia quid exterminet 2.4.23
Vitia ſub virtutum ſpecie quomodo diabolus ſuadere continuè nitatur 66.1.32
Vitia, vitam æternam cupientibus, in hac vita reſecanda. 94.3.56. extinguendi ratio 39.1.16
Vitia noſtra ſine miſericordia inſequenda 98.2.17
Vitia in deterius, niſi continuò coerceantur, proficiſci. 97.4.43
Vitia ſuperet, quicunque virtutes poſſidere cupit, neceſſe eſt.
contra Vitia ſingula qui pugnent 321.4.17
Vitia, virtutum operatione ſupplantandi ratio ibid.
de Vitijs, qui victoriam perfectam obtinuerunt, etiam eos tentari 98.1.43
vt Vixerimus omnes, ita à Deo iudicabimur 65.1.32
bene Viuere quid ſit 18.1.54
beatè Viuere cui gratis tributum ſit 86.3.47
Viuere Chriſto qui cenſendus ſit 231.1.58
Viuere vel mori ex arbitrio proprio quiſque dicitur. 354.4.8
Viuendi cæca mortalium cupido 344.2.35
benè viuendi exercitia. 357.1.1. finis vbi adeſt, promerendi gratia aufertur 67.4.26
ad Viuendum benè quid homines excitet 122.1.50
Viuendo qui obliuiſcitur Dei, moriendo æquiſſimè obliuiſcitur ſui
Viuentes negligenter, parum ſe Deum fatentur diligere 85.2.23.

Viuentibus ſolitariè, diſcretionis regula tenenda. 318. 3.27
Vnigenitum ſuum cur Deus in mundum miſerit. 370. 2.42
Vnio in Chriſto, diuinæ, & humanæ naturæ, in vnitate perſonali celebrata. 100.4.1
Vnionis diuinæ, & humanæ naturæ excellentia. 101.4.42
in Vnitate perſonæ deſcriptio. & ſeq.
Vnitas Eccleſiæ Chriſti deſcribitur. 174.1.54
Vnitatis, & charitatis vinculum, quomodo diſſipetur. 102.4.22
Vnitatis compago.
Vnitatis cuſtodiendæ menſura, modus, ordo. 141.1.6
Vnitatis dilectio vnde trahat originem. 174.2.5
Vnitatem fraternam ſeruandi modus. 256.3.35
ad Vnitatem ſpiritus ſeruandam mirum ſpeculum. 475. 1.36
Vniuerſorum cauſa, & finis. 86.3.30
Vocatio communis, & ſpecialis. 418.1.33
Vocatio ſingularis. 361.1.3
in Vocationis exordio nouitiorum ſtudia. 58.4.22
ex Vocatione, vel ex virtutum operatione, an quis ſanctificetur. 256.1.33
Vocati ad mundi contemptum officium. 429.1.16
Vocati à Chriſto qui. 250.4.33
Vocati à luce meridiana. 361.4.18
Vocati ad nuptias. 417.4.56. & 443.2.10
Vocati, oculis corporalibus aſſimilantur.
Vocatorum ad ſeculi contemptum officium. 429.1.19
ad obedientiam regularem officium. ibid.
Vocatorum à Deo officium. 56.2.6
Volucres cœli. 433.2.40
Volumina ſacra quadrifario ſenſu referta. 243.4.41
Voluntas à quo iuſtificabitur. 27.4.16. propria quàm ſit humili grauis. 256.3.5
Voluntas libera quæ ſit. 336.3.14
Voluntas Dei perfecta, vbi plane cognoſcatur. 459.4.12
Voluntatis bonæ lucra. 418.3.26. affectio. 27.3.10
Voluntatis inordinatæ deſcriptio. 54.4.11. conſenſu peccatum conſummatur. 463.2.12
Voluntatis libidinoſæ ignem quid extinguat. 40.1.3
malæ incommoda. 418.3.25. malæ opera. 236.2.42
Voluntatis propriæ arbitrium à ſe abdicare, an ſit omnium. 420.4.52. propriæ fructus. 430.1.23. propriæ quanta mala. 27.3.26. horrenda ibid. malorum incommoda. 57.2.8. ruina quanta. ibid.
Voluntatis rationi ſubiectæ felicitas. 28.3.41
Voluntatis rectitudo. 15.2.55
Voluntatis victimæ vbi imponendæ. 27.1.36
Voluntati nec leges imperant, nec principes dominantur. 27.4.14
Voluntatem ſuam qui repellit grauiſſimum onus à ſe reijcit. 57.2.7
Voluntatem Dei non eſſe dijudicandam. 95.3.15
propriam velle perficere, quàm ſit pernicioſum. 473. 3.41
abſque voluntate libera, nihil eſt Deo gratum. 158.3.40
ex voluntate propria, quanta mala oriantur. 27.2.58
Voluntate propria nihil deterius. 430.1.29
Voluntates quomodo quis moderari queat 12.4.29
Voluptatis amatorum incommoda. 11.2.4
Voluptatis deſcriptio.
Voluptatis fluuius 1.2.30
Voluptatis impetus mala 37.4.36
Voluptatis ſeruus libertatem ſpiritus non apprehendit 136.1.38
Voluptatis ac cupiditatis tenebræ, quando diſſipatæ. 140. 2.3
Voluptatem refrenandi ratio 10.4.5
Voluptates, ſeruari cupientibus in hoc ſeculo ſunt cohibendæ 94.3.56
Voluptatum amatori & ſectatori, quanta mala ex ipſis voluptatibus proueniant 11.2.4
Voluptatum exitus 11.1.10. origo 120.1.36
Voluptatum venerearum principium 92.3.6
Voluptatibus qui ſponte renuncient. 395.1.40. deditorum in die iudicij ſententia 343.1.10
Voluptatibus fræna quomodo laxentur 65.2.12
Voluptatibus temporalibus, an pax ineſſe poſſit. 11.1.57
Voluptates euadere qui non poſſint 11.2.34. & ſeq.
Voluptates quid frangat 110.3.32
Voluptates terrenas contemnendi ratio 295.3.52
ex Voluptatibus quot mala proueniant 11.2.12
ex Voluptatibus mala prouenientia 38.2.3
Voluptatibus carnis nemo ſaturatur 327.2.16
Voracitas gulæ, qua ratione compeſcenda 241.1.25
Voracitates qui declinare nequeant 38.2.7
Votum piorum omnium ſimile 407.1.39
Vota humilium & manſuetorum 446.1.26
Vota piorum, cur Deus interdum exaudire diſſimulet. 225.1.58
Vox Dei vbi intelligatur 243.3.8
Vox interna eorum qui verè præſunt 372.3.31
Vocis prolatio abſque intentione cordis ſuperuacua. 364. 3.47
Vocem Chriſti internam, qui intelligat 468.1.31
Voce clamoſa in multitudine, non orandum 46.3.43
Vrbes & caſtra poſſidere, an Dei ſint dona 370.2.31
in vrbibus, Chriſtianis non tutam eſſe conuerſationem 96.1.10
Vtilitas diuinæ lectionis. 19.1.44. humilitatis ſeq. perfectionis euangelicæ 332.4.35
Vti cibis in beata vita, an ſanctis neceſſe erit 393.3.18
Vuæ flos 41.3.26
Vulpeculæ ſpirituales 390.2.26

Z

ZAchæus beatitudinem, quomodo ſibi vendicauerit 359.1.2
Zachæi diligentiæ commendatio 28.2.46
Zelatoris virtutum opera. 396.3.8. fraternæ dilectionis prudentia
Zelatores munditiæ, cur ſuarum cogitationum obſeruent primordia 439.1.53
Zelus Chriſti 103.1.53
Zelus immoderatus 192.2.36
Zelus mediatoris noſtri 103.1.53
Zeli iuſtitiæ exempla 387.1.8. & ſeq.
Zeli diuinæ iuſtitiæ conſideratio. 3.3.51. immoderati incommoda 108.4.15
Zeli rectus atque commendabilis ordo 314.4.41
Zelo rectitudinis qui arſerint 98.2.41
Zizaniam & frumentum Eccleſia Chriſti vſque ad tempus meſſis ſuſtinet. 252.1.33

FINIS.

INDEX
IN DIVI LAVRENTII
IVSTINIANI OPERA,
SACRAE SCRIPTVRAE LOCORVM,
VT PASSIM ELVCIDATI SVNT,
Interpretationes ordine Biblico tradens.

Ex Geneſis cap. I.

1 FAciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. fol.304.col.2
2 Fluuius egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum paradiſum. 339.4
2 Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. 309.1
3 Adam vbi es? 434.4
3 In ſudore vultus tui veſceris pane tuo. 260.1
3 Terra germinabit tibi ſpinas, & tribulos. 235.3
25 Maior ſeruiet minori. 267.3
27 Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni. 274.2

Exodi cap. IIII.

Solue calceamenta de pedibus tuis, terra in qua ſtas, &c. 375.2
25 Omnia facito ſecundum exemplar quod tibi oſtendi in monte. 473.1
28 Rationale quoque iudicij facies opere polymito, quadrangulum erit, &c. 395.2
33 Oſtendam tibi omne bonum, &c. 339.1
33 Non videbit me homo, & viuet. 361.4

Leuitici cap. XXVI.

Comedetis vetuſtiſſima veterum, & nouis ſuperuenientibus vetera abijcietis. 180.1

Deuteronomij cap. VI.

Diliges proximum, ſicut teipſum. 22.3
6 Deum ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine diligere. 19.3
10 Circumcidimini viri Iuda præputia cordis veſtri, & non carnis. 262.4
18 Et ſuſcitabo ſuper oues paſtorem vnum, qui paſcet eas, ſeruum meum Dauid. 372.3
32 Ecce ego ſum Deus, qui non immutor, ego occidam & viuere faciam. 288.4

1. Regum cap. XV.

Quum eſſes paruulus, &c. 310.3

3. Regum cap. XIX.

Panis ſubcinericius. 308.3

4. Regum cap. IIII.

Et aſcendit, & incubuit ſuper puerum, poſuitque os, &c. 353.3

Iob cap. XLI.

Pepigi fœdus cum oculis meis, &c. 317.1

Pſalmorum IIII.

Quæ dicitis in cordibus veſtris, &c. 98.1
4 Filij hominum, vſquequo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, &c. 150.4
8 Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem, &c. 279.3
8 Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, &c. 361.4
9 Irritauit impius Deum, dixit enim in corde non requiret. 86.4
9 Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. 343.3.
90 Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te, &c. 361.2
9 Laudatur peccator in deſiderijs animæ, & iniquus benedicitur. 433.4
11 Labia doloſa in corde, & corde locuti ſunt 70.1
12 Illumina oculos meos, ne vnquam obdormiam in morte, &c. 462.3
25 Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ 145.3
15 Delectationes in dextera tua, vſque in finem. 392.4
17 Poſuit tenebras latibulum ſuum 132.1
18 Particeps ego ſum omnium timentium te 17.1
18 Præceptum domini lucidum, illuminans oculos. 407.4
18 Iudicia domini vera, iuſtificata, in ſemetipſa. 407.4
21 Edent pauperes & ſaturabuntur 36.4
23 Generatio quærentium faciem Dei Iacob 58.2
23 Hæc eſt generatio quærentium dominum, &cæt. 281.4
26 Credo videre bona domini in terra viuentium. 442.4
32 Ipſe dixit & facta ſunt, ipſe mandauit & creata ſunt 131.3
33 Accedite ad eum & illuminamini & facies veſtræ non confundentur 71.2
33 Mors peccatorum peſſima 272.4
35 In lumine tuo videbimus lumen 361.3
36 Non vidi iuſtum derelictum, nec ſemen eius, quærens panem 338.1
36 Delectare in domino, & in potentia virtutis eius. 392.4
38 Veruntamen in imagine pertranſit homo, ſed & fruſtra conturbatur 323.1
41 Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum, quando veniam & apparebo 312.3
43 Quoniam humiliaſti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis 125.4
44 Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij, conſtitues eos principes ſuper omnem terram 279.4
44 Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi, virga directionis tuæ, virga regni tui 287.1
44 Aſtitit regina à dextris, &c. 363.1
46 Pſallite Deo noſtro, pſallite, pſallite ſapienter. 72.3

48 Homo cum in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis 343.3
49 Sacrificium laudis honorificabit me 309.3
49 Peccatori dixit Deus, quare tu enarras iuſtitias meas 437.3
50 Benigne fac domine bona in voluntate tua Sion, vt ædificentur muri Hieruſalem 102.3
50 Aſperges me domine hyſopo & mundabor, lauabis me, & ſuper niuem dealbabor 143.3
52 Deus diſſipabit omnia oſſa eorum qui hominibus placent 383.2
54 Quis dabit mihi pennas ſicut columbe, & volabo & requieſcam? 312.2
58 Conuertentur ad veſperam, & famem patientur vt canes, & circuibunt ciuitates 319.1
61 Nonne Deo ſubiecta erit anima mea? ab ipſo enim ſalutare meum 149.1
65 Iubilate Deo omnis terra, ſeruite domino in lætitia. 71.3
67 Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus & pinguis, vt quid ſuſpicamini montes coagulatos? 473.1
72 Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei 109.1
72 Inflammatum eſt cor meum, & renes mei commutati ſunt 147.2
72 Vt iumentum factus ſum apud te, & ego ſemper tecum 473.3
74 Cum accepero tempus, ego iuſtitias iudicabo. 439.4
75 Quoniam cogitatio hominis confitebitur tibi, & reliquiæ cogitationis diem feſtum agent tibi. 438.4
77 Panem cœlis dedit eis panem angelorum manducauit homo 307.3
81 Nimis honorati ſunt amici tui Deus, nimis confortatus eſt principatus eorum. 265.2
83 Quàm dilecta tabernacula tua domine virtutum? concupiſcit & deficit anima mea in atria domini. 145.3
83 Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum 147.3
83 Beatus vir cuius eſt auxilium abs te, aſcenſiones in corde ſuo diſpoſuit in valle 441.3
84 Veritas de terra orta eſt, & iuſtitia de cœlo proſpexit 132.2
89 Aperi os tuum & implebo illud 70.3
90 Cum ipſo ſum in tribulatione 19.2
90 Altiſſimum poſuiſti refugium tuum 259.1
96 Alluxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ, vidit & commota eſt terra 40.1
103 Qui facis angelos tuos ſpiritus 26.4
103 Emitte ſpiritum tuum & creabuntur, & renouabis faciem terræ 28.4
103 Poſuiſti tenebras & facta eſt nox 393.1
106 Errauerunt in ſolitudine in inaquoſo, viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt eſurientes, & ſitientes anima eorum in ipſis defecit 109.2
110 Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors & miſerator dominus, eſcam dedit timentibus ſe. 307.1
112 Qui habitare facit ſterilem in domo, matrem filiorum lætantem 142.2
112 Exceſſus dominus humilia reſpicit, & alta à longe cognoſcit 441.1
115 Dirupiſti domini vincula mea, tibi ſacrificabo hoſtiam laudis 115.4
115 Præcioſa in conſpectu domini mors ſanctorum eius
118 Confige clauis à timore tuo carnes meas 38.2
118 Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua 72.3
118 Bonitatem, & diſciplinam, & ſcientiam doce me. 148.2
118 Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua. 156.2
118 Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. 362.2
118 Declaratio ſermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis. 123.2
118 In matutino interficiebam omnes peccatores terræ. 354.4
118 Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum. 357.2
118 Omnis conſummationis vidi finem, latum mandatum tuum nimis. ibid.
118 Os meum aperui, & attraxi ſpiritum, quia mandata tua deſiderabam. 402.3
118 Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum 407.4
118 Priuſquam humiliarer ego deliqui, propterea eloquium tuum cuſtodiui. 455.1
119 Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt, habitauit cum habitantibus cedar, multum incola fuit anima mea. 91.3
131 Paraui lucernam Chriſto meo. 278.3
132 Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum, ſicut vnguentum. 419.1
136 Beatus qui tenebit, & allidet paruulos ſuos ad petram. 283.3
138 Mirabilia opera tua, & anima mea cognoſcet nimis. 149.1
142 Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. 97.3
143 Emitte ſagittas tuas, & diſſipabit eos. 96.2
145 Lauda anima mea Dominum, laudabo Dominum in vita mea. 309.3
147 Ante faciem frigoris eius quis ſuſtinebit. 112.1
148 Præceptum poſuit, & non præteribit. 26.3

Prouerb. Salomon. cap. I.

Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum. 438.3
8 Et deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum. 308.4
8 Dominus poſſedit me in initio viarum ſuarum, antequam quicquam facere ab initio. 424.2
15 Mens iuſti tanquam iuge conuiuium. 438.4
18 Impius quum in profundum malorum venerit, contemnit. 64.2
25 Mel inueniſti, comede quod ſufficit, ne cogaris euomere. 238.2

Eccleſiaſtis cap. III.

Vnus interitus hominis, & iumentorum, & æqua vtriuſque conditio. 348.4

Canticorum cap. I.

Trahe me poſt te, curremus in odorem vnguentorum tuorum 118.3. & 4
1 Nolite me conſiderare quod fuſca ſim, quia decolorauit me Sol. 126.2
1 Paſce hœdos tuos iuxta tabernacula paſtorum. 292.3
2 Dilectus meus mihi, & ego illi. 122.2
3 In lectulo meo quæſiui per noctem, quem diligit anima mea.
4 Vulneraſti cor meum ſoror mea ſponſa, vulneraſti cor meum. 111.4
4 Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus fons ſignatus. 324.2
5 Veni ſoror mea ſponſa, miſcui vinum cum aromatibus meis, comedi fauum meum cum lacte, 92.2

5 Expoliaui

5 Expoliaui me tunica mea, quomodo induat illa?
Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos 108.4
Veniat dilectus meus in hortum ſuum, & comedat fructus pomorum ſuorum 292.2
6 Quæ eſt iſta quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt luna 362.1
6 Sexaginta ſunt reginæ, octoginta concubinæ 460.4
7 Omnia poma noua & vetera, ſeruaui tibi dilecte mi 363.1
8 Aquæ multæ non potuerũt extinguere charitatem.
8 Fortis vt mors dilectio, dura vt infernus æmulatio 394.1
8 Lampades eius, ſunt lampades ignis

Sapientiæ cap. II.

Inuidia diaboli mors introiuit in orbem terrarũ 161.4
14 Tentatio eſt vita hominis ſuper terram 278.2
18 Dum medium ſilentium tenerent omnia omnipotens, &c. 464.4

Eccleſiaſtici cap I.

Fons ſapientiæ verbum Dei in excelſis 327.3
4 Veh ſoli, quoniam ſi ceciderit non habet ſubleuantem ſe 321.2
7 Noli eſſe nimium iuſtus 22.4
15 Cibauit eum pane vitæ & intellectus, &c. 320.4

Eſaiæ cap. I.

Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum 110.1
1 Bos cognouit poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe domini, populus autem meus non cognouit me 258.1
5 Veh qui dicitis bonum malum, & malum bonum ponentes tenebras lucem & lucem tenebras 347.2
6 Niſi credideritis non intelligetis 148.1
11 Egredietur virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet 287.1
24 Secretum meum mihi 381.3
26 A timore tuo domine concepimus, & peperimus ſpiritum ſalutis 333.4
40 Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri 383.1
9. 50 Gentium populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam 384.4
56 Canes muti non valentes latrare 69.4
62 Super muros tuos Hieruſalem, conſtitui cuſtodes qui die ac nocte non tacebunt laudare nomen domini 417.2

Hieremiæ cap. VI.

Veh mihi qui tacui 69.3
9 Mors intrat per feneſtras noſtras 58.3

Trenorum cap. III

Miſit Deus ignem in oſſibus meis, & erudiuit me 64.2
3 Sedebit ſolitarius, & tacebit, quia leuabit ſe ſupra ſe 438.3
4 Quomodo obſcuratum eſt aurum, immutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides ſanctuarij 385.3

Ezechielis cap. I.

Similitudo quatuor animalium, quatuor facies, & quatuor pennæ vni 273.3
1 Quuom ambularent animalia, ambulabant pariter rotæ 292.4
1 Et cum vox fieret de firmamento, animalia ſubmittebant alas ſuas 429.1
18 Quotieſcunque ingemuerit peccator, non recordabor amplius iniquitatum ſuarum 417.1
36 Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris 143.3

Oſee cap. II.

Ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius 314.2

Ioelis cap. I.

Computruerunt iumenta in ſtercore ſuo 272.4

Micheæ cap. VI.

Humiliatio tua in medio tui 420.1

Abacuc cap. II.

Iuſtus ex fide viuit 361.3
3 Ingrediatur putredo in oſſibus meis, & ſubter me ſcateat, vt requieſcam in die tribulationis 92.4

Malachiæ cap. I.

Iacob dilexi, Eſau autem odio habui 267.2

EX NOVO TESTAMENTO,

Matthæi cap. V.

Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur 71.2. & 443.1
5 Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum 442.3
5 Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt
5 Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur 443.1
5 Beati mites, quoniam ipſi hæreditate poſſidebunt terram 442.3
5 Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam cõſequentur 443.1
5 Vos eſtis ſal terræ, vos eſtis lux mundi 280.2
5 Eſto conſentiens aduerſario tuo, dum es in via cum eo, ne tradat te iudici, & iudex tortoribus cruciandum 107.3. & 162.1
5 Quod ſi ſal euanuerit, &c. 386.1
6 Vbi eſt theſaurus tuus ibi & cor tuum erit 17.1
6 Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie 320.4
7 Omnis qui petit, accipit, &c. 379.4
8 Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos 128.4
9 Neque mittunt vinum nouum in vtres veteres, alioquin rumpuntur vtres 454.2
11 Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum, &c. 17.4
11 Inter natos mulierum, non ſurrexit maior, &c. 126.2
11 Iugum enim meum ſuaue eſt, &c. 293.2
11 A diebus Ioannis Baptiſtæ, regnum cœlorum vim patitur, &c. 354.4
11 Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis

eſtis,& ego reficiam vos,tollite iugum meum ſuper vos,& diſcite à me quia mitis ſum, & humilis corde, & inueniatis requiem animabus veſtris, iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue 404.4
11 Regnum cælorum vim patitur, &c. 422.2
11 Diſcite à me quia mitis ſum 442.1
15 Cæcus ſi cæco ducatum præſtet,&c. 331.1
18 Si duo conſenſerint, quicquid petierint, fiet illis à patre meo
18 Angeli eorum ſemper vident faciem patris mei, qui in cœlis eſt 361.5
19 Vos qui ſecuti eſtis me & reliquiſtis omnia, centuplum accipietis, &c. 418.1
19 Si vis perfectus eſſe,vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, &c. 417.4
21 Sternebant veſtimenta ſua in via 301. 2. & ſeq.
23 Et patrem nolite vobis vocare ſuper terram, vnus eſt enim pater veſter, &c. 21.3
23 Nolite vocari rabi, vnus eſt enim magiſter veſter qui eſt in cœlis 285.2
25 Quod vni ex minimis meis meis feciſtis,&c. 23.1
25 Amen dico vobis,neſcio vos 434.4
26 Ite in ciuitatem,& ecce occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans 17.3.& ſeq.
26 Accipite & manducate,hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur 305.3
26 Spiritus quidem promptus, &c. 590.1
26 Dormite iam & requieſcite, &c. 591.3
26 Amice ad quid veniſti 191.3
27 Regnum meum non eſt de hoc mundo 301.2
28 Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra 172.1
28 Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus,&c. 143.2

Marci cap. VI.

Signa eos qui crediderint, hæc ſequentur, in nomine meo dæmonia eijcient, &c. 230.1

Lucæ cap. I.

Illuminare ijs qui in tenebris, & vmbra mortis ſedent, &c. 132.1
1 Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto 257.4
1 Aue Maria gratia plena, &c. 268.1
1 Quomodo fiet iſtud, &c. ibid.
1 Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, &c. ibid.
1 Ecce ancilla Domini, fiat mihi, &c. ſeq.
2 Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis 379.2
2 Ieſus autem proficiebat ætate & ſapientia, & gratia apud Deum & apud homines 258.3
2 Obtulerunt par turturum,aut duos pullos columbarum 266.1
8 Ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt 423.2
9 Qui vult poſt me venire,abneget ſemetipſum, tollat crucem ſuam & ſequatur me 240.1.
9 Nemo mittens manum ad aratrum,& reſpiciens retro,eſt aptus regno Dei 338.2
10 Tranſiens quidam Samaritanus, miſericordia motus, alligauit vulnera, vinum & oleum infundens 378.1
11 Si oculus tuus fuerit nequam, &c. 473.2
11 Si oculus tuus fuerit ſimplex,totum corpus tuum lucidum erit 335.3
12 Ignem veni mittere in terram 404.4
12 Homo quidam deſcendebat ab Hieruſalem in Hierico, & incidit in latrones 302.4
13 Contendite intrare per anguſtam portam, quoniam arcta eſt via quæ ducit ad vitam 341.4
14 Quum fueris inuitatus ad nuptias, recumbe in nouiſſimo loco 444.2
14 Qui ſe exaltat, humiliabitur; & qui ſe humiliat, exaltabitur 460.2
14 Quis enim eſt ex vobis, qui velit turrim ædificare quin prius ſedens computet ſumptus an habeat quibus opus eſt ad perficiendum 472.2
17 Regnum cœlorum intra vos eſt 440.4
12 Deſiderio deſideraui hoc paſcha manducare vobiſcum,antequam patiar 580.1
23 Si in viridi ligno hoc faciunt, in arido quid fiet? 208.4
23 In manus tuas Domine commendo ſpiritum meum 216.1
23 Inclinato capite tradidit ſpiritum ibid.
23 Hodie mecum eris in paradiſo. 290.1

Ioannis cap. I.

In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum 424.2
1 Verbum caro factum eſt 102.1
4 Si quis de hac aqua biberit ſitiet
5 Quomodo poteſtis credere vos, qui gloriam ab inuicem accipitis? 383.2
6 Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis 415.4.& 479.3
6 Nemo venit ad me, niſi pater qui miſit me, traxerit eum 474.3
8 Homicidia erat ab initio,&c. 335.1
8 Si glorifico meipſum,gloria mea nihil eſt 83.2
10 Fur non venit niſi vt perdat,&c. 45.2
10 Qui non intrat per oſtium in ouile ouium, fur eſt & latro 367.3
12 Nunc clarifica me pater 173.1
13 Qui lotus eſt, non indiget,niſi vt pedes lauet 120. 1. & 182.2
13 Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem 140.2
13 Sermonem quem audiſtis non eſt meus, ſed eius qui miſit me patris
13 Mihi aquam in peluim 181.2
13 Quod ego facio neſcis modo, ſcies autem poſtea 182.2
13 Si non lauero te,non habebis partem mecum. 182.2
13 Poſtquam lauit pedes eorum, accepit veſtimenta ſua,at iterum recubuit 183.1
14 Ego ſum via,veritas,& vita 130.1
14 In domo patris mei manſiones multæ ſunt 145.4
14 Accipiam vos ad me ipſum, vt vbi ego ſum & vos ſitis 146.1
14 Philippe qui videt me,videt & patrem meum. 148.1
18 Non relinquam vos orphanos,veniam ad vos 151.2
14 In illa die cognoſcetis,quia ego in patre ibid.
14 Pacem meam do vobis pacem relinquo vobis. 153.3
14 Non turbetur cor veſtrum,neque formidet. 154.1
14 Nemo venit ad patrem niſi per me 356.1
15 Ego ſum vitis vera 554.4
15 Quodcunque volueritis,petetis, & fiet vobis 557.3
15 Iam non dicam vos ſeruos, quia ſeruus neſcit quid faciat Dominus eius. 159.1
15 Elegi vos vt eatis & fructum afferatis, & fructus veſter maneat 160.2
15 Si mundus vos odit, ſcitote quia me prius odio habuit 161.3
16 Hæc locutus ſum, vt non ſcandalizemini abſque ſynagogis facient vos 165.1
16 Expedit vobis vt ego vadam 565.4.
17 Vado ad eum qui miſit me, & nemo ex vobis interrogat me quò vadis 165.2

17 Pa-

17 Pater venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te 172.1
17 Hæc eſt vita æterna; vt cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum 272.3.& 327.2
19 Abijt trans torrentem Cedron, vbi erat hortus, in quem introiuit 188.3
19 Secundum legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit 206.2
19 Mulier ecce filius tuus 213.2
19 Sitio 215.1
19 Conſummatum eſt 215.4

Actorum cap. II.

Dum complerentur dies Pentecoſtes, eſſentque omnes diſcipuli pariter in eodem loco 277.2
1 Apparuerunt diſpertitæ linguæ tanquam ignis ibid.
9 Salue Salue quid me perſequeris? 412.1

Ad Romanos cap. XII.

Quum enim gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt, faciunt,&c. 273.2
2 Quicunque ſine lege peccauerunt, &c. 388.3
4 Vanitati creatura ſubiecta eſt non volens, ſed propter eam,&c. 330.3
5 Charitas Dei diffuſa eſt, &c. 434.2
7 Video aliam legem in membris meis, &c. 386.3
11 Sine pœnitentia ſunt dona & vocatio Dei, 335.4

1. *Ad Corinthios. cap. II.*

Spiritualis dijudicat omnia 392.1
3 Templum Dei ſanctum eſt quod eſtis vos 46.4
4 Nihil mihi conſcius ſum, an potuerit hoc Paulus ſemper dicere 264.3
4 Regnum Dei non eſt in ſermone, ſed in virtute 450.3
4 Pſallam ſpiritu, pſallam & mente, orabo ſpiritu orabo, & mente 475.4
6 An neſcitis quoniam angelos iudicabibus 295.1
10 Nolo vos ignorare fratres, quia patres noſtri omnes ſub nube fuerunt 307.2
10 Fidelis eſt Deus, qui non patietur vos tentari 344.4
11 Probet autem ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat 416.2
14 Ignorans ignorabitur 127.1
15 Omnes reſurgemus, ſed non omnes immutabimur 351.2
16 Prius quod animale, deinde quod ſpirituale eſt 423.3

2. *Ad Corinthios cap. VI.*

Os noſtrum pater ad vos Corinthij 110.1
7 Triſtitia ſecundum Deum pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatus 71.2
12 Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, vt in habitet in me virtus Chriſti 267.1

Ad Galatas cap. I.

1 Quum autem placuit ei, qui me ſegregauit ab vtero matris meæ 340.3
3 Videte, ne quum ſpiritu cœperetis, carne conſumamini 292.1
5 Qui autem Chriſti ſunt, carnem ſuam crucifixerunt cum vitijs & concupiſcentijs 71.2

Ad Epheſios cap. IIII.

4 Aſcendens Chriſtus in altum, captiuam duxit captiuitatem 336.2
5 Omne quod arguitur à lumine, manifeſtatur 126.4
5 Surge qui dormis, exurge à mortuis, & illuminabit te Chriſtus 462.3

Ad Philippenſes cap. IIII.

4 Et pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra,& intelligentias veſtras 312.3

Ad Collocenſes cap. III.

Viri, diligite vxores, veſtras, ſicut Chriſtus dilexit eccleſiam 104.1
3 Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo 316.3

1. *Ad Timotheum cap. II.*

Vult Deus omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire 296.4
5 Quorundam hominum peccata ſunt præcedentia ad iudicium, quorundam verò ſubſequuntur 313.4

Iacobi cap. I.

Beatus vir qui ſuffertur tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ 472.2
1 Velox ad audiendum eſto, tardus ad loquendum 315.1

1. *Petri cap. IIII.*

4 Nolite peregrinari in feruore ſpiritus qui in vobis ad tentationem fit 438.1

1. *Ioannis cap. II.*

2 Vnctio eius docet vos de omnibus 17.4
2 Si cor noſtrum non reprendit nos, fiduciam habemus apud Deum 27.1
Cariſſimi filij Dei ſumus, & nondum apparuit quid erimus 8.4
4 Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate, ſpiritus ex Deo ſint 438.1

Apocalypſis cap. III.

3 Ego ſto ad oſtium & pulſo, ſi quis aperuerit mihi, cœnabo cum illo 467.4
3 Suadeo tibi à me emere aurum ignitum ex igni, vt locuples fiat 127.4
7 Non eſurient, neque ſitient amplius, neque cadet ſuper illos Sol 294.4
11 Iſti ſunt duæ oliuæ, & duo candelabra lucentia ante Dominum, & habent poteſtatem claudere cælum 280.1
21 Ciuitas non eget Sole, neque Lunæ, aut Stellarum claritate

FINIS.

Erratorum Typis, lege correctiones.

In Vita. Pag.1. col.1. lin.12. Quum. 28. inter. 2.33. omitti. 2.1.32. ſufficiendæ. 3.1.27.apparare.43. Domine. 5.1.7.impulit.11.eſt.12.educere.6.1.5.vicinia.31.velcebatur.2.42.malebat.7 1.53.adeuntibus.59.deferiur.2.20. Doctore.41.redundans.8.2.18.quoad.23.loquere.36.veritus. 10.1 4.annos.15.ſacramentum.2.29.vitare. 11.1.9.cognoſcenda.16 videas.2.36.ingraueſcens.52.febri.54.plumam.57.cubauit. 12.1.31.effundebar.60.ſepelliri.2.1.antequam. 28.Ieſu.49.horam. 13.1.27.diuitis.2.21.diſceiſſe.47.repeterent.51.ſeculis. 14.2.41.torendit. 16.2.7.pictis. 17.1.16. Dominum.2.15.dumtaxat.19.1.11.Orator. 15.Canonizatione.36.memoriæ.28.impedimentis.42.Epiſcopis.20.1.4. affectum.10.orationibus.2.2.officium. 21.1.26.motus. 22.1.41.conſolatur.2.49.nondum. 23.2.6.ex nobis.

Hæc ſunt in Vita, Breuibus, & Epiſtolis quæ ſequuntur ſunt in Tractatibus, videlicet.

Pagina 2. columna 1. linea 1. medullatum. 2. 4. ſi medela. 4.1.24.dilexiſtis. 11.1.56.perſtare. 13.4.40. neſciendi. 14.3.3.fœderis.16.1.29.narrare. 17.1.15.operis. 18. 1.36. aſſimilauitam. 48.alijs. 21. 1. 42.tibi. 22. 1. 40. vidimus. 23.1.19.accendimur.46.ita. 24.1.43.differendum. 30.4.29.hanc. 31.1.58.vita. 34.3.21.magnæ. 36.2.26. inebriati. 4.27.indicabit. 40.3.9.efficitur. 41.2.12.infundat. 43.2.10.ſubdere. 3.16. adeptione. 45.1.11. differendum. 46.4.7. locus. 50.3 48.trahis. 53.tibi. 51.1. in rubrica.amatores. 52.1.3.ordinare.2.14.tentari. 53.1.31.creatore. 53.4.34. elicere. 55.3.28. ſuſpice. 57.2.31.fomentum. 58.4.33. Saluatore. 63.4.5. Homicida. 64.1.26.hoſtis. 35.tetras. 65.3.13.teporem. 67.4.9.ad adhipiſcendam. 68.4.51. inſuperabilis. 72. 3.11.perſenſerat. 74.1.22.qualia. 2.54.ſolius. 76.1.27. eleuetur. 35.diſpenſatione. 79.2.11.dilectione. 81.1.57.fouere. 84.3.26.creaturarum. 88.4.25.fota. 95.4.54.fœdetur. 97. 1.6. vtuntur. 4. 20. obruti. 106.3.38. turris. 107.4.35. ex peccandi. 109.4.50. innundans. 122.1.14 diſpliceant. 125.3.42.facinus. 139.4.32.diſcedente. 142.1.57.effectus. 143.1.56.quieticet. 149 2.13.opera quæ ego facio & Ipſe faciet, non enim inquit, Qui credit me. 150. 2.41. adeò. 153. 1.7. impingas. 3. 17. ſuggereret. 157.1.9.diſcedentes.49.fontes. 3.54. effectus. 160.3.27.coaluerat. 55.interiero. 162.3.32.deſſuit. 163.1.48. dilectorum. 168.1.52.flentes. 169.2.49. runt in ſolitudine in inaquoſo viam Ciuitatis ha- 171.2.43. Hominum. 4 39. autem. 174.2.58.vox. 176.1.57.purgan.4.3.nunc. 179.4.58.bonam & ſanctam. 182.2.22.vilitatis. 183.1.53.confeſſio. 187.2.18.auerterat. 188.1.35. gnara. 189.2.12.caue. 2.28. angebatur. 190.2.7.inhabiles. 191.1.4. charitatis. 193.3.9.æquè. 195.2.57.dilectionis. 200.1.46.merita. 201.1.22.faſtu. 3.31.imperitur. 203.3.26.fomes. 4.3.reperitur. 204.2.36.arundineum. 4 47.ſucceuſus. 205.2.19.præcipe. 209.3.25.penè. 214.1.20.meum. 218.4.57.delectatur. 221.1.7.credulitas.2.21.nutantium. 222.3.44.pertractem.4.5.amplexaretur. 223.2.6.explendo. 227. 2.33. meliori. 4. 28. quo nam. 228. 1. 54. appropiare. 2.33. dolere. 232.3.31.vberibus. 238.1.51. affectum. 2.19.ſub veritatis. 239.3.49.medullatum. 243.1.11.promiſſa.4.28.moralitatis. 247.2.41. armabat. 249.2. 3. cilitium.4.58. oriuntur. 250.2.58.expetat. 254.3.40.habenas. 255.3.37.pertranſeat. 256.4.38. leuitatem. 56. internitionem. 260.2.24.præſentiam. 265.2.16.dirigente. 267.3.3.Barrabam. 268 3.2. inconcuſſa. 270.1.39.aio. 271.2.57. quot. 273.1.22.viuendo. 274.1.10.audere.2.51.modeſtia. 275 3.44. cœlitus. 276.2.53. cumulata. 3.8. ſuperfluerit. 4. 35. obtutum. 279.4.44.mortibus. 280 4 46.manifeſta. 281.3.38.delicti. 48.taſce. 3.57.motus. 283.4.50. redemptoris. 284.2.30. vallata. 286.3.34.perfectius. 290 2.1.repeſcunt. 291.3.47.nequiuerit. 292 1.23.realites. 296.2.51.vterentur. 297.4. 45.deperit. 298.2.9.renuit. 301.3.39.egentibus. 305.3.27.quo nam. 306.1.7.quoſque. 25.quo nam. 4.47.poſterior. 309.1.57.effecta. 310 2.2.presbiterij. 3.41. æſtimatur. 311.2.20.infudare. 312.3.45.nondum. 317.1.27. mulierem. 324.4 25.orandi. 326.2.8.fraudes.4 37.nugis. 329.2.27.lachrymans. 331.2.20.ſolidum. 332.1.23. ſectanda. 4.10. poſſis. 333.2.50.imitentur. 335.1 5.eligendi.4.49.animantibus. 338.3.4.cutare. 340.3.24.mutatur. 341.1.8.grandium. 343.1.51.conuerſationem. 344 2.8.quærit 3.45.propter.4.19.reluctemur. 347.1.10.delectationem. 3.5.conſolationibus.27.in uia. 34.ſtenſſet. 4 38.obloquutiones. 348.4.16.delictorum. 350.1.14.dicendi. 49.iudicia. 60.rabidus. 351.2.17.aſſateetur. 352.1.51.mortis.52.filij. 353.4.36.oſtetat. 354.2.49.priuatus. 356 4.27.ſuadere.37.oculatorum. 361.1 43.miniſterium.2.14.militare. 364.2.50.perſequuntur cuſtoditur guſtatur. 367.3.35.quo nam. 368. 1.20.exaltationem.4.4.bonitas. 372.4.4.monita. 373.4 53.vtuntur.. 374.4 48.cuicunque. 377.1.1.ſalutis. 7.caſtitatis. 378.1.1.Hiericho. 379.2.2.animę iuiorem. 381.2.26.detentem 4.33.depurationem. 384.2.53.intentionem. 385.3.57 agi. 386.4 23 intentionem. 388 4.47.Domino. 390.3.12.deuitare. 391.1 45.ratieres.4.26.ſciant. 392.3. 14.ſecundi. 394.2 46.complectar. 3.10.quia. 397.1.26.pater. 27.lætis. 47.rigorem. 398.2.57. reſpicere. 400.2.46. obnitum. 402.1.20.angebar.2.7. procedentes. 19. hæreſes. 3.29. facis. 4.7.ſeruitutis. 403.1.53.profectò. 3. 36. lethi. 404.1.1.caueri.19.ira.44.legis.57.apparente.2.7.non enim. 3.11.lucret. 4.1.flagraos. 15.adulſiones. 405.2 35. præcipuè.3.19.perrranti. 406 1.12.agnoſcit.3.45.pretij 4.57.mancipati. 407.1.4.Domino. 22.excellibus. 26.ſpirituum. 2.3.ſuſpice.408.2.39.profectibus. 411.3.6.Chriſtus 415.2.51.peregrinatur. 417.2.56.vi rarum. 418. 1. 6. quippè. 420.3.3.patrem.51.reclinatorium.421.1.1. muneratio ſempiterna Domini pollicitationem. 422.2.11.tepeſcat. 423 3.2.conflictus. 426.3.16.ſalem. 428.3.57.pabulum. 429 4 15.inſigniri. 433.2.28. viſitatum. 434.2.56. gratiſſima. 3.17.potens. 435.3.39.illata. 436.3.34.diuitiæ. 439.2.13.deſtruere.4.34.vtuntur.56.perhibebat. 440.1.15.humiliatus. 4.46.fletum. 55.lagentes. 448.3.57.vilitans. 450.1.51.oderiot.2.37.principum. 3.38. morum. 451.4.36.tranſgreſſus. 452.1.37.contenſos. 453.1.9.vile. 460.1.51. quanta. 461.1.1.ingeminans. 2.incendat. 47. quod. 463.1.9. filiorum.37.carnem & animam. 465.2.54.reſciuntur. 466.2.52.ablatus. 470.1.32.elaborat.49.voluntati. 3.29.metientes. 471.1.3.amittitur.18.parique.58.paululum.2.41.miretur. 475.2.32.eadem. 478.2.2.debebamus. 481.3.20. audimus. 484.1.36.Iam.39.mutire.4.13.flagrantia. 485.1.3 obſtruit.3.43.fotiemur. 4.31.ſaltem. 487.2.23.ignoraui.4.33.deſcribat. 488.1.6.excedit. 489.2.2.aluſſiona. 490.4.37. hereditates. 58.plurium. 494. 2. 13. aquilinis. 15. ſolum.3.56.nullius. 497.2.26.ſupplico. 497.2.7.ſatiandus. 499.1.51.pes.2 8.manum.

Minus imperfecta, ad boni Lectoris intelligentiam omittuntur.

VENETIIS, Anno Domini MDCVI.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

5-2

Digitized by Google